BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMAN.
SALA DI STUDIO
32
59
3746. G. 6
37
46 G
6

HISTORIAE PONTIFICVM ROMANORVM Et S. R. E. CARDINALIVM.

Tomus Secundus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AD USUM FR. A. B[illegible]NTIV. SUÆQ. COMMUN.

VITAE, ET RES GESTAE
PONTIFICVM ROMANORVM
ET S.R.E. CARDINALIVM

Ab initio naſcentis Eccleſiæ vſque ad

CLEMENTEM IX. P.O.M.

ALPHONSI CIACONII ORDINIS PRAEDICATORVM & aliorum operâ deſcriptæ: Cum vberrimis Notis.

AB AVGVSTINO OLDOINO SOCIETATIS IESV RECOGNITÆ, & ad quatuor Tomos ingenti vbique rerum acceſſione productæ.

Additis Pontificum recentiorum Imaginibus, & Cardinalium Inſignibus, plurimiſque æneis Figuris, cum Indicibus locupletiſſimis.

TOMVS SECVNDVS.



ROMÆ, MDCLXXVII.
CVRA, ET SVMPTIB. PHILIPPI, ET ANT. DE RVBEIS.
SVPERIORVM PERMISSV.

INNOCENTIVS III. PONTIFEX CLXXVIII. ANNO DOMINI MCXCVIII.





COELE-ſtinus abdicare, ac Ioan. Carſin ſanctæ Priſcæ ſibi ſubſtitui, ſed fruſtra conatus eſt Cardd. contradicentibus, cui Cœleſtino defuncto ad pontificatum Ioanne de S. Paulo, ſed Lotharium elegerit Bar. an. 1198. num. 1.

NVLLVS inter Romanos Pontifices memoratur, qui Cardinalibus gratior & acceptior fuerit, quàm Cœleſtinus Tertius, cuius incredibili humanitate, gratia, & comitate omnes mirum in modum affecti fuere, idcirco ei contigiſſe ferunt, quod nulli alij Romano Pontifici, ſcilicet, vt poſt eius obitum, eum continuò patres Pontificem maximum renunciauerunt, quem ipſis paulò ante mortē deſignandum nominatim propoſuerat, cuius rei cauſa Pontifex æger, & morti proximus, orationem luculentam, adſtantibus ante lectulum in cubiculo ſuo, vt mos eſt, Cardinalibus, inter mortuis penè vocibus habuit, iiſque perſuaſit, vt ſe vita functo, ne alium Pontificem eligerent, quàm Ioannem Lotharium Diaconum Cardinalem ſanctorum Sergij, & Bacchi, doctrina, & moribus inſignem. Hic Anagniæ Hernicorum nobili Comitum Signiæ genere in Campania, patre Traſimundo ortus, cum aliquot fratres haberet, inter hos Thomam, & Richardum, qui familiæ ſplendorem rebus profanis ſuſtentare poſſent, ab ineunte ætate clericali inſtituto ſe totum dedit. Canonicus igitur primùm Eccleſiæ Anagninæ factus, paulò poſt in Lateranenſi Monaſterio Regularem Canonici ordinis vitam inijt, poſtea Lutetiam Pariſiorum ſtudiorum gratia ſe contulit, vbi in omni diſciplinarum genere peritiſſimus euaſit, adeò vt ſacras literas publicè ſumma cum omnium laude, & exiſtimatione docuerit. A Clemente III. qui eius doctrinam virtutem, morum, & vitæ integritatem, prudentiàmque audierat, in Patrum Collegium lectus, in eo Ordine & verbo, & ſcripturis, plurimum Eccleſiæ profuit. Tum enim præclara illa Opuſcula, de Miſeria conditionis Humanæ, in ſeptem Pſalmos Pœnitentiales, de officio Miſſæ, de Sacramento Baptiſmi, & aliquot alia edidit, vj. igitur Idus Ianuarias, poſtquam Cœleſtinus III. in Lateranenſi Baſilica tumulatus, honorificentiſſimè fuerat, conuenere, quorum intererat ſucceſſorem deſignare; Lothariùmque nobilem genere, & quantum illa ætas ferrè poterat eruditum, vt monumenta oſtendunt, ad tantæ dignitatis apicem promouere, qui Innocentius Tertius appellatus eſt.

INNOcentij primordia.

Fuiſſe ad Canon. S. Petri ipſemet tradit lib. 5. epiſt. 95. An. 1190. vt ſup.

INNOcentij Electio.

Papyr. Maſſon.

Tantum valuit Cœleſtini Tertij commendatio, & eius doctrinæ, probitatiſque opinio, vt in tanto ſacerdotio obtinendo, nihil ei ætas obſtaret: omnium enim Cardinalium iunior erat. qui annos tantùm triginta natus eſſet, etſi inter eos plures eſſent prouectioris ætatis, & hoc munere (vt ipſe ait) digniores; Extat initio Epiſtolarum eius de legitima ſui electione oratio, breuis illa quidèm, ſed quę modeſtiam, prudentiàmque ſingularem in eo fuiſſe, indicet.

CARDINALES XXVIII. VIVI quando Innocentius Papa III. factus eſt.

CARDINALES EPISCOPI IV.

ALEXANDRI PAPAE III.

1. Chūradus de Vuittelesbach Germanus, Archiepiſcopus Moguntinus, & Salsburgēſis, Epiſcopus Cardinalis Sabinus.

LVCII PAPAE III.

2. Octauianus, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus, Vicarius in Vrbe.
3. Guillelmus Comes Bleſenſis Gallus, Archiepiſcopus, Rhemenſis, Epiſcopus Cardinalis Prœneſtinus.

CLEMENTIS PAPAE III.

4. Petrus Gallocia, Epiſcopus Card. Portuenſis, & S. Rufinæ.

PRESBYTERI CARDINALES XII.

LVCII PAPAE III.

5. Pandulphus Maſca Piſanus, Presbyter Cardinalis Baſilicę ſanctorum duodecim Apoſtolorum, Prior Presbyterorum.
6. Adelardus Epiſcopus Veronenſis, Presbyter Cardinalis.
7. Petrus Placentinus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Cæciliæ.
8. Sofredus Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Praxedis.

CLEMENTIS PAPAE III.

9. Iordanus de Ceccano, Hernicus Campanus, Monachus, & Abbas Foſſæ Nouæ, Presbyter Cardinalis ſanctæ Pudentianæ titulo Paſtoris.
10. Ioannes Epiſcopus Tuſcanenſis, & Viterbienſis, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Clementis.
11. Guido de Papa Romanus Presbyter Cardinalis ſanctæ Mariæ Transtyberim titulo Calliſti.
12. Don Bernardus Canonicus Regularis ſancti Fridiani Lucenſis, Presb. Card. S. Petri ad Vincula, titulo Eudoxiæ

COELESTINI PAPAE III.

13. Hugutio Presb. Card. SS. Sylueſtri, & Martini tit. Equitij.
14. Ioannes Salernitanus, Presb. Card. S. Stephani in Cœlio mōte.
15. Don Rofredus de Inſula, monachus, & Abbas Caſinenſis, Presbyter Cardinalis ſanctorum Marcellini, & Petri.
16. Cynthius Rom. Presb. Card. ſancti Laurentij in Lucina.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

17. Ioannes de ſancto Paulo Presbyter Card. titulo S. Priſcæ.

CARDINALES DIACONI XI.

ALEXANDRI PAPAE III.

18. Gratianus, Diaconus Cardinalis ſanctorum Coſmæ, & Damiani, Prior Diaconorum.

LVCII PAPAE III.

19. Gerardus Allucingolus Lucenſis, Diac. Card. S. Hadriani.

CLEMENTIS PAPAE III.

20. Gregorius Galganus, de ſancto Apoſtolo, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Porticu.
21. Gregorius Diaconus ſanctæ Mariæ in Aquiro.
22. Gregorius de monte Carello, Diaconus Cardinalis S. Georgij in Velabro.
23. Don Lotharius Comes Anagninus, Diaconus Cardinalis ſanctorum Sergij, & Bacchi.
24. Don Nicolaus, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Coſmedin.
25. Gregorius Diaconus Cardinalis ſancti Angeli.

COELESTINI PAPAE III.

26. Bobo, Diaconus Cardinalis ſancti Theodori.
27. Petrus Capuanus, Amalphitanus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in via Lata.
28. Cencius Sabellus Romanus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Luciæ in Orphea, alias Silicæ S. R. E. Camerarius.

INNOcentij Electio.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1198. *die viij. Kal. Martij* in ſollemnitate Cathedræ S. Petri, Papa Innocentius III. in Presbyterú, & Epiſcopum conſecratus, ſuæ Coronationis inſignia ſuſcepit ab Gerardo S. R. E. Archidiacono, Romæ in Baſilica S. Petri; ſedit Imperatoribus Henrico VI. Othone V. & Friderico II. Auguſtis, annos 18. menſes 6. dies 9.

Innocentius III. poſtridie literas ad omnes Chriſtianos Principes de ſua dignitate miſit, plenas ſalubrium conſiliorum, (ſed eas omitto; quia reperitur Epiſtolarum eius, volumen) ac ſtatim de præſentis Eccleſiæ labibus opportunè inire conſilia cœpit. Quo facto Petrus Præfectus Vrbis acceſſit, atque in conſiſtorio Palatij Lateranéſis publicè iurauit, ſe ei, & ſucceſſoribus eius, & Romanæ Eccleſiæ fidelem contra omnes homines fore, & inueſtituram ab eo Præfecturę per mantum recepit; atque in manibus eius ligium hominium fecit, vt vocabant, poculo ab eo aureo inſignis beneuolentiæ monumento donatus.

HENRICI Imper. obitus 1197 Bar. num. 3.

Henricus VI. Imperator mortuus eſt Meſſanæ in Sicilia pridie Kal. Octobris anno 1198. interregnum menſium 8. dierum 6. poſt cuius obitum Regnum quidem Siciliæ ſub matris Conſtantiæ Auguſtæ tutela ſuſcepit puer quadrimus.

SCHISma Imp. inter Philipp. & Othoné.

Orta in Germania ſeditio nō parua eſt, cum pars Electorū Othonem Saxoniæ Ducem, pars Philippum Germanum Sueuiæ Ducem Imperatorem optaret. Innocētius Pontifex, ne tumultu omnia complerentur, Othonem Imperatorem confirmat, legitimè ab ijs, ad quos pertinebat, electum. Philippus Rex Romanorum creatus viij. Idus Martij anni 1199. regnauit annos 9. menſes 3. dies 2. Imperator verò Otho IV. Auguſtus in ſchiſmate contra Philippum Rex appellatus, menſe Martio eodem anno 1199. imperauit annos 20. menſes 2. dies aliquot.

Richardus Rex Angliæ, & Innocentius Pontifex Othoni fauebant, qui memor, quot mala pater, & frater ipſius Philippi, Eccleſiæ Romanæ intuliſſent; Othonem in Imperio adipiſcendo præferebat.

Adolphus Colonienſis Archiepiſcopus, Regem coronauit Othonem, eum verò ritè coronatum Legatus Pontificius approbauit, ac Philippum Ducem, iure repudiatum pronunciauit.

Innocentius Papa Conſtantiam Imperatricem, & Fridericum filium Siciliæ Reges conſtituit, literis ad vtrumque datis.

Nec prætereundum ſilentio eſt, hæc tempora, quæ terris hominum flagitijs, diris populorū inimicitijs, ac nefandis hæreſibus propè fuere infamia, hoc vno bono Dei beneficio floruiſſe, quòd viros aliquot cum doctrinæ magnitudine, tum vitæ integritate præſtantes tulerunt.

S. DOMINICUS. S. FRANCISCUS.

Dominicus Calaguritanus Oxonienſis Diœceſis in Hiſpania, Franciſcus qui Ioannes antea dicebatur, Aſſiſias in Italia per hoc tempus inſigni aſperitate vitæ, rerum humanarum contemptu, & Verbi Diuini prædicatione, hominum in ſe ora, oculóſque vertere cœpere, anno 1199. Cremonæ lux ingens præcipuè ſanctitatis eluxit; quippè Homobonus quidam, ſimplicitate morum magis, quàm eruditione in ciuitate conſpicuus ex hac vita deceſſit: ac ſanctitatē ſuam poſt obitum, miraculis ad ſepulcrum editis, confirmauit. Quibus rebus cognitis, & examinatis Innocentius religione motus anno 1199. eum in numerum Sanctorum aſcripſit, ac Cremonenſes ad eius colenda natalitia ſcriptis, quæ adhuc extant, literis incitauit.

S. HOMOBONUS Cremonenſis.

Idem Pontifex Apuliæ, atque Calabriæ populos iuramento adſtrinxit, ad Friderico obediendum, & Card. S. Mariæ in Porticu in Siciliam ad caput eius cuſtodiendum miſit, neque officium vllum optimi aut Domini, aut tutoris, aut patris, erga illum omiſit.

INNOcentius bona Eccleſ. recuperat.

Innocentius III. animum conuertit ad Patrimonia Eccleſiæ, quæ occupata, ſeu beneficij, ſeu feudi nomine donata à Friderico, ac Henrico fuerant, repetenda, cum laudi ſeruire ſuperiores Pontifices, vel morte immatura oppreſſi, vel curis Orientalibus occupati nequiuerant: & officio Pontificio conuenire præcipuè duxit, vt per Regū beneficia tueretur, & ad lapſam conſtituendam Eccleſiam vtrumque maximè pertinere exiſtimauit, vt bona ſua ei recuperaret, quæ per eos adempta fuerant, per quos potiſſimum conſeruari debuerant. Quibus rebus vulgatis Innocentius, omnibus eſſe in ore, atque oculis cœpit, vt qui ſolus per tot annos Eccleſiam in priſtinum locum dignitatis, ac potentiæ reſtitueret, rémque nō vi magis, quàm Pontificia auctoritate conficeret.

PETRUS Secundus Arag. Rex coronatur ab Innoc.

Anno Domini 1204. *Pontificatus Innocentij III. ſeptimo*, Petrus II. Rex Aragonum expeditionem fecit, ſi Regis apparatus, ſumptúſque ſpectentur, frequentiſſima celebritate, & totius Italiæ clariſſima luce inſignem; is enim claſſe Genuenſem portum tenuit Nouembri menſe Tiberis oſtio inuectus ab aliquot Cardinalibus, & Senatore, Populóq; Romano in Vrbem deductus, Innocentium Pontificem Maximum de more veneratus, in Vaticanis Pontificis ædibus, exceptus hoſpitio, perendino die, Præſentationi B. MARIAE DEI Genitrici dicato, ſummus Pontifex in ædem S. Pancratij traductus Regem ſollenni pompa Vrbis regionibus ouantem excipit, atque in eadem Petrus Portuenſis Epiſcopus ſacro oleo perungit; Regium diadema capiti eius ab Innocentio imponitur, atque regijs inſignibus decoratur. Rex fidelitatis ſacramento, ſe Pontifici, atque S. R. E. addicit, in Vaticanum reuerſus, in ſacello B. Petri, regijs inſignibus depoſitis, & gladio è Pontificis manu accepto, militiæ auctoramentum profitetur, Regnum tributarium Eccleſiæ conſtituit, & CCL. Mahozemutinorum aureorum minimorum tributum in ſingulos annos ab Aragoniæ Regibus conferendum indicit, ſumma à ſe propoſita mercede, quòd Pontificis manu diadema ſumpſiſſet.

Regnum Arag. tributarium Eccleſiæ Romanæ conſtituit.

Hi nummi a Siſceeſio Mahozemuto ſacti, nuncupatique qui ſummum in Mauros imperium in Hiſpaniam obtinuerat, ſinguli ſex ſolidis regalibus expendebantur, æſtimabantúrque. Pontifex priuilegium dedit, vt ab Archiepiſcopis Tarraconenſibus coronæ in poſterum Regibus Cæſaraguſtæ imponantur, modò caueant, ſe id Eccleſiæ præſtituros, quod a Rege ſancitum fuerat. Porrò Regis Iuramentum huiuſmodi fuit.

Petri II. iuramētū fidelitatis.

EGO Petrus Rex Aragonum profiteor, & polliceor, quod ſemper ero fidelis, & obediens Domino Papæ Innocentio, eiuſque Catholicis Succeſſoribus, & Eccleſiæ Romanæ, Regnumque meum in ipſius obedientia fideliter conſeruabo, defendens fidem Catholicam, & perſequens Hæreticam prauitatem, libertatem & immunitatem Eccleſiæ cuſtodiam, & eius iura defendam, in omni terra mea poteſtati ſubiecta, pacem, & iuſtitiam ſeruare ſtudebo: ſic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

Inſtrumentum verò, quo ſuum B. Petro Regnum tributarium fecit, eius fuit teneris, quem hic ſubijcio.

Cum corde credam, & ore confitear, quòd Romanus Pontifex, qui eſt B. Petri Succeſſor, Vicarius ſit illius, per quem Reges regnant, & Principes principantur, qui dominatur in Regno hominum, & cui voluerit dabit illud, Ego Petrus Dei gratia, Rex Aragonum Comes Barcinonenſis, & Dominus montis Peſſulani, cupiens principaliter, poſtea B. Petri, & Apoſtolicæ Sedis protectione muniri, Tibi Romæ Pater, & Domine Sūme Pontifex Innocenti, & per te S. R. E. offero Regnum meū, illudque tibi, & Succeſſoribus Tuis in perpetuū diuini amoris intuitu, pro remedio animæ meæ, & progenitorum meorū cōſtituo cēſuale, vt annuatim de Camera Regis CCL. Mahozemutina Apoſtolicæ ſedi reddantur; ac Ego ſicut & ſucceſſores mei ſpecialiter, & fideles, & obnoxii teneamur, ac lege perpetua ſeruandum fore decerno; quia ſpero fi...iter, quòd tu, & ſucceſſores tui, me, ac ſucceſſores meos, ac Regnum prædictum auctoritate Apoſtolica defendetis; præſertim cum ex multo deuotionis affectu me ad Apoſtolicam Sedem accedente ipſis, quaſi B. Petri manibus, in Regem duxeris ſollemniter coronandum, vt autem hæc regalis conceſſio inuiolabilem obtineat firmitatem, eandem conſilio Procerum Curiæ meæ præſente venerabili patre meo Arelatenſi Archiepiſcopo, & Sanctio patruo meo, & Hugone de Baucio, & Arnaldo de Fociano, Baronibus meis, ſigilli mei feci munimine roborari. Actum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Dominicæ Incarnationis 1204. iij. Idus Nouembris, anno Regni mei octauo.

His omnibus ritè peractis, fecit eum D. Papa per Vrbē ad Eccleſiam S. Pauli deduci, vbi triremes inueniens præparatas intrauit, & Apoſtolica benedictione ad propria meruit cū proſperitate redire.

Super coronatione verò Regum, & Reginarum Aragoniæ in poſterum facienda Cæſarauguſtæ per manus Archiepiſcopi Tarraconenſis, ex Indulto Pontificio Hieronymus Zurita lib. 1. an. 1204.

MIRAmamolinus Hiſpaniam inuadit.

Innocentius Pontifex, Chriſtianis tot hoſtibus vndique laceſſitis, conquiſitos vndique milites in Orientem ſubminiſtrabat. Qui vbi cognouit, Miramamolinum, maximum, & potentiſſimum Mahometanorum Regem ingenti claſſe in Hiſpaniam traieciſſe, publico edicto, omnes, qui ferre arma poſſent, ad extinguendum tantum incendium concitauit. Conuenerant eò multi Galli Cruce inſigniti, opem Hiſpanis allaturi, qui ſtatim in patriam redière, vbi aduentum ſuum Hiſpanis minus gratum, & non neceſſarium ſenſerunt. Hanc

ob rem

ob rem Miramamolinus vtrinſque Hiſpaniæ oras hoſtilem in morem peruagans Arelatum, & Auenionem perueniens, cædibus omnia, & populationibus compleuit. Hac autem calamitate perciti tres Hiſpaniæ Reges, Alphonſus IX. Caſtellæ, & Petrus II. Aragoniæ, & Sanctius Nauarræ, copijs ſimul iunctis in montibus Marianis cũ hoſte communi Sarraceno cõgreſſi, xvi. Iulij, anno 1212. victoriam miram adepti, ducentis millibus hoſtium in eo prælio cæſis præter innumeros captiuos, & opimam prædam auri, argenti, equorum, & camelorum, & aliarum rerum pretioſarum, ex Chriſtianis 25. ſolùm deſiderati; intra ſepta Miramamolini fuerunt tres mille Cameli ferreis catenis inuicem iuncti, & 30. Reges Agareni; de victoriæ miraculo partæ annua feſtiuitas in Hiſpania celebratur, quæ Triumphus Crucis vocatur; in Germania pax inter vtrumque Regem confirmata, & Othoni vxor filia Philippi data.

EXERCItus eius cæditur.

TRIVMphi Crucis feſtiuitas in Hiſpania.

Qui Philippus non ita multo poſt anno Domini 1208. enſe Comitis Palatini. 2. Kalen. Iulij interfectus Schiſmati finem impoſuit, & Otho Imperio liberè potitus eſt. Romani Legati Leo, & Hugolinus Franckfordiam conueniunt, & Apoſtolicæ ſedis nomine cõfirmant. Cum quibus Otho Romam veniens, ab Innocentio III. in Baſilica Vaticana v. Idus Octobris anni 1209. Imperator, certis legibus, coronatur. Conſecrationem eius Cardinales aliquot, Imperij Proceres multi, Senatus pars probarunt. Triduo in Vrbe ſeditio fuit, multi cæſi, & vulnerati. Otho IV. Imperator, ante coronationem iurauit, quod iura Eccleſiæ Romanæ tueretur, cuſtodiret, & a nemine occupari permitteret, quod electiones Prælatorum liberas eſſe, & appellationes ad ſedem Apoſtolicam fieri permitteret, quod ſollemni promiſſione confirmauit, ſed malè ſeruauit. Nam coronatus, contra ius, fas, & ſacramenti fidem Monte Flaſcone, Radicophano, multiſque Eccleſiæ Romanæ oppidis occupatis, in Regnum Neapolitanum hoſtiliter mouit, vt illud Friderico II. adhuc puero, & ſub tutoribus agenti eriperet, aliquot Vrbes, inter has, Capuam occupauit; quem Pontifex crebris literis, & Nuncijs admonitum, cum ab inceptis reuocare non poſſet, anathemate notatum Imperio priuauit: Germaniæ Proceres hortatus, vt nouum Cæſarem deligerent.

PHILIP. interficitur. OTHO coronatur Imper.

BONA Eccl. Ro. occupat.

EXCOMmunicatur ac priuatur imperio.

Anno 1210. Electores Franckfurdiæ congregati, Idibus Decembris, Fridericum II. Henrici VI. filium 17. annum agentem, vtriuſque Siciliæ Regem, Sueuiæ Ducem, cui in cunis vagienti fidem præſtiterunt, Romanorum rogatu, contra Othonem excommunicatum abſentem Imperatorem deſignant. Qui ex Siciliæ Regno, Romam primum veniens, ſalutato Pontifice, in Germaniam profectus anno 1212. à Theoderico Archiepiſcopo Colonienſi, Aquiſgrani diadema ſuſcepit; regnauit autem annis quadraginta. Otho depoſitus in Germaniam rediens, paternæ ditionis conſulturus, Innocentio III. recuperandi omnia, quæ in Italia ceperat, occaſionem præbuit. Molta bella cum Principibus Germanis geſſit, & præſertim cum Ludouico VII. Francorum Rege, à quo nouiſſimè prælio victus, vix fuga ſalutem quæſiuit, & aliquot annis poſt inglorius obijt.

FRIDERICUS Secundus eligitur Imp.

Ioannes Anglorum Rex, domeſticis ſeditionibus vexatus, auxilio diuino, & humano viduus, Angliam, & Hiberniam prouincias Regni ſui Romanæ Eccleſiæ vectigales fecit; eaſque beneficiario iure à Pontifice ſuſcepit cum annua mille Marcharum Sterlingorum penſione, quod diù ſeruatum eſt. Cuius conceſſionis extant adhuc publica, & Archetypa in mole Hadriani Romæ monumenta, quibus Regni donatio, Regis iuramentum, reſtitutio beneficiario iure, obligatio & prima ſolutio continetur.

IOANNES Angliæ Rex Angliam & Hiberniam Eccl. Romæ ſubijcit.

Illius autem Regis hac de re conceptas literas de Romano Regiſtrorum Innocentij Archetypo ad vnguem fideliſſimè ſumptas ſubijcere, viſum fuit.

Extant edita apud Matthæum Weſtmonaſterienſem. 1213.

IOANNES DEI GRATIA REX ANGLIÆ,
Dominus Hiberniæ, Dux Normanniæ, & Aquitaniæ,
Comes Andegauenſis, &c. Omnibus Chriſtifidelibus præſentem chartam inſpecturis ſalutem.

Vniuerſitati veſtræ per hanc chartam noſtram, ſigillo noſtro munitam volumus eſſe notum, quia cum Deum, & matrem noſtram S. Eccleſiam offenderimus in multis, & proinde diuina miſericordia plurimum indigere noſcamur, neque quod digne offerre pro ſatisfactione Deo debita faciendæ, niſi nos ipſos, & Regna noſtra, habeamus, volentes nos ipſos humiliare pro illo, qui ſe pro nobis humiliauit vſque ad mortem, gratia ſancti Spiritus inſpirante, non vi inducti, neque timore coacti, ſed noſtra bona ſpontanea voluntate, ac communi conſilio Baronum noſtrorum offerimus, & libere concedimus, Deo, & ſanctis Apoſtolis eius Petro, & Paulo, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ matri noſtræ, ac Domino noſtro Papæ Innocẽtio III. eiuſque Catholicis Succeſſoribus totum Regnum Angliæ, & totum Regnum Hiberniæ, cum omni iure, & pertinentijs ſuis, pro remiſſione peccatorum noſtrorũ, & totius generis noſtri, tam pro viuis, quam pro defunctis, & amodo illa à Deo, & Eccleſia Romana, tanquam feudatarius recipientes, & tenentes. In præſentia D. Pandulphi Subdiaconi, & Domini noſtri Papæ familiaris, fidelitatem exinde prædicto Domino noſtro Papæ Innocentio III. aliiſque Catholicis Succeſſoribus, & Eccleſiæ Romanæ, ſecundum ſubſcriptam formam facimus, & iuramus, & homagium ligium in præſentia Domini noſtri Papæ, ſi coram eo eſſe poterimus eidem faciemus, ſucceſſores, & hæredes noſtros in perpetuum obligantes, vt ſimili modo Pontifici, qui pro tempore fuerit, & Eccleſiæ Romanæ, ſine conditione, debeant fidelitatem præſtare, & homagium recognoſcere, ad indicium autem huius noſtræ perpetuæ oblationis, & conceſſionis, volumus, & ſtatuimus vt de proprijs, & ſpecialibus redditibus prædictorum Regnorum noſtrorum, pro omni ſeruitio, & obedientia, quam eis debemus, vltra denarium beati Petri, Eccleſia Romana mille Marchas Sterlingorum percipiat annuatim, ſcilicet in feſto ſancti Michaelis quingentas Marchas, & in Paſchate quingentas Marchas, ſeptingentas ſcilicet pro Regno Angliæ, & trecentas pro Regno Hiberniæ ſaluis nobis, & hæredibus noſtris iuſtitijs, libertatibus, & regalibus noſtris. Quæ omnia ſicut ſupradicta ſunt, rata eſſe volentes perpetua, atque firma, obligamus nos, & ſucceſſores noſtros non contrauenire, & ſi nos, vel aliquis noſtrorum ſucceſſorum hoc attentare præſumpſerit, quicumque ille fuerit, niſi rite commonitus reſipuerit, cadat à iure Regni, & hæc charta oblationis, & conceſſionis noſtræ ſemper firma permaneat.

Sequitur Iuramentum memoratæ fidelitatis ipſius Regis.

Ego Ioannes Dei gratia Rex Angliæ, & Dominus Hiberniæ, ab hac hora in antea fidelis ero Deo, & B. Petro, & Eccleſiæ Romanæ, ac Domino meo Papæ Innocentio III. eiuſque Succeſſoribus Catholice intrantibus, non ero in facto, dicto, conſenſu, vel conſilio, vt vitam perdant, vel membra, aut mala captione capiantur. Eorum damnum ſi ſciuero impediam, & remanere faciam, ſi potero; alioquin eis, quàm citius potero, intimabo, vel tali perſonæ dicam, quam credam eis pro certo dicturam conſilium, quod mihi crediderit, per ſe, vel per Nuncios, ſeu per literas ſuas ſecretum tenebo, & ad eorum damnum nulli pandam, Patrimonium Beati Petri, & ſpecialiter Regnum Angliæ, & Regnum Hiberniæ, adiutor ero ad tuendum, & defendendum contra omnes homines, pro poſſe meo, ſic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia. Quæ omnia ſic coram duobus Archiepiſcopis, & octo Comitibus ad hoc vocatis, inter ſummum Pontificem eius Nuncio mediante, & Ioannem Regem ritè peracta fuiſſe, anno 1212. facet Archetypus Regiſtrorum ipſius Innocentij etiam nunc Romæ indicat.

Sed & Fridericus II. nouus Imperator creatus, vt aliquod eius gratitudinis ſignum erga Pontificem extaret, Fundanum Comitatũ Romanæ ſedi donauit, vel antea datum, & occupatum reſtituit.

Duo per hæc tempora peſtilentes hæreticorum ſectæ obortæ, totum fere Latinum orbem infecere Pauperum de Lugduno, & Albigenſium; Albigenſes Lucius III. paulò ante hæreticos declarauerat, cum eos dogmata quædam ſuperſtitione, maledicentia, & obſcœnitate plena docere comperiſſet, quibus Dei Eccleſiæ multum detrimenti inferebatur. Quorum auctor, & magiſter, Bernardus primus quidam, cum ſectam illorum ab Innocentio III. confirmari petijſſet, repulſam paſſus eſt. Contra has duas ſectas, ſancti Patres Dominicus Prædicatorum, & Franciſcus Minorum ordines, per hæc tempora fundarunt; Franciſcus quidem contra Pauperes de Lugduno, Dominicus contra Albigenſes, quorum oppugnationem communicata opera ſuſceperunt, & præſertim B. Dominicus, qui peſtilentem hæreſim Toloſæ irrumpentem, vt Comitem ipſum Toloſanum inficeret, Innocentio III. procurante, ſuis concionibus, miraculis, & doctrina, & armis Comitis Montisfortis compreſſit & iugulauit. Septennium in ea laborioſa expugnatione inſumpſit. Pontifex verò cum Sarracenorum potentiam creſcere, Chriſtianorum in dies minui, conſideraret, & clericorum mores nimia licentia labefactatos cerneret, vtrique rei remedium aliquod adhibere cupiens, inſignes, & luculentiſſimas literas per omnem Chriſtianum orbem pro Terræ Sanctæ recuperatione miſit. Generale Concilium Romæ ad Lateranum indixit, quod anno Domini 1215. menſe Nouembri, Romæ in Baſilica S. Saluatoris Conſtantiniana, ipſo præſidente, frequentiſſimo Patrum conſeſſu congregatum eſt. Cui interfuerunt, præter Papam, & Cardinales, Patriarchæ duo, Conſtantinopolitanus & Hieroſolymitanus, Antiochenus infirmus miſit Legatum ſuũ Antiſiodorenſem Epiſcopum. Alexandrinus Turcarum vi oppreſſus Nuncium ſuum miſit Germanum, Decanum Alexandrinæ Eccleſiæ, Epiſcopi 412. inter hos Primates, & Metropolitani, ſeù Archiepiſcopi 71. Abbates, & Priores ſupra 800. Archiepiſcoporum ipſorum, Abbatum, Priorum & Collegiorum Nuncij adfuerunt numero vix comprehenſi. Legati adhuc Friderici II. Imperatoris deſignati, Henrici Imperatoris Conſtantinopolitani, Franciæ, Angliæ, Hungariæ, Hieroſolymorum, Aragoniæ, Cypri, & aliorum Regum, Principum, Ducum, & Rerum publicarum multi tùm in conſultationem venerunt. Canones Eccleſiaſtici pro morum emendatione promulgati. Concilium hoc Lateranenſe Magnum vocatum, quod concurſu Patrum, & celebritate anteriora ſuperauit, in quo, inter cætera, præcepta eſt annua Confeſſio vocalis, & Communio tempore Paſchatis, vt habetur in decretis, cap. *Omnis vtriuſque ſexus de pœnitent. & remiſſio.* & quod Euchariſtia ſeruaretur perpetuò in Templis ad ægrotãtium miniſterium. Maxima præterea in Terrã Sanctam expeditio decreta. Conuenere multi ad hanc expeditionẽ, adeò vt viginti mille pueri Cruce ſe inſigniuerint, à nullo inſtructi, ſed ipſi ſuo arbitrio, nec potuerant ab ea expeditione reuocari, niſi parentes minis, & ſupplicijs eos à temerario conatu arcuiſſent: Libellum Abbatis Ioachimi Calabri, in Magiſtrum Petrum Lombardum Epiſcopum Pariſienſem auctorem librorum Quatuor Sententiarum, de vnitate ſanctiſſimæ Trinitatis damnauit.

HÆRESIS Albigenſium, & Pauperum de Lugduno.

CONCILium Lateranenſe.

In Abbatis Ioachimi libri damnantur.

Vide cap. damn. im[?] de Trin. & Fid. Cath.

ALMERICUS Carnotenſis combuſtus.

Item Almarici Carnotenſis hæretici impium dogma, qui Pariſijs cum ſuis libris, & ſectatoribus exuſtus eſt.

Epiſcopum Pictauienſem, qui Papæ Legati parere recuſabat, & ſe in ſua Diœceſi Papam eſſe, affirmabat, per cenſuras Eccleſiaſticas ad ſanitatem reduxit. Boni Paſtoris exemplum multi imitati in pietatis opera incumbebant. Andreas, & Andreotus viri diuites, ex facultatibus ſuis Eccleſiam, & Hoſpitale S. Matthæi in Merulana, pauperum ſubſidio conſtruxere. Reges Caſtellæ bellantes ad pacē compulit. Regi Francorum ſuaſit, vt vxorem reiectam reciperet. Regem Caſtellæ excommunicauit, quod fratris filiam duxiſſet.

Opera Hugonis Epiſcopi Regienſis, & Theodoſij Genuenſis Canonici, Conuentum apud Vaurum in Gallijs contra hæreticos Albigenſes, quos Rotarios vocabant, celebrari curauit; cui omnes ferè Galliæ Prælati interfuerunt. Rotarij hæretici, & ipſorum Dux Comes Toloſanus Raymundus damnati, Decreta Synodalia ad Apoſtolicam Sedem tranſmiſſa.

Reliquit Regeſtum ſui Pontificatus librorum 18. fuit Innocentius III. iuris canonici peritiſſimus. Decretales namque ſui Pontificatus initio, ac etiam poſtea valde inſignes promulgauit, quæ paſſim in Decretalium codice viſuntur.

¶ Addit. ex Nomencl.

¶ Scripſit etiam eruditè
De Purgatorio.
Conciones duas parænetica, ante Concilium Lateranenſe.
Acta & Decreta Concilij Lateranenſis;
De Clauſtro Animæ.
Sermones de Tempore, & de Sanctis.
De Eleemoſyna.
De Laude & Commendatione Charitatis.
Ordinationem expeditionis pro recuperanda Terra Sancta.
Precationes & Hymnos.

Iuuit Innocentij virtutem, atque gloriam Beatorum Dominici, & Franciſci ſanctitas; qui illo floruerunt tempore.

RELIGIOSORUM Ordines plures Innocentij tempore inſtituti, vel confirmati.

Ordo Prædicatorum inchoatur à Beato Dominico, anno 1205.
Ordo Minorum inchoatur à Beato Franciſco anno Chriſti 1209.
Ordo fratrum Eremitarum S. Pauli primi Eremitæ in Hungaria à Beato Euſebio Strigonienſi inſtitutus, anno Domini 1215.
Regula fratrum Carmelitarum ab Alberto Patriarcha Hieroſolymitano ſcripta.

Ordinis S. Trinitatis auctor fuit quidam Ioannes de Mata, qui regulam ſuam ab Innocentio III. confirmari petens, Pontifex re maturius conſiderata, totam laudauit, at Honorius III. Pontificatus ſui anno 4. ſollemni ritu Romæ probauit: cuius munus fuit, vt fratres eius Ordinis ſub poteſtate miniſtri, de cuius obedientia in caſtitate, ſine proprio viuerent; ex quorum bonorum tertia parte captiui à Sarracenis redimerentur. Sed nec pietatis opera optimus Pontifex prætermiſit, eius enim impenſa nobiliſſima duo Hoſpitalia in Vrbe condita ſunt. Alterum in monte Cœlio S. Thomæ de Formis, cuius munus fuit captiuos Chriſtianos vndequaque redimere; Alterum in ciuitate Leonina S. Spiritus nomine, quod magnis prouentibus auxit, quibus peregrini, ægroti, & expoſiti incertæ ſtirpis, orphanique alerentur; duoq; ijs hominum collegia, cū magiſtris, quos Præceptores vocant, adiunxit; quorū alterum S. Trinitatis Redemptionis captiuorum, alterum S. Spiritus in Saxia nuncupauit, Eccleſię S. Mariæ in Saxia, & S. Spiritus in monte Peſſulano coniungens: Ordinem S. Spiritus conſtituit, & eius nomine Hoſpitale illud vocauit, cui Stationem Dominica prima poſt octauam Epiphaniæ inſtituit. Qua die, ſollemni cum ſupplicatione, Sudariū Saluatoris à ſancto Petro ad eam Eccleſiam deferri mos erat, & Pontifex habita cōcione ad pietatis opera hortabatur, multis porrò locis ijs Ordinibus in orbe Latino additis, & publicam profitendi formam ſub S. Auguſtini regula ijs tradidit. Ordo tituli S. Spiritus, & Hoſpitale adhuc ſupereſt, at Hoſpitale de Redemptione captiuorum Bonifacius IX. in Vrbe Baſilicæ Vaticanæ adiunxit, cum ſuis redditibus. S. Sixti titulum vetuſtate collabentem refecit: Baſilicæ Vaticanæ abſidem opere muſiuo exornauit, vt indicabant literæ eius imaginis, quæ tēpore Sixti V. vt ſacellum maximum perficeretur, demolitæ ſunt. Altare S. Petri crate è cupro muniuit, Baſilicam S. Mariæ Tranſtyberim dedicauit; vniuerſis Vrbis Romæ Eccleſijs, argenti libram dedit, qua calices, ſacrificij gratia, conſtruerentur.

INNOCENTIUS duo Hoſpitalia in Vrbe conſtituit.

DONA Eccl. contulit.

Baſilicæ Lateranenſi donauit Crucem auream gemmis pretioſis ornatam, & calicem aureum librarum 10. cum patena: pallia, dalmaticas, & alias veſtes ſacras altaris vſui, auro intertextas Canonicorū ſuſtentationi caſtrum Truſcali largitus eſt, & Eccleſiam S. Andreę in Silice cum ſuis redditibus. Labem ſimoniacam, & venalitatem, quantum in ipſo fuit, exterminauit, præcipiens, vt omnes aulæ Palatinæ miniſtri, præter ſcribas, & bullarum, ſeu ſigilli cuſtodes, omnia gratis impenderent, quibus certam pecuniarū exactionem præſcripſit, Oſtiarios à Notariorum conclauibus, quò liber cuiuis pateret aditus, amouit: Vrbem annona laborantem frumento ex Sicilia comparato ſubleuauit pauperibus calamitoſis, qui publicè mendicare erubeſcunt, clam largas eleemoſynas diſtribuebat, quorum tanta fuit multitudo, vt octo mille aliquando numerati ſint; iuris Eccleſiaſtici à Regibus, & Principibus accuratus exactor, & eorundem criminum acerrimus reprehenſor, quibus in faciem reſtitit: Francorum, Angliæ, Portugalliæ, Cypri Reges publicè redarguit: hæreticos, & male ſentientes, & ſchiſmaticos ad veram fidei regulam reducere conatus, pertinaces acriter perſequutus eſt, & præſertim Albigenſes: Captiuorum maximam curam habuit, eorum redemptioni Ordinem conſtituit: per literas Principibus, & Prælatis tranſmarinis commendauit eos, & conſolatus eſt: multas impenſas in his pietatis operibus diſtribuiſſe, maleuoli quidam dicebant, ne omnem impenſam in Turri quadam, nunc Comitum de familia ſua appellatam tranſtuliſſe videretur: ſed maleuoli non aduertunt, exiguū fuiſſe illum ſumptum, ad tanta alia quæ liberaliter operibus pijs largitus eſt.

TVRRIM de Comitibus ædificat.

Anno Domini 1200. Romani Viterbienſibus deuictis campanā Communitatis Romam, inde in Capitoliū tranſtulerunt, quæ ideò Viterbienſis vocata, & catenam Portæ Salſichij abſtulerunt, quam repoſuerunt in arcu ſancti Viti, iuxta ſanctam Mariam Maiorem, vbi nunc conſpicitur.

INNOcentij III. obitus.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1216. cum Piſani, & Genuenſes maritimo, & Ciſalpini terreſtri bello decertaſſent, tollendæ diſcordiæ cauſa Pontifex illuc ſe conferens, Peruſio tranſiens, ibidē morbo correptus moritur xiij. Kalendas Auguſti, cum ſediſſet annos 18. menſes 6. dies 9. corpus eius in Cathedrali ſancti Laurentij ſepultum eſt. Vacauit Sedes diem tantùm vnum: Peruſinis Cardinales, ad noui Pontificis Romani electionem vrgentibus.

Ipſius Innocentij III. vita ſic poſteris probata fuit, ſic denique ab eo geſta omnibus placuerunt, vt horum nihil plane fuerit vnquā immutatum; fuit denimi is Pontifex in quouis vitæ genere probatiſſimus, dignuſque qui inter ſanctos Pontifices referatur.

VIRI clari ſub Innocentio.

Helmandus monachus Montisfrigidi Hiſtoricus, qui Chronicon ab initio mundi, vſque ad tempus ſuum in maximo volumine digeſſit. Io: Beleth Theologus Pariſienſis. Papias Lombardus, qui vocabula Latina in ordinem redegit, Pontificatu Innocentij III. claruerunt.

In Imperio Orientis Alexius Tertius Imperator coactus abdicauit, xiij. Kalendas Auguſti anno 1203.

Imperator Alexius IV. Angelus Porphyrogenitus Auguſtus imperauit menſes 6. dies 8.

Alexius IV. Imperator v. Kal. Februarij anno 1204. occiſus eſt.

Imperator Alexius V. Ducas Murzuſius Auguſtus, occiſo Alexio IV. imperauit menſes 2. dies 16.

Exercitus Latinorum huius ſceleris vindex Conſtantinopolim adijt, ex Venetis, & Francis coactus; abdicauit is pridie Idus Aprilis.

Vrbe enim Conſtantinopoli ad pridie Idus Aprilis capta, Tyrannum Murzuſium obtruncant. Quo caſu Oriens ſine Imperatore Menſem vnum, & dies 4. fuit.

Primus ex Latinis Oriētis Imperator Conſtantinopoli creatus eſt Balduinus Flandriæ Comes cum interim Imperij titulos, & inſig[...] ſuſceperit Theodorus Laſcaris.

Patriarcha Thomas Maurocenus Venetus eſt conſtitutus, & ab Innocentio III. confirmatus, & ſic Eccleſia Græca ſubiacuit Latinæ.

Bonifacius verò Montisferrati Marchio, inſula Creta Venetis vēdita, Theſſaliæ Regnū obtinuit; ſede Theſſalonicæ conſtituta; cumq; Balduinus contra Theodorum Cæſarem, qui Hadrianopolim occupauerat, arma mouiſſet, à Caloioanne Myſo Blæſorū Duce captus, anno 1205. & ſequenti anno 1206. occiſus, quo capto, fuit interregnum anni vnius, menſium quattuor.


Imperator Theodorus Laſcharis Auguſtus imperauit annos 18.

Imperator Henricus Auguſtus II. ex Latinis Orientis Imperator creatus xix. Kalendas Septembris anno 1206. imperauit annos 10.

Imperator Petrus Auguſtus Tertius Latinorum Orientis Imperator, imperauit annos quinque, & obijt anno eodem, quo Innocentius III. Papa.



SIGNA INNOCENTII PAPAE III.



ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

¶ *Ne alium Pontificem eligerent, quam Io. Loth.*] Ioannem de S. Paulo Cardin. vt in ſummum Pontificem adlegeretur, Cœleſtinum Cardinalibus propoſuiſſe; in Cœleſtino dictum eſt.

* *In Lateranen. Monaſterio.*] Innoc. III. à puero Canonicum Lateranenſē fuiſſe, tradit Pennottus lib. 3. cap. 52. §. 6. Hiſt. Tripart.

* *A Clemente III. .... in Patrum Collegium lectus.*] Ita etiam Panuinius in Chron. à Cœleſtino III. aiunt Platina, in eius vita, Pennottus loc. cit. & alij quidam.

* *Opuſcula.*] Catalogum eorum habes etiam apud Pennottum cap. 55. §. 4. loc. cit.

* *Cœleſtinus .... in Lateranen. Baſil. tumulatus*] Die ipſo, quo Cœleſtini corpus funeratum fuit, Innocentium Cardinales, Sacro in honorem Spiritus ſancti celebrato, in Romanum Pontificem elegerunt, teſte ipſomet Innoc. epiſtola ad Patriarcham Hieroſolymitanum, & Suffraganeos, cum alijs edita: Vide, eadem funerati cada-

A uerit die, non autem tertia poſt funus Pontificis, vt veteri inſtituto receptum fuiſſe, dixit Cencius Camerarius, Pontificem creatum. Quod non ſemel factum. Ritus, de quo Cencius, aliquando etiam in vſu fuit; & vera loquutus eſt grauis ille vir.

Apud Bar. tom. 12. in Cœleſtini Vita.

* *De ſua electione oratio.*] Verba aurea ſunt ea non referre, quaſi genus quoddam piaculi. *Felicis*, ait Innocentius, *memoria, Cœleſtino patre, & Prædeceſſore Noſtro, vi. Idus Ianuarij, viam vniuerſæ carnis ingreſſo, & in Lateranenſi Baſilica (ſicut moris eſt) tumulato, fratres Noſtri, videlicet Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi Cardinales, & Nos ipſi cum eis in vnum ſimul ſeceſſimus, vt tanto licentius, & tutius, de ſubſtitutione Pontificis tractaremus, quanto tractatus ipſe maiorem deliberandi copiam circumſpectionis conſilij requirebat; cumque Miſſarum ſollemnibus in honorem ſancti Spiritus celebratis, requiſita fuiſſent voluntates, ad inſufficientiam noſtram oculos extenderunt.* Eadem ferè verba repetit in epiſtola ad Patriarcham Hieroſolymit. & Suffraganeos; indicatque omnes Diuino ſpiritu afflatos in ipſius electionem conſpiraſſe. B

* *Dominicus .... Franciſcus .... incepere 1199.*] D. Franciſcus an. 1206. paternos reliquit lares, eremiticamque induit veſtem, hæc communior, veriórque ſententia: nonnulli ann. 1209. ei vita, & veſtibus adhærere cœperunt. Vide Lucam Vvaddingum in Apparatu ad Ann. Min. S. V. num. 16. & initio Annalium.

* *Homobonus*] Huius virtutes paucis indicat Innoc. III. in literis Canonizationis. Datum Laterani xi. Kal. Ianuar. ann. 1. *Quia pietas &c.* tom. 1. Bullarij. Sancto quoque Bellino Martyri, Epiſcopo Patauino Cælitũ honores ab eodem Innocentio Decretos, Bernard. Scardeonius lib. 3. claſ. 6. Antiquit. Patau. & Angelus Rocca, cap. 55. de Canonizatione ſanctorum, teſtati ſunt.

* *Petrus II. Rex Aragoniæ .... ſacro oleo perungitur.*] Die xxi. Nouemb. ann. 1204. teſte Mariana, lib. 11. cap. 21. Rerum Hiſpaniarum; vbi etiam narrat, Petrum manu Innocentij coronatum Aragoniam Romanis Pontificibus, pollicitum certum auri pōdus quotannis ſe ſoluturum, vectigalem conſtituiſſe. C Innoc. ipſe Petro ſcripſit. *Cum quanta gloria, & honore, impendijs, & applauſu de manu Noſtra in Monaſterio B. Pancratij ſuſceperis diadema, poſtquam, per venerabilem fratrem Noſtrum Portuenſem Epiſcopum, Regem te ſecimus &c. tua ſublimitas non ignorat.* Hinc expurgandus error Typographi, apud Auguſtinum Patritium lib. 3. Rituum S.R.E. vbi legimus, Petrum Aragoniæ Regem Romã veniſſe, Innoc. VI. Pontifice; nam hic Auenione, ann. 1352. Chriſti Domini Vicarius effectus eſt, ceſſitq; è vita an. 1362. & ideò pro Innoc. VI. ponẽdus eſt III. à quo Petrus II. Aragonum Rex regiam coronam accepit. De hoc Aragoniæ Rege etiam Hieronymus Blanca in Com. Rerum Arag. Lucius Marineus Sicul. in Hiſt. & Bernard. Gomezius.

to. 1. Bull.

Sect. 2. c. 2.

* *Vt ab Archiepiſcopo Tarraconenſi coronari.*] Vide Marianam loc. cit. & literas Innoc. ad Petrum Regem, eodem priuilegio datum D eſt Regnis Aragoniæ, vt ab eodem Tarraconenſi Metropolitano, totius ritus Antiſtite, Cæſarauguſtæ coronari poſſint: non autem in qualibet Prouinciæ vrbe; vt malè quidam opinatus eſt.

to. 1. Bull.

* *Ego Petrus.*] Iuriſiurandi, quo ſe Petrus Rex deuinxit, meminit etiam Innoc. in literis citatis. *Cum quanta &c.*

V. literas Innoc. III. ad Petrum Regem.

* *Tres Hiſp. Reges.*] De trium Regum fœdere, & de initio belli Maurici Mariana cap. 23. ad an. 1210. de victoria; qua Chriſtianus .... potitus eſt, cap. 24. de belli exitu cap. 25. in cuius calce Alphonſi Regis ad Innoc. Pontif. epiſtola totius ferè belli ſummam complectens extat.

loc. cit.

* *Triumphus Crucis vocatur.*] xvij. Kalendas Auguſti quotannis feſtiuitas Triumphi Crucis explicatis Maurorum Vexillis, omni lætitiæ ſignificatione, feſtoque die in Hiſpania celebratur, ſic perpetua lege ſancitum, Mariana loc. cit. ex indulto Greg. XIII. ann. E 1573. die iij. Decemb. Alphonſi Regis. Vexillum Dominicæ Crucis imago decorabat; milites victores Cruce ſignati erant. Vide Thomam de Trugillo, tom. 2. Theſaurus Concionatorum.

die 16. Iulij.

* *Otho ... ab Innocentio III. .... coronatur.*] De hac coronatione Platina in Innoc. III. paulò poſt Otho, ob ſcelera, ab Innocentio eodem anathemate notatus, reculanſque parere Imperij titulis priuatus fuit. Vide Platinam loc. cit. Fridericus II. coronam poſtulauerat; at Innoc. iuſtis de cauſis, eam illi tradendam non putauit. Platina loc. cit.

1209. v. Id. Octob.

De Othonis rebelli, contumacique animo vide Abb. Vrſpergenſem in Chron. D. Ant. par. 3. Hiſt. tit. 19. §. 3. & Gretſerum Pleſſiæi in Innoc. inſanas calumnias refellentem.

Cap. 55. Exam. Myſt. Pleſſiani.

* *Io. Anglorum Rex.*] Ex Platina loc. cit.

* *Pro Terra Sancta recuperatione.*] Indictionem belli, & Cruciatæ, vt dicunt, pro Terræ Sanctæ recuperatione, habes tomo 1. F Bullarij, conſtit. 12. Innoc. III. Leonem Armeniorum Regem ad idem ſacrum bellum Innoc. hortatus eſt, eodem tom. Bullarij. De re ſimili Eug. III. an. 1145. Gregor. VIII. an. 1187. Concilio Lateranen. ſub. Innoc. III. celebrato, editionis Romanæ, nonnullæ epiſtolæ ad Terræ Sanctæ recuperationẽ ſpectantes, ſunt præfixæ.

Conſt. 4.

* *Concilium ad Lateranum anno 1215.*] Diploma indictionis huius Concilij, *Vineam Domini &c.* habes in eodem Bullarij tomo. Duos Innoc. ſermones in Concilio habitos leges ante Decreta eiuſdem Concilij Romanæ editionis. Quæ hæc de hoc Concilio narrat Ciaconius agnoſces deſumpta ex Abbate Vrſpergenſi.

A * *Patriarcha duo.*] Hæc ex Abbate Vrſpergenſi, & Hiſtoria eiuſdem Concilij, quam in Romana editione reperies.

Vrbanus II. in Claramontano Concilio Hieroſolymitanam regionem præſentia, ſanguine, lacrymis, memoriaque Chriſti Domini conſecratam à Sarracenis, non ſine Chriſtiani nominis dedecore, occupari, queſtus Principes eiuſdem Chriſti Iesv charactere inſignitos ad illam è Barbarorum manibus eripiendã inflammauit Breui ad trecenta militum millia Crucis teſſera decorata, vndique ſub diuerſorum Principum imperio coacta Antiochiam, loca finitima, & Hieroſolymam ipſam deinde Chriſtianis vexillis ſubegerunt: Godefridúſque Bullonius pietate, prudentia, militarique virtute, & robore celebris, Principum omnium conſenſu, Rex inſtitutus. Vrbanus III. ſanctam Prouinciam ad Sarracenos rediiſſe, non ſine graui animi mœrore audiuit, Gregorius VIII. alijque poſt eum Pontifices de eadem Terra Sancta recuperanda ſedulò cogitarunt. Innoc. III. B alijs non ſegnior, cum nonnulli Latini Principes in Conſtantinopolitana vrbe, & Græcia dominarentur, ſpe illius recuperandæ concepta, vt, Sarracenis deuictis, id accideret, omnem lapidem mouit; quare in Concilio Lateranenſi non ſolum Eccleſiæ mores componere, hæreſeſque euellere, ſed Chriſtianos Duces, populóſque ad ſacram expeditionem excitare, & adducere, conatus eſt. Videndum ipſum Concilium, nonnullæque Innocentij ipſius epiſtolæ, & illa præcipue, quam is Chriſtifidelibus, per Moguntinam Prouinciam conſtitutis ſcripſit.

tom. 4.

* *Ordo Minorum inchoatur ... ann. 1209.*] Vide ſuperius.

* *Alterum S. Spiritus in Saxia.*] Literas inſtitutionis Xenodochij S. Spiritus in Saxia Innoc. III. *Inter opera pietatis*, &c. xiij. Kalendas Iulij ann. 1204. Pontific. 7. habes tom. 1. Bullarij.

* *Exercitus Latinorum huius ſceleris vindex.*] De hac re Chronicon Conſtantinopolitanum Georgij Logothetæ Acropolitæ C Conſtantinopoleos à Latinis captæ, & 60. circiter annorum à Balduino Flandro Auguſto ad Balduinum vltimum illius nepotem Bizantij Imperatorem, hiſtoriam complectens.

* *Altare ſancti Petri erat è cupro muniuit.* Sub Confeſſione ſancti Petri etiam nunc viſitur cum his tantummodo verſibus.

Si cum Diſcipulis bis ſex Chriſtus reſidebit,
Et reddet populis cunctis, quod quiſque debebit,
TERTIVS hoc munus dat INNOCENTIVS vnus
Sit comes in vita tibi Petre coſtraelita.

Baſilicæ eiuſdem S. Petri abſidem è muſiuo conſtruit, quod indicabant ſubiecti verſus à Panuinio de ſeptẽ Vrbis Eccleſijs excerpti.

INNOC. III. PP.

Summa Petri Sedes, hæc eſt ſacra Principis Aedes,
Mater cunctarum, & decor, & decus Eccleſiarum
Deuotus Chriſto qui Templo ſeruit in iſto,
D *Flores virtutis capiet, fructuſque ſalutis.*

* *Cum ſediſſet ann. 18. m. 6. d. 9.*] menſes 7. dies 16. ait Platina in illius vita. Panuinius in Chron. Innocen. ann. 1216. xvij. Kalendas Auguſti obijſſe, teſtatus eſt, & cum in Pontificem fuit electus, Cardinales 23. iunctis animis in eius electionem conſenſiſſe.

S. Bonauentura cap. 3. vitæ S. Franciſci, Innocen. virum ſapientia clarum nominat; Genebrard. lib. 4. Chronogr. doctiſſimum Theologum, & Iuriſconſultum: additque plura illius Decreta in 5. Decretalium libris extare, quam aliorum omnium Pontificum ſimul: eius vitam adeò probatam fuiſſe ſcribit Platina; vt poſt illius obitum nihil eorum, quæ viuens egerit, laudauerit, aut improbauerit, immutatum fuerit.

In eius vita.

Philippus Mornęus nõnullas calumnias in inſignem hunc Pontificem ex quorundam mendacijs excripſit: quas Gretſerus optimè diluit: cum quo libenter, & verè dicam, Innocentium III. excelſio-E rem eſſe, quàm ab vlla cuiuſquam petulantis, & mendacis hominis, aut nebulonis lingua, calamóque tangi poſſit.

Cap 53. Exam. Myſt. Pleſſiani.

Hic cum in ſomnis S. Franciſcum pauperem à ſe reiectum collabentem Lateranenſis Baſilicæ molem humeris ſuſtinere conſpexiſſet, accerſitum benignè excepit, inſtitutorúmque illius rationem confirmauit Breuiarium Romanum iv. Octobris.

Idem in Concilio Lateranenſi, anno 1215. die xvij. Nouembris eiuſdem S. Franciſci Ordinem, illiuſque Regulam à ſe approbatam, ſine diplomate, declarauit, Mariano in M. S. Minorum Hiſtoria, & Vvaddingo, tom. 1. Annal. Min. nu. 33. ann. 1215. teſtibus. Tempore illius Concilij ſanctus Franciſcus Romam ſe contulerat.

Huius Pontificis cura Liuoniam Chriſti fidem ſuſcepiſſe, narrant, Blondus lib. 6. Dec. 2. Genebr. loc. cit.

Othonem V. à ſe coronatum peruicacem, rebellémque anathe-F mate notauit, Imperijque titulis exuit. Platina in Innoc.

Locum Innoc. cap. *Per venerabilem*: Qui filij ſint leg. à nonnullis malè intellectum declarat optimè Card. Bellarm. lib. 4. De Pon. Rom. cap. 14.

Innoc. lib. 2. cap. vltimo de Contemptu Mundi, exiſtimat Chriſtum Crucifixi imaginem referentem morientibus omnibus ſe conſpiciendum exhibere, Card. Bellarm. lib. 2. cap. 4. de Purgatorio, hoc certum viſum non fuit.

Nonnulla de hoc Pontifice leges tom. 1. Annalium Minorum Lucæ Vvaddingi: plurima in M. S. Codice Vaticano illius vitam vberrimè deſcribente.

NOVA

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI
Societatis Iesv.

A

ANONYMVS Auctor, qui Innocentij geſta accuratiſſimè, ac ſumma fide, vt teſtatur Baronius, vſque ad annum eius Pontificatus vndecimum deſcripſit, de primis Innocentij vitæ auſpicijs, corporis forma, animi egregijs dotibus, claritate generis hæc poſteris tradidit. *Innocentius III. ex patre Traſimundo de Comitibus Signiæ, matre verò Clarina de nobilibus viris, fuit vir perſpicacis ingenij, & tenacis memoriæ, in diuinis, & humanis literis eruditus, ſermone tam vulgari, quàm literali diſcretus; exercitatus in cantilena, & pſalmodia, ſtatura mediocris, & decorus aſpectu, medius inter prodigalitatem, & auaritiam, ſed in eleemoſynis, & victualibus magis largus, & in alijs magis parcus, niſi cum neceſſitatis articulus exigebat, ſeuerus contra rebelles, & contumaces, ſed benignus erga humiles, & deuotos, fortis, & ſtabilis, magnanimus, & aſtutus fidei defenſor, & hæreſis expugnator. In iuſtitia rigidus, ſed in miſericordia pius; humilis in proſperis, & patiens in aduerſis; natura tamen aliquantulum indignantis, ſed facilè ignoſcentis. Hic primùm in Vrbe, deinde Pariſijs, tandem Bononiæ ſcholaſticis ſtudijs inſudauit, & ſuper coætaneos ſuos tam in Philoſophica, quàm in Theologica diſciplina profecit, ſicut eius Opuſcula manifeſtant, quæ diuerſis temporibus edidit, & dictauit.*

Innocentij nobilitas. — *Virtutes.* — *Studia.*

B

Antequam Cardinalis Diaconi dignitate fulgeret, non in Baſilica Lateranenſi, neque in S. Maria de Rheno, ſeu S. Pudentiana de Vrbe, ſed in Baſilica Vaticana S. Petri Canonicus extitit, vt ipſemet teſtatur in Epiſtola ad Canonicos illius data, cum iam Pontificias infulas adeptus eſſet. Emenſus etiam erat alios honorum gradus, ac munera obierat, in quibus diuina illum prouidentia ad omnium auguſtiſſimum pro dignitate gerendum expolierat. De eius electione in Romanum Pontificem, ac nonnullis illius præſagijs hæc laudatus vitæ illius auctor monumentis propagauit. *Defuncto igitur Cœleſtino, cum quidam Cardinalium ſe contuliſſent ad ſeptem ſolia Monaſterij, eius cauſa, vt liberius & ſecurius ibi poſſent de Succeſſoris electione tractare, ipſe cum quibuſdam alijs apud Baſilicam Conſtantinianam voluit Deceſſoris obſequijs intereſſe: quibus honorificè celebratis, ipſe cum illis ad præfatum locum acceſſit miſſarum ſolemnijs in honorem ſancti Spiritus à ſolis ibidem Cardinalibus celebratis, cum ad tractandum de ſubſtitutione Pontificis conſediſſent, placuit omnibus in commune, vt ad terram humiliter inclinati, ſinguli pacis oſculum ſibi darent, & oratione præmiſſa, examinatores fuerunt ſecundum morem electi, qui ſigillatim votis omnium perſcrutatis, & in ſcriptum redactis, examinationem factam retulerunt ad fratres, & quoniam in eum plurimi conuenerunt, licet tres alij fuiſſent ab aliquibus nominati, poſt diſputationem inter eos ſuper ætate habitam, quia tunc erat annorum triginta ſeptem, omnes tandem conſenſerunt in ipſum propter honeſtatem morum, & ſcientiam literarum, eum in ſummum Pontificem eligentes flentem, eiulantem, & renitentem, vocantes ipſum Innocentium, cum prius Lotharius vocaretur: & publicata electione, cum hymnis, & laudibus ductus eſt à multitudine Cleri, ac populi, qui inferius expectabant ad Conſtantinianam Baſilicam, & inde ad Patriarchatum Lateranenſem perductus, peractis omnibus ſecundum ritum ſolitum, & antiquum. Cum autem celebraretur electio, huiuſmodi ſignum apparuit, quod videlicet tres columbæ frequentabant volatus in locum, in quo Cardinales ſedebant congregati, & cum ipſe poſt nominationem fuiſſet à ceteris ſegregatus, vna illarum, quæ candidiſſima erat, ad eum volitans, iuxta dexteram inſidebat. In viſione quoque non nunquam oſtenſum eſt quòd ipſe matrem ſuã duceret in vxorem, & alia multa reuelationes factæ ſunt viris religioſis de ipſo, quas ſcribere prætermittimus, quoniam & ipſe nolebat huiuſmodi præſagia indicare.* Hæc ille.

Canonicus Baſilicæ Vaticanæ. — *Creatur ſummus Pontifex.* — *Aetas ei°, cum eligitur.* — *Columbæ prædicunt illi Pontificatum.*

C D E

Scimus inſuper cuidam Sacerdoti, cœleſti viſo Diuum Petrum ſignificaſſe, ſe Innocentium ſingulari amore, à teneris eius annis complexum, perque varios honorum gradus ad ſedem ſuam extuliſſe. Statim renunciatus Romanus Pontifex literis ſe Epiſcoporum precibus, nec non Ciſtercienſium, aliorumque Religioſorum commendat; Philippo Galliarum Regi calamitates impendentes ob reiectam vxorem prædicit: exardeſcente inteſtino, & ciuili bello in Hungaria, Archiepiſcopo Strigonienſi, qui Crucis militare ſignum ſibi, & alijs multis impreſſerat, ac profectionem Syriacam vouerat, vt in Hungaria ad ſeruandam pacem, & frangendos rebellium impetus ſiſtat, imperat. Paulò poſt cum inter Regem, fratremque diſcordiæ minimè ſopitæ eſſent, ad illas componendas, Andreæ Duci literas ſcripſit, quibus poſt exornatum multis laudibus Hungariæ Regnum, quod ſemper ſedi Apoſtolicæ fideliſſimum extitiſſet, atque etiam ipſius Bela pater, dum Schiſmatis funeſti tempeſtate concuteretur Eccleſia, pro illius dignitate periculoſiſſimum bellũ in Schiſmaticos ſuſcipere non veritus eſſet, ſignificauit incredibili ſe conciliandæ inter ipſum, ac Regem pacis cupiditate ardere, atque ad eam amplectendam paternè adhortari: quam ſi reſpueret, ſciret ſe Strigonienſi, & Colocenſi Archiepiſcopis prouinciam tradidiſſe, vt in ipſum, ac fautores anathema fulminarent. Conuertit deinde animũ ad alias Eccleſias, cum omnium curæ ipſius humeris incumberent,

Amatur à D. Petro. Lib. Mi... in Annal. — *Literas ſcribit ad Epiſcopos & ad alios Curat pacem Hungariæ.*

F

A

ad eas ſcilicet in priſtinum ſplendorem, ac iura aſſerendas, ſuoque exemplo inertiam Præſulum excitauit. Demonſtrant hoc eius literæ ad Neocaſtrenſem, Aquinatem, Melitenſem Epiſcopos, & Archiepiſcopum Montis Regalis exaratæ, quibus præcipit à Prædeceſſoribus alienata bona ad Eccleſias ſuas reuocarent.

Curat omnium Eccleſiarum bonum.

Celebrato in Vrbe ſanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli die Feſto, relicto Octauiano Epiſcopo Oſtienſi in Vrbe Vicario, Roma egreſſus Innocentius Spoletum adijt, vt Ducem illum in fide retineret. Reate Eccleſias ſancti Eleutherij martyris, & ſancti Ioannis Euangeliſtæ conſecrauit, pluresque epiſtolas ibidem exarauit, quibus totius Vrbis vtilitati conſulebat. Traduxit Fauentinum Epiſcopum virum doctrina, & virtutum ornamentis clarum ad Papienſem ſedem. Octauiano Hoſtienſi Epiſcopo Vrbis Vicario literis imperauit, vt quædam in Baſilica S. Petri Altaria, in quibus peragebantur Diuina, ſacro ritu dedicaret: Vormacienſi Epiſcopo mandauit, vt in eius Eccleſia Diui Pauli Conuerſionis diem feſtum ageret iuxta morem Eccleſiæ Romanæ. Zelo exarſit in Hildeſemenſem Epiſcopum, qui ſine auctoritate Apoſtolica ad Herbipolenſem ſedem tranſuolarat, cumque tentatum male facinus audaciſſimè tueretur Epiſcopus, & Pontificium munus exercere præſumeret, ad comprimendum illius tumorem, Innocentius rebellem anathemate percuſſit, & Colonienſi, ac Salisburgenſi Archiepiſcopis, eorumque Suffraganeis præcepit, vt illum è fidelium conſortio eiectum promulgarent. Similem ſeueritatem in Archiepiſcopum Turonenſem, atque electum Abricenſem exercuit, quorum alter, nimirum Archiepiſcopus electum ex Abricenſi in qua fuerat confirmatus, ad Andegauenſem traducere propria auctoritate erat auſus, alter iniquo imperio paruerat. Archiepiſcopo etiam Bituricenſi impoſuit, vt ſi veritas rumori ad ſe delato conſentiret, Turonenſem confirmandi, & conſecrandi Epiſcopos munere interdiceret, Abricenſem Pontificali officio exercendo amoueret, donec Apoſtolica Sedes aliud de ea re ſtatuiſſet; cumque ferret fama Archiepiſcopum Rothomagenſem facinori conſenſiſſe, vt ex Abricenſi ad alterã demigraret Eccleſiam, inquiſita rei veritate pari pœna plecteret. Archiepiſcopum Narbonenſem ob negligentiã reprimendæ hæreſeos puniuit, eumque Mõtis Regalis Abbatia, quam ipſemet permiſerat, vt cum Archiepiſcopatu retineret, priuauit. Leopoldum Vormacienſem Epiſcopum in Moguntinam ſedem intruſum reiecit, & ad Philippum Sueuiæ Ducem malorum omnium auctorem Abbates de nouo Burgo, & de Salem legauit, vt illum ſuo nomine commonefacerent, ne in poſterum inuaſori auxilium ferret, ac de gradu deiectum deſereret, & anathemate perculſum declinaret, alioquin ſubdidit, *Denunciamus eidẽ, quòd in ipſum & in terram ſuam amplius forſan, quàm exiſtimet ſecundum officij Noſtri debitum, manum noſtram curabimus aggrauare cum id vlterius non debeamus in patientia ſuſtinere.* Antiſiodorenſis verò Epiſcopi, qui pro Eccleſiaſtica Immunitate propugnauerat, contra Antiſiodorenſem Comitem partes defendit. & Senonenſem Archiepiſcopum ignauiæ arguit ob non ſuſceptam Antiſiodorenſis Epiſcopi defenſionem, quem exulem, & afflictum literis ſolatur. Valdemarum Saleſuicenſem Epiſcopum iniuſtè proſcriptum, à vinculis, in quæ fuerat coniectus, Danorum Rex Innocentij iuſſu liberauit: Bituricenſem Archiepiſcopum officio abſtinere iuſſit, ob non eiectos è prouincia illa hæreticos: Piſanum verò ob inuaſa Sardiniæ iura perſtrinxit: ſacrilegos, qui manus in Colocenſem Archiepiſcopum iniecerant inſectatus eſt. Toloſanum Epiſcopum plurimis priuilegijs ornauit, & Kymenſem ſedem erexit: Patauienſem Epiſcopum ſibi ſiſti iuſſit, tum Biſuntinum, Magdeburgenſem, & Tarantaſienſem Archiepiſcopos. Melphienſem Epiſcopum cædis, periurij, concubinatus, ſimoniæ, proditionis aliorumque criminum reum infra tres menſes Romam venire mandauit: Petrum de Corbolio olim magiſtrum ſuum, ad Cameracenſem primò, mox ad Senonenſem ſedem euexit.

Diſcedit Roma. — *Oderic. Rainaldus in Annal. Eccleſiaſt.* — *Epiſcopo Hildeſemenſi ſacra interdicit.* — *Alios Epiſcopos punit.* — *Vghellius ... Marrotalon.*

B C D E

Spoleto proceſſit Peruſium, vbi Aedis primariæ dedicauit Altare; reliqua Innocentij itinera ex actis proſequamur: Inde, hoc eſt Peruſio, *veniens Tudertum, Altare S. Fortunati ſolemniter conſecrauit, & ad ornatum omnium Altarium, quæ proprijs manibus conſecrauit, obtulit ſerica pallia pretioſa, & pallas ſubtiliter operatas; & ſtatuens Rectorem in Ducatu Spoleti, & Comitatu Aſſiſij, terriſque vicinis, videlicet Gregorium S. Mariæ in Aquiro Diaconum Cardinalem.* Deuinctis ſibi per Apoſtolica beneficia populis Innocentius, quos peragratis eorum terris ad conſtantiam in fide Eccleſiæ excitarat, per Ameliam, Ortam, & Ciuitatem Caſtellanam ante feſtum Omnium Sanctorum in Vrbem reuerſus recepit in Apoſtolicum patrocinium Hetruſcos, qui ad recuperandam libertatem cum Spoletanis fœdus inierant, ac ſanxerant ſe armorum ſocietatem ad tuendam Eccleſiæ ditionem, & iura ſanctiſſimè ſeruaturos, nec vllum Principem agnituros, niſi quem Romanus Pontifex approbaret. Archiepiſcopi Piſani Primatum non in Turritanam modò prouinciam Sardiniæ ab Hadriano, Alexandro, Clemente, & Cœleſtino Romanis Pontificibus conceſſum confirmauit, verum etiam ad Calaritanam, atque Arborenſem prouincias exporrexit, tum vt nõnulla inſignia ad Piſanum augendum decus, cuius ciues profligandis infidelibus egregiam operam ſæpius locaſſent, præferret, indulſit. *Denique vt Piſana* inquit in Diplomate hac de re edito, *Ciuitas, quæ amore cœleſtis numinis de inimicis Chriſtiani nominis Vi-*

Peruſium ... Eius itinera. — *Hier. Rambert.* — *Recipit in Apoſtolicum patrocinium populos.* — *Archiepiſcopi Piſani Primatum approbat.*

F

ſtorianꝫ frequenter obtinuit, & eorum Vrbes plurimas ſubiugauit, amplius honoretur, equo albo cum nacho albo in proceſſionibus vtẽdi, & Crucem, Vexillum ſcilicet Dominicum per ſubiectas vobis prouincias portandi, & per ſpatium illud Vulteran. Epiſcopatus, quod de Piſani Epiſcopatu ad Populonen. tranſitur, tibi, tuiſque ſucceſſoribus licentiam damus. Pallij quoque vſum fraternitati tuæ cõcedimus, vt videlicet eo ſecundum conſuetudinem Piſan. Eccleſiæ perfruaris, & in conſecrationibus trium Epiſcoporum in Corſica, Aleren. videlicet Aiacen. & Sagonen. ac prædictorũ duorũ in Sardinia, & Populonen Epiſcopi, quorum Metropolitanus exiſtis. &c.

Innocentij geſta. Annis Eccleſiæ Romanæ ſubegit Radicophanum, quod & muniuit, Aquampendentem, Faliſcos, edomuit Narnienſes, Vtriculum inſtaurauit; Archiepiſcopo Rauennati Exarchatum, & Comitatum Brittenorij commiſit. In Seuerum, ſeu Seueronem Noruegiæ Tyrannum, qui vt pios ad obſequium allicerет, Clementis Romani Pontificis literas adulterarat, inque ſui fauorem corruperat, inſurrexit, ac repulſis Oratoribus, quos ad ſedem Apoſtolicam miſerat, iniunxit Nidroſienſi Archiepiſcopo, alijſque Noruegiæ Præſulibus, vt terras, quæ Tyranno parebant, interdicto percellerent, defigerent anathemate eius partibus implicitos, ac Tyrannidis fautores, literaſque Apoſtolicas, quas deprauarat, adulterinas promulgarent. Dolenſem Eccleſiam Turonenſi ſubiecit, Dominicum Soacenſem depoſuit, in Hildeſemenſem cenſuris animaduertit; Iudæos malè tractari vetuit, eoſdemque ad fidem conuerſos defendit. Diocliæ, ac Dalmatiæ Regem ad Eccleſiam deduxit, & literas à Rege recepit, vti etiam à Rege Armeniæ, ad quem Legatos, & Vexillum B. Petri miſit, eundemque ad Catholicam fidem accedentem benigniſſimè recepit. Antiſiodorenſem Epiſcopum muneri reſtituit; falſarium Epiſcopum trudi in Monaſterium iuſſit: Nouarienſibus, qui Epiſcopum eiecerant, cenſuras incuſſit. Strigonienſis Eccleſiæ priuilegium, vt in ea coronentur Hungari Reges confirmauit. Contra Archiepiſcopos Treuirenſem, & Colonienſem ob deſertas Othonis partes inſurrexit, & Magdeburgenſi cenſuras minatus eſt, niſi ad Othonem ſe cõferret. Conradi Epiſcopi Herbipolenſis cædem deplorauit, atque in illius auctores anathema, vti etiam in terras ipſis obnoxias interdictum fulminauit: at cum impij parricidæ ex ſcelere admiſſo, vrente eos, & lancinante conſcientia ad ſedem Apoſtolicam confugiſſent, varijs pœnis eos primùm mulctauit, deinde Eccleſiæ communioni reſtituit.

Hier. Gambert. Sigeb. in Chron. Oder. Rinald. in Annal.

Martin. Polon.

Miſit Legatum in Bulgariã. Ioannem Capellanum ſuum in Bulgariam miſit, qui impoſito ſibi munere pro dignitate perfunctus, non modò Archiepiſcopo illius regionis Mitram, & Pallium detulit, verum permittente Rege duos Metropolitas creauit. Quin etiam idem Bulgarorum, & Blachorum Princeps edictum edidit, quo omnes Imperij ſui terras Romanæ Eccleſiæ in ſacris obnoxias eſſe ſanxit, cum ad id etiam ea ratione permotus eſſet, quòd Bulgarorum Imperatores coronam, ac benedictionem à Romana ſede ſuſcepiſſe hiſtoriarum monumẽtis commendatum reperiſſet. Immo vt pijs Bulgarorum Principis votis morem gereret Innocentius, Leonem S. R. E. Cardinalem ad Bulgaros miſit, qui ipſum Romani Pontificis nomine, regio Diademate inſigniret, & Vexillo donaret, in quo Signum Crucis, & Claues geminæ præferebantur: conſtituit Trinouanum Archiepiſcopum Primatem totius Bulgariæ, & Blachiæ. At cum iter Legatus per Hungariam haberet, à Rege, ac Principibus magnis honoribus exceptus eſt: ſed cum ad Regni limitem perueniſſet, tranſitum in Bulgariam ei Rex Hungarorum prohibuit: vrebat enim ipſum honoris Bulgaro, cum quo gerebat inimicitias, delati dolor: quam iniuriam Legato illatam cum accepiſſet Innocentius, ad Hungarum hæc ſcripſit. *Heu, heu fili chariſſime, vbi eſt regalis clementia, vbi religio Chriſtiana, vbi ſpecialis deuotio, quã ad Nos, & Romanam Eccleſiam prædecaros habere: mutatus eſt color optimus, & aurum in ſcoriam eſt conuerſum. Parcat igitur eis Deus, qui animam tuam tam prauo conſilio ſeduxerunt, volentibus inter Regnum, & Sacerdotium diſcordiam ſeminare: ſed Nos pro certo ſperamus, quòd aut per te ipſum iam errata correxeris, aut ad commonitionem Noſtrã taliter debeas emendare, vt iniuria tranſeat in honorem, & offenſa in gratiam reuertatur.* Et infra. *Benignius tibi ſcribimus, quam inſtans materia poſtularet, ne quis fortè literas noſtras inſpiciens exiſtimaret Apoſtolicæ ſedis fauorem tibi eſſe ſubtractum, quod vtique vtilitati, ac honori tuo nullatenus expediret, quia multa geſta ſunt, & geruntur in Regno tuo, quæ ſi deducerentur ad limam, correctionem expoſcerent grauiorem, non ſolùm de voto tuo, captione fraterna, & electionibus Prælatorum, ſed etiam multis alijs, quæ ne nimium conturberis, ad præſens duximus ſupprimenda. Prouideas ergo tibi, ne in eam te difficultatem inducas, de qua non valeas facile expediri.* Strigonienſis etiam Eccleſiæ Suffraganeis mandauit Regem ipſum ad reſarciendam iniuriam inducere niterentur. Ioannem Angliæ Regem ab Eccleſiæ communione ſegregatum exauctorat, & Angliæ Regnum in Philippum Galliarum Regem confert.

Bulgarorũ Regis Eccleſiæ Romanæ ſubiectio.

Bulgarorũ Rex coronam accipit à Legato.

Ad Hũgarorũ Regẽ ſcribit.

Angliæ Regnum ad Phil. primũ Galliarũ Regem confert.

Legationes varias inſtituit. Alias plures legationes inſtituit: Petrum ſcilicet Cardinalem anno 1198. anno verò 1200. Octauianum Epiſcopum Oſtienſem; anno 1213. Robertum Cardinalem, & demum anno 1214. Petrum Beneuentanũ ad Gallos legauit. Contra Albigenſes hæreticos Raynerium primò, & Guidonem, deinde Rodulphum, & Petrum è Caſtronouo; in Germaniam quatuor, totidem ad Imperatorem Græcorum, duos in Siciliam diuerſis temporibus Legatos miſit. Alios direxit ad Regem Armeniæ, Venetias ad Cruceſignatos, ad Bulgaros, ad Danos, & Sueuos, ad Anglos: ac Romæ ipſe excepit Caloioannis Bulgarorum Regis, & Bulgarorum Patriarchæ, tum Armeniæ Regis, Philippi Pſeudoimperatoris, & Io. Regis Angliæ Oratores.

Recipit Oratores diuerſorũ Principũ.

B. Dominicus contra Hæreticos. Beato Dominico Prædicatorum familiæ Inſtitutori munus iniunxit, vt contra hæreticos diligentiſſimè inquireret, vt habemus ex Pij V. Romani Pontificis Diplomate, quod ſecundum partem refert Alphonſus Fernandez in Concertatione Prædicatoria contra hæreticos. Primus igitur Innocentij iuſſu Quæſitoris munus ſumma cum laude geſſit Diuus Dominicus. Ea prouincia à ſolis Epiſcopis, ad quos iure pertinet, principio adminiſtrata; poſtea, ſiue quòd pluribus curis ſacer is magiſtratus implicetur, ſiue quòd à ſuo grege abeſſe interdum Epiſcopos contingat, ſiue demum, quòd eum aliqui incuriosè, non nemo etiam inſcitè id muneris exercuerit, optimum factu viſum eſt, ſi à ſede Apoſtolica delegarentur extra ordinem Iudices doctrina, ac pietate præſtantes, quibus inquirendi, & animaduertendi in hæreticos ius eſſet, eòque Inquiſitores Apoſtolici vocari.

Primus Inquiſitor fuit.

Alphõſus Fernãdez.

Famian. Strada de Bell. Belgic.

Sed maleuolorum opera in Dominicanorum ordinem aliquando commotus eſt Innocentius, & quos antea ſingulari amplectebatur amore, deinde animo aduerſo à ſe expellebat: cognita tamen virorum illorum innocentia, iram omnem in antiquum amorem commutauit; & Deipara Virgo Ferdinando Diaz Dominicano reuelauit Pontificis ſeuiorem deleſſe, & quæ contra libertatem, atque inſtitutum religioſorum ad impiorum ſuggeſtiones ſanxerat, abrogaſſe. *Neque hic omittendum,* ex Cæſario, *quomodo eadem Deipara Virgo per quendam virum ſanctum, qui ei à ſacris Confeſſionibus erat, eũ à moleſtandis religioſis Ciſtercienſibus ſibi deuotis auerterit. literis ſuis mandauerat ordini iſte, vt quadrageſimam partem omnium mobilium in ſuccurſum belli Terræ Sanctæ tranſmitteret: Ordo verò priuilegijs ſibi ab eius Anteceſſoribus datis innitens, non acquieuit exactioni. Vnde Innocentius in tantum commotus eſt, vt ſæcularibus Principibus indulgere proponeret, vt ipſi poſſeſſiones ordinis vſurparent: Abbates verò, qui in proximo generali Conuentu confluxerant, ſpem ſuam in Deipara ordinis patrona ponentes ſpeciales orationes indixere. Interim ſupradicto eius Confeſſario Deipara apparens, in hæc verba Innocentio mãdauit: Tu ordinem Ciſtercienſem, cuius Ego aduocata ſum, deſtruere conaris, at nõ præualebis, & niſi citò reſipiſcas, Ego te, & omnem potentiam tuam conteram. Territus Pontifex vlteriùs non perrexit, imò ordinis priuilegia roborauit, hocque adiecit, vt negociabuns Ordinis primo omnium in Curia expedirentur.*

Hippol. Marrac. de Pont. Marianis.

Innocentius impiorum ſuggeſtione iratus in Dominicanos.

Cæſarius lib. 7.

B. Virgo tuetur Ciſtercienſium Ordinem.

Ordinem Militum de Auis, ab Alphonſo Luſitaniæ Rege contra Mauros inſtitutum, ſub Deiparæ Virginis patrocinio militantem confirmauit: alijſque omnibus religioſorum familijs comitia generalia quotannis celebrari mandauit. Domum, ſeu Eccleſiam ſancti Martini Viterbienſis penè exterminatam reſtaurauit, & monachis conceſſit, plura eidem beneficia indulgendo; inſignique ſemper deuotionis cultu aduerſus illibatam Dei matrem feruit; & verò ipſam in peruetuſto illo ad Roſarij Coronam precandi ritu libenter venerari, ac familiariter quotidie ſalutare conſueuit. Neque ſolum ſua illi ſat iſta fuerat deuotio, verùm etiam laicis, rudique vulgo impensè pro ſuggeſtu genus hoc orandi commendare ſolebat.

Ordinem Calatrauẽſium Confirmat.

Angelus Manriq. in Annalib.

And. Reſende.

Hippol. Marrac. de Fund. Marianis.

Cultus in Virginem Mariam.

S. Alan. Rup. in Roſ. de B. Virgine.

Hip. Marrac. de Pont. Marian.

Matthæus tamen Pariſius in Annalibus Anglorum pro more ſuo aduerſus Pontificem, & Curiam Romanam maleuolentia ſuffuſus, optimo Pontifici inurere auaritiæ notam his maledicentiæ veneno perlitis verbis nititur. *Eodem anno cum Innocentius Papa ad expeditionem Terræ Sanctæ, vt dixit ac occultandam ſuam auaritiã infinitam pecunia ab ordine Ciſtercienſi propoſuiſſet extorquere, à B. Virgine correptus, ab exactione ceſſauit timore percuſſus.* Hunc ſanè auctorem Baronius manifeſti coarguit mendacij, & ad liberalem Innocentij animum demonſtrandum, ac maleuoli hominis mendacia refellenda ſufficiunt, quæ illius æui ſinceræ fidei ſcriptor memoriæ tradidit. *Interea D. Innocentius ſuum ſaltans in Domino cogitatum, operibus pietatis planè inſiſtebat; nam valde cum fames inualuiſſet inedia, ita vt bladum frumenti à viginti vſque ad triginta ſolidos venderetur, & tunc ipſe moraretur Anagniæ, protinus remeauit ad Vrbem, & cœpit neceſſarias eleemoſynas ingenti populo liberaliter erogare. Sic autem fecit illas diſtribui, vt ij, qui verecundabantur publicè mendicare, pecuniam occultè reciperent, de qua ſuſtentarentur per ſingulas ſeptimanas: illi verò qui publicè mendicabant, ſingulis diebus panem acciperent ad ſufficientiam vniuerſi: quorum tanta erat promiſcua multitudo, vt excederent numerum octo millium perſonarum: alij autem in eleemoſynaria domo reciperent alimenta, & ſic famelicum populum ab imminenti periculo liberauit, exhortans diuites, & potentes, verbis pariter, & exemplis ad eleemoſynas largiendas.*

Matthæi Pariſij maledicentia in Innocentium.

Innocẽtij pietatis opera.

In perditas mulieres, quæ pudicitiam quibuſque obuijs, animas Dæmonibus proſtituebant, miſeratione ductus, è cœno facilius abducendas ratus, ſi viros, qui eas ducerent, nanciſcerentur, infamiam, quæ in iungenda ſibi matrimonio meretrice erat, amouere conatus eſt, atque indulgentias ijs propoſuit, qui ex Chriſtiana pietate huiuſmodi fœminas vxores ducerent, quò maritali fræno coercitæ, à ſcelere impudicitiæ ſibi temperarent.

Perditarũ mulierum cura.

Religioſos ad pietatem reuocat.

A Primæuum inſuper ſanctitatis florem, qui in Monaſterijs emarcuerat, reuocare, & aſtringere nimiam religioſorum, qui è clauſtrorum ſeptis euagabantur, libertatem ſtuduit. De quo acriores ad Rofredum tituli SS. Petri, & Marcellini Presbyterum Cardinalem Abbatem Caſinenſem literas dedit, vtque ad purgandos ſuorum monachorum deformatos mores incumberet, ſtimulos admouit. ſcripſit enim non leui macula aſpergi Abbatem, cum ſubditi parum religioſè viuunt. *Super hoc*, inquit, *tu non videris alienus à culpa, qui, cum tibi ſit ipſius Eccleſiæ cura commiſſa, culpam negligis corrigere ſubditorum; quia iuxta verbum ſapientis, vbi non eſt gubernator, populus corruit, paſtoris incuriam diſſolutione omnium accuſante.*

Innocentij Scripta.

Scripſit etiam præter ſupra enarrata à Ciaconio Opera, in ſeptem Pſalmos Pœnitentiales Commentaria edita anno 1550. Antuerpiæ, anno verò 1575. & 1578. Coloniæ, & eodem anno 1578. Venetijs; hæc in Commentaria ſcripſit Thomas Toletanus Dominicanus.

Sixtus Senenſis. Henr. Gādau.

B In Magiſtrum Sententiarum ex Bibliotheca Poſſeuiniana.

De Contemptu Mundi, ſeu de Miſeria hominis libros tres ad Petrum Cardinalem Portuenſem.

Aub. Miræus in Not. ad Henric.

De Eruditione Principum librum vnum, qui ex Bibliotheca Tomaſini Patauini aſſeruatur m. s. Patauij in Bibliotheca Benedictina ſanctæ Iuſtinæ.

Lud. Iacob à ſancto Carolo.

De Officio Miſſæ, ſeu de ſacri Altaris Myſterijs libros ſex, & expoſuit Canonem Miſſæ.

Henr. Gādau. de Script. Eccleſ.

De Sacramento Baptiſmi librum vnum.

De Conſecratione Pontificis Homilias quatuor.

De Sanctorum Veneratione libros tres.

Encomium in Chriſtum, & eius Matrem.

Hymnos *Stabat Mater doloroſa*: & *Aue Mundi ſpes Maria.*

Singularia in Iure, quę inueniūtur m. s. in Bibliotheca Badleiana.

Moralitatem de Scaccario, m. s. Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegij ſancti Benedicti. C

Conſtitutionum Generalium libros quinque.

In Sermone Dominicæ lætare, plura de Roſa aurea, & de antiqua conſuetudine Apoſtolicę ſedis aureæ Roſæ ſolemnitatem celebrari.

Ad Innocentium literæ.

Plures literas ſcripſit, quæ cum Notis Franciſci Boſqueti Narbonenſis Toloſæ anno 1635. editæ ſunt; multas reſcripſit in ſua Italia ſacra Ferdinandus Vghellius. Ad Innocentium literas dedere Patriarcha Armeniæ, Hemmeraredus Hungariæ Rex, Archiepiſcopus Lugdunenſis, Caloioannes Bulgarorum, Othacherus Bohemorum, Valdemarus Danorum, Ioannes Anglorum, & Caſtellæ Reges: Inſeburges Francorum Regina, Baſilius Bulgarorum Archiepiſcopus, Otho Imperator, & alij quamplures, qui ad Romanam ſedem confugientes Innocentij patrocinium experti ſemper ſunt.

Pariſ. in Annal. Angliæ. Miracula Veronicæ. Portendit mortem Innocētio

Iam decimum ſeptimum ſui Pontificatus annum compleuerat Innocentius, quando, vt ſcribit Pariſius, Romanus Pontifex, *quem vacillantis Eccleſiæ cura ſollicitabat, Effigiem Vultus Domini, quæ* D *Veronica dicitur, vt moris eſt, de Eccleſia ſancti Petri verſus Hoſpitale ſancti Spiritus reuerenter cum proceſſione baiulat: qua peracta, ipſa Effigies dum in locum ſuum aſportaretur, ſe per ſe gyrabat, vt verſo ſtaret ordine, ita ſcilicet, vt frons inferius, barba ſuperius locaretur, quod nimis abhorrens Dominus Papa credidit illud in triſte ſibi præſagium eueniſſe. Vt plenius Deo reconciliaretur, conſilio fratrum in honorem ipſius Effigiei, quæ Veronica dicitur, quandam orationem compoſuit elegantem, cui adiecit quendam Pſalmū, cum quibuſdam verſiculis, & eadem dicentibus decem dierum conceſſit Indulgentiam, ita ſcilicet, vt quotieſcumque repetatur, toties dicenti tantumdem Indulgentia concedatur.* His ſimilia tradit Matthæus Vueſtmonaſterienſis in ſuis Hiſtoriarum Floribus, cuius liber Pariſij potiùs Epitome appellandus videtur. Verùm ſicut in dubium reuocari nequit, religioſiſſimum Pontificem huiuſmodi de cauſis ſolemnes ſupplicationes indicere, atque alia pietatis opera peragere E conſueuiſſe, ita ſunt qui immutatam illam Imaginem fabellam ſuſpicentur.

Innocentij obitum. Paulinius

Anno Dominicæ Incarnationis 1216. inquit Conradus Vrſpergenſis Abbas, *Innocentius Papa obijt apud Peruſium xvi. Kal. Auguſti, Pontificatus ſui anno decimonono:* hæc ille; verùm xvij. Kalen. Auguſti, dicunt alij, Innocentium ex hac vita migraſſe: at an. 1216. defunctum plurimi ſcriptores affirmant, ex quibus hæc Richardus. *Innocentius Papa III. Vrbē exiens, Peruſium vadit, vbi menſe Iulio xvij. Kalen. Auguſti languore correptus feliciter expirauit*: cur verò illuc ſe contulerit, Martinus Polonus aperit. *Demum*, inquit, *cum Papa propter ſubuentionem Terræ Sāctæ inter Piſanos, Genuenſes, & Longobardos pacem intenderet facere, in itinere ad hoc conſtitutus, apud Peruſium eſt defunctus, ibique in Eccleſia S. Laurentij eſt* F *tumulatus.* Hoc quoque ijſdem verbis Bernardus, ac ſimilia Longinus, alijque: vnde corrigendus quorundam recentiorum error, qui in diem alium, annumuè Innocentij obitum conferunt; ac ſanè, qui eum ſuperiore anno, vel ſequenti vita functum aſſeruere, ex literis ab Honorio Papa in locum Innocentij ſuffecto, hoc eodem anno datis, erroris conuincuntur. Tertiana enim febri, quæ breui tranſijt in acutam, deinde paralyſi demū lethargo correptus obijt Innocētius.

Innocētij Epitaphiū

Noſtris hiſce temporibus, Innocentij Tertij ſepulchro, & aliorum duorum Romanorum Pontificum hanc appoſuit Inſcriptionem Napoleo Comitolus Epiſcopus Peruſinus, qui horum Romanorum Pontificum oſſa ex vno in alium tranſtulit locum.

A
✠ OSSA ✠
TRIVM ROMANORVM PONTIFICVM
QVI PERVSIAE OBIERVNT
INNOCENTII III. VRBANI IV. MARTINI IV.
AN. MCCXVI. AN. MCCLXIV. AN. MCCLXXXII.
AB HVIVS TEMPLI SACRARIO
HVC TRANSLATA
AN. MDCXV.

Lugubre carmen in eius mortem.

Lugubre in mortem Innocentij carmen à Richardo ſuæ inſertum Hiſtoriæ hic adijcere libet, quo præclaræ eius virtutes commendatæ, atque in luce collocatę videntur, quamquam ab impolitiore Poeta conſcriptum fuerit.

Nox accede, quia ceſſit ſol, lugeat Orbis,
In medio lucis, lumen obiiſſe ſuum.
B *Lumen obit mundi, quia deceſſit Pater Inno-*
Centius, iſte pater Vrbis, & Orbis erat.
Numen vtrumque tenens verſum notat, hoc, quod habebat,
Quid mundo poſſet reddere, quidue Deo.
Si ſpeciem, ſi mentis opes, ſi munera linguæ
Attendas, cedet lingua, cadetque ſtylus.

Viſione de Innocentij Anima.

His contraria, de tanti Pontificis in altero ſeculo animæ ſtatu nonnulli antiquorum ſcriptis prodiderunt, inter quos Thomas Cātipratenſis in geſtis ſeu vita ſanctæ Lutgardis hæc ſcribit. *Hoc ferè tempore Dominus Innocentius Papa Tertius poſt celebratum Lateranenſe Concilium ab hac vita mexque apparuit viſibiliter Lutgardi: illa autem vt vidit eum ingenti flamma cinctum, quis nam eſt, percontatur. Reſpondit ſe eſſe Innocentium Papam, & illa cum gemitu, quid hoc eſt inquit, communem omnium noſtrum Patrem tam dire cruciari? Reſpondit ille, tres ob cauſas ita crucior, quæ etiā* C *æternis ſupplicijs me iuſtiſſimè addixiſſent, niſi per interceſſionem piiſſimæ matris Dei, cui Monaſterium condidi, in extremis me pœnituiſſet, & æternam quidem mortem euaſi, ſed pœnis atrociſſimis vſque ad Iudicij diem cruciabor: quod autem ad te ſuffragia petiturus venire potui, mihi à ſuo Filio Mater miſericordiæ impetrauit. His dictis confeſtim diſparuit; Lutgardis verò eius neceſſitatem Sororibus, vt ei ſuccurrerent, indicauit: porrò admodum dolens viſionem eius, miſerabili ſecreto illius cauſa affecit. Nouerit Lector, nos reuelante nobis Lutgarde, tres illas cauſas, non ignorare, ſed pro tanti Pontificis reuerentia referre noluiſſe.*

Compil. Chron.

Ciſtercienſis Ordinis Abbatem in ſomnis conſpexiſſe ferunt Dominum in excelſo throno ſedentem, ac nudum ſubinde hominem pontificali infula decoratum, qui ſedentem verſus velociſſimè currens clamabat, *Miſerere mihi miſero miſericordiſſime Deus*, ac Draconem magnum a tergo inſequentem, & deuorare nitentem.

Deſtruitur ab Oderico Rinaldo in Annalibus.

D At hæc de tanto Pontifice ab inimicis conficta credit Odericus Rinaldus in Annalibus Eccleſiaſticis; quis enim in animum induxerit ſuum, Innocentium, cuius laudes boni omnes celebrarunt, animique virtutes ad Cœlum tulere, tribus ſceleribus fœdiſſimis fuiſſe inquinatum, ob quæ æternis inferorum pœnis mulctandus eſſet, niſi in extremo vitæ illum pœnituiſſet. Quomodo ergo Innocentius, in quem ea tempore ſummum inter homines faſtigium tenentem coniecti erant omnium oculi, ſua crimina tegere, ac paſtoris optimi perſonam induere potuit? cum, vt affingit fabula, moribus corruptiſſimus eſſet, totque in eum odio, & inuidia flagrantibus, quos ob perpetrata ſcelera cenſuris defixerat, nullam commiſſorum ab illo criminum ſuſpicionem ad eos emanaſſe; nec enim, quin ea illi abijcerent, ac ſpargerent, vnquam ſibi temperare potuiſſent. At Innocentij animam, Deo permittente ſuffragia poſtulare potuiſſe non negamus, ignibuſque Purgatorij expiandam traditam, cum interdum viri ſan- E ctiſſimi contractas vitæ maculas ijs eluant.

Scriptores multi cōmendant Innocētij ſanctitatē.

Addamus contra horum ſententiā, ſcriptorum ferè omnium teſtimonia, qui vti virum ſanctiſſimum, Innocentium in ſuis ſcriptis collaudant. Rigordus, qui eo tempore floruit, de geſtis Philippi Auguſti Franciæ Regis hæc habet: *Innocentius Papa celebrauit Romæ Concilium, vir clari ingenij, magnæ probitatis, & ſapientiæ, cui nullus ſecundus tempore ſuo.* S. Antoninus verò Archiepiſcopus Florētinus *poſt innumera*, inquit, *opera egregia virtutum, demum beato fine quieuit.* Ioannes Mariana lib. 12. de Rebus Hiſpaniæ ſcripſit. *Anno 1216. ſeptimodecimo kalendas Auguſti Innocentius Pontifex Romæ obijt, vir ijs corporis, & animi virtutibus, quantas paucis contigiſſe ſatis conſtat: præter alia, ingenium fuit in vtroque ſapientiæ genere diuina, atque humana, eloquentiaque præcellens.* Hæc illi de Innocentio, qui à pluribus etiam alijs vti vir ſanctiſſimus collau- F datur: & meritò quidem; nā ſemper ſingularæ modeſtiæ exemplum in comprimendo luxu præbuit, quò ceteros Eccleſiæ Præſules ad abijciendum faſtum, atque ad rerum caducarum deſpicientiam adduceret. Hæc enim memoria digniſſima vitæ illius auctor prodidit, quæ in cuſis eius vitæ geſtis vnà cum nonnullis alijs deſiderantur. *Quia vero ſuperfluitas multa nimis abundat in ſeculo, maximè in Prælatis, vt eos corripere poſſet liberius, & corrigere, illius exemplo, qui cæpit facere, & docere, ad talem ſe mediocritatem reduxit, quod vaſa aurea, & argentea in lignea, & vitrea commutauit; pelles armellinas in griſias tranſtulit agninas. Menſam ſuam tribus ferculis voluit eſſe contentam, & Capellanorum ſuorum duobus, niſi*

magna

magna ſolemnitas, aut aliqua vrgens neceſſitas amplius poſtularet, remotiſque laicis, viros religioſos adhibuit ad quotidianum miniſterium menſæ, vt à perſonis regularibus honeſtiùs ſeruiretur, conſuetis tamen officijs viris nobilibus reſeruatis, qui feſtiuis diebus ſecundum morem deſeruiebant in eis. Quandam moderatam ſummam de Theſauro Eccleſiæ ſeparauit, & in ſequeſtro depoſuit pro vrgenti neceſſitate, ſi qua forſitan immineret. Largiſſimas tamen eleemoſynas in pauperes effudit, atque immenſam pecuniæ vim inter plura virorum, ac mulierum Monaſteria, & Xenodochia eſt partitus: liberalitatem, & magnificentiam in familiares exercuit, quorū aliquos, quia dignos agnouit, ad ampliſſimos etiam honores extulit.

Gonzet. in Theſaur.

Auctor fuit Innocentius, vt in feſtis ſimplicibus occurrentibus ab octaua Pentecoſtes vſque ad Aduentum, & à Purificatione vſque ad Quadrageſimam, in ſacro Miſſæ ſacrificio recitaretur ſecunda Oratio *A cunctis*, & tertia adderetur in honorem ſanctiſſimæ Trinitatis: & inuentibus varijs perſecutionibus, iuſſit etiam vt in ſacra Liturgia loco *Miſerere nobis* repetito tertiò *Agnus Dei, Dona nobis Pacem*, Sacerdotes recitarent. Innocentij III. lex illa fuit, ægrotos niſi peccata ritè confeſſos à prima inſpectione Medici nèue adeunto, nèue curanto. Aquenſem, & Alexandrinam Eccleſiam coniunxit: Imaginem Saluatoris, quam Romæ veneramur, in Sacello Lateranenſi dicto *Sancta Sanctorum* argenteis laminis adornauit. Erexit Xenodochium ſancti Spiritus in Saxia, Ordinemque inſtituit, vt dictum eſt ſupra, & noſtris hiſce temporibus ſequentem Inſcriptionem legimus in palatio proximo eidem Xenodochio.

A cunctis cum tertia Oratione in Miſſis recitari iubet. Item Dona nobis pacem, loco miſerere nobis. Ferdinād. Vghel. to. 4. Ital. ſac. Martinel. in Roma Recent. Xenodochij n. Spiritus erectio.

INNOCENTIO III. ANAGN. P. M.
XENODOCHII HVIVS TOTO ORBE
CELEBER. CVM DONARIIS
DOTALIBVS FVNDATORI, ET
RELIGIONIS FRATRVM IBID.
INSTIT. FOELICISS.

In Bibliotheca Vatic. aliæ duæ extant Inſcriptiones, & ſunt, prima.

INNOCENTIO III. PONT. FEDERICO II. IMP.
ABBATIS IOACHIM ERRORES DAMNANTVR
BELLVM SAC. DE HIEROSOLYMA RECVPERANDA
DECERNITVR
CRVCE SIGNATI INSTITVVNTVR.

Altera.

INNOCENTIO III. PONT. PER QVIETEM
S. FRANCISCVS ECCLESIAM LATERANEN.
SVBSTINERE VISVS EST.

Sedente Innocentio in Petri Cathedra præter Oecumenicum Concilium Lateranenſe IV. contra Albigenſium, & Almarici hæreſes, & Abbatis Ioachimi errores anno noſtræ ſalutis 1215 celebratum, & præter Romanum, in quo Otho Imperator Regia poteſtate ſpoliatus; habita etiam ſunt alia, videlicet anno 1199. in Dalmatia per Legatos ſedis Apoſtolicæ, in quo Decreta duodecim pro reſtauratione diſciplinæ Eccleſiaſticæ firmata ſunt. Anno verò 1200. habitum eſt Concilium Londinenſe in Anglia per Hubertum Cantuarienſem Archiepiſcopum ad corrigendos prauos Eccleſiaſticorum mores. Anno 1203. celebratum eſt Concilium in Scotia contra illos, qui forum rerum venalium diebus Dominicis exercebant. Anno 1210. habita eſt Synodus Londinenſis, in qua Anglorum Regem Nicolaus Epiſcopus Tuſculanus, & Sedis Apoſtolicæ Legatus Eccleſiæ cōmunioni reſtituit. Anno 1213. conuocatum eſt Concilium Lauaurenſe in cauſa Petri Aragoniæ Regis, Comiti Toloſano affini ſuo, in hæreſim prolapſo patrocinantis. Demū an. 1214. celebrata eſt Synodus Montepeſſulana, in qua Simoni Montfortiano Comiti, Toloſanus Comitatus, ex quo Albigenſes hæreticos eiecerat, cōceſſus.

Cōcilium Lateranēſe. In Dalmatia. Lōdinēſe. In Scotia. Synodus Lōdinenſ. Cōcilium Lauaurenſe. Synodus Mōtepeſſulana.

PRIMA CREATIO CARDINALIVM.
Innocentij Papæ III.

Anno Dominicæ Incarnationis 1198. *Pontificatus Primo* Innocentius III. Romanus Pontifex creauit Cardinales, qui fuerunt.



Ciaconius

I.

HVGOLINVS, quem alij Hugonem nominant, Comes Anagninus patruelis fratris Papæ filius, & Capellanus, Diaconus Cardinalis S. Euſtachij primò, deinde Epiſcopus Oſtiēſis, & Veliternus, demum Gregorius IX. Papa renūciatus eſt. Hic ſecundo Innocentij III. Pontificatus an. cum Octauiano Oſtienſi Epiſcopo, & Guidone Presbytero titulo Calliſti, Apoſtolicæ ſedis Legatus in Neapolitanum Regnum miſſus, Verulis Marcualdum Imperij Seneſcalcum, Regnum ipſum, & Romanā Eccleſiam diuexantem, cui ſacris fuerat interdictum, Eccleſiæ communioni, multa tamen priùs no-

A xæ pari pœna, reſtituit. Alias deinde legationes Romanorum Pontificum iuſſu ſubijt, nempe in Galliam, in Tuſciam, & in Galliam Ciſalpinam. In Tuſciæ legatione nongentos Senenſes ciues, quos Bonfilius Epiſcopus Senenſis ſua prædicatione ad ſacrum bellum contra Saracenos excitauerat, Hugolinus Epiſcopus Oſtienſis Honorij III. Legatus Cruce ſignauit, tradiditque Guidoni palatio, ſtrenuo Duci, Alexandri III. conſanguineo, & in Orientem ſuppetias allaturos ſubmiſit, Honorij Pontificis incredibili gaudio, qui Senēſi populo ſtatim laudes, atque gratias ſcripſit: has literas reſcripſerunt in ſua Hiſtoria Senenſi Iugurtha Tomaſius, & Ferdinandus Vghellius in tomo 2. Italiæ ſacræ. Eundem iam renunciatum Epiſcopum Oſtienſem anno 1206. ſeu vt alijs placet anno 1207. cum Leone Presbytero Cardinali S. Crucis in Germaniam legauit Innocentius, vt pacem inter Chriſtianos Principes conciliaret. De his Legatis Innocentius ad Regionum earum Principes Eccleſiaſticos, & ſecula-

Ferdinād. Vghel.

Oderic⁹ Raynaldus.

B res literas dedit, quibus animi ſenſus illuſtrat, paternum ſuggerit cōſilium, ac Legatos ſuos plurimum ijs commendat. Quid verò in Germaniam profecti Legati egerint, ex m. s. Vaticano audiamus: *Hic fuit Legatorum proceſſus: Primò receperunt publicè iuramentum à Philippo Duce Sueuiæ, quòd pareret vniuerſis mandatis Domini Papæ ſuper omnibus, pro quibus erat excommunicatus, & ſic eum ſecundum formam Eccleſiæ ſolemniter abſoluerunt: ſecundò iniunxerunt eidem, vt dimitteret Brunonem Colonienſem Archiepiſcopum, quem in captione tenebat; quem liberè abſolutum aſſignauit eiſdem ad ſedem Apoſtolicam perducendum: Tertiò induxerunt illum ad hoc quod ipſe accepit regalia licet inuitus à Lupoldo Moguntino intruſo, & idem intruſus ſpiritualia reſignauit in manibus Legatorum: quartò ad ipſum obtinuerunt cum difficultate nō parua, vt permitteret Siffridum Moguntinum Archiepiſcopum per procuratorem ſuum in ſpiritualibus miniſtrare. Quintò fecerunt ipſum*

C *dimittere magnum exercitum, quem congregauerat aduerſus Othonem Regem: Sextò bis eos ad colloquium perduxerunt, tractantes cum ipſis de pace, quam cum conſummare non poſſent; Septimò tandem ſtatuerunt inter eos treguas vnius anni, & ſic tractatum pacis redigentes in ſcriptis ad ſedem Apoſtolicam redierunt cum Nuncijs verisque.*

Sanctum Franciſcum Minorum Inſtitutorem ſingulari ſemper amore proſecutus eſt: Seraphici ordinis primus Patronus illud præcipuè curabat, ne Minores alicubi, iniurijs, aut moleſtijs afficerentur. Cum Diuo Franciſco Sanctimonialium ordinis ſancti Damiani, S. Claræ deinde appellati regulam conſcripſit, teſte Philippo de Peruſio in epiſtola ad P. Conſaluum Generalem Minorum Miniſtrum apud Lucam Vvadingum tomo 1. Annalium Minorum ad annum 1217. In Codice m. s. Vaticano, *Eloquentia Tulliana flumen, diligentiſſimus ſacræ paginæ doctor, zelator fidei, diſciplina virtutis,*

And. Victorellus.

Luc. Vvading to. 1. Annal. Minorum.

D *rectitudo iuſtitiæ, ſolatium miſerorum, religionis plantator, & cultor, caſtitatis amator, & totius ſanctitatis exemplar nominatur.* Omnibus Minorum Comitijs, dum per Romanæ Curiæ occupationes licebat interfuit Hugolinus, ac maioribus Comitiorum ſolemnitatibus rem Diuinam, Franciſco Leuitæ munus obeunte, ſemper peregit. Virum hunc inſignem celebrat Thomas Celanus his verbis: *Conformabat ſe moribus fratrum, & in deſiderio ſanctitatis, erat cū ſimplicibus ſimplex, cum humilibus humilis, cum pauperibus pauper, erat frater inter fratres, inter minores minimus, & velut vnus ceterorum, in quantum licitum erat, vita, & moribus ſe gerere ſtudebat. Erat in Eccleſia Dei lucerna ardens, & lucens, ſagitta electa parata in tempore opportuno; o quoties depoſitis pretioſis veſtibus, vilibus indutus, diſcalceatis pedibus, quaſi vnus ex fratribus incedens, rogabat ea quæ pacis ſunt.* Magnæ Frāciſcanorū Synodo anno reparatæ ſalutis 1219. Aſſiſij habitæ interfuerūt quinque & eo am-

E plius Minorū Fratrū millia eximius Patriarcha D. Dominicus, ſanctus Franciſcus, & ipſe SS. Dominici & Franciſci virtutum venerabundus æſtimator Hugolinus Cardinalis, quem aduentantem veluti parentem, & Dominum venerati Minores ſupplicantes excepere, & concionantem attentis animis audierunt, & ille agminibus tot ſanctorum virorum conſpectis, non ſine admiratione alloquens dixit: *Verè Caſtra Dei ſunt hæc.*

Decretales Epiſtolas ſimul cōgeſtas, quinque libris digeſſit, Raymundi de Pennaforti vſus adminiculo, quem ſibi adminiſtrum adlegerat: Epiſtolas plures ſcripſit, quæ inueniuntur apud Matthæum Parim, & Abbatem Stadenſem: Regeſtique eius volumina ſeptem in Bibliotheca Vaticana aſſeruantur. Diaconus Cardinalis firmauit plures Romanorum Pontificum literas, videlicet illas Innocentij III. datas an. Domini 1199. Lateranenſi Eccleſiæ, & notus Martij

Ex Nomēclat. Victorellus.

Ferdinād. Vghel.

F 1202. Gualtero Lunenſi Epiſcopo: tum alias Honorij III. an. 1216. Cœnobio ſancti Benedicti de Mantua, & anno 1217. Tarracinenſi, ac Marzino Lunenſi Epiſcopis.

S. Franciſcus Hugolinum Chriſti Eccleſiæ ſummum Antiſtitem futurum præuidit; quare literis ad illum datis ſcribebat: *Reuerendo Patri, ac Domino Hugoni totius Mundi Epiſcopo, & Patri Gentiū futuro.* Paulò ante mortem Honorij III. Romani Pontificis ſeceſſerat Hugolinus vnà cum D. Franciſco in Eremum Camaldulenſium, vt melius diuinæ contemplationi vacaret: in hac Eremo quadam die Sacrificij tempore frater Leonardus vnus ex Socijs S. Franciſci columbam è cœlo venientem, ac ſupra Hugolini Cardinalis caput con-

Luc. Vvading. ad ann. 1217.

Bzouius.

ſiſtentem vidit: poſt Sacrificium frater Leonardus Cardinalis pedes primò deoſculatus, quæ viderat enarrauit: euentus viſionem approbauit, nam mox defuncto Honorio, Hugolinus ad Apoſtolatus faſtigium peruenit, & Gregorius IX. feliciſſimo omine eſt appellatus. Vide vitam.

II.



GERARDVS Gallus, monachus Ciſtercienſis, & Abbas nonus Pontiniaci ab Innocẽtio Tertio in prima Cardinalium Creatione, Diaconorum numero eſt adſcriptus, & ad Eccleſiam ſancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Cardinalis eſt renũciatus. Claudius Robertus in Chriſtiana, & Petrus Frizonius in Purpurata Gallia, quibus aſſentitur Aubery affirmant Gerardũ Diaconum Cardinalem, ab Innocentio Eccleſiam Prænestinam obtinuiſſe; ſed Ferdinãdus Vghellus in ſerie Epiſcoporum Prçneſtinorum hunc prætermittit, immò omnes qui Innocẽtij æuo Eccleſiæ illi præfuerunt, ordine exponendo, hunc tacet licet alium nomine ſub Clemente III. de quo nos ſupra. Gerardus noſter cũ Hugolino Cardinale Innocentij Pontificis nepote, eodem ſuæ Creationis anno, in quadam graui controuerſia cognitor, ſeu Iudex conſtitutus legitur: de quo præterea nil ſcriptum inuenio. Subſcripſit Innocentij literis datis Eccleſiæ Lateranenſi anno noſtræ ſalutis 1199. diem clauſit extremum an. noſtræ ſalutis 1210. Innocentio Tertio Romano Pontifice. Nos ſupra, huiuſce Gerardi Inſignia ex Ciaconio, & Gaſpare Iongelino in Purpura D. Bernardi expreſſimus, & ſunt ſcutum tranſuersè bipartitum, ſupernè tercyaneo, totieſque auro faſciatum, & contrafaſciatum, infernè caput aprinum dentibus, oculiſue aureis in fundo argenteo. Petrus Frizonius in Gallia Purpurata alia ab his Gerardo Inſignia attribuit, ſcutum ſcilicet à põte bipartitum, ſub quo tres montes fluentibus aquis ſe extollunt, ſupra eundem verò pontem arbor viridis inſurgit, quæ hinc inde duo regia lilia habet; vnde autem Frizonius Inſignia hæc extraxerit, prorſus ignoro, fortaſſe hæc ſunt Abbatiæ Pontiniacenſis Inſignia.

Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

Ciaconius

Martyrol. Monaſt. Pontiniacen.

Claud. Robertus.


SECVNDA CREATIO CARDINALIVM.

Anno Dominicæ Incarnationis 1199. *Pontificatus Secundo* in Pentecoſte Innocentius III. Romæ ex Presbytero ſancti Clementis Epiſcopum Cardinalem Albanum renunciauit Ioannem Epiſcopum Tuſcanenſem, & Viterbienſem: de hoc nos ſupra ſub Clemente III. Cencium etiam Sabellum Romanum ex Diacono S. Luciæ in Orphea, Presbyterum Cardinalem SS. Ioannis, & Pauli titulo Pammachij, de quo nos ſupra in Cardinalibus Cœleſtini III. & Guidonem, ſeu Vuidonem de Pore ex Presbytero Cardinali S. Mariæ Trãſtyberim, Epiſcopum Prænestinũ: de quo nos ſupra ſub Clemẽte III.

TERTIA CREATIO CARDINALIVM.

Anno à partu Virginis 1200. *Pontificatus III. menſe Decembri* Romæ Innocentius III. Papa tertiò creauit Cardinales, inter quos fuerunt Gregorius ex Diacono S. Mariæ in Aquiro Presbyter Cardinalis S. Vitalis titulo Veſtinæ: de quo nos ſupra egimus in Cardinalibus à Clemente III. renunciatis.

III.



BENEDICTVS Presbyter Cardinalis S. Suſannæ primum anno 1200. poſtea Epiſcopus Portuenſis, & S. Rufinæ ab eodem Innocentio an. 1211. renunciatus eſt, atque ab eodem Conſtantinopolim ad Balduinum Imperatorem miſſus, apud quem cum diu moratus fuiſſet, plures ab eodem Innocentio grauiſſimis de rebus accepit epiſtolas. Hunc virum prouidum, diſcretum, literatum, & honeſtum Pontifex vocat, eumque à ſe multum amari dicit, atque illum ipſi Balduino, ac Præſulibus in Conſtantinopolitano Imperio commorantibus plurimùm literis ſuis commendauit. Quibus nonnulla eleganter præfatus de Eccleſiæ vnitate, quæ in conſutili illa Chriſti tunica adumbrata erat, deque Græcorum erroribus, quibus miſerrimè erant inuoluti, ſubdit. Tranſlato Imperio, Sacerdotium quoque transferri neceſſe eſſe, ac ſe quidem ad Eccleſiam illam in optimo ſtatu collocandam, ſi rerum grauitas, ac moles, quam ſuſtinebat non obſtaret, eò profecturum: ſed, cum votis morem gerere non poſſet, Cardinali titulo S. Suſannæ Legato vices ſuas demandaſſe. Legato etiam, dato anno 1205. xiij. Kalendas Iunij Diplomate, multa ad eius legationem ſpectantia priuilegia conceſſit, exinde ad eundem de Conſtantinopolitanis Eccleſijs componendis ſcripſit. Sua auctoritate Benedictus diſcordias, quæ inter Patriarcham Conſtantinopolitanum, & Clericos Francos vigebãt, extinxit, nonnullis inter eos conuentionibus firmatis, quarum ex Princeps extitit, vt ex omnibus terris, quæ armorum vi ab hoſte compararentur, decimaquinta pars Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ attribueretur. Vrbem redijt circa annum 1215. vt aliquibus placet, at ſecundùm alios anno 1209 quo anno Innocentij literis datis Viterbij vij. Idus Iunij Michaeli Abbati S. Michaëlis Verrucenſis in Piſana Diœceſi ſubſcripſit; ac ſub finem Pontificatus Innocentij Romę deceſſit, licet alij poſt Honorij III. electionem contendant eum è viuis exceſſiſſe. Subſcripſit eiuſdem Innocentij literis datis an. 1201. Eccleſiæ, ſeu Canonicis S. Petri in Vaticano, & anno 1202. nonis Martij Gualtero Lunenſi Epiſcopo: apud Ferdinandum Vghellium to. 3. Italiæ ſacræ inueniuntur literæ, quas Conſtantinopoli miſit Benenato Priori Eccleſiæ Piſanorum.

Ciaconius


Ferdinãd. Vghel. in Ital. ſac.

Oder. Rinald. in Annal.

Aubery in vit. Card.

Panuin. de Rõ. Pont.

IV.



D. LEO Brãcaleo nobilis Romanus ex Canonico Regulari Congregationis S. Fridiani Lucenſis, Diaconus Cardinalis ſãctæ Luciæ in Septiſolio, poſtea Presbyter Cardinalis S. Crucis in Hieruſalẽ, Apoſtolicæ ſedis Legatus in Germaniã, & Saxoniam cum Hugolino Anagnino, Epiſcopo Oſtienſi miſſus, vt pacem inter illos conciliaret. Hoc enim contigiſſe anno noſtrę ſal. 1206. tradit Conradus Abbas Vrſpergenſis in Chronico, vel an. 1207. vti Godefridus auctor recentior deſcribit. De his Legatis Innocẽtius ad earum regionum Principes Eccleſiaſticos, & Seculares ſcripſit, quibus animi ſenſus illuſtrat, paternum ſuggerit conſilium, Legatoſque ſuos plurimùm ijs commendat. Hi enim Philippum iam ad bonam frugem reuerſum Eccleſiæ vinculo, Innocentij iuſſu, ſoluerunt: rem narrat Vaticanus m. s. libellus; vide quæ ſupra diximus in Hugolini Epiſcopi Oſtienſis vita num. 1. Legatis enim iniunxerat Innocentius, vt in fidelium communionem admitterent Philippum ea lege, vt Brunonem Colonienſem Archiepiſcopum laxaret, & ad coeundam cum Othone pacem deſcenderet. Ceteris quidem aſſenſit Philippus, ſed Brunonem liberare ſe poſſe negauit, cum Adolphi, aliorumque, quorum opera ſecundò Aquiſgrani corona fuerat redimitus, eo facto odia incurreret. Narrant aliqui maleuolentia ſuffuſi in Legatos, eos à Philippo muneribus corruptos, relicto in vinculis Brunone, ipſum abſoluiſſe, ac deinde ad Othonem profectos rei totius certiorem feciſſe, vt de pace cum Philippo ageret; quibus ille ſubiecit, præclarè rem agi, ſi Apoſtolica imperia fuiſſent executi, ac mox literas Innocentij oſtendiſſe, quibus de Philippo abſoluendo, liberandoq; Brunone ſermo erat, ac tum efferatum in iras, ipſos proditi muneris ſui arguiſſe; at eos metu perculſos redijſſe ad Philippum, ſignificaſſe errore ſe lapſos, nec tenere eius abſolutionem, ni Brunonem vinculis emitteret, ac Philippum ex de cauſa libertati Brunonem reddidiſſe. Verùm de Legatorum lapſu nec Innocentius, nec quiſquam ex antiquioribus, quos vidi, mentionem vllam fecit; immò Pontifex ipſe hoc pręcipuè Legatis dat laudi, quòd munera deſpexerint. *Largitori*, inquit, *omnium gratiarum grates referimus copioſas, quòd tantam vobis tribuit gratiæ largitatem, vt iniunctum vobis legationis officium, onus non mediocre continentis, prudenter, & honeſte geratis, ſicut laudabile vobis teſtimonium perhibetur, & ipſe rerum proteſtatur effectus: licet autem hoc propter Deum principaliter procuretis, quia tamen & propter nos ſpecialiter vos id agere minime dubitamus, præter retributionem diuinam, noſtram quoque fiducialiter expectetis, præſertim, cum pro certò ſciamus, vos manus veſtras ab omni turpi munere penitus excuſſiſſe.* Hi ergo pacis fœdera inter duos Reges, habito priùs Quintolingeburgi, Saxoniæ oppido, conuentu, inierunt, ex lege, vt Otho Philippi filiam in vxorem duceret, diſpenſatione ſuper quarto gradu à ſede Apoſtolica obtenta.

Eundem Leonem Innocentius in Hungariam, & Bulgariam legauit, vt Coloioannem Romani Pontificis nomine, Regio Diademate inſigniret, eundemque Vexillo, in quo Signum Crucis, & Claues geminæ præferebantur, donaret. At dum Legatus per Hungariam iter habuit, à Rege, ac Principibus magnis honoribus exceptus eſt, ſed, cum ad Regni limitem perueniſſet, illi Rex aditum ad Bulgaros ad paucos menſes intercluſit; permiſit tandem, vt inceptum iter conficeret. In hac legatione Leo titulum Primatis Archiepiſcopo

Ciaconius

Panuinius

Odericus Rinald. in Annal. tomo 13 ad ann. 1206. & ſequẽt.

Bzouius tomo 13. Annal.

Aubery in vit. Card.

Conrad. Abbas Vrſpergen.

Innocentij Tertij Epiſtolæ.

Florim. Martirol. ex Bzouio ad annum 1204. n. 16

Trimontano,& Pallium conceſſit;& aliud Pallium Belerodienſi,ac duobus alijs Archiepiſcopis, quos auctoritate ſedis Apoſtolicæ ordinauerat, ex forma ab Innocentio præſcripta dedit.

S. Bonauent. in eius vita. Luc. Vuading. in eius Annal. ad an. 1223. Aubery in vita.


Sancto Franciſco, eiuſque familiæ addictiſſimus fuit: antequam ab Vrbe diſcederet, quadam die Franciſcus Leonem Cardinalem de more adiuit, vt ſalutem illi diceret ante ab Vrbe diſceſſum. Rogauit ille, vt per aliquot dies vellet apud ſe manere, vel ob id maximè, quia inundantes aquæ,& Cœli inclementia itinerantem poſſent in via retardare. Renuenti homini, & dicenti non decere pauperes vitam agere Principum, nec in nobilium aulis commorari; ſubiunxit Cardinalis, vt pauperem ſe eum admiſſurum, & hoſpitaturum non in proprijs ædibus, ſed in vicina Turri prope Vrbis muros, à turbis remota, in qua binos, aut ternos dies, vel corporis, vel animi quieti poſſet vacare. Vrſit Cardinalis preces frater Angelus Tancredi Reatinus, vnus ex Franciſci ſocijs, qui apud eundem Cardinalem viuebat, obſecrans ſanctum virum, vt piũ Principem, cuius innumera, & magna erant in vniuerſum Sodalitium merita non contriſtaret. Conſenſit tandem vir ſanctus, & dum illa nocte in vaſta Turri nouem habente teſtudines, & concamerata cubicula, cuius noſtris hiſce temporibus nec veſtigia ſuperſunt, ſimul cũ ſocio dormiret, crudeliſſimè vapulauit à Dæmonibus, qui fermè ſemimortuum reliquerunt. Diſcedentibus illis, ſocium aduocauit, cui cum vir Dei narraſſet euentum, ſubiungens ait; credo frater, quòd Dæmones, qui nihil poſſunt, niſi quantum prouidentia ſuperna diſponit, ideo in me nunc tam ferociter irruerunt, quia non bonam ſpem præfert manſio mea in Curia Magnatum. Fratres mei, qui in locis pauperculis commorantur, audientes me cum Cardinalibus eſſe, ſuſpicabuntur forſitan implicari mundanis, efferri honoribus, & delicijs abundare. Ideo melius iudico eum, qui aliorum ponitur in exemplum, fugere Curias, & humiliter inter humiles, in locis conuerſari humilibus vt ſuſtinentes penuriam, fortes efficiat ſimilia ſuſtinendo. Mane igitur, cum ſalutem Cardinali dixiſſet, ab aula diſceſſit Franciſcus.

Ex Ferd. Vghel. in Ital. ſac.

Subſcriptione firmauit Leo plures Innocentij literas, illas ſcilicet datas anno 1201. Eccleſiæ Lateranenſi; anno 1205. xi. Kalen. Maij Alberto Epiſcopo Eugubino; anno 1206. vi. Idus Maij Nicolao Archipresbytero, Florano Archidiacono, & Canonicis Vicentinis; anno 1210. iv. Idus Aprilis Aegidio Fulginenſi Epiſcopo; anno 1216. Idibus Aprilis Abbati Cluſini Monaſterij. Tum alias Honorij Tertij datas xvi. Kalen. Februarij Simeoni Tarracinenſi, & iv. nonas Martij anno 1217. Marzino Lunenſi anno 1219. Petro Firmano an. 1224. xiv. Kalendas Iunij Monaldo Foroſempromenſi Epiſcopis, aliaſque eodem anno Eccleſiæ Lucenſi ſcriptas.

Ciaconius

E vita exceſſit Leo teſte Ciaconio anno noſtræ ſalutis 1230. huic Ciaconius, vel alij in editionibus antiquis conceſſere gentilitia Inſignia, quæ non erant propria familiæ Brancaleonum Romanorum; hæc, quæ ſupra nos expreſſimus, alia omnino ab illis antiquis excerpſimus ex m.s. atq; ex ſignis quæ sũt apud D. Dominicũ Iacobaccium Equitem Calatrauæ, hæredem familiæ Brancaleonum, quæ in Margareta, vxore Laurentij Iacobatij Ataui dicti D. Dominici Equitis, & Domina Oppidorum montis Oliueti, Caſtri Leonis ac Poſticciolæ, Sabinenſis Diœceſis, defecit.



Ciaconius. Ferdinãd. Vghel. to. 1. Ital. ſac. Aubery in vita.

V.

MATTHAEVS Diaconus Cardinalis S. Theodori ſubſcripſit Innocentij literis datis anno 1201. Eccleſiæ Lateranenſi, & nonis Martij 1202. Gualtero Lunenſi Epiſcopo; diem ſupremum obijt ſub eodem Innocentio circa ann. 1206.



Ciaconius. Fel. Contilor. in eius Geneal. Com. Rõ. Anonymi in vita Innoc. III.

VI.

IOANNES Comes Anagninus Iacobi Comitis, & Andreæ Germanus frater, Innocentij III. Romani Pontificis affinis, ex Capellano renũciatus Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Coſmedin, & S.R.E. Cancellarius, ſcripſit plures eiuſdem Innocentij literas, illas ſcilicet datas anno 1205. Alberto Eugubino Epiſcopo, & an. 1206. vi. Idus Maij Nicolao Archipreſbytero, Florano Archidiacono, & Canonicis Vicentinis, & vij. Idus Iunij 1209. Michaeli Abbati ſancti Michaelis Verrucenſis, Piſanæ Diœceſis, in quarum fine hæc leguntur, vt videre eſt apud Ferdinandum Vghellium in Italia ſacra. *Dat. per manum Ioannis ſanctæ Mariæ in Coſmedin Diaconi Cardinalis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cancellarij*. Exceſſit è vita anno noſtræ ſalutis 1213. ſub eodem Innocentio.

Aubery.

QVARTA CREATIO CARDINALIVM.

Anno noſtræ ſalutis 1205. Pontificatus VII. menſe Martio, ex Panuinio, vel ex Ciaconio menſe Decembri Romæ Innocentius III. Romanus Pontifex quartò creauit Cardinales, inter quos fuerunt.

Ioannes de ſancto Paulo ex Presbytero ſanctæ Priſcæ Cœleſtini Tertij, Epiſcopus Sabinus.



VII.

Ciaconius. Ferdinãd. Vghel. to. 1. Ital. ſac. Matth. Pariſ. in hiſt. Anglic. Odericus Rinald. to. 13. Annal.

NICOLAVS de Romanis, Romanus, Innocentij Tertij à Sacrificijs, ab eodẽ electus Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus, Angliam ſedis Apoſtolicæ Legatus adiuit, cumque circiter feſtum S. Michaelis diem illuc perueniſſet, ſummo honore exceptus, ad Regnum inter & Sacerdotium confirmandam pacem operam collocauit ſuam. Ioannes Rex ante aram Eccleſiæ Principem, coram Clero, ac Populo Diadema, Regnumque Pontifici Romano in eius Legato obtulit, ac Diploma Regium de conſtitutis Anglia, & Hibernia ſedis Apoſtolicæ vectigalibus renouauit, at non cereo, vt antea, ſed aureo ſigillo obſignatum, vt in Põtificio Tabulario ſeruaretur, tradidit. Vacantibus in Anglia Eccleſijs, Præſules Nicolaus præfecit, ex quo diſſenſio aliqua orta cũ Stephano Cantuarieñſi Archiepiſcopo, qui acerbè hæc ferens, Suffraganeorum ſuorum coacto Concilio, legatione miſſa, ne id faceret, prohibere conatus eſt, ſed fruſtra. Collecto deinde Londinij apud ſanctum Paulum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, Priorũ, Comitum, aliorumque optimatum conuentu, Apoſtolicæ ſedis iuſſa peragens, SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli feſto die, interdicti latam ante ſex annos ſententiam, in Principe Eccleſia cunctis exultantibus, ſolemni ritu, anno ſalutis 1214. ſuſtulit. Sub Honorio III. Angliam iterum petijt ad promouendum ſacrum bellum in Orientem.

Alphonſ. Ferrand. in Cõcer. Prædic. Odericus Rinald.

Legatione quoque functus eſt in Pruſſia, & apud Federicum Imperatorem ſub eodem Honorio III. qui literas Nicolao Legato ſcripſit, vt à Federico in Vrbem ad excipiendas Imperiales infulas contendente declarationem peteret, & impetraret, Siciliæ ſcilicet Regnum Imperio non eſſe connexum, ac nouæ fidelitatis ſacramenta ab eodem & à Magnatibus Imperij exigeret, antequam Romam Federicus perueniret.

Ciaconius

Maxima fuit S. Dominico Patriarchæ familiaritate coniunctus, Honorijque iuſſu vnà cum Hugolino Epiſcopo Oſtienſi, & Stephano de Foſſa noua Diacono Cardinali S. Angeli Moniales in Vrbe nimia licentia corruptas reformauit, & ſub arctam viuendi formulam redegit, quod præſtitit ſtudio, & opera S. Dominici, qui Monaſterium S. Sixti de nouo erexit, illudque regulari prius in illo obſeruantia inſtituta, antiqua Virginis Mariæ Imagine donauit: hiſtoriam huius tranſlationis narrant his verbis Florauantes Martinellus, & Franciſcus Maria Turrigius ex m. s. Bibliothecæ Vaticanæ. *Anno ab Incarnatione Domini 1219. prima Dominica Quadrageſimæ venerunt D. Abbatiſſa cum Sanctimonialibus ſuis de Tranſtyberim, accipientes in poſſeſſionem Eccleſiam S. Sixti, vbi inhabitare cœperunt, Domino perpetuè ſeruituræ, inter quas erat quædam puella nomine Cæcilia tunc ſeptemdecim annorum iuuencula, quæ in ipſo portæ introitu prima omnium habitum Ordinis aſſumpſit à Patre ſancto, in manibuſque eius tertia vice obedientiam profeſſa eſt. Poſt hanc Abbatiſſa, cæteræque Moniales, nec non tota alia ſimiliter indutæ, & profeſſæ ſunt, quæ omnes numero quadraginta quatuor extiterunt. Romani verò glorioſam illam Imaginem Dei Genitricis Mariæ, quæ apud Moniales Tranſtyberim manſerat, inde auferri dolebant, eo quod pateret eis acceſſus facilior Imaginem inuiſendi. Idcirco Pater prouidus nocte ſequenti, duobus Cardinalibus, D. videlicet Nicolao Tuſculano Epiſcopo, & D. Stephano comitantibus, aliiſque plurimis perſonis cum multitudine præcedentium, & ſubſequentium luminarium, nudis pedibus incedentibus cunctis, deſideratiſſimam illam, ac dulciſſimam Virginis Matris Imaginem proprijs humeris reuerentiſſimè deportauit, quam Sorores nudis pedibus in oratione poſitæ expectantes eandẽ cũ lacrymis, & cordis iubilo ſuſceperunt, quæ permanet vſque hodie apud ipſas.*

Ciaconius. Ferdinãd. Vghel. in Ital. ſac.

Nicolaus hic, quem pacis, & ſalutis Angelum, & hominibus gratum, præque alijs a ſe dilectum Honorius nominare conſueuerat, ſubſcripſit pluribus tum Innocentij, tum Honorij Romanorum Põtificum literis, illis ſcilicet Innocentij datis xi. Kal. Maij anno 1205. Alberto Eugubino Epiſcopo; vi. Idus Maij anno 1206. Nicolao Archipresbytero, Florano Archidiacono, & Canonicis Vicentinis; &

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

vij. Idus Iunij anno 1209. Michaëli Abbati S. Michaëlis Verrucenſis, Piſanæ Diœceſis; alijſque Honorij jx. Iulij anno 1218. Soffredo Piſtorienſi Epiſcopo ſcriptis. E vita exceſſit Honorij Romani Pontificis anno tertio, qui fuit noſtræ ſalutis 1219. ſucceſſorem habens in Eccleſia Tuſculana alium Nicolaum monachum.



VIII.

Ciaconius

ROGERIVS Presbyter Cardinalis S. Anaſtaſiæ, qui legatione functus eſt Innocētij iuſſu in Sicilia, vir doctiſſimus habitus eſt; & Gregorius Abbas de Mōte ſacro, (cuius opera m. s. aſſeruabantur, teſte Ferdinando Vghellio in Additionibus ad Ciaconium, in Bibliotheca Reuerendiſſimi Domini de Ruinis, nunc verò induſtria Complutenſium Ducis apud ſedem Apoſtolicam olim Catholici Regis Oratoris in Hiſpaniam delata) in dedicatoria ſuorum operum ad Thomā Presbyterum Cardinalem S. [illegible], Rogerum Presbyterum Cardinalē S. Anaſtaſiæ, Magiſtrum nominat, eundemque virū ſciētia clariſſimū facit. Cū firmaſſet Innocentij literas miſſas xi. Kal. Maij anno 1205. ad Albertū Eugubinum Epiſcopum; & vij. Idus Iunij 1209. ad Michaelem Abbatem S. Michaëlis Verrucenſis, Piſanæ Diœceſis; ſub eodem Innocentio lucis vſuram amiſit.

Gregorius Abbas.

Vghel. in Ital. ſac.



IX.

Ciaconius

Ferdināḋ. Vghel. to. 5. Ital. ſac.

Ioſeph. Mar. Suareſius de Praneſt.

Ferdināḋ. Vghel. in Ital. ſac.

Aubery in vit. Card.

Ferdināḋ. Vghel. in Ital. ſac.

VVIDO ſeu GVIDO Romanus è Perleonea familia nō Regulus Vrbeuetanus ex nobilibus de Biſontio, primò ab Innocētio Tertio Diaconus Cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano, deinde ab Honorio Innocētij ſucceſſore Epiſcopus Præneſtinus ſublectus eſt. ſub Honorio functus eſt legatione in Gallia Ciſalpina, multarumque cauſarum auditor fuit. Fuiſſe autem hūc Guidonem Præneſtinum Epiſcopum ex gēte Perleonea docent vetuſta Kalendaria Eccleſiæ Placentinę his verbis. *vij. Kal. Maij 1228. Obijt Guido Petri Leonis Præneſtinus Epiſcopus, qui dedit huic Eccleſiæ planetam, tunicellam violatam, & pluuiale rubeum, & dalmaticam rubeam frixiatam, & camiſeam frixiatam cum ſtola, manipulo, & cingulo, & pallium rubeum cum griſonibus, & duos coſſines nouos, & vnum capetum, & quinquaginta libras in ædificatione ſacriſtiæ, & capituli; & quinquaginta libras in ædificatione refectorij hyemalis, & quinquaginta vnam libram pro emenda poſſeſſione, cuius fructus expendatur in refectione Canonicorum, videlicet medietas in die anniuerſarij ſui, & altera medietas in feſto S. Aegidij.* Idem ferè in alio Kalendario eiuſdem Cathedralis notatum refert Petrus Maria Camp. tomo 2. lib. 17. hiſtoriæ Eccleſiæ Placentinæ. Huiuſce Guidonis Perleonis tunc Diaconi Cardinalis S. Nicolai in Carcere fit mentio in Diplomate Honorij Tertij Clero, & Populo Placentino pro electione Epiſcopi Placentini.

HONORIVS PAPA ETC.

Ex literis Venerabilis fratris noſtri Archiepiſcopi Ianuenſis, & dilecti filij Abbatis de Columba, & veſtris perpendimus euidenter, quod Archiepiſcopus, & Abbas prædicti iuxta mandati Apoſtolici formam ad Eccleſiam veſtram perſonaliter accedentes, dilectum filium Ioannem Petri Leonis, Subdiaconum noſtrum, nepotem dilecti filij Guidonis S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconi Cardinalis, veſtris, & Populi Placentini votis vnanimiter concurrentibus, vobis prouiderunt in Epiſcopum, & Paſtorem. Gratum ſiquidem gerimus, & veſtræ circumſpectionis prudentiam commendamus, quod deſiderando prædictum Subdiaconum, Epiſcopum veſtrū eſſe, oſtendiſtis deuotionis affectum, quod ad ipſum habere credamini Cardinalem; & per hoc ipſum, ac ſuos, qui multiplicia poſſunt vobis obſequia exhibere, ad dilectionem veſtram arctius obligaſtis. Verum quia iam dicto Subdiacono expedit, & dicto Cardinali, alijſque amicis eiuſdem Subdiaconi placet, vt adhuc inſiſtat ſcholaſticis diſciplinis, præſertim cum ad id ſit ætas idonea, huiuſmodi onus ſibi ad præſens nō prouidimus imponendum; ideoque diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus infra quindecim dies, poſt ſuſceptionem præſentium, cum conſilio prædicti Abbatis perſonam idoneam vobis canonicè in Epiſcopum eligatis; alioquin aliquos veſtrum vice omnium ad noſtram deſtinetis præſentiam, vt per eos cum conſilio noſtro veſtræ prouideatur Eccleſiæ de perſona, quæ tanto congruat oneri, & honori. Datum Anagniæ vj. Idus Iunij Pontificatus Noſtri anno Primo.

Subſcriptione ſua firmauit Guido plures tum Innocentij, tum Honorij Romanorum Pontificum literas illas videlicet Innocentij ſcriptas xi. Kalen. Maij 1205. Alberto Epiſcopo Eugubino: vi. Idus Maij anno 1206. Nicolao Archipresbytero, Florano Archidiacono, & Canonicis Vicentinis: vij. Idus Iunij anno 1209. Michaëli Abbati S. Michaëlis Verrucenſis Piſanæ Diœceſis: iv. Idus Aprilis anno 1210. Aegidio Fulginenſi Epiſcopo; & Idibus Aprilis anno 1216. Abbati Cluſini Monaſterij. Alias Honorij anno 1217. datas Marzino Lunenſi, Fulconi Papienſi, & Simoni Tarracinenſi Epiſcopis, Eccleſiæ S. Stephani Veronenſis, ac S. Fridiani Lucenſis; & demum iij. Idus Iunij anno 1222. Stephano Nouiportus Abbati. Extremum ſpiritum effudit ſub Gregorio IX. ex Aubery an. 1227. ex Vghellio verò anno 1228. vij. Kalen. Maij, vt ex notis relatis apparet. male igitur illi ſcribunt, qui Guidonis obitum ad annum 1231. reijciūt.



X.

Odericus Rinald. in Annal.

Ciaconius

Aubery in vit.

MAG. IOANNES ex Subdiacono, & Notario, atq; ex Pontificij Sacelli Sacerdote, S.R.E. Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in via Lata, & Procancellarius ab Innocentio Romano Pontifice renunciatus eſt. Hunc, Ioanne Rege Anglorum Clericos acriter perſequente, idem Innocētius in Angliam legauit ad ſuadendum Regi, vt ab iniuria Clericorum ceſſaret; ad Ioannem, qui biennio manſit in Anglia, plures ſcripſit epiſtolas Innocentius. peracta Anglicana legatione, vna cum Petro Presbytero Cardinali S. Marcelli legatione functus eſt in Gallia ad componendam, ac firmandam pacem inter Reges Francorum Philippum, & Anglorum Ioannem; atque ad Philippo ſuadendum, vt iniuſtè dimiſſam vxorē reciperet. Pluribus Innocentij literis ſubſcripſit, illis ſcilicet datis anno 1206. Canonicis Veronenſibus, & iv. Idus Aprilis an. 1210. Aegidio Fulginenſi Epiſcopo. Lucis vſuram amiſit ſub eodem Innocentio; Panuinius enim cum Cardinales nominet, qui Comitijs interfuerunt, atque Honorium in Romanum Pontificem elegerunt, Ioannem hunc prætermittit, neque vlla poſt annum 1210. amplius illius memoria extat.

Ferdināḋ. Vghel in Ital. ſac.



XI.

Ciaconius

PETRVS de Mora, vel melius de Morra Beneuentanus ex Subdiacono Apoſtolico, ſanctæ Romanę Eccleſiæ Diaconus Cardinalis ſancti Angeli ab Innocentio renunciatus eſt. Hic cum eſſet Subdiaconus, epiſtolarum Decretalium librum Innocentij Tertij nomine collegit, & certis titulis, & capitibus, argumentorum variorum ratione habita digeſſit. Scribit Ciaconius Petrum hunc Innocentij nomine legatione functum fuiſſe in Gallia; Ciaconij ſententiæ adhæret et Floraruantes Martinellus; ſed à veritate illos aberraſſe iudico ex Panuinio, Aubery, & Mario Vipera, qui ſcribit Petrum alium ex nobili familia Collis Vaccini Beneuentana Diaconum Cardinalem non ſancti Angeli, ſed ſanctæ Mariæ in Aquiro, Innocentij iuſſu in Gallijs ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Legati partes egiſſe. Confirmant quæ diximus plura Diplomata, quæ reſcripſit in ſua hiſtoria Comitum Toloſæ Guillelmus Catel, ex quorum ſubſcriptionibus apertè oſtenditur Legatum Galliarum ſub Innocentio fuiſſe Petrum Diaconum Cardinalem ſanctæ Mariæ in Aquiro. Ex Innocentij literis ad Philippum Francorum, & ad Richardum Angliæ Reges datis, quas legimus in ipſius Decretalium volumine lib. 1. conſtat Petrum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem ad Reges illos Legatum titulo ſanctæ Mariæ in via Lata fuiſſe inſignitum. Quidquid ſit de Petro Legato, certum tamen eſt floruiſſe ſub eodem Innocentio Petrum Diaconum Cardinalem ſancti Angeli patet ex Panuinio, atque ex Innocentij Diplomate dato xi. Kalen. Maij, reparatæ ſalutis anno 1205. Alberto Eugubino Epiſcopo, cui ſubſcripſit his verbis: *Petrus S. Angeli Diaconus Cardinalis.* Diem obijt vltimum Petrus hic ſub eodem Innocentio ante ann. 1213. eo enim anno teſte Panuinio, ſcimus ab Innocentio Romanum renunciatum fuiſſe Diaconum Cardinalem ſancti Angeli, de quo nos infra.

In Addit. ad Ciac.

In vita.

In Chron. Archiep. Beneuent.

De Rom. Pont.



XII.

Ciaconius. Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

DONI IACOBVS Gualla de Bicherijs, ſeu Becaria, qui ab alijs Qualo vocatur, Patria Vercellenſis, Canonic. Regularis Monaſterij S. Petri in Cœlo aureo Papiæ, vtriuſque Iuris doctor, Epiſcopus Vercellenſis Eccleſiam illam rexit poſt Albertum Cribellū ad Mediolanenſem tranſlatum, ab anno 1173. vſque ad annum 1185. vt docent Tabulæ eiuſdem Eccleſiæ, & Ioānes Stephanus Fererius de Epiſcopis Vercellenſibus; qui ſcribit Epiſcopatui Iacobum renūciaſſe grauioribus Eccleſię vniuerſalis curis deſtinatum. Ab Innocentio primùm Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Porticu, poſtea Presbyter SS. Syluestri, & Martini titulo Equitij renunciatus. Vercellis nobile S. Andreæ Templum, & Monaſterium à fundamentis, ære ſuo conſtruxit, & Canonicis Regularibus conceſſit, auctum magnis prouentibus; in quo magni pretij aurea, & argentea ornamenta, item multas ſanctorum Reliquias locauit, inter quas Gladium, quo ſanctus Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus cæſus eſt.

Cum Albigenſium hæreſis in Aquitania in dies augeretur, Innocentius III. Romanus Pontifex ad eam comprimendam, Petrum monachum Ciſtercienſem de Caſtronouo, Abbatem Fontisfrigidi miſerat, omnes Regni Prælatos, & nobiles hortatus, vt ei aſſiſterent. Quo ab Hæreticis occiſo, Guallam hunc, virum prudentia, doctrina, & vitæ integritate clarum, inſignem Iureconſultum, ac maximum fidei zelatorem in Gallias legauit, eique ſeptem Abbates, & alios quinque monachos Ordinis Ciſtercienſis ſanctitate, & doctrina conſpicuos adiunxit, qui Crucem contra Hæreticos Albigenſes, & Comitem Toloſanum, eorum præcipuum fautorem prædicarent, & ſcripſit Regi, ac Regni Principibus, vt tanquam Catholicæ fidei defenſores eas Vrbes, quos Hæretici occupauerant, reciperētque pugnantibus verò contra Albigenſes, omnium peccatorum remiſſionem condonauit. Legati opera, cum verba, & diſputationes non proficerent, ingens Cruce ſignatorum exercitus coactus, & Biterræ Carcaſſona duodecim millibus Hæreticorū cæſis, receptæ, quibus Simon Montisfortij Comes, vir armis ſtrenuus præficitur, & peſtifera hæreſis paululum repreſſa. Extremis Innocentij III. annis Legatus in Angliam longo tempore ibidem ſub Honorio III. etiam permanſit, ad quem Honorius crebras literas dedit, quibus eum primum confirmat in legatione, deinde præcepit, vt Ioannem Regem Angliæ compelleret ad ſuſcipiendam Crucem in ſubſidium Terræ Sanctæ. Rege verò paulò poſt mortuo, eius filij Henrici hæredis caput, Legatus regio Diademate cinxit, cui pueri Regis Pontifex curam commiſit, ac mandauit, vt viros induſtrios, & fideles ad eius regimen proueheret: multa contra Clericos concubinarios ſtatuit, & lata ſententia eos beneficijs priuauit. Cum Pelagio Epiſcopo Albanenſi anno octauo Honorij III. Pontificatus Legatus eſt ad Federicum Imperatorem, vt eum ad ſubſidium Terræ Sanctæ deſiderem inflammaret. Honorij III. iuſſu Clerum Vercellenſem reformauit, & morti proximus hæredem ex aſſe inſtituit Monaſterium ſancti Andreæ à ſe Vercellis erectum. E vita exceſſit S.R.E. Archipreſbyter ſub Gregorio IX. cuius cadauer apud Cœnobium S. Andreæ Vercellarum funeratum affirmat Gabriel Pennottus in ſua Hiſtoria Tripartita Canonicorum Regularium. Hic à Paulo Corteſio inter Cardinales eminenti doctrina celebres collocatus eſt, eo quòd ſermones frequenti Cardinalium cōſeſſu habitos ediderit: ſubſcriptione firmauit plura Romanorum Pontificum Diplomata, illa ſcilicet Innocentij data anno noſtræ ſalutis 1207. Cœnobio S. Geminiani in Tuſcia; & iv. Idus Aprilis anno 1210. Aegidio Fulginenſi Epiſcopo: & alia Honorij anno 1221. data eidem Cœnobio S. Geminiani in Tuſcia.

S. Antonin. 3. par. t. 19. c. 1. Aubery. Nomencl. Cardinal.

QVINTA CREATIO CARDINALIVM.

Anno reparatæ ſalutis 1206. Pontificatus VIII. menſe Decembri Romæ Innocentius Tertius Papa creauit quintò Cardinales, qui fuerunt.

Guido de Papa Romanus ex Presbytero ſanctæ Mariæ Transtyberim titulo Calliſti Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus.



XIII.

Ciacon. ib. Oder Rinald in ed. Annal. Ciaconius. Aubery. Ferdinand. Vghel. in Ital. ſac. Aubery.

OCTAVIANVS ex Comitibus Signiæ, Anagninus, Hernicus, Innocentij III. conſobrinus, ex Pontificij Sacelli Sacerdote atque ex Canonico ſancti Petri S.R.E. Camerarius, & Diaconus Cardinalis SS. Sergij, & Bacchi renunciatus eſt. Hunc adhuc Subdiaconum cum Iordano in Picenum Innocentius legauerat, vt eam Prouinciam, eiecto Marcualdo inuaſore, Eccleſiæ Romanæ redderet: Innocentius in epiſtola ad Epiſcopos Regni Siciliæ ſcripta Octauianum conſobrinum ſuum vocat. Interfuit Comitijs, in quibus Honorius Tertius, & Gregorius IX. Romani Pontifices electi fuerunt. Subſcriptione ſua firmauit plures diuerſorum Romanorum Pontificum literas, illas videlicet Innocentij ſcriptas anno noſtræ ſalutis 1206. Canonicis Veronenſibus: iv. Idus Aprilis anno 1210. Aegidio Fulginenſi Epiſcopo; & Idibus Aprilis 1216. Abbati Cluſini Monaſterij. Tum illas Honorij Tertij anno 1217. datas Marzano Lunenſi, & Fulconi Papienſi; anno 1218. Soffredo Piſtorienſi; anno 1219. Petro Firmano Epiſcopis. iij. Idus Iulij anno 1222. Stephano Nouiportus Abbati; anno 1223. Canonicis Lucenſibus; & anno 1224. Raynaldo Epiſcopo Firmano; ac demum illas Gregorij IX. anno 1229. miſſas Alberto Priori Eccleſiæ Eugubinæ, & Eccleſiæ S. Georgij Maioris Venetiarum. Archidiaconus S.R.E. ſub Gregorio IX. lucis vſuram amiſit, eiuſque obitus memoratur iv. nonas Februarij in libro mortuorum eiuſdem Baſilicæ.



XIV.

Ciaconius. Auctor libri de Ordine, & Statu Canonico. Annal. Rhenan. Kalendar. Rhenan. Gab. Pen. in Hiſtor. Canonic. Regular. Oder Rinald in ed. Annal.

GREGORIVS de Creſcentio, nobilis Romanus, conſanguineus alterius Gregorij Creſcētij Caballi marmorei Diaconi primò S. Mariæ in Aquiro, deinde Presb. Card. S. Vitalis, de quo nos ſupra ſub Clemente Tertio ex Canonico Regulari Rhenani Monaſterij ſeu ex Canonico Baſilicæ Vaticanæ relatus eſt inter Diaconos Cardinales, & S. Theódori Diaconiā obtinuit. Deinde ab eode Innocentio Latij, & Campaniæ Legatus conſtitutus eā prouinciā vſque ad primum Honorij Tertij Pontificatus annum egregiè adminiſtrauit, in cuius locum poſtea Ioannes de Columna Presbyter Cardinalis ſāctæ Praxedis Rector cum poteſtate Legati de latere renunciatus eſt. Sub eodem Pontifice ad Federicum Siciliæ Regem Legatus de latere cōſtitutus Panhormitanæ Eccleſiæ diu Paſtore carenti Barenſem Archiepiſcopum virum vtique probum, & honeſtum Præſulem dedit.

Vigebant inter hæc in Dania inteſtina bella, quæ potiùs Religione, quàm armis ſopitum iri arbitratus Danorum Rex à ſummo Pontifice Honorio III. precibus contendit, vt Legatum Apoſtolicum ad componendas ſeditiones concitatas tranſmitteret: idemque alij Sueciæ, & Bohemiæ Reges ad temperandum Eccleſiarum Septentrionalium ſtatum, vt ex literis eodem exemplo ad tres eos Reges exaratis patet, flagitarent. Ad iuſta tantorum Principum vota cum deſcendiſſet Honorius, Legati Apoſtolici munus Gregorio Creſcentio Diacono Cardinali S. Theodori in Dania, Suecia, Polonia, ac Bohemia commiſit, deque iniunctis Gregorio partibus, exhibendaque obſeruantia ad Lubecenſem, Raſeburgenſem, Szermenſem, Caminenſem, Pragenſem, Olomucenſem, Noſcenſem Epiſcopos, Vpſalenſem, Gneſnenſem, Lundenſem Archiepiſcopos, alioſque inferiores Præſules literas dedit, in quibus Gregorium virum prudentia, & honeſtate conſpicuum, ſuiſque meritis exigentibus, ſibique præ ceteris carum vocat, & eum commendat in epiſtola ad Daniæ Regem his verbis: *Idem Legatus, qui per ſe, ac ſuos, qui magnum locum in Vrbe obtinere noſcuntur, grata tibi poterit viciſſitudine reſpondere.* Ad Gregorium Legatum duas legimus Honorij literas anno 1221. datas, quarum vna Honorius rationem præſcribit, quàm cautè cum Rege Bohemiæ, & illis Principibus viris in negocio Pragenſis Epiſcopi ſe gerat. Rex enim concordiam tandem cum Epiſcopo Pragēſi inierat, ſeque ei facturum ſatis pollicitus fuerat, vt ex Apoſtolicis literis conſtat, quibus Pontifex eidem concordiæ robur, ac firmitatem addit: Altera verò epiſtola Legatum eundem inquirere iubet, num rei Chriſtianæ magis expediret plures in regione Pragenſi Epiſcopatus inſtitui. Auctoritate ſua Eccleſiam S. Clementis, & Monaſte-

tium

rium ordini Prædicatorum Pragæ à Præmiſlao Ottocaro Rege Bohemiæ obtinuit, atque controuerſiam inter eumdem Ottocarum Regem, & Andręam Pragenſem Epiſcopum cõpoſuit. In Poloniam deinde ſe conferens Gregorius Legatus, tam à Leſcone Albo Principe, quã ab Yuone Epiſcopo, & vniuerſis ordinibus Cracouiæ magno honore ſuſceptus eſt; vbi & pluribus diebus immoratus, quoſdam Clericorum reſcidit abuſus, nonnullaſque edidit pro eorum regimine Conſtitutiones.

Narrat Boſſius apud Ferdinandum Vghellium tom. I. Italiæ ſacrę Gregorium hunc S. R. E. Diaconum Cardinalem anno 1215. fuiſſe allectum Epiſcopum Papienſem, & ſcimus eundem ex Ciaconio atque ex m. ss. Baſilicæ Vaticanæ Archipreſbyterum Baſilicæ S. Petri ab Honorio renunciatum, qui Romanus Pontifex cum de vita Guilelmi Abbatis, qui obierat diem anno Domini 1202. ſuæ verò ætatis nonageſimo octauo, mandaſſet diligenter inquiri, certior redditus à Gregorio Romano ciue nobilis familiæ Creſcentianæ, tunc S. Theodori Diacono Cardinali Legatum à latere agente in Dania, Suecia, ac Bohemia, eum retulit inter ſanctos. Baron. in Not. ad Martyr. Rom. die 6. Aprilis.

Auctor libri de Ordine, & Statu Canonico ex Kalendario, & Annalibus Rhenani Cœnobij narrat Gregorium hunc diem clauſiſſe extremum anno noſtræ ſalutis 1208. Boſſius verò ſupra laudatus anno 1216. At, cum inueniamus eundem ſubſcripſiſſe Honorij literis ſcriptis anno 1224. Eccleſiæ S. Geminiani in Tuſcia, dicendum nobis eſt cum Aubery Gregorium obijſſe anno 1225. Alia eiuſdem Honorij Diplomata manu eiuſdem firmata repериuntur apud Vghellium in ſua Italia ſacra, illa videlicet anno 1217. data Marzino Lunenſi, Fulconi Papienſi, Simeoni Tarracinenſi, & anno 1218. nonis Iulij Soffredo Piſtorienſi Epiſcopis.



XV.

IOANNES ex Pontificij Sacelli Sacerdote ab Innocentio III. Romano Pontifice renunciatus Diaconus Cardinalis ſanctorum Coſmæ, & Damiani, ſubſcripſit eiuſdem Innocẽtij literis datis anno 1206. Canonicis Veronenſibus; & vij. Idus Iunij anno 1209. Michaëli Abbati ſancti Michaelis Verrucenſis Piſanæ Diœceſis, & iv. Idus Aprilis 1210. Aegidio Fulginenſi Epiſcopo: tum illos Honorij Tertij firmauit ſcriptas anno 1216. ordini Prædicatorum. Exceſſit è vita ſub eodem Honorio. Oder. Rinald. in ſuis Annal. Ciaconius. Ferdinãd. Vghel. in Ital. ſac. to. 1. & 5.



XVI.

PELAGIVS Caluani natione Hiſpanus, profeſſione monachus ab Innocentio III. ex Canonico S. Petri primùm Diaconus Cardinalis S. Luciæ in Septiſolio, poſtea Preſbyter S. Cæciliæ, & demum Epiſcopus non Oſtienſis, vt ſcribit Bzouius ſed Albanenſis creatus, illius inſignis expeditionis, qua Damiata expugnata eſt, ſedis Apoſtolicæ Legatus ab Honorio factus toti illi bello, & Chriſtianorum demum excidio interfuit. Authoritateque ſua, & ſanctitate nominis à Principibus Paleſtinę obtinuit, vt Sultani Damaſci Oratores pacem petentes, pace infecta dimitterentur. At cum peſtilentia ad Damiatam Crucesignatos cepiſſet, ille qui interceſſerat ne pax Barbaris daretur male audire cepit, pœnitebatque Duces ſe potius voluntati Legati paruiſſe, hominis togati, quam ſuis conſilijs obtemperaſſe, qui rerum militarium peritiſſimi, viciſſitudines rerum experiendo didicerant. Adfuit expugnationi Damiatæ, factæ nonis Nouembris anno noſtræ ſalutis 1220. & quicquid auri, argentique, aut pretioſi in Vrbe inuenit, inter milites diuiſit, & præcipuam ex Meſchitis, ritu ſolemni in Baſilicam Deiparæ Virginis conſecrauit, Vrbemque Damiatæ Ioanni Hieroſolymorum Regi in præmium virtutis aſſignauit. At exitiali paulo poſt inter ipſum, & Regem Hieroſolymorum Ioannem diſcordia exorta, Damiata Aegypti Vrbe, quam tot periculis Chriſtiani expugnauerant, vix anno finito amiſerunt: hiſtoriam hanc narrantem ſanctum Antoninum audiamus. *Sequenti anno 1221. ab Incarnatione, Diabolo ſuadente, inter Legatum Domini Papæ Pelagium, & Regem Hieroſolymorum grauis cõtrouerſia orta eſt; nam Legatus vniuerſo non ſibi exercitium vſurpabat dominium, & omnes ab illo dependere videbantur, inſuper & Damiatæ Vrbis captionem ſibi attribuere moliebatur, quam ob cauſam creditur Ioannes Rex caſtra fidelium reliquiſſe feſtinans in Syriam, ad ſui excuſationem multas prætendens cauſas; veruntamen reditum in proximo promittebat. Quibus diebus multæ naues victualibus plenæ ex diuerſis regionibus fidelium Damiatam applicuerunt, & aliæ naues, in quibus erant Mediolanenſis, & Treuerenſis Archiepiſcopi, Fauentinus, & Reginus Epiſcopi, & Nuncij Imperatoris Friderici deferentes eius literas cum aureis bullis, eius in breui annunciantis aduentum; poſtea venit Brixienſis Epiſcopus, & cum eo de Italia militia copioſa. Legatus autem Domini Papæ attendens tantum populum ad Dei obſequium congregatum, dolebat, quòd tempus tam inutiliter conſumebatur; videns autem, quod ad progrediendum in negocio nulla eſſet iuſta excuſatio, congregatis maioribus, ipſe primò contra Soldanum progreſſum ſuadebat, qui caſtra ſua poſuerat ſuper Nilum itinere vnius diei à Damiata, militares autem manus huic exhortationi contradicebant, dicentes debere Regem, qui in proximo venturus erat, expectari, cum non eſſet in exercitu aliquis, cui vellent obedire: ſed Pelagius Legatus non obſtante contradictione militaris exercitus omnino iudicabat procedendum. Mouebatur ad hoc zelo, quem habebat ad dilatationem Chriſtiani nominis; inſuper ipſum inducebat Liber, in quo continebatur, quod Machometi ſexcenteſimus erat annus; quo ſecundum Sarracenorum prophetias lex, & gens deberet extirpari, & quod de Hiſpania veniret, qui ſuperſtitionem illam aboleret; & ideo Legatus, qui de Hiſpania erat, illum Librum veriſſimum exiſtimabat.* Infauſtum exitum res habuit; quare omnes rebus infectis in Europam reuerſi ſunt. 3. part. tit. 19. cap. 1. §. 1.

Pelagio, dum in hac legatione eſſet, Pontifex iuſſit, vt Rupinum Principem Antiochenum, Regem Armeniæ coronaret, quòd Regnum eius iure hæreditario erat. Eiuſdem Pontificis nomine conuentiones inter Reginam Cypri, & Epiſcopos, Regnique Optimates factas confirmauit: Metropolitanum vnum, & tres Epiſcopos Latinos conſtituit. In hac Conſtantinopolitana legatione Pelagium Legatum purpura vſum fuiſſe ſcribit Georgius Logotheta Acropolita in Chronico Conſtantinopolitano his verbis: *Ea tempeſtate, qua ſummum Imperium apud Henricum erat, miſſus fuit à Papa Conſtantinopolim Sacerdos, quem illi Legatum vocant, cognomẽto Pelagius, populi auctoritate munitus, purpurea illi talaria, eiuſdem coloris veſtimenta, frænaque, & ſagum purpurea erant.* Plura poſtmodum addit, quæ Schiſmaticum ſapiunt, & Græcum indicant Latinoratum, ob captam ab ijs Conſtantinopolim; dabat enim operam Legatus prudenter, pièque, vt Gręci diuturno Schiſmate à S. R. Catholicæ Eccleſiæ ſinu ſeiuncti ad eandem redirent. And. Victorel. in Addit. ad Ciacon.

In Italiam poſt amiſſam Damiatam Pelagio redeunti Honorius Romanus Pontifex per literas mandauit, vt Veronam accederet, quò Pontifex, Imperator Fridericus, Rex Hieroſolymorum, & alij Principes Chriſtiani conuenturi eſſent pro ſubſidio Terræ Sanctæ, quos omnes Imperator ſtatuto tempore non accedens eluſit. Sub Gregorio IX. Pelagius cum Gauſrido Preſbytero Cardinali S. Marci legationis munere functus eſt in Sicilia. Caſini Fridericum Imperatorem conuenit, & iuſiurandum ab eo accepit, vt in Terræ Sanctæ ſubſidium quamprimum transfretaret, quòd cum Cæſar non obſeruaſſet occaſionem Gregorio dedit, vt ei ſacra interdiceret. Ciaconius

Subſcriptione firmauit Pelagius Diaconus S.R.E. plures Romanorum Pontificum literas, illas ſcilicet Innocentij III. anno 1207. Cœnobio S. Geminiani in Tuſcia: vij. Idus Iunij an. 1209. Michaëli Abbati S. Michaelis Verrucenſis Piſanę Diœceſis; & iv. Idus Aprilis anno 1210. Aegidio Fulginenſi Epiſcopo datas. Epiſcopus verò Albanenſis ſubſcripſit Honorij III. literis miſſis anno 1217. Marzino Lunenſi, Fulconi Papienſi, Simeoni Tarracinenſi; & anno 1224. Raynaldo Firmano, & Monaldo Foroſempronienſi Epiſcopis, & Canonicis Lucenſibus: tum Gregorij IX. anno 1228. Eccleſiæ Lateranenſi, & Theodorico Rauennati Archiepiſcopo.

Poſt præclaros pro Eccleſia ſuſceptos labores, in monte Caſino ſub Gregorio IX. exceſſit è vita v. Idus Maij anno 1240. & ſepultus eſt in eodem Cœnobio, vt Arnoldus Vuion affirmat lib. 2. Ligni Vitæ ex antiquo quodam Kalendario manuſcripto, & addit, vt ſupra diximus fuiſſe monachum ſancti Benedicti, antequam ab Innocentio Tertio Cardinalitia dignitate decoraretur. Quod ſi re vera ita eſt, ſuſpicatur Ferdinandus Vghellius fuiſſe illum ordinis nigri Cardinalem, de quo Cæſarius in libro Miraculorum, qui cum Innocentij Tertij Diplomati pro ordine Ciſtercienſi minimè cum alijs Cardinalibus vellet ſubſcribere, ita in eum exarſiſſe Innocentium refert idem auctor, vt eum ſtatim, niſi mandato pareret, à dignitate ſe amoturum minaretur. Ex lib. Benef. Baſil. Vatic.

SEXTA CREATIO CARDINALIVM.

Anno redemptionis humanæ 1207. Pontificatus X. menſe Decembri Romæ Innocentius Tertius ſextò creauit Cardinales inter eos fuere.

Hugolinus Comes Anagninus ex Diacono ſancti Euſtachij Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus.

PETRVS



Ciaconius

Oder. Rinald. 12. in Annalibus

XVII.

PETRVS Saxo, non de Saxonia, vt refert Cæſarius Hieſterbacheſis, ſed Anagninus, Hernicus, ex Pontificij Sacelli Sacerdote, Presbyter Cardinalis ſanctæ Pudentianæ titulo Paſtoris ab Innocentio renunciatus eſt: cuius mentio in Tabula marmorea Eccleſiæ ſanctę Pudentianæ hæc extat Inſcriptio.

PETRVS SAXONIS S. PVDENTIANAE CARD. ANNO XII. INNOCENTII III. PAPAE TERTIO VERO SVI CARDINALATVS ANNO FECIT OPVS HOC.

Hunc Innocentius extremis ſuæ vitæ diebus in Germaniam legauit; de qua legatione hæc Godefridus in Annalibus anno 1216. *Fridericus Rex in Feſto Apoſtolorum Philippi, & Iacobi curiam apud Nurimberch habuit: vbi Petrus Cardinalis S. Pudentianæ à Domino Papa miſſus affuit: huic curiæ Engelbertus Colonięſis electus ſe exhibuit, & à Domino Petro Cardinali confirmatus, regalia à Friderico Rege ſuſcepit.*

Caſar. lib. 6. cap. 8.

Poſt Innocentij III. obitum cum rediſſet in Vrbem, interfuit Comitijs, in quibus Honorius III. renunciatus eſt Romanus Pontifex; cuius vices in Vrbe Petrus geſſit, & Vrbis Vicarius fuit, deinde eiuſdem Honorij iuſſu, iterum in Germania legatione functus eſt ad componendum Imperij ſtatum; qua in legatione Canonicis Colonienſibus S. Mariæ ad Gradus ſacra interdixit, quia cuiuſdam ciuis filium à ſe Canonicum electum in fratrem recipere recuſarant. Subſcripſit Petrus nonnullis Innocentij literis datis anno 1208. Cœnobio S. Benedicti de Mantua, & IV. Idus Aprilis anno 1210. Aegidio Fulginenſi Epiſcopo: alijſque Honorij III. anno 1217. ſcriptis Canonicis Lucenſibus, Marano Lunenſi, Fulconi Papienſi, Simeoni Tarracinenſi; & nonis Iulij 1218. Soffredo Piſtorienſi Epiſcopis. lucis vſuram amiſit Petrus ſub eodem Honorio Romano Pontifice.



Ciaconius

XVIII.

MAVRVS Amerinus Vmber, Epiſcopus Amerinus ab Innocentio III. Romano Pontifice creatus Presbyter Cardinalis, ſub eodem Pontifice legatione functus eſt in Germania. De hoc nulla mentio apud Panuinium, & Aubery, illius tamen meminere præter Ciaconium, Bernardinus Mandoſius ex tabulario, & Chronico Amerino, & Ferdinandus Vghellius tom. 1. Italiæ ſacræ in ſerie Epiſcoporum Amerinorum, ſiue Amelienſium. Obijt ſub Honorio Tertio ante annum noſtræ ſalutis 1225.

Ferdinand. Vghellius tomo 1. Ital. ſac.



Ciaconius

XIX.

ANGELVS Diaconus Cardinalis ſancti Hadriani, cuius meminit Innocentij III. Romani Pontificis Regiſtrum anno noſtræ ſalutis 1212. de quo tamen nulla mentio apud Panuinium, & Aubery. Exceſſit è vita ſub eodem Innocentio; huiuſce obitus recenſetur in Necrologio Monaſterij S. Cyriaci de via Lata his verbis in menſe Nouembris 19. *Kalen. Decemb. Cardinalis ſancti Hadriani Angelus pater Theodora bonæ memoriæ.*

SEPTIMA CREATIO CARDINALIVM.

Anno noſtræ ſalutis 1211. Pontificatus XIV. Innocentius Romanus Pontifex ſeptimò creauit Romæ Cardinales, qui fuerunt.

Benedictus ex Presbytero tituli S. Suſannæ Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ.

Pelagius ex Diacono ſanctæ Luciæ in Septiſolio Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Cæciliæ.

Don Iacobus Gualla Vercellenſis ex Diacono Cardinali ſanctæ Mariæ in Porticu Presbyter Cardinalis ſanctorum Syluestri, & Martini titulo Equitij.



XX.

IOANNES Presbyter Cardinalis S. Praxedis, Auditoris partes in quadam cauſa Innocentij III. mandato peregit, vt habemus ex Honorij Tertij Regiſtro. anno quinto poſt electionem Honorij Tertij, cui aſtuit, è vita migrauit, & ſucceſſorem habuit in titulo Ioannem Columnam. Hic cum eſſet Apoſtolicæ ſedis Legatus à Theodoro Comeno Duce carceri mancipatur, ſed ſtudio Ioannis Epiſcopi Crotoneſis priſtinæ libertati donatus an. 1217. vt habemus ex Regiſtro Vaticano. Inſignia, quæ Ioanni tribuimus, ex ſæpiùs laudato m. s. depromplimus.

Ciacon. 18



XXI.

GREGORIVS Epiſcopus Cardinalis Sabinus, de quo tamen nulla mentio apud Panuinium, Aubery, & Ferdinandum Vghellium in ſerie Epiſcoporum Sabinenſium, Innocentij iuſſu legationis munere functus eſt in Vrbeueteri, vt Ciuitatem illam ferali ſeditione laborantem ſedaret; duabus enim factionibus diſtracta in præceps illa ruebat. Guelforũ, quæ Eccleſiæ adhærebãt, principes fuere Monaldenſes, Gibellinorum Imperio ſtudentium Philippenſes primariæ eius Vrbis familiæ; eas, Ciuitas tota ſciſſis ſtudijs ſequebatur; huius Cardinalis induſtria ſeditio ſedata eſt. Meminit huius Gregorij Innocentij Tertij Regiſtrum anno quinto, quem paulò poſt è vita diſceſſiſſe dicendum eſt, nam laudatus Vghellus hoc prætermiſſo, Epiſcopos omnes Sabinenſes, qui tum Innocentij, tum Honorij Tertij Romanorum Pontificum temporibus vixerunt; quare vel hic nunquam Eccleſiæ illi præfuit, vel breui tantum tempore illam rexit.

Ciaconius

OCTAVA CREATIO CARDINALIVM.

Anno Dominicæ Incarnationis 1212. Pontificatus XV. ex Ciaconio, vel ex Panuinio anno 1213. Pontificatus XVI. Romæ Innocentius Tertius octauò creauit Cardinales, inter quos hi fuerunt.



XXII.

STEPHANVS de Ceccano, vulgo Cardinalis de Foſſa noua, à celebri Campaniæ Cœnobio, in quo Ciſtercienſem regulam profeſſus eſt, natione Italus, patria Campanus, nepos Iordanis Cardinalis de Foſſa noua, ex monacho, eiuſdem Cœnobij Prior, ex Priore Abbas, ac tandè ex Abbate Diaconus Cardinalis S. Angeli, & S.R.E. Camerarius, poſtea Presbyter Cardinalis ſanctorum Duodecim Apoſtolorum creatus eſt. Illud memoria dignũ narrant monumenta Monaſterij Foſſæ nouæ de Stephano, quòd eodem anno Prior, Abbas, & Cardinalis creatus ſit; de quo catalogus Abbatum Foſſæ nouæ plura. Huius fratris filium Neapoleonem equo lapſum, & mortuum, co-

Monumenta Foſſæ nouæ.

Chronic. Foſſæ nouæ.

Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

Ciaconius

iam eo, Hugolino Oſtienſi, & Nicolao Tuſculano Epiſcopis Cardinalibus S. Dominicus à mortuis excitauit, ac auctores ſunt ij, qui S. Dominici vitam ſcripſere. Eccleſiam de Bamburch, quam ante Cardinalatum ab Anglorum Rege obtinuerat, Monaſterio S. Syxti Monialium victui donauit, & anno Domini 1219. die xxiv. Februarij ſacratiſſimam illam Virginis matris Imaginem à S. Luca Euangeliſta delineatam, ac diuinitus poſtea depictam, quæ nunc in Eccleſia S. Syxti apud Moniales Dominicanas religioſe aſſeruatur, dum hæc Honorij III. iuſſu à S. Dominico ordinis Prædicatorum Patriarcha è Transtyberina Regione ad prædictam S. Syxti Eccleſiam transferretur, nudis pedibus incedens vna cum Nicolao Albanenſi Epiſcopo proprijs humeris deportauit. Vnus fuit ex fundatoribus pulcherrimi Templi Abbatiæ S. Galgani ordinis Ciſtercienſis in agro Senenſi in honorem B. Mariæ Aſſumptæ, & S. Galgani Confeſſoris, excitati, & non longè ab hoc Templo, eo in loco, vbi S. Galganus obijt, nobile Sacellum ſub inuocatione S. Mariæ Rotundæ ædificauit. In cuius Sacelli ſacrario viſitur adhuc picta huius Cardinalis imago Deiparam Virginem, ac S. Galganum ſuppliciter adorans, celebremque Abbatiam illam innumeris auxit redditibus, vt inſcriptio ibidem teſtatur facta per Ferdinandum Vghellium eiuſdem loci Abbatem, quæ eſt talis.

Turrigios in hiſtor. Imaginis S. Mariæ apud S. Sixtum. Hippol. Marracc. in Purpur. Marian.

Gaſpar Iongelin in Purpura D. Bernard.


D. O. M.
STEPHANO DE CECCANO, EX MONACHO CISTERC.
S. R. E. CARDINALI PRESBYTERO PIISSIMO,
ILDEBRANDO, ET GVILELMO PANNOCCHIIS
EX COMITIBVS DE TRAVALE
AC GALGANO II. RELIGIOSISSIMIS, SANCTISSIMISQ.
VOLATERRANIS EPISCOPIS.

Quorum egregiam ſanctimoniam, & venerabilem in Deum quoque, & S. Galganum peruigilem deuotionem, æternum hoc, ſacrumque Templum ante quadringentos annos ab ipſis fundatum, reddituſque innumeris ditatum, laudando comprobauit Ferdinandus Vghellius Abbas, & monachi, ob eximiam erga Ciſtercienſem ordinem pietatem clementiſſimis, optimiſque fundatoribus P. C. anno ſalutis 1631.

Subſcripſit Innocentij literis anno 1215. Maronitis, & Idibus Aprilis 1216. Abbati Cluſini Monaſterij datis: tum alijs Honorij Tertij anno 1217. Fulconi Papienſi ann. 1218. Soffredo Piſtorienſi; anno 1219. Petro Firmano; & anno 1224. Monaldo Foroſempronienſi, Raynaldo Firmano Epiſcopis, & Cœnobio S. Geminiani in Tuſcia. Ex hac mortali ad ſecuriorem vitam migrauit ann. Redemptionis humanæ 1227. ac ſepultus in Baſilica ſanctæ Mariæ Maioris, in qua huius adhuc extat Epitaphium.

HIC REQVIESCIT STEPHANVS DE FOSSANOVA......
MA. P. L. M. PRESBYTER CARDINALIS.
OBIIT ANNO DOMINI MCCXXVII. INDICTIONE
..... GREGORII IX. PAPAE ANNO PRIMO.

De hoc Cardinali m. s. Vaticanum in libro de Cenſibus hæc habet: *Stephanus de Foſſa noua Romanus, Presbyter Cardinalis SS. Duodecim Apoſtolorum, amiciſſimus S. Dominici, ab Innocentio Tertio creatus, iacet in terra ante Sacellum Cardinalis ſancta Floræ.* Et m. s. Tabularij Baſilicæ Liberianæ: *Stephanus de Foſſa noua, Rom. Card. SS. Duodecim Apoſt. amicus B. Dominici, ab Innocentio III. creatus, iacet in terra in hac Baſilica S. Mariæ Maioris.*



XXIII.

Ciaconius

STEPHANVS Langthonus Anglus, ex Cancellario Gymnaſij Pariſienſis, & Canonico ſeculari ſanctæ Mariæ eiuſdem Vrbis, Presbyter Cardinalis ſancti Chryſogoni renunciatus eſt. Inſignis Theologus, & artium Magiſter, ac ſummus ſuæ ætatis Philoſophus Pariſijs habitus eſt, & publicè vtraſq; facultates diu docuit. Mortuo Vberto Archiepiſcopo Cantuarienſi, cum Innocêtius Archiepiſcopi electionem tum à Suffraganeis, tum à monachis factam improbaſſet, atque irritam eſſe iuſſiſſet, Stephanus hic Presbyter Cardinalis S. Chryſogoni ex ritu à ſacris Canonibus præſcripto Archiepiſcopus creatus eſt, quomodo verò res gêſta ſit, acta ipſa declarant, *Pontificem ſcilicet Romanum monachorum Cõuentui præcepiſſe, vt quindecim e ſuis Romam mitterent, atque ijs poteſtatem eligendi Archiepiſcopi demandarent, ſi vtriuſque electionem iure conuelli accideret, ne ſi iterum ad celebrandam tertiam electionem mitterentur, monachi in factiones diſcederent. Qui cum Apoſtolica excepiſſent imperia, vtraq; electione Reginaldi, & Epiſcopi Noruuicenſis reſciſſa, quindecim illis monachis imperauit, vt ſe præſente electionem celebrarent, cumque plura ſuffragia in Stephanum de Langetuna Presbyterum Cardinalem tit. S. Chryſogoni, Anglum genere, virum doctrina, & virtutibus cumulatiſſimum, quem Innocentius eodem anno è Cathedra Pariſienſis Academiæ ad Cardinalatum euexerat, concurriſſent, eam electionem ab Innocentio mox confirmatam fuiſſe.* Ingentibus etiam Stephanum laudibus ornat Pariſius in hiſtoria Anglicana, quamuis aſſerat illos præſenti anathematis metu, quem Pontifex intentabat, inuitos, atque obluctantes id comprobaſſe, ſed hoc de quibuſdam refractarijs contingere potuit. Quapropter Innocentius ad Ioannem Angliæ Regem ſcribens hæc habet. *quoniam abſque vi, & dolo canonica fit electio de perſona idonea concorditer celebrata.* Tulere grauiter Ioannis Anglorum Regis Oratores, imò & Rex ipſe, qui in grauiores iras incanduit, adeo vt nulla ratione eum delinire Pontifex potuerit; ſed Innocentius de conſtantia nihil remittens, Archiepiſcopum ſuis manibus xv. Kalendas Iulij Viterbij conſecrauit, & donatum Pallio ad ineundam Eccleſiæ ſuæ poſſeſſionem miſit. Ac Ioanne reſiſtente, Angliæ Regnum percuſſum interdicto fuit; admiſſus tandem in Eccleſiam ſuam, illam ſanctiſſimè rexit, atque optimi Præſulis partes cum ageret, iterum cum Rege, qui reuera illi aduerſabatur, pro Eccleſiaſtica Iuriſdictione altercationes habuit. Rex Pandulphũ Oratorem ad Innocentium contra Stephanum miſit, qui Archiepiſcopum, & Epiſcopos omnes Angliæ in iudicium Romæ vocauit; tanquam in exactione, & ablatorum reſtitutione, tempore interdicti nimis rigidos, & auaros, Regnique libertatis oppreſſores. Per Nicolaũ Epiſcopum Tuſculanum in Anglia Legatum diſſenſiones omnes inter Regem, & Archiepiſcopum tandem concordatæ; non tamen emoti Angliæ tumultus, quorum auctorem Stephanum Archiepiſcopum Cantuarienſem, & Cardinalem cum iudicaret Ioannes Rex, illum Romæ, vbi ſolemnes Epiſcoporum in Lateranenſi Eccleſia indicti erant conuentus, in crimen perduellionis vocauit. Quem Innocentius penè conuictum, ac veniam depoſcentem damnauit, quanquam paulò poſt in gratiam reſtituit, vetuit tamen, ne pedem in Angliam inferret, antequam concordia Regem inter, & Proceres coaluiſſet. Infinita penè ſcripſit opuſcula, videlicet Commẽtaria.

Odor. Raynald. in ea Annal. tomo 13.

Ex Nomenclat. Cardinal.

In Geneſim.
Super Exodum.
Super Leuiticum.
Super Numeros.
Super Deuteronomium.
Commentarios in Ioſue.
In Iudicum.
In Regum libros quatuor.
In Paralipomena libros duos.
In Iobum lib. 34.
In Tobiam.
In Iudith.
In Eſther.
In Pſalterium.
In Prouerbia Salomonis.
In Eccleſiaſten.
In Cantica Canticorum.
In Eccleſiaſticum Notulas.
Super Eſdram.
Super Iſaiam.
Super Ieremiam.
Super Ezechielem.
Super Danielem.
Tropologiam in Prophetas.
Commentarios in Oſeam.
In Ioëlem.
In Amos.
In Abdiam.
In Ionam.
In Michæam.
In Nahum.
In Habacuc.
In Sophoniam.
In Aggæum.
In Zachariam.
In Malachiam.
Super Machabæos lib. 2.
Super Epiſtolas Pauli lib. 14.
Concordiam vtriuſque Teſtamenti lib. 8.

Quodque in primis memorabile exiſtimo, primus omnium ſacram Bibliam in capitula diſtinxit, ordinemque ab eo conſtitutum omnes Eccleſiæ, quę vſquam iam inde ab eo tempore fuerunt, ſecutæ ſunt.

Gaſpar Iongel in Purp. Diui Bernard.

Scripſit inſuper de vera Pœnitentia.
Adam vbi es?
De Similitudinibus.
Sermones 60.
Conſtitutiones Oxonienſes.
De Sacerdotibus Deũ neſcientibus.
Quæſtiones Theologiæ.
Vitam ſancti Thomę Cantuarienſis lib. 5.
Vitam Richardi Regis.
De Factis Mahumeti.
Hexameron Carmine.
Benedictiones in monte Ebali.
De Maledictionibus quoque.
Annotationes Sacrorum Bibliorum.
Repetitiones lectionum.

Tilmannus Carthuſianus in tomis Allegoriarum fragmenta nonnulla huius auctoris ſtylo non ingrata edidit.

Sixt. Senēſ in Bibliothec.

Frequentes ſunt ad Stephanum Innocentij literæ, quibus eum virum fama ſcientia, & doctrina pollentem vocat.

Obijt Cantuariæ poſt electionem Honorij III. die ix. Iulij neſcimus tamen quo anno, & ſepultus in Sacello S. Michaelis principis Eccleſiæ Cantuarienſis ſub Altare prope gradus Auſtrales, vbi eius monumentum adhuc viſitur. Palatium Archiepiſcopale Cantuariæ ferè totum conſtruxit, & in horologij fabrica magnos fecit ſumptus. Tribus, vel quatuor elapſis annis a Stephani Archiepiſcopi obitu Henricus Stanfordius Roſſenſis Eccleſiæ Præſul, vir ingentis ſanctitatis cum aliquando in magna Cleri, Populique frequentia concionem haberet, ingenti fiducia palam aſſeruit, Richardum Regem, ac Stephanum Cantuarienſem Archiepiſcopum cum vno Sacerdote, qui Stephano a ſacris erat, vno, eodemque nuper die ab expiantibus pœnis, quibus poſt mortem peccata eluuntur, ſolutos, & liberatos in Cœlum emigraſſe. Stephani res geſtas, vt alios omittam, accu-

Aubery. Bzou. an. 1242. Aubery. M. S. Vatic. Bibl.

ratè

A ratè ſcripſit Franciſcus Goduuinus Landauenſis primò, poſtea Herefordenſis in Anglia Epiſcopus, in ſerie Archiepiſcoporum Cantuarienſium; ſed cautè legendus vt pote in Romanos Pontifices nimium iniquus.

XXIV.



Ciaconius

GREGORIVS Theodulus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Anaſtaſiæ, Auditor in cauſa Rauennate, & tituli Lucinæ, contra Rectorem Eccleſiæ S. Saluatoris de Cupellis de Vrbe ab Honorio III. Romano Pontifice datus eſt; deinde euſdem iuſſu cum Legati poteſtate Anagniæ, & Hernicis omnibus præfuit. Pluribus B ſubſcripſit Gregorius Honorij Tertij literis, illis ſcilicet an. 1216. Baſilicæ Lateranenſi ſcriptis; anno 1217. Marzino Lunenſi, Fulconi Papienſi, Simeoni Tarracinenſi; anno 1218. Soffredo Piſtorienſi; anno 1219. Petro Firmano Epiſcopis: anno 1222. tertio Idus Iulij Stephano Nouiportus Abbati, & anno 1224. Eccleſiæ Lucenſi, Raynaldo Firmano, & Monaldo Foroſempronienſi Epiſcopis. Exceſſit è vita ſub eodem Honorio, cum legationis munere fungeretur Anagniæ. Huius obitus memoratur in veteri m. s. Eccleſiæ ſanctæ Agatæ Catanenſis, die xxi. Iulij ſed annus reticetur.

Ferdinād. Vghel. in Ital. ſac.

Aubery.

XXV.



PETRVS Duacenſis, non Presbyter Cardinalis S. Sabinæ, ſed Diaconus S. Mariæ in Aquiro ab Innocentio III. Romano Pontifice renunciatus, Duaci in Belgio in lucem editus eſt. Hunc prætermiſit Ciaconius, & Ferdinandus Vghellius in Additionibus ad Ciaconium eundem facit cum Presbytero Cardinali ſanctorum Laurentij, & Damaſi, de quo nos ſupra in Clemente III. & eundem ex Diui Benedicti Ordine prodijſſe vult D Arnoldus Vuion; alijque ex Matthæo Vueſtmonaſterienſi ad ann. Chriſti 1199. qui hæc habet: *Propter captionem fratris Petri de Douay Cambronẽſis electi interdicta eſt Francia:* opinati ſunt fuiſſe è Mendicantium ordine; Contra hos omnes præſtat audire Rigordũ Ludouici VIII. Chronographũ in geſtis Philippi Auguſti illius æui auctorem, de Petro ita loquentem: *Anno 1199. Philippus Comes Namurij frater Comitis Flandrenſis captus eſt à Roberto de Beleſio, & ab Euſtachio de Nonauilla cum duodecim militibus, mẽſe Maio iuxta Caſtrum, quod Centiriro vocant, & Regi Philippo traditus cũ Petro de Doaio Clerico, qui multa mala Regi fuerat machinatus. Electus vero Cameracenſis (nominum Petrus de Corbolio) quondam Innocentij Papæ diſcipulus captus fuerat ab Hugone Damelencourt, pro quo Petrus iam dictus S.R.E. Legatus totam Franciam ſub in-* E *terdicto poſuit; ſed reuolutis tribus menſibus habito Rex ſaniori conſilio, Eccleſia ſancta Petrum prædictum liberum reddidit.* Ex his corrigendus Vueſtmonaſterienſis, qui ait Petrum electum Cambronenſem, legendum Cameracenſem, cum Petrus de Corbolio fuerit electus primò Cameracenſis, poſtea Senonenſis; corrigendus etiam Vuion induens Petrum habitu monachorum.

Petrus Pithoeus in Gall. Purpurat.

Ferdinād. Vghel.

Ab Honorio III. ex Diacono Cardinali Epiſcopus Sabinenſis renunciatus eſt anno 1216. teſte Vuione, & ſic intelligendus Panuinius, dum Petrum creatum Cardinalem ab eodem Honorio tradit. Habuit Synodum Diuione contra Regem Franciæ, & licet à Nuntijs Regis ad Romanam ſedem ſit appellatum, tamen ipſe Petrus Cardinalis appellationi non deferens, ſententiam in Regem protulit; ſed vſque ad viginti dies poſt Natiuitatem Domini non publicari præcepit; tranſactis verò viginti diebus à Natiuitate totũ F Regnum Regis Francorum interdicto ſubiecit, quo audito Rex vehementer iratus Epiſcopos omnes, qui interdicto conſenſerant, à proprijs ſedibus deturbauit. Aliam Synodum montis Peſſuli Petrus habuit, in qua multa pro reformandis Cleri moribus, & in Albigenſes decreta conſtituta; & præcipuus auctor fuit, vt non ſolùm Franci induta Cruce ad arma contra Albigenſes piè proſilirent, ſed Hiſpanorum animos ad pellendos ex Hiſpania Mauros, ac Miramolinum, qui ſumma ſuperbia elatus, Chriſtianis bellum crudele indixerat, profligandum inflammarit.

Rigordus.

Ferdinād. Vghel in ſerie Epiſc. Sabin.

Huic Petro Sabinenſi Epiſcopo anno 1219. literas dedit Honorius III. quibus confirmauit, quæ concor dauerat cum Canonicis, & Archipresbytero Eccleſiæ Sabinenſis. Deceſſit anno 1221. quare certò conſtat errare Arnoldum, cum Petrum narrat fuiſſe Peruſiæ defunctum anno 1252. confundit enim hunc Petrum cum altero Petro de Barro Gallo Epiſcopo Sabinenſi Cardinali, qui reuera eo anno Peruſiæ vitam finiuit.

idem ibi eram.

XXVI.



RAYNERIVS Capoccius Italus, nobilis Viterbienſis, a primis ſuę vitę annis monachorum Ciſterciẽſium regulam profeſſus eſt; ex Abbate trium Fontium SS. Vincentij, & Anaſtaſij ab Innocentio III. Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Coſmedin renunciatus, maxima cum S. Dominico familiaritate coniũctus, eiuſque Ordinis ſtrenuus fautor, & defenſor, dum vixit, extitit. Mariam Deiparam Virginem ſingulari affectu ſemper coluit, & Eccleſiã extra Vrbem Viterbij nocturna viſione monitus Virgini Matri excitauit. Dum enim Viterbij nocte aliquando oraret, cœlitus illi ſomnus immiſſus eſt, mox que adſtitit matrona quædam longè decora, flammantem cereum manu præferens; quæ apprehenſa Capoccij dextera, viſa illum in proximum nemus ducere, ſuoque illo cereo arbuſta magno ambitu C exurere. Euigilans Capoccius viſum memoria repetens, ſtupet, quid iſtud ſibi vellet ignarus, Anachoretam adit, nomine, & vitæ candore Album, à quo non ſemel de rebus obſcuris diuina reſponſa expetierat, & acceperat. Albus nocte eadem, illo ipſo loco Mariam Deiparam aſpexerat, ſplendido, regioque ſolio ſedentem, ac ſuadentem qui tum quoque adeſſe videbatur, Capoccio, vt eo loci Templum eius nomini extrueret. Quocirca Capoccio ex Albo myſterium, eiuſque interpretationem petenti facilis, ac prompta fuit Albi reſponſio, Virginem ſcilicet ſanctiſſimam omnino cupere, vti Templum ibi excitaret ſuæ Tutelari ſacrum. Lætus hoc oraculo Capoccius è monte ſancti Martini, in quo Albi domicilium Viterbio proximum, properè locum ſibi cœlitus oſtenſum petit, ac nocturni incendij veſtigia, & ſitum ſacris ignibus Virginea manu futuræ ædi deſignatum conſpicit. Extemplo manum operi admouet, ac Roma deducto ſancto Dominico Prædicatorum Ordinis Inſtitutore, Templum, D ac Cœnobium vltro offert: hanc tamen Eccleſiam morte præuentus Raynerius perficere non potuit. Præter hanc Eccleſiam ſuis ſumptibus erexit Capoccius in Viterbienſi Diœceſi Eccleſias S. Petri de Caſtaneo S. Mariæ de Paradiſo, & S. Martini in Montibus, quarum primam, & vltimam monachis Ciſtercienſibus conceſſit.

Petrus Corret in Chronic. Epiſc. Viterbien.

Ant. Sand. in Elog.

Hippol. Marracc. in Purpur. Marian.

Sub Honorio III. Hetruriæ Legatus Viterbium primùm Imperatori Federico ereptum Eccleſiæ Romanæ reſtituit, ac tutatus eſt: à Gregorio IX. Eccleſiaſtici exercitus Legatus factus, montem Flaſconem rebellem, Tuſciam, & Sabinam domuit. Legatus cum Stephano tit. Calliſti Cardinali ex Concilio Lugdunenſi in Italia contra Federicum priuatum miſſus, omnibus vbique eius priuationis ſententiam promulgauit. Sub Gregorio IX. Prouinciæ Patrimonij, Ducatus Spoletani, & Marchiæ Anconitanæ legatione dum fungeretur, Ducatum Spoletanum ab inuaſoribus defendit, quare à Bertoldo Conradi Spoletani Ducis filio, viribus Gonſelini Dapiferi Im- E perialis freto, quamplurimis iniurijs affectus eſt. Percuſſit eum anathemate Honorius, & milite conſcripto Bertoldi temeritatem vlciſci properabat; id cum Federicus Imperator didiciſſet, pro eo ſupplex Honorio fuit, inſolentiam illius redarguit, vtque errata corrigeret, atque à ſede Apoſtolica clementiam poſceret, admonuit; petijt ille, & obtinuit.

Ferdinād. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

Ciaconius

Bzouius an. 1223.

Oder. Rinald. in ſuis Annalib.

Viterbienſi ſede vacante, illam Raynerio Gregorius Romanus Pontifex contulit, & eius curæ commiſit; quam rexit Raynerius vſque ad annum 1244. quo anno grauioribus pro Apoſtolica ſede implicitus negocijs abiuit eo munere, eamque reſignauit. Palatium habuit Viterbij, vbi nunc Monaſterium Viſitationis eſt, in quo excepit anno 1240. Federicum Imperatorem hoſpitio. Poſteris rythmicè prodidit, vt illa ferebant tempora Hymnos de ſancto Franciſco, quorum initia ſunt: *Cœlorum candor:* & *Plange turba paupercula.* F

Heturiæ Patrimonij Rector, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Archidiaconus obijt ſub Innocentio Quarto Viterbij vi. Kalendas Iunij anno 1250. vel 1252. vt habet vetuſtum Kalendarium Monaſterij ſancti Cerbonij Ordinis Ciſtercienſis Diœceſis Lucanæ; in quo etiam refertur de Raynerio hoc in omnibus Abbatijs Italiæ Ordinis Ciſtercienſis ſacrum quotannis anniuerſarium olim haberi ſolitum. Viterbij in Eccleſia ſanctæ Mariæ ad Gradus Ordinis Prædicatorum, quam ipſe ædificauerat, iacet, vbi hæc ſpectatur Inſcriptio in Sacello ad læuam Aræ maximæ.

Petr. Corret. in ſuo Chronic. Epiſcop. Viterb. S. Antoninus. Chronoñ Viterb. Nomencl. Cardinal. Franciſc. Maria. Turrig. de Scriptor. Cardin. Gaſp. Iongel. in ſua Purpur. D. Bernard. Ant. Sanderus in Elog. Sebaſtianus de Olmedo in Chron. Ordinis Prædic.

RAYNERIO CAPOCCIO VITERBIENSI
TIT. S. MARIAE IN COSMEDIN
DIACONO CARDINALI
AEDIS HVIVS COELITVS DEMONSTRATAE
RELIGIOSISSIMO FVNDATORI
FAMILIAEQVAE PRAEDICATORVM
PIISSIMO LARGITORI
FRATRES AD BENEFICII MEMORIAM
SEMPITERNAM AMPLISSIMO BENEFACTORI
MERITO ANTE DIGNIOREM ARAM
CONDITO NVNCVPATO.

Subſcripſit Raynerius diuerſorum Romanorum Pontificum literis, videlicet Innocentij III. datis Idibus Aprilis anno 1216. Abbati Cluſino: Honorij III. anno 1217. Marzino Lunenſi, Fulconi Papienſi, Simeoni Tarracinenſi, & anno 1219. Petro Firmano Epiſcopis, B & Cœnobio S. Benedicti de Mantua: Gregorij IX. an. 1228 Theodorico Rauennati Archiepiſcopo: anno 1229. Alberto Priori Eccleſiæ ſedis Epiſcopalis B. Mariani: anno 1231. Guillelmo Monopolitano Epiſcopo: anno 1237. Abbati S. Saluatoris de Septimo, & Lateranenſi: ac demum Innocentij IV. anno 1244. eidem Eccleſiæ Lateranenſi.

XXVII.

Ciaconius



ROMANVS Bonauentura, Romanus, Diaconus Cardinalis S. Angeli, poſtea Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ à Gregorio IX. anno 1231. vel 1236. renunciatus, ab Honorio III. anno 1222. ex Ciaconio, vel ex Oderico Rinaldo C anno 1225. in Gallias miſſus contra Albigéſes, qui nuptias improbabant, Sacramenta reijciebant, ac de peccato originali male ſentiebant, quorum fautores erant Principes Fuxi, Comites S. Aegidij, & Raymundus Comes Toloſanus. Contra hos Romanus Legatus ſacram militiam concitauit; interfuit Concilio Pariſienſi cum Francorum Rege Ludouico, cui Crucis ſignum impoſuit; in eo expeditio contra Hæreticos decreta, cuius timore Comes Toloſanus Raymundus Hæreticorum præcipuus fautor ad euitanda Catholicorum arma, mandatis Romani Pontificis ſe parriturum ſimulauit; ſed mortuo paulo poſt Rege Ludouico, D magni illi conatus irriti fuerunt, & Raymundus excuſſo metu, iterum Albigenſibus fauit. Studuit quoque ad opprimendam eorundem hæreſim, diſtricta in Anglos Francorum arma, in Albigenſes conuertere, & ad inducias Henrico Anglorum Regi concedendas inflectere: Clerum ad meliorem frugem reduxit; interfuit Comitijs Ciſtercienſium. Relicta Gallia cum Romam rediſſet, & iuris prudétiam optimè poſſideret, multarum quæſtionum Iudex ab Honorio deſignatur. Præfuit ſub eodem Pontifice ſumma cum laude Campaniæ, & Maritimæ Prouinciæ: Sub Gregorio IX. legationem Anglicanam geſſit; inde in Galliam cũ eadẽ poteſtate rediit. Habuit Bituricis contra Albigenſes Synodũ vtque pacẽ in Regno Franciæ ſtabiliret, eam cum Raymundo firmat, eandemque Toloſanis offert. Raymundum enim Eccleſiæ communioni reſtituit ea lege, vt feria ſexta maioris hebdomadæ pſalmodiæ funebri in Templo nudo capite, pedibuſque, induſio tantùm indutus adeſſet.

Ciaconius — And. Victor. in Addit. ad Ciaconium. — Rob. Card. Bellar. — Oder. Rinald. in suis Annal. anno 1225. — Ciaconius — Oder. Rinald. ibid. ann. 1228.

E Synodum Toloſæ celebrauit, itẽ aliam Aurafiæ habuit, in ſuſpectos de hæreſi inquiſitores inſtituit: abſens in hac legatione Epiſcopus Portuenſis deſignatur, inde ad Curiam reuocatus Romani Pontificis vices geſſit, & Vrbis Vicarius fuit. Ab eodem Gregorio ad Romanos vnà cum Ioanne Columna S. Praxedis, & Stephano S. Mariæ Transtyberim Presbyteris Cardinalibus Legatus miſſus, Vrbem Romanæ Eccleſiæ non ſatis obedientem, ad obſequium reuocauit. Exceſſit è vita Romæ poſt obitum Gregorij IX. & ante electionem Cœleſtini IV. Ad hunc Honorius III. plures dedit epiſtolas, in quibus Romanus Pontifex illum virum generis, & morum nobilitate præclarum, induſtria conſpicuum, & inter ceteros fratres merito ſuæ probitatis ſibi ſpecialiter charum, & acceptũ nominat. Nec minori laude dignus pro tot, ac talibus exantlatis laboribus, quìm pro F ſumma erga Eccleſias Portuenſem, & S. Rufinæ, in perquirendis earundem Eccleſiarum antiquis monumentis, pietate, exquiſita propemodum diligentia priſcorum Pontificum priuilegia collegit, atq; ad æternitatem in Gregorianis Regiſtris vnà cum eiuſdem Gregorij IX. confirmatione inſeri fecit anno noſtræ ſalutis 1236. atque ab eodem Pontifice earundem Eccleſiarum bona iura, ceteraque priuilegia Romano petente confirmata ſunt.

Ciaconius — Bzou. an. 1235. — Ferdinand. Vghel. in ſerie Epiſcop. Port. & S. Rufini.

Firmauit Romanus Innocentij III. literas ſcriptas Idibus Aprilis anno noſtræ ſalutis 1216. Abbati Cluſini Monaſterij; item alias Honorij III. eodem anno 1216. Cœnobio S. Benedicti de Mantua: anno 1217. Marzino Lunenſi, & Fulconi Papienſi: anno 1219. Petro A Firmano; anno 1224. Monaldo Foroſempronienſi Epiſcopis. & anno 1225. Gualterio Rauennati Archiepiſcopo. Et demum nonnullas Gregorij IX. datas anno 1238. Eccleſiæ Lateranenſi; & Stephano Nouiportus Abbati: & anno 1237. nonis Octobris Abbati S. Saluatoris de Septimo.

XXVIII.




THOMAS de Capua, ſeu de Epiſcopo Campanus, non ab Honorio III. ſed ab Innocentio Tertio Presbyter Cardinalis S. Sabinæ renunciatus, duas legationes cum Raynaldo Epiſcopo Oſtienſi egregiè geſſit, primam Viterbium, quia Viterbienſes fatali odio cum Romanis decertãtes in gratiam reduxit; alteram ad Longobardorum Vrbes, quæ Imperatori Federico II. hoſtes erant, re tamen infecta diſceſſerunt; illæ enim Germanorum, & Imperatoris Ducum ſuperbiam, & exactiones ferre nolebãt. Aliqui confundunt Thomam hunc cum Petro Capuano, & dicunt ab Eccleſia Hieroſolymitana electũ Hieroſolymitanum Patriarcham, non fuiſſe illi à Gregorio conceſſum; ſed reuera non Thomas, ſed Petrus electus eſt Hieroſolymitanus Patriarcha. Vnà cum Ioanne Epiſcopo Sabinenſi legatione functus eſt in Germania Gregorij IX. iuſſu, vt ineundæ paci viam munirent; pacem firmarunt Legati, & Federicus iureiurãdo ſolemni ſe ſe obſtrin- C xit in ijs omnibus pariturum Eccleſiæ, ob quæ cœtu fidelium eiectus fuerat. Publico quoque decreto ſanciuit eorum omnium iniurias voluntaria obliuione conterere, qui bello inter ipſum, & Eccleſiam exardeſcente, Eccleſiæ adhæſiſſent, nec vnquam aliquam ab ijs vltionem expetiturum, ſeque omnes ob id latas ſententias reuocaturum, neque Eccleſiæ ditionem inuaſurum. Alia legatione functũ fuiſſe Thomam apud eundem Federicum Cæſarem vnà cum Othone de Alorano pro ſacra expeditione ſcribit Ciaconius. Sãctiſſimam Virginem Dei matrem colunt, & inter alia obſequiorum genera, quibus ſuum in tantam matrem ſtudium, & amorem comprobauit, edidit in eiuſdem ſanctiſſimę Dei Genitricis commendationem Antiphonam incipientem: *Virgo parens gaude, &c.* ſcripſit inſuper ſummam artis dictaminis, & epiſtolam Innocentij IV. nomine ad Imperatorem Federicum, quem crimine grauiore irretitum iure merito Eccleſia depulſum fuiſſe obfirmatè demonſtrat. In laudem quo- D que S. Franciſci, Minorum Inſtitutoris, Hymnos compoſuit, quorum initiũ eſt; *In cœleſti Collegio, &c.* & *Decus morum Dux Minorum.* Scripſit Innocentij Tertij literas tertio Idus Aprilis anno 1216. datas Abbati Cluſini Monaſterij, quibus apertè oſtenditur Thomam ab Innocentio, & non ab Honorio Tertio, vt affirmarunt Panuinius, & Aubery, renunciatum eſſe Presbyterum Cardinalem ſanctæ Sabinæ. Firmauit inſuper alias Honorij Tertij anno 1217. Marzino Lunenſi, Fulconi Papienſi; anno 1219. Petro Firmano, & anno 1224. Monaldo Foroſempronienſi Epiſcopis ſcriptas, & alias Gregorij IX. anno 1227. Eccleſiæ Lateranenſi, & anno 1228. Theodorico Rauennati Archiepiſcopo. E viuis ereptus eſt Anagniæ xi. Kalendas Septembris anno 1243.

Panuinius — Aubery. — Ciacon. & alij. — Ciaconius — Oder. Rinald. in suis Annalibus — Hippol. Marrac. in Purp. Mariana & in Biblioth. — Nomencl. Cardinal. — Fr. Greg. Valent. in Hymn. ad SS. Patres. — Ferdinand. Vghel. in Ital. sac. — Ciaconius

XXIX.

E



BERTRANDVS, ſeu Bertramus Diaconus Cardinalis S. Georgij in Velabro, Honorij III. Romani Pontificis iuſſu per triennium legatione functus eſt in Gallijs contra Albigenſes, & contra eos Crucem prædicauit; rediit deinceps in Italiam, & ſub Honorio Tertio exceſſit è vita. Aliqui hũc, cum alio Bertrando, ſeu Bartholomæo Presbytero Cardinali ſanctorum Ioannis, & Pauli confundunt, cum reuera duo fuerint diuerſi; nonnulli, vt Pãuinius, & Aubery ex Diacono Bertrãdum ſcribunt ab Honorio III. renunciatum fuiſſe Epiſcopum Portuenſem. F Sed Ferdinandus Vghellus ab anno 1216. qui fuit Honorij III. primus, vſque ad annum 1219. qui fuit eiuſdem quartus, Eccleſiæ Portuenſi, & S. Rufinæ præfuiſſe ſcribit Cẽtium Sabellum Romanum, ab anno 1219. vſque ad obitum Gregorij IX. qui in annum 1241. incidit eandem rexiſſe Eccleſiam Conradum genere Germanum monachum primò, deinde Romanum Bonauenturam affirmat; quare in hac ſerie Epiſcoporum Portuenſium non videtur numerandus Bertrandus.

Ciaconius — Panuinius — Aubery.



XXX.

STEPHANVS Diaconus Cardinalis S. Hadriani, quem Panuinius non ab Innocentio III. ſed ab Honorio III. renunciatum eſſe Cardinalem affirmat, cum reuera creatus ſit ab Innocentio, & interfuit comitijs, in quibus creatus eſt Romanus Pontifex Honorius III. Ciaconius in ſerie Cardinalium, qui comitijs illis affuerũt, Stephanum hunc recenſet, licet loco S. Hadriani, ſancti Theodori Diaconum per errorem Typographus nominet; viuebat enim nunc temporis, iiſdemque comitijs aderat Gregorius de Creſcentio Diaconus Cardinalis S. Theodori. Ab Honorio, ſeu à Gregorio IX. ex Diacono ordinatus eſt Stephanus Presbyter Cardinalis S. Mariæ Transtyberim titulo Calliſti, & multarum controuerſiarum Auditor extitit. Huic idem Romanus Pontifex curam iniunxit reſtituendi Eccleſiam S. Luciæ in Silice, in qua cum olim duodecim monachi fuiſſent, tunc non erant niſi duo Clerici. Sub Gregorio IX. & Innocentio IV. in Vrbe Vicarij munus geſſit; Baſilicarum Lateranenſis, & Vaticanæ Canonicos à leuiore vita ad ſeueriorem diſciplinam reuocauit eiuſdem Innocentij iuſſu. Cum Raynerio Diacono Cardinali S. Mariæ in Coſmedin in Siciliæ Regno legatione functus eſt, vt Siculis latam in Federicum Imperatorem excommunicationis ſentẽtiam nunciaret, fideique ſacramento populos illos abſolueret. De iis Legatis Romanus Pontifex ſcribens, eos nobilia, & præcipua Eccleſiæ mœnia vocat, ſapientia conſpicuos, virtutum diuerſitate præclaros, & Siciliæ Regni, Hetruriæ, Vmbriæ, ac Piceni Legati appellantur. Sabinæ, Campaniæ, & Maritimæ Præfectus obijt Neapoli poſtridie obitus Innocentij IV. vi. Idus Decembris, noſtræ ſalutis anno 1254. ibidemque in Eccleſia principe ſepultus. Nonnulli Stephanum hunc patria Peruſinum fuiſſe ſcribunt, atque ex legitimo matrimonio ante Cardinalatum in filium habuiſſe Philippum, qui diuino ſe famulatui deuouens in ſacro Minorum ordine, Alexandro IV. Romano Pontifici familiaris extitit.

Huiuſce meminere plurium Romanorum Pontificum literæ, quibus ſubſcripſit, illæ ſcilicet Honorij III. anno 1216. datæ Cœnobio S. Benedicti de Mantua: anno 1217. Marino Lunenſi, Fulconi Papienſi, Simeoni Tarracinenſi: & anno 1224. Monaldo Forolempromenſi Epiſcopis. Aliæ Gregorij IX. xv. Kalen. Februarij an. 1229. D
Alberto Priori Eccleſiæ ſedis Epiſcopalis beati Marini; xi. Kalendas Aprilis anno 1231. Guillelmo Monopolitano Epiſcopo, & anno 1237. Abbati S. Saluatoris de Septimo. Item duæ Innocentij IV. datæ anno 1244. Canonicis ſancti Frediani Lucenſis; & xii. Kalendas Maij anno 1252. Pagano Præpoſito, & Canonicis ſancti Saluatoris de Lauania.

XXXI.

ROBERTVS Curſon, aliàs de Corceon, vel Curtonus, ſeu de Curteon, vel Curtim, nobilibus in Anglia parentibus natus, Oxonij literis incubuit, ampliora deinde meditatus, Lutetiam, ac Romam ipſam petijt; illic Theologus Doctor, hic verò Presbyter Cardinalis S. Stephani in Cœlio monte renunciatus eſt. In Gallias Innocentius Robertum à ſe Cardinalem creatum pro expeditione
Terræ Sanctæ Legatum è latere miſit, quem Gallicano Clero, Fran- E
corum Regi, & Ludouico eius primogenito, Blancæque Ludouici vxori commendauit. At vt Albigenſium peſtis radicitus primò euelleretur, ipſe Robertus Cardinalis Legatus, qui ad cogendos in Terræ Sanctæ ſubſidium Crucesignatos operam nauabat, contra Albigenſes ſtudium ſuum conuertit, ac nonnullos Cõcionatores ad eam expeditionem iuſſit populos incendere, atque ipſe ſigno Crucis ſuſcepto in Hæreticos ſe ſe generosè accinxit, & ſuperauit.

Cum autem Burdegalenſis Archiepiſcopus, Pariſienſis, atque Andegauenſis Epiſcopi, Marchiæ, & Niuernii Comites ſe Syriacæ profectioni accinxiſſent, ab Honorio Romano Pontifice flagitantes, vt Robertum Cardinalem itineris Comitem ipſis adiũgeret, quibus Pontifex ſcriptis v. Kalen. Auguſti huius anni literis reſcripſit ſe ad eos Robertum Presbyterum Cardinalem ſancti Stephani in Cœ-
lio monte non ad gerendam legationem, ſed ad diuina oracula pro F
Concione exponenda, cum ad id ſacra eloquentia valeret, mittere, nec Legati munus ipſi, vt depoſcebant, poſſe committere, cum iam illud Pelagio demandaſſet. Legatione tamen functus eſt Robertus vnà cum Romano Cardinali Epiſcopo Tuſculano in Anglia.

Scripſit Summam Theologiæ.

De ſaluatione Origenis.

Lecturas ſolemnes, aliaque non pauca.

Firmauit Innocentij III. literas datas Idibus Aprilis anno 1216. Abbati Cluſini Monaſterij; alias etiam Honorij III. quibus confirmauit Prædicatorum Ordinem eodem anno datas; nec non illas an-
A no 1217. Fulconi Papienſi, Simeoni Tarracinenſi, & anno 1218. nonis Iulij Soffredo Piſtorienſi Epiſcopis.

Roberti obitus memoratur a Iacobo Vitriaco Cardinali in Historia Orientali lib. 3. ad noſtræ ſalutis annum 1218. hiſce verbis: *Pariſienſis, Gerundenſis, Hungarienſis Epiſcopi mortui ſunt in ſuburbio Damiatæ, Cardinalis Robertus de Corteon ſimiliter.*

CARDINALES S.R.E.
quorum Creationis tempus neſcimus.

XXXII.

VBERTVS, ſeu Obertus huius nominis tertius, vt ſcribit Victorellus in Additionibus ad Ciaconium, vel ſecũdus ex Ioanne de Deis de ſucceſſoribus S. Barnabæ Apoſtoli in Eccleſia Mediolanenſi, Terziagus, nobilis Mediolanenſis, Eccleſiæ primò Modoëtiæ Archipresbyter, deinde die ſeptima Septembris anno 1196.
B totius Cleri votis, accedente conſenſu Cœleſtini III. Mediolanenſis Archiepiſcopus renũciatus eſt. Hic dexteritate agendi plurimum valuit; quamobrem inter Mediolanenſes, & Nouocomenſes pacem firmauit: Eccleſiam S. Ambroſij reſtaurare cœpit, morte tamen præuentus opus inchoatum ſucceſſori abſoluendum reliquit. Altaria in Claraualleſi Eccleſia eo ipſo anno conſecraſſe, refert Codex eiuſdem Abbatiæ his verbis: 1196. *facta eſt conſecratio Altarium a Reuerendiſſimo Domino Oberto de Terzaghis Archiepiſcopo Mediolani.* Extant duæ epiſtolæ eiuſdem Innocentij Pontificis ad Vbertum, quarum vnâ ſuper quæſtione inter ipſum Archiepiſcopum, & Monaſterium S. Donati de Scozula ſententiam latam per Epiſcopũ Veronenſem confirmauit; alterâ verò contra Poſlaguerram Mediolanenſem detractorem Curiæ Romanæ. Sedit in Cathedra Mediolanenſi annos quatuor, menſes tres, vel ex Vghellio menſes nouem, dies quinque: Tabulæ Archiepiſcoporum Mediolanenſium ex De-
C creto Concilij IV. Prouincialis editæ, & Acta ipſius Eccleſiæ Mediolanenſis inter Cardinales ab Innocentio creatos hunc recenſent, & Andreas Victorellus in Additionibus ad Ciaconium eundem Presbyterum Cardinalem S. Stephani in Cœlio monte nominat; laudatus verò Ioannes de Deis licet inter Mediolanenſes Archiepiſcopos hunc numeret, eius tamen Cardinalatum tacitus prætermittit, & Ferd. Vghel. tom. 4. Ital. ſac. apertè negat hunc fuiſſe Cardinalem.

XXXIII.



VBERTVS tertius, ſeu quartus Pirouanus, ciuis Mediolanenſis, ex Presbytero primariæ Eccleſiæ ad Archiepiſcopalem Patriæ infulam peruenit, & ſedis Apoſtolicæ nomine legatione functus eſt. Hic Othonem IV. Imperatorem in Ambroſiana Baſilica corona donauit; ſibi commiſſam Eccleſiam rexit annos quatuor, & tres menſes. Andreas Victorellus, Ioannes de Deis Vbertum Pirouanum ab Innocentio Tertio Romanæ Eccleſiæ Cardinalem electum narrant: hos à veritate aberrare, affirmat Vghellius, cum nulla de hac re apud veteres ſcriptores, eiuſque æui monumenta mentio reperiatur.

XXXIV.



GERARDVS Seſſius, ſeu de Seſſio, Italus, nobilis Regienſis, Canonicus Parmenſis primò, poſtea monachus Ciſtercienſis, & Abbas S. Mariæ de Tileto Aquenſis Diœceſis, anno noſtræ ſalutis 1210. electus eſt Epiſcopus Nouarienſis, & anno ſequenti 1211. Epiſcopus Albanenſis, vt conſtat ex Regiſtro Innocentij Tertij iij. nonas Decembris anno decimoquarto Pontificatus, & ex pluribus eiuſdem Pontificis literis, quas ad Gerardum Tileti Abbatem, ac Nouariæ Epiſcopum Cardinalem ſcripſit. Ad ipſum iam Præſulem electum Innocentius Tertius literas dedit, vt cognita cauſa Epiſcopi Albingauenſis, miniſterio Altaris, vnde fuerat depulſus, illum reſtitueret. Eundem etiam declarauit Innocentius Inſubriæ Legatum, vt dexteritate agendi, qua pollebat, ac dicendi copia, Inſubriæ populos contra Othonem IV. à communione fidelium ſegregatum armaret, ac Ciuitates Pontificiam auctoritatem ſequi recuſantes ſacris interdiceret. Munere etiam Legati Apoſtolici functus eſt, cum eligendus foret Placentinus Epiſcopus, eidemque pleniſſimam poteſtatem electores feciſſent, quemcunque voluiſſet, eli-

Marginalia (left): Hermanus Martinellus de Diac. S. Mariæ in via Lata. — Ludou. Iacobil. — Crescen. in Historia. — Ferdinãd. Vghel. in Ital. ſac. — Ciaconius — Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciacon. — And. Victor. ibidẽ. — Oder. Raynald. anno 1218. — And. Victor. ibidẽ. — Nomencl. Cardinal. — Ferdinãd. Vghel. in Ital. ſac.

Marginalia (right): Cœnobiũ in Bullar. — Ferdinãd. Vghel. to. 4. Ital. ſac. — Tab. Archiepiſc. Mediol. — Acta Eccleſ. Mediolanenſ. — Ferdinãd. Vghellus ibidem. — Io. de Deis loco cit. — And. Victorel. in Addit. ad Ciac. — Io. de Deis in ſucc. ſ. S. Barnabæ in Eccleſia Mediolanen. — Ferdinãd. Vghel. to. 4. Ital. ſac. — Ferdinãd. Vghel. to. 4. Ital. ſac. — Carol. à Baſilic. S. Petr. in not. Nouar. — Carol. Sygonius in hiſtor. Bononien. — Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

gendi, Fulconem ſingularis ſanctimoniæ Placentinum Præſulem renunciauit: ibi Synodum celebrauit, ac latis ſaluberrimis legibus, communem Placentinis Canonicis conuictum præſcripſit. Extant Gerardi literæ ad Præpoſitum, & Canonicos Placentinos datæ, quas reſcripſit in ſuo 4. tomo Italiæ ſacræ Ferdinandus Vghellius, in quarum initio hæc legimus: *Gerardus permiſſione diuina Albanen. electus, Apoſtolicæ ſedis Legatus.* Cum Albanenſi Epiſcopatu retinuit Nouarieſē dignitatē, quouſq; Archiepiſcopus Mediolanenſis loco Vberti Pirouani mortui electus eſt. Exceſſit è vita Cremonæ poſt triginta dies ex Vghellio, Coiro, Honuphrio, Caſtilioneo, & alijs, vel ex Ioanne de Deis poſt ſex menſes, & ibidē ſepulchrū obtinuit. Meminit Cardinalitiæ dignitatis Gerardi Carolus Sigonius in Hiſtoria Bononienſi, & vetus decretorum libellus Eccleſiæ Gaudianæ.



XXXV.

Tab. Eccleſ. Atrebatenſ. Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon. Petrus Frizon in Gal. Purp. Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana.

RODVLPHVS Gallus ex Archidiacono Atrebatenſi S. R. E. Cardinalis ab Innocentio Tertio, deinde Atrebatenſis Epiſcopus electus eſt. Hunc ad ſuperos contendiſſe a. Chriſti 1220. affert Claudius Robertus in Gallia Chriſtiana. & Atrebati ſepultum in Eccleſia Beatæ Mariæ, vbi in tumulo æneo hi verſus leguntur.

Quem ſculptura premit, Præſul regale redemit,
Non facit Antiſtes diſcretos mors ſua triſtes.
Nam Cæli ciuis meritorum pondere viuus.

Huic Rodulpho Vghellius gentilitium ſtemma nullum tribuit; Petrus Frizon ſcutum tribuit Atrebatenſe Cyaneum lilijs francicis incerto numero ſparſum cum faſciola coccinea tribus pendulis lacinijs diſtincta, qualibet tribus caſtellis aureis impreſſa.

XXXVI.

Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon. M. Anton. Scipio. in Elog. Abb. Caſin.

PETRVS cognomento Comes Campanus, Cœnobij montis Caſini monachus, ob vitæ meritum, & ſapientiæ doctrinam S. R. E. Presbyter Cardinalis ab Innocentio renunciatus, & Abbas Caſinas confirmatus Othonem IV. Imperatorem Caſinum inuiſentem, quo par erat, honore, ac magnificentia eſt proſecutus, à quo ne vnquam ex poſſeſſione oppidorum monachi expellerentur, priuilegium obtinuit. Extremum obijt diem v. Kalendas Februarij anno Dominicæ Incarnationis 1210. vel 1211. & Caſini ſepultus; cum præfediſſet Caſinenſi Cœnobio annum cum dimidio. Arnoldus Vuion in Ligno vitæ, Trithemium de Viris Illuſtribus S. Benedicti lib. 4. cap. 28. facit auctorem eundemq; ex coniectura ſolum ab Innocētio Tertio creatum aſſerit, cum ab ipſo Trithemio (penes quem huius rei fides ſit) expreſſum non appareat, à quo creatus fuerit.

XXXVII.

Kalendar. Rhenan. Annal. Rhenani. Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

RAYNERIVS Vrbeuetanus, ſeu de Caſtroueteri oppido Tudertinæ Diœceſis, quod nunc eſt dirutum, ex Canonico Regulari S. Mariæ de Rheno Bononienſis Diœceſis, S. R. E. Cardinalis renunciatus eſt; cuius obitus in Kalendario Rhenano commendatur xiv. Kalen. Iulij anno à Chriſto nato 1217. De eo præter hæc pauca ex Annalibus, & Kalendario Rhenano excerpta nil affert auctor libri de Statu, & Ordine Canonico, à quo Purpuram, & quadraginta aureos Piſanos poſt eius mortem habuiſſe profitētur Rhenani Canonici. An verò ab Innocentio, vel certè ab Honorio Innocentij ſucceſſore in numerum Cardinalium Raynerius cooptatus fuerit, cum ibi non exprimatur, incertum videtur. Gabriel Pennottus in Hiſtoria Canonicorum Regularium ſcribit ex Priore S. Fridiani Lucēſis Raynerium ſub Honorio III. Procancellarij vicem agentem, commodiore vocabulo vſum fuiſſe nomine Vicecancellarij, quod munus Raynerius exercuit annis quatuor. Quibus elapſis, anno ſcilicet 1220. conſecratus eſt Patriarcha Antiochenus; eodemque anno Altare in Eccleſia S. Fridiani conſecrauit; ex quibus conſtat Raynerium non exceſſiſſe è vita anno 1217. vt ex Kalendario Rhenano ſcripſit Ioannes Baptiſta Signius in libro de Canonicis, ſed poſt annum 1220.

XXXVIII.

Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

SIGEFRIDVS Baro ab Eppenſtain ſancti Petri Maioris Eccleſiæ Moguntinæ Præpoſitus, poſt mortem Conradi Cardinalis anno 1200. à ſaniore parte Capituli in Archiepiſcopum Moguntinenſem electus, vt à Lupoldo Vuormacienſi Epiſcopo, quem alia pars in Archiepiſcopum elegerat, Philippi Regis auctoritate freto expulſus Coloniam, ad Præneſtinum Cardinalem Legatum ſe contulit, à quo munus conſecrationis accepit. Inde Romam profectus ab Innocentio III. Pallio donatus, confirmatus, & S. R. E. Presbyter Cardinalis tituli S. Sabinæ creatus eſt anno 1206. quoad tamen Philippus Rex in viuis fuit, Moguntinam ſedem tenere, eaque in Vrbe manere haud potuit. Tandem Lupoldus anno 1208. in exilium miſſus, Sigefridus ad Eccleſiam ſuam reuerſus, & Apoſtolicæ ſedis Legatus multa præclara operatus eſt. Aquiſgrani Federicum Regio Diademate ornauit, & Crucem cum eo induit contra Sarracenos: tandem Erfordiæ anno 1225. ſupremo defunctus die, ſepultus eſt in Aede beatæ Mariæ, breui, quod adhuc manet, in eius ſepulchro Inſcripto hoc Epitaphio.

Oder. Rinald. in Annal. tomo 13.

Migrans Vir fidus quinto Septembris in Idus
Præſul Sigfridus fulget Cælo quaſi Sidus.

De Sigefrido multa habet Nicolaus Serarius libro Moguntinarū rerum, & Trithemius in Hiſaogem, à quo hæc hauſit Ferdinandus Vghellius. At cum viueret ſub Innocentio III. Thomas de Capua Presbyter Cardinalis ſanctæ Sabinæ, qui, vt ſupra diximus, vitam produxit ſuam, vſque ad annum 1243. cumque non eſſet in vſu eodem tempore duobus Cardinalibus eundem titulum concedere, pace tot virorum doctorum non audeo affirmare, Sigefridum hunc ab Innocentio renunciatum fuiſſe Presbyterum Cardinalem S. Sabinæ.

XXXIX.

Oder. Rinald. in Annalibus.

GOFFREDVS, ſeu Siffridus Presbyter Cardinalis ſanctæ Praxedis ab Innocentio Tertio Romano Pontifice Venetias primo ad Claſſem parandam contra Sarracenos deſtinatus eſt; deinde in Terram Sanctam Legatus Apoſtolicæ ſedis miſſus, electus eſt Patriarcha Hieroſolymitanus, ſed dignitatem illam recuſauit. Innocentius Tertius cui Goffredi virtus maximè nota erat, vt eam admitteret, pluribus literis eum hortatus eſt, ſed fruſtra, nam ad dignitatem illam euitandam, Syriam deſeruit. Grauiter tulit Innocentius Legatum, ipſo inſcio Syriam in magnum diſcrimen adductam deſeruiſſe, ipſumque facti arguit, & queritur ſecum traxiſſe Chriſtianos Syrios, atque Cruceſignatos perperam Hieroſolymitanæ profectionis voto liberaſſe ea lege, vt anno integro pro ſtabiliendis Conſtantinopolitani Imperij rebus arma geſtarent; demum non data ſatisfactione ſacris Venetos reſtituiſſe. De his omnibus Innocentius Goffredum Legatum arguit, eidemque mandauit, vt acceptis literis, relicta Conſtantinopoli, in Syriam quamprimùm rediret: Innocentij imperium illico Goffredus faciens in Syriam ſe contulit, qua in prouincia lucis vſuram amiſit ſub eodem Innocentio.



XL.

Odericus Rinald. in Annal. tomo 13.

GVALTERIVS Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Porticu legati munere functus eſt in Gallia iuſſu Innocentij Tertij auidi delendæ hæreſeos, ad Philippum Francorum Regem, & alios Principes ardentiſſimas zelo literas dedit, vt Toloſanum, Caduroenſem, Albigenſem, Narbonenſem, Biterrenſem, aliaſque circumiectas regiones hæreſi inquinatiſſimas bello peterent, & inuaderent; atque ob id Crucem induentibus ſe auctoritate Apoſtolica, omnium criminum veniam toto vitæ decurſu commiſſorum, de quibus confeſſi apud Sacerdotem eſſent, impertiri. Poſt hanc legationem nulla extat huius Gualterij memoria.



XLI.

IOANNES Dominicus, Vmber, patria Fulginatenſis, filius Odoriſij Comitis Trincij, & frater Ioannis Epiſcopi Amerini, vir literis præditus, ab Innocentio III. Romano Pontifice renunciatus eſt Presbyter Cardinalis S. Cyriaci in Thermis. Huius meminere Durantes Dorius in hiſtoria familiæ Trinciæ, & Ludouicus Iacobillus in hiſtoria Fulginatenſi ex Tabulario euiſdem Vrbis.



Ferdinand. Vghel.

XLII.

ALEBRANDINVS Caietanus nobilis Romanus, Diaconus Cardinalis ſancti Euſtachij ab Innocentio Tertio Romano Pontifice, deinde Presbyter Cardinalis ſanctæ Suſannæ, & ab eodem Epiſcopus Sabinenſis renunciatus eſt: vt habetur ex Regiſtro Vaticano Honorij Tertij in epiſtola 529. anno V. Pontificatus, Epiſcopo, & Capitulo Pariſienſi ſcripta, quæ eſt talis.

HONORIVS TERTIVS PAPA Epiſcopo, & Capitulo Pariſienſi.

Venerabili fratre noſtro A...... quondam S. Suſannæ Presbytero Cardinale in Sabinenſem Epiſcopum conſecrato, eidem ſuadere ſtuduimus, vt Præbendam, quam in veſtra obtinebat Eccleſia retineret, quatenus ipſe per hoc plenius in Eccleſia deuotione retineretur eiuſdem: ſed id nulla ſuaſionis inſtantia potuimus obtinere. Vnde volentes, vt eius affectio ab ipſa Eccleſia non recedat, Præbendam ipſam dilecto filio Iacobo nato nobilis viri Ioannis Caietani, germani eiuſdem Epiſcopi duximus conferendam, vt Epiſcopus ipſe, ac ſui hoc vinculo mediante eidem Eccleſiæ remaneant obligati. Ideoque vobis per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus procuratori ſuo, eius nomine ſtallum in Choro, & locum in Capitulo aſſignantes, fructus ipſius Præbendæ de cetero exhiberi faciatis eidem: nos enim decernimus irritum, ſi de Præbenda ipſa ſecus fuerit aliquid attentatum: Datum Laterani Idus Aprilis, anno Quinto.

Eiuſdem Alebrandini Cardinalis ſanctæ Suſannæ anno Quarto Honorij habetur mentio in epiſtola 712. Decano, & Capitulo Pariſienſi, vt alterum ſibi deligant Epiſcopum; cum Alebrandinus tituli ſanctæ Suſannæ Presbyter Cardinalis ab ipſis poſtulatus, electioni de ſe factæ aſſenſum præbere noluiſſet. Alebrandini Epiſcopi Sabinenſis nomen, quod hac ſolum litera A. notatur in Regiſtris, ex monumentis Archiuij Florentini, & ex diuerſis Honorij Diplomatibus expiſcatus eſt Ferdinandus Vghellius.

Subſcripſit Alebrandinus Diaconus Cardinalis ſancti Euſtachij Innocentij Tertij literis ſcriptis vi. Idus Maij anno Dominicæ Incarnationis 1206. Nicolao Archipresbytero, Florano Archidiacono, & Canonicis Vicentinis. Presbyter verò Cardinalis ſanctæ Suſannæ illis Honorij Tertij Monaſterio ſanctæ Mariæ de Petrorio viij Kalendas Aprilis anno 1221. demum Epiſcopus Sabinenſis alijs eiuſdem Pontificis Monaſterio ſancti Saluatoris Maioris Reatinæ Diœceſis viij Kalendas Maij anno 1221. & iij. Idus Iunij anno 1222. Abbati ſanctæ Mariæ de Nouoportu Anconitanæ Diœceſis. Huius quoque memoria extat in marmorea Inſcriptione Eccleſiæ ſanctorum Vincentij, & Anaſtaſij ad tres Fontes extra Vrbem cuius conſecrationi ab Honorio habitæ Kalendas Aprilis anno 1221. interfuit.

Huius obitus dies recenſetur in antiquo Martyrologio ſanctorum Cyri, & Ioannis, pluries à Baronio in Notis ad Martyrologium Romanum citato, hiſce verbis; *xv. Kalendas Ianuarij obijt D. Alebrandinus Cardinalis Epiſcopus Sabinenſis*, & in Necrologio Monaſterij ſancti Cyriaci de via Lata, adſcriptum Martyrologio Bedæ Presbyteri, quod olim aſſeruabatur apud Moniales dicti Monaſterij, nunc autem in Bibliotheca Vallicellana Congregationis ſancti Philippi Nerij eadem die legimus *Don Alebrandinus Cardinalis Epiſcopus Sauinenſis.* neſcimus tamen, quo anno ille exceſſit è vita. Loco Alebrandini inuenitur aliquando ſubſcriptus in literis Romanorum Pontificum Ildebrandinus, qui error irrepſit incuria amanuenſis in deſcribendis literis illis.

Floreman. Mart. in Troph. S. Crucis in via Lata.

Innocentius Tertius Romanus Pontifex multis Ordinationibus Decembri, & alijs menſibus factis quamplures creauit Cardinales, quorum quadraginta duorum mentio tantùm extat.

CANCELLARII, ET PROCANCELLARII S. R. E. ſub Innocentio Tertio.

Mag. Raynaldus Papæ Notarius, poſtea Archiepiſcopus Acheruntinus Cancellarij vicem agens Pontificatus Innocentij anno primo, & ſecundo.

Mag. Blaſius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Subdiaconus, & Notarius, poſtea Epiſcopus Turritanus Procancellario ab anno tertio ad finem quinti.

A Mag. Ioannes ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Subdiaconus, & Notarius, paulo poſt Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in via Lata, Procancellario anno ſexto, ſeptimo, & octauo.

Ioannes Comes Anagninus Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Coſmedin ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cancellarius ab anno nono vſque ad decimum ſextum.

Mag. Raynaldus Acolythus, & Capellanus Papæ Procancellario anno decimo ſexto, & initio decimiſeptimi.

Mag. Thomas Neapolitanus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Subdiaconus, & Notarius electus Procancellario anno decimo ſeptimo, & octauo.

Mag. Guillelmus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Subdiaconus anno decimo nono, & initio Honorij Tertij.

Cardinales mortui ſub Innocentio III. ex Ciaconio.

B Gerardus Alluciogolus Diaconus Cardinalis ſancti Hadriani circa annum 1201.

Octauianus Romanus Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus anno 1205. vel ex Vghellio 1206.

Gregorius Galganus de ſancto Apoſtolo Presbyter Cardinalis ſanctæ Anaſtaſiæ: huius obitum nos in eius vita ſub Clemente Tertio, ſub Honorio Tertio ponimus.

Frater Iordanus de Ceccano Presbyter Cardinalis ſanctæ Pudentianæ anno 1205.

Don Bernardus Presbyter Cardinalis ſancti Petri ad Vincula poſt annum 1202.

Gregorius Presbyter Cardinalis tit. Veſtinæ poſt annum 1202.

Gregorius de monte Carello Diaconus Cardinalis ſancti Georgij in Velabro poſt annum 1210.

Ioannes Salernitanus Presbyter Cardinalis ſancti Stephani in

C monte Cœlio circa annum 1210.

Benedictus Epiſcopus Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ circa finem Pontificatus Innocentij; nonnulli tamen ſcribunt Benedictum hunc è vita exceſſiſſe poſt Honorij Tertij electionem.

Mag. Melior Gallus Presbyter Cardinalis ſanctorum Ioannis, & Pauli titulo Pammachij: alij volunt Meliorem obijſſe ſub Cœleſtino Tertio.

Mag. Gratianus Piſanus Diaconus Cardinalis ſanctorum Coſmæ, & Damiani initio Pontificatus.

Gregorius Diaconus Cardinalis ſancti Angeli, poſt annum 1202.

Hugutio Bobo Romanus Presbyter Cardinalis ſanctorum Syluestri, & Martini titulo Equitij; poſt annum 1205.

Petrus Gallocia Romanus Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ, poſt annum 1210.

Pandulphus Maſca Piſanus Presbyter Cardinalis ſanctorum

D duodecim Apoſtolorum poſt annum 1201.

Guillelmus Comes Bleſenſis Gallus Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus anno 1202.

Mag. Adelardus Veronenſis Presbyter Cardinalis ſancti Marcelli in fine anni 1211. vel initio ſequentis.

Petrus Capuanus Amalphitanus Presbyter Cardinalis ſancti Marcelli poſt annum 1209.

Ioannes Epiſcopus Cardinalis Albanus, anno 1210.

Sofredus Presbyter Cardinalis ſanctæ Priſcæ, anno 1211.

D. Rofredus de Inſula Arpinas Presbyter Cardinalis ſanctorum Marcellini, & Petri, anno 1208. vel 1209. ſeu 1212.

Ioannes Comes Anagninus Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Coſmedin anno 1213.

Gregorius Creſcentius Diaconus Cardinalis ſancti Theodori: hunc nos ſupra ex Diplomatibus Honorij Tertij diximus obijſſe ſub

E eodem Honorio.

Gerardus Diaconus Cardinalis ſancti Nicolai in Carcere Tulliano, anno 1210.

Præterea hos, quos ex Ciaconio, recenſuimus, ſcimus ſub eodem Innocentio diem ſupremum obijſſe.

Matthæum Diaconum Cardinalem ſancti Theodori circa annum 1206.

Rogerium Presbyterum Cardinalem ſanctæ Anaſtaſiæ poſt annum 1209.

Ioannem Diaconum Cardinalem ſanctæ Mariæ in via Lata, & ſanctæ Romanæ Eccleſię Procancellarium poſt annum 1210.

Petrum de Mora Diaconum Cardinali ſancti Angeli anno 1213.

Angelum Diaconum Cardinalem S. Hadriani poſt annum 1212.

Gregorium Epiſcopum Cardinalem Sabinenſem poſt ann. 1203.

F Vberum, ſeu Obertum Archiepiſcopum Mediolanenſem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis circa annum 1200.

Vbertum alium Pirouanum Archiepiſcopum Mediolanenſem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem circa annum 1204.

Gerarduo Seſſium, ſeu de Seſſio Archiepiſcopum Mediolanenſem Epiſcopum Cardinalem Albanenſem circa annum 1204.

Petrum Campanum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyterum Cardinalem anno 1210. vel 1211.

Goſtredum ſiue Siffridum Presbyterum Cardinalem S. Praxedis.

HONO-

HONORIVS III. PONTIFEX CLXXIX.

ANNO DOMINI MCCXVI.





HONORIJ Electio.

PERVSIAE ad xvij. Kalend. Auguſti obijt Innocentius III. poſtridie eius funeralia celebrata. ad xv. ſacris Spiritus ſancto ritè peractis in Comitiũ Patres circiter 19. tum præſentes, conuenere; Defuncto namq; Innocentio cum res Chriſtiana nõ ſolum propter Aſiaticum bellũ, ſed & propter ciuiles Italicas diſſẽſiones grauiſſimis eſſet expoſita periculis, & cum in nouo Pontifice deligendo nonnihil diſſentire cæpiſſent, veriti, ne ſedis vacatio in longum protraheretur, illico Cardinales in Comitio ſe recluſerunt: quare ſummum Pontificem ipſo die deſignarunt Honorium III. qui Romæ ſummo loco, patre Hamerico natus, Centius antea dicebatur: Eum ſanctus Antoninus, & Paulus Corteſius in libro de Cardinalatu, gente Sabella ortum fuiſſe tradunt. Qui adoleſcens in Eccleſia Patriarchali S. MARIAE Maioris educatus, eiuſdem etiam Canonicus primùm fuit, à Cœleſtino deinde III. cuius dùm Cardinalis fuit, Magiſter domus erat, Diaconus Cardinalis S. Luciæ in Silice, aliàs Orthea, & S. R. E. Camerarius creatus, ſub quo & Cancellarij munere functus eſt: quem Innocentius III. ex Diacono, Presbyterum Card. SS. Ioannis, & Pauli titulo Pammachij creauit. Hinc cœptus mos laudabilis fuit incluſionis Cardinalium, vt citiùs Papam crearent, neque moras necterent, & cibus in dies parcior, & imminutior fieret ſtimulus celeriter electionem Pontificis maturandi, vt cauetur in cap. *Vbi periculum* de elect. in 6.

CONclauis prima inſtitutio.

CARDINALES XXVII. VIVI
quando Honorius Papa III. creatus eſt.

CARDINALES EPISCOPI V.

ALEXANDRI PAPAE III.

1. Fr. Nicolaus monachus, Epiſcopus Card. Tuſculanus.

CLEMENTIS PAPAE III.

2. Guido de Papa Romanus, Epiſcopus Card. Præneſtinus.

INNOCENTII PAPAE III.

3. Hugolinus Comes Anagninus, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus.
4. Benedictus, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & S. Rufinæ.
5. Pelagius Epiſcopus Cardinalis Albanus.

PRESBYTERI CARDINALES XII.

COELESTINI PAPAE III.

6. Cynthius de Cincijs Romanus, Presbyter Card. titulo ſancti Laurentij in Lucina, Prior Presbyterorum.

INNOCENTII PAPAE III.

7. Cencius Sabellus Romanus, Presb. Card. SS. Ioannis, & Pauli titulo Pammachij, S. R. E. Camerarius.
8. D. Leo, Presbyter Card. S. Crucis in Hieruſalem.
9. Petrus Saxo Anagninus, Presb. Card. S. Pudentianæ titulo Paſtoris, Vicarius in Vrbe.
10. D. Iacobus Gualla de Bicherijs Vercellenſis, Canonicus Regularis Presbyter Card. ſanctorum Syluestri, & Martini in montibus titulo Equitij.
11. Ioannes Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Praxedis.
12. Robertus Curſon Anglus Presbyter Cardinalis titulo ſancti Stephani in monte Cælio.
13. Stephanus de Foſſa noua Romanus, Presbyter Cardinalis Baſilicæ ſanctorum duodecim Apoſtolorum.
14. Stephanus Langthonus Anglus, Archiepiſcopus Cantuarienſis, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Chryſogoni.
15. Gregorius Theodolus Presb. Card. tit. S. Anaſtaſiæ.
16. Petrus Presb. Card. tit. S. Laurentij in Damaſo.
17. Thomas de Capua Campanus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Sabinæ.

CARDINALES DIACONI X.

INNOCENTII PAPAE III.

18. Guido de Biſontio Vrbeuetanus, Diaconus Card. S. Nicolai in Carcere Tulliano, Prior Diaconorum.
19. Octauianus de Comitibus Signiæ Anagninus, Diaconus Cardinalis ſanctorum Sergij, & Bacchi.
20. Ioannes monachus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in via Lata.
21. Gregorius de Creſcentio Romanus Diaconus Cardinalis ſancti Theodori.
22. Ioannes Diaconus Card. SS. Coſmæ, & Damiani.
23. Raynerius Capoccius Viterbienſis, Diac. Card. S. Mariæ in Coſmedin, aliàs Schola Græca.
24. Romanus Diac. Card. S. Angeli in Foro Piſcium.
25. Petrus Diac. Card. S. Mariæ in Aquiro.
26. Bertramus Diac. Card. S. Georgij in Velabro.
27. Stephanus Diac. Card. S. Hadriani.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1216. *die Dominico ix. Kal. Auguſti*, Peruſij in Cathedrali Eccleſia Honorius III. coronationis ſuæ inſignia conſequutus eſt, per manus Guidonis de Biſontio Vrbeuetani S.R.E. Archidiaconi; ſedit Imperatore Friderico Secundo Auguſto, annos x. menſes viij.

CORONATIO Papæ Honorij Tertij.

Inito Pontificatu, Honorius III ſtatim Romam redijt, & primùm omnium xj. Kalendas Septembris, anno 1216. rogatu S. Dominic

Calagu-

DOMINICANA religio ab Honorio cõfirmata.

Calaguritani Hiſpani, Felice, & Ioanna parentibus orti, Prædicatorum Ordinem ab eo Toloſæ in Eccleſia S. Romani, contra Hæreticos Albigenſes inſtitutum, ſollemnibus cæremonijs apud Baſilicam Vaticanam confirmauit, petierat id ante beatus Pater ab Innocentio III. in Concilio Generali Lateranenſi, cui cum Pontifex rei nouitate motus ſe aliquantulum difficilem præſtitiſſet, diuinis haud longè poſt viſionibus monitus annuit; qui per quietem ſe vidiſſe teſtabatur beatum Dominicum Baſilicam Lateranenſem cadentem humeris ſuſtentare, iuſſitq; vt Toloſam rediens, communicato cum fratribus, qui circiter 16. erant, conſilio, probatam aliquam viuendi Regulam deligeret, qua ſuſcepta Romam reuerteretur. Dominicus Regulam S. Auguſtini delegit, cum qua & 12. Fratribus Vrbem rediens, Innocentio III. interim vita functo, Honorium III. Pontificem ſucceſſorem inuenit, à quo Ordinis ſui confirmationem 20. die Decembris, anno 1216. & Monaſterium S. Sabinæ impetrauit, & Ordinis Conuentum Bononiæ elegit, anno 1220. quo anno comitia generalia celebrauit: obijt viij. Idus Auguſti, anno ſequenti 1221. Confirmauit etiam idem Põtifex Ordinem Minorum à ſancto Franciſco Aſſiſiate conditum; ſollemni bulla iij. Kalen. Decembris anno 1223. Pontificatus VIII. probauit: quo anno primum generale Capitulum Ordinis Minorum, apud S. Mariam de Portiuncula celebratum eſt.

Biennio poſt S. Franciſcus tertium Ordinẽ Pœnitentiũ conſtituit.

FRANCIſcana religio ab Honorio cõfirmata.

Anno igitur 1223. Honorius III. Regulam S. Franciſci confirmauit, cuius ſocij circiter 15. erant; exceſſit verò S. Franciſcus anno Domini 1226. iij. nonas Octobris, ætatis ſuæ anno 45. antea Ioannes vocatus, Petri Bernardoni filius, charus Inocẽtio III. & Honorio III. De hac re Lucas Vvaddingus, tomo 1. Annal. Minor.

Duo ſunt, quæ Pontificatum eius maximè illuſtrauerunt: Primum confirmatio Ordinum Prædicatorum, & Minorum, à ſanctis Dominico, & Franciſco inſtitutorum, quos Reip. Chriſtianæ vtiliſſimos à ſede Apoſtolica probari oportuit, vt corruptis hominum moribus; diſciplinæq; Chriſtianæ penè ruenti conſulerent, ac mederentur.

IMPERatorum duorũ coronatio.

Alterum fuit coronatio duorum Imperatorum, Orientalis, & Occidentalis: Rogatus namque à Petro Altiſiodorenſi Flandro, Comitem ipſum, & Iolam vxorem Romæ in æde S. Laurentij, quæ extra muros via Tiburtina inſignis viſitur, Imperiali Diademate condecorauit, qui fuit tertius Latinorum Orientis Imperator an. 1216. & imperauit annis 5. & Ioannem Columnenſem Presbyterum Cardinalem titulo S. Praxedis Legatum facit, vnaque cum auxiliaribus copijs ab Innocentio III. poſt Lateranenſe Concilium collectis in Syriam mittit. Otho IV. olim Imperator obijt v. Kalendas Maij anno 1218. Imperiali deinde corona Fridericum II. donauit in Baſilica Vaticana, per Hugolinum Oſtienſem Epiſcopum Legatum ſuum, x. Kalendas Decembris anno 1220. Licèt poſtea eundem Fridericum periurio, dolis, ſceleribus, rapinis, ſacrilegijs obnoxium anathemate percuſſerit, omnique dignitate priuauerit. Is mortua matre Conſtantia, quæ ipſum in officio continebat, Romam veniens contra ius, faſque ditionem pontificiam vexauit. Hanc igitur ob rem motus Soldanus, quod de inimicitia Imperatoris cum Pontifice ei conſtabat, maiorem, quàm vnquam antea comparauit exercitum, arbitratus Chriſtianos nuſquam comparituros. Qui ſtatim ſuadente Ioanne Columna Cardinale Legato ſumptis armis hoſti ad Nilum obuiam fiunt. is verò timorem ſimulans ne à loco, in quo conſederant abirent, excreſcentiam Nili expectauit. Quæ paulò poſt apertis vndique ipſius fluminis cataractis, ita omnia inundauit, vt cubitum quouis in loco excederet. Hoc autem malo perterriti Chriſtiani pacem ſtatim hac conditione inire, vt Damiata relicta, captiuis vtrinque dimiſſis, reddito à Barbaris Crucis ſigno, Chriſtianis, Acconem, Tyrumque redire liceret. Damiata Barbaris ex fœdere reddita eſt. Crucis ſigno ſuſcepto anno 1223. Chriſtianorum autem Duces cum Cardinale Ioanne Columna Legato in Italiam redierunt. Quos ſubſequutus Ioannes Hieroſolymitanus Rex, qui cum Romam veniſſet, perbenignè magnis donatus muneribus ab Honorio ſuſcipitur. Hinc eſt, quod omnes Siciliæ, Neapolitanique Reges titulum Hieroſolymitani Regni ſibi vendicant. Hinc Ioannes Brennus voti cauſſa in Hiſpaniam profectus, viſitaturus corpus S. Iacobi in Compoſtella, vxorem duxit Berengariam, filiam Alphonſi IX. Regis Legionenſis.

OTHO Imper. moritur. Fridericus coronatur.

FRIDERIcus ex cõmunicat.

BELLVM inter Chriſtianos, & Soldanum.

HIEROſolymitanus Rex Romã venit.

IOANnes Brennus Berẽgariam in vxorem ducit.

Ordinem Vallis Scholarium tertio anno Pontificatus ſui Honorius III. confirmauit anno Chriſti 1218. Quem Guillelmus quidam Anglicus, qui Pariſijs ſcholaris fuerat, & poſtmodum in Burgundia Rex erat, & tandem cum ſcholaribus ſuis ad Eremum confugit, & formam viuendi ex diuerſis religionibus ſuis, & ſibi elegit. Idemque Honorius regulam Fratrum, in monte habitantium Carmelo, quem Helias frequentaſſe legitur anno 1226. protegendam ſuſcipit, Gregorius IX. eius ſucceſſor eandem confirmauit: & ne poſſeſſiones, aut redditus ſuſciperent diſtrictè eis prohibuit. Hi enim Fratres anno Domini 1238. propter Paganorum inſultus, compulſi ſunt à loco ſuo diſpergi per varias mundi regiones.

CONFIRmatio Ordinis Valliſcholarium ab Honorio.

HONOrius Carmelit. Ordinis protector.

SANCTI Dominici

Anno Domini 1223. ex hac vita migrauit Bononiæ, nonis Auguſti B. Dominicus Ordinis Prædicatorum Inſtitutor.

HENRIcus, Friderico patre viuente, inaugurat.

Eodem anno Fridericus II. Imperator Henricum filium decennem ſibi ex Cõſtantia, filia Regis Hiſpaniæ Ferdinandi Tertij Sancti Regem conſtituit, & Aquiſgrani ab Egiberto Archiepiſcopo Colonienſe coronari mandauit. Qui cum patre annos 7. regnauit.

CONuentus à Ludouico celebratur contra Albigenſes.

Per hoc tempus Ludouicus XI. Francorum Rex, frequentem Procerum, & Epiſcoporum Regni Conuentum contra Albigenſes habuit, cui Legatus Apoſtolicus Romanus Diaconus Cardinalis S. Angeli interfuit. Cuius timore perterritus Albigenſium præcipuus fautor Raymundus Comes Toloſanus Legatos ad Honorium Papam miſit, ſe velle mandatis Eccleſiæ obtemperare, promittens. Verum Rege Ludouico paulò poſt mortuo deterior factus, peiora prioribus molitus eſt. Cæterum Francorum Regis Ludouici iuuenis, Honorij Papæ præſidijs eodem Comite exacto, Comitatum Venaiſinum tunc primum Romana ſedes obtinuit, qui eiuſdem Comitis erat.

Imperator Robertus Auguſtus Quartus Latinorum Conſtantinopolis Imperator anno Domini 1222. imperauit annos 7.

Flauius Ioannes III. Ducas Auguſtus Græcorum in Aſia Imperator anno 1222. imperauit annos plurimum minimumue 33.

ORDO militum de Calatraua inſtituitur.

Honorius III. alios præter prædictos confirmauit S. Trinitatis Redemptionis captiuorum ſecundum in Hiſpania Militarem Ordinem titulo militum de Calatraua ordinis Ciſtercienſis anno 1220. à Sanctio Rege in Agro Toletano inſtitutum, à loco & regione Calatrauæ nuncupatum, vbi Cœnobium Templariorum fuerat: Templarij enim cum Sarracænis reſiſtere non poſſent, nouis his militibus cedere ſunt iuſſi, nigrum amictum cum rubra Cruce geſtantibus. Quorum Magiſter per id tempus quadraginta aureorum millia habebat annui cenſus. Tertium in Hiſpania Militarem ordinem idem Pontifex probauit, militum Cruce viridi ſignatorum, qui Alcantaræ dicitur, ab oppido regni Caſtellæ iuxta Tagum, Alcantara vocatum, propè quod nobiliſſimum eorum Cœnobium viſitur, quod per hæc eadem tempora conditum fertur.

ORDO militum de Alcantara.

Idem Pontifex Honorius III. Beatum Guillelmum Archiepiſcopum Bituricenſem miraculis clarum, ſanctorum confeſſorum numero aſcripſit, cuius viri examen Epiſcopo Antiſiodorenſi, & duobus Ciſtercienſibus Abbatibus commiſerat. Canonizatio facta vi. nonas Iulij, anno eius Pontificatus II. 1218.

BEATI Guillelmi canonizatio.

Huius Honorij III. plures in Iuris Canonici libris extant epiſtolæ decretales; idem Baſilicam, & Cœnobium S. Laurentij extra Vrbis muros, reparauit, & ædiculam Lateranenſis Palatij, quæ dicitur Sancta Sanctorum, & Eccleſiam ſanctæ Bibianæ iuxta formas aquæ Martiæ cum Monaſterio Monialium reſtituit: Monaſterium ſancti Martini, quod Caſternarum dicitur condidit, ſemifornicem, & ciborium ſancti Pauli opere vermiculato exornauit; ædes præterea calæ Marij ædificauit.

RES ab Honorio geſtæ.

Boemi ſanctiſſimo huic Pontifici, obſidibus etiam datis, promiſerunt, ſe in fide & obedientia Romanæ Eccleſiæ perpetuo futuros, ac iura eiuſdem Eccleſiæ tenaciter ſemper ſeruaturos, vt pote quos magnis eadem Romana ſedes tunc quoque recens affecerat beneficijs. Vniuerſum Scotiæ Regnum Pontifex ſub protectione Apoſtolicæ ſedis ſuſcepit, multùmque decorauit, honoribus, atque priuilegijs donauit. Earum autem rerum fides in Regiſtro eiuſdem Honorij adhuc Romæ clariſſima extat.


BOEMI Eccl. Romanæ obedientiæ ſe tradunt.

SCOTVM Regnũ ſub protectione ſedis Apoſtol.

Claruerunt eius Pontificatu Clara Virgo ſanctimonialis, diſcipula B. Franciſci, & Eliſabeth vidua quæ vxor fuerat Langrauij Turingiæ, S. Antonius de Padua Ordinis Minorum, Iordanus Saxo Ordinis Prædicatorum; viri docti, & ſancti.

S. CLARA

SIGNA HONORII PAPAE III.







HONORij Tertij obitus.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1227. xv. Kalendas Aprilis nocte ſequenti feria vi. hebdomadæ quintæ Quadrageſimæ obijt Romæ Honorius Papa Tertius ſepultus ante aram Præſepij in Baſilica ſanctæ MARIAE Maioris, anno Pontificatus ſui Decimo, menſe viij. vitam egit, vt bonum Paſtorem decebat. Vacauit ſedes diem vnum.

ADDI-

ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

¶ * *Gente Sabella.*]Ita etiam Panuinius in Chron. Cardinales 19 anno 1216. xv. Kalendas Auguſti, Cencium Sabellum ad Petri Cathedram euexerunt. Panuinius loc. cit.

Ad vitam Greg. X.

* *Incluſionis Cardinalium.*] Panuinius ad Gregor. X. tempora, Conclauis initia refert: qui anno 1274. leges ad Romani Pontificis Electionem ſpectantes à Panuinio ex ſcriptas, tulit: in ijs agitur etiam de Conclaui: de quo à me alio loco.

* *Prædicatorum Ordinem.*] Hic ante alios Mendicantium ordines à ſede Apoſtolica approbatus. Pius V. Conſtit. 71. *Dimina,* &c. tomo 2. Bullarij.

* *B. Dominicum Baſil. Lateranen. ...... ſuſtentare.*] Ita S. Anton. part. 3. Hiſtor. tit. 19. cap. 3. Theodoricus de Apoldia, & Io. Garzo, in vita S. Dominici, ſanctum quoque Franciſcum eiuſdem Baſilicæ penè ruentis molem ſuppoſitis humeris ſuſtinentem idem Innocentius III. in ſomnis vidit, Breu. Roman. iv. Octob. de quarte S. Bonau. *Videbat namque in ſomnis, vt retulit, Lateranen. Baſilicam fore proximam iam ruinæ, quam quidam homo pauperculus, mendicus, & deſpectus, proprio dorſo ſubmiſſo, ne caderet, ſuſtentabat. Verè* inquit, (Innoc. III.) *hic eſt ille, qui opere, & doctrina Chriſti ſuſtentabit Eccleſiam:* & S. ipſe Franciſcus vocem è Cruce Dominica audiuit dicentem. *Franciſce vade, repara domum meam, quæ, vt cernis, tota deſtruitur.* Cæleſtes hi viri duo mira ſpiritualium præliorum fulmina, ad tartareorum hoſtium conatus, viteſque infringendas diuinitùs delecti, inſtructi, armati. Species Chriſti Domini tria tela contra homines ſuperbiæ, auaritiæ, luxuriæque ſordibus contaminatos minanti dextera geſtantis aliquando viſa: at conſpectam etiam ferunt B. Virginem MARIAM Dei, & miſericordiæ Matrem irato Filio SS. Dominicum, & Franciſcum, pro eiuſdem Filij gloria, & hominum ſalute, contra inferas acies dimicaturos, oſtendentem, eumque precibus placare conantem.

cap. 3. vit. de B.Franc.

Theodoricus de Apoldia loc.cit.

* *Honorius ..... Regulam S. Franciſci confirmauit.*] Diploma ſuggerit tom. 1. Bullarij. *Solet annuere ſedes, &c.* Dat. Laterani iij Kal. Decemb. anno 8. Pôtif. ordinem S. Dominici, anno 1. Diplomate *Religioſam vitam;* Dat. Romæ apud S. Sabinam xi. Kalen. Ianuar 1216. confirmauit.

Ex eodem Bullar.

Innoc. III. S. Franciſci Regulam approbauerat, S Bonauenturam, Breuiarium Rom. ipſum Honorium Conſt. *Solet,* &c. teſtes do. Vide Vvaddingum tom. 1. Ann. Min.

* *Coron. duorum Imperatorum.*] Fridericum II. Occidentis, Genebr. lib. 4. Chronogr. cum Blondo lib. 7. dec. 2. Petrum Orientis Imperatorem, Iolamq; vxorem eius in Baſilica S. Laurentij extra muros Honorium conſecraſſe, affirmat Planna; at quem Platina Petrum nuncupat, Robertum Petri filium fuiſſe, ſcribit loc. cit. Genebrardus, Petrus Theodori Laſcaris Græci Imp. inſidijs captus in carcere obtruncatus occubuit. Vide Genebr. loc. cit. De Theodoro Laſcari Georgius Logotheta Acropol. in Chron. Conſtantinop.

In Honorio Tertio

* *Friderico ..... filiam ex Iole.*] Io. Brennus, Chriſtianorum Principum voluntate, Rex Hieroſolymitanus, nomine, Blondo teſte, deſignatus, Friderico II. cuius prima vxor obierat, Iolam filiam in coniugem tradidit, dotiſq; nomine, Hieroſolymæ Regnum, ea conditione, vt ſtatim poſt nuptias, ad ſacram eam Vrbem recuperandam pergeret: quod eſt in cauſſa, cur Siciliæ Reges Hieroſolymitani regni nomen, & inſignia ſibi vendicent, Geneb. loc. cit. Filiam Ioannis ex Iole vxore ſuſceptam Friderico nupſiſſe, ait Platina: at Genebrardus filiam ipſam Ioannis Iolam nominat: & fieri poteſt, vt mater, & filia eodem nomine nuncuparentur.

Nec in Innocē. III. Genebrardus.

loc. cit.

* *Io. Brennus ..... Berengariam.*] Hanc Hiſpaniæ Regis ſororem exiſtimauit Platina, in Honorio III. Caſtellæ Vvaddingus to. 1. Ann. Min. num. 5. ad an. 1240.

Io. Brennus Hieroſolymitanus Rex, & deinde Conſtantinopolitanus Imperator, filia Martha ex Berengaria Balduino II. in vxorem data, coronatus: poſt aliquot annos, Franciſcani inſtituti veſtes induit, & in eodem ordine è vita deceſſit, illius illæ voces, *ò dulciſſime Ieſu Chriſte vtinam ego, qui delicioſè in pompa habitu ſeculari vixi veſtibus pretioſis indutus, ſic poſſem, ſicut & ſtudeo in hoc humili habitu, cum ſacco ad collum eleemoſynas petendo oſtiatim tua ſancta paupertatis, & humilitatis ſequi veſtigia.* Ex Iornand. M.S. Cod Vat. Vvaddingus loc. cit.

* *Vallisſcholarium tertio anno.*] Non eadem Genebrardus, eum audeſi vacat. *Monaſticus Vallis ſcholarium ordo, ſub Regula D. Auguſtini, originem ſumit in Campania, per Guillelmum, Richardum, & Maneſſem Theologia profeſſores: confirmatur ab Honorio.*

* *Clara.*] De S. Clara virgine virtutum ornamentis culta, & fama celebri, multa Vvaddingus to. 1. Ann. Min. Hanc Greg. IX. Aſſiſium profectus viſitauit, anno 1228. Idem ad hunc annum num. 1.

* *Eliſabeth vidua.*] De huius laudibus plurima Vvadd[illegible] nupſit hæc Ludouico Turingiæ Lantgrauio, ann. 1221. obijt Ludouicus an. 1227. illa nonnullis annis, poſt viri, clari ſanctitate, mortem religioſiſſimè vixit, Greg. IX. à quo inter ſanctas adſcripta fuit, eam egregijs laudibus extulit, epiſtola ad Beatricem Caſtellæ, Toleti, & Legionis Reginam, ex Regeſto Vaticano ab Vvaddingo edita, tom cx. An. ad an. 1235. Pingitur ſancta vidua trium coronarum cultu redimita: quo ſymbolo oſtenditur, eam Virginem, viro iunctam, viduamq; ſanctiſſimè vixiſſe, ſic Molanus.

* *Antonius de Padua.*] De huius viri virtutibus, mirisq; operibus vberrimè Vvaddingus to. 1. An. Min. purus illius animus. anno 1231. mortales artus Patauij deſeruit: Greg. IX. anno 1232. Spoleti cæleſtium ciuium honores ei decreuit. Vide Vvaddingum, loc. cit. ad hunc annum.

Honorius III. Optimi Pontificis moribus inclytus, leges à Friderico Imp. pro Eccleſiaſtica libertate latas confirmauit, anno 1220. Vide to. 1. Bullarij. Eccleſiam SS. Vincentij, & Anaſtaſij, ad Aquas Saluias, anno 1221. ſeptem Cardinalium corona ſeptus, conſecrauit: Inſcriptio in marmorea eiuſdem Eccleſiæ tabula olim inciſa, quam habes apud Panuinium, lib. de ſeptem Vrbis, Eccleſijs, id exprimit. Eam, ne deſideres, & angaris, affero.

In nomine Domini, Anno milleſimo bisq; centeno primo quaterquino.
Quo Chriſtus venit mundumq; redemit actu diuino.
Kalendis Aprilis, HONORIVS felix monos diaſacer.
Septem Cardinales collaterales interfuerunt,
Ad matris Dei honorem ei tunc adſtiterunt.
Præſul Sauinenſis, Tuſculanenſis hi bonitate
Pontificali honore tali fulgent dignitate
Poſt Præneſtinenſis, Archinarbonenſis, & duo fratres.
Sibi deuoti ſubditi toti Epiſcopi vates
Alter Florentinus cultus diuinus actus ſereno
Spernit amorem mundi honorem arente fæno
Septem aras conſecratus, acreq; is ditatis ſanctorum Baſilica
Hac collectas, vt Smaragdus redoleat ſat pluſquam nardus ſponſa theos vnica,
Hic altare crucis lignũ, & volumẽ carnis dignũ vtero cũ prodijt
Hic velamen, & præſepe, pallium, & lapis ſæpe tumuli qui ſubijt.
Hic eſt veſtis matris Dei, atque præcurſoris ei, Zachariæ filij.
Petrus, Paulus, & Andreas, quem occidit tunc Egeas, Bartholomæus eximius.
Partes corporum dederunt, quæ nec tenta tunc fuerunt, dentes Cephas principis
Opulentum decoratur hoc eximij ditatur meritorum adipes.
Hic Laurentius conſiſtit, cui Vincentius aſſiſtit de communi martyrio
Anaſtaſius, & Clemens quem Afridianus demens conſumpſit ſupplicio.
Nicolaus Præſul dignus, Sebaſtianus benignus, decora Cæcilia
Anaſtaſia virgo pia, à vera plena ſophia redolet vtilia
Iſtud fatetur quiſquis graditur ad hanc aulam Dei
Septem annis, & ſeptem carinea remiſſionis confeſſi criminis ſolutionisq; detur ei.
Feria quinta cum celebrabatur ante palmarum dies habebatur Papa iubente.
Hoc recordetur, & memoretur quolibet menſe
Remiſſio datur, & condonatur tempore iſto
Credat fidelis fiat inde felix præbente Chriſto.
Meruit Abbas hoc Nicolaus, vt ſibi ſemper inſit Lais opere tali
Cuncti deuoti ſibi fuerunt, & preces dignas adminiſtrauerunt homines quali
Hæc reliquia ſanctorum hic degentium pænitendi ſpatium
Nobis prece monachorum preces dent, & Angelorum in Cæli conſortium.

¶ Anno Domini 1223. Eccleſiam in Chriſti martyris BIBIANAE honorem dicatam hic Pontifex conſecrauit, vt ex antiqua coloribus expreſſa Inſcriptione legebatur, cuius verba ex veteris Eccleſiæ demolitione deſumpta ſubnecto.

† IN. NOMINE. DOMINI. AMEN.
NOTVM. SIT. OMNIBVS. PRAESENS. SCRIPTVM
LECTVRIS VEL. AVDITVRIS. QVOD. FEL. REC.
D. HONORIVS. PP. III.
SEPTIMO. ANNO. PONT. SVI. MENSE. MARTII
SEXTA. FERIA. ANTE. DOMINICAM DE. PASSIONE
CVM. MAGNA. SOLEMNITATE. ET. REVERENTIA
HANC. ECCLESIAM. IN. HONOREM
B. BIBIANAE. VIRG. ET. MART.
CONSECRAVIT
REMISSIONEM. TRIVM. ANNORVM. ET. TRIVM
QVADRAGENARVM. A. DIE. CONSECRATIONIS
QVAM. TERTIA. DIE. ANTE. IPSAM. DOMINICAM
DE. PASSIONE. STATVIT. CELEBRANDAM. VSQ.
AD. OCTAVAS. IPSIVS. ANNVATIM. SINGVLIS
DIEBVS. AD. EAM. DEVOTE. VENIENTIBVS
INDVLGENDO

At eandem vetuſtate deformem, penè collabentem, & ignotis ferè ſentibus interclulam VRBANVS VIII. Pontifex Maximus laxata via, digniorique dato proſpectu, honorificentius conſtrui fecit: Ad cuius Aram maximam, in maxima quoque onychina Con-

cha Corpora eiuſdem S. BIBIANAE, Sororis, earumq; Matris recondidit: Marmoreum item dictæ Virginis ſimulacrum à noſtri æui celebri artifice fabrefactum expoſuit venerandum, parietibus vndique egregia pictura ornatis, & cum hac marmorea Inſcriptione.

AEDEM. HANC
AB. OLYMPINA. MATRONA. SANCTISSIMA
IN. HONOREM
SS. BIBIANAE. DEMETRIAE. ET. DAFROSAE
PRIMVM. EXCITATAM. A. S. SIMPLICIO. PAPA
DEINDE. AB. HONORIO. III. CONSECRATAM
VRBANVS VIII. P. O. M.
INSTAVRAVIT. ET. ORNAVIT
ANNO. IVBILEI. MDCXXV.
PONTIFICATVS. SVI. II.

ADDITIO ABB. FERDINANDI VGHELLI.

¶ * *Ordo Equitum Calatrauæ.*] Alexander Papa III. ann. 1164. Ordinem Equitum Calatrauæ ſuo Diplomate approbauit, vt fuſiùs ſupra adnotauimus. Alcantarenſium verò Equitum originem diuerſam afferunt à Ciacone Petrus Guitzieres & Franciſcus Mennenius. Comeſius enim Ferdinandus apud Legiones ſummæ nobilitatis Eques Ferdinandi Legionis, & Galitiæ Regis auſpicio primus contra Mauros Cœnobium S. Iuliani de Pirario in oppido eiuſdem nominis ad Coam fluuium in vſum militum, ibiq; Ordinem Equitum S. Iuliani de Pirario excitauit, quem Alexander III. anno 1177. & Lucius III. anno 1183. confirmarunt. Id actum fuit anno 1213. A nouo itaque domicilio, Alphonſi Regis, & Calatrauenſium Ordinis Magiſtri beneficio, accepto, ſodales Alcantaræ milites, quod vſque in hodiernum diem manet, dicti. Varij de hoc Ordine ſcripſerunt, vt ait Mennenius.

Honorius III. anno Pontific. ſui 8. retulit inter ſanctos Guillelmũ Monaſterij S. Thomæ in Dania Abbatem, certior de eius vita à Gregorio Creſcentio S. Theodori Diac. Card. in Dania, Suetia, & Bohemia Legato redditus. Extant (vt auctor eſt Baron. in Martyrolog.) in Regiſtro ipſius Honorij de eiuſdem ſancti Canonizatione literæ Apoſtolicæ datæ xvij. Febr. anno Pontif. VIII. Domini verò 1228. Bzouius autem an. 1224. eiuſdem Canonizationem affert. Acta ſancti Guillelmi recenſet Surius tom. 2. Honorij temporibus ſanctitate claruit S. Franca Placentina Ciſtercienſis Ordinis Abbatiſſa ex Vidalta nobili familia nata multorum Cœnobiorum Monialum pia fundatrix, in ieiunijs, orationibus, vigilijs, & perferendis iniurijs, & in patrandis miraculis inſignis. Ad Cœlum euolauit anno 1218. die xxv. Aprilis, cuius corpus hodie Placentiæ in ſacra Aede eius nomini dicata magna veneratione colitur. A Gregorio X. miraculis coruſcantem canonizatam aſſerit vir pius, & eruditus Antonius Maria Campus Canonicus Placentinus in vita eiuſdem ſanctæ ex monumentis Placentinis fideliter collecta. Hoc Pontifice ſedente, Pruſios Gentiles Chriſtiano Palatino Plocentiæ homine rerum in Poloniæ Regno potiente defuncto, animis reaſſumptis totam Pruſiam, & adiacentes prouincias infeſtantes, ferro, & igne longè, lateq; graſſantes Conradus Dux Moſcouiæ cum Crucefignatis militibus, & Chriſtiani Ciſtercienſis monachi ſanctiſſimi viri opera cohibuit; Culmenſem, & Lumbauienſem tractum Moſcouiæ ſuperiori tempore à Pruſijs detractum in poteſtatem ſuam redegit, & Chriſtianum ibi primùm Epiſcopum Pontificis Maximi Honorij Tertij auctoritate, quo per eum Barbari ad Religionem adducerentur, conſtituit; eique, & ſucceſſoribus ipſius Epiſcopis (qui deinde Culmenſes dicti ſunt) partem ditionis Culmenſis conceſſit. Ex Catalogo Epiſcoporum Germaniæ.

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI
SOCIETATIS IESV.

Odericus in Annal. tom. 13.

Honorius ſcribit de ſua Electione.

POSTRIDIE eius diei, quo Honorius conſecratus eſt, Chriſtiani Orbis tum Præſules, ac Religioſos viros, quorum etiam precibus plurimùm ſe commendauit, tum Reges, ac Principes certiores de ſua electione fecit. In Pontificio Regeſto primum obtinent locum literæ, quibus id Hieroſolymitano Regi ſignificauit, & pollicitus eſt omnem ſe operam, ac ſtudium daturum, vt Terræ Sanctæ auxiliares copiæ ſubmitterentur: exorſus igitur: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis;* ac nõnulla præfatus ſubijcit: *Felicis recordationis Innocentio Papa Prædeceſſore noſtro xvij. Kalen. Auguſti, ſoluto debito carnis, ad regionem ſanctorum Spirituum, vt credimus, euocato & ſequenti die celebratis exequijs, ac cum honore debito collocato ipſius corpore in ſepulchro, vnà cum fratribus noſtris ad eligendum conuenimus ſucceſſorem, & die tertio Spiritus ſancti gratia inuocata, ſuper hoc tractauimus diligenter, & poſt tractatum diutinum placuit fratribus vniuerſis, humeris noſtris, quamuis inſufficientibus imponere onus iſtud. Et quamuis in primis duxerimus reſiſtendum, ne tamen videremur vocationi diuinæ reſiſtere, ſubmiſimus humeros ad portãdum, ſperantes in eo, qui linguas infantium facit diſertas, quod ipſe, qui vota fratrum aſpirando præuenit, proſequetur etiam adiuuãdo. Fiduciam enim talem habemus per Chriſtum ad Deum, non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed noſtra ſufficientia eſt ex Deo, qui nos ad ſuum miniſterium euocauit. Non ergo propter obitum præfati Prædeceſſoris noſtri conſternetur cor tuum, neque formidet, quaſi propter hoc Terræ Sanctæ impediatur ſuccurſus, quoniam & ſi illius ſufficientia, noſtra videatur inferior; ad liberationem tamen ipſius votis non minoribus aſpiramus, quibus ipſe Dominus, qui ſperantes in ſe nullatenus deſerit, effectum tribuat, & profectum, vt quod poſſibilitas noſtra non obtinet, eius nobis gratia largiatur. Serenitatem igitur Regiam rogamus attentiùs, & monemus, & exhortamur in Domino, quatenus de gratia noſtra fauore ſecurus, vtpote qui ad ſubuentionem terræ ipſius tota intendimus voluntate, conforteris in Domino, & in potentia virtutis ipſius ad conſeruationem Terræ Sanctæ intendens viriliter, & prudenter, præliaturus prælia Domini, cum tempus aduenerit opportunum, & ob hoc recepturus ab eo gratiam in præſenti, & gloriam in futuro. Dat. Peruſij viij. Kalen. Auguſti Pontificatus Noſtri anno primo.*

Scribit pro expeditione Terræ Sanctæ.

Conſenſiſſe verbis facta, & res Hieroſolymitanas Pontificio pectori inſediſſe illuſtrant eius literæ ad Galliarum Epiſcopos, quos religioſo imperio monuit Crucefignatos Innocentij morte conſternatos vt erigerent, & confirmarent: ſe perducendis Prædeceſſoris conſilijs, tota animi, & operæ contentione incubiturum, atque adeo ſuſcipiẽdæ expeditioni ſtrenuè ſe accingerent, tum etiam ipſos Præſules rogauit, vt ſuis apud Deum precibus recens impoſitum onus leuarent, ac viciſſim paternam illis ſollicitudinem eſt pollicitus. Burgundiæ deinde, & Brabantiæ Duces, Barenſem, & Antiſiodorenſem Comites, aliosque Principes, qui ſacræ militiæ nomen dederãt, ad traijciendum cum reliquo exercitu Chriſtiano expeditos eſſe iuſſit, vbi ſtatutum à Synodo Lateranenſi tempus appetijſſet. Deinde Cluniacenſi Abbati mandauit, vt Ordinis ſui redituum partem Terræ Sanctæ ſubſidio, ac præſidio mittendam ex eiuſdem Concilij præſcripto cogeret, tum ad incendendos militari ardore Chriſti milites, qui ſe Cruce inſignierant, miſſis in Gallias, ac Germaniam Legatis, & literis in hoſtem diuini nominis, ſacrum claſſicum cecinit. Cum verò bellici Colonienſium apparatus ingens fama ad Honorium Pontificem perueniſſet; diuino enim amore accenſi trecentas naues ad ferenda Syriæ auxilia inſtruxerant, eximium illorum zelum commendauit, gratulatuſque eſt his verbis. *Tam ſanctum propoſitum in corde veſtro fuiſſe firmiter ſtabilitum opera manifeſtant, nempe à veſtræ conuerſionis exordio ſtuduiſtis, vt audiuimus, cum multo deſiderio, & feruore acies dominicas inſtaurare in nauibus, victualibus, armis, inſtrumentis bellicis, & alijs neceſſarijs opportunis, & more Abrahæ ad liberationem iuſti Loth feſtinatis, aſſumptis trecẽtis Vernaculis expeditis, hoc eſt trecentis Nauibus, quas ad Sanctæ Trinitatis honorem cum perfectione operum, per centenarium deſignata in expeditionem exercitus Domini, lætanti animo præparaſtis, proficiſci volentes in eis menſe Aprili proximo nunc futuro, reliquis per terram ad portus properantibus opportunos.*

Matth. Pariſ. in hiſt. Anglic.

Cohortatus quoque eſt Apoſtolicis literis Patriarcham Conſtantinopolitanum ad pacem, & concordiam cum Imperatore ſeruandam, modò Eccleſiæ iuribus detrimentum non inferretur. Præterea Regis Theſſalonicenſis adhuc pueri, regnique patrocinium ſumpſit. Inter hæc non prætermiſit Italiæ curam, nam omne ſtudium, & diligentiam ſuam eò vertit, vt pacem populos inter Italos conciliaret, & confirmaret, atque adeo aduerſus illos, qui ipſam turbabant, grauiter animaduertit. E fidelium communione Viterbienſes eiecit ob affectos grauiſſimis iniurijs viros Eccleſiaſticos; Florentino Epiſcopo mandauit, ne quem in Clericalem ordinem cooptaret, donec Florentini legem reuocarent, quam tulerant, vt Clerici paternam hæreditatem adire non poſſent. Repreſſit Bodienſes, qui Epiſcopũ ſuum in exilium egerant, quibus idcirco Placentinos fauere vetuit; increpuit Bononienſes ciues in Comitiſſæ Mathildis ditionem, quæ ad Romanam Eccleſiam pertinebant, auſos inuadere. Obiurgauit Mediolanenſes, qui aduerſus Oecumenicæ Synodi decreta, & data Apoſtolicæ ſedi promiſſa, expeditionem aduerſus Parmenſes, & Cremonenſes parabant: Placentinos verò, qui iuris iurandi Romano Pontifici præſtiti religione ſpreta, Mediolanenſium partibus ſtudebant, intentato Cenſurarum terrore perculit. Reiecit è fidelium cœtu Comitem Aſcariæ, qui ſcelere immani Abbati Nieubergenſi oculos effoderat: Ioannem Sueciæ Regem monuit, ne res Eccleſiæ occuparet, nèue Epiſcopos adulterinos intruderet. Excepit verò paterno ſinu Vualdemarum Epiſcopum, qui cum toties olim ob innumera à ſe commiſſa flagitia anathemate perculſus fuiſſet, ægrotus, admiſſorum tandem ſcelerum pœnitens, ac veniam ex Eccleſiæ ritu conſecutus, vbi conualuit, nuncio rebus humanis remiſſo in Ciſtercienſi familia ſe Deo conſecrarat, quem Honorius Ciſtercienſibus Abbatibus commendauit. Luſitanum Regem, qui grauiſſimis facinoribus Regium decus inquinarat, ob quæ è fidelium cœtu ablegatus iam fuerat, Apoſtolica conſtantia arguit, atque ad officium, & reſipiſcentiam reuocare conatus eſt; eundem paulo poſt contra Sarracenos dimicantem, in ſedis Apoſtolicæ protectionem ſuſcepit. Hoſpitalarijs in Hiſpania, vt Alphonſo à Mauris in Caſtro Albuquerci obſeſſo ſuccurrerent, præcepit. Hieroſolymitano Patriarchæ, vt in alienis Eccleſijs Pallium geſtaret, indulſit. Legatos Regis Cypri audiuit, atque ad eorum petitionem eundem Regem puerum

Pacem curat inter Patriarcham Cõſtantinop. & Imperatorem.

Varios populos cẽſuris frænat.

Variæ res geſtæ.

Bzou. in Annal.

Magiſtro Hoſpitalariorum commendauit. Comitem Tripolitanum A bona militum S. Ioannis Hieroſolymitani vſurpantem anathemate percuſſit, eiſque cõtra Comitem arma ſumendi poteſtatem fecit. Pelagium Epiſcopum Albanenſem, & Guallam Cardinales ad Federicum Imperatorem pro confirmandis veteribus Eccleſiæ priuilegijs Legatos deſtinauit. Eccleſijs Capuanæ, Salernitanæ, Brunduſinæ, Conſanæ, & Auerſanæ cõtra Federicum Præſules præfecit, ac Federico ſcripſit, ne ferret ægrè; ſe enim committere, vel permittere non potuiſſe, vt oues ſine Paſtoribus deſererentur, & quamplurimis periculis orbatæ exponerentur. Iratus Federicus plenas contumelijs literas Honorio dedit: reſpondit ille iuxta ſententiam ſapientis, *ſtulto ſecũdum ſtultitiam ſuam*; cumque illi beneficia ab Eccleſia Romana liberaliter collata commemoraſſet, & ſacramenti formulam in mentem reuocaſſet, tum deinde contumaciam eius redarguit, ad manſuetudinem Chriſtianam, & erga Romanã ſedem obedientiam hortatus eſt, exerens Cenſuræ Eccleſiaſticæ virgas, & falces, ſi auc- B toritatem Eccleſiæ contemneret, & iura illius violaret. Gelbergam Franciæ Reginam, & Henricum Sueciæ Regem in tutelam Romanæ Eccleſiæ recepit: Ludouicum Gallarum Regem, vt edicta contra libertatem Eccleſiaſticam promulgata antiquaret, hortatus ſuis literis eſt: Regi Scotiæ, vt quandam viduam Regno eiectam reuocaret, ſeuerè præcepit. Vualdemaro Regi Daniæ, vt Comitem Zuaricenſem ab ergaſtulo liberaret, & in ſubſidium Terræ Sanctæ ire permitteret, iniunxit: Duci Venetorum, niſi iconam Epiſcopo Bethleem reſtitueret, excommunicationis ſententiam intentauit.

Berengariam Angliæ Reginam defendit, & alios.

Defendendam porrò Berengariæ Anglorum Reginę cauſam ſuſcepit, ac Turonenſi Archiepiſcopo, eiuſque Suffraganeis mandauit ipſam ab iniquorum hominum vi, & iniurijs tuerentur: complexus quoque eſt eodem paternæ beneuolentiæ ſtudio Blancam Sanctij Regis Nauarræ ſororem, Comitiſſam Campaniæ, eiuſque filium Theobaldum Trecenſem Comitem in infirma adhuc ætate conſti- C tutum, quem Erardus Brennenſis ſua ditione depellere meditabatur. Cumque Erardus bello Theobaldum petijſſet, atque in Campaniam factis excurſionibus prædas abegiſſet, Pontifex Honorius Siluanectenſi Epiſcopo, & Abbati S. Genouefæ prouinciam dedit, vt Cenſuris Eccleſiaſticis Erardum inducias à Synodo Oecumenica ad quadriennium indictas violantem coercerent. Extant Honorij literæ ad Oldebertum Epiſcopum Nouarienſem datæ contra Nouarienſes, qui matrem ſuam, hoc eſt Eccleſiam Romanam vexabant, & admonitiones Apoſtolicas contemnebant.

Preces publicas inſtituit pro Terra Sancta.

Vbi verò in Syriam perueniſſe, in que Sarracenorum ditionem ingreſſa Chriſtianorum agmina accepit, ad diuinum implorandum auxilium, ſolemnem in Vrbe ſupplicationem habuit, ac nudis pedibus ipſemet Pontifex capita SS. Petri, & Pauli à Baſilica Lateranenſi ad Liberianam, vſque geſtauit. Conatus deinde eſt ad ſacrum bellum allicere ſubmotas ad Septentrionem nationes, vt teſtantur lite- D rę ad Archidiaconum Gneſnenſem, & alios, quibus imperat, vt Crucesignatos Terræ Sanctæ ſubſidio tranſmittant.

Celebre in Campania colloquium de re Hieroſolymitana reſtauranda.

Amiſſa Damiata, licet Chriſtianorum animi ex acceptis cladibus languerent, Honorij Romani Pontificis ope anno Redemptionis humanæ 1223. celebratum eſt in Campania militare Concilium de redintegranda re Hieroſolymitana, cui ipſe Honorius, Patriarcha Hieroſolymitanus, Federicus Imperator, Ioannes Rex Hieroſolymorum, ac Religioſorum Ordinum Magiſtri, alijque viri Principes interfuerunt. Extant de tanto præclariſſimorum virorum Conuentu, deque ferendo ſubſidio, Honorij literę ad Philippum Francorum Regem, ad Panoniæ, & Angliæ Reges, quas Odericus Rinaldus, alijque ex Regeſto Pontificio reſcripſerunt in Annalibus.

Inſtituta ab Honorio in Xenodochio S. Spiritus ſacra celebritas.

Nec prætermittenda nonnulla religioſa facinora, in quibus Honorius pietatem ſuam explicuit. Inſtituta in primis ab illo eſt ſacra E in Xenodochio Romano, cui S. Spiritus in Saxia nomen eſt, celebritas, in qua maximas eleemoſynas in pauperes effundere ſtatuit: & iuſſit, vt inſtructo religioſo agmine Canonici S. Petri Veronicam Dominica, quæ prima poſt euolutum Epiphaniæ octauum diem occurrit, deportarent. Ad excitandam etiam Romanorum pietatem dedicatæ Baſilicæ S. Mariæ Maioris, recurrentem quotannis diem feſtum, datis ad Collegium Canonicorum illius Eccleſiæ literis celebrandum ſanxit: & duorum annorum, ac dierum aliquot indulgentias Templi limina luſtraturis propoſuit.

Feſtum diem dedicationis Baſilicæ S. Mariæ Maioris inſtituit.

Emicuit pariter Pontificius zelus in aſtringenda religioſa diſciplina, quæ in nonnullis Monaſterijs collapſa erat; nec effulſit minus in ſeruando ſacrarum veſtium ſplendore, vaſorum nitore, ac diuini cultus retinẽda maieſtate.

Religioſã diſciplinã reſtaurat.

Sanctiſſimam Euchariſtiam ſumma cum reuerentia cuſtodiri, atque à Sacerdotibus tractari iuſſit, haſque ad Præſules omnes literas F dedit tanto Pontifice dignas. *Cum olim vas aureum manna plenum Chriſti corpus deitatem continens præfigurans in Arca fœderis auro tecta infra Sancta Sanctorum fuerit collocatum, vt mundè in loco venerabili ſeruaretur; dolemus plurimùm, & triſtamur, quòd pleriſque Prouincijs Sacerdotes ſanctiones Canonicas, imò diuinum iudicium contemnentes, ſacram Euchariſtiam incautè cuſtodiunt, & immundè, ac indeuotè contrectant, quaſi nec Creatorem timeant, vel recreatorem diligant, aut Iudicem omnium expaueſcant. Quanquam Apoſtolus terribiliter cõminetur deteriora illum mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit, vel ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, aut ſpiritus gratiæ contumeliam fecerit, quam tranſ- A greſſorem legis Moſaicæ, qui mortis ſententia plectebatur. Ne igitur de cetero propter incuriam Sacerdotum, in indeuotos diuina indignatio grauius exardeſcat, diſtrictè præcipiendo mãdamus, quatenus à Sacerdotibus Euchariſtia in loco ſingulari, mundo etiam, & ſignato ſemper honorificè collocata, deuotè, ac fideliter conſeruetur. Sacerdos verò quilibet frequenter doceat plebem ſuam, vt cum in celebratione Miſſarum eleuatur Hoſtia ſalutaris, quilibet reuerẽter inclinet. Idem faciens, cum ipſam portat Presbyter ad infirmum, quam in decẽti habitu ſuperpoſito mundo velamine ferat, & referat manifeſtè, ac honorificè ante pectus, cum omni reuerentia, & timore, ſemper tamen lumine præcedente, cum ſit candor lucis æternæ, vt ex hoc apud omnes fides, & deuotio augeatur. Prælati autem huius mandati grauiter punire non differant tranſgreſſores, ſi & ipſi diuinam, & noſtrã volunt effugere vltionẽ: Vos autem ſic obſeruari faciatis prædicta, quòd nõ efficiamini vindictæ participes, ſed coronæ.*

Cultum & nitorem ſacris exigit.

Quo cultu ſeruanda ſit Euchariſtia.

B Cum autem apud Inſubres, ac Brixienſes, Hæretici potentia, opibus, & audacia adeo creuiſſent, vt Orthodoxos grauiſſimis iniurijs palam afficere non timerent, horum inſolentiam Honorius per Brixiæ, Mutinæque Epiſcopos comprimendam curauit. Reſipiſcentes Piſanos, Vercellenſes, Alexandrinos, Ferrarienſes ad conſortium fidelium, è quo exacti fuerant, admiſit; nec Piſanos modò in gratiam recepit, verùm eos beneficijs eſt proſecutus, eorũque Eccleſiã priuilegijs auxit, quæ literis ad Vitalem eorum Archiepiſcopum exaratis continentur, eoſdemque Piſanos Ianuenſibus conciliauit.

Hæreticos reprimit.

Piſani, alijque Eccleſiæ conciliati.

Oder. Rinald. in ſuis Annal.

Per literas quoque Galliarum Archiepiſcopis, & Epiſcopis prohibuit, ne anniuerſariorum pro Defunctis occaſione, Miſſarum ſolemnia, vel de feria prætermitterentur: Clericos ſecularibus negociationibus implicitos, ſi iterum, ac tertiò cœptis non deſtitiſſent, admoniti, clericale priuilegium amiſſuros, eorumque bona legibus municipalibus obnoxia fore, ſcriptis ad Ambianenſem Epiſcopum C literis ſtatuit. Vniuerſis per Orbem Epiſcopis actiones in die Cœnæ Dominicæ agendas præſcripſit, nimirum vt omnes, & ſinguli eo die anniuerſario Chriſma conficerent, pœnitẽtes publicanos Eccleſiæ reconciliarent, & pedes pauperum abluerent, ablutis autem eleemoſynas erogarent.

Statutum de feſtis ſanctorũ.

Clericis negociationes vetat.

Actiones in die Cœnæ Dominicæ præſcribit.

Inter hæc cum in Gallijs Toloſates Hæretici omnia miſcerent, neque verbis, aut armis cohiberi poſſent, quo minus Catholicos ſæpiſſimè infeſtarent, Honorius Pontifex, vt caſtrorum acies promptas, & expeditas contra eoſdem inſtrueret, Religioſis S. Dominici iniunxit, ac poteſtatem plenariam dedit, vt ſacram militiam, quæ de Pœnitentia diceretur, aduerſus Hæreticos inſtituerent. Conuenit multitudo ingens, & huic ſanctæ Sodalitati nomen dedit, ſumpto pullo pallio ſuper alba veſte, & præſtito ſacramento in tutelam fidei Orthodoxæ.

Abraham Bzouius tomo 13. Annal.

Sacra militia inſtituta in Hæreticos.

Idem Bzouius.

Suadente Diuo Dominico Ordinis Prædicatorum Inſtitutore, D erexit Honorius Officium Magiſtri Sacri Palatij; cum enim cerneret D. Dominicus, quotidie occupans cum Pontifice Cardinalibus, eorum Clericos, & Miniſtros in Aula Palatina, in varijs deambulationibus, ac nugis tempus terere, indoluit, ac Pontificem conueniens, turpe eſſe dixit, illos honeſtatem profeſſos, indecora committere, ſacroſque illos parietes indigniſſimis ſcurrilitatibus contaminare; ſibi videri vtile fore, ſi tantiſper dum Cardinales cum eo in negocijs Eccleſiæ occupentur, quiſpiam doctus vtile aliquid publicè interpretaretur. Placuit conſilium Honorio, & illi ipſi, qui conſuluerat, id negocium commiſit; is verò quotidie Pauli Apoſtoli Epiſtolas in numeroſiſſimo Auditorum conſeſſu, maxima dicendi copia interpretari cœpit: adeoque res Pontifici, & Eccleſiæ placuit, vt deinceps inſtitutum ſit, vt ex Ordine Prædicatorum adhoc munus aliquis eligeretur, & Magiſter Sacri Palatij diceretur.

Officium Magiſtri Sacri Palatij inſtitutum.

Eccleſiam S. Sebaſtiano Martyri dicatam, anno noſtræ ſalutis E 1218. conſecraſſe Honorium ſcimus, & beati eiuſdem Sebaſtiani corpus vnà cum alijs ſanctorum reliquijs in ea condidiſſe, vetuſta quædam inſculpta marmori Inſcriptio docet, quæ ibi olim affixa cunctorum oculis patebat, eandemque à ſe viſam Ioannes Seueranus, & Onuphrius Panuinius in hæc planè verba recenſet.

Ex Rom. Subterr. Conſecrat Eccleſiam S. Sebaſtiani.

ANNO INCARNATIONIS DOMINICAE
MCCXVIII.
DEDICATVM EST HOC ALTARE
A PAPA HONORIO III.
ASSISTENTIBVS SIBI QVAMPLVRIMIS
SANCTAE SEDIS APOSTOLICAE PRAELATIS
IN HONOREM S. SEBASTIANI MARTYRIS
IN QVO RECONDITAE SVNT
INFRASCRIPTAE RELIQVIAE SS.
F PRIMO CORPVS S. SEBASTIANI MARTYRIS
SOCIORVMQVE EIVS
RELIQVIAE APOSTOLORVM
PETRI ET PAVLI
IACOBI FRATRIS DOMINI
PHILIPPI ET MATTHIAE APOSTOLORVM
SANCTORVM FABIANI
STEPHANI MARCI
ET DAMASI PONTIFICVM
VALENTINI ET DEMETRII MARTYRVM
LVCINAE ET BARBARAE VIRGINVM.

Reatinam Eccleſiam conſecrat.

Conſtat etiam Honorium Cathedralem Eccleſiam Reatinam ritu ſolemni ſacraſſe, vt antiquæ tabulæ his verbis declarant.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

Anno eiuſdem 1225. Indict. xiij. v. Id. Septemb. tempore Honorij III. PP. Pontificatus anno eius X. conſecrata eſt maior Eccleſia Reatina ab ipſo Domino Honorio, cum talibus Epiſcopis, videlicet Oſtienſi, Albanenſi, Praneſtino, Sabinenſi, & alijs Cardinalibus, & alijs Epiſcopis partium diuerſarum ad honorem B. M. ſemper Virginis, &c.

Eccleſiam S. Mariæ in Campitello. Hippol. Marracc. in Pontif. Marian. Monaſterium Caſamarij ampliat. Bernar. Clauel. Canonicis Bononienſibus conceſſa. Car. Sigon. de Epiſcop. Bonon. Franc. Angel. in hiſtor. Ferdin. Ed. Vghel. in Ital. ſac. Eccleſia S. Sixti D. Dominico data.

Conſecrauit quoque Eccleſiam S. Mariæ in Campitello, & eam ſanctorum reliquijs ornauit: Monaſterium Caſæmarij, eiuſdemque Eccleſiam ampliauit, & exornauit, ac xvij. Kal. Octobris anno 1217. eandem dedicauit, cui Conſecrationi interfuiſſe legimus Epiſcopos Cardinales duos, Presbyteros tres, & ſeptem Diaconos, alioſque Epiſcopos decem. Canonicis Bononienſibus prædia omnia confirmauit, quæ quondam eis Albertus Epiſcopus impertierat, vtque mortuo Archidiacono alium ſublegere poſſent, conceſſit, cui Archidiacono ius dedit examinandi, & probandi eos, qui ad docendi regimen in eadem Ciuitate in poſterum aſſumerentur. Interamnenſi Vrbi Epiſcopum reſtituit: Vberto Epiſcopo Bobienſi, Angelo Baroccio Gradenſi Patriarchæ, Simeoni Tarracinenſi, Stephano Nonantulano Abbati, Canonicis Cumanis, alijſque plurimis priuilegia antiqua confirmauit. Philippum Antiſtitem Feltrenſem, ac Belluenſem iniurijs à ſuis expetitum, exilioque multatum defendit, ac pro illo ad Epiſcopum, & Clerum Taruiſinum, & ad Senatum, Populumque eiuſdem Ciuitatis literas dedit. Petrus Aſculanus Epiſcopus annuum cenſum quatuor denariorum Papienſium in Eccleſia S. Antonij de monte Vlmi ſuæ Diœceſis ab Honorio obtinuit, vti etiam Anſelmus Epiſcopus Collienſis decimam oblationum, vt ſuppetias ferret ijs, qui ad ſacrum bellum arma impugnabant: Fulconi Epiſcopo Papienſi à ſe electo vſum Pallij, & Crucis permiſit. Eccleſiam S. Sixti vrbanam D. Dominico, ac ſocijs adminiſtrandam tradidit, quam D. Dominicus paulo poſt Monialibus Tranſtyberinis conceſſit: Ex Hiſpania ſuſtulit modum explorandi veritatem criminum, candentis ferri attactu.

Carmelitanum Ordinem Virginis iuſſu approbat. Io. Palæonydorus de antiq. Carmel. Hip. Marracc. in Pont. Marian. Io. Bapt. Lezan. in Maria Patron. Arnold. Boſtius de Patrona. Virginis. Balduinus Leerſius in Coll. exemp. Bzou. in Annal.

Carmelitanum Ordinem ſub Regula B. Alberti Patriarchæ Hieroſolymitani hactenus viuentem, auctoritate Apoſtolica anno Dominicæ Incarnationis 1217. approbauit: diutiùs diſtulerat poſtulationes eius inſtituti fratrum exaudire; quapropter ſacratiſſima Dei Mater tenebris noctis interruptis, æthereo cum lumine adueniens, ſummum Pontificem admonuit, ac dixit; non eſt aduerſandum in his, dum iubeo, nec diſſimulandum, cùm promoueo, inſinuauitque eidem Pontifici, duos ex Palatinis ſuis, dictæ Religionis æmulos, Deo vltore eſſe plexos, diſpari exitu, ſed diſceſſu pari. Audiuit hæc omnia Honorius, & dato Diplomate eam viuendi rationem ex præſcripto formulæ Alberti inſtitutam approbauit.

Nicolaus Epiſcopus in Orient. Legatus. Ferdinand. Vghel. to. 3. Ital. ſac. Vgolinus Legatus in Italia. Gregorius Creſcentius Card. Legatus.

Cùm in Oriente non læta audiret Honorius, cumque Cruceſignati in Paleſtina infelici morte depugnarent, Nicolaum Epiſcopum Regienſem in Orientem Legatum deſtinauit, vt illuc contra Sarracenos bellantibus Chriſtifidelibus opem aliquam conſilio, & auro, quod illi commiſit, afferret. Hic diu eam prouinciam eximiè ſuſtinuit, ac talem ſe exhibuit in ea legatione, qualem ipſe Honorius in literis ad Orientis Præſules prædicauerat. Vgolino Epiſcopo Oſtienſi, ſedis Apoſtolicæ Legato præcipuam in comparandis Cruceſignatorum copijs in Italia prouinciam dedit.

Mittit Euangelicos præcones. Abraham Bzou. in Annal. Epiſcopus Ethicorum ad propagationem Euangelij. Oratores Stephani Regis recipit.

Neque tantùm Palæſtina, ſed aliæ quoque Chriſtiani orbis prouinciæ cordi fuere Honorio. Quare Legati Apoſtolici munus Gregorio Creſcentio Romano tituli S. Theodori Diacono Cardinali in Dania, Suecia, Polonia, ac Bohemia commiſit, vt Eccleſias illas ad primæuam pietatem reuocaret. Ad Liuoniæ verò, Eſtoniæ, ac Pruſſiæ populos excolendos, Euangelicos præcones mittendos curauit, datis ea de re literis ad Abbates, Præpoſitos, Priores tum Ciſtercienſes, tum ceterorum Ordinum Religioſorum. Extat etiam Pontificium Diploma ad Epiſcopos, quibus Honorius poteſtatem facit, vt religioſos viros, rogato aſſenſu eorũ, qui ipſis præeſſent, ad promulgandum Euangelium mitterent. Epiſcopo quoque Reuellenſi, qui ardenti fidei Chriſtianæ amplificandæ ſtudio accenſus apud Ethnicos Eſtoniæ Euangelium ſerebat, conceſſit, vt quos ad id operis ex religioſis familijs idoneos noſſet, de Præpoſitorum licentia ſecum adduceret. Nec ſine fructu; nam ipſemet Stephani Seruiæ, Diochiæ, aliarumque prouinciarum Regis Oratores recepit, qui hiſce obſeruantiæ literis erga Romanam Eccleſiam Romam ſe contulerunt.

SANCTISSIMO PATRI, ET DOMINO HONORIO III. Romanæ ſedis Eccleſiæ vniuerſali Pontifici, Stephanus Dei gratia totius Seruiæ, Diochiæ, Tribuniæ, Dalmatiæ, atque Chulmiæ Rex coronatus, inclinationem ſummæ fidelitatis conſtantia.

Quemadmodum omnes Chriſtiani diligunt vos, & honorant, & pro patre, ac Domino retinent; ita nos deſideramus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & veſtra fidelem filium nominari affectans, quod benedictio, & confirmatio Dei & veſtra ſit, ſi placet ſuper Coronam, & terram noſtram ſemper manifeſtè, & ob hoc vobis noſtrum Epiſcopum Methodium nomine deſtinamus, vt quicquid ex veſtra ſanctitate, & voluntate proceſſerit, nobis per latorem præſentium literis, ſi placet, reſcribatis.

Reginaldus Rex Apoſtolicæ ſedis vectigalē ſe fecit.

Reginaldus Rex non modò Romanæ ſe ſubiecit Eccleſiæ, ſed ſupremum, cui imperitabat, dominium in Apoſtolicam ſedem vltro detulit, vt pio illo opere diuinam ſibi gratiam conciliaret, ac literas eo argumento Honorio tranſmiſit.

Oder. Rinald. in Annal. Hugonem Epiſc. in ſanctos refert.

Neque ſolùm Eccleſiæ militantis fines quoad potuit, dilatare ſemper ſtuduit Honorius, ſed honoribus quoque triumphantis ciues auxit: in ſanctorum enim numerum præter Gulielmum, & Laurentium, anno Dominicæ Incarnationis 1220. Hugonem quoque Epiſcopum Lincolnienſem retulit; eaque de re ad vniuerſos Chriſtifideles literas dedit.

Pariſius in Annal. Angliæ. Honorius iniuſtè auaritiæ notatur.

Mattheus Pariſius maleuolentia ſuffuſus in Romanos Pontifices, Honorium auaritiæ in Annalibus Angliæ arguit, qui tantùm auri in apparatu Belli ſacri, & contra Albigenſes Hæreticos, ac in Pauperes effudit, quantum quis vnquam ardenti auaritia collegerit ad explendam ſui cordis cupiditatem.

Honorij Scripta.

Scripſit Honorius Sermones aliquot S. Dominico Guſmano Ordinis Prædicatorum Patriarchæ, alioſque ad Clerum; & Populum Romanum Abbati Ciſtercij dicatos.

Vitam Cœleſtini Tertij.

Cenſuum Romanæ Eccleſiæ pergrande volumen, quod aſſeruatur m. s. in Bibliotheca Vaticana.

Pro defenſione libri Abbatis Ioachimi aduerſus Petrũ Lõbardũ.

Epiſtolam ad Epiſcopum Lucanæ, cuius fragmentum reperitur in Apparatu ſacro Poſſeuini, verbo *Ioachim*.

Epiſtolas Decretales plures compilauit, & in vnum corpus compegit. & Epiſtolas multas ſcripſit: quarum Regiſtrum quinque voluminibus compactum in vaticano m. s. aſſeruatur: quædam leguntur inter Epiſtolas Petri Bleſenſis, & aliæ apud diuerſos.

Decreta, & Bullas apud Collectores.

Ceremoniale Cencij de Sabellis, aliàs Camerarij extat m. s. Romæ in Bibliotheca Barberina.

Sub eius nomine reperitur Index Romanorum Pontificum in Vaticano, teſte Binio.

Ordo B. Mariæ de Mercede Redemptionis captiuorum inſtitutus ex Virginis reuelatione. Marian. in inſt. Hip. Marrac. in Pont. Marian. Marc. Salmaron in mem hiſt. Alph. Remon. in Chronic. Ordin. Philip. Guimerã. in hiſt.

Sub hoc Romano Pontifice, anno noſtræ ſalutis 1218. inſtitutus eſt ſacer, regalis ac militaris Ordo B. Mariæ de Mercede, ſeu de Miſericordia Redemptionis Captiuorum à S. Petro Nolaſco, nobili Franciæ Principe, patrocinante Sereniſſimo Iacobo, primo Aragonum Rege, cognomento Debellatore ac dirigente S. Raymundo de Pegnaforte, tunc temporis Canonico Barcinonenſe, & poſtea Ordinis Prædicatorum profeſſore, vtriuſque à confeſſionibus, ex reuelatione eiuſdem glorioſiſſimæ Virginis Mariæ kalen. Auguſti paulo poſt mediam noctem tribus ſupradictis præclariſſimis viris, facta His enim vna ipſa nocte eadem Virgo Dei Mater apparens, acceptiſſimum ſibi, ac Vnigenito ſuo fore, dixit, ſi ſuum in honorem inſtitueretur Ordo Religioſorũ, quibus cura incumberet captiuos Chriſtianos è Turcarum tyrannide liberandi. Extat apud Hippolytum Marraccium in Regibus Marianis percelebris eiuſdem S. Raymundi de Pegnaforte epiſtola ad S. Petrum Nolaſcum, in qua diſertiſſimis verbis huiuſmodi reuelatio, & apparitio enarratur; quæ ſolemniſſimè executioni mandata eſt in Eccleſia Cathedrali Barcinonenſi, adſtante eodem Iacobo Rege, Berengario Palauicino eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopo, ac frequenti populo in die S. Laurentij martyris eiuſdem menſis & anni; tunc enim ſanctiſſimus Patriarcha Nolaſchus cum duodecim ſocijs, videlicet, ſex Clericis pro officijs diuinis, & miniſterio Chori, & ſex Equitibus laicis pro redemptionis miniſterio, habitum regularem, omnino album, cum Regijs Aragoniæ inſignibus, Cruce tantum alba ſuperimpoſita, in rubeo clypeo, ſuſcepit; nouo ac ſpeciali Voto ſe, ac Ordinem ſuum adſtringens; quod ſub hac formula prædicti Ordinis Alumni in ſua profeſſione ſolemniter emittunt. *Et in Sarracenorum poteſtate, in pignus ſi neceſſe fuerit ad redemptionem Chriſtifidelium detentus manebo.* Cui inſtituto ac eximiæ charitati, præter alia exercitia, reliquis ſacris Ordinibus communia, cum magna Eccleſiæ laude, & Fidelium captiuorum ſolatio immenſis laboribus ac expenſis, continuis, & copioſiſſimis redemptionibus à ſe factis, ſedulo incumbunt.

Votum præcipuũ religioſorũ B. Mariæ de Mercede de Redẽptione captiuorum.

Obitus Mariæ Aragonũ. Io. Mariã. in hiſt. Concilia Oxonienſe. Germanicum. Bituricẽſe Veſtmonaſterienſe.

Sedente Honorio in Petri Cathedra lucis vſuram Romæ amiſit Maria Regis Aragonij mater, cuius corpus ſepulturam habuit in Vaticano prope ſepulchrum D. Petronillæ. Habita ſunt etiam Concilia nonnulla, Oxonienſe ſcilicet in Anglia anno 1222. pro reſtauratione Eccleſiæ Anglicanæ, deinde anno 1225. Germanicum contra Simoniacos, & Concubinarios Clericos; Bituricenſe in Gallia ad Eccleſiaſticorum mores corrigendos: demum anno 1226. Veſtmonaſterienſe in Anglia in cauſa Romani Pontificis, duarum Præbendarum obuentiones, ſuæ curiæ aſſignari petentis.

E vita exceſſit Honorius Romæ, cum ſediſſet non ſeptem tãtùm menſes, & nonnullos dies, vt ſcripſit Bzouius, ſed octo menſes integros ſupra annum decimum, à xv. Kalen. Auguſti anni 1216. quo creatus eſt Romanus Pontifex, vſque ad xv. Kal. Aprilis anni 1227. quo obijt, anni decem, & menſes octo intercеſſere: ſepulturam habuit in Baſilica S. Mariæ Maioris ante aram Præſepij.

PRIMA

PRIMA CREATIO CARDINALIVM
Honorij Papæ III.

Anno Dominicæ Incarnationis 1216 Pontif. I. menſe Decembri Romæ Honorius III. primú creauit Cardinales, inter quos hi fuere. . Petrus ex Diac. S. Mariæ in Aquiro Epiſc. Cardinalis Sabinus.



Ciaconius

I.

CENTIVS Sabellus, Romanus, Honorij III. affinis, ab eodé renunciatus Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & S. Rufinæ, legationis munere functus eſt in Hiſpania, vt de eo memoriæ proditur in Regiſtro Honorij. Sub eodem Pontifice deceſſit Romæ an. Dominicę Incarnationis 1219. cum ex Hiſpania poſt functam legationem reuertiſſet: ſubſcriptione firmauit Honorij literas Canonicis Lucéſibus S. Fridiani datas anno 1217. de hoc tamen nulla mentio apud Panuinium, & Aubery.

Ferdinand. Vghel. to. 1. Ital. ſac.



Paul. Iouius in vit. Pomp. Column.

Ferdinand. Vghel. de Cardin. Columnæ.

Ciaconius

II.

IOANNES Columna Romanus, Odoardo genitus, Presbyter Cardinalis S. Praxedis magnum euaſit nobilitatis Romanæ decus, & ornamentum: quippe qui in Oriente pro ſede Apoſtolica Legatus, Conſtantinopolitano Imperatori maximo fuit adiumento. Is Chriſtiani exercitus, & ingentis claſſis Legatus, in Aegypto ad Peluſium Nili oſtium Aeliopolim, quam Damiatam vocant, validiſſimam Vrbem expugnauit, & ſæpe diuerſo quidem euentu cum Sarracenis acie conflixit, captuſque poſt longam carceris macerationem, & grauiſſima tormenta, demum ſolutus ex ancipite periculo, ac labore, & victor honeſtiſſimum, atque incomparabilem, omnique armorum genere ſplendidiorem in triumphum Romam detulit Columnam, in qua Chriſtus Seruator Hieroſolymis deligatus, & flagris cæſus fuit, quam in ſanctæ Praxedis Templo ſupra Suburram ad Eſquilias hodie veneramur cum hac Inſcriptione.

IOANNI TIT. S. PRAXEDIS
CARDINALI COLVMNAE
QVOD APOSTOLICVS LEGATVS IN ORIENTE
AN. SAL. MCCXXIII.
COLVMNAM CHRISTI DOMINI POENIS
ET SANGVINE CONSECRATAM
HIEROSOLYMIS ROMAM ASPORTAVERIT
PATRIAMQVE SPOLIIS ORIENTIS NOBILEM
TROPHAEO CHRISTI PATIENTIAE
AMPLIFICAVERIT
FRANCISCVS COLVMNA
CARBONIANI ET RVBIANI PRINCEPS
NE GENTILIS SVI DE CHRISTIANA REP.
DEQVE COLVMNENSI GENTE
CVI VETVS COGNOMENTVM SACRATIVS FECIT
EGREGIE MERITI MEMORIA ABOLIRETVR
HOC AD POSTEROS MONVMENTVM
POSVIT
AN. DOM. MDCXXXV.

Oder. Rinald. in suo Annal.

Perfunctum quidem egregiè, ac pro dignitate Ioannem hoc legationis munere indicant literæ Francorum Cleri, Conſtantinopoli agentis, qui grati animi cauſa ſummo Pontifici, ac ſacro Cardinalium Senatui munus quoddam miſere cum huiuſmodi literis.

SANCTISSIMO PATRI, AC DOMINO HONORIO III.
Dei gratia ſummo, & vniuerſali Pontifici, vniuerſitas Clericorum Francigenarum partis Francorum Conſtantinopolitan. Salutem, & deuotiſſima pedum oſcula.

Cum Reuerendus Pater Ioannes Titulo S. Praxedis Presbyter Card. quondam Apoſtolicæ ſedis Legatus, tanquam immobilis Eccleſiæ Columna ad honorem Dei, & Eccleſiæ Romanæ, Eccleſias noſtras fideliter ordinauerit, per dilectum filium Procuratorem noſtrũ, Magiſtrum Gilbertum latorẽ præſentium mille hyperperatas, monetæ generis terræ de collata vndecima vobis, & ſacro Cœtui Cardinalium præſentamus, de quibus hyperperatis Magiſter Alexander Decanus Theſſalon. Subdiaconus veſter de mandato Domini Legati hyperpera recepit, vobis ea perſonaliter delaturus.

Huius Ioannis opibus Hoſpitales domos ad Lateranum in honorem S. Andreæ Apoſtoli, quas hodie S. Ioannis dicimus, cum magnis redditibus in alimenta peregrinorum, & calamitoſorum hominum cum ſingulari pietatis laude ædificatas conſtat. Baſilicam ſanctæ Mariæ Maioris de Vrbe magnis muneribus auxit, ſuaque liberalitate amplificauit, vt Honorius ipſe hiſce literis teſtatur.

Paul. Iouius. Ferdinand. Vghel. Oct. Pancirol. Panuin. de 7. Vrb. Eccleſiæ. Angel in deſcr. B. V. S. Mariæ Maioris. Nippol. Marrac. in Purp. Mar.

HONORIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI
Dilectis filijs Romanis Archipresbytero, & Canonicis Eccleſiæ S. M. Maioris ſal. & Apoſtolicam benedictionem.

Iuſtis petentium deſiderijs dignum eſt nos facilem præbere conſenſum, & vota, quæ à rationis tramite non diſcordant, effectu proſequente complere. Quapropter dilecti in Domino filij veſtris iuſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu Monaſterium Megalaeio Squiſtnens. Diœceſ. poſitum in Imperio Romanorum cum pertinentijs ſuis à dilecto filio noſtro Ioanne titulo ſanctæ Praxedis Presbytero Cardinali, cum in illis partibus legationis officio fungeretur, Eccleſiæ veſtræ conceſſum, ſicut illud iuſte, canonice, ac pacificè poſſidetis, vobis, & per vos eidem Eccleſiæ veſtræ, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio cõmunimus. Multa etiam donauit bona Religioſis S. Praxedis, quam donationem ſuis literis confirmauit Honorius. Perſimilem donationem a Ioanne Cardinali S. Praxedis de quodam Calcedonenſis Diœceſis loco, Eccleſiæ SS. Coſmæ & Damiani factam iiſdem ferè verbis conceptis amplectitur aliud Honorij Diploma, quo ipſe ratam iubet eſſe. Sub Gregorio IX. Eccleſiaſtici exercitus Legatus Neapolitani Regni, ac Piceni; à Federico II. Imperatore plura occupata loca recepit, ac Ducatum Spoletanum texit ab anno 1228. vſque ad 1231.

Odericus Rinald. in Annal. tomo 13.

Ferdinand. Vghel. Lud. Iacobill. in Chronolog. Richard. A nd Victorel. in ſuis Addit. ad Ciac.

De tanti viri virtute, cuius animo Martyrium, non Martyrio animus defuit, teſtimonia duorum auctorum libet afferre, Volaterrani ſcilicet, & Panuinij: ille, *Religioſus*, ait, *Cardinalis S. Praxedis, & Legatus in expeditione Hieroſolymitana fuit anno 1220. Martyrium ſere paſſus; nam inter duos poſtes a Barbaris hoſtibus incluſus iam iam ſecandus erat, niſi illos diuina prouidentia, eius conſtantia, fideque permotos pœnituiſſet. Reuertens verò, Columnam, cui Chriſtus alligatus ad plagas fuerat, ſecum attulit, quæ nunc apud ædem S. Praxedis viſitur.* Alter verò: *Ioannes Columna nobiliſſimus ciuis Romanus, Presbyter Cardinalis tit. S. Praxedis ante annos 450. ab Honorio III. Papa creatus, Hoſpitales domos ad Lateranum, Occidentem verſus, ſuis opibus cum magnis redditibus in alimenta peregrinorum, & egenorum cum ſingulari pietatis laude primus ædificauit; quæ poſtea à diuerſis Romanis Pontificibus, & Cardinalibus, Epiſcopiſque aucta, & inſignibus prouentibus in dies, in pauperum perpetuos vſus locupletata.*

lib. 4. cap. 22. n. 1 de Baſil. Lateranenſi.

Odericus Rinaldus ex Richardo ſcribit Ioannem Columnam Cardinalem tit. S. Praxedis ad Federicum deſciuiſſe, Vrbeque relicta contra Romanos arma impugnaſſe: quare poſt obitum Gregorij, cum ille ad Vrbem rediiſſet, à Romanis captus, carcerique mancipatus eſt, & eius arces, & loca funditus euerſa. Meminit de eodem Vueſtmonaſterienſis, qui diſcordiæ inter Pontificem, & Imperatorem, Ioannem hunc ſatorem fuiſſe tradit: at hi culpam conferunt in criminis expertem. Nullus enim veterum ſcriptorum, qui de Romanis Pontificibus ſcripſere, & Annales Eccleſiaſticos edidere, Ioannem reum perduellionis faciunt. Neque veritati conſonant, quæ Vueſtmonaſterienſis ſcribit, Ioannem ſcilicet auctorem fuiſſe diſſidij inter Pontificem, & Imperatorem; ſcimus enim plurimorum auctorum teſtimonio Federicum Patrimonium Eccleſiæ occupare tentaſſe, & in Picenum Entium filium cum exercitu immiſiſſe, quãdo pro Gregorio Ioannes Cardinalis arma impugnabat. Entio enim in Marchiam irrumpenti, Gregorij Romani Pontificis iuſſu Ioannes Columna Eccleſiaſtici exercitus Dux occurrit, illumque ex Ducatu Spoletano, Vrbeque Fulginea eiecit. Hæc non ſunt perduellis facinora, neque diſſidij inter Romanum Pontificem, & Imperatorem dicendus ſator ille, qui pugnat pro Romano Pontifice: exteri ſcriptores iſti vt culpa eximant Federicum, in culpam alios vocant. Silentio hæc vitæ Gregorij Anonymus auctor nõ prætermiſiſſet, ſi Ioannem fautorem Federici agnouiſſet: illum audiamus. *Occupare Patrimonium tentat Federicus, quod tenetur defendere iuramento: aurum ſoluit, appendit argentum, nationes inuitat, vt petram euertant Eccleſiæ, quam Dominus poſuit.* His igitur prætermiſſis certa enarremus.

Tom. 13. Annal. In Chron.

Flor. hiſt. ann. 1244.

Duas ad Ioannem Columnam tit. S. Praxedis Presbyterum Cardinalem, Apoſtolicæ ſedis in Orientali Imperio Legatum Honorius ſcripſit epiſtolas, quarum altera hortatur, ne ex Patriarchæ, atque Imperatoris Conſtantinopolitanorum morte nimium dolorem contrahat, neue animum abijciat, ſed munus ſtrenuè adminiſtret: altera verò mandat, vt Demetrium Regem Theſſalonicenſem, eiuſque Regnum ſollicitè, & peramanter foueat, ac tueatur. Ipſe verò Ioannes Legatus plures literas miſit Priori Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Piſanorum, quas refert Vghellius in tomo 3. Ital. ſac. & ſubſcripſit pluribus Romanorum Pontificum Diplomatibus, illis ſcilicet Honorij III. datis iv. nonas Martij anno 1217. Marzino Lunenſi Epiſ-

Oder Rinald. in ſuis Annal. an. 1220.

Ferdinand. Vghel in Ital. ſac.

copo,

copo, & Canonicis Lucenſibus S. Fridiani uj. Idos Iulij 1222. Stephano Nouiportus Abbati; & xiv. Kal. Iunij anno 1224. Monaldo Foroſempronienſi Epiſcopo. Alijs etiam Gregorij IX. anno 1227. Raynaldo Firmano Epiſcopo, 1231. Monopolitanæ Eccleſię, & anno 1237. Abbati S. Saluatoris de Septimo; demum Innocentij IV. anno 1244. Eccleſiæ Lateranenſi. [A]

Ciaconius

Antonius Summontius libro 7. Hiſtoriæ Neapolitanæ affirmat Ioannem Columnam filium Odoardi Archiepiſcopum Meſſanenſem S. R. E. Cardinalem, Honorij III. iuſſu, circa annum noſtræ ſalutis 1230. legationis munere functum fuiſſe in Oriente. At hic errat, & Ioannem Presbyterum Cardinalem S. Praxedis cum alio Ioanne Columna Archiepiſcopo Meſſanenſi confundit: hic enim Dominicanorum diſciplinam profeſſus ab Alexandro IV. Romano Pontifice ex Prouincialatu Romanæ Prouinciæ ad Meſſanenſem Eccleſiam aſſumptus eſt anno 1255. quando alter iam ad ſuperos euolauerat: mortem enim obijt Ioannes Cardinalis anno 1245. Innocentio IV. ſummo Pontifice. [B]

Ciaconius. Ferdinãd. Vghellus de Card. Column.



III.

AEGIDIVS Hiſpanus, cui Ciaconius agnomen de Torres, & eiuſdem familiæ inſignia tribuit, Diaconus Cardinalis SS. Coſmæ & Damiani ex Canonico Eccleſiæ Burgenſis renunciatus ab Honorio eſt. Huius in epiſtola Federici II. Imperatoris ad Cardinalium Collegiũ ſuper iniuria quadam illata Raynerio Cardinali ſanctæ Mariæ in Coſmedin Vmbriæ Præfecto mentio extat: [C] Auditor in multis cauſis, atque adminiſtrator fuit Monaſterij Farfenſis. Cum deſignatus eſſet à Collegio Canonicorum Toletanus Archiepiſcopus teſte Ciaconio, Innocentius IV. non conſenſit, aſſerens eius ſtrenua, & fideli opera Eccleſiam vniuerſalem indigere. Contra Ciaconium ex Bzouio ſcimus Innocentium IV. Romanum Pontificem Aegidium Hiſpanum Diaconum Cardinalem SS. Coſmæ, & Damiani in locum Roderici Ximenij renunciaſſe Archiepiſcopum Toletanum, eumque Ferdinando Regi Alphonſo primogenito, & Sanctio Infanti Archidiacono Toletano, nec non vniuerſo eius Eccleſiæ Collegio per literas commendaſſe. E vita exceſſit menſe Auguſto anno noſtræ ſalutis 1254. ſedente Innocentio IV. in Petri Cathedra, cum plura Romanorum [D] Pontificum Diplomata manu ſua firmaſſet, illa ſcilicet Honorij anno 1217. Canonicis Lucenſibus S. Fridiani, & Fulconi Epiſcopo Papienſi data; nec non alia anno 1219. Petro Firmano Epiſcopo. Tum illa Gregorij IX. anno 1228. Lateranenſi Eccleſiæ, & Theodorico Rauennato Archiepiſcopo; ac ij. nonas Octobris anno 1237. Abbati S. Saluatoris de Septimo; & demum nonnulla Innocentij IV. anno 1244. Eccleſiæ Lateranenſi, & Ioanni Ceruenſi Epiſcopo.

Ciaconius. Tomo 13. Annal. anno 1248.



IV.

MAG. BERTRANDVS Sabellus, quem Panuinius, & Aubery Bartholomæum nominant, nobilis Romanus, Honorij Nepos, Presbyter Cardinalis SS. Ioannis, & Pauli titulo Pammachij renunciatus eſt. [E] Cardinalem hunc legationis munere auctum ad conciliãdos Eccleſiæ Hæreticos, ſopiendos enaſcentium bellorum fragores, aliaſque controuerſias æquitate dirimendas Honorius in Gallias miſit, datis ad Archiepiſcopos, & alios Præſules Galliarum hac de re literis. Impoſuit etiam Legato huic Romanus Põtifex munus, vt in Maſſilienſes, qui Clerum oppreſſerãt, & res ſacras conculcarant, niſi crimen ritè expiarent, anathema, atque interdictum iacularetur. Eidem præterea tradidit diſcutiendæ Narbonenſem inter, & Montfortium [F] exortæ controuerſiæ prouinciam: cum autem coniuraſſent aduerſus Montfortium Iacobus Rex Aragonum, tum Fuxenſis Comes, & Raymundus iunior, qui ad arma Aueniones, Maſſilienſes, Belliquadrenſes, Tarraſconenſes, ac S. Aegidij ciues traxit; adeo vt in extremum diſcrimen fideles adducerentur; Honorius Bertrando Legato literis ſcriptis x. Kalen. Nouembris anni 1217. præcepit, vt Iacobum, atque Aragonios Montfortij ditionem inuadere, atque imperatas à Synodo Oecumenica inducias violare vetaret, ſi verò mouerent bellum, ipſum anathemate, ac terras interdicto ſacro feriret. M: g ii ſemper Bertrandum Honorius fecit, eumque virum, probatæ

De Rom. Pont. Ciaconius. Oder. Rinald. in Annalibus

vitæ, eminentis ſcientiæ, potentem in opere, & ſermone vocat, atque illi crebras literas ſcripſit. Poſtea Hiſpaniarum legationem obtinuit: exceſſit è vita circa ſeptimum Honorij annum. Hunc Petrus Frizon in Gallia Purpurata inter Cardinales natione Gallos numerat, eidemque alia omninò ab ijs quæ nos ſupra expreſſimus, Inſignia tradidit, ſcutum ſcilicet tranſuerſè bipartitum, tribus cornutis lunis ſupernè, infernè vero lilio tantum vno gallico, expreſſis. [A]

Petrus Frizon in Gal. Purp. Ciaconius



V.

PETRVS Romanus Diaconus Cardinalis S. Georgij in Velabro Auditor in multis cauſis ſub Honorio III. fuit: huius mentio extat in epiſtola Federici II. Imperatoris ad Cardinalium Collegiũ. Subſcripſit Honorij literis datis xiv. kalendas Iunij anno 1224. Monaldo Foroſempronienſi Epiſcopo; alijſq; Gregorij IX. anno 1228. ad Theodoricum Rauennatem Archiepiſcopum, & xv. Kal. Februarij anno 1229. ad Albertum Priorem ſedis Epiſcopalis B. Mariani, & 21. Kal. Aprilis anno 1231. ad Epiſcopum Monopolitanum miſſis. lucis vſuram amiſit an. noſtræ ſalutis 1242. cum vacaret Romana ſedes poſt obitum Cœleſtini IV. [B]

Ciaconius. Ferdinãd. Vghel. in Ital. ſac. Aubery in vita.



VI.

NICOLAVS Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Aquiro ab Honorio Tertio Romano Pontifice renunciatus eſt, cuius præter nudum nomen in Regiſtro eiuſdem Honorij nulla alia mentio reperitur: diem ſupremum obijt ſub eodem Honorio. [C] [D]

Ciaconius. Aubery in vita.

SECVNDA CREATIO CARDINALIVM.

Anno Dominicæ Incarnationis 1219. *Pontificatus III.* Romæ Honorius Romanus Põtifex iterum creauit Cardinales, qui fuerũt.



VII.

CONRADVS, alius ab Henrici Nigri Bauariæ Ducis filio, natione Germanus, Egiņonis, ſiue Egonis Comitis de Vrach Suitonum Dynaſtæ filius, frater Egiņonis Comitis de Friburg, quem Surius Conradum Egiņonis appellat, [E] cũ fratre Bertholdo adhuc puer, obſes à patruo Bertholdo Turingię Duce datus eſt Philippo Sueuiæ Duci, Cæſari deſignato, quo mortuo, ambo fratres voti rei, quòd Monachorum ordinem in captiuitate poſiti ſi liberarentur, vouerant, vterque monachus Ciſtercienſis factus eſt; Bertholdus ſcilicet in Monaſterio Salemitano in Sueuia, Conradus verò ex Canonico S. Lamberti Eccleſiæ Leodienſis, arctioris vitæ deſiderio tactus, in Villarienſi Cœnobio in Brabantia Ciſtercienſium habitum induit. [F] Initio ſui tyrocinij quàm fortiter aduerſus Diaboli inſidias luctatus ſit docet Cæſarius his verbis: *Simon conuerſus dum audiret miſſam, vidit in ſpiritu Conradum corpore ſatis a ſe remotum, coram ſe ſtare, & coronam auream in capite geſtare: vidit & cogitationes cordis eius, atque orationes, in quibus tunc verſabatur in Villario. Finita miſſa ſecretè locutus eſt Vualtero dicens, cum videritis Conradum nouitium Villarienſem dicite ei, vt caueat ſibi, quia huiuſmodi tentationes patietur hoc anno: tales enim cogitationes, taleſque orationes iam habuit in miſſa, & ſciatis, quia magna perſona eris in Ordine. Poſtea cum idem Vualterus vidiſſet nouitium, cœpit per ambages illum interrogare, quid infra miſſas ſoleret orare, quid*

Gaſpar Iongel. in Purp. Diui Bernard. Ciaconius. Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciacon.] l. 3. c. 13.

ne co-

ne cogitare; reſpondente illo; ſic, & ſic orare conſueui, adiecit, rogo etiam, vt dicatis mihi, quæ fuerit oratio, qualiſue cogitatio veſtra die illa Dominica infra miſſam. Cui cum diceret nouitius, cur tam diligenter inueſtigatis de cogitationibus meis? Reſpondit, dicite mihi, quod quæro, & ego vobis poſtea cauſam exponam. Tunc recitauit ei nouitius per ordinem quid orauerit, vel cogitauerit infra miſſam illam, in magnum vertit ſtuporem; quia nec in vno verbo diſcrepauit à verbis fratris Simon. Mox eum informans, quid de illo viderit, ſimul & modum tentationis monuit, vt cautus eſſet, ne forte ſub ſpecie boni à Diabolo deciperetur.

Succeſſu temporis Conradus Prior, inde Abbas Villarienſis, Monaſterium tum ſpiritualibus, tum temporalibus rebus, meritis ſuis auxit: ad Clareuallenſem deinde Abbatiam regendam vocatus Cœnobium illud ſanctiſſimè moderatus eſt, donec Patrum totius Ordinis deſiderio Ciſtercij Abbas Generalis electus, duobus annis vniuerſum Ordinem rexit: poſtmodum Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & S. Rufinæ ab Honorio III. Romano Pontifice inauguratus, varias ad exteras gentes legationes peregit; in Gallia ſcilicet contra Albigenſes, in Hiſpania, & Germania pro Terræ Sanctæ præſidio. Bartholomæum Carcaſſonenſem, deperditum hominem, quem Albigenſes in Antipapam elegerant, inſectatus eſt ſemper, vt docet eiuſdem ſanctiſſimi viri epiſtola ad Rothomagenſem Archiepiſcopum apud Matthæum Pariſium. A Canonicis Leodienſibus, itemque Biſuntinis electus Archiepiſcopus, Romano Pontifice iubente, dignitatem illam recuſauit; Vniuerſalis Eccleſiæ lumen inter mœnia vnius Ciuitatis, vel Prouinciæ, ſeu Regni includi haud debere reſpondit Romanus Pontifex. Multas in reprimendis Schiſmaticis Coloniæ perpeſſus eſt calamitates: in Germanica legatione, quam ſub Gregorio IX. continuauit, Coloniæ Concilium celebrans, ſancti Engelberti Archiepiſcopi Colonienſis, ac Martyris occiſores anathemate ferijt; multaq; ad Clerũ illũ ſpectantia decreuit. Moguntiæ itẽ iv. Idus Decẽb. Synodũ aliã, tertiam Leodij pro Eccleſiaſticorum reformatione habuit. In Eccleſia Pariſienſi Prędicatorum orans, ſpiritu raptus vidit librum cum his verbis, *Laudare, & Benedicere, & Prædicare*: quæ ſacro Dominicanorum ordini conueniebant.

[Iongelin. loc. cit.] [Petrus Frizon in Gal. Purp.]

Honorio III. defuncto, in Conclaui cum de ſucceſſore nominando Cardinales acriter diſputarent, viſum fuit inter tres Cardinales, quos inter & Conradus fuit, compromiſſum facere, cumque alij duo ipſum deſignare vellent Pontificem, *Abſit*, inquit, *vt ego me ipſum dicar elegiſſe*. A Gregorio IX. contra Hæreticos iterum, & Sarracenos pleniſſimam legationem accepit, atque in Paleſtinam cum Cruceſignatis traiecit, ibique poſt tot pro Eccleſia ſancta exantlatos labores, morbo correptus, & morti vicinus cygneam hanc vocem vir optimus emiſit; *Vtinam vſque in hanc horam in Villari, ſub diſciplina vixiſſem regulari, & cum culina hebdomadarijs ibidem ſcutellas abluiſſem*: ſic plenus meritis, & miraculis clarus obdormiuit in Domino. Quo verò anno obierit Conradus, variant Hiſtorici: Ciaconius anno 1234. Arnoldus Vuion anno 1225. alij anno 1226. obijſſe affirmant: ex eius tamen Epitaphio liquet ad ſuperos euolaſſe Pridie Kalen. Octobris anno 1227. cuius corpus in Clarauallem delatum, vt ipſe præceperat, in ſepulchro marmoreo conditum fuit cum hac Inſcriptione.

[Vghel. l. c.] [Iongelin. ibidem.] [Aubertus Miræus in Chronic. Ciſterc.] [Vghel. ibidem.]

Vive, vide, fide, ne fide fidatur in æuo
Quo vir eas, caro vereas, quo pergere nemo
Spica ſenum, culmus iuuenum, ſedet in dolis herba,
Impariter, ſed par pariter ſunt meſſis, & herba,
CONRADVM tot in alta gradum firmaſſe recluſum
Cerne ſolo, ferſante colo iam pendere fuſum.
Iam neque net, neque ætatem tenet, cum præmia cernat,
Præcipuus flos Roma tuus ſuper æthera vernat.
Planta Ducum, Villare tuum deſcendit in hortum,
Dehinc vacuum Bernarde tuum transfertur ad hortum.
Mox matris pater, imo patris pater ordinis eſſe
Promeruit, demum meruit ſibi Papa coeſſe
Papa contradicens CONRADVS ei quaſi ſoli.
Luna rotunda fuit, tibi teſtis Roma fidelis
Hiſpida cum raſis CONRADVS corpore barbam
Ordinis, Imperij collum, Romæque coronam.
In Clauſtro Daniel, Noë portus Pontificatus,
Imperioque Ioſeph, modo Beniamin in Paradiſo.
Anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo
Luce tua Cœlis manans hunc ſepelis Michaelis.

Alia legitur Inſcriptio in eodem ſepulchro.

Hic iacet Dominus Conradus, qui primò Villarienſis,
Deinde Claræuallenſis, poſtea Ciſtercienſis extitit Abbas, & demũ
PORTVENSIS EPISCOPVS CARD.
Hic cũ in tranſmarinis partibus moraretur, inſtantiſſimè præcepit,
Vt Claramvallem, vbi iam dudum ſuam elegerat ſepulturam,
Oſſa ſua deferrentur, & ibidem ſepelirentur.
Obijt autem anno Domini
MCCXXVII.
Pridie Kalendas Octobris.

Miraculis claruit Conradus, inter quæ illud emicat, quod narrant Chronicon Villarienſis Monaſterij, Thomas Cantipratenſis, Cæſarius, alijque omnes, qui de Conrado ſcripſere; digiti enim ipſius, quibus Dominici corporis, & ſanguinis Hoſtiam offerre conſueuerat, noctu ad inſtar candelarum ita fulgerent, vt eius lucis ope ſcripturas ſanctas expeditè legeret. Miraculum ſanè eo maiori admiratione dignum, quod ſingulis noctibus accidiſſe fertur.

Hunc Gregorius IX. Romanus Pontifex virum honeſtate morũ, ac literarum ſcientia, & generis nobilitate præclarum vocat; eundemque commendat Andreas Sauſſay in Martyrologio Gallicano his verbis. *Felici morte in Chriſto obdormiuit piæ memoriæ Conradus ex Abbate Ciſtercienſi S. R. E. Cardinalis, & Epiſcopus Portuenſis, qui in Gallia Legatus Ordinem Prædicatorum recens ortũ confirmauit, pièque admodum protexit. Deinde in Orientem miſſus pro Republica Chriſtiana neceſſitatibus ſtrenuam operam collapſis rebus reſtituendis impendit. Redux in ſummum Pontificem electus tantum honorem recuſauit, atque tandem Claræuallis poſt religioſum finem ſepultus eſt, de quo id proditur memoria dignum, quod digiti ſacri, quibus Dominici corporis diuinam Hoſtiam offerebat, tanta luminis claritate ſæpe effulgere viſi ſunt; vt noctis ei tenebras tanquam meridiem illuſtrarent. Ei etiam frequenter Virgo beatiſſima, cui admodum deuotus erat, apparuit, de exhibitis ſibi officijs à fideli cliente gratulata.*

[Ciaconius]

Firmauit Honorij III. literas anno noſtræ ſalutis 1224. datas Raynaldo Firmano Epiſc. & alias Greg. IX. a. 1227. Eccleſiæ Anagninæ.

De Rebus Conradi præclarè geſtis fuſiùs ſcripſit Chryſoſtomus Henriquez in Faſciculo ſanctorum ordinis Ciſterciẽſis; & in Kalendario eiuſdem Ordinis pro ſancto adnotatur die xxx. Septembris. Item de eo Ioannes Abbas in Catalogo ſanctorum, & Molanus in Indiculo ſanctorum Belgij, Cæſarius Heiſterbachienſis in Hiſtoria, Aubertus Miræus in Chronico Ciſtercienſi, Bzouius in Annalibus Eccleſiaſticis, Bernardus de Brito, Moncaluus in Chronico Ordinis Ciſtercienſis, Arnoldus Vuion, qui Conradum Ciſtercienſem cum altero Conrado filio Henrici Nigri Bauariæ Ducis confundit. Seuerinus Binius tomo 3. Conciliorum part. 2. Concilium habitum in Germania à Conrado contra Simoniacos, & Concubinarios dilucidauit notis, in quibus virum doctum, & religione celebrem Conradum appellat.

Antequam de Conradi rebus geſtis narrandis finem faciam, lectorem monere volo diuerſitatis, quam in gentilitijs ſtemmatibus huius Cardinalis apud Ciaconium, Petrum Frizonium, & Ferdinandum Vghellum inuenio. Primus enim tres progredientes Pantheras, alter Inſignia Abbatiæ Claræuallenſis, tertius aureum Leonem anhelantem, erectum in campo rubeo, cuius vngues, exertaque lingua cæruleo infecta perſpicitur, Conrado tribuunt. Nos prætermiſſis his tribus, aliud omnino diuerſum gentilitium Stemma Conrado conceſſimus, illud ſcilicet, quod eſt proprium Comitum Seynenſium, vt refert Gaſpar Iongelinus in Purpura D. Bernardi.

VIII.



FR. NICOLAVS de Claramonte, Italus, nobilis Siculus, monachus Ciſtercienſis, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus, Honorij III. Romani Pontificis iuſſu legatione functus eſt ad Fredericũ Imperatorem, vt eum hortaretur ad Crucem, & ad ſacram militiam ſuſcipiendam præſertim poſt Damiatam amiſſam. Pro ſe, ſuiſque ſucceſſoribus in Eccleſia Tuſculana ab Honorio pro habitatione in Vrbe obtinuit Eccleſiam S. Mariæ in Monaſterio, vt patet ex Honorij Diplomate, quod è Vaticano Regeſto tranſcripſit in 1. tom. ſuæ Italiæ ſacræ Ferdinandus Vghellus. Legatus in Regno Neapolitano Cathedralem Eccleſiam Coſentinam conſecrauit anno 1222. vt ex antiquis monumentis Florenſis Cœnobij teſtatur Iacobus Græcus Sillanæus in Chronologia Ioachimi Abbatis, & extat eiuſdem Nicolai de hac re priuilegium eidem Eccleſiæ conceſſum. Honorij literis ſubſcripſit illis, ſcilicet anno 1220. Cœnobio S. Geminiani, & anno 1224. Lucenſi Eccleſiæ datis: E viuis deceſſit anno 1227. dum Gregorius IX. Romanum Pontificatum exordiretur.

[Ferdinãd. Vghellus tomo 1. Ital. ſac.] [Ciaconius]

Fuiſſe autem Nicolaum ex antiquiſſima, ac nobiliſſima familia Claramontenſium, qui olim dignitatis ergò Præfectura Regni, & maris fungebatur, hoc ſubiectum monumentum ſatis, ſuperque demonſtrat, quod ex Archiuio Florentino in lucem dedit Ferdinandus Vghellus. *Miſeratione Diuina Petrus Sabinenſis Epiſcopus, Nicolaus Tuſculanus Epiſcopus, de Claramonte nuncupatus, & Stephanus tituli Baſilicæ duodecim Apoſtolorum Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales: Vniuerſis Chriſtifidelibus tam præſentibus, quàm futuris præſentes noſtras literas inſpecturis ſalutem in Domino ſempiternam. Notum facimus, & teſtamur, quod potentiſſimus,*

& magni-

A

& magnificus Princeps, & Dominus D. Federicus de Claramonte conſanguineus noſter, miles creatus nuper à ſanctiſſimo in Chriſto Patre, & Domino noſtro D. Honorio diuina prouidentia Papa Tertio, & ab eo poteſtas tradita eſt, qua poſſit pugnare pro iuſtitia ad honorem Dei, & etiam propter ſanctam Romanam Eccleſiam, & maximè contra Sarracenos, ſeu Infideles, & Schiſmaticos, velut elapſis temporibus ſemper fecerunt potentiſſimi, & magnificentiſſimi Principes de domo Chriſtianiſſimi magni Caroli Regis Franciæ, de qua ille glorioſiſſimus, magnificentiſſimuſque Verelandus de Claramonte deſcendit, & vos etiam deſcendiſtis. Vnde nos conſiderantes tantam ſublimem, atque magnam progeniem, & maximam deuotionem, quam habetis circa ſanctiſſimas Reliquias ſanctorum, quas humiliter & gratioſè efflagitaſtis, vt cum maiori deuotione, atque feruore poſſitis pugnare, exhibemus vobis aliquas deuotas, atque ſanctiſſimas Reliquias: &c. enumerat deinde omnes Reliquias ſanctorum, quas liberalitate prolixa in illum confert Romanus Pontifex. Quare nos prætermiſſo gentilitio ſtemmate, quod aliàs Nicolao huic tribuerant Ciaconius, & Gaſpar Iongelinus, & erat ſcutum cyaneum quatuor cantherijs aureis oneratum, Claramontenſis familiæ Inſignia ex Vghellio conceſſimus Nicolao, de quo nulla mentio apud Panuinium, & Aubery.

B

TERTIA CREATIO CARDINALIVM.

Anno Dominicæ Incarnationis 1220. *Pontificatus IV.* ex Ciaconio, ex Panuinio verò an. 1219. menſe Nouembri, Romæ Honorius III. Rom. Pontifex tertiò creauit Cardinales, inter quos fuere.

IX.



Odericus Rinald. to. 13. Annal.

PETRVS de Capua Campanus, Petri olim S. Marcelli Presbyteri Cardinal è fratre nepos ab Honorio III. Romano Pōtifice anno 1219. Antiochenæ Eccleſiæ Patriarcha, deinde Presb. Card. S. Crucis in Hieruſale renūciatus eſt, vt eiuſdem Pontificis hę literæ teſtatur. *Cū dilectū Noſtrū Magiſtrum Petrum Capuanum, quem deputaueramus ad regimen Eccleſiæ memoratæ, circa Nos certa de cauſa prouideramus retinendum, eundem in fratrum Noſtrorum Collegium aſſumendo, tādem ad multam inſtantiam dilectorum filiorum Anſelmi, Virici,*

C

& Opranæ Canonicorum ipſius Eccleſiæ, qui ſicut viri prouidi, & fideles pro ea ſollicitè, ac fideliter laborarunt, alium nobis pro veſtra, & Eccleſiæ veſtræ vtilitate ſubtraximus, per cuius induſtriam labores noſtri releuabantur præcipuè, & de cuius prudentia ſolatium potiſſimum habebamus, videlicet chariſſimum nobis Raynerium ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarium, virum ſcientia, vita, & fama præclarum, & elegantia morum, ac conuerſationis dulcedine gratioſum, ipſumque veſtræ præficientes Eccleſiæ, ac in Patriarcham proprijs manibus conſecrantes, Pallium ſibi tradidimus, plenitudinis videlicet officij Pontificalis inſigne, vt ab Apoſtolica ſede tanquam ſponſus de thalamo ſuo ad vos in ornatu Patriarchali procedat, &c. Vir fuit Petrus hic doctrina illuſtris, publicèque Pariſijs Theologiam docuit: exceſſit è vita Romæ ſub eodem Honorio, cuius mentio extat in eiuſdem Honorij Regiſtro, annis, ſecundo, tertio, & quarto, eiuſq. dies obitus memoratur in emortuali Eccleſiæ SS. Cyri, & Ioannis de Vrbe x. kalen. Aprilis.

D

Ciaconius
Aubery.

E

X.



Ciaconius

BARTHOLOMAEVS Gallus, Presbyter Cardinalis S. Pudentianæ tit. Paſtoris, à Gregorio IX. Romano Pontifice Auditor datus in cauſa inter Monaſterium Trium fontium, & Capitulum S. Mariæ de Orbitello, Cardinalatum conſecutus eſt cōferente Honorio III. in tertia, ex Ciaconio, ex Panuinio verò in quarta Cardinalium Creatione. Lōgè diuerſus eſt hic noſter Bartholomæus ab eiuſdem nominis Bartholomæo Carcaſſonēſi, quē Antipontificem crearunt Albigenſes. Firmauit hic plures Gregorij IX. literas, illas ſcilicet anno 1227. Canonicis Lucenſibus S. Fridiani: anno 1228. Eccleſiæ S. Georgij Maioris Venetiarum; & anno 1229. Alberto Priori Eccleſiæ ſedis Epiſcopalis B. Mariani. E viuis ereptus eſt ſub Gregorio IX. cuius Comitijs interfuit, & ſuffragium dedit.

F

Ferdinād. Vghel to. 1. Ital. ſac.
Ciaconius
Aubery.

QVARTA CREATIO CARDINALIVM.

Anno noſtræ ſalutis 1220. ex Panuinio, ex Ciaconio verò 1221. Pontif. V. Honorius III. creauit quartò Cardinales, inter quos fuere.

Guido ex Diacono Cardinali ſancti Nicolai in Carcere Tulliano, Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus.



XI.

MAG. OLIVERIVS Saxo, Germanus, totius Germaniæ inſignis, & indefeſſus Prædicator Crucis, Scholaſticus Colonienſis, Paderbonenſis Epiſcopus, ex Canonico à ſaniori parte Capituli contra Henricum Prępoſitum SS. Apoſtolorum Petri & Pauli electus, Romæ ab Honorio III. conſecratus, deinde ad Eccleſiam Sabinenſem tranſlatus eſt, vt ex ſequenti epiſtola eiuſdem Pontificis Capitulo Paderbonenſi clarè patet; quæ eſt 36. in Ordine Regiſtri Vaticani.

Cæſarius lib. 1. c. 2.
Ferdinād. Vghel. to. 1. Ital. ſac.

CAPITVLO PADERBONENSI.

Cum Apoſtolica ſedes Eccleſiarum omnium gerens ſollicitudinem, generalium ſingularum vtilitatibus ſuo loco, & tempore ſtudioſe prouidere deſideret, prout ſibi Dominus adminiſtrat, ne ſi pro alijs adeo intenta ſollicitudine verſaretur, quod ſua quaſi negligenter oblita neceſſitati ſua conſulere prætermitteret, meritò poſſet de minus ordinata redargui charitate, viros electos, quos ad cooperandum ſibi cognoſcit idoneos, frequenter ad ſe aduocat, & aſſumit, ſic illos honorans, vt nihilominus prouideat Eccleſiæ generali. Sane cū Magiſter Oliuerius tunc electus veſter ad noſtram præſentiam acceſſiſſet, Nos ipſum, quem fama laudabilis nobis multipliciter commendarat, recipientes hilariter, & benigne munere ſibi conſecrationis gratanter impenſo, ipſum poſt aliquandiu apud ſedem Apoſtolicam commorantem merita virtutum eius, quæ prius intellexeramus, probabilibus argumentis euidenter experti in conſortium noſtrum admiſimus, & tranſtulimus in Epiſcopum Sabinenſem, qui vt ſperamus in Domino, ita ſeruiet Eccleſiæ generali, vt veſtra tanquam prior Sponſa dilectionis ſeruet gratiam ſpecialem &c. Alia Honorij epiſtola legitur ibidem num. 219 data vij. Idus Aprilis Nobilibus, & Miniſterialibus Eccleſiæ Paderbonenſis, vt Oliuerio Epiſcopo à ſe conſecrato obediant.

Legationis munere eiuſdem Honorij iuſſu functus eſt cum Nicolao Epiſcopo Tuſculano apud Federicum II. Imperatorem, vt eundem ad ſacrum bellum prouocaret. Quos verò in enunciando verbo Dei Oliuerius pertulerit, adieritque labores, Cæſarius narrat, qui etiam de illo hoc mirabile refert. *Dum in Traiectenſi Epiſcopatu Crucem contra Sarracenos prædicaret, & à deperdito homine, qui Diabolo hominium fecerat, impediretur, ſtatim in ſpiritu prophetico, & vehementi ad eum conuerſus dixit Oliuerius: Tace infelix, tu es enim Diabolus, & Diabolus loquitur per os tuum, cum tamen ſtatum illius ignoraret, confuſus miſer abijt, & cum gratius obſequium arbitratus eſſet ſe non poſſe præſtare Domino ſuo, quàm inimicum ſuum occidere, tribus diebus Oliuerium inſecutus eſt, vt eum morti traderet, ſed iuſto Dei iudicio ſubita morte præuentus impœnitens deceſſit.*

Ciaconius

Scripſit Oliuerius, vt notat Eiſengrein: apud Nomenclatorem Conſtitutiones Synodales de Eccleſiaſtica diſciplina Clero Paderbonenſi: ſummum diem obijt anno 1227.

Ferdinād. Vghel. to. 1. Ital. ſac.
Aubery.

CARDINALES S. R. E.
quorum Creationis tempus ignotum.

XII.

THOMAS Presbyter Cardinalis S. Balbinæ Subſcriptione firmauit ſua Honorij III. literas datas xv. kalen. Februarij anno noſtræ ſalutis 1217. Simeoni Tarracinenſi Epiſcopo.

Ferdinād. Vghel. ib.

XIII.

ROBERTVS Presbyter Cardinalis SS. Ioannis, & Pauli titulo Pammachij ſubſcripſit Honorij III. literis miſſis xv. kalen. Februarij anno à partu Virginis 1217. ad Simeonem Tarracinenſem Epiſcopum.

Ferdinād. Vghel. ib.

Honorius III. Romanus Pontifex quatuor Ordinationibus factis menſe Decembri, & alijs menſibus, treſdecim de nouo creauit Cardinales videlicet Epiſcopos iv. Presbyteros vi. & Diaconos iij.

VICECANCELLARII S. R. E.
ſub Honorio Tertio.

D. Raynerius de Caſtrouetteri Tudertinæ Diœceſis Vmber, ſeu

vt alijs

A vt alijs placet, Vrbeuetanus, ab anno primo Honorij vſque ad quartum, quo anno menſe Nouembri in Patriarcham Antiochenum consecratus eſt. Hic non omittendum, quòd antequam Patriarcha renunciaretur, vocabatur Vicecancellarius; Patriarcha verò creatus per aliquot dies eo munere functus eſt, & cum ob Patriarchatus dignitatem amplius non eſſet Vicecancellarius, Cancellarij vices agentem ſe vocabat.

Magiſter Guillelmus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarius ab anno Pontificatus quarto vſque ad partem ſeptimi.

M. Guido Capellanus, & Notarius PP. Procancellario, ſeu Vicecancellarius fuit ab anno ſeptimo vſq; ad finē Honorij Pontificatus. B

CARDINALES MORTVI
ſub Honorio III.

Nicolaus de Romanis Epiſcop. Cardinalis Tuſculanus an. 1219.
Gregorius Theodulus Presbyter Card. S. Anaſtaſiæ.
Mag. Bertrandus Sabellus, quem alij Bartholomęū vocant, Presb. Card. SS. Io. & Pauli tit. Pammachij circa annum 1222.
Rodulphus Gallus S.R.E. Cardinalis anno 1220.

A Guido de Paré Gallus Presbyter Card. S. Mariæ Tranſtyberim ex peſte deceſſit Gandaui anno 1220. ex plerisque verò anno 1206.
Sigefridus ab Eppenſtain Presb. Card. S. Sabinæ anno 1225.
Gregorius Galganus poſt annum 1225.
Gregorius Creſcentius Diaconus Card. S. Theodori.
Ioannes Diaconus Card. SS. Coſmæ, & Damiani poſt annū 1216.
Petrus Saxo Presb. Card. S. Pudentianæ poſt annum 1218.
Maurus Amerinus Presb. Card. ante annum 1225.
Ioannes Presbyter Card. S. Praxedis anno 1221.
Stephanus Langthonus Anglus Presb. Card. S. Chryſogoni poſt B annum 1216.
Petrus Diaconus Epiſc. Sabinenſis anno 1221.
Bertrandus, ſeu Bertramus Diac. Card. S. Georgij in Velabro, incertum tamen quo anno.
Robertus Cuſſon Presb. Card. S. Stephani in Coelio monte circa annum 1218.
Raynerius Vrbeuetanus ſeu de Caſtro Veteri S. R. E. Presbyter Card. poſt annum 1220.
Centius Sabellus Epiſc. Card. Portuenſis anno 1219.
Nicolaus Diac. Card. S. Mariæ in Aquiro.

GREGORIVS IX. PONT. CLXXX.
ANNO DOMINI MCCXXVII.





GREGORIJ IX. Electio.

SANCTISSIMVS D. N. Gregorius Nonus Capuæ ciuitate Campaniæ Felicis, Triſtenio Anagnino patre natus, 23. Papa Regnicola, ex Comitibus Signiæ, Innocentij III. nepos, a quo Capellanus, & Subdiaconus primùm ſuus; mox Diac. Cardinalis titulo S. Euſtachij, ac demùm Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus factus, creatus Romæ omnium Cardinalium ſuffragijs altero poſt eius obitum die, prope Septizonium in Diaconia ſanctæ Luciæ in Septiſolio, aliàs Orthea, à 18. Cardinalibus, die ſabbathi, xiij. Kal. Aprilis, anno Domini 1227. Imperatore Friderico II. Auguſto, ſedit annos 14. menſes 5. dies 10.

CARDINALES XIX. VIVI
quando Gregorius Papa IX. creatus eſt.

CARDINALES EPISCOPI V.
INNOCENTII PAPAE III.

1. Fr. Nicolaus monachus, Epiſcopus Card. Tuſculanus.
2. Hugolinus Comes Anagninus, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus.
3. Pelagius Epiſcopus Cardinalis Albanus.
4. Guido de Papa Romanus, Epiſcopus Card. Prænestinus.

HONORII PAPAE III.

5. Frater Conradus, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ.

PRESBYTERI CARDINALES VIII.
INNOCENTII PAPAE III.

6. D. Leo, Presbyter Card. S. Crucis in Hieruſalem.
7. D. Iacobus Gualla de Bichenjs Vercellenſis, Canonicus Regularis Presbyter Card. ſanctorum Syluestri, & Martini in montibus titulo Equitij.
8. Stephanus de Foſſa noua Romanus, Presbyter Cardinalis Baſilicæ ſanctorum duodecim Apoſtolorum.
9. Stephanus Langthonus Anglus, Archiepiſcopus Cantuarienſis, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Chryſogoni.
10. Gregorius Theodulus Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Anaſtaſiæ.
11. Thomas de Capua Campanus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Sabinæ.

HONORII PAPAE III.

12. Ioannes de Columna Presbyter Cardinalis titulo S. Praxedis.

13. Bartholomæus Presb. Card. S. Pudentianæ tit. Paſtoris.

CARDINALES DIACONI VI.

INNOCENTII PAPAE III.

14. Octauianus Diac. Card. SS. Sergij, & Bacchi, S. R. E. Archidiaconus.
15. Raynerius Capoccius Viterbienſis, Diac. Card. S. Mariæ in Coſmedin, aliàs Schola Græca.
16. Romanus Diac. Card. S. Angeli in Foro Piſcium.
17. Stephanus Diac. Card. S. Hadriani in tribus foris.

HONORII PAPAE III.

18. Aegidius Hiſpanus Diaconus Cardinalis ſanctorum Coſmæ, & Damiani.
19. Petrus Diac. Card. S. Georgij in Velabro.

CORONATIO PAPÆ GREGORIJ IX.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1227. *die Dominico*, poſtridie diei S. Benedicti, Papa Gregorius IX. coronatus ad S. Petrum v. kalen. Aprilis, die Paſchæ inſignia Pontificia ſuſcepit, per manus Octauiani S. R. E. Archidiaconi.

GREGORIUS FRIDERICŪ MONET.

Gregorius Nonus Pontificatus initio Anagniam accedens, Fridericum in Regno commorantem primùm monuit, vt iura Eccleſiaſtica ſibi non vendicaret; liberas Prælatorum electiones relinqueret; quæ de Romana Eccleſia occuparat, redderet; Clericos indebitis vectigalibus non grauaret; cenſum debitum penderet; & ſub anathematis pœna, primò quoque tempore in Syriam cum exercitu recuperandæ Hieroſolymæ cauſſa traijceret: quem nihil præſtare volentem, & cunctantem: & terminum ſibi ab Honorio III. præfixum in Conuentu apud Caſinum habito, & iuramento firmatum prætere-

FRIDERICUS à Gregorio interdictus, & excommunicatus. FRIDER. cōtra Pōtificem.

C

tire nō curantem publicè ſacris interdixit: in Vrbem rediens coacto Laterani Concilio, anathema in Fridericū confirmauit. Quod ægrè ferens Imperator literas contumeliarum plenas in Pontificem vbique ſcripſit. Quin etiam Petrum Fregepanem Vrbis Cancellarium virum Romæ primarium, & aliquot præterea nobiles Romanos ad ſe vocatos, grandi pecunia donauit, eóſque ſibi in Vrbe contra Pontificem fautores parauit. Per id tempus Imperator in Syriam traiecturus, cunctis Cruceſignatis mandauit, vt Brunduſij ad certam diem cum armis adeſſent. Acceſſerat eò magna multitudo, præcipuè verò ex Germania Thuringiæ Lantgrauius, qui Brunduſij vna cum magna militum parte obijt. Fridericus ægritudinem ſimulans in Sicilia ſe continebat; & Lantgrauij morte cognita eò celerrimè adnauigans, cunctam eius ſupellectilem diripuit. Continuò fingens ſibi in animo eſſe in Palæſtinam traijcere. Illuc enim poſt prædam paratam claſſem direxit, omnibus, qui tunc aderant ſubſequi iuſſis. Quamquam haud ita longè poſt, cum paululum proceſſiſſet, procellis (vt

D

ipſe dicebat) agitatus, cum paucis Brunduſium rediens, breui eos ſe ſubſequuturum promittens, qui iam in Syriam appulerant, vel propediem accedebant. At Pontifex, Friderici fraudibus deprehenſis, anathema in eum renouauit. Qui anno ſequenti amicorum precibus, ne iuſiurandum falleret, victus, inconſulto tamen Pontifice, Syriacam nauigationem tandem ſuſcipiens in Cyprum appulit, deinde Accon peruenit, vbi armis, potentia, & nominis ſui auctoritate Aegiptium Sultanum breui eò adegit, vt inducijs decennalibus inter vtrumque pactis, Hieroſolymam, & totum Regnum, præter arces aliquot, ei reſtitueret, hac tamen lege addita, vt Templum Domini Sarracænis relinqueretur; Imperator media Quadrageſima, anno 1229. Rex Hieroſolymitanus inunctus, & coronatus, Ioppem reædificari curauit; is literas, & Nuncios ad Pontificem, & omnes Chriſtianos Principes miſit, quibus Terræ Sanctę recuperationem, & fœdera cum Sultano ſignificaret, Pontificem monens, vt anathemate

FRID. iterum excommunicatur.

PAX inter Frid. & Sultanū.

FRID. Rex Hieroſolymitanus vagatur.

E

ſolueretur. Pontifex Terræ Sanctæ receptionem fictam cognoſcens, quod euentus docuit, nam Friderico redeunte, Sultanus omnia iterum occupauerit, ſimulq; ægre ferens Templum Domini Sarracænorum dominationi relictum; Nuncios, & literas reſpuit. Quæ Fridericus in Syria intelligens, Præfecto in Iudæa relicto, celeriter duabus triremibus Brunduſium redijt, & quindecim dierum ſpacio cuncta quæ amiſerat, præter aliquot arces recepit, quas etiam haud longè poſt occupauit, & in ipſo contra Pontificios victoriæ curſu, Beneuentum, omne Latium, vſque ad Vrbem, Patrimonium, Vmbriā, & Picenum in deditionem accepit. Germaniæ præcipuos Principes euocauit, vt pro pace inter ſe, & Pontificem conſtituenda, cum ijs tractaret. Interea Pontifex Peruſia diſcedens Aſſiſium venit, vbi iv. nonas Octob. anno 1228. beatum Franciſcum Ordinis Minorum

FRID. à Pōtifice abſolui petit.

FRID. per Principes tractat pacem cū Greg. Papa.

F

auctorem, & primum inſtitutorem inter ſanctos * ſollemni ritu referendum conſtituit: magno conuentu Chriſtianorum, propter eam, habito anno Domini 1230. Pontificatus ſui anno 3. inde Romam redijt. Ad quem Imperator Archiepiſcopum Meſſanenſem, & magnum ordinis Theutonicorū Magiſtrum Legatos pro pace mittit, pollicetúrque Vncias auri centum viginti mille Eccleſię Romanæ ob damna illata perſoluturum, & quæ occupauerat redditurum. Pontifex vndique obſeſſus, omnium rogatu, pacis conditiones accepit, & Siciliæ Regnum Imperatori beneficiario iure, more maiorum præter Eccleſiæ Vrbes conceſſit. Inde vt cum Imperatore conueniret, Anagniam, quo is acceſſerat, adijt: Fridericus Pontificis pe-

DE CANONIZATIONE S. FRANCISCI. *

A

des oſculatus, anathemate ſolutus, in gratiam Pontificis redijt, & cum eo menſæ accubuit, in Pontificis autem gratiam, omnes iniurias Longobardorum, ſibi, & imperio illatas condonauit. His actis Cæſar in Regnum, Pontifex ad Vrbem primum, deinde Peruſiam contendit.

PAX inter Papā & Frid.

Eo tempore Romæ ſeditio popularis exorta, grauiter Pontificem affligebat: aliquot enim ciues, auctore Hannibaldo Senatore ex familia Hannibalda ab Eccleſia rebellarunt, Clericis, & Tuſciæ populis Romanæ Sedis vectigalibus grauiſſima onera, & tributa inducentes, ſed hos diuina vltio illicò victa eſt. Tiberis enim ſupra modum exundans multa Romanis damna attulit, & tanta fame, & peſte laboratum eſt, vt vix decimus quiſque ſuperfuerit. territus tot calamitatibus populus, iram hanc Dei eſſe credens, nobiliſſimos ciues Petrum Fregepanem Cancellarium, & Pandulphum de Suburra ad Pontificem Peruſiam Legatos mittit, oratum, vt ad Vrbem rediens

VRBS peſtilētia, & fame oppreſſa.

B

tot miſerijs opem ferret. Pontifex mira clementia vſus ad Vrbem rediens, populo quidem pepercit, Hannibaldum verò Magiſtratu abire iuſſit. Frumenta vndique comparata eſurienti plebi diſtribuit. Inter Romanos, & Viterbienſes atrox bellum erat, & magna hominum, pecorumque ſtrage, diu protractum: quos vt Pontifex pacaret, duos Presbyteros Cardinales Viterbium Legatos miſit: Quorum opera, pax æquis conditionibus, Ioanne de Polo Senatore, pro Romanis ſponſore facta eſt.

ROMANI reuocāt Pontificē in Vrbem.

Pontifex Reate valetudinis gratia profectus, Caſtri Mirandæ Regulos ſicariorum, & hæreticorum fautores carceri incluſit: eiſque arcem illam inſanorum hominum aſylum vi eripuit, Romanorum exercitum ad Campaniæ excidium properantem trium Cardinalium opera ad Vrbem reuocauit.

Reate beatum Dominicum *, ordinis Prædicatorum patrem, & inſtitutorem, multis prodigijs, & miraculis clarum; in ſanctos retu-

* S. DOMINICI canonizatio.

C

lit, anno Domini 1233. à confirmatione ordinis 18. ab ipſius tranſitu 11. & paulò poſt Spoleti B. Antonium Hiſpanum * Vlyſſipponenſem ordinis Minorum Patauinum vocatum, quod ibi diu vixerit, & occubuerit, in ſanctorum numerum aggregauit. Anagniam deinde Pontifex profectus, Pallianum, Monteuortinum, Seronem, Iumonem, & omnia circumquaque poſita oppida muniuit, & præſidijs firmauit. Romanorum contumaciam veritus, qui auctore Senatore edixerant, vt omnia oppida circum Vrbem poſita, populo Romano tributa annua penderent: inde cum Friderico Imperatore Caſini agente, fœdus renouauit, & Romam diſſuadentibus Cardinalibus redire non eſt veritus, vt Romanos monendo, & caſtigando ad ſanam mentem reduceret; Cæterum nihil proficiens, Reate reuertitur, quo etiam Fridericus, vt de filio Henrico Cæſare rebelle apud Pontificem quereretur, peruenerat. De multis rebus ſermone inter ipſos habito, in hanc ſententiam venere, vt primo quoque

PONTIFEX Anagniā proficiſcitur.

D

tempore Romanos coniunctis copijs adorirentur, præſertim quod abeunte Pontifice, temerariè Senator legem tulerit, quam plebs ſciuit, vt nullum ius, nulla iuriſdictio, nulla poteſtas in Vrbe Romana Pontifici amplius eſſet; ſed omnia Senatorum arbitrio gubernarentur. Decepit tunc quidem Pontificem, vt ſemper ſolitus fuit Fridericus, qui in Regnum ad compeſcendos filij Henrici motus abiens, Præfecto ſuo mandauit, vt clàm Romanis faueret; Pontificis enim potentiam ferre non poterat. Qua perfidia Pontifex commotus, Germanis militibus ad caſtra Eccleſiæ tranſgredientibus magna ſtipendia pollicetur. Quare tanta eorum multitudo confluxit, vt Raynerio Capoccio Viterbienſi Diacono Cardinale S. MARIAE in Coſmedin, & Apoſtolicæ ſedis Legato dicto, Romanis, qui cum Eccleſiæ copijs aperto marte congredi nuſquam auſi ſunt, pulſis, Hetruria, Sabinus ager, & omnia vſque ad Vrbem recuperata ſint.

FRIDERICUS decepit Gregorium.

GREGORIUS Germanos milites contra Romanos vocat.

Eliſabetham *, Regis Hungariæ filiam, Lantgrauij Thuringiæ

*

E

relictam, mulierem optimam, & miraculis claram in ſanctorum numerum referendam curauit; Sultani Iconij Legatos, qui pacem ſupplices petebant, reiecit. Diplobantij Græcorum in Aſia Principis oratores multa pollicentes admittens, munerum ab eo tranſmiſſorū partem, aurea ſcilicet, & perıpetaſmata ſuſcepit; quæ Eccleſijs Patriarchalibus Vrbis donauit. Inde prædicatores multos egregios viros, ex Prædicatorum, & Minorum Ordinibus, per totam Europam miſit: qui ſuis concionibus Chriſtianorum arma contra Turcas concitarent. Quorum monitis multi Principes, & Proceres cum maxima militum manu in Syriam traiecerunt, longè latéque omnia populantes. Qui, incompoſito agmine, & inconſultè incedentes, ſuperueniente magna hoſtium multitudine, biduo integro grauiſſimè à Sarracenis, aliquot captis, & multis cæſis, afflicti ſunt, coactique inducias in ſeptem annos petere; & ita expeditio magno conatu in-

PRAEDICATORES per Europā miſſi.

CHRISTIANI à Sarracenis victi.

F

choata, breui concidit, imperitia ducum. Pontifex, qui per id tempus Viterbij, vbi Legatos Imperatoris de rebus grauiſſimis miſſos audiuit, Interamnam & Reate adierat, tantam calamitatem ægre ferens, Romam vbi aptiùs expeditioni Tranſmarinæ vacare poſſet, redire conſtituerat, quod ne faceret, prohibitus eſt à Petro Fregepane Cancellario, viro in Vrbe primario, qui partes Imperatoris ſequebatur, is Friderici opibus fretus, ſeditione in populo concitata, Pontificem Vrbis aditu vetuit. Qui Interamna Viterbium accedens, partem eius in Vrbe vigentem animauit. Qua impetu in Petrum Fregepanem facto, domum & turrim eius, quæ Cancellaria dicebatur euertit, Gualdum Eccleſiæ Romanæ acquiſiuit, Monusflaſconis, &

PATRIS Fregepanis domus deiecta.

Radico-

A Radicofani arces muniuit. Friderico Imperatori, auxilium contra filium Henricum rebellem petenti, literas Apoſtolicas præbuit; quarum auctoritate Germaniæ Principes, relicto Henrico filio, ad eum acceſſerunt. Henricus, anno 1234. perpetuò carceri relegatus *. Imperator tot beneficiorum immemor in Italiam rediens, Longobardos Eccleſiæ Romanæ filios & vectigales contra ius, ſaſque opprimere, & vexare cœpit, antiquam Imperij vim iam labefactatam ſe vendicare affirmans. Ad quem Pontifex primùm Legatum vnum miſit, Iacobum Epiſcopum Præneſtinum, qui controuerſias tolleret. Quo parum proficiente, ipſius rogatu, duos alios Presbyteros Cardinales miſit, qui & ipſi Imperatoris pertinacia, rebus infectis redîere, totam interim ille Lombardiam ferro, & flammis vexabat, & nouis pollicitationibus Pontificis animum eas clades iniquè ferentem, expugnare tentauit, vt eo à Longobardorum fœdere amoto, tutiùs & ex animi ſententia poſſet in rebelles ciuitates ſæuire. Quem cum in ſuam ſententiam nulla ratione habere poſſet; grauiſſimum ſe ei aduerſarium præbens Cardinales ab eo, vt nimis conſtanter auellere tentauit. In Vrbe ſeditiones excitauit, Cenſum Regni Siculi pendere noluit: Clericos omnes grauiſſimè afflixit. Quæ Pontifex primùm tacitè tulit, ſperans ſua conniuentia, & monitis, ferocem eius animum mitigari poſſe, in Vrbem rediens, Ioannem Cincium Senatorem à Friderico pecunia corruptum contradicentem nactus eſt. Qui Capitolio occupato, eius in Vrbem ingreſſum impedire conabatur. Cuius vim, & audaciam Gregorij Papæ amici, nobiles aliquot Romani, inter quos fuit Iacobus Capoccius, ſummo loco natus, fugerunt: ac Pontificem honorificè exceptum, Lateranum vſq; deduxere. Hic eſt ille Iacobus Capoccius, cuius nomen adhuc legitur in tabernaculo, opere vermiculato, quod muſiuum dicitur, ſua impenſa extructo ad S. MARIAM in Præſepi, qua in Baſilica Petrus quoque Capoccius S. R. E. Cardinalis ſepultus eſt; Qui Fridericum, hunc Imperatorem Schiſmaticum proſequutus eſt, quique C Hoſpitale S. Antonij non longè ab eadem Baſilica, & Peruſij Gymnaſium (quod Sapientiam vocant) ſuis impenſis extruxit. Pontifex Vrbem inopia laborantem, frumento & vino adductis, ſubleuauit; Inde pacata (vt ſibi videbatur) Vrbe, Anagniam conceſſit: At Cæſar nouas in dies contra Pontificem inſidias molitus, Bobonem, & Aegidium nobiles Romanos in Pontificis amicos concitauit: ſed à Ioanne Vicha, Gregorij ſtudioſo, repreſſi, ipſorum domibus demolitis, Vrbe exacti ſunt. Pontifex Romam rediens ornamenta multa Baſilicę Lateranenſi Romanorum Pontificum vſibus, veſtes, inquã, ſacerdotales ſericas, auro, & argento intertextas, Crucem aureã 36. Marcharum, gemmis, vnionibuſque diſtinctam, Crucis ſanctiſſimæ Ligno incluſo, Candelabra argentea, & multa alia donauit. Ad ornandam verò Vrbem conuerſus, & veteres cloacas expurgatas reſtituit, & nouas extruxit. Vrbis dignitati, & valetudini vno tempore D conſulens; cognitis præterea Pontifex inauditis hactenus, immaniſſimiſque Friderici II. in Clerum, & Chriſtum blaſphemijs, & facinoribus, cum Anagniæ ageret, diro anathemate eum execratus eſt, & omnes à fidei ſacramento illi præſtito ſoluit Innocentius IV. vt probatur in cap. *Ad Apoſtolicæ* de ſent. & re Iudicata in 6.*

PETIERIT eas (?) ab eis libertatem Eccleſiaſticam malè, & cum maximo detrimento moleſtas.

DE REBUS Iacobi, & Petri Capoccij.

GREGORIJ munera tot ſacris eccleſiæ.

FRIDERICUS à ſé tibet excommunicatur. *

Imperator enim grauiſſimas fratribus Minoribus *, monachis, Clericis, & Epiſcopis Regni Siciliæ calamitates intulit. Minores aliquot fratres combuſſit, monachos, & Clericos interfecit. Ex Epiſcopis aliquot relegauit, alios proſcripſit: alios ſacerdotijs ſine cauſſa, eiecit. Multa Romanæ Eccleſiæ oppida, ciuitates, & arces occupauit: prodigioſas tam in Vrbe, quàm extra contra Pontificem ſeditiones excitauit, in eiuſque vitam conſpirauit. Beneuentum vi captum diripuit, incendit, & mœnibus exuit, Caſinate Monaſterium, eiectis monachis, ſuis militibus in prædam expoſuit, Soram, Samnitum quondam ciuitatem ad Liris caput ſitam, vaſtauit, Templariorum, E & Hoſpitaliorum bona vbique diripuit. Sarracænos ita dilexit, vt eorum opera præ cæteris in bello vteretur: Magiſtratùmque eis, & propriam Vrbem, & Templum, eiectis Chriſtianis, in Lucania conceſſerit, quæ noſtris temporibus Nuceriæ Sarracænorum vocatur. Tineti Regis fratrem Penhornis baptizari petẽtem, ne id faceret, minis deterruit. Rauennam, & Exarchatum Romanæ ſedi eripuit; omneſque eius ſocios duriſſimis afflictionibus afflixit. In Chriſtum Deum virulentiſſima conuicia iecit: Apoſtolicæ ſedis dignitatem, & honorem abrogare tentauit. Quo, ob tot facinora, excommunicato, Pontifex in Vrbem rediit, & Friderici præcipuum fautorem Petrum Fregepanem domuit. Fridericus Mediolanenſes, & ſocias ciuitates inſigni prælio ſuperauit. Ferraria, quæ ab Eccleſia ad Imperatorem defecerat à Salinguerra capta recipitur, cui, Eccleſiæ nomine Azo Eſtenſis Marchio *, qui eo bello ſtrenuè operam nauauerat, F anno Domini 1240. præfectus eſt. Ex quo tempore Eſtenſis gens Ferrariæ adminiſtrationem habere cœpit. Sed nec Fridericus minori ſęuitia circa Vrbem cuncta vaſtabat, omnes ferè Hetruriæ, & Vmbriæ populos, & præſertim Viterbienſes in partes ſuas traduxit: clã verò cum Romanis, minis, precibus, largitione, & pollicitationibus egit, vt penè Pontifex proditus ſit. Qui tanto diſcrimine perterritus, delatis per Vrbem à Laterano ſollemni pompa Apoſtolorum Capitibus, nudis pedibus *, cum omni Clero, & Cardinalibus incedens, populum ad deuotionem & commiſerationem mouit. Habuit etiam in Baſilica Vaticana orationem luculentiſſimam, qua tumultuantẽ plebem in ſententiam ſuam traxit, vt eam coegerit pro Eccleſiæ de-

GRAVISSIMA damna à Friderico Eccleſiaſticis illata.

DIRA Friderici perſecutio *

*

APOSTOLORUM Capita per Vrbem proceſſionaliter à Pontifice delata.

A fenſione, Cruces, & arma contra Imperatorem ſuſcipere. Itaque Imperatorem ad Vrbem hoſtili animo venientem, & Pontificem iam iam ſibi deditum iri arbitrantem ab Vrbis mœnibus, armis ſubmouere. Qui indignatus, captiuos quoſque teterrimo mortis genere, varijs, exquiſitiſſimiſque ſupplicijs necauit. In Regnum rediens multis Campaniæ ciuitatibus calamitates intulit: per Italiam demùm que immaniſſimi latronis more bacchatus eſt. Vaſtauit agros, oppida diripuit, non ſexui, non ordini, neque ætati vlli pepercit; cæde, ac ſanguine complens omnia. Verùm hæc diffusè expoſita à Ricordano ciue Florentino, fidiſſimo illius temporis ſcriptore. At Imperator cum non ſatis ei conſtaret, qui partes ſuas, quiuè Pontificis ſequerentur, ciuitates Italiæ in duas factiones tum primùm diuiſit. Nam qui Pontifici fauebant, Guelphi; qui verò Imperatori, Gibellini appellati ſunt.

IMPERATORIS ſæuitia.

B Hæc quidem teterrimarum factionum nomina ad perniciem humani generis excogitata, & inuenta, primùm apud Piſtorienſes audita ſunt, cum Cancellarij Panzaticos Gibellinos ab Vrbe eieciſſent; & alteri factioni Guelphi, alteri Gibellini Theutonici fratres fauerunt, vnde tantæ perniciei nomina indita ſunt. Florentini præterea nobiles ſuos Piſanos Gibellinatum partium fautores in exilium eijciunt, pellunt & Guelphos viciſſim à ciuitate ſua Aretini, & Senenſes. Quorum exempla multæ ciuitates Italiæ ſequutæ bella pluſquã ciuilia inter ſe commiſere. Hinc multæ ciuitates à Pontifice deſciuere, tùm in Vmbria, tùm in Hetruria, præcipuè autem Viterbienſes: defeciſſent etiam Romani ciues, niſi ſupplicationibus Gregorius Pontifex animos illorum reuocaſſet. Balduinus II. iunior Auguſtus V. ex Latinis Conſtantinopolitanus Imperator, anno 1229. imperium ingreſſus tenuit illud, Ioanne mortuo, annos 21. cum ægrè ſe ab hoſtibus inopie ærarij tutaretur, & filium pignori mercatoribus Venetis ob æs mutuò acceptum dedit, & ex ædibus ſacris, ablatum plumbũ, C ac item Lanceam illam, qua Chriſtus Saluator Noſter vulnus accepit, & ſpongiam, qua idem in Cruce exiſtens potatus eſt, Venetis pecunioſis dedit, à quibus multam pecuniæ ſummam recepit.

PONTIFICIS fautores vocantur Guelphi, & Imp. Gibellini.

BALDVINUS Imperator Conſtantinopolitanus.

Pontifex tanto periculo liberatus Generale Concilium Laterani indixit, in quo de abrogatione Friderici ageretur. Verùm Fridericus terra, marique vias præcluſit; ac quoſdam Cardinales, & Prælatos de via, & nauigatione captos, adiuuantibus Piſanis, in carcerem coniecit; quorum illuſtriſſimam claſſem in Mediterraneo mari tenebat; quæ duos Legatos, & omnes, qui cum ijs venerant, Prælatos, Genua Romam tranſeuntes inito prælio, non ſine magna vtriuſque claſſis ſtrage, viij. nonas Maij, anno 1240. cœpit; Prælatos quidem Fridericus ſuorum Regum rogatu dimiſit, reliquos Prælatos per alia oppida duro carceri mancipauit, & per duos annos ferè detinuit. Piſani à Gregorio excommunicati ſunt, & Epiſcopali dignitate priuati. A quo tempore earum res deteriorem euentum ſemper expertæ; ex D tanta Eccleſiaſticorum calamitate ita dolore Pontifex affectus eſt, vt non diu ſuperuixerit. Concilium autem Lateranenſe indictum erat ad annum 1240.

FRIDERICUS captiuos detinet Cardinales.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1241. *die xi. kalen. Septembris* Gregorius IX. Papa Romæ mortuus eſt anno Pontificatus ſui XIII. menſe v. die iv. cum paulò ante Solis Eclipſis apparuiſſet quantum numquam antea; corpus eius in Baſilica Principis Apoſtolorum ſepultum. Vacauit S. R. Sedes menſem vnum.

GREGORIJ IX obitus.

Fuit Gregorius IX. Pontifex, conſtantia, animi magnitudine, & vitæ ſanctitate clariſſimus, iuris Eccleſiaſtici conſtantiſſimus aſſertor, cuius tuendi cauſſa multas afflictiones paſſus eſt, nec minis, nec precibus vnquam ab eo munere ſtrenue obeundo auerti potuit. Et cum eſſet vir, diuini humaníque iuris cõſultiſſimus effecit, vt Frater Raymundus de Pennafort Hiſpanus Barchinonenſis, ordinis Prędicatorum, tertius generalis Magiſter, Pœnitentiarius, & Capellanus, E Decretalium librum ex ſuperiorum Pontificum bullis, & Diplomatibus per capita digeſtum conderet, quod Pontifex ipſe probauit, vt ex earum initio oſtenditur. Quo planè viro nullum ſummæ eruditionis, religionis, ac veteris ſanctitatis illuſtrius exemplum in Hiſpania, tempora illa tulerunt: denique qui vita emicuit perſancta, & immaculata, miraculiſque claruit, & viuens, & mortuus; eaq; de cauſſe duo Tarraconenſia Concilia, vt in ſanctorum numerum referretur, è ſummis Pontificibus poſtularunt, quod in aliud tempus dilatum, nunc beneficio Clementis VIII. canonizandus in proximo venit, probatione vitæ, & miraculorum iam facta.

GREGORIUS vir Laudatiſſimus.

Gregorius igitur IX. ſempiterna laude, & immortali gloria digniſſimus, Decretalium librum viris mortalibus clementer diſpoſuit, pièque tradidit, Regem Francorum, Vngariæ, & Siciliæ recepit ſub protectione Apoſtolicæ ſedis.

F In area Lateranenſi, domos, turres, & palatia quorumdam ciuiũ Romanorum, proſpectum, Patriarchatus impedientia diruit, Lateranenſe palatium additis ſuperioribus cubiculis amplificauit: Maximum Hoſpitale non procul ab eo egenis alendis conſtruxit. Baſilic. Vatic. partem opere muſiuo exornauit, eius campanas fudit. Inſtituit, vt in Eccl. caneretur ſalutatio, ſeu precatio *Salue Regina* quam multis ante annis S. monachus Hermannus Contractus compoſuerat: inſtituit etiam vniuerſalem vſum, & conſuetudinem, quam hodie ſeruat Eccleſia Chriſtiana, pulſandi campanas poſt occaſum ſolis, & orandi Deiparam Virginem earum ſigno. Item inſtituit, vt in eleuatione ſanctiſſimæ Euchariſtiæ in Miſſa, & ſiuè ad infirmos de-

GREGORIJ munificentia.

DE REBUS à Gregorio geſtis.

ferretur, ſiuè in ſupplicationibus geſtarentur, pulſarentur campanæ. Nihil demum prætermiſit, quod ad Vrbis ornatum, Eccleſiæ decus, & maieſtatem Pontificiam aſſerendam, neceſſarium eſſe, arbitraretur: denique quinque libros edidit, ex quibus res eius facilè erui poſſunt.

Ordo, ſiuè Congregatio Canonicorum Regularium ſancti Marci Mantuæ à Gregorio IX. probatur, anno Dom. 1235.

Militiam Ieſu Chriſti Parmæ, Inſtitutum, Regulam, & vitæ formam confirmauit.

IVRIS conſulti, qui tempore Gregorij floruerunt.

Iuriſconſulti aliquot, ſeculo Gregorij IX. floruerunt, qui tempora eius illuſtrarunt. Hi ſunt, Azo Bononienſis, eius Auditores, Bernardus Dorna Prouincialis, Accurſius Florentinus, Vbertus Bonacurſius, Albertus Gallus, Parmenſis, Oddofredus Beneuentanus, Ioannes de Blanaſco Burgundus, Rolandinus Romencius, Guido Suzarius, Bartholomæus Brixianus, Ioannes de Deo, & Sinibaldus de Fliſco, poſtea Innocentius IV. Papa; ſed nec viri Theologica laude clari defuere. Raymundus de Pennafort Hiſpanus, & Ioannes Friburgenſis Germanus, Epiſcopus Boſſinenſis in Vngaria, ambo ordinis Prædicatorum. Quorum omnium quæſtiones, ſummas, commentaria, inde in totas Decretales diſputationes, tractatus, epiſtolas, & alia opuſcula Abbas Spanhæmenſis ſingillatim enumerat.

SIGNV GREG. | FAC MECVM DOMINE SIGNVM IN BONVM. | PAPAE NONI.

ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

¶ *Altero poſt eius obitum die.*] Non fuit ſeruata conſuetudo, quę poſtulabat, (Cencio Camerario teſte, apud Baron. tom. 12.) vt, Sacro in honorem Spiritus ſancti, tertio à Pontificis morte die, peracto, nouus Pontifex eligeretur.

* *In Diaconia S. Luciæ in Septiſolio.*] Varijs in locis olim Romæ Romani Pontifices creari. Nicolaus I. inuitus, & latitans in Baſilica S. Dionyſij Confeſſoris, & Pontificis in D. Petri ſucceſſorem delectus fuit; & à Vaticana, in qua deliteſcebat, abſtractus, ad Lateranenſe Patriarchium perductus, deinde ad Vaticanam eandem Baſilicam deductus, Ludouico Cæſare præſente, conſecratus fuit; poſtremò ad Lateranum reuerſus coronam accepit. ex Anaſtaſio Biblioth. in eius vita.

Stephanum III. cunctus populus, poſt preces pro Pontificis electione, in ſupremum Eccleſiæ Paſtorem elegerunt, in Baſilicamque Saluatoris, Conſtantinianam appellatam, deportarunt, & in Patriarchium, iuxta morem, intromiſerunt: ex eodem Anaſtaſio.

Gregorius VII. in D. Petri ad Vincula ſummus Pontifex electus. Paulus Beranedenſis in eius vita, Panuinius in Chron. ann. 1073.

Victor III. in Diaconia S. Luciæ, anno 1086. Panuin.

Paſchalis II. apud S. Clementem, anno 1099. Platin.

Gelaſius II. in Monaſterio Palladij. Pandulphus Subdiacon. apud Card. Baron. in Annal. Platina in eius vita, anno 1118.

Honorius II. anno 1124. Innoc. II. anno 1130. Laterani.

Eugenius III. in Oratorio, ſeu Aede S. Cæſarij in Patriarchio Lateranen. anno 1145. Panuin. in Chron.

1193. 1198. Cœleſtinus III. & Innocentius III. in Lateranenſi Baſilica: de ſe hoc ipſe Innocentius affirmat, initio epiſtolarum, & alibi.

Nonnulli in Vaticana Baſilica. poſt Conclaue inſtitutum non ſemper in eodem loco paratum Conclaue ad Comitia electionis Pontificis celebranda, vt alibi oſtendi.

* *A 18. Cardinal.*] Idem Onuphrius Panu. in Chron.

* *Lantgrauius — moritur.*] Vide Platinam in Greg. IX. krantzium lib. 7. cap. 40. Saxon, Vvaddingum to. 1. A. M. ad ann. 1227. n. 6. ſuſpicionem veneni in Lantgrauij morte agnoſcit Sigon. libro 7. de Regn. Ital. S. Eliſabetha Andreæ Hungariæ Regis filia, de qua paulò poſt, Lantgrauij huius coniux fuit; qui pietate excelluit, miraculis claruiſſe dicitur, beatiſſimus Princeps, Eccleſiarum, & Cœnobiorum protector à quibuſdam appellatus, & ſua pietate, vxoriſque cohortatione excitus Cruceſignatorum ad Terram Sanctam recuperandam expeditioni nomen dederat, & in Siciliam ad Fridericum Imp. mox in Orientem, ſacri belli miles, profecturus, acceſſerat. Vide Vvaddingum loc. cit.

* *B. Franciſcum ... inter ſanctos.*] Anno II. Pontif. xiv. Kalen. 1228. Auguſt. *Mira circa nos, &c. Dat. Peruſij.* Vide tom. 1. Bullar. Gregor. (ante Pontificatum Hugolinus vnus ex intimis D. Franciſci, & primus Seraphici ordinis Protector,) hęc in Diplomate. *Habito fratrum noſtrorum conſilio, & aſſenſu, ipſum* (S. Franciſcum) *aſcribi decreuimus ſanctorum Catalogo venerandum; ſtatuentes, vt iv. nonas Octob. die videlicet, quo à carnis ergaſtulo abſolutus ad æthereα regna peruenit, ab vniuerſali Eccleſia natalitia eius deuotè, & ſollemniter celebrentur.* De S. Franciſci Canonizatione Vvaddingus loc. cit. ad an. 1228.

* *B. Dominicum .... in ſanctos .... ann. 1233.*] Diploma extat eodem Bullar. tom. *Fons ſapientiæ, &c. Dat. Reate v. nonas Iulij anno 8.* Prælatorum etiam conſilium, & aſſenſum exquiſiuit Gregor. 1234. *Ipſum* (S. Dominicum, ait) *de Fratrum noſtrorum conſilio, & aſſenſu,* & omnium, *tunc apud ſedem Apoſtolicam conſiſtentium Prælatorum Catalogo SS. aſcribi, decreuimus, ſtatuentes, &c.*

* *B. Antonium Hiſpanum.*] Luſitanus fuit S. Antonius, Patauinus dictus. Literas Canonizationis habes tom. cit. Bullar. *Cum dicat Dominus, &c. Dat. Spoleti kalen. Iunij, ann. 6.* Cardinalium, & Prælatorum conſilium quæſitum à Gregor. non autem aſſenſus. *De Fratrum,* inquit, *noſtrorum conſilio, & Prælatorum omnium tunc apud ſedem Apoſtolicam exiſtentium, Catalogo SS. duximus aſcribendum.* De S. Antonio multa Vvaddingus to. 1. cit.

* *Eliſabetham.*] Literas Canonizationis habes eodem to. Bullar. *Glorioſus in maieſtate, &c. Dat. Peruſi, Kalen. Iunij ann. 9.* Franciſcani inſtituti vitam duxit ſanctiſſima hæc Vidua, Andreæ Secundi Hungariæ Regis, & Gertrudis Carinthiæ Duce genitæ, pietate præſtantium, filia: de qua auctor vitæ eius apud Surium, Vvaddingus autem tom. cit. multa.

* *Henrico filio ..... carceri relegato.*] Vide Volaterranum l. 23. v. Gretſer. cap. 54. Exam. Myſt. Pleſſæan.
Mornæi mendacium eſt, Henricum Friderici filium ex Conſtantia Aragonum Regis filia, Gregorio impellente, in patrem inſurrexiſſe: Friderico Gregorius contra ipſum filium rebellem opem tulit, ſuiſq; literis multos ab Henrico euocauit, vt Sigonius narrat l. 17. de Regn. Ital. Manfredum ex pellice genitum Tarentinum Principem inſtituit, & multis oppidis traditis locupletauit, vel, vt alijs placet, Siciliæ, Conradum ex Iole rerum omnium reliquit hæredes. Vide Platinam in Innoc. IV. Manfredum, patris ore vi compreſſo, citiùs illum in mortem adegiſſe, nonnulli dixere. v. Volater. loc. cit.

* *Innocen. IV. .... cap. Ad Apoſtolicæ ...... in 6.*] Narrat ibi Innocen. in Concil. Fridericum bellorum, quibus nonnullæ Chriſtianorum prouinciæ vexatæ fuerant, auctorem, à Greg. IX. pro ſceleribus, à ſacrorum communione ſummotum, non modo non reſipuiſſe; ſed, Pharaonis duritiam imitatum, grauia patraſſe flagitia, quorũ etiam nonnulla recenſet; ac proinde omni illum honore, & dignitate exuit, illiuſq; imperio ſubiectos à ſacramento fidelitatis exemit.

* *Imperator .... Fratribus Minoribus.*] De ſæuitia Friderici in Antiſtites, & Minores, Fazzel. lib. 8. Hiſtor. Vvaddingus loc. cit. ad ann. 1238. Bacchante, & ſæuiente impio Cæſare, Bela Rex Hungariæ S. Eliſabethæ Lantgrauiæ frater nihil habuit antiquius, quàm Gregorio parere Pontifici; iuraq; illius, & poteſtatem tueri. Laudat Gregorius boni Principis zelum, epiſtola ad eum data Anagniæ, v. Idus Aug. an. 12. ab Vvaddingo nu. 3. loc. cit. exſcripta. Vide etiam quæ Innoc. IV. in Concilio proferenda iudicauit, cap. *Ad Apoſtolicæ cit. de ſent.* & re iud. lib. 6.

* *Azo Eſtenſis Marchio.*] *Ferraria capta,* ais Plat. *Azoni Eſtenſi, qui bello interfuerat, Eccleſiæ nomine, gubernanda committitur, ſal. noſtra ann. 1240.* Fuit hic Azo IX. ni fallor, de hoc Io. Baptiſta Pigna in Eſtenſium Principum Hiſtoria.

* *Delatis per Vrbem Apoſtolorũ Capitibus nudis pedibus.*] *Deſeciſſent,* ait Platina, *etiam Romani ciues, ni Pontifex, delatis per Vrbem ſupplicãdo Apoſtolorum Capitibus, populum ad commiſerationem mouiſſet.* Alij Pontifices nudis pedibus incedentes pijs precibus Dei iram mitigare conati leguntur. * Stephanus II. appellatus III. Aiſtulpho Longobardorum Rege ſæuiente, Saluatoris Imaginem, quæ Acheropita dicitur, ſuo humero, cum Sacerdotibus, nudis pedibus ſupplex deferens, ad S. MARIAE ad Præſepe proceſſit; populorumque capita cinere conſperſit, teſte Anaſtaſio Biblioth. in eius vita, Leo X. vt Deus Selimi Turcarum Regis impetum frangeret, à Vaticana Baſilica ad S. MARIAE ad Mineruam, nudo pede, celebri ſupplicatione contendit. Panuinium, in eius vita, teſtem habemus.

* *1241. Gregor. IX. .... mortuus eſt.*] Anno XIV. Pontificatus, menſe tertio, Gregorium IX. ex hac vita abijſſe, tradit Platina: Ciaconius Panuinium ducem habuit. Platinam menſem, Ciaconium annum Gregoriano Pontificatui detraxiſſe, teſtatur Vvaddingus loc. cit. ad ann. 1241. num. 31.

* *Eclypſis.*] Sic Platina.

* *Decretalium librum.*] Gregorianum Decretalium volumen quinque complectitur libros: Bonifacianum vnico libro abſoluitur.

* *Clemen. VIII. canonizandus.*] Anno Incarnat. Dominicæ an. Pontif. 10.
MDCI. iij. Kalen. Maij Clemens VIII. S. Raymundum à Pennafort Barchinonen. SS. Confeſſorum catalogo adſcripſit. Literas vide tom. 1. Bullar. *Romana Catholica Eccleſia, &c. Datum Romæ,* &c. quibus etiam ſancti viri virtutes, præclarèq; geſta recenſentur.

Venetis Gregorij IX. partes tuentibus Fridericus valdè infenſus fuit; eoſq; maximis moleſtijs vexauit, Platina. Ijdem alijs Romanis Pontificibus venerabundi præſto fuere. Vide quæ ad Alexan. III.

De cauſis, ob quas Gregor. IX. Fridericũ à fideliũ cõmunione ſũmouit, legendus Sigon. l. 18. de Regn. Ital. Mat. Pariſ. in Hiſt. p. 470. enunciationem anathematis in Fridericum habes, to. 1. Bullar. p. 59.

Pro Pri-

Pro Friderico contra Gregorium Abb. Vrſpergenſis calamum ſtrinxit immeritò, nec ſine petulantis, & mendacis animi nota. Cuſpinianus, ſatyræ magis, quàm hiſtoriæ ſcriptor in eundem Gregor. declamat, bacchatur, affirmans mendaciſſimè, Sultano illum ſcripſiſſe, ne Hieroſolymam Imperatori reſtitueret. Fabella inanis hæc eſt, indignumq; mendacium. Vide Gretſerum, cap. 54. Exam. Myſt. Pleſſæani, Gregorij defenſioni, contra Pleſſæi calumnias, operam nauantem.

Gregorium IX. ſtatuiſſe, vt ad ſanctiſſimæ Euchariſtiæ confectionem, & ad Salutationem Angelicam pulſarentur campanæ, ſcripſit, poſt Abb. Vrſpergenſem, Genebr. lib. 4. Chronog. Honorio III. hoc alij tribuunt.

Carthuſienſium Oblatis conceſſit Gregor. vt eiuſdem ordinis libertatibus, & immunitatibus gaudeant; eoſq; ſub S. Petri, ſuaque protectione recepit, Conſt. *Quoties* to. 1. Bullar. Cluniacenſium monachorum reformationem præſcripſit, ibidem Conſt. *Behemot*.

eodē an. Raynaldum Philippi fratris filium Cardinalem à ſe creatum Seraphici ordinis Protectorem conſtituit Gregor. an. 1227. Comitijs generalibus Minorum Romæ habitis interfuit, Vvaddingus to. 1. Annal. Min. ad an. 1227. num. 2.

De S. Franciſci ſtigmatibus illuſtre teſtimonium reliquit Gregor. literis, *Confeſſor Domini glorioſus*, &c. ad vniuerſos Chriſtifideles, *Dat. Viterbij x. April. Pontif. an.* 11. quas exhibuit Vvaddingus, ad an. 1237. nu. 3. to. cit. alijs etiam modis ſancti Franciſci nomen efferre ſtuduit. Nonnulla, quæ Minores in S. Franciſci celebritate recitant, is confecit; quem imitati ſunt Cardinales Otho Candidus, Thomas Capuanus, Raynerius Capoccius (qui dum vir ſanctus inter Cælites referretur, de illius laudibus, & miris operibus luculentam orationem habuit) Stephanus Caſa noua, aut Foſſa noua. Vide a. eod. Vvaddingum loc. cit. ad an. 1228. nu. 78. à quo multa eiuſdem Gregorij Diplomata, & literæ ex Vaticana Bibloth. referuntur.

Nouum Templum in eiuſdem S. Franciſci honorem extrui, iuſſit Gregorius; primúmq; ipſe lapidem, erigendæ molis initium, iecit. Vide Vvaddingum nu. 79. l. c. Romæ ann. 1626. VRBANVS VIII. Franciſcani ordinis laudator præcipuus, & fautor, cum fundamenta Aedis Eremitarum Seraphicorum, qui vulgò Capuccini appellantur, non longe à Quirinali colle, iacenda eſſent, idem libenter, & religioſè effecit: Templi, & inſignis Cœnobij ædificationem liberali pecuniæ largitione iuuit.

Multa, & immortalia ſunt in Seraphicum ordinem Gregorij IX. humani, diuinique iuris peritiſſimi Pontificis, merita: quæ ne obliuione obliterentur, efficient multorum, noſtroque æuo præclari Lucæ Vvaddingi labores. Quæ ſequuntur addit Florauantes Martinellus.

¶ Anno 1228. Aedem D. Euſebij, à S. Gregorio Papa ſpiritualibus Eccleſiæ Theſauris ditatam, à S. Zacharia à fundamentis reſtitutam, conſecrauit Greg. IX. ex lapidea Inſcriptione, quam affero.

✠ *Anno D. 1238. Indictione 11. m. Martij 4. feria Maioris hebdomada Quadrageſima D. GREGORIVS PAPA IX. conſecrauit hanc Eccleſiam in honore Beatorum Euſebij, & Vincentij cum tribus Altaribus, quorum maius Altare Confeſſorum, ipſius manibus proprijs conſecrauit, ſtatuens, vt omni anno à quarta feria Maioris hebdomada Quadrageſima vſque ad octauam Dominica Reſurrectionis hanc Eccleſiam viſitantes M. annos & CXX. dierum de iniuncta ſibi pœnitentia indulgentiam conſequantur.*

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI
Societatis Iesv.

Odericus Rinald. to. 13. Annal.

VITA functo Honorio, Gregorius eius nominis Nonus, Cardinalium omnium voluntate, quamuis inuitus ſuffectus eſt: de cuius primordijs, & geſtis ante Pontificatum hæc in vitæ actis enarrantur, & extant ad calcem perantiqui Codicis Vaticani, qui liber Cenſuum inſcribitur. *Hic natione Campanus, de Anagnia nobilior eiuſdem prouinciæ Ciuitate, patre de Comitibus Signiæ, felicis memoriæ Dominum Innocentium Papam III. conſanguinitatis tertio gradu attingens, matre verò de Potentioribus Anagninis exortus, forma decorus, & peruenuſtus aſpectu, perſpicacis ingenij, & fidelis memoriæ prerogatiua dotatus, liberalium, atque vtriuſque iuris peritia eminenter inſtructus, flumus eloquentiæ Tullianæ, ſacræ paginæ diligens obſeruator, & doctor, zelator fidei, diſciplinæ virtutis, rectitudo iuſtitiæ, ſolatium miſerorum, Religionis plantator, & cultor, caſtitatis amator, & totius ſanctitatis exemplar.*

Gregorij genus, ac patria.

Virtutes.

Vbi primùm Pontificatum auſpicatus eſt Gregorius, Chriſtiani Orbis Præſules, vti mos erat, de ſua Electione certiores fecit, & eorum ſe precibus enixè commendauit, vt cunctos monuit, atque hortatus eſt, vt munus Paſtorale ſumma vigilantia obirent. Literis quoque adhortatus eſt Federicum Cæſarem, Francorum, & Anglorum Reges, ac ceteros Principes, vt auxiliares copias contra Mahumetanos ſubmitterent, & ob eam cauſam, vt omnia ſacræ expeditionis impedimenta amoueret, operam & induſtriam ſuam in ſtabilienda, ac firmanda pace inter Chriſtianos Principes contulit.

Bzouius tom. 13. De ſua promotione encyclicas literas mittit. Bellum ſacrum promouet. Odericus Rinaldus loc. cit.

Collapſos Chriſtianorum mores emendare, atque ad pietatem

A antiquam traducere initio ſui Pontificatus curauit Gregorius. Inſignes ſunt eo argumento literæ ad Inſulæ Præſules exaratæ, quibus ipſos hortatus, vt exſtirpandis populorum vitijs vacarent, paternè admonet, vtque ea præſtarent ad dignitatem, primùm vitiorum omnium labem à ſe ipſis depellerent. Parem quoque diligentiam ad ſolutiorum Monaſteriorum diſciplinam conſtringendam, & reſtituendam adhibuit: quod munus in nonnullis Italiç Prouincijs, Ioachimo S. Mariæ, Iordano, ac Pandulpho ordinis Prædicatorum Religioſis viris demandauit. Cum autem in Neapolitani Regni Clero denſiſſimi vitiorum vepres excreuiſſent, ad illos euellendos, literas ad Prçſules dedit, quibus eos in emendandis Sacerdotum moribus incumbere iuſſit, ne praua eorum exempla in populos emanarent, atque in libidinum cœno iacere, vel in domibus mulieres ſeruare, e quarum contubernio pudicitiæ periculum crearetur, permitterent, ſeque in illos, qui intra ſex menſes ea vitia non euulſiſſent, iuſtæ ſeue-B ritatis aculeos exerturum literis ſuis eſt comminatus. Epiſcopis, Beluacenſi, Tudertino, & Patriarchæ Gradenſi imperauit in Clericorum vitia animaduerterent, ac præſertim impuros, & ſolutiores eorum mores comprimerent. Nonnullorum Clericorum, qui non ſine magno ſedis Apoſtolicæ contemptu, ac dedecore impetratas ab ea literas, atque indulgentias ad pecunias comparandas diuendebant, ſordidiſſimam cupiditatem, auaritiamque compreſſit.

Diſciplinā Eccleſiaſticam reſtituere conatur.

Religioſorum mores corrigere ſtudet.

Bzouius ibid.

Ceterùm vt ſeuerum ſe in eos Religioſos viros, in quibus antiquç pietatis flos emarcuerat, exhibuit; ita alios, apud quos vigebat diſciplina, ſingulari beneuolentia eſt proſecutus. At qui ſummus Pontifex, non ita in corrigendis Eccleſiaſticorum moribus ſtudium impendit, quin multò magis ad graſſantem in Gallijs Albigenſis hæreſis luem extinguendam incumberet. Quo argumento ad Ludouicū Francorum Regem, in cuius adoleſcentia iam tum futuræ virtutis illuſtria ſigna emicabant, ſcripſit, ipſum hortatus, vt cum Galliarum C Regno proprium fuiſſet fidem tueri, & eius maiores illam defendēdi cauſa opes, ac ſanguinem profudiſſent, victricibus illorū ac ſanctiſſimis veſtigijs inſiſteret, ac cœptam ab eius parēte expeditionem, & iam ab ipſo adornatam, ac promotam ad exitum perduceret. Cum maximè tantæ rei à maioribus cœptæ, ſed ab ipſo perficiendæ gloriam ac decus altiſſimo conſilio Deus illi reſeruaſſe videretur, ac propterea quem poſtulaſſet in Legatum, Angelum Diaconum Cardinalem ipſi, ac Regno addictiſſimum cum ampliſſima poteſtate eius negocij ad finem optatum adducendi tranſmiſiſſe. Eius Legati ſtudio, & Regis Galliarum, licet pueri ſublata Albigenſium hæreſis eſt, quæ toties Crucesignatorum ferro ſuccisa, multiplici ſobole fæcundior pullularat; qua re feliciter confecta, Raymundus Toloſanorum Comes fidelium cœtui ſolemni ritu eſt aggregatus. Contra Catharos verò Patarenos, Paſſaginos, Ioſepinos, Arnaldiſtas, alioſque Hæreticos in Diplomate edito Viterbij ſexto Idus Nouembris anno D 1235. excommunicationis ſententiam promulgauit.

Religioſos bonæ frugis ſtudio proſequitur.

Albigenſium hæreſim extinguere curat.

Albigenſium hæreſis deleta.

Petrus Coret. in ea Chron. Epiſc. Viterbienſium.

Attamen egregiam animi ſui conſtantiam Gregorius in defendendis Eccleſiæ moribus æquè aduerſum ceteros, ac Fridericum Cæſarem, vt dictum eſt ſupra à Ciaconio explicuit. Lucanos enim, qui Carſagnanam Pontificiæ ditionis inuaſerant, ac plura admiſerant ſcelera, coërcere ſtuduit, ac datis eo argumento ad Piſanum Archiepiſcopum grauiſſimis literis, Epiſcopalem ijs ſedem ademprurū eſt comminatus, quam pœnam deinde anno noſtræ ſalutis 1231. inflixit. Vrbeuetanis Vallis lacus dominium Eccleſiæ reſtituere imperauit: Florentinos etiam, ad ſe quatuor Oratores mittere iuſſit, cum quibus de redintegranda pace ageret. Cum autem ad ſedem Apoſtolicam fama pertuliſſet Ferdinandum Caſtellæ Regem lata iniquiſſima lege vetuiſſe, ne quis in Calaguritanam Cathedralem, ſeu Monaſteria, piaque loca eius diœceſeos poſſeſſiones conferret, atque impartita Eccleſiç ſine ſui, vel ſui facultate obtenta Regio Fiſco ad-E dixerat: Iudæos etiā nimio fauore proſecutus, ſigna, quibus ex præſcripto Concilij diſtincti erant, abijcere, atque vſuris in Parochiales Eccleſias graſſari permiſerat: Burgenſi Epiſcopo, & Calaguritano Decano munus demandauit, Regem à cœptis auocarent, ne egregias laudes fœdioribus his næuis macularet. Ad tuendam verò in Francorum Regno libertatem Eccleſiaſticam, Pariſienſem in primis Epiſcopum acriter perſtrinxit, quia Eccleſiæ ſuæ damna inerti animo toleraret; & Regem monuit, vt compeſceret Regios Præfectos, qui eam Eccleſiam opprimebant, & in Narbonenſi prouincia Eccleſiaſtica iura in dies inuadebant. Spectabant tum in aula regia nonnullorum ſtudia ad euertendam libertatem Eccleſiaſticam, ac deteriora fortè conſilia conflanda, &, ſiue vt gloriam aucuparentur, ſiue vt aliorum facta in inuidiam vocarent, ac varijs adulationibus animum Regis deuincirent ſibi, atque irretirent; Bellouacenſis Epiſ-F copi cauſæ à Pontifice ſuſceptæ occaſione, crebris detractionibus aures illius aſperare, & eximium erga Eccleſiam animum alienare ſtudebant. Quare ad malum ſerpens, ne grauius inualeſceret, comprimendum, diligentem Gregorius operam defixit: mox enim ad Ludouicum omni amoris ſignificatione plenas literas ſcripſit, vbi poſt commendata ipſi à Deo munera, quibus ceteris Regibus præcelleret, monuit, ne facilè aures prædictorum ſuſurris daret. Maſſilienſes, qui ad Eccleſiæ obſequium redierant, in Apoſtolicæ ſedis clientelam admiſit.

Eccleſiæ iura tuetur. Oder. Rinald. ibid.

Mariana in Hiſtor. Hiſpan. Oppreſſā libertatē Eccleſiaſticam ſubleuat.

Pariſienſē Epiſcopū increpat ob neglecta Eccleſiæ iura.

Maſſilienſes recepti.

Contra nonnullos Hæreticorum motus in Auxitana prouincia excitatos, S. Iacobi Equites, qui in Vaſconia erant, ſolito ardore

Hæreticorum motus repreſſi.

bellum

Oder. Rinald. ibid.

Burdegalenſi, & Meſſanenſi Archiepiſcopis Crucem præferre concedit.

Oſcenſi Abbati Mitram permittit.

Moguntino Archiepiſc. Bohemorum Regum vnctionē.

Ioanni Compoſtellano pallium.

A bellum capeſſere, ac fideles illis auxilio eſſe iuſſit Gregorius, atque Auxitanum, ac Burdegalenſem Archiepiſcopos ſedandis tumultibus, qui increbuerant, incumbere, quorum poſtremum omnirum Burdegalenſem eo inſignuit priuilegio, vt, cum Legatus Apoſtolicæ ſedis in prouincia non verſaretur, Crucem ſibi præferre liceret, qua etiam prærogatiua Meſſanenſem Archiepiſcopum decorauit; Abbatem S. Ioannis è Pinna in Hiſpania Oſcenſis Diœceſis gerendæ Mitræ priuilegio ornauit, dato Apoſtolico Diplomate: Moguntino Archiepiſcopo conceſſit, vt illi ſoli conſentientibus Pragenſi, & Olmucenſi Epiſcopis Bohemos Reges inungeret, & redimiret. Ioanni electo Compoſtellano Pallium è ſacro B. Petri ſepulchro acceptum permiſit; ac data Aurienſi Epiſcopo prouincia eſt, vt eo nouum Archiepiſcopum in verba Pontificis ſacramento adactum ornaret.

Studium in B. Virginem. Oder. Rinald. t. 13. Annal.

Hippol. Maracc. in Pontif. Marian. Opuſcul. in tract. de feſtis, ac Templis Deiparæ.

Quanto verò Gregorius amore proſecutus ſit Virginem Deiparam; Templa, quæ in eius honorem erexit, Imagines eiuſdem, quas B exornauit, Xenodochia, quæ conſtruxit, oſtendunt. Apud Anagniā ad glorioſæ Virginis Matris gloriam in paterno prædio Florenſis ordinis, dictuni de Gloria, nobile Monāſterium fundauit, ſtipe magnifica decoratum, & pingui poſſeſſione dotatum, & ibidem aliud conſtituit Monaſterium in B. Martini Confeſſoris honorem. In Velitrēſi Diœceſi venerandum Monaſterium de Myrteto conſtruxit, in porta Ciuitatis Anagniæ ad vſum pauperum Hoſpitale, multorum prædiorum largitione ditatum erexit. Imaginem Deiparæ à S. Luca depictam, ex loco, qui dicitur Sancta Sanctorum, cum omni Clero, ac Populo in Templo S. Mariæ de Populo repoſuit.

Ordinem S. Mariæ de Mercede redēp. Captiuor. cōfirmat. Marrac. in Pont. Marian.

Ratum inſuper habuit ac confirmauit xvi. Kal. Februarij anno reparatæ ſalutis 1230. ſacrum regalem ac militarem ordinem B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, à S. Petro Nolaſco ſub Honorio inſtitutum; eiq; poſtea, anno ſcilicet 1235. xvi. Kal. Februarij regulam S. Auguſtini præſcripſit. C

Ordo S. Mariæ à Monteſa inſtitutus.

Alium item ordinem, cui nomen S. Mariæ à Mōteſa à Iacobo Aragoniæ Rege erectum, ſua auctoritate ſtabiliuit: contraxerat enim Iacobus familiaritatem cum Gregorio Romano Pontifice, cuius induſtria, & auctoritate in matrimonium duxit Iolantem filiam Andreæ Regis Hungariæ, ac Petri Altiſiodorenſis Imperatoris Græci neptim, & bellum Sarracenis, infenſiſſimis Chriſtiani nominis hoſtibus indixit.

Ant. Balinghem in kalendar. Marian. Hip. Marrac. in Pont. Marian.

Bernard. Gomeſ. lib. 10.

Eccleſiam S. Hadriani conſecrat.

Adhibuiſſe Gregorium præcipuam curam in dedicandis Templis referunt Odericus, Bzouius, Pancirolus, & alij. Romæ precibus Stephani Diaconi Cardinalis S. Hadriani, Eccleſiam S. Hadriani ſolemni ritu conſecraſſe ſcimus, ad cuius rei memoriam ad poſteros transfundendam Inſcriptio hæc in apſide inciſa eſt.

✠ *IN NOMINE DOMINI*

D *Anno Domini milleſimo ducenteſimo vigeſimo octauo, Pontificatus D. GREGORII PAPAE anno Primo, Indictione prima menſe Ianuarij die decimoſeptimo, inuenta ſunt corpora beatorum Martyrum Marij, & Marthæ, & Reliquiæ S. Adriani in Confeſſione ſub Maiori Altari; & corpora ſanctorum trium Puerorum in abſide ſuper columna per Magiſtrū Pelagium Epiſcopum Albanen. & Dominum Stephanum eiuſdem Eccleſiæ Diaconum Cardinalem, cum Clericis ipſius Eccleſiæ videlicet, Presbytero Bartholomæo, Presbytero Paulo, Petro Diacono, Romano Subdiacono, Oliuerio Subdiacono, & Matthæo Clerico.*

Item GREGORIVS PAPA IX. dedicauit Eccleſiam iſtam xiij. Kalendas Aprilis in ſecunda feria poſt Palmas cum Cardinalibus, inter quos fuerunt octo Epiſcopi ſcilicet Pelagius Epiſcopus Albanenſis, Patriarcha Conſtantinopolitanus, Archiepiſcopus Mediolanenſis, Archiepiſcopus Theſſalonenſis E *Epiſcopus Caſtrenſis, & quondā Epiſcopus Romaniæ, & Epiſcopus Ceradiens. In maiori Altari ſunt Reliquiæ multorum SS. videlicet de Spinis Coronæ Domini, de Ligno Domini, de Clauo Ieſu Chriſti, de Spongia Domini, de Veſtimento Ieſu Chriſti, de Cunabulo eius, de Velo beatæ Virginis, de Manna beati Ioannis Euangeliſtæ, de Reliquijs Ioannis Baptiſtæ, & S. Symeonis; S. Andreæ, S. Philippi, S. Thomæ Apoſtoli, S. Symonis; Reliquiæ S. Bartholomæi, S. Lucæ Euangeliſtæ, S. Martini, S. Stephani Prothomartyris, S. Laurentij, S. Vincentij, S. Adriani. Corpora SS. Marij, & Marthæ; medietas corporum Nerei, & Achillei, & Domitillæ, corpora SS. Papiæ, & Mauri. In Abſide ſuper columna recondita ſunt corpora trium Puerorū; Reliquiæ S. Sebaſtiani, & Fabiani, Coſmæ, & Damiani. Quatuor Coronatorum, quadraginta Martyrum; Reliquiæ SS. trium Puerorum, Chriſti Pontificis Blaſij, Syluestri Papæ, Nicolai, Alexij, Marcelli Papæ, Chriſtofori, Mariæ Magdalenæ, Annæ, Suſannæ, Agnetis, Luciæ, Petronillæ, Praxedis, Pudentianæ, Teclæ, Candidæ, Bibianæ, Yppoliti, Renati, Iuſtini.* F

*Item maior pars corporum ſupraſcriptorum ſanctorum extant in confeſſione ſub maiori Altari, ſcilicet, ſancti Marij, & Marthæ, S. Adriani, Papiæ, & Mauri, medietas SS. Nerei, & Achillei, & Domitillæ. Prout capita SS. Marij, & Marthæ, quæ recondita ſunt in caſula Argentea, quam fecit fieri Do-*A *minus Stephanus eiuſdem Eccleſiæ Diaconus Cardinalis.*

Item ad ſupplicationem dicti Domini Stephani Cardinalis, Presbyteri Pauli, & Oliuerij Dōm. GREGORIVS IX. PAPA hanc Eccleſiam dedicauit. Actum anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo octauo Indictione menſe, & die ſupradictis.

Ară item maximam S. Sabinæ. Baronius tomo 13. Annal.

Anno verò 1238. principem Aram in Eccleſia S. Sabinæ dicauit, eiuſque rei memoriam marmori inſcripſit his verbis.

GREGORIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, VNIVERSIS CHRISTIFIDELIBVS PRAESENTES LITERAS INSPECTVRIS SALVTEM, ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Cum Eccleſia B. Sabinæ de monte Auentino in Vrbe, & in ipſa quatuor Altaria per Venerabiles fratres noſtros Præneſtinū, Oſtienſ. & Alatrinum, & Cephaluden. Epiſc. tertia die ante octauam B. Martini fecerimus conſecrari, Nos ipſi eadem die aſſiſtentibus nobis fratribus noſtris, & Venerabilibus Biſuntino, & Meſſanen. Ar- B *chiep. & quam pluribus Epiſcopis, & aliarum Eccleſiarum Prælatis, ſacroſanctum Altare maius ipſius S. Sabinæ proprijs manibus duximus conſecrandum, conceſſa indulgentia vnius anni, & 40. dierum omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis de iniuncta, ſibi pœnitentia, qui annuatim in dedicatione eiuſdem Eccleſiæ, & vſque ad octauam ipſius, dictam Eccleſiam viſitauerint. Dat. Laterani x. kal. Iulij anno ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti 1238. Pontificatus Noſtri anno XIII.*

Baſilicam Vaticanā exornat.

Baſilicam Vaticanam inſtaurauit, & eiuſdem porticum, ac faciem conſtruxit, in qua hæc legebantur carmina.

Ceu Sol feruescit, Sidus ſuper omne niteſcit,
Et velut eſt aurum rutilans ſuper omne metallum
Doctrina quæ fide calet, & ſic pollet vbique
Iſta domus Petra ſuper fabricata quieta.

Teſtig. de Cryptis Vaticanis.

Ne antiquæ Baſilicæ memoria periret, pictura illam expreſſit C Paulus Quintus in ſacris Cryptis Vaticanis cū ſequenti Inſcriptione.

EXEMPLVM ATRII PORTICVS CVM ANTERIORI FACIE BASILICAE VETERIS A GREGORIO PAPA IX. MVSAICO ORNATA, IN DEMOLITIONE ANNI MDCVI. PAVLI QVINTI PONT. MAX. IVSSV ASSERVATVR.

Oder. Rinald. ibid.

Cumanorum ad Chriſti fidem conuerſio.

Conuertit præterea Gregorius ſtudium, ac diligentiam ſuam ad deducendas in Eccleſiæ ſepta oues errantes: cumque Archiepiſcopi Strigonienſis opera ad Chriſtum deducti, ac luce Euangelica colluſtrati Cumani eſſent; hoc felici nuncio delibutus ingenti gaudio Gregorius Pontifex gratulatorias Strigonienſi Archiepiſcopo literas dedit, eidemque Legati Apoſtolici munus commiſit, vt facilius populos illos ad Chriſti fidem deducere poſſet. Pari ſtudio adducen-

Promouet Gētilium cōuerſionem.

D dorum ad Chriſtum Septentrionalium Infidelium, in literis ad Vratislauienſem Epiſcopum datis Suuantopelkum laudibus commendauit, ob extructas Prædicatorum familiæ Religioſis viris ædes in Vrbe, cui Gelank nomen eſt, vt infinitimos Barbaros ad ſubijciendos illos Chriſti Imperio, velut ex arce quadam excurrere poſſent.

Pomerani Chriſto dant nomen.

Cum ex ſuperſtitionum erroribus Pomerani plures, ac Pozolucenſes emerſiſſent ſtudio Prædicatorum patrum, qui in ijs nationibus Euangelij lumine colluſtrandis operam defigebant, Gregorius ſummus Pōtifex ex Apoſtolico officio complexurus qua par erat beneuolentia neophytos illos in ſuam clientelam admiſit.

Ruſſiæ Rex à Græcorū Schiſmate diſcedere meditatur.

Suis literis conſilium Ruſſiæ Regis, qui Græcorum ritus, ac plures errores fuerat ſectatus, & ab Eccleſia diſciſſus fuerat, eos exuere, ac Romanæ Eccleſiæ ſe ſe ſubmittere cupientis laudibus extulit, oſtenſoque Romanæ Eccleſiæ primatu ad illud in opus perducendum hortatus eſt.

Chriſtiana fides in Septentrionalib. regionibus amplificata.

Curonij Chriſtiana ſacra amplectuntur.

Epiſcopum Semigallienſem Apoſtolici Legati dignitate inſigniuit, E eidemque iniunxit, vt Epiſcopos Vrbibus imponeret, præficeret, animarum curæ promouendæ, viros idoneos, Abbates conſtitueret, ac cetera omnia pro rei dignitate adminiſtraret in extremis illis Septentrionis oris, quæ hactenus frigore obſitæ fidei feruorem per ipſum Epiſcopum ſenſerant. Curonij quoque ſe ſe Eccleſiæ aggregarunt, ad quorum ornandam pietatem varia in eos priuilegia Gregorius congeſſit, inter quæ id adiectum, vt nec Daniæ Regno, nec Sueciæ ſubijcerentur, ſed perpetua libertate, quandiu à fide deſciſcere non accideret potirentur.

Sarracenorū Oratores ad Gregoriū.

Euangelici Miniſtri ad Sarracenos miſſi.

Sarracenorum poſtmodum nonnullorum Regum, acceptis Gregorius Oratoribus, ac literis amplificandæ Religionis ſtudio occaſionem aucupatus, ipſos ad Chriſti cultum pellicere conatus eſt; ac Tunetano Regi, qui ſe probè in rem Chriſtianam affectum prætulerat, hæc reſcripſit. *Cum ſuper iis, quæ fuerint propoſita, tractatus* F *ſolemniter exigatur, dilectum filium Ioannem Monſtrum ordinis Minorum de Barbaria, & fratrem eiuſdem ordinis, quos benigne recipias, & pertractes, ad tuam præſentiam duximus deſtinandos.* Guillelmum quoque Montisferratenſem Prędicatorum familię Religioſum virum cum alijs ſocijs ad ſacienda inter inciltas Sarracenorum terras Euangelij ſemina miſit.

Soltani Iconij ad Pontificē legatio.

Nec minus operæ collocauit, vt Aladinum, Sultanum Iconij, ad Chriſtum adduceret, ad quem ſe Nuncios Apoſtolicos miſſurum eſt pollicitus, cuius literas, & Oratorem recepit, quarum initium erat. *Sanctiſſime, & Angelis æqualis Archiepiſcope magnæ Romæ, & magne Papa omnium per Orbem Terrarum Chriſtianorum. Aladinus Magnus Soldanus Iconij, &*

potestas

poteſtas omnium Terrarum per Orientem, & Septentrionalem plagam exiſtentium, & magna Cappadocia cum ſalute. Diſcant ab Infideli, & Saraceno Nouatores, quo honore, atque obſeruantia Romanum Pontificem proſequi debeant. De hac legatione Gregorij vitæ auctor hæc habet: *Recepit ibidē* nimirum Peruſij *Soldani Regnij, & Bathacij Græcorum Principis honorabiles Nuncios in futuræ ſubiectionis indicium, pretioſa dona portantes, per quos tam eru..., quàm literis Chriſtianæ Religionis ſubire culturam, & redire ad vnitatem Catholicæ Eccleſiæ poſtulabant.*

Baronius ibidem. — Amplificatur in Pruſſia Chriſtiana Religio. — Hiſt. Dominic.

In Septentrionalibus alijs regionibus amplificata quoque Religio eſt; tot enim in Pruſſia populi illatum Euangelij lumen admiſere, vt plures iam in ea inſtitui Epiſcopatus poſſent; quo accepto Gregorius Guillelmo Epiſcopo quondam Mutinenſi, Apoſtolicæ ſedis Legato in mandatis dedit, vt de aliquorum conſilio limites cuique Epiſcopatui præſcriberet, ac definiret: tum è Dominicana familia tres Religioſos viros ad eos populos excolendos, & informandos Chriſtiana pietate Epiſcopalibus ſacris initiaret.

In Mauritania.

Marrochiani etiam Regni Chriſtifidelibus primum Epiſcopum præfecit Gregorius, cum in Mauritania religio Chriſtiana continuis virorum piorum ſudoribus, ac fuſo etiam Martyrum ſanguine irrigata feliciter adoleſceret, ac ſpes affulgeret ſtrenui Epiſcopi diligentia excultam latius amplificatum iri.

Patriarchæ Iacobitarum redeunti ad Rom. Eccleſ. gratulatur. — Oder. Rinald. l.c.

Patriarchæ Iacobitarum Orientalium, qui cœleſti lumine colluſtratus, diſcuſſis hæreſeos tenebris, ac damnatis erroribus, Catholicorum inſtituta ſectatus fuerat, gratulatorias literas Gregorius dedit, & hortatus eſt, daret operam, vt commiſſi ipſius curæ populi eius veſtigia ſecuti ad Eccleſiæ ſinum ſe conferrent. Verùm ſubijcit Pariſius, cum Tartarorū timore perculſus hæc ille præſtitiſſet, quorum effuſis, ac violentis excurſionibus perterritus antea ad Saracenos auxilia petiturus confugerat, repulſam quæ ab ijs paſſus, ad Catholicorum ritus, vt ab ijs auxilia eliceret, recurrit; ſed cum omnia tuta proſpero ſucceſſu paulo poſt ſibi affulgere cerneret, ſuorum nefarijs impulſus conſilijs, à fide Catholica turpiſſimè reſilijt.

S. Soſthenis caput, & brachiū Gallis cōcedit. — Martyrol. Gallic. — Baronius ibidem. — Præclara Gregorij geſta.

Dum errantes oues ad Chriſti ouile deducere ſtuderet, non prætermiſit illorum curam, quæ ſemel ad ouile deductæ nunquam receſſerunt, literis, ac paternis admonitionibus ad inceptum opus perficiendum ſemper illas hortando. Gallis Chriſtianæ Religionis præſtantiſſimis defenſoribus Soſthenis diſcipuli S. Pauli, Caput, & Brachium Romam primum è Græcia aduectum conceſſit: quæ Toloſæ in Cœnobio S. Mariæ Deauratæ collocata ſunt; ibique etiamnum digna veneratione ſeruantur. Ad Florentinorum, ac Senenſium diſſidia componenda Ioannem Vicentinum ſacri ordinis Prædicatorum Religioſum Florentiam miſit; aliaque plurima pro Romana Eccleſia tráſegit. Inter quæ Principi Achaiæ, vt Theutonicis militibus ex Hoſpitali Andreuillę excluſis, illud Religioſis S. Ioannis Hieroſolymitani reſtitueret, præcepit. Daciæ Regi, vt ſex Clerici in diuinis myſterijs ei ſeruientes, duo, vt dicunt compatibilia beneficia reciperent, indulſit: Erico eius filio, vt Iuttam Saxoniæ Ducis filiam quarto gradu ſibi propinquam duceret, conceſſit. Gubernatores Regni Nauarræ, toto tempore, quo Theobaldus Rex piam militiam militaret, in protectionem Romanæ Eccleſiæ ſuſcepit. Ferdinando Alphonſi Regis Luſitaniæ filio, qui cum Alphonſo filio Regis Caſtellæ contra Mauros depugnabat, Indulgentias Crucesignatorum dedit, vtque Saracenis erepta, eiſdem præter ligna, arma, & ferrum vendere poſſet, poteſtatem fecit. Rogerium nepotem Regis Angliæ naturalem, vt ſacros ordines non obſtante natalium defectu ſuſciperet, diſpenſauit. Auximanam Ciuitatem Epiſcopatu priuauit; Albenſem Eccleſiam in Hungaria, quia maximam reuerentiam Sacroſanctæ Euchariſtiæ, cum ad infirmos defertur, populi eius exhiberent, quam maximè laudauit. Contra Hæreticos, præſertim Italiæ quamplurimas ſaluberrimas leges promulgauit, atque Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis nonnulla præſcripſit. Prouinciali Galliarum ordinis Prædicatorum vt votum à Crucesignatis Terræ ſanctæ in ſubſidium Imperij Conſtantinopolitani commutaret, permiſit; Cancellario Pariſienſi, vt ſtatuta à Rhemenſi Archiepiſcopo, & Suffraganeis ipſius in Prouinciali Concilio contra libertatem Eccleſiaſticam facta reuocaret, præcepit.

Stero in Annal. — S. Virgilius inter ſanctos refertur, & Odo Nouarienſis. — Baron. to. 13. Annal. — Viſio de Vulneribus Diui Franciſci.

Sanctorum Albo adiecit Virgilium Archiepiſcopum Salisburgēſem, de quo hæc Richardus: *Menſe Iunio de quodam S. Virgilio miracula multa in ſcriptis redacta de Alemānia miſſa ſunt ad Dominum Papam;* & Odonem Nouarienſem Carthuſianum miraculis clarum. Catalogo quoque ſanctorum adſcripſit, Peruſij agens, vt ſupra dictum eſt à Ciaconio Diuum Franciſcum fratrum Minorum Inſtitutorem: ad cuius canonizationem tum multitudine miraculorum, quæ D. Franciſci obitum ſecuta ſunt, tum maximè viſione quadam ſibi diuinitus oblata, teſte S. Bonauētura impulſus eſt Gregorius. Cum enim ille nonnihil hæſitaret de vulneratione lateris, an illud S. Franciſco ad eum modum, quo Chriſti latus infixum eſſet, nocte quadam beatus ei Franciſcus, quadam faciei prætenſa duritie in ſomnis apparuit, & hæſitationem cordis ipſius redarguens, eleuando brachium dexterum detexit vulnus, phialamque ab eo popoſcit, vt ſcaturientem reciperet ſanguinem, qui ex latere defluebat. Obtulit in viſione ſummus Pontifex phialam, quæ vſque ad ſummum ſanguine profluente de latere videbatur impleri: ex eo tempore erga ſanctum propenſior, illum inter ſanctos Cœlites renunciauit, & eius feſtum ad IV. nonas Octobris inſtituit. Nouum conſtrui Templum in honorem S. Franciſci iuſſit, in quo euſdem Corpus recondi, & apud ſuos ſeruari poſſet: cuius Templi primarium lapidem proprijs manibus ipſemet Gregorius iecit, prout ſuis literis apertè teſtatur; ac ſepulchralem hunc titulum tumulo D. Franciſci inſcripſit.

Luc. Vvading to. 1. Annal. ad an. 1228.

V. S. C. A.
FRANCISCI ROMANI
CELSA HVMILITATE CONSPICVI
CHRISTIANI ORBIS FVLCIMENTI
ECCLESIAE REPARATORIS
CORPORI NEC VIVENTI NEC MORTVO
CHRISTI CRVCIFIXI PLAGARVM
CLAVORVMQVE INSIGNIBVS ADMIRANDO
PAPA NOVAE FETVRAE COLLACRYMANS
LAETIFICANS, ET EXVLTANS
IVSSV MANV MVNIFICENTI POSVIT
ANNO DOMINI MCCXXVIII.
XVI. KALENDAS AVGVSTI
ANTE OBITVM MORTVVS
POST OBITVM VIVVS.

Viſitat Gregorius S. Claraſ.

Tumultuantem ex ſuggeſtione Friderici Imperatoris Populum Romanum cum compeſcere facilè non poſſet Gregorius, declinauerat ad Ciuitatem Reatinam, ex qua nonis Maij graues literas dederat Friderico, vt ceſſaret à Tyrannide, & infinitis cruciatibus Cleri Regni Siciliæ, & Apuliæ, cuius clamorem, vlulatum, & ſtridorem miſerabilem ad ſe aſcendiſſe teſtabatur. E Ciuitate Reatina Spoletum ſe contulit, mox Aſſiſium, viſitatis priùs S. Clara, & ſodalibus, quæ extra illam Vrbem ad S. Damianum, quotidianò boni nominis incremento ſanctè viuebant. Nullus harum Virginum ſanctimoniam magis perſpectam, exploratamque habuit ipſo Pontifice, qui in Cardinalatu earum Protectorem egit conſilio, re familiari, & ſingulari patrocinio.

Gregorij Scripta. — Nomencl. Cardinal. — Ludou. Iacob. à S. Carol. in Bibl. Pōt.

Scripſit Gregorius Decretales Epiſtolas, quarum ſeptem volumina in Vaticano aſſeruantur, & earum aliquæ prodierunt cum Gloſſis Baſileæ anno 1511. Pariſijs 1541. & 1601. ac Venetijs 1591. In Cardinalium Nomenclatore legimus Gregorium Epiſtolas ſuas Decretales adunaſſe, & quinque libris digeſſiſſe ope S. Raymundi de Pennaforti Barcinonenſis, Prioris Generalis ordinis Prædicatorum tertij. Harum quædam prodierunt ſeparatim Græcè, & Latinè ſcholijs illuſtratæ ſtudio Gerardi Voſſij; & tomo 7. Conciliorum cum notis Binij: quadraginta ſex Gregorij literas ad diuerſos miſſas reſcripſit ex Vaticana Bibliotheca in ſua Italia ſacra Ferdinandus Vghellius, & aliquas in ſua Bibliotheca Præmonſtratenſi pro Præmonſtratenſibus datas, Ioannes Lepaigè, Conſtitutiones Apoſtolicas edidit de non alienandis Ditionis Pontificiæ locis, deque non extruendis in Sabinia Caſtris, abſque Apoſtolicæ ſedis licentia: aliam Conſtitutionem pro Benedictinis diuulgauit, quæ prodijt Pariſijs anno 1619.

Gregorij obitus. — Platina. — Panuinius. — Baron. l.c.

Tandem multis pro Eccleſia laboribus ſuperatis, dum vndique pericula irreperent, & ſuborta malorum tempeſtate nauis Petri ſine requie fluctibus quateretur, Federico Imperatore terra, marique hoſtili, ac perſecutoris animo inſtante, Romanus Pontifex Gregorius tot malis ſuboactus, ad meliorem vitam felix euolauit XI. Kal. Septembris anno à partu Virginis 1241. cuius Pontificatui nonnulli annum, alij menſem, aliqui dies aliquot detrahunt, dignus longiore vita, & Pontificatu, vt pote qui pro libertate Eccleſiaſtica depugnans, conſtantiæ exemplar ſubſecuturis Pontificibus in ſe expreſſerit & non modò Vrbis ornatum, verùm & vniuerſæ Eccleſiæ decus, & Pontificiam maieſtatem amplificauerit.

Simeon Starou. in Epit. Concil. — Concilia Lōdinēſe. — Lāciciēſe. — Synodus Spoletina. Oder. Rinald. ad ann. 1234.

Præter Concilia Lateranenſia, duo, pro expeditione Terræ Sanctæ vnum, alterum contra Fridericum Imperatorem, de quibus ſupra Ciaconius, & Victorellus, habita etiam ſunt Gregorio Romano Pontifice anno à Chriſto nato 1237. Londinenſe in Anglia auctoritate Othonis Legati Apoſtolici pro reformanda Eccleſia Anglicana; & Lanciciense, ad quod iuſſu Fulconis Gneſnenſis Archiepiſcopi acceſſit Conradus Dux Maſouiæ, vt admiſſi ſceleris (ſuſpendio enim necarat Ioannem quendam Scholaſticum Plocenſem) pœnas lueret. Indixit quoque Gregorius Spoleti Antiſtitum Conuentum pro ſacra aduerſus Infideles Aſiaticos expeditione, cui Patriarchæ Conſtantinopolitanus, Antiochenus, ac Hieroſolymitanus vnà cum Imperatore interfuerunt.

PRIMA CREATIO CARDINALIVM
Gregorij Papæ IX.

Anno Dominicæ Incarnationis 1227. Pontificatus I. in quatuor Temporibus menſis Septembris, Romæ ex Panuinio, ex Ciaconio vero Anagniæ Gregorius Romanus Pontifex quinque creauit Cardinales, quorum tres in regimine Eccleſiæ eidem Gregorio ſucceſſerunt; videlicet Gaufridus de Caſtilione, qui Cœleſtinus IV. Sinibaldus Fliſcus, qui Innocentius IV. & Raynaldus ex Comitibus Signiæ, qui Alexander IV. dicti ſunt.

I.



Petrus Friſon in Gall. Purpurat.

Nent Gédan.

Ciaconius

IOANNES Halgrin, ſeu Hollegrin de Abbatiſuilla, Gallus, Prior Cœnobij D. Petri Abbauillæ (non Abbas, vt ſcripſere Vuion, Panuinius, & Ciaconius, eſt enim Prioratus, non Abbatia) Congregationis Cluniacenſis, diuinas literas mirum in modum calluit, eoſq; diu in Academia Pariſienſi publicè profeſſus eſt, & lauream Doctoratus ibidem ſumpſit. Inſignis diuini verbi Præco, ex Eccleſiæ Ambianenſis Decano, Biſuntinus Archiepiſcopus primò, deinde Epiſcopus Sabinenſis renunciatus, ad Iacobū Regem Aragonenſem à Gregorio miſſus eſt anno 1228. prædicandæ Crucis gratia in Sarracenos, quod munus præclarè adimpleuit. Ex Hiſpania contendens in Italiam, comitem duxit B. Raymundum de Pegnaforti Barcinonenſem, humani, diuiniſque iuris peritum, in hac legatione Pœnitentiarium, totius ordinis Prædicatorum Moderatorem, qui Decretales in vnum volumen, libris quinque diuiſum, accuratè collegit.

Ferdinand. Vghel to. 1. Ital. ſac.

Oder. Rinald. in Annal.

Aliam habuit Ioannes legationem cum Thoma Cardinali Presbytero S. Sabinæ ad Federicum Imperatorem, qui Meſſanenſem Epiſcopum, & Theutonicorum Equitum Magiſtrum Gregorio miſerat, ab anathemate abſolutionem, & pacem ſupplex efflagitans, annis potiùs confœderatorum coactus, quàm amore in Eccleſiam. Hi enim Apoſtolici Legati innumera Præſulum, ac Principum multitudine circumfuſi Imperatori è ſcripto cauſas expoſuere, ob quas fidelium conſortio amotus eſſet. Quibus expoſitis Imperator ſacramento ſeſe publico deuinxit, eoque iureiurando admiſſo Legati Imperatori præcepere, vt ſub ſacramenti præſtiti religione, & omnia, quæ in ditione Eccleſiaſtica fuerant ab ipſo, vel ſuis occupata, reſtitueret; tum oppida, ac bona Monaſterijs, Eccleſijs, Templarijs, Hoſpitalarijs, nobilibus viris, alijſque, qui Eccleſiæ partibus adhæſiſſent, erepta redderet, ac pulſos, & emotos ob id ſuis ſedibus Epiſcopos, alioſque Præſules ad priſtinas dignitates reuocaret. Tunc demum Legati adiecere ſe in præſentiarum hæc iubere, alia ſuo tempore mandaturos; quæ omnia Epiſcopi nonnulli Legatorum iuſſu in publicis literis rei geſtæ declaratorijs deſcripſerunt. Inſtiterant etiam Legati, vt nonnulli Imperij Romani Principes, nimirum Bertoldus Aquileienſis Patriarcha, Eberardus Salisburgenſis Archiepiſcopus, Siffridus Ratiſponenſis Epiſcopus, Bernardus Dux Carinthiæ, atque Otho Morauiæ Dux pollicerentur ſe bona fide operam collocaturos, vt Imperator, quæ in Marchia, & Ducatu Spoletano inuaſiſſet, redderet; ad quæ perficienda ſeſe fideiuſſorio nomine obſtrinxere, remque publicis tabulis commendarunt. Recepto itaque à Legatis iureiurando Federici gerendi morem Eccleſiæ, imperataque eorū, quæ inuaſerat, reſtitutione, Cardinales Legati ad abrumpendos tot excommunicationum nexus, quibus Federicus erat iuſtiſſimè irretitus, ſeſe xxviij. menſis Auguſti die S. Auguſtino ſacra, vt ipſe Federicus in gratulatorijs poſt abſolutionem literis teſtatur, compararunt. Rem geſtam deſcribit Richardus his verbis: *Quadam arces Regni traditæ ſunt ſeruandæ Magiſtro Domus Theutonicorū vſque ad certum tempus pro maiore Eccleſiæ firmitate; & tunc Imperator ipſe in caſtris ante Ceperanum in Capella S. Iuſtæ die Mercurij in feſto B. Auguſtini per Sabinenſem eſt Epiſcopum ab excommunicationis vinculo abſolutus; ſimiliter & omnes ſui.*

Nomencl. Cardinal.

Iacob. Chiflet. de Epiſc. Biſunt. Trithemius.

Omni diſciplinarum genere excultiſſimus fuit Ioannes hic, ita, vt inter cetera ingenij monumenta, quæ reliquit, in Cantica Canticorum pulcram plenamque iudicij expoſitionem, quæ vocatur ſexta, typis edita Lutetiæ anno 1521. compoſuerit, cum multis diuinis Concionibus, libros ſcilicet duos Sermonum de Tempore, totidemque de Sanctis.

Floran. Mamael.

Optimè de Eccleſia Romana meritus Ioannes deceſſit an. 1237. vel præcedenti, non vt inquit Ciaconius, 1240. cum Nicolaus in Archiepiſcopatu ſucceſſor eiuſdem Cardinalis Sabini mentionem faciat in Inſtrumento Bellæuallenſi anno 1237. dato: & idem Ciaconius Gaufridum de Caſtilione renūciatum dicit à Gregorio Epiſcopum Cardinalem Sabinenſem anno 1237. Necrologium D. Ioannis Biſuntini notat Ioannis obitus diem his verbis: *xv. Kal. Octobris obijt Ioannes Epiſcopus Sabinenſis, qui priùs fuerat Archiepiſcopus Biſuntinus.* In Cartophylacio mortuorum Ambianenſis Eccleſiæ hæc legimus: *Vigeſima tertia Septembris obitus felicis memoriæ Ioannis de Abbatiſuilla, quondam Decani noſtri, poſtea Archiepiſcopi Biſuntinæ, vocati per Dominum Honorium tūc ſummum Pontificem ad Patriarchatum Conſtantinopolitanum, ſed pro ſua probitatis, & ſcientiæ reuerentia à Domino Gregorio IX. detenti apud ſedem Apoſtolicam, in quo factus eſt Cardinalis Epiſcopus Sabinenſis, pro cuius memoria, quoniam Eccleſiam multipliciter honorauit in ſanctorum Reliquijs, & ornamentis Eccleſiaſticis multis ſui regimine Decanatus.*

Ciaconius

Subſcriptione firmauit ſua Ioannes Gregorij literas miſſas anno 1227. ad Canonicos Lucenſes ſancti Fridiani.

Scutum Halgrinorum, quod ſupra tribuimus Ioanni ex Petro Frizonio in Gallia Purpurata, minio, & argento diſſectam in longum parmam habet, ancorata Cruce impreſſam, diſſectæ Crucis ſemiſſibus parmæ colores alternantibus; aliud ab hoc eidem olim tribuerat Ciaconius.

II.



Ferdinand. Vghel to. 1. Ital. ſac.

GAVFRIDVS Caſtilioneus Mediolanenſis, Ioānis Caſtilionæi, Caſſandræque Cribellæ Vrbani III. Romani Pontificis ſororis filius, ſeueriori morum diſciplina ſub S. Galdino Archiepiſcopo Mediolanenſi inſtitutus eſt primò, deinde Eccleſiæ Mediolanenſis Archipresbyter, & Cancellarius fuit. Sub patrui Pontificatu onus Mediolanenſis Eccleſiæ, aurea illa ſua mediocritate contentus, contempſit ſubire: defuncto Vrbano rerum humanarū pertæſus, in Altacumba Ciſtercienſis ordinis in Sabaudia celebri Monaſterio Monaſticam vitam duxit. Sed illa tranquillitate vitæ haud longo tempore ipſi permiſſum eſt; quippe Gregorius IX. Romanus Pontifex, cum illum reluctantem è clauſtro eduxiſſet, Presbyterum Cardinalem titulo S. Marci primò, deinde Epiſcopum Sabinenſem renunciauit. Hic eodem Gregorio Romano Pontifice legationis munere functus eſt apud Federicum Imperatorem, mox in Hetruria, & in Gallia Ciſalpina: priori legatione cum Pelagio Albanenſi Epiſcopo iuſiurandū ab Imperatore Caſini exegit de Hieroſolymorum maturo ſubſidio, quod cum Imperator non ſeruaſſet, illi facta ſunt interdicta. Subſcripſit Gaufridus Gregorij literis anno 1227. Canonicis Lucenſibus S. Fridiani: xv. Kalen. Februarij anno 1229 Alberto Priori Eccleſiæ ſedis Epiſcopalis B. Mariani: xi. Kal. Aprilis 1231. Monopolitanæ Eccleſiæ: anno 1237. Baſilicæ Lateranenſi datis. Cum autem Gregorius fato ceſſiſſet, communi omnium Cardinalium conſenſu in demortui locū ſub nomine Cœleſtini IV. ſuffectus eſt, vide vitam.

Ciaconius

Panuinius De Rom. Pont.

Ciaconius

Ferdinand. Vghel in Ital. ſac.

III.



Ciaconius

RAYNALDVS ex Comitibus Signiæ Anagninus, Philippi fratris Gregor. IX. filius, ex Subdiacono Apoſtolico Diaconus primò Cardinalis S. Euſtachij, deinde Epiſcopus Oſtienſis, & Veliternus renunciatus, legatione functus eſt vna cum Thoma Presbytero Cardinali S. Sabinæ apud Viterbienſes, Populi Romani infenſiſſimos hoſtes, quos pacauit, ac multa inter eos fœdera conſtituit. Cum eodem ſecundā legationem miſit in Galliam Ciſalpinam, vt eam prouinciam Federico Imperatori reconciliaret, eundemque a bello contra Mediolanenſes reuocaret. His defunctus legationibus a Gregorio IX. Romano Pontifice obtinuit pro Veliternenſibus noua beneficia, quæ reſcripſit in ſuo 1. to. Italiæ ſacræ Ferdinandus Vghellus, eiuſque curæ Gregorius commiſit ordinis Minorum ſpecialem protectionem, quam ipſemet ante Pontificatum exercuerat, eidemque impensè ſodalitium illud commendauit.

Bzouius to. 13. Annal. Eccl.

Luc. Vuadingus to. 1. Annal. Minor.

De hoc Raynaldo hæc legimus apud Surium die octaua Maij in vita S. Stanislai Epiſcopi Cracouienſis: *Id verum tamen præterire nolumus, quòd cum diu laboratum tandem eſſet ſub Innocentio IV. Romano Pontifice, vt in ſanctos referretur Staniſlaus, & Cardinali Oſtienſi Raynaldo, qui poſtea Innocentio ſuccedens Alexander dictus eſt, admodum repugnante, res effectum obtinere non poſſet; idem Cardinalis in grauem morbum incidit, qui non ſolùm ipſi ſed etiam medicis vitæ eius deſperationem afferret. Hoc morbo ad dies aliquot laboranti apparuit S. Staniſlaus vigilanti, & decumbenti cum multo ſplendore, & gloria, eumque comiter reprehendit, quòd temerè auſus eſſet ipſius impedire in ſanctos relationem; ſed veniam ignorantiæ petenti libens ignouit; ita tamen, vt minaretur grauiter ſimile quippiam deinceps tentaturo. Iuſſit autem, vt in ſignum ſanctitatis ſuæ quamprimùm ſanus è lecto ſurgeret, quod ita factum eſt; ad eoque permouit Cardinalem illum, vt cunctis mirantibus repentinam eius ſanitatem; mox ad Pontificem Innocentium ſe conferret, & ſummopere hortaretur eum, vt ſine heſitatione in ſanctorum catalogo illum adſcriberet.*

Ciaconius

Diaconus Cardinalis ſubſcripſit Gregorij IX. literis datis anno

1227. Ca-

Ferdinand. Vghel. in Ital. ſac.

1227. Canonicis Lucenſibus S. Fridiani; & anno 1229. Alberto Priori Eccleſiæ ſedis Epiſcopalis B. Mariani. Epiſcopus verò Oſtienſis firmauit illas eiuſdem Gregorij anno 1236. Vaticanæ, & anno 1237. Lateranenſi Baſilicis ſcriptas, & alias Innocentij IV. ad ordinem Eremitarum S. Auguſtini miſſas. Poſt Innocentij IV. obitum, ad Romani Pontificatus faſtigium aſſumptus, dictus eſt Alexander Quartus; vide vitam.

IV.



Feder. Federici de familia Fliſca.

MAG. SINIBALDVS de Fliſco, ſeu Fliſcus Genuenſis, Vgonis Fliſci Lauaniæ Comitis, & N. Grillæ filius ab ineunte ætate literarum ſtudijs operam dedit ſub diſciplina Opizi, [illegible]trui Epiſcopi Parmenſis, à quo Canonicatum in principe Eccleſia Parmæ obtinuit. In iuriſprudentia, cui literarum generi à teneris annis deuinctus fuit, tantùm profecit, vt Luminare Mũdi omnium voce diceretur. Parma Romam ſe contulit, vt in Vrbe omnium Principe tanti viri doctorum primi, futuri omnium maximi ſapientia fulgeret. Auditor in multis cauſis datus ſtatim fuit, ſed cum Hugolino ex Comitibus Anagninis Epiſcopo Cardinali Oſtienſi ſedis Apoſtolicæ Legato Genuam paulo poſt rediit, ad ſedanda Piſanos inter, & Genuenſes diſſidia. Albingauenſis deinde Epiſcopus, & S. R. E. Vicecancellarius renunciatus ab Honorio III. eſt: quo defuncto, cum laudatus Hugolinus Petri Cathedram aſcendiſſet, & Gregorius IX. dictus eſſet, in prima Cardinalium Creatione Sinibaldum Presbyterum Cardinalem titulo S. Laurentij in Lucina nominauit. Præfuit, Bartolo teſte, longo tempore ſumma cum laude Picenis, atque inter Albingauenſes, ac Ianuenſes ſancita conuenta, ſua auctoritate firmauit. Subſcripſit etiam Gregorij literis miſſis anno 1227. ad Canonicos Lucenſes S. Fridiani: xv. Kalen. Februarij anno 1229. ad Albertum Priorem Eccleſiæ ſedis Epiſcopalis B. Mariani: xi. Kal. Aprilis 1231. ad Eccleſiam Monopolitanam; & demum anno 1237. ad Baſilicam Lateranenſem. Poſt obitum Cœleſtini IV. ſummus Pontifex renunciatus Innocentius IV. dictus eſt: Vide vitam.

Ciaconius. B. Bologni. Bonon... Vita. Ciaconius. Ferdinand. Vghel. in Ital. ſac.

V.



Franciſc. Auguſt. in Eccleſia ... ſe. monu. Ciaconius.

OTHO Candidus, ſeu Blancus, filius Guilielmi III. huius nominis Marchionis Montiſferrati, quem Ciaconius perperã de Alerano Caſalenſem appellat, cum tunc temporis Ciuitas Caſalenſis nondum Imperio Marchionum Montiſferrati ſubeſſet, Diaconus Cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano à Gregorio, deinde ab Innocentio IV. Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & S. Rufinæ renunciatus, in Anglia, & in Scotia ſedis Apoſtolicæ Legati partes egit. Tranſmiſit illum Pontifex in Angliam ſumma Legati Apoſtolici auctoritate inſtructum, ad redintegrandum Eccleſiaſticæ dignitatis decus, & mores excolendos. Quo argumento extant literæ ad Angliæ, Vualliæ, & Hiberniæ Præſules, quibus de impoſito illi à ſede Apoſtolica munere certiores fecit. *Ecce magnum, & honorabile membrum Eccleſiæ, amicum Dei, dilectum filium noſtrum Othonem S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconum Cardinalem, virum morum honeſtate conſpicuum, praditum ſcientia literarum, & prouidentia circumſpectum. Quem inter ceteros fratres noſtros admodum charum habemus pro ſuorum excellentia meritorum, in Angliam, Vualliam, & Hiberniam, commiſſo ſibi plenè Legationis officio, de latere noſtro prouidimus deſtinandum, vt cum in hac hora vndecima cultores ſimus in Vinea Domini conſtituti vice Noſtra, vt diligens cultor euellat, & deſtruat, diſſipet, & diſperdat, ædificet, & plantet, prout ipſe Dominus miniſtrabit. De quo vtique, cum ei adſit puritas conſcientiæ, & præſto ſit iudicium rationis, malitiam odiat, & innocentiam tueatur, ſperamus firmiter, quòd recta regens, & dirigens indirecta, aſpera conuertet in plana*, &c. Præcepit deinde, vt ipſum debito honore proſequerentur, exciperent imperia, atque ad diuinam amplificandam gloriam, ſuam illi operam, ac ſtudium commodarent. Paruiſſe Apoſtolicis iuſſis Anglicanos Præſules colligitur è Pariſio in hiſtoria Anglicana, qui Othonis Legati in Angliam aduentum deſcribit, ac refert plures Antiſtites ad eum excipiendum cum è naui in terram deſcenderet, obuiam prodijſſe; aliquos etiam ſcaphis ſubuectos ad nauim, qua vehebatur, acceſſiſſe, ac munera pretioſiſſima ad eius gratiam colligendam obtuliſſe. Excepit pariter honorificentiſſimè Legatum Henricus Rex; Præſulum enim ac Principum agmine ſtipatum obuiam oſtio [illegible] cauſa Othoni Legato occurriſſe, ac ſolemni pompa cohoneſtaſſe, narrat laudatus auctor. In Anglia Proceres diſſentientes in concordiã induſtria ſua adduxit Otho, deinde omnibus Angliæ Præſulibus imperauit, vt octo dierum à beati Martini feſto decurrentium ſpatio, Londonium confluerent, vt cum Pontificium Diploma, quo ſibi legationis munus in ijs regionibus erat demandatum, audirent, tum ad emendandos collapſos mores, ac reſtituendam diſciplinam, & dignitatem Eccleſiaſticam priſtino ſplendori, ſe præſente, in Concilio ageretur. In hoc conuentu cum non leuem Cantuarienſi de loci dignitate Eboracenſis quæſtionem moueret, Legatus lecto primùm de more Euangelio, & cõcione in hæc verba *Ego ſum Paſtor bonus*. habita, tum nonnullis precibus fuſis, ac ſancti Spiritus numine inuocato, controuerſiam ea oratione ſopire ſategit, in Sigillo Pontificio Petrum à dextera crucis exaratæ, Paulum à ſiniſtris adumbrari, nec inter eos ſanctiſſimos Apoſtolos vllam de dignitate ardere controuerſiam, ſed pari gloria potiri, atque ita ipſos eorum exemplo litem ponere debuiſſe. Dum in eo Concilio de ferẽda in illos ſententia, qui pluribus Eccleſiaſticis Sacerdotijs inſtructi eſſent, agitaretur, vt vno contenti alia iuberentur dimittere, Epiſcopus Vuigornienſis in medio cœtu aſſurgens, mitra depoſita, Legatum compellauit, durum ſibi admodũ videri, ac periculi plenum eã ſententiam ferre, cum plures ex ijs, qui multa tenerent ſacerdotia, nobilitate conſpicui, iam annis grauiores eſſent, reliquam vitam in egeſtate infelici degere cogerentur, qui antea profuſis eleemoſynis, atque in pijs operibus collocatis opibus, omnium amorem collegiſſent; alios verò iuuentute præferoces omnia potiùs pericula adituros, qui in alijs ſibi ereptis Sacerdotijs, vnũ tantummodo gerere cogerentur; tum demum id pleriſque Religioſis viris, ac ſacris Virginibus grauiſſima incommoda, cum omnes id Decretum inuolueret, allaturum: proinde ſummum priùs Pontificẽ in re tanti ponderis conſuleret: ad quæ Legatus ſe tum ea de re daturum literas, ſi reliqui Epiſcopi aſſentirentur. De patrum ſententia leges plurimas ſanciuit, quæ deinceps ſacerdotalem dignitatem maximè conuenirent: poſt hæc iuuandi cauſa Aſiatici belli, imperandas Sacerdotibus decimas omnium Sacerdotiorum curauit. In Italiam reuertus Otho cum Genuam appuliſſet vnà cum Iacobo Fecorario Epiſcopo Præneſtino, & alijs quamplurimis Epiſcopis, qui ad Lateranenſe Concilium accedebant; hoc audito Federicus Cæſar, vt erat artibus inſtructus, ipſos rogauit, vt per ſuas terras iter haberent: ſumma ſe cupiditate ipſos coram alloquendi teneri ad proponendam cauſæ ſuæ æquitatem, atque eos omnibus officijs proſecuturum. Sed quas fraudes pectore preſſerat, paulò poſt aperuit, cum omnes conatus ad eos intercipiendos defixit. Metuentes igitur Præſules promiſſa Federici, atq. ad colligendos animos Pontificijs literis recreati, Ianuenſium inſtructæ claſſi, quam legatorum opera magnis ſumptibus Romanus Pontifex conduxerat, ſeſe impoſuere. At Federicus cũ eluſas artes, nec blandimenta videret profuiſſe, Entio filio notho, rei maritimæ Præfecto præcepit, vt comparata quamprimùm validiſſima claſſe Siculorum, ac Piſanorum opera, Legatos, ac Præſules caperet, cæderet, fluctibus mergeret. Venienti ergo Ianuenſium claſſi Federici naues occurrere, ac maximo in eam impetu proſilierunt: initio tres Piſanorũ captæ triremes, dein ingraueſcente pugna fuſi Ianuẽſes, nõnulli Præſules cæſi, vndis alij ſubmerſi, alij capti, inter quos Legati, qui Neapolim perducti, multis attriti incõmodis in carcerẽ duriſſimũ detruſi, nulloque tantorum patrum dignitatis habito diſcrimine, quaſi viliſſima capita, conſtricti vinculis, & inuicem conglobati, fame, ſiti, ſqualore, æſtu, atque alijs malis innumeris maxima ex parte emarcuerunt. Ceterum Pontifex vinctis Eccleſiæ cauſa Præſulibus, quantum dolorem ex ipſorum ſeruitute hauſiſſet, ſignificauit literis ſuis, quibus eorum mœrorem leuare, hortarique ad conſtantiam ſtuduit.

Oder. Rinald. in Annalib. Pariſius ibidem. Oder. Rinald. l. c.

Mortuo Gregorio Romano Pontifice Cardinales ad Federicum duos legarunt, qui ab ipſo flagitarent, vt Præneſtinum Epiſcopum, & Othonem laxaret vinculis, & ad eligendum Pontificem Romam accedere permitteret, qui precibus Richardi Cornubiæ Comitis flexus ea lege permiſit, vt poſt electum Pontificem ad carcerem redirent, ni Otho Pontifex ſalutaretur. Cum verò Cardinales in eligendo ſummo Pontifice diſſiderent, Otho Diaconus Cardinalis ad carcerem eſt reuerſus, ne dati Federico obſides malè haberentur: cuius fidem, & conſtantiam laudaſſe Federicum ſcribit Pariſius, carceri tamen, cuius ſuſpiciebat virtutem, iterum tradidiſſe. Ad duos annos duriſſimi carceris pertulit incommoda Otho, donec Balduino Cõſtantinopolitano Imperatore petente inde exijt.

Ciaconius. Bzouius in Annal. tom. 13.

Ab Innocentio IV. Epiſcopus Portuenſis renunciatus, ipſum Innocentium ſecutus, Lugduni anno noſtræ ſalutis 1251. è vita exceſſit, & in Eccleſia Prædicatorum ſepultus. Vir in Mathematicis eruditiſſimus ſcripſit de Aſtrologia. Ferunt hunc Cardinalem mortuum, per quietem Guilielmo Sabinenſi Epiſcopo apparuiſſe eo tempore, quo poſt mortem Federici II. Innocentius IV. ex Gallijs in Italiam redire conſtituerat, eique dixiſſe: de hoſpitio Genuæ habendo ne ſollicitus ſis, quia hic habebis hoſpitium mecum; & non longè poſt pridie Kal. Aprilis moriens fidem ſomnio fecit, ad Prædicatores, & ipſe ſepultus.

Ciaconius. Nomencl. Cardinal. Ciaconius.

Ciaconius

Ferdinand. Vghel. in Ital. ſac.

Diaconus Cardinalis ſubſcriptione firmauit ſua, plures Gregorij literas, illas nimirum anno 1227. datas Canonicis Lucenſibus ſancti Fridiani; anno 1228. Theodorico Rauennati Archiepiſcopo; & anno 1237. Eccleſiæ Lateranenſi. Epiſcopus verò Portuenſis alias Innocentij IV. anno 1244. datas ordini Eremitarum S. Auguſtini, & Ioanni Ceruienſi Epiſcopo.

SECVNDA CREATIO CARDINALIVM.

Anno Dominicæ Incarnationis 1228. *Pontificatus II.* ex Ciacconio, ex Panuinio verò 1230. Pontificatus IV. menſe Decembri Romæ Gregorius creauit ſecundò Cardinales, qui fuerunt.

Stephanus ex Diacono S. Hadriani renunciatus Presbyter Cardinalis S. Mariæ Tranſtyberim titulo Calliſti, & Archipresbyter S. Petri ex Gregorij IX. Bullis Later. annis 1228. & 1232. datis.



VI.

Ciaconius

Petrus Frizon in Gal. Purp.

Ant. Sand. in Elog. Cardin.

IACOBVS de Vitriaco Gallus, natus Argentolij, qui eſt vicus ad Sequanam Diœceſis Pariſienſis, ſedulam Pariſijs nauauit operam ſcientijs omnibus, relictis tamen Theologiæ ſtudijs, Mariæ Niuellanæ primò de Villebrouc-que, deinde de Oegenies dictæ, quę in extremis Brabantiæ finibus agebat, fama, & nomine ſanctitatis excitus, in illud properauit andrium, in quo, precibus B. Mariæ de Oegenies ſe adiunxit Canonicis Regularibus in Monaſterio, erecto ad Sabim in honorē ſancti Nicolai inter Niuigellam Brabantorum, & Namurcum Eburonum ciuitates: fallitur enim Onuphrius Panuinius, qui nominat Monaſterium S. Mariæ de Oegenies, ratus, vt opinor, hanc Mariam, quæ adhuc viuebat, in duorum claſſem relatam: Sacris poſtea initiatus eſt ordinibus à ſuo Præſule Pariſiēſi. Illi reuertenti ad Monaſterium monachi Oegeniacēſes obuiam proceſſere, & Maria, quæ manus ſacro oleo recens delibutas deoſculari, & pedum veſtigia oſculis excipere non deſinebat, ſciens hunc à Deo electum ad plurimorum ſalutem probè ſtabiliendam, prædixit etiam Cœnobiarchæ Oegniacenſi, Iacobum in tranſmarina Terræ Sanctæ regione ad Epiſcopalis Cathedræ culmen euehendū, eiuſque facti Antiſtitem, ſeſe tam è mortalibus erepta conſcium, & ſuperſtitem fore; & ipſius ex tam longinquo tam eximij patris diſceſſu D dolorem gaudio incredibili cōmutatum iri, quòd is ad priſtini Cœnobij conſuetudinem, relictà vnà cum Pontificatu Palæſtina, eſſet rediturus. Hic ſacris iam initiatus, paræciæ cuiuſdam præfecturam B. Maria Niuellana impellente ſuſcepit, & crebras ad populum conciones habuit, quibus animas ex inferi hoſtis faucibus Chriſto ſæpiſſimè vindicabat.

Trithemius.

Iacob. Meyerus in Annal. Flandr.

Thomas Cantipr. in libr. Apum.

Petrus Frizon in Gal. Purp.

Inter hæc inciderat in annum 1210. expeditio in impiam Albigenſium hæreſim Innocentij III. Decreto, & S. Dominici Caliguritæ conſilio ſuſcepta: hic inter ceteros ob excellentem in declamando, & habendis ad populum concionibus facundiam Legatus ab Innocentio III. ad Belgicas prouincias, & Imperium Germanicum deſtinatus, vt Crucem contra Hæreticos illos promulgaret, & Apoſtolica auctoritate nomina tam ſanctæ militiæ profeſſos ſignaret. Profligatis Hæreticis, cum Cruceſignatis in Palæſtinam tendit. Vix annorum quatuor interuallum interceſſerat, cum & Vrbis Acconenſis, quæ Ptolemais eſt Phœniciæ, Pontificatus honor Iacobo eſt delatus, atque Maria de Oegenies ex hac vita ſublata, vt ipſa prædixerat; & paulò poſt ex Epiſcopo Acconitano (non rectè enim Henricus à Gādauo Anconitanum pro Acconitano Iacobum Epiſcopum vocat) Patriarcha Hieroſolymitanus eſt electus. Sed Romanus Pontifex volens eum Romanæ Eccleſiæ inſeruire præſentem, curauit Patriarcham in Iacobi locum eligi Robertum Nannetenſem Antiſtitem.

Henr. Gandau. de Script. Eccl.

Hippol. Marrac. in Purp. Mar.

Fixa iam in Accone, Cathedra Vitriacus Pontificiæ legationis munere ibidem defungens, varias ad varios è Palæſtina Epiſtolas in Europam miſit. Suum erga Deiparam Virginem ſtudium, amoremque ſpectatum fecit Iacobus, dum Albigenſium hæreſim ſua tempeſtate exortam, quæ euſdem Deiparæ Virginis inuocationem negabat; vt Apoſtolicæ ſedis Legatus ſumma vi profligauit: & dum Neſtorium, eiuſque ſequaces, qui B. Virginem Mariam matrem Dei eſſe inficiabantur, validiſsimis rationum, atque auctoritatum telis confoſſos reliquit. Dum in Palæſtina moraretur, viſitauit omnia ferè loca, Deiparæ Virginis præſentia, decorata, præſertim verò Nazareth, vbi B. Virgo Dei filium hominem factum Angelo nunciante concepit, & ibidem rem diuinam fecit, ipſo anniuerſario Angelicę ſalutationis die, & Bethleem, vbi eundem lætantibus Angelis immaculato vtero editum, & pannis inuolutum in præſepio reclinauit. Viſitauit etiam Eccleſiam à D. Petro Apoſtolo in Anteradenſi Ciuitate Deiparæ Virgini erectam, ac de illa in lib. 1. Hiſtoriæ Orientalis A in hunc modum ſcripſit. *Anteradenſis Ciuitas ſic dicta, quaſi ante Aradum ſita, vulgari autem appellatione hodie dicitur Tortoſa, in qua B. Petrus Phœnicen circumiens, cum à partibus Hieroſolymitanis tranſiret in Antiochiam, in honorem B. V. Mariæ modicam fundauit Eccleſiam, in qua etiam celebrauit Myſteria, quæ vſque hodie in magno habetur honore, & multorum populorum acceſſu frequentatur, eo quòd B. Virgo in illa ſibi ab infantia primitus Eccleſia conſecrata, multa operatur miracula, & infirmis illuc venientibus grata confert ſubſidia ſanitatum.* Hactenus ille, qui inſuper aiebat principalem viam, per quam Dominus venit ad nos, fuiſſe B. Virginem, & per hanc viam nos Chriſto obuiam pergere, eique occurrere poſſe.

Ferdinand. Vghel. in ſerie Epiſcop. Tuſcul.

Ant. Sanderus in Elog. Cardin.

Ex Palæſtina redeuntē, Honorius III. Romanus Pontifex, & Cardinales, ſed in primis Hugo, ſeu Hugolinus Epiſcopus Oſtienſis, ipſi Iacobo amiciſsimus, honorificentiſſimè exceperunt. Plurimùm B iuuit Oſtienſem, vt ſe totum Deo conſecraret, qui poſt aliquot annos in Pontificatum eſt Honorio ſuffectus, nomenq; Gregorij ſumpſit, à quo donatus eſt Vitriacus Tuſculanę Vrbis Epiſcopatu, & Cardinalitia dignitate, vt dicemus infra, è Palæſtina in Italiam nauigans, oborta tempeſtate naufragio proximus, precibus ad Deum, Deique famulam Mariam de Oegenies, cuius reliquijs munitus ſemper erat, (eiuſdem enim digitos argenteo locello incluſos ipſe Vitriacus ad collum ſuſpenſos aſſiduè geſtabat) religioſè in tanta trepidatione effuſis, in repentinum datus eſt ſoporem, & viſus ſibi videre ancillam Chriſti proximè adſtantem, & pro eo, quo viuentem dilexerat, amore, ſubſidium omne, & in præſentia ſalutem, & liberationem pollicitantem, ac plurima, quorum fidem euentus probauit, prædicentem. Viſus eſt autem ſibi in Templum Oegniacenſis Monaſterij perduci, & conſcenſa eius teſtudine Altaria quinque ſibi ab eadem demonſtrari, quorum quatuor, beatorum Cœlitum memoriæ ex C Prioris arbitrio, quintum ſanctiſſimę Trinitati, monitu ipſius, conſecraret. Expergefactus ſubitam maris pacati tranquillitatem obſtupuit. Romæ Honorio III. annuente opulentum nobiliſſimæ in tranſmarina regione Ciuitatis Pontificatum vltro ceſſit, atque Oegniacum redijt, aulæ diuitias cum Oegniacenſi paupertate ſponte commutando. Dum in Cœnobio illo vixit, Lotharingiæ, & Diœceſeos Leodienſis regiones ſedulus concionator obibat. Interim à venerabili Priore Aegidio de Oegnies Templi fabrica cum quinque Altaribus, vti per inſomnia ipſe præuiderat, fuit conſtructa, qua perfecta ipſe Deo locum conſecrauit. At cum anno 1227. communibus Cardinalium ſuffragijs Honorio in Pontificatum maximum Gregorius IX. ſuffectus eſſet, eum vti priſtina conſuetudine ſibi olim coniunctiſſimum viſere inſtituit Vitriacus, iter Romam verſus direxit, qua in Vrbe Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus à Gregorio eſt renunciatus; qua in dignitate diu vixit, & affuit Comitijs, in qui-D bus Cœleſtinus IV. & Innocentius IV. ad ſummum Eccleſiæ Pontificatum aſſumpti ſunt.

Nomencl. Cardinal. Damian. à Ligno.

Brabant. Chron.

Petrus Frizon in Gal. Purp.

Rob. Bellar. de Script. Eccleſ.

Io. Trith. de Script.

Ant. Sander. in ſuo Elogia Cardin.

And. Noſius in vit.

And. Sauſſay in ſuo Martyrol. Gallic. viij. kalen. Iunias.

Scripſit Iacobus Hiſtoriam Orientalem, aliàs Hieroſolymitanam, ſiue de Terra Sancta, hoc eſt de rebus ibidem geſtis.

E Palæſtina in Europam redux Occidentalem hiſtoriam compoſuit, qua Romanæ, ſiue Europeæ, ſiue Latinæ Eccleſiæ ſtatum complectitur, vbi multa de Chriſtianæ per varia Europæ Regna diſciplinę reſtauratione, de nouis Religioſorum ordinibus, de Sacramentis, eorumque adminiſtrandorum ratione ſolidè pertractantur: hanc autem vtramque à tenebris vindicatam edidit primus Franciſcus Moſcus iuriſconſultus percelebris, & Paſtor Armentarianæ Eccleſię.

Præterea Sarracenorum errores, quos Mahometus ceu dirum peſtem genti illi Arabum afflauit, eleganti libro refutauit.

Vitam B. Mariæ de Oegenies duobus libris, nō tribus, vt ait Trithemius, nam tertius à Thoma Cantipratenſi eſt adiectus, ante ſuum E è Monaſterio Oegeniacenſi deceſſum complexus eſt, eamque dedicauit Fulconi Epiſcopo, ſanctitatis cultori ſua ætate præcipuo. Eidē morienti præſens aſtuit, & eiuſdem hæres inſtitutus eſt, vt ipſemet teſtatur his verbis: *Iam enim obitum ſuum longè ante præuiderat, dicebatque mihi corporis ſui diſſolutionem imminere: ſcripſit me hæredem zona ſua, qua cingebatur, & ſudarij lintei, quo lacrymas detergebat, & quorundam aliorum non magni quidem pretij, ſed quæ mihi auro, & argento chariora ſunt.*

Scripſit inſuper in quatuor Euangelia.

Magnum etiam volumen Concionum de Tempore, in quibus multus eſt in citandis, & exponendis Scripturis: illud Damianus à Ligno Dominicanus in lucem paucis abhinc annis edidit.

De ſanctis mulieribus Leodienſibus.

Varias ad diuerſos Epiſtolas è Palęſtina miſſas, ad rerum tranſmari-F narum ſtatum pertinentes, quas in vnum volumen redactas fuiſſe Trithemius, & Henricus Gandauenſis teſtantur.

Hippol. Marrac. in Bibl. Marian.

Edidit etiam, vt refert Tobias Corona in libro de ſacris Templis, Tractatum vnum de domo B. Virginis Lauretanæ, & Sermones de ferijs ſolemnioribus Deiparæ Virginis.

Leon. Surius in vita B. Lutgardis.

Poſt multos exantlatos in Oriente, & Occidente labores vir diuinarum, humanarumque ſcientiarum peritus, vitæ ſanctitate illuſtris tandem Romæ, anno 1244. Pridie kalendas Maij in peruigilio SS. Apoſtolorum Philippi & Iacobi, è vita migrauit, quem B. Lutgardis Aquiriani in Brabantia, Cœnobij Antiſtita, quarto poſt exceſſum die in ſpiritu cognouit, poſt triduanam ignis purgatorij expiationem

in bea-

A in beatam illam Cœlitum patriam eſſe tranſlatum, quod pluribus idem quoque patefactũ eſſe proditur. Eius corpus Roma Oegeniacum eſt delatum, vbi cũ Dei Ancilla Maria de Oegenies in pace requieſcit cum ſequenti Epitaphio, ſeu potiùs Apotheoſi, quam illi inſcripſit laudatus Fräciſcus Moſcus Aumĉtarianæ Eccleſiæ Paſtor.


Doctrina, & pietate cluens hac conditur Vrna
Vitriacus, Myſtes quondam hic, columenque popelli.
Sub modio haud latuit tantum iubar, exerit ille
Egregios animi dotes, linguaque diſerta
Summo Pontifice iſthac munia demandante,
Pugnat in Albigeos, Cruce in illos plurima ſignans
Millia, quis Chriſti cauſam victricibus armis
Ingens ardor erat mentis, ſtudiumque tueri:
Tantum flexanimæ potuit facundia vocis.
Præſul Achonenſis factus dum luſtrat ouile,
Mentibus inſtillat diuini ſemina verbi:
B *Auocat hos vitijs trepidos formidine pœnæ;*
Aſt alios placito accendit virtutis amore:
Communique gregis procul à torpore ſaluti
Inuigilans, commixta ſalubri pabula ſucco
Porrigit, ignitaſque preces è pectore promit
Perdius, & pernox, quin omnibus omnia factus
Munera ſolliciti patris indefeſſus obiuit,
Quò multam Chriſto ſobolem, cœloque dicaret
Quòd ſi fortè lupus prædo inſidiatus ouili
Circumeat; mora nulla, armis cœleſtibus arcet.
Debitus altior hinc gradus eſt, & purpura digna
Apta fuit capiti, toto applaudente Senatu
Cardineo, & celebri Tuſclum cognomine donat.
Quid referam monumenta, exantlatoſque labores?
C *Texuit hiſtoriam, cui nomina fecit ab Ortu:*
Hic rerum, fatique vices, hic bella recenſet,
Et clades, domino plebem quatiente flagellis:
Et quas Mammetes ſcelerati dogmatis auctor
Vrbibus infectis, animas demiſerit Orco.
Sermones habiti ad populum prægrande volumen
Implent, eximia frugis, doctique laboris.
Oegniaca vitam Mariæ dum duplice libro
Scribit, ad æthereum lectorem inuitat Olympum.
Sunt alij ingenij fœtus, quos ſuppriimit ætas
Fata malis, bellorum alij periere tumultu.
Qui ſunt præ manibus doctrina laude perennem
Promeritos vitam nullum detriuerit æuum.
At pius, & ſapiens Antiſtes luce potitur
Aeterna, meliore ſui iam parte beatus.
D *Corpus ab hoc tymbo ſurget, cum buccina voce*
Terribili, vita functos tellure vocabit.

Hic Diuionenſibus ſacra Diui Medardi Epiſcopi Lipſana dono dedit, vt teſtatur Andreas Sauſſay in Martyrologio Gallicano v. Idus Septembris, his verbis. *Diuione in Baſilica S. Stephani Protomartyris cœnobytica, repoſitio Reliquiarum ſancti Medardi Epiſcopi, & Confeſſoris glorioſiſſimi, quæ o Suburbano Sueſſionenſi Monaſterio per Iacobum de Vitriaco Cardinalem Legatum in thenſa, ſeu capſa collocata fuerunt ſuper maius Altare.*

Ciaconius — Subſcripſit Iacobus Gregorij literis miſſis an. noſtrę ſalutis 1229. Venetias pro Eccleſia S. Georgij Maioris, & ad Albertum Priorem ſedis Epiſcopalis beati Mariani. Ex quibus apparet Gregorium IX. Romanum Pontificem in ſecunda Cardinalium Creatione renunciaſſe Iacobum Epiſcopum Cardinalem non anno 1230. ſed anno 1228. vt ſcripſit Ciaconius. Firmauit etiam alias eiuſdem Gregorij literas, illas videlicet datas anno 1231. Eccleſiæ Monopolitanæ; & anno 1237. Abbati ſancti Saluatoris de Septimo, & Baſilicæ Lateranenſi. E

Ferdinãd. Vghel. in Ital. ſac.

VII.



Ciaconius *Aubery in vita.*

NICOLAVS, cui Ciaconius Comitum Signiæ agnomẽ tribuit, Anagninus, ex Subdiacono, & Pontificij Sacelli Sacerdote, atque ex Canonico Baſilicæ Vaticanæ renuncians Presb. Cardinalis titulo S. Marcelli, in Armeniam ſedis Apoſtolicæ Legatus, vt pacem inter Armeniæ Regis fratris filium, & Comitem Tripolitanum de Principatu Antiocheno contendẽtes componeret. De hoc Legato Rex Armeniæ ad Gregorium IX. Romanum Pontificem ſcribens conqueſtus eſt, quòd in Comitis partes, contrarius inclinaret; quare rogat eundẽ Pontificem, vt alios Iudices, non ſuſpectos in ea controuerſia deputaret, & ſpeciatim petit Ioannem Columnam Presbyterum Cardinalem S. Praxedis, vel Regem F

Aubery in vita.

A Hieroſolymitanum. Romam rediit Nicolaus ex Armenia, qua in Vrbe anno noſtræ ſalutis 1239. E vita exceſſit, illius memoria extat in Regiſtro Gregorij IX. & in libro Benefactorum Eccleſiæ Vaticanæ, cui reliquit libras lx. argenti.

TERTIA CREATIO CARDINALIVM.

Anno à partu Virginis ex Ciaconio 1231. Pontificatus V. menſe Septembri, Reate, ex Panuinio verò 1234. Pontificatus VIII. menſe Decembri Romæ Gregorius IX. Romanus Pontifex tertiò creauit Cardinales, inter quos fuere ſequentes.

Romanus ex Diacono ſancti Angeli Innocentij Papæ, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ.

Raynaldus Comes Anagninus ex Diacono ſancti Euſtachij, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus. B

VIII.



FR. IACOBVS de Pecoraria non in Gallia, neque Ticini, ſed Placẽtiæ nobilibus, & opulentis parentibus, qui Vallis Pecorariç in Agro Placentino ditionem poſſidebant, & Placentinum ſæpe Conſulatum geſſerunt, natus, generis ſplendorem, maiorumque ſuorum decora, eximia ſua virtute, & pietate auxit. Adhuc puer ſpretis opulentioris fortunę obſequijs, totum ſe diuino cultui dedidit, & primùm ſancti Domnini Clericus, mox Archidiaconus Rauennas diuino ſe cultui addixit, ac ſecedens in Gallias, Ciſtercij regulam profeſſus anno noſtræ ſalutis 1215. adeo in doctrinæ, ac pietatis ſtudijs profecit, vt Abbas electus Monaſterij SS. Vincentij, & Anaſtaſij ad Tres fontes, ſiue ad aquas Saluias, ſeu Salſas extra Vrbem Honorio Tertio Romano Pontifice acceptiſſimus, ab eoque Pœnitentiarius, & Pontificij Sacelli Sacerdos deſignatus, grauiſſimis negocijs adhibitus ſemper fuerit. A Gregorio IX. ad Cardinalatum, & Epiſcopatum Prænestinum ſubuectus, ab eodem ad Federicum Cæſarem legatus fuit cum Othone Blanco Diacono Cardinali S. Nicolai in Carcere ad pacis negocium pertractandum, Diplomate dato Spoleti iv. Idus Iulij anno v. Pontificatus, Chriſti 1231. In hac legatione à Federico Cæſare fuit detentus, vt ipſe Gregorius queritur in Epiſtola, quam Greterus in lucem edidit. Inde ad Inſubres diſſidentes cõciliandos, ac ſedandum bellum, quo ardebant, cum eodem Othone legatus calamitoſam cladem compreſſit: iterum ab eodem Gregorio in Inſubriam remiſſus, vt inter populos illos, & Federicum Imperatorem pacem ſtabiliret. In his legationibus Eccleſiam ſancti Domnini Martyris conſecrauit, & clauſtrum conſtrui curauit; vt conſtat ex antiquis Inſcriptionibus, quæ adhuc in eadem Eccleſia, & clauſtro extãt Vghellio teſte; ex quibus agnoſcimus Iacobũ hunc de Pecoraria patria Placentinum fuiſſe; ſic enim illæ ſe habent.

Panuinius De Rom. Pont. *Gaſp. Iongel. in Purpur. D. Bernard.* *Ciaconius* *Ioſeph. Mar. Suareſius in Antiq. Præneſt.* *Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciacon.* *Ant. Maria Campos in vit. S. Frãche.* *Ciaconius* *Suareſius loc. cit.*

ANNO. DOMINI. MCCXXVI. KAL. DECEMB. IND. X. TEMPORE. D. GREGORII. PAPAE. ET. FRIDERICI. IMP. CONSECRATA. FVIT. ISTA. ECCLESIA. B. DOMNINI MARTYRIS. A. VENERABILI. PATRE. IACOBO EPISCOPO. PRÆNESTINO. APOSTOLICÆ. SEDIS. LEGATO. E

Et in Clauſtro eiuſdem Eccleſiæ de eo hi verſus leguntur.

Hoc Cardinalis Iacobus pro nomine Chriſti
Fecit opus fieri, qui tempore contulit iſto
Auxiliante Deo, quondam pax alta ligauit
Temporibus longis diſcordia, quam male ſtrauit.

Et paulò infra.

Delectare Do...... multaque Placentia gaude
Tali progenito, qui ſtas pro te ſine fraude
Qui fuit hac primo quondam titulatus in æde
Sed bonitate ſua meliori ſtat modò ſede.

Quartò legationem Hungaricam, & Pannonicam obiuit, vt beati Lucæ Archiepiſcopi Strigonienſis miracula propiùs cognoſceret, F & Ducem Meraniæ cum Stephano Comite Cabilonenſi pacaret. In hac legatione Hungariæ Regem, ac Regnum (Strigonienſis Archiepiſcopus Eccleſiaſticæ libertatis zelo Regnum illud interdicto ſubiecerat) cum ſeſe Rex iureiurando ad reſtituenda priſtino ſplendori omnia deuinxiſſet; Eccleſiæ communioni reſtituit. Adacti etiam ſacramento ad promiſſa ſeruanda à Iacobo Legato Bela Andreæ filius natu maximus ſcepti Hungarici hæres, & Colomanus Rex, & Dux Sclauoniæ, tum omnes Proceres, ac Magiſtratus Hungarici, cuius aſſiurandi formæ certis conceptæ verbis in Vaticano m.s. extãt. Quintò Hetruſca legatione functus eſt in Hetruria, vt inter Florentinos, ac Senenſes conuentam, exploratamque pacem firmaret.

Ferdinãd. Vghellius tomo 1. Ital. ſac. *Odericus Rinald. in tomo 13. Annal.*

Romam reuerſus Vrbis Vicarius conſtituitur, morum eius maieſtate, & virtute ductus Gregorius X. qui tunc in minoribus erat, eius familiaritatem expetijt, & dum vixit, officioſiſſimè coluit. Poſtremis Gregorij Noni annis ſextra legatione ad Gallos, & Hiſpanos ornatus ab eodem Gregorio eſt, vt Albigenſium Hæreticorum furorem retunderet, & Crucem aduerſus illos prædicaret, earumque prouinciarum Abbates, Epiſcopos, & Archiepiſcopos acciret ad Concilium Lateranenſe, quod Gregorius aduerſus Federicum Imperatorem conuocarat. Ne autem Federicus, eiuſque fautores impedimento eſſent, quo minus rem ex animi ſententia gereret, Iacobus ementitus peregrinum, clam Roma diſceſſit, ac Genua pertranſiens Gallias appulit, vbi quantumuis Federicus impediret, & obſiſteret, Albigenſes Hæreticos afflixit, Comitemque Toloſanum Eccleſiæ communioni reſtituit. Siluanectæ conuentum Epiſcoporum prouinciæ Rhemenſis indixit, in quo vigeſimam omnium redditunm Eccleſiaſticorum in auxilium Pontificis cõtra Federicum decertantis obtinuit. Cumque plurimos Epiſcopos, & Abbates è Gallia, ac Britannia collectos, duoſque alios Apoſtolicæ ſedis Legatos, Othonem ſcilicet Diaconum Cardinalem S. Nicolai in Carcere ex Anglia venientem, & alterum Gregorium, nauibus impoſuiſſet Genuenſiũ, vt illos Romam ad generale Concilium deduceret, in Corſico mari à Piſanis, qui Federico fauebant, victus, in Federici poteſtatem deductus cum ſocijs eſt, à qoo biennio, diuerſis in locis Neapolitani Regni teterrimis carceribus macerati ſunt. Conſolatorias ad eum literas miſit Gregorius Romanus Pontifex, eundemque hortatus eſt ad fortitudinem, & conſtantiam. Elapſo biennio Federicus Iacobum vinculis ſolutum, regijſque muneribus donatum ſacri Cardinalium Collegij rogatu dimiſit, orauitque vt ſecum amicitiam iure, & excolere vellet, at ille imperterritus colere ſe velle Federicum tamdiu, quamdiu ille Eccleſiam coluiſſet, reſpondit. Romam redijt, ibique Vicarius ab Innocentio IV. in Gallias profugiente relictus eſt; at, cum proximo die feſto ſanctorum Apoſtolorum Sacris in Baſilica Vaticana habitis elegantiſſimè, & doctiſſimè concionatus eſſet vi. Kal. Iulij anno 1244. lucis vſuram amiſit; cuius corpus in Baſilica Vaticana ſepultum iacuit, donec ex teſtamento in Gallias tranſlatum in Eccleſia Claræuallis prope ſanctum Malachiam ſitum fuit in Presbyterio, vt liber Inſcriptionum ſepulchralium Cœnobij Claræuallis Lingonenſis Diœceſis his verbis fatetur. *Iuxta B. Malachiam, in Presbyterio ſcilicet ad eius ſiniſtram in Claraualle iacet bonæ memoriæ D. Iacobus de Placentia Archidiaconus Rauennæ, poſtea monachus Claraualllis, deinde Trium fontium Abbas, denique Preneſtinus Epiſcopus Cardinalis.* Lugduni poſt Concilium generale ab Innocentio IV. celebratum vitam cum morte commutaſſe anno 1245. eiuſque corpus in Claraualle humatum fuiſſe, ex libro ſepulchralium Inſcriptionum teſtantur nonnulli. Ex eius cadauere pars capitis, & digiti abſciſſa Placentiæ in ſummo Templo hac Inſcriptione condita fuerunt.

Baron. in Annal. to. 13.

HIC REQVIESCIT PARS CAPITIS, ET DIGITI CARDINALIS IACOBI DE PECORARIA EPISCOPI PRAENESTINI.

In ſancti Petri honorem à fundamentis erexit in Preneſtina Diœceſi in oppido Palliari, ac dotauit Monaſterium Virginum, Deo deuotarum ordinis Ciſtercienſis: firmauit eiuſdem Gregorij literas ſcriptas anno 1235. pro Vaticana, & anno 1237. pro Lateranenſi Baſilicis. Huius virtutibus Gregorius X. Vicecomes Placentinus captus adeo viuentem coluit, vt eidem in exantlandis pro Eccleſia Chriſti laboribus ſeſe indiuiduum vbique, & ſemper comitem præbuerit, eiuſdemque meminit in literis encyclicis contra Federicum Imperatorem exaratis.

Iacobo huic Gaſpar Iongelinus non alia niſi ordinis Ciſtercienſis Inſignia in ſua Purpura Diui Bernardi tribuit, nos ex Ciacomo familiæ Pecorariæ propria, ſupra expreſſimus.



Ciaconius

Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

Matth. Vueſtmõ. in Flor. Hiſtor.

Matth. Pariſ. in hiſt. Angliæ.

Fleonan. Martin. in Addit. ad Ciacon.

IX.

MAG. ROBERTVS Vmmarcote, ſeu de Somercote Anglus, Diaconus Cardinalis S. Hadriani à Gregorio IX. renunciatus in multis cauſis Auditor ſacri Palatij eſt, vt in Regiſtris Innocentij Quarti legimus. Hunc virum variarum virtutum, & multiplicis eruditionis titulis inſignitum ſcribunt Angliæ ſcriptores, eundemque tanti nominis inter ceteros Cardinales fuiſſe narrant, vt putaretur futurus Romanus Pontifex. Exceſſit è vita ſub Cœleſtino IV. & ſepultus in Aede S. Chryſogoni, ad cuius tumulum hoc extat Epitaphium.

HIC. REQVIESCIT. IN. DOMINO. ROBERTVS GRATAE. MEMORIAE. S. EVSTACHII DIACONVS. CARD. NATIONE. ANGLVS, QVI. OBIIT. VI. KAL. OCTOBR. ANN. DOM. INCARN. MCCXLI.

Vghellius ſcribit Robertum hunc è vita exceſſiſſe dum ageretur in Conclaui de Pontifice eligendo; at, cum ex eius ſepulchrali Inſcriptione habeamus Roberti mortem vi. Kal. Octobris, cumque certò ſciamus Cœleſtinum renunciatum fuiſſe Romanum Pontificem ix. Kal. eiuſdem menſis ſub Cœleſtino fatendum eſt obijſſe. Panuinius huiuſce meminit non expreſſo nomine, ſed tantùm nominis litera prima hoc modo *R.... Diaconus Cardinalis S. Euſtachij.*

QVARTA CREATIO CARDINALIVM.

Anno noſtræ ſalutis 1237. *Pontificatus XII.* ex Ciaconio, ſeu ex Panuinio 1240. Pontificatus XIV. Romæ Gregorius IX. Summus Pontifex quartò creauit Cardinales, inter quos fuere.

Gaufridus Caſtilioneus Mediolanenſis ex Presbytero S. Marci Epiſcopus Cardinalis Sabinus, poſtea Cœleſtinus IV.



X.

RICHARDVS de Annibalis, ſeu Hannibaldenſis de Molaria, nobilis Romanus, Dominus arcis Molariç in Latio infra mõtes Tuſculanos erectæ renunciatus eſt à Gregorio IX. Diaconus Cardinalis ſancti Angeli. Hunc ex Canonico Baſilicæ Vaticanæ, aliqui ex monacho vero, & Abbate Caſinenſi ſanctæ R. Eccleſiæ Diaconum Cardinalem creatum ſcribunt Arnoldus Vuion, & Ferdinãdus Vghellius, qui inſuper addit, ex Diacono ab Innocentio IV. inter Presbyteros Cardinales cooptatum. Sed toto cœlo errant, nam hic Diaconus Cardinalis S. Angeli Viterbij Inſulis Pontificijs die 22. Februarij ann. 1265. Clementem Quartum ornauit; & Alexãdri IV. Innocentij IV. ſucceſſoris literis datis vij. Kal. Februarij anno 1259. Magiſtro Hoſpitalis S. Spiritus Piſarum ſubſcripſit his verbis: *Richardus Diaconus S. Angeli.* Non igitur ille renunciatus Presbyter Cardinalis ab Innocentio, qui poſt Innocentij obitum ſe nominat Diaconum: ſed alius dicendus hic noſter Richardus Diaconus Cardinalis S. Angeli à Richardo qui ex Abbate Caſinenſi ab Innocentio Quarto ſacro Cardinalium Senatui adſcriptus eſt, vt ſuo loco dicemus. Archidiaconum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ac Baſilicæ Vaticanæ Archipresbyterum Richardum nominauit Innocentius IV. eundemque ordini Eremitarum S. Auguſtini in patronum dedit, quare huiuſce familię Alumni hunc non modò vt pręcipuum, ſed vt primum patronum venerantur. Imo Gabriel Pennottus in hiſtoria Canonicorum Regularium ſcribit Innocentium IV. opera, & prudentia huiuſce Richardi Diaconi Cardinalis S. Angeli, Eremitas multos qui ſine regula, ac habitu in Tuſcia viuebant, in vnum corpus ſub vno capite voluiſſe, illoſque regula, ac titulo Eremitarum ſancti Auguſtini donauiſſe.

Ciaconius

Hier. Brianus to. 1. Iſt. Ital.

Iordan. de Saxon. in vit. fratrũ.

Brian. l. c.

Ferdinãd. Vghel. to. 1. Ital. ſac.

Iord. de Saxon. in vit. fratrũ l. 1. c. 14.

Arctiſſimo neceſſitudinis vinculo coniunctus fuit cũ Diuo Thoma Aquinate ordinis Prædicatorum, totiuſque Eccleſiæ fulgentiſſimo ſidere: ſæpe ſæpiùs Richardum Cardinalem viſitabat Thomas, viciſſim Thomæ cellam frequentabat Richardus; iucundiſſima enim erat illa amicitia, quam morum ſimilitudo coniugarat. Molariam aliquando ſe contulerat S. Thomas, vt cum Richardo Natalis Chriſti ferias ab Vrbis celebritate ſeiunctus in ſancta conſuetudine tranſigeret. Acceſſerant quoque eò duo prædiuites Iudæi in rebus Iudaicis egregiè inſtructi; voluit Richardus, vt cum illis Thomas ſermonem coram ſe conferret, & ad Chriſtianam Religionem eos traducere niteretur. Inſtituta diſputatio dicta die, atque hora, multis vltrò citroque allatis rationibus, tandem ſcripturæ diuinæ teſtimonijs Thomas euicit, iam Chriſtum, & Meſſiam aduenilſe; quem infelices Iudæi adhuc venturum ſomniant. Et illi quidem tunc à Thoma ea conditione dimiſſi ſunt, vt in craſtinum ſecum deliberarent, & ſi quas haberent rationes contrarias, die ſequenti afferrent: interim verò ille feruenti ſpiritu rogabat pro illis Dominum, vt ad ſe illas errantes oues deducere dignaretur. Altero illuceſcente die verus Lucifer in eorum cordibus ortum habuit, reuerſique ad S. Thomam, qui apud Richardum Cardinalem commorabatur, relicta Iudaicæ perfidiæ pertinacia, ſacro abluti baptiſmate, Chriſtum induerunt.

Lean. Surius in vit. S. Thomæ die 7. Martij.

Lugdunum ad Concilium ſe contulit Richardus, qua in Vrbe anno noſtræ ſalutis 1274. è vita exceſſit: eius corpus Romam delatum iacet in Baſilica Lateranenſi in marmoreo ſepulchro, varijs emblematibus ornato, cum hac Inſcriptione.

Aubery in vit. Nomencl. Card. in Epitaph.

MEMO-

MEMORIAE
RICHARDI HANNIBALDENSIS
DE MOLARIA ROMANI.
S. R. E. ARCHIDIACONI CARD.
S. ANGELI QVI A GREGORIO PAPA IX.
CREATVS ROMAE ANNO MCCXL.
OBIIT LVGDVNI
IN CONCILIO GENERALI ANNÒ
MCCLXXIV.

XI.



Ciaconius

GVIDO inter Diaconos Cardinales à Gregorio cooptatus interfuit Electioni Cœleſtini Quarti,& exceſſit è vita paulo ante Innocentij IV. creationem, vt eiuſdem Innocentij Regiſtra teſtantur. Huius obitu vacauit Eccleſia Parochialis de Grincſordo Duleninenſis Diœceſis in Anglia, quæ erat ius patronatus Monaſterij S. Mariæ Eboracenſis, quam deinde Innocētius Romanus Pōtifex Obritoni Sanuitalio Canonico, & nobili Parmenſi ſororis filio, ſuique Sacelli Sacerdoti conceſſit. Hunc Ciaconius nominat Diaconum Cardinalem S. Euſtachij;at cum viueret,vt diximus his temporibus Robertus de Somercote Anglus Diaconus Cardinalis S. Euſtachij, Guido hic Diaconiæ S. Euſtachij præeſſe haud potuit, cum in vſu non fuerit,vt duo ſimul Cardinales eandem Eccleſiam eodem tempore regerent.Nulla huiuſce Guidonis mentio apud Panuinium, & Aubery.

XII.




Petr. Friſō in Gallia Purpur.

Io. de Puys de Præſulibus Petragonicēſibus.

RAYMVNDVS de Pons nobilis Gallus, Bertrandi Domini de Pons filius, Petragorij primò Epiſcopus, deinde S. R. E. Cardinalis à Gregorio IX. incertum tamen quo anno inauguratus fuit. Romæ in curia euidem Gregorij magnis diſtrictus negocijs ſæpe numero detentus fuit. Exceſſit è vita ante annum 1233. eo enim anno in nomenclatura Preſulum Petragoricenſium poſt Raymundum memoratur Petrus de ſancto Aſterio è gente illuſtri Inſulana.

Raymundo Pontiorum ſcutum argenteum zona ſextuplici, obliqua, coccinea, & aurea impreſsū ex Petro Frizonio tribuimus.

XIII.



Ferdin. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

Petr. Friſō in Gallia Purpur.

SIMON de Sully, ſeu Soliaco Gallus, ſeptuaginta Canonicorum ſuffragijs Archiepiſcopus Bituricēſis,& à Gregorio IX. Romano Pontifice S. R. E. Preſbyter Cardinalis titulo S. Cæciliæ anno 1232. eodemque anno Apoſtolicæ ſedis Legatus in Gallijs renunciatus eſt. Affuit hic Archiepiſcopus Ludouico VIII. Galliarum Regi, parenti S. Ludouici Regis animam agenti apud Montempenſerium xij. Nouembris anno 1226. & mandatum ab ipſo accepit de procuranda filij Ludouici adhuc pueri, vt pote vndecim annorum, coronatione, quod ſtatim fuit effectum; nam 20. eiuſdem menſis die Rhemis Rex conſecratus eſt à Iacobo de Baſochijs Sueſſionēſi Epiſcopo, prouinciæ Decano, ſede Metropolitana vacāte. Dedicauit ædē ſacrā S. Petro cognomēto *le Guyart*, ſic nuncupatam à cognomine Zachariæ Iudæi ad fidem conuerſi. Huic Simoni Honorius III. confirmauit ius primatus in prouincia Burdegalenſi, eidemque ſedis Apoſtolicæ Legato ſcripſit. Finem vitæ fecit vi. Idus Auguſti anno eodem, quo inauguratus eſt Presbyter Cardinalis, videlicet anno 1232. cum ſediſſet in ſede ſua Bituricenſi annos quatuordecim, dies tredecim; ſepultus in Choro Eccleſiæ Metropolitanæ, ſub lamina ænea his verſibus adſcriptis.

Claud. Robert. in cat. Eccleſ. Archiepiſc. Bituric.

Exuperans hoſtes Simon, en in Præſule Præſes,
Orator caſtus, patiens, ſine crimine feſtus:
Deuotus Chriſto, tumulo requieſcit in iſto.
Bis ſexcent. nos octo quater egerat annos
Chriſtus Homo, ſexto ſextiles euolat Idus.

Medio Monaſterio viginti libras Turonenſes pro ſuo Anniuerſario ex teſtamento legauit.

Ex kalendario Medij Monaſt.

XIV.



Hipp. Marrac. in Purp. & in vita.

Alph. Remon. in hiſt. B. Mariæ de Mercede.

Marc. Salmeron in mem. hiſt. eiuſdem Ordinis.

RAYMVNDVS Nonnatus (ideo Nōnatus dictus, quòd cęſo defunctę matris vtero prodijt) natione Hiſpanus, patria Portelenſis, Diœceſis Vrgellenſis in Catalonia, menſe Decembri anno noſtræ ſalutis 1200. ex nobilibus parentibus natalem habuit ſuum. Illos enim ex antiquis familijs Fox, & Sarroi genitos, atque Cardonæ Comitibus ſanguine iunctos fuiſſe ſcimus, hodieque Cardonæ Duces in ſummum ſibi honorem aſſumūt cognatione tantum virum attingere. In baptiſmo dictus Raymūdus, Raymundi Comitis Cardonæ ergo, qui huiuſce pueri patronum ex hoc tempore ſe nominauit prima literarum rudimenta in patria didicit, à quibus quàm citiſſimè expeditus, humaniorum literarum primùm, Philoſophiæ deinde, ac Theologiæ ſtudia feliciſsimè cucurrit. Maior factus, vt à ſtudijs literarum, quibus propenſiſsimus erat, vtque à propenſione ad Eccleſiaſticam vitam arceretur, in villam relegatus oniculas aliquot ex proprijs gregibus paſcere adactus cum eſſet, diuina prouidentia factum eſt, vt in agro, in quo Raymundus ſuum puſillum paſcebat gregem, parua Eccleſia, ſeu Eremitorium S. Nicolao Myrenſi Epiſcopo dicatum foret, in eoque perpulcra Deiparæ Virginis Mariæ Imago, quam ipſe genuflexus intimo cordis affectu, ſummoque deuotionis ſtudio ſæpe ſæpiùs venerabatur. Ante hanc Imaginem dum Raymundus cor ſuum aliquando effunderet, poſt ſuauiſsimum cum eo colloquium, hæc à Virgine audire meruit: *Ne timeas Raymunde, ex nunc enim te in meum recipio filium; quo circa ore pleno me poteris appellare matrem, de meique in poſterum patrocinio, & protectione confiſus ſecurus eſſe.* Ex inde licet auguſtiſſimę Cœlorum Reginæ ſeruus eſſet humillimus, ac eius ſeſe mancipium infimum candidè confiteretur, quotieſcunque tamen Imaginem Deiparæ Virginis conſpiciebat, ſe ipſum haud continere poterat, quin illam, elata voce matrem ſuam amantiſſimè appellitaret; aſſerens diſertis verbis, nec aliam ſibi matrem aliquando fuiſſe, nec fore, vt eſſet cordis ſui Domina, & Tutelaris, niſi ea, cui in filium ipſa miſericorditer annuente, ſe totum deuouerat, & à qua anima, & greſſus ſui in Dei mandatis iugiter dirigebantur. Singulis diebus ante hanc Sacratiſsimam Dei Matris Imaginem precatoriam calculorum ſeriem, quam Roſarium vocamus, religioſiſsimè percurrebat. Quoties Raymundus ad ſacram ædem ſe conferebat, toties Angelus eius tutelaris, Paſtoris munere eius vice fungebatur, quem in ſpeciem pulcherrimi iuuenis, Raymundi genitor proprijs oculis aſpexit, ſuper oues inuigilare.

Marrac. in Purpur. Mariana.

Malus dæmon noſtri boni ſemper inuidus Raymundum ab hoc Virginis cultu remouere ſtuduit; quare falſam Paſtoris formam, ſpeciemque gerens, aliquando Raymundo apparuit, eique ſuadere conatus eſt, vitam illam ruſticam iuuenem nobilem dedecere, & celebres potiùs, quàm illum ſolitarium locum ætati, eiuſque æqualibus aptos eſſe. Huic ergo Pſeudopaſtori Raymundum non aliud reſpondiſſe ſcimus, niſi ſe non aliam poſſe apprehendere doctrinam, niſi eam, quam Imago Sanctiſsimæ Virginis Mariæ illic in æde D. Nicolai ſita illum docebat: vix talia protulit, cum ſacroſanctum Mariæ nomen dedignatus Dæmon fragore præcipiti fumum euaporās ſtygium, ſeſe dedit in Tartara. Qua propter cognita hoſtis fraude Raymundus nihil cunctatus, ad conſuetum ſibi aſylum, ad Diuæ ſcilicet ſuæ Imaginem ſe contulit, dulcique affectu laudes, grateſque Virgini liberatrici dixit. Cumque iterum ſui omnia intra corde liberaliſſimo Deiparæ Virgini reſignaſſet, viſa ſibi illa eſt, hilari vultu, ſeruitutem ſui, ac mancipatum acceptare. Diſſoluebatur Raymundus in lacrymas cœleſti dulcedine redundantes, ac miris conſolationibus, & ſpiritualibus delicijs à conſolationum, ac ſpiritualium deliciarum matre cordis eius intima replebantur. Aucta tamen Raymundi pietas in Virginem eſt, cumque ab illa intellexiſſet ſe rem gratiſſimam eidem Deiparæ facturum, ſi in ipſius honorem virginitatem ſuam Deo ſacraſſet, continuò in ipſius Deiparæ pręſentia virginitatis votum emiſit, & quod Deo vouerat, ſe vſque ad mortem perfectiſſimè impleturum, à Domina ſua certitudinem accepit. S. Nicolaum Myrenſem Epiſcopum, cuius ædiculæ incola erat ferè aſſiduus, ſæpe ſæpiùs ſummo affectu deprecabatur, vt ſuus interceſſor eſſe digna-

Franc. Zumel. in vit. Patr.

retur

retur apud Reginam, & Dominam illam, à qua tantis gratijs, ac fauoribus indeſinenter cumulabatur.

Petr. Menn. in vit.

Famihari B. Virginis colloquio iuſſus, paſcuis ac ſaltibus relictis Barcinonem proficiſci, ſuoque ordini de Mercede Redemptionis captiuorum recenter ex reuelatione eiuſdem Virginis inſtituto nomen dare, lætè ſe obſecuturus reſpondit, niſi de patris ſui diſplicentia formidaret, verùm patris licentia per virum Principem, Cardonæ ſcilicet Comitem, qui eadem loca venationis cauſa frequentabat, beatæ Virginis admonitu obtenta, Barcinonem, vt iuſſus fuerat, concedens, poſt nauatam illic varijs pietatis ſtudijs operam, per manus S. Petri Nolaſci fundatoris, Barcinone in palatio Regio candidum eiuſdem B. Virginis habitum ſumma cum animi ſui iucunditate ſuſcepit. In ſacrum Marianorum clientum numerum conſcriptus, relatu incredibile eſt, quàm grato animo beneficium à beata Virgine acceptum proſequeretur. Sæpe cor auguſtiſſimæ Cœlorum Reginæ lætanter offerebat, atque in tantæ Dominæ cultu, & obſequijs alacriori, ac feruentiori ſtudio ſe ipſum exercere nitebatur. In eadem Vrbe Barcinonenſi Religionis tyrocinium poſuit ſub diſciplina beati Serapij Scoti eiuſdem ordinis Alumni, qui pro Chriſtiana Religione ſanguinem deinde fudit, quique longè proſpexit, & apertè prædixit ærumnas, quas Raymundus ſubire in Africa pro Chriſti nomine multis poſt annis debebat. Elapſo tyrocinij tempore non modò tribus, paupertatis ſcilicet, caſtitatis, & obedientiæ votis ſe obſtrinxit, ſed etiam quartum emiſit proprium Alumnorum ſacri ordinis B. Mariæ de Mercede, videlicet ad Redemptionem Chriſtifidelium captiuorum, quando neceſſitas vrgeret, vltro Sarracenorũ ſeruum ſe reddere, & eorum manibus, ſi opus fuerit, ſe committere. Sacris deinde ordinibus initiatus, certis diebus conciones habebat ad populum Barcinonenſem non ſine fructu; quam plures enim ab impudentia, peccandique conſuetudine ad melioris vitæ rationes traduxit, atque ad frugem correxit; quæque è ſuggeſtu auditoribus, verus hic Euangelij præco in dies proponebat, omnium primus perficiebat. Raymundo nemo diligentior in corrigendis aliorum vitijs, nemo illo aptior viſus eſt; at omnibus præire exemplo, à ſanctitate, corpus ſuum verberum acerbitate ſæpiſſimè caſtigare, breues ſomnos abiecto humi ſtramine capere, pane duntaxat extremam famem ſuſtentare, noctes in diuinas precationes tranſigere, quia communia alijs ſanctitate claris viris, vt breuitati, conſulam, prætermitto.

F. Petr. Amerius in vit. S. Pet. Nolaſc.

Alphonſ. Remon. in Chronic. Ordin.

Remon. de Vargas in Chronic. Ordin.

Bis in Africam ſe contulit iuſſu S. Petri Nolaſci ad redimendos captiuos Chriſtianos; Romæ primus ordinis ſui Procuratorij generalis munere functus eſt, quod munus exercebat anno noſtræ ſalutis 1230. quo Gregorius IX. Romanus Pontifex xvi. Kalen. Februarij ordinem B. Mariæ de Mercede, ſeu de Miſericordia Redemptionis captiuorum à S. Petro Nolaſco ex reuelatione B. Virginis Mariæ inſtitutum confirmauit, inſtante, nomine Sereniſſimi Iacobi Regis Aragoniæ cognomento Debellatoris, Raymundo de Pegnaforte, tunc temporis ordinis Prædicatorum alumno, nouæque Religionis nomine Bernardo Corbera, & Raymundo Nonnato Sacerdotibus, & Arnaldo Aymericio Equite laico.

Alphon. de Rosas de Vir. illuſtribus. Ord. B. Mariæ de Mercede. Marrac. in vita.

Prælatorum ſuorum mandato relicta Romana curia in Hiſpaniã rediit Raymundus, & inde tertio in Africam nauigauit, ad redimendos ex ſui ordinis inſtituto captiuos. Cum autem illorum multos ibi reperiſſet, ad quos omnes liberandos cum rei nummariæ difficultas maximè obſtaret, ſponte captiuum ſe reddidit, vt illos miſeros liberaret. In hac captiuitate verberibus ſæpe cæſus, & eius labia repagulo ferreo occluſa ſunt, ne verbum Dei effunderet: expeditius tamen loqui non ſine Barbarorum admiratione auditus eſt. Nec ſine fructu verbum Dei ſparſit; nam decem Hebræorum primi, ac duo nobiles Sarraceni Euangelica luce illuſtrati, è cæcis perfidiæ tenebris ad ſplendorem veritatis educti, ſuauiſſimo fidei iugo dura colla ſubmittere non dubitarunt. Quare iratus Sarracenorum Princeps Raymundum verberibus cæſum, catenisque vinctum ad perobſcurum carcerem damnauit, quem octo menſium ſpatio, ore ferè ſemper illo repagulo ferreo occluſo, æquo animo ſuſtinuit, ſolo pane, & aqua vitam toto hoc tempore in illis miſerijs traducendo. Sæpiſſimè animo à ſenſibus euocato, tres integros dies ſine cibo tranſegit, res mira dictu, aliquando coram ipſis Barbaris catenæ, quibus vinctus Raymundus iacebat in carcere, & ferreum ipſum repagulum ſponte, non ſine miraculo corruerunt. Quare Barbarorum aliqui relicto Mahumeto ad Chriſti ſigna tranſierunt.

Ludou. de Appar. in Cẽt. 1. illuſt. MM. huius Ordin.

Interea ſacri ordinis B. Mariæ de Mercede Alumni nonnullos in Africam deſtinauerant cum pecunijs ad redemptionem Raymundi, & Gregorius IX. Romanus Pontifex, qui optimè norat tanti viri virtutes, vt lumen iſtud ſuper Candelabrum in Eccleſia omnibus luceret, menſe Decembri anno à Chriſto nato 1237. Raymundum Diaconum Cardinalem ſancti Euſtachij renunciauit.

Ciaconius.

Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

Ex Africa reducem Raymundum Diaconum Cardinalem Barcinonenſes ſolemni pompa, ac extraordinario apparatu exceperunt, ille tamen habitis gratijs, relicta domo, quam Comes Cardonæ illi ornauerat, recto tramite tendit ad ſui ordinis Cœnobium, in quo tanquam Religioſorum minimus ſemper ex Prælati more vitam traduxit ſuam. Cum die quadam imbribus madido, & hiemis tempore in Barcinonenſis Vrbis via, pauperem ætate, & canitie venerandum, ſine capitis tegumento frigori, ac pluuiæ expoſitum deprehendiſſet, compaſſione motus, ſtatim pileum ſibi detractum, cano ſenis capiti libenti animo, ac ſumma voluntate impoſuit; quod quàm gratum Deiparæ Virgini acciderit, ex hoc facilè agnoſcere quiſque poterit, nam Raymundus domum rediens, atque orationi iuxta morem enixè incumbens, in extaſim raptus, vidit ſe ad pulcherrimum deduci viridarium, in eoque conſpexit ſpecioſiſſimam Reginam, cum frequenti Virginum comitatu, quæ varios colligens flores, atque ex ijs pulcherrimam contexens coronam, talia proferebat, *dignus hac corona ille eſt, qui ſeni pauperi pileum dedit ſuum.* hæc audiens Raymundus, non florum coronam ſed Ieſum Chriſtum, in ſuarum actionum præmium ſe velle reſpondit. His dictis, ante ſe illicò ſtantem Chriſtum Dominum pileo illo, quo pauperis caput paulo ante ille texerat, ornatum vidit, ſpineam in capite, ac florum coronam præ manibus geſtantem, ambaſque ſibi deferentem. Spinarum coronam, quæ dolorum tolerantia contexta eſt, ſibi concedi cum inſtanter poſtulaſſet, & obtinuiſſet Raymundus, capitis dolore, qui ab eo tempore ad obitum, vſque perdurauit, continuò voti compos effectus eſt. Neque hoc tantum prodigioſi accidit Raymundo Cardinali in Vrbe Barcinonenſi commoranti. Vir quidam nobilis, ſine vllo doli ſenſu plagas plures inflixerat innocenti vxori, quam nonnulli ex domeſticis probri iniuſtè accuſarant; animum deinde ille aduertens errori commiſſo, ad Raymundum confugit. Qui innocentem vxorem nouo miraculo defendens, ad propria illum ſtatim remiſit dicens; ſicut crimine accuſatio, ita vulnera inflicta ſanguine vacant; ſcias vxorem fidem tibi ſemper ſeruaſſe, qui illius nomen apud te detulerunt, quàm primùm pœnas dabunt praui. Domum ille repetens, coniugem ſalubri eſſe corpore inuenit, illos verò, qui eam reãm fecerant, viri conſcios, & participes multorum facinorum breui ſuſpendio extinctos vidit.

Hipp. Marracc. in vit.

Marrac. in vita.

Arnoldus Viſion. in Lig. Vit.

Petr. Mennonis vit.

Alphon. de Rosas de Vir. illuſt. Ord. B. Mar. de Mercede.

Fr. Gul. ſen. in SS. Ordin. B. Mariæ de Mercede.

Dum Hiſpaniæ citerioris prouincia, peſtilentia hominibus æquè, ac pecudibus exitiali affligeretur, miſericordiarum pater de more rationibus proſpiciens, ad leuandum dolorem, eodem punitionis tempore ipſiſmet afflictis medicamentum anodynum ſubminiſtrauit; nam Raymundus omnes ad ſe deductas pecudes, ſolo ſigno Crucis ſanitati priſtinæ reddebat. Quare illius prouinciæ incolæ in tanti beneficij memoriam ſingulis annis die, qua S. Raymundi feſtum celebrant, ad Eccleſiam, in qua tanti viri corpus iacet, pecudes multas deducunt.

Alphon. Remõ. in hiſt. Ord. B. Mar. de Mercede.

Marc. Salmeron hiſt. Ord. B. Mar. de Merced.

Gregorius Romanus Pontifex, qui inter Cardinales Raymũdum cooptauerat, eundem, vt apud ſe illum retineret, Romam vocauerat, at dum ſe ad iter pararet, in morbum incidit, in quo angelicis primum manibus ſacra ſynaxi refectus, circa annũ noſtræ ſalutis 1240. inter ſui ordinis Alumnos è ſtadio huius mortalitatis vix quadragenarius ad ſuperos euolauit. Cuius corpus cum ſuum eſſe vellet Cardonæ Comites, in quorum domo obierat, ſuum verò Barcinonenſe Cœnobium ordinis S. Mariæ de Mercede, in quo religioſam veſtem induerat, litem exortam Deus diremit, dum illud ad ædiculam S. Nicolai, in qua Raymundus adhuc puer pietatis lac ſuxerat, per mulam oculis captam aperto miraculo deportari permiſit; voluit enim ille, ac ſuauiſſima eius mater, ac benigniſſima mundi Regina ſeruum ſuum Raymundum præcipuo Religionis cultu eo in loco honorari, in quo ille à pueritia teneriimo ſemper, ſummoque filiali affectu ſe ipſam ſtuduerat honorare. Ab eo namque tempore prædicta ædicula S. Nicolai in celeberrimum conuerſa eſt Templum, ipſius S. Raymundi Nonnati nomini conſecratum, quod ad hodiernam vſque diem, præſertim verò vltima Dominica menſis Auguſti, qua eiuſdem S. Raymundi feſtum quotannis ſolemniſſimè colitur, permagno, & incredibili populorum concurſu, ob crebra, quæ ibi exhibentur miraculorum beneficia frequentatur. Dum mula luminibus orba ſacrum Raymundi corpus ad S. Nicolai ædiculam aſportabat, res admirabiles patrauit Deus. Ante domum paternam ſancti Raymundi, genuflexa mula, locum illum natali, talis viri ſpectabilem in tranſitu venerata eſt. Funerantium more exequias, cum cereis funalibus accenſis ingens fidelium turba comitata eſt ad duodecimum milliarium. Res mirabilis in toto illo itinere, illorum nec vnum quidem, licet truces efflarent venti, larguſque imber è cœlo efflueret extinctum quiſquam vidit. Demum totum æs campanum Vrbium omnium, oppidorum, aliorumque locorum per quos mula ſacro illo cadauere onuſta iter habuit, ſonum, ſe ipſo, ſupra naturæ vim atque ordinem, fudit. Gregorius IX. audita Raymundi morte, in hæc prorupit verba. *Sacer ordo B. Mariæ de Mercede patrem, ac patronum, Cataloniæ prouincia filium, Eccleſia Catholica virum ſanctum vna hora amiſit.* Elapſis nonnullis à tanti viri obitu annis, anno ſcilicet à Chriſto nato 1255. S. Petro Nolaſco apparens Raymundus, peruigilium feriarum Natalis Chriſti proximi anni, tanquam vltimum, ac poſtremum eius vitæ diem præcinuit, res itam euenit, vti Raymundus prædixerat: nam anno 1256. nocte illa, cui dies feſtus Natalis Chriſti illuxit, ſanctiſſimus Patriarcha mirandis operibus editis ſupra hominum conditionem in vita nobilitatus, ad ſuperos euolauit.

Lucas Caſtel. in Catalogo SS. Canonizat.

Sanctorum Catalogo ob egregiam vitæ ſanctitatem, & miraculorum copiam ab Apoſtolica ſede Raymundum adſcriptum ſcimus anno reparatæ ſalutis 1414. Vrbanus VIII. anno 1626. ordinis beatæ M. de Mercede Religioſis, & ALEXANDER VII. anno 1655. precibus Virginij Vrſini Diaconi Cardinalis S. Euſtachij Canonicis

Arnoldus Viſion. in Ligno Vitæ.

Caſtell. in Catalogo ſanctorũ.

Marrac. in vita.

alijſque

A alijſque eiuſdem Eccleſiæ miniſtris die Raymundo ſacra Pſalmos diuinos recitandi, atque in eiuſdem honorem Hoſtias Deo immolandi facultatem conceſſit, iuſſitque Raymundi, vti etiam S. Petri Nolaſci nomina in Martyrologio Romano deſcribi, & ampliſſimam delictorum Indulgentiam propoſuit ijs, qui die xiv. Nouembris eiuſdem anni 1655. Eccleſiam ſancti Euſtachij de Vrbe viſitaſſent, qua die ſolemniſſimè in eadem Eccleſia eiuſdem ſancti Raymundi Diaconi Cardinalis effigies magna Populi Romani frequentia, ac lætitia collocata eſt.

Innumera ſunt beneficia, quæ Deus mortalibus ſancti Raymundi precibus indulſit, quæ omnia hic recenſere haud poſſumus, in Archiuo Cœnobij Barcinonenſis ordinis ſanctæ Mariæ de Mercede tabulæ extant authenticæ, in quibus multa ſupra naturæ vim, atque ordinem per S. Raymundi deprecationem, nonnullorum annorum ſpatio mortalibus facta, enarrantur. Placet hic, illis omiſſis, B reſcribere literas, quas iij. Octobris anni 1655. Maſſilia Galliarum Vrbe, Hiacynthus Carral ordinis beatę Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum Romam miſit Reuerendiſſimo Patri Magiſtro Michaëli de Alcantara eiuſdem ordinis Vicario generali in Italia, & in Romana curia primo Procuratori, & ſunt tales.

Periucundum mihi in primis fuit à veſtra Reuerentia 40. horarum in feſto S. Raymundi Nonnati petitum, & obtentum Breue, cum hoc pacto, Toloſatum in eius deuotionem propagandam in dies arbitror, qui ſuperioribus annis 165[illegible] 1654. eius ope, & pia interceſſione à Deo optimo ſumma peſte, & febribus laborantes innumera propemodum accepere beneficia. Et ſanè certam veſtram Reuerentiam velim, ſi mihi fidem adhibere dignetur, ſupra viginti mille vtriuſque ſexus homines à febribus liberatos fuiſſe, ne referam hydropicos, & à medicis deſperatos, & iam iam morti proximos in- C *uocato S. Raymundi Nonnati ſolo nomine, vel aquam in eius honorem benedictam deguſtantes vires priſtinas recuperaſſe. Quę curationum miracula omnibus Toloſanis tanta erant admirationi, vt quotidie ſummus populi concurſus ſacram eius Aram frequentaret, vixque vllus Toloſæ, & in alijs vicinis oppidis eſſet infirmus, qui eius operam, & auxilium ſumma cum veneratione, & fiducia non imploraret, ac remedium & ſolatium in infirmitate non reciperet. Certum, & fidele huiuſce veritatis poſſum reddere teſtimonium, quippe qui tunc temporis in eodem Conuentu Toloſano degerem, ac in eo confeſſiones fidelium audirem, qui quotidie noſtram Eccleſiam, gratias Deo omnipotenti, & ſancto Raymundo Nonnato pro obtenta ſalute ſoluturi adibant, & ad illum ſanitatem ſuam referebant. Miſſa etiam facio, quæ quotidie grauidis, & in partu laborantibus mulieribus confert beneficia. Credo equidem hec miracula veſtræ* D *Reuerentiæ, quinimo & toti Religioni non minori, quam nobis admirationi futura &c.*

De ſancto Raymundo ſcripſere multi, ſcilicet Volaterranus lib. 21. Anthrop. Arnoldus Vvion lib. 1. cap. 87. Ligo. Vit. Petrus Bugianus Diar. 1. Hiſt. Monaſt. Bernardus de Vargas tom. 1. lib. 1. cap. 32. Hiſtor. ordinis beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis captiuorum. Auctor Nomenclatoris Cardinalium. Hippolytus Marraccius in vita, & in Purpura Mariana, alijque quamplures, quos ipſe Marraccius recenſet in vita.

XV.

FRANCISCVS Caſſardus Delphinas, è Fayeto, Diœceſis Gratianopolitanæ, in Iure Pontificio, ac Cæſareo clarus, ex Archipreſule Turonenſi, à Gregorio IX. Romano Pontifice inter Preſbyteros Cardinales, titulo S. Martini cooptatus eſt, teſte Petro Fri- E zonio in appendice ad Galliam Purpuratam, anno Dominicæ Incarnationis 1237. quo anno, ſexta die menſis Auguſti è vita exceſſit Lugduni, & ſepultus apud patres Dominicanos, quibus non paucos annuos redditus legauit; vt patet ex ſequenti Epitaphio, appoſito, eiuſdem Eccleſiæ Sacrario.

D. O. M.

Hic iacet Reuerendus in Chriſto Pater, & Dominus Franciſcus Caſſardi, vtriuſque iuris Doctor, diuina miſeratione Archiepiſcopus Turonenſis, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardi- A *nalis, ſub titulo beati Martini, ortundus de Fayeto, Diœceſis Gratianopolis, qui multa bona dimiſit in præſenti Religione, pro quibus fundauit vnam Miſſam quotidianam, dicendam per dictos fratres, & duo Anniuerſaria, vnum in feſto vndecim millium Virginum; & aliud in feſto S. Franciſci; qui obijt anno Domini milleſimo ducenteſimo trigeſimo ſeptimo, viij. Idus Auguſti.*

B De hoc Cardinali nulla mentio apud Ciaconium, Panuinium, Aubery, & alios.

Gregorius IX. Romanus Pontifex quatuor Ordinationibus menſibus Septembri, & Decembri factis, quindecim creauit Cardinales, quos ſupra recenſuimus.

VICECANCELLARII S. R. E.
ſub Gregorio IX. Romano Pontifice.

Magiſter Sinibaldus Fliſcus Lauaniæ Comes Genuenſis ab initio Pontificatus vſque ad proximum Septembrem, quo creatus eſt Cardinalis.

Magiſter Montinus, ſeu Martinus, vel Marinus Archidiaconus Senenſis ab anno primo vſque ad quintum.

C Magiſter Bartholomæus ab anno quinto vſque ad octauum.

Magiſter Guilelmus Notarius ab anno octauo vſque ad vndecimum.

Frater Raynerius ordinis Prædicatorum ab anno vndecimo, vſque ad finem Pontificatus; hic poſtea renunciatus Epiſcopus Magalonenſis fuit.

CARDINALES MORTVI
ſub Gregorio IX.

Conradus Eginonis Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis exceſſit è vita pridie Kalendas Octobris anni 1227.

Nicolaus Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus eodem anno 1227.

Stephanus de Ceccano Presbyter Cardinalis ſanctorum duode-D cim Apoſtolorum eodem anno 1227.

Guido è Perleonum familia Cardinalis Præneſtinus anno 1228. alij tamen affirmant hunc obijſſe anno 1231.

Octauianus ex Comitibus Signiæ Diaconus Cardinalis ſanctorum Sergij, & Bacchi poſt annum 1229.

Leo Brancaleo Presbyter Cardinalis ſanctæ Crucis in Hieruſalem anno 1230.

F. M. Ioannes de Abbatis Villa Epiſcopus Biſuntinus, & Sabinus iv. kal. Octobris anno 1237. vel præcedenti.

Romanus Bonauentura Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & S. Rufinæ poſt annum 1237.

Franciſcus Caſſardus Presbyter Cardinalis ſancti Martini viij. Idus Auguſti 1237.

Nicolaus Comes Anagninus Presbyter Cardinalis ſancti Marcelli anno 1229.

E Pelagius Caluani Epiſcopus Cardinalis Albanenſis v. Idus Maij anno 1240.

Sanctus Raymundus Nonnatus ordinis beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis captiuorum Diaconus Cardinalis ſancti Euſtachij anno 1240.

CARDINALES S. R. E.
Qui ſub eodem Gregorio IX. diem ſupremum obierunt, incertum tamen quo anno.


D. Iacobus Gualla de Biccherijs Presbyter Cardinalis ſanctorum Syluestri, & Martini.

Bartholomæus Gallus Presbyter Cardinalis ſanctæ Pudentianæ.

COELESTINVS IV. PONT. CLXXXI.

ANNO DOMINI MCCXLI.





IN NOMINE DEI, ET SALVATORIS Noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen.

A COELEſtini Electio.

SANCTISSIMVS Dominus Noſter Cœleſtinus IV. prouincia Inſuber, patria Mediolanenſis, familia nobili, & vetuſta Caſtilionea, Gaufridus Caſtilioneus antea vocatus, vita integer, doctrina inſignis, diù Canonicus, & Cancellarius Eccleſiæ Mediolanenſis fuit, plurimaq; ſcientia ornatus, & in negocijs ſecularibus verſatus, quem Gregor.IX. primùm Preſbyterū Cardinalē tit.S.Marci, deinde B Epiſcopum Cardinalem Sabinum ob virtutes eximias, & puritatem vitæ, creauit, Cœleſtinúſque IV. vocatus; quattuor enim Pontifices, qui ordine ſequuntur, quaternario numero in nominibus delectati ſunt. Cœleſtinus, Innocentius, Alexander, Vrbanus, Cœleſtinus 17. dierum Pontifex (neque enim diutiùs ſenio confectum, temporum ratio, ægritudines, & infirma corporis valetudo, ſinebant illum amplius ſuperuiuere) doctrina fuit inſignis, vt Bernardi Dominicani, & aliorum teſtimonio conſtat. Romæ in locum Gregor.IX. vita defuncti ix. Kalen. Octobris 1241. Roman. Pontif. renunciatus. Ante coronationem 17. die ab electione Romæ deceſſit, itaq; breuem eius Pontificatum, immortalis eſt gloria conſequuta, 17. ſui C Pontificatus die, Baſilica S. Petri ſepelitur, viij. Idus Octob. magno ſui deſiderio, relicto, quod homines ſperabant, ſe eius Pontificatu felices futuros. Vacauit tùm Romana ſedes annum vnum, menſes 8. dies 15. Cenſuere enim, qui tùm in Eccleſia Dei valebant auctoritate, neminem in Pontificem eligendum eſſe, donec Cardinales à Friderico in carcere detinerentur; interim verò ſede vacante, Fridericus agrum Picenum percurrens in Flaminiam vſque, Fauentiam, & Bononiam vi occupat, ſcholamque Bononienſem, cui admodum infenſus erat, tùm primùm Patauium transfert: omnes præterea, quos fautores Eccleſiæ intellexerat, varijs calamitatibus afficit.

BALDVINUS apud Fridericum pro Cardinalibus carceratis intercedit.

D Balduinus autem Conſtantinopolitanus Imperator in Italiam veniens, tantum precibus, & auctoritate valuit apud Fridericum, qui tunc Parmæ erat, vt Cardinales captiuos, alioſque Eccleſiaſticos incolumes dimitteret, qui non multo poſt Anagniæ Conuentu habito de creando nouo Pontifice rationem habuere.

COELEſtini Obitus.

Cœleſtinus IV. inito Pontificatu, Fridericum II. tunc Fauentiam ciuitatem obſidione oppugnantem multis pollicitationibus demulcere, & à maligno eius conatu, reuocare conatur: ſed priuſquam reſponderit Fridericus, vita functus eſt Cœleſtinus IV. 17. Pontificatus ſui die: cui non prius Succeſſor aliquis eſt datus, quàm annus 1. & 8. menſes, & dies 15. præterierint.

CARDINALES XIV. VIVI quando Cœleſtinus Papa IV. creatus eſt.

CARDINALES EPISCOPI V.

INNOCENTII PAPAE III.

1. Romanus Epiſcopus Card. Portuenſis, & S. Rufinæ.

GREGORII PAPAE IX.

2. Raynaldus, Comes Anagninus, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus.
3. Don Iacobus de Vitriaco Gallus, Canonicus Regularis Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus.
4. Fr. Iacobus Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus.
5. Gaufridus de Caſtilione Mediolanenſis, Epiſcopus Cardinalis Sabinus,

PRESBYTERI CARDINALES IV.

INNOCENTII PAPAE III.

6. Thomas de Capua, Campanus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Sabinæ, Prior Presbyterorum.

HONORII PAPAE III.

7. Ioannes de Columna Presbyter Cardinalis titulo S Praxedis.

GREGORII PAPAE IX.

8. Synibaldus de Fliſco Genuenſis, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Laurentij in Lucina.
9. Stephanus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Mariæ Tranſtyberim, titulo Calliſti.

DIACONI CARDINALES V.

INNOCENTII PAPAE III.

10. Raynerius Capoccius Diaconus Card. S. Mariæ in Coſmedin, Prior Diaconorum.

HONORII PAPAE III.

11. Aegidius Hiſpanus Diaconus Cardinalis ſanctorum Coſmæ, & Damiani.
12. Petrus Diac. Card. S. Georgij in Velabro.

GREGORII PAPAE IX.

13. Otho Blancus de Alerano ex Marchionibus Montisferrati, Diac. Card. S. Nicolai in Carcere Tulliano.
14. Richardus Hannibaldenſis Romanus, Diaconus Cardinalis ſancti Angeli.

SIGNVM

SIGNVM

COELESTINI PAPAE IV.



ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

¶ *Vita integer.*] Platina Cœleſtinum IV. vita, & doctrina inſignem, Genebrardus ſenem optimum, Vvaddingus, ad an. 1241. doctrina, experientia, & integritate commendatum, bonorumque omnium, & Seraphici ordinis in primis ſtudioſiſſimum appellarunt.

Romæ ab 11. Cardinalibus, x. Kalen. Octob. anno 1241. creatum, & ante coronationem migraſſe è vita, ſcripſit Panuin. in Chron.

* *17. die.*] 18. ait Platina, magno ſui deſiderio relicto.

* *Agrum Picenum.*] Hæc ex Platina in Cœleſtino IV.

* *Scholamque Bononienſem ...... Patauium transfert.*] Hæc quoque ex Platina: Io. Baptiſta Egnatius in Friderico Secundo *Hic Bononienſe Gymnaſium, quia ciues non ſtatim imperata feciſſent, Patauium tranſtulit.* Annales Patauini, quorum fragmenta apud ſe, Antonius Riccobonus, in eodem Patauino Gymnaſio publicus Rhetorices olim profeſſor extare, dicebat, & verba exſcripſit, non differunt. *Friderico in ciuitates Eccleſiæ ſæuiente, præcipueque in Bononiam, quam penè euertit, & Studium generale, illa ferè penitus euerſa, Patauium tranſtulit.* Hæc ille. Quidam à Carolo Magno Patauini Gymnaſij initia agnoſcunt: at Riccobonus auctoritatem huic rei probandæ idoneam non inuenit: exiſtimat, à Friderico initium manaſſe; affertque literas, ſiuè Diplomata; quibus Vrbanus IV. Clemens Sextus, & Eugenius IV. Gymnaſium idem Patauinú confirmarunt. Vrbanus, datis literis ad Epiſcopum Patauinum apud Vrbem Veterem v. Idus Ianuarij, Pontificatus anno 3. Clemens VI. Diplomate Datum apud Villam Nouam Auenionen. Diœceſ. xvij Kalen. Iunij, Pontificatus 5. *Attendentes,* &c. Eugenius IV. *Dum intra arcana,* &c. Dat. Florentiæ an. 1449. Kalen. Decemb. ann. Pontif. 9. Ex priuilegio Eugenij IV. indicato, Clerici in eodem Patauino Gymnaſio Iuri ciuili operam dare poſſunt: Doctoribus, Scholaſticiſque conceſſum eſt, vt ijs libertatibus, immunitatibus, prærogatiuiſque gaudere poſſint, quibus Romanæ Eccleſiæ, Pariſienſis, Oxonienſis, Bononienſis, Salmanticenſis Gymnaſij Doctores, eorùmque familiares, & Officiales gaudent.

Lib. de Gymnaſio Patau. c. 1. id accidit an. 1222.

cap. 1. Ex Cod. priuil. c. Cathedr.

Sede vacante, poſt Cœleſtini IV. mortem Comitia Franciſcana celebrata Bononiæ, anno 1242. B. Helena Patauina virtutibus inſignis viuebat: & B. Lucheſius ordinis Franciſcani miraculis clarus: alijque. Vide Vvaddingum ad eumdem annum, num. 1. & 4.

ADDITIO ABB. FERDINANDI VGHELLI.
Ordinis Ciſtercienſis.

Cœleſtini ſanctiſſimi Pontificis res geſtas tùm ex varijs auctoribus, tùm verò ex antiquis monumentis Franciſci Cardinalis Abundij Caſtilionei proſequutus eſt Antonius Nigrinus in elogiorum libro, quem edidit, de Caſtilionea familia, idèmque hunc affert ad ſepulchrum eius in Vaticana Baſilica tunc exaratum Epitaphium, quod ne iniuria temporum deperderét in Archiuijs Caſtiliones proceres conſeruandum curarunt, ſic enim ſe habet.

A

D. O. M.
CAELESTINO IV. CASTILIONEO
MEDIOLANEN. PONT. OPT. MAX.
PRVDENTIA. DOCTRINA ELOQVENTIA
MORVM. GRAVITATE. VITAEQ INTEGRITATE
INSIGNI.
QVI. CVM. MVLTIS. LEGATIONIBVS
SVB. GREGORIO IX. EGREGIAM. PRO
S. R. E. OPERAM. NAVASSET. SVMMO
TOTIVS. REIPVBLICAE. CHRISTIANAE
GAVDIO. CARDINALIVM. OMNIVM
SVFFRAGIIS. PONT. OPT. MAX. PRONVN-
CIATVS. EST.
SED. CONCEPTAM. EX. EIVS. PONTIFI-
CATV. LAETITIAM. IMPORTVNA. MORS
PVBLICO. MOERORE. DESIDERIVMQ.
MOX. IMMVTAVIT.
OBIIT. VIII. ID. OCTOB. ANN. SALVTIS
MCCXLI.

B

Scripſiſſe Cœleſtinum aliquas, tùm pias cum doctas Orationes dum in Altecumbæ Cœnobio monachum degeret, aſſerit Guido Claræuallenſis, Epiſtolas etiam eiuſdem extare dicit idem Nigrinus.

C

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI
SOCIETATIS IESV.

TRIGESIMO à Gregorij Noni Pontificis Romani parentalibus die, Cardinales poſt diuturnas diſſenſiones, iunctis tandem diuinis ope animis in eligendo Galfrido ſeu Gaufrido, vel Goffrido Mediolanenſi concurrerunt, quem integerrimi mores, ac ſcientia cumulata ad Apoſtolicam ſedem conſcendendam dignum reddidere, vt referunt Stadenſis, ac Pariſius. Quorum poſterior ob effœtam ſenectutem intra ſedecim è vita diſceſſiſſe, & communem famam venenum propinatum circumtuliſſe ait: ex cuius morte vniuerſa Eccleſia, quæ tot malis recreari cœperat, in priſtinos luctus coniecta eſt. Ceterùm veriſimile non videtur adeo frequenter in Pontifices, & Cardinales veneno graſſatum eſſe, ſed vulgus rumores illos, vt fieri ſolet, temerè ſparſiſſe. At monachus Patauinus in Chronico, auctor etiam antiquus Stero in Annalibus, alijque decem & octo dies Cœleſtini Pontificatui tribuunt: Bernardus, & eius m. s. vitæ auctor decem & ſeptem; Richardus verò in Chronicon hæc de Cœleſtino prodit: *menſe Octobris Goffridus Mediolanenſis in Cœleſtinum Papam eligitur: menſe Nouembris Cœleſtinus Papa Romæ apud ſanctum Petrum obijt.*

Brouius ex Bernardo.

Odericus Rinald. in to. 13. Annal.

Cœleſtini Creatio.

Obitus.

D

Sedes.

Poſt Cœleſtini mortem Cardinales ad euitandum Fridericum Imperatorem, qui priſtinum in Eccleſiam odium non remittebat, eo inſepulto de Vrbe fugerunt, & contulerunt ſe Anagniam. Ab ipſius obitu vacauit ſedes anno vno, menſibus octo, diebus quindecim, vel menſibus tantum octo, ſeu decem ſupra annum vnum: nam hi, qui tum in Eccleſia auctoritate pollebant, exiſtimarunt, neminem in Pontificem eligendum eſſe, quouſque Cardinales à Friderico in carcere detinerentur. Aliqui in Cardinales, carceribus concluſos cauſam reijciunt, quòd ij electionem futuri Pontificis minus ratam Eccleſiæ, & minus gratam Friderico exiſtimarent, ſi ſuffragia ſua in eam non contuliſſent; id verò prætexebant, ſiue vt ſe ergaſtulis excluderent, ſiue vt Friderico ea ratione gratificarentur.

Poſt eius obitum Cardinales Roma diſcedunt.

Bernar. in Chron.

Vacat ſedes longo tempore.

S. Antonin. to. 3.

E

Cœleſtinus IV. non creauit Cardinales.

CARDINALES MORTVI
ſub Cœleſtino IV.

Mag. Robertus Vmmarcote, ſeu de Somercote Anglus Diaconus Cardinalis S. Euſtachij vi. Kal. Octobris anno 1241.

CARDINALES MORTVI
in ſede Vacante Cœleſtini IV.

Petrus Romanus Diaconus Cardinalis S. Georgij in Velabro.
Guido Diaconus Cardinalis.

INNOCENTIVS IV. PONT. CLXXXII.

ANNO DOMINI MCCXLIII.





A MORTVO Cœleſtino IV. cenſuere Patres, neminem deligendum eſſe Pontificem, quouſque Cardinales à Friderico II. Imper. capti è carceribus, in quibus Melphi detinebantur, liberi fierent. Quod Balduinus Imperator Conſtantinopolitanus, qui tunc Parmæ erat, à Friderico precibus impetrauit, vt carceribus exempti, liberi ad comitia accederét. Qui Anagniam, Hernicorum caput, menſe Iunio venientes, cæteros Principes, qui ex Vrbe diſceſſerant, obuios habuere: a quibus honorificè ſuſcepti, Anagniam comitiorum pontificalium locum delegere, & ad viij. Kal. Iul. die Natali S. Io. Baptiſtæ, an. 1243. comitijs habitis, omniũ conſenſu Romanũ Pontificé crearunt x. Cardinales, Sinibaldum Fliſcum ex Latianiæ Comitibus Vgonis ſeu Obizonis filium, ex Fliſca familia nobili, & antiqua, Ligurem Genuenſem, virum diuini, humanique iuris conſultiſſimum, qui Innocentij IV. nomen accepit, quem ex Canonico Eccleſiæ Parmenſis Gregorius IX. Pontificatus initio S. R. E. Vicecancellarium, & literarum Contradictarum Auditorem primùm, deinde Presbyterum Cardinalem titulo ſancti Laurentij in Lucina creauerat.

INNOcentij Electio.

Romanus verò Pontifex deſignatus, Imperatore Cæſare Friderico II. Auguſto, Chunrado IV. Guilelmo, & Henrico VII. Regibus Romanorum, ſedit annos vndecim, menſes 5. dies 14.

CARDINALES X. VIVI
quando Innocentius Papa IV. creatus eſt.

CARDINALES EPISCOPI II.

GREGORII PAPAE IX.

1. Raynaldus de Comitibus, Anagninus, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus: Prior Epiſcoporum.
2. Fr. Iacobus de Pecoraria, Papienſis, monachus Ciſtercienſis, Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus.

PRESBYTERI CARDINALES IV.

HONORII PAPAE III.

3. Thomas de Capua Campanus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Sabinæ, Prior Presbyterorum.
4. Ioannes de Columna Presbyter Cardinalis titulo S. Praxedis.

GREGORII PAPAE IX.

5. Sinibaldus de Fliſco Genuenſis, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Laurentij in Lucina.
6. Stephanus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Mariæ Transtyberim, titulo ſanctorum Calliſti, & Iulij.

DIACONI CARDINALES IV.

INNOCENTII PAPAE III.

7. Raynerius Capoccius Viterbienſis; Diaconus Card. S. Mariæ in Coſmedin, Legatus in Tuſciam.

HONORII PAPAE III.

8. Aegidius de Torres Hiſpanus Diac. Card. SS. Coſmæ, & Damiani Mart.

Ex libro Cardin. S. Siſti R... cópagu...

GREGORII PAPAE IX.

9. Otho Blancus de Alerano ex Marchionibus Montisferrati, Diac. Card. S. Nicolai in Carcere Tulliano.
10. Richardus Hannibaldenſis de Molaria, Romanus, Diaconus Cardinalis ſancti Angeli in foro Piſcium.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1243. *iij. Kal. Iulij*, Anagniæ in Cathedral. ſuæ coronationis, & conſecrationis inſignia ſuſcepit, per Raynerium Capoccium Viterbienſem, Diaconum Card. S. Mariæ in Coſmedin S. R. E. Archidiaconum.

CORONatio Innocentij IV.

Celerem creati Pontificis Nuncium, Imperatorem, cui hominis in tuendo Eccleſiaſtico iure conſtantia, vt antea, perſpecta fuiſſet, admodum ægre tuliſſe ferunt, & cum familiaribus aulicis ſibi de hominis amiciſſimi honore gratulantibus, animo ægro reſpondiſſe, optimum amicum Sinibaldum Cardinalem amiſiſſe, & acerrimũ hoſtem, Papam Innocentium nactum fuiſſe. Quod euentus rei oſtendit. Non enim poterat quiſquam eligi vtilior Eccleſiæ Romanæ Pontifex, quàm Sinibaldus, Comitis Latianiæ Obizonis filius, qui inter liberales diſciplinas, iuri potiſſimum operam dederat, ob idque Pater iuris appellabatur: quod diſciplinam Iuris penitùs noſſet, atque in ea excelleret. Quod et elogium à Durando Iuniùs multo illius temporis tribus, atque ipſius conſtitutiones, operáq; a Bartolo ſummo Iuris interprete ſæpe citari conſtat, electuſque eſt, quaſi amicus Friderici Cæſaris, quod vulgo ſperarent amicitiam illam non inutilem toti Italiæ futuram. Nota tamen erat Friderico II. magnitudo animi, cæteræque virtutes, quæ in Sinibaldo elucebant. Innocentius autem Pontificium habitum indutus, peractis, quæ de more in conſecrandis, coronandiſque Pontificibus fieri conſueuerunt, Romam veniens, prodeunte obuiam honeſtiſsimo quoque magno cum omnium plauſu ſuſcipitur, de pace cum Friderico ineunda mentionem facit, Balduino Imper. Conſtantinopolitano, ad rem conficiendam, auctoritatem ſuam interponente in longum verò protracta res, quatuor menſiũ tempus inſumpſit, licèt ſe paratum eſſe, honeſtas quaslibet conditiones ſuſcipere: & eum ab excommunicatione abſoluere, ſi & ipſe, quæ ad concordiam ſpectant, cogitaret, ante omnia ab eo petebat, vt Eccleſiaſticos homines ab ſe diu in vinculis habitos dimitteret;

IMPERAtor ægrè fert electionem Innocentij.

INNOcent. ... docetur Pater Iuris appellatus.

INNOcentius Romã venit magno plauſu exceptus.

mitteret; & quæ de Eccleſiaſtico iure vi occupauerat, reſtitueret: & Viterbium præſertim recens ab eo occupatum, Eccleſiæ ditionis Vrbem. Imperator duos ex Aulæ Palatinæ Primoribus, quorum præcipue conſilijs regebatur, Thaddæum Sueſſanum, & Petrum Vineam Campanum, nobiliſſimos Iuriſconſultos, Oratores ad Pontificem Romam miſit; qui pacis fœdera tractarent. Qui maxima omnium expectatione, cum apud Pontificem eſſent, Raynerius Capoccius, Viterbienſis, Diaconus Cardinalis S. MARIAE in Coſmedin in Hetruria Legatus Apoſtolicus, Viterbium Imperatori propinquorum auxilio eripuit, ea re pacis mentio paulatim refriguit. Imperatoris Legati, rebus infectis, à Pontifice diſceſſerunt. Fridericus valido cum exercitu in Hetruriam veniens Viterbium obſedit. Inde pauló poſt, aliquot Cardinalium precibus ſubmotus, Froſculum, qui Monsflaſconis dicebatur, muniuit, & Aquampendentem rediſt, pacis mentione reiterata, nobiliſſima legatione, Balduinum Imperatoré Conſtantinopolitanum, Raymundum Comitem Toloſanum, & duos ſupradictos Iuriſconſultos ad Pontificem remiſit. Quorum auctoritate pax agitari cœpta, & res ita conſtitutæ, vt proximis Dominicæ Paſſionis ferijs, Imperatoris Legati publicè Fridericum Eccleſiæ mandatis pariturum, profeſſi ſint, & ſacramento firmarint. Imperator Princeps Catholicus publicis concionibus aſſertus, & rumor vndique percrebuit, optatam inter Papam, & Imperatorem concordiam initam eſſe. Imperator ipſe ea re delectatus, Vrbem adeuntibus, tutum iter exhibuit. Cæterum eæ res, ſpecie magis, quàm animo tractatæ; Paſchate enim elapſo occulta odia recrudeſcere, & malè ſarta gratia labefactari cœperunt. Pontifex infracto, atque inuicto animo, quæ Imperator Eccleſiæ, & eius ſocijs eripuerat, repetebat: non ſine maieſtatis Imperialis pernicie id effici poſſe, Cæſar clamitans omnia pacis conſilia diſturbabat. Eam ob rem vtriuſque partis Legati, ſæpe ad vtroſque Principes curſitantes, tandem effecerunt, vt Pontifex (quo Romæ permanente nulla amicitiæ ratio iniri poterat) ciuitatem Caſtellanam adiens, ibidem Imperatorem operiretur, vt mutuo colloquio, aliquod turbatis rebus remedium conferrent. Pontifex Sutrium accedens inſidias, quas ſibi ab Imperatore paratas, certo iudice affirmabat comperiſſe, vel re vera timens, vel eius amicitiam, tanquam Eccleſiæ pernicioſam detrectans Genuenſium Legatos, quos ſecum habebat, hortatus eſt, vt eorum claſſem, quæ triremium Oſtiæ erat, pyrgos veteres adducere curarent: & clàm intempeſtæ noctis, cum Apoſtolorū celebritas illius anni 1244. ſilentio, ſeptem Cardinalibus, & multis Prælatis comitatus, veſte mutata, ad claſſem acceſſit, ſecundâque nauigatione vſus, Genuam primùm, deinde terreſtri itinere Allobroges Lugdunum Galliarum, Imperatore deluſo acceſſit; benignèq; à Ludouico IX. Francorum Rege ſuſceptus fuit. Pontificis fuga, Fridericus irritatus, Hetruriæ, & Latij oppidis munitis, Piſas acceſſit. Petrum Vineam, Parmam, vbi tres Innocentij IV. ſorores nupſerant, miſit, qui, eam Innocentij Papæ propinquis nobiliſſimis, & primarijs ciuibus pulſis, Friderici fide confirmaret. His ſedulò curatis, Piſanorum claſſe vſus in Regnum redijt.

ORATORES ab Imperatore ad Pontif. miſſi pro pace tractanda.
FRIDERICUS Viterbium obſidet.
SECUNDA legatio ab Imper. ad Pont.
PAX inita inter Pontif. & Imper.
OCCULTA odia reſurgunt.
PONTIFEX Sutrium venit.
IN GALLIA pergit. SUSCIPITUR à Ludouico Francorū Rege.

Pontifex, vt Imperatoris iniurias Eccleſię illatas vlciſceretur Lugdunum generale Concilium conuocauit, & totius Orbis Latini Prælatos, bullis ad ſingulos miſſis, acceerſiuit, Imperatori literis, Nuncijs, & poſtremò publico præcone diem dixit ad cauſſam in Concilio dicendam, citauit, pœnis, niſi edicto obtemperaret, grauiſſimis propoſitis, cum ex omni Orbis Latini parte Prælati ad Concilium properaſſent; in fine anni Pontifex nobili duodecim excellentium Cardinalium lectione habita, & ordini proprium inſigne Pileum, vel galerum rubrum dedit, quo ſignificaretur eius ordinis homines caput ſuum, cum opus eſſet, pro Eccleſiæ libertate tuenda gladio offerre paratos eſſe: & præſertim hoc tempore, quo Romana ſedes à Friderico II. vehementer vexabatur. Reliqua eius ordinis inſignia poſteriores Pontifices excogitarunt, in his præcipuus fuit Paulus II.

LUGDUNENSE generale Cōc. indicitur. IMP. citatur.
RUBRUM pileū Cardinalibus datum.

Imperator ſe ad Conciliū citatum intelligens, & Paſcha celebrata Capua diſcedens in Lōgobardiā iter arripuit, agrū Viterbienſē primùm populatus, mox Ameria, Aquenſibus, Senis, Piſis, Pontremulo, Parma, Brixello pertranſitis, Veronam, vbi maximum Principum conuentum indixerat, acceſſit. Legatos ad Concilium, qui ſe excuſarent miſit, qui de concordia cum Pontifice agerent. Hi Imperatorem excuſarunt, quòd ipſe præſens ob ægritudinem intereſſe Concilio non potuiſſet, Pontificemque rogarunt, vt Friderico parceret, qui & Eccleſiæ per vim ablata reddere, & Hieroſolymam infra annum recuperare paratus erat. Pontifex eum ſæpè Eccleſiam decepiſſe ſciens, neque tunc veræ pœnitentiæ ſigna afferre reputans, qui adhuc multos à Piſanis captos Prælatos in vinculis habebat, omnia eius conſilia eò tendere ſuſpicatus eſt, vt impetrata dilatione temporis poſt Concilij miſſionem ſe ipſum eluderet, eius fallendi iam artes longo vſu edoctus, poſtulata reiecit; Cum vero eum damnare conſtituiſſet, clam ſcripſit ad nobiles familiarum S. Vitalis, Corrigiarum, Rubeonum, & propinquos ſuos, qui adhuc Parmæ remanſerant, vt illicò ea Vrbe excederent, ne damnatione ſua Fridericus irritatus in eos ſæuiret, qui ſtatim Pontifici obtemperarunt: Pontifex verò omnium Patrum, & Principum conſenſu, præſente Balduino Imp. Cōſtantinopolitano, anno 1245. xi. Kalen. Iulij, Fridericum anathemate notatum Imperio, & omnibus rebus priuauit. Hanc ob rem Fridericus ira incenſus ædes, ac villas Cognatorum Innocentij IV. qui eius monitu Parma, vbi fundos habebant, Placentiam commigrarant, dirui iuſſit; proficiſci deinde Lugdunum inſtituit, parato ingenti comitatu, ſed cum ad Taurinos perueniſſet, Nuncio accepto, ſuperatos, & maxima clade affectos ſuos à Parmenſibus, miſſo itinere, quod cœperat, conuocatis ex tota Italia copijs ſuis, quas ad 60 millia hominum fuiſſe conſtat, obſidere Parmam inſtituit. Ad quam tuendam magno profectò ſociarum ciuitatum, cum Legato Apoſtolico, auxilio conuenerant. Legatus autem biennio conſtanti animo obſidionem paſſus, tandem erumpens Fridericum nihil tale metuentem fudit, fugàtq; eumq; caſtris omnium copia refertis ſpoliat. Ea clade Fridericus coronam magni pretij, & vaſa aurea magni ponderis amiſit. In Vrbis enim modum caſtra vallo, ac foſſa Fridericus ipſe hac mente munierat, vt capta, & euerſa Parma, in quam magnū conceperat odium, eo loco, vbi ſtatua habuerat, nummóſque cuderat Victorianos appellatos, Victoriam vrbem conderet. Aegrè Fridericus ex tanta accepta clade ad Cremonenſes confugit, quorum tamen Vrbem, nequaquam intrare auſus eſt, quòd multi ex Cremonenſibus cum Friderico militantibus eo prælio ceciderant. At verò Innocentius, vbi intellexit tanta clade infractum animo, voluptatibuſq; ſe dediſſe extructis amœniſſimis hortis, in eiſdemq; incluſum, cum Spadonibus ſuis, pulcherrimarum mulierum agmine, Pontifex hominis ſortem miſeratus eſt, omiſſoque Concilio, ad quod confluxerat ex Italia, Germania, Gallia, & Hiſpania, maxima Epiſcoporū, & Abbatum multitudo, item Ludouicus Sanctus Francorum Rex (qui ſe & Regnum ſedis Apoſtolicæ præſidio offerēs *, & ex omnibus Gallijs innumeri Proceres) Legatos per Franciam, & alias prouincias miſit, qui populis ſuaderent, militiam Chriſti ſuſcipere, Ludouicumq. Francorum Regem ſequi, in Aſiam traijcere properantem, idem ſe facturum Ludouicus, dum graui valetudine laboraret, pollicitus eſt, & vouit. Interim Arabes Celpharao Aegyptio impellente Hieroſolymam capiunt mœnibus carentem; Chriſtianos, qui tunc in ea erant, trucidant; Sepulcrum Dominicum quouis genere turpitudinis fœdant. Hanc ob rem motus Innocentius Regem Ludouicum accelerare iter in Aſiam cohortatur cum eo exercitu, quem ad eam rem comparauerat, qui appellens cum claſſe Syriam Damiatam cepit, claſſem Soldani repulit, & pugnantes in litore terreſtres hoſtium copias ſuperauit. Quòd autem milites recentes ex Italia in Syriam non ſufficerentur, Friderici rabies effecit, qui à libidinibus, quibus aliquandiu immerſus fuerat, ad arma conuerſus, totam prouinciam tumultu compleuerat, impuleratque quaſdam ciuitates ſtudio partium à Pontifice deſciſcere, maximè verò Foroliuienſes, Ariminenſes, Vrbinates, ac totum Picenum, in Vmbria verò defecerant omnes, præter Tudertinos, Peruſinos, Aſſiſiates, ſoli autem Florentini in Hetruria Pōtificem ſequebantur. Quos certè Fridericus adeò bello vexauit, vt tandem eos coegerit Guelphos cōciues ſuos ab Vrbe pellere. Sententia autem in Fridericum lata de periurio, quod toties promiſerat ſub ſacramento defenſurum, & protecturum Eccleſiam Romanam, & de ſacrilegio, quod tot menſes carceribus retinuerit captos Epiſcopos, & Cardinales, vnde ſuſpicio oriebatur, non eum rectè de fide ſētire, & infideles in exercitu ſuo charos haberet, ac cum feudatarius eſſet Eccleſiæ pro Regnis Neapolitano, & Siculo, ea procurarat euertere, occidendo, & capiendo Epiſcopos, & Clericos, & prohibendo, ne ſubditi ſui obedientiam præſtarent Eccleſiæ Romanæ, & quòd non ſolueret tributum annuum, ex fœdere debitum: Has enim cauſſas Victoriani Annales habent, licèt Bartolus, caſſa, & irrita, dicat, Fridericum ab Eccleſia damnatum hæreſeos; verùm damnandi Friderici cauſſas qui melius ſciat, quàm ipſe Innocentius, cuius ſententiam aduerſus Cæſarem latam, Bonifacius inſerit in 6. c. ad *Apoſtolicæ*, de ſententia, & re iudicata. Malum enim eius animum, præter cætera, oſtendunt quædam carmina in Pontificem edita in hanc formam.

IMPER. ad Concilium Legatos mittit.
FRIDERICUS excōmunicatur.
QUID Fridericus in cognatos Innoc.
FRIDERICI milites à Parmēſibus clade affecti.
FRID. Cremonā confugiēs non audet in Ciuitatem intrare.
***
PONTIFEX agit pro recuperatione Hieroſolymæ.
ARABES Hieroſolymam capiunt.
LUDOUICUS Rex Francorū in Aſiam pergit.
TOTUM Picenum à Friderico vexatur.
SENTENTIA in Fridericum lata de periurio.

Roma diu titubans, varijs erroribus acta
Corruet, & Mundi deſinet eſſe Caput.

Friderico ſic appoſitè reſpondit quidam nomine Pontificis.

Niteris incaſſum nauem ſubmergere Petri,
Fluctuāt: at nunquam mergitur illa ratis.

Reſcripſit Fridericus ad Pontificem.

Fata volunt, ſtellæq; docent, auiumq; volatus,
Quod Fridericus ego malleus Orbis ero.

Ad quæ tandem reſpondetur.

Fata volunt, ſcriptura docet, peccata loquuntur,
Quod tibi vita breuis, pœna perennis erit.

Porrò Innocentius, vt Germani ſcribunt, non ſolùm multa in eo Lugdunenſi Concilio vtiliter Republicæ Chriſtianæ tractauit negocia, verum etiam libros magna eruditione refertos conſcripſit. Interpretationes ad vetus Teſtamentum edidit, & in tanto rerum faſtigio locatus, edidit commentarios in Decretalium libros, quem A-

INNOCENTIUS in Concil. Lugdunē. libros edit plures.

paratum vocauit; breuem quidem, ſed diſertum, & eruditum librum canonicæ, & ciuilis legis interpretibus apprimè neceſſarium, magnique ab ipſis habitum: continet enim diſputationes, quæ res omnes dubias probè aperiunt, edidit & alium in concilijs approbatum, Nouellas vocatum, quem Oſtienſis in Summa, Authenticas vocat: ſcripſit & librum de Pontificis Romani auctoritate, & Imperatoris iuribus contra Petrum Vineam, qui Imperij, & rerum omnium profanarum arbitrium penès Imperatorem tantùm eſſe profitebatur, quem librum Pontifex Apologeticum vocauit: Item Clariſſarum Regulam*, ac vitam S. Gulielmi Epiſcopi Briocenſis; extant in Bibliotheca Vaticana quinq; eius Regeſti volumina, inſigni doctrina, & rerum reconditarum ſcientia referta.

FRIDERICI Imper. obitus.

Fridericus II. Imperator multis curis laboribúſq; confectus, ſimulq; filij calamitate audita exagitatus, dum nouos belli apparatus adornat, in Apuliæ vico, nuncupam Ferenſula, ad ſextum à Luceria lapidem ſebri aucta correptus, Idibus Decembris, ann. ſalutis 1250. vitæ 57. Regni Siciliæ 40. Imperij 30. diem clauſit extremum, Imperij, & Regni Neapolitani hæredem reliquit Chunradum Regem Romanorum olim deſignatum ex Iole Ioannis Hieroſolymitani Regis filia ſuſceptum, corpus, Manfredi opera, in Siciliam trāſlatum in nobili mōtis Regalis Templo conditum eſt: ſunt qui ſcribant à morbo, quo in Apulia laborauerat, & iā conualeſcente à Manfredo filio adoleſcente ex nobili concubina ſuſcepto cōpreſſo ore mori coactū.

S. EDMVNDI Canonizatio, & aliorum.

At verò Innocentius incendijs bellorum iam penè in Italia extinctis ad Vrbem redire instituit, relato tamen prius in ſanctorum numerum Edmundo confeſſore Anglo, Cantuarienſi Archiepiſcopo, & Staniſlao Cracouienſi martyre inique cæſo, & Gulielmo Epiſcopo* Briocenſi xxij. Martij, anno Pontif. 4. miraculis claris; Reique diuinæ intētus diē Natiuitatis B. Virginis MARIAE vi. Idus Septemb. cum octauis ſuis in Eccleſia Dei quotannis celebrari iuſſit. Viterbij B. Roſæ puellæ Viterbienſis canonizandæ examen* commiſit. Idem fecit Peruſiæ, Mediolanenſium rogatu, de B. Petro Martyre* Veronenſi, ordinis Prædicatorum ab Hæreticis inter Mediolanum, & Nouocomum, quod eorum errores redargueret, ſuperiori anno 1252. cæſo, cuius corpus Mediolani in Monaſterio S. Euſtorgij ad Prædicatores honorificè ſepultum prodigijs, & miraculis fulget. Romam igitur Lugduno veniens Innocentius Pontifex conſultò, ob ſenatoriam poteſtatem, quæ nimia ei curiæ Romanæ videbatur declinauit.

B. ROSAE Viterbieſ. B. PETRI Martyris.

Doctorum virorum familiaritate, eum mirificè delectatum fuiſſe, teſtimonio ſunt quattuor ipſius Cardinalium Creationes, quibus Cardinalium ſedes iam pridem vacuas optimo quoque, & doctiſſimo in Collegium cooptato repleuit.

Auditores Academiæ Pariſienſis vectigalibus exemit, & ne extra Lutetiam per literas Apoſtolicas ſuper litibus inter eos exortis trahantur, primùm omnium vetuit, Peruſij nonis Iun. & ij. Kalen. Iunij, Pontificatus anno 9. vt in chartario Academiæ inuenitur.

ROSAE Aure benedictio.

Ac Lugduni quidem Innocentius Roſam aueam ſollemnibus Romanæ Eccleſiæ cæremonijs, ritùq; benedixit, & Canonicis ſancti Iuſti hoſpitibus ſuis dono dedit.

Accerſitus deinde à Proceribus Regni Siculi, Neapolim nuper inſtauratam, ſtatim cum exercitu proficiſcitur, vbi maximo honore, & plauſu exceptus, dum breui ſe toto Regno potiturum arbitrabatur, incidit in morbum, ibique mortuus eſt.

INNOCENTIJ IV. obitus.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1254. *Idibus Decembris* in ſollemnitate S. Luciæ virginis, & martyris Innocentius IV. de Fliſco Genuenſis, multis egregiè factis clariſſimus, & ob vendicatam, aſſertàmque libertatem Eccleſiaſticam omnibus ſeculis laudatiſſimus, Neapoli mortuus eſt; quò ſe poſt obitum Friderici II. receperat, cum ſediſſet annos 11. menſes 5. dies 14. Qua in Vrbe funus ei magnificè curatum conſtat, relicta apud omnes fama non modò excellentis ſcientiæ, & exquiſitæ virtutis, ſed etiam integritatis vitæ, admirabiliſq; prudentiæ, itaque Clerus, & populus eum dudum luxerunt, cui rei fidem facit liber 3. Genuenſis hiſt. ſcriptæ ab Aug. Iuſtiniano Epiſc. Nebienſi, & Ricordanus ſcriptor Florentinus. Vacauit, eo mortuo, S. R. ſedes dies 13. corpus eius in Eccleſia Cathedrali ibidem ſepultus eſt cum hoc Epitaphio.

Inſcriptiones in ſepulcro indicatæ ſunt.

¶ Addit. ex Nomēclat.

Hic ſuperis dignus, requieſcit Papa benignus,
Latus de FLISCO, ſepultus tempore priſco.
Vir ſacer, & rectus, ſancto velamine tectus.
Vt iam collapſo mundo temeraria paſſo,
Sancta miniſtrari vrbs poſſet quoque rectificari,
Concilium fecit, veteraque iuſſa refecit.
Hæreſis illiſa tunc extitit atque reciſa,
Mœnia direxit, rectè ſibi credita rexit,
Strauit inimicum Chriſti colubrum Fridericum.
Ianua de nato gaudet ſic clarificato.
Laudibus immenſis, vrbs tu quoq; Parthenopēſis.
Pulchra decore ſatis, dedit hic ſibi plurima gratis,
Hoc titulauit ita Vmbertus Metropolita.

D. O. M.
INNOCENTIO IV. PONT. MAX.
DE OMNI CHRISTIANA REP. OPTIME MERITO
QVI NATALI S. IOANNIS BAPTISTAE
ANN. MCCXLIII.
PONTIFEX RENVNCIATVS
DIE APOSTOLOR. PRINCIPI SACRA CORONATVS
QVVM PVRPVREO PRIMVS PILEO
CARDINALES EXORNASSET
NEAPOLIM A CONRADO EVERSAM
S. P. RESTITVENDAM CVRASSET
INNVMERISQVE ALIIS PRAECLARE ET PROPE
DIVINE GESTIS PONTIFICATVM SVVM
QVAM MAXIME ILLVSTREM REDDIDISSET
ANNI MCCLIV.
B. LVCIAE VIRGINIS LVCE HAC LVCE CESSIT
ANNIBAL. DE CAPVA ARCHIEP. NEAP.
IN SANCTISSIMI VIRI MEMORIAM
ABOLETVM VETVSTATE EPIGRAMMA RESTITVIT.

PRAESTANTES viri, qui ſub Innoc. floruerunt.

Floruerunt, Innocentij IV. P. M. doctrina, & pietate præſtantes viri Bernardus Presbyter Compoſtellanus, Pontificis familiaris, & Capellanus, vtriuſq; iuris conſultiſs. qui eiuſdem ſtudio prouocatus, opuſcula quædam in iure ſuper Decretales ſcripſit, quæ Apparatum vocauit; Alexander de Ales Anglus ordinis Minorum, qui iam grandis natu cum eſſet doctor Pariſienſis eam viuendi normam profeſſus, varia eruditione facundia, moribus plurimùm luxit. Auditorem habuit S. Bonauenturam*, & ſummam Theologiæ admodum vberem iuſſu Papæ Innocentij, item regulæ Minorum declarationem ad Miniſtrum generalem ſcripſit; tota Biblia gloſſauit, & de diuini, humaniq; iuris concordia accuratè diſſeruit. Alexandrum in regulæ Minorum declaratione, ſecutus fuit Ioannes de Rupella eiuſdem ordinis, Pariſijs Theologiæ, & Peripateticæ diſciplinæ eximius profeſſor, qui aliquot præterea opuſcula edidit. Dauid Germanus eiuſdem ordinis profeſſor, pietate, & concionandi gratia inſignis, ſermones, & tractatus varios edidit. Iacobus Baldeuini, Odefridi Beneuentani viri clariſſimi auditor, iuris conſultus egregius ingenio acutus, ſermone ſuauis, conſilio, & auctoritate præcipuus ſcripſit quædam ſuper Codice. Vmbertus Viena in Gallijs ortus, quintus poſt S. Dominicum ordinis Prædicatorum Magiſter, Hugonis Cardinalis olim auditor, vir diuinæ, & humanæ Philoſophiæ impensè doctus, concionator eximius, vitæ integritate clarus, opuſcula plura conſcripſit, inter hæc ſuper regulā S. Auguſtini & res geſtas fratrum ſui ordinis, Vincentius Burgundus, Bellouaci in Gallijs natus, eiuſdem inſtituti Prædicatorum profeſſor diuinarum, & humanarum diſciplinarum peritus, magnæ lectionis, & memoriæ tenacis, literis tantam operam dedit, vt neminem ſua ætate parem habuerit: ſcripſit multa Francorum Rege Ludouico ſibi ſumptus ſuppeditante: horum præcipua ſunt quattuor volumina ingentia, Specula vocata, hiſtoricum, naturale, morale, & doctrinale. Quibus de omni re ſcibili acutiſſimè diſputauit.

IVDAEVS ad fidem cōuertitur inuento in lapide libro de Christo agente.

Sub Pontificatu Innocentij IV. anno 1243. tempore Ferdinandi III. Regis Toleti in Hiſpania, quidam Iudæus quandam rupem demoliens vineam ſuā amplificaturus in medio lapidis inuenit quendam locum vacuum, nullam prorſus diuiſionem, aut ſciſſuram habentem, & in vacuitate illa reperit folia velut lignea habentia tribus linguis ſcriptum, Hebraicè, Græcè, & Latinè, talis craſſitudinis, qualis eſſet pſalterium, qui loquebatur de triplici mundo ab Adamo vſque ad Antichriſtum, peculiaria cuiuſque mundi exprimendo, principium verò tertij mundi aſſignauit in Chriſto, ita, in tertio mundo filius naſcetur ex VIRGINE MARIA, & pro ſalute hominum patietur; erat etiam in hoc libro ſcriptum, quòd tempore Ferdinandi Regis Caſtellæ inueniendus eſſet liber ille, quæ legens Iudæus ſtatim cum tota domo ſua baptizatus eſt.

[Marcus lib. 4. Alphonſus à Spina lib. 3. de fortalitio fidei aduerſus errores Iudæorum, Ioannes Villanus in Chronicis lib. 6. cap. 31. Martinus Garybai in vita Ferdinandi III.

Ordo Cruciferorum diù ante inchoatus, confirmatur ab Innocentio IV. ann. 1243. primo ſui Pontificatus.

Frider. II. Imp. imperio priuatus eſt, in Concilio generali Lugdunenſi ab Innoc. IV. xi. Kal. Iul. ann. 1245.

Cæſar Guillelmus Rex Rom. contra Frider. II. creatus anno 1246. regnauit anno 9.

Frid. II. Imperator obijt Idib. Decemb. ann. 1250.

Cæſar Chunradus IV. Rex Rom. Friderici II. Imper. filius anno 1250. regn. ann. 3. menſ. 5. dies 10.

An. 1252. à ſeptē ciuibus Florentinis in agro Florētino inchoatus Seruorum ordo*; quorum primus Mag. fuit B. Bonauitus Floren.

Chunradus Rex Romanorum obijt xi. Kal. Iul. anno 1254.

ADDI-

ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

¶ *Sedit annos, 11. &c.*] Ex Panuinio in Chron. decem Cardinales viuebant, Ciac. teſte, cum Innoc. IV. ad Petri ſedem peruenit: à Cardinalibus 11. eum delectum, Anagniæ, (an. 1243. viij. Kalen. Iulij) vbi etiam corona donatus, affirmat, loc. cit. Panuinius.

* *Petrum Vineam.*] Huius ore loqui, & calamo ſcribere plerumque ſolebat Fridericus Cæſ. Gretſerus cap. 54. Exam. Myſt. Pleſſeani, contra hunc de Pontificia auctoritate ſcripſit ipſe Innocen.

* *Lugdunum Galliarum ..... acceſſit.*] Ob multa pericula vniuerſali Eccleſiæ imminentia. Ex initio Concilij Lugdun. 1. cuius principium in vigilia ſancti Petri an. 1245.

* *Lugdunum generale Concilium.*] Lugduni habitum fuit in Templo maximo, an. 1245. cui interfuere multi Cardinales, Patriarchæ Conſtantinopolitanus, & Antiochenus, Epiſcopi 140. & plurimi Abbates: Imperator etiam Conſtantinopolitanus, & alij Principes laici; illeq; ad dexteram hi ad ſiniſtram Pontificis ſederunt. Tribus actionibus breui tempore abſolutum fuit. Vide initium ipſius Concilij, illudq; ante illud Hiſtoriam, in Romana editione.

* 12. *Excell. Cardinalium lectione.*] *Cardinalium ſedes iampridem vacuas, optimo quoque in Collegium cooptato, repleuit.* Platina in eius vita. Duodecim Cardinales ab Innoc. IV. in Lugdunenſi Concilio creatos, viros excellentiſſimos, ait Panu. ad Innoc. IV.

* *Ordini proprium inſigne Pileum rubrum dedit,*] *Statuitq; vt Cardinales equo veſti galero rubro vterentur, honeſtandi ordinis cauſſa.* Plat. in Innoc. IV. à quo non diſſidet Volaterranus lib. 22. An- In Platina. thro. Vide etiam Caſſanæum par. 1. Catal. Gl. Mun. conſid. 38. cap. 4. Duodecim à ſe creatis Cardinalibus Pileum rubeum, inſigne pro- Cõſid. 38. Concl. 4. prium, Innocentium IV. dediſſe in Lugdunenſi Concilio, in Dominici Natalis peruigilio, reliqua autem Cardinalium inſignia à poſterioribus Pontificibus, à Paulo II. præcipuè fuiſſe excogitata, teſtatus eſt Panuinius. Rubrum Pileum, & Purpuram in eo primum Conci- loc. cit. lio Cardinalibus tradita, aſſerit Genebr. lib. 4. Chronog. cum Guag. & Aemil. (quos refert) lib. 7. Cæterum, Pelagium Apoſtolicæ ſedis lib. 7. Legatum apud Vrbem Conſtantinopolitanam à Latinis captam, veſtes, talaria, ſagum, frænaq; purpurea habuiſſe, narrant Georgius Logotheta Acropolita, in Chronico Conſtantinopolitano: cuius verba attulimus ſuperiùs ad Pelagium Caluani in Innocen. III. Legatos Apoſtolicos mare tranſgreſſos purpuram adhibuiſſe, antequam illius vſus Cardinalibus Romæ concederetur, nonnulli Canonum periti tradidere, ex eo loco cap. *Antiqua*, de priuilegijs; *Crucis vexillum ante ſe faciant vbiq; deferri*, (Patriarchæ) *niſi in Vrbe Romana, & vbicumq; ſummus Pontifex præſens extiterit, a. eius Legatus vtens inſignijs Apoſtolicæ dignitatis.* Huius dignitatis inſignia exiſtimant quidam equum album, veſtes rubeas, frænum, & calcaria deaurata, & ſimilia. Vide Lancellottum Conradum lib. 2. cap. 2. Templi omnium Iud. num. 26.

Bonifacium VIII. purpurei coloris veſtes Cardinalibus dediſſe, ſcripſit, in illius vita, Ciaconius, poſt Bonifacij VIII. tempora de Cardinalium purpura loquutus eſt Franciſcus Petrarcha, l. 15. Epiſtolarum Senilium Epiſt. 4. Philippo Epiſcopo Sabinenſi, & Cardinali, ijs verbis: *Qui*, (Cardinales quidam illius temporis:) *exiguo rubenti panno mortalitatis obliuione capiuntur, non mortales tantummodo illi quidem, ſed quodammodo moribundi: non ſolum hoc panniculo non ſuperbis; ſed nec qualibet purpura, aut corona.*

Reges, & Imperatores vtuntur purpura: regijs veſtibus indutus Mardochæus pallium ſericum, purpureùmq; habuit, & auream coronam. Phœnicem Tyriorum Regem liquore purpuræ vellus imbui, Eſther 8. iuſſit, ſibiq; inde regium indumentum confici, & hunc primùm purpuratã geſtaſſe chlamydẽ Alexandrini Chronici auctor teſtatus eſt.

Romanorum Imperatorum inſigne fuiſſe purpuram, & purpuram ſumere, eſſe ſumere imperium, dicunt viri docti: quod Trebellius Pollio indicauit, cum dixit: *Multi & ſuſcepiſſe eum purpuram, vt Romano more imperaret, dixerunt:* Et Ammianus Marcellinus, Conſtantium Auguſtum in concione militum de Iuliano ſic loquen- lib. 15. tem fecit. *Ego enim, præſente numine Dei cæleſtis, amictu principali velabo. Dixit, moxq; indutum auita purpura Iulianum & Cæſarem, cum exercitus gaudio, declaratum, his alloquitur, &c.*

Cardinales æquiparantur Regibus, & cum ſint à Conſilijs Romani Pontificis in Chriſtiani orbis regimine, eidem orbi quodammodo imperant: S. Silueſter, Pontifex creatus, ann. 330. Cardinales coadiu- Vide Eug. 4. cõſt. 13. Nõ mediocri. tores ſuos, nonnulli alij ſummi Eccleſiæ Præſides partem ſui corporis appellarunt; proinde meritò purpura his quaſi Regibus data: cuius color in galero eximiæ charitatis eſt ſymbolum; cuius igne ita ardere debent, vt ſemper pro defenſione, & bono Eccleſiæ ſanguinem fundere, ſint parati, vt tradit D. Ant. 3. par. ſummæ, tit. 21. cap. 1. §. 2. Plat. in eius vita, Onuph. ad Innoc. IV. Plat. Paulus II. pannum coccinei coloris, quo equos, muliſue equitatum ornarent, Cardinalibus donauit.

* *Imperio priuauit.*] Tom. 1. Bullarij, conſt. *Ad Apoſtolicæ*, varia ſcelera Friderici II. commemorat Innocen. eùmq; à Domino ſuis honore, & dignitate priuatum oſtendit, denuntiauit, ac ſua ſententia priuauit. Lugduni xvi. kalend. Aug. anno 3. id factum in Lug- 1245. dunenſi Concil. quod legas, ex eo deſumpta Conſtitutio. *Ad Apoſtolicæ*, &c.

A * *S. Ludouicus F.a.corum R.., niſi, & Regnum ſedis .. poſtolicæ præſidio offerens.*] Singularis Francorum Regum in Apoſtolicam ſedem, in Romanos Pontifices obſeruantia, pietas, amor: meritò ſupremi ijdem Eccleſiæ Antiſtites tàm pios Reges eximijs laudibus proſequuti ſunt; S. Gregorius Magnus Regem Galliarum ſui temporis Regem Catholicum, & præcellentiſſimum filium, Gregor. IX. Chriſtianiſſimum inter omnes Chriſtianos, Innocen. IV. Catholicum Principem, & Chriſtianiſſimum Regem, Vrbanus IV. Francorum Principem inclyta deuotione præclarum, Chriſtianiſſimum præcedentium meritorum, Athletam Chriſti, ſtrenuum & ſolicitum Chriſtianæ fidei defenſorem nuncuparunt.

De S. Ludouico nonnulla Vvaddingus tom. 2. An. Min. ad ann. 1254. à num. 23.

* *Clariſſarum Regula.*] Monialibus S. Damiani ſcribit Innocen. IV. Regulàmque ijs traditam à Gregor. IX. cum eſſet Oſtienſis Dat. Aſſiſij v. Id. Aug. an. 11. P.
B Epiſcopus, confirmat, Lugduni, Idibus Nouemb. anno 3. Pontific. *Solet annuere ſedes*, &c. Literas tom. 1. Bullarij, & ab Vvaddingo tom. 1. An. Min. ad an. 1219. num. 46. relatas lege; ſi libet.

* *Gulielmo Epiſcopo.*] De viro hoc Martyrol. Rom. xxix. Iulij. *In ciuitate Briocenſi S. Gulielmus Epiſcops, & Conf.* Hunc, qui an. 1241. obierat, ſanctorum numero addidit Innocen. IV. literas vidit In Not. ad Martyrol. Cardin. Baron. in ipſius Reg. an. 11. nu. 532. vita illius, à Godofrido Epiſcopo Bituricenſi ſcripta, extat to. 4. Surij.

* *Diem Natiuitatis B. Virg.*] De hoc feſto vide Baronium in Not. ad Martyr. Rom. vi. Id. Septemb.

* *B. Roſa ...... examen.*] Innoc. Peruſij vij. Kalen. Decemb. an. 10. literis Priori Prædicatorum, & Archipresbytero S. Syxti Viterbien. ſcriptis, iuſſit, vt examen ſanctitatis, & miraculorum B. Roſæ Viterbienſis conficerent, eas habes apud Vvaddingum tom. 2. An. Min. ad an. 1252. nu. 14. huius Virginis memoria colitur in Martyr.
C Romano. De illa in Alex. IV. pauca.

* *Cum ſediſſet an. 11. menſ. 5. dies 14.*] Menſe ſexto, die duodecimo, ait Platina. Alexan. IV. literis ad Miniſtrum generalem Minorum, Prælatos, &c. allatas ab Vvaddingo tom. 2. An. Min. ad ann. 1254. Innocentium de vita migraſſe, ait vij. Id. Decemb. Neapoli, anno 1254.

* *Alexander de Ales ...... Auditorem habuit S. Bonauenturam.*] Vvaddingus, to. 1. An. Min. ad an. 1245. multis teſtibus pro- num. 19. bat, etiam S. Thomam Aquinatem euſdem Alberti Diſcipulum extitiſſe, eiuſque laudes recenſet.

* *An. 1252. Seruorum ordo.*] A B. Virgine Dei matre, per ſeptem nobiles mercatores Florẽtinos, Seruorum ordinem inſtitutum, narrat Archangelus Gianius Flor. cap. 6. De origine ordinis Seruorum, eorùmq; nomina refert: & cap. 4. reijcit ſententiam Volaterrani tradentis, anno 1283. B. Philippum, cum alijs ſeptem, ordinis
D fundamenta ieciſſe: putat eum ab Innocentio IV. exceptum ordi- an. 1254. nem ab Alexandro IV. confirmatum fuiſſe.

Innocen. IV. eruditione, & ſanctimonia clariſſimum nuncupat Gretſerus loc. cit. Caluiniſtæ Mornæi, & Mat. Pariſij tenebrionis in ipſum Innocen calumnias retundens, & extinguens. Virtutem, & magnitudinem animi Innocen. quem benignum, & optimum virum nuncupat, Friderico Cæſari cognitam fuiſſe, narrat Platina.

Regem Galliarum hortatus eſt Innoc. vt librum Talmud comburi iuberet; vetuitq; ne Iudæi haberent nutrices, aut famulos Chriſtianæ legis ſectatores, Cõſt. 2. *Impia Iud.* Dat. Laterani vij. Id. Maij, A. 1.

Monaſterium S. Mariæ de Capitolio in Vrbe ordinis S. Benedicti, Fratribus Franciſcanis inſtitui, quos vocant de Obſeruantia, tradi, iuſſit; literas exſcripſit Vvaddingus tom. 2. An. Min. ad an. 1251. Dat. Lugduni vi. Kalen. Iulij an. 7. Pontif.

Peruſio Aſſiſium profectus, S. Claram lethali languore correp-
E tam inuiſit, alloquutus eſt, pedemque oſculandum ei præbuit: allatos cibos in prandium cum iuſſa à Pontifice Virgo, Crucis forma manu efficta, benedixiſſet, mirum, in omnibus ijs ſacroſancti ſigni conſpecta imago; quam panis etiam in quattuor partes illico ſectus, Innocentio vidente, retulit. Cum in Cœlum paulo poſt migraſſet Clara; ad locum, vbi virgineum cadauer conſpiciebatur, Pontifex, cum Cardinalibus acceſſit: Fratribus defunctorum officium recitare incipientibus, SS. Virginum officium recitandum dixit. Hæc omnia vberiùs narrãtur ab Vvaddingo t. 2. An. Min. ad an. 1253. n. 1. 2.

Cadauer Innocentij IV. Neapoli in Templo maximo humatum ſcribit, cum Panuinio, Ciaconius: in Aede S. Laurentij Minoritana, Platina: Alexan. IV. in literis de ſui in Pontificem electione, in Eccleſia Neapolitana ſepultum dicit: at Eccleſiam non nominat: veriſimile eſt, loqui Alexan. de primario Templo: non tamen certum.
F Vide Vvaddingum to. cit. Quæ ſequitur addit Floran. Martinellus.

¶ Anno 1247. Congregationem monachorum Sylueſtrinorum in Eremo S. Benedicti inſtitutam, Apoſtolico priuilegio primus decorauit Innocen. IV. in Conſt. *Religioſam*, 5. to. 1. Bullar.

* *Idem fecit Peruſia ...... de B. Petro Martyre.*] Non examen ſolùm huius Martyris (vt inquit auctor) commiſit; ſed poſt ſolertem inquiſitionem, ſtudioſam examinationem, & diſcuſſionem ſollemnem, ad ſollemnem quoque canonizationem deuenit an. 1253. nono Kal. Aprilis Pont. an. 10. vt in Conſt. *Magnis, & crebris*, &c. 11. Et idem paulò poſt de S. Staniſlao Epiſcopo Cracouienſi in Conſtit. *Olim à gentilium* 13. eodem tomo Bullarij.

NOVA

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI
Socie*t*atis Ieſv.

S. Antoninus. Philibert. Pingonius. Conſtan. Caiet. in Comm. ad vitam S. Gelaſij. Innocētij Creatio.

SINIBALDVS Fliſcus, quem aliqui Othonem nominant, Genuenſis ex Lauaniæ Comitibus, monachus S. Benedicti in Cœnobio S. Benigni Fructuariæ in agro Taurinenſi, & Canonicus Parmenſis, renunciatus Romanus Pontifex, dictus eſt Innocentius eius nominis Quartus. Hic, pater, & organum veritatis, Canoniſtarum ſplendor, & iuris pater à multis vtriuſque iuris peritiſſimis viris indigitatur. Huius creationem menſe Iunio celebratam refert Richardus his verbis: *menſe Iunio Sinibaldus titulo S. Laurentij in Lucina Cardinalis apud Anagniam in Papam Innocentium creatus eſt, voluntate, & conſenſu omnium Cardinalium.* Diem verò menſis, quo electus, & ſacris Pontificalibus delibutus eſt, notat Matthæus Pariſius: *Ipſo quoque anno*, ſcilicet 1243. *die Natiuitatis ſancti Ioannis Baptiſtæ creatus eſt in Papam Dominus Sinibaldus Cardinalis, poſtquam vacauerat ſedes per annum, & nouem menſibus, & die Apoſtolorum Petri, & Pauli confirmatus, & conſecratus eſt, & vocatum eſt nomen eius Innocentius IV.* Ex his, atque ex euiſdem literis perſpicuum eſt, Innocentium IV. an. noſtræ ſalutis 1243. Apoſtolicum ſolium conſcendiſſe, vt ſuperuacaneum exiſtimemus, ſcriptores alios, qui idem affirmant, enumerare: quibus eorum error depellitur, qui ad annum 1244. ſubſequentem, electionem Innocentij contulere. Ideo legimus inſtitutam fuiſſe Octauam Natiuitatis Virginis Mariæ; Cardinales enim voto ſe obſtrinxerant celebrandi per Orbem Octauam Natiuitatis Virginis Mariæ, ſi eis daretur, vt concordes procederent ad electionem Romani Pontificis. Innocentius ergo inſtituit celebrari feſtum Natiuitatis Virginis Mariæ die octaua menſis Septembris; & quia huiuſmodi electio Romani Pontificis gaudium & iucunditatem maximam attulit vniuerſo Mundo, propterea Pontifex ipſe attribuens, eam iucunditatem Natiuitati, & meritis B. Virginis, inſtituit, vt diceretur Antiphona illa: *Natiuitas tua Dei genitrix Virgo gaudiū annūciauit vniuerſo Mūdo.*

S. Antoninus. Octaua Natiuitatis Virginis Mariæ inſtituta. Hippol. Marracc. in Pontif. Marian.

Suſceptis Eccleſiæ gubernaculis nouus Pontifex de ſua creatione vniuerſos Chriſtifideles encyclicis literis, vt moris erat, certiores fecit, quibus enixè commendauit, vt pacem ardentiſſimis precibus à Deo flagitarent, ad Barbarorum furorem à Chriſtiano populo auertendum. Interea Federicus Imperator cum accepiſſet Innocentium ad ſolium Apoſtolicum prouectum, lætitiam præſetulit, vt teſtatur Richardus, qui de Pontificia creatione locutus ſubdit: *Quo audito Imperator, qui tunc erat Meſſanæ, vbique per Regnum laudes iuſſit Domino debitas decantari.* Simulaſſe lætitiam Federicum ſcribunt alij. Legatos tamen ad Innocentium ſtatim direxit, vt laudatus Richardus affirmat. *Menſe Iulio Imperator ad Papam mittit apud Anagniam Berardum Panormitanum Archiepiſcopum, Magiſtrum Petrum de Vinea, & Magiſtrum Taddeum de Sueſſa pro bono pacis, à quo benignè ſatis recepti ſunt, & benignum ad Principem reſponſum retulerunt.* Tres ex Cardinalibus Legatos Innocentius ad Federicum miſit, qui pacis articulos illi deferrent, & cum eo de pace tractarent.

Literas ſcribit de ſua creatione. Federicus Imp. ſimulat lætitiā in electione Innocentij. Legatos mittit. Bzouius in Annal. tom. 13. Legati ad Federich.

Vix Petri ſolium aſcenderat Innocentius, cum illico animum adiunxit ſuum ad firmandam in Eccleſia pacem. Peruſinos ſtudium erga Romanam ſedem ſeruare, atque opem Aſſiſinatibus laborantibus præcepit, quorum dolorem ob inflictam ab hoſtibus cladem literis delinire eſt conatus, atque inter cetera ſumma liberalitate Aſſiſinatibus induſſit, vt redditus omnes ad Romanam Eccleſiam in Aſſiſinate Diœceſi ſpectantes, annuo tantum trium Obolorum cenſu impoſito, viginti annorum ſpatio ad ſe deriuarent. Tudertinos, atque Vrbeuetanos ad reſtauranda iura Eccleſiaſtica diligenter iuſſu incumbere: Conſtitutiones aduerſus Eccleſiaſticam iuriſdictionem à Prætore Portuenſi editas reſcidit. Parmenſes Clero Eccleſiæ Cathedralis ſacere ſatis imperauit: Epiſcopum Parmenſem ab adminiſtratione ſacrorum ſuſpendit, eo quòd bona illius Eccleſiæ dilapidarat. Contradum Placentinum Prætorem, qui Nuncium quendam literas Apoſtolicas deferentem peſſimè acceperat, aliaque in Eccleſiaſticam Immunitatem ſcelera perpetrauerat, anathemate damnauit. Denique Ianuenſibus, vt à laceſſendis, opprimendiſque Eccleſiaſticis viris temperarent, atque Archiepiſcopale Palatium, quod inuaſerant, reſtituerent, imperauit: contra Hæreticos Italiam inficientes quamplurimos Inquiſitores inſtituit.

Curat Eccleſiæ pacem, & iura. Odericus Rinald. to. 13. Annal.

Porrexit etiam trans Alpes Pontificias curas, vt hæreſim penitus extingueret, atque euelleret, in Gallijs, in Croatia, & Dalmatia, quæ quamuis amputata ſæpius, reuireſcebat; & inter Barbaras nationes Chriſtianam Religionem propagaret. Germanis, qui ſigno Crucis aſſumpto in Hungariam contra feritatem Tartarorum proceſſerant, illam Indulgentiam, idemque Priuilegium elargitus eſt; quæ tranſeuntibus in Terræ Sanctæ ſubſidium in generali Concilio conceſſa fuerant. Inter Angliæ Regem, & Comitem Prouinciæ concordiam ſacramento firmatam approbauit. Suentopalcum Pomeraniæ Ducem iam anathemate damnatum, quòd Eccleſiæ claues contemneret, neque ad Eccleſiam redire curaret, & Chriſtianos Crucesignatos contra Prutenos Paganos depugnātes malè tractaret, redarguit Venceſlao filio Regis Bohemiæ, vt neptem Ducis Auſtriæ ſibi in quarto gradu propinquam in matrimonium aſſumeret, ad dirimendas inter Regem, atque Ducem diſcordias conceſſit. Regi Daniæ contra Paganos, qui in finibus ſui Regni neophytos armis violabant, profecturo, quandiu in ea expeditione militaret, tertiam partem decimarum, & Regni & prouinciæ Londonenſis liberaliter conceſſit.

Hæreſes curat extinguere, & Religionē Chriſtianam propagare. Oder. in Annal. Germanos contra Tartaros prouocat. Pacem inter Angliæ Regem, & Comitem ... Ducē redarguit. Regi Daniæ tertiā partē decimarum concedit.

Sanctus Ludouicus Galliarum Rex, Innocentium Federici Imperatoris inſidias fugientem benigniſſimè excepit, eumque ſpatio nouem annorum, quibus in Gallijs ille vixit, ſummis ſemper honoribus proſecutus eſt. Quare ob præclaram Francorum Regum in Romanum Pontificem munificentiam Innocentius Indulgentiam omnibus ijs conceſſit, qui quouis tempore pro Chriſtianiſſimo Francorum Rege preces fuderint.

Munificentiae erga ... Gallorum Rege ...

Primus omnium Romanorum Pontificum, teſte Federico Federicio Roſam auream ſacrauit, eamque dono dedit Canonicis ſancti Iuſti, qui hoſpitio eum exceperant in Ciuitate Lugdunenſi. Equitibus SS. Mauritij, & Lazari facultatem eligendi ſibi vnum in Principem conceſſit. Pacem inter Venetos, & Genuenſes firmauit: triginta Sacerdotia in ſola Baſilica Vaticana de nouo erexit.

Feder. Federici de famil. Fliſca. Rosam auream ſacrat. Fed. Feder. ibid.

Ad Saladinum Aegypti Sultanum, vt illum à Federico Imperatore alienaret, legationem miſit, eique mores, & facinora euiſdem, ruſto calamo expreſſit: extat apud Bzouium exemplar literarum Sultani Græca lingua Pontifici ab illo remiſſarum, quod pro rei nouitate libet hic inſerere.

Saladinū à Federici amicitia remouere ſtudet.

Præſentia Papæ nobilis, magni ſpiritualis, ſancti, affectuoſi, Tertiidecimi Apoſtolorum: Vniuerſalis loquela Chriſtianorū, Manutenentis adoratores Crucis, Iudicis populi Chriſtiani, Ductoris filiorum baptiſmatis, Summi Pontificis Chriſtianorum. Confirmet eum Deus, & det illi felicitatem. A Soldano potentiſſimo, regnante ſuper collationum, continente duas virtutes gladij, & calami, poſſidente duo præcellentiſſima ſcilicet doctrinam, & iudicium: Rege regnorum marium, Dominatore Auſtri, & Septentrionis, Rege regionis Aegypti, Syriæ, & Meſopotamiæ, & Mediæ, & Idumæ, & Ophir, Rege Tabelbeſech Aeob, filio Soldani Chamel Helemenabat, Mechmet filij Soldanis Regis Holdal, Ieberer, filij Aeob, cuius Regnum Deus dirigat.

Saladini litera ad Innocentium.

In Nomine DEI miſericordis, & miſeratoris, præſentata fuit ſcriptura Papæ magni, affectuoſi, ſancti, Tertiidecimi Apoſtolorum, Vniuerſalis loquelæ Chriſtianorum, Manutenentis adoratores Crucis, Iudicis Chriſtianorum, Summi Pontificis filiorum baptiſmatis. Faciat eum Deus de affectantibus bonum, & facientibus illud, & affectantibus pacem, & perſeuerantibus in cauſis eius, & adiuuet eum Deus in his, quæ decentia ſunt ad illos, qui ſunt ſui cultus, ſiue ritus, & ad alios.

Reſpeximus illas ſcripturas ſtudioſè, & intelleximus capitula, quæ eis inſerta erant; & eorum continentia nobis placuit, & delectatus eſt auditus noſter in relatu eorum. & Nuncius venit ad nos, quem miſit ſanctus Papa, & ipſum præuenimus cum honore, & dilectione, cum deuotione, & reuerentia; ipſumque vocauimus ad conſpectum noſtrum, ſibi inclinantes. Intendimus autem verbis eius, & fidem adhibuimus ei nuncianti nobis de Chriſto, ſuper quem ſit laus: de quo Chriſto plus ſcimus, quàm vos ſciatis, & magnificamus eum, pluſquam vos magnificatis; & de hoc quod dicitis vos deſiderare tranquillitatem, & quietem, & habere materiam conuocandi populos ad pacem, ſimiliter & nos deſideramus, nec volumus contraire, & hoc ſemper volumus, & deſiderauimus. Sed Papa, quem confirmet DEVS, ſcit, quod inter nos, & Imperatorem iandudum fuit familiaritas, & concordia perfecta a tempore Soldani patris noſtri, quem Deus ponat in claritate, & inter vos, & Imperatorem veſtrum eſt, ſicut vos ſcitis. Vnde non licet nobis aliqua componere cum Chriſtianis, niſi prius habuerimus ſuper his ipſius conſilium, & aſſenſum. Et nos ſcripſimus Nuncio noſtro, qui eſt in Curia Imperatoris, pro cauſis, quas detulit Nuncius Papæ, nunciantes, & capitula, & propoſita veſtra: ipſe Nuncius noſter veniet ad præſentiam noſtram, & poſtquam renunciauerit, faciemus iuxta tenorem reſponſi; nec diſcrepabimus ab eo, quod vtile videbitur vniuerſis. Ita quod poſſimus habere meritum à Deo, hoc vobis annunciamus; & bonum ampliabitur Deo dante in poſterum. Scriptum eſt hoc in ſeptima die menſis Macharon, quæ fuit lunatio Auguſti iuxta gloſſulam. Laus Deo ſoli, & benedictio eius ſuper Dominum noſtrum Machometum, & ſuper genus ipſius: ipſe ſit pars noſtra.

Federicus autem mœrore ingenti ob res ſuas depreſſas in Germania perfuſus, cum noui Imperatoris potentiam efflorescere videret ſtudio Innocentij, inſidias eius vitæ parauit, & quoſdam proſtigatos viros pro eo trucidando corrupit: hi enim Lugduni capti, tormentorum vi conſpirationis auctorem, & participes indicarunt. Altera verò coniuratio, quam Vualterius de Orca Federici Clericus, ac præcipuus conſiliarius in Innocentium conflauerat, ab altero ſceleris conſcio, diuinæ prouidentiæ conſilio paucos poſt dies letali morbo correpto, detecta eſt. At, cum occultas inſidias euanuiſſe cerneret Federicus, vim apertam inſtruxit, conflatoque potentiſſimo exercitu Gallias ad opprimendum Pontificem, tunc tempor ſibi degentem bello aggredi ſtatuit. Taurinum igitur prætergreſſus Federicus, ingenti militum multitudine ſeptus in Gallos minaces Aquilas attollebat, cum Innocentij conſanguinei vna cum ijs, qui Patria electi Placentiæ ſedes fixerant, arrepta occaſione, dum Entius Fe

Oderic. in Annal. Innocentij vitæ inſidias parat Federicus. Federici inſidiæ euaneſcunt. Federicus arma mouet contra Innocentiū. Monach. ... in Chron.

derici in Italia Legatus, cum exercitu Cremonenſium Quinocianum Brixiæ caſtrum obſidione tentabat, Parmam menſe Iunio ingreſſi Prætore neci tradito, Federici ſectatores pepulerunt. Terruit Federicum Parmenſium defectio, ac veritus, ne ſi vlteriùs ſigna inferret, Italiæ reliquæ Vrbes, ac Sicilia ipſius iugum è ſuis ceruicibus depellerent, prætermiſſa Gallicana expeditione, reflexit iter, & iram exæſtuans cum exercitu numeroſiſſimo Parmam obſidione cinxit, at poſt biennium Gregorius Montelongus Apoſtolicæ ſedis Legatus, cum præſidio ſociarum Ciuitatum eruptione facta, Federicum nihil tale metuentem fudit, fugauit, & caſtris exuit.

Poloni ſubueniſ. Pontifici. Longinus in Hiſtor. Polon. Sublatum in Polonia mos, quo à ſeptuageſima carnium abſt. actum induſt. eſt.

A Poloniæ Epiſcopis, & Clero pecuniarum ſumma accepta, vt Romanam Eccleſiam a Federici Imperatoris inſidijs defenderet, publicas eis gratias egit Innocentius, eiſdemque conceſſit, vt ritus obſeruandæ Quadrageſimæ more Orientalis Eccleſiæ a ſeptuageſima inchoandæ, ab ipſis Polonicæ Eccleſiæ incunabulis ſuſceptus, cum non leues controuerſias pareret, penitus auferretur. Populi enim negabant more Occidentalium ea religione teneri; contra Epiſcopi in eos cenſuras diſtringebant: quare Iacobus Leodienſis Archidiaconus Apoſtolicæ ſedis Nuncius in conuentu Vratiſlauienſi, iubente Innocentio Polonis eſum carnium ad diem cinerum permiſit.

In Scotia collect. ſubſidium.

Vt facilius Federico reſiſteret Innocentius, quoſdam Religioſos viros in Angliam, Hiberniam, & Scotiam miſit, qui ſubſidia in ea Eccleſiæ perſecutione flagitarent: horum vnus Vuillelmus Minorita, qui ab Alexandro Scotorum Rege humaniſſimè habitus magna pecuniarum ſubſidia contraxit.

Legationes variæ inſtitutæ.

Legatos multos ad diuerſos Principes direxit, ad Guillelmum ſcilicet Regem Romanorum, vt Regnum Siculum, & alia hæreditaria Eccleſiæ bona tueretur, ſeque ad Imperij diadema ſuſcipiendum diſponeret. Guillelmum Sabinenſem Epiſcopum in Pruſſiam, & Noruegiam deſtinauit ad erigendam Catholicæ Religionis cauſam, & tumultus exortos componendos: duos alios S.R.E. Cardinales in Siciliam miſit ad Federici Imperatoris potentiam, Synodi ſententia Imperio abdicati confringendam. Petrum vero Capoccium Diaconum Cardinalem in Germaniam, Daniam, Poloniam, ac Pomeraniam, ad coercendos Federici Imperatoris impetus contra Romanam Eccleſiam: Iacobum Leodienſem Archidiaconum in Poloniam ad ſedandos illius Regni tumultus: Deſiderium Religioſum virum in Hiſpanias ad corrigendum audax, & ſacrilegum facinus Iacobi Aragonum Regis, tum ad cognoſcendum Luſitaniæ Regni ſtatum, alioſque in Galliam Ciſalpinam pro conciliandis diſſociatis Ciuitatibus, & pro iuribus, ac bonis Eccleſiæ tuendis, & adminiſtrandis.

Bzou. in Annal. Oder. Raynald. in Annalib. tomo 13.

Præter hæc Innocentius alia plura curauit. Mariæ Othonis Imperatoris relictæ, Ducis Brabantiæ materteræ, vt de bonis, quæ in Hollandia, & Zelandia poſſederat, teſtari poſſet, dummodo primi anni fructus in exoluendo ære alieno computarentur, conceſſit. Periclitantibus in Oriente omnibus Latinis, vnàque ſimul cum Imperatore Balduino quaſi in extremum diſcrimen adductis ſubuenire cupiens, piam Crucis militiam in eorum ſubſidium indixit. Bohemiæ, & Hungariæ Reges inter ſe dimicantes ad pacem mutuam reducere conatus eſt. Proficiſcentibus quibuſcunque Religioſis ad Sarracenorum, & Paganorum conuerſionem quamplurima priuilegia conceſſit. Fratribus Eremitanis in Tuſcia diſperſis & habitum, quem induerentur, & ſancti Auguſtini Regulam, quam profiterentur, aſſignauit, eorumque inſtitutum approbauit. Diſcordias Græcorum, & Latinorum ſua auctoritate diremit, & quæſtiones inter eos de Baptiſmate, Chriſmate, & Euchariſtia definiuit, quidque in ſingulis ſiue credendum, ſiue agendum eſſet, Legato ad Cyprios miſſo præſcripſit. Rogatus à Clero Bellouacenſi feſtum diem inuentionis S. Stephani Protomartyris in ea Vrbe, ac Diœceſi celebrandum indixit. Archiepiſcopo Pruſſiæ vt ante ſe Crucem deferret, permiſit. Fratres ordinis Minorum ad Principem Tartarorum, & S. Dominici Alumnos ad Iacobitas, Neſtorianos, Gregorianos, Armenos, Græcos, Maronitas, Moſolinos direxit. Confirmauit ſacræ Carmelitarum familiæ inſtitutam excolendæ vitæ religioſæ rationem eiuſdemque ordinis Alumnos ſemper patrocinatus eſt Virginis Mariæ monitu, vt Palæonydoros in hiſtoria, & Lezana in Maria Patrona referunt his verbis: *Fratres ordinis Carmelitarum, dum in diuerſis Europæ partibus fuiſſent multiplicati præſertim in Eremo Aquilegienſi apud Marſiliam, in Auenione quoque, & in Arelata, & pluribus alijs locis per deuotorum fidelium ſubſidia Monaſterijs fundatis, plures Eccleſiarum Prælati diuerſas eis moleſtias intulerunt. At beatiſſima Dei Mater Virgo* MARIA *à ſuis fratribus humiliter inuocata apparens Priori Carmelitici ordinis Generali, ait; vade ad Innocentium IV. intrepide, qui iuxta ſui nominis interpretationem partem innocentium ſouere conſueuit. Igitur Virginis conſilio Innocentium accedentes, ab eo mira humanitate tractati pia vota ſua conſecuti ſunt.*

Inſ. ſoliū ſalutem procurantibus priuilegia concedit. Eremitis S. Auguſ. nouā regulā dat. Græcorū, & Latinorum diſcordias dirimit. Fratres Minores, ac Dominicanos mittit ad ſaluſ. teles. Carmelitarum ordinem cōfirmat. Io. Bapt. Lezana in Mar. Patron. Mariae. in Pont. Maria. Virginis monitu Carmelitas patrocinatur.

Reſtaurat. Cruciferorum Paul. Mor. Annibal. Cancell. in fund. Relig.

Cruciferorum quoque ordinem, dū in Gallijs eſſet, ad antiquum ſplendorem reſtituit: Placentiæ Academiam erexit, eamque omnibus prærogatiuis, quibus Pariſienſis, ornauit: Ianuenſis Archiepiſcopi auctoritatem in nonnulla Terdonenſis Diœceſis oppida amplificauit: Scenenſi Epiſcopo permiſit, vt in diuinis officijs, libris Sclauonico charactere exaratis vteretur. Eccleſiæ Anconitanæ Decretum à Ioanne Bono Epiſcopo editum, videlicet vt nullus, qui annos vigintiquinque non attigiſſet, ac tribus annis literis operam non nauaſſet, beneficium conſequi poſſet, confirmauit. Nicolaum Epiſcopum Albintimilienſem apud ſedem Apoſtolicam de varijs exceſſibus accuſatum Epiſcopatu amouit; at ſpeciali gratia deinde eidem permiſit, vt ſacerdotis munere fungeretur, ac beneficia Eccleſiaſtica, ſeu dignitates, non tamen Pontificalem obtineret, vt ex epiſtola ad ipſum data, quæ habetur in Regiſtro Vaticano, conſtat. In Eccleſia Anagnina, vbi tantùm vnicus reſidebat Sacerdos, nec vllus Diaconus, vel Subdiaconus, paucique alij Clerici erant, ad petitionem Pandulphi Epiſcopi duos Diaconos, totidemque Sacerdotes inſtituit.

Fer. Ital. Vghel to. 3. Ital. ſac. Idem to. 4. Ital. ſac. Idem t. 1.

Lugduno cum Cluniacum acceſſiſſet Innocentius, in feſto paſſionis S. Andreæ, quod in Gallia maximè ſolemne eſt, Miſſam ad ſummum Altare exiſtens Monaſterij cum maximo ſplendore Apoſtolicæ dignitatis celebrauit; aſſiſtentibus ſibi ad Aram duodecim Cardinalibus, ſacra verò myſteria in Pontificali decore ſpectantibus Antiocheno, & Conſtantinopolitano Patriarchis, Archiepiſcopis inſuper Rhemenſi, Lugdunenſi, & Biſuntino; Pariſienſi verò Cabilonenſi, Lingonenſi, Claromontenſi, Catalaunenſi, Sueſſionenſi, alijſque multis Epiſcopis; Cluniacenſi Cœnobiarcha, & Ciſtercienſi cum alijs pluribus Abbatibus. Sanctorum Verani, & Honorati Confeſſorum Reliquias, terminato Concilio Lugdunenſi, omnium venerationi expoſuit apud Iargolium in agro Aurelianenſi, & ibidem Eccleſiam conſecrauit.

Ang. Manriquez to Annal. Ciſterc. ex. And. Sauſſay in ſuo Martyrol. Gallic.

Sattachus Tartarorū Chriſtianos ſinu amplectitur.

Cum Sattachus Tartarorum Rex diuino colluſtratus lumine, atque baptiſmalibus ſacris ablutus eſſet, Ioannem Presbyterum ad Innocentium tranſmiſit, vt ſupremum in terris Chriſti Vicarium agnoſceret. Quo ingenti gaudio delibutus Pontifex Sattacho ipſi gratulatus eſt Chriſtianam fidem vnà cum Principibus amplexum, omnes criminum ſordes baptiſmo deterſiſſe, paternique amoris notis inſignibus literis ad formandos ex diuina lege mores, ſectandas virtutes, diuinam amplificandam gloriam, ſubditoſque ad Chriſti cultum adducendos excitauit.

Innocen. Epiſtola.

Albania in obſequiū Eccl. Rō. procubuit.

Adiunxere ſe Romanæ Eccleſiæ ſub hoc Pontifice nonnullæ prouinciæ, quæ Græci Schiſmatis, quo tenebantur, vinculis diſtractis, ſe in filiorum Dei libertatem vindicarunt. Prætulit facem inter ceteros populis ſuis Albaniæ Epiſcopus, qui nemini extra Eccleſiam Romanam ſalutem patere agnouit; quem Innocentius benignè excipi iuſſit, datiſque Archiepiſcopo Antiuarenſi literis imperauit, vt ſi nulli Latino Epiſcopo antea obnoxius fuiſſet, illum ſedi tantùm Apoſtolicæ parituram decerneret. Nec Albania modò, verùm Vrania, & finitimæ prouinciæ, quæ latiſſimè excurrunt, miſſo Græcorum Schiſmate Apoſtolicæ ſedi ſe ſubmiſerunt. Quo læto Nuncio, maximo gaudio delibutus Innocentius ſummo Prædicatorum in Hungaria Magiſtro munus demandauit, vt in eas regiones ſocios ad inſtruendos populos, ac traducendos ad Eccleſiæ Romanę obſequia mitteret. Mendog quoque ſiue Mindanus Lituanorum Princeps Ethnicorum abiectis erroribus in Eccleſię obſequium tanto pietatis ſenſu, atque ardore ſe demiſit, vt Principatum etiam Diuo Petro pijſſimè detulerit, ſeque illius ſtipendiarium fuerit profeſſus: cui Innocentius amantiſſimè ſinum explicuit, eius ditionem in clientelam Apoſtolicam arripuit, atque adornandam præclaro aliquo præmio eius pietatem, regia illum dignitate inſigniuit. Ruſſi etiam ad Romanæ Eccleſiæ obſequium rediere, qui licet antea Euangelica luce eſſent colluſtrati, in Græcorum tamen Schiſmate, atque erroribus merſi aliquandiu iacuerant. Ad hos Pruſſiæ Archiepiſcopum Apoſtolicæ ſedis Legatum miſit, illique iniunxit, vt doctiſſimos quoſque viros ſcientiæ, ac virtutum laude conſpicuos, ſiue ſeculares ſacerdotes, ſiue ex Prædicatorum, ac Minorum religioſis familijs, & alijs regularibus Epiſcopos Ruſſis præficeret, iiſque conſecrationis munus impertiretur.

Bzouius tom. 13. Annalium. Vrania & aliæ Prouinciæ Romanæ Eccleſiæ imperio adiunctæ. Oder Rinald. t. 13. Annal. Lituani ad Eccleſiam Romanā cōfugiūt. Innocen. Epiſtola. Idē Ruſſi.

Præter Innocentij ſcripta, quæ ſupra enumerauit Ciaconius, ſcripſit etiam teſte Poſſeuino de poteſtate Imperij, & Eccleſiæ librum, alium ab Apologetico, de quo Ciaconius ſupra. Ordinauit etiam ex Baronio in Notis Martyrologij ad diem xv. Septembris, Officium, quòd in Octaua Natiuitatis B. Virginis Mariæ recitare ſolemus. Scripſit inſuper Exceptionum librum, & in ſextum Decretalium, atque Epiſtolarum ad diuerſos librum vnum: ſingularia huius Pontificis opera à Bartolo ſæpe citantur. Tradunt poſt Synodum Lugduni habitam, in qua Federicum Cæſarem Imperio abdicauit, cum ibidem longiùs moraretur, Commentarios ſuos in Decretales conſcripſiſſe: qui quidem Commentarij in tanta apud poſteros Iureconſultos auctoritate fuerunt, vt plerique patrem veritatis Innocentium appellauerint. In eo tamen à quibuſdam reprehenſus eſt, quòd dum breuis eſſe laborauit, obſcurus fuerit: hoc memorabile eſt, quòd quanquam Pontifex iam Commentarios illos ediderit, non tamen maiorem illos auctoritatem aliorum ſcriptis habere ipſe quoque voluerit, & ingenuè ſæpe profeſſus fuerit non hoc ſe cogitaſſe cum commentaretur, vt Gloſſæ ſuæ ius facerent.

Innocētij Scripta. Poſſeuin. Iacob. Ludou. à S. Carolo. In P. chard. ... Iuriſconſ.

Obijt Neapoli in Archiepiſcopali Palatio Innocentius, & ſepultus in principe illius Ciuitatis Templo, in ſepulchro marmoreo ab Humberto Archiepiſcopo Neapolitano multos poſt annos illi erecto, cuius hac expreſſimus delineationem.

Barthol. Ciac. ar. d. Anaſt. Neapol.

[Innocentij obitus.] Contigiſſe Innocentij obitum Idibus Decembris Ciaconius, octauo verò Idus eiuſdem menſis Pariſius affirmat; Stero autem & Panuinius certius rem aſſequuntur, dum ſeptimo Idus Decembris euenisſe ſcribunt, quorum ſententia conſentit cum Alexandro IV. qui in encyclicis literis eodem die mortem Innocentij conſignat his verbis. *Sane felicis recordationis Innocentio Papa Prædeceſſore noſtro vij. Idus Decemb. in Regno Siciliæ, in Ciuitate ſcilicet Neapolis, de anguſto, & atro carnis carcere vocato, ſicut ſperamus, ad ſpatioſum, & lucidum Cæli palatium, vt de multis laboribus, quos pro Eccleſiæ honore, ac libertate conſtanter pertulit, mercedem quietis percipiat ſempiternam, &c.*

[Varia de Innocentij morte. Luc. Vuadd. ingus in Annal. Minorum. Pariſius in hiſt. Anglicana.] Extinctum cœleſti viſione tradit Cantipratenſis, ob Prædicatorum, & Minoritarum Priuilegia reſciſſa, & repentina percuſſum paralyſi, vocis officium ad mortem amiſiſſe; ſed hæc, aliaque huiuſmodi, patet conficta fuiſſe ex ſcriptoribus illius æui, qui tradunt, ipſum aſtantium conſanguineorum ipſius mortem imminentem plus æquo lugentium puſillanimitatem increpuiſſe, ac ſæpiùs ea verba in extremis vitæ confinijs repetijſſe: *Domine propter iniquitatem corripuiſti hominem.* Ex humana ergo infirmitate, non diuina vindicta, vt effutiunt, deceſſiſſe Innocentium dicendum eſt. Refellenda quoque Pariſij figmenta, qui ob Roberti Lincolnienſis Epiſc. extra fidelium communionē defuncti oſſa è ſepultura Eccleſiaſtica eruta, ſcribit Robertū in ſomnis Innocentio ſe videndū obieciſſe, ac pedo Epiſcopali latus percuſſiſſe, ex eoque contracto morbo Laterali deceſſiſſe.

Explodendum pariter, vt fictitium viſum illud, quod idem Pariſius Cardinali cuidam obiectum ſcribit his verbis: *Accidit eadem ſeptimana, qua Papa Innocentius IV. migrauit ab hoc ſeculo, viſio quædam nocturna mirabilis cuidam Cardinali, cuius nomen ſupprimitur ad cautelam. Videbatur enim ſibi, quod fuerat in Cælo coram maieſtate Domini ſedentis pro Tribunali, à cuius dextris ſtabat beata Virgo mater eius, à ſiniſtris verò quædam matrona nobiliſſima, corpore, & habitu venerabilis, quæ extento brachio ſupra manum ſiniſtram deferebat quaſi Templum, & ſcribebatur in fronte Templi illius literis aureis,* ECCLESIA. *Coram vero maieſtate diuina incuruatus Innocentius IV. iunctis manibus, & erectis, flexiſque genibus petiuit veniam, & non iudicium: nobiliſſima autem mulier ait ex aduerſo: iuſte Iudex rectè redde iudicium: accuſo enim eum ſuper tribus. Primo cum in terris Eccleſiam fundaſſes, libertatibus eam donaſti, quæ à te ipſo proceſſerunt; hic verò eam reddidit ancillam viliſſimam: ſecundo fundata eſt Eccleſia ſalus peccatorum, vt ſcilicet lucrifaceret animas miſerorum; hic vero fecit eam menſam nummulariorum: tertiò fundata eſt Eccleſia in fidei firmitate, iuſtitia & veritate: hic verò fidem, & mores fecit vacillare, iuſtitiam ſuſtulit, veritatem obumbrauit: iuſtum ergo iudicium redde mihi. Ait autem Dominus, vade, & pro meritis tuis mercedem apprehende, & ſic ablatus eſt. Cum verò ex terrore ſententia euigilaſſet Cardinalis, clamans effectus eſt, quaſi extra ſe, vt omnes ſui dicerent ipſum furere: tandem mitigato dolore viſionem ſuam pleniùs cœpit enarrare, & publica facta eſt in partibus illis.* Hactenus Pariſius, à quo allatam hiſtoriam, ſi non ab ipſo effictam, ſaltem ab Innocentij inuidis, & obtrectatoribus ſubornatam fuiſſe quilque prudens, & cordatus facilè agnoſcet; cum tria illa accuſationis capita Innocentij animæ obiecta perpenderit. Num enim Eccleſiam in ſeruitutem redegiſſe dicendus eſt, qui ad tuendam illius libertatem, atque ad vindicandam in Aragonia ab improborum iniurijs rem Eccleſiaſticam à Benedicto Tarraconenſi Archiepiſcopo Concilium Prouinciale celebrari iuſſit? Tot labores adijt, atque aduerſus Federici, atque Conradi in Sicilia, Italia, & Germania opprimentium tyrannidem tot annis generoſiſſimè dimicauit, eamque in Luſitania aduerſus Sanctiū propugnauit, defendit in Gallijs aduerſus fœderatos Principes illam labefactare meditantes, quorum nefaria conſilia diſſoluit? Quod ad ſecundum ſpectat, omnis ab eo criminis labes abeſt, ſi ad ſuſtinendos belli pro Eccleſiæ cauſa geſti ſumptus, ab Eccleſiaſticis ſtipendia collegerit. Tertium verò crimen, idque grauiſſimum, nimirum fidem in diſcrimen adduxiſſe, ac mores Chriſtianos deprauaſſe longè ab eo abhorret. Quantum enim ſtudij ad extinguendas Hæreſes, reuocādos ad Eccleſiæ coniunctionē Ruſſos, Græcos, ceteroſque Schiſmaticos, Tartaros, & alios Infideles Euangelij luce colluſtrandos defixerit ex ſupra dictis conſpicuum eſt, & probant grauiſſimæ leges ab eo ad aſſerendam contra Hæreticorum errores fidem, actum ipſos, ipſorumque ſtudioſos meritis pœnis afficiendos promulgatæ, quæ cum à pluribus typis editæ ſint, illas indicare ſufficit. Quòd denique ad deprauatos mores ſpectat, contra ad eos componendos Apoſtolicam ſollicitudinem attuliſſe, tot egregiæ, ab eo latæ Conſtitutiones, atque exaratæ Diplomata illuſtrant. His adde, auſtam rei confictæ ſuſpicionem augeri ex ſuppreſſo à Pariſio Cardinalis nomine, cui viſum illud oblatum fertur; ex induſtria enim ſubiiciuiſſe ne mendacij argueretur, probabili argumento eſt. [Pariſius.] Nec minus in conſignando mortis Innocentij tempore, quàm vita traducenda, à veritate aberrarunt illi, qui anno 1273. menſe Ianuario ſubita morte oppreſſum imperitè ſcripſere.

[Bzou. an. 1254. Io. Fichardus in vit. Iuriſconſ.] Quamuis Innocentij corpus in Archiepiſcopali Eccleſia Neapoli conditum iaceat, nonnulli tamen in S. Laurentij Templo ſepultum ſcripſere, quos ideo hallucinatos arbitramur, quòd Innocentius III. Peruſij in præcipua S. Laurentij Eccleſia ſepulchro traditus fuerit, ac nominis ſimilitudine decepti Innocentio IV. tribuere, quæ de altero refertur. Nec probamus quæ ad conciliandos diſſentientes inter ſe auctores recentior aliquis ſcribit, prius Innocentij IV. corpus in ſacris S. Laurentij ædibus tumulo datum, ac poſtea in Eccleſiam principem illatum, cum nullius antiqui ſcriptoris auctoritate nitatur, imò antiqui Chronici Cauenſis teſtimonio refellatur ſic: *Obijt Innocentius Papa IV. in Ciuitate Neapoli, & ſecundo die obijt ibidem Stephanus Cardinalis, quorum corpora tumulata ſunt in maiore Eccleſia prædicta Ciuitatis.*

[Heduuigis obitus.] Sub hoc Romano Pontifice ad ſuperos euolauit Idibus Octobris ex Martyrologio Romano; vel ex Dlugoſcho vij. Idus Octobris anno 1243. in Polonia, ſanctitatis gemma, continentiæ ſpeculum Heduuiges Duciſſa Vratiſlauienſis, Henrici olim vxor, quæ raro exemplo in maritali thoro plurium virginum merita ſuperauit, deque mundi delicijs triumphans Tzebnicenſe Monaſterium ingreſſa, ſanctiſſimè vixit: vnde diuinum numen ad illuſtranda ex voluntaria corporis maceratione comparata merita, nitidiſſimum, ac lucidiſſimum ipſius corpus poſt eius mortem reddidit. [Odericus Rinaldus in Annal. Bzouius in Annal.] Anno 1244. martyrio coronatus occubuit Raceburgenſis Eccleſiæ Pontifex ſub Duce Alberto. [Raceburgenſis Epiſcop. Martyr.] Anno 1246. die xix. menſis Maij obijſſe beatam Humilianam Florentinam ex illuſtri Circulorum familia Diui Franciſci Sanctimonialium vitam complexam ſcribit Bzouius; [Bzouius ibidem. B. Humilianæ.] & xvi. Kalen. Iulij ſanctam Lutgardem in beatorū ſedem emigraſſe teſtatur Thomas Cantipratenſis, qui eius res geſtas præclarè conſcripſit. [S. Lutgardis.] Bronæ in territorio Ticinenſi xvi. Kalend. Maij anno 1248. diem obijt extremum ſanctus Conradus ex antiqua, & illuſtriſſima Ateſtinorum familia. [S. Cōradi.] In Hiſpanijs anno 1250. paſſus eſt B. Dominicus Innocens Cæſarauguſtanus, cuius martyrium ex Tabulario Eccleſiæ Cæſarauguſtanæ refert Hieronymus Blanca. [B. Dominici Martyrium. Chronic. Cæſaraug.] Anno 1252. xv. Kalendas Aprilis S. Iutta virgo olim pediſequa ſanctæ Eliſabethæ. [S. Iuttæ morſ.] Anno ſequenti 1253. deſierunt eſſe in humanis Ioānes Theutonicus ordinis Prædicatorum ſummus Magiſter multis miraculis clarus. [Io. Theutonici. Leand. de Vir. Illuſ.] Sancta Fina virgo in oppido S. Geminiani in Hetruria, nata; [Finæ Virginis.] & Richardus Ciceſtrenſis Epiſcopus in Anglia ſanctitate, & doctrina inſignis, beati olim Edmundi Cantuarienſis Archiepiſcopi Clericus, ac familiaritate ipſi coniunctiſsimus. [Richardi Epiſc. Surius to. 2. die iij. Aprilis.]

[Pariſius. Concilia Vratiſlauienſe, Lanciciēſe.] Præter Lugdunenſe Concilium, de quo ſupra Ciaconius, habita etiam ſunt primo Vratiſlauienſe per Legatum ſedis Apoſtolicæ Iacobum Archidiaconum Leodienſem Poloniæ Epiſcopis indictum, vt Eccleſiaſtici ſubſidium aliquod Romano Pontifici darent contra Feder cum Cæſarem. Deinde Lanciciēſe, in quo Fulco Archiepiſcopus Gneſnenſis Conradum Maſoniæ Ducem anathemate percuſſit, ac diris deuouit, eo quod Epiſcopi Cracouienſis bona diripuiſſet, ac incendiſſet.

SIGNV̄ PP. | NOTAS FAC MIHI DOMINE VIAS VITAE. | INNOC. IV.

PRIMA CREATIO CARDINALIVM
Innocentij Papæ IV.

Anno Dominicæ Incarnationis 1244. Pontificatus II. Innocentius IV. Romanus Pontifex in quatuor Temporibus Aduentus Domini Lugduni in Concilio Generali primùm creauit Cardinales, quibus Galerum Purpureum dedit, quo ſignificari voluit, eos, qui in illum ordinem legerentur, paratos eſſe debere pro libertate Eccleſiaſtica, ſi opus fuerit propriam vitam exponere. De hac Galeri miniati inſtitutione, & cauſa ſic Cardinalis de Alliaco dictus Cameracenſis in libro de Eccleſiæ poteſtate; *Status*, inquit, *Cardinalium S.R.E. præſtantia in eo conſiſtit, quemadmodum ipſi dum eliguntur, ex charitate ſe obligant, vt cum capite ſuo Romano Pontifice, certo Chriſti Vicario, cuius pars corporis myſtici ſunt, cumque eo vnum corpus efficiunt Collegium, ſeu Senatum ſacroſanctum ad amplificationem, atque cuſtodiam vniuerſæ Chriſtianæ Religionis, vt Chriſti fidem, & Chriſtianos omnes communiter, priuatèque totus, vt aiunt viribus defendant, ſanguinem mehercule, ſi opus ſit, pro illis effundant, neceſſe eſt, atque in hac ſententia conſtantiſſimè permanere debent. Cuius rei ſignum eſt omnibus manifeſtiſſimum, quòd ſoli Cardinales cum Pontifice ſummo purpureis Galeris vtuntur propter Cardinalatus præſtantiam, & virtutis gradus efficaciam, in S.R.E. Matre omnium Chriſtifidelium, propter ſtatus dignitatem, ad quam aſſumuntur à Romano Pontifice, cum Cardinales creantur.* De eodem Cardinalium Galero Platina, Guaguinus, Aemilius, Genebrardus.

Cardinales ab Innocentio renunciati in hac prima Cardinalium Creatione fuerunt.

Otho Candidus, aliàs Blancus ex Diacono Cardinali S. Nicolai in Carcere Tulliano Epiſcopus Portuenſis, & S. Rufinæ.

Ciacconius

Petrus Frizon in Gall. Pur.

Claud. Robert. in noua Gall. Chriſtian.

Dodreus in Catalog. Archiep. Rothomag.

Car. Sigõ. de Regn. Ital.

I.



A

MAG. PETRVS de Collemedio, Campanus, vir conſpicuæ Religionis, & non mediocris literaturæ, Diui Audomari tunc temporis Diœceſis Morinenſis Præpoſitus, in Anglia moratus in contubernio, Pandulphi Nuncij Apoſtolici, & S.R.E. Camerarij, Lutetiæ etiam Pariſiorum aliquot annos vixit. Honorij III. ac Gregor. IX. ſummorum Pontificum a Sacrificijs, Archiepiſcopus Rothomagenſis inauguratus eſt, & in Eccleſia D. Audoëni Pallium B accepit: quam Eccleſiam aliquot annis rexit. A Federici Imperatoris filio, & Piſanis captiuus factus eſt in mari Mediterraneo cum alijs quamplurimis Romam ad Synodum properantibus; quorum nonnulli interfecti ſunt; idem vitæ periculum ſubijſſet Petrus, ni ſanctus Ludouicus pro illo interceſſiſſet. Deinde ab Innocentio IV. in Concilio generali Lugduni Epiſcopus Cardinalis Albanenſis renunciatus, legatione functus eſt apud Federicum Cæſarem, vt pacis fœdus cum eo firmaret; inde contra Albigenſes altera legatione nobilitatus eſt ſub eodem Pontifice.

Ciaconius, ac Petrus Frizon aſſerunt hunc Cardinalem natione Gallum è prouincia Campaniæ oriundum, non Italum extitiſſe, verùm ambo teſte Vghellio grauiſſimè lapſi ſunt; cum natione Italus ex oppido, vulgò de Collemedio dicto, quod in Romana Campania C iacet, originem traxerit: id ex multis epiſtolis Innocentij IV. ad Ioannem Odonis prænobilis viri ex Dominis Fruſinonis filium ſcriptis, in quibus conſanguineum iſtius Cardinalis Epiſcopi Albanenſis appellat, clariſſimè patet. Aſſentiri videtur Claudius Robertus, cum in Archiepiſcoporum Rothomagẽſium catalogo illum natione Italum fuiſſe aſſerit; nec minus erroris conuincitur Cæſar Alexius in ſua prima Centuria Virorum illuſtrium Peruſinorum, qui hunc Petrum de Collemedio, vt Ciuem Peruſinum gentis Comitulæ ex Comitibus Collismedij collaudat. Cum eius contemporanei ſcriptores ortu Campanum affirment: quis verò non videt, quàm longè ab Hetruria Campania diſtet; præterquam quòd etiam ſequentes verſus, qui in Eccleſia Rothomagenſi leguntur, Alexij errorem redarguere videntur.

Hanc Sedem Petrus medio de Colle ſubiuit, D

In quo ius, pietas, ratio, lux, gratia fulſit:

Ortu Campanus, ſenſu Cato, dogmate canus,

Cuius larga manus, ad ſumma negotia Ianus.

Inclytus Athleta fidei, propria nece ſpreta

Sulcans claſſe fretum fuit hoſtis præda quieta.

More rapax Pardi, tulit hunc Papa, & ſibi Cardi-

Nalem fecit eum, vidua rapiens Eliſeum.

In Metropolitana Eccleſia Rothomagenſi decem erexit ſacerdotia, eaque Sacerdotibus conceſsit, vt ſacram in ea Hoſtiam ſingulis diebus Deo libarent. E

Luc. Vvadding. in ſuis Annal. Minor.

Deceſsit anno 1 2 5 3. repentina morte; quam illi prædixit frater quidam Minorita: ex Mariano in Chronico, Frizonio, & alijs habemus Petrum obijſſe anno 1254. At Innocentius in epiſtola data anno ſui Pontificatus XI. iij. kalen. Nouembris, qui fuit Chriſti 1253. Eccleſiam Albanenſem tunc vacantem commendat Henrico Archiepiſcopo Barenſi, cum tota ſua familia tunc exulanti, à Federico II. pulſo, eundemque adminiſtratorem eidem Eccleſiæ conſtituit ad beneplacitum Apoſtolicæ ſedis, vt habetur in Regeſto Vaticano. Huius meminit ſanè cum laude Carolus Sigonius, non ita in ſua Hiſtoria Matthæus Vueſtmonaſterienſis. Cantipratẽſis narrat mortem cuiuſdam Cardinalis ob leuiſsima quædam Prædicatoribus, ac Minoribus irati, etſi auctor Cardinalis nomen tacuerit, Lucas tamen Vuaddingus ex ſignis in cognitionem hominis ſe deueniſſe fatetur, & ſcribit fuiſſe Petrum de Collemedio: fides ſit penes ipſum F Hiſtoriam refert to. 2. Annalium Minorum ad annum 1254.

Tempore, quo Petrus Eccleſiam Albanenſem adminiſtrabat, Innocẽtius IV. ad eius preces vnionem Monaſterij de Palazuolo Diœceſeos Albanenſis ſub Gregorio IX. indultam ordini Ciſtercienſi, & Monaſterio SS. Vincentij & Anaſtaſij Trium fontium de Vrbe nouo Diplomate confirmauit. Innocentij iuſſu Eccleſiam S. Mariæ Hadrienſis in Cathedralem erexit, & Pennenſi vniuit, ac ſanxit, vt Epiſcopus Pennenſis, & Hadrienſis diceretur. Extant apud Vghellium in tomo 1. Italiæ ſacræ Petri literæ Clero, Poteſtati, Conſilio, & Communi Hadrienſi datæ.

II.



A

GVILLELMVS à Ciaconio Subalpinas, ab Aubery Pedemõtanus dictus, cuius patriam, & agnomen ignoramus, ab Honorio III. anno Pontificatus nono Legatus Apoſtolicus in Liuoniã, & Pruſsiam ad promulgandum Chriſti Euangelium miſſus cum facultate Epiſcopales ſedes in illis regionibus erigendi, & Epiſcopos conſtituendi. Hunc Honorius virum vitæ honeſtate, optima conſuetudine, ac non vulgari eruditione conſpicuum vocat, eumque omnibus Prælatis commen- B dat. In hac legatione Heduuigem filiam Principis Bertoldi Marchionis Morauiæ, & Comitis Tirolenſis, ac Henrici Ducis Sleſiæ, & Poloniæ vxorem, ſanctitate illuſtrem, tunc temporis ægrotantem inuiſit, eidemq; præcepit, vt carnes dum ægrotaret, comederet: Legati Apoſtolici imperio paruit, & affirmabat ſe plus animo grauari illius cibi cauſa, quàm corpore affligeretur, morbo, illo licet graui.

Franciſc. Auguſt. de Eccleſia in hiſt. Pedemont.

Panuinius

Vghel. in Addit. ad Ciacon. & in Ital. ſacra.

Gaſpar. Silligar. in Catal. Epiſcop. Mutinenſium.

Surius in vita xv. Octobris.

Poſt legationem Vicecancellarij S. R. E. munere functus eſt ſub eodem Honorio, vſque ad annum 1 2 2 2. quo Epiſcopatum Mutinenſem obtinuit. Cum enim poſt Martini Epiſcopi Mutinenſis obitum Eccleſiaſtici abijſſent in partes, quarum altera Orlandinum de Gumbala vocauit ad ſedem, altera Manfredum de Pijs Epiſcopum declarauit, Pontifex ſedaturus ambitioſum æſtum, vtriuſque elec- C tione reprobata, Guillelmum ordinauit. Qui ſub Gregorio IX. vt Dominicus Prædicatorum Patriarcha ſanctis adſcriberetur, elaborauit; maximè enim Dominicanorum ordini addictus erat. Iterum Gregorij IX. iuſſu legationis munere functus eſt in varijs Septentrionis partibus, & pro eo ad Chriſtifideles per Liuoniam, Pruſsiam, Gotlandiam, Vilandiam, Genigalliam, & Curandiam commorantes commendatitias literas ſcripſit Gregorius. Hic Cleri illarum regionum mores reſtaurauit, Schiſmaticos multos ad Eccleſiaſticam vnitatem reduxit, Principibus contra Paganos decertantibus aſtitit. Eo in Suecia agente, Rex Suecorum Ericus, cognomento Balbus contra Taueſtos feliciſſimè dimicauit: commiſſa enim pugna, Ericus victoriam non incruentam aſſecutus, legem victis præſcripſit, vt ſi Pagana ſuperſtitione abiecta, Chriſti fidem amplecterentur, nec in vita, nec in bonis periclitarentur; alioquin neque vita, neque bonis deinceps potirentur. Guillelmus Legatus Concilium Schetin- D genſe ipſo Rege Erico, ac Regni Proceribus, & Iarlero Archiepiſcopo Vpſalenſe præſentibus habuit, ac ſaluberrima decreta edidit, Suecos, & Gothos quamplurimos à Græcorum Schiſmate reuocauit, effecitque cooperantibus Rege Erico, & Birgero Duce, vt abiuratis coniugibus, & cõcubinis, cœlibatum amplecterentur. Tranſgreſſores verò huius Statuti omnibus prouentibus, dignitatibus, priuilegijs, Clericorum ordini annexis priuauit, ac grauibus pœnis, & cenſuris, ac Iudici ſeculari ſubiecit; Gregorio ideo Religionis Catholicæ ſtudioſiſſimo, nec non Honorio III. & Innocentio IV. charus in paucis euaſit. Ad Vrbem initio Pontificatus Innocentij IV. reuerſus Cardinalitia dignitate, & Cathedra Sabinenſe obtenta, tertiò ad eandem legationem redijt.

Olaus lib. 19. cap. 5.

Bzou. in Annal. t. 13.

Extant apud Vghellium tom. 2. Italiæ ſacræ Simeonis Archiepiſcopi Rauennatenſis literę datę ad fauorem Capituli Mutinenſis; petierat enim Capitulum ex vetuſtiſſima conſuetudine Equum, quem E equitauerat Epiſcopus dum primò poſt conſecrationem Mutinenſem adijt Ciuitatem, idque cum recuſaſſet Guillelmus, ad Metropolitanum lis delata fuerat, qui cauſam Capitulo adiudicauit. Huic Epiſcopo Mutinenſi Honorius III. facultatem fecit abſoluendi literarũ ſtudioſos, qui ſe leuiter, & ſine liuore percuſſerint, & Federicus Imp. permiſit, vt reædificaret. Caſtrum Fontiſducis in ſua Diœceſi poſitum, à Mutinenſibus, Ferrarienſibus, alijſque funditus euerſum.

De hoc Guillelmo hęc legimus apud Gaſparem Silligardum Epiſcopum Mutinenſem in Catalogo eiuſdem ciuitatis Antiſtitum: *Innocentius III. miſit hunc Epiſcopum,* qui ſcilicet poſtea fuit Epiſcopus, nam, vt diximus, ordinatus eſt Epiſcopus ab Honorio III. Innocentij Succeſſore, *vnà cum Petro Rothomagenſi Epiſcopo, & Guillelmo Abbate ſancti Facundi ad ipſum Fridericum, vt pacem cum eo componerent. Scribit Cromerus libro octauo Hiſtoriarum* F *ſuarum, quòd cum Suentopeclus, Dux bello, armiſqe promptiſſimus plurima Theutonicis eripuiſſet, Guillelmus Epiſcopus Mutina Apoſtolicus Legatus effecit, vt illa reſtitueret, pacemque cum Theutonicis firmaret;* Et paulò poſt: *Sub hoc Epiſcopo, & cum ipſo fuit concordata controuerſia, quæ pendebat coram Epiſcopo Bononienſi inter Epiſcopatum Mutinæ ex vna, & commune eiuſdem Ciuitatis ex altera ſuper iuriſdictione per tria milliaria in circuitu eiuſdem ciuitatis tam in Ciuilibus, quàm in Criminalibus, & ſuper aqueductibus Secla, & Scultenna, & alijs, vt teſtamento celebrato an. 1227. Idem Epiſcopus de anno 1 2 2 3. inueſtiuit nobiles de Balugola de Roccha ſancta Maria.*

Anno 1231. vt fidem Catholicam Barbaris gentibus, & Infidelibus faciliùs promulgaret, ne ſua abſentia Eccleſia Mutinenſis vllum pateretur damnum, Mutinenſi Epiſcopatu volens abiuit. Subſcripſit Innocentij IV. literis datis anno 1244. Ioanni Ceruienſi Epiſcopo; & anno 1245. Verzeliacenſi. Tandem è vita exceſſit Lugduni pridie Kalen. Aprilis anno 1251. paulo ante diceſſum ab illa Vrbe Innocentij IV. & apud S. Dominici Alumnos ſepultus cum ſequenti Elogio.

Ferdinãd. Vghel in Ital. ſac.

HIC. IACET
ZELANTISSIMVS. PRAEDICATOR. ET. LAVDATOR
NOMINIS. IESV. CHRISTI
ASSERTOR. FIDEI. ET. TOTIVS. VERITATIS
VIR. PERMAGNAE. SANCTITATIS
ET. ORNAMENTIS. PIETATIS
PATER. VENERABILIS
DOMINVS. GVILLELMVS. SABINVS
EPISCOPVS, CARDINALIS.

III.



Ciaconius

Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

Petr. Friſõ in Gallia Purpur.

Phil. Seguinus de Viris illuſtribus Ord. Ciſtercienſ.

Vincent. Bandel. de concept. Virginis.

OTHO, ſiue Odo Gallus, de Caſtro Rodulphi, Bituricenſis, inter viros eius æui doctrina, & eloquentia non poſtremus, primùm Canonicus, & Cancellarius Eccleſiæ Pariſienſis, ſed deſiderio motus Cœleſtis contemplationis, & ſolitudinis, in Grandis ſiluę Ciſtercięſi Cœnobio, monachorum inſtitutum profeſſus, inde in Cœnobiarchã electus eſt, poſtmodum Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus promouente Innocentio IV. In Gallias poſt Concilium Lugdunenſe miſſus anno 1246. menſe Auguſti ſedis Apoſtolicæ Legatus Crucis prædicandæ cauſa in Infideles, & Sarracenos, Regem Frãcorum Ludouicum eius nominis, Nonum ad ſuſcipiendam Crucem, & ad tranſmarinam expeditionem armauit. Cum quo profectus Otho noſter Apoſtolicæ ſedis Legatus, quem ſanctus Rex vocitabat virum ſecundum cor ſuum, morum honeſtate decorum, literarum ſcientia præditum, conſilij maturitate præclarum. Ad hunc in Orientem profectum multas ſcripſit epiſtolas Innocentius, mandauitque, vt in Cypro inſula, Syriæ obiacente Epiſcopatus Græcorum inſtituerentur: auctorque fuit Legatus Archiepiſcopum Græcum ab exilio in Cyprum reuocandi, quem proſcripſerat Latinus Archipræſul. In ea expeditione Orientalem Tartarorum Regem ſuis literis ad Chriſti fidem hortatus eſt, treſque ex Franciſcanorum Alumnis, & duos Clericos Legatos ad eum direxit. In illa expeditione Gallorum Rex Vrbem opulentiſſimam Aegypti Peluſium, Damiatam vocant, ad Nili oſtium expugnauit: at lue graſſante per exercitum, illam relinquere, reque infecta in Regnum ſuum ſe recipere coactus eſt. Ante ſuſceptum iter Syriam verſus Otho Cardinalis Tuſculanus Sacellum Lutetianum conſecrauit vigeſima quinta Aprilis die anno 1248. præſentibus viginti Epiſcopis, quod Ludouicus Rex erexerat in Palatio ad reponendas ſacræ coronæ Reliquias, quas Balduinus Iunior, Imperator Latinus ei dono dederat.

S. Antoninus.
Nomencl. Cardinal.
Frãc. Mar. Turrig. de ſcriptoribus Card.
Ferdinãd. Vghel in Ital. ſac.

Scripſit Otho Homilias de tempore, & de ſanctis, quæ Cremonæ in Monaſterio Auguſtinianorum habentur tomis duobus diſtinctæ. Firmauit Innocentij IV. literas datas anno 1245. Verzeliacen. Alexandri IV. vij. Kal. Februarij anno 1259. Magiſtro Hoſpitalis Spiritus ſancti Piſarum, & Clementis IV. anno 1265. pro inueſtitura Regni Siciliæ.

E vita exceſſit anno noſtræ ſalutis 1273. Vrbeueteri viij. Kalen. Februarij, ibidem ad Prædicatores ſepultus. Petrus Frizon Othonis obitum refert ad annum 1283. quem anno 1278. iij. nonas Februarij ſubſcripſiſſe notat Diplomati Nicolai III. ſed errat, hunc cum alio eiuſdem nominis Epiſcopo Tuſculano, qui Petro Luſitano poſtea Ioanni XXI. Papæ in Epiſcopatum Tuſculanum ſucceſſit.

Lib. de Teſſer. Gentilit. nobilium familiar.

Ferdinandus Vghelius tom. 1. Italiæ ſacræ in ſerie Epiſcoporum Tuſculanorum alia ab illis, quæ olim Ciaconius huic Othoni conceſſerat, gentilitia ſtemmata tribuit, quæ ſibi ex Arbore gentilitia eius gentis eruta Gaſparem Iongelinum Abbatem montis ſancti Iſibodi tranſmiſiſſe affirmat. At ego cum Frizonio non exiſtimo Othonem hunc fuiſſe nobilium Dominorum Caſtri Rodulphini, quorum antiquum ſcutum argenteum faſcia coccinea fuſaria exaratum fuiſſe ſcribit laudatus Frizonius, & Marcus Gilbertus Deuarenes Gallus Societatis Ieſu Caſtri Rodulpheam parmam eſſe argẽteam lilijs incerto numero nigris impreſſam affirmat; Gaſpar Iongelinus in Purpura D. Bernardi alia à ſupradictis ſtemmata Othoni tribuit. Quare nos in re tam dubia incerti quid agere debeamus, cum tot ſententias inueniamus, quot auctores legimus, ex antiqua Othonem poſſeſſione expellere non iudicauimus, eidemque cum Frizonio reliquimus, quæ olim Ciaconius illi conceſſerat inſignia.

IV.



PETRVS de Barro Gallus, monachus Ciſtercieſis, Prior Claræuallenſis Cœnobij, deinde Abbas de Moris, & demũ Igniacenſis, Presbyter Cardinalis S. Marcelli, mox poſt obitum Guilelmi Epiſcopus Sabinẽſis ab Innocentio IV. renunciatus, ſedis Apoſtolicæ legatione functus eſt in Hiſpania. Affuit Concilio Lugdunenſi, & pluribus Innocentij literis ſubſcripſit, illis nimirum datis Kalen. Februarij ann. 1244. Ioanni Ceruienſi Epiſcopo; anno 1245. Verziliacenſi x. Kalen. Auguſti anno 1246. Abbatiſſæ, & Sororibus Monaſterij S. Antonij Barcinonenſis; anno 1248. Kalendis Martij Othoni Epiſcopo Parentino; & demum anno 1252. Canonicis Lucenſibus S. Fridiani, & Præpoſito, ac Canonicis Eccleſiæ S. Saluatoris de Lauania. Cum Innocentio è Gallia in Italiam venit, & Peruſij inter viuos eſſe deſijt anno 1252. & ibidem tumulatus.

Petrus Friſon. in Gal. Purp.

Ferdinãd. Vghellius tomo 1. Ital. ſac.

Ciaconius

Feder. Federici de familia Piſan.

Aubery in vita.

Panuinius

Petro huic cum Frizonio ordinis Ciſtercienſis Inſignia tribuimus, licet Ciaconius alia ab his eidem olim gratis appinxerit.

V.



GVILLELMVS de Talliante Gallus, monachus, & Abbas S. Facundi Legionenſis Diœceſis Presbyter Cardinalis SS. XII. Apoſtolorum ab Innocentio huius nominis IV. ſtatim Pontificatum ingreſſo nondum Cardinalis cum alijs duobus ad Imperatorem Federicum, Eccleſiæ, & Pontificis hoſtem miſſus, vt ęquas pacis conditiones impetraret, quas obtinere non potuit; huius legationis meminit ipſemet Innocentius in epiſtola Lugduni ſcripta iv. Kalendas Auguſti anno Pontificatus quarto.

Ciaconius

Petrus Friſon in ſua Gal. Purp.

Panuinius

Aubery in vita.

Iam Cardinalis renunciatus S. Zachariæ Epiſcopi dicti Galliæ Protomartyris corpus in Vrbem Viennæ Allobrogum inſigni apparatu inferri vnà cum Hugone tituli S. Sabinæ Cardinali curauit, & congrua veneratione collocari in Cœnobitica Baſilica S. Petri. Cuius rei vt extaret apud Viennenſes monimentum Innocentius IV. edito Diplomate ſacra munera ijs impertitus eſt, qui quotannis ipſo repoſitionis die, mente expurgata, & diuinæ alimoniæ piè ſuſcepto pabulo, pretioſa tanti cœlitis pignora venerarentur.

And. Sauſſay in ſuo Martyrol. Gallic.

Interfuit Concilio Lugdunenſi, ac plures Innocentij literas ſubſcriptione firmauit, illas nimirum anno noſtræ ſalutis 1244. Kalendis Februarij Ioanni Ceruienſi; & x. Kalendas Martij anno 1248. Othoni Parentino Epiſcopis: & anno 1249. Cœnobio S. Benedicti de Mantua datas. Ad Deum migrauit Lugduni anno 1250. & ibidem tumulo conditus eſt.

Ferdinãd. Vghel. in Ital. ſac.

Ciaconius

Huiuſce Guillelmi, tam vita functi fratrem Atanneſum Priorem de Taliante Lugdunenſis Diœceſis commemorat Innocentius in Regiſtro, anno vndecimo.

VI.



IOANNES cognomento de Toleto, natione Anglus, monachus ordinis Ciſtercienſis ab Innocentio IV. primùm Presbyter Cardinalis S. Laurentij in Lucina, deinde anno 1261. ab Vrbano item IV. Epiſcopus Portuenſis, & S. Rufinæ renunciatus eſt. De huius promotione Matthæus Veſtmonaſterienſis in Anglicana hiſtoria ad annum 1244. hæc habet: *In feſto ſanctiſſimæ Trinitatis, vt partẽ ſuã cautiùs roboraret Innocentius, quia paucos ſuæ ſollicitudinis, & laboris habuit participes, decem in paruo tempore creauit Cardinales, videlicet Magiſtrũ Ioannem cognomento de Toleto, Ciſtercienſis ordinis monachum, natione Anglicanum, literatura eleganter eruditum, & quoſdam*

Ferdinãd. Vghel. in Ital. ſac.

alios plus generoſitate, quàm virtute morum, vel ſcientia præditos, quorum nomina longum eſſet ſcripto inſerere, ac indignum. Matthæus quoque Paris in Anglicana hiſtoria ad annum 1246. noſtrum hunc Ioannem de Toleto natione Anglum pacem inter Angliæ Regem, ac Innocentium firmaſſe affirmat. Theodoricus Vallıſcolor illius æui ſcriptor in Vrbani IV. vita, dum Cardinalium Presbyterorum nomina recenſet, qui electioni Vrbani interfuere, hiſce verſibus Ioannem memorat.

Alter, quem fouit Ciſtercius ordo, Ioannes
Nomine, natalis Anglica terra ſibi.

Paulo poſt idem Theodoricus recenſito Guidone Burgundo Abbate Ciſterciensi, quem Vrbanus IV. in ſecunda Patrum creatione Presbyterum Cardinalem ſancti Laurentij in Lucina renunciauerat, meminit Ioannis, ex Presbytero eiuſdem tituli ad Epiſcopatum Portuenſem euecti.

Burgundus patria fuit, & Ciſtercius Abbas
Alter promotus, Guidoque nomen ei;
Huius enim titulum retinebat primo Ioannes
Præſul de Portu poſtea factus adeſt.

Viterbij Ioannes hic noſter Epiſcopus Portuenſis Cœnobium, quod Paradiſum vocant, Ciſtercienſibus Monialibus fundauit, ac dotauit, in quo noſtris hiſce temporibus, Virginibus ſublatis fratres ordinis Minorum ſtrictioris obſeruantiæ ſedes fixere. Alterum item celebre Peruſij Diuæ Iulianæ Monaſterium eiuſdem ordinis extra illius Ciuitatis mœnia excitauit, ac octo è Gallia Monialibus euocatis, ne perita deeſſet Antiſtes, Oliuam illuſtrem Virginem earum Collegio conceſſit, eandemque è Cathedrali ad Monaſterium vnà cum Clero, Senatu, Populoque Peruſino, comitantibus quadraginta puellis è primaria nobilitate Chriſto dicandis, ſolemni pompa cohoneſtauit. Ita ex antiquis Monialium monumentis habemus, ac etiamnum in aula eiuſdem Monaſterij ipſius Cardinalis effigies vnà cum gentilitio ſtemmate penicillo expreſſa ſpectatur cum hac Epigraphe: *Effigies Reuerendiſſimi Patris, Domini Ioannis Cardinalis Portuenſis, ordinis Ciſtercienſis, qui huius Monaſterij extitit Fundator, & Pater.*

Petrus Frizon in Gal. Purp.

Alexander IV. Ioanni Cardinali prouinciam dedit transferendi Sorores, à pœnitentia nomen habentes ab Aede D. Mariæ ad Mineruam dictæ, quam in præſenti patres Dominicani habitant, in Diui Pancratij Eccleſiam.

Oder. Rinald. in Annal. to. 14.

Ferdinand. Vghel. in Ital. sac.

Ceterùm ſcientiarum omnium genere perpolitus, lepidus, ac venuſtus Poeta, dictiſque acutiſſimis Ioannes extitit: de quo facetum iſtud circumfertur. Cum diuturniori tempore ab obitu Clementis Quarti ſedes vacaſſet, ac certo die Cardinales in ſpecie potiùs, quàm ſeria creandi ſummi Pontificis voluntate conueniſſent, iamque tempus, quo Spiritum ſanctum illi eſſent inuocaturi, proximè immineret, aſſurgens Ioannes in has voces prorupit. Domini fratres conſentaneum foret, vt tectum illius cameræ, quo Spiritus ſanctus ad animos obſtinatos, & peruicaces ad creationem boni Pontificis inflectendos ingredi poſſet, aperiri iuberemus, vt perturbatos animorum noſtrorum motus, priuatoſque affectus exueremus, iacentemque in luctu Chriſtianum orbem, creato Pontifice nouo erigeremus. Theobaldi deinde Vicecomitis Placentini, Archidiaconi Leodienſis, tunc in Oriente agentis virtutes ſummis laudibus extulit, ac probauit quantum vtilitatis Romanæ Eccleſiæ conciliaturus eſſet ab illis renunciatus Pontifex, adeo vt perrupta animorum duritie eadem die ab omnibus electus Pontifex, & acclamatus fuerit, atque Gregorius Decimus nuncupatus. Quibus viſis Ioannes ingenti lætitia delibutus cum de feliciſſimo euentu vnà cum ceteris Cardinalibus ſibi gratularetur, Diſtichon hoc ex improuiſo effuderit.

Papatus munus tulit Archidiaconus vnus,
Qui in patrem patrum fecit diſcordia fratrum.

Nec Ioannis opinionem præclaræ virtutes Gregorij fefellerunt, cum tanto zelo, ac pietate Eccleſiam adminiſtrarit, tantaque Deus in eius vita, ac morte prodigia explicuerit, vt beati inſtar, illius memoria ſumma veneratione colatur, & ad eum in numerum ſanctorum adſcribendum quamplurimi nunc Romæ incumbant. Lugduni Ioannes migrauit è vita die decimatertia Iulij anno 1274. dum Concilium generale haberetur, ſummoque ſui relicto deſiderio, incredibili luctu, ſepulchro conditus eſt non apud Franciſcanos, ſed apud Prædicatores.

Petr. Frizon in Gallia Purpur.

Ferdinand. Vghel. in Ital. sac.

Huiuſce Cardinalis memoria viget ad huc in Monialium animis, quarum Cœnobium erexerat Peruſij; quippe ſingulis annis die xiij. Iulij eius parentalia celebrant, ac in Capitulo ex Martyrologio antiquo hæc recitant: *Eadem die fit commemoratio Reuerendiſſimi in Chriſto Patris, ac Domini ſacræ Theologiæ Profeſſoris, Domini Ioannis Epiſcopi Portuenſis, & tituli S. Laurentij in Lucina Epiſcopi, & Cardinalis, huius Monaſterij piiſſimi Fundatoris, ac Patris.*

Pro Gentilitijs Inſignibus non illud a Ciaconio, Frizonio, ceteriſque relatum geſſit, ſed quod ſupra expreſſimus, ſcutum ſcilicet bipartitum, in dextera parte parmam cœruleam quinque aureis lilijs, in ſiniſtris auream tribus cœruleis faſcijs impreſſam, ac in medio Pontificale pedum argenteum prætulit, pluribus in locis Monaſterij Peruſini expreſſa ſpectantur. Hoc ſcutum ſine tamen Pontificali pedo Ciaconius Stephano Strigonienſi ſub eodē Innoc. IV. Epiſc. Preneſtino gratis conceſſit, cum reuera ad Ioanne hūc Anglū pertineat.

Ciaconius, Iacobus Chiffletius in Biſuntina Hiſtoria, Claudius Robertus in Gallia Chriſtiana, Petrus Frizon in Purpurata, & alij, ſcribunt Ioannem Ciſtercienſem monachum ab Innocentio IV. ex electo Archiepiſcopo Biſuntino Presbyterum Cardinalem S. Laurentij in Lucina renunciatum, fuiſſe Gallum de Franciogia ex antiqua Abbeuillæa familia. Hoc tamen gratis aſſerunt, cum ab anno 1244. ad annum 1274. Ioannes Anglus monachus Ciſtercienſis Presbyter Cardinalis S. Laurentij in Lucina primò, deinde Epiſcopus Portuenſis floruerit, qui nunquam ad Biſuntinum Archiepiſcopatum, vel promotus, vel electus extitit. Teſtes ſunt Vaticana Regiſtra, quæ defuncto Gaufrido Archipræſule, vacante Eccleſia Biſuntina Innocentium IV. anno 1245. Lugduni anno ſui Pontificatus ſecundo, de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis Vuillelmum Cabillonenſem Epiſcopum ad eam ſedem traduxiſſe affirmant. Placet hic Innocentij literas tranſcribere.

INNOCENTIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, Suffraganeis Eccleſiæ Biſuntinæ.

Diuinæ ſapientiæ inſcrutabilis altitudo, quæ ſacroſanctam Romanam Eccleſiam in huius latitudine ſtabiliuit, ita regimen, & gubernatorem ipſius immutabili prouiſione diſpoſuit, vt in eadem ſalubriter gubernanda plures aſſumerentur in partes ſollicitudinis; quamuis pro multiartis Eccleſiæ firmamento vnus obtineat plenitudinem poteſtatis. Voluit enim pro eius patribus filij naſcerentur, qui ſuper omnes Principes conſtituti, eſſent memores ſui nominis, & præcones inclyti Euangelicæ veritatis. Vnde nos, qui licet inſufficientibus meritis in ſublimi ſumus eiuſdem Eccleſiæ ſpeculo conſtituti, ita intendimus diuino adiutorio iniunctum nobis miniſterium circa proximas Eccleſias gerere, vt in illos etiam, à quibus locorum poſitione diſtamus, opportuna debeat prouidentia non deeſſe. Cum igitur Eccleſia Biſuntina, quæ diutiùs Paſtore vacaret, fuiſſet ad nos prouiſio deuoluta; nos ei de tali perſona prouidere volentes, quæ meritis vitæ pollens, placens Deo, & hominibus, verbo potens, & opere, velut ſidus nitens irradiet ſubditos, lumine verbi Dei, cum ſuper candelabra Eccleſiæ Biſuntinæ Paſtoris ſui obitu viduatæ lucerna debeat collocari, quæ luce doctrinæ reuocet errantes à deuio veritatis; & zelo iuſtitiæ in ſpiritu iudicij, & ardoris, abſque perſonarum acceptione contra noxas attendat. Venerabilem fratrem noſtrum Vu...... quondam Epiſcopum Cabillonenſem, virum vtique ſecundum cor noſtrum, fama celebris, & nota ſcientia, à vinculo Cabillonenſis Eccleſiæ abſolutum præficiendum duximus in Archiepiſcopum, & Paſtorem, Eccleſiæ Biſuntinæ, ſperantes firmiter, quod ſub eius regimine, grata in Domino ſuſcipiet in ſpiritualibus, & temporalibus incrementa. Mandantes quatenus ſibi, tanquam membra capiti obſequentes exhibeatis ei obedientiam, & reuerentiam debitam, & deuotam, ita quod mutua inter vos gratia gratos ſortiatur effectus, & nos deuotionem veſtram poſſimus in Domino merito commendare. Datum Lugduni xij. Kal. Aprilis anno II.

Ferdinand. Vghel in Ital. sac.

Alias tres ſcripſit Innocentius epiſtolas, quæ exaratæ inueniuntur in eodem Regiſtro; quarum prima eſt ad eundem Vuillelmum electum Archiepiſcopum, ſecunda primatijs Viris, Populoque Biſuntino, tertia Clero eiuſdem Ciuitatis eodem die, ac anno datæ, in quibus de Ioanne electo, & inter Cardinales deinde adſcripto nulla mentio habetur. Scripſit has literas Innocentius IV. xij. Kal. Aprilis anno II. ſui Pontificatus, qui fuit noſtræ ſalutis 1244. quibus ſe ad Eccleſiam Biſuntinam paſtoris ſui obitu viduatam promouiſſe Vuillelmum Cabillonenſem Epiſcopum affirmat. Non igitur Ioannes menſe Decembri eiuſdem anni, vel in feſto ſanctiſſimæ Trinitatis, vt refert Matthæus Vueſtmonaſterienſis ex Archipræſule Biſuntino inter Presbyteros Cardinales titulo S. Laurentij in Lucina cooptari potuit, dum Eccleſiæ Biſuntinæ tunc temporis regimen apud Vuillelmum fuiſſe ex literis Innocentij apertè conſtat.



VII.

PRimus inter Cardinales ordinis Dominicani recenſitus eſt Hugo Carenſis, vel de ſancto Theodorico, vel de Celidonio, vel de ſancto Iacobo de Barchinonetta, quod eſt oppidum in Alpibus maritimis ſub Ditione Ducum Sabaudię Vienenſis Diœceſis in Delphinatu. Hinc Theodoricus Vallıſcolor in vita Vrbani IV. cecinit.

Chronic. Ord. Prædicator.

Bern. de Lucēburg. in Chron.

Trithemi⁹

Iuſtinian. in vit.

Totque Sacerdotes genuiſſe Sabaudia primum
Dicitur Hugonem, qui Iacobita fuit.

Per Iacobitam intellige Dominicanum, cum in Gallia eo nomine vocitentur Dominicani ab illorum domo ſita Pariſijs in via ſancti Iacobi.

Gerard. Lemouic. in Chron.

Thō. Maluend. in Annalib.

Steph. Salanhac Annalib.
Bern. Guidone in Annalibus.
Io. Mariā in Hiſtor. Hiſpan.

ti Iacobi. Nec miretur quis, quòd Hugo ab aliquibus primi nominis ſcriptoribus Burgundius appelletur, cum olim Burgundium Regnum etiam Sabaudiam, & maiorem partem Alpium maritimarum contineret. Ab omni prorſus veritate aberrarunt illi, qui ſcripſerunt Hugonem in Barcinone Hiſpaniæ Tarraconenſis Vrbe natum, aut Epiſcopi Barcinonenſis munere functum fuiſſe. Hic primo iuuentutis flore Lutetiæ Pariſiorum liberalibus diſciplinis operam dedit, tantumque in virtute, ac doctrina profecit, vt ſacræ Theologiæ Baccalaureus effectus, ſacras ibidem literas cum laude omnium, Auditorumque frequentia publicè docuerit. Sacro deinde afflatus numine, mundo, eiuſque illecebris calcatis, die xviij. Ianuarij in feſto Cathedræ Petri Apoſtolorum Principis, anno reparatę ſalutis 1226. ſeu veriùs 1227. diuino ſe famulatui deuouit in ſacra Prædicatorum familia ſub beato Iordano ſecundo eiuſdem ordinis Magiſtro. Religioſam verò diſciplinam profeſſus, præclara adeo probitatis, & ingenij ſui documenta exhibuit, vt ſacris initiatus, patrum ſuorum conſenſu inter Doctores ſacros ſtatim adſcriptus fuerit, ac tertius ex ordine Prædicatorum Theologiæ Cathedram in Academia Pariſienſi ſumma cum laude rexerit.

Varijs in Cœnobijs Prioris munus primò peregit, deinde prouinciæ Franciæ Prior Prouincialis renunciatus eſt, in quibus dignitatibus ex obedientia ſuſceptis, Paſtoris vigilantiſſimi, & diſciplinæ religioſæ egregij Magiſtri partes, cum verbo, tum exemplo adeo cumulate impleuit, vt vita functo Iordano viro ſanctiſſimo, ad totius ordinis Præfecturam, in Conuentu duodeuigeſimo, quem Capitulum generale vocant, Bononiæ anno noſtræ ſalutis 1238. celebrato, cum Alberto Magno datis ab electoribus ſuffragijs pari lance, ſemel iterum, ac tertiò certauerit. Verùm cum ille ſuffragiorum diſſenſus non ex ambitione, vel prauo aliquo affectu oriretur, ſed ex præſtantia, & claritudine candidatorum, dum quiſque maximum ſe in crimen incidere putat, hi ſi Alberto, illi ſi Hugoni alium quemuis anteposuerint, cuius vtriuſque fama ſanctitatis, & doctrinæ nedum in Prædicatorum ordine, ſed in tota Europa celebris cum primis habebatur, tandem Dei nutu effectum eſt, vt concordibus animis Electores in S. Raymundum de Pegnaforti conſpirauerint. Vacante tamen deinde ordinis Magiſterio per ceſſionem eiuſdem S. Raymundi anno 1240. factam, Generalis vices egit Hugo ad annum vſque ſequentem 1241. quo in vigilia Pentecoſtes in generali Capitulo Pariſijs congregato, ritè, & legitimè in Magiſtrum ordinis quartum beatus Ioannes Theutonicus electus eſt.

Leāā Albert. de viris Illuſt. Ord. Prædicator.

Sebaſt. de Olmed.
Malucnd. in Annal.
Alphonſ. Fernan. in Concert. Prædicat. ccē ngos.
Vinc. Beluac. in Speculo.
Ciaconius
Onuphr. in Chron.
Petr. Fraē in Gallia Purpur.

Interea fama doctrinæ, ac ſanctimoniæ Hugonis cum ad aures Gregorij IX. Pontificis Maximi peruenisſet, illum Conſtantinopolim deſtinauit vnà cum Fr. Petro eiuſdem familiæ, & Fr. Aymone, & Rodulpho ordinis Minorum, viris virtute, ac religione illuſtribus, morum honeſtate præclaris, ac ſcripturarum ſanctarum ſcientia præditis, vt Eccleſię Græcæ cum Latina vnionem curaret. Innocentius IV. anno Dominicæ Incarnationis 1244. Archiepiſcopum Lugdunenſem Hugonem renunciauit, eodemque anno in Collegium S. R. E. Cardinalium titulo S. Sabinæ cooptauit, ex quibus liquet à veritate prorſus aberrare illos, qui ſcripſerunt Hugonem renunciatum fuiſſe Cardinalem anno 1231. nec non alios, qui anno 1243. Dubitant aliqui, an reuera Hugo vnquam rexerit Eccleſiam Lugdunenſem, cum in nomenclatura Archiepiſcoporum Lugdunenſium ſatis exacta non reperiatur, neque vlla habeatur mentio Archiepiſcopatus Lugdunenſis in Epitaphio. Has tamen ſacras dignitates ſponte deferente Pontifice recuſauit; ſed præcipiente Innocentio, illas ægro quidem animo acceptauit, ſuſceptas tamen egregiè adminiſtrauit, nec illis ornatus à vita religioſa, ne latum quidem vnguem diſceſſit. Cardinalis renunciatus in ſocium ſibi aſciuit Fr. Arnoldum Priorem Vuiburgenſem, virum ſanctitate illuſtrem.

Fuit Hugo Innocentio charus, quippe qui morum grauitate, rebus in agendis prudentia illius animum ſibi deuinxerat. Cum autem anno 1245 in Concilio Lugduni habito Federicum infenſiſſimum Eccleſiæ hoſtem imperio priuaſſet Innocentius, & alium in abrogati Federici locum ſufficere neceſſe eſſet, Hugonem noſtrum, Legatum à Latere in Germaniam ad Imperij Electores miſit, vt eo ſuaſore alius ſufficeretur Imperator, ſeu vt alijs placet, vt confirmaret Vuillelmum Hollandiæ Comitem in Regem Romanorum electum. Cuius negocij prouincia iuſtiſſimè, ritè, fortique animo adminiſtrata, ac peragratis nonnullis Germaniæ Ciuitatibus Leodium perijt, ibique in Eccleſia S. Martini Sermonem habuit de Auguſtiſſimo Euchariſtiæ ſacramento coram ingenti populi multitudine; eamque Eccleſiam ſecundum ritum, modum, ac ordinationes Eccleſiæ Lugdunenſis inſtaurauit.

Franc. Auguſt. ab Eccleſ. in hiſtor. Pedemontan.

Ad Pontificem deinde ſe contulit, apud quem ſemper probum, ac fidelem conſiliarium adeo ſe præſtitit, vt ingens auri pondus, mille ſcilicet Turonenſium libras oblatas non ad impugnandam, ſed ad reticendam tantùm veritatem magno animo ſpreuerit, nihil antiquius ducens Dei gloria, & Chriſtianæ Reipublicæ commodo. In patria Conuentum, & Eccleſiam ſui inſtituti propria pecunia erexit, & dotauit. S. Zachariæ Epiſcopi dicti Galliæ Protomartyris ſacrum cadauer, diuinis coruſcantibus ſignis in Vrbe Vienneſi Allobrogum congrua veneratione ſedis Apoſtolicæ præcepto collocauit.

Fr. Sc. Aug. ab Eccleſ. loc. cit.
Martyrol. Gallican.

Otio perpetuum indixerat bellum, & poſt nocturnum, breuem quidem ſomnum, orationi, lectioni, ſcriptioni librorum reliquum tribuebat. Primus in vniuerſa ferè Biblia poſtillam ſcripſit, quæ præ ceteris probata, etiam hac tempeſtate, qua ſummum ſacrarum literarum eruditio attigit apicem, Doctorum manibus teritur. Libri, quos è corpore Biblico illuſtrauit, ſunt hi, Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Ioſue, Iudicum, Ruth. In Regum hiſtoriam quatuor libros ſcripſit, totidem in Paralipomenon, in Eſdram, & Nehemiam tres. Tobias, Iudith, Eſter, Iob, Pſalterium, Prouerbia, Eccleſiaſtes, Cantica Canticorum, liber Sapientiæ, Eccleſiaſticus, Eſaias, Ieremias libris tribus. Ezechiel, Daniel, xij. Prophetæ minores libris duodecim; libri Machabæorum, Euangelium Matthæi, Lucæ, Ioannis, Pauli Apoſtoli epiſtolæ, item Canonicæ, Acta Apoſtolorum, & Apocalypſis denique eius ſtudijs clarior, vberiorque legitur. Commentaria tamen in Pſalmos, vt notauit Cardinalis Bellarminus de ſcriptoribus Eccleſiaſticis à quibuſdam attribuuntur Alexandro de Ales Anglo ordinis Minorum.

Præter hæc ſcripſit in 4. libros Sententiarum Petri Lombardi, & abbreuiationem quandam in eoſdem.

Speculum Miſſæ.

Expoſitionem in Hiſtoriam Scholaſticam.

Inſuper Bibliorum Concordantiam, infinitum penè opus primus excogitauit, & quingentorum fratrum ope adiutus coronidem operi impoſuit.

Edidit inſuper Compendium Theologiæ, nec non Speculum S. Eccleſiæ, quod alij Speculum Religioſorum, ſeu Sacerdotum vocant. Carmelitarum Regulam à beato Alberto Patriarcha ordini Carmelitarum præſcriptam Innocentij Pontificis iuſſu correxit. Epiſtolam denique elegantem ſcripſit, cum eſſet Legatus de Latere, de feſto S. Dominici ordinis Prædicatorum conditoris celebrando.

Sicut autem de Origene, & D. Hieronymo narratur, quòd ille in Cantica, iſte Epiſtolas ſcribendò ſe ipſos ſuperarint, ita & Hugo cum ceteros ferè ſcriptores vicerit, ſe ipſum tamen ſcribendo in Iſaiam, Pſalmos, & Euangelia ſuperarit.

Subſcriptione ſua plures Romanorum Pontificum literas firmauit, illas videlicet Innocentij IV. anno 1244. Ioanni Ceruienſi Epiſcopo, & anno 1245. Verziliacenſ. & anno 1248. Othoni Præſuli Parentino datas; nec non alias Alexandri IV. anno 1258. Monaſterio de Mireto, & anno 1259. vij. Kalen. Februarij Magiſtro Hoſpitalis ſancti Spiritus Piſarum. Multis igitur pro Eccleſia Dei exantlatis laboribus, curiſque perfunctus, tot libris egregiè conſcriptis, pluribus virtutum inſignibus clarus, cum ſupremum ſuæ vitæ diem iam proximum conſpiceret, Eccleſię ſacramentis ritè ſuſceptis, mortem lætus aſpexit anno ſalutis 1260. ſeu 1262. vel meliùs 1264. xiv. kal. April. Ferūt antequamè vita excederet, in hæc prorupiſſe verba: *Maluiſſem morbo elephantino in ordine meo captum egiſſe vitam, quàm galero iſto caput meum fuiſſe inſignitum.* Vita functus eſt Vrbeueteri, ibique in Templo Prædicatorum, præſentibus multis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, & ipſo Vrbano IV. Romano Pontifice ſepultus eſt cum ſequenti Inſcriptione.

Aut. Sanderus in Elogi. Cardin.
Ferdin. Sd. Vghel. in Addit. ad Ciacon.
Petr. Fraēſ in Gallia Purpurat.

Eclypſim patitur, ſapientiæ ſol ſepelitur;
Felici fine ſancta quoque Cardo Sabinæ:
Iſte fuit, per quem patuit doctrina Sophiæ,
Præco Dei, Doctor fidei, Cythariſta Mariæ,
Hugo ſibi nomen, & Cardo Presbyter omen
Patria Natalis Burgundia, Roma localis:
Soluitur in Cineres Hugo, cui ſi foret hæres
In terris vnus, mirus eſſet flebile funus.

Deinde aliquot poſt annos aperto eius ſepulchro integer, & incorruptus inuentus, Lugdunum tranſlatus fuit, vbi per venerabilem D. Guidonem, qui poſtea ſummus Pontifex electus, Clementis IV. nomen aſſumpſit, ingenti populi multitudine, multaque Clericorum, & Prælatorum frequentia aſtantibus, iteratæ ſepulturæ in ſacro Odæo fratrum Prædicatorum ad Aquilonem, magna cum ſolemnitate, honore, & deuotione cum infraſcripto Elogio cōditus eſt.

✠ *In hoc ſepulchro iacet Vir venerab. Deo, & hominibus gratioſus Fr. Hugo de Celidonio, Viennenſis Diæceſis, tituli S. Sabinæ quondam Presbyter Cardinalis, luminare magnum Eccleſiæ, Ordinis FF. Prædicatorum lucerna, Theologiæ Pariſijs Doctor egregius: famoſus ſcripturarum Tractator, & expoſitor prælucidus, verbi Dei prædicator eximius, oliua pietatis, palma iuſtitiæ, ſpeculum honeſtatis, Religioſorum patronus, veritatis præco, pater pauperum, & ſolatium miſerorū. Obijt an. 1262. xiv. kal. Aprilis.*

Nonnulli

Aubery in vit. Card. Franc. ab Eccleſ. l. c.

Nonnulli affirmant Hugonem Lugduni non ſuperiorem, ſed ſequentem habuiſſe Inſcriptionem.

HIC. IACET. DOMINVS. HVGO DE. SANCTO. THEODORICO. ORDINIS FRATRVM. PRAEDICATORVM. HVIVS CONVENTVS. S. THEOLOGIAE. DOCTOR ET. PRAEDICATOR. EGREGIVSQVE CARDINALIS. SABINENSIS QVI. OBIIT. ANNO. DOM. MCCLXIV. XIV. KAL. APRILIS.

VIII.

Ciacconius

M. S. de Ianuenſi nobilitate



GOTIFREDVS, ſeu Goffridus vel Galfridus Caſtilioneus, nob. Mediolanen. vel vt alij ſcribūt, Ianuēſis, Cœleſt. III. ſanguine coniunctus, ex Subdiacono & Sacelli Pontificij ſacerdote ab Innocentio IV. Diaconus Cardinalis S. Hadriani renunciatus eſt. Hic Honorij III. iuſſu legationis munere functus eſt in Sardiniæ Inſula, vt fidei ſacramentum pro ſancta Romana Eccleſia à Benedicta Principe, & Marchione iſta Calaritana, & Maſſæ reciperet, impoſita vectigalis nomine, annua penſione viginti librarum argenti. Subſcripſit Innocentij literis Kalendis Februarij anno Dominicæ Incarnationis 1244. datis Ioanni Cerranenſi Epiſcopo, & anno 1245. Vercellacen. è vita exceſſit Lugduni anno 1245. ibique ſepultus, de quo hæc habet Matthæus Paris in ſua hiſtoria Anglica ad annum 1245. *Eodem quoque tempore obijt Galfridus Cardinalis, quo non erat aliquis Domino Papæ alius ſpecialior, vel vtilior, nec ſcientia, & moribus clarior.* In Eccleſia S. Hadriani de Vrbe extat hæc Gotifredi Cardinalis memoria.


✠ *Anno Ieſu Chriſti milleſimo ducenteſimo quarto. Quadrageno tempore SS. Patris Innocentij Papæ Quarti Dominus Gotifredus dictus Caſtelloneus, ſpectabilis viri Ioannis de Gotifredis ex Dominis de Fruſinonis, & Iuliæ Petri Leonis filius de Regione Parionis, huiuſce Eccleſiæ ſancti Hadriani Diaconus Cardinalis, Honorij Tertij olim in Sardiniam Legatus, ad honorem S. Agnetis ſua domus aduocata Aram hāc marmoream magnificè conſtrui mandauit. Rogate pro eo. Magiſter Iulianus fecit hoc opus.*

Cum vero multa ſint in hac Inſcriptione, quæ veritati repugnant, videlicet tempus, & Gotifredi genus; anno enim 1204. non Innocentius IV. ſed III. Eccleſiam Romanam regebat. Deinde ſi Gotifredus hic, fuit, vt diximus Cœleſtino III ſanguine iunctus, haud genus ducere ex Dominis Fruſinonis ille poterat, neque eſſe de Regione Parionis. His alijſque de cauſis hanc Inſcriptionem reijcimus, illamque tamquam apocripham recuſamus. Certò enim ſcimus Gotifredum hunc inter Cardinales Diaconos cooptatum ab Innocentio IV. noſtræ ſalutis anno 1244.

IX.

Carol. Sigonius de Epiſc. Bononien.

A ad Victorel. in as Addit. ad Ciacon.



OCTAVIANVS Vbaldinus, Florentinus è Mugello, ex Eccleſiæ Bononienſis Archidiacono, & Gregorij IX. Romani Pōtificis Subdiacono, & Capellano, à Canonicis Bononienſibus anno noſtræ ſalutis 1240. poſt abdicationem illius Eccleſiæ ab Henrico Epiſcopo factam, renunciatus eſt illius Vrbis Epiſcopus; at, quia nondum trigeſimum attigerat ſuæ ætatis annum, ſibi à Pontifice Romano concedi Epiſcopum, miſſis ad eum literis poſtularunt Canonici, ad quas ita reſpondit Gregorius huius nominis Nonus. *Super eo Nobis iucunditatis materia, & veſtræ cauſa laudis affertur, quòd ſinceritatis affectum, quem ad Apoſtolicam ſedem geritis circa ipſius alumnos per effectum operis exponere vigilatis. Ex literis ſiquidem veſtræ deuotionis accepimus, quod vos Eccleſia Bononienſi vacante conuenientes in vnum, Spiritus ſancti gratia inuocata, dilectum filium Octauianum Archidiaconum Bononienſem, Subdiaconum, & Capellanum Noſtrum in Paſtorem veſtrum vnanimiter poſtulaſtis, ſpe vobis firma propoſita, vt cum idem genere nobilis, ſcientia ſit, & moribus decoratus, ac exigentibus probitatis ſuæ meritis apud Nos, & fratres noſtros obtineat fauoris gratiam ſpecialis, Eccleſia veſtra multipliciter debeat fructuoſius exiſtere; præſertim cum vix de alia tam opportuna prouiſio potuerit prouenire. Quare Nobis humiliter ſupplicaſtis, vt non obſtante, quòd adhuc ad annum trigeſimum non peruenit, eum vobis in Paſtorem concedere de ſpeciali gratia curaremus. Verùm cum deceat, vt ſic in hac parte veſtris deſiderijs annuamus, quòd inſtitutis deferendo Canonicis, perſonam ipſius Archidiaconi condigno proſequamur honore, ac eiuſdem vtilitatem Eccleſiæ procuremus, eum in Procuratorem ſibi duximus concedendum, eidem plenam adminiſtrationem in ſpiritualibus, & temporalibus committentes. Rogamus itaque Vniuerſitatem veſtram, & hortamur attente, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus eidem, quem charum vobis ſcripto propoſitis, ſic dilectum exiſtere per euidentiam laudabilem exponatis, deuote ipſius ſalubribus mandatis, & monitis intendentes, vt qui perſonam noſtram in ſua honorare diligimus, vobis exinde fauoris opportuni gratiam cumulemus; alioquin ſententiam, quam idem ritè tulerit in rebelles, ratam habeas, & faciat Domino inuiolabiliter obſeruari. Datum Laterani xv. Kal. Iulij anno xiv.* Inde alias ad Clerum, ruſuſque alias ad Prætorem, Conſilium, & Populum, itemque alias ad ipſum Octauianum Archidiaconum euſdem argumenti literas ſcripſit Gregorius.

Ceterùm Octauianus ſequenti anno pridie Kal. Iunij Henricum Epiſcopum mortuum in Aede S. Victoris ſepulturæ mandauit, ac nondum conſecratus anno 1243. per Epiſcopum Comaclenſem Aedem S. Mariæ ad Pubolas conſecrauit, eamque indulgentia inſigniuit. Quin etiam ciues ſeditionem agentes, compromiſſo recepto ſuſcepit pacificandos; ſed rem ad exitum optatum perducere nequijt, quia Diaconus Cardinalis S. Mariæ in via Lata ab Innocentio IV. Pontifice factus, Epiſcopatus honore ſe abdicauit, cum ad quatuor annos Eccleſiam illam rexiſſet. In eius locum Iacobus Boncambius ſuffectus eſt, vt ipſemet affirmat Innocentius in ſuis Literis ad Canonicos Bononienſes, his verbis: *Cum dilectum filium Noſtrū Octauianum S. Mariæ in via Lata Diaconum Cardinalem, cui commiſſa erat ab Apoſtolica ſede Bononienſis Eccleſia, ad Cardinalatus dignitatem duxerimus aſſumendum, Nos dilectum filium fratrem Iacobum Vicecancellarium Noſtrum, ipſi Eccleſiæ Bononienſi præfecimus.* Nolebat enim Romanus Pontifex Diaconum Romanum vniuerſæ Eccleſiæ bono ſtudentem, peculiari Eccleſiæ addictum eſſe.

Sigon. l. c.

Ab d. Victorel. in A dd. ad Ciaconium.

Hic eſt ille Vbaldinus prææalto, ambitioſoque ingenio, & magnis opibus potens, Danthis Poetæ carminibus obliquo probro ſimul, & laude celebratus, qui legationis munere dum fungeretur ſedis Apoſtolicæ nomine in Gallia Ciſalpina, Bononienſibus ſecum copijs ductis in Flaminiam ſe cōtulit, vt eam Eccleſiaſticę ditioni iterum adiūgeret. Id autem tanta felicitate aſſecutus eſt, vt caſtris ad Forumliuij admotis, eam primò ciuitatem, mox Cæſenam, ac Rauennam receperit: nam & Theodoricus Archiepiſcopus id maximè curauerat, viamque facilem tentandis, ac tractandis popularium animis parauerat. Deinde Fauentia quoque recepta eſt, Bulgari, & Caſtrogauani Comites harum ciuitatum ſecuti exempla, Legati iuſſis paruerunt, & ſic tota Flaminia ad Pontificem redijt. Ghibellinorum tamen in Hetruria ſe Ducem præbuit, ac ſtuduit quammaximè Federico Cæſari, cuius rei cauſa parum abfuit, quin Innocentius ipſe, qui eidem contulerat rubrum Cardinalis galerum, non adimeret; morte tamen Pontificis infortunium euaſit. Sub Alexandro IV. Romano Pontifice dum in Gallia Ciſalpina legatione fungeretur contra Albericum Taruſij Tyrannum ſacram militiam promulgauit, ac Venetijs in Baſilica Diui Marci ad concionem Populum vocauit, vt Alberici ſcelera cognoſceret. Ad frænandos quoque Manfredi Tyranni progreſſus, atque ad fluctuantem Siciliam in obſequio Eccleſiæ continendam idem Alexander Octauianum Legatum ſedis Apoſtolicæ renunciauit, vt Anonymus rerum Sicularum auctor ſcribit, & Apoſtolicæ oſtendunt literæ, illæ præſertim ad Ruffinum Minoritam magnæ exiſtimationis, & induſtriæ virum datæ. Ad reuocandum in officium Manfredum molliores viæ initio, ſed fruſtra ab Octauiano tentatæ, cum niſi multo cruore fuſo Tyranni illius vires frangi non poſſent, mox conflato ingenti exercitu Manfredum Luceria incluſum obſidione cinxit. Sed graſſantibus in exercitu morbis, ac Bertoldo Honebruchenſi, qui defectionis conſilia cum Manfredo agitarat, cum nonnullis copijs Fōggiam redeunte, profligato, ac penuria commeatuum ingraueſcente, ad turpem concordiam cum Manfredo deſcendit: videlicet, ex laudato rerum Sicularum Anonymo auctore, vt *Manfredus pro parte ſua, & Regis Conradi nepotis ſui Regnum teneret, excepta Terra Laboris, quam Princeps Eccleſiæ conceſſit tenendam, ita tamen, quòd ſi Papa tranſactionem, & concordiam ipſam forte non acceptaret, liceret Princeps Terram ad ſuum ius, & dominium reuocare. Qua tranſactione ſic facta inter Principem, & Legatum cautionibus interuenientibus firmata, Legatus obnixe rogauit Principem, vt intuitu diuinæ pietatis quibuſdam Regni nobilibus parceret, qui à tempore Imperatoris patris ſui à Regno exulabant; & in præſentia cum ipſo Legato erant: ad cuius Legati preces motus Princeps præfatis nobilibus clementer indulſit, Terras, quas iuſte amiſerant, eis reſtituit, & in Regno eos manere con-*

Bonin. ad annum 48.

Rubeus in hiſtor. Rauenn.

Ciaconius

Ferdināđ Vghel. in Ital. ſac.

Sigonius de Regno Italiæ

Bonius an. 1250.

Oder. Rinald in Annalibus Eccleſ.


re conceſſit. Non admiſſam ab Alexandro Romano Pontifice eam concordiam, refert idem auctor, ac ex Pariſio in hiſtoria Anglicana, atque Herefordienſis Epiſcopi literis colligitur, ipſum Innocentij Quarti exemplo, Siciliæ Regnum à Federici poſteris ob præteritam perduellionem in Regiam Anglorum familiam ſedi Apoſtolicæ dedītiſſimam transferre meditatum fuiſſe.

Paul. Iouius in vit. Olaii. Vicec.

Ardente Ciuili bello Gallia Ciſalpina, Otho Vicecomes nobilis Mediolanenſis, Vberti filius, domo egreſſus Romam ſe contulerat ad Octauianum Vbaldinum Cardinalem auctoritate, atque opibus florentem, à quo benignè ſuſceptus, adſcriptus fuerat inter ſuæ familiæ honeſtiſſimos. Nec multò poſt cum in ea domo aliquando virtutis eximiæ, ac perurbanæ comitatis, & naturæ nequaquam fallacis, vel inſidioſæ teſtimonia paſſim reliquiſſet, Octauiano præalta ſemper agitanti, in ocio pariter atque negocio comes eſſe cœperat, adeo vt munera legationum obeuntem, & trans Alpes accitum, inter præcipuos ſecutus eſt ſemper. Oderat Octauianus Cardinalis Vbaldinus, vti etiam Otho Martinum Turrianum Mediolanenſem, qui Populi cauſam aduerſus nobiles illius Vrbis ſuſceperat, & Leonem Peregum Mediolanenſem Antiſtitem, Patronum, ducemque nobilitatis Vrbe pepulerat, perturbataque Republica, cum populo cæſis, diſiectiſque nobilibus, Vrbis illius regimen, ac Præfecturam vſurparat. Oderat, inquam, Octauianus, parique odio Otho Martinum, & Turrianos omnes tanquam nobilitatis hoſtes proſequebatur: priuati quoque odij cauſæ intercedebant inter Octauianum, & Martinum. Nam et Martinus paucis ante annis notam nefariæ cupiditatis inuſſerat, cum fortè in Galliam iter habentem, hoſpitioſque ſuſceptum in Templo Diui Ambroſij, ne carbunculum mirabili fulgore, & rara magnitudine conſpicuum è donarijs auferret, armatus accurrens prohibuiſſet. Dicebat enim Cardinalis cupidè inſpiciendo, tractandoque eam gemmam omnino dignam videri, quæ ad ornamentum ſacrorum ſolemnium in ſumma Pontificis maximi tiara conſpiceretur. Ad excidium igitur Turrianæ domus defuncto Leone, Otho Mediolanenſium Archiepiſcopus ab ipſo Octauiano ſedis Apoſtolicæ Legato, approbante Vrbano Romano Pontifice declaratur, qui Turrianos, eorumque ſectatores, vſque ad excidium inſectatus eſt ſemper.

Florentiæ Octauianus Monaſterium S. Claræ conſtruxit; & ad bonū regimen Cleri Senenſis, ſpeciali mandato Alexandri IV. Summi Pontificis capitula quædam ſanciuit, quæ ab eodem Pontifice Diplomate deinde confirmata fuere. Subſcripſit tum Innocentij IV. literis datis Kalend. Februarij anno Dominicæ Incarnationis 1244. Ioanni Ceruienſi Epiſcopo, & anno 1245. Monaſterio Virziliacenſi: tum Alexandri item IV. vij. Kalen. Februarij anno 1259. Magiſtro Hoſpitalis ſancti Spiritus Piſarum. Hunc Cardinalem apud Principes viros illius ætatis ſummæ exiſtimationis fuiſſe ſcribit Ioannes Villanus in hiſtorijs: ſuperſtitem fuiſſe vſque ad Gregorij X. tempora, cui vnicè charus fuit, atq; ſub eius Pontificatu ſupremū diē obijſſe anno 1272. Ciaconius affirmat. At cum Ioannes Villanus libro ſeptimo Florentinæ hiſtoriæ cap. 43. ab Octauiano Vbaldino Cardinali Vbaldino die xxij. Iunij anno 1273. in Mugello Florentinæ ditionis amœniſſima parte, quæ eius gēti Vbaldinę Ghibellinæ familię dominium agnoſcebat, Gregorium X. Romanum Pontificem ad Concilium celebrandum Florentia Lugdunum properantem receptum fuiſſe, ibidemque per totam ferè æſtatem amœnitate loci, & Vbaldinę gentis humanitate illectum manſiſſe ſcripſerit; in annum 1273. ſeu in ſequentem 1274. cum Aubery Octauiani obitum referre oeceſſe erit.

Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon.



X.

Ciaconius

Panuinius l. 13. an. 1. 31.

PETRVS Capoccius, ſeu de Capoccinis, nobilis Romanus de Regione Montium Gregorium IX. Romanum Pontificem, contra quem Populus Romanus arma ſumpſerat, defendit, eiuſque audaciam repreſſit, & Agrum Sabinum, ac reliqua Patrimonij oppida, & Vrbes recuperauit. Diaconus Cardinalis S. Georgij in Velabro ab Innocentio renunciatus, legationis munere functus eſt eiuſdem Pontificis iuſſu apud Germanos, Danos, Polonos, ac Pomeranos; vt Imperij Principes ad nouam Imperatoris electionem, mortuo Hērico Langrauio Turingiæ animaret. Extant Innocentij literæ ad illarum Regionum Principes, quibus vbi deſiderium ingens, quo ad luſtrandas ipſorū Regiones, vt malis vrgentibus mederetur, flagraret, expoſuit, adiecit, vt cum natura vni tantùm loco ipſum adſtringeret, ſe ipſum vice ſui tranſmittere. *Dilectum* ſcilicet *filium Noſtrum Petrum S. Georgij ad Velum aureum Diaconum Cardinalem, virum vtique ſcientia præditum, morum honeſtate decorum, & diuſibi maturitate præclarum ad partes eaſdem, tanquam pacis Angelum, de fratrum noſtrorum conſilio, commiſſo ſibi plena legationis officio, vt euellat, & deſtruat, diſſipet, & diſperdat, ædificet, & plantet, ſicut viderit expedire. Quia verò ipſum inter alios fratres noſtros, ſpecialis dilectionis brachijs amplexamur, vniuerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, atque præcipimus, quatenus eum, imo potius nos in ipſo benignè recipientes, & honeſtè pertractantes, eidem tanquam Apoſtolicæ ſedis Legato intendatis humiliter, & deuote, ipſius monita & præcepta, & quæ vobis ex parte Noſtra mandauerit, efficaciter adimplendo.* Ad coercendos porrò Federici impetus Legato Apoſtolico prouinciam iniunxit, vt excommunicationis pœnas in eos, qui Tyranni partibus infecti erant, diſtringeret. Huius Legati ſuaſu Vuillelmus Hollandiæ Comes opibus, ætate, viribus florentiſſimus, multorum Principum affinitate, atque amicitia ſuffultus anno noſtræ ſalutis 1247. in Romanorum Regem electus eſt. Scriptorum tamen nonnulli non conſentiunt Vuillelmum prædicto anno Regem Romanorum ſalutatum, ſed Pontificiæ literæ ad Moguntinum Archiepiſcopum, & ſuffraganeos datæ dubium omne à noſtris mentibus eliminant.

Odor. Rinald. t. 13. Annal.

Floren. Martinel. in Addit. ad Ciac.

Ex legatione Germanica rediens Siculam obtinuit, & veſte ſacerdotali, Cruciſque vexillo redimitus, thorace munitus, ac enſe ſubcinctus milites ad arma prouocando, atque eos in certamine antecedendo Federici copias fugauit. Sedis Apoſtolicæ Legati munus ſub eodem Innocentio ab anno 1249. vſque ad annum 1251. in Etruria, Vmbria, & in Marchia Anconitana geſſit.

Ludou. Iacobil. in Annalib. Vmbriæ.

Odor. Rinald. l. cit.

Cum inteſtino alio Bello Germania arderet, quæ hinc à Vuillelmo Rege, inde à Conradi ſequacibus lacerabatur, Innocentius ad Vuillelmi partes efferendas, & in eius obſequium Germaniam alliciendam Petrum S. Georgij ad Velum aureum Diaconum Cardinalem iterum anno 1254. tranſmiſit, atque auctoritate inſtruxit, vt eos, qui Conradi partes abijcerent, fidelium communioni reſtitueret, illatas ab iis Eccleſiæ iniurias remitteret, ac in rebelles exercitus conſcriberet. De qua illi impoſita prouincia ad cunctos Principes Germaniæ viros, hæc ſcripſit: *Salubrem, & proſperum partium veſtrarum ſtatum, exaltationem Eccleſiæ, ac Romani honorem Imperij totis deſiderijs affectantes, dilectum filium noſtrum Petrum S. Georgij ad Velum aureum Diaconum Cardinalem, virum ſcientia præditum, honeſtate decorum, & in conſilijs circumſpectum ad partes ipſas pro eiuſdem Eccleſiæ, ipſius Imperij promouendo negocio, ac vtilitate dictarum partium procuranda, tanquam pacis Angelum duximus tranſmittendum. Sibi plena legationis officio, ac libera poteſtate relaxandi excommunicationis ſententiam, quam nonnulli partium earundem adhærendo quōdam Federico olim Romanorum Imperatori, ſuiſque fautoribus contra Eccleſiam ipſam, & quaſcunque alias in eiſdem partibus exiſtentes incurrerunt, vel incurrent, & remittendi liberaliter iniurias, & offenſas, ſi quas eidem intulerunt Eccleſiæ, ipſoſque in noſtram, & ipſius Eccleſiæ gratiam admittendi, congregandi quoque contra eiuſdem Eccleſiæ hoſtes exercitum, & omnia faciendi tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus, prout eiuſdem Eccleſiæ vtilitati viderit expedire, &c.*

Hor. Aniceu. in Annalib. Cinguli.

Florenna. tes Martinel. l. cit.

Hippol. Marrac. in Purp. Mar.

In Mariam Deiparam Virginem pietate eminuit; cum è Gallia iter ad ipſum Innocentium proſequeretur, Florentiæ in magnifici Templi beatæ Mariæ Virginis Annunciatæ fundamentis primum lapidē ſacro ritu benedictum poſuit. In huius Cardinalis domo anno à partu Virginis 1256. Alexandro IV. Pontifice Maximo ſedente miraculum vniuerſo Orbi, ac Romæ præcipuè notum accidiſſe ferunt. Noctu enim aqua putei in ſtabulo ipſius domus adeo ſe extulit, & exundauit, vt equi inibi morantes penè mergerentur: nouitate rei exterriti domeſtici famuli, & cauſa diligenter inueſtigata, aquam ex ore putei redundare, in eoque lapidem ſiliceum, in quo B. Mariæ Virginis Imago depicta erat, ſupernatare conſpexerunt, cumque illum extrahere non valerent, omnia Petro Cardinali retulerunt, qui ſtatim eò ſe contulit, Deoque confiſus ſumma humilitate lapidem extraxit, cunctaque Pontifici enarrauit, qui re bene diſcuſſa, & veritate comperta, ſtabulum in Eccleſiam commutare decreuit. Itaque Populo Romano publicis ſupplicationibus indictis, venerabilis ille lapis ipſo Pontifice comitante efferebatur, quem in eo ipſo loco, & prope eundem puteum Petrus repoſuit, & Eccleſiam extruxit, nuncupatam *S. Mariam in Via*. In potu autem aquæ putei iam dicti intercesſione ſanctiſſimæ Virginis gratia ſanitatis in ægrotos incepit, quæ exinde in dies per tot ſecula, vſque ad hæc noſtra tempora perdurat. Extat in eadem Eccleſia huiuſce miraculi enarratio in marmore inciſa ſtudio Vincentij Capoccij, Marij filij exarata.

Flor. Martin. ibid.

Oder. Rinald. ibid.

Platina.

Laurētius Schraderus in Monum. Ital.

Maxima in Deum, & res diuinas pietate excelluit Petrus hic noſter; nam ex ſuis paternis bonis Collegium, quod Sapientiā Veterem appellant Peruſiæ erexit, in quo quadraginta iuuenes literarum ſtudioſi alebantur ſeptem annorum ſpatio. ac Romæ Eccleſiam, Cœnobium, & Xenodochium ſub inuocatione S. Andreæ Apoſtoli, vel vt alijs placet, S. Antonij Abbatis iuxta Eccleſiam S. Mariæ Maioris extruxit, dotauitque, cuius rei teſtes Clementis IV. literæ kalendis Auguſti datæ fratri Sanguineo, primo eius Hoſpitali Rectori. Multas etiam pecunias ad ſacrum quotannis Miſſę ſacrificium celebrandum erogauit, prout indicant varia lapidea monumenta; in ſupercilio Ianuæ Maioris Eccleſiæ S. Antonij in platea S. Mariæ Maioris ſequentem legimus Inſcriptionem.

D. PETRVS

D. O. M.
D. PETRVS. CARDINALIS. CAPOCCIVS
MANDAVIT. CONSTRVI. HOSPITALE
IN. LOCO. ISTO
ET. DD. OTHO. EPISCOPVS. TVSCVLANVS
ET. IOANNES. CAIETANVS. CARDINALIS
EXEQVVTORES. FIERI. FECERVNT
PRO. ANIMA
D. PETRI. CAPOCCII.

In Diaconia verò S. Georgij in Velabro iuxta Aram maximam à ſiniſtris in pariete aliam legimus.

D. Petrus Capoccius legauit huic Eccleſiæ Terras ſitas prope Turrim dictæ Eccleſiæ, quæ dicitur ad Valeranum: ita quod dictæ Terræ aliquo titulo alienari non poſſint, & tenentur Clerici huius Eccleſiæ annuatim d. Cardinalis Anniuerſarium celebrare, & Capitulum huius Eccleſiæ ſollemniter iurauit, ſupradicta omnia inuiolabiliter obſeruare, & ſtatuit de cætero nullum recipere, niſi prius iurauerit ſeruare omnia ſupradicta: Anniuerſarium verò prædictum fieri debet xiij. kalen. Iunij. Quicunq; legerit oret pro eo. Actum eſt hoc A. D. MCCLIX. Pontificatus D. Alexandri Quarti anno V.

In Clauſtro vero ſanctæ Praxedis.

IN NOMINE DOMINI AMEN.
D. Petrus Capoccius S. Georgij ad Velum aureum Diaconus Cardinalis legauit huic Eccleſiæ centum libras pro Turri Caſtilionis, & quinquaginta libras prouentus ad emendas poſſeſſiones, ita quod dictæ poſſeſſiones aliquo titulo alienari non poſſint; & tenentur Abbas, & Conuentus dicti Cardinalis Anniuerſarium inuiolabiliter celebrare, & promiſerunt, quod omnes ſucceſſores ſui Abbates, & monachi hæc ſupradicta in perpetuum obſeruabunt. Anniuerſarium vero prædictum fieri debet xiij. kalendas Iunij. Actum eſt hoc anno Dom. MCCLIX. Pontificatus D. Alexandri Quarti anno V.

Denum in titulo Equitij à ſiniſtra parte fornicis Aræ maximæ in pariete locatam.

IN NOMINE DOMINI AMEN.
D. Petrus Capoccius bo: mem. Card. S. Georgij ad Velum aureum legauit huic Eccleſiæ SS. Sylueſtri, & Martini centum libras prouiſionum, pro quinque emendis poſſeſſionibus; ex quibus empta fuerunt ſex petia vinearum, quæ poſita ſunt prope portam Maiorem, & mandauit in ſuo Teſtamento, quod terra empta alienari non poſſint, & tenentur Clerici huius Eccleſiæ dicti Cardinalis Anniuerſarium celebrare, & iurarunt omnia ſupradicta obſeruare. Anniuerſarium verò prædictum fieri debet xiij. kalendas Iunij. Actum eſt hoc anno Dom. MCCLIX. Pontificatus D. Alexandri Quarti anno V.

Migrauit è vita xiij. kal. Iunij anno 1259. cuius corpus in Baſilica S. Mariæ Maioris, cuius Baſilicæ Archipresbyter erat, marmoreo tumulo ſepultum eſt in Sacello D. Barbaræ ab ipſo conſtructo, cum hoc Epitaphio.

Cardine præclarum genitum de ſtipite claro,
Quem rea mors rapuit, infima buſta tenent.
Cultor iuſtitiæ, rigidus ſeruator honeſti,
Quæque dari voluit, pauca retenta tulit.
Gente CAPOCCINVS PETRVS datus eſt ſibi duplex
Enſis ab Eccleſia, quod tueatur eam
Prætulit arma togæ, Federicum Schiſmate plenum
Belli iure fugat, vndique clarus ouat.
Donat opes largas largo de pectore fuſas
Gratis in hac Aede Virgo MARIA tibi.
Aurum veſtit opes, ſculpſit manus arte magiſtra
Mira columna leuat, iſte miniſtrat opes.
Condit opus ſacra, condas animam precor huius
Aedibus æthereis intemerata parens.

Petri oſſa è Sacello Diuę Barbaræ, quod poſteri gentiles Sixto V. conceſſerunt, ad aliud eiuſdem familiæ S. Laurentij Martyris nomini dicatum anno 1585. tranſlatum inibi quieuit, vſque ad annum 1608. quo Paulus V. Sixti munificentiam æmulatus ibidem Deiparæ Virgini MARIAE nobile, ac illuſtre Sacellum excitauit, ac inde dicti Cardinalis cineres extracti in media naui eiuſdem Baſilicæ reconditi quieſcunt.

Ferdinand. Vghel. in Ital. ſac.

Meminere Petri plura Romanorum Pontificum Diplomata, quibus ſubſcripſit, illa videlicet Innocentij data Kalend. Februarij anno 1244. Ioanni Ceruienſi Epiſcopo, & anno 1245. Monaſterio Virziliacenſi, & x. Kalen. Martij anno 1248. Othoni Parentino Epiſcopo: Nec non alia Alexandri IV. anno 1258. Monaſterio de Mireto, & anno 1259. vij. kalendas Februarij Magiſtro Hoſpitalis Spiritus ſancti Piſarum.

Ciaconius

XI.



IOANNES Caietanus Vrſinus Matthæi filius, Romanus, Diaconus Cardinalis ſancti Nicolai in Carcere Tulliano ab Innocẽtio huius nominis Quarto renunciatus, apud Vrbanum Quartum, & Ioannem XXI. multum auctoritate valuit. Sub Vrbano Agrum Sabinenſem, & Campaniam adminiſtrauit, generalis Inquiſitoris munus exercuit; à Ioanne verò XXI. Archipresbyteri dignitatem in Baſilica Vaticana obtinuit, & ab Alexandro item IV. Minorum ordinis Patronus conſtitutus eſt. Subſcriptione firmauit ſua plures Innocentij literas, illas ſcilicet anno noſtræ ſalutis 1244. kal. Februarij Ioanni Ceruienſi Epiſcopo: anno 1245. Monaſterio Virziliacenſi, & anno 1248. x. Kalen. Martij Othoni Parentino Epiſcopo. Poſt obitum Gregorij X. Romanus electus Pontifex dictus eſt Nicolaus III. Vide vitam.

Ciaconius. Alphonſus Ferman. in Cõc. Prædicat. Ciaconius. Ferdinand. Vghell. in Ital. ſac.

XII.



GVILLELMVS Fliſcus ex Lauaniæ Comitibus, Genuenſis filius Opizzij Innocentij IV. fratris, Cardinalitia dignitate cum Diaconia S. Euſtachij obtenta, legatione functus eſt Apoſtolicæ ſedis nomine primum in S. Petri Patrimonio, deinde Bononiæ. Eremitarum S. Auguſtini religioſum ordinem ad ſeueriorem diſciplinam reuocare ſtuduit, cuius ordini, vti etiam alij Seruorum B. Virginis ſemper eſt patrocinatus. Innocentium in Gallias tendentem inſecutus eſt: pietatis ergo in beatam Claram, quam morti proximam inuiſerat, Monialibus, ac Minoribus S. Franciſci Cœnobia Lauaniæ ſuis, ac familiæ ſumptibus erexit.

Fed. Federic. de famil. Fliſca. Ciaconius. Ghirard. in hiſt. Bonon.

Vt Siciliæ Regnum, cui Manfredus dominandi cupidine allectus inhiabat, ad Eccleſiam reuocaret Innocentius, Guillelmum illuc Legatum deſtinauit cum ampliſſima auctoritate, vel ad rebellium pertinaciam comprimendam, vel aliorum ſtudia allicienda, ac ſuppeditanda militi ſtipendia, & dans ad Siculos Præſules literis, tum Eccleſiaſticis, & Laicis Sacerdotia, aut vectigales Eccleſiarum poſſeſſiones eripi iuſſit, qui Manfredi partes tuerentur. De hac Guillelmi legatione hæc legimus apud Anonymum auctorem m. s. de Rebus Conradi, & Manfredi: *Cœpit Legatus non tanquam, Rector, aut Gubernator in Regno agere, ſed tanquam Regni Dominus, Pupilli Regis, & Principis iura ſubuertere, & a Comitibus, Baronibus, & alijs tãquam Rex iuramenta fidelitatis exigere, nullo iure Regio, & Principis ſaluo, ſibique tanquam Regi Siciliæ intendi ab omnibus faciebat, ipſumque etiam Principem requirebat, vt ſibi ſimile iuramentum præſtaret.* Cum autem Manfredus Marchionem Odonem Pontificij exercitus Præfectum fudiſſet, & Foggiam occupaſſet, tantum metum ſedis Apoſtolicæ Legatus concepit, vt Troia, in qua verſabatur, noctu diſcedens, relictis impedimentis, præcipiti fuga Neapolim contenderit: de quo hæc ſubjicit laudatus auctor de Rebus Conradi, & Manfredi. *Cum tanta feſtinantia ibat, quod Marchioni Bertholdo, qui pridie ab ipſo fuerat miſſus ad Papam, in via ſe adiunxit, & deinde ambo ſimul Neapolim peruenientes, inuenerunt, quod ipſis diebus Decembris Papa defunctus erat. Tantus autem Cardinalibus, & alijs de Romana Curia ex illa Victoria Principis timor acceſſit, quòd viſo Legatò, & Marchione omnes voluere de Neapoli recedere, & in Cãpaniam redire: ad magnam autem inſtantiam, & reconfortationem Marchionis ipſius ſteterunt inuicem collecti ad electionem noui ſummi Pontificis.* Affuit Guillelmus Alexandri Electioni, & firmauit ſubſcriptione ſua Innocentij literas miſſas ad Ioannem Ceruienſem Epiſcopum anno à Chriſto nato 1244. Kalendis Februarij, & kalen. Maij anno 1252. ad Præpoſitum, & Canonicos S. Saluatoris de Lauania. E vita exceſsit Romæ anno 1256. ſub Alexandro IV. eius corpus ad S. Laurentium extra muros ſepultum eſt inſigni marmoreo pilo, cum Inſcriptione, quæ adhuc huiuſmodi tenoris extat.

Oder. Rinald. in Annalib. tomo 13. Ciaconius. Fed. Federic. in hiſt. famil. Fliſcæ

HIC RE-

[illegible]

A

HIC. REQVIESCIT. CORPVS. DOMINI GVILLELMI. S. EVSTACHII. DIACONI CARDINALIS. NEPOTIS. QVONDAM. FELICIS. RECORDATIONIS. DOMINI. INNOCENTII. PAPAE. IV. EX. PROGENIE. COMITVM. LAVANIAE. ORTI. CVIVS. ANIMA REQVIESCAT. IN. PACE.

Siſte gradum, clamaq; qui perlegis hoc Epigramma,
Guillelmum plora, quem ſubtraxit breuis hora
Nobis per funus, de Cardinibus fuit vnus,
Prudens, veridicus, conſtans, & fidus amicus,
Verè Catholicus, iuſtus, pius, atque pudicus.
Candidior Cigno, patruus Quartus fuit INNOCENTIVS, illius mores imitans nec alius:
Roma Neapolis, quos improba mors pharifeat,
Regia ſancta Polis iungit, eoſque beat.
Lauania de progenie Comitum fuit iſte
Rex veni, des in requiem ſedem ſibi CHRISTE
Anni ſunt nati Domini ſuper aſtra regentis
Quinquaginta dati, & ſex cum mille ducentis.

B

Ciaconius

Nomencl. Cardinal. in Epitaphijs.



XIII.

BERNARDVS Caracciolus Neapolitanus, S.R.E. Diaconus Cardinalis, cuius tantùm nudum nomen extat in Regiſtro Innocentij IV. Obijt Romæ non ſub Innocentio, vt ſcripſit Ciaconius, ſed ſub Alexandro Quarto; nam ſi firmauit, vt ipſemet Ciaconius, vel alius, Ciaconij loco affirmat, Alexandri IV. literas datas ad Eremitanos S. Auguſtini anno noſtræ ſalutis 1255. certum eſt illum non exceſſiſſe è vita ſub Innocentio, qui vt diximus huius lucis vſuram amiſit anno 1254. Laterani lapideo ſepulchro conditus eſt Bernardus cum hoc Epitaphio.

C

MEMORIAE BERNARDI CARACCIOLI NEAPOLITANI S. R. E. CARDINALIS.

D

Subſcripſit etiam Innocentij literis ſcriptis anno 1245. Monaſterio Viraliacenſi: nulla huius Cardinalis mentio apud Panuinium, & Aubery.

SECVNDA CREATIO CARDINALIVM.

Anno Dominica Incarnationis 1251. *Pontificatus VIII.* ex Ciaconio, ex Panuinio verò 1252. Pontificatus IX. in quatuor Temporibus Aduentus Domini Innocentius IV. Peruſiæ creauit iterum Cardinales, qui fuerunt.

Petrus de Barro Gallus Epiſcopus Cardinalis Sabinus ex Presbytero ſancti Marcelli.

E

Ciaconius

Feder. Federic. de fam. Flisca

Bzouius tom. 13. Annalium.



XIV.

OTHOBONVS Fliſcus ex Comitibus Lauaniæ, Genuenſis, Theodoſij, Innocentij Quarti Romani Pontificis fratris filius, ex Archidiacono Parmenſi, & Rhemenſi Diaconus Cardinalis S. Hadriani renunciatus ab Innocentio, legatione functus eſt in Anglia iuſſu Alexãdri IV. qua in legatione Henrico Angliæ Regi, nomine Edmundi filij Siciliæ Regnum in feudum conceſſit his conditionibus; ſcilicet *Vt Rex Henricus ligium homagium, & fidelitatis ſacramentũ Alexandro IV. & Apoſtolicæ ſedi præſtaret:* 2. *Vt duo millia vnciarum auri titulo cenſus annis ſingulis Romanæ Eccleſiæ ſolueret:* 3. *Toto triennio trecentos milites in vſum Eccleſiæ ſuis expenſis ſubmitteret:* 4. *Diſpoſitiones Eccleſiarum, & beneficiorum ſummo Pontifici relinqueret, neque quicquam ſibi in res, & perſonas Eccleſiaſticas vſurparet:* 5. *Imperium non ambiret, & ſi fortè ad illud eueheretur, ipſo facto, iure feudi decideret:* 6. *Beneuentanam ciuitatem liberam Eccleſiæ*

F

A

in omnibus relinqueret: 7. *Cum primum Edmundus quintum decimum annum attigiſſet, eum ad ſacramentum fidelitatis Romanæ ſedi præſtandum induceret.* 8. *Infra ſpatium vnius anni ſolueret ſummo Pontifici expenſas ab eo factas contra Corradinum; niſi infra tantum temporis non eſſet ſoluendo, anathematis vinculo teneretur, in Regno Angliæ à ſacris ceſſaretur, & ab iure Regni tam ipſe, quàm Edmundus decideret.* Has conditiones ſacramento coram Cardinale Othobono, & Archiepiſcopo Cantuarienſi Apoſtolicæ ſedis Legatis præſtito, roborauit Henricus, & pactorum conuentorum ſyngrapham aurea Bulla munitam per Epiſcopum Ereforclienſem Alexandro Pontifici miſit. In hac legatione obtinuiſſe Othobonum Cathedram Cantuarienſem, eaque functum, Epiſcopatum Placentinum, ac Bononienſem ſcribit Federicus Federicus, atque in redditibus plus centum millium aureorum habuiſſe auctor eſt Auguſtinus Iuſtinianus in hiſtoria Genuenſi. Thomam Amadeum, &

B

Ludouicum, filios Thomæ ſecundi Principis, ac Beatricis Fliſcæ ſororis carceri iniuſtè mancipatos, Guelphorum, ac Genuenſium armis, in libertatem vindicauit.

Vrbanus IV. ad reprimendos Manfredi conatus, Othobonum Diaconum Cardinalem S. Hadriani Peruſino Comitatui præfecit cum ampliſſima ſedis Apoſtolicæ Legati poteſtate in ea prouincia, vt propoſitis Indulgentiarũ præmijs, ac dato Crucis ſymbolo fideles ad ſacrã militiã accenderet contra crudeliſſimos Eccleſiæ hoſtes. Oder. Rinal. to. 14. an. 1264.

Clemens IV. Vrbani in Petri Cathedra ſucceſſor miſertus triſtem Anglorum ſortem, quam apud Matthæum Vueſtmonaſterienſem eleganter deſcriptam lector poterit intueri, in Angliam Othobonum ſecundò direxit ſedis Apoſtolicæ Legatum, eique iniunxit, vt viros Principes Eccleſiaſticos, ac Laicos ad obſequia ſacramento ſolemni confirmata Regi deferenda adduceret, impia conflata inter eos foedera diſſolueret, iniqua iuramenta, quibus Rex, Regina, filijque

C

adacti fuerant, conuelleret, Præſules, ac Proceres incuſſo cenſurarum, ac bonorum omnium, honorumque iacturæ terrore ad officiũ cogeret; tum maximè Præſules, quorum plures perduellium partibus erant fœdiſſimè irretiti, obeundo munere interdiceret; ipſiſque ad dicendam apud Apoſtolicam ſedem cauſam, terminum præfigeret; ac ſi in peruicacia perſtarent, in eos pœnas Eccleſiaſticas explicaret. In Angliam appulit Othobonus, ſuumque munus ibi ſtrenuè obijt, atque in Eccleſia Vueſtmonaſterienſi Concilio habito, Romani Pontificis mandata omnibus publicauit, rebellibus Præſulibus iudicium intendit. Richardo in Regem Romanorum electo ad diſceptandam iudicio Imperij controuerſiam diem indixit; Anglos ad Crucem induendam in Saracenos concitauit; Gilbertum Glouerniæ Comitem Angliæ perturbatorem anathemate deuinxit, Londinum, & contigua loca interdicto ſubiecit. Ob rem bene geſtam Clemens Legato ſuo eſt gratulatus, & compoſita Anglia Romam venire cu-

D

pienti reſcripſit: *Laboraſti ſatis diu, & te Dominus in tuis laboribus honeſtauit, & humano iudicio iam compleuit eoſdem;* illique conceſſit, quamuis eius præſentia Angliæ perutilis videretur, vt in Hiſpaniam ad luſtrandum S. Iacobi Templum peregrinaretur. Poſt peregrinationem in Angliam redijt, atque Eduardum, & Edmundũ Henrici Regis filios Cruce inſigniuit, Concilium Londini habuit, ad quod non Angliæ modò, ſed Scotiæ quoque, Hiberniæ, & Vualliæ Epiſcopi confluxere. Reuocatum porrò à Pontifice ex Anglia Othobonum nouis obiectum laboribus, atque in Hiſpanias miſſum videtur, cum Pontificiæ literæ extent in Vaticano ad ipſum datæ x. Kalend. Iulias, vt Caſtellæ Regem ad reparandas Terræ Sanctæ res incenderet, & confirmaret; Regem Aragoniæ ad ſubſidium eidem Terræ Sanctæ conferendum ſollicitaret, ac ceteros Hiſpaniarum Reges, zelo quo ardebat, inflammaret. Cõtinuat. Paris Vueſtmonaſterien.

Romæ Othobonus defunctus tot legationibus, anno noſtræ ſa-

E

lutis 1272. Monialium Cœnobium ordinis S. Damiani ſub inuocatione S. Andreæ apud S. Mariam Maiorem in Exquilijs erexit, ac fundauit, vt conſtat ex publico inſtrumento, ſeu literis erectionis dicti Cœnobij, in quibus hæc legimus. *In hac Eccleſia fuit olim Monaſterium Monialium S. Damiani, quæ Moniales fuerunt ibi collocatæ ab Othobono Cardinali tit. S. Hadriani.* Scimus etiam ex inſtrumento Archiuij Baſilicę Liberianæ fuiſſe Othobonum eiuſdem Eccleſiæ Archipresbyterum, ac Statuta compoſuiſſe, quæ hodie in pergameno leguntur in Tabulario eiuſdẽ Baſilicæ. Poſt Guilelmi Fliſci Cardinalis obitum, ſeruorum B. Virginis ordinem patrocinatus eſt, ac legationis munere functus eſt in Siciliæ Regno; ad Concilium Lugdunenſe cum Gregorio X. ſe contulit, inde in Germaniam Legatus miſſus, ante diſceſſum ſuum ſcripſit teſtamentum, quo pietate verè Chriſtiana, & magnanimitate Principis, varijs Eu- Paul. de Angel. in deſcr. Baſil. S. Mar. Maioris. Feder. Federic. l.c.

F

ropæ Eccleſijs, ac Religioſis familijs partitus eſt rem ſuam domeſticam, & ſacram, atque auri, argentique vaſa quamplurima; Eccleſiæ Principi Pariſiorum S. Ioannis Baptiſtæ digitum, Bononienſi verò Crucem auream gemmis multis ornatam cum ligno ſanctæ Crucis legauit: Sacerdotia multa inſtituit: poſt Germanicam legationem pacem inter Carolum Regem, ac Genuenſes firmauit. Poſt obitum Innocentij V. Romanus renunciatus Pontifex, dictus eſt Hadrianus Quintus, vide vitam. Subſcripſit Othobonus Diaconus Cardinalis Innocentij IV. literis anno 1252. Canonicis Lucenſibus ſancti Fridiani, tum alijs Gregorij X. anno 1272. Eccleſiæ ſancti Georgij Maioris Venetiarum datis. Ciaconius.



XV.

IACOBVS Herebertus, genere nobilis Gallus, ſed virtute nobilior, monachus Ciſtercié ſis, ſeu Clareuallenſis ab Innocentio IV. ob vitæ meritum, & eximiam doctrinam S. R. E. Cardinalis Epiſcopus Portuenſis deſignari meruit. Ipſi Pontifici chariſſimus ſéper fuit, cuius literas miſſas ad Præpoſitum, & Canonicos S. Saluatoris de Lauania xij. Kal. Maij anno 1252. ſubſcriptione firmauit. Mortalitatem expleuit ann. à partu Virginis 1254. paulò ante mortem Innocétij IV. ſeu, vt vult Vghellus anno 1252. qui Iacobum hunc natione Italum, patria Placentinum facit. Iuſſit moriens corpus ſuum in Claraualle in Gallijs condi iuxta beatum Malachiam in Presbyterio ad eius ſiniſtram, vt ibi ſcilicet requieſceret, vnde lac primum pietatis exuxerat.

Petr. Franc. — Ferdinand. Vghel in A 1... ad Ciacon. — Fed. Feder. de familia Fliſc... — Gaſpar. Ionghelin. in Purpura D. Bernard. — Philip. Seguin. de... vir. illuſt. Cabert.

TERTIA CREATIO CARDINALIVM.

Anno à partu Virginis 1252. *Pontificatus IX.* ex Ciaconio, et Panuinio autem anno 1253. Pontificatus X. menſe Decembri Peruſij Innocentius IV. Romanus Pontifex tertiò creauit Cardinales, qui fuere.



XVI.

STEPHANVS Hungarus Archiepiſcopus Strigonienſis, moribus honeſtiſſimus conſpicuus, literarum ſcientia, ac prudentia prædirus ad Præneſtinam Eccleſiam, & Cardinalatum ab Innocentio tranſlatus eſt. Verùm cùm aëris inexperti nô ferret intemperiem, ad Strigonienſem ſedem remitti ſe poſtulauit, ac certis legibus obtinuit: mox permiſit illi ſummus Pontifex Innocentius, vt cũ Archiepiſcopatu Strigonienſi Præneſtinum Epiſcopatum, & Cardinalis dignitatem retineret. Legationes plurimas geſſit, Hungaricam præcipuè, ac Sclauonicam, in qua Belam Regem anathemate percuſſit; vnde Belas per literas Innocentium IV. rogauit, vt ſe, ac Regnum ſuum à cenſuris, & excommunicatione Epiſcopi Præneſtini ſolueret. Aſfuit conſecrationi Altarium in S. Agnetis Eccleſia, actæ anno 1254. vt in Epigraphe legitur, nec non dedicationi SS. Lucæ, ac Martinæ in foro Boario anno 1257. aſfuit electioni Alexandri IV. Vrbani IV. Clementis IV. Romanorum Pontificum, quorum literis quàmplurimis ſubſcripſit. E viuis ſublatus eſt ſedente Clemente IV. anno videlicet à partu Virginis 1266.

Huic Ciaconius gentilitium ſtemma Ioannis de Toleto Epiſcopi Portuenſis, qui his temporibus vixit, per errorem olim attribuit; nos, proprium ſcutum ex m.s. ſupra expreſſimus.

Ciaconius — Ferdinand. Vghel to. 1. Ital. ſac. — Ioſeph. Mar. Suareſius de Antiquit. Praneſt. — Aubery in vit. Card. — Ferdinand. Vghel. to. 1 Ital. ſac.



XVII.

OTHO Grillus Diaconus Cardinalis, Innocétio IV. ſanguine coniunctus, nam Innocentij mater ex nobili, & peruetuſta Grilla familia fuit, filia illius præclariſſimi viri Amici Grilli Genuenſium Conſulis, & claſſis Præfecti. Legatione functus eſt Otho in Germania ad Imperij Electores pro noua Imperatoris electione, in qua legatione ſub Alexádro IV. è vita deceſſit. Huius Galerus Cardinalitius olim cóſpiciebatur marmore ſculptus Lauaniæ in eius ædibus prope Eccleſiam Saluatoris. Hæc ex Archiuijs Genuæ, & ex vita Innocentij IV. Hetruſco ſermone conſcripta à Paulo Panſa, & Neapoli edita; nulla tamen huius Cardinalis mentio apud Panuinium, & Aubery.

Ciaconius — Paul. Panſa in vita Innoc. IV.



XVIII.

IOANNES Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis interfuit electioni Alexandri IV. ſub quo, paulo poſt è vita exceſſit, cuius tantum nomen inuenitur in Regiſtro Innocentij IV. anno vndecimo, & Alexandri IV. anno primo. Hunc aliqui patria Peruſinum faciunt, quam Ciaconius, & Panuinius taciti prętermittũt.

Ciaconius — Aubery. — Ferdinand. Vghel. to. 1. Ital. ſac. — Giottus in Hiſt. Peruſin.



XIX.

DON Richardus monachus, & Abbas quinquageſimus octauus Caſinenſis, Presbyter Cardinalis S. Cyriaci ab Innocétio IV. renunciatus, pleraque loca, quæ ſuperiorum temporum acerbitas abſtulerat, iterum Cœnobio Caſinenſi reddidit, & ingétes à diuerſis Magnatibus bonorum donationes eidem Cœnobio factas, amplo Alexandri Quarti Diplomate obtento confirmauit. Demum mortalitatem expleuit anno reparatæ ſalutis 1263. in Monaſterio Caſinenſi, ibique ſepultus.

Hunc eundem eſſe cum Richardo Hannibaldenſi Diacono Cardinali S. Angeli ſcripſere Ferdinandus Vghellius, & Marcus Antonius Scipio, at hic noſter alius ab illo dicendus eſt; vide quæ nos ſupra diximus in vita Richardi Hannibaldenſis ſub Gregorio IX.

Ferdinand. Vghel in Addit. ad Ciacon. — Tabul. Caſinen. — M. Anton. Scipio in Elog. Abb. Caſinenſ. — Arnoldus Viuon.



XX.

GOFFRIDVS, aliis Gotifredus Piſanus, Conradi Caietani Equitis Imperialis, Siciliæ Proregis, & generi Federici Cæſaris filius, vir magni nominis, & auctoritatis apud Innocentium IV. quem affinitate tangebat, Panormitanæ Eccleſiæ Canonicus primùm, mox S. R. E. Subdiaconus, & Scriptor, demum Diaconus Cardinalis SS. Sergij, & Bacchi ab eodem Innocentio creatus eſt anno à partu Virginis 1252.

Goffridi Cardinalatus nulla mentio apud Panuinium, illius tamen meminere Archiuij Genuenſis monumenta, Conſtantinus Caietanus in Notis ad vitam Gelaſij II. ac Ioannes Rubeus in præfatione ad vitam Bonifacij VIII.

Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon. — Io. Spon... ſora in.. hiſt. ...



XXI.

NICOLAVS Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis Innocentij IV. nomine, legatione fungebatur in Pruſſia an. 1245. vel melius 1244. vt Chriſtianis Cruceſignatis contra Paganos pugnantibus opem ſuam præſtaret. In eadem legatione è vita exceſſit, ſub eodem Innocentio, & ſucceſſorem habuit in Cathedra Sabinenſi Petrum de Barro: huius tamen nulla mentio apud Panuinium, Ciaconium, & Ferdinandum Vghellum, illius tantùm meminere Brouius tom. 13. Annalium, & Alphonſus Fernandez in Cõcertatione Prædicatoria contra Hæreticos. Habuit apud ſe Nicolaus in hac legatione Fr. Henricum, ordinis Prædicatorum alumnum, & eximium Euangelij Præconem.

Brou. to. 13. Annal.

XXII.



A A Lbvs natione Italus, patria Viterbienſis, olim in montibus Apenninis Eremiticam duxit vitam, deinde Monaſterium in honorem S. Martini ſtudio, & impenſis Rayneri Capoccij Cardinalis erexit, & ordini Ciſtercienſi conceſſit, habitumque ipſe Ciſtercienſem induit. poſt multos pro ſuo ordine, & pro Romana Eccleſia exantlatos labores, ab Innocentio IV. anno Dominicę Incarnationis 1244. S. R. E. Cardinalis renunciatus, ad Cœlum paulo

B poſt euolauit, & ſepultus Viterbij in Eccleſia S. Mariæ ad Gradus prope amicum ſuum Raynerium Capoccium Cardinalem, vt eiuſdem Eccleſiæ Chronicon, & monumenta Monaſterij S. Martini teſtatum reliquerunt. De hoc nulla extat mentio, apud Panuinium Ciaconium, & Aubery. Primus omnium qui è tenebris Cardinalem hunc in lucem protulit, fuit Gaſpar Iongelinus in Purpura D. Bernardi, cuius notitiam ſe habuiſſe fatetur à Ferdinando Vghellio.

Gaſpar Iongel. in Purp. Diui Bernard.

XXIII.



O Do alijs Reginaldus Rigault Gallus, ex ordine Minorum, genere, ac moribus clarus, Archiepiſcopus primum Rothomagenſis, ad quam dignitatem inuitus aſſumptus, mox ab Innocētio huius nominis IV. Cardinalium numero adſcriptus eſt. Hic ex religioſe compoſita vita, & pijs inſtructionibus ad benè, beatèque viuendum cognomen ſortitus eſt, *Regula viuendi, ac Præſulum forma*. Expoſtulatus fuit, ad ſedem Rothomagenſem anno à partu Virginis 1248. & in die Paſchatis ab ipſo Innocentio IV. Romano Pontifice conſecratus, conciones ad populum frequentes habuit. De pio hoc, ac docto viro refert ex Chronico antiquo ordinis, Lucas Vvadinghus in Annalibus Minorum, quod cum Aureliani prædicaret, pœnitentiæq; virtutem dignè commendaret, acceſſerit ad eum mulier quædam nobilis, quæ, exterius pietatis ſpeciem præferens, ſecretò tamen laſciua, per ſeptem annos incubo vſa fuerat Diabolo, ritè confeſſa, dolenſq; de peccato, abſolutionem ab eodem recepit. At commiſſi ſceleris grauitatem conſiderans, Dæmoniſque artes præcauens, interrogauit, an ſufficienter abſoluta eſſet à crimine, & quid ſibi faciendum ad hoſtis inſidias euitandas. Reſpondit Odo, integrè abſolutam, & fiduciam omnem collocandam in Domino. Apparuit mulieri paulo poſt Dæmon, quæritans ſe ab Amaſia derelictum, & tot annorum ſpretam amicitiam, culpam omnem refundebat in cucullatum fraterculum, at, inquit, citò recedet, hodie namque recepit obedientiales à Miniſtro literas, vt abeat Lutetiam, & nos ſecurius ad ſolitos regredientur amplexus. Timuit inimici domeſtici inſidias pauida mulier, & ad fratrem Odonem regreſſa, comperit verum eſſe, quod

E prædixerat; dum lacrymis ſuum exponeret periculum, ne timeas, inquit, Odo, ad meum receſſum, quod enim me præſente non valebat Dæmon, nec poterit, abſente, non ego, ſed Deus à commiſſo ſcelere te liberam reddidit. Ille patronus, ille tutor erit tuus: mulier Dei patrocinio freta, diſceſſit, iterumque apparenti Dæmoni, abeat, inquit, quò voluerit Fr. Odo, non enim ille, ſed Deus me liberauit, & cōtra tuas proteget artes. cōfuſus abijt, nec amplius moleſtus illi fuit.

Claud Robert. in Gall. Chriſtiana. Aud Victorel. in Addit. ad Ciacon. S Antonin. Petr. Friſo in Gallia Purpur. Gaſp. Iongel. in Elog. Cardin. Minorum.

Scripſit Odo in 4. libros Sententiarum. Sermones item de Tempore. Quæſtiones Morales, quæ aſſeruantur Aſſiſijm. s. in Bibliotheca ſancti Franciſci. extat m.s. in Cartulario Rothomagenſi Tractatus de modo viſitandarum Parœciarum Diœceſis Rothomagēſis.

E vita migrauit quinta Maij anno 1276. & ſepultus in ſua Metropoli Rothomagenſi in Sacello beatę Mariae Virginis; quem Poëta Seraphici ordinis Diſtico hoc celebrauit.

En tibi Cardineo inſignis Reginaldus honore
Franciſcanorum, luxq; decuſq; Patrum.

Nomencl. Cardinal. Luc. Vvadding. de Script. Claud. Robert. in Gallia Chriſt. Luc. Vvadding. in Annal. Minorum.

A Andreas Victorelus in Additionibus ad Ciaconium, nullum Odoni conceſſerat gentilitium ſtemma; Petrus Friſonius in Gallia Purpurata, proprium ordinis Minorum tribuerat; nos cum Gaſpare Iongelino aliud expreſſimus, ſcutum ſcilicet argenteum cum canthario coloris minij.

In Elog. Card. Minorum.

Confundunt aliqui Odonem hūc cum Reginaldo Minorita, Lectore Sacri Palatij, adduntque à Bonifacio VIII. inter Epiſcopos Cardinales cooptatum, Eccleſiam Portuenſem, & S. Rufinæ rexiſſe; quod veritati minimè conſentaneum eſt. Si enim exceſſerat è vita Odo, vt diximus ex Kalendario Dioniſiano, & Claudio Roberto, ac Luca Vvaddingo anno 1276. ſequitur Cardinalem renunciatum fuiſſe ante Bonifacium VIII. qui anno tantummodo 1294. in ſummum Pontificem electus eſt. Deinde Claudius Robertus in ſerie Rothomagenſiū Archipræſulū tēpore Bonifacij VIII. nullum refert Reginaldū Minoritam. Pro nobis tamen ille eſt, dū dicit, *quinquageſimus octauus Archiepiſcopus fuit Odo Rigaldus creatus an. 1248.*

B *& ab Innocentio IV. Lugduni conſecratus menſe Maio, cum poſtulatus fuiſſet. die Paſchatis, & obijt anno 1276. quinta Maij, vt eſt in Kalendario Dioniſiano*, nulla tamen fit mentio Odonis Cardinalatus à Claudio Roberto, Ciaconio, Pāuinio, ac Ferdinando Vghellio, qui in ſerie Epiſcoporum Portuenſium, & ſanctæ Rufinæ neque Innocentij IV. nec Bonifacij VIII. temporibus, Odonem hunc non recenſet.

Innocentius IV. Romanus Pontifex tribus Ordinationibus menſe Decembri habitis tres ſupra viginti de nouo creauit Cardinales.

VICECANCELLARII S. R. E.
ſub Innocentio IV.

C Fr. Iacobus Boncambius Bononienſis ordinis Prædicatorum anno primo, poſtea factus Epiſcopus Bononienſis.

Magiſter Marinus Gallus Cantor, & Theſaurarius Sariſberienſis ab anno ſecundo vſque ad finem octaui.

Magiſter Guillelmus de Catadego Parmenſis, ſcholarum Magiſter ab anno nono vſque ad finem Pontificatus.

CARDINALES MORTVI
ſub Innocentio IV.

Thomas de Capua Presbyter Cardinalis ſanctæ Sabinæ xi. Kal.

D Septem » s anno 1243.

Iacobus de Vitriaco Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus pridie kalendas Maij anno 1244.

Albus Viterbienſis S. R. E. Cardinalis anno 1244.

Iacobus de Pecoraria Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus vi. Kal. Iulij anno 1244.

Gotifredus Caſtilioneus Mediolanenſis Diaconus Cardinalis ſancti Hadriani anno 1245.

Ioannes Columna Presbyter Cardinalis S. Praxedis anno 1245.

Fr. Guillelmus de Tallante Gallus Presbyter Cardinalis ſanctorum duodecim Apoſtolorum anno 1250.

Raynerius Capoccius Diaconus Cardinalis ſanctę Marię in Coſmedin, vi. Kalen. Iunij anno 1250. vel vt alij ſcribunt anno 1252.

Otho Candidus ſeu Blancus Epiſcopus Cardinalis Portuenſis anno 1251. Lugduni.

E Guillelmus Subalpinas Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis anno 1251.

Petrus de Barro Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis anno 1252.

Petrus de Collemedio Epiſcopus Card. Albanenſis anno 1253.

Aegidius de Torres Hiſpanus Diaconus Cardinalis ſanctorum Coſmæ, & Damiani anno 1254.

Iacobus Gallus Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ anno 1254.

Nicolaus Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis.

CARDINALES MORTVI
In ſede Vacante Innocentij IV.

F E vita exceſſit Neapoli vi. Idus Decembris anno 1254.

Stephanus Presbyter Cardinalis ſanctæ Mariæ Tranſtyberim titulo Calliſti, eiuſque corpus in Eccleſia Cathedrali eiuſdem Vrbis ſepulturæ mandatum.

Petr. Pard.
Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon.
Fr. l. Pedro de familia Pisis.
Gaspar. Iongelin. in Purpura D. Bernard.
Philip. Seguin. de vir. illust. Cisterc.



XV.

IAcobus Heterbertus, genere nobilis Gallus, ſed virtute nobilior, monachus Ciſtercienſis, ſeu Clareuallenſis ab Innocentio IV. ob vitæ meritum, & eximiam doctrinam S. R. E. Cardinalis Epiſcopus Portuenſis deſignari meruit. Ipſi Pontifici chariſſimus ſéper fuit, cuius literas miſſas ad Præpoſitum, & Canonicos S. Saluatoris de Lauania xij. Kal. Maij anno 1252. ſubſcriptione firmauit. Mortalitatem expleuit ann. à partu Virginis 1254. paulò ante mortem Innocentij IV. ſeu, vt vult Vghellus anno 1252. qui Iacobum hunc natione Italum, patria Placentinum facit. Iuſſit moriens corpus ſuum in Claraualle in Gallijs condi iuxta beatum Malachiam in Presbyterio ad eius ſiniſtram, vt ibi ſcilicet requieſceret, vnde lac primum pietatis exuxerat. B

TERTIA CREATIO CARDINALIVM.

Anno à partu Virginis 1253. Pontificatus IX. ex Ciaconio, ex Panuinio autem anno 1253. Pontificatus X. menſe Decembri Peruſij Innocentius IV. Romanus Pontifex tertiò creauit Cardinales, qui fuere. C

Ciaconius.
Ferdinand. Vghel. to. 1. Ital. ſac.
Ioſeph. Mar. Suareſius de Antiquit. Praeneſt.



XVI.

STEPHANVS Hungarus Archiepiſcopus Strigonienſis, moribus honeſtiſſimus conſpicuus, literarum ſcientia, ac prudentia prædictus ad Præneſtinam Eccleſiam, & Cardinalatum ab Innocentio tranſlatus eſt. Verùm cùm aëris inexpertꝰ nõ ferret intemperiem, ad Strigonienſem ſedem remitti ſe poſtulauit, ac certis legibus obtinuit: mox permiſit illi ſummus Pontifex Innocentius, vt cũ Archiepiſcopatu Strigonienſi Præneſtinum Epiſcopatum, & Cardinalis dignitatem retineret. Legationes plurimas geſſit, Hungaricam præcipuè, ac Sclauonicam, in qua Belam Regem anathemate percuſſit; vnde Belas per literas Innocentium IV. rogauit, vt ſe, ac Regnum ſuum à cenſuris, & excommunicatione Epiſcopi Præneſtini ſolueret. Aſſuit conſecrationi Altarium in S. Agnetis Eccleſia, aſſuit anno 1254. vt in Epigraphe legitur, nec non dedicationi SS. Lucæ, ac Martinæ in foro Boario anno 1257. aſſuit electioni Alexandri IV. Vrbani IV. Clementis IV. Romanorum Pontificum, quorum literis quamplurimis ſubſcripſit. E viuis ſublatus eſt ſedente Clemente IV. anno videlicet à partu Virginis 1266. D

Aubery in vit. Card.
Ferdinand. Vghel. to. 1. Ital. ſac.

Huic Ciaconius gentilitium ſtemma Ioannis de Toleto Epiſcopi Portuenſis, qui his temporibus vixit, per errorem olim attribuit; nos proprium ſcutum ex m. s. ſupra expreſſimus. E

Ciaconius.
Paul. Panſa in vita Innoc. IV.



XVII.

OTHO Grillus Diaconus Cardinalis, Innocẽtio IV. ſanguine coniunctus, nam Innocentij mater ex nobili, & peruetuſta Grilla familia fuit, filia illius præclariſſimi viri Anici Grilli Genuenſium Conſulis, & claſſis Præfecti. Legatione functus eſt Otho in Germania ad Imperij Electores pro noua Imperatoris electione, in qua legatione ſub Alexãdro IV. è vita deceſſit. Huius Galerus Cardinalitius olim cõſpiciebatur marmore ſculptus Lauaniæ in eius ædibus prope Eccleſiam Saluatoris. Hæc ex Archiuijs Genuæ, & ex vita Innocentij IV. Hetruſco ſermone conſcripta à Paulo Panſa, & Neapoli edita; nulla tamen huius Cardinalis mentio apud Panuinium, & Aubery. F



XVIII.

IOANNES Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis interfuit electioni Alexandri IV. ſub quo, paulo poſt è vita exceſſit, cuius tantùm nomen inuenitur in Regiſtro Innocentij IV. anno vndecimo, & Alexandri IV. anno primo. Hunc aliqui patria Peruſinum faciunt, quam Ciaconius, & Panuinius taciti prætermittũt.

Ciaconius.
Aubery.
Ferdinand. Vghel. to. 1. Ital. ſac.
Ciatton in Hiſt. Peruſ.



XIX.

DOn Richardus monachus, & Abbas quinquageſimus octauus Caſinenſis, Presbyter Cardinalis S. Cyriaci ab Innocẽtio IV. renunciatus, pleraque loca, quæ ſuperiorum temporum acerbitas abſtulerat, iterum Cœnobio Caſinenſi reddidit, & ingẽtes à diuerſis Magnatibus bonorum donationes eidem Cœnobio factas, amplo Alexandri Quarti Diplomate obtento confirmauit. Demum mortalitatem expleuit anno reparatæ ſalutis 1263. in Monaſterio Caſinenſi, ibique ſepultus.

Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon.
Tabul. Caſinen.
M. Anton. Scipio in Elog. Abb. Caſinen.
Arnoldus Vuion.

Hunc eundem eſſe cum Richardo Hannibaldenſi Diacono Cardinali S. Angeli ſcripſere Ferdinandus Vghellus, & Marcus Antonius Scipio, at hic noſter alius ab illo dicendus eſt; vide quæ nos ſupra diximus in vita Richardi Hannibaldenſis ſub Gregorio IX.



XX.

GOFFRIDVS, aliàs Gotifredus Pilanus, Conradi Caietani Equitis Imperialis, Siciliæ Protegis, & generi Federici Cæſaris filius, vir magni nominis, & auctoritatis apud Innocentium IV. quem affinitate tangebat, Panormitanæ Eccleſiæ Canonicus primùm, mox S. R. E. Subdiaconus, & Scriptor, demum Diaconus Cardinalis SS. Sergij, & Bacchi ab eodem Innocentio creatus eſt anno à partu Virginis 1252.

Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon.
Ioc. Spata-fora in ſua hiſt. Sicil.

Goffridi Cardinalatus nulla mentio apud Panuinium, illius tamen meminere Archiuij Genuenſis monumenta, Conſtantinus Caietanus in Notis ad vitam Gelaſij II. ac Ioannes Rubeus in præfatione ad vitam Bonifacij VIII.



XXI.

NICOLAVS Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis Innocentij IV. nomine, legatione fungebatur in Pruſſia an. 1245. vel melius 1244. vt Chriſtianis Cruceſignatis contra Paganos pugnantibus opem ſuam præſtaret. In eadem legatione è vita exceſſit, ſub eodem Innocentio, & ſucceſſorem habuit in Cathedra Sabinenſi Petrum de Barro: huius tamen nulla mentio apud Panuinium, Ciaconium, & Ferdinandum Vghellum, illius tantùm meminere Brouius tom. 13. Annalium, & Alphonſus Fernandez in Cõcertatione Prædicatoria contra Hæreticos. Habuit apud ſe Nicolaus in hac legatione Fr. Henricum, ordinis Prædicatorum alumnum, & eximium Euangelij Præconem.

Brou. to. 13. Annal.

XXII.



Gaſpar Iongel. in Purp. Diui Bernard.

ALbvs natione Italus, patria Viterbienſis, olim in montibus Apenninis Eremiticam duxit vitam, deinde Monaſterium in honorem S. Martini ſtudio, & impenſis Raynerij Capoccij Cardinalis erexit, & ordini Ciſtercienſi conceſſit, habitumque ipſe Ciſtercienſem induit. poſt multos pro ſuo ordine, & pro Romana Eccleſia exantlatos labores, ab Innocentio IV. anno Dominicę Incarnationis 1244. S. R. E. Cardinalis renunciatus, ad Cœlum paulo poſt euolauit, & ſepultus Viterbij in Eccleſia S. Mariæ ad Gradus prope amicum ſuum Raynerium Capoccium Cardinalem, vt eiuſdem Eccleſiæ Chronicon, & monumenta Monaſterij S. Martini teſtatum reliquerunt. De hoc nulla extat mentio, apud Panuinium Ciaconium, & Aubery. Primus omnium qui è tenebris Cardinalem hunc in lucem protulit, fuit Gaſpar Iongelinus in Purpura D. Bernardi, cuius notitiam ſe habuiſſe fatetur à Ferdinando Vghellio.

XXIII.



Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana.

And. Victorel. in Addit. ad Ciacon.

S. Antoninus.

Petr. Frizo in Gallia Purpur.

Gaſp. Iongel. in Elog. Cardin. Minorum.

ODo alijs Reginaldus Rigault Gallus, ex ordine Minorum, genere, ac moribus clarus, Archiepiſcopus primum Rothomagenſis, ad quam dignitatem inuitus aſſumptus, mox ab Innocẽtio huius nominis IV. Cardinalium numero adſcriptus eſt. Hic ex religioſe compoſita vita, & pijs inſtructionibus ad benè, beatèque viuendum, cognomen ſortitus eſt, *Regula viuendi, ac Præſulum forma*. Expoſtulatus fuit, ad ſedem Rothomagenſem anno à partu Virginis 1248. & in die Paſchatis ab ipſo Innocentio IV. Romano Pontifice conſecratus, conciones ad populum frequentes habuit. De pro hoc, ac docto viro refert ex Chronico antiquo ordinis, Lucas Vuadinghus in Annalibus Minorum, quod cum Aureliani prædicaret, pœnitentiaq; virtutem dignè commendaret, acceſſerit ad eum mulier quædam nobilis, quæ, exterius pietatis ſpeciem præferens, ſecretò tamen laſciua, per ſeptem annos incubo vſa fuerat Diabolo, ritè confeſſa, dolenſq; de peccato, abſolutionem ab eodem recepit. At commiſſi ſceleris grauitatem conſiderans, Dæmoniſque artes præcauens, interrogauit, an ſufficienter abſoluta eſſet à crimine, & quid ſibi faciendum ad hoſtis inſidias euitandas. Reſpondit Odo, integrè abſolutam, & fiduciam omnem collocandam in Domino. Apparuit mulieri paulo poſt Dæmon, queritans ſe ab Amaſia derelictum, & tot annorum ſpretam amicitiam, culpam omnem refundebat in cucullatum fraterculum, at, inquit, citò recedet, hodie namque recepit obedientiales à Miniſtro literas, vt abeat Lutetiam, & nos ſecurius ad ſolitos regrediemur amplexus. Timuit inimici domeſtici inſidias pauida mulier, & ad fratrem Odonem regreſſa, comperit verum eſſe, quod prædixerat; dum lacrymis ſuum exponeret periculum, ne timeas, inquit, Odo, ad meum receſſum, quod enim me præſente non valebat Dæmon, nec poterit, abſente, non ego, ſed Deus à commiſſo ſcelere te liberam reddidit. Ille patronus, ille tutor erit tuus: mulier Dei patrocinio freta, diſceſſit, iterumque apparenti Dæmoni, abeat, inquit, quò voluerit Fr. Odo, non enim ille, ſed Deus me liberauit, & cõtra tuas proteget artes. cõfuſus abijt, nec amplius moleſtus illi fuit.

Nomencl. Cardinal.

Scripſit Odo in 4. libros Sententiarum. Sermones item de Tempore. Quæſtiones Morales, quæ aſſeruantur Aſſiſijm. s. in Bibliotheca ſancti Franciſci. extat m.s. in Cartulario Rothomagenſi Tractatus de modo viſitandarum Parœciarum Diœceſis Rothomagẽſis.

Luc. Vvadding. de Script. Claud. Robert. in Gallia Chriſt. Luc. Vvadding. in Annal. Minorum.

E vita migrauit quinta Maij anno 1276. & ſepultus in ſua Metropoli Rothomagenſi in Sacello beatę MARIAE Virginis; quem Poëta Seraphici ordinis Diſtico hoc celebrauit.

En tibi Cardineo inſignis Reginaldus honore
Franciſcanorum, luxq. decuſq. Patrum.

Andreas Victorelus in Additionibus ad Ciaconium, nullum Odoni conceſſerat gentilitium ſtemma; Petrus Frizonius in Gallia Purpurata, proprium ordinis Minorum tribuerat; nos cum Gaſpare Iongelino aliud expreſſimus, ſcutum ſcilicet argenteum cum canthario coloris minij.

In Elog. Card. Minorum.

Confundunt aliqui Odonem hũc cum Reginaldo Minorita, Lectore Sacri Palatij, adduntque à Bonifacio VIII. inter Epiſcopos Cardinales cooptatum, Eccleſiam Portuenſem, & S. Rufinæ rexiſſe; quod veritati minimè conſentaneum eſt. Si enim exceſſerat è vita Odo, vt diximus ex Kalendario Dionſiano, & Claudio Roberto, ac Luca Vvaddingo anno 1276. ſequitur Cardinalem renunciatum fuiſſe ante Bonifacium VIII. qui anno tantummodo 1294. in ſummum Pontificem electus eſt. Deinde Claudius Robertus in ſerie Rothomagenſiũ Archipræſulũ tẽpore Bonifacij VIII. nullum refert Reginaldũ Minoritam. Pro nobis tamen ille eſt, dũ dicit, *quinquageſimus octauus Archiepiſcopus fuit Odo Rigaldus creatus an.* 1248. *& ab Innocentio IV. Lugduni conſecratus menſe Maio, cum poſtulatus fuiſſet. die Paſchatis, & obijt anno* 1276. *quinta Maij, vt eſt in Kalendario Dioniſiano*, nulla tamen fit mentio Odonis Cardinalatus à Claudio Roberto, Ciaconio, Pãuinio, ac Ferdinando Vghellio, qui in ſerie Epiſcoporum Portuenſium, & ſanctæ Rufinæ neque Innocentij IV. nec Bonifacij VIII. temporibus, Odonem hunc non recenſet.

Innocentius IV. Romanus Pontifex tribus Ordinationibus menſe Decembri habitis tres ſupra viginti de nouo creauit Cardinales.

VICECANCELLARII S. R. E.
ſub Innocentio IV.

Fr. Iacobus Boncambius Bononienſis ordinis Prædicatorum anno primo, poſtea factus Epiſcopus Bononienſis.

Magiſter Marinus Gallus Cantor, & Theſaurarius Sarisberienſis ab anno ſecundo vſque ad finem octaui.

Magiſter Guillelmus de Catadego Parmenſis, ſcholarum Magiſter ab anno nono vſque ad finem Pontificatus.

CARDINALES MORTVI
ſub Innocentio IV.

Thomas de Capua Presbyter Cardinalis ſanctæ Sabinæ xi. Kal. Septembris anno 1243.

Iacobus de Vitriaco Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus pridie kalendas Maij anno 1244.

Albus Viterbienſis S.R.E. Cardinalis anno 1244.

Iacobus de Pecoraria Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus vi. Kal. Iulij anno 1244.

Gotifredus Caſtiloneus Mediolanenſis Diaconus Cardinalis ſancti Hadriani anno 1245.

Ioannes Columna Presbyter Cardinalis S. Praxedis anno 1245.

Fr. Guillelmus de Talliante Gallus Presbyter Cardinalis ſanctorum duodecim Apoſtolorum anno 1250.

Raynerius Capoccius Diaconus Cardinalis ſanctę Marię in Coſmedin, vi. Kalen. Iunij anno 1250. vel vt alij ſcribunt anno 1252.

Otho Candidus ſeu Blancus Epiſcopus Cardinalis Portuenſis anno 1251. Lugduni.

Guillelmus Subalpinas Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis anno 1251.

Petrus de Barro Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis anno 1252.

Petrus de Collemedio Epiſcopus Card. Albanenſis anno 1253.

Aegidius de Torres Hiſpanus Diaconus Cardinalis ſanctorum Coſmæ, & Damiani anno 1254.

Iacobus Gallus Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ anno 1254.

Nicolaus Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis.

CARDINALES MORTVI
In ſede Vacante Innocentij IV.

E vita exceſſit Neapoli vi. Idus Decembris anno 1254.

Stephanus Presbyter Cardinalis ſanctæ Mariæ Transtyberim titulo Calliſti, eiuſque corpus in Eccleſia Cathedrali eiuſdem Vrbis ſepulturæ mandatum.

ALEXANDER IV. PONT. CLXXXIII.

ANNO DOMINI MCCLIV.





IN NOMINE DEI, ET SALVATORIS Noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen.

ALEXANDRI IV. electio.

MORTVO Neapoli Innocentio IV. Cardinales, qui præſentes aderant numero 13. Raynaldum Epiſcopum Cardinalem Oſtienſem, & Veliternum à Gregorio IX. factum, ex Comitibus Signiæ, Seſſa vrbe Campaniæ Felicis, Philippo ab Anagni patre natum, in Pontificem elegerunt; virum doctrina, eruditione, & ſanctitate inſignem, ob eaſque virtutes dignum iudicarunt, qui tantùm magiſtratum acciperet, xxiv. fuit Papa Regnicola, Alexanderque IV. appellatus eſt, Gregorij IX. & Innocentij III. propinquus; ſedit Gulielmo, Richardo, & Alphōſo Cæſaribus, annos 6. menſes 5. dies 5. creatus Neapoli a 13. Cardinalibus viij. Kalend. Ianuarij die Natalis Domini anno 1254. ex Regeſto Pontificum, quod in Bibliotheca Vaticana Romæ conſeruatur.

CARDINALES XIII.
qui adſuerunt electioni Alexandri IV.

CARDINALES EPISCOPI V.

GREGORII PAPAE IX.

1. Raynaldus, Comes Anagninus, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus, Prior Epiſcoporum.

INNOCENTII PAPAE IV.

2. Iacobus Herebertus, Epiſc. Card. Portuenſis, & S. Rufinæ.
3. Otho de Caſtro Rodulphi, Bituricenſis, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus.
4. Stephanus Hungarus, Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus.
5. Ioannes Epiſcopus Cardinalis Sabinus.

PRESBYTERI CARDINALES II.

INNOCENTII PAPAE IV.

6. Ioannes de Toleto Presbyter Cardinalis titulo ſancti Laurentij in Lucina, Prior Presbyterorum.
7. Fr. Hugo de S. Caro, Burgundus, Gallus, ordinis Prædicatorum Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Sabinæ.

DIACONI CARDINALES VI.

GREGORII PAPAE IX.

8. Richardus Hannibaldenſis de Molaria, Romanus Diaconus Cardinalis ſancti Angeli in foro Piſcium, Prior Diaconorum.

INNOCENTII PAPAE IV.

9. Octauianus Vbaldinus Florentinus, Diac. Cardinalis ſanctæ Mariæ in via Lata.
10. Petrus Capoccius Romanus Diaconus Cardinalis S. Georgij in Velabro.
11. Iacobus Caietanus Vrſinus, Romanus Diaconus Cardinalis ſancti Nicolai in Carcere Tulliano.
12. Guillelmus de Fliſco ex Lauaniæ Comitibus, Genuenſis, Diaconus Cardinalis ſancti Euſtachij.
13. Othobonus de Fliſco Genuenſis, Diaconus Cardinalis ſancti Hadriani in tribus Foris.

ALEXAN. Manfredū excōm.

Conſtitutus Pontifex Alexander IV. Manfredum illum, Friderici II. filium confeſtim monuit, vt à rapina rerum Eccleſiæ ſibi deinceps temperaret, publica etiam in concione Anagniæ habita excommunicauit, & alios idenodem Tyrannos animoſè proſequi, non dubitauit.

BRIXIA capitur ab Ecelino.

Vbertus Pallauicinus, dominatum adiuuātibus Ghibellinis occupat; in hunc verò, & Ecelinum belli ſocium, Legatus Apoſtolicus Brixiæ mouens, adiuuantibus Guelphis apud Gambaram, magna accepta clade ſuperatur, & capitur, cum Epiſcopo Brixiano, & factionis Guelphæ Optimatibus, quos omnes Ecelinus, accepta prius Brixia incolumes ſtatim dimiſit.

ECELINI Obitus. MORtuo Ecelino Tyrāno Ciſalpinæ Ciuitates libertatem cōſequūtur.

Boſius Bonatutus, ciuis Cremonenſis Vbertum impulit propoſita cum deteſtatione Ecelini crudelitate, & ſæuitia, vt omiſſo Ecelino, cum Mediolanenſibus, & Mantuanis, alijſque ſocijs ciuitatibus fœdus iniret, à quibus non ita multo poſt ſuperatus, & captus Ecelinus fuit, Soncini moritur; eò enim poſt acceptum graue vulnus delatus fuerat: omnes itaque Ciſalpinæ ciuitates, libertatem mortuo Tyranno, conſequutæ, Alexandri Pontificis deinceps auſpicia, & monita ſequutæ ſunt. Legatus autem Apoſtolicus, qui Patauinos in libertatem vendicarat, Reliquias bellorum proſequutus, Albericum Ecelini fratrem Taruiſio pulſum cum vxore, & liberis obtruncat.

Ecelini itaque horrendam ſanè, ac penitùs deteſtandam immanitatem, Superi incitante Alexandro egregiè viti ſunt, vt in Gerardi ciuis Patauini hiſt. exponitur. Manfredus paternum ingenium ſecutus Pontificis ſacratiſſimam ſedem turbabat. Quibus malis mederi per Legatos conatus eſt, nec per eum ſtetit, quo minus Reſpublica tranquillitate frueretur.

ALEXandri literæ de Conrado Imper. nō eligendo.

Friderico Secūdo Cęſare vita functo Electores filium eius Chunradum Imperatoris nomine, & inſignibus donare volebant. Quamrem Pontifex aueriatus, literas ſcripſit, anno Pontif. II. xv. Kalendas Auguſti, quibus vetat eligi, aut nominari debere, in ipſum, ſi aliter faceret, ſententiam excommunicationis inflixit. Quod pulchrè explicatur in Epiſtola ad Sigefredum Archiepiſcopum Moguntinum, quæ in Regeſtis eiuſdem Alexandri oſtenditur, in qua vetat, Chun-

radum

radum filium Friderici II. in Cæſarem eligi: quod Fridericus II. olim Imp. Romanorum, eiuſque progenitores, & poſtea, erga matrem Eccleſiam immaniſſimè ſe geſſerint, & malum ei pro beneficijs ſuſceptis rependerint, vt patens erat, toti Orbi. Quoniam hi aliorum perſequutorum excedentes Tyrannidem, grauioribus eam affecerũt iniurijs, & oppreſſionibus durioribus affluxerunt, cum ſanguine demuſata malitia. Tùm quòd in hoc genere patrum in filios, ſicut carnis propagatione, ſic imitatione operum nati genitoribus ſuccedunt. Tùm quòd puer eligi in Regem, & nominari haud debebat, quia, cum per electionem huiuſmodi de aduocato, vel defenſore idoneo debeat Eccleſię prouideri, & ipſe puer ſit omnimodo ineptus, & inutilis ad talis defenſionis officium, vel miniſterium exequendum.; oportet namque eandem Eccleſiam, ſi contigeret eligi dictum puerum, manere diutiùs, non abſque grauibus forte diſpendijs, defenſione omnimodo deſtitutam. In omnes igitur Electores, qui memoratum puerum, ad hoc nominare, vel eligere, ſeù in ipſum conſentire, aut opem, vel operam, conſilium, auxilium, vel fauorem, vt eligatur, dare præſumpſerint, excommunicationis ſententiam promulgauit. Ideòque iuſſi Imperij Electores à ſummo omnium Principe Chriſti Vicario, propriam negantes voluntatem à malo electionis conſilio abſtinuerunt, & Gulielmum Cæſarem elegerunt, qui breui ab hoſtibus occiſus anno Dom. 1255. fuit interregnum annos 2. & menſes aliquot. Electores diuiſis ſententijs, tres illorum Cæſarem elegerunt Richardum fratrem Regis Angliæ viij. Idus Ianuarij, qui regnauit in Schiſmate contra Alphonſum X. Regem Caſtellæ, cognomento Sapientem, hic verò electus in Schiſmate contra Richardum pridie kal. Aprilis regnauit, titulo tenus, annos 15. menſes 6. dies 12.

CVR Conradus nõ debeat in Imperiũ eligi.

GVLIELmus Imp. electus ab hoſtibus occiditur.

SCHISma inter Richardũ, & Alphõſum Imp.

Cum autem Rex Boemiæ, qui ſolet electionis diſcordiam conciliare, neutri parti voluiſſet adhærere, Imperium aliquot annis manſit vacuum.

Imp. Cæſar Theodorus iunior, Ducas, Auguſtus xxvij. Græcorum in Oriente Imperator anno 1255. regnauit annos 3.

THEOdorus Ducas Græc. Imp. indicat.

Imperator Ioannes IV. Auguſtus an. 1258. Græcorum in Oriente Imperator xxviij. regnauit annum 1.

Imperator Cęſar Michael Palæologus Aug. Græcorum in Oriente Imp. xxix. Kalen. Decembris an. 1258. coronatus die Natalis Domini, imperauit annis 24. Qui omni genere iniuriarum Latinos proſequebatur, vexato Balduino, & domi, & foris, & armis, & ſeditionibus. Quo quidem adeunte ad tuendam oram Ponticam ab hoſtibus vexatam, Conſtantinopolitani ciues Palæologum in Vrbem admiſere. Hanc ob rem Balduinus II. & Pantaleo Patriarcha è Ponto in Europam flectentes, contentiones bellorum omiſere. Tùm verò Palæologus ſublato æmulo, & hoſte Imperium ſibi deſumit, quod poſt annos octo, & quadraginta à Latinis in Græcos rurſum tranſlatum eſt, anno 1259. eodem menſe Septembri, quo Latini Conſtantinopoli exacti ſunt.

MICHAEL Palæologus Græc. Imp. coronatur.

Ioannes IV. Ducas Imperator coactus abdicauit.

Erat tùm temporis Ludouicus IX. Francorum Rex in hoſtium poteſtate, amiciſſimus Romanæ ſedis, id verò incredibilem, Alexandro ipſiſque omnibus dolorem attulit: is tamen Chriſtianæ gentis incommoda ſapienter tuliſſe ſemper eſt viſus, quem poſtea Bonifacius VIII. inter ſanctos retulit. Hic non antequam Cæſarea, Ioppe, & Sidone captis, & præſidio munitis à Palæſtina diſceſſit.

LVDOVIcus Franc. Rex IX. capitur.

Alexander Pontif. pauperum fuit amator, quibus largis eleemoſynis ſubuenit, Hæreticorũ oſor, eorum libros proprijs manibus flammis tradidit, combuſſit namque vidente curia Rom. libellum peſtiferum, quo auctor aſſerebat, ſtatum gratiæ, non à lege Euangelij, ſed à lege ſpiritus procedere, doctrinãmq; noui Teſtamẽti neminem ad perfectionem perducere, ſed euacuandam eſſe anno 1260 & in 60. anno debere inchoari doctrinam Ioachim; quam conditor libri nominauit Euangelium Aeternum, totam hominum ſaluandorum perfectionem in illa ponens, & vltra dicebat, quòd ſacramenta nouæ legis in hoc anno euacuanda eſſent, quæ omnia & auctoritas Apoſtolica, & prædicti temporis ſequens experientia exſufflauit.

RES ab Alexã. geſta.

Eius quoque opera redactum eſt Templum teſtudineum, quod apud S. Agnetem cernimus, ad cultum diuinum, cum antea Baccho dicatum eſſet, conſecrationemq; altaris B. Conſtantiæ, huius manibus factam *, literæ ipſę indicant in veſtibulo Templi poſitæ.

Ad hæc erexit bonus iſte Pontifex anno ſui Pont. 4. vniuerſale Gymnaſium in Regno Nauarræ in oppido de Tudela, Tyraſonenſis Diœceſis vti Romanus continet Regeſtum.


Confirmauit Alexander IV. denuò ordinem Eremitarum S. Auguſtini, & vniuit eidem Congregationes quaſdam fratrum Eremitarum, quæ appellabantur Ioannis de Brutineſaga de Pœnitentia IESV CHRISTI, quæ vnio facta eſt die xi. Aprilis anni 1258. cui primò præfecit Pontifex venerabilem Lanfrancum Soteram Mediolanenſem: per quietem enim vt traditur, cum B. Auguſtinum vidiſſet, ſuadentem illi fratrum Eremitarum vnionem à prædeceſſore inchoatam, impigre perfecit, totũmque illorum ordinem, relicta eremo, vrbes incolere, quo & ipſi doctrina, verbo, atque vitæ exemplo ſicut reliqui, fructum Domini in horreum vberiorem adferrent, ſapienter coegit, multis Congregationibus adiunctis ampliauit, & confirmauit.

AVGVSTinianus Ordo denuo ab Alexan. cõfirmatus.

Ipſe verò Alexander, vbi ab externis negotijs vacuus fuit, aliquid ſemper, quod ingenium ſaperet, cuiuit, nam & deinceps Epiſtolas compilauit, & viris doctis mirificè fauit, maximè verò vſus eſt liberalitate erga Bartholomæum Brixianum, qui multa in Decretales edidit. Quibus ex rebus, præter doctrinam ſingularem, & ſanctitatem, magnam conſequutus eſt laudem.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1261. Viterbij Fabſcorum viij. Kal. Iunij, quò ſe ex Anagnia receperat, pacem inter Venetos, & Genuenſes compoſiturus, odiàque funeſta, quæ mœſtiſſimus videbat in dies augeri: qua in re diutiùs vexatus, eo loci tædio animi tandem moritur, & in Eccleſia Cathedrali S. Laurentij, honorificè ſepelitur, anno Domini 1261. cum ſediſſet annos 6. menſes 5. dies 5. Vacauit Romana ſedes menſes 3. dies 3.

OBITVS Papæ Alexan. IV.

Signum 

Alexandri

PP. *IV.*

ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

¶ Alexander creatus Romanus Pontifex Miniſtro Generali, Prælatis omnibus, & fratribus ordinis Minorum literas ſcripſit, ab Vvaddingo tom. 2. Annal. Min. ad ann. 1254. relatas, ſui in illis Pontificatus exordia, his verbis, commemorans. *Fel. recordat. Innocentio PP. Prædeceſſore noſtro vij. Idus Decembris in Regno Siciliæ, in Ciuitate ſcilicet Neapolis, de anguſto, & tetro carnis carcere euocato, ſicut ſperamus, ad ſpatioſum, & lucidum Celi Palatium, vt de multis laboribus, quos pro Eccleſiæ honore, ac libertate conſtanter pertulit, mercedem quietis recipiat ſempiterna, ac deinde ipſius ſolemniter celebratis exequijs, eiuſq; corpore honorificè, prout decuit, tumulato. Nos tunc Oſtien. & Velitren. Epiſcopus, & cæteri fratres noſtri mox pro eligendo ſucceſſore ſimul conuenimus, dirigẽtes mentes ad Deum, vt gregi ſuo Paſtorem idoneum, cõſueta miſericordia, largiretur: Cumque vt moris eſt, Spiritus ſancti poſtulato ſuffragio, ſingulorum vota diligenter exquiſita fuiſſent, in nos demum ſuos cõuerterunt, direxerunt animos, & conceptus expreſſere, ac firmauere conſenſum, præeligentes indignitatem noſtram, ad exequendum tanta officium dignitatis; cum noſtrorum paruitatem meritorum deceret, ſubeſſe potius, quam tanto culmine præcedere, &c. ..... Nimium trepidauimus ..... & intra nos cor noſtrum vehementi quaſi ſtupore gelauit, & eorundem intentioni fratrum pro poſſe reſtitimus ..... renuendo prorſus ad ſummi Pontificatus apicem ſublimari, & exorando inſtanter, vt imponerent alij onus iſtud: ipſi verò ſuo propoſito fortius inſiſtentes, noſtra recuſatione, ac deprecatione omnino repulſa, perſonam noſtram quantumcunque renitentem, quadam violentia coegerunt, & extenſis in eam manibus, ad aſſentiendum eorum deſiderijs nos pertinaciter attraxere. Vnde, ne Diuinæ videremur prouidentiæ obuiare ..... Votis ad vltimum, quamquàm inuiti, acquieuimus.* Hæc ille. Rogat deinde, vt in precum ſtudium incumbant, vt à Deo adiutus Eccleſiam rectè gubernare queat. Literæ ſcriptæ fuerunt Neapoli xi. kalen. Ianuarij Ann. 1. cæleſtis, vt ita dicam, ſucci plenæ.

Num. 21.

Verba Alexãdri IV.

Fauit mirum in modum Seraphico ordini Alexander; Noluit, rogatus à Ioanne Parmenſi, Miniſtro Generali, Protectorem illi decernere, dicens, ſe ipſum, etiam in Pontificatu, eo munere fungi velle; teſtis eſt Philippus de Peruſio, epiſtola ad Conſaluum Generalem Miniſtrum Minorum, apud Vvaddingum to. 1. Annal. Minor. Card. Vgolinus fuit primus huius ordinis Protector: Secundus Raynaldus Epiſcopus Oſtienſis (ille Greg. IX. in Pontificatu, hic Alexander IV.) Tertius Io: Caietanus Diacon. Card. S. Nicolai in Carcere Tulliano ab Vrbano IV. ann. 1263. tributus. Vide indicatam Epiſtolam. Idem Alexander S. Claram ſanctarum Virginum numero adſcripſit, *Clara Claris &c. Dat. Anagniæ xvi. kalend. Nouemb. ann.* 1. de qua refusè Vvaddingus tom. 2. Annal. Min. ad ann. 1255. à num. 5.

Ad anno 1217 n. 6.

Hic Nicol. III in Põtific. m. 2. Bullas.

Sacra Seraphici Patris Stigmata (literis; *Benigna operatio &c. Dat. Anagniæ iv. kalend. Nouembris, anno Pontific.* 1.) & Aluerniæ montem (literis; *Si noua &c. Dat. Neapoli vi. Id. Aprilis eodem anno*) celebrauit. Ex eodem Seraphico ordine Inquiſitores, Legatos, Crucis Prædicatores, & Eccleſiarum Antiſtites inſtituit. Controuerſiam Prædicatorum, & Minorum cum Pariſienſibus prudenter ſuſtulit. Vide Vvadd. ad ann. 1257. & 1259. Vrbeuetanum Epiſcopum in Orientem miſit, pro vnione Græcorum cum S. R. E. perficienda. Vide, Vvadd. ad ann. 1256. num. 60.

Vide Vvaddingum ad anno 1255. n. 2.

* *Philippo ab Anagnia patre.*] Gerardum Retraentem Alexandri IV. patrem vocat Vvaddingus tom. 2. Annal. Minor. ad annũ 1254. num. 21. Panuin. in Chronic. *Alex. ait ..... Gerardi Retraentis, aliàs Philippi filius, &c.*

* *A 13. Cardinalibus.*] ab 11. ait Panuinius loc. cit.

* viij.

A * *viij. Kal.*] xij. Kal. Ianuar. inquit Platina ipſe Pontifex literas ſuperiùs ad catas ſcripſit, xi. Kalen. Ianuar.

* *Die Natalis.*] ex Panuinio loc. cit.

* *Chunradum.*] Literas habes tom. I. Bullarij *Firma &c.* Conradus erat nepos Friderici, filius S. Conradi Friderici filij.

* *Ludouicus IX.*] Ludouicus IX. Ludouici VIII. filius. De S. Ludouico capto ann. 1250. Vvadd. tom. I. Annal. Minor. ad eundem annum. De eodem ſanctiſſimo Rege S. Antonin. parte 3. Hiſtor. tit. 19. quem egregiè laudauit idem Alex. III. literis ad eum datis Anagniæ xvi. kalen. Nouemb. ann. 2. quarum initium, *Veri Solis radius in te verè fulgere conſpicitur, &c.* & paulò poſt. *In te clarent firma fides, & pura deuotio erga cæleſtem Regem, cuius dono Regnum terrenum noſceris obtinere.* Hic Rex ſtrumas curaturus primus ſignum Crucis adhibuit: tactu ſolo Reges deceſſores vtebantur, Genebrard. Sacerdotiorum collationi non ſe immiſcebat, inquiens, *Sat mihi erit Deo de temporalibus rationem reddere.* Genebr. B Attulerat ei Roma Legatus Diploma Pontificis poteſtatis, ad Paſtores inſtituendos, traditæ, cui pius Rex. *Quod mihi à Pontifice munus hoc retuleris, non probo: ſcio enim, quanto cum periculo animæ meæ, & Regni id ſuſceperim.* Et ſtatim Diploma igni tradidit. Broman. in eius vita, Genebrar. loc. cit.

Le Charpis.

loc. cit.

* *Pauperum .... amator.*] Pater Pauperum dicitur à Genebrar.

* *Hæreticorum oſor.*] Vide varia Diplomata Alexãdri hùc ſpectantia, tom. I. Bullar. Vvaddingum tom. 2. Annal. Min. ad ann. 1255. num. 14. Libellum impium contra Prædicatores, & Minores Gulielmi de S. Amore Ludouicus Gallorum Rex ad Alexandrum Pontificem miſit: Alex. iuſtiſſimè damnauit, literis. *Romanus Pontifex, &c. Dat. Anagniæ iij. non. Octob. ann.* 2. & alijs literis Ludouico Regi gratias egit. Vide Vvadding. loc. cit. pag. 144. Literæ *Romanus Pontifex &c.* habentur etiam to. I. Bull. D. Thomas Aquinas, Theologorum Scholaſticorum Coryphæus, Malleus Hæreticorum, & quaſi C turris, ex qua clypei, & iacula cõtra Eccleſiæ S. Dei hoſtes promuntur, inſigni Opuſculo contra impugnantes Religionem, cuius prima verba. *Ecce inimici tui,* Guilelmum de S. Amore Religioſorum Mendicantium ſtatus vituperatorem refutauit, confodit, in obliuionis lacunas detruſit.

* *Doctrina Ioachim.*] Vide Vvaddingum to. 2. Annal. Minor. ad ann. 1256. nonnulla pro Ioachim afferentem.

* *Baccho dicatam.*] ex Platina in Alex. IV, Cardinalis Verallus, præteritis annis, hanc D. Conſtantiæ Aedem pictis præcipuè ſacris imaginibus exornauit.

* *Confirmauit denuo .... Ordinem Eremitarum S. Auguſtini.*] Vide Conſt. *Licet Eccleſiæ,* tom. I. Bullar. *Dat. Later. iij. non. Maij anno 2. Pontific.*

Vide Martyr. Rom. iv. Septemb.

Alex. IV. corpus B. Roſæ à primo ſepulchro ad ædem Sanctimonialium Viterbij, die iv. Septembris tranſtulit: D quo illius memoria colitur. Vide Vvaddingum ad ann. 1256. nu. 16. obijt autem B. Roſa hoc anno, vel præcedenti. Illud mirum: Ignis omnia, quæ in eius ſacello erant, ann. 1357. conſumpſit, & veſtes ipſas corpus tegentes, annulos verò, quibus digiti exornabantur, in ardentem liquorem vertit; corpus autem nihil læſit. Vvaddingus loc. cit.

Idem Alex. ann. Pontificatus 3. xij. Kal. Nouembris Viterbij ſcribens S. Bonauenturæ, tunc ordinis Minorum Generali Miniſtro, hæc, quæ leges admirabundus, de ſancto viro literis mandauit. *Quia pro certo tenemus, quod data ſit tibi cælitus gratia regendi ſalubriter populum ſanctum Dei, & eiuſdem gubernacula ordinis proſperè dirigendi, &c.* Idem Pontifex ann. 1259. die xiv. Iunij, primarium lapidem Eccleſiæ Minorum ciuitatis Trecenſis benedixit; Epiſcopoq; Trecenſi præcepit, vt illum in loco extruendæ Eccleſiæ collocaret, partem Diplomatis vide apud Vvaddingum tomo I. Annal. E M.nor. ad ann. 1248. num. 19. & prius, nempè anno 1256. Comitijs Minorum, in Cœnobio Aræ Cœli Romæ habitis, interfuit, & concionatus eſt, Vvadding. ad ann. 1256. num. 3.

Apud Vvadd. ad an. 1257.

* *Cum ſediſſet ann. 6. menſ. .... dies 5.*] ita Panuinius in Chronic. Genebr. loc. cit. & Sanderus de Viſib. Monarch. at Platina, in eius vita, anno ſeptimo ſui Pontificatus, Alex. è viuis demigraſſe, aſſeruit.

Inde ſtultiſſimas Matthæi Pariſ. & Caluiniſtæ Mornæi calumnias in Alexandrum Pontificem, de quibus Gretſerus, cap. 55. Exam. Myſterij Pleſſæani, paucis, vt decebat. Quæ ſequuntur addidit Flauantes Martinellus.

¶ *Conſecrationem Altaris B. Conſtantiæ huius (videlicet Alexandri IV. manibus factam)* Emerentianæ crederem dicere voluiſſe Ciacon. Nam tabula marmorea ab eo allegata, de huius Emerentianæ, ac SS. Ioannis Baptiſtæ, & Ioannis Euangeliſtæ Altaribus verba F facit: Ea in minori ingreſſu, Monaſterium verſus, ſic legitur in pariete cum inſigne ſuperpoſito, quod eſt teſſellata Aquila, aurea redimita corona in rubea area.

✠ *Anno Dom. 1256. Ind. 14. eo die, quo Statio B. Vitalis celebratur, D. Alexander PP. Quartus cum tota Curia conſecrauit in hac Eccleſia ſanctæ Agnetis tria Altaria videlicet Altare B. Ioannis Baptiſtæ, in quo Reliquias multorum ſanctorum recondidit, Altare B. Ioannis Euangeliſtæ, in quo eſt de Manna Sepulchri, & cum Reliquijs multorum ſanctorum; & Altare beatæ Emerentianæ, in quo ſunt de Reliquijs SS. Saturnini,*

A *Siſinnij, & aliorum multorum, concedens quibus* * *verè pænitentibus, & confeſſis annuatim ad hunc locum accedentibus vſque ad tres annos, & tres quadragenas: Huic conſecrationi interuenerũt Stephanus Epiſcopus Præneſtinus, Epiſcopus Tuſculanus, Vgott. S. Sabinæ. Ioannes tituli S. Laurentij in Lucina Presbyteri Cardinales: Ioannes S. Nicolai in Carcere Tulliano, Petrus S. Georgij ad velum Aureum, Octauianus S. Mariæ in via Lata, Othobonus S. Adriani Diaconi Card. Laurentius Archiepiſcopus Selannenſis, Epiſcopus Marocenſis cum alijs pluribus Religioſis, & Viris honeſtis, reſidente D. Lucia Abbatiſſa huius Monaſterij, Theodora Prioriſſa, & D. Iacoba deuota Monialis, & Sacriſta cum tota Conuentu ipſius Monaſterij. Relaxantur toti's corde.*

quibuſuis.

Eccleſiam S. Martinæ in Foro Boario (quam Sixtus V. Pictorum B vniuerſitati conceſſit, qui poſtea S. Lucæ Euangeliſtæ eam denominarunt) Alexander IV. aſſiſtentibus duobus Epiſcopis Cardd. conſecrauit, ad cuius rei memoria adhuc extat his characteribus exaratus lapis.

✠ *Anno Domini 1256. Alex. Papa IV. proprijs manibus cum duobus Epiſcopis, ſcilicet, Tuſculano, & Præneſtino ad honorem Dei, & B. Martinæ V. & M. conſecrauit Eccleſiam iſtam dans Indulgentiam vnius anni, & duarum quarantenarum. In Altari vero recondita ſunt Reliquiæ beatorum MM. Concordij, & Byphani, Papie, Mauri, Nerej, & Archilei, Marij, & Matthæi, Vrbani Papæ, & de Sagitta S. Mathary. Conſecrata autem hæc Eccleſia fuit in media Quadrageſima, quãdo eſt Statio ad S. Coſmatum in Silice. In tempore Archipresb. Andreæ fuit hæc Eccleſia conſecrata.*

C

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI SOCIETATIS IESV.

RAYNALDVS, ſiue Reginaldus patre Philippo, non Gerardo (qui error teſtimonio ipſius Alexandri refellitur) Comitum Signiæ ſtirpe genitus, cum diu inter Canonicos Eccleſiæ Anagninæ verſatus eſſet, ac Eccleſiam Oſtienſem aliquandiu rexiſſet, ad Pontificiæ dignitatis apicem ob egregia virtutum ornamenta, Alexandri IV. nomine ſuſcepto aſcendit; cum vacaſſet Romana ſedes poſt Innocentij IV. obitum non vno, vel duobus annis, ſed aliquot tantum diebus. Alexandri laudes haud potuit ſilere Pariſios, quanquam ex inſito in Romanos Pontifices odio ad eas obſcurandas non leuem nimiæ facilitatis in adulatorum ſuſurris excipiendis, & cupidorum ſequendis voluntatibus neuum aſperſit his verbis. D *Sublato de medio Innocentio IV. Papa ſubrogatus eſt alius Vir, vt aiunt, ſatis benignus, & bene religioſus, aſſiduus in orationibus, in abſtinẽtia ſtrenuus, ſed ſibilis adulantium ſeducibilis, & prauis auarorum ſuggeſtionibus inclinatiuus, Epiſcopus videlicet Oſtienſis, nepos Gregorij Papæ pridem defuncti, qui ipſum in Epiſcopatum promouerat, & vocatus eſt Alexander videlicet IV. Scripſit autem in principio creationis ſuæ cunctis Eccleſiarum Prælatis, poſtulans humiliter, vt orarent pro ipſo, vt Dominus daret ei poteſtatem, gratiam, & voluntatem Eccleſiam Dei congruè gubernare, & Vicarius Dei, & Petri ſucceſſor competenter appellari.* Extant hæ literæ in Vaticano Codice, quæ ſingularem ipſius abiectè de ſe ſentientis Chriſtianam animi demiſſionem oſtendunt.

Panuinius

Oder. Rinald. in Annalibus

Pariſius in Annal. Angliæ.

Bron. in Annal. Alexandri virtutes commendat.

Cum autem inter Mediolanenſes, ſublato è viuis eorum Præfecto, grauiſſimæ exarſiſſent diſcordiæ, ad eas funditus euellendas pro paterno amore, quo ipſos complectebatur Alexander, Epiſcopum E Bononienſem, virum ſpectatiſſimæ prudentiæ ad eos conciliandos, auertendaque imminentia pericula proficiſci illico iuſſit. Ad frænandos verò Manfredi progreſſus, atque vt fluctuantem Siciliam in obſequio Eccleſiæ contineret, Octauianum S. Mariæ in via Lata Diaconum Cardinalem, ſedis Apoſtolicæ Legatum in Regnum illud deſtinauit, atque Bertoldum Marchionem Honebruchenſem, Magiſtri caſtrorum dignitate iam ante ab Innocentio IV. ornatum in eo munere Apoſtolico Diplomate confirmauit, vtque arctiùs eum ſedi Apoſtolicæ aſtringeret, multa beneficia in illius germanos Odonem, & Ludouicum contulit. Contra Ezelinum quoque virum opibus, militum numero, potentia fœderatorum, atque artibus inſtructum, Philippum Rauennatem Archiepiſcopum deſignauit, ſcriptis ad cunctos Inſubriæ, Aemiliæ, ac Marchiæ Taruiſinæ Præſules, Proceres, ac Populos literis, vt ſedis Apoſtolicæ Legato contra Ezelinum F infenſiſſimum Eccleſiæ hoſtem adeſſent.

Odericus Rinaldus. Diſcordias inter Mediolanẽſes extinguere curat.

Anonym. auctor rerum Siciliæ.

Octauianum Cardinalis Legatus in Sicilia.

Philippus Archiepiſcopus Rauennas Legatus contra Ezelinum.

Cum verò in Pomerania, Iacobi è Trecis Leodienſis Archidiaconi Apoſtolicæ ſedis Legati opera bellum atrox extinctum eſſet, aliam illi auguſtiorem in Oriente legationem demandauit Alexander hæc ſcribẽs: *Tibi, quem charum habemus tuorum exigentia meritorum, plenæ legationis officium tam in prouincia Hieroſolymitana, quàm etiam in exercitu Chriſtiano, vbicunque pro ſubſidio Terræ ſanctæ in dicta prouincia fueris, de fratrum noſtrorum conſilio duximus committendum, firmam ſpem fiduciamque tenentes, vt, cum ſemper dilexeris iuſtitiam, & iniquitatem oderis, tibique præſte ſit iudicium rationis, recta reges, & diriges indirecta, aſperaque conuertes in*

Longinus ann. 1255.

Iacobus è Trecis in Oriente Legatus.

Pariſius in hiſt. Angl.

plana.

Roſtanus Legatus ad Henricum Angliæ Regem.

plana. Roſtanum Subdiaconum inſuper in Aquitaniam Legatum miſit, vt Henricum Angliæ Regem ad expeditionem Aſiaticam vrgeret. Apoſtolicam etiam ſollicitudinem, ac ſtudium defixit ad Græcos a Schiſmate funeſto, in quo tot ſeculis demerſi iacuerant, reuocandos, & reſtituendos Eccleſiæ, atque adeo ad tantum perficiendum opus Epiſcopum Vrbeuetanum legati dignitate auctum ad Theodorum Imperatorem miſit.

Legatio ad Theodorū Imperatorem.

Legati in Angliam.

In Angliam verò Arlotum primò, deinde Meſſanenſem Archiepiſcopum, demum Manſuetum Minoritam legationis munere inſignitos, ſummaque auctoritate pro gerenda commiſſa prouincia inſtructos legauit, vt cum Rege Angliæ de vindicanda è manibus Manfredi Sicilia agitarent.

Sacrum bellum in Infideles.

Audita poſtmodum Lituanorum, aliorumque Infidelium in Poloniam irruptione, Alexander victricia Crucis ſigna expandi, populoſque ad religioſam militiam illico conuocari iuſſit. Perſonuit igitur ſacrum claſſicum ad Paganos debellandos, & Eccleſiæ ſubijciendos, in Polonia, Bohemia, Morauia, & Auſtria; munuſque accendendi in arma Chriſtianum populum inter ceteros commiſſum Bartholomæo Bohemo Minoritæ viro ingentis exiſtimationis, ac ſacra eloquentia florentiſſimum. Inſuper Gneſnenſi, & Magdeburgenſi Archiepiſcopis muniit, vt Crucis ſigna aduerſus Boleſlaum Ducem Legnicenſem, qui Thomam Vratiſlauienſem Epiſcopum carcere incluſum tenebat, attollerent, populoſque ad ſacram expeditionem in Tyrannum, Eccleſiaſticas ſpernentem cenſuras, accingendos curarent, propoſitis Indulgentiarum præmijs illis, qui aduerſus Boleſlaū ſeuiri accepto Crucis ſymbolo religioſā militia fuerint profeſſi.

Boleſlaus Vratiſlauienſem Epiſc. tenet in vinculis.

Kong. in hiſt. Polō.

Lupus Epiſcopus Crucis ſigno Hiſpanos inſignire iuſſus.

Cum in Hiſpania contra Africæ Infideles expeditionem inſtrueret Alphonſus Caſtellæ, ac Legionis Rex, prouinciam Alexander Romanus Pontifex Lupo Marrochitano Epiſcopo dedit, vt Hiſpanos ad profitendam religioſam, accepto Crucis ſymbolo, militiam pro concione incitaret, atque eos, qui opes ſuas ad paranda ſubſidia conferrent, vel arma pro Chriſti gloria augenda capeſſerent, peccatorum veniā potituros promulgaret, eidemque Lupo legationis in Africa onus impoſuit, vt rem Chriſtianam iacentem erigeret.

Noua Religioſa inſtitutā.

Ordo S. Lazari cōfirmatus.

Præterea cum grauioribus oppreſſa cladibus, atq; imminentium periculorum terroribus penè exanimata lugeret Syria, cœleſte numen aliquorum pectora pio ardore ſuccendit, vt tuendæ Terræ Sanctæ, & comprimendis Sarracenis ſeſe deuouerent. Hæc nota militia ab Alexandro confirmata eſt, datiſque ad equites S. Lazari Hieroſolymitani ordinis S. Auguſtini Apoſtolicis literis, & collaudato eorum inſtituto ſanxit, vt ex religioſæ diſciplinæ formula ad pietatem incumberent. Chriſtifideles porrò omnes incitauit, vt in Terræ Sanctæ ſubſidium arma capeſſerent; fulciendæ enim erant nouis auxilijs Syriacæ res, ne penitus conciderent, quarum lugubrem ſtatum innuit Alexander in literis ad Patriarcham Antiochenum datis iij. Idus Februarij. *Adeo Turquemanni, & alij Chriſtiani nominis inimici, haſtenus Terram Antiochenam continuis bellorum incurſionibus attriuerunt, quod quicquid extra Ciuitatem Antiochenam, & Caſtrum Curſarij, quod eſt Antiochenæ Eccleſiæ ſpeciale, conſiſtit, ſuppoſuerunt ferè totaliter vaſtitati.* Ex his Patriarchæ in Alexandrum Romanum Pontificem animus inſenſus apparet, dum ſcribit illum in curas Terræ Sanctæ abiecisse, vt eo animaduerſo compulſi Orientales inducias cum Sarracenis contraxerint. Non potuit quidem Alexander totis viribus ad illam defendendam incumbere, dum Manfredus obſtabat, aduerſus quem, vt Sarracenorum fautorem, atque Eccleſiæ Hoſtem, ac Tyrannum Chriſtianorum arma conuertere opus fuit.

Chriſtifideles incitat ad ſubſidium Terræ S.

Cenſuris terret fideles. Bzouius to. 13. Annalium. Rinald. in Annal. Patriſius in hiſt. Angelicana. Nangius in geſt. S. Ludouici.

Armis, vt vidimus, Infidelium audaciam infringere, ac vi illorum vim repellere conatus eſt Alexander; Chriſtianorum verò animos non ferro, ſed cenſuris ſuperauit. Mantuanos, qui Piguignagiam Apoſtolicæ ſedi obnoxiam occupauerant; Alphonſum III. Luſitaniæ Regem, qui Boloniam Comitiſſam legitimam coniugem dereliquerat, Boleſlaum Ducem, qui Thomam Epiſcopum Vratiſlauienſem vnà cum Præpoſito, & Eccardo Canonico in vincula coniecerat; Archiepiſcopum Eboracenſem Scuualum nomine, quia peruicaciter Pontificijs imperijs aduerſabatur; Manfredum ob coronam Siciliæ vſurpatam anathemate percuſſit: benigniſſimè tamen excepit Bergomenſes, ac Papienſes confugientes ſupplices ad Eccleſiam, qui Federici partes iam ſecuti fuerant, atque ideo anathematis ſententia ſeſe implicuerant.

Decreta pro Præſulibus.

Conſulturus verò rei ſacræ ſanxit, vt Cathedralium Eccleſiarum deſignati Præſules excurrente ſex menſium ſpatio Pontificalibus ſacris inſignirentur; ne populi diutius Paſtorum regimine deſtituti aliquod ſalutis periculum adirent. Nec minus in viris pijs, ac gerendo muneri idoneis, ſummis Eccleſiæ dignitatibus præficiendis curas defigebat Alexander, iuſtiſſimoque animarum zelo impulſus, non eſt paſſus Albertum Minoritam literis, ac pietate cultiſſimum, qui Tarſuſinus Epiſcopus renunciatus, egregio Chriſtianæ demiſſionis exemplo eam reſpuebat dignitatem, ſuo iure ſeſe abdicare, cum maximè eo ſe digniorem probaret, quo indignum ſe arbitrabatur; ideo præcepit illi, vt oneri humeros ſupponeret, ne Deo vocanti obluctari, ac ſuam diuinæ voluntatem præferre videretur.

Albertus Minorita Epiſcopus Tarſuſinus.

Archiepiſc. Calaritano mādat animarum curam.

Nec latebat Alexandrum, quanti intereſſet, vt Præſules optimarum virtutum exempla in ſubditos transfunderent, ad reuocandū Chriſtianæ ſanctitatis florem, in Sardinia, & Corſica Calaritano Archiepiſcopo legationis fungendæ in ijs regionibus partes commiſit, vt ad ſalutem animarum promouendam incumberet, Eccleſiæ auctoritatem corroboraret, prauos deleret mores, & priſtinum pietatis florem reuocaret. Obſoleſcente in Suecia Clericalis diſciplinæ ſplendore, Vpſalenſem Archiepiſcopum ad reſtituendum morum priſtinum nitorem excitauit. Encyclicis literis Archiepiſcopos, & Epiſcopos omnes officij admonuit, propoſita ob oculos ipſorum dignitate, qua ceteris eminebant, vt ſaluti gregis commiſſi diligentiſſimè inuigilarent, & incuſſit diuini iudicij terrorem, cum tot pereuntium animarum ſtragem, effuſique ſui ſanguinis pretium diſſipatum ab ipſis Chriſtus Dominus repetiturus eſſet; acerrimos ſtimulos admouit, vt fœdiſſima ſcandala à ſuis Eccleſijs amouerent; ne paterentur Clericos, qui in concubinatus cœno volutabantur, publici ſceleris exemplum in populos transfundere, eam eſſe omnium malorum originem, eum funeſtum tot cladium fontem, quæ in Eccleſiam redundarent: quò verò maiori auctoritate inſtructi impudicos percellere, atque ad officium reuocare poſſent, præcepit, vt omni prouocatione ad ſedem Apoſtolicam abiecta, in eos Eccleſiaſticarum legum ſeueritatem expedirent. At cum in ſacro Sepulchri Dominici Templo diuinus cultus quaſi extinctus eſſet, Iacobo Hieroſolymitano Patriarchæ poteſtatem contulit, vt Canonicorum numerum, aliorum ſex ſupplemento augeret. Prædicatorum Alumnos multos ad Regna Murciæ, Granatæ, & Regnum Tunetanum in Africa miſit, vt ad Chriſti fidem populos illos traducerent.

Clericos in Suecia coercet.

Io. Magn.

Præſules monet, vt animarum ſaluti inuigilent.

Reſtituit diuinum cultum in Templo Sepulchri Dominici.

Nec in expoliendis modò Cleri moribus incubuit Alexander, verum etiam in educendis è vitiorum cœno perditis animabus, & continendis, ne in priora flagitia prolaberentur, ſtudium contulit. Cum enim accepiſſet piorum hominum opera plures in Vrbe mulierculas, quæ laxatis impudicitiæ frœnis, obſcœnis ſeſe cupiditatibus dediderant, vrente præteritorum conſcientia ab impuris voluptatibus ſeſe auulſiſſe, ac generoſa ſectandæ auſterioris vitæ conſilia ſuſcepiſſe: Zelo adductus Alexander, vt eas Chriſto animas lucraretur, quibus Dæmon tanquam tot laqueis ad vaſanos amatores irretiendos viſus fuerat, Ioanni titulo Lucinæ Presbytero Cardinali onus impoſuit, vt ijs Eccleſiam, atque ædes ſuper Mineruam attribueret, vt ab humano ſegregatæ conſortio, præteritæ vitæ maculas lacrymis eluerent, & delibatas malè illecebras expiarent; cumque is locus idoneus ipſis non eſſet viſus, præcepit Pontifex vt ad Eccleſiam ſancti Pancratij traducerentur.

Domum attribuit mulieribus pœnitentibus.

Apoſtolicum quoque ſtudium in Religioſos viros Alexander explicuit; Caſinenſis Monaſterij iura ab Henrico Imperatore, & Conſtantia conceſſa, corroborauit: Dato Apoſtolico Diplomate ad Eremitas montis Carmeli, diſciplinam ipſorum aſperiorem, quam Innocentius IV. Prædeceſſor in mitiorem formam detorſerat, ſua auctoritate communiuit. Apoſtolico etiam patrocinio Priorem, ac fratres vulgo Seruos S. Mariæ nuncupatos ordinis S. Auguſtini Florentinæ Diœceſis eſt proſecutus: Ordinemque illum Virginis Deiparæ monitu approbauit. Cuius propterea ſimulacrum eius familiæ Alumni Florentiæ coram Dei Genitricis Annunciatæ Imagine apponi curarunt, vt cuius monitis, ſeruorum ſuorum cœtum in gratiam Apoſtolicæ ſedis receperat, & comprobauerat, eiuſdem quoque Imagini deuotè aſtare, illam perpetuò venerari, ab eaque viciſſim honorem, & gratiam, præcipuoſq; fauores accepiſſe videretur. Miniſtro etiam ac Religioſis viris ordinis ſanctiſſimæ Trinitatis, & captiuorum permiſit, vt in Ceruifrigidi Monaſterio Meldenſis Diœceſis, vbi eorum ordo inſtitutus ferebatur, ſingulis annis ſolemnia Comitia celebrarent, eorumque Eccleſiam ſub Virginis Mariæ patrocinio Viterbij conſecrauit. Sacrum quoque ordinem Pauperum Catholicorum nuncupatum iam ante in Eremitarum S. Auguſtini familiam redactum, in ſuſceptis religioſæ diſciplinæ inſtitutis perſtare iuſſit; & adſciuit in patrocinium Apoſtolicum Vallisumbroſæ religioſum ordinem: Aedem S. Mariæ ad Gradus à Raynaldo Capoccio Cardinali conſtructam Deiparæ, proprijs manibus conſecrauit: Priuilegia fratrum Hoſpitalis ſanctæ Mariæ in Saxia de Vrbe confirmauit, eoſque in protectionem ſedis Apoſtolicæ ſuſcepit.

Alexandri in Religioſos viros affectus.

Lezana in Annal. Carmel.

Annal. Seruor.

Nep. pol. Matt. acc. in Pontif. Marian.

Archang. Gianius in Annal. Seruor.

Scripſit Alexander Epiſtolas quampluri mas, quarum Regiſtrum extat m.s. in Vaticano, earumque multas tetcripſerunt in Annalibus Bzouius, & Odericus Rinaldus, Stero in Annalibus, Caniſius tom. primo Antiquitatum, & Binius: ad eum literas dedere S. Adamus Scotus Epiſcopus Cathaneſius, & Seualus Anglus Archiepiſcopus Eboracenſis.

Epiſtolæ.

Thom. Dempſter. in Hiſtor. Eccleſ. gētis Scotor.

Expletis igitur omnibus optimi Pontificis numeris, anno noſtræ ſalutis 1261. vt antiqui penè omnes auctores tradunt, Vrbanique ſucceſſoris literæ patefaciunt, exceſſit è vita Alexander: de cuius obitu inter ceteros exactiùs hæc Matthæus Vveſtmonaſterienſis. *Eodem anno in feſto S. Vrbani Papæ, & Martyris, quod fuit viij. kal. Iunij obijt Papa Alexander*; & Nangius, *Anno Domini 1261. in feſto S. Vrbani Papa obijt apud Viterbium Alexander Papa.* De quo hoc legimus Elogium apud Ptolemæum Lucenſem: *Tradunt hiſtorici, quod fuerit Epiſcopus Oſtienſis, & interdum ibat Oſtiam, & Velletrum, ibique prædicabat Verbum Dei, vel coram ſe prædicari faciebat; ibidemque ſuis Clericis ordines conferebat, & inde cauſis ſubditorum ſuorum aſſiſtebat ſecundum decentiam ſui ſtatus. Decretales multas fecit, quæ in Sexto à diuerſis titulis cōtinentur. Pauperes Religioſos multum fouit, &c.*

Alexandri obitus.

Sub hoc

Prouinciæ ad Chriſti fidem traductæ.

Oderic. Rinald. & Baron. in Annal.

Sub hoc Romano Pontifice adductæ Chriſti imperio fuere Vuarlan ſia, Ingria, & Carelia abiectis ſuperſtitionibus, quibus addictæ fuerant; ad quarum prouinciarum Infideles Chriſtianis ſacris imbuendos, ac religionem conſtabiliendam Alexander Archiepiſcopo Rigenſi contulit auctoritatem, vt Epiſcopum illis præficeret: demádatæ etiam eidem Archiepiſcopo partes, vt Infideles, quos Otho è Luneborch, & Tidericus è Kual, egregij Chriſti Atletæ ſeruire numini coegerant, baptiſmalibus ſacris luſtraret, iiſque Epiſcopum daret, cum ab iiſdem Proceribus Eccleſia excitata, & iuſtis locupletata vectigalibus fuiſſet. Patriarcham Gradenſem inſtituit Alexander, eumque præclaris priuilegijs ornauit; Henrico Abbati Sublacenſi vſum Mitræ, Annuli, Tunicæ, Dalmaticæ, Chirothecarum, & Sandaliorum, nec non benedicendi Pallas Altaris, conferendi minores ordines, Benedictionem ſolemnem in Miſſæ Sacrificio, & Veſpertinis precibus impertiendi conceſſit: Epiſcopalem Cathedram ex Furçonienſi ad Aquilæ Ciuitatem tranſtulit. Eccleſiam ſanctorum Marcellini, & Petri de Vrbe conſecrauit, vt conſtat ex Inſcriptione, quæ in eadem Eccleſia adhuc extat, & eſt talis.

Baron. in Annal. to. 11.

Patriarchat' Gradéſis inſtitutio.

Abbatis Sublacenſis Priuilegia.

Ferdinãd. Vghellius tomo 1. Ital. ſac.

✠ *Anno Natiuitatis Domini 1256. Indict. 14. die x. menſis Aprilis, Alexander Papa IV. conſecrauit hanc Eccleſiam SS. Marcellini, & Petri, & vtrumque Altare, & repoſuit in maiori Altari de Reliquijs ſáctorum Marcellini & Petri, SS. Marij & Marthæ; SS. Bonifacij, & Victoris; SS. Septem Fratrum, & ſanctarum Rufinæ, & Secundæ. S. Iacobi Apoſtoli, S. Chriſtinæ Virginis; SS. Sixti, Feliciſſimi & Agapiti, S. Gorgonij Martyris; SS. Cornelij, & Cypriani, & S. Stephani Protomartyris, & .... conceſſit ipſi Eccleſiæ à dicta die Conſecrationis, vſque ad octauam ſingulis annis Indulgentiam trium annorum, & trium quadragenarum, & deinde tranſtulit dictam Indulgentiam de dicta die in feriam ſecundam Quadrageſimæ, qua die addidit Indulgentiam vnius anni ...... quadraginta dierum.*

Ex Proceſ. Confec. Apoſtol. auct. ann. 1260.

Ex Notis Fr. Petri de Amerio ad vitam S. Petri Nol.

Alexandri Pontificatum glorioſum reddidit, prætioſa mors ſancti Petri Nolaſci, ordinis beatæ MARIAE de Mercede Redemptionis captiuorum Fundatoris, quæ accidit Barcinone anno reparatæ ſalutis 1256. in peruigilio Natalis Domini, hora mediæ noctis; hunc poſtea idem Alexander Romanus Pontifex ſanctorum numero adſcripſit ann. 1260. teſte Ildephonſo Caſtillo Solorzano in Compendio vitæ ipſius S. Petri, addens laudatam Conſecrationem non fuiſſe, vti par erat, in ſacro ordine B. Mariæ, neque in republica Chriſtiana diuulgatam, diſſidiorum ergo, quæ tunc temporis vigebant inter Sacerdotes, & Equites Laicos ſuper Magiſtratu generali prædicti ordinis. Eodem enim anno 1260. auctoritate, & iuſſu Reuerendiſſimi D. Arnaldi Epiſcopi, tunc temporis Barcinonenſis, conſcripta fuiſſe glorioſiſſimi Patriarchæ Nolaſci acta, Romamque ad eundem Alexandrum directa, conſtat, ex ſummario actorum, auctoritate, & iuſſu eiuſdem Arnaldi Epiſcopi compilato, quod noſtris hiſce temporibus in Tabulario Conuentus Barcinonenſis eiuſdem ordinis ſeruatur, & in authẽtica forma editum fuit in cauſa eiuſdem Petri Nolaſci anno 1628. in ſacra Rituum Congregatione, de cuius conſilio, & aſſenſu Vrbanus VIII. re maturè diſcuſſa, ad maiorem ſanctorum gloriam, diuinique cultus augmentum, diem feſtum S. Petri Nolaſci cum officio, & Miſſa de communi Confeſſoris non Pontificis in vniuerſo ordine B. Mariæ de Mercede celebrari poſſe, Apoſtolica auctoritate conceſſit. Cuius nomen deinde iubente Alexandro VII. præcedente ſacræ Rituum Congregationis Decreto, dato 5. Iunij anno 1655. in Martyrologio Romano viij. Kalend. Ianuarij inſcriptum legimus. Illius tamen dies feſtum iuſtis de cauſis in ordine, die 29. Ianuarij colitur: huiuſce inſtituti religioſos viros magno affectu proſecutus ſemper eſt Alexáder IV. literaſque. Neapoli ſcripſit v. Idus Aprilis Pontificatus ſui anno primo, in quibus eos nominat, *nouos ſub tempore gratiæ Machabæos qui abnegantes ſecularia deſideria, & propria relinquentes, tollentes Crucem ſuam Dominum ſunt ſequuti, diligentes proximos ſuos, ſicut ſe ipſos, præceptum Apoſtolicum attendentes, quia non ſolum eleemoſinas, quas à Chriſtifidelibus colligunt, in redemptionem expendunt latiſſime Captiuorum, ſed etiam proprias animas pro fratribus ponere non formidant.*

Ex Bullar. Ord.

Concilia Lencicienſe.

Anglicanum.

Danicum.

Pariſienſe.

Celebrata ſunt Alexandro IV. Pontifice nonnulla Concilia, nempe Lencicienſe à Fulcone Archiepiſcopo Gneſnenſi, contra Boleſlaũ Sleſiæ Ducem. Habita etiam ſunt in Anglia Comitia publica, in quibus Archiepiſcopus Cantuarienſis Bonifacius Anglicano Clero cinctus, coram Rege, ac Regni Proceribus anathematis ſententiam in eos tulit, qui Eccleſiaſtica iura labefactabant. In Dania libertate Eccleſiaſtica obſoleſcente ob maximos bellorum motus, quibus quaſſata fuerat, ac nonnullorum Procerum Tyrannide, earum regionum Epiſcopi ad tuendam dignitatem coacto Concilio leges aliquas ſanxerunt, quas vt æquitati conſentaneas Alexander Romanus Pontifex corroborauit. Demum in Gallia Rex Ludouicus, cum expugnatis à Sarracenis nonnullis Ciuitatibus, toti Chriſtiano Orbi graue periculum immineret, Pariſijs Concilium Epiſcoporum, & Principum habuit, in quo, vt ſcribit Nangius in geſtis S. Ludouici ordinatum fuit de orationibus multiplicandis, proceſſionibus faciendis, & blaſphemijs in Deum puniendis, peccatis, & ſuperfluitatibus cibariorum, & veſtium reprimendis: inhibita etiam fuerunt vſque ad biennium torneamenta, & iniunctum eſt, quòd non luderetur alijs ludis, niſi quòd homines ſe exercerent in arcubus, & baliſtis.

Alexander IV. Romanus Pontifex nullos creauit Cardinales ex Panuinio, & Ciaconio; ex alijs verò, quos infra laudabimus, vnum tantùm, & fuit.

I.

B. THESAVRVS Beccaria Papiæ natus, monachus primò, deinde Generalis totius ordinis Valliſumbroſæ ab Alexandro Quarto purpura donatus eſt, vt affirmant Martyrologium Benedictinorum iv. Septembris, Chronicon paruum Valliſumbroſæ, & Arnoldus Vuion in Ligno Vitæ: in Martyrolog. enim Benedictino hęc legimus dicta die. *Pridie nonas Septembris Florentiæ ſancti Theſauri Abbatis, & S. R. E. Cardinalis, qui ſummo loco e gente Beccaria Papiæ ortus, monachus primum, deinde Abbas, & Generalis totius ordinis Valliſumbroſæ effectus, poſtremo ob inſignes animi dotes ab Alexandro Papa IV. Cardinalis pronunciatus, & Florentinis Legatus datus, vt Ghibellinorum, & Guelphorum inter ſe cõcertantium partes componeret, ab iiſdem dolo, & ſuſpicione capite truncatus, martyrij coronam accepit.* E vita exceſſit, vt tradit Chronicon Valliſumbroſæ, anno noſtræ ſalutis 1258. quidam aiunt anno 1260. Andreas Victorellus fatetur ſe vidiſſe in Codice m. s. quem vidit in Cœnobio Romano S. Praxedis Theſauri obitum notatum 12. Septembris anno 1258. Martyr dicitur in prima parte Itinerarij Italici, & à Volaterrano lib. 21. Anthol. & in laudato m. s. Florentiæ antiquam eius imaginem coloribus expreſſam in ſanctiſſimæ Trinitatis Aede palmam manu geſtantem extare affirmant nonnulli cum hac Inſcriptione.

S. THESAVRVS CARDINALIS, ET MARTYR.

Philippus Ferrarius in Catalogo ſanctorum, qui non ſunt in Martyrologio Romano pridie nonas Septembris Theſauri memoriam celebrat his verbis: *Florentiæ B. Theſauri Abbatis Generalis Valliſumbroſæ*. Non audiendus Dantes cum canit in Cantico 32. de Inferno.

Se foſſi dimandato, Altri chi v'era?
Tu hai dallato quel di Beccaria,
Di cui ſegò Fiorenza la gorgera.

In hunc librum Landinus à veritate receſſit, dum ſcripſit Beccariam proditione Guelphos dominatione priuare, & Ghibellinos in Imperio collocare voluiſſe. Guelphi, falſa ducti ſuſpicione, id illi obijciebant, cum vir optimus, & prudentiſſimus ſolam Dei gloriam, & diſſidentium factionum concordiam, & bonum ſpectaret, non male additum à Landino, cœco Guelphæ multitudinis furore in foro ſancti Apollinaris caput illi obtruncatum. Ioannes Villanus libro 6. Hiſt. per ſcelus id à populo clamoribus vociferante factum, & ob id in Florentinos à ſummo Pontifice anathema latum, & populum ſcelere contaminatum diuinam vltionem paulò poſt experientia cognouiſſe. Corpus beati Theſauri apud monachos Valliſumbroſæ piè coli ſcripſit Victorellus. De Cardinalatu B. Theſauri nihil Villanus, nihil Volaterranus, nihil alij multi illius æui ſcriptores.

VICECANCELLARII S. R. E.
ſub Alexandro IV.

Magiſter Guillelmus de Caradego Parmenſis, ſcholarum Magiſter annis Pontificatus primo, & ſecundo.

Magiſter Iordanus Terracinenſis S. R. E. Notarius, & Subdiaconus pro Vicecancellario in fine anni ſecundi.

Magiſter Rolandus S. R. E. Vicecancellarius anno tertio.

Magiſter Iordanus Terracinenſis iterum pro Vicecancellario in fine anni tertij, & Vicecancellarius ab initio quarti anni ad finem Pontificatus.

CARDINALES MORTVI
ſub Alexandro IV.

Guillelmus de Fliſco Diaconus Card. S. Euſtachij anno 1256.

Beatus Theſaurus Beccaria monachus Valliſumbroſæ S. R. E. Cardinalis anno 1258.

Ioannes Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis.

Bernardus Caracciolus Diaconus Cardinalis.

Otho Grillus Diaconus Cardinalis.

VRBANVS IV. PONT. CLXXXIV.

ANNO DOMINI MCCLXI.





A QVI horum temporum Annales ſcripſerunt Alexandrum IV. nullum Cardinalem creaſſe dicunt, eum paulò ante eius obitum non niſi ix. Patres viuerent, quorum vnus Cardinalis Prænestinus abſens in Hungaria erat. Eo verò vita functo in adeò exiguo Patrum numero, ingentes de Pontificatu contentiones exarſere, quæ ad tertium vſque menſem, electionem protraxerunt. Demùm cum alter alteri cedere recularet, factum eſt, vt Cardinalibus omnibus reprobatis, Iacobus Pantaleo Pa-

B (VRBANI Electio.) triarcha Hieroſolymorum, caſu tunc in Curia exiſtens, pro Terræ Sanctæ negocijs, hortatu Ioannis Caietani Vrſini, Cardinalis magnæ exiſtimationis, iv. Kalen. Septembris, Romanus Pontifex Cardinalium omnium ſuffragijs renunciatus, Vrbanus IV. vocatus eſt. Ortus is fuerat Trecis humili genere, ſutoris veteramentarij filius, (VRBANI primordia.) cognomento Pantaleonis, vt hodie quoque in Vrbe Tricaſsina conſtans fama eſt. Tricaſsina Vrbs famoſa, populorum frequentia, & nemoribus, & pratis amœna, in Campania ſita, dulcem habitatoribus exhibet ſuis amœnitatibus incolatum. Pariſios miſſus liberalium primùm diſciplinarum ſcientiam didicit, poſtea iuris Canonici peritiam, & deinde Theologicam adiunxit; quod in varijs meruit & cathedræ, & titulo inſigniri, qui ſolùm natale tandem repetens, Cano-

C nicus Eccleſiæ Tricaſſenſis, Laudunẽſis Archidiaconus factus, poſtmodum Virdunenſi Epiſcopo obeunte, in eiuſdem Eccleſiæ Præſulem eſt aſſumptus, qui ſtatura mediocri, venuſta facie, grato aſpectu, & ſuaui, animi magnitudine, ſcientia, conſilio, morumq; grauitate cæteros ſuperabat. Hunc Pomerania, Pruſsia, Liuonia Legatum poſcunt ab Alexandro IV. cuius vitam, famamque probare volens, officium Legati Apoſtolici ei impoſuit; in tanto autem taliter ſe geſſit munere, vt lites ſedaret, pacem ſtabiliret, ab omni munere manus excutiens, ab Alexandro Papa IV. Patriarcha Hieroſolymorum creatus, ad quod munus ab Innocentio IV. vocatus fuerat; à quo Germaniæ primùm, deinde Orientis legationem obtinuerat, quam & Alexander IV. confirmauerat. Ad pridie nonas Septembris, Vi-

D terbij, ad Eccleſiam Prædicatorum coronatus, Richardo, & Alphõſo de Imperio contendentibus, ſedit in Pontificia ſede annos 3. menſem vnum, & dies 4.

CARDINALES VIII.

qui Vrbanum Papam IV. crearunt.

CARDINALES EPISCOPI II.

INNOCENTII PAPAE IV.

1. Otho de Caſtro Rodulphi, Bituricenſis, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus.
2. Stephanus Hungarus, Epiſcopus Cardinalis Prænestinus.

A

PRESBYTERI CARDINALES II.

INNOCENTII PAPAE IV.

3. Fr. Hugo de S. Caro, Burgundus, Gallus, ordinis Prædicatorum Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Sabinæ.

NICOLAI PAPAE IV.

4. Ioannes de Toleto Presbyter Cardinalis titulo ſancti Laurentij in Lucina, Prior Presbyterorum.

DIACONI CARDINALES IV.

B

GREGORII PAPAE IX.

5. Richardus Hannibaldenſis de Molaria, Romanus, Diaconus Cardinalis S. Angeli in foro Piſcium, Prior Diaconorum.

INNOCENTII PAPAE IV.

6. Octauianus Vbaldinus Florentinus, Diac. Cardinalis ſanctæ Mariæ in via Lata.
7. Ioannes Caietanus Vrſinus, Romanus, Diaconus Cardinalis ſancti Nicolai in Carcere Tulliano.
8. Othobonus de Fliſco Genuẽſis, Diac. Cardinalis S. Hadriani.

Cum Manfredi vires Guelphis Hetruſcis exactis, augerentur; Eccleſia verò miram in modum oppreſſa eſſet, tot rebus proſperis ipſe (MANFREDI progreſſus.)

C clarus, victoriam continuare, iniurias ſibi à Pontifice illatas vlciſci, Regnumque ſuum amplificare conſtituit. Nouas igitur Sarracenorum copias in Latium miſit, qui omnia igne, ferroq; vaſtarunt; in Picenùmq; agrum nutantem digreſſi, prouinciam occuparunt: Vrbanus his rebus perterritus, Viterbio, quod minus tutum oppidum erat, Vrbemueterem, Oruietum * vulgarius vocatam, nobilem Tuſciæ Vrbem accedens, loci aſpectu, & ſecuritate delectatus; eſt enim in ſummo ſaxo poſita, & ad expugnandum difficillima: per bienniũ ferè in ea cum Romana Curia permanſit à ciuibus Vrbeuetanis honorificentiſſimè ſuſceptus. Monaldenſes, & Philippenſes Vrbis Proceres, bello ciuili inter ſe laborantes, in concordiam redegit, & dum vixit eam conſeruauit. Vrbem ſibi, & Eccleſiæ Romanæ fideliſſi- (VRBAnus Vrbemueterem accedit.) (* VRBANI res geſtæ in Vrbeueteti.)

D mam varijs, publicis, priuatiſq; ædificijs, multis item priuilegijs exornauit; à fundamentis nobiles ædes Pontificias in loco, qui dicebatur Solianum propè S. MARIAM Priſcam, quarum adhuc parietes ſuperſunt, ædificauit. Extruxit Eccleſiam, & Monaſterium S. Auguſtini, Eccleſias verò Prædicatorum, & Minorum reſtituit, & amplificauit. Manfredi autem Siciliæ Regis, Romanæ Eccleſiæ hoſtis, potentia, & vi, ſancta ſedes tunc præcipuè vexabatur, ibi etiam Concilium, ſeù multorum Prælatorum Conuentum celebrauit; in quo inter cætera tractatum eſt, qua nam ratione, ſancta ſedes Apoſtolica à Manfredi potentia, & tyrannide ſe tueri poſſet, Decretumq; vt Carolus Ludouici Francorum Regis frater prouinciæ Comes, & Dux Andegauenſis, in Italiam contra Manfredum cum Siciliæ Re-

LEGAtio ad Caroli Francorũ Regis fratrẽ pro tuenda Eccleſia.

gis titulo vocaretur. Cardinale Legato ad illum ob eam rem miſſo, quod poſtea ſub Clemente IV. factum eſt. At Manfredus, qui pro eius violentia cum ſuis fautoribus fuerat excommunicatus, cum Regnum teneret Siciliæ occupatum, & ſua potentia terram Patrimonij B. Petri intenderet occupare: quemdam magnum exercitum Sarracænorum, & complurium infidelium, vſque ad caſtrum Arronis Spoletinæ Diœceſis deſtinauit. Papa autem Vrbanus Chriſtianorum multitudinem, ſua prædicatione ad defenſionem Apoſtolicæ ſedis conuocauit, quare contra exercitum infidelium, innumera fidelium Crucesignatorum multitudo accurrit: & cum magna armatorum equorum, & rerum in bello vtilium copia, eiſdem infidelibus obuiantes, ſperabant cuncti in bello congredi, & Eccleſiæ Catholicæ ſuperare hoſtes, ſed omnipotens ſuam, & Eccleſiæ ſuæ cauſſam agi conſpiciens, non in viribus hominum, vel equorum victoriam habere voluit, ſed Dominum magnis, & miris prodigijs ſe demonſtrare.

VRBAnus ingentem Chriſtianorum copiam ad defenſionem Eccleſiæ cõuocat.

PERCEualli de Auria Ducis exercitus infidelium interitus admirandus.

Nam dux exercitus eorumdem infidelium, Perceuallus vocatus de Auria, cum multa minaretur contra Deum, & Chriſtum ipſum in ſuis confabulationibus blaſphemaret, faſtuq; elatus modicam aquam, & parum profundam pertranſiret magno equo inſidẽs, phaleris & multis ſuperſtitionibus exornato, vt terram Patrimonij intraret, diuina Dei fauente clementia, equus ipſe continuò in ipſa aqua corruit, & mox ſeſſor eius tam miro modo eſt ſuffocatus, vt nec ipſe, nec eius equus videri amplius, aut inueniri potuerit. Quod miraculum exercitus eius aduertens, ſtatim in eum pauor Domini irruit, & ſe dederunt fugæ, ſine duce, & ordine, vnus alterum non expectans, noctu, & diu per deuia fugientes ad eiuſdem Regni terminos non ſine magno timore redierunt. Quos cum fideles Crucesignati inſequuti fuiſſent, cæperunt innumeros, & quamplurimos peremerunt, miſericordia diuina ita ſuam Eccleſiam protegente.

CHRIſtiani infideles ſuperant.

Vrbanus autem Pontifex de eiuſmodi victoria non elatus, ſed gratias reddens Deo, Carolum Ludouici Franciæ Regis conſobrinum, prouinciæ, & Andegauiæ Comitem, cum exercitu in Italiam vocauit; cogitabat enim, Manfredo eiecto, Siciliæ Regem Citra, & Vltra Pharum eum conſtituere. Quæ res licèt Vrbani morte intercedente exitum vltimum non habuerit, à Clemente IV. eius ſucceſſore abſoluta fuit; idem enim Comes Andegauenſis per manus D. Simonis de Bria Presbyteri Cardinalis S. Cæciliæ, tunc in Francia Apoſtolici Legati, dicti Regni Siciliæ collatione in ciuitate Pariſienſi ſuſcepta, nauigio è Maſſilia Romam venit, vbi factus Senator, in feſto Pentecoſtes in Baſilica Principis Apoſtolorum de manibus quinq; Cardinalium ad hoc munus deſtinatorum, vnctione regali percepta, eiuſdem regni ſceptrum, & coronam recepit: moxq; ad pugnam aduerſus Manfredum ſe accinxit; pacem interim Vrbanus cum Romanis componit: & Cathalogo ſanctorum, B. Richardum Epiſcopum * Ciceſtrenſem, miraculis clarum aſcripſit, cuius feſtus dies 3. April. ab Eccleſia recolitur.

CAROlus Dux Andegauẽſis Rex Siciliæ vngitur.

** B. RIchardus in Cathalogo SS. ab Vrbano aſcribitur.*

VRBANI Legatio ad Genuẽſes ac Venetos pro pace inter eos componenda.

Legatum Vrbanus IV. ad Genuenſes, & Venetos miſit, qui pacem inter eos componeret; at irritatis vtrinque animis parum profecit, populus Romanus, qui Pontificum Imperio excuſſo, Magiſtratibus ex ciuibus nutu ſuo lectis hactenus paruerat, tunc primum ſuos faſtidiens, Senatorem peregrinum ſuſcepit, eo munere Brancaleoni cuidam nobili Bononienſi, magni animi & conſilij viro demandato, cuius nomine aurei nummi percuſi adhuc viſuntur. Cæterum inconſtantis vulgi ſententia mutata, Senator in carcerem conijcitur. Qua iniuria moti Bononienſes, Romanos quoſdam ciues ab ſe captos non alia conditione dimiſerunt, quam ſi Brancaleo ſibi redderetur: is non ſolùm liber factus eſt, verùm etiam ſuo honori reſtitutus. Quo collegium ex omnium regionum ciuibus conſtitutum ad diem eſt, à populo Banderiſios vocatum, penès quos & Senatorem vitæ, & necis hominum ſummum arbitrium eſſet. Hæc populus Romanus inuito Pontifice peregit, quem à Manfredo armis vexatum, ſuis conatibus reſiſtere non poſſe, intelligebat.

BRANcaleo Senator in Vrbe electus in carcerem conijcitur.

BRANcaleo in priſtinum reſtituitur. Banderiſij à Pop. Rõ. inſtituitur.

Vrbanus Pontifex nullum in patria grati animi reliquit teſtimonium, præter Templum S. Vrbani, quod in Vrbe Trecenſi, in qua natus erat ædificari iuſſit, in ſolo paternarum ædium, relicto ibi tenui Collegio duodecim Canonicorum cum Decano, Theſaurario, & Cantore, multiſque poſſeſſionibus dotauit; & animus illi erat, ſi diutius vixiſſet, plurimis alijs augere; & eam Eccleſiam alijs exemptam, ſoli ſedi Apoſtolicæ ſubeſſe voluit, ſuiſque priuilegijs declarauit. Ancherus Papæ Vrbani nepos, Presbyter Cardinalis titulo S. Praxedis, quem Patruus ad Cardinalatum euexerat, hoc opus protexit, multiſque ornamentis aureis, & ſericeis, imaginibus, & vaſis ſacris aureis, & argenteis, ac libris pretioſiſſimis auxit.

ECCLEſia Trecẽſis ab Vrbano erecta.

ANCHErus Vrbani nepos donis eidem Eccleſiæ contulit.

Legatos Vrbanus IV. miſit Conſtantinopolim ad Palæologum Imperatorem, inſtruendis Græcis in fide.

DE ALberto Magno.

Huius Vrbani Pontificis ætate, aliqui ſunt, qui ſcribant floruiſſe Albertum Theutonicum ordinis Prædicatorum fratrem, quem ob amplitudinem doctrinæ Magnum appellant, qui & omnia opera Ariſtotelis commentatus eſt, & Theologiam Chriſtianam acutiſſimè aperuit, expoſuit & magnam partem ſacrorum Bibliorum, Euangelia, ac Epiſtolas Pauli. Inchoauit etiam Summam Theologiæ, ſed non perfecit. Tantæ præterea modeſtiæ fuit, adeòq; lectionum appetentiſſimus, vt Ratiſponenſem Epiſcopatum annuente Clemente IV. deſeruerit. Quem tumultu, & armis gubernare interdum opus erat, vt nunc etiam apud Germanos mos eſt, quorum plerique Epiſcopi enſe, & milite rem ſuam tutantur; priuatus itaque Coloniæ aliquamdiu publicè legit. Tandem verò octuageſimum ſeptum ætatis annum agens, eodem in loco moritur miraculis clarus multis diſcipulis, qui poſteritati conſulerent, relictis: maximè autem Thoma Aquinate, qui relicta patria, inſigniq; cognatione (originem enim a Comitibus Apuliæ, vel Aquini ducebat) Coloniam pergens, tantum profecit, vt poſt aliquot annos apud Pariſios primum in doctrina locum teneret, qui multa, & præclariſſima ſcripſit in Philoſophia, & Theologię lucem effudit, cuius doctrina cunctæ reſplendent Orbis ſcholæ. Romam deinde ab Vrbano accerſitus, ſpretis dignitatibus, quæ vltro ei offerebantur, totum ſe lectioni, & ſcriptioni dedit. Nam & ſcholam Romæ inſtaurauit, & rogatu Vrbani multa conſcripſit, & totam ferè naturalem Philoſophiam, ac moralem commentationibus expoſuit: & contra Gẽtiles libros aureos edidit; explicuit Iob, Cantica Salomonis, Ioannem, & plurima alia tanto ingenio, & doctore digna. Catenam Auream ex omnibus Catholicis ſcriptoribus in Euangelia collegit. Qua autem ratione Vrbanus in duabus Cardinalium creationibus, quas fecit, virum inſigniſſimum omnium, quos Orbis habebat prætermiſerit, cum ipſe auidiſſimè quæreret eos, qui Eccleſiam ſua doctrina illuſtrarent, hoc factum, quia gentiles eius nimium addicti Imperatoribus Eccleſię rebellibus fuerant, vel intelligens valde huiuſmodi honores perhorreſcere.

THOMAS Aquinas diſcipulus Alberti Magni.

An. Domini 1264. Pontificatus III. ſanctiſſimi Corporis Chriſti ſollemnitas, quinta feria poſt octauam Pentecoſtes ab eodem Põtifice perpetuis temporibus cum ſollemni ſupplicatione, quæ nunc etiam celebratur, inſtituta eſt, cap. 1. *de Reliquijs, & veneratione ſanctorum*, in Clementinis, cum eius ſollemnitatis officium S. Thomas Aquinas, qui eo tempore Theologiam publicè in ea ciuitate profitebatur, compoſuiſſet Hymnos inquam, & preces ſollemnes, in quibus figuræ Teſtamenti Veteris, cum rebus Noui conferuntur. Verùm non tàm cito is dies in Gallia obſeruari cœpit, nàm in vetuſtis Annalibus, quos auctor Anonymus in Gallia ſcripſit ann. 1328. traditum eſt, illum diem coli cœpiſſe multo poſt obitum Vrbani, à quo is dies feſtus inſtitutus eſt, id verò factum fuit, propter miraculum, quod hoc tempore Vulſinij in Diœceſi, & ditione Vrbeuetana in Eccleſia S. Chriſtinæ accidit. Nam dum Presbyter quiſpiam ſacra Miſſarum ſolemnia celebraret, Sacramento iam perfecto, de panis, & vini tranſubſtantiatione, & Chriſti Corpore dubitauit, vnde ſtatim (dictu, & auditu mirum) ex ſanctiſſima, quam in manibus tenebat, Hoſtia viuus ſanguis manare cœpit, qui totam mappã, quam Corporale vocant, tinxit. Quo miraculo attonitus Pontifex Vrbanus IV. Corporale primùm ad ſe ab Epiſcopo loci illius cum proceſſione Vrbemueterem transferri voluit, & illud ſollemnitate inſtituta in Eccleſia Vrbeuetana recondidit. Quæ omnia ex eiuſdem Pontificis Bulla, quæ adhuc extat, intelliguntur.

SANCTIſſimi Corporis Chriſti ſollemnitas ab Vrbano inſtituta.

HYMNI ſollemnitatis Corporis Chriſti à ſancto Thoma compoſiti.

MIRACVlum de Hoſtia cõſecrata ſanguine manante.

In cuius poſtea memoriam ciues Vrbeuetani tunc nobiles, ditiſſimi, & potentes, nobiliſſimum Templum Deo, & B. Virgini Mariæ à fundamentis conſtruere cœperunt, tanta mole, apparatu, & impenſarum magnitudine celebre, vt nullum in toto terrarum Orbe, tunc ei potuerit comparari. Cæterum non niſi 25. anno, poſt Chriſti verò 1290. factum fuit, Nicolao IV. Pontifice Maximo, qui eodem anno 12. die Nouemb. primum lapidem in maximi, & auguſtiſſimi Templi fundamentis, Cardinalibus cum omni Romana Curia, multis peregrinis, Prælatis, Epiſcopo ciuitatis, Clero, Magiſtratibus, nobilibus, & vniuerſo Vrbeuetano populo adſtantibus, poſt celebres ſupplicationes habitas ſollemniter poſuit; maximaſque ſingulis annis Eccleſiam illam ipſo die viſitantibus, Indulgentias largitus eſt; ab alijs poſtea Pontificibus confirmatas, & auctas. In quo celeberrimo Templo, cum perfectum penè fuiſſet, poſtea ſanctum Corporale collocatum eſt, Altari, & Tabernaculo ad illud conſeruandum elegantiſſimè fabrefactis. Quod ſingulis annis in die Corporis Chriſti, in celebri illa ſupplicatione deuotiſſimè circumfertur, finitimis omnibus populis eò illa die ad videndum confluentibus, eius porrò Templi anterior pars tota è marmore Pario incruſtata eſt, varijs, & elegantibus ſignis, vel figuris noui, & veteris Teſtamenti exornata, multiſq; alijs decorata ornamentis, quod ſanè opus id eo tempore viſum eſt, vt nullum in ſtatuaria arte vbiuis terrarum conferri ei poſſet. Hæc ex Panuinij Annotatione in Platina ad Vrbanum Quartum deſumpta.

TEMplũ ab Vrbeuetanis erectũ in quo collocatum eſt Corporale verò Chriſti ſanguine notatum.

Recuperauit Vrbanus Caſtrum Trebarum, Forentum, & Vallispetri, in valle Spoletana. Caſtrum conſtruxit nobile, & munitum in Caſtro Trebij, & cum vellet æſtiuos vitare calores, Montemflaſconem adijt, in quo Turrim ædificauit, & domum habitationis conſtruxit. Recuperauit Inſulam Marchanam à Iacobo de Vico 12. annis violenter occupatam, quæ Iuris Eccleſiaſtici erat. Recuperauit etiam Inſulam, quæ Bizantina ſolebat dici, Vrbanámq; de nomine ſuo demceps appellauit, & illam muniuit. Caſtrum item Valentini à Pandulpho Viterbio recuperauit. Caſtrum etiam Proculi, parum ab Spoleto diſtãs, quod ſolebat Spoletanorum Oculus appellari. Acquiſiuit Caſtrum Mirandæ ab iniuſto poſſeſſore vſurpatum. Caſtrum etiam Bledæ, quod Petrus Præfectus, Romæ moriens, Eccleſiæ Romanæ reliquerat, & Petrus de Vico occupauerat, & retinuerat, Iure ſibi deberi probauit.

CASTRA ab Vrbano recuperata atque cõſtructa.

Papa Vrbanus animaduertens, quantum detrimenti Imperium in Schiſmate pateretur, quantumque eius dignitati, & præſidio Eccleſiæ derogaretur, volens hanc diſcordiam componere, & decade-

VRBAnus agit pro pace inter Al-

phonſum Caſtellæ Regem, & Richardũ Cornubiæ Comitẽ.

re inter Alphonſum Regem Caſtellæ cognomento Sapientem, & A Richardum Cornubiæ Comitem, Regis Angliæ fratrem, vterq; enim pro Cæſare ſe gerebat, & Imperium occupabat, eos coram Tribunali ſuo comparere præcipit, vt ius ſuum iuxta allegata reciperet, & finis tandem controuerſiæ imponeretur. Richardus nec comparuit, nec miſit, qui cauſam ſuam tueretur: legitimè occupatus Alphonſus ſuos Oratores miſit: ſed altera parte non comparente, terminus aſſignatur, & tempus aliud cauſæ abſoluendæ ſtatuitur. Interim Pontifex tecta aulæ Lateranenſis præ vetuſtate collabentia refecit.

COMETES apparitio.

Cùmque biennium fermè in Vrbeueteri (quæ vulgarius Oruetum dicitur) tranſegiſſet, Peruſiam ire parat, noniſque Septembris ann. 1264. diſceſſit ab Vrbeueteri, Tudertum veniens. Anno autem eodem 1264. die Dominico vi. kalend. Auguſti in 11. gradu Leonis apparuit Cometes, qui reſtitit, retrogradu motu 13. Cancri gradu in occiduas partes gradiebatur, alter erat motus in meridiem xvi. kalend. Auguſti in Gallijs viſus, in Accon, quæ Ptolemaida dicitur, per B id tempus animaduerſus etiam fuit in Syria. Quo apparente inuaſit dolor continuus Papam Vrbanum, ita vt interiora eius exiccarentur, adeò vt nec vocem poſſet emittere. Tudertum feſſus peruenit. Quinta die Caſtrum, cui Diruta nomen, attigit. Aſiſſium poſtea accelerare volens, vixque duas leucas itineris emenſus erat, cum interiora præ nimia anxietate cœperunt fortiùs premi. Inde equo deſcendens, lectica vehitur, & ad Caſtrũ peruenit inualeſcẽte dolore, hic 15. dies iacuit, morbúſq; ita inualuit, vt parua ſpes de vita ipſius haberetur.

VRBANI Obitus.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1264. VI. nonas Octobris, die Iouis lectica vectus de conſilio fratrum Cardinalium in burgum Peruſij, vbi Eccleſia eſt S. Petri, ibi ſuſceptis deuotiſſimè ſacramentis diem clauſit extremum Paſtor Vrbis, & Orbis: Corpus ibidem in Eccleſia Cathedrali S. Laurentij ſepultum eſt, cum ſediſſet annos 3. menſem 1. dies 4. Vacauit Romana ſedes menſes 4. dies 3. quinquennio ab eius obitu, Vitam, & geſta illius verſibus ſcripſit Thierricus C Valliſcolor Poeta illius temporis haud ignobilis, adiutus ſcriptis, & relationibus Ancherij Presbyteri Cardinalis titulo ſanctę Praxedis, nepotis eiuſdem Vrbani IV. Papæ.

Idem Vrbanus Pontifex multa in Vrbe Templa vetuſtate quaſſata, vt ſancti Hadriani, ſanctorum quatuor Coronatorum, Oratorium ſancti Syluestri refecit.

VRBANI res geſtæ.

Fuit Vrb. IV. craſſus, & corpulentus, pacis, atq; otij amantiſſimus.

Auximanibus dignitatem Epiſcopalem reſtituit, qua in ſeditionibus Friderici II. priuati fuerant.

Orthodoxam fidei confeſſionem à Michaele Palæologo Græco Imperatore ſibi exhiberi fecit.

Vrbanus verò externis negocijs vacuus, ſemper aliquid meditari, aut ſcribere ſolebat, Decretales Epiſtolas multas edidit, cuius Regeſti volumina duo in Bibliotheca Vaticana extant.

Inquiſitiones miraculorum, & vitæ B. Auguſtini Epiſcopi Ni- D dioſtenſis, Stanragenſi Epiſcopo, Abbati de Holim, & Priori de ſancta ſede Hidrutenſis Diœceſis commiſit.

Aquilani Eccleſiam S. Simeonis tranſlatam inſtituit; Epiſcopo Pampilonenſi mandauit, vt Nauarræ Regem de more coronaret.

Noti ſunt ex hiſtorijs, & ipſorum ſcriptis, ſub Vrbani IV. Pontificatu, viri doctrina, & ſanctitate præſtantes, Gualterij duo, ambo Epiſcopi, alter ex ordine Minorum Pictauienſis, alter Flander natu Magalinenſiſ, qui diuinæ, humanæq; Philoſophiæ aliquot opuſcula, quæ extant, ſcripſerunt; Pictauienſis quidem Sermones, Magalinenſis verò in Pſalterium Commentaria.

ALEXANDER Dolẽſis ordinis Minorum ſcripta.

Alexander Dolenſis, Gallus, de Villadei dictus, ordinis Minorum, Grammaticus, Philoſophus, & Aſtrologus inſignis ſcripſit metro Leonino doctrinale puerorum, de ente grammaticæ, cuius vſus in ſcholis frequens fuit, item de Computo Eccleſiaſtico, & de Sphæra E libellos, Sermones quoque, Epiſtolas, & varios tractatus edidit.

Philippus Cancellarius, & Doctor Pariſienſis, euſdémque Vrbis ſcholæ præfectus in ſacris literis exercitatiſſimus, Sermones in Pſalmos, Commentaria, & Summam Theologiæ condidit.

Fertur Vrb. ante Pontificatum, cuidam obſcuros natales ſibi exprobranti, reſpondiſſe, *virum non naſci, ſed fieri virtute nobilem.*

Signum FAC MECVM DOMINE SIGNVM IN BONVM. *Vrbani*

PP. *IV.*

F

ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

¶ * *Patriarcha Hieroſolym.*] Alibi oſtendimus, nonnullos nondum Purpura inſignes ad D. Petri ſedem euectos.

* *iiij. kalen. Septemb.*] Eo die, ab octo Cardinalibus Viterbij creatus Pontifex. Panuinius in Chron.

* *Sedit ann. 3. menſ. 1. dies 4.*] Idem Panuinius loc. cit. & Genebrard. lib. 4. Chron. Platinam ſecuti.

* *Oruetum &c.*] Ex Panuinij Annotatione ad vitam eiuſdem Vrbani à Platina editam.

* *B. Richardum Epiſcopum*] Literas canonizationis offendes tom. 1. Bullar. *E vulit et Angelica tuba, Dat. Viterbij x. kalen. Martij, Pontific. ann. 1.*

* *Corporis Chriſti ſollemnitas ..... inſtituta.*] Conſtitutio Vrbani IV. qua celebritatem ſanctiſſimæ Euchariſtiæ inſtituit, in piorum lectorum animis amorem, & reuerentiam, ſi piè, & attente legatur, excitare poteſt: exiſtimauit autem Vrbanus conueniens, & dignum, vt de Diuino hoc Sacramento, ſuauiſſimo beatæ immortalitatis pharmaco, *Semel ſaltem in anno, ad confundendum* (vtor eius verbis) *ſpecialiter Hæreticorum perfidiam, & inſaniam, memoria ſollemnior, & celebrior habeatur.* Eam Conſtitutionem Clemens V. in Conc. Viennenſi ſeruari, iuſſit, Vide, *Clem. 1. de Reliquijs, & veneratione ſanctorum.*

Extat t. 1. Bullarij, & Clemẽ. 1. De Reliq. & vener. ſanctorũ.

* *De Reliquijs.*] *Clem. 1. de Reliquijs &c.* intellige.

* *Officium S. Thomas.*] Illud habes inter eiuſdem Angelici Doctoris Opuſcula, in Miſſali, & in Breuiario Romano: de illo etiam Platina in Vrbano, & D. Anton. p. 3. Hiſt. Tanti Sacramenti deuotione affectus Vrbanus IV. feſtũ inſtituit, D. Thoma teſte Opuſc. 57.

Geneb. l. 4. Chron.

* *Non ita tàm cito in Gallia.*] Poſt centum annos Papiæ Diuinum Chriſti Corpus in ferculo repoſitum in ſupplicatione celebri deferri cœpit. Genebr. ex Boſſij Chronico, qui mos deinde ad alias Occidentis regiones effuſus eſt: Andegauum in primis, vbi Berengarij, Andegauenſis olim Archidiaconi, virus ſacramentarium multorum animos infecerat, perdideràtque Auguſtiſſimi Regis Chriſti præſentia in Sacramento fidelium preces vehementiores efficit: Chriſtum, magnis olim ſceleſtorum hominum iniurijs, & contumelijs affectum, honore proſequimur, & contra ſacrilegam Sacramentariorum impietatem, fidem, pro qua centies occumbendum nobis eſt, publicè profitemur.

loc. cit.

V. Genebr. l. c. & Petrum Maturum ad 3. p. Hiſt. S. Ant. tit.

* *In ...... S. Chriſtina*] Legebantur, *in Eccleſia Corporis Chriſti*, legendum autem erat in Eccleſia S. Chriſtinæ, vt, repoſuimus: in S. Chriſtinæ enim miraculum accidit: cuius Hiſtoriam marmore Vulſinij in eodem Templo cælatam; iiſdem verbis exceptam Monaldus Monaldenſis, lib. 7. Comment. Hiſtor. Vrbiſueteris; publicæ vtilitati exhibuit: De eodem miraculo Aeneas Syluius, lib. 4. Comment. & Panuinius, (ex quo Ciaconius) ad vitam Vrbani IV. D. Ant. par. 3. Hiſt. tit. 19. cap. 3. §. 1. Pet. Matur. ibid. Nic. Ser. lib. 2. cap. 9. De Proceſſ. Gretſ. Diſſert. pro feſto Corporis Chriſti.

* *Cometes.*] De Crinitæ ſtellæ apparitione Valliſcolor loc. cit.

Apparente quidem prædicta luce Cometa,
Inuaſit Dominum continuando dolor.

De eadem in morte Pontificis.

Quo moriente, velut mortem cognoſceret eius,
Apparens minime ſtella comata fuit.

* *Vacauit ..... Sedes menſ. 4. dies 3.*] *menſ. 4. dies* 2. Panuinius in Chronico: *menſes quinque*, Platina, & Genebrardus loc. cit.

Inſtituit Vrbanus IV. Regulam ſecundam ordinis S. Claræ. *Dat. Apud Vrbemueterem xv. kalen Nouembr. Pontific. anno* 3. Vide tomo 1. Bullarij.

Matthæi Pariſ. & Philippi Mornæi criminationes Vrbano non pepercere: ſed illæ inanes, & falſæ petulantiam auctorum produnt; & religioſi, ſapientiſq; Pontificis famæ, (cum vera non ſit laus, à non laudatis laudari) magis proſunt, quàm obſint.

Mag. Simonem Canonicum Patauinum in Presbyterum Cardinalem promouendum Vrbanus duxerat euocandum, at audiens de illo nonnulla virtutibus, quibus nitere ſacri Præſides debent, aduerſantia, ſubſtitit, & tres delegit Purpuratos, qui in illum diligenter inquirerent, lege, quæ affero Diplomata ex Vaticano Vrbani Regiſtro excripta olim à docto amico.

VRBANVS EPISCOPVS &c.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

Licet dilectum filium Magiſtrum Simonem Canonicũ Paduan. promouendum in Presbyterum Cardinalem Eccleſiæ Romanæ de fratrum Noſtrorum conſilio duxerimus euocandum, diligẽtes tamen cum eiſdem fratribus deliberatione prahabita, & auditis, ac intellectis ipſorum conſilijs, definimus, decernimus, ac præſenti edicto ſtatuimus, quòd idem Simõ priuſquam per Nos in Presbyterum ſit promotus, nequaquam in Collegium, ſeu conſortium, vel ad tractatus, aut conſilia Cardinalium admittatur, nec de ipſorum habeatur, aut reputetur Collegio, ſiuè quantum ad conſilia, vel tractatus, ſiuè quantum ad partem habendam de communibus obuentionibus, vel quantum ad quæcunque alia, ad quæ Cardinales Eccleſiæ memoratæ conſueuerunt admitti, nec Cappellum Rubeum, vel alia Cardinalatus inſignia interim deferat, vel vtatur eiſdem: cum autem tempus aduenerit ordinationis faciendæ competens, Nos cõſideratis his, quæ interim de ipſo Simone ſeu circa ſtatũ eius inuenerimus, faciemus, auctore Domino, quod fuerit faciendum: Nulli ergo &c. Dat. Viterbij v. Idus Ianu. Pontif. noſtri anno 1.

VRBANVS EPISCOPVS &c.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

Licet dilectum filium Simonem Canonicum Paduan. promouendum in Presbyterum Cardinalem Eccleſiæ Romanæ de fratrum Noſtrorum conſilio duxerimus euocandum; tamen quia poſtmodum

dine, qua præmiſſiere videmur, nos interius aſſici noſtro iudicio, & exterius haberi felices iudicio alieno? potiùs illos felices iudica, quorum Crux patet exterius, ſed latiorem habent interiùs vnctionem. Significanda tibi hæc quidem fuerant, vt afflictionem viſcerum noſtrorum, quæ calix iſte, quem coacti ſumus bibere, conturbauit, partibus nobiſcum gemitibus patiaris, quæ ſola ex animo, tanquam proximior nobis præ ceteris in Domino, & in carne, in aſperitate quacumque adurente cor noſtrum dolere crederis vicem noſtrã. Sed quando vocationis vox illa terribilis in auribus noſtris intonuit, quæ nos in hanc periculorum eminentiam ſupremæ ſpeculationis inuexit, tantus nos ſtupor abſorbuit, quod potius mirari potes, & quærere ſi quid nobis remanſit virium, ſi quid mentis, quam mouere de noſtra taciturnitate querelam. Adde quod inter ipſa noſtræ promotionis auſpicia nos frequens turbatio negociorum impedit, & difficultatum vndique ingruentium inuoluit, ita, quod nulla quietis noſtra vacua curis hora relinquitur, & cordi noſtro tempeſtuoſo ſunt etiam dormientibus nobis noctis ſilentia intempeſta. Itaque dolere ſuper nos potiùs, quàm lætari te conuenit, quòd ſupra vires opprimimur iugo, quod impoſitæ ſeruitutis anxietatibus cruciamur, quid negociorum ſupergredientium caput noſtrum vexamur laboribus, quos niſi diuina clementia, & pia Eccleſiæ patrocinia infirmitatem noſtram adiuuerint, quomodo poterimus ſuſtinere? Ergo filia, quæ trãquilla ſedes ad pedes Domini, extra tumultus ſeculi frueris optima portione, nos tam graui occupatos miniſterio, tot iniuncta ſollicitudinis turbationibus inuolutos adiuua, quæſumus coram Deo ſuffragijs, quibus potes. Speramus enim, quod ſi ad aures Domini clamorem cordis tui affectus intenſior introducat, plenius nobis diuini fauoris auxilium impetrabis, & tam tibi ad meritum, quam nobis ad cõſolationis ſolatium bene erit tum in miniſterio Domini negocium noſtrum tuo ſenſerimus otio releuari. Hæc Vrbanus ad ſororem; has tamen literas non ad Vrbanum, ſed ad Clementem IV. ſpectare nonnulli affirmarunt, cum inter Clementis literas inſerantur in formulario Marini Ebuli, idque ſtyli ratio innuere videtur. Præter ſuperiores ſcripſit Vrbanus alias multas literas, earumque volumen manuſcriptum aſſeruatur in Vaticano: Scripſit etiam Metaphraſim in Pſalmum 50. quam habes in Bibliotheca veterum Patrum, & Deſcriptionem Terræ Sanctæ, qua Adrichomius vſus eſt in Theatro Terræ Sanctæ. Vrbano Romano Pontifici primam partem Catenæ Aureæ, & Tractatum contra errores Græcorum dedicauit ſanctus Thomas Aquinas.

Odor. Rinald. in Annal. to. 14. Vrbani ſcripta. Nomencl. Cardinal. Ludou. Iacob. à S. Carol. in Bibl. Pont. Caſtil. in hiſt. Præd. Militiæ B. Mariæ viuendi formam præſcribit.

Crucis piam militiam contra Græcos Schiſmaticos indixit: prolationem nominis Mariæ ſacris Indulgentijs ditauit, nouoque ordini militiæ B. Mariæ Virginis formam viuendi præſcripſit, vt viduarum, & pupillorum curam ſuſciperent, vt paci componendæ ſeruirent: viuebant ſuis in ædibus cum vxoribus, & liberis tunica alba, & ſubcinericia toga induebantur, Crucem purpuream in campo albo, ſuprapoſitis ſtellis præferebant. Aes alienum, quod Romana Eccleſia propter defenſionem iurium, ac bonorum ſuorum contraxerat, Florentinis, ac Senenſibus diſſoluit; Terras, ac iura Eccleſiæ à Raynaldo Rubeo occupatas, Trebarum, Ferentini, Cheſæ, & Vallis Petri Caſtrum Marcham à Petro Vico, inſulam Marchanam à Iacobo Bicquo; inſulam Vrbanam, aliàs Bizantinam, Caſtrum Valentarium à Pandulpho Viterbienſi, Terram Arnulphorum à Spoletanis recuperauit; Theutonicos milites ex Patrimonio ſancti Petri, Sutrinorum, & Pandulphi Comitis Anguillariæ ope profligauit. Inquiſitorum omnium caput, & quaſi Patronum conſtituit Ioannem Caietanum Vrſinum Cardinalem S. Nicolai in Carcere, ne Inquiſitoribus Italiæ, aliarumque prouinciarum opus eſſet, grauibus difficultatibus occurrentibus ſummum Pontificem adire, ſed per literas Cardinalem conſulerent, qui grauiora quæque cum ſummo Pontifice conſultaret; ſancti Aegidij Abbatis, & Confeſſoris feſtum duplici ritu expreſſa conſtitutione mandauit coli in Gallijs: Cabenſibus ciuibus Epiſcopalem dignitatem, omnemque iuriſdictionem, qua & ab Alexandro IV. & ab ipſo dudum fuerant priuati reſtituit, vt docent eiuſdem literæ ad illos datæ anno 1264. quas ex Regiſtro Vaticano, & ex Annalibus Bricchij reſcripſit in tomo 2. Italiæ ſacræ Ferdinandus Vghellius. Cœleſtinorum ordinem confirmauit. Tandem ætate, & morbo confectus è vita exceſſit Peruſij ann. 1264. die 2. Octobris, vt dictum eſt ſupra à Ciaconio, & ſepultus in eiuſdem Vrbis Cathedrali cum ſequenti Epitaphio.

Hippol. Marracc. in Pontif. Marian. Eccleſiæ iura defendit. Bzou. l. 5.

Ioannes Caietanus Vrſin.[*] Inquiſitorũ Patronus. Alphõſus Fernan. in Cõc. Prædic. cont. Hæretic. Saußay in Martyrol. Gallican.

Thel. in hiſtor. Cœleſtinor.

Epitaphiũ Vrbani. Ludou. Iacob. à S. Carol. in Bibl. Pont. Luc. Vuadding. to. 2. Annal. Minorum.

ARCHILEVITA FVI, PASTORQVE GREGIS PATRIAR-
TVNC IACOBVS, POSVI MIHI NOMEN AB VRBE MONAR-
TVNC CIVIS EXIVI, TVMVLI POST CONDOR IN AR-
TE SINE FINE FRVI, TRIBVAS MIHI SVMME GERAR-
} CHA

Vrbani, vti etiam aliorum duorum Pontificum cineres noua hac Inſcriptione exornauit D. Napoleo Comitolus Epiſcop. Peruſinus.

✠ OSSA ✠
TRIVM ROMANORVM PONTIFICVM
QVI PERVSIAE OBIERVNT
INNOCENTII III. VRBANI IV. MARTINI IV.
AN. MCCXVI. AN. MCCLXIV. AN. MCCLXXXII.
AB HVIVS TEMPLI SACRARIO
HVC TRANSLATA
AN. MDCXV.

Vrbani memoria colitur, vt ſancti; apud Philippum Ferrarium in Catalogo ſanctorum, qui non ſunt in Martyrologio Romano, pridie Kal. Octobris his verbis: *Romæ S. Vrbani Papæ IV. qui feſtum Sanctiſſimæ Euchariſtiæ inſtituit.* maxima quoque celebritate colitur apud Trecenſes, qui Templum in eius honorem dicarunt. In Vrbani IV. gratiam cuſa ſunt Numiſmata cum hoc ſymbolo Epigraphico *Optimo Principi.*

Petr. Priſio Gallia Purpur.

Vrbanus IV. Romanus Pontifex cum Romanam Eccleſiam Cardinalium numero videret imminutam, volens eiuſmodi defectum reparare, primo anno ſui Pontificatus duas Ordinationes, vnam Decembri, aliam Maio menſibus fecit.

PRIMA CREATIO CARDINALIVM
Vrbani Papæ IV.

Anno Dominicæ Incarnationis 1261. Pontificatus I. menſe Decembri, Viterbij Vrbanus creauit primò Cardinales, qui fuerunt.

Ioannes de Toleto, quem alij de Franciogia nominant monachus Ciſtercienſis ex Presbytero Cardinali S. Laurentij in Lucina Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ.

I.



GVIDO Groſſus, ſeu Fulcodij, genere nobilis, in oppido S. Aegidij Volcarum ad Rhodanũ in prouincia Narbonenſi, Diœceſeos Nemauſenſis, patre Fulcodio, & matre Germana natus, duas ex legitima coniuge ſuſcepit filias, quarum vna Deo ſe conſecrauit, altera maritum duxit. Patronum egit in Forenſi puluere, & Senator Cõſiſtorianus à Ludouico IX. Gallorum Rege creatus eſt, in qua dignitate ſexennium conſumpſit; à Durando I.C. notiſſimo, Lumen Iuris vocatur. E viuis erepta vxore animum cõuertit ad res Eccleſiaſticas: primùm Archidiaconus, poſtea Epiſcopus Podienſis, ſeu Anicienſis (vnus enim idemque eſt Anicienſis, & Podienſis Epiſcopatus, licet Ciaconius in Clemente IV. diſtinguat) mox Archiepiſcopus Narbonenſis, & demum ab Vrbano IV. S. R. E. Cardinalis, & Epiſcopus Sabinenſis renunciatus eſt, à quo & in Angliam Legatus miſſus ad pacem conciliandam inter Henricum Angliæ Regem, & Simonem Comitem Montisfortis, cum literis ad Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, &c. in quibus hæc de Guidone narrat Vrbanus, cum ingruentium negociorum varietas non permitteret, vt in Angliam ſe conferret.

Ciaconius. Bzou. to. 13. Annal. Eccleſ. Petrus Priſio in Gal. Purp. Odor. Rinald. t. 14. Annal.

Ad Venerabilem fratrem Noſtrũ Guidonem Epiſcopum Sabinenſem; vt fortem mittamus ad fortia, & ſuis robuſtis humeris onera grandia imponamus, Noſtra conuertimus deliberationis intuitũ, & in ſuarum conſideratione virtutum ſibi à Domino in abundantia conceſſarum, de concedentis omnipotentia, & immenſa virtute ſperanda noſtra fluctuationis anxietas conquieſcit. Cum enim ſicut experientia probatione didicimus, dederit ei Dominus os, & ſapientiam, linguamque adiecerit eruditam, vt ſciat, quando debeat proferre ſermonem; cum eius ſicut adipe, & pinguedine repleuerit animam, vt vigeat in ipſo rectitudo iudicij, conſilij prouidentia, rigidaſque cenſura, in aduerſitate ſecuritas, in proſperitate deuotio, in zelo ſobrietas, in agendo ſtrenuitas, & in arduis experientia multipliciter probata. Speramus nec immeritò, quod actus ſuos, illo dirigente, qui nouit, ac praua in directa, & aſpera in vias planas dirigit: illo conſiſtente, qui poteſt in prædictis per ſuæ circumſpectionis induſtriam vtili prouidentia, & vtilitate prouida conſuli poterit, & vtiliter ſubueniri. Et ideò licet Nos, & fratres noſtri tanti viri præſentia, vtpote nobis, & Eccleſiæ Romanæ pernéceſſaria careamus, inuiti tamen, cogente Nos eam vrgente, & ineuitabili neceſſitate regni prædicti, & paterno affectu, quem ad idem Regnum, natos ipſorum, & Eccleſiam Anglicanam, Barones, Magnates, & incolas prædictos gerimus. Ipſum, de cuius claris meritis plenam in Domino fiduciam obtinemus, ad Regnum prædictum, plena legationis officio ſibi commiſſo, inibi, ac in Vallia, & Hibernia, vt euellat, & deſtruat, diſſipet, & diſperdat, ædificet, & plantet, ſicut viderit expedire, de prædictorum fratrum conſilio tanquam pacis Angelum deſtinamus &c. In Angliam Guido Legatus non peruenit, quia Regni perduelles vias vndique armati, ne appellere poſſet, obſepſere: quare hos Legatus anathemate perculit, & Angliam interdicto ſubiecit. Dum hoc fungeretur munere apud Anglos, ex Epiſcopo Sabinenſi Romanus electus Pontifex dictus eſt Clemens IV. vide vitam.

Theodor. Vallicool. Matth. Veſtmõ. in Floren. Hiſtor.

Geſſit in gentilitio ſtemmate, vt patet ex inſignibus ſepulchro eius Viterbij affixis, nigram Aquilam in area aurea, nigra inſtita, octo argenteis globis inſigni redimita, quam Aquilam in ſex cyanea ſila ſcuto aureo impreſſa Romanus Pontifex renunciatus mutauit. Hanc teſſeram, quam Guido geſſit, vſque ad Pontificatum, Catala-

Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

no Groſſo

no Groſſo eiuſdem familiæ, Equiti aurato Carolus V. ipſa die, qua Bononiæ à Clemente VII. Romano Pontifice Auguſtus inauguratus fuit, Diplomate Bononiæ ſcripto anno 1530. pridie kalend. Februarij confirmauit, & Aquilam Regiam, coloris rubei coronam addidit.

Ferdinãd Vghel. In Addit ad Ciacon.

Manar. in Panegyr. Cõſtinai.

Ciaconius

II.



HENRICVS de Bartholomæis Gallus, qui à patriæ nomine ſortitus eſt cognomen de Segufio: eſt autem Seguſia, ſeu rectius Seguſium Ptolomęo lib. 3. cap. 1. teſte Vrbs, quæ nũc Ripa dicitur in Pedemonte, ex Archiepiſcopo Ebredunenſi Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternenſis ab Vrbano renunciatus eſt in prima Cardinalium Creatione ſecundum Ciaconium anno 1261. menſe Decẽbri; in ſecunda verò ex Theodorico Valliſcolori eius æui auctore quam tamẽ contigiſſe vult eodem ann. primo Pontificatus Vrbani anno 1262. menſe Maij.

Continuit fratres hos prima creatio ſeptem,
Altera tot, quorum nomina cerne loco:
Ebredunenſis tunc Archiepiſcopus hic fit
Præſul, & Henricus nomine dictus erat

Petrus Frizon in Gal. Purp.

Oder. Rinaldi. in Annalib. tomo 14.

Io. Fichardus in vit. iuriſconſ. recent.

Hic ob eximiam eruditionem tum Innocentio IV. tum Alexandro IV. pergratus, in iure tantũ profecit, vt fõs iuris fuerit appellatus: Auditorem habuit Guillelmum Durandum Epiſcopum Mimatenſem, dictum vulgo, Speculatorem. Iuris Ciuilis, & Pontificij Summam vno volumine complexus eſt ordine conuenientiſſimo, & tractatione elegantiſſima: illud poſt longum vtriuſque iuris ſtudium, atque exercitium inceptum, poſtea verò incendio amiſſum, tandem Cardinalis abſoluit, vt ipſe refert in fine eius operis, ac Summam Oſtienſem nominauit: Edidit præterea Lecturas in quinque libros Decretales opus doctrina refertiſſimum, & Apparatus vocatur, vnde eius auctoritas per magna eſt apud Iuriſconſultos. Nec iuris modò peritiſſimus, ſed ſupra Iureconſultum Theologus, ſupra Theologum Orator ſummus habitus eſt; & Ebredunenſis Archiepiſcopus frequenter ad populum conciones habebat.

Matth. Pariſ. in hiſt. Anglor.

Aubery in vit. Card.

In Angliam ante Cardinalatum ſe contulit cum Legato ſedis Apoſtolicæ, multumque valuit apud Regem Anglorum, qui Henricum beneficijs quamplurimis affecit, Romamque illum deſtinauit ad Vinceſtriæ Præſuli, Epiſcopatus abrogationem procurandam. In Gallia verò Ciſalpina iam Cardinalis renunciatus Legatum egit Apoſtolicum, & incendit Eccleſiaſticorum animos ad S. ſedi ſubſidia ferenda contra illos, qui armis, ac ſeditionibus illam affligebant.

Ferdinãd. Vghellus tomo 1. Ital. ſac.

Deceſſit Lugduni anno 1271. viij. Idus Nouembris, & ſepultus in Templo fratrum Prædicatorum; Claudius Robertus in Gallia Chriſtiana ſcribit Henricum fato ceſſiſſe anno 1276. Ciaconius, ac Frizonius anno 1281. Cum autem Henrico ſucceſſerit in Epiſcopatu Oſtienſi Frater Petrus de Tarantaſia, qui iam electus Epiſcopus Oſtienſis affuit Concilio Lugdunenſi habito anno 1274. id euenire nullo modo potuiſſet, ſi Henricus inter mortales eodem tempore vixiſſet; nam ſimul duo Epiſcopi Cardinales Oſtienſes eſſe non poterant.


III.

Petrus Frizon in ea Gal. Purp.

Ferdinãd. Vghel. to. 1. Ital. ſac.

Panuinius De Rom. Pont.

Aubery in vit. Card.



RODVLPHVS de Cheurieres, natione Gallus filius Ioannis Caprarij Aurati Equitis, & Mariæ Comitis Baugæi, & Sebuſianorum Principis filiæ, in fratres habuit Guidonẽ Auratum Equitem, & primum Centumuiralis in iuriſdictione Mariſconenſi Iudicem, & Henricum Tectoſagorum prouinciæ, quam Languedochiam vocant, Præſidem. Rodulphus verò fratrum natu minor, ſancti Ludouici Galliarum Regis Cãcellarius primò, mox Ebroicenſis electus eſt Antiſtes, de quo Theodoricus Valliſcolor in Vrbani vita hæc cecinit.

.... Rodulphus hic Ebroicenſis
Præſul conſilijs, moribus aptus erat.

And. Victorel. in eas Addit. ad Ciacon.

Ex Epiſcopo Ebroicenſi ab Vrbano Epiſcopus Cardinalis Albanẽſis renunciatus, & à Clemẽte IV. ſedis Apoſtolicę Legatus Carolum ſancti Ludouici fratrem Comitem prouinciæ, & Andegauenſem creatum Sacri Imperij Vicarium in Hetruria, & Vrbis Senatorem, Regem Neapolis, & Siciliæ S.R.E. Clientem, & tributarium, ac Beatricem vxorem eius regio Diademate in Baſilica Conſtantiniana an. noſtræ ſalutis 1265. in Epiphaniæ Domini feſto vnà cum Anchero S. Praxedis, Richardo S. Angeli, Gothifredo S. Georgij, & Matthæo Vrſino S. Mariæ in Porticu Cardinalibus donauit. Caroli Regis coronati, & Rodulphi Epiſcopi Cardinalis coronãtis effigies veræ conſpiciuntur Romæ in Farneſiorũ palatio cũ his verbis.

CHARLE
ROY DE NAPLES, ET DE SICILE
COVRONNE PAR RAOVL CARDINAL DE CHEVRIERES
EVESQVE D'ALBANE MCCLXV.

Nauclerus

Paul. Aemil. in eas Lud. IX.

Oder. Rinald. t. 14. Annal.

Quas imagines anno 1617. publico donarunt Franciſcus Cheurieres, & Claudius Clemens. Poſt Coronationem properantem in Siciliam Carolum comitatus Rodulphus eſt Pontificis iuſſu, vt eum in Regni Siculi poſſeſſionem deduceret. In Gallia legationis munere fungens inter Clerum, & Populum Lugdunenſem ſeditionem compeſcuit, ac ſacris interdictos Lugdunenſes, & Chriſtianorum excluſos communione ab Heduorum Epiſcopo, Eccleſiæ reſtituit. Crucis ſigno Pontificijs manibus inſignitus Rodulphus Legatus Gallias petierat, vt ruenti Hieroſolymitano Regno ſuccurreret, ſed cum ille nondum prouinciam, in qua Legati partes obiturus erat, ingreſſus eſſet, vacante ſede ob Clementis obitum Cardinales eidem iniunctam prouinciam confirmarunt: & cupidi perducendæ in opus Orientalis Eccleſiæ coniunctionis, literas Rodulpho dederunt cum auctoritate rem cum Græcis componendi: quas literas reſcripſit in Annalibus Odericus Rinaldus.

Aubery in vit. Luc. Vvadding. to. 2. Annal. Minorũ. Petr. Friſõ loc. cit. Oder. Rinald. Aubery loc. cit. Ferdinãd. Vghel. to. 1. Ital. ſac. And. Victor in Addit. ad Ciaconium. Marianus.

Apoſtolicæ quoque ſedis Legati munus peregit in Tranſmarina expeditione, cum S. Ludouicus Rex ardore fidei Chriſtianæ propagandæ incenſus, rebus Syriacis improſperè ſuccedentibus, in Africam, vt Tunetum caperet, inſtructiſſimam claſſem adduxit, qua Vrbe potitus, faciliùs in Aegyptum, & Syriam arma converteret, ſed peſte ſæuiſſima ſuperueniente, maior exercitus pars cum ipſo Rege periJt. In eadem legatione Orbi Chriſtiano ereptus eſt Rodulphus, obijt enim Tuneti iv. Idus Auguſti anno à partu Virginis 1270. in faſtis tamen Eccleſiæ Ebroicenſis anniuerſaria eius memoria colitur ix. Kal. Nouemb. eo fortaſſis die, quo mortis acceptus nuncius.

In S. Petri Mariſconenſe Cœnobium, & in patres Dominicanos, ac in publicum illius Ciuitatis valetudinarium, multa dum vixit, & magni pretij contulit Rodulphus beneficia. Firmauit Clementis Diploma Inueſtituræ Regni Neapolitani Regi Carolo an. 1265. editum. Anno primo Clementis IV. prima die Septembris Aſſiſij Aedem Diuæ Claræ ſummo Pontifice præſente conſecrauit.

IV.

Ciaconius

Ang. Porten. de Pa. lic. Patau.



SIMEON Paltinerius alias abiallo de quo ſupra in Lucio III. egimus, ex Acedo, aliàs monte Silice oppido agri Patauini Presbyter Cardinalis ſanctorum Syluestri, & Martini titulo Equitij, vir ſumma prudentia, ſingularique doctrina præditus ab Vrbano renũciatus eſt. Ac cum nonnullæ illico ad ſedem Apoſtolicam querelæ de illo delatę eſſent, Vrbanus illum in iudicium vocauit, eique vetuit Cardinalatus Inſignia geſtare, ac ſe immiſcere conſilijs Cardinalium, donec de ipſius dignitate, quid decernendum foret, iudicaret. Superatæ tandem, obtritæque ſunt omnes difficultates, quas eius gloriæ æmuli concitarant. Quare non ſolùm Cardinalis Inſignia Vrbanus illi conceſſit; ſed eiuſdem iuſſu legatione functus eſt in Vmbria, Piceno, Hetruria, Venetijs, & in Gallia Ciſalpina, ſummoque ſtudio ad arma fideles vocauit contra Manfredum inuaſorem Regni Siciliæ; quas legationes exercuit, quoque ſub Clemente Vrbani ſucceſſore. De hoc Simone legimus hæc in Chronico monachi Patauini: *Vrbanus IV. menſe quarto ſui Pontificatus numerum Cardinalium ampliauit, præclaros viros, vita, & ſcientia inſignitos ad tam ſanctum Collegium promouendo. De quorum numero diuina prouidentia faciente extitit vir benigniſſimus Simeon de monte Silice, Canonicus Paduanus, quem tam forma corporis, quam nobilitate generis, & gratioſis moribus, & multiplici ſcientia diuina gratia decorauit.* Huius quoque meminit Theodoricus Valliſcolor in vita Vrbani IV. verſibus à ſe conſcriptis, & Anchero Cardinali dicata.

Aubery in vit. Card.

Presbyteri bini Simon Paduanus, & alter
Simon, cui patria Gallica terra fuit.

Ciaconius

Quare erraſſe Panuinium dicendum eſt, cum ſcribit Simonem Presbyterum Cardinalem ſanctorum Syluestri, & Martini ab Vrbano IV. renunciatum, natione Gallum fuiſſe.

Suffragium dedit Simeon quatuor Romanis Pontificibus, Gregorio ſcilicet X. Innocentio V. Hadriano V. & Ioanni XXI. ſub quo è vita exceſſit anno à partu Virginis 1276. Roma enim aberat, quando Clemens IV. electus eſt Romanus Pontifex.

ANCHERVS



Petr. Frizō

Ferdinād. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

Frid. Feder. de familia Fiſc.

Gaſpar Iongelini in Purpura D. Bernardi.

Philip. Seguin. de viris illuſt. Ciſterc.

XV.

IACOBVS Herebertus, genere nobilis Gallus, ſed virtute nobilior, monachus Ciſterciéſis, ſeu Clareuallenſis ab Innocentio IV. ob vitæ meritum, & eximiam doctrinam S. R. E. Cardinalis Epiſcopus Portuenſis deſignari meruit. Ipſi Pontifici chariſſimus ſéper fuit, cuius literas miſſas ad Præpoſitum, & Canonicos S. Saluatoris de Lauania xij. Kal. Maij anno 1252. ſubſcriptione firmauit. Mortalitatem expleuit ann. à partu Virginis 1254. pauló ante mortem Innocentij IV. ſeu, vt vult Vghellus anno 1252. qui Iacobum hunc natione Italum, patria Placentinum facit. Iuſſit moriens corpus ſuum in Claraualle in Gallijs condi iuxta beatum Malachiam in Presbyterio ad eius ſiniſtram, vt ibi ſcilicet requieſceret, vnde lac primum pietatis exuxerat.

TERTIA CREATIO CARDINALIVM.

Anno à partu Virginis 1252. *Pontificatus IX.* ex Ciaconio, ex Panuinio autem anno 1253. Pontificatus X. menſe Decembri Peruſij Innocentius IV. Romanus Pontifex tertiò creauit Cardinales, qui fuere.



Ciaconius

Ferdinād. Vghel. to. 1. Ital. ſac.

Ioſeph. Mar. Suareſius de Antiqu. Præneſt.

XVI.

STEPHANVS Hungarus Archiepiſcopus Strigonienſis, moribus honeſtiſſimus conſpicuus, literarum ſcientia, ac prudentia præditus ad Præneſtinam Eccleſiam, & Cardinalatum ab Innocentio tranſlatus eſt. Verùm cum aëris inexperti nó ferret intemperiem, ad Strigonienſem ſedem remitti ſe poſtulauit, ac certis legibus obtinuit: mox permiſit illi ſummus Pontifex Innocentius, vt cũ Archiepiſcopatu Strigonienſi Preneſtinum Epiſcopatum, & Cardinalis dignitatem retineret. Legationes plurimas geſſit, Hungaricam præcipuè, ac Sclauonicam, in qua Belam Regem anathemate percuſſit; vnde Belas per literas Innocentium IV. rogauit, vt ſe, ac Regnum ſuum à cenſuris, & excommunicatione Epiſcopi Præneſtini ſolueret. Affuit conſecrationi Altarium in S. Agnetis Eccleſia, actæ anno 1254. vt in Epigraphe legitur, nec non dedicationi SS. Lucæ, ac Martinæ in foro Boario anno 1257. affuit electioni Alexandri IV. Vrbani IV. Clementis IV. Romanorum Pontificum, quorum literis quamplurimis ſubſcripſit. E viuis ſublatus eſt ſedente Clemente IV. anno videlicet à partu Virginis 1266.

Aubery in vit. Card.

Ferdinād. Vghel. to. 1. Ital. ſac.

Hunc Ciaconius gentilitium ſtemma Ioannis de Toleto Epiſcopi Portuenſis, qui his temporibus vixit, per errorem olim attribuit; nos, proprium ſcutum ex m. s. ſupra expreſſimus.



Ciaconius

Paul. Panſa in vita Innoc. IV.

XVII.

OTHO Grillus Diaconus Cardinalis, Innocétio IV. ſanguine coniunctus, nam Innocentij mater ex nobili, & peruetuſta Grilla familia fuit, filia illius preclariſſimi viri Amici Grilli Genuenſium Conſulis, & claſſis Præfecti. Legatione functus eſt Otho in Germania ad Imperij Electores pro noua Imperatoris electione, in qua legatione ſub Alexádro IV. è vita deceſſit. Huius Galerus Cardinalitius olim conſpiciebatur marmore ſculptus Lauaniæ in eius ædibus prope Eccleſiam Saluatoris. Hæc ex Archiuijs Genuæ, & ex vita Innocentij IV. Hetruſco ſermone conſcripta à Paulo Panſa, & Neapoli edita; nulla tamen huius Cardinalis mentio apud Panuinium, & Aubery.



XVIII.

IOANNES Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis interfuit electioni Alexandri IV. ſub quo, paulo poſt è vita exceſſit, cuius tantum nomen inuenitur in Regiſtro Innocentij IV. anno vndecimo, & Alexandri IV. anno primo. Hunc aliqui patria Peruſinum faciunt, quam Ciaconius, & Panuinius taciti prętermittũt.

Ciaconius

Aubery.

Ferdinād. Vghel. to. 1. Ital. ſac.

Ciottus in Hiſt. Peruſin.



XIX.

DOn Richardus monachus, & Abbas quinquageſimus octauus Caſinenſis, Presbyter Cardinalis S. Cyriaci ab Innocétio IV. renunciatus, pleraque loca, quæ ſuperiorum temporum acerbitas abſtulerat, iterum Cœnobio Caſinenſi redhibuit, & ingétes à diuerſis Magnatibus bonorum donationes eidem Cœnobio factas, amplo Alexandri Quarti Diplomate obtento confirmauit. Demum mortalitatem expleuit anno reparatæ ſalutis 1263. in Monaſterio Caſinenſi, ibique ſepultus.

Hunc eundem eſſe cum Richardo Hannibaldenſi Diacono Cardinali S. Angeli ſcripſére Ferdinandus Vghellus, & Marcus Antonius Scipio, at hic noſter alius ab illo dicendus eſt; vide quæ nos ſupra diximus in vita Richardi Hannibaldenſis ſub Gregorio IX.

Ferdinād. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

Tabul. Caſinen.

M. Anton. Scipio in Elog. Abb. Caſinenſ.

Arnoldus Vuion.



XX.

GOFFRIDVS, aliàs Gotifredus Piſanus, Conradi Caietani Equitis Imperialis, Siciliæ Proregis, & generi Federici Cæſaris filius, vir magni nominis, & auctoritatis apud Innocentium IV. quem affinitate tangebat, Panormitanæ Eccleſiæ Canonicus primùm, mox S. R. E. Subdiaconus, & Scriptor, demum Diaconus Cardinalis SS. Sergij, & Bacchi ab eodem Innocentio creatus eſt anno à partu Virginis 1252.

Goffridi Cardinalatus nulla mentio apud Panuinium, illius tamen meminere Archiuij Genuenſis monumenta, Conſtantinus Caietanus in Notis ad vitam Gelaſij II. ac Ioannes Rubeus in præfatione ad vitam Bonifacij VIII.

Ferdinād. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

Io. Sperū fora in ſua hiſt. Sicil.



XXI.

NICOLAVS Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis Innocentij IV. nomine, legatione fungebatur in Pruſſia an. 1245. vel meliùs 1244. vt Chriſtianis Cruceſignatis contra Paganos pugnantibus operam ſuam pręſtaret. In eadem legatione è vita exceſſit, ſub eodem Innocentio, & ſucceſſorem habuit in Cathedra Sabinenſi Petrum de Barro: huius tamen nulla mentio apud Pãuinium, Ciaconium, & Ferdinandum Vghellum, illius tantùm meminere Bzouius tom. 13. Annalium, & Alphonſus Fernandez in Cõcertatione Prædicatoria contra Hæreticos. Habuit apud ſe Nicolaus in hac legatione Fr. Henricum, ordinis Prædicatorum alumnum, & eximium Euangelij Præconem.

Bzou. to. 13. Annal.

XXII.



Gaſpar Iongel. in Purp. Diui Bernard.

ALBVS natione Italus, patria Viterbienſis, olim in montibus Apenninis Eremiticam duxit vitam, deinde Monaſterium in honorem S. Martini ſtudio, & impenſis Raynerij Capoccij Cardinalis erexit, & ordini Ciſtercienſi conceſſit, habitumque ipſe Ciſtercienſem induit. poſt multos pro ſuo ordine, & pro Romana Eccleſia exantlatos labores, ab Innocentio IV. anno Dominicę Incarnationis 1244. S.R.E. Cardinalis renunciatus, ad Cœlum paulo poſt euolauit, & ſepultus Viterbij in Eccleſia S. Mariæ ad Gradus prope amicum ſuum Raynerium Capoccium Cardinalem, vt eiuſdem Eccleſiæ Chronicon, & monumenta Monaſterij S. Martini teſtatum reliquerunt. De hoc nulla extat mentio, apud Panuinium Ciaconium, & Aubery. Primus omnium qui è tenebris Cardinalem hunc in lucem protulit, fuit Gaſpar Iongelinus in Purpura D. Bernardi, cuius notitiam ſe habuiſſe fatetur à Ferdinando Vghellio.

XXIII.



Claud. Robert. in Gall. Chriſtian.

Add Victorell. in Addit. ad Ciacon.

S. Antonin.

Petr. Fraiz. in Gallia Purpur.

Gaſp. Iongel. in Elog. Cardin. Minorum.

ODo alijs Reginaldus Rigault Gallus, ex ordine Minorum, genere, ac moribus clarus, Archiepiſcopus primum Rothomagenſis, ad quam dignitatem inuitus aſſumptus, mox ab Innocẽtio huius nominis IV. Cardinalium numero adſcriptus eſt. Hic ex religioſe compoſita vita, & pijs inſtructionibus ad benè, beatèque viuendum, cognomen ſortitus eſt, *Regula viuendi, ac Præſulum forma*. Expoſtulatus fuit, ad ſedem Rothomagenſem anno à partu Virginis 1248. & in die Paſchatis ab ipſo Innocentio IV. Romano Pontifice conſecratus, conciones ad populum frequentes habuit. De pio hoc, ac docto viro refert ex Chronico antiquo ordinis, Lucas Vvadinghus in Annalibus Minorum, quod cum Aureliani prædicaret, pœnitentiæq; virtutem dignè commendaret, acceſſerit ad eum mulier quædam nobilis, quæ, exterius pietatis ſpeciem præferens, ſecretò tamen laſciua, per ſeptem annos incubo vſa fuerat Diabolo, ritè confeſſa, doleńsq; de peccato, abſolutionem ab eodem recepit. At commiſſi ſceleris grauitatem conſiderans, Dæmoniſque artes præcauens, interrogauit, an ſufficienter abſoluta eſſet à crimine, & quid ſibi faciendum ad hoſtis inſidias euitandas. Reſpondit Odo, integrè abſolutam, & fiduciam omnem collocandam in Domino. Apparuit mulieri paulo poſt Dæmon, quæritans ſe ab Amaſia derelictum, & tot annorum ſpretam amicitiam, culpam omnem refundebat in cucullatum fraterculum, at, inquit, citò recedet, hodie namque recepit obedientiales à Miniſtro literas, vt abeat Luteciam, & nos ſecurius ad ſolitos regrediemur amplexus. Timuit inimici domeſtici inſidias pauida mulier, & ad fratrem Odonem regreſſa, comperit verum eſſe, quod prædixerat; dum lacrymis ſuum exponeret periculum, ne timeas, inquit, Odo, ad meum receſſum, quod enim me præſente non valebat Dæmon, nec poterit, abſente, non ego, ſed Deus à commiſſo ſcelere te liberam reddidit. Ille patronus, ille tutor erit tuus: mulier Dei patrocinio freta, diſceſſit, iterumque apparenti Dæmoni, abeat, inquit, quò voluerit Fr. Odo, non enim ille, ſed Deus me liberauit, & cõtra tuas proteget artes. cõfuſus abijt, nec amplius moleſtus illi fuit.

Nomencl. Cardinal.

Luc. Vvadding. de Script.

Claud. Robert. in Gallia Chriſt.

Luc. Vvadding. in Annal. Minorum.

Scripſit Odo in 4. libros Sententiarum. Sermones item de Tempore. Quæſtiones Morales, quæ aſſeruantur Aſſiſij m. s. in Bibliotheca ſancti Franciſci. extat m.s. in Cartulario Rothomagenſi Tractatus de modo viſitandarum Paræciarum Diœceſis Rothomagẽſis.

E vita migrauit quinta Maij anno 1276. & ſepultus in ſua Metropoli Rothomagenſi in Sacello beatę MARIAE Virginis; quem Poeta Seraphici ordinis Diſtico hoc celebrauit.

En tibi Cardineo inſignis Reginaldus honore
Franciſcanorum, luxq. decuſq. Patrum.

Andreas Victorellus in Additionibus ad Ciaconium, nullum Odoni conceſſerat gentilitium ſtemma; Petrus Friзonius in Gallia Purpurata, proprium ordinis Minorum tribuerat; nos cum Gaſpare Iongelino aliud expreſſimus, ſcutum ſcilicet argenteum cum canthario coloris minij.

In Elog. Card. Minorum.

Confundunt aliqui Odonem hũc cum Reginaldo Minorita, Lectore Sacri Palatij, adduntque à Bonifacio VIII. inter Epiſcopos Cardinales cooptatum, Eccleſiam Portuenſem, & S. Rufinæ rexiſſe; quod veritati minimè conſentaneum eſt. Si enim exceſſerat è vita Odo, vt diximus ex Kalendario Dioniſiano, & Claudio Roberto, ac Luca Vvaddingo anno 1276. ſequitur Cardinalem renunciatum fuiſſe ante Bonifacium VIII. qui anno tantummodo 1294. in ſummum Pontificem electus eſt. Deinde Claudius Robertus in ſerie Rothomagenſiũ Archipræſulũ tẽpore Bonifacij VIII. nullum refert Reginaldũ Minoritam. Pro nobis tamen ille eſt, dũ dicit, *quinquageſimus octauus Archiepiſcopus fuit Odo Rigaldus creatus an. 1248. & ab Innocentio IV. Lugduni conſecratus menſe Maio, cum poſtulatus fuiſſet. die Paſchatis, & obijt anno 1276. quinta Maij, vt eſt in Kalendario Dioniſiano*, nulla tamen fit mentio Odonis Cardinalatus à Claudio Roberto, Ciaconio, Pãuinio, ac Ferdinando Vghellio, qui in ſerie Epiſcoporum Portuenſium, & ſanctæ Rufinæ neque Innocentij IV. nec Bonifacij VIII. temporibus, Odonem hunc non recenſet.

Innocentius IV. Romanus Pontifex tribus Ordinationibus menſe Decembri habitis tres ſupra viginti de nouo creauit Cardinales.

VICECANCELLARII S.R.E.
ſub Innocentio IV.

Fr. Iacobus Boncambius Bononienſis ordinis Prædicatorum anno primo, poſtea factus Epiſcopus Bononienſis.

Magiſter Marinus Gallus Cantor, & Theſaurarius Sarisberienſis ab anno ſecundo vſque ad finem octaui.

Magiſter Guillelmus de Catadego Parmenſis, ſcholarum Magiſter ab anno nono vſque ad finem Pontificatus.

CARDINALES MORTVI
ſub Innocentio IV.

Thomas de Capua Presbyter Cardinalis ſanctæ Sabinæ xi. Kal. Septembris anno 1243.

Iacobus de Vitriaco Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus pridie kalendas Maij anno 1244.

Albus Viterbienſis S.R.E. Cardinalis anno 1244.

Iacobus de Pecoraria Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus vi. Kal. Iulij anno 1244.

Gotifredus Caſtilioneus Mediolanenſis Diaconus Cardinalis ſancti Hadriani anno 1245.

Ioannes Columna Presbyter Cardinalis S. Praxedis anno 1245.

Fr. Guillelmus de Talliante Gallus Presbyter Cardinalis ſanctorum duodecim Apoſtolorum anno 1250.

Raynerius Capoccius Diaconus Cardinalis ſanctę Marię in Coſmedin, vi. Kalen. Iunij anno 1250. vel vt alij ſcribunt anno 1252.

Otho Candidus ſeu Blancus Epiſcopus Cardinalis Portuenſis anno 1251. Lugduni.

Guillelmus Subalpinas Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis anno 1251.

Petrus de Barro Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis anno 1252.

Petrus de Collemedio Epiſcopus Card. Albanenſis anno 1253.

Aegidius de Torres Hiſpanus Diaconus Cardinalis ſanctorum Coſmæ, & Damiani anno 1254.

Iacobus Gallus Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ anno 1254.

Nicolaus Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis.

CARDINALES MORTVI
In ſede Vacante Innocentij IV.

E vita exceſſit Neapoli vi. Idus Decembris anno 1254.

Stephanus Presbyter Cardinalis ſanctæ Mariæ Tranſtyberim titulo Calliſti, eiuſque corpus in Eccleſia Cathedrali eiuſdem Vrbis ſepulturæ mandatum.

ALEXANDER IV· PONT· CLXXXIII·

ANNO DOMINI MCCLIV.





IN NOMINE DEI, ET SALVATORIS Noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen.

ALEXANdri IV. Electio.

M ORTVO Neapoli Innocentio IV. Cardinales, qui præſentes aderant numero 13. Raynaldum Epiſcopum Cardinalem Oſtienſem, & Veliternum à Gregorio IX. factum, ex Comitibus Signiæ, Seſſa vrbe Campaniæ Felicis, Philippo ab Anagni patre natum, in Pontificem elegerunt; virum doctrina, eruditione, & ſanctitate inſignem, ob eaſque virtutes dignum iudicatum, qui tantùm magiſtratum acciperet, xxiv. fuit Papa Regnicola, Alexanderque IV. appellatus eſt, Gregorij IX. & Innocentij III. propinquus; ſedit Gulielmo, Richardo, & Alphõſo Cæſaribus, annos 6. menſes 5. dies 5. creatus Neapoli à 13. Cardinalibus viij. Kalend. Ianuarij die Natalis Domini anno 1254. ex Regeſto Pontificum, quod in Bibliotheca Vaticana Romæ conſeruatur.

CARDINALES XIII. qui adfuerunt electioni Alexandri IV.

CARDINALES EPISCOPI V.

GREGORII PAPAE IX.

1. Raynaldus, Comes Anagninus, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus, Prior Epiſcoporum.

INNOCENTII PAPAE IV.

2. Iacobus Herebertus, Epiſc. Card. Portuenſis, & S. Rufinæ.
3. Otho de Caſtro Rodulphi, Bituricenſis, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus.
4. Stephanus Hungarus, Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus.
5. Ioannes Epiſcopus Cardinalis Sabinus.

PRESBYTERI CARDINALES II.

INNOCENTII PAPAE IV.

6. Ioannes de Toleto Presbyter Cardinalis tituli ſancti Laurentij in Lucina, Prior Presbyterorum.
7. Fr. Hugo de S. Caro, Burgundus, Gallus, ordinis Prædicatorum Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Sabinæ.

DIACONI CARDINALES VI.

GREGORII PAPAE IX.

8. Richardus Hannibaldenſis de Molaria, Romanus Diaconus Cardinalis ſancti Angeli in foro Piſcium, Prior Diaconorum.

INNOCENTII PAPAE IV.

9. Octauianus Vbaldinus Florentinus, Diac. Cardinalis ſanctæ Mariæ in via Lata.
10. Petrus Capoccius Romanus Diaconus Cardinalis S. Georgij in Velabro.
11. Iacobus Caietanus Vrſinus, Romanus Diaconus Cardinalis ſancti Nicolai in Carcere Tulliano.
12. Gulielmus de Fliſco ex Lauaniæ Comitibus, Genuenſis, Diaconus Cardinalis ſancti Euſtachij.
13. Othobonus de Fliſco Genuenſis, Diaconus Cardinalis ſancti Hadriani in tribus Foris.

Conſtitutus Pontifex Alexander IV. Manfredum illum, Friderici II. filium confeſtim monuit, vt à rapina rerum Eccleſiæ ſibi deinceps temperaret, publica etiam in concione Anagniæ habita excommunicauit, & alios identidem Tyrannos animosè proſequi, non dubitauit. ALEXAN. Manfredũ excõm.

Vbertus Pallauicinus, dominatum adiuuãtibus Ghibellinis occupat; in hunc verò, & Ecelinum belli ſocium, Legatus Apoſtolicus Brixiæ mouens, adiuuantibus Guelphis apud Gambaram, magna accepta clade ſuperatur, & capitur, cum Epiſcopo Brixiano, & factionis Guelphæ Optimatibus, quos omnes Ecelinus, accepta prius Brixia incolumes ſtatim dimiſit. BRIXIA capitur ab Ecelino.

C Boſius Bonatutus, ciuis Cremonenſis Vbertum impulit propoſita cum deteſtatione Ecelini crudelitate, & ſæuitia, vt omiſſo Ecelino, cum Mediolanenſibus, & Mantuanis, alijſque ſocijs ciuitat... fœdus iniret, à quibus non ita multo poſt ſuperatus, & captus Ecelinus fuit, Soncini moritur; eò enim poſt acceptum graue vulnus delatus fuerat: omnes itaque Ciſalpinæ ciuitates, libertatem mortuo Tyranno, conſequutæ, Alexandri Pontificis deinceps auſpicia, & monita ſequutæ ſunt. Legatus autem Apoſtolicus, qui Patauinos in libertatem vendicarat, Reliquias bellorum proſequutus, Albericum Ecelini fratrem Taruiſio pulſum cum vxore, & liberis obtruncat. ECELINI Obitus. MORtuo Ecelino Tyrãno Ciſalpinæ Ciuitates libertatem cõſequũtur.

Ecelini itaque horrendam ſanè, ac penitùs deteſtandam immanitatem, Superi incitante Alexandro egregiè vlti ſunt, vt in Gerardi ciuis Patauini hiſt. exponitur. Manfredus paternum ingenium ſecutus Pontificis ſacratiſſimam ſedem turbabat. Quibus malis mederi per Legatos conatus eſt, nec per eum ſtetit, quo minus Reſpublica tranquillitate frueretur.

Friderico Secũdo Cęſare vita functo Electores filium eius Chunradum Imperatoris nomine, & inſignibus donare volebant. Quam rem Pontifex auerſatus, literas ſcripſit, anno Pontif. II. xv. Kalendas Auguſti, quibus vetat eligi, aut nominari debere, in ipſum, ſi alter faceret, ſententiam excommunicationis inflixit. Quod pulchrè explicatur in Epiſtola ad Sigefredum Archiepiſcopum Moguntinum, quæ in Regeſtis eiuſdem Alexandri oſtenditur, in qua vetat, Chun- ALEXANdri literæ de Conrado Imper. nõ eligendo.

radum

radum filium Friderici II. in Cæſarem eligi: quod Fridericus II. olim Imp. Romanorum, eiuſque progenitores, & poſteri, erga matrem Eccleſiam immaniſſimè ſe geſſerint, & malum ei pro beneficijs ſuſceptis rependerint, vt patens erat, toti Orbi. Quoniam hi aliorum perſequutorum excedentes Tyrannidem, grauioribus eam affecerũt iniurijs, & oppreſſionibus durioribus afflixerunt, cum ſanguine demuata malitia. Tum quòd in hoc genere patrum in filios, ſicut carnis propagatione, ſic imitatione operum nati genitoribus ſuccedunt. Tùm quòd puer eligi in Regem, & nominari haud debebat, quia, cum per electionem huiuſmodi de aduocato, vel defenſore idoneo debeat Eccleſię prouideri, & ipſe puer ſit omnimodo ineptus, & inutilis ad talis defenſionis officium, vel miniſterium exequendum; oportet namque eandem Eccleſiam, ſi contigeret eligi dictum puerum, manere diutiùs, non abſque grauibus forte diſpendijs, defenſione omnimodo deſtitutam. In omnes igitur Electores, qui memoratum puerum, ad hoc nominare, vel eligere, ſeù in ipſum conſentire, aut opem, vel operam, conſilium, auxilium, vel fauorem, vt eligatur, dare præſumpſerint, excommunicationis ſententiam promulgauit. Ideòque iuſſi Imperij Electores à ſummo omnium Principe Chriſti Vicario, propriam negantes voluntatem à malo electionis conſilio abſtinuerunt, & Gulielmum Cæſarem elegerunt, qui breui ab hoſtibus occiſus anno Dom. 1255. fuit interregnum annos 2. & menſes aliquot. Electores diuiſis ſententijs, tres illorum Cæſarem elegerunt Richardum fratrem Regis Angliæ viij. Idus Ianuarij, qui regnauit in Schiſmate contra Alphonſum X. Regem Caſtellæ, cognomento Sapientem, hic verò electus in Schiſmate contra Richardum pridie kal. Aprilis regnauit, titulo tenus, annos 15. menſes 6. dies 12.

CVR Conradus nõ debeat in Imperiũ eligi.

GVLIELmus Imp. electus ab hoſtibus occiditur.

SCHISma inter Richardũ, & Alphõſum Imp.

Cum autem Rex Boemiæ, qui ſolet electionis diſcordiam conciliare, neutri parti voluiſſet adhærere, Imperium aliquot annis manſit vacuum.

THEOdorus Ducas Græc. Imp. Ioãnes.

Imp. Cæſar Theodorus iunior, Ducas, Auguſtus xxvij. Græcorum in Oriente Imperator anno 1255. regnauit annos 3.

Imperator Ioannes IV. Auguſtus an. 1258. Græcorum in Oriente Imperator xxviij. regnauit annum 1.

MICHAEL Palæologus Græc. Imp. coronatur.

Imperator Cęſar Michael Palæologus Aug. Græcorum in Oriente Imp. xxix. Kalen. Decembris an. 1258. coronatus die Natalis Domini, imperauit annis 24. Qui omni genere iniuriarum Latinos proſequebatur, vexato Balduino, & domi, & foris, & armis, & ſeditionibus. Quo quidem adeunte ad tuendam oram Ponticam ab hoſtibus vexatam, Conſtantinopolitani ciues Palæologum in Vrbem admiſere. Hanc ob rem Balduinus II. & Pantaleo Patriarcha è Ponto in Europam flectentes, contentiones bellorum omiſere. Tùm verò Palæologus ſublato æmulo, & hoſte Imperium ſibi deſumit, quod poſt annos octo, & quadraginta à Latinis in Græcos rurſum tranſlatum eſt, anno 1259. eodem menſe Septembri, quo Latini Conſtantinopoli exacti ſunt.

Ioannes IV. Ducas Imperator coactus abdicauit.

LVDOVIcus Franc. Rex IX. capitur.

Erat tùm temporis Ludouicus IX. Francorum Rex in hoſtium poteſtate, amiciſſimus Romanæ ſedis, id verò incredibilem, Alexandro pijſque omnibus dolorem attulit: is tamen Chriſtianæ gentis incommoda ſapienter tuliſſe ſemper eſt viſus, quem poſtea Boniſacius VIII. inter ſanctos retulit. Hic non antequam Cæſarea, Ioppe, & Sidone captis, & præſidio munitis à Paleſtina diſceſſit.

Alexander Pontif. pauperum fuit amator, quibus largis eleemoſynis ſubuenit, Hæreticorũ oſor, eorum libros proprijs manibus flammis tradidit, combuſſit namque vidente curia Rom. libellum peſtiferum, quo auctor aſſerebat, ſtatum gratiæ, non à lege Euangelij, ſed à lege ſpiritus procedere, doctrinàmq; noui Teſtamẽti neminem ad perfectionem perducere, ſed euacuandam eſſe anno 1260 & in 60. anno debere inchoari doctrinam Ioachim; quam conditor libri nominauit Euangelium Aeternum, totam hominum ſaluandorum perfectionem in illa ponens, & vltra dicebat, quòd ſacramenta nouæ legis in hoc anno euacuanda eſſent, quæ omnia & auctoritas Apoſtolica, & prædicti temporis ſequens experientia exſufflauit.

RES ab Alexã. geſtæ.

Eius quoque opera redactum eſt Templum teſtudineum, quod apud S. Agnetem cernimus, ad cultum diuinum, cum antea Baccho dicatum eſſet, conſecrationemq; altaris B. Conſtantiæ, huius manibus factam*, literæ ipſę indicant in veſtibulo Templi poſitæ.

Ad hæc erexit bonus iſte Pontifex anno ſui Pont. 4. vniuerſale Gymnaſium in Regno Nauarræ in oppido de Tudela, Tyraſonenſis Diœceſis vti Romanus continet Regeſtum.

AVGVSTinianus Ordo denuo ab Alexan. confirmatur.


Confirmauit Alexander IV. denuò ordinem Eremitarum S. Auguſtini, & vniuit eidem Congregationes quaſdam fratrum Eremitarum, quæ appellabantur Ioannis de Brutineſaga de Pœnitentia IESV CHRISTI, quæ vnio facta eſt die xi. Aprilis anni 1258. cui primò pręfecit Pontifex venerabilem Lanfrancum Soteram Mediolanenſem: per quietem enim vt traditur, cum B. Auguſtinum vidiſſet, ſuadentem illi fratrum Eremitarum vnionem à prædeceſſore inchoatam, impigre perfecit, totùmque illorum ordinem, relicta eremo, vrbes incolere, quo & ipſi doctrina, verbo, atque vitæ exemplo ſicut reliqui, fructum Domini in horreum vberiorem adferrent, ſapienter coegit, multis Congregationibus adiunctis ampliauit, & confirmauit.

Ipſe verò Alexander, vbi ab externis negotijs vacuus fuit, aliquid ſemper, quod ingenium ſaperet, eudit, nam & deinceps Epiſtolas compilauit, & viris doctis mirificè fauit, maximè verò vſus eſt liberalitate erga Bartholomæum Brixianum, qui multa in Decretales edidit. Quibus ex rebus, præter doctrinam ſingularem, & ſanctitatem, magnam conſequutus eſt laudem.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1261. Viterbij Fabſcorum viij. Kal. Iunij, quò ſe ex Anagnia receperat, pacem inter Venetos, & Genuenſes compoſiturus, odiàque funeſta, quæ mœſtiſſimus videbat in dies augeri quam in re diutiùs vexatus, eo loci tædio animi tandem moritur, & in Eccleſia Cathedrali S. Laurentij, honorificè ſepelitur, anno Domini 1261. cum ſediſſet annos 6. menſes 5. dies 5. Vacauit Romana ſedes menſes 3. dies 3.

OBITVS Papæ Alexan. IV.

Signum



Alexandri

PP. *IV.*

ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

¶ Alexander creatus Romanus Pontifex Miniſtro Generali, Prælatis omnibus, & fratribus ordinis Minorum literas ſcripſit, ab Vvaddingo tom. 2. Annal. Min. ad ann. 1254. relatas, ſui in illis Pontificatus exordia, his verbis, commemorans. *Fel. recordat. Innocentio PP. Prædeceſſore noſtro vij. Idus Decembris in Regno Siciliæ, in Ciuitate ſcilicet Neapolis, de anguſto, & tetro carnis carcere euocato, ſicut ſperamus, ad ſpatioſum, & lucidum Cæli Palatium, vt de multis laboribus, quos pro Eccleſiæ honore, ac libertate conſtanter pertulit, mercedem quietis recipiat ſempiterna, ac deinde ipſius ſolemniter celebratis exequijs, eiuſq; corpore honorifice, prout decuit, tumulato. Nos tunc Oſtien. & Velitren. Epiſcopus, & cæteri fratres noſtri mox pro eligendo ſucceſſore ſimul conuenimus, dirigẽtes mentes ad Deum, vt gregi ſuo Paſtorem idoneum, cõſueta miſericordia, largiretur: Cumque vt moris eſt, Spiritus ſancti poſtulato ſuffragio, ſingulorum vota diligenter exquiſita fuiſſent, in nos demum ſuos cõuerterunt, direxerunt animos, & conceptus expreſſere, ac firmauere conſenſum, præeligentes indignitatem noſtram, ad exequendum tantæ officium dignitatis; cum noſtrorum paruitatem meritorum deceret, ſubeſſe potiùs, quàm tanto culmine præcedere, &c. ..... Nimiũ trepidauimus ..... & intra nos cor noſtrum vehementi quaſi ſtupore gelauit, & eorundem intentioni fratrum pro poſſe reſtitimus ..... renuendo prorſus ad ſummi Pontificatus apicem ſublimari, & exorando inſtanter, vt imponerent alij onus iſtud: ipſi verò ſuo propoſito fortiùs inſiſtentes, noſtra recuſatione, ac deprecatione omnino repulſa, perſonam noſtram quantumcunque renitentem, quadam violentia cogerunt, & extenſis in eam manibus, ad aſſentiendum eorum deſiderijs nos pertinaciter attraxere. Vnde, ne Diuinæ videremur prouidentiæ obuiare ..... Votis ad vltimum, quamquàm inuiti, acquieuimus.* Hæc ille. Rogat deinde, vt in precum ſtudium incumbant, vt à Deo adiutus Eccleſiam rectè gubernare queat. Literæ ſcriptæ fuerunt Neapoli xi. kalen. Ianuarij Ann. 1. cæleſtis, vt ita dicam, ſucci plenæ.

Num. 22.

Verba Alexãdri IV.

Fauit mirum in modum Seraphico ordini Alexander; Noluit, rogatus à Ioanne Parmenſi, Miniſtro Generali, Protectorem illi decernere, dicens, ſe ipſum, etiam in Pontificatu, eo munere fungi velle; teſtis eſt Philippus de Peruſio, epiſtola ad Conſaluum Generalem Miniſtrum Minorum, apud Vvaddingum to. 1. Annal. Minor. Card. Vgolinus fuit primus huius ordinis Protector: Secundus Raynaldus Epiſcopus Oſtienſis (ille Greg. IX. in Pontificatu, hic Alexander IV.) Tertius Io: Caietanus Diacon. Card. S. Nicolai in Carcere Tulliano ab Vrbano IV. ann. 1263. tributus. Vide indicatam Epiſtolam. Idem Alexander S. Claram ſanctarum Virginum numero adſcripſit, *Clara Claris &c. Dat. Anagniæ xiv. kalend. Nouemb. ann. 1.* de qua re fusè Vvaddingus tom. 2. Annal. Min. ad ann. 1255. a num. 5.

Ad anno 1217 n. 6.

Hic Nicol. III in Põtific. to. 1. Bullar.

Sacra Seraphici Patris Stigmata (literis; *Benigna operatio &c. Dat. Anagniæ xv. kalend. Nouembris, anno Pontific. 1.*) & Aluernæ montem (literis; *Si nona &c. Dat. Neapoli vi. Id. Aprilis eodem anno*) celebrauit. Ex eodem Seraphico ordine Inquiſitores, Legatos, Crucis Prædicatores, & Eccleſiarum Antiſtites inſtituit. Controuerſiam Prædicatorum, & Minorum cum Pariſienſibus prudenter ſuſtulit. Vide Vvadd. ad ann. 1257. & 1259. Vrbeuetanum Epiſcopum in Orientem miſit, pro vnione Græcorum cum S. R. E. perficienda. Vide, Vvadd. ad ann. 1256. num. 60.

Vide Vvaddingum ad anno 1255. n. 2.

* *Philippo ab Anagnia patre.*] Gerardum Retraentem Alexandri IV. patrem vocat Vvaddingus tom. 2. Annal. Minor. ad annũ 1254. num. 21. Panuin. in Chronic. *Alex. ait ..... Gerardi Retraentis, aliàs Philippi filius, &c.*

* *A 13. Cardinalibus.*] ab 11. ait Panuinius loc. cit.

* viij.

* *viij. Kal.*] xij. Kal. Ianuar. inquit Platina ipſe Pontifex literas ſuperiù: nd catas ſcripſit. xi. Kalen Ianuar.

* *Die Natalis.*] ex Panuinio loc.cit.

* *Chunradum.*] Literas habes tom. 1. Bullarij *Firma &c.* Conradus erat nepos Friderici, filius S. Conradi Friderici filij.

* *Ludouicus IX.*] Ludouicus IX. Ludouici VIII. filius. De S. Ludouico capto ann. 1250. Vvadd.tom.1. Annal.Minor.ad eundem annum. De eodem ſanctiſſimo Rege S.Antonin.parte 3.Hiſtor. tit. 19.quem egregiè laudauit idem Alex. III.literis ad eum datis Anagniæ xvi. kalen.Nouemb.ann.2.quarum initium, *Veri Solis radius in te vere fulgere conſpicitur, &c.* & paulò poſt. *In te clarent firma fides, & pura deuotio erga cœleſtem Regem, cuius dono Regnum terrenum noſceris obtinere.* Hic Rex ſtrumas curaturus primus ſignum Crucis adhibuit: tactu ſolo Reges deceſſores vtebantur. Genebrard. Sacerdotiorum collationi non ſe immiſcebat, inquiens, *Sat mihi erit Deo de temporalibus rationem reddere.* Genebr. Attulerat ei Romanus Legatus Diploma Pontificis poteſtatis, ad Paſtores inſtituendos, traditæ, cui pius Rex. *Quod mihi a Pontifice munus hoc retuleris, non probo: ſcio enim, quanto cum periculo animæ meæ, & Regni id ſuſciperem.* Et ſtatim Diploma igni tradidit. Broman.in eius vita. Genebrar. loc. cit.

1.4. Chro- nog. *(margin)*

loc. cit. *(margin)*

* *Pauperum ..... amator.*] Pater Pauperum dicitur à Genebrar.

* *Hæreticorum oſor.*] Vide varia Diplomata Alexādri hùc ſpectantia, tom.1.Bullar. Vvaddingum tom.2. Annal.Min.ad ann. 1255. num.14. Libellum impium contra Prædicatores, & Minores Gulielmi de S. Amore Ludouicus Gallorum Rex ad Alexandrum Pontificem miſit: Alex.iuſtiſſimè damnauit, literis. *Romanus Pontifex, &c. Dat. Anagniæ iij. non. Octob. ann.* 2. & alijs literis Ludouico Regi gratias egit. Vide Vvadding. loc.cit.pag.144. Literæ *Romanus Pontifex &c.* habentur etiam to.1. Bull. D.Thomas Aquinas, Theologorum Scholaſticorum Coryphæus, Malleus Hæreticorum, & quaſi turris, ex qua clypei, & iacula cōtra Eccleſiæ S.Dei hoſtes promuntur, inſigni Opuſculo contra impugnantes Religionem, cuius prima verba. *Ecce inimici tui,* Guilelmum de S. Amore Religioſorum Mendicantium ſtatus vituperatorem refutauit, confodit, in obliuionis lacunas detruſit.

* *Doctrina Ioachim.*] Vide Vvaddingum to. 2. Annal. Minor. ad ann. 1256. nonnulla pro Ioachim afferentem.

* *Baccho dicatam.*] ex Platina in Alex.IV, Cardinalis Verallus, præteritis annis, hanc D. Conſtantiæ Aedem pictis præcipuè ſacris imaginibus exornauit.

* *Confirmauit demo ..... Ordinem Eremitarum S. Auguſtini.*] Vide Conſt. *Licet Eccleſiæ,* tom.1. Bullar. *Dat. Later. iiij. non. Maij anno 2. Pontific.*

Vide Martyr. Rom. iv. Septēb. *(margin)*

Alex. IV. corpus B. Roſæ à primo ſepulchro ad ædem Sanctimonialium Viterbij, die iv. Septembris tranſtulit: quo illius memoria colitur. Vide Vvaddingum ad ann. 1256. nu.16. obijt autem B.Roſa hoc anno, vel præcedenti. Illud mirum: Ignis omnia, quæ in eius iacello erant, ann. 1357. conſumpſit, & veſtes ipſas corpus tegentes, annulos verò, quibus digiti exornabantur, in ardentem liquorem vertit; corpus autem nihil læſit. Vvaddingus loc.cit.

Idem Alex. ann. Pontificatus 3. xij. Kal. Nouembris Viterbij ſcribens S. Bonauenturæ, tunc ordinis Minorum Generali Miniſtro, hæc, quæ leges admirabundus, de ſancto viro literis mandauit. *Quia pro certo tenemus, quod data ſit tibi cœlitus gratia regendi ſalubriter populum ſanctum Dei, & eiuſdem gubernacula ordinis proſperè dirigendi, &c.* Idem Pontifex ann. 1259. die xiv. Iunij, primarium lapidem Eccleſiæ Minorum ciuitatis Trecenſis benedixit; Epiſcopoq; Trecenſi præcepit, vt illum in loco extruendæ Eccleſiæ collocaret, partem Diplomatis vide apud Vvaddingum tomo 1. Annal. Minor. ad ann. 1248. num. 19. & prius, nempè anno 1256. Comitijs Minorum, in Cœnobio Aræ Cœli Romæ habitis, interfuit, & concionatus eſt, Vvadding. ad ann. 1256. num. 3.

Apud Vvadd. ad an. 1257. *(margin)*

* *Cum ſediſſet ann. 6. menſ. ..... dies 5.*] ita Panuinius in Chronic. Genebr. loc. cit. & Sanderus de Viſib. Monarch. at Platina, in eius vita, anno ſeptimo ſui Pontificatus, Alex. è viuis demigraſſe, aſſerit.

Inde ſtultiſſimas Matthæi Paril. & Caluiniſtæ Mornæi calumnias in Alexandrum Pontificem, de quibus Gretſerus, cap. 55. Exam. Myſterij Pleſſæani, paucis, vt decebat. Quæ ſequuntur addidit Flaminius Martinellus.

¶ *Conſecrationem Altaris B. Conſtantiæ huius (videlicet Alexandri IV. manibus factam)* Emerentianæ crederem dicere voluiſſe Ciacon. Nam tabula marmorea ab eo allegata, de huius Emerentianæ, ac SS. Ioannis Baptiſtæ, & Ioannis Euangeliſtæ Altaribus verba facit: Ea in minori ingreſſu, Monaſterium verſus, ſic legitur in pariete cum inſigne ſuperpoſito, quod eſt teſſellata Aquila, aurea redimita corona in rubea area.

✠ *Anno Dom. 1256. Ind. 14. eo die, quo Statio B. Vitalis celebratur, D. Alexander PP. Quartus cum tota Curia conſecrauit in hac Eccleſia ſanctæ Agnetis tria Altaria videlicet Altare B. Ioannis Baptiſtæ, in quo Reliquias multorum ſanctorum recondidit, Altare B. Ioannis Euangeliſtæ, in quo eſt de Manna Sepulchri, & cum Reliquijs multorum ſanctorum; & Altare beatæ Emerentianæ, in quo ſunt de Reliquijs SS. Saturnini, Siſinnij, & aliorum multorum, concedens quibus * veri pœnitentibus, & confeſſis annuatim ad hunc locum accedentibus vſque ad tres annos, & tres quadragenas: Huic conſecrationi interuenerūt Stephanus Epiſcopus Praneſtinus, Epiſcopus Tuſculanus, Vgott. S. Sabinæ. Ioannes tituli S. Laurentij in Lucina Presbyteri Cardinales: Ioannes S. Nicolai in Carcere Tulliano, Petrus S. Georgij ad velum Aureum, Octauianus S. Mariæ in via Lata, Othobonus S. Adriani Diaconi Card. Laurentius Archiepiſcopus Selaunenſis, Epiſcopus Marocenſis cum alijs pluribus Religioſis, & Viris honeſtis, reſidente D. Lucia Abbatiſſa huius Monaſterij, Theodora Prioriſſa, & D. Iacoba deuota Monali, & Sacriſta cum toto Conuentu ipſius Monaſterij. Relaxantur rectis corde.*

quibusdā. *(margin)*

Eccleſiam S. Martinæ in Foro Boario (quam Sixtus V. Pictorum vniuerſitati conceſſit, qui poſtea S. Lucæ Euangeliſtæ eam denominarunt) Alexander IV. aſſiſtentibus duobus Epiſcopis Cardd. conſecrauit, ad cuius rei memoria adhuc extat his characteribus exaratus lapis.

✠ *Anno Domini 1256. Alex. Papa IV. proprijs manibus cum duobus Epiſcopis, ſcilicet, Tuſculano, & Praneſtino ad honorem Dei, & B. Martinæ V. & M. conſecrauit Eccleſiam iſtam dans Indulgentiam vnius anni, & duarum quarantenarum. In Altari vero recondita ſunt Reliquiæ beatorum MM. Concordij, & Byphanij, Papiæ, Mauri, Nerej, & Archilei, Marij, & Mathæi, Vrbani Papæ, & de Sagittā S. Macharij. Conſecrata autem hæc Eccleſia fuit in media Quadrageſima, quādo eſt Statio ad S. Coſmatum in Silice. In tempore Archipresb. Andreæ fuit hæc Eccleſia conſecrata.*

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI
Societatis Iesv.

Panuinius *(margin)*

Older. Rinald. in Annalibus *(margin)*

Pariſius in Annal. Angliæ. *(margin)*

RAYNALDVS, ſiue Reginaldus patre Philippo, non Gerardo (qui error teſtimonio ipſius Alexandri refellitur) Comitum Signiæ ſtirpe genitus, cum diu inter Canonicos Eccleſiæ Anagninæ verſatus eſſet, ac Eccleſiam Oſtienſem aliquandiu rexiſſet, ad Pontificiæ dignitatis apicem ob egregia virtutum ornamenta, Alexandri IV. nomine ſuſcepto aſcendit; cum vacaſſet Romana ſedes poſt Innocentij IV. obitum non vno, vel duobus annis, ſed aliquot tantùm diebus. Alexandri laudes haud potuit ſilere Pariſius, quanquam ex inſito in Romanos Pontifices odio ad eas obſcurandas non leuem nimiæ facilitatis in adulatorum ſuſurris excipiendis, & cupidorum ſequendis voluntatibus neuum aſperſit his verbis. *Sublato de medio Innocentio IV. Papa ſubrogatus eſt alius Vir, vt aiunt, ſatis benignus, & beatè religioſus, aſſiduus in orationibus, in abſtinētia ſtrenuus, ſed ſibilis adulantium ſeducibilis, & prauis auarorum ſuggeſtionibus inclinatiuus, Epiſcopus videlicet Oſtienſis, nepos Gregorij Papæ pridem defuncti, qui ipſum in Epiſcopatum promouerat, & vocatus eſt Alexander videlicet IV. Scripſit autem in principio creationis ſuæ cunctis Eccleſiarum Prælatis, poſtulans humiliter, vt orarent pro ipſo, vt Dominus daret ei poteſtatem, gratiam, & voluntatem Eccleſiam Dei congruè gubernare, & Vicarius Dei, & Petri ſucceſſor competenter appellari.* Extant hæ literæ in Vaticano Codice, quæ ſingularem ipſius abiectè de ſe ſentientis Chriſtianam animi demiſſionem oſtendunt.

Raynaldi Alexandri virtutes commendatæ. *(margin)*

Odericus Rinaldus. Diſcordias inter Mediolanēſes extinguere curat. *(margin)*

Cum autem inter Mediolanenſes, ſublato è viuis eorum Præfecto, grauiſſimæ exarſiſſent diſcordiæ, ad eas funditus euellendas pro paterno amore, quo ipſos complectebatur Alexander, Epiſcopum Bononienſem, virum ſpectatiſſimæ prudentiæ ad eos conciliandos, auertendaque imminentia pericula proficiſci illico iuſſit. Ad frænandos verò Manfredi progreſſus, atque vt fluctuantem Siciliam in obſequio Eccleſiæ contineret, Octauianum S. Mariæ in via Lata Diaconum Cardinalem, ſedis Apoſtolicę Legatum in Regnum illud deſtinauit, atque Bertoldum Marchionem Honebruchenſem, Magiſtri caſtrorum dignitate iam ante ab Innocentio IV. ornatum in eo munere Apoſtolico Diplomate confirmauit, vtque arctiùs eum ſedi Apoſtolicæ aſtringeret, multa beneficia in illius germanos Odonem, & Ludouicum contulit. Contra Ezelinum quoque virum opibus, multum numero, potentia fœderatorum, atque artibus inſtructum, Philippum Rauennatem Archiepiſcopum deſignauit, ſcriptis ad cunctos Inſubriæ, Aemiliæ, ac Marchiæ Taruiſinæ Præſules, Proceres, ac Populos literis, vt ſedis Apoſtolicæ Legato contra Ezelinum infenſiſſimum Eccleſiæ hoſtem adeſſent.

Anonym. auctor rerum Siciliæ. *(margin)*

Octauianus Cardinalis Legatus in Sicilia. *(margin)*

Philippus Archiepiſcopus Rauennas Legatus contra Ezelinum. *(margin)*

Longinus ann. 1255. *(margin)*

Iacobus è Trecis in Oriente Legatus. *(margin)*

Cum verò in Pomerania, Iacobi è Trecis Leodienſis Archidiaconi Apoſtolicæ ſedis Legati opera bellum atrox extinctum eſſet, aliam illi auguſtiorem in Oriente legationem demandauit Alexander hæc ſcribēs: *Tibi, quem charum habemus tuorum exigentia meritorum, plenæ legationis officium tam in prouincia Hieroſolymitana, quàm etiam in exercitu Chriſtiano, vbicunque pro ſubſidio Terræ ſanctæ in dicta prouincia fueris, de fratrum noſtrorum conſilio duximus committendum, firmam ſpem fiduciamque tenentes, vt, cum ſemper dilexeris iuſtitiam, & iniquitatem oderis, tibique praſto ſit iudicium rationis, recta reges, & diriges indirecta, aſperaque conuertes in*

Pariſius in hiſt. Angl. *(margin)*

plana.

Roſtanus Legatus ad Henricum Angliæ Regem.
Legatio ad Theodorum Imperatorem.

plana: Roſtanum Subdiaconum inſuper in Aquitaniam Legatum miſit, vt Henricum Angliæ Regem ad expeditionem Aſiaticam vrgeret. Apoſtolicam etiam ſollicitudinem, ac ſtudium defixit ad Græcos a Schiſmate funeſto, in quo tot ſeculis demerſi iacuerant, reuocandos, & reſtituendos Eccleſiæ, atque adeo ad tantum perficiendum opus Epiſcopum Vrbeuetanum legati dignitate auctum ad Theodorum Imperatorem miſit.

Legati in Angliam.

In Angliam verò Arlotum primò, deinde Meſſanenſem Archiepiſcopum, demum Manſuetum Minoritam legationis munere inſignitos, ſummaque auctoritate pro gerenda commiſſa prouincia inſtructos legauit, vt cum Rege Angliæ de vindicanda è manibus Manfredi Sicilia agitarent.

Sacrum bellum in Infideles.
Boleſlaus Vratiſlauienſem Epiſc. tenet in vinculis.
Zongn. in hiſt. Polô.

Audita poſtmodum Lituanorum, aliorumque Infidelium in Poloniam irruptione, Alexander victricia Crucis ſigna expandi, populoſque ad religioſam militiam illico conuocari iuſſit. Perſonuit igitur ſacrum claſſicum ad Paganos debellandos, & Eccleſię ſubijciendos, in Polonia, Bohemia, Morauia, & Auſtria; muniuſque accendendi in arma Chriſtianum populum inter cæteros commiſſum Bartholomæo Bohemo Minoritæ viro ingentis exiſtimationis, ac ſacra eloquentia florentiſſimum. Inſuper Gneſnenſi, & Magdeburgenſi Archiepiſcopis munus, vt Crucis ſigna aduerſus Boleſlaum Ducem Legnicenſem, qui Thomam Vratiſlauienſem Epiſcopum carcere incluſum tenebat, attollerent, populoſque ad ſacram expeditionem in Tyrannum, Eccleſiaſticas ſpernentem cenſuras, accingendos curarent, propoſitis Indulgentiarum præmijs illis, qui aduerſus Boleſlai ſæuiti accepto Crucis ſymbolo religioſa militia fuerant profeſſi.

Lupus Epiſcopus Crucis ſigno Hiſpanos inſignire iuſſus.

Cum in Hiſpania contra Africæ Infideles expeditionem inſtrueret Alphonſus Caſtellæ, ac Legionis Rex, prouinciam Alexander Romanus Pontifex Lupo Marrochitano Epiſcopo dedit, vt Hiſpanos ad profitendam religioſam, accepto Crucis ſymbolo, militiam pro concione incitaret, atque eos, qui opes ſuas ad paranda ſubſidia conferrent, vel arma pro Chriſti gloria augenda capeſſerent, peccatorum veniã potituros promulgaret, eidemque Lupo legationis in Africa onus impoſuit, vt rem Chriſtianam iacentem erigeret.

Noua Religioſa familia.
Ordo S. Lazari cõfirmatus.
Chriſtifideles incitat ad ſubſidium Terræ S.

Præterea cum grauioribus oppreſſa cladibus, atq; imminentium periculorum terroribus penè exanimata lugeret Syria, cœleſte numen aliquorum pectora pio ardore ſuccendit, vt tuendæ Terræ Sanctæ, & comprimendis Sarracenis ſeſe deuouerent. Hæc noua militia ab Alexandro confirmata eſt, datiſque ad equites S. Lazari Hieroſolymitani ordinis S. Auguſtini Apoſtolicis literis, & collaudato eorum inſtituto ſanxit, vt ex religioſæ diſciplinæ formula ad pietatem incumberent. Chriſtifideles porrò omnes incitauit, vt in Terræ Sanctæ ſubſidium arma capeſſerent; fulciendæ enim erant nouis auxilijs Syriacæ res, ne penitus conciderent, quarum lugubrem ſtatum innuit Alexander in literis ad Patriarcham Antiochenum datis iij. Idus Februarij. *Adeo Turquemanni, & alij Chriſtiani nominis inimici, hactenus Terram Antiochenam continuis bellorum incurſionibus attriuerunt, quod quicquid extra Ciuitatem Antiochenam, & Caſtrum Curſarij, quod eſt Antiochenæ Eccleſiæ ſpeciale, conſiſtit, ſuppoſuerunt ferè totaliter vaſtitati.* Ex his Pariſij in Alexandrum Romanum Pontificem animus infenſus apparet, dum ſcribit illum ita curas Terrę Sanctæ abiecisse, vt eo animaduerſo compulſi Orientales inducias cum Sarracenis contraxerint. Non potuit quidem Alexander totis viribus ad illam defendendam incumbere, dum Manfredus obſtabat, aduerſus quem, vt Sarracenorum fautorem, atque Eccleſiæ Hoſtem, ac Tyrannum Chriſtianorum arma conuertere opus fuit.

Cenſuris terret fideles.
Bzouius to. 13. Annalium.
Rinald. to Annal.
Pariſius in hiſt. Anglicana.
Nangius in geſt. S. Ludouici.

Armis, vt vidimus, Infidelium audaciam infringere, ac vi illorum vim repellere conatus eſt Alexander; Chriſtianorum verò animos non ferro, ſed cenſuris ſuperauit. Mantuanos, qui Pigignagiam Apoſtolicæ ſedi obnoxiam occupauerant; Alphonſum III. Luſitaniæ Regem, qui Boloniam Comitiſſam legitimam coniugem dereliquerat; Boleſlaum Ducem, qui Thomam Epiſcopum Vratiſlauienſem vnà cum Præpoſito, & Eccardo Canonico in vincula coniecerat; Archiepiſcopum Eboracenſem Seualum nomine, quia pertinaciter Pontificijs imperijs aduerſabatur; Manfredum ob coronam Siciliæ vſurpatam anathemate percuſſit: benigniſſimè tamen excepit Bergomenſes, ac Papienſes confugientes ſupplices ad Eccleſiam, qui Federici partes iam ſectati fuerant, atque ideo anathematis ſententia ſeſe implicuerant.

Decretũ pro Præſulibus.
Albertus Minorita Epiſcopus Taruiſianus.

Conſulturus verò rei ſacræ ſanxit, vt Cathedralium Eccleſiarum deſignati Præſules excurrente ſex menſium ſpatio Pontificalibus ſacris inſignirentur; ne populi diutius Paſtorum regimine deſtituti aliquod ſalutis periculum adirent. Nec inuitus in viris pijs, ac gerendo muneri idoneis, ſummis Eccleſiæ dignitatibus præficiendis curas defigebat Alexander, iuſtiſſimoque animarum zelo impulſus; non eſt paſſus Albertum Minoritam literis, ac pietate cultiſſimum, qui Taruiſinus Epiſcopus renunciatus, egregio Chriſtianæ demiſſionis exemplo eam reſpuebat dignitatem, ſuo iure ſeſe abdicare; cum maximè eo ſe digniorem probaret, quo indignum ſe arbitrabatur; [illegible] præcepit illi, vt oneri humeros ſupponeret, ne Deo vocanti obluctari, ac ſuam diuinæ voluntatem præferre videretur.

Archiepiſc. Calaritano [illegible]

Nec latebat Alexandrum, quanti intereſſet, vt Præſules optima virtutum exempla in ſubditos transfunderent, ad reuocandũ Chriſtianæ ſanctitatis florem, in Sardinia, & Corſica Calaritano Archiepiſcopo legationis fungendæ in ijs regionibus partes commiſit, vt ad ſalutem animarum promouendam incumberet, Eccleſiæ auctoritatem corroboraret, prauos deleret mores, & priſtinum pietatis florem reuocaret. Obſoleſcente in Suecia Clericalis diſciplinæ ſplendore, Vpſalenſem Archiepiſcopum ad reſtituendum morum priſtinum nitorem excitauit. Encyclicis literis Archiepiſcopos, & Epiſcopos omnes officij admonuit, propoſita ob oculos ipſorum dignitate, qua ceteris eminebant, vt ſaluti gregis commiſſi diligentiſſimè inuigilarent, & incuſſit diuini iudicij terrorem, cum tot pereuntium animarum ſtragem, effuſique ſui ſanguinis pretium diſſipatum ab ipſis Chriſtus Dominus repetiturus eſſet; acerrimos ſtimulis admouit, vt fœdiſſima ſcandala à ſuis Eccleſijs amouerent; ne paterentur Clericos, qui in concubinatus cœno volutabantur, publici ſceleris exemplum in populos transfundere, eam eſſe omnium malorum originem, eum funeſtum tot cladium fontem, quæ in Eccleſiam redundarent: quò verò maiori auctoritate inſtructi impudicos percellere, atque ad officium reuocare poſſent, præcepit, vt omni prouocatione ad ſedem Apoſtolicam abiecta, in eos Eccleſiaſticarum legum ſeueritatem expedirent. At cum in ſacro Sepulchri Dominici Templo diuinus cultus quaſi extinctus eſſet, Iacobo Hieroſolymitano Patriarchæ poteſtatem contulit, vt Canonicorum numerum, aliorum ſex ſupplemento augeret. Prædicatorum Alumnos multos ad Regna Murciæ, Granatæ, & Regnum Tunetanum in Africa miſit, vt ad Chriſti fidem populos illos traducerent.

Clericos in Suecia corrigit.
Io. Magn.
Præſules monet, vt animarum ſaluti inuigilent.
Reſtituit diuinum cultum in Templo Sepulchri Dominici.

Domum attribuit mulieribus pœnitentibus.

Nec in expoliendis modò Cleri moribus incubuit Alexander, verum etiam in educendis è vitiorum cœno perditis animabus, & continendis, ne in priora flagitia prolaberentur, ſtudium contulit. Cum enim accepiſſet piorum hominum opera plures in Vrbe mulierculas, quæ laxatis impudicitiæ frœnis, obſcœnis ſeſe cupiditatibus dediderant, vrente præteritorum conſcientia ab impuris voluptatibus ſeſe auulſiſſe, ac generoſa ſectandæ auſterioris vitæ conſilia ſuſcepiſſe: Zelo adductus Alexander, vt eas Chriſto animas lucraretur, quibus Dæmon tanquam tot laqueis ad veſanos amatores irretiendos vſus fuerat, Ioanni titulo Lucinæ Presbytero Cardinali onus impoſuit, vt ijs Eccleſiam, atque ædes ſuper Mineruam attribueret, vt ab humano ſegregatæ conſortio, præteritæ vitæ maculas lacrymis eluerent, & delibatas malè illecebras expiarent; cumque is locus idoneus ipſis non eſſet viſus, præcepit Pontifex vt ad Eccleſiam ſancti Pancratij traducerentur.

Alexandri in Religioſos viros affectus.
Erem. in Annal. Carmel.
Annal. Seruor.
Hippol. Maracc. in Pontif. Marian.
Archang. Gianius in Annal. Seruor.

Apoſtolicum quoque ſtudium in Religioſos viros Alexander explicuit; Caſinenſis Monaſterij iura ab Henrico Imperatore, & Conſtantia conceſſa, corroborauit: Dato Apoſtolico Diplomate ad Eremitas montis Carmeli, diſciplinam ipſorum aſperiorem, quam Innocentius IV. Prædeceſſor in mitiorem formam detorſerat, ſua auctoritate communiuit. Apoſtolico etiam patrocinio Priorem, ac fratres vulgo Seruos S. Mariæ nuncupatos ordinis S. Auguſtini Florentinæ Diœceſis eſt proſecutus: Ordinemque illum Virginis Deiparæ monitu approbauit. Cuius propterea ſimulacrum eius familiæ Alumni Florentiæ coram Dei Genitricis Annunciatæ Imagine apponi curarunt, vt cuius monitis, ſeruorum ſuorum cœtum in gratiam Apoſtolicæ ſedis receperat, & comprobauerat, eiuſdem quoque Imagini deuotè aſtare, illam perpetuò venerari, ab eaque viciſſim honorem, & gratiam, præcipuoſq; fauores accepiſſe videretur. Miniſtro etiam ac Religioſis viris ordinis ſanctiſſimæ Trinitatis, & captiuorum permiſit, vt in Ceruifrigidi Monaſterio Meldenſis Diœceſis, vbi eorum ordo inſtitutus ferebatur, ſingulis annis ſolemnia Comitia celebrarent, eorumque Eccleſiam ſub Virginis Mariæ patrocinio Viterbij conſecrauit. Sacrum quoque ordinem Pauperum Catholicorum nuncupatum iam ante in Eremitarum S. Auguſtini familiam redactum, in ſuſceptis religioſæ diſciplinæ inſtitutis perſtare iuſſit; & adſciuit in patrocinium Apoſtolicum Valliſumbroſæ religioſum ordinem: Aedem S. Mariæ ad Gradus à Raynaldo Capoccio Cardinali conſtructam Deiparæ, proprijs manibus conſecrauit: Priuilegia fratrum Hoſpitalis ſanctæ Mariæ in Saxia de Vrbe confirmauit, eoſque in protectionem ſedis Apoſtolicæ ſuſcepit.

Epiſtolæ.
Thom. Dempſter. in Hiſtor. Eccleſ. gentis Scotor.

Scripſit Alexander Epiſtolas quamplurimas, quarum Regiſtrum extat m.s. in Vaticano, earumque multas reſcripſerunt in Annalibus Bzouius, & Odericus Rinaldus, Stero in Annalibus, Caniſius tom. primo Antiquitatum, & Binius: ad eum literas dedere S. Adamus Scotus Epiſcopus Cathueneſius, & Seualus Anglus Archiepiſcopus Eboracenſis.

Alexandri obitus.

Expletis igitur omnibus optimi Pontificis numeris, anno noſtræ ſalutis 1261. vt antiqui penè omnes auctores tradunt, Vrbanique ſucceſſoris literæ patefaciunt, exceſſit è vita Alexander: de cuius obitu inter ceteros exactius hæc Matthæus Weſtmonaſterienſis. *Eodem anno in feſto S. Vrbani Papæ, & Martyris, quod fuit viij. kal. Iunij obijt Papa Alexander*; & Nangius, *Anno Domini 1261. in feſto S. Vrbani Papæ obijt apud Viterbium Alexander Papa.* De quo hoc legimus Elogium apud Ptolemæum Lucenſem: *Tradunt hiſtorici, quod fuerit Epiſcopus Oſtienſis, & interdum ibat Oſtiam, & Velletrum, ibique prædicabat Verbum Dei, vel coram ſe prædicari faciebat; ibidemque ſuis Clericis ordines conferebat, & inde cauſis ſubditorum ſuorum aſſiſtebat ſecundum decentiam ſui ſtatus. Decretales multas fecit, quæ in Sexto à diuerſis titulis cõtinentur. Pauperes Religioſos multum fouit, &c.*

Sub hoc

Prouinciæ ad Chriſti fidem traductæ.

Odericus Raynald. & Bzou. in Annal.

Bzou. in Annal. an. 13.

Patriarchat' Gradēſis inſtitutio.

Abbatis Sublacenſis Priuilegia. Ferdinand. Vghellius tomo 1. Ital. ſac.

A Sub hoc Romano Pontifice adductæ Chriſti imperio fuere Vvatlandia, Ingria, & Carelia abiectis ſuperſtitionibus, quibus addictæ fuerant; ad quarum prouinciarum Infideles Chriſtianis ſacris imbuendos, ac religionem conſtabiliendam Alexander Archiepiſcopo Rigenſi contulit auctoritatem, vt Epiſcopum illis præficeret: demādatæ etiam eidem Archiepiſcopo partes, vt Infideles, quos Otho è Luneborch, & Tidericus è Kiual, egregij Chriſti Athletæ ſeruire numini coegerant, baptiſmalibus ſacris luſtraret, iiſque Epiſcopum daret, cum ab iiſdem Proceribus Eccleſia excitata, & iuſtis locupletata vectigalibus fuiſſet. Patriarcham Gradenſem inſtituit Alexander, eumque præclaris priuilegijs ornauit; Henrico Abbati Sublacenſi vſum Mitræ, Annuli, Tunicæ, Dalmaticæ, Chirothecarum, & Sandaliorum, nec non benedicendi Pallas Altaris, conferendi minores ordines, Benedictionem ſolemnem in Miſſæ Sacrificio, & Veſpertinis precibus impertiendi conceſſit; Epiſcopalem Cathedram ex Furconienſi ad Aquilæ Ciuitatem tranſtulit. Eccleſiam ſanctorum B Marcellini, & Petri de Vrbe conſecrauit, vt conſtat ex Inſcriptione, quæ in eadem Eccleſia adhuc extat, & eſt talis.

✠ *Anno Natiuitatis Domini 1256. Indict. 14. die x. menſis Aprilis, Alexander Papa IV. conſecrauit hanc Eccleſiam SS. Marcellini, & Petri, & vtrumque Altare, & repoſuit in maiori Altari de Reliquijs ſanctorum Marcellini & Petri; SS. Marij & Marthæ; SS. Bonifacij, & Victoris; SS. Septem Fratrum, & ſanctarum Ruffinæ, & Secundæ. S. Iacobi Apoſtoli, S. Chriſtinæ Virginis; SS. Sixti, Feliciſſimi & Agapiti; S. Gorgonij Martyris; SS. Cornelij, & Cypriani, & S. Stephani Protomartyris, & .... conceſſit ipſi Eccleſiæ à dicta die Conſecrationis, vſque ad octauam ſingulis annis Indulgentiam trium annorum, & trium quadragenarum, & deinde* C *tranſtulit dictam Indulgentiam de dicta die in feriam ſecundam Quadrageſimæ, qua die addidit Indulgentiam vnius anni ...... quadraginta dierum.*

Ex Proceſſ. Confec. Apoſtol. poſt ann. 1260.

Ex Notis Fr. Petri de Amerno ad vitam S. Petri Nol.

Alexandri Pontificatum glorioſum reddidit, pretioſa mors ſancti Petri Nolaſci, ordinis beatæ MARIAE de Mercede Redemptionis captiuorum Fundatoris, quæ accidit Barcinone anno reparatæ ſalutis 1256. in peruigilio Natalis Domini, hora mediæ noctis; hunc poſtea idem Alexander Romanus Pontifex ſanctorum numero adſcripſit ann. 1260. teſte Ildephonſo Caſtillo Solorzano in Compendio vitæ ipſius S. Petri, addens laudatam Conſecrationem non fuiſſe, vti par erat, in ſacro ordine B. Mariæ, neque in republica Chriſtiana diuulgatam, diſſidiorum ergo, quæ tunc temporis vigebant inter Sacerdotes, & Equites Laicos ſuper Magiſtratu generali prædicti ordinis. Eodem enim anno 1260. auctoritate, & iuſſu Reuerendiſſimi D D. Arnaldi Epiſcopi, tunc temporis Barcinonenſis, conſcripta fuiſſe glorioſiſſimi Patriarchæ Nolaſci acta, Romamque ad eundem Alexandrum directa, conſtat, ex ſummario actorum auctoritate, & iuſſu eiuſdem Arnaldi Epiſcopi compilato, quod noſtris hiſce temporibus in Tabulario Conuentus Barcinonenſis eiuſdem ordinis ſeruatur, & in authēntica forma editum fuit in cauſa eiuſdem Petri Nolaſci anno 1628. in ſacra Rituum Congregatione, de cuius conſilio, & aſſenſu Vrbanus VIII. re maturè diſcuſſa, ad maiorem ſanctorum gloriam, diuinique cultus augmentum, diem feſtum S. Petri Nolaſci cum officio, & Miſſa de communi Confeſſoris non Pontificis in vniuerſo ordine B. Mariæ de Mercede celebrari poſſe, Apoſtolica auctoritate conceſſit. Cuius nomen deinde iubente Alexandro VII. præcedente ſacræ Rituum Congregationis Decreto, dato 5. Iunij anno 1655. in Martyrologio Romano viij. Kalend. Ianuarij inſcriptum legimus. Illius tamen dies feſtum iuſtis de cauſis in ordine, die 29. Ianuarij colitur: huiuſce inſtituti religioſos viros E magno affectu proſecutus ſemper eſt Alexāder IV. literaſque Neapoli ſcripſit v. Idus Aprilis Pontificatus ſui anno primo, in quibus

Ex Bullar. Ord.

eos nominat, *nouos ſub tempore gratiæ Machabæos qui abnegantes ſecularia deſideria, & propria relinquentes, tollentes Crucem ſuam Dominum ſunt ſequuti, diligentes proximos ſuos, ſicut ſe ipſos, præceptum Apoſtolicum attendentes, quia non ſolum eleemoſinas, quas à Chriſtifidelibus colligunt, in redemptionem expendunt latiſſime Captiuorum, ſed etiam proprias animas pro fratribus ponere non formidant.*

Concilia Lēcicienſe.

Anglicanum.

Danicum.

Pariſienſe.

Celebrata ſunt Alexandro IV. Pontifice nonnulla Concilia, nempe Lencicienſe à Fulcone Archiepiſcopo Gneſnenſi, contra Boleſlaū Sleſiæ Ducem: Habita etiam ſunt in Anglia Comitia publica, in quibus Archiepiſcopus Cantuarienſis Bonifacius Anglicano Clero F cinctus, coram Rege, ac Regni Proceribus anathematis ſententiam in eos tulit, qui Eccleſiaſtica iura labefactabant. In Dania libertate Eccleſiaſtica obſoleſcente ob maximos bellorum motus, quibus quaſſata fuerat, ac nonnullorum Procerum Tyrannide, earum regionum Epiſcopi ad tuendam dignitatem coacto Concilio leges aliquas ſanxerunt, quas vt æquitati conſentaneas Alexander Romanus Pontifex corroborauit. Demum in Gallia Rex Ludouicus, cum expugnatis à Sarracenis nonnullis Ciuitatibus, toti Chriſtiano Orbi graue periculum immineret, Pariſijs Concilium Epiſcoporum, & Principum habuit, in quo, vt ſcribit Nangius in geſtis S. Ludouici ordinatum fuit de orationibus multiplicandis, proceſſionibus faciendis, & blaſphemijs in Deum puniendis, peccatis, & ſuperfluitatibus cibariorum, & veſtium reprimendis: inhibita etiam fuerunt vſque ad biennium torneamenta, & iniunctum eſt, quòd non luderetur alijs ludis, niſi quòd homines ſe exercerent in arcubus, & baliſtis.

Alexander IV. Romanus Pontifex nullos creauit Cardinales ex Panuinio, & Ciaconio; ex alijs verò, quos infra laudabimus, vnum tantùm, & fuit.

I.

B. THESAVRVS Beccaria Papiæ natus, monachus primò, deinde Generalis totius ordinis Vallisumbroſæ ab Alexandro Quarto purpura donatus eſt, vt affirmant Martyrologium Benedictinorum iv. Septembris, Chronicon paruum Vallisumbroſæ, & Arnoldus Vuion in Ligno Vitæ: in Martyrolog. enim Benedictino hęc legimus dicta die. *Pridie nonas Septembris Florentiæ ſancti Theſauri Abbatis, & S. R. E. Cardinalis, qui ſummo loco e gente Beccaria Papiæ ortus, monachus primùm, deinde Abbas, & Generalis totius ordinis Vallisumbroſæ effectus, poſtremò ob inſignes animi dotes ab Alexandro Papa IV. Cardinalis pronunciatus, & Florentinis Legatus datus, vt Ghibellinorum, & Guelphorum inter ſe decertantium partes componeret, ab iiſdem dolo, & ſuſpicione capite truncatus, martyrij coronam accepit.* E vita exceſsit, vt tradit Chronicon Vallisumbroſæ, anno noſtræ ſalutis 1258. quidam aiunt anno 1260. Andreas Victorellus fatetur ſe vidiſſe in Codice m. s. quem vidit in Cœnobio Romano S. Praxedis Theſauri obitum notatum 12. Septembris anno 1258. Martyr dicitur in prima parte Itinerarij C Italici, & à Volaterrano lib. 21. Anthol. & in laudato m. s. Florentiæ antiquam eius imaginem coloribus expreſſam in ſanctiſsimæ Trinitatis Aede palmam manu geſtantem extare affirmant nonnulli cum hac Inſcriptione.

S. THESAVRVS CARDINALIS, ET MARTYR.

Philippus Ferrarius in Catalogo ſanctorum, qui non ſunt in Martyrologio Romano pridie nonas Septembris Theſauri memoriam celebrat his verbis: *Florentiæ B. Theſauri Abbatis Generalis Vallisumbroſæ*. Non audiendus Dantes cum canit in Cantico 32. de Inferno.

Se foſſi dimandato, Altri chi v'era?
Tu hai dallato quel di Beccaria,
D *Di cui ſegò Fiorenza la gorgera.*

In hunc librum Landinus à veritate receſsit, dum ſcripſit Beccariam proditione Guelphos dominatione priuare, & Ghibellinos in Imperio collocare voluiſſe. Guelphi, falſa ducti ſuſpicione, id illi obijciebant, cum vir optimus, & prudentiſsimus ſolam Dei gloriam, & diſſidentium factionum concordiam, & bonum ſpectaret, non malè additum à Landino, cæco Guelphæ multitudinis furore in foro ſancti Apollinaris caput illi obtruncatum. Ioannes Villanus libro 6. Hiſt. per ſcelus id à populo clamoribus vociferante factum, & ob id in Florentinos à ſummo Pontifice anathema latum, & populum ſcelere contaminatum diuinam vltionem paulò poſt experientia cognouiſſe. Corpus beati Theſauri apud monachos Vallisumbroſæ piè coli ſcripſit Victorellus. De Cardinalatu B. Theſauri nihil Villanus, nihil Volaterranus, nihil alij multi illius æui ſcriptores.

E

VICECANCELLARII S. R. E.
ſub Alexandro IV.

Magiſter Guillelmus de Caradego Parmenſis, ſcholarum Magiſter annis Pontificatus primo, & ſecundo.

Magiſter Iordanus Terracinenſis S. R. E. Notarius, & Subdiaconus pro Vicecancellario in fine anni ſecundi.

Magiſter Rolandus S. R. E. Vicecancellarius anno tertio.

Magiſter Iordanus Terracinenſis iterum pro Vicecancellario in fine anni tertij, & Vicecancellarius ab initio quarti anni ad finem Pontificatus.

F

CARDINALES MORTVI
ſub Alexandro IV.

Guillelmus de Fliſco Diaconus Card. S. Euſtachij anno 1256.

Beatus Theſaurus Beccaria monachus Vallisumbroſæ S. R. E. Cardinalis anno 1258.

Ioannes Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis.

Bernardus Caracciolus Diaconus Cardinalis.

Otho Grilus Diaconus Cardinalis.

VRBA-

VRBANVS IV. PONT. CLXXXIV.

ANNO DOMINI MCCLXI.





QVI horum temporum Annales ſcripſerunt Alexandrum IV. nullum Cardinalem creaſſe dicunt, cum paulò ante eius obitum non niſi ix. Patres viuerent, quorum vnus Cardinalis Præneſtinus abſens in Hungaria erat. Eo verò vita functo in adeò exiguo Patrum numero, ingentes de Pontificatu contentiones exarſere, quæ ad tertium vſque menſem, electionem protraxerunt. Demùm cum alter alteri cedere recuſaret, factum eſt, vt Cardinalibus omnibus reprobatis, Iacobus Pantaleo Patriarcha Hieroſolymorum, caſu tunc in Curia exiſtens, pro Terræ Sanctæ negocijs, hortatu Ioannis Caietani Vrſini, Cardinalis magnæ exiſtimationis, iv. Kalen. Septembris, Romanus Pontifex Cardinalium omnium ſuffragijs renunciatus, Vrbanus IV. vocatus eſt. Ortus is fuerat Trecis humili genere, ſutoris veteramentarij filius, cognomento Pantaleonis, vt hodie quoque in Vrbe Tricaſſina conſtans fama eſt. Tricaſſina Vrbs famoſa, populorum frequentia, & nemoribus, & pratis amœna, in Campania ſita, dulcem habitatoribus exhibet ſuis amœnitatibus incolatum. Pariſios miſſus liberalium primùm diſciplinarum ſcientiam didicit, poſtea iuris Canonici peritiam, & deinde Theologicam adiunxit; quod in varijs meruit & cathedræ, & titulo inſignia, qui ſolùm natale tandem repetens, Canonicus Eccleſiæ Tricaſſenſis, Laudunẽſis Archidiaconus factus, poſtmodum Virdunenſi Epiſcopo obeunte, in eiuſdem Eccleſiæ Præſulem eſt aſſumptus, qui ſtatura mediocri, venuſta facie, grato aſpectu, & ſummi, animi magnitudine, ſcientia, conſilio, morumq; grauitate cæteros ſuperabat. Hunc Pomerania, Pruſsia, Liuonia Legatum poſcunt ab Alexandro IV. cuius vitam, famamque probare volens, officium Legati Apoſtolici ei impoſuit; in tanto autem taliter ſe geſſit munere, vt lites ſedaret, pacem ſtabiliret, ab omni munere manus excutiens, ab Alexandro Papa IV. Patriarcha Hieroſolymorum creatus, ad quod munus ab Innocentio IV. vocatus fuerat; à quo Germaniæ primùm, deinde Orientis legationem obtinuerat, quam & Alexander IV. confirmauerat. Ad pridie nonas Septembris, Viterbij, ad Eccleſiam Prædicatorum coronatus, Richardo, & Alphõſo de Imperio contendentibus, ſedit in Pontificia ſede annos 3. menſem vnum, & dies 4.

VRBANI Electio.

VRBANI patria.

CARDINALES VIII.
qui Vrbanum Papam IV. crearunt.

CARDINALES EPISCOPI II.
INNOCENTII PAPAE IV.

1. Otho de Caſtro Rodulphi, Bituricenſis, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus.
2. Stephanus Hungarus, Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus.

PRESBYTERI CARDINALES II.
INNOCENTII PAPAE IV.

3. Fr. Hugo de S. Caro, Burgundus, Gallus, ordinis Prædicatorum Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Sabinæ.

NICOLAI PAPAE IV.

4. Ioannes de Toleto Presbyter Cardinalis titulo ſancti Laurentij in Lucina, Prior Presbyterorum.

DIACONI CARDINALES IV.
GREGORII PAPAE IX.

5. Richardus Hannibaldenſis de Molaria, Romanus, Diaconus Cardinalis S. Angeli in foro Piſcium, Prior Diaconorum.

INNOCENTII PAPAE IV.

6. Octauianus Vbaldinus Florentinus, Diac. Cardinalis ſanctæ Mariæ in via Lata.
7. Ioannes Caietanus Vrſinus, Romanus, Diaconus Cardinalis ſancti Nicolai in Carcere Tulliano.
8. Othobonus de Fliſco Genuẽſis, Diac. Cardinalis S. Hadriani.

Cum Manfredi vires Guelphis Hetruſcis exactis, augerentur; Eccleſia verò mirum in modum oppreſſa eſſet, tot rebus proſperis ipſe clarus, victoriam continuare, iniurias ſibi à Pontifice illatas vlciſci, Regnumque ſuum amplificare conſtituit. Nouas igitur Sarracenorum copias in Latium miſit, qui omnia igne, ferròq; vaſtarunt; in Picenùmq; agrum nutantem digreſſi, prouinciam occuparunt: Vrbanus his rebus perterritus, Viterbio, quod minus tutum oppidum erat, Vrbemueterem, Oruietum * vulgarius vocatam, nobilem Tuſciæ Vrbem accedens, loci aſpectu, & ſecuritate delectatus; eſt enim in ſummo ſaxo poſita, & ad expugnandum difficillima: per bienniũ ferè in ea cum Romana Curia permanſit à ciuibus Vrbeuetanis honorificentiſſimè ſuſceptus. Monaldenſes, & Philippenſes Vrbis Proceres, bello ciuili inter ſe laborantes, in concordiam redegit, & dum vixit eam conſeruauit. Vrbem ſibi, & Eccleſiæ Romanæ fideliſſimam varijs, publicis, priuatiſq; ædificijs, multis item priuilegijs exornauit; à fundamentis nobiles ædes Pontificias in loco, qui dicebatur Solianum propè S. MARIAM Priſcam, quarum adhuc parietes ſuperſunt, ædificauit. Extruxit Eccleſiam, & Monaſterium S. Auguſtini, Eccleſias verò Prædicatorum, & Minorum reſtituit, & amplificauit. Manfredi autem Siciliæ Regis, Romanæ Eccleſiæ hoſtis, potentia, & vi, ſancta ſedes tunc præcipuè vexabatur, ibi etiam Concilium, ſeù multorum Prælatorum Conuentum celebrauit; in quo inter cætera tractatum eſt, qua nam ratione, ſancta ſedes Apoſtolica à Manfredi potentia, & tyrannide ſe tueri poſſet, Decretumq; vt Carolus Ludouici Francorum Regis frater prouinciæ Comes, & Dux Andegauenſis, in Italiam contra Manfredum cum Siciliæ Re-

MANFREdi progreſſus.

VRBAnus Vrbemueterem accedit.

** VRBANI res geſtæ in Vrbeueteri.*

LEGAtio ad Carolū Francorū Regis fratrē pro tuitione Eccleſiæ.

VRBAnus ingentem Chriſtianorum copiam ad defenſionem Eccleſiæ conuocat.

A gis titulo vocaretur. Cardinale Legato ad illum ob eam rem miſſo, quod poſtea ſub Clemente IV. factum eſt. At Manfredus, qui pro eius violentia cum ſuis fautoribus fuerat excommunicatus, cum Regnum teneret Siciliæ occupatum, & ſua potentia terram Patrimonij B. Petri intenderet occupare: quemdam magnum exercitum Saracenorum, & complurium infidelium, vſque ad caſtrum Arronis Spoletinæ Diœceſis deſtinauit. Papa autem Vrbanus Chriſtianorum multitudinem, ſua prædicatione ad defenſionem Apoſtolicæ ſedis conuocauit, quare contra exercitum infidelium, innumera fidelium Cruceſignatorum multitudo accurrit: & cum magna armatorum equorum, & rerum in bello vtilium copia, eiſdem infidelibus obuiantes, ſperabant cuncti in bello congredi, & Eccleſiæ Catholicæ ſuperare hoſtes, ſed omnipotens ſuam, & Eccleſiæ ſuæ cauſſam agi conſpiciens, non in viribus hominum, vel equorum victoriam habere voluit, ſed Dominum magnis, & miris prodigijs ſe de-

VERCEualli de Auria Ducis exercitus infidelium interitus admirandus.

B monſtrare. Nam dux exercitus eorumdem infidelium, Perceuallus vocatus de Auria, cum multa minaretur contra Deum, & Chriſtum ipſum in ſuis confabulationibus blaſphemaret, faſtuq; elatus modicam aquam, & parum profundam pertranſiret magno equo inſidēs, phaleris & multis ſuperſtitionibus exornato, vt terram Patrimonij intraret, diuina Dei fauente clementia, equus ipſe continuò in ipſa aqua corruit, & mox ſeſſor eius tām miro modo eſt ſuffocatus, vt nec ipſe, nec eius equus videri amplius, aut inueniri potuerit. Quod miraculum exercitus eius aduertens, ſtatim in eum pauor Domini irruit, & ſe dederunt fugæ, ſine duce, & ordine, vnus alterum non expectans, noctu, & diu per deuia fugientes ad euſdem Regni terminos non ſine magno timore redierunt. Quos cum fideles Cruceſignati inſequuti fuiſſent, ceperunt innumeros, & quamplurimos peremerunt, miſericordia diuina ita ſuam Eccleſiam protegente. Vrbanus autem Pontifex de euiſmodi victoria non elatus, ſed gratias

CHRIſtiani infideles ſuperant.

C reddens Deo, Carolum Ludouici Franciæ Regis conſobrinum, prouinciæ, & Andegauiæ Comitem, cum exercitu in Italiam vocauit; cogitabat enim, Manfredo eiecto, Siciliæ Regem Citra, & Vltra Pharum eum conſtituere. Quæ res licèt Vrbani morte intercedente exitum vltimum non habuerit, à Clemente IV. eius ſucceſſore abſoluta fuit; idem enim Comes Andegauenſis per manus D. Simonis de Bria Presbyteri Cardinalis S. Cæciliæ, tunc in Francia Apoſtolici Legati; dicti Regni Siciliæ collatione in ciuitate Pariſienſi ſuſcepta, nauigio è Maſſilia Romam venit, vbi factus Senator, in feſto Pentecoſtes in Baſilica Principis Apoſtolorum de manibus quinq; Cardinalium ad hoc munus deſtinatorum, vnctione regali percepta, euiſdem regni ſceptrum, & coronam recepit; moxq; ad pugnam aduerſus Manfredum ſe accinxit; pacem interim Vrbanus cum Romanis componit: & Cathalogo ſanctorum, B. Richardum Epiſcopum* Cicestrenſem, miraculis clarum aſcripſit, cuius feſtus dies 3. April. ab Eccleſia recolitur.

CAROlus Dux Andegauēſis Rex Siciliæ vagitur.

* B. RIchardus in Cathalogo SS. ab Vrbano aſcribitur.

D Legatum Vrbanus IV. ad Genuenſes, & Venetos miſit, qui pacem inter eos componeret; at irritatis vtrinque animis parum profecit, populus Romanus, qui Pontificum Imperio excuſſo, Magiſtratibus ex ciuibus nutu ſuo lectis hactenus paruerat, tunc primùm ſuos faſtidiens, Senatorem peregrinum ſuſcepit, eo munere Brancaleoni cuidam nobili Bononienſi, magni animi & conſilij viro demandato, cuius nomine aurei nummi percuſi adhuc viſuntur. Cæterum inconſtantis vulgi ſententia mutata, Senator in carcerem conijcitur. Qua iniuria moti Bononienſes, Romanos quoſdam ciues ab ſe captos non alia conditione dimiſerunt, quam ſi Brancaleo ſibi redderetur: is non ſolùm liber factus eſt, verùm etiam ſuo honori reſtitutus. Quo collegium ex omnium regionum ciuibus conſtitutum ad diem eſt, à populo Banderiſios vocatum, penès quos & Senatorem vitæ, & necis hominum ſummum arbitrium eſſet. Hæc po-

VRBANI Legatio ad Genuēſes ac Venetos pro pace inter eos componenda.

BRANcaleo Senator in Vrbe electus in carcerem coniectus.

BRANcaleo in priſtinum reſtituitur.

E pulus Romanus inuito Pontifice peregit, quem à Manfredo armis vexatum, ſuis conatibus reſiſtere non poſſe, intelligebat.

Bandeſiis à Pop. Rō. inſtituuntur.

Vrbanus Pontifex nullum in patria grati animi reliquit teſtimonium, præter Templum S. Vrbani, quod in Vrbe Trecenſi, in qua natus erat ædificari iuſſit, in ſolo paternarum ædium, relicto ibi tenui Collegio duodecim Canonicorum cum Decano, Theſaurario, & Cantore, multiſque poſſeſſionibus dotauit; & animus illi erat, ſi diutius vixiſſet, plurimis alijs augere; & eam Eccleſiam alijs exemptam, ſoli ſedi Apoſtolicæ ſubeſſe voluit, ſuiſque priuilegijs declarauit. Ancherus Papæ Vrbani nepos, Presbyter Cardinalis titulo S. Praxedis, quem Patruus ad Cardinalatum euexerat, hoc opus protexit, multiſque ornamentis aureis, & ſericeis, imaginibus, & vaſis ſacris aureis, & argenteis, ac libris pretioſiſſimis auxit.

ECCLEſia Trecēſis ab Vrbano erecta.

ANCHERus Vrbani nepos donis eādem Eccleſiam cumulat.

F Legatos Vrbanus IV. miſit Conſtantinopolim ad Palæologum Imperatorem, inſtruendis Græcis in fide.

Huius Vrbani Pontificis ætate, aliqui ſunt, qui ſcribant floruiſſe Albertum Theutonicum ordinis Prædicatorum fratrem, quem ob amplitudinem doctrinæ Magnum appellant, qui & omnia opera Ariſtotelis commentatus eſt, & Theologiam Chriſtianam acutiſſimè aperuit; expoſuit & magnam partem ſacrorum Bibliorum, Euangelia, ac Epiſtolas Pauli. Inchoauit etiam Summam Theologiæ, ſed non perfecit. Tantæ præterea modeſtiæ fuit, adeòq; lectionum appetentiſſimus, vt Ratiſponenſem Epiſcopatum annuente Clemente IV. deſeruerit. Quem tumultu, & armis gubernare interdum opus erat, vt nunc etiam apud Germanos mos eſt, quorum plerique Epi-

DE ALberto Magno.

A ſcopi enſe, & milite rem ſuam tutantur; priuatus itaque Coloniæ aliquamdiu publicè legit. Tandem verò octuageſimum ſeptum ætatis annum agens, eodem in loco moritur miraculis clarus multis diſcipulis, qui poſteritati conſulerent, relictis; maximè autem Thoma Aquinate, qui relicta patria, inſigniq; cognatione (originem enim à Comitibus Apuliæ, vel Aquini ducebat) Coloniam pergens, tantum profecit, vt poſt aliquot annos apud Pariſios primum in doctrina locum teneret, qui multa, & præclariſſima ſcripſit in Philoſophia, & Theologiæ lucem effudit, cuius doctrina cunctæ reſplendent Orbis ſcholæ. Romam deinde ab Vrbano accerſitus, ſpretis dignitatibus, quæ vltro ei offerebantur, totum ſe lectioni, & ſcriptioni dedit. Nam & ſcholam Romæ inſtaurauit, & rogatu Vrbani multa conſcripſit, & totam ferè naturalem Philoſophiam, ac moralem commentationibus expoſuit; & contra Gētiles libros aureos edidit; explicuit Iob, Cantica Salomonis, Ioannem, & plurima alia tanto in-

THOMAS Aquinas diſcipulus Alberti Magni.

B genio, & doctore digna. Catenam Auream ex omnibus Catholicis ſcriptoribus in Euangelia collegit. Qua autem ratione Vrbanus in duabus Cardinalium creationibus, quas fecit, virum inſigniſſimum omnium, quos Orbis habebat prætermiſerit, cum ipſe auidiſſimè quæreret eos, qui Eccleſiam ſua doctrina illuſtrarent, hoc factum, quia gentiles eius nimium addicti Imperatoribus Eccleſiæ rebellibus fuerant, vel intelligens valde huiuſmodi honores perhorreſcere.

An. Domini 1264. Pontificatus III. ſanctiſſimi Corporis Chriſti ſollemnitas, quinta feria poſt octauam Pentecoſtes ab eodem Pōtifice perpetuis temporibus cum ſollemni ſupplicatione, quæ nunc etiam celebratur, inſtituta eſt, cap. 1. *de Reliquijs, & veneratione ſanctorum*, in Clementinis, cum eius ſollemnitatis officium S. Thomas Aquinas, qui eo tempore Theologiam publicè in ea ciuitate profitebatur, compoſuiſſet Hymnos inquam, & preces ſollemnes, in quibus figuræ Teſtamenti Veteris, cum rebus Noui conferuntur.

SANCTIſſimi Corporis Chriſti ſollemnitas ab Vrbano inſtituta.

HYMNI ſollemnitatis Corporis Chriſti à ſancto Thoma compoſiti.

C Verùm non tām citò is dies in Gallia obſeruari cœpit, nām in vetuſtis Annalibus, quos auctor Anonymus in Gallia ſcripſit ann. 1328. traditum eſt, illum diem coli cœpiſſe multo poſt obitum Vrbani, à quo is dies feſtus inſtitutus eſt, id verò factum fuit, propter miraculum, quod hoc tempore Vulſinij in Diœceſi, & ditione Vrbeuetana in Eccleſia S. Chriſtinæ accidit. Nām dum Presbyter quiſpiam ſacra Miſſarum ſolemnia celebraret, Sacramento iam perfecto, de panis, & vini tranſubſtantiatione, & Chriſti Corpore dubitauit, vnde ſtatim (dictu, & auditu mirum) ex ſanctiſſima, quam in manibus tenebat, Hoſtia viuus ſanguis manare cœpit, qui totam mappā, quam Corporale vocant, tinxit. Quo miraculo attonitus Pontifex Vrbanus IV. Corporale primùm ad ſe ab Epiſcopo loci illius cum proceſſione Vrbemueterem transferri, voluit, & illud ſollemnitate inſtituta in Eccleſia Vrbeuetana recondidit. Quæ omnia ex eiuſdem Pontificis Bulla, quæ adhuc extat, intelliguntur. In cuius poſtea memo-

MIRACVlum de Hoſtia cōſecrata ſanguinem manante.

D riam ciues Vrbeuetani tunc nobiles, ditiſſimi, & potentes, nobiliſſimum Templum Deo, & B. Virgini Mariæ à fundamentis conſtruere cœperunt, tanta mole, apparatu, & impenſarum magnitudine celebre, vt nullum in toto terrarum Orbe, tunc ei potuerit comparari. Cæterum non niſi 25. anno, poſt Chriſti verò 1290. factum fuit, Nicolao IV. Pontifice Maximo, qui eodem anno 12. die Nouemb. primùm lapidem in maximi, & auguſtiſſimi Templi fundamentis, Cardinalibus cum omni Romana Curia, multis peregrinis, Prælatis, Epiſcopo ciuitatis, Clero, Magiſtratibus, nobilibus, & vniuerſo Vrbeuetano populo adſtantibus, poſt celebres ſupplicationes habitas ſollemniter poſuit; maximaſque ſingulis annis Eccleſiam illam ipſo die viſitantibus, Indulgentias largitus eſt; ab alijs poſtea Pontificibus confirmatas, & auctas. In quo celeberrimo Templo, cum perfectum penè fuiſſet, poſtea ſanctum Corporale collocatum eſt, Altari, & Tabernaculo ad illud conſeruandum elegantiſſimè fabrefactis.

TEMplū ab Vrbeuetanis erectū in quo collocatum eſt Corporale veri Chriſti ſanguine madidum.

E Quod ſingulis annis in die Corporis Chriſti, in celebri illa ſupplicatione deuotiſſimè circumfertur, finitimis omnibus populis eò illa die ad videndum confluentibus, eius porrò Templi anterior pars tota è marmore Pario incruſtata eſt, varijs, & elegantibus ſignis, vel figuris noui, & veteris Teſtamenti exornata, multiſq; alijs decorata ornamentis, quod ſanè opus id eo tempore viſum eſt, vt nullum in ſtatuaria arte vbiuis terrarum conferri ei poſſet. Hæc ex Panuinij Annotatione in Platina ad Vrbanum Quartum deſumpta.

Recuperauit Vrbanus Caſtrum Trebarum, Forentiu, & Vallis petri, in valle Spoletana. Caſtrum conſtruxit nobile, & munitum, in Caſtro Trebij, & cum vellet æſtiuos vitare calores, Montemflaſconem adijt, in quo Turrim ædificauit, & domum habitationis conſtruxit. Recuperauit Inſulam Marchanam à Iacobo de Vico 12. an-

F nis violenter occupatam, quæ Iuris Eccleſiaſtici erat. Recuperauit etiam Inſulam, quæ Bizantina ſolebat dici, Vrbanāmq; de nomine ſuo deinceps appellauit, & illam muniuit. Caſtrum item Valentani à Pandulpho Viterbio recuperauit. Caſtrum etiam Proculi, parum ab Spoleto diſtās, quod ſolebat Spoletanorum Oculus appellari. Acquiſiuit Caſtrum Mirandæ ab iniuſto poſſeſſore vſurpatum. Caſtrum etiam Bledæ, quod Petrus Præfectus, Romæ moriens, Eccleſiæ Romanæ reliquerat, & Petrus de Vico occupauerat, & retinuerat, Iure ſibi deberi probauit.

CASTRA ab Vrbano recuperata atque conſtructa.

Papa Vrbanus animaduertens, quantum detrimenti Imperium in Schiſmate pateretur, quantùmque eius dignitati, & præſidio Eccleſiæ derogaretur, volens hanc diſcordiam componere, & decerde-

VRBAnus agit pro pace inter Al-

phonſum Caſtellæ Regem, & Richardũ Cornubiæ Comitẽ.

te inter Alphonſum Regem Caſtellæ cognomento Sapientem, & Richardum Cornubiæ Comitem, Regis Angliæ fratrem, vterq; enim pro Cæſare ſe gerebat, & Imperium occupabat, eos coram Tribunali ſuo comparere præcipit, vt ius ſuum iuxta allegata reciperet, & finis tandem controuerſiæ imponeretur. Richardus nec comparuit, nec miſit, qui cauſam ſuam tueretur: legitimè occupatus Alphonſus ſuos Oratores miſit: ſed altera parte non comparente, terminus aſſignatur, & tempus aliud cauſæ abſoluendæ ſtatuitur. Interim Pontifex tecta aulæ Lateranenſis præ vetuſtate collabentia refecit.

COMETÆ apparitio.

Cùmque biennium fermè in Vrbeueteri (quæ vulgarius Oruietum dicitur) tranſegiſſet, Peruſiam ire parat, nonîſque Septembris ann. 1264. diſceſſit ab Vrbeueteri, Tudertum veniens. Anno autem eodem 1264. die Dominico vi. kalend. Auguſti in 11. gradu Leonis apparuit Cometes, qui reſtitit, retrogradu motu 13. Cancri gradu in occiduas partes gradiebatur, alter erat motus in meridiem xvi. kalend. Auguſti in Gallijs viſus, in Accon, quæ Ptolemaida dicitur, per id tempus animaduerſus etiam fuit in Syria. Quo apparente inuaſit dolor continuus Papam Vrbanum, ita vt interiora eius exiccarentur, adeò vt nec vocem poſſet emittere. Tudertum feſſus peruenit. Quinta die Caſtrum, cui Diruta nomen, attigit. Aſſiſium poſtea accelerare volens, vixque duas leucas itineris emenſus erat, cum interiora præ nimia anxietate cœperunt fortiùs premi. Inde equo deſcendens, lectica vehitur, & ad Caſtrũ peruenit inualeſcẽte dolore, hic 15. dies iacuit, morbúſq; ita inualuit, vt parua ſpes de vita ipſius haberetur.

VRBANI Obitus.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1264. VI. nonas Octobris, die louis lectica vectus de conſilio fratrum Cardinalium in burgum Peruſij, vbi Eccleſia eſt S. Petri, ibi ſuſceptis deuotiſſimè ſacramentis diem clauſit extremum Paſtor Vrbis, & Orbis: Corpus ibidem in Eccleſia Cathedrali S. Laurentij ſepultum eſt, cum ſediſſet annos 3. menſem 1. dies 4. Vacauit Romana ſedes menſes 4. dies 3. quinquennio ab eius obitu, Vitam, & geſta illius verſibus ſcripſit Thierricus Valliſcolor Poeta illius temporis haud ignobilis, adiutus ſcriptis, & relationibus Ancherij Presbyteri Cardinalis titulo ſanctæ Praxedis, nepotis eiuſdem Vrbani IV. Papæ.

Idem Vrbanus Pontifex multa in Vrbe Templa vetuſtate quaſſata, vt ſancti Hadriani, ſanctorum quatuor Coronatorum, Oratorium ſancti Syluestri refecit.

VRBANI res geſtæ.

Fuit Vrb. IV. craſſus, & corpulentus, pacis, atq; otij amantiſſimus.

Auximatibus dignitatem Epiſcopalem reſtituit, qua in ſeditionibus Friderici II. priuati fuerant.

Orthodoxam fidei confeſſionem à Michaele Palæologo Græco Imperatore ſibi exhiberi fecit.

Vrbanus verò externis negocijs vacuus, ſemper aliquid meditari, aut ſcribere ſolebat, Decretales Epiſtolas multas edidit, cuius Regeſti volumina duo in Bibliotheca Vaticana extant.

Inquiſitiones miraculorum, & vitæ B. Auguſtini Epiſcopi Nidioſtenſis, Staurragenſi Epiſcopo, Abbati de Holim, & Priori de ſancta ſede Hidrutenſis Diœceſis commiſit.

Aquilani Eccleſiam S. Simeonis tranſlatam inſtituit; Epiſcopo Pampilonenſi mandauit, vt Nauarræ Regem de more coronaret.

Non ſunt ex hiſtorijs, & ipſorum ſcriptis, ſub Vrbani IV. Pontificatu, viri doctrina, & ſanctitate præſtantes, Gualterij duo, ambo Epiſcopi, alter ex ordine Minorum Pictauenſis, alter Flander natu Magalinenſis, qui diuinæ, humanæq; Philoſophiæ aliquot opuſcula, quæ extant, ſcripſerunt; Pictauienſis quidem Sermones, Magalinenſis verò in Pſalterium Commentaria.

ALEXANder Dolẽſis ordinis Minorum ſcripta.

Alexander Dolenſis, Gallus, de Villadei dictus, ordinis Minorum, Grammaticus, Philoſophus, & Aſtrologus inſignis ſcripſit metro Leonino doctrinale puerorum, de ente grammaticæ, cuius vſus in ſcholis frequens fuit, item de Computo Eccleſiaſtico, & de Sphæra libellos, Sermones quoque, Epiſtolas, & varios tractatus edidit.

Philippus Canoellarius, & Doctor Pariſienſis, eiuſdémque Vrbis ſcholæ præfectus in ſacris literis exercitatiſſimus, Sermones in Pſalmos, Commentaria, & Summam Theologiæ condidit.

Fertur Vrb. ante Pontificatum, cuidam obſcuros natales ſibi exprobranti, reſpondiſſe, *virum non naſci, ſed fieri virtute nobilem.*

Signum 

Vrbani

PP. *IV.*

ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

¶ * *Patriarcha Hieroſolym.*] Alibi oſtendimus, nonnullos nondum Purpura inſignes ad D. Petri ſedem euectos.

* *iiij. kalen. Septemb.*] Eo die, ab octo Cardinalibus Viterbij creatus Pontifex. Panuinius in Chron.

* *Sedit ann. 3. menſ. 1. dies 4.*] Idem Panuinius loc. cit. & Genebrard. l. 4. Chron. Platinam ſequuti.

* *Oruietum &c.*] Ex Panuinij Annotatione ad vitam eiuſdem Vrbani à Platina editam.

* *B. Richardum Epiſcopum*] Literas canonizationis offendes tom. 1. Bullar. *Exultet Angelica tuba, Dat. Viterbij x. kalen. Martij, Pontific. ann. 1.*

* *Corporis Chriſti ſollemnitas .... inſtituta.*] Conſtitutio Vrbani IV. qua celebritatem ſanctiſſimæ Euchariſtiæ inſtituit, in piorum lectorum animis amorem, & reuerentiam, ſi piè, & attentè legatur, excitare poteſt: exiſtimauit autem Vrbanus conueniens, & dignum, vt de Diuino hoc Sacramento, ſuauiſſimo beatæ immortalitatis pharmaco, *Semel ſaltem in anno, ad confundendum* (vtor eius verbis) *ſpecialiter Hæreticorum perfidiam, & inſaniam, memoria ſollemnior, & celebrior habeatur.* Eam Conſtitutionem Clemens V. in Conc. Viennenſi ſeruari, iuſſit, Vide, *Clem. 1. de Reliquijs, & veneratione ſanctorum.*

Extat t. 1 Bullarij, & Clemẽ. 1. De Reliq. & vener. ſanctorũ.

* *De Reliquijs.*] *Clem. 1. de Reliquijs &c.* intellige.

* *Officium S. Thomas.*] Illud habes inter eiuſdem Angelici Doctoris Opuſcula, in Miſſali, & in Breuiario Romano: de illo etiam Platina in Vrbano, & D. Anton. p. 3. Hiſt. Tanti Sacramenti deuotione affectus Vrbanus IV. feſtũ inſtituit, D. Thoma teſte Opuſc. 57.

Geneb. l. 4. Chron.

* *Non ita tàm citò in Gallia.*] Poſt centum annos Papiæ Diuinum Chriſti Corpus in ferculo repoſitum in ſupplicatione celebri deferri cœpit. Genebr. ex Boſſij Chronico, qui mos deinde ad alias Occidentis regiones effuſus eſt: Andegauum in primis, vbi Berengarij, Andegauenſis olim Archidiaconi, virus ſacramentarium multorum animos infecerat, perdideràtque. Auguſtiſſimi Regis Chriſti præſentia in Sacramento fidelium preces vehementiores efficit: Chriſtum, magnis olim ſceleſtorum hominum iniurijs, & contumelijs affectum, honore proſequimur, & contra ſacrilegam Sacramentariorum impietatem, fidem, pro qua centies occumbendum nobis eſt, publicè profitemur.

loc. cit.

V. Genebr. l. c. & Petrum Maturum ad 3. p. Hiſt. S. Ant. tit.

* *In ..... S. Chriſtina*] Legebatur, *in Eccleſia Corporis Chriſti,* legendum autem erat in Eccleſia S. Chriſtinæ, vt, repoſuimus: in S. Chriſtinæ enim miraculum accidit: cuius Hiſtoriam marmore Vulſinij in eodem Templo cælatam; iiſdem verbis exceptam Monaldus Monaldenſis, lib. 7. Comment. Hiſtor. Vrbiſueteris; publicæ vtilitati exhibuit. De eodem miraculo Aeneas Syluius, lib. 4. Comment. & Panuinius, (ex quo Ciaconius) ad vitam Vrbani IV. D. Ant. par. 3. Hiſt. tit. 19. cap. 3. § 1. Pet. Matur. ibid. Nic. Ser. lib. 2. cap. 9. De Proceſſ. Gretſ. Diſſert. pro feſto Corporis Chriſti.

* *Cometes.*] De Crinitæ ſtellæ apparitione Valliſcolor loc. cit.

Apparente quidem prædicta luce Cometa,
Inuaſit Dominum continuando dolor.

De eadem in morte Pontificis.

Quo moriente, velut mortem cognoſceret eius,
Apparens minime ſtella comata fuit.

* *Vacauit ..... Sedes menſ. 4. dies 3.*] *menſ. 4. dies* 2. Panuinius in Chronico: *menſes quinque*, Platina, & Genebrardus loc. cit.

Inſtituit Vrbanus IV. Regulam ſecundam ordinis S. Claræ. *Dat. Apud Vrbemueterem xv. kalen. Nouembr. Pontific. anno* 3. Vide tomo 1. Bullarij.

Matthæi Pariſ. & Philippi Mornæi criminationes Vrbano non pepercere: ſed illæ inanes, & falſæ petulantiam auctorum produnt; & religioſi, ſapientiſq; Pontificis famæ, (cum vera non ſit laus, à non laudatis laudari) magis proſunt, quam obſint.

Mag. Simonem Canonicum Patauinum in Presbyterum Cardinalem promouendum Vrbanus duxerat euocandum: at audiens de illo nonnulla virtutibus, quibus nitere ſacri Præſides debent, aduerſantia, ſubſtitit: & tres delegit Purpuratos, qui in illum diligenter inquirerent, lege, quæ affero Diplomata ex Vaticano Vrbani Regiſtro excripta olim à docto amico.

VRBANVS EPISCOPVS &c.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

Licet dilectum filium Magiſtrum Simonem Canonicũ Paduan. promouendum in Presbyterum Cardinalem Eccleſiæ Romanæ de fratrum Noſtrorum conſilio duxerimus euocandum, diligẽti tamen cum eiſdem fratribus deliberatione præhabita, & auditis, ac intellectis ipſorum conſilijs, definimus, decernimus, ac præſenti edicto ſtatuimus, quòd idem Simõ priuſquam per Nos in Presbyterum ſit promotus, nequaquam in Collegium, ſeu conſortium, vel ad tractatus, aut conſilia Cardinalium admittatur, nec de ipſorum habeatur, aut reputetur Collegio, ſiue quantum ad conſilia, vel tractatus, ſiuè quantum ad partem habendam de communibus obuentionibus, vel quantum ad quæcunque alia, ad quæ Cardinales Eccleſiæ memoratæ conſueuerunt admitti, nec Cappellum Rubeum, vel alia Cardinalatus inſignia interim deferat, vel vtatur eiſdem: cum autem tempus aduenerit ordinationis faciendæ competens, Nos cõſideratis his, quæ interim de ipſo Simone, ſeu circa ſtatũ eius inuenerimus, faciemus, auctore Domino, quod fuerit faciendum: Nulli ergo &c. Dat. Viterbij v. Idus Ianu. Pontif. noſtri anno 1.

VRBANVS EPISCOPVS &c.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

Licet dilectum filium Simonem Canonicum Paduan. promouendum in Presbyterum Cardinalem Eccleſiæ Romanæ de fratrum Noſtrorum conſilio duxerimus euocandum; tamen quia poſtmodum

quædam fuerunt de ipſo apud ſedem Apoſtolicam relata, & audita ſiniſtra ſuper incontinentiæ vitio, concubinatu, conuerſatione inhoneſta, & illicita, & quod habitum ab honeſtate Clericali geſtauerit alienum, quodque aliàs vitam ducebat, & duxerat diſſolutam, de ipſorum fratrum conſilio, aſſiſtentibus Nobis ven. fratre Tuſculano Epiſcopo, & dilectis filijs Noſtris I. Portuen. electo, & I. S. Nicolai in Carcere Tulliano Diacono Cardinali ad inquiſitionem famæ ipſius Simonis ſuper præmiſſis duximus procedendum, & quia per inquiſitionem huiuſmodi, & alias etiam ipſum de prædictis comperimus infamatum, inualeſcente quotidie in præmiſſis, & alijs infamia contra eum, adeò quòd ſalua conſcientia, & eiuſdem Eccleſiæ Romanæ honore prætermittere, vel negligere non poſſumus, nec debemus, quin ſuper his vlterius procedatur, requiſitis, & intellectis eorundem fratrum Noſtrorum cõſilijs, inquiſitionem ſuper præmiſſis omnibus, & eorum ſingulis, ipſa contingentibus decernimus faciẽdam. Nulli ergo &c. Dat. Viterbij vij. Idus Febr. Pontif. Noſtri anno 1.

ADDITIO ABB. FERDINANDI VGHELLI Ordinis Ciſtercienſis.

¶* *Anno 1264. Sanctiſſimi Corporis Chriſti ſollemnitas.*] Hiſtoriam huius feſti inter alios ſcripſerunt Ioannes Blærus Diſtemius Prior Cœnobij ſancti Iacobi Leodienſis, & eruditus, piuſq; vir Franciſcus de Buiar in vita B. Iulianę huius feſti ex diuina reuelatione inſtitutricis, beata enim Iuliana Cornelienſis Virginibus inſtituti Ciſtercienſis in Cornelio monte ad muros Vrbis Leodienſis diuina reuelatione, monitiſque per annos 20. compulſa inſtitutionem feſti Venerabilis Sacramenti Altaris ad Orthodoxæ Religionis augmentum, in primis promouit, re omni cum Iacobo Trecenſe Canonico, & Archidiacono Leodienſi (qui poſtea Vrbanus eo nomine Quartus Romanus Pontifex fuit) itemq; cum Guidone Cameracenſi Epiſcopo, & Hugone tunc Prædicatorum ordinis Prouinciali, inde S. R. E. Cardinale, alijſque viris integerrimis communicata. Huius etiam Iulianæ hortatu Ioannes monachus in Cornelio monte Deſeruiens de Venerabili Sacramento Officium Eccleſiaſticum proprium, cuius hoc eſt exordium, *Animarum Cibum*, concinnauit; quod à ſupranominatis, alijſque magnis viris approbatum Leodio Tungris, & alibi in vſu fuit, priuſquam ab Vrbano IV. officium à S. Thoma Aquinate compoſitum, eſſet publicatum. Porrò Vrbanus iam Põtifex creatus feſtum à ſe Leodij olim celebratum per vniuerſum Orbem quotãnis cum ſollemni ſupplicatione coli, ſeruariq; præcepit. Ideòq; ſi vniuerſalem eius feſti inſtitutionem conſideres, iure cum D. Thoma Opuſc. 57. Vrbanum inſtitutorem agnoſces. Vide Conſtitutionem *Tranſiturus de hoc*: tomo 1. Bullarij, quam Conſtitutionem ſeruandam eſſe ſtatuit in Concilio Viennenſi Clemens V. vide *Clement. 1. de Reliq. & Vener. ſanct.* Sanè ipſe Vrbanus in ſupraſcripta Conſtitutione, ait ſe in minori officio conſtitutum intellexiſſe, quibuſdam Catholicis fuiſſe reuelatum, feſtum huiuſmodi generaliter in Eccleſia celebrandum. Quibus verbis, quod de B. Iuliana diximus, fortaſſe innuit. Non deſunt autem, qui ſcribant, Vrbanum Quartum ex miraculo Vrbeuetani Corporalis occaſionem arripuiſſe eius feſti, & ſollemnitatis, inſtituendi. Cæterum Iuliana pro Chriſto peregrina, Foſſis, quod Oppidum eſt prouinciæ Leodienſis obdormiuit in Domino, tertio poſt obitum die ad Villarienſe in Brabantia Cœnobium tranſlata, & ſacra inter corpora honorificè condita. Vita eius libris duobus completa, in qua fuſiùs de Conſtitutione huiuſmodi habetur extare dicit in Rubæuallis Cœnobio apud Bruxellam, alibique m.s. Aubertus Miræus in Chronico Ciſtercẽ à quo hæc hauſimus. Græterum conſule libro de Inſtitutione feſtorum dierum.

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI SOCIETATIS IESV.

LICET Panuinius, & alij nouem affirment Sanctæ R. E. Cardinales affuiſſe electioni Vrbani huius nominis Quarti, Theodoricus tamen Vallicolor octo tantùm Cardinalium, duorum nimirum Epiſcoporum, totidem Presbyterorum, & quatuor Diaconorum, qui Vrbanum renunciarunt, nomina, patriam, ac titulos, tum mutua diſſidia, his verſibus incomptis quidem, ſed veritati proximis recenſet.

Cardinales octo, qui Vrbanum in Pontificem elegerant.

VRBANI feſto naturæ debita ſoluit
Quartus ALEXANDER ſummus in Orbe Pater:
Vnde Pater mundi ſolum pandebat in octo
Fratribus, ipſorum nomina ſcire potes.
Iſti Pontifices prior Odo, Stephanus alter,
Gallicus iſte fuit, Vngarus alter erat.
Totque Sacerdotes, genuiſſe Sabaudia primum
Dicitur Hugonem, qui Iacobita fuit.
Alter, quem fouit Ciſtercius ordo Ioannes
Nomine, natalis Anglia terra ſibi.
Iſti Leuita, Richardus, & Octauianus,
Progenie clarus fulſit vterque ſatis.
Romanus primus, Tuſcus fuit Octauianus,
Hic aberat mundi fata ſequente Patre.
Romanus patria tertius Leuita Ioannes,
Othobonus quartus, Ianua terra ſibi.
Sanguine progenitus præclaro fulſit vterque,
Hi ſunt qui poterant octo patrare Patrem.
Sic opifex rerum tantas in idonea lites
Tempora diſtulerat, cuncta futura ſciens.

Renunciatum Vrbanum S. Ioannis Baptiſtæ Decollationis die feſto tradit Longinus; ad cuius dignitatis ſupremum apicem, quibus gradibus aſcenderit, tum illius primordia recenſere ex duobus auctoribus, qui tum metro, tum ſoluta oratione eius geſta futuris temporibus ad Antheri nepotis Cardinalis gratiam, preceſque tradiderunt, decerpere quis poterit. Ac primùm quidem illius patriam, ac primam vitæ inſtitutionem ita deſcribit Gregorius Decanus apud Maſſonium: *Huic de Catholicis orto natalibus Trecarum Ciuitas nemini proprio cognomen adiecit, quæ Ciuitas famoſa populorum frequentia, & nemoribus, & pratis amœna dulcem habitatoribus exhibet ſuis amœnitatibus.* Parentum conditionem auctor premit ſilentio, quam humilem, & obſcuram fuiſſe aiunt; at quamuis ignobili ſtirpe fuerit ſatus, tamen in pueritia egregiè excultum, vt proprijs ornamentis non alienis abundaret, laudatus auctor refert. *Idẽ vir dilectus Deo, & hominibus, dum adhuc eſſet paruulus, Pariſius mittitur, vt ibi armariolum puri pectoris Scholaſticis imbueret diſciplinis. Vbi ſic laudabiliter primo in Liberalibus artibus, poſtmodum in ſcientia Iuris Canonici superni numinis benedictione profecit, quod in vtriſque Cathedrali promeruit titulo inſigniri. Cumque ipſius excellentis ingenij altitudo maiorum profunda requireret facultatem, ad Theologiæ ſtudium ſe conuertit, in qua ſic laudabiliter dignoſcitur profeciſſe, quod lingua eius ſcribæ calamus prædicationis verbo ſingulos conſonebat. Solum natale tandem repetens, eius eximia ſapientia, & ordinata vita fama laudabilis ad vicinos euolat, & remotos. Itaque honorabilis Præſul Laudunenſis Eccleſiæ eum in ſuum Archidiaconum euocauit; in qua Eccleſia laudabiliter vixit, & honeſtæ conuerſationis habitum ſtuduit conſeruare.* Ante Archidiaconatum Laudunenſem, Canonicatum Tricaſſinum obtinuerat, vt ipſemet teſtatur ſuis literis ad Clerum Laudunẽſem ſcriptis, poſtea Leodij eadem dignitate decoratur. Theodoricus Vallicolor reliquos honorum gradus in Laudunenſi Eccleſia, & alibi ab Vrbano adeptos ita deſcribit.

Vrbani patria.

Progreſſus in literis.

Bzou. in Annal. Petrus Frizonus Gall. Pur. Dignitatibus.

Expediebat enim Mundi perque omnia patrem
Plurima vidiſſe, plura docere ſuos:
Vt dominus factus dominari ſciret, & eius
Compatiens ſeruus, ſciret vtranque viam
Præſulis hic primo Lauduni Clericus, inde
Parochiæ dictæ Rector in Vrbe fuit
Poſt hæc Canonicus Lauduni factus, in illo
Quæ fiunt opera fert ſua fama ſatis.
Corde tenus Domini lex, eius paſſio, primò
Colloquijs eius Virgo beata fuit.
Canonicum poſt hæc ſuſcepit, & Archileuitam
Leodium tanti nouerat acta viri.
Dogmate virtutis cum ſic radiaret, ad aures
Summi Pontificis venerat eius odor.
Hinc Pomerania, Liuonia, Pruſſia poſcunt
Legatum, cuius prouida vita foret.

Et infra.

Qualiter in tanto ſe geſſerit officio, cur
Dicam? tæderet innumerare nimis.
Lites ſedauit, pacem ſtabiliuit, ab omni
Muneris excutiens accipiente manus.
Theutonicos fines iterato viſere iuſſus,
Mittitur intendens pacificare viros.
Nam Rex Vuillermus electus in Imperiales
Sedes, hos ſanos ſenſerat atque feros
Quis dum commiſſis curis intendere vellet,
Mancipat hunc quidem nobilitate potens
Carcere; qui clauſus eſt paſſus vincla, labores:
Nec tamen Omnipotens immemor huius erat:
Sed monſtrans in eo miracula, liberat illum
Clam ſic ad propria tecta reuerſus adeſt.
Poſt hæc Lauduni fuit Archidiaconus, inde
Prædictus Papa Pontificauit eum

De alijs geſtis dignitatibus, Virdunenſi nimirum Epiſcopatu, Patriarchatu Hieroſolymitano, & ſummo Pontificatu hæc Gregorius Decanus conſignat hiſtoriæ. *Poſtmodum vero Verdunenſis Eccleſia obeunte Pontifice, dictus vir Deo plenus in eiuſdem Virdunenſis Epiſcopum honorabiliter eſt aſſumptus: cui Verdunenſi Eccleſiæ cum aliquantis temporibus famoſiſſime, & vtiliter præfuiſſet; odor eius bonorum operum montes tranſiliens, & mare perluſtrans, ad partes vltramarinas peruenit, vbi ſic corda incolarũ de illis partibus commouit, & ſuauitate morum refecit; quòd Hieroſolymitana Trecenſis Iacobus beato Iacobo fratri Domini in tam eximio Patriarchatu ſucceſſit, in quo quidem Patriarchatu ſic Patriarchis præfuit, & profecit, quod peregrini, & incolæ ipſarum partium Patrem, & Paſtorem amabilem ſe habere gaudebant. Porro cum pro Terra Sancta ſubſidio, & eiuſdem Hieroſolymitana Eccleſia vtilibus, & arduis*

A

negocijs idem Pater neceſſe habuiſſet ſedis Apoſtolicæ limina viſitare, nauigij ſubſidio maris pelagus nauigauit, & ad Ciuitatis Venetiarum litora veniens, & ad Ciuitatem Anagninenſem, vbi tunc ſedes Apoſtolica reſidebat, ſe tranſtulit: in qua à bonæ memoriæ Domino Alexandro Papa IV. qui tunc Romanam regebat Eccleſiam, ab eius fratribus Dominis Cardinalibus, & tota Curia honorificè ſuſceptus, & benignè, in eadem Ciuitate aliquantis temporibus conquieuit. Subſidium Terræ Sanctæ, & negocia Eccleſiæ Hieroſolymitanæ prædictarum felici cõſilio promouens, & procurans. Eodem verò Alexandro Papa in Ciuitate Viterbienſi, ad quam cum tota Curia, & eodem Patriarcha ſe tranſtulerat, diem claudente extremum, ipſa Romana Eccleſia trimeſtri vacante, eiſdem Cardinalibus inimico homine ſuperſeminante diſcordiam, non valentibus concordare. Sed cum Dei ſapientia ab æterno alto prouidiſſet conſilio eundem Iacobum, quem Archidiaconum, Epiſcopum, & Patriarcham iam fecerat, ſummi Pontificatus faſtigio honorare, eorundem

B

Cardinalium corda ſic diſparia ad tantam concordiam, & paritatem adduxit, vt concordi voto, voce, & animo eundem Iacobum in ſummum Pontificem acclamarent; quem ijdem Cardinales ad tantæ dignitatis ſic promotum apicem Vrbanum Papam IV. cum ingẽti gaudio vocauerunt. In cuius promotione gaudet Clerus, & Populus, lætatur Mater Eccleſia, & cuncti Fideles iubilant, & exultant: O magna Dei Patris prouidentia, ò altitudo diuinæ Sapientiæ, quæ tãto, & tali Paſtore ſuam Sponſam Matrem Eccleſiam illuſtrauit.

Fidelium preces implorat.

Romanus renunciatus Põtifex Vrbanus, ne ſub oneris mole animo deficeret, fideliũ apud Deũ preces enixè implorauit, literis encyclicis ad Præſules, ac Principes datis. Beneficia quamplurima Apoſtolica in S. Ludouicum Galliarum Regem, ad eius pietatem alendam

Legatos mittit ad S. Ludouicum. Oder. Rinal. to. 14. Annal.

contulit, atque ad eum cum literis Archiepiſcopum Coſentinum atque Simeonem de Bria Cardinalem Legatos miſit primò, vt ei perſuaderent profectionem fratris Caroli in Italiam contra Mãfredum,

C

& de ſuſcipiendo Regno Neapolitano agerent; ſecundò pro Chriſtianis ab infidelibus in Palæſtina detentis; tertiò ad dandũ auxilium Michaeli Paleologo Imperatori Conſtantinopolitano. Guillelmum

Petr. Frizo in Gallia Purpur.

Ad Regẽ Angliæ.

Sacelli Pontificij Sacerdotem Archidiaconum Pariſienſem in Angliam primò deſtinauit, vt Henricum Regem ſacramenti religione, quo ſe Proceribus ad communicanda cum illis patefacta ſibi Pontificia arcana deuinxerat, ac etiam omni alterius iniqui iuris iurandi nexu liberaret. Mox Guidonem Epiſcopum Sabinenſem in rebus politicis verſatiſſimum, qui poſtea ſummum Pontificatum accepto

Contra Manfredũ

Clementis nomine geſſit, eò deſtinauit. Ad reprimendos verò Manfredi conatus, tres Legatos creauit, Simeonem nimirum tituli ſancti Martini Presbyterum, Matthæum S. Mariæ in Porticu, & Othobonum S. Hadriani Diaconos. Primum Piceno ad lapſas res ob cladem inſignem à Comite Iordano Manfredi Duce Simoni electo Veronenſi illatam reſtaurandas; alterum Patrimonio beati Petri in

D

Tuſcia ad Petri è Vico, qui Germanico equitatu à Manfredo acceptoraſſabatur, impetus reprimendos; tertium Peruſino Comitatui cum ampliſſima in pluribus Prouincijs Legati poteſtate præfecit, eumque propoſitis indulgentiarum præmijs, ac dato Crucis ſymbolo fideles ad ſacram militiam pro tuenda aduerſus crudeliſſimos hoſtes Eccleſiæ iuſſit accendere.

Petr. Frizõ in Gallia Purpur. Mediolanum interdicit.

Mediolanum interdicto ſubiecit, ob reiectum Archiepiſcopum Othonem; ad reſtituendum Palentiæ Hiſpaniarum Ciuitati literarum decus, quodadmodum deſfloruerat, Apoſtolica auctoritate eas prerogatiuas Palentiæ doctoribus, & Scholaſticis, quibus Pariſienſis, alteriuſue loci Academia potiretur, impertijt, vt Hiſpanos ad

Palentiæ Academia priuilegijs decorata. Oder. Rinald. in Annalibus.

ſcientiarum decus cum armorum gloria coniungendum incitaret. Cum autem irrepſiſſent ad Eccleſiaſticos honores in Sardinia, & Corſica impares doctrina, & virtutibus viri, vnde diuini numinis cultus exoleſcebat, ad illum reſtituendum Pontifex Turritano Ar-

Archiep. Turritan. Legatum in Sardinia.

E

chiepiſcopo in ijs inſulis obeundam Apoſtolico nomine legationem demandauit, ac literis Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, & alios dignitate Eccleſiaſtica decoratos, cum honore debito, & amore complecti iuſſit. Legato verò imperauit, vt in Præſules Inſularum Sardiniæ, & Corſicæ, qui doctrina tanto gerendo muneri neceſſaria

In Epiſcopis doctrinã, & ſanctitatem exigit.

ornati non eſſent, inquireret, atque ad ſedem Apoſtolicam, iuſtam ſententiam excepturos tranſmitteret. Nec doctrinam modò, verùm etiam vitæ ſanctitatem in Præſulibus exigebat, vt oſtendunt datæ ad Epiſcopum quendam, quem vitijs dignitatem contaminaſſe fama attulerat. *Si quando*, inquit, *Eccleſiarum Prælatos, quos diuina diſpoſitio ſtatuit per altitudinem dignitatis in ſpecula, vt quaſi lucerna ſuper candelabrum poſiti alijs doctrina lumine viam veritatis oſtendant, & eos ad ſalutem laudabilium operum vehiculo exem-*

F

plari ducant, prolabi contigerit in deuium; cum peccantium ſublimitas maiora faciat iudicia peccatorum, tanto ipſi maiori profectò reatu delinquunt, quanto potiori honore funguntur; & eo periculoſior eſſe dignoſcitur lapſus ipſorum, quo ingrauius eorum cedit exitium, & in ſubditorum vergit perniciem per exemplum; ipſi namque laxando, inſtigante humani generis inimico, voluntatum habenas, ſemet in lacum miſeriæ, ac in lutum fæcis immergunt, & qui deputati fuerant ad directionem, & regimen populorum, facti eis in damnationem potius, & ruinam, ſe tot mortibus dignos reddunt, quot ſubditos perditionis exempla tranſmittunt.

Egregium verò Vrbanus Chriſtianæ manſuetudinis exemplum

A

in condonandis iniurijs præbuit omnibus; cum enim ad eſſerendas, ac tuendas Vuillelmi Regis Romanorum partes, Nuncij Apoſtolici in Germania munus ſuſtineret, à nonnullis hoſtibus captus, ac vinculis traditus, è quibus non ſine miraculo paulò poſt ereptus eſt; adeptus autem Pontificatum, licet iniuriam vlciſci facillimè poſſet, noluit, haſque dedit literas Priori fratrum ordinis Prædicatorum, tanto Pontifice dignas, quas ſilentio prætereire non iudicauimus.

Vrbani in hoſtes Clementia.

VRBANVS SERVVS SERVORVM DEI
Priori fratrum ordinis Prædicatorum in confluentia
Treuirenſis Diœceſis.

Gemma nulla ſplendidior in ſummi Pontificis ornatu geritur, quam ſit humilitas, regina virtutum omnium, & corona præfulgida electorum, nec non diuinæ gratiſſima Maieſtatis oculis, & perpetuæ meritoria claritatis. Hæc etenim Cæli decus, & terræ decorem,

B

cæleſtis Agni benignitas ita Nobis per ſuam gratiam amabilem reddidit, & noſtris affectibus cum ſincera charitatis inſignijs alligauit. Quod ſpinam omnis odij, ſeu rancoris a corde noſtro præcidimus, & dilectionem illorum in ipſo firmiſſime ſolidamus, qui noſtram innocentiam quandoque calumnijs, & interdum grauibus affixere iacturis. Sanè tunc temporis, quo felicis recordationis Innocẽtius Papa Prædeceſſor noſter Lugduni manebat, Nos (qui Archidiaconatus Laud. officio eodẽ tempore fungebamur, de ſpeciali mandato Prædeceſſoris eiuſdem ad partes Alemanniæ pro quibuſdam Eccleſiæ Romanæ negocijs accedentes) Hermannus Vullerſdorp miles ſenior, ac Hermannus iunior, & Conradus eiuſdem loci fratres, nec non Euerardus de Bicken laici, cum quibuſdam ſuis complicibus Treuirenſis Diœceſis auſu capi ſacrilego, & ſpoliatos quibuſdam equis, ac certa pecuniæ ſumma, & quampluribus alijs bonis noſtris detineri fecerunt aliquandiu captiuatos, clementiſſima Regina Cæ-

C

lorum illam Nobiſcum miſericordiam faciẽte, quod de captiuitate huiuſmodi per ſuæ virtutis auxilium fuimus liberati. Nunc autem Hermannus iunior, & Conradus, ac Euerardus prædicti, ſicut ipſi Nobis ſignificare curarunt, ad cor, Domino inſpirante, reuerſi, illa prædictorum bonorum parte, quæ prouenit eiſdem, ac etiam de illatis iniurijs parati sũt Nobis ſatiſfactionem iuxta ſuæ poſſibilitatis exigentiam impertiri. Quare humiliter petebant à nobis, vt cum ipſi propter inimicitias, quas ſe incurriſſe aſſerunt capitales, & viarum diſcrimina grauiora, ad præſentiam Noſtrã venire nõ poſſint, dictumque Hermannum ſeniorem iamdudum ex quodam pietatis affectu abſolui fecerimus, per te ipſum prouidere ipſis in hac parte ſalubriter curaremus. Quia verò illius officij dignitatem Nos licet immeriti, ex diuina prouiſione ſuſcepimus, in quo, & inimicos diligere, & perſecutoribus Noſtris etiã pie teneremur orationis ſubſidio ſubuenire, diſcretioni tuæ præsẽtium auctoritate committimus, qua-

D

tenus Hermannum iuniorem, Conradum, & Euerardum prædictos, cum ſuper hoc ab ipſis fueris humiliter requiſitus, ab excommunicationis ſententia, quam propter præmiſſa incurriſſe noſcuntur, vice noſtra iuxta formam Eccleſiæ prorſus abſoluas, & iniungas eis pœnitentiam ſalutarem. Ceterum eiſdem poſtquam abſolutionem huiuſmodi ſecundum præmiſſam formam fuerint aſſecuti, benignè denũcies, quod omnem iniuriam, & offenſam irrogatam Nobis ab ipſis, eis remittimus, & emendam, ſeu reſtitutionem pecuniæ, ſeu bonorum, in qua pro damnis illatis teneri perſonæ Noſtræ noſcuntur diuinæ pietatis intuitu liberaliter relaxamus, iniungens eis nihilominus in virtute præſtiti iuramenti, quòd abſtineant de cetero ab huiuſmodi iniurijs, & rapinis. Dat. apud Vrbemveterẽ vij. Id. Iul. anno 3.

Aliæ Vrbani literę ſententiarum pondere graues extant in formulario m. s. Marini Ebuli Vaticani Archiuij ad ſororem Sanctimonialem initio Pontificatus nulla inſcriptione conſignatæ, quas Fr. Lucas

Literæ ad Sororem.

E

Vvaddingus ab Vrbano ad ſororem Agnetem ſcriptas refert, atque his hunc titulum præfigit: *Agneti Monialium Monaſterij S. Mariæ Montis lucidi Pariſin. ordinis S. Damiani ſorori noſtræ:* quæ cum mirum in modum huiuſce Pontificis ſanctitatem explicent, prętermittendæ à nobis non ſunt viſæ.

Mirandum fortè æſtimas dilecta in Chriſto filia, & Soror in carne, poſtquam ad illud Apoſtolici culminis pœnale faſtigium, quod quidẽ animæ Noſtræ deliberatio non elegit, Nos diuinæ volũtas diſpoſitionis, & veniam non indignationis aſſumpſit, anxiam te ſuſpẽdit aliquantulum Noſtrarum expectatio literarũ. Verum alia Noſtram, & alia diſponit, vt credimus cogitatio mentem tuam: nam etſi forſan de gradu Noſtræ promotionis exultans, quaſi aliquid in Nobis tibi proſperè ſucceſſerit, expectes animæ cordis tui gaudiũ ſuper hoc inſinuationis Noſtræ relatione compleri. Nos tamen tan-

F

quam triſtia paſſos, non læta in eo, quod de Nobis contigit, aſſecutos, niſi ijs, quos Nobis in aduerſis compati credimus, referre tam urgẽtem cauſam Noſtræ amaritudinis non delectat. Nempe ſi adhibitos Nobis in hac graui Noſtra mutatione ſentires aculeos punctionum, quibus ad imponendam infirmis humeris grauiſſimam Orbis ſarcinam, & ad quotidianam vniuerſalis Eccleſiæ ſollicitudinem inſufficientibus viribus tolerandam impellimur, iudicares vtique non congaudendum Nobis, ſed profuſis lacrymarum imbribus condolendum, & quibus præcordia Noſtra iſtius altitudinis, in quam venimus, inquietationibus quatiantur, affectares potius ignorare, quam ſcire. Tunc beatitudinis alicuius gloriam eſſe putas de honoris celſi-

tudine,

[tu]dine, qua præminere videmur, nos interius affici noſtro iudicio, & exterius haberi felices iudicio alieno? potius illos felices iudica, quorum Crux patet exterius, ſed latiorem habent interius unctionem. Significanda tibi hæc quidem fuerant, vt afflictionem viſcerum noſtrorum, qua calix iſte, quem coacti ſumus bibere, conturbauit, partibus nobiſcum gemitibus patiaris, quæ ſola ex animo, tanquam proximior nobis præ ceteris in Domino, & in carne, in aſperitate quacumque adurente cor noſtrum dolere crederis vicem noſtrã. Sed quando vocationis vox illa terribilis in auribus noſtris intonuit, quæ nos in hanc periculorum eminentiam ſupremæ ſpeculationis intruxit, tantus nos ſtupor abſorbuit, quod potius mirari potes, & quærere ſi quid nobis remanſit virium, ſi quid mentis, quam mouere de noſtra taciturnitate querelam. Adde quod inter ipſa noſtræ promotionis auſpicia nos frequens turbatio negociorum impedit, & difficultatum vndique ingruentium inuoluit, ita, quod nulla quietis noſtra vacua curis hora relinquitur, & cordi noſtro tempeſtuoſo ſunt B *etiam dormientibus nobis noctis ſilentia intempeſta. Itaque dolere ſuper nos potius, quàm lætari te conuenit, quòd ſupra vires opprimimur iugo, quod impoſitæ ſeruitutis anxietatibus cruciamur, quod negociorum ſupergredientium caput noſtrum vexamur laboribus, quos niſi diuina clementia, & pia Eccleſiæ patrocinia infirmitatem noſtram adiuuerint, quomodo poterimus ſuſtinere? Ergo filia, quæ trãquilla ſedes ad pedes Domini, extra tumultus ſeculi frueris optima portione, nos tam graui occupatos miniſterio, tot iniuncta ſollicitudinis turbationibus inuolutos adiuua quæſumus coram Deo ſuffragijs, quibus potes. Speramus enim, quod ſi ad aures Domini clamorem cordis tui affectus intenſior introducat, plenius nobis diuini fauoris auxilium impetrabis, & tam tibi ad meritum, quam nobis ad cõſolationis ſolatium bene erit tum in miniſterio Domini negocium noſtrum tuo ſenſerimus otio releuari.* Hæc Vrbanus ad ſororem; hanc tamen literas non ad Vrbanum, ſed ad Clementem IV. ſpectare* C nonnulli affirmarunt, cum inter Clementis literas inſerantur in formulario Marini Ebuli, idque ſtyli ratio innuere videtur. Præter ſuperiores ſcripſit Vrbanus alias multas literas, earumque volumen manuſcriptum aſſeruatur in Vaticano: Scripſit etiam Metaphraſim in Pſalmum 50. quam habes in Bibliotheca veterum Patrum, & Deſcriptionem Terræ Sanctæ, qua Adrichomius vſus eſt in Theatro Terræ Sanctæ. Vrbano Romano Pontifici primam partem Catenæ Aureæ, & Tractatum contra errores Græcorum dedicauit ſanctus Thomas Aquinas.

Odor. Rinald. in Annal. to. 14.

Vrbani ſcripta. Nomencl. Cardinal. Ludou. Iacob. a S. Carol. in Bibl. Pont.

Caſtil. in hiſt. Prçd.

Militia B. Mariæ viuendi formam præſcribit.

Hippol. Marracc. in Pontif. Marian.

Eccleſiæ iura defendit.

Baron. l. g.

Crucis piam militiam contra Græcos Schiſmaticos indixit: prolationem nominis Mariæ ſacris Indulgentijs ditauit, nouoque ordini militiæ B. Mariæ Virginis formam viuendi præſcripſit, vt viduarum, & pupillorum curam ſuſciperent, vt paci componendæ ſeruirent: viuebant ſuis in ædibus cum vxoribus, & liberis tunica alba, & ſubcinericia toga induebantur, Crucem purpuream in campo al- D bo, ſuprapoſitis ſtellis præferebant. Aes alienum, quod Romana Eccleſia propter defenſionem iurium, ac bonorum ſuorum contraxerat, Florentinis, ac Senenſibus diſſoluit; Terras, ac iura Eccleſiæ à Raynaldo Rubeo occupatas, Trebarum, Ferenonti, Cheſæ, & Vallis Petri Caſtrum Marcham à Petro Vico, inſulam Marchanam à Iacobo Bicquo, inſulam Vrbanam, aliàs Bizantinam, Caſtrum Valentiarium à Pandolpho Viterbienſi, Terram Arnulphorum à Spoletanis recuperauit; Theutonicos milites ex Patrimonio ſancti Petri, Sutrinorum, & Pandulphi Comitis Anguillariæ ope profligauit. Inquiſitorum omnium caput, & quaſi Patronum conſtituit Ioannem Caietanum Vrſinum Cardinalem S. Nicolai in Carcere, ne Inquiſitoribus Italiæ, aliarumque prouinciarum opus eſſet, grauibus difficultatibus occurrentibus ſummum Pontificem adire, ſed per literas Cardinalem conſulerent, qui grauiora quæque cum ſummo Ponti- E fice conſultaret; ſancti Aegidij Abbatis, & Confeſſoris feſtum duplici ritu expreſſa conſtitutione mandauit coli in Gallijs: Calenſibus ciuibus Epiſcopalem dignitatem, omnemque iuriſdictionem, qua & ab Alexandro IV. & ab ipſo dudum fuerant priuati reſtituit, vt docent eiuſdem literæ ad illos datæ anno 1264. quas ex Regiſtro Vaticano, & ex Annalibus Bricchij reſcripſit in tomo 2. Italiæ ſacræ Ferdinandus Vghellius. Cœleſtinorum ordinem confirmauit. Tandem ætate, & morbo confectus è vita exceſſit Peruſij ann. 1264. die ij. Octobris, vt dictum eſt ſupra à Ciaconio, & ſepultus in eiuſdem Vrbis Cathedrali cum ſequenti Epitaphio.

Ioannes Caietanus Vrſin. Inquiſitorũ Patronus.

Alphõſus Ferdin. in Cõc. Prædic. cont. Hæretic. Sauſſay in Martyrol. Gallican.

Thel. in ſua hiſtor. Cœleſtinor.

Epitaphiũ Vrbani. Ludou. Iacobil. a S. Carol. in Bibl. Pont. Luc. Vuad ding. to. 2. Annal. Minorum.

ARCHILEVITA FVI, PASTORQVE GREGIS PATRIAR- }
TVNC IACOBVS, POSVI MIHI NOMEN AB VRBE MONAR- } CHA
TVNC CIVIS EXIVI, TVMVLI POST CONDOR IN AR- }
TE SINE FINE FRVI, TRIBVAS MIHI SVMME GERAR- }

Vrbani, vti etiam aliorum duorum Pontificum cineres noua hac F Inſcriptione exornauit D. Napoleo Comitolus Epiſcop. Peruſinus.

✠ OSSA ✠
TRIVM ROMANORVM PONTIFICVM
QVI PERVSIAE OBIERVNT
INNOCENTII III. VRBANI IV. MARTINI IV.
AN. MCCXVI. AN. MCCLXIV. AN. MCCLXXXII.
AB HVIVS TEMPLI SACRARIO
HVC TRANSLATA
AN. MDCXV.

Vrbani memoria colitur, vt ſancti; apud Philippum Ferrarium in Catalogo ſanctorum, qui non ſunt in Martyrologio Romano, pridie Kal. Octobris his verbis: *Romæ S. Vrbani Papæ IV. qui feſtum Sanctiſſimæ Euchariſtiæ inſtituit.* maxima quoque celebritate colitur apud Trecenſes, qui Templum in eius honorem dicarunt. In Vrbani IV. gratiam cuſa ſunt Numiſmata cum hoc ſymbolo Epigraphico *Optimo Principi.*

Petr. Friſõ in Gallia Purpur.

Vrbanus IV. Romanus Pontifex cum Romanam Eccleſiam Cardinalium numero videret imminutam, volens eiuſmodi defectum reparare, primo anno ſui Pontificatus duas Ordinationes, vnam Decembri, aliam Maio menſibus fecit.

PRIMA CREATIO CARDINALIVM Vrbani Papæ IV.

Anno Dominicæ Incarnationis 1261. *Pontificatus I.* menſe Decembri, Viterbij Vrbanus creauit primò Cardinales, qui fuerunt.

Ioannes de Toleto, quem alij de Franciogia nominant monachus Ciſtercienſis ex Presbytero Cardinali S. Laurentij to Lucina Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ.

I.



GVIDO Groſſus, ſeu Fulcodij, genere nobilis, in oppido S. Aegidij Volcarum ad Rhodanũ in prouincia Narbonenſi, Diœceſeos Nemauſenſis, patre Fulcodio, & matre Germana natus, duas ex legitima coniuge ſuſcepit filias, quarum vna Deo ſe conſecrauit, altera maritum duxit. Patronum egit in Forenſi puluere, & Senator Cõſiſtoriarius à Ludouico IX. Gallorum Rege creatus eſt, in qua dignitate ſexennium conſumpſit; à Durando I.C. notiſſimo, Lumen Iuris vocatur. E viuis erepta vxore animum cõuertit ad res Eccleſiaſticas: primùm Archidiaconus, poſtea Epiſcopus Podienſis, ſeu Anicienſis (vnus enim idemque eſt Anicienſis, & Podienſis Epiſcopatus, licet Ciaconius in Clemente IV. diſtinguat) mox Archiepiſcopus Narbonenſis, & demum ab Vrbano IV. S. R. E. Cardinalis, & Epiſcopus Sabinenſis renunciatus eſt, à quo & in Angliam Legatus miſſus ad pacem conciliandam inter Henricum Angliæ Regem, & Simonem Comitem Montisfortis, cum literis ad Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, &c. in quibus hæc de Guidone narrat Vrbanus, cum ingruentium negociorum varietas non permitteret, vt in Angliam ſe conferret.

Ciaconius

Baron. to. 13. Annal. Eccleſ.

Petrus Friſon in Gal. Purp.

Odor. Rinald. t. 14. Annal.

Ad Venerabilem fratrem Noſtrũ Guidonem Epiſcopum Sabinenſem; vt fortem mittamus ad fortia, & ſuis robuſtis humeris onera grandia imponamus, Noſtræ conuertimus deliberationis intuitũ, & in ſuarum conſideratione virtutum ſibi a Domino in abundantia conceſſarum, de concedentis omnipotentia, & immenſa virtute ſperando noſtræ fluctuationis anxietas conquieſcit. Cum enim ſicut experientia probatione didicimus, dederit ei Dominus os, & ſapientiam, linguamque adiecerit eruditam, vt ſciat, quando debeat proferre ſermonem; cum eius ſicut adipe, & pinguedine repleuerit animam, vt vigeat in ipſo rectitudo iudicij, conſilij prouidentia, rigiditaſque cenſuræ, in aduerſitate ſecuritas, in proſperitate deuotio, in zelo ſobrietas, in agendo ſtrenuitas, & in arduis experientia multipliciter probata. Speramus nec immeritò, quod actus ſuos, illo dirigente, qui nouit, ac praua in directa, & aſpera in vias planas dirigit: illo conſiſtente, qui poteſt in prædictis per ſuæ circumſpectionis induſtriam vtili prouidentia, & vtilitate prouida conſuli poterit, & vtiliter ſubueniri. Et ideò licet Nos, & fratres noſtri tanti viri præſentia, vtpote nobis, & Eccleſiæ Romanæ perneceſſaria careamus, inuiti tamen, cogente Nos tam vrgenti, & ineuitabili neceſſitate regni prædicti, & paterno affectu, quem ad idem Regnum, natos ipſorum, & Eccleſiam Anglicanam, Barones, Magnates, & incolas prædictos gerimus. Ipſum, de cuius claris meritis plenam in Domino fiduciam obtinemus, ad Regnum prædictum, plena legationis officio ſibi commiſſo, inibi, ac in Vallia, & Hibernia, vt euellat, & deſtruat, diſſipet, & diſperdat, ædificet, & plantet, ſicut viderit expedire, de prædictorum fratrum conſilio tanquam pacis Angelum deſtinamus &c. In Angliam Guido Legatus non peruenit, quia Regni perduelles vias vndique armati, ne appellere poſſet, obſepſere: quare hos Legatus anathemate perculit, & Angliam interdicto ſubiecit. Dum hoc fungeretur munere apud Anglos, ex Epiſcopo Sabinenſi Romanus electus Pontifex dictus eſt Clemens IV. vide vitam.

Geſſit in gentilitio ſtemmate, vt patet ex inſignibus ſepulchro eius Viterbij affixis, nigram Aquilam in area aurea, nigra initita, octo argenteis globis inſigni redimita, quam Aquilam in ſex cyanea lilia ſcuto aureo impreſſa Romanus Pontifex renunciatus mutauit. Hanc teſſeram, quam Guido geſſit, vſque ad Pontificatum, Catala-

Theodor. Vallifool.

Matth. Vuelling. in Floren. Hiſtor.

Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

no Groſſo

no Groſſo eiuſdem familiæ, Equiti aurato Carolus V. ipſa die, qua Bononiæ à Clemente VII. Romano Pontifice Auguſtus inauguratus fuit, Diplomate Bononiæ ſcripto anno 1530. pridie kalend. Februarij confirmauit, & Aquilam Regiam, coloris rubei coronam addidit.

II.



Ferdinād Vghel. in Addit. ad Ciacon.

Nauat. in Panegyr. Cāſinai.

Ciaconius

HENRICVS de Bartholomæis Gallus, qui à patriæ nomine ſortitus eſt cognomen de Seguſio: eſt autem Seguſia, ſeu rectiùs Seguſium Ptolomęo lib. 3. cap. 1. teſte Vrbs, quæ nūc Ripa dicitur in Pedemonte, ex Archiepiſcopo Ebredunenſi Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternenſis ab Vrbano renunciatus eſt in prima Cardinalium Creatione ſecundum Ciaconium anno 1261. menſe Decēbri; in ſecunda verò ex Theodorico Valliſcolori eius æui auctore quam tamē contigiſſe vult eodem ann. primo Pontificatus Vrbani anno 1262. menſe Maij.

Continuit fratres hos prima creatio ſeptem,
Altera tot, quorum nomina cerne loco:
Ebredunenſis tunc Archiepiſcopus hic ſit
Præſul, & Henricus nomine dictus erat

Petrus Frizon in Gal. Purp.

Oder. Rinald. in Annalib. tomo 14.

Io. Pichardus in vit. Iuriſconſ. recent.

Hic ob eximiam eruditionem tum Innocentio IV. tum Alexandro IV. pergratus, in iure tantū profecit, vt fōs iuris fuerit appellatus: Auditorem habuit Guillelmum Durandum Epiſcopum Mimatenſem, dictum vulgo, Speculatorem. Iuris Ciuilis, & Pontificij Summam vno volumine complexus eſt ordine conuenientiſſimo, & tractatione elegantiſſima: illud poſt longum vtriuſque iuris ſtudium, atque exercitium inceptum, poſtea verò incendio amiſſum, tandem Cardinalis abſoluit, vt ipſe refert in fine eius operis, ac Summam Oſtienſem nominauit: Edidit præterea Lecturas in quinque libros Decretales opus doctrina refertiſſimum, & Apparatus vocatur, vnde eius auctoritas per magna eſt apud Iuriſconſultos. Nec iuris modò peritiſſimus, ſed ſupra Iureconſultum Theologus, ſupra Theologum Orator ſummus habitus eſt; & Ebredunenſis Archiepiſcopus frequenter ad populum conciones habebat.

Matth. Paris in hiſt. Anglic.

Aubery in vit. Card.

In Angliam ante Cardinalatum ſe contulit cum Legato ſedis Apoſtolicæ, multumque valuit apud Regem Anglorum, qui Henricum beneficijs quamplurimis affecit, Romamque illum deſtinauit ad Vinceſtriæ Præſuli, Epiſcopatus abrogationem procurandam. In Gallia verò Ciſalpina iam Cardinalis renunciatus Legatum egit Apoſtolicum, & incendit Eccleſiaſticorum animos ad S. ſedi ſubſidia ferenda contra illos, qui armis, ac ſeditionibus illam affligebant.

Ferdināḋ. Vghellius tomo 1. Ital. ſac.

Deceſſit Lugduni anno 1271. viij. Idus Nouembris, & ſepultus in Templo fratrum Prædicatorum; Claudius Robertus in Gallia Chriſtiana ſcribit Henricum fato ceſſiſſe anno 1276. Ciaconius, ac Frizonius anno 1281. Cum autem Henrico ſucceſſerit in Epiſcopatu Oſtienſi Frater Petrus de Tarantaſia, qui iam electus Epiſcopus Oſtienſis affuit Concilio Lugdunenſi habito anno 1274. id euenire nullo modo potuiſſet, ſi Henricus inter mortales eodem tempore vixiſſet; nam ſimul duo Epiſcopi Cardinales Oſtienſes eſſe non poterant.

III.



Petrus Frizon in Gal. Purp.

Ferdinād. Vghel. in 1. Ital. ſac.

Pommius De Rom. Pont.

Aubery in vit. Card.

RODVLPHVS de Cheurieres, natione Gallus filius Ioannis Caprarij Aurati Equitis, & Mariæ Comitis Baugæi, & Sebuſianorum Principis filiæ, in fratres habuit Guidonē Auratum Equitem, & primum Centumuiralis in iuriſdictione Matiſconenſi Iudicem, & Henricum Tectoſagorum prouinciæ, quam Languedochiam vocant, Præſidem. Rodulphus verò fratrum natu minor, ſancti Ludouici Gallicarum Regis Cācellarius primò, mox Ebroicenſis electus eſt Antiſtes, de quo Theodoricus Valliſcolor in Vrbani vita hæc cecinit.

.... Rodulphus hic Ebroicenſis
Præſul conſilijs, moribus aptus erat.

And. Victorel. in Addit. ad Ciacon.

Ex Epiſcopo Ebroicenſi ab Vrbano Epiſcopus Cardinalis Albanēſis renunciatus, & a Clemēte IV. ſedis Apoſtolicę Legatus Carolum ſancti Ludouici fratrem Comitem prouinciæ, & Andegauenſem creatum Sacri Imperij Vicarium in Hetruria, & Vrbis Senatorem, Regem Neapolis, & Siciliæ S.R.E. Clientem, & tributarium, ac Beatricem vxorem eius regio Diademate in Baſilica Conſtantiniana an. noſtræ ſalutis 1265. in Epiphaniæ Domini feſto vnà cum Anchero S. Praxedis, Richardo S. Angeli, Gothifredo S. Georgij, & Matthæo Vrſino S. Mariæ in Porticu Cardinalibus donauit. Caroli Regis coronati, & Rodulphi Epiſcopi Cardinalis coronātis effigies veræ conſpiciuntur Romæ in Farneſiorū palatio cū his verbis.

CHARLE
ROY DE NAPLES, ET DE SICILE
COVRONNE PAR RAOVL CARDINAL DE CHEVRIERES
EVESQVE D'ALBANE MCCLXV.

Nauclerus

Paul. Aemil. in 10. Lud. IX.

Oder. Rinald. t. 14. Annal.

Quas imagines anno 1617. publico donarunt Franciſcus Cheurieres, & Claudius Clemens. Poſt Coronationem properantem in Siciliam Carolum comitatus Rodulphus eſt Pontificis iuſſu, vt eum in Regni Siculi poſſeſſionem deduceret. In Gallia legationis munere fungens inter Clerum, & Populum Lugdunenſem ſeditionem compeſcuit, ac ſacris interdictos Lugdunenſes, & Chriſtianorum excluſos communione ab Heduorum Epiſcopo, Eccleſiæ reſtituit. Crucis ſigno Pontificijs manibus inſignitus Rodulphus Legatus Gallias petierat, vt ruenti Hieroſolymitano Regno ſuccurreret, ſed cum ille nondum prouinciam, in qua Legati partes obiturus erat, ingreſſus eſſet, vacante ſede ob Clementis obitum Cardinales eidem iniunctam prouinciam confirmarunt: & cupidi perducendæ in opus Orientalis Eccleſiæ coniunctionis, literas Rodulpho dederant cum auctoritate rem cum Græcis componendi: quas literas reſcripſit in Annalibus Odericus Rinaldus.

Aubery in vita. Luc. Vvadding. to. 2. Annal. Minorū. Petr. Friſō loc cit. Oder. Rinald. Aubery loc. cit. Ferdināḋ. Vghel. to. 1. Ital. ſac. And. Victor in Addit. ad Ciaconium. Manauus.

Apoſtolicæ quoque ſedis Legati munus peregit in Tranſmarina expeditione, cum S. Ludouicus Rex ardore fidei Chriſtianæ propagandæ incenſus, rebus Syriacis improſperè ſuccedentibus, in Africam, vt Tunetum caperet, inſtructiſſimam claſſem adduxit, qua Vrbe potitus, faciliùs in Aegyptum, & Syriam arma conuerteret, ſed peſte ſæuiſſima ſuperueniente, maior exercitus pars cum ipſo Rege perijt. In eadem legatione Orbi Chriſtiano ereptus eſt Rodulphus, obijt enim Tuneti iv. Idus Auguſti anno à partu Virginis 1270. in faſtis tamen Eccleſiæ Ebroicenſis anniuerſaria eius memoria colitur ix. Kal. Nouemb. eo fortaſſis die, quo mortis acceptus nuncius.

In S. Petri Matiſconenſe Cœnobium, & in patres Dominicanos, ac in publicum illius Ciuitatis valetudinarium, multa dum vixit, & magni pretij contulit Rodulphus beneficia. Firmauit Clementis Diploma Inueſtituræ Regni Neapolitani Regi Carolo an. 1265. editum. Anno primo Clementis IV. prima die Septembris Aſſiſij Aedem Diuæ Claræ ſummo Pontifice præſente conſecrauit.

IV.



Ciaconius

Ang. Portin. de Felic. Patau.

SIMEON Paltinerius alius ab illo de quo ſupra in Lucio III. egimus, ex Acedo, aliàs monte Silice oppido agri Patauini Presbyter Cardinalis ſanctorum Syluestri, & Martini titulo Equitij, vir ſumma prudentia, ſingularique doctrina præditus ab Vrbano renūciatus eſt. At cum nonnullæ illico ad ſedem Apoſtolicam querelæ de illo delatę eſſent, Vrbanus illum in iudicium vocauit, eique vetuit Cardinalatus Inſignia geſtare, ac ſe immiſcere conſilijs Cardinalium, donec de ipſius dignitate, quid decernendum foret, iudicaret. Superatæ tandem, obtritæque ſunt omnes difficultates, quas eius gloriæ æmuli concitarant. Quare non ſolùm Cardinalis Inſignia Vrbanus illi conceſſit; ſed euſdem iuſſu legatione functus eſt in Vmbria, Piceno, Hetruria, Venetijs, & in Gallia Ciſalpina, ſummoque ſtudio ad arma fideles vocauit contra Manfredum inuaſorem Regni Siciliæ; quas legationes exercuit, quoque ſub Clemente Vrbani ſucceſſore. De hoc Simone legimus hæc in Chronico monachi Patauini: *Vrbanus IV. menſe quarto ſui Pontificatus numerum Cardinalium ampliauit, præclaros viros, vita, & ſcientia inſignitos ad tam ſanctum Collegium promouendo. De quorum numero diuina prouidentia faciente extitit vir benigniſſimus Simeon de monte Silice, Canonicus Paduanus, quem tam forma corporis, quàm nobilitate generis, & gratioſis moribus, & multiplici ſcientia diuina gratia decorauit.* Huius quoque meminit Theodoricus Valliſcolor in vita Vrbani IV. verſibus à ſe conſcripta, & An hero Cardinali dicata.

Aubery in vit. Card.

Presbyteris binis Simon Paduanus, & alter
Simon, cui patria Gallica terra fuit.

Ciaconius

Quare erraſſe Panuinium dicendum eſt, cum ſcribit Simonem Presbyterum Cardinalem ſanctorum Sylueſtri, & Martini ab Vrbano IV. renunciatum, natione Gallum fuiſſe.

Suffragium dedit Simeon quatuor Romanis Pontificibus, Gregorio ſcilicet X. Innocentio V. Hadriano V. & Ioanni XXI. ſub quo è vita exceſſit anno à partu Virginis 1276. Roma enim aberat, quando Clemens IV. electus eſt Romanus Pontifex.

V.



ANCHERVS Pantaleo Trecenſis Cāpanus Gallus, Papæ Vrbani fratris filius, ex Archidiacono non Loudnenſi, vt ſcripſit Godemnius, ſed Laudunenſi renunciatus eſt à patruo Pontifice Presbyter Cardinalis ſanctæ Praxedis, vt cecinit Valliscolor in eiuſdem Vrbani vita, quam ad illum ſcripſit.

Hique ſacerdotes, Ancherus in Vrbe Trecenſi
Progenitus, Papæ ſāguine, corde Nepos.

Cum alijs quatuor Cardinalibus Carolum Siciliæ Regem, regia inunctione Clementis nomine liniuit, & in Neapolitano Regno legatione per aliquod temporis ſpatium eſt functus.

Ab Vrbano ad immenſas opes prouectus, omnium Cardinalium præcipuus habitus, ædes ſacras Diuo Vrbano martyri in paterno ſolo à patruo excitatas auxit, in quibus duodecim Canonicorum Collegium inſtituit, multa ornamenta aurea, & ſericea contulit, Icones, & Vaſa ſacra tum aurea, tum argentea, & Codices ſeu libros decantandis diuinis laudibus inſeruientes magni pretij dono miſit.

Clementis IV. literis Inueſtituræ Regni Neapolitani anno 1265. datis ſubſcripſit, vt etiam alijs Nicolai III. anno 1277. pro diuino Eccleſiæ Vaticanæ cultu, & alium, cum Bononienſes per Legatos Eccleſiæ Romanæ imperio ſe ſubiecere, ac Nicolao III. Pontifici obedientiam detulere. Romæ mortalibus ſpolijs exutus anno noſtræ ſalutis 1286. Kalendis Nouembris, in tumulo marmoreo cœnotaphio conditus cum tali Inſcriptione.

Qui legis Ancherum duro ſub marmore claudi,
Si neſcis Aldi, quem verè perdis herum.
Treca parit puerum, Laudunum dat ſibi Clerum,
Cardine Praxedis titulatur, & iſtius ædis.
Defuit in Cœlis, largus fuit, atque fidelis
Damnatis à telis, ſerua Deus hunc quoque Cœlis
Anno milleno centum bis, & octuageno
Sexto deceſſit hic prima luce Nouembris.

Ancherum hunc fuiſſe Eremitam Auguſtinianum ſcripſit Petrus Rodulphius Franciſcanus in Hiſt. Seraphica. At vnde ille habuerit non expoſuit, neque ego noui. Ab illo omnes authores recentiores, qui idem affirmant, hauſere.

Ciaconius. Aubery in vit. Card. Petr. Friſō in Gallia Purpurat. And. Sauſſay in Martyrol. Gallic. Ciaconius. Petr. Friſō ibidem. Cherubin. Gherard. in Hiſtor. Bonon. Ex Nomēclat. in Epitaph.

VI.



VBERTVS ex Comitibus de Icio, aliàs Elci Senenſis inter Cardinales Diaconus S. Euſtachij ab Vrbano cooptatus, à Boëmaria amita Tuſciæ Comitiſſa, vxore Comitis Guillelmi Coſtas Hetruriæ Vrbem præſenti pecunia Eccleſiæ Romanæ nomine emit. Theodoricus Valliſcolor in vita Vrbani Quarti. Vbertum hunc Diaconum Cardinalem non in Tuſcia, ſed in Inſubria natum ſcribit.

Hi tres Leuitæ, Gottifredus, Iacobuſque
Tertius Vbertus, clarus vterque fuit.
Atretum primum genuit, Sabella ſecundum,
Alter Lombardus nomine, ſtirpe potens.

Ferdinandus Vghellius Vmbertum hunc Alteramum, patritium Aſtenſem facit, ex Comitibus de Coconato, & Montiſalti de Arteſio Domini filium; atque ex Eccleſiæ Aſtenſis Archidiacono, illum renunciatum eſſe Diaconum Cardinalem affirmat, ex tabulis publicis S. Secundi de Turre rubea, in quibus fit mentio Manuelis ipſius fratris. *Anno 1273. ij. Iulij Indict. 1. die Dominica D. Conradus Epiſcopus Aſtenſis adiens locum, vbi debebat conſtrui Eccleſia fratrum ordinis Pœnitentiæ Ieſu Chriſti, qui deinde ordo Seruorum B. Mariæ nomen aſciuit, in Burgo S. Marci in præſentia fratrum, & D. Manuelis de Coconato Fr. Vberti Card. & aliorum teſtium.*

Panuinius verò, Ciaconius, alijque ferè omnes illum patria Senenſem faciunt, & in genealogia huiuſce nobilis familiæ, quæ noſtris his temporibus floret, ſcriptores fermè omnes Vbertum Diaconum Cardinalem S. Euſtachij collocant. Interfuit hic electioni Clementis IV. Gregorij X. & Innocentij V. ſub quo tandem è vita exceſſit anno à Chriſto nato 1276. eiuſque obitus in Necrologio ita deſcribitur. *iij. Idus Iulij obijt Dominus Vbertus S. Euſtachij Diaconus Cardinalis Archidiaconus huius Eccleſiæ ſcilicet Aſtenſis, qui reliquit huic Eccleſiæ libras 400. Aſtenſes pro vna Capellania, & Crucem auream, vbi eſt de vera Cruce in qua Chriſtus pependit, cum pede argenteo, Veſtes de Saameto rubeo, ſcilicet Planetam, & Acamile, & Subcamile, & Pluuiale, & tria Pallia.*

Ciaconius. Malauolt. in Hiſtor. Senenſ. Iſidor. Vgurg. Arnol. in Pomp. Senenſ. Ferdin. Vghel. in Ital. ſac.

VII.



IACOBVS Sabellus, nobilis Romanus, filius Lucæ, viri inter Romanos illuſtris, non ab Innocentio IV. vt ſcripſit Panuinius, ſed teſte Theodorico Valliſcolore illius æui ſcriptore, ab Vrbano IV. renunciatus eſt Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Colmedin.

Hi tres Leuitæ, Gottifredus Iacobuſque.
Tertius Hubert⁹ clarus vterque fuit.

Clementis IV. literas Inueſtituræ Regni anno Dominicæ Incarnationis 1265. datas ſubſcriptione firmauit ſua: poſt obitum Martini II. dicti IV. Petri Cathedram cum aſcendiſſet, dictus eſt Honorius IV. vide vitam.

Aubery in vit. Card. Ciaconius.

VIII.



GOTTIFREDVS de Alatro Hernicus, Diaconus Cardinalis S. Georgij in Velabro ab Vrbano renunciatus, vt ex Theodorici Valliſcoloris carminibus in Iacobo Sabello ſupra laudatis liquidò conſtat, aſſuit cum Bononienſes per Legatos ſeſe Romanæ Eccleſiæ imperio ſubiecere; & ſubſcripſit Clementis IV. literis Inueſtituræ Regni anno 1265. datis. Hic Eccleſiam in S. Stephani honorem in patria à ſe erectam dotauit anno à partu Virginis 1284. in cuius Eccleſiæ limine in marmorea tabula extaſſe ſequẽtem Inſcriptionem affirmat Ciacon.

GOTTIFREDVS CARDINALIS
HVIVS ECCLESIAE FVNDATOR
ET AVCTOR SPECIALIS.

Peſtilentia diem ſupremum obijt Romæ anno reparatæ ſalutis 1287. in ſede Vacante poſt mortem Honorij IV.

Ciaconius. Gherard. in Hiſt. Bononien. Aubery in vit. Card.

SECVNDA CREATIO CARDINALIVM.

Anno Dominicæ Incarnationis 1262. *Pontificatus II.* ex Ciaconio verò, Fizonio, & alijs 1263. menſe Decembri Viterbij Vrbanus IV. Rom. Pontifex iterum creauit Cardinales, inter hos fuere.

IX.



GVILLELMVS, ſeu Guillermus Gallus de Braio dictus, quia in pago Braio editus, ex Eccleſiæ Rhemenſis Archidiacono vir literis eruditus, Laureaque Magiſterij Theologici donatus in ſacrum S. R. E. Cardinalium ordinem aſcitus, ac titulo Presbyteri ſancti Marci ornatus eſt; de quo laudatus Theodoric⁹ Valliſcolor cecinit.

Guillelmus Rhemis tunc Archileuita, Decanus
Lugduni factus, tertius inter eos.

Subſcriptione firmauit ſua Clemẽtis IV. literas pro Inueſtitura Regni datas anno 1265. Gregorij item X. alias Guerrico Abbati Præmonſtratenſi anno 1272. & demum illas Nicolai III. pro diuini cultus celebratione in Eccleſia Vaticana anno 1278. ſcriptas. Morti ſoluit debita Vrbeueteri iij. Kalendas Maij anno 1282. marmoreo donatus ſepulchro, & ſequenti elogio apud Prædicatores.

Sit Chriſto gratus hic Guillelmus tumulatus
De Braio natus, Marci titulo decoratus
Sit per te Marce Cœli Guillelmus in arce
Quaſo non pace Deus omnipotens ſibi parce.

Ciaconius. Aubery in vit. Card. Petr. Friſō in Gallia Purpur. Panuinius de Rom. Pont. Nomencl. Cardinal.

Francia plange virum, mors iſtius tibi mirum
Defectum pariet, quia vox ſimilis ſibi ſiet.
Defleat hunc Matheſis, lex, & Decreta, Poeſis,
Nec non Synderesis, heu mihi quam Themeſis
Bis ſexcentenis binis, bis biſque vicenis
Annis erat Chriſti, quando mors affuit iſti.
Obijt tertio Kalendas Maij.

Fit eius obitus memoria ſingulis annis in Eccleſia Rhemenſi die vigeſima nona Aprilis.

X.

Ciaconius
Vvaburg. de Antiq. Belgic.
Pet. Frizon. in Martino IV.
Ptolem. Lucen.



SIMON Mompitius è Bria, ab oppido Briæ appellatus, natione Gallus, Sacerdotium geſſit in Eccleſia Rhotomagenſi, & Canonicatum, ac Theſaurarij dignitatem in Diui Martini Turonenſis Eccleſia poſſedit: vnde aliqui Simonem patria Turonenſem iudicarunt. Huius germanus frater Gilo, ſeu Aegidius de Bria militia clarus, nobilis vir appellatur in Regiſtris Vrbani IV. Summi Pontificis. Hic cum eſſet Pontificij Sacelli Sacerdos, Epiſcopus Anicienſis, ſeu Podienſis deſignatus, honorem renuit; cuius virtutem admiratus Vrbanus, vt omnibus illa luceret, ſanctæ Cæciliæ Presbyterum Cardinalem Simonem nominauit. Ad Carolum Andegauenſem prouinciæ Comitem, ſancti Ludouici Galliarum Regis tertium fratrem, Clementis IV. nomine legatione functus eſt: vt illum in Italiam inuitaret contra Manfredum Eccleſiæ hoſtem, & Regni Neapolitani inuaſorem; cui Legato ſcripſit Clemens xiv. Kalendas Maij anno 1268.

Interfuit Concilio Lugdunenſi Secundo, Gregorij X. tempore, anno ſcilicet 1274. habito in præſentia ipſius Gregorij Romani Pontificis; qua Synodo terminata Legatus in Gallijs maxima cum poteſtate cauſa belli ſacri inſtaurandi remãſit in qua legatione Philippum Galliæ Regẽ à gerendo in Alphonſũ Caſtellæ bello, cẽſuris deterrere conatus eſt. Cum autem de hoſtilitatibus lex à Philippo Rege reſciſſa eſſet in Gallijs, Nicolaus III. Romanus Pontifex Simonem Legatũ inertiæ reprehendit, ac iuſſit, vt in eos omnes, qui in congreſſionem deſcenderent, ſolemni ritu anathematis ſententiam promulgaret. Nec fruſtra excitabatur zelo Nicolaus, cum in ijs pugnis non parum ſanguinis fundi, ac lætitia publica in luctum ſæpe ſæpiùs verti ſoleret, tum magni ſumptus profundi, qui in ſubſidium Hieroſolymitanæ rei deriuari debuiſſent. Legatus in Gallia cum eſſet, Nongenti ad ſequanam Kalendis Octobris Academiæ Pariſienſis Priuilegia confirmauit, eique rationem, & ritum eligendi Rectoris præſcripſit.

Oder. Rinal. to. 14. Annal.
Luc. Vvadding. tom. Annal. Minorum
Pet. Frizon. in Gallia Purpur.

In Curiam deinde ſe recepit Simon mandato Nicolai III. quo vita functo ad ſummum aſſumptus Pontificatum dictus eſt Martinus Secundus, ſeu IV. Romæ ſubſcriptione firmauit Clementis IV. literas de Inueſtitura Regni Neapolitani datas à Chriſto nato 1265.

Ciaconius

XI.

Ciaconius



GVIDO Gallus, patria Burgundus monachus, & Abbas Ciſtercij, de quo in ſerie Abbatum Ciſtercienſium hæc leguntur.

Guido ſequens altos penetrabat acumine Cælos,
Collegio fratrum ſociauit Pileus iſtum.

Dum in Vrbe pro negocijs ſui ordinis degeret ab Vrbano IV. in Cardinalium Presbyterorum numerum titulo ſancti Laurentij in Lucina aſcitus eſt: Theodoricus Valliſcolor eius promotioné duobus his verſib⁹ effert.

Pet. Frizon. ibidem.
Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciacon.
Gaſpar Iongel. in Purp. Diui Bernardi.
Aubery in vit. Card.

Burgundus patria fuit, & Ciſtercius Abbas
Alter promotus Guidoque nomen ei

Qui vir quantus fuerit, Vrbani IV. declarat epiſtola de eius promotione ſcripta Abbati, & Generali Capitulo Ciſtercij, in qua præter eminentes eius animi dotes, quas ibi cõnumerat, *Virũ Angelicũ,* nominat *virtutum, & ſcientiæ ſplendoribus illuſtratum, odoriferum florem, & oliuam fructiferam e vetuſtiſſimo horto Religionis in Paradiſo vniuerſalis Eccleſiæ plantatam dixit.* Extat hæc Epiſtola m. s. lib. 3. Formularum de vita, & honeſtate Clericorum M. Marini de Ebulo Archiepiſcopi Capuani, & S. R. E. Vicecancellarij in Bibliotheca Vaticana.

Oder Rinald. t. 14. Annal.

Cum autem Dania ſuorum diſcordijs lacerata gemeret, ſerpenti malo, antequam magis confirmaretur, remedium Clemens huius

A nominis IV. Romanus Pontifex adhibiturus, eò Guidonem titulo S. Laurentij in Lucina Presbyterum Cardinalem Legatum miſit, cuius auctoritatis ipſi commiſſæ indices ſunt eiuſdem Clementis literæ ad ipſum Guidonem datę, quas reſcripſit in ſuis Annalibus Odericus Rinaldus. Quod munus ibi demandatum ſtrenuè geſſit Guido, ac fluctuantes Danos in Erici Regis obſequio continuit. Retulit verò Eccleſiæ Ericus improbam gratiam, qui cum Alexandri, Vrbani, & Clementis Pontificum opera, induſtriaq; diuerſorum Legatorum, Guidonis præcipuè, contra factioſorum coitiones Regiæ aſſertus dignitati fuiſſet, confirmata iam potentia, inſectari poſtea Præſules, & ius Eccleſiaſticum violare cœpit. Quibus acceptis Clemens grauiſſimis illum ſententijs ingrati animi arguit, & vt Guidonis ſalubribus conſilijs obſequeretur admonuit, ac in libertatem Eccleſiaſticam reſtitueret, eamque contra Procerum iniurias tueretur, cenſuras intentauit. Cum è Dania ſoluiſſet, Viennæ vi. Idus Maij anno
B 1267. Apoſtolicæ ſedis Legatus Concilium celebrauit, in quo leges, & Conſtitutiones ſanxit, quas habes apud Henricum Caniſium t. 1. Antiquarum Lectionum. In Poloniam inde ſe conferens, à Boleſlao Pudico, & Paulo Cracouienſi Epiſcopo ſolemni pompa veneratus, ac ſuſceptus eſt: Vratiſlauiam hinc diuertens, in feſto Purificationis B. Virginis Synodum conuocauit pro ſubſidio Terræ Sanctæ. Legationis quoque honore ab re iuſſus eſt in Sueciam, Galliam, Saxoniam, & vniuerſam Germaniam. Guidonis mortem accidiſſe tradit Ciaconius anno Dominicæ Incarnationis 1283. verùm antiqua monumenta è vita diſceſſiſſe aſſerunt xiij. Kal. Iunij anno 1272. idemque his verbis memorat Ennius Daniæ Rex in libro de Origine Danorum. *Anno 1272. obijt Guido Cardinalis: Lugduni peſte ſublatum referunt in Synodo Oecumenica:* at non ita eſt, cum Concilium Oecumenicum Lugdunenſe ſecundum habitum fuerit Gregorio X. anno 1274. iam vita functo Guidone Cardinali.

Math. de Micouia de Rebus Polon.
Steph. Damalevvicz de Epiſc. Vratiſlau.
Monol. Cœnobij S. Saluat. ordin. Ciſtercien. in Thuscia.

C Guidonem inſignia Cœnobij Ciſtercienſis ſemper geſſiſſe ſcribit Gaſpar Iongelinus; nos tamen cum Ciaconio, Petro Frizonio, & alijs proprium Guidonis gentilitium ſtemma expreſſimus.

XII.



IORDANVS Piruntus de Comitibus, Tarracinenſis, ex Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellario, & Subdiacono Apoſtolico renunciatus eſt ab Vrbano Diaconus Cardinalis SS. Coſmæ, & Damiani; de quo Theodoricus Valliſcolor

Ciaconius

.... duoque
Leuitæ qui ſint, carmina noſtra docent:
D *Iordanum genuit Vrbs Tarracina, Matthæum*
Roma, tot Vrbanus fecit in Orbe Patres.

Sub Vrbano IV. & Clemente item IV. Campaniam rexit, & ſubſcripſit eiuſdem Clementis literis datis anno 1265. pro Inueſtitura Regni Neapolitani. Lucis vſuram amiſit anno reparatæ ſalutis 1269. vacante Romana ſede poſt obitum Clementis IV.

Aubery.

XIII.



FR. HANNIBALDVS Hannibaldenſis de Molaria, nobilis Romanus, ordinis Prædicatorum, Magiſter in Theologia, quam publicè docuit Pariſijs, Palatij Apoſtolici Magiſter, ab Vrbano IV. Presbyter Cardinalis SS. XII. Apoſtolorum renunciatus eſt, vt refert Theodoricus Valliſcolor.

Ciaconius
Anton. Senenſ. in ſua Bibl. Prædicator.

E *Hannibal huic quartus, genuit quem Roma.*

Vir apprimè doctus, & pius, ingenio ſubtilis, & ad diſputãdas, ac ſoluendas difficiles quęſtiones idoneus, cũ Ioanne Caietano Vrſino, Richardo Hannibaldo, & Iacobo Sabello S. R. E. Cardinalibus à Carolo Siciliæ Rege fidei ſacramentum ante Coronationem recepit, atque ad illum Clementis IV. iuſſu legationis munere functus eſt, vt Eccleſiæ Romanæ iura in Regno Siciliæ cis, & vltra Pharum integra ſeruaret.

F

Odor. to. 13. Annal.

Tanti fecit Hannibaldum Cardinalem Angelicus Doctor Diuus Thomas, vt doctas in quatuor Sententiarum libros lucubrationes illi dicandas iudicauerit. Vir hic multæ lectionis, atque indefeſſi ſtudij ſcripſit, cum Lutetiæ Theologiam profiteretur, Commentaria in quatuor libros Sententiarum, in quibus Diui Thomæ Summam meduliaſſe videtur. Quodlibetorum etiam librum edidit, in quo

Nomencl. Cardinal.

promiſcuè, & indiſcriminatim caligine ad opertas quæſtiones enodare contendit, & vbique ſibi conſtat.

Ciaconius. Baron. l. c. Aubery in vit. Card. Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon. Seraphin. Razzius de Vir. Illuſt. Prædicat. Baron. l. c. Michael Pius de Vir. Illuſt. Ord. Prædicator.

Doctrinæ profunditatem virtutum radijs illuſtrauit, humilitati licet in tanto honoris faſtigio elatus, & pietati vacabat in pauperes Chriſti beneficus, & in ſui ordinis fratres mitiſſimus. Aliquando morbo mortifero affectus cum ſuaderetur, vt pudorem contaminaret, ſi ſuperſtes eſſe vellet, *malle ſe*, inquit, *illibata caſtitate occumbere, quàm violata virginitate, probru infamiæ, & inferni ſupplicia procurare*; ſcilicet *malle mori quã fœdari*. Clem. IV. literas inueſtituræ Regni Neapolitani datas anno 1265. ſubſcriptione ſua firmauit.

Cum autem decem annorum ſpatio Cardinalis dignitatem ingenti cum laude ſuſtinuiſſet, tandem è vita exceſſit Vrbeueteri anno à partu Virginis 1272. & ſepultus ibidem ad Prædicatores cum ſequenti Epitaphio.

Vrbs genitrix, genus Hannibaldum, fert Presbyter, ordo
Dominici; fons diuinus, Prælatio, Cardo,
Quem decorat titulo duodecim Apoſtolorum.



XIV.

Ciaconius.

MATTHAEVS Rubeus Vrſinus, Ioannis Caietani Vrſini filius in fratres habuit Vrſum, & Romanum, quorum vltimus in ſacra Prędicatorum familia à teneris annorum diuino ſe deuouens famulatui, Theologus illuſtris, doctrina non minus eximia, quàm inculpata vita expectationem, quam de ſe concitauerat, ſuperauit, ac præcipuus S. Thomæ Aquinatis amicus euaſit. Matthæum verò in Purpuratorum Patrum numerum Vrbanus adſciuit, eique Diaconiam S. Mariæ in Porticu, quam vſque ad extremum retinuit, conceſſit; deinde Patrimonij S. Petri Præfecturam commiſit, vt Petri è Vico, qui Germanico equitatui a Manfredo accepto in illa prouincia graſſabatur, impetus reprimeret.

Oder. Rinald. t. 14. Annal.

Luc. Vvadding. in ... Annal. Minorum.

A patruo Nicolao huius nominis III. initio Pontificatus, S. Petri in Vaticano Archipresbyter, Xenodochij S. Spiritus in Saxia Moderator, & ordinis Minorum Patronus renunciatus eſt, teſte Iordano, eique Minorum cura à Romano Pontifice commiſſa his verbis. *Si beneficia per Nos tibi impenſa magna inueniantur, & multa, in nullo tamen ſic è vicino dedimus tibi arrham æternæ vitæ, ſicut in eo, quod tibi modo committimus. Damus enim tibi, quod te in Paradiſum inducat, merita ſcilicet ſanctorum fratrum ordinis huius: damus tibi melius, quod habemus, damus tibi deſiderium cordis noſtri, & pupillam oculorum noſtrorum*. Et hoc dicens, lacrymas fudit, & extenta manu proprium annulum ei tradidit dicens. *Tibi committimus ordinem fratrum Minorum, & licet gubernatione, & correctione tua non indigeant, quia tamen pauperes ſunt, & imbecilles, & habent impugnatores, tua indigent protectione defendi*.

Ricordani Malaſpin. in Hiſtor. Io. Villan. in Hiſtor. S. Antonin.

Poſt Nicolai III. obitum cum Cardinales Viterbij conſiſterent, Matthæus, & Iordanus Cardinales ex Vrſinorum familia cuſtodiæ traditi ſunt; rem narrat Honorius IV. in ſuis literis his verbis. *Cum Romana Curia dudum Viterbij reſidente, præfata Eccleſia per felicis recordationis Nicolai Papæ Prædeceſſoris Noſtri obitum Paſtore vacaret; ac Nos, & fratres Noſtri, de quorum numero tunc eramus, ipſius Eccleſiæ Cardinales conueniſſemus ſollicitè in Palatio Epiſcopatus Viterbienſis pro electione de ſummo Põtifice celebranda; & ſtuderemus omnimode impedimenta cuiuſlibet obicem ſubmouere, vt ſuperna fauente clementia celeriter prouenire contingeret, quod tunc Mundi neceſſitas, ac Noſtrum, & ipſorum fratrum feruens deſiderium exquirebat; Viterbienſes, vt præconceptum virus euomerent, & quam gerebant iniquitatem interius, exterius reuelarent, pulſata campana, ſumptis armis, & ſceleſtis actibus data licentia, in furoris ſpiritu ad prædictum Palatium concurrentes, ac humanitatis, & reuerentiæ debito à ſe penitus relegato, in Palatium ipſum clamoribus terribilibus editis irruentes, graſſantes in Patres, in Paſtores atrociſſime ſauientes, dilectos filios Noſtros Matthæum S. Mariæ in Porticu, & Iordanum S. Euſtachij Diaconos Cardinales, columnas quidem Eccleſiæ, omnique reuerentia pertractandos. Quanquam prædicti Viterbienſes firmiter promiſiſſent, ſe non ad incluſionem, vel arctationem prædictorum fratrum nullatenus proceſſuros, iniectis in nonnullos ex iiſdem fratribus manibus violentis, & non leuibus, dictis Matthæo, & Iordano Cardinalibus irrogatis iniurijs, in vna ex cameris eiuſdem Palatij, obſtructis oſtijs, & feneſtris illius, auſu ſacrilego incluſerunt, nonnullis ex alijs fratribus ſupradictis, dum præſumptioni tam temerè, tam deteſtandis aggreſſibus refragari ſolliciti niterentur, indecenter, & irreuerenter impulſis, ac eiſdem Matthæo, & Iordano Cardinalibus ſub dura, & ſuſpecta nimis carcerali cuſtodia poſitis, tandem prædicto Iordano ab huiuſmodi cuſtodia quamuis ſub certis pactis, & conditionibus relaxato præfato Matthæo Cardinali diebus plurimis ſic ab illis iniurioſè detento, per dies aliquot cibaria inhumaniter ſubtraxerunt eidem, pane, & aqua dumtaxat iuxta ipſorum diſpoſitionem nefariam reſeruatis, non permittendo, quod proprius confeſſor accederet ad eundem. In temeritates alias diuerſas, & varias nihilominus prorumpendo, in grandem diuinæ maieſtatis offenſam, Apoſtolicæ ſedis, & Romanæ, ac vniuerſalis Eccleſiæ, nec non & Noſtram, atque dictorum fratrum vehementem iniuriam, & contemptum, magnumque ſcandalum populi Chriſtiani*. At de pœnis Viterbienſium ob violatam horum Cardinalium dignitatem agit Iordanus auctor m. s. in Bibliotheca Vaticana his verbis: *Ex hac igitur violentia omnes auctores ſententiam excommunicationis incurrunt, & Ciuitas ſuppoſita Interdicto: Richardus autem de Hannibaldenſibus Romanus, præcipuus auctor tanti mali venit de domo propria nudis pedibus, & cum corrigia ad collum, vſque ad domum Domini Matthæi humiliter veniam petens, & idem Cardinalis eius abſolutionem impetrauit*. Popoſcerat pro Viterbienſibus commiſſi criminis veniam Matthæus a Martino Romano Pontifice, & non obtinuerat; eo tamen defuncto, ab Honorio illam impetrauit, qui ita manſuetudinem explicuit, vt, ne diſciplinam Eccleſiaſticam diſſolueret, ſeueritatem coniunxerit: placet hic eiuſdem Honorij literas tranſcribere. *Sollicita meditatione penſantes, quod & ſi Viterbienſium exceſſus, iniuriæ, & offenſa vſque adeo graues, atroces, & enormes extiterint, quod ſatis circumſtantijs vniuerſis exacta conſideratione diſcuſſis, pœnis compenſari quibuſlibet vix valerent. Quia tamen ijdem Viterbienſes excommunicationis ſententiam, ac ſumptus, & labores quamplurimos, occaſione huiuſmodi nõ ſine multis anguſtijs, doloribus, & anxietatibus varijs, & diuerſis, iam non breuis temporis ſpatio patienter, & humiliter pertulerunt, & volentes benignius circa illos cenſuræ temperare rigorem, ac mitius agere cum eiſdem; habita ſuper ijs cum fratribus Noſtris deliberatione ſolemni, de ipſorum conſilio ſententiando decernimus, & pronunciamus, atque præcipimus, quod per ipſum Commune tantum de muris dictæ Ciuitatis Viterbienſis, ac ipſorum murorum turribus per circuitum, dicti Communis ſumptibus diruatur, quod de muris, & turribus ipſis, duo duntaxat Senatus Vrbis palatia remaneat ſuper terram; quodque ipſam dirutionem præfatum commune infra duos menſes teneatur, & debeat inchoare; ac inſuper Hoſpitale vnum in Ciuitate ipſa, vel in loco aliquo, de quo Nobis viſum fuerit circa eã, dictum Commune fundare, ſeu cõſtruere ac dotare pro pauperibus teneatur; quodque tam in fundatione, ſeu cõſtructione, ac dotatione Hoſpitalis eiuſdem, quod Hoſpitali Noſtro ſancti Spiritus in Saxia de Vrbe pleno iure volumus eſſe ſubiectum, vſque ad viginti quatuor millia librarum Papalinorum, infra quatuor annos computandes ex nunc Commune tribuat ſupradictum, quantitatem ipſam pro quarta parte annis ſingulis perſoluẽdo, per deputandas ſuper hoc a Nobis perſonas, prout vtilius expedire viderint, expendenda. Quia vero memoratum Commune per aſſumpta quamuis indebita iuriſdictionis audaciam, in tanta præſumptionis proſiliuit exceſſum, Commune ipſum, vt in eo, in quo deliquiſſe cognoſcitur, puniatur, mero, mixto imperio, ac iuriſdictione omnimoda, donec ſuper hoc per Apoſtolicæ ſedis prouidentiam aliud ordinari contigerit, Apoſtolica auctoritate priuamus; Rectoriam, ſeu Poteſtariam Ciuitatis eiuſdem Nobis, & præfatæ Romanæ Eccleſiæ interim retinentes, prout per Nos, ſeu Sedem ipſam ordinatum fuerit, exercendam; reſeruata Nobis plena, & libera poteſtate procedendi contra ſingulares perſonas, quæ in prædicto exceſſu fuere culpabiles, prout culparum ſuarum ſuaſerit qualitas, & videbimus expedire. Actum in Palatio Epiſcopatus Eccleſiæ Tiburtinæ 9. nonas Septembris, Pontificatus Noſtri ann. 1.*

Ciaconius. Baronius in m. s. Nomencl. Cardinal. Eisegrein. Contelori. Per Friz. o Gallia Purpur. Baron. in ... Annal.

Interfuit Matthæus Diaconus Cardinalis creationibus omnium Romanorum Pontificum, qui vſque ad Clementem V. fuerunt: Anagnia Romam deduxit Bonifaciũ VIII. hoſtium inſidias fugientem. Scripſit de Auctoritate Eccleſiæ; quædam in Theologia, & Epiſtolas nõnullas, quarum aliquas Bononiæ extare in Tabulario Monaſterij S. Franciſci, notauit Toſſignanus. Firmauit ſua ſubſcriptione Clementis IV. Diploma pro Inueſtitura Regni Neapolitani datum anno 1255. & aliud Gregorij X. ſcriptum Guerrico Abbati Præmonſtratenſi anno 1272.

Tandem cum vixiſſet Cardinalis annos quadraginta tres, non anno 1305. vt ſcribit Fr. Lucas Vvaddingus tom. 3. Annalium Minorum pridie Idus Nouembris, Lugduni ex improuiſa parietis ruina, ſed anno noſtræ ſalutis 1306. Perufij diem clauſit extremum: nono poſt anno, ſcilicet 1315. ſepultura illius aperta, corpus eiuſdem integerrimum, nullaque ex parte læſum repertum eſt, & Romam tranſlatum Iacobus Stephaneſcus Diaconus Cardinalis S. Georgij ad Velum aureum hæc ad poſteritatis memoriam in Matthæi Cardinalis laudem reliquit in libro, quem de rebus Cœleſtini V. Bonifacij VIII. & Clementis V. ſcripſit.

―――――― Sacro de fonte Matthæus,
Cui nomen Rubeuſque color, cognomen auitum
Quod ſibi dant homines, genuit quem nobilis Vrſa
Progenies, Romana domus, veteratque manus
Faſcibus in Clero, pompaſque experta Senatus
Bellorumque manum grandi ſtipata parente
Cardineos apices, nec non faſtigia dudum
Papatus iterata tenens.

Et paulò poſt

Leuiſa prior procedere promptus
Decubuit moriens toto præſente Senatu
Exequiis, laus digna viro, memorandaque pandam
Ipſius, ſermone breui, ſi hunc claudere metro eſt
Si pietas, ſi recta fides, ſi candida quemquam
Ornauit titulis, Clero laudanda venuſtas.
Te tulit ante patrem, tecum puerilibus annis
Concreuit, cunctoſque tibi virtutis amictus
Induit, & fortem monſtrant aduerſa, modeſtum
Proſpera, prudentem fines, menſura refertum,
Deuotumque Deo lacrymæ, iuſtumque fatentur
Munda manus, ſincerus amor, Zeluſque caleſcens,
Eccleſia quamque eſſe Caput, quamque eſſe magiſtram
Crediderat, ſeruaſque fidem. Nam cardine vexit
Te iuuenem, te natum Vrſa, teque Vrbe coruſcum,
Pollentemque genis, multis ornaris, & ornas
Eloquium ſermone grauis, ferueſque diſertus
Ingenio, ſtudioque ſimul, quo doctus vtroque
Efficeris, merito magnos conſcendis honores,
Magnus, & his auctus, fulget ſub nomine virtus.
Fulget & Vrſa domus, dum his Leuiſa Matthæi
Cui Rubei cognomen erat, cardoque iuuenta
Et ſenio confractus abit, pandiſque futuris
Te moriente mori; non ſic datur omnibus vnum
Viuere, quo cantis vigilemus, & inſcia ſortis,
Atqua hora, mens ipſa vacet rogitare ſalutem
Quanta promeritum, miſeratio pauperis effert,
Quæque ſacro Cliſtea dedit, corpuſque repoſitum
Illæſum miranda tuum res ſudit in Vrbem
Membra genis, vngueſque manu, formoſque capillos
Vertice, quoſque artus nono redolentia Phœbo
Quæ ſtabili albuſere animo, timoeque pudori.

Peruſiam olim Cliſtea...

A Vrbanus IV. Romanus Pontifex duabus Ordinationibus menſe Decembris factis, quatuordecim de nouo creauit Cardinales; Epiſcopos ſcilicet tres, Presbyteros ſex, & Diaconos quinque, vnum verò ex Presbytero S. Laurentij in Lucina Epiſcopum Cardinalem Portuenſem renunciauit. Panuinius ſcribit treſdecim tantùm ab Vrbano inter Cardinales fuiſſe cooptatos, ſed contra Panuinium eſt Gregorius Decanus illius æuis ſcriptor, qui hæc habet: *Sanè cum idem Dominus Vrbanus eandem Romanam Eccleſiam videret ſatis in numero Cardinalium diminutam, volens defectum huiuſmodi reparare, vt Vrbanus nomine Vrbanitatem in verbo, & opere demonſtraret, duas Ordinationes, vnam in Decembri, aliam in Maij* B *menſibus fecit, in quibus Cardinales quatuordecim ordinatos oſtendit, huiuſmodi numero, myſticeque per eoſdem Cardinales ex præceptorum legis, & quatuor Euangeliorum doctrina fidelium cordibus deberet inſeri, & inſerta fideliter cuſtodiri.* Ex his Cardinalibus tres ad ſummi Pontificatus apicem peruenere Clemens ſcilicet IV. Honorius item IV. & Martinus II. dictus IV.

VICECANCELLARII S. R. E. ſub Vrbano IV.

Magiſter Iordanus Comes Tarracinenſis, Papæ Subdiaconus C anno primo, & ſecundi parte.

Magiſter Michaël Toloſanus Gallus ab anni ſecundi parte, vſque ad finem Pontificatus.

CARDINALES MORTVI ſub Vrbano IV.

D. Richardus monachus, & Abbas Caſinenſis Presbyter Cardinalis ſancti Cyriaci anno 1263.

Fr. Hugo de ſancto Caro, ſeu de ſancto Theodorico Presbyter Cardinalis ſanctæ Sabinæ anno 1264.

CLEMENS IV. PONT. CLXXXV.

ANNO DOMINI MCCLXV.





CONtentiones in electione Pontificia.

MAIORES in Pontificalibus Comitijs candidatorum contentiones fuiſſe nullo tempore memoratur, quàm eo centum ferme annorum interuallo, quod inter Gregorij IX. obitum, & Ioannis XXII. creationem interceſſit. Quamquam enim pauci admodum eſſent Cardinales, ſingulorum tamen excellentia, immodica quorundam ambitione, & abeundi B à Comitio facultate ſæpe effectum eſt, vt vltra annũ Pontificis electio protracta ſit; cui malo Conclauis inſtitutione optimum Greg. X. remedium adhibuit, quod labans Bonifacius VIII. confirmauit.

Mortuo igitur Vrbano Quarto Comitiorum contentiones acri- A ter exarſere, quæ diuturnam ſedis vacationem, non ſine magno rei Eccleſiaſticæ detrimento attulerunt: cum verò Patres ſæpe coacti, re infecta à Comitio diſceſſiſſent, & ſcrutinio nulla ratione concordes eſſe poſſent, poſtremo compromiſſo, certis ſub conditionibus in ſex Cardinales omnium conſenſu facto, eorum ſuffragijs, Peruſij nonis Februarij pridie S. Agathæ, anno ſalutis 1265. *. Pontifex maximus renunciatus eſt Guido Groſſus Sabinus Epiſcopus, tunc in legatione Angliæ abſens, doctrina, prudentia, moribus *, & vitæ ſanctitate præſtantiſſimus, & tanto Pontificatu dignus: is familia B Groſſa, non ignobili, patre Fulcodio, in Galliæ Narbonenſis vico S. Aegidij ortus ad Rhodani ripam, ab ineunte ætate, militiæ primum, deinde vtrique iuri operam dedit. Vxorem duxit nobilem virginem, ex qua filias duas ſuſcepit. Actiones forenſes aduocando aliquandiu in Regis Francorum Prætorio integer, & ſine labe, ſum-

* CLEMENS IV. Guido Groſſus antea vocatus.

GVIDI Groſſi primordia.

ma cum omnium admiratione, egit: ita vt inter totius Galliæ Iuriſconſultos primas partes obtinuerit. Cuius doctrinæ, & prudentiæ fama, motus Ludouicus XI. Francorum Rex, eum ſibi à ſecretis, & conſilijs aſciuit; Vxore mortua ſacris initiatur. Fuitque primum Archidiaconus Podienſis, deinde Epiſcopus Auicienſis, mox Podienſis, poſtea ad Archiepiſcopatum Narbonenſem vocatus. In quo munere verbi Dei prædicationi, in qua plurimum pollebat, aſſidue vacauit. Deinde ab Vrbano IV. eximiæ ſanctitatis ergo Epiſcopus Cardinalis Sabinus creatus, & Legatus in Angliam miſſus, vt diſcordias inter Regem Henricum, & Simonem Comitem Montisfortis *, aliosque Regni Proceres ortas, ſua auctoritate ſedaret. Qui rebus egregie conſtitutis, cum ad Curiam ex legatione rediret, Romanus Pontifex deſignatus eſt. Audiens autem Manfredi iuſſu, vias omnes interclusas, inſidiasque ſibi paratas eſſe, vt eas vitaret, mercatoris ſpecie, vel, vt alij tradunt, religioſi habitu ne agnoſceretur aſſumpto, Peruſiam incognitus peruenit, inde euocatis Cardinalibus, & Curia Viterbium acceſſit.

CLEMENS Electio.

*

Anno Dominicæ Natiuitatis 1265. die Cathedræ S. Petri, viij. Kalend. Martij, Viterbij, Clemens Papa IV. ſuæ Coronationis inſignia ſuſcepit, per manum Richardi Hannibaldenſis, Diaconi Cardinali S. Angeli, S.R.E. Archidiaconi, ſedit verò, Alphonſo Hiſpano Regis Romani titulos obtinente, annos 3. menſes 9. dies 25.

CORONATIO Papæ Clementis IV.

CARDINALES XVIII. VIVI
Quando Clemens Papa IV. creatus eſt.

CARDINALES EPISCOPI V.
INNOCENTII PAPAE IV.

1. Otho de Caſtro Rodulphi, Bituricenſis, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus.
2. Stephanus Hungarus, Epiſcopus Card. Præneſtinus.

VRBANI PAPAE IV.

3. Ioannes de Toleto Presbyter Card. ſancti Laurentij in Lucina Prior Presbyterorum.
4. Guido Groſſus de Villa S. Aegidij Narbonenſis, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Sabinus.
5. Rodulphus Gallus, Epiſcopus Cardinalis Albanus.

PRESBYTERI CARDINALES IV.
VRBANI PAPAE IV.

6. Simon Paltinerius Patauinus, Presbyter Card. SS. Syluestri, & Martini in montibus, tit. Equitij, Prior Presbyterorum.
7. Guillelmus de Braio, Rhemenſis, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Marci.
8. Simon de Bria, Senonenſis, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Cæciliæ.
9. Frater Hannibaldus Hannibaldenſis Romanus, ordinis Prædicatorum, Presbyter Cardinalis Baſilicæ ſanctorum duodecim Apoſtolorum.

DIACONI CARDINALES IX.
GREGORII PAPAE IX.

10. Richardus Hannibaldenſis de Molaria, Romanus, Diaconus Card. S. Angeli in foro Piſcium, Prior Diaconorum.

INNOCENTII PAPAE IV.

11. Octauianus Vbaldinus Florentinus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in via Lata.
12. Ioannes Caietanus Vrſinus, Romanus Diaconus Cardinalis ſancti Nicolai in Carcere Tulliano.
13. Othobonus de Fliſco Genuenſis, Diaconus Cardinalis ſancti Hadriani.
14. Iacobus Sabellus Romanus, Diaconus Cardinalis ſanctę Mariæ in Coſmedin, aliàs Schola Græca.

VRBANI PAPAE IV.

15. Gottifredus de Alatro, Hernicus, Diaconus Cardinalis ſancti Georgij in Velabro.
16. Vbertus Senenſis, Diac. Card. S. Euſtachij.
17. Iordanus de Comitibus Tarracinenſis, Diaconus Cardinalis ſanctorum Coſmæ, & Damiani.
18. Matthæus Rubeus Vrſinus, Romanus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Porticu.

Tanta ſcientia Iuris vtriuſque claruit Clemens, vt grauis illa ętate I.C. Durandus, Carnutum Eccleſiæ Decanus, lumen Iuris eum appellauerit, nec immeritò. Illam enim diſciplinam exactè didicerat, ob quam, & ſingularem, qua affluebat bonitatem, præſtitaque magnis Principibus conſilia in admiratione hominum erat.

Cæterum cum Vrbani morte, Caroli conatus * paululum repreſſi eſſe viderentur, Clemente Pontifice, tamquam è Caroli ſinu prodeunte (eius enim ſubditus erat) magis aucti ſunt. Tiberi amne, menſe Maio anno 1265. cum 30. triremibus Maſſilia ſoluens ſubuectus, vigilia Pentecoſtes Romam ingreditur, vbi magnificè receptus, & Senatorium munus Pontificis iuſſu obiuit: quoad terreſtres copiæ aduenirent, & quatuor Cardinales à Pontifice miſſi adeſſent, qui fœderis conditiones, Pontificis, & Eccleſiæ nomine, cum Carolo firmarent. Quarum præcipua fuerunt; Vt ſacramento firmaret vtriuſque Siciliæ Regnum ſe beneficiario iure a Romana ſede ſuſcipere; & in ſingulis annis, cēſus nomine octo millia auri vnciarum, & equū album penderet, ne Romanum Imperium etiam vltro oblatum, cum penè vacans, & nutans, ſuſciperet: vt fœminæ, legitimi maſculi defectu, ſuccederent, quæ non niſi ex Apoſtolicæ ſedis auctoritate nuberent, & Beneuentum liberum Eccleſiæ relinqueret. Noui Prælati literas, & electiones non impediret, nec Clericos nouis indictionibus vexaret: Appellationes ad ſedem Apoſtolicam permitteret. Cardinales fuere Fr. Hannibaldus Presbyter Baſilicæ SS. duodecim Apoſtolorum, & Richardus S. Angeli ambo Hannibaldeaſium genere orti. Ioannes Caietanus Vrſinus S. Nicolai in Carcere Tulliano, Iacobus Sabellus S. MARIAE in Coſmedin Diaconi. His actis, & iuramento firmatis; Pontifex quinque Cardinales Legatos creauit; Qui Carolum vtriuſque Regni Regem, cum vxore Beatrice, inungerent; hi fuerunt. Rodulphus Albanus Epiſcopus, legationis Princeps, Ancherus tituli S. Praxedis Presbyter, Richardus ſancti Angeli, Gottifredus Alatrinus S. Georgij in Velabro, & Matthæus Rubeus Vrſinus S. MARIAE in Porticu. Ab his Carolus cum vxore Laterani in Baſilica Conſtantiniana * Rex in Epiphania, initio anni Chriſti 1266. inunctus eſt. Exules Florentini Pontificem adeuntes, vt illos Carolo Regi commendaret rogarunt, ſtrenuam ipſorum operam in bello contra Manfredum polliciti. Pontifex eorum audaciam, & excellentiam admiratus inſigne belli miniſterium in eorum fiducia reponens, eorum oblationem grato animo ſuſcepit, eóſque clypeos, quos receperat ornatos bello ferēdos dedit, in iis imago rubentis Aquilæ, cæruleum Draconem vnguibus ſubiectum prementis, quod inſigne Guelphis Clemens largitus eſt, illudque Vrbi deinde reſtituti Guelphi terre continuarunt. Erat enim Aquila coccinea, argenteæ impreſſa areæ, Draconem cæruleum ſibi ſubiectum acutis vnguibus calcans.

REGNVM Siciliæ Romanæ Eccl. ſubiectum.

CONVENtiones pactis inter Rom. Pontif. & Carolum Regem.

*

LEGATI Apoſtolici pro vnctione Regis Caroli.



Federicus vero Secundus Imperator fautoribus ſuis Ghibellinis ſignum aliud conceſſerat; quod hic expreſſimus.



Rodulphus Albanus Epiſc. tertius expeditionis Legatus creatus. Manfredus Beneuentum profectus, vbi Carolum expectaret, in planis, patentibúſque campis conſtiterat, vt equeſtri pugna, qua plurimum valebat concertaretur, quamquam ex itinere, feſſus miles eſſet, qui ita acriter pugnarunt, vt Manfredi copias validè pugnantes in fugam dederint: Exercitus eius reliquiæ fugantur, cæduntur, in hoſtiumque poteſtatem veniunt, Manfredus, pulcher aſpectu, crine flauus, decoriſque vultu captus *, occiſus eſt à Carolo.

MANfredi exercitus fugatur.

MANfred. captus, à Carolo occiditur.

Carolus tanta victoria * potitus, Beneuentóq; capto, & ſæuiſſimè direpto, quid geſtum eſſet, per literas Pontificem docuit. Nuceriam oppugnare adortus, quo ſe noui, veteréſque Sarraceni receperunt; eos tandem diuturna obſidione preſſos, ea lege in deditionem accepit, vt ſuis ritibus in Italia viuerent, & transfugas omnes traderent. In his Manfredi vxorem, & filium in carcere poſtea miſere necatos. Carolus vtroque Regno glorioſe partis, Manfredique theſauris inter Duces diſtributis, à Pontifice accerſitus, cum exercitu Viterbium ſe contulit, quò & Henricus Carolo ſanguine iunctus, à fratre Rege Caſtellæ pulſus, paulò ante peruenerat. Quem Pontifex Caroli commendatione motus multis muneribus donatum, Vrbis Senatorem conſtituit, cum Carolum ipſum ampliori honore affectum, imperialem in omni Italia Vicarium, Imperio tunc vacante, creaſ-

*

CAROLI Regis Siciliæ victoria.

HENRIcus Regis Caſtellæ frater Vicarius Imperij [illegible] ſtituitur.

te, creaſ-

A te, creaſſet; quo iure in Hetruriam proficiſcitur, vt poteſtatem ſibi traditam confirmaret, & Ghibellinos reprimeret, qui Chunradinum adoleſcentem, Henrici filium *, Friderici II. Imperatoris nepotem, in Italiam contra Guelphos, & contra ſe ipſum ſollicitare non ceſſabant. Carolus dum res in Hetruria proſperè gerit, regnicolarum rebellantium inſidijs coactus, in Regnum properè rediit; & rebus nutantibus compoſitis, bellum aduerſus Chunradinum cum exercitu in Italiam venientem, adornabat, locus pugnæ campi patentes fuere, Palentini vocati, inter lacum Fucinum, & altiſſimos Marſorum montes, inito ad v. kalend. Septembris anno 1268. Prælio, Carolus impreſſione facta, omnes fudit, fugauitque magna in fugiendo edita hoſtium ſtrage. Henricus Senator, qui à Carolo defecerat, Reate in fuga captus eſt. Chunradinus, & Auſtriæ Dux mutata veſte *, cum Aſturam aufugiſſent, vt nauigio Piſas tranſire liceret, à loci domino Ioanne Fregepane agniti capiuntur: & Carolo Regi traduntur, is Henrico perpetuis carceribus cluſo, Chunradinum, & Auſtriæ

CONRADinus in Italiam cum exercitu venit.

CAROLVS Conradini exercitum fudit, magna edita ſtrage.

B Ducem, Neapolim adductos, anno ſequenti capitali ſupplicio affecit. Quam rem Pontifex paulò ante diuinauerat: pugnæ namq; die, dum Viterbij concionaretur, extaſi raptus, publicè clamauit, *hoſtes Eccleſiæ caſos, fugatoſque eſſe*: quod ipſi diuinitus reuelatum fuiſſe ferunt.

CONRADinus captus Neapoli capitali ſupplicio afficitur.

Alij ſcribunt, ſæuam Caroli ſententiam Pontificem, & Cardinales ægrè admodum paſſos *, eumque acriter reprehendiſſe. Carolus igitur tanta victoria potitus, & cuncto Regno, nemine repugnante, in poteſtatem redacto, grauiſſimè de fontibus, & rebellibus, quorum maiorem partem bello ceperat, ſupplicia ſumpſit, nobiliſſimum quemque ſecuri percuſſit; infimorum ordinum penè infinitos ſtrangulauit: & totum Regnum cædibus, & luctu repleuit. Romam proficiſcens, Pontificem apud Viterbium viſitauit *. Senatoriumq; munus in Vrbe, permiſſu Pontificis aliquamdiu adminiſtrauit, Mareſcallo in Hetruriam miſſo, cuius induſtria, & opera Ghibellinis vbiq;

QVID Carolus in rebelles.

C pulſis, pax inter Senenſes, & Florentinos compoſita eſt.

Cæterum Clemens Pontifex, Heduuigem * Poloniæ Duciſſam, pauperum, dum viueret, obſequio deditam, multis miraculis claram, miræ ſanctitatis viduam, Poloniæ Ducis rogatu, Viterbij in Eccleſia fratrum Prædicatorum anno 1267. cum vita functa eſſet anno 1243. inter ſanctos ſollenniter retulit, vt Laurentius Surius, & Martinus Chronicus teſtantur. Inter alia commendabilia cum canonizatio eius per plures annos differretur, ipſa procuratori in Curia Romana, cùm ea de re anxius ſollicituſq; eſſet, per viſum apparuit, eumque de expeditione negotij, & etiam de die expeditionis certiorem reddidit. Idibus Octobris * eius feſtiuitas ab Eccleſia recolitur, deque ea re Clemens IV. ad Archiepiſcopum Gneſnenſem, & eius Suffraganeos ſcripſit. Clementem, fama eſt, inſpecto Chunradini exercitu, exclamaſſe: *ò infelix adoleſcens, qui vt victima ad cædem duceris*. Nouerat enim Caroli in re bellica ſcientiam, prudentiamq;

HEDVVIGIS Poloniæ Duciſſæ Canonizatio.

D At Clemens quamdiu Pontificatum geſſit, perpetuò hoc à ſe obſeruari voluit, ne quid inconſulto Cardinalium Collegio facere, aut aggredi conaretur. Idque Cardinales obieciſſe Gregorio XI. Catharina Senēſis Virgo, ſpectatiſſima ſui tēporis, epiſtola ad Greg. tradidit.

CLEMENS IV nihil ... ſine ...

Clemens autem Vrbis amœnitate captus Viterbio numquam diſceſſit, pauperes amauit, & maxime religioſos, Prædicatores, Minores, & Eremitas, quos multis priuilegijs honorauit. Maxima vſus eſt doctorum hominum familiaritate, & præſertim SS. Thomæ, & Bonauenturæ, qui eo tempore floruerunt. Sententia publica 40. Epiſcopos indignos officio amouit, quod Manfredo adhæſiſſent. Vitæ ſanctitati, abſtinentiam à carnibus, cilicium ad nudum corpus, vigilias & lectiones aſſiduas adiunxit. Ad Michaelem Palæologum * Imperatorem Conſtantinopolitanum, & ad Patriarcham ſcripſit, vt fidem Catholicam ſuſciperent; quam explicat per literas omnibus virtutibus clariſſimus, de Romana Eccleſia optimè meritus, Viterbij, cum die S. Cæciliæ ægrotare cœpiſſet, viij. poſt die, morbo, ſenioque confectus, ad iij. Kal. Decembris anno ſalutis 1268. obijt *, ſepultus marmoreo tumulo, quod adhuc cum huiuſmodi elogio extat ad Prædicatores in Eccleſia S. Mariæ ad Gradus.

CLEMENS ... Epiſcopos ... officio deponit.

SVRIVS ... Chro. ...

CLEMENS ... Conſtantinopol.

CLEMENTIS obitus.

E

Ex Nomd. inter Epitaph. p. 3.

Lector ſige pedes admirans quàm breuis ades,
Pontificem Quartum CLEMENTEM contegit arctum,
En datur in cineres Petri ſucceſſor, & heres.
Cuius ſi memor es, non mundi gaudia quæres.
Hic Iudex primum, quem ſic ſucceſſus opimum
Reddidit, vt fertur, miles probus efficeretur.
Talēque ſortitus nomen, Iuriſque peritus,
Virginis vnius fuit vnicus ipſi maritus.
Qui viduatus ea, mox Christi ſorte potitus.
Anicienſis ita dignus fuit Archileuita.
Præſul ibi factus, poſt Archiepiſcopus actus.

F

Paſtor vt egregius, Narbonæ præfuit auctus.
Vtque Deo gratus, vir Cardinalibus ſociatus.
Papatus nomen clarum ſuſcepit & omen.
Sic ſublimatus, ſic denique clarificatus,
Perficiendo gradus cenſetur ad aſtra leuatus,
Annis ſex denis octo cum mille ducentis
Tranſactis Chriſti, CLEMENS tumulo datur iſti:
Vt finalis ei det gaudia ſumma dies, Amen.

A Cum Mediolanenſes Tyranni Napus, & Martinus anathematis abſolutionem, quo ab Vrbano IV. innodati erant, periliuſtres Oratores, interuentu Regis Caroli, petijſſent à Pontifice, libertatis Eccleſiaſticæ ſtudioſiſſimo, cum ignominia reiecti ſunt, & anathema non ſublatum, niſi Eccleſiæ mandatis parerent, & Archiepiſcopum Othonem Vicecomitem pulſum ſuæ ſedi reſtituerent, bona Epiſcopatus ablata redderent. Cæterum quum miſſo Mediolanum Cardinale Legato ea omnia pollicerentur, anathematis abſolutionem impetrarunt, Pontifice autem paulò poſt mortuo, nihil eorum, quæ polliciti fuerant, præſtiterunt, quare à Gregorio X. denuò excommunicati ſunt.

Quo verò huius Pontificis integritas, religio, modeſtia, morum ſanctitas, vitaq; innocenter, & piè acta omnibus perſpecta ſit, epiſtolam eius ſubijcere placuit, ad nepotem miſſam, quæ extat inter epiſtolas eius in Bibliotheca Vaticana. Agnatos ſuos in Italiam in

CLEMENtis integritas atque religio.

B conſpectum ſuum venire vetuit, quibus etiam de Eccleſiæ fructibus nihil largitus eſt, præter exiguam pecuniæ quantitatem, vt ex ſequenti Epiſtola facile perſpicitur.

CLEMENS EPISCOPVS SERuus Seruorum Dei. Dilecto filio Petro Groſſo de S. Aegidio, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Multis de noſtra promotione gaudētibus, Nos ſoli ſumus, qui certius immenſitatem oneris experimur, & idcirco, quod alijs gaudiū, Nobis metum ſubminiſtrat, & fletum. Sane vt ſcias qualiter his auditis debeas te habere, ſcire te volumus, quod humilior ſolito debes eſſe: neq; enim, quod Nos vehementer humiliat debet Noſtros extollere, maxime cum honos huius ſæculi momentaneus ſit, & ſicut ros trāſeat matutinus, nec ad nos te, vel fratrem tuum, vel ex alijs Noſtris aliquem venire volumus, ſine noſtro ſpeciali mandato, quia ſpe ſua fruſtratum, ſi ſecus venire præſumeret, oporteret redire confuſū:

C *ſed nec in tua ſororis nuptijs gradum quæras, propter Nos altiorem, nec enim Nos haberes propitios, nec in aliquo adiutores. Si tamen eam filio militis deſponſaueris, in trecentis libris Turonenſibus tibi propoſimus ſubuenire: & ſi altiora quæſieris, nec à nobis denarium ſperes vnum; & hoc ipſum ſecretiſſimum eſſe volumus, & tibi & matri ſolummodo notum eſſe. Illud etiam ſcias, quod nullum, nullamque de ſāguine Noſtro ſub Noſtræ ſublimationis obtētu, inflare volumus; ſed tàm Mobiliam, quàm Catiliam illos viros habere volumus, quos haberent, ſi eſſemus in ſimplici Clericatu: Sybillam viſita, & dicas, quod locum non mutet; ſed remaneat apud Suſam, & omnem maturitatem, & habitus honeſtatem obſeruet; & preces Nobis pro aliquo non præſumat aſſumere, nam eæ, pro quo fierent, eſſent inutiles, & ipſis, qui rogauerint, damnoſæ. Et ſi forte per aliquos ex hac cauſſa munera offerentur, ea reſpuat, ſi vult Noſtrā gratiam retinere.*

CLEMENtis epiſtola moralibus documentis ornata.

D *Saluta matrem, & fratres: non ſcribimus tibi, nec familiaribus Noſtris ſub Bulla, ſed ſub Piſcatoris Sigillo, quod Romani Pōtifices in ſuis ſecretis vtuntur. Dat. Peruſij, in feſto SS. Perpetuæ, & Felicitatis.* In qua quidem Epiſtola, etſi nihil eſt, quod magnopere mirari non debeas, at prudentiam Clemētis maximam, ſanctimoniamque plurimum laudare oportet. Vltimis verbis Epiſtolæ deſignantur ſigilla duo, quibus Pontifices Romani vtuntur: vnum in ſacris miſſionibus publicis, quas Bullas vocant, idque plumbeum eſt; alterum in priuatis ad quoſcumque literis: habet enim in annulo Piſcatoris effigiem in nauicula poſiti, & retia laxantis, ideſt Petri: nam is prius Piſcator, quam Epiſcopus, fuit; immo Pontifex factus piſcari non deſijt errantes mortalium animos.

Quæ autem ſic ſcripſit, re ipſa magis præſtitit: bona enim Eccleſiæ ita accuratè diſpenſauit, vt plus Deo, quàm affinitati, & cognationi tribueret. Filiarum alteræ in Monaſterio collocatæ 30 libras

E paruorum Turonenſium dedit; alteræ verò, quæ ſuæ conditionis marito nupſerat 300. libras Turonenſium dotis nomine tradi, iuſſit, ea lege, ne quid præter ea flagitaret. Fratris filio Clerico, tres canonicatus obtinenti, optionem obtuliſſe ferunt, vt quem vellet ex his retineret, duos illico dimitteret. At amicis inſtantibus, vt non ſolum, quæ habebat propinquo relinqueret, ſed maiora, & plura tribueret: Vir optimus, & ſanctiſſimus reſpondit, ſe Deo, quàm carni, & ſanguini acquieſcere malle; Deum velle, vt redditus ſacri in pias cauſſas erogentur nec eum eſſe dignum Petri ſucceſſorem, qui plus cognationi, quàm pietati, & Chriſto tribueret. Fuit verò in proximum, & Chriſti pauperes ſummè liberalis, hiſque artibus Pontificatus munus ſanctiſsimè obiuit.

EXIGVÆ dotes à Clemente ſuis conſanguineis præſtitæ.

F

Signum FAC MECVM DOMINE SIGNVM IN BONVM. *Clementis*

PP. *IV.*

ADDI-

ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

¶ * *Beneficiariæ iure.*] Vide Claudium Clement. cap. 10. loc. cit. Peruſio Pontifex non diſceſſit; ſed inde Romam Legatos miſit ad Carolum, cum Beatrice coniuge, coronandum. Pand. Colle-nutius in Hiſt. Neapolit. & Franciſcus Belleforetus, in Ludouic. IX. Clementem Pontificem, ſine vicaria Cardinalis Legati opera, Carolo, & Beatrici Regias coronas impoſuiſſe, falsò tradiderunt: refelluntur à Claud. Clemente cap. 12. loc. c. Cod. m. s. Epiſtolarum Clementis IV. euoluit Claudius, nullam Romæ ſcriptam inuenit, omnes Viterbij, vel Peruſij.

V. Blond. l. 8. Dec. 2. Nauel. Generat. Marſonem in Elogio F. de Chronicis.

* *Lateranì in Baſilica Conſtantiniana.*] Ita Collenutius l. c. & fauet Platina: at Panuinius lib. 2. cap. vlt. de Baſilica Lateranen. duos tantùm recenſet, Lotharium II. ab Innocentio II. & Henricum VIII. Lucemburg. à tribus Cardinalibus Legatis, Clemente V. in Gallijs degente, ibi coronatos. In D. Petri Baſilica coronatum fuiſſe Carolum, ex Diplomate in Archiuio Canonicorum eiuſdem Baſilicę conſeruato, ſcripſit Iacobus eiuſdem Archiui olim Cuſtos.

In Clē. IV. c. M. S.

* *Manfredus captus.*] Manfredum pugnantem occubuiſſe, ait Platina. Clemens, literis ad Archiepiſcopos, & Prælatos Galliæ ad conſcribendos milites Crucesignandos, contra Manfredum; *De venenoſo &c.* iv. non. Nouembr. ann. 1. grauia Manfredi ſcelera, initio, commemorat, narratque ſe Carolum Andegauenſem Siciliæ Regem delegiſſe, eas vide apud Vuadding. ---, poſt Manfredi, anathemate irretiti, necem, Clemens illius cadauer humatum effodi, & extra Regnum ad amnis, cognomento, Viridis, ripam deferri iuſſit. Vide Vuaddingum tom. cit.

1265. t. 1. A. M.

* *Carolus tanta victoria.*] Vide, Platinam.

* *Conradinum Henrici filium Friderici II. nepotem.*] Conradi Sueui nepotem eum Platina nominat: Friderici e Conrado filio nepotem, Cromer. lib. 9. Polon. Genebr. lib. 4. Chronog. Gretſer. c. 55. Exam. Myſt. Pleſſæani. Cum Conradinus per agrum Viterbienſem, cum exercitu in Regnum pergeret, Clemens, vaticinantis more, dixiſſe, fertur, *illum, ut victimam ad mortem duci*, ex Platina, Paulus Aemilius in Ludouici IX. Clementem dicentem facit. *Ha opima victima ad aras aguntur.*

V. Claud. Clē. c. 18. loc. cit.

* *Conradinus mutata veſte.*] Agaſonis habitu, piſcatoris ſcapham cum, in Germaniam itiurus, conſcendiſſet, captus eſt. Spectaculum Iuuenis è Sueuorum ſtirpe vltimi deplorat Claudius Clem. cap. 18. loc. cit.

* *Alij ſcribunt, ſanam Caroli ſententiam ...... Pontificem ægre paſſum.*] Purus Clementis animus iam ad beatorum ſedes abierat, cum Conradinus, iuſſu Caroli, in ferali theatro ſecuri ictus occubuit: ille ann. 1268. iij. kalen. Decembr. cæleſti præmio, hic vij. kalen. Nouembr. anni ſequentis, terreno ſupplicio affectus: Si de Clemente ſermo ſit, beatitatis immortalis bono fruens miſerabili regij Adoleſcentis morte mœrere non potuit: ſi de Gregorio X. ſucceſſore; is nondum Pontificatum adeptus erat: duorum enim annorum, & aliquot menſium interregnum fuit. Scriptorum de Conradini nece iudicium exhibet Claud. Clemens. cap. 19. loc. cit. Ante Conradini pugnam, Clem. obijſſe, teſtatur Ptolemæus Lucenſis in Annalibus.

* *Pontificem ..... viſitauit Carolus.*] Id non accidit poſt ſumptum de regio Iuuene ſupplicium, ſi iij. Kal. Decembr. anno 1568. Clemens migrauit ad ſuperos; at ſi annos quinque Eccleſiam rexit, vt quidam dicunt, non abnuo.

* *Heduuigem.*] Literas canonizationis. *Exultat ſanctorum fidelium*, retulit tom. 1. Bullar. Laertius Cherubinus. *Dat. Viterbij vij kalen. April. Pontific. ann. 3.*

* *Id. Octobr.*] De illa hac die Martyrol. Rom. Card. Bar. in Notis.

* *Michaelem Palæologum.*] Conceptam profeſſionis fidei formulam Michaeli Clemens ann. 1267. per Legatos miſit, de qua diligenter Vuaddingus loc. cit.

* 1268. *Obijt.*] Ex Panuinio in Chronico. Sedit, vt placet Panuinio, an. 3. menſ. 9. d. 25. vt Platinæ, an. 3. d. 21. vt Genebr. an. 5. d. 21.

* *Clemens &c.*] Hanc Epiſtolam referunt Panuinius, ad eius vitam, apud Platinam, ex Hiſpana Hiſtoria Petri Michaelij. Claudius Clem. cap. 8. loc. cit.

* *Filiarum altera.*] Filias ambas Clementis ex vxore ſuſceptas inter ſacras Virgines cæleſtem Agnum ſequutas, ſcriptum reliquere S. Anton. par. 3. tit. 28. cap. 1. Fulgoſ. lib. 4. cap. 3. de Mir. Claud Clem. cap. 7. loc. cit.

Grauiſſimorum virorum teſtimonijs Clementis virtus celebrata eſt. De illo S. Anton. 3. par. *Valde felix, ſecundum Deum; quia valde bonus; & ſecundum ſeculum, quia prudens, & expertus in regimine, & negocijs ſeculi, & in maxima dignitate.*

Ptolemæus Lucenſis Torcellenſis Epiſcopus, in Annalibus. *H---quanto plus creuit in dignitate, tanto plus floruit in ſanctitate.* Quid de illo dixerit Platina, ſupra indicauimus. Inter doctiores totius Orbis, ſui ſeculi, viros recenſetur à Gonzalo Illeſcas: à Platina, Iureconſultus totius Galliæ, ſine contentione, primarius appellatus eſt.

ad an. 1265. In eius vita.

Splendorem tanti viri nonnulli Chriſtianæ fidei deſertores, Caluini, & Lutheri veneno ſuffuſi, procaci maledicentia, ſed inſano, & irrito labore, obſcurare, conati ſunt. Nicolaus Deſleres, Caluiniana licentia, quam Claudius Clemens caſtigat, Clementem necis Conradini auctorem extitiſſe, mentitus eſt. Vide Claud. loc. cit. & cap. 21. vbi Carionis, Gaſpariſque Peuceri Lutheranam, inſanam in Clementem, & Carolum maledicentiam coercet: vt Gretſerus Mornæi, qui, vt in lectoribus Carolo, & Clementi odij flammam exuſcitaret, multa inſulsè deblaterauit: neque illum dicere puduit, epiſtolam ad Petrum Arragonum Regem, quæ habetur lib. 1. Epiſt. Petri de Vineis, à Clemente fuiſſe conſcriptam: id enim Petrus cognouiſſet, Clementique reſpondiſſet; non Carolo; in illum, non in hunc, inuectus eſſet.

c. 2. in l. 4. Cap. 55. Exam Myſt. Pleſſæani.

Viros ſanctitate, & doctrina conſpicuos amauit, magnifecit, euexit Clemens, ſanctos præcipuè Thomam, & Bonauenturam, lucidiſſima nobilium ordinum, & vniuerſæ Eccleſiæ Sydera; illi Neapolitanam Eccleſiam regendam obtulit, quam tamen ſanctus humiliter recuſauit: hunc Eboracenſem in Anglia Antiſtitem creauit; iuſſitq; graui præcepto, ne impoſitum onus detrectaret; egregia de hac re illius ad S. Bonauenturam extat Epiſtola; qua ſanctiſſimum Doctorem magnis, ſed veris laudibus cumulat. Data eſt Epiſtola viij. kalendas Decembris, ann. 1.

Surius in vita S. Th. t. 2. A. M. apud Vuaddingum.

Eodem anno 1. Pontificatus, die 1. Septembris, Aſſiſij Aedem S. Claræ conſecrandam curauit: Rodulphus Card. Epiſcopus Alban. Aedem intus, & foris, Stephanus Cardinal. Epiſcop. aram SS. Coſmæ, & Damiani, Pontifice præſente, Pontifex ipſe aram maximam, ſub qua ſanctæ Claræ Virginis Lipſana deliteſcunt, conſecrauit. Vuadding. tom. 2. ex Reg. ordinis Seraphici.

Scripſit Epiſtolam contra Guillelmum de ſancto Amore *Si circa veritatis*, 15. Nouemb. ann. 1266. Viterbij.

Ann. 1268. Clemente auctore, milites Crucis in Syriam ad bellum ſacrum peragendum profecturi, conſcribebantur. Vide Vuaddingum loc. cit.

Patauinum Gymnaſium confirmauit, ſuo Diplomate; quod habes apud Anton. Riccobonum lib. de Gymnaſ. Patau.

Franciſcani inſtituti ſectatores multis in Vrbibus Cenſores fidei conſtituit, ann. 1. Vide Vuaddingum tom. cit.

Cobila VI. Tartarorum Imperator miſit ad Clementem Nicolaum Paulum, & Maffeum Venetos, cum Chogotalo Tartaro clari ſanguinis, vt Euangelicæ legis Prædicatores ab eo poſtularent. Genebrard. lib. 4. Chron. ex M. P. Cobilam Baptiſmo regeneratum fuiſſe, ſcripſit Hayto Armenius, apud Genebr. loc. cit.

Mitigauit, declarauitque Clemens Regulam ordinis ſanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis captiuorum. *In ordine. Dat. Viterbij vij. Id. Decembr. ann.* 1267. tom. 1. Bullar.

Clemens adlectus in Pontificem ſcutarium ſymbolum mutauit, relicta Aquila nigra, gentilitiæ parmæ imagine, ſex cyanea Lilia aureo laterculo impreſſa delegit. Egregiam ſex annorum operam Guido, inter ſanctioris conſilij patres, S. Ludouico Galliarum Regi nauauerat; tanti Regis memor, ſtudioſuſque ad maximi Pontificatus apicem vocatus, lilia, non aquilam voluit: hæc perlita hoſtium cruore trophæa oſtentat: illa animi demiſſionem oſtendunt. *Lilia*, ait Plin. lib. 22. cap. 5. *languida ſemper ſunt collo, & non ſufficientis capitis oneri.* His ſuam modeſtiam Clemens indicauit, & ſpem. Spei ſymbolum lilium. In nummis Alex. Pij Aug. & Impp. Aemiliani, & Claudij, Dea lilium manu prętendens conſpicitur, & adiecta inſcriptio. SPES PVBLICA. (ſi Pierij opinionem ſequamur, ſunt enim, qui non lilium id dicunt eſſe, at primulam herbam, quaſi indicium ſperatæ meſſis,) & quia cæleſtia ſperabat auxilia, & poſt obitum præmia, cæruleo in lilijs colore delectatus eſt: in auro quieſcere lilia voluit; quia ſpem, & fidem cum charitate, quam aurum innuit, coniunctas eſſe, cupiebat: In ſupremo auguſtiſſimæ dignitatis, & poteſtatis faſtigio, mente cæleſti illuſtrata ſplendore, Eccleſiam, vice Iesv Christi moderaturus, humanæ cognationis, & cuiuſcumque caducæ rei affectum, ac ſtudium depoſuit. Hoc autem Gentilitiæ Teſſeræ, cum nouo liliorum ſtemmate, mutatione, in virum mutatus alterum, non obſcurè ſignificauit.

Pier. Val. l. 55. Hier.

Alphonſus Aragonius Romani Imperij coronam ab Apoſtolica ſede importunnius petebat: reſtitit ei Clemens conſtantiſſimè. Rodulpho Apsburgenſi Comiti decus illud deſtinauerat Deus, & Gregorio X. miniſtro, in Lugdunenſi Concilio dedit.

Diuino conſilio, Clemens contra Manfredum Eccleſiæ hoſtem, Carolum Andegauenſem in Italiam euocauit, priſci hoc indicant verſus, quos ſubijcio.

Ex Chro. Cō. Monſeruij, & Martini in Bell. Hiſt. Nic. Vignet. p. 1.

Carolus Athleta Chriſti, prout ante Cometa
Hoc præſaguit, Manfredum ſuppeditauit.
Plus decies centum quater iuxta Beneuentum.
Victor proſtrauit, hinc Eccleſiam releuauit.
Sunt anni Chriſti, Victoria cum datur iſti,
Mille ducenteni, ſexageni, quoque ſeni.
Belli fit finis; Februi lux tertia finit.

Ex Manfredi Eccleſiæ hoſtis vita, Regnóque priuati, tumulo, Iuſtitiam diſce, & non temnere Petri ſucceſſorum monita, & iuſſa.

Belleroſor. in Lud. IX.

Hic iaceo Caroli Manfredus Marte ſubactus,
Cæſaris heredi non fuit Vrbe locus.
Sum, patris ex odijs, auſus confligere Petro:
Mars dedit hic mortem, mors mihi cuncta tollit.

NOVA

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI
Societatis Iesv.

Pontificatum excutere curat. Petr. Frizo in Gallia Purpur. Oder. Rinaldus in Annal. Literas ſcribit ad Præſules. Multorū gratulationes accipit.

PRoſpectvs Peruſium Clemens renunciatus Romanus Pontifex, ſine pompa, ſimulato, vt volunt, cultu impoſitum ſibi onus excutere conatus eſt, vtque Longinus ſcribit, *vix cum lacrymis Cardinalium vinci potuit*, ſummumque Pontificatum flens, ac mœſtus admiſit. Redimitus ſolemni ritu Pontificia Tiara encyclicas ad Orbis Catholici Præſules de ſuſceptis Eccleſiæ gubernaculis literas dedit, atque ad implorandam diuinam opem incitauit.

Gratulati ſunt Clementi de adepta dignitate Bela Hungariæ, Iacobus Aragonum, Theobaldus Nauarræ, S. Ludouicus Galliarum, Alphonſus Caſtellæ, & Legionis Reges, tum plures Reginæ, quibus ſingulis alias Clemens dedit literas, quæ rerum humanarum deſpicientiam, ac ſanctitatem maximè olent. Theobaldo Nauarræ Regi omnibus virtutibus ornatiſſimo Principi non gaudiorum ſegetem, ac materiam in Apoſtolico faſtigio, ſed lacrymarum ſe reperiſſe, ſignificauit his verbis. *Sicut Noſtro fili chariſſime, prout ſcribis, congaudes honori, compati te volumus nihilominus oneri, quod Noſtros adeo deprimit, & aggrauat humeros imbecilles, vt in tanta prælationis aſcenſu conſiderantibus Nobis fideliter, quod, & quātum oneris immineat, citra Deum occurrere nequeat, quod delectet. Ille tamen Nos recreat, qui creauit, & in illo conſolationem recipimus, qui ſperantes in ſe non deſerit, laſſo virtutem tribuens, & his, qui robuſti non ſunt, robur multiplicans; ab Eccleſia naſcentis initijs, mundi huius infirma eligens, & per ea, fortia ſubigens, & confundens &c.*

Lacrymarum materiem in Pōtificatu ſe reperiſſe ſcribit.

Conſentiunt ſuperioribus, quæ reſpondit Alphonſo Caſtellæ, & Legionis Regi gratulanti de accepto Clementis nomine, cum ſancti Clementis feſto die in lucem prodijſſet, eoque poſtea recurrente ingentia à Deo beneficia accepiſſet. *Flendi potius, quàm gaudendi materiam apud Nos inuenimus: nec tamē animus Noſter deijcitur, cui cōſolationis remedium ingerit inexhauſta diuina pietatis abyſſus, quæ quos conformes ſuo inuenit beneplacito, non ſic eleuat, vt allidat, imo potius opus imperfectionis abhorrens, ſic humiles erigit in ſublime, ſic & locum humilitatis propria conſeruantibus reuerenter manum non ſubtrahit adiutricem. Sub illius igitur confidentia, qui ſperantes in ſe non deſerit, ad fortia manum miſimus, & ad grauia coaptauimus humeros imbecilles, & quod poſſibilitas Noſtra non obtinet, in eo Nos poſſe confidimus, apud quem non eſt impoſſibile omne verbum.*

Sanctiſſimo verò Ludouico Galliarum Regi non ad oſtentationis pompam, ſed ad commendationis veritatem ſcripſit, *illud ſcias, quod in ſuſcepto regimine, nec honos Nos erigit in ſuperbiam, quem onus importabile comitatur; nec diſſoluunt delicia, quas conflictus curarum eliminat, nec diuitia ſibi ſubijciunt, quas nunquam nobis permiſimus dominari: imò quod lati referimus, quem ſeruum habere nequeunt, & comitem dedignantur.*

Triſtis Orbis Chriſtiani ſtat.

Et verè quæ lætitiæ materies Clementi eſſe poterat, dum Eccleſia vndique anguſtijs premeretur, ac plurium Regnorum, & Prouinciarum facies triſtiſſima eſſet. Lacerabatur Italia Manfredi tyrannide, & pars illius maxima ab Eccleſia diſciſſa, orbata ſacris, à Sarracenis conculcata iacebat. Fluctuabat Germania in contraria duorum Principum, Richardi, & Alphonſi Electorum in Romanorum Reges ſtudia diuiſa; tumultuabatur Dania, & grauiſſimis diſcordijs laniata in proprium exitium ruebat. Hungariæ, ac Poloniæ grauiſſimus Tartarorum, veluti iam iam irrumpentium terror impendebat; ſqualebat in lacrymis, ac mœrore Anglia ſuo Rege perduellium crudelitate vinculis irretito; graſſabantur in Hiſpania Sarraceni; conuulſum à Schiſmaticis Conſtantinopolitanum Imperium, ac grauiora in dies Latinorum reliquiæ, vel patiebantur, vel timebant; in periculum adducebatur Terra Sancta, adeo vt Pontifex, quem vnum tot luctus, ac mala totius Chriſtiani Orbis obruebant, verè diceret ſibi non gaudiorum pompam, ſed lacrymarum materiam delato Pontificatu ſuppeditatam fuiſſe. Suſcepto igitur Apoſtolico munere, aduerſus Manfredi Tyrannidem primas curas conuertit Clemens, ac Simoni tituli S. Cæciliæ Presbytero Cardinali Apoſtolicæ ſedis Legato iniunctum ab Vrbano in Gallijs munus confirmauit, vtque Cruce inſignitos pro ineunda expeditione Hieroſolymitana abſolueret nuncupato voto, cum non tanta Syriæ iſtaret neceſſitas, & illud contra Manfredum conuerteret, poteſtatem fecit, ac S. Ludouicum Regem Francorum ad explicandam liberaliter operam fratri eſt adhortatus; cum ex eo Francorum gloria, ac Terræ Sanctæ libertas penderent.

Manfredi Tyrannidem vdomare conat.

Extrema Eccleſiæ inopia. Bzouius to. 13. Annal. Eccl.

Exhauſtum inuenerat Clemens Pontificium ærarium, conſumptum bellis præteritis, tantumque etiam ære alieno grauatum, vt ipſarum etiam Vrbis Eccleſiarum poſſeſſiones pignori ſubijcere opus ipſi fuerit. *Ecce*, inquit in literis ad Simonem titulo S. Cæciliæ Presbyterum Cardinalem, *pro ipſo Rege Sicilia poſſeſſiones Eccleſiarum Vrbis, exceptis S. Petri, & S. Ioannis Laterani, & Cardinalium Eccleſijs, & Hoſpitalium, & Monialium obligauimus vſque ad centum millia librarum prouentum, ſi ea poterimus inuenire, & exponemus Eccleſias magno periculo.* Licet ſumma premeretur inopia Clemens, ab alienis tamen opibus puras ſemper ſeruauit manus, vt ipſemet ſuis literis Cardinali S. Nicolai in Carcere Tulliano ſignificauit; *Angit Nos cogitatus aſſiduus de paupere ſtatu Noſtro, cuius releuationem Deo committimus, pro cuius amore, & proximorum exemplo Noſtram æquanimiter patimur paupertatem, & ab omni extorſionis, & quæſtus ſpecie abſtinemus.* Licet ſumma hac oppreſſus inopia, ad maritimam tamen Syriæ oram defendendam triginta triremes inſtruxit, & inſtructas ſubmiſit.

Terræ ſanctæ opem fert.

Religioſos viros varijs beneficijs prouſequitur. Luc. Vvaddingus in Annal. Minorum.

Cum autem experiretur Clemens, quantas parerent Eccleſiæ viri religioſi vtilitates, in illos Apoſtolicam beneficentiam explicuit. Diuinum officium Vmberti opera ad nouam formam redactum, & in ſolemnibus Prædicatorum Comitijs approbatum, vt vbique terrarum eo vterentur ſacri ordinis Prædicatorum Alumni, confirmauit. Monaſterij Caſinenſis omnes prærogatiuas à Paſchale II. collatas corroborauit: præſcriptam ab Vrbano IV. Religioſæ diſciplinæ formulam ſacræ equeſtri familiæ, cui B. Mariæ Virginis nomen inditum, in ſolemni ordinis conuentu à Religioſis equitibus illuſtratam, ratam, firmamque eſſe iuſſit. Conceſſam Miniſtro maiori ordinis ſanctæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum Compendij Eccleſiam, maximiſque opibus à ſancto Ludouico auctam, Apoſtolica etiam auctoritate ijs confirmauit, atque etiam inſtituta ſacra eius familiæ à delegatis ab Vrbano IV. emendata, ac illuſtrata, Pontificia firmitate communiuit. Cum Romani Sodalitij S. Mariæ Confalonis nuncupati ſocij ea ſe inter ceteras lege aſtrinxiſſent, vt ter in anno crimina confeſſionis ſacramento expiarent, ac Dominicum corpus exciperent, ſua auctoritate pium Decretum confirmauit, præmiaque Indulgentiarum ſodalibus propoſuit.

Indulgentias cōcedit Sodalibus S. Mariæ Cōfalonis. Oder. Rinald. in Annal.

Conciliat Genuēſes cū Venetis. Legatos ad multas mittit.

Adhibuit ſummum ſtudium Pontifex, vt Genuenſes, ac Venetos vetuſtis odijs imbutos conciliaret: Guidonem tituli S. Laurentij in Lucina Presbyterū Cardinalem Legatum ad Reges Daniæ, & Sueciæ, & ad Prouincias Bremenſem, Magdeburgenſem, Saltsburgenſem, & Gneſnenſem direxit, vt ſuppetias militibus Cruceſignatis contra Lituanos, & Liuones Paganos impetraret, vtque diſcordias inter Daniæ primates extingueret: Othobonum verò Diaconum Cardinalem S. Euſtachij in Angliam, Scotiam, & Hiberniam, & Folquinum Canonicum Narbonenſem in Luſitaniam ad redintegrandam rem Eccleſiaſticam: Petrum primogenitum, & Iacobum fratrem filios Regis Aragonum ad perſequendos Sarracenos Hiſpaniæ, & ad promulgandam Chriſti legem hortatus eſt. Dignitatem Epiſcopalem Fulginatenſi Ciuitati reſtituit: Henrico Vrbis Senatori ob crudeles in Eccleſiam, & Siciliæ Regnum molitiones, & Senenſibus ob eiectos Guelphos, & admiſſum Conradinum ſacra interdixit. Conradinum ipſum ab Italiæ ingreſſu ſub anathematis cenſura prohibere ſtuduit, ſed fruſtra, quare in eundem ſpernentem, & contumacem, vti etiam in Principes coniurationis contra Carolum Siciliæ Regem anathema diſtrinxit. Contra occiſores Vvidonis monachi Ciſtercienſis electi Epiſcopi Sarſinæ ira exarſit, & ſcriptis literis Rauennatem Archiepiſcopum, ac Simonem ſedis Apoſtolicæ Legatum iuſſit præcepto, vt Cruciferorum iuſto comparato exercitu ſolemnem illam vlciſcerentur iniuriam. Extant hæ Clementis literæ apud Ferdinandum Vghellium tomo 2. Italiæ ſacræ, quas ſe excerpſiſſe fatetur ex formulario Marini Philamarini Neap. dicti de Ebulo viri clariſſimi S.R.E. Vicecancellarij in Bibliotheca Vatic. aſſeruato.

Bzouius in Annal.

Contra Sarracenos Regē Aragonū incitat.

Epiſcopā Fulgineo reſtituit.

Sacra interdicit Henrico Senatori, Senenſib. Cōradino, & alijs. Eccleſiaſticos tuetur.

Scripto reliquit Clemens vitam D. Heduuigis Poloniæ Duciſſæ.

Sermonem contra Ludouicum Bauarum.

De Recipiendarum cauſarum ratione, vt refert Corteſius.

Quæſtiones Iuris.

Epiſtolas quamplures, quarum aliquæ habentur in Hiſtoria Regum Aragoniæ, apud Odericum Rinaldum in Annalibus: tomo 14. Bzouium tomo 13. Lucam Vvaddingum tom. 2. Annal. Minorum, & apud Ferdinandum Vghellium in Italia ſacra.

Scriptores Nomencl. Cardinal. Petr. Frizo in Gallia Purpur. Ludou. Iacob. à S. Carol. in Bibl. Pont.

Vnam præcipuè ſcripſit Epiſtolam contra Guillelmum de ſancto Amore Doctorem Theologum, Dominicanis Religioſis infenſiſſimum hoſtem, cuius initium. *Si circa veritatem*. Viterbij datam xv. Nouembris anno noſtræ ſalutis 1266.

Clementis Epiſtolarum volumina quinque m.s. aſſeruantur Romæ in Bibliotheca Vaticana; Pariſijs in Nauarræa; Toloſæ in illa R. D. Caroli de Monchal Archiepiſcopi: Montis Peſſuli in illa D. de Rignac; & Parauij in illa Benedicti Saluatici.

Propoſitiones in Metaphyſicam an ſint iſtius, vel alterius, hactenus ignoro.

Ipſum autem è viuis ereptum eſſe anno 1268. omnes Auctores confirmant, vt eos adducere ſuperuacaneum ſit, ſi Nouatores exceperis, qui, vt nullo rerum delectu, ac iudicio Centurias ſuas conſarcinare ſolent, Clementis obitum ad annum 1270. contulere. De huius obitu hæc Bernardus Guido, *Clemens Papa IV. vir totius prudentia præ cunctis generoſis hominibus, obijt Viterbij in vigilia beati Andrea Apoſtoli cum pace Eccleſia conceſſa ex illo latere*, de Conradino profligato loquutus, *fuitque ſepultus in Eccleſia fratrum Prædicatorum in Viterbio anno Domini* 1268. Singulares illius dotes attigit Iordanus his verbis: *fuit vir benignus generaliter habitus, Cantor delicatus, in Concionando non habens ſocium, ſibi auſterus, ceteris pius.* Eundem commendat Ptolemæus Lucenſis ex Veteri Hiſtorico: *Generalis Clericus fuit, videlicet Iuriſta ſummus, Prædicator egregius, Cantor pulcherrimus ſine pari, carnes diu non comedit, aſperrimo lecto eſt vſus, nec veſtibus lineis ad carnem vtebatur, & ſic ſanctiſſimam vitam duxit.*

Clementis Obitus. Bzouius in Annal. Odericus Rinaldus in Annal.

Quod

Sepulturæ locus.

Quod ad locum ſepulturæ attinet, pro ipſius condendis exuuijs contentio aliqua fuit, cum maximam ſanctitatis ſuæ opinionem concitaſſet; de quo hæc S. Antoninus. *Sepultus eſt autem glorioſus Pontifex Viterbij, vbi tunc Curia reſidebat in Eccleſia fratrum Prædicatorum, vbi ipſemet ſibi elegerat ſepulturam: ſed de facto tranſlatus ad Eccleſiam Cathedralem ad voluntatem quorundam: poſtmodum dictante iuſtitia per ſucceſſorem Pontificem reſtitutum eſt corpus fratribus ipſis, & ante Capellam maiorem in latere honorifice, vt patet, collocatum.* In huius ſepulchro vſque in hunc diem ſena Lilia ſcutata conſpiciuntur: Groſſorum tamen familia gerit pro Inſignibus in ſcuto aureo Aquilam nigrã expãſam, vnguibus & roſtro coccineam, circundatam limbo nigro octo globulis argenteis onerato. Clemens memor Ludouici Francorum Regis, ac annorum Conſilij Regij, ſexennium enim in Regis Conſiſtorio conſumpſerat, gentilitium mutauit ſymbolum, & loco Aquilæ ſex cyanea Lilia ſcuto aureo impreſſa aſſumpſit, vt notatum eſt ſupra.

Pet. Friz. in Gallia Purpur.

Concilium Viennenſe.

Sub hoc Romano Pontifice auctoritate Guidonis ſedis Apoſtolicæ Legati habitum eſt Concilium Viennense cauſa inſtaurandæ Eccleſiæ. Duo alia Concilia celebrata in Anglia ab Othobono Cardinali, & Legato Nortantonij ſcilicet, & Londini de rebus ad Religionem ſpectantibus.

Nortantonienſe, & Londinenſe.

Clemens IV. Romanus Pontifex ex Panuinio, & Ciaconio neminem inter Cardinales admiſit, vnum numerat Ferdinandus Vghellius in Additionibus ad Ciaconium, & eſt.

CREATIO VNIVS CARDINALIS
Clementis Papæ IV.

I.



BERNARDVS Aiglerius natione Gallus, Cœnobij Saumiacenſis Diœceſis Lugdunenſis monachus, ibidemque ab adoleſcentia humanioribus literis, alijſque diſciplinis inſtructus, ad monaſticæ vitæ normam adeo perfectè mores ſuos conformauit, vt matura poſtmodum ætate, eiuſdem loci Præfectura ſit inſignitus. Ab Innocentio IV. Pontificij Sacelli Sacerdos, & Abbas ſancti Honorati Inſulæ Lerinẽſis electus eſt. Hunc Carolus Primus plurimi faciens, cum iter in Italiam ſuſciperet, eundem voluit, & itineris comitem, & ſuorum participem, ac moderatorem Conſiliorum; deinde Neapolitano Regno potitus, nõ modò charum habuit in paucis, ſed operam etiam dedit, vt eius præclaræ dotes, & inſignis Religio cum alibi, tum Romæ præſertim peruulgarentur. Quare Vrbanus IV. de Bernardi prudentia, ſapientia, ac ſanctitate certior factus, illum Caſinatis Collegij regimine decorauit. Suffectus eſt in Abbatem Theodino, ſeu Theodorico Acerrarum Epiſcopo electo, & apud Caſinates aſſeruantur Vrbani literæ ad Bernardum Abbatem quarum hoc initium.

Pet. Frizõ in Gallia Purpur.

M. Anton. Scipio in Elog. Abbat. Caſinenſium.

Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana.

Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

Arnoldus Vuion in Lig. Vitæ.

CLEMENS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI. Dilecto filio Bernardo Monaſterij Caſinenſis Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Præfulgore dignitatis immenſæ, quo Confeſſor almus gratia Benedictus, & nomine Monaſterium Caſinenſe multipliciter illuſtrauit, locus ipſe veluti delectus a Domino ſicut multa redditur veneratione colendus, ſic amplius meruit manuteneri fauoribus, & ſpecialiter ſedis Apoſtolicæ præſidio confoueri. Hic eſt enim verè locus inſignis, huius almi ſignis præfulgidis inſignitus, cuius ſidereus per Orbem ordo latè diffuſus, præeminentia claritatis irradians, inibi fundamenta ſuſcepit, & vt maioris præcellentiæ gloria locus ille fulgeret, poſt corruptibilis vitæ decurſum idem ſanctus ſpiritualiter ad ſuperna vocatus, ibidem corporaliter in Domino requieſcit. Tum ad finem. *Cupientes autem, vt ipſum Monaſterium ſtatum proſperum diuina clementia cooperante reſumat, & interponentes Apoſtolicæ ſollicitudinis ſtudium, ne per vacationem diutinam incurrat in ſpiritualia, & temporalia detrimenta; ſperantes quoque, quod per tuæ circumſpectionis induſtriam, cum habearis vir ſcientia præditus, morum honeſtate decorus, conſilij maturitate præclarus, & ſollicitudine circumſpectus, Monaſterium ipſum releuetur à noxijs, & vtiliter auctore Domino proficiat in vtriſque: te à vinculo, quo tenebaris Monaſterio Lerinenſi, cuius præeras regimini, penitus abſoluentes, ad prædictum Monaſterium Caſinenſe duximus de poteſtatis Apoſtolicæ plenitudine transferendum, eique ipſi Monaſterio Caſinenſi de fratrum Noſtrorũ cõſilio in Abbatem præfecimus, &c.*

Bernardus ſuſcepta Cœnobij adminiſtratione, ſtudium, & curas omnes eò intendit, vt ſanctiſſimarum legum cultus ad primæuam Inſtitutionis normam ſtudioſiſſimè reuocaretur. Verùm cum prudenter intelligeret id ipſum nulla ratione conſequi ſe poſſe, niſi priùs ex Regulæ præſcripto, quæ cuique opus eſſent, religioſa liberalitate concredito ſibi cœtui peramanter impertiret, recuperandis Cœnobij fortunis animum, atque operam adiecit. Per triginta ſex annos Fedéricus, Conradus, Manfredus, direpto Cœnobio, eiectiſque religioſis viris ferè omnibus, locum in Arcis formam munitum, militari præſidio firmauerant. Bernardus deiecta militum ſtatione, ac reuocatis ſodalibus ex profanis Caſtris. Caſtra Dei Iſrael, ac ſacram militiam Caſinum denuo inuexit, quæ Chriſtianæ Reipublicæ bono interdiu, noctuque diuinis intenta precibus excubaret. Oppida, quibus Caſinates exuti fuerant, iterum in poteſtatem aſſerta, ac præſcriptis ſingulis terminis, ac limites ad euitandas cum adiacentibus vicinis diſcordias. Xenodochium in ſancto Germano peramplum erexit, aſſignatiſque facultatibus, & copioſa munerum largitione cumulauit: coactis in vnum Clericis, totius Caſinatis Diœc. Synodum celebrauit apud ſanctum Germanum. fratribus ordinis Prædicatorum, Diui Thomæ Aquinatis deſiderio, ac poſtulatis libenter gratificatus Eccleſiam in ſancto Germano conceſſit. Præfuit Cœnobio Caſinenſi annis vnde viginti magna cum laude; quo tempore ex ſententia Vincentij Salernitani, & Ferdinandi Vghellij à Clemente IV. renunciatus eſt S.R.E. Cardinalis. Contra illos, qui ſcripſere Aiglerium inter Cardinales cooptatum ab Vrbano Quarto eſt Theodoricus Vallicolor illius æui auctor, qui Vrbani IV. Cardinales quatuordecim recenſet, inter quos Aiglerium non numerat.

In Chronolog. SS. Lerinenſ. In Addit. ad Ciacõ. Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana. Arnoldus Vuion in Lig. vitæ. Petrus Frizon. in Gal. Purp. M. Anton. Scipio in Elog. Abbat. Caſinenſium.

In Gallias miſſus pro expeditione Albigenſi, cuius legationis ipſemet in prologo Speculi Monachorum meminit: *frequenter*, inquit, *pulſatus, & à multis temporibus maximè modernis, quando miſſus eram de mandato ſedis Apoſtolicæ, vt agerem quædam negotia ipſius ſedis in partibus Gallicanis.* Alia poſt primam legatione functus eſt Conſtantinopoli. Abſente Bernardo Abbate Caſinenſis Cœnobij Carolus Rex, vel ab ipſa regnandi conditione, ac licentia, vel aliorum conſilijs deprauatus, inter alia, quæ patrauit deteſtanda facinora, Caſinenſes rerum capitalium foro, ac iuriſdictione ſpoliauit, ac permiſit à ſuis militibus Cœnobij oppida impunè occupari, ac retineri. Bernardus iam functus munere, ad Cœnobium redux admirabili prudentia, & lenitate vſus infeſtas Caroli copias ab infeſtis Monaſterij oppidis ſubmouit; quo peracto, premente iam ſenio Caſini pridie non. Aprilis an. 1282. exceſſit è vita, & ibidẽ ſepultus eſt.

Scripſit ex Vuione Bernardus non contemnenda opera, inter quæ habentur liber vnus ſuper Regulam ſancti Benedicti.

Pet. Frizõ loc. cit.

Speculum Monachorum.

Liber vnus Collationum Beneficiorum, & Officiorum.

Montis Caſini Regiſtrum vnum.

Inquiſitorium Iurium, & bonorum in Caſtris, & Villis.

Montis Caſini Regiſtrum alterum.

Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

Extant adhuc in Tabulario Caſinenſi nonnulla ordinis S. Benedicti hominibus, ac præſertim Cœnobiorum Præfectis ſanè perutilia; illos enim, & ſuperiorum Abbatum exemplis, & proprio vſu, atque experientia ſenio monet, atque enixè obteſtatur, vt ſi officio ſuo ritè defungi velint, & à ſubditis integram, inuiolatamque ſacri inſtituti obſeruantiam exigere, & conſequi, illud ipſi viciſſim, & meminerint, & obſeruent accuratiſſimè, vt quæ illorum victus cultuſque ratio expoſcit, prompta manu, ac liberali ſuppeditent vniuerſa. Alioquin irritum fore quicquid dixerint; quos vis labores, ac conatus pro religioſa diſciplina, vel retinenda, vel reſtituenda ſuſceperint, nihil omnino profuturos; neque fieri vllo modo poſſe, quin ſacer ordo S. Benedicti quotidie labatur in peius, & paulatim peſſum eat, ſi hęc Rectorũ in ſuos Alũnos caritas, & paterna ſollicitudo deſideretur.

Numerant nonnulli Bernardum Aiglerium inter Arelatenſes Archipræſules, ſed vt notat Saxius in Arelatenſium Præſulum Catalogo, illis temporibus fuere Archiepiſcopi Bertrandus à ſancto Martino, Florentinus, Bernardus de Languiſello, Bertrandus alter, Almaricus, & B. Roſtagnus.

VICECANCELLARII S.R.E.
ſub Clemente IV.

Magiſter Michaël Toloſanus Gallus à principio, vſque ad finem Pontificatus.

Marinus Philamarinus Neapolitanus, dictus de Ebulo qui, vt refert Ferdinandus Vghellius tom. 2. Italiæ ſacræ, Clementis IV. Pontificis maximi Vicecancellarius, inde Archiepiſcopus Capuanus, literas ſcripſit Archiepiſcopo Rauennati datas ij. Kalendas Ianuarij anno primo Pontificatus, quas ipſemet Vghellius reſcripſit in eodem tomo ex Regiſtro Vaticanæ Bibliothecæ. De hoc tamen Vicecancellario nulla mentio apud Panuinium.

CARDINALES MORTVI
ſub Clemente IV.

Stephanus Hungarus Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus exceſſit è vita, Panuinio teſte, anno 1266.

CARDINALES MORTVI
in ſede Vacante poſt obitum Clementis IV.

Iordanus Pirunti de Comitibus, Tarracinenſis Diaconus Cardinalis SS. Coſmæ, & Damiani anno 1269.

Rodulphus Gallus Epiſc. Card. Albanen. iv. Id. Auguſti an. 1270.

Henricus de Seguſia Epiſc. Card. Othien. viij. Id. Nouẽb. an. 1271.

GREGO-

GREGORIVS X. PONT. CLXXXVI.

ANNO DOMINI MCCLXXI.





IN NOMINE DEI, ET SALVATORIS *Noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen.*

DISSENSIO in Electione Pontif.

CLEMENTE IV. vita functo, Patres in futuri Pontificis creatione diſſentire cœperunt. Quo tempore nequaquam (vt vſus poſtea inualuit) Cardinales intra Conclaue includebantur, ſed ſummo mane ſingulis diebus, ſi Romæ erant, Lateran, vel in Baſilica Vaticana, aut alibi, vt occaſio erat, ſin verò extra Vrbem in Cathedrali eius ciuitatis Templo, in qua tunc commorabantur, vnà conueniebant; quo interim tempore Viterbium ad Romanam Curiam venerant Philippus Francorum, & Carolus Neapolis Reges, qui Collegium pro celeri, & matura Pontificis creatione rogantes, parum profecerunt, & rebus infectis diſceſſere.

ORDO, qui antiquitus ſeruabatur in Electione Pontif.

Verùm cum Comitia, non ſine maximo totius Reipublicæ Chriſtianæ malo, & incommodo protraherentur; tandem hanc deligendi Pontificis rationem inierunt, vt compromiſſum in ſex Cardinales, ea lege facerent, vt intra triduum, quinque vnum ex ſex, vel omnes alienum quempiam, vel intra, vel extra Collegium Pontificem renunciarent. Suaſu igitur maximè S. Bonauenturæ ordinis Minorum generalis Miniſtri, ac tum Eboracenſis Archiepiſcopi deſignati, Kalen. Septembris, anno 1271. ſex Compromiſſarij, Romanum Pontificem, acclamarunt, Thedaldum ciuem Placentinum è Vicecomitum familia, Mediolano olim pulſa, ſuum ducentem genus, Archidiaconum Leodienſem, virum vitæ ſanctitate, religione, modeſtia, vtriuſque iuris ſcientia, & omnium diſciplinarum cognitione inſignem, extra Collegium Cardinalium, abſentem, is in obſequio CHRISTI, tunc trans mare in Syria apud Ptolemaidem cum Eduardo primogenito Regis Anglorum commorabatur, opportunum tempus expectans, vt Hieroſolymam, orationis ergo cum cæteris peregrinis proficiſceretur. Qui Decreto electionis à Collegij Legatis in Paleſtinam miſſis accepto, conſummatòque menſe Decembri, ex Syria nauigio receſſit, Brunduſiumque primùm Kalen. Ianuarij, Carolo Siciliæ Rege comitante, & Beneuentum deinde per Capuam, Marſos, & Sabinos iter faciens, demum Viterbium anno qui ſequutus eſt, vbi Cardinales erant, iv. Idus Febr. peruenit.

GREGORij Electio

GREGORij Thedaldus antea vocatus.

LEGATI Collegij Apoſtolici ad Gregorium.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1272. *vi. Kal. April.* Viterbio Romam profectus Greg. X. in Baſilica Principis Apoſtolorum Vaticana in Presbyterum, & Epiſcopum conſecratus ſuæ Coronationis inſignia ſuſcepit per manus Ioannis Caietani Vrſini S. R. E. Archidiaconi, ſeditque in Petri Cathedra, à die electionis, annos 4. menſes 4. dies decem. Rodulpho Habſpurgenſe Romanorum Rege, Gregorij nomen aſſumpſit in memoriam duorum Gregoriorum, Primi; nam eius feſto die, primùm Cardinales ad ſui venerationem

CONSECRATIO, & Coronatio Papæ Greg. X.

QVARE Greg. hoc nomē ſibi aſſumpſit.

A Viterbij ſuſcepit Pontificali veſte indutus; & Noni, à quo ſummis beneficijs affectus fuerat.

Fuit diu in familia Iacobi de Pecoraria Papienſis, Epiſcopi Præneſtini; eius domus Oeconomi iure præfuit, & opera Canonicorum Lugdunenſium, Archidiaconatum Leodienſem obtinuit, ab Innocentio IV. Epiſcopatum Placentinum, homine indigno priuato, recuſauit, ne homines ſuſpicarentur, ipſum occaſionem exauctorandi hominis, ſibi alioqui amici, quæſiſſe, quo ipſe eum honorem aſſequeretur.

B Iacobo Epiſcopo Præneſtino mortuo, eo officio liberatus, recuſatis, quæ ſibi magna offerebantur, conditionibus cunctis, trans Alpes ſeceſſit: & Pariſijs aliquandiu diuinis ſtudijs operam ſedulò nauauit, ea deinde publicè, ſumma cum laude è ſacro ambone magiſtrali docens, profeſſus eſt; interfuit Concilio Lugdunenſi priori, & Philippi eius Vrbis Archiepiſcopi conſilia iexit, Pontific., & Cardinalibus ob eximiam doctrinam, & pietatem chariſſimus; item Francorum Regi S. Ludouico XI. qui eius eruditione mirificè delectabatur, gratiſſimus fuit. Othobonum Fliſcum, ſancti Hadriani Diaconum Card. à Clemente IV. in Angliam, vt perniciosa toti Regno diſſidia inter Regem, & Proceres ſedaret Legatum ſequutus, ſuam in ea re operam præſtitit, & Regis, ac Procerum gratiam maximè promeruit. Cum verò S. Ludouicus Francorum Rex, expeditionem Tunetanam ſuſcepiſſet, Thedaldus ab eo accerſitus ex Anglia in Italiam redijt. Brunduſij dum transfretandi in Africam tempus

GREGORij primordia ante eius Electionem.

C expectat, pij Ludouici Regis mortem audiuit, qua perturbatus conſilium ſuum, vt Hieroſolymam proficiſceretur, vertit. Nauigio igitur Ptolemaidem delatus, Eduardum primogenitum Henrici Anglorum Regis, & ſororem eius Beatricem Britannorum Comitiſſam, qui ſacræ peregrinationis ſtudio eò paulò ante appulerant, inuenit. A quibus honorificè ſuſceptus, magno apud eos in pretio fuit: quippe, qui omnes Reges, & Principes Chriſtianos perpetuò in Sarracenos animabat. Qui dum idoneum nauigandi tempus expectat, Romanus Pontifex à ſex Cardinalibus deſignatus, eum in Italiam venturum, nauigio, pecunia, & egregio comitatu, idem Eduardus amicè iuuit. [Hæc ex Regeſtis eius, Fr. Ptolemæo Lucenſi, Martino Polono, Theoderico à Nien, Ioanne Columna, &

D alijs eorum temporum Scriptoribus, qui huius Pontificis vitam ſcripſerunt excerpta.

CARDINALES XVII. VIVI *quando Gregorius Papa X. creatus eſt.*

CARDINALES EPISCOPI III. INNOCENTII PAPAE IV.

1. Otho de Caſtro Rodulphi, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus.
2. Ioannes de Toleto Epiſc. Card. Portuenſis, & S. Rufinæ.

3. Henricus Gallus Epiſc. Card. Oſtienſis, & Veliternus.

PRESBYTERI CARDINALES VI.

VRBANI PAPAE IV.

4. Simon Paltinerius Patauinus, Presbyter Cardinalis ſanctorum Syluestri, & Martini in montibus titulo Equitij, Prior Presbyterorum.
5. Ancherus Pantaleo, Trecenſis, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Praxedis.
6. Guillelmus de Braio, Rhemenſis, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Marci.
7. Guido Presbyter Cardinalis S. Laurentij in Lucina.
8. Simon de Bria, Senonenſis, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Cæciliæ.
9. Fr. Hannibaldus Hannibaldenſis Romanus, ordinis Prædicatorũ, Presb. Card. Baſilicæ SS. duodecim Apoſtolorum.

DIACONI CARDINALES VIII.

GREGORII PAPAE X.

10. Richardus Hannibaldenſis de Molaria, Romanus, Diaconus Cardinalis S. Angeli in foro Piſcium, Prior Diaconorum.

INNOCENTII PAPAE IV.

11. Octauianus Vbaldinus Florentinus, Diac. Cardinalis ſanctæ Mariæ in via Lata.
12. Ioannes Caietanus Vrſinus, Romanus, Diaconus Cardinalis ſancti Nicolai in Carcere Tulliano.
13. Othobonus de Fliſco Genuẽſis, Diaconus Cardinalis ſancti Hadriani.
14. Iacobus Sabellus Romanus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Coſmedin.

VRBANI PAPAE IV.

15. Gottifredus de Alatro, Hernicus, Diaconus Cardinalis ſancti Georgij in Velabro.
16. Vbertus Senenſis, Diaconus Cardinalis ſancti Euſtachij.
17. Matthæus Rubeus Vrſinus, Romanus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Porticu.

PAX inter Venetos, & Genuẽſes

Compoſito deinde pro tempore Pontificatu, ad componendam pacem inter Genuenſes, & Venetos animum adiecit. Hi enim populi inter ſe magnis cladibus iamdudum decertauerant. Hanc ob rem Philippus Rex Franciæ, Cremonæ ſubſiſtens, Pontificis rogatu, vocatis Genuenſium, & Venetorum Legatis, pacem inter eos in quinquennium compoſuit, quo ſimul omnibus in Saracænos proficiſci liceret; Quieſcebat iam Italia cum inter Venetos, & Genuenſes, occaſione quorundam vectigalium, contentiones ſubortæ ſunt, quæ per triennium ferè varijs hinc, & inde calamitatibus perpeſſis perdurarunt, demùm verò feſſi, hac lege pacem acceperunt; vt diruto Caſtello, quod in primo Padi oſtio exædificauerant, quarundam mercium liberam eductionem haberent, oſtiorum Padi Veneti libera cuſtodia dimiſſa. Non potuit Gregorius concordiã inter vtroſque ex ſententia perficere; eundum erat ad Concilium, quod Lugduni indixerat; quò & Palæologus Imperator Conſtantinopolitanus cum Patriarchis Hieroſolymitano, & Conſtantinopolitano, & magno comitatu profectus 13. vice in ſententiam Romanæ Eccleſiæ Græcos toties deficientes pertraxit. Huius præterea auctoritatem quidam Proceres Tartari ſequuti ſacrum baptiſma tùm receperunt.

LVGDVnẽſe Concilium.

RODVLphus Habſpurgenſis comes Occidentalis Imp. Coronatur.

Interea verò vacante Imperio Occidentali, Rodulphus Habſpurgenſis Comes ab Electoribus anno ſalutis 1273. IV. Idus Octobris creatus fuit, regnauit annos 17. menſes 11. dies 19.

Quorum electioni ea nimirum ratione annuit Pontifex, vt Rodulphus electus, ſequenti anno Romam ſuſcipiendæ coronæ gratia pacificus accederet, id quod poſtea Rodulphus Boemico bello implicitus, minimè præſtare, valuit.

AVSTRIAca proles à Rodulpho originẽ trahit.

Huius præclariſſimi Pontificis opera, & ſtudio, adminiſtratio Romani Imperij è Sueuorum domo ad Rodulphum Habſpurgenſem translata fuit. A quo inclyta progenies Auſtriaca ſuum ducit genus, & ab eadem paterna linea, Philippus II. Hiſpaniarum, & Indiarum Rex potentiſſimus, & pater Carolus V. & patruus Ferdinandus I. & Maximilianus II. & Rodulphus III. ac Matthias I. & Ferdinandus II. qui hodie Imperio præeſt originem traxerunt. Denique hęc glorioſa familia treſdecim Imperatores ex ſua ſtirpe procreauit. Rodulphus autem fuit armiger, prudens, & probus.

QVAE decreta in Lugdunẽſi Conc. facta fuerunt.

Gregorius autem abſoluto Lugdunenſi Concilio, cui interfuerunt 500. Epiſcopi, Abbates 60. & alij Prælati circiter mille, in quo multa decreta fuere ad electionẽ ſummi Põtificis, ad expeditionem in Saracęnos, ad vnionẽ Græcæ, Latinęq; Eccleſiæ ad pacẽ Chriſtianorum pertinentia. Creatione vna quinque Cardinaliũ prçſtantiſſimorum doctrina, & ſanctitate virorum, prius in Concilio facta, iter in Italiam faciens, Belocadoro Galliæ oppido, obuium Alphonſum X. Caſtellæ Regem, cognomento Sapientem, habuit, qui valde apud Pontificẽ cõqueſtus eſt, Imperiũ Rodulpho Habſpurgenſi, ſe neglecto, deſtinatum fuiſſe. Pontifex multis Regem placauit, & præcipuè, quod ſicut Electores, ita electum oporteret eſſe Germanum, neque alterius nationis Principibus eam dignitatem patere; proinde ea illi contentio deferenda. Accepta demùm à Pontifice ſatisfactione, ius, ſi vllum habebat, totum Rodulpho electo ceſſit.

GREGOrius iter in Italiam arripit.

Pontifex autem perbenignè ab omnibus Italis ſuſceptus, dum iter per Hetruriam facit, Florentiam ex compoſito deuitat, quam ante profectionem ſuam in Galliam ad Concilium Lugdunenſe, in qua fermè triennium abſuerat, cum Carolo Siciliæ Rege profectus, exules factos, Sueuorum Imperatorum opera, ciues in patriam, conſilio, & opera Caroli Regis vſus reduci, curauerat. Florentini autem recrudeſcente inueterato odio, iterum abſente Pontifice, eos Vrbe expellunt; quod Pontifex grauiſſimè tulit, & interdicto Florentiam ſuppoſuit, & anathema in eoſdem fulminauit, illum verſiculum Dauidis commemorans, *In chamo, & freno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te.* Ne igitur interdictum ſolueret, aut anathema remitteret, Florentiam pertranſijt; cum vero Aretium Vrbem Florentiæ proximam perueniſſet incidiſſetque in morbum, ibi Pontificatus ſui ann. 4. menſe 4. & die 10. moritur, in eoque municipio, nobili, & antiquo conditus iacet, in æde Cathedrali S. Donati martyris, iij. Idus Ianuarij, anno 1276. vir certè in omni vita clarus, prudentia rerum gerendarum, fortitudine animi, qua pecunias, & res humiles contemnebat, humanitate, clementia, benignitate in pauperes Chriſti, & eos potiſſimum, qui ad gremium ſedis Apoſtolicæ confugiebant, qui & poſt frequentibus apud ſepulchrum ſuum miraculis clarus. Vacauit ſedes dies 10.

FLORENtia à Greg. interdicta anathemateq; percuſſa.

GREGOrij obitus.

Gregorius X. Pontifex in Concilio Lugdunenſi, in Gallijs congregato, multas ſuper Eccleſiæ reformatione leges edidit, quas Canones appellant; inter quas has quoque de futura Romani Pontificis Electione tulit, longiſſimis interregnis, quæ in poſterum accidere poſſent, remedium aliquod allaturus. Quę proceſſu temporis paululum variatæ in hanc propemodum formam ex vſu redactæ ſunt.

PRAECIPVAE LEGES QVAE IN COMITIIS
Romani Pontificis ſeruari debent.

VT NOVI Pontificis Comitia, loco idoneo habeantur.

I. Vt noui Pontificis Comitia habeantur loco idoneo, vbi Pontifex præcedens cum ſua Curia reſidens, cauſſarumque, & literarum Apoſtolicarum audientiam habens, mortuus fuerit. Quod ſi in villa, pago, aut oppido obierit, & propterea commodè ibidem Comitia haberi nequiuerint, in Vrbe, in cuius Diœceſi villa, pagus, vel oppidum fuerint, habeantur, niſi interdicta ſint. Quo caſu in proximiore Vrbe non interdicta ipſa electio fieri debet, ſi verò ipſa audientia alio loco fuerit, tunc non vbi Papa obierit; ſed vbi eadem audientia fuerit, futuri Pontificis creatio habeatur. *Gregorius Decimus, & Clemens Quintus locis ſupra citatis.*

POST mortem Pontificis non celebrentur comitia, niſi adiecto ſpatio dierum decẽ.

II. Vt mortuo Pontifice Comitia non habeantur, niſi ad minus decem dierum ſpatio interiecto, quo tempore, & Cardinales abſentes expectari, & Nouendialia demortui Pontificis per Cardinales præſentes celebrari debent.

III. Vt Cardinales omnes quauis ratione à Conclaui abſentes nullam ferendorum ſuffragiorum ius habere poſsint.

IV. Vt non ſolum Cardinales abſentes, ſed & omnes cuiuſuis ordinis, & conditionis homines in Romanum Pontificem creari poſsint.

V. Vt finitis Nouemdialibus, ſacriſq; die decimo rite ſancto Spiritui factis, omnes Cardinales, qui adſunt (ſiue abſentes venerint, ſiue non) in Palatio, in quo mortuus Pontifex habitabat, loco tuto vndique clauſo, ac optimè cuſtodito, quod Conclaue vocant, concludantur, cum duobus tantum, vel ſi ægritudine laborent, vt nunc conſuetudo eſt, tribus, aut quattuor famulis, qui eis neceſſaria ſubminiſtrent, in loco Comitiorum. Nec alicui præterea fas ſit locum ingredi, vel egredi, niſi infirmitatis cauſſa, certiſq; quibuſdam hominibus, quorum opera in Conclaui exiſtentibus maximè eſt neceſſaria. Is porrò locus Cõclauis nullum intermedium parietem habeat; ſed omnes Cardinales in cellulis ſuis, laneis diſtinctis pannis, ipſum inhabitent in communi.

VT CARdinales in Conclaui recludantur.

VI. Vt locus, & portæ Conclauis diligentiſsimè cuſtodiantur: ſi Romæ electio habeatur, primùm à Prætorianis, deinde à Regulis Romanis, & Oratoribus Principum ſacramento prius aſtrictis, demùm in loco oſtio Cõclauis proximiore ab Epiſcopis, & Conſeruatoribus Vrbis. Si autem extra Vrbem Comitia hæc habeantur, à loci eiuſdem dominis temporalibus eodem iuramento fidelitatis obligatis. Quorum munus eſt Conclaue cuſtodire, & diligenter cauere, ne quid Conclaui inferatur, ſeù exportetur, quo minus legitima ſuffragia ferri poſsint, atque ſingula ſcrutari, quæ, vel cibi, vel alterius rei cauſſa inferuntur ad eos, & prouidere, ne quid detrimenti patiantur Cardinales, omnibuſq; ipſorum nutibus præſto eſſe: Milites verò Prętoriani, ac Reguli Romani Conclaue ab omni impreſsione tutum reddere debent.

Conclaue à quibus cuſtodiri debet.

CARDInales de Cõclaui nõ egrediantur.

VII. Vt Cardinales Conclaui egredi nulla ratione poſsint, niſi Romano Pontifice creato.

NVLLVS Card. quauis et cõmunicatus ab electione arceri poſſit.

VIII. Vt Cardinalibus venientibus poſt ingreſſum Conclauis, & ante Papæ creationem, poteſtas ſit Conclaue ingredi, & cum cæteris ſuffragia ferre, nulluſque Cardinalis quauis occaſione, aut prætextu etiam excommunicationis vinculo innodatus ab electione ipſa arceri poſsit.

IX. Vt

IX. Vt poſt triduum ingreſſus Conclauis, niſi Pontifex renunciatus fuerit, Epiſcopi cum Regulis Romanis, & his qui Conclauis cuſtodiæ præſunt, maximam in epulis, & cibis, quæ Cardinalibus inferuntur, rationem habeant, & illis non niſi ferculum vnum inferri permittant.

[Aliae leges.] X. Vt in Comitijs habendis ſub anathematis pœna nulli fas ſit, aut largitione vti, aut quidquam polliceri, aut prænſare, ſiue ambiendo, animos Cardinalium ſibi in noua creatione deuincire: Quo interim tempore Cardinalibus nulli alij negocio vacandi ius, poteſtaſque ſit, quo electio maturetur.

XI. Vt nemo Romanus Pontifex renunciari poſſit, niſi duarum partium ex tribus Cardinalium in Conclaui præſentium integra ſuffragia tulerit.

XII. Vt mortuo Rom. Pontifice, omnes Eccleſiaſtici Magiſtratus, & Officia ſtatim ceſſent, atque à muneribus ſuis vacent, præter Pœnitentiarium Maiorem, Minorèſq; & Camerarium S. R. E. quorum munera etiam mortuo Papa perdurant. *Ex lib. 6. Decretalium, Bonifacij Papæ VIII. lib. 1. tit. 6. de Elect. & Elect. poteſt. c. 3. Vbi periculum, item lib. Clementinarum primo, tit. 3. de Elect. & Electi poteſtate, cap. Ne Romani.* Quæ poſtmodum in Pontificijs Comitijs celebrandis immutata ſunt, aut addita, ſuo loco indicabuntur.

ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

¶ *Nequaquam Cardinales intra Cõclaui includebantur.*] Ex Panuinio ad vitam Gregorij X. apud Platinam, hæc à Ciaconio deſumpta fuere: & ijs aduerſantur, quæ idem Ciaconius, initio vitæ Honorij III. ſcripta reliquit: nempe tunc Cardinales Comitij ſeptis incluſos Honorium in Chriſti Domini Vicarium delegiſſe; & inde [Conſt. 2.] morem claudendi Cardinales in Pontificiæ electionis negotio, parcioriſq; in dies cibi illis miniſtrandi dimanaſſe: *Vt cautum* ait, in cap. *Vbi periculum de Elect. in* 6. Cæterum lex illa *Vbi periculum*; à Gregorij X. in Concil. Lugdun. lata, anno 1274. Conclauis inſtituendi, & minuendi cibi lex fuit: Honorius autem III. anno 1216. D. Petri Cathedram obtinuit. Blondus, lib. 7. dec. 2. ad ann. 1254. cum nondum Conclaue inſtitutum eſſet, de Conclaui dixit. *Conclaue ex conditione ingreſſi fuere,* (Cardinales) excuſa hominem; qui, cum, ſuo tempore Conclauis vſum vigere, intelligeret, illius exordia ad annum 1274. referenda eſſe, non cogitauit.

* *Philippus ..... Carolus.*] Ex Panu. ad Greg. X. apud Platinam.

* *Vt compromiſſum in ſex Cardinales.*] De compromiſſo cuius S. Bonauentura auctor fuit, diligenter Vvaddingus tomo 2. Annalium Minor. ex monumentis Marini de Ebulo Vicecancel. qui interfuit, & acta conſcripſit. Sexdecim Cardinales de Pontifice, ex compromiſſo, eligendo agentes ſimul erant; vnus aberat, volens, Ioannes Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, ni fallor, qui tamen conſenſit, vt Pontifex à ſex Cardd. crearetur: omnium nomina recitat Marinus, & eorum deinde, quibus ex compromiſſo poteſtas eligendi Pontificis facta fuit; qui fuere, Simon tit. S. Martini, Guido tit. S. Laurentij in Lucina Presbyteri, Richardus S. Angeli, Octauianus Vbaldinus S. MARIAE in via Lata, Ioannes Caietanus Vrſinus S. Nicolai in Carcere Tulliano, Iacobus Sabellus S. MARIAE in Coſmedio Diaconi Cardinales. Electo ab his Thedaldo Leodiẽſi Archidiacono in Pontificem, Cardinalium Collegium gratiam Epiſtolam, quam ex Marino refert Vvaddingus loc. cit ad illum dedit, certiorem de electione eum faciens, miſitq; per certos Nuncios; quorum nomina non referuntur. Epiſtolam, initio menſis Septembris à Collegio Cardinalium ſcriptam, Thedaldus electus menſe Decembri accepit.

Platina, qui dixit, Thedaldum (ſic dicendum, non Theobaldum, vt ille) à Collegio Cardinalium Viterbij Pontificem creatum fuiſſe, explicari poteſt: nempe, ſex fuiſſe Cardinales à Collegio delectos, à quibus is Pontifex creatus fuit.

* *Thedaldum ..... Archidiaconum Leodienſem ..... extra Collegium.*] Hiſtorici omnes ſcribunt. Thedaldum non fuiſſe Cardinalem; excipe Villanium, qui id, lib. Hiſtor. falsò affirmauit.

* *Collegij Legati in Paleſtina.*] Vide Panuinium Annotat. ad Gregorij vitam.

* *Seditq; ann. 4. menſ. 4. dies 10.*] Ex Panuinio in Chron. Platina, & Genebr. annos 4. menſ. 2. dies 10. Sanderus, de Viſ. Mon. lib. 7. an. 4. menſ. 4. Romæ Gregorium coronatum, dicunt Panuinius, Ciacon. & alij: Viterbij, indicat Platina; in cuius ſententiam non eo.

* *Quieſcebat iam Italia.*] Ex Platina.

* *Eundum ad Concilium ..... Lugduni, quo & Palæologus Imp. Conſtantin.*] Michaelem VII. Comnenum Palæologum ad 2. Lugdunenſe Concilium ſe contuliſſe, aſſerunt Platina, (ex quo Ciacon.) Trithemius, *Et ſi Trithemio credimus, Michael Palæol. Imp. Græc.* ait Genebr. l. 4. Chronog. Blondus dec. 2. l. 8. Gunguinus l. 7. Greſſerus etiam cap. 55. Exam. Myſt. Pleſſæ. Io. Baptiſta Egn. in Palæologi vita, Bin. in vita Greg. X. At his penitus non aſſentior; nam in breui Nota eorum, quæ in illo Concilio acta fuere, in 4. Conciliorum volumine, Romanæ editionis, edita, recenſentur Petrus Rex Aragonum, Nuntij Regum Franciæ, Alemaniæ, Angliæ, & Siciliæ, aliorum Principum ..... & Nuntij ab ipſo Græcorum Imperatore miſſi, qui Concilio interfuerunt: at ipſe Imperator non recenſetur; à quo Oratores mittendi non videbantur, ſi adeſſe, voluiſſet, Rex Tartarorum etiam Nuntios, & literas ad Pontificem, & Synodum miſit; & hi in Concilio ad Patriarcharum pedes, Græcorum verò Imperatoris, qui literas aurea Bulla munitas attulerant, & Romani Pontificis Primatum, & S. R. E. fidem profeſſi ſunt, eidemq; Chriſti Domini Vicario ſupremo obedientiam exhibuere, à dextero eius latere, poſt Cardinales, ſederunt. [Ex Nota Concil. citata.]

* *Cum Patriarchis.*] Pantaleo Conſtantinopolitanus, & Opizio Antiochenus Patriarchæ Lugdunum venerant, antequam Imperatoris Palæologi Oratores illuc aduenaſſent: ij enim in prima ſeſſione, die 7. Maij, ann. 1274. in media Eccleſiæ naui ſedebant: hi die 24. Iunij aduenientes honorificè excepti fuere, ſic in Nota: at de Imperatoris aduentu nihil neque in Nota, neque in Hiſtoria, quæ in Romana editione, Synodum præcedit.

* *Proceres Tartari ..... baptiſma receperunt.*] Hoc ex Blondo dec. 2. l. 8. at Hiſtoria Concilio Romæ edito præfixa, vnum ex Tartaris, qui aduenerant, à Petro Epiſcopo Cardinali Oſtienſi baptiſmi lauacro ablutum, ſcribit.

* *Rodulphus ..... ab Electoribus an. 1273. iiij. Idus Octob. creatus fuit.*] Eligunt Electores Regem promouendum in Imperatorem; Romani Pontificis auctoritate hoc ius ad eos peruenit: ſpectat autem ad eundem Pontificem ius examinandi perſonam electam in Regem, & promouendam ad Imperium; qui Regem inungit, conſecrat, & coronat. cap. *Venerabilem de Elect. & Electi poteſtate.*

Ciaconius loquens ſuperius de Gregorij X. coronatione, dixit, ſediſſe illum ann. 4. &c. Rodulpho Habſpurgenſe Romanorum Rege; Gregorius, ann. 1271. kalen. Septemb. electus fuit in Pontificem, & ann. 1272. vi. Kalen. Aprilis, conſecratus: at eo tempore, ſi Ciaconio credas, Rodulphus Rex Romanorum non erat.

* *Minime præſtare valuit.*] Rodulphum ad coronam Imperij ſuſcipiendam Romam venire noluiſſe, affirmant auctor Apendicis Sext. Aur. Vict. Genebr. lib. 4. Chronog. poſt Chron. Hirſaug. referens ea Rodulpho adſcripta verba. *Multos Alemannorum Reges Italia conſumpſit: non ibo Romam.*

* *A quo inclyta progenies Auſtriaca.*] Albertus Rodulphi Imperatoris filius Auſtriæ Dux Adolphum, ſiuè Anulphum Haſſię, ſeu Naſſoniæ Comitem titulis Imperij decoratum in Spirenſi agro prælio ſuperatum occidit, Principūmque Germaniæ ſuffragijs, & Bonifacij VIII. Pontificis aſſenſu Imperio potitus eſt. [Volaterranus. Egnatius.]

* *Carolus V.*] Hic (Carolum Magnum deme) omnes Occid. Impp. belli, & pacis gloria ſuperauit; Solymanum Turcarum Regem non ſemel profligauit, Tuneti Regem Regno exuit, Africa depulit, Imperium labefactatum reſtituit, Germaniam coniuratione inſultantem repreſſit, Franciſcum Gallorum Regem deuicit, in noui Orbis regionibus egregia, per alios, facinora peregit, Vrbes, Templa condidit, Religionem coluit. Hæreſes odio habuit; rerum cæleſtium amore captus, Ferdinando fratri Imperio, Philippo, eximiæ prudentiæ filio, Regnis alijs ditionibuſque tributis, cum viris pijs aliquot, in ſacro otio conquieuit.

* *Rodulphus III.*] Ex eadem Auſtriacorum familia rexit Imperium Matthias, & regit modo Ferdinandus, quem fidei cultorem, Hęreticorum rebellium domitorem, miris victorijs inſignem quamplurimi nuncupant.

* *Lugdunenſi Concilio, cui interfuerunt.*] Greg. X. biennio antequam Concilium Lugdunenſe celebraretur, Epiſcopis omnibus ſcripſit, vt Lugdunum, Concilij cauſa, accederent: Regibus etiam, & Principibus, vt Oratores ſuos mitterent: doctiſſimos etiam euocauit viros, duos præcipue, quos magna Eccleſiæ lumina non immeritò nominabis, S. Thomam, qui in itinere, & S. Bonauenturam Epiſcopum Card. qui in Concilio migrarunt in Cælum. Interfuere ſanctæ Synodo Gregorius Pontifex Præſes, ſex Epiſcopi, tres, aut quattuor Presbyteri, quinque, aut ſex Diaconi Cardinales, Patriarchæ duo ex Oriente, Epiſcopi quingenti, Abbates, alijque Prælati inferiores permulti, ait auctor Hiſtoriæ huius Concilij: Genebrard. autem lib. 4. cit. *Epiſcopi* 500. inquit. *Abbates* 60. *aliorum minorum Prælatorum, & Sacerdotum, fere* 1000. Euerhardus Archid. Ratiſpon. in Chron. apud Henr. Caniſ. & Binius ex eo, pluſquam ſeptingentos Epiſcopos in eo Concilio fuiſſe, aiunt. [Romæ cuſa, & ante initium Concilij poſita.]

* *Multa Decreta.*] Mornæus Sycophantice, (vtor verbo Greſſeri) ſcriptum reliquit, in ea Synodo quaſi nihil actum, niſi pro pecunijs in ſubſidium Terræ Sanctæ conquirendis, indictum, celebratumque fuit Concilium, vt Græci ad Romanæ, Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ fidem, communionemq; traducerentur; vt de ſubſidio Chriſtianis in Syria contra fidei hoſtes dimicantibus mittendo aliquid ſtatueretur, vt de Chriſtifidelium moribus, ad priſtinam ſanctæ Eccleſiæ diſciplinam informandis tractaretur, & modus aliquis, quo breui temporis ſpatio maximi Pontificis electio fieri poſſet, lata lege, præſcriberetur. Quas cauſſas Patribus in Synodo, ſeſſione prima, Pontifex Gregorius indicauit. [V. Notam actorũ in Concilio.]

* *Creatione V. Cardinalium ..... prius in Concilio facta.*] In Concilio Lugdunenſi quinque viros ſacro Patrum Purpuratorum Collegio à Greg. X. additos non fuiſſe, exploratum eſt. Veritatem hanc Ciaconius, ſi viueret inter nos, benigno animo exciperet, ingenuo enim eius ingenio veritas magis amica fuit, quàm Plato, & Ariſtoteles. Anno 1274. in Pentecoſte, in ipſo Concilio Lugdunenſi, Io: Petrum Luſitanum, Tuſculanum, Vicedominum Præneſtinum, Bo-

nauenturam Albanum, Petrum Tarantaſienſem Oſtienſem, & Velit. Bertrandum Sabinenſem Epiſcopos Cardinales à Greg. X. creatos fuiſſe, ait Ciaconius: at hi omnes, ante Pentecoſtem eiuſdem anni, Cardinales erant; & Cardinales primæ eiuſdem Concilij ſeſſioni, quæ die Lunæ ſeptima Maij habita fuit, interfuere; vt ex Nota Actorum eiuſdem ſynodi apertiſſimum eſt. Dies Pentecoſtes, nec minus feria eiuſdem celebritatis quarta, fuit dies Maij ſeptima; nam eo anno octaua Pentecoſtes in diem vigeſimam ſeptimam eiuſdem menſis incidit: ad quam indicta fuerat tertia Concilij ſeſſio. Mecum habeo in hac pugna doctiſſimum, & innocentis vitæ gloria celeberrimum Cardinalem Bellarminum, de Scriptoribus Eccleſ. tradentem, S. Bonauenturam anno 1273. menſe Decembri inter ſacros Romanæ Eccleſiæ Senatores à Gregorio adſcriptum: nec deſunt, qui dicant, Septembri eiuſdem anni menſe, Purpuram ijs traditam; Vrbeueteri ſublimi dignitate Gregorium eos cohoneſtaſſe, menſe Iunio, ex priſca Hiſtoria Vitæ eiuſdem Gregor. quæ apud Canonicos primarios Placentinos M. S. extat, quidam dixere.

Ad anno 1265.

Bern. Corius, in hiſt. Mediol. Gregorium Pontif. cum Mediolano, Lugdunenſi itinere ſuſcepto, tranſiret, S. Bonauenturam, & Vicedominum è Vicedominis ſecum inter Cardinales habuiſſe, fatetur.

* *Palæologus ..... induxit in ſententiam Græcos.*] Miſit ille per ſuos Legatos Gregor. X. fidei profeſſionem ſuis literis contentam; quas habes in Concilio, etiam latinitate donatas.

* *Moritur iiij. Id. Ianuarij an.* 1276.] Sic Panuin. in Chronic. iv. Id. Ianuar. Binius, & vitæ illius m. s. auctor, anno 1275. (à Dominica Incarnatione) vt videre eſt in Relat. Pet. Mariç Campi ad Greg. XV. in cauſſa Canonizationis, ſeù Beatificationis eiuſdem Gregor.

* *Miraculis clarus.*] In allata Relatione nonnulla Gregor. X. miracula referuntur: & de illius ſanctitate agitur. Arretij ab an. 1345. ex ciuium Arretinorum Decreto, dies eius obitus quaſi feſtus celebratur, ad tumulum ardent faces; illius in ſanctos relatio poſtulanda fuit: 346. & eo amplius, annorum interuallo multi ad eius ſepulchrū, beneficia petentes, confugerunt, confugiuntq; Placentina Reſp anno 1326. à Io. XXII. Pontifice poſtulauit; vt eum ſanctorum num ero adſcriberet: qui inquiſitionem vitæ, & miraculorum eius Piſano Archiepiſcopo, & Epiſcopo Mutinenſi demandauit. Quidam ſcribunt, Innocen. V. beatificationis honores ei decreuiſſe. Ioan. Molanus, in Natal. SS. Belgij, ad diem 10. Ianuarij, ſanctum eum nuncupat: plures eximijs laudibus efferunt. A puero piè vixit Gregorius pro Dei gloria graues, multoſq; labores pertulit: humilitate, manſuetudine, orandi ſtudio, pudicitia, ſacrarum literarum amore, ſalutis animarum zelo, patientia, prudentia, iuſtitia, temperantia, fortitudine, fide, ſpe, charitate enituit: mira fuit eius in Pontificem electio, Eccleſiæ vtiliſſima Lugdunenſis ab eo celebrata ſynodus, ſancto fine quieuit: Corpus, poſt tot annorum ſpatium, integrum conſpicitur: animus æuo ſempiterno, vt exiſtimo in Cœlo perfruitur: idque ab Apoſtolica ſede aliquando declarandum, vt optant, & petunt Placentini, & Arretini confidunt.

Refert Ptolemæus Lucenſis, (vt hæc etiam addamus,) Gregorium, pauperum amatorem, inſtituiſſe primùm, ſollemnem in Romana Curia eleemoſynarum largitionem: Campus loc. cit. ex vita M. S. eum (raro humilitatis exemplo) ſummi Pontificatus faſtigio inſignem, pauperum pedes quotidie abluiſſe, ſcripſit. In Concilio Lugdunenſi Gregor. & nonnulli Cardinales concionati ſunt; quo ille munere, nondum Pontifex, ſæpe, & egregiè functus eſt.

* *Greg. X. in Concilio Lugdunen.*] Philippus S. Ludouici Regis filius Greg. X. Pontificem veneratus, tres arces Lugduno finitimas ei credidit, militumque centurias ad eum cuſtodiendum, donec ſynodus abſolueretur, attribuit. Gunguinus lib. 7.

De Lugdunenſi hoc Concilio Eberhardus Archid. Ratiſpon. in Chron. ab ann. 1273. ad ann. 1305. ab Henrico Caniſio è tenebris eruto: Matthæus Vveſtmonaſterienſis, Suffridus lib. 2. Epitom. Trithem. in Chron. Hirſaug. Palmerius, Platina, Blond. dec. 2. Bellarm.

Electionem Rodulphi in Regem Romanorum firmauit, in eadem ſynodo, Greg. Suffridum teſtem promo; ea conditione, ait Blondus; vt is Romam, coronam ſuſcepturus, pacificus adiret; & quam poſſet, opem rebus Hieroſolymæ ferret. Trithem. loc. cit. & Genebrat. lib. 4. eum à Gregor. in ſynodo, in Imperio confirmatum, quia Romam, pro corona, nolebat accedere, tradiderunt.

loc. cit.

* *Leges edidit.*] Eas legere potes lib. 6. Decretalium. Binius, cum alijs Concilijs, hoc non edidit; ſed in ipſum Notas, & loca ſexti Decretalium indicauit.

* *Leges, quæ in Comitijs Rom. Pontif.*] De his Panuinius ad vitam huius Gregorij: eas habes in ipſo ſynodi Lugdunen. exordio; & cap. *Vbi periculum, de elect. & elect. pot. in* 6.

Gregorium X. ſanctitate celebrem, noſtra ætate, Gregorius XV. imitatus, nouis, optatiſq; iamdiu legibus de Romano Pontifice eligendo conſtitutis, manum ſupremam Comitijs Pontificijs aliquando impoſuit; vt, ſicut illum Conclauis Inſtitutorem, ita hunc Reſtitutorem, iure appellare, poſſimus.

Reprehendit, ſed immeritò & inſipienter, Gregorium X. Mornæus; quia Rom. Pontificem Eccleſiæ ſponſum nuncupauit: exiſtimans ſolum Chriſtū Eccleſiæ ſponſum dici, poſſe: ſed errant equeſtrium copiarum dux. Chriſtus primarius, Pontifex Romanus ſecundarius Eccleſiæ ſponſus. Paſtorem ſe Chriſtus vocauit, & lucem,

In Synodo Lugd. & c. Vbi periculum de Elect. in 6.

Ego ſum Paſtor bonus; Ego ſum lux mundi: at Petrum Paſtorem fecit. cum dixit *Paſce oues meas*, Et Apoſtolos lucis elogio cohoneſtauit, inquiens, *Vos eſtis lux mundi.* D. Paulus Paſtores à Chriſto in Eccleſia conſtitutos agnouit. *Alios autem Paſtores, & Doctores &c.* Et Deus, in Iſaia, Cyrum nominauit Paſtorem.

Eph. 4. cap. 44.

De Græcis à Greg. in ſynodo ad Eccleſiæ Romanæ communionem admiſſis, pauca hæc percurrere, ne quæſo, pigeat. Poſtremus ex Latinis Orientis Imperator Balduinus cum à Michaele Palæologo pulſus eſſet, verendum fuit, ne Græci veterum errorum maculis denuò inficerentur: Gregorius poſt plurium menſium interregnum, ſupremus Eccleſiæ Antiſtes diuinitus electus, per Legatos cum Palæologo egit; vt ipſe, & illi cum S. R. E. in ſanctæ Fidei dogmatibus conuenirent. Nuntios ille, & literas ad Pontificem miſit: quorum vnus, Logotheta, Catholicæ fidei profeſſionem, ann. 1274. die 6. Iulij, eius nomine, in ſynodo protulit, eàmque fidem Palæologum Imperatorem, & Imperium profiteri, ac perpetuò ſeruaturum, dixit: Pontifex Deo gratias agens, pio, attentóque animo, Hymnum *Te Deum Laudamus* canere cœpit; qui, illo, ſine mitra, erecto, inſigni pietate, & multis cum lacrymis, abſolutus fuit. Paulò ante, die 5. SS. Petri, & Pauli feſto, cum in Lugdunenſi S. Io: Templo, Cardinalium, & Antiſtitum cætu, & vniuerſa Curia aſſiſtente, ſacrum ſollemni ritu à Pontifice fieret, Epiſtola, & Euangelium Latinè, Græcèq; prolata, & habita Concio, deinde Symbolum Apoſtolorum Latinè cantatum: Cardinales, & Epiſcopi, vt Cantores, ſeù Primicerij canentes chorum ducebant, Canonici verò illius Templi proſequebantur; Patriarcha, cum omnibus Archiepiſcopis Græcis Calabriæ, & duo religioſi viri, vnus S. Dominici alter S. Franciſci ſectator, idem Symbolum ſemel, articulum verò *à Patre Filioq; procedit* ter religioſiſsimè cecinerunt.

Vide Hiſt. Concil.

Ex Actis Concil.

Ex iiſdem

De Græcis ad Eccleſiæ Rom. ſinum reuerſis, loquens vir ex ijs ortus Nicephorus Gregoras, tria initæ concordiæ capita memorat. 1. Vt in ſacris Græcorum Hymnodijs, Romani Pontificis cum quatuor Patriarchis mentio fieret. 2. Vt Græcis quibuſcumq; Romam Veterem, qui maiorem, & perfectiorem Curiam vocat, appellare, liceret. 3. Vt Principatus Romanæ ſedi, ſiuè Romano Pontifici in omnibus deferretur.

Initio l. 1. Hiſt. B. 6.

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI
SOCIETATIS IESV.

POST Clementis IV. obitum ne Cardinales inter ſe diſcordes noui Pontificis electionem cum maximo totius Reipublicæ Chriſtianæ incommodo in longum magis protraherent, Viterbienſes Duce Raynerio Gatto ex Petro Corretino, vel ex Diplomatibus Pontificijs Luca Sabello nobili Romano, Ciuitatis portis obſeratis, & Cardinalibus ipſis in Pontificium Palatium prope Cathedralem conſtructum adductis omnes ibidem die Pentecoſtes incluſerunt, & Raynerio Gatto, ſeu Lucæ Sabello Conclauis Cuſtodi prouinciam dederunt quotidie alimenta neceſſaria Patribus ſubminiſtrandi. Qui pertinaciores nihilominus facti ad alios ſexdecim menſes noui Pontificis electionem prorogarunt; quamuis Palatij eiuſdem Conclauis tectum Viterbienſes detexerint, vt incommodo, ac tædio affecti electionem ipſam accelerarent. Edoctus fortaſſe Raynerius, ſeu Lucas à Ioanne Cardinali Portuenſi, qui ad ſociorum diſcordiam exprobandam, Palatium illud tecto, & lateribus nudandum prædicabat, quod ſanè fabuloſum, & commentitium nonnulli exiſtimarunt, ſed vt veritas ipſa omnibus pateat, eiuſdem Conclauis Diploma Henricum inde Cardinalem Oſtienſem infirmitate grauatum extrahendi gratia editum, & in Viterbienſi Tabulario ſeruatum hic reſcribere libuit. *Nos miſeratione diuina Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, infirmitati Venerabilis fratris Noſtri N. Oſtienſis, & Velletren. Epiſcopi, fraterno compatientes affectu, vobis Alberto de Montebono Poteſtati, & Raynerio Gatto, qui pro Capitaneo Viterbien. te geris, & communi Viterbien. tenore præſentium, ſub debito fidelitatis, quo Nobis, & Eccleſiæ Romanæ tenemini, diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus cum idem Epiſcopus iuri, & voto ſibi competentibus in electione Romani Pontificis renunciauerit, coram Nobis quantum ad præſentem vacationem duntaxat volens, vt non obſtante eius abſentia ſine ipſo hac vice liberè procedamus ad prouidendum Romanæ Eccleſiæ de Paſtore ratam habiturus, & gratam electionem, ſeu prouiſionem, quam de Romano Pontifice abſque ipſo, & eius requiſitione duxerimus faciendam, ac inſtanter petierit vobis mandari, vt de Palatio, in quo ſumus incluſi, ipſum permitteretis exire, eundem Epiſcopum de ipſo Palatio ſtatim egredi liberè permittatis, nec ipſum de cætero aliquatenus detineatis inuitum. Datum Viterbij in Palatio diſcooperto Epiſcopatus Viterbienſis vi. Idus Iunij anno Domini* 1270. *Apoſtolica ſede Vacante.*

Pet. Corretin de Epiſc. Viterbienſ.

Cardinales diſcordes in electione noui Pontificis.

Lucas Sabellus, ſeu Raynerius Gatt' primus Conclauis Cuſtos.

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠.

Sigilla decem & ſeptem appenſa in Diplomate videntur: & totidem in Conclaui affuiſſe Cardinales Ciaconius, & alij tradunt; ſed tamen Henrico Cardinali Oſtienſe grauiter ægrotante, ſigillum eius haud extitiſſe crediderim. Quare dicendum decem & octo Cardinales interfuiſſe Comitijs illis, videlicet decem & ſeptem, quos recenſet Ciaconius, & alij, & vnum, quem prætermiſit Ciaconius,

Decem, & octo Cardinales adfuere Comitijs.

Bernar-

Bernardum Aiglerium Abbatem Caſinenſem à Clemente IV. creatum, qui ad annum vſque 1282. ſuperuixit. Conclauis interea Cuſtos diuturnam Cardinalium pertinaciam non ſine Chriſtianæ Reipublicæ detrimento expertus, ac totius Curiæ querelis coactus quotidianum alimentum ita diminuit, vt infra triduum præuio compromiſſo inter eos inito Romanum pronunciarint Pontificem Theobaldum, ſeu Thebaldum, vel ex vetuſtiſſima pergamena, in qua eius vita deſcribitur, Thedaldum, qui ortus eſt Placentiæ, cis Padum, Vrbe nobili, anno à partu Virginis 1210. ex Vicecomitum ſtirpe perantiqua, ſed incertum an congeneri eis, qui Mediolano Vrbe Regia potiti ſunt. Signa gentilitia, & obita publicè munia domi foriſque, diſſimilia, penes Mediolanenſes, & Placentinos Vicecomites diſcrimen faciunt inter vtranque familiam. Illis pro teſſera eſt Boa erecta volumine ſinuoſo, & expicta lumine cyaneo, cum puſione purpureo è faucibus prodeunte in ſcuti valuulo aureo: horum verò ſtemma eſt murus pinnulatus cyaneus cum area ſupernè minio illuſa, vt ſupra expreſſimus. Onuphrius tamen Panuinius, & Iacobus Philippus Bergomas cenſuerunt Vicecomites Placentinos, ac Mediolanenſes eſſe ab vna ſtirpe. Ignorantur Thedaldi progenitorum nomina, ſed cõſtat eiuſmodi fuiſſe, à quibus cum ſanguine affatim potuerit haurire virtutem, & gloriam: Placentiæ adhuc extant Gregorij X. atque auorum eius ædes prope S. Syluestri Templum, & Palatium Papæ vulgo appellatur. Vbi primùm ex ephœbis exceſſit, vti iam imbutus erat omni politiore literatura, maluit Pontificij Iuris prudentiam conſectari, poſthabitis alijs Forenſibus exercitationibus: deliberauerat quippe in Eccleſiæ caſtris merere, ariſque, ac Templis nouus Samuel ſubſeruire: hæc enim de illo legimus in antiquæ hiſtoriæ illius exordio. *Fuit adoleſcens Thedaldus nomine, Placentinus natione, nobilis quidem genere, ſed moribus nobilior. Hic quam ex Vicecomitibus Placentinis originem traxerat, vitæ munditia, & venuſtis moribus decorare dignoſcitur. Hic quem verum eſſet producturus in poſterum, in primæuo ſuæ iuuentutis flore monſtrauit, quia ex tunc ita virtutis inſigne in eo retinuit, vt morum norma, & ſpeculum exiſteret quamplurimis honeſtatis.*

Thedald' Vicecomes Placẽtinus Rõ. Pont.
Syluest. Petrasanct. in Notis ad vitam.
Petr. Mar. Campius in vita.
In Gregorio X.
In Chron. ſupplem.
Syluest. Petrasanct. l. citat.
Thedaldi studia.
Petr. Mar. Campius in vita.

Sacerdotio Placentiæ in Eccleſia ſancto Antonino martyri ſacra adepto, tam frequens, & aſſiduus ſacris intererat, vt collegas omnes ſuperaret. In Eccleſia Lugdunenſi Canonicatum obtinuit, vt ex ipſius ad Decanum, & Capitulum Lugdunenſe ſcriptis literis conſtat. *Lugdunenſem Eccleſiam, in qua Nos olim dum minori officio fungeremur, in Canonicorum ipſius Eccleſiæ Collegio exiſtentes diutinam fecimus reſidentiam perſonalem.* A veritate prorſus aberrant illi, qui affirmant maiores ante Pontificatum Thedaldum geſſiſſe dignitates, Placentinum ſcilicet Epiſcopatum, & Cardinalitiam purpuram. Quando Leodium petierit, quaue de cauſa Thedaldus, nuſquam inuenio proditum: in illa certè Eccleſia Canonicus fuit, & Arduennæ Archidiaconus, ac ferunt eius religione perpetuum vectigal addictum cereis ſancti martyris Lamberti conditorio prælucentibus.

Sacerdotiũ primũ Placentiæ, tum Lugduni obtinet.
Oder. Rinald. in Annalib.
S. Antoninus.
Ricord. Malaſpin.
Canonic' Leodieñs fuit.

Leodienſem tunc temporis regebat Eccleſiam Henricus Gueldter, ad arma vir aptior, quàm ad ſacra; ſua turpitudine cum vi coniuncta cum aliquando grauiter irritaſſet aliquos Leodienſes nobili genere natos, qui magna fide hactenus Epiſcopo adhæſerant, in publico Canonicorum conuentu pudendi facinoris accuſatus eſt. Nota erat omnibus, & præcipuè Thedaldo hominis incontinentia, qui præſentem Principem minimè veritus, in publico conſeſſu Epiſcopi vitia, graui, intrepidaque oratione auſus eſt caſtigare. Salutaria monentem non ſuſtinuit Henricus, eoque loco Epiſcopus tanta laborans infamia, virum annis, genere, ac virtute venerabilem, pede impreſſo percutere non erubuit. Noua iniuria nobiles Leodienſes, qui aderant, accendit, vt ſtricto ferro Henricum inuaderent, occidiſſentque, niſi Thedaldus medium ſe obieciſſet, ac perturbatos animos oratione ſedata à ſacrilega Epiſcopi cæde reuocaſſet. Effrenem tamen eius impudentiam vlla deinceps ratione compeſcere deſperans Thedaldus, & iram fortaſſe veritus in quodcunque facinus facilè erupturam, relicto Leodio, ſacram peregrinationem in Syriam ſuſcepit: vt Palæſtinam inuiſeret, & Vrbem Hieroſolymorum, ac illius ſacra monumenta veneraretur.

Barth. Fiſe. in Flor. Eccl. Leodien.
Henric. Epiſc. Leodienſis.
In Syriam peregrinationem ſacram ſuſcipit.

Hunc fuiſſe in Syria conſtitutum ſedis Apoſtolicæ Legatũ à Clemente IV. Pontifice, vt Chriſtianos ibi regeret, ac ſolaretur in expeditione ſacra contra Saracenos affirmant nonnulli, at Hiſtoria Placentina, Palatij Pontificij Ephemerides, omnes antiqui Codices, ac paſſim ſcriptores, imò ſeries ipſa hiſtoriæ contradicit, dum recenſet eum auulſum iam ab Aula Romana, & dum in Gallijs degeret, Brundiſium ſe contuliſſe, vt in Africam ad S. Ludouicum Regem nauigaret, eoque ſublato conſiliũ iniuiſſe de peregrinatione in Palæſtinã.

Villanus in Histor.
Bzouyus.

Abſens Thedaldus ſuadente, vt narrat aliqui, S. Bonau. ordinis S. Franciſci Generali Antiſtite, renunciatus eſt Romanus Pontifex, incertũ tamen, coram ne, an abſens D. Bonauent. Cardinalibus auctor fuerit, vt Thedaldum poſt tam diuturna ferè triennij Comitia Pontificem renunciarent. Marcus Vlyſſiponenſis in Chronicis S. Franciſci, *Poſt obitum*, inquit, *Clementis IV. cum in Comitijs Cardinales conuenire non poſſent in noui Pontificis electione, & cum vltra biennium rem traherent, inducti ſunt fama probitatis S. Bonauenturæ in eam deliberationem, vt Pontificem eum conſtituerent, quem ille propoſuiſſet. Quocirca datis ad eum abſentem literis rogarunt, nominaret Chriſti Vicarium, quem voluiſſet, & promiſerunt ſe vtique ſuffragia in eum collaturos, tametſi ſe ipſum ille deſignaſſet: tum verò S. Bonauentura Thedaldum Archidiaconum Leodienſem nominauit, virum ſanctiſſimum, & quem vnanimi conſenſione Cardinales Pontificem crearunt.* Odericus Rinaldus ex ſubiectis Cardinalium literis, Marci Vlyſſiponenſis ſimplicitatem in ſcribendo reprehendit, nam deſignati Cardinales, & non S. Bonauentura communibus ſuffragijs Thedaldum delegere.

Abſens renunciatur Pontifex.

IN NOMINE SANCTAE, ET INDIVIDVAE TRINITATIS PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI AMEN.

Anno Dominicæ Incarnationis 1271. menſe Septembris, die prima menſis eiuſdem, Nos miſeratione diuina S. tit. S. Martini; Guido tit. S. Laurentij in Lucina Presbyteri, Richardus S. Angeli, Octauianus S. Mariæ in via Lata, Ioannes S. Nicolai in Carcere Tulliano, & Iacobus S. Mariæ in Coſmedin Diaconi Cardinales Compromiſſarij electi a Reuerendo Collegio Dominorum Cardinalium data Nobis poteſtate prouidendi ſacroſanctæ, ac vniuerſali Eccleſiæ vacanti per obitum fel. rec. Domini Clementis Papæ IV. de Paſtore in forma ſubſcripta in compromiſſum ipſum conſenſimus, & illud, ac poteſtatem Nobis conceſſam recepimus reuerenter. Nos itaque Compromiſſarij huiuſmodi compromiſſo, & poteſtate ſuſceptis, habito in Conclaui diligenti prout negocij exigebat arduitas, & perpenſo tractatu, ac conſideratis circumſtantijs vniuerſis, quæ neceſſitate ipſius Eccleſiæ, ac totius Orbis inſpecta Nos ſecundum Deum mouere poterant, & debebant, ad honorem Domini Noſtri Ieſu Chriſti, & glorioſiſſimæ Virginis Mariæ matris ſuæ, beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, omniumque Sanctorum, ac ipſius ſacroſanctæ Rom. Eccleſiæ, dicta prima die Septembris, ex collata Nobis poteſtate, iuxta formam Nobis traditam procedentes conuenimus, & concorditer conſenſimus vice Noſtra, & eiuſdem Collegij, in Venerabilem Patrem Noſtrum Dominum Thedaldum Placentinum, Archidiaconum Leodienſem, ſeu in Eccleſia Leodienſi, ipſum in Romanum Pontificem nominantes, ac aſſumentes; & præfato Domino Simoni Nos reliqui quinq; Compromiſſarij dedimus poteſtatem, vt eundem Dominum Thedaldum vice ſua, & Noſtra, nec non & totius præfati Collegij eligeret in ipſius Romanæ, ac vniuerſalis Eccleſiæ Pontificem, & Paſtorem: Et Nos præfatus Simon ipſum e veſtigio elegimus per hæc verba. Ego Simon tit. ſancti Martini Presbyter Cardinalis ad honorem Domini Noſtri Ieſu Chriſti, beatiſſimæ Matris eius, & ſanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & omnium Sanctorum, nec non & ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ memoratæ, eligo Venerabilem Patrem Dominum Thedaldum Placentinum, Archidiaconum Leodienſem, ſeu in Eccleſia Leodienſi, in Romanum Pontificem, & Paſtorem. Actum Viterbij in dicto Conſiſtorio, anno, menſe, & die prædictis.

Ego Simon tit. S. Martini Presbyter Cardinalis in Venerabilem Patrem, dictum Dominum Thedaldum conſenſi, ac ipſum in Romanum Pontificem nominaui, aſſumpſi, & elegi in forma præſcripta. Ego Guido tit. S Laurentij in Lucina Presbyter Cardinalis in Venerabilem Patrem dictum Dominum Thedaldum conueni, conſenſi, ac ipſum in Romanum Pontificem nominaui, & aſſumpſi, ac eligi mandaui in forma præſcripta.

In eundem modum alij Compromiſſarij ſubſcripſerunt; atque vt his actibus fides plenior haberetur, eos ſignorum ſuorum munimine obſignarunt. Aſſenſerunt ceteri Cardinales, ac Decretum promulgarunt, iiſdem ferè verbis conceptum, ac compromiſſum ſuperiùs reſcriptum.

Deſignat Nangius creationis illius diem Kalendis Septembris celebratam his verbis: *Poſt biennium, & nouem menſes ſedis Apoſtolicæ vacationem in feſto B. Ægidij electus eſt Thedaldus de Placentia Archidiaconus Leodienſis in Papam, cum eſſet abſens in tranſmarinis partibus apud Accon.* Cum itaque creatus ſit Gregorius Pontifex Kalendis Septembris anno 1271. Clemens verò IV. defunctus traditur peruigilio S. Andreæ Apoſtoli, quod in vigeſimum nonum diem Nouembris incidit, ſedem Apoſtolicam annos duos, menſes nouem, dies duos vacaſſe dicendum eſt. Hanc verò electionem Ioannes Epiſcopus Cardinalis Portuenſis hoc Diſticho deſcripſit.

Vacatio ſedis Romanæ poſt Clementis obitum.

PAPATVS MVNVS TVLIT ARCHIDIACONVS VNVS,
QVEM PATREM PATRVM FECIT DISCORDIA FRATRVM.

Cardinales Decretum electionis per Nuncios in Syriam deſtinarunt: in Ciuitate Acri fuiſſe aiunt Thedaldum, quo tempore certior factus eſt aſſumptionis ſuæ ad Pontificatum: & hoc affirmant antiqui Codices; in Ptolemaide alij fuiſſe ſcribunt. Mirum porrò videtur, illic in tanto locorum interuallo à ſede ipſa Comitiorum veluti ex præſagitione rumorem fuiſſe Thedaldum Archidiaconum fore Romanum Pontificem, vti populus non ſemper errat, ſed interdum vnà cum Deo eligit. Tantam illic opinionem ei conciliauerant mores religioſiſſimi, pietas ſine exemplo, & iugis boni publici procuratio. Odoardus Princeps cum Beatrice ſorore interfuit annunciatis gaudijs, dum vndique caſtra Chriſtianorum circumſonarent tubis, lituis, & clamore militari iucundiſſimo; nocte autem lychnis accenſis atria, & tecta omnia collucerent. Vnus Thedaldus ſecum animo mœrens peruoluebat, ſibi iam imponi onus humeris etiam cæ-

Plauſus in Syria pro Electione Gregorij.

leſtibus

leſtibus formidandum: & profectò tum ab animi demiſſione, tum à metu periculi confeſtim illud recuſaſſet, niſi religioni duxiſſet, ſi adhuc magis protraheret Eccleſiæ, quæ tandiu ſponſo caruerat, viduitatem. Admitentibus igitur Principibus Odoardo, ac Beatrice, dedit conſenſum, ac Numini iubenti obſequens, etſi bruma erat, maturauit ſuæ profectionis diem. Abeuntem aſſeclis nauigijs, & omni commeatu Odoardus iuuit regia munificentia, & Thedaldus in digreſſu conſolaturus alloquio beneuolo pias eas legiones Cruce inſignes, exorſus eſt à verbis illis: *Si oblitus fuero tui Hieruſalem, obliuioni detur dextera mea, adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non propoſuero te in principio lætitiæ meæ.* Cum verò eos repleuiſſet ingenti ſpe auxiliarium copiarum, exercitui bene precatus, ac viciſſim conſalutatus, pronis vexillis, fauſtiſſimaque acclamatione tandem abiuit: Queſtus eſt comiter Palæologus Græcorum Imperator, Conſtantinopolim, vbi maxima pompa, & gratulatione excipiẽdus fuiſſet, non diuertiſſe. Soluit quidem tempore anni maximè alieno, ſed auris proprijs vſus dono illius eſt, cui venti, & mare obediunt; Kalendis Ianuarij tenuit Brunduſium, atque inde Sipontum venit. Tam effuſa hilaritate Italia nunquam excepit Solem, & diem, præſertim vt auſpicaretur nouum annum: litora erant populo referta, omneſq; auebant intueri exeuntem è naui eum, qui poſt diuturnum adeo interregnum accerſebatur, vt Petri naiculam gubernaret. Beneuenti obuium habuit Carolum Regem paratum in obſequia conſueta erga Pontifices Romanos, & is deinceps comes itineris fuit. Ad Ceperanum expectatus à Cardinalibus nonnullis, poſt officia, & conſalutationes Viterbium vnà commeauit, vbi ab vniuerſo eorum Senatu ornatus eſt ſacris Pontificum indumentis: abſtinuerat quippe in via inſignibus Principatus, nec ab alio, niſi à quibus electus fuerat, ea accipere voluit. Sciſcitantibus verò Cardinalibus, Viterbij, an Romæ mallet corona Pontificia redimiri, reſpondiſſe fertur, Cõſtantinus Auguſtus Monarcha Imperij Romani ex vertice ſuo coronam eximens, illam religioſa munificentia beato Syluestro Romano Pontifici contulit, vt id argumentum eſſet Regij decoris, & ditionis temporariæ Pontificum Romanorum; cum itaque hæc peracta ſint in Vrbe, decet me perinde in Vrbe ſacro inſigniri Eccleſiæ coronamento. Proinde Gregorius Pontifex, Patres Auguſti, & Carolus Rex cum aula vniuerſa Viterbio emigrarunt, & Romam intrauit poſtridie à Diui Gregorij natali die, dominica prima Cinerum; deinceps Sacerdotio initiatus eſt, & conſecratus Epiſcopus Romanus; atque adeo Dominica tertia, hoc eſt vi. Kalendas Aprilis anni 1272. poſtquam in Vaticana Baſilica ſacrum Eccleſiaſtica maieſtate decantauerat; more maiorum ſuſcepit tiaram Pontificiam, ter gemmis, & auro diadematam, atque indeptus Regale Sacerdotium, cum inſigni gloria proceſſit ad Baſilicam Lateranenſem, cuius erat Epiſcopus, cum nobili equitatu Procerum Romanorum. Equitanti Pontifici ſtapedem tenuit Carolus Rex, & aliquo viæ interuallo equum fræno deduxit, ac inſuper inſtructo intra Laterani Palatium conuiuio, ei manus proluenti obſecutus eſt, ac Dapiferum initio menſæ agens, primum ferculum appoſuit, & poſtea aſſedit conuiuæ: poſtremò exoluens iura Regni Parthenopei, & Siculi, quod acceperat ab Vrbano IV. & Clemente item IV. Neapolim regreſſus eſt.

E Syria ſoluit.

Sanutus

Oder. Rinald. in Annalib.

Bzou. in Annal.

Petr. Mar. Campus in vita.

Italiam venit.

Viterbij induitur Pontificijs indum^{us} eſt.

Romæ conſecratur Pontifex.

At cum ex viſis Orientalium Chriſtianorum calamitatibus altus dolor Pontificio pectori inhæſiſſet, primas Apoſtolicas curas medendis eorum malis adiecit, vt teſtantur literæ Pontificiæ datæ ad Eduardum Henrici Angliæ Regis filium, magno tum virtutis exemplo Terræ Sanctæ ruinas ſubſtentantem. Quare duodecim triremes in Syriæ auxilium comparauit, Corinthienſem Archiepiſcopum ad Philippum Francorum Regem miſit, eumque literis ſollicitauit, ne Chriſti Domini Sanguine perfuſa loca, Infidelium faſtu ſacrilego conculcari, ac reliquias Chriſtianorum cædibus exponi pateretur. Obſecutus eſt Gregorij votis Philippus Rex, nam viginti quinque millia marcarum Gregorio ad conflanda auxilia mutuo dedit; deinde Gregorius encyclicas literas de more exarauit, ac certiores creationis ſuæ Chriſtianos Principes fecit.

Oder. Rinald. l. c.

Gregorij cura pro Syria.

Thomam ex Coſentina ſede ad Patriarchalem Hieroſolymitanam traduxit, cui etiam Eccleſiæ Acconenſis paſtore orbatæ adminiſtrandæ prouinciam commiſit, atque ad illum decorandum maioribus dignitatum ornamentis, Legatum à Latere in Armenia, Cypro, Antiocheno Principatu, circumiectis Inſulis, eaque tota Orientis ora conſtituit, ſuiſque literis Catholicos Orientis Præſules, vt debita eum obſeruantia colerent, & ipſius imperia, qua par eſſet, religione exciperent, præcepit. Quin etiam Cypri, atque Armeniæ Reges, & Principem Antiochenum, Templarios Equites debitum ei obſequium deferre, & opem porrigere iuſſit. Ac ne quid Patriarchæ ad ſuas partes obeundas deeſſet, Pallium ipſi tranſmiſit, ac religioſiſſimè imperauit, vt Chriſtianos Syros à vitijs abduceret, ne in ſe diuinas iras, extremumque exitium verterent, cum familiare ob oculos exciſæ Antiochiæ exemplum verſaretur, quam non hoſtium potentia, ſed effuſa libido euerterat.

Thomas Patriarcha Hieroſolymitan^{us}, & ſedis Apoſtolicæ Legatus.

Italiæ quoque pacis deſiderio incenſus Gregorius, dum iret ad Concilium Lugdunenſe, nauauit omnem operam, vt Italorum arma in communes fidei hoſtes ſtringerentur, grauiſſimaque oratione Guelphorum, & Ghibellinorum Signiferos, inter ſe conciliare ſtuduit. Ante diſceſſum Galliam verſus ad Cõcilium, Aldobrandinum, ſiue Ildebrandinum Florentinum è nobiliſſima Caualcantia familia Epiſcopum Vrbeuetanum in Vrbe Vicarium reliquit. Florentiam ingrediens, pacem ſicut olim Apoſtolus Vrbi nunciauit, atque ad mulcenda Guelphorum odia, in hos prorupit ſententias: *Ghibellinus eſt, at Chriſtianus, at Ciuis, at proximus: ergo hæc tot, & tam valida coniunctionis nomina Ghibellino ſuccumbent, & id vnum; & inane nomen plus valebit ad odium, quam iſta omnia tam præclara, ac tam ſolida, & expreſſa ad charitatem? Quoniam hæc veſtra partium ſtudia pro Romanis Pontificibus cõtra eorum inimicos ſuſcepiſſe aſſeueratis, Ego Romanus Põtifex hos veſtros Ciues, etſi hactenus offenderint, redeuntes tamen ad gremium recepi, ac remiſſis iniurijs pro filijs habeo: & vos ergo in Noſtra cauſa non plus, quam Nos ipſos velle par eſt: quare ſi bellum pro Nobis ſuſcepiſtis, pro Nobis etiam pacem ſuſcipiatis.* In hæc pacis officia impendit ſe ſtudioſiſſimè Gregorius, quamdiu Florentiæ manſit. Vbi iam ſacram ædem vltra Arnum dicauit Diuo Gregorio Magno, eiuſque rei ſupereſt inciſum in marmore monumentum, & eſt tale.

Italiæ paci conſulit.

Ferdinand. Ghel. to. 3. Ital. ſac.

S. Antoninus.

Leonard. Aretin. in hiſt. Flor.

Aedem ſacrat Florẽtiæ D. Gregorio Magno.

GREGORIO DECIMO Papa ſancti ſub honore
GREGORII PRIMO pro Chriſti funder amore.
Hic Ghibellina cum Guelphi pace patrata
Ceſſauere mina, ſub qua ſum luce creata.
Luce duodena Iulij radiante ſerena.
Bis ſexcenteno Domini cum ſeptingenteno
Anno terneque, præſente volente vtroque
Byzantinorum Domino ſimul, & Siculorum
Mille ducenis tribus, & ſeptuagenis
Gregorio bella Decimo fuit iſta Capella
Pacis fundata Mozzis ædificata.

Exegit adultam iam æſtatem in Mugello amœniſſima regione, quæ tum erat familiæ Vbaldinæ, in quas commodiſſimi ruris delicias Octauianus Vbaldinus Cardinalis per quam humaniter eum inuitauerat; poſtquam remiſit æſtas, verſus Flaminiá contendit. Haud procul Florentia, totius Hetruriæ principe Vrbe, Gregorio Pontifici iter habenti ad ſynodum in Gallias occurrit dignum commiſeratione ſpectaculum: nempe habitu ſordidato reus, & pœnitens, reſti ad ceruicem obligatus, excalceatus pedibus, coma promiſſa, ore pallenti, cum lugubri caterua ſimili ſchemate pullata, obuius fuit filius Simonis Comitis Monfortij in Britannico bello perempti. Hic enim Viterbij Henricum adoleſcentem Regiæ ſtirpis, filium Richardi Cornubiæ Comitis electi Regis Romanorum in ſacra primaria æde, dum Sacerdos aris operabatur, diuinamque Hoſtiam ritè attollebat, vt adoraretur, impreſſis vulneribus neci dederat, vlturus mortem parentis; etſi tum aderant Reges duo Philippus Galliæ, Carolus Siciliæ cum primoribus vtriuſque aulæ: facinoris à ſe patrati ea ſcœna tam luctuoſa ſupplicium verius quàm veniam flagitauit. Pontifex cædem illatam innoxio iuueni, funeſtam Templo, ſacrificio iniurioſam, Regibus, qui tum adeſſent, omnino triſtem, ſed & Odoardo Britanniæ Principi, vt pote patrueli præ cunctis grauem, ac lamentabilem ſciebat; iuſtitiam clementia miſcens, ſupplicium ita temperauit, vt compos vitæ quidem eſſet, ſed expers tamen lætitiæ, ac libertatis. Quare illum carceri damnauit, vt aliquandiu ſeueriore pœnitentia exerceretur; cui finem etiam poſtmodum fecit, exoluique ipſum anathemate iuſſit ab Aquileienſi Patriarcha, & à duobus Cœnobiarchis ordinum S. Dominici, ac S. Franciſci, dummodo Apoſtolicæ ſedi ſponderet obſequij reuerentiam.

Filius Simeonis Comitis Monfortij obuiam habet.

Tum correptus morbo graui ad ſanctam Crucem hæſit prope Bononiam; redintegrata dein valetudine ad ſynodum Lugdunum properans, tantiſper Placentiæ in patria eſt commoratus, vt ſtudioſiùs ciues ſuos viſeret, ac ſalutaret, & piaculares Indulgentias Templo Deiparæ tunc impertiuit, quarum ibi adhuc largitio perennat. Confecto demum itinere, Lugdunum ingreſſus, ſynodum inchoauit Kalendis Maij, anni 1274. eamque produxit in menſes non ampliùs tres, ne à ſedibus ſuis tot Eccleſiarum Præſules diu abeſſent. Quę verò in illa eſſent pertractanda, propoſuit initio Pontifex, nempe agendum de morum norma, & de Cleri diſciplinâ, proſpiciendum rebus Syriæ afflictis, ac propemodum conclamatis; curandumque, vt Chriſtianis Syriæ pro ſtipendijs pecunia, & pro bello miles ſuppeditaretur. Vnionem Eccleſiæ Græcæ cum Latina, electionem Cæſaris in Germania obtinuit, ac ſacra Cardinalium Comitia nouis, ac ſeuerioribus legibus ordinanda in poſterum iuſſit.

Synodi Lugdunẽſis initiũ.

Philippum Galliarum Regem S. Ludouici Regis filium affuiſſe huic Concilio ſcribit Gunguinus, ſed in breui nota eorum, qui in eodem Concilio fuerũt, ſolus Aragonum Rex percenſetur: inter Oratores verò Regum primus in cœtu eſt Orator Regis Galliarum. Scribunt alij affuiſſe quoque Palæologum Imperatorem; illius potiùs Oratores excepti ſunt Lugduni cum omni honore præcipuo; ad quem vtique abſentem, atque ad Andronicum eius filium extant Gregorij literæ: qui ſi affuiſſet, haud ei Gregorius Pontifex ſcripſiſſet in hæc verba. *O vtinam fili tibi pateret ad plenum, cum quanto in his occurrit tripudio eadem Eccleſia nuper in eadem Cõcilio congregata; O ſi voces pſallentium tubi, Deumque flexis genibus, nudatiſque capitibus laudantium, præcipue Prælatorum in tuis ſoniſſent auribus, & reuelata facie ipſorum oculos deducẽtes, quaſi aquarum exitus inſpexiſſes, profectò prudenter aduerteres, quod erant eorum lacrymæ tam excuſſi doloris indices, quàm adeptæ lætitiæ productrices.*

Rex Aragonum adeſt ſynodo, & oratores multi.

Platina.
Ciaconius
Trithemi^{us}
Genebrardus lib. 4. Chronic.
Blondus dec. 2. l. 8.

Ad Synodum vocat Henricum Epiſcopũ Leodienſ.

Ad hanc ſynodum Prȩſules aliquos vocauit, eoſque de gradu honoris ſubmouit, vt continerentur in officio alij: in hoc genere celebris fuit abdicatio Henrici Epiſcopi Leodienſis, qui ex Comitibus Gheldriæ, ad Epiſcopatum nihil præter generis claritatem attulerat: erat enim, vt diximus, effuſæ incontinentiæ, omnique libidinis ſcelere perditus. Hunc ſerò commonefecerat Gregorius ſtatim renunciatus Romanus Pontifex, dignaſque Pontifice literas ad eum dederat, quibus Epiſcopi munus primum grauiter deſcripſerat, eiuſque onus ad crediti gregis, vel ſalutem, vel interitum pro Paſtoris ſtudio, vel negligentia ob oculos poſuerat; detectis denique vulneribus ſaluberrima remedia ſuggeſſerat, acria nonnulla diuini iudicij terrore, pluraque ſuauia, amore parentis, filium ad frugem reuocantis. Hic ſæpius, ſed fruſtra commonitus, ad ſynodum tandem vocatus affuit, ſed ſuperbo, ac profano habitu, & cum laicæ aulæ comitatu, quaſi Princeps: diſſimulauit Pontifex, & quis eſſet, ſciſcitatus eſt; ille ſe Francimonſij Marchionem dixit, tum Pontifex è ſuo conſpectu eum dimiſit, dicens Leodienſem Epiſcopum illa die expectari. Vocatus poſtridie venit quaſi prænobilis Comes, ſed perinde abire iuſſus eſt, affirmante Pontifice, ſibi ea die cum Leodienſi Epiſcopo rem eſſe: perendie iniungi mandauit, vt adeſſet Epiſcopus cum roga, & inſignibus ſacris, ſepoſita pompa omni temporarij Principatus. Itaque demum intrauit Antiſtes, actum grauiſſimè cum Pontifex increpauit, commemoratis exceſſibus luxuriæ tam ſolutæ, quaſi emiſſarius eſſet excuſſis habenis. Deinde ademptis annulo, cidari, & lituo, alijſque dignitatis ornamentis, nulla alia inflicta pœna, quam alioqui merebatur, abdicatum abire iuſſit. Sed pœna grauior, etſi ſera illata eſt demũ à vindice Deo; nã interemptus paulo poſt fuit à viro nobili, cuius honori notã inuſſerat, vt libidinẽ ſuã immodicã expleret.

Barth. Fiſen. in ſuo Flor. Eccl. Leodien.

Henricum Epiſcopali dignitate priuat.

Henrici mors.

Odericus Rinald. & Bzou. l. c. Tartarorũ Regis oratores excipit.

Abagæ Tartarorum Regis (quem Gregorius tum datis ad eum literis, tum inſuper miſſis religioſiſſimis viris ad ſigna noſtræ religionis pertraxerat) Oratores ad ſynodum venientes, vt Orthodoxȩ fidei oracula ex fonte haurirent, ſummoque eius Præſidi ſacramentum dicerent, benigniſſimè excepit.

Palæſtinæ iter meditatur.

In huiuſce ſynodi dimiſſione affirmauit Gregorius, cogitare ſe rurſus in Palæſtinam, ac ſe vtique illuc immigraturum, ſi Deus annueret, vt profunderet ibi ſanguinem, ac vitam, vbi à piaculis animæ Chriſtus Dominus eluerat nos in ſanguine ſuo, atque hæc dicenti manarunt ex oculis eius vbertim lacrymæ. Porrò ſacra hæc ſynodus ſucceſſit prorſus ex Gregorij ſententia; niſi quod in ea deceſſit ſpectatæ vir ſanctimoniȩ Bonauentura Epiſcopus Cardinalis Albanenſis, cui ſynodus parentauit.

Synodi finis.

Italiam repetit.

Moratus eſt Gregorius peracta ſynodo vſq; ad Maium anni 1275. quo menſe Ciuitati bene precatus, peragrata Gallia, ac ſuperatis Alpibus Italiam menſe Nouembri repetijt. Mediolani primum, ac dein Placentiæ in patria fuit, & in Hetruriam flexit reuerſurus in Vrbem, niſi ei Cœlum interea patuiſſet. Aretij hæſerat, vt ſedaret in Hetruria factionum ſimultates, quibus ea prouincia ſupra modum, exagitabatur: cum ecce oblangueſcere ibi cœpit, ac morbo ingraueſcente ibi deficere; ideoque inſtare ſibi vitæ exitum animaduertens, Cardinales eſt adhortatus, vt quæ fuerant conſtituta in ſynodo maturitate conſiliorum, exequerentur etiam ſumma fide. Poſtea munitus ſacramentis, componere ſe, ac fingere viſus eſt non ad mortis quidem, ſed ad ſoporis potiùs placidam quietem, nullaque vultus deprauatione, imò trãquilla fronte, ac ſerenis oculis Crucem intuens, quam inter manus habebat, & exoſculans in ea ſubinde iconem Crucifixi, cuius pedes lacrymis rigabat. Poſtquam enunciaſſet Salutationem Angelicam Virgini Deiparæ *in hora mortis* ſupplex expirauit iij. ſeu verius iv. Idus Ianuarij anno ſalutis 1276. feria 4. cum eſſet annorum circiter ſex & ſexaginta: ac ſepultus in Eccleſia S. Donati: eſt qui dicat in Eccleſia Minorum Aretij Gregorium requieſcere, cum hac Inſcriptione.

Gregorij obitus. Ciaconius Petr. Mar. Campius in vita. Gherard. in hiſt. Bonon. Luc. Vvad ding. in ſuis Annal. Minorum.

GREGORIVS DENVS VIRTVTVM LVCE SERENVS
DORMIT IN HAC ARCA, DIGNVS ROMÆ PATRIARCHA
QVEM GENVIT PLACENTIA, VRBS ARETINA TENET.

Confluxere ad funus non modò Aretini ciues, ſed ex finitimis oppidis, ac pagis innumeri, vt opem diuinam experirentur ex eius imploratione. Ternis ampliùs ſeculis perſeuerauit eius corpus abſque corruptionis tabe, & efflauit ſuauiſſimi odoris fragrantiam; nec mirum claruit enim virtutibus omnibus. Ex Pontificijs literis conſtat Gregorium mille marcas Magno Canonico contuliſſe, vt eas ad leuandam in Piſana Republica pauperum inopiam erogaret; ſingulis diebus certam panis, & carnium quantitatem circa Veſperas dare pauperibus dum vixit Romanus Pontifex, ſolitus fuit. Romæ auxit annonam pauperum: primus conſtituit in palatio Pontificio ordinarium Præſidem piarum largitionum, quȩ quotannis ſatis liberali manu diſtribuuntur, & huic muneri præfecit religioſum quendam laicum ordinis S. Dominici, nomine Ioannem, virum probum, ac fidũ, quem in Italiam ſecum duxerat è Tranſalpinis oris. Quinimo egenorum notam deſcripſerat in aduerſarijs ſuis, vt eos ipſemet certiùs iuuaret: menſam pauperum in palatio inſtrui quotidie mandauit, ac pauperibus miræ humilitatis exemplo pedes ante prandium abluebat. Vt verò omnes tantæ charitatis radios experirentur, Xenodochijs Lateranenſi ſcilicet, & S. Antonij in Exquilijs nouos prouentus conceſſit, varijſque priuilegijs illa muniuit.

Gregorij in pauperes liberalitas.

Ptol. Luc. in hiſt. Eccleſ.

Oder. Rinaldus in Annalib.

Petr. Mar. Camp in Relat. Cõcitator.

Ne cauſæ forenſes æternæ eſſent, neue Iuriſconſulti patrocinarentur clientibus, quando eis iuſtitia minimè poterat ſuffragari, cauit; Cauſidicis præterea præſcripſit certa ſtipendia, ne inopes plus iuſto emungerent; denique munera, quæ peruertunt ſæpe numero Iudicum ſubſellia, & eorum animos excantant, penitus interdixit.

Cauſidicis ſtipendia præſcribit.

Familiæ præfuit, vt pater; ſi qui oblangueſcerent, inuiſebat ſtatim, aſſidebat mira ſollicitudine tum corporis curationi, tum animæ ſaluti; ipſe ſacramenta illis miniſtrabat, & funus comitabatur, minimè ducens inferius Pontificia maieſtate quicquid fieret ex præſcripto charitatis.

Caritas in famulos.

Bzou. in Annal.

Hæreticos ſummo ardore inſectatus eſt ſemper, & Iudæorum perfidiam repreſſit edita etiam graui ſanctione, tum vt ex Iudæis illos compeſceret, qui Chriſtianis ſacris imbuti in priſtinam relaberentur impietatem: tum ex Chriſtianis nonnullos perſtringeret, qui deſertores fidei ad illorum ſigna transfugerent.

Hæreticos inſectatur.

Erga Icones ſacras tanta fuit religione, vt Conſtitutione alia ab iniuria omni eas vindicauerit; inhibens abuſum quendam ſacrilegum, qui alicubi ſenſim inoleuerat, humi videlicet eas occultandi inter vrticas, dumos, ac ſteriles frutices, neſcias maiori impietate, an amentia.

In ſacras Imagines cultus.

Addictiſſimus etiam fuit cultui ſanctorum, quibus aras, ac Templa dedicauit, etſi qui vixerant ſanctimonia cumulatiore, ſollicitus erat, vt honores ſupremi eis quamprimum decernerentur.

In ſanctos cultus.

In diuinas meditationes ita ſe effundebat, vt in ipſa ſui corporis refectione animum à cœleſti contemplatione non auerteret, aſſtantibus aliquando quid in menſa comediſſet, dicere neſciebat. Abſtinentia ſingulari in cibo, & potu vſus, nonniſi ſemel in die manducabat, & tunc parciſſimè, ad corporis tantum reficiendam imbecillitatem, adhibito tamen ſemper lectionis ſacræ condimento.

Abſtinentia.

Non igitur mirum, ſi ex tam aſſidua conſuetudine cum Deo futura prædixerit, ac diuino afflatus ſpiritu multa fuerit vaticinatus. Raynaldus Rebanus Placentinus, qui à cubiculis Gregorio in Pontificatu fuit, & ſupremum inſuper eius Oeconomum egit, in marmore ſepulchrali, quod Romæ ſibi poſuit intra Baſilicam Lateranenſem iuxta S. Venantij aram, narrat, ſe ante monitũ a Gregorio hero ſuo de vitæ ſumma, quam ſibi Deus præfinierat, & iuxta oraculum eius ſe omnino vixiſſe.

Prædicit futura.

Monaſterio de Columba ordinis Ciſtercienſis Placentinæ Diœceſis annuos redditus contulit. Piſanorum Vrbem Eccleſiæ vinculo ſoluit, ac ciuitati Archiepiſcopalem dignitatẽ, qua illam Clemẽs IV. Pontif. priuauerat, reſtituit. Quo beneficio excitati Piſani legationem ad Gregorium Pontificem Florentiȩ agentem direxerunt; cuius legationis princeps fuit Federicus Archiepiſcopus Piſanus, qui pro Senatu, Clero, ac Populo Piſano luculenta oratione, in publico Cardinalium conſeſſu gratias egit maximas, & ad ſuos priuilegijs quamplurimis exornatus remeauit.

Ferdinãd. Vghel to. 2. & 3. Italiæ ſacræ.

Piſanæ Eccleſiæ cõmunionem reſtituit.

Nominis IESV diem feſtum celebrandum ſingulis annis Kalendis Ianuarij inſtituit, & Diploma de hac inſtitutione edidit.

Ferdinãd. Caſtill. in Hiſt. Prædicator.

Scripſit Gregorius Dialogum inter Saulum, & Paulum, & extat m. ſ. ex Ludouico Iacobo à S. Carolo in Bibliotheca Varmienſi.

Scripta. In Bibl. Pont.

Orationem pro concordia inter Guelphos, & Ghibellinos.

Epiſtolas ad diuerſos, quarum Regiſtrum aſſeruatur m. ſ. in Bibliotheca Vaticana, & illa ad Regem Armenorum extabat olim in Bibliotheca Cardinalis Sirleti: vide tomum ſeptimum Conciliorum Binij, vbi etiam eius Concilium generale Lugdunenſe.

Eius Conſtitutiones Eccleſiaſticæ aſſeruantur cum Gloſſis Domini Garziæ I. C. & Canonici Profeſſoris in Bibliotheca Patauina S. Ioannis de Viridario apud Canonicos Lateranenſes, & Cantabrigiæ in illa aulæ Penbrochianæ, & leguntur libro ſexto Decretalium.

Iacobus Phil. Thomaſ. in Bibl. Patau.

Affirmant nonnulli diuinos honores Gregorio decreuiſſe Innocentium V. qui proximè illi ſucceſſit, & quo vtique ſedente, non Aretij dumtaxat in affixa publicè Tabella, ſed Romæ in Vaticano Codice hæc verba rata fuerunt. *In Nomine Domini Amen. Anno 1276. Indictione 4. Innocentio V. Papa reſidente, infraſcripta miracula, quæ Dominus Ieſus Chriſtus fecit meritis B. Gregorij X. Papæ in perſonis infraſcriptis, quæ ſe cum reuerentia obtulerunt beato Gregorio ſupradicto.* Sed enim quia Placentini an. 1322. & Aretini anno eius ſeculi quadrageſimo quinto Apoſtolicȩ ſedi ſupplices fuerunt pro Gregorij X. Apotheoſi rite inſtituenda; quæ etiam petitio renouata eſt poſtmodum Iulio III. Gregorio XV. & Vrbano VIII. ſummis Pontificibus; interpretor equidem, oraculo ſuo priuato tantummodo Innocentium V. annuiſſe, vt Gregorio X. eſſet veneratio, & idcirco iam Romam, Leodium, Placentiam, Aretium religioſiſſimas ciuitates, etſi ſint ſollicitæ admodum de illius gloria, expectare à ſancta ſede inſtituendam pro aris ſolemni ritu illius inaugurationem. Haud tamen inficias iuerim, aut ſiluerim hoc loco, ex priuata pietate Placentinorum, & Aretinorum, ac ex peregrinorum frequentia Gregorium X. ſemper obtinuiſſe cultus, ac venerationis argumenta omnia.

Innocentius V. diuinos honores Gregorio decreuit.

Bzou. & Oder. Rinaldus in Annal.

Spectantur tum Placentiæ, tum Aretij imagines eius vetuſtiſſimȩ Diademate ornatæ, & cum ſplendoris aureola: & Aretij præſertim Guillelmus Vbertinus Epiſcopus marmoream Tabulam, opus Ioannis Piſani ſculptoris propoſuit in ſacra Aede primaria, in qua videas loco quidem præcipuo expreſſam Virginem Deiparam ſed inter Gregorium Decimum, & S. Donatum martyrem; ne ſit vero anceps interpretatio, Gregorij effigies manu Codicem præfert ita inſcriptum: GREGORIVS PAPA DECIMVS. Adhæc Nicolaus perinde Sculptor ſtatuas duas Gregorij Papæ nempe Decimi, & S. Donati

Gregorij Imagines Diademate ornatæ.

Sylueſt. Petraſancta in vita.

marty-

Petr. Maſ Campius in vit.

martyris, altitudine trium cubitorum dedicauit in æde ſacra Deiparæ Virgini a Miſericordia, quæ etiam duo ſimulacra procurata ære publico fuerunt. Quinimo maior Aretij Baſilica extructa denuo, ſancto Pontifici Gregorio X. conſecrata eſt tanquam Patrono Vrbis, ac Diuo Tutelari, & ab eo tempore, hoc eſt a tertis omnino ſeculis ex Senatus præſcripto notantur in libris rationum, cereorum libræ centenæ, ac centenæ offerendæ à Magiſtratu illius Vrbis ad Aram, ipſo eius anniuerſario die: Plebis etiam iniunctum ab Antiſtite fuit, vt ceſſet eo die ab operibus negocioſis.

Aretij Baſilica de nouo extructa.

Gregorij nomen in Martyrologijs claſſibus.

Quare mirum non eſt, aliquot ſanctorum Ephemerides typis excuſas de illo meminiſſe, quaſi eſſet iam in Diuos tranſcriptus: Aretini Romano Martyrologio iv. Idus Ianuarij hæc adſcripſerunt. *Apud Aretium Ciuitatem Tuſciæ depoſitio corporis beatiſſimi Gregorij Papæ X. de nobili genere Vicecomitum de Placentia; qui cum eſſet Archidiaconus Leodienſis, exiſtens in Ciuitate Acbon cum Chriſtianis contra Saracenos, à Cardinalibus in Ciuitate Viterbienſi miraculosè fuit electus in Papam, & cum ſummo honore Romæ eſt coronatus. Fecit autem Lugduni ſolemne Concilium, vbi inter alia cum Imperatore, & multis Regibus, & Baronibus pro recuperanda Terra Sancta paſſagium ordinauit, & perſonaliter illuc iter arripiens, & procedens ann. Domini 1276. in Ciuitate Aretij migrauit ad Dominum, ſepultuſq; eſt in Eccleſia Cathedrali.* Hactenus Martyrologium Romanum dictæ Aretinæ Eccleſiæ. Perinde in ſactario ſanctorum Leodienſium ita fit eius commemoratio die octaua Ianuarij. *Beatus Gregorius X. Pontifex Maximus Archidiaconus Leodienſis Aretii in Hetruria.* Ad hæc Ioannes Molanus Belga in Natali SS. Belgij ad decimum Ianuarij diem, ita de illo ſcripſit. *Apud Aretinam Ciuitatem Tuſciæ depoſitio corporis beatiſſimi Gregorij Decimi ann. Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſexto migrauit ad Dominum, & ſepultus eſt in Cathedrali.* Philippus verò Ferrarius in Catalogo ſanctorum, qui non ſunt in Martyrologio Romano ad diem decimam Ianuarij hæc habet: *Aretij in Hetruria beati Gregorij Papæ Decimi.* Et Andreas Saullay in Martyrologio Gallicano eadem die: *Obijt hodie beatæ memoriæ Gregorius Papa X. qui ex Archidiacono Leodienſi, cum in Palæſtina pro Chriſti obſequiis ageret, minimeq; eſſet ex Patrum Purpuratorum numero, ob ſpectatam vitæ integritatem, & præcipuum religionis ſtudium, creatus eſt ſummus Pontifex, merita eius prædicante ſancto Bonauentura, tum Minorum ordinis Miniſtro generali. A quo data ſibi abſente laudum præconia, cum factus Pontifex, ſua præſtanti virtute, ac ſanctimonia, veriſſima fuiſſe comprobauit; nam & viuens religioſiſſime Eccleſiam gubernauit, & moriens ea pietatis ſuæ reliquit teſtimonia, vt qui ſanctis beatis deferre ſolent honores, apud multos conſecutus ſit, potiſſimum Aretij in Tuſcia vbi iacet, & pro Canonizato colitur.* Extat Placentiæ vetuſtiſſimus Codex in Tabulario Eccleſiæ S. Antonini martyris, cum vita eius in pergameno; cui præfigitur titulus: *De vita, morte, & miraculis ſancti Gregorij Papæ Decimi Placentini, olim huius Eccleſiæ Canonici.*

Extabat eius ſepulchro præfixa membrana, in qua deſcripta miracula quæ menſibus quinque ab eius obitu patrata fuerant. Illa legere quiſque poterit apud Odericum Rinaldum in Annalibus, & apud P. Syluestrum Petraſanctam in eiuſdem Gregorij vita.

Aſperſa Gregorio calumnia diluuntur.

Non defuere qui ſanctiſſimum Pontificem calumnijs appetere ſint auſi, neque id mirum cuipiam videri debet, cum Pharisæi etiam in Chriſtum Dominum contumelias euomere non perhorruerint. Horum calumniatorum Principem recentior Gregorianæ m.s. Apologiæ auctor adducit Stephanardum Vimercatum Poëtam Vicecomitum encomiaſtem, qui aſſeruerit inſtructas Placentiæ Othoni Vicecomiti Archiepiſcopo Mediolanenſi à Turrianis inſidias, ac perſtrinxerit ignauiæ Gregorium, qui in Neapolionem Turrianum anathematis ſententiam non tulerit. Comparatæ ne re vera fuerint inſidiæ, & eluſæ, vel potius Vicecomites aduerſariorum odio finxerint, exploratum eſſe negat, & addit nec prudentiæ, nec æquitatis fuiſſe cenſuris agere in Turrianos, cum de corpore delicti, vt ait, non conſtaret. Num fortè Neapolionem Gregorius reformidauit, qui Regibus, vt Alphonſo Luſitaniæ ob ius Eccleſiaſticum violatum, Iacobo Aragonum ob adulteram inductam; Alphonſo Caſtellæ, & Legionis ob affectatum Imperium; Othocaro Boemiæ ob Rodulphum laceſſitum bello, pœnas Eccleſiaſticas obiecit: & corripuit acerrimè Carolum Siciliæ ob Guelphorum factionem ſuſtentatam. Refellit æquè memoratæ Apologiæ ſcriptor Galuanum Flammam, nec maiorem illius dicterijs in Gregorium adhibendam fidem contendit, quàm Vicecomitum encomijs, dum ipſorum ſtirpem à Ioue, ac Venere per Achillem deducit. Paulus quoque Iouius in vita Othonis Vicecomitis Archiepiſcopi Mediolanenſis hæc cōtra Gregorium ſcripſit, adduco illius verba. *Refert Stephanardus Flamma, qui eam hiſtoriam carmine conſcripſit, Pontificem ipſum, quod vix credibile eſt, nefarij conſilij conſcium, quod pro falſo fortaſſe eſſet omittendum, niſi & tum, & poſtea quantum vita ſuperfuit, Othoni animum planè hoſtilem, & quo lethalius noceret, inſidioſis honeſtorum verborum coloribus cumulatum oſtendiſſet.* Hæc Iouius; in quo primùm Apologiæ Gregorianæ ſcriptor illum arguit, & in aſſerendo dicto auctore, peccaſſe, vt qui duos, Stephanardum, & Flammā in vnum confuderit: tum iiſdem illa affingere, quæ nuſquam iactaſſe reperiantur: dein nullo argumento, nullis probationibus nulloq; ſcriptorum teſtimonio fulcire, quòd Gregorius nocendi ſtudio conditа odia inſidioſis officiorum inuolucris ſubornauerit; vnde falſitas manifeſtè patet. Quare prætermiſſis iocantibus hiſce maledictis, quæ ipſum Numen patratis ad implorata Gregorij ſuffragia perſpicuis miraculis abundè confutauit, vera elogia aſſeramus.

Teſtimonia ſcriptorum, & aliorum de Gregorij ſanctitate.

Peruagata fines exterarum etiam nationum exiſtimatio, & fama Gregorij X. fermè omnium ora reddidit diſerta; hinc de eo cum laude meminerunt editis voluminibus ſcriptores ampliùs centum, & ſexaginta; deque Europa, & Aſia optimè meritum ipſum commendarunt Prouinciarum quarumcumque aliarum, nedum Italiæ præcipua ſumma. Hoc in primis elogio Gregorium exornat S. Antoninus Florentiæ Archipræſul: *Erat vir zelator fidei, & diuini cultus, ac deteſtator partialitatum, & pacis amator.* Nec diſparibus effert illum encomijs Leonardus Aretinus: *Fuit vir optimus, & proculdubio ſanctiſſimus, erectis animi quidem contra Chriſtiani nominis inimicos, & qui ſacra recuperationem terræ ſemper meditaretur, ad eamque vnam rem Chriſtianos omnes poſitis inter ſe contentionibus intendere debere cenſebat: eadem cauſa fiebat, vt ſtudia partium, quæ plerique Romani Pontifices antea fouerant, ipſe quidem propellere longe deteſtarique videretur. Sepultus eſt Aretij ſumma cum veneratione, multaque circa illius corpus miracula poſtmodum ſubſecuta, fidem eius ſanctitatis indubiam præbuerunt.*

His præclaris elogijs adiungimus Græcorum Patrum congregatorum in Concilio Conſtantinopolitano inſigne encomium: ij enim in Synodalibus literis ad Ioannem XXI. datis de Eccleſiarum coniunctione à Gregorio redintegrata locuti addunt hæc verba. *Tempore felicis memoriæ beatiſſimi illius viri, ſi tamen virum, & non Angelum vocari oportet, felicem illum ſanctiſſimum Papam, Decimum dicimus Gregorium.* Sanctus autem Ludouicus Rex Galliarum Gregorium Decimum appellare ſolitus erat *Templum Dei, atque habitaculum Spiritus ſancti.* Deinde frequentia peregrinorum ad ſacras eius exuuias, item preces, & vota vti venerationem eius auxerunt, ita ſanctitatis eius confirmarunt exiſtimationem & famam, fueruntque ibi aliquando ſupplices ipſi ſummi Pontifices, nempe Leo X. ac Iulius II.

Oder. Rinaldus, & Bzou. in Annal.

Peregrini frequentes ad Gregorij ſepulchrum.


Quanquam multò ante cœpta eſt hæc ſumma eius veneratio, nam Innocentius V. qui ei ſuffectus eſt Aretij, vel dum ibi morabatur, mandauit Clero Aretino, vt in Commentarios referret pro eius futura Apotheoſi res geſtas, & miracula: pro qua hoc idem præcepit Auenione poſtmodum Ioannes XXII. Cum verò diſperierint acta, tum ab Archiepiſcopo Piſano, tum a Mutinenſi Epiſcopo, auctoritate Apoſtolica in eum finem digeſta; & interim eſſet conſtans multorum perſuaſio Gregorio Pontifici nec cultum ſanctorum exhiberi iam vſu peruenerit; nempe Templo ei dicato, & indicta anniuerſaria eius celebritate, ac cereis Aretij oblatis quotannis ære publico, atq; adeo expoſitis palam cum Diademate ſimulacris eius, inductus eſt Claudius Rangonus Epiſcopus Placentinus, vt Paulo V. ſupplicaret interprete, ac internuncio Roberto Cardinali Bellarmino, quò ille daret veniam, vt Placentini etiam Officio diuino pariter ac Sacrificio deinceps colerent Gregorium Pontificem ciuem ſuum. Sed Pontifex deſiderauit ad ſe priùs, & ad ſanctam ſedem de illius vita, & ſanctimonia referri. Idcirco Greg. XV. denuo ſupplex libellus oblatus eſt, & Decreto S. Cong. Rituum iniunctū eſt Io: Linato Placentino, atq; Antonio Ricc.o Aretino Epiſcopis vt in Codicem tranſcriberent quæcumq; ab idoneis teſtibus de Gregorio X. enunciarentur.

Porrò ſupplicarunt Vrbano VIII. pro Apotheoſi Gregorij X Ferdinandus Cæſar, Ludouicus Rex Galliarum, Philippus Hiſpaniarum Rex, Ferdinandus Archiepiſcopus, & Elector Colonienſis, Coſmus Magnus Dux Hetruriæ, Odoardus Dux Parmæ, & Placentiæ, Clerus Ciuitatis Leodienſis, Placentia Ciuitas, & Aretina.

Gregorij ſcuti gentilitii.

Inſignia gentilitia Gregorij, quæ ſupra expreſſimus, ex Eccleſia ſanctę Fidei Placentiæ excerpſit Petrus Maria Campus Placentinus, cuius ſtudio eiuſdem Gregorij ſigni notitia ad nos peruenit.

Signum *Gregorij*



PP. *X.*

PRIMA CREATIO CARDINALIVM
Gregorij Papæ X.

Anno Dominicæ Incarnationis 1273. Pontificatus II. menſe Septembri, vel Decembri in Vrbeueteri, vt ſacrum Cardinalium Senatum ſuppleret, Cardinales Epiſcopos quinque renūciauit Gregorius, magna nomina, & ex quibus Pontifices maximi poſtmodum duo fuere, & vnus aris donatus eſt; hi autem fuerunt.

Bzou. in Annal. Ciacconius. Panuinius. Ferdinand. Vghell. in ſerie Epiſcop. Tuſculanor. Aubery in Vita. Paul. Coſtaſius.



I.

Mag. Ioannes Petrus Iulianus, alias Petrus Hiſpanus dictus, natione Luſitanus, patria Vlyſſipponẽſis, ex Archidiacono de Vernuſi in Eccleſia Bracarenſi, deſignatus Archiepiſcopus Bracarenſis, à Gregorio X. Romano Pontifice Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus renunciatus anno noſtrę ſal. 1273. maximus extitit ordinis Minorum fautor, & generalem Miniſtrum Ioannem Parmenſem ſummè coluit, etſi longo tempore in Pontificatu vixiſſet, eum procul dubio Romana Purpura donaſſet: hic enim ad ſummum Pontificatum aſcendit ſub nomine Ioannis XX. alijs XXI. Vide quæ de eo infra narrantur.

Annal. Placentin. Luc. Vvadding. tom. 2. Annal. Minorum. Ciacconius. Aubery. Panuinius.



II.

Fr. Vicedominvs de Vicedominis, qui in Chronico Minorum de Vicecomitibus falsò cognominatur, Placentinus, Minorita, Gregorij X. Romani Pontificis ex ſorore nepos, celebris Iuriſconſultus, & cauſarum Aduocat⁹ vxorem habuit, & filios. Vxore verò defuncta propter vitam laudabilem, & ſcientiæ eminentiam, Clericus, & Præpoſitus Graſſenſis, deinde Archiepiſcopus Aquenſis in Gallia Narbonẽſi anno 1257. ad iv. Kal. Septembris, demum ab auunculo Gregorio Epiſcopus Cardin. Preneſtinus creatus eſt: de quo his verſibus cecinit Poeta.

Noſſe Vicedominum vis lector? en tibi ſacro
Gregorij ille nepos murice comptus adeſt.

Ioſeph Maria Suareſ. in Preneſt. Antiquitat.

Primus hic fuit, qui ex ordine Minorum ad Romanam Purpuram euectus ſit: Aquenſis Archiepiſcopus Kalend. Iunij anno 1269. edidit Statuta Diœceſana: Carolum Andegauenſem S. Ludouici Francorum Regis fratrem comitatus ad Neapolitanum Regnum capeſſendum. Interfuit Concilio Lugdunenſi: ſubſcripſit Priuilegio Gregorij X. pro Monaſterio Vallisdei ordinis Ciſtercienſis, Diœceſis Leodienſis, dato Lugduni Kalendis Aprilis anno 1275.

At quo tempore ſacro Minorum ordini ſuum dederit nomen Vicedominus non concordant auctores: Marianus ſubindicare videtur poſt Cardinalatum, & periculoſa infirmitate laborantem hoc vitæ genus amplexum: Petrus Rodulphus, & Ciaconius aſſerunt ex Clerico ſeculari factum Minoritam, idque ex Pontificis licentia. Circa Pontificem verò errant Piſanus, & Marcus Vlyſſiponenſis, pro Decimo, Nonum Gregorium numerantes. Scriptores omnes, qui Vicedominum primum ordinis Minorum Cardinalem ſtatuunt, in ſententia Petri Rodulphi, & Ciaconij videntur eſſe. Etenim ſi poſt Cardinalatum illi inſtituto nomen ſuum detulit, iam prior cenſendus eſſet illius ordinis Cardinalis S. Bonauentura, qui cum eodem Vicedomino ad hanc aſſumptus eſt dignitatem. Niſi velimus cum Luca Vvaddingo ſuſpicari Vicedominum primum omnium, & abſque ſocio creatum, vti nunc moris eſt Pontificum, hunc ſuis deferre honorem, vt nepotes in creatione ſocios non habeant, & paulo poſt ſe Minoritis aſcripſerit ante promotionem Bonauenturæ. Hoc idem videtur indicare Ioſeph Maria Suareſius Epiſcopus Vaſionenſis in Præneſte antiqua, qui ſcribit Gregorium Decimum an. primo Pontificatus, noſtræ ſcilicet ſalutis 1271. Epiſtolam miſiſſe Archiepiſcopo Aquenſi, Apoſtolicæ ſedis Legato in Lombardia, Genuenſi Prouinciæ, & Romaniola, atque hunc opinatur fuiſſe Vicedominum, cui eodem anno Præneſtinam commiſit Eccleſiam. Poſtulatus verò fuerat eius in locum ab Aquenſi Capitulo Siſtaricenſis Epiſcopus, ſed Gregorius X. de plenitudine poteſtatis Grimerium ex Archidiacono Aquenſi, & Pontificij Sacelli ſacerdote delegit, præfecit, & ei ſcripſit Epiſtolam datam apud ſanctam Crucem ij. Septembris anno primo Pontificatus, Chriſti 1271. teſtamentum condidit Romæ in Eccleſia ſanctæ Crucis, hinc ſe tranſtulit Viterbium, qua in Vrbe è vita exceſſit, ibique tumulatus fuit in Eccleſia Minorum. Incidit verò dies mortis inter obitum Hadriani V. & electionem Ioannis; quippe ita adnotatur in Diario vetuſtiſſimo Cathedralis Eccleſiæ Placentinæ: *Octauo Idus Septembris obijt Vicedominus quondam Epiſcopus Præneſtinus anno 1276. & reliquit huic Eccleſiæ anniuerſarium in die obitus ſui.* Circa huius Vicedomini mortem non ſatis ſibi conſtat Ciaconius, dum in vita Ioannis XXI. mortuum affirmat anno 1277. quem tamen in Gregorio X. ob iſſe iam ſcripſerat anno 1276.

E Necrologio Eccleſiæ Placentinæ conſtare affirmat Petrus Maria Campius, Vicedominum iſtum Epiſcopum Præneſtinum viij Idus Septembris ſede Vacante poſt Hadrianum V. cum ſuffragia Cardinalium in eum concurriſſent, Romanum Pontificem electum non vixiſſe in Pontificatu niſi vnum diem; Spondanus tamen numerum Pontificum ideo multiplicandum non cenſet, & eum latere ſinit, quia nemo alius meminit, neq; nomen, quod aſſumpſit, traditur.



Inſignia gentilitia S. Bonauenturæ ante Cardinalatum.



Inſignia gentilitia S. Bonauenturæ quæ aſſumpſit in Cardinalatu.

III.

Luc. Vvaddingus de ſcript. ord. Min. Arturus in Martyrol. Franciſc. Ciaconius. Pet. Galeſin. in vita. Luc Vvadding to. 1. Annales Minorũ. Pet. Galeſin. in vita.

Sanctvs Bonaventvra, ita futuræ ſanctitatis vaticinio à S. Franciſco nuncupatus, in baptiſmo Ioannes dictus, à Græcis in Concilio Lugdunenſi Eutychius, ab alijs Euſtachius, quod Bonauenturæ nomini correſpondet appellatus, Balneoregij, quæ eſt Hetruriæ Vrbs, ad ſextum ab Vrbeueteri lapidem, ortus anno reparatæ ſalutis 1221. patrem habuit Ioannem Fidanzam, matrem verò Riſellam, pios homines, ac nobiles. Maior factus altæ indolis puer apparuit; didicit verò Latinos characteres ſcribere, & delineare, atque inopia preſſus ſcribendo ſacros libros optimis characteribus vacabat, ex quorum venalium pretio ſibi victum, & ad diſcendam ſuſtentationem quęritabat. Puer cum in extremum vitæ periculum incidiſſet, voto à matre ad S. Franciſcum pro eo emiſſo, protinus conualuit, quod quidem opere compleuit anno ſuæ ætatis 22. ordinem Minorum ſanctiſſimis, & doctiſſimis viris florentem anno 1243. ingrediens ſub Generalatu beati Haymonis in Monaſterio Balneoregienſi Prouinciæ Romanæ, mutato nomine, Religioſorum illorum more, Bonauentura vocatus, Pariſiorum dlico Lutetiam ſtudiorum gratia acceſsit. Alexandrum de Ales virum erudi tiſſimum ſeptem annorum ſpatio audiuit, quo temporis interuallo ita vitæ integritate, & doctrina excelluit, vt ſeptimo ab ingreſſu ordinis anno, ætatis verò ſuę vigeſimo nono Cathedram magiſtralem Pariſijs cõſcenderit, & nondum ob ætatis defectum doctoratus inſignibus ornatus publicè ſacras literas, & libros ſententiarum magna cum omnium admiratione, & gratia profeſſus ſit, iuſſu Fr. Ioannis Parmenſis, totius Seraphici ordinis Miniſtri generalis. Succeſſit in Cathedra Pariſienſi Ioanni Rupellæ, viro in Diuinis ſcripturis, vt habet Trithemius, erudito, & in Philoſophia Ariſtotelica magnifice docto. Illo igitur tempore, vel potiùs die, quo magiſtralem Cathedram S. Thomas in eadem Academia aſſecutus eſt, ſuam etiam aſcendit Bonauentura, de quo ita ſcripſit Gerſonius: *neſcio ſi vnquam talem Doctorem, ſicut Bonauenturam habuerit ſtudium Pariſienſe.* Erat enim in declamando vehemens, orator excellens, & in excitanda populorum deuotione mirificus, verbis ornatus, ſententijs grauis, geſtu decorus. Eius ingenium, & vitæ ſinceritatem Alexander de Ales, cui clariſſimo Theologiæ Magiſtro operam dedit, aliquando contemplans dicere ſolebat, *ſibi videri in Bonauentura Adamum non peccaſſe.* Non verò fefellit illum opinio, quam de eo eximiam conceperat; etenim vitæ integritate, & in ſacris ſcripturis enucleandis nemini ſecundus habebatur. Siquidem omnem, quam percipiebat veritatem intellectu, ad formam orationis, & laudationis diuinæ reducens, continuo ruminabat affectu. Humilitatem, quæ omnium virtutum ſeminarium eſt, mirificè coluit, euiſque animus ad humilitatis officia eruditus, numquam turgeſcebat, neque tumebat: vaſcula detergebat, & lauabat, triclinijs, & cubiculis domus verrendis, alijſque iſtiuſmodi miniſterijs exequendis, quæ ceteri faſtidioſiùs præſtare videbantur, operam nauabat; ab ijs vix abduci poterat, niſi ſuperiorum, quibus obediendum erat, iuſſu. Quinimo tanta præſtitit humilitate, vt cum adhuc iuuenis indignum ſe putaret ſanctiſſimo Chriſti Corpore, Deus ad illius humilitatem reſpiciens, particulam conſecratæ Hoſtiæ de manu celebrantis, per Angelum acceptam illius ori mirabiliter immiſerit.

Io. Bechot in Feſt. Chriſtian.

Præcipuam autem curam ægrotantium habere perpetuò voluit, ijſque hilari miniſtrabat animo, atq; eò libentiùs, quo gratior mor-

bus, ac pernicioſo contagio affectus eſſet, in curandis enim ægrotis fratribus ita aſſiduum ſe præſtabat, vt magnam diei partem cum illis tereret. Atqui ea erga omnes exarſit charitate, vt ſi quem triſtem, & conturbatum interdum videret, non quieſceret, donec eum hilarem lætumque redderet, in mœrore iacentem conſolando excitaret, & à bono propoſito declinantem, ad rectam reuocaret viam. At die noctuque admirabili lacrymabili vbertate adeo ſe totum in contemplationibus vitæ Chriſti Redemptoris effundebat, vt à corporis ſenſibus, cogitationibus cœleſtibus illectus ſæpiſſimè ſe abduceret.

Bzou. in Annal.

Oder. Rinaldus in Annal.

Nihil potiùs ei fuit labore, & diligentia, nihil deteſtabilius inertia, deſidia, & negligentia, nihil tandem alienius inertiſſimo otio, quo homines affluentes, turpiter in eo hebeſcunt, ac langueſcunt. Itaque cum primum Seraphicæ Religioni ex voto ſe adiunxit, præter muneris functiones, quas multas ad ordinis præſcriptas Regulas præſtare eum oportebat, in eo etiam ſibi laborandum putauit, vt ſanctorum Patrum monumenta ſtudiosè legeret, vnde doctrinæ, ac diſciplinæ præcepta excerperet. Librum igitur, quem Pharetram dixit, in ipſo Religionis ingreſſu ex operibus contexuit ſanctorum Doctorum Gregorij Papæ, Ambroſij, Auguſtini, Hieronymi, Cypriani, Chryſoſtomi, Iſidori, Anſelmi, Bernardi, Caſſiodori, aliorumque multorum. Tanto certè ſtudio exarſit ad diuinas literas, vt Bibliorum ſacrorum exemplaria duo, manu ſua ſcripſerit, quorum vnum Balneoregij in Eccleſia fratrum Minorum extare dicitur, alterū in Bibliotheca Borromeiana. Nec mirum eſſe poteſt, ſi Vetus, & Nouum Teſtamentum memoria tenuit, cum non modò vtrumque ſtudioſiſſimè legerit, vſuque contriuerit, ſed ſemel atque iterum exſcripſerit. Eo ipſo tempore tum ſacris ſtudijs, quorum ardore flagrantiſſimus erat, tum charitatis, qua fratres ordinis ſui eximiè in Domino diligebat zelo incredibili incenſus, Opuſcula aliquot compoſuit, quæ eorum domibus in eleemoſynam contulit, vt in ſumma inopia inde etiam honeſtè piéque victum quæritarent.

Luc Vvaddingus in Annal. Minorum.

Tertiodecimo profeſſionis anno, ætatis verò ſuæ trigeſimo quinto, cum ordinis Seraphici generalis Miniſter Fr. Ioannes Pannenſis ſponte magiſtratum abdicaſſet, eius iudicio, & omnium Patrum ſuffragijs, Comitijs Romæ, præſente Alexandro IV. Romano Pontifice habitis, octauus generalis Miniſter abſens renunciatus eſt Bonauentura Fidanza, qui annis decem, & ſeptem præfuit, & elaborauit, vt non auctoritate ſolùm, ſed exemplo, ſapientia, moderatione, doctrina, & conſtitutionibus ordinem ſuum tueretur.

In Comitijs Narbonenſibus Patrum omnium ordinis Seraphici ſuffragijs Bonauenturæ Miniſtro generali commiſſa eſt cura concinnandi hiſtoriam vitę ſancti Franciſci, quam hiſtoriam compilauit anno 1261. Pariſijs, nihil ſacræ admiſcens hiſtoriæ niſi probatum, & certum, & candidis teſtibus aſſertum. Mirabili ſtylo hanc ſcripſiſſe hiſtoriam teſtatur S. Antoninus, eamq; ſummis laudibus commendat Aloyſius Lippomanus Epiſcopus Veronenſis, qui *puro, & ſimplici ſtylo deſcriptam ait, tanta rerum copia, & ſententiarum grauitate refertam, vt totus mundus eius lectione inſtrui poſſit, & ad amorem Dei per beati Franciſci exemplum inſtaurari*: & de ſeipſo fatetur, *quod quoties hanc vitam legerit, toties non ſolùm accenſus ſit, ſed in eius meditatione totus exarſerit*. Leonardus Aretinus ſcriptor eruditionis, & eloquentiæ laude clarus, cum hiſtoriam hanc ſtudioſè percurriſſet, ſententiam rogatus dixit, *in illo ſcribendi genere à nemine illum ſuperari poſſe*. Neque id mirum, dum inter diuinas potiùs meditationes dictitatam, quàm humana induſtria elaboratam indicat ſequens euentus. Diuus Thomas Aquinas, qui eadem tempeſtate pari virtute claruit, & doctrina, cum Bonauenturam ſumma ſibi charitate coniunctum inuiſeret, per rimulas oſtij proſpiciens vidit illum in contemplatione raptum, & à terra ſubleuatum, tū ad ſuos, *ſinamus*, inquit, *ſanctum, quia laborat pro ſancto*. Magni viri, magnum profectò teſtimonium, quo viuentem amicum, ſanctum appellauit, & rectè ſcribentem commendauit: locus vbi hoc contigit, adhuc Pariſijs in Aede Minorum extat, inſtar Sacelli tanquam rei præclarè geſtæ monumentum. Hiſtoriam hanc in plures ſectiones diſtinctam in Compendium redegit ipſemet ad preces cuiuſdam Epiſcopi Galli, quæ legenda minor nuncupatur, & per dies octauæ S. Franciſci legitur in diuino officio.

Mirum eſt, quæ in publica rerum cura, atque in vaſti Sodalitij regimine doctè ſcripſit, & docuit: in editione Vaticana ſub Sixto V. à viris doctiſſimis, præſertim à Conſtantio Cardinali Sarnano collecta, & luci commiſſa ſunt tot ſancti Doctoris opera, quot ſeptem complendis tomis abundarunt. Eorum Indicem ſecundum ordinem voluminum exhibeo.

Tomo I. continentur. Principium ſacræ Scripturæ.
Illuminationes Eccleſiæ.
Expoſitio in Pſalterium.
Expoſitio in Eccleſiaſten.
Expoſitio in Sapientiam.
In Lamentationes Ieremiæ.

Tomo II. Expoſitio in caput ſextum Matthæi.
In Euangelium Lucæ.
In Ioannem.
Collationes in Ioannem.

Tomo III. Sermones de Tempore,
Sermones de Sanctis.
A Sermones de communi Sanctorum.

Tomo IV. In librum 1 & 2. Magiſtri Sententiarum.

Tomo V. In lib. 3. & 4. Magiſtri Sententiarum.

Tomo VI. De Reductione Artium ad Theologiam.
Breuiloquium.
Centiloquium.
Pharetra.
Declaratio Terminorum Theologiæ.
Compendioſum principium in libros Sententiarum.
Sententiæ Sententiarum carmine digeſtæ.
De quatuor Virtutibus Cardinalibus.
De ſeptem Donis Spiritus ſancti.
De Reſurrectione à peccato ad gratiam.
De Tribus ternarijs peccatorum infamibus.
Dieta Salutis.
B Meditationes vitæ Chriſti.
Lignum Vitæ.
De quinque feſtiuitatibus Pueri Ieſu.
Officium de Paſſione Domini.
Opus Contemplationis.
Laudiſmus de S. Cruce.
Philomena.
De ſeptem verbis Domini in Cruce.
Speculum beatæ Mariæ Virginis.
Corona beatæ Mariæ Virginis.
Carmina ſuper Canticum *Salue Regina*.
Laus beatæ Virginis Mariæ.
Pſalterium minus beatæ Mariæ Virginis.
Pſalterium beatæ Mariæ Virginis.

Tomo VII. Sermones de decem Præceptis.
C De Regimine Animæ.
Formula aurea de gradibus Virtutum.
De Pugna Spirituali contra ſeptem vitia Capitalia.
Speculum Animæ.
Confeſſionale.
De Præparatione ad Miſſam.
De Inſtructione Sacerdotis ad ſe præparandum ad celebrandum.
Expoſitio Miſſæ.
De ſex alis Seraphim.
Collatio de Contemptu ſeculi.
De ſeptem Gradibus Contemplationis.
Exercitia quædam Spiritualia.
Faſcicularius.
Soliloquium.
Itinerarium Mentis in Deum.
D De ſeptem Itineribus Aeternitatis.
Incendium Amoris.
Amatorium.
Vigintiquinque Memorialia.
De Eccleſiaſtica Hierarchia.
Legenda S. P. Franciſci, Hiſtoria ſcilicet vitæ S. Franciſci.
Quare fratres Minores prædicent, & confeſſiones audiant.
Libellus Apologeticus in eos, qui ordini fratrum Minorum aduerſantur.
De tribus Quæſtionibus ad Magiſtrum innominatum Epiſtola.
De Paupertate Chriſti.
De Sandalijs Apoſtolorum.
Apologia Pauperum.
Epiſtola ad quendam principalem Miniſtrum.
Epiſtola ad Miniſtros, Prouinciales, & Cuſtodes de Reformandis
E fratribus.
Biblia Pauperum.
Alphabetum Religioſorum.
Collationes octo.
Speculum Diſciplinæ.
De Profectu Religioſorum.
De Inſtitutione Nouitiorum.
Regula Nouitiorum.
Remedium defectuum Religioſi.
De Perfectione vitæ ad Sorores.
Summa de Eſſentia, & Inuiſibilitate, & Immenſitate Dei.
De ſex alis Cherubim.
De modo Confitendi, & Puritate Conſcientiæ.
Myſtica Theologia.
F Compendium Theologicæ Veritatis.

Etſi viri doctiſſimi omnem poſuerint operam in indagandis, & colligendis ſancti viri operibus, attamen aliqua omnem illorum ſubterfugerunt diligentiam: & etenim ex ipſa Bibliotheca Vaticana, & altera magni Conuentus Aſſiſiatis, alijſque locis, P. Lucas Vvaddingus pleraque reſcripſit, & ſunt.
Summa Grammaticæ Speculatiuæ.
Tractatus Logicę, de ſignis vniuerſalibus in 4. partes diſtributus.
Quæſtiones ſuper libros de Generatione.
Quæſtiones ſuper 4. libros Topicorum,
Quæſtiones ſuper libros Meteororum.

Epiſtolæ aliquot.
Poſtillæ in Cantica Canticorum.
Metrum in eadem Cantica.
Tractatus ſuper illa verba Pſalmi 45. *Vacate, & videte, quoniam ego ſum Deus.*
Tractatus in Caput 5. Ezechielis.
In Caput 10. eiuſdem.
In Caput 4. & 5. Apocalypſis.
In Vniuerſam Apocalypſim Commentaria.
Opuſculum, inſcriptum, Verbum abbreuiatum: in quo per multa capita omnes commendat virtutes, & vitia docet fugienda.
Opuſculum de Corpore, & Sanguine Chriſti.
Alia etiam multa ſcripſiſſe teſtantur plerique.

Syxtus Senenſis libro 4. Bibliothecæ reliquiſſe ait Compendium Metricum Scholaſticum vtriuſque Teſtamenti verſibus Dimetris Iambicis, libera ſolutaque ſyllabarum lege, quos ita diſponit, vt ſingula tetraſticha ſummam vnius capituli contineant.

Petrus Galeſinus in eius vita, multos Veteris Teſtamenti, & omnes Noui nodos expoſuiſſe ſcribit.

Ptolemæus Lucenſis ad omnes Pauli Epiſtolas Commentarios adhibuiſſe.

Petrus Rodulphus, in Euangelia, & Epiſtolas totius anni ſcripſiſſe, & opus ſe accepiſſe à Laurentio Campeggio Feltrenſium Epiſcopo narrat. Inſuper ait compoſuiſſe Officium S. Franciſci: libellum Maioris Introductorij de Partibus Domus Religioſæ Dialogum: librum de Conſideratione de Diuiſione rerum vniuerſi: Epiſtolas aliquas ad Michaëlem ſcilicet Imperatorem Græcorum, ad ſuam ſororem, & ad ſororem S. Claræ.

In Bibliotheca Florentina Patrum Conuentualium habetur eius Opuſculum inſcriptum: Doctrina Cordis.

Ioannes Rioche affirmat eius opus eſſe metrum illud; *Lauda Sion Saluatorem*: quod in Miſſa ſolemnitatis Corporis Chriſti recitatur, & idipſum aſſerit Piſanus in ſuo Catalogo.

Gregorius Valentianus in Hymnodia Sacra auctorem Bonauenturam nominat Hymnorum aliquot, illius videlicet, quem recitant Seraphici ordinis Alumni ad Veſperas in feſto ſacrorum Stigmatum cuius initium eſt: *Crucis Chriſti mons Aluernia*; tum alterius, quem recitant in eodem feſto ad Matutinum, cuius initium eſt: *Crucis arma fulgentia*: & demum tertij, quem recitant ad Veſperas in feſto S. Franciſci, & incipit: *Proles de Cælo prodijt.*

Alphonſus Ciccarellus inſignis confictor librorum, qui ſub Gregorio XIII. perniciosas impoſturas, & fraudes luit pœna capitali, hæc tribuerat S. Bonauenturæ Opuſcula.
Flos Florum.
Lilium Originalium.
De Pœnis Inferni, & Gloria Paradiſi.
At hæc Apocrypha, & ſpuria ſunt.

Reſpondit ſanctus Bonauenturæ teſte Henrico Gandauenſi de Scriptoribus Eccleſiaſticis, calumnijs Mag. Vvillelmi de S. Amore.

Scripſit inſuper ex Iacobo Oddo Peruſino, & Bartholomæo Piſano, vel Ieremia Bucchio.
De Opere ſex dierum.
De Contemplatione.
Officium ſanctæ Crucis, rogante S. Ludouico Galliæ Rege.

Hipp. Marrac. in Purp. & in Bibl. Marian. — Integrum Pſalterium Dauidicum: Cantica, quæ ex ſacris literis in officio recitantur: Symbolum S. Athanaſij: *Quicumque vult ſaluus eſſe*: Hymnum SS. Ambroſij, & Auguſtini, cuius initium *Te Deum Laudamus*: mutatis ſubinde verbis Deiparæ Virgini ingenioſiſſimè accommodauit, ac in laudem eius feliciſſimè tranſtulit. Hoc autem Pſalterium gratia, & adiutorio eiuſdem Deiparæ Virginis, ex ſcintillula, vt ipſe aiebat, ſuæ paruulæ intelligentiæ à ſe conditum, & compactum, quibuſdam Virginibus Sanctimonialibus obtulit, vt huius lectione eædem Virgines ad ſanctiſſimę Dei Genitricis amorem magis magiſque inflammarentur.

Genuina ſancti Bonauenturæ Opuſcula ad tercentum perueniſſe aſſerunt Marianus Florentinus, Octauianus à Martinis, & Stephanus Bruliſer.

Iulius Nigronus. Heribert. Rosweyd. — Nonnulli tamen aliqua ex prædictis S. Bonauenturæ Opuſculis in controuerſiam vocant, & tanquam ſuppoſititios fœtus alijs patribus attribuunt: Fr. Lucas Vvaddingus de Scriptoribus ordinis Minorum prævio examine ſpuria à legitimis ſegregat, illum conſulat lector veritatis percupidus.

Luc. Vvadding. in Annal. Minorum. — Sancti Bonauenturæ doctrinam, & eruditionem admiratus ſanctus Thomas Aquinas petijt ab illo oſtendi ſibi libros, ex quibus tam multiplicem, atque adeo magnam eruditionis vbertatem hauriret: Ieſu Chriſti Domini Cruci affixi imaginem ille demonſtrauit, è quo fonte vberrimo ſe profeſſus eſt accipere quicquid, vel legeret, vel ſcriberet. Hæc illa ſanctis hominibus indita humilitatis virtus præcipua, vt nihil ſuæ induſtriæ, nihil proprio adſcribant ingenio, ſed quicquid ſcribunt, aut faciunt, totum in diuinam referant virtutem.

Doctrinæ ſingulari præclaras adiunxit actiones Bonauentura; Galliam omnem, & Italiam peragrauit, vt ſui ordinis Alumnos ad paupertatis, & religioſæ obſeruantiæ obſequium impelleret. Ad ſedem Eboracenſem Prouinciæ Northumbriæ in Anglia Romanus

Reg. Vat. to. 8. ep. 170. — Pontifex illum promouit, eique has literas ſcripſit.

A GREGORIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI,
Fratri Bonauenturæ Miniſtro generali ordinis fratrum Minorum electo Eboracen.

Summo Paſtore Ieſu Chriſti Vicarij generali ſollicitudine ſuper omnes Eccleſias incumbente, in eo præcipuè Nos, qui ad ferendum tanti oneris officij, licet indigni, dignatione diuina ſumus aſſumpti, teneri cognoſcimus, vt circa prouiſionem Eccleſiarum ipſarum, cum fuerint de Paſtoribus ordinandæ, maximè vigilemus, & Noſtro attento ſtudio, perſonæ idoneæ, ac vtiles animarum regimini proponantur, quæ meritorum claritate Deo amabiles, & acceptæ, proficientes ſibi per vitæ honeſtatem, & ſubditis per exempla ſalubria procurent omnimoda diligentia commiſſarum ſibi Eccleſiarum in Spiritualibus, & Temporalibus incrementa. Vacante igitur Eboracenſi Eccleſia per mortẽ bonæ memoriæ Eboracenſis Archiepiſcopi, & electione, quæ de dilecto filio eiuſdem Eccleſiæ Decano, in ipſa celebrata extitit, iuſtitia per Nos exigente, caſſata, Nobiſque hac vice ipſius Eccleſiæ prouiſione retenta, diu ſuper ea vigilauimus, diu ſedulis, & profundis cogitationibus defiximus mentem Noſtram, diu ob ipſam Noſtrum ſpiritum proſpectum varij diſtraxerunt. Nam pro tam magna, & honorabili Eccleſia, pro tam nobili, & deuota ſedis Apoſtolicæ filia, & pro inclyto, & Catholico Regno Angliæ ipſi ſedi chariſſimo, vbi eadem Eccleſia opibus amplis prædita refulget Archiepiſcopalis eminentia dignitatis, ampliori ſollicitudine vrgebamur. Exacuerunt hæc in Nobis curam, accenderunt vigilantiam, cogitatum auxerunt, vt meditaremur vehementiùs, & diligentiùs attenderemus, quid ipſi Eccleſiæ, quid dictæ ſedi, quid eidem Regno in facienda prouiſione huiuſmodi potiùs expediret. Aſpirantes totis affectibus, & ſollicitis ſtudijs intendentes ad virum dilectum, & deuotum ſedis eiuſdem, Eccleſiæ præfatæ vtilem, & ipſius Regni pacis, & concordiæ amatorem, ad virum vitæ conſpicuum, inſignem ſcientia, prouidentia ſpectabilem, quem diligeret Dominus, & in cuius requieſceret bonitate, ad virum pro ſuis claris operibus digna imitatione ſequendum, per quem grex Catholicus tanquam per lucis ſpeculum conuenienter poſſet dirigi ad ſalutem. Vnde Noſtra in his deſideria totaliter conuertentes ad Dominum, & huiuſmodi prouiſionis negocium eius beneplacito committentes, ac ſub ſpe ſolius ſuæ gratiæ fidenter procedentes, de illo habito tractatu ſuper hoc cum fratribus Noſtris, & ipſorum conſilio ad te direximus Noſtræ conſiderationis intuitum, in te vota Noſtra firmauimus, in te Noſter ſpiritus plena deliberatione quieuit. Attendentes itaque in te Religionis aſperitatem, mitorem vitæ, conuerſationis munditiam, eminentiam ſcientiæ, prouidentiæ circumſpectionem, & compoſitionem grauitatis, & quod tamdiu, tam laudabiliter toti tuo præfuiſti ordini, ſuſceptum generale Miniſterium ſuper illum gerẽdo fideliter, & prudenter, & ſalubriter exequendo ad magnum honorem ipſius ordinis, & profectum: quodque ſic innocenter conuerſari aſſiduè ſtuduiſti ſub obſeruantia regulari, quod diuina te ſemper gratia proſequente reddidiſti te placidum, & amabilem quaſi omnibus, & vbique, ac propter hoc ſperantes firmiter, quod pleno in te proſequemur affectu, id quod circa præfatam Eccleſiam, ſedem eandem, & ipſum Regnum in hac eiuſdem Eccleſiæ ordinatione audè affectamus: de perſona tua ipſi Eccleſiæ auctoritate Apoſtolica prouidemus, & te illi proficimus in Archiepiſcopum, & Paſtorem, abſoluentes te à vinculo Miniſterij generalis præfati ordinis, & ad dictam Eccleſiam transferentes, liberam tibi transeundi ad illam licentiam concedendo. Ideoque prudentiam tuam monemus, & hortamur attentè, & affectuoſè rogamus, tibique in virtute obediẽtiæ diſtrictè præcipimus, & in remiſſionem iniungimus peccatorum, quatenus eiuſdem Eccleſiæ neceſſitatem, honorem, & commodum dictæ ſedis, & ſtatum præfati Regni valida his diebus tempeſtate turbatum, & inteſtina vexatione diminiſum. Propter quod proborum virorum potentia indiget, quorum diligentia, & ſtudio reparetur, ſolidè ac integrè reformetur, ſolerter conſiderans, & ſapienter aduertens, diuinis in hoc beneplacitis aliquatenus non repugnes, Noſtriſq; iuſſionibus difficultatis, ſeu arditatis obſtaculum penitus non opponas, ſed vocationi Cœleſti humiliter acquieſcas, & de ſuperno ac Noſtro confiſus auxilio, reuerenter, ac deuotè ſuſcipias impoſitum à Domino tibi onus regendo, & dirigendo iuxta datam tibi ab ipſo gratiam, prædictam Eccleſiam, & in ſpiritualibus, & in temporalibus ampliando, ita quod exinde grande præmium apud Deum, & penes Nos vberioris fauoris beneficia merearis. Datum Peruſij viij Kal. Decemb. an. 1.

Vt has literas accepit Bonauentura, illico Pontificem adijt oraturus ne tantum ſibi onus imponeret, aut ſublimem conferret dignitatem; atque adeo efficaciter, & conſtanter orauit, vt ægrè hæc audientem tandem vicerit Pontificem, qui eius animi integritatem, & dignitatum nobilem contemptum admiratus, tandem ſubiunxit illud Eccleſiaſtici; *Stain teſtamento tuo, & in illo colloquere, & in opere mandatorum tuorum veteraſce.* Qua licentia ſibi facta, alacriori animo regreſſus a tanti muneris cura liber, maiori diligentia animum ad rerum diuinarum ſtudium adiunxit ſuum. Cum poſt Clementis Quarti Romani Pontificis obitum quaſi ad triennium vacaſſet Romana ſedes, ſuadente S. Bonauentura, Cardinales in Pontificem Maximum renunciarunt Thedaldum Vicecomitem Placentinum, Archidiaconum Leodienſem abſentem in Syria: ſunt qui Gregorij electionis nonniſi Bonauenturam auctorem faciunt; at hi plus æquo — Panuinius. Marianus. Mar. Vlyſſiponen. Petr. Galeſin.

A ſancto viro tribuunt. Gregorius igitur renunciatus Romanus Pontifex non tantum, vt pares redderet Bonauenturæ pro accepto beneficio gratias, quantum vt ſuper Eccleſiæ candelabrum hoc lumen collocaret, ſtatuit Bonauenturam Cardinalibus quamprimum adſcribere. Ille verò, vt tantam declinaret dignitatem, clam aufugit in Galliam; ſed Gregorij literis in Italiam vocatus, in Cardinalium Collegium, & in Epiſcoporum Albanenſium ordinem anno noſtræ ſalutis 1272. cooptatus eſt. Hærebat Bonauentura in Cœnobio Nemoris de Mugello à Florentia quatuordecim milliaribus diſtante, atque à prandio tergebat ex conſueta humilitate, culinæ vtenſilia, quando Legati Pontificij aduenerunt Cardinalitium deferentes inſigne. Non ideo ille commotus, imò legationem prius audire noluit, quàm cœptum munus expleſſet abluendi, imò oblatum Galerum ex aduerſæ arboris *Corni* dictæ ramuſculo appendere iuſſit, functuſq; humilitatis officio, ad fratres dixit; *Poſtquam fratris Minoris expleuimus munia, experiamur iſta grauiora: ſalutaria hæc & ſalubria mihi credite fratres, illa vero magnarum dignitatum ponderoſa & periculoſa.* Et accedens ad arborem, inde Galerum aſſumpſit, & ſummi Pontificis Nuncios comiter, honorificeque, vt decuit, excepit, deinde Pontificem adijt, à quo conſecratus eſt Epiſcopus Albanenſis.

Luc. Vuadding to. 2. Annal. Minorum.

Gregorium ad Concilium Lugdunenſe abeuntem ſecutus eſt Bonauentura, & in Concilio eiuſdem Pontificis iuſſu Concionem habuit ijs præpoſitis verbis: *Exurge Hieruſalem, ſta in excelſo, & circumſpice ad Orientem, & inde collige filios ab Oriente, vſque ad Occidentem.* In hoc Concilio Præſidem egiſſe Bonauenturam expreſsè aſſerunt duo Romani Pontifices Syxtus IV. & V. ille in Bulla, qua eidem ſancti decreuit honores, alter in Decretali, qua primis eiuſ Doctoribus connumerauit. Non tamen primas egit totius Concilij aut in generalibus ſeſſionibus primus ſedit, cum ipſe Gregorius Pontifex Concilij ſeſſionibus interfuerit ſemper, ac præfuerit; ſed in priuatis cœtibus, quos per ſe celebraſſe quotidie Cardinales abſque Pontificis interuentu habet Hiſtoria eiuſdem Concilij, quique etiam cogi ſolent in Concilijs tamquam præparatorij, & diſpoſitiui ad ſeſſiones publicas, ne res indiſcuſſe, & immaturæ in vniuerſali omnium conſeſſu magis proponantur ad ſtrepitum, & ad lites, quàm ad malorum remedium, placidum, & vnanime reportaturæ iudicium. Ipſi igitur incumbebat onus, vt Orientem cum Occidente coniungeret, Græcam cum Latina Eccleſiam, quas intermedius diſcrepantium in quibuſdam religionis capitibus opinionum paries dirimebat: hunc verbi Dei malleo diſiecit, ac diſturbauit. Docuit enim Græcos ſanctum Dei Spiritum vnà cum Patre, & Filio ab vtroque, non ab altero tantùm manantem adorare: docuit Pontificem Romanum ſummum eſſe toto Orbe Pontificem: docuit delicta noſtra poſt mortem igne Purgatorio expiari: docuit celebrandam pane azymo Euchariſtiam. Quare in Bibliotheca Vaticana ad æternam rei memoriam, hanc grati animi ergo Syxtus Quintus totius Eccleſiæ nomine appoſuit Inſcriptionem.

C

D

GREGORIO X. PONT. GRAECI AD S. R. E. VNIONEM REDEVNT. IN HOC CONCILIO S. BONAVENTVRA EGREGIA VIRTVTVM OFFICIA ECCLESIAE DEI PRAESTITIT.

His, alijſque præclarè, & feliciter geſtis in Romanæ Eccleſiæ obſequium, ſummo omnium mœrore, & magno Reipublicæ Chriſtianæ detrimento, in ipſo Concilio 15. Iulij anno 1274. antequam celebraretur eiuſdem Concilij quinta ſeſſio, Bonauentura ad ſuperos euolauit. Rem narrat qui Hiſtoriam ipſius Concilij ſcripſit, his verbis: *Eodem anno, menſe, die Dominico, decimaquinta eiuſdem, hora matutinali obijt claræ memoriæ Fr. Bonauentura Albanen. Epiſcopus, qui fuit homo eminentis ſcientiæ, & eloquentiæ, vir quidem ſanctitate præcipuus, vita, conuerſatione, ac moribus excellentiſſimis decoratus, benignus, affabilis, pius, & miſericors, virtutibus plenus, Deo, & hominibus dilectus, qui ſepultus eſt in ipſo die Dominico in loco fratrum Minorum Lugduni. Cuius exequijs interfuit Dominus Papa cum omnibus Prælatis, qui erant in Concilio, & tota Curia; & Fr. Petrus Oſtienſis Epiſcopus celebrauit Miſſam, & prædicauit propoſito themate ſcilicet: Doleo ſuper te frater mi Ionatha: multa lacrymæ, & gemitus ibi fuerunt. Hanc ei gratiam conceſſerat Dominus, quòd quicumque eum videbant, ipſius amore incontinenti capiebantur ex corde. Deinde die ſequenti in publica omnium ſeſſione Pontifex allocutus eſt Concilium dicens, quomodo Eccleſia Dei ineſtimabile damnum perpeſſa fuerat ex obitu fratris Bonauenturæ Albanen. Epiſcopi, & mandauit omnibus Prælatis, & omnibus Presbyteris per totum mundum, vt quilibet eorum vnam Miſſam deberet cantare pro anima ipſius, & aliam pro animabus omnium aliorum, qui mortui fuit adueniendo, ſtando, ſeu redeundo ad Concilium.* Addit ad hæc Galeſinus: *in eius obitu fuit vna communis pene vox dicentium, vel potiùs lamentantium, rei Chriſtianæ publicæ columnam corruiſſe.* Elatus eſt Bonauentura funere, quale à memoria hominum, inquit Aubertus Myræus glorioſius non legitur: nam interfuit, vt dictum eſt, & exequias ſua præſentia Gregorius X. Pontifex ſummus cohoneſtauit. Affuere Græci Imperatoris Proceres, affuit Orientis Imperator Balduinus, Iacobus Aragoniæ

Petr. Galeſin.

Petr. Rodulph.

E

F

A Rex, affuere Patriarchæ Conſtantinopolitanus, & Antiochenus, Cardinales vniuerſi, Præſules quingenti, Abbates ſexaginta, alij minorum gentium Antiſtites, ac Sacerdotes ſupra mille. Regum, ac Principum quamplurium Oratores; Tartarorum, & aliorum populorum Legati; ſacri demum, ac politici ordinis homines innumerabiles; tota demum Lugduni ciuitas ad huiuſce viri funus celebrandum ſeſe cum lacrymis effudit. Frater Hugo de Dina vir virtutibus, ac orationis dono clarus mortem hanc Bonauenturæ tam diu prædixerat. A Franciſco Mauro, quamuis Henricus Vuillot à Ioanne Gerſone carmen hoc pro Epitaphio affixum Bonauenturæ dicat.

ILLE HOMINVM PLAVSV NE QVICQVAM EXCITVS INANI:
SED CVRA MAIORE ACTVS, MELIORAQVE VERSANS
PECTORE CONSILIA, INSANI PRAECONIA VVLGI
DESPICIT, ET VARIOS VLTRO AVERSATVR HONORES.

B Alium D. Bonauen. tumulum alios affixiſſe inuenio, videlicet ſequentem.

ET HOC DEMVM VIATOR
OMNIS SPEI EXTREMVM
ET COMMVNE SOLATIVM
EST.
BONA SVA
SEMPER VENTVRA CREDIDIT
BONAVENTVRA CVM VIXIT.
PRAESENTIA VBI VIDIT
MVTAVIT NOMEN
CVM VITA.

Illud peculiare Bonauenturæ tribuunt, vt primus inſtituerit è laicis Sodalitates, qui ad opera pia conuenirent, ac preces certas quotidie recitarent: initium verò huiuſce inſtituti ſanctiſſimi Romæ factum in Sodalitate, ſeu Archiconfraternitate Confalonis circiter annum prope milleſimum ducèteſimum ſeptuageſimum: cuius exemplo innumeræ in Orbe Chriſtiano formatæ Sodalitates, quarum inſtitutis omnia pietatis munera comprehenduntur.

Thom. Bozius de ſign. Eccl.

C

Inſignem hominis ſanctitatem multis miraculis teſtatam Deus voluit, quæ luculentis teſtimonijs commendata ſunt poſteritati. Cũ Lugduni ægrotaret ad mortem, vomitu enim fatigabatur continuo: iuſſit Corpus Domini ex Chriſtiano more afferri, vt eius præſentia ſaltem, cum ſumere vereretur, confirmatus lætiùs, & conſtantiùs excederet. Pixidem lateri admoueri voluit, tunc in formam roſæ rubentis latus aperitur, & Corpus Chriſti è pixide in eius cordis intimum penetrauit, nullo poſt aperturę relicto veſtigio.

Chriſt. Mirorum.

Octauian. S. Confeſſo.

Vinea S. Franciſco.

Lugduni cum eſſet Bonauentura, mulier quædam Lugdunenſis Symma dicta, quæ religioſo Bonauenturam proſequebatur amore; quamque ille ſæpiùs languentem inuiſerat, mortuum filium pepererat. Vocatus acceſſerat ille, expoſitoque ad illius pedes cadauere, genitrix e lecto ingemiſcens, & circumſtantes mulieres ſancti viri opem intenſiùs rogabant: vir ſanctus pio collacrymantibus miſeratus affectu, manibus, atque oculis in Cœlum erectis deuotiſſimè orauit, moxq; ſigno Crucis ſuper puerũ facto viuentem reddidit matri.

Luc. Vuadding. in ſua Annal. Minorum.

D

Nec ſilentio prætereundum auguſtiſſimum illud miraculum, maximèque illuſtre ad æternam memoriam ſanæ ſinceræque doctrinę, quam & lingua docuit, & literis conſignatam reliquit. Centeſimo, & ſexageſimo poſt obitum anno, cum eius corpus aliò transferendum eſſet, nec labris, nec dentibus, nec lingua, nec capillis quidem exeſis, integrum caput repertum eſt: cor item incorruptum remanſiſſe ſcribunt Hermannus Scheydel, Vincentius continuator, & Petrus Rodulphus.

Octau. 3 Martinus Simoneſſ. in vit. ad Sixt. IV.

Ioanna Lugdunenſis octo dies continuos vtero diſtenta, atque aſſiduo enixu parturiendi cruciata deſperauerat de ſalute, monita à mulieribus, quæ laboranti aderant, ſe ſancti precibus, & ſuffragijs commendauit, certum votum pro ſalute faciens, & ſtatim incolumis incolumem peperit.

E

Petrus altero pede dolore dexteræ tibiæ quatuor menſium ſpatio claudicauerat, adeo vt nec ambulare, nec in veſtigijs conſiſtere poſſet: precibus, & voto ad ſepulchrum D. Bonauenturę peracto priſtinam ſalutem recepit. Eadem inuocatione, ſimilique morbo liberatus eſt filius Franciſci Maſſodij Lugdunenſis.

Nobilis Miles Dominus locorum de Vincellis, & de Gromellis vehementi febre extra ſalutis ſpem iacebat in lectorum votiua inuocatione per cognatos, & per Fr. Matulinum Biblicum Seraphici ordinis Alumnum breui conualuit. Alij quamplurimi ſimili inuocatione febri ex toto illico vacarunt.

F

Franciſca lue, ſiue formica in collo laborabat, cuius ignis ſenſim in reliquam corporis partem ſe effundens, teneras puellæ carnes miſerè vorabat; eius parens Gilbertus nomine ad S. Bonauenturæ ſepulchrum ſe contulit, & illius opem, ac ſuffragia in filiæ ſalutem deuotiſſimè implorauit; mox domum reuerſus, extincto igne ſalubri eſſe corpore filiam vidit.

Stephaneta relicta Ioannis Michaëlis è graui oculorum dolore, in quem trabis icta inciderat, erepta eſt, implorato Deiparæ Virginis, ac S. Bonauenturæ ſubſidio, incerta cuius dono ſoſpitatem oculorum conſecuta fuiſſet, aliquamdiu detrectauerat beneficium illud diuulgare; tum in vehementiorem oculorum morbum incidit, at im-

plorata denuo S. Bonauenturæ ope, illico antiqua valetudo à morbo confirmata illi eſt.

Sunt præterea alij innumeri, qui meritis eiuſdem Sancti extra omnem aleam ſe eſſe aſpexerunt, cum ſe tum maximè in capitali periculo iudicarent.

And. Victor. in Addit. ad Ciaconium.

His & ſimilibus toto Orbe peruagatis miraculis Syxtus IV. Romanus Pontifex ſolemnes illi ſanctorum honores decreuit, & Syxtus V. pridie Idus Martij anno 1588. inter maximos Eccleſiæ Doctores eundem connumerauit, & diem eius feſtum pridie Idus Iulij ſub duplici officio ab omnibus celebrari iuſſit, & laudes diſerta oratione commemorauit. Vrbanus verò VIII. eodem die in SS. Apoſtolorum Baſilica Romæ ſacrum ſolemne coram ſacro Purpuratorum Collegio quotannis celebrandum curauit: extat apud eandem Baſilicam SS. XII. Apoſtolorum ſancti Bonauenturæ Collegium à Syxto V. inſtitutum, in quo ipſius ſancti Doctoris Doctrina traditur.

IV.



Ciaconius. Annal. Dominic. Aubery in Vita. Panuinius De Rom. Pont. Pet. Friſo in Gallia Purpur. Ferdinand. Vghel. in Ital. ſac. tomo 1.

PETRVS Tarentaſienſis è Centrorum ciuitate ortum duxit inter Alpes Penninas: præclari ingenij adoleſcens, qui vt pietatē cū doctrina coniungeret, diuino ſe famulatui in ſacra Prædicatorum familia deuouit. Pariſijs Laureatus Doctor multos annos publicè docuit, & reſerauit diuinæ ſcripturę arcana, ac magnam ſibi cōparauit apud omnes auctoritatem, cum ſermones ad populum habendo, tum ſcribendo. Ex Prouinciali Franciæ Archiepiſcopus Lugdunenſis primò, deinde Epiſcopus Cardinalis Oſtiēſis, ac Veliternus, & Maior Pœnitētiarius: Oecumenicæ ſynodo Lugdunenſi ſecundæ in ſua Metropolitana Eccleſia celebratæ affuit, & funebrem orationem habuit ſuper felici morte beati Bonauenturę è Balneoregio Cardinalis in eodem Concilio defuncti. Scripſit

Act. Concil. Lugdunen. Nomencl. Cardinal.

In Geneſim.	In 4. libros Sententiarum.
In Exodum.	Compendium Theologicum, in quo totam doctrinam D. Thomæ Aquinatis in Compendium redegit.
In Leuiticum.	De Materia Cœli.
In Numeros.	De Intellectu, & Voluntate.
In Deuteronomium.	De Aeternitate Mundi.
In Pſalterium.	De Vnitate Formæ.
In Canticorum Cantica.	
In Lucam.	
In omnes D. Pauli Epiſtolas.	

De Script. Eccleſ.

Non defuere, inquit Bellarminus, qui pluſquam centum Propoſitiones eius reprehenderent, ſed iuſſu Ioannis Vercellenſis Magiſtri generalis ordinis Dominicani à Diuo Thoma Angelico Doctore fuerunt defenſæ, vt patet ex eiuſdem Doctoris Opuſculo.

Succeſſit Gregorio in Pontificatu, & dictus eſt Innocentius V. vide quæ de illo referuntur infra.

V.



Petr. Friſo in Gallia Purpurat. Ciaconius. Aubery in vita. Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

BERTRANDVS à S. Martino, natione Gallus, patria Arelatenſis, ex Præpoſito Archiepiſcopus in patria renunciatus à Clemente IV. ius deferendæ Crucis per vniuerſam Prouinciam Arelatenſem obtinuit, Pontificum Romanorum more. A Gregorio X. inter Epiſcopos Cardinales Sabinenſes cooptatus eſt non in Concilio Lugdunenſi, ſed ante ſynodum, cuius primæ ſeſſioni interfuit.

Non audiēdus hic videtur auctor Nomēclatoris Cardinalium, dum Bernardum Caſinenſem Abbatem, & Arelatenſem Archiepiſcopum à Gregorio X. creatum Cardinalem dicit: confundit enim Bertrandum hunc cum Bernardo Aiglerio, de quo ſupra in Clemente IV. egimus. Hoc pro certo exploratum ſit, Bertrandum Arelatenſem Cathedram ante annum 1264. obtinuiſſe, vt ex Tabulis eiuſdem Eccleſiæ ſcribit Ioannes Chenu in Chronologia Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Galliæ, quo anno Caſinenſi Abbatiæ præerat Bernardus.

E vita exceſſit Bertrandus Epiſcopus Sabinenſis anno 1275. non autem 1277. ſi vera ſunt, quæ de Ioanne Vicecomite Epiſcopo Cardinali Sabinenſi ex Panuinio, & Placentinis hiſtorijs mox referemus. Eadem Bertrando Inſignia, quæ Petro Tarentaſienſi, dant Ciaconius, & Petrus Friſon in Gallia Purpurata.

ALIA CREATIO CARDINALIVM facta à Gregorio X. in Concilio Lugdunenſi.

VI.



Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon. & Ital. ſac.

IOANNES Vicecomes Placentinus Gregorij PP. X. ex fratre nepos, Lugduni in Concilio an. noſtræ ſalutis 1275. in demortui Bertrandi locum Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis renunciatus ab ipſo Gregorio fuit. Ludouicus Lellus in hiſtoria Eccleſiæ Mōtiſregalis anno 1276. narrat Ioannem Vicecomitem ſub Innocētio V., Gregorij ſucceſſore, vnà cum Guilielmo de Braio Presbytero Cardinali titulo ſancti Marci, & Matthæo Vrſino Diacono Cardinali S. Mariæ in Porticu Iudicem fuiſſe in cauſa poſtulationis Capituli Mōtiſregalis facta, Ioannis Epiſcopi Potentini in Archiepiſcopum eiuſdem Eccleſiæ. Huius etiam meminit Vicedominus Cardinalis in Teſtamento à ſe condito an. 1276 quod in publico Placentino Archiuio diligentiſsimè aſſeruatur ex Petro Maria Campio in vita ſanctæ Franchæ Placentinæ. Romæ mortem cum vita commutauit anno 1278. ſub Nicolao III. De hoc nulla mentio apud Ciaconium, de illo tamen Panuinius in Epitome hæc habet: *Ioannes Placentinus aſſinis ſuus, Epiſcopus Cardinalis Sabinus:* at illum inter Cardinales cooptatum in prima Cardinaliū Creatione anno 1274. affirmat. Vt verò iſta concorderit cum ijs, quæ ſupra diximus de Bertrando Epiſcopo Cardinali Sabinenſi, qui obijt anno 1275. dicendum nobis eſt cum Vghellio, Ioannem renunciatum fuiſſe Epiſcopum poſt illius obitum, eodem anno 1275.

VII.



Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon. Caſpar Iongelini in Purpura D. Bernardi.

THEOBALDVS de Ceccano Italus, Campanus, ex Comitibus Tarracinenſibus, adeoque Iordano de Ceccano Cardinali ſanguine coniunctus, monachus, & Abbas Foſſænouæ ordinis Ciſtercienſis prope Tarracinam a Gregorio X. an. 1275. S.R.E Presbyter Cardinalis renunciatus eſt. Adhuc Abbas exiſtēs hoc meruit Theobaldus, vt in eius Cœnobio Theologorum Princeps ſanctus Thomas Aquinas gloria ſanctitatis illuſtris migrarit ad Chriſtum nonis Martij anno noſtrę ſalutis 1274. ętatis ſuę 50. atque hanc ad illius tumulum addidit Epigraphen.

Occidit hic Thomas, lux vt foret amplior Orbi,
Et Candelabrum ſe noua Foſſa foret:
Editus ardentis locus eſt, non Foſſa lucernæ,
Hanc igitur Foſſam, quis neget eſſe nouam?

Not. Abbatiæ.

De eo nil memoria dignum præter hæc, quæ ex antiquis monumentis Foſſænouæ, & Catalogo Abbatum eiuſdem loci excepta ſunt: quo verò anno Theobaldus obierit, incertum, adhuc eſt.

VICECANCELLARII S. R. E. ſub Gregorio X.

Mag. Ioannes Lecacnenus Placentinus annis primo, & ſecundo.

Mag. Lanfrancus Archidiaconus Bergomenſis ab anno tertio, vſque ad finem Pontificatus Ioannis XXI.

CARDINALES MORTVI ſub Gregorio X.

Octauianus Vbaldinus Florentinus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in via Lata obijt menſe Martio anno 1272.

Fr. Hannibaldus Hannibaldenſis de Molaria Romanus, ordinis Prædicatorum, Presbyter Cardinalis eodem anno 1272.

Guido Presb. Card. S. Laurentij in Lucina ann. 1273. hūnc tamen Panuinius ſcribit è vita exceſſiſſe ſub Clemente IV. anno 1267.

Otho de Caſtro Rodulphi Gallus, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus obijt Vrbeueteri v. Kalen. Martij anno 1273.

Fr. Ioannes de Toleto Epiſc. Cardinalis Portuenſis anno 1274.

Richardus Hannibaldenſis de Molaria, Romanus, Diaconus Cardinalis S. Angeli eodem anno 1274.

Fr. Bonauentura Fidanza de Balneoregio Tuſcus ordinis Minorum Epiſcopus Cardinalis Albanenſis ad ſuperos euolauit Lugduni iij. Idus Iulij anno 1275.

Bertrandus Gallus Epiſc. Card. Sabinenſis eodem anno 1275.

INNOCENTIVS V. PONT. CLXXXVII.

ANNO DOMINI MCCLXXVI.





IN NOMINE DEI, ET SALVATORIS Noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen.

INNOCENTIVS V. Gallus, Prouincia Burgundus, Magiſter Fr. Petrus Tarentaſienſis ordinis Prædicatorum, in ſacris literis doctiſſimus, qui quinque menſium Pontifex vtique appellandus eſſet, ſucceſſor Gregorij X. deceſſoris ſuit ab illo enim ex Archiepiſcopo Lugdunẽſi deſignatus Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus, S. R. E. Maior Pœnitentiarius, Pontificij tandem honoris, atque oneris particeps fuit. Hunc Tarentaſia genuit municipium non procul à Mamiena valle, flumineque Iſara, qui in Rhodanum influit. Natus in illis Alpinis ſcopulis præclarum ingenium habuit, & grauiſſimarum artium capax, cuius vires, & præclara pietatis indicia ad ſummum tandem Sacerdotium eum promouere, vt ordine ſuo Innocentius V. nuncuparetur, quod verè inſons, atque innoxius fuerit. Creatus Aretij à 12. Cardinalibus, 13. kalen. Februarij anno Dom. 1276. ſedit in Petri Cathedra, Cæſare Rodulpho Habipurgenſi Auguſto, menſes 5. dies 2.

Innocentij Electio.

CARDINALES XIII. VIVI Quando Innocentius Papa V. creatus eſt.

CARDINALES EPISCOPI III. GREGORII PAPAE X.

1. Fr. Vicedominus de Vicedominis Placentinus, ordinis Minorum, Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus.
2. Ioannes Petrus Iuliani, Vlyſiponenſis, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus.
3. Fr. Petrus Tarentaſienſis Burgundus, Gallus, ordinis Prædicatorum, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus, S. R. E. Maior Pœnitentiarius.

PRESBYTERI CARDINALES IV. VRBANI PAPAE IV.

4. Simon Paltinerius Patauinus, Presbyter Cardinalis ſanctorum Syluestri, & Martini in montibus titulo Equitij, Prior Presbyterorum.
5. Ancherus Pantaleo, Trecenſis, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Praxedis.
6. Guillelmus de Braio, Rhemenſis, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Marci.
7. Simon de Bria, Senonenſis, Gallus, Presb. Card. tit. S. Cæciliæ.

DIACONI CARDINALES VI. INNOCENTII PAPAE IV.

8. Ioannes Caietanus Vrſinus, Diaconus Cardinalis ſancti Nicolai in Carcere Tulliano, Prior Diaconorum.
9. Othobonus de Fliſco Genuenſis, Diaconus Cardinalis ſancti Hadriani in tribus Foris.

VRBANI PAPAE IV.

10. Iacobus Sabellus Romanus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Coſmedin, aliàs Schola Græca.
11. Gottifredus de Alatro, Hernicus, Diaconus Cardinalis ſancti Georgij in Velabro.
12. Vbertus Senenſis, Diaconus Cardinalis ſancti Euſtachij.
13. Matthæus Rubeus Vrſinus, Romanus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Porticu.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1276. *viij. kalen. Martij*, die Cathedræ S. Petri, Romæ in Baſilica Principis Apoſtolorum Vaticana, Innocentius V. vt Papa ſuæ Coronationis inſignia ſuſcepit, per manus Io. Caietani Vrſini, Diac. Card. S. Nicolai in Carcere Tull. — Innocentij Coronatio.

Pontifex, ſtatim vt coronatus fuit, animum ad pacandas res Italas adiecit: Quare Legatos magnæ auctoritatis viros miſit, qui & Hetruſcos in perniciem Piſanorum conſpirantes, & Genuenſes, ac Venetos, de vita, & ſanguine inter ſe certantes ab armis diſcedere ſub anathematis pœna cogerent; Aderant & Oratores Caroli Regis, cuius etiam auctoritate rem magis ex ſententia confici poſſe, ſperabat; fecere mandata Hetruſci, maxime Florentini, à quo ob eam rem per Legatos ſollemnes Romam ad eum miſſos abſolutionem ab excommunicatione à Gregorio X. lata, & interdicto impetrarunt. — ORATORES ab Innocentio miſſi pro pace inter principes componenda. Florentinis abſolutio ab excõm. & interdicto.

Genuenſes autem, & Veneti, quorum odia nimis incruduerant, in armis perpetuò erant, ſe ſe inuicem mutuis cladibus, & cædibus conficientes; quos tamen Innocentius in ſententiam ſuam traxiſſet, ſi ei diutiùs viuere licuiſſet.

Cum Viterbij inter ſacerdotes Cathedralis Eccleſiæ, & fratres Prædicatores de corpore Clementis IV. orta contentio eſſet; vterque enim ordo corpus apud ſe volebat, adiudicauit is fratribus, quod diceret, ſanctiſſimum Pontificem, id ita, dum viueret, inſtituiſſe. Hanc itaque ob rem leuem offenſiunculam contraxit; qui ante quam ſumma Pontificatus dignitas ſibi acceſſiſſet, concionando, & ſcribendo, maximam ſibi Pariſijs auctoritatem comparauit, & cum doctiſſimus eſſet, multa in ſacris codicibus vtiliter enodauit, atque in quatuor Sententiarum libros præclara quoque ſcripta edidit.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1276. *die x. Kalend. Iulij*, Romæ in Patriarchio Lateranenſi Innocentius V. Papa mortuus eſt, vir optimus, & de quo bona cuncta ſperari poterant; corpus eius in Baſilica S. Saluatoris, quæ & Conſtantiniana appellatur, ſepultum eſt. Errat Ioannes Villan. qui lib. 7. cap. 50. Viterbij obijſſe dicit, ibidemque ſepultum fuiſſe; Vacat ſedes dies 19. — OBITVS Innoc. V.

SIGNA
INNOCENTII PAPAE V.



Sigillum Plumbeum quod Romæ ſeruatur in Vaticana Bibliotheca.





ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

¶ *Gallus.*] Quidam Longobardum fuiſſe, dicunt. Vide Genebrar. lib. 4. Chronograph.

✱ *Petrus Tarentaſienſis.*] Abſens, & primus ex Illuſtriſſimo Prædicatorum ordine ad ſummum Pontificatum electus, vir optimus, eruditiſſimus, & publicæ tranquillitatis amator. Vide Genebr. loco citato, quem Syxtus V. virum eruditione, & Chriſtiana eloquentia præſtantem nominauit.

✱ *Creatus ... à 12. Cardd.*] Ab 11. Cardd. & xij. Kalen. Febr. creatum, ſcribit Panuin. in Chronic.

✱ *Anno Dom. 1276.*] Ita Panuinius, & Genebr. quos explices de anno à Natiuitate: Platinam autem, dicentem 1275. de anno ab Incarnatione Dominica.

✱ *Menſes 5. d. 2.*] Menſe ſexto, die ſecundo Pontificatus, ceſſiſſe illum è cœtu mortalium, aiunt Platina, & Genebrardus.

✱ *Errat Ioannes.*] Platinam, & Panuinium ſequutus eſt Ciac.

✱ *Vacat ſedes dies 19.*] Dies 9. ait Genebr. Ciaconius Panuinium ducem habuit. Conſtitutionem Gregorij X. de Conclaui in electione Innocentij V. obſeruatam fuiſſe, dubium non eſt, cum monumenta Monaſterij Prædicatorum Aretij, in quo factum fuit Conclaue, cum ibi deceſſiſſet Gregorius X. clare id oſtendant, ab Hadriano V. eam reuocatam, affirmant Panuinius, Genebr. & alij quidam.

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI SOCIETATIS IESV.

Pet. Præſul in Gallia Purpur. Ciaconius. Innocentius electus à 12. Cardinalibus.

LICET Ciaconius quatuordecim numeret Cardinales, qui viuebant, quando Innocentius huius nominis V. in ſummum Pontificem electus eſt, non tamen omnes, ſed illorum tantùm duodecim Aretij in Conclaui incluſi, vigore Conſtitutionis a Gregorio editæ in Concilio Lugdunenſi Petrum Tarentaſienſem ad ſummi Pontificatus apicem euexerunt vigeſimo primo menſis Ianuarij feſto S. Agnetis die. De quo m. s. Vallicellanum in vitis Pontificum habet; *Innocentius V. natione Burgundus de Tarentaſia ſedit anno Domini 1276. & m. 12.: Hic à pueritia in ordine fratrum Prædica-*

Bernard. Guido in Chró. Rō. Pont.

A *torum Doctor in ſacra Scriptura eximius efficitur; demum in Archiepiſcopum Lugdunenſem, & poſt in Epiſcopum Oſtienſem, tandem in ſummum Pontificem aſſumitur.* Corrigendi verò ſunt ij, qui tradunt Innocentium eodem anno tres dignitatum gradus conſcendiſſe; abunde enim illi ex Pontificijs literis, quas in Annalibus Eccleſiaſticis reſcripſit Odericus Rinaldus, refelluntur.

Breu. & Oder. Rinaldus in Annal. Ricord. Malaſpin. in hiſtor.

Non diu hæſit Aretij, ſed Romam illicò ſe contulit, ex qua Vrbe encyclicis literis adeptæ dignitatis fecit certiores, ac Præſules ad operam pro re Chriſtiana tuenda coniungendam excitauit: Apoſtolicis etiam literis ſacrum cecinit claſſicum, ac populos ad arma capeſſenda contra Saracenos, Hiſpaniarum prædatores incitauit. Collapſas Terræ ſanctæ res Apoſtolico auxilio non deſtituit, ad quas inſtaurandas fideles adhortatum, ac Palæologum ſollicitaſſe, vt factam in Concilio Lugdunenſi Græcorum Eccleſiæ coniunctionem, atque alia in eo loco ſtatuta confirmaret, ex ipſius literis colligitur. B

Literas ſcribit de ſua electione, & contra Saracenos. Terræ ſanctæ cauſã curat.

Ingentia alia moliebatur Innocentius conſilia ad rem Chriſtianam defendendam, & augendam, quæ mors nimium vniuerſæ Eccleſiæ acerba, cum magna de illius Pontificatu expectatio concepta eſſet, confregit: quod deplorat his verbis Bernardus Guido in Chron. Roman. Pont. *Hic licet multa facere propoſuiſſet, morte præuentus non potuit adimplere, ſed proh dolor, mox in ſuo ortu exaruit flos decorus; cito namque eum tulit Deus. Obijt autem Romæ ſepultus in Eccleſia Lateranenſi anno Domini 1276. vigeſima ſecunda die menſis Iunij:* cuius tumulus in ædis illius incendio, vel conſumptus, vel aliò tranſlatus fuit. quare corrigendi Ricordanus Malaſpina, & Ioannes Villanus, dum Viterbij mortuum, traditumque ſepulturæ tradunt.

Innocentij Obitus.

C Præter illa, quæ ſupra in vita Petri Tarentaſienſis enumerauimus, ſcripſit Innocentius Commentaria ſuper *Miſſus eſt Angelus, &c.* & Canticum B. Virginis *Magnificat.* Ferdinandus Vghellius in I. tomo Italiæ ſacræ reſcripſit Innocentij literas datas Capitulo Sulmonenſi, vt ex antiqua conſuetudine cauſarum cognitionem exerceat. Errorem tamen iudico irrepſiſſe in illis reſcribendis; nam anno 1286. quo illæ dicuntur datæ, non ſolùm Innocentius, ſed quinque alij Romani Pontifices ſucceſſores iam mortem obierant.

Scripta. Hippol. Marrace. in Bibliot. Pontif.

Hoc eodem anno 1276. quo Gregorius, Innocentius, & Hadrianus ad ſuperos euolarunt, Iacobus Rex Aragonum ſuſceptis ritè omnibus Eccleſiæ ſacramentis piè obijt; hic paulò ante obitum Petro maiori natu filio Regnum Aragoniæ, Iacobo verò Balearicum, Ruſſionis, ac Montiſpeſſulani Principatum reliquerat, & purpuram cum D Ciſtercienſium veſte mutauerat. De illo Mariana præclarum hoc affert elogium. *Obijt Valentiæ Iulij die vigeſimo ſeptimo, fama ob magnitudinem rerum geſtarum immortali, vir verè magnus, præcipua religione, cuius ſtudio ad duo millia Templa extructa fuiſſe memorantur. dedicata arbitror ex ritu Chriſtiano Maurica ſuperſtitione expurgata. Militia laude cum quouis veterum Ducum comparandus, trigeſies cum Mauris ſigna contulit, ſecundo ſemper præliorum euentu, vnde Præliatoris nomen tulit; tres & ſexaginta annos Regnum tenuit:* quibus addimus id maximum, Iacobi bellica virtute Balearicum, & Valentinum Regna Chriſtum nouiſſe.

Iacobi Regis Aragoniæ obitus. Odor. Rinaldus in Annal.

INNOCENTIVS QVINTVS
non creauit Cardinales.

E

VICECANCELLARIVS S. R. E.
ſub Innocentio V.

Mag. Lanfrancus Archidiaconus Bergomenſis, Vicecancellarij munus, quod habuerat à Gregorio X. exercuit etiam toto tempore, quo vixit Innocentius.

CARDINALES MORTVI
ſub Innocentio V.

Vbertus ex Comitibus de Ibce, alias Elci, ſeu ex Comitibus de Coconato, & Montiſalti Dominus Cardinalis S. Euſtachij an. 1276.

HADRIANVS V. PONT. CLXXXVIII.

ANNO DOMINI MCCLXXVI.





IN NOMINE DEI, ET SALVATORIS Noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen.

HADRIANVS V. Prouincia Ligur, patria Genuenſis, Othobonus Fliſcus antea vocatus, ex Lauaniæ Comitibus, ſeù Fliſca, nobiliſſima familia illius ciuitatis, ex qua duos ſupra ſeptuaginta Cardinales ad Innocentij Octaui tempora, Hector Fliſcus Reipublicæ illius ad Pontificem Legatus prodijſſe gloriatur. Theodoſium fratrem Innocentij IV. patrem habuit, ex Archidiacono Cantuarienſi in Anglia à patruo ſuo Innocentio IV. Diaconus Cardinalis S. Hadriani in tribus Foris creatus. Romæ Pontifex renunciatus in Palatio Lateranenſi à Cardinalibus IV. Idus Iulij anno 1276. nomen tituli ſui in Pontificatu retinuit, Hadrianus V. vocatus; omnium autem Cardinalium ſuffragijs electus, ſedit, Rodulpho Cæſare Auguſto, menſem vnum, dies ſeptem.

HADRIANus Pontifex.

CARDINALES XI. VIVI quando Hadrianus Papa V. creatus eſt.

CARDINALES EPISCOPI II. GREGORII PAPAE X.

1. Fr. Vicedominus de Vicedominis Placentinus, ordinis Minorum, Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus.
2. Ioannes Petrus Iuliani, Vlyſiponenſis, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus.

PRESBYTERI CARDINALES IV. VRBANI PAPAE IV.

3. Simon Paltinerius Patauinus, Presbyter Cardinalis ſanctorum Syluestri, & Martini in montibus titulo Equitij, Prior Presbyterorum.
4. Ancherus Pantaleo, Trecenſis, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Praxedis.
5. Guillelmus de Braio, Rhemenſis, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Marci.
6. Simon de Bria, Senonenſis, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Cæciliæ.

DIACONI CARDINALES V. INNOCENTII PAPAE IV.

7. Ioannes Caietanus Vrſinus, Diaconus Cardinalis ſancti Nicolai in Carcere Tulliano, Prior Diaconorum.
8. Othobonus de Fliſco Genuenſis, Diaconus Cardinalis ſancti Hadriani in tribus Foris.
9. Iacobus Sabellus Romanus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Coſmedin, alias Schola Græca.

VRBANI PAPAE IV.

10. Gottifredus de Alatro, Hernicus, Diaconus Cardinalis ſancti Georgij in Velabro.
11. Matthæus Rubeus Vrſinus, Romanus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Porticu.

Hadrianus V. nulla publica munia exercuit, quod ante Conſecrationis munus, & Coronationis inſignia ſuſcepta, obierit: ſtatim enim, vt Pontifex renunciatus, Viterbium venit, vt inde Nuncios, & literas mitteret ad Rodulphum Cæſarem: timebat enim nimiam licentiam Caroli Siciliæ Regis, & Senatoris in Vrbe, qui omnia pro arbitrio ſuo Romæ moderabatur, ne forte Nuncios ſuos impediret, vel aliquam eis vim inferret, vel dedecus, & ignominiam moliretur, proinde tutiùs hanc rem agi ex Viterbio cenſuit. Vt igitur nimiam licentiam, qua abutebatur Carolus, & impios conatus infringeret, & ſe ipſum tanta oppreſſione eriperet, per Nuncios, & literas eundem Rodulphum vocat in Vrbem, & vt memor ſit promiſſi, quod fecerat Gregorio X. in Concilio Lugdunenſi, ſe intra annum Romam venturum, vt Coronam auream Imperij aſſequeretur; iam annus præterierat, non eſſe longius tempus interponendum: Rodulphus, ſe bello Bohemico impeditum, non poſſe præſtare promiſſum, ſe excuſat. Interim Carolus Andegauenſis intelligens animum Pontificis minus gratum fore erga ſeipſum, claſſem parauit triremium in Achaiam profecturus, vt inde bellum pro Imperio Conſtantinopolitano expugnando tentaret, quam expeditionem ſtatim atque Pontificem obijſſe audiuit, deſeruit.

HADRIANus Rodulphum per Nuncios in Vrbem vocat.

Cum eſſet Apoſtolicę ſedis Legatus in Anglia edidit Conſtitutiones Eccleſiaſticas, quas Commentarijs illuſtrauit Ioannes Acton Canonicus Lincolnienſis; Papa factus Conſtitutionem, quam Gregorius Decimus in Concilio Lugdunenſi de incluſione Cardinalium intra Conclaue pro Electione Pontificis ediderat, in meliorem formam redigere cogitauit.

Cæterum Hadrianus iam deſignatus ſummus Pontifex, cum agnati Theodoſij patris frequentes ad eum acceſſiſſent, & ob tantam dignitatem ſibi, ſuiſque gratularentur, Vtinam, inquit me Cardinalem proſpera valetudine, non moribundum Pontificem inueniſſetis. Hoc eius reſponſum etſi à quibuſdam alijs ſcriptoribus traditum eſt, à Iuſtiniano tamen Epiſcopo non omittitur libro tertio Genuenſis hiſtoriæ.

Hadrianus igitur non conſecratus, neque coronatus obijt Viterbij XIJ. Kalendas Septembris anni 1276. ſepultus ibidem ad Minorum Eccleſiam ſancti Franciſci cum infraſcripto Epitaphio. Vacauit ſedes dies 25.

OBITVS Hadriani.

¶ Addit. ex Nomencl.

HADRIANVS. QVINTVS
PONT. MAX.
FLISCA. E. FAMILIA. NOBILISSIMA. GENVENSI
MENSIS. VNIVS. DIERVMQ. IX. MAGISTRATVM
PONTIFICIVM. GERENS
XV. KALEN. OCTOBRIS. MCCLXXVI.
DIEM. VITERBII. FVNCTVS
HAC. HONORIFICE. SEPVLTVRA
DONATVR.

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI
SOCIETATIS IESV.

Hoc ſummo. Opē fert Incolis Terræ ſanctæ. Feder. Federici in Hiſt. Fliſcorum. Florauantes Mart-

STATIM renunciatus Romanus Pontifex Hadrianus ad inſtaurandas res Syriacas animum adiunxit, vt refert Sanutus, cuius verba ſubijcio. *Hadrianus Papa magnum oſtendit affectum ad ſuccurſum Terræ Sanctæ per Gregorium inchoatum, & miſit Patriarchæ duodecim millia librarum Turonenſium pro galeis conſtruendis, vel alijs magis bonorum virorum iudicio opportunis, ſuiſque literis multum confortauit incolas Terræ Sanctæ, & ad ſpem erexit magni auxilij.* Eccleſiæ vinculo Ianuenſes ſoluit: Baſilicam, & Palatium Lateranenſe reſtaurare inſtituit, inceptum tamen opus perficere haud potuit, nam paulo poſt ante conſecrationem Viterbij ad ſuperos euolauit, vt dictum eſt ſupra, & in arca marmorea conditus apud fratres Minores eiuſdem Vrbis cum hoc Epitaphio.

Bellus in Rom. Ricercat. Inſtauratio Baſilicæ, & Palatij Lateranenſis. Fed. Feder. ibid.

HIC REQVIESCIT CORPVS SANCTAE MEMORIAE DOM. HADRIANI PAPAE V. QVI PRIVS VOCATVS EST OCTOBONVS DE FLISCO DE IANVA TIT. SANCTI HADRIANI DIAC. CARD.

Aliam ab hac Hadriano ſupra tribuit ſepulcralem Inſcriptionem Ciaconius ex Nomenclatore Cardinalium, ſed illa recentior, hæc antiquior, illa in reſtauratione, hæc verò ſepulcro ſtatim poſt illius obitum appoſita.

Bronius in Annal.

Polycrates eius familiaris ſæpe dicentem audiuiſſe refert Hadrianum, *nullum ſe ab hoſte ſuo quodlibet maius ſupplicium optare, quam vt ſummum Pontificatum aſſequeretur.* Preſpiciebat ad eius dignitatis ſarcinam, quæ vulgò felix, & inuidentia digna iudicatur, cum tamen eā humeris ſubijſſe difficillimū, & glorioſū miſeriæ genus ſit.

HADRIANVS QVINTVS
non creauit Cardinales.

VICECANCELLARIVS S. R. E.
ſub Hadriano V.

Magiſter Lanfrancus Archidiaconus Bergomenſis.

IOANNES XX· DICTVS XXI· PONT· CLXXXIX·

ANNO DOMINI MCCLXXVI.





IOANNES XX. dictus Ioannes XXI. ab his, qui fabuloſam, & commentitiam Ioannam fœminam numero Pontificum interſerunt, M. Ioannes Petrus antea dictus, natione Hiſpanus, prouincia Luſitanus, patria Vlyſipponēſis, Iuliani filius, profeſſione olim Medicus, ex Epiſcopo Cardinale Tuſculano à Gregor. X. in Concilio Lugdunenſi factus, Viterbijin Comitijs, mortuo Hadriano V. à decem Cardinalibus, maximè auxilio, & ſuffragijs Ioannis Caietani Vrſini, Romani, Diaconi Cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano, Pontifex maximus renunciatus, Idibus Septembris, anni Domini 1276. qui nomen non mutauit, Ioannes, vt antea, dictus. Hic doctiſſimus eſt habitus, licèt ignoratione rerum gerendarum minus aptus, hac in ea re tamen commendatione digniſſimus, quod adoleſcentes literarum ſtudioſos, inopes maximè, beneficijs Eccleſiaſticis, & pecunia iuuit.

IOANNIS Bleſbo-

CARDINALES X. VIVI
quando Ioannes Papa XX. dictus XXI. creatus eſt.

CARDINALES EPISCOPI II.
GREGORII PAPAE X.

1. Fr. Vicedominus de Vicedominis Placentinus, ordinis Minorum, Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus.
2. Ioannes Petrus Iuliani, Vlyſipponenſis, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus.

PRESBYTERI CARDINALES IV.
VRBANI PAPAE IV.

3. Simon Paltinerius Patauinus, Presbyter Cardinalis ſanctorum Syluestri, & Martini in montibus titulo Equitij, Prior Presbyterorum.
4. Ancherus Pantaleo, Trecenſis, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Praxedis.
5. Guillelmus de Braio, Rhemenſis, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Marci.
6. Simon de Bria, Senonenſis, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Cæciliæ.

DIACONI CARDINALES IV.
INNOCENTII PAPAE IV.

7. Ioannes Caietanus Vrſinus, Diaconus Cardinalis ſancti Nicolai in Carcere Tulliano, Prior Diaconorum.

VRBANI PAPAE IV.

8. Iacobus Sabellus Romanus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Coſmedin, aliàs Schola Græca.

9. Gottifredus de Alano, Hetnicus, Diaconus Cardinalis ſancti Georgij in Velabro.

10. Matthæus Rubeus Vrſinus, Romanus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Porticu.

CORO-natio Papæ Ioannis XX.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1276. xij. kalen. Octobris Viterbij in Cathedrali S. Laurentij, ſuæ Coronationis inſignia ſuſcepit, per manus Ioannis Vrſini, Diac. Cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano, S. R. E. Archidiaconi; ſedit autem in Apoſtolica ſede, Imperatore Cæſare Rodulpho menſes octo, & dies octo.

Vſus conſilio Ioannis Caietani Vrſini, cuius nutu omnia gerebantur, Legatos tum ad Palæologum Imperatorem Conſtantinopolitanum miſit, vt eum ad ſeruandum promiſſa in Concilio Lugdunenſi facta hortarentur; Cæterum Palæologus omnia, quæ Nuncij ſui polliciti eſſent, in Lugdunenſi Synodo, ſe obſeruaturum reſpondit; ad Reges item Occidentales Nuncios mandauit, qui eos ſuo nomine cohortarentur, vt pace inter ſe inita, arma in Sarracenos, & hoſtes Chriſtiani nominis pararent. Octo menſium Pontifex appellari potuit: nam cum Viterbij dormiret, repentina cubiculi recens conſtructi ruina oppreſſus eſt, quod in palatio Viterbienſi fabricauerat, atque inter ligna, & lapides inuentus, ſeptima die acceptis omnibus Eccleſiæ ſacramentis, Pontificatus ſui menſe 8. & die 8. moritur; vir admodum literatus, & literatorum valdè amator, multarumque rerum ſcientia inſtructus.

IOANNIS Obit⁹ qualis fuerit.

Sepultus xiij. kalen. Iunij anni 1277. ibidem in Cathedrali ſancti Laurentij, cum hoc Epitaphio.


¶ Ex Nomēclatore.

IOANNI. LVSITANO. XXI.
PONTIFICATVS. MAXIMI. SVI. M. VIII.
MORITVR. MCCLXXVII.

Cuius caſum mortèmque Victorianus Annalis annotauit: hoc autem exemplo monemur, ne Romanos quidem Pontifices humanis caſibus exemptos eſſe, quia vt ſint Pontifices, homines tamen eſſe non deſinunt.

Poſt Innocentij V. mortem, qui ei ſucceſſit, Hadrianus Papa V. Gregorij X. de Conclaui Conſtitutionem ſtatim ſuſpendit, cuius reuocationem, ſiuè ſuſpenſionem, quod ante eius coronationem facta fuiſſet, inualida erat, Ioannes XX. confirmauit, atque ſine Conclauis recluſione, qui deinde ei ſucceſſerunt Romani Pontifices Nicolaus III. Martinus II. dictus IV. Honorius IV. Nicolaus IV. & Cœleſtinus V. creati ſunt, A Cœleſtino verò eadem, qua & Gregorius Decimus cauſſa moto, ipſius Gregorij Conſtitutionem de Conclauis recluſione denuò renouatam, & approbatam, qui ei ſuffectus eſt Bonifacius Papa VIII. ratam habens, & confirmans, libro Decretalium 6. regiſtrauit, à quo deinceps, vſque ad noſtram memoriam perpetuò obſeruata eſt. Hæc ex gloſſa cap. *Vbi periculum*, cuius auctor fuit Ioannes Andreas celeberrimus Iuriſconſultus.

Conclauis conſtitutio ab Hadriano V. ſuſpēſa à Ioanne confirmatur.



Signum PP. *Ioannis* XX.

ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

¶ *Io: XX. dictus XXI.*] Ita Panuin. in Chronic. apud Platinam eſt XXII. apud Genebr. XXI. & Binium XIX. Pontifex, quibus idē nomen, non eodem modo numerant Hiſtorici, in ijs, qui Ioannes dicuntur, confuſio maior, ait Genebr. lib. 4. Chronog. quem videas.

* *A Greg. X. in Cōcil. Lugdunē.*] Superius ad Greg. X. de hac re.

* *A 10. Cardd.*] A 9. ait Panuin. in Chronic.

* *Nomen non mutauit.*] Hunc ante Pontificatum, Petrum appellatum, ait Platina, & Gloſ. Io. Andreæ in cap. *Vbi periculum, de elect. lib.* 6.

* *Hadrianus ..... de Conclaui Conſt.*] Gloſ. in cap. *Vbi periculum de elect. in* 6. Greg. Conſtit. *Vbi periculum &c.* ex Cœleſtini V. renouatione, & approbatione Bonifacij VIII. qui illam 6. Decret. lib. inſeri iuſſit, vim potius habuiſſe, quàm ex Gregorij X. Decreto, tradit: nam olim inter Gregorianas Conſtit. legi non ſolebat, Gloſ. ibidem, tradit in Innoc. V. & Hadriani V. creatione, eam Conſtit. ſeruatam, illiuſq; effectum Io: XX. electione: qui illam deinde, quoad omnem effectum, reuocauit, vel ſuſpendit: Io: And. id ſenſiſſe viſus: alia Gloſ. ex Io: Monacho, docet, Conſtitut. de qua ſermo eſt, ſuſpenſam quidem fuiſſe; & quia ſuſpenſio ſcripta non fuerat, Io: XX. iterum ſuſpendiſſe.

Panuinius, in Annot. ad Gregor. X. vitam Innoc. & Hadrianum Quintum Ioannemq; XX. ex lege Gregorij, ad Pontificatum electos eſſe. & Io: And. hoc ipſum docuiſſe, teſtatus eſt; in Annot. ad vitam Io: XX. Hadrianum V. eamdē conſtit. ſtatim reuocaſſe, reuocationē autem, ſeù ſuſpenſionem vim non habuiſſe; quia Hadrianus, nōdum coronatus, id fecerat, ac proinde à Io: XX. fuiſſe confirmatā, & ſine Conclaui electionē Nicolai III. Martini II. Honorij IV. Nicolai IV. & Cœleſtini V. celebratam; à Cœleſtino autem renouatam, cōfirmatamq; à Bonifacio VIII. idem Genebr. at nullus, ad probanda, quæ dixit, argumenta, aut teſtimonia attulit. Rem ego penitus explicatam non video. Platina, Conclaue in Nicol. III. creatione agnoſcit; dicens Regem Siciliæ Senatorem Cardinalium Conclaui præfuiſſe: ab illo autem non penitus diſſentit Ciacon. qui, ſui oblitus, in Martino II. duos Cardinales Vrſinæ familiæ ex Conclaui, in quo cum alij, Cardinalibus Pontificē electuri, claudebantur, extractos fuiſſe, dixit. lib. 4. pit.

Omnium Pontificum Romæ, poſt Conclauis inſtitutionem, electorum Comitia in Vaticanis ædibus habita non fuere. Hadrianus V. in Lateranenſi Palatio, (atrio ait Platina) ann. 1276. Eugenius IV. in Cœnobio apud Mineruam Conclaui cōfecto an. 1431. Nicolaus V. in eodem ad Mineruam Cœnobio, an. 1447. & prius, apud S. Sabinam Nicolaus IV. (anno 1288.) in Conclaui electi fuere. Pio II. morbo Anconæ extincto, redierant in Vrbem patres; ſed quia eorum Senatus arcem Hadriani tumulo nobilem, S. Angeli appellatam, in ſuam poteſtatem nondum redegerat: de loco Conclauis conſtruendi non idem omnes ſentiebant; pleriq; in Vaticano, ex veteri conſuetudine, quidam ad Mineruam illud conſtituendum dicebant: hos illi in ſuam traxere ſententiam, in Vaticano conſtitutum Conclaue; in eòque Petrus Barbus, vocum quattuor Cardinalium acceſſione, Eccleſiæ Paſtor creatus, Paulus II. nuncupatus eſt. Vide Cardinalem Papienſem lib. 2. Comment. initio. Onuphr. in Chron.

Poſt mortem Alexandri VI. cum Cæſar Borgia 12. armatorum militum millibus Vaticanum compleſſet, & S. Angeli arcem, malo conſilio, manuiſſet, Cardinales, Comitia, ad eligendum Pontificem habituri, ad Aedem ad Mineruam ſe contulerunt; ſed eos ſtatim Cæſariani, auſpice Michaletto Corellia, ægrotantis Borgiæ Duce, cinxerunt: Proſper Columna, à Cardinalibus miſſus, Cæſarem rogauit, vt à conſilio deſiſteret; paruit is, & cum militibus, ab Vrbe diſceſſit. Patres in Vaticano Conclaui, Franciſcum Piccolomineum Pontificem deſignarunt. Ex Platina, in Pio III. De Conclaui Auguſtinus Patritius lib. 1. ſect. 1. à cap. 1. Rituum S. R. E. 1481.

Genebrardus huic Pontifici attribuit Extrauagantem *Cum inter nonnullos* de Verb. Signif. qua damnatur error dicentium, Chriſtum, & diſcipulos nihil habuiſſe, & alteram Extrauag. *Vas electionis* a contra errores Io: de Poliaco; at Io: XXII. Extrauagantium auctor, Gallus fuit; non Luſitanus: & anno 1316. in Pontificem delectus: at Io: XX. dictus XXI. anno 1276. & erat Luſitanus.

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI SOCIETATIS IESV.

ENCYCLICAS Ioannes literas ad fideles de ſua promotione ſtatim ſcripſit; eodemque argumento ad Reges, & Principes alias dedit; quibus ipſos ad Eccleſiæ opem explicandam adhortatus eſt. Hæc enim legimus in Regeſto Pontificio ad Regem Galliarum inter alia ſcripſiſſe: *Regalem celſitudinem rogamus, & inſtanter obſecramus in Domino IESV Chriſto, quatenus prudenter attendens, quod datum eſt tibi dominium in Orbe pro nō modica parte iudicium, iuſtitiam diligas, & eam omnibus tuæ ditioni ſubiectis, non omiſſa tamen clementia, diligenter obſerues. Iis enim columnis firmiſſimis ſtabiliuntur Imperia, Regna firmantur, muniuntur Principes, & communi lætantur ſtatu pacifico Principatus. Eandem inſuper Eccleſiam matrem tuam, & præſidentes eidem, ac perſonas Eccleſiaſticas, imo tuæ ſalutis auctorem, per quem regnas, & regeris. In illo miniſtros ipſius ſolerter honora; in ijs fili chariſſime laudabiles memoriæ Prædeceſſores tuos non ſolùm imitari, ſed excedere ſtudeas; Quin etiam te ipſum virtutum ſucceſſiuis augmentis, velut de virtute in virtutem progrediens ſuperare. Illam de Nobis ſpem certam, & fiduciam habiturus, quod tuam, & Regni tui proſperitatem paterno zelantes affectu, eam, quantum cum Deo poterimus, conſeruare ſtudebimus, & facultate ſuccedente fauorabiliter promouere.* Scribit encyclicas literas. Oder. Rinald. in eo Annal.

In die Cœnæ Dominicæ, ſeu veriùs menſe Octobris, ſeptima ſcilicet illius die Carolus Siciliæ Rex ſtipendiarij Principis ob Siciliam, Apuliam, & Capuanum Principatum iure fiduciario ab Eccleſia obtenta, Ioanni Pontifici detulit officia, qui Veronenſes, & Papienſes euſdem Caroli hoſtes, Manfredi, & Corradini adhuc ſectatores cenſuris deuinxit. Philippum Galliarum Regem, ne arma, quæ vertenda in Saracenos erant, Chriſtiano cruore imbuenda eſſent, à gerendo bello in Alphonſū Caſtellæ Regē intētatis cenſuris deterrere ſtuduit. Et Simoni Cardinali, Apoſtolicæ ſedis Legato imperia dedit, vt primos belli impetus frœnare curaret, deinde legationem ad vtroſque Reges in concordiam adducendos decreuit, vt ſcribit Iordanus. *Ioannes Papa Legatos ad Reges Franciæ, & Caſtellæ fratrem Hieronymum Generalem Minorum, qui poſtea fuit Nicolaus Quartus, & fratrem Ioannem de Vercellis Magiſtrum Prædicatorum miſit, vt eos concordarent.* Brou. in eo Annal. Carolus Siciliæ Rex obſequiū Ioāni præſtat. Cenſuris cōprimere Reges tentat.

Grauioribus conciliandi vtriuſque Regis curis æſtuaſſe Ioannem probant euſdem literæ ad Legatos datæ, quibus ipſos in eos Reges,

velin

A vel in alterum, tum in exercitus vibrandi cenſuras prouinciam impoſuit, ſi aciem in prœlium educerent. *Voti*, inquit, *Noſtri, & Sacroſanctæ Matris Eccleſiæ ad id ferventis intentio vix poteſt aliquibus in hoc contentа eſſe remedijs; vix poteſt aliqua ſufficientia exiſtimare. Ideoque noua ſolerter excogitat, excogitatis adiicit, & ea in optimum effectum deducere celeri executione feſtinat.* Et infra: *Si expedire videritis, Reges eoſdem, vel eorum vtrumlibet, ac ipſorum exercitus, ſiue gentes, ne alter inuadat alterum, vel quomodolibet inter ſe congrediantur hoſtiliter, per cẽſuram Eccleſiaſticã cõpeſcatis.*

Studiũ in Terram Sanctam. Nec minus ad ſeruandam inter Chriſtianos Principes pacem, quàm ad pietatem armis inter Saracenos amplificandam nauata ab Ioanne opera eſt. Guidoni Flandriæ Comiti, qui ſe expeditioni Syriacæ obſtrinxerat, pro inſtruendo bellico apparatu decimas Flandriæ attribuit. Cenſum è Regnis Angliæ, & Hiberniæ pro Romana Eccleſia expetijt, & recepit ab Odoardo Rege Anglo. Apocriſiarios ad magnum Cham Tartarorum, qui fideles in fide confirmarent, deuios autem reducerent, miſit, eique Principi datis literis commendauit. Nuncios ad Regem Hungariæ pro ſedandis domeſticis tumultibus ire iuſſit: Principem Antiochenum libertatis Eccleſiaſticæ violatorem reprehendit. Adhibuit etiam ſtudium ad hæreſis venenatas

Hæreſes extirpare curat. radices amputandas. Extant Ioannis literæ ad Stephanum Epiſcopum Pariſienſem datæ, quibus deplorat, errores aliquot contra fidem ex illa nobili Academia emerſiſſe, è qua ante limpidiſſimi ſcientiæ fontes emanabant.

Scripſit tanquam Philoſophus, & Medicus celeberrimus.

Scripta. Summulas Logicales, quibus artis flexiones, & diuerticula extri-

Ciaconius cate procliue eſt: in lucem prodierunt cum expoſitione Verſorij Pa-

Ludou. Iacobus à S. Carolo. riſienſis. In has Summulas Commentaria ediderunt Petrus de Bruxellis, vulgo Crocatus ordinis Prædicatorum, Gerardus Liſtrius Batauus, Nicolaus Orbellus Gallus ordinis Minorum, Petrus Tatare-

Nomencl. Cardinal. tus, Matthæus de Bononia Carmelitarum Generalis, Georgius Bru- C xellenſis, Thomas Bricotus, & alij. Extant m.ss. Patauij in Bibliotheca Nicolai Triuiſani cum Commentarijs Blaſij de Parma; Cremonæ in Bibliotheca Auguſtinianorum cum Commentarijs Ioannis de Perſico, & Florentiæ in Medicea.

Scripſit etiam Parua Logicalia, quæ anno 1593. in partes, & capita diſtincta Venetijs tradita ſunt typis.

Tractatus Logicales ſex.

Problemata quædam, Ariſtotelem imitatus.

Dialecticam, quæ extat m. s. Patauij in Bibliotheca S. Ioannis in Viridario, in quã Chriſtophorus Hagendrophinus edidit Dragmata.

In Phyſiognomia Ariſtotelis, quæ inuenitur m. s. Cantabrigiæ in Bibliotheca ſancti Petri.

Commentaria in Iſaacum medicum; de Dietis vniuerſalibus, & particularibus, & de Vrinis: quæ cum operibus eiuſdem Iſaaci in lu- D cem prodierunt Lugduni apud Bartholomæum Troſt anno 1515.

Theſaurum Pauperum, ſeu de Medendis humani corporis membris, librum empiricum ex omni genere auctorum, & experientia propria congeſtum, qui typis datus eſt Lugduni anno 1525. Pariſijs autem anno 1577. cum altera parte, quam ſcripſit Ioannes Liebaultus medicus Diuionenſis.

De Medenda Podagra Tractatum.

De Oculis, & de Formatione Hominis.

Super Tegnis, & Hippocratem Gloſſas de Natura Puerorum extant m. ss. Patauij apud Canonicos Lateranenſes.

Canones Medicinæ.

Conſilium de Tuenda valetudine ad Blancam matrem S. Ludouici Regis Galliarum.

Epiſtolarum volumen in Vaticano m. s. aſſeruatum.

Sermones Prædicabiles, & alia, quæ Cremonæ in Bibliotheca Auguſtinianorum aſſeruantur. E

Ioannis mores. Ioannis mores deſcribit Ptolemæus Lucenſis his verbis: *Et quamuis in multis deficeret, hoc tamen habuit laudabile, quia cum ſummus Pontifex, & ſua dignitas eſſet ſuprema, cum inferioribus non dedignabatur conuerſari, qualiſcumque eſſet ſtatus, dummodo eſſet literatus, ſiue pauper, ſiue diues eſſet, & talibus fuit largus beneficijs, & eos amplectebatur affectu pariter, & effectu; & hoc ſolum fuit virtutis in ipſo; in alijs autem paſtoralis ſtatus multum deformabatur.* Quibus verò maculis, deſcribit Iordanus: *parum diſcretus fuit, præceps in verba, minus cautus in moribus.*

Obitus. Exceſſit è vita Ioannes infra octauam Pentecoſtes menſe Maij; vt conſtat ex Inſcriptione, quæ extat Viterbij in æde S. Laurentij in Porphyretico monumento, & eſt illa, quam refert ſupra Ciaconius.

Bernar. in Chronic. R.R. Pont. Illius mortem deſcribit idem Ptolemæus ſubiectis verbis. *Digna eſt exemplo pro inaniter glorіantibus de ſuo ſtatu, & dignitate. Tra-* F *dunt enim omnes Hiſtorici, quòd dum eſſet in camera ſolus, quam ipſe ædificauit præter Palatium Pontificale Viterbij, cum ſemel intraret dictam cameram, quod ſæpius contingebat eidem, reſpiciebat ſe ipſum, ac totus ſoluebatur riſu, quaſi glorians in ſe ipſo; & tunc ſubito camera cecidit ſuper eum, & inter ligna, & lapides colliſus, ſexto die poſt caſum expirat, ſua intentione fruſtratus, quia credebat, & ſua ſapientia confidebat, ſicut ipſe interdum dicebat, longo tempore iſta poſſe dignitate gaudere.*

Ioannes Villanus refert, mercatorem quendam Florentinum Bertum nomine, cum in mari Acconem verſus vela faceret, nocte ſom-

A no obrutum, ac repentino perculſum horrore collegiſſe ſe in pedes, atq; in triſtes voces prorupiſſe. Quibus exciti ſocij ab eo adhuc dormiente ſciſcitati, quid noui eſſet, ſubdidiſſe videre ſe hominem gigantæa mole, & colore atro columnam, cui fornix innixa erat, claua deijcere molientem, ac paulò poſt exclamaſſe, ipſam euertit, atque infelix ille moritur. Mox rogatus quis extinctus eſſet, ſubiecisse Pontificem: tum vectores notato die, ac tempore rem in commentarios redegiſſe; cumque Acconem poſtea appuliſſent, lapſo aliquo tempore, mortis Ioannis Papæ rumorem increbuiſſe, cuius tempus cum altero penitus congruebat. Subdit porrò auctor id ſe ab ijs mercatoribus, qui naui cum Berto vehebantur, eumque audierant, quique magna auctoritate, ac fide pollebant, auribus ſuis hauſiſſe, reique famam tota Florentia diſſeminatam. Nec diſſimile quid de cuiuſdam Minoritæ Viterbienſis viſo narrat Iordanus: *quidam*, inquit, *frater Minorum Viterbij in ſtrato ſuo quieſcens, ſubito fortiter exclama-* B *uit, & accurrentibus fratribus ait: niger vir grandi malleo Palatiũ Papæ percutit, orate ne corruat: tertiò verò idem cernens exclamauit, & Palatium corruit, & ipſa hora corruiſſe inuentum eſt.* Sed harum rerum fides ſit penes ſuos auctores: nouit Deus, cuius iudicia ſunt abyſſus multa, cur Vicarium ſuum in terris triſti adeo caſu elidi permiſerit. Fides tamen non eſt adhibenda Siffrido, qui huic Pontifici calumniam impoſuit, dum ſcripſit, librum hæreſibus plenum ſcribentem concuſſo ſubitò, ac euerſo ædificio oppreſſum. Satis enim Italorum auctorum ſilentio hæc refelluntur, cum nullus hoc crimen ipſi aſperſerit, quamuis eius famam in alijs carpſerint, atque obſcurarint. Nec minus arguendi ineptiarum illi, qui inter cetera opprobria, quæ in Ioannem iacere, Magum fuiſſe depingunt: quæ calum- Chriſt. Colmarien. nia ex eo naſci potuit, quòd cum ſcientijs omnibus, ac maximè Mathematicis artibus inſtructiſſimus eſſet, quædam ederet, quæ igna- Oder. Rinaldus in Annal. ris, & imperitis ſtuporem inijcerent.

C Anniuerſario Ioannis Romani Pontificis die Eccleſia Vlyſſipponenſis diuinam rem pro illius anima peragit: cuius Kalendario hæc verba adſcripta refert Antonius Brandanus in Luſitana hiſtor. *Aera 1315. xvij. kal. Iunij obijt Papa Ioannes XXI. qui dedit Capitulo Domus ſuas ad Anniuerſarium faciendum ſuum.*

CREATIO VNIVS CARDINALIS
Ioannis Papa XX. dicti XXI.



I.

ERARDVS, non de Lignerijs, vel de Leſingerijs, ſed de Leſignijs, ſeu Liſingijs, natione Gallus Lingonenſis Diœceſis, Epiſcopus Antiſiodorenſis, cum Romam veniſſet pro tuẽdis Eccleſiæ ſuę iuribus aduerſus Co- D mitem, renunciatus eſt à Ioẽ XX. dicto XXI. S. R. E. Cardinalis, atq; Epiſcopatu Prœneſtino donatus. Hic ex Decano Antiſiodorenſi menſe Aprilis an. 1272. Epiſcopus nominatus Orationem habuerat coram ſancto Ludouico Rege Francorum, vt cogerentur excommunicati ante annum abſolutionem petere. Obijt Romæ die 18. Auguſti anno 1277 cuius oſſa Antiſiodorum Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana. relata 18. Martij anno, qui conſecutus eſt, in Baſilica ſancti Stephani cum Guidonis de Melloto auunculi, & in Antiſiodorenſi Epiſco- E patu anteceſſoris ſui cineribus ſepulta ſunt. Frizonius Erardum hunc prætermiſit, at Ciaconius confundit cum Gerardo Cupalate Placentino ſucceſſore in Cardinalitia dignitate, & in ſede Prœneſtina: Ferdinandus Vghellus in Addit. ad Ciaconium, & Ioſeph Maria Suareſius Epiſcopus Vaſionenſis in antiqua Prœneſte illos diſtinguunt.

VICECANCELLARII S. R. E.
ſub Ioanne XX.

Magiſter Lanfrancus Archidiaconus Bergomenſis.

CARDINALES MORTVI
ſub Ioanne XX.

Simon Paltinerius Presbyter Cardinalis SS. Syluestri, & Martini exceſſit è vita anno 1276.

F Fr. Vicedominus de Vicedominis Placentinus ordinis Minorum Epiſcopus Cardinalis Prœneſtinus anno 1277.

Panuinius inter Cardinales mortuos ſub hoc Ioanne recenſet Ioannem Vicecomitem Placentinum Epiſcopum Cardinalem Sabinenſem, at hunc obijſſe ſub Nicolao III. dicemus infra.

CARDINALES MORTVI
in ſede Vacante Ioannis XX. dicti XXI.

Erardus de Leſignijs, ſeu Liſingijs Gallus Epiſcopus Cardinalis Prœneſtinus die 18. Auguſti, anno 1277.

NICOLAVS III. PONTIFEX CXC.

ANNO DOMINI MCCLXXVII.





DISSENſio Cardinalium in Electione.

IOANNE XX. dicto XXI. vita functo, cum Gregorij X. de Cardinalium in Conclaui recluſione Constitutio ab Hadriano V. ſuſpenſa, à Ioan. verò XXI. omnino abrogata fuiſſet, Cardinales, qui tunc ſeptem tantùm præſentes erant, à reſtrictione liberi, acriter inter ſe diſcordes in noua Pontificis electione eſſe cœperunt. Quare cum adeò inter eos cõtentiones exarſiſſent, vt non ita facile Pontificem creare poſſe viderentur Viterbienſes eis in ciuitatis prætorio recluſis, adhibito Carolo Siciliæ Rege Senatore Comitio Præfecto, tandem adegerunt, vt, Caroli Regis timore coacti, qui Pontificem quendam Gallum repoſcebat ne pro eius arbitrio Pontificem legiſſe viderentur, vij. Kalendas Decembris, die S. Catharinæ Virginis, & Martyris anno 1277. Ioanni Cardinali Vrſino nobili Romano, quem Innocentius IV. Diaconum Cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano, & Ioannes XXI. Archipresbyterum S. Petri creauerant, ſuffragati ſint. Vir morum maieſtate clarus, qui in ſancti, cuius Baſilicæ Diaconus erat, venerationem Nicolai nomen ſuſcepit.

NICOlai Electio.

CARDINALES VII. VIVI
Quando Nicolaus Papa III. creatus eſt.

PRESBYTERI CARDINALES III.
VRBANI PAPAE IV.

1. Ancherus Pantaleo, Trecenſis, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Praxedis, Prior Presbyterorum.
2. Guillelmus de Braio, Rhemenſis, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Marci.
3. Simon de Bria, Senonenſis, Gallus, Presb. Card. tt. S. Cæciliæ.

DIACONI CARDINALES IV.
INNOCENTII PAPAE IV.

4. Ioannes Caietanus Vrſinus, Diaconus Cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano, Archipresb. ſancti Petri.

VRBANI PAPAE IV.

5. Iacobus Sabellus Romanus, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Coſmedin, aliàs Schola Græca.
6. Gottifredus de Alatro, Hernicus, Diaconus Cardinalis ſancti Georgij in Velabro.
7. Matthæus Rubeus Vrſinus, Romanus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Porticu.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1277. Nicolaus Papa III. Viterbio

A diſcedens, ad Vrbem illico peruenit, & vij Kalen. Ianuarij in Baſilica Vaticana S. Petri in Presbyterum, & Epiſcopum conſecratus, ſuæ coronationis inſignia ſuſcepit per manus Iacobi Sabelli Romani S. R. E. Archidiaconi; ſedit Rodulpho Cæſare annos 2. menſ. 8. dies 29.

Nicolaus igitur III. vir præſtantiſſimus, etſi familia partium ſtudioſa, & præcipua ortus eſt, Regi tamen Carolo, & priuatim infenſus erat, quòd nuper mortuo Romæ Innocentio V. cum ad eligendum Pontificem Patres conuentiſſent, & in Conclaui ſeſe recepiſſent, ipſe Conclaui præſidens, Gallos contra Italos imprudenter fouerat, ex quo magna Italorum contraxerat odia.

Nicolai III. indignationem in Cardinalatu conceptam, in Pontificatu Rex mirum in modum auxit, nam nuptias fratris ſui filiæ cupi-

B dè à Pontifice oblatas, Rex tanquam impares ſpreuerat. Quare indignatus Pontifex, & ſimul eum maiorem, potentioremq; in dies fieri videns, vt ditioni, ac libertati Eccleſiaſticæ conſuleret, toto ſuo Pontificatu in eam vnam rem præcipuè incubuit, vt eius amplitudinem nimis elatam reprimeret. Eum primum Hetruriæ Vicariatu priuauit, quòd diceret Rodulphum Romanorum Regem id ægrè ferentem, non aliter ſacram expeditionem inchoaturum, cum Hetruria Cæſareæ iuriſdictionis eſſet; deinde ei Senatoriatus munus, quod detinuerat, eripuit, lege edita, qua cauebatur, ne Imperatori, Regi, Principi, Duci, Marchioni, Comiti, nèue fratris filio, aut nepoti ipſorum, aut alicui quauis polleret poteſtate, aut honore, Senatoriam dignitatem, aut alium Magiſtratum Romæ petere, vel obire liceret; Qui ve-

NICOlaus Carolo Regi indignatur.

HETRVriæ Vicariatu Senatoriaque dignitate eundem priuat.

C rò ad id munus vocaretur, id vltra annum non obtineret ſine publicis ſedis Apoſtolicæ literis. Hac ratione Carolo Rege priuato, ſeipſum Pontifex Senatorem perpetuum conſtituit, & in ſui locum Proſenatores duos creauit Ioannem Columnam, & Pandulphum Sabellum, Romanam Rempublicam conſtituit; multas leges edidit, Sororis filium fratrem Latinum ordinis Prædicatorum Epiſcopum Cardinalem Oſtienſem renunciauit, virum præcipuæ auctoritatis, reſtitutis vbique Ghibellinis, Florentiæ, atque in cæteris Hetruriæ ciuitatibus, magiſtratus pro animi arbitrio creauit, & ipſorum Reſpublicas nouis edictis pronunciatis conſtituit, pacauitque, & in Romani Pontificis verba iurare iuſſit; in Tuſcia Imperij iura repetijt; ciuitates, perſoluta grandi pecuniæ ſumma, libertatē à Papa ſunt conſequutæ.

SEIPSVM Senatorē conſtituit.

IOANnem Columnam, & Pandulphum Sabellum Proſenatores conſtituit.

RODVLphus Rauennatem Exarchatū Rō. Eccl. reſtituit.

D Cum Rodulphus Romanorum Rex Gregorio X. in Italiam è Cõcilio Lugdunenſi redeunti ſe redditurum promiſiſſet Exarchatum Rauennatem, Flaminiam, & Aemiliam Prouincias, quas Imperatores de Eccleſia Romana ereptas diù poſſederant, Nicolaus Pontifex id per Legatos à Rege repetijt. Rodulphus, miſſo Oratore, in publico illas conſiſtorio Romanæ Eccleſiæ reſtituit. Quam rem vniuerſi Germaniæ Principes probarunt, Diplomatibuſque firmarunt. Eius reſtitutionis Bullæ, & priuilegia in ſecretiori Vaticana Bibliotheca deſcripta extant. Tot Prouincijs ditione Eccleſiæ aucta, Põtifex duos de familia ſua Reges creare decreuerat, quorum alterum Hetruriæ, alterum Longobardiæ præficeret. Qui inde Germanos partem Alpium incolentes, hinc Gallos Siciliam, & Regnum Neapolitanum

tenentes armis in officio continerent. Quod vt et facere facilius poteſtas eſſet, Caroli Regis vires ſibi nimium ſuſpectas, quem conatibus ſuis refragaturum exiſtimabat, magis contundere propoſuit. Palæologum igitur Imperatorem Conſtantinopolitanum à Carolo vexatum tuendum ſuſcepit, & opera Ioãnis Procitæ Petro Aragonum Regi perſuaſit, vt iure hæreditario Conſtantiæ vxoris ſuæ, quæ Regis Manfredi filia fuerat, inſulam Siciliam Carolo adimeret. Fuit verò is Pontifex magni animi, atque conſilij vir, & caſtiſſima vita integer, vt Italica lingua, *Compoſitus*, vulgò diceretur, & virgo à pleriſq; creditus ſit. Amator, & cultor doctorum hominum, & eorum maximè, qui doctrinæ pietatem, & prudentiam adiunxiſſent, in partiendis honoribus, & præſertim Cardinalatu neque ordinem, neque perſonam reſpexit, ſed præclaros viros ea dignitate exornauit.

NICOLAUS Imperatorem Conſtantinopolit. tuetur.

Nemo maiori, quàm Nicolaus Papa pietate ſacrum facere viſus eſt, nam ſæpe Sacrificij medio lacrymas fundere ſolebat, erat autem religionis obſeruantiſſimus, ordinis Minorum, cuius ante Pontificatum Protector fuerat, amator, vt ipſe Bulla, ſiue Epiſtola Decretali, qua ipſius ordinis Regulæ ambigua quædam declarauit, quæ in iure [a] habetur, duos præterea ex eo cætu Cardinales legit, & multos in Epiſcopos aſſumpſit. Vacantibus Eccleſijs maturè, & rectè conſuluit, eas enim ſtatim optimo cuique commendare ſolebat, cuius antea mores, & doctrinam accurate introſpexiſſet. Notariorum, & Tabellionum multitudinem, tanquam pauperum litigantium ſanguine viuentium, Gregorium X. & Ioannem XXI. imitatus, vt terrum virus, à ſe reiecit. Multa demùm conſtituit ad Clerum, populúq; Chriſtiani commodũ, & vtilitatem pertinentia, vt in ſexto Decretalũ [b] apparet. Aedificandi ſtudio incenſus, Baſilicam Conſtantinianam renouare aggreſſus eſt, cuius reparationem Hadrianus V. inchoauerat, auxit, & exornauit. Sacellum S. Laurentij, quod dicitur Sancta Sanctorum, in porticu Lateranenſi à fundamentis dirutum totum refecit, & opere vermiculato, atque picturis exornauit, & marmoreis tabulis texit, ac in eo æneis armarijs ab Innocentio Tertio factis, capita Apoſtolorum Petri, & Pauli argenteis thecis incluſa ſub altari, quo ſancti Saluatoris acheropita imago ſuperſtat, cum multis alijs Reliquijs ſollemni totius populi Romani ſupplicatione recondidit. Quo die, qui fuit pridie nonas Iunij, eandem Baſilicam dedicauit. Abſoluit Senenſes, & alios Longobardos à cenſuris, quas ob Chunradini ſtudium incurrerant. Totum Imperium cum conſenſu Rodulphi Regis Romanorum in quattuor partes diſtribuit, Germaniam, quam hæreditario iure, Rodulpho tribuendam cenſuerat: Regnum Arelatenſe, quod dotis nomine tradere conſtituerat filio Rodulphi Cæſaris, Regi Carolo inimico adimere volebat. In Italia Longobardiam, & Hetruriam diſtinxerat, quas Prouincias Regijs titulis fratris filijs tradere tentabat. Eius tamen conatus mors intercepit.

a Clem. exiui. de Verb. ſign. lib. 6.

b Cap. cupientes, de electione c. cõtigit. de iure iurando.

NICOLAI res geſtæ.

Veronenſes, & alios Lombardos, quod Chunradino adhæſiſſent, excommunicauit, quos ſub conditionibus abſoluit. Fuit amoris propinquorum tenax, qui opibus, diuitijs, & clientelis aucti caſtellis, auro, & argẽto, & rebus omnibus abundantes gradum ſibi ad ſequentium temporum euentum parabant. Arcem ſancti Angeli, Eccleſia excepta, Vrſo fratris filio donauit.

Literas Michaelis Andronici Imperatoris Conſtantinopolitani, Ioannis Patriarchæ, & ſynodi ab eis coactæ, cum quadam confeſſione, quam Ioanni XXI. fuerat promiſſa, ſuſcepit, rectæ fidei ſummam continentes, quas retulerunt Nuncij Apoſtolici, Fr. Ioannes Aſculanus, Fr. Raymundus Berengarius, & Fr. Bonagratia de S. Ioanne. Quibus fidem orthodoxam, quam Catholica Romana ſedes docet, & Romanum Pontificem, Chriſti Vicarium profeſſi ſunt.

NICOLAI reliquæ res geſtæ.

Legatos pro pace inter Reges Francorum, & Caſtellæ confirmanda miſit Gerardum Baſilicæ Apoſtolorum, fratrem Hieronymum titulo Paſtoris, Presbyterum Cardinalẽ, & fratrem Petrum de Parma electum Hieroſolymitanum Patriarcham tunc Prædicatorum Magiſtrum.

Philippum Firmanum Epiſcopum, ſuum in Vrbe Vicarium in Septentrionem miſit; ex cuius auctoritate Ladiſlaus Hungariæ Rex in Romani Pontificis verba iurauit, promiſitque ſe Hæreticos cunctos Regno ſuo pulſurum, & Camaros ad fidem Catholicam ſeruandam impulſurum.

Palatium Vaticanum anguſtum, ac vetuſtate collabens, amplificatum reſtituit, cubiculis, pro Aulæ miniſterijs, ſacris & profanis additis: viridarium Pontificium, nemore, vineis, arboribus, pomario, & fonte aquarum auxit: quod & muro, ad inſtar Vrbis, cinxit. Baſilicam S. Petri temporis iniuria deformem, & inclinantem renouauit, pictura Romanorum Pontificum in zophoris exornauit. Quod & in Baſilica S. Pauli præſtitit. Diuinum cultum in eadem Baſilica Vaticana mirum in modum auxit; Canonicorum numero decenario ad xxx. amplificato, Ordines eius Eccleſiæ diſtribuit, & quid ad ſingulos ſpectaret, oſtendit; habitationem vnicuique aſſignauit: moribus, doctrinaque probatos Baſilicæ præeſſe miniſtros, iuſſit.

Roma, à 60. retro annis, ideſt ab Honorio III. qui Romæ natus eſt, nullum ciuem ſuum vſque ad Nicolaum III. Pontificem Romanum viderat. Qui intempeſtiuè, & immaturè, nondum triennio in Pontificatu exacto, ſublatus eſt.

OBITVS Nicol. III. *

Anno Dominicæ Natiuitatis 1280. æſtiuo tempore, Surianum *, ſeptimo à Viterbio lapide, vicum, Cœli clementia, & aquarũ amœnitate celebrem, vitandi caloris gratia Pontifex petere ſolebat, quo cum tertio Pontificatus anno animi cauſſa acceſſiſſet, vir alióqui ſobrius, & vini cibique parciſſimus, apoplexia tactus xj. Kalend. Septembris vita exceſſit, ann. Chriſti 1280. cuius mortem Tiberim in immenſum auctum, & Vrbem inundantem indicaſſe, ferunt, qui ſimiles calamitates præſagire ſolet. Corpus Romam delatum in Sacello ſancti Nicolai ædis Vaticanæ, ab ipſo Pontifice, eidem dicato, tumulo marmoreo emblematibus ornato, ſepelitur. Vacauit ſedes menſes 6.

Quo anno Carolus Rex beatę Mariæ Magdalenæ corpus, iam antea à B. Maximino conditum, inuentum, ornatiore ſepulchro, & ſacello collocauit, caputque ſeorſum argentea theca concluſit.


S. MARIAE Magd. corpus inuentum.

Qui Pontificis obitu in Hetruria cognito admodum gauiſus eſt, non quod adhuc clandeſtina contra ſe Pontificis opera, agitata conſilio cognouiſſet, ſed quia eum cunctis conatibus ſuis aduerſari, expertus fuerat, prætermittendam ideò Conſtantinopolitanam expeditionem cenſuit, concito igitur gradu Viterbium accedens, vt Pontificem ſibi amicum eligi procuraret, Collegium graui diſſenſione laborans inuenit.

Floruit in Pontificatu Nicolai III. Guillelmus Durandi Epiſcopus Mimatenſis, Speculator cognominatus, ordinis Prædicatorum.

Obijt ſub eodem anno 1280. quo & Nicolaus III. deceſſit, Albertus Magnus, ordinis Prædicatorum, quondam Epiſcopus Ratiſponenſis, xvij. Kal. Decembris, Coloniæ in Conuentu Prædicatorum, vbi & ſepultus, ætatis 86. annorum, ſex annis poſt migrationem S. Thomæ diſcipuli eius, multis miraculis clarus.

ALBERTI Magni Obitus.

Signum 

Nicolai PP. III.

ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

¶ *Conſtitutio ..... abrogata.*] cum Nicolaus III. Pontifex creatus fuit, Siciliæ Regem, qui erat Vrbis Senator, Conclaui præfuiſſe, ait Platina, in Nicolao III. in Martino autem II. Richardum Hannibaldenſem in Conclaue irrupiſſe: Ciaconius ipſe, in eodem Martino, duos Cardinales Vrſinos è Conclaui extractos fuiſſe, & in Nicolao Carolum Conclaui præſediſſe docuit. Si hæc vera ſunt, lex Conclauis Gregor. X. vim ſuam retinebat, niſi quis dicat, non eodem prorſus modo, quem Gregorij lex ſtatuerat, Conclaue tunc clauſum, & cuſtoditum fuiſſe.

* *Cardinales, qui tunc ſeptem.*] Panuinius in Chron. à ſex Cardinalibus Nicolaum III. electum ſcribit.

* *Ioannis Cardinali Vrſino.*] Matthæum Rubeum Vrſinum mutua ſingulari beneuolentia S. Franciſcus Minorum Patriarcha proſequebatur: Ioannem illius filium infantulum vlnis exceptum cum anno 1222. benedictione cumulaſſet, Matthæum alloquens genitorem, infantulum Minorum Protectorem, Romanumque Pontificem futurum, vaticinatus eſt. De qua re Vvaddingus, tom. 1. Ann. Min. ad ann. 1222. nu. 3. Vidit Matthæus filium Cardinalem, Minorum Protectorem, & Romanum Antiſtitem.

* *Vir morum maieſtate clarus.*] Magni animi, & conſilij vir, moribus, & vita integer, amator, & cultor doctorum virorum, & eorum præcipuè, qui doctrinam cum prudentia, & religione coniunxiſſent, dicitur à Platina, ob vitæ integritatem vulgò dictus *Compoſitus*. Platina, Genebrard. lib. 4. Vvadding. tom. 2. An. Minor. & his antiquior, Aegidius Cardinalis Viterbienſis, in m. s. xx. Seculorum Hiſtoria, qui breui elogio, quod ſubijcio, Pontificem clariſſimum extulit. *Pacatis* (Nicolaus III.) *mira felicitate omnia, ad pacem Senatum ducens. colligit doctos vndique magno ſtudio, fouet, atque ornat; auget Senatum, ex omni ordine clariſſimis quibuſque dum ſacra faciebat, nunquam ceſſabat a lacrymis; pietatis, religioniſque obſeruantiſſimus*, paulò poſt pacis cuſtodem eum nuncupauit. *Cædes Gallorum in Sicilia facta, (Veſperas Siculas vulgò dicunt) turbari in Italia omnia, Nicolao extincto cuſtode pacis.*

to eius vita. loc. cit. pag. 171.

* *Sæpe ..... lacrymas fundere.*] *Nunquam ſacrificabat, quin lacrymas funderet.* Genebr. lib. 4 ex Platina, *Dum ſacra faciebat, nunquam ceſſabat à lacrymis* Card. Aegid. loc. cit.

* *Regula ambigua declarauit.*] Anno 2. Pontific. xviij. kalendas Septemb. Nicolaus, cum intellexiſſet, S. Franciſci Regulam quorundam morſibus peti, in Suriani * receſſu per duos ferè menſes, alijs curis ſepoſitus, illius explicationi diligentem operam nauauit, condiditque grauem illam, præclaramque conſtitutionem. *Exijt qui ſeminat, &c.* Vide Emanuelem Rodericum p. 1. Collectionis Priuilegiorum Apoſtolicorum Regularibus conceſſorum. Excellentium virorum opera, in ea re, vti voluit Nicolaus, Beneuengæ Epiſcopi Cardinalis

* Zurianum, alij legũt, alij Siranum. De verb. ſignif. in 6

dinalis Albani, Hieronymi Aſculani Presbyteri Cardinalis S. Pudentianæ, Petri Peregroſſi Vicecancell. Cluſiani de Caſate Auditoris ſacri Palatij, Benedicti Caietani Protonot. Apoſtolici, Bonægratię Miniſtri generalis Minorum, & Angeli cuiuſdam, celebris in Rom. Curia Iureconſulti, tres priores, progreſſu temporis, Purpura claruerunt, & Benedictus deinde etiam ſupremi Pontificatus thiara. Huius rei teſtem afferre poſſum Vvaddingum loc. cit.

Contemne mendaces Pleſſæi nugas, dicentis, Nicolaum præcepiſſe, vt Minorum Regula publicè legeretur in Scholis: non iuſſit Pontifex, vt Franciſcana Regula in Academijs explicaretur; ſed vt ſua illa Conſtitutio *Exijt*, &c. ſicut cæteræ Conſtitutiones, & Decretales Epiſtolæ, legeretur; ea autem explicat, confirmat, approbatque Regulam Minorum. Vide Conſtitutionem ipſam, & Gretſerum cap. 55. Exam. Myſt. Pleſſæani.

De hac Nicolai III. Conſtitutione, *Exiit qui ſeminat*. Et altera Ioannis XXII. in ſuis Extrauagantibus. Vide Ioãnem de Turrecremata lib. 2. Summæ cap. 112. & Cardinalem Bellarmin. lib. 4. de Romano Pontifice c. 14. quo in loco Conſtitutionem Nicolai III. Nicolao IV. tribuit, vt nonnulli alij, & tres perpendit quæſtiones.

* *Legatos .... miſit .... Hieronymum, tit. Paſtoris.*] Hic nondum Cardinalis, anno 5. Pontific. Legatus fuit ad pacandos Francorum, & Caſtellæ Reges: reuerſus Purpuræ decus accepit.

* *Petrum de Parma.*] Non fuit Petrus miſſus, cum Hieronymo Aſculano; ſed Ioannes Vercellenſis: non ille, ſed hic Magiſter generalis Prædicator. erat. Vide, quæ diximus paulò ante, ex Vvaddingo.

Eodem anno 1. Pontificatus, quinque viros prudentes ex Minorum ordine ad Coblam Tartarorum Imperatorem iam fidelem, & literas miſit; quarum initium eſt. *Plaſmator hominis* Dat. 2. non. & ad Abaga Regem Tartarorum Kal. Aprilis. *Exultauit, & exultat &c.* ann. 1278. eas ex Vaticana deſumptas videre poteris apud eundem Vvaddingum. De Cobla baptiſmo initiato Geneb. ad Clem. IV.

Anno eodem, etiam ad Palæologum literas dedit, eum ad pacem cum Siciliæ Rege ineundam cohortans: vnde non malè colliges, Mornæum inſulſè garrientem inſigne mendacium protuliſſe, cum ſcripſit, Nicolaum, quem pacis cuſtodem à Cardinali Aegidio appellatum oſtendit, Veſperas Siculas Arragonum Regi Petro ſuaſiſſe.

* *Surianum.*] Apud Zurianum, vel Sirianum, ſiuè Surianum montem tria à Nicolao III. ædificia conſtructa, narrat Cardinalis Viterbienſis Aegidius, doctrina, & eloquentia celeberrimus. *In Zuriani monte tria extruit ædificia, Caſtellum, quod, Montis nemine, Zurianum vocauit: Arcem, quam munitiſſimam reddidit: Aedem, quam in ſaxo D. Auguſtini ſpelunca ſubiecit, & inter gelidos fonticulos viuens coluit, Eremitarum poſt mortem eſſe, voluit.*

In hiſt. 20. ſecul.

Petrus ab Altaemps Galleſij Dux, Surianum, Nicolai III. præſentia, & meditationibus illuſtratum, Marchionis titulo decoratus, poſſidet Romæ autem in amplis Aedibus Sacellum ſacris Lipſanis, & ornamentis nobile, Bibliothecamque Ioannis Angeli patris diligentia, & pecunijs comparatam, regio aſpectu digniſſimam.

Idem Nicolaus in Vaticano Aedes, in vſum Pœnitentiariorum ædificauit, vbi vno omnes cancello claudebantur. Ptolem. Lucenſis hiſtor. Schol. m. s. lib. 23. cap. 28.

Cum Iudæorum perfidiam Diuina miſericordia non repellat, pro illorum ſalute excubabat Nicolaus, iuſſitque vt eorum conuerſioni ordinis Prædicatorum Concionatores vacarẽt. Vide literas *Vineam Soreth.* Dat. Viterbij ann. 1. ij. non. Aug. tom. 1. Bull.

Contra Catharos, Patarenos, alioſque Hæreticos, propagandæ fidei ſtudioſiſſimus, Conſtitutionem edidit. *Nouerit.* Dat. apud Vrbemveterem ann. 3. Pontif. 5. xj. Martij eod. tom. Bullarij.

Multa in Franciſcanæ familiæ fratres beneficia Nicolaus effudit. Id S. Franciſcus, cum is eſſet infantulus, prædixit, inquiens. *Multa contemplor bona noſtra in infantulo, & in paruulis manibus magna nobis recondita beneficia.* Multa recenſet Vvaddingus: qua beneuolentia ordinem Minorum vniuerſum Nicolaus proſequeretur, non obſcurè oſtendit; cum illi Matthæum ſanctæ MARIAE in Porticu Diaconum Cardinalem Protectorem præfecit, ea verba vſurpans. *Damus tibi melius, quod habemus, damus tibi cordis Noſtri deſiderium, pupillam oculorum Noſtrorum.* Hæc Philippus de Peruſio, Epiſtola ad Miniſtrum generalem Contaluum, exſcriptam ab Vvaddingo, fleuit deinde Pontifex: audi Philippum. *Tanta cum ijs verbis eliquata eſt amoris dulcedo à corde Pontificis, tanta ab oculis lacrymarum abundantia profluxit, tantus ſingultuum impetus proſiluit à pectore, me teſte, qua narro; et quaſi interciſo anhelitu, non ſolum loqui non poſſet, ſed nec tanti viri maturitas ab eiulatu vocem potuerit refrænare: vnde factum eſt; vt omnes, qui aderant, laxatis lacrymarum riuulis, cum flente flerent, eiularent cum eiulante.*

Vvadd. to. 1. A. M.

tom. 2.

tom. 1. an. 1257. n. 6.

Patet Nicolai ex tertio D. Franciſci ordine eſſe, voluit: hac re non mediocriter filius Pontifex gloriabatur. Philippus de Peruſio loc. cit.

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI SOCIETATIS IESV.

Panuinius de Rom. Pont. Ioannes Caietanus.

CVm vacaſſet Romana ſedes non quatuor dies, vt ſcripſit Ciaconius, neq; ſeptem, vt Panuinius, ſed ſex dies ſupra ſex menſes, in Pontificem Romanum Viterbij electus eſt Nicolaus III. antea Ioannes Caietanus dictus, qui Romæ nobiliſſimis natalibus, familia videlicet Vrſina ortus, ætate iam adultiore in Eboracenſi, Sueſſionenſi, & Laudunenſi Eccleſijs ſacerdotia geſſit, atque in Vrbe SS. Laurentij & Damaſi, ac S. Chryſogoni Eccleſias adminiſtrauit. Ab Innocentio IV. Diaconus Cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano renunciatus, ab Hadriano item IV. vnà cum Epiſcopo Sabinenſi, & Iacobo S. Mariæ in Coſmedin Diacono Cardinali miſſus Viterbiũ, vt cum Carolo Siciliæ Rege controuerſias grauiſſimas illum inter, & Rodulphum Regẽ Romanorũ conciliaret: deinde à Ioanne XX. dicto XXI. Archipresbyteratu in Baſilica Principis Apoſtolorum donatus eſt. Emicabant in eo iam futuræ magnitudinis, atque ingentium virtutum ſigna, ob quæ hoc elogio idem Ioannes illum in Diplomate Pontificio exornauit. *Attendentes nobilem non incognitam mundo tuæ magnitudinem bonitatis, quæ à teneris annis de virtutum creſcentium meritis continua famæ incrementa ſuſcepit; quodque dator bonorum omnium te illius circumſpectionis eminentia inſignauit, quod noueris recenſere præterita, præſentia prudenter diſponere, ac futura conſultius prouidere. Et propter hæc confidenter omni cura ipſius Baſilicæ, quæ tuo noſcitur indigere regimine, cum omnibus iuriſdictionibus, iuribus, & pertinentijs ſuis, quod nuper in eadem Baſilica per obitum bonæ memoriæ S. Angeli Diaconi Cardinalis vacauit, tibi conferimus, & prouidemus, &c.* Eo munere affectus, ad redintegrandum in ea Baſilica rei ſacræ ſplendorem, ac perpoliendos ſanctioribus inſtitutis Canonicorum mores, nonnullas leges edidit, quas poſtea ſuſcepto Pontificatu auxit.

Quę ſacerdotia geſſit.

Odoricus Rinaldus in Annal.

Commendatur laudibus à Ioanne Rom. Pontifice.

Hier. Gambert.

Leges condidit pro Canonicis Baſilicæ Vaticanæ.

Vt Apoſtolicum ſolium aſcendit Nicolaus, Carolum Siciliæ Regem de ſua electione certiorem fecit; alijſque Rodulphum Imperatorem hortatus eſt ad pacem: Philippum Gallorum Regem monuit, ne Gallorum arma expugnandis Sarracenis conſecrata, in Alphõſum Caſtellæ Regem, Catholicum Principem conuerteret, ac ſuis literis ipſi Alphonſo ſuaſit, vt ad pacem cum Philippo contrahendam facilem ſe præberet, bellique cauſas remoueret; quæ omnia geſta à Nicolao fuere antequam Pontificales infulas ſolemni ritu acciperet.

Scribit ad Reges.

Apoſtolica tiara Romæ redimitus Nicolaus, ſtatim encyclicas literas ad Chriſtiani Orbis Præſules, atque ad Reges, & Principes Chriſtianos Prædeceſſorum more, atque inſtituto ſcripſit. Michaël Palæologus Græcorũ Imperator acceptis Nicolai III. literis, vt paribus cum illo certaret officijs humanitatis, & obſeruantiæ ſingularis, notis illuſtres nouo Pontifici epiſtolas dedit, quibus ſibi Apoſtolicam opem ad Imperium egregiè moderandum eſt precatus. Inſignes etiam ſunt Ioannis Becci Patriarchæ Græcorum Catholici literæ, quibus Nicolao ſedis Apoſtolicæ faſtigium conſcendiſſe eſt gratulatus. Statim animum adiecit ad Caſtrum in monte Zuriano tunc temporis Viterbienſis Comitatus, ac Diœceſis, quod nunc alio nomine Surianum dicitur, reſtaurandum, & arcem munitiſſimam extruendam, quam nepotibus ſuis conceſſit, atque ibidem in honorem ſanctiſſimæ Trinitatis ædem erexit.

Encyclicas literas orbis Epiſcopis ſcribit.

Petr. Coretin. Chronic. Epiſcop. Viterb.

Vt autem optata in Republica Chriſtiana pace tandem aliquando fideles fruerentur, cum à diuina manu excipienda illa eſſet, cenſuit Nicolaus Romanus Pontifex toto Orbe Chriſtiano publicas indicandas preces, atq; orantibus ſacras ex ritu Eccleſiaſtico indulgentias proponendas, vt cœleſte numen Regum animos ad concordiam inclinaret, eoque pacto contra Soldanum Babilonis, qui in ruinam Chriſtianorum res Orientalium proſternere minabatur, expeditio comparari poſſet.

Indicit publicas preces pro pace. Oder. Rainaldus, & Bzou. in Annal.

Scripſit Nicolaus de Electione dignitatum librum, & Regeſti eius duo volumina in Vaticano m. ss. aſſeruantur.

Scripta. Lu. ſer. Iacob. a S. Carol. in Bibl. Pont.

Subita apoplexia proſtratus exceſſit è vita Nicolaus die 23. Aug. nõ Sutrij, ſed in oppido Suriano prope Viterbiũ, eò enim ad declinãdos æſtiuos ardores ſe receperat. Vir fuit, vt dictũ eſt ſupra Nicolaus puriſſimis moribus, atq; ab omni libidinis labe immunis, in arduis rebus tentandis magnanimitate, in tractandis experientia, atque in perficiendis dexteritate magnam conſecutus eſt laudem: in ſuos tamen nimio propenſum amore, & congerendis in eos opibus ſtudioſiſſimum ſe præbuit. Explodendi verò ſunt mendaciſſimi Nouatores, qui luxuriæ maculam ipſi aſpergere nituntur: non enim maculas, ſi ijs infectum agnouiſſent, diſſimulaſſent ſcriptores illi, qui Nicolaum nimio in ſuos amore propenſum prædicant. Aberrant etiam illi, vt ex Nicolai literis ad Palæologum datis, quas reſcripſit in ſecundo tomo Annalium Minorum Lucas Vvaddingus, planè conſtat, qui vel Græcorum, vel Germanorum Imperatorem in Carolum Siciliæ Regem concitare voluiſſe Nicolaum, temere ſcribunt. Etenim omne ſtudium contulit ſuum ad omnes ab armis reuocandos, atque inter eos pacis fœdera ſtabilienda: potuiſſet Nicolaus, ſi quemadmodum impoſtores fingunt, odio Caroli flagraſſet, Rodulphum ſponte in arma ruentem acriùs impellere in vindictam eius, quam mentiuntur, iniuriæ, & in occaſiones, quas comminiſcuntur, captandas familiæ ditandæ, atque amplandæ. Verùm non is Nicolao animus fuit, vt vel malum malo rependeret, vel in ordinem eum redigere cuperet, vt potius Rodulpho imperauerit, ne in Italiam penetraret, nèue exercitum præmitteret, antequam cum Carolo ei bene conueniſſet.

Obitus. Ricordan. Malesp. in Hiſtor. S. Antoninus. Io. Vallan.

Luc. Vvaddingus in Annal. Minorum.

Hier. Gambert.

Diſtes Cant. 19. de Inferno.

Nicolai memoriam Baſilicæ Vaticanæ Clerus his verbis extare apud ſe voluit. *Decimo Kalendas Septembris anno Domini 1280. obijt ſanctiſſimæ memoriæ Dñus Nicolaus Papa Tertius, natione Romanus de domo Vrſinorum, qui in Baſilica Noſtra Beneficiatos triginta inſtituit, & in eadem ad honorem S. Nicolai altare erigi*

Monumentum in codice Capituli Vaticani poſitum in ſacristia, & Romana.

fecit,

fecit, quod proprijs manibus cõſecrauit, iuxta quod ſepulturam ſuam elegit: cui altari Crucem cum pede argenteo, duo candelabra argentea, duo baſilica argentea, duo vaſcula argentea, vnum thuribulum de argento, & duos calices argenteos deauratos, vnam nauiculam argenteam cum cocleari, quæ omnia ponderant viginti octo marchas, & ſeptem vncias de argento; nec non indumenta ſerica ad eiuſdem altaris culturam de eius pecunia propria, & alia pecunia ipſius cura, & ſollicitudine acquiſita noſtra Baſilica duo Caſtra ſcilicet Caſtrum Petruſci, & Caſtrum ſancti Nicolai, quod dicitur Burgus.

Bzouius to. 13. Annal. Eccl.

Itẽ tria Caſalia, quæ fuerunt Io: Sanſonis, quæ dicuntur Quintia.

Item aliud Caſale, quod dicitur Silce.

Item hortos Trionum, & alia petia terræ, quæ fuerunt Domini Petri Surdi in Prates.

Item contulit vnum Tabernaculum argenteum cum pyxide aurea ad ſeruandum Corpus Chriſti.

Item mitram vnam lapidibus ornatam.

Item annulũ Pontificalẽ aureũ, & ſandalia cũ caligis de xamito.

Item canolum argenteum ad obſeruandũ Corpus Chriſti à ſummo Pontifice. habuit etiã Baſilica ab eo candelabra maiora argẽtea duo.

Item bacilia duo argentea.

Item vnam caſſulam argenteam ad tenendas hoſtias, & alia quamplurima idem ſanctiſſimus Pater, & Pontifex noſtra Baſilica prompta liberalitate donauit. Hic conſtituit, vt præter vigilias, & Miſſas, quæ pro eius anima in eodem altari ſancti Nicolai quotidie ſecundum ſtatuta celebrantur, in die obitus ſui fieret anniuerſariũ pro ipſo, in quo expenderentur decẽ libræ, & fierẽt nouẽ lectiones.

M S. Bibl. Vaticanæ.

Falſum igitur eſt, & à veritate prorſus alienum, quod ſcripſere nonnulli, nempe Nicolaum omnia ſanguine iunctis conceſſiſſe: nam ſoli Baſilicæ Vaticanæ in numerata pecunia ſummam ſcutorum quinquaginta millium dono dedit: munus illo tempore ingens, quo res Eccleſiæ Romanæ anguſtiores erant.

Bzouius ibidem.

Ex Oratorio quod ipſemet in honorem S. Nicolai erexerat, corpus Nicolai nouo monumento illatum fuiſſe in Martyrologio Baſilicæ Vaticanæ legitur his verbis

Decimo ſeptimo Kal. Iun.

Eodem die facta tranſlatio Corporis ſanctæ memoriæ D. Nicolai Papæ Tertij in monumento nouo.

Obitus B. Sitæ. Cõcilium Tarraconenſe.

Sedente Nicolao in Petri Cathedra ad ſuperos euolauit ex Bzouio anno reparatæ ſalutis 1278. beata Sita Virgo, Etruſca, ſanctitate illuſtris: & habitum eſt Concilium Tarraconenſe in Aragonia pro Canonizatione Raymundi Pegnafortij.

PRIMA CREATIO CARDINALIVM Nicolai Papæ III.

Anno Dominicæ Incarnationis 1278. *Pontificatus I.* ex Ciaconio autem tertio, ex Panuinio verò quarto Idibus Martij Romæ Nicolaus huius nominis Tertius nouem creauit Cardinales, qui fuerũt.

I.



MAG. FR. LATINVS Frangipanis, vel Malabranca, quem Ioannes Villanus Brancaleonum familia ſatum dicit, Romanus, Nicolai III. ſummi Pontificis ex ſorore nepos, cum Lutetiæ iuri Pontificio operam dediſſet, iamque Doctoratus inſignia ſuſcepiſſet, ordinem Prædicatorum ingreſſus, Magiſter primò in Theologia, mox Prior S. Sabinæ de Vrbe, deinde Definitor Capituli Prouincialis Vrbeuetani, demum ab auunculo ſuo Nicolao III. Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus creatus, ac generalis Inquiſitoris munere decoratus eſt. Virum hunc doctrina, & vitæ puritate præſtantem cum Iacobo Columna Cardinali Nicolaus III. abſens Vrbis Rectorem primò, mox Bononiæ, ac Romandiolæ Legatum nominauit, vt Aemiliæ poſſeſſionem, ſedis Apoſtolicæ nomine iniret, addito ei præſidij loco Bertoldo Vrſino, vt armis eam Prouinciam in officio contineret. Hic cum concionator eximius eſſet, maximaque polleret facundia, à Nicolao ſedis Apoſtolicę Legatus miſſus fuit in Tuſciam ad Florentinos, vt pacem inter Guelphos, & Ghibellinos componeret. Is cum primùm ad Florentinos acceſſiſſet, & auctoritate Pontificia cum priuatim, tum publicè, concione in foro publico aduocata egiſſet, tandem Ciuitati pacem reſtituit, formam Reipublicæ adminiſtrandę ad publicam quietem firmauit, ac matrimonijs eos inuicem deuinxit. Magiſtratum ex octo Guelphis, & ſex Ghibellinis vrbi illi præpoſuit, & duobus menſibus illorum auctoritatem præſcripſit; refractarios compeſcuit, obſequentibus Romanæ ſedi benignitatis radios exeruit, hæreſes graſſantes eradicauit. In eos, qui quæſitores fidei iniurijs Parmæ affecerant, ex diſciplina Eccleſiaſtica animaduertit, bona Eccleſiæ Romanæ à malæ fidei poſſeſſoribus eripuit, ac ſedi Apoſtolicæ vindicauit, dignitatem, atque auctoritatem Romani Pontificis conſtanter aduerſus plurimos aſſeruit. His, & ſimilibus prudenter, ſanctiſſimèque geſtis ad Vrbem redijt.

Ciaconius. Hippol. Marrac. in Purp. Mar. Ambr. Senenſ. in eius Bibl. Prædicator. Oder. Rinaldus.

Poſt Nicolai III. obitum, cum ſummus Cleri ordo nouum Pontificem ſuffragio electurus, Viterbium coleret, ac præeſſet Concilio, ſeu Conclaui titulo Cuſtodis Richardus ex Hannibalium familia, qui Vrſinis infenſus, Vrſum Pontificis defuncti pernecceſſarium, Viterbij Prætorem Magiſtratu deiecerat. Quare huiuſmodi contumelia duo Vrſinæ gentis Cardinales Latinus, ac Iordanus, qui Concilio interant, palam ſi ennere, teſtantque ſe non paſſuros nouum Pontificem, niſi honor per iniuriam Vrſo ademptus, priùs reſtitueretur. Hanc ſeditionis anſã Viterbienſ. adepti, Richardi impulſu Conclaue irruperunt, & duos Vrſinæ gentis Cardinales in carcerẽ detruſerũt.

Præter nobilitatem, & doctrinam ſingularem ſummo ingenio vir erat, & ad rerum vſum maximè accomodatæ primum in Eccleſia S. Mariæ Nouellæ ordinis Prædicatorum Florentiæ lapidem die ſancti Lucæ ſacro poſuit, diligenter verbum Dei populo, & Clero prędicauit. Monaſterium S. Sabinæ inſigni Bibliotheca ornauit, & annuis redditibus amplificauit; Sacrarium ſacris veſtibus repleuit, quod multis Romanæ Prouinciæ ſui ordinis Monaſterijs præſtitit. Fuit pauperum amator, ac Religioſus egregius, propinquis ſuis nihil vltra vitæ neceſſaria tribuens: ferunt nonnulli Eccleſiam S. Saluatoris in Lauro de Vrbe conſtruxiſſe, ſed errant, nam alius ab hoc Latinus Cardinalis Vrſinus illam excitauit.

Leãd. Albertus. Bzouius in Annal.

Poſt Nicolai IV. obitum *Cardinales*, vt ſcribit Iacobus Diaconus Cardinalis S. Georgij ad velum Aureum, *numero duodecim, Romane ſex, Italici quatuor, Gallici duo erant, qui Pontifici perſolutis obſequijs, propoſitoque clauſim inter eos, ſeclusis extraneis per Latinum tunc Oſtienſem Epiſcopum, Romana ſtirpe clarum, exhortationis verbo perlucido, adeo haud concordes, vt nec loco conſiſtere eodem conuenirent, nec ante ſecundum annum, tertiumque partem tertiam vacationis huiuſmodi Antiſtitem ſummum crearent, ſed nunc vno, nunc alio Vrbis loco, vicibuſque interceptis pro electionis miniſterio conueniebant.* Diſcordiæ præcipuam cauſam affert Ioannes Villanus: cum aliqui, quorum Princeps erat Matthæus Rubeus Vrſinus, ſtudioſum Caroli Regis Siciliæ Pontificem vellent, alij verò, quorum anteſignanus Iacobus Cardinalis Columna, contrarium affectaret, noui Pontificis electio in longum protrahebatur. Latinus Epiſcopus Oſtienſis eleganti ad Cardinales habita oratione, omnium animos in concordiam illico adduxit, & auctor fuit, vt poſt longam ſedis Romanæ vacationem (caruerat iam rectore Eccleſia annis duobus, mẽſibus tribus, die vno) Petrus è Murrone Eremita, nouæ religioſæ familiæ, quæ poſtea Cœleſtinorum dicta eſt, ſectantis inſtituta S. Benedicti Patriarchæ, in Apulia ſolitudine macerando corpori, ac rebus cœleſtibus contemplandis intentus, Romanus Pontifex eligeretur. Paulò poſt Latinus teſte Ptolemæo Lucenſi in letalem morbum incidit: *His* inquit *peractis Dominus Latinus grauiter infirmatur, in quo totum pondus incumbebat ſuper electione Cœleſtini: hic enim Dominus Latinus vir fuit magnæ religionis, & ſanctitatis, & ex deuotione ſpecialiter coniunctus fuerat fratri Petro de Morrone, eidemque ſingulis annis à tempore ſuæ notitiæ ſpecialem eleemoſynam tranſmittebat, ſuiſque confratres, qui morabantur Romæ, vbi clauſtrum habebant prope ſanctum Petrum. Ex hac ergo familiari deuotione, & confidentia bonitatis fuit motus ad ſuadendum de ipſo, vt in ſummum aſſumeretur Pontificem. Aggrauatus igitur ægritudine moritur, de quo magna, & virtuoſa dicuntur, & exemplo digna:* ferunt enim illum viuentem, ac vita functum miraculis claruiſſe.

Oder. Rinald. t. 14. Annal. Hier. Gambert. Ptolom. Lucenſ. Leãd. Albertus. Bzouius in Annal.

Obijt Peruſij anno à Chriſto nato 1294. v. Idus Auguſti, vel ex Bzouio menſe Nouembri ſub Cœleſtino V. Cardinalatus ſui anno 17. cuius corpus Romam tranſlatum in Sacrario Eccleſiæ S. Mariæ ſuper Mineruam ſepulturam obtinuit in marmoreo ſepulchro, vbi poſt multos annos Matthæus Vrſinus Cardinalis eiuſdem ordinis etiam conditus eſt cum hac Inſcriptione.

Ferdinãd. Vghel in Ital. ſacra tomo 1.

VEN. MEM. FF. LATINI, ET MATTHAEI
VRSINORVM ORDINIS PRAEDICATORVM
S. R. E. CARDINALIVM.

De eo Paulus Corteſius hæc habet: *Latinus Romanus ſic dicendo illa atate valuit, vt Florentiæ ſeditioſam diſcordiam oratione ſedarit, plebiſque interceſſione ſublata, quatuordecim Virorum dicendo ſtatuerit, cui eſſet à tota Ciuitate parendum. Itaque eam orationem, quæ ab eo eſt in concione habita, ſcripta reliquiſſe fertur, cuius tamen dictio tanta magis eſſet, & prudens quàm verborũ cõcinnitate inſignis.*

Reliquit etiam, vt videre eſt in Bibliotheca ordinis Prædicatorũ, & apud Eiſengrenium ſcriptas Proſas de B. Virgine, è quibus duas verè pias ex perantiquo Codice pergameno m. s. quondam Bibliothecæ Torrigianæ de Vrbe excerptas Romæ anno 1651. typis Manelphij in fine Marialis Iſidori Theſſalonicenſis primum, mox anno 1654. in Purpura Mariana Hippolytus Marraccius è Congregatione Clericorum Regularium matris Dei in lucem produxit. Scripſit item Proſam, quæ canitur in Miſſa Defunctorum *Dies iræ, dies illa;* Sermones plures, Orationes coram cœtu Cardinalium habitas.

Meminere Latini Cardinalis Regiſtra Nicolai III. Martini II. dicti IV. Honorij IV. & Nicolai IV. tum Nicolai III. Diploma datum anno 1278. Baſilicæ Vaticanæ.

GARAR-



II.

GERARDVS Cupalates, natione Italus, patria Placentinus renunciatus à Nicolao Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus, nondum completo anno elatus eſt ad ſepulchrum, vt ſcripſit Ciaconius, qui aſſerit Gerardum hunc ex Epiſcopo Antiſiodorenſi ad Cardinalatũ fuiſſe aſſumptum. A Ciaconio diſſentiunt Ioſeph Maria Suareſius Epiſcopus Vaſionenſis in Antiqua Præneſte, & Ferdinandus Vghellius in 1. tomo Italiæ ſacræ, & in Additionibus ad Ciaconium; cum Gerardum hunc non inueniant apud ſcriptores illos, qui Francorũ Epiſcoporum geſta enarrant. Erardo enim, de quo egimus ſupra in Ioanne XX. dicto XXI. Guillelmus de Graſſenibus ſucceſſit in ſede Antiſiodorenſi. Quare non ſatis video, vnde Ciaconius eruerit hunc Gerardum fuiſſe Antiſiodorenſem Epiſcopum, niſi fortè, inquit Ferdinandus Vghellius, ex coniectura diuinare velimus, & dicere, demortuo Romæ Erardo, à Nicolao III. Epiſcopatum Antiſiodorenſem Gerardo Placentino delatum fuiſſe, quo vita functo Antiſiodorenſis Clerus eandem dignitatem Guillelmo de Graſſeribus detulit. Huius Gerardi vita functi, fratris filium Bernardum Cupalatem Nicolaus III. commendat Archiepiſcopo Aquenſi, vt eum in Eccleſia ſua Canonicum creet.



III.

Ciaconius

MAGISTER BENTIVENGA de Bentiuengis Italus, Vmber Aquaſparta, Tudertinæ Diœceſis, ordinis Minorum Magiſter in Theologia, ex Vmbriæ Prouinciæ Cuſtodia, non ex ordinis generali Magiſtro Epiſcopus Tudertinus à Ioanne XX. dicto XXI. primò, mox à Nicolao III. cui fuerat à confeſſionibus, & ſacrificijs, Epiſcopus Cardinalis Albanẽſis, ac maior Pœnitentiarius renunciatus eſt. De eo Paulus Corteſius hęc habet: *Bentiuenga Tudertinus, Theobaldus Britannus, Matthæus, & Neapoleo Vrſini maxime laudari poterant, propterea, quòd ab his nunquam ſit ſcribi, & diſputari deſtitum, multaq; ab his in Theologia ſcripta feruntur, quæ iam aut vetuſtate arefacta latent, aut in publicum ſuppoſititiæ nominis vſurpatione prodierunt.* Extant tamen hodie volumen Veritatis Theologicæ, & Sermones plures ad populum habiti. Diuum Thomam Aquinatem doctrina, ac ſanctitate celebrẽ perſtudioſè audiuit: multis pro Romana Eccleſia legationibus clarus, exceſſit è vita Tuderti vij. Kalendas Aprilis anno Dominicæ Incarnationis 1289. & ſepultus in Eccleſia S. Fortunati apud Minores, vt ſcribunt Ciaconius, ac Petrus Rodulphus, quibus potius hærendum iudicauerim ex Vvaddingo, quàm Mariano aſſerenti Romæ mortuum anno 1280. & ad ſuos ſodales ſanctæ Mariæ de Aracœli ſepulchro donatum.

Gaſp. Iongel. in ∴ Elog. Cardin. Minorum.

Ferdinãd. Vghellius in Ital. ſac. tomo 1.

Luc. Vvaddingus de ſcript. Minorum.

Geſſit in ſcuto argenteo ex Ciaconio piſcem cœruleum, in capite ſcuti aurei cantherium nigrum duabus roſis rubeis ſociatum: quod ſcutum deſcripſit Gaſpar Iongelinus in elogijs Cardinalium Minorum hoc Diſticho.

Bentiuenga ſacra eſt hæc purpura amictus; in vnda
Ludentem hunc piſcem reſpice, & inde roſas.

Aliam omnino Ferdinandus Vghellius parmam Bentiuengæ tribuit bipartitam; in cuius ſuperiori aurea parte Aquilam nigram, in inferiori verò albicula faſciolam quadrifidam cœruleam tribus lilijs cœruleis cum ponte vermiculato expreſſam cernimus; atque hæc eſſe Bentiuengæ familiæ inſignia ille fatetur. Nos ambo gentilitia illa ſtemmata expreſſimus, vt ius hoc in lectoris fide deponeremus.

Meminere Bentiuengæ Epiſcopi Cardinalis Albanenſis Io: XX. dicti XXI. & Nicolai IV. Regiſtra: tum Nicolai III. Diploma datum anno 1278. Baſilicæ S. Petri in Vaticano.



IV.

MAG. F. ROBERTVS Kiluuarbius, ſeu Kamuil Vertun, vel Hiluardey, cognomento Biliberi, natione Anglus, cum prima ſcientiarum fundamenta ieciſſet in Anglia, ad Pariſienſem Academiam ſe contulit, qua in ſcientiarum palæſtra, breui Doctoratus Laurea omnium plauſu accepta, publicè in eadẽ Academia quas didicerat, docuit ſcientias. Interim ne inter hominum plauſus, qui eadem celeritate ſæpius excitantur, ac pereunt, æterna in periculum adduceret, diuino ſeſe famulatui deuouere in ſacra Prædicatorum familia decreuit.

Ciaconius

Anton. Senenſ. in ∴ Bibl. Prædicator.

Ferdinãd. Vghel. in Ital. ſac. tomo 1.

Panuinius

Nuncio rebus humanis remiſſo in patriam rediens, ſacrarum literarum ſtudium amplexus, publicè Theologiam docuit. Deinde Angliæ Prouincialis munitò renunciatus, eam Prouinciam per decenniũ ſumma prudentia rexit, quo elapſo à Gregorio X. Archiepiſcopus Cantuarienſis, & Angliæ Primas anno 1272. mox anno 1278. à Nicolao III. Romanis Pontificibus Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & S. Rufinæ electus eſt. Polidorus Virgilius lib. 13. Anglicanæ hiſtoriæ Robertum hunc à Gregorio X. creatum fuiſſe Epiſcopum Cardinalem Portuenſem affirmat; errat tamen, cum illum non Cardinalem, ſed in Bonifacij locum Archiepiſcopus Cantuarienſem Gregorius elegerit, vt Angliæ ſcriptores omnes narrant. Hic Nicolai III. nomine Epiſtolas aliquot ad Tartarorum Regem ſcripſit, eumq; ad Chriſti fidem inuitauit.

Nicolaus Harſfild. in Hiſtor. Eccl. Anglicana.

Theologicis, ac Philoſophicis ſtudijs, vt diximus, clarus, in vtraque facultate Commentaria ſcripſit, videlicet.

Io. Pitſeus de Script. Angl.

Fr&c. Mar. Turrig. de ſcriptoribus Card.

Antõ. Senenſ. in ∴ Bibl. Prædicator.

Nomencl. Cardinal.

Ciaconius

In Iſagogem Porphyrij.
In Prædicamenta Ariſt. lib. 3.
In Perihermenias eiuſdem l. 2.
In ſex Principia Gilberti.
Super Priſcianum minorem.
De modo Significandi.
Lecturam Sententiarum lib. 4.
Super Confeſſiones S. Auguſt.
Super Ezechielem.
In Paulum ad Romanos.
In eundem ad Corinthios.
De Sacramento Altaris.
De Ortu Scientiarum.
Originalia Patrum.
Quæſtiones Dialecticæ.
In Priora, & Poſteriora lib. 4.
In Diuiſiones Boetij.
In Topica Ariſtotelis lib. 9.
In Elenchos eiuſdem.
De Conſcientia, & Synderesi.
Quæſtiones de Conſcientia.
De Anima.
De Cauſis Animæ.
De Differentia Spiritus, & Animæ
De Inſtantibus.
De Diuiſione Entis.
De Relatiuis.
De Natura Relationis.
De Relationis Prædicamento.
De Rebus Prædicabilibus.
Sophiſtriam Grammaticalem.
Sophiſtriam Logicalem.
De Doctrina ſancti Thomæ Aquinatis.
De Vnitate Formarum.
In Boëtiũ de Conſolatione l. 5.
De Tempore.
De Vniuerſalí.
In Phyſica Ariſtotelis lib. 8.
De Cœlo, & Mundo lib. 4.
De Generatione, & Corruptione.
In Meteora lib. 4.
Super Metaphyſicam lib. 14.
Parua Naturalia.
Expoſitionem literæ Sententiarum.
Diſtinctiones Doctorum.
Commentarios Theologiæ.
Philoſophiæ Notulas.
Quodlibeta.

Aubery.

Hic Eduardum Regem Angliæ regio Diademate, præſentibus Regina matre, Alexandro Scotorum Rege, Ioanne Angliæ Duce, ac Epiſcopis, & cunctis Ducibus cohoneſtauit. Synodum habuit, in qua canones edidit ad corrigendos Clericorum mores: ac patribus S. Dominici Domum erexit. Gratus fuit Eduardo Regi, & Proceribus Angliæ, ob doctrinæ, & ſanctæ vitæ opinionem, quorum ſtudio Archiepiſcopus Cantuarienſis deſignatus: in Cardinalatu ordinis Diui Dominici veſtem nunquam dimiſit: pedibus ſemper itinera confecit, duobus fratribus, ac totidem famulis ſtipatus.

Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

Ciaconius

Poſt adeptum Cardinalis Pileum Cantuarienſi Archiepiſcopatu ſe abdicaſſe, & Ioannem Peccamum ordinis Minorum ſucceſſorem habuiſſe Nicolaus Harſfildus in hiſtoria Eccleſiaſtica Anglicana teſtatur contra Ciaconium, qui Ioannem inſtituti S. Dominici fecit. In tanti viri laudem Continuator Matthæi Pariſij hæc poſteris reliquit: *Ante ordinis Prædicatorum ingreſſum Pariſius in Artibus, cuius in his peritiam præcipue quoad Grammaticam, & Logicam redacta in ſcriptis edocent monumenta: poſt ingreſſum ordinis in diuinis ſcripturis principales ſanctorum Patrum libros, Auguſtini ferè omnes, aliorumque Doctorum plurimos per pauca diſtinxit capitula, ſententiam ſingulorum ſub breuibus verbis adnotanda.*

Luc. Vvaddng. tom. 2. Annal. Minorum

Ex Anglia Romam ſe conferens, Viterbij vndecima Septembris die, anno noſtræ ſalutis 1278. obijt, non ſine hauſti veneni ſuſpicio

ne, vt Ioannes Pitſæus de ſcriptoribus Angliæ narrat, ac ſepultus eſt in Templo ſanctæ Mariæ ad Gradus.

Huius gentilitia ſtemmata tres niclea continebant rectæ regulæ affixas, ſcuti campum ex obliquo ſecantis, vt antiquæ Britanniæ auctor affirmat apud Vghellium t. 1. Italiæ ſacræ; cuius ſanè auctoritas Ciaconium conuincit erroris, qui eidem alias his gratis affinxit.



V.

ORDEONVS, quem alij Odonem nominant, natione Luſitanus, teſte Ferdinãdo Vghellio, Abbas Fonſellenſis in Eccleſia Palentina, à Gregorio X. anno reparatæ ſalutis 1275. Archiepiſcopus Bracharenſis, & à Nicolao III. Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus renunciatus eſt. Defuncto enim Archiepiſcopo Bracharenſi Capitulum Petrum Archidiaconũ de Vermuy poſtulauit, ſed Gregorius de plenitudine poteſtatis Ordeonum Abbatem tunc Fonſellenſem in Archiepiſcopum elegit. Interfuit hic Comitijs, in quibus electi ſunt ſummi Pontifices Martinus II. dictus IV. & Honorius IV. Deceſſit Romæ ſedente Honorio IV. anno à partu Virginis 1285. cuius meminere Regiſtra Vaticana Nicolai III. Martini II. dicti IV. & Honorij IV.

Ferdinand. Vghel. to. 1. Ital. ſac.

Aubery in vit. Card.

Panuinius de Rom. Pont.

Ciaconius



VI.

IORDANVS Vrſinus, nobilis Romanus, literis, & integritate vitæ clarus, Nicolai Romani Pontificis frater, ab ipſo Nicolao renunciatus eſt Diaconus Cardinalis S. Euſtachij. Hic defuncto Nicolao III. cum Viterbij Põtificis electionem cum Mattheo Rubeo de Vrſinis Cardinale impediret, ex Conclaui extracti, honeſta cuſtodia detenti ſunt, donec nouus Pontifex Martinus II. dictus IV. creatus eſt. Sed Viterbienſibus ob violatam horum Cardinalium dignitatem ſacra ſunt interdicta; illos poſtea à cenſuris liberauit Honorius IV. inflicta ea pœna, vt mœnium partem euerterent, & extruerent Xenodochium: hiſtoriam ſupra narrauimus in vita Matthæi Rubei de Vrſinis Cardinali. Exceſſit è vita Iordanus Romæ anno noſtræ ſalutis 1287. ſede Vacante poſt Honorij IV. mortem: de quo hæc legimus apud Ptolemæum Lucenſem, *Iordanus germanus Nicolai, vir magnæ excellentiæ, & innocentiæ.*

Gatimber.

Ciaconius

Io. Villan. in Hiſtor.

Franc. Sanſouin. in Hiſt. fam. Vrſinę.

Panuinius de Rom. Pont.

Aubery in vit. Card.

Oder. Rinaldus in Annal.

Ciaconius



VII.

GERARDVS Blancus, ex Villa Gainaco Diœceſis Parmenſis, filius honeſti, ſed pauperis viri, à puero operam ad prima literarum rudimenta contulit ſuam ſub eiuſdem Villę Parocho, mox vt humaniorum literarum, ac Iuriſprudentię ſtudia proſequi commodè poſſet, Parmam ſe contulit, ac Pædagogi munere functus eſt apud nobilem Parmenſem. Studium ferè totum applicuit ſuum ad Iuriſprudentiam, in qua ſcientia longè proceſſit, & Doctoris laureã breui omnium votis adeptus eſt. Deinde obtento in Eccleſia Parmenſi Sacerdotio, Romam petijt ad ius ſuggerendum Parmenſi Ciui, ea in Vrbe iudicio contendenti cum extraneo: quam litem adeo feliciter patrocinatus eſt, vt Principis cauſarum patroni famam apud omnes collegerit. Ex Canonico Parmenſi Protonotarius Apoſtolicus primò, mox Presbyter Cardinalis Baſilicæ SS. XII. Apoſtolorũ à Nicolao III. demum à Martino II. dicto IV. Epiſcopus Sabinenſis renunciatur. Legatus Nicolai III. cum Fratre Hieronymo Aſculano

Ciaconius

Ranuc. Picus in Append. ad ſiſtos Parmenſes.

Camillus Tutin. in hiſt. famil. Blanchæ.

Hier. Gambert.

Aubery in vit. Card.

A in Hiſpaniam pro firmanda pace inter Reges Franciæ, & Caſtellæ creatus eſt. Aliam Gerardo, & Benedicto Caietano Diacono Cardinali S. Nicolai in Carcere iniunxit legationem Nicolaus IV. ad Francorum, Anglorum, & Aragonũ Reges, vt ſedaret ſimultates, quæ inter illos exarſerant, firmaret pacẽ, atque arma iam ſtricta vertere in Sarracenos omni ſtudio curaret. Aliam eidẽ Martinus II. dictus IV. demandauit legationem ad Regem Siciliæ, quam ſub Honorio, & Nicolao IV. continuauit, difficilem eo tempore, quo Siculi à Carolo deſciſcentes, Petrum Aragonum Regem in Inſulam cæſis Gallis receperant. Legatus cum Carolo Rege ad expeditionem Siculam profectus, diu cum Rege in illa expeditione fuit. Meſſanenſes Regis viribus impares, diu afflicti miſerunt ad Gerardum Legatum orantes, vt Vrbem ingreſſus, æquas pacis conditiones componeret, quarum hæc ſumma fuit, vt Rex iniuriam ſibi illatam eis condonaret; ne plus tributi, aut vectigalis penderent, quàm maiores eorum Regi-

B bus Guiſcardis perſoluiſſent; ne Præfectos, & Magiſtratus Gallos in Inſula crearet, ſed Prouinciales. Carolus, aduerſante maximè Cardinale, has conditiones recuſauit, eoſque nullis niſi belli legibus in deditionem accipere volebat, dura minitans, nec belli varios euentus attendens. Meſſanenſes ſæuum Regis animum animaduertentes, Legato nunciant, ſe nulla ratione deditionem facere, ſed potius filios voraturos, Vrbe incendio conſumpta, quàm in Gallorum teterrimam ſeruitutem redigi. Legatus dolens, Vrbe interdicto ſuppoſita, ac ſacris interdictis Ciuibus redijt ad Regem, qui paulò poſt aduentu claſſis Petri Regis Aragonum obſidione ſubmotus eſt. Carolo Regis filio à Rogerio de Doria claſſe prope Neapolim victo, & capto, cum Neapolitani rebellionem agitarent, ſuperueniens cum exercitu Rex, ea perfidia motus Vrbem incendio tradere conſtituerat, à quo propoſito Rex Legati precibus auocatus eſt, præcipuis tumultus auctoribus centum quinquaginta ſupplicio traditis. Iubente

C Martino Romano Pontifice nonnullas arces ditionis Pontificiæ in Regno Neapolitano ſitas Carolo Regi præſidio militari communiendas tradidit, imò cum Siculorum pertinacia frangi non poſſet, in eos Crucis explicauit ſigna, atque in bello occumbentibus ampliſſimam peccatorum condonationem propoſuit, ipſeque Legatus de induenda Cruce ſacras conciones habuit, alijſque id munus contulit. Cum autem Rex è vita exceſſiſſet, ne Regnum detento ab hoſtibus in Catalano carcere Carolo II. ſine certo moderatore fluctuaret, Honorius IV. Romanus Pontifex, ad quem ſupremi in Siciliam imperij iure illius adminiſtrationem capeſſere veteri more, & inſtituto tum ex pactionibus cum Carolo primo initis, ſpectabat, Gerardum Epiſcopum Sabinenſem Apoſtolicæ ſedis Legatum, ac Robertum Atrebatenſem Comitem Regiæ Siculæ procuratores inſtituit. Correptas ab his Regni habenas meminit etiam Chronici Sueſſani ſcriptor, ſed in eo emendandus, dum illa auctoritate a Carolo inſtru-

D ctos inſpecto rerum exitu putauit. *In prædicto* inquit *Regno Siciliæ dictus Rex Carolus reliquit Dominum Robertum Comitem Atrebatẽſem, & Dominum Legatum prædictum Ballios Regni Caroli eius primogeniti, & tempore eius Dominum Carolum dimiſit ſub protectione, & defenſione Sanctæ Romanæ Eccleſiæ.* Gerardus Regnum illud ſumma prudentia adminiſtrauit, vſque quo Carolus Secundus captiuus, libertate donatus ſuæ ſpontis fuit, & ſui arbitrij. extant in Regni Tabularijs tabulæ plures obſignatæ cum hoc titulo.

Gerardus S.R.E Cardin. Epiſc. Sabinenſ. Regni Ballius.

Quare Carolus Secundus a Nicolao IV. Romano Pontifice Regio Diademate ornatus cum redijſſet in Regnum, maximis Legato gratijs habitis, eum ſummo cum honore multis muneribus donatum remiſit, atque illius ergò Iacobo Blanco Gerardi Cardinalis nepoti ædes commodas in perpulcro Vrbis loco ſitas dono dedit: de qua donatione hæc legimus. *Dum venerabilis in Chriſto Patris Domi-*

E *ni Gerardi Dei gratia Epiſcopi Sabinenſis chariſſimi Compatris, & amici Noſtri erga Nos, & Noſtra negocia paternos ſimiles promptitudines, & affectus, grata deuius Nobis, & Noſtris impenſa ſeruitia cogitamus, &c.*

In hac legatione ad expurgandos Eccleſiaſticorum mores inſigne Decretum edidit Gerardus: iuſſi enim Clerici omnes intra bimeſtre concubinas, quarum turpi conſortio infecti erant, à ſe abijcere, incuſſis intermittendi muneris, atque ſacerdotij amittendi pœnis, ſi eas in ſua, alienaue domo tenerent. Ne verò Archiepiſcopi, Epiſcopi, alijque Præſules in exercenda legis ſeueritate remiſſiores eſſent, ſacrorum vſu, atque ingreſſu Eccleſiæ, ſi deeſſent muneri, interdixit; ſi muneribus corrumpi ſe paterentur, accepti duplum in pios vſus deriuandum, atque ab officio remouendos ſanxit. Querentibus verò mox Præſulibus huius legis acerbitatem maiora parituram diſcrimi-

F na, ac nimis facilè exercendi muneris poteſtatem eripi; tum iniquum videri nullam ipſorum dignitatis habitam rationem, ac Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos iiſdem, ac ceteros inferioris ordinis Clericos pœnis ſubijci, Nicolaus IV. Romanus Pontifex ſanxit, vt lex in inferioris dignitatis Clericos valeret; in Præſules verò ex Canonicis duntaxat ſanctionibus animaduerteretur.

Gerardus hic Eccleſiam Parmenſem, in qua eſt baptiſmatis fons, annuis redditibus, eiuſdemque Vrbis principem ædem ære campano donauit: Monaſterium, & Eccleſiam ſancti Martini à fundamentis erexit.

Hic in Baſilica Lateranenſi Altare Diuæ Mariæ Magdalenæ ſa-

Panuinius De Rom. Pont.

Oder. Rinaldus in Annal.

Bzou. to. 13. Annal.

Luc. Vvadding to. 2. Annal. Minorum.

Leand. Albert. in Deſcrip. Italiæ.

Thõ. Coſt. in hiſtor. Neapolit.

Bonfil. in Hiſtoria Siciliæ.

Oder. Rinald. t. 14. Annal.

Ciaconius

Camillus Tutin. in hiſt. famil. Blanchæ.

Oder. Rinaldus in Annal.

Bernard. Corius in Hiſtor.

Ranuc. Picus in Appendic. ad

crum conſecrauit, vt conſtabat ex Tabula marmorea, quæ ante incendium Baſilicæ, in media maiori naue prope Odeum cernebatur his literis inſcripta.

(Margin: Iſtos Parmenſes. Bonauent. Angeli in Hiſtor. Parmen. Ciaconius Nomencl. Cardinal.)

☧

IN NOMINE DOM. AMEN.
Anno Domini 1297. menſe ...... conſecratum fuit Altare Capituli ad honorem Dei, & Diuæ Mariæ Magdalenæ de mandato D. Bonifacij Papæ Octaui, per D. Gerardum de Parma Epiſcopum Sabinenſem, in quo Altari recondidit Corpus ipſius ſanctæ, ſine capite, & brachio, & Reliquias multorum aliorum ſanctorum.

Quod Altare amotum inde eſſe, & locũ Martini III. dicti V. tumulo, qui adhuc extat, feciſſe, dicitur, tranſlatumque ad dexterum nauis latus, prope paraſtatam, vbi, vſque ad proximam Innocentij X. Baſilicæ reſtaurationem, ſuperfuit.

Obijt tandem Romæ Kalendis Martij anno noſtræ ſalutis 1302. & ſepultus Laterani cum ſequenti prolixo, & barbaro Epitaphio.

Quiſquis ad Altare venis hoc ſacrificare
Qui vel adorare mis Gerardi memorare
Ortu Parmenſi, & Pontificis Sabinenſis,
Hoc attendat homo, per fumus quid ſibi promo (* humus)
*Eſt * fumus vnde ſumus, & tranſimus quaſi fumus,*
Martius intrabat, annos Domini numerabant,
M. ſemel, & C. ter, bis, I. cum fine beato
Parmenſis natu, Sabinenſis Pontificatu
Cardineo migrauit homo Gerardus honoris
Miſſus ab arce Sion ſanans animas rediuit,
De Hiſpanis Francis, Apulis, de Siciliaque
Mira viri virtus, parenti victima, qui ſe
*Taliter expoſuit maribus, terris, * inimicis.* (* inimicis)
Huius morte nitens ſpeculum deperdit honeſtas,
Pontificum vita, Cleri modus, & via veri,
Virtutum grauitas, & mens, & practica iuris,
Sermo breuis, poſtem prodit prolixus & hoſtem,
*O mors * impauida, crudelis mors homicida,* (* improuida)
*Febris & o triſtis, * quæ Gerardum rapuiſtis.* (* quem)
Iſte bonis bonus, & reprobis onus, iſte colonus
Pacis, gaudenses hilarans, reparans pœnitentes,
Quot dilatare loca Sanctorum reparare,
Quot proponebat, & quot bona mente gerebat,
Quot pia donauit, reparauit, & ædificauit.
Si quiſquam noſſet, profecto dicere poſſet;
Per fragiles pontes, mundanos prætereuntes
Ad Cœli montes, ſic mundi prætereuntes
*Huius ab hac ara, ſedis diſtantia * rara* (* para)
Pontificis ſculptam glebam tenet, atque ſepultam,
*Quod patet * impletum, præſens remouendo tapetum.* (* inſertum)
Actis exequijs, quæ Pontificem decuerunt.
Delatum proprijs humeris, in humo poſuerunt; (* Huic)
** Hunc ibi Siciliæ Rex, Rex Regum duo nati*
Turba militiæ comitum diuitum ſociati.
Per te concreſcat Lector deuoti precamen
Hic quoque Præſul Amen, immo pace quieſcat.

Meminere Gerardi Cardinalis Nicolai III. Martini II. dicti IV. Honorij IV. ac Bonifacij VIII. Regiſtra.

VIII.



MAG. F. HIERONYMVS humili genere in Picentibus e gẽte Maſcia, natus eſt Alexiani (Villa eſt Diœceſis, & ditionis Aſculanæ) vnde dictus eſt Fr. Hieronymus Aſculanus, ex ordine Minorum, Philoſophus, & Theologus egregius, S. Franciſci diſcipulus, eique intima familiaritate dum vixit, coniũctus, Tartaros ad Chriſtianam fidem deduxit. Quas ob laudes, vti & prudentiam, ac vitæ ſanctimoniam S. Bonauẽtura ordinis Minorum Miniſter generalis in Capitulo Piſano illum Dalmatiæ Miniſtrum nominauit, eumque Gregorius X. Romanus Ponti-

(Margin: Ant. Sanderus in Elogi. Cardin. Ioſeph. Mat. Suareſius de Antiqui. Præneſt. Ciaconius Panuinius)

A fex vnà cum Raymundo Berengario, Bonagratia de S. Ioanne, & Bonauentura de Mugello ex Minorum ordine viris doctis, rerumque agendarum peritis Conſtantinopolim ad Michaẽlem Imperatorem Legatum miſit, vt Græcos ad Romanæ Eccleſiæ communionem reduceret, ac Patriarcham Conſtantinopolitanum ad Concilium Lugdunenſe inuitaret. Antequam autem ab hac legatione Conſtantinopolitana rediret, in Comitijs generalibus ordinis, habitis Lugduni in feſto Pentecoſtes, die 20. Maij anno à partu Virginis 1274. abſens, omnium ſuffragijs in Miniſtrum generalem, poſt S. Bonauenturam aſſumptum ad Cardinalatum, electus, ordinem ſibi commiſſum, ſanctitate vitæ, & ſingulari doctrina propagauit. Interim Ioannis XX. dicti XXI. ſeu verius Nicolai III. Nuncius declaratus vnà cum Ioanne Vercellenſi Magiſtro generali Prædicatorum, inter Francorum, & Caſtellæ Reges pacem conciliauit. His rebus implicitus Hieronymus Miniſter intereſſe haud potuit Comitijs generalibus à ſe in-
B dictis Patauij anno 1277. miſit itaque ſuas vices acturum fratrem Bonagratiam de S. Ioanne in legatione Conſtantinopolitana fidum ſocium, per quem literas dedit ad Patres conſcriptos, vt ſe omnino tali muneri ineptum, & inſufficientem à Prælatura abſoluerent. Abdicationem hanc Patres non probarunt, imò potiùs nouis, & communibus illum ſuffragijs in officio confirmarunt.

(Margin: Luc. Vvadding. to. 2. Annales Minor. — Aubery in vit. Card. — Ferdinãd. Vghel to. 1. Ital. ſa.)

Dum in hac legatione abeſſet Hieronymus Miniſter generalis ob præclara merita, & perpeſſos pro Romana Eccleſia labores creatus eſt S. R. E. Cardinalis S. Pudentianæ titulo Paſtoris. Errauit Ciaconius, dum ſcripſit ex Hiſpania ad Curiam, redeuntem, Patriarcham Hieroſolymitanum deſignatum, eum honorem cum dignitate Cardinalatus commutaſſe; & cum Gerardo Cardinale tituli SS. XII. Apoſtolorum iterum in eam Prouinciam ablegatum. Nam nihil horum ſubſiſtit; etenim ex ipſis Pontificijs epiſtolis habetur in Franciam miſſum, ibique degentem inter Cardinales fuiſſe cooptatum, C neque illum, ſed ſocium Ioannem Vercellenſem ordinis Prædicatorum Primicerium, Patriarchatu Hieroſolymitano fuiſſe donatum. Nicolai literæ hæ ſunt ex Regiſtro Vaticano.

(Margin: Luc. Vvadding. t. 2. Annal. Minorum.)

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI.
Hieronymo quondam fratrum Minorum generali Miniſtro, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbytero Cardinali.

Summus omnium Magiſter, & Opifex ore Prophetico inquiens, Suſcitabo Tabernaculum Dauid, quod cecidit, ac poſt pauca ſubiungens; Et ea, quæ corruerant, inſtaurabo, Vicarios ſuos pro tempore futuros inſtruxit in Eccleſia Dei reparare, quæ decidunt, & vt neceſſarios Miniſtros ipſius, quos ſortis humanæ fragilitas frequentius ſubtraxit, & diutius manere non ſinit, remedio viciſſitudinariæ ſubſtitutionis inſtauret, & hinc Nos non ſine multa mentis amaritudine recenſentes, ſolemnes à paucis retro temporibus in ſacroſancta Ro- D *mana Eccleſia cecidiſſe columnas, & multiplicatas in ipſa ex multorum Cardinalium ſubtractione ruinas illas, præfatam ſecuti doctrinam, cum fratribus Noſtris frequenti, & perpenſa deliberatione præhabita implere ſtuduimus ſubtractorum vices alijs dilectis, vt credimus, & electis à Domino; de ipſorum fratrum conſilio ſubrogatis, vt eidem piæ matri Eccleſiæ pro patribus filij naſcerentur, quorũ conſilio dirigi poſſet in dubijs, & fulciri ſuffragijs in aduerſis. Inter quos ad perſonam tuam, quam virtutum Dominus multis virtutibus inſigniuit, conſiderationis conuertentes intuitum, te in Presbyterum Cardinalem ipſius Eccleſiæ duximus aſſumendum. Licet itaque ad ſupportanda Nobis cum eiſdem Eccleſiæ onera, tua foret admodũ apud ſedem Apoſtolicam præſentia opportuna, vt tamen negotium tuæ, ac dilecti filij fratris Ioannis ordinis fratrum Prædicatorum Magiſtri prudentiæ commiſſum, aliquod ex abſentia tua diſpendiũ patiatur, de tuo ad ſedem eandem reditu certo modo duximus ordi-* E *nandum, Noſtrum circa hoc beneplacitum per alias Noſtras literas communiter tibi, & eidem Magiſtro directas apertius exprimentes, quod prout opportunitas talis conceſſerit, proſequaris. Datum Romæ apud S. Petrum ix. Kalen. Maij anno primo.*

Cum his alias ſcripſit literas Nicolaus Põtifex ad eundem, & Prælatos Eccleſiarum, & omnium Religionum, vt illi vltra ſtatutam pecuniæ ſummam Hieronymo, ac Ioanni hac legatione fungentibus quotidie præſtandam, iam deſignato Cardinali ampliori familia, & maioribus ſumptibus indigenti larga manu auxilio eſſent. Ad tale Nuncium non ſe intoleranter extulit Hieronymus, imò ſe tanto honore indignum reputans, reſcripſit ad Pontificem, vltra ſuas vires, & merita eſſe beneficium, & digniori viro conferendum; neque dum in Gallia detentus eſt, ſubſidia Eccleſiarum vnquam admiſit. Dignitatem hanc omnino refutaſſet, & excuſſiſſet, niſi timuiſſet (ipſe aie- F bat) ordinem ſuum offendere, vel fratribus nocere, inter quos affirmabat, ſe malle conuerſari, & in humilibus obſequijs inſeruire, quàm Cardinalitio eminere faſtigio.

Manſit in Gallia Hieronymus Cardinalis, ac totius ordinis Minorum Generalis, vſque ad annum milleſimum ducenteſimum ſeptuageſimum nonum, quo anno generalem conuentum Aſſiſij habendũ indixit; cui ex Pontificis mandato, ob feliciorem rerum exitum, tum ad maiorem ſplendorem, & fratrum ſolamen ipſe Hieronymus Cardinalis præeſſe debebat. At dum ad hæc, & alia S. R. E. negotia euocaretur è Gallica legatione, incidit in morbum, neque potuit præfixo tempore celebrandorum Comitiorum adeſſe. Cum conualuiſſet,

(Margin: Ant. Sand. in Elog. Cardin. — Luc. Vvadding. t. 2. Annal. Minorum.)

exortas

exortas inter Rodulphum Imperatorem, & Carolum Siciliæ Regem, nec non Margaretam S. Ludouici relictam, graues controuerſias ſopire volens Nicolaus Romanus Pontifex, Hieronymum Preſbyterum Cardinalem ſanctæ Pudentianæ ad Rodulphum deſtinauit, vt præſens, quæ pacis erant ſuaderet, & auctoritate Apoſtolica ſtabiliret.

Ioſeph Maria Suareſ in Pagnoſt. Antiquiss. Io. Giacchett. in hiſt. Eccl. S. Silueſt.

Martinus II. dictus IV. Nicolai in Pontificatu Succeſſor, cuius Hieronymus interfuerat Comitijs, ipſum Præneſtinæ Eccleſiæ præpoſuit Epiſcopum Vrbeueteræ x. Kal. Aprilis anno 1281. Poſt Martini obitum in eligendo Romano Pontifice Honorio IV. multum elaborauit, à quo Monaſterium, & Eccleſiam S. Sylueſtri de Vrbe pro Monialibus S. Claræ obtinuit. Tandem ad ſummum Eccleſiæ apicem perueniens Nicolaus IV. dictus eſt: vide vitam.

IX.



Ferdinand. Vghel. de Card. Columna. Ciaconius

IACOBVS Columna, Odonis filius, nobilis Romanus, ex Archidiacono Piſanæ Eccleſiæ, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in via Lata, Archipresbyter S. Mariæ Maioris de Vrbe, Commendatarius Eccleſiæ S. Marcelli, & primus Equitum S. Iacobi Luſitaniæ à Nicolao III. renunciatus, auctor fuit, vt Cœleſtinus V. ex Eremita ſummus Eccleſię Pontifex ſalutaretur. Hunc Ptolemæus Lucenſis commẽdauit in ſua hiſtoria his verbis: *Iacobus de Columna, vir magnæ maturitatis, & innocentiæ, & religionem amplexatus*. At ob nonnullas ſimultates à Bonifacio VIII. cum Petro fratris filio, quem Nicolaus IV. Cardinalitia dignitate ornauerat, vj. Idus Maij anno à partu Virginis 1292. Reate Cardinalatu, & omnibus dignitatibus priuatus, atque anathemate notatus, diu exul, & errabundus, in Gallia, ſeu verius Peruſiæ in occulto apud antiquum familiarem vixit; contra illos, & alios Columnenſes Conſtitutionẽ edidit Bonifacius, quæ inſerta fuit in ſexto Decretalium libro. Ambo hi Cardinales à Benedicto XI. anathemate abſoluti, & Eccleſiæ vnitati primò reſtituti, demum Rege Francorum Philippo præſente, cui fuerant addictiſſimi, Lugduni à Clemente V. anno 1305. menſe Decembri priſtinis honoribus redditi ſunt.

Bernardin Chron. m.s. Bibl. Vatican. Paul de Angel in deſcr. Baſil. S. Mar. Maioris.

Cum eſſet Archipresbyter S. Mariæ Maioris, anteriorem partem, & abſidem muſiuo opere pro temporum conditione elegantiſſimè decorauit: ex illius Baſilicæ Tabulario habemus. *Tribunam maiorem, cui ſupereſt ornatus muſiuus, in honorem Aſſumptionis beatiſſimæ Virginis ſolum Iacobum feciſſe inſpicimus*. Adhuc eius effigies conſueto Cardinalium veſte ornata in eadem Tribuna inſpicitur. In eadem Baſilica Sacella multa à fundamentis erexit, nec planè contentus dum viueret, Baſilicam iſtam S. Mariæ Maioris amplificare, etiam poſt mortem auxit, velut ex Teſtamento deprehenditur, in quo illam omnium prorſus, quæ ſui iuris erant heredem inſtituit, hoc tantùm onere impoſito, *vt Capitulum, & Canonici perpetuò ſex Sacerdotes alerent; quorum quatuor ſacrificium quotidie celebrarent in ſancti Ioannis Sacello ab ipſo conſtructo, reliqui quotidie ſacra facerent in Nicolai Quarti Sacello ab eodem Iacobo Cardinali condita ob reuerentiam, & memoriam prædicti ſanctiſſimi Patris Domini Papæ, vt continuò celebretur ibi Miſſa pro anima ſua*.

Hippol. Marracc. in Purpur. Marian.

Quare eiuſdem Baſilicæ Canonici in grati animi pro beneficijs acceptis teſtificationem hoc elogium in Sacrario appendendum Iacobo, & Petro Cardinalibus Columnenſibus curarunt.

PETRVS ET IACOBVS COLVMNAE
HVIVS TEMPLI ARCHIPRESBYTERI CARDINALES
AMBO DE RE SACRA PRAECLARE MERITI
SED IACOBVS OPERE, SVMPTVQVE
COLLATO CVM NICOLAO PONTIFICE
EX INSTAVRATIONE BASILICAE
DECESSIT ILLVSTRIOR.

Ferdinand. Vghel. de Card. Columna.

Auenione deceſſit 14. Auguſti die, anno 1318. & Romam delatus in Chori pauimento Baſilicæ Liberianæ repoſitus eſt ad Aram maximam, vt ex Teſtamento Agapiti Columnæ conſtat. *Corpus autem meum volo tradi Eccleſiaſticæ ſepulturæ, cuius loca, & tempora mihi incerta, iudicio tamen certo: ſi verò Romæ, vel in Romana Prouincia deceſſiſſe contingat, in Eccleſia beatæ Mariæ Maioris de Vrbe eligo ſepulturam ad pedem D. Iacobi patrui mei, qui eſt ſepultus ante Altare maius*. In euſdem Baſilicæ manuſcriptis legimus: *Iacobus Columna Cardinalis iacet ad Altare maius in terra.*

Pel. Conſtel. ſuos Elench. Cardinal.

Florauan. Martin. de Diacon. S. Mariæ in via Lata.

Commendatarius quoque fuit Diaconiæ S. Mariæ in via Lata, vt ex ſequenti Inſcriptione olim in eadẽ Eccleſia affixa, ex Codice Vaticano in lucem à Florauante Martinello edita, quæ eſt talis.

IN NOMINE DOM. AMEN.

Anno Domini 1295. Pontificatus Domini Bonifacij VIII. PP. Indict. 9. menſe Decembris die 6. in feſto S. Nicolai conſecratio iſtius Altaris S. Nicolai, facta fuit per Epiſcopum Nigropont. de mandato D. Iacobi de Columna Diac. Card. S. Mariæ in via Lata, cui iſta Eccleſia erat in Temporalibus, & Spiritualibus commendata. In quo Altari recondita ſunt merita ſanctorum, in primis Bonifacij Mart. Petronillæ Virg. Felicitatis Mart. Eugeniæ Virg. Gregorij Papæ, Pellegrini Mart. Dionyſij Mart. Pudentianæ Virg. ſanctorum Martini Papæ, & Marcellini Papæ, & Pelagij Papæ; de Capillis B. Mariæ Virginis; ſanctorum Vincentij, & Anaſtaſij, Euſtachij Mart. Nerei & Achillei; Iuſtinæ Mart. Sylueſtri Papæ, ſanctorum Proti, & Hyacinthi, & multorum aliorum ſanctorum, quorum nomina ſunt in Cælis; per induſtriam Clericorum ſancti Franciſci.

Fouit Iacobus Cardinalis Columna quam maximè pium Sodalitium, & Monaſterium S. Sylueſtri de Capite protexit ob gratam, & ſanctam memoriam ſuæ ſororis ſacrarum illarum Virginum Inſtitutricis. Inueniuntur inter antiqua ordinis Seraphici monumenta vetuſtiſſimo charactere ſcriptæ primæ illius Monaſterij Conſtitutiones, quarum hæc inſcriptio: *Incipiunt Conſtitutiones Venerab. Patris, & Domini beatæ memoriæ D. Iacobi de Columna Cardinalis Fundatoris Monaſterij, cuius anima exultat in gloria ſanctorum.*

In Xenodochio S. Mariæ de Stella Vrbiſueteris, in Indice ſacræ ſupellectilis memoria huiuſce Iacobi Cardinalis his verbis extat. *Itẽ vnam Crucem de chryſtallo pulcherrimam, in qua eſt de Ligno Crucis, cum pede argenteo, donatam per Dominum Iacobum de Columna Cardinalem.*

Nicolaus III. Romanus Pontifex, Ordinatione vna menſe Martio facta, nouem creauit Cardinales.

VICECANCELLARIVS S. R. E.
ſub Nicolao III.

Mag. Petrus Peregroſſus Mediolanenſis, S. R. E. Vicecancellarius ab initio Pontificatus Nicolai III. vſque ad finem.

CARDINALES MORTVI
ſub Nicolao III.

Ioannes Vicecomes Placentinus Epiſc. Card. Sabinen. anno 1278. quem Panuinius obijſſe ſcribit ſub Ioanne XX. dicto XXI.

Gerardus Cupalates Epiſc. Cardinalis Præneſtinus anno 1279.

Mag. Fr. Robertus Kiluuarbius Anglus, ordinis Prædicatorum Epiſcopus Cardinalis Portuenſis anno 1280.

MARTINVS II. DICTVS IV. PONT. CXCI.

ANNO DOMINI MCCLXXXI.





IN NOMINE DEI, ET SALVATORIS Noſtri Ieſu Chriſti benedicti, Amen. A

DISSENſio in Electione Pōtificis.

POST Nicolai III. obitum, diſſidium inter Cardinales de nouo Pontifice deligendo ortum; nam Vrſinorum pars, Pontificem è ſuo corpore Italum creare volebat, cui Caroli factio, & ipſa per ſe potens, & a Rege ſubleuata, aduerſabatur, Gallicum petens. Ad ſex propè menſes cum eo modo certaſſent, neque de Pontifice conuenire poſſent, Viterbienſes Vrſino Senatori B ex ſuperiori dominatu infenſi ſeditione facta, auctore Richardo Hānibaldenſi, Romanorū nobiliſſimo, & familia primaria orto, & tunc Comitij cuſtode, qui Vrſino nomini inimiciſſimus erat, cū armis currunt, & nouos Magiſtratus, pulſis veteribus, creauerunt, & ex Caroli Siciliæ Regis ſuggeſtione, qui factionis ſuæ Pontificē deſignari expetebat, in eo aucti furore Conclaue, quo Patres concluſi erant, irruentes duos extraxerunt ex gente Vrſina Cardinales, Matthæum Rubeum, & Iordanum, & fratrem Latinum Oſtienſem Epiſcopum, & per vim detractos abduxerunt, qui Electionem eò vſque ſe protracturos affirmabant, quoad Vrſo Prætura Viterbienſis reſtitueretur; eóſque multis contumelijs affectos, honeſta cuſtodia incluſerūt. C Vrſinis ergo abſentibus, reliqui Patres Latino Conclaui reddito, facilè communibus ſuffragijs, Caroli Regis rogatu viij. Kalen. Martij, die Cathedræ S. Petri, ann. 1281. deſignarunt Simonem de Bria oppido Campanum Gallum, Diœceſis Senonenſis; virum haud ignobili genere ortum, ſed doctrina, rerum gerendarum experientia, animi magnitudine, morum, & vitæ ſanctitate inſignem; quem Vrbanus IV. ex Canonico, & Theſaurario Eccleſiæ S. Martini Turonenſis, Presbyterum Cardinalem S. Cæciliæ creauerat. Fuerat verò diu Apoſtolicæ ſedis in Gallijs, magna cum exiſtimationis, & vitæ integritatis fama Legatus: vbi multis Concilijs prouincialibus habitis corruptos Clericorum mores emendauerat, a Gregorio X. poſt Concilium Lugdunenſe factus, à Nicolao III. paulò ante obitum reuocatus, & Pontifex renunciatus; id Martini Turonenſis Epiſcopi memoriæ tribuit, vt Martinus IV. vocaretur, ſed perperam; nam vnum tantùm Pontificem Romanum, Martinum ſcilicet Tudertinum ante ſe habuit; alij verò duo, Marini, vt ex eorum Bullis, & alijs monumentis liquet, non Martini, vocati ſunt. D

MARTINI Electio.

CARDINALES XIII. VIVI
Quando Martinus PP. II. dictus IV. creatus eſt.

CARDINALES EPISCOPI III.

NICOLAI PAPAE III.

1. Ordeonus, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus.
2. Bentiuenga de Bentiuengis de Aquaſparta, ordinis Minorum, Epiſcopus Cardinalis Albanus, Maior Pœnitentiarius.
3. Fr. Latinus Malabranca Romanus, ordinis Prædicatorum, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus.

PRESBYTERI CARDINALES V.

VRBANI PAPAE IV.

4. Ancherus Pantaleo, Trecenſis, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Praxedis, Prior Presbyterorum.
5. Guillelmus de Braio, Rhemenſis, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Marci.
6. Simon de Bria, Senonenſis, Gallus, Presb. Card. tt. S. Cæciliæ.

NICOLAI PAPAE III.

7. Gerardus Blancus ex Villa Gainaco, Presbyter Cardinalis Baſilicæ ſanctorum duodecim Apoſtolorum.
8. Fr. Hieronymus Aſculanus, ordinis Minorum, Presb. Cardinalis ſanctæ Praxedis titulo Paſtoris.

DIACONI CARDINALES V.

VRBANI PAPAE IV.

9. Iacobus Sabellus Romanus, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Coſmedin, alias Schola Græca, Prior Diaconorum.
10. Gottifredus de Alatro, Hernicus, Diaconus Cardinalis ſancti Georgij in Velabro.
11. Matthæus Rubeus Vrſinus, Romanus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Porticu, Archipresbyter S. Petri.

NICOLAI PAPAE III.

12. Iordanus Vrſinus Romanus, Diac. Card. S. Euſtachij.
13. Iacobus Columna Romanus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in via Lata.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1281. Vrbemueterem profectus, eo loci omnia Cōſecrationis, & Coronationis, Martinus II. dictus IV. D inſignia ſuſcepit in Baſilica S. Andreæ, x. Kalen. Aprilis, per manus Iacobi Sabelli Romani, Diaconi Cardinalis S. MARIAE in Coſmedin, S.R.E. Archidiaconi. Qui ſedit in Apoſtolica ſede, Rodulpho Cæſare annos 4. menſem vnum, dies 7. Viterbij porrò conſecrari noluit, quod ei Ciuitati, ob impetum in Cardinales factum, interdictum ſacris eſſet, & ſceleris auctores excommunicati; Romana Curia inde diſcedens, Viterbij poſtea nunquam fuit.

CORONatio Martini II PP. dicti IV.

VITERbium à Romana Curia deſeritur.

Martinus Papa IV. à carceribus exemit Matthæum Rubeum Vrſinum, & Iordanum Vrſinum, Romanos, Diac. S.R.E. Cardinales, quibus fuerant addicti, quòd noui Pontificis creationi ſe opponebant, conſenſerūt tamen Electioni Martini Papæ IV. Magnæ enim ſimultates in Vrbe erant inter Vrſinos, & Hannibaldenſes, ob duos

DISSENtiones in Pontifice

Cardinales

Electiones ortas Martinus recõciliat.

Cardinales Vrſinos vi captos, vbi enim Romæ ſcitum eſt, Cardinales duos captos, Hannibaldi factio Vrſinam gentem Vrbe pellit, quę cum ſua factione abiens Præneſte ſeceſſit, à Martino tamen reuocat ſunt. Richardus Hannibaldenſis, vt ab excommunicatione, ob Cardinales captos contracta, abſolueretur, Legati auctoritate veniam à Cardinalibus læſis demiſsè petens, eam Pontificis interuentu obtinuit. Qui Cardinalis Legati genibus prouolutus, laqueum collo gerens non ſine magna reſipiſcentia, & doloris ſignis veniam petens abſoluitur, ita compoſita inter vtramque factionem pace.

REX Carolus in Senatoriã dignitatẽ reſtituitur.

Martinus Pontifex Regem Carolum ad ſe Vrbemueterem venientem non ſolùm benignè ſuſcepit, verùm cum ipſe à Romanis Senator perpetuus deſignatus eſſet, eodem modo Senatoriam poteſtatem, qua à Nicolao priuatus fuerat, lege eiuſdem abrogata, in eum locum reſtituit. Quæ res à multis damnata fuit, cum magnas in Vrbe ſeditiones excitatura eſſet. Martinus ab omni cupiditate ſuorum alienus, maximus Eccleſiaſtici iuris defenſor fuit, cum germanus frater aliquando ad eum acceſſiſſet, vt ei de tanto honore gratularetur, ſimulque multa ab eo obtinere ſperans, eum confeſtim paucis muneribus donatum, domum redire iuſſit, affirmans, bona Eccleſiæ, quæ ſua non eſſent, ſe nolle ſine ratione donare.

MICHAEL Imp Conſtantinop. excommunicatur.
*

Vrbiſueteris Republica conſtituta, Martinus Pontifex Michaëlem Palæologum Imperatorem Conſtantinopolitanum, Concilij Lugdunenſis Decreta non ſeruantem, pariter & Græcos, inſtante Carolo Siciliæ Rege eius acerrimo hoſte excommunicauit *. Michaëlem enim Imperio exigere conabatur, ambitione augendæ ditionis in Græcia, qui multa oppida in Achaia obtinuerat. Sed Ioannis Procidæ opera clam fœdus cum Pontifice Martino, & Rege Aragonum inijt; quo ſibi à Siculo Rege caueret.

MARTINI legatio ad Petrũ Aragonum Regem.

Pontifex Iacobum ordinis Prædicatorum, virum doctum, & prudentem, Legatum ad Petrum Aragonum Regem mittit ſciſcitatum, quid ſibi vellent tanti belli apparatus: Cui Rex, Contra Sarracenos, inquit. Tùm Legatus, Contra quos, interrogauit, At Rex, id ſe nolle tunc aperire, reſpondit. Quod ſi altera ex eius manibus id ſciret, quo res occultior eſſet, ſe eam abſciſſurum, dixit. Redijt igitur re infecta Legatus.

Interim Siculi nobiles, quorum motum Petrus Rex in Sardinia, magna claſſe inſtructus expectabat, ſuperbiam, libidinem, petulantiam, auaritiam, crudelitatem, & truculentos Gallorum mores, amplius ferre nequeuntes, Ioannis Procitæ, qui olim Manfredi Regis Medicus fuit, ſuaſu, & miro aſtu, in Carolum & Gallos omnes, validam coniurationem concitarunt, & inierunt, data die ad expediendam rem, vt cum primùm Veſperarum nola exaudiretur, vbique Galli, nullo ſexus, ætatis, ordinis diſcrimine habito ad internicionem tota Inſula cæderentur. Qua in re ab exagitatis Siculis ita ſæuitum eſt, vt & mulieres à Gallis compreſſæ *, & prægnantes, ne vlla inteniti generis proles ſupereſſet, necatæ traderentur: Hinc Veſperarum Sicularum prouerbium manauit. Accidit Gallis tanta clades anno Chriſti 1281. Regni Caroli 49. feria ſecunda Paſchatis *, rerum nouarum initio à Panhormitanis facta.

GALLI ingẽti clade à Siculis affecti.
*
VESPERÆ Siculorum.
*

MESSANA lõga obſidione à Carolo obſeſſa.

Carolus, qui tum in Hetruria erat, Siculorum defectione, & immani ſæuitia audita, Pontificem adijt, cui rebellionem Siculorum, & Petri Aragonum Regis iniuriam exponit, Pontifex dolens, quod poſſet, auxilium ei obtulit. Inde diſcedens magnis itineribus, cum validis copijs, & Legato Apoſtolico Gerardo Albano Parmenſe, magni conſilij homine in Siciliam traijciens, Meſſanam Vrbem obſedit, quam longa, & graui obſidione preſſam, certè deditionem cepiſſet, niſi Galli vltionis cupidi, deleturos ſe Vrbem *, & omnes occiſuros imprudenter minati fuiſſent. Dum Meſſanæ obſidio continuatur, neque Aragonum Rex Petrus quemadmodũ pollicitus fuerat, præſtò eſſet. Siculi Gallorum vim, & iram timentes, Oratores viros religioſos ad Pontificem miſerũt, veniam deprecantes, quorum eiuſmodi tantùm fuit oratio, *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis*, id ter repetentes. Quibus in publico Conſiſtorio, hoc tantùm reſponſum, *Aue Rex Iudæorum, dicunt Iudæi Chriſto, & dabant ei alapas*, ter hoc ipſum replicatum, & nullo alio reſponſo impetrato, mœſti domum redière, id in mandatis tantùm ferentes, vt Vrbem Meſſanam Carolo ſine vllis conditionibus dederent, aliòqui ſe excommunicatos eſſe, ſcirent.

*

SICVLI Oratores ad Pontificẽ mittũt.

PETRO Aragonũ Rege Panormũ adueniente, Carol⁹ obſidione ſoluta in Calabriã ſe recepit.

Meſſenates accito in Vrbem Legato, æquiſſimas deditionis conditiones obtulere, quas etiam deprecante Legato, ſuperbus Rex reiecit, & eos non niſi lege belli ſuſcipere conſtituit. Qui in rerum omnium deſperatione, obſidionem fortiſſimo animo ferrè maluerunt, quàm ſæui Regis voluntati obtemperare. Secundo porrò obſidionis menſe, Petrus Aragonum Rex, cum quinquaginta triremium claſſe ex Hiſpania Panhormũ applicuit, cuius claſſis ductor erat Rogerius Doria, rei militaris peritiſſimus. Petrus ab Inſularibus honorificentiſſimè exceptus Regni Siculi Diadema ab Epiſcopo Cephaludenſi ſuſcepit. Hanc ob rem Carolus perterritus, Meſſana relicta, in Calabriam rebus infectis ſe recepit, filium Carolum Salerni Principem expectaturus, qui paulò poſt è Narbonenſi regione, cum aliquot cohortibus adeſſe nunciabatur, obiurgatus à Carolo per literas Petrus Arago, quòd affinis, & conſanguineus Regnum ſuum inuadere, nulla laceſſitus iniuria, auſus eſſet, reſpondit Petrus, Se miſericordia motum, calamitoſo populo, & ſeruilem in modum vexato petitum auxilium negare non potuiſſe. Quanquam id quoque Regnum iure ſibi hæreditario deberetur, ob vxorem Conſtantiam Manfredi olim legitimi Regis filiam. Creſcentibus verò vltro, citróque iurgijs, tandem ex Caroli prouocatione ad ſingulare certamẽ * res deducta eſt, hac conditione, Vt vterque eorum centum ſibi ad certamen commilitones aſciſceret; locus pugnæ apud Burdegalam in Regis Anglorũ Odoardi ditione, qui Iudex delectus erat, deſignatus, vtriuſque verò Regis Anglus affinis erat. Rex Carolus filio ad Regni curam relicto, ad monomachiæ locum ſe contulit, Petrus itidem relicto in Sicilia ſecundogenito Iacobo Burdegalam abijt, ſtato pugnæ die adfuit Carolus, & cum vſque ad Veſperam nemine apparente expectaſſet, ſe deluſum dolens diſceſſit illico ſub Veſperam aduenit Petrus, qui Carolo non inuento, eius apud Iudices contumacia accuſata, & ipſe abijt. Eam ob rem Martinus Papa II. Petro iratus eum excommunicauit *, & Aragoniæ Regno priuauit. Quod Carolo ſecundogenito Philippi Francorum Regis contulit, & Cruceſignatos contra eum, tanquam bonorum Eccleſiaſticorum inuaſorem concitauit. Cui Philippus Francorum Rex rogatu Papæ Martini bellum indixit, immenſo coacto exercitu in eius Regnum, à Legato Cardinale comitatus Gregorio Giancoleto Legato Cardinale ob eam rem in Gallias miſſo, dum Carolus Rex ſingulari certamini intentus in Gallijs eſſet, Rogerius Doria Calaber, Aragoniæ claſſis Dux, ſuæ ætatis peritiſſimus, littoralibus Regni deprædatis, ante Neapolim cum claſſe 45. triremium conſedit, & claſſem Gallicam ad pugnam prouocabat; Carolus Salerni Princeps Regno, abſente patre, præpoſitus, Legato qui cum eo remanſerat, & nequaquam tantum Regnum periculis committendum eſſe reclamante, in hoſtem cum claſſe ſua 32. triremium mouens, non longè à Neapoli ingenti ſuorum clade ſuperatus, (præter patris iuſſa eas iniurias non ferens, iram ſine viribus parum valere ignorans) capitur, & in Siciliam primum, deinde in Aragoniam perducitur: Quod tamen profectò non accidiſſet, ſi benè monenti Legato obtemperaſſet.

*

*
PETRVS excõmunicatur Aragonumque Regno priuatur.
Manans.

CAROlus Salerni Princeps captus in Aragoniam perducitur.

Nam poſtridie pater Carolus cum magna centum decem triremium claſſe ſuperuenit, qui cum hoſte nec dum victoria elato decertare potuiſſet. Qui Neapolim accedens immenſæ claſſi ad Siculorum expugnationem comparandæ totus vacabat, vt ineunte Vere in Siciliam moueret, iamq; ad 110. triremium claſſem adornauerat. Cùmq, Neapoli Brunduſium pergeret, maioribus copijs commeatu, ac pecunia colligendis, ingentibus curis magis, quàm ſenio confectus, febre in Apulia 7. Februarij obijt, ann. 1284. ætatis 56. Regni 19. Corpus regia pompa in Cathedrali Neapolitana ſepultum eſt.

CAROLI Regis obitus.

Paulò ante Caroli mortem, Pontifex duos Cardinales Legatos in Siciliam ad Petrum Aragonum Regem miſerat, vt pacem inter duos Reges componeret. Qui Cardinales eluſit, hi propoſitis legationibus, rebus infectis, rediere.

Interim, cum Martinus curis agitatus dubitaret, à quo duorum populorum, Piſaniſnè, an Genuenſibus contra Petrum Aragonum auxilium peteret: Inter hos de poſſeſſione Inſulæ Corſicæ contentio exorta eſt, vt ipſi aliunde auxilium petere cogerentur. Pontificem nihil tale ſuſpicantem alia calamitas Vrbeueteri afflixit, Guelphis, & Ghibellinis ad arma, eius mandato deſpecto, concurrentibus, quibus circumuentus Peruſium proficiſcitur, vbi lenta febri diù, & ſenſim vexatus fuit:

Anno Dominicæ Natiuitatis 1285. Peruſij, quò ſeceſſerat, lenta febri ſenſim vexatus Martinus II. obijt, iv. kalen. Aprilis, Pontificatus ſui anno 4. menſe 1. diebus 7. in Cathedrali S. Laurentij Eccleſia ſepultus, Minorum habitu indutus, &, ob vitæ ſanctitatem, multis miraculis clarus: ad eius enim ſepulchrum multi valetudinarij delati, multi cæci perducti, multiq; claudi priſtinam valetudinem eius meritis à Deo recepere. Vacauit Romana ſedes dies tantùm 4. Fuit hic annus ob quatuor Principum Chriſtianorum mortem inſignis, nimirum Martini Papæ, Philippi Francorum, Caroli Siciliæ, & Petri Aragonum Regum.

OBITVS Martini II. dicti IV.

Condidit hic Pontifex arcem, & nobiles in Monteflaſcone ædes, quas & aliquando incoluit: in ædificando enim magnificus fuit, religioſorum hominum amator, & ad pietatis opera pronus, atque in egenos miſericors, quos in dies in maxima annonæ charitate, pane albo ſingulos pauit, & cum nobiles calamitate oppreſſos videret, ſecretò ſubſidium eis afferebat.

Maxima doctrina, & ſanctitatis opinione Martini Pontificatu vixerunt Richardus, Rhemenſis Archiepiſcopus, ordinis Minorum, doctrina, & concionandi gratia excellens, qui ſermonũ librũ edidit.

PERITISſimi Viri ſub Martino.

Gaufredus Tranenſis S. R. E. Subdiaconus, & Pontificis Capellanus, ac Guido de Baiſo Archidiaconus Bononienſis, Iuris Pontificij, Cæſareiq; peritiſſimi, ingenio præſtantes, eloquio diſerti, qui ſuper Decretum, & Decretales accuratè, & alia opuſcula ſcripſerunt.

Gerardus monachus Monaſterij ſancti Quintini in Inſula, qui hiſtoriolas aliquot pias, horum temporum, & SS. vitas edidit.

Guillelmum Lamanſij ex ordine Minorum, & Guillelmus Samaces Gallus ordinis Carmelitani, qui ſuper Sententias accurata Commentaria reliquerunt: hic præterea Carmelitani ordinis Chronicon, & in Regulam ſuam nonnihil ſcripſit.

Martini etiam Pontificatu Cæſar Andronicus ſenior Palæologus Auguſtus Orientis Imperator an. 1283. imperauit an. 50.

SIGNVM

SIGNVM MARTINI PAPAE II.



ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

¶ Poſt Nicolai III. obitum, ſedem ſex vacaſſe menſes, tradunt Panuin. in Chronic. Ciaconius in Nicol. III. & quidam alij; menſes quinque, & dies 20. Genebrard.

* *Conclaui, quo Patres concluſi.*] Pugnantia aſſert Ciaconius in Ioan. XX. in Martini II. & aliorum quorumdam creatione Conſtitutionem Gregor. X. de Conclaui ad vſum reuocatam non fuiſſe, aut: modo aſſerit, Cardinales in Conclaui penetrali fuiſſe: quod etiam in Nicolao III. indicauit.

* *viij. kalen. Martij.*] Viterbij, hac die, à 10. Cardinalibus Martinus in Romanum Epiſcopum electus fuit. Panuin. in Chron.

* *M. Palæologum .... excommunicauit.*] Rem hanc narrat paucis antiquus ſcriptor Eberhardus in Chronic. & refert Martini acta, quibus Imp. Palæologum anathemate affectum declarauit, ea etiam, Laert. Cherubinus I. C. edenda, curauit. Act. Vrbeueteri in platea maioris Templi, die dedicationis Baſilicæ Principis Apoſtolorum, an. Pontif. 1.

10. 9. Bull.

* *Superbiam, libidinem, &c.*] Ex Platina accepit Ciaconius: ſed nimius fuit; Platina enim duo tantùm vitia enumerauit; hic autem ijs addidit petulantiam, auaritiam, crudelitatem, mores truculentos: non deſunt, qui dicant, id Ciaconium prætermittere debuiſſe; ne aculeos in nationem, rebus etiam in Romanorum Pontificum, & Apoſtolicæ ſedis obſequiũ, præclare geſtis, illuſtrẽ, videretur acuere.

In Martino II.

* *Veſperum Siculorum.*] Veſperas Siculas, Platina, & alij quidam Sicilianas, vel Veſperum Siculum Genebr. loc. cit. De ſubita illa Gallorum cæde Platina, Aemil. lib. 7. Cæſi Galli, ijs, exceptis, quos arx munitiſſima Spirlinga defendit. Vide Genebr. loc. cit.

* *A Gallis compreſſa.*] Platinæ aliquid Ciaconius addit: ſatis erat, ſi, cum illo, dixiſſet, *Adeo ſæuitum eſt, vt etiam mulieres Gallico compreſſu prægnantes cæſa dicantur.*

* *Feria 2. Paſch.*] Die Paſchæ, ait Geneb. quem dixiſſe, nolim, Siculos Nicolao III. quia Carolo infenſus erat, conſilia communicaſſe: quem Regi Aragonio cædem illam ſuaſiſſe, Pleſſæum, mendacij, liuorisq; calamo vtentem, affirmare, non puduit. Cuſtos pacis Nicolaus, animarum creditarum ſaluti conſulebat; non harum, & corporum perniciem exoptabat.

* *Deleturos ſe Vrbem.*] Ex Platina.

* *Ad ſingulare certamen.*] Ex Platina in Martino II. Mornæus mendacia mendacijs farciens, Legatum Apoſtolicum (is erat Gerardus Parmenſis Cardinalis) à Martino ſingularis certaminis, quod Reges Neapolis Carolus, & Aragoniæ Petrus, ad litem Siculi Regni dirimendam, ſibi mutuò condixerant, ſpectatorem Burdegalam miſſum, blaterauit: Neapolim à Martino miſſus Legatus, vt, Carolo Rege illuc ad certamen ineundum abeunte, Iuniori Carolo, Salerni Principi, conſilio, auctoritate, auxilioque adeſſet, vt Blondus, Platina, Gretſerus, alijque teſtantur.

Lib. 8. dec. 2. loc. cit.

* *Martinus Petro iratus eum excommunicauit.*] Platina; qui addit; Petri Regnum occupare volenti in prędam expoſitum, ſubiectos illius à iuramento fidelitatis abſolutos, Cruceſignatos in ipſum, quem Eccleſiaſticorum bonorum vſurpatorem Pontifex exiſtimabat, ab eodem concitatos. Literas Martini, lati in Regem Aragonum anathematis, refert Eberhardus in Chron.

* *Obijt iiij. kalen.*] Ex Panuin. in Chron.

* *Minorum habitu indutus.*] Ante mortem etiam Minorum veſtes induere voluit Martinus, Vvaddingus, to. 2. An. Min.

* *Miraculis clarus.*] Trithem. in Chron. Hirſaug. Platina, Genebrar. loc. cit. Binius par. 2. tom. 3. Concil. Vvaddingus to. 2. An. Min. Cardinalis Aegidius Viterbien. de Martini tumulo cum loqueretur, dixit. *Miracula viſa eſſe, prodiderunt.* Martinus Polonus, ante alios, teſtis ocularis, vſque ad diem 12. Maij, quo ſcribebat, ſurdos, cæcos, mutos ſanitati reſtitutos, Clericis, laicíſque videntibus, neque adhuc ceſſaſſe miracula, aſſerit: *imò*, adiecit, *diebus ſingulis, occurrente populoſa fidelium multitudine miſericordia à Deo largiuntur, & qui ſcripſit hæc, vidit ea.* Meritò à Genebr. & ab alijs nonnullis ſanctiſſimus dictus eſt.

To. M. S. Hiſtor. 20. ſecul.

A certiſſimum Eccleſiaſticę poteſtatis propugnatorem Vvaddingus ſanctiſſimum hunc Pontificem rectiſſime nominauit. Duas eius Epiſtolas retulit Maſſonus, teſte etiam Binio, in illius vita loc. cit.

t. 2. A. M.

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI SOCIETATIS IESV.

DECEM Cardinales Simonem Mompitium, ab oppido Briæ, de Bria dictum, Presbyterum Cardinalem S. Cæciliæ Viterbij ad Pontificatum extexere concordibus ſuffragijs, tantoque ardore animorum, vt reſpuenti Pontificios apices, euulſa veſte Cardinalitia vim illi intulerint. Ceſſit licet multus omnium votis Simon, ac Martini nomen accepit: mos inualuit, vt Martinus IV. vocaretur, licet Secundus eſſet nominandus, vnus enim præceſſit Martinus, & duo Marini, vt eorum monumentis, ac Diplomatibus eſt luce clarius. Et quidem Simonem hunc auulſum à terrenarum rerum amore teſtatur S. Antoninus his verbis: *Poſt vacationem ſedis quinmeſtrem electus fuit in Papam is, qui dictus eſt Martinus IV. natione Gallicus, Patria Turonenſis*, Bria nimirum oriundus in agro Turonenſi, *etſi non nobilis genere ſecundum carnem, tamen moribus generoſus, & magnanimus, & a cupiditate pro ſe, vel ſuis alienus, Eccleſiaſticique iuris zelator.* Petrus Frizon in Gallia Purpurata, Simonem nobilem Gallum prędicat, dum ſcribit illi germanum fratrem fuiſſe Aegidium de Bria virum nobilitate, ac militia commendatum.

Martini electio.

Reſpuit Pontificatũ.

Martinus II. nominandus.

S. Antoninus celebrat Martini virtutes.

Gerebat quidem in votis Martinus in Vrbe ſolemni ritu Pontificiæ dignitatis ornamenta ſibi conferri, & inteſtinos eiuſdem Vrbis motus ſedare, vtque iter optatis ſterneret, Latinum Epiſcopum Oſtienſem, & Gottifredum Diaconum Cardinalem S. Georgij ad velum Aureum ad Romanos miſit, vt in literis ad Carolum Regem Siciliæ teſtatur his verbis. *Exigebat Vrbis inteſtina turbatio, animarum pericula ingerens, & rerum vaſtitatem inducens, ad idem vrgebat inſtantius Noſtra deuotio interpellans multipliciter, & inſtigãs, vt in illius videlicet Apoſtolorum Principis veneranda Baſilica Succeſſor ipſius munus conſecrationis reuerenter acciperet, cuius diuina diſpoſitione onus ſucceſſionis accepit; in ea Ciuitate ſumeret idẽ Succeſſor Apoſtolici honoris inſignia, ex qua titulum ſuæ denominationis aſſumit Romanus Pontifex, ſeu Papa vocatus. Hinc vt ſaluti tam ſpecialium filiorum prouiſio paterna ſuccurreret, damnis occurreret, & tanta ipſius Noſtræ deuotionis inſtantia, deſiderata ſatiſfactio proueniret, Noſtræ Conſecrationis, & Coronationis ſolemnia non ſine multorum perſuaſione contraria, nõ abſque negotiorum Nobis imminentium, & ad retardata ipſorum expeditionis accelerationem inſtantium impedimento, diſtulimus, ad Vrbem eandem Venerabili fratri Latino Oſtienſi Epiſcopo, & dilecto filio Noſtris Gotifredo S. Georgij ad velum Aureum Diacono Cardinali, velut pacis Angelis deſtinatis, vt inibi ſtatum reformando pacificum, ſopirent odia, concordarẽt corda diſcordia, & in vnitate charitatis vnirent, Nobiſque adeundi Vrbem eandem, ad proſequenda præſertim eadem ſolemnia opportunitatem Curia Noſtra, ipſamque ſequentibus neceſſariam præpararent.* At efferati mutuis odijs Romanorum animi flecti tam citò ad concordiam non potuere, atque adeo Martinus ne in Vrbe Viterbienſi ob Vrſinos Cardinales cuſtodiæ mandatos Eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto, ſolemnem Conſecrationis Pontificalis pompam celebraret, ad Vrbemueterem ſe contulit. Ex qua Vrbe encyclicas literas ad Orbis Chriſtiani Præſules dedit, quibus de ſuſceptis à ſe Catholicæ Eccleſiæ gubernaculis certiores eos factos monuit, vt operam cum ipſo in re Chriſtiana agenda coniungerent, ac numen precarentur, vt cœleſti ope tanto muneri imparem fulciret. Ad tuendam poſtmodum Eccleſiaſticam ditionem, & ad vindicandam è tyrannide Guidonis è Monteferetro Aemiliam animum, conſiliaque conuertit: & copias a Carolo Siciliæ Rege exciuit ad reprimendos Eccleſiæ Romanæ hoſtes, atque ad Picenum, Campaniam, Ducatum Spoletanum, & Patrimonium S. Petri in obſequio continenda. Patrocinatus quoque eſt Ferrarienſi Epiſcopo, qui ſede ſua per vim eiectus fuerat, atque Archidiacono Ferrarienſi munus impoſuit, vt Pſeudoepiſcopo, qui armis, & potentia ſeculari fuerat intruſus, depulſo, alterum Apoſtolica auctoritate ad Eccleſiam reuocaret. Romano populo rei frumentariæ inopia laboranti magnam pecuniarum copiam ſubmiſit, vt ex Regno Sicilię ſibi annonam compararent, atque ad Salernitanum Principem ſcripſit, vt frumentum ex Neapolitano Regno efferri permitteret, Albertumque è Parma Vaticanæ Baſilicæ Canonicum colligendæ annonę curam gerere iuſſit.

Oder. Rinald. in Annalib.

Ornamenta Pontificia Romæ accipere meditatur.

Abraham Bzou. in Annal.

De ſua promotione ad Præſules ſcribit.

Contra Eccleſiæ hoſtes arma mouet.

Epiſcopũ Ferrariæ defendit.

Oder. Rinald. ibid.

Pecuniarũ vim Romanis mittit.

Pet. Friſõ in Gallia Purpur.

Noruegiæ Regem auaritiæ arguit, qui pecuniam in Terræ Sanctę ſubſidium collectam è Regno efferri recuſabat. Denarium ſancti Petri, ſeu Cenſum octo annorum præteritorum ex Angliæ, Hiberniæque Regnis recepit: Vt Almaricum Montfortium captiuum libertati reſtitueret, Anglo ſcripſit, Vrbeueteri duodecimo Kal. Octobris.

Arguit Noruegiæ Regem. Denarium S. Petri recipit.

Literas quamplures ſcripſit Martinus, quarum Regiſtrum m. s. aſſeruatur in Vaticano.

Literæ.

De Martini obitu, eius Vitæ m. s. auctor hæc poſteris tradidit: *Martinus Papa obijt in Peruſio kalen. Aprilis in octaua Paſchæ anno Domini 1285. fertur que a quibuſdã miraculis claruiſſe poſt mortem.* At Martini Poloni Appendicis auctor non ambiguè, ſed diſertè patrata ab eo miracula narrat, quæ ſuis hauſiſſe oculis teſtatur. *Die Reſurrectionis Domini, quæ fuit in die Annunciationis Virginis Mariæ poſtquam celebraſſet, ſolitamque refectionem cum ſuis Capellanis ſumpſiſſet, arripuit eum infirmitas occulta, ex qua licet*

Obitus. Patrat miracula.

ſe grauiter

ſe grauiter pati diceret, eius Phyſici morbum, & cauſam in eo nullã, nullumque mortis indicium aſſerebant eſſe. Ipſe verò die Mercurij proximo ſequenti circa noctis horam quaſi ſextam debitum cõditionis exoluens humanæ, ad Dominum, vt certis opinatur indicijs, trãſmigrauit, & vacauit ſedes quatuor diebus: nam diuerſarum afflicti paſſionum, ſpecialiter viſus, auditus, & loquelæ proſtrati iuxta feretrum, in quo extitit ſepultus, infra paucos dies, videntibus, & aſſiſtẽtibus Clericis, & laicis quampluribus multi ſunt ſanati: nec adhuc, quando fuit hæc ſcriptura protracta xij. menſis Maij ceſſabant ibidem miracula: verùm imo diebus ſingulis occurrenti populoſa fidelium multitudini miſericorditer à Domino largiuntur: & qui ſcripſit hæc, vidit ea. His conſentanea tradit Nangius hiſce verbis: *Diuerſarum afflicti paſſionum, & morborum ad tumulum eius venientes, multis videntibus ſunt ſanati.* Ex quibus cauere diſcat lector à Nouatorum fraudibus, qui odio, & furore in ſedem Apoſtolicam percitis ſanctiſſimum Pontificem à Deo miraculis illuſtratum, confictis criminibus onerarunt, vt meritas illius laudes obſcurarent: atque Epitaphium confictum impiè, imperiteque, ad memoriam ipſius in odium adducendam ſcriptis commendarunt.

Cum verò de tanti Pontificis obitus die auctorum ſententiæ diſcrepent, omnibus ea in re præferendus Honorius ſummus Pontifex, ipſius Succeſſor, qui in literis ad Mediolanẽ. Archiepiſcop. ceteroſq; Præſules de ſua electione datis, in iv. kal. Aprilis incidiſſe teſtatur, cui plures alij conſentiunt. Sepulturæ locum ſibi delegiſſe Martinum in Templo Aſſiſij, ſacro S. Franciſco affirmat idem Pontifex Honorius, qui cum extremæ voluntatis executor à Martino relictus eſſet, adepta poſtea dignitate, Magiſtratibus, ac Populo Peruſinis ſcripſit, vt Martini corpus, qua par erat, reuerentia Aſſiſium deferri operam darent. Illi tamen ne ſancto priuarentur corpore, & tantum ſibi præriperetur pignus, varias interpoſuerunt appellationes, in quibus audiendis, & reijciendis elapſum eſt tempus, obijtque Honorius, neq; fuit, qui ampliùs tranſlationem vrgeret. Extat hodie Peruſij in Eccleſia principe ſancto Laurentio ſacra Martini ſepulchrum cum Epitaphio, quod illi, alijſque duobus Romanis Pontificibus inſcripſit Napoleo Comitolus Epiſcopus Peruſinus, & eſt tale

Eligit ſibi ſepulchrũ in Tẽplo Aſſiſiano.

Peruſini renuunt dare corpus Martini.

Luc. Vuadding. tom. 2. Annal. Minorum

✠ OSSA ✠
TRIVM ROMANORVM PONTIFICVM
QVI PERVSIAE OBIERVNT
INNOCENTII III. VRBANI IV. MARTINI IV.
AN. MCCXVI. AN. MCCLXIV. AN. MCCLXXXII.
AB HVIVS TEMPLI SACRARIO
HVC TRANSLATA
AN. MDCXV.

Eccleſiæ S. Cæciliæ, vbi ante adeptum Pontificatum Cardinalitios apices geſſerat, Icona argenteam gemmis eleganter diſtinctam, vt Honorij Romani Pontificis literæ oſtendunt, teſtamento reliquit Martinus: atque etiam duo millia librarum Turonenſium pro Terræ Sanctæ ſubſidio inſtruendo contulit.

Dono facta Eccleſiæ S. Cæciliæ, ac Terræ Sanctæ.

Anno à Chriſti Natiuitate 1281. qui fuit Pontificatus Martini primus, tranſlatæ ſunt S. Thomæ Aquinatis ſacræ Reliquiæ, ac non ſine ingenti miraculo, ipſius corpus omnis corruptionis expers in ſignum ſeruatæ perpetuæ caſtitatis inuentum eſt. Eodem anno conſignata eſt mors Annæ Reginæ, Rodulphi Romanorum Regis vxoris, quam pijſſimè animam efflaſſe, ac Baſilienſem Eccleſiam bonis auxiſſe, vt damna, quæ Rodulphus antea intulerat, reſarciret, tradunt Annales Colmarienſes: anno verò 1283. in Boëmia Agnes regia ſtirpe progenita obijt, quam reuocaſſe neptem Regis ad vitam, ac fulſiſſe pluribus miraculis, vidiſſeque Angelos tradunt.

Reliquiarum ſcti Thomæ Aquinatis tranſlatio. Sanus die 7. Martij. Annæ Reginæ mors Agnetis Boemiæ Obitus. Oder. Rinaldus.

Sub hoc Romano Pontifice habita Concilia nonnulla ſunt, Herbipolenſe ſcilicet in Germania, Præſide Legato Apoſtolicæ ſedis, & Rodulpho Cæſare præſente cum Imperij Principibus viris: vbi inter alia Legatus Pontificio nomine contributionem decimi denarij à Clero, Imperator ab vniuerſo populo exigere cœperunt. Celebratum eſt etiam Prouinciale à SuinKa Archiepiſcopo Gneſnenſi, in quo Henricus Dux ob Vratiſlauienſis Eccleſiæ bona occupata cenſuris affectus, & ipſius Ducatus interdicto ſuppoſitus eſt.

Cõcilium Herbipolenſe. Pet. Frizõ. in Gallia Purpur. Cõcilium à Suinke habitum.

PRIMA CREATIO CARDINALIVM
Martini Papæ II. dicti IV.

Anno Dominicæ Incarnationis 1281. *Pontificatus I.* x. Kalendas Aprilis Vrbeueteri Martinus Romanus Pontifex plures creauit Cardinales, qui fuerunt.

Gerardus Blancus de Gainaco Diœceſis Parmenſis ex Presbytero Cardinali ſanctorum duodecim Apoſtolorum Epiſcopus Cardinalis Sabinus.

Frater Hieronymus Aſculanus ordinis Minorum ex Presbytero Cardinali ſanctæ Pudentianæ titulo Paſtoris Epiſcopus Cardinalis Prænestinus.



I.

BERNARDVS de Languiſſello, natione Gallus, Archiepiſcopus Arelatenſis, fratres habuit Andream, & Bertrandũ, illum Auenionenſem, hunc Nemauſenſem Epiſcopos. Duo Cõcilia Prouincialia celebrauit in Eccleſia ſibi commiſſa, & Bertrandum Balthium Barralis filiũ liti ſubiecit, propter Nionis, Mirabellij, & Vinſobrij Caſtra, quòd Bertrandus Maleferratus, refragante Capitulo, ea Barralis fidei, & ſacramẽto commiſiſſet. Iuri paterno renunciauit Bertrandus, nouiſq; acceptis à Bernardo Archiepiſcopo legibus, Beneficiarius Arelatenſis Eccleſiæ dictus eſt. Bernardum Martinus II. dictus IV. Romanus Pontifex inter Cardinales, & Epiſcopos Portuenſes cooptauit: cumque bellica Ioannis de Epa virtute procubuiſſet ad Eccleſiæ obſequium Aemilia, Martinus vt Prouinciam illam concuſſam ciuili bello in priſtinum ſtatum reſtitueret, ac Populos leuaret: Bernardum Epiſcopum Portuenſem in ea Legatum creauit, & literas ad illum dedit, in quibus hæc legimus. *Te propter exaltationem ipſius Eccleſiæ, ac reformationem, & directionem, ac optatam quietem illarum partium, de fratrum Noſtrorum conſilio illuc tanquam pacis Angelum duximus deſtinandum, fraternitati tuæ in Aquileienſi, & Gradenſi Patriarchatibus, ac in Rauennate, Mediolanenſi, Ianuenſi, & Piſana Prouincijs, & in earundem, ac in Bononienſi, Lunenſi, Ferrarienſi, Papienſi, Placentina, & Caſtellana Ciuitatibus, & Diœceſibus; nec nõ & generaliter in Lombardia, totius, Romaniolæ, Tuſciæ quoque in Imperio conſtitutis, Marchia Triuiſana, ac Venetiarum partibus, plenæ legationis officium committentes, vt euellas, & deſtruas, ædifices, & plantes, diſſipes, & diſperdas, ac facias auctoritate Noſtra quæcunque ad honorem Dei, & proſperum ſtatum partium earundem videris pertinere. Adijcientes nihilominus, quod eadem auctoritate in eiſdem Bononienſi, & Romaniola partibus ſpecialibus Noſtris, & eiuſdem Eccleſiæ in temporalibus exerceas vices Noſtras, &c.* Similes his literas ad Aquileienſem, & Gradenſem Patriarchas, atque ad Archiepiſcopum Rauennatem dedit Martinus, vt Legatum Bernardum, quo par erat honore exciperent, eiuſque poſtea Prouinciæ fines ad Vrbinatium Diœceſim extendit.

Ciaconius

Petrus Frizon. in Gal. Purp.

Aubery in vit. Card.

Ad Venetos quoque illum direxit, vt auxilia ab eis eliceret pro Carolo Siciliæ Rege, vt ipſemet Martinus ſuis literis ad Carolum datis teſtatur his verbis: *Nulla Galea conductitia pro te haberi poſſunt Venetijs, quamuis Venerabilem fratrem Noſtrum Bernardum Epiſcopum Portuenſem Apoſtolicæ ſedis Legatum illuc propter hoc ſpecialiter duxerimus deſtinandum.*

Oder. Rinal. to. 14. Annal.

Narrat Petrus Saxo in Arelatenſi hiſtoria, ac Petrus Frizonius in Gallia Purpurata hunc Bernardum de Languiſſello Portuẽſem Epiſcopum anno noſtræ ſalutis 1294. ſuum vltimum condidiſſe teſtamentum, præſentibus Andrea Auenionenſi, ac Bertrando Nemauſenſi Epiſcopis fratribus, Gulielmo, & Petro Notario, poſt quem annum obijſſe affirmant. Sed vterque à veritate aberrat, ſiquidem ex Regiſtro Vaticano Fr. Matthæus de Aquaſparta ordinis Minorum ex Presbytero Cardinali in Portuenſi ſede Bernardo ſubrogatur à Nicolao IV. menſe Decembri anno 1291. idemque Matthæus Portuenſis Epiſcopus interfuit electioni Cœleſtini V. ac Bonifacij Octaui anno 1294. vt habetur in libro obligationum ſacri Collegij, in quo leguntur omnium Cardinalium tunc viuentium nomina ante Cœleſtini electionem, ac tertio loco Fr. Matthæus Portuenſis Epiſcopus notatur; quomodo ergo potuerit in viuis eſſe hoc eodem anno 1294. doceant ipſi. E vita igitur Bernardus exceſſit non Romæ, ſed Vrbeueteri, quò ſeceſſerat cum Nicolao IV. ad nouæ Cathedralis ædificationis initium ſpectandum, anno 1290. & ſepultus ante aram principem Eccleſiæ S. Franciſci in pauimento, in marmoreo lapide cũ ſequenti Inſcriptione, prætereuntiũ pedibus penè corroſa.

Ferdinãd. Vghel. to. 1. Ital. ſac.

Ciaconius

Ferdinãd. Vghel. ib.

ANNO D. MCCXC. VIDELICET XIII. KAL. MENSIS
OCTOBRIS OBIIT B. M. DOM. BERNARDVS
EPISCOPVS PORTVENSIS

Hunc Rex æterna Patria ſociare ſuperna
Pro qua mundana reputauit gaudia vana
Et mens ſollicita fuit .... ſua vita
Culpis purgata, vt prorſus fieret tibi grata.

In eodem marmoreo Lapide adhuc extat cum Inſcriptione effigies, ac Bernardi inſignia tribus faſcijs exarata.

Subſcriptione ſua firmauit Bernardus Epiſcopus Portuenſis Honorij IV. literas anno 1285. monachis Cœnobij ſancti Benedicti de Mantua datas, aliaſque, quas idem Honorius ſcripſit ad tuendum Eccleſiaſticum Ius, quas Regiæ Conſtitutioni inſeruit Ferdinandus Rex Siciliæ anno 1469.

Ciaconius Oder. Rinald. in Annal. l. c.

Non

Perdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

Non deſunt qui hunc eundem arbitrentur eſſe cum Bernardo Aiglerio Cardinali Caſinenſi Abbate, de quo nos ſupra in Clemente Quarto plura diximus. Alij etiam cum Bernardo Sabinenſi Epiſcopo confundunt; diuerſos agnoſces tum ex ijs, quæ ſuperiùs notauimus, tù verò ſi mortem ſingulorū, ac dignitatē ſigillatim recolliges.

II.

Ciaconius

Ferdinand. Vghel. in Add. t. ad Ciacon.

Aubery in vit. Card.



HVGO Atratus, natione Anglus, ab oppido Diœceſis Vvigorniēſis, in quo eſt natus, cognominat⁹ de Eueshā, à parentibus in pietate, ac literis eruditus, tantum in illis profecit, vt ſui ſeculi Phœnix omnium voce dictus ſit; ſcientijs omnibus deditus, nunquam ſtudia intermittebat. Vir eruditione præcipu⁹, & in arte Medica egregius, ex continua Gymnaſiorum frequentatione, tota Europa notiſſimus factus eſt; Medicinæ ſtudijs iucundam Matheſeos cognitionem immiſcebat. Huius celeberrimi viri fama Martinus II. dictus IV. permotus anno reparatæ ſalutis 1280. exortis Romæ circa rem medicam difficillimis quæſtionibus, ad Vrbem vocaſſe, eiuſque inter alios peritiſſimos Medicos ſententiam percipere exoptaſſe, atque illum non ſolùm de ſe conceptæ opinioni abunde ſatisfeciſſe, ſed etiam ſpem, & expectationem longè ſuperaſſe, aſſerit Ioannes Pitſæus de ſcriptoribus Angliæ: ob quam rem S. R. E. Presbyter Cardinalis titulo ſancti Laurentij in Lucina ab ipſo Martino renunciatus eſt.

Nomencl. Cardinal.

Paul. Corteſius.

Scripſit Medicinales Canones.

Problemata quædam.

Super opere Febrium Iſaac.

Diſtinctiones Prædicabiles.

Poſtillas ſuper Biblia, & alia quædam.

De illo hæc Paulus Corteſius: *Hugo Atratus habitus eſt Theologicam diſciplinam doctus, qui maximè tum Princeps Genealogiæ Chriſti humanæ explicandæ fuit, ex qua cæteris poſtea aditus facilior ad interiora enodanda patuit.* Obijt Romæ ex peſte anno noſtræ ſalutis 1287. ſede Vacante poſt mortem Honorij IV. & ſepultus in titulo ſuo, marmoreo, & eleganti monumento, quod extare ibidem prope Sacriſtiam ſine vllo elogio affirmarunt Ciaconius, & auctor Nomenclatoris Cardinalium.

Ciaconius

III.

Ciaconius

Pet. Frizôn in Gallia Purpur.



IOANNES Cioletti, alias Cholet, natione Gallus, ex oppido Nointre Belluacenſis Diœceſis, patēte Eduardo procreatus, Canonum, & legum Eccleſiæ peritiſſimus, Francorum Regibus Philippo cognomine Audaci, & Philippo Pulchro chariſſimus, ex Canonico Belluacenſi, vel vt placet Brulio in Annalibus Lutetianis ex Præſule Belluacenſi S. R. E. Presbyteris Cardinalibus titulo S. Cæciliæ à Martino Romano Pontifice adſcriptus, fratrem habuit Odonem Abbatem S. Luciani Belluacenſis Monaſterij à Rege Childeberto conditi. Legationis munere functus eſt eodem Martino iubente ad Eduardum Angliæ Regem, vt ſingulare certamen inter Carolum Neapolitanum, & Petrum Aragonenſem Reges impediret. In literis Eduardo ſcriptis Vrbeueteri nonis Aprilis anno 1283. Pontifex de Ioanne Cardinali Legato hæc habet: *Dilectum filium Noſtrum tituli ſanctæ Cæciliæ Presbyterum Cardinalem, virum vtique grandi ſcientia præditum, prudentia, & morum honeſtate decorum, quem ſuæ probationis obtentu, grandi affectione proſequimur, cuius conſilijs te in his acquieſcere rogamus.*

Lata in Petrum Aragonum Siciliæ inuaſorem ſententia, qua cœtu fidelium eiectus, & omni regio honore exutus eſt, miſit Martinus Romanus Pontifex Ioannem Presbyterum S. Cæciliæ, vt Petrum Aragonum anathemate deuinctum in Gallijs promulgaret, atque Aragoniam nomine Romanæ Eccleſiæ alicui ex Philippi Galliarum Regis filijs vectigalem traderet. Extant apud Odericum Rinaldum tomo 14. Annalium Eccleſiaſticorum Martini literæ hac de re ipſi Ioanni datæ, quarum initium eſt. *Tuæ circumſpectionis induſtriam probatam frequenter in arduis fidum pectus, prouidumque conſilium Nobis nota familiaritate diuturna, debita meditatione penſantes, te ad hæc Miniſtrum idoneum de fratrum eorundem conſilio aſſumentes, ad occupandum idem Aragoniæ Regnum, & Comitatum Barchinoniæ, qui eſt de Terris expoſitis, quæ olim fuerant dicti Petri, de illo ex eiuſdem Regis Franciæ filijs, quem ad hoc ipſo Rex elegerit, alio tamen ab eo, qui ſibi eſt in dicto Regno Franciæ ſucceſſurus, ſub lege, conuentionibus, pactiſue ſubſcriptis, ab eodem Rege Franciæ, ac ipſi filio ad id electo per eum ſolemniter promittendis, vt eorum quemque contingunt, & inuiolabiliter obſeruandis; per te auctoritate Apoſtolica, quam in hac parte plenè tibi committimus, de ipſorum fratrum conſilio volumus prouideri, & ipſū ad id faciendū ſingulariter deputari, &c.* Quæ autē hac in legatione egerit Io: S. R. E. Cardinalis, ipſemet ſuis literis ad Martinum datis ſignificat, & tales ſunt.

Oder. Rinald. t. 14. Annal.

Ptolom. Lucenſ.

Nangius de geſt. Phil. Franc. Regis.

SANCTISS. P. AC DOM. SVO REVERENDISS. DOMINO MARTINO diuina prouidentia ſacroſanctæ Romanæ, ac vniuerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici: Ioannes Dei permiſſione tit. S. Cæciliæ Presb. Cardinalis, deuotus ſeruus eius, & filius cum humili recommendatione ſui deuotiſſima pedum oſcula beatorum.

Quæ inter Philippum Dei gratia Regem Franciæ illuſtrem, & Carolum eius ſecundogenitum ex vna parte, & me Ioannem titulo S. Cæciliæ Presbyterum Cardinalem, Veſtro, & Eccleſiæ Romanæ nomine ex altera acta ſunt, præſcriptarum auctoritate literarum, iuxta mandatum veſtrum tenore præſentium ad Veſtræ deduco notitiam ſanctitatis: ſunt autem acta huiuſmodi, quæ ſequuntur.

Anno Domini 1284. vigeſima prima die menſis Februarij, indictione 12. Pontificatus Veſtri anno III. memoratus Rex Franciæ, acceptato iam ab eodem Rege negocio Regni Aragonum, Comitatuſq; Barchinoniæ, eiſdemque Regno, & Comitatu per me Ioannem Card. Domino Carolo filio eius ab eodem Rege ad hoc electo ſolemniter aſſignatis, prout in alijs literis meis ſuper ipſo negocio confectis, quas per Venerabilem virum Magiſtrum Aegidium de Caſtelleto Veſtrū Notarium Vobis mitto, plenius continetur, lectis etiam ſupradictis literis, & à me Cardinale ſigillatim per articulos expoſitis in vulgari, huiuſmodi Regni Valentiæ negocium acceptauit. Poſtmodum memoratus Carolus ad huiuſmodi negocium à genitore ſuo electus, vniuerſa, & ſingula in ſuprascriptis literis Veſtris contenta, prout eum contingunt, ſe ac ſucceſſores per ſe, ac ſuos Officiales inuiolabiliter ſeruaturos, nec contra ea venturos; nec non & huiuſmodi negocium efficaci ſollicitudine, ac ſollicita efficacia proſecuturos abſque dilatione, ſiue intermiſſione, quas facti qualitas, ſeu emergentium caſuum neceſſitas non induceret; mihi Veſtro, ſucceſſorum Veſtrorum, & ipſius Eccleſiæ Romanæ nomine præfato genitore ſuo eadem vniuerſa, & ſingula ſpecialiter approbante, ac conſentiente, in ipſis expreſſe iuxta adiectiones, declarationes, & detractiones factas ſuper negocio Regni Aragonum, & Comitatus Barchinoniæ in Veſtris ſpecialibus literis ad me directis, & per memoratum Notarium mihi traditis comprehenſas, ſolemni ſtipulatione promiſit. Verùm cum non eſſet adhuc ætatis habilis ad iurandum, prædicta iuramento proprio non firmauit, ſed dictus Rex Franciæ, ſe, ac ſuum in Franciæ Regno hæredem curaturum, & facturum bona fide promiſit, quod idem ſuus filius cum ad ætatem ad hoc aptam peruenerit, præſtabit ſine contradictione qualibet huiuſmodi iuramentum mihi, vel alij, quem ad hoc Romana Eccleſia deputabit. Quibus actis ego Ioannes Cardinalis de memorato Carolo Regis Franciæ filio ad occupationem Regni Aragonum, & Comitatus Barchinoniæ per me antea deputato ad occupandum Regnum Valentiæ, quod eſt de terris expoſitis, quæ olim fuerunt dicti Petri prouideo, & ipſum ad id faciendum ſingulariter deputaui ſub modo, qui ſequitur infraſcriptus.

Ego Ioannes tit. S. Cæciliæ Presb. Card. auctoritate Apoſtolica mihi in hac parte plenè commiſſa de Vobis Domino Carolo, quem pater veſter Philippus Dei Gratia Rex Francorum Illuſtris ad id nominauit, & elegit, ſub lege, conuentionibus, pactiſue ab eodem genitore veſtro, ac vobis mihi ſanctiſſimi Patris, ac Domini Martini diuina prouidentia ſummi Pontificis, & Sanctæ Eccleſiæ Romanæ nomine, ſub forma præſcripta, prout quemque veſtrum contingit, ſolemniter promiſſis ad occupandum Regnum Valentiæ prouideo, & vos ad id faciendum ſingulariter deputo, huiuſmodi prouiſionem, & deputationem taliter à me factas, idem Carolus, memorato Rege Franciæ genitore ſuo approbante, & conſentiente ipſis, expreſſe acceptauit, & recepit, Philippo fratre ſuo primogenito præſente, & in iiſdem eodem Carolo congaudente. In cuius rei teſtimonium ſigillum meum duxi præſentibus appendendum. Datum &c.

Quæ geſſerat Ioannes in Gallia, rata grataque habuit Martinus Romanus Pontifex, eaque de Cardinalium conſenſu auctoritate Apoſtolica confirmauit. Crucem Ioannes ſedis Apoſtolicæ Legatus contra Regem Aragoniæ prædicauit, atque cum Crucelignatis militibus, & Philippo Francorum Rege Petri Aragoniæ Regis Regna inuaſit, vt teſtatur Chronicon Eccleſiæ ſancti Pauli Narbonenſis his verbis. *Anno Domini 1285. Kalendis Maij Dominus Philippus Rex Francorum cum Domino Philippo primogenito ſuo, & Domino Carolo filio ſuo ſecundo, cui Dominus Papa Martinus IV. dederat Regnum Aragonum, & Dominus Ioannes tituli ſanctæ Cæciliæ Cardinalis, & Apoſtolicæ ſedis Legatus intrauerunt Villam Narbonæ, deinde Roſſilionem, & deſtruxerunt Ciuitatem Elnenſem, quia reſiſtebat eis. Poſtmodum per montes de Auſcone, videlicet per la Meſſana intrauerunt Cataloniam, & ceperunt Ciuitatem Gerundenſem, & Comitatum Impuriarum, & dum rediret Rex Philippus, migrauit ad Chriſtum in Villa Perpinianı in craſtinum Diui Franciſci ſexto Idus Nouembres: porrò pugnatum eſt in Hiſpania, Petrus Aragonenſis ex vulnere obijt Pridie nonas Octobres.*

Oder. Rinaldus, & Ex ... in Annal.

Aubery in vit. Card. — Sanctium Caſtellæ Regem, & Philippum cognomento Pulchrũ malè inter ſe affectos ob fratres Alphonſum, & Ferdinandum Sanctij nepotes Murella arce munitiſſima detentos ab auunculo, ad pacem compulit. Pro libertate Caroli Valeſij Principis Salernitani, (Bzou. to. 13. Annal.) primogeniti Regis Neapolitani multum elaborauit. Collegium Choletæum ſui nominis Lutetiæ erexit, ex quo tum de virtute, tum de literis optimè meriti prodiere; & in Codice m. s. eiuſdem Collegij legitur Epigramma in Ioannis Choletæi memoriam. (Petr. Priũ. in Gallia Purpur.)

Belgarum me primus ager nutriuit, honorat
Roma: ſens ..... fœdera pacis erant.
Relioso, pietas, ſtudiorum inſignia creſcunt
Me duce, quis fuerim, comprobat iſta domus.

Teſtamentum condidit in Monaſterio Cellenſi Diœceſis Tricaſſinæ, prima Aduentus Dominica anni 1289. quo legauit monachis ſancti Luciani Belluacenſis duo millia libellarum Pariſienſium: decreuit corpus apud eundem ſanctum Lucianum terræ mandandum, & iuſſit centum Calices argenteos inauratos fieri, quemlibet ponderis vnius libræ, quorum ſexaginta mandauit diſtribui Diœceſi Rothomagenſi, & quadraginta Belluacenſi.

Vitam cum morte commutauit ſecunda Auguſti die, anno ex Ciaconio 1293. ex Friſonio verò 1292. ſepultus in Andrio ſancti Luciani ſepulchro magnificentiſſimo, cui ſuperpoſita ipſius Cardinalis iuſtæ ſtaturæ effigies argentea, poſtea diuendita cauſa ædificandæ Eccleſiæ flammis conſumptæ; illius Epitaphium accipe.

Iſta legens ſiſte, penſa quantus fuit iſte,
Cuius tam pulchrum cernis fulgere ſepulchrum.
Eſt roſa ſub Petra, quam primum ſubdita metra
Et tanti floris via ſe diffundit odoris.
Ecce ſub hoc tumulo venerabilis oſſa Ioannis
Cæciliæ titulo decorati pluribus annis:
Poſtea Legatus fuit inclytus, atque probatus,
Vir magni cordis, cuius mens neſcia ſordis,
Gloria Francorum, decus Orbis, formaque morum.
Fautor iuſtorum, conſtans vltor vitiorum,
Canonis, & legum Profeſſor erat generalis.
Francorum Regum Conſul bonus, & ſpecialis.
Prouocet ad fletum pietas recolendo Choletum,
Tanquam deletum fontem bonitate repletum
Mors quid feciſti vita reſecans iter iſti?
Multa gregi Chriſti Chariſmata ſubripuiſti:
Dapſilis, & mundus, verax fuit atque fidelis.
Floreat in Cælis, quia nunc ſibi nemo ſecundus.
Annos depromens octo de mille trecentos
Auguſti Nonas quarto lux eſt morientis.

Extat in eadem Eccleſia ex auctore Nomenclatoris alia huiuſce Ioannis memoria.

Hac in Capella latet Orbis fulgida Stella,
Cuius fulgore, regio hæc fuit in honore.
Francia Legatum ſuſcepit eum ſibi gratum,
Formam virtutum, Francorum nobile ſcutum,
Hic vir compoſitus, vir verax, virque peritus,
Iuſtus, munificus, Regum ſpecialis amicus.
Ergo mecum plores præclari Patris & ores,
Vt poſt hos flores fructus capiat meliores.

Petr. Priũ. ibidem. — Religioſi Sandionyſiani in Francia Ioannis Cardinalis anniuerſariam commemorationem penultima Iulij renouant.

Scutum Choletæum non eſt quale Ciaconius olim expreſſerat, ſed aureum Cruce, & quatuor Clauibus obuerſis miniatis exaratum, maiori ianuæ Collegij Choletæi inſculptum.



IV.

Ciaconius. Petr. Priũ. in Gallia Purpur. Aubery in vit. Card.

GERVASIVS Giancoletus de Clincharop natus in Cenomaniç finibus, amicitia coniunctiſſimus Martino Secũdo, & Gaufrido poſtea Cardinali, ex Archidiacono Pariſiẽſi Presbyter Cardinalis SS. Sylueſtri, & Martini titulo Equitij a Martino Romano Pontifice renunciatus, ex Ciaconio legatus eſt in Gallias, vt Regi Francorum Philippo bellum contra Petrum Regẽ Aragonum, Siciliæ inuaſorem, & propterea Regno à Pontifice priuatum, gerenti aſſiſteret, & Crucem contra illum prædicaret. Hanc tamen legationem Martinus non Geruaſio, ſed Ioanni Cioletto commiſit, vt diximus ſupra, & teſtatur Guillelmus Nangius ſcriptor Gallus illius æui his verbis. *Iuerunt que cum Rege Eccleſia Romana Legatus Dominus Ioannes cognomento Cholet, ſancta Cæciliæ Presbyter Cardinalis, & ferè totius Franciæ nobilitas vniuerſa.* In Theologicis apprimè verſatus Geruaſius, quædam ad Theologiam pertinentia ſcripſit, quæ ad hæc noſtra tempora non peruenerunt. Huiuſce meminit Paulus Corteſius his verbis: *Quo etiam vno tempore Hugo Carus, Hannibal Romanus, Geruaſius Gallus, & Guillelmus Britannus Theologica laude præſtiterunt, ex quibus quamquam alius alio habitus ſit in differendo maior, ab omnibus tamen eſt expolitior Theologia facta, tantumque ſcriptis relictum, quantum eſſet ad poſteritates admonendos ſatis.* Lue peſtifera ſublatus Romæ anno reparatæ ſalutis 1287. ſede Vacante poſt obitum Honorij IV. ſepultus in æde ſacra SS. Sylueſtro, & Martino. Epitaphium vetuſtate conſumptum hoc legitur.

Io: Ant. Philip. de Baſil. SS. Syluestri, & Martini

HIC. IACET. DOMINVS. GERVASIVS. CARDINALIS. COGNOMANEN. .... AMARE. STA LXIX. CONSTANS. ET. MENT. .... XL. QVAE MISCE. .... O. SINE. FINE.

In eodem Templo extat memoria Abbatis fratris Cardinalis Geruaſij, & eſt talis.

✠ ✠

D. O. M.
Hic iacet
Dominus Ioannes de Chlincamp,
Cænomanenſis Diœceſis,
Abbas Monaſterij S. Remigij Rhemenſis,
Frater quondam Domini Geruaſij Cardinalis.
Qui requieſcit in introitu Chori iſtius,
Cuius anima requieſcat in pace, amen.
Obijt
Anno Domini MCCCIX. vij. ....
In vigilia Apoſtolorum Philippi, & Iacobi.



V.

Ciaconius. Panuinius. Aubery in vit. Card. And. Victor. in Addit. ad Ciaconium.

COMES Gluſianus de Caſate, natione Italus, Ciuis, & Archidiaconus Mediolanenſis, Romanæ ſe contulit, qua in Vrbe Sacri Palatij primum Auditor a Nicolao III. deinde Presbyter Cardinalis SS. Petri, & Marcellini a Martino ſucceſſore renunciatus eſt. Eccleſiam ſui tituli reſtaurauit, vt patet ex duobus, quæ in eodem Templo noſtris hiſce temporibus legimus carminibus, & ſunt.

Hac fieri Comes Mediolanenſis in huius
Cardines Tituli iuſſit honore ſui.

Huic Nicolaus Tertius tradidit diſcutiendam declarationem Regulę Minorum, quam ipſemet ſcripſerat, ad comprimendos quorumdam inſolentes auſus, atque ad refrænandas æmulorum impudentes detractiones, qui Minorum vitæ, & regulæ obloquebantur. Affuit hic electioni Honorij IV. exceſſit Romæ ex peſte vj. Idus Aprilis anno Dominicæ Incarnationis 1287. ſede Vacante poſt obitum Honorij IV. ſepultus in Baſilica Lateranenſi cum hac Inſcriptione. (Luc. Vvadding to. 2. Annal. Minorum.)

ANNO DOM. MCCLXXXVII. MENSIS APRILIS DIE VIII.

De Mediolano Comes hoc requieſcit in antro,
Presbyter & Cardo, veniat tibi ſplendor ab alto.
Lombardis charus, ipſorum gente creatus
De patria clarus, de magno ſanguine natus.
Tu ſapiens pectus iuris vexilla ferebas,
Pauperibus largus, ad praua per omnia tardus,
Conſilio magnus, mitis, deuotus, vt agnus,
Muneris acceptor rarus, tu iuſtus obiſti
Nominis illector, cur ſic citò morte ruiſti?
Hinc Mediolanum, Romanaque Curia ploret,
Ne fleat in vanum, pro ii rogo quilibet oret.

Nomencl. Cardinal.

A Iacobus Columna Diaconus Cardinalis S. Mariæ in via Lata, arctiſſimo neceſſitudinis vinculo Cardinali Gluſiano coniunctus, in Baſilica Lateranenſi Sacellum conſtruxit, aramque erexit ad ſacrificium pro Cardinalis Gluſiani anima, hac appoſita Inſcriptione.

D. O. M.
DOMINVS IACOBVS DE COLVMPNA
CARDINALIS S. MARIAE IN VIA LATA
PRO ANIMA
DOMINI COMITIS CARDINALIS FECIT FIERI
HANC CAPELLAM CVM ALTARI ET OMNIBVS.

B



Ciacconius

Pet. Frizo in Gallia Purpur.

Claud. Robert. in Gall. Chriſtian.

Aubery in vit. Card.

Nomencl. Cardinal.

VI.

GAVFRIDVS de Barbo, ſeu de Barbeau, Burgundus, ex Pariſienſis Eccleſiæ Decano inter Presbyteros Cardinales titulo S. Suſannæ à Martino Romano Pontifice cooptatus eſt. Interfuit Comitijs, in quibus renunciatus eſt ſummus Pontifex Honorius IV. Romæ morbo ſublatus peſtifero anno 1287. tumulatus in ſacris ædibus S. Praxedis in Eſquilino, qua in Eccleſia adhuc extant eius inſignia, ac huiuſmodi Elogium.

Ego Gaufridus de Barbo
Quondam Tituli ſanctæ Suſannæ
Presbyter Cardinalis
Credo quod Redemptor meus viuit
Et in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum
Et in carne mea videbo Deum
Saluatorem meum.

In Necrologio Eccleſiæ Pariſienſis obitus Gaufridi de Barbo ex Decano Cardinalis notatur xij. Kalendas Septembris.

Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

Quidam exiſtimarunt Gaufridum hunc nominatum de Barbo à Ciuitate Barro ad Sequanam, & quòd è Burgundia eſſet oriundus; cum reuera hoc nomen ſortitus ille ſit à Barbatulis piſcibus, quos in inſignibus geſſit.



VII.

Ciaconius

Io. Rubeo in vita.

BENEDICTVS Caietanus Lutfrido nobili Anagnino natus, ad ſcientias omnes, præcipuè ad ſcientiam Iuris ſe applicuit, tantoſque in ea progreſſus fecit, quantos Decretalium Sexto facile eſt colligere. Pueritiam ingreſſus, Eccleſiaſticam vitam profeſſus, & nondum ſacris initiatus, virtutum & doctrinæ fama Canonicos Eccleſiæ Tudertinæ faciles reddidit, vt in eorum Collegium illum cooptarent, tametſi lege prohiberetur, nullum in ſacris non conſtitutum in collegam aſſumere. Canonicis deinde Lugdunenſis Eccleſiæ, demum Baſilicæ Vaticanæ adſcriptus eſt. Cauſarum patrocinium, & Protonotariatus officium in Vrbe magno omnium applauſu exercuit; quare à Martino II. dicto IV. inter Diaconos Cardinales cooptatus, illique cura Eccleſiæ S. Nicolai in Carcere commiſſa, deinde à Nicolao IV. Presbyter Cardinalis SS. Sylueſtri, & Martini in montibus tit. Equitij renunciatus eſt. Hunc Martinus Romanus Pontifex, quem profundi iudicij virum fidelem, oculatum, induſtrium, circumſpectum nominat, legauit ad Carolum Siciliæ Regem, vt ipſum ab ineundo ſingulari certamine cum Rege Aragonum retraheret. Nicolai IV. iuſſu cum Latino Oſtienſi, & Petro S. Marci Cardinalibus controuerſiam inter Dionyſium Regem, & Clerum Luſitaniæ compoſuit. Legati Apoſtolici munere functus in Sicilia citeriore populos ſub Romanæ Eccleſiæ, & Caroli Regis obedientia continuit; in Gallijs verò cum Gerardo Epiſcopo Sabinenſi Eccleſiaſtica iura redintegrauit, decimas in ſacram expeditionem recepit, quique latè graſſabantur inter Odoardum, & Philippum Angliæ, & Franciæ Reges, motus ſedare curauit. Hic poſt abdicationem Romani Pontificatus factam a Cœleſtino V. ad Petri ſolium aſcendens, dictus eſt Bonifacius VIII. Vide vitam.

Oder. Rinald. in Annal.

C

D

VICECANCELLARIVS S. R. E.
ſub Martino II. dicto IV.

Magiſter Petrus Peregroſſus Mediolanenſis à principio, vſque ad finem Pontificatus, Vicecancellarij munere functus eſt.

CARDINALES MORTVI
ſub Martino II. dicto IV.

Bernardus Aiglerius S. R. E. Cardinalis exceſſit è vita Pridie nonas Aprilis anno 1282.

Guillelmus de Brayo Gallus Presbyter Cardinalis ſancti Marci obijt eodem anno 1282.



HONO-

HONORIVS IV. PONT. CXCII.

ANNO DOMINI MCCLXXXV.





IN NOMINE DEI, ET SALVATORIS Noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen.

A

Honorii Electio.

QVATRIDVO poſt Martini obitum, Peruſij Cardinales ad noui Pontificis Comitia coacti, facilè conſenſere, & Honorio IV. ſuffragati ſunt, cum vir admodum ſenex, valetudinarius podagra, & chiragra laborans, atque omnium Cardinalium antiquiſſimus eſſet; is ante Iacobus vocabatur, Romæ ſummo loco natus, gente Sabella, patre Luca, viro (B) in Vrbe primario, & qui ſæpe Senatoris munus obierat. Eum Vrbanus IV. Diaconum Cardinalem ſanctæ MARIAE in Coſmedin, aliàs in Schola Græca, creauerat; qui multis legationibus perfunctus, prudentiæ, dexteritatis, & probitatis opinionem apud omnes acquiſierat. Ad jv. igitur nonas Aprilis, Romanus Pontifex deſignatus, Romam illicò venit.

CARDINALES XVIII. VIVENTES quando Honorius Papa IV. creatus eſt.

CARDINALES EPISCOPI VI.

NICOLAI PAPAE III.

1. Ordeonus, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus.
2. Bentiuenga de Bentiuengis Tudertinus, Vmber ordinis Minorum, Epiſcopus Cardinalis Albanus, Maior Pœnitentiarius, Miniſter Generalis duodecimus ordinis Minorum.
3. Fr. Latinus Malabranca Romanus, ordinis Prædicatorum, Epiſc. Card. Oſtienſis, & Veliternus, Prior Epiſcoporum.

MARTINI PAPAE II. DICTI IV.

4. Gerardus Blancus Parmenſis, Epiſcopus Cardinalis Sabinus.
5. Fr. Hieronymus Aſculanus, ord. Min. Epiſc. Card. Preneſtinus.
6. Bernardus de Languiſello, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ.

PRESBYTERI CARDINALES VI.

VRBANI PAPAE IV.

7. Ancherus Pantaleo, Trecenſis, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Praxedis, Prior Presbyterorum.

MARTINI PAPAE IV.

8. Hugo Atratus de Eueſhan Anglus, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Laurentij in Lucina.
9. Geruaſius Giancoletus de Clinchamp Cœnomanẽſis, Gallus, Presb. Card. tt. Syluestri, & Martini in mõtibus, tt. Equitij.
10. Gaufridus de Barbo, Burgundus, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Suſannæ ad duas Domos.
11. Ioannes Cioletti, Presb. Card. tit. S. Cæciliæ.
12. Comes Gluſianus de Caſate Mediolanenſis, Presbyter Cardinalis titulo ſanctorum Petri, & Marcellini.

DIACONI CARDINALES VI.

VRBANI PAPAE IV.

13. Iacobus Sabellus Romanus, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Coſmedin, aliàs Schola Græca, Prior Diaconorum.
14. Gottifredus de Alatro, Hernicus, Diac. Card. S. Georgij.
15. Matthæus Rubeus Vrſinus, Romanus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Porticu, Archipresbyter S. Petri.

NICOLAI PAPAE III.

16. Iordanus Vrſinus Romanus, Diac. Card. S. Euſtachij.
17. Iacobus Columna Romanus, Diac. Card. S. Mariæ in via Lata.

MARTINI PAPAE II. DICTI IV.

18. Benedictus Caietanus Anagninus, Diaconus Cardinalis ſancti Nicolai in Carcere Tulliano.

C *Anno Dominicæ Natiuitatis 1285. die xvij. Kalen. Maij*, Honorius IV. in Presbyterum, & Epiſcopum conſecratus, Romæ in Baſilica S. Petri, ſuæ Coronationis inſignia ſuſcepit, per Gottifredum S. Georgij in Velabro, Diac. Card. S. R. E. Archidiaconum ſedit in Petri Cathedra, Cæſare Rodulpho annos duos, dies duos.

Peruſij vt electus fuit, ſtatim Romam petijt, vt in patria, quæ illi chariſſima fuit, Pontificiam Coronam acciperet, & in Epiſcopum Vrbis conſecraretur, vt factum fuit.

Honorio Pontifice, ipſius frater Pandulphus * Senatoriam dignitatem geſſit, qui tantæ ſeueritatis, & iuſtitiæ fuit, vt quoties populus Romanus Vrbem latronibus, ſicarijs, furibus, & nefarijs hominibus, (quorum tunc in agro Romano ingens multitudo ob ciuiles (D) ſeditiones erat) purgare vellet, non alium Senatorem, quàm Pandulphum deligeret. Qui etſi podagra, & chiragra vexaretur, tamen animi magnitudine, & conſtantia à bene valentibus non ſuperabatur: illud dictitans, non manus, & pedes, ſed caput imperare. Eodem modo cruciabatur aliquando eius frater Honorius Papa, ætate iam feſſus. Qui ſacris vacare ſtudens, non vi morbi retrahebatur, ſed ſede, & inſtrumentis quibuſdam, ad id aptè fabrefactis, ſacris altaribus adſtans ſacrificabat, conſilio verò, & prudentia admodum polluit, & muneri ſuo adeò aſſiduè intentus erat, vt corporis vires nõ multum in eo deſiderari opus eſſet. Quippè cum ſolus, ſenex, & infirmus, plura prope ageret, & videret, quàm omnes ſimul, qui tunc in Vrbe erant. Suorum amore non caruit, quos ex Eccleſiæ redditibus dita-

* PANDVLphus Senator R. S.

PANDVLphus Senatoris Honorij fratris dictũ.

A uit. Cardinales illico ex legationibus reuocauit; ac cum ijs de componendis Chriſtianæ Reipublicæ diſſidijs ſedulò agitauit. Habitauit in Auentino apud Eccleſiam S. Sabinæ: & egregias ædes, quarum adhuc parietinæ ſuperſunt, excitauit. Quare mons ipſe frequentibus ædificijs conditis incoli cœptus eſt, Caroli Siciliæ Regis hæredes in Regni Siculi negocio parum iuuit, & Ghibellinorum magis, quam Guelphorum ſtudioſus exiſtimatus eſt.

Vnde Iacobus Arago filius Regis Aragonum, vita functi, ſecundogenitus hæres ex patris teſtamento relictus, Regni Siciliæ Diadema ſuſcepit; quum eius frater natu grandior Ferdinandus Regnum Aragoniæ obtinuiſſet, procurauit Pontifex, vt Rodulphus Rex Romanorum Vicarium generalem Imperij in Italia crearet Perceuallem Fliſcum Genuenſem Lauaniæ Comitem, magni animi, & prudentiæ notæ virum; qui Florentiam accedens, vt Imperij iura recuperaret, vbi Hetruſcorum vrbium conuentum indixerat, omnium Legatos in B Cæſaris verba iurare iuſſit; eius ſine opibus, imperio, exercitu, & potentia, mandata omnes contempſerunt, ille iratus, graui mulcta omnibus irrogata, rebus infectis diſceſſit. Auctores ſunt, qui ſcribant eum ex Cæſaris Rodulphi auctoritate cunctis Hetruriæ ciuitatibus libertatem vendidiſſe, Florentinóſq; Lucenſes, Piſanos, & Senenſes, ac alios populos certa pecunia perſoluta libertatem conſequutos eſſe. Quæ venditio quamquam tantò præcipuè Principe indigna videretur, Honorio IV. non diſplicuit, quòd ea ratione Eccleſiæ imperium eſſet tutius futurum, cum amplius Imperatori non liceret liberis, & ſui iuris ciuitatibus negocium faceſſere; at eorum temporum ſcriptores nihil de ea venditione commemorant.

LAVANIæ Comites Florentiam pergit.

Honorius IV. ordinem Eremitarum, qui Carmelitæ dicti ſunt, & in Gallia Sacculi vocabantur, vt Victoriani Annales referunt, non ſatis adhuc ab Apoſtolica ſede probatum confirmauit, & eorum chlamydes, quæ ex albo panno faſcijs pullis intertextis variatę erant, C tanquam minus conuenientes, & Chriſtianis oculis minimè gratas, albas, ſublatis ijs virgulis, eos deferre iuſſit. Horum Princeps, ſiuè conditor Albertus quidam Hieroſolymorum Patriarcha, cum Chriſtiani Syria potirentur, qui diù ſub Carmelo monte, à quo nomen traxere incoluerant, ſub regula S. Baſilij. Eum ordinem Innoc. III.* in Concilio Lateranenſi permiſit, Honorius III. confirmauit. Innocentius IV. Hugoni Cardinali tit. S. Sabinæ ordinis Prædicatorum mandauit, vt quaſdam leges eorum inſtitutis adderet, quas ipſi obſeruarent: E Syria vt à Sarracenis pulſi, totum Occidentem repleuerunt, & multa Cœnobia conſtruxere. Ferunt, Sultanum Aegyptium eos à Carmelo exegiſſe, cum intellexiſſet, primum habitū Papæ iuſſu illos mutaſſe: cum illum tanquam ab Helia, & Heliſæo manantem venerationi habuiſſet. Monachas Honorius IV. Præneſtini inſtituti * ad Vrbem tranſtulit, eiſque Monaſterium S. Syluestri in Campo Martio donauit, cuius monachos Cœnobium S. Laurentij extra D muros incolere, iuſſit. Idem Pontifex Eremitarum S. Auguſtini ordini S. Triphonis ædem Romæ conceſſit, & vt eius fratres in Gymnaſio Pariſienſi publicè profiteri, & Theologiæ Doctores creare poſſent. Quare omnium ſuffragijs primus in eo ordine ſacras magiſtrales infulas ſuſcepit Aegidius Romanus, poſtea ipſius ordinis generalis Magiſter, & demum Archiepiſcopus Bituricus creatus; is S. Thomæ Aquinatis auditor fuit, diuinarum, humanarumque literarum ſtudijs, omnium literatorum ſui temporis Princeps; ſcripſit multa Opuſcula, & præter excuſſa, nonnulla in Auguſtiniani ordinis Bibliothecis extant.

ORDO Carmelitarum ab Honorio confirmatur.

*

*

MONAcharum Præneſtini inſtituti in Vrbē tranſlatio.

AEGIDIus Rō. primus Doctor Ord. Eremit. S. Auguſtini.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1287. *iij. nonas Aprilis* Romæ apud S. Sabinæ palatium in monte Auentino, Honorius IV. Papa obijt, & ad S. Petrum magna funeris pompa ſepultus eſt in marmoreo ſepulchro inſignibus familiæ, & Inſcriptione exornato. Vacauit ſedes menſes 10. & dies 18.

E Fuit Honorius IV. vir in omni vita probatiſſimus, & Chriſtianæ religionis cultor egregius, viros doctos, & probos dilexit, aulicos ſuos amauit, quorum gratia ſingulis annis, vt æſtiuos calores vitaret, Tibur ſecedere ſolebat.

Memorantur ſub Honorio IV. viri doctrina præſtantes, Hugolinus Malabranca Vrbeuetanus ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Epiſcopus Ariminenſis, & Patriarcha Conſtantinopolitanus, in diuinis, philoſophiciſq; ſtudijs aſſiduis laboribus exercitatus, doctus, & moribus, vitæq; integritate conſpicuus, qui ſuper Sententias, & aliquot Opuſcula ſcripſit, & publicè ſacras literas Pariſijs docuit.

VIRI inſignes ſub Honorio.

Ioannes Chriſtophorus ordinis Prædicatorum, & Ioannes Parmenſis, Bononia oriundus, ordinis Minorum generalis Miniſter, doctrina, & pietate clariſſimi, quorum ille ſuper nouum Teſtamentum Commentaria edidit, & cum publicè in Gymnaſio Pariſienſi ſa F cras literas doceret, ſuper 4. Sententiarum libros Commentaria, & alia Opuſcula publicauit.

Henricus Gandauenſis Archidiaconus Tornacenſis, hoc etiam tempore omnium Peripateticorum Princeps vixit, tantæ in Schola Pariſiēſi opinionis, vt Doctor Sollemnis vbique vocaretur; Scripſit Summam Theologiæ, & multos Ariſtotelis libros interpretatus eſt.

Thaddæus Florentinus, vir in arte medica præcipuus, publicè eam facultatem Bononiæ hoc ſeculo docuit, tanta cum omnium admiratione, vt Galenus alter eſſe videretur. Ab Honorio IV. aliquando vocatus, non ante accedere voluit, quàm centum aurei illi in ſingulos dies ſtatuerentur, Honorius à grauiſſima infirmitate curatus, decem

A millia aureorum illi donauit; ſcripſit in medicinam plures Libros, & Commentaria præſertim ſuper Aphoriſmos Hippocratis.

Signum 

Honorij

PP. *IV.*

B

ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

¶ Iacobus Sabellus, vnus ex ſex Cardinalibus, quibus ex compromiſſo licuit deligere Gregorium X. à 17. Cardinalibus, Panuinio teſte, Romanus Pontifex creatus, vir bonus, & integer fuit, verúſque honeſtatis amator, Chronic. Hirſaug. Qui illum Minoritam fuiſſe, aiunt, decipiuntur, Genebr. lib. 4. Chronic.

In Chron.

Conſilio, & prudentia plurimum valuit, vt narrat Platina, de illo Martinus Polonus, *Honorius IV. homo omnino tēperatus, & magnæ diſcretionis: impeditus tamen corpore in pedibus, libenter vbiq; pacē quærēs.* Cardinalis Aegidius Viterbien. *Chiragra morbo ita laborans,* (Honorius IV.) *vt in ſacris faciendis, organis, pro manibus, vti oporteret: tanto tamen muneri haud ſane impar viſus: cum conſtet animo res ſacra, non corpore, ac paſteria Nauis conſilio, non viribus,* C *virtute, non neruis, ſanctitate, ac ſapientia, non impetu, & robore gubernetur.*

In eius vita.

In hiſt. 20. Secul.

Aulicos amauit Honorius; Io: Buccamatium ſolum ornauit Purpura: *Viros bonos,* inquiens, *& doctos: non rudes, & rerum humanarum ignaros, in ſacrum S. R. E. Senatum cooptandos,* ex Platina.

* *Pandulphus.*] Hæc, & quædam ex ijs, quæ ſequuntur, Ciaconius à Platina hauſit.

* *Honorius III. confirmauit.*] Ann. 3. Conſt. *Vt videndi* tom. 1. Bullar. Vide Trith. in Chron.

* *Monachas ..... ad Vrbem tranſtulit ..... Monaſt. ſancti Syluestri in Campo Martio.*] Virgines illæ Romanæ, quæ Honorij IV. benignitate, & Hieronymi Epiſcopi Cardinalis Præneſtini ſtudio, ex Præneſtino monte ad Sylueſtrinum Cœnobium demigrarunt, veræ moniales, ante huius migrationis conſilium non erant: Hæ in Præneſtino receſſu B. Margaritæ Columnæ, Chriſtianis virtutibus or D natiſſimæ, diſciplina educatæ, in rerum cæleſtium meditatione, & omnium virtutum ſtudio conſeneſcere nitebantur: B. Margaritæ animus è mortalium tenebris ad perennem verè viuentium lucem euolauerat: monachi Benedictini, nigri coloris veſtibus vtentes, ex eodē Cœnobio, in quo multis annis habitauerant, Honorij IV. nutu (Abbas ad S. Laurentium extra Vrbem, alij ad alia Cœnobia) abierant; Hieronymus Aſculanus, Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus, Honorij deinde in ſede Apoſtolica ſucceſſor, (non autem Iacobus Columna, vt Antonius Gallonius, cap. 16. vitæ B. Margaritæ, à Codice m.s. deceptus, dixit) earum Virginum Paſtor, ab eodem Honorio enixe petijt, vt idem Sylueſtrinum Cœnobium, incolis vacuum, ijs donare vellet: annuit pius Pontifex, ſi illæ S. Claræ inſtituto, legibuſque ſuſceptis, virgineos animos ſuaui trium votorum nexu deuinxiſſent: aſſenſerunt libentiſſimè virgines, vota, Pontificis iuſſu, coram eodem Epiſcopo Cardinali, nuncuparunt, S. Claræ veſtitu indutæ, vna ex E ipſis ab ipſis in Præfectam, latis ſuffragijs, electa, Romam ad donatum Monaſterium commigrarunt: quò B. Margaritæ, ſanctimonia celebris & miraculis, corpus tranſlatum fuit, & theca tectum argentea ibidem adhuc aſſeruatur. De his diligenter Vvaddingus, tom. 2. Annal. Min. referens, ex Vat. B. Honorij IV. Diploma. Dat. an. 1. indict. 14. 1285. quod apud S. Sylueſtri moniales videri poteſt; & non vidit Gallonius. De eadem re Ioannes Giacchettus in m.s. Chronologia Ortus, Progreſſuſque eiuſdem Monaſterij. Vitam B. Margaritę Gallonius Italicam dedit, Vvaddingus latinam, & diligentiùs conſcriptam, dabit.

loc. cit.

Honorius IV. anno 1. Pontific. Minoritas ſanctiſſimæ Chriſtianæ fidei Cenſores, Inquiſitionis erecto tribunali, in Sardinia, inſtituit. De qua re Vvaddingus tom. 2. Annal. Minor.

Duas Epiſtolas, ad Epiſcopum, & Canonicos Peruſinos vnam, F ad Poteſtatem, Capitaneum & alios Peruſinos alteram, ſcripſit, ſuadens; vt Martini (quem, Epiſtola ad Epiſcopum, &c. *Veſtrum non credimus,* &c. 4. vocat) corpus Aſſiſium, ad Aedem D. Franciſci, quemadmodum is Teſtamento præceperat, transferretur; ſed illud, miraculis clarum, aliò transferri, Peruſini nō ſunt paſſi. Apud Vvaddingum offendes Epiſtolas; & Iacobum Sabellum Card. (in Pontificatu Honorium IV.) à Martino executioni Teſtamenti ſui præfectum fuiſſe, agnoſces.

Dat. kalē. Febr.

Anno 2. Pariſijs Collegium inſtituit, in quo Arabicæ, & aliarum quarundam linguarum peregrinarum cognitio, quæ Propagandæ Fidei vſui eſſe poteſt, traderetur. Vvaddingum conſules.

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI SOCIETATIS IESV.

In Pariſienſi Academia literis operam dat.

Oder. Rinald. t. 14. Annal.

In Eccleſia Cathalaunenſi Sacerdotiũ geſſit.

LITTERIS per plures annos in Pariſienſi Academia, quæ ſcientiarum omniũ gloria efflorescebat, operam dedit Honorius, vt ipſe affirmat in Pontificio Diplomate ad Ioannem Presb. Cardinalem titulo ſanctæ Cæciliæ, Apoſtolicæ ſedis Legatum, cui dirimendæ exortæ controuerſiæ inter eandem Academiam, & illius Scrinij Præfectum Prouinciam demandauit. Geſſit deinde Sacerdotium in Eccleſia Cathalaunenſi, vt ipſe teſtatur his verbis in literis Ioanni titulo S. Cæciliæ anno reparatæ ſalutis 1286. datis. *Nos igitur, quibus ex Apoſtolatus officio ſollicitudo omnium Eccleſiarum imminet generalis, prædictam Cathalaunenſem Eccleſiam, de cuius gremio, dum eramus in minori officio conſtituti, noſcimur extitiſſe, Canonicatum, & Præbendam in eadem Eccleſia obtinendo, præter illum charitatis affectum, quem ex debito paſtoralis officij circa Eccleſias tenemur gerere vniuerſas, ſpeciali beneuolentia proſequentes, multoque deſiderio affectamus, vt inter perſonas eius Eccleſiæ ſubmotis quarumlibet diſcordiarum, & diſſenſionum fomitibus pulcritudo pacis vigeat, & requies opulenta.* Monaſterium in paterno fundo in honorem B. Pauli Apoſtoli Albani excitauit, magnisque amplificatum opibus, religioſis viris, qui S. Guillelmi ſacra inſtituta ſectabantur, contulit, & anno 1286. Apoſtolica auctoritate confirmauit.

Monaſterium in ſolo paterno excitat.

Scribit literas encyclicas.

Rodulphi Oratores ad Honorium.

Accepta Romæ ſolemni pompa Pontificia tiara, encyclicas literas ad Fideles ſcripſit, vt eos promotionis ſuæ certiores factos, ad diuinam illi opem ſuis precibus conciliandam prouocaret. Miſit ad nouũ Pontificem Rodulphus Romanorum Rex cum literis Oratores, qui ab eo flagitarent, vt diem pro accipiendis Imperij ornamentis conſtitueret. Purificationi B. Virginis diem ſacrum anni 1286. illi præfixit Honorius, at nouis deinde emergentibus difficultatibus, morte præuentus iuſtis Rodulphi votis morem gerere haud potuit.

Ius Eccleſiæ tuetur.

Cum autem Florentinæ Reipublicæ Magiſtratus leges nonnullas Eccleſiaſtico iuri aduerſantes condidiſſet, Raymundo Argerio demandauit partes, vt illi peremptorium diem apud ſedem Apoſtolicam ad dicendam cauſam conſtitueret. Grauiſſimè quoque in Inſubria, violata cum eſſet Eccleſiaſtica dignitas in Terdonenſi Epiſcopo, qui ex inſidijs à facinoroſis hominibus, non repugnante Guillelmo Marchione Montisferrati necatus fuerat, Conianenſi Epiſcopo, & Dominicanæ familiæ in Inſubria Præfecto Prouinciam impoſuit, vt Marchionem ab anathematiſmo abſoluerent, his illi inflictis pœnis. *Ab eodem Marchione ad deuotam requiſitionem ſuam deſtando mandatis Noſtris, & Eccleſiæ corporali præſtito iuramento, & de parendo præciſe mandatis eiſdem idonea cautione recepta, inter alia ſpecialiter iniponatis eidem, quod dictus Marchio à loco, in quo dictus Epiſcopus captus extitit, vſque ad Eccleſiam Terdonenſem, nudis pedibus, & à portis Vercellenſis, & Iporienſis, ac Albanenſis Ciuitatum, vſque ad Cathedrales Eccleſias Ciuitatum ipſarum pedes, nullum veſtimentum ſuper tunicam ferens, & capite diſcooperto, publicè, ac patenter accedat; ipſumque Marchionem, & poſteritatem ſuam auctoritate Noſtra priuare curetis omni iure patronatus, vel alio & feudo, ac locationibus emphyteoticis, & alijs, quæ ab ipſa Terdonenſi tenent Eccleſia: ita quod ad eandem Terdonenſem Eccleſiam liberè deuoluantur: ac reddatis eadem auctoritate poſteritatem ipſam, vſque ad quartam generationem inhabilem ad obtinendum Eccleſiaſticum beneficium in dicta Eccleſia Terdonenſi. Præfato quoque Marchioni diſtrictè præcipiatis, quod caſtra, poſſeſſiones, & terras ad prædictam Eccleſiam Terdonenſem ſpectantia, quæ detinet occupata, eidem Eccleſiæ integrè reſtituere ſine qualibet difficultate procuret, poſt hæc petitum abſolutionis beneficiũ iuxta formam Eccleſiæ hac vice auctoritate Noſtra impendatis eidem, ſibique imponatis diſtrictius, & mandatis, vt infra vnius anni ſpatium altare conſtrui faciat in dicta Eccleſia Terdonenſi, & dotari de bonis ſuis, ex quorum prouentibus duo Presbyteri, quilibet eorum videlicet vigintiquinque libras Ienuenſes annis ſingulis percipere valeat, vt ibi continuo circa ſeruitium cultus diuini morentur. Paſſagium quoque vltramarinum, vel peregrinationis iter ad Eccleſiam S. Iacobi Compoſtellani, prout, & quando Nos duxerimus diſponendum: & præter prædicta etiam ſibi iniungatis ieiunia, orationes, & alia opera pia, prout iuxta qualitatem exceſſus, animæ ſuæ ſaluti videritis expedire. Volumus inſuper, quod Marchione ipſo, vt præmittitur abſoluto, ex parte Noſtra diſtrictè præcipiatis eidem, quod infra annum, poſtquam excuſationes, quas attulit, ceſſauerint, ita quod tutè poſſit Apoſtolico ſe conſpectui præſentare, ad ſedem accedat eandem, mandata, quæ ſibi fieri contigerint, auditurus, & efficaciter impleturus. Quodſi non fecerit ea, quæ ſuper conſtructione, & dote Altaris, vltramarino paſſaggio, vel peregrinatione, & perſonali aduentu ad præfatam ſedem ſibi, vt præmittitur duxeritis iniũgenda, volumus, vt ex tunc eo ipſo in eandem ſententiam, à qua ipſum abſolueritis, reducatis eundem: ita quod, ſicut priùs pœnis, & pœnitentijs ſubiaceat iniungendis, niſi ſuper ijs, & per eandem ſedem aliter conſulatur. Per hæc autem, quæ dicto Marchioni non requirenti iudicium, ſed humiliter implorantis miſericordiam pœnitentiæ ſalutaris imponi mandamus, ſecularibus Principibus, vel perſonis non adimimus facultatem vtendi, prout iuſtitia ſuadebit, contra ipſum legibus, quas aduerſus Sacrilegos Catholici Principes ediderunt. Datum Romæ apud S. Sabinam xiij. kal. Ianuarij anno primo.*

Eccleſiæ reconciliat Adinulphum, & Viterbienſes.

Has Honorius Eccleſiaſticorum iurium ſtudioſiſſimus Marchioni inflixit pœnas, & licet rei grauitas ſeueritatem ab illo iudice conſtituto in terris a Deo poſceret; vti pater tamen clementia ſeueritatem aliquantulum temperauit. Vſus etiam Honorius eſt Apoſtolica clementia erga Adinulphum cenſuris irretitum ob Fruſinonis arcem occupatam, & erga Viterbienſes cenſuris defixos ob Cardinales Vrſinos poſt Nicolai III. obitum in vincula abreptos ita manſuetudinem explicuit, vt diſciplinam Eccleſiaſticam non diſſolueret. Illis enim impoſuit, vt mœnium Ciuitatis partem ſolo æquarent, Xenodochium in eadem Vrbe extruerent ſubiectum Hoſpitali S. Spiritus de Vrbe, illoſque iuris dicundi ad tempus priuauit reſeruata ſibi plena, & libera poteſtate procedendi contra ſingulas perſonas, quæ in illo exceſſu fuere culpabiles. Flagitata etiam criminis venia, fidelium communioni eſt reſtitutus Lesko Niger Cracouiæ Dux, qui ob coniectum in vincula Paulum illius Vrbis Epiſcopum anathemate deuinctus fuerat.

Iacobum Aragonũ anathemate defixit, & matrem Conſtantiam.

Miſericordem in hos ad Eccleſiæ gremium confugientes, in pertinaces tamen ſeuerum ſe præbuit Honorius. Ita Iacobum Petri Aragonenſis filium, tyrannidis paternæ heredem, qui Siciliæ ſceptra per nefas corripuerat, anathemate defixit, ac matrem illius Conſtantiam Manfredi Tyranni filiam deuinctam teneri pronunciauit. Diſtringenda quoque Honorio ſeueritas Eccleſiaſtica fuit aduerſus Henricum Vratiſlauienſem Ducem, qui cum ob inuaſa Eccleſiæ Vratiſlauienſis iura, aliaque crimina iam anathemate bis ictus fuiſſet, in tantam pertinaciam obriguerat, vt violatis etiam ijs, quæ à Firmano Epiſcopo tunc in Polonia Apoſtolicæ ſedis Legato ſtatuta fuerant, Epiſcopum vnà cum Clero exulare cogeret, ob quod flagitium Honorius iterum ſolemni ritu Ducem fidelium cœtu depelli, ac ipſius ditionem interdicto percelli imperauit. Lugdunenſi Archiepiſcopo munus iniunxit, vt contra Ludouicum Sabaudum, qui Guillelmum Viennenſem Archiepiſcopum captiuum abduxerat, atque iniquum ab eo ſacramentum extorſerat, inquireret. Ladiſlaum Vngariæ Regem monuit, vt vxorem regio thoro reſtitueret, & ritus Paganorum, quos imbibiſſe fama erat, proſcriberet, ac ni pareret, Strigonienſi Archiepiſcopo Prouinciam commiſit, vt in Vngaros ad ſacra arma corripienda populos excitaret.

Item Henricũ Ducẽ Vratiſlauiẽ.

Contra Ludouicũ Sabaudũ inquirit.

Ladiſlaum Vngariæ Regem monet.

Pontem conſtruit.

Bzou. t. 13. Annal.

Scripta.

Ludou. Iacobus à S. Carolo.

Pontem apud Riuum clarum conſtruxit, appoſitis in huiuſce facti memoriam hinc Sabellorum, de quorum ſtirpe erat, hinc Vrſinorum, Bertoldi Vrſini Præfecti Vrbeuetani cauſa inſignibus.

Hier. Garimbert.

Scripſit Epiſtolarum volumen in Vaticano m.s. aſſeruatum: quarum aliquas retcripſit in ſua Italia ſacra Ferdinandus Vghellius, Pandolpho fratri, à quo ſæpe ſæpiùs rogatus, vt ad ſui memoriam ſempiternam S.R.E. Cardinalium ordini aliquos, præſertim ex conſanguineis aſcriberet, reſpondit, monumenta, quæ ab aliorum factis pendent, eſſe fallaces, atque inanes merces, ad Romanam Purpuram viros tantùm bonos, ac doctos aſſumendos eſſe.

Honorij obitus.

Maiora his cogitantem Honorium pro gerenda bene Republica mors rapuit, de quo hæc ipſius vitæ ſcriptor: *Honorius Papa obijt Romæ, in Cœna Domini, ſuitque ſepultus in die Paraſceue ſanctæ iuxta Nicolaum Papam III. in Eccleſia S. Petri.* Quæ conſentiunt cum ijs, quæ ſupra dixit Ciaconius, nempe Honorium è vita diſceſſiſſe tertio nonas Aprilis; nam eo anno Cœnæ Domini feſtus dies, in tertium Aprilis menſis incidit; & refellitur eorum ſententia, qui dicunt obijſſe nonis Aprilis. Honorij Teſtamentum aſſeruari Romæ m. s. in Bibliotheca Barberina ſcripſit Ludouic. Iacobus à S. Carolo.

Luc. Vuadingus in Annal. Minorum.

B. Philippi Seruitæ obitus.

Oder. Rinald. in eiſ Annalib.

B. Ambroſij Sãſedonij mors.

Baron. in Notis ad Martyrol.

Cõcilium Lãcicieſe.

Rauennatenſe.

Herbipolenſe.

Sub Honorio Romano Pontifice anno 1285. è rebus humanis ad immortalitatẽ euolauit B. Philippus Benitius Seruita, qui poſt mortẽ Clemẽtis IV. à nonnullis Cardinalibus propoſitus fuerat, vt ad ſummum Pontificatum eueheretur, quo ille cognito, ad montem Tuniatum fuga ſe ſubduxit. Anno verò ſequenti 1286. die 20. Martij ad Deum migrauit B. Ambroſius Sanſedonius ordinis Prædicatorum, ſanctitate, prædicatione, & miraculis clarus. Horum obitum in aliud tempus referunt alij.

Eodem Honorio ſedente in Petri Cathedra habitum eſt an. 1285. Concilium Lancicienſe in Polonia, quo Iacobus Suinka Archiepiſcopus Gneſnenſis Henricum IV. Ducem Vratiſlauienſem, cognomento Probum, factis autem improbiſſimum è communione fidelium excluſit, eo quòd res Eccleſiaſticas inuaſiſſet. Anno ſequenti 1286. celebratum eſt Rauennatenſe reſtaurandæ Eccleſiaſticę diſciplinæ cauſa: demum ann. 1287. celebratum eſt Herbipolenſe à Ioanne Epiſcopo Tuſculano Apoſtolicæ ſedis Legato, vt Clero pecuniam collatitiam pro bello ſacro exprimeret.

Ex Vaticana Baſilica ad Eccleſiam S. MARIAE in Araceli iuſſu Pauli III. Pontificis tranſlatum eſt Honorij corpus, & in ſacello maiorum ſuorum conditum Mauſoleo marmoreo, cuius delineationem omnium oculis exhibuit Franciſcus Gualdus Ariminenſis Eques ſancti Stephani.

CREA-

Emblema Sabellorum



Vetus Honorij æneum nomisma ex musæo Equitis Gualdi

A Insignia Aldibrandeschæ gentis, ex qua prodijt Honorij mater

CREATIO VNIVS CARDINALIS Honorij Papæ IV.

Anno Dominicæ Incarnationis 1285. *Pontificatus I.* in quatuor Temporibus Aduentus Domini, Honorius IV. Romanus Pontifex vnum creauit Epiſcopum Cardinalem, qui fuit.



I.

Panuinius

Ciaconius

Io: Aloyſ. Lellius in hiſt. Monſregalis.

Oder. Rinal. to. 14. Annal.

IOANNES Buccamatius, nobilis Romanus, Honorij IV. affinis, Rector primùm Eccleſiæ ſancti Fortunati de Vernote Senonenſis Diœceſis, deinde 13. Auguſti anni 1278. à Nicolao III. Archiepiſcopus Montiſregalis in Sicilia, demum anno 1285. ab Honorio IV. Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus renunciatus eſt, & in Germaniam Legatus ad Rodulphum Regem Romanorum, vt illum ad Imperiale inſigne Romæ accipiendum deduceret. In literis Honorij ad Rodulphum datis, hæc de Ioanne legimus: *Quòd ſi forſan interim, quod abſit, aliqua difficultas emergeret, quæ tuum ad præmiſſa in dicto termino impediret aduentum, quodcumque aliud ad hoc tempus duxeris eligendum de conſilio Venerabilis fratris N. ſtri Ioannis Epiſcopi Tuſculani (quem probatæ, vitæque diſcretionis virum) ſcientia præditum, & virtute, vt tibi ab initio præcauens, tuos ponat greſſus in via, teque in tuis opportunitatibus conſilio dirigat, & auxilio fulciat efficaci, ad tua petitiones inſtantiam Legatum in Alemannia, ac quibuſdam alijs partibus duximus deputandum, &c.*

Io: Aloyſ. Lellius in hiſt. Montiſregalis. Rocc. Pyrrhus in not. Eccl. Sicil. Oder. Rinald. t. 14. Annal.

Ioannem quoque Tuſculanum Epiſcopum ad Othones duos, Albertum, & Conradum Marchiones Brandeburgenſes, Ludouicum, & Henricum Duces Bauariæ, & Comites Palatinos Rheni, Meinardum Ducem Carinthiæ, Regem Boëmiæ, Ducem Saxoniæ, aliosque Alemannos, & Slauos Principes, tum ad Archiepiſcopos Imperij Electores, legationis munere decoratum tranſmiſit Honorius, vt ad ſtipandum Cæſarem, atque Imperialis Conſecrationis ornandam pompam ſe accingerent. Verùm geſſiſſe etiam Ioannem Legati munus in finitimis Regnis videlicet Dania, Suecia, Polonia, & Pomerania declarat Pontificium Regeſtum, dum poſt memoratas literas Apoſtolicas ad Rodulphum & alios, quibus legationis gerendæ Prouincia ipſi demandata eſt, adijcitur eadem ſententia ad eorum Regnorum, ac Prouinciarum Præſules ſcriptum. In hac legatione Baſileæ Baſileenſem Electum conſecrauit, & Concilium Herbipolenſe Rodulpho Cæſare, multiſque Germaniæ Principibus præſentibus celebrauit. Poſt Honorij obitum Romam rediit, & interfuit Comitijs, in quibus Nicolaus IV. electus eſt Romanus Pontifex, à quo Monaſteria S. Quirici Vallis Antrodoci Diœceſis Reatinæ, & ſanctæ Mariæ Farfenſis in Sabina obtinuit. Bonifacij VIII. iuſſu patrocinatus eſt Eremitis S. Guillelmi Ducis Aquitaniæ. Eccleſiæ S. Mariæ ſuper Mineruam, & monialibus Monaſterij S. Sixti de Vrbe larga manu pecuniarum ſummas elargitus eſt; quarum Dormitorium igne conſumptum ſuis impenſis Cardinalis Buccamatius, ac nonnulli alij ciues Romani de nouo excitarunt.

Annal. Colmarienſes. Eberard. in Chron. Binius in Concilijs. Trithemius in Chron. Hirſaugien.

Præſc. Mar. Torrig. in hiſt. imaginis Mariæ Virginis.

In Gallias cum poſtea ſe contuliſſet ad Romanum Pontificem, obijt ſacri Collegij Decanus Auenione menſe Iulio, ſeu vt placet

A Vghellio die decima Auguſti anno à partu Virginis 1309. & ſepultus, vt ferunt apud patres Dominicanos. Ex Teſtamento ſupra centum mille aureos pijs locis, in Religioſorum Clauſtralium, & pauperum ſubſidium reliquit: Singulas Vrbis Parœcias Calice argenteo, omneſque Cardinales, imò & ipſum Romanum Pontificem Annulo aureo donauit. Monaſterio S. Sixti Prædia nonnulla legauit, vt ex ipſius Tabulario excerpſit Franciſcus Maria Turrigius, in quo hæc legimus. *Ven. Pater Ioannes de Buccamatiis Epiſcopus Tuſculanus donauit huic Monaſterio S. Sixti Caſale S. Clementis cum toto ſuo tenimento, quod Caſale conſtitit ei tria millia florenorum. Item donauit idem Dominus eidem Monaſterio Caſale de Crſulis in tenimento Tiburtino, quod conſtitit ei 600. florenos &c.* Scuta item duo

Io: Aloyſ. Lellius in hiſt. Montiſregalis.

B millia eidem Monaſterio legauit, vt ſupra numerum aliæ quindecim Virgines nobiles in illo alerentur ad pietatem.

Huiuſce familiæ iam extinctæ inſignia album Leonem continebant, vt conſtat ex marmoreo Vaſe, quod noſtris hiſce temporibus ſeruatur apud patres Dominicanos in Cœnobio S. Mariæ ſuper Mineruam. Ioannes tamen illius aream in duas partes diuiſit, & in dextera, grati animi ergo gentilitium Sabellorum ſtemma collocauit, leunculos ſcilicet duos puniceos, rotam concolorem anicula inſellam veluti arripientes, in coronide ſcutaria argento illuſa cum ſubiecta inſita praſini coloris, aquatili colubro cæruleo impreſſa, & cum imo ſcuti ſemiſſe, lemniſcato balthei ternis aureis, totidemque puniceis, vt ſupra expreſſimus ex inſignibus antiquo Sacrario ſancC tæ Mariæ ſuper Mineruam, & propriæ Domui appoſitis. Paternam Domum ad Mineruam incoluit, eamque adornauit Ioannes Cardinalis, quam Domum ſolo æquauit Gregorius XIII. Romanus Pontifex ad conſtruendum Collegium Romanum patribus Societatis Ieſu, ac Orbi vniuerſo.

Inſignia Buccamatiorum alia omnino ab his noſtris, quæ extant in pauimento Eccleſiæ S. Laurentij extra muros, non huius, ſed alterius familiæ euiſdem agnominis fuere.

VICECANCELLARIVS S. R. E. ſub Honorio IV.

D Magiſter Petrus Peregroſſus Mediolanenſis Vicecancellarij munere functus eſt à principio, vſque ad finem Honorij Pontificatus.

CARDINALES MORTVI ſub Honorio IV.

Ordeonus Luſitanus, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus, obijt Romæ anno 1285.

Ancherus Pantaleo Presbyter Cardinalis ſanctæ Praxedis obijt Romæ menſe Nouembri anno 1286.

CARDINALES MORTVI
E *poſt Honorij IV. obitum in ſede Vacante.*

Comes Gluſianus de Caſate Presbyter Cardinalis ſanctorum Petri, & Marcellini peſtilentia periit Romæ vi. Idus Aprilis 1287.

Gaufridus de Barbo Gallus Presbyter Cardinalis S. Suſannæ eadem die, anno, & eodem morbo.

Geruaſius Giancoletus Gallus Presbyter Cardinalis SS. Syluestri & Martini titulo Equitij eodem morbo anno 1287.

Gottfredus Alatrinus Diaconus Cardinalis ſancti Georgij ad velum Aureum anno 1287.

Iordanus Vrſinus Diaconus Cardinalis S. Euſtachij anno 1287.

Hugo de Eueſham Atratus, Anglus, Presbyter Cardinalis ſancti Laurentij in Lucina anno eodem 1287.

MARTINVS II· DICTVS IV· PONT· CXCI·

ANNO DOMINI MCCLXXXI.





IN NOMINE DEI, ET SALVATORIS Noſtri Ieſu Chriſti benedicti, Amen. A

DISSENſio in Electione Pontificis.

POST Nicolai III. obitum, diſſidium inter Cardinales de nouo Pontifice deligendo ortum; nam Vrſinorum pars, Pontificem è ſuo corpore Italum creare volebat, cui Caroli factio, & ipſa per ſe potens, & à Rege ſubleuata, aduerſabatur, Gallicum petens. Ad ſex propè menſes cum eo modo certaſſent, neque de Pontifice conuenire poſſent, Viterbienſes Vrſino Senatori B ex ſuperiori dominatu infenſi ſeditione facta, auctore Richardo Hanibaldenſi, Romanorũ nobiliſſimo, & familia primaria orto, & tunc Comitij cuſtode, qui Vrſino nomini inimiciſſimus erat, cũ armis currunt, & nouos Magiſtratus, pulſis veteribus, creauerunt, & ex Caroli Siciliæ Regis ſuggeſtione, qui factionis ſuæ Pontificẽ deſignari expetebat, in eo aucti furore Conclaue, quo Patres concluſi erant, irruentes duos extraxerunt ex gente Vrſina Cardinales, Matthæum Rubeum, & Iordanum, & fratrem Latinum Oſtienſem Epiſcopum, & per vim detractos abduxerunt, qui Electionem eò vſque ſe protracturos affirmabant, quoad Vrſo Prætura Viterbienſis reſtitueretur; eóſque multis contumelijs affectos, honeſta cuſtodia incluſerũt. Vrſinis ergo abſentibus, reliqui Patres Latino Conclaui reddito, facilè communibus ſuffragijs, Caroli Regis rogatu viij. Kalen. Martij, C die Cathedræ S. Petri, ann. 1281. deſignarunt Simonem de Bria oppido Campanum Gallum, Diœceſis Senonenſis; virum haud ignobili genere ortum, ſed doctrina, rerum gerendarum experientia, animi magnitudine, morum, & vitæ ſanctitate inſignem; quem Vrbanus IV. ex Canonico, & Theſaurario Eccleſiæ S. Martini Turonenſis, Presbyterum Cardinalem S. Cæciliæ creauerat. Fuerat verò diu Apoſtolicæ ſedis in Gallijs, magna cum exiſtimationis, & vitæ integritatis fama Legatus: vbi multis Concilijs prouincialibus habitis corruptos Clericorum mores emendauerat, à Gregorio X. poſt Concilium Lugdunenſe factus, à Nicolao III. paulò ante obitum reuocatus, & Pontifex renunciatus, id Martini Turonenſis Epiſcopi memoriæ tribuit, vt Martinus IV. vocaretur, ſed perperam, nam vnum tantùm Pontificem Romanum, Martinum ſcilicet Tudertinum ante ſe habuit; alij verò duo, Marini, vt ex eorum Bullis, & alijs monumentis liquet, non Martini, vocati ſunt. D

MARTINI Electio.

CARDINALES XIII. VIVI Quando Martinus PP. II. dictus IV. creatus eſt.

CARDINALES EPISCOPI III.

NICOLAI PAPAE III.

1. Ordeonius, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus.
2. Bentiuenga de Bentiuengis de Aquaſparta, ordinis Minorum, Epiſcopus Cardinalis Albanus, Maior Pœnitentiarius.
3. Fr. Latinus Malabranca Romanus, ordinis Prædicatorum, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus.

PRESBYTERI CARDINALES V.

VRBANI PAPAE IV.

4. Ancherus Pantaleo, Trecenſis, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Praxedis, Prior Presbyterorum.
5. Guillelmus de Braio, Rhemenſis, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Marci.
6. Simon de Bria, Senonenſis, Gallus, Presb. Card. tit. S. Cæciliæ.

NICOLAI PAPAE III.

7. Gerardus Blancus ex Villa Gainaco, Presbyter Cardinalis Baſilicæ ſanctorum duodecim Apoſtolorum.
8. Fr. Hieronymus Aſculanus, ordinis Minorum, Presb. Cardinalis ſanctæ Praxedis titulo Paſtoris.

DIACONI CARDINALES V.

VRBANI PAPAE IV.

9. Iacobus Sabellus Romanus, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Coſmedin, alias Schola Græca, Prior Diaconorum.
10. Gottifredus de Alatro, Hernicus, Diaconus Cardinalis ſancti Georgij in Velabro.
11. Matthæus Rubeus Vrſinus, Romanus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Porticu, Archipresbyter S. Petri.

NICOLAI PAPAE III.

12. Iordanus Vrſinus Romanus, Diac. Card. S. Euſtachij.
13. Iacobus Columna Romanus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in via Lata.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1281. Vrbemueterem profectus, eo loci omnia Cõſecrationis, & Coronationis, Martinus II. dictus IV. inſignia ſuſcepit in Baſilica S. Andreæ, x. Kalen. Aprilis, per manus Iacobi Sabelli Romani, Diaconi Cardinalis S. MARIAE in Coſmedin, S. R. E. Archidiaconi. Qui ſedit in Apoſtolica ſede, Rodulpho Cæſare annos 4. menſem vnum, dies 7. Viterbij porrò conſecrari noluit, quod ei Ciuitati, ob impetum in Cardinales factum, interdictum ſacris eſſet, & ſceleris auctores excommunicati; Romana Curia inde diſcedens, Viterbij poſtea nunquam fuit.

CORONatio Martini II PP. dicti IV.

VITERbium à Romana Curia deſeritur.

Martinus Papa IV. à carceribus exemit Matthæum Rubeum Vrſinum, & Iordanum Vrſinum, Romanos, Diac. S.R.E. Cardinales, quibus fuerant addicti, quòd noui Pontificis creationi ſe opponebant, conſenſerunt tamen Electioni Martini Papæ IV. Magnæ enim ſimultates in Vrbe erant inter Vrſinos, & Hannibaldenſes, ob duos

DISSENſiones in Pontificis

Cardinales

Electione ortas Martinus recõciliat.

A Cardinales Vrſinos vi captos, vbi enim Romæ ſcitum eſt, Cardinales duos captos, Hannibaldi factio Vrſinam gentem Vrbe pellit, quę cum ſua factione abiens Præneſte ſeceſſit, à Martino tamen reuocati ſunt. Richardus Hannibaldenſis, vt ab excommunicatione, ob Cardinales captos contracta, abſolueretur, Legati auctoritate veniam à Cardinalibus læſis demiſsè petens, eam Pontificis interuentu obtinuit. Qui Cardinalis Legati genibus prouolutus, laqueum collo gerens non ſine magna reſipiſcentia, & doloris ſignis veniam petens abſoluitur, ita compoſita inter vtramque factionem pace.

REX Carolus in Senatoriã dignitatẽ reſtituitur.

Martinus Pontifex Regem Carolum ad ſe Vrbemueterem venientem non ſolùm benignè ſuſcepit, verum cum ipſe à Romanis Senator perpetuus deſignatus eſſet, eodem modo Senatoriam poteſtatem, qua à Nicolao priuatus fuerat, lege eiuſdem abrogata, in eum locum reſtituit. Quæ res à multis damnata fuit, cum magnas in Vrbe ſeditiones excitatura eſſet. Martinus ab omni cupiditate ſuorum **B** alienus, maximus Eccleſiaſtici iuris defenſor fuit, cum germanus frater aliquando ad eum acceſſiſſet, vt ei de tanto honore gratularetur, ſimulque multa ab eo obtinere ſperans, eum confeſtim paucis muneribus donatum, domum redire iuſſit, affirmans, bona Eccleſiæ, quæ ſua non eſſent, ſe nolle ſine ratione donare.

MICHAEL Imp. Conſtantinop. excommunicatur. *

Vrbiſueteris Republica conſtituta, Martinus Pontifex Michaëlem Palæologum Imperatorem Conſtantinopolitanum, Concilij Lugdunenſis Decreta non ſeruantem, pariter & Græcos, inſtante Carolo Siciliæ Rege eius acerrimo hoſte excommunicauit *. Michaëlem enim Imperio exigere conabatur, ambitione augendæ ditionis in Græcia, qui multa oppida in Achaia obtinuerat. Sed Ioannis Procidæ opera clam fœdus cum Pontifice Martino, & Rege Aragonum inijt; quo ſibi à Siculo Rege caueret.

MARTINI legatio ad Petrũ Aragonum Regem.

Pontifex Iacobum ordinis Prædicatorum, virum doctum, & prudentem, Legatum ad Petrum Aragonum Regem mittit ſciſcitatum, **C** quid ſibi vellent tanti belli apparatus: Cui Rex, Contra Sarracenos, inquit. Tùm Legatus, Contra quos, interrogauit, At Rex, id ſe nolle tunc aperire, reſpondit. Quod ſi altera ex eius manibus id ſciret, quo res occultior eſſet, ſe eam abſciſſurum, dixit. Redijt igitur re infecta Legatus.

Interim Siculi nobiles, quorum motum Petrus Rex in Sardinia, magna claſſe inſtructus expectabat, ſuperbiam, libidinem, petulantiam, auaritiam, crudelitatem, & truculentos Gallorum mores, amplius ferre nequeuntes, Ioannis Procitæ, qui olim Manfredi Regis Medicus fuit, ſuaſu, & miro aſtu, in Carolum & Gallos omnes, validam coniurationem concitarunt, & inierunt, data die ad expediendam rem, vt cum primùm Veſperarum nola exaudiretur, vbique Galli, nullo ſexus, ætatis, ordinis diſcrimine habito ad internicionem tota Inſula cæderentur. Qua in re ab exagitatis Siculis ita ſæuitum eſt, vt & mulieres à Gallis compreſſæ *, & prægnantes, ne vlla in- **D** tenti generis proles ſupereſſet, necatæ traderentur: Hinc Veſperarum Sicularum prouerbium manauit. Accidit Gallis tanta clades anno Chriſti 1281. Regni Caroli 49. feria ſecunda Paſchatis *, rerum nouarum initio à Panhormitanis facta.

GALLI ingẽti clade à Sicilia affecti. * *VESPERÆ Siculorum.* *

MESSANA lõga obſidione à Carolo obſeſſa.

Carolus, qui tum in Hetruria erat, Siculorum defectione, & immani ſæuitia audita, Pontificem adijt, cui rebellionem Siculorum, & Petri Aragonum Regis iniuriam exponit, Pontifex dolens, quod poſſet, auxilium ei obtulit. Inde diſcedens magnis itineribus, cum validis copijs, & Legato Apoſtolico Gerardo Albano Parmenſe, magni conſilij homine in Siciliam traijciens, Meſſanam Vrbem obſedit, quam longa, & graui obſidione preſſam, certè deditionem cepiſſet, niſi Galli vltionis cupidi, deleturos ſe Vrbem *, & omnes occiſuros imprudenter minati fuiſſent. Dum Meſſanæ obſidio continuatur, neque Aragonum Rex Petrus quemadmodũ pollicitus fuerat, præſtò eſſet. Siculi Gallorum vim, & iram timentes, Oratores viros reli- **E** gioſos ad Pontificem miſerũt, veniam deprecantes, quorum eiuſmodi tantum fuit oratio, *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis*, id ter repetentes. Quibus in publico Conſiſtorio, hoc tantum reſponſum, *Aue Rex Iudæorum, dicunt Iudas Chriſto, & dabant ei alapas*, ter hoc ipſum replicatum, & nullo alio reſponſo impetrato, mœſti domum redire, id in mandatis tantùm ferentes, vt Vrbem Meſſanam Carolo ſine vllis conditionibus dederent, alióqui ſe excommunicatos eſſe, ſcirent.

SICVLI Oratores ad Põtificẽ mittũt.

PETRO Aragonũ Rege Panormũ aduenienite, Carol⁹ obſidione relicta in Calabriã ſe recepit.

Meſſenates accito in Vrbem Legato, æquiſſimas deditionis conditiones obtulere, quas etiam deprecante Legato, ſuperbus Rex reiecit, & eos non niſi lege belli ſuſcipere conſtituit. Qui in rerum omnium deſperatione, obſidionem fortiſſimo animo ferrè maluerunt, quàm ſæui Regis voluntati obtemperare. Secundo porrò obſidionis menſe, Petrus Aragonum Rex, cum quinquaginta triremium claſſe **F** ex Hiſpania Panhormũ applicuit, cuius claſſis ductor erat Rogerius Doria, rei militaris peritiſſimus. Petrus ab Inſularibus honorificentiſſimè exceptus Regni Siculi Diadema ab Epiſcopo Cephaludenſi ſuſcepit. Hanc ob rem Carolus perterritus, Meſſana relicta, in Calabriam rebus infectis ſe recepit, filium Carolum Salerni Principem expectaturus, qui paulò poſt è Narbonenſi regione, cum aliquot cohortibus adeſſe nunciabatur, obiurgatus à Carolo per literas Petrus Arago, quòd affinis, & conſanguineus Regnum ſuum inuadere, nulla laceſſitus iniuria, auſus eſſet, reſpondit Petrus, Se miſericordia motum, calamitoſo populo, & ſeruilem in modum vexato petitum auxilium negare non potuiſſe. Quanquam id quoque Regnum iure

A ſibi hæreditario deberetur, ob vxorem Conſtantiam Manfredi olim legitimi Regis filiam. Creſcentibus verò vltro, citróque iurgijs, tandem ex Caroli prouocatione ad ſingulare certamẽ * res deducta eſt, hac conditione, Vt vterque eorum centum ſibi ad certamen commilitones aſciſceret; locus pugnæ apud Burdegalam in Regis Anglorũ Odoardi ditione, qui Iudex delectus erat, deſignatus, vtriuſque verò Regis Anglus affinis erat. Rex Carolus filio ad Regni curam relicto, ad monomachiæ locum ſe contulit, Petrus itidem relicto in Sicilia ſecundogenito Iacobo Burdegalam abijt, ſtato pugnæ die adfuit Carolus, & cum vſque ad Veſperam nemine apparente expectaſſet, ſe deluſum dolens diſceſſit illico ſub Veſperam aduenit Petrus, qui Carolo non inuento, eius apud Iudices contumacia accuſata, & ipſe abijt. Eam ob rem Martinus Papa II. Petro iratus eum excommunicauit *, & Aragoniæ Regno priuauit. Quod Carolo ſecundogenito Philippi Francorum Regis contulit, & Crucesignatos **B** contra eum, tanquam bonorum Eccleſiaſticorum inuaſorem concitauit. Cui Philippus Francorum Rex rogatu Papæ Martini bellum indixit, immenſo coacto exercitu in eius Regnum, à Legato Cardinale comitatus Gregorio Giancoleto Legato Cardinale ob eam rem in Gallias miſſo, dum Carolus Rex ſingulari certamini intentus in Gallijs eſſet, Rogerius Doria Calaber, Aragoniæ claſſis Dux, ſuæ ætatis peritiſſimus, littoralibus Regni deprædatis, ante Neapolim cum claſſe 45. triremium conſedit, & claſſem Gallicam ad pugnam prouocabat; Carolus Salerni Princeps Regno, abſente patre, præpoſitus, Legato qui cum eo remanſerat, & nequaquam tantum Regnum periculis committendum eſſe reclamante, in hoſtem cum claſſe ſua 32. triremium mouens, non longè à Neapoli ingenti ſuorum clade ſuperatus, (præter patris iuſſa eas iniurias non ferens, iram ſine viribus parum valere ignorans) capitur, & in Siciliam primùm, deinde in Aragoniam perducitur; Quod tamen profectò non accidiſſet, **C** ſi benè monenti Legato obtemperaſſet.

* *PETRVS excõmunicatur Aragoniæque Regno priuatur.* *Mariana.*

CAROLus Salerni Princeps captus in Aragoniam perducitur.

Nam poſtridie pater Carolus cum magna centum decem triremium claſſe ſuperuenit, qui cum hoſte nec dum victoria elato decertare potuiſſet. Qui Neapolim accedens immenſæ claſſi ad Siculorum expugnationem comparandæ totus vacabat, vt ineunte Vere in Siciliam moueret, iamq; ad 110. triremium claſſem adornauerat. Cùmq; Neapoli Brunduſium pergeret, maioribus copijs commeatu, ac pecunia colligendis, ingentibus curis magis, quàm ſenio confectus, febre in Apulia 7. Februarij obijt, ann. 1284. ætatis 56. Regni 19. Corpus regia pompa in Cathedrali Neapolitana ſepultum eſt.

CAROLI Regis obitus.

Paulò ante Caroli mortem, Pontifex duos Cardinales Legatos in Siciliam ad Petrum Aragonum Regem miſerat, vt pacem inter duos Reges componeret. Qui Cardinales eluſit, hi propoſitis legationibus, rebus infectis, rediere.

Interim, cum Martinus curis agitatus dubitaret, à quo duorum **D** populorum, Piſaniſnè, an Genuenſibus contra Petrum Aragonum auxilium peteret: Inter hos de poſſeſſione Inſulæ Corſicæ contentio exorta eſt, vt ipſi aliunde auxilium petere cogerentur. Pontificem nihil tale ſuſpicantem alia calamitas Vrbeueteri afflixit, Guelphis, & Ghibellinis ad arma, eius mandato deſpecto, concurrentibus, quibus circumuentus Peruſium proficiſcitur, vbi lenta febri diu, & ſenſim vexatus fuit:

Anno Dominicæ Natiuitatis 1285. Peruſij, quò ſeceſſerat, lenta febri ſenſim vexatus Martinus II. obijt, iv. kalen. Aprilis, Pontificatus ſui anno 4. menſe 1. diebus 7. in Cathedrali S. Laurentij Eccleſia ſepultus, Minorum habitu indutus, &, ob vitæ ſanctitatem, multis miraculis clarus: ad eius enim ſepulchrum multi valetudinarij delati, multi cæci perducti, multiq; claudi priſtinam valetudinem eius meritis à Deo recepere. Vacauit Romana ſedes dies tantùm 4. Fuit hic annus ob quatuor Principum Chriſtianorum mortem inſignis, ni- **E** mirum Martini Papæ, Philippi Francorum, Caroli Siciliæ, & Petri Aragonum Regum.

OBITVS Martini II. dicti IV.

Condidit hic Pontifex arcem, & nobiles in Monteflaſcone ædes, quas & aliquando incoluit: in ædificando enim magnificus fuit, religioſorum hominum amator, & ad pietatis opera pronus, atque in egenos miſericors, quos in dies in maxima annonæ charitate, pane albo ſingulos pauit, & cum nobiles calamitate oppreſſos videret, ſecretò ſubſidium eis afferebat.

Maxima doctrina, & ſanctitatis opinione Martini Pontificatu vixerunt Richardus, Rhemenſis Archiepiſcopus, ordinis Minorum, doctrina, & concionandi gratia excellens, qui ſermonũ librũ edidit.

PERITISſimi Viri ſub Martino.

Gaufredus Tranenſis S. R. E. Subdiaconus, & Pontificis Capellanus, ac Guido de Baiſo Archidiaconus Bononienſis, Iuris Pontificij, Cæſareiq; peritiſſimi, ingenio præſtantes, eloquio diſerti, qui ſu- **F** per Decretum, & Decretales accuratè, & alia opuſcula ſcripſerunt.

Gerardus monachus Monaſterij ſancti Quintini in Inſula, qui hiſtoriolas aliquot pias, horum temporum, & SS. vitas edidit.

Guillelmum Lamanſij ex ordine Minorum, & Guillelmus Sarnaces Gallus ordinis Carmelitani, qui ſuper Sententias accurata Commentaria reliquerunt: hic præterea Carmelitani ordinis Chronicon, & in Regulam ſuam nonnihil ſcripſit.

Martini etiam Pontificatu Cæſar Andronicus ſenior Palæologus Auguſtus Orientis Imperator an. 1283. imperauit an. 50.

SIGNVM

SIGNVM MARTINI PAPAE II.



ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

¶ Poſt Nicolai III. obitum, ſedem ſex vacaſſe menſes, tradunt Panuin. in Chronic. Ciaconius in Nicol. III. & quidam alij menſes quinque, & dies 20. Genebrard.

* *Conclaui, quo Patres concluſi.*] Pugnantia affert Ciaconius in Ioan. XX. in Martini II. & aliorum quorumdam creatione Conſtitutionem Gregor. X. de Conclaui ad vſum reuocatam non fuiſſe, at: modo aſſerit, Cardinales in Conclauis penetrali fuiſſe: quod etiam in Nicolao III. indicauit.

* *viij. kalen. Martij.*] Viterbij, hac die, à 10. Cardinalibus Martinus in Romanum Epiſcopum electus fuit. Panuin. in Chron.

* *M. Palæologum ... ... excommunicauit.*] Rem hanc narrat paucis antiquus ſcriptor Eberhardus in Chronic. & refert Martini acta, quibus Imp. Palæologum anathemate affectum declarauit, ea etiam, Laert. Cherubinus I. C. edenda, curauit. Act. Vrbeueteri in platea maioris Templi, die dedicationis Baſilicæ Principis Apoſtolorum, an. Pontif. 1.

* *Superbiam, libidinem, &c.*] Ex Platina accepit Ciaconius: ſed nimius fuit; Platina enim duo tantùm vitia enumerauit; hic autem ijs addidit petulantiam, auaritiam, crudelitatem, mores truculentos; non deſunt, qui dicant, id Ciaconium prætermittere debuiſſe; ne aculeos in nationem, rebus etiam in Romanorum Pontificum, & Apoſtolicæ ſedis obſequiũ, præclare geſtis, illuſtrẽ, videretur acuere.

* *Veſperum Siculorum.*] Veſperas Siculas, Platina, & alij quidam Sicilianas, vel Veſperum Siculum Genebr. loc. cit. De ſubita illa Gallorum cæde Platina, Aemil. lib. 7. Cæſi Galli, ijs exceptis, quos arx munitiſſima Spirlinga defendit. Vide Genebr. loc. cit.

* *A Gallis compreſſa.*] Platinæ aliquid Ciaconius addit: ſatis erat, ſi, cum illo, dixiſſet, *Adeo ſæuitum eſt, vt etiam mulieres Gallico compreſſu prægnantes cæſa dicantur.*

* *Feria 2. Paſch.*] Die Paſchæ, ait Geneb. quem dixiſſe, nollem, Siculos Nicolao III. quia Carolo infenſus erat, conſilia communicaſſe: quem Regi Aragonio cædem illam ſuaſiſſe, Pleſſæum, mendacij, liuoriſq; calamo vtentem, affirmare, non puduit. Cuſtos pacis Nicolaus, animarum creditarum ſaluti conſulebat; non harum, & corporum perniciem exoptabat.

* *Deleturos ſe Vrbem.*] Ex Platina.

* *Ad ſingulare certamen.*] Ex Platina in Martino II. Mornæus mendacia mendacijs farciens, Legatum Apoſtolicum (is erat Gerardus Parmenſis Cardinalis) à Martino ſingularis certaminis, quod Reges Neapolis Carolus, & Aragoniæ Petrus, ad litem Siculi Regni dirimendam, ſibi mutuò condixerant, ſpectatorem Burdegalam miſſum, blaterauit: Neapolim à Martino miſſus Legatus, vt, Carolo Rege illuc ad certamen ineundum abeunte, Iuniori Carolo, Salerni Principi, conſilio, auctoritate, auxilioque adeſſet, vt Blondus, Platina, Gretſerus, alijque teſtantur.

* *Martinus Petro iratus eum excommunicauit.*] Platina; qui addit; Petri Regnum occupare volenti in prędam expoſitum, ſubiectos illius à iuramento fidelitatis abſolutos, Cruceſignatos in ipſum, quem Eccleſiaſticorum bonorum vſurpatorem Pontifex exiſtimabat, ab eodem concitatos. Literas Martini, lati in Regem Aragonum anathematis, refert Eberhardus in Chron.

* *Obijt iiij. kalen.*] Ex Panuin. in Chron.

* *Minorum habitu indutus.*] Ante mortem etiam Minorum veſtes induere voluit Martinus, Vvaddingus, to. 2. An. Min.

* *Miraculis clarus.*] Trithem. in Chron. Hirſaug. Platina, Genebrar. loc. cit. Binius par. 2. tom. 3. Concil. Vvaddingus to. 2. An. Min. Cardinalis Aegidius Viterbien. de Martini tumulo cum loqueretur, dixit. *Miracula viſa eſſe, prodiderunt.* Martinus Polonus, ante alios, teſtis ocularis, vſque ad diem 12. Maij, quo ſcribebat, ſurdos, cæcos, mutos ſanitati reſtitutos, Clericis, laicíſque videntibus, neque adhuc ceſſaſſe miracula. aſſerit: *omino*, adiecit, *diebus ſingulis, occurrente populoſa fidelium multitudine miſericordia à Deo largiuntur; & qui ſcripſit hæc, vidit ea.* Meritò à Genebr. & ab alijs nonnullis ſanctiſſimus dictus eſt.

Acerrimum Eccleſiaſticę poteſtatis propugnatorem Vvaddingus ſanctiſſimum hunc Pontificem rectiſſime nominauit. Duas ei Epiſtolas retulit Maſſonius, teſte etiam Binio, in illius vita loc. cit.

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI
SOCIETATIS IESV.

DECEM Cardinales Simonem Mompitium, ab oppido Briæ, de Bria dictum, Presbyterum Cardinalem S. Cæciliæ Viterbij ad Pontificatum extexere concordibus ſuffragijs, tantoque ardore animorum, vt reſpuenti Pontificios apices, euulſa veſte Cardinalitia vim illi intulerint. Ceſſit licet inuitus omnium votis Simon, ac Martini nomen accepit: mos inualuit, vt Martinus IV. vocaretur, licet Secundus eſſet nominandus, vnus enim præceſſit Martinus, & duo Marini, vt eorum monimentis, ac Diplomatibus eſt luce clarius. Et quidem Simonem hunc auulſum à terrenarum rerum amore teſtatur S. Antoninus his verbis: *Poſt vacationem ſedis quinmeſtrem electus fuit in Papam is, qui dictus eſt Martinus IV. natione Gallicus, Patria Turonenſis*, Bria nimirum oriundus in agro Turonenſi, *etſi non nobilis genere ſecundum carnem, tamen moribus generoſus, & magnanimus, & à cupiditate pro ſe, vel ſuis alienus, Eccleſiaſticique iuris zelator.* Petrus Frizon in Gallia Purpurata, Simonem nobilem Gallum prędicat, dum ſcribit illi germanum fratrem fuiſſe Aegidium de Bria virum nobilitate, ac militia commendatum.

Martini electio. — Reſpuit Pontificatũ. — Martinus II. nominandus. — S. Antoninus celebrat Martini virtutes.

Gerebat quidem in votis Martinus in Vrbe ſolemni ritu Pontificiæ dignitatis ornamenta ſibi conferri, & inteſtinos eiuſdem Vrbis motus ſedare, vtque iter optatis ſterneret, Latinum Epiſcopum Oſtienſem, & Gottifredum Diaconum Cardinalem S. Georgij ad velum Aureum ad Romanos miſit, vt in literis ad Carolum Regem Siciliæ teſtatur his verbis. *Exigebat Vrbis inteſtina turbatio, animarum pericula ingerens, & rerum vaſtitatem inducens, ad idem vrgebat inſtantius Noſtra deuotio interpellans multipliciter, & inſtigans, vt in illius videlicet Apoſtolorum Principis veneranda Baſilica Succeſſor ipſius munus conſecrationis reuerenter acciperet, cuius diuina diſpoſitione onus ſucceſſionis accepit; in ea Ciuitate ſumeret idẽ Succeſſor Apoſtolici honoris inſignia, ex qua titulum ſuæ denominationis aſſumit Romanus Pontifex, ſeu Papa vocatus. Huic vt ſaluti tam ſpecialium filiorum prouiſio paterna ſuccurreret, damnis occurreret, & tanta ipſius Noſtra deuotionis inſtantia, deſiderata ſatiſfactio proueniret, Noſtra Conſecrationis, & Coronationis ſolemnia non ſine multorum perſuaſione contraria, nõ abſque negociorum Nobis imminentium, & ad retardata ipſorum expeditionis accelerationem inſtantium impedimento, diſtulimus, ad Vrbem eandem Venerabili fratri Latino Oſtienſi Epiſcopo, & dilecto filio Noſtris Gottifredo S. Georgij ad velum Aureum Diacono Cardinali, velut pacis Angelis deſtinatis, vt inibi ſtatum reformando pacificum, ſopirent odia, concordarẽt corda diſcordia, & in vnitate charitatis vnirent, Nobiſque adeundi Vrbem eandem, ad proſequenda præſertim eadem ſolemnia opportunitatem Curia Noſtra, ipſamque ſequentibus neceſſariam præpararent.* At efferati mutuis odijs Romanorum animi flecti tam citò ad concordiam non potuere, atque adeo Martinus ne in Vrbe Viterbienſi ob Vrſinos Cardinales cuſtodiæ mandatos Eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto, ſolemnem Conſecrationis Pontificalis pompam celebraret, ad Vrbemveterem ſe contulit. Ex qua Vrbe encyclicas literas ad Orbis Chriſtiani Præſules dedit, quibus de ſuſceptis à ſe Catholicæ Eccleſiæ gubernaculis certiores eos factos monuit, vt operam cum ipſo in re Chriſtiana agenda coniungerent, ac numen precarentur, vt cœleſti ope tanto muneri imparem fulciret. Ad tuendam poſtmodum Eccleſiaſticam ditionem, & ad vindicandam è tyrannide Guidonis è Monteferetro Aemiliam animum, conſiliaque conuertit: & copias a Carolo Siciliæ Rege exciuit ad reprimendos Eccleſiæ Romanæ hoſtes, atque ad Picenum, Campaniam, Ducatum Spoletanum, & Patrimonium S. Petri in obſequio continenda. Patrocinatus quoque eſt Ferrarienſi Epiſcopo, qui ſede ſua per vim eiectus fuerat, atque Archidiacono Ferrarienſi munus impoſuit, vt Pſeudoepiſcopo, qui armis, & potentia ſeculari fuerat intruſus, depulſo, alterum Apoſtolica auctoritate ad Eccleſiam reuocaret. Romano populo rei frumentariæ inopia laboranti magnam pecuniarum copiam ſubmiſit, vt ex Regno Siciliæ ſibi annonam compararent, atque ad Salernitanum Principem ſcripſit, vt frumentum ex Neapolitano Regno efferri permitteret, Albertumque è Parma Vaticanæ Baſilicæ Canonicum colligendæ annonę curam gerere iuſſit.

Oder. Rinald. in Annalib. — Ornamenta Pontificia Romę accipere meditatur — Abraham Bzou. in Annal. — De ſua promotione ad Præſules ſcribit. — Contra Eccleſiæ hoſtes arma mouet — Epiſcopũ Ferrariæ defendit. — Oder. Rinald. ibid. — Pecuniaſ ciuibus Romanis mittit. — Pet. Friſo in Gallia Purpur.

Noruegiæ Regem auaritiæ arguit, qui pecuniam in Terræ Sanctę ſubſidium collectam è Regno efferri recuſabat. Denarium ſancti Petri, ſeu Cenſum octo annorum præteritorum ex Angliæ, Hiberniæque Regnis recepit: Vt Almaricum Montfortium captiuum libertati reſtitueret, Anglo ſcripſit, Vrbeueteri duodecimo Kal. Octobris.

Arguit Noruegiæ Regem. — Denarium S. Petri recipit.

Literas quamplures ſcripſit Martinus, quarum Regiſtrum m. s. aſſeruatur in Vaticano.

Literæ.

De Martini obitu, eius Vitæ m. s. auctor hæc poſteris tradidit: *Martinus Papa obijt in Peruſio kalen. Aprilis in octaua Paſchæ anno Domini 1285. fertúrque a quibuſdã miraculis claruiſſe poſt mortem.* At Martini Poloni Appendicis auctor non ambiguè, ſed diſertè patrata ab eo miracula narrat, quæ ſuis hauſiſſe oculis teſtatur. *Die Reſurrectionis Domini, quæ fuit in die Annunciationis Virginis Mariæ poſtquam celebraſſet, ſolitamque refectionem cum ſuis Capellanis ſumpſiſſet, arripuit eum infirmitas occulta, ex qua licet*

Obitus. Patrat miracula.

ſe grauiter

ſe grauiter pati diceret, eius Phyſici morbum, & cauſam in eo nullã, nullumque mortis indicium aſſerebant eſſe. Ipſe verò die Mercurij proximè ſequenti circa noctis horam quaſi ſextam debitum cõditionis exoluens humanæ, ad Dominum, vt certis opinatur indicijs, trãſmigrauit, & vacauit ſedes quatuor diebus: nam diuerſarum affſictis paſſionum, ſpecialiter viſus, auditus, & loquelæ proſtratis iuxta feretrum, in quo extitit ſepultus, infra paucos dies, videntibus, & aſſiſtẽtibus Clericis, & laicis quamplurimis multi ſunt ſanati: nec adhuc, quando fuit hæc ſcriptura protracta xij. menſis Maij ceſſabant ibidem miracula: verùm omni diebus ſingulis occurrenti populoſa fidelium multitudini miſericorditer à Domino largiuntur: & qui ſcripſit hæc, vidit ea. His conſentanea tradit Nangius hiſce verbis: *Diuerſarum afflictis paſſionum, & morborum ad tumulum eius venientes, multis videntibus ſunt ſanati.* Ex quibus cauere diſcat lector à Nouatorum fraudibus, qui odio, & furore in ſedem Apoſtolicam percìti ſanctiſſimum Pontificem à Deo miraculis illuſtratum, confictis criminibus onerarunt, vt meritas illius laudes obſcurarent: atque Epitaphium confictum impiè, imperitèque, ad memoriam ipſius in odium adducendam ſcriptis commendarunt.

Eligit ſibi ſepulchrũ in Tẽplo Aſſiſiano.

Cum verò de tanti Pontificis obitus die auctorum ſententiæ diſcrepent, omnibus ea in re præferendus Honorius ſummus Pontifex, ipſius Succeſſor, qui in literis ad Mediolanẽ. Archiepiſcop. ceteroſq; Præſules de ſua electione datis, in iv. kal. Aprilis incidiſſe teſtatur, cui plures alij conſentiunt. Sepulturæ locum ſibi delegiſſe Martinum in Templo Aſſiſij, ſacro S. Franciſco affirmat idem Pontifex Honorius, qui cum extremæ voluntatis executor à Martino relictus eſſet, adepta poſtea dignitate, Magiſtratibus, ac Populo Peruſinis ſcripſit, vt Martini corpus, qua par erat, reuerentia Aſſiſium deferri operam darent. Illi tamen ne ſancto priuarentur corpore, & tantum ſibi præciperetur pignus, varias interpoſuerunt appellationes, in quibus audiendis, & reijciendis elapſum eſt tempus, obijtque Honorius, neq; fuit, qui ampliùs tranſlationem vrgeret. Extat hodie Peruſij in Eccleſia principe ſancto Laurentio ſacra Martini ſepulchrum cum Epitaphio, quod illi, alijſque duobus Romanis Pontificibus inſcripſit Napoleo Comitolus Epiſcopus Peruſinus, & eſt tale

Peruſini renuũt dare corpus Martini.

Luc. Vuadding. tom. 2. Annal. Minorum

✠ OSSA ✠
TRIVM ROMANORVM PONTIFICVM
QVI PERVSIAE OBIERVNT
INNOCENTII III. VRBANI IV. MARTINI IV.
AN. MCCXVI. AN. MCCLXIV. AN. MCCLXXXII.
AB HVIVS TEMPLI SACRARIO
HVC TRANSLATA
AN. MDCXV.

Dona facta Eccleſiæ S. Cæciliæ, ac Terræ Sanctæ.

Eccleſiæ S. Cæciliæ, vbi ante adeptum Pontificatum Cardinalitios apices geſſerat, Iconã argenteam gemmis eleganter diſtinctam, vt Honorij Romani Pontificis literæ oſtendunt, teſtamento reliquit Martinus: atque etiam duo millia librarum Turonenſium pro Terræ Sanctæ ſubſidio inſtruendo contulit.

Reliquiarum ſancti Thomæ Aquinatis tranſlatio. Surius die 7. Martij. Annæ Reginæ mors. Agnetis Boemæ Obitus. Oder. Rinaldus. Concilium Herbipolenſe. Pet. Frizõ. in Gallia Purpur. Concilium à Suinka habitum.

Anno à Chriſti Natiuitate 1281. qui fuit Pontificatus Martini primus, tranſlatæ ſunt S. Thomæ Aquinatis ſacræ Reliquiæ, ac non ſine ingenti miraculo, ipſius corpus omnis corruptionis expers: in ſignum ſeruatæ perpetuæ caſtitatis inuentum eſt. Eodem anno conſignata eſt mors Annæ Reginæ, Rodulphi Romanorum Regis vxoris, quam pijſſimè animam efflaſſe, ac Baſilienſem Eccleſiam bonis auxiſſe, vt damna, quæ Rodulphus antea intulerat, reſarciret, tradunt Annales Colmarienſes: anno verò 1283. in Boëmia Agnes regia ſtirpe progenita obijt, quam reuocaſſe neptem Regis ad vitam, ac fulſiſſe pluribus miraculis, vidiſſeque Angelos tradunt.

Sub hoc Romano Pontifice habita Concilia nonnulla ſunt, Herbipolenſe ſcilicet in Germania, Præſide Legato Apoſtolicæ ſedis, & Rodulpho Cæſare præſente cum Imperij Principibus viris: vbi inter alia Legatus Pontificio nomine contributionem decimi denarij à Clero, Imperator ab vniuerſo populo exigere cœperunt. Celebratum eſt etiam Prouinciale à SuinKa Archiepiſcopo Gneſnenſi, in quo Henricus Dux ob Vratiſlauienſis Eccleſiæ bona occupata cenſuris affectus, & ipſius Ducatus interdicto ſuppoſitus eſt.

PRIMA CREATIO CARDINALIVM
Martini Papæ II. dicti IV.

Anno Dominicæ Incarnationis 1281. Pontificatus I. x. Kalendas Aprilis Vrbeueteri Martinus Romanus Pontifex plures creauit Cardinales, qui fuerunt.

Gerardus Blancus de Gainaco Diœceſis Parmenſis ex Presbytero Cardinali ſanctorum duodecim Apoſtolorum Epiſcopus Cardinalis Sabinus.

Frater Hieronymus Aſculanus ordinis Minorum ex Presbytero Cardinali ſanctæ Pudentianæ titulo Paſtoris Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus.



I.

BERNARDVS de Languiſſello, natione Gallus, Archiepiſcopus Arelatenſis, fratres habuit Andream, & Bertrandũ, illum Aueniorenſem, hunc Nemauſenſem Epiſcopos. Duo Cõcilia Prouincialia celebrauit in Eccleſia ſibi commiſſa, & Bertrandum Balthium Barralis filiũ liti ſubiecit, propter Nionis, Mirabellij, & Vinſobrij Caſtra, quòd Bertrandus Maleferratus, refragante Capitulo, ea Barralis fidei, & ſacramẽto commiſiſſet. Iuri paterno renunciauit Bertrandus, nouiſq; acceptis à Bernardo Archiepiſcopo legibus, Beneficiarius Arelatenſis Eccleſiæ dictus eſt. Bernardum Martinus II. dictus IV. Romanus Pontifex inter Cardinales, & Epiſcopos Portuenſes cooptauit: cumque bellica Ioannis de Epa virtute procubuiſſet ad Eccleſiæ obſequium Aemilia, Martinus vt Prouinciam illam concuſſam ciuili bello in priſtinum ſtatum reſtitueret, ac Populos leuaret: Bernardum Epiſcopum Portuenſem in ea Legatum creauit, & literas ad illum dedit, in quibus hæc legimus. *Te propter exaltationem ipſius Eccleſiæ, ac reformationem, & directionem, ac optatam quietem illarum partium, de fratrum Noſtrorum conſilio illuc tanquam pacis Angelum duximus deſtinandum, fraternitati tuæ in Aquileienſi, & Gradenſi Patriarchatibus, ac in Rauennate, Mediolanenſi, Ianuenſi, & Piſana Prouincijs, & in earundem, ac in Bononienſi, Lunenſi, Ferrarienſi, Papienſi, Placentina, & Caſtellana Ciuitatibus, & Diœceſibus; nec nõ & generaliter in Lombardia, totius, Romaniola, Tuſcia quoque in Imperio conſtitutis, Marchia Treuiſana, ac Venetiarum partibus, plenæ legationis officium committentes, vt euellas, & deſtruas, ædifices, & plantes, diſſipes, & diſperdas, ac facias auctoritate Noſtra quæcunque ad honorem Dei, & proſperum ſtatum partium earundem videris pertinere. Adijcientes nihilominus, quod eadem auctoritate in eiſdem Bononienſi, & Romaniola partibus ſpecialibus Noſtris, & eiuſdem Eccleſiæ in temporalibus exerceat vices Noſtras, &c.* Similes his literas ad Aquileienſem, & Gradenſem Patriarchas, atque ad Archiepiſcopum Rauennatem dedit Martinus, vt Legatum Bernardum, quo par erat honore exciperent, eiuſque poſtea Prouinciæ fines ad Vrbinatium Diœceſim extendit.

Ciaconius

Petrus Frizon. in Gal. Purp.

Aubery in vit. Card.

Ad Venetos quoque illum direxit, vt auxilia ab eis eliceret pro Carolo Siciliæ Rege, vt ipſemet Martinus ſuis literis ad Carolum datis teſtatur his verbis: *Nulla Galea conductitia pro te haberi poſſunt Venetijs, quamuis Venerabilem fratrem Noſtrum Bernardum Epiſcopum Portuenſem Apoſtolicæ ſedis Legatum illuc propter hoc ſpecialiter duxerimus deſtinandum.*

Oder. Rinal. to. 14. Annal.

Narrat Petrus Saxo in Arelatenſi hiſtoria, ac Petrus Frizonius in Gallia Purpurata hunc Bernardum de Languiſſello Portuẽſem Epiſcopum anno noſtræ ſalutis 1294. ſuum vltimum condidiſſe teſtamentum, præſentibus Andrea Aueniorenſi, ac Bertrando Nemauſenſi Epiſcopis fratribus, Guillelmo, & Petro Notario, poſt quem annum obijſſe affirmant. Sed vterque à veritate aberrat, ſiquidem ex Regiſtro Vaticano Fr. Matthæus de Aquaſparta ordinis Minorum ex Presbytero Cardinali in Portuenſi ſede Bernardo ſubrogatur à Nicolao IV. menſe Decembri anno 1291. idemque Matthæus Portuenſis Epiſcopus interfuit electioni Cœleſtini V. ac Bonifacij Octaui anno 1294. vt habetur in libro obligationum ſacri Collegij, in quo leguntur omnium Cardinalium tunc viuentium nomina ante Cœleſtini electionem, ac tertio loco Fr. Matthæus Portuenſis Epiſcopus notatur; quomodo ergo potuerit in viuis eſſe hoc eodem anno 1294. doceant ipſi. E vita igitur Bernardus exceſſit non Romæ, ſed Vrbeueteri, quò ſeceſſerat cum Nicolao IV. ad nouæ Cathedralis ædificationis initium ſpectandum, anno 1290. & ſepultus ante aram principem Eccleſiæ S. Franciſci in pauimento, in marmoreo lapide cũ ſequenti Inſcriptione, prætereuntiũ pedibus penè corroſa.

Ferdinand. Vghel. to. 1. Ital. ſac.

Ciaconius

Ferdinand. Vghel. ib.

ANNO D. MCCXC. VIDELICET XIII. KAL. MENSIS
OCTOBRIS OBIIT B. M. DOM. BERNARDVS
EPISCOPVS PORTVENSIS

Hunc Rex æterna Patria ſociare ſuperna
Pro qua mundana reputauit gaudia vana
Et mens ſollicita fuit .... ſua vita
Culpis purgata, vt prorſus fieret tibi grata.

In eodem marmoreo Lapide adhuc extat cum Inſcriptione effigies, ac Bernardi inſignia tribus faſcijs exarata.

Subſcriptione ſua firmauit Bernardus Epiſcopus Portuenſis Honorij IV. literas anno 1285. monachis Cœnobij ſancti Benedicti de Mantua datas, aliaſque, quas idem Honorius ſcripſit ad tuendum Eccleſiaſticum Ius, quas Regiæ Conſtitutioni inſeruit Ferdinandus Rex Siciliæ anno 1469.

Ciaconius Oder. Rinald. in ſuis Annal. l. c.

Non

Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon.


Non deſunt qui hunc eundem arbitrentur eſſe cum Bernardo Aiglerio Cardinali Caſinenſi Abbate, de quo nos ſupra in Clemente Quarto plura diximus. Alij etiam cum Bernardo Sabinenſi Epiſcopo confundunt: diuerſos agnoſces tum ex ijs, quæ ſuperius notauimus, tù verò ſi mortem ſingulorũ, ac dignitatẽ ſigillatim recolliges.

II.

Ciaconius

Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

Aubery in vit. Card.



HVGO Atratus, natione Anglus, ab oppido Diœceſis Vvigorinienſis, in quo eſt natus, cognominat⁹ de Eueſhã, à parentibus in pietate, ac literis eruditus, tantum in illis profecit, vt ſui ſeculi Phœnix omniũ voce dictus ſit; ſcientijs omnibus deditus, nunquam ſtudia intermittebat. Vir eruditione præcipu⁹, & in arte Medica egregius, ex continua Gymnaſiorum frequentatione, tota Europa notiſſimus factus eſt; Medicinæ ſtudijs iucundam Matheſeos cognitionem immiſcebat. Huius celeberrimi viri fama Martinus II. dictus IV. permotus anno reparatæ ſalutis 1280 exortis Romæ circa rem medicam difficillimis quæſtionibus, ad Vrbem vocaſſe, eiuſque inter alios peritiſſimos Medicos ſententiam percipere exoptaſſe, atque illum non ſolùm de ſe conceptæ opinioni abunde ſatisfeciſſe, ſed etiam ſpem, & expectationem longè ſuperaſſe, aſſerit Ioannes Pitſæus de ſcriptoribus Angliæ: ob quam rem S. R. E. Presbyter Cardinalis titulo ſancti Laurentij in Lucina ab ipſo Martino renunciatus eſt.

Nomencl. Cardinal.

Paul. Corteſius.

Scripſit Medicinales Canones.
Problemata quædam.
Super opere Febrium Iſaac.
Diſtinctiones Prædicabiles.
Poſtillas ſuper Biblia, & alia quædam.

De illo hæc Paulus Corteſius: *Hugo Atratus habitus eſt Theologicam diſciplinam doctus, qui maximè tum Princeps Genealogiæ Chriſti humanæ explicandæ fuit, ex qua cęteris poſtea aditus facilior ad interiora enodanda patuit.* Obijt Romæ ex peſte anno noſtræ ſalutis 1287. ſede Vacante poſt mortem Honorij IV. & ſepultus in titulo ſuo, marmoreo, & eleganti monumento, quod extare ibidem prope Sacriſtiam ſine vllo elogio affirmarunt Ciaconius, & auctor Nomenclatoris Cardinalium.

Ciaconius

III.

Ciaconius

Pet. Frizon. in Gallia Purpur.



IOANNES Cioletti, alias Cholet, natione Gallus, ex oppido Nointre Belluacenſis Diœceſis, parẽte Eduardo procreatus, Canonum, & legum Eccleſiæ peritiſſimus, Francorum Regibus Philippo cognomine Audaci, & Philippo Pulchro chariſſimus, ex Canonico Belluacenſi, vel vt placet Bzouio in Annalibus Lutetianis ex Præſule Belluacenſi S. R. E. Presbyteris Cardinalibus titulo S. Cæciliæ à Martino Romano Pontifice adſcriptus, fratrem habuit Odonem Abbatem S. Luciani Bellnacenſis Monaſterij à Rege Childeberto conditi. Legationis munere functus eſt eodem Martino iubente ad Eduardum Angliæ Regem, vt ſingulare certamen inter Carolum Neapolitanum, & Petrum Aragonenſem Reges impediret. In literis Eduardo ſcriptis Vrbeueteri nonis Aprilis anno 1283. Pontifex de Ioanne Cardinali Legato hæc habet: *Dilectum filium Noſtrum tituli ſanctæ Cæciliæ Presbyterum Cardinalem, virum vtique grandi ſcientia prædiutum, prudentia, & morum honeſtate decorum, quẽm ſua probationis obtentu, grandi affectione proſequimur, cuius conſilijs tem his acquieſcere rogamus.*

Oder. Rinald. t. 14. Annal.

Protonotar. Ancel.

Nangius de geſt. Phil. Fr. Sc. Regis.

Lata in Petrum Aragonium Siciliæ inuaſorem ſententia, qua cœtu fidelium eiectus, & omni regio honore exutus eſt, miſit Martinus Romanus Pontifex Ioannem Presbyterum S. Cæciliæ, vt Petrum Aragonium anathemate deuinctum in Gallijs promulgaret, atque Aragoniam nomine Romanæ Eccleſiæ alicui ex Philippi Galliarum Regis filijs vectigalem traderet. Extant apud Odericum Rinaldum tomo 14. Annalium Eccleſiaſticorum Martini literæ hac de re ipſi Ioanni datæ, quarum initium eſt. *Tuæ circumſpectionis induſtriam probatam frequenter in arduis fidum pectus, prouidumque conſilium Nobis vota familiaritate diutina, debita meditatione penſantes, te ad hoc Miniſtrum idoneum de fratrum eorundem conſilio aſſumentes, ad occupandum idem Aragoniæ Regnum, & Comitatum Barchinoniæ, qui eſt de Terris expoſitis, quæ olim fuerant dicti Petri, de illo ex eiuſdem Regis Franciæ filijs, quem ad hoc ipſe Rex elegerit, alio tamen ab eo, qui ſibi eſt in dicto Regno Franciæ ſucceſſurus, ſub lege, conuentionibus, pactiſue ſubſcriptis, ab eodem Rege Franciæ, ac ipſi filio ad id electo per eum ſolemniter promittendis, vt eorum quemque contingunt, & inuiolabiliter obſeruandis; per te auctoritate Apoſtolica, quam in hac parte plenè tibi committimus, de ipſorũ fratrũ conſilio volumus prouideri, & ipſũ ad id faciendũ ſingulariter deputari, &c.* Quæ autẽ hac in legatione egerit Io: S.R.E. Cardinalis, ipſemet ſuis literis ad Martinum datis ſignificat, & tales ſunt.

SANCTISS. P. AC DOM. SVO REVERENDISS. DOMINO MARTINO diuina prouidentia ſacroſanctæ Romanæ, ac vniuerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici: Ioannes Dei permiſſione tit. S. Cæciliæ Presb. Cardinalis, deuotus ſeruus eius, & filius cum humili recommendatione ſui deuotiſſima pedum oſcula beatorum.

Quę inter Philippum Dei gratia Regem Franciæ illuſtrem, & Carolum eius ſecundogenitum ex vna parte, & me Ioannem titulo S. Cæciliæ Presbyterum Cardinalem, Veſtro, & Eccleſiæ Romanæ nomine ex altera acta ſunt, præſcriptarum auctoritate literarum, iuxta mandatum veſtrum tenore præſentium ad Veſtræ deduco notitiam ſanctitatis: ſunt autem acta huiuſmodi, quæ ſequuntur.

Anno Domini 1284. vigeſima prima die menſis Februarij, indictione 12. Pontificatus Veſtri anno III. memoratus Rex Franciæ, acceptatione iam ab eodem Rege negocio Regni Aragonum, Comitatuſq; Barchinoniæ, eiſdemque Regno, & Comitatu per me Ioannem Card. Domino Carolo filio eius ab eodem Rege ad hoc electo ſolemniter aſſignatis, prout in alijs literis meis ſuper ipſo negocio confectis, quas per Venerabilem virum Magiſtrum Aegidium de Caſtelleto Veſtrũ Notarium Vobis mitto, plenius continetur, lectis etiam ſupradictis literis, & à me Cardinale ſigillatim per articulos expoſitis in vulgari, huiuſmodi Regni Valentiæ negocium acceptauit. Poſtmodum memoratus Carolus ad huiuſmodi negocium a genitore ſuo electus, vniuerſa, & ſingula in ſupraſcriptis literis Veſtris contenta, prout eum contingunt, ſe ac ſucceſſores per ſe, ac ſuos Officiales inuiolabiliter ſeruaturos, nec contra ea venturos; nec non & huiuſmodi negotium efficaci ſollicitudine, ac ſollicita efficacia proſecuturos abſque dilatione, ſine intermiſſione, quas facti qualitas, ſeu emergentium caſuum neceſſitas non inducet; mihi Veſtro, ſucceſſorum Veſtrorum, & ipſius Eccleſiæ Romanæ nomine præfato genitore ſuo eadem vniuerſa, & ſingula ſpecialiter approbante, ac conſentiente, in ipſis expreſſe iuxta adiectiones, declarationes, & detractiones factas ſuper negocio Regni Aragonum, & Comitatus Barchinoniæ in Veſtris ſpecialibus literis ad me directis, & per memoratum Notarium mihi traditis comprehenſas, ſolemni ſtipulatione promiſit. Verum cum non eſſet adhuc ætatis habilis ad iurandum, prædicta iuramento proprio non firmauit, ſed dictus Rex Franciæ, ſe, ac ſuum in Franciæ Regno hæredem curaturum, & facturum bona fide promiſit, quod idem ſuus filius cum ad ætatem ad hoc aptam peruenerit, præſtabit ſine contradictione qualibet huiuſmodi iuramentum mihi, vel alteri, quem ad hoc Romana Eccleſia deputabit. Quibus actis ego Ioannes Cardinalis de memorato Carolo Regis Franciæ filio ad occupationem Regni Aragonum, & Comitatus Barchinoniæ per me antea deputato ad occupandum Regnum Valentiæ, quod eſt de terris expoſitis, quæ olim fuerunt dicti Petri prouidi, & ipſum ad id faciendum ſingulariter deputaui ſub modo, qui ſequitur infraſcriptus.

Ego Ioannes tit. S. Cæciliæ Presb. Card. auctoritate Apoſtolica mihi in hac parte plene commiſſa de Vobis Domino Carolo, quem pater veſter Philippus Dei Gratia Rex Francorum Illuſtris ad id nominauit, & elegit, ſub lege, conuentionibus, pactiſue ab eodem genitore veſtro, ac vobis mihi ſanctiſſimi Patris, ac Domini Martini diuina prouidentia ſummi Pontificis, & Sanctæ Eccleſiæ Romanæ nomine, ſub forma præſcripta, prout quemque veſtrum contingũt, ſolemniter promiſſis ad occupandum Regnum Valentiæ prouideo, & vos ad id faciendum ſingulariter deputo, huiuſmodi prouiſionem, & deputationem taliter à me factas, idem Carolus, memorato Rege Franciæ genitore ſuo approbante, & conſentiente in ipſis, expreſſe acceptauit, & recepit, Philippo fratre ſuo primogenito præſente, & in iiſdem eidem Carolo congaudente. In cuius rei teſtimonium ſigillum meum duxi præſentibus appendendum. Datum &c.

Oder. Rinaldus, & Ciacon. in Annal.

Quæ geſſerat Ioannes in Gallia, rata grataque habuit Martinus Romanus Pontifex, eaque de Cardinalium conſenſu auctoritate Apoſtolica confirmauit. Crucem Ioannes ſedis Apoſtolicæ Legatus contra Regem Aragoniæ prædicauit, atque cum Crucesignatis militibus, & Philippo Francorum Rege Petri Aragoniæ Regis Regna inuaſit, vt teſtatur Chronicon Eccleſiæ ſancti Pauli Narbonenſis his verbis. *Anno Domini 1285. Kalendis Maij Dominus Philippus Rex Francorum cum Domino Philippo primogenito ſuo, & Domino Carolo filio ſuo ſecundo, cui Dominus Papa Martinus IV. dederat Regnum Aragonum, & Dominus Ioannes tituli ſanctæ Cæciliæ Cardinalis, & Apoſtolicæ ſedis Legatus intrauerunt Villam Narbonæ, deinde Roſſilionem, & deſtruxerunt Ciuitatem Elnenſem, quæ reſiſtebat eis. Poſtmodum per montes de Auſone, videlicet per la Meſſana intrauerunt Cataloniam, & ceperunt Ciuitatem Gerundenſem, & Comitatum Impuriarum, & dum rediret Rex Philippus, migrauit ad Chriſtum in Villa Perpiniani in craſtinum Diui Franciſci ſexto Idus Nouembres: porrò pugnatum eſt in Hiſpania, Petrus Aragonenſis ex vulnere obijt Pridie nonas Octobres.*

Sanctum

Aubery in vit. Card. — Baron. to. 13. Annal. — Petr. Friſō. in Gallia Purpur.

Sanctium Caſtellæ Regem, & Philippum cognomento Pulchrū malè inter ſe affectos ob fratres Alphonſum, & Ferdinandum Sanctij nepotes Murella arce muniſſima detentos ab auunculo, ad pacem compulit. Pro libertate Caroli Valeſij Principis Salernitani, primogeniti Regis Neapolitani multum elaborauit. Collegium Choletæum ſui nominis Lutetiæ erexit, ex quo tum de virtute, tum de literis optimè meriti prodiere; & in Codice m. s. eiuſdem Collegij legitur Epigramma in Ioannis Choletæi memoriam.

Belgarum me primus ager nutriuit, honorat
Roma: ſeni ..... fœdera pacis erant.
Religio, pietas, ſtudiorum inſignia creſcunt
Me duce, quis fuerim, comprobat iſta domus.

Teſtamentum condidit in Monaſterio Cellenſi Diœceſis Tricaſſinæ, prima Aduentus Dominica anni 1289. quo legauit monachis ſancti Luciani Belluacenſis duo millia libellarum Pariſienſium: decreuit corpus apud eundem ſanctum Lucianum terræ mandandum, & iuſſit centum Calices argenteos inauratos fieri, quemlibet ponderis vnius libræ, quorum ſexaginta mandauit diſtribui Diœceſi Rothomagenſi, & quadraginta Belluacenſi.

Vitam cum morte commutauit ſecunda Auguſti die, anno ex Ciaconio 1293. ex Frizonio verò 1292. ſepultus in Andrio ſancti Luciani ſepulchro magnificentiſſimo, cui ſuperpoſita ipſius Cardinalis iuſtæ ſtaturæ effigies argentea, poſtea diuendita cauſa ædificandæ Eccleſiæ flammis conſumptæ; illius Epitaphium accipe.

Iſta legens ſiſte, penſa quantus fuit iſte,
Cuius tam pulchrum cernis fulgere ſepulchrum.
Eſt roſa ſub Petra, quam primum ſubdita metra
Et tanti floris via ſe diffundit odoris.
Ecce ſub hoc tumulo venerabilis oſſa Ioannis
Cæcilia titulo decorati pluribus annis:
Poſtea Legatus fuit inclytus, atque probatus,
Vir magni cordis, cuius mens neſcia ſordis,
Gloria Francorum, decus Orbis, formaque morum.
Fautor iuſtorum, conſtans vltor vitiorum,
Canonis, & legum Profeſſor erat generalis.
Francorum Regum Conſul bonus, & ſpecialis.
Prouocet ad fletum pietas recolendo Choletum,
Tanquam deletum fontem bonitate repletum.
Mors quid feciſti vita reſecans iter iſti?
Multa greges Chriſti Chariſmata ſubripuiſti:
Dapſilis, & mundus, verax fuit atque fidelis.
Floreat in Cælis, quia nunc ſibi nemo ſecundus.
Annos depromens octo de mille trecentos
Auguſti Nonas quarto lux eſt morientis.

Extat in eadem Eccleſia ex auctore Nomenclatoris alia huiuſce Ioannis memoria.

Hac in Capella latet Orbis fulgida Stella,
Cuius fulgore, regio hæc fuit in honore.
Francia Legatum ſuſcepit eum ſibi gratum,
Formam virtutum, Francorum nobile ſcutum.
Hic vir compoſitus, vir verax, virque peritus,
Iuſtus, munificus, Regum ſpecialis amicus.
Ergo mecum flores præclari Patris & ores,
Vt poſt hos flores fructus capias meliores.

Pet. Friſō. ibidem.

Religioſi Sandionyſiani in Francia Ioannis Cardinalis anniuerſariam commemorationem penultima Iulij renouant.

Scutum Choletæum non eſt quale Ciaconius olim expreſſerat, ſed aureum Cruce, & quatuor Clauibus obuerſis miniatis exaratum, maiori ianuæ Collegij Choletæi inſculptum.



IV.

Ciaconius — Pet. Friſō. in Gallia Purpur. — Aubery in vit. Card.

GERVASIVS Giancoletus de Clinchamp natus in Cenomaniç finibus, amicitia coniunctiſſimus Martino Secūdo, & Gaufrido poſtea Cardinali, ex Archidiacono Pariſiēſi Presbyter Cardinalis SS. Sylueſtri, & Martini titulo Equitij a Martino Romano Pontifice renunciatus, ex Ciaconio legatus eſt in Gallias, vt Regi Francorum Philippo bellum contra Petrum Regē Aragonum, Siciliæ inuaſorem, & propterea Regno à Pontifice priuatum, gerenti aſſiſteret, & Crucem contra illum prædicaret. Hanc tamen legationem Martinus non Geruaſio, ſed Ioanni Cioletto commiſit, vt diximus ſupra, & teſtatur Guillelmus Nangius ſcriptor Gallus illius æui his verbis. *Iuerunt que cum Rege Eccleſia Romana Legatus Dominus Ioannes cognomento Cholet, ſancta Cæcilia Presbyter Cardinalis, & ferè totius Franciæ nobilitas vniuerſa.* In Theologicis apprimè verſatus Geruaſius, quædam ad Theologiam pertinētia ſcripſit, quæ ad hæc noſtra tempora non peruenerunt. Huiuſce meminit Paulus Corteſius his verbis: *Quo etiam vno tempore Hugo Carus, Hannibal Romanus, Geruaſius Gallus, & Guillelmus Britannus Theologica laude præſtiterunt, ex quibus quanquam alius alio habitus ſit in differendo maior, ab omnibus tamen eſt expolitior Theologia facta, tantumque ſcripti relictum, quantum eſſet ad poſteritates admonendos ſatis.* Lue peſtifera ſublatus Romæ anno reparatæ ſalutis 1287. ſede Vacante poſt obitum Honorij IV. ſepultus in æde ſacra SS. Sylueſtro, & Martino. Epitaphium vetuſtate conſumptum hoc legitur.

Io. Ant. Philip. de Baſil. SS. Sylueſtri, & Martini.

HIC. IACET. DOMINVS. GERVASIVS. CARDINALIS. COENOMANEN. .... AMARE. STA LXIX. CONSTANS. ET. MENT. .... XL. QVAE MISCE. .... O. SINE. FINE.

In eodem Templo extat memoria Abbatis fratris Cardinalis Geruaſij, & eſt talis.

✠ ✠

D. O. M.
Hic iacet
Dominus Ioannes de Chlineamp,
Cænomanenſis Diœceſis,
Abbas Monaſterij S. Remigij Rhemenſis,
Frater quondam Domini Geruaſij Cardinalis.
Qui requieſcit in introitu Chori iſtius,
Cuius anima requieſcat in pace, amen.
Obijt
Anno Domini MCCCIX. vij. ....
In vigilia Apoſtolorum Philippi, & Iacobi.



V.

Ciaconius — Panuinius — Aubery in vit. Card. — And. Victor. in Add. ad Ciaconium.

COMES Gluſianus de Caſate, natione Italus, Ciuis, & Archidiaconus Mediolanenſis, Romam ſe contulit, qua in Vrbe Sacri Palatij primum Auditor à Nicolao III. deinde Presbyter Cardinalis SS. Petri, & Marcellini a Martino ſucceſſore, renunciatus eſt. Eccleſiam ſui tituli reſtaurauit, vt patet, ex duobus, quæ in eodem Templo noſtris hiſce temporibus legimus carminibus, & ſunt.

Hæc fieri Comes Mediolanenſis in huius
Cardinis Tituli iuſſit honore ſui.

Luc. Vvadding to. 2. Annal Minorum.

Huic Nicolaus Tertius tradidit diſcutiendam declarationem Regulę Minorum, quam ipſemet ſcripſerat, ad comprimendos quorundam inſolentes auſus, atque ad refrænandas æmulorum impudentes detractiones, qui Minorum vitæ, & regulæ obloquebantur. Affuit hic electioni Honorij IV. exceſſit Romæ ex peſte vj. Idus Aprilis anno Dominicæ Incarnationis 1287. ſede Vacante poſt obitum Honorij IV. ſepultus in Baſilica Lateranenſi cum hac Inſcriptione.

ANNO DOM. MCCLXXXVII. MENSIS APRILIS DIE VIII.

De Mediolano Comes hoc requieſcit in antro,
Presbyter & Cardo, veniat tibi ſplendor ab alto.
Lombardis charus, ipſorum gente creatus
De patria clarus, de magno ſanguine natus.
Tu ſapiens pectus iuris vexilla ferebas,
Pauperibus largus, ad praua per omnia tardus.
Conſilio magnus, mitis, deuotus, vt agnus,
Muneris acceptor rarus, tu iuſtus obiſti
Nominis illector, cur ſic citò morte ruiſti?
Hinc Mediolanum, Romanaque Curia ploret,
Ne fleat in vanum, pro te rogo quilibet oret.

Nomencl. Cardinal.

Iacobus Columna Diaconus Cardinalis S. Mariæ in via Lata, arctiſſimo neceſſitudinis vinculo Cardinali Gluſiano coniunctus, in Baſilica Lateranenſi Sacellum conſtruxit, aramque erexit ad ſacrificium pro Cardinalis Gluſiani anima, hac appoſita Inſcriptione.

D. O. M.
DOMINVS IACOBVS DE COLVMPNA
CARDINALIS S. MARIAS IN VIA LATA
PRO ANIMA
DOMINI COMITIS CARDINALIS FECIT FIERI
HANC CAPELLAM CVM ALTARI ET OMNIBVS.



Ciaconius. Pet. Friſi. in Gallia Purpur. Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana. Aubery in vit. Card. Nomencl. Cardinal.

VI.

GAVFRIDVS de Barbo, ſeu de Barbeau, Burgundus, ex Pariſienſis Eccleſiæ Decano inter Presbyteros Cardinales titulo S. Suſannæ à Martino Romano Pótifice cooptatus eſt. Interfuit Comitijs, in quibus renunciatus eſt ſummus Pontifex Honorius IV. Romæ morbo ſublatus peſtifero anno 1287. tumulatus in ſacris ædibus S. Praxedis in Eſquilino, qua in Eccleſia adhuc extant eius inſignia, ac huiuſmodi Elogium.

Ego Gaufridus de Barbo
Quondam Tituli ſanctæ Suſannæ
Presbyter Cardinalis
Credo quod Redemptor meus viuit
Et in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum
Et in carne mea videbo Deum
Saluatorem meum.

In Necrologio Eccleſiæ Pariſienſis obitus Gaufridi de Barbo ex Decano Cardinalis notatur xij. Kalendas Septembris.

Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

Quidam exiſtimarunt Gaufridum hunc nominatum de Barbo à Ciuitate Barro ad Sequanam, & quòd e Burgundia eſſet oriundus; cum reuera hoc nomen ſortitus ille ſit à Barbatulis piſcibus, quos in inſignibus geſſit.



Ciaconius. Io. Rubeus in vita.

VII.

BENEDICTVS Caietanus Luifrido nobili Anagnino natus, ad ſcientias omnes, præcipuè ad ſcientiam Iuris ſe applicuit, tantoſque in ea progreſſus fecit, quantos Decretalium Sexto facile eſt colligere. Pueritiam ingreſſus, Eccleſiaſticam vitam profeſſus, & nondum ſacris initiatus, virtutum & doctrinæ fama Canonicos Eccleſiæ Tudertinæ faciles reddidit, vt in eorum Collegium illum cooptarent, tametſi lege prohiberetur, nullum in ſacris non conſtitutum in collegam aſſumere. Canonicis deinde Lugdunenſis Eccleſiæ, demum Baſilicæ Vaticanæ adſcriptus eſt. Cauſarum patrocinium, & Protonotariatus officium in Vrbe magno omnium applauſu exercuit; quare à Martino II. dicto IV. inter Diaconos Cardinales cooptatus, illique cura Eccleſiæ S. Nicolai in Carcere commiſſa, deinde à Nicolao IV. Presbyter Cardinalis SS. Sylueſtri, & Martini in montibus tit. Equitij renunciatus eſt. Hunc Martinus Romanus Pontifex, quem profundi iudicij virum fidelem, oculatum, induſtrium, circumſpectum nominat, legauit ad Carolum Siciliæ Regem, vt ipſum ab ineundo ſingulari certamine cum Rege Aragonum retraheret. Nicolai IV. iuſſu cum Latino Oſtienſi, & Petro S. Marci Cardinalibus controuerſiam inter Dionyſium Regem, & Clerum Luſitaniæ compoſuit. Legati Apoſtolici munere functus in Sicilia citeriore populos ſub Romanæ Eccleſiæ, & Caroli Regis obedientia continuit; in Gallijs verò cum Gerardo Epiſcopo Sabinenſi Eccleſiaſtica iura redintegrauit, decimas in ſacram expeditionem recepit, quique latè graſſabantur inter Odoardum, & Philippum Angliæ, & Franciæ Reges, motus ſedare curauit. Hic poſt abdicationem Romani Pontificatus factam a Cœleſtino V. ad Petri ſolium aſcendens, dictus eſt Bonifacius VIII. Vide vitam.

Oder. Rinald. in Annalib.

VICECANCELLARIVS S. R. E.
ſub Martino II. dicto IV.

Magiſter Petrus Peregroſſus Mediolanenſis à principio, vſque ad finem Pontificatus, Vicecancellarij munere functus eſt.

CARDINALES MORTVI
ſub Martino II. dicto IV.

Bernardus Aiglerius S. R. E. Cardinalis exceſſit è vita Pridie nonas Aprilis anno 1282.

Guillelmus de Brayo Gallus Presbyter Cardinalis ſancti Marci obijt eodem anno 1282.

HONORIVS IV. PONT. CXCII.

ANNO DOMINI MCCLXXXV.





IN NOMINE DEI, ET SALVATORIS *Noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen.*

Honorij Electio.

QVATRIDVO poſt Martini obitum, Peruſij Cardinales ad noui Pontificis Comitia coacti, facilè conſenſere, & Honorio IV. ſuffragati ſunt, cum vir admodum ſenex, valetudinarius podagra, & chiragra laborans, atque omnium Cardinalium antiquiſſimus eſſet; is ante Iacobus vocabatur, Romæ ſummo loco natus, gente Sabella, patre Luca, viro in Vrbe primario, & qui ſæpe Senatoris munus obierat. Eum Vrbanus IV. Diaconum Cardinalem ſanctæ MARIAE in Coſmedin, aliàs in Schola Græca, creauerat; qui multis legationibus perfunctus, prudentiæ, dexteritatis, & probitatis opinionem apud omnes acquiſierat. Ad jv. igitur nonas Aprilis, Romanus Pontifex deſignatus, Romam illicò venit.

CARDINALES XVIII. VIVENTES
quando Honorius Papa IV. creatus eſt.

CARDINALES EPISCOPI VI.
NICOLAI PAPAE III.

1. Ordeonus, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus.
2. Bentuenga de Bentuengis Tudertinus, Vmber ordinis Minorum, Epiſcopus Cardinalis Albanus, Maior Pœnitentiarius, Miniſter Generalis duodecimus ordinis Minorum.
3. Fr. Latinus Malabranca Romanus, ordinis Prædicatorum, Epiſc. Card. Oſtienſis, & Veliternus, Prior Epiſcoporum.

MARTINI PAPAE II. DICTI IV.

4. Gerardus Blancus Parmenſis, Epiſcopus Cardinalis Sabinus.
5. Fr. Hieronymus Aſculanus, ord. Min. Epiſc. Card. Preneſtinus.
6. Bernardus de Languiſello, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ.

PRESBYTERI CARDINALES VI.
VRBANI PAPAE IV.

7. Ancherus Pantaleo, Trecenſis, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Praxedis, Prior Presbyterorum.

MARTINI PAPAE IV.

8. Hugo Atratus de Eueshan Anglus, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Laurentij in Lucina.
9. Geruaſius Giancoletus de Clinchamp Cœnomanẽſis, Gallus, Presb. Card. ss. Syluestri, & Martini in mõtibus, tt. Equitij.
10. Gaufridus de Barbo, Burgundus, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Suſannæ ad duas Domos.
11. Ioannes Cioletti, Presb. Card. tit. S. Cæciliæ.
12. Comes Gluſianus de Caſate Mediolanenſis, Presbyter Cardinalis titulo ſanctorum Petri, & Marcellini.

DIACONI CARDINALES VI.
VRBANI PAPAE IV.

13. Iacobus Sabellus Romanus, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Coſmedin, aliàs Schola Græca, Prior Diaconorum.
14. Gottifredus de Alatro, Hernicus, Diac. Card. S. Georgij.
15. Matthæus Rubeus Vrſinus, Romanus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Porticu, Archipresbyter S. Petri.

NICOLAI PAPAE III.

16. Iordanus Vrſinus Romanus, Diac. Card. S. Euſtachij.
17. Iacobus Columna Romanus, Diac. Card. S. Mariæ in via Lata.

MARTINI PAPAE II. DICTI IV.

18. Benedictus Caietanus Anagninus, Diaconus Cardinalis ſancti Nicolai in Carcere Tulliano.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1285. die xvij. Kalen. Maij, Honorius IV. in Presbyterum, & Epiſcopum conſecratus, Romæ in Baſilica S. Petri, ſuæ Coronationis inſignia ſuſcepit, per Gottifredum S Georgij in Velabro, Diac. Card. S.R.E. Archidiaconum ſedit in Petri Cathedra, Cæſare Rodulpho annos duos, dies duos.

Peruſij vt electus fuit, ſtatim Romam petijt, vt in patria, quæ illi chariſſima fuit, Pontificiam Coronam acciperet, & in Epiſcopum Vrbis conſecraretur, vt factum fuit.

Honorio Pontifice, ipſius frater Pandulphus * Senatoriam dignitatem geſſit, qui tantæ ſeueritatis, & iuſtitiæ fuit, vt quoties populus Romanus Vrbem latronibus, ſicarijs, furibus, & nefarijs hominibus, (quorum tunc in agro Romano ingens multitudo ob ciuiles ſeditiones erat) purgare vellet, non alium Senatorem, quàm Pandulphum deligeret. Qui etſi podagra, & chiragra vexaretur; tamen animi magnitudine, & conſtantia a bene valentibus non ſuperabatur: illud dictitans, non manus, & pedes, ſed caput imperare. Eodem modo cruciabatur aliquando eius frater Honorius Papa, ætate iam feſſus. Qui ſacris vacare ſtudens, non vi morbi retrahebatur, ſed ſede, & inſtrumentis quibuſdam, ad id aptè fabrefactis, ſacris altaribus adſtans ſacrificabat, conſilio verò, & prudentia admodum polluit, & muneri ſuo adeò aſſiduè intentus erat, vt corporis vires nõ multum in eo deſiderari opus eſſet. Quippè cum ſolus, ſenex, & infirmus, plura prope ageret, & videret, quàm omnes ſimul, qui tunc in Vrbe erant. Suorum amore non caruit, quos ex Eccleſiæ redditibus dita-

* PANDVL. phus Senator R.ó.

PANDVL. phu Senatoris Honorij fratris dictũ.

uit. Cardinales illico ex legationibus reuocauit; ac cum ijs de componendis Chriſtianæ Reipublicæ diſſidijs ſedulò agitauit. Habitauit in Auentino apud Eccleſiam S. Sabinæ: & egregias ædes, quarum adhuc parietinæ ſuperſunt, excitauit. Quare mons ipſe frequentibus ædificijs conditis incoli cœptus eſt, Caroli Siciliæ Regis hæredes in Regni Siculi negocio parum iuuit, & Ghibellinorum magis, quam Guelphorum ſtudioſus exiſtimatus eſt.

LAVANIÆ Comes Florentiam pergit.

Vnde Iacobus Arago filius Regis Aragonum, vita functi, ſecundogenitus hæres ex patris teſtamento relictus, Regni Siciliæ Diadema ſuſcepit; quum eius frater natu grandior Ferdinandus Regnum Aragoniæ obtinuiſſet, procurauit Pontifex, vt Rodulphus Rex Romanorum Vicarium generalem Imperij in Italia crearet Perceuallem Fliſcum Genuenſem Lauaniæ Comitem, magni animi, & prudentiæ notæ virum; qui Florentiam accedens, vt Imperij iura recuperaret, vbi Hetruſcorum vrbium conuentum indixerat, omnium Legatos in Cæſaris verba iurare iuſſit; eius ſine opibus, imperio, exercitu, & potentia, mandata omnes contempſerunt, ille iratus, graui mulcta omnibus irrogata, rebus infectis diſceſſit. Auctores ſunt, qui ſcribant eum ex Cæſaris Rodulphi auctoritate cunctis Hetruriæ ciuitatibus libertatem vendidiſſe, Florentinóſq; Lucenſes, Piſanos, & Senenſes, ac alios populos certa pecunia perſoluta libertatem conſequutos eſſe. Quæ venditio quamquam tantò præcipuè Principe indigna videretur, Honorio IV. non diſplicuit, quòd ea ratione Eccleſiæ imperium eſſet tutius futurum, cum amplius Imperatori non liceret liberis, & ſui iuris ciuitatibus negocium faceſſere; at eorum temporum ſcriptores nihil de ea venditione commemorant.

ORDO Carmelitarum ab Honorio confirmatus.

Honorius IV. ordinem Eremitarum, qui Carmelitæ dicti ſunt, & in Gallia Sacculi vocabantur, vt Victoriani Annales referunt, non ſatis adhuc ab Apoſtolica ſede probatum confirmauit, & eorum chlamydes, quæ ex albo panno faſcijs pullis intertextis variatę erant, tanquam minus conuenientes, & Chriſtianis oculis minimè gratas, albas, ſublatis ijs virgulis, eos deferre iuſſit. Horum Princeps, ſiuè conditor Albertus quidam Hieroſolymorum Patriarcha, cum Chriſtiani Syria potirentur, qui diù ſub Carmelo monte, à quo nomen traxere incoluerant, ſub regula S. Baſilij. Eum ordinem Innoc. III.* in Concilio Lateranenſi permiſit, Honorius III. confirmauit. Innocentius IV. Hugoni Cardinali tit. S. Sabinæ ordinis Prædicatorum mandauit, vt quaſdam leges eorum inſtitutis adderet, quas ipſi obſeruarent: E Syria vi à Sarracenis pulſi, totum Occidentem repleuerunt, & multa Cœnobia conſtruxere. Ferunt, Sultanum Aegypoum eos à Carmelo exegiſſe, cum intellexiſſet, primum habitũ Papæ iuſſu illos mutaſſe: cum illum tanquam ab Helia, & Heliſæo manantem venerationi habuiſſet. Monachas Honorius IV. Præneſtini inſtituti* ad Vrbem tranſtulit, eiſque Monaſterium S. Syluestri in Campo Martio donauit, cuius monachos Cœnobium S. Laurentij extra muros incolere, iuſſit. Idem Pontifex Eremitarum S. Auguſtini ordini S. Triphonis ædem Romæ conceſſit, & vt eius fratres in Gymnaſio Pariſienſi publicè profiteri, & Theologiæ Doctores creare poſſent. Quare omnium ſuffragijs primus in eo ordine ſacras magiſtrales infulas ſuſcepit Aegidius Romanus, poſtea ipſius ordinis generalis Magiſter, & demum Archiepiſcopus Biſuntinus creatus; is S. Thomæ Aquinatis auditor fuit, diuinarum, humanarumque literarum ſtudijs, omnium literatorum ſui temporis Princeps; ſcripſit multa Opuſcula, & præter excuſſa, nonnulla in Auguſtinianis ordinis Bibliothecis extant.

*

* MONACHORUM Præneſtinarum inſtitutum in Vrbe tranſlatio.

AEGIDIUS Rõ. primus Doctor Ord. Eremit. S. Auguſtini.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1287. *iij. nonas Aprilis* Romæ apud S. Sabinæ palatium in monte Auentino, Honorius IV. Papa obijt, & ad S. Petrum magna funeris pompa ſepultus eſt in marmoreo ſepulchro inſignibus familiæ, & Inſcriptione exornato. Vacauit ſedes menſes 10. & dies 18.

Fuit Honorius IV. vir in omni vita probatiſſimus, & Chriſtianæ religionis cultor egregius, viros doctos, & probos dilexit, aulicos ſuos amauit, quorum gratia ſingulis annis, vt æſtiuos calores vitaret, Tibur ſecedere ſolebat.

VIRI inſignes ſub Honorio.

Memorantur ſub Honorio IV. viri doctrina præſtantes, Hugolinus Malabranca Vrbeuetanus ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Epiſcopus Ariminenſis, & Patriarcha Conſtantinopolitanus, in diuinis, philoſophicisq; ſtudijs aſſiduis laboribus exercitatus, doctus, & moribus, vitæq; integritate conſpicuus, qui ſuper Sententias, & aliquot Opuſcula ſcripſit, & publicè ſacras literas Pariſijs docuit.

Ioannes Chriſtophorus ordinis Prædicatorum, & Ioannes Parmenſis, Bononia oriundus, ordinis Minorum generalis Miniſter, doctrina, & pietate clariſſimi, quorum ille ſuper nouum Teſtamentum Commentaria edidit, & cum publicè in Gymnaſio Pariſienſi ſacras literas doceret, ſuper 4. Sententiarum libros Commentaria, & alia Opuſcula publicauit.

Henricus Gandauenſis Archidiaconus Tornacenſis, hoc etiam tempore omnium Peripateticorum Princeps vixit, tantæ in Schola Pariſiẽſi opinionis, vt Doctor Sollemnis vbique vocaretur; Scripſit Summam Theologiæ, & multos Ariſtotelis libros interpretatus eſt.

Thaddęus Florentinus, vir in arte medica præcipuus, publicè eam facultatem Bononiæ hoc ſeculo docuit, tanta cum omnium admiratione, vt Galenus alter eſſe videretur. Ab Honorio IV. aliquando vocatus, non ante accedere voluit, quàm centum aurei illi in ſingulos dies ſtatuerentur, Honorius à grauiſſima infirmitate curatus, decem millia aureorum illi donauit; ſcripſit in medicinam plures Libros, & Commentaria præſertim ſuper Aphoriſmos Hippocratis.

Signum PP.



Honorij IV.

ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

¶ Iacobus Sabellus, vnus ex ſex Cardinalibus, quibus ex compromiſſo licuit deligere Gregorium X. à 17. Cardinalibus, Panuinio teſte, Romanus Pontifex creatus, vir bonus, & integer fuit, verùſque honeſtatis amator, Chronic. Hirſaug. Qui illum Minoritam fuiſſe, aiunt, decipiuntur, Genebr. lib. 4. Chronic.

In Chron.

Conſilio, & prudentia plurimum valuit, vt narrat Platina, de illo Martinus Polonus, *Honorius IV. homo animo tẽperatus, & magnæ diſcretionis: impeditus tamen corpore in pedibus, libenter vbiq; pacẽ quærẽs.* Cardinalis Aegidius Viterbien. *Chiragra morbo ita laborans, (Honorius IV.) vt in ſacris faciendis, organis pro manibus, vti oporteret: tanto tamen muneri haud ſane impar viſus: cum conſtet animo res ſacra, non corpore, ac paſteria Nauis conſilio, non viribus, virtute, non neruis, ſanctitate, ac ſapientia, non impetu, & robore gubernetur.*

In eius vita. In hiſt. 20. Secul.

Aulicos amauit Honorius; Io. Buccamatium ſolum ornauit Purpura: *Viros bonos*, inquiens, *& doctos: non rudes, & rerum humanarum ignaros, in ſacrum S. R. E. Senatum cooptandos*, ex Platina.

* *Pandulphus.*] Hæc, & quædam ex ijs, quæ ſequuntur, Ciaconius à Platina hauſit.

* *Honorius III. confirmauit.*] Ann. 3. Conſt. *Vt uidendi* tom. 1. Bullar. Vide Trith. in Chron.

* *Monachas ..... ad Vrbem tranſtulit ...... Monaſt. ſancti Syluestri in Campo Martio.*] Virgines illæ Romanæ, quæ Honorij IV. benignitate, & Hieronymi Epiſcopi Cardinalis Præneſtini ſtudio, ex Præneſtino monte ad Sylueſtrinum Cœnobium demigrarunt, veræ moniales, ante huius migrationis conſilium non erant: Hæ in Præneſtino receſſu B. Margaritæ Columnæ, Chriſtiania virtutibus ornatiſſimæ, diſciplina educatæ, in rerum cæleſtium meditatione, & omnium virtutum ſtudio conſeneſcere nitebantur: B. Margaritæ animus è mortalium tenebris ad perennem verè viuentium lucem euolauerat: monachi Benedictini, nigri coloris veſtibus vtentes, ex eodẽ Cœnobio, in quo multis annis habitauerant, Honorij IV. nutu (Abbas ad S. Laurentium extra Vrbem, alij ad alia Cœnobia) abierant; Hieronymus Aſculanus, Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus, Honorij deinde in ſede Apoſtolica ſucceſſor, (non autem Iacobus Columna, vt Antonius Gallonius, cap. 16. vitæ B. Margaritæ, à Codice m.s. deceptus, dixit) earum Virginum Paſtor, ab eodem Honorio enixè petijt, vt idem Sylueſtrinum Cœnobium, incolis vacuum, ijs donare vellet: annuit pius Pontifex, ſi illæ S. Claræ inſtituto, legibuſque ſuſceptis, virgineos animos ſuaui trium votorum nexu deuinxiſſent: aſſenſerunt libentiſſimè virgines, vota, Pontificis iuſſu, coram eodem Epiſcopo Cardinali, nuncuparunt, S. Claræ veſtitu indutæ, vna ex ipſis ab ipſis in Præfectam, latis ſuffragijs, electa, Romam ad donatum Monaſterium commigrarunt: quò B. Margaritæ, ſanctimonia celebris & miraculis, corpus tranſlatum fuit, & theca tectum argenteis ibidem adhuc aſſeruatur. De his diligenter Vvaddingus, tom. 2. Annal. Min. referens, ex Vat. B. Honorij IV. Diploma, Dat. an. 1. indict. 14. 1285. quod apud S. Sylueſtri moniales videri poteſt; & non vidit Gallonius. De eadem re Ioannes Giacchettus in m.s. Chronologia Ortus, Progreſſuſque euſdem Monaſterij. Vitam B. Margaritę Gallonius Italicam dedit, Vvaddingus latinam, & diligentius conſcriptam, dabit.

loc. cit.

Honorius IV. anno 1. Pontific. Minoritas ſanctiſſimæ Chriſtianæ fidei Cenſores, Inquiſitionis erecto tribunali, in Sardinia, inſtituit. De qua re Vvaddingus tom. 2. Annal. Minor.

Duas Epiſtolas, ad Epiſcopum, & Canonicos Peruſinos vnam, ad Poteſtatem, Capitaneum & alios Peruſinos alteram, ſcripſit, ſuadens; vt Martini (quem, Epiſtola ad Epiſcopum, &c. *Veſtrum non credimus*, &c. 4. vocat) corpus Aſſiſium, ad Aedem D. Franciſci, quemadmodum is Teſtamento præceperat, transferretur; ſed illud, miraculis clarum, aliò transferri, Peruſini nõ ſunt paſſi. Apud Vvaddingum offendes Epiſtolas; & Iacobum Sabellum Card. (in Pontificatu Honorium IV.) à Martino executioni Teſtamenti ſui præfectum fuiſſe, agnoſces.

Dat. kald. Febr.

Anno 2. Pariſijs Collegium inſtituit, in quo Arabicæ, & aliarum quarumdam linguarum peregrinarum cognitio, quæ Propagandæ fidei vſui eſſe poteſt, traderetur. Vvaddingum conſules.

NOVA

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI
Societatis Iesv.

In Pariſienſi Academia literis operam dat.

Oder. Rinald. t. 14. Annal.

In Eccleſia Cathalaunenſi Sacerdotiū geſſit.

Litteris per plures annos in Pariſienſi Academia, quæ ſcientiarum omniū gloria efflorescebat, operam dedit Honorius, vt ipſe affirmat in Pontificio Diplomate ad Ioannem Presb. Cardinalem titulo ſanctæ Cæciliæ, Apoſtolicæ ſedis Legatum, cui dirimendæ exortæ controuerſiæ inter eandem Academiam, & illius Scrinij Præfectum Prouinciam demandauit. Geſſit deinde Sacerdotium in Eccleſia Cathalaunenſi, vt ipſe teſtatur his verbis in literis Ioanni titulo S. Cæciliæ anno reparatæ ſalutis 1286. datis. *Nos igitur, quibus ex Apoſtolatus officio ſollicitudo omnium Eccleſiarum imminet generalis, prædictam Cathalaunenſem Eccleſiam, de cuius gremio, dum eramus in minori officio conſtituti, noſcimur extitiſſe, Canonicatum, & Præbendam in eadem Eccleſia obtinendo, præter illum* B *charitatis affectum, quem ex debito paſtoralis officij circa Eccleſias tenemur gerere vniuerſas, ſpeciali beneuolentia proſequentes, multoque deſiderio affectamus, vt inter perſonas eius Eccleſiæ ſubmotis quarumlibet diſcordiarum, & diſſenſionum fomitibus pulcritudo pacis vigeat, & requies opulenta.* Monaſterium in paterno fundo in honorem B. Pauli Apoſtoli Albani excitauit, magniſque amplificatum opibus, religioſis viris, qui S. Guillelmi ſacra inſtituta ſectabantur, contulit, & anno 1286. Apoſtolica auctoritate confirmauit.

Monaſterium in ſolo paterno excitat.

Scribit literas encyclicas.

Rodulphi Oratores ad Honorium.

Accepta Romæ ſolemni pompa Pontificia tiara, encyclicas literas ad Fideles ſcripſit, vt eos promotionis ſuæ certiores factos, ad diuinam illi opem ſuis precibus conciliandam prouocaret. Miſit ad nouũ Pontificem Rodulphus Romanorum Rex cum literis Oratores, qui ab eo flagitarent, vt diem pro accipiendis Imperij ornamentis conſtitueret. Purificationi B. Virginis diem ſacrum anni 1286. illi præfixit Honorius, at nouis deinde emergentibus difficultatibus, morte C præuentus iuſtis Rodulphi votis morem gerere haud potuit.

Ius Eccleſiæ tuetur.

Cum autem Florentinæ Reipublicæ Magiſtratus leges nonnullas Eccleſiaſtico iuri aduerſantes condidiſſet, Raymundo Argerio demandauit partes, vt illi peremptorium diem apud ſedem Apoſtolicam ad dicendam cauſam conſtitueret. Grauiſſimè quoque in Inſubria, violata cum eſſet Eccleſiaſtica dignitas in Terdonenſi Epiſcopo, qui ex inſidijs à facinoroſis hominibus, non repugnante Guillelmo Marchione Montisferrati necatus fuerat, Conianenſi Epiſcopo, & Dominicanæ familiæ in Inſubria Præfecto Prouinciam impoſuit, vt Marchionem ab anathematiſmo abſoluerent, his illi inflictis pœnis. *Ab eodem Marchione ad deuotam requiſitionem ſuam de ſtando mandatis Noſtris, & Eccleſiæ corporali præſtito iuramento, & de parendo præciſe mandatis eiſdem idonea cautione recepta, inter alia ſpecialiter imponatis eidem, quod dictus Marchio à loco, in quo dictus Epiſcopus captus extitit, vſque ad Eccleſiam Terdonenſem,* D *nudis pedibus, & à portis Vercellenſis, & Iporienſis, ac Albanenſis Ciuitatum, vſque ad Cathedrales Eccleſias Ciuitatum ipſarum pedes, nullum veſtimentum ſuper tunicam ferens, & capite diſcooperto, publicè, ac patenter accedat; ipſumque Marchionem, & poſteritatem ſuam auctoritate Noſtra priuare curetis omni iure patronatus, vel alio & feudo, ac locationibus emphyteoticis, & alijs, quæ ab ipſa Terdonenſi tenent Eccleſia: ita quod ad eandem Terdonenſem Eccleſiam liberè deuoluantur: ac reddatis eadem auctoritate poſteritatem ipſam, vſque ad quartam generationem inhabilem ad obtinendum Eccleſiaſticum beneficium in dicta Eccleſia Terdonenſi. Præfato quoque Marchioni diſtrictè præcipiatis, quod caſtra, poſſeſſiones, & terras ad prædictam Eccleſiam Terdonenſem ſpectantia, quæ detinet occupata, eidem Eccleſiæ integrè reſtituere ſine qualibet difficultate procuret, poſt hæc petitum abſolutionis beneficiũ iuxta formam Eccleſiæ hac vice auctoritate Noſtra impendatis* E *eidem, ſibique imponatis diſtrictius, & mandatis, vt infra vnius anni ſpatium altare conſtrui faciat in dicta Eccleſia Terdonenſi, & dotari de bonis ſuis, ex quorum prouentibus duo Presbyteri, quilibet eorum videlicet viginti quinque libras Genuenſes annis ſingulis percipere valeat, vt ibi continuè circa ſeruitium cultus diuini morentur. Paſſagium quoque vltramarinum, vel peregrinationis iter ad Eccleſiam S. Iacobi Compoſtellani, prout, & quando Nos duxerimus diſponendum: & præter prædicta etiam ſibi iniungatis ieiunia, orationes, & alia opera pia, prout iuxta qualitatem exceſſus, animæ ſuæ ſaluti videritis expedire. Volumus inſuper, quod Marchione ipſo, vt præmittitur abſoluto, ex parte Noſtra diſtrictè præcipiatis eidem, quod infra annum, poſtquam excuſationes, quas attulit, ceſſauerint, ita quod tutè poſſit Apoſtolico ſe conſpectui præſentare, ad ſedem accedat eandem, mandata, quæ ſibi fieri contigerint, auditurus, & efficaciter impleturus.* F *Quodſi non fecerit ea, quæ ſuper conſtructione, & dote Altaris, vltramarino paſſagio, vel peregrinatione, & perſonali aduentu ad præfatam ſedem ſibi, vt præmittitur duxeritis iniungenda, volumus, vt ex tunc eo ipſo in eandem ſententiam, à qua ipſum abſolueritis, reducatis eundem: ita quod, ſicut priùs pœnis, & pœnitentijs ſubiaceat iniungendis, niſi ſuper ijs, & per eandem ſedem aliter conſulatur. Per hæc autem, quæ dicto Marchioni non requirenti iudicium, ſed humiliter imploranti miſericordiam pœnitentiæ ſalutaris imponi mandamus, ſecularibus Principibus, vel perſonis non adimimus facultatem vtendi, prout iuſtitia ſuadebit, contra* A *ipſum legibus, quas aduerſus Sacrilegos Catholici Principes ediderunt. Datum Romæ apud S. Sabinam xiiij. kal. Ianuarij anno primo.*

Eccleſiæ reconciliat Adinulphum, & Viterbienſes.

Has Honorius Eccleſiaſticorum iurium ſtudioſiſſimus Marchioni inflixit pœnas, & licet rei grauitas ſeueritatem ab illo iudice conſtituto in terris a Deo poſceret; vti pater tamen clementia ſeueritatem aliquantulum temperauit. Vſus etiam Honorius eſt Apoſtolica clementia erga Adinulphum cenſuris irretitum ob Fruſinonis arcem occupatam, & erga Viterbienſes cenſuris defixos ob Cardinales Vrſinos poſt Nicolai III. obitum in vincula abreptos ita manſuetudinem explicuit, vt diſciplinam Eccleſiaſticam non diſſolueret. Illis enim impoſuit, vt mœnium Ciuitatis partem ſolo æquarent, Xenodochium in eadem Vrbe extruerent ſubiectum Hoſpitali S. Spiritus de Vrbe, illoſque iuris dicundi ad tempus priuauit reſeruata ſibi plena, & libera poteſtate procedendi contra ſingulas perſonas, quæ in illo exceſſu fuere culpabiles. Flagitata etiam criminis venia, fidelium B communioni eſt reſtitutus Lesko Niger Cracouiæ Dux, qui ob coniectum in vincula Paulum illius Vrbis Epiſcopum anathemate deuinctus fuerat.

Iacobum Aragonū anathemate defixit, & matrem Conſtantiam.

Iterum Henricū Ducē Vratiſlauiæ.

Contra Ludouicū Sabaudū inquirit.

Ladiſlaum Vngariæ Regem monet.

Miſericordem in hos ad Eccleſiæ gremium confugientes, in pertinaces tamen ſeuerum ſe præbuit Honorius. Ita Iacobum Petri Aragonenſis filium, tyrannidis paternæ heredem, qui Siciliæ ſceptra per nefas corripuerat, anathemate defixit, ac matrem illius Conſtantiam Manfredi Tyranni filiam deuinctam teneri pronunciauit. Diſtringenda quoque Honorio ſeueritas Eccleſiaſtica fuit aduerſus Henricum Vratiſlauienſem Ducem, qui cum ob inuaſa Eccleſiæ Vratiſlauienſis iura, aliaque crimina iam anathemate bis ictus fuiſſet, in tantam pertinaciam obriguerat, vt violatis etiam ijs, quæ à Firmano Epiſcopo tunc in Polonia Apoſtolicæ ſedis Legato ſtatuta fuerant, Epiſcopum vnà cum Clero exulare cogeret, ob quod flagitium Honorius iterum ſolemni ritu Ducem fidelium cœtu depelli, ac ipſius C ditionem interdicto percelli imperauit. Lugdunenſi Archiepiſcopo munus iniunxit, vt contra Ludouicum Sabaudum, qui Guillelmum Viennenſem Archiepiſcopum captiuum abduxerat, atque iniquum ab eo ſacramentum extorſerat, inquireret. Ladiſlaum Vngariæ Regem monuit, vt vxorem regio thoro reſtitueret, & ritus Paganorum, quos imbibiſſe fama erat, proſcriberet, ac ni pareret, Strigonienſi Archiepiſcopo Prouinciam commiſit, vt in Vngaros ad ſacra arma corripienda populos excitaret.

Pontem conſtruit.

Bzou. t. 14. Annal.

Pontem apud Riuum clarum conſtruxit, appoſitis in huiuſce facti memoriam hinc Sabellorum, de quorum ſtirpe erat, hinc Vrſinorum, Bertoldi Vrſini Præfecti Vrbe tertiam cauſa inſignibus.

Scripta Ludou. Iacobus à S. Carolo.

Hier. Garimbert.

Scripſit Epiſtolarum volumen in Vaticano m. s. aſſeruatum: quarum aliquas reſcripſit in ſua Italia ſacra Ferdinandus Vghellius, Pandolpho fratri, à quo ſæpe ſæpiùs rogatus, vt ad ſui memoriam ſempiternam, S.R.E. Cardinalium ordini aliquos, præſertim ex conſangui- D neis aſcriberet, reſpondit, monumenta, quæ ab aliorum factis pendent, eſſe fallaces, atque inanes merces: ad Romanam Purpuram viros tantùm bonos, ac doctos aſſumendos eſſe.

Honorij obitus.

Maiora his cogitantem Honorium pro gerenda bene Republica mors rapuit, de quo hæc ipſius vitæ ſcriptor: *Honorius Papa obijt Romæ, in Cœna Domini, ſuique ſepultus in die Paraſceue ſancta iuxta Nicolaum Papam III. in Eccleſia S. Petri.* Quæ conſentiunt cum ijs, quæ ſupra dixit Ciaconius, nempe Honorium è vita diſceſſiſſe tertio nonas Aprilis; nam eo anno Cœnæ Domini feſtus dies, in tertium Aprilis menſis incidit; & refellitur eorum ſententia, qui dicunt obijſſe nonis Aprilis. Honorij Teſtamentum aſſeruari Romæ m. s. in Bibliotheca Barberina ſcripſit Ludouic. Iacobus à S. Carolo.

Luc. Vvaddingus in Annal. Minorum.

B. Philippi Seruitæ obitus.

Oder. Rinald. in Annalib.

B. Ambroſij Sāſedonij mort.

Baron. in Notis ad Martyrol.

Sub Honorio Romano Pontifice anno 1285. è rebus humanis ad immortalitatē euolauit B. Philippus Benitius Seruita, qui poſt mortē Clemētis IV. à nonnullis Cardinalibus propoſitus fuerat, vt ad ſum- E mum Pontificatum eueheretur, quo ille cognito, ad montem Tuniatum fuga ſe ſubduxit. Anno verò ſequenti 1286. die 20. Martij ad Deum migrauit B. Ambroſius Sanſedonius ordinis Prædicatorum, ſanctitate, prædicatione, & miraculis clarus. Horum obitum in aliud tempus referunt alij.

Cōcilium Lāciciēſe. Rauennateſe. Herbipolenſe.

Eodem Honorio ſedente in Petri Cathedra habitum eſt an. 1285. Concilium Lancicienſe in Polonia, quo Iacobus Suinka Archiepiſcopus Gneſnenſis Henricum IV. Ducem Vratiſlauienſem, cognomento Probum, factis autem improbiſſimum è communione fidelium excluſit, eo quòd res Eccleſiaſticas inuaſiſſet. Anno ſequenti 1286. celebratum eſt Rauennatenſe reſtaurandæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ cauſa: demum ann. 1287. celebratum eſt Herbipolenſe à Ioanne Epiſcopo Tuſculano Apoſtolicæ ſedis Legato, vt Clero pecuniam collatitiam pro bello ſacro exprimeret.

F Ex Vaticana Baſilica ad Eccleſiam S. Mariæ in Araceli iuſſu Pauli III. Pontificis tranſlatum eſt Honorij corpus, & in ſacello maiorum ſuorum conditum Mauſoleo marmoreo, cuius delineationem omnium oculis exhibuit Franciſcus Gualdus Ariminenſis Eques ſancti Stephani.

CREATIO VNIVS CARDINALIS Honorij Papæ IV.

Anno Dominicæ Incarnationis 1285. *Pontificatus I.* in quatuor Temporibus Aduentus Domini, Honorius IV. Romanus Pontifex vnum creauit Epiſcopum Cardinalem, qui fuit.

I.



Pantinius

Ciaconius

Io. Aloyſ. Leſlus in hiſt. Montiſregalis.

Oder. Rinal. to. 14. Annal.

IOANNES Buccamatius, nobilis Romanus, Honorij IV. affinis, Rector primùm Eccleſiæ ſancti Fortunati de Vernote Senonenſis Diœceſis, deinde 13. Auguſti anni 1278. à Nicolao III. Archiepiſcopus Montiſregalis in Sicilia, demum anno 1285. ab Honorio IV. Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus renunciatus eſt, & in Germaniam Legatus ad Rodulphum Regem Romanorum, vt illum ad Imperiale inſigne Romæ accipiendum deduceret. In literis Honorij ad Rodulphum datis, hæc de Ioanne legimus: *Quod ſi forſan interim, quod abſit, aliqua difficultas emergeret, quæ tuum ad præmiſſa in dicto termino impediret aduentum, quodcumque aliud ad hoc tempus duxeris eligendum de conſilio Venerabilis fratris N. ſtri Ioannis Epiſcopi Tuſculani (quem probatæ, vtique diſcretionis virum) ſcientia præditum, & virtute, vt tibi ab inuio præcauens, tuos ponat greſſus in via, teque in tuis opportunitatibus conſilio dirigat, & auxilio fulciat efficaci, ad tua petitiones inſtantiam Legatum in Alemannia, ac quibuſdam alijs partibus duximus deputandum, &c.*

Io. Aloyſ. Leſlus in hiſt. Montiſregalis. Rocc. Pyrrhus in Not. Eccl. Sicil. Oder. Rinald. t. 14. Annal.

Ioannem quoque Tuſculanum Epiſcopum ad Othones duos, Albertum, & Conradum Marchiones Brandeburgenſes, Ludouicum, & Henricum Duces Bauariæ, & Comites Palatinos Rheni, Menardum Ducem Carinthiæ, Regem Boemiæ, Ducem Saxoniæ, aliosque Alemannos, & Slauos Principes, tum ad Archiepiſcopos Imperij Electores, legationis munere decoratum tranſmiſit Honorius, vt ad ſtipandum Cæſarem, atque Imperialis Conſecrationis ornandam pompam ſe accingerent. Verùm geſſiſſe etiam Ioannem Legati munus in finitimis Regnis videlicet Dania, Suecia, Polonia, & Pomerania declarat Pontificium Regeſtum, dum poſt memoratas literas Apoſtolicas ad Rodulphum & alios, quibus legationis gerendæ Prouincia ipſi demandata eſt, adijcitur eadem ſententia ad eorum Regnorum, ac Prouinciarum Præſules ſcriptum. In hac legatione Baſileæ Baſileenſem Electum conſecrauit, & Concilium Herbipolenſe Rodulpho Cæſare, multiſque Germaniæ Principibus præſentibus celebrauit. Poſt Honorij obitum Romam redijt, & interfuit Comitijs, in quibus Nicolaus IV. electus eſt Romanus Pontifex, à quo Monaſteria S. Quirici Vallis Antrodoci Diœceſis Reatinæ, & ſanctæ Mariæ Farfenſis in Sabina obtinuit. Bonifacij VIII. iuſſu patrocinatus eſt Eremitis S. Guillelmi Ducis Aquitaniæ. Eccleſiæ S. Mariæ ſuper Mineruam, & monialibus Monaſterij S. Sixti de Vrbe, larga manu pecuniarum ſummas elargitus eſt; quarum Dormitorium igne conſumptum ſuis impenſis Cardinalis Buccamatius, ac nonnulli alij ciues Romani de nouo excitarunt.

Annal. Colmarienſes. Eberard. in Chron. Binius in Concilijs. Trithemius in Chron. Hirſaugen.

Fr. Fr. Mar. Turrig. in hiſt. imaginis Mariæ Virginis.

In Gallias cum poſtea ſe contuliſſet ad Romanum Pontificem, obijt ſacri Collegij Decanus Auenione menſe Iulio, ſeu vt placet Vghellio die decima Auguſti anno à partu Virginis 1309. & ſepultus, vt ferunt apud patres Dominicanos. Ex Teſtamento ſupra centum mille aureos pijs locis, in Religioſorum Clauſtralium, & pauperum ſubſidium reliquit: Singulas Vrbis Parœcias Calice argenteo, omneſque Cardinales, imò & ipſum Romanum Pontificem Annulo aureo donauit. Monaſterio S. Sixti Prædia nonnulla legauit, vt ex ipſius Tabulario excerpſit Franciſcus Maria Turrigius, in quo hæc legimus. *Ven. Pater Ioannes de Buccamatijs Epiſcopus Tuſculanus donauit huic Monaſterio S. Sixti Caſale S. Clementis cum toto ſuo tenimento, quod Caſale conſtitit ei tria millia florenorum. Item donauit idem Dominus eidem Monaſterio Caſale de Corſulis in tenimento Tiburtino, quod conſtitit ei 600. florenos &c.* Scuta item duo millia eidem Monaſterio legauit, vt ſupra numerum aliæ quindecim Virgines nobiles in illo alerentur ad pietatem.

Io. Aloyſ. Leſlus in hiſt. Montiſregalis.

Huiuſce familiæ iam extinctæ inſignia alatum Leonem continebant, vt conſtat ex marmoreo Vaſe, quod noſtris hiſce temporibus ſeruatur apud patres Dominicanos in Cœnobio S. Mariæ ſuper Mineruam. Ioannes tamen illius aream in duas partes diuiſit, & in dextera, grati animi ergo gentilitium Sabellorum ſtemma collocauit, leunculos ſcilicet duos puniceos, roſam concolorem auicula inſeſſam veluti arripientes, in coronide ſcutaria argento illuſa cum ſubiecta imbrica praſini coloris, aquatili colubro cæruleo impreſſa, & cum imo ſcuti ſemiſſe, ſemiſcato balthers ternis aureis, totidemque puniceis, vt ſupra expreſſimus ex inſignibus antiquo Sacrario ſanctæ Mariæ ſuper Mineruam, & propriæ Domui appoſitis. Paternam Domum ad Mineruam incoluit, eamque adornauit Ioannes Cardinalis, quam Domum ſolo æquauit Gregorius XIII. Romanus Pontifex ad conſtruendum Collegium Romanum patribus Societatis Ieſu, ac Orbi vniuerſo.

Inſignia Buccamatiorum alia omnino ab his noſtris, quæ extant in pauimento Eccleſiæ S. Laurentij extra muros, non huius, ſed alterius familiæ euiuſdem agnominis fuere.

VICECANCELLARIVS S. R. E. ſub Honorio IV.

Magiſter Petrus Peregroſſus Mediolanenſis Vicecancellarij munere functus eſt à principio, vſque ad finem Honorij Pontificatus.

CARDINALES MORTVI ſub Honorio IV.

Ordeonus Luſitanus, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus, obijt Romæ anno 1285.

Ancherus Pantaleo Presbyter Cardinalis ſanctæ Praxedijs obijt Romæ menſe Nouembri anno 1286.

CARDINALES MORTVI poſt Honorij IV. obitum in ſede Vacante.

Comes Gluſianus de Caſate Presbyter Cardinalis ſanctorum Petri, & Marcellini peſtilentia perijt Romæ vi. Idus Aprilis 1287.

Gaufridus de Barbo Gallus Presbyter Cardinalis S. Suſannæ eadem die, anno, & eodem morbo.

Geruaſius Giancolerus Gallus Presbyter Cardinalis SS. Sylueſtri & Martini titulo Equitij eodem morbo anno 1287.

Gottifredus Alatrinus Diaconus Cardinalis ſancti Georgij ad velum Aureum anno 1287.

Iordanus Vrſinus Diaconus Cardinalis S. Euſtachij anno 1287.

Hugo de Eueshan Atratus, Anglus, Presbyter Cardinalis ſancti Laurentij in Lucina anno eodem 1287.



NICO-

NICOLAVS IV. PONT. CXCIII.

ANNO DOMINI MCCLXXXVIII.





IN NOMINE DEI, ET SALVATORIS Noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen.

NICOLAVS IV. Roma.

EO interregno, quod Honorij IV. mortem ſequutum eſt, Patres in ijs ædibus, quas Honorius viuens incolere ſolebat, propè S. Sabinam, Comitia ineunt, quod acerrimis contentionibus dum protrahunt, (locus enim marino vento oppoſitus, peſtilens maximè, & minimè ſanus æſtate eſt) Cardinalibus penè omnibus ſubita, & varia ægritudine correptis, ſeptem ex ijs deſiderati ſunt, & caſu ſuperſtites conſternati, Comitijs ſolutis, ex eo loco valetudinis recuperandæ gratia receſſerunt, in aliud tempus magis ſalutare rem ipſam reijcientes, maximè verò cum frequentes terræmotus, qui tunc permagni fuere, religionem quandam ijs inieciſſent, quo electio haberetur. Inter Patres Fr. Hieronymus Aſculanus humili genere in Picentibus ortus, ex ordine Minorum generali Miniſtro, & ſacræ Theologiæ eximio profeſſore (olim S. Franciſci diſcipulus, & in conuerſione filius) ob prudentiam, & vitæ ſanctimoniam Presbyter Cardinalis S. Pudentianæ tit. Paſtoris à Nicolao III. creatus, ac etiam Epiſcopus Præneſtinus à Martino II. dicto IV. conſtitutus, poſtea Pontifex maximus fuit, cum reliqui Cardinales apud S. Sabinam pro noua electione incluſi, varias infirmitates contraxiſſent, & propterea ex inſalubri loco diſceſſiſſent, ipſe vnus ibidem continuò permanſit, & loco quidem peſtilentiore nihil mali paſſus eſt, quod medio æſtatis feruore, copioſum ignem in cubiculis perpetuò accendere curauerit, quo corruptus circum aer repurgatus, ſalubrior redderetur: poſteaquam verò Cardinales ſuperſtites valetudinem receperunt, Hyeme eadem reuerſi ſunt, vbi omnium ſuffragijs viij. Kalendas Martij anno 1288. Pontifex renunciatus eſt ſupradictus Fr. Hieronymus, qui in memoriam Nicolai III. à quo Cardinalis creatus fuerat, Nicolai IV. nomen aſſumpſit.

***CARDINALES X. VIVI** quando Nicolaus Papa IV. creatus eſt.*

CARDINALES EPISCOPI VI.

NICOLAI PAPAE III.

1. Bentiuenga de Bentiuengis, Epiſcopus Cardinalis Albanus, Maior Pœnitentiarius.
2. Fr. Latinus Malabranca Romanus, ordinis Prædicatorum, Epiſc. Card. Oſtienſis, & Veliternus, Prior Epiſcoporum.

MARTINI PAPAE II. DICTI IV.

3. Gerardus Blancus Epiſcopus Cardinalis Sabinus.
4. Fr. Hieronymus Aſculanus, ord. Min. Epiſc. Card Præneſtinus.
5. Bernardus de Languiſello, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ.

HONORII PAPAE IV.

6. Ioannes Buccamatius Romanus, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus.

PRESBYTER CARDINALIS I.

MARTINI PAPAE II. DICTI IV.

7. Ioannes Cholett Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Cæciliæ, Prior Presbyterorum.

DIACONI CARDINALES III.

VRBANI PAPAE IV.

8. Matthæus Rubeus Vrſinus, Romanus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Porticu, Archipresbyter S. Petri.

NICOLAI PAPAE III.

9. Iacobus Columna Romanus, Diac. Card. S. Mariæ in via Lata.

MARTINI PAPAE II. DICTI IV.

10. Benedictus Caietanus Anagninus, Diaconus Cardinalis ſancti Nicolai in Carcere Tulliano.

CORONATIO Papæ Nicolai IV.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1288. *vi. kal. Martij*, die S. Matthiæ Apoſtoli Nicolaus Papa IV. Romæ in Baſilica S. Petri ſuæ Coronationis inſignia ſuſcepit, per manus Matthæi Vrſini, Diaconi Cardinalis ſanctæ Mariæ in Porticu S. R. E. Archidiaconi, Rodulpho, & Adolpho Cæſaribus, ſedit in Apoſtolica ſede ann. 4. menſes 1. dies 14.

NICOLAUS Reate in Sabinos proficiſcitur.

Pontifex, poſt coronationem, ſeditionibus quibuſdam Romæ excitatis, vexatus, Reate in Sabinos proficiſcitur, vbi ſex Cardinales creauit, in his duos ex ordinibus Prædicatorum, & Minorum; omnes enim eadem ratione amabat; ex cognatis verò neminem delegit, quibus non plus ſe debere, arbitrabatur, quàm cuiuis bono, & præſtanti viro. Virtutes verò, & vitia in cauſſa erant, vt in hunc magis, quàm in illum pronus eſſet.

NICOLAUS Romã redit.

Romam poſt annum rediens, vrbanis ſeditionibus ſedatis, apud Baſilicam S. Mariæ Maioris ſedem fixit. Quam Baſilicam ipſe cum Iacobo Columna Cardinale, vetuſtate quaſſaram reſtituit, vt in abſide apparet, ab ijs renouata: vbi ipſius, & Iacobi imagines ad viuum expreſſæ, ex opere vermiculato, quod Muſiuum dicitur, adhuc cernuntur. Monumentum huius reſtitutionis vidit aliquando Pompeus Vgonius in quatuor carminibus apud Altare maius; quæ tamen, vel temporum iniuria deperdita, vel aliqua noua reſtauratione impedita oculis legentium non dantur ex tamen ſic ſe habebant.

De Stat. Vrb. Pomp. Vgonius (?) Marcellus.

QVAR-

QVARTVS Papa ſuit NICOLAVS, Virginis Aedem
Hanc lapſam, reficit, ſitque vetuſta noua.
Pater Apoſtolicum ſeruet Franciſcus alumnum
Protegat Omnipotens, Matre rogante beet.

Idem Pontifex anteriorem, poſterioremq; partem Baſilicæ Conſtantinianæ reſtituit, ornauitque abſidem * opere vermiculato, quod carmina indicant, & ipſius imago ibidem expreſſa.

TERTIVS Eccleſiæ Pater INNOCENTIVS, hora
Qua ſe ſe dederat ſomno, mutare ruina
Hanc videt Eccleſiam, mox vir pannoſus, & aſper,
Deſpectuſq; humerum ſupponens ſuſtinet illam.
At pater euigilans Franciſcum proſpicit, atque
Verè eſt (inquit) quem vidimus, iſte ruentem
Eccleſiamq; fidemq; feret, ſic ille petitis
Cunctis conceſſis liber, lætuſq; receſſit.
Franciſci proles primus de ſorte Minorum
HIERONYMVS QVARTI NICOLAI nomine ſurgens
Romanus Præſul partes circumſpicit huius
Eccleſiæ celſa iam dependere ruina.
Ante retroq; leuat, deſtructa reformat, & ornat,
Et fundamentis partem componit ab imis.
Poſtremò, quæ prima Dei veneranda refulſit
Viſibus humanis facies, hac integra ſiſtens
Quo fuerat, ſteteratq; ſitu relocatur eodem,
Præſulis ecce tui Deus hæc amplectere vota,
*Quæ tibi perſoluit domus huius * ornando decorem:*
Serua munificum Cœlo, Terrâq; beatum
Effice, nec manibus tradas hunc hoſtis iniqui.
Ingrediens populus deuotus munera ſumat,
Quæ bonus hic Paſtor dedit indulgendo benignè,
Et larga pietate pater peccata remittens.

* domum huic

PARTEM. ANTERIOREM. ET. POSTERIOREM
HVIVS. SANCTI. TEMPLI
A. FVNDAMENTIS. AEDIFICARI. ET. ORNARI
FECIT. OPERE. MOSAICO
NICOLAVS. PAPA. QVARTVS
FILIVS. B. FRANCISCI.

Alibi ſub effigie ſanctiſſimi Saluatoris.

NICOLAVS. QVARTVS
FILIVS. S. FRANCISCI. SACRVM. VVLTVM. SALVATORIS. REPONI. FECIT. IN. LOCO. VBI. PRIMO MIRACVLOSE. APPARVIT. QVANDO. FVIT. ISTA ECCLESIA. CONSECRATA.

PAX inter Reges Aragoniæ, atque Siciliæ.

Interim Reges Aragoniæ, & Siciliæ, adhortante Nicolao Papa, opera verò Odoardi Anglorum Regis, pacẽ his conditionibus ineũt; Vt Rex Carolus liber dimiſſus operam daret, Vt Carolus Comes Valeſij cũctis Aragoniæ iuribus, quæ à Martino II. dicto IV. habuiſſet, cederet: & ſua impenſa Iacobum Aragonium Siciliæ Regem legitimo iure conſtitui, & coronari faceret. Quod niſi triennij ſpatio id feciſſet, in carcerem ſe rediturum, pollicebatur, datis ob eam rem obſidibus tribus filijs, Ludouico, inquam, ſecundogenito, qui piè actâ in ordine Minorũ vita inter ſanctos referri meruit, & Roberto quartogenito, qui poſtea Neapoli regnauit, & Ioanne Peloponeſi Principe, qui iuuenis obijt, & quinquaginta ex Aula ſua præſtantioribus nobilibus, ſolutis etiam triginta millibus argenteis marchis. His legibus quinto Carolus anno dimiſſus, in Gallias primùm acceſſit, vt Comitem Valeſium conueniret, à quo nihil de Aragoniæ Regum iuribus remittendis impetrare potuit. deinde in Italiam deſcendens ad Pontificem acceſſit.

E

A quo honorificè ſuſceptus, Regni confirmatione obtenta, die Pentecoſtes vtriuſque Regni Diadema Pontificis manibus ſuſcepit iij. kal. Iunij, beneficiario iure, cum in Pontificis verba iuraſſet. vtriuſque Siciliæ Rex appellatus, anno 1289. deinde Neapolim rediens, mortuo ſine hærede Rege Hungariæ Stephano, filium Carolum Martellum eiuſdem Regni Regem ab Apoſtolico Legato inungi, & coronari fecit. Quod Stephani vnica filia, & hæres Regni Maria eius mater eſſet. Dum hæc in Europa agerentur, Soldanus Aegyptius diſcordijs Principum Chriſtianorum fretus Antiochiam, Tripolim, Sydonem, & Berytum, Syriæ Vrbes inſignes, nemine ſubſidium ferente, Chriſtianorum præſidijs interfectis vi cepit, diripuit, & incendit. Reliqua tamen fuit Ptolemais, Accon, Aram vocata, quæ in biennium inducias à Soldano obtinuerat. quã vt tueretur, Nicolaus ære ſuo 1500. ad Chriſti Vexillum accitos in Syriam miſit.

F

Qui ſine duce, nullis ſignis, & auſpicijs, & ſine ordine vllo Ptolemaidem accedentes non minus Chriſtianis, quàm Sarracenis detrimento fuere. Soldanus cum res ab Eccleſiæ militibus de Sarracenis per inducias ablatas repetijſſet, & eas Chriſtiani reddere neglexiſſent, iratus omnibus excidium comminatus eſt. Magnum tunc in Chriſtianos Proceres de Ptolemaidis poſſeſſione ortum certamen erat (quod multorum Principum proprium vitium eſt) cum eam Patriarcha Hieroſolymitanus, Templarij, Theutonicorum Ordo, Rex Cypri, Carolus II. Rex Siciliæ ſibi vendicare contenderent, ſed & Piſani eam repetebant tanquam ad ſe pertinentem. Quos bellum in Hetruria excitatum ab ea expeditione auertit. Ne quid verò deeſſet

CAROLVS Italiam petens ad Pontificem venit.

CAROLVS vtriuſque Siciliæ Rex coronatur.

SVLTANVS Aegyptius, Chriſtianis interfectis, aliquas Syriæ Vrbes incendit.

A

ad Chriſtianorum Occidentalium quietem perturbandam, Orientalium verò nouiſſimum exitium accelerandum inter Iacobum Aragoniæ, & Siciliæ, & Carolum II. Neapolis Reges (quod vtriuſque Regni titulos à Pontifice Carolus præter ſacramenti fidem ſuſcepiſſet) & Philippum Francorum, & Odoardum Anglorum Reges grauiſſima bella exorta ſunt. Quæ res Chriſtianos in Syria admodum perterrefecit, & Sarracenis delendi in Oriente Chriſtianum nomen audaciam dedit. Sultanus enim, qui tunc æger erat, ad centum quinquaginta hominum millibus filio duce Ptolemaidem miſſis, Vrbem acri obſidione cingit, in qua eodem mortuo, filius abſens ſucceſſor, & maioribus animis Vrbem oppugnans, quæ reliqua vna Chriſtianis in Oriente ſupererat, foſſis repletis, & militibus præda permiſſa, ad mœnia vſque pugnando iam peruenerat, cum à Chriſtianis erumpentibus, magno detrimento accepto in caſtra repellitur. Quæ dum geruntur, Nicolaus Papa, vt Reges Francorum, & Anglorum

B

graui bello decertantes componeret, & contra Agarenos Ptolemaidem obſidentes excitaret, duos Legatos viros prudentes miſit, Benedictum Caietanum, & Gerardum Album Parmenſem. Reges vtrinque irritati Pontifici benè monenti non obtemperant, & qui in præſidio Ptolemaidis erant inter ſe diſſidentes, occupandæ Vrbis hoſtibus poteſtatem fecerunt, dilabentibus enim quotidie multis, ſolique ad tria millia remanentes Sarracenorum viribus impares, & Occidentali auxilio deſtituti, cum Patriarcha Hieroſolymitano conſcenſo nauigio, fugientes prope Cyprum naufragio perierunt. Soldanus deſertam præſidio Vrbem ingreſſus, eam 60. millibus Chriſtianis cæſis incendio conſumpſit, ac ita Chriſtiani anno 196. poſtquam Terrã Sanctam ſub Gottifredo occupauerant, ea demum omnino anno 1291. menſe Aprili, expulſi ſunt. In tantis calamitatibus Cyprus Inſula, Armenia minor, in poteſtate Chriſtianorum permanſere. inſtabat literis vel maximè Nicolaus Papa, Indulgentiarum

C

conceſſione, & Crucis prædicatione, & alijs remedijs opportunis, veritus, ne hoſtes reliquam Accon occuparent. egitque cum omnibus Regibus Chriſtianis, & præſertim Rodulpho Cæſare. vt proficiſceretur, vel copias ſuas mitteret, ſed per id tempus pridie Kalen. Octobris in oppido Spirenſis agri, Germanicè Kayn, obijt Rodulphus, anno 1291. Imperij 18. ætatis 74. cum interregno menſes 3. dies 7. ad viij. Idus Ianuarij proximi anni, Francofurti, Adolphus Comes de Naſſau Rex Romanorum ſuffectus, regnauit annos plurimum, minimumuè 8. vir inſignis, ſed parum milite, & pecunijs potens. Nicolaus Pontifex animi tædio, turbatæ nouis rebellionibus Romandiolæ Nuncio, & ſimul amiſſæ Ptolemaidis dolore. & quod malè cedere omnia videret tandem è vita exceſſit. Dilexit is claram, & nobilem Columnenſium gentem, magniſque eam beneficijs affecit, creauitque Iacobum Columnam Cardinalem, vt apud Ioannem Villanum reperitur. Vnicum tantum in ſuo Pontificatu fuit ſolatium, pax nem-

D

pè inter Aragonum, & Gallorum Reges conſtituta.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1292. Prid. non. Aprilis obijt Romæ, In Patriarchio S. Mariæ Maioris Papa Nicolaus IV. eoque loco ad caput Baſilicæ, minorem portam verſus, in Choro ſepultus eſt, vt ex hoc Epitaphio circa eius ſepulchrum emblemate ex porphyreticis lapidibus ornatum in pauimento inciſo.

Hic tumulus tumulat humilem, qui faſcibus auctus
Sic moriens ſtatuit oſſa manere ſua
Hunc Franciſcus alit, Cardo vt ſit, almaque Petro
Sedes magnificat, gratia Dia beat.
Quartus Papa fuit Nicolaus, Virginis Aedem
Hanc lapſam reficit, ſitque vetuſta noua.
Petrus Apoſtolicus ſocium, Franciſcus alumnum
Protegat, Omnipotens Matre rogante beet.

Vniuerſitatem, ſiuè Gymnaſium generale in monte Peſſullano,

E

quod hodie omnibus celebre eſt, Apoſtolica auctoritate erexit Nicolaus IV. anno Pontificatus ſui ſecundo; literarum verò erectionis tenor in ſacro Archiuo Vaticano etiam nunc legitur.

Fuit Nicolaus IV. Aſculanus, quæ Ciuitas eſt Picentium, Arminilao Tineo patre natus.

Vacauit, eo mortuo, ſedes Romana, annos 2. menſes 3. dies 2. quo interregno Michael Palæologus Imperator Conſtantinopolitanus moritur, cuius corpus, ne loco ſacro ſepeliretur Caloieri prohibuere, quod Occidentali Eccleſiæ in Concilio Lugdunenſi acquieuiſſet. Andronicus porrò Michaelis filius libenter cum Latinis ſenſiſſet, ſi quid auxilij ab ijs habere potuiſſet. Verum diuturna ſedis vacatione Latinorum auxilio deſtitutus, monachis & Caloieris obſtantibus, tandem à Catholica fide defecit, & ad veteres Græcorum errores redijt. Quæ incommoda Carolus II. Neapolis Rex proſpiciens, Peru-

F

ſiam, quò Patres ad Comitia noui Pontificis conuenerant, acceſſit, & Cardinales ipſos ſæpius ad eandem Pontificis electionem adhortatus eſt, qui parum proficiens in Regnum redijt: memorabile autem eſt nullam vnquam in eligendo Rom. Pontifice morã maiorem eſſe, quàm in his Comitijs, quibus Nicolaus IV. & eius Succeſſor Cœleſtinus V. electus eſt, & ijs, quæ Clementi V. Ioannem Caturcenſem Pontificem Romanum ſubrogauere.

Edictum Nicolaus IV. ſua Bulla publicauit, quo ex S.R.E. redditibus dimidiam partem Cardinales, reliquam Romanus Pontifex obtineret.

Viros pietate, & doctrina claros hæc ætas multos tulit; memoran-

BELLA inter Chriſtianos Principes orta.

A SVLTANO obſeſſa Ptolemais.

SOLDANVS Ptolemaidẽ incẽdio cõſumpſit.

RODVLPHVS moritur, Adolphus Rex Romanorũ efficitur.

OBITVS Nicolai Papæ IV.

MONTIS Peſſulani Gymnaſium à Nicol. IV. erectum.

PALÆOLOGVS Imp. Conſtantinopolit. moritur.

DE TEMPORE ſedis Vacantis.

VIRI insignes sub Nicolao IV. rue verò præcipui ex ordine Prædicatorum Iacobus de Voragine, Genuẽſis Archiepiſcopus, qui ſanctorum Vitas grandi volumine complexus eſt, ſcripſit etiam hiſtoriam Longobardicam, & Genuenſium Annales, item Sermonum libros 4. & alia quædam.


Chunradus Alberſtatenſis Germanus, & Ioannes Pariſienſis, Gallus, eximij nominis Theologi, & Philoſophi; vtriuſque ſcripta extant; illius quidem ſuper Iob Commentaria; huius verò, qui diu Pariſijs ſacras literas profeſſus eſt, ſuper Quartum Sententiarum.

MINORum Ordinis viri docti. Ex eodem ordine floruit Guillelmus Perak, Gallus, diuinarum, humanarúmque literarum doctrina præditus, Opuſcula quædam, & Sermonum libros edidit.

Ex Minorum verò ordine Arlotus Hetruſcus generalis Miniſter, Lucas Patauinus, & Richardus de Mediauilla, Anglus; omnes Theologi, & Philoſophi ſummi, & qui eas facultates publicè celeberrimis in Gymnaſijs docuerũt; quorum Arlotus, & Lucas varios Sermones, Richardus verò ſuper Sententias, & Decretum, item in Epiſtolas B Pauli erudita Commentaria ſcripſit.

CARMELitani Ordinis Nicolaus Gallus generalis Prior. Nicolaus Gallus ordinis Carmelitarum, ſeptimus generalis Prior, vir doctus, & pius, qui vigeſimo officij anno, magiſtratu cedens, ad Eremi quietem abijt, & vſque ad mortem in ea ſanctiſsimè vixit, ſcripſit Opuſculum; quo ordinis ſui è Terra Sancta expulſionem deplorat.

Garzias Hiſpanus vtriuſque Iuris conſultiſsimus, ſuper libros quinque Decretalium ſcripſit.

Signum PP. 

Nicolai IV. C

ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

Eo interregno.] Decimo menſe poſt Honorij mortem, Nicolaum Pontificem creatum, aiunt Platina, & Genebrar. & diebus 18. Panuinius in Chron. & Ciacon. in Honorio.

* *Omnium ſuffragijs.*] Octo erant Cardinales Nicolai electores. Panuin. in Chron. Bis ille (mirum) Romanæ ſedis ſarcinam de- D trectauit, audi Henricum monachum in Rebdorff. in Chron. ſiue Annalibus, ab an. 1295. vſque ad 1362. *Nicolaus IV. de ordine Minorum, Doctor Theologiæ, anno Domini 1288. electus ſedit annos 5 & bis electus, cum lacrymis, reſignauit, tertio compulſus ab omnibus Cardinalibus acquieuit.*

* *Cuius bono ...... viro.*] Aegidius Card. Viterbien. in m.s. 20. ſec. Hiſtor. *Nicolaus IV.* ait *..... iuſto munere, optimos quoſque & amat, & fouet. Probos, & eruditos in cognatorum loco tantum habuit.* Cardinalis de monte Alto (Syxtus V. deinde) in elogio, quo illum extulit, inferius à Ciaconio adiecto.

* *Datis ...... obſidibus tribus filijs.*] Duobus, ait Platina. Carolo, cui, Vngariæ Regi creato, Martello cognomentum fuit, & Ludouico, Franciſcani deinde ordinis alumno, inter ſanctos, poſt mortem, adſcripto.

* *Antiochiam, Tripolim, &c.*] Platina ſic. *Tripolim Aſiæ ciuitatem inſignem ..... interfecto Chriſtianorum præſidio, igni, ferroq; vertit; paremq; calamitatem Sydon, & Berytus pertulere.* E

* *Ad tria millia remanentes.*] *Ad duodecim millia*, Platina.

* *Anno 1166. poſtquam.*] *Anno 196. poſtquam à Gottifredo capta fuerat.* Platina.

* *Armenia minor, & Sicilia.*] *Cilicia prius appellata*, Platina.

* *Reliquam Accon occupat.*] *Reliquum Aſiæ, &c.* Platina.

* *Rodulphus an. Imperij 18.*] Ita Egnatius, & auctor Appendicis Sext. Aur. Vict. at Volaterranus cenſuit 19. cadauer Spiræ huma- lib. 23. tum. Rodulphum obijſſe anno 1291. tradunt Stero, & Eberhardus Altahenſis in Annalibus.

* *Adolphus Comes de Naſſau.*] Haſſiæ, ſeù Haſſoniæ Comes Ataulphus à nonnullis dictus, anno Imperij ſexto exacto ab Alberto Auſtriæ Duce, Rodulphi Imp. filio, in agro Spirenſi victus, & occi- F ſus: vt Volaterrano placet, lib. 23. & Genebrar. lib. 4.

* *Videret, diligebat.*] *Videret*, adde ex Platina. *Romæ apud S. Mariam Maiorem, Pontific. ſui anno 4. menſ. 1. dies 8. moritur, eoque loci ſepelitur, ad caput Baſilicæ, apud Petri Columnæ Cardinalis ſepulchrum.*

* *Gymnaſium in monte Peſſulano.*] Conſule, ſi libet, Vvaddingum tom. 2. Annal. Minor. ad annum 2. Nicolai IV.

videri poterunt ſi ſpera apud Vvaddin- Propagandæ Fidei cupiditate flagrabat Nicolaus; anno 1. Pontificat. in Venuſino Comitatu, & in nonnullis Galliæ Prouincijs ſanctæ Inquiſitionis Tribunal inſtituit, Venetijs anno 2. & ad muneris A Minoritis dedit: ann. 3. in Syria, & Paleſtina. gum in eos An. Min.

Concionatores ad Cumanos conuertendos miſit, anno 1.

Eodem anno 1. Minoritas Legatos ad Argonem Tartarorum Regem mittendos curauit, nec non ad Stephanum, & Huroſium Reges Sclauorum.

Anno 2. legauit fratrem Io: de monte Coruino, cum alijs Minoritis, ad Coblam Magnum Cam. (Imper.) ad Argonem Regem, & ad Caiodonem Principem Tartarorum; ad Regem etiam Armeniæ, & ad Aethiopiæ Imperatorem: eodem anno, pro ſubſidio Terræ Sanctæ in multis Italiæ locis Crucem prædicari iuſsit.

Anno 3. Gerardum Parmenſem, Epiſcopum Cardin. Sabin. & Benedictum Caietanum, Diac. Cardin. S. Nicol. in Carc. Tull. in Gallias Legatos miſit, vt diſsidia inter Angliæ, & Aragoniæ, ex vna, Carolum Valeſium Francorum, & Carolum Claudum Siciliæ Reges, ex altera parte, auferrent; & nonnulla contra Iudæos decreuit, qui in B Romana Prouincia clam, & paulatim inficere homines conabantur.

Anno 4. ab Europæ Regibus, ab Andronico Imper. Conſtantinopolitano, ab Imper. Trapezundæ, à Regibus Tartarorum, Armeniæ, Iberorum, Georgianorum efflagitauit; vt Chriſtianis militibus in Syria, & Palæſtina contra Sultanum Aegypti dimicantibus opitularentur; à Rodulpho Occidentis Imp. in Inſulæ Cypri defenſionem contra Sarracenos auxiliares copias poſtulauit tom. 1. Bullarij extant literæ eiuſdem Nicolai ad vniuerſos fideles Chriſti de recuperatione Terræ Sanctæ *Illuminet ſuper vos &c.*

Eodem anno 4. per Minoritas inſtructionem Chriſtianæ Fidei, quam profiterentur, Tartaris miſit: & in Boſniæ Principatu, Stephano Seruiæ Rege petente, ſanctæ Inquiſitionis officiũ inſtituit. Omnia ex Vaticanis Nicolai monumentis oſtendit Vvaddingus, ſtudium breuitatis exiguum rerum magnarum eximij Pontificis, non tamen omnium, indicem à calamo extorſit.

C Anno 5. Armeniæ Regis Oratores miſit, cum ſuis literis, ad Francorum Regem Chriſtianiſsimum, vt Armenijs graui periculo laborantibus opem ferret.

Romandiolam, aliáq; loca ſedi Romanæ ſubegerat, Vrbiſque factiones ſedauerat, quando, ob deiectas penè res Chriſtianorum in Oriente, paterni doloris ictu confoſſus, non ſine ſanctitatis opinione, terrenas calamitates reliquit. Pridie non. Aprilis id accidiſſe, ſcribunt Panuin. in Chron. Ciaconius, aliique nonnulli: at ego Vvaddingum, cui licuit multas ſummorum Pontificum abditas Epiſtolas, & Diplomata in penetrali Vaticano inſpicere, literas Nicolai IV. xj. Kalen. Maij datas à ſe viſas aſſerentem, audiui; huic autem viro virtus, inſtitutum, mores optimi, cũ doctrina coniuncti, conciliãt fidẽ. An. 1292.

Primo anno, firmauit etiam tertiam Regulam Tertij ordinis Diui Franciſci, *Supra montem &c.* tom. 1. Bullar.

Quarto anno ſub ſedis Apoſtolicæ protectione ſuſcepit Hoſpita- D le S. Spiritus in Saxia de Vrbe, *Inter opera &c.* Eodem tom. Bullar.

Somnia Pleſſæi in Nicolaum IV. depellit Gretſerus, cap. 36. Exam. Myſt. Pleſſæani.

Nicolaus literas dederat ad Conradum Salisburgen. Archiepiſcopum, & Suffraganeos (quas habet in ſuis Annalibus Eberhardus) monens, vt diſpicerent, de ratione Terræ Sanctæ ex infidelium vnguibus eripiendæ. Habita fuit Synodus Salisburgenſis: & Pontifici reſponſum; *Vt* (affero verba Chronici Salisburgenſis ab Henrico Caniſio editi) *tres Ordines* (Templarij, Hoſpitalarij, & Theutonici) *conuerterentur ad vnum ordinem, melioribus eorum obſeruantijs in vnum redactis, & quod ad ſuccurſum eiuſdem Terræ Sanctæ Rex Romanorum cum Principibus vocaretur. Qui Nuncij antequam veniſſent ad Curiam, Papa mortuus eſt, & ſic hoc negotium manſit infectum.* 10. 6. A. L.

Conſtitutio Nicolai III. *Exijt, qui ſeminat* de Verb. ſignif. in 6. E apud Card. Bellarm. lib. 4. cap. 14. de Rom. Pontif. errore typographi, Nicolao IV. tributa eſt.

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI
SOCIETATIS IESV.

HIERONYMVS Aſculanus, quẽ Ioannẽ nonnulli perperã vocant, Romanus renũciatus Põtifex, grati animi ergo in Nicolaũ III. à quo Cardinalium Collegio aſcitus fuerat, Nicolai IV. nomen accepit, vt dictum eſt ſupra. Huic non parum laborandum fuit, vt Salisburgenſis Eccleſiæ iura contra Othonis Ducis Bauariæ potentiam defenderet, qui nonnulla fœdera iniquiora cum Proceribus Archiepiſcopi ſtipendiarijs percuſſerat, quæ ſcriptis ad Othonem ipſum, ac Patriarcham Aquileienſem literis conuulſit, alijſque literis F grauiores querelas in eos Proceres effudit, ac iuſtiſſimas ob conflatam contra Archiepiſcopum de ſubijciendo Othoni Salisburgo coniurationem minas incuſſit. Nec minus tunc in Brixienſem, ac Tridentinam Eccleſiam graſſante Maynardo Tiroli Comite, eodemque Duce Carinthiæ fuit Pontifici deſudandum: proteruum enim Principem diripiẽdarum Crucifixi opum auidum, grauiſſimis verbis monuit, vt erepta Brixienſi Epiſcopo bona reſtitueret. Eiuſque culpæ ſocium Albertum Goritiæ Comitem arguit, tum apud Regem Romanorum, & Albertum Ducem Auſtriæ inſtitit, vt reddi ablata imperarent. Cum autem hæc parum proficerent, ſollicitauit Rodulphum, dum ſuperſtes erat, vt Maynardum, niſi ablata reſtitueret, Im-

Trithemi⁹ Ciaconius Panuinius Oder. Rinald t. 14. Annal. Cur Nicolai nomen acceperit. Salisburgenſis Eccleſiæ iura tuetur. Tum Brixienſis ac Tridẽtinæ. Bzouius in Annal. tom. 13.

Ioannem Canonicũ è vinculis liberare iubet. Aquileiẽsis Patriarchę iura defendit.

periali aula depelleret. Odoardum Anglorum Regem Ioannem Canonicum vinculis, in quæ à miniſtris compactus fuerat, liberare iuſſit. Raguſino Præſuli impoſuit, vt Ducem, & Senatum Venetum adigeret ad arces, & oppida Aquileienſi Patriarchæ reſtituenda, quę ipſi in Iſtria eripuerant. Cumque graue inde bellum erumperet, ad illud extinguendum Nicolaus Venetos ſuis literis ad amplectendam pacem, ſuaque Patriarchæ reddenda iura eſt adhortatus.

Oder. Rinald. ibid. Literas ad Ladiſlaum Regẽ Hũgarorum dat.

Cum in Hungaria in grauiſſimum periculum fides Catholica adducta eſſet Ladiſlai impudici Regis culpa, ad illum à ſcelere auocandum Nicolaus, Honorij exemplo literas ipſi miſit, quibus monuit, contra ipſum Cruceſignatorum exercitum in Hũgaria, & Germania conſtatum iri, niſi è flagitio, in quo tamdiu iacuerat, emergeret, ac propterea Lodmerio Archiepiſcopo Strigonienſi præcepit, vt ſi religio in diſcrimen adduceretur, contra infideles ſacram militiam induceret. Alios quoque excitauit Archiepiſcopos, ac Epiſcopos, Abbates, & Sacerdotes Hũgariæ, ne Strigonienſi Archiepiſcopo in fide tuenda deeſſent. Admouit quoque pios ſtimulos Proceribus Hũgariæ, Poloniæ Ducibus, Magnatibus Sclauoniæ, Duci Auſtriæ, Venceſlao Boëmiæ, & Rodulpho Romanorum Regibus, vt arma pen aſferendo in Hungarię Chriſtianę religionis ſplendore in impios expedirent. Monuit etiam Francorum Regem, vt improbam legem reſcinderet, qua cautum erat, ne Epiſcopi procuratorum opera, ſed pręſentes in Regia Gallica iudicio diſceptarent: vnde & diuinus cultus obſoleſcebat in Eccleſijs, & animarum ſaluti detrahebatur. Treuirenſi Archiepiſcopo Prouinciam impoſuit, vt anathemate Henricum Iuliacenſem, Ducem Brabantiæ, alioſque fœderatos percuteret, ni Siffridũ Archiepiſc. Colonien. in vincula ab ijs coniectum laxarent.

Luc. Vvadingus in Annal. Minorum. Monet Francorũ Regem. Archiepiſcopũ Colonienſem defendit.

Baron. in Annal. Hoſpitalarios Viẽnenſes in Xenodochium S. Andreæ inducit. Cluniacẽſes ad primæuum ſanctitatis florẽ reſtituit. Odericus Raynald. in Annal. Scribit Reginis Tartarorũ.

Vt pietatis hoſtes repreſſit ſanctiſſimus Pontifex, ita illius cultores fouit: Hoſpitalarios Viennenſes in Xenodochium S. Andreæ, cui à Piſcina nomen erat, proximo à S. Maria Maiori interuallo ſitum, induxit. Cluniacenſibus primæuum ſanctitatis florem reſtituendum curauit; ſuſceptam apud Scotos iniquam conſuetudinem, qua cautum erat, ne quis ad religioſa ſodalitia admitteretur, præeſſetque alijs, niſi è Scotia oriundus, abrogauit. Cum verò efflореret diuino excitante Numine, Chriſtiana religio apud Tartaros, Nicolaus ad Elegages, & Tuctanes Tartarorum Reginas, quæ Chriſti nomen dederant, gratulatorias literas dedit, illaſq; cohortatus eſt vt augendæ religionis ſtudium impenderent. Argonemque Regem, qui in votis gerebat, ſacro baptiſmate in ipſis Hieroſolymis luſtrari, vbi è tyrannide Sarracenorum ereptæ fuiſſent, ſuis literis hortatus eſt, ne vlterius ſanctiſſimum ſuſcipiendi baptiſmatis votum differret, vt Crucis Vexilla in Sarracenos explicare deinde felicibus auſpicijs poſſet. Illumq; tum maximè commendauit filium ſuum Nicolaum baptiſmo initiari permiſiſſe: cui Pontifex recenter Chriſtianorum cœtui aggregato literas ſcripſit.

Academiã Vlyſſipponenſem priuilegijs exornat. Item Gaiacenſem, ac Bononienſem. Ferd. Vghel. to. 1. Ital. ſac. Recanatẽſi Eccleſiæ Epiſcopum reſtituit. Fabricam Tẽpli Vrbeuetani indulgentijs promouet. Mariæ Tẽplum excitat. Hip. Marrac. in Bibl. Marian. Scripta. Luc. Vvadingus de ſcript. ordin. Min. Hipp. Marrac. in Bibl. Marian.

Excitatam Vlyſſipponenſem Academiam anno 1290. Dionyſij Luſitaniæ Regis auſpicijs, multis prærogatiuis exornauit. Archiepiſcopo Biſuntino permiſit, vt Gaiaci aliam excitaret, ac Bononienſi conceſſit, vt qui in eo Collegio approbatus eſſet, in ceteris omnibus Reipublicæ Chriſtianæ Academijs docere poſſet. Eccleſiæ Recanatenſi poſt diutinam vacationem dignitatem Epiſcopalem reſtituit, & Fr. Saluum ex ordine Prædicatorum illius Epiſcopum ſecundo Idus Decembris anno à partu Virginis 1289. nominauit. Indulgentias etiam ijs tribuit, qui eleemoſynas ad principis Templi Vrbeuetani fabricam perducendam conferrent, cuius ipſe primum in iaciendis fundamentis lapidem Apoſtolicis manibus conſecrarat, ac poſuerat. Oueti in Tuſcia Angelorum Reginæ, ſuæque præcipuæ Patronæ Templum excitauit, quod marmoreis ſtatuis à primis artificibus ſculptis decoratum conſecrauit die 13. Nouembris anno 1290.

Antequam ad ſummas dignitates eueheretur, ſcripſit

In multos ſacræ Scripturæ libros Poſtillas.

In quatuor libros Sententiarum Commentarios.

Sermones de Tempore.

Sermones de feſtis Deiparæ.

Sermones de Sanctis.

Summas Varias.

Renunciatus Romanus Pontifex ſcripſit Epiſtolas plures, quarum aliquas referunt Odericus Rinaldus in Annalibus Eccleſiaſticis to. 14. Ferdinand. Vghellius in Italia ſacra, & Lucas Vvaddingus in Annalibus Minorũ, & earum tria volumina aſſeruantur in Vaticano.

Varias Conſtitutiones Eccleſiaſticas, & præſertim aduerſus Hæreticos.

Nicolai obitus. In Chron. Rõ. Pont. M. S.

Nicolaum Romanum Pontificem in Paraſceue ſancta vita functum docet Bernardus, cui conſentiunt ij, qui cum Ciaconio Pridie nonas Aprilis deceſſiſſe ſcribunt: Dies enim Paraſceues in diem 4. Aprilis eo anno incidit, à quibus forſitan non diſcrepat Appendicis ad Martinum Polonum auctor, dum mortuum affirmat Paſchæ die, etenim nonnulli Paſcha appellare cõſueuere etiam Paraſceues diem. Hunc S. Antoninus hoc breui, ſed nobili elogio exornat: *Reputatus rectus homo, & ſanctæ conuerſationis.* Præditum ſingulari religioſa demiſſione fuiſſe, & faſtu vacuum, cum ad honores inuitus raptus eſt, idem ſanctus tradit: *Cardinalis effectus humilitatis gloriam, quæ prius in eo relucebat, ita prudenter ſeruauit, vt miro modo communiter, & humiliter ageret, & honorem nihilominus dignitatis maturitate honeſtiſſima retineret. Confeſſus eſt ſæpe, multum tamen ſobriè, ſed certo, vt dicebat ſermone, quod potius vellet coquinam fratribus facere, quàm Cardinalatus faſtigio præeminere, ſeque aliter obſtiturum fuiſſe gradui illi, niſi offenſam ordinis timuiſſet.*

Vitruuus.

Nicolai corpus in honoratiorem locum collocatur Sixti V. iuſſu.

Nicolai corpus iuſſu, & impenſis Fr. Felicis Peretti eiuſdem ordinis, Cardinalis S. Hieronymi Illyricorum, qui poſtea fuit Romanus Pontifex, & dictus Syxtus V. in honoratiorẽ locum, hoc eſt ad dexterã Chori eiuſdẽ Baſilicæ Liberianæ locatũ in monumento egregijs, & diſcoloribus diſtincto lapidibus. In parietis nido, qui medius eſt, Nicolai Pontificis imago ſpectatur, ex candido marmore, qui habitu Pontificio ſacram ſummę ipſius dignitatis maieſtatem referens, dextro extento brachio, & dilatata manu, pacificationis adhuc obire munus, quod viuens ſumma ope ſemper curauerat, videtur. Adhæc imagines ſunt ſuę queq; nido, eodem ex marmore duæ, dextera Religionem referens, læua Iuſtitiã, perpetuas, ac proprias Nicolai comites. Huiuſce monumenti delineationẽ poſt Inſcriptiones exponimus.

In fronte ſupra Nicolai imaginem hæc verba leguntur.

Epitaphiũ ſeu monumentum.

NICOLAO IV. ASCVLANO PICENO
PONT. MAX. CVM IN NEGLECTO DIV
SEPVLCHRO FERE LATVISSET
FR. FELIX PERETTVS CARD. DE MONTE ALTO
IN ORDINEM ET PATRIAM PIETATE POSVIT.
M D L X X I V.

In baſi hæ inciſæ literæ, quæ ſumma eloquentia, & breuitate ſunt ingentium Nicolai virtutum teſtes ampliſſimæ.

NICOLAVS IV. PONT. MAX.
Ordinem Minorum Profeſſus,
Philoſophus, & Theologus egregius
Conſtantinopolim à Gregorio X.
Miſſus
Græcos ad R. E. communionem,
Tartaros ad fidem reduxit.
Poſt ſanctum Bonauenturam Generalis
Sanctitate, & doctrina
Ordinem propagauit.
Nicolai III. Nuncius
Inter Francorum, & Caſtellæ Reges
Pacem conciliauit.
Sancta Pudentiana Cardinalis
Legatus Honorij IV. in Galliam
Senatoriam P. R. dignitatem
Sedi Apoſtolicæ reſtituit.
Factus Pontifex
Remp. ſublatis diſcordijs compoſuit,
Chriſtianos Principes
Sacro fœdere iunxit
Ptolemaidem copijs adiuuit.
Flaminiam in Pontificis iterum
Ditionem redegit.
Publicum in monte Peſſulano
Gymnaſium inſtituit.
Probos, & eruditos in cognatorum
Loco tantum habuit.
Lateranenſem
Et hanc Baſilicam ſtructuris
Et opibus auxit.
Tandem Iuſtitia & Religione
Orbem terra moderatus
Magna ſanctitatis
Opinione obijt
Pridie Non. Aprilis MCCXCII.
Pontificatus ſui
Anno V.

Turſellin. in hiſtor. Lauret.

Oder. Rinald. in Annal. Sacra Domus Virginis in Europam tranſlata. Bzou. in Annal. Simeon Starauol. in Ept. Concil.

Concilia duo Mediolanen. Salisburgenſe, Lōdinēſe. Aſchafſēburgenſe.

Sedente Nicolao in Petri Cathedra anno reparatæ ſalutis 1291. quo amiſſam Syriam lugebant Chriſtifideles, cladem Orientis tanto Occidentis bono compenſante Deo contigit, vt fert traditio, & Annales Illyrici, ſacram illam Domum, in qua ſalutante Angelo B. Virgo Chriſtum Spiritus ſancti virtute conceperat, olim ab Apoſtolis in ſacelli formam redactam, in Europam miniſterio Angelorum tranſlatam fuiſſe, ac Terſactum inter & flumen Dalmatiæ oppida in montis leuiter aſſurgentis, atque Adriaco mari imminentis æquata planitie collocatam, quod loci ſpatium ab eo, vnde tranſlata eſt vaſtiſſimo interuallo diſtat.

Habita ſunt Concilia quinque, duo Mediolanenſia, vnum in cauſa diſciplinæ Eccleſiaſticæ, alterum pro ſubſidio Terræ Sanctæ ferendo; Tertium Salisburgenſe de Hoſpitalariorum, Templariorum, & Theutonicorum ordinibus coniungendis; Quartum Londinenſe, cui Bernardus Epiſcopus Groſſetanus præfuit, pro eiectione Iudæorum; Quintum Aſchaffenburgenſe, quod celebratum volunt ſub præſidio Gerardi Moguntini Archiepiſcopi poſt Nicolai obitum ad reparandas res Eccleſiaſticas.

PRIMA CREATIO CARDINALIVM Nicolai Papæ IV.

Anno à Chriſti Natiuitate 1288. *Pontificatus I.* in Vigilia Pentecoſtes Rmæ Nicolaus IV. Romanus Pontifex ex Panuinio ſex, ex Ciaconio verò ſeptem creauit Cardinales, qui fuerunt.

Ciaconius

I.



FR. MATTHAEVS de Aquaſparta, Tudertinæ Diœceſis, ab ineunte ætate in Monaſterio Prouinciæ Vmbriæ Minorum S. Franciſci ordinem ingreſſus, ob doctrinæ, & vitæ ſanctitatem per omnes honorum gradus ex Sacri Palatij Pōtificij Lectore ad ſui ordinis Generalatum aſcendit electus Mōtiſpeſſuli in locum Arloti de Prato anno 1287. vita functi. Hunc Nicolaus IV. ob ſpectabilem vitæ rationem, & doctrinæ excellentiā Presbyteris Cardinalibus titulo S. Laurentij in Damaſo in prima Cardinalium Creatione adſcripſit, & eundē in ſecunda, Epiſcopum Portuenſem, & S. Rufinæ nominauit, noluitque vt Religionis curam deponeret, ſed eam vti S. Bonauentura, & ipſe Pontifex, vſque ad noui Miniſtri generalis electionem moderaretur. Quo tempore libellum à Fr. Nicolao Franciæ Miniſtro editum contra declarationem Regulæ Minorum à Nicolao III. ſummo Pontifice factam reiecit, atq; in Auctorem ſeuera animaduerſione aliorum exemplo vſus eſt. Anno verò 1289. indixit Matthæus generalia ordinis Comitia Aſſiſij pro Succeſſore deligendo ſub feſto Pentecoſtes, quibus Reate deinde celebratis interfuit ipſe Romanus Pontifex, Cardinalis Beneuenga Epiſcopus Albanenſis, maiorque Pœnitentiarius, ac Matthæus Aquaſpartanus Presbyter Cardinalis S. Laurentij in Damaſo, & communibus ſuffragijs electus eſt generalis Miniſter Fr. Raymundus Gaufredi Gallus. Non parum teſte Luca Vvaddingo nocuit Minorum ordini regimen Matthæi Aquaſpartani; *non quod,* (vtor illius verbis) *ipſe malus fuerit, aut male præceperit, ſed quod eo mitius, & laxius agente, paulatim attenuata ſit Regularis obſeruantia. Compatiebatur omnibus, nullum querulum, ſed cunctis ſatisfactum volebat, omnium condeſcendebat votis abſque prævio examine an expediret. Auxit malum, quod Cardinalis factus, nec vt oportuit, attendere potuit ad ordinis gubernium, nec auſus eſt ad arctiora cogere, dum ſuauiorem ipſe Princeps poſt Cardinalatum viuendi formam præferret.* Dantes Aligerius, celebris Poeta Etruſcus, laxioris habenæ huius Aquaſpartani, & corruptæ ſub eo diſciplinæ meminit in fine Cantici duodecimi de Paradiſo. Quamuis Chriſtophorus Landinus eiuſdem interpres, quam Dātes reprehendit in Aquaſpartano regulæ laxiorem interpretationem, ille affigat Vbertino Caſali, quem etiam ex errore Miniſtrum generalem ordinis Minorum fuiſſe ſcribit.

Luc. Vvaddingus in Annales Minorū.

Oder. Rinaldus, & Bzou. in Annal.

Bonifacius VIII. Legatum deſtinauit Matthæum in Galliam Ciſalpinam ea potiſſimum de cauſa, vt Cæſenam, Forolium, Fauentiam, & Forum Cornelij, quæ Pontificis, & Romanæ Eccleſiæ detrectabant imperium, ad parendum induceret. Ille periuſtrata Prouincia, contulit ſe Bononiam, inde cum Rauennam rediſſet, omnes conuocauit Prouinciæ Proceres, & xvj. Kalen. Martij, eo loco cui Canazoſia nomen eſt, in Rauennatum, ac Fauentinorum finibus conuentum habuit, in quo ita ſe geſſit cum Principibus, vt plura loca Eccleſiæ, & Pontificis Romani Imperio reſtituerit. Eiuſdem Bonifacij iuſſu in hac legatione, propoſitis Indulgētiarum præmijs, fideles ad Crucem induendam incitauit contra illos, qui Romanum Pontificem moleſtia afficiebant: Iacobum inſuper Paganum Epiſco-

A pum Aretinum ob malè indidem adminiſtratam Prouinciam Epiſcopatu priuauit.

Luc. Vvadding. tom. 3. Annal. Minorum

Cum autem ſeditionibus duarum factionum, quarum alterius ſequaces Nigri, Albi alij dicebantur, Etruria penè tota infecta eſſet, Bonifacius, vt malis occurreret, Matthæum Aquaſpartanum Portuenſem, & S. Rufinæ Epiſcopum Cardinalem, quem Ioannes Villanus, eumque ſecutus S. Antoninus, Oſtienſem per errorem vocat, Legatum in Etruriam cum ampliſſima poteſtate miſit. Scribit Ioannes Villanus Matthæum Cardinalem Florentiam menſe Iunio an. 1300. acceſſiſſe, magniſque honoribus exceptum, cumque temperando Vrbis ſtatui ſtudium applicare cœpiſſet, exortis nouis odijs, aduerſas voluntates conciliare non potuiſſe. Imò ob affectum in vnam partem cum alteri in ſuſpicionem veniſſet, coactus eſt, factioſis, neſcio quid violentum, minitantibus, Florentia rebus infectis exire, quam ipſe viciſſim percitus ira à communione fidelium, religionis intentato telo ſubmouit, ac rediit ad Curiā nuſquā vacans à ſtudijs. Scripſit
B

Luc. Vvaddingus de ſcript. Minorum. Nomencl. Cardinal. Sixtus Senenſ. in Bibl. Sancta.

Commentaria in Iob.

Poſtillas in Pſalmos.

Expoſitiones in Epiſtolas D. Pauli.

In quatuor libros Sententiarum Commentaria; quæ teſte Vvaddingo habentur m. ss. Aſſiſij.

Quæſtiones Quodlibeticas.

Pentiloquium de Potentia Papæ.

Sermones Varios.

Inuentarium Sententiarum.

Indices per ſeriem literarum in eoſdem libros Sententiarum.

Paulus Corteſius Matthæi doctrinam commendans hæc habet: *Matthæus Aquaſparta laudandus, à quo ſunt Theologica paradoxa explicata cultius quam eſſet ab inquinata illius ætatis æqualitate repoſcendum.* Et Syxtus Senenſis in ſua Bibliotheca Sancta Mat-
C thæum his verbis commendat. *Matthæus de Aquaſparta ordinis Minorum duodecimus Generalis, & poſtea Epiſcopus Portuenſis, S. R. E. Cardinalis in ſæculari Philoſophia iuxta morem ſui temporis magnifice doctus, & in diuinis ſcripturis excellentiſſimus.* Protector ordinis Seruorum B. Mariæ Virginis à Nicolao IV. deſignatus, ſanctum illud inſtitutum ſemper promouit, viroſque illius familiæ vnicè dilexit.

Archang. Gianius.

Obijt Romæ ſub Bonifacio VIII. anno 1302. & ſepultus in Eccleſia S. Mariæ de Aracœli ad leuam ingredientis ſacrarium, erecto nobili ſepulchro marmoreo cum Inſignibus, ſed ſine vlla Inſcriptione. Ex aſſe heredem inſtituit ſuum Monaſterium S. Fortunati de Tuderto, ſuique Teſtamenti executores nominauit Matthæum Rubeum Vrſinum, & Gentilem de Monteflorū S.R.E. Cardinales.

Huiuſce Cardinalis Matthæi extat mentio in Regiſtris Nicolai Quarti, & Bonifacij VIII. Romanorum Pontificum.
D

II.



BERNARDVS, quem Ciaconius, & Panuinius Berardum nominant, Martini II. dicti IV. Camerarius, Sacerdotium poſſedit in Eccleſia Eboracenſi, donante eodem Pontifice Martino. Hunc auctor antiquitatum Eccleſiæ Cantuarienſis cū Goduuino natione Anglum prædicant; Panuinius, Ciaconius, Aubery, & Petrus Frizonius Gallum faciunt; Ferdinandus Vghellus, ac Ioſeph Maria Suareſius in Antiqua Præneſte Italum, patria Callienſem ex familia de Berardis, ſeu Bloco, vel de Gotho genitum, atque ex Canonico Calliano, ab ipſo Calliano Clero electum fuiſſe Epiſcopum volunt. Hugolino enim Aquauiua Callienſi Epiſcopo defuncto, Canonicorum aliqui Callij Epiſcopatum Bernardo, alij Rynaldo Sichardo detulere: quare inter vtrumq; grauis, & implicita lis coorta eſt. Ex his Vghellius colligit Bernardum potius patria Callianum, quàm Gallum fuiſſe; cumque de Callio legere quis debuiſſet in ſubſcriptione, de Gallia corruptiſſimè legit; gens enim Berarda de Callio eſt.

Petrus Frizon in Gal. Purp.

Aubery in vita.

Ferdinād Vghel. in Ital. ſac.

Cum vacaſſet Auximana Eccleſia in Piceno, à Capitulo poſtulatus renunciatus eſt Bernardus Epiſcopus à Martino II. dicto IV. xv.
F Kalen. Februarij anno 1286. & Beneuuto ſucceſſit, vt conſtat ex Regiſtro Vaticano. Hic à fundamentis duo Epiſcopalia erexit Palatia, ad Aquilonarem partem vnum, alterum ad Orientem, ante Turrim Campanariam, & in Monteforti alterum conſtruxit ad ſucceſſorum delicias, qua Villa adeo delectatus eſt, vt Storacho, ac Tornazano Caſtellis, Auximanibus Ciuibus diuenditis Montisfortis Villam perfecerit, & attribuerit munificentiſſimè ſucceſſoribus.

In Ioſeph. Mar. Suareſius de Antiqua Præneſt.

A Nicolao IV. inter Cardinales cooptatus, & Eccleſia Præneſtina obtenta, functus eſt legatione Sicula ſub eodem Pontifice, ex qua redux prope Pontem Vicum agri Spoletani è vita exceſſit. Menſe Iunio anno 1291. Subſcripſit Diplomati Nicolai IV. ann. 1288. *Ber-*

Ciaconius

Panuinius

Suareſ. l. c.

nardus

nardus Epiſcopus Præneſtinus: & Eccleſiæ Anagninæ Capellam, hoc eſt ornamenta omnia ſacra ad vſum ſacroſancti myſterij legauit.

Ciaconius Bernardo gentilitium nullum ſtemma conceſſerat; nos quod ſupra expreſſimus, ex Gallia Purpurata depromſimus: Meminere Bernardi Epiſcopi Præneſtini Regiſtra Martini I I. dicti IV. & Nicolai IV. Romanorum Pontificum.

Ciaconius. Panuinus de Rom. Pont. Pet. Friz. & in Gallia Purpur.



III.

MAG. FR. HVGO Seguin de Billon, natione Gallus, Patria Aruernus, Diœceſi Claromontanus, ſacrum Prædicatorum ordinem à puero ingreſſus, mirum in modum in literis profecit; Doctoratus laurea redimitus Lectoris munere functus eſt Romæ in Conuentu ſanctæ Sabinæ. Archipræſul rexit Lugdunenſem Eccleſiam, & anno 1288. Cardinalatus Inſignia ſuſcepit à Nicolao IV. tituli S. Sabinæ, & Cœleſtinus V. Nicolai Succeſſor mortuo Latino, Epiſcopis Oſtienſibus, & Veliternis adſcripſit, Referunt aliqui Hugonem Archidiaconum fuiſſe Lugdunenſem: at qui fieri potuit, vt Religioſus Diui Dominici officio Archidiaconi fungeretur in Eccleſia Cathedrali; nec etiam ante emiſſa Religionis vota, cum iuuenis eum ſit ingreſſus ordinem. Plurima ad Theologiam ſpectantiam in lucem edidit Hugo videlicet

Ferdinand. Vghel to. 1. Ital. ſac. Nomencl. Cardinal. Anto. Seneoſ. in ... Bibl. Prædicator. Bibl. Claſſic.

Commentaria in Threnos Hieremiæ.
In quatuor libros Sententiarum.
De immediata Viſione diuinæ eſſentiæ,
Contra Corruptorium S. Thomæ.
Sermones plures, & alia.

Pet. Friz. ibidem. In Chron. ordinis Prædicat.

Subſcripſit priuilegio à Nicolao Pontifice dato Iulianæ Abbatiſſæ Monaſterij, quod *Cuſtodia B. Mariæ Virginis* nũcupatur, ſiti in territorio Bleſenſi; interfuit creationi Cœleſtini V. & Bonifacij VIII. In Vrbe diē clauſit extremum nō anno Virginei partus 1297. vt refert Ferdinandus de Caſtiglio, ſed iij. Kalen. Ianuarij anni 1298. ſedente in Petri Cathedra Bonifacio VIII. qui Fr. Nicolao Bocaſino euiſdem ordinis alumno Eccleſiam Oſtienſem, & Veliternenſem commiſit. Quare reijciuntur illi, qui Hugonis mortem ad annum 1328. referunt; nam hoc tempore tres aut quatuor Epiſcopi diuerſi Eccleſiam Oſtienſem rexere. Sepultus Hugo in titulo S. Sabinæ ante aram maximam cum hoc elogio.


Panuinius ibidem.

HVGO vocatus homo fuit, & de BILLIONIO,
Per mortem clarum dedit hunc Aluernia carum,
Ordinis hic frater, quippe dicat hunc bona mater
Edidit ad ſtudia Doctorem Theologia;
Cui ſocios Petrum, Paulum dat gratia Chriſti.

Hugonis Inſignia continent tria Leonum capita, Petrus Frizonius ſcribit geſſiſſe aliquando D. Dominici patriam, ad eius ſepulchrum extant, vt ſupra expreſſimus.

Meminere Hugonis Cardinalis Regiſtra Nicolai IV. & Bonifacij VIII.

Ciaconius. Panuinius.



IV.

MAG. PETRVS Peregroſſus natione Italus, patria Mediolanēſis, ex S.R.E. Vicecancellario Diaconus primò S. Georgij in Velabro, deinde Presbyter Cardinalis ſancti Marci à Nicolao IV. renunciatus eſt. Hic ſua induſtria, cōſenſu Archiepiſcopi Mediolanenſis Othonis Vicecomitis, & Suffraganeorum, fratres Humiliatos ab Ordinariorum iuriſdictione exemit, & Apoſtolicæ ſedi immediatè ſubiecit. A Nicolao III. adhibitus quoque eſt cum Comite Gluſiano de Caſate Auditore Sacri Palatij, Angelo celebri Curię Aduocato, & Benedicto Caietano Protonotario, deinde Pontifice Bonifacio VIII. ad diſcutiendam Conſtitutionem, Regulam S. Franciſci explicantem, quam ipſemet Nicolaus III. ſcripſerat, & deinde 14. Auguſti anno 1279. promulgauit. E vita exceſſit Petrus Romæ kalendis Auguſti, & ſepultus in Eccleſia ſanctæ Marię de Araceli cum elogio ſepulchrali, quod licet extaret tempore Ciaconij, vt ipſe affirmat, noſtris tamen hiſce temporibus illius memoria periit. De Petro hoc inuenitur mentio in Regiſtris Nicolai IV. & Bonifacij VIII.

Luc. Vuaddingus in Annal. Minorum. And. Victorel. in Addit. ad Ciacon.



V.

NEAPOLEO Vrſinus, nobilis Romanus, ex Canonico Pariſienſi, ac Pontificij Sacelli ſacerdote à Nicolao IV. renunciatus Diaconus Cardinalis ſancti Hadriani, Bonifacij Octaui iuſſu in Vmbria, Sabina, Piceno, ac in toto S. Petri Patrimonio, legationis munere functus eſt, & illum Clemens V. ad Prouincias Tuſcię, Romandiolæ, Marchiæ Triuiſinæ, Patriarchatum Aquileienſem, & Gradenſem Archiepiſcopatū, Prouinciam Rauennatem, Ferrariam Ciuitatem, & Diœceſim, Archiepiſcopatum Ianuenſem, ad Inſulas quoque Sardiniæ, & Corſicæ, ac Venetorum Dominium Legatum deſtinauit, vt tumultibus ab Albis, & Nigris temerè excitatis finem imponeret, ac Italiam ſeditionibus concuſſam pacaret, atque illas Inſulas à Piſanorum incurſibus vindicaret. Is ad quintum Kalendas Maias Bononiam ſe contulit, & in ſuum, ac familiæ ſumptum, annuum ſtipendium Archiepiſcopo Rauennati, & ceteris ſacratis viris Ciuitatis, & Diœceſis etiam immunibus impoſuit. Ceterum cum pacificatoris munus aggreſſus, concordiam inter Bononiēſes conciliare ſtuderet, nec quicquam aſſequeretur per Marchionis Senatoris factionem, ad extremum à maleferiatis quibuſdam Ciuibus contra ius gentium violatus fuit. Ad x. enim Kalen. Iunij ad Epiſcopium Bononienſe, in quo hoſpes diuerterat, armati accurrentes, clamore excitato proditorem Legatum appellantes, vt quamprimum moreretur, contendebant. Iam fores Palatij effregerant, cum Bernardinus Polentanus Prætor accurrit, ac Proceribus factioſis benignè reiectis, tumultum ſedauit, & armatos ſecedere iuſſit. Non tamen furorem, quo flagrabant, extinguere quiuit, quin in Neapoleonem Bononia diſcedentem effunderent: nam Forum Cornelij per deuia illo properante, aliqui ex Vrbe erumpentes cognita ex mulorum ſtragulis eius ſupellectili, quam ferebant, mulionibus interfectis ſarcinas omnes diripuerunt. Legatus Forum Cornelij veniens, Bononienſes ignominiæ auctores anathemate damnauit, Vrbem Bononiæ Academia, alijſque priuilegijs priuauit.

Ciaconius. Panuinius. Aubery. Raon. in Annal. Pomp. Vizanus, & Ghetard. in hiſt. Bononien.

Scripſit Neapoleo vitam, ac miracula B. Claræ de Cruce, aliàs de Montefalco, cuius vitæ exemplum extat in Bibliothecis S. Auguſtini, & S. Mariæ de Vallicella de Vrbe, & in Monaſterio de Montefalco eidem B. Claræ ſacro. Miracula etiam B. Margaritæ Cortonenſis iuſſu Romani Pontificis perquiſiuit, & approbauit. Sub Bonifacio Octauo Eccleſiæ Romanæ Eugubium Vrbem ad radices apennini in Vmbria ſitam recuperauit. Vixit Cardinalis circa ſexaginta annos, & interfuit electionibus ſeptem Romanorum Pontificum, videlicet Cœleſtini V. Bonifacij VIII. Benedicti X. dicti XI. Clementis V. Ioannis XXI. dicti XXII. Benedicti XI. dicti XII. & Clementis VI. quorum tribus Benedicto ſcilicet X. dicto XI. Clementi V. & Ioanni XXI dicto XXII. proprijs manibus Tiaram Pontificiam impoſuit. E vita exceſſit Auenione anno à partu Virginis 1347. ſedente in Petri Cathedra Clemente huius nominis Sexto. Meminere Neapoleonis Nicolai IV. & Bonifacij VIII. Regiſtra.

In Bapt. Piergili in vit. B. Claræ. Luc. Vuaddingus in Annal. Minorum. Franc. Saſſouin. de famil. Vrſina. Ciaconius.



VI.

PETRVS Columna, nobilis Romanus, Ioannis filius, & Iacobi Cardinalis nepos, vxorem habuit, qua ſe Monaſterio includente, in Columnenſium factionis gratiam Diaconus Cardinalis S. Euſtachij, ſeu potiùs S. Angeli à Nicolao IV. renunciatus, in Gallia legationis munere functus eſt. Federico Siciliæ Tyranno adhæſit; cumque Bonifacij VIII. Pontificis Romani fidei arces, quas tenebat pro ſe, ſuiſque, committere recuſaſſet, Cardinalitia dignitate, & omnibus ſacerdotijs vnà cum Iacobo patruo à Bonifacio ſpoliatus, & alijs pœnis affectus eſt, edita in illos Conſtitutione, quæ fuit inſerta in Sexto Decretalium libro. A Benedicto X. dicto XI. ſacrorum vſui, & ſacerdotijs, à Clemente verò V. Cardinalatui reſtitutus, Archipresbyteratus Baſilicæ Liberianæ, & Eccleſiæ Veronenſis dignitate auctus fuit. Romæ Xenodochium S. Iacobi Incurabilium prope Auguſti tumulum erexit. B. Virgini Mariæ ab ipſa infantia addictiſſimus fuit, cuius imaginem, quæ Romæ in Baſilica Liberiana colitur, præcipuo amore proſecutus fuit ſemper. Quare dum Auenionem Cardinalis pergeret, ſæua ſuborta tempeſtate grauiter iactatus, Virginis Imaginem mente recolens,

Ciaconius. Panuinius. Aubery. Paul. de Angel. in deſcr. Baſil. S. Mar. Maioris. Ferdinand. Vghel de Cardinal. Column. Odericus Rinaldus in Annal. Ferdinand. Vghel to. 1. Ital. ſac. de Cardin. Column. Hippol. Marrac. in Purp. Mar.

colens, vt ſibi opem ferret, ſuppliciter exorauit. Quæ ſerui ſui miſerata, mox inter tenebras, ac turbines, & procellas eadem, quæ ibi inſpicitur Imago, paruulum ſas vas geſtans refulſit, & vnà ſecum lucem, tranquillitatem, ac ſalutem adduxit. Quod cum aliunde veraciter conſtet, etiam ex pictura apparet adhuc extante expreſſa ipſius Cardinalis iuſſu in vna Eccleſiæ columna ante portam, quæ appellatur *Porta Reginæ*; quia eadem Imago *Regina* appellata ſuper eam ſeruabatur: quam Baſilicam grati animi ergo prædijs multis donauit.

Fr&c. Mar. Turr. gius in hiſtor. Imaginis B. Mariæ.

Idem Imagini eiuſdem B. Virginis à D. Luca depictæ, Romæ in Eccleſia SS. Sixti, & Dominici apud moniales Dominicanas religioſè cultæ lychnum dono dedit, atque, vt hic præpendens ante dictam Imaginem iugiter arderet, dotem eidem larga manu aſſignauit. In libro pergamenaceo apud præfatas moniales aſſeruato, hæc habentur: *D. Petrus de Columna Cardinalis dedit 25. florenos, pro quodam olmeto emendo, pro argentea lampade, quam ipſe fieri fecit pro Imagine B. Mariæ, quod quidem olmetum emptum fuit in Tibure pro pretio librarum 49. anno Domini* 1254.

Auenione deceſſit Petrus anno 1326. & eius corpus Romam relatum in Baſilica ſanctæ Mariæ Maioris ſepultum eſt apud ſepulchrum Nicolai IV. cum hac Inſcriptione.

Nomencl. Cardinal.

D. O. M.
Petra PETRVM tegit hac marmor, fouet Petra Chriſtum;
Sic ſaluum retinet vtraque Petra PETRVM.
CARDINALIS fuit PETRVS, iacet hic tumulatus,
Tranſlatus Romam, deceſſit Auenione,
Annis mollenis tercentis, biſque decenis
Senis adiunctis, cum ſuſpirijs quoque multis
Et lacrymis oſſa ſunt hac condita foſſa,
Stirpe COLVMNIGENA fuit hic ſibi vita ſerena
Lætitijs plena ſit cum ſanctis & amœna. Amen.

Ciaconius

Extat huiuſce Petri Cardinalis mentio in Regiſtris Nicolai IV. & Bonifacij VIII. Romanorum Pontificum.

Præter ſex Cardinales à Nicolao renunciatos, quos Ciaconius, ac Panuinius recenſent, alium ex Ioanne Pitſęo de ſcriptoribus Angliæ, & ex Nomenclatore Cardinalium Ferdinandus Vghellus recenſet, qui eſt.

Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

VII.



THEOBALDVS Stampenſis, natione Anglus, vir ſingulari pietate præditus, & bonarum artiũ cultor, poſtquam in patria, prima ſcientiarum fundamenta ieciſſet, Galliam, & Italiam diſcendi ſtudio peragrauit, & in Clero honoratiſſimus extitit tum eruditionis titulo, tum virtutis exemplo. Romam tãdem pergens apud Nicolaum IV. Romanum Pontificem diu fuit, deinde gratia pollens, & auctoritate ab eodem renunciatus eſt S. R. E. Cardinalis. Vir doctiſſimus cũ eſſet, contra errorem deperditæ ſectæ aſſerentium Chriſtum Dominum non tradidiſſe S. Petro Apoſtolo, eiuſque Succeſſoribus regimen, & curam totius Eccleſiæ ſcripſit eruditè, maximè ad Robertum Capitonem Epiſcopum Lincolienſem Diſputationum variarum librum vnum; & contra errantem in Theologicis librũ vnum. Romæ tandem debitum naturæ ſoluit anno 1288. vel 1298. A veritate aberrant illi, qui affirmant Theobaldum hunc à Nicolao IV. titulum S. Sabinæ obtinuiſſe; nam Eccleſiam S. Sabinæ Nicolaus IV. in prima Cardinalium creatione Fr. Hugoni Biliomo ordinis Prædicatorum conceſſit, quam ille retinuit, vſque ad Cœleſtinum V. Dubitant aliqui an hic vnquam inter S.R.E. Cardinales cooptatus fuerit; apud Panuinium, & Aubery nulla de illo mentio extat.

Catalog. Scriptor. Angliæ.

Nomencl. Cardinal.

Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

VIII.

ALiqui inter Cardinales à Nicolao creatos numerant Benitium de Nardis ciuem, & Epiſcopum Cremonenſem, virum pium, ſcientiaque, ac bonitate præditum, qui è vita exceſſit anno Dominicæ Incarnationis 1297. Horum ſententiæ aliquando Ferdinandus Vghellus in Additionibus ad Ciaconium adhæſit, ſed re maiori diligentia excuſſa in Italia Sacra, illum tum à numero Cardinalium, tum Cremonenſium Epiſcoporum excluſit.

In rubeum in Card. Epiſcop. Cremonenſ.

Cantellus, & Cappus in eo hiſt. Cremonen.

IX.



ALij inter Diaconos Cardinales ab eodem Nicolao Romano Pontifice renunciatos, Fr. Petrum de Barelis, natione Gallum, ordinis B. Mariæ de Mercede Redẽptionis Captiuorum alumnum, recenſent. Hic in Gallia Narbonenſi natus, inter religioſos viros enutritus, tempore Honorij IV. cũ Romam veniſſet, ad tractandas in Romana Curia ſui ordinis res, doctrina qua florebat, ac virtutibus, quibus ornatus, incedebat, Hieronymum Aſculanum, & Benedictum Caietanum S. R. E. Cardinales, ſupra omnes ſibi, mirum in modum, conciliauerat, quare cum Hieronymus Aſculanus ſupremam dignitatem in Eccleſia, obtinuiſſet, Petrum Cardinalibus illicò adſcripſit. Cardinalis multum elaborauit, vt diſcordias, quæ in ſuo ordine, tunc temporis vigebant, ſedaret, hac de cauſa ſæpe ſæpius longis ſeſe commiſit itineribus. vixit vſque ad Bonifacij VIII. æuum, exceſſitque è vita Aſculi, quæ eſt perantiqua, ac nobilis Piceni Ciuitas, ſupra flumum Truentum, ibique ſepultus. De illo meminere ferè omnes ſui ordinis ſcriptores, inter quos Mag. Alphonſus Remondus in hiſtoria generali: de illo quoque ſcripſere extranei auctores, videlicet Stephanus de Corbera in vita B. Mariæ de Socos. Iacobus Ioannes Viues in Viridario Mercenario. Nulla tamen illius mentio extat apud Panuinium, Ciaconium, Frizonium, alioſque, qui ex profeſſo de Cardinalibus S. R. E. ſcripſere.

SECVNDA CREATIO CARDINALIVM.

Anno noſtra ſalutis ex Panuinio 1290. *Pontificatus III.* ex Ciaconio verò anno 1291. Pontificatus IV. Romæ menſe Decembri Nicolaus IV. ſecundam habuit Cardinalium ordinationem inter quos fuerunt.

Fr. Matthæus de Aquaſparta ex Presbytero Cardinali S. Laurentij in Damaſo Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & S. Rufinæ.

Benedictus Caietanus Anagninus ex Diacono S. Nicolai in Carcere Tulliano Presb. Cardinalis SS. Sylueſtri, & Martini tt. Equitij.

Petrus Peregroſſus Mediolanenſis ex Diacono Cardinali S. Georgij in Velabro Presbyter Cardinalis S. Marci.

VICECANCELLARIVS S. R. E.
ſub Nicolao IV.

Magiſter Ioannes Gallus Decanus Baiocenſis ab anno primo, vſque ad finem Pontificatus Nicolai IV. Vicecancellarij S. R. E. munere functus eſt.

CARDINALES MORTVI
ſub Nicolao IV.

Theobaldus Stampenſis Anglus S. R. E. Cardinalis anno 1288. aliqui tamen eiuſdem mortem ad annum 1298. referunt.

Magiſter Bentiuenga de Bentiuengis de Aquaſparta ordinis Minorum Epiſcopus Cardinalis Albanenſis vij. Kalendas Aprilis anno 1289.

Bernardus de Languiſello Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ anno 1290.

Berardus Gallus Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus menſe Iunio anno 1291.

Ioannes Cioletus, aliàs Cholet Presbyter Cardinalis ſanctæ Cæciliæ 2. Auguſti anno 1292.

COELESTINVS V. PONT. CXCIV.

ANNO DOMINI MCCXCIV.





IN NOMINE DEI, ET SALVATORIS Noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen.

NICOLAI IV. exequijs Romæ in Baſilica Syſtiana celebratis, Cardinales, quò eis cum alijs eligere Pontificem liceret, Peruſiam profecti ſunt: cladis enim ante Nicolai IV. creationem in Vrbe acceptæ recordabátur. Eo enim tempore Gregoriana Conſtitutio de Conclaui in vſu non erat. Peruſiç Comitijs initis ſciſſa ſunt ſuffragantium ſtudia. Alij enim (quorum caput erat Matthæus Rubeus Vrſinus) Pontificem Regis Caroli II. arbitrio: alij veró Columnenſibus adhærentes alium creare voluiſſent. Comitiorum autem contentiones adeò exarſere, vt ſedis vacationem non ſine magno Reipublicæ Chriſtianæ detrimento in biennium protraxerint. Quorum pertinaciam augebat Carolus Rex; qui quò Pontificem maturè, & è ſuorum numero deligi curaret, è Gallia Narbonenſi Peruſiam acceſſerat, & cum nimio ſtudio Patres vrgeret, acriter reprehenſus eſt à Benedicto Caietano, quòd inſtando acerbè nimium ipſius Cardinalibus vim afferre videretur, quorum ſuffragia libera eſſe debebant, quare quo celeriùs Pontificem deſignarent, Peruſia Rex diſceſſit. Demùm cum nulla ſpes ſupereſſe videretur, vt vnum ex corpore ſuo crearent, quum omnes ad Pontificatum aſpirarent, ab eius ordinis Primoribus ad exteras perſonas deligendas cōuerſi ſunt. Nonis igitur Iulijs, anno ſalutis 1294. Comitijs initis, præter omnium ſpem, fratris Latini perſuaſione cuncti Patres Cœleſtino V. ſuffragati ſunt, tùm extra Cardinalium Collegium, vitam ſolitariam in vaſta Eremo agenti. Qui cum vir ſanctiſſimus eſſet, eiuſque creatio diuina potiùs, quàm humana fuerit, pauca quædam de eius conditione adijcienda cenſui. Cœleſtinus igitur V. ita in Pontificatu appellatus, quòd cælitùs miſſus eſſe diceretur, ante Pontificatum Petrus de Murone, Marſari oppido, appellabatur, Eſerniæ in Samnitibus, vel (vt vulgo dicitur) Campania, patre Angelerio, matre Maria, hominibus pijs, & magnis, è plebe ortus. Auctores ſunt, qui eum ex obſcuri nominis vico agri Sulmonenſis in Pelignis natum ſcribunt. Vndecim fratres habuit, quorum ipſe vndecimus fuit. Adoleſcens vigeſimum annum agens, diuino amore ſuccenſus, ſanctę religionis veſtes aſſumpſit, & vitam monaſticam profeſſus eſt in Monaſterio S. MARIAE de Faiſelis, Diœceſis Beneuentanæ, viris tunc ſanctis referto. In eo Cœnobio ſacris ordinibus vſque ad Presbyteratum initiatus eſt, diúque in eo mira, & incredibili abſtinentia, pietatiſque opinione vixit. Eius demùm Monaſterij Abbas deſignatus, & conſecratus eſt à Romano Capiteferreo Archiepiſcopo Beneuētano. In qua functione nouam monachorum Eremitarum Cōgregationem, tituli S. Damiani ſub regula verò S. Benedicti inſtituit. Eius primus ordinis Fundator fuit, qui poſtea monachorum Cœleſtinorū vocatus eſt. Quem in Concilio Lugdunenſi ſecundo à Gregor. X. confirmari obtinuit. Cum verò nonnulla ſuæ Congregationis Monaſteria inſtruxiſſet, & ei certam, firmamq; viuendi normam dediſſet, ſolitariæ vitæ deſiderio accenſus, vaſtam, aſtero à Sulmone lapide, Eremum Maielię in Pelignis, quę nunc Apulia dicitur, adijt, vbi multis Dei ſeruis, & propoſiti ſui conſcijs acceptis, Eremi illius Prioratum ſuſcepit: aſperrimo vitæ genere vſus, cellulam in ſaxo excauatam diù incoluit, abſtinentiæ, vigilijs, orationibus, ſacris lectionibus, & docendo, vt verus Anachoreta aſſiduè vacans. Tantę ſanctitatis exiſtimatus, vt ex omni Italia, vndique ad eum, infiniti penè mortales confluerent: vt eius ſanctis monitis recrearentur. Erat enim aſpectu venerabilis, ore decorus, ſermone blandus, & ſuauis, moribus, & vita probatiſſimus. Cum ab Apoſtolica ſede prope Baſilicam Vaticanam locum fratribus ſuis impetraſſet, & illuc aliquando officij cauſſa acceſſiſſet, magnam cum fratre Latino Malabranca Cardinale Oſtienſe, tàm ante Cardinalatum, quam poſt, familiaritatem contraxit; pie enim inſignis admodum vir fuit, religionis, & ſeruorum Dei ſtudioſiſſimus. Qui mira ſanctitate fratris Petri animaduerſa, amicitiam priuatam promptiſſimè coluit, atque ſingulis annis ei eleemoſynam tranſmittebat, & multo ſtudio fratres illius Romę commorantes proſequebatur. Hac mutua diuturni temporis familiaritate, Latinus fratris Petri pietatem penitùs introſpexit, & cognitam habuit. Vnde Cardinalibus in Comitio diſcordibus luculentiſſima oratione perſuaſit, vt hunc potiſſimum, Romanum Pontificem deligerent; qui, ob incredibilem ſanctitatem vitæ, tanto Sacerdotio digniſſimus eſſet. Multi erant in Comitio Patres, qui hominem probè nouerant. Hi ſtatim eam electionem probant, quos reliqui vno agmine ſequuti concordibus votis, omnes eum ſummum Sacerdotem acclamant. Is electionis Decretum ei à Cardinalibus miſſum in Eremo ſua ſuſcipiens, diù anxius, & quid ageret dubius, tandem inſtantibus Regis Caroli, cuius præcipuè amicus erat, & eorum, qui ad eum aduolauerant, ſuorumque fratrum, ac totius regionis hominum precibus, electioni conſenſit. Adeò maiore omnium admiratione, quo ob vitæ ſanctitatem à tanto faſtigio ſpontè remotior eſſe videbatur. Ex Eremo, aſino inſidens Aquilam acceſſit. Cum verò à Cardinalibus, literis, ac Nuncijs inſtanter rogaretur, vt Peruſiam veniret, Pontificiæ dignitati eam Vrbem magis conuenientem dictitantibus, vt ibidem & coronari poſſet, ipſe in ſententia permanens, eò omnino accedere recuſauit, ſed Caroli Regis (qui à latere eius, Cardinalium inſidias ſuſpectas habens, non diſcedebat) ſuaſu, eos ad ſe Aquilā euocauit.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1294. Papa Cœleſtinus ſuæ electionis Decreto accepto, atque approbato, Aquilam venit, vbi conuocatis Cardinalibus iv. Kalen. Septembris conſecratus, Aquilæ in Eccleſia maiori ſuæ Coronationis inſignia ſuſcepit per Matthæum Rubeum Romanum Diaconum Cardinalem S. MARIAE in Porticu, S. R. E. Archidiaconum ante Baſilicam S. MARIAE de Collemedio, die decollationis S. Ioannis Baptiſtæ CC. millibus hominum aſtantibus. qui eò profecti, Pontificem vt cælitùs miſſum venerati ſunt.

COELESTINVS eligitur.

COELESTINVS Petrus de Murone antea vocatus.

COELESTINVS nouus monachorum Cœleſtinorum Fundator.

IDEM Maiellæ Eremi Prioratum ſuſcepit.

ACCLAMATVR Pontifex.

DVBIVS [illegible] electione ſuſcepta.

CONSECRATIO, & Coronatio Cœleſtini Papæ.

AQVILAM petit. AQVILÆ coronatur.

Hæc il-

Hæc illorum temporum ſcriptor, & qui huic celebritati ſe interfuiſſe dicit frater Ptolemæus Lucenſis refert, ſedit verò Cœleſtinus V. in Apoſtolica ſede Adolpho Cæſare, menſes 5. dies 7.

EX TOTA Italia gētes ad Cœleſtinum confluūt.

Hanc autem ob cauſſam, tot hominum millia ex cuncta Italia eò confluxerunt, vt à tanto Patre benedicerentur, & rei nouitate animaduerſa, tantam viri ſanctitatem contemplarentur. Qui homo Eremita in vaſta ſolitudine latens, & mundo abiectus, ad eximiæ dignitatis gradum non niſi diuinitùs prouectus eſſe videretur, præſertim poſt tantas ſuffragantium contentiones, qui per biennium incredibili pertinacia, in neminem præter hunc, conuenire potuerant, tantæ virtutis fama compulſi. Pontificem verò ſæpius oportuit per plures dies ad ædium feneſtras accedere, & populis, frequenti prece id poſtulantibus, benedicere; quo tempore & Cardinales, qui ipſum creauerant, Aquilam ad eum acceſſerant.

CARDINALES XI.

qui Cœleſtinum V. Papam crearunt.

CARDINALES EPISCOPI IV.

NICOLAI PAPAE III.

1. Fr. Latinus Malabranca Romanus, ordinis Prædicatorum, Epiſc. Card. Oſtienſis, & Veliternus, Prior Epiſcoporum.

MARTINI PAPAE II. DICTI IV.

2. Ioannes Buccamatius Romanus, Epiſcopus Card. Tuſculanus.

HONORII PAPAE IV.

3. Gerardus Blancus Parmenſis Epiſcopus Cardinalis Sabinus.

NICOLAI PAPAE IV.

4. Frater Matthæus de Aquaſparta, Vmber, ordinis Minorum, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ.

PRESBYTERI CARDINALES III.

MARTINI PAPAE II. DICTI IV.

5. Benedictus Caietanus Anagninus, Presbyter Cardinalis ſanctorum Sylueſtri, & Martini titulo Equitij.

NICOLAI PAPAE IV.

6. Fr. Hugo de Biliomo Gallus, ordinis Præd. Presb. Card. titulo ſanctæ Sabinæ, Prior Presbyterorum.
7. Petrus Peregroſſus Mediolanenſis, Presb. Card. tit. S. Marci.

DIACONI CARDINALES IV.

VRBANI PAPAE IV.

8. Matthæus Rubeus Vrſinus, Romanus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Porticu, Prior Diaconorum.

NICOLAI PAPAE III.

9. Iacobus Columna Romanus, Diac. Card. S. Mariæ in via Lata.

NICOLAI PAPAE IV.

10. Neapoleo Vrſinus Romanus, Diac. Cardinalis S. Hadriani.
11. Petrus de Columna Romanus, Diac. Card. S. Euſtachij.

COELEſtini abdicatio.

Cœleſtinus PP. paulò poſt coronationē, rogatu Regis Caroli, Neapolim accedens in arce noua cū Rege habitauit, cuius precibus, proximi menſis Septembris temporibus, 12. Patres legit, viros doctrina, & vitæ integritate præſtantes, in his plures Gallos, & Regis amicos.

CARDINALES de abdicatione Cœleſtini ſuaſtát.

Cum is de priori vitæ innocentia, ob tantum honorem adeptum, nihil remitteret, quamquam in Eremo viuendi ratio paululum immutata eſſe videretur, in eadem tamen humilitate, & ſimplicitate perſeuerans, ſanctiſſimi hominis opera faciebat, vt benignus, & facilis omnibus petentibus eſſet. Maieſtatis Pontificiæ contemptus, & diminutio hinc oriri multis videbatur. Ipſe quoque nimia ſenectute grauis, & anteactæ in Eremo priuatæ vitæ ſimplicitate rebus agendis parum idoneus eſſe, à Cardinalibus cenſebatur, quare facilè verſuti, & vafri aulæ Romanæ miniſtri ei imponebant, ijs præſertim in rebus, quarum ipſe ignarus erat. Cardinalibus igitur ob eas res conquerentibus, & de Eccleſiæ fluctuatione dolentibus, cum Eccleſiæ Dei inutilis eſſe diceretur, de abdicatione eius ſtatim mētio primùm fieri cœpta eſt. Maximè Latino mortuo, quo adiutore, & fido amico Cœleſtinus tantùm pondus facilè ſuſtinere potuiſſet. Cardinalibus deinde quibuſdam, maximè verò Benedicto Caietano, viro in vtroque iure conſultiſſimo, vafro & ſagaciſſimo, qui primum apud Pontificem, & auctoritate, & exiſtimatione locum obtinebat, cum eo apertiùs inſtantibus, vt ſe Pontificatu abdicaret, ne Dei Eccleſia eius imperitia periclitaretur; & ipſe propterea animæ ſuæ detrimentum afferret; ijs credens, de Pontificatus depoſitione cogitare, & verba facere paulatim cœpit, malens Dei ſeruitio, quàm cum mole immenſa mundi honoribus implicari. Quam hominis facilitatem, & humilitatem animaduertens Rex Carolus, qui quod poſtea accidit timebat, hominem amiciſſimum, omni ſtudio à tantæ rei nouitate amouere conabatur. Nihilominus ab alia parte Cardinales cum homine facili inſtabant, vt Pontificatu abdicaret, quando eius imperitia vniuerſa Reſpublica Chriſtiana periclitaretur; quorum ſtimulis cogitatio, vt abdicaret omnino eum imbuit, duoque memoria digna fecit, ex quibus eius animus perſpici potuit.

Nam primum diuturnæ vacationi ſedis Apoſtolicæ conſulturus, Conſtitutionem Gregorij X de Cardinalium in Conclaue incluſione editam, & à Ioanne XXI. abrogatam, denuò obſeruari mandauit, deinde nouam legem tulit, eius auctore Benedicto Caietano, qua ſtatuit, vt Romanus Pontifex, cum ſe parum idoneum cognouerit, adminiſtrando Papatui, vt liberè Pontificatu abdicare poſſit, & nouam electionem Cardinalibus permittere. Quas Conſtitutiones poſtea Bonifacius Octauus confirmauit, & libro Decretalium 6. incluſit; prior lex vſque ad noſtra ſecula ſeruata eſt; ſequentis, vt neque antea, ita neque etiam poſtea exemplum extat. Hoc cum Rex Carolus cognouiſſet, vt qua ratione poſſet, eum ab hoc propoſito reuocaret, magnam ſupplicationem haberi in die ſancti Nicolai Epiſcopi, & Confeſſoris inſtituit, à maiori Eccleſia Neapolitana, vſque ad arcem nouam, cui multi Epiſcopi, Abbates, Clerus, & omnes Vrbis Religioſi interfuerunt. Hi cum prope arcem adeſſent, Pontificem, vt eis benediceret, precati ſunt, ipſe tanto tum virorum precibus motus ad feneſtram, cum tribus Epiſcopis Cardinalis acceſſit, & data benedictione, Epiſc. quidam vnus ex ijs, qui in ſupplicatione acceſſerat, à S. Pontifice, Regis, & totius Regni tàm clericorum, quàm laicorum nobilium, ac ignobilium nomine, vt exaudiretur vocaliſſimè petijt, cui annuens Papa, ipſe altiſſima voce, vt ab omnibus exaudiri poſſet, ei dixit; Quod cum ipſe eſſet ſpes, decus, & gloria Regni, & Orbis terrarum, nulli perſuaſioni, vt Pontificatu cederet, conſentiret, quòd populi omnes, non alium, quàm Cœleſtinum Pontificem deſiderabant; quòdque maximùm animæ periculum incurreret, ſi in munere, cui obeundo à Deo vocatus eſſet, non permaneret, cui iuſſu Pontificis vnus ex aſſiſtentibus Epiſcopis reſpondit, *Se hoc facere non conſtituiſſe, niſi aliud emergeret, quo conſcientia ſua læderetur*, Epiſcopus Hymnum *Te Deum Laudamus*, alta voce præcinens, eum reliqui ſequuti ſunt.

DECRETA à Cœleſtino edita.

Cardinales acriùs hominem vrgere perſuaſionibus, & æterni ignis pœnis, minisque vehementiùs inſtare, vt Pontificatum, cui gubernando, & moderando impar erat, abdicaret, aliòqui in die iudicij de omnibus malis, quæ ignorationis eius cauſſa in dies accidebant, eum accuratam rationem coram ſeueriſſimo iudice CHRISTO eſſe redditurū, & iuſta ſupplicia paſſurum. Quorum verbis homo ſimplex perterritus ſe in eorum poteſtate futurum dixit, modo id fieri iure poſſet. Hi Conſtitutionem ab eo factam obijcientes, tàdem eum verbis, perſuaſionibus, & terroribus futuri iudicij impulerunt, vt voluntati eorum acquieſceret. Qui eligens potiùs abiectus eſſe in domo Dei, & habitare cum eo, quàm ſua imperitia tot malorum (vt ei perſuaſores inſtillauerant) occaſionem præbere, indicto in arce noua Neapolitana in die S. Luciæ Idibus Decembris publico Conſiſtorio, coram omnium Cardinalium Cœtu abdicationem ſuā his verbis expreſſit.

ABDICAtionis formula Cœleſtini PP.

EGO Cœleſtinus Papa V. motus ex legitimis cauſſis, ideſt cauſſa humilitatis, & melioris vitæ, & conſcientiæ illæſæ, debilitate corporis, defectu ſcientiæ, & malignitate plebis, & infirmitate perſonæ, & vt præterita conſolationis vitæ poſſim reparare quietem, ſponte, ac liberè cedo Papatui, & expreſſè renuncio loco, & Dignitati, oneri, & honori, dans plenam, & liberam facultatem ex nunc ſacro Cœtui Cardinalium eligendi, & prouidendi dumtaxat canonicè vniuerſali Eccleſiæ de Paſtore.

His dictis, Mitra depoſita, Annulo, Pallio, Stola, & cæteris indumentis, & inſignibus Pontificalibus reiectis, Pontificatu ſe ſponte abdicauit, & in habitu ſuo priore remanens, tantæ humilitatis, & abiectionis voluntariæ exemplum oſtendit, vt non tantùm de ſua creatione, quantum de abdicatione, omnes mirati ſint. Data verò facultate Cardinalibus, vt alium Pontificem deligerent, creato Bonifacio VIII. eoque ſalutato, Neapoli diſcedens ad Eremum ſuam, quam toto animo concupierat, iter arripuit, prioremque ſolitudinem Muronem petijt: Verùm cum audiſſet, Succeſſorem ſuum Bonifacium VIII. cuius præcipue conſilio abdicauerat, de ſe retinendo tractaſſe, clam ex Eremo abiens, & mutatis ſubinde latibulis, mare Hadriaticum verſus fugam adornauit, vt in Dalmatiam traijciens in ſecretiore Eremo vitam ageret; verùm maris intumeſcentis fluctibus tranſire prohibitus ad decem dies permanſit incognitus, tempus opportunum traijciendi expectans, ſed cognitus ab ijs, quos ad eum Bonifacius miſerat, apud montem Garganum repertus, ad arcem Fumonis in Hernicis miſſus, & honeſto carcere, dum vixit, Pontificis iuſſu cum duobus eius ſocijs, qui ei miniſtrando præſto eſſent, aſſeruatus eſt. Quod ideo ſe feciſſe, Bonifacius dicebat, ne ſeditionum auctores aliquam calamitatem eo duce Eccleſiæ Dei, inferrent; licèt re vera hominis ſanctitatem admiraretur. Id alij feciſſe tradunt, ne aliquod Schiſma in Eccleſia excitaretur, quia apud multos dubium erat, an cedere legitimè potuiſſet, & ea ratione poterat in Eccleſia dira diſſenſio ſuſcitari.

BONIFACij electio. COELEſtinus eremum ſuam petit.

COELEſtinus honeſto carcere cuſtoditus.

Cauſſam potiſſimam abdicationis Pontificatus Gulielmus Sirle-

rus S. R. E. Cardinalis, vir immenſæ lectionis, & doctrinæ aſſerebat mihi, fuiſſe, quòd Latinè loqui neſciret, quòd præcipuè exigebatur in publicis aut actibus, aut Conſiſtorijs, ita vt turpe ſit, aliaquàm Latina lingua loqui aut Pontificem, aut Cardinales. Vtcumque ſit, illud conſtat, hominem ipſum, Benedictum inquam Caietanum Card. à nonnullis magnæ ingratitudinis, & calliditatis notatum fuiſſe, quippè qui immodica actus ambitione & viro ſancto impoſuerit, dum eum ſummo Sacerdotio ſe abdicare quaſi compulerit, & de ſe multis nominibus benemeritum, vitamq; eremiticam apperentem in carcerem coniecerit, vbi ipſe ſanctiſſimè, & ſine vllo pœnitentiæ depoſiti Pontificatus ſigno, annum vnum, menſes quatuor, dies 28. vixit, nouiſſimè anno Domini 1296. ætatis 87. xiv. Kal. Iunij apoſtemate in dextero latere orto, beato fine in eadem Fumonis arce quieuit. Corpus in Templo ſui ordinis S. Antonij Ferentini, humo altè ante aram maximam egeſta collocatum fuit: eius exequias, Bonifacius Papa, Romæ in Baſilica Vaticana ſollemni ritu celebrauit. Qui B cum multis miraculis claruiſſet, à Clemente V. Papa Auenione, anno 1313. quo die olim exceſſerat, in ſanctorum Confeſſorum album, 17. poſt obitum anno, precibus Regum Francorum, & Siciliæ, relatus eſt, titulo S. Petri Confeſſoris; quo nomine ſua etiam abdicatio probata eſt. Sunt, qui eius abdicationem reprehendant, quaſi ex fracto animo, & nimia deiectione id fecerit, vt Dantes, qui Pontificias claues ei cito diſplicuiſſe dicit, vt parum idoneus, vir ſimplex, nec eruditus, & qui humana negocia ne capere quidem poſſet, vt Bernardus hiſtoricus, alijq; ſcriptores tradunt. Itaque auctor erit bonorum ſequentium: qui primus reiecti Pontificatus exemplum dedit, ſi modo imitatorem ſui aliquem habere potuerit. Alij verò, quod magis probatur, eum commendant, quorum iudicium S. Eccleſia firmauit, ipſum inter ſanctos referens. Reliquerunt alij nauiculas ſuas, aut retia, alij poſſeſſiunculas, alij Telonium, Papatum verò, quo nihil eſt altius, rem tantopere exoptatam, atque mirabilem, quis vlla C ætate præſertim, ex quo tanto in pretio eſſe cœpit, tam mirabili, & excelſo animo contempſit? Viri ſancti, qui in altiſſimis, niuoſiſque montibus, & ſyluis denſiſſimis vitam tranſegerat, virtutes grauis auctor, lib. 2. de vita Solitaria expreſſit: non auri, non purpuræ nitorem is adamauit, ſed ſqualidus opum ſpretor paupertate ſancta ſordebat. Verum Gerardus Sagatellus Parmenſis, circa annum Chriſti 1361. inter cæteras, quas profitebatur hæreſes, dicebat, omnes Pontifices, & Antiſtites Romanæ Eccleſiæ à Syluestro, vſque ad Cœleſtinum Quintum præuaricatores fuiſſe, ſolum excipiebat Cœleſtinum, ob quam & cæteras hæreſes igni crematus eſt.

COELEſtini Obitus. — GERARdus Sagatellus ob graues hæreſes igni crematus.

Cœleſtini vitam tribus libris comprehenſam, eleganti ſermone ſcripſit Matthæus Veggius.

Petrus in Pelignis apud Eſerniam duobus à Sulmone paſſuum millibus Vrbem pulchritudine, frequentiaque populi, & aquarum frequentia nobilem natus eſt. D

ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

¶ Poſt Nicol. IV. obitum ſedem Romanam pluſquam tribus annis vacaſſe, ſcripſit Eberhardus in Chron. ann. 2. menſ. 3. dies 2. Panuin. in Chron. Geneb. loc. cit. Ciaconius in Nicolao IV.

* *Cuncti Patres.*] Vndecim erant Cardinales, à quibus Cœleſtinus in Pontificem electus fuit, Panuin. in Chron. Cœleſtinum Peruſium acceſſiſſe, ibiq; coronatū. ſcripſit S. Anton. p. 3. Hiſt. tit. 20. c. 8. ijs ego adhæreo, qui Aquilā profectū, ibi corona donatum, aſſerunt.

* *Vſque ad Presbyteratum initiatus.*] Auguſtinus Patritius, l. 1. ſect. 2. cap. 1. Rituum S R. E. lapſus, dixit, (ni dicas locum ab aliquo alio corruptum) Petrum nondum ſacris ordinibus initiatum ad ſummum Pontificatum aſcendiſſe: erat Sacerdos, vt Mapheus Veggius, & Petrus de Aliaco Cardinalis, in illius vita, tradidere, & quod caput eſt, Clemens V. in literis Canonizationis hoc ipſum teſtatus eſt, E inquiens. *In aurora vero Miſſa per ipſum celebrata, &c.* (Lib. 1. § 7.)

Eremitarum Congregationem.] *Congregationem Monaſticam, ſub B. Benedicti Regula, ſuperadditis ei ſtatutis arctiſſimis, ordinauit*, ait Clemens V. loc. cit. Ipſe, Conſtit. *Etſi cunctos, Dat. Aquilæ, v. kalen. Octob.* 1294. fatetur, ſe in ordine D. Benedicti, cum iuuentutis progreſſio ordiretur, profeſſionis ſuæ vota emiſiſſe.

* *In Conc. Lugdunenſi.*] Lugdunum adijt, illius Concilij tempore, priuilegiúmq; (ſi Cardinali Cameracenſi credimus) ſui ordinis, ſub Regula S. Benedicti adeptus eſt. In Concilio Lugdun. II. ſub Gregor. X. huius rei mentionem non reperi. (Lib. 2. c. 5.)

* *Eremum Maiellæ.*] Card. Aegidius Viterbien. tres in 8. à ſe conſiderato ſeculo celebres Eremitas recenſet, Petrum, qui Hieruſalem bello cæpit, Nicolaum Tolentinatem, qui ſeculi calcem innumeris miraculis illuſtrauit, Cœleſtinum V. *qui*, vt ille ait, *eo alijs Pontificibus præcellit, quia, cum eſſet Pontifex Pontificatus ſplendori antra, ſpeluncas, & deſerti petram potuit, animi ſollicitudine, anteferre.* Petrarcha lib. 2. de vita Solit. tres Petri nomine illuſtres eremitas celebrat, ſect. 3. cap. 17. Petrum Damiani, cap. 18. Petr. de Murono, ſect. 4. cap. 1. Petrum ſacri belli ſuaſorem. F (In Hiſtor. M. S. in. ſec.)

* *Plus CC. millia.*] Ex Platina, & Ptolemæo.

* *Sedit menſ. 5. dies 9.*] Panuin. in Chron. Genebr. lib. 4. Gretſer cap. 56. M. P. Platina menſe Pontificatus ſexto ſacrum ſupremi regiminis iugum Cœleſtinum excuſſiſſe, ait; biennium ſediſſe, nonnull. ſcribunt, Vide Genebrardum loc. cit. *circa ſex menſes*, ait S. Anton.

* *Patres legit.*] Viros integerrimos, & duos, inter illos, Eremitas. Platina. (Loc. cit.)

* *Quas Conſtitutiones.*] Vnam tantùm Bonifacius commemorat lib. 6. Decret. eam nempè, quæ docet, ſummum Pontificem Pontificatum deponere poſſe, cap. *Quoniam, de Renunciatione.*

* *Cardinales acrius hominem vrgere.*] Sunt, qui dicant, Cœleſtinum vocem per cannam, vafri hominis aſtu, emiſſam, quaſi cœlitus, vt Pontificatu ſe abdicaret, audiuiſſe, & paruiſſe: at fabellam id dixerim. Fabellam agnoſcens ex Cardinali de Aliaco in vita B. Petri de Murono apud Surium tom. 3 quem videas. (Vide Geneb. l. c.)

* *Die S. Luciæ.*] D. Antoninus part. 3. Hiſt. tit. 20. cap. 8.

* *Diſcedens ad Eremum.*] *A laboribus ad requiem, ab infamis diſceptationibus ad Diuina colloquia remeabat ...... pedibus ibat in montem hiſpidum, fateor, ac præruptum; ſed vnde ſibi planum eſſet iter ad Superos.* Qua autem animi voluptate ſarcinam deſeruerit idem Petrarcha, his verbis, edocuit. *Audiui narrantes, qui audierunt, tanto illum* (Cœleſtinum) *fugiſſe cum gaudio, eaque ſigna lætitiæ ſpiritalis oculis, ac fronte geſtantem, dum à conſpectu Concilij iam tandem ſibi redditus, ac liber abſcederet, quaſi non humerum blando onere, ſed collum diris ſecuribus ſubduxiſſet, atque eius in vultu neſcio, quid Angelicum reluceret.* Huc ea ſpectant, paulò ante dicta. *Qui* (Cœleſtinus) *Pontificatu maximo, velut mortifero faſce depoſito, in antiquam ſolitudinem tam cupidè repedauit, vt hoſtili compede liberatum crederes.* (Petrarcha l. c. c. 18.)

* *Cauſſam potiſſimum.*] Clem. V. in literis Canonizationis extare de hac re voluit, ab ineunte ætate Cœleſtinum, vſque ad ſenium à terrenis turbinibus ſecretum, rebus Diuinis toto animo operam dediſſe, & cum miræ ſimplicitatis eſſet, ac proinde in rebus ad vniuerſæ Eccleſiæ regimen ſpectantibus inexpertus, honori, & oneri maximi Pontificatus ceſſiſſe; ne periculum aliquod Eccleſiæ crearetur, & vt ipſe in ſanctæ contemplationis vtiliſſimo ocio ad Chriſti pedes, cum Magdalena, conquieſceret, S. Anton. loc. cit. *Ipſe* (Cœleſtinus) *cernens ſe non ſufficientem ad tantum onus, appetebat ſarcinam illam grauiſſimam deponere, vt ſibi ſoli, & Deo vacaret.* Petrarcha, hoc antiquius, Cœleſtini factum laudauit, cum dixit. *Ego prorſus altiſſimi cuiuſdam, & liberrimi, & nihil metuentis, nihil neſcientis, vereque cæleſtis animi factum reor atque ita ſentio, non potuiſſe, id ab homine fieri, niſi qui res humanas iuſto precio æſtimaſſet, quique tumidum fortunæ caput pedibus ſubiecisset.* (Loc. citat.)

B. Petrus Damiani fontis Auellanæ ſolitudinem petiturus illi decoris vertici prætulerat; & rarò contemptæ purpuræ exemplo clarebat: Petrus hic alter, mutato nomine, Cœleſtinus, celebre illius factum recentiori, & clariori contemptu obſcurauit: duos hoſce Petros æmulis carituros, Petrarcha exiſtimauit.

* *Anno ...... 1296. ...... quieuit.*] Anno vno, menſe quinto, poſt initum Pontificatum, Cœleſtinū ad Chriſtū migraſſe, dictum à Plat.

* *A Clem. V.*] Literæ, quibus illum Clemens ſanctorum numero adſcripſit, *Qui facit magna, &c.* habes tom. 1. Bullarij, at carent indice anni, menſis, diei, quo ſcriptæ, & loci: iuſſit autem Clemens, vt dies feſtus S. Petri Cœleſtini 14. Iunij celebretur.

* *Vt Dantes.*] Secutus eſt Ciaconius Dantis interpretes, quod & alij docti viri fecerunt, exiſtimantes, de Cœleſtino loqui Dantem, cùm ita cecinit:

Guardai, e vidi l'ombra di colui,
Che fece per viltate 'l gran rifiuto. (Cât. 3. Inf.)

Ego ab hac ſententia longè abeo: nam, vt demus Dantem arbitratum eſſe, puſillo fuiſſe animo Cœleſtinum, cùm virum aliòqui ſanctiſſimum eſſe ſciret, quemadmodum eius temporis ſcriptores abundè teſtantur, nunquid illum apud inferos collocaſſet? Suarum ſanè virium Cœleſtinus conſcius imparem ſe tanto oneri ſemper habuit, & cum præterea ſimplex eſſet, aditum facile dedit vafris hominibus ſibi perſuadendi, Pontificatu vt abdicaret. Quòd ſi de illo Dantes ſenſiſſet, rem pluribus verbis proſecutus eſſet, quod de ijs facere ſolet, quæ recens acciderant. Itaque in ea ego ſum ſententia, vt de Eſau Dantes omnino intelligat, qui pro vili edulio lentis primogeniti iuribus cedere, non dubitauit; idque illum parui pendiſſe, aiunt ſacræ literæ, quod Dantes vilitatis nomine exprimere voluit. De Cœleſtini ſanctitate vide Petrarcham, Clem. V. literas, D. Ant. Petrum de Aliaco, Cardinalem, Paulum Regnum in eius vita. Martyrol. Rom. die 19. Maij, & Card. Bellar. in Appendice ad lib. De ſummo Pont. c. 16. vbi ad nonnulla ab Anonymo quodam ex Dante contra ſedem Apoſtolicam allata reſpondet. Vir ſanctiſſimus Cœleſtinus miraculis ante Pontificatum, in Pontificatu, & poſt illum, & mortem claruit, Clemens V. in literis Canonizationis. (Loc. citat.)

* *Reliquerunt aliqui.*] Hæc, & pauca alia ex Petrarcha, ſed confuſè excerpta ſunt à Ciaconio.

Pontificium onus, cum fuit electus, non recuſauit Cœleſtinus; ne Eccleſiæ ſanctæ, in grauiſſima illius temporis neceſſitate, deeſſet, ſic ſenſit S. Antoninus part. 3. Hiſt. loc. cit.

Statuta monachorum Cœleſtinorum probauit, eoſque priuilegijs ornauit. *Et ſi cunctos ordines, &c. Dat. Aquilæ ann. 1 xiij. kalendas Octob.* Literæ ſcriptæ ſunt Onuphrio Abbati S. Spiritus Sulmonæ, Coabbatibus, Prælatis, &c. (To. 1. Bullarum.)

Creatus Pontifex è cella, in qua 40. annis, & eò amplius, vixerat,

ſub regula ſancti Benedicti, cum educeretur, nullum equum, neque etiam poſtea aſcendere voluit; ſed tantum aſellum, exemplo Domini; in tranſeundo Dominus per illum multa miracula fecit, vt narrat ſcriptor illius temporis Eberhardus, hinc forſan accidit; vt quidam ſcripſerint, edixiſſe illum, ne deinceps Pontifices Romani, & Cardinales equis veherentur, aut mulis; ſed aſinis tantum, Chriſtum imitati, Genebr. lib. 4.

In Chron.

Cœleſtinum in Conclaui electum negant nonnulli: affirmat ſanctus Antoninus, inquiens, 1294. *M. Iulij, exiſtentibus Cardinalibus in Conclaui Peruſij, & arctatis, ſecundum ordinatione͂ Eccleſiæ, &c.*

Loc. citat.

De Electione Petri Muronis in Pontificem, & de dimiſſione Pontificatus eiuſdem, extat Codex m. s. Iacobi Stephaneſci, ſeù Caietani Diac. Card. S. Georgij in Velabro; quem olim Romæ in Bibliotheca Aniciana vidi. Quæ ſequuntur addidit Ferd. Vghel.

¶ Cœleſtini temporibus obijt celeberrimus ille Alanus Doctor Pariſienſis, ob exquiſitam omnium ſcientiarum cognitionem, Vniuerſalis appellatus; demùm in Ciſtercio primùm cuſtos ouium, inde Conuerſus, de quo mira narrant Trithemius, & Ciſtercienſes omnes Hiſtorici. Cuius corpus viſitur Ciſtercij in clauſtro, parte læua Eccleſiam ingredientibus, hoc Epitaphio inſignitum.

Alanum breuis hora breui tumulo ſepeliuit,
Qui duo, qui ſeptem, qui totum ſcibile ſciuit,
Labentis ſecli contemptis rebus, egens fit
Intus Conuerſus, gregibus: commiſſus alendis.
Mille ducenteno, nonageno quoque quarto
Chriſtus deuotus mortales exuit artus.

Vide præfationem in librum Parabolarum Alani, qui aliàs, Doctrinale inſcribitur.

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI SOCIETATIS IESV.

Plinius. Virgil 7. Aeneid. Sil. Ital. lib. 8.
Petri Infantia. Mapheus Veggi' in vita eius
Dæmon à literis Petrum remouere curat ſed fruſtra.

COELESTINVS Quintus, qui & Petrus primò à parentibus vocatus eſt, ex Murone Marſorum oppido, quòd antiqui Marruuium appellarunt, natus, in ipſo penè ſuæ vitæ limine, miro religionis amore ſuccenſus, literis erudiri curabat. Quod non latuit callidum humanæ ſalutis inimicum, qui intelligens non modico ſanctitatis illius adiumento futuras literas, mentem in primis pueri à doctrinarum amore auertere tentauit; germanos deinde eius, nam ſex præter Petrum defuncto patre ſupererant, quòd non ſine magno patrimonij diſpe͂dio id fieri poſſet, vehemẽtiùs, vt ea ſtudia prohiberẽt, excitauit. Sed & conterraneo cuidam eius prædiuiti perſuaſit, vt à religionis ſtudio ipſum reuocaret, tanquam filium illum ſibi adoptaturus, ac bonorum omnium ſuorum heredem relicturus. Nec defuit ariolus quidam, qui matrem plurimùm increpabat, quòd literis eum, ac religioni dedicaſſet, prænuncians, ac certò atteſtans non diu ſuperſtitem illius vitam fore. Quare & minorem alium filium monebat melius illis ſtudijs eſſe inſtruendum: quæ licet dolentiſſimè audiret mater, pergebat tamen Deo magis fidens, ac quibus iam filium deſtinarat diſciplinis, erudiri minimè omittebat. Manebat illi animo fixũ, quod naſcenti olim filio contigerat, ac tanquam magnum aliquid, ac diuinum portenderet; ſpem etiam, quæ ſumma illi in Deo erat, confirmabat. Exierat ſi quidem ex materno vtero circumamictus indumento quodam, quod nihil ab ijs, quibus religioſi homines veſtiuntur, differebat.

Cœleſtin. Teleta in vita.
In lucem venit circumamictus indumento quodam.
Angelerij Petri parens poſt mortem ſuadet literarũ ſtudium.
Maff. Veggius in v.

Huic accedebat, quòd qua die primùm rudis adhuc puerulus ad percipienda prima elementa ludi magiſtro traditus eſt, apparuit per noctem Angelerius pater cuidam fœminæ, quæ Petrum è ſacro fonte leuauerat, rogans impenſiùs, vt vxorem nomine eius hortaretur, ne ab incepta, qua filium literarum ſtudijs dediderat cura, vllo pacto remoueret. Mariti imperiũ Maria Petri mater executa eſt licet inuitis, ac renitentibus alijs, filiũ tamẽ ad literarũ ſtudia in dies incitabat.

B. Virginẽ & S. Ioannem Euãgeliſtam videt ad ſe venientes.
Bened. Gonõ. in vit. & in Chrõ.
B. Virginis Hippolit. Marrac. in Poet. Marian.
Ab Angelis corrigitur.

Erat Petro innata ſingularis quædam innocentia vitæ, quam ille, vti à teneris annis, ita & per omnem ipſius ætatem plurimùm dilexit. Nam, vt de ſe ipſo ſcribens atteſtatur, dum adhuc puer cum Virginem Dei matrem, & Ioannem Euangeliſtam, qui adſtantes Cruci depinguntur, non cognoſceret, illos tamen ad ſe plerunque deſcendentes, dulcique præter modum voce modulantes, ac tollentes manibus librum, quem puerulus ipſe lectitabat, ſæpe ſæpiùs conſpiciebat. Cum verò cum æqualibus ſuis pueris puer ipſe aliquando luderet, obſcæna quædam verba, quæ nec ipſe intelligebat, loqueretur, per noctem dormiens vidit Angelos ad ſe venientes, rurſúſq; ac verberibus eum grauiter exterrentes, & monentes, vt deinceps ab ea verborum obſcænitate abſtineret. Nec his diſſimilia matri contingebant; vidit illa aliquando per ſomnum filium in paſcuis agentem oues albas, quod cum expaueſacta retuliſſet, iuſſa eſt bono animo eſſe; futurum quippe illum cuſtodem bonarum animarum.

Mater futurum illũ animarum cuſtodem agnoſcit. Maff. Veg. in vita.
Amiſſum oculi lumẽ à Vir-

Apertis etiam miraculis huiuſce pueri ſa͂ctitatem Deus Orbi vniuerſo patefecit. Tres circiter annos natus Petrus propter peracutã ſtipitis offenſionem dextri oculi lumen, iudicio etiam omnium Medicorum amiſerat. Implorata à matre Mariæ Virginis ope, exactaque in Templo eius cum ſummis, ac deuotiſſimis precibus nocte, albeſcente demum Cœlo optatæ eſt valetudini magna omnium admiratione reſtitutus.

gine recipit.
Cœleſtin. Teleta in vita.
Amat ſolitudinẽ.
Paul. Regius, & Maff. Veg. in vita.

Erat Petro ſummum deſiderium, quod & in dies magis augebatur, dicandi ſe Deo in Eremo: ſed carebat patria eiuſcemodi ſanctis hominibus, quibus patefacere conſilia animi ſui poſſet; quibus magiſtris, & conſultoribus, qua gradiendum ei via eſſet, intelligeret. Atque ideo diu hæſitans domi perſtitit, falsò ratus Eremitam nonniſi ſolum agere poſſe; haud enim ſine trepidatione propter phantaſticos incurſus ſolus per noctem eſſe poterat. Tandem cum viginti iam annorum eſſet, ſtatuit, quod diu conceperat animo perficere, habuitque participem inſtituti ſui ſocium quendam ſuum, annis tamen eo maiorem. Inito igitur inter eos conſilio, deliberarunt è patria egredi, quo commodiùs ſolitariam vitam traducerent, ac proficiſci Romam priùs, ne quid inconſulta Eccleſia efficerent. Sed ſuſcepto itinere cum diem tantùm vnam exegiſſent, illi et locius propoſiti pœnitens, ac victus natalis ſoli, ac neceſſariorum ſuorum amore domum rediit: hic autem cœptam ſolus conſtantiſſimo animo viam ſecutus eſt. Peruenit verò die, quæ proxima erat, ad oppidum Signiam, atque ibi cum ſubitò inſurrexiſſet grauiſſima vis venti, ſimul & pluuiæ, non poterat ſine magno diſcrimine pontem fluminis, quod extra oppidum erat, tranſire. Quare conſultiùs ſtatuit ibi perſiſtere in Templo quodam, quod in fronte ipſius pontis extructum erat in memoriam B. Nicolai, cuius ſæpe auxilio inuocato, ſpe bona ductus, cum permanſiſſet ibi aliquot dies, certior à Signinis factus eſt Eremitam eſſe, qui vicinum montem coleret, cuius viſendi ſummo deſiderio correptus illico adijt. Verùm Deus, qui ſimulatam Eremitæ ſanctitatem probè norat, non eſt paſſus optimum adoleſcentem conſilium, quod ſolitariè viuendi habebat, ei aperire. Igitur profecturum ſe Romam tantùm illi dixit, quò & ipſius eundem eſſe proficiſcendi animum ab eo intellexit. Cõſtituto autem die, quo ad eum rediret perficiendi itineris cauſa obuias habuit duas præſtantes forma mulieres, quæ affirmantes neminem certò inuenturum Eremitam, magna vi ad iniectandas vſque illi manus eum ſecũ ducere conatæ ſunt. Quas tamen licet difficillimè euadens venit, ad quem petebat locum, neq; quenquam, vt verè illæ prædixerant, reperit, niſi domunculam tantum patentem, atque ignem ſimul & aquam. Erat tunc media, & aſpera hyems, & circumquaque nix altiſſima. Ea re cognita, verſare diu ſecum inexpertus adoleſcens animumque varias in partes diuidere cœpit, quid ſibi agendum eſſet, quid conſilij capiendum, ſiſteret ne, an diſcederet; diuino eum agitante ſpiritu, tandem vt maneret, vicit ſententia. Cum autem diu vigilans graui demum ſomno opprimeretur, apparuit ei ingens turba Angelorum geſtantium purpureas, ac vernantes roſas, ac diuinas laudes ſuauiſſimè decantantium; quibus expergefactus etiam aſſiſ., delectatique admodum videbatur, vnde & ſecuram animum induens, decem ibi lætus tranſegit dies.

Amore ad Eremi è patria diſcedit.

Angelorũ apparitio.

Premum adit.

Interea nactus in alio monte ingens quoddam ſaxum, in quo modicum effoſſo vix ſtare ſe, aut decumbere poterat, tanquam commodiorem propoſito ſuo locum illum elegit. Manſit autem ibi tribus annis, vbi cum à Ciuitatibus, ac populorum turbis longè abeſſet, audiebat tamen per noctem ſonitum cuiuſdam magni tintinnabuli, quaſi præfinita eum ſemper hora excitantis; qua ſolitus exurgere, atque orans Deo ſe proſternere. Videbat nonnunquam alterutro ex latere duos tanquam pulcherrimos homines, qui Epiſcopali amictu induti, & Miſſam celebrare, & Pſalmos ſecum viciſſim dicere videbantur. Contra verò vt permulceret amara dulcibus, permiſit eum Deus in hoc quaſi tyrocinio adoleſcentiæ eius, turpiſſimis Dæmonum illuſionibus, & infeſtationibus vehementer agitari. Quibus Deo fauente ſuperatis Romam profectus, vt Sacerdotales characteres ſuſciperet, Sacerdos ibi conſecratus eſt. Mox ad montem Muronis rediit, vbi contemplatus quandam cauernam, qua plurimum delectatus eſt, incoluit eam quinque annis. Iacebat in ea immanis quidam ſerpens, qui ſtatim, ac ſi adoleſcentis ſanctitatem perſpectam haberet, placidus, ac mitis diſceſſit.

Viſiones in Eremo.

Agitatur Dæmonũ illuſionibus.

Romam petit fit Sacerdos. Ad montẽ Muronis redit.

Tunc quoniam ſolitudinis, & egeſtatis nimio amore trahebatur, multa eum cogitatio agitare cœpit omittendi celebrationem Miſſæ, quod nec ſine permiſſu tamen ſummi Pontificis efficere audebat. Quem diu cogitabũdum, & anxium admonuit per ſomnum quidam olim Abbas vir bonus, qui religioſa eum veſte primus induerat, ne à Miſſæ celebratione vllo modo deſiſteret. Cui ſe indignum prorſus eſſe atteſtanti, etiam ſubdidit, ſi id quidem attendendum eſſet, neminem vnquam eam celebraturum eſſe: quod idem, & in ſomnis vtique dictum eſt ei à quodam ſancto monacho, cui confiteri ſua peccata conſueuerat.

Ab Abbate per viſum monetur ad celebrationem miſſæ omittat.

At quoniam cura omnis illi erat ſolitudinis, cum circumquaque ſiluæ omnes coli cœpiſſent, ſtatuit illinc diſcedere. Petijt igitur montem alium, qui Mugella dicebatur, atque ibi in cauerna quadam, captus plurimùm eius ſitu conſedit; cum tamen id minimè probarent duo, qui eum ſequebantur ſocij ipſius, propterea ab eo diſceſſerunt, licet poſt aliquot dies redierint, ducti magno & ſingulari amore, quo illi affecti erant.

Petit montem Mugellæ.

Tunc peſſimus hominum inſidiator non ferens æquo animo ſanctitatem viri, nouo eum genere periculi exterrere conatus eſt. Nam cum faſciculis arbuſcularum locum illum vndique circumueniſſet, ſub maiore ardore æſtatis aliquando contigit, vt conflagrare omnia igne viderentur. Quo perterriti quam maximè ſocij cum effugerent, ob murmurantes grauiter, quòd inuitis omnibus illic habitare delegiſſet,

Dæmonis inſidiæ experitur.

giſſet, ſolus ibi immotus perſtitit Petrus non deſtitutus ſpe, quam ſummam in Deo gerebat, ac ſtatim omnis illa incendij vis tanquam vmbra quædam euanuit. Erat locus ille aſper, ac longè remotus à finitimis oppidis; quare multi, qui eum amabant, perſæpe vt illinc diſcederet, rogabant tum ipſius cauſa, tum aliorum, qui ſanctitatis eius deuotione ducti frequenter eum inuiſebant. Sed recuſabat omnino optimus Pater, neque longinquiorem viam deuotioni populorum obfuturam affirmabat. Creſcebat, & diuulgabatur in dies magis Petri nomen, ac plerique eius inuitati ſanctitate derelinquere inanes mundi curas, ſe illi coniungere, ac ſuauiſſimo Chriſti iugo etiam colla ſubdere cupiebant, quibus cum minimè aſſentiret, quod ſimpliciſſimum ſe, ac ſolitudinis amantiſſimum aſſereret, pietate tamen ſæpe motus eos ſuſcipiebat. Cum ergo ita augerentur ſocij, ac frequentaretur locus ille à populis, ædificauit ibi Eccleſiam, & conſecrauit nomini ſancti Spiritus, atque id non ſine auſpicio cuiuſdam columbæ, quæ à principio vſque dum illic habitare cœperat, fortuitò adueniens familiariſſimè cum eo conuerſata, atque enutrita eſt, viſaque ſemper vbi Altare poſtea extructum eſt, cibari per ſe, ac paſci.

Eccleſiam ſancti Spiritus conſtruit.

Illud verò eſt admirabile, quòd cum deſerto admodum in loco, ac procul eſſet ab oppidis, audiebantur tamen ab omnibus, etiam quoſquot illuc adueniebant, tanquam multorum, ac ingentium tintinnabulorum ſonitus. In Eccleſia, & in camera etiam eius auditi ſunt ſæpius beati Spiritus diuinas laudes decantare.

Fugit populorum frequentiá.

Tantam populorum frequentiam ægro ferens animo Petrus, tranſactis pluribus annis, vno tantum contentus ſocio receſſit inde ad abſtruſiorem, atque aſperiorem locum. Erat is in ſummo apice Mugellæ montis diſtans à planitie ſex circiter millia paſſuum, ex quo deſcendebatur ad quandam cauernam ſitam in frōtiſpicio vallis, quam flumen, quod Oroſontem vulgus appellat, præterfluebat. Ad hanc vt deſcendere tutò poſſet, fabricauerat ſibi ſolerti artificio vncos ligneos, quibus innixus, ab omni quod imminebat illi periculo ſecurior, ac liberior euadebat. Nonnulli, quos ipſe nutrierat, monachi illinc eum abducere curarunt, ſed fruſtra, nam vt hominum turbas effugeret, illuc ſe veniſſe affirmabat. Breui tamen ſua ſe fraudatum ſpe vidit, nam nullo vnquam loco, aut frequentior eum quàm tunc inuiſit multitudo, nunquam clarius, aut celebrius eius nomen fuit, nunquam maior eius expectatio, & maior gloria. Sæpe enim cum verba facturus eſſet, replebatur mons ille totus turba eorum, qui illum affari, aut audire cupiebant. Extruxit autem ibi Eccleſiam, quam Ioannis Euangeliſtæ nomini dedicauit, & circum cubicula pro ſe, ſocijs, atque hoſpitibus, ſi qui aduenirent.

Eccleſiam S. Ioannis Euangeliſtæ ſacrat.

Oder. Rinald. in noa Annal. Eccleſiaſt. c.
Carolus Siciliæ, & Carolus Martellus Hungariæ Reges Peruſium petunt.
Excipiuntur à Cardinalibus magno apparatu.

Diſceſſerat interea è vita Nicolaus huius nominis Quartus Romanus Pontifex, & agente Peruſij ſacro Cardinalium Senatu Carolus Siciliæ Rex extrema hyeme è Gallijs, quò acceſſerat, vt fœdus cū Aragonio, & Gallorum Rege, & Carolo Valeſiorum Comite componeret, ac liberos obſides Catalana cuſtodia liberaret, in Italiam redux, vnà cum Carolo Martello Hungariæ Rege maiori natu filio Peruſium ſe contulit, & Cardinales ſalutauit, hortatuſque eſt, vt quamprimùm mœrenti Eccleſiæ Patrem darent. Qua verò pompa, & apparatu à Cardinalibus Reges excepti fuerint, Iacobus Stephaneſcus, ſeu Caietanus Cardinalis ſancti Georgij ad velum Aureum explicat his verſibus.

Forte modum ſcripſiſſe iuuat, quem Cardine fulti
Seruarunt. Nam clara dies vbi lampade Solis
Illuxit, theatrum ſubeuntes turba Senatus,
Leuitas geminos mittunt non longius Vrbe
Regis in occurſum. Series diffuſa caparum
Hos ſequitur ſen turba, Duces, mandante Senatu
Procedunt laici, creſcit diſtenta ſequela
Eliſtea, ſuas variatis veſtibus haſtas
Curſibus in feſtis equites effringere iuſſit.
Cætera communis complere Palatia Patrum
Turba moram firmans: decet hanc ſeruare quietem,
Dum vacat heu ſedes Papæ, nam pondera geſtant.
Hos ſiquidem viridi ſuſceptos cermone ſulci
Et duo Leuitæ ſortiti corpore Regum,
Alterutro conſtante ſuum maiore parentem,
Atque minore ſatum illo paſſim mœnibus Vrbis
Deducunt, quoad alta domus, plateaſque ſubintrant.
At ſacer interea præſtolans parte theatri
Hinc cœtus proceſſit iter, longamque per aulam
Egreditur, qua parte domus faſtigia parium
Extendunt ſcala ſpatium, quod ſedibus inſtat.
Tunc inibi veteri ſtantes ex ordine Patres
Oſcula condonant Regi, Regique minori,
Cui primum vidiſſe datum eſt, tunc temporis omnes
Cardineos Proceres, auloque ſedilibus ambos
Conſtituunt, dextraque Patrem, læuaque minorem,
Pontificum Patrem medium, medium que ſecundum
Inter Leuitas primos. Pauliſque morata
Applauſere oculis, vultu, riſuque loquela,
Et nutu ſibimet Reges, Patreſque fideli
Aſſiſtente manu, cupientum viſere morem.
Inde domum Reges comites habuere priores
Leuitas. Non longa dies, & tendere curſum

A *Parthenopem decreuit heros; ſed primitus omnem*
Alloquitur cœtum .... ſermone profatur.
Rex Pater, & precibus rogitans ſpiramine ſacro
Affari, populoque Dei Paſtore quietem
Imponi reſponſa Duci digeſta Latinus
Attulit, & placido diffudit verba lepore.
Poſt lapſo celeri ſpatio Rex mane ſecuto,
Viſere ſupremum cœtum, dictoque valete
Corripuit greſſum ſociatus ab ordine fratrum
Vſque foras Vrbem, redire in celſa parentes.
Mens quibus aduerſa eſt, quamuis per plura ſequendi
Conſilium viſum eſt, variaſque requirere formas,
Vt ſibi concordes animo ſedibuſque placerent.

Petrus de Murone eligitur in Rom. Pōtificem.

Poſt receſſum Regum Cardinales cœleſtibus viſis moti Petrum è Murone Eremitam, nouæ religioſæ familiæ, quæ poſtea Cœleſtinorum
B dicta eſt, ſectantis S. Benedicti inſtituta, Patriarcham, in remota Apuliæ ſolitudine macerando corpori, ac rebus cœleſtibus contemplandis intentum, vt diximus, in Romanum Pontificem elegerunt. De qua electione laudatus Iacobus Cardinalis S. Georgij ad velum Aureum in præfatione operis hæc commendat hiſtoriæ. *Lapſis vacationis confeſtim annis duobus, quartaque tertij parte, menſis Iulij principio infra Apoſtolorum octauā, nata mirifica fratris Petri de Murone Eremitæ, viſionis cuiuſdam occaſione, eodem Latino inter fratres, patrefacta cuius viſionis ipſius ex inopino verbum mouente, ſubitò Dei nutu idem religioſa, & miræ ſanctitatis vir frater Petrus de Murone Eremita ordinis S. Benedicti in cella in monte de Murone ſupra Sulmonem ſita manens in ſummum, vnanimi voto, & conſenſu Patrum eſt electus in Pontificem.* Quæ autem fuerint cœleſtia illa viſa, non exponit, nec exprimuntur in Decreto, quod Cardinalium Collegium edidit, vt facti rationem omnibus fidelibus
C exponeret, & eſt tale.

Odericus Rinaldus in Annal. Eccleſiaſt.

IN NOMINE SANCTAE, ET INDIVIDVAE TRINITATIS PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI. AMEN.

Nos miſeratione diuina frater Latinus Oſtienſis, Gerardus Sabinenſis, Ioannes Tuſculanus, & frater Mattheus Portuenſis, Epiſcopi; Hugo tit. S. Sabinæ, Petrus tit. S. Marci, Benedictus tit. S. Martini Presbyteri: Mattheus S. Mariæ in Porticu, Iacobus S. Mariæ in via Lata. Neapoleo S. Adriani, & Petrus S. Euſtachij Diaconi Cardinales, notum facimus, quod anno Domini 1294. menſe Iulij die lunæ, 5. menſis eiuſdem Apoſtolica ſede per obitum felicis recordationis Nicolai Papæ IV. vacante, poſt diuerſos tractatus diuerſis temporibus habitos per Nos ſuper electione ſummi Pōtificis, quibus non acceſſit effectus, in communi Conſiſtorio ſolito more conuenientibus, abſente Venerabili fratre Noſtro Petro tit. S. Marci Presbytero ſu
D *prædicto, qui erat in hoſpitio ſuo infirmitate, ſeu debilitate detentus: demum inter Nos ex inſperato, ſeu improuiſo de Venerabili, ac religioſo Patre fratre Petro de Murone ordinis S. Benedicti, celebris ſanctitatis viro, habita mentione, omnes, qui tunc præſentes eramus in Conſiſtorio ſupradicto, ad perſonam eius internæ conſiderationis intuitum dirigentes, in ipſum quaſi diuinitus inſpirati, non ſine lacrymarum effuſione, nullo prorſus diſcordante conſenſimus: & Venerabiles fratres Noſtros Dominos Ioannem Epiſcopum Tuſculanen. Hugonem, & Iacobum prælibatos ad præfatum Petrum Presbyterum Cardinalem tranſmiſimus ad perſcrutandum ſuper huiuſmodi negotio votum ſuum, qui eiuſdem fratris Petri audito nomine deuotè conſenſit ſimiliter in eundem, prout ijdem Cardinales ad eum tranſmiſſi, ſicut præmittitur, in Noſtra præſentia retulerunt. Noſque volentes efficaciùs procedere in hac parte, Venerabili fratri Epiſcopo Oſtienſi prædicto eligendi ſuo, & omnium Noſtrum nomine memo-*
E *ratum fratrem Petrum de Murone in Eccleſia Romana Pontificē, & Paſtorem plenam, & liberam vna voce conceſſimus poteſtatem, qui poteſtate ipſa recepta, Nobis præſentibus, vt præmittitur, eam illico efficaciter adimplens, eundem ſuo, & Noſtro nomine ex poteſtate ſibi tradita, in Romanum Pontificem eligendo, ac Nos electionem de dicto fratre Petro factam per eundem Epiſcopum Oſtienſē ratam habentes, eundem fratrem Petrum de Murone, licet abſentem, deuotè recipimus in Noſtrum, & eiuſdem Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum, & Paſtorem. In cuius rei teſtimonium, & euidentiam pleniorem, præſentem ſcripturam fieri fecimus, Noſtriſque muniri Sigillis, & ſubſcriptionibus roborari. Datum Peruſij anno, menſe, & die prædictis.*

Bzou. in Annal.

Legati ad nouū Pōtificem.
Petrus fugam meditatur.

Decreti etiam à Cardinalium Collegio Oratores Archiepiſcopus Lugdunenſis, Vrbeuetanus, & Portuenſis Epiſcopi cum duobus
F Notarijs Apoſtolicis, qui Petro Cardinalium literas afferrent, atque illum ad excipiendum Pontificatum adducerent. Scribit Petrarcha auguſtiſſimæ dignitatis fuga ſe ſubducere Petrum meditatum fuiſſe, è qua illum accurrentium populorum retraxit pietas. *Statim, inquit, ab initio tentauit fugam cum diſcipulo quodam ſuo Roberto Salentino tunc iuuene; ſed inopinata, & ſubita populi multitudine circumuentus, cum euadendi nulla ſpes eſſet, in diſcipulum verſus, quæſiuit an ſe ad excelſa tractum, & coactum ſequi vellet. Ille autem, qui à Magiſtro didiciſſet mundum ſpernere, Chriſtum vero, & quibus ad Chriſtum itur, virtutem, pacem, ſilentium, & ſolitudinem amare, quæſo, ait, vt & labori, & periculo meo parcas, meque potius cellæ*

inopis, & tuis otij ſucceſſorem, quàm diuitis, ac ſollicita gloriæ participem velis, quod & factum eſt. Cum itaque viro Nuncij Romanæ Eccleſiæ, alijque pij viri metum diuini iudicij, ac religionem incuterent; atque inter ceteros Petrus Columna Diaconus Cardinalis, qui eò miſſus prouolarat, inſtaret, ne diuinæ voluntati reluctaretur, Pontificium munus admiſit. A faſtu tamen abfuit, equum conſcendere, ſed aſinum exemplo Chriſti voluit, cuius potiùs ſapientiæ quàm humanæ ſe conformandum arbitrabatur, & ſic Aquilam Vrbem Regibus Siciliæ, & Hungariæ aſini fræna tenentibus eſt ingreſſus. Non defuere, qui Cœleſtini conſilium damnarent, cum ad ſeruandam Eccleſiæ maieſtatem ſanctiſſimi etiam viri regiam pompam, à qua penitus alieni erant, paſſi eſſent. Deus tamen Cœleſtini demiſſionem inſigni miraculo diuinitus commendauit, quod narrat Petrus de Aliaco Cardinalis his verbis. *Quod autem Chriſtus illam ſingularem bonus ſeruus ſui humilitatem non ſibi, ac Eccleſiæ ſuæ imputaret ad iniuriam, ſed ad honorem, ſingulari voluit declarare miraculo. Nam cum multi poſt eum infirmi portarentur, vt ſaltem poſſent eius tangere fimbriam veſtimenti, erat enim totius populi mira erga eum fidei deuotio, homo quidam filium ſuum ambobus pedibus claudum portans, cum ad virum ſanctum præ multitudine non valeret accedere, aſello, de quo deſcenderat, puerum impoſuit, qui ſanitate recepta, ab illa hora firmiter ambulauit.* De reſtituta pedum firmitate inopi contracto, qui magnis precibus obtinuit aſino imponi, cui Cœleſtinus Chriſti, cuius vices gerebat, exemplo inſederat, meminit etiam Vveſtmonaſterienſis. Aquila Cœleſtinus vitæ ſanctitate, & innocentia clarus, ignarus tamen Aulicorum verſutiarum, & ab illorum inſidijs prorſus alienus Neapolim diceſſit. *Hinc factum eſt.* Verba Ptolomæi Lucenſis ſunt; *vt deciperetur à ſuis Officialibus, quantum ad gratias, quæ fiebant, quarum ipſe notitiam habere non poterat, cum propter impotentiam ſenectutis, quàm ætatis decrepitæ, tum propter inexperientiam regiminis, circa fraudes, & verſutias, quibus Curiales multum valent, vnde inueniebantur gratiæ factæ tribus, quatuor, vel pluribus perſonis, membrana etiam vacua, ſed bullata.* Et Abrahã Bzouius ait *mira benignitate in egenos illum excelluiſſe, vt nemini quicquam petenti negaret, magnis Proceribus depoſcentibus patrimonia Eccleſiæ ſine vllo diſcrimine, non tam liberali, quàm prodiga manu offerret. Scilicet ex priuatæ olim vitæ pauperrimæ ſtatu Maieſtatem, dignitatemque Romani Pontificis tum Eccleſiæ Romanæ, & Apoſtolicæ dimetiens. Certè ſi diuina prouidentia prudentiam aliquorum ex ſacro cœtu tunc non excitaſſet, Cœleſtinus largiſſimis profuſionibus, ad quas importunitate in rem Eccleſiaſticam inſtantium Principum prouocabatur, vniuerſam Eccleſiam in primis Romanam, iure merito acquiſitis bonis ſpoliaſſet.* Nec minori ſuo, & Orbis periculo, vt Mapheus Veggius teſtatum reliquit, *fabricata intra Palatium lignea camerula concludebat, ac ſe à turbis hominum ſummouebat, vacans Deo ſoli, inſtanſque orationibus, vt antea ſolebat.* Quare cum illum Pontificatus, illius Cardinales pertæſum eſſet, ſponte de ſolio deſcendit, & infulas Pontificias abdicauit. Abdicationem hanc miraculo Deus probauit, nam vt è ſolio ille pedem extulit, claudum ſanauit.

Cœleſtini demiſſio. Cœleſtin. Telera. Maff. Veg. in vita.

Miraculo Deus Cœleſtini demiſſionē commendat.

Aquila Neapolim diſcedit.

Cœleſtinus ignarus verſutiarū Aulicorum.

Vacat orationibus.

Abdicat Pontificatum, & claudum ſanat.

Dum Petri Natiuitate Cœleſtinus, Clarenorum virorum Congregationem confirmauit; religioſi enim huiuſce ordinis a fratre Angelo Clareno ſub regula S. Franciſci inſtituti, in Eremo vitam degentes ſoli Deo vacabant; Hos deinde Pius V. Anno noſtræ ſalutis 1568. Cœnobitis Minoris obſeruantiæ S. Franciſci coniunxit.

Clarenorū Congregationē confirmat. Rom. Antiqua, & Moderna. Petri Moronis obſeruat. Cœleſtini Telera. Maff. Veg. Paul. Reg. in vita.

Poſt Pontificatus abdicationem, cum in arce Fumonis decem integros menſes traduxiſſet, die Dominica Pentecoſtes ægrotare cœpit ex apoſtemate, quod illi dextrum latus maximè infligebat, & poſt ſeptimam diem, IV. ſcilicet Kalen. Iunij anno Domini 1296. ſuæ vitæ octuageſimo ſeptimo ex hac vita deceſſit. Ante fores carceris apparuit in Cœleſtini obitu Crux aurei coloris, quam ſoli cuſtodes viderunt. Mortem eius vbi accepit Bonifacius VIII. Põtifex, celebrari iuſſit illi ſolemnes exequias, & cõuocatis ipſius Religionis omnibus religioſis viris, & Epiſcopis, magna quoque eum comitante turba populorum ex arce Fumonis ad Eccleſiam B. Antonij Ferentinatis, quã ipſe nouiter extra illam Ciuitatem Ferentini Hernicorum Vrbis extruxerat, ſummo cum honore ſanctiſſimum eius corpus deductum eſt. Ex qua Eccleſia anno Dominicæ Incarnationis 1327. ad aliam intra eandem Ciuitatem, S. Agathæ virgini, & martyri ſacram primò deinde ad ſui ordinis Cœnobium Vrbis Aquilæ translatum eſt, qua in Vrbe fideles noſtris etiam hiſce temporibus ſacra illa Lipſana venerantur.

Tráſlatio Corporis S. Cœleſtini.

Scripſit Cœleſtinus Relationem vitæ ſuæ, quam Latino ſermone Cœleſtinus Telera Sipontinus, monachus, & Abbas Cœleſtinus anno 1640. edidit Neapoli, vti etiam eiuſdem Opuſcula videlicet

Petri Murronis ſcripta. Ludou. Iacobus à S. Carolo in Bibl. Põt. Cœleſtin. Telera in vita. Hippol. Marracc. in Biblioth. Marian.

De Virtutibus quinque partibus diſtinctum.
De Vitijs.
De Hominis Vanitate.
De Exemplis, ac ſimilibus Moralibus.
De Sententijs Patrum Eremitarum.
De Miraculis B. Mariæ Virginis.
De Cenſuris.
De Sacramentis Eccleſiæ.
De Decem Præceptis Decalogi.
De Præceptis Eccleſiæ.
De Legibus.
Epiſtolas Varias.
Orationes Nonnullas.

Quaſdam Conſtitutione Eccleſiaſticas, quarum vni habetur *Licere Pontifici Romano abdicare ſe Magiſtratu.*

De Perfectione Religioſorum liber vnus extare dicitur m. s. in Monaſterio Medutenſi à Petro Creſpetio Cœleſtino teſte oculato aſſerente ſe hunc librum legiſſe.

Arnoldus Vuion in Lig. Vitæ. Poſſeu in Apparat.

Tradunt Cœleſtinum incredibili fuiſſe abſtinentiæ, ſingulis enim annis ſex quadragenas ieiunabat, dieſque omnes præter Dominicos vno tantùm contentus prandio ducebat: nunquam niſi ſuper lignea craticula ſomnum capiebat, vigilabat noctu ſupra fidem, diſciplinis ſe admodum affligebat, orandi, legendi, diuinaque myſteria meditandi nunquam modum habebat, veſtimẽtis viliſſimis, cilicijs aſperrimis, quæ & ipſe manibus ſuis contexebat, ſemper vſus eſt. Tanta illi ieiunandi, acriuſque ſe macerandi cupido inceſſit, vt cum dies Quadrageſimæ aliquando adueniſſent, deſcenderit in quandam foueam, decem tantum panes, & octo cæpas, quibus mediam leuaret, ſecum ferens, vbi tam conſtanter, ac fortiter vitam duxit, vt cum totam imbribus rueret Cœlum, rigerentque omnia aſperrimo frigore, nunquam tamen illinc deſceſſerit, donec exactis viginti diebus penè mortuum cum quidam amici eius inde eduxerint, ac tunc auditam ferunt vocem, qua illum ne tam oneroſa ſarcina aſellum grauaret, admonebat. Ob hoc creſcebat in eum amor, & obſeruantia diſcipulorum ipſius, quos ille ad auſteriorem agendam vitam cum ſancto ſui exemplo, tum ſalubribus etiam aſſiduè documentis mutabat. Nec minus populorum augebatur deuotio, quos & frequentes ad ſe venientes pro cuiuſcunque ſtatu, & conditione ad virtutem hortabatur, & à vitijs deterrebat. Erat verò tanta eius humanæ conuerſationis gratia, tanta eius reuerentia, vt neminem non ſummè vel ſolo conſpectu ad ſe alliceret, alliciensque ad quæcunque perſuadebat, deduceret. Multis ad eum videndum confluentibus, vt eos ad Virginis Mariæ amorem, ac deuotionem inflammaret, Corollas precarias tribuebat. Cœleſtinorum ordini à ſe inſtituto viuendi modum præſcribens, præter diuinas laudes, eiuſdem Dei Genitricis officij recitandi munus impoſuit.

Cœleſti: ni Abſtinẽtia.

Coronas diſtribuit ad Virginis cultũ. Officij B. Virginis recitandi vſus inter Cœleſtinos. Hippol. Marrac. in Põt. Mar.

Claruit etiam dum vixit, miraculis, quorum fama innumerabilis populi multitudo non tam animarum, quàm corporum ſanandorum cauſa ad Mugellæ montem aduolabat. Duos igitur, qui ex quadam vicina arce Morici ad eum ducti fuerant, liberauit alterum à dolore, quem in genu grauiſſimum ſex iam menſibus, vt nec gradi poſſet, ſuſtinuerat, alterum a tumore, qui in ſiniſtra parte colli, & capitis diu eum afflixerat. Duos alios curauit à ruptura, qua torquebantur in dextero latere, Gualterium ſcilicet ex arce Morici, & Pamphilum ex oppido Lantanoq; atque hunc præterea, vt præſagæ erat mentis, reprehendit grauiſſimè pro conſuetudine, quæ illi erat cum aliena vxore, quem plorantem amarè, ac proſternentem ſe in humum, ſed ab ea nullo pacto abſtinere poſſe atteſtantem, precibus tandem ſuis, non tam corpore, quam animo ſanare promeruit. Ex Hortana quoque Terra Blaſius quidam fuit, qui infirmus gradiendi facultatem amiſerat; monitu autem beatorum Iuliani, & Rufini, qui per noctem vigilanti ei miro cum lumine apparuerunt, profectus ad Eccleſiam ſancti Spiritus, atque ibi adſtans Altari ſtatim conualuit. Ex Luco etiam oppido Thomas quidam ſeptem iam annos, totius corporis vi deſtitutus adijt ſanctiſſimum virum, opem implorans, ac liber demum illo adiuuante reuerſus eſt. Pari morbo laborauerat octo & decem annos Gemma quædam ex oppido Montebello, ac parem eſt, opem ſancti viri, ſanitatem conſecuta. Ex oppido item Bullo altera fœmina, quæ tres annos deperdita omni vi vſuus brachij, magno dolore torquebatur, cum aduoluta eius pedibus ſupplex auxilium inuocaſſet, incolumis euaſit. Non eſt autem omittendus quidam ex oppido, quod Turris dictum eſt, Theatinæ Ciuitatis, qui genu dextrum ſagitta vulneratus, amiſſaque proinde vi totius cruris, gradi nequiens, precibus tandem ſancti viri valetudini priſtinæ eſt reſtitutus. Non item Grimaldus Aquilanus magiſter cœmentariæ artis, qui cum eleuato immaniore fortè pondere quodam crepuiſſet, liber factus eſt, curante eum, ad quem venerat, ſancto viro. Recenſendus eſt porrò etiam Ioannes ex oppido Paterno, ſanatus & ipſe à lepra, & hydropiſi, quod futurum quoque in ſomnis perſæpe cognouerat. Sed inſigne illud vtique eſt, quod accidit fœminæ cuidam ex Calabria, magno ex genere ortæ, quę pari lepræ morbo infecta, vbi delata ei aqua, quam ſanctus ſacrauerat, ſe abluit, ſtatim mundata eſt. Nec paruum quoque credi debet, quòd adoleſcens quidam Philippus nomine, cui inſtar lepræ totum infectum corpus eſſe videbatur, præter freneſim, quam grauiſſimè patiebatur, adeo vt quemque ſibi obuiam venientem cædere adoriretur, rogante patre, qui filij cauſa peſſimè anguſtiabatur, liberatus eſt, & ſanctæ demum vitæ, ac ſancti viri diſcipulus fuit. Taceo quòd & ibidem ex oppido quod Carceres appellatur, ductum ad ſe quendam a Dæmone grauiter vexatum, & clamantem, atque eiulantem, percuſſa eius maxilla ſtatim ſanæ menti reddiderit. Nam præſtantius eſt, quod Antonia mulier ex oppido, quod Pratulas vocant, cum audius aliquando eam nocte edentem Dæmon oppreſſiſſet, adeo vt omni prorſus depoſito pudore, conſpicientibus cunctis, publicè ſe denudaret, ſanata eſt a ſancto viro iacens diu tanquam exanimis, cum poſt quatuor menſes, quibus illud per-

Claruit miraculis dũ vixit.

Cognoſcit occulta.

Sanat affectum variis infirmitatibus.

Leproſos, & hydropicos ſanat.

A Dæmone obſeſſos liberat.

pella

-ceſſa eſt, ad ipſum neceſſarij eam propter tantam deformitatem moleſtè perferentes deduxiſſent. Erat verò moris ei mittere ſæpe ægrotantibus panem, quem ipſe ſacra benedictione ſacrabat, quo guſtato multos incolumes ſtatim reddidit. Multis etiam prædixit vicinam mortem, ſed præſertim homini cuidam, ac duobus ſocijs ſui ordinis, quorum alter emoriente in eo religionis deuotione, extre inde ſtatuerat. Sed nec illud tacebimus, quod principio, quo ædificabatur Eccleſia ſancti Spiritus, & eſſent adhuc tenues admodum eius facultates, dum die quadam ieiunij inuentum eſſet carere penitus oleo vas, iuſſu ſancti viri igni adhibitum, ad ſummum vſque repletum eſt. Cũ celebraturus eſſet Miſſam, ac deficeret vinum, iuſſit afferri vaſa vacua, atque ea tunc magna cum omnium admiratione vino plena ſtatim apparuerunt. Adijciemus hoc etiam ceteris: aſportarat aliquando coruus libellum quendam, quem ſuper feneſtram cubiculi repoſuerat: quærebat illum anxius pater, viſo autem coruo, quod raptor is fuiſſet, ſuſpicatus eſt: mandauit igitur per nomen, & poteſtatem Ieſu Chriſti, vt quamprimum ad ſe, quod ſurripuerat, reportaret: nec mora abijt, redijt, furtumque reſtituit. Sed & illud videtur memorabile, quòd cum inter cœnandum aliquando ei dens excidiſſet, arreptus poſtea ipſius manibus, ac loco ſuo affixus, mira ſtatim virtute conſtabilitus eſt. Sunt qui etiam tradunt, quo primo tempore montem Muronis habitauit, præſaga eum mente perſpectum habuiſſe graue delictum commiſſum ab adoleſcente, cuius obſequio in celebratione Miſſæ vtebatur, ac proinde ne ad ſe accederet, procul venientem vetuiſſe. Præuidiſſe quoque ruinam cuiuſdam cauernæ: quare iuſſiſſe ruſticum ociùs illinc diſcedere, atque ita eum incolumem reddidiſſe. At quod inter redeundum e Gallia ei accidit, memoria quidem dignum, minimè prætereibo. In Lucenſi enim agro ac Piſtorienſi, cum Ciues vtrinque grauiſſimis odijs agitarentur, turbata erant itinera à peſſimis graſſatoribus, qui inſidiabantur non tam rebus, quàm vitæ tranſeuntium. Hac vadentem ſanctum virum comitari viſus eſt albo quidem inuectus equo, atque inſigni præſtans forma, commoneretque amicè, vt cautius ſaluti ſuæ proſpiceret propter infeſtos, qui circumuolitabant viarum obſeſſores. Prætergreſſo dehinc eo longiùs, in ſilua quadam, quam introierant, tres in eum atque in ſocios ſimul latrunculi quaſi opulentam prædam nacti irruerunt, ſed miro Dei iudicio tres vtique pari numero ſerpentes, ac ſi opem ſanctis hominibus allaturi viderentur, impetum in eos fecerunt, qui exterriti, fugatique, cum inde diuertentes, alio in loco illis denuo inſultaſſent, à tribus iterum ſerpentibus exturbati, pulſique effugerunt. Tandem præeuntem longè illum ſocij compreſſo gradu adhortati ſunt, vt retrocederent, animaduertebant enim nihil immutatum inſidiatorum animum. Dum retro autem quantocius iter agerent, rurſus formoſus ille eques, qui primò eos periculi, quod poſtea offenderunt, certiores, & cautiores fecerat, læto obuians vultu, ſecuro vt animo eſſent, hortatus eſt, quos & recta ſimul deducens via, nunquam donec ab omni viarum diſcrimine erepti fuerunt incomitatos reliquit, atque vbi ad locum peruenerunt, indicato, ad quod profecturi erant, oppido, ſtatim diſparuit. Hoc itinere perfecto cum iuxta Vrbem Aquilæ in loco Colliſmadij requieſceret, vidit in ſomnis ſcalas erectas, nec non Angelos aſcendentes, & deſcendentes, ac in earum ſummitate Deiparam Virginem Mariam inter Angelorum choros exiſtentem, quæ ad illum conuerſa, vt in eodem Eccleſiam in ſui honorem conſtrueret, præcepit. His auditis Petrus ad Monaſterium ſancti Spiritus concito gradu reuerſus, duos ſui ordinis viros ſine mora Aquilam direxit, vt pro ædificanda Eccleſia, locum illum emerent.

Aliquibus mortem prædicit.

Sancti Precibus Deo vinum, ac oleũ prouidet.

Coruo imperat, vt furtum reſtituat.

Præuidet multa.

Petrus Petri vitam ſupra naturam tuetur.

B. Virginẽ inter Angelorum choros videt.

Hippol. Marracc. in Pontif. Marian.

Perinſigne verò eſt, quod filio cuiuſdã ruſtici annos circiter quinque nato, ac muto feciſſe memoratur. Petrus à pueri patre diu rogatus, inuocato prius Deo, ac per ſalutiferam eius Crucem pueri ore luſtrato, linguam ei ſolutam, ac liberam reddidit. Multis quoque oculorum lumen reſtituit, mulieri ſcilicet, ex Ciuitate Pennenſi, duobus viris ex oppido Caramanico, qui ob grauiſſimas ægrotationes diu excæcati vixerant, clarum tandem, ac liberum lumen aperuit. Ruſticum quendam, cum ex offenſione vitis lumen dextri oculi amiſiſſet, mulierem morbo à Medicis *gutta ſerena* vocato luminibus orbam liberauit. Sed quod Anagniæ poſt Pontificatus abdicationem præclarum ſanctitatis ſuæ ſignum demonſtrauit, minimè tacebo. Venerat illuc Archiepiſcopus Cuſentinus vexatus tunc grauiter dolore lapidis, præter aliam, quam patiebatur etiam corporis ægrotationem, deſtitutus omni prorſus ſpe Medicorum, morituro ſimilis conuertit ſe ad Petrum, & ſtatim magna cum omnium admiratione priſtinam recuperauit ſanitatem.

Muto linguæ vſum impertit.

Cæcis oculorum.

Archiepiſcopum Cuſentinũ ſanat.

Nec verò quæ viuentem eum percelebrem reddiderunt, defuncto etiam ſigna defuerunt. Sanatus eſt enim ab hydropiſi, quam grauem diu paſſus fuerat Veliternus quidam Gerardus, cum ad ſepulchrum eius delatus eſſet: item alij duo, alter à febre, alter à manus ſpaſmo: Ferentinates enim quædam fœminæ, cum vna earum Abbatiſſa alterius lateris vim omnem penitus amiſiſſet, alia Margareta coniugata ſcrofulam ingentem in gutture haberet; alia verò brachij alterius virtute careret, atque alia cæca prorſus exiſteret. Leonardus etiam puer quidam cum tres integros annos claudicaſſet, Marta item puella quædam nouem ferè annos nata cum nec loqui, nec dextro latere mouere ſe poſſet. Ex Anagnia quoque Ciuitate liberata eſt puella quædam à fiſtula, quæ pedi eius innata erat, cum nulla ei Medicorum cura annum iam integrum prodeſſe potuiſſet: Curatus eſt etiam Iacob Reatinus Sacerdos graui valetudine oppreſſus; Archiepiſcopus item Mediolanenſis, qui febre quartana diu peſſimè torquebatur: Iiſdem Antonius Epiſcopus Lunenſis, cum nulla eius vitæ ſalus à Medicis ſperaretur. Nec minus alius Campanus, qui propter malam, & longam valetudinem lumen oculorum amiſerat: Tranſpadanus etiam alius, cum ſine vlla ſpe Medicorum pectus eſſet ſcorpione transfoſſus. Tuſcus item quidam, qui grauiſſimè ægrotans, non edere aut bibere, non loqui inſuper aliquid poterat. Sed & Antonius monachus Carthuſienſis, qui caduco morbo quinque & decem annos ad exhalandam, vſque animam vexatus erat. Famulus etiam cuiuſdam Monaſterij, qui dum equo onus imponeret ſolus, crepuerat, eius ope implorata, attactoque ſepulchro incolumes euaſerunt.

Signa poſt obitum Cœleſtini.

Infirmi multi ad Petri ſepulchrum recipiunt ſanitatem.

Sed illud, quod fuit omnium celebratiſſimum ſpectaculum, non omittam. Philippa mulier nobili ex genere orta, quæ lecto iam ſex menſes decubuerat, ita vt nec eleuare, nec mouere ſe vllo modo poſſet, cum dormienti ei ter ſenex quidam Eremita canicie venerandus apparuiſſet, ac monuiſſet vt ad ſancti viri tumulum liberationem certò conſecutura concederet, paruit, deferri ſe iuſſit, delataque vbi primùm catenam ferream, qua ille nudam ſupra carnem cingi ſolebat, contigit, priſtinæ valetudini eſt reſtituta.

Hæc, atque alia breuitatis ergo omiſſa, quæ poſt Cœleſtini obitum acta ſunt, manifeſta ſatis argumenta videntur eſſe ſanctiſſimæ, quam tranſegit, vitæ eius, ac ſummæ, qua nunc in Cœlis fruitur, pacis, ac gloriæ ſempiternæ.

CREATIO CARDINALIVM
Cœleſtini Papæ V.

Anno noſtræ ſalutis 1294. *Pontificatus I.* quatuor Temporibus menſis Septembris, Neapoli Cœleſtinus V. Romanus Pontifex tredecim Cardinales creauit, qui fuerunt.

Ciaconius Panuinus.

Mag. Fr. Hugo de Billomo Gallus ex Presbytero Cardinali titulo ſanctæ Sabinæ Nicolai Quarti, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus.

I.



SIMON de Beaulieu, ſeu de Belloloco, natione Gallus, natus in Bria Prouincia, cum eſſet Eccleſiæ Bituricenſis, & S. Martini Turonẽſis Canonicus, & Archidiaconus Carnotenſis, ſpretis pinguioris fortunę obſequijs, Deo ſeſe in religioſam ſeruitutem in Ciſtercienſium ordine dicauit, & Monaſterium de Charitate, quod eſt Diœceſis Biſuntinæ in Comitatu Burgundię ſumma prudentia, ac vitæ ſanctitate rexit. Non tamen diu in clauſtro vixit, nam ad Archiepiſcopatum Bituricenſem omnium votis aſſumptus, Philippi Audacis Perpiniani vita functi corpus decimo quinto Octobris, anno reparatæ ſalutis 1285 excepit, cadauer proprijs humeris deferente Philippo Pulchro nouo Rege eius filio, Othone Burgundiæ Comite, alijſque Principibus adiuuantibus, Simone Archiepiſcopo Miſſæ ſacrificium operante, Cadurcenſi, & Carnotenſi Epiſcopis præſentibus. Cœleſtinus V. Simonem hunc Archiepiſcopum Bituricenſem propter eruditionem, ac probitatem Orbi clarum, Neapoli Cardinalem, atque Epiſcopum Prænestinum ſelegit, eumque mox Bonifacius VIII. legauit in Gallias cum Berardo de Goth Cardinali Albanenſi Epiſcopo, vt inter Philippum Pulchrum Regem Frãciæ, ac Odoardum IV. Regem Angliæ pacem ſtabiliret. Re infecta, relicto Albanenſi Epiſcopo in Gallia ad Curiam reuerſus Simon, Viterbij, die 18. Auguſti non anno 1296. ſed 1297. vltimum ſuæ vitæ diem clauſit, & ſepultus in Eccleſia S. Franciſci in pauimento ante aram maximam cum hac Epigraphe ſepulchrali in marmorea Tabula exarato, nunc prætereuntium pedibus ferè conſumpto.

Pet. Friſõ in Gall. Purpur.

Gaſpar Iongel. in Purp. Diui Bernardi.

Myre° in Chronic. Ciſterc.

Guil. Marlotus in Orbe Ocean.

Fräc. Pelleor. in Coſmograph.

Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana.

Arnoldus Wion in Lig. vitæ.

Ciaconius.

Ioſeph Maria Suareſ. in Præneſt. Antiqua.

Per ſingul. Vghel. to. 1. Ital. ſac.

Symonis hæc foſſa T...... Card..... S..... oſſa
Francia Papatus, fuit huic Regi quoque gratus
Cardo..... Præne...... biturus tanta pietas,
Anno Domini MCC. nonageſimo vij.
xviij. die menſis Auguſti obijt.

In eodem ſepulchro ſpectantur gentilitia, quę ſupra expreſſimus Simonis Inſignia, quæ in inferiori alueolo cœruleo ſeptem nummos Biſuntinos aureos continent, & in ſuperiori argenteo dimidius Leo ruber exibit.

Meminere Simonis Epiſcopi Præneſtini Bonifacij VIII. Regiſtra, & Martinus huius nominis IV. illum in Diplomate vocat *magnum ſcientiarum dotibus præditum, conuerſatione laudabilem, honeſtate decorum, morum elegantia redimitum, varijſque gratijs, & virtutibus inſignitum*. Habuit in Archiepiſcopatu ſucceſſorem Aegidium Columnam, à quibuſdam inter Sanctæ R. E. Cardinales re-

In Tabular. Bituricenſi.

Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana.

latum.

Claud. Robert. ibid. latum. Referunt aliqui Simonem ex Canonico Bituricenſi, & Archidiacono Carnotenſi renunciatum fuiſſe Archiepiſcopum Bituricenſem, eumque ex monachorum numero excludunt.

Pet. Frizõ in Gallia Purpur.



II.

BERARDVS de Gouth, ſeu Gothus, natione Gallus, origine Burdegalenſis, teſte Brouio fratrem germanum habuit Bertrandum Cameracenſem Epiſcopum, deinde Archipræſulem Burdegalenſem, tandem ſummum Pontificem Clementem V. dictum. Hic Cardinaliũ Collegio cooptatus à Cœleſtino V. & Epiſcopatu Albanenſi cohoneſtatus, in Gallia legationis munere functus eſt unà cum Simone Epiſcopo Prœneſtino, ſub Bonifacio VIII. Romano Pontifice, anno Dominicæ Incarnationis 1295. ad componendum litigium inter Philippum Pulchrum Franciæ, & Odoardum IV. Angliæ Reges. Scribunt nonnulli feliciter ceſſiſſe Cardinalibus Legatis negocium, qui non tantùm eos Reges fœdere, ſed & affinitate iunxere, ac ſtatim in Rodulphi Cæſaris perniciem incubuiſſe: alij tamen referunt eos Legatos nihil potuiſſe conſequi. Obijt in Gallia Legati partes ſuſtinens 27. Iulij anno 1297. Iacobus Seuertius in Chronologia Archiepiſcoporum Lugdunenſium, vnum, eundemque eſſe opinatur Berardum hunc noſtrum cum Bertrando fratre, ſed toto cœlo errat, nam hic è vita exceſſit, vt diximus anno 1297. & Bertrandus anno 1305. ad ſummum Eccleſiæ Romanæ apicem aſcendit; quare an ſint diuerſi, lectoris iudicio committo. Inter Archiepiſcopos Lugdunenſes Berardum hunc aliqui numerant, at hic neque apud Claudium Robertum, neque in eiuſdem Eccleſiæ tabulis recenſitus inuenitur.

Ciaconius. Brouius in Annal. Thõ. Walſingam. in Annal. Angliæ. Brouius ibidem. Ferdinãd. Vghel. to. 1. Ital. ſac. Ciaconius. Petr. Frizõ in Gallia Purpur. Aubery in vit.

Berardo ſicuti de Bloco agnomen Panuinius, & Ciaconius, ita alia ab his, quæ nos ſupra expreſſimus, conceſſere inſignia: Sed Berardus Gothus Petræcatæ oppidi Dominus vir nobilis in Armeniaco Comitatu, qui ſe agnatum Clementis V. & Berardi fratris Cardinalis gloriabatur, aream gerebat auream, tribus faſcijs miniatis expreſſam. Meminere Berardi Cardinalis Epiſcopi Albanenſis Bonifacij VIII. Regeſta, quæ de illius legatione plura teſte Ferdinando Vghello referunt.



III.

Ciaconius. Panuinius. Cœleſtin. Telera in vita.

FR. THOMAS Aprutius, ſeu de Ocra cognominatus, non quia ex Aprutia familia in oppido Ocræ Diœceſis Aquilanæ natus ſit; ſed quia à nobili de Ocra familia in Samnio ortum duxerit, vt conſtat ex Cœleſtini Diplomate nobilibus de Ocra, de Foſſa, de Alba, & Baſilibus familijs, quæ ſunt clara Comitum Marſorum progenies. Cœleſtini Diploma hic reſcribere placet ex Ferdinando Vghellio tomo 1. Italiæ ſacræ, vt veritas magis eluceſcat.

COELESTINVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI. Dilectis filijs Raynaldo Vitalis, Petro Vitalis de Ocra, Benedicto Andreæ, & Petro Thomæ Rogerij de Foſſa, Bartholomæo, Thomæ, & Matthæo filijs, & hæredibus quondam Iacobi Berardi Sanctorij, Gualterio Dominici de Villa S. Martini, & Franciſco Thomæ de Caſentino, & eorum hæredibus de Ocra Aquilanæ Diœceſis ſalutem, & Apoſt. Benedictionem.

Oblata Nobis veſtra petitionis ſeries continebat, quod nuper chariſſimus in Chriſto filius Carolus Rex Sicilia illuſt. diligenter attendens grata, & accepta ſeruitia, qua ſibi dilectus filius Noſter frater Thomas tit. S. Cecilia Presbyter Cardinalis, cuius conſanguines eſtis apud ſedem Apoſtolicam ſtudioſe impendit hactenus, & impendere poterat in futurum, Vos intuitu Cardinalis eiuſdem ab omnibus, & ſingulis fiſcalibus, muneribus, & collectis exactionibus, ſubuentionibus grauaminibus, oneribus, alijs quibuſcunque in Terris Aquila, & Ocra pro tempore imponendis, duxit per ſuas patentes literas, in perpetuum eximendos, dantes per eaſdem literas Iuſtitiarijs ſecretis, & Officialibus alijs Aprutij, nec non Capitaneis Ciuitatis Aquila, Baiulo, Iudicibus, Executoribus, & Collectoribus, ac vniuerſis hominibus Ciuitatis eiuſdem, & Ocra præſentibus, & futuris, diſtrictius in præceptis, vt exemptionem, ſeu immunitatem prædictas vobis, & hæredibus veſtris in perpetuum illæſas obſeruent, & faciant tenaciter obſeruare; ita quod exemptionem, & immunitatem præfatas in perpetuum ſine perturbatione ſinamini, atque gaudere liberè valeatis, prout in eiſdem literis Regis plenius continetur. Quare Nobis humiliter ſupplicaſtis, vt exemptionem, & immunitatem præfatas ex certa ſcientia confirmare, ac literarum prædictarum tenorem præſentibus inſeri faceremus. Nos igitur perſonas veſtras ab tempore Cardinalis eiuſdem, quem claris ſuis exigentibus meritis ſincera charitate complectimur, & eximiis fauoribus confouemus, gratioſe proſequi intendentes, veſtris ſupplicationibus inclinati exemptionem, ſeu immunitatem prædictas ratas, & gratas habentes, & etiam ex certa ſcientia auctoritate Apoſtolica confirmare, & præſentis ſcripti patrocinio communimus.

Tenor verò literarum prædicti Regis talis eſt.

B CAROLVS SECVNDVS DEI GRATIA REX HIERVSALem, & Siciliæ, Ducatus Apuliæ, Principatus Capuæ, & Forcalquerij Comes, Iuſtitiarijs ſecretis, & Officialibus alijs Aprutij, nec non Capitaneis Ciuitatis Aquilæ, Baiulis, Iudicibus, & Executoribus, Taſſatoribus, ac Collectoribus, ac vniuerſis hominibus Ciuitatis eiuſdem, & Ocræ præſentibus gratiam ſuam, & bonam voluntatem.

Si benemeritorum deuotiones attendimus; & fouendas in caſibus amplexamur, amicorum Noſtrorum vtilium debemus promptitudinem cernere, ſuoſque in eis, cum tempus expoſtulat gratiam proſequi, & fouere. Sicque penſantes, quod Vener. in Chriſto Pater, & amicus Noſter chariſſimus D. Thomas tit. S. Cecilia Presb. Card. erga Nos, & Noſtra negocia omnem pro viribus, cum cauſa depoſcit, promptitudinem deuotionis exercet, non ſolum eum, ſed ſuos, in eo vero immerito facimus, ſi fouemus, cuius rei gratia tenore præſentium aperimus. Quod Raynaldum Vitalis, Petrum Vitalis de Ocra, Benedictum Andreæ, & Petrum Thomaſii Rogerij de Foſſa, Bartholomæum, Thoma, & Mattheum filios, & hæredes q. Iacobi Berardi Sanctorij, Gualterium Dominici de Villa ſancti Martini, & Franciſcum Thomæ de Caſentino de Pera, & hæredes eorum in perpetuũ conſanguineos D. Cardinalis eiuſdem fideles Noſtros, cuius intuitu ab omnibus, & ſingulis fiſcalibus, ſubuentionibus alijs quibuſcunque in prædictis Terris Aquila, & Ocra pro tempore imponendis duximus de certa Noſtra ſcientia, & ſpeciali gratia tenore præſentium in perpetuum eximendos. Sed quia per immunitatem conceſſam huiuſmodi onus nõ intendimus adijci hominibus alijs dictarum Terrarum, Nos totum quod de ſubuentionibus, & præſtationibus ipſius prænominatos Raynaldum & alios, hæredeſque eorum pro rata contigit, aut reſpicit, Nobis detrahi volumus, & in Noſtram Curiam retorqueri. Et propterea fidelitati Veſtræ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus mandatis, & ordinationibus quibuſcunque contrarijs factis, aut in antea faciendis non obſtantibus, quoquo modo prædictam Noſtram gratiam prænominatis fidelibus Noſtris, & hæredibus eorum in perpetuum tenaciter obſeruetis, & obſeruare faciatis illæſam, eos, vel eorum aliquem probationis eorum præſentibus, aut futuris contra illam in nullo penitus moleſtetis, vel patiamini moleſtari, ita quod immunitate ipſa in perpetuum libere gaudeant, & ſine perturbatione fruantur cauti, quod Vos Iuſtitiarij, vel Capitanei Aquilæ non detis Vobis alterutrum in pendentia, quod de præſtationibus, & oneribus ipſis quibuſlibet prænominatos fideles Noſtros pro rata contigit; ex quo Nobis vt ſupra diſiungitur, & non hominibus terrarum ipſarum computari volumus, & adſcribi. Præſentes autem literas, quas fieri iuſſimus duplicatas, poſtquam eas in quam fuerit expediens inſpexeritis, pro cautela reſtitui volumus præſentanti tam ad Nos, quàm ad ſingulos Succeſſores Noſtros in antea firmiter valituras. Datum Aquila per Bartholomæum de Capua Militem Domini Papa Notarium, Protonotarium Regni Sicilia, anno Domini 1294. die 24. Septembris, octaua Indictionis Regnorum Noſtrorum anno decimo.

Aubery in vit. Panuinius Cœleſtini Telera in vita. Ciaconius Ferdinãd. Vghel to. 1. Ital ſac. Arnoldus Vuion in Lig. Vitæ.

Thomas igitur hic ex Ocra familia, Ocræ oppidi Domina, in Samnitum Prouincia genitus, à puero ſeſe Deo in religioſam ſeruitutem in Cœleſtinorum ordine dicauit, in quo ſanctiſſimè vitã gerens, Monaſterium S. Ioannis in Plano Abbas rexit: vt patet ex donatione ab Epiſcopo Boiano Eccleſiæ S. Martini religioſis illis viris facta die 22. Aprilis anno reparationis humanæ 1290. in qua hæc legimus. *D. Guilielmus Boianen. Epiſcopus &c. Cum de Venerabili viro fratre Thomaſio de Ocra Abbate Monaſterij S. Ioannis in Plano, ordinis S. Benedicti Lucerin. Diœceſis, cuiuſque fratribus fama volat laudabilis, cunctos trahens ad charitatis ardorem, ad currendam diuinorum ſemitam mandatorum &c. Eccleſiam S. Martini ſitam in Territorio Ciuitatis Boianen. &c. ad conſtruendum ibi locum, ſeu Monaſterium ordinis ſupradicti, &c. conceſſit, & donauit, &c.*

Thomæ Abbatis ſanctitatem commendat Ioannes, alias dictus Petrus Caſtrocelus Archiepiſcopus Beneuentanus, dum die 15. Septembris anno 1294. liberè ceſſit ius omne, quod in Cœnobium S. Ioannis in Plano habebat, his verbis: *Frater Ioannes Beneuentan. Archiepiſcopus; Religioſis, & prudentibus viris fratri Thomæ Abbati, & Conuentui Monaſterij S. Ioannis in Plano ordinis S. Benedicti Lucenſi Diœceſis. Attendentes quod præfatum Monaſterium per Dei gratiam, veſtraque laudabilis ſollicitudinis ſtudium in-*

ſperi-

Spiritualibus & Temporalibus florere conſpicitur, quodque in ſtatu tranquillo, & proſpero perſeuerat, quamobrem reformatione, aut diſpoſitione Noſtra non eget, &c.

Ex Abbate renunciatus eſt Thomas à Cœleſtino Romano Pontifice, cui optimè illius ſanctimonia nota erat, Presbyter Cardinalis titulo S. Cæciliæ, & ſedis Apoſtolicæ, vt ſcribit Ciaconius, Camerarius: de qua creatione hæc habet Cardinalis Cameracenſis in vita Cœleſtini. *Duos Cardinales ex ſuo ordine fratres elegit, vt cum illis in Pontificio ſpirituale haberet conſortium, cum quibus ab ipſo tyrocinio militiæ ſpiritualis ſeu in Cœnobio, ſeu in Eremo contubernium ei fuit.* Bonifacius VIII. Cœleſtini Succeſſor huic Thomæ Cardinali Monaſterium S. Ioannis in Venere Theatinæ Diœceſis commendauit, & curam exequiarum Cœleſtini commiſit. Sex annos vixit in Cardinalatu Thomas, quibus elapſis, Neapoli 29. Maij anni 1300. in feſto Pentecoſtes ex hac luce migrauit, & ſepultus non in Eccleſia S. Antonij prope Ferentinum, vt ſcripſit Ciaconius, vel vt refert Arnoldus Vvion in Monaſterio S. Spiritus in Maiella monte erecto, ſed in Eccleſia principe Neapolitana, vt patet ex eius Teſtamento condito die 23. Maij, cuius exemplar ex originali deſumptum ab Archiuio ſancti Spiritus Muronenſis Cœnobij prope Sulmonam ſe vidiſſe fatetur Ferdinandus Vghellius in to. 1. Italiæ ſacræ, & Cœleſtinus Tellera in Thomæ Cardinalis vita.

IV.



Pet. Friſo in Gallia Purpur.

Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana.

IOANNES cognomento Monachus natione Gallus, in Creſſiaco pago in Picardia, Diœceſis Ambianenſis iuxta Abbauillam ortus, literarũ Humaniorum, ac Philoſophiæ ſtudia à primis annis coluit, quibus perfectis, ad Ius Canonicum, ac Cæſareum ſe contulit, Canonicatum in Pariſienſi Eccleſia obtinuit. Brulius in Literarijs Annalibus, ac Demochares in libro de Sacrificio Miſſæ Ioannẽ hunc inter Epiſcopos Pictauiẽſes numerant, cum reuera eo Epiſcopatu ille nunquam fuerit ornatus. In Iure Pontificio verſatiſſimus, ac Iuris Canonici, & Cæſarei laurea decoratus in Gallia, Romam adijt, qua in Vrbe inſignis doctrinæ, & virtutum edidit documenta. A teneris annis Romã adijſſe Ioannem, eaque in Vrbe tum Philoſophiæ, tum Iuri Canonico, ac Cæſareo operam dediſſe referunt alij. Claudius Robertus in Gallia Chriſtiana Ioannem Philippi Pulchri Galliarum Regis Cõſiliarum extitiſſe affirmat. Familiaritatem contraxit cum Carolo II. vtriuſque Siciliæ Rege, cuius precibus illum Cœleſtinus V. Cardinalium Collegio adſcripſit Neapoli anno 1294. qua in Vrbe interfuit Comitijs, & ſuffragium pro Bonifacio VIII. tulit, à quo in Gallias ad Philippum Pulchrum Regem Legatus, vt ad officium, ſacrarum pœnarum metu, illum redigere ſtuderet: eo enim munere Ioannem ob egregias ſuas virtutes ſtrenuè perfuncturum ſperabat Bonifacius, vt his verbis in ſuis literis expreſſit. *Clara multiplicis merita probitatis, & virtutum dotes exuberes, quibus ſupernis Numinis munere, à quo vniuerſorum chariſmatum dona proueniunt, noſceris inſignitus, attenta conſiderationis indagine perſcrutantes, ea quæ in deſiderijs gerimus, tuæ diſcretionis induſtriæ libenter committimus exequenda, firma ducti fiducia, ſpemque in dubiam obtinentes, quod circa executionem huiuſmodi vigilanter, & ſolerter intẽdes, ac operoſa ſollicitudinis ſtudium exhibebis.* In hac legatione Ioannes nonnullos in Gallijs abuſus repreſſit, ac Philippo Francorum Regi, iuſſu Bonifacij, aliquos articulos propoſuit; ad quorum ſingula capita è ſuorum Conſilio reſpondit Philippus. Quæ cum non placuiſſent Bonifacio Romano Pontifici, mandauit Cardinali, vt Philippum Regem à communione fidelium excluſum denunciaret, & inhiberet ne quiſquam, quantumuis excelſæ dignitatis, Sacramenta illi adminiſtraret, aut coram eo ſacra faceret. Legatum Philippus Rex datis cuſtodibus obſeruari iuſſit: Nicolaum Benefractum, Legati famulum, literas Bonifacij ferentem in carcerem, Legato fruſtra reclamante, detruſit. Agnouit tunc Gallia, agnouit & Roma, ac Chriſtianus Orbis Ioannem Cardinalem ænei pectoris virum, multarum literarum ornamentis excultum, acerrimum Eccleſiaſticę libertatis propugnatorem, aſſertorem, ac vindicem. Rebus cum Philippo Rege vt cunque compoſitis, Gloſſam prorſus auream confecit, quam illuſtrauit Philippus Probus.

Philip. Prob. in ſua Epiſtol.

Oder. Rinald. in ſuo Annal. Eccleſiaſt. c.

Io. Rube' in vita Bonifac. VIII

Pet. Friſo in Gallia Purpur.

And. Victorel. in ſuo Addit. ad Ciacon.

Scripſit etiam Commentaria in Sextum Decretalium à Bonifacio Octauò compoſitum, aliaque nonnulla in Iure Canonico.

Nomencl. Cardinal.

Amplisſimum ſui nominis Collegium anno 1302. Lutetiæ Pariſiorum iuxta D. Victoris ſuburbium erexit, ac dotauit, cuius ſtatuta ipſe Bonifacius VIII. probauit: Patere Collegium ſuum ſtudioſis tantum Theologiæ voluit, Legum ſtudioſis non item, ne operam ſacerdotijs comparandis, aut litibus habendis impenderent.

And. Victorel. in ſuo Addition.

Pet. Friſo in Gallia Purpur.

Meldenſium Cathedram Epiſcopalem obtinuit, illam tamen depoſuit ante diem vitæ extremum; S. R. E. Cancellarij munus exercuit; ſedis Apoſtolicæ nomine, legationis munere functus eſt Auenione, qua in Vrbe vitam cum morte commutauit non quarto nonas Maij ex Ciaconio, ſed x. Kalend. Septembris, vt patet ex ſepulchrali Inſcriptione, quæ in Aede Collegij *Le Moyne* Pariſijs viſitur, ad quam Vrbem, eius corpus tranſlatum eſt.

HIC. IACET. DOMINVS. IOANNES
NONACHVS. AMBIANENSIS. DIOECESIS
TITVLI. SANCTORVM
MARCELLINI. ET. PETRI
PRESBYTER. CARDINALIS
FVNDATOR. ISTIVS. DOMVS
QVI. OBIIT. AVENIONE. ANNO. DOM MCCCXIII.
DIE. XXII. MENSIS. AVGVSTI.
SEPVLTVS. FVIT. HIC. PRIMA. DIE
MENSIS. OCTOBRIS. ANNO. EODEM.
ORATE. PRO. EO.

Statua Cardinalis huius marmorea breue corpuſculum, magni animi indicem, caput exiguum, & raſum mentum referens, ſtans non ſine ornatu Cardinalitio ſupra fornicem maioris portæ Collegij à ſe Pariſijs fundati adhuc viſitur.

Aliqui exiſtimarunt, inter ceteros Arnoldus Vvion Ioannem hũc vocitari monachum, ob profeſſionem religioſam, verum toto cœlo aberrant. Nam monachus cognomine dictus eſt ex Monachorum gente, in Gallia apud Picardos in Ambianenſi Diœceſi nobili, quæ poſt ex Alphonſi Primi Aragonum Regis auſpicijs in Italiam etiam commigrauit, ac Neapoli, & Drepani in Sicilia armis, literis, & agnationibus clara ſubſiſtit. Gentilitia ſcutaria ſtemmata gentis Monachorum Gallæ, Neapolitanæ, & Siculæ in aſpectum adduco, à quibus minimùm differentibus facilè eandem familiam, & eundem ceſpitem agnoſces.

Nicolaus de Genuſbus. Scipio Ammirat. de fam. Neapolitan.



Inſignia Monachorum Gallorum.



Monachorum Neapolitanorum.



Monachorum Siculorum.

Ex his familijs prodierunt Iulius Monachi filius Bernardini, & Corneliæ Carrafæ, Lateranenſis Baſilicæ olim Canonicus, & S. Samuelis Abbas, ac Nucerinus deinde Antiſtes: Iacobus Monachi, & Thomas Dominicani ordinis alumni eidem familiæ decus addiderunt: horum alter inter Patres eiuſdem inſtituti, qui apud Siculos ſanctimoniæ opinione floruerunt, recenſetur: alter eruditorum voluminum ſcriptor, in Catanenſem Epiſcopum, & in Panhormitanum Archiepiſcopum non ſemel nominatus adduci non potuit, vt ſacro oneri humeros ſubijceret. Robertus, qui Boëmundi Antiochiæ Principis à rerum bellicarum conſilijs, machina à ſe inuenta in Hieroſolymitana expeditione Albariæ muros deiecit, è Monachi genere fuit. Vvillelmus, cuius induſtria, ænea tormenta Alphonſo, & Ferdinando Aragonijs Regibus Neapolim primùm aduecta apud eos Reges ſummus illorum Præfectus extitit, & primus Monaſteracenſium Dominus. Drepanum ſi adeas, trium celebrium Iuriſconſultorum huius familiæ cineres eadem in vrna in D. Auguſtini Templo poſitos ex his verſibus intelliges.

Michael Pius in libro inſcripto *Progenie di San Domenico in Italia.*

Scipio Ammirat' l. c.

Franciſcus Marmora Martinus.

CORPORA TRINA IACENT, MONACHI COGNOMINE, LEGVM
DOCTORES CELEBRES, NOS TENET VRNA SIMVL.

Alibi eandem familiam reperiri in dubium reuocari non poteſt: apud Danos enim Britannoſque viget apud illos inter primarias Regni familias, & Regi proximas enumeratur, quæ in Britannia non eſt obſcura: in Hungaria, quoque inter nobiles familias florebat ſuperioribus annis, & in Italia, Anconæ, ſcilicet, quæ eſt Vrbs totius Piceni celeberrima.

Scipio Ammirat' l. c.

Philippus Probus Gloſſæ aureæ illuſtrator ad Ludouicum S.R.E. Cardinalem Borbonium, verbis clariſſimis Ioannem hunc inter Cardinales a Bonifacio VIII. cooptatum affirmauit: illius verba, quę ſunt

ſi Ioan-

A ſi Ioannis vitæ ſummam complectuntur, profero. *Ioannes Monachus ex Picardia, quem agnomine Monachum aliis nominauerat, pertinaci ſtudiorum auctoritate Romæ, quo à tenerrimis annis aduenerat, cum ſibi famam æternam peperiſſet, Bonifacius VIII. eius nominis celebritate captus ob ſummum ingenium, ſuauiſſimos mores, & ſingularem probitatem in contubernium ſuum accerſiuit tanquam, ne dicam Picardia, ſed etiam totius Galliæ ſummum decus, ſtatim vt acceſſit, hunc in Auditorem cauſarum Rotæ prouexit, Eccleſiæ Pictauienſi præfecit, poſtmodum tutelarem fidei Cardinalem creauit: præterea Legatum Aueniomenſem, &c. cum has partes decenter obiuiſſet, Vicecancellarium elegit.* Hæc ſolus Probus, contra Panuinium, Ciaconium, & alios Scriptores; certum enim eſt Bonifacium ex Friſonio, nullos creauiſſe Cardinales Gallos, licet multos aliarum nationum Cardinalitio Collegio adſcripſerit.

And. Vic-tor. in Ad-dit. ad Ciaconium. Pet. Friz. in Gallia Purpur.

B Fratrem habuit Ioannes Andream dictũ Monachum Epiſcopum Nouiomenſem, qui idem Collegium Pariſijs à Ioanne excitatum nouis redditibus, ac donarijs cumulauit; atque in illius Aede ſepeliri voluit, cuius Epitaphium hic reſcribo, vt familiæ Monachi cognomen magis eluceſcat.

HIC. IACET. DOMINVS. ANDREAS MONACHVS. AMBIANENSIS. DIOECESIS QVONDAM. NOVIOMENSIS. EPISCOPVS. FRATER GERMANVS. DOMINI. IOANNIS. MONACHI ISTIVS. DOMVS. FVNDATORIS. QVI. OBIIT ANNO. DOMINI..... .... APRILIS. APVD. SEMPIGNIACVM. PROPE. NOVIOMVM. IN. SEPTIMA. DIE. MENSIS. SEQVENTIS. FVIT. HIC. SEPVLTVS. IN. AVGMENTVM SCHOLARIVM. DOMVS. HVIVS. QVATTVOR MILLIA. FLORENORVM. DE. FLORENTIA. LEGAVIT.
ORATE. PRO. EO.

Chartoph. pret. anni, & diei indicãtes deleti, ſere, legi non poſſunt.

C

V.



FR. PETRVS Aquilanus, ex monacho Caſinenſi Abbas Monaſterij S. Sophiæ Beneuentanę Vrbis primò deinde Archiepiſcopus Beneuentanus poſtremò S.R.E. Presbyter Cardinalis titulo S. Marcelli poſt obitum Ioannis Caſtrocæli à Cœleſtino V. renunciatus eſt, vt ſcribit Cœleſtinus Tellera, in Cœnobio S. Spiritus apud Marellum.

Cœleſtin. Tellera in vita Cœleſtini V.

Mar. Vipera in ſua Chronic. Archiep. Beneuent.

D At, cum nullum pro ſe referat auctorem, illo prætermiſſo, cum reliquis omnibus dicimus Petrũ hunc inter Presbyteros Cardinales cooptatum fuiſſe Neapoli ann. noſtræ ſalutis 1294. Ciaconius ex Panuinio Petrum olim Caſinenſem Abbatem fuiſſe narrat; nullus enim illo tempore nomine Petri Abbas montis Caſini extitit, vt ex Catalogis euſdem Cœnobij, atque ex Marco Antonio Scipione. Eo enim anno, quo Petrus Cardinalis creatus eſt, Caſinenſe Cœnobium regebat Abbas Thomas de Rocca, qui deſijt eſſe inter viuos nonis Iunij ann. 1297. cum præfuiſſet annis quatuordecim: hic prædeceſſorem habuit Bernardum, qui præfuit annis vndeuiginti, & ſucceſſorem Pontium Catanenſem. Affuit Petrus electioni Bonifacij VIII. ſub quo è vita exceſſit anno ex Ciaconio 1298. ſeu veriùs ex Mario Vipera, & Aubery anno 1299. hunc Cœleſtinus Tellera confundit cum Ioanne Caſtrocæli Presbytero Cardinali, de quo infra. E

Ant. Summont. in Hiſtoria Neapol.

Panuinius

Ciaconius

Aubery in vita.

M. Anton. Scipio in Elog. Abb. Caſinenſ.

VI.



GVILLELMVS Ferrerius, natione Gallus, teſte Panuinio, Ciaconio, & Petro Frizonio, in Prouincia Gallica natus, ſeu ex Aubery Hiſpanus; nam Ferrerioꝝ familia ex Hiſpania ad Gallos tranſijt an. noſtræ ſalutis 1493. ex Præpoſito Eccleſię Maſſilienſis à Cœleſtino V. inter Presbyteros Cardinales titulo S. Clementis cooptatus, Bonifacij VIII. iuſſu legationis munere functus eſt in Gallijs, vt naſcituras diſſidiorũ cauſas inter Philippum Gallorum, ac Iacobũ Aragoniæ Reges, & Carolum Alanconij, & Valeſij Comitem ſua prudentia F leniret. Cui imperia data, vt ad explicanda optima in dubijs rebus conſilia, animum ad Deum conuerteret, atque in omnibus conſectaretur æquitatem. Iuſſus præterea eſt Guillelmus operam dare, vt

Cæſar Noſtradamus in Hiſtor. Prouinciæ Galliæ.

Ciaconius

Panuinius

A Carolus Valeſiorum Comes vitium ſolliciet, quod irrepſerat in literas, quibus acceptu beneficia Pontificia Aragoniæ, & Valentiæ Regnis, & Cataloniæ Principatu ceſſerat, eoque emendato, abeuntis ſuo iure renunciationem Eccleſiæ Romanæ nomine admittere, & confirmare. Ex Gallijs Hiſpaniam citeriorem adijt Guillelmus, ac Iacobi Regis nomine, Aragoniæ, & Valentiæ Regnorum inueſtituram accepit: de hac legatione meminit Zurita his verbis. *kal. Iuly Reges* ſcilicet Aragoniæ, & Siciliæ *pacis conditiones vltro citroque accipiunt: inter eas pacis leges conuenit, vt Rex Blancam Caroli filiam vxorem ducat: Blancam Rex Pater, & S. Clementis Cardinalis Apoſtolicus Legatus Perpinianum, vſque comitantur, & transcenſo Pyrenæo Peraladam perducitur.*

Scribit Ciaconius Guillelmum hunc Romæ vitali corporis facultate deſtitutum Kalendis Maij anno 1295. ſed cum kalen. Iulij euſdem anni, teſte Zurita ſupra laudato vitam duceret, dicendum eſt B cum Aubery illum obijſſe menſe Iulio anno 1295. in Perpiniani Vrbe, & ſepultum in Eccleſia fratrum Minorum.

VII.



NICOLAVS natione Gallus, qui in oppido Nonancurtio ad Drocas Diœceſis Carnotenſis, ſeu, vt refert Ferdinandus Vghellius in Additionibus ad Ciaconium, Pariſijs ex antiqua & nobili familia de Nonancuria ſuos traxit natales, & cognominatus Pariſienſis. Hic à Cœleſtino V. in numerũ Presbyterorum Cardinalium titulo S. Laurẽtij in Damaſo vocatus, C affuit electioni Bonifacij VIII. & euſdem Diplomatibus ſubſcripſit. Germanos fratres habuit Thomam, & Petrum de Nonãcuria, ſeu de Nonancourt Archidiaconum Rothomagenſem, quos cum Michaële, ſeu Micheletto nepote heredes inſtituit, vt conſtat ex Teſtamento Anagniæ acto anno noſtrę ſalutis 1299. Ciaconius, ex Panuinius huiuſce Nicolai obitum in annum 1298. referunt, cum ex laudato Teſtamento, quod Carolus Strozzius Florentinus patritius vir eruditus, & antiquitatis ſtudioſiſſimus Ferdinando Vghellio palam fecit, anno 1299. accidiſſe pateat. Meminere Nicolai Bonifacij VIII. Diplomata, & euſdem Regiſtra, ac diuiſionum Cameræ Apoſtolicæ liber.

Petr. Frizõ in Gallia Purpurat.

Aubery in vita.

Panuinius

Ciaconius

VIII.



D FR. ROBERTVS natione Gallus, monachus Ciſtercienſis, & Abbas Pontiniaci decimus quintus, ac totius ordinis Ciſtercienſium Generalis, ſacræ Theologiæ Doctor, pietate, ac eruditione inſignis Philippo Francorum, & Carolo Neapolitanorũ Regibus præcipuè charus, à Cœleſtino V. inter Presbyteros Cardinales titulo S. Pudentianæ, ſeu Paſtoris eſt cooptatus. Aſſuit electioni Bonifacij VIII. a quo in Galliam miſſus, E vt inter ſe, & Gallorum Regem pacem firmaret, nihil tamẽ profecit, imò Pariſijs iuſſu Regis detentus eſt. Aueniõnem petẽs, Parmæ in Italia anno noſtræ ſalutis 1305. menſe Auguſti obijt, atque extra muros euſdem Vrbis in ſancti Martini Ciſtercienſium Cœnobio eius corpus ſepultum, & inde Ciſtercium delatum eſt, ac in maiori Eccleſia ante Presbyterium tumulatum, cum hac Inſcriptione.

Ciaconius

Aubery in vita.

Panuinius

Ferdinand. Vghel in Addit. ad Ciacon.

Gaſpar Iongel. in Purpura D. Bernard.

Petrus Frizon in ſua Gal. Purp.

Claud. Robert in ſua Gall. Chriſtiana.

Ferdinãd. Vghel. to. 2. Ital. ſac.

Quam ſit homo fragilis, mortales diſcite cuncti,
Quamque breui curſu naturæ debita ſoluens
Occumbit, velut hic quondam præclarus in Orbe
ROBERTVS, domus Paſtor qui præfuit iſti.
Cardinis officio pro munere poſtea fungens
Italiæ pago Parmæ cadit, hic tumulatur.
F *Annos mille ſemel, centum ter quinqueque lapſis,*
Quem tulit è medio Deus, hunc det viuere Cælo.

Ipſius Icon videtur in Aula Cœnobij Ciſtercienſis maiore, cum duobus his verſibus.

Hunc Rex Robertum cepit vita ſpecioſum,
Cui Romana dedit rubeum poſt Curia ſertum.

Huiuſce Roberti meminere Bonifacij VIII. Regiſtra, ac Diplomata. Dum Robertus hic ſui ordinis Generalis munere fungeretur, è vita exceſſit Ciſtercij Alanus Doctor Pariſienſis, qui ob exquiſitam omnium ſcientiarum cognitionem Vniuerſalis eſt appellatus, in Ciſtercio primum Cuſtos ouium, deinde illius Cœnobij Conuerſus.

Gaſpar Iongel. in Purp. Diui Bernardi. Pet. Frizõ in Gallia Purpur.



Ciaconius. Panuinius. Aubery in vita. Pet. Friſch. in Gallia Purpur. Io. Anton. Phil. in ad Deſcr. Baſil. SS. Sylueſtri, & Martini. Nomencl. Cardinal.

IX.

SIMON natione Gallus, monachus Cluniacenſis, ex Priore celebris Monaſterij Charitatis ad Ligerim in Collegium Presbyterorum Cardinalium titulo S. Balbinæ admiſſus eſt à Cœleſtino V. Affuit Electioni Bonifacij VIII. ac Romæ annò 1296. exceſſit è vita, & ſepultus in Eccleſia SS. Sylueſtri, & Martini titulo Equitij medio choro, cuius adhuc cum tabula lapidea extant talis Inſcriptio, ac Inſignia ſuperius expreſſa.

Simonis exta, caroque iacent hic oſſaque chari-
Tate Prioratu, qui præfuit huic, Tituloque
Sancta Balbina ſacra dat candore colentes
In cineres rediqi faſces, caput omne iacere.
Diſcite labentis non gaudia ſpernere Mundi.
Quod ſumus iſte fuit, erimus quandoque quod hic eſt.
Anno milleno bis centum cum nonageno
Sexto defungens, deſerto corpore fungens
Regnis Cœlorum numerandus parte bonorum.

Huius Cardinalis Simonis mentio extat in Regiſtris Bonifacij Papæ Octaui.



Aubery in vita. Ciaconius. Panuinius.

X.

LANDVLPHVS Brancacius, nobilis Neapolitanus, Carolo Regi pergratus, à Cœleſtino V. Diaconus Cardinalis ſancti Angeli renunciatus, interfuit Comitijs, in quibus electi Romani Pótifices Bonifacius VIII. & Clemens V. Bonifacij iuſſu legationis munere functus eſt in Siciliæ Regno; extant in Vaticani Regeſtris, Bonifacij literæ ad Landulphum, quas reſcripſit in ſuis Annalibus Odericus Rinaldus, & ſunt.

BONIFACIVS EPISCOPVS &c.
Dilecto filio Landulpho S. Angeli Diacono Cardinali in Regno Siciliæ Apoſtolicæ ſedis Legato.

Leuantes in circuitu oculos mentis Noſtræ, ac penſantes ſollicitè multitudinem gratiarum, quibus perſonam tuam bonorum Dator Altiſſimus decorauit, cum in te ſcientiarum magnitudo reſplendeat, clareat altitudo conſilij, niteat diſcretionis induſtria, & aliarum virtutum excellentia relucescat; gerentes quoque de tua circumſpectione prouida, & prouidentia circumſpecta fiduciam ſpecialem, Te, quamuis in conſpectu Noſtro gratioſus appareas, acceptus occurras, placidus habearis, itaque propterea inuiti præſentia careamus, ad præfatum Regnum pro ipſorum Regis, & Regni, ac eius etiam incolarum ſtatu proſpero, & tranquillo de fratrum Noſtrorum conſilio tanquam pacis Angelum deſtinamus, tibi in eodem Regno plenæ legationis officium committentes, vt euellas, deſtruas, diſſipes, & diſperdas, ædifices, & plantes, ac facias auctoritate Noſtra ſuffultus quæcunque ad honorem, & gloriam ſummi Regis, ac bonum & proſperum, pacificum, & quietum Regis, Regni, incolarum prædictorum ſtatum videris pertinere, &c.

Oder. Rinald. t. 14. Annal.

Cum verò poſtea Carolus Martellus, iure materno, vt ipſe ambiebat Hungariæ Rex à patre Carolo, qui in Gallias aberat, relictus Regni Siculi Vicarius, Neapoli in ipſo ætatis flore obijſſet, Bonifacius Romanus Pótifex, adminiſtrando Regno Landulphum Cardinalem, & Philippum Caroli II. Regis filium Principem Tarentinum præfecit. At paulò poſt & Cardinalis Legati, & Philippi Principis conſilijs adductus, cum ſpes affulgeret meliùs publicæ rei conſultum iri, ſi Mariæ Reginæ Regni adminiſtratio deferretur, illam eo munere idem Bonifacius exornauit.

Ferdinand. Vghel. to. 1. Ital. ſac.

In hac legatione Landulphus, cum magna inter Canonicos Militenſes orta eſſet controuerſia poſt Sabæ Epiſcopi obitũ; aliqui in Andream monachum Ciſtercienſem, & Abbatem S. Stephani de Boſco, Regi pergratum, alij verò Manfredum de Ciſono Militenſem Cathedralis Canonicum, Regi valde ſuſpectum, Epiſcopum nominaſſent; habito Bonifacij VIII. aſſenſu, & Caroli Regis commendatione, electionem Andreæ ratam voluit, & comprobauit. Huius rei teſtes ſunt literæ, quas Carolus Rex eidem Cardinali ſcripſit, quarum exemplar legere quis poterit apud Ferdinandum Vghellum tom. 1. Italiæ ſacræ in ſerie Epiſcoporum Militenſium.

Aubery in vita. A ad. Victorel. in ad Addit. ad Ciacon.

E vita exceſſit Landulphus Auenione non anno 1308. vt refert Ciaconius, ſed 29. Octobris anno ſalutis 1312. & ſepultus in Eccleſia principe illius Vrbis in Sacello ſanctis Angelis ſacro, vt conſtat ex ſepulchrali Inſcriptione literis Gothicis in ora lapidis, quo Landulphi tumulus tegitur, expreſſa inſpicitur, teſte Ioſepho Maria Suareſio Epiſcopo Vaſionenſi.

Hic iacet Dom. Landulphus Brancaſſi
TT. S. Angeli Diaconus Card. Neapolitanus
Qui obijt iiij. Kal. Nouemb. An. Dom. MCCCXII.
Cuius anima requieſcat in pace.

Floren. Martinel. in Addit. ad Ciac.

Octauius Brancacius Neapoli in Eccleſia S. Angeli à Nido in Landulphi, aliorumque eiuſdem familiæ Cardinalium memoriam, ſequentem Inſcriptionem poſuit.

Raynaldo Brancacio S. R. E. Card.
Huius Eccleſiæ Fundatori.
Ludouico, Thomæ, Morinello, Nicolao, Landulpho
Brancacijs, à Cœleſtino V. Vrbano VI.
Gregorio XII. Ioanne XXII.
In Purpuratorum Patrum Collegium cooptatis.
Paulo quoque, & Marino Brancacijs;
Illi Nuceriæ Ladiſlai Regis, huic Nolæ Comiti
Ac Ferd. II. Regis Neap. Militiæ ſummo Duci.
Buffilo Brácacio Niſſani in Aegeo mari Inſulæ Regulo,
Et Philippo Brancacio Campaniæ Comiti.
Sanctæque R. E. Exercitus Imperatori.
Octauius Brancacius Mutij, ac Sarræ Brancaciæ F.
Nonum hoc antiquiſſimæ memoriæ P.
A. D. MDCV.

Meminere Landulphi Diaconi Cardinalis Bonifacij VIII. & Clementis V. Regiſtra, quæ in Vaticana Bibliotheca ſeruantur: ſubſcripſit eiuſdem Clementis literis anno 1306. Regi Carolo II. datis.




Ciaconius. Panuinius. Aubery. Io. Rubeus in vita Bonifac. VIII.

XI.

BENEDICTVS Caietanus Anagninus, Benedicti Senioris Cardinalis nepos, à Cœleſtino V. renunciatus eſt Diaconus Cardinalis SS. Coſmæ, & Damiani. Tanta enim apud Cœleſtinum V. Benedictus Senior Caietanus Cardinalis pollebat auctoritate, vt fratris filiũ Benedictum Iuniorem Cardinalibus adſcribi obtinuerit. Is poſt abdicationem Cœleſtini V. interfuit Comitijs, & ſuffragiũ pro patruo tulit, parum tamen vixit in Cardinalatu; nam duobus nondum elapſis annis, anno ſcilicet 1296. tertio Idus Octobris ex hac vita migrauit, & ſepultus in Baſilica S. Petri; quo die Anniuerſarium eius à Canonicis eiuſdem Baſilicæ Vaticanæ noſtris etiam hiſce temporibus, teſte Ioanne Rubeo celebratur. Meminere huiuſce Benedicti Bonifacij VIII. Regiſtra.

ANNIuerſarium Bened. Caiet. à Canonicis S. Petri celebratur quotannis.



XII.

COeleſtinus V. inter Cardinales cooptauit Ioannem de Caſtrocœli, nobilem Beneuentanum, monachum Caſinenſem, olim Præpoſitum Monaſterij S. Benedicti de Capua, poſtea Archiepiſcopum Beneuentanum, illumque Presbyterum Cardinalem S. Vitalis, titulo Veſtinæ, nominauit, vt teſtatur Iacobus Caietanus Diaconus Cardinalis ſancti Georgij in Velabro in vita eiuſdem Cœleſtini V. à ſe carminibus deſcripta. Capite enim xi. libri tertij, hæc habet in titulo

De Promotionibus quas fecit, & ſpecialiter de Archiepiſcopo Beneuentano, quem fecit Presbyterum Cardinalem.

in anti-

Mar. Vipera in Chronol. Arch. & Epiſc. Beneuen.

in antiquo Sueſſ. m. s. Chronico hæc legimus. *Eodem anno 1294. die 24. Octobris D. Papa Cæleſtinus venit Theanum, & ſtetit ibi per octo dies, & ibi exiſtentibus ſex Cardinalibus promouit ad Cardinalatum Fratrem Ioannem de Caſtrocœlis Beneuentanum Archiepiſcopum.*

E vita exceſſit Ioannes hic Cardinalis Beneuenti die 22. Februarij anno 1295. ſub eodem Cœleſtino, & ſucceſſorem habuit in Archiepiſcopatu Beneuentano Petrum de Aquila monachum Caſinenſem ab eodem Cœleſtino antea renunciatum Presbyterum Cardinalem ſancti Marcelli.

Præter laudatos ſcriptores meminere huiuſce Ioannis Presbyteri Cardinalis ſancti Vitalis, Bonifacij VIII. Regiſtra quę ſeruantur m. s. in Bibliotheca Vaticana.

Hunc Cœleſtinus Tellera confundit cum fratre Petro Aquilano Presbytero Cardinali ſancti Marcelli, de quo nos ſupra egimus.

XIII.



Ciaconius

Panuinius

Aubery in vita.

GVILLELMVS Longus, Bergomenſis, cuius nobilis familia antiquitus ex Ciaconio de Longaſpata, ex Leandro verò Alberto de Alexandris vocabatur, adoleſcens altæ indolis, in Caroli Regis Neapolitani Curia notus, eiuſdem Caroli Cancellarius fuit, quo rogante à Cœleſtino V. inter Diaconos Cardinales titulo S. Nicolai in Carcere Tulliano cooptatus, interfuit Comitijs, in quibus renunciati ſunt Romani Pontifices Bonifacius VIII. Clemens V. & Ioannes XXI. dictus XXII. In Concilio Viennenſi Bonifacij VIII. famam à Rege Francorum Philippo, qui eius acerrimus hoſtis fuerat, impetitam tuendam in Iure Canonico ſuſcepit, idque egregiè cum Richardo Petrone Senenſi Diacono Cardinali S. Euſtachij, ac Fr. Gentili à Monteflorum Minorita Presbytero Cardinali ſanctorum Sylueſtri, & Martini præſtitit, vtriuſque Iuris Doctor, animi integritate, & pietate præſtans. Magnæ apud Bonifacium VIII. auctoritatis fuit, difficiles ab eo legationes obtinuit, & accuratè geſſit: Prioris munere, beneficentia Caroli II. Regis functus eſt in Eccleſia S. Nicolai Vrbis Barij in Apulia. Narrat aliqui Guillelmum hunc Bonifacij iuſſu Sextum Decretalium librum cum duobus alijs præclariſſimis viris condidiſſe; at hi à nominis ſimilitudine in errorem inducti ſunt; nam ex ipſo Bonifacio in proœmio libri Sexti Decretalium hæc habemus. *Per Venerabiles fratres Noſtros Guillelmum Archiepiſcopum Ebrudunenſem, & Berengarium Epiſcopum Biteren. ac dilectum filium Magiſtrum Richardum de Senis S.R.E. Vicecancellarium I.V.D. Decretales huiuſmodi fecimus recenſeri.* In Eccleſia Vrbis Bergomenſis ſancto Franciſco ſacra, Sacellum S. Nicolai conſtruxit; Monaſterium, & Eccleſiam S. Nicolai de Rezano, Hoſpitale, Monaſterium, & Eccleſiam ſancti Spiritus erexit, & annuis redditibus ditauit, ac monachis ordinis Cœleſtinorum conceſſit.

Ciacon. — Luc. Vvadin. tom. 3. Annal. Minorum — Ant. Bengul in vit. S. Nicolai — Ciaconius — Paul. Corteſius.

Obijt Auenione quinto Idus Aprilis noſtræ ſalutis anno 1319. Cardinalatus vigeſimoquinto: Corpus Bergomum relatum ad Minorum Eccleſiam in Sacello S. Nicolai marmoreo tumulo à ſe condito ſepultum cum hac Inſcriptione.

Nomencl. Cardinal.

Hic iacet Corpus piæ memoriæ
GVILIELMI DE LONGIS
Cardinalis.

Ferdinand. Vghel in Ital. ſacr. tomo 4.

Cyprianus Longus Bergomas eiuſdem Vrbis Epiſcopus, Guillelmi Cardinalis nepos aliud Patruo in eodem Sacello inſcripſit Epitaphium, quod eſt tale.

HIC QVIESCIT CORPVS
Piæ memoriæ Guillelmi de Longis
De Adraria.
S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconi Card.
Viri vtique in Theologicis docti;
In vtroque Iure prouidi;
In Moralibus, & Chronicis peritiſſimi;
In Conſilijs maturi.
In moribus grauis, in agibilibus circumſpecti;
In cuius vitæ nitorem
Aliaque dona virtutum attendens B. Petrus
Confeſſor.
Tunc Cæleſtinus Papa Quintus
Ipſum ad Cardinalatus honorem aſſumpſit,
In quo vigintiquinque annis
Deo, & Eccleſiæ commendabiliter militauit.
Fabricauit enim miri operis Eccleſiam
S. Iacobi de Pontita,
Eiuſdemque Apoſtoli brachio decorauit.
Hanc Capellam, & aliam ſub vocabulo dicti
Confeſſoris in Eccleſia noua Prædicatorum
Fundauit.
Monaſterium S. Nicolai de Rezano,
Et Hoſpitale S. Spiritus erexit,
Atque dotauit.
Et demum præſentis ſeculi agone percuſſo,
Cum brauio properans ad triumphum:
Dum Auenione degeret,
Feliciter migrauit ad Chriſtum in craſtino
Natiuitatis B. Mariæ Glorioſæ
Sub An. Dom. MCCCXIX.

Cœleſtinus V. Rom. Pont. vnica Ordinatione menſe Septembri facta præter vnum ex Presbytero Epiſcopum Cardinalem renunciatum, tredecim de nouo creauit Cardinales, Epiſcopos ſcilicet duos, Presbyteros octo, Diaconos tres.

VICECANCELLARIVS S. R. E.
ſub Cæleſtino V.

Magiſter Petrus Valerianus Priuernas Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarius.

CARDINALES MORTVI
ſub Cæleſtino V.

Frater Latinus Malabranca Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus obijt Peruſij iv. Idus Auguſti 1294. quem menſe Nouembri eiuſdem anni ex hac vita migraſſe ſcribit Bzouius.

Ioannes de Caſtrocæli Archiepiſcopus Beneuentanus Presbyter Cardinalis S. Vitalis die 22. Februarij 1295.



BONIFACIVS VIII. PONT. CXCV.

ANNO DOMINI MCCXCIV.





IN NOMINE DEI, ET SALVATORIS Noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen.

BONIFAcius. Benedictus antea vocatus.

POST Cœleſtini V. abdicationem, Benedictus Caietanus Cardinalis, cuius præcipuè conſilio, & impulſu Cœleſtinus Pontificatum depoſuiſſe credebatur, ſummi Sacerdotij immodica ambitione preſſus Neapolim ad Carolum Regem noctu acceſſit, tuus, inquiens, Cœleſtinus, tibi & voluit, & potuit ſeruire, ſola ei induſtria defuit, ſe verò ſi eius opera Pontifex renunciatur, poſſe, & velle & ſcire ei opitulari, cum in omnibus, tùm maximè in Siciliæ inſulæ recuperatione. Rex hac ſpe ductus cum Cardinalibus amicis, & præſertim à Cœleſtino creatis, agit, vt non aliū, quàm eum Pontificem deſignarent; ad x. igitur kalend. Ianuarij, ex Gregorij X. lege, à Cœleſtino V. renouata, Conclaue in arce noua Neapolitana, ſacris Spiritus ſancto celebratis, præſente Carolo Rege, Patres incluſi, poſtridie vigiliæ Natalis Domini jx kalen. Ianuarij, Matthæo Rubeo Vrſino, & Iacobo Columna auctoribus, Romanum Pontificem eundem Benedictum deſignarunt, qui Bonifacij VIII. nomine aſſumpto, ſedit in Apoſtolica ſede, Adolpho, & Alberto Cæſaribus, annos 8. menſes 9. dies 28.

EIVSDEM Electio.

Bonifacij VIII. maiores, nobili genere ex Hiſpaniæ Prouincia Catalonia orti, in Italiam cum veniſſent Caietæ diu conſederunt. Inde Anagniā, Vrbē vetuſtiſſimā, & opulentam, Hernicęque regionis caput migrantes, à priore ſede Caietanæ familiæ nomen habuerunt.

CAIETAni tamen vnde Originem trahat.

Liutfredus igitur Caietanus Anagninus eques opulentus procreauit multos filios, in his præcipuum Benedictum, ingenij acris, & ſolertis, optimæ indolis, & magnæ ſpei puerum: adoleſcens factus, patris ſtudio, poſt Humaniores literas hauſtas, vtrique iuri operam impensè nauauit. Doctoratus inſignibus ſuſceptis, ad Curiam Romanam acceſſit, vbi Aduocati Conſiſtorialis, & Notarij Apoſtolicæ ſedis muneribus aliquandiu functus. Vir doctrina, mira rerum experientia, & ſingulari prudentia ornatus euaſit: Virtutes, rarò ſolas, ſua vitia comitabantur, improbitas, vafricies, arrogantia, audacia, multa præterea immodica ambitio, & immanis auaritia: Martinus IV. eū Diaconum Cardinalem S. Nicolai in Carcere Tulliano, Vrbeueteri, vulgariùs *Orueto*, creauit: à Nicolao IV. Presbyter ſanctorum Syluestri, & Martini in montibus titulo Equitij deſignatus.

EIVSDEM primordia.

CARDINALES XXII. VIVENTES *quando Boniſacius Papa VIII. creatus eſt.*

EPISCOPI CARDINALES VI.

MARTINI PAPAE II. DICTI IV.

1. Gerardus Blancus Parmenſis, Epiſcopus Cardinalis Sabinus.

HONORII PAPAE IV.

2. Ioannes Buccamatius Romanus Epiſc. Card. Tuſculanus.

NICOLAI PAPAE IV.

3. Frater Matthæus de Aquaſparta, Vmber, ordinis Minorum, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ.

COELESTINI PAPAE V.

4. Fr. Hugo de B homo Gallus, ordinis Prædicatorum Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus.
5. Berardus de Bloco, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Albanus.
6. Simon Gallus, Epiſcopus Cardinalis Prœneſtinus.

PRESBYTERI CARDINALES IX.

NICOLAI PAPAE IV.

7. Benedictus Caietanus Anagninus, Presb. Card. SS. Syluestri, & Martini in montibus, titulo Equitij.
8. Petrus Peregroſſus Mediolanenſis, Presbyter Cardinalis ſancti Marci, Prior Presbyterorum.

COELESTINI PAPAE V.

9. Fr. Thomas Aprutinus, monachus Cœleſtinus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Cæciliæ.
10. Fr. Petrus Aquilanus, monachus Caſinenſis, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Marcelli.
11. Ioannes Monachus, Picardus, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctorum Marcellini, & Petri.
12. Gulielmus Ferrarius Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Clementis.
13. Nicolaus Pariſienſis Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Laurentij in Damaſo.
14. Fr. Robertus Gallus, monachus Ciſtercienſis, Presbyter Cardinalis ſanctæ Pudentianæ, titulo Paſtoris.
15. Fr. Simon Gallus, monachus Cluniacenſis, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Balbinæ.

DIACONI CARDINALES VII.

VRBANI PAPAE IV.

16. Matthæus Rubeus Vrſinus, Romanus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Porticu Prior Diaconorum.

NICOLAI PAPAE III.

17. Iacobus de Columna Romanus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in via Lata.

NICO-

NICOLAI PAPAE IV.

18. Neapoleo Vrſinus Romanus, Diaconus Cardinalis ſancti Hadriani in tribus Foris.
19. Petrus de Columna Rom. Diac. Card. S. Euſtachij.

COELESTINI PAPAE V.

20. Landulphus Brancacius Neapolitanus, Diaconus Cardinalis ſancti Angeli.
21. Guillelmus Longus Bergomenſis, Diaconus Cardinalis ſancti Nicolai in Carcere Tulliano.
22. Benedictus Caietanus Anagninus, Diaconus Cardinalis ſanctorum Coſmæ, & Damiani.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1295. Bonifacius Papa VIII. Neapoli Romam reuerſus ante Baſilicam Vaticanam, die Dominico, xvij. kalen. Februarij conſecratus, & coronatus eſt, ſuæ Coronationis inſignia ſuſcipiens per Matthæum Rubeum Vrſinum, Diaconũ Cardinalem S. Mariæ in Porticu, S.R.E. Archidiaconum, primus Romanorum Pontificum, inito ſummo Sacerdotio: fidei profeſſionem fecit; à qua Capitulorum, & Conclauis origo manauit. *Ego &c.*

Pontificatu inito, audaciam oſtentauit, qua neminem quanquam potentem ſe timere profitebatur. Deinde temere ſuperbiens, à nemine circumueniri ſe poſſe, exiſtimabat, ita, vt quidquid ei libuerit, volentibus nolentibus Cardinalibus egerit, nemine dum vixit ei publicè ne verbo quidem repugnare audente; quare & gratias à Nicolao IV. & Cœleſtino V. factas, ſed adhuc executioni non traditas, reuocauit, & Ghibellinos acerrimè perſequutus eſt. Quorum in Cardinalatu indefeſſus protector erat. Qui à profanis ad ſacra conuerſus, multa, etiam egregio Antiſtite digna, fecit.

* EVANGELISTARVM, Doctorumque Eccleſiæ feſtiuitas ſollemnis. B. LVDOVICI Francorum Regis Canonizatio. *

Quatuor Euangeliſtarum *, & quatuor Eccleſiæ Doctorũ Ambroſij, Hieronymi, Auguſtini, & Gregorij natalitios dies ſollemnes, & feſtos eſſe iuſſit. Vrbeueteri B. Ludouicum * Regem Francorum, qui apud Tunetum ſacro in bello obierat, miraculis fulgentem, in ſanctorum Confeſſorum numerum retulit, inſtante Bernardo Caſtaneto Albienſe Epiſcopo, qui poſtea Portuenſis Cardinalis fuit. Ex Cathedrali Eccleſia S. Cæciliæ Albienſi Canonicos ſeculares, ſuffectis regularibus, eiecit. Villam Appamiarum creato nouo Epiſcopo, ciuitatis honore, decorauit. In Baſilica Lateranenſi Canonicos Regulares *, qui trecentum ferè annis eandem Baſilicam incoluerãt, ob dilapſam morum diſciplinam expulit, & diſtinctis præbendis, ſeculares ciues Romanos conſtituit. Quibus primùm Archipresbyterum dedit Gerardum Epiſcopum Cardinalem Sabinum. Monachis nigris * è Cœnobio S. Mariæ de Aracœli, aliàs S. Mariæ Capitolinæ, ob corruptam vitã eiectis, id Cœnobium ablatis redditibus, fratribus Minorum, rogatu Matthæi Epiſcopi Portuenſis, conceſſit.

* MONACHIS nigris è Cœnobio Aracœli eiectis, fratres minores ſubrogantur. BONIFACIVS purpurei coloris veſtes Cardinalibus dedit.

Cardinalatus dignitatem admodum auxit, grauiſſimas pœnas ijs irrogans, qui Cardinalem re, aut verbo, aut opere læſiſſent, quibus & purpurei coloris veſtimenta dedit; degradationis Clericorũ certam rationem, & ſententiam expoſuit. Sextum Pontificij Iuris Codicem, Decretalium vocatum, quem ſuo iuſſu Richardus Petronus Senenſis, eius Vicecancellarius, Guillelmus Longus Bergomenſis Cardinalis, & Dinus Roſonius Mugellanus, viri doctiſſimi, & Iuriſconſultiſſimi, compilauerant, edidit, cuius maiori ex parte extant conſtitutiones declaratoriæ, & ſententię ab eo factę; item multa ex Concilijs Lugdunenſibus primo, & ſecũdo excerpta, pauca verò ex Regeſtis Vrbani IV. Clementis IV. & Nicolai III. Liber iuridicus eſt.

SEXTI decretalis publicatio.

Multa ordinauit in Orthodoxæ fidei defenſionem, circa Hæreticorum Inquiſitores contra Hæreticos, Eugubium, quæ ordinis Ghibellinorum præſidio ab Eccleſia defecerat, breui recuperauit, bellis contra Italos feruentibus: nam Galli, & Aragonij in Regno, Genuenſes & Piſani in Liguribus; Hetruſci in ciuili ſeditione decertabant. Tanto repente terræmotu terra tremuit, quanto nunquam ante auditus eſſet, quo multis diebus per interualla durante, ædificia multa corruere: Pontifex Reate in Sabinis cum Curia erat, qui metuens, ne ruina ædificiorum premeretur, cubiculum ex ſubſellibus aſſeribus in medio fratrum Prędicatorum clauſtro, prato admodum lato, ædificari iuſſit, eoque in loco quanquam horrenda hyems eſſet, aliquandiu reſedit, ea enim perturbatio die feſto S. Andreę fuit, apparuit ſidus Cometes grandis, magnæ alicuius futuræ calamitatis indicium.

TERRAE motus.

COMETES grãdis.

DISSIDIUM ortum inter Pontificẽ & Columnẽſes.

Anno 1298. ſequutum eſt lethale inter Pontificem & Columnẽſes diſſidium, quod illis quidem magno detrimento fuit, & exitio. Cuius cauſſas breui repetam. Leuis Pontificatus initio diſſenſio inter vtroſque manauit, quæ ea potiſſimùm cauſſa orta eſt, quod duo Columnenſes Cardin. Cœleſtini primùm abdicationi impedimento fuerant, quanquam poſtmodum conſenſiſſent, Pontifex huius rei memor, illorum poſtulata ſpernere videbatur, non concedens, quæ ab alijs Pontificibus facilè conſequi ſolebant, illi ſumma potentia, immenſis opibus, familiæ ſplendore, clientum multitudine elati Põtificem viciſſim deſpicere non verebantur, in eum obloqui, & interdum in Cõſiſtorijs, & in dicendis ſententijs, eius poſtulatis refragari. Inimicitiam exortam auxit Bonifacij ſententia, quæ eam Columnenſium familiam, quæ de Præneſte dicta Cardinales, & inſignes ordinis viros, Ioannem, & huius filios Agapitum, Stephanum *, & Iacobum Sciarram produxerat, pulſauit. Pontifex tamen eis mandauit, vt oppidorum partem conſobrinis ſuis redderent, quæ hæreditario iure ad ſe non pertinentia ipſi ſibi violenter occupauerant. Illi Pontificis mandata non modo reijciunt, ſed à verbis contumelioſis ſibi non temperant, ignari quanta Pontificatus Romani, ad eum quidem diem incognita vis eſſet, ſi fortem virum nacta eſſet, qui ea vteretur, contemptui Pontificis, & iniurioſis verbis facta adijciunt; Suppellectilem enim arctam, & anguſtam Pontificis, qui Anagnia ad Vrbem vehebatur, interceptam Stephanus Præneſte attulit. Dũ Pontifex tantum facinus armis vlciſci adornat, Cardinalium opera, qui Præneſte profecti erant, opes cunctæ Pontifici reſtituuntur. At quia poſt diſceſſum Cardinalium non ita ſubitò, vt voluiſſet, ablata, tradita fuerant, Pontifex eam rapinam non ſine Cardinalium ſcitu factam opinatus, eis diem dixit, & vt ad certum tempus adeſſent, citauit. Illi eius iræ metu adeſſe ad ſtatum diem negligunt, adeò coactis aliquot agreſtium manipulis, Præneſte ſe continere. Pontifex iniurijs impetitus, & vindictæ cupidus, coacto Cardinalium, & Epiſcoporum in Vrbe pręſentium apud Baſilicam Vaticanam cœtu, eos, vt contumaces, ſicarios, & læſæ maieſtatis reos, Cardinalatu, & omnibus honoribus, & Eccleſiaſt. profaniſq; redditibus priuatos excommunicauit, eorum nobiles ædes in Vrbe diſiecit, & omnes iis fauentes Vrbe expulit: ſumptis deinde armis, antiquis eorum hoſtibus Vrſinis in eos concitatis magnum Crucesignatorum, & ſtipendiariorũ exercitum collegit, quem in eorum oppida, Vrſo Vrſino Duce, immiſit. Nepete fame oppreſſa, pulſo Stephano primùm recepta, & Vrſo tradita, Columna arce ſubacta, ad Zagarolum oppidum vis belli conuertitur, quod & ipſum in deditionem acceptum Pontifex Landulphi filijs rebellium Columnenſium conſobrinis, à quibus per vim exacti fuerant, reſtituit, cunctis Columnenſium oppidis, & Caſtellis captis, ſolùm ſupererat Præneſte, quo ſe Columnenſes victi contulerant, quod natura, arteque munitum, aliquot agreſtium cohortibus ij firmauerant. In medio belli ardore Card. præſidio omni deſtituti de illatis ſibi à Bonifacio iniurijs ad Reges, Principeſq; omnes Chriſtianos literas ſcripſerunt de eius arrogantia, malignitate, & ambitione, affirmantes, ipſum non eſſe legitimum Pontificẽ, quod contra fas & ius, Pontificatus ſedem occupaſſet, fraudibus Cœleſtino reiecto, & eodem in teterrimo carcere mori coacto; eorum literas, vt impias, & blaſphemas nemo ſuſcepit. Quare animo fracti, cũ Pontificis furori, & hoſtium Vrſinorum potentiæ reſiſtere non poſſent, biennio ferè iam eius armis vexati pacem deſiderant. Menſe Septembri anni 1299. Reate ad Põtificem nulla publica fide accepta, cum cognatis ſuis, clericis, & laicis accedentes eius pedibus prouoluuntur, humilibus verbis errores ſuos confeſſi, veniam precabãtur. Eos Papa clementer ſuſcepit, ea lege abſoluit, vt Præneſte ſibi traderent, & Tibur ſecederent, ibidem ſenſum ſuum expectaturi, ciuitate tradita eius munitiſſimam arcem diruit, & Vrbem ex montis vertice ad radices tranſtulit, & de nouò conditam, veteri nomine antiquato, ciuitatem Papalẽ vocari iuſſit; quam aliquot menſibus poſt, iniurijs, minis, & oblocutionibus Columnenſium, incitatus Pontifex pulſis habitatoribus incendio conſumpſit, affirmans, lapides diſſipari, non hoſtes ſpeluncis eorum manentibus, Card. tantam Pontificis iracundiam veriti, ab eo furente denuò rebellarunt; & fugã arripientes latebras quæſierunt. Eorum caſu reliqui Columnenſes perterriti, & ipſi hinc inde dilapſi ſunt. *Stephanus* ad Francorum Regẽ Papæ infenſum confugit: Alij ad Fridericum Siciliæ Regem abierũt. Cardinales Peruſiæ, in nobilis cuiuſdam ædibus, dum Papa vixit, occultè permanſerunt: Sciarra apud Antium, multum, diuq; in nemoribus, ſæuitiam Pontificis veritus, vixit; qui incognitus in Piratarum manus aliquãdo incidens, remigio admotus multas calamitates perpeſſus eſt. Quam fortunã ſe æquiore animo tuliſſe, affirmabat, quàm Bonifacij inhumanitatem experiri. Qui non Columnenſes ſolùm, ſed Ghibellinos omnes eodem odio adeò proſequebatur, vt (ſi fidẽ meretur, quod Platina præ cæteris narrat) Procheto Genuenſi Archiepiſcopo ad pedes eius die Cinerum procumbenti atrocia quædam verba dixiſſe feratur: Nam cum dici à Sacerdote ſoleat, *Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reuerteris*, Pontifex pronunciauit, *Memento homo, quia Ghibellinus es *, & cum Ghibellinis in cinerem reuerteris*, in eiuſque oculos cinerem, non in caput, vt mos eſt, coniecit. Eundem verò Archiepiſcopum neſcio cuius facinoris nomine, & quia Columnenſium receptorem exiſtimaſſet, Archiepiſcopatu priuauit. Quem ei poſtea reſtituit, quum intellexiſſet, Cardinales Columnenſes, quemadmodum ipſe ſuſpicabatur, Genuam non acceſſiſſe, Columnenſibus tùm dilabentibus, Pontifex atroci proceſſu habito, Cardinales publico decreto Schiſmaticos, Hęreticos *, & anathematizatos pronunciauit, Cardinalatu, beneficijs, ſacerdotijs, dignitatibus, fundis, caſtellis, & oppidis cunctis, quæ poſſederant, bonis demùm mobilibus, & immobilibus priuauit. Filios verò Ioannis de Columna, qui Iacobi Cardinalis frater, Petri verò alterius Cardinalis pater fuerat, Agapitum, Stephanum, & Iacobum Sciarram, omnibus bonis mulctauit, eorum filios, & nepotes maſculos, Bulla ſua ad omnes Eccleſias, & profanos honores inhabiles pronunciauit. Quam ſcriptam Conſtitutionem Sexto Decretalium * libro inſeruit. Cæterum Benedictus XI. * Bonifacij ſucceſſor hanc ſententiam reſcidit, tribus tantùm capitibus exceptis, depoſitionis à Cardinalatu, inhabilitationis ad Pontificatum, & beneficijs Eccleſiaſticis, & confiſcatione honorum: poſtea Clemens V. qui Bene-

COLVMNENSES excommunicãtur, eiſque fauẽtes Vrbe expelluntur.

VRSINI cõtra Columnẽſes.

COLVMNENSIVM oppida, Caſtellaque capta.

EORVMDEM literæ ad Reges cõtra Bonifacium.

IIDEM ſupplices ad Põtificem accedunt.

DENVO rebellantur, fugãque hinc inde diſſipati.

SCIARRA quid de Bonifacio.

*

*

COLVMNENSES Card. anathematizantur, omniq; dignitatib' priuantur.

*

ALII Colum. inhabiles ad omnes [illegible] ecclſias [illegible] nunciati. tit. de Schiſ.

*

dicto

dicto XI. ſucceſſit, eam omnino ſententiam antiquauit, & duos Cardinales reſtituit. Succeſſit Ioannes XXI. qui Ioannem, Stephani filium *, Cardinalem creauit, & demum poſterioribus temporibus, ſummum Sacerdotium Martinum eximium nobiliſſimæ Columnenſium familiæ virum poſt longi Schiſmatis interitum, reddita Eccleſiæ pace, decorauit.

Appropinquante an. 1300. percrebuit Vrbe tota nouus, & inauditus rumor in Baſilicas Apoſtolorum Petri, & Pauli, cēteſimo quoque anno, maximas peccatorum omnium pœnas eas pietatis ſtudio adeuntibus relaxari, ingénſque ob eam cauſſam totius populi Romani concurſus ad eas in dies erat. Pontifex populi pietate, eiuſque rei conſtanti aſſertione, Cardinalium, Procerumque Romanorum precibus ductus, eaſdem Indulgentias ſingulo centum annorum ſeculo obtinendas confirmauit, & ad perpetuam eius rei memoriam Tabula marmorea ante fores Baſilicæ Vaticanæ locata, hoc monumentum incidit. Obtinendæ veniæ ea lex fuit, Vt Romani 30. dies eaſdem Baſilicas adirēt, Peregrini 15. ob hanc rem eodem anno tanta vndique hominum multitudo Romam venit, vt vix incedere per Vrbem, amplam quidem & vaſtam liceret, quibus anno vno victū nunquam defuiſſe, miraculi loco habitum. Hinc anni Iubilei origo, quo plena delictorum omnium quoad pœnas remiſſio fuit, qui Apoſtolorum duas Baſilicas adiiſſent, ſequenti tempore Lateranenſis, & Syluna Baſilicæ addita, & ſollemnis infringendarum portarum ritus. Clemens VI. ad quinquageſimum annum Iubileum reduxit. Vrbanus VI. ad 34. contraxit. Bonifacius IX. in 50. reſtituit, celebrauitque anno 1400. Paulus II. ad 25 contraxit.

INDVLgētia cēteſiæ acclamante populo.

ANNI Iubilei origo.

Venerat per eos dies Anagniam ad Pontificem Carolus Valeſii Comes, Philippi Francorum Regis frater cum magno Procerum comitatu, à Pontifice magnis propoſitis præmiis accitus, vt totam Italiam feralibus odiis, & inteſtinis perditarum factionum bellis laborantem auctoritate ſua componeret. Eum Pontifex Romandiolæ Comitem patrimonio S. Petri ſumma cum poteſtate præfecit. Legatum in Hetruriam miſit, qui exortas nouas ſeditiones ſedaret, nam Ghibellini, & Guelphi ad Alborum Nigrorumque (ſic enim tūc appellabantur) factiones tranſierant. Legatus Vrbibus ſacris interdictis rediit. Carolus Florentiam, Pontificis iuſſu profectus continere diſſidentes ciues non potuit quo minus Albos non ſine magna cæde, ab Vrbe Nigri pellerent, hos inter fuere Dantes nobilis Poeta, & Petrarcha Franciſci pater quo in exilio ipſe natus eſt. Poſt eam cladem Ludouicus in Regnum profectus, pacis inter Carolum II. & Fridericum Aragonum Reges, ea lege, auctor fuit, Vt redditis quæ in Calabria Fridericus ceperat, ei Siciliam, quoad viueret, retinere liceret. pace hoc modo compoſita, Carolus Valeſius in Gallias rediit, & Pontifex hoc tempore Hermanni cuiuſdam corpus apud Ferrarienſes iam 30. annis pro ſancto cultum exhumari, & comburi mandauit, habita de eius hæreſi (quæ Fraticellorum eſſe deprehenſa eſt) diligenti inquiſitione. Per hos dies diſcordia inter Bonifacium Papam, & Francorum Regem Philippum exorta, vtriſque exitialis fuit, cuius aliquot cauſſæ referuntur. Nonnullas Pontifex Conſtitutiones ediderat contra quoſcumque, etiam Reges, qui immodica tributa, & iniquas exactiones Eccleſiis, non ſine Eccleſiaſticæ libertatis detrimento, imponerent; iis Francorum Regem pecuniarum indictionibus Eccleſias Gallicanas vexantem etiam perculit. iratus Rex in minas, & probroſa verba contra Pontificem irrupit. Pontifex nihil Rege demiſſior, verbis atrocibus facta adiunxit, & clam Flandros bello potentes, quorum Comitem Rex cum filiis in vinculis habebat, in eum concitauit. Præterea Hieroſolymitanam expeditionem Pontifex magnarum rerum appetens, animo voluens Apamēſem Epiſcopum ad eundem Regem ablegauerat, vt hominem ad eā rem cohortaretur, qui precibus parum proficiens, minas addidit. ob eam rem iratus Philippus Legatum, iure Gentium violato, in carcerem coniecit. Hęc Bonifacius vbi reſciuit eò ſtatim miſit Narbonenſem Archidiaconum, præclaræ virtutis virum, qui Pontificis nomine ei mandaret, vt Epiſcopum dimitteret, quod niſi impetraret, eum ſacris interdiceret. Viam diligenter Archidiaconus fecit, ac Regem adegit, vt Epiſcopum miſſum faceret. ea tamen res eius animum malè in Pontificem affectum exulcerauit. vtque ex parte aliqua Pontificis iniurias vlciſceretur, edicto cauit, ne quiſquam è Regno ſuo Romam proficiſceretur, aut pecunias eò mitteret.

CAROLI Valeſij Comitis in Vrbē aduentus.

LEGATus in Hetruriam miſſus interdictis Vrbibus Romam rediit.

LVDOVIcus pacis auctor inter Carolū, & Fridericum Reges.

DISSIdium inter Pontificē, & Philippū Frācorū Regē.

LEGAtus Apoſtolicus à Philippo in carcerē coniectus.

Regis indignationem auxit magna clades a Flandris Pontificis (vt dicebatur) conſilio accepta, item eluſio fratri Carolo Valeſii Comiti habita. Quem Bonifacius VIII. ex Galliis in Italiam euocauerat, eique Conſtantinopolitani Imperii, aut ſi difficilis ea Prouincia eſſet, Occidentis Diadema promiſerat, vacans, vt ipſe dicebat Adolphi morte. Adolphus enim Rex Romanorum occiſus eſt circa Kalend. Iulii anno 1299. Albertus verò Cæſar Rex Romanorum creatus vii. Kalen. Auguſti ann. 1299. qui regnauit annos 7. menſes 9. dies 5. Albertum enim Cæſarem deſignatum ad eum diem, vt homicidam, & Imperii inuaſorem reiecerat, at verò omnia ſecus fecerat. Nam in Philippi odium, Alberti legatione ſuſcepta, eum Romanorum Regem confirmauerat Has igitur ob cauſſas Rex Francorum ſe à Pontifice deluſum, & ſpretum exiſtimans, & ferali in eum odio exarſit, & hoſtes eius Columnenſes, Stephanúmque præcipuè ſuſcepit, & fouit, ſed & Epiſcopum quendam locupletem cepit, & crimine hæreſeos illato eum Epiſcopatu, & omnibus bonis exuit, alteriq; eum

ADVLpho Romanorū Rege occiſo Albertus Cęſar Rex creatus.

PHILIPpus Columnēſes fouet.

& alias Eccleſias vacantes arbitratu ſuo contulit.

Pontifex audax, imperterritus, in eum, vt contra Eccleſiæ apertū hoſtem, inſiſtere, Concilium generale cogere, & maximè ex Gallicarum Sacerdotibus, & extrema quæque minitari cœpit: Rex ditionis ſuæ Prælatos è Regno diſcedere graui pœna inhibuit: Bonifacius magis in eum irritatus, cum in vetuſtis Gregorii VII. monumentis, Francorum Regnum ad Eccleſiam Romanam beneficiario iure pertinere repetiſſet, Clericum quendam Romanum ad eum ablegauit cum Apoſtolicis literis Regi mandans, vt ſedem Apoſtolicam eius Regni dominam cognoſceret, id ſi non impetraret, publicè affirmaret, Regnum Francorum ob Philippi contumaciam, ad Eccleſiam deuolui, & violatum eſſe ius Gentium, adderetq; Anathema, & omnes Francos à iuramento regio abſolueret: is Pariſios accedens, publicè loqui impeditus, ereptis ei Bullis, & combuſtis, è Regno ignominioſè pulſus eſt. Rex ne quis præterea Anathema in ſe à Pontifice ictum referret, viarum aditus cuſtodiri iuſſit; nêue quis Nuncius, vel literæ ex Curia Romana ad eum deferrentur. Papa Regem Frāciæ in publico Conſiſtorio maxima hominum frequentia excommunicatum Regno priuauit, illudq; Alberto Cæſari ab ſe tum pridem approbato, beneficiario iure contulit, inſignemq; habuit orationem, quæ adhuc extat, cuius initium eſt, *Refulſit ſol, qui erat ſub nubibus*, exponens eum locum 1. cap. Geneſ. *creauit Deus duo luminaria in firmamento cæli*, de Pontifice, & Imperatore, Imperatorem deinde bonis, vt ſolem, malis vt lunam eſſe dixit, tanquam totius mūdi Monarcham. Multa in Gallicanum faſtum, cum inſectatione, perorans. Francorum Rex tantam Bonifacii audaciam iniquo animo ferēs, habito apud Pariſios Aulicorum Regni, & Nobilium omnium vniuerſo Conuentu, commemoratiſque iniuriis à Bonifacio VIII. acceptis, eiuſque ambitione, ac malis artibus ad occupandum Pontificatum, quem iniuſtè teneret, adhibitis, ab eius ſententia ad ſedem Apoſtolicam, tum (vt ipſe dicebat) vacantem, futurumque Concilium generale prouocauit; & capita quædam contra ipſum examinanda, publicandaque quibus ipſum Hæreticum, blaſphemum, periurū, ſimoniacum, homicidam, & ſceleratum eſſe, & remouendum dicebat quamquam de his criminibus teſtes oportuni non eſſent, publicauit Abbas Cluniacenſis *, coram quo appellauerat, prouocationē reiecit, & in Burgundiam abiit. coegit verò Rex doctores religioſos Parſienſes religioſos, dicta capita ſuſcipere, examinare, & tueri; recuſantes contumelioſè abegit. Papa id intelligens, maximo Sacerdotum Conuentu Romam Kalen. Nouembris anno 1302. cōgregato, corā cuncto Clero & Populo Romano iureiurando de obiectis ſibi criminibus ſe purgans, inſontem de iis omnibus ſe eſſe, pronunciauit; & cenſuras in Philippum immiſſas denuò confirmauit. Immani igitur inter Papam, & Regem Franciæ concitata diſcordia, alter alterum acriter oppugnabat, & è ſolio deiicere conabatur. Bonifacius vtraque poteſtate vtens horribiles cenſuras contra Regem in dies promulgabat. Albertum Regem Romanorum ad Imperii Diadema ſumendum ſollicitabat; quo duce bellum in Francos meditabatur. contra Rex Franciæ non quieſcebat, ſed eius ſuperbiam quarum ratione poſſet domare, & eum deiicere, frequentibus conſultationibus intendebat. Aſtuto igitur, & ſagaci conſilio Stephani Columnæ, & aliorum Italicorum, quos Bonifacius inſectabatur, Iacobum Sciarram Columnenſem in portu Maſſiliæ cognitum, & a pyratis redemptum, Guillelmum Nogaritium in vico quodam Toloſæ ortum, & Mucianum Franceſium Florentinum, viros dexteritate, induſtria, & prudentia claros, magna auri vi onuſtos clam in Italiam miſit, vt re vera Pontificem incautum, & ſupinè nihil metuentem, Anagniæ commorantem caperent: Spem verò pacis inter Papam, & Regem tractandæ interponerent. Hi Stagiam prope Senas, quod oppidum Muciati erat, aliquādiu commorati, clàm diuerſis amicis ſuis, & Columnenſium factionis nobilibus Campaniæ, & Hetruriæ ſcripſerūt, eos ad ſe magnis pollicitationibus inuitantes, ſed & aliquot militum cohortibus ſcriptis, & multa auri vi expoſita, primores quoſque non Vrbis ſolùm, ſed & Campaniæ, vt adeſſent deſtinata die Anagniæ, vbi tunc Papa cum Curia erat, ad ipſum prodendum corruperant. Pontifex nihil tale ſuſpicans, ſecurus quieſcebat. præcipui proditores fuerūt Matthiæ Anagnini filii Raynaldus, & Sapinus nobiles de Ceccano Papæ hoſtes. Item Cardinales aliquot, Richardus Senenſis, & Neapoleo Vrſinus, magnis à Pontifice beneficiis affecti, non ſine inſigni ingratitudinis nota. Anno ſalutis igitur 1303. Sciarra Columna diſſimulato habitu Latium ingreſſus, collectis vndique amicis, Nogaritium cum 300. equitibus, & aliquot peditum cohortibus, mercede, & ſtipendiis Regis Francorum conductis, Ferentinum præmittit, qui inde ei, ſi opus eſſet, auxilium adferret. omnibus porrò coniurationis capitibus accitis intempeſta nocte diei Sabbathi ante vii. Idus Septembris, Guillelmus, Sciarra, & Raynaldus cum armatorum equitum, & peditum copiis Anagniæ muros adeunt, & Ghibellinis, quos diu multum Bonifacius vexauerat, adiuuantibus; Adinulpho verò Matthiæ filio ciuitatis portam aperiente, Vrbē nemine reſiſtente occupant, & diſcurſantes cum Vexillis Regis Galliç, ei vitam, Pontifici verò mortem acclamabant. Ingratiſſimus Anagniæ populus rebellionem, & Regis Vexilla ſequutus, velut amens & ipſe cum Pontificis hoſtibus ſentiebat. Qui Pontificis, & eius propinquorum, & Cardinalium Pontificis, vel amicorum, vel affinium palatia nullo negotio irruperunt, & duos Pontificis fratris filios lo-

LEGAtus Apoſt. Pariſijs ignominioſe expulſus.

PHILIPpus Rex Frācorum excommunicatur regnoq; priuatur.

PARISIIS Conuētus habit⁹ cōtra Pontificem.

***

CENSVrarū cōfirmatio in Philippū.

PRODItores Pontificis.

SCIARra, & Sonij Anagniæ muros adeunt. mortemq; Pontificis acclamāt.

Pedum, & Benedictum primò ceperunt, mox in Papæ cubicula irruentes, ea prodentibus cubicularijs, quos Pontifex fidos eſſe exiſtimabat, occuparunt. Pontifex ad primum rumorem ab omnibus eſt deſertus, Cardinalium enim aliqui forte huius rei conſcij, latibulis quæſitis ſaluti ſuæ conſuluerunt, alij Anagnia mutato habitu fugerunt, præter duos Nicolaum Oſtienſem, & Petrum Sabinum Hiſpanum, qui Pontificem intrepidè nunquam reliquerunt. Pontifex ſe mortui illicò exiſtimauit. At collecto ſpiritu in omni calamitate ſemper ſe ipſo maior, duobus aſtantibus Clericis ait: per proditionem, quemadmodum & Chriſtus, captus ſum, & hoſtium meorum poteſtati, vt occidar, ditus, vt Papa mori conſtituo: omnibus igitur ſacris veſtibus amictus, pallio & thiara ornatus, Crucem manibus tenens, lecto accubuit, quem ſic ornatum Nogerius, Sciarra, & Raynaldus adeuntes, manu quidem inuiolatum, verbis verò contumelioſis exceperunt, & eum, familiareſq; eius irridebant. Ferunt, cum Nogerius inter alia et dixiſſet, ſe eum ligatum Lugdunum adducere velle, vt ibi in generali Concilio deponeretur, Pontificē audacter, & intrepidè reſpondiſſe, patienter feram quidquid in me Catholicū, & legitimum Pontificem, & Chriſti Vicarium iniquè agent hæretici, & Patareni: nam pater, vel maiores Nogerij de hæreſi damnati combuſti fuerant, verbis confuſis eum notans, & ſubiunxit, cupio pro Chriſti fide mori. receſſit is. Pontificem cum ſocijs, rebus, cubiculis, ædificijs memoratis, honeſta ſub cuſtodia, vti inuenerant relinquens. Integro biduo, omni Eccleſiæ theſauro, quod in Papæ palatio erat prædæ nefariæ expoſito, ſacrarum Reliquiarum vaſculos aureos, & argenteos, triduo poſt Papā captum, ipſis Reliquijs prius extractis, conflarunt. Ferunt Pontificem publicè Regi Francorum Philippo maledixiſſe die lunæ ad v. Idus Septembris, tuncq; mirabili Dei prouidentia ingrati cordis duritiem à populo Anagnino amouente, cum nemo eſſet, qui eam rem procuraret, ciues Anagnini Columnenſium rapacitate, & ſæuitia excitati ad arma currunt contra nefarios proditores per Vrbem diſcurrentes, Bonifacio VIII. Papæ vitam acclamant. hora tertia Vrbe recepta, ædes Pontificias, cunctis hoſtibus occiſis, vel Vrbe eiectis, magno cum detrimento, & prædæ amiſſione recuperant, Pontificem in libertatem aſſerunt, capti fuerunt Raynaldus cum filio, Gulielmus Nogentius graui vulnere ſaucius incognitus fugit. Vexilla Regis Franciæ diſiecta, & humi turpiter tracta, Pontificis fratris filij, qui in Matthiæ ædibus capti erant in libertatem vindicati, magna theſauri Eccleſiæ pars recepta, quamquam multum amiſſum.

QVID Sciarra in Pontificē. PONTIficis humanitas.

PAPAE Palatium depredatū.

ANAGNINI contra nefarios proditores, Pontificemque liberant.

Rebus vndique confirmatis, Pontifex populi concionem aduocauit, ipſe verò in ſummis ſcalæ palatij gradibus, grauiſſima oratione habita, cunctis, qui in ſe deliquerant pepercit. Raynaldum, & filium liberos abire iuſſit, & de nemine hoſtium, quos captos Anagnini tenebant, ſupplicium ſumpſit, Richardo Senenſi, & Neapoleoni Vrſino Cardinalibus, qui liberati fugam incogniti inierant, totam culpam remiſit. Mitis, & humanus tanta aduerſitate factus, paucis diebus poſt, Romanorum, qui eius calamitate audita, arma pro eius liberatione ſumpſerunt, nobili ſubſidio adiutus Romam vix tandem rediit, Anagninis eius diſceſſum ægrè ferentibus. Romæ apud Baſilicam Vaticanam aliquandiu vixit. Ad eum poſtea animus rediens, & iniuriæ ſibi illatæ contumeliam ferre non valens, vniuerſum Laterani ex toto terrarum Orbe Concilium indicere conſtituit, quo iniurias ſibi, & Apoſtolicæ ſedi à Francorum Rege illatas vlciſceretur. Aduenit interim Neapoleo de Caſtello, Dux Sciarræ Columnæ, qui prandio à Bonifacio exceptus tempus iam immnere ait, quo Columnenſes ab ipſo veniam eſſent impetraturi. Papa abnuit, Neapoleon ſubiunxit, vi impetrandum eſſe, quod ſponte negabat, atq; illinc haud diſceſſurum, ea gratia non impetrata. Papa mœſtus, & afflictus literas ad Carolum Regē ſcripſit, vt ſe ex Vrbe extractū in libertatem aſſereret, minatus peiora Vrſinis, quàm fecerat in Columnenſes. Neapoleo interceptis literis cuſtodiam auxit. Cum id Papa intellexit, ſæpe caput muro concuſſit, & digitos momordit; cæterum animi dolore ex ingenti calamitatis vi concepto, ſenioque confectus, in grauiſſimam ægritudinem incidit, qua per plures dies iracundus manus ſibi arrodere videbatur: exceſſit in palatio Vaticano ad v. Idus Octobris, quinto & trigeſimo, poſt tantam acceptam calamitatem die, anno ſalutis 1303. corpus marmoreo ſepulchro ab ſe inter duas portas, opere vermiculato exornato, & crate ferrea munito, quod adhuc ſupereſt, ſepultum eſt. Vacauit ſedes dies x.

PONTIfex in ſe delinquentibus publice indulget. PONTIfex Romā rediit.

BONIFAcij Obitus qualis.

Fuit hic Pontifex, doctrina, prudentia, & rerum experientia præſtans, ingenio, memoria, & acri iudicio prædiius, magno, & excelſo animo, iurium Eccleſiaſticorum, & eius libertatis conſtantiſſimus aſſertor, & quemadmodum in amicos effuſus, & liberalis, ſic hoſtibus ſæuus, & immanis, ſuperbus, & arrogans, prè ſacram Eccleſiæ ditionem amplificauit, eius vim defendit, & auxit, quindecim Cardinales creauit, inter hos quatuor de gente ſua, duos fratrum, & alterum ſororis filium, & auunculum ſuum, propinquorum amore non minus affectus, eos nullo robore prouexit, profana ditione ampliſſime auxit, multam iis auri vim reliquit, quo eius iniuriam 300. Hiſpanis mercede conductis vindicarent, ij cunctis, qui contra eum conſpirauerant, Anagnia expulſis, ac Ferentino, & Setia occupatis circiter mille hoſtes occiderunt. At Bonifacius Papa triginta nouem ex amicis, & aſſeclis vno tempore Epiſcopos, & Archiepiſcopos ab ſe creatos vidit. Scripſit De Chriſtianæ fidei, & Romanorū Pontificum perſecutionibus. De Regulis iuris. De Indulgentijs anni Iubilei. Epiſtolas plures, quarum duæ extant apud Matthæum Vveſtmonaſterienſem. Orationem, *Aue Virgo glorioſa*. Sextum etiā Decretalium librum, doctorum aliquot opitulatione peractum, publicauit. Regeſtique eius volumina 4. in Bibliotheca Vaticana ſeruantur. Baſilicam Vaticanam, in qua condi voluit, ornauit plurimum, 24. Clericos in ea locauit, Canonicorum numerum auxit, in ſacello ab ſe S. Catharinæ dicato, tres Presbyteros, qui ſacris vacarent, perpetuò conſtituit. Eidem Baſilicæ prægrandem aureum calicem, pretio trium millium florenorum donauit. oppida, agros, gratias, & Indulgentias largitus eſt. Idem marmoreum ſuggeſtum * cum porticu apud Baſilicam Conſtantinianam Laterani condidit, nobilis Cimaborij pictura decoratum, quo execrationes, more maiorum, proferuntur. Moritur autem hoc modo Bonifacius VIII. qui Imperatoribus, Regibus, Principibus, Nationibus, Populis, terrorem potius, quàm religionem inijcere conabatur, quique dare Regna, & auferre; pellere homines, ac reducere, pro arbitrio animi, conabatur. Aurum vndiq; conquiſitum, pluſquam dici poteſt, ſitiēs. De Bonifacio VIII. ſcribit Petrarcha lib. 7. rerum Senilium in Epiſtola ad Vrbanum V. Ioann. Villanus lib. 8. hiſtoriæ ſuæ. Dantes Romanam Academiam ornaſſe dicit, idque veriſimile eſt, nam Oldradus I.C. ſcribit, eos, qui Romæ ſtuderent, habuiſſe priuilegium à Bonifacio percipiendi fructus ſuorum beneficiorum.

BONIFAcij res geſtæ.

Ferunt, quendam in Alpibus Epiſcopum ſanctum virum, ac doctum, vbi eò perueniſſet, qui Pontificem captum eſſe Francorum Regi nunciatum ibat, in hæc verba publicè erupiſſe: Hoc magno Francorum Regi gaudio erit, ſed extrema gaudij, extremus luctus complebit, quia propter hoc teterrimum facinus aperta Dei vindicta in ipſum, & eius progeniem ſæuiet, magnas ipſe pœnas dabit, multa improſpera patietur, plurimi in eum, & eius filios motus inſurgent; quæ omnia ſuperabundanter menſura expleta ſunt.

MANANAin Alpibus Epiſc quid de Francorum Rege dicent.

Quo in ſtatu autem Anagnia fuerit, poſt illum repentinum, & inſperatum Bonifacij caſum, Leander Bononienſis in deſcriptione Latij, Hernicorumq; gentis refert his verbis. *Anagnina Vrbs antiquiſſima ſemiruta, ac prope deſolata iacet, cum nobis anno 1526. tranſitus per eam incidiſſet, ingentibus ruinis, maximeque palatij à Bonifacio Pontifice Romano, quem ſupra compellauimus, ædificati, ſumma cum admiratione, miſerationeque ſpectatis, cauſſam cladis a quodam ex Optimatum numero interrogato didicimus, Bonifacij Pontificis capturam, quippe ex illa die, vſque in præſens, varijs occaſionibus Vrbem iuiſſe præcipitem, adeoque bello, peſtilentia, fame, plurimum vero ciuilibus odijs in hanc calamitatem redactam. Inteſtinis enim contentionibus, alios ab alijs eiectos pulſorum ædibus incenſis, viciſſimque per vim ſe reſtituentium, eoſdem ſpiritus, eandem belli rationem aduerſarios fuiſſe. Hanc ob rem non pridem cum à paucis, qui ſupererant, ciuibus in cœtu, conſilioque communi, de maiorum cauſſa quæſitum anxie eſſet, tandē hanc occurriſſe, quod maiores illorum Bonifacio Pontifice prodito ſe grauiſſimo ſcelere deuinxiſſent, idque quoniam hactenus expiatum non fuerat, ideò Clemente VII. Pontif. obteſtato, vt Epiſcopum ad ſe mitteret aliquem, qui populum ab illa maiorum noxa liberaret, expurgaretque hoc demum precibus, ac votis rite per incolas factis, vt à quadam (vt ita dicam) execratione, qua ob manus Pontifici maximo violenter iniectas, adhuc detineri videbantur, abſoluti Deo haberentur, impetratum.*

QVAEdam de Ciuitate Anagnina.

Vixerunt Bonifacij Pontificatu ex omni ordine Viri doctrina, & pietate præſtantes, quorum ad nos ſcripta manarunt, quibus nomen eorum poſteritati commendatū eſt. Ex monachis Guillelmus Prior, & Simon monachi Cœnobij Haſligemenſes in Germania ordinis S. Benedicti, viri eruditi, & pij, quorum ille Conciones quaſdam luculentas edidit, hic verò in Cantica Canticorum Sermones plures.

VIRI doctrina inſignes ſub Bonifacio.

Ioannes Geminacenſis, Hetruſcus, Gerardus Germanus, viri doctiſſimi, primus librum cui Pantheologiæ nomen eſt, alter Sermones plures: tertius, qui multis annis in Monaſterio ſui ordinis Leodienſi fuit, Theologiam, populum verò à ſacro pergulo pietatem Chriſtianam luculenter docuit, Conciones quaſdam ſcripſerunt.

Vbertinus Caſalenſis ex ordine Minorum, Ioannes Parmenſis, Miniſtri generalis olim auditor fluxit, vir pius, & in ſacris literis verſatus, ſcripſit præclarum volumen, cui Arborem vitæ crucifixæ nomen indidit, Sermones, & Epiſtolas aliquot, qui cum ordinem ſuum à primis S. Franciſci inſtitutis dilabi animaduerteret, nouos quoſdā, ſpecie reformationis, ritus, & Congregationes fratrum conſtituit, quas a Bonifacio Papa confirmari, curauit: hinc fratrum Obſeruantium prima origo; eius priuilegium, rogatu Patrum ordinis, Pontifex reuocauit, quod ad Schiſma Vbertini eius mens intendere videretur, & grauem ordinis ſciſſuram: ex re ipſe commotus Carthuſiæ ſe abdidit, ſanctiſſimèque deinceps vixit.

EX ORDIne minorum.

Ex ordine Eremitarum præclariſſimi, & doctiſſimi Theologi duo hoc tempore fulſerunt Aegidij Romani diſcipuli, Iacobus Viterbienſis, Archiepiſcopus Neapolitanus, Caroli II. Regis, cui gratiſſimus fuit, ſtudio creatus, & Albertus Patauinus omniū ſui tēporis Concionatorū facilè princeps: Iacobus ad Clementem V. librū de Regimine Chriſtiano ſcripſit, ſuper Sentētias itē, & Epiſtolas. Albertus verò in Penthateucū, Euāgelia, & Epiſtolas Pauli, & eruditos Sermonū libros tres edidit, vterq; pietatē ſummam exiniæ eruditioni adiunxit.

EX ORDIne Eremitarum.

ADDI-

ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

A ¶ Nobiliſſimæ Familiæ, cùm ex patrijs oris Hiſpaniæ peregrina Italiæ litora prætereueheretur, ſitus, & amœnitas Caietæ arriſit: quare ibi reſidens, & imperans ex Vrbe cognomentum accepit, ac tranſmiſit ad poſteros: Vnde Caietani, priſcis enim ſtirpibus ipſa Dominij ſedes appellationem ſæpe dedit. Caietam ſub huius familiæ ſceptro fuiſſe, liquet, conſtatq; præcipuè ex peruetuſto, probatiſſimæ fidei, Baſilij Imperatoris Diplomate, quo Annechino patri, & Gioffredo filio Caietanis, iura, & priuilegia ab Auguſtis anteceſſoribus eidem familiæ conceſſa confirmans, eos Dominos nuncupat Ciuitatis Caietæ, Terrarum Itri, Traiecti, Theani, Seſſæ, ſancti Germani, Sperlunghæ, Theleſij, Roccheguilielmæ, ſancti Donati, Garliani, Aueſſæ, Aquini, Calui, Caſtilionis, Caſtrifortis, Cerriti, Dragonis, Fundorum, Gioiæ, Caiazzæ, Arienti, Maralonis &c. Otho III. Imperator non impari teſtimonio ſuam in Caietanos beneuolētiam B publicè patefecit, cùm Ioanni Caietano, cui Senioris Conſulis, ac Ducis ſui titulos addidit, Caſtellum Pontecorui dono dedit. Regnū propè confeceris, ſi oppida conferas, quæ iam Caietani ſunt adepti: præter enim ea, quæ retuli, hæc etiam in Neapolitani Regni ditione poſſederunt. Comitatum Caſertę, Comitatum Fundorum, ſeudecim continentem loca, Comitatum Murconi, Ducatum Traiecti, Altamuram Principatus titulo claram, Ciuitates inſuper Montiſpeluſij, Mineruini, Mottulæ, & Terras Pedemontium, Grottulæ, Maſſafri, montis Rodoni, Macchiæ, &c. Extra verò Regnum montem Argentarium, Anſidonam, Portum Herculis, Vrbeuetellum, Marſilianum, Alticoſtam, vulgò *Trecoſte*, Capalbium, mõtem Acutum, & montem Geutum, Inſulam vocatam Giannū, & Inſulam, quæ dicitur Libum, Montaltum, Roncilionum, Ciuitates Anagninā, & Nepeſinam, Caſtra Treui, Marenum, Zancatum, Sonninum, Popbum, Valliſcurſam, Ceccanum, ſanctum Laurentium, Sculculam, Turrim, C Valliſpetram, Filettinum, Carpinetum, Montelanicum, Roccagurgam, Normam, Marentiam, Iulianum, Campagnanum, Collemediū, Vaconum, Podium Summæuillæ, ſanctum Angelum, Amendularā, Caſtrum, & Roccam Aſturæ, Caſtrum Syluæ mollis, Caſtrum Iouis militiæ de Vrbe, Sermonetam, Ciſternam, Nympham, Baſſianum, Aquaputridam, ſanctum Fœlicem; cui additus Circeius mons, infamis olim ſceleſtæ mulieris fabuloſa impietate, & nunc Caietanorum Principum inſigni munificentia laudabilis. Ibi Dux Franciſcus oppidum vetuſtum propè litora munitum turribus non vulgariter auxit. Ibi olim nautæ non vno diſcrimine in metum acti, *ne litora dura ſubirent*, enitebantur; ibi nunc ſecuri ſinus opportunitate, ſed apprimè humaniſſimæ gentis hoſpitalitate, quaſi ad perfugiū, innitantur. *Virgilius.*

Nec ſolùm tam latæ ditionis patrimonium Caietana familia tenuit, ſed egregijs quoque titulis illuſtris claruit. Henricus Imperator anno 1014. in literis ad Neapolionem Caietanum hac vſus eſt in- D ſcriptione. *Viro nobili Neapolioni Caietano Vicario in Rep. Neapolitana, dilecto Conſiliario, familiari, & fideli Noſtro, gratiam, & bonam voluntatem.* Rogerius Calabriæ Dux anno 1109. Cubellum Caietanum copiarum ſuarum Vicarium generalem inſtituit. Anno 1175. Regis Guglielmi Boni Philippus Caietanus Vicarius extitit, ad quem ille anno 1176. Capitaneum generalem, cum copijs auxiliarijs, Riccardum Caietanum miſit, in literiſque communis agnationis titulo exornauit. Petrus Caietanus Itri Comes, à Federico Secūdo Imperatore Comes Palatinus Lateranenſis, Cęſareuſque in Neapolitana Ciuitate Vicarius, & Capitaneus generalis, an. 1239 creatus eſt. Rex Manfredus Mattheum Caietanum Bonifacij VIII. R.P. Auum in Capitaneum generalem ſibi delegit. Nicolaus Caietanus Sermonetæ Dominus, & Fundorum Comes, an. 1332. Regni Neapolis magnus Camerarius. Chriſtophorus Caietanus, Fundorum Comes, prius Mareſcallus, tum anno 1420. Logotheta, & magnus E Prothonotarius dicti Regni. Rogerius Caietanus Sermonetæ Dominus anno 1434. magnus Camerarius eiuſdem Regni Neapolis. Honoratus Caietanus anno 1460. Logotheta, & magnus Prothonotarius: Ipſius etiam ex filio nepos Honoratus Traiecti Dux, & Altamuræ Princeps, anno 1487. eiuſdem Regni Logotheta, & magnus Prothonotarius fuit. Pacta, & leges concordię, ac pacis inter Ladiſlaum Regem Neapolis, & Iacobellam Caietanam Romaniæ Diſpotiſſam, & Comitiſſam Fundorum extant, in quibus illuſtriſſimæ, & magnificæ mulieris appellatione eſt inſignita. Cæterùm eæ fuerunt huius familiæ vires, vt, Vrbano VI. vero Pontifice ſedente, adnitente, ac fauente Honorato (primo huius nominis) Caietano, Pſeudopontifex, qui Clemens VII. dici voluit, ſit renunciatus. Magna erat Honorati authoritas, & poteſtas: Is Fundorum, Campaniæ, ac Maritimæ Comes, Diſpotus Romaniæ, & S.R.E. Vicarius generalis no- F minabatur. Ferdinandi Regis ſtudium in Honoratum, vniuerſamq; Caietanam poſteritatem mirificè propenſum Regum Aragoniæ cognomentis, inſignibuſq; eam donauit; & Honorato III. Lucretiā filiā vxorem adiunxit; hic autem Ducatus Traiecti, & Principatus Altamuræ titulos habuit, quorum quilibet eas ſecum trahebat prærogatiuas; quibus in publicis functionibus, & in potentiorum Principum Aulis Salerni Principes, Vrbini Duces, Montiſferrati, & Mantuæ Marchiones potiri conſueuerunt. Honoratū Quartum quis ſilentio prætereat? Hic Sermonetæ Dux, & Aurei velleris Eques, in inſigni illa ad Lepantum, Pio V. Pontifice, Nauali pugna, Eccleſiaſticæ militiæ Capitaneus generalis bellicam laudem promeruit. Petrus filius Honorati eiuſdem Velleris torque decoratus, generalis Equitū Capitaneus pro ſede Apoſtolica in Gallijs, deinde in Ferrarienſi deditione, dū de illa recuperāda agebatur, totius Pontificij exercitus generalis (vt vulgo dici ſolet) Campi Magiſter nobile onus glorioſè ſuſtinuit. Integra tantarum laudū hæreditas ad Franciſcum Sermonetę Ducem poſtremò peruenit. Huic non minus ſua virtus, quàm gentilitia gloria ſummorum Principum voluntates conciliauit, ac vinxit. Catholicus Hiſpaniarum Rex Philippus vetera, & recentia Caietanorum in Regnum Auſtriacum nomē perpendens merita, egregiamque Franciſci indolem in Aula propius inſpiciens, in Grandium Procerum numero eum repoſuit; Sermonetæque Duces inſigni hac luce perpetuo fulgere, voluit.


Mulieres ipſæ viros in hac ſtirpe magnos, Deo auſpice, Romanæ Eccleſiæ pepererunt; ramos ex ea ſuo inſerendos ſtipiti, deligere nobiliorum Primatum mos fuit; Nicolaus III. Vrſinus, & Paulus III. Farneſius Caietanam fœcunditatem parentem agnoſcunt. Aemilia de Comitibus Alexandri IV. PP. neptis Bonifacium VIII. S.P. Vrbi dedit, & Orbi, Laurentium Columnam Salernitanorum Principem, Martini V. Pontificis fratrem Sueua Caietana, ſoror eius Mandella ingenti prædita animo, Biſiniani Principem, Beatrix, ſoror altera, Vaſti, & Piſcariæ Marchionem maritos habuere.

Paſchalis II. æuo, Caietanum nomen Cardinis Rom. Eccleſiæ honore floruit, & quingentis ab hinc annis, egregij tantæ familiæ viri eodem aucti recenſeri poſſunt; adeoque ſacra Purpura in Caietano ſanguine frequens fuit, vt hunc noſtra ætas ea carentem non viderit, quadraginta ſanè annorum ſpatio, arctioris agnationis ſerie non interrupta, quinos ex eo Cardinales, Senatus Apoſtolici lumina, Chriſtianus veneratus eſt Orbis. Patriarchalis prætereà, rara dignitas ſacræ eiuſdem ſanguinis Coronæ ſæpius ſuum decus addidit.

Gelaſium II. inter vetuſta Caietanorum Principum ornamenta non vnus reponit auctor, Iulianus Petri præcipuè, à quo, ante plures annorum centurias, conſcripta eſt Hiſtoria Toletana.

At longum, beatumque in primis honorem hunc familiæ reliquit Bonifacius PP. VIII. cuius nomen, leues priuatæ cenſuræ notas præteruectum, celeberrimum viget, atque inter aſſenſionem fauoris, & inuidiæ (ſi qua fuit) fremitum, gloriæ ſuæ vexillum fixit. Glorioſus ſanè Pontifex, ſi candido animo, & ſine factionis propenſione virtutem eius inſpicias, & æſtimes. Maximi Pontificis huius memoriam, Paulo V. Eccleſiam regente, eruto eius, vt transferretur, cadauere, Roma recoluit. Intacta membra, ornatuſque ſenſus venerationis, quaſi ſola imperterritæ virtutis vmbra excitarunt. Extremæ digitorum in ipſis manibus partes tot ſæculis (Dei nutu) integræ prorſus falſum corroſionis commentum refellunt, arguuntque eorum vel malitiam, vel inſcitiam, qui commento indigniſſimo tanti Pontificis dignitati, vallo virtutum munitæ, morſus incutere ſunt viſi.

Grati, ac venerabundi animi monumenta, publicum populorum in Bonifacium amorem oſtentantia, non deſunt. Signa nonnulla inter rudera antiquitatis etiam nunc viuentia, ab iniurijs temporis vindicata, conſpici poſſunt: eorum autem imagines inciſo ære hic ſunt expreſſæ, vt munificentiſſimum Caietani Pontificis ingenium vniuerſæ poſteritati teſtentur.



Effigies Bonifacij Papæ VIII. à Giotto expreſſa in antiqua Lateranenſis Baſilicæ porticu, atque inde ſecto pariete in eiuſdem Templi clauſtrum tranſlata.

Boni-

In Carolo Craſſo.

Bonifacius duplicis coronamenti tiara vſus eſt, ſuperiores Pontifices vnius; vt ex Sugerio Abbate aliàs notaui, & priſcæ Pontificum imagines indicant. Vrbanus V. omnium primus triplici coronamento tiaram ſuam ornari, voluit, Alemanno teſte, Vaticanæ Biblioth. olim cuſtode, c.13. Diſſert. Hiſt. De Pariet. Lateranen. ab Eminentiſſimo Franciſco Cardinali Barberino reſtitutis. Hæc autem ex graui aliquo vetuſto Vaticanæ Biblioth. monumento doctus ille amicus hauſerat. Die, qua Bonifacius Coronam accepit, inito Pontificatu, opiparum, priſco more, conuiuium celebrauit: teſtem habeas Iacobum Stephaneſcum ſancti Georgij Diaconum Cardinalem lib. de eiuſdem Bonifacij Coronatione.

Exurgenſq; iterum modicam, paucamq; per horam
Diſcubuit thalamo Princeps, qua Regia ſeſe
Protendit, magniq; Duces, totuſq; Senatus,
Et Reges, Proceresq; alij diſcumbere menſis;
Quique ſuo ſedere loco: fulgebat ab auro
Tota Domus. ....

Eſt in Vaticano.

Auctor vitæ Innocentij III. qui illius æqualis fuit, moris huius mentionem ſilentio præterire, noluit. *Facta, ait, laude ante Lateranenſe Palatium, poſtquam aſcendit in domum maiorem, quæ Leoniana vocatur, ſollemne conuiuium celebrauit.* Auguſtinus Patritius, lib. 1. ſect. 3. Rituum S. R. E. de ſollemni Pontificio conuiuio verba facit, teſtaturque maiores noſtros, ſic ille, die Coronationis, & die Cœnæ Dominicæ ſollemne conuiuium celebrare, conſueuiſſe, &, ſua ætate, Pium II. cui à manu ſeruiuerat, & Paulum II. id feciſſe. De Pij II. conuiuio agitur l. 2. Commentariorum eidē Pio adſcriptorū initio.

Ad Bonifacium VIII. Albertus Imp. literas dedit, dignas certè, quæ hic commemorentur, cum integras referri, propoſita breuitas non patiatur. Fatetur is, cum Innoc. III. cap. *Venerabilem*, Romanū Imperium à Græcis in Germanos tranſlatum, in Carolo Magno, per ſedem Apoſtolicam, & ius eligendi Regem Romanorum, in Imperatorem promouendum, certis Principibus Eccleſiaſticis, & ſecularibus ab eadem ſede tributum, ab eademque Reges, & Imperatores temporalis gladij poteſtatem accipere: & hæc verba ſubnectit. *Profiteor, quod Romanorum Reges, in Imperatores poſtmodum promouendi, per ſedem eamdem, ad hoc potiſſimè, & ſpecialiter aſſumuntur; vt ſint S.R.E. aduocati, Catholicæ Fidei, & eiuſdem Eccleſiæ præcipui defenſores.* Hæc ille. Leo III. Carolo Magno Imperium detulit; vt S. R. E. tuendæ onus ſuſciperet: ille coronatus, ſe eiuſdem Eccleſiæ protectorem, & defenſorem futurum, promiſit: cuius iuriſiurandi formulam Card. Baronius, ad ann. 800. ex ordine Romano, recenſuit. Quid Otho Pontifici Romano ſit pollicitus, legimus cap. *Tibi Domino* diſt. 63. D. Gregor. Mauricium Imper. Eccleſiæ pacis cuſtodem à Deo factum dixit; & cum Rom. Pontifex Cæſari commendo gladium, ex ara D. Petri ſumptum, offert, *Accipe, ait, gladium* ..... *in defenſionem S. Matris Eccleſiæ diuinitùs ordinatum*, &, paucis verbis interiectis, *vt in hoc vim æquitatis exerceas*, ... *& S. Dei Eccleſiam, eiuſque fideles propugnes, ac protegas.*

De Eleſt.

Eas refert Gretſerus lib. de Munificentia Princip. in ſedē Apoſtol. c. 9.

Innoc. III. c. Venerabilem ait. Imp. aduocatum, & defenſorē Eccleſiæ vocat.

L. 6. epiſt. 6 Lib. 1. R. S. R. E. c. 3. ſect. 5.

De Regalibus Frãcia.

De literis mutuis, conuicijs refertis, nomine Philippi Pulchri ad Bonifacium VIII. & huius ad illum ſcriptis, quas in ſuo libro Carolus Degraſſalius (ni labitur memoria) inſerit, dicam liberè, quod ſentio: eas, non veras, ſed ab aliquo confictas exiſtimo: non enim Pontificiam, & Regiam maieſtatem; ſed iratæ mulieris ex plebe ingenium produnt: non diſſentit à me Gretſerus: nec Paulus Aemilius: qui dixit: *Extant Regiæ Maieſtatis, Pontificiſque alternæ Epiſtolæ vtrimque miſſæ, plenæ conuicijs, ignominioſæq; ſi modo veræ, ab ipſiſq; compoſitæ, & non confictæ ab alijs, quod ſimilius vero ſit.*

c. 34. l. c. Lib. 8. Ae. Franc.

Bononiam ſeditionum diuturnitate feſſam, miſſis Oratoribus ad Bonifacium VIII. ann. 1297. ſeſe in Eccleſiæ fidem tradidiſſe, ſcribit Sigonius, libro tertio. De Epiſcopis Bononienſibus.



Damus effigiem Bonifacij VIII. ex æreo Numiſmate, quod Romæ in Muſæo Equitis Franciſci Gualdi vidimus: ex cuius familia, quæ inter primarias eſt in Vrbe Arimino, tres Quæſitores criminis hæreſeos, in eiuſdem Bonifacij Pontificatu, fuiſſe conſtitutos, videlicet Hominem Gualdum, (ſic enim appellabatur) & duos Ioannes, ex antiquis eiuſdem familiæ monumentis, conſtat.

In altera Numiſmatis parte Saluatoris imaginem portæ impoſitam cernis, & duo ad poſtes candelabra. Hac indicari Portam Sanctam, quæ, anno Iubilei ineunte, aperiri ſolet, nonnullis viſum: at ſi Numiſma, Pontifice Bonifacio VIII. effectum eſt, Portam Sanctam non refert; nam is huiuſmodi Portam aperiri, non iuſſit; vt ex c. *Antiquorum habet, &c.* & ex libello Iacobi Stephaneſci Cardin. ſancti

De Pœnit. & remiſſio.

A Georgij in Velabro de Bonifacij Iubileo, conijcere, licet: ſi, poſt vsū Portæ Sanctæ, confectum dicas; conijce, Numiſmatis auctorem indicaſſe, Bonifacium Iubilei inſtitutorem, vel reſtitutorem fuiſſe. Si Bonifacij ætate Numiſma impreſſum; exiſtimare licet, ea Porta Baſilicam Lateranenſem, Templis omnibus totius Orbis præſtantiorem, apud quam habitabat, & quam ornauit Bonifacius, adumbratam: vel Chriſtum Dominum: qui via, veritas, & vita, diuino ſanguine æternæ felicitatis valuas reſerauit, viam ad eam ſtrauit, ſuumq; in militanti Eccleſia Vicarium reliquit, ea poteſtate donatum, qua homines, ſcelerum maculas pijs animis deteſtantes, & Diuinam amicitiam exoptantes iuſti effici poſſunt: iuſtis autem in eam felicitatem aditus patet: non autem ſpiritali labe fœdatis. *Iuſti intrabunt in eam*, legis in Numiſmate; & in Apocalypſi. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium.*

Vide Hiſt. noſtrā de 12. Iub. duplicis coronamenti tiara vſos Pontifices.

cap. 21.

* *Sedit ann. 8. menſ. 9. dies 28.*] Ex Panuinio in Chron. An. .....
B menſ. &c. dec. 17. Genebrar. lib. 4. dies 18. Sanderus lib. 7. de Viſib. Eccl. Mon.

* *S. Ludouicum Regē Franciæ.*] Ita D. Anton. p. 3. Hiſt. tit. 20. c. 8. Literæ Canonizationis in Bullario extant, t. 1. *Gloria laus &c. Dat. apud Vrbemuet. 4. Id. Aug. Pontific. an.* 3. Referuntq, nonnullas res geſtas, & laudes ſancti Regis. Perperam Platina S. Ludouicum Minoritam à Bonifacio VIII. in ſanctos relatum, dixit: id egit Ioannes XXI. dictus XXII. ann. 1317.

* *Canonicos Regulares.*] De hac re Pennottus lib. 3. cap. 5. Hiſt. Trip. Cler. Can. vbi etiam docet, ex Lateranenſi Canonicorum Cœnobio ab Alex. II. vſq; ad Bonifacij VIII. tempora, octo ſummos Pontifices prodijſſe, nempè Alex. II. Paſchalem II. Honoriū II. Innocentium II. Lucium II. Alexandrum, Innocentium, & Honorium III.

* *Quattuor Euangeliſtarum.*] *Duplicem celebritatem, & Apoſtolis, & Euangeliſtis, & quattuor Eccleſiæ Doctoribus ..... ſtatuit.*
C Platina. *Duplex maius.* Genebr. loc. cit.

* *Monachis Nigris.*] Lapſus eſt Ciaconius. Innocentius IV. Cœnobium Araceli, monachis Nigris dimiſſis, Minoritis tribuendum curauit. Vide quæ ad Innocentij IV. vitam adnotauimus. Vvaddingus refert Innocentij IV. literas de hac re.

* *Stephanum.*] Petrarcha, Epiſtola 3. ad Seuerum lib. 2. Famil. ſummum militiæ decus, & in omni fortuna glorioſum, glorioſiſſimum, & admirabilem in exilio hunc vocat.

* *Memento Homo, quia Ghibellinus.*] Ex Platina in Bonif. VIII. idem Vvicelius in Epit. relatus à Geneb. lib. cit. Mornæo de Porcheto Genuenſium Antiſtite ad Bonifacij pedes prouoluto ineptè loquenti ſuaderet Gretſerus; vt, ritu Catholico, caput ſacris cineribus adſpergendum offerret. Card. Aegidius Viterbienſis refert, dictum à Bonifacio. *Memento homo quia Ghibellinus es, & cum eis ibis in cineres.* At de cineribus in oculos coniectis nullum verbum.

c. 56. Paſſ. myſt. Pleſ. in Hiſt. 10. ſec.

D * *Hæreticos ..... pronunciauit.*] Hoc dicendum non fuit: dixit in multis Ciaconio Platina *Schiſmaticos* dixit: Bonifacius (cuius verba perpendenda) in blaſphema, Schiſmatica, & inſana verba Cardinales, de quibus Ciaconius, prorupiſſe, ait: & paulò poſt, hæc habet. *Depoſuimus dictos I. & P. à Cardinalatibus eiuſdem Eccleſiæ, & ab omni Cardinalatus commodo, & honore; ipſóſque iudicauimus Schiſmaticos, & blaſphemos, & tanquam Hæreticos puniendos, expoſitos &c.* quibus verbis, Hæreticos eos non appellat, quamuis Hæreticorum pœnis plectendos iudicet.

C. ad ſuccidendos de Schiſm. lib. 6.

* *Sext. Decret.*] C. *Ad ſuccidendos &c.* quam Conſtitutionem refert etiam S. Anton. 3. part. Hiſt. tit. 20. cap 8.

* *Benedictus XI.*] Vide Platinam in Benedicto XI. & Genebrardum loco citato.

* *Ioannem Stephani filium.*] De hoc Ioanne Petrarcha Epiſt. 1. lib. 8. famil. loquens, Romani Cardinis decus, & Columnenſis fami-
E liæ Principem appellat. Obijt ante patrem (hic ſe filiorum ſuorum hæredem futurum prædixerat) & *Illius verba plena fide compleuit:* ait Petrarcha rem admirans. loc. cit.

* *Liber ..... in B. Vaticana.*] Hunc, & carmina eiuſdem Iacobi Diac. Card. legi ego in Veterum Patrum Bibliotheca, tom. 6. ſcripſit etiam carmina de Coronatione Bonifacij VIII.

* *Appropinquante an. 1300.*] De hac re diligenter, fuſèq; Card. S. Georgij ad velum Aureum Iacob. Caiet. qui tunc viuebat, in libro de Iubileo Bonifacij VIII. & nonnulla nos in Hiſt. 12. Iubileorum.

* *In Baſilica Apoſtolorum Petri, & Pauli.*] Legendum eſt, *in Baſilicam Principis Apoſtolorum*, Bonifacio VIII. aiente *Antiquorum habet fida relatio, quod accedentibus ad honorabilem Baſilicā Principis Apoſtolorum de Vrbe conceſſæ ſunt magnæ remiſſiones, & Indulgentiæ peccatorum.* Clemens VIII. nihilominus, Conſtitutio-
F ne; qua indixit Iubileum ann. 1600. & quam, fortè non vidit Ciaconius, Limina Apoſtolorum, ſingulis centenis annis, viſitantibus ampliſſimas criminum Indulgentias propoſitas, fuiſſe, dixit.

Extrauag. c. de Pœnit. & remiſſio.

Annus Domini placabilis.

* *Romanorum precibus ductus.*] De Procerum Rom. aliorùmue precibus nihil Bonifacius c. *Antiquorum* cit. neque Iacobus Cardin. S. Georgij lib. cit. intellexerat Pontifex, multos, eo anno, ad Baſilicam Principis Apoſtolorum confluxiſſe, & confluere, populi Chriſtiani pietatem, & SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli merita, & beneficia in Eccleſiam ſedulò conſiderauit; & vt ijmagis honorarentur, ſpiritalem Theſaurum eorum Baſilicas ſingulis centenis annis, pijs animis adeuntibus largitus eſt, anno 6. Pontif. non ineunte, vt innuit

A Natiuitate Domini.

Ciacōnius, ſed progrediente anno 1300. nempè xij. Kalendas Martij, vt ex cap. *Antiquorum*, &c. liquet. De qua re Cardinalis ſancti Georgij, & nos loco citato fuſiùs.

Turſellin. lib. 1. c. 13. Hiſt. Lau. & lib. 9. Cōp. hiſt.

Ingentes terræmotus, cladéſq; illatæ, & impendentes Italiæ Pontificis animum ad Secularem annum ſeù inſtituendum, ſeù inſtaurandum, quo Dei ira aüerteretur, permouerunt.

* *Confirmauit.*] Prius confirmauit dona ſpiritalia D. Petri Baſilicam adeuntibus conceſſa; deinde ſacras diuitias effudit in Romanos, qui 30. dies, in exteros, qui 15. Baſilicas SS. Petri, & Pauli viſitaſſent. Vide cap. *Antiquorum.* Hoc carminibus Cardinalis ſancti Georgij indicauit.

Diuorumq; Patrum Petri, Paulique ſubintrent
Limina tricenis vicibus Romanus, & exter
Quindenis, rutilans Orbem quoad exeat axis.

* *Tabula marmorea.*] Extat modo hæc tabula in pariete exteriori nouæ Baſilicæ Vaticanæ atrio magno contecto.

l. c. cap.

* *Multitudo ..... vt vix incedere per Vrbem, &c.*] Hæc Nauclerus, Sabellicus, Platina. Iacobus Card. S. Georgij *Cateruatim*, ait, *populorum turma e veſtigio Vrbem ingrediuntur, tanta numeroſitate, vt quocunque pergerent, exercitum, examenue præfigurarent.* Et cap. 6. *Vltimum, penultimóſque dies ſilere potius ipſorum infinitam multitudinem, quàm admirari libet*, Hæc ſcribere potuit Cardinalis, quia vidit: vt etiam Ioannes Villanus, qui Italicè ſcripſit, quæ ex illo S. Anton. Latinè: nullum ſcilicèt diem abijſſe, quin ducenta hominum millia hoſpitio in Vrbe exciperentur, præter innumeram eorum multitudinem, qui in itinere erant. Ex ſola Germania, quæ olim veteræ pietatis, & religionis gloria claruit, inſignis multitudo Romam acceſſit: Teſtem affero virum grauem, Germaniſq; charum Trithemium Abbatem. *Res mundi a prius & noua; vt tanta multitudo ex omni Germania Romam proficiſceretur; vt infinita, & innumerabilis videretur. Ex eo tempore Iubilei vſus in Eccleſia Romana eſſe cœpit: inter multos autem Principes, Epiſcopos, Abbates, & alios Prælatos: qui tunc Romam petebant, etiam Gottifredus huius Monaſterij Hirſaugien. nonus, & vigeſimus Abbas, &c.* Conſiderent eiuſdem Prouinciæ Nouatores priſcam Germanorum rectè ſentientium religionem, & fidem, Principum, Epiſcoporum, Abbatum, Populique innumeri ad Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Theſauros comparandos ad Vrbem Orbis magiſtram aduentum, ac reſipiſcant.

par. 3. hiſt. tit. 20. c. 8. §. 12.

In Chron. Hirſaug. an. 1300.

In Extrau. Com.

* *Lateranenſis, & Syſtina Baſilica.*] Clemens VI. Conſt. *Vnigenitus.* De Pœniten. & remiſſ. ſtatuit, vt ſacras Iubilei opes lucraturi Lateranenſem, Gregorius XI. vt etiam S. Mariæ Maioris (Syſtinam vocant nonnulli) Baſilicam viſitarent. Hoc aſſerunt Paulus II. Conſtitutione *Ineffabilis prouidentia, &c.* Syxtus IV. Conſtitut. *Paſtoris æterni.* Nicol. V. *Immenſa, & innumerabilia.*

* *Vrban. VI. ad 34.*] Vrbani VI. de Iubileo Conſtitutionem in Vaticana Biblioth. inuenire nunquam potuit Nicolaus Alemannus, illius Cuſtos eruditus: ad annum 33. Iubilei celebritatem Vrb. VI. reuocauit: audi Bonifacium IX. qui indictum ab Vrbano Iubileum celebrauit, ann. 1390. *Vrbanus VI. ſtatuit; vt vniuerſi Chriſtifideles verè pœnitentes, & confeſſi, qui in anno à Natiuitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti MCCCXC. inſtante tunc futuro, & deinceps perpetuis temporibus de 33. in 33. annos, Apoſtolorum Petri, & Pauli Baſilicas de Vrbe, & Lateranen. & S. Mariæ Maioris Eccleſias viſitaſſent, &c.* Idem Paulus II. & Syxtus IV. loc. cit.

an. 1389. Ad ſuchar. Regem, & A... Regni Angliæ ex Vat. Reg. Boni. IX.

* *In 50. reſtituit.*] Non Bonifacius IX. ſed Nicolaus V. ſingulis quinquageſimis annis Iubilei celebritatem reſtituit: vt in Hiſtoria 12. Iub. ex Nicolao V. Paulo II. Syxto IV. Iulio III. oſtendimus, literas Nicolai V. *Immenſa, & innumerabilia. Dat. Rom. 1449. xiij. Kal. Feb.* vidi ego in Vaticana Bibliotheca.

In Regiſt. Nicol. V.

* *Celebrauitq; ann. 1400.*] Indictum ab Vrbano VI. annum luſtralem, anno 1390. celebrauit Boniſ. IX. anno 1400. ob legem Vrbani VI. Secularis iacet annus locum non habuit; vt ipſe Boniſ. teſtatus eſt; cuius verba in noſtra 12. Iub. Hiſtor. legi poſſunt: ingentem tamen populi multitudinem, Secularis anni opinione, ad Baſilicas confluentem Roma vidit.

* *Carolus Valeſij Comes.*] Vide Platinam, qui idem omninò nō ſcribit. Comitem hunc ad Secularem luſtralis anni celebritatem anno 1300. Romam veniſſe, ſcribit Paul. Aemil. de Reb. Geſt. Franc. Ad eandem celebritatem venere Carolus Martellus Hungarorum Rex, multi Germaniæ Principes, Epiſcopi, & Abbates; vt cum Trithemio diximus, alijq; vt indicat Iacobus Cardinalis inquiens, *Nobilitate clari, ſtirpiſq; origine illuſtres ſæpe latenti habitu humilique aduenere. Prælatorum verò Italia copia, at Gallia non deſuit.*

In Philippo Pulchro Simon. l. 5. Hiſt. N.

lib. c. c. 6.

Habitabat tunc Bonifacius in Lateranenſi Patriarchio: Diploma tamen datum legimus apud S. Petrum: in eo nulla Portarum Sanctarum mentio: Pontifex Cardinalium corona ſtipatus in Vaticana Baſilica, ex loco edito, mirificè ornato, die Cathedræ Antiochenæ S. Petri, illud legi, præcepit, ſermone ad Populum habito; deinde *Altari impoſitum donum, non impari forma Doctoris gentium Baſilicæ miſſum*, vt cum eodem Cardinale S. Georgij loquar.

Card. S. Georg. c. 5 hiſt. cēteſimi.

Cardinales ſpiritales diuitias comparare ſibi ſtuduerunt, ſcriptor Hiſtoriæ Iacobus D. C. vera narrari, his verbis indicat. *Diebus 30. continuis, Principum vtramq; Baſilicam, peregrinationis cauſſa ingreſſi ſumus, nec minus ſæpius eodem die, Lateranum ad Cōſiſtorium, matutina luce, properantes.* Virgines, noctu, Templa adibant.

Cap. 4.

Nec defuere (ait idem Cardinalis) *intempeſta die, ob virginitatis pudorem, domi virorum aſpectibus obiecta, nollè ſub fida matronarum cuſtodia ad ſacras ædes migrantes.*

* *Dantes...... Petrarcha.*] De Petrarcha nihil Platina.

* *Hermann...... iam 30. annis.*] Annis 20. Platina. 29. Io. Baptiſta Pigna lib. 3. Hiſtor. Principum Ateſtinorum, vbi rem diligenter narrat.

* *Fraticellorum.*] Pigna loc. cit. Plat. Hermannum Fraticellorum ducem exiſtimat Petrus Lutzemb eoſque promiſcui concubitus fœditatem in locis abditis exercuiſſe, dicit, viſionem ſanctarum animarum ad vltimum differri diem, exiſtimaſſe, Sanderus lib. 7. de Viſib. Monarch. Genebr. lib. 4. vt ad ann. 1397.

* *Conſtitutiones...... contra quoſcumq; .... immodica tributa.*] Polyd. Virg. lib. 17. Hiſt. Angl. ad ann. 1297. ſcribit, Bonifacium, eo anno, Concilium Lugduni celebraſſe, interdixiſſeque ne Principes poſt hac Sacerdotijs tributa imponerent; Genebrardus lib. 4. dixit, præſediſſe Concilio Bonifacium; ſed Polyd. quo ille magiſtro vſus eſt, hoc non adiecit, Binius quoque par. 2. tom. 3. Concil. vtrumque ſecutus eſt, Ego verò exploratum non iudico, Synodum Lugduni habitam à Bonifacio; & Decretalem indicatam à Polydoro, l. 6. Decret. inſertam c. *Clericis* de Immunit. Eccleſ. in Concilio editam non video: in ea expreſſa extat mentio Principum; omnes includuntur; ſi in Concilio edita eſſet, Concilij mentio fieret.

Chronog.

* *Vt Gallorum natura.*] Delenda hæc verba.

* *Vt Regi inſidiarentur.*] Id Bonifacium feciſſe, in priſcis bonæ notæ ſcriptoribus non legi, nec feciſſe, reor.

* *Conſtantinopolitani Imperij.*] Carolus Valeſij Comes, cælebs à priori coniugio, Catharinam Balduini Iunioris Græcorum Imperatoris neptem, ex Philippo filio vxorem duxerat, & Romam, vt diximus, profectus, vt, iure Balduini ſoceri, Auguſtus Orientis nuncuparetur, contendebat. Paul. Aemil. Vide etiam Platinam in Bonif. VIII.

Loc. cit.

* *Papa...... Regem...... excōmunicatum.*] Vide Genebr. l. c. Volaterranum l. 23. P. Aemil. in Philippo D. Anton. l. c. Sand. l. 7. de Viſib. Eccleſ. Monarch. Pap. Maſſonum lib. 3. An. Fr. Genebrardus loco citato.

Philippus, ex re, Pulcher dictus eſt; fuit enim ſtatura procera, membriſque affabrè compoſitis, omniumq; hominum ſui temporis formoſiſſimus, venationis, & belli cupidus. Maſſonus l. c. in eius vita.

* *Alberto Cæſari.*] Philippus Alberti Cæſaris filio filiam in vxorem dedit: & nequid Cæſar in ſe tentaret, efficiendum curauit. Auctor Appendicis Sexti Aurelij Victoris.

* *Abbas Cluniacenſis.*] lege *Ciſtercienſis.* Maſſonus in Philippo, & alij.

* *Sacerdotum Conuentu Romam.*] Acta illius Concilij referuntur à Conrado Vecerio in vita Henrici VII. Imper. cuius verba retulit Binius, to. 3. Concil. par. 2. Voluit an. 1303. in Laterano Synodum habere, ſed mors obſtitit. Panuin. lib. 4 cap. 14. De Baſil. Later.

* *Sciarram Columnenſem.*] Platina *Sciarram Columnenſem, cum Gulielmo Nogaretto Gallo, Equite fidiſſimo, Romam miſit*, cum Nogaretio Muſciatam Franceſium ciuem Florentinum à Philippo miſſum, ſcribit Maſſonus, lo. cit. infra.

* *Equitibus.*] *Ducentis Equitibus.* Platina, *trecentis* D. Anton. §. 21. 300. Equites, & aliquot peditum cohortes Sciarram Anagniam duxiſſe, Maſſonus in Philippo dicit.

* *Omnibus ſacris veſtibus.*] D. Antoninus par. 3. Hiſt. tit. 20. cap. 8. Paul. Aemil. & Papirius Maſſonus in Philippo.

* *Romam vix tandem redijt.*] Plat. & Genebr. captum, & Romam ductum fuiſſe, aiunt. V. D. Ant. §. 21. loc. cit. Dantes dignitatem Pontificiam, poteſtatémque animo repetens, Chriſtum in Pontifice captum cecinit, Cant. 20. Purgatorij.

Veggio in Anagna intrar lo fior daliſo,
E nel Vicario ſuo Chriſto eſſer catto.
Veggiol un'altra volta eſſer deriſo:
Veggio rinouellar l'aceto, e'l fele;
E tra viui ladroni eſſer anciſo.

De modo, quo captus fuit Bonifacius Papa Maſſones in Philippo loco citato.

* *Cuſtodiam auxit.*] Superius dixit, Bonifacium in libertatem aſſertum; modo de cuſtodia loquitur; qua ratione hæc cohærebunt? D. Anton. §. 21. Maſſonus, & alij quidam ſcribunt, fugatis conuentus ab Anagninis, libertate donatum Romam adijſſe, & paulò poſt, apud S. Petrum in Vaticano interijſſe. Vide Petr. lib. 7. Sen. ad Vrbanum V. cuius verba inferiùs referuntur.

Loc. cit.

* *Caput muro concuſſit, digitos momordit.*] Hæc acta à Bonifacio Viro magnanimo, & imperterrito (his illum titulis donat S. Anton.) affirmare, non auſim. Platina certè non ſcripſit, neque S. Ant. neque P. Aemil. neque Maſſonus loc. cit. cum Paulo V. Pontifice, vetus Vaticana Baſilica ſolo æquaretur, cadauer Bonifacij VIII. integrum repertum fuit, digiti quidam annulis, vt dictum fuit, ornabantur. D. Ant. morbo corrodente Bonifacium perijſſe, ait.

Loc. citat. § 12.

* *Hic Pontifex doctrina, prudentia.*] Clara laude nō caruit Bonifacius. Ioan. Villanus lib. 8. doctum, iudicio, ingenióq; & memoria præditum; magnanimum, liberalémque in viros rerum benè gerendarum peritos eum nuncupat. D. Anton. §. 21. ſcientia acquiſita valdè peritum, naturali ingenio præditum, memoriæ tenacis, magni

Cap. 64. Loc. cit.

In hiſt. ... ſec.

A animu, in amicos liberalem; qui temporalem Eccleſiæ ſtatum defendit, & auxit: Card. Aegid. Viterb. Doctiſſimum appellat; qui viros doctiſſimos, ſapientiſſimóſque toto Orbe quæſitos Patres Purpuratos creauit; inter alios, ob ſanctitatem, & doctrinam, Nicolaum Bocaſinum, magnanimus, imperterritus, in hoſtium manibus, nullo metu concuſſus, dixit *vt Papa mori, decerno* D. Anton. teſte: [D. Anton. loc. cit.] præclaris legibus, in Chriſtianorum beneficium latis, & congeſto Sexto Decretalium Codice prudentiæ ſpecimen dedit; egregia ędificia extruxit, centeſimum Luſtralem annum celebrauit, inſignem de duplici Eccleſiæ gladio legem ſanxit, Romanæ, & Firmanæ Vrbis Gymnaſia inſtituit; Meritò de illo ſcriptum à Franciſco Petrarcha lib. 2. de Ocio Religioſorum, [Vide to. 1. Bullar.] *Efficacius animos tangunt exempla, quæ vidimus; ideo reſpicite, vbi nunc eſt Bonifacius VIII. Romanus Pontifex verus Populorum, & Regum, atque, vt dicitur, Orbis ſtupor, quem, niſi fallor, veſtrum aliqui viderunt?*

* *Moritur ..... qui Imperatoribus.*] Ex Platina.

B * *Petrarcha ad Vrbanum V.*] Bonifacium VIII. captum *illico*, dixit, *vt abiundi facultas fuit, Romam, hoc eſt, Arcem Chriſtianæ fidei petiiſſe.* Hortabatur autem Vrbanum Petrarcha, vt Vrbem Eccleſiæ Romanæ ſedem repeteret: Bonifacius non Romæ, ſed in patria, quam Romæ antetulerat, captus fuerat: ſi Romam coluiſſet, forte captus non fuiſſet.

* *Epiſcopum virum ſanctum.*] Vaticinium Epiſcopi Morianenſis, de quo hic Ciacon. D. Anton. §. 21. loc. cit. his refert, *in Regem ..... irruet notabile iudicium Dei, & in gentem eius, magnas ipſe luet pœnas, aduerſa multa patietur, & multi inſurgent contra eum, & filios eius*, deinde: *Totum*, inquit, *impletum eſt, non multo poſt tempore:* quæ haurire etiam potuit ex Ioanne Villano l. 8. Hiſt. cap. 64. [Loc. cit.] Pariſienſis Theologus Genebr. *Philippus Rex, cuius opera captus fuerat ..... Deo vinctum ſuum vleiſcente, nunquam deinceps proſpere ſe habuit, vt ab aliquo Epiſcopo prædictum fuerat.* C De infelici morte Philippi Regis D. Anton. tr. 21. cap. 3. §. 4. Sanderus lib. 7. Viſib. Monarch. Eccleſ. Petrus Maturus ad D. Anton. Maſſonius l. 3. [Loc. cit.] Ann. F. in Philippo P. Rex fero apro, in venatione, in illius equum irruente, lapſus occubuit: tres eius filij, vnus poſt alium, exiguo temporis interuallo, ex viuis abierunt, trium horum vxores coniugalia fœdera impudica fœditate temeraſſe, & duæ conuictę dicuntur. [Maſſ. D. Ant. Sand. loc. cit.] Romanæ ſedis Antiſtitem, cæleſti auctum poteſtate, & in illo Chriſtum Dominum honorent, venerentur, & audiant Principes, ſacráq; illa verba ſedulò meditentur. [P. Aemil. in Philippo P. Sād. loc. cit.] *Rex inſipiens perdet populum ſuum Regnū à gente in gentem transfertur, propter iniuſtitias, & iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos.* [Eccleſ. 10.] De Philippi, & filiorum interitu Petrarcha. [Lib. 1. de otio Relig.] *Vbi Philippus Rex Francorum, Pulchri cognomen ex re nactus: quem cum formoſiſſimis filijs, patriq; ſimillimis, qui eodem ex ordine ſucceſſerunt, tam immatura mors rapuit, vt omnium non tam vita videatur fuiſſe, quam ſomnium.*

D * *Anathemate, quo &c.*] Maiori Anathemate non punitur, niſi lethale hominis piaculum: qua ratione hoc vinculo obſtringebātur, ob iniurias Bonifacio illatas, qui non intulerant, neque inferre potuerant, cum, eo viuente, nondum geniti eſſent? Clemente VII. Pontifice, nemo viuebat ex illis, qui in Bonifacium manus violentas, malo Dęmone excitante, iniecerant, ob alienum flagitium, interdictum, non autem Anathema ferri poteſt. Quid auctor ſibi voluerit, non intelligo.

Eccleſiaſticæ libertatis vindex fuit Bonifacius, Genebrardus Pariſienſis Theologus lib. 4. maleuolos, & aſſentatores falsò & temerè dixiſſe, ſcribit. [Chronog.] *Intrauit vt Vulpes, regnauit vt Leo, obijt vt Canis.* Hoc apud D. Anton. non reperies, neque apud Platinam, qui minimas etiam labeculas Pontificum indicauit; neque apud alios magni nominis Hiſtoricos. Vide Genebrar. loc. cit.

E Ad Aedem Portiunculæ Nuntios miſit; iuſſitque, vt de mira illius indulgentia verba facerent. Vvadding. to. 1. A. M. ad ann. 1223. Aedes eadem VRBANO VIII. cordi eſt, anno Iubilei 1625. cum Indulgentiæ extra Vrbem ſublatæ eſſent, miram Portiunculæ non ſuſtulit. Literæ illius de hac re. *Cum nuper. Dat. Romæ 1624. Pontific. 1 die 31. Iulij, ſub Ann. Piſcat.* extant apud Vvadding. loc. cit.

Apamienſem Epiſcopatum inſtituit. Gul. Nangiac. & Genebrardus loco citato.

Diuinam iram ingentibus terræmotibus patefactam auertere ſtuduit: ad id curas omnes intendit, ait Turſellinus.

[L. 1. c. 15. Hiſt. Laur.] Bonifacij Pontificatum Lauretana Domus, Angelorum miniſterio, ad locum, in quo nunc adſpicitur, delata, reddidit inſignem vide Turſellinum loc. cit. [An. 1295.] Anno 1300. Turcarum Imperium ortum, Spond. in Auct. Genebrard. lib. 4. Chronog.

F Contra Bonifacium latrat Calumniſta Mornæus, ſed immeritò, lapſus huius nonnullos detegit Gretſerus cap. 56. Exam. Myſt. Pleſ. & Coquæus in Antimornæo. Etiam in præclaram eiuſdem Bonifacij Conſtitutionem. [In Extrau.] *Vnam ſanctam* de maior. & obed. quam, occaſione Philippi Reg. Pontificem non audientis, à Bonifacio editam, teſtatur Suarez, cum P. Aemilio loc. cit. in Philippo; & quam conſiderat Sotus in 4. diſt. 25. q. art. 2. §. *ſecundo ad eamdem veritatem.* [L. 1. c. 23. Defēſ. fidei cōtra hæt. S. A. num. 15.] Definit autem Bonifacius, in illius calce, pronunciatque ſapientiſſimè, ac ſanctiſſimè. *Subeſſe Romano Pontifici, omnis humana creatura, omnino eſſe de neceſſitate ſalutis.*


ADDITIO FLORAVANTIS MARTINELLI.

¶ *Marmoreum ſuggeſtum ..... Laterani condidit.*] Vidit Panuinius, & ex eo hanc Inſcriptionem excerpſit, & retulit in ſuo libro m. s. de Baſilica Conſtantiniana.


DOMINVS. BONIFACIVS. PAPA. VIII. FECIT. TOTVM OPVS. PRAESENTIS. THALAMI. ANNO. DOM. MCCC.

Eandem quoque Baſilicā reſtauraſſe, indicant rudes, ac nulla lege adſtricti verſus à d. Panuinio relati ex antiquo marmore deſumpti.

*Cui fœtidam dedit eſca lepram, * viſuq; peroſam,* [* viſiiq;]
Et maculata fides multa cum face lutoſam,
Conſtantinus ait, pueros pietate trucidam?
Impia lex, pietate datur mihi ſubdere terram:
Stant. Petrus, & Paulus. Syluestri ſuſcipe normam,
B *Et * rectam fidem ſanctiſſimo fonte renatam,* [* Erectam]
Ac per tranſuerſos montes, colleſq; fugatam,
Liberat ille Cælis tenet Vrbis Papa coronam
Inde prior generoſa mater Baſilica præſens
Facta fuit ſtabilis, quamuis lacerata per hoſtes,
Tandem conualuit ruſticam relinquendo cateruam.
Papa BONIFACIVS veniens OCTAVVS in eam,
Auxit, & poſuit de multis nobile germen,
*Qui noua progenies ipſo * faciente ſubacta* [* ſincero]
Sic fugiant vitium quod non ſciant cauere vetuſte
Hi ſunt ſcriptarum cuſtodes Reliquiarum.
Sic ſunt miſſarum factarum a Deo rerum.

C 

Signa Papæ Bonifacij VIII.



NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI
SOCIETATIS IESV.

POSTQVAM ſupremæ dignitatis contemptu, & libera ſui Renunciatione Cœleſtinus copiam feciſſet Cardinalibus eligendi Pontificem, omnium conſenſu, [Bonifacij parentes.] cum viginti & vnus ex Ioanne Rubeo, ex Panuinio verò, & Ciaconio viginti ac duo in viuis eſſent Cardinales, Benedictus Caietanus, Anagninus, filius Liutfredi, ſeu Loffredi, & Aemiliæ de Comitibus neptis Alexandri IV. Romani Pōtificis, [Chriſtoph. Caiet. in vit. m. s.] ac ſororis Andreæ de Comitibus ordinis S. Franciſci, D ſanctitate illuſtris, annis iam grauis, animique maturus, [Renūciatur Pontifex.] *nobilis ſecundum ſeculum vir, prudens, & literatus, Zelator magnus, & conſeruator iurium Eccleſiæ*, vt ſcribit S. Antoninus, Pontifex renunciatus. [Animi dotes.] Eximias illius dotes, ipſumque tanto dignum theatro Cardinalis Stephaneſius exponit his verbis.

Clara domus genuit, quem nutrit Anagnia colle
Caietana, virum dines, ſeu carmina vatum
Inſinuant, Vrbs illa fuit, dictoque vetuſta,
Sed longè maiore gradu prælata refertur
Florida, cui triplices noſtro producere plantas
Tempore conceſſum eſt, quæ Petri ſede Monarchæ
Imperio cunctas ſubigunt ac iure Cathedras,
Quas inter prælucet herus, cui ſcandere faſces
Ius erat. En legum titulum ſortitus ab olim
E *Sæpe ruiſe cauſis leges, & perculit hoſtem:*
Sæpe repercuſſus, contundens ſpicula Victor;
Sæpe fuit mens alta viro, fœcunda iuuentus,
Et docile ingenium, ſolers induſtria, promptum
Obſequium, ſecura palam prudentia ſari
Præſulibus fecere viam, qua tractus in altum
Creſceret. Hinc ſcriba iiiicus Papalis adeptus
Omnia pertractans, claro dictamine, quondam
Cardineo fulſit rubeo, leuita, Sacerdos
Cardo manens, Benedictus heros, nunc culmine ſummo
Imperat, ò pietas miſerantes in omnia Chriſti
Eccleſia, cuius lacrymis, & vulnere diro
Sanamur, gens cæca malo, cæcata parentum
Delictis, dum tantus Apex, qui ſecula, mores
F *Pontifices, Clerum, Reges, Proceresque, Duceſque,*
Et Gallos, Angloſque procul, frandeſque minaſque
Terrarumque plagas, mundumque reuiderat omnem,
Romanaque ſtatum ſedis, veterans in illo
Eligitur, penſata quidem medicina coæquans
Languores tibi Chriſte Deus, ſed proxima nobis
Tempora proſpicimus ſucceſſu in ardua prudens
Flectibus in modijs ortus: Campania talem
Edidit, ac tantam produxit Anagnia Prolem.

Acceptauit ille quidem ſupremas infulas, ſed oblatas doluit, adeo procul erat, vt per malas artes ambiret. [Dolet oblatā dignitatem.]

Lacrymas, (inquit laudat° Stephaneſi°) & moleſ pōdera libras
Aſſerſit geſtare iugum, iam doctus ab ante
Quis labor, & meritum cruciat quem publica cura
Pontificem ——————

Prænunciatio Bonifacio Pōtificatus. Oder. Rinald. in Annal.

Prænunciaſſe S. Cœleſtinum Bonifacio Pontificatum ſcribit idē Iacobus Cardinalis Stephaneſius, idque ſe ex ipſius Bonifacij, & aliorum ore accepiſſe, addiditque in Curia Apoſtolica paulò poſt à ſua abdicatione remoratum, vt ante actæ vitæ errata, ſacra exomologeſi apud Bonifacium expiaret auctoris verba hæc ſunt.

At tua ſimplicitas, perfectio, puraque mentis
Religio, deuota fides, ſpes firma ſalutis,
Illo ſe referant, quo dulcis in omnia verax,
Cuncta tua commiſſa tuo peccamina pandis
Summo apici; quæ cauſa ſenem remanere coëgit,
Poſt ceſſum Papale decus diſcedere promptum.

Altiora Bonifacij conſilia.

Suſceptis Eccleſiæ gubernaculis, Orbem vniuerſum complexus animo Bonifacius, pacare Italiam, Siciliam reuocare ad officiū, Hiſpanias fœdere cum Gallijs coniungere, Philippū Gallorum, & Odoardum Anglorum Reges ad pacem adducere, Adolphum Romanorum Regem ab inuadendis Gallijs deterrere, ceteros Chriſtianos, qui in mutua coniurarant funera, tanquam fidelibus perdendis Saracenī non ſufficerent, firmiſſima connectere concordia, initaque armorum ſocietate Græcos ad obſequium Romanæ Eccleſię adigere, ac Terram Sanctam ob diſſenſiones Occidentalium amiſſam recuperare eſt meditatus.

Diſcedit Neapoli. Io. Rub. in vita. Romę conſecratur. Conuiuiū celebrat. Fidei Profeſſio.

Quamuis precibus à Carolo Rege vrgeretur, vt Neapoli conſiſteret, profunda hyeme Siciliæ, & Hungariæ Regibus ſtipatus Neapoli diſceſſit; Pontificij decoris eſſe arbitratus Romę inſignia ſupremæ dignitatis accipere, ad Vrbem venit, magnoque plauſu, & apparatu à Clero, & à Ciuibus Romanis receptus, ad Lateranenſe Palatium deductus eſt. Poſt coronationem opiparo celebrato conuiuio, quo Siciliæ, & Hungariæ Reges Coronis redimiti: poſt quam prima fercula intuliſſent, vnà cum Cardinalibus diſcubuerunt, congiarium Populo, Cardinalibus munera diſtribuit: Fidei profeſſionem, quam emiſit, ex Brouio deſumptam accipe.

In Nomine Sanctæ, & Indiuiduæ Trinitatis, Anno Dominicæ Incarnationis 1294. Indictione viij. Ego Benedictus Caietanus Presbyter Cardinalis, & electus, vt fiam per Dei gratiam huius ſanctæ Sedis Apoſtolicæ humilis Miniſter: Profiteor tibi B. Petre Apoſtolorum Princeps, cui Claues Regni Cæleſtis ad ligandum, atque ſoluendum in Cœlo, atque in Terra Creator, atque Redemptor omniū Dominus IESVS tradidit inquiens, quodcunque ligaueris ſuper Terram, erunt ligata, & in Cœlis, & quæcunque ſolueris ſuper Terram, erunt ſoluta, & in Cœlis, *ſanctæq; tuæ Eccleſiæ, quā hodie tuo præſidio regendam ſuſcipio, quod quandiu in hac miſera vita conſtitutus fuero, ipſam non deſeram, non abnegabo, non abdicabo aliquatenus, neq; ex quacunque cauſa, cuiuſque metus, vel periculi occaſione dimittam, vel me ſegregabo ab ea; ſed veræ Fidei rectitudinem, quam Chriſto auctore tradente, per te, & beatiſſimum Coapoſtolum Paulum, perque ſucceſſores veſtros, vſque ad exiguitatem meam perlatam, in tua ſancta Eccleſia reperi, totis conatibus meis, vſque ad animam, & ſanguinem cuſtodiam, tam de ſanctæ, & Indiuiduæ Trinitatis Myſterio, quæ vnus eſt Deus, quam diſpenſatione, quæ ſecundum carnem eſt Vnigeniti Filij Domini Noſtri Ieſu Chriſti, & de ceteris Eccleſiæ Dei dogmatibus ſicut in vniuerſalibus Concilijs, & Conſtitutionibus Apoſtolicorum Pontificum, probatiſſimorumque Eccleſiæ Doctorum ſcriptis ſunt commēdata, ideſt quæcunque ad rectitudinem veſtræ, rectæ Orthodoxæ Fidei à te traditionem recipiunt, conſeruare. Sancta quoque octo vniuerſalia Concilia, ideſt Nicenum Conſtantinopolitanum, Ephesinum, Primum Calcedonenſe, Quintum, & Sextum item Cōſtantinopolitanum, ad vnū apicem immutilata ſeruare, & pari honore, & veneratione digna habere, & quæ prædicauerunt, & ſtatuerunt, omnimodè ſequi, & prædicare, & quæcunque condemnauerunt, condemnare ore, & corde. Diligentiùs autem, & viuaciùs quandiu vixero, omnia Decreta Canonica Prædeceſſorum Apoſtolicorum Noſtrorum Pontificum, quæcunque Synodaliter conſtituerunt, & probata ſunt, confirmare, & indemnita ſeruare, & ſicut ab iis ſtatuta ſunt, in ſui vigoris ſublimitate cuſtodire: Quæque, vel quos condemnauerunt, & abdicauerunt, ſimili condemnare ſententia, vel abdicare: diſciplinam, vel Ritum Eccleſiæ ſicut inueni à ſanctis Prædeceſſoribus meis traditam, & ſeruatam reperi, diminuere, vel mutare, aut aliquam nouitatem admittere, ſed feruenter, vt eorum hic verè diſcipulus, & ſequipedem totius mentis meæ conatibus, quæ tradita canonicè comperio, ſeruare, ac venerari. Siqua verò emerſerint contra Canonicam diſciplinam filiorum meorum S. R. E. Cardinalium, cum quorum conſilio, conſenſu, directione, & memoratione miniſterium meum geram, & peragam, conſilio emendare, aut patienter, excepta fidei, aut Chriſtianæ Religionis grauī offenſione, tua, ac beatiſſimi Coapoſtoli tui Pauli patrocinante interceſſione tolerare, ſacroſque Canones, & Canonica inſtituta Pontificum, vt diuina, & cæleſtia mandata, Deo auxiliante, cuſtodire, vt pote Deo, & tibi ſciens redditurum me de omnibus, quæ profiteor, & quæ quandiu vixero, egero, vel oblitus fuero, diſtrictam in diuino iudicio rationem; cuius ſanctiſſimæ Sedi diuina dignatione, te patrocinante præſideo, & vicem tuis interceſſionibus adimpleo. Eris autem mihi in illa terribili die propitius hæc conanti, & diligenter ſeruare curanti. Adiutorium quoque, vt præbeas obſecro in hac corruptibili vita conſtituto, irreprehenſibilis ante conſpectum Iudicis omnium Domini Noſtri IESV CHRISTI, dum terribiliter de commiſſis aduenerit iudicare, vt faciat me dextræ partis participem, & inter fideles Diſcipulos, & Succeſſores conſortem. Hanc autem Profeſſionem per Notarium, & Scriniarium S.R.E. me iubente ſcriptam, propria manu ſubſcripſi, & tibi beate Apoſtole Petre Apoſtolorum Principi pura mente, & deuota conſcientia ſuper ſanctum Corpus, & Altare tuum ſinceriter offero.*

Oder. Rinaldus, & Brou. in Annal. Encyclicas literas de ſua promotione ſcribit.

Ad Præſules deinde Catholicos, Reges, & Principes, ac fideles alios datis literis, certiores eos fecit, vt Cœleſtino ſponte ob iuſtas cauſas Pontificatu ſe abdicante, ceſſionemque admittente Cardinalium Collegio, communibus ſuffragijs ad ſummum Pontificatum euectus eſſet, adiecitque preces, vt diuina illi præſidia ad gerendum arduum munus, ac moderanda probè Eccleſię gubernacula pijs orationibus compararent.

Cœleſtinus cuſtodiæ traditur.

At licet Bonifacius Catholicæ rei adminiſtrationem à ſe ſuſceptā toto Orbe vulgaret, non tamen defuere pertinaces viri, qui ambigerent, iniitum ab ipſo legibus Pontificatum, ac ſuadere tentauerint Petro Murono, vt ſe tanquam Pontificem gereret; quorum impia conſilia vir ſanctiſſimus repulit. Bonifacius vero anxius ex illius fuga, perquiſitum ad ſe deduci primò, deinde cuſtodiæ tradi iuſſit, teſte Ptolomæo Lucenſi, *Inuentum,* inquit, *ipſum reducunt, ac in cuſtodia ponitur, & tenetur, præcauendo ſcandalo Romanæ Eccleſiæ, quia apud aliquos muſſitabatur, an cedere potuiſſet, & ſic poterat Schiſma in Eccleſia generare.* His etiam conſentanea mandat hiſtoriæ hiſce verbis Iordanus: *In cuſtodia poſuit ad cautelam vitandi diſſidij; aliqui muſſitabant, quod cedere Papatus non potuit.* Addit Iacobus Cardinalis S. Georgij ad velum Aureum, perhumanè habitum à Bonifacio, permiſſumque vt in Fumonis Arce in Campania ſita conſiſteret, atque illi conceſſos ex ſuo ordine aliquos Religioſos viros, cum quibus, diuinis rebus vacaret, omniaque ei opiparè ſubminiſtrata, ſed virum ſanctum ſacri propoſiti tenacem, à delicijs alienum parcè admodum cum ſuis vſum oblatis, totum ſe rerum cœleſtium contemplationi addixiſſe. At Petrus de Alliaco Cardinalis in Cœleſtini vita acerbè admodum a Bonifacio Cœleſtinum habitum fuiſſe tradit, atque ab illo contra ſententiam Cardinalium, qui libertatem permittendam cenſebant, vt in ſolitudine ageret, in arctiſſimū carcerem compactum. Subdit etiam multa in Bonifacium conuicia, & queritur virum innocentem paulò ante Chriſti Vicarium, ac Regum, & Principum communem patrem tam tetro carcere damnaſſe. Cum autem decem plus minus mēſes ea in arce manſiſſet Petrus, ſenio, & laboribus confectus, ærumnas Cœlo, mortem beata vita commutauit. Mortuo parentauit Bonifacius, & lacrymis, & re diuina, ac Thomam S. Cæciliæ Presbyterum Cardinalem, vnumque è Cubicularijs miſit, qui Epiſcopis, ac viris Religioſis comitantibus è Campania ad Eccleſiam S. Antonini de Ferentino ab ipſo conſtructam funus illius ducerent.

Mortuo Cœleſtino parentat Bonifac.

Siciliæ res curat.

Io: Rub. in Vita.

A Poſt Cœleſtini obitū cum creuiſſet Bonifacius auctoritate apud illos, qui perperam ipſius electionem in dubium reuocauerant, ad ſedanda bella, quæ Orbem Chriſtianum affligebant, animum applicuit; atque à rebus Siculis, quæ maximè illius pectus vrebant, exorditus eſt. Landulphum Cardinalem Brancacium amplissima inſtructum facultate ad Siculos miſit, vt illos, ſeu redeuntes ad Eccleſiæ obedientiam benigno ſinu reciperet, ſeu contumaces percelleret diris. Conuentu mox Anagniæ celebrato, cui affuerunt Carolus, & Principum, quorum intererat, Legati, malè diuiſos Reges in ſanctiora fœdera tum pacis, tum affinitatis induxit, cum his conditionibus. *Omni iure cedat Iacobus Aragoniæ Rex in Siciliam; Carolus Valeſius in Aragoniam, Valentiam, & Comitatum Barcinonis, quas ob defenſos ab Aragonio Siculos Pontifex occupandas dederat. Iacobus dimittat è cuſtodia Caroli Regis natos, demum recipiat hereditaria Regna, velut beneficium Pontificis, nouo iure, & poſſeſſione*

B *a Legato Pontificio per annulum ornandus. Nubant Iacobo Blancha filia Caroli; huius filio Roberto Violanta ſoror Iacobi. huic latis in eum, & eius Regna cenſuris laxatis, ſoluantur centum marcharum argenti ad compenſandam iacturam Siciliæ, & viginti quinque in dotē Blanchæ, remiſſis triginta Alphonſo Iacobi fratri; atque ipſi demum Iacobo Corſica, & Sardiniæ Regnis ex arcano promiſſis.*

Legatum mittit in Gallias pro pace.

Fœdera tanto rei Chriſtianæ emolumento confecta, vt potirentur optato fine, ſuſtulit impedimentum propinqui ſanguinis, quò fauſto omine nuptiæ celebrarentur; ac mutuam dedit Carolo vim magnam pecuniarum ſoluendam Iacobo. Miſit in Galliam Guillelmum Cardinalem S. Cæciliæ ad remouenda obſtacula, quæ pacem remorari poſſent: difficilis alea fuit Aragoniis reſtitutionem Regis Maioricarum ab ijs ob ſocietatem bellicam Gallo initam, Regno deiecti perſuadere; ſed Bonifacius ſcriptis ad Gallum litteris, & refixo Catalanorum Decreto, quo iuſſerant Baleares Inſulas Comitatus

C Barchinonenſis appendicem eſſe, obuia quæque amolitus, concupitam tot votis pacem, Regum ſuffragijs ratam vidit.

His ita conſtitutis, & vibrato Eccleſiæ fulmine in eos, qui impedirent initam pacem, ijs verò, qui promouerent, venia delictorum indulta, quis non exiſtimaſſet prouide conſultum Chriſtiano Orbi, & optimè res comparatas ad opitulandum Palæſtinæ, cui plus ſemper nocumenti à domeſticis filiorum diſſidijs, quàm externis hoſtiū armis euenit. Nam Iacobo in Pontificias partes eunte, Federicus illius frater, detrectantibus Gallorum imperium Siculis ſe Regem cōceſſit. Hi enim queſti Deum, & homines à Iacobo ſe deſtitui, contra omnis æui morem plurima apud ipſum egerunt prece, ne vile haberet Diadema Siculum, amore Populi firmum, potens virtute militum, munitum arcibus, felix inuidenda rerum omnium vbertate; ſin velit, oppida, arceſque reſtitueret, ipſos liberaret irrata fide, & copiam faceret Regis eligendi Comitijs poſtea Panhormi celebra-

D tis, Iacobo ſiue agente, ſiue annuente, fratrem illius Federicum Regem crearunt.

Siculi Federici opē amplexi.

Bonifaci° à Siculis Federicū remouere ſtudet.

Præſenſerat illud Bonifacius, multuſque in eo adhortando fuit, ne patrocinio eſſet Siculis, qui illius orbati auxilio, Pontificis arbitrio ſe permiſſuri erant, & qua erat prudentia, beneficijs eum aggreſſus eſt, vt donis hoſtilem animum conciliaret, ac mentem inclinaret auerſam. Ad colloquia inuitato deſponſandam propoſuit Catharinam Philippi Imperatoris Conſtantinopolitani filiam, Balduini neptem, dotemque dixit Orientale Imperium communi, & ære, & marte recuperandum. Et cum maximi in eo negocio momenti eſſet Philippus Galliarum Rex, ſollicitauit eum, vt qua poſſet prece, Catharinam ad tam proficuas rei Chriſtianæ nuptias adhortaretur, ac datis ad eam litteris, & miſſo Ioāne Abbate ſancti Germani de Pratis, magno argumentorum pondere perſuadere conatus eſt, vt quantocius ad Vrbem veniret, vt cum ſuo in Byzātinum Imperium iure animos

E Federicum transfunderet ad bellum, quod meditabatur, ſuſcipiendum. Nec omiſit ad Federicum, eiuſque matrem Conſtantiam ſcribere, vt ſana conſilia hæc filio ſuggereret, ille amplexaretur. Cum verò conſcientia exhauſti Gallorum ſanguinis Siculos terreret, nec ſperari poſſet, tam citò redituros ſub Caroli poteſtatem, aut facilè coire in immenſum patentia vulnera diſcordiarum, quò tractu temporis odium immane miteſceret, atque ipſi in Gallos induerēt mentem benigniorem, prudenti conſilio eoſdem Siculos litteris amore plenis edocuit, ſe tum ſuprema ſua in Siciliam auctoritate, tum poteſtate à Carolo facta, res Siculas adminiſtrare velle, vt repararet damna illata recenti bello, & futuræ proſpiceret quieti; paterni amoris fidem vt liberaret, pollicitus eſt ſe conceſſurum quemcunque vellent è Cardinalium Senatu, qui nomine Pontificio præeſſet Siciliæ. Miſit interim Vrgellenſem Epiſcopum, & fratrem Bonifacium de

Scribit ad Siculos.

A Calamandrana generalem Præceptorem S. Ioannis Hieroſolymitani, qui Siculis inter alia ampliſſima, etiam quæ poſſent aſſequi votis, offerrent. *Candidas membranas*, inquit rerum Sicularum ſcriptor, *quas vulgo pergamena vocant, rudes, atque omni ſcriptura carentes, Pontificali Bulla munitas, nunciis Siculis prætendebat, vt communicato conſilio in ijs ſcriberent, abſolutiones, remiſſiones, immunitates, exemptiones, fora, conſuetudines, conuentiones, libertates, atque alia quæcunque ſimilia, ſub alijs quibuſcunque vocabulis elegiſſent.* Congregati Meſſanæ Siculi longè aliter piiſſimam Pontificis mentem interpretati ſunt, quare Legato, vt quamprimùm è Sicilia ſub pœna mortis diſcederet, denunciarunt, non enim membranis, ſed gladio pacem ſe velle profeſſi ſunt.

Meſſanēſes Legatum Vrbe expellunt.

Bonifacius precibus minas addendas ratus, Federicum, & Siculos, quos nullæ amoris, & beneficentiæ curationes poterant emollire, armis contundere progreſſus eſt; ac die Chriſto cœlos repetenti

B ſacro, in beati Petri Vaticana Baſilica ſolemni ritu geſta à Siculis reſcidit, irritam pronunciauit Federici electionem, ipſum Regijs, nomine, ſigillo, auctoritate abſtinere iuſſit, Siciliæ adminiſtrandæ ingerere ſe vetuit, & cum eo cunctos, qui aſſuerant tam audaci facinori, ſub Eccleſiaſticarum dirarum minis Romam in ius vocauit; omnibus, qui Chriſtiano in grege concludebantur, edicens, ne cum illis miſcerent conſilia, litteraſue ad eos darent, vel ab iiſdem reciperent. Priuilegia deinde a ſede Apoſtolica ipſis conceſſa, inania, & caſſa robore declarauit, & demum cum tonitru non extimuiſſent, fulmine obruit, è piorū illos cōmunione ſecernens, bello mox perſequendos.

Geſta à Siculis Bonifacius reſcindit.

Bello igitur vt frangeret contumaces, multo ære ſuo, & decimis ab Epiſcopo Maſſilienſi collectis adiuuit Carolum ad militem inſtruendum; Iacobum Aragoniæ Regem varijs beneficijs ad ſe traxit, Genuenſes à belli ſocietate cum Siculis remouit, & Carolo adiunxit. Carolum Valeſium Philippi Francorum Regis fratrem, & Rober-

Bellum in Siculos.

C tum Atrebatenſem Comitem ad bellum contra Siculos pellexit: Cū diu alternis ſucceſſibus pugnatum eſſet contra Siculos, firmata eſt inter illos pax his conditionibus. *Vt Sicilia poſt obitum Federici ad Carolum, & heredes reuertatur poſtliminij iure: Federicus interim vita durante eandem obtineat, Trinacriæ, ſiue Inſulæ Siciliæ Rex appelletur: Regnum agnoſcat in clientela Romanæ ſedis; iiſdem cum ea, & amicis, & inimicis vtatur. Tria millia unciarum nomine fiduciario ſoluat Romano Pontifici: Centum milites tribus menſibus illius arbitrio ſub ſignis alat: ſua iura integra permittat Eccleſijs; aliàs luat commiſſi pœnam.* Atque ita bellum Siculum extinctum fuit Bonifacij Romani Pontificis ſtudio.

Pax cum Siculis.

Pacis conditiones.

Inſederat altè Bonifacij menti, pace firmiſſima Chriſtianos omnes conſtrictos, ad Chriſti nomen defendendum conuertere: quare cum Genuenſes ac Veneti mutuis imbuti odijs, & alternæ potentiæ æmuli Chriſtianam rem bellis continuis admodum affligerent, vtri-

Pacem inter Genuēſes, ac Venetos curat.

D que populo Bonifacius inducias Apoſtolica auctoritate indixit, vtque Oratores ad ſe componendi fœderis gratia mitterent, ſollicitauit. Eugubinos inſuper Callienſibus; Foro Sempronienſes Senogallienſibus conciliauit. Eugubium factione Ghibellinorum à Pontifice diuulſum, ad obedientiam debitam ſanctæ ſedi reduxit. Pax etiam eo iubente inita inter Vrſum Vrſinum, & Comitem ſanctæ Floræ; inter Vrbeuetanos, & Tudertinos. Priores Vrbeuetanos ab Eccleſia abdicatos, & Vrbe eorum ſacris interdicta ad obſequium reuocauit; binis Statuis propter ſingularia ſua in eos merita ab ijs donatus. Electus arbiter honorarius inter Bononienſes, Mutinēſes, & Ateſtinos diu multumque diſceptantes de quibuſdam Caſtellis, partium momenta diſcuſſit; & percepto Bononienſium iure, ſecundum ipſos pronunciauit ea tamen lege, Vt imperandam ab ipſo pecuniam Mutinenſibus refunderent. Bononienſes autem Statuam illi in fronte palatij Ciuici poſuerunt cum hoc lemmate.

Inter alios Populos pacē conciliat.

E

BONIFACIO VIII. PONTIFICI MAXIMO
OB EXIMIA ERGA SE MERITA
S. P. Q. BONONIENSIS
ANNO MCCCL

Vrbs vetus quoque grati in Bonifacium animi monumenta binis memoriam illius Statuis æternauit. Florentia Pontificali indutum ornamento in veſtibulo maioris Eccleſiæ conſecrauit è marmore; Anagnia, & primæ Orbis Baſilicæ Lateranenſis, & Vaticana ſignis eum ob egregia illius geſta repræſentandum duxerunt omnium ſeculorum poſteritati, vt inciſis, quas hic inſerimus tabulis, videre eſt.

Appamiæ ſede Epiſcopali inſignitæ. Eccleſiæ iura tuetur.

A Inſignauit Bonifacius Villam Appamenſem in Gallia Epiſcopalis ſedis dignitate, illamque noua ornauit Academia. Cum autem Maſſilienſes, vt nullus Clericus, niſi vrbi ſubditus bona, vel inter viuos, vel ex teſtamento relinquere poſſet, vt bonis Ciuitatis non potirentur, qui eius onera ſubire, ac ſumptibus publicis contribuere non tenerentur. Cum ea lex libertatem Eccleſiaſticam labefactaret, Arelatéſi Archiepiſcopo, ac Epiſcopo Maſſilienſi partes dedit, vt ipſam reſcindi curarent. Grauius tamen illi inſurgendum fuit in Carinthiæ Ducem, eundemque Tiroli Comitem, poſſeſſionum Eccleſiæ Tridentinæ inuaſorem, quem meritis cenſuris ſolemni ritu perculit. Lucanis Magiſtratibus, Lucanam Eccleſiam opprimentibus intendit iudicium, tum Epiſcopum, qui Eccleſiæ ſuæ iniurias ignauo ſilentio diſſimularat, ſedi Apoſtolicæ ſiſtere ſe præcepit. Eodem quo Lucani crimine infecti erant Piſani, atque Vrbeuetani, in quos pœnas Eccleſiaſticas intorſit.

Archiepiſcopū Toletanum ad officiū reuocat. Oder. Rinaldus, & Baro. in Annal. Io. Rubeus in vit. Chriſtoph Caiet. in vita.

B Bergenſi verò Archiepiſcopo in Hiſpania imperia dedit, vt Toletano, qui in Palentinam Cathedram laicorum potentia intruſum cōfirmarat, iudicium intéderet, ac lapſo trimeſtri apud Subſellia Apoſtolica ſiſtere ſe iuberet: ſpernentem verò edictum Toletanum Archiepiſcopum Pontifex huius ſententiæ terrore ad officium compulit. *Nos, qui ſecundum Apoſtolum prompti ſumus inobedientiam omnem vlciſci, ſine Dei, & Sedis, cui præſidemus, offenſa diſſimulare amplius non valentes, quin tam longa contumacia, atque contumata inobedientia eius, & contemptus notabiles, iuſtæ indignationis Noſtræ motus ſentirent, & eos debita pœna percelleret, dictum Archiepiſcopum, qui Nos, & dictam Sedem tamdiu contempſit, contemptibilem iuſto iudicio reddere cupientes, vt in quo deliquerat, puniretur; à confirmatione, & conſecratione Suffraganeorum ſuorum, nec non à collatione perſonatuum, dignitatum, Canonicatuum, præbendarum, portionum, & præſtimoniorum Toletanæ Eccleſiæ in præſentia fratrum Noſtrorum, vſque ad beneplacitum Apoſtolicæ* C *Sedis ſuſpendimus, & volumus manere ſuſpenſum; ea interim Sedi eidem ſpecialiter reſeruantes. Et nihilominus, vt eius pœna ſit metus multorum, & tranſeat præceptorum Noſtrorum contemptoribus, & contumacibus in exemplum; memoratum Archiepiſcopum, niſi infra quatuor menſes à tempore denunciationis ſententiarum, & proceſſus Noſtrorum huiuſmodi eidem factæ ſe perſonaliter Noſtro conſpectui præſentauerit, ſuam purgaturus contumaciam, & oſtenſurus innocentiam, ſi poterit, in prædictis, aliàs pro meritis recepturus, Archiepiſcopali dignitate, & adminiſtratione Toletanæ Eccleſiæ eum decreuimus hoc ipſo, & nunc decernimus fore priuatum. Dat. Anagniæ x. Kalen. Auguſti anno ſecundo.*

Odericus Rinaldus in Annal. Eccleſiæ iura tuetur.

Apoſtolico zelo Francorum Regem à detinendis Eccleſiarum Pictauienſis, & Laudunenſis bonis compeſcuit, ac repetijt a Philippo Rege bona omnia, quæ Fiſci Regij miniſtri inuaſerant, eumque D ſuis litteris monuit, vt adminiſtrorum in Clerum impunè graſſantiū licentiam coërceret. Tutatus quoque eſt Bonifacius Appamenſem Eccleſiam contra Rogerium Fuxi Comitem, qui Vrbem ſuæ ditioni obnoxiam contendebat; neque illum cenſuris, quibus deuinctus fuerat, liberari permiſit, niſi prius ſacramento ſe obſtringeret ex Epiſcopi conſcientia, ac iudicio iniurijs illatis ſatis eſſe facturum. Albertus Germanicum, ac Boëmum, Germanici Imperij, ac Regni Hungarici inuaſores in iudicium accerſiuit, & Moguntino, Colonienſi, ac Treuirēſi Archiepiſcopis Prouinciam tradidit Alberto Germanico denuntiandi, vt Oratores ſuos ad ſedem Apoſtolicam mitteret, ad impoſitum ſibi læſæ maieſtatis crimen, quo cæſo Adolpho Romanorū Rege ſe deuinxerat, purgandum; ac ſi Pontificia imperia reſpueret, illius ſubditos ſacramenti religione liberatum iri, ac Romanum Pōtificem diuinarum humanarumq; legum pœnas ipſi incuſſurum: litteras deinde eodem argumento dedit ad ceteros Imperij Electores. E Paruiſſe imperijs Apoſtolici Principis Electores Eccleſiaſticos ex Henrici Rebdorfij Annalibus colligitur. Imò ad perficiendum opus, Angelum Epiſcopum Nepeſinum Legati Apoſtolici auctoritate inſtructum in Germaniam miſit contra Albertum eiuſque ſubditos, vt ex litteris ad Conſtantienſem, & Baſileenſem Epiſcopos miſſis conſtat, quibus ipſis demandata eſt cura, vt Ioannem è Turego Protonotarium Alberti omnibus priuilegijs, quibus à ſede Apoſtolica ornatus fuerat, exutum promulgarent, deque ea re publica acta conficerent. Albertus in iudicium vocatus, ſupplex Bonifacium ad clementiam flexit, adeo vt ipſius electionē poſt bienniū confirmauerit.

Albertus in iudiciū vocat.

Regularē diſciplinā purgat.

Ad continendam quoque Regularem diſciplinam nonnulla ſanxit: & quidem cum temporum ſucceſſio aperuiſſet ex nonnullis Nicolai IV. Statutis grauiſſima mala pullulaſſe, quibus ille Luſitaniæ, & Algarbij S. Iacobi religioſos Equites à ſupremi Magiſtri auctoritate F exemerat. Bonifacius huiuſmodi Decreta Nicolai, quamuis à Cœleſtino approbata eſſent, conuulſit, ne exempli pernicies poſtea in Templarios, Prædicatores, ac Minoritas ſerperet, ac ſacros cœtus diſſolueret. Hoſpitalarijs verò permiſit, vt cum grauiſſimos labores terra, marique ſuſciperent, dum pro Chriſtiano nomine arma gerebant, exceptis Quadrageſima maiori, ac Feria ſexta hebdomadæ, veſci carnibus, alijſque cibis vti poſſent.

Piſani Reipublicæ adminiſtrationē Bonifacio cōcedunt.

Piſani, vt arctiori vinculo Apoſtolicæ ſedi ſe coniungerent, Reipublicæ adminiſtrationem Bonifacio Romano Pontifici contulere, & quatuor millia librarum ſtipendium pro ſuſtinendis Magiſtratus muneribus dare decreuerunt. Admiſit delatum honorem Pontifex, A ac ſuas ad Piſanam Rempublicam gerendam vices Comiti de Colle Vallis Elſæ tradidit, ac ſtipendiaria quatuor librarum Piſanarum millia ea lege attribuit, vt ad ſeruanda Piſanorum Statuta ſacramento ſe obligaret, atque ad ſuſtinendam dignitatem quatuor equites ſocios aſciſceret, ac totidem Iudices, duodecim inſuper equos aleret, quorum ſex ad minimum grauioris armaturæ militem geſtare poſſent.

Hæreſes cōpreſſæ.

Nouæ hæreſeos Fraticellorum ſcilicet, ac aliorum luem, quæ ſenſim in pluribus Prouincijs, graui Chriſtianæ Religionis diſcrimine pullulabat, compreſſit, ac damnauit. Diſtrinxit etiam legum ſeueritatem in illos, qui Sarracenis merces vetitas inferebant, & incuſſis grauiſſimis pœnis, arma, & alia inuehi prohibuit. Ex ſacri Senatus Conſilio inſuper vetuit, ne in Patriarchalibus ſedibus Conſtantinopolitana, Alexandrina, Antiochena, ac Hieroſolymitana, quandiu ſub Schiſmaticorum, aut infidelium iugo eædem Eccleſiæ lugerent, ipſarum Canonici inconſulta ſede Apoſtolica Patriarcham eligerēt.

Oder. Rinaldus in Annal.

B Magno apparatu excepit Romæ Bonifacius Iacobum Aragonum Regem, eique Inſularum Sardiniæ, & Corſicæ Regna conceſſit. Confluxiſſe etiam Romam Carolum Siciliæ Regem, Conſtantiam Reginam Iacobi matrem vnà cum Ioanne Prochita, ac Rogerio Lauria, qui à Federico Siciliæ Tyranno deſciuerant, eoſque cenſuris, quibus irretiti fuerant, ſolutos, magnaque pompa Roberti Caroli Regis filij vnà cum Iolāta Iacobi ſorore nuptias celebratas fuiſſe ſcribunt Zurita, S. Antoninus, Ioannes Villanus, alijque.

Recipit Romæ Aragonum Regem. Iord. m.s. Vatic. Prateol. in Elencho Hæreſe.

Præterea Regna Iacobo tradita Bonifacius ipsū Chriſtiani exercitus in Orientem traiecturi Ducem creauit; & aſtrinxit ſe Iacobus in Chriſtiani nominis patrocinium iturum eſſe aduerſus infideles egregiè rebus omnibus inſtructurum. Bonifacius verò omnia ipſius bona in Apoſtolicæ ſedis clientelam ſuſcepit, cunctoſque illorum inuaſores deſignandos anathemate, ac terras eorum interdicto ſubijciendas decreuit, atq; Ilerdenſi, & Cæſaraugustano Epiſcopis Pro- C uinciam impoſuit, vt Regis Aragonum in Apoſtolicum patrocinium ſuſcepti res defenderent.

Iacobus Aragonū Rex, Dux inſtit. Chriſtiani exercitus. Odericus Rinald. in Annal.

Cum inteſtino bello Hungaria laboraret, Nicolaum Oſtienſem Epiſcopum Legati à latere dignitate auctum ad Regnum illud direxit, & idem munus etiam in Polonia, Dalmatia, Croatia, Ruſſia, Seruia, Lodomeria, Galatia, & Comania, ita gerere iuſſit, vt tamen in Hungaria tantum inſignibus, quibus in tranſmarina expeditione Cardinales Legati ornari ſolerent, vteretur. Vt verò Etruriam factionibus Alborum, & Nigrorum laceratam pacaret, Matthæū Epiſcopum Portuenſem Legatum miſit; cumque fluctuaret Aemilia ſeditionis æſtu, ad illam Epiſcopum Papienſem, & ad Gallos Ioannem Presbyterum Cardinalem SS. Ioannis, & Pauli deſtinauit, vt Philippum Regem anathematis, & cenſurarum vinculis deuinctum, ſi veniam deprecaretur, ſolueret.

Io. Rubeus in vita. Nicolaus Epiſcopus Oſtienſis Legatus in Hungaria. Oder. Rinaldus in Annalib. Mattheus Epiſcopus Portuenſis in Etruria. Io. Presb. SS. Io. & Pauli in Gallia.

Neque ſolum externa cordi fuere Bonifacio, ſi externa habet om- D nium Pater, ſed Vrbis propria ſummo ſtudio curauit. Barbarum illum morem, quo interdum Defunctorum corpora in longinquas terras transferenda, aqua feruentiſſima decoqui, concidi, vel exuri conſueuerant, cum id à pietate Chriſtiana abhorreret, edita Conſtitutione ſuſtulit. Sacras Indulgentias Stationum Vrbis confirmauit, imò vt ſcribit Baronius in Notis m.s. *Addidítq; ſingulis diebus dies centum Indulgentiæ, vt habetur in libro Priuilegiorum Romanæ Eccleſiæ.* Virgines Deo deuotas inter Cœnobij clauſtra ſecluſit: ordinem Seruorum beatæ Virginis confirmauit: ad arctiorem diſciplinā Religioſos viros S. Antonij Vienenſis erudiuit, regulam S. Auguſtini in Cœnobijs, & ſignum T. in veſtibus illis præſcripſit. Iacobo Abbati S. Pauli de Vrbe conceſſit, vt in Ara principe illius Baſilicæ ſacra celebrare poſſet; ex quibus conſtat antiquitus vetitum fuiſſe, ne quis in Patriarchalium Vrbis Eccleſiarum Altaribus præcipuis, niſi ſummus Pontifex Miſſarum ſolemnia perageret.

Funerum corpora excoqui vetat. Indulgentias Stationum Vrbis confirmat, & auget. Oder. Rinald. in Annal. Moniales inter clauſtra ſecludit. Ordinem S. Antonij reſtaurat. Card. Caietan. in vita m.s. Abbati S. Pauli de Vrbe concedit, vt in Ara principe celebret.

E Controuerſias, quæ inter Religioſos cœtus, & Clerum in Vrbe vigebant, diremit, ac nouas leges ad pacem ſeruandam promulgauit; videlicet vt religioſi viri à Defunctorum hæredibus inuitati ad exequias pergerent, morientibus Sacramenta non adminiſtrarent. Poſſint in ſuis Eccleſijs ad ſepulturam eos admittere, quibus lege Canonica interdictum non erat; non arceantur ab audiendis Confeſſionibus, habendis ſacris concionibus, ac eleemoſynis excipiendis. Ne in aliorum Eccleſijs ſine facultate confeſſiones audire præſumant: ne Parochi Euchariſtiæ, & extremæ Vnctionis Sacramenta ijs negent, qui apud religioſum Sacerdotem conſcientiam expiaſſent: ſi quid controuerſiæ oriretur, res tota Pontificij in Vrbe Vicarij arbitrio permitteretur. Præterea Academiam Romanam inſtaurauit, vt quæ tot alijs ornamentis abundabat, literarum quoque gloria floreret, ac plures prærogatiuas ad Academiæ decus augendum F contulit. Nec modò Romæ, ſed in alijs etiā Vrbibus, vt Firmi, Appameę, & Auenione Gymnaſia excitauit. Apud Vrbem ueterem extrui curauit Templum: Canonicis Regularibus Templa ſanctæ Cæciliæ, ac ſancto Laurentio ſacra in Vrbe conceſſit.

Controuerſias inter Clerum, & religioſos viros dirimit. Inſtaurat Academiā Romanam, & Auenionēſem excitat. Io. Rubeus in vita.

Ordinis S. Dominici religioſos viros ad Tartaros, Sarracenos, Paganos, Græcos, Bulgaros, Cumanos, Aethiopes, Syros, Hiberos, Alanos, Gazaros, Gothos, Zichos, Ruthenos, Iacobitas, Nubianos, Neſtorianos, Georgianos, Armenos, Indos, Moſcetitos, alioſque Orientis, & Septentrionis incolas, ad veritatis, & fidei lumen propagandum deſtinauit. Iuſſit Catechiſmum ad ſenſum in rebus diuinis Romanæ Eccleſiæ ijſdem informandis conſcribi, vtque maiori cum

Religioſi viri Euangeliū promulgant iubente Bonifacio.

fructu,

ructu, & dignitate legatio peragеretur, plurima ipſos inſtruxit auctoritate abſoluendi, ligandi, diſpenſandi, ac cœleſtes erogandi theſauros. Tam pia vota, & conatus fruſtra non fuere, nam plurimi ad filiorum Dei cœtum aggregati, & Carelia, Brouio teſte, ad fidem Chriſtianam traducta.

Bonifacij ſcripta.

Præter illa, quæ ſupra recenſuit Ciaconius, ſcripſit Bonifacius.

De Chriſtianæ Fidei & Romanorum Pontificum Perſecutionibus Tractatum.

De Priuilegijs Doctorum, & Studentum Almæ Vrbis Conſtitutionem.

Sermones duos, quos dixit in Canonizatione ſancti Ludouici IX. Francorum Regis, qui extant m.ss. in Biblior. Victoriana Pariſienſi.

Singulari inſuper erga ſanctiſſimam Chriſti Paſſionem affectu, Orationem vnam, ſeu Meditationem ſcripſit, quæ paſſim habetur impreſſa, & incipit: *Deus, qui pro Redemptione Mundi voluiſti naſci, circumcidi, &c.*

Bonifacij Obitus.

E vita exceſſit Bonifacius, vt dictum eſt ſupra à Ciaconio v. Idus Octobris anno 1303. deducentibus feretrum Carolo II. Rege, alijſque illuſtriſsimis viris. Obijt, vt habemus ex Actis Vaticanis, *omnes articulos fidei, more ſummorum aliorum Pontificum recognoſcens, & confeſſus, coram octo Cardinalibus explicite profeſſus fidem Catholicam, aſſerens, ac profitens ſe firmiter tenuiſſe fidem Catholicã, quam tenet, ac docet, ac prædicat Romana Eccleſia, & in eadem fide vixiſſe, ac velle mori, ſanctis etiam bene munitus Sacramẽtis.* Mauclerus verò hęc de Bonifacij morte poſteris ſcriptum reliquit: *In Vaticano Palatio Spiritum Deo reddidit, non furenti ſimilis, vt quidam falsò calumniatorum, & Hæreticorum, Schiſmatorumque deliria ſecuti ſcripſere, ſed pleno iudicio, integroque rationis ſenſu, vera commiſſorum peccatorum tactus contritione cordis, exceſſit è vita.* Iacobus Stephaneſcus teſtis oculatus his verbis Bonifacij mortem deſcripſit.

.... Lecto proſtratus anhelus
Procubuit, faſſuſque fidem, veramque profeſſus
Romanæ Eccleſiæ, Chriſto tunc redditur almus
Spiritus, & ſanus neſcis iam Iudicis iram
Sed mitem, placidamque Patris, ceu credere fas eſt.

Quod ad geſti ab eo Pontificatus tempus attinet, illud Cardinalis Baronius ſcriptis conſignat his verbis, *ſedit annos octo, menſibus nouem, diebus decem & octo.* renunciatus enim fuit Romanus Pontifex, vt dictum eſt ſupra ix. Kalendas Ianuarij, ipſo nimirum Natalis Domini peruigilio anno 1294. obijt vero v. Idus Octob. an. 1303.

Sepultus fuit apud ſanctum Petrum, ſecus Altare S. Andreæ, in ſepulchro, quod viuus ſibi extrui curauerat; in quo iacuit, vſque ad annum 1605. quo anno poſt trecentorum volumina annorum, eodẽ die, quo vita exceſſerat, repertum eſt illæſum, & integrum. Caput enim illius, quod debebat parieti illiſum fuiſſe, ſanum; manus, quas mentiebantur corroſas, integræ, nerui carne, & pelle veſtiti, venæ protuberantes fuerunt; totum denique corpus, ſi naſi extremitatem non deſideraſſes, incorruptum. Hoc teſtimonio tam admirando voluit Deus iniquas maleuolorum linguas confundere, & innocentiam Vicarij ſui reddere Orbi manifeſtam, mirumque ab eo certamen pro iuſtitiæ defenſione Cœlo, & ſuperis gratum demonſtrare. De Bonifacij vetuſtiori ſepultura, eiuſque corporis inuentione narrationem fide publica deſcriptam, & roboratam cum tanti Pontificis hæredes Caietani Duces accepiſſent, nouæ arcæ in noua Baſilica Vaticana, in qua ſepultus iacet hodierna die, curauerunt inſculpi.

Inuentio corporis Bonifacij. Io. Rub. in vita. Odor. Rinald. in ſuis Annal. Baron. in Annal.

CORPVS BONIFACII VIII. CAIETANI PONTIFICIS MAXIMI EX VETERI IN NOVAM BASILICAM TRANSLATVM HIC REPOSITVM IACET.

De quo illud memorabile accidit, quod eodem die, quo obijt, ſcilicet v. Idus Octobris, iam inde trecentum, & duobus elapſis annis eius corpus integrum, atque incorruptum repertum fuit anno Domini 1605.

Bonifacij virtutes.

Et meritò; nam virtutibus omnibus ornatiſsimus extitit ille dum vixit, magnanimus, prudens, iuſtitiæ eximius cultor, diſciplinæ, & iurium Eccleſiæ acerrimus defenſor, admirandus iuris, & rerũ omnium cognitione. Eccleſiæ autem ornandæ, & amplificandæ ſummè ſtudioſum extitiſſe Archiepiſcopi Suffraganei, & Abbates Rhemenſis Metropolis, etiam poſt intentatam illi à Philippo litem, his verbis teſtati ſunt. *Ad Chriſti Vicariatus apicem*, Bonifacium alloquebantur, *diebus noſtris, quod læti referimus, diuina gratia prouiſionis aſſumpti, quale ad ſalubre regimen, ſtatum proſperum, & exaltationem fœlicem Eccleſiæ deſideris ſummis aſpirantes, paternam curam ſtudium efficax, & indefeſſæ ſollicitudinis operam duxeritis impendendam, vniuerſa iam notio publicat, & ipſa res experientia manifeſtat.*

Caſtitatem coluit.

Caſtitatem mirè coluit, inquit Iuſtinianus in Chronicis, & Richardus Abbas S. Iuſtinæ teſtis oculatus, magnæ eum fuiſſe probitatis affirmat: Miſſas, vt habent acta, celebrabat frequenter cum deuotione, & lacrymarum effuſione: Fidem Catholicam ad vſque ſupremum halitum vitæ, ſtudio indefeſſo propagauit, & coluit. Non igitur mirum, ſi à doctis ſcriptoribus extollatur varijs, & excelſis

Scriptores Bonifaciũ commendant.

laudibus. *Illum* S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus nuncupat, *ſcientia acquiſita valde peritum, naturali ingenio præditum, zelatorem magnum, & conſeruatorem iurium Eccleſiæ.* Dinus de Mugello Archidiaconus Bononienſis, Tiraquello referente affirmat, *neminem vnquam ingenio excellentiori in Piſcatoris Cathedra ſediſſe:* Nauclerus, *Virum in Ciuili, & Canonico Iure peritiſſimum, qui viros doctiſſimos pariter ac ſapientiſſimos ad Purpuram aſciuit.* Ioannes Villanus, *doctum iudicio, ingenioque, & memoria, magnanimum, liberalem in viros rerum bene gerendarum peritos.* Cardinalis Viterbienſis, *Doctiſſimum.* Platina, Binius, aliique *doctrina, & rerum experientia inſignem* Philippus, *Doctorem Eccleſiæ, & Iuris Illuminatorem.* Iouius, *diuini iuris intelligentia clarum.* Mugellanus, *lumen Mundi, regulam morum, Eccleſiæ decorem, Patriæ honorem, Iuris Illuminatorem.* Genebrardus, *Eccleſiaſticæ libertatis æmulum.* Demum Ioãnes Cardinalis monachi aſſerit, *ipſum, triplex in Decretalium Sexto bonum legaſſe, honeſtum, quoad morum reformationem, vtile quoad cauſarum deciſionem, delectabile quoad illuminationem intellectus, & accenſionẽ affectus; iureque habuiſſe nomẽ PF. quia admirabilis fuit intelligentia, & efficaciſſimus eloquentia.*

Corpus Bonifacij deſcribitur. Ætas.

Corpus ei procerum, ſolidum, & robuſtum; frons lata, & exporrecta, pinguiores genæ, vultus læta quadam tetricitate maieſtatem præſeferebat, ſtatura corporis principe digna. De ætate illius tametſi nihil certi habeamus, cum Ioanne Rubeo, Felici Oſio accedo, qui octuageſimo ætatis anno eum exiſtimat fatis conceſsiſſe. Nã Clemens V. in Diplomate, quod laudatus Rubeus reſcripſit in vita euſdem Bonifacij cum aſſerat illum aduocationis officium prius exercuiſſe, quam Hadriano mox ſummo Põtifici, tum Othobono Fliſco Legato ad Angliæ Regem à ſecretis adhæſiſſet: quinquageſimo autem quinto ſupra milleſimum ducenteſimum annum Othobonus legationis munus obiuit; planè octuagenario maior dicendus eſt Bonifacius in Domino obdormiſſe. Extabãt Romę, duæ Bonifacij VIII. marmoreæ Statuæ, vna in Eccleſia S. Laurentij in Pane & Perna, altera in Laterano; in Muſæo erudiſsimi Equitis Caſsiani de Puteo, huiuſce Pontificis Numiſma vidi, in quo Porta Sancta inciſa eſt cum hoc dicto: *IVSTI INTRABVNT.*

Obitus. Chriſtoph. Caiet. in vit. m.s. Bonifacij Statuæ, & Numiſma Anniuerſaria memoria Bonifacij in Vaticana Baſilica. Ex lib. Anniuerſ. Baſil. Vatic.

Singulis annis in die obitus illius à Canonicis, & Clero Baſilicæ Vaticanę poſt lectionem Martyrologij Romani recitatur teſte Ioanne Rubeo, hæc Bonifacij memoria.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

Anno eiuſdem 1303. Indictione III. Idus menſis Octobris obijt ſanctæ memoriæ Bonifacius Papa VIII. natione Campanus, de Ciuitate Anagniæ, de domo Caietanorum, magnarum ſcientiæ, & eloquentiæ; qui ob magnam deuotionem, quam habuit ad iſtam Sacroſanctam Baſilicam, cuius antea fuerat Canonicus, liberaliter donauit ipſi Baſilicæ Caſtrum filiorum Nicolai de Amelia poſitum in Territorio Amelienſi, emptum per eum pro quatuor millibus florenorum. Item Caſtrum Totani poſitum in Territorio Amelienſi, emptum per eum pro tribus millibus, & centum florenis auri. Itẽ quaſdam Poſſeſſiones adiacentes Caſtris prædictis, emptas per eum pro centum ſexaginta quinque florenis auri. Item Caſale, quod dicitur Furnus Sarratonus, poſitum extra portam Portuenſem in Campo Merulo, vel prope Diœceſim Portuenſem, emptum per eum pro tribus millibus florenorum auri. Item Caſale, quod dicitur tres Columnæ, poſitum extra viam, ſeu ſtratam, qua itur in contradam Solinis iuxta Balneam, emptum per eum pro ſex millibus florenorũ. Item Caſtrum Balcæ Diœceſis Portuenſis, poſitum prope Primã Portam, pro cuius emptione poſuit de propria pecunia duodecim millia, & septingentos, & viginti quinque florenos auri. Item Caſale vocatũ Trullus de Boccamarijs prædictæ Diœceſis Portuenſis, cum quodam alio Caſali quõdam Bartholomæi Bubonis de Cornazano, in quibus poſuit de propria pecunia quatuor mille, & quingentos florenos auri. Item medietatem Caſalis Aqua Trauerſa, pro cuius emptione poſuit de propria pecunia tria millia florenorum. Item medietatem Caſalis Palmaroli, pro cuius emptione poſuit de propria pecunia mille octingentos triginta ſeptem florenos, & dimidium. Item medietatẽ Caſtri Attigliani Diœceſis Amelienſis, pro cuius emptione poſuit de propria pecunia tria millia octingentos quadraginta ſex florenos auri. Reſiduum verò pretium ad perficiendas dictas emptiones, vbi ipſe integrè non ſoluit, Baſilica ſuppleuit de pecunia ſpectante ad eam.

Item Eccleſiam S. Aegidij cum pertinentijs ſuis, poſitam extra portam Viridariam. Item vnum Calicem aureum ad vſum S. Mariæ de Cancellis ponderis quinque marcharum. Item vnam Crucem cum pede de argento pulcherrimi operis ad ſmaltos, ponderis quinquaginta marcharum cum dimidia. Item vnum pluuiale nobiliſſimum de opere Cyprenſi ad imagines, cum aurifrigio Anglicano ad perlas. Item vnam Dalmaticam nobiliſſimam de opere Cyprenſi cum granicis ad figuras, cum perlis. Item donauit noſtræ Baſilicæ Indulgentiam anni Centeſimi Iubilæi.

Hic inſtituit, quòd de cetero in Baſilica triginta Canonici eſſent, præter Archipresbyterum augmentando, & amplificando numerum antiquum, qui erant viginti duorum. Hic etiam inſtituit in eo viginti Clericos, quos Clericos Chori voluit nominari: hic etiam inſtituit tres Beneficiatos vltra numerum triginta inſtitutũ per Dominum Nicolaum Papam Tertium, per quos voluit perpetuis tem-

poribus

poribus dici Miſſas ad Altare S. Bonifacij pro anima ſua; iuxta quod Altare, quod fecit innouari, & conſecrari, fecit etiam conſtrui, & erigi ſepulchrum ſuum, in quo requieſcit; ſupra quod Altare, & iuxta ipſum fecit erigi Cappellam inſignem, cancellis ferreis circundatam, cuius etiam ambitum ante Altare fecit ſepeliri nepotem ſuum bonæ memoriæ Benedictum Caietanum SS. Coſmæ, & Damiani Diaconum Cardinalem, ad cuius Cappellæ altaris, & Miniſtrorum vſum donauit hæc, quæ ſequuntur. In primis vnum par baculum de argento; quatuor Calices cum patenis; duas Cruces de argento, vnam de diaſpro, & vnam de cryſtallo: tria paria candelabrorum de argẽto, & vnum par de diaſpro, cum apparatu de argento, & gemmis. Duas nauiculas de argento, vnam pyxidem deauratam pro hoſtijs: vnum collatorium de argento perforatum: item tria thuribula de argento, quorum duo ſunt deaurata, & ſunt in ijs duæ teſtæ de argento ponderis prædictarum marcharum 144. vnciarum 4. & quartorum trium. Item vnam coronam de ebore, cum duodecim hiſtoriis noui teſtamenti valde pretioſam: item vndecim planetas diuerſorum colorum de ſcyamito, panno tartarico, & diaſpro. Item duo pluuialia de diaſpro, & panno barbarico: item ſex doxalia diuerſorum colorum, quorũ tria ſunt opere cyprenſi nobiliſſima. Item decem & ſeptem pannos integros diuerſorum colorum, de opere lucano: Item quinque auri fregia, quorum tria ſunt de opere cyprenſi, & vnum eſt de opere anglicano, & vnum eſt ad ſmaltos habens figuras ſanctorum integras, nobiliſſimam. Item quatuor camiſas de cortina, cum pectoralibus, & granicijs de opere cyprenſi: item ſeptem amictus cum auri fregiis de opere cyprenſi. Item tres ſtolas, & tria manualia de opere cyprenſi: item ſeptem cingula de ſerico: item duo paria corporalium, cum domibus de opere cyprenſi: item vnum Miſſale pulcrum: item vnum Breuiarium pulcrum notatum in duobus voluminibus. Item vnum Graduale notatum paruo voluminis: item viginti tobalias tã ſericeas, quã operis Alemmannici: itẽ tria ſuperpellicea de vimpa, & cortina: item duo orbicularia de opere ad acũ.

Item hoc, cum in nocte B. Petri ex incuria Manſionariorũ ignis conſumpſiſſet tectum, & quicquid ædificij ligneum erat in campanili, à ſummo vſque deorſum, propter quod campanæ corruentes in terram confractæ fuiſſent, celeriter ipſum campanile in ædificijs ligneis reparari, & innouari melius ſolito, & campanas ſex fieri de nouo fecit optimas & duplicati ponderis, & plures quàm priores extitiſſẽt.

Qui etiam ſuper alia bona, quæ noſtræ Baſilicæ fecit non contenta in libro hoc, mandauit de camera noſtra perpetuis temporibus in Anniuerſario ſuo duodecim florenos expendi inter Canonicos, Beneficiatos, & Clericos Chori diſtribuendos ſecundum tenorem in literis ſua Bulla bullatis contentum.

Item bonæ memoriæ Dominus Hugo Oſtienſis Epiſcopus legauit noſtræ Baſilicæ pro Anniuerſario ſupradicti Domini Papæ Bonifacij florenos trecẽtos auri, propter quod expendantur pro eodẽ Anniuerſario de Cam. lib. ſolid. 11. & denar. 6. antiquæ, ſiu bonæ monetæ. Et fiat Anniuerſariũ IX. Lectionũ cũ Laudibus, & ſub vna Collecta: Deus Indulgẽtiarũ Domine, da animæ famuli tui Põtificis, &c.


(Munificentia Bonifacij in Baſil. Later.) In Lateranenſem quoque Baſilicam Bonifacius munificum ſe oſtendit; nam illius iuri ſubiecit Eccleſiam S. Laurentij in Pane, & Perna, quam Cardinali Columnæ anno 1308. poſtquam Lateranenſis Baſilica incendio conflagrauerat, Lateranenſe Capitulum ideo (Raſp. de Baſil. Lateranen.) conceſſit, vt cum illa reparatione indigeret, proſpiceretur eius neceſſitati, ne intermitti diuina Officia oporteret, eaque conditione adiecta, vt ibi Monaſterium, ſeu Monachorũ, ſeu Sanctimonialium ædificaretur, quo cultui diuino iam inſtituto ſatisfieret. Præterea eidem Lateranenſi Baſilicæ, ac Canonicis conceſſit idem Bonifacius Palatium Antonianum cum ſuis iuribus, & Abbatiam, & Monaſterium Ferentilli à Feroaldo Spoleti Duce è Longobardorum gente fundatum, in quo ipſemet Dux Monaſticam vitam iuxta D. Benedicti regulam fuerat profeſſus. Cum autem addixiſſet huiuſce Baſilicæ obſequijs Canonicos ſeculares, multis eos priuilegijs communiuit, (Canonicos Later. ornat priuilegijs.) decreuitque ne Canonici, & Capitulum Eccleſiæ Lateranenſis poſſint à Iudice vllo in Ius vocari, niſi ab ipſo Pontifice, & ab eius ſede Apoſtolica ad id fuerit conſtitutus. Ad hæc vſque tempora ſupra principes Vrbeuetanæ Ciuitatis ianuas, duo marmorea Bonifacij ſimulachra cernuntur, ibi vſque ab anno 1296. ab Vrbeuetanis, grati animi ergo collocata. (Duo Bonifacij ſimulacra in Vrbeuet. Carol Carthar. in Syllab. Aduoc. Conſiſt.)

(Bonifacius innocens declaratur) Sedente Clemente V. in Petri Cathedra in Concilio Viennenſi, cui Spiritum ſanctum præſediſſe nullum eſt dubiũ, Bonifacius omni innocens crimine, quod illi Aduerſarij opponebant, declaratus eſt. Maucleruni Gallum, Doctorem Sorbonicum, virum eruditiſſimũ, & optimè de Eccleſia, & Regno Galliæ meritum audiamus. *Bonifacium in Domino mortuum,* (verba illius ſunt) *poſt nouem annos, ſcilicet anno 1312. Clemens V. annuentibus CCC. Patribus in Concilio Vienenſi, vbi præſens aderat Rex Franciæ Philippus Pulcher, verum Catholicum, nullaque labe pollutum fuiſſe pronunciauit. Omnes maleuolorum inimicorum calumnias, impoſturas, opprobria, mendaciaque in illius Pontificis famam, honoremque contorta, qui illum atrocibus criminibus inſimulauerãt, vt Francorum Regi Philippo placerent, placendo illuderent, illuſum blanditijs fallacibus, fraudibuſque deciperent; ipſe Pontifex cum toto Conſilio deteſtatus, execrationi ſubiecit, omnes ſacrilegos conſpiratores, oppreſſores, detentores, captoreſque huius Bonifacij VIII. qui captum atrocibus opprobrijs, iniurijſque ſceleratiſſime læſerant, ſimul execrationis, anathematiſque fulmine conſtrinxit, niſi quos grauiſſima pœnitentia ad ſanitionem cum deteſtatione tantorum ſcelerum plena contritione, ſatisfactioneq; conuertiſſet. Ipſi vero Philippo Regi agnoſcente diſſitiorum crimina contra Bonifaciũ VIII. perpetrata, eaque per ignorantiam ſe commiſiſſe proditoriè ſycophantarum illuſionibus, calumniatorumque falſimonijs perfidis illuſum, deceptumque profitenti Clemens V. ignouit. Qui cum valde metueret, ne illa criminum falſorum accuſatio, quæ maleuolorum impoſtorum perſuaſione fraudulenta deceptus, Bonifacio innocenti turpiter affinxerat, ſibi, ac poſteris dedecori verterentur, propterea Clemens Pontifex Regi Philippo gratificari deſiderans, cum vniuerſa Synodo ſanciuit quicquid atrocitatis, iniuriarum, calumniarũ, & ſimilium id genus indignationum inuſtarum à quoquam de Columnenſium familia, & alijs Regis Philippi Miniſtris in opprobriũ bonæ famæ, Bonifacij læſionem, vlruſque geſtum eſt, nunquam Philippo Regi tanquam innocenti, aut ſaltem neſcienti, proditorum decepto fraudibus, ac poſteritati eius exprobratum iri, vt Ioannes Villanius, Bernardus Guido Dominicanus ſcriptorũ monumentis prodiderunt. Propterea in eodem Concilio Clemens Papa, quæcunque Bonifacius VIII. ſuus in Apoſtolica ſede Prædeceſſor contra Regem Galliæ Philippum, eiuſq; Regnum velut in vltionem Pontificiæ læſæ Maieſtatis, ſub forma anathematis, & interdicti fulminauerat, omnia, cũ Philippum Regem innocentem ſceleris huius declaraſſet, abrogauit, & ex tabulis, Bonifacij mandato confectis, Eccleſiæque Romanæ Regeſtis expungi, vnaque litura circunduci præcepit: Poſtquam omnes famoſos libellos calumniarum, impoſturarumque Codices contra Bonifacij memoriam auſu ſacrilego conſcriptos, vſtulandos ardentibus mandari flammis imperauiſſet:* Hactenus Mauclerus.

(Concilia. Lugdunenſe.) Sub Bonifacio VIII. Romano Pontifice habita ſunt Concilia nonnulla, videlicet Lugdunenſe, cui ipſemet Bonifacius præfuit, in quo Principibus ſecularibus interdictum eſt, ne vectigalia ſacerdotibus, inconſulta ſede Apoſtolica imponerent. Deinde anno 1302. Romanum, (Romanũ.) in quo Philippo Francorum Regi cognomento Pulchro ſacra interdicta. Quo anno celebrata quoque eſt Synodus Toletana dicta in nobili municipio Pennefielis ad Durium in Hiſpania ſito, moderatore ex Ioanne Mariana, Gonſaluo, ex Actibus verò Aegidio Archiepiſcopo Toletano. (Synodus Toletana.) Decretum in ea eſt vt Clerici, qui diebus ſingulis preces horarias Canonicas nullo iuſto impedimento diſtricti, Deo perſoluere prætermitterent, nec moniti culpam emendarent, ſacerdotij redituum parte priuarentur, vel munere exercendo interdicerentur. Deinde lata lex eſt, incuſſis acrioribus pœnis in Clericos Concubinarios, & in Sacerdotes, qui inſinuata per Confeſſionem ſacram crimina patefacerent.

PRIMA CREATIO CARDINALIVM
Bonifacij Papæ VIII.

Anno Redemptionis humanæ 1295. Pontif. I. die 17. Decembris in quatuor Temporibus Aduentus Domini, Romæ Bonifacius VIII. ſummus Pontifex primùm creauit Cardinales, qui fuerunt.



I.

(Ciacconius) FR. IACOBVS Thomaſius Caietanus, Anagninus, ſororis Bonifacij VIII. filius, qui (Panuinius) ordinem Minorum S. Franciſci ab ipſa iuuentute profeſſus fuerat, inter Presbyteros Cardinales titulo S. Clemẽtis ab eodem Bonifacio cooptatus eſt. Rexerat ante adeptam Cardinalatus dignitatem per aliquot annos Alatrinam in Campania Eccleſiam, vt ſcribit Ferdinandus Vghellius in Additionibus ad Ciaconiũ ex Catalogo eius Vrbis Antiſtitum; ſed in Italia ſacra in ſerie Epiſcoporum Alatrinæ Eccleſiæ Iacobum hunc non numerat. Hic Cardinalis renunciatus Eccleſiam S. Clementis reſtaurauit, & muſiuo opere pro illius temporis dignitate magnificè decorauit; vti obſcura, & obſoleta hæc carmina muſiuo etiam charactere, & deaurato in abſidis fronte exarata teſtantur.

(Luc. Vvaddingus in Annal. Minorum. Aubery in vita. Gaſp. Iongel. de Cardinal. ord. Minorum. Floran. Martinel. in Addit. ad Ciacõ.)

Ex annis Domini prolapſis mille ducentis
Nonaginta nouem Iacobus Collega Minorum
Huius Baſilicæ Tituli pars Cardinis alti,
Hæc iuſſit fieri, quo plauſit Roma Nepote
Papa Bonifacius Octauus Anagnia Proles.

Quæ carmina olim reſcripta in Tabernaculo marmoreo eiuſdem tituli, in quo aſſeruabatur Corpus Chriſti affirmauit Ciaconius, ſed, vt bene notat Floramantes Martinellus, nullum extat in titulo ſancti Clementis marmoreum Tabernaculum: pro abſide, quam exornauit, vt d cemus infra, Tabernaculum Ciaconius per errorem ſcripſit.

Ornauit igitur eiuſdem Eccleſiæ abſidem vite, quæ vario opere, & colore hinc inde diffuſis ramis ſeſe extendebat, E cuius ſtipite

Luc. Vvaddingus in Annal. Minorum.

exurgebat magna Crux, cui Chriſtus affixus, ex vtroque latere diſpoſitis paſſionũ socijs, Maria V. & Io: Apoſtolo. Hemicyclũ abſidis totum comprehendebant propagines, in quarum curuaturis depicti quatuor Eccleſiæ Doctores, & varię volucrum ſpecies. In muro particulam S. Crucis recondidit, itidem Dentem vnum S. Iacobi Apoſtoli, & alterum S. Ignatij Martyris, vt indicant carmina ſubſcripta.

Eccleſiam Chriſti vitis ſimulabimus iſti;
Quam lex arentem, ſed Crux facit eſſe virentem:
De Ligno Chriſti, Iacobi Dens, Ignatiuque
In ſuprascriptis requieſcunt Corpore Chriſti.

Factum poſtea Epiſcopum Cardinalem Oſtienſem ſcribunt Marianus, & Marcus Vlyſipponenſis, licet Ciaconius, & Panuinius videantur indicare ipſum ad mortem, vſque S. Clementis titulum retinuiſſe. Ferdinandus Vghellius, qui Oſtienſium Epiſcoporum Catalogum accuratè reſcripſit in ſuo 1. tomo Italiæ ſacræ, nullam in illo de Petro hoc noſtro mentionem fecit.

E vita exceſſit, teſte laudato Ferdinando Vghellio in Additionibus ad Ciaconium, Kalendis Ianuarij anni 1300. ſub eodem Bonifacio, Ciaconius tamen, Lucas Vvaddingus, Aubery, & Gaſpar Iongelinus illum ſupremo functum die Romæ ſcribunt anno poſt Redemptorem natum 1304. cum multas pro Apoſtolica ſede legationes feliciſſimè terminaſſet. Summum poſt ſe deſiderium reliquit, quod & lacrymis teſtati ſunt, qui exequijs interfuere Cardinales, Epiſcopi, Prælati, & Populi frequentiſſima multitudo.

Geſsit in gentilitio ſtemmate, in campo cœruleo baltheum argenteum, duobus Leunculis aureis ſociatum: hos Leones, ſicut & baltheum alter collocauit in ſcuto Gaſpar Iongelinus in Elogijs Cardinalium ordinis Minorum. De eo meminerunt Diplomata Bonifacij Octaui anni 1295. & 1297. ſeu 1298.



Ciaconius
Panuinius
Aubery.

II.

FRANCISCVS Neapolionis, Vrſinus, Romanus, Diaconus Cardinalis S. Luciæ in Silice, & Archipresbyter Baſilicæ S. Mariæ Maioris à Bonifacio VIII. renunciatus eſt; & à Clemente V. cum alijs quatuor Cardinalibus Legatus deſignatus, vt Henricũm Septimũ Romæ in Imperatorem coronaret. Aliqui ſcribunt, dum Auenione in Italiam tenderet, in itinere è vita exceſſiſſe anno 1308. ſeu 1312. & in Monaſterio Cœleſtinorum ſepultum cum hac Inſcriptione.

Ciaconius
Nomencl. Cardinal.

HIC. IACET. R. IN. CHRISTO. PATER. ET. DOMINVS FRANCISCVS. DE. FILIIS. VRSI. TITVLI. S. MARCI PRESBYTER. CARDINALIS. FLORENTINVS. VVLGARITER. NVNCVPATVS. FVNDATOR HVIVS. MONASTERII. QVI. FELICITER. OBIIT. INTER. MANVS. FRATRVM. ANNO DOMINI. MCCCLXI. DIE. IV. MENSIS. SEPTEMBRIS. CVIVS. ANIMA. REQVIESCAT. IN. PACE.

Sed inſcriptio hæc ſepulchralis nullo pacto ad noſtrum Franciſcũ Neapolionis Vrſinum ſpectat, qui nunquam titulum S. Marci obtinuit, neque Cardinalis Florentinus vnquam fuit cognominatus; neque vitam produxit ſuam vſque ad annum 1361. Nam ex Tabulario Baſilicæ Liberianæ habemus Clementem V. Romanum Pontificem Archipresbyteratus dignitatem S. Mariæ Maioris contuliſſe in Iacobum Columnam Diaconum Cardinalem S. Mariæ in via Lata, quod procuVdubio non feciſſet, ſi Franciſcus tunc temporis adhuc inter viuos vitam egiſſet ſuam; Clemens autem V. xij. Kalend. Maij anno 1314. mortem obiuit. Veritas tamen hæc magis eluceſcit ex literis Henrici VII. Imperatoris, quibus certiorem reddit Abbatem quendam Germaniæ de ijs, quæ in ſui Coronatione euenerant Romæ: in ijs enim hæc legimus.

Hæ literæ extant in fine vitæ Henrici Imp. VII.

Sanctiſſimum in Chriſto Patrem Dominum Clementem ſummũ Pontificem requiſiuimus, vt ad Vrbem accedens præfata ſolemnia Nobis ibidem tradere dignaretur. Qui cum ex certis cauſis iuxta Noſtrum immenſum deſiderium intereſſe nequiret; ne dicta coronatio ob ſui abſentiam impediri valeret, Venerabilibus Patribus Dominis Arnoldo ſanctæ ſedis Apoſtolicæ Legato, Leonardo Albanenſi, & Nicolao Oſtienſi, ac Velitrenſi Epiſcopis, ac Franciſco S. Luciæ; nec non Lucæ S. Mariæ in via Lata Diaconis Cardinalibus commiſit in hac parte plenarie vices ſuas cum clauſula, vt ſi non omnes his exequendis intereſſe valerent, quatuor, tres, duo, vel vnus eorum dictæ Coronationis Noſtræ negocium expediret. Verum dictis Leonardo, & Franciſco de hac luce ſubtractis per dictos Dominos Cardinales ſuperſtites, die feſto beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum, quem ad hoc vt poteramus virtute dictæ commiſſionis elegimus, in Eccleſia S. Ioannis Lateranenſis præſente Archiepiſcoporũ, Epiſcoporum, Abbatum, & aliorum Prælatorum, ac Eccleſiaſticorum ordinum Vrbis, Ducumque, Comitum, Baronum, Nobilium, ac Romani Populi in numeroſa caterua, oleo ſacro vncti fuimus, nec non Imperiali Diademate coronati, ac alijs debitis, ac conſuetis ſolemnijs inſigniti. Henricus Romæ Imperiali Diademate ornatus eſt menſe Iunij anno 1312. ante igitur hoc tempus Franciſcum Diaconum S. Luciæ è vita exceſſiſſe dicendum eſt. Ciaconius cum verba facit de huius obitu, variè loquitur; primò in vita ſcribit mortem oppetijſſe anno 1312. dum in Italiam Auenione tenderet; alio verò loco, videlicet in ſerie Cardinalium, qui obierunt ſub Clemente V. affirmat hunc exceſſiſſe è vita anno 1308. Nos ex coniecturis, quas excerpſimus ex m. s. Baſilicæ Liberianæ, potiùs Ciaconio adhæremus affirmanti Franciſcum Neapolionis Vrſinum vitam cum morte commutaſſe anno 1308. quàm eidem dicenti euſdem obitum eueniſſe anno 1312 Felix tamen Contelorius in Elencho Cardinalium ex Bulla Clementis V. ſcribit hunc deceſſiſſe initio anni 1312.

III.

FR. ANDREAS Anagninus ex illuſtri Comitum Signiæ familia, Alexandri IV. pronepos, & Bonifacij VIII. propinquus, ſeu patruus, vt ſcribit Chriſtophorus Caietanus Epiſcopus Fulginatenſis in vita m. s. Bonifacij VIII. ab eodem Pontifice Presbyter, ſeu ex Eyſengremio, Diaconus Cardinalis renũciatus, vel meliùs deſignatus, honorem illum vltro oblatum conſtantiſſimè recuſauit, ac maluit in clauſtro ſub rigida S. Franciſci regula, quam ab ipſa adoleſcentia profeſſus fuerat, latere, quàm in ipſo Orbe, & Vrbis Theatro dignitate illa fulgere. Bzouius ſcribit Andream non à Bonifacio Octauo ſed ab Alexandro IV. inter Cardinales cooptatum, Nunciũ conſtanter remiſiſſe, cum mallet in religioſa humilitate, quam elegerat, permanere, vt ſe ſimilem omnino redderet Duci ſuo Chriſto, qui *humiliauit ſe vſque ad mortem, mortem autem Crucis.*

Ciaconius
Panuinius
Luc. Vvadding. in Annal. & de ſcript. ord. Min.

Præter cetera, quæ referuntur ab eo patrata miracula, illud ſingulare, quòd dum in quadam infirmitate faſtidiente ſtomacho, auiculas appeteret, appoſitas, & bene præparatas noluerit comedere; ſed compatiens oculis, vt animum frangeret ſuum, facto ſuper eas Crucis ſigno, iuſſerit abire, & è diſco euolare: illæ licet deplumes, & aſſatæ, viuæ mox, & hilariter garrientes, celeri aufugerunt volatu. Apparuit ei Carolus Andegauenſis Rex Siciliæ Foggiæ mortuus, rogans, vt pro ſe Deo preces funderet ad mitigandas grauiſſimas pœnas, quas in Purgatorio luebat.

Singulari affectu Deiparam Virginem ſemper coluit, edidítque de Partu euſdem Virginis volumen.

Hippol. Marracc. in Purpur. & in Bibl. Marian.

Obijt in Cõuentu Pilei in Prouincia Romana, & Cuſtodia Campaniæ, vbi multis adhuc floret miraculis, atque illud perpetuũ, quod ab ipſo eius monumenti proſpectu abhorreant energumeni, & vi illuc tracti, ſtatim liberentur. Tantam de eius ſanctitate concepit opinionem Bonifacius Pontifex, vt ſæpiùs aſſereret ſe dignum iudicare, qui ſtatim poſt mortem inter ſanctos referretur, idque ſe curaturum, ſi ſua ætate eum mori contigerit. Quo autem tempore obierit, & an ipſi Bonifacio ſuperuixerit, incertum eſt ex Luca Vvaddingo, alij tamen ſcribunt ad ſuperos euolaſſe ſub eodem Bonifacio Kalendis Februarij anno 1302. Eius elogium paucis perſtringit S. Antoninus 3. part. hiſt. tit. 24. cap. 9. §. 4. *In Conuentu Anagniæ*, inquit, *obijt frater Andreas, nepos Domini Papæ Alexandri IV. qui pronunciatus Cardinalis renuit, & miraculis claruit. Virum* vocat Eyſengrenius *moribus, & doctrina inſignem, & omni literatura ſua ætate nobiliſſimum.* Felix Cõtelorius in ſuo Elencho Cardinalium, ſcribit in Regiſtris Pontificum Romanorum, quæ præ manibus ſæpe habuit, & in libris ſacri Collegij, in quibus deſcriptæ ſunt Cardinalium Creationes, huiuſce Andreæ nomen ſe numquam inueniſſe.

Barthol. Piſanus l. 1. Conform. Hippolit. Marrac. in Purp. Mariana. Art. à Monaſter. in Martyrol. Franciſc.



IV.

IACOBVS Caietanus de Stephaneſchis, Diaconus Cardinalis S. Georgij in Velabro à Bonifacio VIII. renunciatus eſt. Hic non Anagninus, vt ſcripſit Ciaconius, ſed Romanus, vt ipſemet teſtatur in Vita Cœleſtini V. his carminibus.

Vrbe mihi principium, generis mihi nomen Iacob
Gaetanus erat, ſiumq; Tranſtyberidis amnem
Stephanidum de ſtirpe ſatus, producor ab Vrſa.
Morronem cecini repetentem clauſtra, Monarcham,
Inſertumque Polo, Bonifacius vtque triumphet
Vrbe ſacra Diadema ferens, quo, Cardine fultus
Hunc pangi, celoque Petrum, Maroque refudi
Cemeno, ſudique proſa. Deus huic tibi laus eſt.

Et in Præfatione, quam præmiſit ad euſdem Cœleſtini Vitam,

haec de

Aud. Victorel. in add. ad Ciacon.

A haec de ſeipſo narrat: *Hanc quidem, quis ex veridica re veluti præſens, videns, miniſtrans, palpans, & audiens, notuſque Pontifici, quin Pontificibus charus impactam compegit, metriſque refudit hiſtoriam, dictum Iacobum nomine, cognomento Gaytanum S. Georgij ad velum Aureum Diaconum Cardinalem, Vrbe natum, regione Transtyberim, prope venerabilem Dei Genitricis Eccleſiā, quondam dictam Tabernam Meritoriam, vtroq; parente antiqua nobilitate conſpicuum. Nam Petro Stephani patre, matre vere Perna, altero de Stephani filijs, ſeu Stephanenſium, altera de filiabus Vrſi, ſeu Vrſinorum domo progenitis, cuius in metro vtriuſque commemini: Patre tam armorum ſtrenuitate, quàm iuſtitia rectitudine, quàm & propinquorum amicorum conſtanti dilectione clarè noto. Matre autem charitate pia, ſanctitate præcipua, ambobus prole ditatis, altera iuuenta, altera ſenecta pie, chriſtianeque præſenti luce occubuere.*

B Ex quibus Ciaconij, Panuinij, aliorumque errores facillimè refelluntur, qui Iacobum hunc Bonifacij VIII. nepotem, fratris filium, nominant; nam parentes, quos ipſe expreſſit, nulla cum Bonifacio ſanguinis coniunctione erant adſtricti. Reliquum ſuæ vitæ curſum, in eadem Præfatione deſcripſit his verbis: *Hic igitur poſt rudimenta Grammaticæ, adoleſcentiæ, pubertatiſque primordijs ſcientiarū Parisijs Liberalibus, Philoſophiaque diſciplinis traditus, adeo Dei munere profecit, vt nondum triennio elapſo, Scholaribus tamen illarum curſim prælectis libris aliquibus in facultate, quam Liberalium artium vocant, magno fauore, magnaque decentia ſui meruerit obtinere licentiam, ac magna è veſtigio ſolemnitate, laudeque non minima Cathedram magiſtralem aſcēdere, qua eum profeciſſe, erudiſſe, & docuiſſe conſtat. Dehinc inibi tamen inuitus, cum totus Philoſophia, ſacraque pagina ſperaret inſiſtere, maiorum ſuorum iuſſu rediens in partes Italiæ, Ciuilis iuris, legumque apicibus, ſub magnæ profunditatis præceptoribus, adeo modico forte, non minus quàm*
C *eruditiore ingenio in eiſdem conualuit, vt nec auditos difficiliores ex illis libros ſenſu caperet, ſic memoria teneret, quantum & alios inſtrueret idem. Ac interdum ſine ſtructore, interim ſe ipſo Lucani vacans acumini, Virgilijque Rhetorica ſuauitatis profluuio, vnius g… a arduitatem, alterius ficta rei ſubtilitatem, ac amborum ſtyli grauitatem, altitudinemque circumſpectans. Horum, vt præfati ſumus, breuem librorum, ſuccinctamque materiam, quarto ſcilicet Nicolai Papæ Quarti anno, Papa exiſtens, Subdiaconus exortus ſit, eoque ordinis manens gradu, prolixiorem Cæleſtinum quondam primum, deinde in Romana Eccleſia Leuitā per Bonifacium VIII. Pontificatus eius anno ſecundo Cardinalem profectus glorioſiſſimi, inclytiſſimique Martyris Chriſti Georgij ad velum Aureum, dono Dei, eiuſdem Martyris præſidio per eundem Pontificem, ſortituſq; Eccleſiam eiuſdem Bonifacij ſecundum perfecit opus.*

Ciaconius

D Huius iuſſu Iottus ſiue Giottus Pictor illius temporis celeberrimus in atrio Baſilicæ S. Petri opere vermiculato mirè elaboratam Nauem, quæ Eccleſiam repræſentat perfecit. . . . .

Luc Vuadingus in Annal. Minorum.

. . . . . Hic iubente Ioanne XXI. dicto XXII. Romano Pontifice, ordinis Minorum Patrocinium ſuſcepit: placet hic Ioannis Pontificis literas ad eundem Iacobum, hac de re datas reſcribere.

Bonifacivs Episcopvs Servvs Servorvm Dei. Dilecto filio Iacobo ſancti Georgij ad velum Aureum Diacono Cardinali.

Nuper dilecti filij Generalis, & Prouinciales Min. ord. Fr. Minorum de generali eiuſdem ordinis Capitulo nouiſſime in Aſſiſio celebrato ad ſedem Apoſtolicam accedentes, Nobis iuxta præceptum regulæ ipſius ord. humiliter ſupplicarunt, vt cum ordo ipſe Protectore, Gubernatore, & Correctore careret ad præſens, Te, quem ad ordinem ipſum noſcūt ſpecialis deuotionis, & dilectionis affectum habere, in Protectorem, Gubernatorem, & Correctorem eidem ordini
E *concedere dignaremur. Nos igitur, qui ordinem ipſum ſincerè diligimus, ſupplicationi huiuſmodi benignius annuentes, Te, de cuius probitate ſcientia, & prouidentia circumſpecta planè confidimus, in Protectorem, Gubernatorem, & Correctorem auctoritate Apoſtolica ordini, & fratribus concedimus memoratis. Nulli ergo &c. Datum Auenione x. kalen. Auguſti anno 18.*

Aubery in vita.

Affuit ex Panuinio, Ciaconio, & Aubery electionibus quinque Romanorum Pontificum, videlicet Benedicti X. dicti XI. Clementis V. Ioannis XXI. dicti XXII. Benedicti XI. dicti XII. & Clementis VI.

Nomencl. Cardinal.

Scripſit de Ratione, Inſtitutione, & Celebratione anni Iubilæi, carminaque de anno Iubilæo.

F Libros item tres inſcriptos De ſtupenda fratris Petri de Murrone Eremitæ ad Paparum electione, & qualiter idem Papatu ad Eremum rediens ceſſerit.

E vita exceſſit teſte auctore Nomenclatoris Cardinalium, & Aubery die 23. Iunij noſtræ ſalutis anno 1343. cum vitam ſatis diuturnam in Cardinalatu vixiſſet, octauum enim ſupra quadrageſimum in ea dignitate tetigit annum.

Meminere Iacobi Diaconi Cardinalis S. Georgij in Velabro Bonifacij VIII. Clementis V. Benedicti XI. dicti XII. & Clementis VI. Regiſtra, quæ ſeruantur in Bibliotheca Vaticana.

V.



Ciaconius

Panuinius

Francisceus Caietanus Anagninus, Bonifacij VIII. fratris Ioffredi, ſeu Goffredi filius, ex Canonico Portuenſi, & Sacelli Pontificij Sacerdote, ac Aerarij Eccleſiaſt. Præfecto renunciatus eſt ab eodem Bonifacio Diaconus Cardinalis ſanctę Mariæ in Coſmedin. Doctus in Iure enodando Franciſcus hic fuit, quem à Bonifacio quoque Octauo Comitem accitum ad Sexti Senatuſconſulta explicāda ferunt. Interfuit Comitijs, in quibus Cardinalium ſuffragijs ſupremam dignitatem in Eccleſia Romana poſt Bonifacium Benedictus X. dictus XI. Clemens V. ac Ioannes XXI. dictus XXII. obtinuerunt. Bonifacij partes ſuſtinuit, eumque Auenione pugnaciſſimè defendit coram Clemente V. Philippo Pulchro Galliarum Rege, & quamplurimis Epiſcopis à calumnijs, quas in illum iam pridem defunctum adhibebant nonnulli, quibus cumulatè non ſatisfecerat dum Petri Nauim octo annorum, ac aliquot menſium ſpatio rexerat. Lucis vſuram amiſit ſub Ioanne XXI. dicto XXII. 9. ſeu 16. Maij anno noſtræ ſalutis 1317. Huius Franciſci meminere Bonifacij VIII. & Clementis V. Regiſtra, vt videre eſt Romæ in Bibliotheca Vaticana.


Pont. Confeſſio.

Chriſtoph. Caiet. in vita Bonifacij.

Spondan. ann. 1310. num. 1.

Aubery in vita.

Bzou. in Annal.



VI.

Ciaconius

Panuinius

Mag. Petrvs Valerianus, filius Duraguerræ, nobilis Priuernas ex Canonico Cameracēſi, Archidiacono Brabantino, & S.R.E. Vicecancellario, non a Cœleſt. V. vt ſcripſit Cherubinus Gherardaccius in hiſtoria Bononienſi, ſed à Bonifacio VIII. Romano Pontifice Diaconus Cardinalis S. Mariæ Nouæ inſtitutus eſt, & ad comprimendas coniurationes, quas in Romanam Eccleſiam ſtabilierant Cæſenates, Forolíuiani, Fauentini, Forocornelíani, alijque, & ad continendos in pace Bononienſes Legatus in Tuſcia, Flaminia, Marchia Taruiſina, Piceno, Aquileienſi Patriarchatu ſumma cum auctoritate deſtinatus eſt. Extat Bonifacij Diploma ad Petrum S. Mariæ Nouæ Diaconum Cardinalem Apoſtolicæ ſedis Legatum, apud Odericum Raynaldum tom. 14. Annalium Eccleſiaſticorum. Is in legatione Eccleſiæ iura magno animi ardore, & conſtantia defendit, arma in Romanæ Eccleſiæ hoſtes impugnauit, ac Maximum fratrem ſuum, Comitem, Præfectum Prouinciæ præpoſuit; qui in ſubiectas Ciuitates hanc ſententiam dixit. *In primis quod iura, ac vectigalia, quæ Romana Eccleſia Forliuij, atque in eius agro habet, ſubtrahere decreuiſſent, huic criminis marcharum mille, & quingentarum mulcta fuit: Quod Romanæ Eccleſiæ ſubiectos, & obedientes ab eius obducere dominatu, ditioneque tētaſſent, ſamque magno Eccleſiæ Romanæ damno abduxiſſent, mille marchis mulctati ſunt. Quod Prætor, Præfectus Senatus, Vniuerſitatiſque Forliuij contra pacatum Prouinciæ ſtatum, ipſi Ciuitati Forliuij equos, armaque, & milites imperaſſent, mille marcharum pœna indicta eſt; quod pedites, atq; equites, contemptione Romanæ Eccleſiæ conſcripſiſſent, comparaſſentque, & per Prouinciam, vt eam euerterent, duxiſſent eadem tenerentur pœna. Quod exercitum in Bononienſe, ipſamque Vrbem Bononiam, oppidum medicinæ, quod ad Eccleſiam Romanam omni iure ſpectat, multis allatis damnis intuliſſent, marchas bis mille argenti penderent; quod inſtruxiſſent belli apparatū, pedites alios, equiteſque comparaſſent, & eos contra ipſius iuſſa Comitis, Marchioni Eſtenſi ſubſidio miſiſſent, mille marchas ſoluerent. Quod cenſum equitum, atque peditum habuiſſent, & contra Rectorum Prouinciæ leges conueniſſent, cœtuſque egiſſent, huius eſt facinoris quingentarum marcharum pœna conſtituta. Quod pacem inter Ciuitates, vniuerſitateſque Prouinciæ à Rectoribus ſummis laboribus conciliatam, & magnis pœnis confirmatam, multiplici ratione violaſſent, eius fuit criminis mulcta marcharum argenti duorum millium. Quod Eccleſiæ obſequentes contumelijs affeciſſent, damniſque & à popularibus ſubſidia, pecuniam mutuam, tributa, portoria extorſiſſent, marcha argenti quingenta ob id ſoluerentur. Quod excepiſſent exules perduelles capitis damnatos, Eccleſiæ hoſtes fauoribus, ac auxilijs eos eſſent proſecuti, & cum eis quotidie eſſent, mul-*

Beon. in eod. Annal.

Odericus Raynald. in Annal.

Rubeus in hiſtor. Rauen.

Aubery in vita.

A ta eſſet mille marcharum argenti. Quod ipſi Prouinciæ Comiti, aut Magiſtratibus, Internuncijſue nunquam paruiſſent, at potius rebelles fuiſſent, marchas argenti quingentas in Aerarium Pontificum inferrent. Quod Forliuium foſſa, & vallo, mœnibuſque munirēt contra formulam ſententiæ priuationis in eos dudum latæ, huius delicti ea pœna ferenda eſſet, vt marcharum mille argenti perſoluerentur, & munitiones ſolo æquarent. Quod poſt Comitis aduentum occupaſſent Vrbem Forum Pompilij, quæ Romanæ Eccleſiæ eſt, Prætoremque ibi Foroliuiatum creaſſent, duum millium marcharum argenti pœna id ſcelus ſequeretur. Quod oppidum Montiuulum rapuiſſent Brittonoriana Diœceſeos, & vnà cum Brittonorienſis perduellibus, exulibuſque muniuiſſent, huic noxæ marcharum argenti quingentarum pœna deberetur. Quod Meldulam, & ſalutare oppida, & plura alia, quibus Eccleſia Romana iure dominabatur, & Prouinciæ huius moderatores dare Prætores conſueuerant, tenuiſſent, ſeruerentque, huius criminis eſſet pœna marcharum mille. Quod iuriſdictio-

B nes, Præturam, Præfecturam, Magiſtratus in Vrbe Foroliuio ſibi arrogaſſent, & quibus viſum eſt, mandaſſent, quæ tamen ſpectabant ad Eccleſiam Romanam, & alijs, ne ea deſignarent, traderent, interdictum iam erat, huius peccati ea pœna danda eſſet, vt marcharum argenti mille in Pontificum Aerarium inferrentur. Quod ciuitati, vt ſacramento fidem ipſi Prouinciæ Comiti, Romanæ Eccleſiæ nomine obſtringerent, quam debent ſubiuncti, non dediſſent, hoc maleficium mille marchis argenti mulctaretur. Quod ad Conuentum ab ipſo Comite, vt Prouincia conformaretur his, Rauennæ ad huius menſis Nouembris nonas indictum, Procuratorem, & Oratores Foroliuiatos, vt ab ipſo moniti fuerant, non miſiſſent, huius eſſet mulcta criminis quingentarum marcharum argenti. Quod, vt iuſſi fuerant, Forum Pompilij non dimiſiſſent, Prætorem ſuum non abdicaſſent, alia commiſiſſent contra ius, faſque complura, mulcta illis ex lege mille marcharum argenti eſſent. Quod Principes fuiſſent, auctoreſque con-

C iurationum, fauiſſent cæteris, ſubſidiaque miſiſſent, marcharum argenti quinquies mille pœnam ſubirent. Tandem Legatus iubet ſedos, & exilio, & quinque millibus marcharum mulctauit, niſi intra tres dies Magiſtratus omnes, & Vniuerſitas per Oratorē, cæteris ipſimet coram, apud ipſum Comitem ſe purgarent, cauſamque ſuam dicerent. Alioquin omnium, quæ ſuperius numerata ſunt, maleficiorum rei, conuictique haberentur: honoribus, priuilegiis, immunitatibus, iuriſdictionibus, quæcunque à Romana Eccleſia haberent, mulctati iam eſſent: eos nemo exciperet, auxilione iuuaret. Quod ſi quis eorum in poteſtatem Magiſtratuum, qui tum eſſent, quiue futuri eſſent, capti peruenirent, niſi ad certam diem expedirent mulctam, eas corpore pœnas darent, quæ Comiti, aut ſucceſſoribus viderentur. Hanc cauſam abiudicauit Maximus Comes Rauennæ in Archiepiſcopatus Prætorio, atque in hunc modum legibus ſubſcribebat. Pre-

D uinciæ Romaniolæ, Ciuitatis Bononiæ, & Comitatus Brittonorij Comes, & Petri ſancta Maria Noua Diaconi Cardinalis in temporalibus Vicarius.

Gherard. in hiſt. Bononien.

Summo ſtudio curauit Petrus Legatus pacem firmare inter Bononienſes, ac Marchiones Eſtenſes, vt ipſemet ſcribit ad Archiepiſcopum Rauennæ his verbis. *Nos autem cum Bononienſibus ſuper pace reformanda inceſſanter inſiſtimus, & vias, & modos exquirimus, per quas pax huiuſmodi valeat prouenire, & ſperamus auctore Domino, quod tractatus huiuſmodi ad finem veniet peroptatum.*

Functus legationis munere, Romam rediit, qua in Vrbe repentina morte obijt dum in Baſilica Lateranenſi ſacrificanti inſereret. at, cum nullus authorum antiquorum hoc afferat, à veritate abhorrere, etiam exiſtimo, quod teſtatur Barbatia in libro de Præſtantia Cardinalium his verbis: *Petrus de Piperno Cardinalis S. Mariæ Nouæ, vt refert Gloſſ. in cap. Præſenti, de officio Delegati in 6. & ibi dicit Paulus, & refert Dominicus eodem capite, quod fuit à Diabolo in-*

E *terfectus in Eccleſia, dum ſe inclinarer ad videndum corpus Domini.* Felix Contilorus, & Ferd. Vghel. ex lib. Obligationum Cameræ Apoſtolicæ affirmāt Petrum hunc è vita exceſſiſſe 17. Septemb. anno 1302. Ciaconius tamen, & Aubery illius vitam, vſque ad annum 1304. producunt. Sepultus eſt marmoreo tumulo, & inſignibus in Baſilicæ Lateranenſis minori naui verſus meridiem cum ſequenti Inſcriptione.

HIC REQVIESCIT DOMINVS PETRVS
DE PIPERNO QVONDAM
S. MARIAE NOVAE DIACONVS
CARDINALIS.

Lauren. Schrader. de monumētis Italiæ.

F In Aede quoque S. Ioannis Euangeliſtæ ante portam Latinam alia extat huiuſce Cardinalis memoria, & eſt talis.

DOMINI PETRI DE PIPERNO S. R. E.
DIACONI CARDINALIS.

Petrus Diaconus Cardinalis ſubſcriptione ſua firmauit Bonifacij Octaui Diplomata duo data, vnum anno noſtræ ſalutis 1296. alterum anno 1302. quæ Diplomata ſeruantur in Vaticana Bibliotheca in Regiſtro eiuſdem Pontificis.

A



VII.

INter Cardinales à Bonifacio anno à Chriſto nato 1295. renunciatos Ciaconius recenſet Iacobū Santuccium, natione Italum, Patria Lucenſem, eumque nominat Diaconum Cardinalem ſancti Georgij in Velabro. Videtur tamen veritati repugnare Iacobū præfuiſſe Eccleſiæ S. Georgij, nam in eadem Cardinaliū renunciatione vnam, eandemque Diaconiam S. Georgij in Velabro duobus cōcedere apud Romanos Pontifices in more poſitum nunquam fuit. Hanc Eccleſiam obtinuerat anno 1295. vt ſupra diximus, Iacobus Caieta-

B nus de Stephaneſchis, eamque retinuit, vſque ad obitum, hoc eſt vſque ad annum 1343. hoc igitur temporis interuallo Iacobus Santuccius illam impetrare non valuit. In dubium etiam vocari poteſt, an vnquam inter Cardinales cooptatus fuerit Iacobus, cum auctores nullos, nulla Pontificum Romanorum Diplomata afferat Ciaconius, ex quibus notitias huius Cardinalis excerpſerit; nulla illius mentio apud Panuinium, alioquin accuratum ſcriptorem, nulla apud Aubery. neque apud Felicem Contilorum; fides igitur ſit penes ipſum Ciaconium.

SECVNDA CREATIO CARDINALIVM.

Anno à Chriſto nato 1298. Pontificatus IV die quarta menſis Decembris, in quatuor Temporibus, Reate ex Ciaconio, ſeu ex Panuinio Romæ Dominica prima Aduentus, Bonifacius Romanus

C Pontifex iterum creauit Cardinales, qui fuerunt.



VIII.

Ciaconius
Panuinius
Aubery.

COnsalvvs, aliàs Gundiſaluus Roderici, nobilis Hiſpanus Canonicatum adhuc iuuenis in Eccleſia Burgēſi obtinuit. Mox Epiſcopus Cōchēſis renunciatus illam rexit Eccleſiam, donec ad Burgenſem tranſlatus eſt; elapſis autem ſex annis, maiorum iuſſu iterum illa Eccleſia relicta, ad Toletanam promotus eſt. Ex Archiepiſcopo igitur Toletano à Bonifacio

D Octauo inter Cardinales cooptatus eſt, ac donatus Eccleſia Albanenſi. Sunt qui Conſaluo Epiſcopo Albanenſi de Aguilar, & Hinoioſæ familiæ cognomen tribuunt, eumque natum dicunt ex Ioanne Diaz de Hinnioſa, viro in Caſtellæ Regno nobilitate pariter, ac opibus illis temporibus claro. Paulò poſt è vita exceſſit Romæ, ad quam Vrbem occaſione nouæ dignitatis acceſſerat, die 7. Nouembris anno reparatæ ſalutis 1299 & ſepultus marmoreo tumulo in Baſilica Liberiana, cum inſignibus, & ſequenti Inſcriptione.

Franc. de Piſa in eius Hiſt. Toletana. Nomencl. Cardinal. Paul. de Angelis in Deſcr. Baſil. S. Mar. Maioris. Ferd. Vghel to. 1. Ital. ſac.

HIC DEPOSITVS FVIT QVONDAM DOMINVS
CONSALVVS EPISCOPVS ALBANEN.
ANNO DOM. MCCIC.

E HOC OPVS FECIT IOANNES MAGISTRI COSMAE
CIVIS ROMANVS.

In Tabulario vero eiuſdem Baſilicæ hæc annotantur. *Conſaluus Hiſpanus Epiſcopus Cardinalis Albanen. a Bonifacio VIII. creatus iacet in monumento tumulo retro Organa.*



IX.

THEODERICVS Raynerius Vrbeuetanus, non Zachariæ filius, vt ſcripſit Ciaconius, ſed, vt patet ex Tabulis publicis, quæ in Archiuio Vrbeuetano ſeruantur, Ioannis filius,

Ferdinand. Vghel in tomo 1. Ital. ſacr.

F & Zachariæ frater, nepos Raynerij monachi Ciſtercienſis Epiſcopi Placentini, viri illuſtris, & omnium genere virtutum ornatiſſimi, ex Priore ſecularis Eccleſiæ S. Andreæ Vrbeuetanæ, & Sacelli Pontificij Sacerdote in Germaniam Collector miſſus eſt, mox R. Eccleſiæ Camerarius, & Archiepiſcopus Piſanus ſubelectus à Bonifacio VIII. eſt xij. Kalen. Octobris anno a par-

Ciaconius
Panuinius

tu Virginis 1295. vt patet ex Regiſtro Vaticano Epiſtola 399. Extat illius mentio in quadam Epiſtola ad Abbatem S. Saluatoris de monte Amiato, cui ita ſubſcribit: *Papa Camerarius, & Piſarum Electus.* Ex quibus Ciaconij, & Aubery error reijcitur affirmantium Theodoricum hunc ante Cardinalatum Reatinam Eccleſiam rexiſſe: nam Bonifacij VIII. æuo illi Eccleſiæ præfuere Nicolaus ordinis Ciſtercienſis monachus, qui in manibus eiuſdem Bonifacij Epiſcopatui ſponte, ac liberè anno 1296. ceſſit; Bernardus, qui ex hac vita migrauit anno 1299. Iacobus Paganus, qui ob malè geſtam in Rectoratu Flaminiæ, Bononiæ, & Comitatus Bertinorum Rempublicam Epiſcopatu mulctatus eſt anno 1301. Fr. Angelus, qui eodē anno 1302. quo Reatinam Eccleſiam obtinuerat, lucis vſuram amiſit; & Ioannes Mutus de Papazurris, qui ab anno 1302. vſq; ad 1313. Eccleſiam illam rexit. Ex Archiepiſcopo igitur Piſano Bonifacius Theodericum Presbyterum Cardinalem titulo S. Crucis in Hieruſalem primò, deinde Epiſcopum Ciuitatis Papalis renunciauit. Præneſtam enim obſeſſam, captam, & exciſam, ac ſolo æquatam, iuſſis incolis ad radices montis habitare in caſis opere tumultuario excitatis, ita denominari Pontifex ille mandarat, Columnenſibus Dynaſtis iratus. Patrimonium rexit ſumma cum integritate, ac tranquillitate: & inſcribitur in Cornetana Margarita ad annum 1300. *Theodericus miſeratione diuina Ciuitatis Papalis Epiſcopus, in Patrimonio beati Petri in Tuſcia Rector, & Capitaneus generalis.* Vulſinæ Eccleſiam ſanctæ Chriſtinæ conſtruxit, & proximas ædes inſignes in Vrbeuetere Palatium, & Turrim excitauit.

Ferdinand. Vghel. in Ital. ſac.

Ioſeph Maria Sueſſ. in Inſcript. Antiquis.

B

Clemens V. Romanus Pontifex eius meminit his verbis: *Theodoricus bon. mem. Epiſcopus Præneſtinus, ſeu Peneſtrinus, & tunc Ciuitatis Papalis, quæ nunc dicitur Peneſtrina, ſeu Præneſtrina.* Redditum enim fuit poſt obitum Bonifacij Præneſte nomen, reddita ſuis antiquis Dominis Præneſte, reddita Cardinalibus Columnenſibus antiquæ dignitates. Exemptus eſt è viuis Theodoricus Epiſcopus Præneſtinus die 7. Decembris anno 1306. meminere illius Chronicon Vrbeuetanum, & Bonifacij VIII. Regiſtra.

C

Ciaconius. Panu. Beno. Aubery in vita. Gaſp. Iongelin. Elog. Card. Minor. Cherardac. in hiſtor. Bononien. Ant. Sſderus.



X.

FR. GENTILIS de Monteflorũ Italus Picenus, ordinis Minorum Theologus ex Lectore ſacri Palatij inter Presbyteros Cardinales titulo Equitij, ſeu SS. Syluestri, & Martini à Bonifacio VIII. cooptatur, affuit electioni Benedicti X. dicti XI. & Clementis V. à quo in Hungariam Sedis Apoſtolicæ Legatus deſtinatus eſt. In itinere Hungariam verſus ſummis honoribus exceptus eſt die 17. Decembris anno 1307. à Senatu, Populoque Bononienſi, in hac legatione. Hungaros ſacrorũ vſu priuatos ob negata Carolo Regi Apoſtolica ſententia confirmato, obſequia, ad officium, & concordiam redegit, indictis prope Peſtum omnium ordinum Regni Comitijs celeberrimis, in quibus omnium voce Carolus Rimbertus, alijs Martellus, alijs aliter cognominatus, Hungariæ Rex ſalutatus eſt: illum decreto ſuo confirmauit Cardinalis Legatus. Publicæ autem pacis amator omnes, qui in poſterum aduerſus Carolum Regem coniurarent, non modò politicis legibus plectendos, ſed etiam nonnullis pœnis Eccleſiaſticis, quæ ipſos etiam poſteros irretirent, afficiendos decreuit. Cumque Corona Regia, quam Sanctam vocabant Hungari, eo quod S. Stephanus Hungariæ Rex à Pontifice Romano acceptam geſtaſſet, tantæ apud Hungaros venerationi eſſet; vt ſimplices ius regium in ea Corona poſitum putarent; & ea opinio antea Venceſlao Rege Boëmiæ, dein Othone Duce Bauariæ, demum Ladiſlao Vaiuoda ea potitis, graues tumultus in Regno pepeniſſet. Legatus ſtatuit eam profanam habitum iri, niſi à Vaiuoda conſtituto tempore reſtitueretur, aliamque Carolo Regi luſtratam ſacra prece à Romana Eccleſia in prioris locum eiuſdem dignitatis tradendam. Eccleſiaſtico deinde anathemate perculit Matthæum Palatinum ob patrata in Deum, atque in maieſtatem Regiam, & Populum Hungaricum flagitia. In hac legatione confirmaſſe ordinem fratrum Eremitarum S. Pauli primi Eremitæ in Hungaria ſub regula S. Auguſtini ſcribit Pannonius. Hunc Legatum laudat Bonfinius, virumque vocat grauiſſimum, & conſilij, ac virtutis haud mediocris compotem.

D

Oder. Rinald. in Annal.

E

Luc. Vvad. dingus in Annales Minorũ.

F

Spond. in Annal. Bron. in Annal. Luc. Vvad. ding. ibid. Io. Rubeus in vita Bonifac. VIII.

Poſt legationem, in Concilio Viennēſi Bonifacium VIII. Catholicum Pontificem fuiſſe conſtantiſſimè aſſeruit, eumque Theologica facultate contra illos defendit, qui ipſius memoriam tanquã Hæretici à Clemente damnari contendebant. Coram Philippo Gallorum Rege, petitis ex Iure Canonico argumentis, Bonifacium fuiſſe Pontificem, & inſontem ab impoſitis calumnijs demonſtrauit, quin & litteris ſcriptis teſtatus eſt Orbi Bonifacium piè vitam clauſiſſe.

Hac in Italiam rediens, Pontificis Clementis V. iuſſu Theſaurum Eccleſiaſticum, quod Romæ, & alibi per Patrimonium erat conquiſitum, trans alpes transferri iubebat. Lucam Etruriæ Vrbem claram veniens, vltra progredi noluit, quòd mari, terraque factionum furore viæ interclusæ eſſent: eum propterea in ſacrario ſancti Fridiani Lucæ reliquit, quem Caſtruccius aliquot poſt annis Lucæ principatu potitus diripuit.

A

Scripſit Homilias ad populum habitas, vt refert Eyſengrenius, & Opuſcula multa teſte Toſſignano. Aſſiſij in Eccleſia ſancti Franciſci, Sacellum ſanctorum Ludouico, & Martino ſacrũ erexit, & dum adhuc inter Minores vitam degeret, anno noſtræ ſalutis 1282. Fabriani in Eccleſia Minorum ædiculam in honorem ſancti Ioannis Baptiſtæ fieri curauit.

Nomencl. Cardinal.

Luc. Vvad. ding. in Annal. Minorum.

E vita migrauit Auenione non 19. Octobris 1307. ſed ex Contiloro die 27. Octobris anno 1312. corpus vero relatum in Italiam Aſſiſij in Eccleſia ſancti Franciſci, in Sacello ſanctorum Ludouici, & Martini à ſe conſtructo ſepulturæ mandatum eſt. Andreas Victorellus in Additionibus ad Ciaconium ſcripſit ex monumentis Auenionenſibus Cardinalem hunc obijſſe anno 1307. in Hungaria; cum non niſi anno 1308. miſſus ſit in Hungariam, qua legatione functus, in Concilio Viennenſi, vt diximus, Bonifacij VIII. cauſam defendit contra Philippum Pulchrum Regem Gallorum. Hunc errorem, in quem Victorellus inciderat, in Additionibus ad Clementem V. ipſemet correxit in fine libri. Meminere Gentilis Cardinalis Diplomata Bonifacij VIII. data annis 1300. & 1302. quæ extant in Regiſtris eiuſdem Bonifacij.

B

Geſſit hic in gentilitio ſtẽmate in campo argenteo tres mõticulos aureos, 4. ramis praſinis emergẽtibus, in quorum medio inſurgit Roſa, quatuor verò rami laterales quinquefolio minio ornantur. Huiuſce inſignia aliter exprimuntur à Gaſpare Iongelino Abbate Ciſtercienſi in Elogijs Cardinalium ordinis Minorum; videlicet è tribus montibus tres emergere fecit ramos praſinos, quorum laterales tantùm Roſa, ſeu quinquefolio ornantur. Hunc Contilorus in Elencho Cardinalium non in ſecunda, ſed in tertia Cardinalium Creatione, à Bonifacio facta, reponit.

C



XI.

MAG. FR. NICOLAVS Bocaſinus Taruiſinus, decimo quarto ſuæ ætatis anno diuino ſe famulatui deuouit in ſacro Prædicatorum ordine, in quo feliciſſimè confecto Philoſophiæ, ac Theologiæ ſtudio, ſpatio quatuordecim annorũ publicè ſciẽtias omnes, quas didicerat, docuit. Deinde ex Priore Prouinciali Galliæ Ciſalpinæ electus eſt ordinis Magiſter in Conuentu generali Argentinæ anno reparatæ ſalutis 1296. Cum autem præfuiſſet ordinis annos duos, & ſex menſes, in ampliſſimum Cardinalium Collegium titulo ſanctæ Sabinæ à Bonifacio VIII. relatus eſt: extant Bonifacij literæ ad illum ab Vrbe abſentem datæ, & ſunt.

D

Chronol. breu. Magiſt. General. ord. Prædicator.

Ciaconius Panuinius Aubery in vita.

BONIFACIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI.
Dilecto filio fratri Nicolai de Taruiſio quondam Magiſtro ordinis fratrum Prædicatorum, in Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyterum Cardinalem aſſumpto, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Inter ceteros ordines in agro plantatos Dominico, ſacrũ fratrum Prædicatorum ordinem dileximus hactenus, & diligere non ceſſamus, ad ea, quæ proſperum ſtatum eius, ſiue honoris incrementa reſpiciunt, paternis ſtudiis intendentes. Volentes itaque perſonam tuam, quam laudabilis fama refert, ac fide digna clamat aſſertio, claris virtutum inſignijs decoratam, & in Te præfatum ordinem multipliciter honorare, Te nuper de fratrum Noſtrorum conſilio in Presbyterum Cardinalem S. R. E. duximus aſſumendum. Quocirca diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus impoſitum tibi onus à Domino prompta deuotione ſuſcipiẽs, Te ſubmoto dilationis obſtaculo prepares ad Noſtram præſentiam quantocius acceſſurus. Datum Reate nonis Decembris Pontificatus Noſtri anno Quarto.

E

Chronic. ordinis.

Paulò poſt cum Romam veniſſet, renunciatus ab eodem Bonifacio VIII. Epiſcopus Oſtienſis, ac Veliternus, ſedis Apoſtolicæ Legatus deſtinatus eſt in Poloniam, Dalmatiam, Croatiam, Daniam, Seruiam, & Hungariam, ac in Gallias. Dum in Hungariam tenderet, conſecrauit Eccleſiam Patrum Dominicanorum in honorem ſancti Auguſtini Patauij erectam. Cum autem rediret ex Hungarica legatione, viginti quinque millia florenorum ad conſtruendum D. Nicolai Templum apud ſuos Prædicatores Taruſij, reliquit.

F

Ceſar Noſtradamus in hiſtor. Prouinciæ. Angel. Portenar. in hiſtor. Patau. Georg. Lunar in vit. Albert. Venet. Iacob. de Sueat. Anto. Senenſ. in Bibl. Prædicator.

Scripſit Commentaria ſuper Pſalmos, & Sermones plures ſuper Euangelium ſancti Matthæi.

Defuncto Bonifacio VIII. electus Romanus Pontifex dictus eſt Benedictus X. ſeu XI. Vide illius vitam.

XII.



LVCAS Fliſcus, ex Comitibus Lauaniæ, Nicolai filius, nobilis Genuenſis, nepos Hadriani V. Romani Pontificis, à Bonifacio VIII. renunciatus eſt Diaconus Cardinalis S. Mariæ in via Lata. Hūc Odericus Raynaldus Diaconum Cardinalem ſanctæ Mariæ Nouæ, contra ferè omnium ſcriptorum ſententiam nominat, adminiſtrauit Eccleſias SS. Marcellini, & Petri; & SS. Coſmæ, & Damiani. Bonifacio Octauo Anagniæ capto, populū ad arma excitauit Lucas Cardinalis Fliſcus, ac præcipuus auctor fuit, vt pulſis Columnenſibus Bonifacius Romanus Pontifex à populo liberaretur, quare ab Italis, dum vixit, præcipuo ſemper amore, ac ſingulari beneuolentia proſecutus eſt. Cum alijs quatuor Cardinalibus, ſcilicet Nicolao Oſtienſe, Arnoldo Sabino, Bernardo Albanenſi Epiſcopis, ac Franciſco S. Mariæ in Coſmedin Cardinalibus legationis munere functus eſt Clemētis V. iuſſu apud Henricū huius nominis Septimum Imperatorem. Auenione in Italiam venit, & ad Cæſarem Genuæ commorantem acceſſit, quem perpetuò comitatus eſt, & in eius Italica expeditione comes fuit. Mediolanenſes, ac Brixienſes ad eiuſdem Henrici obſequium adduxit, & impetrauit, ne Placentiam, Brixiam, aliaſque Ciuitates Cæſariani milites vaſtarent. Multum Imperatori adiumento fuit, vſque ad eius in Vrbem aduentum, eiuſque aſtitit Coronationi Laterani celebratæ. Muſſatus ſcribit, non ſpontè ſed coactè Cardinales in Baſilica Lateranenſi Auguſtalia Inſignia Henrico contuliſſe: illum audiamus. *Dum dies vigilia Principis Apoſtolorum inſtaret, ſumma luce, de Palatijs militiarum egrediens, multo cœtu in montem Auentinum conceſſit. poſtquam autem illuxit ſequens dies feſtum, populo comitante, ac Principibus ſuarum partium Lateranum venit, Miſſarumque ſolemnibus peractis, proteſtantibus Cardinalibus, ſcilicet Legato, & Luca de Fliſco non ſua ſponte, ſed plebis, Regiſque impulſibus coactos parere, Coronam auream capiti ei impoſuere, multis Cleri, Populique applauſibus, &c.*

His peractis Auenionem redijt, vbi Cardinalibus Gallis cuncta obtinentibus, parum negocij Cardinalibus Italis erat. Sub Io. XXII. legatione functus eſt in Anglia, & in Gallia, vt ipſarum Prouinciarum Reges bello inter ſe decertantes amicitiæ fœdere coniungeret; vtque atrox incendium in Anglia, Scotia, & Hibernia excitatum extingueret. Ardebāt enim ea Regna bello grauiſſimo, ex quo Robertus Bruſius Scotiæ Regnū, excuſſo Eduardi ſeu Odoardi Primi iugo inuaſerat. Poſt Gallicā legationem in Italiā reuerſus, pacem inter Robertum Angliæ, ac Siciliæ Reges firmare ſtuduit. Reipublicæ Genuenſi magnam pecuniæ ſummam commodauit, ab illa in pignus recipiens Catinum inæſtimabile, quod paulò poſt Reſpublica redemit, illi annuos redditus attribuendo. Auenione deceſſit, non ſub Ioanne XXII. vt refert Ciaconius, ſed, vt patet ex ſepulchrali eius Inſcriptione, quam mox reſcribam, ſub Benedicto XI. dicto XII. & ſepultus ad Minores illius Vrbis. Quo in Templo illius cadauer iacuit, donec tranſlatum Genuam, conditum eſt in Templo S. Laurentio ſacro, in marmoreo ſepulchro varijs columnis, ac Statuis ornato cum ſequenti Inſcriptione.

MCCCXXXVI. DIE. VLTIMA. IANVARII
OBIIT. REVERENDISSIMVS. DOMINVS. LVCAS
DE. FLISCO. S. R. E. DIACONVS. CARDINALIS
CVIVS. OSSA
IN. HAC. IACENT. TVMBA
ANIMA. CVIVS
REQVIESCAT. IN. PACE.

Teſtamento inſtituit annuum ſolemne ſacrum in Aede S. Ioannis Baptiſtæ, duoque ſacerdotia erexit in Eccleſia principe Genuenſi, ac totidem in Templo ſancti Saluatoris Lauaniæ. Mandauit inſuper, vt in honorem B. Mariæ Virginis Genuæ ſuis impenſis Templum conſtrueretur cum duodecim Canonicis, Decano, octo Sacerdotibus, & quatuor Clericis, quibus omnibus annuos redditus larga manu dilargitus eſt. Executores Teſtamentarios nominauit tres S. R. E. Cardinales, Petrum Presbyterum ſanctæ Praxedis, Neapoleonem ſancti Hadriani, & Iacobum ſancti Georgij in Velabro Diaconos, vna cum Emanuele Fliſco Canonico Eboracenſi, & Antonio Fliſco nepote: Hæredes inſtituens bonorum omnium Feudalium filios Caroli ſui fratris.

Eſt mentio Lucæ Diaconi Cardinalis in Regiſtris Bonifacij VIII. Clementis V. & Ioannis XXII. dicti XXIII.

Felix Contelorius in Elencho Cardinalium Lucam de Fliſco non in ſecunda, ſed in tertia Cardinalium Creatione reponendum eſſe ſcribit.

Fe'er. Federic. de fam. Fliſci. Panuinius in Rubeo in vita Boniſac. VIII. Felix Cōtel. in Elē. Cardin. Chriſtoph. Caiet. in vit. Bonif. VIII. Ciaconius. Aubery. Ptolom. Lucenſ. Io. Villan. Chronic. Parmen. Albert. Muſſat. in vita Henric. VII. Gherard. in hiſt. Bononien. Zurit. in Annal. Foliet. in Elog.

Polid. Virgil. in hiſt. Anglicana.

Aubery.

Fed. Feder. in hiſt. famil. Fliſcæ.

Nomencl. Cardinal.

Feder. Federic.

XIII.



MAG. RICHARDVS, ſeu Ricciardus Petronus filius Diotiſalui Petroni Senenſis, nobili genere Senis ortus, adoleſcens vtrique Iuri operam dedit. Qua in facultate adeo excelluit, vt ſuo tempore in Iuriſprudentiæ difficultatibus tanquam oraculum publicum adiretur, & doctrinæ eximiæ opinione maximam tota Italia exiſtimationem acquiſierit. Bonifacius VIII. Romanus Pontifex Sextum Decretalium editurus, eum ad ſe acciuit, & Vicecancellarium Apoſtolicæ ſedis primùm, mox Diaconum Cardinalem ſancti Euſtachij nominauit, cui & Guillelmo Longo Cardinali, & Berengario Epiſcopo Biterenſi onus impoſuit Sextum Decretalium librum edendi, quem ad eam, quam nunc cernimus, formam redegerunt: vt ex libri principio apparet, in quo hæc legimus. *Nos ad apicem ſummi Pontificatus ſuperna diſpoſitione vocati, ſuper hoc cum inſtantia requiſiti a multis, ambiguitatem, & incertitudinem huiuſmodi diſpendium pluribus afferentem omnino tollere, ac elucidare, quæ de Decretalibus ipſis tenere, quæue deberent in poſterum refutari; gratia ſuffragante diuina, pro vtilitate publica deſiderabiliter affectantes, per venerabiles fratres Noſtros Guillelmum Archiepiſcopū Ebrudunen. & Berengarium Epiſcopum Biteren. ac dilectum filium Magiſtrum Richardum de Senis S. R. E. Vicecancellarium, Iuris Vtriuſque Doctorem, Decretales huiuſmodi diligentius fecimus recenſeri.* Non parum famam eius denigrauit ex Ciaconio, quòd beneficij accepti immemor, illius conſpirationis conſcius, & particeps fuit, qua Bonifacius VIII. captus, & paulò poſt dolore animi proſtratus obijt. Neminem antiquorum ſcriptorum legi, qui ingrati animi notam hanc Richardo obijciant, & certè meo quidem iudicio vel Richardus piaculum tale non patrauit, vel cita eum ſubijt pœnitentia; nam in Concilio Viennenſi ille Bonifacium omni ſuſpicione hæreſeos, & calumnijs ei à Rege Francorum impoſitis, coram Philippo Rege, eiuſque Senatu pluribus argumentis ex Imperiali iure petitis liberauit.

Clementis V. iuſſu legationis munere functus eſt in Italia. Fuit ditiſſimus, & ampliſſimum patrimonium moriens piſſimis vſibus reliquit, de quo fuit maxima diſceptatio inter Doctores Vtriuſque Iuris, vt teſtatur Aretinus inter alios, Conſil. 36. Senis Monaſterium Carthuſianorum in Virginis Deiparæ in Cœlum Aſſumptæ honorem à fundamētis erexit, ſui erga auguſtiſſimam Cœli Reginam religioſi affectus monumentum. Conſtruxit inſuper in eadem Vrbe iuxta portam Nouā Domū Hoſpitalis S. Catharinæ Virginis, Cœnobium Monialium ſanctæ Claræ, Eccleſiam ſancti Nicolai de Bagno, & alia multa. Extremum ſpiritum effudit non Auenione, vt ſcripſit Ciaconius in Clemente V. ſed Genuæ, vt ipſemet Ciaconius teſtatus eſt in vita eiuſdem Richardi, jv. Kal. Martij anno reparatæ ſalutis 1313. ſeu ex Contelorio die 10. Februarij anni 1314. dum legatione fungeretur. Corpus Senas relatum cereis funalibus præ manibus a ciuibus exceptum, in Eccleſia principe, in marmoreo monumento conditum eſt prope Sacellum ſancti Ioannis Baptiſtæ. Bonifacij VIII. & Clementis V. Diplomata plura, meminere Richardi Diaconi Cardinalis ſancti Euſtachij.

Ciaconius.

Iſidor. Vgurg.

Arzoli in Pōpa Senenſ.

Panuinius.

Aubery.

Io. Villan. Oder. Raynaldus in Annalibus. Luc. Vuadding in Annal. Minorum. Ciaconius.

Hippol. Marraccius in Purpur. Marian.

TERTIA CREATIO CARDINALIVM.

Anno à Chriſto nato 1300. Pontificatus non VI. vt ſcripſit Panuinius, & Ciaconius, ſed quarto, vt patet ex recta annorum computatione die mercurij ij. menſis Martij Romæ Bonifacius VIII. Romanus Pontifex duos Epiſcopos ex antiquis Presbyteris, & vnum de nouo creauit Epiſcopum Cardinalem: qui fuere.

Theodoricus Raynerius Vrbeuetanus ex Presbytero ſanctæ Crucis in Hieruſalem, Epiſcopus Cardinalis Ciuitatis Papalis, aliàs Præneſtinus.

Magiſter frater Nicolaus Bocaſinus Taruiſinus ordinis Prædicatorum ex Presbytero ſanctæ Sabinæ Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus.

Leo-

Ciaconius. Panuinius.



XIV.

LEONARDVS Patraſſus de Guerrino, quem Guercinũ, ſeu de Guercio vocat Albertinus Muſſatus libro de Rebus Geſtis Henrici VII. Imperatoris, Diœceſis Alatrinæ, Hernicus, Bonifacij VIII. Auunculus; à Capitulo Alatrino electus Epiſcopus in locum Creſcẽtij defuncti, confirmatus à Nicolao Quarto xvi. Kalen. Octobris anno ſalutis 1290. De illo in Tabulis Alatrinæ Eccleſiæ hæc leguntur: *Fr. Leonardus Patraſſus Epiſcopus Alatrinus S. R. E. Cardinalis ſub Bonif. VIII.* Hunc alicuius religioſi ordinis alumnum fuiſſe, coniectura ducitur Ferdinandus Vghellius in Additionibus ad Ciaconium, literis illis *Fr.* nomini eius in dictis Tabulis antepoſitis. Anno verò 1295. ex laudato Vghellio in ſerie Epiſcoporum Alatrinorum à Bonifacio Octauo tranſlatus eſt ad Aeſinam Eccleſiam: & anno 1300. teſte eodem Vghellio in Catalogo Epiſcoporũ Albanenſium, ex Archiepiſcopo Capuano ab ipſo Bonifacio VIII. electus eſt Epiſcopus Cardinalis Albanenſis. Quo autem tempore obtinuerit ille Cathedram Capuanam, mihi ignotum, nec Vghellius indicat. Hic cum alijs quatuor Cardinalibus ad Henricum VII. Imperatorem à Clemente V. Legatus, ſed Auenione, vel potius in itinere Auenione in Italiam deceſſit nonis Decembris anno 1311. antequam ſibi impoſitum legationis munus expleret. Ciaconius non ſibi conſtans eſt in aſſignando obitus Leonardi Epiſcopi Albanenſis anno; nam in vita eiuſdem anno 1311. deinde in Clemente V. anno 1308. Leonardum è vita exceſſiſſe affirmat. Alij ex Ptolomæo Lucenſi illius æui ſcriptore hunc obijſſe narrant Lucæ in Etruria, & ſepultum ad Prædicatores eiuſdem Vrbis. (Ferdinand. Vghel. in ...)

Gaſpar Iongelinus Abbas Ciſtercienſis in Elogijs Cardinalium ordinis Minorum, Leonardum inter Cardinales Minoritas recenſet, ſed Fr. Lucas Vvaddingus in Annalibus Minorum contrarium affirmat his verbis. *Quoad Leonardum Patraſſum attinet, omnia rectè ſe habent præter vnum illud de Inſtituto Minorum; neque enim qui de Cardinalibus ſcribunt, eum noſtris adiudicant, neque noſtri ſcriptores eum inter ſuos commemorant.*

Huic Cardinali Inſignia non omnino ſimilia illis quæ nos ex Ciaconio ſupra expreſſimus, tribuit laudatus Abbas Iongelinus; ſcutum ſcilicet perpendiculariter diuiſum. In prima parte aurea geminos D balteos cœruleos, obliquè dextrorſum vndulatim fuſos; in ſecunda argentea ſimili modo balteum aliud vndulatum coloris minij.

Leonardi Patraſſi Epiſcopi Cardinalis Albanenſis eſt mentio in Regiſtris Bonifacij VIII. & Clementis V. Romanorum Pontificum.

QVARTA CREATIO CARDINALIVM.

Anno à Partu Virginis 1302. Pontificatus VIII. die 15. menſis Decembris Romæ Bonifacius VIII. ſummus Pontifex quartò creauit Cardinales, qui fuere.

Ciaconius. Panuinius. Aubery. Luc. Vvaddingus in Annal. Minorum.



XV.

MAG. F. IOANNES Minius, Picenus, de Murrouallium, Firmanæ Diœceſis, à pueritia regulam S. Franciſci E in ordine Minorum profeſſus, Nicolai IV. iuſſu ſucceſſit in munere Lectoris Palatij Apoſtolici Guillielmo de Falgario Toloſano aſſumpto ad Epiſcopatum Viuarienſem in Gallia, & anno noſtræ ſalutis 1296. in Comitijs Anagniæ habitis, quibus præfuit ipſe Bonifacius VIII. Romanus Pontifex, electus eſt in quartum decimum ſui ordinis Generalem. In huius manibus ſolemnem emiſit profeſſionem in Vigilia Natiuitatis Domini eiuſdem anni 1296. Romæ in Conuentu Aracœli S. Ludouicus, Caroli cognomento Claudi, Siciliæ Regis filius, & Caroli Martelli frater, poſtea Epiſcopus Toloſanus. Studuit quam maximè religioſum ſuum ordinem ad antiquam ſeueriorem diſciplinam reuocare. Bonifacij Romani Pontificis iuſſu vnà cum Nicolao Bocatino è familia Prædicatorum Gandauum ſe contulit ad confirmandas, ac ſolidius ſtabiliendas inducias, quas inter Philippum Gallorum Regem, & Guidonem Flandriæ Comitem Carolus Claudus Rex Siciliæ ad biennium ſtabiliverat. Quo in munere ita prudenter ſe geſſerunt, vt vterque ab eodem Bonifacio ad Cardinalatus dignitatem

A fuit promoti anno 1312. vt ſupra diximus ex Panuinio, & Ciaconio. Ioannes Villaneus ſcribit, Bonifacium Dominica prima Aduentus anno 1298. Nicolaum Prædicatorum, & Ioannem Minorum ſummos Magiſtros, ac Petrum Hiſpanum Cardinalatu decoraſſe, ſed magis hac in re credendum Panuinio, Ciaconio, Aubery, & alijs. Epiſcopus Portuenſis, ac S. Rufinæ renunciatus Fr. Ioannes non tamen ordinis curam depoſuit, ſed ſub titulo Vicarij generalis eundem rexit donec in Comitijs alter electus eſt Miniſter generalis. Hac ratione conſultum voluit Pontifex Religioſæ familiæ, in qua reſtauranda Ioannis ardens ſtudium compertum iam habuerat; deinde Patronum ordinis nominauit, quod munus ad mortem retinuit. Bonifacium VIII. quem Philippus Francorum Rex tanquam Hæreticum damnari petebat, Theologica facultate defendit in Concilio Viennenſi, & impiam Aduerſariorum temeritatem repreſſit. Oder. Raynald. in Annal. Eccleſiaſtic.

Hic in ſacra Theologia Doctor eximius fuit: de quo hæc habet B Paulus Corteſius: *eadem ætate Ioannes Murro, Gualterus Britannus, Iacobus Oſſa, & Gerardus Toloſanus ſunt Theologicæ doctrinæ cogniti, à quibus multa in Theologia ſcripta fuiſſe conſtat, quæ iam vel obruta vetuſtate ſint, vel minoris à faſtidioſiore iuuentute ſiant, quàm æſtimari prudentia conſiderata debeant.* Scripſit porrò Epiſtolam encyclicam ad vniuerſos ordinis Miniſtros circa paupertatem retinendam; quam Epiſtolam exſcripſit in 3. tom. Annalium Minorum Fr. Lucas Vvaddingus. Sermones item habitos in ſolemnioribus anni Feſtiuitatibus, & alia. Nomencl. Cardinal.

Iottum Florentinum clarum ſui æui pictorem Aſſiſium duxit, ac triginta duas hiſtorias B. Franciſci eleganti penicillo exprimi curauit. Bonifacio VIII. mandante legationis munus obiuit in Gallia.

Auenione deceſſit anno 1312. in ſequentem annum huius mortem reijciunt, Marianus, & Cocelorius ibidemque ad ſuos confodales ſepultus. Hiſtorici ferè omnes Seraphicæ familiæ, *Miraculorum* Ex lib. Obligationũ.
C *Tubam* Ioannem nominant: illius meminere Bonifacij VIII. & Clementis V. Diplomata multa.



XVI.

AEGIDIVS Romanus, illuſtri Columnenſium ſanguine natus, generis nobilitatem doctrina, ſcriptis, & ſanctimonia vitæ illuſtriorem reddidit; nam mundi illecebris, & ſæculi vanitatibus contemptis, in primo adoleſcentiæ flore, in Cœnobio S. Mariæ de Populo Romæ ſeſe diuino famulatui deuouit, nomenque ſuum dedit religioſæ familiæ Eremitarum S. Auguſtini. Inde Luteriam Pariſiorum iuſſu ſuperiorum ſe conferens, tantùm in literis ſub diſciplina D. Thomæ Aquinatis profecit, vt breui magiſtrali Laurea decorari meruerit; inter ſui ſæculi claros Philoſophos, ac Theologos connumeratus eſt, & vulgo *Doctor Fundamentalis* dictus. Attamen licet nemini doctrina concederet, ac ſapientia inter omnes excelleret, accuſatus, poſt varias concertationes ad ſubſellia Apoſtolica accerſitus, Chriſtiana demiſſione Pontificio Decreto ſe, ſuaque ſcripta ſubmiſit. Iuſſus itaque eſt Pariſijs ea reuocare, quæ Sorbonicos Doctores offenderant, atque à Stephano Epiſcopo fuerant damnata, quæ vt in celeberrimo Conuentu fierent, data hæc ab Honorio IV. Romano Pontifice imperia.

Thõ. Herrera in Alph. Aug. And. Victor. in Addit. ad Ciaconium. Iordan. de Saxon. in vit. fratrũ. Odericus Raynald. in Annal.

E HONORIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI. Venerabili fratri Epiſcopo Pariſienſi.

Licet dilectus filius Frater Aegidius Romanus de ordine fratrum Eremitarum S. Auguſtini, olim Pariſijs vacans ſtudio, aliqua, ſicut intelleximus, dixerit, & redegerit in ſcripturam, quæ bonæ memoriæ Stephanus Pariſienſis Epiſcopus prædeceſſor tuus per ſe ipſum examinans, & per Cancellarium Pariſienſem eius temporis, ac per alios Theologicæ facultatis magiſtros examinari faciens, cenſuit reuocanda, & ea minime reuocarit, quin potius varijs rationibus niſus fuerit confirmare; nuper tamen apud ſedem Apoſtolicam conſtitutus humiliter obtulit, ſe paratum reuocanda, quæ dixerat, ſeu ſcripſerat, reuocare pro Noſtræ arbitrio voluntatis.

Nos verò huiuſmodi eius oblationem humilem acceptãtes, & mo-
F *ti ſpiritu compaſſionis ad ipſum, quia decentius, & vtilius reputauimus, vt præmiſſa ibi conſultius reuocentur, vbi dicta, & ſcripta inconſulte dicuntur, ipſum ad te duximus remittendum; fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus dilecto filio Magiſtro Nicolao Pariſienſi Cancellario, & omnibus alijs Magiſtris Theologicæ facultatis Pariſijs commorantibus, tam actu in eadem facultate Regentibus, quàm etiam non Regentibus ad hoc ſpecialiter conuocatis, procedens de ipſorum conſilio in prædictis, dicto fratri coram omnibus eis reuocanda, quæ de dictis contra ipſum, vna cum maiori parte Magiſtrorum eorundem iudicaueris reuocanda, & ſpecialiter quæ dictus prædeceſſor tuus mandauit, vt prædicitur,*

reuoca-

reuocari, circa licentiam, & expeditionem ipſius auctoritate Noſtra prouideas, prout ſecundum Deum, fides Catholica, ac Pariſienſis Studij vtilitati, de cõſenſu maioris partis Magiſtrorum ipſorum videris expedire. Datum Romæ apud S. Petrum kalen. Iunij anno Primo: qui fuit noſtræ ſalutis 1285.

Explicuit Chriſtianam demiſſionem Aegidius, ac Romanæ Eccleſiæ doctrinæ piè adhæſit. Coniuncta itaque virtutis, & ſcientiæ laude in dies efflorescens datus eſt primò, teſte Ioanne Chenu in Chronologica hiſtoria Archiepiſcoporum Bituricenſium in Præceptorem adoleſcẽti Philippo Pulchro, Quarto poſtea Gallorum Regi, deinde ſui ordinis Generalis electus eſt anno 1292. mox ad Bituricenſem Archiepiſcopatum, Aquitaniæ Primatem anno 1295. eſt euectus. Eius elogium Sixtus Senenſis in ſua Bibliotheca his verbis perſtrinxit: *Aegidius Archiepiſcopus Bituricenſis, patria Romanus, ex illuſtri familia Columna, Prior quondam generalis ordinis Eremitarum, D. Thomæ Aquinatis Diſcipulus, vir in diuinis Scripturis eruditiſſimus, & in Philoſophia Ariſtotelica nulli ſuo tempore ſecundus, ingenio ſubtilis, ſermone Scholaſticus, & ob doctrina conſtantiam, Fundatiſſimi cognomen adeptus.*

Pet. Friz. in Gallia Purpur.

Paul. Aemil. de Geſt. Fr.

Modeſtiam cum grauitate, animique demiſſionem cum ſui generis excellentia tam arcto connexit nexu, vt nihil omnibus magis eſſet admirationi. In alienis confutandis opinionibus nihil eo temperatius, quod etiam in lucubrationibus maximè præſtitit; cum enim ſui Præceptoris aliqua ſibi non arrideret opinio, eam ſupra ingenij ſui aciem eſſe aiebat, & Doctorem ipſum tacito nomine virũ Magnum, aut Præſtantẽ appellabat. Vnicè amabat ſui ordinis Alumnos; illis locũ, quem nunc incolunt, tũ Lutetiæ, tum Biturigibus obtinuit.

Bzouius in Annal. Ioſeph Pamph. in Chronic. Erem. S. Auguſtin.

Scripſit, teſtibus Poſſeuino, Nomenclatore Cardd. ac Sixto Senenſi, libros duos de Mundo ſex diebus condito: hos libros quæſtionibus Scholaſticis multis repletos ſeculo præterito Venetijs tum primum impreſſos legimus; quorum initium eſt: *Quoniam de operibus ſex dierum &c.*

In Canticum Canticorum.
In omnes Epiſtolas Diui Pauli.
In Epiſtolas Canonicas.
In Euangelium Ioannis.
In totum Canonem Bibliorum libros duos.
In Boëtium de Philoſophica Conſolatione.
De Excellentia Summi Pontificatus.
De Eſſe, & Eſſentia.
Introduct. Chriſtianæ fidei ad Regẽ Armeniæ Bonif. VIII. iubẽte.
Super Sententias libros quatuor.
Expoſitionem primæ Decretalis.
De Regimine Principum.
Quodlibeta multa.
In Officium Miſſæ.
De Intellectu Poſſibili.
Laudes Sapientiæ Diuinæ.
De Sapientia Diuina in Beatis.
De Subiecto Theologiæ.
De Corpore Chriſti.
De Menſura Angelorum.
De Mortuis.
Diſtinctionem Articulorum fidei.
De Gradibus Formarum.
De Prædeſtinatione.
De Generatione, & Corruptione.
De Peccato Originali.
De Formatione Humani Corporis.
De Poteſtate Eccleſiaſtica ad Bonifacium VIII.
De Carcere.
Compendium Theologiæ.
De Renunciatione Papæ.
Aduerſus Corruptorem librorum S. Thomæ Aquinatis, quod *Defenſorium* nominauit.
Sermones varios.
In omnes Ariſtotelis libros Commentaria.
De Materia Cœli contra Auerroẽm.
De Medio Demonſtrationis.
De Inferno, Purgatorio, & Paradiſo.
De Reſurrectione Mortuorum.
De Bona Fortuna.

Commentarium in Salutationem Angelicam, prodijt primò Romæ anno 1555. & nuper Matriti ex Typographia Regia, vnà cum tom. 3. Bibliothecæ Virginalis, hoc eſt anno 1648.

Hippol. Marrac. in Purp. Mar.

Robertus Cardinalis Bellarminus Aegidij huius inter Doctores Eccleſiaſticos meminit magna cum laude, additque: *Magna ex parte illius Opera non extare, niſi manuſcripta in varijs Bibliothecis.*

Coram Philippo Gallorum Rege cognomento Pulchro à ſacris Regijs in Rhemenſi Vrbe ſuſceptis, ac primùm Pariſienſem Academiam inuiſente, Orationem pro tempore luculentiſſimam in frequentiſſimo virorum vtriuſque ordinis conſeſſu habuit.

Paul. Aemil. in Philippo.

Inter Cardinales a Bonifacio VIII. creatos numerant Aegidium hunc Coriolanus, Ferdinandus Vghellius de Cardinalibus Columnenſibus; Andreas Victorellus in Additionibus ad Ciaconiũ; Hippolytus Marraccius in Purpura Mariana, & alij; ſed paulò poſt ereptum è viuis, ac proinde publicè non fuiſſe renunciatum. Petrus Frizonius in Gallia Purpurata affirmat Aegidium nõ fuiſſe publicatum Cardinalem à Bonifacio VIII. ob ſuperuenientem eiuſdem Pontificis obitum. Sed hoc ex Contelorio diuinare eſt; nam Bonifacius decem menſibus ſuperuixit, ſi eos ab vltima Creatione numeres. ſi veritatem quærimus, haud affirmare poſſumus Aegidiũ deceſſiſſe paulò poſt quã illũ Card. Bonifacius renunciauerit, cũ deceſſerit, vt dicemus infra, an. 1316. tredecim videlicet annis poſt Bonifacij obitũ.

Felix Contelorius Aegidium hunc excludit è numero Cardinalium, tum quia in Regiſtro Pontificio anno 1305. & in publicis Tabulis annis 1306. 1307. & 1310. nominatur Archiepiſcopus Bituricenſis, imo vti Archiepiſcopus interfuit Concilio Viennenſi, & in ſepulcrali Inſcriptione dicitur Archiepiſcopus, nulla prorſus Cardinalatus facta mentione; tum quia in libris ſacri Collegij, in quibus Creationes Cardinalium ſunt deſcriptæ, Aegidius inter Cardinales non legitur. His addit, diem Creationis eſſe incertum, & authores, qui illum Cardinalem renunciatum aſſerunt, inter ſe non conuenire. In re tam dubia, quidquam affirmare non audeo; lectorum iudicio omni ex parte rem hanc permitto.

Synodo Oecumenico Viennenſi, vt dictum eſt ſupra interfuit, & Bonifacium defendit, ac pro illius innocentia à quamplurimis proceſſa Apologeticum Commentarium euulgauit, quo ſcripto, & Regis, & Procerum quorundam, quibus voluptati fuerat memoriam Pontificis Bonifacij damnare, in ſe animos concitauit tantopere, vt totos conatus adhibuerint, ne Clemens Bonifacij ſucceſſor dignitatem illi deſtinatam denunciaret.

Ferdinandus Vghellius contra ferè omnes auctores ſcribit Aegidium ad ſuperos euolaſſe Pariſijs; non recedendum tamen exiſtimo à communi ſententia illorum, qui ſcripſerunt Aegidium Auenione mortalitatem expleuiſſe die 22 Decembris anno 1316. Corpus illius Lutetiam Pariſiorum delatum, & in Eccleſia Patrum Auguſtinianorum conditum fuit cum ſequenti Epitaphio in ſarcophago à latere Aræ principis ſcripto.

And. Victorel. in ſuis Addition. ad Ciacõ.

HIC. IACET. AVLA. MORVM. VITAE. MVNDITIA. ARCHIPHILOSOPHIAE. ARISTOTELICAE. PERSPICACISSIMVS COMMENTATOR. CLAVIS. ET. DOCTOR. SACRAE THEOLOGIAE. LVX. IN. LVCEM. REDVCENS. DVBIA FRATER. AEGIDIVS. DE. ROMA. ORDINIS FRATRVM EREMITARVM. SANCTI. AVGVSTINI. ARCHIEPISCOPVS BITVRICENSIS. QVI. OBIIT. ANNO. DOM. MCCCXVI. DIE. XXII. MENSIS. DECEMBRIS.

Claudius Robertus in Gallia Chriſtiana Aegidij laudes extollit his Carminibus.

Aegidius magni magnum ordinis incrementum
Romanus, culmen virtutis nobile libris.
Doctrina grandis, vigilique labore parentem.
Inſequitur, Mitraque pares ſortitur honores.

Veſtes ſacras, quibus ad diuinum ſacrificium vtebatur Cœnobio Romano S. Tryphoni ſacro, Bibliothecam verò Pariſienſibus Auguſtinianis, ſupremis Tabulis legauit.

Iordan. de Saxon. in vit. fratrũ.

Præter alios habuit Aegidius in diſcipulum Albertum Patauinum Eremitam Auguſtinianum, tam ſacris, quàm profanis literis ornatiſſimum, & concionatorem ſuo tempore celeberrimum.

Pet. Frizõ in Gallia Purpur.

Angelus Rocca Epiſcopus Tagaſtenſis in eius Vita, & Iordanus de Saxonia in Vitis fratrum, narrant mulierem quandam graui morbo vexatam ad Aegidium Archiepiſcopum acceſſiſſe, ægri corporis ſanitatem efflagitantem, & ſtatim priſtinam valetudinem recuperaſſe his Aegidij verbis, *Vade bona mulier, fiat tibi ſecundum fidẽ tuã.*

Ciaconius in Honorio IV. ſcripſit Aegidium fuiſſe Archiepiſcopum Bituricenum; illius tamen errorem cognoſcere quis poterit ex ſupra expreſſo Epitaphio, quod in Aede Auguſtinianorum Pariſijs inſpiciebatur. De illo hæc habet Aegidius Viterbienſis Cardinalis in ſua hiſt. 20. ſec. m. s. *Erat Cœleſtino familiaris Aegidius Romanus, Eremitarum Religionis ornamentum, & decus, qui ſanctiſſimis moribus exactiſſimam eruditionem coniunxit.*



XVII.

PETRVS Hiſpanus, ſeu Hiſpani ex Epiſcopo Burgeſi inter Cardinales, teſte Ferdinando Vghellio cooptatus, & Epiſcopali ſede Sabinenſi à Bonifacio donatus eſt anno noſtræ ſalutis 1302. Bernardus tamen auctor Chronici Romanorum Pontificum, quod ſeruatur in Vaticano, affirmat Bonifacium Octauũ Dominica prima Aduentus anno 1298. vnà cum Nicolao Prædicatorum, & Ioãne Minorum ſummis Magiſtris Petrum Hiſpanum Cardinalatu decoraſſe. Solus cum Nicolao Epiſcopo Oſtiẽſi aſtitit Bo-

Tomo 5. Ital. ſac.

Ciaconius

Panuinius

Aubery.

niſacio Pontifici, quando in palatio Anagnino Corona Conſtantiniana ornatus, & reliquis Pontificijs veſtibus indutus, ingenti fortitudine, animoque ſublimi aduenientes hoſtes excepit. Clementis V. iuſſu functus eſt legationis munere in Anglia ad pacem conciliandam inter Angliæ, & Galliæ Reges: firmata pace attulit Exequijs Odoardi Angliæ Regis, ac fidelibus omnibus, qui orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam pro illius quiete recitarent, delictorum veniam indulſit. Interfuit Comitijs, in quibus Petri ſolium aſcenderunt Benedictus X. dictus XI. & Clemens V. A

Auenione deceſſit die 20. Decembris anno 1310. ſeu, vt alijs placet anno 1311. eius cadauer Romam delatum apud ſanctum Petrum in Vaticano prope ſepulchrum Bonifacij VIII. conditum eſt, cum ſequenti Epitaphio. B

BONAE MEMORIAE DOMINVS PETRVS
SABINENSIS EPISCOPVS
AVENIONE MORTVVS ET AD BASILICAM ISTAM DELATVS
SEPVLTVS AD PEDES DOMINI SVI IN HAC BASILICA
ANNO DOM. MCCCXI.

Subſcriptione ſua firmauit Clementis V. Diploma datum anno 1306. ad Carolum II. Siciliæ Regem, & eiuſdem meminit Chronicon Auenionenſe Romanorum Pontificum, quod eſt m. s. in Bibliotheca Vaticana.

XVIII.



INter Cardinales à Bonifacio Octauo renunciatos, recenſent nonnulli Fr. Dominicum à ſancto Petro, natione Hiſpanũ, Patria Barcinonenſem, ſacri ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum Alumnum; qui à puero diuino ſeſe famulatui offerens, breui, vt reliquos omnes legum cultu, vitæque ſanctimonia ſuperauit; obedientia tamen, & voluntaria corporis afflictatio, præcipua Religioſorum virorum decora, maximè in Petro enituere. Quater enim in hebdomada à carnibus abſtinebat; laneum ſemper induebat induſium, & in nudis aſſeribus veſtitus pernoctabat. Præfuit Cœnobio Barcinonenſi, in quo è vita exceſſit anno noſtræ ſalutis 1307. Auctores qui Petrum hunc inter Cardinales enumerant, ſunt Syluester Marulus in Mari Oceano, Stephanus de Corbera in vita Mariæ de Soços, & Iacobus Ioannes Viues in Viridario Mercenario. C D

Bernar. de Vargas in Chronic.

M. Alphõ. Remõ. in hist. B. Mariæ de Mercede.

XIX.

PRæter iam dictos, alium à Bonifacio creatum Cardinalem refert Petrus Rodulpus, Fr. ſcilicet Reginaldũ Italum ex Vmbria ordinis Minorum, Lectorem Sacri Palatij, Archiepiſcopum Rothomagenſem, demum Epiſcopum Cardinalem Portuenſem, & S. Rufinæ, quem ait ſuper Sententias ſcripſiſſe, & poſt acceptam dignitatem parum ſuperuixiſſe. Attamen ego alium non inuenio auctorem, qui hunc faciat, aut Archiepiſcopum, aut Cardinalem. Inter Archiepiſcopos Rothomagenſes à nullo recenſetur, neque à Ioanne Chenu de Epiſcopis Galliæ, neque à Claudio Roberti in Gallia Christiana, neq; eius mentio occurrit in Tabulis Democharis. Imò iuxta Chronologiam Claudij Roberti neque fuit, neque potuit eſſe illius Eccleſiæ Præſul. Etenim Odoni Rigault Minoritæ ſucceſſorem ille tradit Guillelmum de Flaua Curia, ab Eccleſia Lingonẽſi, ſiue potiùs Lincolnienſi ad Rothomagenſem tranſlatum anno 1278. & obijſſe aſſerit anno 1305. ita vt toto tempore Pontificatus Bonifacij VIII. ex Claudio Roberto ſedes hæc illum Paſtorem habuerit. Et Reginaldum hunc ex Vmbria, & Prouincia S. Franciſci nonniſi anno 1298. ab eodem Bonifacio factum Lectorem Sacri Palatij, vacante hoc officio per aſſumptionem Fr. Gentilis à Monteflore ad Cardinalatum notauit Fr. Lucas Vvaddingus in tom. 2. Annalium Minorum. Adde quòd neque in ſerie Epiſcoporum Portuenſium, & S. Rufinæ apud Ferdinandum Vghellium, neque in ſerie Cardinalium apud Panuinium, aut Ciaconium Reginaldus hic habeatur: neque in Catalogo Cardinalium Minoritarum eiuſdem meminerit Bartholomæus Piſanus eiuſdem ferè temporis auctor. Solùm eſt huiuſce mentio apud Gaſparem Iongelinum in Elogijs Cardinalium ordinis Minorum, ſed vnum eundemque facit cum Odone Rigault, de quo nos ſupra in Innocentio IV. E A B

VICECANCELLARII S. R. E.
ſub Bonifacio VIII.

Magiſter Petrus Valerianus Priuernas anno primo, & ſecundi parte, & iterum anno ſexto.

Mag. Ricardus Petronus Senenſis ab anno ſecundo ad ſextum.

D. Papinianus Taurinas Allobrox ex Canonico Regulari, Monaſterij S. Andreæ Vercellis, Epiſcopus Parmenſis ab anno ſeptimo, vſque ad finem Pontificatus Benedicti X. dicti XI.

CARDINALES MORTVI
ſub Bonifacio VIII.

Ioannes de Caſtro Cœli, monachus Caſinas, Presbyter Cardinalis ſancti Vitalis die 22. Februarij anno 1295. C

Magiſter Petrus Peregroſſus Diaconus Cardinalis S. Georgij in Velabro, deinde Presbyter S. Marci Kalen. Auguſti anno 1295.

Guillelmus Ferrarius Presbyter Card. S. Clementis anno 1295.

Fr. Simeon Gallus Presbyter Cardinalis S. Balbinæ anno 1296.

Benedictus Caietanus Diaconus Cardinalis ſanctorum Coſmæ, & Damiani iij. Idus Octobris anno 1296.

Bernardus de Bloco Gallus, Epiſcopus Cardinalis Albanenſis anno 1297.

Simon Gallus Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus anno 1297.

Magiſter Fr. Hugo Seguin de Belhomo Gallus ordinis Prædicatorum Presbyter Cardinalis S. Sabinæ, poſtea Epiſcopus Oſtienſis, & Veliternus iij. Kalen. Ianuarij anno 1298. D

Frater Petrus Aquilanus Presbyter Cardinalis ſancti Marcelli anno 1299.

Conſaluus, aliàs Gondiſaluus Roderici Epiſcopus Cardinalis Albanenſis anno eodem 1299.

Nicolaus Pariſienſis Presbyter Cardinalis ſancti Laurentij in Damaſo anno 1299.

Frater Thomas Aprutius Presbyter Cardinalis ſanctæ Cæciliæ anno 1300.

Fr. Iacobus Thomaſius ordinis Minorum Presbyter Cardinalis ſancti Clementis anno 1300. alij tamen ſcribunt hunc obijſſe anno 1304. & alij poſt mortem Benedicti X. dicti XI. E

Fr. Andreas de Comitibus Signiæ, ordinis Minorum Presbyter Cardinalis ſecundum aliquos die prima Februarij anno 1302.

Gerardus Blancus Parmenſis Presbyter Cardinalis ſanctorum duodecim Apoſtolorum, deinde Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis Kalendis Martij anno 1302.

Magiſter Petrus Valerianus Priuernas Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ Nouæ 17. Septembris anno 1302. alij tamen affirmant, vſque ad annum 1304. vitam produxiſſe ſuam.

Fr. Matthæus de Aquaſparta Presbyter Cardinalis ſancti Laurentij in Damaſo, deinde Epiſcopus Cardinalis Portuenſis anno eodem 1302.

BENEDICTVS X. DICTVS XI. PONT. CXCVI.

ANNO DOMINI MCCCIII.





IN NOMINE DEI, ET SALVATORIS Noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen.

A BENEDIctus. N co lum Bocaſinu antea vocatum.

POSTRIDIE obitus Bonifacij VIII. ad jv. Idus Octobris, Gregorij X. lege à Cœleſtino V. repetita, à Bonifacio verò confirmata; Cardinales nouemdialia mortui Pontificis celebrare cœperunt, die 10. ſacris Spiritus ſancto celebratis, Conclaue in palatio Vaticano ingreſſi, vbi altera die ad xj. kalen. Nouembris, Pontificem maximum designarunt Magiſtrum Fratrem Nicolaum Bocaſinum, virum humili loco, patre Bocaſio Notario, in vico S. Bartholomæi Taruiſij Venetiarum natum, & Benedictum Vndecimum vocarunt. Is obſcuris parentibus, anno ſalutis 1240. ortus, altæ indolis iuuenis, Grammaticæ primum, præceptore Bocaſino patruo, Presbytero Eccleſiæ Parochialis S. Andreæ in patria, vſus operam dedit, & Venetijs, quò vitam ſuſtentare poſſet, Patritiorum filios docuit; ordinem deinde Prædicatorum, anno 1257. profeſſus, diuinis, humaniſque ſtudijs impenſe 14. annis vacauit, & totidem, quæ ex ſacris literis ipſe hauſerat, alios in ordine docuit. Cũ verò eximiæ doctrinæ, maiorem morum ſanctitatem, & pietatem adiunxiſſet, per omnes ordinis gradus, ad generalis Magiſterij apicem aſcendit, & omnium in ſe amorem excitauit. Fuit enim primo Lector, poſtea Prior Conuentualis, deinde Prouincialis Lombardię, demùm ex eo munere poſt Stephani Biſuntini obitum, Comitijs Argentorati in Germania habitis, anno Domini 1296. ab ordine inſtituto 80. eiuſdem à S. Dominico ordinis Magiſter deligitur. Quo munere biennio, & menſes aliquot egregiè functus eſt; Capitula generalia ſui ordinis celebrauit, Argentorati, Venetijs, Metis, in Mediomatricibus 14. annis in ſuo ordine præfuit. In Magiſterio ordinis eius maxima humilitas, & præclariſſimæ virtutes effulſere, in omnes pius, in ſe rigidus; in victu, & veſtitu ordinis rigorem ſeruauit; communem viuendi normam amauit: pedibus incedens, & baculo ſuffultus ordinem circuiuit, & ad Capitula profectus eſt; omnes labores primus adire ſolebat, alios prouocans dicendo, *Hæc eſt fratres chariſſimi gloria noſtra*. Cuius vitæ, ſanctitatis, doctrinæ, & prudentiæ famam audiens Bonifacius VIII. eum in Gallia peregrinantem, ordinis cenſuræ intentum, Presbyterum Cardinalem S. Sabinæ creauit. Cuius honoris literas Narbonæ ſuſcipiens, cõuocatis fratribus, multitudine nobilium aſtante, Magiſterio ſe abdicauit xjx. kal. Februarij anno 1299. Quem ad Vrbem accitum, cognita eius præſtantia, idem Pontifex Epiſcopum Oſtienſem, & Veliternum conſtituit, & in ordinis Magiſterio ſuffectus eſt Albertus Clarapus Genuenſis Ligur, Baccalaureus Pariſienſis, & tunc in monte Peſſulano publicè docens. At verò mortuo Bonifacio VIII. Fr. Nicolaus Bocaſinus ex Epiſcopo Oſtienſi, Romanus Pontifex creatur.

EIVSDEM primordia (margin, beside "Vndecimum vocarunt")

BENEDIcti electio (margin, beside "dinis Magiſterio")

Anno Dominicæ Natiuitatis 1303. die vi. Kalen. Nouembris, Papa Benedictus XI. Romæ in Baſilica S. Petri ſuæ Coronationis Inſignia ſuſcepit, per Matthæum Rubeum Vrſinum Diac. Cardin. S. Mariæ in Porticu, S.R.E. Archidiaconum, ſedit in Apoſtolica ſede, Cæſare Alberto, menſes 8. dies 6. CORONATIO Papæ Benedicti XI.

CARDINALES XVIII. VIVENTES
quando creatus eſt Benedictus Papa X. dictus XI.

EPISCOPI CARDINALES VI.

HONORII PAPAE IV.

1. Ioannes Buccamatius Romanus Epiſc. Card. Tuſculanus.

BONIFACII PAPAE VIII.

2. Theodoricus Vrbeuetanus, Epiſc. Card. Præneſtinus.
3. Fr. Nicolaus Bocaſinus, Taruiſinus, ordinis Prædicatorum Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus.
4. Leonardus Patraſſus de Guercino Hernicus Epiſcopus Cardinalis Albanus.
5. Fr. Ioannes Minius de Murrouallium Picenus, ordinis Minorum, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & S. Rufinæ.
6. Petrus Hiſpanus Epiſcopus Cardinalis Sabinus.

PRESBYTERI CARDINALES III.

COELESTINI PAPAE V.

7. Ioannes Monachus, Picardus, Gallus, Presbyter Cardinalis tituli ſanctorum Marcellini, & Petri.
8. Fr. Robertus Gallus, monachus Ciſtercienſis, Presbyter Cardinalis ſanctæ Pudentianæ, titulo Paſtoris.

BONIFACII PAPAE VIII.

9. Fr. Gentilis de Montefloris Picenus, ord. Minorum, Presbyter Card. SS. Syluestri, & Martini in Montibus, tt. Equitij.

DIACONI CARDINALES IX.

VRBANI PAPAE IV.

10. Matthæus Rubeus Vrſinus, Romanus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Porticu Prior Diaconorum.

NICOLAI PAPAE IV.

11. Neapoleo Vrſinus Romanus, Diaconus Cardinalis ſancti Hadriani in tribus Foris.

COELESTINI PAPAE V.

12. Landulphus Brancacius Neapolitanus, Diaconus Cardinalis ſancti Angeli.

13. Guil-

13. Guillelmus Longus Bergomas, Diaconus Cardinalis ſancti Nicolai in Carcere Tulliano.

BONIFACII PAPAE VIII.

14. Franciſcus Vrſinus Rom. Diac. Card. S. Luciæ in Silice.
15. Iacobus Caietanus Anagninus, Diac. Card. S. Georgij.
16. Franciſcus Caietanus Anagninus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Coſmedin, aliàs Schola Græca.
17. Lucas de Fliſco Genuenſis, Diac. Card. S. Mariæ in via Lata.
18. Richardus Petronus Senenſis, Diac. Card. S. Euſtachij.

Benedictus Papa renunciatus, magnum breui tempore virtutis ſuæ documentum præſtitit: ita enim vixit, vt poſt mortem miraculis fulſiſſe dicatur, & inter beatos exiſtimetur; inito Pontificatu Guillelmum Nogaritium, Sciarram Columnam, omnéſque Anagninos, & Campanos, & cum his in captione Bonifacij ſentientes, citatos antea ad iudicium nec comparẽtes, grauiſſimo anathemate mulctauit. Regis Francorum Philippi cauſſa cognita, & per literas, & Nũcios informatus, eum Bonifacij cenſuris mulctatum, publico in Conſiſtorio, præſentibus eius Oratoribus, abſoluit. In gratiam itidem Petrum, & Iacobum Cardinales Columnenſes recepit *, quos acerrimo odio Bonifacius, Guelphæ factionis ſtudioſior plus quàm Pontifici par fuiſſet, perſequutus fuerat. His bona omnia ſacra, & profana reſtituit, à Galero tamen rubro *, quo à Bonifacio priuati fuerãt, abſtinere iuſſi ſunt. Bonifacij edictum, quo fratres Mendicantes in Prædicandi, Confeſſionúmque audiendarum munere, & ſepulturæ fidelium iuribus pulſati fuerant, reformauit, ita vt & ordinibus, & Collegio Cardinaliũ, Epiſcoporumq; ſatiſfecerit. Quare de eo dictũ eſt, quòd praua in directa, & aſpera in vias planas commutauerit.

Sciarra Columna, aliíque in captione Bonifacij excommunicantur. Rex Francorũ abſoluitur. Cardinaleſq; Columnẽſes in gratiam recipiuntur.

Animum ſtatim ad Italiæ ſtatum componendum adiecit Benedictus: Cæterum quum in Hetruria magis, quàm alibi ſeditionibus laboraretur, eò fratrem Nicolaum Pratenſem, ordinis Prædicatorum Cardinalem ab ſe creatum, virum doctum, prudentem, & ſagacem, & induſtriæ notæ, Legatum cum ſumma poteſtate mandauit *; Qui Florentiæ nouis è populo Magiſtratibus conſtitutis, cum de reducẽdis exulibus Ghibellinis, è quorum genere ipſe ortus erat, mentionem facit, in ſuſpicionem Florentinorum venit, quod is partis ſuæ tuendæ ſtudio potius, quàm conſtituendæ Reipublicæ faceret. Nihil igitur ex iis, quæ petierat, impetrauit: idem Prati et accidit: quare Florentinis, & Pratenſibus excommunicatis, ad Pontificem redijt, is ex Vrbe timore Columnenſium abiens, Peruſiam profectus fuerat; vbi id dignum æterna memoria accidit, cum Pontificis mater, iam anus, ad eum ſalutandum, aliquando vili habitu * acceſſiſſet, à Pontificis familiaribus ſericeis veſtimentis induta, cubiculo eius introducitur, ſed eam Pontifex matrem ſuam eſſe negauit, quæ vilibus veſtimentis, non ſericeis vti ſoleret, ea prioribus veſtibus amicta, Pontifici denuò ſiſtitur, quam Pontifex amplexatus, vt matrẽ agnouit, & veneratus eſt, & publicè clamauit, eam pauperculam anum, matrem ſuam eſſe, non illam diuitem, pretioſis veſtibus indutam, quam eius humilitatem aſtantes, & audientes obſtupuerunt. Carolo II. Regi Neapolitano prorogauit terminum ad ſoluendũ Cenſum octo millium auri vnciarum, multa de eius ſibi virtute cuncti pollicebantur; eius enim mens erat, pacata Italia, Tartaros Syriam, & Palæſtinam * contra Agarenos ingreſſos, iuuare, à quibus literis, & Nuncijs ad tantam rem conficiendam ſubinde adhortabatur. Cardinales, vt fama eſt, viuentem ferre diutius ex hoſtili odio aduerſus Columnenſes concepto non potuerunt, ac cum Peruſij non procul à lacu Traſimeno vir pius menſæ accumberet, iuuenis quidam fœminæ habitum mentitus, ſe eſſe ancillam fingens Abbatiſſæ * Virginum S. Petronillæ * triclinium cum ingreſſus eſſet cum argenteo vaſe, ficus recentes, & varia florum genera illi obtulit, quos auidè comedit, nihil mali ſubeſſe ratus, permixtum autem illis ficubus, aut floribus venenum erat. His igitur malis artibus, Cardinalium fraude, extinctus: vt Villanus in ſua hiſtoria tradit. Obijt autem Peruſij, nonis Iulij, anno 1304. ſepultus ibidem in Templo S. Herculani ad Prædicatores, magna cum funeris pompa, vt par fuit, inſigni marmoreo tumulo hac Inſcriptione exornato.

Florentini, Pratẽſeſq; à Legato Apoſtolico excommunicantur.

Benedictus matrẽ ſuã ſericeis veſtibus indutam repellit.

Benedicti Obitus qualis.

¶ Ex Nomencl.

¶ *O quàm laudandus, quàm dulciter eſt venerandus*
Inclytus ille Pater, prius extitit ordine frater
Sancti Dominici Chriſti vigilantis amici.
Lector honoratus, prius extitit ipſe vocatus.
Effectus talis frater, quoque Dux Generalis
Sic Ro. doctrina poſt hæc fit Cardo Sabina
Oſtia, Velletris tituli ſibi dant pia lætis,
Perficit Hungaria Legatus iuſſa Sophia.
Fit Pater ipſe Patris, caput Orbis, gloria fratris:
Eſt meritò dictus re, nomine ver BENEDICTVS.
Treuiſij datus, hic primo ſed Pontificatus
Anno deceſſit, ſibi rectè ſubdita rexit.
In nono menſe, is mortis proſternitur enſe;
Hunc hominem ſanctum reddunt miracula tantùm
Innumeris ſignis dant grata iuuamina dignis;
Lector habe mentis, currebant mille trecentis
Quattuor appenſis dum tranſijt hic homo mitis
Menſe, die ſexta, Iulij ſunt talia geſta.

Fuiſſe autem Benedictum virum optimum, ac ſanctiſſimum, miracula ab eo poſt mortem * edita declarant, ægrotis multis ſanitati reſtitutis, & è corporibus humanis Dæmonibus pulſis.

Benedicti miracula.

Scripſit Commentaria in Pſalmos. In Matthæi Euangelium. Sermones plures. Regeſtique eius volumen vnicum in Bibliotheca Vaticana ſeruatur.

Vacauit tunc ſedes menſes 10. dies 28. * dum Cardinales in factiones diuiſi, alij Gallicum, & Regis Franciæ, & Columnenſium ſtudioſum; alij Italicum è Bonifacij VIII. factione Pontificem cupiunt. Cardinalibus igitur in noua creatione diſſidentibus, quamquam in Conclaui ob eam rem conſtituti à Peruſino Magiſtratu impulſi perſæpe ſint, nec ſine minis, vt maturè Pontificem deligerent.

Signum Papa  *Bened. XI.*

ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

¶ *Impia coetibus.*] Hoc non dicerem de homine, qui, à prima ætate ſtudium veræ pietatis colere cœpit. Erat quidem pauper, potuiſſet tamen extra clauſtra religioſa, honeſta aliqua ratione, victum ſibi parare. Deum vocantem ſequutus, Dominicani inſtituti iugum, nobile illud, ſuaue, & optatum ſubijt.

* *Doctrina .... ſanctitatem.*] D. Ant. par. 3. Hiſt. tit. 20. cap. 9. ob ſcientiam, & bonitatem, à Bonifacio VIII. inter Cardines terræ eum conſtitutũ, dixit, & paulò poſt de breui illius Pontificatu, cum lacrymis, *Heu*, inquit *nimis modico tempore tam ſanctus vir in ea*, (Sede Romana) *ſedit*. Aegidius Viterbien. Cardinalis, nobili elogio doctrinam, & ſanctitatem maximi Pontificis indicauit, dicens. *Benedictus XI. Taruiſinus, qui in Prædicatorum familia, neſcio ſanctius, an eruditius, inſtitutus, nihil antiquius duxit vnquam, quam Cœli comparãdi gratia cuncta agere, res humanas, vt vmbras, contemnere, luci, æternitatique adſpirare; vſurpabat illud Pindari. Homo vmbra ſomnium.* Et prius ſanctiſſimum, doctiſſimúmque eundem vocauerat.

In Hiſtor. 20. ſecul. m. e. p. 198

* *Bonifacius VIII. ...... Cardinalem ...... creauit.*] Homini generis nobilitate carenti, ſed ſanctitatis, doctrinæ, prudentiæque fama celebri Purpuræ honorem Bonifacium decreuiſſe, ad ipſius Bonifacij laudem ſpectat quem Benedictus tanti fecit; vt Pontifex creatus, illius nondum Pontificis nomen vſurpauerit.

* *Pontifex creatur.*] *kalen. Nouembris*, ait Platina. *xi. kalend. Nouemb. à 22. Cardinalibus.* Panuin. in Chron.

* *Sedit ..... menſes 8. dies 6.*] *Menſes 9.* D. Anton. loc. cit. *menſes 10. dies 28.* Panuin. loc. cit. *menſes 8. dies 16.* Sanderus lib. 7. De Viſib. Eccl. Monarch. *menſes 8. dies 17.* Geneb. lib. 4. Chronog.

* *Cardinales Columnenſes recepit.*] Ex Platina. Duos Cardinales Columnenſes, & Philippum R. F. a Bonifacio Regni iure deiectum reſtituit. Genebr. loc. cit. Volaterran. lib. 22. Anth.

* *A Galero ..... rubro.*] *His ..... bona reſtituit: à Galero tantùm rubeo, quo à Bonifacio priuati fuerant, ſed breue tempus, abſtinere ſunt iuſſi.* Platina.

* *Nicolaum Pratenſem ...... Legatum mandauit.*] De hac re D. Anton. par. 3. cit.

* *Pontificis mater ...... vili habitu.*] Hæc ex D. Antonino tit. 21. loc. cit.

* *Syriam, & Palæſtinam.*] Ex Platina, at non eadem omnino Cardin. Viterbien. Aegid. cum ait. *Benedictus* (cum diriperentur omnia in Syria) *nihil amplius curandum, duxit, quam vt vndique collectam opem, ad adiuuandos eos, tranſmitteret, qui, pietatis nomine, opprimebantur; qui dum pacat domi res, dum vocat Principes, dum pecuniam, dum viaticum, dum exercitum parat, dum die laborat, noctu non quieſcit, in ſancta expeditione procuranda moritur.* Loc. cit.

* *Abbatiſſa ...... S. Petronillæ.*] Ex S. Antonino cap. 9. tit. 20. par. 3. cit.

* *Miracula poſt mortem.*] Ex Platina, non diſcrepat Genebrar. loc. cit. his antiquior S. Anton. *Dicitur, inquit, etiam claruiſſe miraculis; nec eſt incredibile; cum tam ſancta vita extiterit.*

* *Vacauit ſedes menſes 10. dies 28.*] Ita Panuinius in Chronic. at Genebrar. & Platina loco citato annum vnum, aiunt, & menſem vnum. Sanderus menſes 8. dies 16.

Palmerius hunc Benedictum XII. Sanderus IX. dictum X. Platina XI. plerique X. dictum XI. vocant. In eum pauca Mornæus euomuit. Vide Gretser. cap. 57. Exam. Myſt. Pleſ. & Coq. in Antim.

Claudant Benedicti mentionem Aegidij Viterbien. Card. verba. *Benedictus ..... Pontifex factus vitæ ſuperioris rationem non modo non deſeruit, vt plerique faciunt, verum etiam adauxit.*

ADDITIO ABB. FERDINANDI VGHELLI
Ordinis Ciſtercienſis.

SSanctiſſimi huius Pontificis res præclarè geſtas à Gregorio Luziano Taruiſino, ordinis Præd. conſcriptas leges initio operum eiuſdem Pontificis. Conſtruxit Benedictus in patrio ſolo (Bartholomæo Burchelato teſte) Templum Diuo Nicolao ſacrum, in quo ſuperiùs ad Aquilonarem magni Templi oſtium cum gentilitijs eius imaginibus hæc leguntur ex marmore.

DIVI. NICOLAI. TEMPLVM. A. DD BENEDICTO. ORD. PRAED. PAPAE. XI. CONSTRVCTVM. OBIIT. MENS. IX. DIE. VI. SVI. P. M. CCC. IIII. PERVS. R.

Infra Cœnobium, vbi Patrum habentur Comitia, ante imaginem eiuſdem Pontificis hæc leguntur,

PAPA. BENEDICTVS. XI. QVI. PRIVS. DICTVS. EST. FR. NICOLAVS. DE. TARVISIO. ISTE. FVIT. SECVNDVS, PP. ORDINIS. FRATRVM. PRAED FVIT. SPECVLVM. SANCTITATIS. IN. MVLTIS. CLARVIT. MIRACVLIS.

In Templo ad fornicem magni Campanilis ſub antiqua effigie tanti Patris.

DOMINVS. BENEDICTVS. TRIVI. ORD. PRAED. PP. XI.

Ibidem inferiùs denuò fuit per RR. Patres Prædicatores huiuſmodi elogium elegantibus exaratum.

Fratri Nicolao Bocaſino Tar. ord. Præd. & Sac. Theol. Mag. Hic in Card. Oſtien. aſſumptus ex Pannonia Legatus rediens Ciuis. Moder. pro conſtruendo hoc Auguſtiſſimo Templo xxv. millia aureorum florenorū benigna erogauit manu. Non multo poſt in locum Bonifacij VIII. Pontificis vno omnium Patrum conſenſu ſuffectus A. MCCCIII. xv. kalendas Octob. Summ. Pont. creatur, & Benedictus XI. nuncupatus. In huius perpetuum Aſſumptionis monum. Tar. Ciues Nundinas, quæ ad D. S. Michaelis celebrari conſueuerant, ad diem S. Luciæ cenſuerunt indicendas; ipſe verò, Cruce, ac Tabulis argenteis, plenarioque Iubileo cunctis completoria tribus dieb. Domin. Reſurrectionis in hoc Templo audientibus perpetuo Patriam munificentiſſimus donauit. Obijt Peruſij MCCCIV. Id. Iul. Pontificatus ſui menſ. IX. multis claruit miraculis.

Eccleſiam ſancti Auguſtini Patauij cum pluribus Epiſcopis conſecraſſe Benedictum, perpetuum hoc, quod adhuc extat monumentum clarè demonſtrat.

BEATVS. PAPA. BENEDICTVS. ORDINIS. PRAEDICATORVM. TARVISINVS. HIC. EX. MAGISTRO. ASSVMPTVS IN. CARDINALEM. OSTIENSEM. HANC. ECCLESIAM BEATI. AVGVSTINI. CVM. MVLTIS. EPISCOPIS. CONSECRAVIT. M. CCC. III. MENSIS. MAII. DOMINICA. ANTE ASCENSIONEM. DOMINI.

Peruſij in Templo fratrum Prædicatorum ad beatiſſimi Patris ſepulchrum celebre in marmorea Tabula legitur Epitaphium ex Nomenclatore hic poſitum, à Schradero in recenſendis Italiæ Monumentis perperam ſancto Dominico adſcriptum.

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI
SOCIETATIS IESV.

ORBA Paſtore Eccleſia, Purpurati patres numero ex Ciaconio 22. ex Panuinio 20. reuera tamen ſi res ad accuratius examen reuocetur, ſolum 18. ad quos creandi Romani Pontificis munus ſpectabat, in Vaticano Palatio, vbi extremum diem obierat Bonifacius, ad ſacra Comitia celebrāda conuenere, & poſt paucos dies communibus votis, in eligendo Nicolao Epiſcopo Oſtienſi non ſine diuini numinis arcano conſilio ob egregia virtutum ſigna, quæ in ipſo emicabant, conſenſere. Cui etſi parentum admodum laudata nobilitas non acceſſerit, attamen nec illa quamuis minimum in ſanctorum elogijs ſibi locum vindicent omnino defuit. Quandoquidem pater eius Bocaſinus cum publicus eſſet Imperatoris auctoritate Notarius, etiam tunc temporis, quando non adeo profuſa erat titulorum luxuries, Dominus nuncupabatur, quem titulum non niſi viris illuſtribus ea ætas concedere ſolebat; ita ex Amitæ eius Teſtamento, quod etiamnum aſſeruatur, quo domus illius Monaſterio S. Nicolai legata eſt. Patruum etiam Bocaſinum, ſub quo, vt dictum eſt ſupra, prima rudimenta didicit, Parœciæ ſancti Andreæ Taruiſij Presbyterum habuit. Illud poſtremò huiuſce rei nō minimam fidem facit, quòd ædes, in quibus Nicolaus, & genitus, & nutritus eſt, quæue fratribus ordinis Prædicatorum hæreditario iure obuenerūt, certè in hæc vſque tempora honeſtæ familiæ ſignificationem referre dignoſcuntur: ſed de his caducis, exteriſque laudibus ſatis, demus virtuti reliqua. Expauit Nicolaus ad oblatæ dignitatis maieſtatem vir ſanctus, Chriſtiana animi demiſſione inſignis; ne tamen Eccleſiam in ſeditionum fluctus conijceret, onus Pontificium admiſit, ac

Nicolaus Oſtien. Bonifacio ſurrogatur. Panuinius Bzou. in Annal. Odericus Raynald. in Annal.

Benedicti maiores. Georgius Lazarus in vita.

A Benedicti X. alias XI. nomen ſibi aſciuit, atque has de ſua electione literas ad Archiepiſc. Mediolanēſem, & ad eius ſuffraganeos, dedit.

Benedicti nomen aſſumpſit.

BENEDICTVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI. Venerabilibus fratribus Archiepiſc. Mediolanenſi, & eius ſuffraganeis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Dominus, ac Redemptor Noſter, per quem Pater ipſius æternus vniuerſa diſponit, ſe dudum ex abundantia pietatis ad humanæ ſalutem generationis inclinans mortalitatis Noſtræ carnem induit factus homo, ſeque poſtmodum ipſi patri veram pro nobis hoſtiam immolauit: hic nempe ſacroſanctam Eccleſiam ſponſam ſuam, quam ſui commercio Sanguinis acquiſiuit, tanta dilectione proſequitur, quod ipſam non ſolum per Angelos Cæliciues, qui eam cuſtodiunt inceſſanter, ſed etiam per terrigenas hominum filios, qui ſucceſſiuè regiminis præſidentes illius acceptis clauibus Regni cæleſtis in Apoſtolatus officio B. Petro, ex eiuſdem Redemptoris diſpoſitione ſuccedunt, fouet clementer, protegit, & gubernat, vt & cæleſtis Militiæ B *præſidio fulciatur, & terreni Paſtoris miniſterio non fraudetur. Verum opere diuina potentia plerumque mens humana miratur, dum mirabiles perſonarum, & temporum immutationes attendit, in quorum contemplatione ſenſus hominis hebetatur, dum conatur perquirere inueſtigabiles vias Domini, & eius occulta conſilia perſcrutari, ipſe namque non nunquam potentes, humiliat, ponit humiles in ſublimi, fortem facit ex debili, balbutientibus eloquentiam tribuit, & prout vult, creaturarum conditiones variat, & diſpenſat munera gratiarum, plenam, & perfectam habens ad ſingula, tanquam palma concludens omnia, poteſtatem. Nos autem nimirum in admirationem protrahimur, ac timor ac tremor Nos vehementer inuadūt, dum intra mentes arcana reuoluimus, quot, & quantas immutationes receperit hactenus ſtatus Noſter, qui ab olim ad ordinem fratrū* C *Prædicatorum profeſſi, putabamus abiecti eſſe in domo Domini cum humilibus ſeruis eius, & ſub obedientiæ iugo Creatori reddere votum Noſtrum: ſed diuina diſpenſatione conſilij, poſt miniſteria varia in ordine prædicto Nobis impoſita, ſuſcepimus Magiſtri generalis officium, ac ſubſequenter ad Cardinalatus apicem dignitatis per Apoſtolicam ſedem aſſumpti, cum aliquandiu Noſtri miniſterij debitum in gradu ſacerdotij exiſſemus, profecti fuimus per ſedem eamdem in Epiſcopum Oſtienſem, nouiſſimè verò fratrum Noſtrorum inſtantia, prout ſeries infraſcripta declarat, Nos ſubire coëgit ſarcinam Apoſtolicæ ſeruitutis. nuper enim fel. recor. Bonifacio Papa Octauo Prædeceſſore Noſtro, ſicut Domino placuit, de hac luce ſubtracto, & ſicut ſperamus poſt labores impenſos ad præmium euocato, eiuſque corpore cum exequiarum ſolemnitate debita, tradito Eccleſiaſticæ ſepulturæ, Nos tunc, vt pertangitur Epiſcopus Oſtienſis, cæterique fratres Noſtri Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi S. R. E.* D *Cardinales ad tractandum de Romani ſubſtitutione Pontificis in Palatio ſancti Petri de Vrbe, in quo deceſſerat Prædeceſſor ipſe, conuenimus, Nobiſque ac ipſis ad id eligentibus per viam præcedentis ſcrutinij, contigit, illo faciente, qui concordiam diligit, quod vnico facto, ac publicato Scrutinio, tanta finaliter in votis eorumdem fratrum eſt inuenta concordia, quod per eos de Nobis, licet immeritis fuit ad Apoſtolatus officium xi. kalend. Nouembris proximè futuri electio celebrata, in quo præadminiſtrationis magnitudine redditi, nec immeritò, ſumus attoniti, ſtupor Noſtrum animum hebetauit, eumque timor, & tremor pariter concuſſerunt. Nunquid enim non admiratione dignum, quod inter tot, & tantas eorumdem fratrum perſonas, vita, ac fama claritate pollentes, virtutibus redimitas, abundantia inſuper multiplicium ſufficiētia meritorum in præſidendo Apoſtolico culmine humilitas Noſtra, quæ illis fuerat meritò poſtponenda, præfertur: non nedum iniuncti oneris molem attendimus, & Noſtram inſufficientiam comparamus, dignè inualeſcunt timor, & tremor, ne pro tantis debilitas ſub tanta molis grauitate* E *ſuccumbat. Nonne timendum iterum, & tremendum, ne iuſtus iudex, ſi rationem de talentis creditis, veniat exacturus, & ſeruum minus vtilem a bono torpentem opere damnet? Hæc, & alia plura, quæ prolixitatis vitandæ gratia ſermo ſubcinctus omittit, inſufficientiam Noſtram à tantæ grauitatis onere ſubducendam adeo efficaciter ſuggerebant, quod eorumdem fratrum importunitati diuerſarum excuſationum obicem opponendo ea, quæ potuimus, reluctatione reſtitimus: ſed fratres ipſi Noſtræ reſiſtentiæ obuiantes Noſtris excuſationibus non admiſſis Nos ad conſcendendum Petri Cathedram multa importunitatis inſtātia deuicerunt Noſque licet ex Noſtrorū defectuum conſcientia diffidentes, de illius tamen confiſi omnipotentia, qui non ſolum ſufficit eoſdem ſupplere defectus, ſed & potens eſt omnem gratiam abundare facere in Nobis, ne ſub obedientia nutrientis dentes iam contemnere pertinaciter, grauiaque pericula, quæ imminent ipſi Eccleſiæ, totique Terrarum Orbi, ex eius vacatione veriſimiliter timebantur, damnabiliter negligere cenſeremur, votis tandem fratrum acquieuimus eorumdem, ac ad deferendam ſarcinam ſummi Apoſtolatus demittentes humeros imbecilles recepti ab eis vnanimiter in Romanum Pontificem, recepimus ſolemnia benedictionis, & cætera ſecundum morem præficiendorum Romanorum Pontificum in perſonas Prædeceſſorum Noſtrorum hactenus obſeruatum, anxiato, & humiliato ſpiritu Domino ſupplicando, vt ipſe* F *qui Nobis huiuſmodi iugū ſubire conceſſit, ſic ad ipſum portandum*

debili-

debilitatem Noſtram robore fulciat, ſic illud faciat ſua benignitate portabile, quod ſub eo Nos non contingat ex Noſtra debilitate deficere, ſed ita Nobis, & gregi Dominico Noſtra vigilantiæ credito ſua virtute perficere, qui de talento Nobis tradito dignam poſſimus in extremo iudicio reddere rationem. quo circa fraternitatem veſtram rogamus, & hortamur in Domino per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus Nobis compatientes in tanti ponderis grauitate ad ſupportandum illud miniſtretis, quantum in vobis eſt velut in partem Apoſtolicæ ſollicitudinis euocati, veſtri auxilij fulcimentum commiſſas vobis Eccleſias, gregeſque Dominicos in eis vobis creditos gubernando ſollicitè, fideliter, & prudenter, ac fundendo pro Nobis pias orationes ad Dominum, vt ipſe in executione Paſtoralis officij ſic ſua pietate Nos dirigat, quod gratum Noſtrum miniſterium fiat, eiſ ſpem certam de Nobis, & fiduciam habituri, quod vobis in ijs, quæ ad laudem Dei, veſtrarumque ſtatum Eccleſiarum ſpectare videbimus, fauorem libenter Apoſtolicum impendemus. Datum Laterani xi. kalen. Nouembris anno Primo.

Dona Eccleſijs ſacra. Georg. Lauræ in vita.
Litteras ſcribit.
Tumultus Vrbis ſopire ſtudet.

Poſt acceptas Apoſtolicas infulas, vt diuis bene iuuantibus onuſtam graue ſuſtineret, Eccleſiæ ſancto Euſtorgio ſacræ Mediolani argenteum, fuluoque auro coruſcum thuribulum grauiſſimi ponderis, & ſericum apparatum magni pretij dono dedit, & ad ſancti Petri Martyris aram trecentas libras argenti obtulit. Deinde literas encyclicas ad Chriſtiani Orbis Præſules, Reges, ac Principes ſcripſit: mox ſopiuit Vrbis inteſtina bella, vt Iacobus Stephaneſcus carmine hoc cecinit.

Roma nouis concuſſa fremit, ſæuumque minatur
Martis opus, capitis timor eſt prorumpere flammas,
Et clarere palam: ſtipulas ceu conditus ignis
Incendat facile. At Chriſti clementia tantis
Occurrit, lymphaſque iacit, Benedictus eodem
Tempore ſuſcipitur vir clarus.

C

Federicũ Trinacriæ Regẽ Eccleſiæ cõmunioni reſtituit.
Odericus Raynald. in Annal.

Infregerat Federicus Trinacriæ Rex ſacramenta Eccleſiæ data de pendendo trium millium vnciarum auri vectigali Romanę Eccleſiæ promiſſam fidem non exoluerat; quare anathematis pœnis non ſe irretierat modò, verùm ſacrorum iuſtitium in Regnum magna cer diuinæ iniuria adduxerat. Veniam porrò facti flagitanti, atque expiandi criminis voluntatem præſeferenti Pontifex clementiam Apoſtolicam explicuit. Piorum enim ſocietati reſtituit Federicum, ac ne diuinus cultus obſoleſceret, Templa aperiri iuſſit, & penſitandi vectigalis, cui tunc ſoluendo ob exhauſtum ærarium non erat, diem ad Kalen. Maij anni 1304. protraxit ea lege, vt ſi officio deeſſet ſtata die, priſtinas cenſuras contraheret.

Priuilegijs afficit Carolum ſiciliæ, Albertũ Romanorum Reges.
Ericũ Daniæ Regẽ ab excommunicationis vinculo abſoluit.
In Robertum Calabriæ, & Rodulphũ Saxoniæ Duces beneficia.
Nicolaus Pratenſis Legatus.

Cum autem Carolus II. Rex Siciliæ poſt eiectos Luceria Saracenos Eccleſiam principem, vt diuinum cultum in ea inſtauraret, vectigalibus locupletaſſet, Benedictus vt gratiam pro amplificata rè Eccleſiaſtica reponeret, plura illius Eccleſiæ ſacerdotia conferendi iure Carolum exornauit. Albertum inſuper Romanorum Regem, &

D

Eliſabetham coniugem ea donauit prærogatiua, vt diuina in locis interdicto Eccleſiaſtico ſubiectis peragenda coram ipſis curarẽt. Ericum Daniæ Regem lege de coniugijs poſtulatum, ac ſacrorum Communione pulſum à Lundenſi Archiepiſcopo, cum iam miſſis ab Erico Oratoribus ad Pontificiam aulam controuerſia oppoſita fuiſſet, piorum cœtui reddi iuſſit. Roberto Duci Calabriæ, primogenito Regis Siciliæ, vt Sanciam Iacobi Maioricarum Regis filiam, propinquitatis gradu non obſtante, in matrimonium coniungeret, indulſit; idemq; priuilegium Rodulpho Duci Saxoniæ, & Iuttæ Othonis Longi, Marchionis Brandeburgenſis genitæ dedit. Nicolaum Pratenſem in Angliam, Scotiam, & Hiberniam ad conciliandos Reges, & Principes Legatum ire iuſſit.

Georg. Lauræ in vit.
Orientem à Schiſmate liberare cupit.
Broo. & Oder. Raynaldus, in Annal.

E

Dignam etiam Apoſtolico zelo ſollicitudinem porrexit in Orientem, atque alias Schiſmaticorũ Prouincias, in quibus ob diuturnum Schiſma vitiorum vepres excreuerant. Adeo enim obſoleuerat diuinus cultus, ſanctorum Patrum inſtituta impunè conuellebantur, & labefactabatur Euangelica lex, vt, quemadmodum deplorat Pontifex in ſuis literis, Eccleſiæ forma, ac pulcritudo in terris Andronici Imperatoris Græcorum, & Oroſij Regis Seruiæ, eiuſque fratris, ac matris Helenæ ditione penitus emarcuiſſe videretur. Vt igitur tot animarum ſtragi, atque ingentibus alijs malis, quę ex Schiſmate omnium ſcelerum fonte defluxerant, occurreret Chriſti Vicarius, Marinum Antiberenſem Archiepiſcopum, vt in Seruia, alijſque Græcorum circumiectis Prouincijs ad ea emendanda incumberet, auctoritate Apoſtolica inſtruxit. Cumque accepiſſet Oroſij Regis animo

Literas ſcribit ad Oroſium Regem.

F

pium abrumpendi Græci Schiſmatis deſiderium cœlitus inſtinctum, ipſum ad ſacra vota mandanda operi, ac ſubditos ad Apoſtolicæ ſedis obſequium alliciendos propoſitis cœleſtibus præmijs literis ad eum datis excitare ſtuduit. Accepit Helenam Reginam Seruiæ, quę præclaram fidei Orthodoxæ amplificandæ operam dabat, in Apoſtolicam clientelam.

Diſſenſiones inter Venetos, & Rauennates ſopire ſtudet.

Laboranti Italię, ac Germaniæ inteſtinis diſſenſionibus ſuccurrere niſus eſt Benedictus. Ad reconciliandos diſſidentes Venetos, ac Patauinos Firmanum Epiſcopũ Legauit, vt literæ Apoſtolicæ tum ad Legatum, tum ad Venetos datæ teſtantur. Sopitam Benedicti Papæ ſtudio eam diſcordiam indicat Venetarum rerum ſcriptor in Appendice ad Chronicon Andreæ Danduli. Diſcordias, quæ inter Gerardum Epiſcopum Moguntinum, & Albertum Romanorum Re-

A

gem intercedebant, componere ſtuduit, Regique paternis literis ob oculos propoſuit, quantum Regium honorem læderet, dum Eccleſiæ iura violaret. Albertum autem Gerardo Epiſcopo Moguntino conciliatum, ex Siffridi hiſtoria colligitur, in qua legimus ipſum Epiſcopum vnà cum Othone Bauariæ Duce, Rodulpho filio, Duce Auſtriæ, alijſque Principibus, & Epiſcopis Alberto in ancipiti, ac difficili bello aduerſus Venceſlaum II. Regem Boëmiæ adhæſiſſe.

Trinacriæ, ac Aragoniæ Regũ Oratores recipit.

Perhumaniter recepit Benedictus Federici Trinacriæ, ac Iacobi II. Aragoniæ Regum Oratores; illos, vt ob acceptum iure fiduciario Trinacriæ Regnum, hos vt ob Sardiniæ, & Corſicæ Inſulas Apoſtolicæ ſedi ſacramento fidei ſe obſtringerent. Ne autem in Trinacria, vbi ob diuturnum Eccleſiaſticum interdictum diuinus cultus obſoleuerat, hæreſis venenum latiùs diffunderetur, eidem Regi Thomam Auerſanum, ſacræ fidei cenſorem, atque alios è Prædicatorum familia huic muneri præfectos commendauit.

B

Oratores, & literas Orientaliũ recipit.
Broo. in Annal.
Baron. in Nouam. e.

Inſibraim Patriarchæ, ſeu Epiſcopi Orientalium Chriſtianorum literas accepit, & Nuncios in Vrbe audiuit: in ijs literis Chaldæo idiomate conceptis Romanam Eccleſiam Matrem, & Magiſtram omnium Eccleſiarum, ſummum verò Pontificem Chriſti Vicarium Petri ſucceſſorem, omnium Orthodoxorum Patrem, Paſtorem, Doctorem, & Iudicem profitebatur, eamque fidem Catholicam, & Apoſtolicam ſe credere aſſerebat, quam tenet, credit, & docet Romana Eccleſia. Quas literas Latino idiomate reſcripſit in ſuis Annalibus Eccleſiaſticis Odericus Raynaldus.

In Lateranenſi Baſilica Clericorum numerum auget.

Tuendi verò rei ſacræ ſplendoris ſollicitus Benedictus hæc de Clericorum numero, qui diuino cultui in Lateranenſi Baſilica Eccleſiarum principe à Conſtantino Magno condita, & à beato Sylueſtro conſecrata inſiſterent, ſanxit.

BENEDICTVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI.
Dilectis filijs Capituli Eccleſiæ Lateranenſis.

C

Tam circa vos, & Eccleſiam veſtram, quam conſtruxit Conſtantinus piiſſimus Imperator, & beatus Sylueſter ad honorem Saluatoris Domini Noſtri Ieſu Chriſti noſcitur dedicaſſe, tanto potiori diligentia excitamur, quanto veneratione maiori, & eſt dignitatibus, ac prærogatiuis pluribus decorata. Volentes igitur, vt in Eccleſia eadem ſit iuxta eius condecentiam determinatus numerus Miniſtrorum, per quos ſuſcipiat laudabiliter, Deo dante, diuini cultus augmentum, veſtris iuſtis poſtulationibus inclinati, decem & octo Canonicorum, & viginti duorum Beneficiatorum, ſiu ſtipendiatorum, nec non quaternarium Acolythorum numeros, qui videlicet ſtipendiarij, & Acolythi illam partem redituum, & prouentuum Eccleſiæ prædictæ percipiant, quam hactenus conſueuerunt percipere, & habere in Eccleſia ipſa taxauimus: ſtatuentes vt de cetero eiſdem numeris eadem Eccleſia ſit contenta, niſi adeo ipſius excreuerint facultates, quod merito illos exigant augmentari, & quod nullus recipiatur ibidem vltra numeros ſupradictos, quouſque aliquis defuerit de eiſdem, &c. Datum Laterani iiij. non. Martij anno Primo.

D

Controuerſias inter Clerũ, & religioſa ſodalitia ſedat.
Oder. Raynaldus in Annal. Eccleſiaſtic.

Exarſerat iamdiu grauis inter Clerum, & religioſa ſodalitia controuerſia, an qui apud monachos ſacra Exomologeſi crimina expiarant, ad illa iterum Parocho aperienda obſtricti eſſent; nec illam Bonifacius VIII. Romanus Pontifex, quamuis de pluribus alijs controuerſijs ſententiam tuliſſet, diremerat. Neceſſitatis verò non eſſe ea repetere Benedictus pronunciauit, tum cenſuras, ac ſententias in Religioſos viros, qui fidelium confeſſiones ſacras exceperant, latas non valere. Inſuper edixit, in plateis conciones habere ad populum Religioſis viris licere, eos tamen eadem hora, qua Diœceſanus è ſacro ſuggeſtu ageret, concionari vetuit; cum æquitas poſceret, vt inferior ſuperiori cederet. Mandauit etiam Religioſarum familiarum Præfectis, vt viros tantùm pietate, & doctrina conſpicuos habendis

E

Euangelij præcones quales eſſe debeant.

ſacris concionibus admouerent, atque ſubiectam illius ſanctionis rationem adduxit. *Quia poſt Baptiſmum inter cetera magis ad ſalutem confert propoſitio verbi Dei, qua audientes illud, quod eſt victoria Noſtra, inſtruuntur in fide, docentur fugienda fugere, & ſectanda ſectari, ac qui per peccatum lapſi reſurgunt, & pœnitentiæ ſacramentum perficiant; grandis Nobis ſollicitudo incumbit, vt tales ad hæc promoueant fratres, qui oleo dulcedinis eiuſdem veſtros foueant auditores, à peccatis prohibeant increpationis vino, peccatorum ſuorum medeantur vulnera, eoſque ad illa pœnitentiæ detrimenta purgandum & tergendum prouocent, & inducant. Ad id exequendum ſcientia diuinæ legis expoſcitur, deſideratur ordo, & vitæ integritas etiam poſtulatur. Scriptum eſt enim, Tu ſcientiam repuliſti, & ego Te repellam, ne ſacerdotio fungaris mihi; quia labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem exquirunt ex ore eius. Aliàs, prout ad*

F

eum pertinet, inter peccatum, & peccatum non poſſunt diſcernere, nec peccator exiſtens Dei debet narrare iuſtitias, & teſtamentum illius aſſumere per os ſuum; nam cuius vita deſpicitur, conſequens eſt, vt eius prædicatio contemnatur, &c.

Cœleſtinos, ac Seruitas priuilegijs multis afficit.
Affectus in Deiparam Virginem.

Alijs pluribus beneficijs Religioſos viros affecit, atque inter cetera hæc in Notis mſs. Baronij recenſentur. *Muniuit Benedictus nonſ- tes priuilegijs ordinem Cœleſtinorum, & Seruorum.* & quidem extat illius Diploma, quo Seruorum S. Mariæ familiam, quæ ſibi id nomen, pietatis ſenſu in Virginem delibuta, cui addixerat ſeruitutem, impoſuerat, confirmauit; ſuamque in Deiparam obſeruantiam planam fecit illis verbis Benedictus: *Nos autem, qui ad ipſam Vir-*

ginem

A *gnem Dominam noſtram libenter deuotionem, quam poſſumus exhibemus.*

Benedicti Virtutes.

Verùm, vt Benedicti virtutes leuiter attingamus, nunquam nec Prouincialis, nec ſui ordinis Generalis equitauit, ſed ſemper baculo innixus tam Prouincias ſibi commiſſas, quàm totum ordinem pedibus viſitaſſe fertur. In ſupremo ſui ordinis Magiſterij faſtigio conſtitutus, nunquam alio, quàm in communi triclinio cum fratribus ſuis, nec lautiori, quàm ceteri cibo, ſed eodem prorſus vſus fuerit, veſtibus iiſdem communibus, iiſdemque rudioribus inſuper, & aliquando laceris contentus. Maxima prudentia commiſſum ſibi ordinem rexit, ac Nouitiorum educationem promouit, vt in ea potiùs, quàm in quacunque alia re obſeruantiæ regularis inſudarit, & inuigilauerit, ratus cum Platone nil magis, vel ornamento Reipublicæ, vel excidio fore, quàm vel ſotam, vel neglectam puerorum diſciplinam. Circa reliquos verò ita ſe gerebat, vt æquitate ſeruata, nec nimis rigidus in noxios, nec nimis facilis eſſet in bonos.

Georg. Lamat. in vit.

B

Scripta.

Scripſit Benedictus præter illa, quæ recenſuit ſupra Ciaconius Commentaria in Iob, & in Apocalypſim: item de Ritibus Opuſculum: Commentariorum in Matthæi Euangelium pars ſecunda, quæ caput tantùm Matthæi quintum comprehendit, in lucem tum Taruiſij, tum Venetijs ſtudio, & Notis Georgij de Lazaris Taruiſini Dominicani, Epiſcopi Minorenſis prodijt. Illorum verò partem tertiam, ac primam m. s. inuentas eſſe noſtris hiſce temporibus affirmat Barthol. Burchelatus, ſed illas nondum vidimus typis impreſſas.

Petrus Lounetus Dominicanus in Catalogo m. s. ſcriptorum è ſacro Prædicatorum ordine, refert Benedictum ſcripſiſſe Conciones in Matthæum, ſed Ludouicus Iacobus à S. Carolo in Bibliotheca Pontificia ſuſpicatur idem ac præfatum opus, ſcilicet Commentaria in Matthæum eſſe.

Extant huiuſce tres Epiſtolæ ad ſui ordinis fratres datæ, quando illos moderabatur.

C

Benedicti ſedes.

Tenuit Petri ſedem non dies tantùm ſex ſupra menſes octo, vt ſcripſit Ciaconius, ſed dies ſeptendecim; nam à xij. Kalen. Nouembris anni 1303. quo die renunciatus eſt Romanus Pontifex Benedictus ipſo Ciaconio teſte, vſque, ad nonas Iulij anni ſequentis 1304. quo die è vita exceſſit ex ipſo Ciaconio, dies decem & ſeptem ſupra menſes octo interceſſere. Panuinius verò longiorem Benedicto tribuit in Pontificatu vitam, menſes ſcilicet nouem, & dies ſex, ſeu potiùs quinque; nam illum renunciatum fuiſſe Romanum Pontificem xj. Kalen. Nouembris anni 1303. & mortuum vi. Kal. Auguſti anni ſequentis 1304. affirmat in libro de Romanis Pontificibus. Obijt cũ ageret quartum ſupra ſexageſimum ſuæ ætatis annum; nam annus agebatur milleſimus ducenteſimus quadrageſimus, cum in hanc lucem ille primùm ingreſſus eſt, è vita verò exceſſit ex Ciaconio 1304.

Aetas.

Statura.

fuit mediocris ſtaturæ, caluus procedente tempore, in veneranda faciei vetuſtate cohoneſtatus; quanquam non minorem ei gratiam addebat ſumma, quam in vultu præferebat, humilitas, benignitas, ſimplicitas, grauitas, & manſuetudo.

D

De illo hęc refert Bernardus in Chronico m. s. Romanorum Pontificum: *Hic Benedictus obijt in Peruſio nonis Iulij Pontificatus ſui anno primo, ſepultuſque fuit in Eccleſia fratrum Prædicatorum Peruſij ante Altare anno Domini 1304. vbi Diuina virtus, & bonitas eiuſdem, gratia Benedicti, & nomine merita cœpit euidentibus miraculis declarare, maximè in Dæmonibus expellendis de corporibus obſeſſorum, & in multis infirmitatibus, & languoribus propulſandis quorundam.* De editis miraculis alij plures conſentiunt, è quibus Ioannes Bonifacius in hiſtoria Taruiſina ait eo mortuo concurriſſe Peruſinos, ac plures morbis varijs implicitos illuc ſe deferendos curaſſe, ob conceptam de ipſius ſanctitate exiſtimationem, ac tum ad eius feretrum patrata diuinitus plura miracula. S. Antonini verò de Benedicto teſtimonium inſigne eſt. *De hoc Benedicto legi in Chronicis ordinis quindecim miracula fidei teſtimonio comprobata, meritis eius facta de diuerſis infirmitatibus, quorum infirmorum nomina, & locorum deſcribuntur, & infirmitatum, quo ob breuitatem dimitto.* Leander Albertus huiuſce ſanctiſſimi Pontificis gloriam illuſtrat his verbis. *Ipſa die, qua ad Cœlum migrauit vir ſanctus, tantus fuit populi concurſus ad eum videndum, vt armatam Ciues, & inurbana plebs totas vias complerent, vt vix e Palatio in Templum Prædicatorum deferri poſſet, potueritque poſtero die ſepeliri. Porrò admittebantur omnes, ſancti viri pedes exoſculari, rati ſe oſculo veniam eius meritis à Domino faciliùs criminum ſuorum poſſe obtinere. Et cum ſcriptum didicerimus, qui ſe humiliat exaltabitur, ſic huic ſanctiſſimo viro contigit, quippe paſſim hinc inde miracula exire videbantur. Extemplo mulier quædam per annos quindecim capitis dolorem paſſa, ſe ſancto viro vouens, receſſit exinde ſoſpes. Quidam filius paruulus, mox voto ad beatum Pontificem, & precibus emiſſis, qui cibo potuque tribus continuis diebus abſtinuerat, & de vita deſperatus, ſoſpes reſtituitur, vt continuò pedibus ipſe ſuis domum reuerteretur, qui paulo ante ad tumulum viri Dei veluti mortuus allatus fuerat. Mulier altero brachio capto, inuocato Benedicti nomine, mox ſanum recepit. Mulier cum vno puero viſu, quem amiſerant, donantur. Mancipium Vicecancellarij alterum brachium debilitate oppreſſũ habens, ex audiens, quæ fiebant meritis viri Dei in Templo Prædicatorum ad eius tumulũ miracula, fiducia plenum extemplo brachij libertatem precibus obtinuit. A fluxu ſanguinis*

Populorũ concurſus ad exequias Benedicti.

Teſtimonia ſanctorum, & aliorũ de Benedicto.

E

Miracula poſt obitum patrata à Benedicto.

F

A *mulierem, quæ per annum paſſa fuerat, curauit. Puero ad ambulandum impotenti, pedibus & tibijs capto in frequenti populo greſſus elargitur. Mulier a Diabolo obſeſſa ad tumulum viri ſancti perducta eſt paulo poſt eius deceſſum, vt liberaretur eius precibus, quo plurimùm agitabatur, & ſic agitabatur, vt interdum ingentes, & horridas voces emittere compelleretur, quo fiebat, vt aſpicientes in ſui miſerationem deduceret: ore ipſius muſcella iniquus ſpiritus latinè tam eleganter loquebatur, vt admirarentur omnes. Igitur ad tumulum viri Dei Benedicti muliere poſita, vnus ex Prædicatorum ordine pater venerabilis in frequenti Clericorum, & Laicorum cœtu, & duobus patribus Minoritis præſentibus agere Diabolum ſãctiſſimis verbis cœpit, quos exorciſmos vocant, id eſt adiurationes, dicens Dei ex parte & ſerui ſui Benedicti Papæ te adiuro, vt hinc exeas, mulieremque iſtam, Dei facturam relinquas; tunc ſermone literali hoſtis antiquus reſpondit; Occine Benedictum autumas, me ne hinc poſſe*

B *pellere, quem non valuit Franciſcus? Porro antea mulier Aſſiſium ad D. Franciſci tumulum deducta fuerat. At venerabilis pater, ſeſe inquit, à Deo optimo maximo tanta poteſtate vtrunque donatum, vt te hinc expellere poſſint, ſed poteſt hanc Deus ſancto viro Benedicto reſeruare pro nunc facultatem, quam D. Franciſco non fecit. Aſt malignus ſpiritus impatiens dixit, te rogo, atque obteſtor, ne me amplius vexes, aut inferas bellum, eo quod hac in muliere annis ſedecim permanſi. Verùm pater ille non eius dicto audiens, iterum nomine Benedicti acriter eum vrgere cœpit, & tãdem cum diceret, Et verbum Caro factum eſt, fortè Euangelium illud legerat, mox Diabolus euanuit, velut mortuam mulierem dimittens. Sic enim eius corporis vires attriuerat, vt diu non ſolùm loqui, ſed vix hiſcere potuerit, tandem viribus reaſſumptis, gratias Deo ingentes, & viro ſancto Benedicto egit; nec vlteriùs literali vſa ſermone, quem nunquam didicerat, quin maxima admiratione capiebatur, cum intellexerat, ſe aliquando eo locutam fuiſſe.*

C *Ioanna Petri de Francia precibus ſancti viri à fluxu ſanguinis, quem menſibus ſex paſſa fuerat, oratione ad eius tumulum porrecta, protinus obtinuit ſoſpitatem. Et Vmiano Bonioannis de Ponte Montiſcaſtelli, ſacto viri Dei tumulo, præmiſſo voto, lumen oculorum reſtituitur, quo pro maiori parte antea caruerat. Naldus ex oppido Montepolitiano morbum comitialem paſſus annis ſeptem, ante eius ſepulchrum ſoſpitate donatur. Genendiſia capta manibus & lacertis, cum matre ad Benedicti tumulum accedens, eius meritis receſſit incolumis. Brunora paralyſi liberatur, Guarnerius telo vulneratus, voto ad eum emiſſo, ſanus factus eſt. Martinus infirmus ad eius tumulum à patre ductus, ſanus inde exiuit; Inteſtinis Ioannelliam laborantem, & ad eius tumulum ſanitatem efflagitantem, voti compotem ſanctus vir reddidit. Bruna de Caſentino annis quatuordecim à Diabolo vexata, meritis viri Dei ab eius tumulo libera receſſit. Ceteri, qui à Diabolo obſeſſi,*


D *Angelutia Roſa per annos vigintiquinque; Guilleima Ceſenas annis ſeptem; Vanola Aſſiſiata diebus duodecim; quidam Iuuenis de Cartonio tribus annis; ij omnes à Diabolo obſeſſi, meritis & precibus viri Dei Benedicti plenè liberati ſunt.*

Nulla ferè põpa, ſepulchro humili, vt ipſe ex demiſſione Chriſtiana iuſſerat, traditũ Benedicti corpus in Eccleſia Prædicatorũ ſcribit Io: Bonifacius in hiſt. Taruiſina; quamuis poſtea ab ipſius memoriæ cultoribus politiſſimo marmore ſepulchrũ elegans fuerit excitatum cum Inſcriptionibus, quas ſupra reſcripſit Ciaconius, & Ferdinandus Vghellus.

Benedicti ſepulchrũ.

PRIMA CREATIO CARDINALIVM.
Benedicti Papæ X. dicti XI.

E *Anno Dominicæ Incarnat. 1302. Pontificatus I. die 18. menſis Decemb.* in quatuor Temporibus Aduẽtus D. Romę Benedictus X. dictus XI. Romanus Pontifex primò creauit Cardinales, qui fuere.



I.

F MAG. FR. NICOLAVS de Albertis, ſeu de Albertinis ex Comitibus de Prato, Meinardi, & Bartholomeæ Martini filius, natione Italus, Patria Pratenſis, à teneris annis diuino ſeſe famulatui in ſacro Prędicatorum ordine deuouit Florentiæ in Monaſterio S. Mariæ Nouellæ. Philoſophiæ primùm, mox Theologię ſtudijs operam dedit Pariſijs, quibus perfectis, munus ſacras literas interpretãdi Romæ in Cœnobio S. Mariæ ſuper Mineruam obtinuit; qua in Vrbe, ingenio, ac doctrina quibus ornatus apparebat, admirationem ſui omnibus mouit. Cum autem doctrinæ miram rerum experientiam, prudentiam maximam, morum integritatem, atque humanitatem adiunxiſſet, Prouinciæ Romanæ cura illi primò commiſſa eſt, mox totius ordinis Procurator generalis, tandem à Bonifacio VIII. Romano Pon-

Ferdinand. Vghel. in Ital. ſac.

Ferd. de Caſtil. in Hiſt. ord. Prædicat.

Panuinius

Ciaconius

Aubery.

Regiſtr. Vatic.

(Ponti)fice electus eſt Kalendis Iunij anni 1299. Spoletanus Epiſcopus, ac Romanæ Vrbis Vicarius, & ad Philippum Galliæ, & ad Odoardum Britanniæ Reges Legatus; vt illos bello certantes, eloquentia ſua, qua plurimùm pollebat, pacaret: res illi bene ceſſit, nam eos inter ſe conciliauit, ac maximam vtriuſque amicitiam, & amorem contraxit. Romam è legatione redeuntem Bonifacius publicè inſigni oratione laudauit; Benedictus X. dictus XI. Bonifacij in Petri Cathedra ſucceſſor illum S. R. E. Cardinalem, & Epiſcopum Oſtienſem renonciauit. Quare Spoletano munere ſe exoluit, cumque arderent inteſtino bello Etruria, Aemilia, Marchia Taruiſina, ac aliæ Italiæ Prouinciæ, in quibus humani generis hoſtis exitiales diſcordias alebat, & præter Guelphorum, & Ghibellinorum antiquas factiones, Alborum, & Nigrorum odia ad mutuam ipſorum internecionem accenderat; ad ea extinguenda, atque illos populos amore mutuo coniungendos Nicolaum Epiſcopum Oſtienſem legauit, haſque ad eum literas dedit.

Ferdinād. Vghel to. 1. Ital. ſac.

BENEDICTVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI.
Venerabili fratri Noſtro Nicolao Epiſcopo Oſtienſi A. S. L.

Tranſiturus ad patrem Dominus de hoc mundo, heredit atem pacis ſuis legauit Diſcipulis, teſtamento dicens: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; hæc verba in vltimo quaſi proponens, vt verbum pacis quantum in omnibus altiùs figeretur, & præbere deberemus operas efficaces, quæ inter diſcordes pacis vinculum reformarent. Ipſius itaque vicesgerentes in terris pia eius permittente potentia, qui pacem ſuper omnia diligit, inter multiplices curas, quæ pro malitia temporis plus ſolito animo Noſtro ſe ingerunt, curam pacis præcipuam reputamus, & quia cunctorum fidelium ſollicitudinem gerimus paſtoralem, ad id ſpecialiter mens Noſtra diſtrahitur, ad id Noſtri ſenſus inuigilant, inſudant ſtudia, & labores intendunt, vt fideles ipſos, qui Dei ducti conſilio perambulant viam pacis, in pacifici ſtatus ſtabilitate ſeruemus, & quos Satanas ille malignus ſpiritus, inimicus pacis, contemptor fidei, & Aduerſarius vnitatis, in diſſenſiones, & odia irrepit, & inuoluit, ad rectitudinis ſemitas reducamus, ipſis voluntarijs, vel inuitis de reformatione pacis, & concordia ſalubriter, prout ad Noſtrum ſpectat officium, prouidendo, vt fiat pax in diebus Noſtris, & ſancta Mater Eccleſia ex Noſtri miniſterij ſtudio, diuini conſilij ſuſtentatione ſuffulto, in ſuis fidelibus poſſideat locum pacis, quæ exuperat omnem ſenſum.

Cum igitur Te ad Prouincias Tuſciæ, Romaniolæ, Marchiæ Taruiſinæ, ac partes circum adiacentes, commiſſo tibi inibi per Noſtras ſub certa forma literas plenæ legationis officio deſtinemus; attendentes, quod multi ex incolis ipſarum partium, tam vniuerſitates videlicet, quàm ſingulares perſonæ abutentes per inſolentiam ſedis Apoſtolicæ patientia, pacem perturbant, & vnitatem nequam diſſolutione diſſoluunt; quodque ipſos incolas, atque partes vineteras diſſentientium malitia, cuius rubigo excreſcit admodum per domeſtica, proh dolor, & particularia ſcandala concutit, ſubuertit, diſſipat, & conſumit. De pacis remedio nedum generaliter, ſed particulariter fore putauimus prouidendum. De Te igitur, quem largitor bonorum omnium, ſcientiarum, & aliarum virtutum munere decorauit, & cuius magnam in magnis, & arduis experti ſumus induſtriam; quique Tuæ probitatis intuitu Nobis, & fratribus Noſtris charus es quamplurimùm, & acceptus, indubitatam fiduciam obtinentes, in eiſdem Prouincijs Tuſciæ, Romaniolæ Marchiæ Taruiſinæ, ac partibus circumadiacētibus conſtituimus paciis de ipſorum fratrum conſilio ſeruatorem, ac paciarium in eiſdem Prouincijs, & partibus Te ordinantes, vt inter quoſlibet in ipſis Prouincijs, & partibus conſtitutas, quas fœdere pacis videris reformandos, pacem, & concordiam reformare, & conſeruare procures, &c. Extant aliæ eiuſdem Benedicti Romani Pontificis ad Nicolaum Epiſcopum Oſtienſem literæ, quibus ipſum in ijs Prouincijs Legatum renunciauit, & ad illas tanquam Pacis Angelum deſtinauit: hoc enim nomine ipſe Pontifex in ijs literis illum nominat. Vt verò maiorem Legato ad gerendam pro dignitate Prouinciam auctoritatem conciliaret, pluribus ipſum prærogatiuis ornauit, & inſtruxit, vt imperij ipſius rebelles Eccleſiaſtica cenſura percelleret. Acceſſiſſe ipſum Florentiam decima Martij anni 1303. ſcribunt Dinus Compagnus, & Ioannes Villanus, ſed corrigendi ſunt; nam menſe Martio 1303. non Benedictus, ſed Bonifacius præerat Eccleſiæ Romanæ. Anno igitur 1304. Florentiæ exceptus eſt Nicolaus ſedis Apoſtolicæ Legatus maximo honore ab ijs, qui inteſtinis diſcordijs fatigati pacem ambiebant. Cumque demandatam ſibi à Pontifice adducendæ concordiæ Prouinciam in publica Concione expoſuiſſet, liberæ ipſi à populo reſtituendæ in meliorem ſtatum Reipublicæ habenæ traditæ ſunt. Quare ea inſtructus auctoritate in conciliandis diſſentientibus ciuibus ſtudium defixit ſuum, veteres Reipublicæ Magiſtratus, diuiſo in nouemdecim tribus populo, quibus totidem præfecit Signiferos, reſtituit. Confirmatò hoc modo plebis ſtatu, Albos, & Ghibellinos exules in Vrbem reuocare eſt aggreſſus: præcipui earum partium Duces reſedebant Aretij, qui publica deliberatione rerum ſuarum arbitrium, ac poteſtatem in Legatum contulere. Dum itaque Cardinalis de extinguendis antiquis odijs, de legibus redintegrandæ inter ipſos, & ciues concordiæ agitabat, nonnulli Florentini parum ad pacem inclinati, cupidique alienarum opum, Legati conſilia diſcutere ſunt aggreſſi. Quibus cū genero e Legatus ſtudijs multitudinis, quæ etiam ad concordiam propendebat, fretus obſiſteret, nefarijs hiſce artibus ad diſturbanda pacis conſilia vſos refert Ioannes Villanus, adulterinas nimirum Cardinalis Nicolai nomine ſcripſiſſe literas ad Bononienſes, & alios exulum amicos, vt ſubmota omni mora cum multo peditatu, & equitatu in ſui auxilium euolarent. Cum eæ copiæ imminerent, ingens aduerſus Legatum tumultus Florentiæ excitatus eſt, atque eius exiſtimatio apud multitudinem traducta. Sedato poſtea illo tumultu, Vrbis Proceres, ac Magiſtratus Legato ſuaſere, vt ad Pratenſes contrarijs diſciſſos ſtudijs ſe conferret, dumque in ijs, vel Piſtorienſibus conciliandis incumberet, Florentiæ modos omnes de reuocandis in gratiam, ac patriam exulibus exploratum iri. Perrexit itaque Pratum Cardinalis Legatus, adducendæ inter eos pacis ſtudio; ſed Florentini vetuſto in Ghibellinos, & Albos odio imbuti, cum Legatum toto pectore ad illos patriæ reſtituendos incumbere cernerent promiſſa contrarijs artibus, & inſidijs eluſere. Nonnullos enim Pratenſes factionis Guelphæ ad concitandam in Legatum ipſum ſeditionem ſubornarunt; qui Pratenſium minis, ac furore exterritus, in rebelles anathema, atque interdictum Eccleſiaſticum vibrauit, ſeque Florentiā recepit. Vbi dum in Pratenſes expeditionem ſacram, impertitis Indulgentijs religioſam militiam, accepto Crucis ſymbolo profeſſuris conſtaret, atque ex agris concurrente multitudine copiæ augerentur, concepta de Legato ſiniſtra ſuſpicione Guelphæ, & Nigræ factionis Duces vnà cum alijs ad arma concurrerūt. Quorum furore perterritus Cardinalis, quarta die Iunij anni 1304. fuga ſaluti conſulere coactus Peruſium ad Pontificem ſe contulit; cuius receſſum cædes maximæ, ac ſæua incendia ſunt conſecuta, itaut ſimul miſera Vrbs ciuium ſanguine maderet, ac flammis arderet. Quam calamitatem deſcribit Leonardus Aretinus in Hiſtoria Florentina his verbis: *Ignis inter miſſilia, ac tela vires aſſumens, flatu inſuper Boreæ adiutus, latè peruagatus eſt, domos, & ſingula carpendo apprehendit; tabernæ venalium rerū magni pretij in his erant locis; eas cum ignis inuaderet, vel incendio cremabantur, vel à prædonibus diripiebantur; Vrbs eodem tempore ardebat, & vicatim oppugnabatur, non ſecus ac ſi hoſtis intraſſet. Quo minus homines ferre opem poterant, eo latiùs vagatus inter duo Fora primum, & circa Porticum frumentariam omnia conſumpſit. Inde rurſus vires aſſumens, vſque ad Arnum peruenit, nec priùs finis cremandi eſt factus, quam ſupra mille, & ſeptingentas Aedes vno incendio conflagrarint. Medicatum fuiſſe ignem vulgò creditum eſt, nec equidem abs re ſuſceptam credulitatem exiſtimarim, cernens etiam nunc admirabilem, ac prope ſtupendam illius vim in parietes etiam ipſos, ac lapides, quod reliquiæ monſtrant, ſæuientem.*

Oder. Raynaldus in Annalibus Eccl. Leand. Albertus. S. Antoninus. Io. Villan. in hiſtor. Scipio Ammirat. in Hiſt. Florent.

Benedictus Romanus Pontifex magno dolore affectus eſt Florentinorum factionibus, qui eo magis efferati erant viſi, quo in extinguendo eorum furore deſudatum fuerat; tum grauiſſimæ Legato Apoſtolico illatæ iniuriæ, in ipſius Pontificis contemptum redundarant. Igitur ne tantum crimen impunè abiret, neuè effrænata in poſterum improbitas ſeſe efferret, nobiliſſimos Patritios, qui illi ſeditioni faces iniecerant, ad dicendam cauſam Apoſtolico Tribunali ſe ſiſtere imperauit. Graues ſunt Benedicti literæ ad illos datæ, quas ex diuerſis auctoribus reſcripſit Odericus Raynaldus in tomo 14. Annalium Eccleſiaſticorum. Accerſiti ad Tribunal Apoſtolicum Florentinorum Proceres ne intentatum rebellibus anathema contraherent, Peruſium magna ſtipati clietela ad excuſandum apud eundem Romanum Pontificem facinus ſe contulere. Inter hæc Ghibellinæ, Albæque factionis Duces, collectis raptim ingentibus copijs Florentiam impetu expugnare pertentarunt. Adductus verò eſt in inuidiam Legatus illud cōſilium Ghibellinis ſuggeſſiſſe, dum ſuis Ducibus orba ciuitas erat, qui mox audita diſcriminis fama, Florentiam ſe proripuere, maiorique ac antea furore ciues ſe laniare perrexerunt.

Defuncto Benedicto Romano Pontifice, auctor fuit Nicolaus Epiſcopus Oſtienſis, vt Clemens V. in ſummum Pontificem eligeretur, prout exactè narrat S. Antoninus his verbis. *Ingreſſi Domini Cardinales in Conclaue Peruſij pro Electione facienda concordare non poterant, quærentes magis ſua, quàm quæ Ieſu Chriſti. Erant enim diuiſi in duas partes quaſi æquales; quarum vna pars erat Ciſmontana, cuius capita erant Dominus Matthæus de Vrſinis, & Dominus Franciſcus de Guatanis, alias Caietanus, qui fuerat Nepos Papæ Bonifacij. Altera pars erat Vltramontana, vel adhærentium ei, quorum principaliores erant Dominus Neapoleon, aliàs Neapulio de Vrſinis, & Dominus Nicolaus Pratenſis. Primi vota ſua dirigebant ad aliquem Italicum, & fauentem amicis, & conſanguineis Bonifacij Papæ; alij tentabant eligere aliquem Gallicum, vel amicum Regis Franciæ, qui manifeſtam inimicitiam ad Bonifacium Papam, & excommunicatus fuerat ab eo. Sicque per plures menſes qualibet partium fixa in propoſito ſuo ad numerum duarū partium ex eis, prout exigitur, non poterat peruenire.*

Vna igitur dierum Cardinalis Pratenſis Dominus Nicolaus, vir valde ſagax, & experientiſſimus ait ſecretò Domino Cardinali de Guatanis Domino Franciſco: Nos magnum malum facimus, & Eccleſiæ detrimentum, unde Populi ſcandalizantur, non prouidendo de Paſtore; ait ille, per me non ſtat, inquit tunc Pratenſis; ſi bonum medium ad hanc rem efficiendam inuenirem, placeret ne tibi? reſpōdit, placebit vtique. Ego, ait Pratenſis, cogitaui hunc modum conuen-

dum, vt videlicet vna pars Collegij Cardinalium eligeret tres ex Vltramontanis idoneis ad Papatum Prælatis, prout eis videretur, & altera pars teneretur intra quadraginta dies vnum ex illis tribus propoſitis eligere, prout eis placeret, & ille Papa intelligeretur canonicè electus, & eſſet. Placuit Domino Franciſco forma prædicta, perſuaſitque ſequacibus ſuis hunc modum acceptare; ita tamen quod ipſi deberent proponere, ſeu nominare illos tres; intendentes tales aſſumere, qui fuiſſent olim Bonifacij, & Regis Franciæ parum affecti; & Pratenſis partem ſuam induxit ad id efficiendum, intendes & ipſe taliter prouidere, quod haberent ſibi propitium, & beneuolum, & Regis amicum. Facta igitur hac conuentione, & ſolemni ſtipulatione per ſcripturam firmata, pars illa quæ Dominum Franciſcum ſequebatur, nominauit tres Archiepiſcopos Gallicos, eis familiares, & Regi Franciæ infenſos, inter quos fuit Raymundus, quem alij Bertrandum nominant, Burdegalenſis Archiepiſcopus, qui creatus fuerat Archiepiſcopus à Bonifacio Papa, nec Regis Amicus, B propter offenſas factas ſuis conſanguineis in Vaſconia per Dominũ Carolum Valſianum. Illis igitur tribus nominatis, alia parte ſecretò ad inuicem conferente, perſuaſio Pratenſis ſagax, & induſtrius, vt Raymundum Burdegalenſem decerneret præeligendum, nulli hoc intimando, & ante electionem velociſſimè Regi Franciæ per litteras intimarent negocium, & quia illum Burdegalenſem, quem procuraret reconciliandum ſibi, & amicum fieri, ſi ſibi placeret, Papam facerent; quem cum noſſent auidum honoris, & gloriæ vt Vaſconem, & ad omnia flexibilem, vt illa conſequeretur, ſperabant facile inducendum ad omnem partem, & amicitiam contrahendam cum Rege Franciæ, & illum ad optata exauditurum, ſicut res poſtmodum probauit euentus. Iſta igitur concluſione firmata ſecretò, & iuramento vallata, cum dies quadraginta haberent ad eligendũ vnum e tribus, deſtinarunt ſecretos nuncios fideles cum litteris, continentibus ſeriem facti ad Regem Franciæ, vt reſponſales ſubitò redderentur, C & ſi in ille ſibi reconciliato Burdegalenſi complacaret, ipſum eligerent, perſuadendo ei vt hoc faceret, vt recuperaret ſtatum ſuum, & honorem in ſancta Eccleſia, à qua fuerat alienatus, vt eius inimicus. Mittuntur nuncij, ſeu curſores ita veloces, vt intra vndecim dies à Peruſio, vnde mittebantur, vſque Pariſios peruenirent. Redditis Regi litteris, gauiſus eſt gaudio magno, & perſuaſionibus Cardinalium acquieſcens, deſtinauit amicabiles litteras Archiepiſcopo Burdegalenſi, inſinuans, quod pro bona, & ardua cauſa oportebat habere cum eo ſecretum colloquium; vnde intra ſex dies in certo ſibi loco occurreret. Quod cum factum fuiſſet, Rex cum modica ſocietate acceſſit ad locum deputatum cuiuſdam Abbatiæ, quò & Archiepiſcopus acceſſerat. Conuenientes igitur Rex & Archiepiſcopus Burdegalenſis poſt auditionem Miſſæ ſimul iurarunt ſibi inuicem ſecretum habere eorum colloquium. Poſt hæc Rex verbis placabilibus Archiepiſcopum induxit reconciliatum habere Carolum Valeſianum, non D obſtantibus damnis illatis, addensque, inquit Rex, Domine Archiepiſcope ſcias in manibus meis eſſe poſitum te facere poſſe Pontificem ſummum, oſtendens ei litteras ſuper hoc deſtinatas. Si igitur vis, vt faciam te fieri ſummum Antiſtitem, volo promittas mihi concedere certas gratias, quas poſtulabo. Quibus perlectis Archiepiſcopus ait ſtupefactus ex re ipſa. Domine mi Rex video, quod magis me diligis, quàm alium quemcunque in Mundo, & bona mihi retribuis pro malis. Demum noueris tuum eſſe præcipere, & meum obedire, ſum enim ad omnia exequenda paratus; tunc Rex oſculatus eſt eum.

Pergit deinde S. Antoninus in enarrandis gratijs, quas Rex peroptabat, mox hiſtoriam proſequitur. *Reuerſus ergo Pariſios Rex ſubitò reſcripſit Pratenſi Cardinali, & ſocijs, quod geſtum erat, quapropter liberè eligerent Raymundum Burdegalenſem Archiepiſcopum, & intra triginta quinque dies reuerſi curſores Peruſium, Regis litteras reddiderunt Pratenſi, & ſocijs. Quibus omnibus alteri parti* E *ignotis, dixit Pratenſis cæteris Cardinalibus alterius partis, quòd parati erant procedere ad electionem vnius illorum trium, & iterum pacta, & conuentiones ſuper his fuerunt renouata, & firmata. Congregatis igitur omnibus Cardinalibus, Pratenſis primo propoſita auctoritate ſacræ ſcripturæ ad materiam congruente, poſt orationem ſuam vice omnium elegit in Papam Dominum Raymundum Burdegalenſem Archiepiſcopum; ſicque cum gaudio acceptatus fuit ab omnibus, & Populo pronunciatus.* Hæc ſanctus Antoninus ex Ioanne Villano.

Nouus Pontifex Clementis V. appellationem ſortitus, illico Philippum Galliarum Regem cenſuris, quibus innexus à Bonifacio fuerat, exoluit reliqua promiſſorum tempeſtiuè ſe effecturum affirmãs. Vrgebat tamen Rex, vt aboleretur in perpetuum memoria Bonifacij, namque id præcipuum poſtulatorum caput extiterat; Clemens F quidnam conſilij in re tam graui caperet, dubius; namque inde occurrebat ſacramenti firmata promiſſio, hinc innocentia Bonifacij. Inter hæc opportunè ex Italia interuenit Nicolaus hic noſter Epiſcopus Oſtienſis, cui Clemens nudauit omnia; is, vt erat ingenio ad ſubita etiam quæque moderanda dexterrimo, primùm confirmato Pōtificis animo, ſcire ſe quid potiſſimum illi conſilij profuturum ſperaret, affirmauit, regias in primis ſpes ali diſſimulanter, augerique placere, tum doceri cupidum Principem, quo magis rata fierent, quæ ad Bonifacij cineres attinent, videri futurum conſultius, ſi tanta re omnis publici cõſilij Senatuſconſulto firmaretur. Placuit Clementi Cardinalis Pratenſis conſilium. Itaque de voluntate Philippi Regis Viennenſem Conuentum edixit, in quo Bonifacius Patrum ſententia abſolutus eſt. Cum autem anno noſtræ ſalutis 1308. per inſidias nepotis occiſus fuiſſet Albertus Rex Romanorum, Philippus Rex Galliæ Clementem vrgebat, vt Carolum fratrem in Imperium ſubſtitueret. nulli enim, aiebat Philippus, fit iniuria, ſi vacantis Imperij permutaretur conditio, idem feciſſe olim Pontifices alios. denique ſaporum ſenem conuenire cum eiuſmodi propoſito, vt quemadmodum Principatus ille de Græcis quondam in Francos, deque ea gente ad Italos, ac poſtremò ad Theutones tranſlatus crederetur, ita rurſus ad Francorum poteſtatem remigraret. Clemens denuo Cardinalem Pratenſem accerſijt, eique Philippi Regis iam ſuis immoderatis petitionibus exoſi, animum aperuit, atque illum de hac re conſuluit. Nicolaus ad innatam ſapientiam verſus, quam maximis itineribus, inquit, & antequam Gallicæ petitiones mentio in Senatu B Cæſareo fiat, nunciandum in Germaniam cenſeo de ſucceſſore quammaximè maturè ſurrogando. Tum Clemens, quem igitur præcipuum crederet, ac tantæ ſucceſſioni idoneum, quæſiuit; Pratenſis Eccleſiarum ne libertatis reſpectu, an ſtudio Ghibellinarum partium, an conſuetudinis in Vrbe quondam inſtitutæ memor, Henricum, ait, Lucemburgi Comitem, nulli Germanorum Principum cedere arbitror, ſiue religionem, ſiue fidem, ſeu certè magnitudinem animi ſpectaueris. Neque dubium, ſi eò celſitudinis benignitate tua, prouectus fuerit, nulla non re vel Pontificijs obtemperaturum iuſſis, vel immunitatem Eccleſiæ propugnaturum. Sanè clanculum, & diſſimulanter cuncta fieri oportet, ne ſi in publico Senatu, & in Patrum conſpectu cogitata retexeris, qui Cardinales Philippo ſtudent, proditis illico rebus, vota noſtra conturbent. Itaque quas ipſe litteras dabis in Germaniam, puſilla modò formula placet obſignari quaſi non ſcriptas de rebus grauiſſimis, ego ſeorſum prolixas de tota re C alias exarabo. Delatæ ad Germanos Romani Pontificis, & Cardinalis Pratenſis litteræ maximè profuere, vt Electorum ſuffragijs ne vno quidem repugnante, Romani Regni ſceptra Henrico florenti iuueni deferrentur. Henricus dictus VII. Oratores ad Clementem miſit, qui rogarent, vt Cardinales ad illi conferenda Imperialia decerneret. Eius preces admittendas ratus Pontifex eam Prouinciam quinque Cardinalibus nimirum Arnaldo Sabinenſi, Leonardo Albanenſi, & Nicolao Oſtienſi Epiſcopis, tum Franciſco, ac Lucæ Diaconis Cardinalibus demandauit, inter quos ſingula munia eſt partitus. Meminit de hac Cæſarea legatione ad Clementem, ac de Cardinalibus à Pontifice ad Henricum Imperialibus Inſignibus exornandum decretis Albertinus Muſſatus his verbis. *Decreti ab latere Legati Arnaldus de Frangerijs Sabinenſis Epiſcopus, Nicolaus Oſtienſis, & Veletrenſis Epiſcopus, Leonardus de Guercino Albanenſis, Lucas de Fliſco S. Mariæ in via Lata Diaconus Cardinalis.* Paulò poſt: D *Diſceptatione in Conſiſtorio habita, quis nam eorum ad eam dignitatem præferendus foret, allegante Oſtienſi, quod cum Papam coronare ſuum eſſet, ſic & conſequenter Imperatorem. Sabinenſis ex aduerſo dictabat, certum eſſe, vt Imperatorum coronationibus Sabinenſis ſemper Papa proximior coronam erigat officioſior alijs, illic præſertim, ſicque Papa pronunciante, obtentum eſt, vt Sabinenſis illo fungatur officio, cæteriſque præſit.* In itinere Romam verſus, *ſollicitis duo Cardinales* nempe Sabinenſis, & Oſtienſis Epiſcopi, inquit laudatus Muſſatus, *ad portas Brixiæ præmiſſis nuncijs accedentes, alloquia petunt, ingreſſos Brixianus populus ſuis quibuſque ordinibus, vocibus altis, applauſibuſque proſequuntur vociferantes; viuat Mater Eccleſia, viuat, viuat Dominus Papa, viuantque Patres Cardinales, ſicque ad Prætorium adducti reuerentiſſimis inclinationibus, aggregata Concione frequenti, eorum alter Oſtienſis impoſito ſilentio Crucis ſignaculo ſic infit. O deuota ſemper Deo, & Sacro-* E *ſanctæ Eccleſiæ Brixiana Communitas, quis vos ab Imperio Eccleſiæ veſtræ Matris, à vera ſemita tam cæcus, tam pertinax error abduxit, vt venientem in Nomine Domini benedictum, eiuſdem Eccleſiæ filium, Henricum Romanorum Regem Auguſtum neglexeritis, voſque contra omnipotentis Dei numen, contraque ſanctiſſimi Clementis Papæ monita infelices erexeritis? Nonne ſcitis ipſius filij Dei vocis oraculo reſponſum, Cæſaris imaginem reddendam Cæſari? O imbecilles, ò miſera tam humana, diuinaque cenſura damnatis: quanam hæc veſtra cæcitas, quæue calamitas? pergitis ne alterum Mundo luminare conſtitutum obſtruere hac clauſi rupe, laterumque strue, quam Deus ipſe ſuperna animaduerſione, vt olim Sodomam, & Gomorrham euertet? Tollite ecce vos infeſta infidelium ſecta, & ad pedes benedicti Regis in cilicijs, & cineribus vos ſternite humiles, & peccata deflete. Noſque Dei, ac Trinitatis, nec non & Pa-* F *tris Noſtri Clementis Papæ ſanctiſſimi contemplatione freti pro vobis aſſiſtemus, vt parcat, & in vos quanquam immeritos regia benignitate conſpiciat.* Cum ita Nicolaus Epiſcopus Oſtienſis peroraſſet, Brixianorum Prætor, Populi iuſſu reſpondit, agnoſci quidem ſummam Romano Pontifici à Deo tributam poteſtatem, & Imperatorem officij nomine ſingularem Mundi Miniſtrum, ſed Henricum Imperatorem non eſſe, ſed expilatorem, Guelphos ab eo pelli in exitium, populorum ſanguinem exugi, Ghibellinos verò ad tyrannidem exercendam excoli, Federici Schiſma accendi; in teſtes huius rei Mediolanum, Parmam Veronam, Mantuam, Taruiſium aduxit. Quare Cardinales re infecta abiere.

Albertin. Muſſat.

Cõrad Vecenno in Henrico VII.

Inter-

Ferd. de Caſtil. in hiſt. Prædicator.

Interfuit Nicolaus Comitijs, in quibus ad ſupremam dignitatem in Eccleſia Romana promotus eſt Ioannes XXI. dictus XXII. à quo legationem in Siciliã, vt illius Regẽ Diademate inſigniret, obtinuit. Hic doctiſſimus, & magno ingenio vir ſcripſit, vt habet Corteſius. A

De Paradiſo.

De Pontificalium Comitiorum habendorum ratione.

Fuit honeſtæ conuerſationis, vitæ ſanctiſſimæ, eximiæ caſtitatis, & formæ elegantiſſimæ, ita vt omnium oculos in ſe conuerteret; in moribus compoſitus, in conſilijs prouidus, in largiendis eleemoſynis profuſus ſupra quàm dici poteſt; quippe qui antequam vita defungeretur, omnia ſua pauperibus erogauerit.

Hyacint. Cambi in Hiſt. Dominican. Bzou. in Annal. Petr. Fred. in Gallia. Purpurat. Nomencl. Cardinal.

A fundamẽtis erexit in patria Cœnobia duo, vnum patribus Dominicanis, aliud S. Nicolai Monialibus, ac nouis mœnibus patriam cinxit; & ſingulis Eccleſijs Pratenſibus argenteum calicem dilargitus eſt. Reſtaurauit Cœnobium Piſtorienſe S. Dominico ſacrum, & aliud Auenione conſtruxit, in quo poſtquam decem, & nouem annis ſacram dignitatem maximis virtutibus adornaſſet, è vita exceſſit Kalendas Aprilis anno noſtræ ſalutis 1321. & ibidem ſepultus cum hoc Epitaphio. B

NICOLAI PRATENSIS EPISC. CARD. OSTIEN.

Eloquium, bona, vita virens, diſcretio fulta,

Conſilium, doctrina vigens, prudentia multa,

Iſta ſilent, hic illa docent, ſunt cuncta ſepulta

Virginis à partu numeratis mille trecentis C

Annis bis denis vno, quartiſque Kalendis

Quem genuit Pratum, Spoletum Pontificatum

Oſtia quem dedit Romano Cardine gratum.

Ferdinand. Vghel in tomo 1. Ital. ſac.

Nepotem habuit Fatium Albertinum Prati Comitem, Carolo Quarto Imperatori charum.

Ciaconius aliud ab illo, quod nos ſupra expreſſimus, Nicolao Cardinali Pratenſi gentilitium ſtemma conceſſerat, illud ſcilicet, quod erat familiæ Martinorum, ex qua Nicolaus maternum duxerat genus. Nos ex antiquis tabulis Pratenſibus á Ferdinando Vghellio nobis communicatis, propriũ Comitũ de Albertis exprimi curauimus. D



II.

Ciaconius. Panuinius. Nomencl. Cardinal. Chronic. ord. Præd.

MAG. F. GVILLELMVS Marleſfeldius natione Anglus, patria Cantuarienſis, ordinis Prædicatorum, Baccalaureus Pariſienſis, inſignis & egregius Philoſophus, ac Theologus, in Oxonienſi Gymnaſio Magiſter, renunciatus eſt a Benedicto X. dicto XI. Presbyter Cardinalis S. Sabinæ, cum iam è vita euolaſſet menſe Auguſti eiuſdem anni 1303. & eius mortem Benedictus ignoraret. Felix Contelorius in Elencho Cardinalium ſcribit, incertum eſſe an Guillelmus obierit ante creationem, vel poſt habitum nuntium de creatione. E

Scripſit Problemata quædam.

Concluſiones Ordinarias.

Raph. Volaterran.

Orationes ad Clerum; & alia quædam.

Sepultus iacet Londini.

SECVNDA CREATIO VNIVS CARDINALIS. A

Anno à partu Virginis 1304. Pontificatus I. initio Quadrageſimæ: hoc eſt die xj. Februarij Benedictus X. dictus XI. vnum creauit Cardinalem, qui fuit.



III.

Ciaconius. Panuinius. Piſeus in Annal. Angliæ. Aubery in vita.

MAG. FR. GVALTERVS Vvinkrerburnus, natione Anglus, patria Saresberienſis, ordinis Prædicatorum, Orator, ac Poeta inſignis, nec non Philoſophus, ac Theologus, Odoardi ſeu Eduardi Primi Anglorum Regis Confeſſarius, ex Angliæ Prouinciali, in locum Guillelmi Marleſfeldij iam defuncti, vt diximus ſupra, abſens à Benedicto X. dicto XI. inter Cardinales cooptatus eſt titulo S. Sabinę. Peruſiæ interfuit Comitijs Clementis V. Cum eſſet vir doctiſſimus, ſcripſit B

Nomencl. Cardinal.

Libros tres Sũmæ Theologię.

Librum vnum de Peccato Originali.

Librum vnum Quæſtionum Theologicarum. C

Librum vnum Sermonum, quos habuerat coram Odoardo Anglorum Rege.

Antõ. Senenſ. in Bibl. Prædicator.

Super libros Sententiarum, ac nonnulla alia, quæ ad noſtram notitiam non peruenerunt.

Luc. Vvadingus in Annal. Minorũ t. 3.

Gualtero huic Presbytero S. Sabinæ, & Thomæ Diacono Cardinali S. Luciæ Clemens Romanus Pontifex commiſit diſcutiendam Petri Ioannis Oliui, ordinis Minorum alumni, doctrinam, cuius cauſa multæ in religioſa illa familia exortæ diſſenſiones, circa paupertatem, quam religioſi illi viri ſanctiſſimè profitentur.

In Annal. Angliæ. De Card. Angliæ.

Genuæ in Italia, dum in Gallias tenderet, octuagenario maior vitam cum morte commutauit die prima, ſeu ex Cõtelorio die 24. Septembris, anno noſtræ ſalutis 1305. & ſepultus apud patres Prædicatores. Illius corpus nonnullis elapſis annis Genua Londinum Angliæ Metropolim tranſlatum fuiſſe referunt Piſæus, & Goduuinus Anglicani ſcriptores. De illo hæc apud ſanctum Antoninum Archiepiſcopum Florentiæ legimus: *Dominus Gualterus de Anglia Confeſſor Illuſtriſſimi Regis Angliæ Eduardi tituli S. Sabinæ requieſcit in Conuentu Ianuenſi.* D

Benedictus X. dictus XI Romanus Pontifex duabus Ordinationibus menſibus Decembri, & Februario factis, tres ex ſacro Prædicatorum ordine ad Cardinalitiam dignitatem promouit, & Epiſcopis vnum, Presbyteris verò Cardinalibus duos adſcripſit.

VICECANCELLARIVS S. R. E.
ſub Benedicto X. dicto XI. E

D. Papinianus Taurinas Canonicus Regularis Epiſcopus Parmenſis à principio Pontificatus, vſque ad finem Vicecancellarij munere functus eſt.

CARDINALES MORTVI
ſub eodem Benedicto.

Mag. Fr. Guillelmus Marleſfeldius Anglus ordinis Prædicatorum, quando Romæ menſe Decembri anni 1303. renunciatus eſt Presbyter Cardinalis ſanctæ Sabinæ, iam è vita exceſſerat in Anglia menſe Auguſti eiuſdem anni.

CLEMENS V. PONT. CXCVII.

ANNO DOMINI MCCCV.





IN NOMINE DEI, ET SALVATORIS Noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen.

QVVM DIALIBVS Benedicto XI. ſtatim ab eius obitu celebratis, & die 10. ſacris ſancto Spiritui de more factis, ex Gregorij X. Conſtitutione, à Bonifacio VIII. reſtituta, & confirmata, Cardinales Comitium ineuntes paratum in Prætorio Peruſino diutiſſimè recluſi, in Pontifice deligendo penè per annum conuenire non potuere, Collegio præſertim in duas æquas factiones, Italicam, & Gallicam, deducto. Italicæ capita erant Matthęus Rubeus Vrſinus, & Franciſcus Caietanus Cardinales, Pontificem quendam Italicum, qui Bonifacij VIII. acta tueretur, quærentes. Gallicam moderabantur Neapoleo Vrſinus, & Fr. Nicolaus Oſtienſis, hi Pontificem Bonifacij VIII. hoſtem, & Francorum Regis, ac Columnenſium amicum optabant; quare ſæpe à Peruſino Magiſtratu arctati, & minis interdum additis, vexati fuerunt. At illi cæca ambitione diſtracti rem in longum protrahere videbantur, niſi miro Cardinalis Oſtienſis, Regi Francorum gratificari cupientis aſtu, rei penè deſperatæ, vndecimo tandem ſedis vacantis menſe, hac ratione ſubuentum eſſet. Epiſcopus hic Oſtienſis vir ſagaciſſimus, vafer, & verſutus, quod accidit, euenturum ratus, Bonifacianæ factionis Principibus optionem obtulit, vt tribus à ſe deſignatis Tranſalpinis Epiſcopis, vnum 40. dierum ſpatio ſuſciperent, qui legitimus Pontifex eſſet, vel ipſi tres proponerent, ex quibus vnum eadem lege ipſe Pontificem legeret. Italica factio nominationem (commodius id ſibi ceſſurum, rata) prætulit; tréſque Archiepiſcopos ſibi deſignauit, ſollemnibus, & legitimis documentis, & ſcriptionibus, Regis Francorum præcipuos hoſtes à Bonifacio Octauo creatos, & multis ab eo beneficijs affectos, id omnino exiſtimans, quemuis Gallica pars deligeret, eum beneficiorum memorem, Bonifacij memoriæ gratificaturum; primus inter optatos fuit Bertrandus, Archiepiſcopus Burdegalenſis à Bonifacio VIII. creatus, atrox Regis Francorum hoſtis, ob iniurias propinquis ſuis à Carolo Valleſio bello Aquitanico illatas. Card. Oſtienſis Raymundum Bertrandum Burdegalenſem Epiſcopum, tùm honoris, & imperij cupidum, ambitioſum, leuem, & qui facilè Regi reconciliari poſſet, optimè nouerat, eum ſociorum conſenſum cæteris præferendum ratus, auerſa factione inſcia, per diſpoſitos equos cuncta Francorum Regi nunciauit, monens, & quid facto opus eſſet aperiens, vt Archiepiſcopo Raymundo Burdegalenſi reconciliaretur, & conditiones ſibi, & amicis ſuis vtiles requireret, nam & in ipſius poteſtate erat, ipſum Pontificem maximum renunciare. Rex lętus amicis litteris Archiepiſcopum ad Cœnobium quoddam inuitat, monẽs, ſibi cum eo de arduis rebus ſermonem facturum. Rex modico comitatu

A ad ſtatutum locum Archiepiſcopum conuenit. poſt ſacra, mutuum de ſilentio, & alijs rebus iuramentis datis, acceptiſque Rex Archiepiſcopo rem aperuit; petens, vt fide ſacramento, & chirographo confirmata, polliceretur, ſe cum Pontificatum eſſet adeptus, quæ ipſe peteret, effecturum. Annuit Archiepiſcopus; Rex illum oſculatus ſubiecit. Hæc abs te peto primùm, vt me Eccleſiæ omninò concilies, & veniam rerum omnium tribuas quæ in Bonifacij VIII. captione commiſi: ſecundum, vt anathema in me, familiares, & amicos meos Columnenſes, & alios ſoluas: tertium, vt decimas Regni mei, mihi in quinquennium concedas: quartum vt Bonifacij VIII. memoriam damnes: quintum vt honorem Cardinalatus reſtituas Iacobo, & Petro Columnenſibus à Bonifacio VIII. priuatis, & eos ad priſtinum ſtatum redigas, & cum eis etiam aliquos amicos noſtros Cardinales B crees; ſextum arduum, & difficile opportuno tempore aperiendum reijcio: hoc verò tranſlationem Imperij è Germanis in Gallos fuiſſe, multi opinati ſunt. Archiepiſcopus cuncta pollicitus eſt, quæ iuramento, & chirographo firmauit, Regique obſides fratrem, & duos eius filios dedit. quid eſt enim, quod ſpes obtinendi Pontificatus nõ faciat, aut quæ odia in amicitias non mutet? ijs digredientibus, Archiepiſcopus ſpei plenus, Diœceſi ſuæ viſitationi incubuit, vt in ſuo opere Pontifex renunciatus, occupatus inueniretur. Rex Lutetiam rediens, cuncta, quæ fecerat, Card. Oſtienſi, & ſocijs per literas inſinuauit, monuitque, vt Bertrãdum Archiepiſcopũ Burdegalenſem, Papam ſecurè crearent 35. dierum interuallo totum negotium completum, Italica factione earum artium ignara. Tunc Card. Oſtienſis C cum ſocijs re communicata, aduerſam factionem ad Comitia conuocauit; ſeque vnum è tribus ab ijs propoſitis renunciaturum, dixit. ijs annuentibus luculento ſermone habito corã omnibus Cardinalibus eorũ omniũ nomine, nonis Iunij, anno 1305. Romanum Pontificem renunciauit Bertrandum Burdegalenſem extra Cardinalium Collegium. Qui ſummo cum vtriuſque partis gaudio ſuſceptus, & populo de more publicatus eſt. omnibus lętis, & ſuæ factionis addictum Pontificem habiturum credentibus. Quarto igitur non. Iulias anno 1305. Conclaue patres egreſſi, nobilem legationem cum Electionis Decreto ad eum in Aquitaniam miſerunt, vna cum litteris, quas Collegium Cardinalium illi ſcribebat viſitationi Parœciæ ſuæ D tunc vacanti. is natione Gallus Prouincia Aquitania in oppido Agri Burdegalenſis Michandrau, patre Bertrando, vel Beraldo, viro militari, equite opulento, familia Gotha ortus, à Bonifacio VIII. ex Epiſcopo Conuenarum ad Burdegalenſem Eccleſiam trãſlatus, at Bernardus Guido in eius vita refert, natum illum eſſe in vico Villandro appellato, in minori quidem fortuna Aureliæ ad Ligerim flumen iuri ciuili operam dedit, adeóq; priuilegia illi conceſſa à Philippo Rege ſponte confirmauit, ſtudiorum ſuorum mentionem faciens. quin etiam idem in Concilio Viennenſi, linguam Hebraicam, Arabicam, & Caldaicam, Lutetiæ Pariſiorum doceri præcepit.

Duodecimo igitur Kal. Aug. Decretum Electionis ſuſcipiens in Templo auguſtiſſimo illius Vrbis, quod Andreæ Apoſtolo ſacrum

eſt, mu-

Bertrandus Clemētis nomen aſſumit.

eſt, mutato nomine, poſtridie ſe vt Pontifex geſſit, & ſedens in Cathedrali Burdegalenſi, CLEMENTIS V. nomen aſſumpſit, vir corpore amplo, atque robuſto, ſtaturáque iuſtam excedente. Lugdunum proximo menſe Auguſto accedens, cunctos ad ſe ex Italia Cardinales illico conuocauit, vt ſuæ Coronationi adeſſent. Accidit etiam, vt ijſdem ſollemnijs intereſſent, Reges Francorum, Angliæ, & Aragoniæ, atque alios Principes Tranſalpinos: hanc vocationem maior Cardinalium pars admodum ægrè tulit, & ſe deceptos, lamentabantur; crediderant enim, ipſum ſtatim Romam acceſſurum; cæterum dolentes Pontifici ſine mora obtemperarunt.

Coronatio Papæ Clementis V.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1305. pridie Idus Nouembris. Lugduni Galliæ Vrbe claris fluminibus Arari, & Rhodano illuſtri, Clemens Papa V. quò ipſe ex Burdegalia, & Cardinales, ex Italia conuenerant, die Dominico ante fores S. Iuſti extra muros, ſuæ Coronationis inſignia ſuſcepit, per manus Matthæi Rubei Vrſini, Diaconi Card. S. Mariæ in Porticu, S. R. E. Archidiaconi, Philippo Francorum Rege, cum omni Curia Cardinalibus, Epiſcopis, Clero, & innumera populi multitudine aſtantibus. Sedit autem in Apoſtolica ſede, Cæſare Alberto, & Imperatore Henrico VII. Auguſto annos 8. menſes 10. die 16. Interfuerunt præterea Coronationi Clementis V. Philippi Regis frater, Vallelij Comes, nuper ex Italia reuerſus, Ioannes Britanniæ Dux, qui ruina muri oppreſſus moritur cum duodecim alijs, dum coronationis pompa de more circumducitur; Philippi quoque Regis frater Carolus ea ruina aliqua ex parte luxatus eſt, Pontifex in tanta perturbatione ex equo deturbatus, carbunculum ex tiara amiſit, pretij aureorum ſex millium. Eccleſia autem S. Iuſti in qua coronatus fuit Clemens Papa V. extra muros Vrbis, ciuilibus Francorum bellis à Caluinianæ ſectæ defenſoribus planè euerſa eſt, anno 1562. Atque hac ratione Romana Curia in Gallias tranſlata eſt, vbi ad 70. annos remanſit, cum magno Chriſtianorum incommodo, potiſſimum verò Vrbis Romæ, cuius Templa magna ex parte ob ſolitudinem corruere, & redditus imminuti abſentibus ijs, quorum munus erat ipſa conſeruare, & reſtituere, & eorum iura tueri. Redijt autem 70. anno poſt, ſed non ſine diri Schiſmatis, quinquaginta annis protracti exitiabili appendice. Id mali aliquando futurum, conqueſtus eſt Matthæus Rubeus Vrſinus, quum hoc facinus Cardinali Oſtienſi exprobraret.

Ioannis Britanniæ Ducis obitus qualis.

Clementis carbunculus è tiara amiſſus.

CARDINALES XIX. VIVENTES
quando Clemens Papa V. creatus eſt.

EPISCOPI CARDINALES VI.

HONORII PAPAE IV.

1. Ioannes Buccamatius Romanus, Epiſc. Card. Tuſculanus.

BONIFACII PAPAE VIII.

2. Theodoricus Raynerius Vrbeuetanus, Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus.
3. Leonardus Patraſſus de Guercino Hernicus, Epiſcopus Cardinalis Albanus.
4. Fr. Ioannes Minius de Murrouallium Picenus, ordinis Minorum, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & S. Rufinæ.
5. Petrus Hiſpanus, Epiſcopus Cardinalis Sabinus.

BENEDICTI PAPAE X. DICTI XI.

6. Fr. Nicolaus de Albertis, aliàs Martinus Pratenſis, Tuſcus, ordinis Prædicat. Epiſc. Card. Oſtienſis, & Veliternus.

PRESBYTERI CARDINALES IV.

COELESTINI PAPAE V.

7. Ioannes Monachus, Picardus, Gallus, Presbyter Cardinalis tituli ſanctorum Marcellini, & Petri.
8. Fr. Robertus Gallus, monachus Ciſtercienſis, Presbyter Cardinalis ſanctæ Pudentianæ, titulo Paſtoris.

BONIFACII PAPAE VIII.

9. Fr. Gentilis de Montefloris Picenus, ord. Minorum, Presbyter Card. SS. Syluestri, & Martini in Montibus, tt. Equitij.

BENEDICTI PAPAE X. DICTI XI.

10. Fr. Gualterus Vvinkterburnus Sareſberienſis Anglus, ordinis Prædicatorum, Presbyter Card. tit. ſanctæ Sabinæ.

DIACONI CARDINALES IX.

VRBANI PAPAE IV.

11. Matthæus Rubeus Vrſinus Romanus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Porticu Prior Diaconorum.

NICOLAI PAPAE IV.

12. Neapoleo Vrſinus Romanus, Diac. Card. S. Hadriani.

COELESTINI PAPAE V.

13. Landulphus Brancacius Neapolitanus, Diac. Card. S. Angeli.
14. Guilelmus Longus Bergomas, Diaconus Cardinalis ſancti Nicolai in Carcere Tulliano.

BONIFACII PAPAE VIII.

15. Franciſcus Vrſinus Romanus, Diac. Card. S. Luciæ in Silice.
16. Iacobus Caietanus Anagninus, Diaconus Cardinalis ſancti Georgij in Velabro.
17. Franciſcus Caietanus Anagninus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Coſmedin.
18. Lucas de Fliſco Genuenſis, Diac. Card. S. Mariæ in via Lata.
19. Richardus Petronus Senenſis, Diac. Card. S. Euſtachij.

Pontifex ſollemni Coronatione peracta, quæ Regi pollicitus fuerat, ſeruauit; nam eum Eccleſiæ reconciliauit, & omnem honorem priſtinum ei reſtituit, decimas Regni in quinquennium largitus eſt, & eius rogatu proximo menſe Decembri 12. Cardinales creauit omnes Aquitanos, & Francos, Regiſque amicos, inter alios fuere duo Columnenſes in integrum reſtituti anno Dom. 1306. vt infra.

Iacobo Arragonum Regi, Bonifacij VIII. priuilegium de Sardinia inſula ei collatum confirmauit, quam proprijs ſumptibus, bello acquiſitam, beneficiario iure ab Eccleſia Romana obtineret. Conſtitutiones duas Bonifacij VIII. reuocauit, primam, qua declarauerat, Regem Franciæ in temporali ſtatu Eccleſiæ ſubiectum eſſe *; ſecundam, quę ſexto Decretalium libro inſerta incipit, *Clericis Cardinales;* Quibus conſtitutis anno 1306. cum Cardinalibus, & Curia Lugduno diſcedens, per Bituriges, Lemouices, & Petragoricos, Burdegalam profectus eſt; ibi Cardinales Itali ab Aquitanis malè habiti ſunt; tota enim Curia in Gallorum poteſtate erat: cum verò Pontifex de aduentu ſuo in Italiam nihil cogitaret, & res Italiæ, maximè verò in Hetruria, factionum ſeditionibus turbatæ eſſent, Italiæ Legatum ad pacificationem ſumma cum poteſtate creauit Neapoleonem Vrſinum Cardinalem. Florentini, & Luceuſes, inuito Pontifice Piſtorium ceperunt, & diruerunt; Azo Marchio Eſtenſis Regio Lepidi Mantua exactus bellum adornabat, Guelphi Bononienſes Ghibellinos repulerant. Qui motus non ſine magnis cladibus fiebant, Neapoleo in Italiam veniens à Florentinis ſpretus, à Bononienſibus verò Vrbe ſua ignominioſè eiectus, graues contra vtramque Vrbem cenſuras *, & anathemata pronunciauit, inde Aretium in Hetruria, muneri ſuo vacans ſeceſſit, vbi rebus infectis, & Florentinis denuò excommunicatis, trans Alpes redijt. Per id tempus in montibus Nouarienſium, noua hæreſis à Dulcino * quodam, & Margarita inſanis hominibus ſuſcitata eſt, qua mares, & fœminæ ſimul habitantes ad nullum non facinoris genus coibant, Fraticelli vocati fuere eius generis homines; Dulcinus nullum ordinem profeſſus, ſe verum Chriſti diſcipulum eſſe affirmabat, in Clericos, & mandatorum Dei contemptores inuehebatur, ſe futurū legitimum Papam aſſerebat, multos fœdos errores docens, ad tria millia hominum exitiali ſuperſtitione infecerat. Eos Nouarienſes, Papæ iuſſu, in Alpibus poſitos partim media, & frigore, partim armis oppreſſere, Dulcinus, & Margarita capti, & combuſti.

Clemens cum Cardinalibus Burdegalā proficiſcitur.

Piſtorium à Lucenſibus dirutum.

Florentini, Bononienſeſque excōmunicātur.

Dulcini, & Margaritæ hæreſis.

Dulcinus, & Margarita combuſti.

Anno 1307. Philippus Francorum Rex, magno comitatu Pictauos, quò Pontifex eius rogatu, cum Curia acceſſerat, adijt, Papamque rogauit, vt quantumè poſtulatis præſtaret, Bonifacijque memoriam execraretur, corpus comburi mandaret, & omnia acta reſcinderet, affirmans, ſe 43. capita hæreſeos contra ipſum probare poſſe. Pontifex iniquis Regis poſtulatis refragari non audens, neque Bonifacij Catholici Pontificis memoriam abolere volens conſilio vſus Cardinalis Pratenſis, Regem ita eluſit, vt diceret eam rem Concilio generali opus habere, quod breui ipſe Viennæ indicere conſtituerat. Rex Pariſios redijt, Pontifex ex eius poteſtate exiens, Auenionem in Narbonenſi tunc primùm acceſſit, quæ in Regis Caroli ditione erat. Cæterum antequam Pictauis diſcederet Templariorum ordinem Regis Francorum inſtigatione abrogauit, & eorum immenſas opes, partim Pontificio, Regioque fiſco * addixit, partim, Fratribus Hoſpitalarijs, qui per eos dies maximis ſumptibus inſulam Rhodi de Saracenis, quinquennali bello occupauerant, & alijs diuerſis religioſorum hominum ordinibus, tunc exorientibus, & præſertim in Hiſpania attribuit. Accuſati fuerant Templarij * de multis criminibus, potiſſimum hæreſeos, ſodomiæ, clandeſtinæ cum Saracenis amicitiæ, & quòd eorum culpa Chriſtiani Syria exacti fuerant, omnes per totum Orbem Chriſtianum, Papæ iuſſu, vno die capti, occiſi *, ædes eorum clauſæ, bona ablata, ordinis Magiſter Iacobus Burgundus, & 60 præcipui fratres capti, & lento igne combuſti; durauerat is ordo annis plurimum, minimumuè 200. ſunt tamen auctores *, qui Templarios falſis teſtimonijs delatos profitentur, & ambitione, & cupiditate Philippi Regis Francorum punitos inſontes, inter quos ſunt S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus 3. parte ſuarum Hiſtor. Iacobus de Moguntia, Nauclerus, Antonius Sabellicus, Ioannes Boccacius in libro de caſibus Principum, & alij recentiores pleriq. Iudæos etiam Rex Francorum cum vnica quemque veſte toto Regno ſuo eiecit, direptis ob maleficia quædam, cunctis eorum bonis. Pariſijs habito prouinciali Cōcilio ab Archiepiſcopo Rhemenſi Metropolitano 54. ex eis primùm combuſti, deinde paulò poſt alij 4. occiſi. Iterum ad menſem habito alio prouinciali Concilio 20. alij notati.

Quid Philippus Francorum Rex à Clemente petijt.

Clemens Auenionem venit.

Templariorum ordinis abrogatio.

Templarij quibus criminibus accuſati, quoque combuſti.

Concilium Pariſienſe contra Iudæos.

Clementi V. Robertus pro patre ſuo Carolo II. Rege Siciliæ, &

Iacobus Arragonum Rex pro Regno Sardiniæ fidem ſacram præſtiterunt cum conditionibus à Bonifacio VIII. præſcriptis.

ALBERTUS Rom. Rex occiditur. *

Anno 1308. *Kal. Maij*, Albertus Rex Romanorum à fratris filio Ioanne in traiectu fluminis Ruſæ inſidijs occiſus *, & Spiræ ſepultus fuit, menſe Iunio anno 1308. interregnum menſium 6. dierum 26. quo tempore Romæ fortuito incendio tectum Baſilicæ Lateranenſis *, porticus, & Patriarchium, & circumcirca ædes omnes igne exuſtæ ſunt, maximo cum Eccleſiæ Romanæ detrimento, ſola Sancta Sanctorũ vocata ædicula ſuperfuit, in qua capita Apoſtolorum iacebant; Pontifex hunc caſum dolens, pecunias dedit, quibus cuncta reſtituerentur, & magnas Indulgentias ijs conceſſit, qui pecunias ijs fabricis reſtituendis erogaſſent. Philippus Francorum Rex, Alberti morte, & Electorum diſcordia in nouo Cæſare deligendo cognita, Pontificem cum magno exercitu adire conſtituit, vt ſecretò poſtulato expoſito, ab eo extorqueret, vt fratrem Carolum Valleſium Romanum Cæſarem deſignaret, Imperiumque à Germanis ad Gallos tranſferret, quod antiquitus à Gallis ad Germanos tranſlatum fuerat. Id conſilium quanquam occultiſſimum, Pontificem non latuit, qui Regis Francorum propoſitum illico conſilio Cardinalis Pratenſis Germaniæ Electoribus per litteras aperuit, monuitque eos, vt quam primùm optimum Cæſarem deligerent. Inſinuauit verò ijs Henricum Comitem Lutcemburgenſem, virum armis ſtrenuum, & robore corporis ferocem, catholicum, & omnium Germanorum Principum optimum *, quòd niſi id facere maturarent, ſe effugere non poſſe, quo minùs Gallorum Regi conſentiret; & Imperium Gallis extorquentibus redderet. Principes ex Pontificis litteris periculo cognito, ſtatim Francfordiæ, alias Midelburgi conueniunt, vbi communi ſuffragio Regem Romanorum vij. Kalen. Decembris, Henricum ipſum deſignant, Henrici filium, tunc Comitem Lutcemburgenſem, qui proximo die Epiphaniæ, Aquiſgranum profectus, ab Archiepiſcopo Colonienſi coronatus * eſt, & ſtatim Legatos ſuos ad Pontificem Clementem Auenionem miſit, qui electionis de ſe factæ confirmationem peterent. Põtifex id benignè fecit, & quinque Cardinales Legatos inſtituit, qui anno proximo eum in Italiam venientem Romæ coronarent. Hi fuere Leonardus Albanus, Fr. Nicolaus Oſtienſis, & Arnoldus Sabinus Epiſcopus, Gualterus Presbyter S. Sabinæ, & Lucas S. Mariæ in via Lata Diaconus Cardinalis, quorum Leonardus, & Gualterus in itinere mortui ſunt, alij tres ad ea ſollemnia acceſſerunt. Hæc Rex Francorum animaduertens, ſe à Pontifice deluſum dolens, ei nunquam poſteà amicus fuit.

HENRICUS Comes Lutcemburgenſis Imp. eligitur, à Pontificeque confirmatur.

HIEROſolymitana expeditio.

Anno 1310. Cardinalis Lutetiam miſſus ab eo, vicinaſq; Regiones, vt ad Hieroſolymitanam expeditionẽ generoſos Gallorũ animos incitaret, vbi Philippus, gener eius Eduardus Rex Anglorum, treſque eius ſororij Crucem belli ſacri ſignum ſuſceperunt, cum innumeris ex vtraque gente equitibus, & nobilibus viris. Cæterùm inicium cum Clemens audiſſet, publicare iuſſit plenam delictorum remiſſionem ijs, qui ad id bellum proficiſcerentur, & ijs quidem, qui iſe non poſſent, aut nollent, modò præſtarent ſumptus viri militaris expeditionem illam ſuſcipientis, plebeis verò, qui teruntium vnum obtuliſſent, anni vnius remiſſionem dabat, augebatque numerum annorum pro quantitate æris collati. Id cùm quinquennio eſſet factum, exactoreſque dati, quorum fidem cognitam habebat, expeditio tamen illa relicta eſt, cauſſa ignoratur, quanquam non defuerint qui cauſſas parum fide dignas confinxerint, vt prona ſunt nonnullorum ingenia ad id, quòd deterius eſt comminiſcendum.

SYNODUS generalis Viennæ. *

Anno 1311. Synodus * generalis Viennæ Allobrogum pro reformatione Eccleſiæ indicta eſt xiij. Nouembris haberi cœpta eſt, trecentis Patribus * ad eam conuenientibus, multaque piè conſtituta ſunt: Pontifex antea dederat litteras ad omnes Epiſcopos mandans, vt ſinguli quæ vtilia putarent Eccleſiæ Dei, populoque Chriſtiano in Diœceſi ſua quiſque ſcriberent. Tunc Guillelmus Durandus Epiſcopus Mimatenſis, alius omnino ab illo, qui dudum ſub Innocentio IV. vixit, vtiliſſimum libellum edidit de rebus in Viennenſi Concilio definiendis, vt ipſe auctor tradit, tres in ea Synodo ſeſſiones habitæ: prior ſeſſio Concilij Viennenſis ad xiij. Kalen. Nouembris, qua Templariorum ordinis cauſſa producta eſt, expeditio tranſmarina conſtituta, & Eccleſiaſticorum reformatio decreta: & de libertate Eccleſiaſtica actum, rogati Prælati de ijs ſingulis capitibus, vt conſulerent, & in medium afferrent, quod factu dignum eſſet.

EIUSDEM Synodi ſeſſiones.

Anno 1312. *xi. kalen. Aprilis*, Pontifex Templariorum * ordinem extinxit in ſecreto Conſiſtorio iij. nonas Aprilis ſecunda ſeſſio habita, in qua Templariorum ordinis abrogatio publicata *, & confirmata, Rege Francorum cum fratre, & tribus filijs præſentibus. Horum bona Hoſpitalarijs ea conditione conceſſa, vt illa dato pretio redimerent, & qua ratione id fieri oporteret, arbitrio Conciliorum prouincialium relictum.

Tertia ſeſſione, Bonifacij VIII. Quæſtio, Regis Francorum rogatu, propoſita fuit, Bonifacium legitimum, & Catholicum Papam fuiſſe, cuius cauſſam contra Regem Francorum tuendam ſuſceperunt Cardinales peritiſſimi in iure Cæſareo, & Pontificio, & Theologi inſignes; inter quos fuere Richardus Petronus Senenſis, Gentilis de Monteflorum, & Ioannes de Murrouallio Cardinales. Pontifex verò vt aliqua ex parte Regi Francorum gratificaretur, ſanxit ex Concilij ſententia, vt occaſione Bonifacij neque Rex ipſe, neque eius hæredes in ius vnquam vocari poſſent, aut aliqua iniuria affici, edixit etiam,

SYNODI Decret.

vt Templariorum bona Hoſpitalarij haberent, eaque à Rege vel occupantibus emerent, quæ 600. millia florenorum venere. Multa decreta edita lib. Clementinarum *. Animam præterea rationalem eſſe formam * corporis humani decretum; damnati Begardi, & Beguinæ * hæretici, qui aſſerebant, vſuram non eſſe peccatum. Poſt annum, & dimidium Concilio diſſoluto, Pontifex cum ſua Curia Auenionem eſt reuerſus. Henricus VII. * Imperator Viterbio Romam, vt coronaretur venit, effuſo obuiam honorato quoque, cum vrbana multitudine; perbenignè ſuſcipitur in Baſilica Conſtantiniana, cum Templum Vaticanum in hoſtium poteſtate eſſet, à tribus Cardinalibus Kalendas Auguſti coronatus eſt, poſt Coronationem Roma diſcedens, Tibur primum, deinde Tuder, poſtremò Aretium acceſſit, vbi Robertum Neapolis Regem maieſtatis reum fecit, citatumque nec comparentem Regno * priuauit, improbante tamen Clemente Papa, quòd in loco nequaquam idoneo, tantam rem ad ſe non pertinentem peregiſſet; Pontificis enim Romani munus eſſe, non Imperatoris, Regnum Neapolitanum, vel Siciliæ dare, vel adimere. Cæſar Bonconuenti in agro Senenſi, graui ægritudine correptus ix. Kalen. Septembris anno 1313. obijt; corpus magno luctu Piſas tranſlatum in Cathedrali Eccleſia cõditum. Eo mortuo fuit interregnum anni vnius, menſis 1. dierum 24. regnauit annos 4. menſes 9. ſunt qui ſcribant, veneno * ſublatum, exhibito in Euchariſtia à Fr. Bernardino Politianenſi ordinis Prædicatorum, ſubornato pollicitationibus, & præmijs; ſed huius fabulæ, & mendacij in probatis Annalibus nullum veſtigium extat.

* * *

HENRICUS Imper. Romam venit.

HENRICUS Roma diſcedit, poſt eius Coronationem. *

HENRICI Obitus. *

Anno 1309. mortuo Rege Neapolitano Carolo II. Robertus Dux Calabriæ eius filius Auenionem profectus, Vtriuſque Siciliæ Rex à Pontifice coronatus eſt *, qui fidei ſacramentum præſtitit. Ludouicus Caroli II. Siciliæ Regis filius ex ordine Minorum, Epiſcopus Toloſanus creatus, miraculis clarus inter ſanctos relatus * eſt à Ioanne XXII.

CAROLO Neapolitano Rege mortuo Robertus eius filius Rex à Pontifice coronatur.

LUDOVICUS canonizatur à Ioā. XXII.

Anno 1307. quo Clemens Pictauij fuit, ad eum venit Hayto Armeniæ Regis conſanguineus, iuſſuque Pontificis, de viribus, & potentia Orientalium Principum volumen egregium dictauit, Nicolao Falconi interpreti ſuo, quo quidem Apoſtolum Clementem V. (ſic enim Epiſcopum Romanum appellat) magno ſtudio in id incumbere prædicat, vt Syria, Palæſtinaque, & cæteræ prouinciæ à Mahometanis occupatæ, excuſſo tandem iugo liberentur, is mos in Gallia inoleuit, vt Romanum Pontificem Apoſtoli nomine deſignarent, quamquam impropriè, niſi Apoſtoli nomine, Apoſtolicum virum intelligant. Poſteri tamen cæterarum gentium vocem amplexi, vetuſtiores ſequuti pro Epiſcopo Romano Papam dixerunt.

HAITO Armenus ad Clementem venit. *

Anno 1313. Clemens V. precibus Regis Francorum, & Siciliæ, Cœleſtinum V. Papam ſub nomine Petri à Murrone, quo nomine ipſe ante Pontificatum vocabatur, multis miraculis clarum, in Sanctorum Confeſſorum * numerum retulit, xiiij. Kalen. Iunij quo die olim exceſſerat, 17. poſt obitum anno.

COELESTINUS Papa canonizatio. *

Henrici Imperatoris mortem obitus Pontificis ſubſequutus eſt, is nouis ægritudinibus afflictatus, aliquando enim dyſenteria, aliquando ſtomachi, & laterum dolore cruciabatur, dùm ex Auenione Burdegalam redire conſtituiſſet, in Roca Maula ſupra amnem Rhodanum vico Prouinciæ Narbonenſis xij. Kal. Maij anno 1314. obijt *, corpus dum noctu in Eccleſia ſeruaretur, caſu ſemiuſtũ, ſepultũ eſt in ædicula B. Mariæ de Vzeſta, Villula ignobili Vaſatenſis Diœceſis ob deuotionem, quã ad eum locum habuerat, cum hac Inſcriptione.

CLEMENTIS Obitus. *

HIC. IACET. FEL. REC. D. CLEMENS. PAPA. V.
FVNDATOR. ECCLESIARVM COLLEGIATARVM
DE. VZESTA. ET. DE. VINHENDRAVDO. QVI
OBIIT. APVD. RVPEM. MAVRAM. NEMAVSENSIS
DIOEC. DIE. XX. APRIL. PONT. SVI. ANN. IX.
PORTATVS. VERO. AD. ISTAM. ECCLESIAM
B. MARIÆ. DE. VZESTA
ANNO. DOMINI. MCCCXIV. XXVII. DIE
AVGVSTI. TVNC. PROXIMA. ET. SEPVLTVS
DIE. . . . . , ANNO. DOM. MCCCLIX.

Ex Monum. inter Epitaph. p. 11.

Propinquis ſuis innumerabiles penè gazas reliquit, ſepulchrum eius marmoreum, admirandique operis, octo columnis ex Iaſpide pulchrè exornatum erat. Poſtea quidem à violantibus ſepulchrum inuentum eſt Põtificium corpus admodum procerum, ferè pedes 8. cum eminenti in vultu olim accepti vulneris, cicatrice idque ſtatim in cineres reſolutum eſt: violatores inſignis tumuli ex eo retulere in prædam aliquot gemmas, argenteaque vaſcula, quæ vna cum corpore, & aromatibus, & crepidis incluſa fuerant. Oſſa denique, nequid prætermitterent, igni comburenda tradidere. Hæc violatio ſepulchri facta eſt viij. Idus Ianuarias anno 1577 ducibus tam nefarij ſceleris Serra, & Forcade Vaſatenſibus; Iuſſerat enim Clemens, & ſupremis tabulis mandauit corpus ſuum Vzeſtæ ſepeliri, & cũ mortuus eſſet, inter Canonicos Vzeſtenſes, & Carpentoratæ antiqui oppidi incolas lis magna, & grauis orta eſt, Vtri ſepultura concederetur. Iudicium tamen, penès Vzeſtam fuit. Hodie plures viuunt apud Vzeſtam Clementis cognomine agricolæ ad tenuem, vt veri-

CLEMENTIS ſepulchrum depredatum.

finale

ſimile eſt, fortunam temporis lapſu redacti. In gratiam Clementis nunc quoque Vaeſta tributis, & vectigalibus, exempta eſt beneficio Regis Francorum, Clementis V. Burdegalenſi Archiepiſcopo vineam reliquit, optimi vini feraciſſimam in vico Peſſiaco, quæ Clementis Papæ vinea hodie quoque appellatur.

PHILIPPI Francorum Regis Obitus.

Non multò poſt anno 1314. Philippus Francorum Rex in venatione apri ictu ex equo præcipitatus miſerè interijt. Vacauit tùm ſedes ob Cardinalium diſcordiam annos 2. menſes 3. dies 18.

Dantes Philoſophia, & poetica facultate eximius, ad Cardinales Italos tunc litteras miſit, quibus eos hortabatur, vt vni rei darent operam, ſi poſſent, ne ex alia gente, quàm ex Italica Romanus Pontifex crearetur; verùm id fruſtra ab eo factum eſt.

Ordo Eremitarum ſancti Pauli primi Eremitæ in Hungaria ſub Regula ſancti Auguſtini confirmatur a Gentile Presbytero Cardinali Legato Clementis V. Papæ anno 1308.

VIRI doctrina præſtantes, qui ſub Clemente fuerunt.

Vixerunt Clementis V. Pontificatu doctrina præſtantes Viri, inter hos fuere.

Henricus Bruxellenſis, monachus Haffligmenſis Cœnobij, Theologus, & Mathematicus nobilis, qui rationem computi ſcripſit.

Guillelmus de Arſte Laudinio, Abbas Monaſterij Pictauienſis, qui libros de Sacramentis, & Summam de caſibus ſcriptā reliquit.

Guidi ex Ferrarienſis Eccleſiæ Presbytero, Epiſcopus, vir doctus, & pius, qui Margaritam Bibliorum ad Clementem V. carmine ſcripſit.

Ioannes Columnius Romanus, ordinis Prædicatorum, Archiepiſcopus Meſſanenſis, cuius Romanorum Pontificum Hiſtoria, & Epiſtolæ ad diuerſos extant.

Ekardus Germanus, qui in omnes ferè Bibliorum libros Commentaria edidit, vocibus obſcuris præter Theologorum conſuetudinem, vſus, multis erroribus occaſionem dedit inter quæ 17. capita fuere a Clemente V. damnata, & per ipſum publicè reuocata, in reliquis rectè ſenſit.

Alexander Alexandrinus 17. Michaël Cæſenas 18. Gerardus Oddo 19. ordinis Minorum Miniſtri generales, viri doctiſſimi, Theologi, & Philoſophi egregij, qui ſuper libros Sententiarum, & Sermones, & Commentaria in Biblia, & alia Opuſcula ediderunt.

Petrus Saxo eiuſdem ordinis iuris Canonici peritus, Summam caſuum, & Sermonum libros publicauit.

Petrus de Verbeio, Aureolus vocatus, ex eodem ordine, Archiepiſcopus Aquenſis creatus, diu hoc tempore in Gymnaſio Pariſienſi publicè ſacras litteras docuit.

Nicolaus Lyranus Anglus, ordinis Minorum, Latinæ, & Hebraicæ linguæ peritus in diuinis ſcripturis exercitatiſſimus ſuper Sententias, & in Bibliorum libros Commentaria luculenta, & Sermonum libros, item Opuſcula multa ſcripſit.

Ioannes Duns Scotus ordinis Minorum, Alexandri de Ales diſcipulus Magiſter Pariſienſis, in diuinis Scripturis, & Philoſophia peripatetica verſatiſſimus, qui ob ingenij acumen, & rerum abditarum accuratiſſimas interpretationes, Doctor ſubtilis vocatus ſcripſit Opuſcula multa, Sermones, & ſuper Sententias Commentaria, cuius opiniones Minores fratres in ſcholis ſuis ſectantur.

Hugolinus Malabranca Vrbeuetanus, ordinis fratrum ſancti Auguſtini, Patriarcha Conſtantinopolitanus, Auguſtinus Anconitanus Theologi eximij.

Gerardus Bononienſis 11. Guido Perpinianus Hiſpanus 12. ordinis Carmelitarum generales Magiſtri, quorum ille 20. annis ordinem ſuum gubernauit, ſuper Sententias Commētaria, & Sermones edidit; hic verò multa Opuſcula ſcripſit ad Ioannem Papam XXII. ſuper Sententias, & ad Epiſcopum Albanum in libros Phyſicorum Commentaria edidit, ſcripſit alia complura.

Dantes Aligerus Florentinus vir eximius.


CLEMENTIS bulla de Conclaui.

Clemens Papa V. Comitiorum Pontificalium legibus à Gregorio X. editis, confirmatis, nonnulla addidit, ſeu ſuppleuit in generali Concilio Viennenſi: à Ioanne XXII. Papa, in libro Clementinarum primo, titulo 3. de Electione, & electi poteſtate, cap. *Ne Romani Pontificis, &c.* poſteà regiſtrata; poſtremò Clemens VI. Bullam de Moderatione legis cibariæ Cardinalium in Conclaui recluſorum fecit, quæ in libro Cæremoniali * extat, de quibus omnibus latiſſimè in libris, quos de varia Creatione Romani Pontificis ſcripſit Panuinius *, diſſerit. *

* *Ratio creandi Romani Pontificis.*

Rationem verò, qua Romani Pontifices deinde creari conſueuere, breuibus ſubijcere placuit, vt nihil poſtremò deſit, quód accuratus lector deſiderare poſſit, eſt autem eiuſmodi.

Patres Conclaue ingreſſi, diem integrum ſequentem, formandis legibus impendunt, ad ſanam Romani Pontificis adminiſtrationem maximè neceſſarijs, quibus Patrum quiſque ſubſcribens iureiurando, votóque promittit obtemperaturum ſe illis, ſi Pontifex factus fuerit. His actis ſtato quodam die prima Comitia indicuntur. Manè autem eius diei Patres omnes induti Pallijs à ſummo deorſum apertis, quas croccias vocant, in cappellam, vbi Corpus Chriſti aſſeruatur, conueniunt, ibi diuini Spiritus ſancti ritè ſacra celebrantur; quibus abſolutis, ſuo loco diſponunt ſe per ſubſellia; quiſque autem, quos eligere decreuit, in Codicillo ante deſcribit, huncque ſuo annulo obſignat; inde tres ex Patribus ad altare aſcendentes, Decanus videlicet Presbyterorum, & Diaconorum primi, calicem, in quo eo die ſacra facta ſunt, ad medium altaris conſtituunt, cuſtodes ipſi omnium, ac inſpectores aſtantes; poſt hæc eodem ordine procedunt, & reliqui Patres, atque ante altare in genua procidentes, Codicillum ſigillatum in calicem demittunt; id autem poſtquam ab omnibus factum eſt, tres illi, quos dixi, calicem ipſum, ad cæteros inferiùs conſidentes, ſublatum altiùs oſtendunt, conſiſtentes in ſubſelliorum medio, vnde ſpectari, & audiri à circumſtantibus poſſunt, numerant mox Codicillos, quorum vt conueniſſe numerus inuenitur, ſinguli a Decano aperiuntur, & leguntur, ac Diacono proximo pronuntiandi traduntur. Patrum quiſque papyrum tenens, ac pugillare quos quiſque eligit chirographo annotat. Nullus autem ex Alexandri III. Conſtitutione *, pro Pontifice haberi poteſt, niſi qui duarum partium ex Cardinalibus integra ſuffragia tulerit, qui numerus ſi ex Codicillis adimpletur, tùm Pontifex creatus eſt, ſin minùs, liberum eſt cuique quem voluerit Patrum, non electum à ſe ſcripto, voce eligere, quæ electionis ratio acceſſus appellatur. Rarum eſt quempiam ex ſolis Codicillis eligi, vocum acceſſio conficere totum opus ſolet. Alius eſt quoque creandi Pontificis mos, qui per adorationem dicitur hoc autem eſt, cum duæ partes Cardinalium non expectato, vt vocant, ſcrutinio, ſed voce tenus omnium conſenſu, & voluntate, quempiam ex Cardinalibus in Romanum Pontificem ſalutant, atque venerantur; qua ratione Iulius III. Marcellus II. Paulus IV. Pius V. Gregorius XIII. Syxtus V. Vrbanus VII. Innocentius IX. Clemens VIII. renunciati fuerunt.



SIGNA PP. CLEMENTIS V.



ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

¶ *Raymundus Bertrandus.*] Bertrandi equitis filius ex Mihandran oppido Diœceſis Burdegalenſis in Vaſconiæ cum in Pontificem electus fuit, Bertrandus nuncupabatur, Genebr. lib. 4. Chronog. Quidam dicunt Vilaudran, ſeù Villandraut: vbi Clementem ipſum in ſterili agro arcem ædificari, iuſſiſſe, affirmauit, ex Gallicis monumentis Soareſius; Bertrandus. Gotus, ait Plat. alij de Goth, ſeù Gout.

* *Raymundo reconciliaretur.*] De arte, qua pauci Cardinales vſi fuerunt, vt Raymundum Pontificem Max. facerent, Maſſonus, lib. 3. An Francan Philippo: ſed prius D. Anton. par. 3. Hiſt. cap. 1. tit. 21.

* *Villandrum vicum.*] Non benè *vicum Villandrum*. Vide quæ paulò ante dixi.

* *Ad ſe ...... Cardinales .... conuocauit.*] Diſplicuit Aegidio Cardin. Viterbienſi Pontificiæ ſedis migratio: is Clementem in hac re non laudauit. *Clem. V. ait, Lugdunum Senatum ad ſe vocans exilio, & migrationi ad alienos initium dedit, &c.* dicit deinde Deum voluiſſe, exulare *Senatum diuinarum oblitum, & humanarum rerum ſtudioſiorem.*

* *An. 1305. prid. Id. Nouemb. ...... Coronationis inſignia ſuſcepit.*] *Coronatus Lugduni in Eccleſia ſancti Iuſti, iv. Idus Nouembr.* Panuin. in Chron, ipſe Ciacon. paulò poſt in Eccleſia ſancti Iuſti Clementem corona inſignitum, affirmat. Ante fores ſancti Iuſti Ciac.

* *Cæſare Alberto, & Imper. Henric. VII.*] Albertus obijt. Clemente Pontifice, & Henricus, eodem Electores excitante, electus; & deinde Romæ coronatus: profeſſionem fidei ipſius Henrici, & iuramenti formulam, ab illa non diſcrepantem, quæ habetur cap. *Tibi Domino*, refert Bzouius tom. 14. Annal. Eccleſ. ad anno 1312.

* *Interfuerunt Coronationi Clemen. ...... Valleſij Comes.*] Philippum quoque Franciæ Regem eidem Coronationi interfuiſſe, ſcribit Platina.

* *Io. Brit. Dux muri ruina oppreſſus mor.*] Io. Britanniæ Ducem cum plerìſque alijs, labente muro oppreſſum perijſſe Platina, cum duodecim alijs Ciaconius, ſcribunt, cum Platina eſt Cardinalis Aegidius loc. cit.

* *Carbunculum ...... ſex mil.*] Ex Platina.

De Coronationis celebritate luctuoſo parietis lapſu perturbata Aegidius Viterb. Card. *Dum illi, quorum intereſt, Coronam porrigebant, Pontifex caput coronandum dabat, Animi omnes pendent, nihilque intercedere poſſe autumant, quo minus induat Pontifex, ſumma cum lætitia, Coronam, ecce, vt dicitur, inter os, & offam multa cadunt, antiquus paries fatiſcit, ingens fit ruina, cum Io. Britannia Duce multi mortales oppreſſi ſunt: excuſſa manibus Corona, turbati ordines omnes trepidare, ſibi quiſque fuga conſulere, Pontifex attonitus e ſolio proſilire, irato ſe Deo imperare, clam fateri.* De eadem Guaguinus lib. 7. Hiſtor. Francorum.

* *Vbi ad 70. annos permanſit.*] 74. ait Platina, & Guagninus loc. cit. at Genebr. lib. 4. Volater. lib. 22. Anth. & Tilius in Chro- Loc. cit.

nico 70. Clemens V. anno 1305. Auenionem incolere, Guaguino narrante, cœpit.

De hoc exilio (quòd nonnulli Itali captiuitatem Babylonicam, Genebrardo teſte, nuncuparunt) Cardin. Viterb. Aegid. loc. cit. Petrarcha lib. 7. Senil. vberi epiſtola ad Vrbanum V. eloquentiæ viribus ſuadens, vt ſedem Pontificiam Romæ reſtituat, & ad Clementem VI. lib. 2. epiſtolarum metricè ſcriptarum: in illa D. Petrus Vrbanum V. alloquens ait: *Ego poſtpoſui Roma Galilæam, at tu Roma Rhodanum prætuliſti.*

l. 4. Chró. * *Chriſtianorum omnium incommodo*] *Chriſtianorum incommodo.* (Non omnium, vt Ciaconius) dicunt Platina, & Genebr. addit huc, eam Pontificiæ ſedis tranſlationem priſcam Eccleſiæ faciem contaminaſſe. Recta fuit Pontificis mens, tranſtulit enim ſedem, ob Italicas ſeditiones, quibus remedium afferre, non poterat. Vide Geneb. loc. cit. Volaterran. lib. 22. Pet. Matur. ad cap. 1. tit. 21. par. 3. Hiſtor. S. Anton.

Clemẽs V. 1307. Auenionem adijt. * *Rediit autem 70. an. poſt.*] Gregor. XI. Pontificiam ſedem anno 7. ſui Pontificatus 70. poſtquam Auenionem tranſlata fuerat, Romam reduxit. Ita inſcriptio S. P. Q. R. marmore inciſa, apud ſanctam Mariam Nouam, Clemens V. ann. 1305. non. Iunij; Greg. XI. an. 1370. iij. Kalen. Ianuarij, Pontificatum inijt, vt placet Panuin.

* *Franciſcum Dandulum.*] Inuſitata prorſus ratione Dandulus Clementem placauit: narret factum memorabile Venetus Hiſtoricus non ignobilis Io: Baptiſta Egnatius. *Qui* (Franciſcus Dandulus) *Venetus orator miſſus in Galliam ad Clementem Pontif. Max. vt eum infeſtiorem Veneto nomini, propter Ferrariam receptam, placaret, cum multa, & varia ſecum agitaſſet conſilia, neque a Pontifice ipſo iratiore quicquam impetraret, inuſitati facinoris obcurdi, quod quidem neque antea, neque in hanc ipſam ætatem auditum ſit, conſilium init. nam quo tempore Clemens ipſe cœnitaret, quadrupes effectus, catenaque ferrea collo preſſus ad Pontificis pedes, canis in morem, ſe ſubſtrauit. Quo nouo ſpectaculo Pontifex ipſe attonitus, illum in gratiam accepit, Venetoq; nomini iniuriam dimiſit. vt poſtea Reſp. Veneta oratiſſima, iucundiſſima illi fuerit, cui mortalium omnium congreſſum, conſuetudinemque interdixerat.* Inde Dandulus cognomento Canis eſt appellatus: Egnatius hoc tradit.

Lib. 4. c. 1. Ex exempl. illuſt. Venetorum. * *Conſtitutiones duas ...... primam, qua declarauerat, Regem Franciæ in temporali ſtatu ſubiectum eſſe.*] Si loquitur Ciaconius de Conſtit. Bonifacij VIII. Extrauag. *Vnam ſanctam* de Maiorit. & Obed. in ea nulla eſt mentio Regis Franciæ; ſed genericè loquitur Pontifex, oſtenditque vnam eſſe Chriſti Eccleſiam, vnum ipſius caput, Chriſtum ſcilicet, & Chriſti eiuſdem Vicarium Petrum, Petrique ſucceſſores; docet, ſpiritualem, & temporalem gladium eſſe in Eccleſia, & temporalem auctoritatem ſpirituali poteſtati ſubijci oportere, Conſtitutionemque his verbis claudit. [*Subeſſe Romano Pontifici omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, deffinimus, & pronunciamus, eſſe de neceſſitate ſalutis.*

* *Secundam ..... 6. Decret. inſertam ..... Clericis Cardinales.*] In 6. Decretalium non potui reperire Conſtitutionem, cuius initium ſit *Clericis Cardinales.* Extat cap. Clericis. De Immunit. Eccleſiaſt. &c. Clericis. De vita, & honeſtat. Cleric. &c. Clerici. De Clericis Coniug. Duas à ſe indicatas, Bonifacij Conſtitutiones à Clemente Quinto reuocatas fuiſſe, ait Ciaconius, at non indicauit Conſtitutionem, qua id factum. Extrauag. *Meruit*, de Priuilegijs declarauit Clemens, per Extrauag. Bonifacij *Vnam ſanctam* Regem Franciæ, Regnum, Regnicolaſque Romanæ Eccleſiæ non eſſe amplius ſubiectos, quàm erant antea: ſed omnia eſſe in eodem ſtatu, quo erant ante Bonifacij definitionem. Lege Clementis verba loc. cit.

* *Hæreſis à Dulcino.*] De Dulcini Secta, Platina in Clem. V. Sanderus lib. 7. De Viſib. Eccl. Mon. Genebr. lib. 4. Chronog. Appendix ad Martini Poloni Chronicon, Blondus lib. 9. Decad. 2. anno 1307. D. Anton. par. 3. Hiſt. tit. 21. cap. 1. §. 1. impoſtoris Dulcini, & ſequacium Hæreticorum hiſtoriam diligenter narrat. Duos annos Dulcini tartaream ſectam viguiſſe, ait idem S. Antonin. multoſque paupertatis, & incommodorum tædio victos, Dulcino impoſtore relicto, ad fidem reuerſos, tandem hæreſiarcham cum Margarita errorum ſocia captum, combuſtumque à Nouarienſibus, cum multis alijs vtriuſque ſexus in pertinacia perſeuerantibus. Huiuſmodi Hæreticos mares, & fœminas ſimul habitantes in omnemque libidinem proruentes *Fraticellos* nuncupat Platina, additque à militibus, cum Legato Apoſtolico, a Clemente miſſis, in Alpibus poſitos media partim, & frigore, armis partim abſumptos, Dulcinum, & Margaritam viuos captos membratim diſcerptos, illorumque oſſa, igne redacta in cinerem diſſipata.

* *Antequam Pictauio diſcederet, Templariorum ordinem abrogauit, eorumque opes ...... fiſco addixit, &c.*] In Concilio Vienneſi Templariorum Ordo extinctus: conſtat ex ſententia in eo lata: hoc inferius fatetur Ciaconius.

* *Accuſati ...... Templarij.*] Crimina Templarijs obiecta multa, & grauia, lege litteras Clem. V. ad Regem Galliarum, & ad Archiepiſcopos; ſententiamque in eos in Vienneſi Concilio promulgatam, eos à noſtris ad Sarracenos defeciſſe, ſcriptum a Platina: capita criminum Templarijs obiectorum Hieronymus Rubeus in Hiſt. Rauennatum lib. 6. recenſet, Bzouiuſque tom. 14. Annal.

Clem. V. 1308. * *Omnes ...... Papa iuſſu; vno die, capti, occiſi.*] Templarij omnes varijs in locis morantes eodem die capti, & occiſi non fuere. De nonnullis ab Archiepiſcopo Moguntino abſolutis Nicol. Serrarius l. 5. Rerum Moguntin. in Petro: nonnullos damnatos, ad agendum in Monaſterijs pœnitentiam, dixit Thomas Vvalſing. in Hiſt. Angl. De captis in Arragonia Mariana lib. 15. cap. 10. Rerum Hiſp. Qui in Gallia erant, vno die captos, narrat Mariana loc. cit.

* *Sunt tamen auctores.*] Præter S. Antonin. idem ſenſit Papir. Maſſonius lib. 3. Ann. Fr. in Philippo, Galli ſcriptoris illius æui teſtimonio freti: D. Antoninus multa ex Io. Villaneo in ſuos hiſtoricos libros tranſcripſit; & hoc, fortaſſe: fuit enim Villaneus in ſententia, quam D. Anton. amplexus videtur.

Multis turpitudinum maculis Templariorum nomen ſcatebat, crimina inaudita, ait Mariana, non ſingulis modo obiecta, ſed toti ordini: eos Villaneus, D. Antoninus, alijque à calumnia defendunt; *fama frequentior*, inquit idem, *& ſenſus prope omnium damnat.* Etſi certè obiectis ſceleribus ſingulos Templarios in omnibus prouincijs contaminatos fuiſſe, veriſimile non putet; latetur tamen, cunctis, ſacris præſertim hominibus, inſignis ordinis excidio, ſimilis perfidiæ vitandæ documentum relictum. Templariorum militum ordo in Vrbe Hieroſolymitana inſtitutus; illi inde nomen nacti; quia iuxta Dei Templum habitabant: ad eorum autem munus ſpectabat, vias ditionis Hieroſolymitanæ aduenis ad ſacra loca inuiſenda proficiſcentibus ab hoſtibus, latronibuſque tutas reddere: Ex his olim non pauci Chriſti cauſſa occubuere, ſæpe alij in vitæ diſcrimen adducti: & deinde laudabili inſtituto deſerto, Hieroſolymitano Antiſtiti, qui prima in eos beneficia contulerat, parere noluerunt, Decimas, primitiaſque Eccleſijs ademerunt, Alij ſ[illegible] Legatum, ius gentium violantes, (vt Tyrenſis narrat Epiſcopus) peremerunt: D. Ludouicum Francorum Regem pro Chriſti gloria in Oriente depugnantem, eorum dolo, ab Aegypti Soldano in vincula coniectum, narrat, poſt nonnullos alios ſcriptores, Guaguinus. Illi tota Gallia capti, habita quæſtione, (loquar cum Aemilio) obſcœna flagitia, & immania de ſe eorum permulti confeſſi referuntur, nefariam libidinem, impiam religionem, ſe cum Turcis, ſe cum Sarracenis ſenſiſſe, ſacraq; noſtra deſeruiſſe, ſimulacrum humana contectum pelle, duobus carbunculis micantibus oculorum loco, exornatum, ijs fuiſſe, tradit loc. cit. Guaguinus: & huic Templariorum ordinem profeſſuros. Chriſto Domino, in primis abnegato, ſanctiſſimaque illius Cruce contempta, immolaſſe. vt alia eorum ſcelera ab illo indicata prætereamus. Viri Principes monuerant Pontificem, eos in hæreſim, apoſtaſiam, idololatriam, aliaque nefanda flagitia prolapſos: is ad Epiſcopos totius orbis litteras dedit, vt inquirerent, an vera eſſent ſcelera, quæ ijs obijciebantur, litteras ad Archiepiſcopos Rauennaten. & Piſanum, & ad Epiſcopos Florentinum, & Cremonen. *Faciens miſericordiam ...... Dat. Pictau. ij. Id. Aug. an. iij* habes apud Rubeum lib. 6. Hiſt. Rauen. Nocentes agnoſcunt Templarios etiam Aluarus Pelagius lib. 2. cap. 23. De Planctu Eccleſiæ, Volaterran. l. 22. Blondus Dec. 2. lib. 9. Sanderus lib. 7. De Viſib. Eccleſiæ Monarch. Platina in Clem. V. Genebr. lib. 4. Chronog. Pet. Maturus ad D. Ant. par. 3. Hiſtor. tit. 21. cap. 1. Coquæus in Antimornæo, Gretſerus cap. 57. Exam. Myſt. Pleſ. Bzouius loc. cit. Tyrenſis præterea lib. 2. cap. 7. & lib. 17. cap. 27.

Ordo militaris Dominus Templi Hieroſolym vocatur. Clemẽ V. in ſentẽtia lata in Concil. — lib. 2. c. 7.

lib. 7. hiſt. Franc. in Philippo Pulcro.

V. literas Clemẽ V. to. 4. Cõc. ad Abbat. Ciſterciẽ. & ad Regẽ Galliæ.

Clemens, deliberatione prudenti vſus, ſacro approbante Concilio, eos damnauit; eiuſque ſententia, clariſſimus, aliquando, ordo finem excepit: *Eius ordinis ſtatum, habitum, atque nomen, non ſine cordis amaritudine, & dolore*, ait Clemens, *ſacro approbante Concilio ...... perpetuo valitura ſuſtulimus; auctione ...... diſtrictius inhibendo, ne quis dictum ordinem de cætero intrare, vel eius habitum ſuſcipere, vel portare, aut pro Templario gerere ſe, præſumeret: quod ſi quis contra faceret, excommunicationis ſententiam incurreret, ipſo facto.*

* *Anno 1308. Albertus ...... occiſus.*] In Bonifacio VIII. [illegible]bit Ciaconius, Albertum Regem Romanorum creatum ann. 1299. vj. Kalen. Auguſti, & regnaſſe annos ſeptem, menſes nouem, dies quinque: modo dicit, interfectum ann. 1308. non videtur ſibi conſtare; ſi Typographi lapſus deſit. Volateran. & Egnatius, poſt decimum Imperij annum Albertum interemptum, affirmant.

Lat. auth.

* *Incendio tectum Baſil. Later.*] Accidit hoc incendium ann. 3. Pontificatus Clementis V. nocte, diem feſtum S. Ioannis ante Portam Latinam, præcedente; vt fatetur ipſe Clemens litteris ad Regem Trinacriæ datis: quas Ioſeph Maria Suareſius ex monumentis Auenionenſibus perhumaniter exhibuit, narrat Pontifex incendium cauſſam, damna ab eo illata Baſilicæ; petit a Rege, vt ligna, & trabes, ad eam inſtaurandam, Romam mittat. Eas cupis? non grauor referre. Perlege.

Dat. Pictau.

CLEMENS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI.
Chariſſ. in Chriſto filio Federico Regi Trinacriæ Illuſtri.

Lamentabilis caſus, qui nuper Eccleſiæ Lateranenſi, proh dolor, accidit, adeo nos turbauit, & tantum repleuit amaritudine tabernaculum mentis noſtræ, vt diu quaſi ſtupore quodam oppreſſi nec potuerimus à tanta meditatione doloris cogitatum auertere, nec circa idipſum aliquid efficaciter cogitare, neque enim poſſumus abſque cordis anxietate repetere, qualiter nocte præcedẽti feſtum ſancti Ioannis ante portam Latinam proxime præteritum ignis in Sacriſtia

ipſius Eccleſiæ relictus improuidè excitatus ab illo, cuius haliτus prunas ardere facit, ex improuiſo ſuccenſus eandem Eccleſiam, peccates exigentibus, ſubita ruina vaſtauit, ex cuius incendio, quod dolentes referimus, eadem Eccleſia damna plurima, diſpendia grauia, ialluraque multiplices prouenerunt: credimus enim ex hoc tua vehementes perturbationes incendio percuſſa fore præcordia, quodq; tu eidem Eccleſiæ matri tuæ tanquam deuotionis, & gratiæ filius, lugubri ab intimis affectione compatiris; quodque tanquam membrũ præcipuum ſuo capiti ſibi promiſcua compaſſione turbaris; ſed quia caſus huius turbinem ampliùs exagerare non expedit, ſed ſtudijs inuigilare feruentibus, & ſolerti diligentia inſudare, vt eadem Eccleſia, & celeriter, & feliciter valeat, auctore Domino, reparari vna cum tuo aliorumque fidelium Chriſti ſubſidio, conſilio, & fauore: Nos hoc præcipuum gerentes in noſtra intentione propoſitum Celſitudinem Regiam, quæ ad hoc maximum poteſt præſtare, & exhibere ſubſidium rogamus, monemus, & hortamur attentè in remiſſionem tibi peccaminum iniungentes, quod cum inter alia reparando operi eiuſdem Eccleſiæ ad præſens Regiam trabes, & alia, quæ proportioni eiuſdem operis, congruant, ligna noſcantur, vt plurimum oportuna pro diuina, & Apoſtolicæ Sedis reuerentia de huiuſmodi lignis, & trabibus, quarum copia in Regno tuo ſilius, atque nemoribus affluenter haberi dignoſcitur, ſic liberaliter operi eiuſdem Eccleſiæ ſtudeas ſubuenire, & ex nunc incidi, & aptari facias, & ad Vrbem cum omni celeritate, & ſollicitudine ſtudioſa deferri, vt ex prouiſione ac ſubuentione Regia, quæ ad hoc plurimum oportuna, & nec ſparſa fore dignoſcitur, eadem Eccleſia felicia, & feſtina reparationis incrementa ſuſcipiat; Tuque propterea tàm diuinæ retributionis præmium, quàm Apoſtolicæ ſedis benedictionem, & gratiam poſſis vlterius promereri. Datum Pictauij ij. Idus Auguſti anno tertio.

* *Henricum ..... optimum.*] Ex Serario. lib. 5. Rerum Moguntin. in Petro, diſces, Henricum fuiſſe bonum, integrum, armis ſtrenuum, magnum Chriſtianæ fidei cultorem, & defenſorem, pauperũmque tutorem.

* *Ab Archiepiſcopo Colonien. coronatus.*] Fuit coronatus Henricus, anno 1309. die ipſo Epiphaniæ, vel ab Henrico Colonienſi, vel à Petro Moguntino Archiepiſcopo: vt oſtendit Serarius ex duobus Codd. m. ss. lib. 5. Rerum Moguntin. in Petro.

Mox de Concilio Vienneſi Ciaconius, quòd Clemens indixit, ann. 3. Pontif. litteras illius ad Regem Francorum, & ad alios Reges, nec non ad Antiſtites plurimos habes, tom. 4. Concil Rom. edit.

* *An. 1311. Synodus.*] Serarius loc. cit. ſcribit Clementem Synodum habuiſſe Viennæ ann. 1310. ſecunda, tertia, & quarta feria, poſt Dominicam *Iubilate*. Anno 1311. hanc Synodum celebratam aiunt Tilius in Chron. Card. Bellarm. loc. cit. infra, auctor Hiſtoriæ ipſius Concilij. Biennio ante indixerat Concilium Clemens, & cum ad conſtitutum diem celebrari non potuiſſet, in aliud biennium diſtulit. Vide literas Clem. *Alma Mater. Dat. Auen. ij. non. Aprilis, anno quinto.*

Tomo 4. Concil.

* *Trecentis Patribus.*] Ita Card. Bellarm. lib. 1. de Concil. cap. 5. Mariana lib. 15. cap. 10. Rerum Hiſp. Guaguin. lib. 7. Hiſtor. F. Epiſcopos 114. (alij volunt 300.) multóſque Patres, & tres Reges Francum, Anglum, & Tarraconenſem, Patriarcháſque Alexandrinum, & Anthiochenum, Genebr. lib. 4. Chronog. Francorum Regem, tres illius filios, & Carolum Valleſium fratrem, multóſque aliorum Principum Legatos, duos recenſitos Patriarchas, Patres 300. vel, vt alij volunt, 114. & Clementem Rom. Pontif. dignitate, & poteſtate cæteris præſtantiorem ei Concilio interfuiſſe. Mariana loc. cit. teſtati ſunt 300. & amplius Epiſcopos, præter Cardinales, & alios Prælatos, cum Pontifice in eo Concilio fuiſſe, ſcripſit auctor Hiſtoriæ eiuſdem Conc. in edit. Rom.

In Vienneſi Concilio Io: Petri, Beguardorum, & Beguinarum damnatæ hæreſes, Ordo Templariorum extinctus, de Terræ Sanctæ recuperatione Decreta quædam in alijs Cõcilijs conſtituta, nonnulleq; Cõſtitutiones Eccleſiaſt. diſciplinæ apprimè vtiles promulgatæ.

* *1312. x. Kalen. April. Templ. Ord. extinxit in ſecreto Conſiſt.*] Sententiam contra Templarios in Conc. latam, dices ex to. 4. Conc. Rom. edit. pag. 118. Lata autem fuit, ſacro approbante Concilio, eius initium eſt. *Ad prouidam Chriſti Vicar.* quæ habetur etiam tomo 1. Bullarij.

* *iij. non. Aprilis ..... Templariorum abrogatio publicata.*] In calce ſententiæ legis. *Datum Viennæ vi. non. Maij Pontif. noſtri, anno ſeptimo.*

* *Hoſpitalarijs.*] Ordini ſcilicet Hoſpitalis S. Io: Hieroſolymitani: exceptis bonis conſiſtentibus in Regnis Caſtellæ, Arragoniæ, Portugalliæ, & Maioricarum Regum, extra Regnum Franciæ, ſic in ſententia.

* *Neque Rex ..... in iudicium vocari.*] Carolus Degraſſalius Regalium Francorum volumen conſcripſit; in quo quadraginta Regis Francorum priuilegia continentur: an hoc ibi extet, ignoro, librum ad manum non habeo.

* *Multa Decreta ..... Clementinarum.*] In Vienneſi Concilio, ante, & poſt illud, plurimas edidit Conſtitutiones Clemens V. quas in congruos titulos digeſtas publici iuris facere decreuerat; ſed de medio ſublatus, non potuit: eas Io: XXII. quinque contentas libris, & Clementinas nuncupatas, luce donauit.

* *Animam rationalem eſſe formam.*] Clemens, Clem. 1. De Trinit. & Fid. Cath. docet, animam rationalem humani corporis formam eſſe; gratiam, & virtutes in Baptiſmo infundi, & Chriſti latus, poſt mortem, lancea fuiſſe vulneratum: contra errores cuiuſdam Petri Io: de quo Guido Carmelita in Sum. de Hær. in hær. Petri Io:

* *Beguardi, Beguina.*] Illi maligni homines, hæ infideles mulieres in Alemannia, plures, eóſque peſtilentes errores proſeminabant; quos refert, damnátque Clemens, Clem. *Ad noſtrum*, de Hær.

* *Henricus VII.*] Ante coronationem, fidei profeſſionem emiſit Henricus; eam habes in Bzouio, ad ann. 1312. to. 14. Annal. Eccleſ. & formulam iuriſiurandi, quo is ſe obſtrinxit: ab illa autem non diſcrepat; quæ extat cap. *Tibi Domino* diſt. 63.

* *Robertum ..... Regno priuauit.*] Sententiam Henrici, viribus deſtitutam, contra Robertum, reſcidit Clemens; cuius litteræ referuntur a Bzouio. oblitus Henricus beneficiorum à Pontifice Max. acceptorum. id egit, quòd eum agere, fas non fuit: obijt autem, antequam litteras Clementis inſpiceret.

Tom. cit.

* *Veneno.*] Fabulam de veneno à viro Dominicani inſtituti Henrico in Euchariſtia exhibito, Nouatoribus quibuſdam probatam, exploſit olim Trithemius in Chron. Hirſaug. & paucis ab hinc annis Gretſerus cap. 57. Exam. Myſt. Pleſs. Bzouius vbertim refutauit, & Italici ſcriptoris, illius temporis, verbis, Henricum veneno non perijſſe, demonſtrauit.

Obijt Hær. 1311. Serar. lib. 5. Rerũ Mogunt. in Petro.

* *1309. Robertus .... coronatus.*] Tilius in Chron. Reg. Franc. ſcribit, Robertum hoc anno .... à Clem. Auenione Apuliæ Regem coronatum, Regni Neapolitani, Hieronym. Rub. lib. 6. Hiſt. Rauen. ad anno 1310.

* *Ludouicus ..... inter Sanctos relatus.*] Non à Clem. V. ſed à Ioan: XXII. Ludouico Minoritæ Toloſano Pr. illi cæleſtium honores decreti, ann. 1317. litteræ extant tom. 1. Bullar. *Sol oriens, &c. Dat. Auenione vij. Id. Aprilis* Pontif. anno 1.

* *Cœleſtinum in SS. Confeſſorum.*] Litteræ canonizationis extant in Bull. tom. 1. Vide notata ad Cœleſtinum V.

* *xiij. kalen. Maij 1314. obijt.*] Ita Panuin. in Chron. Clementem Burdegalam, ann. 1313. euntem obijſſe, dixit Paulus Aemil. in Philippo, anno 1314. Kalen. Maij ſcriptum in veteri ſcheda, cuius exemplum a Ioſeph. Maria Suareſio accepi. Morti proximus Clemens familiam ad ſe accerſit, percunctatus, quid cuique opus eſſet ad victum, prouidet; vt ſui apud Deum ſint memores, illumque timeant, hortatur; ſeque deferri ab illis petit, & ſepeliri in Eccleſia B. Mariæ de Vzeſta, in Burdegalen. patria, cui ſe vouerat: accepta fide, illis benedixit, & obijt, anno 1314. Kalen. Maij. Ex ſcheda veteri citata.

* *Lib. Cæremonial.*] Lib. ſect. 1. cap. 3. Rituum S.R.E. eadem lex Clem. VI. habetur etiam tomo 1. Bullar. & in Cæremoniali ad Conſtitutionem Greg. XV. De Electione Romani Pontificis eodem Gregorio volente, edito 1621.

* *De varia Electione Rom. Pontif. Panuin. ſcripſit.*] Eos libros, vel eorum partem edidit Iacobus Gretſerus, in vita Greg. VII. Vidi ego aliquando in Vaticana Bibliothecam volumen m.s. Anonymi de varijs modis, quibus Pontifices Romani olim creati fuere: ex eo villaput, doctuſq. Hieronymus Platus nonnulla in ſuum de Dignitate, & Officio Cardinalis librum videtur, tranſtuliſſe.

Diuerſis temporibus &c.

* *Ratio creandi R. P.*] Hæc, quæ ſequuntur, deſumpſit Ciaconius ex Panuinio ad Clement. V. in Platina: at hæc, & quæ lib. Rituum S. R. E. Greg. XV. Conſtitutione mutila ferè ſunt reddita.

Loc. cit.

* *Alex. III. Conſt.*] Cap. Licèt de vitanda, de Elect. Videnda eſt omnino indicata, mirificè laudanda Greg. XV. Max. & prudentiſſimi Pontificis Conſtitutio, & Cæremoniale ad eamdem.

Clemens V. Iudæos, ob immania, & horrenda flagitia, ex Gallia, & Germania eijciendos, curauit. Gymnaſium Peruſinum inſtituit, Conſt. 2. *Super Specula, &c. Dat. Sancton. vi. Id. Septemb.* Pontif. anno 3. Nonnulla Concilia Prouincialia, in Templariorum cauſſa, haberi iuſſit, præcipuè Moguntinum, & Rauennatenſe, de illo Serarius lib. 5. Rerum Moguntin. in Petro; de hoc Hieronym. Rubeus lib. 6. Hiſt. Rauenn. Anno 1310. Concilium Prouinciale Rauennaten. habitum fuit: quidam Templarij in eo interrogati, nullum crimen confeſſi ſunt. communis Patruum illius Concilij ſententia fuit, Templarios innocentes abſoluendos, nocentes puniendos; innocentes autem exiſtimandos etiam, qui vi tormentorum flagitia faſſi eſſent, ſi, extra tormenta, eam confeſſionem reuocaſſent. Rubeus hoc narrat, loc. cit. etiam in Concilio Moguntino nonnulli Templarij innocentiam oſtenderunt, quare Petrus anno 1311. Kal. Iulij, poſt ſecundas Pontificis litteras, Hugonem, & 20. fratres Templarios abſoluit. P. Aemil. in Hiſt. Franc. quamplurimos Templarios damnatos, & crematos fatetur; non autem omnes, Guaguinus lib. 7. cit. crematos, ait qui narratæ ab ipſo impietatis fuerant. Pontifex in Concilio iuſtiſſimè ordinem aboleuit; nam, vt reor, pars maior in grauiſſima ſcelera corruerat, at non præcepit, omnes capitali pœna damnari. mirabitur quis, dictum ſuperius à Ciaconio, Templarios omnes in toto orbe Chriſtiano, Clementis, iuſſu, vno die captos, & interfectos. De Templarijs, & eorum ordine iuſtè deleto Myræus lib. 1. cap 4. & 5. Originum ordinum Equeſtrium, Io: Azorius tom. 1. Inſtit. Mor. lib. 13. cap. 13. Polyd. Virgil. lib. 7. de Inuent. rerum, cap. 5. Petrus Gregor. Toloſ. P. 1. Syntag. Iuris Vniu. lib. 15. cap. 35.

T. 1. Bull.

Serarius loco cit.

Cum Mariana.

A Cum Carolus Valleſius, iunctis cum Venetis armis, expeditionem in Andronicum Græcorum Imp. pararet, Clemens eundem Andronicum Schiſmaticorum, & Hæreticorum fautorem in excommunicationem incidiſſe, pronuntiauit. *Ad certitudinem præſentium ..... Andronicum, &c. Dat. Pictau. iij. non. Iunij, ann. 2.* Anno 5. Id. Septemb. Raymundum Guillermi Dominum de Rudo inſtituit Rectorem Comitatus Veneſini, ſeu Venayſini, *Et ſi debito exigente Paſtor. Dat. in Prioratu de Grauzello, prope Malauſenam Vaſionen. Diœceſ.* Gregorius X temporale regimen totius terræ Venayſini commiſit Priori Prioratus Hoſpitalis Hieruſalem de S. Aegidio; ea autem recens ad Eccleſiæ Romanæ immediatum dominium peruenerat. Litteras Lugd. v. Kalend. Maij, Pontific. eius anno 3. datas de hac re ſubijcio.

I. [illegible] Baon [illegible]

GREGORIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI,
Dilecto filio ..... Priori Prioratus Hoſpitalis Hieruſalem
de S. Aegidio ſalutem, & Apoſtolic. benedictionem.

B *Vniuerſum Eccleſiæ Romanæ dominium humiliter eos, & diſpoſitiuè ſuauiter affectantes de Terra Venayſini, quæ eſt eiuſdem Eccleſiæ ſpecialis, eo circumſpectiorem curam gerimus, quo ipſa nouiter ad illius immediatum educta dominium eius debet foueri manſuetudine, & moderamine communiri, vt in prærogatiua regiminis Apoſtolici ſui ſtatus conſeruationem agnoſcat, & noua lætitia priuilegio delectetur. Quoniam igitur eam habemus de tua diſcretione fiduciam, vt omnia iuxta ſapientiam dirigantur, quæ Officialibus in manuum tuarum operibus diſponentur curam, cuſtodiam, adminiſtrationem, regimen, ac Iuriſdictionem prædictæ Terræ totius Venayſini quoad temporalia tuæ ſollicitudini, vſque ad Noſtrum beneplacitum præſentium auctoritate Committimus, per Apoſtolica ſcripta tibi mandantes, quatenus huiuſmodi adminiſtrationem, regimen, iuriſdictionem, curam, & cuſtodiam tanta vigilantia proſequaris,* C *quod inde poſſis apud Deum, & homines de fideli induſtria, & fructuoſa diligentia commendari, & dignam Nobis, ac ſupradictæ Eccleſiæ reddere rationem. Redditus autem, & prouentus ibidem ſupradictæ Eccleſiæ debitos Noſtro, & eiuſdem Eccleſiæ nomine integrè colligas, & fideliter cuſtodias ac conſerues, faciens eiuſdem nomine præſtare fidelitatis debitæ incrementum ab illis, qui olim ea Noſtris ad hoc Nuntijs minimè præſtiterunt: Contradictores diſtrictione, quæ conuenit, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Datum Lugduni v. kal. Maij Pontificatus noſtri anno tertio. Et ego Baſſus filius q. D. Roberti Apoſtolica auctoritate, & nunc Camerarij eiuſdem Notarius, quia his prædictis interfui rogatus ea ſcripſi, & publicaui.*

IN DEI NOMINE AMEN.

D *Anno Domini 1274. kalendis Iunij Indictione ſecunda, Pontificatus autem D. Gregorij Papæ Decimi anno tertio. Cum Sanctiſſimus Pater Dominus Gregorius Papa Decimus, curam, & cuſtodiam Ciuitatum, Caſtrorum, munitionum, Villarum, & hominum Terræ Venayſini, ac iuriſdictionum, & iurium eorundem Diſcreto viro religioſo fratri Guillermo de Villareto Priori Domus S. Aegidij ord. S. Ioan. Hieruſalem duxerit committendam ſicut in eiſdem Domini Papæ litteris plenius continetur, quarum tenor ſuperius adnotatur, idem Prior curam, & cuſtodiam ſuſcipiendæ prædictam promiſit Ven. Viro D. Guilielmo de ſancto Laurentio Domini Papæ Camerario recipienti vice, & nomine prædicti D. Papæ, & Eccleſiæ Romanæ Ciuitates, Caſtra, munitiones, & Villas cum omnibus hominibus, Vaſſallis, pertinentijs, iuriſdictionibus, & iuribus ad ipſam, & Terram Venayſini ſpectantibus ad honorem, commodum, exaltationem, opus & nomen ipſius D. Papæ, & Eccleſiæ Romanæ fideliter ſeruire, dirigere, regere, & cuſtodire vſque* E *ad ipſius Domini Papæ, & Romanæ Eccleſiæ beneplacitum, & mandatum; & quod quemlibet ipſius Terræ Venayſini in ſua iuſtitia confirmabit, & ſeruari curabit, & vnicuique de Terra ipſa, & iuriſdictione ipſius ius ſuum reddet, & reddi faciet per ſe, & Officiales, quos ibidem duxerit ordinandos; & quod prædictas Ciuitates, Caſtra, munitiones, Villas, iura, & iuriſdictiones prædictæ Terræ Venayſini ad mandatum, & requiſitionem Domini Papæ, & Eccleſiæ Romanæ ipſi Domino Papæ, & Eccleſiæ Romanæ, cum integritate debita reſignabit fideliter, & reſtituet libera, & quieta; Conuentum eſt autem, ſtatutum, & ordinatum inter ipſum Dominum Camerarium nomine Domini Papæ, & Romanæ Eccleſiæ, & Priorem eundem nomine ſuo, quod dicta Terra Venayſini cum prædictis Ciuitatibus Caſtris, Villis, munitionibus, Vaſſallis, & hominibus, iuribus, pertinentijs, iuriſdictionibus ſuis ſeruetur, dirigatur, gu-* F *bernetur, regatur, & cuſtodiatur ſub prouidentia, cura, & regimine dicti Prioris de redditibus, Terræ prædictæ, & de ſalario inſuper ipſius Terræ, & Officialium aliorum prout conuentum eſſe dignoſcitur, ac de expenſis ipſi Priori conceſſis pro tempore ſui regiminis de prædictis prouentibus, & redditibus vſque ad quindecim ſolidos Turonenſis pro quolibet die plenaria ſatisfiat. Quidquid autem ad manus ipſius Prioris, vel Officialium, ſeu Baliuorum, aut cuiuſcumque perſonæ de redditibus, prouentibus, & iuribus quibuſcumque peruenerit quoquomodo deductis prædictis ſalario, & expenſis prædicto D. Papæ, & eius Cameræ, vel alteri, cui hoc idem Dominus Papa, vel eius Camerarius commiſerit, prædictus Prior* A *reſignabit, reſtituet, & reſignari, & reſtitui fideliter, & integrè faciet ad eiuſdem D. Papæ, & Romanæ Eccleſiæ beneplacitum, & mandatum, ac de omnibus, & ſingulis prouentibus, & redditibus ſupradictis D. Papæ, vel eius Camerario, vel cui alteri ipſorum commiſerit diligentem, & exactam reddet plenariam rationem. Actum Lugduni in camera dicti D. Camerarij, præſentibus Moniano Caldarario Canduſino Ferrunerſis, ciuibus Placentinis, Guidoctio de Varſio Clerico Mantuano de Marina, & Madeſſo ciue Mediolanenſis familiaribus dicti D. Camerarij ad hoc vocatis, & rogatis teſtibus.*

Cum autem audis, Clementem Papalem, ſeu Pontificiam Sedem (Romanam Curiam quidam dicunt) Roma Aueniionem tranſtuliſſe; caue, intelligas, deſeruiſſe illum Romanum Pontificatum, aut Aueniionenſem Epiſcopatum delegiſſe: id enim dici non poteſt: quocumque pergat Romanæ Eccleſiæ Præſes, D. Petri ſucceſſor, Ec- B cleſiæ ſuæ titulum, & habenas tenet. Sedes tranſlata dicitur; quia Aueniione degens Pontifex Cæleſti pollebat poteſtate; qua D. Petrus Romæ viuens inſtructus erat, Aueniione Romanus Epiſcopus erat, Romana ſedebat in Cathedra, vniuerſumque Chriſtianum orbem moderabatur. In Eccleſia Romana Apoſtolicæ Cathedræ Principatum ſemper viguiſſe, ſcribit S. Aug. Epiſt. 162. eam matricem, radicèmque totius Eccleſiæ Catholicæ S. Cyprianus lib. 4. Epiſt. 8. alij caput, matrem, & magiſtram omnium Eccleſiarum nuncupa- runt. Et Cardin. Bellar. Petri Cathedram à Romana Vrbe ſeparari nunquam poſſe, probabiliſſimè exiſtimauit. l. 4. c. 4. de Rom. Pōt.

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI
SOCIETATIS IESV.

C CLEMENS huius nominis V. antea Bertrandus de Gouth dictus, non Raymundus, vt eum nuncupat Ioannes Villanius, nō à 20. vt ſcripſerat Ciaconius, neque à 21. vt referunt alij, ſed à 19. Cardinalibus, qui Electioni Clementis aſſuerunt, vt ex Panuinio, & ex ipſo Cardinalium Decreto conſtat, nonis, ſeu quarto nonas Iulij, ſeu ex Contelorio die v. Iunij anno 1305. renunciatus eſt Romanus Pontifex. Cardinalium Decretum de Clementis Electione ad ornandam Hiſtoriam in lucem edidere Arnaldus Epiſcopus Valatenſis, & ex m.s. Bibliothecæ Vaticanæ Odericus Raynaldus in Annalibus Eccleſiaſticis, & eſt tale.

Eligitur ſummus Pontifex.

In Electio. Cardin.

Cardinalium Decretum.

SANCTISSIMO PATRI, ET DD. BERTRANDO ARCHIEPISCOPO
Burdegalenſi diuina prouidentia in ſummum Pontificem electo, miſeratione diuina Ioannes Tuſculanus .... Ciuitatis Papalis, & .... Epiſcopi, & Presbyteri, & .... Diaconi Cardinales, pedum oſcula beatorum.

D *Recordatus eſt Dominus miſericordiæ ſuæ, & plebem ſuam non deſpexit in finem; quia dum prolixa vacationis Romana, & percunctationis quodammodo vniuerſalis Eccleſia reſpexiſſet incommoda, & longa illius ex varijs cauſis ſuſpiria cognouiſſet, in tempore accepto exaudiuit eam, & in die ſalutis miſertus eſt eius. Sanauit quidem, quia commota erat, contritiones ipſius, & vidua, per Electionem canonicam generoſo ſponſo oblata eſt: ſpecioſa facta, & ſicut crapulatus à vino, & à ſomno dormiens excitata ſurrexit, & vbi deſperabat magis, vt lucifer eſt exorta. Vnde ſerenus dies illuxit robis, & ſancti Spiritus illuſtratis ardore populis, qui orbati patre gradiebantur in tenebris, tanquam quoddam ſidus apparuit, quod fulgore proprio velut ſtella matutina coruſcans, cunctos fideles irradiat ſui luminis claritatis. Dudum ſiquidem eadem Romana Eccleſia per mortem ſanctæ mem. D. Benedicti PP. XI. Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos Theodoricus Ciuitatis Papalis, Leonardus Al-* E *banenſis, Petrus Sabinenſis, Frater Ioannes Portuenſis, Nicolaus Oſtienſis, & Velletrenſis Epiſcopi; Ioannes SS. Marcellini, & Petri, Robertus S. Pudentianæ, Gentilis S. Martini in Montibus, Neapoleo S. Hadriani, Landulphus S. Angeli, Guilielmus S. Nicolai in Carcere Tulliano, Franciſcus S. Luciæ in Silice, Iacobus S. Georgij ad Velum aureum, Franciſcus S. Mariæ in Coſmedin, & Lucas S. Mariæ in via Lata Diaconi Cardinales; vna cum Venerabilibus Patribus Ioanne Tuſculano Epiſcopo; Matthæo ſanctæ Mariæ in Porticu, & Richardo S. Euſtachij Diaconis Cardinalibus apud Peruſium fuimus pro ſubſtituendo Pontifice, Conclaue Palatij, in quo idem Dominus Benedictus mortis ſuæ tempore morabatur, ingreſſi, & tandem dictis Tuſculan. .... Epiſcopis, nec non Matthæo, & Richardo Diaconis, nec non Fratre Vualtero S. R. E. Presbytero Cardinali, qui abſens poſtmodum ſuperuenit, & prædictum intrauit Conclaue, ex manifeſtis infirmitatum cauſis, vt aſſe-* F *rebant, idem Conclaue egreſſis, & tunc extra illud morantibus certis, ex Nobis votorum Noſtrorum ſcrutatoribus, inquiſitoribus, voluntatem eorum ſcrutatorum electis, per viam ſcrutinij ad Electionem de Vobis hac die Sabbati in Vigilia Pentecoſtes proceſſimus in hunc modum. Quia primo per deputatos ad id inquiſitores ſcrutatorum ipſorum, & demum per ipſos ſcrutatores ſingulorum Noſtrorum votis inquiſitis ſecreto, & mox in commune etiam publicatis, compertum extitit, quod in vniuerſo eramus 25. Cardinales in Conclaui manentes.* Cum autem ſupra decem, & nouem tantum nomina expreſſa ſint, errorem irrepſiſſe in deſcribēdo Decreto, &

amanuen-

amanuenſis imprudentia loco 19. 25. ſcriptum iudico. *Et qui depuraueramus in ſcrutinio vota Noſtra; quodque Nos Albanenſis, Sabinenſis, Portuenſis, & Oſtienſis Epiſcopi, Ioannes, Frater B.... Lucas, Guillelmus, & ...... Gaytani Diaconi Cardinales prædicti, Vos in eodem ſcrutinio in Summum nominaueramus, & elegeramus Pontificem, quo comperto, Nos Theodoricus Ciuitatis Papalis Epiſcopus, Fr. Gentilis Presbyter, Franciſcus, Iacobus, & Lucas Diaconi Cardinales prædicti acceſſimus iuxta morem, ac ſubſequenter de voluntate, & ſpeciali mandato Noſtro. Venerabilis Pater Franciſcus Gaytanus ſuo nomine, & omnium Noſtrorum forma ſubſcripta Vos elegit, nominauit in Romanum Pontificem, & Paſtorem, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ad honorem Dei, & B. Mariæ matris eius. Ego Franciſcus S. Mariæ in Coſmedin Diaconus Cardinalis, Venerabilem Patrem Dominum Bertrandum Archiepiſcopum Burdegalenſem nomine meo, & omnium, qui eum in Summum Pontificem elegerunt, & nominauerunt, conſenſerunt, & acceſſerunt, eligo in Summum Pontificem; quam Electionem Cantico diuinæ laudis præcantato fecimus iuxta morem Clero, & Populo ſolemniter publicari. Piiſſime Pater electioni huiuſmodi Veſtrum dignemini præſtare conſenſum. In prædictorum autem teſtimonium irrefragabilem fidem, ac in præſentis Decreti ſcripturam rediqi fecimus, & Noſtrorum, nec nō dictorum Tuſculani Epiſcopi, Fr. Gentilis S.R.E. Presbyteri, Matthæi S. Mariæ in Porticu, & Richardi S. Euſtachij Diaconorum Cardinalium ſigillis, & ſubſcriptionibus communiri. Datum, & Actum Peruſij anno Domini 1305. non. Iul. Indict. 3. Ego Ioannes Tuſculanus Epiſcopus electioni factæ de Venerabili Patre Domino Bertrando Archiepiſcopo Burdegalenſi in Summum Pontificem conſentio, & eam approbo, atque gratam habeo, & acceptam, ipſumque licet abſentem in Summum Pontificem recipio, & recepi, nec non ſigillum meum huic Decreto appoſui, & ſubſcripſi.*

Oder. Raynald. in eo Annal. Eccleſiaſt.

Cardinales ad Clementem ſcribunt Legati ad Clementē.

Addidere huic Decreto Cardinales alias litteras, ad quas Pontifici deſignato Burdegalam perferendas Oratores legarunt: quas litteras legere quis poterit apud Odericum Raynaldum. Perfuncti ſunt eo munere Guido Abbas Belliloci, Petrus Narbonenſis Eccleſiæ ſanctioris ærarij Præfectus, atque Andreas Canonicus Catalaunenſis. Litteris illis Cardinales enixè petebant, vt Clementis IV. & Gregorij X. exemplo, qui ſanctitate emicuere, quorum alter ex Syriaca peregrinatione, alter ex Anglicana legatione accepto Nuncio electionis ad Cardinales ipſos magnis itineribus ſe contulerant, Burdegala Peruſium accederet, ac pluribus grauiſſimis rationibus ad id hortati ſunt. Propoſuere fluctuantis Eccleſiæ pericula, omnia vbique ciuili bello ardentia, Orientem Saracenorum expoſitum vaſtitati, ac niſi Infidelium retunderentur conatus, reliqua Christiana Regna ad exitium prona, ipſius denique muneris, & gloriæ fore, vt in Romana Eccleſia ſederet.

Io. Rubeus in vita Bonifac. VIII. Sollicitus ab ijs vt in Italiam ſe conferat. Bzouius in Annal.

Iubet Cardinales ſe conferre Lugdunū.

Vbi primùm Cardinalium legationem, deque ſua electione Decretum accepit Clemens, mandauit, vt omni mora abiecta Cardinales Lugdunum, vbi Pontificali Diademate redimiri ſtatuto erat animo, ſe conferrent. Paruere Clementi, licet inuiti Cardinales omnes exceptis duobus, qui ſenio graues iter tam longum ſuſcipere non valuerunt.

Emblema Pontificiū.

Accepta magno apparatu Lugduni Pontificia Tiara, Clemens pro Pontificio emblemate ſententiam hanc de more Romanorum Pontificum vſurpauit: *BENEDICAT NOS DEVS, DEVS NOSTER, BENEDICAT NOS DEVS*; vt in eius ſigillo Diplomatibus appoſito inſcripta legitur. Lugduno deinde egreſſus, non Italico itinere, ſed Burdegalæ repetendæ ſe accinxit. Cum verò Deſeſiam perueniſſet xv. Kal. Aprilis, ne Italiæ omnino oblitus videretur, præfecit Ducatui Spoletano prænobilem virum fratrem ſuum Arnaldum Garſiam Vicecomitem Leomaniæ. Burdegalam cum perueniſſet, ancipiti morbo laborans, Petrum Baſilienſem Epiſcopum, medica arte, quam olim fuerat profeſſus, excellentem, curandæ ſuæ valetudini adhibuit. Poſt receptam ſanitatem, vt gratiam reponeret, eundem Petrum è Baſilienſi ad Moguntinam ſedem tranſtulit, addita hac voce: *quia tam felix eſſet corporum curator, maximè conuenire, vt & inſignis conſtitueretur animarum Paſtor, curator, & medicus.*

Lugduno Burdegalā repetit. Io. Villaneus. S. Antoninus. Arnaldus Præfectus Ducatus Spoletani. Petrus Baſilienſis Epiſcopus Clementē curat, & Moguntinam ſedē recipit. Nicol. Aegidius, & Belloreſt. in Annal. Gall. Acta à Clemente Pictauij.

Burdegala deinde digreſſus, Pictauium ſe contulit Clemens, vbi Francorum, Nauarræ, & Siciliæ Reges, Flandriæ Comes, & Carolus Valleſiorum Dux grauiſſimis de rebus colloquium habituri ipſum conuenere. Hic Andronicum Græcorum Imperatorem anathemate perculit, Vngariæ Regnum Carolo aduerſus Ducem Bauariæ adiudicauit; Francos inter, & Anglos arctius fœdus aſtrinxit, Flandricam pacem confirmauit. Celebrandæ Synodi œcumenicæ conſilium iniit, plures Epiſcopos ad Tartaros religione Chriſtiana excolendos tranſmiſit, denique Philippum, Ludouicum, & Carolum Reges, qui ipſum adierant, ampliſſimis ſtudijs, ac beneficijs eſt complexus.

Expeditionem in Græcos promouit, & vt faciliùs Philippus Galliæ Rex bellicos ſumptus in illius apparatu profundendos toleraret, Eccleſiaſticorum vectigalium decimas in Gallijs obuēturas ad biennium ipſi attribuit, atque ad illam ſacri belli ſocietatem Venetos, ac Genuenſes ſuis litteris excitauit; imò vt Chriſtianus orbis arma ſolùm in Græcos ſtringeret, Amedeum Sabaudiæ Comitem, & Delphinum Viennenſem, mutuo implicitos bello inter ſe, conciliare ſtuduit.

Prælatos aliquos beneficijs varijs afficit.

Roberto Cantuarienſi Archiepiſcopo ſacra inunctione Angliæ Regis liniendi, exornandique diademate auctoritatem confirmauit. Raynerio de Aduocatis Epiſcopo Vercellenſi, qui in Hæreticis profligandis multam pecuniam effuderat, tria Diplomata ſcripſit, quibus poteſtatem ei fecit in viſitationibus Eccleſiarum certam pecuniæ ſummam exigendi, eumque ab omnibus penſionibus Romanæ ſedi perſolui ſolitis exemit, ac ius fecit eidem conferendi Canonicatus, Dignitates, aliaque Sacerdotia Eccleſiatū Cathedralium, Collegiatarum, & Parochialium in Vercellenſi, Nouarienſi, Aſtenſi, Hipporedienſi, Taurinenſi, ac Modoetienſi Diœceſibus. Quæ Diplomata reſcripſit in ſuo 4. tomo Italiæ ſacræ Ferdinand. Vghellius.

Oder. Raynaldus, & Bzou. in Annal.

Zelus in Præſules contumaces.

Contra Præſules dignitate, & auctoritate conſpicuos zelum magis acuere viſus eſt Clemens. In Glaſguenſem Epiſcopum, qui Romano Pontifici reſeruata, temerè ſibi arrogabat, Eccleſiaſticam ſeueritatem exercuit; & impoſuit Archiepiſcopo Eboracenſi prouinciam, vt illum ab omni Eccleſiæ adminiſtratione tam in ijs, quæ ad diuina, quàm quæ ad humana ſpectant, ſubmoueret, ac iuberet intra menſem ſedi Apoſtolicæ ſe ſiſtere, vt quæ iuſtitia ſuaſerit imperia capeſſeret. Vocauit in iudicium Robertum Cantuarienſem Archiepiſcopum perduellionis, ac pacis perturbatæ iniuſtè accuſatum; qui biennio poſt priſtinæ dignitati, ac bonis ab ipſo Clemente eſt reſtitutus. Defecerat inter ceteros ab officio Diotherus Archiepiſcopus Treuirenſis Adolphi Naſſonij olim Regis Romanorum frater, qui præter Simoniæ, dilapidationis bonorum Eccleſiæ, contemptus in ſedem Apoſtolicam crimina, Alexandrum Abbatem Monaſterij S. Matthæi in Treuirorum ſuburbanis ad Tribunal Apoſtolicum appellantem Monaſterio pepulerat, & alium intruſerat. Ob quæ demandatum eſt munus Epternacenſi, & Lucemburgenſi, Treuirenſis Diœceſis Abbatibus, ac Præpoſito Eccleſiæ Leodienſis, vt ipſi ad dicendam cauſam apud ſedem Apoſtolicam diem indicerent. In Bartholomæum ex Comitibus Monopellij, Epiſcopum Aquilanum, varijs criminibus accuſatum litteras ſcripſit Epiſcopo Reatino, & Abbati Monaſterij S. Praxedis de Vrbe, quibus mandauit, vt de Epiſcopi vita, ac moribus inquirerent. Has litteras, quæ Clementis ſtudium in Religionem Chriſtianam mirificè exprimunt, reſcripſit in ſuo 1. tom. Italiæ ſacræ Ferdinandus Vghellus.

S. Bertrandi reliquiarum tranſlatio.

Ex ſingulari in S. Bertrandum Conuenarum Epiſcopum, cuius nomen antea gerebat Clemens, atque in ſede ſucceſſor extiterat, pietatis ſtudio ſacrarum Reliquiarum ipſius tranſlationem ingenti populorum concurſu celebrauit. Rei geſtæ ſeriem Bernardus accuratiſſimus ſcriptor deſcripſit his verbis. *Recedens de Toloſa*, de Clemente loquitur, *declinauit ad ſedem S. Bertrandi Confeſſoris, Diœceſis, quæ dicitur Conuenarum, vbi in feſto B. Marcelli Papæ, ſcilicet xvij. kalend. Februarij corpus ſacrum S. Bertrandi Epiſcopi Confeſſoris, cuius ipſe fuit conſors in nomine, & ſucceſſor in ſede, de loco, in quo prius erat, in capſam tranſtulit pretioſam, quam ad hoc idem Papa Clemens prius fecerat ſuis ſumptibus fabricari: magnamque quoque conceſſit indulgentiam viſitantibus ibidem ſacri Confeſſoris Reliquias annuatim.*

Diploma Vrbani IV. de feſto SS. Sacramenti renouat. Inſcriptio Vaticana.

Ad Hæreticorum hæreſes diſſipandos, tum ad obſoleſcentem ſenſim fidelium pietatem excitandam, Vrban. IV. litteras de ſeruanda, ac magna inſtruenda pompa feſti Corporis Domini feria quinta ab Octaua Pentecoſtes recurrente celebritate Diploma renouauit, ac ſuis inſeruit litteris. Ne igitur huiuſce, aliarumque rerum à Clemente geſtarum periret memoria, in Vaticana Bibliotheca hæc appoſita inſcriptio.

Muſæū Pictū in Biblioc. Vat.

CLEMENTE V. PONTIFICE CLEMENTINARVM
DECRETALIVM CONSTITVTIONVM CODEX
PROMVLGATVR
PROCESSIO SOLEMNITATIS CORPORIS
DOMINI INSTITVITVR
HEBRAICÆ, CHALDAICÆ, ARABICÆ, ET GRÆCÆ
LINGVARVM STVDIVM
PROPAGANDÆ FIDEI ERGO
IN NOBILISSIMIS QVATVOR EVROPÆ ACADEMIIS
INSTITVITVR.

Singulari quoque amore proſequutus eſt Clemens Religioſorum familias. Silentium indixit litigio tamdiu agitato inter Religioſos Equites laicos, & Sacerdotes ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, de ſupremo magiſtratu dicti ordinis. Olim Bonifatius VIII. Romanus Pontifex Fr. Gentili de Montefloris Presbytero Cardinali SS. Silueſtri, & Martini primò, mox Guilelmo Arcuſati Presbytero item Cardinali S. Pudentianæ curam demandarat videndi, quænam partium æquam cauſam haberet. poſt Bonifacij obitum, Clemens Diplomate edito anno 1308. ij. Idus Februarij cauſam Sacerdotibus adiudicauit; confirmauit tamen Arnaldum Roſſinol ab Equitibus laicis paulo ante electum in Miniſtrum generalem ordinis, deinde mandauit poſt Arnaldi obitum, ſemper ſu

turis temporibus, vt ex Clericorum, ſeu Sacerdotum numero aſſumeretur vnus, qui religioſam familiã illam regeret, ac adminiſtraret.

Scripſit Clemens Sermones ad populum habitos.

Epiſtolarum librum vnum.

Clemẽtina ſcr. pu... Ludou. Iacob. à S. Carol. in Bibliotheca Pontificia.

Conſtitutionum, vulgo Clementinarum, vel librum Septimum Decretalium in Concilio Viennenſi ordinatum, quem poſtea Ioannes XXI. dictus XXII. eius ſucceſſor diuulgauit, & Pariſijs anno 1517. cum Commentarijs Guillelmi de Lauduno editus eſt.

Regiſtri eius volumina nouem in Bibliotheca Vatic. aſſeruantur.

Quædam eius Epiſtolæ leguntur tom. 7. Conciliorum cum Notis Binij in Concilio ſuo generali Viennenſi; illarum aliquas reſcripſit in ſuis Annalibus Eccleſiaſticis Odericus Raynaldus.

Extant in Parnaſſo Mariano Duaci per Bellerum excuſſo anno 1624. Hymni ſacri Officij de compaſſione B. Mariæ Virginis ex hortulo animæ deprompti, auctore Clemente Romano Pontifice huius nominis Quinto, teſte Hippolyto Marraccio in Pontificibus Marianis.

Conſtitutiones promulgat.

Cum Auenione, Montilios colligendæ, vt videtur, purioris auræ gratia, quippe grauiori valetudine afficiebatur, reuerſus eſſet, Conſtitutiones in ſacra Viennenſi Synodo editas, ac nonnullas alias additas in Conſiſtorio publico promulgauit, quam rem xij. Kal. Aprilis anni 1314. geſtam conſignat Annalibus Bernardus. At cum morbus ingraueſceret, cumque ſe aduerſa valetudine conflictarum ſentiret, ad captandum natiuum aerem, ac repetendam Burdegalam itineri ſe accinxit, ſed patriam videre non licuit; nam apud rupem Mauram extremum diem clauſit, vt dictum eſt ſupra, & ſepultus in Templo Deiparæ ſacro, quod ipſe Virgini erexerat; cum ſediſſet annos octo, menſes decem, dies ſexdecim, vel ex Platina, & Bernardo dies quindecim, aut ex Genebrardo decem, ſeu ex Sandero menſes tantum decem ſupra annos octo. Direptus tunc fuit Pontificius Theſaurus à multis, qui velut in expoſitam prædam irruerunt, ſed hi poſtea à Ioanne ſucceſſore in ius vocati ſunt.

Sedes, & Obitus. Hip. Marracc. in ea Pont. Marian.

Vitia aliqua Clementi iniuſtè tribuuntur.

Non audiendus Villanus, & alij, qui Clementem Simoniæ amantem venalia omnia habuiſſe, libidini quoque deditum, & vnicè dilexiſſe mu[l]ierem pulchritudinis feminam Comitem Petragoricorum, nonnullaq; prorſus indigna ſcripſere, vt de quæſito à quodam artis Magicæ perito defuncti eiuſdem nepotis animæ ſtatu, ac loco inferni, in quem erat detruſus nepos, alioque palatio flammarum globis cincto, quod ipſi Clementi pararetur, oſtentato. Quæ omnia conficta ſunt à maledicis cum ob tranſlatam in Gallias ſedem, & extinctos Templarios, plurium odia incurriſſet. Nec audiendus Dantes Poeta Hetruſcus, cui mordere quoque inſignes viros mihar triumphi fuit, & vt Poëtæ, in infernum illum ſuum fictitium quoslibuit, trudere licuit. Quid enim magis abhorrens, atque alienum ab eo Pontifice eſt, quàm ſceleratam cum Mago, & Dæmone pactionem impingere, cuius geſta ſi ſpectentur, religione, zelo, fideique amplificandæ ſtudio magnis æquandum Pontificibus comperies? Huius tantæ rei teſtes Viennenſis Synodus Oecumenica: impietas ab eo flamma, ferroque conſtantiſſimè exagitata; excitati tones ab eo in Sarracenos, & Schiſmaticos Principes; compoſita tot egregijs Conſtitutionibus Apoſtolicis res Eccleſiaſtica, Rhodus eius ſtudio Chriſtiano adiuncta Imperio; ac reſpublica Chriſtiana in eum adducta per ipſum, ſtatum, vt niſi eundem mors orbi tam citò eripuiſſet, Religionem Catholicam in Oriente propagarum iri ſpes magna affulgeret. Sedis tranſlatio poteſt iure obijci; ſed expeditionis contra Sarracenos pro recuperanda Syria deſiderium, Viennenſis Concilij moræ, ac deinde Italici motus in cauſa fuere. Certè indigna illa, & impia in Clementem commenta videtur abundè refellere ipſius ſucceſſor Ioannes XXI. dictus XXII. dum ſacram eius memoriam fuiſſe apud ſe teſtatur his verbis: *Sanctæ recordationis Clemente V. Prædeceſſore Nostro de præſentis vitæ mœroribus ad cæleſtem patriam euocato.* Neque enim ſanctæ recordationis Pontificem vocaſſet, ſi ita auaritia, libidine, ſimonia, alijſque vitijs contaminatus fuiſſet.

Deponit Gualterum Epiſcopũ Pictauienſem. Algens. in Arbor. Epigr. ord. Minor. Caſſan. in Cat. Glor. Mundi. Cornel. à Lapid. in Hieremi. I. Nicol. Aegid. in Annalibus Gallic. Artur. à Monaſt. in Martyrol. Franciſc. Luc. Vuadingus in Annal. Minorum. Molan. in Nat. Belg. Io. Riuenel in Comp.

Damnant alij, ſine animi liuore tamen Clementem, quia Præſulatu deiecit Gualterium Epiſcopum Pictauienſem, ordinis Minorum Alumnum, & ad clauſtra, è quibus olim vi extructus fuerat, illum reduxit. Inter ſe iudicio contenderant, quando illorum vnus Pictauienſi, alter Burdegalenſi præerat Eccleſiæ. Morti proximus Gualterus ſchedulam ſcripſit, qua Deum appellabat, atque ad illius Tribunal Clementem ipſum prouocabat: cum hęc ſchedula, quam dextera concludebat, è vita exceſſit Gualterius, & ſepulturæ mandatus: quid inde euenerit, narrat S. Antoninus his verbis. *Cum autem poſt duos annos, vel circa, Papa Clemens cum ſua Curia veniſſet Pictauium, & ibi moram traheret, audito quòd frater Gualterius cum cedula in manu clauſa ſuam appellationem continente ſepultus fuiſſet, voluit hoc videre; vnde mandauit eum exhumari, & illam cedulam ſibi afferri. Mira res! manus eius aperiri non potuit, & cedula haberi niſi facta prius promiſſione, quod ſibi poſtea reſtitueretur. Quo facto ſtatim aperiri permiſit manum, & cedulam ſumi, quam cum Papa legiſſet, miratus eſt, & reddi eam illi defuncto iuſſit.* Schedulæ ſumma hęc erat, ex Bartholomæo Piſano: *frater Gualterus, cui Epiſcopatus abrogatus eſt, in iudicium talis depoſitionis auctorem vocat.* addunt alij, ſtatuta in ſchedula die Clementem ex hac vita emigraſſe.

Præter Viennenſe, de quo ſupra, habita etiam ſunt ſedente Clemente in Petri Cathedra alia Concilia, nempe Colonienſe anno noſtræ ſalutis 1306. ab Henrico Colonienſi Archiepiſcopo celebratum contra Beguardos, qui fallaci Religionis ſpecie ſcelera omnia exercebant, Apoſtolorum nomen ſibi arrogantes, vt eo fuco ſimplicibus illuderent.

Anno verò 1310. coacta eſt Synodus prima, & anno ſequenti 1311. ſecunda Salisburgenſis à Conrado Archiepiſcopo ad Eccleſiaſticorum mores corrigendos.

Concilium Salisburgẽſe.

Anno eodem 1310. Petrus Moguntinus Archiepiſcopus Concilium habuit cum ſuis Suffraganeis iuſſu Romani Pontificis, in quo Templariorum cauſa agitata.

Cõcilium Moguntinum.

Demum anno 1311. per Raynaldum Archiepiſcopum celebratum eſt Concilium Rauennatenſe ad reſtaurandam Eccleſiaſticam diſciplinam.

Rauennatenſe.

Sub Clemente V. ad immortalitatem euolarunt anno 1306. S. Nicolaus Tolentinas, cuius vitæ exordia, & exitus miraculis claruere. Anno 1308. B. Clara Abbatiſſa Monaſterij S. Crucis oppidi Montisfalconis, multis poſt mortem præcipuè miraculis illuſtris. Et anno 1311. B. Nicolaus Eremita Neapoli in Eccleſia, cui ornandæ dabat operam, noctu occiſus à nefario homine, qui ex illo loco nunquam aufugere potuit, quamuis a nullo mortalium detineretur.

Obitus S. Nicolai Tolentinatis. B. Claræ Abbatiſſæ, & B. Nicolai Eremitæ.

PRIMA CREATIO CARDINALIVM Clementis Papa V.

Anno a partu Virginis 1305. *Pontificatus I.* Sabbato quatuor Temporum Aduentus Domini, hoc eſt ex Contelorio die 15. Decembris, Lugduni Clemens V. Romanus Pontifex primò creauit Cardinales, qui fuerunt.

Iacobus Columna, & Petrus Columna Romani, Diaconi Cardinales à Bonifacio VIII. priuati, & à Clemente V. reſtituti.

I.



Ciaconius. Panuinius. Bernardus Guido. Aubery in vita.

PETRVS de Taillefer Dominus Capellæ, Lemouicenſis Diœceſis, filius Guidonis Domini quoque Capellæ, qui vitam ad centeſimũ vigeſimum produxit annum, ex Carcaſſonenſi ſede mense Februario anno 1298. Epiſcopus Toloſanus electus eſt, vt patet ex Tabulis publicis Archiuij Collegij ſancti Martialis Toloſæ, in quibus hæc legimus. *Actum fuit hoc 14. die introitus menſ. Februarij regnante Philippo Rege Francorum, & Domino Petro de Capella Epiſcopo Toloſano anno ab Incarnatione Domini* 1298. Bernardus Guidonis illius temporis auctor eadem refert, eadem & Guillelmus Catellus Senator Toloſanus in memorijs hiſtoriæ Occitaniæ. Ex Epiſcopo Toloſano Clemens V. anno 1305. illum Presbyterum Cardinalem S. Vitalis ſublegit aſſignato titulo Veſtinæ, a quo illum extulit anno ſequenti ad Epiſcopatum Præneſtinum. Auunculus fuit iſte Petrus Rogerij le Fort Bituricẽſis Archiepiſcopi, qui vitæ ſanctitate clarus extitit, ac Beatus cenſetur. Hallucinantur qui cum Petro Arrablaio Franciæ Cancellario, quem Ioannes XXI. dictus XXII. ad Cardinalatum euexit, eum miſcent. Hic inter alios Cardinales mandato Clementis V. anno reparatæ ſalutis 1307. Pictauis Templariorum Equitum depoſitiones, ſeu confeſſiones audijt, & iuſſit in acta migrare. Et quia illorum cuſtodia ipſi demandata fuerat, eos in Viennenſi Concilio iuſſus eſt exhibere, vt liquet ex Diplomate Pontificio, & eius Epiſtola data anno 1308

Ioſeph Maria Suareſ. in Præneſt. Antiqua. Pet. Frizon. in Gallia Purpur. Steph. Baluze in Ad... Vghel. in Addit. ad Ciac. & in Italia ſacra. And. Victor. in Addit. ad Ciacon. Odericus Raynald. in Annal. Eccleſiaſt.

Subſcripſit Petrus hic Præneſtinus Epiſcopus Clementis V. Diplomati, ſeu Conſtitutioni editæ Pictauis xiij. Kal. Auguſti Pontificatus anno 2. qua Clemens promulgauit ſedem Apoſtolicam ad ſuſtinenda bella in Siculos, nullo modo teneri pecuniam Eccleſiæ effundere, neque ad defendenda ſua iura ſiduciaria officio vllo deuinciri, vt Carolus II. Arelatenſis Archiepiſcopi Oratoris opera a Pontifice, & à Cardinalium cœtu depoſcebat. Cum grauis exorta eſſet controuerſia in ordine fratrum Minorum circa votum Paupertatis, Clemens illam penitus Cardinalibus nonnullis omni ex parte perſuſit, & Iudicem præcipuum conſtituit Petrum de Capella Epiſcopum Præneſtinum, qui ob valetudinem aduerſam ab incepto opere receſſit, & prouinciam illam, Pontificis iuſſu Berengario Fredcole Presbytero Cardinali SS. Nerei, & Achillei tradidit.

Luc. Vuadingus in Annal. Minorum.

Extremum diem obijt Petrus Auenione die 16. ſeu 20. Maij, ſeu menſe Iunij anno 1312. Capellæ in Diœceſi Lemouicenſi ſepultus, vt conſtabit ex Bernardo Guidone, cuius verba mox proferam. Petrus Frizonius in Gallia Purpurata non anno 1312 ſed 1316. Petrum vitam cum morte commutaſſe ſcribit: contra Frizonium eſt Bernardus Guido illorum temporum ſcriptor, qui ait. *Petrus de Capella, ſic cognominatus a loco, vnde extitit oriundus, Lemouicenſis*

cenſis Diœceſis, exiſtens Cardinalis Epiſcopus Præneſtinus, obijt in Lemouicenſi Diœceſi, ſepultuſque fuit in prædicto loco ſuæ originis de Capella anno Domini 1312. menſe Iunij, Cardinalatus ſui anno ſeptimo decurrente. Eadem habet laudatus Guillelmus Catellus Senator Toloſanus: & Ioſeph Maria Suareſius Epiſcopus Vaſionenſis in antiqua Præneſte ſe vidiſſe affirmat Indicem, ſeu Inuentarium bonorum Petri bon. mem. quondam Epiſcopi Præneſtini, quæ Decano, & Capitulo Eccleſiæ nouæ beatæ Mariæ de Capella Lemouicenſis Diœceſis obuenerant; quæque in eadem Capella perquiſita, repertaq; fuerunt à Curatoribus, ſeu Commiſſarijs, Ioannis XXI. dicti XXII. iuſſu miſſis anno 1327. A

Nullum dederat huic Petro gentilitium Stemma Ciaconius, nos ex Petro Frizonio illud ſupra expreſſimus, quod gens de Taillefer Domina de Mauriac in Petragorijs habet, ſcutum ſcilicet miniatum cum brachio argenteo enſem tenente, vna item ſtellula ſeu molula echinata in ſummo, altera in imo. B

In Annal. Aurelian. In hiſtor. Aurelian. De Epiſc. Aurelian. In Gallia Chriſtian.

Errauit Petrus Frizonius ex Stephano Baluze, dum dixit Rogerium le Fort Archiepiſcopum Bituricenſem ſanctitate clarum fuiſſe auunculum huiuſce noſtri Petri de Capella Epiſcopi Præneſtini. Cum contrarium doceant auctores probatiſſimi, qui affirmant Petrum de Capella fuiſſe auunculum, non autem nepotem dicti Rogerij Archiepiſcopi, vt ſupra diximus ex Carolo Sauſſeio, Symphoriano Guion, Io: Chenutio, Iacobo Serartio, & Claudio Roberto.



II.

Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

ARNALDVS, cui Panuinius, Aubery, & Frizonius, Frangerij, ſeu Frigerij, Ciaconius Faltuerij agnomen tribuunt, natione Gallus, quem tulit Cantalupum, aliàs Sanctalupum municipium in Diœceſi Burdegalēſi, Clementis V. propinquus ex Archiepiſcopo Burdegalenſi renunciatus eſt ab eodem Clemente Presbyter Cardinalis S. Marcelli, & S. R. E. Camerarius. Subſcripſit hic Clementis Conſtitutioni, qua Arelatēſi Archiepiſcopo Caroli II. Regis Oratori reſpondebat, ſedem Apoſtolicam ad tolerandos bellorum in Siculos ſumptus nullo modo teneri, neque ad defendenda ſua fiduciaria iura officio vllo deuinciri: quam Conſtitutionem Pictauis Clemens edidit xiij. Kal. Auguſti, Pontificatus anno 2. Defunctum Arnaldum aſſerit Almaricus Biterrenſis noſtræ ſalutis anno 1310. Aubery addit illum obijſſe Auenione. C D

Panuinius

Oder. Raynaldus in Annal.

Duos Arnaldos in hac prima Cardinalium Creatione recenſet Ciaconius, & Bernardus in Chronico; alij ex ſcheda Auenionenſi, alibi laudata, vnum tantum numerant, ſed reuera duo fuerunt, membranæ enim Auenioneſes vitioſæ ſunt, & confundunt primā, & ſecundā, ac etiam tertiam Cardinalium Creationes, vt infra dicemus.

And. Victorel. in Addit. ad Ciacon.



III.

Ciaconius

Panuinius

Aubery in Vitis.

Petrus Frizon. in Gal. Purp.

BERENGARIVS Stedelli, ſeu melius Fredeole natione Gallus, patria Narbonenſis, de Caſtro Berna, Diœceſis Occitanæ, ſeu Megalonenſis, ex Abbate S. Aphrodiſij Biterrenſis, Sacelli Pontificij Sacerdos, mox Epiſcopus Biterrarum ad Orobium fluuium ſub Archipræſule Narbonenſi ordinatus eſt. Vir fuit in legum facultate verſatiſſimus; quare Bonifacius Octauus Decretales libri ſexti à Guillelmo Ebredunenſi, Berengario Epiſcopo Biterrēſi, & Richardo de Senis S. R. E. Cancellario recenſeri iuſſit, & ipſi ſcribit idem Pontifex, & formam præſcribit degradationis peragendæ in reis, & morti addicendis Sacerdotibus. Inter Presbyteros Cardinales SS. Nerei, & Achillei titulo Faſciolæ primo anno 1305. mox SS. Ioannis, & Pauli titulo Pammachij, demum inter Epiſcopos Tuſculanos à Clemente V. cooptatus, & maior Pœnitentiarius renunciatus eſt. Cartophylacium Auenionenſe, quod ſe vidiſſe fatetur Andreas Victorellus beneficio Ioſephi Mariæ Suareſij Epiſcopi Vaſionenſis rem aliter narrat, videlicet. *Anno 1312. die 23. Decembris creati fuerunt Cardinales à Clemente V. Guillelmus de Mandagoto Epiſcopus Aquenſis cum titulo Epiſcopi Præneſtini; Arnaldus Epiſcopus Pictauienſis cum titulo Epiſcopi Albanenſis; Berengarius Fredeole titulo SS. Nerei, & Achillei Presbyter Cardinalis Epiſcopus Biterrenſis; Iacobus Deuza ex Epiſcopo Aueni-* E F

Ferdinand. Vghel. to. 1 Ital. ſac. Felix Cōtel. in Elēch. Card.

nenſi Portuenſis Epiſcopus; Raymundus titulo S. Pudentianæ Presbyter Cardinalis ex Abbate ſancti Seueri; Michael titulo S. Stephani in Cælio monte Presbyter Cardinalis: ipſe frater Guillelmus titulo S. Cæciliæ Presbyter Cardinalis; frater Vitalis titulo ſancti Martini in montibus Presbyter Cardinalis. G. Teſta titulo S. Cyriaci in Thermis Presbyter Cardinalis. Hæ tamen membranæ Auenionenſes confundunt Berengarium hunc ſeniorem cum iuniori Epiſcopo Portuenſi, de quo infra. A

Iudex à Clemente conſtitutus eſt Berengarius hic ſenior in locum Petri de Capella Epiſcopi Præneſtini morbo grauati, vt præeſſet ordini Minorum, & controuerſiam de Paupertate omnino dirimeret. Hugonem Geraldi Abbatem Epiſcopum Cadurcenſem imperio Summi Pontificis Ioannis XXI. dicti XXII. anno noſtræ ſalutis 1317. omnibus Pontificalibus inſignibus exuit, quòd in cædem ipſius Pontificis conſpiraſſet. Iuris prudentiæ ſcientia inſtructiſſimus legales titulos enucleatiſſimè expoluit, & ſcripſit volumen ſuper Summam Oſtienſis ordine alphabetico, quod miſit Guillelmo de Mandagoto, ſeu de Mandagoſo Archidiacono Nemauſenſi, à quo libri de Electionibus Prælatorum nuncupatione fuerat cohoneſtatus, quod opus ex Trithemio vocauit Oculum. B

Luc. Vvadding. in Annal. Minorum. Felix Cōtel. in Elēch. Card. Ferdinand. Vghel. to. 1 Ital. ſac. Almaric. Auger. in Actis Rō. Pont. Platina in Io. XXII. Bernard. Guido in Chronic. Nomencl. Cardinal.

Librum inſuper alium edidit de Sententia excommunicationis.

Et Repertorium Iuris, quod teſte Frizonio, & Nomenclatore Cardinalium inuenitur m. s. in Bibliotheca Eccleſiæ Cameracenſis.

Mortem oppetijt Berengarius Epiſcopus Tuſculanus ex Ciaconio, Frizonio, & Aubery anno 1321. Felix tamen Contelorius in Elencho Cardinalium ſcribit ex libro Diuiſionum, Berengarium enunciari defunctum circa menſem Maij anno 1323.



IV.

Ciaconius

Aubery.

Panuinius

MAG. FR. THOMAS Ioyce, aliàs Ioſſius, natione Anglus, genere nobilis ſeſe Deo cum ſex alijs germanis fratribus deuouit in ſacra Prędicatorum familia, quorum vnus, Gualterius dictus, Archiepiſcopus Armacanus, & Hiberniæ Primas progreſſu temporis ordinatus eſt. Thomas Philoſophiæ, ac Theologiæ circulo feliciſſimè abſoluto ſub Alberti Magni diſciplina vnà cum D. Thoma Aquinate, obtentoque Magiſterio ſententias illas publicè magno applauſu in ſui ordinis Cœnobijs edocuit. Anglicanam poſtea prouinciam per ſeptennium ſumma cum prudentia, & pietate rexit, ac ſacras Odoardi Regis Anglorum confeſſiones diu audijt. C D

And. Victorel. in Addition. ad Ciacon.

Hunc, quem Ioannes Pitſeus ex Anglis ſcriptoribus virum morum grauitate, religionis integritate, vitæ innocentia, & eruditionis eminentia valde venerandum, imò planè admirandum vocat. Clemens V. anno 1305. Presbyteris Cardinalibus aſcripſit titulo S. Sabinæ, non S. Luciæ, vt Lucas Vvaddingus in Annalibus Minorum tomo 3. refert. Nam Bernardus in Chronico, & ipſemet Thomas in ſubſcriptione ſua ſe Presbyterum S. Sabinæ nominat; firmauit enim aliàs laudatam Clementis Conſtitutionem datam xiij. Kal. Auguſti anno ſecundo Pontificatus his verbis: *Ego frater Thomas tit. ſanctæ Sabinæ Presbyter Cardinalis ſubſcripſi.*

Oder. Raynald. in Annal. Eccleſiaſtic. tomo 15. Luc. Vvadding. in Annal. Minor. to. 3.

Thomæ huic Clementis iuſſu commiſſa eſt diſcutiēda Petri Ioannis Oliui doctrina contra Minorū Paupertatē, & Iudex conſtitutus in aliquibus diſceptationibus de eadē Paupertate Minorū exortis. E

Nomencl. Cardinal. Sixt. Senenſ. in Biblioth. Anton. Senenſ. in Bibl. Prædicator.

Scripſit ſuper quatuor libros Sententiarum.
Poſtillam in Pſalterium.
Sermones per Annum.
De Doctrina Scholarium.
De Conceptione beatæ Virginis.
In Geneſim Commentaria.
Super Boetium de Conſolatione.
Contra Ioannem Scotum.
De Concordantia librorum S. Thomæ Aquinatis.
Poſtillas in Prouerbia Salomonis.
In Canticum Canticorum.
In libros S. Auguſtini de Ciuitate Dei.
F Quodlibeta.
Aduerſus Iconoclaſtas.
Quæſtiones Theologicas.
De Statu Animarum poſt mortem.

Scripſiſſe etiam dicitur à Pitſeo librum vnum in Iſaiam, & alterum in Hieremiam.

Huic Thomæ ex Ferdinando Vghello varij libri adſcribuntur, quorum aliqui à D. Thoma Aquinate fuerunt compoſiti, alij verò à D. Thoma inchoati, ab iſto completi ſunt.

E vita exceſſit apud Allobroges in legatione Italiæ, ad Henricum Imperatorem Imperiali Diademate Clementis iuſſu exornandum,

die 13. Decembris anno 1310. ex Felice Contelorio, ſeu ex Ciaconio 1311. corpus eius in Angliam relatum in Cœnobio Oxonienſi Prædicatorum ſepulturæ mandatum eſt. Syxtus Lambertus ordinis Dominicani Alumnus huius Thomæ Cardinalis vitam ſcripſit, quæ primò Venetijs anno noſtræ ſalutis 1611. vnà cum euſdem Commentarijs in Pſalmos edita eſt. Raphael Volaterranus, & S. Antoninus non Thomam, ſed Thebaldum hunc vocant Cardinalem, contra ferè omnes auctores, & præcipuè contra Matthæum Vveſtmonaſterienſem ſcriptorem Anglum, qui de Cardinalium Creatione à Clemente peracta menſe Decembri anni 1305. hæc habet. *Mox ipſo die Dominico creauit alios Cardinales, ſex de Vaſconia, duos de Francia, vnum de Anglia, ſcilicet Thomam fratrem ordinis Prædicatorum, &c.* Bernardus Guidonis illius æui ſcriptor eadem prorſus refert: *Eodem anno Domini, Pontificatus quoque ſui anno primo in Aduentu Domini xviij. kal. Ianuarij in Lugduno fecit decem nouos Cardinales, inter quos fuerunt Petrus de Capella Toloſanus Epiſcopus, poſtmodum Præneſtinus; Berengarius Fredeole Biterrenſis Epiſcopus, poſtmodum Tuſculanus; Arnaldus de Cantalupo Electus Burdegalenſis; fr. Thomas Anglicus Magiſter in Theologia titulo S. Sabinæ, &c.*

V.

Felix Cõtel. in Elẽch. Card.
Ciaconius
Panuinius
Aubery in vita.
Pet. Friẓ. in Gallia Purpur.



NICOLAVS de Francauilla, ſeu Farinula nobilis Gallus, Rothomagenſis, nomen dedit ſacro ordini Prædicatorum, in eoque Theologiæ doctor eximij nominis, vt poté præclaras animi dotes conſecutus natura, gratia, exercitio, labore. In ſuæ prouinciæ Monaſterijs multorum annorum ſpatio ſacras litteras profeſſus, & officio Prioris magna cum laude multoties functus eſt. Cum itaque concionandi gratia, morum ſuauitate, prudentia, & rerum peritia inſignis haberetur, ſelectus eſt à Philippo Pulchro Galliarum Rege huius nominis IV. Conſiliarius, & à Confeſſionibus. Bonifacius VIII. Romanus Pontifex in Philippum Galliarum Regem aliquorum Aulicorum iniquitate iratus Nicolaum Romam per Ioannem Presbyterum Cardinalem ſanctorũ Ioãnis, & Pauli ſedis Apoſtolicæ Legatum ad auertendas ſuſpiciones, quas de illo conceperat Romana Curia, vocauit: hæc enim in litteris Legato datis die vltimo Aprilis, Pontificatus anno 9. legimus. *Ceterum fratri Nicolao ordinis Prædicatorum olim Confeſſori Regis eiuſdem ex parte Noſtra diſtricte præcipias, vt infra trium menſium ſpatium huiuſmodi præceptum immediatè ſequentium, quod ſibi pro peremptorio termino ſtudeas aſſignare, perſonaliter Noſtro ſe cõſpectui repræſentet, accepturus pro meritis, aut ſuam ſi poterit, innocentiam oſtenſurus, ac pariturus Noſtris beneplacitis, ac mandatis, alioquin contra eum ſpiritualiter, ac temporaliter, prout expedire viderimus, procedemus.* Quid in hac re egerit Legatus, prorſus ignoro; cum nulla ſit apud ſcriptores mentio de Thomæ itinere; in ſuſpicionem tamen verto Legatum ſuperueniente Bonifacij morte, vel alijs iuſtis de cauſis imperata non feciſſe.

Spond. in Annal.

Poſt Bonifacij obitũ, eiuſdem Philippi Regis poſtulatione à Clemente V. inter Presbyteros Cardinales titulo S. Euſebij cooptatus ſubſcriptione ſua firmauit eiuſdem Clementis Conſtitutionem datam xiij. Kalend. Auguſti anno ſecundo Pontificatus Pictauis, qua Clemens promulgauit ſedem Apoſtolicam nullo modo teneri ad tolerandos bellorum in Siculos ſumptus, neque ad defendenda ſua iura fiduciaria officio vllo deuinciri. Eidem Clementis iuſſu commiſſa eſt diſcutienda Petri Ioannis Oliui doctrina.

Luc Vvad ding. to. 3. Annal. Minorum. Nomencl. Cardinal.

Scripſit, vt notat Eiſengrenius, Sermones plurimos.

Item Rituales libros.

De illo ſic Paulus Corteſius: *Nicolaus Farinula, qui quanquam primo fuiſſet in vmbratili ludo litterator, ſic tamen poſtea dicendo eſt progreſſus, vt iure ſit habitus in principibus Theologorum. Rituales fuiſſe libros ab eo editos dicunt, qui ſcripti ſunt priſca diſciplina eadius, propterea quod nondum eſſet mos ſplendidior ſtatarum cæremoniarum natus.*

Cum Clemens ad felicem perducere exitum niteretur expeditionem Terræ Sanctæ, legauit ad Regem Galliæ Nicolaum Presbyterum Cardinalem S. Euſebij cum litteris, in quibus hæc de Legato legimus. *Ad perſonam itaque Tuam, quam dicta Regi gratam credimus, ac acceptam Noſtræ mentis oculos dirigentes, illam, cuius nobis ſunt nota virtutes, quamque in magnis, & arduis dicta ſedes diuerſis vicibus eſt experta, & de cuius operibus virtuoſis fructus vtiles proueniſſe conſpicimus, ad imponẽdum eiuſdem viuificæ Crucis ſignum Regi, filijs fratribus, Baronibus, & militibus ſupradictis; nec non & quibuſlibet alijs tam de dicto Regno, quam ad illud venientibus vndecunque ſignum recipere volentibus ſupradictum, &c.* Has litteras datas Auenione iiij. Idus Februarij anno octauo Pontificatus reſcripſit in ſuo tomo 15. Annalium Eccleſiaſticorum Odericus Raynaldus.

Oderícus Raynald. in Annal.

Interfuit Nicolaus Concilio Viennenſi, & ſuffragium tulit pro Ioanne XXI. dicto XXII. Deceſſit Lugduni menſe Ianuarij, vel Februarij anno noſtræ ſalutis 1323. Cardinalatus decimo octauo, & apud ſuos Prædicatores ſepultus.

Petr. Friẓ. in Gallia Purpur.

Nulla Nicolao Inſignia Ciaconius conceſſerat, nos cum Frizonio ſcutum eius cyaneum lilijs aureis incerto numero, coronide aurea notata, Leone emergente muricato ſupra expreſſimus.

Ciaconius
Felix Cõtel. in Elẽch. Card.

VI.



STEPHANVS ex Panuinio, & Ciaconio Pariſienſis, ex Frizonio verò, & Aubery de Suiſy, natione Gallus, Archidiaconus Burgẽſis, in Eccleſia Morinenſi affuit Conuentui Pariſienſi habito anno 1302. Hic ex Franciæ Cãcellario à Clemente Quinto Romano Pontifice renunciatus eſt Presbyter Cardinalis S. Cyriaci in Thermis; & ab eodem in criminibus Templariorum examinandis vnà cũ Berengario Cardinale SS. Nerei, & Achillei Legatus eſt in Galliam anno noſtræ ſal. 1307. qui prudentiæ, & experientiæ ipſius plurimùm deferebat, vt ipſemet Clemens teſtatur in Epiſtola ad Philippum Pulchrum Templarios accuſantem hæreſis, auerſę libidinis, contemptæ Crucis, & læſæ Maieſtatis.

Felix Cõtel. in Elẽch. Card.
Pet. Friẓ. in Gallia Purpur.

Cum verò anno 1310. atrox bellum inter Archiepiſcopũ Lugdunẽſem, & Galliarum Regem exarſiſſet de Lugduni imperio, Clemẽs imminentis belli procellam proſpiciens, vt conſuleret filijs, ad eam diſcutiendam viij. Kalend. Iulij Stephanum tituli S. Cyriaci Presbyterum, ac Landulphum S. Angeli Diaconum Cardinales Apoſtolicæ ſedis Nuncios elegit, & adhibuit ad Francorum Regem interceſſores, vt Lugdunenſes priſtinæ reſtitueret gratiæ, omnemque iniuriam Deo ac ſedi Apoſtolicæ donaret, ſummam ea in re tum a diuina Maieſtate, tum ab Eccleſia gratiam initurum. Præterea partes ijs impoſuit, vt Archiepiſcopum Lugdunenſem, Canonicorum Collegium, & Ciues ad pacem alendam, præſtanda Regi debita officia, & iniurias illatas expiandas cohortarentur. Extant Clementis litteræ datæ Auenione viij. Kal. Iulij anno 5. Pontificatus ad hos Apoſtolicæ ſedis Nuncios, quas reſcripſit in ſuis Annalibus Eccleſiaſticis Odericus Raynaldus. Manu ſua firmauit Stephanus Clementis eiuſdem Conſtitutionem pro ſede Apoſtolica editam Pictauis xiij. Kal. Auguſti, qua declarat illam nullo modo teneri arma ſtringere ad defendenda ſua iura fiduciaria.

Oder. Raynaldus in Annal. Eccleſiaſt.

Vitam cum morte commutauit ex Ciaconio, & Frizonio Auenione, ex Contelorio verò Viennæ Allobrogum menſe Decembri anno 1311. & ſepultus Lauduni in Andrio S. Ioannis ordinis Benedictinorum cum ſequenti Epitaphio.

Nomencl. Cardinal. Pet. Friẓ. in Gallia Purpur. Aubery in vita.

De Suiſy natus Stephanus iacet hic tumulatus,
Qui ſe geſſit ita viuendo, quòd Archileuita
Burgenſis pridem, mox Cancellarius idem
Aula Regalis fuit, Inde Cardiquenalis.
M. ſemel, & C. ter, V. bis, ſemel I. nece teter
Factus, deceſſit Decembri, cui requies ſit.

Ex qua Inſcriptione illorum error detegitur, qui ſcripſerunt Stephanum Archidiaconatum non Brugenſem, vt diximus ſupra, ſed Biturincenſem geſſiſſe, atque illum è vita exceſſiſſe anno 1308. Stephani Inſignia gentilitia ex Frizonio ſupra expreſſimus.

Ciaconius
Panuinius

VII.



FR. PETRVS ex Ciaconio, & Panuinio Arnoldi ſeu Arnault, ex Contelorio verò Raynaldi, natione Gallus, Prouinciæ Bearneæ, monachus, & Abbas ſanctæ Crucis Burdegalenſis ordinis Benedictini à Clemente V. Presbyteris Cardinalibus titulo S. Stephani in Cœlio monte adſcriptus, & S.R.E. Cancellarius nominatus eſt, teſte Matthæo Vveſtmonaſterienſi, qui hæc habet. *Petrum Abbatem ſanctæ Crucis iuxta Burdegalim ordinis S. Benedicti creatum ſimiliter Cardinalem, Vicecancellarium ſuum conſti-*

Aubery in vita.
Pet. Friẓ. in Gallia Purpur.

titul.

Oder. Raynald. in Annal. Eccleſiaſtic.

tius. Subſcripſit hic Clementis Conſtitutioni editæ pro Romana Eccleſia contra illos, qui aſſerebant eam teneri arma ſtringere ad ſuſtinenda ſua iura fiduciaria.

Ciaconius. Aubery. Franciſcus Boſquet. in vit. Pontificum.

Exceſſit è vita Auenione non anno Chriſti 1322. neque 1316. ſed anno 1306. vt refert Bernardus Guidonis illius æui ſcriptor fide dignus his verbis: *Petrus Arnaldi Abbas S. Crucis Burdegalenſis, cui non fuerat annus attributus in Cardinalatu, ſed obijt infra annum.*

Ciaconius nullum huic Petro Presbytero Cardinali gentilitium ſtemma conceſſerat, nos, quod ſupra exprimi curauimus, ex Frizonio deprompſimus.

VIII.

Ciaconius. Panuinius. Aubery in vita. Bernardus Guid. in hiſt. m. s. And. Victorell. in Addit. ad Ciaconium. Oder. Raynald. in Annal. Eccleſiaſtic.



GVILLELMVS Arcoſati, ſeu Arruſat, vel Ruſati, aut de Forges, natione Gallus, natus in Nouempopulania a nouem populis ſic dicta, Clementi affinitate coniunctus, ab ipſo Clemente renunciatus eſt primò Diaconus SS. Coſmæ, & Damiani, mox Presbyter Cardinalis S. Pudentianę titulo Paſtoris. Petrus Frizonius ſcribit Guillelmum hunc non à Clemente, ſed à Ioanne XXI. dicto XXII. Clementis ſucceſſore inter Presbyteros Cardinales ex Diacono cooptatum. Sed toto cœlo errat Frizonius, & illius errorem manifeſtat ipſiuſmet Guillelmi ſubſcriptio facta Conſtitutioni Clementis datæ Pictauis xiij. Kalen. Auguſti Pontificatus anno ſecundo pro ſede Apoſtolica, & eſt talis: *Ego Guillelmus tit. S. Pudentianæ Presbyter Cardinalis ſubſcripſi:* quam Conſtitutionem ex m. s. Bibliothecæ Vaticanæ retulit in ſuos Annales Odericus Raynaldus. Deinde Frizonius faciliimè erroris conuincitur ex ijs, quæ ipſemet de hoc Guillelmo notauit, nempe illum è vita exceſſiſſe ſub Clemẽte anno ſcilicet 1311. non igitur potuit ordinari Presbyter à Ioanne, qui Petri Cathedram non aſcendit niſi anno 1316. Clemens inſuper ad dirimendas nonnullas controuerſias exortas doctrina Ioannis Petri Oliui circa Paupertatem Minorum, Guillelmum cum nonnullis alijs Cardinalibus Iudicem conſtituit.

And. Querc. etan.


Luc. Vuad ding. to. 3. Annal. Minorum.

Extant huius Guillelmi Presbyteri Cardinalis litteræ ad Bononienſes datæ, quibus eos monet, vt præſtò ſint Romanæ Eccleſiæ in redhibitione Ferrariæ. Has litteras, quæ Bononiam, & eius Ciues maximis laudibus extollunt, reſcripſit in libro 16. Hiſtoriæ Bononienſis Cherubinus Ghirardaccius.

Morti Auenione ſuccubuit circiter anno 1320. ex Ciaconio, Panuinio, & alijs, ſeu potiùs ex Contelorio, & Petro Frizonio die 25. Februarij anno 1311. & ſepultus ad Minores illius Vrbis.

IX.

Ciaconius. Petr. Frizō in Gallia Purpurat. Panuinius de Rom. Pont. Aubery in vita. Cherubin. Gherard. in Hiſtor. Bonon. Paul. Iouius in elog. vir. bellic. illuſt. Bernardus Guido in Chrō. m. s.



ARNALDVS de Pelagrua, ſeu ex Paulo Iouio, de Pelagura, natione Gallus, Patria Burdegalenſis, Pontifici ſummo Clementi, teſte Frizonio, affinis, ab eodem Clemente Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Porticu anno 1305. Lugduni renunciatur; anno verò 1309. die 23. Aprilis ſedis Apoſtolicæ Legatus Auenione diſceſſit, Ferrariam recuperaturus. Nam Azone Eſtenſi Ferrariæ Principe ſine legitima prole mortuo, de nouo Principatu acris diſſenſio orta erat inter ipſius fratres, & eiuſdem filium nothum Friſcum nomine, cui, quia natus erat Venetijs, Veneti patrocinabantur. Ab his Friſcus adiutus, illius Vrbis imperium anno 1308. occupauerat, mox à Ferrarienſibus pulſus Ciuitatem amiſerat quam Veneti vi iterum occupauerant. Pontifex eam ob rem iuſta ira accenſus, ditionis enim Eccleſiaſticæ Vrbs illa erat, bellum ijs indixerat, & anathemate notatos ſacris interdixerat, & eos pro ſeruis eorum bonis vbique repertis haberi iuſſerat, quamobrem gens mercaturæ admodum dedita, in Anglia, & in Gallia maxima incommoda perpeſſa erat. Ad hos debellandos Clemens religioſam militiam, dato Crucis ſymbolo, ac propoſitis Eccleſiæ ſigna ſecuturis præmijs Indulgentiarum, quę arma in Saracenos gerentibus concedi ſolita erant indixit. Et Arnaldum de Pelagrua S. Mariæ in Porticu Diaconum Cardinalem Apoſtolicæ ſedis Legatum ſacro bello præfecit. Quem etiam ad exortos in multis ditionis Eccleſiaſticæ prouincijs, maximè Anconitana Marchia, Spoletano Ducatu, Campania, ac Maritima tumultus componendos miſit. His Cruceſignatorum exercitu coacto, initoque cum Longobardis, Bononienſibus, & Florentinis fœdere, Venetis

A insigni prælio Francolino ad Padum ſuperatis, & ſex millibus cæſis Ferrariam recepit, & ſub imperio Eccleſiaſtico conſtituit. Vt ijs ſuccinctus copijs Cardinalis Legatus Ferrariam recuperarit, ſubiectis verbis deſcribit Bernardus Guidonis in Chronico m. s. *fuit miſſus Legatus à Latere Papæ Dominus Arnaldus de Pelagrua Diaconus Cardinalis, qui in Italiam feſtinauit, & ſubſecuta eſt hominum magna ſtrages: fuitque capta, & recuperata Ferraria per Legatum in ſequenti menſe Auguſti in feſto S. Auguſtini non ſine multo effuſo ſanguine Ferrarienſium, & Venetorum in prælio iuxta Padum. Fertur autem numerus occiſorum hominum vna die 6. millia exceptis mortibus plurimorum, quæ præceſſerant, & poſtmodum ibidem, & alibi ſunt ſecuta.* Huiuſce victoriæ partem Florentinis adſcribit S. Antoninus. Quare inde in Hetruriam abiens Legatus, beneficij à Florentinis accepti in Ferraria recuperanda non immemor, eos interdicto ſoluit, quo Neapoleo Cardinalis Vrſinus Legatus ob con-

B tumaciam vinxerat. Eo tempore Clemens Robertũ Siciliæ Regem, oppidorum, & Vrbium Galliæ Ciſalpinæ, ac Romandiolæ Præfectum conſtituit, præter Bononiam, & Ferrariam, quas Vrbes Legato Pelagruæ reliquit, cui Rex ipſe pro Romana Eccleſia præſtitit clientelæ ſacramentum. Veneti pugna illa afflicti, Oratores nobiliſſimos viros Auenionem ad Pontificem miſerunt Carolũ Quirinum, & Franciſcum Dandulum, qui veniam petentes oblata ſatisfactione, à Pontifice excommunicationis vinculo ſoluti ſunt. Huic ſedis Apoſtolicæ Legato in Italia mandauit inſuper Clemens, vt Henrico Italiæ Regi venienti, in Italiæ limite occurreret, ſuamque illi in omnibus, vt officij ipſius ratio depoſcebat, operam explicaret. *Præfato,* inquit Clemens in litteris ad Legatum datis, *Rege, cum ad tuam notitiam de ſuo aduentu peruenerit, & fueris requiſitus ab eodem, vſque ad fines Italiæ lætanter occurres, cum honorificentia condig-*

C *na ſuſcipias, & pertractes, & tua præſentia gratum, & acceptabilem comitatum, prout tanti Principis decet excellentiam, & honorem, & officij tui requirit auctoritas, feruenter exhibeas, & aſſiſtas fauoribus, & auxilijs opportunis. Et nihilominus per te ipſum, & alios ſollicitè cum eodem ad ſtatum Terrarum eiuſdem Romani Regni pacificum, & tranquillum labores inſtanter, & ſtudia tua ſollicitudinis, vt eiuſdem fideles Regni dicto Regi, prout tenentur, pareant, & intendant efficaciter, interponas. Speramus enim, vt cum eodem Rege, ac tecum Domino faciente virtutem, ex Regis ipſius, ac tuis operibus fructuoſis, diſſenſionum Terrarum ipſarum ignis Veſtalis extinguatur, & eis pacis amabilis, & concordiæ deſiderata ſerenitas illuceſcat.* Arnaldus Ferrarienſi expugnationi, & Italiæ quieti intentus eo ſe onere liberauit; quare Clemens Thomam tituli S. Sabinæ Presbyterum Cardinalem ſubrogauit. Inter hæc cum erupiſſet conflata a nonnullis profligatis viris periculoſiſſima conſpiratio ad Ferrariam ab Eccleſiæ obſequio diuellendam auctore Salin-

D guerra, perducta proculdubio ad infelicem exitum fuiſſet, inquit Ioannes Villanus, niſi Arnaldus de Pelagrua Cardinalis Bononienſium ſtipatus copijs eò peruolaſſet. Studioſorum enim Eccleſiæ illius præſentia confirmati animi, & aduerſariorum debilitati; cumque is ſpecie componendæ diſcordiæ, Vrbis conſilium in Arce, cui Thedaldi nomen erat, coegiſſet, triginta ſex è præcipuis, qui facem ſeditioni ſubiecerant, comprehenſos ſuſpendio necari iuſſit, cuius ſupplicij terror cęteris frœnum iniecit. Non longo poſt tempore Legatus ex Italia diſcedens Auenionem redijt; Ferrariæ cura Regi Roberto Pontificis iuſſu commiſſa, Ciues miniſtrorum inſolentiam tolerare nequeuntes, anno 1318. eos Vrbe expulerunt, ſeque, & omnia Marchionibus Eſtenſibus dedere, ſub quorum poteſtate ea Vrbs, vſque ad Clementem VIII. permanſit. Poſt legationem à Senatu, populoque Bononienſi Bononiæ Patronus electus eſt, vt apud Clementem Pontificem illi patrocinaretur: quare à veritate aberraſ-

E ſe Pignam in ſua Hiſtoria conſtat, dum ſcripſit Arnaldum poſt legationem gratum non fuiſſe Clementi Romano Pontifici; nam Bononienſes illum in Patronum non elegiſſent apud Romanum Pontificem, in quem iratum agnouiſſent ipſum Pontificem.

Poſt vigeſimum ſecundum generale ordinis Minorũ Capitulum Barcinone habitum, à Clemente Pontifice primarij dicti ordinis patres, imò ipſe Miniſter generalis petijt, & obtinuit Arnaldum de Pelagrua Diaconum Cardinalem, vt Protectoris Franciſcanorum munere fungeretur in locum Cardinalis de Muro paulo ante demortui. Hunc Clemens libens volens Minoribus in Patronum conceſſit; qui ſtatim à Clemente litteras ad diuerſos Italiæ Præſules obtinuit, vt aliqui fratres Minores antiquæ inſtitutionis deſertores compellerentur regredi, & ſuperiorum nutui, & obedientiæ ſubijci.

Luc. Vuadding. to. 3. Annal. Minor. to. 3.

Cum verò noſſet Arnaldus Florentinos ſingulari veneratione

F beatum Barnabam Apoſtolum proſequi, illius reliquias Florentiam tranſmiſit, quas ingenti pompa à populo, non vulgari pietatis ſenſu exceptas, atque in altari principis Eccleſiæ S. Ioannis Baptiſtæ ſacro magna religione collocatas refert Ioannes Villanus.

Ad dirimenda diſſidia, quæ inter Epiſcopum, & Capitulum Cadurcenſe intercedebant, Raymundo Pauchello Epiſcopo ſuaſit, vt ſe ſe ſponte Epiſcopatu abdicaret, aſſignatis illi trecentis libris annui prouentus pro vita ſuſtentanda. In Eccleſia principe Carnotenſi ſacella duo à fundamentis erexit, vnum S. Iacobo, alterum verò S. Chriſtophoro ſacrum, illaque annuis redditibus dotauit, onere in illis Deo ſingulis diebus cœleſtem Hoſtiam immolandi.

Petr. Frizō in Gallia Purpurat.

Aubery in vita.

Inter-

Interfuit Comitijs, in quibus renunciatus eſt Romanus Pontifex Ioannes XXI. dictus XXII. ſubſcripſit Clementis Conſtitutioni editæ pro Romana Eccleſia, licet Amanuenſis in curia loco Arnaldi Ardiunus Diaconus ſanctę Marię in Porticu ſubſcriptus inueniatur apud Odericum Raynaldum tomo 15. Annalium Eccleſiaſticorum; nullus enim Ardiunus Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Porticu in Elencho Cardinalium illorum temporum reperitur.

Tandem eius anima ab humani corporis ergaſtulo ſoluta eſt noſtrę ſalutis anno ex Felice Contelorio 1321. menſe Auguſti ſub Ioanne XXI. dicto XXII. ex Ciaconio verò, Frizonio, Aubery, & alijs anno 1335. ſub Benedicto XI. dicto XII.

Felix Cōtelorius in Elencho Cardin.

Ciaconius

Panuinius de Rom. Pont.

Bernardus Guido in chrō. m. s.

Aubery in vita.

Oder Raynald. in 15 Annal. Eccleſiaſtic.

X.



RAYMVNDVS de Guto, ſeu de Goth, vel Gothus, genere Gallus, de Vilandran, vel Villadraut, ſeu Mihādraut, Diœceſis Burdegalenſis, Clementis Papæ germanus filius, Diaconus Cardinalis S. Mariæ Nouæ ab ipſo Clemente renunciatus, in Italia legationis munere cum Nicolao Oſtienſi Epiſcopo, & Berengario titulo Faſciolæ Preſbytero Cardinali functus eſt ad Henrico VII. Imperatori Francofurti electo coronam imponendam, & Frizonio teſte ad ſoluendos interdicto Florentinos. Subſcripſit Clementis Conſtitutioni datæ Pictauis xij. Kalendas Auguſti anno ſecundo Pontificatus, qui fuit noſtræ ſalutis 1307. qua Clemens promulgauit ſedem Apoſtolicam nullo pacto teneri pecuniam effundere, & arma ſtringere ad defendenda iura ſua fiduciaria, contra Arelatenſem Archiepiſcopum Caroli II. Regis Neapolitani Oratorem, qui Clementi, & Cardinalium Senatui proponebat, Romanos Pontifices, vt Siculi Regni ſupremos Dominos ad defendendum illud contra inuaſores, ac ſumptus bellicos ſuſtinendos obſtrictos eſſe.

Huiuſce Raymundi obitum in diuerſa tempora referunt ſcriptores: Ciaconius non præſcribit, ſed tantùm ſub Io: XXI. dicto XXII. obijſſe affirmat. Petrus Frizonius in Gallia Purpurata annum à Chriſto nato 1320. eius vitę terminum conſtituit: Felix Contelorius, Andreas Victorellus, & Aubery, quorum ſententiæ ex Ioanne Villano ſubſcribo, teſtantur Raymundum Auenione mortem oppetijſſe die 26. Iunij anni 1310. ſub eodem Clemente.

Ioannes Villanus libro nono, capite 58. quædam narrat de Cardinali Clementis nepote, quæ cum apud nullum alium ex antiquis ſcriptoribus me legiſſe meminerim, ſuſpicionem mouet, hiſtoriam illam procul omnino abeſſe à veritate, iuxta illud, *qui maledicit, & vituperat, plerunque fidem non capit*. Si hiſtoria hæc, mecum ipſe ratiocinationem habeo, ſpeciem aliquam veritatis præ ſe tuliſſet, haud illam tot ſcriptores illius æui alioquin malè affecti in Romanam Eccleſiam, non quidem Hæretici oculatiſſimi ſpeculatores illam prætermiſiſſent, non demum auctores, qui nihil veritati negarunt, illam neglexiſſent: ad multorum potius, quam ad vnius opinionem abeo.

SECVNDA CREATIO CARDINALIVM.

Anno à partu Virginis 1310. *Pontificatus VI.* Sabbato quatuor Temporum Aduentus, videlicet ex Panuinio xiv. ſeu ex Contelorio xv. Kalendas Ianuarij Auenione Clemens V. iterum creauit Cardinales, qui fuerunt.

Ciaconius

Panuinius

Pet. Frizo in Gallia Purpur.

Bernardus Guido in Chrō. m. s.

Aubery.

Oder Raynald. in 15 Annal. Eccleſiaſtic.

XI.



ARNALDVS Felguerius, ſeu de Falguerijs, vel de Faicerijs, ſeu Falgerijs, natione Gallus, qui ortum habuit in Caſtro Mini montis in Nouempopulonia, ſeu in Guienna prouincia, ex Archiepiſcopo Arelatenſi in ſecunda Cardinalium Creatione, anno ſcilicet 1310. inter S. R. E. Cardinales Epiſcopus Sabinenſis à Clemente cooptatus, & Sedis Apoſtolicæ ex Ciaconio Camerarius renunciatus eſt: mox Legatus in Italiam deſignatus cū Nicolao Epiſcopo Oſtienſi, alijſque tribus Cardinalibus, lis illico orta inter Sabinum, & Oſtienſem Epiſcopos de Imperatoris coronatione, quiſque illorum præferendus in hoc munere. Clemens auditis vtriuſque rationibus id munus Sabino commiſit, quem legationis principem eſſe voluit, ſolumque Legati nomine inſigniuit, vt ipſe Imperatorem coronaret. Rem ita narrat Albertinus Muſſatus his verbis: *Diſceptatione in Conſiſtorio habita, quis nam eorum ad eam dignitatem præferendus foret, allegante Oſtienſi, quod cum Papam coronare ſuum eſſet, ſic & conſequenter Imperatorem: Sabinenſis ex aduerſo diſſidebat, certum eſſe, vt Imperatorem coronationibus Sabinenſis ſemper Papæ proximior coronam exigat officioſior alijs, illic præſertim: ſicque Papa pronunciante, obtentum eſt, vt Sabinenſis illo fungatur officio, cæteriſque præſit.* Cum verò Florentini, atque alij partium Guelpharum Duces Imperialem Henrici conſecrationem perturbare molirentur, Pontifex Arnaldum Epiſcopum Sabinenſem Apoſtolicæ ſedis Legatum in Hetruria, Liguria, Inſubria, Marchia Taruiſina, ac pluribus alijs Prouincijs, quas in litteris ad eumdem datis deſignat, ad componendos Italiæ motus nominauit; hæ enim ſunt Clementis litteræ ad Arnaldum.

CLEMENS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI. Venerabili fratri Arnaldo Epiſcopo Sabinenſi Apoſtolicæ ſedis Legato.

Te tanquam Pacis Angelum, commiſſo tibi in Lombardia, & Tuſcia partibus, terris Eccleſiæ Romanæ ſubiectis temporali dominio, vbicunque poſitis prorſus exceptis, nec non in Marchia Taruiſina, Aquileienſi, & Gradenſi Patriarchatibus, Ianuenſi, Piſana, & Iadrenſi, Patriarchæ Gradenſi metropolitico iure ſubiectis Prouincijs, ac Sardiniæ, & Corſica Inſulis, & in illa in parte Prouinciæ Rauennatis, quæ in terra Imperij dignoſcitur conſtituta, & Placentina, ac Papienſi Ciuitatibus, & Diœceſibus plenæ legationis officio, vt euellas, & deſtruas, diſperdas, & diſſipes, ædifices & plantes in nomine Domini, prout gratia cæleſtis in ſpirabit, & tua prouidentia miniſtrabit; de Fratrum Noſtrorum conſilio deſtinamus, tibi nihilominus faciendi, & exercendi auctoritate Noſtra quæcunque ad Dei, & Apoſtolicæ Sedis honorem, cultumque diuini nominis amplicandum, ac fidelium partium earundem ſtatum proſperum, & tranquillum, obſeruantiam Eccleſiaſticæ ſanctionis, integritatem Eccleſiaſticæ libertatis, releuationem pauperum, animarum ſalutem, & tranquillitatem corporum pertinebunt, facultatem plenariam tribuentes, &c.

Iuſſerat Clemens Romanus Pontifex Arnaldo, & reliquis Cardinalibus, vt Romæ in Baſilica Vaticana Henricum diademate Imperiali ornarent, ſed ob tumultum in Vrbe excitatum, Henricus ad maturandam in Lateranenſi Baſilica Imperialem inunctionem ſtudia conuertit, vt refert Muſſatus his verbis. *Cæſar Cardinales, vt ſe apud Lateranum coronarent, ſollicitauit; illis aſſerentibus nefas eſſe à Papali Conſtitutione, reſcriptiſque diſcedere, litterarum contextum, moremque longæuum allegantes, replicauitque Cæſare, neceſſitatem legem tollere, cumque facti vi ſacrarum legum pellendam; per ipſum non deſtetere, ad Vrbem Papali miſſione profectum, coronam accipere; veritati, & æquitati obſequendum fore, nec dubium Papam emologaturum etiam ex poſt facto, ſi quid in habilitatis in tanti conſummatione negocij fuerit. Cardinalibus verò non aſſentientibus, Cæſar Populum Romanum, maiorum videlicet illorū, qui ſuas partes fouebant, in conſilium euocauit, has proponens facti anguſtias, quidque expediat, conſultans. Ex plebiſcito itaque obtentum eſt Cardinales Romani Populi ſuaſionibus, ac precibus coronam dare; ſin autem coercendos per Tribunos, Populumque Romanum. Reluctantibus Cardinalibus, plebs commota eſt, in illos excandeſcens, iamque furore accenſo, intra militias Cæſarem in primato affati ſunt, ſi ad Papam facti tenorem direxiſſe, reſponſumque ſperatum intra Iulias Calendas praſtolari. Velit in manſuetudine perſiſtens Maieſtatem Cæſaream Sacroſanctæ Eccleſiæ monitis, inſtitutiſque obtemperare, obſequi, ſic omnia proſperari. Circumſpectus Cæſar, remiſſo animo dictis acquieuit, contentione ſedata demiſſaque. At inter hos dies impenſis tanto exercitui deficientibus, ipſaque Regia Camera exhauſta pecunijs, contributionem Populo Romano decreuit edicto emiſſo. Plebs impatiēs ad ſcandalum iam nullis alijs auctoribus concitabatur, exinaniuitq; illius contributionis edictum, Iudæis duntaxat, qui trans, & vltra Tyberim morabantur, obtemperantibus. Dum igitur dies Vigiliæ Principis Apoſtolorum inſtaret, ſumma luce de Palatio militiarum egrediens multo cum in montem Auentinum conceſſit: poſtquam autem illuxit ſequens dies feſtum, Populo comitante, ac Principibus ſuarum partium Lateranum venit, Miſſarumque ſolemnibus peractis, proteſtantibus Cardinalibus, ſcilicet Legato, & Luca de Fliſco, non ſua ſponte, ſed Plebis, Regiſque compulſibus coactos parere, coronam auream capiti eius impoſuerunt, multis Cleri Populique applauſibus.*

Arnaldi litteræ ad Clementem, quibus certiorem illum facit de ijs, quæ in Vrbe euenerant in coronatione Henrici, extant apud Odericum Raynaldum in tomo 15. Annalium Eccleſiaſticorum, reſcriptæ ex Archiuijs Romano, Auenionenſi, & Piſano.

Cum poſt legationem Auenionem reuertiſſet, anno ſalutis 1313. ibidem deceſſit die 12. Septembris: meminit huius Arnaldi Regiſtrum Clementis, Ioannes Villanus, & Claudius Robertus, haud tamen citra errorem, cum illum dicat fato ceſſiſſe anno 1311. Ciaconius circa annum 1313. alij 1312. ſed malè. Nullum Stemma gentilitium appoſuerat Arnaldo Epiſc. Sabinenſi Ciaconius, nos quod ſuprà expreſſimus, ex Gallia Purpur. P. Frizonij deprompſimus.

Felix Cōtel. in Elēch. Card.

Ferdinād. Vghel. in Ital. ſac.

Aubery in vita.

Ciaconius

XII.



BERTRANDVS de Bordis, natione Gallus, ex Epiſcopo Albigenſi, ſeu Albienſi, ex qua Ciuitate Albigenſes Hæretici dicti, à Clemente V. Cardinalium Senatui adſcriptus, titulo ſanctorum Ioannis, & Pauli teſte Contelorio in Elencho Cardinalium, atque Oderico Raynaldo in Annalibus Eccleſiaſticis, & S. R. E. Camerarius electus eſt contra Ciaconium, ac Petrum Frizonium, qui Bertrandum Epiſcopum Cardinalem Albanenſem à Clemente renunciatum aſſirmant, ſed malè. Nam Eccleſiam Albanenſem ab anno 1300. vſque ad annum 1320. rexere Leonardus Patraſſus, & Arnoldus de Auxilijs, primus videlicet ab anno 1300. vſque ad 1311. alter ab anno 1312. vſque ad 1320. Deinde Bernardus Guidonis illius æui ſcriptor in ſuo Chronico m. s. meminit ſecundæ Cardinalium Creationis à Clemente factæ his verbis. *Anno Domini 1310. Clemens Papa Pontificatus ſui anno ſexto in Sabbato quatuor Temporum in Aduentus Domini, ſcilicet xiv. kal. Ianuarij in Auenione fecit ſecundam Ordinationē quinque Cardinalium; fueruntque tunc aſſumpti in Cardinales Arnaldus de Fleanerus Archiepiſcopus Arelatenſis in Epiſcopum Sabinenſem, Bertrandus de Bordis Epiſcopus Albienſis, & Camerarius Papæ, qui obijt infra annum ſequentis menſe Septembris; Arnaldus Nouelli Abbas Montisfrigidi, Ciſtercienſis ordinis, Vicecancellarius in Presbyteros Cardinales; Raymundus vero Guillielmi de Fargis nepos Papæ ex ſorore, Bernardus de Garuo de ſancta Liberata nepos Papæ ex conſanguinea germana in Diaconos Cardinales, qui nondum erant Subdiaconi ordinati.* Ex hac Bernardi narratione apertè videmus, Bertrandum non inter Epiſcopos, ſed inter Presbyteros Cardinales à Clemente fuiſſe cooptatum. Extremum diem clauſit Auenione, die 12. Septembris anni 1311. Nulla huiuſce Bertrandi Presbyteri Cardinalis mentio apud Panuinium, meminere tamen illius Clementis V. Regiſtra m. s. quæ ſeruantur in Bibliotheca Vaticana.

Ferdinād. Vghel. in tomo 1. Ital. ſac.

Almeric Augerius. Felix Cōtel. in Elēch. Card. Petr. Friz. in Gallia Purpurat. And. Victorell. in Addit. ad Ciacon. & Ferdināḋ Vghell. ib

XIII.



RAYMVNDVS de Fargis, Guillelmi filius, natione Gallus, patria Burdegalenſis, Clementis V. ex ſorore nepos ab eodem Clemente renunciatus eſt Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ Nouæ. Petrus Frizonius in numerum Presbyterorū Cardinalium titulo S. Pudentianæ adſcriptum Raymundū ex Scheda Auenionenſi refert; ſed contra illum faciunt Bernardus Guidonis, & Obligationum Cameræ Apoſtolicæ liber, qui illum inter Diaconos Cardinales numerant. Mortuus fertur Raymundus paulò poſt Clementis obitum, dum ſedes vacaret, nimirum die 19. Iulij anni 1314. ſeu vt alijs placet, 1315. Felix Contelorius Raymundi vitam, vſque ad annum 1345. producit. Et quidem nullus Diaconorum Cardinalium de nouo in tot Cardinalium Creationibus ſupra triginta annorum ſpatium Diaconiam S. Mariæ Nouæ obtinuit, quam meo quidem iudicio Romani Pontifices alicui contuliſſent, ſi vacantem vidiſſent.

XIV.



FR. ARNALDVS Nouelli, natione Gallus, nobilis Vaſco, monachus Ciſtercienſis, & Abbas Montisfrigidi, quæ erat Ciſtercienſium domus in Narbonenſi Diœceſi, a Principibus Narbonenſibus fundata, & larga manu dotata; vir pius, prudens, eruditus, & in omni tum diuina, tum humana Phyloſophia verſatiſſimus ab omnibus habitus eſt. Eius eloquentiam, & doctrinam admiratus Clemens V. Romanus Pōtifex præcipuo illum amore proſecutus ſemper eſt, ac primò Vicecancellarium ſuum, ab anno ſcilicet primo, vſque ad nonum Pōtificatus, unde Presbyterum Cardinalem S. Priſcæ conſtituit. Deinde vnà cum Epiſcopo Pictauienſi Nuncium in Angliam miſit, vt Proceres Angliæ cum Odoardo II. Rege conciliaret. Accuratè inſuper cum eodem Rege egit, vt prædia, ac reliqua bona ſolida Templariorum Rhodijs militibus addicerentur; Angliæ Proceres, Regnique Principes obicem poſuere: quare infecto negocio ad Curiam cum ſocio redijt conſulendi Thomas Valſingamus, Nicolaus Arſfeldius, abſque Angliæ Hiſtorici.

Ciaconius

Panuinius

Angelus Manriq. in Annal. Ciſtercien.

Ferdināḋ. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

Gaſpar Iongel. in Purp. Diui Bernardi.

Pet. Friz. in Gallia Purpur.

Aubery in vita.

Bernardus Guido in chrō. m. s.

Ex hac mortalitate abijt, vt vult Ciaconius, Auenione ſub Clemente V. ſeu, vt placet Ferdinando Vghellio, & Gaſpari Iongelino, anno noſtræ ſalutis 1314. ſed Felix Contelorius ex libro Obligationum Cameræ Apoſtolicæ, & Scheda Auenionenſi Romam miſſa a Ioſepho Maria Suareſio Epiſcopo Vaſionenſi fidem faciunt Arnaldum Nouelli Presbyterum Cardinalem S. Priſcæ defunctum die 14. Auguſti hora veſpertina anno 1317. & ſequenti die illius cadauer illatum in tumulum.

And. Victorel. in Addit. ad Ciacon.

Gaſpar Iongelinus in Purpura D. Bernardi alia ab ijs, quæ ſupra nos expreſſimus ex Ciaconio, & Frizonio Inſignia tribuit Arnaldo Nouelli, ſcutum ſcilicet mini coloris cum parmula argentea, quod ſcutum ille tanquam proprium familiæ Nouelli agnoſcit.

XV.



BERNARDVS de Garuo, ſeu de Geraruo, vel de Guarnio, ſeu de Gauo, natione Gallus, patria de S. Liberata Diœceſis Burdegalenſis, Clemētis V. conſobrinæ filius, ex Archidiacono Conſtantienſi, Diaconus primò S. Euſtachij, ſiue, vt refert Felix Contelorius ex teſtamento Clementis V. ſanctæ Agathæ in Suburra a Clemēte, deinde Presbyter Cardinalis tt. S. Clementis à Ioanne XXI. dicto XXII. renunciatus eſt. Diaconus interfuit Comitijs, in quibus Ioānes XXI. ſuffragijs Cardinalium Petri Cathedram aſcendit. Deceſſit ex libro Diuiſionum, quem ſe vidiſſe fatetur laudatus Contelorius in Bibliotheca Vaticana, Auenione anno à partu Virginis 1328. & ſepultus apud Minores.

Ciaconius

Panuinius

Papirius Maſſon

Pet. Friſō in Gallia Purpur.

Aubery in vita.

Bernardus Guido in chrō. m. s.

Aliud ab illo, quod nos ſupra ex Petro Frizonio in Gallia Purpurata expreſſimus, gentilitium Stemma tribuerat Bernardo huic noſtro Cardinali Ciaconius, ſcutum ſcilicet duplatz, ſeu diremptum in duos partes, in dextero ſcuti alueolo Clementis inſignia, in ſiniſtro verò area tantum argentea videbatur.

TERTIA CREATIO CARDINALIVM.

Anno noſtræ ſalutis 1312. Pontif. VIII. Sabbato quatuor Temporū Aduentus Domini 15. ex Panuinio, ſeu ex Contelorio ix. Kal. Ianuarij Auenione Clemēs V. tertio creauit Cardinales, qui fuerūt.

Guido Epiſcopus Traiectenſis probitate clarus ad Concilium Viennēſe vocatus venerat, nec ſine veneratione exceptus. huic Clemens huius nominis V. petente Francorum Rege, Cardinalatum per rubrum pileum obtulit; at ille gratias agens Pontifici, oblatum honorem reſpuit, vt conſtat ex Chronico Magno Belgico, cuius author ea deſumpſit ex Chronico Pontificum Traiectenſium.

XVI.



ARNALDVS de Auxilio, ſeu de Auxio, nobilis Nouempopulanus, ſeu Guienenſis in pago de Aux Diœceſis Condomienſis, ſub Archipræſule Burdegalenſi in Gallia in lucem editus, Eccleſiam Pictauienſem rexit, & interfuit Synodo cuidam in ſua Diœceſi habitæ, Pontificij ærarij ſummus Præfectus à Clemēte conſtitutus, mox Apoſtolicæ ſedis nomine legationis munere functus eſt vna cum Arnaldo Nouelli Cardinali S. Priſcæ in Angliam ad conciliandos animos Odoardi Regis, & Angliæ Procerum; at laborauit in caſſum, teſte Thoma Valſingamo. Extant Clementis litteræ apud Odericum Raynaldum cum hac inſcriptione.

CLEMENS &c. Dilect. fil. Arnaldo tit. S. Priſcæ Preſbytero Cardinali. & Arnaldo Epiſcopo Pictauienſi Camerario noſtro Apoſtolicæ ſedis Nuncijs.

Ciaconius

Pet. Friſō in Gallia Purpur.

Aubery in vit.

Panuinius

Odericus Raynal. in Annal.

Interclusiſſe Nuncijs Apoſtolicis, ne in Angliam trajicerent, iter perduelles, queritur idē Clemens in litteris alijs anno 1313. exaratis.

Arnal-

Arnaldum hunc Epiſcopum Pictauienſem à legatione reducem ad Albanenſem ſedem traduxit Clemens V. vt affirmat Bernardus Guidonis in Chronico m. s. & ex libro Diuiſionum Felix Contelorius in Elencho Cardinalium.

Ciaconius duos Arnaldos recenſet Albanenſem vnum ex Epiſcopo Aquenſi, Sabinenſem alterum ex Epiſcopo Pictauienſi, Epiſcopos Cardinales, cum reuera vnus ſit, & idem Arnaldus, quem ipſe ſuperadditis titulis, & Epiſcopatibus diuiſit in duos. Cum enim illi eſſet exploratum nouem fuiſſe à Clemente anno 1312. renunciatos Cardinales, & omitteret Berengarium, de quo infra, coactus eſt nonum inuenire Cardinalem. Qua propter duos expreſſit Arnaldos, cum tamen in hac Creatione vnus fuerit, & is vocetur Arnaldus de Auxio Epiſcopus Pictauienſis, qui transfertur ad Eccleſiam Albanẽſem, vt legitur in libro Obligationum, in quo creatio hæc deſcripta eſt, & apud Bernardum Guidonem. In eundem errorem lapſi ſunt Panuinius, & Petrus Frizonius: ſed clariſſimum lumen lectori præferunt, quæ ſupra diximus in vita Arnaldi Felguerij Epiſcopi Sabinenſis, qui ex ipſo Ciaconio nonniſi anno 1313. è vita exceſſit: fruſtra enim alteri Eccleſiæ Sabinenſis regimen committendum anno 1312. ſi primus adhuc in viuis erat.

Claud. Robert. in ſua Gall. Chriſtiana.
Pet. Friz. in Gallia Purpur.

Arnaldo ſedente in Pictauienſi Cathedra, Maleacenſis, & Lucionenſis Epiſcopatus noui eriguntur à Ioanne XXI. dicto XXII. qui a Pictauienſi illos auulſit. Extremum deinde vitæ ſpiritum exhalauit Auenione ex Frizonio 12. Septembris anni 1317 ex Ciaconio 1326. ex Contelorio verò anno 1320. Eius corpus delatum in Aedem ſacram S. Petro de Romano, Diœceſis Condomenſis, in qua Canonicorum inſtituerat Collegium. Nepotem habuit Fortium de Auxio in Pictauienſi cathedra ſucceſſorem.

Ciaconius affirmat Arnaldum hunc ante purpuram Aquenſem Archiepiſcopum fuiſſe, ſed fallitur; ſiquidem apud librum Obligationum ſe reperiſſe fatetur Felix Contelorius, & Ferdinãdus Vghellus, Clementem V. eodem anno, & eadem Creatione Guillelmum Mandagotum, ſeu Mondagoſum tunc temporis Archiepiſcopum ſubuexiſſe ad purpuram.

XVII.

Ciaconius
Panuinius
Claud. Robert. in ſua Gall. Chriſtiana.
Pet. Frizonius in Ioa. XXII.
Bernardus Guido in chrõ. m. s.



IACOBVS de Oſſa, ſeu Deuſa, vel de Euſa, filius Arnaldi Sarcinatoris, natione Gallus, patria Cadurcenſis, quæ eſt Vrbs Galliæ à Ptolemæo Ducona, vel Duona dicta, ſub Archiepiſcopatu Bituricenſi; ex Epiſcopo Foroiulieoſi (Forumiulium Ciuitas eſt in Gallia ſub Archiepiſcopatu Aquenſi) Archiepiſcopus primò Auenionẽſis poſt Guillelmum de Mandagoto, poſtea Epiſcopus Cardinalis Portuenſis à Clemente V. renunciatus eſt. Direxerat illum iam ante Clemẽs ad Philippum Galliarum Regem ad plura grauioris momenti negocia cum ipſo agitanda, videlicet pro Lugdunenſi controuerſia componenda, Belgarum pace confirmanda, vindicanda à calumnijs Bonifacij Octaui memoria, tractanda in Viennenſi Concilio Templariorum cauſa, vt docent eo argumento Pontificiæ exaratæ litteræ, quas legere quis poterit apud Odericum Raynaldum tomo 15. Annalium Eccleſiaſticorum.

Oder. Raynald. in ſuis Annal. Eccleſiaſtic.

Poſt Clementis V. obitum Petri Cathedram aſcendit, & dictus IOANNES XXI. aliàs XXII. vide vitam.

XVIII.

Ciaconius
Panuinius
Felix Cõtel. in Elẽch. Card.
Aubery in vita.
Ioſ. Maria Suareſius in Præneſt. Antiqua.
Bernardus Guido in chrõ. m. s.



GVILLELMVS de Mandagoto, ſeu de Mandagoſo, natione Gallus, in iure Pontificio, & Cæſareo apprimè verſatus, ex Præpoſito Eccleſiæ Toloſanæ ordinis S. Auguſtini, & Archidiacono Nemauſienſi Notarius primò Nicolai IV. poſtea Bonifacij VIII. æuo Sacelli Pontificij Sacerdos, & à Clemente Quinto Epiſcopus Auenionẽſis anno 1310. demum anno 1312. Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus ordinatus eſt. Anno verò 1316. mortuo Clemẽte, Archiepiſcopatum Ebredunenſem obtinuit, à quo poſtremò ad Archiepiſcopatum Aquenſem tranſlatus eſt.

Ioſ. Maria Suareſius in Præneſt. Antiqua.

Scripſit librum de Prælatorum Electione; quem librum in Bibliotheca ſancti Geminiani in Hetruria ſeruari fatentur Ferdinandus Vghellus, & Petrus Frizonius, hoc titulo prænotatum. *Mag. Guillelmi de Mandagoto Archidiaconi Nemauſenſis, Domini Papæ Capellani liber de Electionibus Prælatorum ad Magiſtrum ſuum Dominum Berengarium Fredeole Succeſſorem Eccleſiæ Biterrenſis, Domini Papæ Capellanum, & doctorem Decretorum.*

Nomencl. Cardinal.

Scripſit præterea ſuper legum diſciplina plura Opuſcula, & operam ſtrenuam in compilando Sexto Decretalium libro nauauit.

Ioſ. Maria Suareſius in Præneſt. Antiqua.

Anno noſtræ ſalutis 1316 Ioannis XXI dicti XXII. Pontificatus primo aſſignatæ fuerunt ſexdecim domus Cardinali Præneſtino ad inhabitandum Auenioni; & Arauſicæ in domo Arcus ſtatuta quædam condidit ille pro Monaſterio Montiſmaioris: interfuit Comitijs habitis poſt Clementis V. obitum, & ſuffragium pro Ioanne tulit. Deſijt in viuis eſſe Auenione menſe Nouembri anno 1324. ſeu verius anno 1321. & in Templo S. Catharinæ Virgini, & Martyri ſacro ſepultus, vti ſuadent illius Inſignia, quæ eiuſdem Templi fundatorem illum arguunt. Quare corrigendus Claudius Robertus, qui in ſerie Archiepiſcoporum Ebredunentium ſibi cõtradicit, dum Guillelmum hunc exceſſiſſe è vita anno 1301. eundemque renunciatum Epiſcopum Præneſtinum affirmat a Clemente V. qui ſolium Pontificium non aſcendit niſi anno 1305. Non enim poterat Clemens Cardinalium cœtui illum adſcribere, qui iam elapſis annis è vita emigrarat. Huius Inſignia gentilitia ſupra expreſſa ex Ciaconio, & Petro Frizonio depromptimus. Guilelmi cum laude meminit Trithemius, Nicolai IV. & Clementis V. Regiſtra, ac Bonifacius VIII. in Proœmio Sexti Decretalium.

XIX.

Ciaconius
Panuinius
Aubery in vita.
Pet. Friz. in Gallia Purpurat.
Bernardus Guido in chrõ. m. s.



MAr. F. GVILLELMVS Godinus, ſeu Godin, vel Godinus, filius Petri, natione Gallus, in lucem editus Baionæ, quæ eſt Vrbs ad Arturum fluuium ſub Archiepiſcopatu Auſcenſi, mediocris, & deformis ſtaturæ, ſed ingenij admirandi, ſacro Prædicatorum ordini nomen dedit in Conuentu Baionenſi, ac plures annos totus in illud js Phyloſophiæ, ac Theologiæ alibi tranſegit. Pariſienſis deinde Academiæ Magiſter factus, ſacras litteras ibidem omni applauſu interpretatus eſt. Ex Prouinciali Toloſano Palatij Apoſtolici lector, ſeu Magiſter primò à Clemente V. mox Presbyter Cardinalis S. Cæciliæ, demum à Ioanne XXI. dicto XXII. die 12. Septembris anno 1317. renunciatur Epiſcopus Sabinenſis. Ab eodem Ioanne Romano Pontifice legatur in Caſtellam, vt eius diligentia, & auctoritate malis, quæ vniuerſam prouinciam illam occupabant, finis imponeretur. Extant in Bibliotheca Vaticana Ioannis litteræ ad Guillelmum Epiſcopum Sabinenſem Legatum datæ Auenione viij. Idus Nouembris anno 5. Pontificatus, in quibus, vbi expoſuit Caſtellæ Regem ob ætatis imbecillitatem, bellorum æſtus ſedare non poſſe, ſubdit. *Tibi tam in Caſtellæ, ac Legionis, quam alijs Regnis, & Terris eiuſdem Regis vices Noſtras, ac plenæ legationis officium, vt deformata reformes, indirecta dirigas, & corrigas corrigenda, ac in eis reddens populum acceptabilem Domino, bonorum omnium ſectatorem, euellas, & deſtruas, diſſipes, & diſperdas, & plantes, ac ſtatuas in nomine Domini, prout tibi gratia cœleſtis infuſie, itaque tibi prudentia miniſtrabit; de Fratrum prædictorum conſilio, tanquam Pacis Angelum deſtinamus. Tibi, vt in Regnis, & Terris eiſdem inter Eccleſiaſticas, ſecularesque perſonas, Duces, Principes, Marchiones, Barones, & Nobiles, Communitates, & Vniuerſitates, ac Populos, & alios vniuerſos, & ſingulos bonum pacis, ſtudeas reformare; & agere nihilominus, & tractare quæcumque ad cultum Dei, & Apoſtolicæ ſedis honorem, obſeruantiam canonicæ ſanctionis, redintegrationem Eccleſiaſticæ libertatis, reformationem morum, honeſtatis cultum, releuationem Eccleſiarum, & pauperum animarum ſalutem, & tranquillitatem corporum, ac robur ſtatus proſperi Regnorum, & Terrarum ipſarum quomodolibet pertinebunt, &c.* Guillelmo auctore Palentiæ Comitijs Regni indictis; Alphonſo Infanti adminiſtratio Regni attributa; Proceres, qui Tutorum nomine omnia miſcebant, ablegati, ſummaque rerum Regi ipſi commiſſa. Habuit inſignem Prælatorum Hiſpaniæ Synodum, coactam Valliſoleti anno reparatæ ſalutis 1322. jv. nonas Auguſti, in qua permulta, & præclara ad Cleri mores reſtaurandos, præſertim contra Concubinarios Eccleſiaſticos decreta fuerunt. In ea Synodo anathemate vincti, qui carnibus Quadrageſimæ, aut quatuor Temporum diebus veſcerentur; quique in ijs publicè vendiderint carnes: à noſtra Religione alieni ne Templis interſint, dum res Diuina perageretur, ijs tamen, ſi noſtra ſacra ſuſceperint, ſacris Ordines, & Sacerdotia, vnde inopiam tolerent, non denegentur decretum eſt.

Felix Cõtel. in Elẽch. Card.
And. Victorel. in ſuis Addit. ad Ciacõ.
Schedæ Auenion.
Oder. Raynald. in ſuis Annal. Eccleſiaſtic.
Io. Mariana in Hiſt. Hiſpan.

Habebatur, atq; omnium ore nominabatur magnus ordinis Prædicatorum parens, vt potè de illo optimè meritus, Cœnobia quinque Diuo Dominico ſacra ædificauit, & tres Eccleſias ſuis patribus Dominicanis erexit, vnam in Monaſterio Auenionenſi, alteram in Toloſano, & tertiam in Baionenſi.

Chrõ. ord. Prædicat.
Ferdinãd. Vghel. to. 1. Ital. ſac.

Huic

Luc. Vvadding in Annal. Minor. to. 3.

Huic, dum ſacri Palatij Magiſtri munere fungeretur, commiſſa eſt cura Clementis iuſſu, etiam nandi ſcripta Petri Ioannis Oliui Minoritę, vnà cum Gualtero Vvinkterburno Anglo, Thoma Ioſio Anglo Presbyteris Cardinalibus; Fr. Aegidio Columna Eremita ordinis S. Auguſtini, & Fr. Vitali de Furno ordinis Minorum prouinciæ Aquitaniæ Miniſtro.

Nomencl. Cardinal.

Scripſit de Nuptijs Chriſti Domini, & Eccleſiæ.

Inſigne item volumen, quo Iura omnia, conceſſiones, & priuilegia Rom. Eccleſiæ conceſſa, & ab eadem alijs collata continentur.

Sermones quoque permultos.

Petra Cſ. in Elench. Card.

Iura naturæ perſoluit Auenione pridie Idus Iunij anno 1336. Cardinalatus vigeſimo quarto: corpus Toloſam delatum, non in Eccleſia illius Vrbis principe, vt refert auctor Nomenclatoris Cardinalium, ſed in Templo patrum Prædicatorum ad Leuam Aræ maioris, marmoreo tumulo ſepelitur cum hoc Epitaphio.

DOMINVS. FRATER. GVILLELMVS. GODINVS EPISCOPVS. SABINENSIS. CARDINALIS.

Quare corrigendus Antonius Senenſis Luſitanus, & Dominicanus, qui in Chronico Prædicatorum aſſerit Monteſpeſſuli tumulatum illum vocitans Barbadenſem.

Anonymus auctor vitæ Benedicti XII. hæc habet de Guillelmo Epiſcopo Sabinenſi. *Anno Domini 1336. die quarta menſis Iunij obijt Dominus Frater Guillelmus Petri de Godino, ordinis Prædicatorum Epiſcopi Sabinenſis Cardinalis, qui diu fuerat Legatus in Hiſpania, vbi multa bona, & ſalubria ordinauit, conſtitutioneſque fecit quamplurimas, præſertim contra concubinarios Eccleſiaſticos, qui pro tunc erant in illis partibus infiniti. hic quamquam eſſet modica, imo quodammodo deformis ſtatura, fuit multum litteratus, & cordatus, ac virtuoſus in omnibus factis ſuis, dedit que ſibi etiam Deus multa bona temporalia, de quibus fecit opera mirabilia, quæ ſequuntur. conſtruxit enim tres Eccleſias mira pulchritudinis adeo, quod ordo ſuus non credatur habere pulchriores & ſolemniores vbicumque, videlicet vnam in Conuentu Auenionenſi, aliam in Conuentu Toloſano, in qua iacet tumulatus, & aliam in Conuentu Baionenſi, vbi fuerat veſtitus, & educatus. fecit etiam tam in dictis Conuentibus, quam in alijs dicti ordinis, multa alia bona admodum commendabilia, & memoria digna.* hæc ille.

Claud. Robert.

Aſſeritur à nonnullis Toloſanus Archiepiſcopus, & dicitur ſucceſſorem habuiſſe Stephanum Abbatem Cellenſem: at Chronologia Præſulum Toloſanorum non permittit Guillelmum fuiſſe Toloſanum Archipræſulem. Ioannes enim Raymundi Conuennarum Comitis filius ex Epiſcopo Magalonenſi electus eſt à Ioanne XXI. dicto XXII. Romano Pontifice anno 1317. primus Archiepiſcopus Toloſanus, mox anno 1328. Presbyter Cardinalis S. Vitalis titulo Veſtinæ, inde Epiſcopus Præneſtinus, vt ſuo loco dicemus.

Inſignia ſupra expreſſa, ex Frizonio deprompſimus: meminere huius Guillelmi Cardinalis Ioannis XXI. dicti XXII. Regiſtra.



XX.

Ciaconius

Panuinius

Aubery in vita.

Petrus Frizon in Gal. Purp.

Bernardus Guido in Chró. m.s.

And. Victorel. in Addit. ad Ciaconiũ.

Mag. Fr. Vitalis à Furno, quem Vvillotus, Poſſeuinus, & alij Ioannem Vitalem à Furno vocant, natione Gallus, patria Vaſatenſis, (Vaſatum Vrbs eſt Galliæ Aquitanicæ ſub Archiepiſcopo Auſcenſi, quæ à Burdigala leucis 12. & à ſua Metropoli 20. diſtat) ordinis Minorum Theologus illuſtris, ex Miniſtro prouinciæ Aquitanicæ, Presbyter Cardinalis ſanctorum Sylueſtri, & Martini in montibus titulo Equitij à Clemente, deinde Epiſcopus Albanenſis à Ioanne Clementis ſucceſſore electus eſt. Cum autem controuerſia de Paupertate Chriſti, & Apoſtolorum aliàs inter Prædicatores, & Minores exorta, anno 1322. denuo excitata eſſet; vtrum ſcilicet pertinaciter affirmare Dominum Ieſum Chriſtum, eiuſque Apoſtolos non habuiſſe bona aliqua in ſpeciali neque in communi, foret Hæreticum; & apertiſſime negarent Minores: Ioannes Romanus Pontifex propoſuit quæſtionem illam in publico Conciſtorio diſcutiendam. Cardinalis Vitalis Minorum ſententiam tanquam probabilem, & veram, vt pote multorum Pontificum Decretis innixam palam defendit, vnà cum Berengario Epiſcopo Tuſculano, Arnaldo Turriano Archiepiſcopo Salernitano, Henrico Lucano, & Hieronymo Caphenſi Epiſcopis ex Minoritis aſſumptis. Pontifex in aduerſam ſententiam propenſus, acriter illi, nutibus, geſtibus, & verbis reprehendit, magno animi impetu addit, & repetitis his verbis: *Hæ ſunt hæreſes veſtræ, hæreſes profertis.* Silentium tunc temporis ſibi indixit Cardinalis Vitalis, ne in ſe ſtomachum erumperet iratus Pontifex, ſcriptis tamen Minoritarum ſententiam propugnauit, ſed non pertinaci animo, vt aliqui aſſeruerunt; nam Decretis Eccleſiæ aſſentiri paratum ſe præbuit, & conſulenti Pontifici reſpondit præmiſſis his verbis. *Ego frater Vitalis Epiſcopus Albanenſis reſpondeo in modum, qui ſequitur. Primo præmitto omnibus, & ſingulis dictis meis illud, quod ſcribitur; Hæc eſt fides, &c. vbi ſic dicitur. Hæc eſt fides Catholica Papa beatiſſime, quam in Eccleſia didicimus, quamque ſemper tenemus; in qua ſi minus perite, aut parum caute forte aliquid poſitum eſt, emendari per te cupimus, qui Petri ſedem tenes, & fidem, &c.* Ne hoc ſchiſmate religioſi ordines, tum Prædicatorum, tum Minorum diuiſi collaberentur, Ioannes Romanus Pontifex definitionem edidit, de qua in eius vita.

Luc. Vvadding to. 3 Annal. Minorum.

Oder Raynald. in Annal. Eccleſiaſtic.

Scripſit Speculum Morale totius ſacræ ſcripturæ, in quo vniuerſa ferè loca veteris, & noui Teſtamenti myſticè explanantur, editum Lugduni anno 1513. & Venetijs annis 1594. & 1600. in cuius initio hæc habentur. *Ioannes Vitalis natione Gallus, profeſſione Theologus ſuo tempore præſtantiſſimus, religione frater Seraphici ordinis, fama, ac ſanctitate clarus, ob idque Cardinalis à Clemente V. ſummo Pontifice creatus, poſt Commentaria in quatuor libros Sententiarum, ac librum vnum de ipſo B. Mariæ Virginis Conceptu, nonnullaque alia Opuſcula præſens opus conſcripſit anno 1305.*

Nomencl. Cardinal. Luc. Vvaddingus de ſcript. ordin. Min. Syxt. Seneol. Antõ Poſſeu. in Bibliotheca.

Commentaria in Prouerbia Salomonis.

In quattuor Euangelia.

In Apocalypſim, quæ apud patres Dominicanos Bononiæ extabant, & cura Cardinalis Sartiani prodierunt Venetijs: habentur m.s. apud Conuentuales Aſſiſij.

In quattuor libros Sententiarum: habentur m. s. in Biblior. Vatic.

De Conceptione B. Mariæ Virginis librum vnum.

Quodlibeta Theologica.

De Tuenda Sanitate, & remedijs morborum digreſſio, quæ prodijt Moguntiæ.

Concionatorios Commentarios anniuerſaria notatione.

Fr. Bernardin. de Buſtis in Marial. Hippolit. Marrac. in Bibl. & in Purpur. Marian.

Eyſengrenius, & Petrus Frizonius in ſua Gallia Purpurata eidem tribuunt Sermones in diebus ſolemnibus habitos.

Pet. Frizon. in Gallia Purpur.

Interfuit vj. Idus Nouembris anno 1318. Tranſlationi corporis ſancti Ludouici Epiſcopi in Eccleſia Maſſilienſi fratrum Minorum a medio Chori loco, in quo iacuerat, ad thecam argenteam affabrè elaboratam in ara principe eiuſdem Eccleſiæ collocandam. Functus pro Romana Eccleſia legationibus aliquibus, migrauit plenus meritis ad ſuperos Auenione anno à partu Virginis 1327. die 16. Auguſti, & ſepultus in Eccleſia Minorum cum hoc Epitaphio.

Gaſp Bongel. de Cardinal. ord. Minorum.

HIC. IACET. REVERENDVS. IN. CHRISTO. DOMINVS. FRATER. VITALIS. ORDINIS. MINORVM. BONAE MEMORIAE. EPISCOPVS ALBANENSIS. S. R. E. CARDINALIS. QVI. OBIIT. DIE. XVI. MENSIS. AVGVSTI. ANNO. DOMINICAE. INCARNATIONIS MCCCXXVII. CVIVS. ANIMA. REQVIESCAT. IN. PACE.

Ciaconius ſcripſit hunc obijſſe anno 1320 Felix Contelorius anno 1317. ſed fortaſſe in vtrique error fuit Typographi, nam vtrique Inſcriptionem laudant, in qua annus 1327. tanquam vltimus eius vitæ annotatur.

Epiſcopum Auenionenſem fuiſſe Cardinalem Vitalem perperam aſſerit Auguſtinus de Vitre in Genealogia S. Franciſci: cum eius nulla prorſus ſit mentio in Catalogis Epiſcoporum dictæ Eccleſiæ à varijs ſcriptoribus collectis. Ferdinandus Vghellius Cardinalem hunc Vitalem à Furno non recenſet in ſerie Epiſcoporum Albanenſium, neque de illo verbum vllum profert. Nam poſt Arnaldum de Auxilio renunciatum Epiſcopum Albanenſem anno 1312. vt diximus ſupra in vita, & mortuum anno 1320. illico Gaucelinum de Oſſa Ioannis XXII. Pontificis nepotem numerat, qui meo quidem iudicio Eccleſiam Albanenſem non obtinuit niſi poſt obitum Cardinalis Vitalis in fine ſcilicet anni 1327. vel initio ſequentis.



XXI.

Ciaconius

Aubery in vita.

Panuinius de Rom. Pontif.

Bernardus Guido in chrõ m.s.

Schedæ Auenionen.

Andr. Victorell. in Addit. ad Ciacon.

Michael de Bec, aliàs Beton, filius Ioannis de Bec, & Tiphenæ Paon, natione Gallus, ex Canonico Eccleſiæ Pariſienſis, & Decano S. Quintini, in Presbyterum Cardinalem S. Stephani in Cœlio monte à Clemente V. electus, anno noſtræ ſalutis 1312. Dotauit ſacellum S. Michaelis Archangeli Lutetiæ in D. Deiparæ Templo à latere ſiniſtro Chori, vti apparet in vitrea feneſtra eiuſdem ſacelli, pro cuius foribus viſitur icon lapidea ſancti Michaelis, & Cardinalis noſtri è regione, & illic iſta leguntur. *Michael de Becco Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis hanc Capellam fundauit in honorem Diui Michaelis.* Exceſſit è vita ſede vacante poſt Clementis obitum, ante electionem Ioannis, anno ſcilicet ex Aubery 1316. Scutum Beccenſis familiæ in fuſos certo numero digeſtũ, argenteum, & miniatum ex Frizonio ſupra expreſſimus.

Ciaconius.
Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana.
Panuinius de Rom. Pont.
Aubery in vita.
Bernardus Guido in chron.
Oder. Raynal. in Annal. Eccleſiaſt.
Almaric. Augerius.
Scheda Auenion.
Andr. Victorell. in Addit. ad Ciaconiũ.

XXII.



GVILLELMVS Teſta natione Gallus, patria Condomienſis, Condomium Vrbs eſt in Gallia ſub Archiepiſcopatu Burdegalenſi; renunciatus primò eſt Ciaconio, & Panuinio teſtibus à Clemente V. Diaconus Cardinalis, deinde Presbyter S. Cyriaci in Thermis, demum à Benedicto XI. dicto XII. ex ipſo Ciaconio, & Frizonio Epiſcopus Cardinalis Albanenſis. Ferdinandus tamen Vghellus in ſerie Epiſcoporum Albanenſium huiuſce Guillelmi non meminit, & Felix Contelorius in Elencho Cardinalium affirmat Guillelmum hunc obijſſe Presbyterum Cardinalem S. Cyriaci in Thermis. Antequam Cardinalium Collegio adſcriberetur, Nuncij Apoſtolici munere functus eſt in Anglia: quare aberraſſe à veritate illos iudico, qui ſcripſerunt Guillelmum hunc ex laico effectum eſſe S. R. E. Cardinalem. Thomas enim Vvalſingamus in Annalibus Angliæ illum vocat, *Clericum Domini Papæ, Magiſtrum Vuillelmum Teſtam.* Cum Ioannes XXI. dictus XXII. Agenenſi auulſo, nouum Condomenſem Epiſcopatum in Gallia erexiſſet, primum Condomij Epiſcopum nominauit Guillelmum Teſtam Cardinalem; reus deinde Eccleſiam Rhemenſem, atque illum eundem fuiſſe exiſtimat Ferdinandus Vghellius cum Guillelmo de Tria Archiepiſcopo Rhemenſi Cardinali, auunculo Philippi Valleſij, quem coronauit in ſua Metropoli iiij. Kal. Iunij in feſto ſanctæ Trinitatis anno 1328.

Lucis vſuram amiſit ex Felice Contelorio, menſe Nouembri anno 1326. Auenione, ex Claudio Roberto anno 1334. in Vigilia ſancti Michaelis Rhemis, ex Aubery anno 1336. ex Ciaconio verò, & Frizonio anno 1345. Huius Guillelmi gentilitium Stemma ſuperiùs expreſſum, ex Frizonio deprompſimus.

Felix Cõtel. in Elẽch. Card.
Ferdinãd Vghel. to. 1. Ital. ſac.
Bernardus Guido in chrõ. in 2.


XXIII.



BERENGARIVS Fredeoli Gallus, ex Epiſcopo Biterrenſi à Clemente V. inter Presbyteros Cardinales titulo ſanctorum Nerei, & Achillei cooptatus eſt, poſtea ſedem Portuẽſem obtinuit. Deceſſit ſub Ioanne XXI. dicto XXII. circa annum 1323 ex Vghellio: huiuſce Berengarij iunioris non meminit Panuinius, Ciaconius, & Frizonius. At duos fuiſſe euſdem nominis, cognominis, ac tituli probat Felix Contelorius in Elencho Cardinalium, & Odericus Raynaldus in Annalibus Eccleſiaſticis ex Chronico m. s. Bernardi Guidonis. In libris enim ſacri Collegij Cardinalium, teſte laudato Contelorio, Berengarius Epiſcopus Tuſculanus ſæpiùs appellatur Berengarius Fredeoli ſenior, & Berengarius Epiſcopus Portuenſis Berengarius Fredeoli iunior; vti duos Cardinales de communibus ſeruitijs participantes, & ambos Cardinales vti iam defunctos recenſet Ioannes Romanus Pontifex in Diplomate dato xiij. Kalen. Iulij anno 11.

CARDINALES S. R. E.
quorum Creationis tempus certum neſcimus.

XXIV.



PETRVS natione Gallus, monachus S. Benedicti ex Abbate S. Seueri de Roſtagno, Torbienſis Diœceſis Presbyteris Cardinalibus adſcriptus eſt teſte Panuinio, Ciaconio, ac Frizonio, & interfuit Comitijs, ac ſuffragium tulit pro Ioanne XXI. dicto XXII. Felix tamen Contelorius in libris ſacri Collegij Petrum hunc nũquam ſe inueniſſe fatetur, fides ſit penes auctores, qui illum nominant Cardinalem. Scheda quædam à Ioſepho Maria Suareſio Epiſcopo Vaſionenſi, ex Archiuio Aueniouenſi excerpta meminit cuiuſdam Raymundi ex Abbate S. Seueri renunciati Presbyteri Cardinalis S. Pudentianæ. E vita exceſſit Petrus Auenione, ſedente Ioanne Clementis ſucceſſore in Petri Cathedra; cuius Inſignia Frizonio duce exprimi ſupra curauimus.

XXV.

BERTRANDVS Gallus, à nobili gente à Cardaliaco in Cadurcorum prouincia, de Cardaliæ dictus, Epiſcopus Portuenſis, & S. Rufinæ, teſte Frizonio a Clemente V. renunciatus eſt. Sed Frizonij error deprehenditur ex libris ſacri Collegij, & ex Chronico Bernardi Guidonis ſcriptoris illius æui, in quibus Bertrandus inter Cardinales non recenſetur, & in ſerie Epiſcoporum Portuenſium non inuenitur apud Ferdinandum Vghellium. Qui ſpatio quatuor annorum poſt obitum ſcilicet Berengarij iunioris, quem obijſſe dicit circa annum 1323. vſque ad annum 1327. quando decima octaua die Decembris cathedram Portuenſem Ioannes Conuernarum Comes obtinuit, nullum numerat Epiſcopum Portuenſem.

Felix Cõtel. in Elẽcho Card.

XXVI.



ALiqui ſcriptores Hiſpani, inter quos Stephanus de Corbera Barchinonenſis in vita B. Mariæ de Socos, & Iacobus Ioannes Viues Maioricenſis in ſuo Viridario Mercenario inter Cardinales à Clemente V. renunciatos numerant Fr. Seuerinum Gallum, & Fr. Claudium de Portacœli, ſacri ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum alumnos, expreſſè affirmantes Seuerinum Sabbato quatuor Temporum Aduentus anno ſalutis 1310. & Claudium eodem Sabbato anno 1312. fuiſſe Cardinalium Collegio adſcriptos, & quidem, licet hi inter alios in Tabulis, ſeu Regiſtris Bibliothecæ Vaticanæ non inueniantur recenſiti, multum tamen deferendum eſt horum hiſtoricorum auctoritati, qui graues, locupleteſque ab omnibus habentur, & præcipue Stephanus de Corbera, qui pro conficienda hiſtoria venerabilis ſeruæ Dei, primæ Monialis laudati ordinis, Tabulas omnes Archiuij Cœnobij Barchinonenſis recognouit, ex quibus, vt ipſemet fatetur ſæpiſſime, quæ ſcripſit, deprompſit.

XXVII.



CApiliſtha familia, nobilis inter Patauinas, numerat inter Cardinales à Clemente renunciatos, Gabrielem Capiliſtium, de quo, hæc apud Bernardinum Scardeonium, de claris Ciuibus Patauinis legimus. *magna cum voluptate nuper legi in genealogiis Capiliſtæ familiæ Gabrielem clariſſimum iuriſcõſultum, ob inſignem doctrinam, & eximiam religionem anno ſalutis 1305. à Clemẽte V. Pontifice Maximo in Cardinalium Collegium fuiſſe cooptatum, quod cõſtare dicitur in Archiuio Patriarchatus Venetiarum. verum cum vlterius nihil aliud ea de re compertum habeam pergam ad alia, ne quid forte in noſtro hoc volumine temere quicquam dixiſſe videar, quod manifeſtis rationibus probare non poſſit.*

Clemens V. Romanus Pontifex tribus Ordinationibus menſe Decembri hos, quos ſupra recenſuimus, creauit Cardinales.

VICECANCELLARII S. R. E.
ſub Clemente V.

Fr. Arnaldus Nouelli Vaſcn, Gallus, monachus Ciſtercienſis, & Abbas Montisfrigidi ab anno Pontificatus primo, vſque ad nonum, deinde renunciatus Presbyter Cardinalis ſanctæ Priſcæ.

Panuinius, & Ciaconius inter Vicecancellarios S. R. E. recenſent Fr. Petrum Arnaldi, ſeu Raynaldi Abbatem S. Crucis, Presbyterum Cardinalem S. Stephani in Cœlio monte, ac functum affirmant illo munere anno 1314. poſt Arnaldum Nouelli, nonnullis menſibus ante obitum Clementis, ſed vt ſupra diximus in eius vita, iam ante mortem ille obierat.

CARDINALES MORTVI
ſub Clemente V.

Magiſter frater Gualterus Vvinkterburnus Anglus, ordinis Prædicato-

dicatorum Presb. Card. S.Sabinæ prima Septembris anno 1305.
Fr. Robertus Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Pudentianæ, anno eodem 1305.
Matthæus Rubeus Vrſinus Romanus Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Porticu anno 1306.
Theodoricus Raynerius Epiſc. Præneſtinus anno eodem 1306.
Fr. Petrus Arnaldi, ſeu Raynaldi Abbas ſanctæ Crucis Presbyter Cardinalis ſancti Stephani in Cœlio monte anno 1306.
Fr. Dominicus à ſancto Petro ordinis beatæ Mariæ de Mercede S.R.E. Cardinalis ex aliquibus, anno 1307.
Ioannes Buccamatius Romanus, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus, menſe Iulio, ſeu 12. Auguſti anni 1309.
Raymundus Gothus Gallus Diac. Cardinalis S.Mariæ Nouæ die 26. Iunij anni 1310. Ciaconius affirmat hunc obijſſe anno 1320.
Arnaldus Faltuerius de Cantalupo Gallus Presbyter Cardinalis ſancti Marcelli anno 1310.
Mag. Fr. Thomas Ioyce, aliàs Ioſſius ordinis Prędicat. Presb. Cardinalis S. Sabinæ 13. Decembris anno 1310 aliqui Thomam hanc vitam, vſque ad annum ſequentem 1311. traduxiſſe affirmant.
Guillelmus Arcuſati Gallus Presbyter Cardinalis ſanctæ Pudentianæ die 24. Februarij anno 1311.
Bertrandus de Bordis Gallus Presbyter Card. SS. Ioannis, & Pauli titulo Pammachij 12. Septembris anno eodem 1311.
Stephanus Pariſienſis Presbyter Cardinalis S. Cyriaci in Thermis die 10. Decembris anno eodem 1311.

Leonardus Patraſſus Italus Epiſc. Card. Albanen. anno 1311.
Petrus Hiſpanus, Epiſc. Cardinalis Sabinenſis anno eodem 1311.
Franciſcus Neapoleonis Vrſinus Romanus Diaconus Cardinalis ſanctæ Luciæ in Silice anno 1312.
Petrus de Capella Gallus Epiſcopus Pręneſtinus menſe Iunio anno eodem 1312.
Magiſter frater Ioannes Minius de Murrouallium Picenus, ordinis Minorum, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis anno 1312.
Fr. Gentilis de Montefloris Picenus, ordinis Minorum, Presbyter Card. SS. Syluestri, & Martini titulo Equitij anno eodem 1312.
Landulphus Brancacius Neapolitanus, Diaconus Cardinalis ſancti Angeli anno 1312.
Mag. Richardus Petronus Senenſis Diaconus Cardinalis ſancti Euſtachij iv. Kalendas Martij anno 1313.
Ioannes Monachus, ſeu *del Monaco* Presbyter Cardinalis SS. Petri, & Marcellini xj. Kal. Septembris anno eodem 1313.

CARDINALES MORTVI
in ſede Vacante poſt Clementis V. obitum.

Michaël de Beco, alias de Beto, Gallus Presbyter Cardinalis ſancti Stephani in Cœlio monte.
Aegidius Columna Romanus ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini S.R.E. Cardinalis ex aliquibus ſcriptoribus, è vita migrauit anno 1316.

IOANNES XXI. DICTVS XXII. PONT. CXCVIII.

ANNO DOMINI MCCCXVI.





IN NOMINE DEI, ET SALVATORIS Noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen.

CLEMENTIS V. Papæ corpore, Carpentorati, in cuius Diœceſi obierat, ſepulto, eiuſdem nouemdialia à Cardinalibus in Cathedrali Carpentoratēſi celebrata ſunt, quibus die 10. finitis, & Sacris Spiritui ſancto de more celebratis, ex Gregorij X. lege Conclaue ineunt, ſtructum in ædibus Epiſcopalibus Carpentorati, vbi cum aliquot dies fuiſſent, concordes eſſe non potuerunt, quod Aquitani Cardinales, magna Collegij portio, vnum è genere ſuo eligi petebant, Itali, & reliqui Galli ab Aquitano Pontifice abhorrentes, eorum rationem habere recuſabant. Orto demum inter Cardinalium familias graui diſſidio, & contentione, multum ceræ, ac ignis, vicinis Conclauis ædibus immiſſum, omnibus conſentientibus e Conclaui exierunt, certo tempore præſcripto, quo regrederentur; diſcordijs in dies auctis, ſtato die minimè redierunt, ſed in Ciuitatibus Narbonenſis prouinciæ ſeparati, locoque & propoſito diuiſi, biennio permanſere, non ſine magno Reipublicæ Chriſtianæ detrimento; ſed & egregij multi, cordatique viri, viribus, & poteſtate pollentes, operas ſuas ſedulò poſuerunt, vt eos ad Comitia cogerent, ſed fruſtra. Cardinales Italos Dantes Aligerius Florentinus, Phyloſophus, & Poeta egregius, qui tunc viuebat, luculento volumine inflammarat, ne tantum honorem ex Italorum manibus elabi permitterent, qui non niſi ſero admodum ijs reſtitueretur. Electio Pontificis diutius protracta procuľdubio fuiſſet, niſi ei vt penè deſperatæ Philippus Comes Pictauenſis, qui poſtea Rex Francorum fuit, præſens ſe medium interpoſuiſſet; is enim ſtudio, & induſtria id egit, vt ſpecie Conuentus habendi eos omnes Lugdunum acciuerit, iureiurando promittēs, quod ipſos permitteret arbitratu ſuo inde diſcedere, id eis congregatis minimè præſtandum ratus, eos inuitos, & reluctantes, ac ſacramenti dati fidem obijcientes, in Vigilia Apoſtolorum Petri, & Pauli ad iv. Kalend. Iulij anno 1316. præter iuſiurandum (publicam enim vtilitatem priuatæ fidei præpoſuit) in Conclaui recluſit, parato in Monaſterio Prædicatorum, & eos non egreſſuros minatus eſt, niſi Pontifice creato, quos ad tantam rem vehementi oratione incitauit. Recluſi ad 40. dies fuerunt, & cum à Comite vrgerentur, 41. poſt recluſionem die, ad vij. Idus Auguſti, poſt multas altercationes, compromiſſo, quando ſcrutinio non poterant, Romanum Pontificem renunciarunt Iacobum Oſſam Gallum Caturcenſem in Aquitania,

CARDINALES EX CONCLAUI EXEUNT.

DISSIDIA IN ELECTIONE FACIENDA

IACOBVS OSSA PONTIFEX ELIGITUR.

patre Arnaldo ex humili genere ortum, cognomine Deijſa. Quippe cuius pater Sutor veteramentarius eſſe dicebatur, prudentia tamen, ingenijque doctrina præſtans, paruus quidem corpore, ſed animo magnus, acris, & ſolertis ingenij fuit: in iuuentute iuri operam dedit, Regis Siciliæ Caroli Proſcriba, & Cancellarius factus, cuius commendatione, Epiſcopus Fordienſis primum, deinde Aueniomenſis, demum Roberti Regis precibus, cuius Cancellarij aliquando vices egerat, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & S. Rufinæ à Clemente V. creatus. Cum Cardinales in Conclaui recluſi, auctoribus Aquitanis, poteſtatem quemlibet Pontificem renunciandi dediſſent, rati eum è gente ſua Pontificem dicturum, aut Cardinalem Biterrenſem, aut Pelagruam, at iſte, omnes decipiens, conſilio vſus Neapoleonis Vrſini Cardinalis, ſeipſum IOANNIS XXII. nomine Papam dixit.

FIVSDEM primordia. IOANNES ſe ipſũ Papã eligit.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1316. die Dominico, nonis Septembris Lugduni ad Prædicatorum Eccleſiam, vbi etiam Pontifex creatus fuerat, Ioannes Papa XXI. dictus XXII. more maiorum ſuæ Coronationis inſignia ſuſcepit, per Neapoleonem Vrſinum Romanum Diaconum Cardinalem ſancti Hadriani, S.R.E. Archidiaconum; ſedit autem in ſacratiſſima Petri Cathedra, Ludouico Bauaro Imperatore, annos 18. menſes 3. dies 28.

CORONATIO Papæ Ioãnis XXI. dicti XXII.

CARDINALES XIX. VIVENTES quando Ioannes Papa XXI. dictus XXII. creatus eſt.

EPISCOPI CARDINALES V.

BENEDICTI PAPAE X. DICTI XI.

1. Fr. Nicolaus de Albertis, aliàs Martinus Prateuſis, Tuſcus, ordinis Prædicat. Epiſc. Card. Oſtiẽ. & Veliternus, Decanus.

CLEMENTIS PAPAE V.

2. Berengarius Fredoli Vaſco, Gallus, Epiſc. Card. Tuſculanus.
3. Guillelmus de Mandagoto Gallus, Epiſc. Card. Præneſtinus.
4. Iacobus de Oſſa Caturcenſis, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ.
5. Arnaldus de Auxilio Gallus, Epiſcopus Card. Albanenſis.

PRESBYTERI CARDINALES IV.

CLEMENTIS PAPAE V.

6. Fr. Nicolaus Farinula, Rothomagenſis, Gallus, ordinis Prædicatorum, Presbyter Cardinalis tit. ſancti Euſebij, Prior Presbyterorum.
7. Mag. frater Guillielmus Petri de Godino Baionenſis, diœceſis Toloſanæ, ordinis Prædicatorum, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Cæciliæ.
8. Frater Vitalis de Furno Gallus, Vaſco, ordinis Minorum, Presbyter Cardinalis ſanctorum Syluestri, & Martini in montibus titulo Equitij.
9. Fr. Petrus Vaſco, Gallus, Presbyter Cardinalis S.R.E.

DIACONI CARDINALES X.

NICOLAI PAPAE III.

10. Iacobus de Columna Romanus, S.R.E. Diac. Cardinalis.

NICOLAI PAPAE IV.

11. Neapoleo Vrſinus Romanus, Diaconus Cardinalis S. Hadriani in tribus Foris, Prior Diaconorum.

COELESTINI PAPAE V.

12. Guillelmus Longus Bergomas, Diaconus Cardinalis ſancti Nicolai in Carcere Tulliano.

BONIFACII PAPAE VIII.

13. Iacobus Caietanus Anagninus, Diaconus Cardinalis ſancti Georgij in Velabro.
14. Franciſcus Caietanus Anagninus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Coſmedin.
15. Lucas de Fliſco Genuenſis, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in via Lata.
16. Petrus de Columna Romanus, Diaconus Cardinalis ſancti Euſtachij.

CLEMENTIS PAPAE V.

17. Guillelmus Teſta Condomienſis Gallus, S.R.E. Diaconus Cardinalis.
18. Arnaldus de Pelagrua, Burdegalenſis, Vaſco, Gallus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Porticu.
19. Bernardus de Garuo, de ſancta Liberata, diœceſis Burdegalenſis, Diaconus Cardinalis titulo S. Clementis.

Cæterum cum Neapoleoni, cuius maximè opera Pontificatum obtinuerat, iureiurando promiſiſſet, ſe numquam equum, vel mulam conſcenſurum, quin Romam accederet, Cardinalem ipſum deluſit, ſacramenti fide ſeruata, vt Lugduno nauigio diſcedens Aueniorem illico per Rhodanum, vbi Curiam firmare conſtituerat, adierit: inde pedibus palatium conſcendit, è quo poſtea niſi cum maiorem Eccleſiam, palatio proximam, religionis ergò ingrederetur, numquam exiuit, ac ita ſacramenti fide inuiolata numquam ad Vrbem acceſſit; Hinc grauis inter ipſum, & Neapoleonem ſimultas orta, dum vixit, durauit; Cardinalis enim numquam Pontificem alloquutus eſt, nec teſtamento, aut exequijs intereſſe ſuſtinuit, tanquam eius, quo fretus iniuius, & fidem fregiſſet; nam eo Ioannis XXII. verborum cauillo, Romana Curia, mortuis Cardinalibus Italis, trans Alpes diù permanſit.

PAPA Pontificẽ illudit. SIMVLtas orta inter Pontificem, & Card. Neapoleonem.

Ioannes XXI. Pontifex rebus nouis gaudens, multa in Eccleſia innouauit, quorum præcipua breuiter hic enarrantur.

Librum Septimum Decretalium, Clementinarum Conſtitutionum Codicem vocatum, à Clemente V. in Concilio Viennenſi inchoatum perfecit, confirmauit, & Bulla ſua promulgauit anno 1317.

Feſtum Corporis Chriſti renouauit, & maximas ijs, qui horis canonicis totius Octauæ intereſſent, indulgentias conceſſit; celebritatem S. Trinitatis in Octauis Pentecoſtes primus inſtituit: ijs, qui ad Chriſti nomen genuflecterent, quadraginta dies remiſſionis, ſingulis vicibus, tribuit.

IOANNIS res geſtæ.

Hugonem Gerardi Aquitanum, Gallum, Caturcenſem Epiſcopum, quod in ipſius cædem conſpiraſſet, Sacerdotio, & Epiſcopatu abdicare coegit, & omnibus Pontificalibus inſignibus, annulo, mitra, planeta, cappa, pileo, camiſiàque Romana exutum (degradatum vulgò dicunt) vt more maiorum in eum animaduerteretur, Curiæ ſeculari tradidit; cuius iudicio candentibus forcipibus laceratus, poſtremò combuſtus eſt, anno 1316.

Eccleſiam Toloſanam S. Stephani Archiepiſcopalem fecit, cuius Diœceſis opulentia Caſtella quinque Epiſcopatus, & Abbatiam vnam erexit, vt haberet Archiepiſcopus Toloſanus Suffraganeos, quibus cum dignitate præeſſet, factum hoc anno 1316.

In Archiepiſcopatu Narbonenſi, ex ſex Abbatijs, duas Epiſcopales ſedes fecit, anno 1316.

In Tarraconenſi Hiſpania, Archiepiſcopatum Tarraconenſem in duos diuiſit. Alteram ſedem Metropolitanam Cæſarauguſtæ locauit, eique ex 15. Cathedralibus Eccleſijs, Metropolitanæ Tarraconenſi quinque adduxit, anno 1318.

Abbatiam toto terrarum orbe venerabilem Caſinatem in Cathedralem erexit, anno 1319. quam poſtea Vrbanus V. in priſtinum reſtituit ſtatum.

Ita verò rebus nouis ſtuduit, vt & ſimplices Epiſcopatus bifariam diuiſerit, ac diuiſos in vnum redegerit, & Abbatias in Epiſcopatus, & rurſus Epiſcopatus in Abbatias conuerterit, nouas Dignitates, noua Collegia, & Societates in Eccleſijs conſtituit, ac conſtitutas prius in alias formam vertit.

Prælatorum omnium, Eccleſiarum Cathedralium, & Abbatiarum electionem à Collegijs, & Monachis ad triennium in ſe tranſtulit, idque multis annis continuauit: Hinc multa in Eccleſijs Schiſmata acta, cum Canonici, & Monachi iuri ſuo cedere recuſantes, quos ſibi paſtores deligerent, & Pontifex etiam alijs vacantes Eccleſias prouideret, Annatarum etiam ſolutionem triẽnalem indixit, & continuauit, frequentiſſimáſque Epiſcoporum tranſlationes fecit, quare infinitum penè theſaurum coegit; Moriens enim centies viginti quinque millia, ideſt viginti quinque auri milliones reliquiſſe, traditur. Tribunal duodecim Pontificis Capellanorum, quos Rotæ Auditores vocant, inſtituit, ad quos ex omnibus orbis Chriſtiani regionibus prouocatio eſſet.

ROTA Rom. inſtitutio.

Inter ſanctos Confeſſores duos Thomas retulit, miraculis claros, Thomam ſcilicet, Epiſcopum Herfordienſem, Anglum, virum nobilem genere, probatum moribus, iuris Canonici, & Theologiæ ſtudijs, & doctrina inſignem, anno ab eius obitu 38. fuit autem repoſitus inter ſanctos anno Domini 1320. & S. Thomam Aquinatem ordinis Prædicatorum, illuſtri familia ortum, Phyloſophum, & Theologum magnæ auctoritatis, & nominis, ob multas, quibus excelluerat, animi virtutes, qui migrauit ex hac vita in Cœnobio Ciſtercienſium Foſſænouæ, iuxta Priuernum, anno 1274. ætatis verò ſuæ 49. ex veneno, quod illi Regius Medicus Neapoli diſcedenti, officioſe oblato illi munuſculo præbuerat, vt Villanus narrat. Dicebat Thomas, malle ſe frui Chryſoſtomi libris in Matthæum, quam poſſidere, totuſque Lutetia Pariſiorum clariſſima Vrbe; idque ab Oldrado Iureconſulto, qui ſub hoc Ioanne, Aueniome viuebat, memoriæ traditum eſt, dignus ergo fuit, quem Ioannes in ſanctorum numerum referret, ob egregiam vitæ ſanctitatem miraculis multis illuſtratam, ob maximóſque labores in Theologia diſcenda, docendàq; perpeſſos, maius enim ingenium Europa à mille retro annis non tulit, vt non ſine cauſſa Demetrius Theſſalonicenſis, eius libros in Græcum ſermonem conuerterit, qui adhuc in Bibliotheca Vaticana cernuntur; in Catalogum igitur ſanctorum relatus fuit anno ab eius obitu 50.

SS. THOmę Epiſcopi Herfordienſis, & Tho. Aquinatis canonizatio.

Anno Domini 1321. Leproſi, conſpiratione facta, aquas fontium, & puteorum contaminant, vt omnibus morbo affectis, cuncta ipſi in Regno Franciæ occuparent, inchoauerant, & inter ſe ſe partiti fuerant, detecti & capti, ſupplicio affecti ſunt, ipſe præceptor, & maiores combuſti, & iſte ordo deſtructus.

LEPROſorũ quorundam ſcelus, & ſupplicium.

Michaël Imperator Græcorum Schiſma eiurauit anno 1322. promittens,

MICHAEL Græcorũ

Imp. Rõ. Sc. l. profitetur dogmate. BERNARDus Ptolemæus Alborũ Monachorum Montiſolueti auctor.

mittens, ſe ſeruaturum quidquid docet Sancta Romana Eccleſia, quam omnium matrem, & magiſtram profeſſus eſt.

Ordo monachorum Alborum Montiſoliueti in agro Senenſi reſtitutus ſub regula S. Benedicti; auctores habuit Bernardum Ptolemæum, & duos eius ſocios anno 1318.

Ordinem Grandimontenſem *, quorundam improborum nequitia labefactatum, reformauit. Monaſterium Grandimontenſe, quod hactenus ſub Priore fuerat, Abbatis titulo decorauit, cuius electio ad monachos ſpectaret, his, quæ ordini oberant amputatis, additiſq; conſtitutionibus quibuſdam, quibus ea Religio conſeruaretur integra, plures Abbatias, & Prioratus in eo ordine erexit anno ab eius initio 240.

** ORDINIS Militum Chriſti in Luſitania inſtitutio.*

Nouum ordinem Militum Chriſti in Luſitania *, aliàs Portugallia inſtituit: qui Sarracænis reſiſterent: cuius ordinis Caput, Marinum Eluenſis Diœceſeos oppidum à Rege donatum, ex militibus etiam Templariorum annuente Rege Portugalliæ conceſſa, quo liberius militiæ Chriſti vacarent, cuius ordinis cenſor, & moderator Ioachim Abbas Alcobacienſis Monaſterij Ciſtercienſis ordinis Diœceſeos Vlyſſipponenſis Vrbis, qui conſcribendi, & exauctorandi milites facultatem haberet: qui & Regi Portugalliæ iuramentum præſtare, & fidem ſeruare tenentur.

EXPEDItio in Agarenos pro recuperatione Terræ Sanctæ.

Anno 1330. Auenione in publico Cõſiſtorio, rogatu Regis Francorum Philippi, publicauit tranſmarinam expeditionem contra Agarenos, pro recuperãda Terra Sancta, eiuſque Ducem pronunciauit Regem Francorum, cui in ſex annos decimas Regni ſui conceſſit. Quas in alios vſus ſe non conuerſurum Rex, iuramento firmauit.

** DE CHRIſti, & Apoſtolorum paupertate Hæreſis.*

Occaſione hæreſis Fraticellorum *, & concionatoris cuiuſdam egregij nominis ex ordine Minorum *, qui Chriſtum, & Apoſtolos nihil in commune proprium habuiſſe, aſſeuerabat, declarauit eos Hæreticos, & pertinaces eſſe cenſendos, qui affirmarent, Chriſtum, eiuſque Diſcipulos nihil priuati, aut proprij, aut ſeorſim, aut in communi habuiſſe: præterea Hæreticum eſſe ſanxit, ſi quis affirmaret, Chriſtum, ipſiuſque Diſcipulos, ea, quæ habuiſſe ſacræ litteræ teſtãtur, vendendi, donandi, teſtandi, & acquirendi ius non habuiſſe; earum conſtitutionum litteras Apoſtolicas, ad Gymnaſia publica tranſmiſit, ne amplius ſcholaſtici diſputare de ea re auderent: damnauit in Conſiſtorio gloſſemma quoddam fratris Petri, quorum de numero multi ab Inquiſitoribus damnati, & exuſti fuere. Fuerunt alij ea cõgregationibus Minorum oppoſitam Ioannis Papæ ſententiam profeſſi, qui multas calamitates ab eo acceperunt. Fuere enim Maſſiliæ ob eam hæreſim de Chriſti paupertate, quatuor fratres Minores exuſti, anno 1323.

LVDOVIcus Rom. Rex, Fridericum eius aduerſariũ vincit.

Per id tempus Romanorum Reges duo creati fuere, quibus ad arma concurrentibus inito in Bauaria atroci prælio, victor Ludouicus * fuit, aduerſariumque Fridericum captum in cuſtodia tenuit. Eum tandem ea lege dimiſit, ne ille, in Germania dum viueret Ludouicus, in Italia Regni iura, & titulos obtineret.

PONTIfex in eos rebelles bellum renouat.

Pontifex nouum in Italiam Eccleſiaſticarum copiarum Ducem miſit, Raymundum Cardonam Hiſpanum, cum mille ducentorum equitum alis, & cum ſex mille peditibus, qui bellum aduerſus ſibi rebelles renouaret, tres Legatos miſit, qui iuberent, Ludouicum Imperij ditione excedere, neque eius iura violare, eum legitimum eſſe Imperatorem, haud quaquam eſſe affirmantes, nihil proinde in Italia iuris habere, quod ab Eccleſia non eſſet adhuc confirmatus, admirari verò ſe, cum ipſe auderet Hæreticis, & excommunicatis Vicecomitibus Mediolanenſibus auxilium præſtare. Eo reſponſo irritatus Ludouicus ſubſidium oppreſſis Vicecomitibus etiam inuito Pontifice miſit. Quod ægre ferens Pontifex Auenione in publico Conſiſtorio ad viij. Idus Octobris anni 1323. eum excommunicauit, quod munus Imperatorium, antequam id ſibi Eccleſia confirmaſſet, exercuiſſet, trium menſium ſpatio ei aſſignato, quo, & imperij iura deponeret, & coram Põtifice adeſſet, cauſſam dicturus, quod Hæreticis Eccleſiæ hoſtibus fauiſſet; Omnes verò qui eius a conſilijs eſſent, ſacerdotijs priuauit. Ludouicus a Pontifice ad Concilium generale prouocauit, & Oratores Auenionem ob eam rem miſit. Pontifex cenſuras renouans, Crucem contra illum prædicari iuſſit, magnas cruceſignatis indulgentias concedens, & eum Imperij titulis, Ducatu Bauariæ, tanquam Eccleſiæ hoſtem, & Hæreticorum fautorem priuauit. Ludouicus magnorum Germanorum Procerum conuentu habito, publicè Pontificis cenſuras neglexit, affirmans eũ legitimum Pontificem non eſſe, & ad Concilium generale Romæ celebrandum, & ad verum Chriſti Vicarium futurum appellauit.

MONEtur à Pontifice, & EXCOMmunicatur.

DVCATV Bauariæ priuatur.

PONTIFIcis cẽſuras negligit.

ENORmium delictorũ capita cõtra Pontificẽ, Auenionẽ miſſa.

Ioanni Papæ 36. hæreſis articulos Bauarus obiecit, ſimoniæ, & omnium enormium delictorũ, & eam prouocationem ſcripto comprehenſam Auenionem miſit; ea re Pontifex, & Eccleſia omnis maximè turbata eſt, ob eam rem Legatus in Italia Vrbis Romæ creatus eſt Ioannes Caietanus Vrſinus Cardinalis, qui Bauari Italiam ingreſſi coronationi obſiſteret. At Ludouicus Romanorum Rex deſignatus, numeroſo exercitu in Germania collecto, in Italiam initio anni 1327. venit; primo Tridenti Conuentum Longobardiæ Principum, & ciuitatum habuit, & in Ioannem inuectus, eum adulterinum Pontificem, Pſeudopapam, & Hæreticum appellauit, conſilio ductus aliquot Epiſcoporum, numeroſamque doctorum hominum claſſem ex omnium mendicantium collu... , qui Eccleſiæ hoſtes erant, ſecum habuit, qui eius ſententiam ſcripto, & diſputationibus tuebantur; præcipui fuere, Marſilius Patauinus, Ioannes Gandauenſis *, & Ocham, ordinis Minorum, & in Ioannis Papæ contemptum in ſuis officijs, quæ celebrari faciebat, eum anathematizari iuſſit, Presbyterum Ioannem per ludibrium vocans.

TRIDENtinus Cõuentus a Ludouico cõtra Põtificem habitus.

LVDOVIcus Romã tendit.

Ea re confecta, ad Vrbem Romam, pro diademate imperiali obtinendo iter adornauit; pecuniam, & commeatum parans. Ob eius in Italiam aduentum Populus Romanus nobiles omnes Vrbe expulit, ne eorum culpa ea denuo ſeditiones ſurgerent, quæ tempore Henrici Septimi Vrbem vexauerant, & nouo Reipublicæ corpore creato, Sciarram Columnam Principem populi conſtituunt, qui 52. hominum conſilio Vrbem regeret, & Legatos ad Papam miſerunt, vt Romam veniret, aliòquin ſe Bauarum, vt ſuum Principem ſuſcepturos, minabantur: Pontifex Populum per Legatos piè, & amanter monuit, ne eum Regem ſuſciperent, qui Eccleſiæ, & hoſtis, vt Hæreticus, & damnatus, & excommunicatus eſſet, ſe verò breui ab Vrbem venturum pollicitus eſt. Romani, Pontificis monitis neglectis, Bauarum per Legatos accerſunt. Vrbem eius fidei deuotam eſſe affirmantes. Tentauit Legatus precibus, pollicitationibus, Populum in ſuam ſententiam allicere, deinde cum non proficeret, aperta vi, & inſidijs Romanos ab eo propoſito auocauit.

SCIARra Columna Princeps Populi conſtituitur.

ROMAni, Pontifice neglecto, Ludouicum accerſunt.

LVDOVIcus Viterbiũ venit.

Bauarus ad Vrbem per Hetruriam tendens, Mediolano profectus, Caſtruccio Lucenſi Duce ſuarum copiarum conſtituto, Viterbium anno Domini 1328. acceſſit, vbi à ciuibus honorificentiſſimè ſuſceptus tamdiu manſit, quo ad Romæ tumultuantis ſtatum conſtituerent ij, qui eum accerſebant. Erant autem Sciarra Columna, Iacobus Sabellus, & Theobaldus Euſtachius. Hi Duces populi cunctos Guelphæ partis nobiles, & Vrſinos præſertim Vrbe exegerant, ne impedimento aduenienti Bauaro eſſent; is Viterbio cum quatuor mille equitibus iter mouens, ad vj. Idus Ianuarij Romam peruenit, & tanquam legitimus Princeps, & Imperator à Romanis honorificè ſuſceptus, concione populi in Capitolio conuocata. Nicolaus Fabrianenſis Eremita Auguſtinianus, excellens his temporibus orator, verba pro Imperatore facit, aduentus cauſſas exponens, & Populo gratias agens, de propenſo in Imperatorem animo, multa ei ſuo nomine pollicitus, diéque proximæ Dominicæ ſtatutus, quo ſollemniter Cæſar coronaretur. In eo Conuentu totus populi ſuffragijs Bauarus Vrbis Senator, ac Princeps in annuoi creatus eſt. igitur die Dominico ad xuj. Kalen. Februarij, Ludouicus Bauarus, Romanorum Rex, Romæ in Baſilica Vaticana * cum vxore, nouo ritu, coronatus eſt à quatuor ciuibus Romanis laicis, Sciarra Columna, Buccio Procello, Vrſo Vrſino, & Petro Montenigro, idque Populi conſenſu, ſtatimque de Pontificatu Ioannis XXII. abrogando conſilia habuit. Ad diem igitur xjv. Kalendas Martij, populo Romano ad concionem in area Baſilicæ Vaticanæ coacto, Caſtruccio Lucenſi Tyranno præſente, cum aliquot Epiſcopis, & Clericis multis Schiſmaticis adſtantibus, ipſe verò purpurea chlamyde, imperialibus ornamentis, erecto throno reſidente, Nicolaus Fabrianenſis ex Eremitico ordine Apoſtata, publicè ter excommunicauit Ioannem Papam; cuius cauſſam, cum nemo eſſet, qui tueretur, Abbas quidam Germanus vir doctus ſermonem habuit, cui initium fuit: *Sat eſt dies bonis nuncij*. In cuius fine lecta eſt ſententia depoſitionis Ioannis Papæ, cuius norma hæc fuiſſe traditur. [præſentem hunc iure Imperatorem, honoris Eccleſiaſtici, & populi Romani commodorum auidum, ex Germania paruulis liberis, & ditione relictis, Romam veniſſe, Orbis terrarum, & fidei Chriſtianæ caput, ſpirituali, temporalique ſede carentem, abſque intellexiſſe, Iacobum Caturcenſem, quondam adulterinum Pontificem, Ioannem XXII. vocatum, multa horrenda crimina, & præſertim hæreſim incurriſſe (cuius 36 articulos numerauit) propterea omnium conſilio a ſancta Petri ſede depellendum, nouumque legitimum Pontificem inſtituendum ſibi videri.] Eum igitur tanquam Hæreticum, & læſæ maieſtatis reum Pontificatu priuauit, & vt in eum animaduerteretur, dixit [eis verò, qui ei conſentiebant grauiſſimas pœnas inflixit, pollicitus, ſe breui optimum Paſtorem Eccleſiæ Chriſti daturum.] Ea ſententia Primores populi Romani admodum turbati ſunt, vilis plebecula gauiſa. per id tempus Iacobus Columna Stephani filius, Io. XXII. Papæ cenſuras contra Bauarum, quas nemo Romæ publicare, auſus fuerat, in area Baſilicæ S. Marcelli publicè legit, & valuis Templi affixit, inde celeri equo fuga lapſus, Præneſte abijt, eam ob rem Ioannes Papa ad ſe aſcitum Epiſcopum Lombantenſem creauit. Ad jx. Kal. Maij, Bauarus per præconem aſciuit 52. Vrbis, & plebis Tribunos, 25. Capitaneos, 13. Regionum Capita, & Senatores. Quibus congregatis leges promulgauit contra tunc Pontificẽ, propterea quem inter ſe populus Romanus delegiſſet, eiuſque ſucceſſorem, ne Vrbe, niſi per tres menſes, & longius, quam 50. millia paſſuum abeſſet, quod ſi diutius, & extra Vrbem abeſſe contigiſſet, id non niſi poſtulata venia fieri poſſe, aliòqui ei poteſtas ſit nouum Pontificem deligere, contumace depoſito. Iſtis iniqui propoſiti ſui fundamentis iactis ad iij. Idus Maij, vocata populi concione ad Baſilicæ Vaticanæ aream, in gradibus habita oratione à Nicolao Fabrianenſi, die Aſcenſionis, anno 1333. Pſeudopapam deſignauit quendam Fratrem Petrum Reinalutij de Vicongri Reatini Corbarioi, ordinis Minorum Apoſtatam, & Schiſmaticum, antea tamen optimæ vitæ, & morum habitum, quæ autem in iſto Schiſmate peracta ſint, infra narrabimus.

LVDOVIcus Romã venies honorificè à Romanis ſuſcipitur.

** LVDOVIcus Romanorũ Rex à Laicis coronatur.*

IOANnes Papa excommunicatur.

IOANnes Papa à Ludouico Pontificatu priuatur.

IO. PAPÆ cẽſuræ cõtra Ludouicum in valuis S. Marcelli affixæ.

FR. PEtrus Reinalutij a Ludouico Antipapa cõſtituitur.

Piſam,

Piſani, & Fabius Comes poſt reiectum Schiſma gratiſſimi deinde Pontifici fuerunt, & cuncta, quæ poſtulabant à Pontifice obtinentes, multis priuilegijs, & immunitatibus donati fuerunt. Piſani verò in Eccleſia principe in Pontificis verba iurarunt, ſacramento firmantes, hoſtes ſe omnium futuros, quos Eccleſia Romana, perduelles haberet. hac ratione omnia tam Antipapæ quam Bauari conſilia diſſipata ſunt.

Expeditio in Agarenos.

Pontifex duabus maximis curis leuatus, quod, & Schiſma ſuſtulerat, & Bauarus in Germaniam, relicta Italia, ad quam nunquam rediјt, abierat, inſtante Rege Francorum Philippo, cum ob eam rem biennio antea confici id non potuiſſet, expeditionem in Agarenos promulgat, conceſſis decimis, quæ Philippo ipſi ad expeditionem denuo darentur, non in alios vſus, conuertendis.

IACOBVS Aragonũ Rex ſacramẽtum fidei Pontifici per Nũcios exhibuit.

Iacobus Rex Aragonum fidei ſacramentum, pro Regnis Sardiniæ, Corſicæ, Pontifici per Nuncios exhibuit cum conditionibus à Bonifacio VIII. impoſitis.

QVAESTIO de viſione diuinæ eſſentiæ.

Per eos dies Ioannes Papa Auenione, eam tùm primùm quæſtionem mouit, An ſanctorum animæ è ſeculo migrantes, perfectè diuinam eſſentiam ante reſurrectionem videant, quod ipſe negare videbatur, affirmans eas tantùm Chriſti humanitatem contemplari, eaſq; non niſi poſt vniuerſalem ſententiam reſurrectionis, & iudicium, plenè, & clarè infinitam Dei bonitatem, eſſentiam, & naturam viſuras; ita, & contra de damnatorum pœnis diſputabat, affirmans earum ſupplicia ante vniuerſale Iudiciũ, imperfecta eſſe, iudicatorum verò longè atrociora. Quam ſuam ſententiam multis rationibus, ſanctorum Patrum auctoritatibus citatis confirmare conabatur. Hæc opinio, tanquam falſa, & erronea à maiore Cardinalium, & Theologorum parte damnabatur. Eam ob rem ipſe omnibus Theologis iuſſit, vt quid de ea ſentirent, diligenter inquirerent, & ſibi afferrent, affirmans ſe nihil niſi diſputandi gratia aſſerere, & nihil adhuc ſe determinaſſe; ex verbis tamen eius intelligebatur, eum contra perfectam ſanctorum viſionem ſentire, de qua re à Francorum, & Siciliæ Regibus benignè admonitus eſt, vt ab ea quæſtione quieſceret, cum muneris Paſtoralis non eſſet, quæſtiones ſuſpectas, & contra fidem Catholicam mouere, ſed veras docere, & falſa dogmata extirpare. Tantorum Regum monitis Cardinales gauiſi, Pontifici, & ipſi perſuadebant, vt ab ea quæſtione deſiſteret. Quæ nihilominus dum vixit, agitata eſt. Cauſſa demum decidenda erat, de nouo Imperatore in Bauari locum deligendo, qui aſſiduus, & moleſtus erat cum jv. nonas Decembris, ob eas, & alias res Conſiſtorium indixiſſet, nocte præcedente ante primum galli cantum exitiali profluuij vêtris ægritudine corripitur, Conſiſtorio omiſſo, eo die quieuit. Ad iij. nonas Decembris circa veſperas conuocatis Cardinalibus orationem de optimo Pontifice deligendo facit, Teſtamentum ſuum condidit, Eccleſiam, & propinquos ſuos Cardinales iјſdem commendauit. Cardinalium propinquorum monitis Bullam edidit, qua ſuam opinionem de ſanctorum Dei imperfecta viſione reuocauit, ne cum hæreſis ſuſpicione moreretur, affirmans, beatas animas è corporibus ſolutas, in cœloque degentes cum Deo clarè, & apertè diuinam eſſentiam contemplari, quantùm animæ conditio corpore ſolutæ permittit; & tandem hac opinione, quam de alijs diſputando dixiſſet, in omnibus ſe Eccleſiæ, & ſucceſſorum ſuorum Pontificum determinationi permiſit. Demùm reſeruationes à ſe factas ſuſtulit. Poſtridie ad pridie jv. Decembris poſt Sacra audita, & Euchariſtiam ſuſceptam, in crepuſculo diei, orans, & pſallens, die Dominico hora tertia Auenione, in palatio Apoſtolico ex hac vita, nonagenario maior migrauit, anno 1334. ſepultus cum magna funeris pompa ibidem in Cathedrali Eccleſię S. M. de Donis. Vacauit tùm ſedes dies 15. Ioannem Papã decẽ, & ſeptẽ auri milliones cuſos, & ſeptẽ ſeu octo rudes inelaboratos reliquiſſe traditur, quod nullus vnquam Romanus Põtifex fecit. Tantam porrò auri ſummam ea ratione collegit, quòd redditus primi anni omnium beneficiorum vacantium ſibi reſeruauit, & frequentibus collationibus, mutationibus, & tranſlationibus Sacerdotiorum, quas ipſe, vt ſimoniæ labem tolleret, frequentes fecit, immenſam auri vim illis medijs congerebat. Nam ſi opulentum aliquem Epiſcopatum vacare aliquando contigiſſet, nouo illum Epiſcopo, qui haberet fortè tenuiorem conferebat, & ad ditiorem transferebat, ita vt ſæpe acciderit, vnius Epiſcopatus vacantis occaſione, tres, aut quattuor tranſlationes fieri, & tranſlationum Annatas ſoluebant. His, & ſimilibus modis aurum collectum, quod ad ſacræ militię expeditionem ipſe affirmabat erogandum. Multum auri certè in Longobardicis bellis expendit, quo affines ſuos extolleret, & hoſtes Eccleſiæ Tyrannos deprimeret, & filium, ſiue nepotem ſuum Cardinalem Oſtienſem Legatum Bononiæ tueretur, cæterùm multùm gaudebat hoſtium interitu. In menſa, & ſtatu modeſtus, ciborum delicatorum haud amicus, in omni victu frugalis. Noctu, poſt orationem, ſacris ſtudijs vacabat, homo enim fuit perſtudioſus, & doctiſſimus, vt Petrarcha ª teſtatur, & vehementiore animo lectioni librorum inhiabat, alteram enim partem à negocijs vacuam huic ſtudio addixerat. Cæterum cum à legendo, & ſenium, & curarum varietas retardaret, gratiſſimus erat illi, quiſquis deſloratos, vt proprié dicam libros ſub breuiloquio perſtringeret, redigeretque in tabulas quas vocant, in quibus omne, quod ex libris quæreretur, facillimum eſſet inuentu. Ab hoc hominum genere Ioannes in primis ... lebatur. Extat Auguſtini Triumphi Anconitani volumen de Poteſtate Eccleſiaſtica editũ, dicatumq; Ioanni, Pontificatus anno quarto. Quem ſanè virum propter eruditionem, & in dicendo ſcribendóque perſpicuitatem Ioannes inſigniaſ: quo beneficio eſſet proſequutus, niſi mors nobilem excellentémque Theologum ſuſtuliſſet Neapoli octauo anno poſt id volumen Ioanni conſcriptum. Beneficia quæ contulit in patriam natalémque ſolum, hæc ferme ſunt.

IOANNES DE PECVNIA à Ioanne relicta.

IOANNIS Papæ Obitus.

IOANNIS opinio de viſione diuinæ eſſentiæ.

IOANNIS virtutes.

a l. 2. rerũ memorandarum.

IOANNIS pro gratia.

Iuris Ciuilis, ac Pontificij, aliarumque diſciplinarum publicam Academiam Caduræi inſtituit, vnde eruditi præclari viri, vtiliſque Reipublicæ prodierunt. Carthuſianorum Cœnobium ſtruxit, in eo loco, quem Templarij prius obtinuerant, id eſt ad ipſa Vrbis mœnia. Denique palatium ingens in editiore Vrbis parte ædificari curauit, & ad eius angulum præaltam turrim, quæ etiam nunc ſtat, retinétq; auctoris ſui familiare nomen, *Deſſa* enim adhuc vocatur. Porrò iuxta id palatium non ignobile opus extrui iuſſit Baſilicam Bartholomæo Apoſtolo ſacram.

B *Anno Domini* 1580. menſe Maio noctu capta eſt ea Vrbs, à Caluinianæ ſectæ militibus, direptaque ſunt Eccleſiaſtica vaſa, eaque ornamẽta in patriam collata, multis ſacerdotibus, aut oppidanis ferro cæſis. ſpoliatis omnibus Templis, priuatorumque domibus, ipſa quoque Vrbis Archiua, quibus vetuſtatis monumenta, rerúmque memoria aſſeruabatur, penitus intercidere.

Vir fuit Ioannes Papa paruus corpore, magnus, & acer ingenio, inuictus, iracundus, ac modeſtus, & in potu, victúque ſobrius: vt vir tantus in Italiam rediret, Itali omnes optauere, ipſéque Oldradus Bononienſis illum hortatur, vt Romam redeat, copioſè exponens, quamobrem è Gallia eum diſcedere, oporteret. Triennio ante mortem Magiſtris, ac diſcipulis Academiæ Pariſienſis conceſſit fructus, ac prouentus beneficiorum Eccleſiaſticorum, etſi in eis non reſiderent, idque priuilegium dedit jv. nonas Nouembris, ſed id Clemens VI. iij. nonas Martij Pontificatus anno quarto in ſeptennium tantùm extendit.

C

ARCVLA lignea fratri Petro de Aloma cũ brachio manuque ſancti Io. Baptiſtæ, tradita.

Anno Domini 1325. Angelus, vt creditur, peregrini habitu ſimulato Arculam ligneam, varijs elogijs Græcis, & emblematibus ornatam fratri Petro de Aloma, ſecreto cuſtodiendam dimiſit, qui vir probus, & pius habebatur, in qua brachium ſiniſtrum, cum manu S. Ioannis Baptiſtæ continebatur, interim dum ipſe peregrinaretur ad S. Iacobum Compoſtellanum, cuius nulla poſtea extitit viui nec mortui, licèt diligenter conquiſiti, memoria. Theſaurum igitur patefactum in Conuentu Prædicatorum Perpinianenſi, cuius ipſe erat familiæ, repoſuit, & donauit, multis miraculis editis, in confirmationé eius veritatis: per literas autem Ioãnis XXII. & Benedicti XI & breue Benedicti XIII. anno Pontificatus ſecundo conſtat de ipſius brachij fide, & quod igni ſubiectus non fuerit exuſtus, neque vlla ex parte læſus. Cardinalis Albanus Legatus Apoſtolicus, hoc ſignum euidens conſpiciens, illum fecit in honoratiorem locum reponi, vbi à Chriſtiano populo. ſumma veneratione colitur.

D

b l. 6. rerũ ſenilium Epiſtola ad Brutũ.

Vltimo Pontificatus Ioannis anno, tantus Auenione, & finitimis locis cœli feruor inualuit, vt ferè omnes vmbilico tenus nuda plebalis atque miſerabilibus verbis, pluuiam, atq; aëris temperiem precarentur. Vnde Petrarcha, ᵇ [*Memini* (inquit) *tunc pene omnium, omnis ſexus atque ætatis vultus, colla, & manus, cutem quaſi ſquamas quaſdam more ſerpentum exuiſſe, vt ſi quis rarus ardoribus illis inuiolatus obſiſteret, non tam carneus, quam ferreus putaretur.*

Ioannes XXII. frequenter ſacris operabatur, facilis in audiendis ſententijs, quas ſubitò abſoluebat, firma corporis valetudine fuit, doctrina, & prudentia inſignis, magnorum rerum appetens, & iuris Eccleſiaſtici acerrimus defenſor, cuius tuendi gratia, toto ſui Pontificatus tempore multa in Italia bello conquiſita moriens propinquis chariſſimis reliquit.

VIRI illuſtres ſub Ioann.

Vixerunt ſub Ioannis Papę XXII. Pontificatu viri pietate, & doctrina clariſſimi, quorum monumenta ſuperſunt.

E

Guerricus Germanus Abbas Igniacenſis, Landulphus Saxo Germanus ordinis Carthuſienſis.

Ex ordine Prædicatorum Durandus de S. Portiano Gallus, Anicienſis Epiſcopus, defenſor ſcriptorum S. Thomæ Aquinatis, poſtea acerrimus oppugnator. Rupertus Holkot; Petrus de Palude Gallus, Patriarcha Hieroſolymitanus; Bartholomæus Piſanus; Albertus Raymundus.

Ex ordine Minorum, Odericus vir ſanctus; Franciſcus Mayronis; Ioannes Canonicus; & Aluarus Pelagius Hiſpanus *, qui librum edidit, pro Ioanne XXII. à quo valde dilectus eſt, de Planctu Eccleſiæ *; Okam ſcripſit contra Ioannem XXII. & tutatus eſt Antipapam; Scoti magni ſui acerrimus oppugnator, obijt in Baioaria pœnitens anathemate ſolutus: item Aſtelanus Aſtenſis; & Monaldus Vrbeuetanus; Ioannes de Blondiades Germanus.

F

Ex ordine Eremitarum ſancti Auguſtini, Auguſtinus Triumphus Anconitanus; Henricus de Vrimaria Germanus; Hermannus de Schildes Anglus; Bartholomæus Viterbienſis; Ioannes de Alotio.

Alij viri Gilbertus de Boka Geldrenſis, Petrus Perpinianẽſis Hiſpanus, Herueus de Brio Britto, Ioannes de Regno Toloſanus, Ioannes Andreas Bononienſis, iuriſconſultorum ſui temporis princeps Canonum pater, & rerum dubiarum certus interpres.

Moritur etiam Dantes Rauennæ anno Domini 1321. * dignus ille quidem perpetua hominum recordatione ob excellens, & veriamens ingenium.

ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

¶ *Ioannes XXI. dictus XXII.*] Platina XXIII. Panuinius in Epit. & in Chron. XXI. dictus XXII. Petrarcha lib. 2. Rerum memorab. in fine, & Suarez loco citato infra XXII.

* *Carpentorati ...... ſepulto.*] Diſſentit à ſeipſo Ciaconius: cum hic Clementis vita functi corpus Carpentorati tumulatum dicit; nam in eius vita, cum Panuinio, in ignobilis villulæ æde S. Mariæ de Vzeſta humatum ſcripſit.

* *Ex compromiſſo.*] A 22. Cardinalibus Panuin. in Chron. & in Epitome, poſt longam viginti trium Cardinalium altercationem, Platina Iacobum ...... Caturcenſem in Pontificem electum ſcribit; apud vtrumque de compromiſſo ſilentium: Bzouius, tom. 14. de compromiſſo nihil omnino: à Cardinalibus Pontificem deſignatum dicit: idem Chronicon Magnum Belgicum, ad annũ 1316. At recentiti interiùs, qui dicunt, Iacobum ſe ipſum delegiſſe, affirmant, Cardinales omnes dixiſſe, ſe illum pro verò Pontifice ſuſcepturos, quem Iacobus creaſſet.

* *Seipſum Papam ...... dixit.*] Hoc ſcriptum à Ioan: Villaneo lib. 9. hiſt. cap. 79. à D. Antonino (Villanei in multis hiſtoricis narrationibus aſſecla) part. 3. hiſt. tit. 21. cap. 4. à Nauclero Generat. 44. à Mariano Flor. lib. 4. cap. 5. Faſc. Chron. ordin. Seraph. à Maſſono in Ioanne XXII. à Ioan: Pineda in Monarch. Eccleſiaſt.

* *Nauigio ..... pedibus.*] An hoc verum, alij iudicent. Platina nihil de callida pollicitatione loquutus, Ioan: Lugduni coronatum Auenionem, cum Curia, profectum dicit.

* *Vrbe interdicto ſuppoſita, & excommunicata.*] Vniuerſa ciuitas non plectitur anathemate: quando in illa nonnulli innocentes reperiuntur: interdicto verò etiam innocentes, ob ſcelus Principis, afficiuntur, verbum *excommunicata* ab auctore, viro docto, ſcriptum non puto: mendum Typographi, aut ſcriptoris dixerim.

C * *Librum 7. Decretalium Clementinarum.*] Clementinæ non dicuntur ſeptimus Decretalium, à Ioanne XXII. in quinq; libros ſunt diſtributæ, eas Clemens V. ediderat: præfationem, ſeù proœmium in illas, bullam Ciaconius, cum Pontifice, vocat, præfatio illa, ſeu epiſtola data Auenione Kal. Nouemb. Pontificatus Ioannis ſecundo.

* *S. Trinitatis.*] Olim quibuſdam in locis ſanctiſſimæ Trinitatis feſtiuitas in Octauis Pentecoſtes, in alijs, Dominica prima ante Aduentum: in Eccleſia Romana peculiariter non celebrabatur: quia quotidie ferè dicitur *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*, & alia ad Trinitatis laudem ſpectantia: teſte Alexandro III. cap. *Quoniam de Ferijs*: & quamuis omnes dies Dominici ad peculiarem eiuſdem Trinitatis honorem inſtituti ſint; vt tamen tanti myſterij expreſſior memoria recoleretur; Io: XXII. in Romana Eccleſia peculiare feſtum inſtituit. Vide Suarez lib. 2. de diebus feſtis c. 4. in fine.

D * *Hugonem.*] Ex Platina: de eadem re Card. Aegidius Viterb. in m. s. hiſtor. 20. ſecul.

* *Duos Thomas ..... miraculis claros.*] S. Thomam Epiſcopum Herfordienſem Ioannes XXII. ſanctorum Catalogo inſeruit, anno 4. (1320) 15. Kalend. Maij, D. verò Thomam Aquinatem, anno 7. (1323.) 15. Kal. Aug. Auenione. Canonizationis vtriuſque litteras habes in prima Bullarij parte, Ludouicum etiam Siciliæ Regis filium, ordinis Seraphici, Epiſcopum Toloſanum, Auenione, anno 1. (1317.) vij. Idus Aprilis cum cælitibus recenſuit. Vide Bullarium loco citato *Sol oriens, &c.*

* *Ordinem Grandimontenſem.*] Vide Platinam in Io: XXII.

* *Nouum ordinem militum ..... in Luſitania.*] *Aduerſus Bætica Mauros; cui ordini Templariorum bona tradidit.* Card. Aegidius loco cit. Bætica Granata noſtro æuo. Vide Plat. in Io: XXII.

E * *Hæreſis Fraticellorum.*] Conſtitutionem, qua Bizochi, Beguini, & Fraticelli damnati ſunt, habes tomo 1. Bullar. *Glorioſam, &c. Dat. Auenione x. Kalen. Febr. anno* 2. 1318.

* *Minorum Congregationes.*] Platina in Io: XXII. hæc habet. *Damnauit ...... gloſſulam quandam Fr. Petri ordinis Minorum, qui Conuentũ quendã tertij ordinis ad imitandum Chriſti paupertatẽ aſ immauerat, quorũ de numero multi damnati, & exuſti fuere.*

* *Ludouicus.*] De Ludouico Bauaro in Imperatorem electo nõnulla Albertus Pighius lib. 5. cap. 14. Aſſertionis Hierarch. Eccl.

* *Ioannes Gandauenſis.*] Marſilium tantùm, & Ockam, Pſeudotheologos in tuendo Bauaro præcipuos nominat Pighius loc. cit.

* *Romanorum Rex .... in Baſilica Vaticana.*] Apud ædes Laterani, Ludouicum Bauarum à Stephano Columna, iuſſu Cleri, Populiq; Romani, corona donatum, ſcribit Platina, in Io: XXII.

F * *Chriſtus, & eius Apoſtoli.*] Extrauag. *Cum inter nonnullos, &c.* de Verb. ſignif. Io: XXII. ſententiam dicentem, Chriſtum Dominum, eiuſque Apoſtolos in ſpeciali non habuiſſe aliqua, nec in communi, erroneam, hæreticamque cenſendam fore, de Fratrum ſuorum conſilio, perpetuo declarauit edicto. Michaëlem de Ceſe na miſerè errantem confutauit, datis ad eum litteris, & ad pœnitentiam hortatus eſt, anno 1331. Perpiniani, poſt Capitulum generale, Gerardus Odonis, generalis Miniſter ordinis Minorum: litterarum initio reſipiſcentiæ, & ſalutaris pœnitentiæ ſpiritum ei deſiderat. [V. D. Ant. p. 4. tit. 22. c. 4. §. 21. Io. de Turrecrem. l. 2. Sum. de Eccleſia cap. 112. ad 10.]

* *Expeditionem in Agarenos.*] *Inſtante Rege Franciæ, expeditionem in Sarracenos promulgat.* Platina.

A * *An ſanctorum animæ ...... diuinam eſſentiam ...... videant.*] De hac re Card Bellarm. lib. 1. cap. 2. de SS. beatitudine, & lib. 4. cap. 14. de Rom. Pontif. Greg. de Valent. tom. 2. Com. in D. Tho. Diſp. 1. quæſt. 4. par. 2. D. Thom. 1. 2. quæſt. 4. art. 5. Alph. Caſtrenſis, lib. 3 adu. Hæreſes. Vide etiam Innoc. III. cap. Maiores extra de Baptiſmo, & eius eff. & cap. Apoſtolicam extra de Presb. non baptizato. Victorinus martyr, in 6. cap. Apoc. ſanctorum animas ſub terra eſſe, dixit, & in nouiſſimo die eorum remunerationem venturam: at huic martyri in ſuis libris eruditionem, non eruditionis voluntatem, defuiſſe, ait S. Hieronymus epiſtola ad Magn. Orat. Rom. errarunt alij in hac re, Lactantius lib. 7. cap. 21. Diu. inſtit. ſanctorum animas in communi cuſtodia, vſque ad extremi Iudicij diem detineri; Tertullianus lib. 4. contra Marcionem, & lib. De anima, eaſdem ſanctorum animas in receptaculo, ſinu Abrahæ ab eo vocato, vſque ad eundem Iudicij diem reſeruari, falsò, dixerunt.

B At animas ſanctorum in cælum recipi, docuerunt, ante Io: XXII. Vrbanus IV. Clemens IV. Gregor. X. Nicolaus III. Nicolaus IV. & alij, litteris ad diuerſos datis; quibus Orthodoxæ fidei veritas paucis explicatur. Nicolaus IV. huiuſmodi litteras dedit pro Tartaris, ad Yaulaham Epiſcopum in Oriente, anno 1. vij. Idus Aprilis, ad Dionyſium etiam Epiſcopum, necnon deinde ad Vroſium Sclauorum Regem. quas ex Reg. Vatic. Vvaddingus excripſit, verba ego Clementis IV. refero, à quibus, quæ alij dixerunt, non diſſentiunt. Michaëli Palæologo Græcorum Imperatori litteras *Magnitudinis tuæ litteras, & viros, &c.* ſcripſit Clemens, propagationis fidei cupidiſſimus, in ijſque fidei, ſeu credendorum teſſeram, ſiuè inſtructionem inſeruit; illius initium *Et quidem credimus ſanctam Trinitatem, &c.* in ea de cæleſti ſanctarum animarum gloria hæc habet. [*Illorum igitur animas, qui poſt ſacrum Baptiſma ſuſceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ poſt peccati*

C *contractam maculam, vel in ſuis manentes corporibus, vel iiſdem exutæ, prout ſuperius dictum eſt, ſunt purgatæ, in cælum recipi: illorum autem animas, qui in mortali peccato, vel cum ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas eadem S.R.E. credit, & firmiter aſſeuerat.*] Litteræ datæ fuerunt Viterbij jv. non. Martij, anno Pontific. 3. eodem die ſcripſit Clemens ad Græcorum Patriarcham; litterarumque ad Imperatorem datarum mentione facta, hominem, vt Imperatorem, & Græcos alios ad fidem in Miſſa inſtructione expreſſam profitendam inflammauit. Verba ſuperiùs allata *Illorum animas, &c.* Concilium Florentinum ſapientiſſimè vſurpauit. Innocentius III. locis citatis, eandem Catholicam veritatem tradere viſus eſt: at poſt Ioan: XXII. Benedictus XII. illius ſucceſſor, eam clariùs expreſſit, Extrauagan. *Benedictus Deus*; quam leges apud Alphonſum Caſtrenſem lib. 3. contra Hæreſes, Verbo *Beatitudo*, hæreſi 6. Concilium Florentinum [V. etiam Côc. Trid. ſeſſ. 25.]

D pauca addidit verba rem clariùs explicantia.

* *Opinionem de SS. Dei imperfecta viſione reuocauit.*] Conſtitutionem, qua ſententiam reuocauit, à Io: editam fuiſſe non aſſeruit, loc. cit. Card. Bellarm. ſed, ex Io: Villano, pridiè antequam migraret è vita, partim explicatam, partim reuocatam ſententiam abillo fuiſſe. [Li. 11. cap. 19. Hiſt.] Benedictus XII. apud Caſtrenſem dicit, Ioannem, cum ſe ad deciſionem concertationum Theologorum in quæſtione de viſione animarum ſanctorum ſe pararet, morte præuentum id perficere non potuiſſe.

* *Pridie ix. Decemb. nonagenario maior migrauit ann. 1334.*] *Anno nonageſimo ætatis*, ait Platina. Pridie nonas Decemb. anno 1334. Panuinius in Epitom.

* 17. *auri milliones cuſos, 7. aut 8. rudes.*] Tantam auri vim Io: in Theſauris reliquiſſe, ait Platina, quantam nullus ante ſe Pontifex, decies, & ſepties aureorum florenorum centena millia in Pontificio

E ærario ab eodem Ioanne relicta, dixere Genebr. lib. 4. Chronog. & Maſſonius lib. 3. An. Franc. in Philippo; *cum argentum*, ait hic, *aurumque impendiſſet Italicis bellis.*

* *Vt Petrarcha.*] Lib. 2. Rerum Memorab. cap. 5. in fine; qui ait. *Homo perſtudioſus, &c. huic lectioni librorum inhiabat; alline ſimultates acerbas, & inextricabiles agens cum Imperio Romano, alteram vitæ partem huic ſtudio deuouerat.* Duas deinde refert vias, quibus, Pontifice Ioan. XXII. multos ab extrema inopia ad magnas diuitias raptim peruenisse, viderat.

* *Magnus, & acer ingenio.*] Cardinalis Aegidius Viterbien. [In hiſt. 20. ſec. m. s.] Io: XXII. nouarum rerum cupidum iudicauit, ad idque natum, vt iuncta ſeiungeret, ſeiuncta coniungeret; & tardum à nonnullis appellatum, ſcripſit. De huius Pontificis ingenio, & moribus Petrarcha, lib. 2. cap. 5. Rerum Memorab. & ex eo Maſſonius lib. 3. An-

F nal. Franc. in Philippo VI.

* *Aluarus Hiſpanus.*] Aluarus Pelagius, ſcriptor voluminis de Planctu Eccleſiæ; quem fuiſſe Cardinalem, opinatus eſt Marianus Flor. lib. 4. cap. 5. 9. Faſcic. Chron. Ordin. Seraph. m. s. in cuius ſententiam ibunt perpauci. Petrum Aureolum à Ioan: XXII. inter Purpuratos adſcriptum, dixerunt nonnulli, & Franciſcus Gonzaga Epiſcopus Mantuan. de Origine, & progreſſu ordinis Seraphici, par. 3. in Prouinciæ Aquitaniæ antiquæ, conu. 2.

* *Ockam.*] Io: Trith. in Norica prouincia, quæ Bauaria nunc dicitur, in Conuentu ordinis ſui ſepulcrum Ockamum, dicit, monachi jis tumulum habuit: ibique ex hac vita ceſſiſſe dicitur à quibuſdam

anno 1347. ſtipendiarius doctor dictus fuit Ockamus, à Pighio, & à Geneb. conductitius Pontificis oppugnator.

Cap. 4.

* *Dantes Rauenna moritur, anno* 1321.] Rubeus lib. 6. hiſtor. Rauen. ætatis ſuæ, vt idem ait, 56. vel, vt alijs placet, 61. Genebr. lib. 4. Chronog. Hunc Petrarcha lib. 2. Rerum Memor. virum vulgari eloquio clariſſimum, ſed moribus parum nuncupat, & oratione liberiorem, quàm delicatis, & ſtudioſis illius ætatis Principum auribus, oculiſque acceptum foret; exul à patria apud Canem Magnum, Veronenſem, communiſ tunc afflictorum ſolamen, & perfugium, aliquando verſatus Dantes; in Pontifices, & Clerum calamum ſtrinxit, odio hoſtium potius, cum Ghibellinæ factionis eſſet, quàm veritatis ſtudio. Card. Bellarm. teſte, cap. 14. Appendicis ad libros de Rom. Pontif. Ad Guidonem Polentonum confugerat, Rauennam, à quo ſæpè Legatus miſſus fuerat ad Venetos: & cum, mente Quinctilis, obijt, à Veneta legatione redierat; honorificè, Rauennatibus omnibus lugentibus, elatum eius cadauer, & nobili tumulo honoratum, quem vetuſtate collabentem Bernardus Bembus, Petri Cardinalis pater, reſtituendum curauit.

Petr. l. 2. — Rube° l. c.

Ioan. XXII. Ludouici Hutini, Philippi Pulchri filij, ope Pontificem max. creatum, ſcripſit Genebrar. lib. 4. Chronog. Ludouicus, Philippo adhuc viuente, matre defunctâ, Rex Nauarræ Pampelonæ coronatus eſt. Vaſæus in Chronic. Hiſpan.

Idem l. c.

Idem Ioãnes Toloſanum Epiſcopatum in ſex Epiſcopatus ſecuit, & Toloſæ ſedem Metropolitanam eſſe, voluit; Pictauienſem in tres, Geneb. loc. cit. Vladiſlaum Poloniæ Principem regio titulo inſigniuit, auctor fuit, vt fideles, ter ſingulis diebus ſacri æris ſono ad Dei Matrem, Angelica ſalutatione venerandam, excitarentur. Polydor. Virgil. lib. 6. cap. 12. de Inuent. rerum, Genebrar. loc. cit. Eduardum II. Angliæ Regem monuit, vt onera Hybernis, contra Apoſtolicæ ſedis voluntatem, impoſita corrigeret, tom. 1. Bullarij. *Paternum amorem.* Legem tulit contra immolantes dæmonibus, aut reſponſa, opèmue ab ijs petentes, librôſque de hac re habentes. Rotæ Auditoribus leges dedit; eiſque formulam iuriſiurandi præſcripſit; quâ illi, antequam munus ineant, ſe deuinciant. *Ratio iuris exigit, &c.* Docuit, imperiali ſede vacante, ad Romanum Pontificem, cui, vt ipſe affirmat, in D. Petro, terreni, & cæleſtis Imperij iura Deus commiſit, iuriſdictionem, regimẽ, diſpoſitionemque Imperij deuolui: in eaque Conſtitutione Romanam Eccleſiam ſponſam ſuam vocat. Ringat Pleſſæus, aerem feriat, rectiſſimè Romanus Antiſtes, quia Chriſti vices gerit, aperit, clauditque Cælum, illius Eccleſiæ ſponſus dicitur, cuius Chriſtus ipſe primarius ſponſus eſſe voluit, vt alibi dictum: ſectam Fraticellorum, qui ſe ex tertio S. Franciſci ordine dicebant, deleuit. De relig. dom. vt Caſtellæ Regis filius facilius à Granatæ finibus pelleret Agarenos, anathemate eos percelleſe, voluit, qui ad eos venta deportaſſent, Rit. de Iudæis, & Sarrac. Habitauit Ioannes Aueniõe in ædibus Epiſcopalibus; in fine Extrauag. *Si fratrum* legimus. *Dat. Auenione in domo Epiſcopali 17. kalen. Aprilis anno* 1. Clemens V. Palatium patrum Dominicanorum incoluit: vt obſeruauit Soareſius, ex actis m. ss. cauſſæ Bonifac. VIII. Ioannes ædibus Epiſcopalibus alias vicinas addidit.

to. 1. Bull. ſi per alia ſpecula. — Extrauag. ſi fratrum. Ne ſede Vacant. — Extr. Sancta Rom. — Ext. Compoſuit.

Excanduit inſaniens in Ioannem Mornæus, multa euomuit putida, falſa, & hominis ingenio indigna, ea diluunt Coquæus in Antimornæo, & Gretſerus cap. 58. Exam. Myſt. Pleſſæani Duplex, inter alia, effrons mendacium protulit, dixiſſe, Ioan. Pontificem, nunquam à Chriſto datum fidelibus conſilium, vt ſua bona relinquerent, Apoſtolos paupertatem nunquam vouiſſe. neque hoc, neque illud dictum, vel cogitatum à Ioan. de Controuerſijs Ioannis cum Ludouico Bauaro inſulsè deblaterat, vide Gretſerum, ſi libet, earum Controuerſiarum æſtu feruente, Romana Vrbs, quam Ludouici, à Romanis, inuito Pontifice, coronati milites occupabãt, interdicti Eccleſiaſtici pœnâ ſubijci adigebantur, contra ius, ad ſacrificandũ Sacerdotes.

V. Gretſer. loc. cit.

Templi S. Tryphonis Præſes D. Auguſtini inſtituti profeſſor, cũ ſibi ſubiectis Sacerdotibus, interdicti legem violare conſtantiſſimè renuit; quare captus, atque è trabe pendulus leonibus quaſi ab ijs rapiendus fuit expoſitus; Romano è Saxorum familia Romanæ prouinciæ Præfecto teſte, tunc Eccleſiæ, Vrbis, ſacrarumque rerum, calamitatem deplorante: ex quo, his verbis, loquitur Aegidius Cardinalis Viterbienſis. [*Scribit, ſub Capitolio locum fuiſſe, vbi leones ad Vrbis ornamentum alerentur; affixus hoc loco S. Tryphonis Præſes alta de trabe pendebat, ita librata trabe, vt paulatim deſcenderet, donec propior leonibus redderetur, inſiliebant præda auidi Leones, pendulas veſtis lacinias rapiebant, hominis fortitudinem, conſtantiam cum vidiſſet Pontifex, ordini meo nihil non cõceſſit; quippe qui, Italia rebellante, deficiente Vrbe, deſciſſente Clero, vnus Eremitarum ordo, & in fide perſtaret, & Pontificis Decreta, Danielis more, in ipſis leonum faucibus obſeruaret.*] Hæc ille.

In M. S. Hiſtor. 20. ſecul.

Multa alia, Io. Pontifice, acciderunt doctorum virorum oculis digna; quæ breuitatis ſtudioſi hic non deſiderabunt: ſed ab alijs ſcriptoribus haurient. Beata Agnes Politiana Dominicani inſtituti virgo clariſſima, hoc Pontifice ſedente, abijt in cælum, eam Clem. VIII. anno 1601. 10. Pontific. die 23. Februar. litteris ad Henricum IV. Francorum Regem, ſub Annulo Piſcatorio, datis, cum Chriſto regnare declarauit, Bernardinus Stephonius, Societatis Ieſu præſtans orator, in æde S. Mariæ ſupra Mineruam, Cardinalium conſeſſu audiente, luculenta oratione laudauit.

1317. — An. 1602.

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI
Societatis Iesv.

CVM diu iacuiſſet in luctu viduata Paſtore, Romana Eccleſia, tandem vij. ſeu viij. Idus Auguſti anno non 1315. neque 1317. ſed 1316. vt patet ex recta annorum ſupputatione, omnium Cardinalium ſuffragijs in Romanum Pontificem electus Iacobus Epiſcopus Portuenſis, Ioannes XXI. ſeu XXII. dictus eſt. Quem Ptolemæus Lucenſis hoc elogio exornat: *In Dominum Ioannem conſenſerunt virum ardentis ingenij, & in Iure Eccleſiaſtico, ac Diuino valde peritum.* Scribit Ciaconius, alijque dolo ad Petri ſedem irrepſiſſe, adeo vt, cum ipſi à Cardinalibus 23. ex Ptolemæo, & Panuinio, ex Ciaconio 22. reuera à 19. Cardinalibus deſignandi, Pontificis optio, iuſque data eſſent, ſemetipſum conſilio Neapoleonis Vrſini Pontificem renunciauit. Verùm, vt Neapoleonem Ioanni ad Pontificatum illi deferendum ſtuduiſſe, ac plurima apud ipſum gratia valuiſſe non negamus; ita rem hanc ab inuidis iactatam non leue argumentum eſt. Cum Ludouicus Bauarus, alijque Ioannis hoſtes infenſiſſimi, in illis aduerſus ipſum inuectiuis acerbiſſimis nunquam ea obiecerint, quæ ſanè ſi nixa fuiſſent veritate, vt illum ambitionis nimiæ notarent, non prætermiſiſſent. Neque etiam, ſi ita res ſucceſſiſſet, Ioannes libera, & conſtanti voce denunciaſſet toti Orbi ſe à Pontificatu oblato omnium ſuffragijs conſentientibus abhorruiſſe, atque adeo ancipitem hæſiſſe, an humeros oneri ſubduceret, vt encyclicæ litteræ, quas reſcripſit in Annalibus Eccleſiaſticis Odericus Raynaldus, apertè docent; aliæque ad Archiepiſcopum Rhemenſem datæ demonſtrant. In his enim legimus. *Tandem die ſeptima menſis Auguſti in loco fratrum Prædicatorum Lugdunen. in quo reſidebamus, in ſimul pro præfato electionis negocio fuiſſemus in loco ſolito congregati; benignus ſapiens ſpiritus noſcens tanta molimina, tam prolixa ipſius Eccleſiæ viduitati piè cõpatiens cum eam nollet vlterioris viduitatis incommodis ſubiacere, fratrum Prædicatorum corda ſic adduxit ad ſpiritus vnitatem, quod mira Dei, & Nobis nimirum ſtupendo conſilio ad imbecillitatem Noſtram oculis dirigentes, Nos tunc Portuenſem Epiſcopum ad ſuſcipiendum onus Nobis ex humano defectu importabile, curam videlicet vniuerſalis gregis Dominici concorditer, nemine diſcrepante in ſummum elegerunt. Nos autem difficultatem officij Paſtoralis, continui laboris anguſtias, & excellentiam dignitatis Apoſtolicæ infra Noſtra præcordia recenſentes, Noſtrarumque metientes virium paruitatem, timore, ac tremore concuſſi vehementer hæſitauimus, nec indigne. Quid enim tam timendum, tamque pauendum, quam fragilis labor, indigno ſublimitas, & dignitas non merenti? verumtamen poſt eiuſdem vacationis tam diffuſa, & diſpendioſa tempora obſtinata contradictionis reluctatio profuſioris diſpendij occaſionem induceret. Nos quoque de Noſtra, quam Noſter nobis animus atteſtatur, inſufficientia deſperantes, humiles Noſtros ad montem illum conuertimus oculos, vnde Nobis ſpe multa promittitur auxilium opportunum; ſicque de ſuperabundantia illius omnipotentia concepta fiducia, cui, cum voluerit, ſubeſt poſſe, nec non de ipſorum fratrum Noſtrorum eminenti ſcientia, induſtria circumſpecta, & experientia multa in agendis comprobata confiſi, quorum ſano conſilio dirigi ſperamus in dubijs, & fulciri ſuffragijs in aduerſis, in humilitatis ſpiritu conſenſum præbuimus electioni prædictæ, tantique oneris ſarcina imbecilles expoſuimus humeros debiles, miſimus manus ad fortia, & colla Noſtra huiuſmodi iugo ſubmiſimus Apoſtolicæ ſeruitutis, ſuppliciter implorantes, vt ipſe, qui per huiuſmodi vacationem in maris mundi huius altitudinem Nos deduxit, non patiatur Nos ab ipſius tempeſtate demergi, &c.*

Bernardus Guido in chrõ. m. s. — And. Victorellus Addition. ad Ciacõ. — Iacobus Epiſc. Portuenſis ad Pontificatum euehitur. — Cardinalium ſuffragijs electus. — Oder. Raynald. in Annal. Eccleſiaſtic. — Felix Cõtel. in Elẽch. Card.

Iam ante Ioanni ſupremam dignitatem in Eccleſia prædixerat Deipara Virgo; rem narrat Ioannes Baptiſta Lezana in libro inſcripto, *Maria Patrona*, his verbis. *Erat prope annum 1315. inter Purpura inſignitos patres Cardinales, vnus Iacobus Oſſa Gallus Caturcenſis in Aquitania natus, fortuna humilis, corpore paruus, prudentia tamen, ingentique doctrina præſtans, corde magnus, acris, & ſolertis ingenij. Hic cum grauiſſimis difficultatibus ſummi Pontificis electionem irretitam eſſe illo Interpontificio, ſedeque Vacante videret, ad gratiæ thronum, & miſericordiæ aſylum beatiſſimam Virginem deuotè orando recurrit. Aſtitit ergo Angelorum Regina, & Papatum promiſit.*

Deipara Virgo Põtificatum prædicit Ioanni.

Commentum pariter inane videtur ipſum Neapoleoni Cardinali Vrſino ſacramento ante ſe aſtrinxiſſe nunquam mula, vel equo vectum iri, niſi Romam ſe conferret, promiſſa verò cauillo eluſiſſe, nec in poſterum iter niſi pedibus, aut flumine confeciſſe.

Falſum commentum de Ioanne.

De ſuſcepto Pontificatu certiores illico fecit totius Orbis Chriſtiani Præſules encyclicis litteris, quibus ipſos ad inſtruendos, & paſcendos probè populos, ac patienda Apoſtolatus onera adhortatur. Alias quoque tranſmiſit ad Ludouicum Bauarum, ac Federicum Auſtriacum electos tumultu, & diſcordia Romanorum Reges, ad Ioannem Boëmiæ, Carolum Hungariæ, Ericum Daniæ, Birgerum Sueciæ, Odoardum Angliæ, Philippum Franciæ, & Nauarræ Adminiſtratorem, Alphonſum Caſtellæ, Dionyſium Luſitaniæ, Iacobum Aragoniæ, Sanctium Balearium, Henricum Cypri, Oſſinum Armeniæ, Federicum Trinacriæ, ac Robertum Siciliæ Reges, quibus to-

Scribit encyclicas litteras. — Odericus Raynald. in Annal. Eccleſiaſt.

bus to-

[illegible] totius electionis ſuæ ſeriem expoſuit, atque incitauit, vt ad rem Chriſtianam tuendam, ac decretam in Concilio Viennenſi expeditionem conficiendam cum Apoſtolico eius zelo conſentiret.

Ad ſummouendos verò iuſtitiæ terrore a flagitijs Clericos, ne Eccleſiaſtica [illegible] immunitate temeritati habenas relaxaret, Canonum ſacrorum religione Philippum exoluit, ſi ſecularis Fori ſatellitio facinoroſi Clerici certis in caſibus comprehenderentur. Priuauit etiam Clericalibus priuilegijs, Gregorij X. exemplo Clericos coniugatos, ſiue monogami, vel bigami eſſent, & alios qui tonſura, & habitu decoro gererent magiſtratus, atque etiam pœna ſanguinis ſontes afficerent; vt verò onera ſubterfugerent, prærogatiuam Clericalem obtendebant. Pari ſeueritate Baſilienſem Epiſcopum iniuſto bello ſe implicantem intentata anathematis mulcta, ac Sacerdotiorum, muneriſque Pontificalis priuatione coercens iuſſit abſiſtere, ac damna illata ſarcire.

Cum autem Armeni ad Romanæ Eccleſiæ gremium eſſent reuocati, ne inter eos fides Catholicæ puritas euaneſceret, Pontifex [illegible] Armenis [illegible] gymnaſia conſtituit in quibus Armeni latinam linguam diſcerent. Vtque maior interpretum copia foret, iniuncta eſt ea Prædicatoribus prouincia, vt ſimul ad Armenos erudiendos incumberent. Illi autem diuina luce colluſtrati litteras, & Oratores ad Romanum Pontificem direxerunt, vt incorruptæ fidei formam a ſede Apoſtolica velut purſſimo fonte peterent. Deliberatus itaque Ioannes magno lætitiæ ſenſu Apoſtolicum ſtudium ad reuocandos [illegible] Eccleſiæ Armenos, qui in Perfide verſabantur, contulit. [illegible]que in illas regiones Guillelmum magnæ religionis virum, quem Soltanienſem Archiepiſcopum creauit. Aggregatus quoque eſt Romanæ Eccleſiæ Oroſius Seruiæ Rex, ad quem Ioannes, vt inceptum opus perficeret duxit Bertrandum Brundi[illegible] Archiepiſcopum, Bernardum è Parma Canonicum Aueſtanum, & Ioannem Dominici ordinis Prædicatorum Theologum. Conſuluit quoque Ioannes Septentrioni, in quo ampliſſimæ gentes [illegible] Euangelij conſtrictæ hactenus, diuini amoris ardore [illegible] coll[illegible] cere. Ad quas fide orthodoxa imbuendas decreti ſunt Apoſtolici Nuncij Bartholomæus Epiſcopus Electenſis, & Bernardus Abbas Monaſterij ſancti Theofredi Anicienſis Diœceſis, quibus data prouincia eſt, vt ex omnibus religioſis ordinibus viros pietate, ac doctrina inſignes in laboris, & gloriæ promulgandi apud Lituanos, & Ruthenos Euangelij ſocietatem aſciſcerent. Cum infeſtata quoque eſſent Noruegiæ, Sueciæ, & Gothiæ Regna [illegible] incurſionibus [illegible] maximè Ruthen[illegible] qui [illegible] earum partium Chriſtianis clades intulerant, ad quos propulſandos cum Magnus Rex Apoſtolicæ ſedis auxilia imploraret, Ioannes mediam [illegible] Eccleſiaſticis collect[illegible] ſex[illegible] decimæ in S[illegible] conſeruendæ partem attribuit, ac Nuncijs Apoſtolicis Ioanni è Serone, & Bernardo de Ortolis partes dedit, vt ea [illegible] exigerent. Propagandæ inſuper inter infideles religionis ex Apoſtolico munere ſollicitus Romanus Pontifex, plures religioſos viros ad excolendas fide barbaras nationes tranſmiſit, ac [illegible] Comitia ordinis Toloſæ celebrata [illegible] vt quinquaginta ex lecta ipſorum familia virtutibus, & ſcienti[illegible] fortes ad ferendos labores, [illegible] Plures [illegible] ordine ad Perſidem, Indias, aliaſque Regiones, vt gentibus Euangelium afferrent, miſſos refert F. Lucas Vvadingus. Ad reuocandos [illegible] Eccleſiæ diuturno Schiſmate Aſiaticos Græcos, Ioannes religioſos viros zelo, ac ſcientia præditos tranſmiſit in Galatiam, & Cappadociam, vt populos illos vera religione excolerent, tum Imperatorem Trapezuntinum, Raſſiorum, Tephelicenſium, & Chiracicenſium Reges, & Principes ad redintegrandam Eccleſiarum illarum cum Romana coniunctionem ſuis litteris excitauit. Aethiopum quoque Imperatorem ad veram religionem allicere ſtuduit. Penetrarant Euangelij præcones ad Montes Albos, atque in ijs innumeram hominum multitudinem e ſuperſtitionis tenebris eductam [illegible] baptiſmata pellexere. A[illegible] itaque ij [illegible] Dei [illegible] ſupremo in terris [illegible] Vicario veram [illegible] puritatem cupidi, Sacerdotes peritos ad ſe ab Apoſtolica ſede mitti popoſcerunt. Annu[illegible] eorum [illegible] Ioannes & Guillelmum de Gigijs Epiſcopum Tau[illegible] aliosque plures [illegible] Prædicatorum ord[illegible] religioſos viros, qui [illegible] Euangelica luce [illegible] eiſque orthodoxæ fidei formam, quam R. Eccleſia profitetur explicarent, tranſmiſit.

Summo quoque ſtudio gregem ſibi commiſſum Ioannes ſeruare curauit. Quare cum Robertus ex Atrebatenſium Comitum ſtirpe genitus Atrebatenſem Comitatum inuaſiſſet, ad extinguendum incendium [illegible] quo [illegible] Galliæ modò, verum in rei etiam Chriſtianæ exitium ſerpebat, cum Philippus Longus illo bello detentus inſtruenda, quam vouerat, expeditioni ſacræ in Syriam ſe comparare non poſſet, [illegible] intendit, & Abbatem ſancti Tiberij Agathenſis Diœceſis, ac Berengarium e Landora e ſi[illegible] Prædicatorum familiæ M[illegible] ad diſſidentes Principes miſit. Ad redigendos verò in [illegible] Principes [illegible] coientes ab officij religione in Philippum Regem, [illegible] alios ſanguine coniunctiſſimos conciliandos, ad eos Nuncios Raynaudum Archiepiſcopum [illegible] & Be[illegible] Landora, quos Pontifex incuſſentiarum [illegible] ſalubribus [illegible] adducere non poſſent, cen[illegible] ac eorum ſubditos omni fide

Se[illegible] liberos pronunciandi auctoritate inſtruxit. Cum autem Robertus Rex Siciliæ in agere[illegible] in Federicum Trinacriæ Regem, qui violata pace, & cum Henrico Imperatore coniunctione conſpirata, facta Calabriæ irruptione, nonnullas arces eripuerat, nec Trinacriæ Regis nomine contentus, Siculum ſibi arrogauerat; ad propulſandas [illegible] calamitates inde oborituras Ioannes Guillelmum Tregenſem [illegible] & Petrum Textoris, plurima inſtructos auctoritate miſit, [illegible] Federicum Regem ad ereptas Roberto arces reſtituendas, cum ſine ea [illegible] pax coire non poſſet, grauiſſimis verbis eſt adhortatus. Partes inſuper Nuncijs dedit, vt Federicum, ſi rapta reſtituere Roberto abnueret, deuincirent anathemate, atque illius Terras interdicto Eccleſiaſtico percellerent.

Laniabatur bellis Ciuilibus Inſubria, quæ non modò diſcors duorum Principum Ludouici Bauari, ac Federici Auſtriaci electio, ſed vetera quoque Guelphorum, & Ghibellinorum nomina pepererat. Cumque Vgu[illegible] Fag[illegible], Ghibellinorum potentia auctus, Piſas recuperare in[illegible] expulſatus eſt: Genuenſes excitatis nouis diſcordijs [illegible] diſcrimen Rempublicam adduxerant: Ghibellini Inſubres Cremonam [illegible] obſidione. Veronenſem Patauinos contriuerant. Ad quæ, & alia imminentia mala ſopienda Ioannes Apoſtolico zelo [illegible] viros Religioſos præſtantes tranſmiſit, [illegible] Bertrandum è [illegible] Minoritam, & Bernardum Guidonem [illegible] Prædicatorum [illegible] fidei in Gallijs Cenſorem, quos auctoritate inſtruxit ad di[illegible] omnes impietatis nexus, & conſpirationes ſacramento confirmatas reſcindendas. Tum etiam Principibus Italiæ Romano Imperio [illegible] Eccleſiaſticis, & laicis impensè commendauit, vt ſaluberrimis eorum monitis faciles ſe præberent. Propoſuit enim ob oculos ingentia mala, quæ ex ipſorum diſcordijs emergerent [illegible] animarum [illegible] quæ [illegible] opibus comparandis [illegible]; paterni denique amoris ſuauiſſimis verbis, & Propheticis [illegible] expleuit. Matthæo Vicecomiti cenſurarum Eccleſiaſticarum contemptui [illegible] intendit, Raynaldo [illegible] Paſſarinum Mantuani Vicariatus, Canem Scaligerum Veronenſis Præfecturæ inuaſorem in ius vocauit, Feruarienſibus, qui defecerant a fide, Clementi V. Romano Pontifici data, & Raynaldo Op[illegible] anathema incuſſit. In Recanetenſes, Auximanos, Fanenſes, qui rebellionis ſigna erexerant, & Eccleſiaſticæ ditionis Vrbes, oppida, & vicos aliquot occupauerant, & incenderant, egit legibus, interdicto, ac cenſuris, demum arma expediuit. Exutum eſt eius perduellionis occaſione Recanetum Epiſcopalis ſedis dignitate, quæ Maceratam ob egregia illius Vrbis in Eccleſiam ſtudia tralecta eſt xij. Kalen. Decemb. anno 1323. & Federicum Recanetenſem Epiſcopum ſuppreſſa Recanetenſi Eccleſia ad Maceratenſem de nouo erectam tranſtulit. Quo tempore Andreutius Carbonus, Gentilutius Bartholomæi Copagnoni, & Iulianus Pauli nobiles Macera[illegible] Eccleſiam S. Mariæ de Pace extra Vrbem in via, quæ Lauretum ducit, ædificarunt, in qua hæc ſubiecta legitur Inſcriptio.

✠ ✠ ✠

IN DEI NOMINE AMEN.
Anno Domini mill. trecenteſimo vigeſimo
Tertio Indict. 6,
Tempore D. Ioannis Papæ XXII. die 23. Martij
Aedificata fuit Eccleſia S. Mariæ Pacis
Per Andreutiu Carbonis, Gentilutium Bartholomæi, & Iulianum Pauli de Macerata
Primo anno, quo facta fuit Ciuitas auctoritate
D. Federici Epiſcopi Maceratenſis
Tempore D. Melis Rectoris Generalis Marchiæ.

Plena turbarum erat Caſtella, ob Ioannis, & Petri, Principum, impuberis Alphonſi Tutorum mortem. Proceribus fidei oblitis alterum ſuffragium annitentibus. Cum enim Reginæ imbecillitas, grauiſſimis regni [illegible] pleriſque, contemptui eſſet, Ioannes Emanuel remotior ſtirpe, ſed florens opibus, ac regio ſanguine latus, Regiæ procurationis prouinciam inualit iniuria, ac maximos motus peperit, eoque diſcordia progreſſa, vt non prouinciæ modò, ſed etiam Vrbes factionibus ſeſſæ magnos ſtudio partium tumultus mouerent. Romanus Pontifex de calamitoſo adeo rerum ſtatu certior factus Ioannem Emanuelem Apoſtolico zelo monuit, vt Tutoris nomine abſtineret. Compoſtellanoque, ac Toletano Archiepiſcopis, & Epiſcopo Burgenſi prouinciam dedit, vt ad ſopiendas inter Principes diſſenſiones ſummum ſtudium collocarent, ac Ioannem Emanuelem a cœptis abducerent. Perſtitit tamen Ioannes Emanuel ambitione aures monitis auertebat, atque in [illegible] diſſenſio illa maiores inferebat calamitates. Vt his mederetur Chriſti Vicarius, cui Pupillorum, ac Viduarum cura incumbit, Guillelmum Sabinenſem Epiſcopum Cardinalem Apoſtolicæ ſedis Legatum, ſumma pro eo fungendo munere, ac rebus componendis auctoritate inſtructum miſit, vt tumultuantes componeret, ac cenſuris Eccleſiaſticis nobiles viros Caſtellam turbantes, & cum ijs ſentientes populos percelleret.

Conatus quoque eſt omni opera Pontifex diſcordiarum flammas in Angliæ, & Scotiæ Regnis excitatas extinguere: Præſules nuncios

los ob violatum Eccleſiaſticum interdictum, ac Robertũ Bruſſium Scotiæ Regem, ob non ſeruatas inducias, ac factas in Anglia populationes, Templa euerſa, direptaque, iudicio poſtulauit. Cum autem ij die conſtituta ad dicendam cauſam coram ſede Apoſtolica non comparuiſſent, illos anathemate deſixit. Cum verò ad ſedem Apoſtolicam proximo ab eo lata ſententia tempore Roberti Bruſſij Oratores ſe contuliſſent, vt Pontificis animum Roberto conciliarent, flexere Ioannem Pontificem, vt cenſuras ad anni inſequentis Kalen. Aprilis diſſolueret; vt illius temporis ſpatio Anglos inter, & Scotos pax ſtabiliri poſſet, vel induciæ haberentur, prout reuera Pontificis ſtudio biennales indictæ ſunt.

Induciæ biennio inter Anglos & Scotos.

At fluctuanti Luſitaniæ diuturnis diſſenſionibus pacem redditurus Pontifex Archiepiſcopum Compoſtellanum in Luſitaniam ad redintegrandam concordiam, Apoſtolica munitum auctoritate direxit, ac Præſules Luſitanos, vt operam cum Archiepiſcopo coniungerent, monuit. Ad conciliandam verò diuinam miſericordiam, vt eos ciuilium bellorum fluctus compeſceret, preces Deo in ea cauſa porrecturis, præmia Indulgentiarum propoſuit.

Legatum mittit in Luſitaniam.

Cum autem Burgundiæ Dux ob dimiſſam Blancam graues in Carolum Galliarum Regem ſuſcepiſſet iras, ad illos conciliandos, cum ſanguine eſſent coniunctiſſimi, operam nauauit Ioannes Romanus Pontifex. Ad ſedandos verò reliquos Galliarum motus Dignenſem, & Magalonenſem Epiſcopos in Vaſconiam miſit, vt tumultuantes ibi Proceres in concordiam adducerent. Inducias inſuper ab Archiepiſcopo Viennenſi indici iuſſit inter Delphinum Viennenſem, & Amedeum Sabaudiæ Comitem, quem Roberto Siciliæ Regi conciliare ſtuduit. Nec diſparem adhibuit operam, vt Iacobum Aragonum, & Sancium Balearium Reges ob ipſorum iura in Montepeſſulano, Omeladeſio, & Carladeſio à Regijs adminiſtris iam ante ſub Ludouico, & Philippo Regibus violata exulceratos conciliaret.

Galliarum motus ſedat.

Vt verò animarum ſaluti conſuleret, Epiſcopatus multos erexit, videlicet in Narbonenſi Diœceſi Electenſem, & ſancti Pontij, in Albienſi Caſtrenſem, in Agennenſi Condomienſem, in Lemouicenſi Tutellenſem, in Petragoricenſi Sarlatenſem, in Claramontenſi Sanflorentinum, in Ruthenenſi Vabrenſem, in Pictauienſi Malleacenſem, & Lucionenſem Epiſcopatus condidit, ac ſuis finibus circumſcripſit. Neque eos modò Epiſcopatus erexit Pontifex, vt animarum ſaluti conſuleret, verùm ad augendum diuinum cultum plura Canonicorum Collegia in Eccleſijs, in quibus ſolemni ritu diuina res peragerentur, ac Numinis laudes perſonarent, excitauit. Soltanienſem ſedem Patriarchalem in Perſide erexit, eique Francum Peruſinum ordinis Prædicatorum præfecit, ac laborum, & gloriæ ſocios Suffraganeos ſex Epiſcopos ex eodem ſacro ordine adiunxit. Eidem Soltanienſi Patriarchæ prouinciam impoſuit, vt ſi pluribus Epiſcopis ad Euangelij limites extendendos opus eſſet, ipſos excitis duobus Catholicis Antiſtitibus, auctoritate Apoſtolica ſacris Pontificalibus initiaret, quos cum è viuis excedere contigiſſet, vt Prædicatorum ſodalitia earum Eccleſiarum curam gererent conſtituit: Caffienſem Epiſcopatum in Aquilonari Tartaria inſtaurauit, & Hieronymum, quem Clemens V. in Tartariam ad eos populos veteris ſuperſtitionis tenebris obſitos colluſtrandos Euangelij luce direxerat, dignitate illa donauit. Cortonium ab Aretio diremit, eique in Epiſcopum dedit Raynerium Bordilium. Erepto è viuis Petro Patriarcha Hieroſolymitano, Raymundum Dominicanæ familiæ virum religioſum eo titulo ornauit, eique contulit Nimocienſis Eccleſiæ adminiſtrationem, cum Hieroſolymis ob infidelium tyrannidem ſedere non poſſet. Litteras plures dedit ad Vladiſlaum Poloniæ Regem, & ad Præſules illius Regni, vt præſto eſſent fratribus ordinũ tum Minorum, tum Prædicatorum contra Hæreticos. Muſſaydan Imperatori Tartarorum, & Zopam Begilai, aliorum Tartarorum Regi optimè de re Chriſtiana meritis, vt illos ad Chriſti fidem pelliceret, ſcripſit; ac Tartaros, qui in eorum Imperio Baptiſmalibus ſacris initiati erant, commendauit, & Indulgentiarum præmia ijs propoſuit, qui ob ſuſceptam fidem aliqua afficerentur iniuria, vel ad barbaros Chriſto adducendos incumberent. Neophitos Aquilonares Caphenſis Epiſcopi, & Prædicatorum ac Minoritarum ſtudio ad Chriſti fidem allicere, Georgium Georgianorum Regem a Græcorum Schiſmate reuocare ſuis litteris curauit. Scripſit Armenis, qui in Tartarorum Imperio verſabantur, vt fidem a Patribus acceptam ſeruarent; Noruegiæ Chriſtianis, vt arma ſtringerent contra Chriſtiani nominis hoſtes; Abuſcano Regi Cotagani filio, vt in Aquilonari Tartaria religionem Chriſtianam tueretur; Patriarchæ Conſtantinopolitano Latino, & Archiepiſcopo Patracenſi, vt Latinos, qui in Achaia verſabantur, retinerent, ne cum Schiſmaticis in diuinis communicarent; Conſtantino Armenorum Patriarchæ, vt operam in animarum ſalute promouenda explicaret ſuam. Scripſit item Senatoribus, & Populo Romano, vt illos in officio contineret; Theodoro Marchioni Montisferrati, vt arma ſua in Matthæum Vicecomitem Eccleſiæ hoſtem ſtringeret: Ludouico Regi Romanorum, vt Deo de Victoria gratias referret: Dionyſio Luſitaniæ Principi, vt pacem curaret in Regno; vniuerſis Chriſtifidelibus, vt ſtipe, vel ope bellum ſacrum in Mahumetanos iuuarẽt: Bartholomæo Epiſcopo Electenſi, ac Bernardo Abbati Monaſterij ſancti Theofredi Anicienſis Diœceſis, vt religionem Chriſtianam in Lituania propagarent.

Epiſcopatus varios erigit.

Item Eccleſiarum Collegiatas condit.

Prædicatori Vrbis Hieroſol. tit. conf.

Litteras ſcribit ad propagandam Chriſti fidem.

Peruſinam Academiam amplificauit, ac iuſſit, vt in ea præter Ius Canonicum, & Ciuile, etiam Medicina ars, ac Philoſophia doceretur: grandem pecuniam ad Leonem Armeniæ Regem miſit ad ſuſtinendos belli Sarracenici ſumptus. Inuentis his varijs in Romanam Eccleſiam perſecutionibus, mandauit Ioannes loco *Miſerere nobis*, in Miſſæ ſacrificio poſt, *Agnus Dei*, tertio quoque dici *Dona nobis pacem*: quod tamen Gauantus Innocentio III. tribuit. Ordinem Eremitarum S. Pauli confirmauit: Cum ludi Neapoli ederentur, in quibus exercẽdarum virium ſpecie, plurimus ſanguis humanus fundebatur, ad hos abolendos, nauata eſt a Ioanne Pontifice opera, qui inſuper obiecta anathematis religione edixit, ne quis Auenione, aut in illius ſuburbijs, dum Pontificia aula in ea Vrbe verſaretur, haſtiludia exhiberet.

Peruſinam Academiam amplificat.

Angelum Rocce de Campania Pancirol. de Theſaur. Vrbis. Ludos prohibet.

Singulari amore Virginem Matrem ſemper eſt proſecutus Ioannes: quare ad incendendum in Deiparæ cultum fidelium pietatem, cum pius mos in Sanctonenſi Eccleſia ſuſceptus eſſet, vt vergente in noctem die campana ad præmonendos fideles, vt Salutatione Angelica Virginis ſuffragia implorarent, pulſaretur, Pontifex decem dierum Indulgentiam ijs, qui præter illam flexis genibus funderent, ſi verè eos criminum pœniteret, conceſſit. Singulis inſuper Canticum *Salue Regina* deuotè recitantibus quadraginta dies Indulgentiæ propoſuit; prolationem etiam nominis MARIAE, vt eius eſſet frequentior inuocatio, ſacris Indulgentijs ditauit. Iuxta Auenionem in loco, cui *Biſſel* nomen eſt, Sacellum Dei Genitricis titulo de Miraculis, conſtruxit, ac Sacerdotia erexit, vt ſingulis diebus Deo optimo maximo in eo litaretur in memoriam miraculi ibidem a Virgine perpetrati. Nam duobus Auenione, vbi tum degebat Pontifex, propter crimina commiſſa, vno ſene, & altero iuuene igni adiudicatis, eiſque ad columnam ligatis, ac igne accenſo, iunior ad inuocationem Deiparæ, ſeniore exuſto, illæſus euaſerat. Vt verò Templum in Nemauſenſi agro, cui a *Valleuiridi* nomen erat, Virgini beatiſſimæ ſacrum, miraculorum fama celebre illuſtrius redderet, ad illud nonnulla Indulgentiarum præmia propoſuit Pontificio Diplomate, quo Deiparam hoc encomio celebrat. *Sempiternum eſt habitaculum Trinitatis effecta, & æternæ lucis incorruptibilem florem, ſummæque beatitudinis precioſiſſimum fructum ſuper omnia benedictum in ſæcula, cuius, moribus reminiſcenti adorare concipiens, deſideratum cunctis gentibus Deum verum, mundi Saluatorem, & Dominum parturiuit. Talis namque partus Virginem congruebat, vt non pareret niſi Deum, & talem ſibi condere matrem conueniebat Altiſſimo, qualem ſuam decere ſciebat ineffabilem maieſtatem, & ſuiſque nouerat affectibus placituram, vt immaculatus ex Virgine immaculata procederet omnium maculas purgaturus. hæc eſt enim illa ſplendidiſſima Stella ex Iacob orta mirifice, cuius radijs præfulgens in ſuperis, Orbem illuminat vniuerſum, perluſtrat mentes, virtutes confouet, fulget meritis, micat exemplis, excepit vitia, & tenebras reprimit peccatorum. Digne igitur matris eiuſdem intemerata Virginitas ſuper choros Angelorum in ſublimibus exaltata, gloriam honoris, & laudis ab ipſa conterente ſuſcipit maieſtate, & digne populi fidelium illam, quæ in conſpectu filij ſui pro eis non deſinit aduocare, in hymnis iubilationum, & canticis collaudant, & magnificeant vniuerſi. Dat. Auenione iij. kalen. Decembris anno 1.*

Amor in Deiparam.

Hipp. Marraccius Pont. Marian.

Sacellum in honorem Virginis erexit.

Virginis Encomiũ.

Oder. Raynald. Annal. Eccleſiaſtic.

Huic Ioanni Romano Pontifici eadem Virgo ſanctiſſima iuſſit, vt non ſolùm Carmelitarum ordinem, aliorum ſummorum Pontificum exemplo confirmaret, verùm etiã deuotionem ſcapularis adaugeret. Propterea in vtriuſque fauorem Diploma, Sabbatinũ dictum edidit, quod legere quis poterit apud Io. Baptiſtam Lezanam in Maria Patrona, & Hippolytum Marraccium in Pontificibus Marianis.

Io. Bapt. Lezan. in Maria Patrona.

Baſilicam Cadurci ſancto Bartholomæo ſacram extrui curauit: Moniales ſanctæ Mariæ Portæ ſummæ ordinis ſancti Benedicti in Vrbe Beneuentana ad Cœnobium ſancti Petri cum bonis omnibus tranſtulit; arcemque conſtruxit, vt ab illa facillimè poſſet hoſtis prohiberi. Sanctum Ianuarium Neapolis Patronum præcipuo ſemper cultu eſt veneratus; & donis nonnullis illius ſepulchrum affecit; vt ex litteris Archiepiſcopo, & Mercatoribus Neapolitanis datis apertè conſtat, quas reſcripſit in vita eiuſdem ſancti Camillus Tutinus, & xv. Kalend. Decembris anno 1317. Electionem Fr. Raymundi Alberti Sacerdotis in Magiſtrum generalem totius ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum ratam habuit, & confirmauit. Raymundo enim poſt obitum Fr. Arnaldi de Roſſiniol, vltimi Magiſtri generalis ex Equitibus laicis, quatuordecim ſupra centum ex 195. Electoribus, qui Comitijs Valentiæ in Hiſpania habitis aderant, calculum adiecerant. Deleuit inſuper, irritamque declarauit electionem Fr. Berengarij de Hoſtaleſſio Equitis laici, a ſeptuaginta ex Equitibus laicis, qui à reliquis receſſerant, in Schiſmate Magiſtrum generalem nominati. Cum verò poſtmodum Equites laici Pontifici Ioanni ſupplicaſſent, vt eos audiret, cauſamque diligentius excuteret, ad D. Arnaldum de Via Diaconum Cardinalem ſancti Euſtachij illos remiſit, ex cuius voto, Clementis V. Diploma pro Clericis exaratum, iterum confirmauit, Electoribus in poſterum expreſsè prohibendo, ne alium, niſi ex numero Clericorum aſſumerent ad Magiſterium totius ordinis.

Eccleſiam S. Bartholomæo conſtruit.

Arcem erexit in Vrbe Beneuentana.

Mar. Vipera Chron. Archiep. Beneuent.

S. Ianuarium colit.

Electionẽ Magiſtri generalis factam in ordine B. Mariæ de Mercede confirmat.

Edidit Ioannes de Contemptu Mundi libellum lucubrationibus ſpiritualibus illuſtratum à Patritio Fatronio Turritano.

Ioannes ſcripta.

Scripſit quoque latino ſermone Artem Metallorum Transmutatoriam, quod opus incerto auctore ex Bibliotheca Antonij Verderij

Lugdu-

Lugduni prodijt anno ſalutis 1557.

Sermones de B. Virgine, quos m. ss. apud Gabrielem Naudæum aſſeruari fatetur Ludouicus Iacobus à S. Carolo.

Sermones item alios de Viſione Beatifica, qui cuſtodiuntur m. ss. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica.

Eius Regeſti volumina complura extant in Bibliothecis Vaticana, Florentina, Barberina, & Auenionenſi m. ss. plures Ioannis litteras reſcripſit ex Vaticano in ſuis Annalibus Eccleſiaſticis Odericus Raynaldus.

Conſtitutiones viginti Apoſtolicas, quas appellare decreuit Extrauagantes.

Retractationem de Quæſtione: *Num animæ ſanctorum non fruantur Dei viſione ante Iudicium extremum.* Editam autem fuiſſe a Ioanne de Viſione animarum Beatifica fidei profeſſionem conſentiunt ipſi Aduerſarij, inter quos Nicolaus Pſeudominorita Schiſmaticus hæc refert. *Anno Domini 1334. de menſe Decembris, die* B *3. Dominus Ioannes XXII. graui infirmitate detentus, de qua quarto die dicti menſis mortuus eſt.* Et infra, *quandam Conſtitutionem, ſeu ordinationem morti propinquus fecit, &c.* Ex quibus impoſtor Caluinus refellitur, qui ex odio in Romanam Eccleſiam obijcere non erubuit, Ioannem XXII. ſenſiſſe animas eſſe mortales, vſque ad extremum Iudicij diem. Alienus certè ab hac ſententia Ioannes fuit, ſed ſolum conatus eſt aliquando, re nondum definita, ſanctorum patrum teſtimonijs, animas ſanctorum nonniſi poſt Iudicium lata decretoria ſententia: *Venite Benedicti, &c.* diuinitatem intuituras. Mentitus eſt etiam Caluinus, cum dixit, neminem Cardinalium ſententiæ Ioannis reſtitiſſe; extant enim in Bibliotheca Vaticana Iacobi, titulo S. Priſcæ Presbyteri Cardinalis, & Epiſcoporum, ac Doctorum erudita in aduerſam partem tunc edita Commentaria.

Caluinus refellitur.

Non deſunt, qui velint Ioannem diuinitus è vita præreptum, ne C in decernenda cõtrouerſia iſta de Viſione Beatifica animarum aberraret. At quid miraculi mors in homine nonagenario habet? quidue periculi ſuberat, cum à Spirituſancto regendus eſſet, in ferendo Decreto fidei, illius vt præcipui auctoris adminiſter tantùm futurus?

Piè admodum ipſum in extremo vitæ actu ſe geſſiſſe docet Ioannes Villanus, & in ſequenti à ſuperiori ſententiæ ſuæ edita declaratione die ex diarrhæa obijt. De illius obitu hæc legimus in m. s. Vaticano: *Anno Domini 1334. Papa Ioannes obijt in Auenione die iv. menſis Decembris, quæ fuit dies Dominica, littera Dominicali currente B. Pontificatus ſui anno 19. cuius corpus fuit in maiori Auenionenſi Eccleſia cum honore debito traditum ſepulturæ: vacauitque ſedes poſt mortem eius dies 16.* His conſentanea refert Ptolemæus Lucenſis, qui plura digna commemoratione coniungit. *Anno 1334. cum Papa Ioannes duabus arduis cauſis valde diligenter intenderet, ſcilicet creationi Imperatoris noui, in quo facto Rex Philippus Francorum, &* D *Ioannes Rex Boëmiæ filius Henrici Imperatoris ſibi multum fauebant; & determinationi Quæſtionis viſionis, an ſcilicet Sancti in patria ante reſurrectionem haberent viſionem eſſentiæ diuinæ. Et dum prædictis, & alijs cauſis ſollicitus intenderet, & iv. nonas Decembris Conſiſtorium mandaſſet, vt aliquas prouiſiones quibuſdam faceret, in nocte præcedenti nonis prædictis poſt cœnam, & primum galli cantum inuaſit eum morbus, & omiſſo ſic Conſiſtorio illa die iv. non. Decembris nihil fecit, ſed iij. nonas, die ſequenti poſt veſperas fecit vocari omnes Cardinales, qui erant in Auenione. Hoc dico propter Ioannem Gaytani, qui non erat præſens tunc in Ciuitate, & propter Dominum Napuleonem Romanum Diaconum Cardinalem, qui erat in Cardinalatu antiquior omnibus Cardinalibus, qui licet in Ciuitate eſſet, & vocatus per Papam, ipſe tamen noluit venire, nec intereſſe exequijs, nec Teſtamẽto Papæ, &c.* Paulò poſt. *Sed Papa nihilominus coram alijs Cardinalibus diſpoſuit, & legitimè Teſtamentum ſuum, recommendans ſanctam* E *Eccleſiam, & nepotes ſuos Cardinalibus, & ſic ij. nonas Decembris poſt auditam Miſſam in aurora diei, & Cõmunione percepta orando migrauit ad Dominum de hoc ſeculo, hora tertia, & Dominica die, quæ erat tunc ij. nonas Decembris. Sepultus eſt autem Auenione in Eccleſia Cathedrali nonis Decembris: ſedit autem annis 18. menſibus 4. minus duobus diebus, & vacauit ſedes 17. diebus.*

Piè obijt Ioannes.

Ex quibus Ioannes Baptiſta Egnatius erroris arguitur, dum in exemplis Illuſtrium virorum confundit hunc Ioannem cum altero eiuſdem nominis, & quæ ſunt vnius propria alteri adiungit his verbis. *De Ioanne XXII. non eſt, quod in hoc Pontifice fallaciam aliquam, muliebremue aſtum affore ſuſpicemur; certo tamen inter Gallos Cardone patre natum nemo negauerit, qui tenuiter educatus, mox apud diuerſos Præceptores ingenij felicitate excellens, iuxta clarus apud omnes fuerit. Hic Pontifex creatus apud Auenionem, cum* F *Ludouico Bauaro Imperatore Germano apertas inimicitias exercuit, diriſque Pontifex perſecutus eſt; quod ille ſe Imperatorem citra ſuum aſſenſum diceret, varè tamen iactatus, aliquot Pſeudopontificibus a Ludouico in eius locum ſuffectis, cũ multos ſibi vita promitteret annos, recentis cubiculi ruina oppreſſus Pontificiæ dignitatis octauo menſe interijt, non ſine ingenti labore inter ipſas ruinas viuo adhuc inuento.* Ioannes enim hic noſter neque recentis cubiculi ruina perijt, neque menſibus tantum octo ſedit; alter verò Ioannes huiuſce prædeceſſor non Gallus, ſed Hiſpanus, non Auenione, ſed Viterbij creatus inimicitias cum Ludouico exercere haud potuit

Io. Bapt. Egnatij reijcitur ſententia de Io. morte.

A ob Romanum Imperium, quod Rodulphus toto ſui Pontificatus tempore rexit, neque vllum vidit in Romana Eccleſia Pſeudopontificem.

Quam porro iniuſtè impudicitiæ nota accuſatus ſit à nonnullis Ioannes hic noſter dum Bertrandum Poggietum nepotem Cardinalem, illius filium ob ſimilitudinem oris iudicant, ex eo perſpicuè patet, hæc a leuibus ſuſurronibus iactata fuiſſe ad inuidiam: Idoneam autem defuiſſe ſuſpicionis cauſam, cum Ioannis infenſiſſimus hoſtis Ludouicus in illis ſuis virulentis Satyris prætermiſerit. Male non ſe geſſit ante Pontificatum Ioannes, vt diximus ſupra in eius vita, neque dum illum tenuit, vt narrat Villanus nam ſingulis noctibus ad diuinas laudes celebrandas ſurgere è ſtratis conſueuiſſe, inquit ille; quod non mollem, & effœminatum animum, ſed diuinis addictiſſimum, & corpus deliciarum contemptorem oſtendit. Addit idem auctor nonnulla eiuſdem Pontificis elogia, nimirum modeſtum B fuiſſe, ſobrium, ac cibis communibus potiùs, quàm exquiſitis vti ſolitum, in ſumptibus ſui cauſa faciendis parcum, ſtudio deditiſſimum, adeo vt noctu illius cauſa conſurgeret, doctrina inſignem, acutum ingenio, ac ſpiritus ingentes in exiguo corpore ad magna quæque agitanda geſſiſſe, proniorem tamen ad iras extitiſſe. Ludouicus Dominici in libro quinto ſuæ hiſtoriæ hæc habet de Ioanne Romano Pontifice. *Colla virtù, e dottrina aſceſe al Ponteficato, nel quale non corruppe altrimenti i ſuoi buoni coſtumi colle diſoneſtà, o colle laſciuie; ma pertandoſi da vero Ponteſice coll'armi, e col vigore dell'animo abbaſsò la ſuperbia, e l'animo arrabbiato di Lodouico Bauaro Imperadore. Alla qual coſa hauendo egli aggiunto molte altre virtuoſe, e lodeuoli operationi, morendo laſciò l'Imperio Eccleſiaſtico di ricchezze, e di riputatione molto maggiore che non l'haueua hauuto.*

Io. Iacq. defenditur.

Ioannis virtutes.

Aliqui tamen Ioannem hunc Franciſcano ordini aduerſatum tra- C dunt, licet optimè de vniuerſa illa ſacra familia meritus ſit: Franciſcanam diſciplinam, & paupertatem aduerſus Præpoſitum Minorum Geraldum, & alios, qui ad explanandam formulam præceptorum S. Franciſci temerè ſe ingeſſerant, toto pectore defendit, vt ipſemet ad Francorum Reginam ſcribens teſtatur his verbis. *Si fratres vellent agnoſcere, quanto periculo dictus ordo ſubiacebat tempore, quo aſſumpti ad ſtatum huiuſmodi fuimus, crederemus, quod nequaquam in dubium reuocarent, quod ex quo cœpit ipſorum ordo, nullus efficacius quàm Nos pro eorum ſtatu pacifico laborauit, nec adhuc ceſſamus laborem.* Fr. Lucas Vvaddingus Annalium Minorum ſcriptor, Ioannis in ordinem Minorum indignationem, nõ Ioanni, ſed ipſis Minoribus vitio vertit, his verbis. *Conquerentur ex noſtris conſodalibus multi, quod nimis dure, & violenter cum vniuerſo egerit ſodalitio in controuerſia Paupertatis: verum eſt, mitius, & ſuauius hanc terminari potuiſſe quæſtionem. Attamen multam ſub-* D *miniſtrauit Pontifici iracundiæ materiam, quorundam nimia arrogantia, & inſipiens audacia, qui dum humili obſequio, & debita ſubmiſſione in diſputationes inutiles ſummum omnium Paſtorem flectere, & patrem potuerunt conciliare, voluerunt potius præcipiti temeritate in faciem reſiſtere, publicè de eius ſententia appellare, ſcriptis laceſſere, modis omnibus irritare. Leniendi ſunt magnatum animi, non exaſperandi, delinitis proſunt, irritati potenter offendunt. Certè ſi in hac re minus propitius, in reliquis valde fauorabilis Ioannes, neque alium legi Pontificem, qui plura in ordinem contulerit beneficia, maiora indulſerit priuilegia, aut plures ex fratribus ad Inſulas promouerit Pontificias.*

Ioannis amor in Minores.

Luc. Vuadding. in Annal. Minorum.

Apud Ioannem maxima in exiſtimatione viguit Oldradus de Ponte Italus, patria Laudenſis, in Iuriſprudentia clariſſimi nominis, cuius conſilio in arduis Chriſtianæ Reipublicæ negocijs plurimum vſus eſt. Auxit inſuper atque ampliſſimis honoribus auxit Dinum E Florentinum, & Gentilem Fulginatenſem Medicos illius æui claros.

Oldradus de Ponte Iuris peritus magni nominis. Carol. Carthæ Syll. Aduocat. Conciſt. Dinus, & Gentilis medici honore affecti.

Sedente Ioanne in Petri Cathedra, anno noſtræ ſalutis 1321. Hæretici martyrio affecere duos Minoritas Cathalanum Fabri, & Paſchalem, qui cum zelo incorruptæ fidei acceptæ à patribus tuendæ, in Valentinum Lugdunenſis Galliæ municipium, cui Cabioli nomen eſt, ſe recepiſſent, vt de nonnullis in hæreſim relapſis, & alijs ea lue infectis cognoſcerent, accenſi furore impij, coniuratione facta cum ijs, qui in oppido erant, noctu armati irrupere; ac religioſos viros adorti gladijs ipſos conciderunt, vtque furorem ſatiarent, non contenti lethalibus vulneribus, etiam vltra mortem ſæuierunt. Luget tantam immanitatem Pontifex in litteris ad Valentinum, & Viuarienſem Epiſcopos datis. Anno verò 1333. in Vrbe Saray martyrij quoque corona redimitus eſt Stephanus Hungarus Minorita. Necatus etiam eſt anno 1326. a Laruatis Carnificibus Bochardus Mag- F deburgenſis Archiepiſcopus, ſtrenuus Eccleſiaſticæ libertatis patronus, cuius cædis audito Nuncio Ioannes Romanus Pontifex ſicarijs intendit iudicium, ac Miſnenſi, Nuembergenſi, & Hildeſemenſi Epiſcopis partes dedit, vt Magdeburgenſem prouinciam ſacrorum vſu interdicerent, ac ſceleris auctores anathemate ferirent; & ex ijs octo eorundemque poſteros ad tertiam progeniem publicis muneribus, ac Sacerdotijs gerendis multarent. Migrarunt ad Dominum ſub Ioanne anno 1323. S. Eleazarus Ariani Comes, & anno 1327. Beatus Rocchus, cuius ſanctitas cœleſtibus beneficijs in eos, qui peſtilentia percuſſi, illius apud Numen diuinum ſuffragia implorarunt collatis inclaruit.

Minoritæ duo ab hæreticis occiſi. Oder. Raynaldus in Annal. Eccleſiaſt. c. Luc. Vuadding. in Annal. Minorum. Item Stephan. Hungarus. Et Bochard. Archiepiſc. Magdeburg.

SS. Eleazari, & Rocchi obitus.

Concilium Bononiẽ. Primum Concilium ſub Ioanne anno 1317. habitum, fuit Bononienſe, ab alijs Rauennatenſe IV. nominatum reſtaurandæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ cauſa.


Vallisoletanum. Alterum anno 1322. eſt Valliſoletanum, auctoritate Guillelmi Sabinenſis Epiſcopi, & Apoſtolicæ ſedis Legati celebratum ad corrigendos Eccleſiaſticorum mores.

Complutenſe. Anno verò 1326. die xxv. menſis Iunij conuocatum eſt Complutenſe Concilium Prouinciale à Ioanne Toletano Archiepiſcopo Hiſpaniarum Primate, & Regij Caſtellæ Scrinij Præfecto, cui Petrus Segobienſis, Ioannes Exomenſis, Fernandus Conchenſis, & Giennenſis Epiſcopi, & Palentini Seguntini, & Cordubenſis Epiſcoporum Procuratores interfuere, ac plura in eo ad aſſerendam rei Eccleſiaſticæ dignitatem conſtituta. Anno ſequenti 1327. menſe Februarij habita eſt, eiuſdem Ioannis Toletani Archiepiſcopi iuſſu, Synodus Toletana, in qua plura de ſeruando in cognoſcendis cauſis iudiciorum ordine, ac de reſtituenda Eccleſiaſtica diſciplina ſtatuta ſunt. *Toletanã.*

Silvanectenſe. Celebrata eſt etiam Siluanecti Synodus ab Archiepiſcopo Rhemenſi contra Dominos temporales, qui ſe ſpiritualibus miſcebant, & Eccleſiaſtica bona detinebant.

Auenionẽſe. Demum habitum eſt Concilium Auenionenſe contra Nicolaum Quintum Pſeudopontificem.

Signum Ioannis



Papæ XXII.

PRIMA CREATIO CARDINALIVM
Ioannis XXI. dicti XXII.

Anno Dominicæ Incarnationis 1316. *Pontificatus I* ex Panuinio xvj. ex Contelorio verò xv. Kalendas Ianuarij die Veneris quatuor Temporum Aduentus Domini, Ioannes Romanus Pontifex Auenione primò creauit Cardinales, qui fuere.

I.



Ciaconius. Panuinius. BERNARDVS de Caſtaneto, natione Gallus, quem Ciuem Montiſpeſſulani vocat Almaricus Augerius, & venerabilem virum, nec non Clericum magnificum, ab Innocentio V. ex Archidiacono Maioricenſi, & de Felaneto in Eccleſia Narbonenſi, & ex ſacri Palatij Auditore, necnon Sacelli Pontificij Sacerdote ad ſedem Albienſem anno noſtræ ſalutis 1276. eſt vocatus. Quam cathedram tenuit, vſque ad annum 1308. quo ad Podienſem, ſeu Anicienſem euolauit: anno verò 1316. à Ioanne XXI. dicto XXII. Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, ac S. Rufinæ ſubleƈtus eſt. De quo hæc legimus apud Bernardum Guidonis in Chronico m. s. *Dominus Bernardus de Caſtaneto dudum Albienſis, tunc verò Anicienſis Epiſcopus, quem fecit Epiſcopum Portuenſem, & nihilominus Epiſcopatum Anicienſem tenendum commendauit eidem, anno quadrageſimo primo Epiſcopatus ſui tunc ferè completo.*

Felix Côtel. in Elencho Card. Ferdinãd. Vghel. in Ital. ſac. Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana. Io Chenu. Pet. Friſõ in Gallia Purpur.

Bernardus hic Præſul Albienſis, vnà cum Guillelmo Archiepiſcopo Rothomagenſi Diui Ludouici IX. Fràcorum Regis Apotheoſim apud Bonifacium VIII. procurauit. Illi Nicolaus IV. iniunxit, vt Decimas Eccleſiaſticas, & alia bona, quæ à menſa Epiſcopali Lodeuenſi, vel à Capitulo ſubtracta fuerant, ſedis Apoſtolicæ nomine, eidem reſtitui iuberet. Canonicos Cathedralis Albienſis olim ſub regula, & habitu S. Auguſtini viuentes, ſeculari toga, petente Bernardo Epiſcopo Bonifacius VIII. 29. Septembris anno 1297. vti permiſit. Virgines religioſas Podij, vulgo *Deval* nuncupatas, ſub S. Auguſtini regula militantes inſtituit. Bernardus teſte Vghellio antiquæ probitatis, ac dignitatis, ac de Chriſti Eccleſia optimè meritus vir naturæ iura perſoluit Auenione non anno 1326. vt ſcripſit Ciaconius, ſed ex libro Solutionum Cameræ Apoſtolicæ die 14. Auguſti anni 1317. & ſepultus in Eccleſia principe eiuſdem Vrbis. Meminere Bernardi huius Regiſtra Gregorij X. & Martini IV. Romanorum Pontificum, quæ ſeruantur m. s. in Bibliotheca Vaticana.

Aubery in vita. Schedæ Auenion. Andr. Victorell. & Ferdinãd. Vghell. in Addit. ad Ciaconiũ.

II.



Ciaconius. Panuinius. Aubery in vita. IACOBVS de Via, ſeu ex Panuinio de Veza, Ioannis ſummi Pontificis ſororis filius, natus Cadurci in Gallia, quod Diuona, vel Ducona eſt ex Ptolemæo, à Cæſare Noſtradamo Iacobus è Caduroo natu minor nuncupatur ob Auunculum Iacobum poſtea Romanum Pontificem. Epiſcopus Auenionenſis electus poſt patruum aſſumptum ad Petri ſedem anno 1316. multa, & præclara breui tempore geſſit Auenione. Renũciatus deinde eſt Presbyter Cardinalis SS. Ioannis, & Pauli titulo Pammachij, vt refert Bernardus Guidonis in Chronico m. s. his verbis: *Item Dominus Iacobus de Via de Caturco nepos Papæ ex ſorore, Electus tunc Auenionẽſis, quem fecit Presbyterum Cardinalem titulo SS Ioannis, & Pauli, & ſibi Epiſcopatum Auenionenſem commendauit.* Sed paulò poſt ab adepto honore è vita exceſſit Auenione, die ſcilicet 13. teſte Felice Contelorio, ſeu ex Ciaconio, Friſonio, & alijs die 24. Iunij, anno 1317. cuius corpus in Eccleſia principe eiuſdem Vrbis ſepulturæ mandatum. breuis æui extitiſſe Iacobum, atque in illius locum fratrem à Ioanne ſubrogatum docent litteræ Pontificiæ anno 1317. ad Francorum Regem datæ, in quibus *Nobis*, inquit, *de tranſitu bonæ memoriæ Iacobi titulo SS. Ioannis, & Pauli Presbyteri Cardinalis nepotis Noſtri, quem dolenter acceperas, interne compatiens nedum curaſti pij conſolatoris vices aſſumere; quin etiam, vt ſuperſtitem fratrem eius in quoddam Noſtrum de ſubtracto ſolatium ad Cardinalatus apicem promouere vellemus, cum multa inſtantia Nos rogaſti.* Extat huiuſce Iacobi mentio in Regiſtris Vaticanis Ioannis XXI. dicti XXII.

Oder. Raynaldus in Annal. Eccleſiaſt. Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana.

III.



Ciaconius. GAVCELINVS, quem Annales Belgici Ioſſelinum, Bernardus Guidonis in Chronico m. s. Galcelinum, & Panuinius Gãzelinũ nominant, Ioannis de Oſſa Papæ fratris filius, natione Gallus, patria Cadurcenſis, à Ioanne Patruo renunciatus eſt primò Presbyter Cardinalis SS. Marcellini, & Petri, ac S. R. E. Cancellarius, deinde Epiſcopus Cardinalis Albanenſis, ac Legatus vnà cum Luca Fliſco S. Mariæ in via Lata Diacono Cardinali in Angliam, Scotiam, & Hiberniam, ad pacem in illis Regnis firmandam. Robertus Bruſſius Scotiæ Regnum, excuſſo Odoardi Anglorũ Regis iugo inuaſerat, & alijs etiam Regnis Odoardum pellere moliebatur. Dum in Anglia Cardinales Legati impoſito ſibi munere fungerẽtur, à nefarijs prædonibus ſpoliati ſunt. Ad quorum vindicandam iniuriam Ioannes Romanus Põtifex cenſuras ijs, qui Cardinales inſigni iniuria afficiunt, incuſſas ab Honorio III. in facinoris auctores diſtringere iuſſit. Ac ne homines impij cenſuras Eccleſiaſticas ſacrilego contemptu eluderent, Pontifex Odoardum Regem, Præſules Anglos, ac Proceres, vt illos meritis pœnis afficerent, accendit. In hac legatione cenſum Romanæ Eccleſiæ exegerunt, & Robertum Scotum, quòd pactis non ſtetiſſet, & arma in Odoardum Regem mouiſſet, anathemate percuſſerunt, atque vniuerſæ Scotiæ ſacris interdixerunt.

Odericus Raynald. in Annal. Eccleſiaſt. Pet. Friſõ in Gallia Purpurat.

Poſt reditum ex Anglia legatur Gaucelinus ad Belgas, cuius præcipua opera conciliati ſunt Belgæ cum Philippo Longo Gallorum Rege, ad quam nauandam ſtrenuè incitarat ipſum Pontifex, qui illius Nuncio ingenti gaudio perfuſus, vt pacem illam confirmaret, pluribus litteris cum Philippo Rege, Regina Ioanna, Comite Valleſiorum, Roberto Belgarũ Principe, ac fœderatis vrbibus egit. Gaucelino autem Cardinali Legato præcepit, ne niſi perfecta re diſcederet Aula Regia, in qua plurimùm floruiſſe gratia, atque à ſede Apoſtolica commiſſa impleuiſſe eſt gratulatus. Extincto igitur bello, quod Gallos, ac Belgas in mutuas cædes duobus ac viginti annis efferarat, ac pace feliciſſimè reuocata, ad eam firmiore vinculo aſtringendam effecit Gaucelinus Legatus, vt Margarita Regia Gallorum filia Ludouico Comiti Niuernenſi, Flandriæ Comitis maiori filio thoro iungeretur.

Auenione è vita exceſſit non ſub Benedicto XI. dicto XII. anno 1337. vt ſcripſit Ciaconius, ſed ex libro Obligationum die 3. Auguſti anno 1348. ſeu 1349. ſub Clemente VI. cuius Diplomati, vnà cum alijs decem Cardinalibus, dato Abbatiſſæ, & Monaſterio Miſericor-

ſericordiæ B. Mariæ Virginis de Denero Ebienſis Diœceſis anno 1348. ſubſcripſit. Et mortuo Ioanne Marrochitano Præſule Clementis VI. iuſſu Alphonſum Bonhomium ordinis Dominicani religioſum in illius gentis Epiſcopum conſecrauit. Meminit eiuſdem Gaucelini Epiſcopi Albanenſis idem Clemens Pontifex in Epiſtola, quam ſcripſit Arnaldo Minoritæ Epiſcopo Ortolenſi pro electione ipſius in Præſulem, datam apud Villamnouam Aueniouenſis Diœceſis jv. nonas Iulij anno Pontificatus quarto. Regiſtra Vaticana Ioannis XXI. dicti XXII. Benedicti XI. dicti XII. & Innocentij VI. cum laude Gaucelini Epiſcopi Albanenſis meminere.

IV.



Ciaconius. Fauuinius. Aubery in vita. Ferdinand. Vghel. to. 1. Ital. ſac. Felix Contel. in Elen. Card. Pet. Friz. in Gallia Purpurat. Oder. Raynald. tom. 15. Annal. Eccleſiaſtic. Andr. Victorell. in Addit. ad Ciacon.

BERTRANDVS de Porto, alijs de Poyet, ſeu de Podietto de Caſtronouo Rotherij Caturcēſis Diœceſis, non Ioannis XXII. Romani Pontificis filius, vt à quibuſdam maleuolis, & maledicis habitum illum fuiſſe abſque veritatis titulo, refert Petrarcha, ſed Papæ ſororis filius, natione Gallus, Presbyter primò Cardinalis titulo S. Marcelli, mox Epiſc. Oſtienſis, & Veliternus à Ioanne electus eſt. Audita à Ioanne XXII. Aeſtinorum, & Ferrarienſium rebellione Legatus ſumma cum poteſtate in Italiam anno 1317. Bertrandus, ſtipatus multis equitibus Ciſalpinis, mittitur, vt armis, & cenſura Eccleſiaſtica illos ad pacem compelleret. *Te*, inquit Pontifex in litteris ad illum datis, *in iiſdem prouincijs, & partibus conſtituimus pacis, de ipſorum fratrum conſilio ſeruatorem, ac paciarium in eiſdem prouincijs, & partibus ordinantes, vt inter quoſlibet in ipſis prouincijs, & partibus conſtitutos, quos fœdere pacis videris reformandos, pacem, & concordiam reformare, & conſeruare procures, & vt commiſſum tibi in hac parte miniſterium vtilius, & commodius aſſequaris, tam contra pacem facere iurare, & firmare volentes, quàm eandem præſumentes infringere; necnon & contra eos, qui in eiſdem prouincijs, & partibus diſcordias, & ſcandala ſeminant, odia ſuſcitant, fouent, & nutriunt; contra illos quoque, qui ſtatum pacificum earundem prouinciarum, & partium, ac huiuſmodi paciarij, ſeu ſeruatoris pacis, commiſſum tibi officium perturbare, vel impedire præſument; pro præſumptione huiuſmodi ſpiritualiter, & temporaliter, prout facti ſuaſerit qualitas, & expedire videris, procedendi, ac proceſſus tuos executioni mandandi. Marchionum inſuper, Comitum, aliorumque Magnatum, Poteſtatum, Capitaneorum, cæterorumque Rectorum, & Conſiliariorum, ac Vniuerſitatum, & ſingularium perſonarum tam ipſarum prouinciarum, & partium, quam etiam aliunde ad id, quoties opportunum fuerit, auxilium, & potentiam inuocandi, & contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendi, &c.*

So. Villan.

Galliæ Ciſalpinæ, Piceno, Romandiolæ, & Bononiæ, annis ſexdecim præfuit Bertrandus Legatus, ac ſummo ſtudio Italiæ pacem curauit. Seditione cauſa inter Guelphos, & Ghibellinos Genuæ orta, poſt multas clades Guelphi Ghibellinos ab Vrbe expulerunt, & vt ſtatum ſuum firmarent, ſe, Vrbemque Ioanni Papæ, & Roberto Regi Siciliæ tuendam in decennium tradiderunt. Ghibellini extorres ad Mediolanenſes Vicecomites confugerunt, & contra hoſtes præſidium implorarunt. Nihil moratus Maphæus Vicecomes, inſigni exercitu coacto, Genuam obſedit: Pontifex eum ab armis diſcedere iubens, & quæ Eccleſiæ dedita erant, vexare prohibens, illum, & omnes mandata facere detrectantes excommunicauit, & atrox bellum indixit, cui Legatum Bertrandum, Ducem verò Philippum Valeſium Francorum Regis fratris filium præfecit. Hi Conuentu Italicorum Principum factionis Guelphę habito, magno exercitu comparato bellum Vicecomiti indixere, in cuius belli initio Philippus à Vicecomitibus pecunia corruptus in Galliam rediijt. Legatus ſolus in caſtris Eccleſiaſticis fuit, donec nouus Philippo ſucceſſor à Pontifice miſſus venit Raymundus Cardonius Hiſpanus in re bellica magni nominis Dux. Is ad Legatum accedens, bellum in Vicecomites inſtaurauit; mortuo per eos dies Dynaſta Mediolanenſium Maphęo Vicecomite, Galeatius, & fratres eius tres, Marcus, Luchinus, & Ioannes Rempublicam ſuſceperunt: quorum nouo principatu Virgilius Landus, Placentiæ primarius Ciuis, Vicecomitum præſidijs Vrbe pulſis, Placentiam Eccleſiæ Romanæ, & Legato Cardinali dedit; quæ Vrbs tanquam arx belli in Vicecomites fuit. Dertona enim primum, mox Alexandria Vicecomitibus occupans, eorum copias profligarunt. Bononienſes Legato ſponte ſe dedidere, eumque nonis Februarij anno 1327. cum Carrocio egregiè inſtructo, Clero, atque Epiſcopo obuiam ex Vrbe effuſi, magno omnium ſtudio receperunt. Bertrandus autem anno 1330. Vrbe aduerſus hoſtes mœnibus confirmata, ad imperium populi coërcendum, arcem ad portam Galeriæ condidit, atque inde Ciuitatem illam pro arbitratu ſuo gerere inſtituit; & Arnaldum Epiſcopum, hominem Ciuitati maximè charum, (credo vt eo creatu ita populo) remouit. Mutinam Paſſarino extorſit; Fauentinam Vrbem deditione recepit, Azonem Mediolani Principem ad Eccleſiæ obſequium reuocauit; cum Ioanne Rege Boemiæ, qui Inſubriæ, atque Hetruriæ dominatum affectabat, fœdus ſanciuit. Ex eo Ghibellinorum, & Guelphorum animi adeo concitati, vt qui antea pertinaciſſimis odijs ab inuicem abhorrerent, in Regem, & in Legatum coniurarint. Bononiæ coniuratio in Legatum erupit, eiuſque Miniſtri, cæterique Galli ad necem poſtulatæ, arx, in qua verſabatur Legatus, obſidione à perduellibus cingitur, & illi necem furens populus intendebat; cum Florentini licet ex inuidia Pontificiam potentiam concidere audirent alacres, ſeruandæ tamen Legati vitæ cupidi miſſis Oratoribus egere cum Bononienſibus, vt pacta Legati, ac militum ſalute arx illis dederetur, quam ſtatim ſolo perduelles æquarunt. Egreſſus itaque 28. Martij anni 1334. Bononia Legatus, ſummo honore à Florentinis, nō aliter ac ſummus Pontifex exceptus eſt, prodeunte Clero obuiam Crucem deferente. Florentia deinde Aueniouem ſe recepit, cum ex tot bellicis in Italia laboribus non alios fructus, quàm triſtia pericula collegiſſet. Accuſatur ipſe Bertrandus proditionis partium Pontificiarum, quòd Ludouicum Bauarum Romam petentem, & in Hetruriam penetrantem potuerit via Lunenſi tribus equitum millibus, quos ducebat, in anguſtijs Alpium opprimere, verum Legatus non valuit militem cogere, qui conquerebatur de non ſoluto ſtipendio.

Carol. Sigonius de Epiſc. Bononien. Pomp. Vizan. in ſua hiſtor. Bononienſ. Scipio Ammirat. in hiſtor. Florentin.

Præfuit antequam diſcederet ab Italia, iubente Ioanne Romano Pontifice Bertrandus Comitijs generalibus Minorum habitis die 22. Maij anni 1328. atque hæc ad illum datæ à Pontifice litteræ, quæ extant apud Lucam Vvaddingum in tomo 3. Annalium Minorum, & Petrum Frizonium in Gallia Purpurata.

IOANNES EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.
Dilecto filio Bertrando Electo Oſtienſi Apoſtolicæ ſedis Legato ſalutem.

Cum ex eo, quòd dilecti filij Michaëlis ordinis fratrum Minorum generalis Miniſtri præſentia Nobis exiſtat pro certis negocijs opportuna, idem Miniſter in generali ordinis Capitulo Bononiæ in inſtanti feſto Pentecoſtes, dante Domino, celebrando, perſonaliter nequeat intereſſe, Noſque intenſis deſiderijs affectemus, quod dictum Capitulum ad Dei laudem, & Eccleſiæ ſanctæ ſuæ, prædictique honorem ordinis, & ſtatum proſperum celebretur, fraternitati tuæ, de qua fiduciam in Domino gerimus ſpecialem, per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus illis, quos præfatus Miniſter iuxta ſui Conſtitutiones ordinis Vicarios ordinabit, aut per eaſdem Conſtitutiones extiterint ordinati, vt præmiſſa promptius exequi valeant, aſſiſtas vice Noſtra, fauoribus, & auxilijs opportunis, eiſdem in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictius iniungendo, vt fauore prorſus, & odio relegatis, prædicta ſtudijs vigilantibus exequantur. Quod ſi forſitan ipſos ſenſeris indiſpoſitos ad eadem, ipſis adiungendo alium, vel alios, ſeu etiam ſubrogando, ſic cures ſedulò ſuper his prouidere, quod dictum Capitulum ad laudem diuini nominis, & Eccleſiæ ſanctæ Dei, ac dicti ordinis honorem & commodum celebretur, ſuper quibus omnibus, & ea tangentibus tibi plenam, & liberam, auctoritate præſentium concedimus facultatem. Contradictores quoſlibet, & rebelles per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo, non obſtantibus quibuſcunque priuilegijs, Indulgentijs, & litteris Apoſtolicis eidem ordini, aut perſonis ipſius generaliter, vel ſpecialiter ſub quacunque forma, vel explicatione verborum ab Apoſtolica ſede conceſſis, etiam ſi de illis eſſet in præſentibus ſpecialis, & expreſſa, ac de verbo ad verbum mentio facienda; quæ quo ad hoc nulli ſuffragari volumus, aut ſi eis, vel aliquibus eorum communiter, vel diuiſim ab eadem ſede ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mētionē. Dat. Auenione kal. Maij an. 12.

Huiuſce Bertrandi litteras datas Hugolino de Rubeis Canonico Parmenſi reſcripſit in tomo 15. Annalium Eccleſiaſticorum Odericus Raynaldus cum hoc titulo. *Bertrandus miſeratione diuina tit. S. Marcelli Presbyter Cardinalis, Apoſtolicæ ſedis Legatus diſcreto viro Hugolino de Rubeis Canonico Parmenſi Capellano Noſtro ſalutem in Domino.* Quibus litteris Cardinalis Legatus certior factus Parmenſes ad officium reuerſos, electis Vicecomitibus, Hugolino Rubeæ ſtirpis prouinciam ſoluendarum cenſurarum contulit. Manu ſua firmauit Clemenſ VI. Priuilegium datum Monialibus S. Franciſci anno noſtræ ſalutis 1348. ij. Kalendas Maij. Bzouius, & alij volunt Bertrandum hunc Epiſcopum Oſtienſem legationis munere functum fuiſſe ſub Clemente VI. in Regno Neapolitano, ſed toto cœlo aberrant à veritate; nam Bertrandus Ebredunenſis Presbyter Cardinalis S. Marci, & non Epiſcopus Oſtienſis legatur in Regnum Neapolitanum à Clemente, vt ſuo loco dicemus.

Bzou. in Annal. Pet. Friz. in Gallia Purpurat.

E viuis ereptus eſt Bertrandus Epiſcopus Oſtienſis Auenione ex Ciaconio anno 1346. ex Frizonio 1348. ex Ferdinando Vghellio anno 1351. ex libro Obligationum, quem vidit Felix Conteloriuſ in Vaticana Bibliotheca, vt refert in Elencho Cardinalium tertio Februarij anno 1352. & ſepultus apud Minores.

PETRVS



V.

Ciaconius

Aubery in vita.

Petrus Prin. in Gal. Purp.

PEtrvs de Arreblaio, ſeu ex Pannnio de Aceblaio, natione Gallus, ex Cancellario Regni Franciæ, atque ex Archidiacono Borbonenſi in Eccleſia Bituricenſi renunciatus eſt a Ioanne XXI. dicto XXII. Presbyter Cardinalis S. Suſannæ ad duas Domos. Extant ad eum Ioannis litteræ, quibus virtutes, quæ in Cardinalibus deſiderantur, deſcribit.

IOANNES EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.
Dilecto filio Petro S. R. E. Cardinali Archidiacono Borbonenſi in Eccleſia Bituricenſi ſalutem, &c.

Penſantes Nobis immenſum onus ſpiritualis regiminis totius Orbis incumbere, ac ſupra vires imminere negotium attendentes, vt Nobis onere partito ſit leuius, de diuerſis mundi nationibus viros cooperatores Nobis in eiuſdem executione regiminis deliberauimus prouidendos, virtutum pollentes viribus, non effæminationis infamia denigratos, viros vtique potentes, tam opere, quam ſermone, vt plebem operum exemplis inſtruant, & doctrina ſermonis informent, viros, qui ſic Deum timeant, quod nequaquam faciem hominis vereantur; ſic auaritiam oderint, vt poſt aurum non abeant, & in pecuniarum multiplicatione non ſperent, ſed veritatem, imo Chriſtum, qui eſt via, veritas, & vita pure, nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram declinando ſequantur. Inter quos ad perſonam tuam, quam virtutum Dominus multis virtutibus inſigniuit, conſiderationis conuertens intuitum, deliberatione cum Fratribus Noſtris prahabita, de ipſorum conſilio te ad miniſterium huiuſmodi cooperationis duximus eligendum, &c.

Petrus hic conſultus à Pontifice, vt ſuam explicaret ſententiam circa Michaelis Cæſenatis Minoritæ dogmata, ſcriptis illam protulit, Michaelem damnando. Hanc Petri ſententiam ex Vaticana Bibliotheca teſcripſit in ſuis Annalibus Eccleſiaſticis Odericus Raynaldus ad annum 1322. cum hoc titulo. *Dicta Petri de Aerreblaio tit. S. Suſannæ Presbyteri Cardinalis.* E vita migrauit anno 1329. Hunc eundem cum Petro de Capella Presbytero Cardinale S. Vitalis, poſtea Epiſcopo Præneſtino autumat in ſua Gallia Chriſtiana Claudius Robertus de Archiepiſcopis Toloſanis agens; diuerſos tamen eſſe toto cœlo patet, ſi cognomina, ſi tituli, ſi obitus vtriuſque perpendantur.

Ioſ. Maria Suaresius in Frg. aeſt. Antiqui.

Ferdinād. Vghel in Addit. ad Ciacon.

V I.

Ciaconius

Panuinius



BErtrandvs de Montefauentio, Gallus è Caſtronouo Rutherij Diœceſis Cadurcēſis, ordinis Seraphici Diui Franciſci Alumnus, teſte Mariano Florentino Chronicorum ordinis eiuſdem auctore inter S. R. E. Cardinales a Ioāne Romano Pōtifice cooptatus eſt, & Diaconum ſanctæ Mariæ in Aquiro ab illo obtinuit. Bernardus tamen Guidonis auctor illius æui in Chronico m. s. ſeruato in Bibliotheca Vaticana recenſet Bertrandum inter Cardinales à Ioanne renunciatos, his verbis. *Item Dominus Bertrandus de Monte, de prædicto Caſtronouo Rutherij Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Aquiro:* nulla facta mentione an fuerit, nec ne Minorita. Panuinius, & alij affirmant ex Protonotario Apoſtolico Bertrandum creatum eſſe Diaconum Cardinalem: quam dignitatem Minoritæ non ſolent obtinere. Quicquid ſit, præfuit Bertrandus Diaconus Cardinalis Comitijs Minorum Lutetiæ habitis anno noſtræ ſalutis 1319. in quibus Gerardus Odonis electus eſt ordinis generalis, & Michaelis Cæſenatis depoſitio per Ioannem Pontificem facta, & confirmata, criminationeſque hactenus in Ioannem remotum à culpa, & inſueteneum ab ipſo Michaele iniuria excogitatæ, omnium votis damnatæ: in his quoque Comitijs inſtitutæ controuerſiæ de Chriſti Paupertate finis conſtitutus eſt. Pro Minoritarum ſententia alias pugnauerat Bertrandus, & præter ceteros illius controuerſiæ auctor fuerat, re tamen maturiùs conſiderata, ab illa deſciuerat.

Pet. Frizo in Gallia Purpurat.

Aubery in vita.

A Benedicto XII. cuius electioni album calculum adiecerat, in Gallias Legatus eſt cum Petro Gomelio Hiſpano, Presbytero Cardinale S. Praxedis anno 1337. pro pace procuranda inter Philippū Francorum, & Odoardum Angliæ Reges. Hos Legatos debito honore excepit in Gallia Philippus, ſed Odoardus aditum iis in Angliam negauit; ſcripſit tamen Odoardus Rex ad Benedictum hæc inter alia. *Et licet coram Reuerendis Patribus Petro tituli S. Praxedis Presbytero, & Bertrando S. Mariæ in Aquiro Diacono Cardinalibus, & ſanctitatis Veſtræ Nuncijs, qui circa pacis negocium laudabiliter, & ſollicite laborarunt, petitum ſit Noſtro nomine dictum Regnum Franciæ, quòd ad Nos pertinere noſcitur omni iure, Nosque præfatis Cardinalibus ſub certis vijs pacis velle Noſtrum bona fide fecerimus aperire, offerentes ſemper ad omnem viam pacis rationabilem Nos paratos pro certo tum de voluntate partis aduerſæ, nec per dictos Cardinales, nec per alios huc vſque ſcire quiuimus, &c.* Extant in Pontificijs Regeſtis Benedicti Romani Pontificis literæ ad hos Legatos datæ, quibus mandat, vt Archiepiſcopos, & Epiſcopos, ac Reges, & Principes, nullo dignitatis habito diſcrimine cenſura percellerent, ſi pacis conſilia diſturbarent; tum vt Regibus, ſi concordiam reſpuerent, arma mouentibus imperare inducias, ac ſi eas infringerent, eoſdem anathemate, atque Eccleſiaſtico interdicto eorum ditionem afficerent. At ſi poſtea Reges ac Principes Apoſtolicis parerent mandatis, inſtructi ſunt auctoritate, vt irrogatas pœnas ſoluerent, monitique Præſules, ac Principes Galli, vt ſuam Cardinalibus operam ad redintegrandam concordiam commodarent. Data iiſdem imperia, vt Eccleſiaſticos Proceres Gallos, & Anglos ab inferendis mutuis iniurijs, agendiſue incurſionibus abducerent, cogerent in vtroque Regno Præſulum cœtus, vt in iis optima concordiæ conſilia expedirent, coërcerent religioſorum nonnullorum temeritatem ne è ſacro ſuggeſtu faces accendendo, bello ſubijcerent. Iuſſi etiam ſunt Cardinales dare operam apud Odoardum Angliæ Regem, vt Regiorum Adminiſtrorum licentiam in Eccleſiaſticos comprimeret. Re infecta redierunt Legati ad Benedictum, quia Rex Angliæ illis acceſſum in Angliam negarit. Poſt reditum Bertrandus in Montefauentio extra muros Auenionenſes domum extædificauit amplam, & in ea Canonicos Regulares ordinis D. Auguſtini conſtituit, quibus ſubſtentandis congruos aſſignauit prouentus. Eccleſiam erexit in honorem Deiparæ Virginis, *De bonarequie* vulgo *de Montefauentio* dictam.

Odericus Raynald. in Annal. Eccleſiaſt.

Spondan. in Annal. Eccleſiaſt.

Thomas Vvalſing. in Annal. Angl.

Lucis vſuram amiſit in Vrbe Auenionenſi ex Felice Contelorio die prima Decembris anno 1342. ſeu ex tumulo ſequenti, ann. 1343. & ſepultus in Aede B. Mariæ *De bonarequie* a ſe conſtructa, ante aram principem cum hoc Epitaphio.

And. Victorel. in Addit. ad Ciacon.

Hic iacet Bertrandus de Monteſauentio de Caſtronouo Ratherij Cadurcenſis Diœceſis, tituli S. Mariæ in Aquiro Diaconus Cardinalis, qui poſt extructam ſuis expenſis, & dotatam hanc Eccleſiam, & Monaſterium, aliaque piè, & præclarè à ſe geſta, in Domino feliciter obdormiuit, anno Domini MCCCXLIII.

Hunc à doctrina, & ſcriptis laudat ſolitis Elogijs Paulus Corteſius, & illius meminere Benedicti X I. dicti X II. & Clementis V I. Regiſtra.

Luc Vvadding. in Annal. Minorum.

V I I.



GAilardvs, ſeu Galhardus, vel Galhardus de la Mota, ſeu de Mora, natione Gallus, patria Burdegalenſis, Clementis V. Romani Pontificis ex ſorore, vel nepte nepos, ex Epiſcopo Valatenſi Toloſanus Præſul, inde ad Regienſem tranſlatus, eam acceptare noluit, vt eſt apud Almaricum Biterrenſem in actis Pontificum Romanorum, demum à Ioanne Apoſtolicæ ſedis Protonotarius primò, mox Diaconus Cardinalis S. Luciæ in Silice ordinatus eſt. De quo hæc Bernardus Guidonis in Chronico: *Item Dominus Galhardus de Mota, Vaſco natione, Domini Clementis Papæ V. quondam ex nepte nepos, Diaconus Cardinalis S. Luciæ.* Affuit Comitijs Pontificijs, & ſuffragium pro Benedicto XI. dicto XII. Clemente VI. & Innocentio VI. tulit; imò, vt refert Frizonius, Innocentius VI. in Eccleſia primaria Auenionenſi, quæ Deiparæ Mariæ de Donis eſt ſacra, à Gailardo Archidiacono, ſeu Diaconorum Cardinalium primo Coronationis inſignia ſuſcepit.

Ciaconius

Panuinius

Petr. Frizō in Gallia Purpurat.

Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana.

Aubery in vita.

Cum Opizo Eſtenſis Ferrariæ Vicarius Argentam Eccleſiæ Rauennatis oppidum occupaſſet, Nicolaus Rauennæ Archiepiſcopus ad Clementem VI. confugit, vtque ibi reſtitueret petijt: Pontifex

Gailardo S. Luciæ in Silice Diacono Cardinali, ac nonnullis alijs præcepit, vt de concordia inter partes agerent. Monumentum Clementis V. patrui magnificentiſſimum extædificari curauit, vt ex verbis huiuſce ſupremarum eius tabularum conſtat. *Volo, & ordino, executoreſque meos attentè rogo, vt tumulus, quem ad ſepeliendum corpus felicis recordationis Clementis Papa V. auunculi mei fabricare feci in Eccleſia B. Mariæ de Vzeſta Diœceſis Vaſatenſis compleatur, & abſoluatur ſtipendijs meis, prout eiſdem executoribus, aut vni ex ipſis videbitur faciendum.* Hoc maximi pretij monumentum Gailardi Diaconi Cardinalis impenſis perfectum Caluinianæ ſectæ profeſſores perdiderunt, vt dictum eſt ſupra in Clementis vita.

Viuere deſijt Gailardus die 20. Decembris anno 1356. teſte Contelorio, vel ex Ciaconio, Frizonio, Aubery, & alijs anno 1357. & ſepultus in primario Vaſatenſis Vrbis Templo D. Ioanni Baptiſtæ ſacro, quòd à Caluinianis funditus eſt dirutum anno 1577.



VIII.

IOANNES Caietanus Vrſinus, nobilis Romanus, ex Protonotario Apoſtolico à Ioanne XXI. dicto XXII. renunciatus primò eſt Diaconus Cardinalis S. Theodori, deinde in Italiam Legatus, vt præeſſet Romandiolæ, Piceno, Hetruriæ, Vmbriæ, & Inſulę Sardiniæ, totiuſque Italiæ pacem, & quietem curaret. Legatus paciarij munere aſſumpto, Piſas ad 23. Iunij diem nauigio delatus, & ingenti cum honore ſuſceptus, Florentiam vltima eius menſis die acceſſit, & apud fratres Minores in ſanctæ Crucis Cœnobio diuertit; quarto poſt aduentum die legationis ſuę facultates aperuit. Die verò 25. Iulij Carolus Dux Calabriæ magna Principum, & nobilium multitudine, & copijs militaribus ſtipatus Florentiam ſe contulit, eiuſque Vrbis, & vniuerſæ Hetruriæ Tutelam ſuſcepit. Curauit vterque ſi quomodo Caſtruccium Lucenſium Tyrannum, & Guidonem Tarlatum Aretinum Epiſcopum, infenſiſſimum ſedis Apoſtolicæ hoſtem poſſent ad mentem reuocare, & à patrocinio Vicecomitum auertere. At nil contra animi obſtinatos perfecerunt, quin potiùs eos ad arma concitatos, multa in Pontificem, eique ſubditas Ciuitates aſpexerunt. Quare ad illos comprimendos Legatus die 30. Auguſti, Concione ante ſanctæ Crucis Baſilicam in ampliſſimo foro conuocata, præſente Carolo Duce, & vniuerſi populi multitudine, Caſtruccium velut Hæreticorum, & Schiſmaticorum fautorem, Eccleſiæ Catholicæ hoſtem, multorum criminum, & inprimis contumaciæ, & cædium reum anathemate damnauit, dignitatibus omnibus exuit, bona illius publicauit, & poteſtatem in res, & perſonam ipſius vnicuique fecit; ſimili ſententia obligauit omnes, qui ei conſilium, fauorem, vel auxilium impendiſſent. Pari cenſura Epiſcopum Aretinum percuſſit, quòd is Tiphernum Eccleſiæ Vrbem occupaſſet, Laterinum, Sabinumque ſolo æquaſſet, Aretij Principatum inuaſiſſet, & Ghibellinorum Dux factus Florentinos, Seneſes, & Ciuitates ditionis Eccleſiaſticæ prouocaſſet ad arma. Deinde vtroſque bello perſequendos cenſuit, cuius cura Carolo Calabriæ Duci filio Regis Roberti decreta eſt. Qui bello Caſtruccium perſecutus, occaſionem, vt Ludouicus Bauarus Imperator deſignatus in Italiam veniret attulit: qui ſuſcepta Mediolani ferrea Corona, vt mos eſt, Vrbem verſus iter arripuit. Eius aduentu populus Romanus ad res nouas excitatus, Neapoleone Vrſino, & Stephano Columna, qui Eccleſiæ nomine Vrbem regebant, pulſis, factionis Imperialis hominibus Ducem Sciarram Columnam, & 52. Plebis Rectores creat. Ioannes Caietanus Vrſinus Legatus, vbi minis, precibus, ac benignis pollicitationibus à Romanis impetrare non poterat, vt in Eccleſiæ fide permanerent, Vrbe interdicto ſuppoſita, & omnibus religioſis viris exire iuſſis, in Hetruriam abijt, conpro[illegible] ſus, cenſuras, & anathema in Bauarum à Pontifice Auenione ictas publicauit, ac milite collecto cum Ioanne Principe, fratre Regis Roberti ad Vrbem venit, & caſtra iuxta arcem S. Angeli locauit, ſed erumpentibus Romanis, fugatus in Hetruriam rediit. Bauarus Mediolanum accedens illud obtinuit, inde Romam veniens, Imperiali Diademate coronari ſe Imperatorem à laicis Ciuibus Romanis, à Sciarra ſcilicet Columna, Vrſo Vrſino, & Petro Martinengo in Baſilica Vaticana fecit; Ioannem Romanum Pontificem priuauit, Nicolaum V. Pſeudopontificem conſtituit. Inde Roma abiens, in Hetruriam primum, mox in Galliam Ciſalpinam, demum in Germaniam rediit. Abſente Bauaro Legatus cum copijs Regis Roberti, & Eccleſiæ, Vrbem ingreſſus, cunctis Bauari actis abrogatis, Vrbem Eccleſiaſtico interdicto ſoluit, & Romanos in Pontificis verba iurare fecit. Senatores, Eccleſiæ nomine, renunciauit Bertoldum Vrſinum ſui fratris filium, & Stephanum Columnam: Auctores ſuſcipiendi Bauarum, Vrbe expulit; eorum priuilegia igni commiſit,

Ciaconius
Panuinius
Bernardus Guido in chro. ms.
Io. Villan.
Brouius in Annal. Eccleſiaſt.
Franc. Sforſcia de fam. Vrſina.

vnciarumque acta antiquauit. Italiæ rebus, vtcunque compoſitis Auenionem rediens interfuit Comitijs, in quibus renunciatus eſt Romanus Pontifex Benedictus XI. dictus XII. ſub quo è vita migrauit Auenione anno 1339. & ſepultus apud Minores illius Vrbis.

Aubery in vita.
Felix Contel. in Elench. Card.

SECVNDA CREATIO CARDINALIVM.

Anno à partu Virginis 1317. *Pontificatus II.* die 20. ex Contelorio, ſeu ex Panuinio, & Ciaconio 24. Iunij Auenione Ioan. XXI. dictus XXII. iterum creauit Cardinalem vnum, qui fuit.



IX.

ARNALDVS de Veza, vel de Via, natione Gallus, patria Caturcenſis, filius ſororis Ioannis Romani Pontificis, in fratris Iacobi Presbyteri SS. Ioannis, & Pauli Cardinalis demortui locum ſubrogatus, & inſtante Philippo Galliarum Rege, ex Apoſtolico Protonotario, Diaconus Cardinalis S. Euſtachij, & Archiepiſcopus Auenionenſis renunciatus eſt: vt docent Ioannis litteræ ad eundem Francorum Regem datæ, in quibus hæc legimus. *Nobis de tranſitu bonæ memoriæ Iacobi tit. SS. Ioannis, & Pauli Presbyteri Cardinalis nepotis Noſtri, quem dolenter acceperas, interne compatiens, nedum curauiſti pij conſolatoris vices aſſumere, quin etiam, vt ſuperſtitem fratrem eius in quoddam Noſtrum de ſubtracto ſolatium, ad Cardinalatus apicem promouere vellemus, cum multa inſtantia Nos rogaſti, litteras ipſas ex liberalis nimis oblatione concludens, quod videlicet aduerſus quaſcunque perſonas, cuiuſcumque conditionis exiſtant, Sancta Romana Eccleſia Matri eius, perſonam, ſtatum, aut honori Noſtrũ quomodolibet nocere volentes, perſonam propriam, cunctamque potentiam tuam cordialius es paratus exponere, quàm ſcribere, aut referre.* Et infra. *Porro de promotione fratris eius, tuæ iam eſt inſtantia ſatisfactum; octauo namque die poſt dicti quondam obitum Cardinalis, fratribus Noſtris in priuato Conſiſtorio ſuper hoc vna voce, parique conſenſu importune, nimis inſtantibus, tandem eorum importunitate deuicti eundem fratrem Arnaldum nomine, Diaconum creauimus Cardinalem, & deinde Eccleſiam S. Euſtachij pro titulo duximus aſſignandam.*

Ciaconius
Panuinius
Pet. Frizon. in Gallia Purpur.
Claud. Robert. in sua Gall. Chriſtiana.
Bernardus Guido in Chrō. ms.
Tabula Auenionenſ.
Scheda Anonym.

Aedem B. Mariæ, vt vocant, *Villanoua* prope Vrbem Auenionenſem conſtruxit Arnaldus, ac dotauit. Palatium Auenione erexit, quòd poſt eius obitum Camera Apoſtolica emit, ac dedit Epiſcopo Auenionenſi habitandum Benedictus XI. dictus XII. Pia quædam in laudem Virginis Mariæ ſcripſit, vt notat Eiſengrenius. A Roberto Neapolitano Rege poſt obitum Guillelmi Longi Diaconi Cardinalis ſancti Nicolai in Carcere obtinuit Barienſem Prioratum.

Auenione ad ſuperos euolauit, non anno 1338. vt refert Ciaconius, & Frizonius, ſed ex libro Obligationum Cameræ Apoſtolicæ, die 24. Nouembris anni 1335. veluti ex antiquis Auenionenſis Vrbis monumentis collegit Ioſeph Maria Suareſius Epiſcopus Vaſionenſis, anno 1336.

In monumentis Prioratus Monſterienſis Arnaldus hic dicitur Artaudus, ſed errore Amanuenſis, vt notauit Felix Contelorius in Elencho Cardinalium, & repoſuit ſacros ſanctorum cineres, & lipſana in ſacello B. Mariæ Annunciatæ dicato, quòd vocatur de *Rocca*, die 16. Septembris anno 1328.

Aubery in vita.
Andr. Victorell. in Addit. ad Ciacon. & Perdio SJ. Vrbelinus in Item.
Hippolit. Marrac. in Purpur. & Bibl. Mar.
Ant. Beatillus in hiſt. Barien. & in vita S. Nicolai.

Scribit Frizonius Vrbanum V. viij. Idus Nouembris anno 1362. Auenione in Eccleſia Cathedrali B. Mariæ de Donanijs coronatum fuiſſe ab Arnaldo de Via Caturcenſi, nepote ſororio Ioannis Papæ XXII. Diacono Cardinali ſancti Euſtachij, & S. R. E. Archidiacono. At errauit Frizonius; nam conſtat Cardinalem hunc è viuis ſublatum fuiſſe ante annos ſaltem viginti quatuor, quàm Vrbanus renunciaretur Pontifex, quòd & ipſe Frizonius alibi fatetur, vbi ait Arnaldum de Via Diaconum Cardinalem ſancti Euſtachij obijſſe anno 1338.

Steph. Baluzius in not. Auenionens.

TERTIA CREATIO CARDINALIVM.

Anno Dominicæ Incarnationis 1320. *Pontificatus V.* Feria ſexta quatuor Temporum Aduentus, hoc eſt die 20. Decembris Auenione Ioannes XXI. dictus XXII. Romanus Pontifex tertiò creauit Cardinales, qui fuerunt.

X.



REGINALDVS, ſeu Raynaldus de la Porta Gallus, qui de Alalano, ſeu de Alaſacco natali ſolo nomenclaturam eſt ſortitus, ex Archidiacono Lemouicenſi, Epiſcopus Lemouicenſis creatus, inde ad Bituricenſem Eccleſiam tranſlatus, Auarici Biturigum annis quatuor Archiepiſcopatum tenuit, & ſtatuit quomodo à Clericis, abſque Sacerdotibus celebrandum eſſet diuinum officium. Archiepiſcopus Bituricenſis Ioanne Romano Pontifice iubente, vnà cum Berengario è Landora ordinis Prædicatorum Magiſtro, qui poſtea Archiepiſcopatu Compoſtellano donatus eſt, legationis munere apud Belgas functus eſt anno 1318. vt illos ad pacem, & concordiam etiam cenſurarum terrore adduceret. Frat[illegible] Reginaldus Guidonem S. Martialis Vrbis Lemouicenſis Archi[illegible] inde[illegible] m[illegible]llum ex Archiepiſcopo Bituricenſi Presbyterum Cardinalem SS. Nerei, & Achillei titulo Faſciolæ primo, mox Epiſcopum Oſtienſem, & Veliternum Ioannes Romanus Pontifex nominauit. Auenione è vita exceſſit anno, vt refert Ciaconius 1325. ſeu verius, teſte Contelorio ex libro Damnor[illegible] p[illegible] menſe Iunij 1326. eius cadauer Auenione Lemouicū deductum in Eccleſia principe illius Vrbis conditū eſt.

Nullum dedit Reginaldo gentilitium ſtemma Ciaconius, nos quod ſupra exhibuimus, ex Frizonio depromſimus.

XI.



FR. BERTRANDVS de Turre, natione Gallus, ex Camb[illegible] Cadurcenſi Diœceſis, ordinis Minorum Alumnus, ex Miniſtro prouinciæ Aquitaniæ anno noſtræ ſalutis 1319. ad Archiepiſcopatum Salernitanum in Regno Neapolitano, & ſequenti ad Cardinalatum, deinde ad Epiſcopatum Tuſculanum à Ioanne Romano Pontifice aſſumptus eſt. Hic plures Legationes in Italia pro ſede Apoſtolica ante Cardinalatum obierat; Ioannes enim, vt Italiæ malis mederetur, Bertrandum Guidonem ordinis Prædicatorum, Inquiſitorem hæreticæ prauitatis in Francia, & Bertrandum de Turre ordinis Minorum Prouincialem Aquitaniæ, quem etiam perperam Inquiſitorem facit Bzouius, vt inter Principes, & Dynaſtas Italiæ diſſidia componerent, & diſcordes animos [illegible] arent, Nuncios direxit, & [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] bri, [illegible] G[illegible] electos inimicis bellis [illegible] b[illegible] ex[illegible] mentem rempublicam afflixerat [illegible] bellum Inſubres Cremonam obſid[illegible] erant, Veronenſes [illegible] erant Inter Robertum Siciliæ Regem ex vna parte, & Amadeum Sabaudiæ Comitem, & Manfredum Salutiarum Marchionem, Philippum de Sabaudia, & Mattheum Vicecomitem ex altera diſſenſionum ignis excitatum bellum internecinum [illegible] nebat [illegible] hæc in[illegible] du[illegible] in Regeſtro Vaticano [illegible] peratur: *Dile[illegible] fratribus Bertrando Guidoni de ordine Prædicatorum, ſeu [illegible] hæreticæ prauitatis in Regno Franciæ per ſedem Apoſt[illegible] putato, & Bertrando de Turre ordinis fratrum Minorum Miniſtro Prouinciali Aquitaniæ ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.* Principibus quoque Italiæ Romanus [illegible] Eccleſiaſticis ac laicis imperio commendauit, vt ſaluberrimis horum Nunciorum monitis faciles ſe præberent. Proponit enim ob oculos ingentia mala, quæ ex ipſorum [illegible] dijs emergebant, [illegible] [illegible] quæ in caducis opibus [illegible] nequaquam comparanda ſunt, paternum denique amorem ſuauiſſimis verbis, Prophetarum oraculis [illegible].

Subierat autem frater Bertrandus eiuſdem Ioannis [illegible] prouinciā reducendi ad ouile aberrantes [illegible] Galliæ Narbonenſis Minoritas, Narbonæ, & Bitterris [illegible] conſtituentes, ſed fruſtra, nam illi obedire detrectarunt, & ad Pontificem [illegible] prouocarunt. Renunciatum Presbyter Cardinalis non à Gregorio XI. ſed à Ioanne XXI. dicto XXII. titulum accepit ſanctæ Crucis in Hieruſalem, vt ſcribit Marianus, vel S. Vitalis, vt refert Bernardus Guidonis in Chronico, ſeu verius Ciaconio, Panuinio, Contelorio, [illegible] SS. Syluestri & Martini in montibus. Ita pertinui[illegible] [illegible] S. Angeli de Formis prope Capuam ordinis S. Benedicti, & [illegible] Monaſterij S. Benedicti etiam Capuani. Cum autem Michaelem Caeſenatem ordinis Minorum Miniſtratum abrogaſſet, Ioannes ſummus Pontifex, Fr. Bertrandum de Turre Epiſcopum Cardinalem Tuſculanum eiuſdem ordinis Adminiſtratorē inſtituit, & ſcriptis Idibus Iunij anno 1328. litteris ad vniuerſos Miniſtros, Cuſtodes, aliosque eiuſdem inſtituti viros, iuſſit, vt eidem Bertrando tanquam verò ſuperiori in omnibus obedirent. Errarunt Marianus, & Marcus Vlyſſipponenſis dicentes Bertrandum Epiſcopum Cardinalem Oſtienſem conſtitutum Minoritarum Vicarium; nam litteræ Apoſtolicæ ſunt directæ ad Bertrandū Epiſcopū Tuſculanum, non ad Oſtienſem, qui Conuentus tantum Bononienſibus non ordini vniuerſo Ioannis iuſſu præfuit.

Bertrandi fama adeo apud omnes percrebuit, vt *Doctor famoſus* communi voce diceretur; Peripateticam enim apprimè callebat doctrinam, & in diuinis paginis verſatiſſimus, atque egregius verbi Diuini orator fuit: Scripſit.

In quatuor libros Sententiarum Commentaria.

In Euangelia, & Epiſtolas, quæ per anni circulum recitantur, explicationes. Extant hæc mss. in Bibliothecis Vaticana, Toletana Minorum, & Hamburgenſi in Polonia.

Sermones de Tempore ab Aduentu, vſque ad Paſcha: habentur mss. in Vaticana Bibliotheca.

Sermones de Sanctis.

Sermones Quadrageſimales, quorū infinitū extitiſſe numerū teſtatur Eſlengrenius: Sunt mss. in Vaticana, & Toloſana Bibliothecis.

Sermones Epiſtolares, ſeu in Epiſtolas Miſſalis excuſos Argentinæ anno 1501.

Tractatum de Paupertate Chriſti, & Apoſtolorum.

Collationes Theologicas.

Quo ad tempus Bertrandi obitus non omnes conueniunt: Toſſinianus, Frizonius, Gonzaga, Vvillotus, & Gaſpar Mu[illegible] illum è vita exceſſiſſe affirmant anno 1327. alij anno 1326. ſed ex ſupra laudatis litteris, ad Miniſtros ordinis datis, conſtat anno 1328 adhuc vixiſſe [illegible] ex S. Antonino, Marco Vlyſſipponenſi, & alijs ſcimus Vicariatus munere illum functum fuiſſe, vſque ad Comitia Lateranenſia Pariſiorum habita anno 1329. quare cum Felice Contelorio iudico Bertrandum Epiſcopum Tuſculanum ad ſuperos euolaſſe circa annum 1330. vel cum Luca Vvaddingo anno 1334.

Vvillotus, & Trithemius tenent Bertrandum hunc fuiſſe patria Mediolanenſem; at illos toto cœlo errare omnium antiquorum ſcriptorū teſtimonio ſcribūt Arturus a Monaſterio, & Lucas Vvaddingus. De hoc bis agit Poſſeuinus, primò ſub nomine Beltrandi, iterum ſub Bertrandi, in primo Cardinalem nominat, in ſecundo dubitat, & circa patriam in vtroque hæſitat.

Quatuor lilia Ciaconius in ſcuto Bertrandi Epiſcopi Cardinalis Tuſculani apponit, duo a dextris Turris, totidemque a ſiniſtris. Alij ſtellas duas ipſi Turri ſuperponunt, Gaſpar Iongelinus non quatuor tantum lilia argentea, ſed plura gerere in gentilitio ſcuto familiam de Turre nobilem in Gallia aſſerunt in Elog. [illegible] Cardinalium ordinis Minorum nos Ciaconio adhærendo antiquum expreſſimus ſcutum.

XII.



PETRVS de Prato natione Gallus, natus in Diœceſi Caturcenſi, ex Archiepiſcopo Aquenſi à Io. XXI. dicto XXII. Romano Pontifice Presbyter Cardinalis S. Pudentianæ titulo Paſtoris primò, mox S. R. E. Vicecancellarius dictus, tum ad Prænestinum Epiſcopatum aſſumptus, vna cum Annibaldo de Ceccano a Clemente VI. legatus eſt in Gallias ad pacem ſtabiliendam inter Philippum Valleſium Francorum, & Odoardum Angliæ tūc Rhemis agentem, Reges: induciæ triennii annotum inter illos à Legatis firmatæ ſunt teſte Thoma Vvalſingamo.

Auenione ædes habuit, quas in Eccleſiam S. Petri conuerti teſtamenti Tabulis cauit, in his, *deprecatur Reuerendiſſimos Patres, & chariſſimos Dominos, & amicos ſuos Dominos Petrum Praneſtinum, Hiſpanum, Magalonenſem, & de Ceramanno Cardinales, vt dignentur intendere, & facere, quod dicta vltima voluntas ſua plenum conſequatur effectum.* & Innocentius VI. anno Pontificatus ſexto clarrum Petro de Prato Epiſcopo Præneſtino licentiam erigendi eum Eccleſiam Collegiatam ſancti Petri Auenionenſis, ac vnum Collegium; & extat eiuſdem Pontificis Diploma datum hac de re anno 1358.

Vit vltimæ ſenectutis obijt Auenione ex Epidemia menſe Maio anni 1361. quo redierat è legatione, quam obierat ad Reges Francorum, & Anglorum. Hunc putauit Minoritam Frizonius, & cum Lu-

[illegible] Luca Vvaddingo, & Ferdinando Vghello [illegible] Reg[illegible] ſem in Gallia, ſed Barrel in hiſtoria Præſulum Regienſium, quam diligentiſſimè concinnauit, nuſquam huiuſce Petri de Prato meminit. Panuinius in ea eſt ſententia, Petrum hunc, non [illegible] Archiepiſcopo Aquenſi, vt diximus ſupra, ſed ex Epiſcopo V[illegible] inter Presbyteros Cardinales cooptatum. Ferdinand. Vghellus, & Claudius Robertus eundem crediderant, ac Petrum Aureoli, ſed mox Vghellus agnouit diuerſum, ſicuti reuera alius ab illo fuit.

A

XIII.



Simon de Archiaco, Gal[illegible] [illegible] Sanct[illegible] [illegible] patre A[illegible] Equite, matre de la Rochechouart, filia Americ Vicecomitis eiuſdem loci; fratres quatuor habuit Ademarum, F[illegible] Guillelmum D. Franciſci Religioſum, & Americum. P[illegible] [illegible] Simon [illegible] Sacerdotem in Ec[illegible] [illegible] de Decan[illegible] Archi[illegible] Vie[illegible] in Galliæ electus eſt. [illegible] [illegible] Galliarum Rege [illegible] Henrico de Sul[illegible] [illegible] Cherchemont Eccleſiæ Pictauienſi [illegible] De [illegible] [illegible] em Romanum Pontificem. Hoc ſedente [illegible] V[illegible] [illegible] habitum eſt Concilium Vienne[illegible] quo [illegible] Clemens V. Conſtitutionum ſuarum Codicem promulg[illegible] [illegible] Chriſti inſtituit, vt refert Angelus R[illegible] Vatica[illegible] na, ſibi tamen Viennam, Auſtria [illegible] Concil[illegible] aptè aſſignat. Ex Archiepiſcopo Vienneni Cardinalis [illegible] induſ[illegible] eſt, ac titulum S. Priſcæ à Ioanne Romano Pontifice obtinuit, ſub quo paulò poſt, anno [illegible] 1323 e vita [illegible]

B

Nulla huiuſce Simonis Presbyteri Cardinalis mentio apud [illegible] de Romanis Pontificibus, meminit tamen illius Bernardus Guidonis in Chronico, dum recenſet Cardinales anno 13[illegible] [illegible] renunciatos his verbis; *Dominum Simonem de Archiaco Diœceſis Santonenſis, Electum Vienenſem, cui datus eſt titulus Presbyteri Cardinalis ſanctæ Priſcæ.*

Scutum coccineum duobus palis [illegible] [illegible] [illegible] impreſſum, Frizonij ſtudio, Simoni huic Cardinali tribuimus.

C

Ciaconius

Pet. Frizo. in Gallia Purpurata

Claud. Robert. in Gall. Chriſt. [illegible]

Aubery in vita.

Friz. Card. [illegible] Card.

XIV.



Petrus Textoris, ſeu le Teſtier, genere G[illegible] [illegible] de S[illegible] Antonini Caturcen[illegible] D[illegible] [illegible] natale[illegible] [illegible] Apoſt[illegible] [illegible] Ioanne [illegible] Etenim cum Robertus Rex Siciliæ anno [illegible] in Federicum Trinacriæ Regem arma terra marique mouiſſet, Ioãne[illegible] mus Pontifex, vel ob ſtabiliendam pacem, vel inducias [illegible] nendas, ad Federicum Nuncios Robertum Stephanum E[illegible] pum Trecenſem, & Petrum [illegible] toris familiarem ſuum [illegible] Mart[illegible] pluribus inſtructos auctoritate legauit, ac Regem Federicum ad exceptas Roberto [illegible] reſtituendas, cum, ſine ea re, pax conſtare non poſſet, ſuis [illegible] eſt ad hortatus. Pacem inter illos Reges, ſed potius inducias in tres annos firmarunt Nuncij Apoſtolici, [illegible] præconis voce Panormi [illegible] decimum Kalen. Iunij ex [illegible] Tabulis Meſſanæ ſunt promulgatæ, ac publicatæ. At inter [illegible] Principes non diu ſtetit pax. Nam poſtquam Nuncij Apoſtolici Federicus Rhegium, aliaque Calabriæ oppida citra Pharum ex pacto reddidiſſet, & illa recepta continuò Francorum Præfectis adminiſtranda dediſſent, Robertus ſiue bello contra Ghibellinos ſuſcepto diſtractus, ſiue aliquibus [illegible] rumoribus excitatus, conditionibus ex fœdere propoſitis non ſtetiſſe viſus eſt. Functus legatione Petrus cum Auenionem redijſſet, a Ioanne inter Presbyteros Cardinales titulo S. Stephani in Cœlio monte cooptatus, Vicecancellarij quoque munus obtinuit; de quo hæc in Chronico Bernardi Guidonis legimus. *Domi[illegible] Petrum Textoris de S. Antonino Diœceſis Caturcenſ[illegible] Vicecancellarium Curiæ Romanæ, cui datus eſt titulus Presbyteri Cardinalis ſancti Stephani in Cœlio monte.*

D

E

Ciaconius

Pet. Friz. in Gall. Purpurat.

Oder. Rayn. ad hunc Annal. Eccleſiaſt.

Panuinius

F

Nouit penitus Iuris prudentiam, ac Theologiæ ſententiam eſt aſſecutus, ita ut Ioannis Romani Pontificis [illegible] [illegible] illos, qui Chriſtum, atque Apoſtolos, quoad [illegible] vitum [illegible] non quoad ius, & dominium [illegible], quæ referunt Euangeliſtæ habuiſ-

A

[illegible] contendebant, tum Chriſti [illegible] habendis loculis, imperfectorum perſonam, perfectorum verò in abdicatione geſſiſſe. In hos Petrus Presbyter ſancti Stephani conſultus a Pontifice egit, & ſuam ſententiam ſcriptis protulit.

Hac mortali vita deſtitutus eſt in Vrbe Auenionenſi ex Ciaconio, [illegible] anno a partu Virginis 1330 ex Aubery anno 1327. ex Contelorio vero, & ex libro Diuiſionum, quem ſe vidiſſe in Bibliotheca Vaticana ipſe Contelorius teſtatur, menſe Iunij anno 1325.

XV.



Pilusfortis, ſeu Pileusfortis de Rabaſtenchis, vel de Rupeſtagno, alias de Capiſtano, natione Gallus, natus apud [illegible] Georgium prope non[illegible] Tarrum, ſeu Tarnem flumen Diœceſis Albienſis, cuius pater Dn. Georgij Comes, Apamiarum Præſul primò ex Frizonio, [illegible] ex Riuenſis Epiſcopus, demum Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Anaſtaſiæ renunciatus eſt, teſte Bernardo Guidone in ms. Chronico, cuius his verbis meminit. *Dominum Pileumfortem de Rapiſtagno de S. Georgio prope Tarrum Diœceſis Albienſis, Epiſcopum Riuen[illegible], cui datus eſt titulus Presbytero Cardinalis ſanctæ Anaſtaſiæ* [illegible] integerer [illegible] R[illegible] interfuit Sy[illegible] [illegible] anno ſalutis 1319. Mortem obijt ſub [illegible] Romano Pontifice [illegible] quo anno

B

Ciaconius

Panuinius

Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciaconi.

Claud. Robert. in Gall. Chriſt. [illegible]

Aubery in vita.

Pet. Frizo. in Gallia Purpur.

C

Nullum dederat Cardinalibus C[illegible] ius gentilitium Stemma; [illegible] duce Frizonio [illegible] ſupra expreſſimus Dominorum de Rabaſtenchis, [illegible] [illegible]

XVI.



Raymundus de Ruſo, quem Panuinius & C[illegible] Raynerium Rufi alij, Rufi vocant, natione Gallus, patria Caturcenſis, Ioannis Romani Pontificis nepos, vel ſanguine illi proximus, ex Protonotario Apoſtolico Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Coſmedin ab ipſo Ioanne renunciatus eſt, vt teſte Bernardus Guidonis in Chronico his verbis. *Dominum Raymundum Ruffi de Caturco Ciuitate, cui datus eſt Titulus Diaconi Cardinalis S. Mariæ in Coſmedin.* Hunc deinde ex Diaconis inter Presbyteros Cardinales titulo S. Chryſogoni ab eodem Ioanne co[illegible] [illegible] ſunt, ac vitam cum morte commutauit Auenione 1342 [illegible] apud Minores illius Vrbis. Felix tamen Contelorius in Elencho Cardinalium ex libro Diuiſionum [illegible] Raymundum hunc e vita exceſſiſſe Diaconum Cardinalem [illegible] Mariæ in Coſmedin anno 1325. eodem Romano Pontifice Ioanne.

D

Petrus Friz. [illegible] Gal. Purp.

Aubery in vita.


Panuinius de Rom. Pont.

E

QVARTA CREATIO CARDINALIVM.

Anno Dominicæ Incarnationis 1327. Pontificatus XII. Feria ſexta, quæ [illegible] Temporibus Aduentus, die 1[illegible]. Decembris Auenione Ioannes XXI. dictus XXII. Romanus Pontifex quartò creauit Cardinales, qui fuerunt.

XVII.



Ioannes Raymundi natione Gallus, Conuennarum Comitis filius, vir prudentia, nobilitate, & integritate commendatiſſimus, ex Magalonenſi Epiſcopo primus Toloſæ Archiepiſcopus a Ioanne Romano Pontifice menſe Iulij 1317. de[illegible] [illegible] Epiſcopus Portuenſis, & S. Rufinæ renunciatus eſt Claudius Robertus in Gallia Chriſtiana, & Petrus Frizonius in [illegible] Purpurata referunt, Ioannem hunc Presbyterum primo Cardinalibus titulo ſancti Vitalis, mox Epiſcopis Præneſtinis adſcriptum. Felix Contelorius in [illegible] Cardinalium ex libro Obli-

F

Pet. Frizo. in Gallia Purpurat.

Aubery in vita.

Ciaconius

Panuinius

Bernardus [illegible] Chron. ms.

Claud. Robert. in [illegible] [illegible]

[illegible] tranſlatum fuiſſe ab Eccleſia Toloſana ad Oſtienſem, ſed, vt optimè notauit Ferdinand. Vghellus ex ipſo [illegible] ab anno 1327 vſque ad annum 1352. Bertrandus de Porto, aliàs de Podietto Eccleſiæ Oſtienſi præfuit, ſunt Ioannis Pontificis literæ ad hunc Bertrandum Epiſcopum Oſtienſem datæ anno Chriſti 1328. quare Impreſſor vel Amanuenſis incurit errorem illum irrepſiſſe dicendum eſt, [illegible] pro Portuenſi Oſtien[illegible] retur.

Poſt Ioannis obitum re pul[illegible] in Pontificatum ea lege oblatum, vt nunquam Romam repeteret, [illegible] letens id cedere in Eccleſiæ detrimentum. Cum Alphonſus Rex Aragonenſis Petrum patruum, & Tarraconenſi Archiepiſcopatu [illegible] Proceribus ſuæ Curiæ Comitibus ad Benedictum XI. dictum XII. [illegible] mittendum procederet, [illegible] Ioannes obuiam [illegible] ad Druentiæ fluminis tranſitum, cum [illegible] duobus Cardinalibus [illegible] excepit. Iacobus Balearium Rex Auenionem ingrediens præiuit medius inter Neapoleonem Vrſinum, & Ioannem Cardinalem Conuenarum, teſte Petro [illegible] zonio. Is ſub Clemente VI. Talairandum Cardinalem Petragoricenſem, tanquam in Regis Neapolitani Andreæ necem conſpirantem, [illegible] alijs verbis contumelioſis plenis in publico Conſiſtorio [illegible] Eccleſiæ proditorem appellauit, vt refert Ioannes Villanus, erat enim Petragoricenſis Cardinalis auunculus Caroli Dyrrachij Ducis, cuius [illegible] de cæde [illegible] Andreas interfectus, vt Regno potiretur.

S[illegible] de [illegible] hone D[illegible]

Ser[illegible] diebus [illegible] habitos.

Georgius Draudius in ſua Bibliotheca Claſſica Ioannem Raymundum auctorem facit Commentariorum in Pſalmum [illegible], & Epiſtolarum [illegible] anno 154[illegible] editæ ſunt Lugduni, in quibus [illegible] tamentur. [illegible] anne hoc noſtro L[illegible] Cardinali prorſus ignotæ.

Deſijt eſſe in viuis ex Ciaconio ac Frizonio, alijſque menſe Februario anno 1349. vt teſte Aubery & [illegible] elon [illegible] ex l[illegible] Ol[illegible] Nou[illegible] an[illegible] 8 [illegible] de Al[illegible] anno 1348. ex [illegible] tam [illegible] mortui Ioannis Cardinalis Conuenarum, [illegible] electus eſt, vt [illegible] Ferdinandus Vghellus [illegible] Italiæ ſacræ.

Celeberr[illegible] C[illegible] S. Pantaleo[illegible] chij dedit, mandauit [illegible] voluntatis executoribus [illegible] loco viciniore D[illegible] Baſil[illegible] in quo [illegible] ducentæ Virgines Deo ſacræ ordinis S. Auguſtini, & ad diuinum officium ibi celebrandum duodecim Canonicos Regulares [illegible]

Quare non benè Mariana refert Conuenarum [illegible] anno 1[illegible] in Aragoniam appuliſſe [illegible] Gregorij Pontificis [illegible] ad [illegible] bellum [illegible] inter Aragoniæ, & Caſtellæ Reges [illegible] Bale[illegible] aruiſſum. Quæ [illegible] magni [illegible] habebantur, ac [illegible] timebatur ne Rui[illegible] fines [illegible] propè [illegible] enim te[illegible] tos [illegible] hunc annos [illegible] defunctus Ioannes Conuenarum Cardinalis.

Scutum Comitum Conuenarum [illegible], decuſſatis quatuor amygdalis argenteis expreſſum.

Ciaconius



XVIII

ANNIBALDVS de Ceccano Aquinates Duceſit, Campanus Hernicus, vir ſanguine, [illegible] entijs lareſ. [illegible] doctus præſertim in ſacris Canonibus, [illegible] ingenij, & præſtantis animi, atque [illegible] rerum vſu, & experientia excultus. [illegible] Romæ [illegible] ſuper [illegible] A[illegible] Neapoli [illegible] Epiſc[illegible] R[illegible] ante [illegible] ad annum 1328 de[illegible] anno [illegible] de Ce[illegible] Campan[illegible] & Rom[illegible] [illegible]

[illegible] Roma[illegible] Neapolitanum [illegible]

[illegible] eſt apud [illegible] pro Benedicto XI. dicto XII. [illegible] & deinde pro Clemente V[illegible] Romanis [illegible]

In Regiſtris Roberti Regis [illegible] inueni [illegible] baldi S.R.E. Cardinalis, & Epiſcopi Tuſculani [illegible] ad eumdem Regem datæ, [illegible] ex anno [illegible] Rege [illegible] emere [illegible] domum [illegible] Comitatu prouinciæ in G[illegible]

Dominus Lucas de Fliſco S.R.E. Cardinalis [illegible] teſtamentis erexerat, & pro illius pretio ſoluere florenos auri mille, [illegible] quingentos; ac etiam quandam baſtidam à Guillelmo Gerardi Auenionenſi prope Caſtrum Raynaldi de eodem Comitatu prouinciæ pro pretio florenorum auri quatuorcentum, aliaque bona in eodem Comitatu, vſque ad redditum annuorum florenorum tercentum, eademque bona remiſſa, non vt Cardinalem, vel Epiſcopum, ſed vti ſingularem ac priuatam perſonam exponebat emere ſe velle proprijs pecunijs, ac ſupplicibus libellis petebat, vt Rex ijs petitionibus benignè aſſentiretur. Rex ille quicquid petierat, indulſit, imò vt poſt eius obitum bona [illegible] præſenti pecunia à ſe empta teſtamento legaret, permiſit, vt conſtat ex eiuſdem Regis literis ad Seneſcallum Comitatuum prouinciæ, & Forcalquerij, in quibus Rex illum nominat *Amicum [illegible] um.*

Acceptis vniuerſæ Eccleſiæ gubernaculis Clemens huius nominis VI. [illegible] reuocandæ in vniuerſo Orbe Chriſtiano paci conſilia ad finem perducere [illegible] eſt; cumque cerneret [illegible] que ex Regum diſſidijs rei Chriſtianæ imminebant, ea [illegible] auertere exoptaret, atque [illegible] primus, cum ſæuiſſima omnium diſ[illegible] & Angli[illegible] allideret, illi ſe tandem [illegible] nos conatus adhibit legat[illegible] & Odoardum Reges decreta; cuius obeundæ muneris Petro [illegible] & Annibaldo Tuſculano Epiſcopis Cardinalibus [illegible] eiſque præcepit, vt Reges propoſitis [illegible] impendentibus rei Chriſtianæ cladibus, ad pacem aſſi[illegible] ciderent, [illegible] omnes, qui impedimento eſſent, quominus concordia [illegible] ratificatum pœnis repri[illegible] ent, pr[illegible] fidei [illegible] ta, ac fœdera de vrgendo bello diſ[illegible] que pr[illegible] Clementis literas ad vtrumque Card[illegible] ex B[illegible] the. a V[illegible] ana reſcripſit in ſuis Annalibus [illegible] R[illegible]. Imperauit præterea Clemens [illegible] idem Rege [illegible] atque al[illegible] detrectarent, [illegible] A[illegible] ac [illegible] Non extinxerunt [illegible] Odoardus Anglorum Rex a[illegible] pauerit [illegible] tamen ad [illegible] inter il[illegible] Pontifex vtrumque Re[illegible] Pa[illegible] induc[illegible] vt arma Angli[illegible] in Granatenſes in Hiſpania ad[illegible] confirmandas vires [illegible] Odoardus [illegible] pacis ſtudio, auer[illegible] erat [illegible] ſed [illegible] ob tempus bello incommo[illegible] temporis oppugnare non valeret, [illegible] paulo poſt apparatu bellum redintegrauit, & [illegible]

Dum furerent Angli in Gallia, Scoti Francorum fœderati ad [illegible] vires, cum triginta millibus armatorum in Angliam [illegible] terrorem exercuerût. Clemens Romanus Pontifex Odoardum, [illegible] Philippum Reges, eorum[illegible] vt pacis conſilia am[illegible] Cardinales, Annibaldum ſcilicet Epiſcopum Tuſculanum, & Stephanum Presbyterum [illegible] S. Ioannis, & Pauli ad [illegible] legauit: re infecta rediere Legati ad Clementem. Anno 1347. ab eodem Clemente directus eſt Annibaldus in Germaniam [illegible] contra Ludouicum Bauarum electum Imperatorem, ad Germaniæ Principum an[illegible]

Ad reſtituendam verò pacem Neapolitano Regno eumdem Clemens [illegible] legauit, eique demandata prouinciæ Beneuentanæ [illegible] ad [illegible] ſpectantis [illegible] In hac [illegible] vt deſperati ferè Regni Neapolitani rebus opem al[illegible] ferret, non parum inſudauit, atque immenſos labores [illegible] Regum [illegible] quæ ſuperſunt, acta teſtantur, [illegible] in diplomate, in quo inducias inter [illegible] Hungariæ Regem [illegible] Ioannam Reginam indixit, vſque ad [illegible] excommunicatione, ac ducentorum millium [illegible] hoc eſt Diploma Annibaldi ex [illegible] Regni Regiſtro depromptum

ANNIBALDVS miſeratione diuina Epiſcopus Tuſculanus, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, [illegible] præſentes literas inſpecturis ſalutem in Domino.

Dudum ſanctiſſimus Pater [illegible] Dominus Noſter, Dominus Clemens diuina prouidentia Papa Sextus conſiderans, & attendens, [illegible] beneuola damna, [illegible] pericula perſonarum, & rerum, quæ [illegible] ex [illegible] guerris, quas inimicus [illegible] inter Sereniſſimos Principes Dominum Ludouicum Regem Hungariæ Illuſtrem ex vna parte, & Dominum Ludouicum de T[illegible] Sereniſſimam Principiſſam Ioannam Reginam Siciliæ [illegible] Illuſtres ex altera, prodire in [illegible] terris, [illegible] ſpecialiter in Regnis Hungariæ, & [illegible] inter nonnullas perſonas [illegible] propter [illegible] necem claræ memoriæ A[illegible] Siciliæ, Deo [illegible] hominibus horribilem, & deteſtabilem [illegible] in Terris,

quique pacem hominibus per ſuos Angelos nunciauit, huiuſmodi periculis, & damnis, quanto ſalubrius poterat, obuiare, Reuerendum in Chriſto patrem Dominum Guidonem tituli ſanctæ Ceciliæ Preſbyterum Cardinalem ad Regnum Hungariæ, & certas alias partes, & Nos ad Regnum Siciliæ, & totam Terram ipſius Regni citra Pharum, & Tuſcia, ac certas alias partes, & prouincias in Noſtris Apoſtolicis literis expreſſas, cum plena legationis officio, de ſuorum Fratrum conſilio deſtinauit, vt diuina operante clementia in ſupradictis Regni partibus, & prouinciis euelleremus, & diſſiparemus, ædificaremus, & plantaremus, ac ſtatueremus in Dei nomine, & prout gratia cœleſtis infuſio Nobis, & certa Noſtra ſcientia, & prouidentia miniſtraret, ac inter quaſcunque diſcordes ſtuderemus bonum pacis reformare, & treguas indicere, ac nonnulla alia facere, & procurare, quæ ad ſalutem animarum, & corporum expedire videremus. Nos itaque tamquam obedientiæ filij ſupradictis mandatis Apoſtolicis obedire volentes, noctes inſomnes, & peruigiles duximus, & diebus pluribus ſalubrius meditationibus operam dedimus ad exquirendum vias, & modos, quibus mediantibus cum maturo, & ſano conſilio iuxta mandatum Apoſtolicum ſupradictum, huiuſmodi damnis, & periculis ſalubriter obuiare poſſemus. Et quia treguarum inductio pacis præambulum reputatur; & ideo inter ſupradictos Dominos Ludouicum de Tarento Regem, & Dominam Ioannam Reginam, eorum vaſſallos, & ſequaces, ac adhærentes eiſdem, & magnificos potentes viros Dominos Stephanum Vaiuodam Tranſiluanum Comitem de Zamith, Corradum Lupum, Ducem Guarnerium, certoſque Comeſtabulos, & armigeros eorum ſequaces, & adhærentes eiſdem, qui pro prædicto Domino Rege Hungariæ in prædicto Regno Siciliæ exiſtunt ex altera, treguas ſub certis modo, & forma, ac ſub certis pœnis ſpiritualibus, & temporalibus die vigeſima tertia præſentis menſis Iulij duximus indicendas, prout in quibuſdam literis Noſtris inde confectis Noſtro ſigillo munitis plenius continetur. Cum autem ſicut per literas ſupradicti Domini Guidonis Cardinalis Legati accepimus, ipſe etiam inter ſupradictos ante Nos treguas indixerat ſpeciales, Nos ipſius exhortationibus, & requiſitionibus inclinati, ac cum eodem in iis concordare volentes, nec reuocantes propterea ſupradictas treguas per Nos indictas, ſed eiſdem inſiſtendo niſi in quantum treguis per eum indictis derogarent, ſeu contradicerent, inter ſupradictum Sereniſſimum Principem Dominum Ludouicum Regem Hungariæ, omneſque eius ſubditos, valitores, & adiutores, fautores, ſequaces, familiares, vaſſallos, fideles, amicos, ſtipendiarios, milites, & quaſcunque gentes armorum cuiuſcunque ſtatus, ſeu conditionis exiſtant; nec non omnes, & ſingulas Ciuitates, Communitates, Terras, Caſtra, Villas, Caſalia, & loca quæcunque tam infra Regnum Hungariæ, quam in prænominata Terra Regni Siciliæ citra Pharum conſiſtentes, ſeu conſiſtentia, eidem Regi Hungariæ ſubiectas, vel ſubiecta, ac adhærentes, ſeu adhærentia quoquomodo, & ex parte vna, ac Sereniſſimum Principem Dominum Ludouicum de Tarento Regem, & Sereniſſimam Principiſſam Dominam Ioannam Reginam eius cõſortem, omneſque eorum ſubditos, vaſſallos, valitores, adiutores, fautores, ſequaces, familiares, amicos, ſtipendiarios, milites, & quaſcunque gentes armorum cuiuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, aut conditionis exiſtant, nec non omnes, & ſingulas Ciuitates, Communitates, Terras, Villas, Caſtra, Caſalia, & loca quæcunque eiſdem Domino Ludouico de Tarento, & Ioannæ Reginæ coniunctim, vel diuiſim ſubiectas, & ſubiecta, adhærentes, & adhærentia quoquo modo ex altera, treguas, & guerrarum inducias, in modum, & terminum, qui ſequuntur, auctoritate Noſtra, imo verius Apoſtolica, qua in hac parte fungimur, tenore præſentium indicimus generales, eoſdem Dominos Ludouicum de Tarento Regem, & Dominam Ioannam Reginam hortantes, rogantes, & per viſcera miſericordiæ Domini Noſtri Ieſu Chriſti quanto efficacius poſſumus, obſecrantes, quatenus cum eorum conſilij prouidentia placeat attendere, quot homines ſub ore gladij cadere, quot eorum animæ, quod abſit, in æternum damnationis adire, quot Eccleſiarum, Ciuitatum, Villarum, Caſalium, & locorum aliorum deſtructiones, & quot, & quanto maiora, & iis ſimilia damna poterunt peruenire, niſi prælibata diſcordia ſiat Apoſtolicæ ſedis gratia eorum populo pa.... & Chriſtifidelibus vniuerſis gratificus imponatur, vt ſic clementia Diuina ....felicitatis æterna præmia, & præſentis vitæ tempora felicia largiantur, eiſdemque Domino Ludouico Regi, & Ioannæ Reginæ propter bonum optatæ iuſtitiæ, & pacis, quos cum voce..... diuinæ communicat auctoritas, ſub excommunicatione, & ducentorum millium florenorum exigendorum, & ſoluendorum a parte non parente, parti parenti, & obſeruanti prædictæ ſingularibus perſonis ſub generalitate ſuperius nominatis, & quas præſens negocium ...ei poterit, quoquo modo, ſimiliter ſub excommunicatione, vniuerſitatibus vero Ciuitatum, Caſtrorum, Villarum, Caſalium, & aliorum, locorumque prædictorum ſub interdicti pœna expreſſe præcipimus, & mandamus, quatenus treguas huiuſmodi; & guerrarum, ac pacis præambulum nunciantes, & in pacem fidelium auctore Domino terminantes, quas in eorum præſentia, & multitudine copioſa publicamus infra ſex dies, poſt datam præſentium grata recipiant, ... fideliter obſeruare procurent, vſque ad finem anni 1350. qui vere erit permittente Domino Iubilæi, ſiue annus remiſſionis, & gra-

A *tiæ, ac indulgentiæ, & gratioſe, & per tres menſes eundem annum immediate, & proxime executores inuiolabiliter duraturas. Ita vt vndecunque, & vbicunque ad Vrbem venientibus, & ab ea recedentibus ſecurus pateat, & ſit liber acceſſus, & quod prædictis treguis durantibus inter ſupradictas partes omnis ceſſet offenſio, & vnuſquiſque ſuis poſſit ſupereſſe negotiis, ſicut tempore veræ pacis. Ceterum ad tollendas occaſiones, & vias, per quas poſſet treguis durantibus ſupradictis, huiuſmodi diſſenſionis materia ſubſiſtere, quod tunc ſupradictæ treguæ fractæ, & violatæ eſſe dicantur, niſi de conſenſu prædictarum partium aliud interim ordinetur, quando cum multitudine gentium armatarum cum vaſſellis, vel etiam ſine eis per vnam prædictarum partium contra aliam fieret hoſtilis ingreſſus, ſeu aliqua Ciuitas, Villa, Caſtrum, Caſale, ſeu Rocca hoſtiliter caperetur, vel etiam poſt tractatus quoſcunque palam, vel occulte per proditionem, vel deceptionem aliam tolleretur, ſeu reciperetur;*

B *vel quando ſubditi partis vnius ab eius ſubiectione, & obedientia rebellantes, tranſirent ad aliam, & ab ipſa reciperentur, vel eis in rebellione, & tranſitu prædictis fauor aliquatenus præſtaretur, aut quando offenſa mortis, ſeu captionis ab vna earundem partium contra aliam in perſonam alicuius Ducis, Principis, Comitis, Baronis, vel alias multum notabilis perſonæ de mandato, ſeu beneplacito ſupradictorum Ludouici Regis, & Reginæ, aut alterius partis quomodolibet in Terris citra Pharum, aut in aliis Terris eis ſubiectis fieret, vel quomodolibet perueniret. Et ſi contingeret, quod prædictæ nouitates, vel aliqua, ſeu aliqua earundem fierent per aliquos quoſcunque, cuiuſcunque ſtatus, aut conditionis, ſeu per aliquam Communitatem, vel Vniuerſitatem partium prædictarum in præſentibus literis nominatam, ſeu nominatas; tunc niſi prædicti Domini Ludouicus, & Regina, aut alia pars per Regem Hungariæ exiſtens, ſeu ſibi adhærens nouitatem huiuſmodi fecerint infra duos mẽſes poſtquam*

C *ſuper hoc fuerint requiſiti, vel ad eos, aut ad eorum notitiam ſupradicta quoquo modo peruenerint, ipſa cum effectu, ac mandari, ac de eis ſatisfieri non fecerint, pœnis, & ſententiis ſupradictis, & infraſcriptis realiter ſubiaceant ipſo facto. Et quia ſæpe contingit, quod etiam inter homines, qui mutua pace fruuntur, rixæ, & offenſiones particulares, & reales occurrunt; ſi caſus aliqui quicunque inter prædictas partes alicuius offenſionis obuenerint, per illas partes fracta tregua huiuſmodi minime intelligantur, ſeu quomodolibet violata, ſed offenſis ipſis pro parte ſupradictorum Domini Ludouici de Tarento Regis, & Dominæ Ioannæ Reginæ, ac parte alia ſupradicta, & de ſuis contra ſuos cognoſcere, & offenſas faciant emendari, quotieſcunque fuerit opportunum, nobiles, & potentes viri Dominus Thomas Comes ſancti Seuerini dicti Regni Siciliæ Magiſter Comeſtabulus, & Goffridus Comes Squillacij, ac dicti Regni Siciliæ Ammiratus pro parte eorundem Dominorum Ludouici Regis, & Ioan-*

D *næ Reginæ, & pro parte dicti Domini Regis Ludouici Hungariæ ſubiectus nobiles, & potentes viri Domini Nicolaus Comes Triuenti, & Corradus dictus Lupus miles Conſtantienſis Diœceſis, vel aliter, & quia nonnulli captiui vtriuſque partis in præfata Terra Regni Siciliæ citra Pharum detineri dicuntur, ſupradicti Comes ſancti Seuerini, & Ammiratus, ac Comes Triuenti, & Corradus Lupus habeant plenariam, & liberam poteſtatem faciendi eoſdem taliter relaxari, ita tamen quod treguas ſupradictas ſiatis ad carcerem redire ſub fidelitatis iuramento firmiter teneantur. Porro ſi memoratus Dominus Ludouicus de Tarento, & Domina Regina treguas ſupradictas infra præfatos ſex dies, quorum eis, & cuilibet ipſorum duos pro primo, duos pro ſecũdo, & reliquos pro tertio peremptorio termino, ac monitione Canonica ſignamus, non acceptauerint, vel approbauerint, ſea, ſi contra præmiſſa venerint, treguas huiuſmodi frangendo, vel violando, ſeu emendo, vt ſupra dictum*

E *eſt facere, aut fieri facere neglexerint, Nos in ipſos, & eorum quemlibet excommunicationis, & ducentorum millium florenorum, ac omnes eiſdem, aut aliter ipſorum in hoc dantes auxilium, conſilium, & fauorem. ....*

Rex, ac Regina Neapolitana gratiæ cauſa ob conciliatam ab Annibaldo Cardinali pacem, Thomaſio de Ceccano Annibaldi fratri feuda, quæ fuerant quondam Adenulphi de Aquino abſque ſucceſſoribus defuncti, dono dederunt die prima Octobris anni 1349. indictione 3. ſuumque in illum amorem his verbis explicarunt.

LVDOVICVS, ET IOANNA REGES, &c.

F *Attendentes erga Nos merita deuotionis integræ, ſinceritatemque animi deuotam, & obſequioſa promptitudine opera nobilis viri Thomaſij de Ceccano Conſiliarij, familiaris, & fidelis Noſtri dilecti, quibus turbato præſenti tempore, Regnum ipſum concitatis guerra fremitibus, & ſub dubiis euentibus poſitum magnis diſcriminibus hinc, & illinc in aduerſum laceſſiri, ad honorem, & fidelitatem Noſtram, & reductionem ipſius Regni ad ſtatum proſperum, & reconciliationem eius priſtinam experimentaliter claruit; pro quorum cauſa Nobis, & publicæ rei Noſtræ hilari liberalitati ſubuenit, ex quibus ſua deuotione, ne dum reddita eſt gratior Nobis in præſtitis, ſed ſperamus tam probabiliter reddi Nobis ſucceſſiuis euentibus gratiſſimam in præſtandis; & confidentes, quod beneficiorum Noſtrorum gratias impenſas eidem Thomaſio ſic perſeuerantia commen-*

commendabilis fructum præueniet, quod maiorem ſibi Noſtram gratitudinem vendicabit, neceſſarium conſiderabiliter aduertentes, & in Noſtra mentis acie reuoluentes proſecutionem paternam Reuerendi in Chriſto Patris Annibaldi Dei gratia Epiſcopi Tuſculani S.R.E. Cardinalis, Apoſtolicæ ſedis Legati, chariſſimi Compatris Noſtri, & amici Noſtri eiuſdem Thomaſij fratris, quem ad honores Noſtros, dictique Regni tranquillitatem, & reparationem ipſius, auctore Domino per patentium operum indices immenſo feruore paterno proſecutionis oſtendit, pro quibus nec pepercit ſollicitudinum curis, atque vigilijs, nec perſona propria laboribus indefeſſis, eidem Thomaſio, ac eius heredibus vtriuſque ſexus ex ſuo corpore legitimè deſcendentibus, &c.

Ex hoc Diplomate habemus Annibaldum Epiſcopum Tuſculanum Compatrem fuiſſe Regum Neapolitanorum, quod etiam confirmatur in Edicto, quo illi Reges veniam pollicentur omnibus, qui Ludouici Hungariæ Regis partes ſectati fuerant, ſub datum 4. Ianuarij anno 1349.

Aderat iam annus 1350. ſacer Orbi Chriſtiano, ne Romana Ciuitas Rectore careret, vtque publicæ quieti conſuleret Clemẽs Romanus Pontifex, Annibaldum Vrbi præfecit, eique in præceptis dedit, vt iudicio vrgeret Nicolaum Laurentium Vrbis Rectorem. Subijt in Vrbe Annibaldus Cardinalis graue periculum; nam dum e Vaticana Baſilica ad S. Pauli Templum pergeret, immiſſæ in eum ex inſidijs duæ ſagittæ fuerunt, quarum altera eius pileum tranſijt, cuius ſceleris auctores ſemper ignoti: inuidia tamẽ Nicolao Laurentio adhæſit, ipſum eiuſmodi comparaſſe inſidias, vt ſublato e medio Legato, tyrannidem Vrbis, Tribunitiæ dignitatis ſpecie inuaderet; adeo vt Annibaldus Epiſcopus Tuſculanus aduerſus ipſum cenſurarũ Eccleſiaſticarum gladiũ diſtrinxerit. Quare Nicolaus ab Vrbe diſceſſit, clam in Boemiam ad Carolũ Romanorum Regem ſe cõtulit, ac verſatus Pragæ aliquandiu, honorificæ datus eſt cuſtodię.

Romanæ Vrbis rebus publicis, vtcunque compoſitis iuſſus eſt Annibaldus proficiſci ad Ludouicum Regem Hungariæ, vt iterum eum ab expeditione Neapolitana abduceret. Illico ſe itineri accinxit Legatus, & menſe Iulio Roma ſoluit, per Campaniam Romanam iter faciens inuiſit Ceccanum paternæ ditionis oppidum, & ad Caſinenſe Cœnobium diuertit. Solis radijs percuſſus ægrotauit in Villa ſancti Georgij, ibique morte oppreſſus eſt, vt Pontificiæ teſtantur literæ pridie Idus Auguſti anno 1350. exaratæ: de quo Clementis vitæ auctor hæc narrat. *Eodem anno obijt Dominus Annibaldus de Ceccano Epiſcopus Tuſculanus Cardinalis, qui Romam per prius miſſus fuerat per dictum Papam Legatus, & Vicarius, vt ibi loco, & vice ſui pro illo tempore præſideret, & ibi expediret, Peregrini ad ipſum pro ſuis neceſſitatibus recurſum haberent: dicitur autem, quod toxico interemptus eſt.* Sublatum veneno vino infuſo, contendunt Matthæus Villanus, & Nicolai Laurentij vitæ ſcriptor: Cuncta ſupellex ab eius regionis incolis ſubrepta eſt, ac familia diſperſa; vnus ex Cardinalis nepotibus in eadem S. Georgij Villa e vita ereptus eſt, alter verò Romam illico reuerſus, in illa Vrbe nonnullos poſt dies mortem oppetijt. Cardinalis cadauer apprimè pingue, diſſectum, Vnguentis delibutum, fratrum Minorum veſtibus indutum, arcæ creditum, mulo impoſitum, Romam delatum, in tumulum in Baſilica Vaticana ſine comitibus, ſine Sacerdotibus deiectum potiùs, quàm illatum illico fuiſſe ſcribit Chioccarellus, nec fuit, qui ſupremum, vt mos poſtulat, illud componeret.

Circa locum, quo Annibaldus Cardinalis deceſſit, ſcriptores inter ſe aliquantulum diſſident. Auctor enim vitæ, ſeu hiſtoriæ Nicolai Laurentij, ſeu de Rentio ſcribit, deceſſiſſe menſe Iulio anni 1350. in oppido ſancti Georgij. Onuphrius verò Panuinius affirmat, illum obijſſe in Campania. Ciaconius in oppido S. Maximi: Felix Contelorius nullum de illius obitus tempore, ac loco, verbum habet, ſed ſolùm ſcribit obijſſe Epiſcopum Tuſculanum.

Anonymus eius temporis auctor, qui res geſtas à Nicolao Laurentij, ſeu de Rentio Romanæ Vrbis tunc Tribuno, ſeu potius Tyranno, ſpeciali libro, qui in Bibliotheca Vaticana habetur, multa de Annibaldo hoc de Ceccano Epiſcopo Cardinali Tuſculano ſcripſit, nempe de legatione Romana, de eius domo lapidibus à populo Romano petita, ac de ſagittis in eum emiſſis, abundè agit, ac eius geſta proſequitur, & præſertim, quæ Romæ geſſit, nepotum mortem, famulorum ægritudinem recenſet. Et quamuis eum commendet è ſacrorum Canonum eruditione, atque illum magnum Decretaliſtam nominet, de eo tamen malè ſentit, multaque conuicia, ac maledicta in eum infert. Et inter alia fuiſſe ſuperbia elatum, inanique gloria, ac dignitatum cupidum, donorum amplitudine gaudentem, pecuniæ auidum, maximũ vini potorem, ac edacẽ, aliaque his ſimilia ſcribit.

Hæc tamen Anonymus ille obtrectator ſcripſit in Annibaldum Epiſcopum Tuſculanum, vt Nicolai de Rentio geſta illuſtria redderet, vel, vt habet Matthæus Villanus, vt Romanorum auribus blandiretur. Inuiſus enim fuerat Romanis Annibaldus propter contractum tempus pro exteris in ſacro anno ſeculari inuiſendi Romanæ Vrbis Baſilicas, cum Vrbis opifices, alijque maluiſſent exteros diutiùs ibi commoratos. Me tamen non latet, quæ de pijs Annibaldi operibus, geſtorum Clementis VI. auctor habet, cuius verba profero. *Ipſe Dominus ædificauerat locum de Gentiliaco iuxta pontem Sorgiæ, & propè Auenionem, in quo conſtituerat, & fundauerat Cœnobium fratrum Cœleſtinorum, pro quorum ſuſtentatione condecenti, tam in vineis, pratis, molendinis, domibus, & cenſibus circumquaque, & etiam Auenioni exiſtentibus multa acquiſierat, & ipſorum vſui perpetuò deputauerat de bonis à Deo datis ſibi pro ſuorum remiſſione peccatorum.*

Fuit vir bonarum literarum, Theologus, ac Poeta illuſtris, conſcripſit latinè heroico carmine vitas SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, vt teſtatur Guillelmus Eiſengrenius his verbis. *Annibaldus de Ceccano Romanus, ex Archiepiſcopo Neapolitano, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus, vir ſua ætatis eloquentiſſimus, Poeta grauis, Theologus ſacrarum legum exercitatiſſimus vitas beatorum Petri, & Pauli, Chriſti Apoſtolorum, doctiſſimis Commentarijs heroico verſu conſcripſit. Obijt menſe Iulio anno 1350. in Campania, legatione Neapolitana: Cadauer Romam relatum, pompa ſolemni ad S. Petri Baſilicam ſepultum eſt.*

Ad hunc Annibaldum Epiſcopum Tuſculanum, virum illius æui celebrẽ Franciſcus Petrarca epiſtolam dedit, & eſt prima libri ſexti.

Inter monumenta Cœnobij Neapolitani SS. Seuerini, & Soſſij extat ſententia ad beneficium eiuſdem Monaſterij lata, aduerſus quoſdam ciues Caſalis Caloriæ à Iacobo de Septempanibus Canonico Anagnino, Regio Conſiliario, ac familiari, & Domini Annibaldi Neapolitani Archiepiſcopi Vicario generali die 17. Nouembris anno 1327. Pontificatus Ioannis XXII. duodecimo. Eiuſdem Annibaldi Archiepiſcopi Neapolitani eſt mentio in Tabulis publicis Eccleſiæ Salernitanæ.

Auctor vitæ Clement. VI. apud Boſquetum.

Ferdinand. Vghel. to. 1. Ital. ſac.

Felix Contel. in Elench. Card.

Andr. Victorell. in Addit. ad Ciaconiũ.

Nomencl. Cardinal.

XIX.



IACOBVS Fornerius cognomento Nouelli, natione Gallus, natus ex patre Guillelmo Molitore, Sauerdunt Diœceſis Toloſanæ, Io. XXI. dicti XXII. ex ſorore nepos, monachus Ciſtercienſis, Lutetiæ Pariſiorum ſedulam nauauit operam Theologiæ. Cumque Doctor Theologus euaſerit, Inquiſitionis munere functus, Abbas primò Montisgidi Narbonẽſis, inde Epiſcopus Apamienſis, & poſtea Mirapicenſis conſtitutus, demum à Ioanne Romano Pontifice Presbyteris Cardinalibus titulo S. Priſcæ aſcriptus eſt, vt refert alias laudatus Bernardus Guidonis in Chronico m.s. qui dum recenſet Cardinales à Ioanne renunciatos, hæc habet: *Iacobum Ciſtercienſis ordinis, Magiſtrum in Theologia. Epiſcopum Mirapicenſem* cui Pontifex his literis à Eccleſiæ Mirapicenſis cura ipſum ſolutum, & in partem moderandæ vniuerſæ Eccleſiæ Catholicæ vocatum ſignificauit.

Ciaconius

Ferdinand. Vghel. & Addit. ad Ciacon.

Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana.

Aubery in vita.

Panuinius

Pet. Frizo in Gallia Purpurat.

Oder. Raynald. in Annal. Eccleſiaſtic.

IOANNES EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Iacobo olim Epiſcopo Mirapicenſi ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbytero Cardinali ſalutem, &c.

Moyſi Legiſlatores, qui Ietro cognati ſui vtili adhærendo conſilio, viros potentes, & Deum timentes circa regẽdam plebem Iſraeliticam elegiſſe teſtatur, exemplo ducti laudabili, ad onus ſpiritualis totius Orbis regiminis, quod Nobis ex iniuncto deſuper Apoſtolatus officio incumbere noſcitur, auxiliatores, & cooperatores Nobis, viros vtique potentes, & Deum timentes, in quibus ſit veritas, & auaritiam oderint, Nos, & Fratres Noſtri profundis cogitationibus, laborioſiſque vigilijs de diuerſis ipſius Orbis partibus perquirentes, ad perſonam tuam, quam bonorum omnium largitor Altiſſimus multis virtutibus inſigniuit, intuitum conſiderationis Noſtræ direximus, & te per Nos à vinculo, quo Eccleſiæ Mirapicenſi tenebaris aſtrictus, de poteſtatis plenitudine abſolutum, ad honorem, & ſtatum Cardinalatus de dictorum Fratrum conſilio, vnà cum nonnullis alijs duximus aſſumendum. Quę circa diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus onus prædictum Apoſtolica diſpenſatione tuis impoſitum humeris deuotè ſuſcipias, ac prouiſioni Noſtræ huiuſmodi in humilitate ſpiritus acquieſcens, ad præſentiam Apoſtolicæ ſedis abſque moroſa diſpendio tarditatis accedas, vnà nobiſcum, & eiſdem Fratribus, diuinis obſequijs, & Eccleſiæ Romanæ ſeruitijs vacaturus. D. Auenione xiii. kal. Ian. anno 12.

Hic Presbyter Cardinalis S. Priſcæ renũciatus Fraticellorum, ſeu Beguinarum ora obſtruxit erudito Commentario, in quo Theologum agens reſpondet Hæreticorum argumentis: eius reſponſiones refert pluribus Bzouius in Annalibus Eccleſiaſticis. Cum nouæ in Romana Curia exortæ eſſent controuerſiæ, quarum præcipuæ erãt de Angelorum, & Animarum à corporibus ſegregatarum ſtatu, qua nempe ratione percipiant corporea, atque ex his voluptatem, vel dolorem trahant: Tum de Chriſti humanitatis Viſione, & num Angeli eam quamquam natura inferiorem proſpicere peroptent, Iaco-

bus No-

bus Nouellis Cardinalis, Romani Pōtificis iuſſu illas erudito Commentario diſcutit, & aduerſariorum argumenta enodat. Hos autem Commentarios adepto Pontificatu ab aliquibus Theologis diligentiſſimè diſcuſſos in lucem edidit, vt dicemus infra in vita Benedicti XI. dicti XII.

XX.



Ciaconius

Felix Cōtel. in Elē. ch. Card.

Claud. Robert. in Gall. Christiana.

RAYMVNDVS de Muſſoiolis, ſeu de Maſtogiolis, vel de Moſcuerolis, nobilis loco de Monsfaiouls natus, natione Gallus, patria Rutenenſis (Rutenorum, vel Rutinorum Ciuitas vulgò *Rotena* in Gallia ſub Bituricenſi Metropoli iacet) qui à Panuinio Raymundus Vehenſis nominatur, ex monacho, & Priore Cœnobij ſancti Flori in Atuernia Benedictini ordinis, primum à Ioanne XXI. dicto XXII. teſte Frizonio Epiſcopus Florēſis (Floropolis, ſeu S. Flori Vrbs, quæ & Indiciacus dicitur, in monte eduo ſita, quem *Planum* vocant, cuius radices lambit Adria fluuius) deinde non S. Papuli, ſed S. Pauli, ſiue Tricaſſinus Præſul ſub Archiepiſcopo Arelatenſi, & demum Presbyter Cardinalis tituli S. Euſebij conſtitutus eſt. De quo hæc apud Bernardum Guidonem in Chronico m. s. *Raymundum Rutenenſis Diœceſis Epiſcopum S. Pauli.* Interfuit Comitijs, in quibus Benedictus XI. dictus XII. electus eſt Romanus Pontifex. E vita exceſſit ex Claudio Roberto anno 1336. pridie Idus Octobris, ex Ciaconio 1337. Ex Frizonio pridie Idus Octobris 1335. ex Contelorio verò die 12. Nouembris 1335. & tumulo conditus in Andrio S. Guillelmi de Deſertis Lodeuenſis Diœceſis, vt notauit Pictauorum Epiſcopus in ſuo Cardinalium Nomenclatore.

Ciaconius ſine vllo gentilitio Stemmate vitam Raymundi Presbyteri Cardinalis S. Euſebij ediderat; Frizonius ſcutum illi tribuit cum Leone erecto, ſeu exilienti, verſus dexteram ſe prorripiente. At ſcutaria teſſera Cardinalis Raymundi habet aream rubram, ſiue cinabricam cum cruce aurea liliata ad quatuor capita, vt ſupra expreſſimus, deprompta ex illis, quæ noſtris hiſce temporibus extant ſupra limen Capellæ Caſtri de Monsfaiouls in Rutenenſi ditione, atque etiam in Abbatia S. Guillelmi de Deſertis in Occitania inferiori, vbi Cardinalis huiuſce oſſa, vt diximus, iacent.

XXI.



Ciaconius

Claud. Robert. in Gall. Christiana.

Bernardus Guido in chrō. m. s.

Panuinius

Aubery in vit.

Felix Cōtel. in Elē. ch. Card.

PETRVS quia apud Mortuummare in Lemouicibus in lucem editus, de Mortuomari dictus, ex Epiſcopo Viuarienſi Altiſiodorenſis Præſul primò, deinde Presbyter Cardinalis ſancti Stephani in Cœlio monte à Ioanne Romano Pontifice, demum à Benedicto XI. dicto XII. Epiſcopus Sabinenſis ordinatus, ſuis literis effecit, vt Petrus Rogerius à ſe vnicè dilectus ad Curiam Romanam accederet, qui ſenſim ad honores Eccleſiaſticos eſt promotus, vſque ad ſummi Pontificatus apicem, & nuncupatus eſt Clemens VI. qui eum, & Benedictum XI. dictum XII. cum alijs Cardinalibus Pontifices elegit.

Epiſcopus Altiſiodorenſis interfuit vnà cum Hugone Epiſcopo Pariſienſi ſupplicationi celebri Pariſijs habitæ anno noſtræ ſalutis 1327. quando ſacræ Reliquiæ SS. Iacobi, & Euſtachij à Ioanna Gallia muliere, nobili genere nata dono datæ ſunt Templo, ac Xenodochio in honorem S. Iacobi eadem in Vrbe erectis. Tria Religioſorum hominum Cœnobia extruenda curauit in Mortuomari: Priuilegio ſacrarum Virginum Diui Franciſci Ebenſis Diœceſis anno 1343. ſubſcripſit.

Petrus de Brusl.

Pet. Frizō. in Gallia Purpurat.

Vitam cum morte commutauit Auenione die ipſa Paraſceues vij. Kalen. Aprilis; quoad annum verò Ciaconius, Chenutius, Claudius Robertus, Felix Contelorius, alijque fatis conceſſiſſe ſcribunt anno 1345. ac ſepultum in Mortuomari apud Lemouices, quo in loco primùm diem viderat, vt diximus, cum hac Inſcriptione.

VBI NATVS IBI SEPVLTVS.

Ferdinandus Vghellius in tomo primo ſuæ Italiæ ſacræ hæc de huiuſce Cardinalis obitu habet. *Ceterùm ſi verum eſt hunc Petrum, qui appellatur de Mortuomari obiſſe anno 1345. vt vult Ciaconius Claudius Robertus, aliique, impoſſibile eſt aliquo modo illum ad Sabinenſem Epiſcopatum aſcendiſſe ſub Benedicto XII. ſiquidem Petrus de Barroſſo Cardinalis, qui eum ſtatim conſequitur, vt ex eiuſdem apparet Epitaphio, Epiſcopus Cardinalis Sabinus effectus eſt a Benedicto XII. deceſſitque anno 1348. Benedictus autem e vita ceſſit anno 1342. Quamobrem aut fatendum eſt duos Petros ſimul fuiſſe Sabinos Cardinales Epiſcopos, aut nunquam Petrum de Mortuomari ad huiuſmodi dignitatem fuiſſe promotum, vel obiiſſe ante annum 1343. & in Epiſcopatu Sabinenſi eidemque ſucceſſiſſe Petrum Gomeſium a Benedicto XII. promotum. At ſi e vita deceſſit Petrus de Mortuomari anno 1350. vt Frizonius, aliique ſcribunt, non à Benedicto, ſed a Clemente VI. in Sabinenſem Epiſcopatum promotum anno 1348. defuncto Petro Gomeſio fatendum eſt, quod veriſimile videtur.* Ex quibus non eſſe Frizonium erroris tam facilè arguendum iudico, ſicut illum arguit Stephanus Baluze in Antifrizonio, quia ſcripſit Petrum de Mortuomari fatis conceſſiſſe anno 1350. Aubery tamen in ea eſt ſententia Petrum hunc numquam rexiſſe Eccleſiam Sabinenſem eundemque Presbyterum Cardinalem S. Stephani vitam cum morte commutaſſe anno 1345.

XXII.



PETRVS Gallus, quem Claudius Robertus auctor Galliæ Chriſtianæ in ſerie Epiſcoporum Carnotenſium Ioannem nominat, de Chappes, ab Italis dictus de Copis, ſeu de Campis, ſed reuera de Chappes ab eius nominis Caſtro in Diœceſi Tricaſſina, in quo in lucem editus, adhuc Clericus aſſuit Cameracenſis Conſiliarius Regijs Parlamentis habitis iuſſu Philippi Longi Galliarum Regis anno 1316. deinde anno 1318. Epiſcopus Atrebatenſis eſt renunciatus; Atrebatum enim ſeu Origiacum, vel Rigiacum, & Nemeracum, vulgò *Arras* Vrbs eſt ad Scolpam fluuium, olim ſub Rhemenſi, nunc Cameracenſi Metropoli; ſed paulò poſt Atrebatenſi Epiſcopatu relicto ad Carnotenſem euectus. Dum hanc regeret Eccleſiam, Ioannes ſummus Pontifex illum inter Presbyteros Cardinales cooptauit titulo ex Ciaconio, & Panuinio, S. Clementis, ex Claudio verò Roberto, & Felice Contelorio SS. Syluestri, & Martini in montibus, vel ex alijs, S. Suſannæ. Bernardus Guidonis in Chronico m. s. meminit huiuſce creationis his verbis, *Petrum de Capis Epiſcopum Carnotenſem*, ſed titulum ſilentio prætermiſit. Aubery, ex ſcriptoribus Belgicis in ea eſt ſententia, Petrum de Copis Epiſcopum Carnotenſem, & Presbyterum Cardinalem alium fuiſſe ab Epiſcopo Atrebatenſi; nam Petrus de Copis Præſul Atrebatenſis e vita exceſſit anno 1318. ſeu 1320. alter verò Carnotenſem Epiſcopatū obtinere non valuit niſi anno 1326. Robertus autem de Iuniaco Petri prædeceſſor electus Epiſcopus Carnotenſis anno 1314. omnium votis præfuit illi Eccleſiæ annos duodecim, hoc eſt, vſque ad annum 1326. Petrus vero Presbyter Cardinalis vitam produxit ſuam, vſque ad annum 1336. quo, die 24. Maij ad ſuperos euolauit.

Ciaconius

Panuinius

Pet. Frizō. in Gallia Purpurat.

Aubery in vita.

Gulielm. Gazett. in hiſtor. Eccleſ. Belgic.

Felix Cōtel. in Elē. ch. Card.

Petrus Frizonius Petro de Chappes Presbytero Cardinali gentilitium ſcutum proprium Raymundi de Muſſoiolis Presbyteri Cardinalis ſancti Euſebij tribuit, nos ex m. s. antiquo aliud ab illo, ſupra exprimi curauimus.

XXIII.



MAG. F. MATTHAEVS Vrſinus dictus è Monte giordano, ſeu de Campo Floræ Romanus, Franciſci Neapoleonis Vrſini Cardinalis S. Luciæ in Silice ex fratre nepos, genere illuſtris, ordinis Prædicatorum Theologus, ex Prouinciali Romano Epiſcopus Agrigentinus, poſtea Archiepiſcopus Sipontinus, deinde Presbyter Cardinalis SS. Ioannis, & Pauli titulo Pammachij a Ioanne XXI. dicto XXII ad extremum Epiſcopus Sabinenſis a Benedicto XI. dicto XII. renunciatus eſt. Fuit vir literis haud mediocriter eruditus, religione conſpicuus, ſolers, & prudens in rebus agendis. Multo tempore, eo quod inter Doctores lauream obtinuerat, ſacras literas adhuc ſecularis docuit. Canonicatum Eccleſiæ S. Stephani Toloſæ in Gallijs nactus, cum iuri Pontificio operam daret, Prædicatorum ordini ſe addixit. Sub Dominicanorum inſtituto cum, & ſanctitatis, doctrinæ, & integritatis laude præſtaret, Theologiæ Magiſtris annumeratus, Pariſijs, Florentiæ, ac Romæ ſacras literas ingenti cum

Ciaconius

Panuinius

Aubery in vita.

Franc. Sfortia. de fam. Vrſina.

Bernardus Guido in chrō. m. s.

Ferdinād. Vghellius tomo 1. Ital. ſacr.

Leand. Albert. de vir. illuſtr. ord. Prædicator.

Rocc. Pirrus in not. Eccleſ. Siciliæ.

A gloria interpretatus eſt in pluribus ſui ordinis tam Prouincialibus, quam Generalibus Comitijs, Definitoris, vt vocant titulo præſidens, ad propagationem Religionis multum operæ contulit. Romanæ prouinciæ a patribus præfectus eam ſanctiſſimè adminiſtrauit; quo in munere graui, & à medicis deplorata ægritudine correptus, ſupra naturæ vim, atque ordinem conualuit.

Oder Raynald. in ſuis Annalibus Eccleſiaſt.

Romani Matthæum hunc ex ſacro Prædicatorum ordine religioſum virum Oratorem ad Ioannem Pontificem direxere, vt Romam ille ſedem Apoſtolicam reduceret, ſuiſque literis, vt reditum quamprimùm maturaret, inſtitere. Quibus acceptis Pontifex ſolitis verborum blandimentis opportuno ſe tempore in Vrbem acceſſurum reſpondit. Grauiſſimè deinde expoſtulauit ipſos inclinare in partes Ludouici, quem, vt Hæreticorum defenſorem iuribus Imperij priuauerat, hoſtem Eccleſiæ iudicarat, Principatu Bauariæ deiecerat, cuique ob crimen hæreſeos diem ad decretoriam ſententiam excipiendam conſtituerat. B

Cardinalibus aſcriptus in Bononienſium ditione agros quamplurimos proprijs pecunijs emit, quos hac conditione Cœnobio in S. Dominici honorem Bononiæ erecto credidit, vt aliquos literarum ex eadem familia ſtudioſos alerent, ac ſingulis annis certam pecuniæ ſummam Patres Prædicatores in quædam pia opera impenderent, & ad Synodum generalem habẽdam futuris temporibus nonnullas pecunias tribuerent. Quamobrem Patribus Prædicatorum ordinis in Comitijs generalibus ſolemne adhuc eſt gratiæ cauſa certas pro Matthæo Cardinali recitare precationes.

Vitam cum morte commutauit Auenione ex Brouio, Felice Contelorio, alijſque xv. Kalend. Septembris anno 1340. ex Roccho Pirro in Notitia Eccleſiæ Agrigentinæ, atque ex Ferdinando del Caſtiglio in Hiſtoria Fratrum Prædicatorum, & Ciaconio anno 1341. ex Seraphino verò Razzio anno 1337. Corpus Romam relatum in Sacello S. Catharinæ à ſe conſtructo, primum, mox in Sacrario nunc C in Eccleſia S. Mariæ ſuper Mineruam in arca marmorea vna cum oſſibus Latini Cardinalis Vrſini conditum eſt. Patres illius Monaſterij inter beatos Matthæum Cardinalem referunt, ac miraculis clarui ſſe tradunt. Paulò antequam Matthæus in viuis eſſe deſijſſet, mortalitatis, & pietatis memor Teſtamentum condidit, ac pretioſam ſupellectilem auream, & argenteam, tum innumerabilem pecuniam, quam collegerat, in vſus pios aſſignauit.

XXIV.

Ciaconius

Sammarth.

Aubery in Vitis.

Bernardus Guido in chrõ. m. s.



PETRVS Gomeſij de Barroſo, natus ex patre Ferdinando de Barroſo, & Mencia Garcia de Sotomaiore natione Hiſpanus, Diœceſis Toletanæ, ex Epiſcopo Carthaginenſi, vel Murciæ inter Presbyteros Cardinales tit. S. Praxedis à Ioanne XXI. dicto XXII. D deinde inter Epiſcopos Cardinales Sabinenſes à Benedicto XI. dicto XII. cooptatus eſt. Cum maximè expeditionem in Mauros impediret diſſenſio, quæ Alphonſum Caſtellæ Regem inter, ac Ioannem Emanuelem è ſtirpe regia progenitum exarſerat, ad illam extinguendam Ioannes Romanus Pontifex Petrum Presbyterum Cardinalem S. Praxedis in Caſtellam legauit, ac Regem illum hortatus eſt, vt diſcordiæ ſemina præſocaret, perpenderetque quanta ex huiuſmodi ciuili bello mala emerſura eſſent, quantàue ipſius dignitati labes aſpergeretur. E Petrum verò ſtudia ſua omnia pro redintegranda inter illos concordia defigere iuſſit, & vt ipſi auctoritatem inter gerenda conciliaret, pileum Cardinalitium, quamuis motus non eſſet, iuſſit è Pontificijs manibus accipi, in Hiſpanias tranſiret. Legati quoque Apoſtolici munere functus eſt in Gallijs vna cum Bertrando Diacono Cardinali S. Mariæ in Aquiro pro pace procuranda inter Philippum Francum, & Odoardum Anglum Reges. Extant in Pontificijs Regiſtris Benedicti literæ, quibus hoc illis demandatũ eſt, cũ ſequenti titulo. *BENEDICTVS, ETC. Dilectis filijs Petro tit. S. Praxedis Presbytero, & Bertrando S. M. in Aquiro Cardinalibus Apoſtolicæ ſedis Nuncijs.* In his literis hæc de Legatis habet Benedictus. *Ad Vos viros laudanda virtutis, ſcientia, & innata prudentia præditos, cultores iuſtitiæ, ſedulos pacis amicos, & concordiæ Zelatores, licet Veſtra præſentia Nobis, & apud* F *Nos Eccleſiæ vniuerſalis perutilis careamus inuiti, Noſtræ conuertimus deliberationis intuitum, Voſque pro Veſtrarum conſideratione virtutum Vobis a Domino in abundantia conceſſarum ad eoſdem Franciæ, & Angliæ Reges, eorumque Regna tanquam pacis Angelos de Fratrum Noſtrorum conſilio pro huiuſmodi tractanda, & perficienda, concedente pacis auctore optata pace, atque concordia inter eos prouidimus deſtinandos: firma tenentes fiducia, quod illius Veſtros illo dirigente, qui nouit praua in directa, & aſpera in vias planas conuertere, per Veſtræ circumſpectionis induſtriam prætractis periculis, & diſcriminibus laudabiliter, & vtiliter poteris obuiari,*

Pet. Prisbi in Gallia Purpurat. Vbi ſet cas Raynald. in Annal. Eccleſiaſt. Vea vngam et ai Rebus Angliæ Polydor. Virgil. in Hiſt. Anglicæ.

&c. Re infecta, cum Odoardus Anglorum Rex in pace pertractanda difficillimum ſe præberet, Legati ad Pontificem rediere, qui illos cũ lacrymis excepit ob filiorũ in mutuas cędes ruentiũ diſſenſiones.

Hic de proprijs bonis pro anima ſua, & benefactorum ſuorum fundauit, ac dotauit Eccleſiam, & Monaſterium S. Praxedis in Territorio Auenionenſi, quæ quidem Eccleſia *Hiſpania* dicebatur, vt conſtat ex Tabulis publicis dotationis per ipſum prędicto Monaſterio factæ, tenoris ſequentis. *In nomine Dei Amen. Nouerint, &c. quod anno à Natiuitate Domini 1348. Indictione prima, die 26. menſis Februarij, Põtificatus ſanctiſſimi Patris, & Domini Noſtri, Domini Clementis Diuina prouidentia Papæ Sexti, anno ſexto: in præſentia, &c. Nos Petrus miſeratione diuina Epiſcopus Sabinenſis S. R. E. Cardinalis ad honorem, & gloriam Dei omnipotentis, & glorioſæ Virginis Matris eius, ac beatæ Praxedis, cuius Titulum obtinemus primitiuum, &c. donamus, tradimus Monaſterio* B *S. Praxedis per nos in Territorio Auenionenſi cum Eccleſia Territorio, hoſpitijs, domibus, hortis, & neceſſarijs officinis, pia intentione fundato, in quo iam certa Moniales cum proceſſu, &c. ſub cura fratrum Prædicatorum recluſa noſcuntur, omnes, & ſingulas Terras, poſſeſſiones, vineas, hortos, campos, prata, paſcua, nemora, domos, ſeu hoſpitia, molendina, cenſus, omnia alia, & ſingula bona immobilia, quæcunque ſunt, & quæ ex quocunque titulo obtinemus, &c.* Iuſſit etiam ſingulis annis pro anima ſua Anniuerſarium celebrari.

Ad ſuperos euolauit anno 1349. vel melius ex Felice Contelorio 14. Iulij, ſeu menſe Decembri anni 1348. & ſepultus in Eccleſia S. Praxedis extra Vrbem Auenionenſem à ſe, vt diximus, erecta cum ſequenti Inſcriptione, quæ ad noſtram peruenit notitiam ſtudio Ioſephi Mariæ Suareſij Epiſcopi Vaſionenſis.

C PETRVS GOMESII DE BARROSO, NATIONE HISPANVS, DE CIVITATE TOLETANA ORIVNDVS, EX PATRE FERDINANDO PETRI MILITE DE BARROSO, ET VXORE EIVS MENSIA GARZIA DE SOTOMAIORI, QVI CVM ESSET EPISCOPVS CARTHAGINENSIS, PER SANCTAE REC. DOMINVM IOANNEM PP XXII FVIT CREATVS CARD AD TT S. PRAXEDIS DEINDE PER SANCTAE REC DOMINVM BENEDICTVM PP XII. FVIT FACTVS EPISCOPVS SABINENSIS, DE BONIS A DEO SIBI COLLATIS, PRO ANIMA SVA, ET BENEFACTORVM SVORVM ECCLESIAM ISTAM, ET MONASTERIVM FVNDAVIT, ET PER DEI GRATIAM QVOAD FABRICAM COMPLEVIT, ET IBI SVAM SEPVLTVRAM . . . . . . AVTEM PER SVAM MISERICORDIAM, CVIVS EST PERFICERE, QVOD EST. . . . CREMENTVM DET . . . . . . INTRODVXIT AVTEM SORO . . . . . . TIBVS MISIT AD PRVLIANVM ANNO DOMINI MCCCXLV. . . . . MENSIS IVLII D
IN FESTO SANCTAE PRAXEDIS.

Subſcripſit hic Petrus Clementis VI. literis datis die 30. menſis Aprilis anno 1348. Monialibus Monaſterij Miſericordiæ B. M. Virginis de Denei. Meminere Petri S. R. E. Cardinalis Ioannis XXI. dicti XXII. tum Benedicti XI. dicti XII. Clementis VI. & Gregorij XI. Romanorum Pontificum Regiſtra.

Ioc. Vvadding in ann. Regeſto tomo 3.

XXV.

Ciaconius Panuinius Bernardus Guido in chrõ. m. s. Franc. Petrarc.

Odericus Raynald. in Annal. Eccleſiaſt. Ferd. Vghell. de Card. Columnenſ. Raſponius de Baſilic. Lateran.



IOANNES Columna Romæ pernobili ſtirpe, Stephano patre natus, Petri Cardinalis Columnæ nepos, ex Protonotario Apoſtolico Diaconus Cardinalis ſancti Angeli à Ioanne XXI. dicto XXII. renunciatus, iucunda apud poſteros memoria viuet; nam vel virtute, ſeu morum, vitęque conſuetudine, E vel literarum eruditione nemo Purpuratorum ſua ætate clarior fuit. Baſilicæ Lateranenſi Clementis VI. Romani Pontificis iuſſu Archipresbyter præfuit, & extat adhuc huiuſce Ioannis Columnæ Archipresbyteri epiſtola ad Capitulum Lateranenſe data pro celebratione anni Iubilæi, quam hoc loco inſerere decreui, vt tanti Cardinalis pietas magis eluceſcat.

F *VENERABILIBVS, ET DISCRETIS VIRIS Romanis Canonicis, & Capitulo Sacroſanctæ Lateranenſis Eccleſiæ, amicis Noſtris chariſſimis.*

Ioannes de Columna miſeratione diuina ſancti Angeli Diaconus Cardinalis ſalutem, & Iubilæum æternæ ſalutis.

Saluator Noſter Dominus Ieſus Chriſtus ſacroſanctam Eccleſiam ſponſam ſuam ſic inter mundi huius procellas, & turbines in fundamento ſtabili collocauit, & aduerſus perſequentium impetus defenſionis ſuæ clypeo, mirabili diſpoſitione protexit, quod licet con-

traſp-

[illegible] & Principes convenerunt: [illegible] pace [illegible] honoris, & gloriae [illegible] Constantinus [illegible] Domino in timore Christi [illegible] defensor, amicus [illegible] & humiliter subditus, qui fuerat damnabili persecutione superbus in honorem eiusdem Saluatoris [illegible] venerabilem Basilicam, quae nunc Lateranensis dicitur, fabricauit. [illegible]

[illegible]

Subsc[illegible] die xv. mensis Ianuar[illegible] [illegible]

Subsc[illegible] pſit Clem[illegible] VI. D[illegible] datâ ij. Kal[illegible] Maij [illegible] 1348. Monial[illegible] B. M[illegible] de Deneio. Romana de[illegible], agendique libertat[illegible] apud P[illegible] x mos, etet que P[illegible] [illegible] Petra[illegible] [illegible] idem Petra[illegible] decus cardin[illegible] [illegible] immatura morte A[illegible] anno [illegible] C[illegible]us, nam, [illegible] ex [illegible] constat, ij. Kal[illegible] 1348. adhuc inter [illegible] bat, sed [illegible] 1348.

Stephanus [illegible] Cardinalis gen[illegible] [illegible] rissimis, nobi[illegible] [illegible] haerede[illegible] se praedixit, atq[illegible] vt diuinauerat, superstes fuit, [illegible]

Stephano autem [illegible] Petrarca, & [illegible] narrasset, in vu[illegible] sum est Ioannes [illegible] Cardinalis [illegible] narrationem [illegible] Petrarca ex[illegible], *quod, inquit, [illegible] inuitus fecissem, ille [illegible] non tam veridicus vates [illegible]* [illegible] dol[illegible] tus, moriendo dic[illegible] [illegible] Ioanni Columnae C[illegible] [illegible] nque [illegible] animo ferendum [illegible] Petrarc[illegible] *Habent qui nobis [illegible] quod in te [illegible]*

[illegible], *quod* [illegible] *malis animo [illegible] Romae [illegible]*. Istius Cardinalis mentio apud S. Antoninum part. 3. hist. & apud A[illegible] in vita Nicolai de Laurentio, seu de Rentio, Romanensi sermone scripta.

XXVI.



IMBERTVS, seu Vmbertus, vel Vbertus de Puteo, seu de [illegible], natione Gallus, patria M[illegible]pessulanus, Monspelliensis, vel Montpessulanus, vel Mo[illegible], Vrbs est in Gallia sub Narbonensi Archiepiscopo, in proclivi montis posita [illegible] a fluuio Ledo, vel [illegible] Summo Pontifici Ioanni pro[illegible] conuictu, ex [illegible] Protonotario inter [illegible] Diaconos primò ab ipso Ioanne Romano Pontifice, mox inter Presbyteros Cardinales titulo SS. XII. Apostolorum cooptatur affuit Comitijs, in quibus Benedictus XI. dictus XII. & Clemens VI. [illegible] sunt Romani Pontifices. Subscriptione sua [illegible] [illegible]ras datas Abbatissae, & Monialibus Mo[illegible] [illegible] B. Mariae Virginis de Deneio, ij. Kalen. Maij [illegible]48. vita priuatur Auenione non anno 1347. [illegible] Clementi [illegible] [illegible] ex [illegible] ms. Obligationum [illegible] Contelorio in Bibliotheca Vaticana, die [illegible] 1348.

[illegible] Imbertum hunc S. R. E. Cardinalem Cadur[illegible] [illegible] memorat, Montispessul. tamen et consanguineos [illegible] [illegible] sumpsere ansam [illegible] al qui. Contra hos verò est Bernardus Gui[illegible], quum Ci[illegible] m. dum recenset Cardinales [illegible] Romano Pontifice anno 1317. renunciatos, haec habet, *I[illegible] Puteo de Montepessulano*

Pet[illegible] in Gallia Purpurata duos Imbertos Cardinales G[illegible] Romano Pontifice enumerat vnum de Puteo, alterum de [illegible] anno 1317. [illegible] anno 1331. Cardinalium C[illegible] [illegible] scriptos, ann[illegible] Diaconos, mox Presbyteros Cardinales [illegible] XII. Apostolorum, [illegible] an. 1348. alterum [illegible] affirmat. In [illegible] Collegij, qui seruatur in Bibliotheca Vaticana, inter Car[illegible] [illegible] Imbertum de Puteo, [illegible] Basilicae SS. XII. Apostol[illegible] natus, [illegible] alteru[illegible] Imberto [illegible] non [illegible] C[illegible] [illegible] dicendum est Auenione [illegible] 13[illegible] P[illegible] Rex [illegible] Cardin[illegible] Galli[illegible] maxi[illegible] peteret, [illegible] Cardinalis [illegible] [illegible] [illegible] vt constat ex litteris [illegible] ad Regem [illegible] quas in Talarandi vita mox [illegible]bemus.

QVINTA CREATIO CARDINALIVM.

Anno Dominicae Incarnationis 13[illegible] die [illegible] Maij et Contelo[illegible] ex C[illegible] [illegible] Auenione Ioann[illegible] XXII [illegible] Cardinalem vnum, is fuit.

XXVII.



TALAIRANDVS, seu Talei[illegible]lus natione Gallus, [illegible] Talairandi, huius nomenclaturae [illegible] quum Comitis Petrag[illegible] & Brunezindis filius duos habuit fratres Archambaldum [illegible] vnum huius nominis Pet[illegible] [illegible] Comitem, qui dux[illegible] Ioannam de Pons, & [illegible] minorem Roge[illegible] [illegible] q[illegible] progre[illegible] [illegible]

[illegible] Petrarc[illegible] [illegible]

Luc. Vvad. d[illegible] Annal. Mi[illegible]

Felix C[illegible] tel in F[illegible] ch Card.

Aubery in vita.

And. Victo[illegible] Addit. ad Ciacconi.

Ciacconius

Felix Contel. in ch. Card.

Bernar. Guido in chro[illegible]

Panuinius

Oder. Raynaldus in Annal. ecclesiast.

Pet. Frizo in Gall. Purpurat.

Luc. Vvad. [illegible] Annal.

Ciacconius

Claud. Robert. in Gall. Christ.

Pet. Frizo in Gall. Purpurat.

Aubery in [illegible]

tam commiſit, eumque an[illegible] Cardinalium Collegio aſcripſit titulo ſancti Petri ad Vincula, ſeu Eudoxiæ inſtante Philippo Gallorum Rege, cui optanti Cardinalium Senatui duos ex Gallia viros aggregari, Pontifex altero reiecto, alteroque in partem oneris vocato, has literas dedit.

REGI FRANCIAE.

Licet cœtus venerabilium Fratrum Noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ numero, ac illuminatur multitudine Cardinalium omnino ita probatorum. [illegible] experientia ad regimen vniuerſalis Eccleſiæ opportunus, ſic adeo inſignitur, quod ad præſens nulla neceſſitas exigebat, ſufficientia tamen dilecti filii Talairandi S.R.E. Presbyteri Cardinalis, olim Epiſcopi Antiſſiodorenſis attenta, ac affectione, quam ad eundem gerit Excellentia Regia in conſideratione deducta, eidem de ipſorum Fratrum conſilio cœtui duximus aggregandum, ipſum aſſumentes in Presbyterum Cardinalem [illegible] ſuſtinendo poſſit expenſas habiliter ſupportare, eidem dictam Antiſſiodorenſem Eccleſiam de Fratrum eorundem conſilio, vſque ad [illegible] Magdalenæ duximus commendandam. Circumſpectionem autem Regiam volumus non latere, quod iam 20. Cardinales, de quibus 17. de Regno Franciæ originem traxiſſe noſcuntur, exiſtant in Collegio memorato. Dat. xviii kal. Iunij anno 5. Aduertendū tamen eſt errorem in epiſtole Amanuenſis incurſum in reſcribendis hiſce literis; nam Ioannes Romanus Pontifex quando illas ſcripſit, nemine diſcrepante iam viginti ſeptem ter numerauerat Cardinales, quorum quatuor Itali, vnus Hiſpanus, & reliqui viginti duo Galli erant.

Ad Talairandum igitur redeamus, qui Caroli Durazzij Ducis Neapolitani auunculus, Mariam neptem ex filio prædefuncto Regis Roberti, matrimonio iungi Carolo procurauit, diſpenſatione a Clemente VI. obtenta. Hunc tanquam conſcium cædis Andreæ Regis accuſabat Ludouicus Rex Hungarus apud eundem Clementem, & quòd ſuum nepotem Carolum Durazzium Regni ſucceſſorem deſtinaret, obijciebat, quando Clemens hæc ad Ludouicum pro Talairando ſcripſit. *Denique fili chariſſime [illegible] quod [illegible] Regia dilectum filium Noſtrum [illegible] S. Petri ad Vincula Presbyterum Cardinalem [illegible] conſcium, dictorum prædictarum [illegible] ipſe in negocio dicti Regni Siciliæ pro nepotibus ſuis interdum inſiſterit, [illegible] alterando, & pro [illegible] alterius præiudicio pure in ipſo negocio procedendo, non debuiſſet propterea, vel quiuis alius exiſtimare, quod idem Cardinalis, qui de præclaro, & antiquo genere trahens originem, magna probitate, & literarum ſcientia exiſtit præditus, & multiplicibus virtutibus [illegible] tanti ſceleris conſcius fuerit, vel dederit [illegible] conſilium, auxilium, vel fauorem. Nam, vt cum veritate loquamur, [illegible] prædictis, indicia euidentia, [illegible] patentia in eo [illegible] Ceſſante [illegible], quæſumus, apud te ſuſpicione prædicta, quæ caret procul dubio veritate, credas quod prædictus Cardinalis in prædict. Regni, vel quocunque alio negocio nihil ſcienter ageret, quod diuinam crederet offendere maieſtatem, aut maculam in gloriam ſuam poneret, vel ſuam, & domus ſuæ nobilitatem aliqualiter denigraret, &c.*

Ordini Minorum, defuncto Iacobo Caietano Protector datus à Clemente anno 1343. cui has literas ſcripſit.

IOANNES EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Dilecto filio Talairando tiulo ſancti Petri ad Vincula Presbytero Cardinali.

Petitionis dilectorum filiorum Generalis, & [illegible] Miniſtrorum ordinis fratrum Minorum Nobis nuper exhibita ſeries continebat, quod ipſi dudum in ſuo generali Capitulo Maſſiliæ celebrato, diligentius attendentes, quod bonæ memoriæ Iacobo [illegible] Georgij ad Velum Aureum Diacono Cardinale, Protectore, Gubernatore, & Correctore ipſius ordinis deputato auctoritate Apoſtolica, ſicut Domino placuit, ab hac luce ſubtracto, dictus ordo Protectoris, Gubernatoris, & Correctoris erat præſidio deſtitutus. Cupiente ſuper hoc ſalubriter prouidere, Te, quem ad eundem ordinem aſſiduæ ſinceræ deuotionis, & beneuolentiæ ſpecialis indubie conſtanter aſſici, vnanimiter, & concorditer ad huiuſmodi protectoriæ, gubernationis, & correctionis officium elegerunt. Quare Nobis humiliter ſupplicarunt, vt iuxta ſui ordinis præceptum [illegible] Te in Protectorem, Gubernatorem, & Correctorem prælibati ord[illegible] concedere dignaremur. Nos igitur, qui ordinem ipſum intra No[illegible] & ſedis Apoſtolicæ præcordia recumbentem proſequimur fauore dilectionis paternæ, ſupplicationi huiuſmodi benignius inclinati, Te, de cuius probitate, & circumſpectione prouida plene confidimus, in Protectorem, Gubernatorem, & Correctorem ordinis memorato, & ipſius fratribus auctoritate Apoſtolica duximus tenore præſentium concedendum, ſinceritatem tuam attentius exhortantes, [illegible] peccaminum iniungentes, quatenus circa hæc pie, vtiliter, fideliter, prout tibi miniſtrauerit Dominus, te impendas, &c.

Cum [illegible] Clemens VI. ad Imperij Electores, vt repudiato Ludouico Bauaro a[illegible] Caroli Morau[iæ] Marchio, vna cum parente B[oemiæ] Rege conuenit Pontificem, actum ibi ſerio eſt de eligendo Carolo in Imperatorem, Talairando Cardinale Petragoricenſe promouente, cui contradicebant Ioannes Gallorum Rex, & Raymundus Cardinalis Conuenarum, ſed omnibus conditionibus quibuſdam oblatis Aueníone ſubſcripſit, & Carolus renunciatus eſt Imperator.

Ex Presbytero Cardinali ab ipſo Clemente Talairandus renunciatus eſt Epiſcopus Albanenſis anno à partu Virginis 1348. Legatione functus eſt vnà cum Guidone Portuenſi Epiſcopo in Gallijs pro pace inter Reges Francorum, & Angliæ.

Sublato deinde Clemente, ingreſſi Conclaue Cardinales, dum vota de creando nouo Pontifice vota conferrent, ac tanto muneri vir inſignis probitate admouendus quæreretur, illatam de Ioanne Birellio, qui Carthuſianis præerat, ac tum magnæ ſanctitatis opinione florebat, vt Pontificatu ſummo digniſſimo mentionem, refert Carthuſianorum hiſtoria; ſed Talairandum Cardinalem caducarum rerum amore deuinctum, veritum ne is luxum omnem in Cardinalibus [illegible] reſecaret, obſtitiſſe. At deinde cum Birellius è viuis exceſſiſſet, ac miraculorum gloria ingenti inclareſceret, culpam ſuam planxiſſe acerbè, & Carthuſianos ſingulari ſtudio complexum, quibus apud Petragoricenſis nobile Cœnobium Vallis claræ magnis auctum vectigalibus condidit.

Innocentius vero VI. vt pacem, atque inducias inter Gallum, & Anglum Reges redintegraret, legationem ad eos decreuit, cuius obeundæ prouinciam Talairando Epiſcopo Albanenſi, & Nicolao ſancti Vitalis Presbytero Cardinalibus impoſuit, & vt facilius Legati Cardinales inceptum opus perficerent, Pontifex adhibendum etiam Carolum Imperatorem pacis interpretem cenſuit, quare illum rogauit, vt Cardinalibus Legatis locum, in quo ipſum conuenirent, conſtitueret. Interim cum Odoardus Iunior Angliæ Regis filius Aquitaniæ prouincias ferro flammaque ſubijceret, miſſum Ioannes Galliæ Rex [illegible] conuertit, ac deprehendit [illegible] in Pictauien [illegible] ad [illegible]. Certa videbatur pro Gallis ſine periculo [illegible], ſed [illegible] Ioanni defuit. Inter hæc Legati Cardinales Talairandus, & N[icola]us cum metuerent, ſi aduerſæ concurrerent acies, plurimum Chriſtianorum ſanguinem effuſum iri, qui potius pro defendenda in Turcas fide, ac firmanda Orientalis Eccleſiæ cum Romana coniunctione effundendus [illegible] ad [illegible] Regem ac Vualliæ Principis caſtra diſcurrere, vt [illegible] redintegrarent. Neque abnuit Anglus periculi [illegible] Regibus pacis concordia [illegible] eamque aſtimate [illegible] at Ioannes Re[illegible] temerat [illegible] filijs ductus Talairandum Cardinalem [illegible] eſſe [illegible], ad [illegible] verborum nuius, ni abiret, de vita periclitaturum. [illegible] magna ſtrage ab Anglis profligati ſunt, ac ipſe Rex Ioannes, [illegible] captiuus Burdegalam primò [illegible] in Angliam ductus eſt. Legati [illegible] is firmandæ ergo in Angliam [illegible] ipſi quoque profecti ſunt [illegible] Vualſinghamus in Odoardo III. ſed fruſtra, *in Anglia* inquit, *morati traxerunt Legati biennalem, ſæpius cum Regibus, [illegible] eorum conſilijs colloquentes, ſed tandem diſcordes receſſerunt.* At non integro biennio moratos Cardinales Legatos in Anglia indicat Matthæus Villanus, dum ipſos ait, extremo Auguſti abceſſiſſe; cum animaduertiſſent Odoardum Regem, [illegible] magnificentiſſimè Francorum Regem excepiſſet, pacis [illegible] inſtitum, in quo perficiendo ipſius tantum deſiderabatur aſſenſus, varijs coloribus extraxiſſe, vt rerum gerendarum occaſionem captaret, ac leges acerbiores victis imponeret.

Cum autem Gallias ciuilis furor exagitaret, Innocentius ad illum ſedandum, Talairandum Epiſcopum Albanenſem, & Nicolaum Presbyterum Cardinalem S. Vitalis dare operam iuſſit, eidemque pluribus [illegible] ſuper ijs, vt ad Delphinum ac Nauarræ Regem in concordiam redigendos incumberent, re tamen infecta ad Aulam Apoſtolicam menſe Octobri anni 1358 reuerſi ſunt.

Franciæ Rex Ioannes firmata pace Britannicenſi, Vrbanum V. Romanum Pontificem Innocentij VI. ſucceſſorem Aueníone inuiſit, ac decreta tranſmarina profectio contra Sarracenos, cuius Dux conſtitutus ab Vrbano, ipſe Ioannes Rex, & Talairandus Epiſcopus Albanenſis Legatus à latere, qui Regem comitaretur; vterque tamen morte præuentus non potuit iter aggredi. Aueníone igitur die 17 Ianuarij [illegible] anni 1346. [illegible] Ciaconius, & Ferdinand. Vghellus, ſed 1364. [illegible] exceſſit Talairandus, & ibidem tumulatus. Pari [illegible] auctor fuit Collegij nuncupati Petragoricenſis Toloſæ, quod deinde perfecit Gregorius XI. vt ex illius Diplomate [illegible] dato Aueníone die 5 Octobris anno ſui Pontificatus quinto. Petragorij Sacellum S. Antonio ſacrum dotauit, atque in illo [illegible] decem Sacerdotia erexit, vt ſingulis diebus Sacerdotes eſſent, qui Deo cæleſtem Hoſtiam immolarent.

Huic Cardinali Franciſcus Petrarca Epiſtolam tertiam libri primi Senilium dedit, eumque in literis ſcriptis Vrbano V. ſummo Pontifici Talairandum Albanenſem vocat, & virum oculatiſſimum, ac [illegible] fidus. Talairandi Cardinalis meminere Benedicti XI. [illegible] X[illegible]. Clementis [illegible] Innocentij VI. & Vrbani V Regiſtra, quorum electionibus interfuit, & pro [illegible] ſuffragium tulit.

Patria C[illegible] Pet[illegible] entium [illegible] bus leonibus au

rets inſibenebus impreſſa, in multis ſacris ædificijs Galliæ noſtris quoque hiſce temporibus conſpicitur, & præcipuè in Abbatia de Cancelade ordinis Auguſtiniani Diœceſis Petragoricenſis, cuius Cœnobij fuit Archimandrita hic noſter Cardinalis.

SEXTA CREATIO CARDINALIVM.

Anno à partu Virginis 1331. die 20. menſis Decembris Auenione Ioannes XXI. dictus XXII. iterum creauit Cardinalem vnum, qui fuit.

XXVIII.



PETRVS Bertrandi ſenior, Matthæi Bertrandi viri nobilis vrbis Annonenſis in Viuarienſi prouincia, & Agnetis cognomento Imperatricis filius, pietatis laude, ac doctrina præſertim vtriuſque Iuris clariſſimus, cauſas primùm egit in Senatu Pariſienſi, cuius deinde Conſiliarius in prima, vt vocatur, Curiæ claſſe, imò, & vnus è quatuor ſanctioris Conſilij Clericis, qui Regem tùc ſequebantur; nec non Ioannæ à Burgundia Reginæ Franciæ, Comitiſſæ Burgundiæ, Palatinæ, & Atrebatenſis, Cancellarius. In vniuerſitatibus Auenionenſi, Monſpelienſi, Aurelianenſi, & Pariſienſi publicè magno cum plauſu docuit. Niuernenſis primò, tum Auguſtodunenſis Epiſcopus, ac demum Presbyter Cardinalis titulo S. Clementis à Ioanne Romano Pontifice renunciatus eſt. Hic dum adhuc Auguſtodunenſi dumtaxat infula ornatus eſſet, feliciter diſceptauit, ac decretoriè pugnauit pro Iuriſdictionibus Eccleſiaſticis aduerſus Magiſtrum Petrum de Cugnerijs, eas proculcare conantem, pugnauit, inquam, coram Rege Philippo Valeſio, Galliæque Prælatis, ac Principibus ob eam rem anno 1329 conuocatis.

Vitam hanc meliore permutauit die 23. ſeu 24. menſis Iunij anni 1348. vt ex libro Obligationum, & Diuiſionum Cameræ Apoſtolicæ, quem ſe vidiſſe, & legiſſe in Bibliotheca Vaticana fatetur Felix Contelorius, atque ex Tabulis Archiuij Cœnobij Cœleſtinorum Columbarij colligitur, vel anno 1349. vt fert Collegij Auguſtodunenſis Martyrologium; ac ſepultus in Eccleſia beatæ Mariæ Virginis Prioratus Monuſalti ab ipſomet prope Villam nouam Auenionenſem fundati. Fundauit inſuper Annonæi Cœnobium Monialium S. Claræ, & maius eiuſdem Vrbis Noſocomium, quòd beatæ Mariæ Pulchræ dicitur. Sacellum item S. Iacobo ſacrum in Eccleſia principe, in quo patris 4. Februarij die anni 1315 vita functi corpus humatum eſt; ac Sacellum aliud in Eccleſia Franciſcanorum, vbi quieſcit mater die 24. Septembris anno 1306. mortua. Extra Vrbem verò Annonenſem Sacellum fundauit in Monaſterio Sanctimonialium Claraſienſium. Extat Pariſijs Collegium Auguſtodunenſe, ſiue Hedunenſe, quòd Cardinalis Bertrandi appellatur, inſtitutum ab illo, primùm die prima Auguſti anno noſtræ ſalutis 1341. redditibus deinde locupletatum 13. die Octobris anni 1345. In hoc Collegio Auguſtodunenſi conſpicitur adhuc huiuſce Cardinalis effigies coloribus expreſſa.

Eius ſcripta multis voluminibus comprehenſa, nec dum Typis mandata, permagni tamen à viris eruditis æſtimata, & diu Pariſijs inſtar theſauri ditiſſimi aſſeruata, anno tandem 1575. periere per iniquiſſimum Furciferi cuiuſdam ſacrilegium, qui, & ipſe poſtea iuſtiſſimo ſuſpendio perijt. In Bibliotheca Patrum inuenitur Actus diſputationis, quam habuit contra Petrum Cunerium, Regium in Pariſienſi Senatu Aduocatum, & Tractatus de Spirituali, ac Temporali poteſtate.

De Petro Cunerio, qui de Iuriſdictione, & libertate Eccleſiaſtica tollenda publicè dixit, ac de infamia, quam inde contraxit, & de illius ſtatua, quam quiſque obuius pugnis, & gladijs impetebat, vide Genebrardum libro 4. & Iacobum Gualterum Seculo 14. Tabulæ Chronographicæ. Reiecit Philippus Rex Cunerij petulantiam, annuens, vt Prælati Iuriſdictionis, & libertatis Eccleſiaſticæ iure, vti priùs, & ratio poſtulabat, vterentur. Hanc cauſam Philippus adiudicauit anno 1329. illo ipſo die, quo multis ante annis S. Thomas Cantuarienſis pro Eccleſiaſtica tuenda immunitate mortem oppetierat, ex quo Philippus Catholici cognomen obtinuit.

Hunc Cardinalem, & hanc creationem Ciaconius, & Panuinius omiſerunt: agnouit tamen Andreas Victorellus in Additionibus ad Ciaconium ſub Clemente VI. qui tamen cum aſſerat Petrum Bertrandi ſeniorem renunciatum fuiſſe ab Innocentio VI. Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, & obijſſe Epiſcopum Oſtienſem, labitur, hic enim è vita exceſſit Presbyter Cardinalis cum titulo ſancti Clementis.

And. Victorel. in Addition. ad Ciacc. ſub Clement. VI.

Iacobus Gualterus tab. Chron.

Claud. Robert in Gall. Chriſtiana.

Pet. Friſo in Gallia Purpur. in Petro Bertrando Iuniore.

Achery in Vit.

Bellarmin. de Scriptor. Eccl. A. Poſſeuinus in Apparatu.

Dionyſ. Petau. in Rational. Tempor.

XXIX.



FR. RAYMVNDVS Albertus Gottolanus, ſacri ordinis B. Mariæ de Mercede redemptionis captiuorū octauus Magiſter generalis, & primus ex Clericis ad illam dignitatem aſſumptus, quem ob vitæ ſanctimoniam, & egregias virtutes, ſui ordinis Scriptores eximijs laudibus celebrant, ac beati titulo exornant, inter S.R.E. Cardinales à Io. XXI. dicto XXII. renunciatos, à Syluestro Marulo in Mari Oceano omnium Religionum, à Stephano Corbera in vita beatæ Mariæ Socos, atque à Iacobo Ioanne de Vaues in ſuo Viridario adnumeratur. Is Barchinone ex Alberto Romeu, & Aracla de Pucio Comitibus de Rudelion clariſſimis parentibus natus, ab eiſdem illico Deo, ac Virgini Matri, cuius deprecatione in lucem venerat, vnanimi aſſenſu oblatus, à prima ætate futuræ ſanctitatis ſpecimen dedit. Cumque fratrum ordinis B. Mariæ de Mercede Cœnobij Barchinonenſis curæ commiſſus fuiſſet, ibidem poſt nauatam operam literis, in quibus mirum in modum profecit, ac primum ſupra vigeſimum ſuæ ætatis annum attingens, doctoratus lauream in iure Canonico aſſecutus eſt. Contemptis deinde nuptijs, quas illi conſanguineorum turba parauerat, innocens iuuenis, caſtimoniæ amator, quam à puero vnicè coluerat, ſeculo, eiuſque pompis, ac illecebris vale dicens, Deo ſe ſe in religioſam ſeruitutem dicauit, ac quatuor ſolemnibus votis Religioſorum illorum proprijs, ſe Deo obligauit. Ieiunijs, meditationibus, cæteriſque voluntarijs corporis afflictationibus vacans adeo profecit, vt Tractatus aliquot ſpirituales ediderit omnibus perutiles, & præſertim nouitijs, quibus præfuit. Quotidianus, & communis illius ſermo ferè ſemper erat, vel de Deo, vel de ijs, quæ ad Deum conducunt. Illius dicta ad ſacrorum Prouerbiorum inſtar in vnum collecta, ac ordine Alphabetico diſpoſita inter viros perfectioris vitæ ſtudioſos circumferebantur, quæ deinde Alphonſus Remundus in Chronicis ſui ordinis reſcripſit. Quater iuxta ſui ordinis inſtitutum ad captiuos redimendos longis ſe itineribus commiſit; illorum ſupra ſexcentos ab Infidelium manibus liberauit; & Granatæ Maurum quendam in Philoſophia, & in Aſtronomia verſatum ad Chriſtum traduxit, ad frugem correxit, maximo vitæ ſuæ diſcrimine in rebus Chriſtianæ fidei inſtruxit, ac ſuis illum manibus ſacro fonte abluit. Inter Saracenos adeo religioſè, ac prudenter ſe geſſit, vt ſibi inter ipſos magnam ſibi auctoritatem conciliauerit. Ad ſupremas ſui ordinis dignitates, licet inuitus, aſcendit, ſucceſſit enim fratri Dominico à S. Petro poſt illius, vt referunt, aſſumptionem ad Cardinalatum, in Prioratu Cœnobij Barchinonenſis, & in totius ordinis cura (Prior autem Barchinonenſis tunc temporis toti ordini in ſpiritualibus præerat) rexit vnà cum Cœnobio Barchinonenſi, totum ordinem, ſumma cum prudentia, ac ſanctitate decem annorum ſpatio. Iacobi Secundi Aragonum precibus Bonifacium Octauum Romanum Pontificem, coram Clemente ſucceſſore defendit. Ab ipſo Iacobo Rege vnà cum Petro Fernandez Domino Ichar orator ad Ioannem XXI dictum XXII. & ad Robertum Neapolitanorum Regem miſſus ad ſedandas diſcordias inter ipſum Robertum, & Federicum Siciliæ Regem, de ipſo Siciliæ Regno exortas. Pergratus fuit Raymundus Romano Pontifici, à quo literas obtinuit pro erectione Eccleſiæ Cæſaraguſtanæ in Metropolitanam. Legatione functus, Barchinonem rediit, & mortuo Fr. Arnaldo de Roſſino vltimo Magiſtro generali ordinis B. Mariæ de Mercede ex Equitibus laicis anno reparatæ ſalutis 1317. cum centum, & nonaginta electores in Comitijs Valentiæ in Hiſpania habitis adeſſent, illorum centum, & quatuordecim noſtro Raymundo, qui iure ſui Prioratus Cœnobij Barchinonenſis Comitijs illis præerat, album calculum adiecere, iuxta Clementis V. Decretum de Clerico, & non laico poſt obitum Arnaldi in Magiſtrum generalem totius ordinis eligendo. Hanc electionem Ioannes Romanus Pontifex Auenione xv. Kalend. Decembris eiuſdem anni ratam habuit, firmauit, ac ſimul reiecit, irritamque declarauit electionem Fratris Berengarij de Hoſtaleho Equitis laici, quem ſeptuaginta eiuſdem profeſſionis viri, qui à Comitijs Valentinis receſſerant, alibi in Magiſtrum generalem elegerant.

Haud facilè dici poteſt quantum incrementi ſub Raymundo ſacer ille ordo acceperit, cum nihil ille omiſerit eorum, quæ optimum Præſulem, ac Paſtorem decent. Occupationibus autem domeſticis præpeditus, Principibus Chriſtianis, ac communi Eccleſiæ vtilitati non deerat; nam Galliæ, & Aragoniæ Reges de iure in Montepeſſulano contendentes arbiter cum nonnullis alijs conſtitutus compoſuit, ac pacis initæ inter Piſanos, & Aragonenſes mediator extitit; atque vnus ex Iudicibus conſtitutus Iacobi Aragonenſis in Regnum Maioricæ iura examinauit. Librum edidit inſcriptum: *Acclamatio-*

nes Catholica circa Eccleſiaſticos honores; in quo a laicis non eſſe A gratanda ſacerdotia, varijs argumentis demonſtrat. Miraculis quoque illum claruiſſe ſui ordinis hiſtorici referunt, hominemq; vtriuſque tibiæ maxima debilitate laborantem, eleemoſynam ſibi petentem ſanaſſe eiſdem ferme verbis, quibus Apoſtolorum Princeps Petrus claudum ſanum reddidit. Cum autem talis, ac tantus in omnium oculis Raymundus eſſet, Deo, atque hominibus gratus, ſicuti ſua præſentia in legatione ante dicta gratioſum, ac beneuolum habuit Romanum Pontificem, abſens tantorum geſtorum fama eundem etiam meriti remuneratorem. Nam, vt ferunt ſuperius laudati ſcriptores anno à partu Virginis 1330. Pontificatus ſui anno xiv. illum Cardinalium Senatui adſcripſit. Diu tamen non ſuperuixit, nam vltimo menſis Nouembris eiuſdem anni Valentiæ, ieiunijs, alijſque voluntarijs corporis afflictationibus confectus, maturæ iam ætatis vir letalem in morbum incidit, in quo cum quadam die aſtantibus B plurimis lux ſplẽdida ſuper caput ſuum viſa fuiſſet, cunctis præ gaudio, ac deuotione lacrymantibus, cantu graui, ac modeſto verba illa *Lux perpetua luceat eis*, præcinit. Cumque iam proximam mortem cognoſceret, Eccleſiæ Sacramentis ritè munitus, animam ſuam his verbis ad mortem confirmabat. *Proficiſcere Anima Chriſtiana, & Religioſa, in nomine Patris omnipotentis, qui te creauit ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, & Spiritus ſancti, qui te vocauit ad Religionem B. Mariæ Matris Filij Dei Domini Noſtri Ieſu Chriſti*. Quibus verbis prolatis, ſpiritum Deo tradidit die 18. eiuſdem menſis. Illius corpus poſt tres dies, quibus inhumatum remanſit, conditum fuit in Eccleſia Cœnobij ſui ordinis, ibique quieuit, vſque ad annum 1334. die enim ſexta Iunij illius anni ſolemni ſupplicatione indicta ad Templum Virginis Deiparæ ſacrum, quòd *de Podio* dicitur, &, à Valentiæ vrbe ſex millaribus diſtat, tranſlatum, & in ſpeciali tumulo conditum eſt. Ob ſingularem in Virginem Mariam affectum teſtamento ſepulchrum in Deiparæ Templo illo ſibi ele C gerat. Agunt de illo, præter laudatos, alij ſui ordinis ſcriptores videlicet Fr. Bernardus de Vargas tomo 1. ſuæ hiſtoriæ; Zumel de Vitis Patrum, & Magiſtrorum generalium; Guimeranus Epiſcopus Iacenſis in ſua hiſtoria; & Salmeron Epiſcopus de Truxillo in ſuis memorijs Seculo ſecundo.

XXX.



PETRVS de Prælatis, natione Gallus, ex Almarico Augerio Biterrẽſi, & Frizonio, Cardinalatu donatus eſt a Ioãne Romano Pontifice anno a partu Virginis 1317. Huius nõ meminere Panuinius, & Ciaconius; at Felix Contelorius in Elencho Cardinalium, cum laudatus Almaricus, & Frizonius titulum illius non exprimant, nec tempus, quo obierit, ſignẽt; Petrum hunc à Cardinalium numero omnino excludit. Eum D ſunt autem hunc non fuiſſe Cardinalem libri ſacri Collegij, in quibus vnica, tantum creatio facta à Ioãne XXI. dicto XXII. deſcribitur anno 1317. & in ea creatione vnicus tantum Cardinalis recenſetur, ſcilicet Arnaldus de Via nepos Pontificis. Claudius Robertus Petrum hunc Cardinalem nominat, illum tamen vnum eundemque facit cum Petro Aureolo, de quo infra.

XXXI.



GVILLELMVS de Tria, E natione Gallus, a Regio ſanguine ortum duxit, Philippi Valleſij auunculus, ex Archiepiſcopo Rhemenſi, teſte Petro Frizonio, & Claudio Roberto, Cardinalibus a Ioanne XXI. dicto XXII. aſcriptus eſt anno reparatæ ſalutis 1316. Hic Archiepiſcopus Rhemenſis, & S.R.F. Cardinalis anno 1328. iv. Kalend. Iunij die ſanctiſſimæ Triadi ſacro in Baſilica Metropolitana Rhemenſi Philippum Val- F leſium in Regem inunxit, ac Regio Diademate coronauit. Extremum diem clauſit in Vigilia Diui Archangeli Michaelis anno 1334. & iacet in Eccleſia Rhemenſi ante aram Diuæ Mariæ Magdalenæ, ſeu Sanctæ Crucis. Ferdinandus Vghellius Abbas Ciſtercienſis vnum eundemque facit hunc cum Guillelmo Teſta, de quo ſupra actum eſt, verum differre clarum eſſe ſubdit Frizonius, ſi natale ſolum, mortis annum, & ſepulturam vtriuſque accuratè conſideremus. Felix Contelorius è numero Cardinalium Guillelmum A hunc reijcit, tum quia Frizonius, & Robertus ſolum aſſerunt auctorem; tum etiam quia in libris ſacri Collegij, quos ipſe ſæpius dum vixit, præ manibus habuit, & in quibus recenſentur Cardinales omnes renunciati die 18. Decembris anno 1316. Guillelmus hic non inuenitur. Quare credit non fuiſſe Cardinalem, præſertim cum a ſcriptoribus illius æui, de eo nulla fiat mentio, eiuſque Cardinalatus titulus ignoretur; & veriſimile eſt ſine titulo non vixiſſe annos 18.

XXXII.



MICHAEL Ebrardus a S. Sulpitio, natione Gallus, ſpectatæ nobilitatis, ac B virtutis, ſacro Collegio Cardinalium anno 1320. à Ioanne Romano Pontifice aſcriptus eſt teſte Papyrio Maſſono, ac Petro Frizonio; nullus tamen illi aſcribitur titulus. Sed Felix Contelorius in Elencho Cardinalium, ex libris ſacri Collegij illum excludit, cum maximè Maſſonus a Frizonio relatus aſſerat id accepiſſe à conſanguineis Ebrardi: fides igitur tota erit penes auctores eoſdem.

XXXIII.



PETRVS Aureolus inſtitut. Minorum profeſſor, cognomento Verberius, quia in Verberia ad Oeſiam fluuium Picardiæ natus, a puero totus in ſtu- C dijs fuit, & antequam ſacris initiaretur ordinibus, Pariſijs adoleſcens Scoti diſcipulus, vel potius æmulus, Doctoratus lauream eſt conſecutus. Sacram Theologiam in Conuentu Pariſienſi publicè docuit, vir in diuinis ſcripturis eruditiſſimus, & in Ariſtotelica Phyloſophia valdè peritus, ingenio ſubtilis, diſputatione acutus, & in declamandis ad populum ſermonibus adeo egregius fuit, vt *Doctor Facundus* communi vocabulo appellaretur. Tanti viri doctrinæ fama cum D ad Ioannis Romani Pontificis aures perueniſſet, has ad Eccleſiæ Pariſienſis Cancellarium literas miſit in eum finem, vt Aureolus publicè doceret, quarum hic tenor.

Pet. Frizō. in Gallia Purpurat. *Luc. Vvadding. in Annal. Minorum.* *Franc. Gonzaga.* *Marc. Vlyſſypon. in Cron. Minorum.* *Hieron. Plat. de bon. ſtat. Relig.* *Poſſeuin. Scrip. Se. in Appar.*

IOANNES EPISCOPVS, &c.
Dilecto filio Cancellario Pariſienſi.

Sicut partim experientia, partim fide digna relatione didicimus, & te ipſum etiam non latere putamus dilectus filius Petrus Aureoli ordinis Minorum ſic in ſtudia Theologicæ facultatis diebus inſudauit, & noctibus, ſic per continuationem ſtudij, & exercitium lectionum profecit laudabiliter in eadem, quod dignum ſe reddidit, vt credimus, ad obtinendam docendi licentiam in huiuſmodi facultate. Quia igitur ipſum honeſtate conſpicuum, & tantum Theſaurum ſcientiæ diuina ſibi ſuffragante aſſecutum, dignum eſt, E *vt beneuolentia proſequamur gratioſa, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eidem Petro iuxta morem, qui ſeruari conſueuit in talibus, licentiam huiuſmodi auctoritate Noſtra, remoto cuiuſlibet tarditatis obſtaculo largiaris. Per eiuſmodi vero licentiam eidem Petro dandam de Noſtro ſpeciali mandato, nolumus fratribus prædictis, vel alterius ordinis iam præſentatis per eundem, vel alium ordinem, vel in poſterum præſentandis, ad huiuſmodi licentiam obtinendam aliquod generari præiudicium, vel promotionem eorum quomodolibet retardari. Datum Auenione ſecundo Kalend. Iulias, anno ſecundo.*

Ex Miniſtro Prouinciali Aquitaniæ Archiepiſcopus Aquenſis iij. Kalendas Martij anno 1321. atque ex S. Antonino, Ptolemæo, Frizonio, alijſque, quos infra laudabimus, anno 1327. Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis a Ioanne XXI. dicto XXII. renunciatur. *Claud. Robert. in Gall. Chriſt.*

F Scripſit Breuiarium Bibliorum, quòd extat m. s. in Bibliotheca Minorum Toletana, in lucem editum Venetijs anno 1571. & Pariſijs anno 1581. illuſtratum à Stephano Nouelleti Theologo Pariſienſi. De Breuiario iſto hæc Georgius Ederus, vir in hoc genere ſcribendi clarus habet. *Cæpi de ſacrorum Bibliorum artificio ſummatim explicando, diligentius inquirere, in qua cogitatione cum diutius, vt par erat, multumque verſatus eſſem, en mihi fortuito, ſed quod conſtanter credo, non abſque Dei quodam nutu in manus venit liber vere aureus conſcriptus primum a probatiſſimæ opinionis, & ſanctitatis viro Petro Aureolo, poſtea vero a doctiſſimo viro Iacobo Vvimphelingo magno Germaniæ Theologo, Domino Ioanni* *Luc. Vvadding. de Script. Minorum.* *Nomencl. Cardinal.*

Echio

Echeo dicatus, qui quod toties mihi euenire optaram, prima ſtatim fronte pollicebatur, videlicet Compendium Bibliorum, vtriuſque Teſtamenti, atque adeò totius ſacræ ſcripturæ Epitomen. Quo ſemel ac iterum perlecto magna cum voluptate, cognoui denuum hunc virum illud prorſus ipſum, quod olim apud Ciceronem Craſſus de ipſa Iuriſprudentia propoſuit, in hac noſtra Theologia Chriſtiana, non tantum pari dexteritate conatum, ſed maiori etiam laude aſſecutum fuiſſe, quàm ab illo ferè poterit expectari. Nam ſacroſanctum illud diuinæ Scripturæ corpus ferè totum in ſuas primùm partes, ipſas deinde partes in ipſos libros, hos in capita, ſiue genera capita verò in verſiculos, tanquam generum ſpecies, & tandem verſiculos in ſingula ſæpe paulo grauioris ponderis verba, tanquam ſpecierum differentias tanto artificio partitus eſt, vt tam huius terrenæ, quam illius æternæ, & immortalis Eccleſiæ formam, atque adeo Bibliorum non ſummam comprehendiſſe, ſed etiam artem quandam tradidiſſe videretur. Mirabar profectò vehementer, vtiliſſimum hoc opus noſtris hominibus adeo eſſe incognitum, quod ſere nullam antea audiuiſſem neque auctoris, neque libelli tam excellentis fieri mentionem.

Hipp. Marracc. in Bibl. Marian.

Præter Breuiarium hoc ſcripſit etiam Compendium Theologiæ in octo libros diuiſum.

Commentaria in quatuor libros Sententiarum, quæ anno 1595. Romæ typis tradita opera Fr. Conſtantij Cardinalis Sarnani.

Sym. Senenſ. in ſua Biblioth. ſancta.

De Conceptione beatæ Mariæ librum vnum, qui habetur m. s. Toloſæ in Collegio Fuxenſi.

Librum, qui inſcribitur, Roſæ diſtinctiones.

Robert. Bellarmin. de ſcript. Eccleſ.

Sermones de Tempore.

Logicam, quæ ſeruatur m. s. in Bibliotheca Vaticana.

Antonius Poſſeuin.

Tractatum de Paupertate, & vſu paupere rerum. Extant hæc eius ſcripta teſte Fr. Luca Vvaddingo de ſcriptoribus ordinis Minorum, in Cœnobio Sagienſi Cuſtodiæ Normandiæ, & ſæpe in Summa Angelica laudantur.

Geſner. in Bibl.

Luc. Vvadding. in Annal. Minorum.

Affuiſſe ferunt Petrum Comitijs Neapolitanis, & alium à Michaële Cæſenate peroptaſſe, ac procuraſſe ſui ordinis Miniſtrum generalem; neque defuiſſe qui poſt electionem Cæſenati referrent, ac ſuggererent, vt eum è cathedra Pariſienſi, quam moderabatur, ad Cœnobiolum aliquod humile retraheret: piè tamen, & religiosè Michaelem reſpondiſſe dicunt. *Ne permittat Deus, vt ego propter peculiares reſpectus, aut proprias iniurias tantum malum inferrem noſtro inſtituto, & clariſſimum hoc lumen velim abſcondi, multo minus extinguí.* Miſſus eſt à Ioanne Romano Pontifice Petrus, dum Miniſtri Aquitaniæ officio fungeretur, ad redigendos in ordinem omnes illos, qui ſpecie ſtrictioris obſeruantiæ ab ordinis Prælatis receſſerant: renuerunt illi Petro obedientiam præſtare, ac ſatius iudicarunt coram ipſo Pontifice apparere, & cauſam dicere.

Lucas Vvaddingus in Annalibus Minorum, & Felix Contelorius Petrum hunc è Cardinalium numero excludunt, tum quia in libris ſacri Collegij non inuenitur; tum quia eodem, quo ceteri laborat infortunio, ſcilicet, vt toto ſuæ vitæ tempore Cardinalatus titulo caruerit, ac nihil vti Cardinalis egerit, quòd memoriæ proditum ſit; neque vllam de eo mētionem egerint Piſanus, Rodulphus, aut Gonzaga, qui Cardinalium ex ordine Minorum aſſumptorum Catalogum intexuerunt. Illum tamen inter S. R. E. Cardinales numerant præter S. Antoninum, Poſſeuinum, & Frizonium ſuperiùs laudatos auctor Nomenclatoris Cardinalium, Raphael Volaterranus, Claudius Robertus in Gallia Chriſtiana, Hippolytus Marraccius in Purpura, & in Bibliotheca Mariana, Arturus à Monaſterio in Martyrologio Fräciſcano, Gaſpar Caccinus in hiſtoria Eccleſiaſtica, & Gaſpar Iongelinus in Elogijs Cardinalium ordinis Minorum, ſed Iongelinus illum vnum eundemque facit cum Petro de Prato, alij eundem iudicant cum Petro de Prælatis, de quo nos ſupra egimus.

Claud. Robert. in ſua Gall. Chriſtiana.

Huiuſce Petri obitus tempus prorſus ignotum. Gaſpar Arturus in Martyrologio Franciſcano meminit illius, v. Kalendas Maij, his verbis. *Aquis in Gallia beati Petri Aureoli, Aquenſis Archiepiſcopi, & S. R. E. Cardinalis, qui doctrina, & eloquentia, ac concionandi munere pollens, vitæ quoque ſanctitate emicuit.*



XXXIV.

IOANNES Galuanus, quem Felix Cōtelorius Ioannem Gallicanum nominat, natione Gallus, ex Epiſcopo Atrebatenſi, teſte Frizonio, ac Claudio Roberto proclamatur Presbyter Cardinalis à Ioanne XXI. dicto XXII. anno noſtræ ſalutis 1327. Nonnulli renunciatum volunt à Benedicto XII. anno 1337. alij è Cardinalium numero illum reijciunt, cum illius titulus prorſus ſit ignotus, & Amanuēſi ſacri Collegij, ac reliquis, qui de Cardinalibus ſcripſerunt omnino incognitus. Vitam cum morte commutauit anno 1341.

CANCELLARII S. R. E. ſub Ioanne XXI. dicto XXII. Romano Pontifice.

Fr. Petrus Arnoldi Presbyter Cardinalis titulo ſancti Stephani in Cœlio monte, anni primi Pontificatus parte.

Gaucelinus Ioannes de Oſſa Presbyter Cardinalis titulo SS. Marcellini, & Petri, poſtea Epiſcopus Albanenſis.

Petrus Textoris Presbyter Cardinalis ſancti Stephani in Cœlio monte, ab anno primo Pontificatus, vſque ad decimumquintum; neſcimus tamē tempus certum vtriuſque, quo muneré illo functi ſunt.

Petrus de Prato Presbyter Cardinalis ſanctæ Pudentianæ titulo Paſtoris, deinde Epiſcopus Præneſtinus ab anno decimoquinto, vſque ad finem Pontificatus.

CARDINALES MORTVI ſub eodem Ioanne Romano Pontifice.

Franciſcus Caietanus Anagninus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Coſmedin 9. Maij anno 1317.

Iacobus de Via Gallus, Presbyter Cardinalis SS. Ioannis, & Pauli die 13. Iunij anno 1317.

Bernardus de Caſtaneto Gallus, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & S. Rufinæ 14. Auguſti anno 1317.

Fr. Arnaldus Nouelli Gallus, monachus Ciſtercienſis Presbyter Cardinalis ſanctæ Priſcæ 14. Auguſti eiuſdem anni 1317. licet alij ſcribant anno 1314.

Arnaldus Felguerius Gallus, Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis anno 1317. Ferdinandus tamen Vghellius ſcribit anno 1311. Petrus Frizonius anno 1312. Ciaconius anno 1313.

Iacobus Columna Romanus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in via Lata 14. Auguſti anno 1318.

Guillelmus Longus Bergomas, Diaconus Cardinalis ſancti Nicolai in Carcere Tulliano die 9. Aprilis anno 1319.

Arnaldus de Auxilio, ſeu de Auxio Gallus, Epiſcopus Cardinalis Albanenſis anno 1320.

Mag. Fr. Nicolaus de Albertis, aliàs Martinus Pratenſis Tuſcus, ordinis Prædicatorum Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus Kalend. Aprilis 1321.

Berengarius Stedelli Gallus, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus anno 1321. ſeu, vt alijs placet, anno 1323.

Guillelmus de Mandagoſo, ſeu de Mandagoto Gallus, Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus anno 1321.

Mag. Fr. Nicolaus Farinula Gallus, ordinis Prædicatorum, Presbyter Cardinalis ſancti Euſebij anno 1323.

Simon de Archiaco Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Priſcæ anno 1323.

Petrus Textoris de S. Antonino Gallus, Presbyter Cardinalis ſancti Stephani in Cœlio monte, menſe Iunij anno 1325.

Raymundus Rufi Gallus Presbyter Cardinalis ſancti Chryſogoni, menſe Nouembri anno eodem 1325.

Reginaldus *de la Porta* de Alalacco Gallus, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus poſt menſem Iunij anno 1326.

Guillelmus Teſta Condomienſis Gallus, Epiſcopus Cardinalis Albanenſis menſe Nouembri anno 1326. licet alij ſcribant illum obijſſe annis 1334. ſeu 1336. vel 1345.

Petrus Columna Romanus, Diaconus Cardinalis ſancti Angeli anno 1326.

Bertrandus de Cardaliaco Gallus, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, ante annum 1327.

Mag. Frater Vitalis de Furno Gallus, ordinis Minorum Epiſcopus Albanenſis die 16. Auguſti anno 1327.

Bernardus de Garuo de ſancta Liberata Diœceſis Burdegalenſis Presbyter Cardinalis ſancti Clementis anno 1328.

Petrus de Arreblaio Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Suſannæ anno 1329.

Frater Bertrandus de Turre Gallus, ordinis Minorum Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus anno 1329.

Fr. Raymundus Albertus Gottolanus, Barcinonenſis ordinis beatæ Mariæ de Mercede S. R. E. vt ferunt, Cardinalis, die 18. Nouembris anno 1330.

Arnaldus de Pelagrua Gallus, Diaconus Cardinalis ſanctę Marię in Porticu menſe Auguſti anni 1331. ex alijs verò 1335.

Guillelmus de Tria Gallus, S. R. E. vt ferunt, Cardinalis, die 28. Septembris anno 1334.

Pilusfortis de Rabaſtenchis, vel de Vapiſtagno, aliàs de Capiſtrano Gallus, Presbyter Cardinalis S. Anaſtaſiæ ſub Ioanne quidem, incertum tamen quo anno.

Frater Petrus Gallus monachus, & Abbas S. Seueri de Roſtagno Presbyter Cardinalis.

Berengarius Fredeoli iunior Gallus, Epiſcopus Card. Portuenſis.

SCHISMA XXXV.
IN ECCLESIA ROMANA.

Inter Ioannem XXI. dictum XXII. Romanum Pontificem, & Nicolaum V. Pſeudopontificem.



PETRVS Reinalutius, ſeu Raynalduccius Italus, de Vico Corbario, gente Aprutinus, ordinis Minorum in prouincia Romana, & Cuſtodia Reatina profeſſus, qui tunc in Vrbe ad S. Mariæ de Araceli habitabat, à Ludouico Bauaro Romę contra Ioannem Romanum Pontificem, Pſeudopontifex renunciatur anno noſtræ ſalutis 1328. iij. Idus Maij, atque Pallio aureo indutus, & annulo ornatus, Nicolaus V. dictus eſt. Erat hic vir doctus, & ad res gerendas aptus, imò magno pietatis, & religionis nomine ille audiebat in Vrbe, vti illius æuo candidus ſcriptor B. Odoricus de Forouilio in Chronico m. s. teſtatur. *Inter Minores laudabiliter vltra annos quadraginta cõuerſatus, magnus Prædicator, & Apoſtolicus Pœnitentiarius in Vrbe, vir magnæ abſtinentiæ, paupertatis Euangelicæ, & religioſæ obedientiæ, multos in viam ſalutis reduxit.* Ciaconius addit nobili loco, alij nobili item ſanguine hunc natum: auctor Chronicæ aulæ Regiæ eiuſdem temporis ſcriptor refert opinionem tunc viguiſſe eum de cognatione fuiſſe Columnenſium Romanorum.

Petrus de Corbario renunciatur Pſeudopõtifex

Nicolaus V. dicitur.

Nicolai genus.

D

Alij humili loco hunc natum narrant, ac ſacerdotum contaminaſſe athemant, dum in coniugio inuita vxore, Ioanna Matthæi dicta illud ſuſceperat. Cum illa annis quinque ſacro matrimonij fœdere cohabitauerat, à qua reclamante, & inuita receſſiſſe ferunt, nequicquam Epiſcopo diuortij libellum concedente. Petrus hic renunciatus Pſeudopontifex dictus eſt Nicolaus V. & in Baſilica Vaticana ſacris de more habitis, a Schiſmaticis aliquot Epiſcopis conſecratus, vt legitimus Chriſti Vicarius ſummis honoribus in Vrbe habitus eſt. Alium antea Ludouicus Bauarus elegerat in Pſeudopontificem ex S. Antonino, ſed ille nolens Schiſmati operam dare recuſauit, atque ex Vrbe noctu aufugit. Ioanna Matthæi Petri è Corbaria vxor, quæ adhuc ſuperuiuebat, diuitijs fortaſſe, quibus maritus ſplendebat, allecta, maritum iam Pontificem locupletem, quem tot annis ſpreuerat monachum mendicum, repetijt. Tranſacta res in publico iudicio, porrecto ſupplici libello Ioanni Epiſcopo Reatino, qui re pro tribunali diſcuſſa ſententiam tulit iij. Kalend. Decembris anni 1328. nullo iuſto titulo diſſolutum fuiſſe coniugij vinculum, ac proinde Petrum ad Ioannem debere reuerti.

Ciaconius

Oder. Raynaldus in Annal. Eccleſiaſt.

Luc. Vvadding. in Annal. Minorum.

E

Nihil horum Petri animum à malis auertit, tanta eſt ambitionis libido, quinimo tanquam legitimus Pontifex Pontificia obiuit munera, & quarto à Creatione ſeu execratione die Pſeudocardinales inſtituit, de quibus infra. Mundanis delicijs, delectabatur Nicolaus, veſtibus quoque pretioſis, nobili familia, ac lautis epulis: multa, vt legitimus Pontifex peregit; ſacerdotia ſuis obtulit, quæ hoſtibus eripuerat. Cuncta Ioannis Romani Pontificis decreta, & acta reſcidit, ampla priuilegia, vt aurum ex illis emungeret, omnibus largitus. Ab eo Ludouicus Bauarus denuo in Baſilica Vaticana more maiorum die Pentecoſtes ad vj. Kalend. Maij anno reparatæ ſalutis 1328. ſeu anno 1333. Diademate aureo coronari, & confirmari voluit. Prouincijs ditionis Eccleſiaſticæ Præſides dedit, Pſeudoapoſtolicos Nuncios, ac Legatos in varia Regna miſit, & vt Dominicanę familiæ religioſos viros, qui, vt fortiſſimi pugiles contra Pſeudominoritas ijs temporibus pro fide dimicabant, vexaret, Bonifacium Pſeudoepiſcopum, & Pſeudocardinalem ſacro illi ordini præeſſe iuſſit. Neque expauit ſacrilega edicta proferre, quibus latam à Ludouico Ba-

Quib⁹ delectabatur Nicolaus.

Eius acta.

F

Raynaldus in Annal.

Luc. Vvaddingus in Annal. Minorum.

A uaro contra Ioannem Romanum Pontificem ſententiam a ſe corroboratam proſitebatur, & omnes, qui verò Pontifici adhærebant, ſacerdotijs, dignitatibus, bonisque priuabat. Neque Clerum modò, verùm, & Chriſtianam plebem incuſſis atrocioribus minis à legitimi Pontificis obſequio nixus eſt diuellere, & iuſſit, vt ſtatutę in Hæreticos pœnæ exercerentur in Catholicos, qui ipſum Corbarium eſſe Pontificem negarent. Quare Romæ duos, à Ranerio Vguccionis Fagiolani filio Senatore, quorum alter patria Etruſcus, alter Inſuber erat, cum intrepidè, & conſtanter aſſererent Ioannem verum eſſe Pontificem, nec Apoſtolico gradu Ludouici ſententia dimoueri potuiſſe; Corbarium verò eſſe Apoſtaticum, eiuſque complices Schiſmaticorum, & Hæreticorum Synagogam, flammis traditos fuiſſe, ſcribit Ioannes Villanus.

Romæ duo pro Romano Pontifice mortem ſubeunt.

Deinde pridie nonas Auguſti Ludouicus cum Nicolao, & Curia, ne in periculum adduceretur, cum Robertus Rex in Campaniam, B ac finitimas Vrbi terras penetraſſet, ab Vrbe diſceſſit. Illorum diſceſſum lacrymis Romani proſecuti ſunt, illi enim Vrbem exhauſerant, & pretioſiora deprædati fuerant. Vix Vrbe exceſſerat Bauarus, cum iam Legatus Ioannes Cardinalis Vrſinus, & Roberti Regis exercitus ingreſſi, Senatores Populi crearunt Bertoldum Vrſinum Cardinalis Legati fratris filium, & Stephanum Columnam Bauari hoſtes, qui Vrbem conſtituentes, cunctos Romanos in Ioannis Papæ verba iurare fecerunt, Antipapa abiurato. Caſtruccius militum Dux cum exercitu, Nicolao Viterbij relicto, Florentiam oppugnaturus aduolabat, ſed in itinere ob grauem morbum ex immenſis laboribus contractum mors illi obtigit.

Vrbe Nicolao, & Ludouicō abeunt.

Caſtruccij obitus.

Bauarus Piſas rediens cum Nicolao, magno cœtu coram illo congregato, denuo Ioannem Romanum Pontificem depoſuit, contra quem Michael Cæſenas, olim ordinis Minorum Miniſter generalis, tunc verò ob hæreſim damnatus verba fecit. Ludouicus Federici C Cæſaris aduerſarij morte audita, Piſis Antipapa relicto, in Germaniam redijt. Eo autem abeunte Actius Vicecomes, & Piſani olim Eccleſiæ hoſtes, Bauari amicitia, ac fœdere reiecto, Legatos Auenionem ad Ioannem Romanum Pontificem miſerunt, vt errorum commiſſorum veniam precarentur. Illis Pontifex ea lege ignouit, eoſque anathemate ſoluit, vt Ioannes Vicecomes Cardinalatus honorem à Pſeudopontifice acceptum vltro deponeret, Epiſcopatu Nouarienſi ſuſcepto; Piſani verò, vt Nicolaum ad ſe illico tranſmitterent. Piſanorum Legati in patriam redeuntes, ita cum Faccio, ſeu Bonifacio Comite de Donoratico nobili Piſano egerunt, vt ipſe Pſeudopontificem, quem in arce quadam ſua cuſtodiebat, & in cuius tutela Bauarus illum reliquerat, à Piſanis ductus, & à Pontifice magnis muneribus, & pollicitationibus illectus, Nicolaum fidei ſuæ commiſſum prodidit, & captum, ac vinctum, triremibus duabus Regis Roberti, ſolerti vigilantia, & cuſtodia Auenionem miſit, quò, D iv. Kalend. Septembris anno 1330. appulit. *Antipapa capitur*, inquit Cardinalis Aegidius Viterbienſis, *ac per Bonifacium Piſanum Comitem Auenionem perducitur, vbi in carcerem tractus infamia pœnas dedit.*

Acta Piſis contra Ioannem Romanū Pontificē.

Piſani ad Ioannem Legatos mittunt.

Anteguam Piſis diſcederet Auenionem verſus Pſeudopontifex, cum diffugia aucupari non poſſet, Pontificiam miſericordiam tentandam putauit, & ad eam conciliandam demiſſas has literas tranſmiſit, quibus Antipapatus correpti crimen execratus eſt, ac Ioannem verum Chriſti Vicarium agnouit. Fr. Lucas Vvaddingus in Annalibus Minorum ſcribit, Petrum pertæſum ſacrilegæ dignitatis, & ſceleris admiſſi, ſpontè a Bauari conſilio, & conſortio clam receſſiſſe ad Bonifacij Comitis municipium, ibique ſe Ioannis Romani Pontificis clementiæ ſtatuiſſe committere, vt dicemus infra, atque ab eo veniam multiplicis erroris, miſſis his literis deprecatum fuiſſe.

Oder. Raynald. in Annal. Eccleſiaſt.

Nicolaus literas ſcribit ad Ioā. Rom. Pontif.

E *Reuerendiſſimo, ac Sanctiſſimo Patri, & Domino, Domino IOANNI PAPAE Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ.*

Frater Petrus de Corbaria, dignus omni pœna, ſeipſum ad pedes cum reuerentia veræ ſubiectionis.

Licet ſecundum Canonem Euangelicæ veritatis, Qui non intrat per oſtium in ouile gregis Dominici, fur appelletur, & latro rapacitatis lupinæ, *audiens, & conſiderans diligenter tanta enormia ſcelera prauitatis hæreticæ ſtylo ferreo exarata in vngue adamantino, quanta dicebantur à multis de Veſtra ſolida fide, ſicut præſumptuoſus, temerarius, & ſuperbus aſcendi ſuper aſtra cœli Eccleſiaſtici, vbi mihi meis peccatis exigentibus parata fuit ſedes iniquæ prælationis. Sed poſtquam deueni ad territorium Piſanum, & quæſiui* F *diligentiſſime de prædictis, & inueni quod obliqua erant, & falſa, & deficiebant in pondere veritatis, dolui, & doleo vehementer, & pœnitet me feciſſe, quæ feci contra iura, & leges Veſtri ſanctiſſimi nominis de conſilio peruerſorum. In cuius rei teſtimonium iam eſt annus completus, quod aduerſarium Veſtrum deuiaſi ſpontè, & ſedem meæ præſumptuoſi culminis dereliqui; & propono firmiter in Ciuitate Piſana, & etiam in Vrbe, atque vbique locorum renuere, ſecundum, quod Veſtra benignißima ſanctitas decreuerit ordinandum. Et quia grauißime peccaui, & erraui patenter in iure, & non iniuria, ſupplico Veſtræ clementißimæ pietati, quatenus mihi maximo peccatori digneminí parcere ſecundum multitudinem magnam*

miſericor-

A miſericordiam Dei tui, vt rediens ex totis viſceribus reliquias deleam, & annihilem ſupradictorum decordibus vniuerſorum fidelium, & ora claudam omnium obloquentium, vt Veſtra Sereniſſima Sanctitate, & Eccleſia Dei de cetero ſit vnus paſtor, & vnum ouile, pro pace totius populi Chriſtiani. Dat. in confinibus Lucanorum.

Hæc Petrus de Corbaria in Eccleſiæ poteſtatem lapſus demiſſè ſcribebat, qui dum Ludouici Bauari potentia nitebatur, Pontificem Ioannem è Caturco Hæreticum, & ex auctoratum appellabat, atque manibus anathematum ſuorum fulminibus percutere nitebatur. Illum tamen ſeu verè, ſiue in ſpeciem reſipiſcentem paterno ſinu excipere decreuit Pontifex, vt ſubiecto Diplomate ipſemet teſtatur.

Ioannis litteræ ad Petrum de Corbaria.

IOANNES EPISCOPVS, &c.
Petro de Corbario ordinis fratrum Minorum, quod cœpiſti laudabiliter, feliciter adimplere.

B *Profectò fili ex dictarum ſeriæ literarum percepimus tibi immenſam exultationis, & gaudij materiam miniſtratam: numquid non ingens materia gaudij, quod tibi ambulanti in tenebris, & quaſi in profundum malorum prolapſo, lux illa vera, quæ omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, illuxiſſe videtur, manumque ſuam tibi, vt de profundo malorum ex eas, miſericorditer porrexiſſe? Sane quia affectum paternum non prætereunt incommoda filiorum, Nos expertes non ſumus illo gaudio, quod vtique inane exiſteret, ſi quod cœpiſti laudabiliter Spiritusſancti gratia, feliciter non compleres. Et quoniam nemo ponens manum ad aratrum, retro reſpiciens, aptus eſt Regno Dei, hortamur in Domino, & rogamus, vt attentè prouideas, ne ſpiritum tam benignum extinguas, ſed ipſum in te nutriens, eius inſpirationes exequi cum omni promptitudine, & reuerentia ſtudeas. Et quia ſæpe nocuit differre paratis, ſæpeque videmus tempus à mane, vſque ad veſperam immutari, ſano tibi ſuademus conſilio, vt mora cunctis vinculis interruptis, & C laqueis de tenebris ad lucem, ac de morte ad vitam exire, ac peruenire feſtines, nihil hæſitans, quin Nos, ſi compenſaueris facta dictis, reperies patrem pium, benignum, & propitium, & omnium tuarum immemorem offenſarum, &c.*

Petrus de Corbaria ſubmittit ſe Ioanni Rõ. Pont.

Poſtridie quàm Auenionem peruenerat, in publico Conciſtorio, inſerto in collum laqueo infelix abiecit ſe ad pedes Ioannis Pontificis, ac veniam ab eo petijt, vitam deprecatus eſt, & recitauit profeſſionem huiuſmodi acceptam ex Catalogo Pontificum Romanorum, quem Viennenſis Eccleſia ſeruat.

IN NOMINE DEI PATRIS OMNIpotentis, & Filij, & Spiritusſancti. Quoniam iuxta ſapientis doctrinam, occultantibus ſcelera ſua denegatur directio, purè autem confitenti, & ea penitus deſerenti eſt miſericordia repromiſſa; idcirco Ego Frater Petrus de Corbario de ordine Fratrum Minorum, D ſceleratiſſimus peccatorum hoc conſiderans, & attendens, volens in miſericordia veritatis, quam vbique deſerui, dirigi, & miſericordiam, & gratiam inuenire; quamuis nuper Piſis exiſtens, coram Reuerendis PP. Domino Simone Archiepiſcopo Piſano, & Domino Guilielmo Epiſcopo Lucenſi, & diſcreto viro Magiſtro Raymundo Stephani Clerico Papalis Cameræ, & Apoſtolico Nuncio, præſentibus multis Prælatis alijs, ac Religioſis, & Nobilibus, ac Popularibus Ciuitatis Piſanæ, errores meos, & ſcelera ſponte cum ingenti cordis amaritudine confeſſus fuerim, & à præfatis Archiepiſcopo, & Epiſcopo auctoritate Apoſtolica per literas Apoſtolicas patentes eis in hac parte conceſſas, lecta prius confeſſione mea, & abiuratione errorum meorum, & præſtito iuramento de ſtando; & parendo mandatis Apoſtolicis, beneficium abſolutionis habuerim ab omnibus ſententijs iuris, & hominis. Nihilominus tamen adhuc errores meos, & ſcelera mea in præſentia Sanctitatis Veſtræ Domini Ioannis ſumma prouidente clementia, ſummi Pontificis, vere, & vnici E D. Ieſu Chriſti in Terris Vicarij, & Eccleſiæ Sacroſanctæ Catholicæ, & in præſentia Veſtri ſacri Collegij Dominorum Cardinalium conſtitutus, intende, & volo recognoſcere, & abiurare errores meos, & alia facere, quæ Veſtra Sanctitas duxerit ordinanda. In primis itaque confiteor, & cum ingenti amaritudine animi cognoſco, quod cum ſeductor ille Schiſmaticus, & Hæreticus manifeſtus Ludouicus à Bauaria dudum iure ſi quod illi quæſitum fuerat ex electione diſcordi de ipſo in Regem Romanorum celebrata, iuſte priuatus fuiſſet per ſedem Apoſtolicã, ac vt Hæreticus, & fautor Hæreticorum notorius, de multis hæreſibus, & fautorijs Hæreticorum, ac Schiſmatibus condemnatus, ad Vrbem Romanam imbutus diabolico ſpiritu perueniſſet, Religioſus vir Miniſter Romanæ prouinciæ ordinis Fratrum Minorum Dominus Ioannes Dei gratia ſancti Theodori F Diaconus Cardinalis, ſedis Apoſtolicæ, & ſanctitatis Veſtræ Legatus pro maiori obſeruatione interdicti, cui tunc erat per Vos Sanctiſſime Pater ſuppoſita Vrbs prædicta, eiuſdem Ludouici aduentu percepto, mihi, & alijs Fratribus in eadem Vrbe morantibus, ſub virtute obedientiæ, & excommunicationis pœnis, quas non parentes ipſo facto incurrerent, publicè iniunxiſſet, vt dicta Vrbe omnes, & ſinguli exiremus: Ego tamen infelix peccator præceptis huiuſmodi non obſtantibus, in eadem Vrbe, præſente Domino peſſimo Hæretico, & Schiſmatico Ludouico, & aſſiſtentibus ei pluribus alijs Schiſmaticis, & etiam Hæreticis condemnatis, & reprobatis per Sanctitatem Veſtram, & Eccleſiam ſanctam Dei, pertinaciter remanere

A *præſumpſi, & in ea licet eſſet iuſte, & ſanctè per Vos Eccleſiaſtico interdicto ſuppoſita, celebraui diuina ſæpius, imò quantum in me fuit, veriùs profanaui. Deinde cum idem perfidus Ludouicus datus in reprobum ſenſum, ſe de facto feciſſet in Imperatorem à certis Romanis perfidis coronari, & cõtra Vos beatiſſime Pater diabolicam, & iniquiſſimam depoſitionis, imò vero abuſionis promulgaſſet ſententiam, & proceſſus diuerſos, temerarios, falſos, & iniquos, nec non ad quorundam infidorum principalium Romanorum Clericorum, & laicorum inſtantiam cum ſequentium, vna cum certis de Clero, & Populo perfidis eius complicibus, & fautoribus ad hoc ſecum vocatis, in Papam, & ſummum Pontificem, imo veriùs Antipapam damnatum, & peſtiferum elegiſſet. Ego miſer inductus, imò ſeductus ſui, & multorum tam Clericorum, quàm laicorum eius fautorum, & ſequacium dictæ Vrbis precibus importunis, & perurgentibus inſtantiis, ac infeſtis, falsò & erroneè aſſerentium, quod Pa-B pam Imperator deponere poterat, & loco depoſiti alium ordinare. Et quod per conſequens eidem Hæretico, & Schiſmatico Ludouico, qui tunc in futurum Imperatorem denuo ſe coronari de facto fecerat, & Vos Beatiſſime Pater abuſiue depoſuerat in ea ſuperbiſſima elatione more Luciferi, ambitioneque damnabili, nihilominus execratus huiuſmodi electionem tam nefandè quàm reprobè, imò malitioſe conſenſum meum temerarium, & omni pœna digniſſimum non erubui adhibere, ac ſubſequenter conſecrari, imo execrari ab Hæretico, & Schiſmatico Iacobo dudum Caſtellano Epiſcopo, & excommunicato, & depoſito, & coronari à dicto Ludouico de Bauaria Hæretico me permiſi, licet ad eum, etiamſi verus Imperator exiſteret, ſicut reuera non erat, ego qui verus eſſem Papa, ſicut in veritate non eram, ſed Antipapa potiùs, Schiſmaticus, Hæreticus, & iniquus, nequaquam talis coronatio pertineret. Item quod Cardinales, imo veriùs Anticardinales, & omnes Officiales, quos verus Papa eſt C habere ſolitus, de facto ordinare præſumpſi, Bullamque more Papæ, licet eſſem reprobus, & damnatus, fieri feci, & habui, eaque vſus fui temere, & vbique. Et vt ſtatum meum peruerſiſſimum, & Ludouici prædicti damnate ob falſas opiniones Hæretici, & Schiſmatici Michaelis de Caſena dudum Magiſtri generalis ordinis Fratrum Minorum dicentis ſcilicet, quod Chriſtus, & eius Apoſtoli in ijs, quæ habuiſſe dicuntur, non habuerunt niſi tantum vſum facti ſimplicem; poſſem fortius, & promptius ſtabilire, Dei timore poſtpoſito, extendens ad omnia illicita, & manus meas, proceſſus, & depoſitionis ſententiam Ludouici prædicti Hæretici manifeſti, contra Vos Sanctiſſime Pater, & fulminatam ſupplere omnem defectum, ſi quis eſſet in ipſis, ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis, non ſolum illos confirmare, & meis ſcriptis commentario patrocinio non erubui, ſed, & denuo ſeminare, declarare publicè omnia, & ſingula in dictis proceſſibus promulgata præſumpſi. In quibus quidem proceſſibus D Ludouicus prædictus pronunciabat fore Hæreticum, & ſcripturæ ſacræ contrarium dicere, quod Chriſtus, & Apoſtoli in ijs, quæ habuiſſe leguntur, habuerunt aliud quam ſimplicem vſum facti. Ex qua quidẽ pronunciatione euidenter concluditur ipſum, & me etiam ex confirmatione, pronunciatione, & prædicatione prædictis in damnatam hæreſim poſt Conſtitutionem Veſtram Apoſtolicam de Fratrum Veſtrorum promulgatam conſilio incidiſſe. Et nihilominus ad diuerſos Reges, & Principes meas literas deſtinaui, per quas ad eorum notitiam deducebam, quomodo Vos Pater Beatiſſime, cui multa flagella Hæretica, & erronea in eiſdem libris imponebam ſuggerentibus dictis Hæreticis ſceleratis Ludouico, & Michaële, ac iuxta votum ſuum per eundem Ludouicum, ac per me fueratis depoſitus, & ſententialiter condemnatus, eoſdem Reges, ac Principes exortando nihilominus, & rogando, quod Vobis tanquam Papæ non parerent in aliquo, nec fauores aliquos exhiberent; ſed contra E Vos potius mihi, & dicto Ludouico præberent auxilium, conſilium, & fauorem. Nec his contentus tam in Vrbe, quàm in pluribus Ciuitatibus, & locis alijs Clericos, & ſeculares, & Regulares compuli, vt non obſtante interdicto, cui per Vos ſanctiſſime Pater erant ſuppoſita loca ipſa, in eiſdem celebrarent, imo veriùs, quantum erat in me, profanarent diuina. Tallias quoque in Eccleſijs poſui tam in Vrbe, quàm alibi, pro quibus, calicibus, ornamentis, & nonnullis rebus alijs ipſas ſpoliaui. Fideles inſuper Prælatos nonnullos Clericos in dignitatibus, & beneficijs alijs Eccleſiaſticis conſtitutos, ſuis priuaui prælationibus, dignitatibus, & beneficijs alijs Eccleſiaſticis, in illis præficiendo, vel Hæreticos, Schiſmaticos, vel eorum fautores, & plerumque non abſque ſimoniaca prauitate, quibus in illis ſcilicet, quorum hæc prælatio requirebat de facto, cum de iure non poſſem per me, vel alium munus conſecrationis, imo veriùs execratio-F nis impendi. Contra Fratres, quoque Minores non parentes Michaeli prædicto tanquam generali Magiſtro, qui tum depoſitus erat, iuſte etiam condemnatus de hæreſi, ac Schiſmaticus declaratus, & alius per generale Capitulum concorditer in Generalem aſſumptus, & contra ſeruantes interdicta per Vos, vel Legatos ſeu Officiales veſtros alios promulgata, vtroque ſpirituali videlicet, & temporali gladio procedere non expaui. Eidem Michaeli, & ſequacibus eius Hæreticis, & Schiſmaticis in percipiendo iniuſte, & temere auxilium, & fauorem, indulgentias inſuper, diſpenſationes Sedi reſeruatas Apoſtolicæ concedendo, de facto etiam faciendo. Nonnullis quoque, qui pro Pontificibus ſe gerebant, tam viſi, vt ſacros Ordi-*

nes cele-

nes celebrarent; in quibus ordinibus plures, vt credo, ad ſacros Ordines promouerunt temerè, cum eis virtute præfacta licentia non liceret. De Patrimonio quoque B. Petri in nonnullis locis ad tempus, & interdum in perpetuum diſponere non expaui. Hæc omnia, & plura alia contra Deum, & ſanctam Catholicam Eccleſiam, ac Vos Beatiſſime Pater, verum, & vnicum Ieſu Chriſti Vicarium recognoſco, & confiteor nulla fore, & caſſa, & inania, velut ab eo, cui faciendi non competebat ius aliquid attentata. Quodque quantum ad me ſpectare poteſt, quatenus proceſſeram de facto, ex eo, & nulla fore, & fuiſſe pronuncio, & declaro. Confiteor inſuper me credere, & tenere Fidem illam, quam S. R. E. tenet, ac Vos Pater Sanctiſſime tenetis, prædicatis, atque docetis.

Huiuſmodi confeſſionem (quæ genuina ne fuerit, an ab aliquo conficta, non audeo affirmare) auctor Viennenſis Catalogi cum recitaſſet, addidit quæ ſequuntur. *Poſt autem factam confeſſione in iudicio abiurauit omnes, & ſingulos errores, & articulos erroneos ſupradictos expreſſim, & ſigillatim, & iurauit parere mandatis Eccleſiæ, & Domini Papæ, petens miſericordiam, & abſolutionem à vinculis excommunicationum, & reintegrari Eccleſiæ vnitati, à qua deuiauerat; ſicque per eundem Dominum Papam abſolutus, & reintegratus Eccleſiæ vnitati, reſeruata ordinatione, & declaratione pænitentiæ illi iniungendæ pro præmiſſis; de quibus, & ſingulis fuerunt ad æternam rei memoriam facta publica Inſtrumenta. Data Auenione viij. Idus Septembris, Pontificatus præfati Domini Noſtri Papæ Anno decimoquinto, Dominica Incarnationis 1330. Quibus prædictis præfatus Petrus fuit clementer, & miſericorditer ſuſceptus ad pænitentiam, & poſitus in decenti cuſtodia ad cautelam, vt probaretur, an ambularet in tenebris, vel in luce, abſque tractatus fuit, vt familiaris, ſed cuſtoditus, vt hoſtis.*

Petrus de Corbario in palatio Aueniónenſi detinetur.

Pontifex eius orationi reſpondens, præ nimio gaudio illacrymauit, eumque è terra ſublatum oſculatus eſt: ne tamen Chriſtiana Reſpublica turbaretur, ſi liber in Italiam rediret, cubiculum, libros, cuſtodes, & victum in palatio Pontificio Aueniónenſi illi dedit, cuſtodibus mandans, ne quenquam alloqueretur, ſicque in illo ſilentio triennium, & menſes vixit, quem mortuum Minorum habitu indutum, Auenione ad Minorum Eccleſiam honorificè ſepeliri mandauit. Cardinales, qui ſupererant à Nicolao Pſeudopontifice renunciati, audita eius captione, abdicarunt, ſicque pax, ſublato Schiſmate, quòd per annos tres, menſes tres, dies 14. in Eccleſia Romana fuit, reddita ipſi eſt. Alij tamen eum ſediſſe putant annos duos, menſes tres, dies duodecim; à die enim 13. Maij anni 1328. quo à Bauaro ad ſolium iniquitatis euectus eſt, vſque ad diem 25. Auguſti anni 1330. quo ſuos deteſtatus errores eſt coram Ioanne Romano Pontifice, non niſi annos duos, menſes tres, & dies duodecim computabit, qui enumerauerit.

Illius obitus.

Quandiu ſedit in Schiſmate.

Luc. Vvadingus in Annal. Minorum.

Quòd vero ſponte, & ex propria voluntate, non ſeductus à Piſanis, non coactus à Bonifacio Comite impiam Pontificatus vmbram depoſuerit, ac errores deteſtauerit Petrus, vbique in omnibus literis ad Reges, & Principes ſcriptis, ipſe Ioannes palam teſtatur. Atque hanc rationem obiecit Ioannæ Reginæ Franciæ, dum deprecaretur veniam cuidam Conrado in hæreſim lapſo, ſed reſipiſcenti, & miſericordiam poſtulanti, quam, vt faciliùs impetraret, crimen Corbarij maximum, ſed miſericorditer remiſſum oppoſuit; cui tamen Pontifex ita reſpondit. *Nec quod de Antipapa proponitur, iuuat iſtum; Antipapa quidem non captus, ſed liber errorem ſuum recognouit, & per ſuas literas à Nobis humiliter poſtulauit, afferens ſe paratum per omnia loca, de quibus Nobis videtur expediens, confiteri ſcelera ſua, & quæ contra Nos fecerat, vel dixerat, reuocare.* Eadem ferè reſpondit Romanus Pontifex Ioanni Regi Boemiæ reconciliationem Bauari vrgenti. *Secundo*, inquit, *quia ipſemet Petrus de Corbario reatum ſuum humiliter recognoſcens, à ſtatu ſuo, quem de facto receperat, ille renunciando ſe de facto depoſuit, & ab ipſo Bauaro diſceſſit.* Quare Frater Lucas Vvadingus in Annalibus Minorum ad annum 1330. Villanum hiſtoricum, alioſque, quadraginta tribus Pontificis Diplomatibus, alijſque monumentis Vaticanis reiecit ſcribentes, Piſanos doloſè, & proditoriè eum miſiſſe Auenionem, ac perperam etiam Platinam, & Aegidium Viterbienſem referre ipſum Bonifacium Comitem eum Auenionem perduxiſſe.

Spontè depoſuit Pontificatum.

CREATIONES PSEVDOCARDINALIVM

Anno reparatæ ſalutis 1328. die 17. Maij, Romæ Nicolaus V. Pſeudopontifex primò creauit Pſeudocardinales, qui fuerunt.

I.



IACOBVS Martini, ſeu potiùs Albertus, natione Italus, patria Pratenſis in Etruria, Fr. Nicolai Pratenſis, de quo ſuprà in Benedicto X. dicto XI. fratris filius, ex Epiſcopo Caſtellano, non Presbyter Cardinalis, vt ſcripſit Ciaconius, ſed ex Regiſtris Vaticanis Epiſc. Oſtieñ. & Veliternus renunciatus eſt; quem poſt Nicolai abdicationem Io. Romanus Pont. illa dignitate ſpoliauit, eique ſacra interdixit.

Ciaconius

Panuinius

Oder. Raynal. in Annal. Eccleſiaſt.

Luc. Vvadingus in Annal. Minorum.

II.



IOANNES Vicecomes, filius Matthæi Principis Mediolanenſis, monachus Ciſtercienſis, & Abbas S. Ambroſij Mediolani, Presbyter primò, mox Epiſcopus Cardinalis à Nicolao V. anno 1328. & anno ſequenti 1329. Legatus in Inſubria ad peruertendam fidem, & labefactandam Catholicam Eccleſiam, ab eodem Nicolao renunciatus eſt. Quo accepto Ioannes Romanus Pontifex Bertrando Apoſtolicæ ſedis in Inſubria Legato prouinciam iniunxit, vt Ioannem Pſeudocardinalem, ac Luchinum Fratrem hæreſis, & ſchiſmatis crimine reos, ac damnatos ab Apoſtolica ſede ſolemni ritu diuulgaret. *Fraternitati*, inquit, *tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus prædictos Luchinum, & Ioannem filios dicti Matthæi Hæreticos, qui Ludouico de Bauaria, & Petro de Corbaria Hæreticis, & Schiſmaticis manifeſtis, eorumque fautoribus, & ſequacibus adhærendo, & præſtando auxilia, conſilia, & fauores contra Deum, & Eccleſiam ſanctam ſuam, ac demque Catholicam, errores erroribus, hæreſes hæreſibus, & exceſſus exceſſibus tanquam in profundum malorum demerſi cumulare damnabiliter hactenus ſtuduerunt, & continue in ſua damnationis cumulum non deſiſtunt, dictuſque Ioannes velut auerſus à Deo totaliter, & deſperationis laqueo inuolutus, ſe ſub dicto Petro de Corbaria Hæreſiarcha, & manifeſto Schiſmatico Cardinalem per Hæreticos, & Schiſmaticos, rebelleſque alios ſatagit, ſicut habet multorum relatio, in diuinæ maieſtatis opprobrium, Eccleſiæ Romanæ contemptum, ac fidei, & fidelium deriſionem, & ſcandalum: nominare eſſe manifeſtos Hæreticos, & de hæreſi ſententialiter condemnatos, ac Schiſmaticos, in Eccleſijs, & locis tuæ legationis, & alijs de quibus, & quoties tibi expedire videbitur, per te, vel alium, ſeu alios publice nunciare procures, &c.*

Ciaconius

Panuinius

Ferdinand. Vghel. to. 4. Ital. ſac.

Renunciandi Ioannis Pſeudocardinalis Ludouicus Bauarus auctor extiterat; cum ea ratione res ſuas confirmare arbitraretur; ſed Vicecomes paulò poſt cum ſe Cardinalitia purpura abdicaſſet, & eiurato Schiſmate in Eccleſiæ caſtra ſe contuliſſet, illi reſipiſcenti Romanus Pontifex datis hiſce gratulatorijs literis paternos amplexus explicuit, ac diuinum timorem, ne cœpta egregia nefario corrumperet exitu, eius pectori altè imprimere anxius eſt.

Profectò fili niſi ſpiritus ille, à quo te motum credimus, vt derelicto deuio, in quo currendo ad inferos properabas, ad regalem viam, quæ ad Regnum ducit perpetuum, greſſus tuos dirigeres, ſpem Nobis firmiorem tua opera tribuiſſent, ſpes de ſalute tua concepta à Noſtro prorſus animo exciderat. Sed Spiritus ille, cuius perfecta ſunt opera, in ſpe illa Nos firmos tenuit, quod inceptis debeas perſiſtere, ac ea perducere ad effectum. Cogita igitur fili, & recogita diligenter, in quo ſtatu fueris, & ad quem te conuertis, & attende, quod nemo ponens manum ad aratrum, & retro reſpiciens aptus eſt Regno Dei. Memorare inſuper quales ſucceſſus habuerint Hæretici Bauaro adhærentes, & quod facis, fac citius, in lucemque ſtude conceptus tuos deducere, qui diu latuerũt in tenebris; nec locum des Dæmonibus, eorumque membris, ne concepta valeant impedire. Quod ſi feceris, aſſiſtet tibi Altiſſimus, & proſperabuntur ipſo fauente, qui peccatorum conuerſionem expectat miſericorditer, & ſalutem deſiderat, vt firmiter credens ſalutem alibi expectare non abſque formidine conuenit ſinem illum, quem non conuerſi fuerunt his diebus præteritis, à quo tamen te præſeruet Dominus, aſſecuti. De illis autem tuis operibus, quæ ſpes Noſtra de tua conuerſione videbatur prima facie obuia, tui Nuncij præſentium baiuli referre ſibi poterunt aliqua oraculo viuæ vocis. Gratia Dei, quæ ſibi ſunt placita in ijs, & alijs dirigat mentem tuam Amen. Datum Auinione vi. Idus Nouembris anno xv.

Poſt Schiſma, conſtantiæ in fide orthodoxa egregium ſpecimen præſeferens Ioannes Vicecomes Nouarienſi Epiſcopatu à Ioanne Romano Pontifice anno reparatæ ſalutis 1329. inſignitus eſt; deinde à Benedicto XI. dicto XII. Mediolanenſis Archiepiſcopus deſignatus, & à Clemente VI. anno 1342. xvj. Kalend. Auguſti confirmatus eſt. Imò Mediolanenſis Principatus beneficiarios titulos ab ipſo Benedicto Romano Pontifice, vacantis Imperij ob exauctoratum à Prædeceſſore Bauarum eblanditus eſt, eique ſolemni ritu fidem ſacramento addixit. Qua de re inſigne hoc monumentum in lucem ex Vaticano Archiuio edidit Ferdinandus Vghellus in tomo quarto Italiæ ſacræ.

Ferdinand. Vghel in Ital. ſacr.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

Nos Dei, & Apoſtolicæ ſedis gratia, Ioannes Epiſcopus Nouarienſis, & Luchinus Fratres de Vicecomitibus, in Ciuitate, Comitatu, & diſtrictu Mediolanenſi pro Domino Noſtro, Domino ſummo Pontifice, & S. R. E. Vicarij, viſis, lectis, intellectis ſingulariter, & diſtinctè omnibus, & ſingulis dictis, factis, proteſtatis, promiſſis, & iuratis per Guidolum de Calcecrucem Mediolanenſem, Procuratorem, & Sindicum noſtrum, & nomine noſtro coram Sanctiſſimo Patre, & Domino Noſtro Domino Benedicto diuina Dei prouidentia Papa XII. & ſacro Collegio Reuerendorum Patrum Dominorum Cardinalium, ac eiſdem, Sanctiſſimo Patri, Re-

uerendis

uerendis Patribus Dominis Cardinalibus, eorum acru C... io, nec non per ipſum Dominum Papam factis, conceſſis, datis, & impenſis gratioſe, iuſte, benigne, miſericorditer, & clementer Nobis, & dicto Procuratori, & Sindico Noſtro pro Nobis iuxta formam omnium, & ſingulorum, quæ continentur, &c.

Vicariatus munere deinde vna cum Luchino Sedis Apoſtolicæ nomine functus eſt Ioannes Epiſcopus Nouarienſis; ad quos has Benedictus Romanus Pontifex ſcripſit literas.

BENEDICTVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Venerabili Fratri Ioanni Epiſcopo Nouarienſi, & dilecto Filio Luchino de Vicecomitibus de Mediolano Militi, Vicarijs Noſtris, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ in Ciuitate, Comitatu, & diſtrictu Mediolani, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Romana Eccleſia de cunctorum fidelium ſtatu proſpero velut ſollicita mater, ſedulo, ac vigilanter ſtudet, & libenter fidelibus ipſis, omnibus vijs, & modis, de quibus expedire cognoſcit, pacis, & tranquillitatis commoda materna affectionis diligentia procurare, quæ tunc recte proueniunt, cum fideles ipſi ſub æquitatis libra degentes prouidorum, & vtilium rectorum munimine fulciuntur. Sane dilecti filij Leo Dugnano, Manfredus de Sanzonibus Iuriſperiti Ambaſciatores Veſtri, & Nuncij, ac Guidolus de Calice natus quondam Benedicti, ciues Mediolanenſes, Procurator per Vos ad infraſcripta ſpecialiter ordinatus, prout conſtat quodam publico Inſtrumento manu Tabellionis publici confecto, cuius tenor de verbo ad verbum præſentibus annotari fecimus, pro infraſcriptis ad ſedem Apoſtolicam ſpecialiter deſtinati, in Noſtra, & Fratrum Noſtrorum eiuſdem Romanæ Eccleſiæ Cardinalium præſentia conſtituti Nobis reuerenter expoſuerunt ſinceræ deuotionis feruorem, & reuerentiam filialem, ac fidelitatis zelum, quos ad Nos, & ſedem Apoſtolicam habere noſcimini, & conſtanter diſponitis gerere in futurum, quodque Vos in omnibus diſpoſuiſtis, & diſponitis totaliter Noſtris, & eiuſdem ſedis mandatis, & beneplacitis conformare, ac Ciuitates, Terras, & loca de præſenti ſub regimine, ſeu Iuriſdictione Veſtra exiſtentia, in vnitate, & tranquillitate, & pace gubernaſtis, & regitis, & perſonas diſcordes ipſorum ad concordiam reduxiſtis, & eos gubernare, & regere in iuſtitia, & æquitate ad honorem Noſtrum, & eiuſdem Romanæ Eccleſiæ, ac Romani Imperij diſponitis in futurum, & ad maiorem euidentiam deuotionis, & filiationis huiuſmodi erga Nos, ac dictam Romanam Eccleſiam per effectum operis oſtendendam, idem Procurator Veſter Procuratorio nomine Veſtro, ſolemniter bona fide promiſit, prout ex tradita ſibi per Vos poteſtate, quod Vos Datia, Gabellas, & Collectas, Pedagia, vel alia onera per Vos, vel alium, ſeu alios non imponetis, nec imponi facietis Eccleſiis, vel Eccleſiaſticis perſonis Ciuitatis, Comitatus, & diſtrictus Mediolani, aliarumque Ciuitatum, Caſtrorum, & locorum, Comitatuum, & diſtrictuum eorundem ſub veſtro regimine exiſtentium, nec capi petitis, gabellas, collectas, & alia onera ab Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis huiuſmodi, vel bonis earum exigetis, vel exigi facietis, aut permittetis directe, vel indirecte, publice, vel occulte, nec ipſa imponentibus, ſiue exigentibus auxilium, conſilium, vel fauorem præſtabitis. Quinimo ipſas Eccleſias, & Eccleſiaſticas perſonas in ſuis bonis, iuribus, & libertatibus conſeruabitis, quodque ſi contrarium fieret, teneamini Eccleſiis, & Eccleſiaſticis perſonis conquerentibus de ipſis impoſitionibus, ſiue exactionibus huiuſmodi datiorum, gabellarum, pedagiorum, ſiue onerum reſtituere, ſeu reſtitui recepta, ac impoſitiones reuocare, ſeu reuocare facere celeriter summarie, ſine ſtrepitu, & figura Iudicij; alioquin pœnas incurratis tantum ſuper his a ſacris Canonibus promulgatas, & quod Iudices Eccleſiaſticos non impedietis, nec impediri procurabitis, aut faciatis; quominus contra imponentes, & exigentes huiuſmodi procedant, & procedere valeant ad publicationem dictarum pœnarum, & alias iuxta Canonica inſtituta, & nihilominus dictus Procurator in animas Veſtras, prout a Vobis ad hoc ſufficiens, & ſpeciale mandatum habebat, promiſit iuramento præſtito corporali, quod Vos eritis, & permanebitis deuoti, & obedientes, & fideles Nobis, & ſucceſſoribus Noſtris canonice intrantibus, tanquam Chriſti Vicarijs, & Romanæ Eccleſiæ, ſicut veri, & Catholici Chriſtiani. Et nihilominus idem Procurator, & Sindicus prædicto nomine confeſſus fuit, quod Vos pro certo creditis, & firmiter tenetis, quod non ſpectat ad Imperatorem Papam deponere, vel Papam facere, ac Hæreticum reputatis aliter credere, & docere, ac hæreſim damnatam per Eccleſiam, quam & ipſe Sindicus Veſtro nomine quantum ad eum ſpectat, anathematizauit, & damnauit. Promiſit etiam præfatus Procurator Veſtro nomine, ac iurauit in animas Veſtras, quod Vos de Ciuitate, Comitatu, & diſtrictu prædictis, ac vniuerſis alijs Ciuitatibus, Caſtris, Villis, & locis, eorumque Comitatibus, & diſtrictibus, Veſtro Regimini, ſeu iuriſdictioni ſubiectis, & ſubijciendis in poſterum vniuerſos Hæreticos ab Eccleſia de hæreſi denotatos, & denotandos, ac Schiſmaticos manifeſtos pro viribus, bona fide expellere, ac exterminare curabitis, quouſque ad Eccleſiæ redierint vnitatem; proteſtans dictus Procurator, quod ad illos, qui de fautoria, vel hæreſi ſe iniuſte, vel inique condemnatos conqueruntur, ſuper

A *huiuſmodi articulis non exſecutur, donec ſecundum ordinationem, quam ſuper hoc facimus de his, quæ proponuntur contra damnationes ipſas cognitum fuerit, & etiam definitum. Promiſit inſuper dictus Procurator Veſtro nomine, ac iurauit, quod Vos Ludouico de Bauaria damnato per Eccleſiam, vel alicui Antipapæ, aut Schiſmatico, ſeu eorum ſequacibus, vel complicibus, aut quibuſuis alijs de hæreſi, vel fautoria ipſius per Eccleſiam denotatis prædictis, qui de iniuſta condemnatione conqueruntur, exceptis, ac denotandis etiam in poſterum ſcienter non adhærebitis, nec eis ſcienter dabitis auxilium, conſilium, vel fauorem directe, vel indirecte, publice, vel occulte, nec eos ſcienter receptabitis in Terris Veſtri Regiminis, vel iuriſdictioni ſubiectis, vel ſubijciendis, quouſque ad eiuſdem Eccleſiæ redierint vnitatem, & gratiam, & quod aliquem, qui accederet ad partes Italiæ ſub nomine Imperatoris aut Regis Romanorum, ſeu Adminiſtratoris iurium Imperij, vel Regni Romani, aut quemuis alium quouis titulo, vel nomine, pro eodem non receptabitis in Terris prædictis, nec ei, vel tali adhærebitis, vel fauebitis, niſi prius fuerit per ſedem Apoſtolicam approbatus, quodque Vos, Nuncios, & gentes Noſtras, ac Succeſſorum Noſtrorum eiuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ per Terras huiuſmodi tranſeuntes Vobis ſcientibus curialiter recipietis, & tractabitis, ipſoſque defendetis, & protegetis bona fide. Rurſus præfatus Procurator quo ſupra nomine, & ſub eiuſdem iuramenti debito promiſit, quod ſi qua Eccleſia, & Eccleſiaſtica perſona ſint, vel detineantur ſpoliata in Ciuitatibus, Comitatibus, vel diſtrictibus præfatis per Vos, vel aliquos Veſtros ſubditos bonis, iuribus, vel rebus immobilibus earum ipſas Eccleſias, & perſonas Eccleſiaſticas reſtituetis, & reſtitui facietis ipſorum bonorum, rerum, & iurium pacifica poſſeſſione gaudere; quatenus ad Vos tanquam Noſtros Vicarios ſpectabit, & ſpectabat, & nihilominus ſi aliqua Eccleſia, & Eccleſiaſtica perſonæ bonis mobilibus conquerantur ſe fore ſpoliatos per Vos, vel ſubditos Veſtros à tempore ceſſationis guerræ inter gentes dictæ Romanæ Eccleſiæ, & homines Ciuitatis Mediolani prædictæ, ſeu à tempore reconciliationis factæ de quondam Azone de Vicecomitibus nepote Veſtro cum Eccleſia Romana prædicta per felicis Recordationis Ioannem Papam XXII. Prædeceſſorem Noſtrum, Vos, & ſubditi Veſtri prædicti ſuper his coram Nobis, aut Succeſſoribus Noſtris, vel alijs, quibus Nos, vel Succeſſores Noſtri duximus committendum, vel iuri parebit, vel amicabiliter concordabitis cum Eccleſiis, & perſonis taliter ſpoliatis. Ad hæc præfatus Guidolus Procurator Veſter promiſit Veſtro nomine ſub debito præfati præſtiti Iuramenti, quod Vos omni fraude, malitia, & dolo ceſſantibus, Eccleſias, & Eccleſiaſticas perſonas vniuerſas Seculares, & Regulares Ciuitatum, Caſtrorum, Comitatuum, & diſtrictuum prædictorum gaudere permittetis, nec impedietis, quominus ipſi gaudere poſſint omnibus ſuis bonis, & redditibus, prouentibus, obuentionibus, iuribus, & libertatibus vniuerſis in ipſis Ciuitatibus, Caſtris, Comitatibus, & diſtrictibus, quantum in Vobis erit, nec impedientibus dabitis auxilium, conſilium, vel fauorem per Vos, vel alium, ſeu alios directe, vel indirecte, publice, vel occulte, niſi Veſtri inimici notorij, vel rebelles Ciuitatum, Caſtrorum, Comitatuum, & diſtrictuum prædictorum exiſterent, quos in eis recipere, & dependere non permittetis, niſi prius Vobiſcum, & cum Ciuitatibus, Caſtris, Comitatibus, & diſtrictibus præfatis ad pacem, & ad concordiam deuenirent. Promiſit etiam dictus Procurator Veſtro nomine, ac iurauit in animas Veſtras, ſicut ex prædicta tradita poteſtate poterat, quod Vos Bononienſem, & Ferrarienſem Ciuitates, & earum diſtrictus, & Comitatus, & Marchiam Anconitanam, Romandiolam, Ducatum Spoleti, aut alias quaſcunque Prouincias, Ciuitates, Caſtra, Terras, & loca, nec non iura, iuriſdictiones, homines, & bona quæcunque ad ipſam Romanam Eccleſiam ſpectantia, ſeu quæ per Vos, & Eccleſiam prædictam, aut ipſius Eccleſiæ Romanæ nomine reguntur, aut a Nobis, & Eccleſia præfata tenentur, vel in quibus Nos, & Romana Eccleſia ius habemus, qualiacunque ſint, & in quibuſcunque conſiſtant, aut perſonas Eccleſiaſticas, vel ſeculares eorundem, vel alicuius ipſorum, per Vos, vel alium, ſeu alios directe, vel indirecte, publice, vel occulte non afficietis iniurijs, nec non offendetis, aut illa ſubtrahetis, nec auferetis, nec inuadetis, capietis, vel occupabitis, aut vſurpabitis, ſeu impedietis in aliquo, vel prædabimini in toto, vel in parte; nec talia facientibus, ſeu facere volentibus dabitis, ſeu præſtabitis ſuccurſum, auxilium, conſilium, vel fauorem ſine Noſtra, vel Succeſſorum Noſtrorum, & ſedis Apoſtolicæ licentia, ſaluo tamen, & adiecto, quod ſi commune alicuius de Prouincijs, Ciuitatibus, Caſtris, Villis, Terris, & locis prædictis, quæ tenentur, ſeu reguntur nomine Eccleſiæ Romanæ, Clerum commune, ſeu populum Ciuitatis, Caſtrorum, Terrarum, & locorum ſub Veſtro regimine conſiſtentium, vel eorum aliquod, in perſona ſingularis perſonam ſingularem, vel etiam commune, ... ederentur primo, vel offenderent, ſeu hoſtes, & æmulos Veſtros, vel ſuos ad eos ... dos receptarent, liceat communi, ſeu ſinguli ... ita ſic offenſ... tam iuxta taliter, quam vim vi repellendo cum moderamine inculpatæ tutelæ, prout tempus, & facti qualitas exegerit, ſe ac bona ſua defendere, & vt ... ſic tamen, quod in Prouincijs, Ciuitatibus, Terris, & locis prædictis, ... præmittitur tenerentur, ſeu regerentur nomine Romanæ Eccleſiæ ante arſtæ, ius eiuſdem Romanæ Eccleſiæ, ac Ciuitatum, Ter...*

B **C** **D** **E** **F**

& locorum ipſorum, ſi quod eiſdem in illis, vel eorum aliquo, aut hominibus eorundem, vel alicuius ipſorum competit, quibus Eccleſiæ, ac Ciuitatibus, Caſtris, locis, & Terris huiuſmodi eiuſdem Romanæ Eccleſiæ, vel ſub eius regimine, aut gubernatione manentibus, per præmiſſa, vel aliquod præmiſſorum non præiudicetur in aliquo, ſed ius ſemper ipſis Eccleſiæ, ac Ciuitatibus, & Caſtris remaneat, & illæſum, nec per præmiſſa, vel aliquod præmiſſorum quomodolibet, & cuiquam conceſſa, intelligatur licentia ad offenſiones, inuaſiones, ſiue conuerſus aliquos illicitos procedendi. Sed ſi Vobis, Ciuitatibus, Caſtris, vel locis Vobis ſubiectis, vel ſubiiciendis in Ciuitatibus, Caſtris, vel locis, aut Villis præfatis, quæ, vt præfertur, tenentur, ſeu reguntur nomine Romanæ Eccleſiæ memoratæ, vel ipſorum aliquo, aut eorum hominibus, vel alicuius eorüdem ius aliquod competat, illud ſi velitis, poſſitis per Procuratorem, vel Syndicum apud Apoſtolicam ſedem per viam iuſtitiæ proſequi, vbi Vobis, & Ciuitatibus ipſis miniſtrabitur iuſtitiæ complementum; nec per hoc eidem iuri intelligatur in aliquo derogatum. Nos igitur de huiuſmodi Veſtræ deuotionis, ac fidelitatis affectu, Patris beneuoli more gaudentes, ac bonum ſtatum, & proſperum ſtatum Ciuitatis, Comitatus, & diſtrictus Mediolanenſis, ac Ciuium, & Incolarum ipſorum propter deuotionem ſinceram, quam Ciues, & Incolæ prædicti ad eandem Romanam Eccleſiam retroactis temporibus habuerunt, & eos habere debere ſperamus de bono in melius in futurum paternis ſtudiis intendentes: Conſiderantes quoque quod Imperio prædicto vacante, & regimen, diſpoſitio, adminiſtratio, et gubernatio eiuſdem Imperii ad Nos, et ſedem Apoſtolicam pertinere noſcuntur; et propterea tam Ciuitati, Comitatui, et diſtrictui Mediolanenſi prædictis, et Rectoribus vtilibus prouidere; quod Vos in deuotione, ac fidelitate huiuſmodi non ſolum confirmare ſed augere volentes Vos, et quemlibet Veſtrum in ſolidum in Ciuitate, Comitatu, et diſtrictu Mediolanenſi prædictis cum mero, et mixto imperio, et omnimoda iuriſdictione temporali pro tranquillitate, pace, & bono ſtatu ipſorum Vicarios Noſtros, & eiuſdem Romanæ Eccleſiæ quandiu vixeritis, Imperio prædicto vacante, de dictorum Fratrum Noſtrorum conſilio, & aſſenſu, libere, & abſolute, ſine præſtatione alicuius cenſus, vel ſeruitii Nobis, ſiue eidem Romanæ Eccleſiæ propterea faciendi auctoritate Apoſtolica conſtituimus, & etiam ordinamus ad gerendum in eis Noſtro, & ipſius Eccleſiæ Romanæ nomine Vicariatus officium per Vos, & quemlibet Veſtrum quoad vixeritis, dicta Imperii vacatione durante; pro Ciuium, & Incolarum eorundem ſtatu, tranquillitate, & pace, & ſecundum iuſtitiam exercendum; ita tamen quod Vos iuxta formam inferius annotatam Nobis Noſtro, & Succeſſorũ Noſtrorum, & Romanæ Eccleſiæ, ac Imperii prædictorũ nomine fidelitatis præſtare teneamini iuramentũ, & illud etiã, quod præſtare, & obſeruare teneamini Imperatori Romano legitimo, ſeu Romano Imperio pro prædictis. Nos enim Vobis, & cuilibet Veſtrum, ipſa Imperii vacatione durante, diſponendi, ordinandi, ſtatuendi, faciendi, corrigendi, puniendi, definiendi, exequendi, & huiuſmodi merum, & mixtum imperium, & iuriſdictionem temporalem omnimodam ratione præuia per Vos, vel alium, vel alios, quibus id committendum duxeritis, in Ciuitate, Comitatu, & diſtrictu Mediolanenſi prædictis exercendi, & faciendi, quicquid ad Romanæ Eccleſiæ, ac Imperii præfatorum honorem, ſtatumque proſperum Ciuium, & Incolarum prædictorum noueritis pertinere. Contradictores quoque, & rebelles quoties expedierit diſtrictione temporali, qua conuenit, compeſcendi, auctoritate præſentium concedimus plenariam poteſtatem, ita tamen, quod tu Frater Epiſcope de his, quæ pœnam ſanguinis concernere, ſiu contingere dignoſcuntur, per te ipſum, ſicut nec etiam tibi de iure competit, te nullatenus intromittas. Et quia intentio Noſtra eſt, vt vnicuique ſua iura ſeruentur, per præmiſſa, vel eorum aliquod eidem Romanæ Eccleſiæ, ac Nobis, & Succeſſoribus Noſtris, Imperatori legitimo, & Imperio prædictis, & iuribus eorundem, ac Vobis in Ciuitate, Comitatu, & diſtrictu Mediolanenſi prædictis, nec non libertatibus, & immunitatibus, ac iuribus quibuſcunque ipſi Ciuitati, Comitatui, diſtrictui, & hominibus eorundem, ac quibuſuis aliis quomodolibet competentibus nolumus derogari, ſed ea volumus in pleno robore permanere, quibus prædictum Procuratorem, prout a vobis ſpecialiter in mandatis habebat, Veſtro nomine, cum gratiarum actionibus acceptatis, confeſtim idem Procurator prædicto veſtro nomine, prout ex ſpeciali per Vos ſibi tradita poterat poteſtate, confeſſus fuit, & recognouit, Vos vigore conceſſionis, & commiſſionis huiuſmodi Ciuitatem, Comitatum, & diſtrictum prædicta tenere Imperio Romano vacante a Nobis, & ſede Apoſtolica ſupradicta; Voſque, & quemlibet Veſtrum, quoad vixeritis, illos Noſtro, & Eccleſiæ Romanæ, ac Imperii prædictorum nomine, ipſa Imperii vacatione durante velle tenere, regere, ac etiam gubernare, & nihilominus idem Procurator Veſtro nomine, prout hoc a Vobis ſpecialiter in mandatis habebat, Nobis, & Romanæ Eccleſiæ prædictæ pro præmiſſis illud fidelitatis in noſtra, ac Fratrum prædictorum præſentia, ac ſancta Dei Euangelia manu tacta præſtitit corporaliter iuramentum, ad quod pro Nobis tenemur Imperatori Romano legitimo, & Imperio ſupradictis, ac promiſit Veſtro nomine, ac iurauit in animas Veſtras, prout ex dicta poteſtate per Vos ſibi tradita, poterat, quod Vos, & quilibet Veſtrum præmiſſa omnia, & ſingula per ipſum Procuratorem nomine Veſtro promiſſa, conuenta, obligata, recognita, & iurata, infra duorum menſium ſpatia a data præſentium computandum acceptabitis, ratificabitis, approbabitis, confirmabitis, & innouabitis, ac iurabitis ad ſancta Dei Euangelia, per vos corporaliter manu tacta, ea omnia, & ſingula firmiter attendere, & inuiolabiliter obſeruare, ac facere obſeruari, & non contrafacere in aliquo, vel venire, & nihilominus quilibet Veſtrum iuramentum fidelitatis præſtabit iuxta dictam formam præſentibus annotatam inferius, confectis de his omnibus vno, vel pluribus inſtrumentis publicis præſentium ſeriem continentibus, per Vos Nobis, & ſedi prædictæ poſtmodum infra aliorum duorum menſium ſpatium prædictos duos immediate ſequentium tranſmittendis, & realiter aſſignandis. Quod ſi forſan præmiſſa omnia, & ſingula per dictum veſtrum Procuratorem recognita, promiſſa, conuenta, obligata, & iurata ratificare, approbare, confirmare, & innouare, ac iurare omiſeritis, nec non inſtrumentum, ſeu inſtrumenta publica ſuper his confectum ſiue confecta, vt præmittitur, Nobis, & ſedi præfatæ infra prædictum terminum non deſtinaueritis, & realiter aſſignaueritis, volumus, quod Conſtitutio, & ordinatio per Nos facta Vobis de Vicariatu huiuſmodi in Ciuitate, Comitatu, & diſtrictu Mediolanenſi præfatis habeantur penitus pro non factis, quodque ſi poſt ratificationem, approbationem, confirmationem, & innouationem huiuſmodi per Vos faciendas, Vos contra præmiſſa, & iurata per eundem Procuratorem Veſtrum, Veſtro nomine de non fauendo Ludouico de Bauaria, & ſequacibus ſuis, eo de non admittendo, vel receptando aliquem, qui veniret ad partes Italiæ ſub nomine Imperatoris, vel Regis Romanorum, aut Adminiſtratoris iurium Imperii, vel Regni Romanorum, aut quemuis alium quouis titulo, ſeu nomine pro eodem in Ciuitatibus, Caſtris, Villis, Terris, & locis, ac Comitatibus, & diſtrictibus prædictis, & de non fauendo eiſdem, ac de Hæreticis, & eorum fautoribus, & exterminandis illis, qui ſe de hæreſi, vel fautoria eius ſeu iniuſte, vel inique, vt præmittitur, aſſerunt, condemnatos, exceptis, ac de terris, bonis, & iuribus eiuſdem Romanæ Eccleſiæ non inuadendis, nec etiam occupandis quoquomodo faceretis, vel veniretis, vel Vos, & quemlibet Veſtrum alias præmiſſa omnia, & ſingula per eundem Procuratorem veſtro nomine recognita, promiſſa, conuenta, obligata, & iurata non obſeruaueritis cum effectu, aut contraria, vel ipſorum aliquid feceritis, ſeu veneritis quoquomodo, Vos ſiue illum ex Vobis, qui in præmiſſis culpabilis fuerit, excommunicationis ſententiam incurrere volumus ipſo facto, & nihilominus aliis pœnis, & ſententiis propter fauorem Hæreticorum, & fautorum ſuorum, ſi in hoc deliqueritis, ſubiaceatis, quæ contra fautores Hæreticorum, & taliter delinquentes a ſacris Canonibus inflictæ ſunt, & prolatæ, quodque Nos, & Succeſſores noſtri propterea contra Vos, & quemlibet Veſtrum alias poſſimus procedere, prout Nobis, & ipſis Noſtris Succeſſoribus placuerit, & videbitur expedire. Vt igitur Ciuitatem, Comitatum, & diſtrictum Mediolanenſem prædictos, & perſonas ipſorum, veſtro, vt præfertur, commiſſo regimini ſic fideliter, & prudenter regere, & gubernare in ſuauitate, ac obſeruatione iuſtitiæ ſtudeatis; quod præconcepta per Nos de Vobis in hac parte fiducia per laudabilium operum effectum clareat, & propter hoc apud Deum, & homines commendari, noſtramque, & ipſius ſedis gratiam, benedictionis, & fauoris augmentum valeatis exinde vberius promereri. Forma vero iuramenti fidelitatis prædicti, quod quilibet Veſtrum præſtabit talis eſt.

Ego Ioannes de Vicecomitibus Dei gratia, Epiſcopus Nouarienſis pro Domino meo D. Benedicto Papa XII. & S.R.E. vacante Romano Imperio, ſicut vacare dignoſcitur, in Ciuitate Mediolani, Caſtris, Villis, Terris, & locis Comitatus, diſtrictus, & Territorii eiuſdem Vicarius, ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero beato Petro, & eidem Domino meo D. Benedicto Papæ XII eiuſque Succeſſoribus canonice intrantibus, ſanctæque Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ, non ero in conſilio, aut conſenſu, vel facto, vt vitam perdant, aut membrum, aut capiantur mala captione. Conſilium, quod mihi credituri ſunt per ſe, aut per Nuncios, ſiue per literas, ad eorum damnum me ſciente nemini pandam, & ſi ſciuero fieri, vel procurari, ſeu tractari aliquid, quod ſit in ipſorum damnum, illud pro poſſe impediam, & ſi impedire non poſſem, illud eis ſignificare conabor. Contra Papatum Romanum, & Regalia S. Petri tam in Ciuitate, Caſtris, Villis, Terris, Comitatibus, diſtrictibus, & Territoriis prædictis, quam alibi exiſtentia adiutor eis ero ad retinendum, defendendum, recuperandum, & recuperata manutenendum contra omnem hominem, vniuerſas, & ſingulas promiſſiones, conuentiones, obligationes per meum, & Luchini Fratris mei Procuratorem factas, & iuratas & conditiones per eundem Dominum ſummum Pontificem contentas in præſentibus literis confectis ſuper conſtitutione Vicariatus prædicti, & conceſſione ipſius mihi, & eidem Fratri meo Luchino factas, appoſitas, & omnia, & ſingula, quæ continentur in eiſdem literis plenarie adimplebo, & inuiolabiliter obſeruabo, nec vllo vnquam tempore, durante Vicariatu prædicto veniam contra illa, ſic me Deus adiuuet, & hæc S. Dei Euangelia.

Tuque fili Luchine præſtabis ſimile per omnia iuramentum. Item tenor dicti inſtrumenti ſuper ipſa procuratione confecti talis eſt.

Acta fuerunt hæc Mediolani in domo habitationis dictorum Dominorum in Parrochia S. Ioannis ad Fontes, præſentibus Vene-

rabilibus

rabilibus, & Sapientibus viris Dominis Loffredo de Caſtana Præpoſito Eccleſiæ de Bollate Mediolanenſis Diœceſis, Fulchino de Schiſijs de Cremona Vicario dicti Domini Ioannis, & Leone de Bugnano Iuris peritis teſtibus ad prædicta omnia, & ſingula vocatis, & rogatis, anno Domini MCCCXXXIX. Indictione 8. die Iouis, xxviij. menſis Octobris. Ego Petrinus filius quondam Domini Donioannis de Faxolis auctoritate Imperiali Notarius publicus Concellarius dictorum Dominorum Ioannis, & Luchini, ipſorum mandato hoc inſtrumentum tradidi, ſcripſi, & me ſubſcripſi. Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c. Datum Auenione Idibus Martij Pontificatus Noſtri anno 7. prædicta omnia, & ſingula promiſſa, conuenta, recognita, proteſtata, confeſſa, & iurata, acta, & quomodolibet actitata, prout in prædictis Apoſtolicis literis ſeriofius continetur generaliter, & ſingulariter, ſpecificè, & expreſſe, cum gratiarum actione acceptamus, ratificamus, approbamus, confirmamus, & innouamus, ac iuramus ad ſancta Dei Euangelia per nos corporaliter

B

manu tacta, ea omnia, & ſingula firmiter attendere, & inuiolabiliter obſeruare, ac facere obſeruari, & non contrafacere, vel venire. Et inſuper Ego Ioannes de Vicecomitibus Dei gratia, Epiſcopus Nouarienſis pro Domino, &c. vt ſupra, vſque ad ſancta Dei Euangelia. Et ego prædictus Luchinus de Vicecomitibus ſimile in omnibus, & per omnia præſto iuramentum: videlicet:

Ego Luchinus de Vicecomitibus pro D. Benedicto PP. &c. vt ſupra: in quorum omnium, & ſingulorum teſtimonium vnum, & plura publica inſtrumenta fieri mandauimus per infraſcriptum Notarium publicum, ac iuſſimus, & fecimus ad maiorem roboris firmitatem ſigillorum Noſtrorum appoſitione muniri.

Datum, & actum Mediolani in Capellanona dictorum Dominorum; præſentibus Venerabilibus, & Religioſis viris Dominis Fratre Lanfranco de Sethara ordinis Eremitarum Conuentus Mediolanenſis, Magiſtro ſacræ paginæ; Fratre Antonio Vicecomite Abbate Monaſterij S. Ambroſij Mediolanenſis; Roberto Vicecomite Archipresbytero; Martino de Sexto ordinario Mediolanenſi, & Lanfranco Moſcta Propoſito Eccleſiæ S. Ambroſij Mediolanenſis; ac Nobilibus, & Sapientibus viris Dominis Iacobo de Fluctis legum Doctore de Placentia dictorum Dominorum Vicario, Boſchino de Mantegacis, & Bronzino de Carmis, Mediolanenſibus militibus: Folchino de Schiſijs de Cremona ipſius Domini Ioannis Vicario: Leone de Dugnano, Manfredo de Strazonibus, Ioannino de Sormano, Guillelmo de la Fera, & Cabrino de Vicomercato Mediolanenſibus Iuriſperitis, Guidotto de Mandello, Ottarino Burro, & Cabrialo de Puteobonello, ac Guidolo de Calice Ciuibus Mediolanenſibus; & præſente plurium aliorum Religioſorum, & ſecularium Clericorum, & nobilium Popularium copioſa multitudine teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter, & rogatis. Sub Anno Domini 1342. Indictione 9. die Lunæ vi. menſis Auguſti.

D

Ego Dionyſius de Vicomercato Clericus Mediolanenſis, publicus Imperiali auctoritate Notarius præmiſſorum exhibitioni, acceptationi, ratificationi, confirmationi, & innouationi, ac iuramentorum præſtationi, aliiſque omnibus, & ſingulis dictis, & narratis, vna cum teſtibus præſens fui, & rogatus hoc inſtrumentum publicum inde confeci, tradidi, ſcripſi, & ſubſcripſi, ſignoque meo ſignaui in præmiſſorum teſtimonium.

Auxit deinde eodem anno Benedictus Papa in Ioannem Archiepiſcopum, & Luchinum Fratres beneficia, ac reuocauit, quod olim ſub Ioanne Prædeceſſore in Borgalienſi Conuentu ab Aycardo Archiepiſcopo, ceteriſque delegatis ſancitum fuerat, eaque omnia tanquam vitio, & contra vetera inſtituta peracta, ſuo Diplomate irritauit, quod ex eodem Regeſto liber hic ad verbum referre.

BENEDICTVS EPISCOPVS, &c.
AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

E

Quamuis nihil gratius Noſtris occurrat obtutibus, quàm quod Catholicæ fidei puritas vbique terrarum ad Dei laudem, & gloriam vigeat, & macula prauitatis Hæreticæ, quæ ſerpens, vt cancer orthodoxos conatur inficere, de locis eradicetur, quibuſlibet, & penitus deleatur, tamen ad prouidam circumſpectionem Chriſti Vicarij, cui eſt omnium fidelium generalis cura, ſuperna diſpoſitione commiſſa, pertinere dignoſcitur pro fidelium ipſorum quiete. Inquiſitorum, & aliorum, qui per ſedem eandem ad labem hæreſis extirpandam ſunt generaliter, & ſpecialiter deputati, cum excedunt iuſtitiæ limites, & in eorum proceſſibus debitum ordinem non obſeruant, errata corrigere, & aduerſus improuidentiã eorundẽ, ne iniuſte Catholici aggrauentur, opportuna prouiſionis remedia adhibere.

F

Dudum ſi quidem Venerabilis frater Noſter Ioannes Epiſcopus Nouarienſis, & Dilecti filij nobilis viri Luchini de Vicecomitibus Militis Mediolanenſis filiorum quondam Matthæi de Vicecomitibus de Mediolano querela grauis, & frequẽs inſinuata Noſtro Apoſtolatui patefecit, quod olim felicis recordat. Ioannes Papa XXII. Prædeceſſor Noſter aſſerens, quod ad eum fama publica referente peruenit, quod dictus Matthæus tunc viuens multos graues, enormes, & deteſtãdos exceſſus tunc expreſſos aduerſum Deũ, & S.R.E. ac fidem Catholicam, & Eccleſiaſticam libertatem commiſerat, & committere de malo in peius continue præſumebat: & quod quondam Galeatius, & quondam Marcus, & quondam Stephanus tunc

A

viuentes, & alij dicti Matthæi filij erant huiuſmodi eiuſdem Matthæi exceſſuum, & ſcelerum ſectatores, contra ipſum Matthæum, & filios, certos proceſſus fecit, diuerſas excommunicationum, & alias ſpirituales, & temporales pœnas, & ſententias continentes, & quod ſubſequẽter eidem Prædeceſſori ſuggeſto, quod ipſi Matthæus, & filij ſententias huiuſmodi deducentes in animarum ſuarum periculum, & contemptum, eas per nonnullos annos pertinaciter tolerarant, & etiam tolerabant; ac non verebantur peiora peioribus contemptibiliter cumulare, ac ſe Dei aduerſarios manifeſtos, & fidei Catholicæ corruptores, tanquam in mortis diuerſoria corruentes, oſtendere manifeſtè. Propter quæ, & alia praua ſcelera eorundem, ipſi, Matthæus, & filij non indignè ſuſpecti de labe prauitatis eiuſdem grauiter habebantur; præfatus Prædeceſſor Aycardo Archiepiſcopo Mediolanenſi, & Inquiſitoribus prauitatis Hæreticæ in dictis partibus, deputatis eorum proprijs, Nobis non expreſſis ſuis ſub

B

ea forma commiſit, & dedit literis in mandatis, vt ipſi, vel duo, aut vnus eorum contra præfatos Matthæum, Galeatium, Marcum, & alios eiuſdem Matthæi filios, ipſorumque fautores, & receptatores ſuper eiuſdem hæreſis labe, quod ad ea, quæ contenta in ipſis literis contingebant, & alia de quibus haberi poterat veriſimilis ſuſpectio, contra eos, ſuper omnibus contentis in literis ipſis iuxta formam Canonum, & alias, ſicut eis per iura ſcripta, & Apoſtolica priuilegia ſuper crimine hæreſis conceſſum erat, procedere cum omni diligentia procurarent. Volens nihilominus Prædeceſſor prædictus, quod ſi forſan ipſos Archiepiſcopum, & Inquiſitores ſeparatim procedere in negocio Inquiſitionis eiuſdem contingeret proceſſum per ſingulos eorum habendum in prolatione ſententiæ in huiuſmodi negocio proferendæ ſibi ipſi ad inuicem communicare deberent. Quarum literarum prætextu bon. mem. Aycardus Archiepiſcopus Mediolanenſis, & dilecti filij Paxius de Vedano, Iordanus de Montecucu-

C

to, Honeſtus de Papia, & quondam Barnabas de Vercellis ordinis Prædicatorum, tunc Prior Prouincialis Fratrum eiuſdem ordinis in ſuperioribus partibus Lombardiæ ſe Inquiſitores prauitatis eiuſdem in eiſdem partibus prætendentes dictos Ioannem, & Luchinum per Edictum publicum, prout hoc eis per priuilegia Apoſtolica ſuper officia Inquiſitionis eidem ordini prædicto conceſſa competere aſſerebant, peremptoriè citauerunt, vt certo termino coram eis in loco de Burgolio Aquenſis Diœceſis perſonaliter comparere deberent ſuper contentis in dictis eiuſdem Prædeceſſoris literis, & alijs hæreſim capientibus, & tangentibus, de quibus haberi poterat veriſimilis, vt dicebant, ſuſpicio contra eos, veritatem dicturi, & proceſſuri ad ſententiam, & ſententias audituri, cum comminatione, quod niſi dicti Ioannes, & Luchinus comparerent in huiuſmodi loco, & termino coram ipſis, dicti Archiepiſcopus, & Inquiſitores ſe dicentes ad receptionem teſtium contra eos ſuper prædictis in eodem loco, & alibi,

D

vbi eis expediens videretur, & etiam ad ſententiam, & ſententias proferendas procederent, ipſorum Ioannis, & Luchini abſentia, ſeu contumacia non obſtante, quodque licet per Procuratorem, & Nuncium Ioannis, & Luchini prædictorum propter hæc ab ipſis Ioanne, & Luchino ad ipſorum Archiepiſcopi, & Inquiſitorum ſe dicentium præſentiam infra terminum ſpecialiter deſtinatum coram ipſis Archiepiſcopo, & Inquiſitoribus ſe dicentibus in dicto termino allegatum, & propoſitum extitiſſet, quod dictus locus eiſdem Ioanni, & Luchino notoriè tutus non erat, & quod certa litera ſecuritatis ipſi Ioãni, & Luchino ſuper acceſſu ad ipſum locum de Burgolio à nonnullis, qui dicti de Burgolio, & quorundam aliorum locorum, illarum partium regimini tunc temporis præſidebant, ipſis Ioanni, & Luchino conceſſa omnino inſufficientes erant, & etiam captioſæ, ſicut ex ipſarum literarum tenore in proceſſu Archiepiſcopi, & Inquiſitorum ſe dicentium prædictorum habito annotato liquidò apparebat,

E

& quod tum propter hoc, tum propter certas alias cauſas legitimas tunc expreſſas, & coram eis propoſitas, dicti Ioannes, & Luchinus non poterant tute ſine perſonarum periculo in ipſo loco de Burgolio perſonaliter comparere, tamen ipſi Archiepiſcopus, & Inquiſitores ſe dicentes, contra eos ſuper ijs audire indebite denegarunt, ac dictos Ioannem, & Luchinum reputantes pro eorum libito contumaces propter huiuſmodi contumaciam, vt dicebant, in eos excommunicationis ſententiam promulgarunt; quodque poſtmodum ipſi Archiepiſcopus, Paxius, & Honeſtus dictos Ioannem, & Luchinum per Edictum ſimile etiam abſque Iordano, & Barnaba prælibatis peremptoriè iteratò citarunt, vt in Ciuitate Placentia, vel alibi, vbi eos, vel alterum ipſorum in dictis ſuperioribus partibus Lombardiæ tunc eſſe contingeret, coram eis, vel altero ipſorum certo termino perſonaliter comparerent ſuper adhæſione, defenſione, ac fautoria

F

hæreſis dicti Matthæi patris eorũ, de qua hæreſi dictum Matthæum ſe condemnaſſe dicebant, & in quibus fautoria, & hæreſi ipſos Ioannem, & Luchinum deliquiſſe veriſimiliter aſſerebant, excuſaturi ſe, ſi poſſent, & alias facturi, quod iuſtitia ſuaderet, & quod ipſe Archiepiſcopus, Paxius, & Honeſtus pro eo quod Ioannes, & Luchinus prædicti coram eis non comparuerant, ſicut nec etiam propter ipſius citationis incertitudinem, & ex cauſis ſimilibus contra ipſos de loco Burgolij allegatis comparere poterant, reputantes ipſos etiam pro ſuo libitu contumaces in eos iterum excommunicationis ſententiam fulminarunt, & decreuerunt contra eoſdem Ioannem, & Luchinum, ipſorum non obſtante abſentia, & eis non vocatis vlterius fore ad

*ſententiam, & condemnationem de fautoria huiuſmodi proceden-
dum, ipſoſque Ioannem, & Luchinum vlterius non vocatos, ſed ab-
ſentes, non per contumaciam, nec etiam legitime per teſtes conuic-
tos, per eorum definitiuam ſententiam iudicarunt, pronunciarunt,
& declararunt defenſores, & fautores dicti Matthæi patris eorum,
vt Hæreticos eoſque excommunicationis ſententia, ac perpetua infa-
miæ ſubiacerent, ſiu ſubiacere decreuerunt; ac omnes pœnas reales,
& perſonales, ſpirituales, & temporales contra fautores Hæretico-
rum editas incurriſſe, nec non omnia bona eorum mobilia, & immo-
bilia, iuriſdictiones, & iura vbicunque, & in quibuſcunque conſiſte-
rent, confiſcarũt, ac officio Inquiſitionis nomine S. Romanæ Eccleſiæ
applicarunt, & quod ſubſequenter præfati Archiepiſcopus, & Pa-
xinus abſque Honeſto, Barnaba, & Iordano prædictis in loco de Mo-
doetia Diœceſis Mediolanenſis exiſtentes, & prætendentes, quod
ipſi Ioannes, & Luchinus Milites graues, & enormes exceſſus com-
miſerant diuerſas excommunicationũ contra impedientes officium
Inquiſitionis prædicta à ſacris Canonibus latas, quas incurrerant
per multos annos, & etiam excommunicationis per ipſos Archie-
piſcopum, Paxinum, Honeſtum, Iordanum, & Barnabam in ipſos
Ioannem, & Luchinum, pro eo quod de fide ſuſpecti, citati, vt præ-
fertur, coram eis comparere contempſerunt, vt dicebant, promulga-
tam ſententiam per annum, & amplius ſuſtinuerunt, & ſuſtinebant
animo pertinaci. Propter hæc, & alia multa, quæ ad hoc eos induce-
re aſſerebant, dictos Ioannem, & Luchinum etiam non vocatos, nec
per contumaciam abſentes, per eorum definitiuam ſententiam, vt
dicebant, decreuerunt, ac iudicarunt Hæreticos manifeſtos, eoſdem-
que velut Hæreticos condemnantes, ipſorum bona omnia mobilia,
& immobilia, iura, & iuriſdictiones, ac quæcunque alia vbicunque
forent, & quibuſcunque nominibus cenſerentur, per eandem ſenten-
tiam confiſcarunt, imo decreuerunt confiſcata: & nihilominus ip-
ſum Luchinum cingulo militari, & tam eum, quàm Ioannem præ-
dictos officijs publicis dignitatibus, & honoribus quibuſcunque pri-
uarunt, ſeu priuatos fore declarantes, eoſque excommunicationis
ſententia, ac perpetua infamia, & omnibus alijs pœnis à iuris condi-
toribus contra Hæreticos ſtatutis, ordinatis, & promulgatis ſubia-
cere decreuerunt, eorumque perſonas expoſuerunt fidelibus capien-
das. Filios inſuper, & nepotes eorum officijs publicis, & honoribus
quibuſcunque priuarunt, & priuatos fore nunciarunt, ipſoſque ad ob-
tinendum in poſterum officia publica, & honores quoſcunque inhabi-
les & indignos. Quare pro parte ipſorum Ioannis, & Luchini No-
bis fuit humiliter ſupplicatum, vt cum proceſſus, & ſententia hu-
iuſmodi Archiepiſcopi, & Inquiſitorum ſe dicentium prædictorum
iniquè facti exiſterent, atque nulli, & ne prætextu eorum ipſi Ioan-
nes, & Luchinus ſuper præmiſſis remaneant in poſterum contra iu-
ſtitiam infamati, eis ſuper proceſſibus, & ſententijs huiuſmodi com-
plementum iuſtitiæ miniſtrare auctoritate Apoſtolica dignaremur.
Nos igitur, qui ſumus omnibus in iuſtitia debitores, nolentes, ſicut
nec ſalua conſcientia poſſumus, nec debemus iuſtitiam poſtentibus
denegare; huiuſmodi proceſſus, & ſententias Archiepiſcopi (nemi-
rum Mediolanenſis) & Inquiſitorum ſe dicentium prædictorum per
nonnullos ex Fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus examinari fe-
cimus primo, & deinde ipſorum Cardinalium ſuper eis relatione
audita, Nos vnà cum eiſdem, & alijs Fratribus Noſtris in Conſiſto-
rio ipſos proceſſus, & ſententias cum maturitate, ac diſenſſione de-
bitis examinauimus diligenter; & quia per examinationes huiuſ-
modi proceſſus, & ſententias ſupradictos ex certis cauſis legitimis,
atque iuſtis repertis in eis iniquè factos inuenimus exiſtere, atque
nullos ipſos proceſſus, & ſententias per Archiepiſcopum, Paxinum,
Iordanum, Honeſtum, & Barnabam præfatos, & eorum quemlibet
ſuper præmiſſis communiter, vel diuiſim, contra Ioannem, & Luchi-
num prædictos habitos, atque latos, & quæcunque ſecuta ſunt ex
eiſdem, vel ob eos, de ipſorum Fratrum Noſtrorum conſilio, auctori-
tate Apoſtolica, iniquè facta, ac nulla, & irrita declaramus, &
etiam nunciamus, illaque omnia quatenus de facto proceſſerunt, caſ-
ſamus, annullamus, & penitus irritamus, ac nullius decernimus
exiſtere penitus firmitatis. Nulli ergo, &c. Datum Auenione no-
nis Maij, Pontificatus Noſtri Anno VII.*

Sic firmato per ſedis Apoſtolicæ beneficium Mediolanenſi Prin-
cipatu, Ioannes, vt erat politicis artibus inſtructiſſimus, ingentia
conſilia ambitione vaſta complectebatur, ad propagandos imperij
ſui fines, omnes ex finitimorum diſſenſionibus occaſiones arripere
non prætermittebat. Cum diſſiderent inter ſe Genuę Proceres, quo-
rum nonnulli a Ioanne è Murta ſiue ababenati, ſiue proſcripti in
exilium conceſſerant, ac perfugerant ad Mediolanenſes Principes, vt
eorum auctoritate, vel armis reſtituerentur patriæ, ac priſtinis ho-
noribus. Illico Ioannes occaſione ampla arrepta milites collegit, co-
piaſque in Ligures effudit ſpecie tuendæ oppreſſæ libertatis Genuen-
ſis, & in ſuum ſplendorem vindicandæ. Ex quo bello cum Italiæ pax
mirum in modũ turbaretur, nec leue rei Chriſtianæ inferretur dam-
num, domeſtico implicitis bello Genuenſibus, qui rem Catholicam
propugnare aduerſus Barbaros conſueuerant; Romanus Pontifex
Aliotum Lucium tum ad Ioãnem Archiepiſcopum Mediolanẽſem,
tum ad Ioannem è Murta, ad eos in concordiam redigendos Lega-
tum direxit, ſed diſſidentes illorum voluntates conciliare, & eorum
pectora expugnare haud facile fuit. Compoſita tandem Genuenſi

A diſſenſione, Eccleſiaſticam ditionem ille inuaſit, ac trecentos equi-
tes cataphractos ſubſidiarios Bononienſibus miſit, qui illos contra
Clementem VI. Romanum Pontificem confirmarunt, & Aſtorgium
è Durefor exercitus Pontificij Ducem Bononiæ mœnibus propulſa-
runt. Cum verò Iacobus Pepulus, qui rem Bononienſem tunc tem-
poris adminiſtrabat, belli moli ſuſtentandæ par non eſſet, à Medio-
lanenſi Archiepiſcopo in politicis verſutijs exercitatiſſimo facilè ad-
ductus eſt, vt ducentorum millium aureorum pretio in ipſum Prin-
cipatus Bononienſis iura tranſmitteret. Poſt Bononiam expugnare
alias Pontificias Vrbes meditatus eſt Ioannes, initoque cum Ghi-
bellinis fœdere Imolam primò obſidione cinxit. Tum Clemẽs aper-
tum hoſtem Mediolanenſem expertus, Eccleſiaſtica fulmina xij. Ka-
lend. Decembris anno 1350. in illum vibrauit, eumque Archiepiſ-
copatus Mediolanenſis iuribus exauctorauit; ac anathemate defixit
illos omnes, qui cum ipſo ſentirent. Tum Ildebrandinum Epiſco-
B pum Patauienſem in Italiam miſit Legum Apoſtolici dignitate auc-
tum, & ampliſſimis fretum mandatis, vt Italos omnes Principes ad-
uerſus Ioannem Archiepiſcopum, totius Italiæ imperium affectan-
tem arctiſſimo iunctos fœdere concitaret. Suis etiã literis Andream
Dandulum Venetorum, tum Ioannem Valentem Genuenſium Du-
ces, nec non Florentinos, Piſanos, & Scaligeros Principes Veronen-
ſes ſollicitauit, vt in armorum ſocietatem coirent. Interim ad teſti-
tuenda Italica iura, & ad euertendum Ioannem Vicecomitem, Cle-
mens VI. ad fœdus inclinabat faciendum cum Carolo Romanorum,
& Boemorum Rege. At cum Vicecomes imminentis tempeſtatis
terrore percelleretur, ſeruiendum tempori cenſuit, & conatus om-
nes ſuos contulit, vt Clementis animum, quem pluribus laceſſiuerat
iniurijs, ſibi conciliaret. Deliniuit primò ampliſſimis muneribus
Clementis conſanguineos, deinde ſubmiſsè ſe gerens, ſuis literis,
Pontificis iram mitigauit, eaque lege initum inter illos fœdus, vt ille
C Bononiam ſaltem in ſpeciem ſedi Apoſtolicæ reſtitueret, eius verò
præfecturam ad annos duodecim Pontificio nomine Vicecomes ac-
ciperet, atque duodecim aureorum millia vectigalis cauſa ærario A-
poſtolico inferret, & pro reparandis ſumptibus bellicis centum au-
reorum millia Eccleſiæ iniuſtè oppugnatæ penderet. Hoc firmato
fœdere Ioannes Vicecomes ſolutus eſt omnibus cẽſurarum laqueis,
quibus irretitus fuerat, nec non in ſolium Archiepiſcopale, & iura
priſtina aſſertus, exarato iv. Kalendas Maij Pontificatus Clemen-
tis VI. anno 11. Apoſtolico Diplomate. Quanquam non diu amici-
tiam, qua par erat, integritate coluerit; tantus in eo circumferenda-
rum victoriarum, & augendi imperij ardor inerat. Vrbem veterem
enim, & Bictonium eripuit Pontifici, Tifernum tentauit, Peruſinum
agrum vaſtauit, & ad ipſam Vrbem orbis Chriſtiani Principem, de-
ſertam à Gallis Pontificibus, propagare Principatum ſuum molie-
batur. Quare iterum cenſuræ Eccleſiaſticæ illi intentatæ, & Abbas
D Monaſterij S. Germani Antiſiodorenſis, & Azo de Mautis de Re-
gia Decanus Eccleſiæ Aquileienſis Nuncij miſſi, qui Eccleſiaſtica
tela obijcerent in illum, ni pactionibus cum Romana Eccleſia initis
ſtaret, ac raptas Vrbes redderet. Quin etiam illum Archiepiſcopa-
tu, & Proregis Cæſarei dignitate in Inſubria ſpoliatum videre quàm
primum peroptabat Romanus Pontifex. Inijt tunc temporis Vice-
comes fœdus cum Florentinis, Piſanis, Senenſibus, alijſque Hetru-
riæ populis, ac præteritas diſcordias nouis pactionibus diremit; cu-
ius fœderis publica documenta ex Florentino Archiuio in lucem
edidit Ferdinandus Vghellius in tomo 5. Italiæ ſacræ. Bellum geſſit
cum Scaligeris, ac Parmam in ſuam poteſtatem redegit; latius quo-
que victricia arma in Pedemontio, quòd Ioannæ Primæ Reginæ Si-
ciliæ iuris erat, circumtulit. Ad quòd bellum ſedandum Clemens VI.
Guillelmum Epiſcopum Carnotenſem Apoſtolicæ ſedis Nuncium
decreuit, eumque per literas rogauit, vt copias è Pedemontio reuo-
E caret, tamen in omnem intentus occaſionem amplificandi imperij
Vicecomes non deſtitit à Pedemontio oppugnando. Cum Ioanna
ob præfocatum laqueo virum Andream Ludouici Hungariæ Regis
Fratrem, omnium in ſe grauiſſima odia concitaſſet, tunc enimuero
atrocius vrſit bellum, & maxima Pedemontij parte Mediolanenſi
Principatui adiuncta, etiam in prouinciam copias effudit, ac plura
illius oppida ſuo adiunxit imperio. Cui Clemens triennales indixit
inducias, vt fideles in Vrbem redacto iam ab ipſo Pontifice Iubileo,
quòd Bonifacius Octauus ſingulis ineuntibus ſeculis fore ſanxerat,
in quinquageſimum recurrentem annum ad luſtranda Apoſtolo-
rum limina tutò commeare poſſent. Iunxit etiam Ioannes armorum
fœdus aduerſus Ludouicum Bauarum noua decretoria ſententia a
Clemente de ſede deturbatum, cum Carolo Rege Boemiæ Cæſare
deſignato. Extant Pontificiæ literę ad eundem Carolum Auguſtum,
F tum ad Ioannem Archiepiſcopum, vt auxiliaribus copijs cum Nico-
lao Epiſcopo Tridentino ſociatis, Ludouico Bauaro in Italiam ite-
rum irrumpere meditanti Alpium aditus intercluderet. Oppreſſo
deinde ſubita morte Bauaro, cum Ludouicus Iunior, parto Tirolenſi
Comitatu, Ioannem Tridentinum Epiſcopum bello vexaret, roga-
tus Vicecomes a Pontifice, vt Præſulem iniquè oppreſſum auxiliari
exercitu fulciret, illum in manu potenti ab iniurijs potentiſſimi Prin-
cipis ademit. Grauiſſimas ſimultates aliquandiu exercuit Ioannes
cum ipſo Carolo Cæſare; quippe cum vacante Imperio, Pontificum
liberalitate Mediolanenſis Principatus adminiſtrationem aſſump-
ſiſſet, potito iam rerum Carolo, & à ſede Apoſtolica confirmato,

cum ſua repeteret iura, Vicecomes parta amplitudine cedere detrectauit, eamque aduerſus Carolum tutatus eſt. Nec domeſticarum diſſenſionum expers extitit Ioannes: Galeatius enim, & Bernabo ingentium animorum nepotes, in quibus iam amplitudinis cupiditas, ac bellicę virtutis ardor eminebat, ad ſocietatem Imperij aſpirabant; quos cum ille aliquandiu depreſſiſſet, in gratiam deinde reſtitutos, in conſortium Principatus aſciuit; ita tamen, vt omnia ſuo nutu moderarentur, nec tam ſocios, quàm tyrones haberet. Princeps verò magnus, ac præpotens Archipræſul cum conſtanter, ac magno animo vtramque iuriſdictionem exercuiſſet, tertiodecimo ſui Præſulatus anno ex anthrace in fronte nato, qui imprudenter ferro exciſus fuerat, mortalem vitam amiſit die 5. Octobris anno ſalutis 1354. & ſepultus in Eccleſia principe Mediolanenſi prope patruum Othonem anteceſſorem ſuum, non longè à ſacrario, vbi in rubro marmore inciſa hæc carmina leguntur.

Quam faſtus, quam pompa leuis, quàm gloria mundi
Sit breuis, & fragilis humana potentia, quàm ſit,
Collige ab exemplo, qui tranſis, perlege, diſce,
In ſpeculo ſpeculare meo lacrymabile carmen.
Qui ſim, qui fuerim, licet quàm marmore claudar
Sanguine clarus, eram Vicecomes ſtirpe Ioannes;
Præſul etiam, Paſtorque fui, baculumque gerebam
Nomine, nullus opes poſſidebat latius Vrbe,
Imperio, tituloque meo, mihi Mediolani
Vrbs ſubiecta fuit, Laudenſe ſolum, Placentia grata,
Aurea Parma, bona Bononia, pulcra Cremona,
Bergama magna ſatis, lapidoſis montibus altis
Brixia magni potens, Bobienſis Terra, tribuſque ***
Eximijs dotata bonis Dertona vocata,
Cumarum tellus, nouaque Alexandria pinguis,
Et Vercellarum tellus, atque Nouaria, & Alba;
Aſt quoque cum Caſtris Pedemontis iuſſa ſubibant,
Iannaque ab antiquo quondam iam condita Iano
Dicitur, & vaſti narratur ianua Mundi;
Et Sauonenſis ara, & loca plurima quæ ſunt,
Difficile eſt narrare mihi, mea iuſſa ſubibant;
Tuſcia tota meum metuebat languida nomen:
Per me obſeſſa fuit populo Florentia plena, ***
Bellaque ſuſtinuit tellus Peruſina ſuperba;
Et Piſa, & Sena timidum reuerenter honorem
Præſtabant, me metuebat Marchia tota;
Italiæ partes omnes timuere Ioannem
Nunc me petra tenet, ſaxoque includor in iſto,
Et lacerant vermes, laniant mihi denique corpus.
Quid mihi diuitiæ? quid lata Palatia proſunt?
Cum mihi ſufficiat, quod paruo marmore claudor.

Ioannis huiuſce vitam ſcripſerunt Merula, Iouius, Sabellius, Alciatus, Corius, alijque plurimi, qui de Claris Vicecomitum viris ſcripſere; & de eodem loquuntur Ioannes Villanus, S. Antoninus: ex recentioribus Odericus Raynaldus in Annalibus Eccleſiaſticis, Ferdinandus Vghellius in tom. 4. Italiæ ſacræ, & Ripamontius. Qui narrat Benedictum XII. poſt initam concordiam cum Vicecomite, & Eccleſiam Ambroſianam cum Romana reconciliatam, poſt duos annos Mediolanum veniſſe, atque à Ioanne Archiepiſcopo tanquam liberatorem Ciuitatis, ac fundatorem Vicecomitum Principatus fuiſſe exceptum. Quæ omnia Ripamontius gratis videtur dicere; conſtat enim apud omnes temporum, & hiſtoriarum peritos Benedictum XII. ex quo ſummus Eccleſiæ Pontifex fuerat renunciatus, nunquam vidiſſe Italiam. Ciaconius, ac Panuinius duos recenſent Ioannes Vicecomites à Nicolao V. renunciatos Cardinales; vnum anno 1327. ex monacho Ciſtercienſi, & Abbate S. Ambroſij Mediolani inter Presbyteros Cardinales; alterum ex Epiſcopo Nouarienſi inter Epiſcopos Cardinales Oſtienſes, & Veliternos anno 1329. cooptatum. In Regiſtris tamen eiuſdem Nicolai Pſeudopontificis de vno tantùm Ioanne Vicecomite eſt mentio, & vnum pariter nominat auctor Chronicæ Aulæ Regiæ.

III.



Ciaconius
Panuinius
Io. Villan.
Nicol. V. Antipapæ Regiſtr.
Luc. Vvad ding. in Annal. Minor. to. 3.
Bzouius in Annal. Eccleſiaſt.

FR. HERMANNVS Germanus monachus, & Abbas Fuldenſis iuſſu Ludouici Bauari Presbyteris Cardinalibus à Pſeudopontifice Nicolao aſcriptus eſt. Hic Romæ cum Bauarus Ioannem ipſum Pontificatu ſpoliare conſtituiſſet, publicè in gradibus ſancti Petri Concionem habuit referens cauſas, cur Ludouicus Romam veniſſet, eius zelum religionis, honoris Eccleſiaſtici, & Vrbis Romæ commendauit, ac priuationis ſententiam contra Ioannem Romanum Pontificem legit. Poſt Nicolai abdicationem in Germaniam fugiens reliquum ſuæ vitæ curſum ibidem occultè traduxit.

IV.

Ciaconius
Panuinius
Ferdinand. Vghel. to. 2. Ital. ſac.

N. Ex Archiepiſcopo Modonenſi inter Epiſcopos Cardinales à Nicolao cooptatus eſt, quam tamen dignitatem ille paulò poſt reſpuit, vt ſcribit Villanus.

V.



Ciaconius
Panuinius
Chrõ. ord. Eremit.
Io. Villan.
Oder. Raynald. in Annal. Eccleſiaſtic.
Raphael Volaterr.
Thom. de Herrer. in Alphabet. Auguſt.

MAG. FR. NICOLAVS Fabrianenſis, Vmber, ordinis Eremitarum S. Auguſtini, inſignis ſui æui orator, & in declamandis ad populum ſermonibus raræ facundiæ, ſed vir audaciſſimus, & vt ſui ordinis Deſertor ad perpetuos carceres ab Alexandro de S. Elpidio Eremitarum Generali, ſeu potiùs, vt Seripãdus in Commentarijs refert, à Capitulo generali in Cœnobio Montiſpeſſulani anno 1324. habito damnatus, è carceribus fugiens Ludouico Bauaro Romæ Schiſma excitanti contra Ioannem legitimum Pontificem magno adiumento fuit; quare Nicolaus Pſeudopontifex iuſſu eiuſdem Ludouici illum Cardinalibus aſcripſit titulo S. Euſebij. Ciaconius ex Archiepiſcopo Rauennatenſi, alij ex Epiſcopo Recinetenſi Nicolaum hunc Presbyterum Cardinalem, ac paulò poſt Epiſcopum Camerinenſem, & Marchiæ Anconitanæ Legatum renunciatum fuiſſe affirmant. Sed in Catalogo Archiepiſcoporum Rauennatenſium, & in ſerie Epiſcoporum Recinetenſium, & Camerinenſium Nicolaus iſte non inuenitur. Eccleſiam Rauennæ ab anno 1295. vſque ad annum 1361. moderati ſunt Opizzo Sanuitalis nobilis Parmenſis, deinde Raynaldus Concoregius Mediolanenſis, poſtea Aymericus de Caſtroluci Gallus, cui ſucceſſit Vido Albarſius Regienſis; poſt illum Franciſcus Michaelius Venetus, deinde Nicolaus Canalius item Venetus, & demum Frater Fortunerius Vaſellius Gallus ordinis Minorum. Eodem tempore Eccleſiæ Recinetenſi præfuere Fr. Salutus ex ordine Prædicatorum; Fridericus Recinetenſis, & Fr. Nicolaus à S. Martino ordinis Prædicatorum. Camerinenſem verò Epiſcopatum iiſdem annis rexere Andreas Eugubinus; Franciſcus è Caſtello Durante, & Benedictus quidam, cuius agnomen, ac patria nobis ignota. Fortaſſe cum Archiepiſcopus Rauennatenſis, ſeu Recinetenſis, vel Camerinenſis Epiſcopi pro Ioanne Romano Pontifice ſtarent, Nicolaus Pſeudopontifex Pſeudoëpiſcopos nominauit, inter quos Nicolaus Fabrianenſis locum obtinuit. Sed poſt Nicolai V. reſipiſcentiam tum purpura, tum alijs Eccleſiaſticis inſulis denudatus parum ſuperuixit.

Ferdinand. Vghel. in Ital. ſac.

VI.



Ciaconius
Panuinius
Io. Villan.
Bzou. in Annal.
Luc. Vvadding. in Annal. Minorum.
Odericus Raynald. in Annal. Eccleſiaſt.

PETRVS Oringa Romanus, Diaconus primò, mox Presbyter Cardinalis ſancti Petri ad Vincula titulo Eudoxiæ à Nicolao V. renunciatus eſt. In Regiſtris eiuſdẽ Antipapæ quinto Kal. Iunij legimus Petro S. Petri ad Vincula commiſſam eſſe adminiſtrationẽ Xenodochij Piſis erecti, & Abbatiæ S. Martini in montibus Viterbienſibus. Hic cũ alijs poſt Nicolaum cuſtodiæ traditum, Cardinalatus honorem depoſuit.


VII.




Ciaconius
Panuinius
Luc. Vvadding. in Annal. Minorum.

IOANNES Arlottus Romanus, inter Diaconos Cardinales ab eodem Nicolao Pſeudopontifice, impellente Ludouico Bauaro cooptatus eſt: de quo hæc legimus apud Bzouium. *His Epiſcopum Mutina, Petrum Oringhium, ac Ioannem Arlottum Romanos populares per varia facinora infames adiunxit; cum nemo alius Romanorum per conſcientiam à Pſeudopontifice quicquam ſuſcipere voluiſſet.* Exauctoratus eſt poſtea à Ioanne legitimo Pontifice non modò Cardinalitia Purpura, ſed etiam Sacerdotijs omnibus, & dignitatibus.

VIII.



FRANCISCVS Epiſcopus Cardinalis Albanenſis, & Abbas Pompoſianus à Nicolao Pſeudopontifice renunciatur octauo Idus Iulij anni 1328. quinto verò nonas Octobris eiuſdem anni Legatus à latere in tota Germania ſuperiore, & inferiore, nec non in Gallia Ciſalpina, in Marchia Taruiſina, & Anconitana, in Maſſa Trabaria, Romandiola, & Monteferrato, ex auctore Chronicæ Aulæ Regiæ nominatus eſt. His omnibus dignitatibus poſt Nicolai obedientiam Ioanni præſtitam ſpoliatus eſt. De hoc Franciſco Albanenſi nulla mentio inuenitur apud Panuinium, & Ciaconium; illius tamen, vti etiam aliorum ſequentium meminit Nicolai Pſeudopontificis Regiſtrum, auctor Chronicæ Aulæ Regiæ, Odericus Raynaldus in Annalibus Eccleſiaſticis, & Frater Lucas Vvaddingus tomo tertio Annalium Minorum.



IX.

BONIFACIVS ex ordine Prædicatorum inter S.R.E. Cardinales a Pſeudopontifice cooptatur xv. Kalendas Iunij, cui etiam commiſſa adminiſtratio Epiſcopatus Chironenſis, ac ſacri ordinis Prædicatorum Patroni munus: quæ tamen munera hic et muntus reiecit, poſtquam Nicolaus in ordinem redactus eſt.

X.

N. Epiſcopus Sutrinus ordinis Prædicatorum, teſte auctore Chronici Aulæ Regiæ a Nicolao Pſeudopontifice renunciatus eſt S.R.E. Cardinalis. Ferdinandus Vghellus in tomo I. Italiæ ſacræ Thomam illum nominat, atque hæc de illo addit. *Crediderim autem hunc, illum Sutrinum Epiſcopum eſſe, quem Antipapa Corbarius Anticardinalem creauit anno* 1328. Poſt abdicationem Nicolai, vel morte à Deo a ſectus eſt, vel illi Ioannes XXII. dignitatem Epiſcopalem abrogauit. Nam anno 1333. ex laudato Vghellio xiv. Kalend. Aprilis cathedram Sutrinam obtinuit Frater Vguccionus Perlſinus ordinis Minorum, exceſſione Berengarij de ſancto Africano.



XI.

PAVLVS non Anglus, vt ſcripſit auctor Chronicæ Aulæ Regiæ, ſed ex Luca Vvaddingo Italus, patria Viterbienſis, ordinis Minorum ab eodem Nicolao Pſeudopōtifice, Cardinalibus adſcriptus eſt, vt conſtat ex Regiſtris Vaticanis: qui poſt abdicationem Corbarij in Germaniam occultus receſſit, & ibidem obſcurus vitam duxit ſuam.

BENEDICTVS XI. DICTVS XII. PONT. CIC.

ANNO DOMINI MCCCXXXIV.





IN NOMINE DEI, ET SALVATORIS Noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen.

NONIS Decembris, anno 1334. nouemdialibus exequijs Ioannis XXII. Papæ initium fuit. Quibus abſolutis, & ſacris Spiritui ſancto in Cathedrali Eccleſia Auenionenſi de more factis, Idibus Decembris, aliàs xix. Kalend. Ianuarij in Monaſterio Prædicatorum Auenione, Comitiū ineunt. A Comite Monaſio Præſide prouinciæ, qui pro Rege Roberto Narbonenſe nomen imperio regebat, reclusi, & vt electionem maturarent coacti. Nam aliquot inter eos cominales contentiones exarſerant, Cardinales Petragoricenſis, & Columna, magnam ſecum Patrum Gallicorum, & Caturcenſium partem trahentes, Pontificem ſuo arbitrio legere conſtituerant. Quibus alia factio aduerſabatur. Cum verò factionum Principes Cardinali Conuenarum, viro prudenti, & integro, conditione pollicitū eſſent, ne Pontifex creatus Romam regrederetur, idque ſe facturum ille conſtanter negaſſet, contra Eccleſiam id pactum eſſe dicens, mutata ſententia, inſtaurato ſcrutinio, ſeptimo Comitiorum die xiij. Kalend. Ianuarij vigilia S. Thomæ Apoſtoli, anno 1334. à 21. Cardinalibus, qui tunc viuebant, omnium Cardinalium infimum, vnum tamen ſcientiſſimum, Romanum Pontificem caſu, & nullo habito antea conſilio deſignatū; is fuit Fr. Iacobus Furnerius ex Galliarum prouincia Tololana, oppido Sauarduno, Diœceſis Appamiarum ignobili genere ortus, & obſcuris parentibus, Molitoris in agro Tololano, filius, vt fama conſtans eſt, ſicut & Ioannes XXII. deceſſor eius Sutoris veteramentarij. At ignobilem eſſe Pontificem Romanum, matrina interdum nobilitas eſt, præſertim cum obſcuritatem generis illuſtrant radij ſplendentium virtutum. Ab ijs namque nobilitas præcipuè ſuſcipitur. Itaque Iacobus Furnerius, Guilielmi filius, infimo apud Sauardunum natus loco (id eſt oppidum ad Aurigam amnem, cis Pyreneos ſitum) Ciſtercienſium ordinem profeſſus eſt, à Ciſtercio dictum, Monaſterio in Burgundionum finibus ſito. Pariſijs ſtudijs ſacris vacauit, & Theologiæ eximius doctor fuit, quem ex Abbate Mōtisfrigidi, Ioannes XXII. Papa Epiſcopum Appamiarum primùm, deinde Mirapicenſem, & demum Presbyterum Cardinalem titulo S. Priſcæ creauerat, vulgò Cardinalis Albus dicebatur. Qui electionem de ſe inopinatè admiratus, publicè Cardinales Aſinum Papam feciſſe, dixit; quòd, aut ex humilitate dixit, parum idoneum ſe tanto muneri exiſtimans, aut futuram vitam ſuam præſagiuit; fuit enim vir quanquam doctrina, & vitæ integritate præſtans, hebetioris tamen ingenij, & aulico inſtituto parum aptus.

Anno Dominicæ Natiuitatis ineunte 1335. *die Dominico Kal. Ianuarij*, Auenione ad Prædicatorum Eccleſiam Benedictus XII. ſuę Coronationis inſignia ſuſcepit, per manus Neapoleonis Vrſini ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Archidiaconi, adſtantibus omnibus Cardinalibus, Epiſcopis, Clero, & populo; ſedit Ludouico Bauaro Imperij iura obtinente annos 7. menſes 4. dies 6. qui Collegio Cardinalium cētena aureorum florenorū millia in ſumptus Electionis dedit.

PONTIficis humilitas.

CORONATIO PP. Benedicti XII.

FR. IACO-

CARDINALES XXI. VIVENTES quando creatus eſt Benedictus Papa XII.

EPISCOPI CARDINALES VI. IOANNIS PAPAE XXII.

1. Gaucelinus Ioannes de Oſa Caturcenſis, Vaſco, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Albanus.

CLEMENTIS PAPAE V.

2. Petrus de Prato, Diœceſis Caturcenſis, Gallus, Epiſcopus Card. Præneſtinus, S. R. E. Vicecancellarius.
3. Bertrandus de Podietto, Abbas de Porto de Caſtronouo Rutherij, Diœceſis Caturcenſis, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus.
4. Ioannes Raymundi, Comes Conuennarum, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & S. Rufinæ.
5. Annibaldus de Ceccano Epiſc. Card. Tuſculanus.
6. Mag. frater Gulielmus Petri de Godino Baionenſis, Diœceſis Toloſanæ, ordinis Prædicatorum, Epiſc. Card. Sabinus.

PRESBYTERI CARDINALES VIII.

IOANNIS PAPAE XXII.

7. Talairandus Comes Petragoricenſis, Gallus, Presbyter Cardinalis ſancti Petri ad Vincula titulo Eudoxiæ Prior Presbyterorum.
8. Fr. Iacobus Furnerius de Sauarduno, Appamiarum Diœceſis, ex prouincia Toloſana, Gallus, monachus Ciſtercienſis, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Priſcæ.
9. Raymundus Vehenſis, Ruthenenſis Diœceſis, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Euſebij.
10. Petrus de Mortuomari, Diœceſis Lemouicenſis, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Stephani in Cœlio monte.
11. Petrus de Cappis Gallus, Presbyter Card. tit. S. Clementis.
12. Fr. Matthæus Vrſinus de Campo Floræ, Romanus, ordinis Prædicatorum Presbyter Cardinalis ſanctorum Ioannis, & Pauli titulo Pammachij.
13. Petrus Gomeſij de Barroſo, Diœceſis Toletanæ, Hiſpanus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Praxedis.
14. Imbertus de Puteo de Montepeſſulano, Gallus, Presbyter Cardinalis Baſilicæ SS. duodecim Apoſtolorum.

DIACONI CARDINALES VII.

NICOLAI PAPAE IV.

15. Neapoleo Vrſinus Romanus, Diaconus Cardinalis S. Hadriani, Prior Diaconorum.

BONIFACII PAPAE VIII.

16. Iacobus Caietanus Anagninus, Diaconus Cardinalis ſancti Georgij in Velabro.

IOANNIS PAPAE XXII.

17. Bertrandus de Montefauentio, de Caſtronouo Rutherij, Caturcenſis, Gallus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Aquiro.
18. Gailardus de la Mota, Burdegalenſis, Gallus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Luciæ in Sepulolio.
19. Ioannes Caietanus Vrſinus, Rom. Diac. Card. S. Theodori.
20. Arnaldus de Via, Caturcenſis, Vaſco, Gallus, Diaconus Cardinalis ſancti Euſtachij.
21. Ioannes de Columna Romanus, Diac. Card. S. Angeli.

BENEDICtus cõfirmat cenſuras in Ludouicum Bauarum à Ioanne Papa inflictas.

Auenione, Benedictus XII. Pontifex creatus, ſtatim cenſuras in Bauarum à Ioanne XXII. deceſſore ſuo inflictas confirmauit.

BENEDICti decretum de mortuorũ animis.

Deinde memor deceſſoris Ioannis XXII. cuius beneficio purpureum Galerum ſumpſerat, opinionem eius de Mortuorum Animis, tàm dilucidè expoſuit, vt nullus ſupereſſet dubitandi locus, decretumque eius opinionis gratia fecit, & eos, qui aliter ſentirent, Hæreticos pronunciauit.

Pontifex miſſo in Italiam Legato, Senatui, populóque Romano perſuaſit, vt Senatoriam dignitatem, quam diu Regio nomine geſſerant, ſuis tandem, & Eccleſiæ auſpicijs adminiſtrarent. Hanc Vrſi tem, & Stephano Columnæ Senatoria dignitas in quinquennium prorogata eſt, & collegæ ei annui dati ſunt. Verum cum Pontifex Stephanum ad ſe Auenionem vocaſſet, Vrſus Anguillariæ Comes, Stephani collega, Franciſcum Petrarcham virum eloquentiſſimum, & Poetam celeberrimum, præſertim Italico idiomate, Corona poetica in Capitolio donauit, aſtante Senatu, populóque omnique Romana nobilitate, anno ſalutis 1338.

FRANCISCVS Petrarcha poetica corona inſignitus.

At Pontifex veritus, ne vacante Imperio Italia ab externo aliquo hoſte inuaderetur, Luchinum Vicecomitem, & Ioannem eius Fratrem Archiepiſcopum Mediolanenſem, Mediolani, aliarumque vrbium, quas poſſidebant, Vicarios inſtituit. Eandem quoque poteſtatem Maſtino Scalæ Veronæ, & Vicentiæ; Philippino Gonzagæ Mantuæ, & Regij; Albertino Carrarij Patauij; Obicioni Eſtenſi Ferrariæ, Mutinæ, Argentæ, ſuo iure (vt ipſe dicebat) tribuit, quòd vacante Imperio, omnis eius poteſtas in Pontificem recidat, IESV CHRISTI ſupremi Regis vnicum in terris Vicarium. Obicioni tamen Eſtenſi hoc vectigal impoſuit, vt quotannis decem millia nummorum auri Eccleſiæ Romanæ perſolueret.

VICARII in Imperio à Benedicto inſtituti.

Semel autem toto ſui Pontificatus tempore ſex Presbyteros Cardinales creauit, viros egregios, non de ſua ſtirpe, ſed vndequaque ad tantam dignitatem vocatos; non improbo tamen eos, qui, ob cognationem, aut affinitatem, ad ſummos dignitatis gradus eriguntur, ſi tanta conditione digni ſunt.

BENEDICtus ſuos conſanguineos deſpicit.

Pontifex in beneficijs Eccleſiaſticis conferendis id potiſſimum cauit, ne indignis darentur, ſæpè dicens, nolle ſe lutum exornare, indignos enim illis honoribus homines, luto cõparabat: agnatos quoque, & conſanguineos ſuos fingebat ſibi ignotos eſſe, aſſerens, Pontificem Romanum cõſanguineos non habere, cum multi verò quotidie inſtarent, vrgerèntque, vt eos promoueret, ſubintulit illud Dauidicum carmen, *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero*, vt Albertus Argentinenſis illius temporis hiſtoricus tradit, vt enim verba Pſalmi ſuæ ipſius ſententiæ accomodaret, illud, mei, quaſi primus eſſet caſus pluralis numeri, accipiebat. Victus tamen precibus piorum hominum, ſororis Fratris filium, Archiepiſcopum Arelatenſem eſſe, iuſſit; eóque excepto conſanguineum, vel agnatum neminem agnouit.

Bernardus illius ætatis hiſtoricus refert, mercatorem Toloſanum diuitem ſe vidiſſe, qui Auenionem cum vxore ſua profectus, quam Benedicti Papæ neptem eſſe aiebat; quò cum veniſſent, admiſſi ad colloquium magna facilitate, indulgentiáque tractati ſunt. Cæterum hoc reſponſum Benedicti fuit, ſequidem vt Iacobum Furnum illos agnoſcere, at Pontificem renunciatum conſanguineos, & affines non habere, nihilque ab illo aliud obtinuerunt, quàm ſumptus in itinere factos, & qui domum reuerſuris neceſſarij eſſent. Vir quidam eruditus eo libello, quem ſcripſit de Vitis Pontificum, qui falsò Petrarchæ tribuitur, eadem de Benedicto XII. memorat.

BENEDICtus vir conſtans.

Tantæ præterea conſtantiæ fuit, vt dimoueri à recto, vel vi, vel precibus, vel pollicitationibus numquam potuerit; bonos enim diligebat, & viciſſim malos, & ſceleratos apertè odio habebat: componere verò pacem inter Philippum Franciæ, & Eduardum Anglorum Regem ſæpè per Legatos tentauit, at fruſtra, qui maximis cladibus, quam ſæpiſſimè inter ſe concertarunt: Nam Eduardi claſſis ſupra Sclufas non longè à portu Flandriæ tanta vi cum Gallis dimicauit, vt ad triginta millia Gallorum in pugna interfecta referantur. Pontifex autem rem ſæpius tentatam omittens, ædes Põtificias cum turribus, viridarijs, & pomarijs inchoauit, palatiúmq. ingens Auenione magna ex parte exædificauit, ſuóque iuſſu, impenſaq; miſſis quinquaginta aureorum millibus, Baſilicæ Vaticanæ ſancti Petri in Vrbe tectum reſtituit, quemadmodum Epigramma ad eius marmoream ſtatuam in eadem Baſilica poſitum indicat. Lutetiæ quoque Pariſiorum pulcherrimum Templum Bernardinorum exædificauit.

BENEDICti res geſtæ.

De Benedicto XII. Petrarcha [a] in Epiſtola ad Vrbanum V. narrat, quòd cum ex lemè Vulſinio lacu, anguillæ miræ magnitudinis, & ſaporis inſoliti miſſæ eſſent, & ipſe admirans, eas inter Cardinales diuidi iuſſiſſet, exigua ſibi parte ſeruata, non multis poſt diebus dum ad eum ex more Cardinales conueniſſent, earundem anguillarum mentio orta, ſi prægustaſſem, inquit, *ſicut ſunt, ſicut quales erant, non fuiſſem tàm largus diſtributor, ſed numquam credidi, tale aliquid naſci poſſe in Italia.* Quo dicto Ioannes Columna Cardinalis ſubitò ſic exarſit, vt diceret, mirari ſe, quid ita vir doctus, qui tàm multa legiſſet, excellentem cunctis in rebus Italiam ignoraret.

a lib. 7. Senil.

Anno Domini 1339. Alphonſo XI. Caſtellæ, & Legionis Rege poſtulante, Pontifex magnas gratias conceſſit ijs, qui Cruce ſignati in bello contra Reges Marochiorum, & Granatæ Agarenos ipſi ſubſidio fuerint. Aduerſus quos memorabile prælium conſertum in campis Tarteſiacis, vulgo de Tarifa dictis, oppidi in Bætica ad fretum Herculeum vergentis propè fluuium, Saladum communiter dictum, pauci cum multis, & exercitus paruus cum numeroſiſſimo conflixit. Alphonſus victoriam de cælo partam miraculosè obtinuit, anno Domini 1340. die 30. Octobris, cum copiæ Alphonſi Regis 14. mille Equitibus, & 35. mille peditibus, & Saracænorum, octuaginta mille Equitibus, peditibus ſexcentum millibus conſtarent, tanta clades Agarenorum exercitui illata, vt ex illorum copijs pluſquam quadringenti mille partim cæſi, partim capti fuerint, ex exercitu Chriſtianorum ſolum quindecim, vel viginti deſiderati fuerint. Quare in tanti beneficij, & victoriæ cælitus partæ gratitudinem, eadem die 30. inquam Octobris, qua victoria tanta parta, feſtiuitas annua recolitur in honorem ſanctæ Crucis.

ALPHONſi Caſtellæ Regis victoria cõtra Agarenos.

Rex, habita ea victoria, ex manubijs hoſtium miſit ad Benedictum XII. cum ſuo Oratore, centum equos egregios pulchrè phaleratos cum enſibus pendentibus, ac totidem Agarenos, qui eos ducerent, cum vaſis aureis, & argenteis, & gemmis magni pretij, & Vexillum ſuum, quo ducente eam victoriam aſſequutus eſt, & ſexdecim alia ex ijs, quæ in prælio ceperat. Ad Auenionẽ Orator peruenit, vbi tunc Pontifex erat; à Cardinalibus, & Prælatis totius Curiæ obuiam miſſis, ſummo honore exceptus: Pontifex die ſequenti Miſſam in Cathedrali celebrauit, & ſermonem fecit, magnificans Regis victoriam, exhortánſque ſingulos ad effundendas preces pro eo. Et eidem Regi in perpetuum conceſſit tertias decimarum Regnorum eius in ſubſidium contra Agarenos; quibus hodie Reges Hiſpaniæ fruuntur.

REGIS dona ad Benedictũ Papã miſſa.

Per id tempus Conſtantinopoli Andronicus Iunior Imperator obijt Kalend. Iulij, anno 1341.

ANDRONICI Cõſtãtinop. Imper. obit.

Imperator Ioannes V. Andronici filius, Palæologus, & Ioannes VI. imperarunt vnà annos 16.

Impera-

A Imperator autem Ludouicus V. Bauarus, miſit Legatos ſuos ad Benedictum Pontificem, vt vellet eum ad pœnitentiam recipere, & in gratiam ſedis Apoſtolicæ conciliare: qui duris conditionibus propoſitis noluit acquieſcere, ſed congregato Conuentu Spiræ Principum Germaniæ, conqueſtuſque de Pontifice, veluti inſaniens, auſus eſt proponere Imperatorem Romanorum nulli Principi, aut Pótifici in terris ſubiectum, ſed omnes ſubijci Imperatori. Ideò Ioannem XXII. non potuiſſe illum excómunicare, neq; Benedictum XII. eius ſucceſſorem cenſuras eaſdem in eum infligere. Qua de re literas ſuas ad omnes Chriſtiani orbis prouincias miſit, petijtque à pluribus Academijs, doctiſque viris, vt ſententiam veràmq; ſuis ſcriptis tuerentur, quòd præſtiterunt. Okam, & Dantes Poeta, qui pro Imperatore ſcripſerunt; ſed multo plures Catholici, & pij pro veritate, & Pontifice reprobatis falſis ſcriptis Dantis, & Okam, opuſcula ediderunt.

LVDOVICI Bauari dementias.

POETAſū ſcripta pro Ludouico, atq; Pontifice.

B Virorum doctorum, & bonorum ingeniorum ſtudioſus extitit, & præcipuè Poetæ præſtantiſſimi Franciſci Petrarchæ, & magnorum Theologorum illius temporis, Gregorij Ariminenſis, & Thomę Argentinenſis: Reſeruauit beneficia in Curia per obitum vacantia ſedi Apoſtolicæ, vt conſtat ex Extrauaganti ipſius, quæ incipit. *Ad regimen* b. moderauit ſumptus, quos Prælati in viſitationibus facere deberent.

IIIL Viſtres viri ſub Benedicto.

b Ext. cõ. de Præbẽ. & dignit.

Scripſit de Statu Animarum, ante generale Iudiciũ tomos duos.

Quæſtiones vndecim eiuſdem argumenti.

Vitam ſancti Ioannis Gualberti, quæ extat apud Surium.

Sermones per omnes anni feſtiuitates, quæ omnia in Bibliotheca Vaticana ſeruantur.

De Statu Canonicorum.

Decretalem Religioſorum.

De Reformatione Benedictinorum.

C De Statu nigrorum Monacorum.

Carmina quædam Prophetica.

Epiſtolas ad Eduardum III. Angliæ Regem, quas habes apud Vvalſinghamum, eiuſque Regeſti, & Conſtitutionum extant volumina 10. in Vaticana Bibliotheca. Ordinem inſtituit, qui hodie ſeruatur in expeditionibus Pœnitentiariç Apoſtolicæ, & pretium taxauit Bullarum Apoſtolicarum, & Breuium. Longiore tantùm vita Benedicto Pontifici opus fuit ad Eccleſiaſticam diſciplinam inſtaurandam, ſed Deo aliter viſum. Septimo enim Pontificatus anno, præter menſes 4. dies 6. ex tibiæ dolore, quam imperiti medici, ne flueret, impedire ſerò conati erant: deceſſit vir beatiſſimus Auenione in palatio Apoſtolico, quòd ipſe fabricauerat vij. Kalend. Maij, anno 1342. ſepultus in Cathedrali S. Mariæ de Donis, & magnificè funus curatum: in morte autem optimi, & doctiſſimi Pontificis omnes collacrymarunt, idque in pompa funeris, qui aderant fletibus, &

BENEDICTI Obitus.

D gemitu præ ſe tulere. Multam vim auri non cognatis ſuis, & affinibus, licèt plurimos haberet, ſed Eccleſiæ reliquit. Vacauit ſedes dies 11. Iottum Pictorem illa ætate egregium ad pingendas Martyrum hiſtorias in ædibus ab ſe Auenione ſtructis conducere in animo habuit.

EXEquiarũ celebritas inſtituta.

Eodem anno vi. kal. Maij, eius exequiæ, ſiuè nouemdialia in Eccleſia Cathedrali Auenionenſi à Cardinalibus celebrari ſunt cœpta.

ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

¶ *Benedictus XI. dictus XII.*] Ita Genebrar. lib. 4. Chronog. Platina xij. Sanderus lib. 7. de Viſibil. Monarch. Eccl. X. dictum XII. eum nuncupant.

* *kalendas Ianuarij .... coronatus eſt.*] iij. Kalendas Ianuarij Panuinius in Chronic.

E * *De Mortuorum animis.*] Quæſtio erat de Viſione animarum Iuſtorum, poſt mortem: an ſcilicet nulla indigentes purgatione diuinam eſſentiam, ante corporum reſurrectionem, & extremum Iudicium, intuerentur: vt conſtat ex Benedicti Conſtitutione, *Benedictus Deus in donis ſuis, &c. Dat. Auenione iiij. kalend. Februarij*, Pontificatus eius anno 2. à Caſtrenſi lib. 3. adu. Hæreſes V. Beatitudo, Hær. 6. & à Cherubino tom. 1. Bullarij relata. Quæſtio autem erat inter nonnullos Theologos; eorum aliqui negabant, aliqui affirmabant, *alij vero* (vt verbis Pontificis Benedicti loquar) *ſecundum ſuas imaginationes de Viſione diuinæ eſſentiæ ab animabus huiuſmodi* (iuſtis ſcilicet nulla egentibus purgatione) *diuerſa, & diuerſimode oſtendere nitebantur*. Quid tunc Ioannes Pontifex? Benedictus loquatur. *Cumque idem Prædeceſſor Noſter, ad quem prædictorum determinatio pertinebat, ad deciſionem concertationum huiuſmodi ſe pararet in Conſiſtorio publico, tam Fratribus ſuis S. R. E. Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, quam Prælatis, & Magiſtris in Theologia, qui multi aderant præſentes, iniungendo diſtrictius, & mandando, vt ſuper materia de Viſione prædicta, quando requirerentur ab eo, deliberate vnuſquiſque diceret, quod ſentiret: tamen morte præuentus, ſicut Domino placuit, perficere illud nequiuit*. Tradit deinde Benedictus, animas Sanctorum omnium, qui ante Chriſti mortem, necnon aliorum, qui poſt eam obierunt, ſuſcepto baptiſmo, in quibus nihil purgabile fuit, quando deceſſerunt, nec erit, quando decedent in poſterum; vel ſi tunc fuerat, aut erit aliquid purgabile in ijſdem, cum poſt mortem fuerint

Conſt. 4.

F

A purgatæ; puerorumq; animas baptiſmo Chriſti regeneratas, & regenerandas, cum baptiſmum ſuſceperint, ante liberi arbitrij vſum, pereuntium, ante corporum ſuorum reſumptionem, & generale Iudicium, poſt Chriſtum in cælum profectum, fuiſſe, eſſe, & perpetuò futuras in cælo, Regno cælorum, & cæleſti Paradiſo, cum Chriſto, ſanctorum Angelorum conſortio aggregatas; & poſt eiuſdem Chriſti mortem vidiſſe, & videre, intuitiua viſione, eſſentiam diuinam; & ſic videntes eadem perfrui. Ex hac Benedicti Conſtitutione, Marſilium, in 4. diſt. 13. art. 3. apud Genebr. lib. 4. Chronog. cum dixit, Ioannem XXII. in errorem Lactantij, & Irenæi, de Animarum receptaculis vſque ad reſurrectionem, prolapſum, eumq; ex Pariſienſis facultatis decreto retractaſſe, à veritate aberraſſe, conijcio.

* *Vrſus Anguillariæ Comes Stephani collega .... Petrarcham.*] Vrſus quidem Anguillariæ Comes Senator Vrbis, pro ſe, & pro collega ſuo, qui tunc erat Iordanus de filijs Vrſi, Petrarcham,

B Roberti Hieruſalem, & Siciliæ Regis teſtimonio laurea Poëtarum corona dignum, in Capitolio, anno 1341. die Paſchali, coronauit. Fuiſſe tum Vrbis Senatores Vrſum Anguillariæ Comitem, & Iordanum de filijs Vrſi ex publico Vrſi de laurea Petrarchæ tradita monumento, quòd initio tomo 3. operum eius extat, exploratiſſimum eſt, in illius enim fronte hæc.

VRSVS. COMES. ANGVILLARIAE ET. IORDANVS. DE. FILIIS. VRSI MILES. ALMÆ. VRBIS. ROMÆ. SENATORES.

Auenione Romana de Curia digreſſus Franciſcus Petrarcha, Neapolimque profectus doctiſſimi Roberti Siciliæ Regis examini ſe ſubiecit: Rex illum laureæ coronæ honore dignum cenſuit: Romam Franciſcus acceſſit, & cum *pleno Capitolio* (ait Anguillariæ Comes) *lauream Poëticam ſollemniter poſtulaſſet*, Vrſus, Regis,

C publicæ famæ, & operum teſtimonio, Paſchalis celebritatis die, eiuſdem Regis, & populario nomine magnum Poetam, & Hiſtoricum eum declarauit, magiſterij nomine inſigniuit, & in peculiare Poeſis ſignum, lauream coronam, pro ſe, & collega ſuo, capiti eius impoſuit.

Hæc narrat Vrſus in priuilegio cõceſſæ lauree.

Datis ad Thomam Meſſanenſem literis Franciſcus, die Paſchali ad vj. Id. Aprilis ſe coronandum, opinatus eſt: at poſt ſuſceptam lauream Barbato Sulmonenſi hæc ſcripſit. *Idibus Aprilis anno 1341. in Capitolio Romano magna populi frequentia, & ingenti gaudio peractum eſt, quod iudicio tertio de me Rex apud Neapolim decreuerat. Vrſus Anguillariæ Comes, ac Senator, præalti vir ingenij, regio iudicio probatum laureis frondibus inſigniuit. Manus regia defuit, ſed non auctoritas, nec maieſtas.* De eadem ſuſcepta laurea Roberto quoque Regi ſcripſit, & hæc, inter alia, quæ lubens leges.

D *Nouo nuper beneficio deſertas Pierides obligaſti; quibus hoc meum, quantulumcumque eſt, ingenium, ſollemniter conſecraſti: .... & Vrbem Romam, & obſoletum Capitolij Palatium inſperata gaudio, & inſuetis frondibus decoraſti. Parua res fortaſſe dixerit quiſpiam; ſed profectò nouitate conſpicua, & Populi Romani plauſu, & iucunditate perecelebris. Lauream morem non intermiſſum modo tot ſeculis, ſed ibi iam prorſus obliuioni traditum, alijs multis diuerſis curis, ac ſtudijs in Rep. vigentibus, noſtra ætate renouatum, te Duce, me milite.* Hæc ille, ad Regem.

Vbi ad Barbatum leges *Idibus Aprilis*, Typographi mendum ſuſpicor: nam Vrſus in literis priuilegij, die Paſchatis vj. Id. b. Aprilis Franciſcum à ſe laurea donatum affirmat.

* *Sex viros egregios vndequaque.*] *Sex adiecti ſunt numero Patrum ex vniuerſo orbe lectiſſimi, dicẽte Benedicto, cætera condonari poſſe Pontificibus; id vnum ſcelus venia carere, ſi in Senatu legendo, & Pontificum ſeminario amplificando peccauerint; nam*

E *cum ij capita ſint, per quæ Eccleſia regitur, quam Spiritu ſancto auctore natam, eodemque gubernari oportere, ſcimus; culpis alijs in parentem, filiumue peccari: hoc vno in Spiritum ſanctum.* Hæc Card. Aegid. Viterb. in Hiſt. m. s. 20. ſecul.

* *Triginta millia*] *Triginta tria millia.* Platina.

* *Petrarcha .... anguilla.*] Lib. 7. Senilium.

* *Septimo .... anno, menſe 4. die 6.*] Ita Panuin. in Chron. & Sanderus loc. cit. at Platina, & Genebr. loc. cit. ſcribunt, ſediſſe Benedictum XII. annos 7. menſes 3. dies 17.

* *In ædibus ab ſe Auenione ſtructis.*] Aedes Arnaldi de Via Cardinalis poſt eius obitum, habuerat Apoſtolica Camera, eas Benedictus ædibus Epiſcopalibus permutauit; & in harum ſolo cœpit palatium extruere, Petrus Obrerius director operis fuit; ex Actis m. ss. Soareſius, etiam ſtemmata Benedicti portis ſculpta inſpiciuntur:

F Sacellum palatij Gasbertus de Valle Archiepiſcopus Arelatenſis Pontificis Camerarius conſecrauit. Turrim altiſſimam, dictam *Trulatam*, ab eodem Benedicto conſtructam ferunt.

Ex Pauli Tabul. Archiep. Auenionen.

Celebrat egregiè, paucis licèt, Benedictum XII. Cardinalis Aegidius Viterbienſis recti, iuſtique tenaciſſimum appellat, tantæque conſtantiæ in iure ſeruando, vt nec prece, nec pretio, nec re vlla omnino flecti poſſet: *nihil eo*, ait, *in iuſtitia ſeruanda durius, nihil in communi conſuetudine manſuetius, nihil in miſeris iuuandis incitatius, Senatoriam poteſtatem adminiſtrari, iubet Eccleſia auſpicio .... Euangelij lectione, & obſeruatione Benedictus delectabatur; pacis, ex Principis caſſa, ſtudioſiſſimus fuit.*

Loc. cit.

Multum

Multum auri Benedictum Eccleſiæ reliquiſſe, ſcribit loc. cit. Cardinalis Aegidius, & dixiſſe, *Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech, ſi verus futurus ſit, ſine patre, ſine matre, ſine genealogia eſſe, oportere.*

Edito anno 1617. Duaren. In Kalendario Ciſtercienſium, quo ſollemnitatum dies indicantur, hæc, 26. Maij leges. *Obiit beata memoria Benedictus XII. verè Deo, & hominibus dilectus, & cunctis lacrymantibus, ſepelitur Auenione 1342. 20. ante Decembris beata memoria Iacobus Fornerius Monachus, & Abbas Fontiſfrigidi in ſummum Pontificem Benedictum XII. eligitur.* Loc. cit. Genebrardus *ſanctiſſimum* eum vocat.

Rupertus Rheni Palatinus Heidelbergenſe vniuerſale Gymnaſium instituerat, Benedictus id confirmauit. Trith. in Chronic. Hirſaug. Benedictinos, & Ciſtercienſes reformauit, Conſtit. Benedictina: quæ in Comitijs S. Germani à Prato, anno 1337. die 26. Iunij habitis, quibuſque ducenti circiter Abbates Rhemenſis, & Senonenſis Diœceſum interfuere: tunc Cœnobijs non præficiebantur ſeculares, Genebrardus.

Fabella eſt, quæ placuit Mornæo, Benedictum, cum ſe delectum Pontificem inſpiceret, ſtupore correptum, dixiſſe: *Sextè admodum feciſtis, qui Aſinum elegeritis*, ad oram libri notauit Nouator Chronicon Alberti Argentinenſis: ſed ab Alberto nihil de hac re: formula tantùm refertur, qua Cardinales in creatione Benedicti vſi ſunt. Vide Gretſerum cap. 59. Exam. Myſt. Pleſſæ. Hieronymus Squarciaficus, cuius teſtimonium, cōtra Benedictum, vſurpauit Mornęus, In vita Petrarchę ſui pro tom. 1. operis eius. Vide Gretſerum loc. mendaciſſimè dixit, ſororem Petrarchæ à Pontifice non ſincerè adamatam; fuit enim Benedictus morum ſanctitate clariſſimus: vt paulò ante indicaui, & quamplurimis alijs teſtimonijs oſtendere poſſem: nec verùm exiſtimarem, quòd idem Squarciaficus ſcriptis tradidit, Benedictum Franciſco Petrarchæ Lauretæ amore capto ſuaſiſſe; vt cum illa coniugij fœdus iniret, ne magnus amor, quo ardebat, vitius haberetur; conceſſurum, ſi annuiſſet, vt Eccleſiaſtica beneficia retinere poſſet, & alia etiam traditurum.

* *Alphonſus victoriam, &c.*] Io. Mariana lib. 16. cap. 7. Rerum Hiſp. in eo prælio, (Alphonſi cum Mauris) & fuga ad ducenta Maurorum millia occubuiſſe, ingentemque captiuorum numerum fuiſſe, victoriam autem anno 1340. die lunæ iij. Kalend. Nouemb. accidiſſe; vt in Toletanis faſtis expreſſum eſt; *vbi ſacris anniuerſarijs, feſtaque lætitia*, (ſic ille) *veteri inſtituto, eius diei memoria celebratur.*

* *Ad Benedictum XII.*] De donis à Rege ad Pontificem miſſis addit, cap. 8. Mariana. *Auenionem equi centum, gladij, parmæque è corio totidem, è præda Maurica Benedicto Pontifici miſſa ſunt: quatuor præterea, & viginti Maurica ſigna, equus, Vexillumque Regis, quibus in bellavſus erat, alia. Leina Legatus aliquanto ſpatio à Cardinalibus obuiis exceptus. Pontificis voce, cum ſacris, de more operatus eſſet, Alphonſi Regis laudes, maximo Principum, hominumque concurſu celebrata.*

Quadringenta quinquaginta Saracænorum millia cecidiſſe, ex Chriſtianis autem viginti tantum deſideratos, in bello Alphōſi cum Albohacen. Marochi Rege, & alijs, narrant Vaſæus in Hiſt. Hiſp. Genebr. lib. 4. Chronog.

ADDITIO ABB. FERDINANDI VGHELLI Ordinis Ciſtercienſis.

* *Obſcuris parentibus ortus.*] Benedicti Pontificis ex patre Molitore nati, ad Pontificatus apicem non ſanguinis nobilitate, non diuitijs, non ludentis fortunæ beneficio, ſed virtutis ſapientiæ, & ſcientiæ pietatiſque gradibus aſcendiſſe, non minima extitit gloria. Gloriabatur enim potius Guilelmum Furnum Molitorem patrem, quam matrem Ioannis XXII. Pontificis maximi ſororem à Deo ſibi datam. Vide Chryſoſtomum Henriquez in eius vita. Vvion. in Lign. vitæ, Myræum.

* *Ciſtercienſem ordinem profeſſus eſt.*] In Balbonenſi apud Vaſcones Cœnobio Diœc. Mirapicenſis Comitatus Fuxenſis, ab adoleſcentia Ciſtercienſem ordinem profeſſus eſt, vt ipſe de ſe in literis Bull. to. 1. ad Abbatem Ciſtercij datis Auenione, idib. Iul. Pontif. 1. his verbis, teſtatur. *Huius quoque ordinis ab adoleſcentia Noſtra perſeueranter iugum ſuſtulimus, & in eo alumni effecti per temporum curricula diuturna, tremimus eam in illo, quam extra ipſum ſucceſſiuis Prælationis honoribus & tandem conſcendimus, quanquam immeriti, ſummi Cathedram Paſtoratus.*

* *Theologiæ eximius doctor.*] Poſt lauream Doctoratus Inquiſitionis munere primo functus, inde in Abbatem Fontisfrigidi ſui ordinis in Vaſconia, in Apamienſem Epiſcopum Mirapicenſem, & ſanctæ Priſcæ Cardinalem adlectum fuiſſe, narrat, Idem Henriquez.

* *Caſu, & nullo habito conſilio Pontifex deſignatus.*] Eius electionem occulto Dei iudicio ordinatam fuiſſe diuinitùs agnouit Italus quidam Epiſcopus, dum poſt Ioannis XXII. obitum Auenionem pergeret. Rem totam hiſce verbis narrat Albertus Argentinenſis in Chronico, qui eodem tempore ſcripſit; *Erat autem quidam vicinus Epiſcopus Romæ in via eundo ad Curiam Auenionenſem ad Papam, cui in nocte mortis Papæ in ſomno apparuit quidam, dicens: Papam quæris? Non eſt. Et poſt poſſilum. Vis videre Papam? Ecce iſte eſt, monſtrata ſibi perſona magna incognita. Hic Epiſcopus*

A *procedens in itinere, audiuit de morte Papæ Ioannis. Veniens autem Auenionem inter in Conſiſtorium ingredientes diligenter inſpiciens ſingulos Cardinales, & cum non vidiſſet perſonam ſibi mōſtratam, quæſiuit à quodam nunquid omnes Cardinales ingreſſi fuiſſent? & reſponſa accepta quòd omnes, excepta Cardinale Blanco Ordinis Ciſtercienſis, illum quæſiuit in domo ipſius, ipſumque inſpiciens faciem perpendit monſtratam, ſibique ſoli in camera ſua dixit. Pater Vos eſtis Papa futurus. De quo cum ille riſiſſet (nulla enim fuit ſpes promotionis eius, cum eſſet humilior, & pauperior inter omnes) Epiſcopus expoſito ſibi ſomnio adiecit. Pater, ille, qui mihi monſtrauit faciem veſtram, introduxit me ad ſtabulum immundiſſimum, ſtercoribus plenum, vbi vidi Arcam marmoream albiſſimam ſed vacuam. Vos eſtis illa Arca, quam debetis in officio veſtro virtutibus implere, & ſignis, &c.*

Statim autem ac diadema Pontificium accepit iv. Idus Ianuarij in B Conſiſtorio publico; Prælatos, & Paſtores Eccleſiarum, Auenione ex Curia ad ſuas reuerti Eccleſias à feſto Purificationis B. Mariæ, iuſſit: cum omnibus, & ſingulis renunciaſſet, ſe velle vti iuris remedio contra eos; qui nulla cauſa legitima ab quibus Chriſti ſuæ curæ commiſſis abeſſent, neque diuino de reſidentia Prælatorum præcepto ſatisfacere curarent. Henriquez lib. 2. diſt. 4. Faſcic. Sanctorum ordinis Ciſtercien.

* *Opinione de mortuorum animis.*] In ipſa feſtiuitate Hyppopantes Domini ſacris ſollemniter operans Benedictus, cum pro concione illa Verba Matthæi cap. 21. *Ecce ſponſus venit*, exponeret publicè affirmauit, quòd ſancti in cæleſtem patriam tranſlati clariſſimè Dei eſſentiam facie ad faciem viderent. Inde prid. non. Febr. in Conciſtorium publicum omnes illos, qui opinionem anteceſſoris ſui Ioannis XXII. de Viſione Animarum ſequerentur, euocauit, vt doctrinam eorum audiret. Qua de re librum etiam doctiſſimè con- C ſcripſit, & Bulla auctoritate Apoſtolica quid tenendum, definiuit. Henriquez eodem in loco.

* *Pontifex in Beneficijs Eccleſiaſticis.*] De Benedicto refertur, quòd poſtridie in augurationis eius in palatium ex Prædicatorum Cœnobio reuerſus, cum multos multorum libellos ſupplices receptiſſet, non prius cuiquam reſpondit, aut quicquam conceſſit, quàm conditionem perſonæ intellexiſſet. Eccleſiaſtica quoque Beneficia à prædeceſſoribus ſuis per importunitatem titulo commendæ collocata reuocauit, neque cuiquam, exceptis purpuratis Patribus concedere voluit. Inde quòd publicè intereſſet omnes gratias à prædeceſſore ſuo factas irritauit, idem Henriquez.

* *Agnatos quoque.*] Præter Guilelmum Album Ciſtercienſem monachum nepotem ſuum virum doctrina, ſanctitate, & morum elegantia clarum inter Cardinales ex Albienſi Epiſcopo relatum, neminem ex conſanguineis ſuis agnoſcere voluit. Vide quæ in notis D eiuſdem Guilelmi diximus. Ciaconius hunc Arelatenſem Archiepiſcopum fuiſſe docet, at ex Catalogo Albienſi, Albienſem Epiſcopum agnoſces.

* *Baſilicæ Vaticanæ tectum reſtituit.*] Vaticana Baſilica per Paulum V. Pontificem Maximum munificentiùs reſtituta vetera monumenta atq. inſcriptiones in Catacumbis eiuſdem Baſilicæ diuturnæ memoriæ gratia tranſlatæ fuerunt; extat adhuc inter eas eiuſdem Benedicti de reſtituto tecto, quam affero, marmorea inſcriptio.

BENEDICTVS. PAPA. XII.
TOLOSANVS
FECIT. FIERI. DE. NOVO
TECTA. HVIVS. BASILICAE
ANNO. AB. INCARNATIONE. DOMINI
MCCCXLI.
E BENEDICTVS. PAPA. DVODECIMVS.
MAGISTER. PAVLVS. DE. SENIS. ME. FECIT.

* *Lutetiæ Templum Bernardinorum.*] Ante annum Chriſti 1246. conſtat monachos Ciſtercienſes Collegium Pariſijs habuiſſe ad ſtudia ea in Academia proſequenda: vt libro de Antiquitatibus Pariſienſibus Iacobus Bruliùs docet. Huius Collegij non immemor Benedictus, in quo olim Alumnus fuerat anno 1336. Templum ædificare cœpit, & Collegium magnificentiùs reſtituit, poſt cuius obitum, ædificia inchoata perfecit Guilelmus S. R. E. Cardinalis, vt ex duplici inſcriptione in dicti Collegij Templo viſitur.

HAEC. ARMA. SVNT. SANCTISS. MEM.
DOMINI. BENEDICTI. PAPAE. XII.
F CISTERCIENSIS. ORDINIS
CVIVS. EST. PRAESENS. STVDENTIVM
COLLEGIVM. PROFESSIONIS
QVI. HANC. FVNDAVIT. ECCLESIAM
ET. MVLTIS. DONAVIT. INDVLGENTIIS.

Alteram inſcriptionem lege in vita Guillelmi Albi Cardinalis. Cæterum inter Pariſienſis Academiæ Collegia non infimum eſt Bernardinum, habetque aulam longe ampliſſimam, plurimis columnis diſtinctam. Vide Myræum in Chronic. Ciſterc. Genebrardum in Chronolog. Maſſonum in vita Benedicti. At Collegium, in quo

Ciſtercien-

Ciſtercienſes nunc quoque mihi inuntur tradit, opus eſſe Stephani Angli Abbatis Claraualleuſis anno 1245. ædificatum, idque ex Annalibus Victorianis apud Lutetię Cœnobium. Idem habet Matthęus Pariſienſis in Hiſtoria Angliæ in Honorio III.

Cum Ioannis temporibus Begiani, & Francelli quidam Spiritu vertiginis correpti, verbo, & ſcripto diuerſos errores pronunciaſſent; non ſibi æquum putauit Benedictus Pontifex, vt eos toleraret, quos olim Cardinalitia dignitate ornatus ſumma prudentia repreſſerat, ſingillatim refutando, & ſingulis difficultatibus ſatisfaciendo, vt ex ipſius refutatione, quæ in Annalibus Bzouij ad longum inuenitur lector colligere poteſt. Summus iam Pontifex conſtitutus, auctoritate Apoſtolica damnauit literáſque contra illos, eorumque complices à Ioanne XXII. iam antea prolatas innouauit.

Ad Benedictum Papam ex Armenia Minaſium religioſum Legatum miſit Leo Rex Armenorum, vt de rebus ad fidem Catholicam ſpectantibus, & periculis à Saracænis imminentibus illum admoneret, is, quòd nullas Benedicto literas attulerat; neque quòd ſe Legatum Regium poſſe oſtendere offerret ſignum, ſignificauit Pontifex Leoni, ne miraretur, ſi Nuntio fidem velut Legato non adhiberet, neque ad poſtulata reſponderet. Nerſes etiam Catholicus Armenus à Clero in Archiepiſcopum Manazguedenſem electus ad Benedictum venit. Is munus conſecrationis, & confirmationem electionis à Patriarcha ſchiſmatico in Armenia minore, quem illi Catholicum appellant, receperat. Cum autem ad ſolam Romanam Eccleſiam id officij pertinere, & formam à ſede Apoſtolica in conſecratione præſcriptam à ſchiſmatico non fuiſſe obſeruatam intellexiſſet, Pontificem ſummum conuenit; vtque illi dignitatem Archiepiſcopalem rectam eſſe iuberet, flagitauit. Annuit Benedictus, & Petro Cardinali, vt illum iterum, ſub hac conditione; ſi non es conſecratus, ego te conſecro, initiaret poteſtatem fecit. Ad hunc modum initiatum, Pallio Archiepiſcopali auxit, & Armenis Epiſcopis cum dignitate Archiepiſcopali præfecit. Hæc Chryſoſt. Henriquez l. 2. c. 6. diſt. 4.

Fidem ortodoxam, vt dilataret Benedictus fratrem Danielem ordinis Minorum, & Thiroſium Ioannis nobilem Leonis Regis Armenorum Nuncios in publico Patrum Conſiſtorio audiuit. Varijs rationibus ad Catholicam fidem reducere ſtuduit. Idem Henriquez.

Ordinem ſancti Benedicti Nigrorum Monachorum de conſilio S. R. E. Cardinalium, & multorum doctiſſimorum Abbatum conſenſu reformaſſe, habetur, ex Bulla eiuſdem Pontificis Arnoldus Vvion ordinem etiam ſuum Ciſtercienſem in multis Apoſtolica auctoritate indigentem in melius reformaſſe ſcribit anno Pontificatus 1. vt ex illa aurea Bulla, quæ *Benedictina* dicitur ad Guillelmum Ciſtercij Abbatem. Vide Bullarium tom. 1.

Tantæ conſtantiæ fuit Benedictus, vt dimoueri à recto neque vi, neque pollicitationibus vnquam potuerit; Bonos quoque impensè diligebat, & viciſſim malos, ac ſceleratos apertè odio habebat; Cumque reliquis omnibus vitijs infenſiſſimus eſſet, tùm potiſſimum proditores, periuros, perfidóſque perſequebatur. Ludouico Bauaro toties fidem fallenti, aliquando reſpondit, *Dominum, perfidiam non impunitam abire permiſſurum*. Hanc cauſſam fuiſſe narrat Henriquez, cur illum quanquam propenſum haberet erga eum animum, anathemate, non exoluerit.

Quantus verò fuerit hic Pontifex, quàm ſanctus, quo genere, quibus moribus ornatus; vnico Petri Boerij encomio aperitur, qui in principio Commentariorum ſuorum in *Benedictinam*, his eum laudibus adornat, vt refert Arnoldus Vvion lib. 1. cap. 43. Ligni Vitæ *Benedictus, hinc námq; & Bonifacij, & Benedicti nomina congruunt, quia in ipſo vim, quam gerunt, profectò ſortita ſunt; Benedictus igitur hic nomine vim Bonifacij vocabuli, ſemper ſtuduit opere exercere. Fuit enim vita caſtus, ſtatu humilis, ſcientia plenus, moribus non genere nobilis, voce, & aſpectu terribilis, facie rubicundus. Albo Ordine Monachus, Magnates non verens, pauperes refouens, corrupta depellens; Iſte quidē ad Eccleſiaſticos gradus viros idoneos ſublimans, indignos noluit promouere. In iudicijs inſuper, factiſque ſuis admodum mirabilis extitit; quoniam non ſecundum carnem, & ſanguinem, ſed in æquitate, & iuſtitia ambulauit. Meruit itaque thronū duodecimum poſſidere verè Benedictus in terris, pariter eſſe conuictor in cælis; nam bonis laboribus fructus retribuitur glorioſus.*

Scripſit autem Benedictus non contemnenda opera, quæ ſe vidiſſe, teſtatur Vvion loc. cit. Regeſtum Epiſtolarum eius, & Conſtitutionum in 10. tomos diuiſum aſſeruatur in ſecretiori Archiuo Bibliothecæ Vaticanæ: Conſtitutiones de Reformatione Monachorum, quæ appellatur *Benedictina*; Contra errores Fraticellorū lib. 1.

Vitam ſanctiſſimi huius Pontificis, & res præclarè geſtas fuſiùs deſcripſit Chryſoſtomus Henriquez loco ſupra citato, in qua & poſt obitum Benedictum claruiſſe miraculis leges; expreſsè enim id haberi aſſerit in hiſtoria Gallica Romanorum Pontificum, quæ in Bibliotheca patrum Minimorum Bruxellenſium aſſeruatur.

Benedicti corpus in maiori Aſenionenſi Templo conditum abſq; vlla inſcriptione omnes fatentur hiſtorici. Vnde fabellam exiſtimo inſcriptionem illam, quam perperam, & ex mero commento affert quidam Neotericus Lucius Carmelita, &c.

Hoſpitale, quòd Petrus Columna Cardinalis ad conſulendum miſerabilium perſonarum non ſolum egeſtati, verùm etiam incurabilium morborum calamitati, in ſuo teſtamento maxima pietate conſtruendum iuſſerat, erectum fuit, & charitatis primitias ſub Pontificatu Benedicti XII. attulit anno 1338. ſub patrocinio S. Iacobi Apoſtoli: lapis parieti fixus hac inſcriptione exaratus immortalitatem exoptans ſubocciditur.

IN. DEI. NOMINE. AMEN.
ANNO. DOM MCCCXXXVIII. INDICTIONE. VIII. MENSE. SEPTEMBRIS. IN. FESTO. B. MICHAELIS. TEMPORE. SANCTISSIMI IN. CHRISTO. PATRIS. DOMINI D. BENEDICTI. PAPAE. XII PONTIFIC. EIVS ANNO. V. HOC. HOSPITALE. AD. LAVDEM. DEI. ET. SVB. VOCABVLO B. IACOBI. APOSTOLI. PRO ANIMA. REVERENDISS. PATRIS. ET. DOM. D. PETRI. DE. COLVMNA. S. ANGELI. Q. DIAC. CARDIN. FVNDATVM FVIT. DE. MANDATO. DOMINORVM. CARDD. EXEQVVTORVM. DICTI. D. CARD. MEDIANTE. SOLLICITVDINE. REVERENDISS. PATRIS. ET. DOM. FRATRIS. IOANNIS. DEI. GRATIA. EPISCOPI. ANAGNINI. D. PAPAE. VICARII ET. VEN. VIRI. DOM. THOMAS. DE. LABRO. CANONICI. REATINI PROCVRATORIS. DICTORVM. DD. CARDINALIVM. EXECVTORVM.

Eiuſdem Hoſpitalis inſigne pietatis cultum, & charitatis zelum Succeſſores Pontifices agnoſcentes, ampliſſimis priuilegijs, Indulgentijs, & gratijs illud honeſtarunt. Vide Conſt. *Saluatoris Noſtri* 15. Leon. X. Conſtit. *Ad Charitatis* 2. Pij IV. [To. 1. & 2. Bullar.]

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI
Societatis Iesv.

AD imperia gerenda, & magiſtratus obeundos quantumcunque illuſtres, parum, aut nihil pertinet parentibus nobilibus, an plebeijs, diuitibus, aut tenuibus oriundus, ſed quemadmodum ab animi virtute, ac dotibus inſtructus ſis atque ornatus. Perſonam igitur ipſam, dignitatemque muneris, quòd quiſque adminiſtrat, conſideremus, eamque in adminiſtrante honoremus eò reuerentiùs, quo id conuenientiùs, ac laudabiliùs adminiſtrat. Benedictus vulgo XII. licet en nomine Vndecimus fuerit, vir quidem infimæ conditionis, ſed moribus, & ſcientia illuſtris, ac ordinis Ciſtercienſis clarum lumen à 24. teſte Ptolomæo Lucenſi, & Panuinio, ſeu ex alijs à 21. Cardinalibus renunciatus Romanus Pontifex Pontificia Inſignia ſolemni ritu accepit, non Kalendis Ianuarij, vt ſcripſit Ciaconius, ſupra, ſed vj. Idus Ianuarij anni 1335. vt docet Anonymus ſcriptor, illius æui. Ptolomæus Lucenſis licet ſcripſerit diuerſo tempore à nobis aſſignato Benedictum renunciatum eſſe Pontificem, plura de eius Pontificatus auſpicijs coniungit his verbis. *Anno Dominica Incarnationis 1334. Idibus Decembris Cardinales omnes includuntur numero 24. per Comitem Nouallum in palatio Auenionenſi, in quo Papa Ioannes deceſſit, in vigilia autem Thomæ Apoſtoli xiv. kalend. Ianuarij anno Domini 1334. Cardinales prædicti numero 24. elegerunt in Papam vnum ex ſe, videlicet Dominum Iacobum Presbyterum Cardinalem titulo S. Priſcæ, natum de Prouincia Toloſana, monachum ordinis Ciſtercienſis, magiſtrum Theologiæ, & vocatus eſt Benedictus XII. qui in primo Conſiſtorio ſuo, quod habuit, mandauit Eccleſias reparari Romanas S. Petri, item Eccleſiam Lateranenſem, & alias Eccleſias, & palatia ibidem deſolata, & ad fabricam donauit L. millia florenorum. Item ad ſubueniendam neceſſitatibus ſuorum Fratrum, Collegio Cardinalium donauit C. millia florenorum. Dixit etiam, quod vellet pacem reformare in tota Eccleſia. In die autem Natiuitatis Domini Noſtri Ieſu Chriſti in publica Miſſa, quam celebrauit Dominus Petrus Epiſcopus Præneſtinus, fecit gratiam omnibus, qui interfuerunt, ſeptem annos, & ſeptem quadragenas de iniunctis pœnitentijs; diebus autem ſanctorum Stephani, & Ioannis tres annos, & tres quadragenas. Anno autem Domini 1335. Benedictus XII. deſcendit de palatio, in quo electus fuit, & iuit aſſociatus cum Cardinalibus, vt moris eſt, ad locum Fratrum Prædicatorum vi. Idus Ianuarij, & vij. Idus Ianuarij reaſcendit ſuum palatium, & petitiones ſibi oblatas primo die poſt coronationem recipere recuſauit; voluit enim ſcire conditionem perſonæ ſupplicantis, & ſummam redituum, & ſi impetrans ante fuerit beneficiatus.*

[Benedictus licet infimæ conditionis, clarus ſcientia, & moribus renunciatus Romanus Pontifex]

[Quæ egit Benedictus initio Pontificatus.]

Maxima eſt controuerſia inter Patres Ciſtercienſes, & Carmelitas de Benedicto hoc Romano Pontifice, quem vtrique ſuum eſſe dicunt: Carmelitæ enim ſuum eſſe volunt ex quibuſdam antiquis picturis; ſed leue profectò veritatis fundamentum, ac facilè ruit, ſi dicatur, non credendum facilè Pictoribus atque Poëtis. Alij eiuſdem familiæ ſcriptores innituntur ſequenti Epitaphio:

[Benedictus fuit ordinis Ciſtercienſis.]

[Petr. Lucius in Bib. Carmel.]

HIC IACET BENEDICTVS
QVEM CARMELVS PROTVLIT
CASINVS ALVIT VATICANVM CORONAVIT.

Scribunt Benedictū primò Carmelitarū, deinde Ciſtercienſiū ordini nomen dediſſe ſuum. Hi tamen omnes facillimè erroris arguuntur ex eiuſdem Benedicti literis datis ad Abbates Ciſtercienſes in ipſo Pontificatus ingreſſu, quas ex Regiſtris Vaticanis primus in lucem edidit Ferdinandus Vghellius Abbas Ciſtercienſis in tomo primo Italiæ ſacræ, & ſunt tales.

[Ludou. Iacobus à S. Carolo in Bib. Pont.]

Benedicti litera ad Abbates Ciſtercienſes.

BENEDICTVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Dilectis filijs Abbati Monaſterij Ciſtercij, ceteriſque Coabbatibus, & eorum Conuentibus Ciſtercienſis ordinis, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Altitudo cæleſtis conſilij ſupra cuncta tenens in excelſis imperiũ, ac dat eſſe rebus, & diſpenſat ineffabili prouidentia munera gratiarum, ſic creaturarum conditiones, & ſtatus ordinat, ac prout vult, variat, & diſponit, quod ſenſus humanus eius ſecreta conſilij perſcrutari non valens, in horum conſideratione potiùs hebetatur: cum ſint inueſtigabiles viæ Domini, & ſapientia ſua magnitudinem humanæ non capiant intellectus; facit enim fortem ex debili, balbutientibus eloquium tribuit, & ponit nonnunquam humiles in ſublimi, plenam, & perfectam habens ad ſingula, tanquam palma concludens omnia, poteſtatem.

Sane felicis rec. Ioanne Papa XXII. Prædeceſſore Noſtro nuper, ſicut Domino placuit, ab hac luce ſubtracto, & ad cæleſtem patriam ab huius mundi miſeria, ſicut pie credimus, euocato; eiuſque corpore, cum exequiarũ ſolemnitate debita, tumulato; venerabiles fratres Noſtri, Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi S. R. E. Cardinales, de quorum numero tunc eramus, pro futuri ſubſtitutione Paſtoris conuenientes in vnum ſub deliberatione conſilij, quam tanti negocij qualitas exigebat, habito ſuper electione futuri Papæ celebratione, tractatu, licet conſentire potuiſſent in alios maiorum meritorum claritate conſpicuos, & plurium virtutum titulis inſignitos, tandem ad perſonam Noſtram dirigentes vnanimiter vota ſua, Nos ad ſummi Pontificatus apicem diuina dignationis clementia euocarunt.

Nos igitur Noſtrarum inſufficientia virium, & adminiſtrationis tam ardua ſarcinam, tantique oneris grauitatem intenta conſideratione penſantes intra Noſtra præcordia, quod inter tot diuerſas, & varias ſeculi fluctuationes, & pugnas agendum, quidque tenendum, quidue penſandum extiterit, animo duximus trepido reuoluendum. Demum verò ſpiritus virtute reaſſumpta in illo, qui aſſurgit in occurſum timentium, & implorantium humiliter nomen ſuum, quique clementer in ſemitis ſuis greſſus hominis perficit inter huiuſmodi cogitationum fremitus anchoram ſpei Noſtræ fiximus ad ferendum ſub eius fiducia iugum ſeruitutis Apoſtolicæ imbecilles humeros humiliter ſubmittentes, ac ſubſequenter benedictionis, & coronationis ſolemnia, & cetera recepimus ſecundum morem eiuſdem Romanæ Eccleſiæ in perſonis Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum hactenus obſeruatum, anxiato, & humiliato ſpiritu Domino ſupplicando, vt ipſe, qui Nos iugum huiuſmodi ſubire conceſſit, ſic ad ipſum portandum, debilitatem Noſtram ſua virtutis robore fulciat, ſicque illud faciat ſua benignitate portabile, quod ſub eo non contingat, Nos ex Noſtra debilitate deficere, ſed ita ſua omnipotentia Nobis, & gregi Dominico vigilantia Noſtra commiſſo potiùs proficere, quod de talento Nobis credito dignam valeamus in extremo Iudicio reddere rationem.

Nos igitur, qui a iuuentutis Noſtræ temporibus ordine veſtro pereginimus, ſub ſanctæ obedientiæ imperio, & obſeruantia regulari, ac in eo effecti alumni in dignitatis, & adminiſtrationis ſtatu fuimus operoſi; nec non de illo per Apoſtolicæ ſedis prouidentiam ad Pontificalis eminentiæ titulum, & deinde ad apicem Cardinalatus peruenimus, ac demum ſicut ex præmiſſis colligitur, Nos quanquam immeritos in ſummi Pontificatus Cathedram ſuprema dignatio collocauit, eo affectuoſius, & deuotius charitati Veſtræ precum Veſtrarum primitias deſtinamus, quo ſpiritualiùs, & firmius credimus, & tenemus, quod illa apud Vos locum ſibi præcipuum vindicabunt. Conſiderantes itaque Nos, tanquam homines inter mundanos conflictus, & turbines conſtitutos, ac veluti imperfectos diligentius attendentes ad deuotionem Veſtram Deo gratam, Noſtræ mentis leuamus oculos ad Veſtrarum orationum ſuffragia feruentius aſpiramus, ea propter Vniuerſitatem Veſtram rogamus, precamur, & obſecramus attentiùs per Viſcera miſericordiæ Ieſu Chriſti, quatenus pro perſona Noſtra, ſtatuque ſalubri, & felici vniuerſalis Eccleſiæ orationes deuotas, & ſedulas ad ſupernæ maieſtatis clementiam effundatis, & etiam effundi faciatis in Veſtris generalibus Capitulis celebrandis, vt omnipotens Dominus, qui humeris Noſtris imbecillibus molem impoſuit Apoſtolicæ ſeruitutis, Nobis ſua omnipotentiæ dexteram porrigat, defectumque Noſtrum ſua virtutis robore fulciat, vt dum nauigabimus in huius vitæ ſalo tempeſtuoſis fluctibus, & procellis ſciamus, & poſſimus diſperſa colligere, fracta connectere, deperdita reſtaurare, cuſtodire pinguia, manu ducere fortia, & humilia conſumere, aliaſque ſponſa Noſtra Nobis diuinitus copulata Romanæ præeſſe, ac generali Eccleſiæ præeſſe pariter, & prodeſſe. Nos enim eundem ordinem deuotè, & internè charitatis affectu zelantes ipſius optamus ſalutis, & proſperitatis plenis deſiderijs incrementum, ad quos Deo fauente, Apoſtolici fauoris opportunum præſidium proponimus iuxta diuinum beneplacitum adhibere.

Cum autem ſicut intelleximus, portitores huiuſmodi literarum interdum conſueuerint eſſe, contra intentionem mittentium, exactores, nunc importunè petitionis inſtantia, nunc etiam murmurationum ſuſurris, ac detractionum, & querelarum cõminationibus exigendo, ſcire Vos volumus, quod Noſtræ intentionis exiſtit, latoreſque præſentium iurare volumus, quod ad exigendum, vel obtinendum aliquid præterea, quæ ad victum, vel ob infirmitates, ac alios caſus neceſſaria per alias eis ſub certa forma literas, quas Vobis exhiberi mandamus, miniſtrari præcipimus, talibus inſtantijs, murmurationibus, detractionibus, ſeu comminationibus non vtantur, nec recipere oblata præſumant; ideoque, vt Noſtræ in hoc intentioni, & beneplacito concurratis, præfatis eorum abuſionibus, ceteriſque ſimilibus, ſi forſan eis, quod non eſt veriſimile, vt præſumerent contra proprium iuramentum, contemptis, omnino Vos vltra præmiſſa ſibi Veſtro miniſtranda mandato, tribuendo aliquid non grauetis, cum non extorſiones huiuſmodi, ſed ab retributione congrua intendamus ipſorum laboribus reſpondere. Dat. Auenione v. Idus Ianuarij Pontificatus Noſtri Anno Primo.

In alijs literis primordia, ac progreſſus ſuos in ordini Ciſtercienſi ab ipſa pueritia commemorat his verbis. *Huius quoque ordinis ab adoleſcentia Noſtra perſeueranter iugum ſuſtinuimus, & in eo alumni effecti per temporũ curricula diuturna creuimus tam in illo, quam extra ipſum ſucceſſiuis Prælationum honoribus, & tandem conſcendimus quanquam immeriti ſummi Cathedram Paſtoratus.* In his, alijſque literis nullum profert verbum de ordine Carmelitarum, cuius proculdubio mentionem aliquam habuiſſet, ſi in illo aliquando vitam duxiſſet ſuam. Quæ verò in Epitaphio Romano exponuntur, non ſpectant ad hunc noſtrum Benedictum, qui non iacet Romæ, ſed Auenione, vt dicemus infra, nec illum Roma, ſed Auenio tiara Pontificia ornauit. Ab ineunte igitur ætate Benedictus, ante Pontificatum Iacobus Nouelli Furnus, ſeu Furnerius nuncupatus, ex monacho Bolbonio Frigidifontis Abbas, ex Abbate verò Epiſcopus Apamienſis, & Mirapicenſis, deinde Cardinalis Albus dictus eſt, an à patris farina, an à veſte Ciſtercienſi dubio eſt locus.

Benedict⁹, antea Iacobus Furnus, ſeu Furnerius dictus. Iacob. Rinaldus in Iiliis Galliæ.

Redimitus Pontificia tiara Benedictus illico encyclicis literis Orbis Chriſtiani Præſules de ſua Electione certiores reddidit, eoſque ad coniungendas in paſcendo grege Dominico, ac re Chriſtiana prouehenda curas excitauit. Has, immutatis nonnullis verbis, tranſmiſit etiam ad Philippum Galliæ, Odoardum Angliæ, Robertum Siciliæ, Alphonſum Caſtellæ, Philippum Nauarræ, Alphonſum Aragonum, Alphonſum Luſitaniæ, Carolum Hungariæ, Robertum Sueciæ, Caſimirum Poloniæ, Ioannem Boëmiæ, Hugonem Cypri, Leonem Armeniæ Reges: tum ad Reginas, ac præcipuos dignitate Principes, Duces, Comites, Vrbis Senatores, Religioſorum ordinum Magiſtros, quos etiam ad fundendas pro ipſo preces, vt pro dignitate Pontificatum gereret, tum ad operam pro augendo cultu diuini Numinis, ac re Chriſtiana amplificanda collocandam ſollicitauit. Explicuit deinde Apoſtolicas curas, vt omnes ad ſanctiorem vitam reuocaret. In Caſtella impuritas libidinũ Eccleſiaſticos æque, ac laicos infecerat, ac plerique vitam inquinatiſſimam abiecto omni pudore ducebant. His malis, vt occurreret Pontifex, & Chriſtianam reſtitueret diſciplinam, literas ad Caſtellæ, ac Legionis Antiſtites dedit, ac monuit eiuſdem Caſtellæ Regem, vt ad excidenda lucorum vitia, qui contempto matrimonio, in concubinatus, & adulterij cœno volutabantur, ac innoxium fundebant cruorem, & rapinas exercebant, regiam auctoritatem admoueret. Ad abolendos quoque nefarios abuſus, qui Romæ irrepſerant, Ioannem Epiſcopum Anagninum ſuum in Vrbe Vicarium conſtituit, ac Philippum è Camberlaco iuſſit animaduertere in eos, qui cum à peregrinis è remotioribus oris ad luſtranda limina Apoſtolorum accedentibus interpretes adhibiti eſſent, ad ſacras exomologeſes, confitentium crimina euulgabant, vel ad extorquendas pecunias illa, ſe in publicum edituros minitabantur. Conſuluit deinde huic rei Benedictus inſtituendo, vel potius antiquum Pœnitentiariorum munus in Vrbe reſtaurando.

Odericus Raynald. in Annal. Eccleſiaſt.

Encyclicas literas ſcribit.

Curat reſtituere in Caſtella diſciplinã Chriſtianã.

Bzou. in Annal.

Ioannes Epiſcopus Anagnin⁹ Vrbis Vicarius.

Inſtituit, vel reſtituit Pœnitentiarios in Vrbe.

Non modò literis, ſed Apoſtolicis quoque Nuncijs impulit Germanos Principes, vt Ludouicum Bauarum, omneſque alios Schiſmatis laqueis irretitos ad Eccleſiam pellicerent. Vt verò occurreret diſcordijs, quæ inter Angliæ, Scotiæ, & Galliæ Reges exortæ erant, Hugonem Epiſcopum Tricaſſinum, & Rolandum Aſterſem, Canonicum Laudunenſem Sacelli Pontificij Sacerdotem, & cauſarum ſacri palatij Auditorem ad illos tranſmiſit inſtructos auctoritate, vt Reges ad inducias ineundas adducerent, iniuſtas coitiones reſcinderent, conuellerent fœdera concordiæ publicæ exitialia. Reges verò Odoardum Angliæ, & Dauidem Scotiæ exaratis xj. Kalen. Auguſti literis ad pacem grauiſſimis ſententijs eſt adhortatus, ne ex eo bello ſacra expeditio in Saracenos diſturbanda eſſet. Legauit in Poloniam Galhardum, vt denarium S. Petri à Polonis, ac finitimarum prouinciarum populis exigeret: cui etiam munus iniunxit, vt de Apoſtolicis Internuncijs, qui præceſſerant, inquireret. Accuſati enim fuerant profligatam vitam duxiſſe, improbe geſſiſſe munus, locaſſe fœnori Pontificij ærarij pecunias ad lucra captanda, Romanam denique Eccleſiam auaritiæ ſordibus in inuidiam adduxiſſe. Ad exigendum autem in Anglia, Scotia, Vvallia, & Hibernia conſuetum cenſum, Bernardum e Sitere miſit, de quo plures ad Regem, Reginam, & Clerum Angliæ extant ſcriptæ literæ. Vt verò ad concordiam redigeret Angliæ, & Galliæ Reges, bello inter ſe atrociſſimo diſſidentes Petrum Gomeſium Hiſpanum Presbyterum Cardinalem ſanctæ

Nuncios, & literas mittit ad Germanos Principes.

Pacem inter Angliæ, Scotiæ, & Galliæ Reges curat.

Oder. Raynald. in Annal. Eccleſiaſtic.

Legati ad Regem Poloniæ.

Denarium S. Petri exigere ſtudet.

Petrus Gomeſius, & Bertrandus

Cardinales Legati ad Angliæ, & Galliæ Reges.

lem ſanctæ Praxedis, & Bertrandum de Monteſauentio Diaconum Cardinalem S. Mariæ in Aquiro maxima auctoritate inſtructos legauit, vt Archiepiſcopos, & Epiſcopos, Reges, ac Principes, nullo dignitatis habito diſcrimine, cēſura Eccleſiaſtica percellerent, ſi pacis conſilia diſturbarent; tum vt Regibus, ſi concordiam reſpuerent, arma mouentibus imperarent inducias, ac ſi eas infringerent, eoſdem anathemate, atque Eccleſiaſtico Interdicto eorundem ditionem afficerent. Iuſſi etiam ſunt Cardinales Legati dare operam apud Odoardum Angliæ Regem, vt Regiorum adminiſtrorum licentiam in Eccleſiaſticos compr meret. Sed parum Pontificis ſtudia in reſtinguendo exitiali illo bello valuere, ac fruſtra Cardinalium Legatorum labores conſumpti.

Bernardus Epiſcopus Ruthenenſis Legatus ad Reges Luſitaniæ, & Caſtellæ.

Cum eſſet implicitus Alphonſus Luſitaniæ Rex bello cum Alphonſo Caſtellæ Rege genero ob Mariam Reginam filiam ſuam male ab illo habitam; ad illos conciliandos Bernardus Epiſcopus Ruthenenſis à Pontifice illico legatus eſt, qui inducias primò impetrauit, deinde ad pacem firmandam, ob oculos illis propoſuit, quanta ex iis diſcordijs naſcerentur diſcrimina, conflictari Regna, atteri populos, & hoſtium fidei potentiam confirmari. Commendanda quoque Benedicti Pontificis ſollicitudo eſt, qui ex Apoſtolico munere, quo publicis omnium Regnorum Chriſtianorum vulneribus conſulere obſtrictus erat, cum Regem Aragonum puerum à factioſo conſilio abripi in bella ciuilia intueretur, ſolemnes Regni conuentus auctoritate ſua celebrari ad Regnum pacādum per Beltraminum Electum Theatinum, & Henricum de Aſſe Apoſtolicæ ſedis in Aragonia Internuncios iuſſit, ac Regij conſilij, turbarumque Principem Præfectum Scrinij, regiæ ætatis abutentem imbecillitate, ad ſubſellia ſedis Apoſtolicæ ad cauſam dicendam ſiſtere ſe compulit.

Regis Aragonum partes ſuſcepit.

Pius pater in Ludouicum Bauarum.

Pij quoque patris munere functus eſt Benedictus in Ludouicum Bauarum anathemate perculſum, literis primò, mox Arnaldo è Verdala Internuncio illum hortatus eſt, vt ad gregem Dominicum, & in gratiam Eccleſiæ rediret.

Siciliæ pacem curat.

Cum Petrus Federici, ſeu Friderici olim Regis Trinacriæ filius contra pactiones firmatas cum Roberto Rege Siciliæ Calabriam inuaſiſſet, atque cum Ludouico Bauaro Eccleſiæ perduelli coijſſet armorum ſocietatem; Benedictus Romanus Pontifex Siculi Regni ſupremus Princeps iudiciariam inſtruxit actionem aduerſus Petrū, ac Legatos Gotium Patriarcham Conſtantinopolitanum, & Ratetium Epiſcopum Vaſionenſem creauit, qui cenſuris ipſum Eccleſiaſticis defigerent, niſi inuaſam poſſeſſionem illico dimitteret.

Ferdinand. Vghel. in Ital. ſac.

Principes Chriſtianos conciliare ſtudet.

Vt verò Oddonem Burgundiæ Ducem, & Ioannem Cabilonenſem, ac Henricum de Monteſalcone inter ſe bella gerentes conciliaret, Apoſtolicos Nuncios Dinum Hetruſcum ex Comitibus Radicofani Patriarcham Gradenſem, & Petrum Theatinum Epiſcopum legauit in Gallias, qui perbellè prouinciam illam adminiſtrarunt, & ad Pontificis Romani votum, diſſidentes reconciliarunt. Extant in Regiſtris Vaticanis Benedicti literæ, quibus ijs hoc munus demandatum eſt, quas Ferdinandus Vghellus reſcripſit in ſuo 5. tom. Italiæ ſacræ.

Monet Brabantiæ Ducem.

Oder. Rayn ald. in Annal. Eccleſiaſtic.

Oppreſſerat Ioannes Dux Brabantiæ grauiore iugo ſuæ ditionis Eccleſiaſticos viros, qui non modò vectigalibus iniuſtis atterebantur, ſed interdum magno quoque Religionis opprobrio trucidabantur, ex quo diuinus cultus exoleſcebat. His querelis permotus Pontifex antequam ſeueritatem in Ducem exereret, paternis ipſum inſtruxit monitis, & oſtendit quanta gloria, ac felicitate fulſiſſent ſemper Principes, qui Eccleſiarum dignitatem ſuſtinuiſſent, & hortatus eſt, vt viros Eccleſiaſticos ab iniurijs vindicaret.

Vindicat Eccleſiaſticam libertatem in Hungaria.

Cum in Hungaria graui iugo Carolus Rex opprimeret Eccleſiaſticos, illi tuendæ ſuæ libertatis cauſa confugerunt ad ſedem Apoſtolicam, ſupplici libello porrecto Benedicto. Hic auditis Præſulum querelis, vindicandæ Eccleſiaſticæ libertatis in priſtinum ſplendorem ſtudio, Carolo Regi, porrectum ſedi Apoſtolicæ libellum ſupplicem, tranſmiſit, vt quę in eo erant contenta, ſi veritate niterentur, emendaret. Tum grauiſſimis ſententijs recuperatum ab eo diuino præſidio Regnum, partas de Infidelibus, & Schiſmaticis clariſſimas Victorias propoſuit ob oculos, quibus ad diuini Numinis adminiſtros venerandos, ſuaque aſſerendos dignitati obſtrictus eſſet.

Oratores Tartarorum Imperatoris ad ſedē Apoſtolicam.

Dum Chriſtiani Principes nonnulli Eccleſiaſticorum iura violare ſtuderēt, acceſſere ad ſedem Apoſtolicam Oratores Magni Chanu Tartarorum Imperatoris, quibus Alanos, & alios Imperij ſui Chriſtianos Pontificiæ beneuolentiæ commendabat, ac rogabat, vt Apoſtolicam benedictionem ſibi impertiret: tum vt de Nuncijs ad Pontificiam, ac Tartaricam aulam vltro citroque commeaturis ageret. Placet hic reſcribere Tartarorum Imperatoris literas, vt pudeat Hæreticos, ac peruerſos Chriſtianos religione ab Infidelibus vinci, & diſcant à Tartaris, quàm honorifice ſit de Romano Pontifice ſentiendum.

Literæ Imperatoris Tartarorū ad Benedictum.

In fortitudine Omnipotentis Dei Imperatoris Imperatorum præceptum.

Nos mittimus Nuncium Noſtrorum Andream Francum cum quindecim ſocijs ad Papam Dominum Chriſtianorum in Frāchiam vltra ſeptem maria, vbi Sol occidit, ad aperiendum viam Nuncijs ſæpe mittendis per Nos ad Papam, & per Papam ad Nos, & ad rogandum ipſum Papam, vt mittat Nobis ſuam benedictionem, & in orationibus ſuis ſanctis, ſemper mentionem faciat de Nobis, & quòd Alanos ſeruitores noſtros, filios ſuos Chriſtianos habeat recommendatos. Item quòd adducant Nobis ab occaſu Solis equos, & alia mirabilia. Scripta in Cambalec in anno Rati menſe ſexto, tertia die Lunationis.

Benedictus reſcribit ad Imperatorem Tartarorū.

Cumulauit gaudio Pontificem optimum tam pia barbari Imperatoris legatio, & ſcriptis ad Chanum literis, ipſum ob eximium in fouendis Chriſtianis ſtudium laudibus ornauit, excitauit deinde ad cultum diuini Numinis, & Chriſtiana ſacra amplectenda; rogauit, vt Eccleſias, ac Sacella condi in Imperij terris permitteret, in quibus diuina Hoſtia pro ipſius, ac Tartarorum ſalute immolaretur. Nuncios denique Apoſtolicos ad ipſum Euangelica luce colluſtrandum, curandamque animæ ſalutem ſe miſſurum eſt pollicitus.

Legati ad Tartaros deſtinati ob Chriſtianā fidē amplificādam.

Decreti deinde Legati ad Tartaros ad fidem apud eos amplificandam ſunt, Nicolaus Bonetus Theologus, Nicolaus Molanus, Nicolaus Ioannes Florentinus, & Gregorius Hungarus Minoritæ, ampliſſimis inſtructi prærogatiuis ad proferendam latius religionem.

Contra Maſtinum della Scala iudiciū inſtituit.

Cruentarant ſe Maſtinus *della Scala*, alijque iam ante cæde Bartholomæi Scaligeri Epiſcopi Veronenſis, in quos Bertrandus Patriarcha Aquileienſis, cui Verona in ſacrarum rerum adminiſtratione conceſſa fuerat, iudiciariam actionē inſtruere iuſſus eſt his literis.

BENEDICTVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Venerabili Fratri Patriarchæ Aquileiæ.

Ferdinand. Vghel. in Ital. ſac.

Infauſtus rumor ad Apoſtolatus Noſtri deduxit auditum, quòd Maſtinus della Scala *diabolico ſpiritu inſtigatus, in illius horrendi criminis atrocitatem prorupit, quod in proprium inſurgens Antiſtitem, ac ſpiritualem Patrem, ſcelus parricidij committere non formidans, cum quibuſdam ſuis in hac parte complicibus, bonæ memoriæ Bartholomæum Epiſcopum Veronenſem deteſtando facinore, proprijs funeſtiſque manibus interemerit. Contra quos tanto eſt grauius procedendū, quāto ex deteſtabilis exempli perniciem huiuſmodi ſunt ſa perniciès tranſiret damnabilius impunita. Quo circa fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus contra eundem Maſtinum, & quoſcunque alios tanti reatus ſacrilegos patratores, nec non aduerſus eos, qui ſuper hoc culpabiles extiterint, dando auxilium, conſilium, vel fauorem, de quorum reatibus in nece dicti Epiſcopi perpetratis, diligenter prius te ſtudeas informare ad publicationem pœnarum, quas per Viennenſe Concilium, & alios ſacros Canones incurriſſe noſcuntur, & etiam inflictionem, ſeu executionem earum, quantum ad te ſpectare dignoſcitur, omni dilatione, & appellatione remotis auctoritate Noſtra procedas, &c. Dat. Auenione, viij. Kalend. Octobris Anno IV.*

Maſtinus reo am poſcit, & obtinet.

Cum verò Maſtinus, alijque reſponderent cæſum calentibus ira animis proditionis reum ob coitiones initas cum hoſtibus, ac ſtrutas ipſorum vitæ inſidias, tum de violata Epiſcopali maieſtate veniam poſcerent, ea lege in gratiam admiſſi fuere, vt tunica, & ſupertunicali tantum induti, tenentes manibus cereas faces, centumque alios præferri iubentes, à Veronenſis Vrbis porta ad principem Eccleſiam progrederentur, veniam illatæ Epiſcopo cædis à Canonicorum Collegio deprecaturi, ſacella aliquot conderent, vt in ijs res diuina fieret: imperata etiam donaria in eadem Eccleſia collocanda; nec non ieiunia, & eleemoſynæ erogandæ in pauperes. Quæ omnia in literis ad Epiſcopum Mantuanum, cui iniunctum eſt munus, vt eos ritu Eccleſiaſtico expiaret, datis expreſſa ſunt. Affecti his beneficijs Scaligeri contulere dono Romanæ Eccleſiæ Magnanum, & Capratiam oppida Veronenſis agri, quæ Pontifex Benedictus Scaligeris iure fiduciario poſſidenda tradidit, imperato vnius marchæ auri vectigali annuo, recurrente Principum Apoſtolorum feſto die, pendendo. Extant in ijſdem Regiſtris Vaticanis aliæ Benedicti literæ datæ ad Archiepiſcopum Barenſem, & Rapollanum Epiſcopum contra illos, qui morte affecerant Epiſcopum Biſinianenſem.

Sedis Apoſtolicæ iura tuetur.

Oder. Rayn ald. in Annal. Eccleſiaſtic.

Ex inſano odio, quòd inter Anglos, & Gallos tunc temporis intercedebat, atrox facinus in ipſo Apoſtolicæ ſedis gremio aduerſus Nicolinum Fliſcum Odoardi Regis Anglorum Oratorem, qui Auenionem acceſſerat, commiſſum eſt à nonnullis Gallis, qui ſpreta ſedis eiuſdem obſeruantia, ac propoſitis in eos, qui ad ipſam accedentes, agenteſuè, capiunt, cenſuris contemptis, apud eam Auenione nocte intempeſta, effractis domus foribus armati, vnà cum filio Andrea in Regis Francorum ditionis terras mancipandum vinculis abduxere. Qua iniuria affectus Pontifex, vt ſedis Apoſtolicæ maieſtatem tueretur, edicta mox grauiſſima in omnes illius criminis auctores, ac participes edidit, & Gallias Eccleſiaſtico interdicto ſubiecit. Purus ab eo ſcelere erat Rex Francorum, ac re intellecta, Anglorum Regis Oratorem reduci honorificè ad ſubſellia Apoſtolica iuſſit, cui Pontifex gratias egit, ſacrorumque, ac Templorum vſum Gallijs reſtituit. Adhibuiſſe verò Benedictum maximam ſeueritatem in eos è familia Pontificia, qui in Regis Anglorum Oratorem manus iniecerant, refert illius vitæ Auctor; in ipſos enim nullo dignitatis diſcrimine legibus agi iuſſiſſe, ac nonnullos ante domum cuius effractæ fores, laqueo præfocari. Mareſcallum autem Pontificium, qui facinori aſſenſerat, cum in carcere ex dolore ignominiæ necem ſibi con-

ſciuiſſet,

ſciuiſſet, damnatum Iudicum ſententia, atque illius corpus in patibulo volucribus laniandum expoſitum. Ita ſontium ſupplicijs Anglico Oratori, ac ſedi Apoſtolicæ illata iniuria vindicata eſt, nec flecti Pontifex optimus precibus à Francorum Rege porrectis potuit, vt ab æquitatis rigore diſcederet.

Pro pauperibus, qui Romę erant pecuniam largitur.

Certior factus Benedictus de inopia rei frumentariæ, qua laborabat Roma, ad leuandam Annonam, atque ad egentes ſuſtentandos quinque millia aureorum Ioanni Epiſcopo Anagnino tranſmiſit, vt eleemoſynas erogaret, atque hæc ad illum ſcripſit. *Non abſque magna mentis compaſſione percipimus, quod in Vrbe, partibuſque circumiacentibus fames valida naſcitur, quo Dei occulto iudicio his temporibus ingruente, propter defectum ciborum ibidem pauperes miſerabiliter, & lamentabiliter moriuntur. Nos quamuis Nobis, & Eccleſiæ Romanæ variæ ineuitabiles neceſſitates ſuper vires facultatum immineant inceſſanter, tamen pietatis paternæ viſcera erga pauperes Vrbis eiuſdem Noſtros, & Eccleſiæ memoratæ peculiares vtique filios claudere non valentes, quinque millia florenorum auri de Florentia, de pecunia Noſtra Cameræ pro emendis exinde bladis, piéque diſtribuendis inter pauperiores, & indigentiores prodictæ Vrbis pro vtiliori ſuſtentatione vitæ ipſorum mandauimus, & ordinauimus mitti, &c.*

Ex Regiſt. Vatican.

Hæreſes extirpare ſtudet.

Bzouius in Annal. Eccleſiaſt.

Cum emerſiſſent in Eccleſia varia hæreſeon genera, quæ humani generis hoſtis ſparſerat, videlicet in Hibernia Magi, Vvaldenſes in Gallia Lugdunenſi, in Italia *Fratricelli*, alijque impudicitiæ effrenatæ dediti, Schiſmatici in Germania, in Dalmatia, & Boemia alij, qui nouos errores ſimplicibus afflabant; aduerſus hæc monſtra Apoſtolico zelo pugnauit Benedictus, ac Regum, & Principum potentiam, opem Magiſtratuum, Epiſcoporum zelum, Cenſorum fidei diligentiam ad ea abolenda implorauit. Atque in primis aduerſus nonnullos ſceleſtiſſimos homines, qui pactum cum morte, & inferno inierant in Hibernia, ac diuino Numini terga verterant, edoctique fuerant à dæmonibus Euchariſtiæ nullum cultum adhibendum, Odoardum Anglorum Regem ſuis literis incitauit, alijſque eundem Regem monuit infamia illius hæreſis reſperſos homines, cum Epiſcopum ad ſedem Apoſtolicam pro imploranda ope ſe compuliſſe accepiſſent, fraude, & dolo viros, Regios Adminiſtros impuliſſe, vt Epiſcopi, & Eccleſiæ Oſſorienſis vectigalia occuparent. Quo circa ipſum rogauit, vt Magiſtratibus, quos Hiberniæ præfecerat, Epiſcopo, & Eccleſiæ eidem omnia bona reſtituere imperaret: Regiæ enim gloriæ turpiſſimam labem aſperſum iri, ſi Epiſcopi patrocinium in cauſa adeo iuſta non ſuſciperet. In Boſnia cum recrudeſcerent hæreſes, ac Stepocius Banus impijs ſtuderet, ſuaque potentia illos tueretur, Pontifex ſeruandæ incorruptæ Religionis ſtudio, finitimos Principes, vt arma in Hæreticum Banum corriperent, excitauit. Emicuit etiam Benedicti ſtudium in Græcis Schiſmaticis ad Romanæ Eccleſiæ coniunctionem prouocandis, & ad optatam adeo Eccleſiarum coniunctionem vrgendam, Andronicum Palæologum ſuis literis prouocauit, & Ioannam Imperatricem ex Comitum Sabaudiæ ſtirpe Catholica genitam, quæ mirum in modum huic Græcorum coniunctioni fauebat, vt cœptis inſiſteret, alijs literis incitauit; eamque quàm ſuppliciter potuit, rogauit, vt apud Imperatorem incumberet, vt Apocriſarios ad Eccleſias coniungendas, & Schiſma curandum, inſtructos auctoritate quàmprimum tranſmitteret. Excitauit pariter Aymonem Comitem Sabaudiæ, vt cum maximè de ipſius gloria ageretur, ne qui ex Sabauda ſtirpe à fidei puritate deficerent, vel aberrarent ab Eccleſiæ gremio, in nepotibus Imperij hæredibus vnà cum ceteris Orientalibus ad Romanæ Eccleſiæ obſequium reuocandis pium pietatis ardorem explicaret. Sed intermiſſa paulò poſt coniungendarum Eccleſiarum tractatio ob funeſtas diſſenſiones inter Occidentales, atque ob Anglorum, ac Francorum, imò & Venetorum ac Genuenſium exitialia bella. Indixit ad Regis Caſtellę preces propoſitis Indulgentiarum promiſſis ſacram aduerſus Mauros expeditionem, & religioſam militiam profeſſuros Crucis ſymbolo diſtingui, atque in bellicos ſumptus Sacerdotiorum decimas contulit pactus in agris, & Vrbibus Maurorum eripiendis Eccleſias pro cultu diuino exercendo conditurum.

Schiſmaticos ad Eccleſiam reducere curat.

Oder. Raynald. in Annal. Eccleſiaſtic.

Benedicti ſcripta. Ludou. Iacobus à S. Carolo in Bib. Pont.

Pręter illa, quæ ſuperiùs recenſuit Ciaconius, ſcripſit Benedictus.

Commentaria aduerſus Fraticellos, quæ parum accuratè delibaſſe Aymericum obſeruat Pigna.

Tum aliud volumen edidit complectens vndecim Quæſtiones in Durandum.

Commentaria in Pſalmos Dauidicos.

Sententias varias ab Hermanno Schedelio in Chronico Norimbergæ excuſo relatas.

Commentaria erudita, & prolixa in Euangelium S. Matthæi.

Expoſitionem Regulam ſancti Benedicti.

In Bibliotheca Vaticana extat m. s. liber in ſex tractatus Diſpoſitus à Benedicto compoſitus, De Viſione Beatifica, & alijs Controuerſijs Theologicis. vtrum vero hic alius ſit ab ijs, quos ſupra commemorauit Ciaconius de Statu Animarum, &c. me latet.

Obitus.

E vita exceſſit Benedictus nō die 29. anno 1342. vt referunt Guilelmus, & Albergetus Cortuſij in hiſt. de Nouitatibus Paduę, & Lōbardiæ, ſed die xxv. mēſis Aprilis ex Ciaconio, & Anonymo auctore Bibliothecæ Vaticanæ, qui inſignia, ac memoratu digna Elogia in

Elogia.

Benedictum confert, eumque ob pietatis in Deum ſtudia commendat his verbis. *Ipſe inſuper mente, verbo, & opere totus intentus extitit ad ea quæ Dei erant, poſſe tenus exequenda, non tamen propterea illa, quo etiam mundiale regimen ſibi commiſſum concernebant, neglexit, imo in ipſis bene, & vtiliter agendis, & gubernandis debitam oalibus diligentiam, prouidéque ſe geſſit, nihil de contingentibus omittendo. Mundanam pompam, & vanam gloriam in ſe, & in ſuis omnino contempſit, ſicque fuit re, & nomine Benedictus in quam à Deo, & Bene-dictus hoc eſt bene nominatus, & reputatus à mundo, cum fere omnes, ſaltem boni, qui in mundo erant, de ipſo benedicerēt, & exiſtimarent, & meritò; nam ſine cuiuſquam præiudicio loquendo omnes alios ſui nominis, qui ipſum in ſtatu Papali proceſſerunt, non reperitur, quod ipſum in meritis exceſſerint, imo nec per ea, quæ de ipſis ſcribuntur, attigerint, & ſi fas ſit ſcribere, poſt Martyres, & alios, quos Eccleſia veneratur, & colit vt ſanctos, inter meliores ipſe vnus fuit, & eſt meritò reputandus, qui plenus magnis meritis poſt multa virtuoſa, ac laude digna ſpiritum reddidit Saluatori, anno Domini 1342. die xxv. menſis Aprilis, Pontificatus ſui anno octauo, fuitque ſepultus in Eccleſia maiore Auenioni, in qua adhuc iacet in Capella pro ipſo ſpecialiter fabricata etiam miraculis coruſcando.*

Inſtituit Academiā Veronenſem. Panuinius de Antiquit. Veronenſ.

Academiam Veronenſem Benedictus inſtituit, & omnibus inſignibus auctorandi conſultos Theologiæ, ac Philoſophię Magiſtros, largo Pontificiæ benignitatis munere condonauit. multum auri Eccleſiæ reliquit.

Cæſar Noſtradamus Hiſt. Prouinc. Lauretanę domus Indulgentias inuenit.

Patrem ſuum holoſericis veſtitum videre noluit, quoad veſtes illas exutus alias ſumpſiſſet, quales antea ferre conſueuerat. Primus Indulgentias peccatorum dedit viſitantibus ſacram Aedem beatæ Virginis Lauretanæ; vnde ad eam magnus factus concurſus; cumque Recinetenſes ſenes, ac valetudinarij eò pergere non poſſent, Imaginem ad Lauretanæ ſimilitudinem, ara, & ſacello excitato ad id ſe conferebant, ab eodē Pontifice impetrata Indulgentia, ijs qui id præſtarēt.

Horat. Turſellin. in Hiſtor. Lauret. Hip. Marrac. in Pont. Marianis. Ferdinād. Vghel to. 1. Ital. ſac. Erectio Xenodochij Iucuabalium.

In Martyrologio Gallicano hæc de Benedicto ad ſexto Kalendas Maias legimus: *Obijt eadem die ſanctæ memoriæ Benedictus Papa XII. qui rerum in ſede Apoſtolica à ſe geſtarum pietate, ac magnificentia, & patriam, & vniuerſam Eccleſiam adeo mirificè illuſtrauit, vt vere de ipſo dici poſſit; eum fuiſſe, quem feliciter Gallia peperit, quem Lutetia aluit, quem Roma coluit, quem Sion cœleſtis coronauit. Inchoauit Lutetiæ Pariſiorum ſumptuoſo opere Eccleſiam Gymnaſij Ciſtercienſis, cuius alumnus fuerat: aliam Baſonæ conſtruxit, in qua habitum huius ordinis, & ſpiritum induerat; aliam Toloſæ, vbi delecta ſepultura quieſcit. Quæſtionem is ipſe Pontifex diremit de ſanctarum animarum poſt obitum ſtatu, declarauitque animas, quæ purgatione non egent, ſtatim poſt mortem Dei faciem videre, cuius ipſe beatum conſpectum deſiderans, pio fine, vt frueretur, diſceſſit.* A veritate quidem aberrat Sauſlay in Martyrologio Gallicano dum Benedicti corpus Toloſæ quieſcere affirmat; nam ex ſequenti Epitaphio ſcimus iacere in Eccleſia principe Auenionenſi.

Benedicti Corpꝰ iacet Auenione.

Hic ſubſunt Cineres, & Oſſa
BENEDICTI XII. PONTIF. MAX.
Qui fuit Oriundus ex oppido Sauarduno Diœc. Apamienſis in Comitatu Fuxenſi, & appellabatur Fr. Iacobus Furnerius, Monachus Ciſtercienſis, Theologiæ Doctor eximius. Fuit primum Abbas Montisfrigidi, inde Epiſcopus Mirapicenſis; demum Presb. Card. tit. S. Priſcæ à Ioanne XXII. cui immediatè in Pōtificatu ſucceſſit, creatus, vulgo Cardinalis Albus dicebatur: quem ob rei familiaris anguſtiam, Cardinalium penè infimum, in ſummum Pontificem ob eius vitæ integritatem elegerunt in Vigilia S. Thomæ Apoſtoli, in Conuentu Fratrum Prædicatorum huius Vrbis, vbi etiam Kalen. Ianuar. per Neapoleonem de Vrſinis Diac. Cardin. Coronationis inſignia ſuſcepit anno 1335. Vir fuit doctrina, & vita integritate præſtantiſſimus, virorum bonorum, & Doctorum valde ſtudioſus; multa præclara ſtatuit tum ad morum, & præcipuè Cleri reformationem, & Eccleſiaſticam diſcipli-

nam inſtaurandam ſpectantia. Sedit in Pōtificatu annos ſeptem, menſes quattuor, dies ſex, vnica tantùm habita ſex Cardinalium virorum præſtantiſſimorũ creatione. Deceſſit in Auenionenſi palatio, quòd ipſe fabricari iuſſerat, ex tibiæ dolore vj. Kal. Maij anno 1342. funus in præſenti Eccleſia magnificè curatum fuit, omnibus, qui aderant, ob tanti Pontificis necem collacrymantibus.

B Sub hoc Romano Pontifice, anno noſtræ ſalutis 1339. auctoritate Aegidij Toletani Archiepiſcopi, ad reſtaurandos Eccleſiaſticorum mores habitum eſt Concilium Toletanum.

Cōcilium Toletanũ.

Anno 1337. migrauit ad Dominum Eliſabetha Regina Luſitaniæ, quæ maximis poſt mortem miraculis adeo fulſit, vt Paulus IV. ad preces Ioannis III. Luſitaniæ Regis, in omnibus Luſitaniæ Regnis aras Deo dicari, tabellas affigi, ſolemneſque precationes publico Eccleſiæ ritu decantari ad eius nominis memoriam permiſerit, ac demum Vrbanus VIII. anno Iubilæi 1625. illam ſolemni ritu in Sanctarum Viduarum Catalogo repoſuerit. Anno verò 1341. ex hac ad meliorem vitam euolaſſe Nankerum Epiſcopum Vratiſlauienſem ſanctitate inſignem tradunt hiſtorici Poloni. Floruit in Germania ſedente Benedicto in Petri Cathedra, egregiæ pietatis opinione Græca Sanctimonialis, Hungara genere, quæ Coloniæ in Monaſterio Vndecim millium Virginum, & Martyrum rebus diuinis vacabat, cui Pontifex ob miſſas ſibi S. Margaritæ virius ex illo triumphali agmine ſacras reliquias gratias egit, atque ad conſtantiam in rerum cœleſtium tractatione eſt adhortatus.

C

Obitus Eliſabethæ Luſitaniæ Reginæ. Oder. Raynaldus in Annal. Eccleſiaſt. Luc. Vvaddingus in Annal. Minorum. Mors Nanken Epiſcopi Vratiſlauienſis. Græca Monialis ſanctitate illuſtris. Oder. Raynald. in Annal. Eccleſiaſtic.



Signum *Benedicti* *Papa* *XII.*

Gaſpar Iongel. in Purp. Diui Bernardi.

D

PRIMA ET VNICA CREATIO CARDINALIVM Benedicti Papa XII.

Anno Dominicæ Incarnationis 1337. ex Panuinio, & Ciaconio, ſeu veriùs ex Contelorio, & Anonymo auctore vitæ Benedicti apud Boſquetum anno 1338. Pontificatus Quarto, ſeu Quinto, in quatuor Temporibus Aduentus xv. Kalend. Ianuarij Auenione Benedictus XII. Romanus Pontifex primò renunciauit Cardinales qui fuerunt.

Frater Matthæus Vrſinus Romanus, ex Presbytero titulo Pammachij Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis.

E Petrus de Mortuomari Lemouicenſis, ex Presbytero ſancti Stephani in Cœlio monte Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis.

Aliqui inter hos recenſent Guillelmum Teſtam Gallum, & dicunt ex Diacono renunciatum fuiſſe Epiſcopum Cardinalē Albanenſem, ſed vt diximus ſupra ex Felice Contelorio iam è vita exceſſerat.



I.

GOCTIVS de Battaglijs natione Italus, patria Ariminenſis, ex Patriarcha Conſtantinopolitano à Benedicto XII. Romano Pontifice renunciatus eſt Presbyter Cardinalis S. Priſcæ. Hęc enim legimus apud Anonymum Auctorem vitæ Benedicti F apud Boſquetum. *Anno Domini 1338. die decimaoctaua menſis Decembris, quæ fuit feria vi. quatuor Temporum, dictus Benedictus Papa vnam fecit creationem ſex Cardinalium, quos in Presbyteros aſſumpſit, qui fuerunt iſti, videlicet Goctius de Arimino Italicus, tunc Patriarcha Conſtantinopolitanus, &c.*

A Ex quibus reijciuntur illi, qui Goctium natione Gallum, patria Toloſanum, faciunt. Benedicti eiuſdem iuſſu legationis munere vnà cum Raterio Epiſcopo Vaſionenſi in Sicilia functus eſt Goctius aduerſus Petrum Aragonium, inique Trinacriæ incubantem, vt ipſum Eccleſiaſticis cenſuris defigeret, niſi iniuſtam poſſeſſionem dimitteret, obiectaque cenſurarum religione in iuſti Regis Roberti obſequium Siculos cogeret. Ab his in Ciuitate Rhegij acta iudiciaria in perduelles, & in Petrum alieni iuris occupatorem anno 1339. concepta ſunt, quibus hic titulus, vt refert Odericus Raynaldus in Annalibus Eccleſiaſticis inſcriptus eſt. *Goctius Dei gratia, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis, olim Patriarcha Conſtantinopolitanus, & Raterius eadem gratia Epiſcopus Vaſionenſis Apoſtolicæ ſedis Nuncij, Commiſſarij, & executores ad infraſcripta per ſedem Apoſtolicam ſpecialiter deputati Vniuerſis, & ſingulis huius proceſſus ſeriem inſpecturis ad certitudinem præſentium, & memo-* B *riam futurorum.* Interfuit Comitijs, in quibus electus eſt Clemens Sextus, cuius literis Abbatiſſæ, & Monialibus Monaſterij S. Claræ de Mãnaſca Diœceſis Siſtaricēſis datis anno reparatæ ſalutis 1343. ſubſcripſit. Ex hac vita deceſſit Auenione, non anno 1344. vt ſcripſit Ciaconius; nam ex teſtamento condito anno 1345. ſcimus vitam vltra illud tempus prorogaſſe ſuam; ſed obijt ex Ferdinando Vghellio, anno 1345. ſeu potius ex Contelorio die 10. Iunij anno 1348.

Luc. Vvadding. in Annal. Minor. to. 3.

Huiuſce Goctij impenſis extructum eſt in maiori Ariminenſi Templo in honorem ſanctæ Priſcæ Sacellum, in quo ſacrum regenerationis lauacrum ſumpſerat, vt teſtatur ſubiecta Inſcriptio eidem Sacello appoſita.

Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

C

ANNO DOMINI MCCCXL.
DOMINVS GOCTIVS DE BATTAGLIIS
IVRIS VTRIVSQVE PROFESSOR
S. R. E. CARDINALIS
FECIT FIERI HANC CAPELLAM
ET DE SVO PROPRIO EAM DOTAVIT.

Huius Sacelli erectionem, eiuſque dotem ſuis literis confirmauit Clemens VI. Romanus Pontifex.

Ad parietes eiuſdem Sacelli viſuntur gentilitia Inſignia Goctij Cardinalis, quæ habent campum diuiſum, cuius inferior pars tota argentea, ſuperior verò rubea cum enſe argenteo.

Præter iam dictum, alterum inſtituit in eadem Ciuitate in Eccleſia S. Agnetis Sacellum S. Stephano Protomartyri ſacrum, in quo eius cineres in maiorum ſepulcro Auenione illuc deducti iacent. Omnibus & ferè ſingulis Ariminenſibus Eccleſijs pretioſam ſupellectilem diſtribuit: huius Cardinalis teſtamentum referunt Raphael Adimarius, & Cæſar Clementinus in hiſtoria Ariminenſi; cuius exemplar authenticum ſe vidiſſe fatetur Ferdinãdus Vghellius Sci-D pionis de Battaglinis nobilis Ariminenſis humanitate. Battaglinam enim familiam, quæ hodie inter primores Ariminenſes locum obtinet, è Battaglia ortum ducere ex antiquis, & authenticis Tabulis certò ſcimus.

Ciaconius ex Epiſcopo Vaſionenſi, & Patriarcha Conſtantinopolitano Goctium inter Presbyteros Cardinales cooptatum ſcribit, ſed illum non inuenio in ſerie Epiſcoporum illius Eccleſiæ, quam exactiſſimè confecit Claudius Robertus in Gallia Chriſtiana; imò ex laudato ſuperiùs titulo iudiciarijs actis in Petrum Aragonenſem conſcriptis appoſito, & ex eodem Claudio Roberto, Concilioque Auenionenſi ſcimus Eccleſiam Vaſionenſem Benedicti XII. Pontificatu rexiſſe Raterium, qui vnà cum Goctio legationis munere functus eſt in Sicilia, poſt cuius obitum eidem Eccleſiæ præfuit Petrus de Caſa Lemouicenſis Carmelitarum præpoſitus Generalis.

E



II.

BERTRANDVS Deucius, ſeu de Deucio, vel Dencio natione Gallus, natus in oppido Blandiaco Vticenſis Diœceſis, pietate, & literis illuſtris, legum Pontificalium, & Cæſarearum Doctor, ex Archiepiſcopo Ebredunenſi Presbyteris Cardinalibus titulo S. Marci prius à Benedicto, mox Epiſcopis Sabinenſibus à Clemente VI. adſcriptus, ſub eiſdem Pontificibus S. R. E. Vicecancellarij munere functus F eſt. Antequam Cardinalis, honore, ac nomine cohoneſtaretur, Benedicti iuſſu decretus eſt Nuncius ad Robertum Siciliæ Regem in Pontificia verba adigendum, vt teſtantur literæ ad ipſum Robertum datæ Auenione nonis Maij, anno primo Pontificatus, in quibus hæc de Bertrãdo legimus. *Venerabiles Fratres Noſtros Bertrandum Ebredunenſem, quem ad te ſuper hoc deſtinamus, & Ioannem Neapolitanum in ipſis partibus exiſtentem, Archiepiſcopos, de quorum circumſpectionis induſtria, & fidelitate probata fiduciam in Domino gerimus ſpecialem.* In ijs verò, quas ad Federicum Tri-

Panuinius. Ciaconius. And. Victorel. in Addit. ad Ciacõ. Felix Cõtel. in Elẽch. Card. Ferdinãd. Vghel. to. 1. Ital. ſac. Oder. Raynald. in Annalibus Eccleſiaſt. Anonym. auctor vitæ Benedicti apud Boſquet.

nacriæ

nacriæ Regem Benedictus eodem anno ſcripſit, hæc habet. *Super his autem, & nonnullis alijs præmiſſa tangentibus tibi ex parte noſtra oretenus ſeriose, ac particulariter enarrandis Venerabilem fratrem Noſtrum Bertrandum Archiepiſcopum Ebredunenſem, quem propter ſuæ probitatis expertam conſtantiam, grandiaque dona virtutum ad hæc vtilem per experientiam nouimus, ad tuam præſentiam prouidimus deſtinandum: quem ſua magnitudo ob ſedis eiuſdem, & noſtram reuerentiam benignè recipiat, proſequatur honorificentia debita, ſibique referenda ſuper præmiſſis pro parte noſtra credas, ac illa deducat ad votiua, ac ſperata executionis effectum, ſciturus pro firmo, quod ſi tu monitionibus, & exhortationibus paternis huiuſmodi acquieueris cum effectu, & de præmiſſis omnibus ſatisfactionem debitam, prout tui ſtatus decentia exigit, nobis, & Eccleſiæ Romanæ prædictæ impẽderis, aperte cognoſcẽs, Nos, & dictam Eccleſiam adeſſe tibi, quantum cum Deo poterimus, fauoribus, & præſidijs opportunis, &c.* Deinde vt Bononienſes ad Eccleſiæ obſequium Benedictus reuocaret, & Romanos in officio retineret, anno 1336. Bertrandum hunc Apoſtolicæ ſedis Nuncium, ad illos cum literis tranſmiſit. Renunciatus iam Cardinalis, Clementis iuſſu ad Petrum Aragonẽſem in Hiſpaniam ſe contulit, ad ſedandum Balearium, & Aragoniæ Regum bellum, inducijs inter illos Reges ſtatutis ad Pontificem rediję, à quo in Italiam Legatus ditionis Eccleſiaſticæ reſtaurandæ, & protegendæ gratia. In hac legatione inducias inter Vrſinos, & Columnenſes Proceres Romanos, qui partes Guelphorum, & Ghibellinorum tuebantur, ad biennium pactas in Eccleſia Capitolina Aræ-cœli, præſente Clero, Senatu, Populoque Romano, ad diem Ianuarij decimum tertium anno à partu Virginis 1346. publicatas roborauit, & violantibus anathema dixit. Eodem anno Regnum Neapolitanum eiuſdem Clementis Romani Pontificis iuſſu petijt ob cædem Regis Neapolitani Andreæ; & a Regina, ac Regni Proceribus, non eo quo decuit honore fuit exceptus, & videns nullam ſpem, & remedium eſſe rebus quaſi in extremum redactis, ſeceſſit Beneuentum, diuque illic commoratus, flocci à pluribus æſtimatus, vir alioqui nunquam ſatis æſtimandus. Poſtea egit cum Ludouico Rege Hungariæ fratre Andreæ Regnum ingreſſo ad vltionem de cæde fraterna repetendam, egit inquam, vt res componeret, ac Pannoniam reuerteretur.

Spondan. in Annal. Eccleſiaſt.

Oder. Raynaldus in Annal. Eccleſiaſtic.

Pet. Fried. in Gallia Purpurat.

Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

Anno deinde 1348. Fidei propagandæ inuigilans, Hæreticæ prauitatis Inquiſitorem in Italia Ioannem Spellanum Minoritam conſtituit datis hiſce ad eum literis.

Petrus Frizon. in Gal. Purp.

BERTRANDVS Miſeratione diuina, tituli ſancti Marci, Presbyter Cardinalis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, Terrarum, ac Prouinciarum Romanæ Eccleſiæ in partibus Italiæ conſiſtentium Reformator, & Vicarius generalis.

Dilecto in Chriſto Fratri Ioanni de Spello ordinis Fratrum Minorum ſalutem in Domino.

Inter ſollicitudines varias, quibus ex officio iniunctæ Nobis legationis aſtringimur ſollicitè cogitare Nos cõuenit, vt officium Hæreticæ prauitatis exerceatur ſollicite, & perſonis talibus committatur, quod eorum ſacro miniſterio errantes ad lumen redeant veritatis. Nuper ſiquidem Sanctiſſimus Pater, & Dominus Noſter, Dominus Clemens Diuina prouidentia Papa VI. Nos ad Regnum Siciliæ, & totam Terram ipſius Regni citra Pharum, & Tuſciam, ac nõnullas alias partes, & Prouincias in literis Domini Papæ Nobis ſuper noſtra legatione conceſſis ſpecialiter nominatas, commiſſo Nobis plenæ legationis officio in eiſdem pro vrgentibus, & arduis Eccleſiæ Romanæ negocijs deſtinans, Nobis conceſſit ſuas Apoſtolicas literas his Verbis.

CLEMENS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Dilecto filio Bertrando tituli ſancti Marci, Presbytero Cardinali, Apoſtolicæ ſedis Legato ſalutem, &c.

Plenam de tuæ probitatis, & circumſpectionis tuæ prudentia, & donis virtutum tibi conceſſis à Domino, fiduciam obtinentes, te ad Regnum Siciliæ, Terras, ac Prouincias Eccleſiæ Romanæ immediatè ſubiectas, ceteraſque partes Italiæ plenæ legationis officio, & alijs negocijs tibi per Nos commiſſis varijs, & diuerſis, de Fratrum Noſtrorum conſilio prouidimus deſtinandum. Cupientes itaque fidei negocium ſic ſollicitè vbique dirigi, quod nihil circa illud inhoneſtum committatur quomodolibet, vel ſiniſtrum: vt per te, vel alium, ſeu alios de Inquiſitorum Hæreticæ prauitatis infra terminos legationis tuæ conſtitutorum exceſſibus inquirere, ac de illis quibuſuis conquerentibus iuſtitiam facere, ac de quibus tibi videbitur, illos ab officijs remouere, & alios ſubſtituere valeas, contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo, plenam tibi concedimus tenore præſentium poteſtatem. Dat. Auenione iv. Idus Auguſti Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

Aedem Diui Deſiderij Auenionenſem erexit, & dotauit, ac Monaſterium Carthuſienſe ibidem condidit.

Aubery in vita.

Scripſit Vitam, & Paſſionem Chriſti carmine Saphico: interfuit Concilio Auenionenſi, & poſt obitum Benedicti ſuffragium tulit primum pro Clemente, & deinde pro Innocentio VI. Deceſſit Auenione xij. Kal. Nouembris anno 1355. ac ſepultus in Templo ſancti Deſiderij à ſe conſtructo, cum hoc Epitaphio.

Nomencl. Cardinal.

Claud. Robert. in Gall. Chriſtian.

Felix Cõtel. in Elẽch. Card. Ciaconius

Hic iacet bonæ memoriæ Bertrandus de Deucio, Gallus, Caſtri de Blandiaco Vticenſis Diœceſis, Legum Doctor egregius, qui fuit Ebredunenſis Archiepiſcopus, & deinde tituli S. Marci Presbyter Cardinalis, & demum Epiſcopus Sabinenſis, & S.R.E. Vicecancellarius, vir magnarum virtutum, & ſcientiæ, qui de ſuis bonis hanc Eccleſiam dotauit, & fieri ordinauit. Obijt autem Auenione xxj. Octobris ibidem Curia Romana reſidente, anno à Virginis partu 1355. Domini Innocentij Papæ VI. Tertio; cuius anima in pace quieſcat.



III.

MAG. FR. PETRVS Rogerij Monſtrus, natione Gallus, de Malmonte Lemouicenſis Diœceſis, filius Guillelmi Rogerij, Roſei Vici Domini, apud Roſas tenuem Vicum Lemouicinæ gentis in Templo Crucis ſacra aqua ablutus eſt. Adoleſcens Monaſterium Caſæ Dei ordinis Benedictini Diœceſis Claromõtanæ inter Aluerniæ præalta iuga ingreditur, deinde Lutetiam adijt ſtudiorum cauſa. Tenaciſſima memoria præditus, ſemel lectorum obliuiſci nunquã potuit: Doctor Theologus Pariſienſis renunciatus, diuinis literis inſtructiſſimus, ac Iuris Pontificij ſcientia perpolitus, Lutetia Caſam Dei repetens, apud Aruernos non procul à Claromonte incidit in latrones, ſaltum de Randan occupantes. Nudatus ab ijs, recepit ſe ad vici proximi Tureti Rectorem Stephanum Aldebrandum, à quo benignè hoſpitio exceptus ei miniſtrãte veſtem, & vitæ neceſſaria. Diſcedens deinde, *quid tibi*, inquit, *hoſpes mee pro collato referam beneficio*, cui hoſpes, *cum ad ſummum perueneris Pontificatum, par pari referes*. In Pontificatu Clemens dictus memor Aldebrandi, Pontificium Cubicularium illum creauit, Abbatiam Cellenſem, eidemque Archiepiſcopatum Toloſatem contulit. A minoribus Sacerdotijs incœpit Rogerius, Prior enim ſancti Pantaleonis Diœceſis Lemouicenſis, vocatus ad Curiam, Prioratum Diui Baſilij iuxta Nemauſum obtinuit, deinde Abbas Caſæ Dei, & Fiſcani in Neuſtria. Duos deinde Archiepiſcopatus habuit in primis Senonenſem, deinde Rothomagenſem. Benedicti Romani Pontificis mandato Nuncij Apoſtolici munere functus eſt vnà cum Guillelmo Senonenſi Archiepiſcopo apud Francorum, & Anglorum Reges ad bellum inter illos exortũ extinguendum. Summis in rebus à Francorum Rege adhibitus quoque eſt. Anno verò noſtræ ſalutis 1338. cum idem Benedictus Romanus Pontifex Cardinalium numerum augere ad optima in dubijs, & difficillimis rebus conſilia explicanda decreuiſſet, Petrum hunc Archiepiſcopum Rothomagenſem virtutibus omnibus ornatum, abſentem Presbyteris Cardinalibus titulo SS. Nerei & Achillei, aliàs Faſciolæ adſcripſit, atque has ad illum dedit literas.

Ciaconius

Fauuinus

Pet. Fried. in Gallia Purpur.

Arnoldus Vuion in Lig. Vitæ.

Tuthemi.

Claud. Robert. in Gall. Chriſtian.

Odericus Raynal. in Annal. Eccleſiaſtic.

Aubery in vita.

BENEDICTVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Dilecto filio Petro S. R. E. Presbyter Cardinalis, olim Archiepiſcopo Rothomagenſi ſalutem, &c.

Vrgens Vniuerſalis Eccleſiæ non diſſimulanda neceſſitas ijs temporibus Nos, & Fratres Noſtros reddidit anxios in perquirendis viris ſecundum cor Noſtrum idoneis ad Cardinalatus præeminentiam aſſumendis. Opus quidem eſſe ipſi Eccleſiæ conſpicimus, vt ad tantum miniſterium exercendum viri aſſumantur idonei, Deum timentes, diligentes iuſtitiam, & auaritiam abhorrentes. Ideoque Nos cum Fratribus eiſdem præhabita deliberatione prouida, & matura, inter alios, quos ad tantum gerendum officium, Noſtrum & dictorum Fratrum conſilium honorari decreuit, ad perſonam tuam, quam bonorum omnium largitor Altiſſimus multis virtutibus inſignauit, Noſtræ conſiderationis intuitum dirigentes, te ad onus huiuſmodi miniſterij de Fratrum ipſorum conſilio duximus aſſumendum, &c. Dat. Auenione xiv. Kalend. Ianuarij Anno IV.

Poſt Obitum Benedicti, Petri Cathedram aſcendit, accepto Clementis VI. nomine: vide vitam.

Ciaconius
Panuinius
Pet. Frizó. in Gallia Purpurat.
Aubery in vita.

IV.



A GVILLELMVS Curti, natione Gallus, patria Toloſan*, Benedicti XI. dicti XII. ex Fratre nepos, non in Montis oliuarum Cœnobio Benedictini ordinis, Diœceſis Carcaſſonenſis, ſed, vt ſcribit Ferdinandus Vghellus in Balbonenſi Monaſterio Mirapicēſis Diœceſis, diuino ſe famulatui deuouit. Lutetiæ Pariſiorum operam nauauit literis, & ibidem laurea Doctorali ornatus, Abbas ſui Monaſterij electus eſt. B Ex Abbate à patruo Pontifice anno noſtræ ſalutis 1337. renunciatur Epiſcopus Nemauſenſis, vt ex Regiſtri Vaticani

Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana.

Epiſtola 4. *Superne diſpoſitionis conſilij:* conſtat, eodemque anno, tertio nonas Decembris ad Albienſem tranſlatus ſucceſſit Bernardo, vt ex eodem Regiſtro Vaticano liquet Epiſtola 20. ſed mox Eccleſiæ illius curam reliquit. Nam eodem anno 1337. ſeu, vt refert laudatus Vghellus, & Anonymus auctor vitæ Benedicti apud Boſquetum, anno ſequenti 1338. ab eodem Pontifice S. R. E. Presbyter Cardinalis tituli SS. Quatuor Coronatorum creatus eſt, vt teſtatur vitæ Benedicti auctor his verbis. *Anno Domini 1338. die xviij. menſis Decembris, qua fuit Feria vi. quatuor Temporum, dictus Benedictus Papa vnam fecit creationem ſex Cardinalium, quos in Presbyteros aſſumpſit, qui fuerunt iſti, videlicet Gotius de Arimino Italicus, tunc Patriarcha Conſtantinopolitanus, Dominus Bertrandus de Deucio* C *Diœceſis Vticenſis, tunc Archiepiſcopus Ebredunenſis; Dominus Petrus Rogerij Diœceſis Lemouicenſis Monachus ordinis S. Benedicti, tunc Archiepiſcopus Rothomagenſis; Dominus Guillelmus Curti Diœceſis Toloſanæ ordinis Ciſtercienſis, tunc Epiſcopus Albienſis, &c.* Cardinalis hic vulgo Cardinalis Albus poſt Benedicti obitum aſſuit Comitijs, in quibus renunciatus eſt Romanus Pontifex Clemens VI. à quo in Italiam Legatus illico eſt.

Ferdinand. Vghel. in Ital. ſacr.
Odericus Raynal. in Annal. Eccleſiaſtic.

Laniabatur tunc temporis continuis factionibus, ac bellis inter ceteras Italiæ prouincias, Inſubria, Magnatum, qui nouos condiderant Principatus, eorumque fines latius proferre annitebantur, ambitione, atque interregni diuturnitate, cum nullius iuſti Regis metu, ac potentia poſſent comprimi. Ad eos itaque conciliandos, ac pacem alendam Clemens Guillelmum Legatum miſit, de quo euiſdem Clementis vitæ ſcriptor hæc poſteris tradidit. *Dictus Papa audiēs guerras, diſſenſiones, & turbationes, quæ erant, & vigebant, quaſi com-* D *muniter in partibus Italiæ, ex quarum occaſione ſubuerſio earum veriſimiliter poterat euenire, & etiam ex alijs rationabilibus cauſis ad hoc animum ſuum mouentibus, per idem tempus miſit Legatum ſuum de latere ad partes memoratas Dominum Guillelmum Curte titulo SS. Quattuor Coronatorum Presbyterum Cardinalem, qui aliquando ibidem permanſit.* Plures grauiſſimæque cauſæ Clementem impulerant, vt ſumma ſtudia ad bella Inſubriæ extinguenda conuerteret; eorum enim occaſione improbitati fræna impune quique laxabant, Religionis obſoleſcebat ſplendor, afflabatur à multis hæreſeon virus. Præterea optabat Pontifex Italicos enſes rubentes hactenus Chriſtiano ſanguine in Turcas vertere: Cum enim Barbari in Thraciam, Achaiam, Peloponneſum, Aegæique maris Inſulas excurſiones immanes facerent, ad horum coercendum furorem nullis viribus, quàm Italicis cum Rhodijs, ac Cyprijs coniungendis opportunius vti poterat. E Impendebat etiam Italiæ alterius belli terror è Germania, quippe Ludouicus Bauarus contubernij Margaritę Comitiſſæ cum Ludouico iuniore ſpecie Tirolis Comitatum inuaſerat, atque ex Alpium iugis ad totius Italiæ depopulationem cum Germanicis copijs decurrere iterum minitabatur. Iungenda propterea erant Principum arma ad illius conatus comprimendos, ne fortè nouum iterum conflaret Schiſma. Huius autem legationis Guillelmi Cardinalis cauſæ hæ omnes expreſſæ in Diplomate Apoſtolico, ac iuncta prouincia, vt in Inſubria, Liguria, Aquileienſi, & Gradenſi Patriarchatibus, Dalmatia, & Creta Inſula, quæ ad tuendam Religionis ſplendorem conducerent, ſanciret, hæreſeon ſemina præfocaret, Principes, ac populos diſſentientes conciliaret, firmiſſimo fœdere ad repellendum Italia Bauarum copularet, atque vnà cum Venetis, & alijs de conferendis contra Turcas auxilijs, atque ornanda ſacra expeditione pro defendenda Europa agitaret. F Inſtructus eſt auctoritate Guillelmus Cardinalis Legatus, vt cenſuras rebellibus incuteret, ac religioſos viros, & Præſules ſibi aduerſantes coerceret. Tum Aquileienſis, & Gradenſis Patriarchæ, Mediolanenſis, Genuenſis, Iadertinus, Spalathenſis, Raguſinus, Cretenſis, Antibarenſis Archiepiſcopi, cetericque prouinciæ Præſules, ac Principes ad explicandam pro ſanciendo cum Venetis, & alijs populis ſacro in Turcas fœdere, & arcendum Ludouicum Bauarum, qui ſubacturum ſe Italiam gloriabatur, Legato opem excitati. Denique collata Guillelmo Cardinali, vt ſacra conſilia promoueret, poteſtas Apoſtolica ad inuiſas coitiones reſcindendas, diſſoluenda contraria ſacramenta, A inducias inter diſſentientes, cum neceſſitas poſceret, indicendas. Perfunctus eſt ſtrenuè demandato ſibi munere Guillelmus, neque enim Italis Principibus mutuo fœdere coniunctis, Ludouicus Bauarus Italiam auſus eſt ingredi, ſuam factionem potiùs confirmare in Germania coactus, quàm nouam diſcriminum poteſtatem adire. Quin etiam fœderatæ Germanorum copiæ, quæ Aemiliam depaſcebant, Italia exactæ fuerunt, vt refert Cortuſiorum hiſtoria. De ſedatis induciarum beneficio Italicis diſcordijs à Guillelmo Cardinali Clementis VI. vitæ ſcriptor meminit his verbis. *In multis compleuit ſibi cōmiſſa, & quod ad diſſenſiones, & guerras prædictas, ipſas per bonas treguas ſedauit.* His conſentiunt, quæ de geſtis à Guillelmo Cardinale tit. SS. Quatuor Coronatorum Apoſtolicæ ſedis Legato, narrat Clemens in literis quarto ſui Pontificatus anno datis.

CLEMENS, &c. Quia Cardinalis tandem comperto ibidem inter alia, quod ex diſcordijs, quæ inter Venerabilem Fratrem B *Noſtrum Ioannem Archiepiſcopum Mediolanenſem, & dilectos filios nobiles viros Ioannem, & Luchinum de Vicecomitibus fratres, in Ciuitate Mediolanenſi Noſtros, & Eccleſiæ Romanæ Vicarios generales, ac Nicolaum de Ebulo Comitem Trimenti pro chariſſima in Chriſto filia Noſtra Ioanna Regina Siciliæ Illuſtri in partibus Lombardiæ, & Pedimontium tunc Seneſcallum, & Capitaneum generalem, ac Iacobū de Sabaudia Principem Achaiæ, & Io: Montisferrati, & Thomam, & alios Salutiarum Marchiones, & Dominos de Beccharia, ac Populum, & Vniuerſitatem Ciuitatis Papienſis, & eius diſtrictus. Nec non de Calmoretto, de Ponzano, de Carreto, de Inciſia, & de Ceua Marchiones, ac ſancti Martini de Valperga, & de Mazurro Comites, nec non & de Caſtromonte de Biſchis, de Barrio de Riualba, de Blandiſio, & de Bonecito, & Franciſcum de Calamendrana, de Viſchiſa, de Cothonaco Dominos, ac omnes & ſingulos Aſtenſes, Taurinenſes, Alexandriæ, & de Caluis* C *forinſecos, & extrinſecos, cum omnibus, & ſingulis eorundem prænominatorum, & cuiuſlibet ipſorum Ciuitatibus, Caſtris, Villis, diſtrictibus, & locis, ac Vniuerſitatibus, & Communitatibus eorundem, Vaſſalliſque, Valitoribus, & Subditis, ſequacibus, & diſtrictualibus eorundem, & cuiuſlibet ipſorum, ceteriſque forinſecis extrinſecis, & intrinſecis Ciuitatum, Caſtrorum, Villarum, diſtrictuum, & locorum ipſorum hinc inde longo iniritis tempore, permittente Deo, & inſtigante Diabolo ſatore diſcordiæ, pacis æmulo, Chriſtianique nominis inimico, infinita ſcandala, deprædationes, incendia, rapinæ, ſtrages hominum, & Animarum perditiones, nec non depopulationes Eccleſiarum, locorum, & perſonarum Eccleſiaſticarum hinc inde (ex quibus multi vtriuſque ſexus facultatibus ſuorum bonorum exuti cogebantur in terris non ſuis miſerabiliter mendicare, ad illicita ſe laxantes, in grandem diminutionem cultus Diuini, & notabilem diſſipationem earundem partium ferant,* D *proh dolor? ſubſecuta, & niſi illis ſuccurreretur celeriter, ſequi timebantur de propinquo peiora; & attento per eundem Cardinalem, quod tam ex poteſtate ſibi per dictas literas attributa, quàm ex debito legationis officij ſibi impoſiti ſua intererat, de illo remedio prouidere, per quod ſtatus dictarum partium, & omnium in eis habitantium perſonarum ſubtraheretur à noxijs, & ad ſalubria dirigeretur. Ad occurrendum illi morbo tam graui, tamque peſtifero, & ad infundendum vinum, & oleum vulneribus totius patriæ tam letaliter ſauciatæ: nec non ad obuiandum furori obſtinatæ malitiæ Infidelium omnium, & maxime Turcarum, ac damnati Bauari, ac aliorum Hæreticorum, & Rebellium Sanctæ Matris Eccleſiæ, qui contra ipſam inſurrexerant, & Fidei Catholicæ aduerſabantur, ſuæ conſiderationis intuitum dirigendo, ac viam, quæ amplius pacis, ac concordiæ repræſentat imaginem eligendo treguas firmas, & validas, &c.* Et infra. *Apoſtolica, & ſua legationis, qua fungebatur auc-* E *toritate ſub certis ſpiritualibus, & temporalibus pœnis indixit, vſque ad continuos tres annos tunc ſequentes à vigeſima prima die menſis Maij Pontificatus Noſtri Anno II. in antea computandos incluſiuè, & vltra per vnum menſem continuum de contramandamento intelligendum ſecundum conſuetudinem partium prædictarum continuè duraturas, prout in quibuſdā patentibus literis deinde confectis, ac euiſdē Cardinalis ſigillo munitis plenius cōtinetur, &c.*

Ferdinand. Vghel in Ital. ſac.

Functus hoc legationis munere ad Curiam rediji, & à Clemente anno à partu Virginis 1350. xv. Kal. Ianuarij Epiſcopatu Tuſculano donatus, Collegium Ciſtercienſe in florentiſſima Pariſienſi Academia vulgo Bernarditarum appellatum, à patruo Benedicto inceptum, perfecit, ac Templum celebre ibidem extruxit, cui coronidem morte præuentus imponere non potuit. Libris quamplurimis euiſdem Collegij Bibliothecam exornauit, & annuos redditus largè F manu eidem ſuppeditauit ad 16. Theologiæ operam dantes in perpetuum alendos. Pro foribus euiſdē Collegij hæc Inſcriptio legitur.

DOMINVS GVILLELMVM QVONDAM CARDINALIS
DOCTOR THEOLOGIÆ TOLOSANVS NATIONE
CISTERCIENSIS RELIGIONE ECCLESIAM PRÆSENTEM
AD PERFECTIONEM QVALEM OBTINET PERDVXIT.
BIBLIOTHECAM INSIGNIVIT
SEXDECIM SCHOLARES IN THEOLOGIA STVDENTES
PERPETVO FVNDAVIT.

In antiquo Codice manuſcripto Abbatię Montiſamiati in Tuſcia ordinis Ciſtercienſis nonnulla ſtatuta ex Capitulo generali referun-

tur, quæ

tur, quæ hic ex Ferdinando Vghellio in Italia ſacra libenter reſcribimus, vt Guillelmi pietas, ordinis in optimum patrem charitas, ac dignitas Tuſculani Epiſcopatus eidem collata magis innoteſcant: ſic enim ſe habent. *Anno 1352. ſtatutum eſt apud Ciſtercium vltimo concludendo ordinationes Domini Cardinalis Albi, dum eſſet Abbas Balbonæ, facta quando prædictus Pariſienſe ſtudium reformauit auctoritate Capituli generalis, teneri, & obſeruari mandat ſub pœnis in eiſdem poſitis. Ibidem anno 1355. apud Ciſtercium Guillelmus Tuſculanus Epiſcopus Cardinalis, ordinis benefactor, & collator dedit quinque millia florenorum, quos pro emendis redditibus ad ſuſtentationem, reparationem, & continuationem fabricæ communis Eccleſiæ ordinis ſtudij ſancti Bernardi Pariſienſis obtulit hoc anno liberaliter, eidem conceſſit ordo, vt Miſſa de Spiritu ſancto, dum vixerit, pro eo celebretur, & poſt eius felicem obitum Miſſa pro Defunctis pro ſtabili, & proſpero ſtatu ac remedio animæ dicti Cardinalis in eadem Eccleſia, & Conuentu qualibet ſeptimana in perpetuum.* Anno 1348. qui fuit Clementis Sextus, ſubſcriptione ſua firmauit eiuſdem Pontificis literas datas Abbatiſſæ, & Monialibus Monaſterij Miſericordiæ B. Mariæ Virginis de Denero.

Luc. Vvadingus in Annal. Minorum.

Ex hac vita migrauit Guillelmus Epiſcopus Tuſculanus Auenione die 12. Iunij anno 1361. ibidem ſepultus, vt refert, ex libro Obligationum, Felix Contelorius in Elencho Cardinalium. Frizonius in annum 1356. huiuſce Cardinalis mortem reijcit, confundens hunc noſtrum cum alio Guillelmo de Aura Presbytero Cardinali, ab eodem Benedicto renunciato titulo S. Stephani in Cœlio monte, de quo nos infra.

Ciaconius. Panuinius. Aubery in vita. Oder. Raynald. in Annalibus Eccleſiaſt.

V.



GVILLELMVS de Aura natione Gallus, ex Abbate Monaſterij Montis oliui ordinis S. Benedicti, à Benedicto Romano Pontifice inter Presbyteros Cardinales titulo ſancti Stephani in Cœlio monte cooptatus eſt, teſte Anonymo auctore vitæ Benedicti apud Boſquetum, qui hæc de noſtro Guillelmo habet. *Anno Domini 1338. die decima octaua menſis Decembris, qua fuit Feria vi. quatuor Temporum dictus Benedictus Papa vnam fecit creationem ſex Cardinalium, quos in Presbyteros aſſumpſit, qui fuerunt iſti, videlicet, &c. & Dominus Guillelmus de Aura Diœceſis Carcaſſonenſis, tunc Abbas Monaſterij S. Oliui ordinis S. Benedicti; fuitque reputata creatio huiuſmodi multum notabilis; nam omnes prænominati erant famoſi, & profundi Doctores in Iure Canonico, vel Ciuili, aut Magiſtri in Theologia.* Hæc ille.

Ex hac vita migrauit, non vt refert Ciaconius anno 1346. ſed vt ex Tabulis Vaticanis ſcribit Felix Contelorius, die tertia Decembris anno 1353. Petrus Frizonius in Gallia Purpurata huic Guillelmo titulum SS. quatuor Coronatorum tribuit, eumque cum alio eiuſdem nominis ordinis Ciſtercienſis confundit; atque affirmat hunc, de quo nunc agimus, epidemiæ morbo infectum animam efflaſſe Auenione pridie Idus Iunij anno 1361.

Ciaconius. Panuinius. Claud. Robert in Gall. Chriſtiana. Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon. Oder. Raynaldus in Annal. Eccleſiaſt. Aubery in vita. Auct. vitæ Benedicti apud Boſquet.

VI.



BERNARDVS, aliàs Bertrandus de Alby, ſeu de Albia, natione Gallus, ex Epiſcopo, nõ Turonenſi, ſed Rutenenſi, (Rutenorum, vel Rotinorum Ciuitas Segodunum ſub Metropoli Biturícenſi in Gallia eſt) Presbyteris Cardinalibus titulo S. Ciriaci in Thermis à Benedicto Romano Pontifice aſcriptus, à Clemente, Benedicti ſucceſſore Aragoniæ, & Maioricarum legationem obtinuit quinto Idus Iunij anno noſtræ ſalutis 1343. Hunc Clemens inter alia ampliſſima mãdata auctoritate inſtruxit, vt ſi viſum ita foret, obiecto anathemate Eccleſiaſticos, ne populos illos terra, vel mari Baleare Regnum bello petere vetaret, vtque illos, qui Regnum Aragonum inuadere molirentur, coerceret. In literis ad Petrum Aragoniæ Regem datis hæc habet Clemens de noſtro Bernardo Cardinali Legato: *Nihilominus præfatum Cardinalem Apoſtolicæ ſedis Legatum, ob Noſtram, & Apoſtolicæ ſedis reuerentiam, & ſuorum excellentiam meritorum, imò nos in ipſo potius benigne recipiens, ac debita honorificentia proſequens, & pertractans, eius in præmiſſis ſalubribus monitis, & paternis exhortationibus effectualiter acquieſcas, &c.*

Pet. Frizõ. in Gallia Purpur.

Petrus Aragonius à Iacobo Maioricarum Rege repetebat Terras, hinc orta diſſenſio, & bellum inteſtinum; Bernardus Legatus ab eis inducias impetrauit, vt ſuo tempore fœdus inirent. Petrus Rex a falſis ſuggeſtoribus inductus, Epiſcopo Gerundenſi, & Canonicis infenſus, toto Regno eos eiecerat; à ſede Apoſtolica excommunicatione percuſſus, ad cor rediens, proſcriptos reuocauit, ac ſupplex à Pontifice obtinuit, vt Bernardus Cardinalis Legatus ipſum anathemate ſolueret, & lata vniuerſo Regno interdicta poſtliminio reſtitueret. Subſcriptione ſua firmauit Clementis priuilegium conceſſum Monialibus Cœnobij ſanctæ Claræ de Mannaſca Siſtaricenſis Diœceſis, ſecundo nonas Aprilis anno 1343.


Luc. Vvading in Annal. Minorum.

E vita exceſſit ex Ciaconio, & Panuinio anno 1344. ex Frizonio anno 1348. ſeu veriùs, vt ſcribit Felix Contelorius ex libro Obligationum aliàs laudato, die 13. Nouembris anno 1350. Franciſcus Petrarca Poëta laureatus ſæpe ſæpiùs in Epiſtolis huiuſce Bernardi Cardinalis meminit, interque alia ad eum ſcribit.

Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

Dij tecum vberius, quoniam tibi conſcia cœli
Vox adamantina eſt, calamus quoque ferreus, omnes
Promptus ad inſultus, verſus breuis hora trecentos
Et ſeptemdecies excudit.

VII.



FR. RAYMVNDVS de Toloſa, filius tertius genitus Comitis de Monfort, natione Gallus, Toloſanus, Religioſi ordinis B. Mariæ de Mercede redemptionis captiuorum clarum ſidus inter Presbyteros Cardinales à Benedicto XI. aliàs XII. Romano Põtifice renunciatos, titulo ſancti Stephani in Cœlio monte recenſetur à Magiſtro Alphonſo Remondo in hiſtoria ordinis, & à Iacobo Ioanne Viues in Viridario Mercenario. Sed in Cœlum iam ille deceſſerat Barcinone, quando ad illam Vrbem Pontificis Nuncius cum galero rubro Raymundo addicto peruenit. Hic adhuc puer Deiparæ Virginis voce ad religioſum ordinem illectus, tantum in illo profecit tum in literis, tum in vitæ ſanctimonia, vt tanquam oraculum publicum ſæpiſſimè adiretur, doctrinæque eximiæ opinione maximam tota Hiſpania, & Gallia exiſtimationem acquiſiuerit, ac rebus præclarè geſtis nominis ſui memoriam in vetuſta ſecula ſumma cum laude propagauerit. Semel atque iterum pro redemptione captiuorum ex Hiſpania Africæ Vrbes adijt, diſputationes plures habuit cum Iudæis, ac legis Moſaicæ Magiſtris, quorum aliquos ad Euangelicam veritatem traduxit. Ad immortalem vitam tranſijt recepturus beatam cœleſtis præmij coronam anno noſtræ ſalutis 1337. cum in terris eius virtutes ſacra Purpura ornare Chriſti Vicarius Benedictus decreuerat.

VICECANCELLARII S. R. E.
ſub Benedicto Papa XI. dicto XII.

Petrus de Prato Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus, & poſt illius abdicationem.

Bertrandus de Deucio Presbyter Cardinalis ſancti Marci.

CARDINALES MORTVI
ſub eodem Pontifice.

Raymundus de Musfoiolis, ſeu de Maſtogiolis Gallus Presbyter Cardinalis ſancti Euſebij die 12. Nouembris anno 1335.

Arnaldus de Via, Gallus, Diaconus Cardinalis ſancti Euſtachij die 24. eiuſdem menſis Nouembris anni 1335.

Lucas Fliſcus Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in via Lata die 31. Ianuarij anno 1336.

Petrus de Chappes Gallus, Presbyter Cardinalis ſancti Clementis, ſeu ſanctorum Syluestri, & Martini in montibus, ſeu ſanctæ Suſannæ die 24. Maij anno 1336.

Mag. frater Guilielmus Petri Gallus, ordinis Prædicatorum, Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis die 4. Iunij anno 1336.

Frater Raymundus de Toloſa natione Gallus, Presbyter Cardinalis, vt ferunt, deſignatus titulo ſancti Stephani in Cœlio monte anno 1337.

Ioannes Caietanus Vrſinus, Romanus, Diaconus Cardinalis ſancti Theodori anno 1339.

Magiſter Frater Matthæus Vrſinus Romanus, Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis die 18. Auguſti anno 1340.

Ioannes Galuanus, Gallus S. R. E. Card. vt ferunt, anno 1341.

CLEMENS VI. PONTIFEX CC.
ANNO DOMINI MCCCXLII.





IN NOMINE DEI, ET SALVATORIS Noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen.

BENEDICTO XI. dicto XII. Auenione vita functo, anno 1342. vj. Kalen. Maij eius exequiæ, ſiue nouemdialia in Eccleſia Cathedrali Auenionenſi à Cardinalibus celebrari ſunt cœpta, & vij. nonas Maij, cantata Miſſa Spiritus ſancti, Cardinales omnes præſentes, Conclaue ingreſſi ſunt, paratum in Monaſterio Prædicatorum Auenione, pro Electione noui Pontificis; qui die altero poſt ingreſſum Conclauis, videlicet jx. Maij, elegerunt in Papam Fratrem Petrum Rogerij, Presbyterum, Cardinalem ſanctorum Nerei, & Achillei titulo Faſciolæ, qui CLEMENS Papa VI. appellatus eſt.

CLEMENtis electio.

Bernardus Dominicani ordinis Hiſtoricus ſcribit, Clementis patrem, Guillelmum appellatum, Monſtrium, eiúſque Roſei vici dominum, ac poſſeſſorem fuiſſe, vnde illi modici redditus, prouentúſque erant; Clemens veró nondum exceſſerat pubertatis annos, cùm apud Caſam Dei in præaltis, ac vicinis Auernorum iugis monachus fieri cupijt; vbi qui præerat, cognito eius perſpicaci ingenio, illum ad ſocietatem monaſticam S. Benedicti admiſſum, Luteriam miſit ad ſtudia doctrinæ. Tanta autem auiditate Philoſophiam, & Theologiam amplexus eſt, vt tunc nemo melius, neque diligentius in illis ſcientijs verſaretur, proinde non ſine cauſſa, Petrarcha, Litteratiſſimum Pontificem illum appellat. Theologum quidem cum ſe excellentem præbuiſſet, ſubitò varijs honoribus, & ampliſſimis Sacerdotijs auctus fuit: primùm enim Petri Mortuimaris Cardinalis Pictauienſis, titulo S. Stephani in Cœlio monte, qui illum vnicè diligebat, ſtetens ad Curiam vocatus, Ioanni doctiſſimo Pontifici innotuit, mòxque ab eo donatus eſt Prioratu Baſilij apud Nemauſum vrbem, idque initium proſperitatis habuit; cùmq; cæterorum Cardinalium gratiam iniſſet, in Abbatem Fiſcanenſem in Normandia, deinde in Arelatenſem Epiſcopum promotus eſt; mox Regij Scrinij, id eſt Sigilli, munere donatus, Senonenſem, Rothomagenſémque Archiepiſcopatum obtinuit; voluit eum Ioannes Cardinalem facere, noluit o Rege Francorum, qui nolebat Rogerij conſilijs carere: ſed, Ioanne breui mortuo, à Benedicto ſucceſſore Cardinalis ampliſſimum honorem accepit. Hoc deinde mortuo, jx. Maij, anni 1342. Pontificis maximi culmen adeptus eſt.

EIVSDEM primordia

Anno Dominicæ Natiuitatis 1342. in die ſancto Pentecoſtes, xiv. Kalend. Iulij, Papa Clemens VI. Auenione in Eccleſia Fratrum Prædicatorum, more maiorum, ſuæ Coronationis inſignia ſuſcepit, per manus Neapoleonis Vrſini Romani, S. R. E. Archidiaconi, Ioanne primogenito Regis Francorum, Cardinalibus, Epiſcopis, Clero, & populo adſtantibus; ſedit autem in ſacratiſſima ſede beati Petri Apoſtoli, Carolo IV. Auguſto Imperatore, annos decem, & menſes ſeptem.

CORONatio Papæ Clementis VI.

CARDINALES XIX. VIVENTES quando Clemens Papa VI. creatus eſt.

EPISCOPI CARDINALES V. IOANNIS PAPAE XXII.

1. Petrus de Prato, Diœceſis Caturcenſis, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarius.
2. Bertrandus de Podietto, Abbas de Porto de Caſtronouo Rutherij, Diœceſis Caturcenſis, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus Sacri Collegij Decanus.
3. Ioannes Raymundi, Comes Conuennarum, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & S. Rufinæ.
4. Annibaldus de Ceccano Romanus, Archiepiſcopus Neapolitanus, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus.
5. Petrus de Mortuomari, Diœceſis Lemouicenſis, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Sabinus.

PRESBYTERI CARDINALES IX. IOANNIS PAPAE XXII.

6. Talairandus Comes Petragoricenſis, Gallus, Presbyter Cardinalis ſancti Petri ad Vincula, titulo Eudoxiæ, Prior Preſbyterorum.
7. Petrus Gomeſij de Barroſo, Diœceſis Toletanæ, Hiſpanus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Praxedis.
8. Imbertus de Puteo de Montepeſſulano, Gallus, Presbyter Cardinalis Baſilicæ SS. duodecim Apoſtolorum.

BENEDICTI PAPAE XII.

9. Goctius de Baraglijs Ariminenſis, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Priſcæ.
10. Bertrandus Vucenſis de Deucio, Diœceſis Glandinenſis, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Marci.
11. Fr. Petrus Rogerij Monſtrius de Malmonte, Lemouicenſis Diœceſis, Gallus, monachus S. Benedicti, Presbyter Cardinalis ſanctorum Nerei, & Achillei, titulo Faſciolæ.
12. Fr. Guilhelmus Curte de Diuano, Gallus, monachus, Presbyter Cardinalis ſanctorum Quattuor Coronatorum.
13. Bernardus Gallus, Presbyter Cardinalis ſancti Cyriaci in Thermis.
14. Guillelmus Toloſanus Presbyter Cardinalis titulo ſancti Stephani in Cœlio monte.

DIACONI CARDINALES V.

NICOLAI PAPAE IV.

15. Neapoleo Vrſinus Romanus, Diaconus Cardinalis S. Hadriani, Prior Diaconorum.

BONIFACII PAPAE VIII.

16. Iacobus Caietanus Anagninus, Diaconus Cardinalis ſancti Georgij in Velabro.

IOANNIS PAPAE XXII.

17. Bertrandus de Monteſauentio, de Caſtronouo Ruthenj, Caturcenſis, Gallus, Diaconus Card. S. Mariæ in Aquiro.
18. Gailardus de la Mota, Burdegalenſis, Gallus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Luciæ in Septiſolio.
19. Ioannes Columna Romanus, Diac. Card. S. Angeli.

Fuit verò Clemens VI. vir multæ doctrinæ, compoſitæque eloquentiæ, liberalis in omnes, comes, & perhumanus, Benedictum namque prædeceſſorem ſuum, vt nimis durum, & aſperum aulici fermè oderant, Clementem ob innatam, clementiam, & humanitatem egregiam omnes amabant; Pontificatum enim ortus eſt à deſignatione Cardinalium.

IVBILEI inſtitutio in quinquageſimo anno.

Deindèque Romanorum rogatu impulſus, Iubileum, quòd in centeſimum annum Bonifacius VIII. quòd Seculum antiqui appellabant, vnde ludi Seculares appellati ſunt, decreuerat, plenam peccatorum omnium remiſſionem viſitantibus limina Apoſtolorum Petri, & Pauli, 50. quoque anno idem facere liceret (mortalium enim nulli, vel pauciſſimi annum centeſimum attingebant) libenter annuit Pontifex. Anno itaque 1350. incredibilis omnium Europæ C gentium concurſus, Romam eſt factus, ſpe conſequendæ liberationis delictorum, quòd Matthæus Villanus, [a] Ioannis frater, diligenter exponit. Quin ipſius Clementis Conſtitutio extat, qua in gratiam populi Romani, id fieri iubet anno 1350. dataque eſt Auenione vj. Kalend. Februarij Pontificatus anno primo, eiúſque initium eſt, *Vnigenitus Dei filius* [b], *&c.* Romani quoque ciues, per Stephanum Columnam, & alios nobiliſſimos viros, Clementem plurimum rogabant, vt, ineunte Pontificatu, Romam beati Petri ſedem inuiſeret; ſe id quidem velle reſpondit, ſed nondum poſſe: profectionem quoque illam Itali omnes optabant: & Petrarcham Oratorem pro ea re ad Clementem VI. miſerunt, vt ipſe ad Vrbanum V. ſcribens meminit, ſed nihil obtinuit.

a l. 1. Flor. Hiſtor.

b Extrau. cō. de pœnit. & remiſſ. c. 2.

Bauarus adhuc viuebat, nihilo ſtudioſior Romanorum Pontificum, quam antea fuerat. Itaque illum Clemens Pontifex denuo anathematizauit, anno 1346. deditque operam rogatu Philippi Valle- D ſij Francorum Regis, vt Carolus IV. Boemiæ Regis filius, Romanorum Rex diceretur. Atque Ludouicus Bauarus anno proximè cōſequuto 1347. v. Idus Octobris ab equo præcipiti caſu labente, oppreſſus (vt nonnulli ſcribunt) extinctuſque eſt. Interregnum fuit anni vnius, menſium 3. dierum 20. Imperator Carolus IV. Auguſtus creatus fuerat in ſchiſmate contra Ludouicum Bauarum v. Idus Iulij anno præcedente 1346. Imperauit annos 32. menſes 5. dies 14. Cæſar Guntherus Rex Romanorum creatus in ſchiſmate contra Carolum IV. Imperatorem, jv. nonas Februarij, anno 1349. nam Caroli IV. electio rata non erat à Ludouici IV. fautoribus; Regnauit autem Guntherus menſes 6. obijt circa Kalend. Auguſti.

LVDOVICI Bauari obitus.

CAROLVS IV. in ſchiſmate cōtra Bauarū Imperat. electus.

CAESAR Gutherus cōtra Caroli Romanorum Rex electus moritur.

Per id tempus in Regno Neapolitano magnæ diſcordiæ exortæ ſunt. Rex enim Robertus, ſine ſtirpe virili moriens, Ioannam filiam Andreæ, nepoti ſuo, Caroli Regis Hūgariæ filio vxorem dedit; Neapolim enim adoleſcens, illis diebus venerat. Verùm Ioanna homi- E nem ſocordem, & parum virilem peroſa, eum in Vrbe Auerſa per inſidias fune appenſum, & ſtrangolatum interemit; alterique fratrueli nupſit Ludouico olim Tarentini Principis filio, quem Roberti quoque fratrem fuiſſe conſtat. Tum verò Ludouicus Rex Hungariæ primi mariti frater tantum ſcelus vlturus, cum potentiſſimo exercitu in Italiam veniens, primùm Sulmonenſes ei reſiſtere auſos, oppugnare adoritur; Sulmone, poſt longam obſidionem, & oppugnationem potitus, Regnum deinceps facilè occupat: abeuntibus in Prouinciam Narbonenſem, ob timorem, Ioanna, & adultero Ludouico. At verò cum in tota Italia peſte laboraretur Carolus Rex, relicto magno præſidio tertio menſe in Hungariam reuertitur. Regni Proceres Neapolitani cæſo præſidio Hungarici Imperij, Ioannæ, & Tarentino ſcribunt vt Neapolim redeant, hoc illis facilè perſuaſum, F ſed pecunia deerat. Clementem benè ominatum Pontificem rogant; quód cum facere recuſaſſet, vendidere Eccleſiæ ius, quòd Auenione hebebant, id emptum fuiſſe tricies mille florenis aureis Matthæus Villanus [c] refert, pars pretij pro feudo Regni decurſo dempta eſt. Qua pecunia inſtructis decem triremibus Neapolim perueniunt. A Proceribus Regni humanius ſuſcepti, quam decuit.

REGINA Ioāna ſuū virum occidit alteriq; nubit.

LVDOVICVS Hūgariæ Rex Neapolit. Regnum obſidet.

Relicto præſidio Hūgariam reuertitur.

IOANNA Neapolim reuertitur c lib. 1. Annal.

Interim Romæ creandorum Senatorum ex auctoritate Apoſtolica commutata ratione, Nicolaus Rentij filius, Romanus, publicus Scriba, vir quidem erectus ad libertatem, excelſique animi, occupato armis Capitolio, tantum ſibi beneuolentiæ, & auctoritatis, apud omnes comparauit, vt facilè quò vellet, mētem populi Romani flec-

NICOLAus ob ſuā beneuolētiā Romæ potitur.

A teret, is autem, quo magis hominum animos commoueret, hoc titulo vſus eſt. Nicolaus, ſeuerus, & clemens, libertatis, pacis, iuſtitiæque Tribunus, ac ſacræ Romanæ Reipublicæ liberatór illuſtris. Hæc autem verborum pompa tantam de ſe admirationem, & opinionem concitauit, vt omnes Italici nominis, per Legatos pacem, amicitiamque ab eo petierint. Sed parum moleuit fucata gloria, Nam dum parti ciuium conſulit, parti aduerſatur, repentè ex patrono Tyrannus eſt habitus. Hanc ob rem ſeptimus Magiſtratus ſui menſe, ſponte ſua, ignaris omnibus, mutata veſte per obſcuram noctem Roma abiens, ad Carolum Cæſarem Ioānis filium in Boëmiam proficiſcitur; Quem Clemens Pontifex, ob multarum linguarum, literarumque peritiam, in Ludouici etiam Bauari contumeliam, ab Electoribus in Cæſarem deſignari paulò ante fecerat. Captus itaque Tribunus à Carolo, & Auenionem miſſus Pontifici dono datur. At Clemens retento in vinculis Nicolao, Cardinales quoſdam Romam B miſit, qui ſtatum Vrbis componerent. Ad quos Franciſcus Petrarcha ſcribens, eis ſuadet, vt promiſcue Senatores ad tollendam ſeditionem ex plebe ipſa crearent: cum non ſatis conſtaret, in ipſa Vrbe Roma, qui Senatorij, quique Plebei ordinis eſſent, cum omnes ferè peregrini eſſent, & ignotis parentibus orti: declarati itaque Senatores ſunt, Petrus Sciarra Columna, & Ioannes Vrſi filius.

NICOLaus à Carolo Imp. captus Pōtifici dono datur.

SENATOres electi.

Anno Domini 1347. *xiv. Kalend. Iunij*, quæ incidit in 19. Maij Clemens Papa recenſuit inter ſanctos Confeſſores Yuonem Presbyterum, Gallum, Britannia minori ortum, Aduocatum Pauperum, qui pro Chriſti nomine cauſſas Pupillorum, & Viduarum, ac Pauperum defendebat, ea ipſa die, vt conſtat ex ipſius Diplomate, & Surio [d], & Petro de Natalibus [e].

S. IVONIS canonizatio.

d Tom. 3. e l. 5. c. 21.

Anno 1348. peſtis ſæuiſſima per totam fermè Europam triennio graſſata eſt, quo Orbis malignorum ſiderum concurſu penè euerſus eſt. Matthæus Villanus, Ioannis frater in principio hiſtoriarum ſui C temporis hanc deſcribit. Meminit etiam eiuſdem Petrarcha [f]. *Annum* inquiens 1348. *lugens, qui non ſolum amicis, ſed mundum omnem gentibus ſpoliauit, cui ſi quid defuit, ſequens ecce annus illius reliquias demetit, quo non hæc pars, aut illa terrarum, ſed vniuerſus ferè Orbis ſine habitatore remanſit.* Florentiæ Tuſcorum centena hominum millia occidit, vt Bocatius initio Decameronis ſui ſcribit. Eodem anno illa Auenione ſæuit Pontificatus Clementis Papæ VI. Agebat enim in comitatu ſuo Sacerdos idèmque excellens Chirurgus, & Medicus Guido Chaulia Gabalus, à quo id memoriæ mandatum eſt. Magna tunc pietatis Chriſtianæ, admirandáque opera Clementis fuere erga eos, qui labe illa infecti, erant, quos foueri ſumptibus ſuis, ac ne inſepulti iacerent, piè à ſeruis publicis propoſita iuſtiſſima mercede ſepeliri curauit, in agro, quem ipſe emerat; vbi Templum ſacræ Virgini conſtrui iuſſit, annuiſque redditibus donauit, vt beneficij illius memoria ad poſteros quoque peruenire poſſet. D Demum toto triennio illo peſtis ita peruagata eſt, vt vix decimus quiſque ex milleſſimo homine ſuperfuerit, nec id quidem mirum, cum ob Iubileum contagione hominum, & multitudine vndiq, Romam confluentium, ſqualore, ſitu, pædore omnia inficerentur.

PESTIS ſæuiſſima per Europam.

f Lib. 8 de reb. ſenil. & l. 5. eiuſdē ad Bocaſium.

a

Anno 8. Pontificatus menſe Maio ad Florentinos Pontifex literas miſit, quibus Academiam illorum tunc naſcentem, priuilegijs exornauit, illic Theologiam, & cæteras facultates doceri præcipiens.

FLORENtina Academia priuilegijs ornata.

Cardinales verò inſtituit fratrem ſuum nomine Petrum, qui Tutellenſis cognomen accepit, atque apud Calam Dei ſepultus eſt, Guillelmum Iudicem ſororis filium, ſcientia iuris inſtructiſſimum, Haymericum Guardum Lemouicenſem affinem ſuum, Hugonem Monſtrium Epiſcopum Ruthenorum, Guillelmum Benedictinæ familiæ Alumnum, quem à pubertate domi ſemper habuerat, iámque electum in Archiepiſcopum Cæſaraguſtanum, idque ab Hiſpanis in Clementis gratiam factum fuit. Quoſdam etiam nulla E habita ætatis ratione, & in his aliquot penè pueros creauit, vt Petrum Belfortium Ioannæ ſororis filium, qui vigeſimum ætatis annum nondum attigerat. Porrò memoria quanta illi fuerit, & qualem in capite vulnus acceperit, Petrarcha [a] meminit, quem tuti potentis, & miræ memoriæ tradit, vt quidquid vel ſemel legiſſet, obliuiſci, etiam ſi cuperet, non poſſet, illud additur miraculo, hanc tantam ſibi memoriam ex magno quodam capitis ictu, (cuius adhuc ingens ſupremo vertice cicatrix extabat) prouenisse, idem teſtatur Bernardus Dominicanus, in eius vita, & alij Annalium ſcriptores.

CARDINales à Clemente inſtituti.

a lib. 1. rerum memorandarum.

Clementem conſtat Literatiſſimum Pontificem a Petrarcha [b] appellatum, ſed occupatiſſimum hominem, atque ob id compendiorum audiſſimum, quam ob cauſſam Fr. Bartholomæo de Vrbino Eremitæ Auguſtiniano, qui ex S. Auguſtini ſententijs, volumen ingens, *Milleloquium* vocatum per Alphabeti literas collegerat, at- F que obtulerat, Pontificatum Vrbinatum in patria dederat, iuſſeràtq; vt quòd de Auguſtino fecerat, id de Ambroſio faceret, quòd & præſtitit, *Milleloquiumque ſancti Ambroſij* opus nuncupauit, diſcipulus is fuit magni illius viri Auguſtini Triumphi.

CLEMENS vir doctiſſimus.

b lib. 1. rerum familiarium.

Theſauros Eccleſiæ liberali manu diſtribuit propinquis, & conſanguineis ſuis, ipſos ditans, memoréſque ſui eſſe cupiens.

CLEMENS Eccl. theſauros ſuis propinquis diſtribuit.

Memoréque Eccleſiæ Rothomagenſis fuiſſe, ex eo deprehenditur, quòd multis eam priuilegijs ornare voluit, ac ſexdecim Preſbyteros, qui diuinas preces, cum cæteris illius Eccleſiæ miniſtris, noctè, diéque decantarent, multis prædijs, & prouentibus dotauit, ampliſſimúmque conſtructum ædificijs Collegium habitationi eorum

ECCLESIA Rothomagenſis priuilegijs à Clemēte decorata.

A deſtinauit, ad Collegium Papæ, vel Sacerdotum Clementinorum nunc quoque dicitur, viſunturque in frontiſpicio ſex roſæ, quibus pro inſigni gentilitio Clemens vtebatur. Pontificium palatium inchoatum à Benedicto deceſſore abſoluendum curauit, ſexque roſæ in frontiſpicio ædificiorum adhuc cernuntur, vt in ponte Vrbis, cuius quatuor arcus ſuis ipſe impenſis fieri curauit.

ANNVS MAGNI IVBILEI SECVNDI.

B



IVBILæum reductum ad ann. 1350. *Anno Dominicæ Natiuitatis* 1350. *Pontificatus VIII.* Papa Clemens VI. ad preces populi Romani (vt, & ſupra diximus) annum Iubilei magni, quòd centeſimo quoque anno celebrandum Bonifacius Papa VIII. inſtituerat, annòque 1300. celebrauerat ad quinquageſimum decurtauit, & hoc anno more Moſaico, iterum celebrari mandauit, Legato Apoſtolicæ Sedis de latere pro hac re ad Vrbem miſſo Domino Annibaldo Ceccano Romano, Epiſcopo Cardinale Tuſculano.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1352. paulò ante Clementis mortem dirus Cometes fulſit, & quatriduum ante eius obitum, iv. nonas
C Decembris, turris Cimbalaria S. Petri in Vaticano fulmine cælitus tacta, magnáque ex parte culmen eius diſiectum, & vi ignis campanæ fuſæ ſunt. Qua ex re populus Romanus coniecit, Pontificem breui obiturum, vt re vera contigit. Qui viij. Idus Decembris, die S. Nicolai Epiſcopi, & Confeſſoris, Clemens Papa VI. continua febri correptus, obijt Auenione, in Vrbe, & Comitatu Venayſino à ſe emptis in palatio Apoſtolico, Pontificatus ſui anno 10. menſe 7. ſepultus verò eſt in Cathedrali Aueniomenſi, & inde tráſlatus ad Monaſterium Caſæ Dei, vbi quondam monachus, & Abbas fuerat, vt ſupremis tabulis ipſe mandauerat. Quo in Monaſterio adhuc viſuntur aulæa antiqui operis à Clemente ipſo donata, certique & annui redditus percipiendi. Quam ob cauſſam ſex roſas ſolent monachi promiſcuè inſignibus ſuis permiſcere, vt vel hoc vno teſtimonio beneficij ſe accepti, memores teſtentur. ſepulchrum autem in choro
D Eccleſiæ Monaſterij illius, quòd ipſe viuens Auenione à peritiſſimis artificibus fieri, curauerat, ex candido & pario marmore compoſitum erat, exornatúmque varijs imaginibus. Vacauit Sanctæ Romanæ Sedes dies xj.

CLEMENtis ſepulcrum, atq; ſtatua à Caluiniſtis cóſtrngitur. Statua marmorea ſuppoſita eius tumulo viſebatur ante hęc peſtifera bella, quibus Gallia penè deformata eſt, cum de Religione inter Catholicos, & Caluinianos decertaretur. Monaſterium namque ipſum, anno 1562. cum obſideretur à militibus Caluinianis pluſquam barbaris, Templum diripitur, ſtatuam eius marmoream confringunt, ſepulchrum violatur, atque diripitur, vbi ipſe Clemens penè formidabilis iacebat, animum enim hominis exhibere videbatur, quia ſingulæ corporis partes plumbo tectæ erant, cadauere igitur nudato nihil præter oſſa, & cineres repererunt, eàque in flammas
CLEMENtis imago. ſacrilegi miſère, & ſi verò ſtatua Clementis comminuta fuit, imago tamen eius adhuc cernitur Lutetiæ Pariſiorum in vitrea feneſtra,
E quæ prima omnium occurrit ingredientibus Templum Sorbonicæ domus; vbi flexo genu, & manus ad cælum tendens, ſupplicique habitu Virginem ſacrá veneratur: id enim Templum eius ope, & fauore, conditum eſt, itaq; imago illa antiqui operis ſui inſcripta videtur.

CLEMENS. PP. VI. PROVISOR. HVIVS. DOMVS.

Nullam autem Conſtitutionem poſteris relictam celebriorem exiſtimamus ea, quæ de Victu Cardinalium lata eſt, quoties ad Eligendum Pontificem conueniunt, quæ inter acta Concilij Conſtantienſis reperitur; de Pontifice verò eligendo Alexander III. iam cauerat, & Nicolaus II. ante eum, idque anno 1059. menſe Aprili prolixam de eadem re ſanctionem tulit, quæ apud Gratianum reperitur, diſtinct. 23.

F

SIGNVM CLEMENTIS PAPAE VI.



A *ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.*

¶ * *xvv. Kalend. Iunij.*] Platina in eius vita, Panuin. in Chron.

* *Multa doctrina.*] Breue hoc elogium à Platina Ciac. accepit.

* *Romanorum rogatu ..... Iubileum.*] Platina, Sabellicus, Cardin. Aegidius, alijque paſſim affirmant, Clementem à Romanis rogatum ad annum quinquageſimum Iubilei celebritatem reuocaſſe: Clemens ipſe ſuis literis *Vnigenitus* de Romanorum precibus dixit. *Attendentes, & clamorem peculiaris populi noſtri Romani videlicet hoc humiliter ſupplicantis.* Petrarcha, latino carmine, Clementem ad redeundum Romam, & ad centenariam celebritatem quinquagenaria permutandam, hortatus eſt. Extrauag. de Pœnit. & remiſ.

Alma Pater miſerere, precor, noſtrámque querelam
Suſcipe, nec viduam ſponſa patiare ſenectam.

B Et poſt pauca.

Hæc tamen eſt tua prima domus, tua maxima Sedes
Quam ſacri tenuere Patres; quam corpore Petrus
Innocuo, paruls quam Clemens nomine preſſit.
Tu Clemens, qui Petrus eras, hanc cernere Sedem
Nonne voles?

Inſerius de centeſima celebritate ad quinquageſimá contrahéda.

Hoc vnum, poſt multa, precor, breuiore recurſu
Annus eat, redeatque ſacer, mundoque ſalubris.

Et, paucis interiectis.

.... ſcis, quid loquor: annue tandem
Quod tua Roma gemens, genibuſque affuſa precatur.

Anno primo Pontificatus, (1342.) vj. Kalend. Februarij, Auenione Conſtitutio *Vnigenitus* conſcripta; qua Clemens centeſimæ Indulgentiæ conceſſionem ad annum quinquageſimum reducen-
C dam ſtatuit, præſcripſitque, vt anno 1350 eius rei initium fieret.

* *Limina Apoſtolorum Petri, & Pauli.*] Clemens VI. addidit Lateranenſem Eccleſiam; quòd à Ciaconio prætermiſſum demiror. Gregorius XI. Eccleſiam S. Mariæ Maioris: vt docent Paulus II. & Syxtus IV. Nicolaus V. refert ipſas Gregorij XI. literas. Loc. cit. Cóſtit. incipiendo. Paſtoris.

* *Concurſus Romam factus.*] Incredibilis penè fuit populorum Romam eo anno concurrentium multitudo: de qua multi, quorum teſtimonia, par. 2. hiſt. 12. Iubilei recenſui. Meierus lib. 13. Annal. Belgij. *Maxima, ait, frequentia Occidentale vulgus Romam concurrunt; ſed vix decimus quiſque domum reuertit, partim peſtilentia, partim longinqui itineris labore conſumpti.* Chronicon magnum Belgicum. *An. Iubilei 1350. innumerabilis populus vtriuſque ſexus perrexit turmatim Romam.* Auctor vitæ Nicolai Rentij, qui tunc viuebat, *Currenano* (ipſis Auctoris verbis vtor) *Anno Domini* Cap. 17.
D *1350. quanno Papa Chimento VI. concedeo a li Romani la vniuerſale Indulgentia de pena, e colpa per vno anno. In quello anno ſenza impedimento annno bene a Roma tutta la Chriſtianitate: a queſta Indulgentia fo lo Cardenale de Bologna, ſu lo Mare, Legato de Lommardia, e fece Miſſore Annibaldo de Ceccano Cardenale Legato in Roma, pe lo Papa, pe correiere lo Puopolo, e per miniſterio, e ſuſſidio de li Pelegrini; Queſſo Cardenale Legato, ſcritta che habbe ſia famiglia, moſſe de Auignone deſcenne in Lommardia, Miſſore Ianni Viſconte Arciueſcouo de Milano Tiranno de Lommardia, li veſcio innante pe farli honore cinque deſtrieri coperti de ſcarlatto, menati à mano venaro denanti à lo Arciueſcouo: Quanno lo Legato bedde queſſo ſtordio; fauellao, e diſſe: Arciueſcouo, che pompa ene queſſa? Reſpoſe lo Arciueſcouo, e diſſe: Legato, queſſa non ene pompa, ma ene cha boglio che faccia lo Patre ſanto, cha eſſo hao ſotto de ſi vno Chierichetto, lo quale pole qualeche coſa; A queſſo Arciueſcouo non era poſſibbele hauere queſſi deſtrieri, cha erano de*
E *groſſi caualli, de li Cornestaboli, li quali hauea ſparzi pe le Cittate. Puoi che lo Legato Miſſore Aniballo fo ionto in Roma, poſaone lo palazzo de lo Papa, e comenzao à prouedere de lo ſtato de Roma e de li Pellegrini: Queſſo Miſſore Aniballo habbe in ſe quattro proprietate non laudabile; La prima cha eſſo fo de Campagnia; La ſecunna eſſo fo guercio; La terza fo moito pompoſo, pieno de vanagroliа: La quarta, boglio tacere.*

* *Spe liberationis delictorum.*] *Qui verè pœnitentes, & confeſſi .... in anno ...... 1350. & deinceps ...... de L. in L. annis ...... Petri, & Pauli Baſilicas, & Lateranen. Eccleſiam .... cauſſa deuotionis .... viſitauerint* (Romani 30. exteri 15. diebus) *pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum veniam conſequantur*: ait Clemens loco citato.

* *Romam ...... per Stephanum Columnam.*] Clemens fatetur, Loc. cit.
F miſſos Auenionem à Romanis Legatos: at eorum nomina non recenſet. Quidam dicunt, ablegatos Iacobum Sabellum, Bricium Saulbum, Iacobum Columnam.

* *Petrarcham .... vt ipſe ad Vrbanum V.*] Lib. 7. & 9. Senilium, ſcribi: ad Vrbanum V. Petrarcha, lib. 7. eum hortatur, vt Romam, Romani Pontificis Sedem, repetat; lib. 9. gratulatur, eum Romam reuerſum, & ad perſeuerantiam cohortatur.

* *Ludouicus Rex Hungariæ.*] De hoc Platina, hiſtoriæ Neapolitanæ Scriptores, & Antonius Bonfinius in hiſtor. Hungar. Venit Romam Ludouicus Rex, ad Iubilei Theſauros comparandos: perhonorificè fuit exceptus, religionem ſingularem præ ſe tulit: vt

oſtendi-

oſtendimus, par. 2. Hiſtor. 12. Iubil. multi viri, fœminæque nobilitate generis inſignes, eodem anno 1350. ſpiritalis ſalutis gratia, ad almam Vrbem perrexerunt. S. Brigitta Romæ morabatur, Catharina eius filia ad eamdem Vrbem acceſſit. In Surio hæc leges. *Cum S. Brigitta Romæ degeret, Catharina eius filia, marito concedente, (erat autem is Regis Sueciæ Cognatus) Romam venit, anno 1350. qui Iubilæus erat; venere cum illa multæ aliæ dominæ, & peregrinæ, & familia magna; vt poſſent Romæ obtinere condonationes, ſeu Indulgentias Iubilei, & vt ipſa matrem ſuam inuiſeret.*

Mart. Villan. li. 1. c. 35. Hiſt.

Tom. 4.

* *Nicolaus Rentij filius.*] Huius vita Bracciani edita, anno 1624. ciuem Romanum Platina, & Aegid. Viterbien. Card. eum appellarunt: ignobilibus ortum parentibus ſcriptor vitæ affirmat, genitor tabernam curabat, mater aquæ deferendæ, & linteis abluendis (victum inde quærens) operam dabat.

Cap. 1.

* *Nicolaus Seuerus.*] Ex Platina.

* *Ad Carolum Cæſarem Ioannis filium.*] Pragam Nicolaus ad Carolum Boemiæ Regem, electum Imperatorē conceſſit; deinde non captus à Carolo, neque miſſus, ſed volens, ſponte Auenionem, Pontificem allocuturus, ſe contulit, in carcerem coniectus, ſuam innocentiam patefecit: & paulò poſt inſons declaratus, in Italiam rediit: à Legato Apoſtolico Romanus Senator cōſtitutus, & Romam miſſus, nomine Pontificis, Senatorio illo munere fungebatur: ad Vrbem cum accederet quaſi alter Scipio, ſumma lætitia populi, triumphalibus extructis arcubus, exceptus eſt. Vectigal ab eo impoſitum populo bilem mouit; furente populo, ab omnibus deſertus Tribunus infelix miſerum in modum, interfectus eſt, confoſſus, tractuſque à populo, cadauer ſuſpenſum pedibus, inde auulſum, alio in loco, Iudæis in ipſum ſæuientibus, igne conſumptum.

In vita illius c. 19.

Cap. 20. Cap. 21. An. 1353.

V. relatio nem in vitæ calce.

* *xiv. Kalend. Iunij.*] Ex literis Clem. VI. ad Philippum Francorum Regem. *Ad ſpiritualis gaudij, &c.* Dat. Auenione conſtat, die xvj. Iunij anno 6. Pontific. B. Yuonem ab ipſo inter ſanctos relatum fuiſſe: die 19. Maij ſancti viri anima in cælum euolauit; quo illius memoria anniuerſaria celebritate recolitur, Clementi iter agenti ſcipionem in manu tenens 3. Yuo apparens, vt negotium Canonizationis perficeret, edixit ex Surio.

19 Maij tom. 3.

* *Anno 1348. peſtis ſæuiſſima.*] Ea lue nulla fœdior, aut funeſtior: ortum eius, anno 1349. in India accidiſſe, narrant Trithem. & Genebr. vrbes illa exhauſit funeribus, centeſimo vix ſuperſtite, *vix dem, vbi labes minus nocuerat, ex centenis ſuperſtites erant ...... Gaſparem Blondum ſæpe dicentem audiuiſſe, qui tunc ſeptem amiſerat fratres, loca vidiſſe in Romandiolis, quæ penitus manſerant populo inanita.*] ait Blondus lib. 10. Dec. 2. De eadem lue Albertus Argentinenſis.

In Fragm. Chron.

* *Vt vix decimus quiſque.*] Hæc, vſque ad verbum *inficerentur*, ex Platina, in Clem. VI. peſtilitatis auctores Iudæos, qui venenis fontes, & aerem infecerant, extitiſſe, nonnulli affirmarunt. Vide Trithem. in Chronic. Hirſaug. & Genebr. loc. cit.

* *Auenione ...... Comitatu Venayſinus à ſe emptis.*] Comitatus Venayſinus Romanæ Eccleſiæ erat, tempore Gregorij X. cuius literas retulimus ad vitam Clementis V. Auenionem à Ioanna Neapolis Regina Clementem emiſſe, tradunt Platina, Genebrard. Cardin. Aegid. & alij: falluntur, qui dicunt eam vrbem à Philippo Rege Francorum Pontifici tributam. Geneb. *Perſoluitur pretium feudi permutatione; tantundem enim, & eo amplius, ob Regnum Neapolitanum, Romana Eccleſia debebat.* ait Platina.

L. 4. Chro. In hiſt. 20. ſect.

* *Obijt ...... Ann. 10. menſ. ſeptimo.*] *Menſe ſexto, die 28. Anno 1352.* Platina, & Genebr.

* *Sepultus in Cathedrali Auenionen.*] *Auenione ſepelitur.* Platina, *ſepultus in Monaſterio Caſæ Dei.* Panuin. in Chronic.

* *De Victu Cardinalium*] Eam refert Auguſt. Patricius lib. 1. ſect. 1. cap. 3. Rituum S. R. E. Cherubinus tom. 1. Bullar. & Ingolus in Cæremoniali, ad Conſt. Greg. XV. de Rom. Pontif. Electione.

* *Diſt. 23.*] cap. *In nomine.* Videnda Conſtitutio inſignis Gregorij XV. cit.

Clemens VI. vir pius, & doctus: Trithem. in Chronic. Hirſaug. Geneb. lib. 4. Chron. *Anno 1342. tenuit rerum humanarum, diuinarumque habenas, qui doctrina, integritatique Benedicti humanitatem, facundiam, liberalitatem adiecit: ita ex exilij incommodo ſ...lus in dies maiores Eccleſia reportabat, & quanquam inanima ædificia Vrbis collaberentur viuentia tamen, & animata pullulabant, quæ creſcere in Templum ſanctum Domini, optabat Apoſtolus: cadebant parietes, animi reſurgebant; quod tantò præſtabilius eſt, quanto ſalus Dominis, domus ruere.* Card. Aegidius Viterbien.

In hiſt. 20. ſec. M. S.

Hæreſim Flagellantium, ſeu Flagellatorum in Hungaria Clementis VI. abolenit, redeuntes ad bonam frugem ad publicam pœnitentiam admittebat, pertinaces ſecularibus iudicibus tradi, iubebat Genebr. loc. cit. vbi eſſent Flagellantes, docet. Vide Trith. in Chron. Card. Aegid. in Hiſt. 20. ſecul.

Ordinis Seruorum reformationi animum adiecit Conſt. *Regimini, &c. Dat. Auenion. x. Kal. Aprilis, anno Pontif. IV.*

Chriſtianiſſimo Francorum Regi, ob merita Regum Franciæ in Apoſtolicam ſedem, Euchariſtiam ſub vtraque ſpecie, quandocumque exhibuerit, ſuſcipiendi facultatem fecit: qua tamen is ſolo die Coronationis, & in articulo mortis, vti conſueuit. Iacobus Gualterus in Tabula Chronol. ſec. 14. pag. 699. col. 10.

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI Societatis Iesv.

DEFVNCTO Benedicto, Cardinalium non 22. vt referunt Panuinius, Frizonius, & alij, ſed 19. ſuffragijs (tot enim, & non plures Cardinales tunc temporis, vt ex ſupradictis patet, curiam vitæ peragebant) ſuffectus eſt Petrus Rogerius, qui CLEMENTIS VI. nomen ſibi indidit. Habuit Clemens ſororem Ioannam, quæ primùm nupſit Domino Cambonij vici in finibus Lemouicum, deinde cum Guillelmo Comite Belfortio matrimonium contraxit, ex quo prodijt Gregorius XI. Redimitus Pontificia tiara circunductus eſt per Auenionenſes vias à Ioanne Normandiæ Principe ſceptri Gallici herede ſtratorem agente; ac perfecta ea pompa, encyclicas literas de Benedicti obitu, ſuſceptiſque a ſe Eccleſiæ gubernaculis dedit ad Reges, & Reginas, Philippum, & Ioannam Francorum, Odoardum ſeu Eduardum, ac Philippam, & Iſabellam matrem Anglorum; Robertum & Sanciam Siciliæ, Alphonſum & Mariam Caſtellæ ac Legionis, Philippum Nauarræ, Vgonem, & Alexiam Cypri, Dauidem & Ioannam Scotiæ, Caſimirum Poloniæ, Ioannem Boemiæ, Carolum & Eliſabetham Hungariæ, Petrum ac Mariam Aragonum, Guidonem & Conſtantiam Armeniæ, Iacobum & Conſtantiam Balearium, Alphonſum ac Beatricem Luſitaniæ, aliosque plures Principes, quos ad ſceptra piè moderanda, & coniungenda pro religionis ſplendore augendo regia ſtudia excitauit. Præſulibus quoque ſcripſit, & illos ad fundendas diuino Numini preces impulit, vt bella inteſtina pacaret. Correptis igitur vniuerſæ Eccleſiæ Catholicæ gubernaculis Clemens toto pectore pia reuocandæ in vniuerſo Orbe Chriſtiano pacis conſilia perducere aggreſſus eſt, cum cerneret ingentia mala, quæ ex Regum diſſidijs rei Chriſtianæ imminebant, eaque auertere exoptaret. Atque in primis cum ſæuiſſima omnium diſſenſio Francos Angloſque allideret, ſedandæ illi primos conatus addixit, legatione ad Philippū & Odoardū Reges decreta, cuius obeundæ munus Petro Præneſtino, & Annibaldo Tuſculano Epiſcopis S. R. E. Cardinalibus iniunxit. Optatior eò erat Frācorum, & Anglorum concordia, quo Babylonis, Syriæ, Aegyptique Soldanus, ex funeſta eorum diſſenſione elatus ſuperbia Armeniam concutiebat; atque Africæ Reges ſuperſtitione Mahumetica implicati vires omnes, & conatus ad Hiſpanias ſuæ tyrannidi ſubijciendas effundebant, vt deplorat Clemens in literis ad vtrunque Cardinalem de commiſſa legatione datis, quibus præcepit, vt Reges propoſitis ob oculos impendentibus rei Chriſtianæ cladibus ad pacem adducere ſtuderent, & omnes, qui impedimento eſſent, quominus concordia conciliaretur, intentatis cenſurarum Eccleſiaſticarum pœnis reprimerent, præſtita fidei ſacramenta, ac fœdera de vrgendo bello diſſoluerent, irritaque pronunciarent. Imperauit præterea iiſdem Cardinalibus Legatis, vt ſi iidem Reges, atque alij eo implicati bello inducias inter ſe inire recuſarent, ipſi Apoſtolica auctoritate fulti eas indicerent, ac promulgarent. Vt verò retardaret apparatus bellicos, quos Reges illi inſtruebāt, anathema, interdictumque Eccleſiaſticum iis omnibus incuſſit, qui naues conducerent ad Gallias inuadendas; ac viciſſim ad frangendos Gallorum, Scotorumue impetus eaſdem pœnas obiecit alijs, qui Angliam terra, vel mari adoriri auderent. Vt verò controuerſias aliquas de Sacerdotijs conferendis in Anglia componeret, Nicolaum Archiepiſcopum Rauennatem, & Petrum Epiſcopum Aſtoricenſem Apoſtolicæ ſedis Internuncios in Angliam miſit, quos etiam inſtruxit poteſtate, vt ad ea, quæ aduerſus auctoritatem Apoſtolicam nouata erant, tollenda Præſules Anglicanos ad Synodum conuocarent, ipſumque Odoardum Regem repetitis literis hortatus eſt, vt quæ aduerſus libertatem Eccleſiaſticam geſſerat, reuocaret.

Clemens VI. electio Pet. Frizō. Oder. Raynald. in ſuis Annal. Eccleſiaſt.

Adeſt ſolemnitati Ioannes Francorū Regis primogenit. Seruat encyclicas literas.

Orbis Chriſtiani pacē curat.

Anglos inter, & Gallos pacem curat.

Pax neceſſaria rei Chriſtianæ.

Bronius in Annal. Eccleſiaſt.

Vt verò Italiæ bella ſedaret, ac retunderet Ludouici Bauari conatus, qui ſubacturum ſe Italiam gloriabatur, Bertrandum Cardinalem primò, mox Guillelmum Preſbyterum Cardinalem titulo SS. Quatuor Coronatorum Legatum direxit, eique prouinciam iniunxit, vt in Inſubria, Liguria, Aquileienſi, & Gradenſi Patriarchatibus, Dalmatia, & Creta Inſula, quæ ad tuendum religionis ſplendorem conducerent, ſanciret, hæreſeon ſemina præfocaret, Principes, ac Populos diſſentientes conciliaret, ac firmiſſimo fœdere ad repellendum Italiæ Bauarum coniungeret, atque vnà cum Venetis, & alijs de conferendis contra Turcas auxilijs, ornandaque ſacra expeditione pro defendenda Europa ageret. Ad continendas autem in officio ditionis Eccleſiaſticæ prouincias, quæ crebris diſſenſionibus ſæpiſſimè fluctuabant, Aymericum Preſbyterum Cardinalem S. Martini in montibus Legatum creauit, cui præterea in Etruria, Sardinia, & Corſica idem munus demandauit. Iuſſus quoque eſt Aymericus in Neapolitanum Regnum ire, vt Robertum Regem fidei ſacramento adigeret, & poſt Roberti Regis obitum, vt eidem Regno Neapolitano conſuleret, ac Romanæ Eccleſiæ iura tueretur, edictoque pronunciauit Romanus Pontifex Regiæ Siculæ procurationem non ad Sanciam Reginam, alioſque a Roberto Rege deſignatos, ſed ad ſedem Apoſtolicam ſpectare, omniaque ab iis geſta reſcidit, & Aymericum Cardinalem Regno præfecit, donec Ioanna Regina fortiorem ætatem attigiſſet.

Animum ad pacem Italiæ applicat.

Odericus Raynald. in Annal. Eccleſiaſt. Frizonius in Gallia Purpur.

Bronius in Annal.

Corſica.

Angel. Forteu. in hiſtor. Patau.

Neque ſolum Italiam, ſed alias quoque orbis Chriſtiani prouin-

Legatos diuerſis mittit.

Io. Mariana in Hiſt. Hiſpan.

cias ſummo ſtudio curauit: Beltramnum Electum Bononienſem in Belgium legauit, vt cenſuras, quibus ſe ob defectionem irretierant, diſſolueret, ſi ritè ab ijs ſe abſolui poſtularent. Armandum Archiepiſcopum Aquenſem ad Petrum Aragoniæ, & ad Iacobum Balearium Reges inter ſe diſſidentes, vt illos in concordiam adduceret, primò, deinde Andream Presbyterum Cardinalem S. Suſannæ, demum Bernardum Presbyterum Cardinalem titulo ſancti Cyriaci miſit. Ad auertenda verò mala, quæ ex bellis inter Ioannem Boëmiæ, & Caſimirum Poloniæ Reges emerſura erant, inter ipſos concordiam omni ſtudio reuocare niſus eſt Clemens. Initæ inter eos Reges communium amicorum opera ad ſactum D. Martino diem anno 1345. recurrentem induciæ fuerant, quæ antequam effluerent, Pontifex Guillelmum Puſter Præpoſitum Eccleſiæ Poſonienſis, Diœceſis Strigonienſis Apoſtolicæ ſedis Internuncium ad Caſimirum, & Ioannem Reges legauit, vt pacem inter eos redintegraret, inſtruxitque auctoritate, vt ſi Reges a coeundo fœdere aures auerterent, Apoſtolica auctoritate fultus inducias inter ipſos indiceret, atque anathemate earum violatores defigeret, ditionemque ſacris interdiceret. Conſulturus Romanæ Eccleſiæ iuribus Magiſtrum Geraldum è Magnaco Archidiaconum è Balteſio Conſtantienſis Diœceſis, Sacelli Pontificij Sacerdotem ad Carolum Regem Romanorum direxit, vt illum ſacramento ſedi Apoſtolicæ deuinciret. Ad reuocandos in Romanæ Eccleſiæ ſinum Græcos, Internuncios ad Cantacuzenum, & ad Ioannem Palæologum Imperatorem, Cantacuzeni generum cum literis mittere ſtatuit. Raymundo Montorum Epiſcopo Orientalis legationis prouinciam commiſit, vt ſacro in Turcas bello à ſe magnis ſumptibus parato adeſſet.

Curat expeditionē in Turcas.

Bernardinus Corius.

Io. Villan.

Indixit ſacram expeditionem in Turcas, literiſque, ad Mediolanenſem Archiepiſcopum, & Suffraganeos Epiſcopos datis præcepit, vt populos ipſorum Paſtorali curæ creditos ad dandum Crucesignatæ militiæ nomen, & Chriſtianis in Orientalibus oris laborantibus auxilia ferenda pro concione, omni ſtudio propoſitis Indulgentiarum præmijs cohortarentur. Alias miſit ad Archiepiſcopos, & Epiſcopos Italiæ, Sardiniæ, Dalmatiæ, Hungariæ, Poloniæ, Galliarum, Hiſpaniarum, Angliæ, Germaniæ, Boemiæ, Liuoniæ, Sueuiæ, Noruegiæ, aliarumque Chriſtiani Orbis prouinciarum, vt pari ardore pios inflammarent, ac vocarent in laboris, & gloriæ ſocietatem. Iuſſit præterea Helionum Villanouanum Magiſtrum Hoſpitalis S. Ioannis Hieroſolymitani ſex triremes omnibus ad bellum neceſſarijs egregiè contra Turcas inſtruere. Pōtificijs triremibus Martinum Zaccharíam Genuenſem, Ducem præſtantiſſimum, geſtis pluribus in Turcas prælijs clarum præfecit. Prouocauit etiam Robertum Achaiæ Principem, vt fœderatorum claſſi triremes aliquas adiungeret: excitauit etiam Iannuillium Sanutum Ducem Ægei maris, tum Genuenſes, Piſanos, Anconitanos, Florentinos, Senenſes, Peruſinos, alioſque quamplures, vt, vel nauibus, vel milite comparandam in Turcas claſſem pro Chriſtiano nomine defendendo, ac fidei propagandæ gloria augerent. Vtque melius rebus Orientalibus fluctuantibus conſuleret, Henrico Patriarchæ Conſtantinopolitano Latino ampliſſimum legationis munus in Cruceſignato exercitu, & Orientalibus prouincijs iniunxit, naualis verò exercitus ducibus data imperia, vt ei parerent. Summis etiam Minoritarum, Prædicatorum, Auguſtinianorum, & Carmelitarum Præpoſitis de inſtituendis per ſingulas prouincias, quatuor, vel pluribus Concionatoribus ſacra eloquentia florentiſſimis, qui populos ad ſuſcipiendum Crucis ſymbolum cohortarentur, imperia data. Annum Iubilæi, viſione quadam permotus indixit, vt refert Albericus a Roſate in ſuo Iuris vtriuſque Dictionario, verbo *Iubilæus annus*, qui illis temporibus vixit, eique Iubilæo cum vxore, & tribus filijs interfuit, & Clementis literas reſcribit his verbis. *Noueritis Filij chariſſimi, quòd venerunt ad Ciuitatem Auenionis, vbi nunc tenemus Curiam Romanam, Venerabiles dilecti Filij Noſtri Iacobus Sauelli, Bricius Sauli, & Iacobus de Columna Ciues nobiliſſimæ Ciuitatis Romanæ, & Sindici totius Senatus eiuſdem, referentes nobis plurima, & quia ſeries verborum narratione plena erat, in craſtinum mandauimus Conſiſtorium conuocari, & nocte Conſiſtorium præexiſtente apparuit nobis in viſione quadam veneranda perſona, in manu duas Claues gerens, quæ Nobis verba ſequentia dirigebat.* Aperi oſtium, & ex eo ignem mitte, quo caleſiat, & illuminari valeat totus mundus, *& in craſtinum celebrauimus Miſſam de ſancta Maria, vt ſi viſio iſta a Deo erat, iterum appareret, ſi autem phantaſma eſſet, vel illuſio totaliter euaneſceret. Præmiſſa igitur huiuſmodi oratione, ſecunda nocte vidimus ſimilem viſionem; quare vocauimus Fratres noſtros Cardinales, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Clerum in noſtro palatio coram Nobis, &c.* Conſtituit inſuper, vt Iubilæi à centeſimo ad quinquageſimum deducti piaculares Indulgentias conſecuturi Baſilicam Lateranenſem inuiſerent. Extat Clementis Diploma ad Capitulum & Canonicos, in quo eos adhortatur, vt morum optimorum exempla alijs præbeant, & vitæ normam tam inſigni Collegio dignam præſtent, atque eiſdem iniungit, vt pro ſtudio pacis, & pro eorum ſecuritate, qui Romam eo tempore confluunt, cum nobilibus Romanis interponant operam ſuam, quò illis tranquillè, & quietè viuere liceat. Augendæ inſuper pietatis ſtudio Vrbeuetanum Templum, in quo ſacra Corporalia diuino cruore tincta cernebantur, Indulgentiarum donis auxit. Normanniæ Ducem, ac Philippum Francorum, & Reginam vxorem, & Ioannam eorum Normanniæ Ducißam ea ſingulari prærogatiua ornauit, vt ſcilicet Dominicum Corpus ſub vtraque ſpecie ſumere poſſent. Ad cœleſte auxilium implorandum peculiare ſacrificium aduerſus peſtilentiæ morbum inſtituit. Iuſſit vt S. Martialis Aquitanorum Apoſtoli memoria in Aquitania ritu duplici ſingulis annis recoleretur. Epiſcopalem ſedem Algezitæ precibus Alphonſi Regis Caſtellæ erexit, atque Hiſpalenſi Archiepiſcopatui obnoxiam eſſe voluit. Rem verò ingenti pompa geſtam deſcribit ipſemet Clemens in literis ad Alphōſum Mahumetanorum victorem datis, ſe nimirum acceptis laureatis literis Regijs, ſolemnes ſupplicationes inſtructo agmine religioſo cum Cardinalibus, & Præſulibus ad peragendas diuino Numini gratias celebraſſe; habitaque ſacra concione Algezitam Epiſcopali ſede inſigniuiſſe. Multis quoq; prærogatiuis Pragenſem Eccleſiam in Boëmia decorauit, quæ cum hactenus Moguntinæ obnoxia fuiſſet, ab illius auctoritate liberam pronunciauit, ac ſede Archiepiſcopali exornauit. Pragenſem inſuper Archiepiſcopum ſacrandi Boëmiæ Reges futuris temporibus priuilegio auxit, cum antea is honos ad Moguntinum Archiepiſcopum ſpectaret. In Caroli verò Regis Romanorum gratiam Pragenſem Academiam inſtituit, atque Archiepiſcopo conferendæ Doctoratus laureæ ius contulit. Ad aſſerendam autem ſuo ſplendori Hungaricam Eccleſiam, barbarum morem, quo viri Eccleſiaſtici in litibus certamen ſingulare probationum loco ſubire cogebantur, radicitus euulſit. Caſimirum Poloniæ Regem Cracouienſis Eccleſiæ oppreſſorem grauiſſimè his verbis monuit. *Tu tamen Fili dilectiſſime, tanquam præmiſſorum, & aliorum multorum obſequiorum vtilium tibi per Epiſcopum* ſcilicet Cracouienſem, *ſicut aſſeritur, impenſorum oblitus, inſtigantibus forſan aliquibus ſuis æmulis, qui, prout creditur, plus lucra ſua propria, quàm tuum honorem venantur; ad eiuſdem Epiſcopi, & Eccleſiæ ſuæ prædictæ, ac ſubditorum ſuorum offenſas grauiores, & iniurias te conuertens, eiſdem intolerabilia impoſuiſti onera, & varias oppreſſiones irrogari feciſti (& quod eſt durius, & horrendum auditui) quia præfatus Epiſcopus, & nonnulli de Clero Interdictum Eccleſiaſticum ex certis cauſis, tam Apoſtolica, quàm ipſius Epiſcopi auctoritate ordinaria ibidem appoſitum, vt tenebantur, inuiolabiliter obſeruantes, illud ad mandatum tuum violare quomodolibet recuſarunt; aduerſus eos commotus plurimum, & ad iracundiam prouocatus, multiplicari feciſti huiuſmodi grauamina contra ipſos, aliquos ex eis relegando à Ciuitate Cracouienſi prædicta de facto caſtris, bonis, ac rebus eorum, occupatis, ac diſperſis inquiter, & vaſtatis, & vlterius contra ius diuinum, & humanum prohibuiſſe tuis ſubditis, ne de fructibus prædictorum ſuorum decimas præſumant Epiſcopo, & Eccleſiæ ſoluere, &c.*

Regem Galliæ, & alios priuilegijs ornat.

Annal. Boiorum.

Oder. Raynald. in Annal Eccleſiaſtic.

Feſtum S. Martialis duplex inſtituit.

And. Sauſſay in Martyrol. Gallican.

Epiſcopalem ſedē Algezitæ erigit.

Pragenſem Eccleſiam priuilegijs ornat, & Academiā.

Poloniæ Regem monet.

Deinde quantum dedecus ea in re ſuſciperet, ac diuinas iras laceſſeret, ac nullam ampliorem gloriam, quàm in Eccleſijs tuendis, ac ſupremi Numinis miniſtris venerandis Principem colligere poſſe oſtendit.

Inauguratus Romanus Pontifex Clemens non pauca Eccleſiæ Rothomagēſi dedit priuilegia, quæ, quia expreſſa ſunt ſupra, nos hic prætermittimus. In Tēplo Virgini Matri ſacro, S. M. de Donarijs nūcupato, tria pinguia ſacerdotia, ſeu Canonicatus inſtituit: diuiniſſimā Euchariſtiā comitantibus, cum ad ægros defertur, decem dierum conceſſit Indulgentiam. Elzearium de Sabran Ariani Comitem in prouincia in ſanctorum numerum retulit anno reparatæ ſalutis 1351. Iuſſit quando feſtum Purificationis B. Mariæ Virginis inciderit in Dominicas Septuageſimæ, ſeu Sexageſimæ, vel Quinquageſimæ, feſti Officium, ſeu Miſſam in ſequentem diem differri. Cultoribus ſacrarum Reliquiarum SS. Leodegarij Epiſcopi Aeduenſis, & Martyris, Principini item Martyris, & SS. Confeſſorum Maioli, & Odilonis in Siluanicenſi Cœnobio ordinis Cluniacenſis in Aruernia collocatarum Apoſtolico Diplomate vberrima Eccleſiæ theſauri impertiuit donatiua. Anno noſtræ ſalutis 1343. edita Conſtitutione cauit, ne quis libellos ſupplices ſedenti Pontifici in Cardinalium Conſiſtorio, vel per vrbē obequitanti inijceret; ni periti eſſent, cum nonnullorum impudentia eò prorupiſſet, vt etiam lapides libellis conderent: de qua re ita queritur Clemens. *Sicut frequenter experimento didicimus, nonnulli grauitate morum, & erga Nos reuerentia debito procul pulſis, cum ſumus in Conſiſtorio, & aliàs cum equitamus, coram Nobis, & quandoque ſuper Nos, in eis etiam lapides includendo, auſibus præſumptuoſis ſupplices, non ſine turbatione Noſtra proijcere temerè præſumpſerunt hactenus, & præſumunt, &c.* Ad coercendam itaque horum impudentiam, & tuendam Apoſtolicam Maieſtatem incuſſæ Eccleſiaſticæ pœnæ.

Eccleſiam Rothomagenſem ornat priuilegijs.

Per Franci. in Gallia Purpurat.

Indulgentiam concedit comitantib. Euchariſtiam ad infirmos.

Elzearium in ſanctorum numerum refert.

Barth. Gauant. in Theſ. ſacr. rituum.

Sacrarum item reliquiarum cultorib.

Sauſſay in Martyrol. Gallican.

Conſtitutionē edit.

Reſpon. de Baſilic. Lateran.

Baſilicam Lateranēſem Indulgentijs ditat.

Vrbeuetanum item Templum

Scripſit Clemens Romanus Pontifex plures literas, ad Ioannem ſcilicet Palæologum Græcorum Primatem, ad Alexium Megaducam, ad Demetrium Græciæ Deſpotam, ad Patritios, Senatores, ac Proceres Græci Imperij, & ad populum Conſtantinopolitanum, eoſque, vt in Romanæ Eccleſiæ ſinum redirent hortatus eſt, ac certiores fecit, quàm peramanter illis paternum ſinum explicaret, vtque maturarent greſſum, Apoſtolicis beneficijs prouocauit. Ne quid verò intentatum relinqueret, ac ne tot populorum ſanguis de eius manibus requireretur, Patriarcham, Archiepiſcopos, Epiſcopos Græcorum Imperij ad reſtituendam Eccleſiæ coniunctionem alijs literis pellexit, ac grauiſſimis diuinæ ſcripturæ oraculis vnam eſſe

Literas ſcribit. Græcos ad Eccleſiæ gremium reducere ſtudet.

Oder. Raynald. in Annal Eccleſiaſtic.

Purpurat in Gallia Purpurat.

Catholicam Eccleſiam, cui vnus ſummus Paſtor ſancti Petri Succeſſor ex Chriſti Domini decreto præeſſet. Eodem promouendæ neceſſariæ adeo coniunctionis deſiderio Clemens monachos, qui montem Atho incolebant, Prætorem Genuenſium Peræagenſium Magiſtratum Venetorum, Dominicanæ, & Franciſcanæ familiæ Religioſos viros ſumma opera ad Græcos ad Catholicam Eccleſiam traducendos incumbere iuſſit; ſed eorum diligentiam, ac ſtudia Pontificia, tot inſignibus notis, ac tanto zelo explicita, Græcorum ſchiſmaticorum pertinacia eluſit.

Raynald. in Annal.

Pacem curat inter Caſimirũ Regẽ Poloniæ, & Magiſtrũ Theutonicorum.

Cum veteres inter Caſimirum Poloniæ Regem, & Religioſos Equites ſanctæ Mariæ Theutonicorum Hoſpitalis Hieroſolymitani diſſenſiones quam maximè vigerent ob Pomeraniam, aliaſque ampliſſimas terras, quas quiſque vt proprias tuebatur; cumque hæc inueterata diſſenſio grauiora inueheret exitia, Clemens vt illam exitialem Chriſtianæ Religionis diſcordiam tolleret, Cracouienſi, Culmenſi, & Miſnenſi Epiſcopis munus ſuis literis muniuit, vt omne ſtudium, ac diligentiam in Caſimiro, & Magiſtro Pruſſiæ mutuo fœdere coniungendis collocarent.

Regẽ Sueciæ monet.

Paternis quoque monitis Regem Sueciæ monuit, vt pietatem ſectaretur, iuſtitiam coleret, Eccleſias, viroſque Eccleſiaſticos gratia, & beneficijs proſequeretur, miſeros ſuſciperet, viduas, orfanos, ac pupillos tueretur.

Edidit Clemens Pontifex.

Scripta.

Sermones varios, quorum vnus in die Cinerum habitus extat m. s. vt refert Ludouicus Iacobus à S. Carolo in Bibliotheca Aulç Pembrochianæ.

Collationum librum vnum.

Epiſtolarum ad diuerſos librum vnum.

In Canonizationem S. Yuonis librum vnum, quem refert Laurentius Surius ad diem 19. Maij.

De Caroli Regis Approbatione.

Miſſam pro Mortalitate.

Et quædam alia ex Trithemio, & Geſnero.

Obitus.

Anno noſtræ ſalutis 1352. cum Apoſtolicum ſolium annos decem, menſes ſeptem, vt dictum eſt ſupra à Ciaconio, tenuiſſet, præcipiti morbo ex humanis ereptus eſt, vt traditur in m. s. Vaticano his verbis: *Pauco tempore languens, inſperate obijt Decembris die VI. anno Domini 1352. Pontificatus ſui anno XI. in palatio Apoſtolico Aueniomenſi.*

Conſiſtorium picturis ornat. Inimicum beneficijs ornat.

Hic Conſiſtorium picturis eleganter adornauit, Aueníonenſe palatium auxit, Monaſterium Caſæ Dei extruxit, atque Aueníonis Vrbis iura in Eccleſiam transfudit. Inimicum, à quo olim grauibus iniurijs affectus fuerat, beneficijs ornauit; vt non fruſtra Petrarcha cecinerit in Carmine ad Ioannem Cardinalem Columnam.

Nulli maior ineſt clementia, nomen ab ipſis
Dignum rebus habet.

Clementis Elogia.

Quare meritò auctor, qui ad Bernardum Guidonem appendicem adiecit, illum vocat Clementiæ ſpeculum, Charitatis hoſpitem, Miſericordiæ patrem, Pietatis alumnum, Liberalitatis miniſtrum, Iuſtitiæ pugilem, Aequitatis athletam, Concordiæ ſatorem, Pacis amatorem, Modeſtiæ normam, Religionis exemplar, Amicitiæ fomitem, Spei anchoram, Fidei baſim, Complacentiæ morem, Eloquentiæ florem, Honorem generis, & Patriæ decus.

Vitia Clementi data.

Bzou. in Annal.

Vitio tamen huic Pontifici datur, quòd ſumptuoſiſſimè vixiſſet, propinquos ditaſſet, atque in ſacrum Senatum quoſdam nulla habita ætatis ratione, & in his aliquot penè pueros creaſſet: quæ vera non ſunt, vt ex infra dicendis conſtabit.

Clementis corpus deductum ad Monaſteriũ Caſæ Dei.

Poſt exequias, vt m. s. Vaticani auctor Anonymus mandat hiſtoriæ, *Clementis corpus portatum fuit ad Eccleſiam B. Mariæ Virginis Cathedralem, vbi ſtetit vſque ad æſtatem, & deinde aſportatum ad Monaſterium Caſæ Dei, vbi pridem fuit monachus, quinque Cardinalibus comitantibus ipſum, in Capella ab ipſo conſtructa depoſitum, & tumulatum, cuius anima requieſcat.* Curauit autem Innocentius Succeſſor illud funus, erogatis aureorum quinque millibus, vt illius cadauer ad idem Monaſterium transferretur.

Carmina Clementi data.

Aliquis olim viuenti Clementi obtulit libellum ſupplicem, alicuius doni obtinendi gratia, & in eum finem verſus panxit miro artificio elaboratos, qui in laudem Pontificis legebantur, modò ſupplicationi fuiſſet ſatisfactum; aliàs eoſdem retrogrado ordine vir mercenarius, & maledicus in Pontificu dedecus compoſuerat.

Laus tua, non tua fraus, virtus, non copia rerum
Scandere te fecit hoc decus eximium.
Pauperibus tua das, nunquam ſtat ianua clauſa
Fundere res quæris, nec tua multiplicas.
Conditio tua ſit ſtabilis, non tempore paruo
Viuere te faciat hoc Deus omnipotens.

Obit Venturius Bergomenſis.

Sub hoc Romano Pontifice extinctus eſt anno à partu Virginis 1346. Sanctæ egregius doctrinæ, & ſanctitatis lumen Venturinus Bergomas, qui decem millia pœnitentium religioſo cultu Romam olim traxerat ac fideles ad ſacrã in Turcas militiam Clementis iuſſu excitarat.

Bernardi conditoris ordinis Oliueti. Conradi Placentini & Ioannæ Cremonenſis.

Anno verò 1348. Senis migrauit è viuis Bernardus ſodalitij montis Oliuetani cõditor. Anno autẽ 1351. ad ſuperos euolarunt B. Conradus Placentinus, & B. Ioanna Cremonenſis, quorum primus vitam Eremiticã in nemore apud Netinã Siciliæ Vrbem diu coluit, vbi magnis miraculis, ac ſanctitatis apud omnes opinione claruit; altera ordinem Seruorum beatæ Mariæ Virginis profeſſa, celebris miraculorum gloria, atque omnium virtutum fulgore ornatiſſima virginitatem ad extremum, vſque vitæ integerrimam ſeruauit.

Mar. Chriſtiani crucibus affixi. Mors Roberti, & Philippi Regum Amedei Comitis, & Io. Villan. Concilium Toletanũ, & Patauinum.

Hoc eodem anno 1351. viginti duo Chriſtiani iuſſu Præfecti Damaſci crucibus affixi, tribus diebus à Saracenis magno conſtantiæ exemplo mortem appetierunt. Migrarunt etiam è vita Robertus Neapolitanus, & Philippus Galliarum [illegible]es, Amadeus quintus Sabaudiæ Comes, vir bello inclytus, t[illegible]oſſus, & Ioannes Villanus de hiſtoria ſuorum temporũ bene[illegible]s, peſte correptus.

Sedente Clemente in Petri Cathedra habita ſunt Concilia duo, vnum ſcilicet anno 1347. in Hiſpania ab Archiepiſcopo Toletano ad reſtaurandam Eccleſiaſticorum vitam; alterum anno 1350. Patauij in Italia a Guidone Presbytero Cardinale titulo ſanctæ Cæciliæ, Apoſtolicæ ſedis Legato, ad perpoliendos Cleri, populique mores, atque ad Religionis tuendum ſplendorem.

SIGNVM

CLEMENTIS PAPAE VI.



PRIMA CREATIO CARDINALIVM
Clementis Papa VI.

Anno à partu Virginis 1342. Pontificatus I. in quatuor Temporibus Septembris, die ſcilicet 20. eiuſdem menſis Aueníone Clemens VI. Romanus Pontifex primò renunciauit Cardinales, qui fuerunt.



I.

FR. Hvgo Rogerij, quem Trithemius Ioannem vocat, natione Gallus, patria de Malmonte, Lemouicẽſis Diœceſis, cognomento Monſtrius, Clementis frater, iuuenis admiſſus in Cœnobio Tutellenſi ordinis S. Benedicti, ſcientia ſcripturarum, & prudentia in agendis clarus extitit. Ex monacho electus, vt refert Frizonius ex Trithemio Ruthenorũ, vel teſte Contelorio, & Anonymo ſcriptore vitæ Clementis apud Boſquetum Tutellenſis, ſeu ex alijs Tullenſis Epiſcopus primò, mox non Diaconus, ſed Presbyter Cardinalis titulo ſancti Laurentij in Damaſo à Clemente renunciatur. In Nomenclaturis tamen laudatarum ſedium Ruthenorum, Tullenſium, ac Tutellenſium Præſulum Hugo hic Epiſcopus non reperitur. Hic Cardinalis vnà cum Cardinalibus Guidone de Bolonia, & Belfortio, qui poſtea Gregorius XI. tempore Vrbani V. anno reparatæ ſalutis 1362. litem inter Comitem Armaniacum, & Vicecomitem Turenæ ſedauit. Poſt Innocentij VI. obitum recuſauit ſummam Eccleſiæ dignitatem, quam plures Cardinales illi vltro obtulerant. E viuis exceſſit Aueníone xij. Kalendas Octobris anno 1363. illum eſſe ſepultum in Monaſterio Caſæ Dei apud Aruernos ſcribit Frizonius ex Papyrio Maſſono, qui eum vocat Petrum; ſed certum eſt Hugonem hunc Cardinalem ſepultum eſſe apud S. Germanum de Mazeré in Lemouicibus, vbi Capitulum Canonicorum fundauit, & in cuius Eccleſia ſuperpoſita eſt illius tumulo marmorea Cardinalis effigies. Meminere huiuſce Hugonis Presbyteri Cardinalis præter Ioannem Villanum, Clementis VI. Innocentij item VI. Vrbani V. & Gregorij XI. Romanorum Pontificum Regiſtra.

Ciaconius. Panuinius.

Odericus Raynald. in Annal. Eccleſiaſt.

Claud. Robert. in Gall. Chriſtian.

Cæſar Noſtrad. in Hiſt. Prouinc.

Steph. Baluz. in Antiſiodo.

AYME-

II.



Ferdinand. Vghel. to Addit ad Ciacon. & in Ital. ſac. Nicol. Rubeus in hiſtor. Rauenn. Pet. Frizon. in Gallia Purpurat. Aubery in vita. Panuinius. Ciaconius.

AYMERICVS de Caſtro-luci, quem Ciaconius de Suardia, Panuinius de Guardia, alij de Gardia vocant, natione Gallus, patria Lemouicenſis, Clementis VI. propinquus, Iuris tum Pontificij, tum Cæſarei Doctor, Archidiaconus primò in Eccleſia Turonenſi, mox Triumuir in temporalibus in Ciuitate Ferrariæ, & Aemiliæ Rector, ac Archiepiſcopus Rauennatenſis à Ioanne XXI. dicto XXII. renunciatus, illi Eccleſiæ præfuit annos decem, ac translatus deinde eſt ad Epiſcopatum Carnotenſem in Gallijs, & demum à Clemente VI. Romano Pontifice Presbyteris Cardinalibus titulo SS. Syluestri, & Martini in montibus adſcriptus eſt. Aymericum hunc Cardinalem renunciatum fuiſſe à Ioanne XXI. dicto XXII. ſcripſere Ferdinandus Vghellius, Petrus Frizonius, & Claudius Robertus: at certè hos erraſſe iudico; nam hunc creatum eſſe Cardinalem à Clemente VI. anno 1342. referunt Auctores probatiſſimi, videlicet Anonymus ſcriptor vitæ Clementis VI. qui hæc habet: *Dictus Papa die 20. menſis Septembris, qua fuit feria ſexta quatuor Temporum anno prædicto 42. fecit creationem decem Cardinalium, videlicet octo Presbyterorum, & duorum Diaconorum, &c.* Inter illos recenſet Aymericum his verbis. *Dominus Aymericus de Caſtroluci Diœceſis Lemouicenſis, tunc Epiſcopus Carnotenſis.* Onuphrius Panuinius, Ciaconius, Ioannes Chenutius, alijque ferè omnes inter Cardinales à Clemente renunciatos illum numerant.

Oder. Raynald. in Annal. Eccleſiaſtic. Bzouius ibidem.

Ad continendas in officio ditionis Eccleſiaſticæ prouincias in Italia, quæ crebris diſſenſionibus fluctuabant, Clemens Romanus Pontifex Aymericum titulo ſancti Martini in montibus Presbyterum Cardinalem Legatum creauit; cui præterea in Etruria, Sardinia, & Corſica idem munus demandauit, atque iniunxit, vt fœdere copularet Italiæ prouincias ad propulſandum Ludouicum Bauarum, qui obtento Tirolis Comitatu, belli facem iniecturum Italiæ minabatur, vtque ad priſtinum ſplendorem reuocaret Religionem Catholicam, quæ in multis locis defloruerat. Defuncto paulò poſt Roberto Rege Neapolitano, vt Regno conſuleret Clemens, ac Romanæ Eccleſiæ iura tueretur, edicto pronunciauit, Regiæ Siculæ procurationem non ad Sanciam Reginam, aliolque à Roberto Rege deſignatos, ſed ad ſedem Apoſtolicam ſpectare, omnia ab ijs geſta reſcidit, atque Aymericum Cardinalem adminiſtrādo Regnum, Pontificio nomine præfecit, donec Ioanna Regina fortiorem ætatem attigiſſet. Ioannæ tamen leuitas, ac temeritas Conſiliariorum decretis Pontificijs initio ſe oppoſuit, at paulò poſt, inſtante Clemente, Legatum recepit, & die 28. Auguſti anni 1344. coram illo Coronam liberalitate ſedis Apoſtolicæ in ſe transfuſam, ac fidiſſimæ clientis obſequia Clementi VI. & Succeſſoribus deuouit, ad cuius rei commendandam ſecuturæ ætati memoriam, ſubiectas tabulas edendas curauit.

IOANNA Dei gratia, Ieruſalem, & Siciliæ Regina, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Prouinciæ, & Forcalquerij, ac Pedemontis Comitiſſa.

Tenore præſentium notum facimus vniuerſis earum ſeriem inſpecturis, tam præſentibus quam futuris, quod de ligio, homagio, & fidelitatis debito iuramento, per Nos de proximo præſtito in manibus Reuerendi in Chriſto Patris Domini Aymerici titulo S. Martini in montibus Presbyteri Cardinalis Apoſtolicæ ſedis Legati in Regno Siciliæ pro parte ſanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini, Domini Clementis Diuina prouidentia eiuſdem Sacroſanctæ Romanæ, ac vniuerſalis Eccleſiæ ſummi Pontificis, & ipſius Eccleſiæ nomine, auctoritate ſupraſcriptarum eiuſdem Domini ſummi Pontificis literarum præſentatum eſt nuper Noſtris obtentibus quoddam confectum exinde publicum inſtrumentū ſubſtantiæ per omnia fieri.

IN NOMINE DEI AMEN.

Anno à Natiuitate eiuſdem 1344. die 28. menſis Auguſti duodecimæ Indictionis, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini. Domini Clementis Diuina prouidentia Papa VI. Anno tertio. Nouerint vniuerſi præſens inſtrumentum publicum inſpecturi, quod nos infraſcripti Notarij publici, & infraſcripti teſtes ad hoc vocati ſpecialiter, & rogati ad inſtantiam, & petitionem nobis factam pro parte inclytæ, & excellentis Dominæ, Dominæ Ioannæ Dei gratia Ieruſalem, & Siciliæ Reginæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Prouinciæ, & Forcalquerij, ac Pedemontis Comitiſſæ, perſonaliter acceſſimus ad Monaſterium S. Claræ de Neapoli, & dum eſſemus in Eccleſia ipſius Monaſterij in ipſius Dominæ Reginæ præſentia, ac Reuerendi in Chriſto Patris, & Domini, Domini Aymerici titulo S. Martini in montibus Presbyteri Cardinalis in dicto Regno Apoſtolicæ ſedis Legati, & Nuncij ad infraſcripta per Apoſtolicas literas ſpecialiter deputati, nec non Prælatorum, Comitum, Baronum, Iuriſperitorum, & aliorum quamplurium multitudinis copioſæ. Dominus Aymericus Nuncius, & Legatus in præſentia eiuſdem Dominæ Reginæ, & noſtrorum Notariorum, & Teſtium, ac Prælatorum, Comitum, Baronum, Iuriſperitorum, & quamplurium aliorum multitudinis copioſa oſtendit, & publicè legi fecit prædictas literas Apoſtolicas vera nota, & conſueta Bulla plumbea pendentes cum filis canapis communitas, quas nos etiam vidimus, & inſpeximus diligenter, & erant per omnia, &c.

Ad importunas Ioannæ Reginæ preces Clemens Aymericum Legatum paulò poſt reuocauit, relictis eidem Ioannæ Regni habenis. Cum verò Regni opes, ac iura contra imperia Apoſtolica Ioanna diſſiparet, Pontifex eidem Regno conſulturus, factas à Regina poſt obitum Roberti donationes conuulſit, & Aymerico Cardinali Regno diſceſſuro partes dedit, vt edicta ea de re Pontificia in Regno, vel finibus diuulgaret. In hac legatione Aymericus Hæreticos quoſdam, Neophytus dictos, in ius vocauit, ac meritis pœnis affecit.

Neapoli Romam Clementis iuſſu Aymericus acceſſit ad ſedandas ſeditiones, quas excitarat Tyrannus Nicolaus Gabinus, ſeu Laurentij, vel Rentij homo ex argilla, lutoq; fictus: natus enim erat Romæ patre popinario, matre Magdalena lotrice, & aquæ baiula, qui tamen populum coëgerat ad ſibi deferendam Tribunitiam poteſtatem. Legatus in Vaticanum palatium deſcendit, ac Tribuno diem dixit, venit ille, non vt reus, ſed Imperatorio paludamento, & dalmatica gemmis, & auro ornata indutus, diadema capite, virgam chalibeam manuferens; perſonabant illi tibicines. His Aymericum alloquitur: cur audacia inſigni ſe euocaſſet, quidque illi ſecum eſſet? nomine ſummi Pontificis aliqua ſe habere nuncianda, ſignificauit Legatus; verùm Nicolaus in furorem raptus, à quo, inquit, Pontifice? Coactus eſt Cardinalis tempori ſeruire, videns hominem veſanum militibus cinctum, ſed paulò poſt anathema illi dixit à Luca Sabellio, & Sciarra Columna animatus.

E vita exceſſit Aymericus die ſeptima Martij anno 1349. Panuinius, Ciaconius, & Frizonius ſcribunt anno 1348.

Felix Contel. in Elench. Card. Aubery in vita.

In Eccleſia Carnotenſi Sacellum ſancti Petri ſacra ſupellectili ornauit, Canonicatus duodecim erexit, annuoſque redditus illis tam pro victu, quàm pro ſupellectili ſacra aſſignauit.

Steph. Baluze in not. Auenionen.

Petrus Saxius in ſerie Pontificum Arelatenſium Aymericum hunc confundit cum Stephano de Gardia patria item Lemouicenſi, Archiepiſcopo Arelatenſi: ſed illos diuerſos eſſe, præter nominum diuerſitatē, ex eo probatur, quòd Aymericus obijt, vt diximus, anno 1349. ſeu 1348. Stephanus verò anno 1359. vt patet ex ipſo Saxio.

III.



Ciaconius. Petrus Frizon. in Gal. Purp. Panuinius. Aubery in vita. Oder. Raynald. in Annalibus Eccleſiaſt. Anonym. Auct. vitæ Clem. VI. apud Boſquet.

ANDREAS Gini Malpigha natione Italus, patria Florentinus, quare ab alijs Andreas de Florentia vocatur, maiorem ſuæ vitæ partem in Gallia tranſegit, multiplici ibidem Sacerdotio donatus, ac Philippo Gallorum Regi hac nomenclatura ſextus mirificè charus, vir in rebus gerendis exercitatiſſimus, Atrebatenſem in primis rexit Eccleſiam, deinde ad Tornacenſem cathedram conſcendit, demum inſtāte eodem Philippo Rege à Clemente VI. adiunctus eſt anno 1342. Presbyteris Cardinalibus titulo S. Suſannæ, à quo in Hiſpaniam eodem anno Legatus ad Iacobum Balearium, & Petrum Aragonenſem Reges ſedandos bello excitatos. In literis ad Petrum Regem Aragonum hæc de Andrea habet Clemens. *Vt autem huiuſmodi Noſtrum laudabile propoſitum, optatum, & celerem auctore Domino ſortiatur effectum, & prædictis diſſenſionibus, & ſcandalis, ne procedant vlterius, & diutius inualeſcant, ſalubriter obuietur, dilectum filium Noſtrum Andream titulo S. Suſannæ Presbyterum Cardinalem Apoſtolicæ ſedis Nuncium: virum vtique laudandæ virtutis, ſcientia, & innata prudentia præditum, cultorem iuſtitiæ, ſedulum amicum, pacis, & concordiæ zelatorem, licet eius præſentia Nobis, & Eccleſiæ generali neceſſaria, nimium careamus inuiti, ad partes ipſas pro huiuſmodi ſedanda diſcordia, nec non pace, & concordia inter te, & ipſum Maioricarum Regem, auctore Domino reformandis, prouidimus de Fratrum noſtrorum conſilio tanquā pacis Angelū deſtinandum.*

Felix Contel. in Elench. Card. Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana. Iacobus Brull. in Antiq. Pariſienſ.

Io hac legatione Andreas Perpiniani vita functus eſt anno 1343. die 2. Iunij, & in S. Benedicti Cœnobio, à ſe dotato Florentiæ, ſepulturæ locum habuit, cadauere illuc delato.

Gymnaſium ſeu Collegium Longobardorum in ſuo Vrbis Pariſinæ palatio extruxit, vt ex ſequenti Epigrammate Zachariæ Montij Florentini patet.

Mille

Mille trecentenos ſupra trigeſimus annos
Dum cœli rapido volueret axe rotam
Ginus Atrebatum Præſul, qui florida lucem
Ora tuo dederat nobilis Arne ſinu.
Has Italis ſacras Muſarum condidit ædes
Quas Lombarda nouo nomine turba tenet.
Hic vbi Pimbigenæ conſtant ſua vota iuuenta
Cui tenuis cenſus claudit ad aſtra viam.
Illas longa dies lento ne ſubruat æuo,
Debita nec ſtudijs ſportula deficiat
Hercle cauere tuum eſt Sol maxime gentis Hetruſcæ
Qui cupide Muſas, nec minus arma colis
Cuique ſolo Tuſco Francis non exter alumnis
Montius hæc fidei pignora certa dicat.

Aubery in vita. Ioannes Couſin in hiſtoria Tornacenſi ſcribit Andream Gini fundaſſe Collegium Patauinum, ſacrum Virgini Mariæ Tornacenſi, & Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana. Eccleſiam principem Tornacenſem annuis redditibus ditaſſe. Sacellum quoque ille ornauit Pariſijs in Eccleſia Carthuſianorum. Huic Cardinali dicauit ſuum regimen ſanitatis Magninus Medicus Mediolanenſis.

IV.



Ciaconius. Panuinius. Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

PETRVS cognomento Cyriacus, natione Gallus, patria Lemouicenſis (quem Præſulem Atrebatenſem fuiſſe tradit Ciaconius, licet in Catalogo eius ciuitatis Epiſcoporum non reperiatur, ſi fortè idem non eſſet cum Petro de Campis, ſeu Bertrando Antiſtite Atrebatenſi; in ordinem aſcitus Presbyterorum Cardinalium tituli ſancti Chryſogoni à Clemente Romano Pontifice, à quo vna cum Cardinale Guidone de Bolonia, & Annibaldo Tuſculano in Italiam miſſus eſt ad celebrandum Iubileum, totoque anno 1350. in Vrbe permanſit, & anno ſequenti 1351. è vita exceſſit.

De hoc meminere præter Ciaconium, & Panuinium, Nicolai Rentij vitæ auctor, & Frizonius: nulla tamen eius mẽtio apud Amanuenſem ſacri Collegij, & auctorem vitæ Clementis apud Boſquetum, qui vnum tantum Epiſcopum Atrebatenſem, nomine Petrum Bertrandi in ſecunda Cardinalium creatione agnoſcunt.

V.



Ciaconius. Panuinius. Pet. Friſo. in Gallia Purpur. And. Victorel. in Addition. ad Ciacõ.

GVIDO de Bolonia, qui perperam de Monteforti dictus eſt, natione Gallus, Roberti, hoc nomine tertij Comitis Boloniæ, & Aruerniæ cognomento Magni, & Blanchæ primogenitæ Roberti Comitis Claramontani vltimi filij Diui Ludouici Regis filius, & propatruus Roberti de Gebennis Cameracenſis Epiſcopi, poſtea Clementis VII. Antipapæ, vt tradit Claudius Robertus in ſua Gallia Chriſtiana renunciatus eſt primò Epiſcopus Tornacenſis, deinde Cameracenſis, & tandem Archiepiſcopus Lugdunenſis. Malè à nonnullis aſſeritur Bononienſis Antiſtes, cum neque in ſerie Bononienſium in Italia Epiſcoporum reponatur, neque Bononia Galliæ, tunc temporis eſſet Ciuitas Epiſcopalis. Tornacenſis Epiſcopus affuit Synodo Siluanectenſi anno 1317. habitæ ab Archiepiſcopo Rhemenſi Roberto de Courtenay, in qua excommunicati fuerunt omnes Domini temporales, qui ſpiritualia inuaſerant, & bona temporalia Eccleſiaſticorum detinuerant.

Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

Aſcriptus eſt Guido à Clemente Presbyteris primò Cardinalibus titulo S. Cæciliæ, mox renunciatus eſt Epiſcopus Portuenſis, & S. Rufinæ, & anno à partu Virginis 1349. legationis munere functus eſt eiuſdem Clementis iuſſu in Hungaria apud Ludouicum Regem arma mouentem in Regnum Neapolitanũ. Attingebat Guido Cardinalis propinquitate Hungari Regis vxorem, eandemque Caroli Romanorum Regis filiam. Neque in Hungaria modò, quanquam eò præcipuè mittebatur, verum in nonnullis etiam Italiæ partibus legationem obeundam ſuſcepit, vt Pontificis commendatitias literas ad Inſubriæ Principes oſtenderet. Pacem firmauit Legatus inter Ioannam Reginam, & Ludouicum Hungarum his conditionibus, vt Regijs titulis illa ornata Ludouicum Principis Tarentini filium maritum haberet, & tantum Princeps Tarentinus vocaretur, at-

Matth. Villanus. Aubery in vita. Thom. Coſtus in Hiſt. Neapolitana. Oder. Raynaldus, & Brou. in Annal. Eccleſiaſtic.

A que ea mortua, Regni ius ad Ludouicum Hungarum, vel eius heredes pertineret. Rebus ex ſententia compoſitis ad Curiam rediji Guido, & poſtmodum in Italiam, ac Romam ſe contulit tempore Iubilei anno 1350. & vna cum Annibaldo Epiſcopo Cardinali Tuſculano propter Peregrinorum concurſum ad Vrbem, & annonæ penuriam quindecim dierum ſpatium ad Indulgentias acquirendas firmatum, ad octo dies contraxit; vnde ſeditione inter populum Romanum, & Cardinales Legatos excitata, parum abfuit, quin à tumultuantibus violarentur Legati, qui tumultum ſedarunt, & pacis turbatores alios proſcripſerunt, alios alijs affecerunt pœnis, poſtquam octo diebus ſacris vniuerſis Vrbi interdixiſſent. Menſe Maio ab Vrbe diſceſſit Guido, & Patauij Synodum habuit ad perpoliẽdos Cleri, populique mores, ac ſplendorem religionis tuendum ſacra quoq; S. Antonij Lipſana in ampliſſimam Eccleſiam pro ſui honore nuiter extructam ſolemni pompa transferenda curauit; morbo affectus

Luc. Vvadingus in Annal. Minorum. Artur a Monaſt. in Martyrol. Franciſc. Marc. Vlyſſiponen. Toſſinanum.

B paulò ante Legatus S. Antonij precibus priſtinam receperat ſanitatem, vt refert Bartholomæus Piſanus his verbis. *Cardinalis Bononiæ Belgicæ Dominus Guido Epiſcopus Portuenſis à morte per Antonium liberatus, Apoſtolicus in Italia Legatus, ipſius tranſlationem peregit, & Caput in pulcherrimo tabernaculo de argento ſuis ſumptibus facto locauit.* Huiuſce tranſlationis meminit præter S. Antoninum, Cortuſiorum hiſtoria. His peractis iter direxit ſuum Guido Gallias verſus, quo in Regno legationis munere functus eſt primò cum Cardinale Petragoricenſi pro pace ſtabilienda inter Reges Francorum, & Angliæ, deinde iuſſu Innocentij VI. in Hiſpania ad conciliãdos Petrum Caſtellæ, & Petrum Aragonum Reges. Huius opera in Hiſpania pax præconis voce proclamata his legibus, vt capta belli tempore oppida inter ſe reſtituerent; Caſtellæ profugi Aragonijs finibus prohiberentur. His peractis ad Pontificem redijt Guido, qui illico Italiam petere iubetur, & Carolum Imperatorem

Oder. Raynaldus in Annal. Eccleſiaſt. Pet. Friſõ in Gallia Purpurat. Matth. Villanus.

C Roma diſcedentem, iuſſu Vrbani, Innocentij Succeſſoris comitatur, & Vicarius per Italiam conſtituitur. Demum in Hiſpaniam iterum legatur à Gregorio XI. ad Hiſpaniæ Reges conciliandos: de hac poſteriore legatione ſic Mariana. *Quo tempore Guidonem Bolonienſem Cardinalem à Gregorio Pontifice Legatum veniſſe in Hiſpaniam nunciatum eſt, rogat Henricus Caſtellæ, vti eius aduentum Ceracæ opperiretur, vbi Regina morabatur; negat ille, cum tantum belli eſſet excitatum, ad quod componendum miſſus eſſet in Hiſpaniam; ergo contimuato itinere Merobrigam appulit, vtrumque Regem adire conſtituens Henricum Caſtellæ, & Petrum Aragonenſem, placuitque Regibus totius controuerſiæ arbitrium Guidoni Legato permitti.* In hac legatione Guido Legatus pacem inter Henricum Caſtellæ, ac Fernandum Luſitaniæ Reges ijs legibus ſanciuit, vt oppida vtrinque bello capta reſtituerentur. In concordiam quoque mutuam reuocauit eundem Henricum Caſtellæ, & Carolum

D Nauarræ Reges. Ereptus eſt è viuis Guido Cardinalis antequam controuerſias iterum excitatas inter Aragonium, & Caſtellanum Reges ſopiret, vt ex literis Pontificijs conſtat: ſublatum autem increbuit rumor illum veneno à Carolo Rege Nauarræ; quo rumore ſparſo, Carolus obiectum crimen purgare conatus eſt, & admiſit Gregorius Romanus Pontifex eius excuſatiões, cum Guidonis neceſſarios diligenter percunctatus, non veneno, ſed morbo interemptum comperiſſet; ac priſtinæ illi famæ integritatem hiſce literis anno 1374. exaratis reſtituit.

GREGORIVS, &c. Carolo Regi Nauarræ Illuſtri.

Fidem Nuncij ſub commiſſa eis per eaſdem literas credentia pro parte tua magnificentia Nobis expoſuerunt, quod eidem Serenitati relatum extiterat Nobis falſo ſuggeſtum fuiſſe, quod bonæ memoriæ Guidoni Epiſcopo Portuenſi, tunc in partibus illis Apoſtolicæ
E *ſedis Legato venenum, ſeu toxicum dari, ſeu miniſtrari feceras, propter quod viam fuerat vniuerſæ carnis ingreſſus. Verum fili chariſſime, id Nobis à pluribus dictum fuit, ſed conſiderantes puritatem deuotionis ad Deum Catholicorum Principum progenitorum tuorum, atque tuam, ſtatumque Regium nolle tantam maculam in ſui nominis gloria ponere; nec non ſincerum amorem, quem ad dictum Epiſcopum gerebas, hoc credere nulla ratione potuimus. Et licet cum familiaribus præfati Epiſcopi de infirmitate ipſius, & de morte ſæpius, & diligenter locuti fuerimus, nunquam tamen ſcire potuimus, eum aliter, quàm morte naturali, quæ nulli parcit, deceſſiſſe. Quapropter amantiſſime fili de præmiſſis Nobis falsò ſuggeſtis, cum veritatis claritas mendaciorum tenebris in hoc offuſcari nequeat, in antea non curet ſinceritas Regia Nobis cara. Datum Sallon. Arelatenſis Diœceſis x. Kalen. Iulij, anno IV.*

F Exceſſit Guido Cardinalis Ilerdæ in Hiſpania die 25. Nouembris anno 1373. & ſepultus in Abbatia Boſchetti: Ciaconius ſcribit obijſſe anno 1374. ſed ex libro Obligationum Cameræ Apoſtolicæ, atque ex Gregorij Romani Pontificis literis conſtat anno 1373. illum vt diximus, vitam cum morte commutaſſe.

Felix Cõtel. in Elech. Card. Ferdinand. Vghel in Ital. facra.

Hic Aedes ſacras Carmelitarum Pariſienſium in Mauberti platea anno 1353. decimoſexto Octobris deprecante Ioanna Philippi Longi Regis vxore, & Eccleſiam Moncelli D. Claræ Diœceſis Bellouacenſis ſolemni ritu dedicauit: Prædones Villam à ſancto Spiritu dictam occupantes tempore Innocentij fugauit.

Pet. Friſõ in Gallia Purpurat.

Scutum Guidonis huius Cardinalis Bolonienſis non eſt illud a

Ciaconio,

Valer. Poſſidor in deſcriptione Eccleſ. S. Antonij

Ciaconio, ceteriſque relatum, ſed parma aurea vexillo tribus ſegmentis miniatis praſino fimbriatis exarata, vt ſcribit Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, & dicit ſe obſeruaſſe Patauij in Eccleſia ſancti Antonij in argentea theca encauſto picta, ab ipſo dono data, in qua idem ipſe Legatus maxillam S. Antonij incluſerat. Petrus Frizonius ſcutum Comitum Boloniẽſium quadripartitum facit; parma primi, & quarti laterculi aurea tribus miniatis byzantinis, ſecundi, & tertij vexillo tribus ſegmentis miniatis praſino fimbriatis exaratũ eſt. Meminere Guidonis huiuſce, Clementis VI. Innocentij item VI. Vrbani V. & Gregorij XI. Regiſtra.

A

VI.

Ciaconius. Aubery in vita. Panuinius de Rom. Pont. Felix Cõtel. in Elẽch. Card. Claud. Robert. in ſua Gall. Chriſtiana. Oder. Raynald. in ſuo Annal. Eccleſiaſtic. Theodor. à Niem.



STEPHANVS Albertus, ſeu Alberti, vel Aubert, Gallus è monte Lemouicenſis Diœceſis, vir integerrimæ vitę, doctor Decretorum, quem Canoniſtam maximum vocat Abbas Trithemius, maior primò Seneſcaliæ Toloſanę Iudex, deinde cauſarum in Romana Curia Auditor, electus eſt in Antiſtitem Nouiodunenſem, poſtea Cameracenſem, demum Claromontenſem. Ea Epiſcopo à Clemente renunciatur Presbyter Cardinalis SS. Ioannis, & Pauli titulo Pammachij, & maior Pœnitentiarius, mox Epiſcopus Oſtienſis, & Veliternus. Legationis munere eiuſdem Clementis iuſſu functus eſt cum Annibaldo Tuſculano ad Philippum Galliarum, & Odoardum Anglorum Reges inter ſe bello decertantes; verùm parum profuit hæc legatio, cum irati, & affecti ita hi Principes eſſent, vt nullum fœdus potuerit iniri, licet omnem mouerint lapidem Cardinales Legati. Epiſcopus Nouiodunenſis Eccleſiam principem erexit: poſt Clementis obitum coronatur ſummus Chriſtianorum Pontifex, & Innocentij VI. nomen aſſumit. Vide vitam.

B C

Aubery in vita.

VII.

Ciaconius. Panuinius. Aubery in vita. Auſt. vitæ Clement. apud Boſquet.



ADEMARVS cognomento Robertus Aquitanus, illuſtri Vicecomitum Sangallenſium ſtemmate progenitus, quem in Diœceſi Lemouicenſi natum refert Ciaconius cum auctore Appendicis Bernardi Guidonis, Iuris vtriuſque doctor, ex ſedis Apoſtolicæ Notario, inter Presbyteros Cardinales titulo ſanctæ Anaſtaſiæ cooptatus eſt à Clemente anno reparatæ ſalutis 1342. in cuius gratiam anno ſequenti 1343. ipſe Clemens ſcripſit Edoardo Regi Anglicano, vt redditus nonnullos, & beneficia, quæ huic Cardinali aſſignarat ad ſuſtinendam Cardinalitiam dignitatem, liberos relinqueret. Deceſſit Ademarus Auenione ſub eodem Clemente die prima Decembris anno 1352. vt refert Felix Contelorius in Elencho Cardinalium ex libro Obligationum, Ciaconius ſcribit hunc obijſſe anno 1353. Hunc eundem eſſe ac illum, qui fuit primùm Epiſcopus Lexouiẽſis, inde Atrebatenſis, & Morinenſis, ac demum Archiepiſcopus Senonenſis contendit Frizonius, quorundam recentiorum ſecutus errorem; at duos fuiſſe conſtat, licet ex eadem familia ambo fuerint, & eodem ſanguine progeniti, Archiepiſcopum vnum Senonenſem, alium Cardinalem, ex eo quòd Cardinalis obijt, vt diximus, anno 1352. vel 1353. Archiepiſcopum verò è vita exceſſiſſe anno 1384. docet Ioannes Chenutius, dum ait. *Audemarus, ſiue Ademarus Robert, Lemouicus, Atrebatenſis antea Epiſcopus, deinde Morinenſis obijt anno* 1384. Iacobus Suertius his verbis: *Audemarus, ſiue Ademarus, & Adomarus Robertus, vir Lemouicus, antea Epiſcopus Atrebatenſis, deinde Morinenſis, ſedens hic ab anno* 1376. *ad annum* 1384. *quo interijt* 25. *Ianuarij*. Et Claudius Robertus: *Ademarus, vel Odomarus Robert, ex Epiſcopo Lexouienſi, Atrebatenſi, & Morinenſi, obijt die Conuerſionis S. Pauli anno* 1384.

D E F

Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

Pet. Friz. in Gallia Purpurat.

In Archiepiſcop. Senonenſ. De Epiſc. Gall.

In Gallia Chriſt.

Claudius Robertus in Gallia Chriſtiana, & Ferdinandus Vghellius in Additionibus ad Ciaconium, ex tabulis Pariſienſibus, ac Antiſiodorenſibus ſcribunt Ademarum hunc Presbyterum Cardinalem, Pariſienſem primò, deinde Antiſiodorenſem electum Epiſcopum Auenione die 10. Maij anno 1361. vitæ finem feciſſe, & ſepultum ad Carthuſianos Villænouæ Aueniomenſis Diœceſis.

VIII.

Ciaconius. Panuinius. Felix Cõtel. in Elẽch. Card. And. Quercet. in ſua Clem. VI. Auſt. vitæ Clem. VI. apud Boſquet. Auſt. Appendicis ad Bernard. Guid. Pet. Friz. in Gallia Purpurat.



GERARDVS à ſancto Domaro de Girardia, quem alij Domarum, vel de Domario, & de Gorria vocant, natione Gallus, Lemouicenſis, in prouincia Toloſana ex Panuinio, & Ciaconio, vel Narbonenſi, ex Petro Frizonio natus, Clementis Papæ ſororis filius, à teneris annis diuino ſeſe famulatui deuouit in ſacra Prædicatorum familia, in qua emiſſa profeſſione religioſa, literis diuinis ita ſe addixit, vt eas publicè in diuerſis ſui ordinis domibus profeſſus fuerit, & clarus Theologię doctor, ac profeſſor euaſerit. Poſt Cœnobia varia egregiè adminiſtrata, ad ſupremum ſuæ familiæ apicem peruenit; etenim in locum Hugonis Galli Carcaſſonæ in Capitulo generali omnium votis anno 1340. ſeu ex Chronico, anno 1342. Generalis deſignatur, qua electione Clemens Romanus Pontifex non parum gauiſus eſt. Lutetia Auenionem vocatur, & in Collegium Cardinalium cooptatur non titulo S. Anaſtaſiæ, vt quibuſdam placet, ſed S. Sabinæ, vt conſtat ex eiuſdem Clementis literis ad Regem Angliæ datis. Claruit virtutibus varijs, & præſertim in pauperes magnificentia, multa apud Clementem pro ordine ſuo impetrauit, & intentus eidem ordini promouendo, Bertrandum Pontificij Sacelli Sacerdotem, & Ioannem Molendinum in Theologia Magiſtrum, Lectorem ſacri Palatij faciendos curauit. Legationis munere functus eſt Clementis iuſſu in Gallia; ſcripſit, vt refert Corteſius quædam in Theologia, & Sermones doctrina refertos in lucem edidit. Auenione ex Contelorio 27. Septembris anno 1343. vel ex Ciaconio, Frizonio, & alijs Toloſæ anno 1345. efflauit animã, & ſepultus apud Dominicanos.

Ambr. Senenſ. in ſuo Chronic. Ord. Prædicator. Ferd. de Caſtil. in hiſtoria Ord. Prædicator. Aubery in vita.

IX.

Ciaconius. Panuinius. Aubery in vita. Anonym. Auct. vitæ Clement. apud Boſquetum. Oder. Raynald. in ſuo Annal. Eccleſiaſt. Luc. Vvadding. in ſuo Annal. Minorum. Felix Cõtel. in Elẽcho Card. Pet. Friz. in Gallia Purpur.



BERNARDVS, ſeu Bertrandus de Turri, filius Bernardi tertij Turris in Aruernia Domini, & Beatricis de Rhodes, Henrici ſecũdi Ruthenorum Domini filia, nobilis Gallus, ex Canonico Lugdunẽſi, & Subdiacono Apoſtolico, Diaconus Cardinalis S. Euſtachij à Clemente renũciatus, ſubſcripſit poſtremus Cardinalium eiuſdem Clementis Diplomati Monialibus ſanctæ Claræ Diœceſis Ebroenſis dato, anno 1348. Peſtifera lue perijt Auenione ſexto Idus Auguſti anno reparatæ ſalutis 1361. Teſſera gentilitia gentis Turrianæ in Aruernia continet turrim argenteam in campo cœruleo lilijs aureis ſeminato, vt habemus ex Inſignibus Roberti à Turri Archiepiſcopi Lugdunenſis, filij Comitis Aruerniæ, quæ ſunt Lugduni in quodam Sacello Eccleſiæ principis illius Vrbis.

X.

Ciaconius. Panuinius. Aubery in vita.



GVILLELMVS Iudicis ex ſorore Clementis nepos, natione Gallus, Lemouicenſis, ſcientia iuris inſtructiſſimus, ac legum Doctor, ab eodem Clemente Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Coſmedin, aliàs Scholæ Græcæ, mox ab Vrbano V. anno 1368. vel à Gregorio XI. anno 1371. inter Presbyteros Cardinales titulo S. Clementis, vt ex tabulis eiuſdem Eccleſiæ S. Mariæ habemus, cooptatus eſt. In Regno Neapolitano legationis munere vnà cum Annibaldo primùm, mox cum Guidone Epiſcopis Tuſculanis functus eſt Clementis iuſſu, vt Ludouici Hungari Regis impetus, atque iras contra Ioannam Reginam, ſua prudentia frangeret. Hic cum Oratoribus Regis Hungariæ conuentus plures habuit pro pace, ac nonnullas propoſuit leges partim à Pontifice, partim à Rege Hungaro, partim à Ioanna, & à Ludouico Principe implendas, quæ admodum gratæ, & acceptæ, tum Clementi, tum alijs cecidere.

Oder. Raynal. Annal. Eccleſiaſtic.

Ab Innocentio Clementis ſucceſſore in Caſtellam Legatus miſ-

ſus eſt

Io Mariana in Hiſt. Hiſpan.

Indic. rer. à Regib. Aragon. geſtarum.

Pet. Friſō in Gallia Purpur.

ſus eſt ad ciuiles motus comprimendos, ac reſtituendum Caſtellæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſplendorem, nec non labentem Chriſtianam rem ſuſtentandam. Inſtructus eſt Legatus ampliſſimis mandatis, interque alia iuſſus eſt Petrum Regem, & eius pellices, quibus iam ſacris fuerat interdictum, ſi flagitij veniam poſcerent, ritu Eccleſiaſtico abſoluere, atque interdictum diſſoluere. Dum hæc curaret Guillelmus Legatus auctæ inter Reges Aragoniæ, & Caſtellæ ſunt diſcordiæ, ac nouum bellum excitatum. Innocentius, qui arma illa in Mahometanos verſa, magna ſui animi voluptate perſpicere optauerat, Legato munus impoſuit, vt diſſidentes Reges in concordiam reuocaret, ſed, vt refert Rodericus Sanctius in hiſtoria Hiſpanica, *Legatus Regem Caſtellæ inflexibilem reperiens, parum profecit.* Cumulauerat antiqua flagitia Petrus Rex non modò [illegible] in ſuos, verum etiam rapinis, cum Eccleſiaſtica vectigalia in regium ærarium conuertiſſet; quare diuinam expertus eſt vindictam, & ab vno fratrum Henrico victus vitam miſer perdidit, documentum ſanè Regibus attendendum, ne ſe eo exemplo perditum eant.

Auenione palatiū extrui curauit Guillelmus hoſpitio in Diui Agricolæ Parœcia empto; quòd palatiū progreſſu tēporis datū eſt ſacris Virginibus, quæ Cœnobiū fecere, & in illud commigrarūt Moniales Monaſterij S. Praxedis extra muros, quòd fuerat à Gomeſio Cardinale Hiſpano cōditum. Vita demū priuatur Auenione die 28. Aprilis anno noſtræ ſalutis 1374. Petrus Frizon in ſua Gallia Purpurata ſcribit Guillelmum hunc, Diaconorum primum anno 1371. coronam Gregorij XI. capiti impoſuiſſe in Eccleſia principe Auenionenſi, quare videtur in ea eſſe ſententia, Guillelmum fuiſſe a Gregorio Presbyteris Cardinalibus aſcriptum.

Meminere Guillelmi huiuſce Cardinalis, Clementis VI. Innocentij VI. Vrbani V. & Gregorij XI. Regiſtra, quæ Romæ in Vaticano ſeruantur.

Pet. Friſō in Gallia Purpurat.

Felix Contelor. in Elencho Card.

Aubery in vita.



XI.

FR. ELIAS de Nabinal, natione Gallus, Diœceſis Petragoricenſis, ordinis Minorum, ſacræ Theologiæ Magiſter, ex Archiepiſcopo Nicoſieſi renunciatus eſt Patriarcha Hieroſolymitanus, & diſpenſatione Pontificia retinuit Eccleſiæ Nicoſienſis adminiſtrationem. Presbyteris deinde Cardinalibus titulo S. Vitalis in prima Cardinalium creatione illum adſcripſit Clemens huius nominis Sextus, atque ad illum Diplomata multa miſit hoc titulo *Dilecto Filio Eliæ tituli ſancti Vitalis Presbytero Cardinali*, in quibus plura et beneficia Eccleſiaſtica, & annuos contulit redditus, addita hac clauſula, *Non obſtante, quòd Profeſſor ordinis Minorum exiſtis.* Poteſtatem quoque Eliæ hanc fecit Clemens diſpenſandi cum Luſignano Hugonis Regis Cypri filio, vt in matrimonium aſſumeret Ecchiuam Monfortij filiam ſanguinis gradu ſibi coniunctam.

Scripſit Elias in quatuor libros Sententiarum: Commentaria in Apocalypſim: & de Vita Contemplatiua. Poſt Clementis obitum interfuit Comitijs, in quibus renunciati ſunt Romani Pontifices Innocentius VI. & Vrbanus V. E vita exceſſit jv. nonas Octobris anno 1367. & Auenione ſepultura donatus apud Minores.

Hunc de Annibaldis à S. Heredio cognominat Rodulphus, & ab Innocentio VI. creatum Cardinalem perperam affirmat; quem etiam ſecutus eſt Ciaconius, referens eius electionem ad annum 1353. ſed Mariani Florentini, & Marci Vlyſipponenſis Chronica, imò, & Anonymus auctor vitæ Clementis apud Bolquetum anno 1342. ad hanc dignitatem euectum recenſent. Lucas Vvaddingus in Annalibus Minorum, ex Presbytero S. Vitalis Eliam renunciatum eſſe Epiſcopum Oſtienſem, & Veliternum ſcribit, ſed errat; duo enim fuerunt hoc nomine Cardinales, vnus Fr. Elias de Nabinal ordinis Minorum Presbyter Cardinalis S. Vitalis, alter Elias de ſancto Heredio ex monacho Benedictino Epiſcopus Vticenſi primò, deinde Oſtienſis ab Innocentio creatus, vt conſtat ex libris ſacri Collegij, & ex Regiſtris Pontificijs, quæ ſe vidiſſe ſæpe ſæpius fatetur Felix Contelorius in Elencho Cardinalium.

SECVNDA CREATIO CARDINALIVM.

Anno à partu Virginis 1343. Pontificatus ſecundo, die 29. Maij ex Panuinio, & Ciaconio, ſeu ex Contelorio die 27. Februarij, aut ex Anonymo auctore vitæ Clementis apud Bolquetum die 26. Februarij anno 1344. Clemens VI. Romanus Pontifex iterum creauit Cardinales, qui fuere.

Pet. Friſō in Gallia Purpurat.

Aubery in vita.

Aut. Vitæ [illegible]

Ciaconius

Panuinius

Felix Contel. in Elench. Card.

Oder. Raynaldus in [illegible]



XII.

PETRVS à Columbario, Petri Bertrādi S.R.E. Cardinalis ex ſorore Margarita nepos, Bartholomæi a Columbario, Columba[illegible] eſt natiuitatis [illegible] nus Annon[illegible] Domini [illegible], qui ob auum ulteriorem [illegible] quoque Bertrandi nomen aſſumpſit, ex Canonico B. Virginis Mariæ Aniçienſis, Decano S. Quintini, Canonico Laudunenſi, Ep[illegible] Niuernenſis primùm, deinde Atrebatenſis, poſtea Presbyter Cardinalis titulo S. Suſannæ a Clemente, & demum Epiſcopus Oſtienſis, & Veliternus ab Innocentio VI. renunc[illegible] eſt vt Anonymus auctor vitæ Clementis apud Bolquetum his verbis teſtatus eſt. *Anno Domini 1344. die 26. menſis Februarij, in qua fuerunt quatuor Tempora, dictus Papa creauit duos nouos Cardinales, videlicet Dominum Petrum Bertrandi iuniorem de Columbario, Diœceſis Viennenſis, tunc Epiſcopum Atrebatenſem, [illegible] fuit in Presbyterum aſſumptus: eratque nepos alterius Domini Bertrandi ſenioris, qui [illegible] in Collegio ſuper extabat, &c.* Hæc auctor, cui Clementis [illegible] ad Petrum datæ conſentiunt, & ſunt tales.

CLEMENS EPISCOPVS, &c.

Dilecto filio Petro Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbytero Cardinali, olim Epiſcopo Atrebatenſi.

Moyſi Legiſlatoris, qui Ietro cognati ſui vtili adhærendo conſilio, viros prudentes, & Deum timentes circa regendam plebem Iſraëliticam, elegiſſe teſtatur, exemplo ducti laudabili, ad onus ſpiritualis regiminis, quod ex iniuncta deſuper Apoſtolica ſeruitutis officio noſcitur incumbere, auxiliatores, & coadiutores Nobis, viros vtique potentes in opere, [illegible] ſermone, qui veritatem, & iuſtitiam diligant, & auaritiam oderint, Nos profundis meditationibus perquirentes, pridem ad perſonam tuam, quam largitor bonorum omnium virtutibus multis inſigniuit, direximus intuitum Noſtræ mentis, & tandem matura deliberatione cum Fratribus Noſtris perhabita, te pridem a vinculo, quo Atrebatenſi tenebaris aſtrictus, per Nos de poteſtatis plenitudine abſolutum, ad Cardinalatus honorem de dictorum Fratrum conſilio duximus aſſumendum. Quocirca diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus impoſitum tibi onus huiuſmodi ſuſcipiens reuerenter, ad Noſtram, & Apoſtolicæ ſedis præſentiam abſque cunctatione moroſa ſtudeas, diuina præuia gratia, te conferre, vt à Nobis [illegible], & eiſdem Fratribus, diuinis obſequiis, & Eccleſiæ Romanæ ſeruitijs vacaturus. Datum apud Villamnouam Auenionenſis Diœceſis, Id. Martij anno 2.

Ab Innocentio VI. Auen[illegible] Pal[illegible] hor[illegible] eſt, atque [illegible] Italiam Legatus ad Imperatorem Carolum IV. Romæ in Vaticano Caroli, & Annæ vxoris capita, die quarta Aprilis imperiali diademate cinxit, & bellum, quòd Imperatoris intererat, diuinæ gratiæ adiutus auxilijs ſuſtulit. Huiuſce Cardinalis iter refert Ioannes de Porta Annonæenſis in Diario m.s. his verbis. *Auenione egreſſus Cardinalis Bertrandus, accepta Pontificis benedictione die x. Februarij anno 1355. terreſtri itinere Piſas peruenit die Iouis xii. Martij: ei obuius factus Cæſar breui coronandus mutuis amplexibus, & oſculis ſe ſalutarunt, ambo Vrbem Piſanam ingrediuntur tecti vna vmbella; Bertrandus ornamentis Pontificalibus erat indutus. Die 15 eiuſdem menſis Dominica Lætare ſacrificium Miſſæ obtulit, habēs tiaram Pontificalem, aliaque in celebrioribus ſacrificijs ſolita. Poſtridie litauit pro defuncti Henrici VII. Cæſaris animæ requie, præſentibus Carolo, & Anna Imperatori defuncti nepotibus, orationem funebrem habuit Fr. Simon Dominicani ordinis Magiſter generalis in præſentia viginti Antiſtitum. Inter moras impetrat Bertrandus Cardinalis trecentos milites contra Malateſtam vſurpantem Eccleſiæ terras, mittendos ad Aegidium antiquum Legatum Cardinalem tituli S. Clementis, qui illum captiuum intercepit, miſſum poſtea ad Cæſarem. Dominica die Paſſionis, Cardinalis, & Imperator Piſis diſceſſere Romā petituri diuerſis itineribus pro vtriuſque commoditate. Die Iouis ſecunda Aprilis vterque Cæſarianum aduenit burgum ditionis Comitis An[illegible]ullaræ, diſtantem duodecim milliaribus a Sutrio, equos conſcendere, vt Romam peterent, conducti ad D. Mariæ Magdalenæ Templū Romæ milliario vno vicinum. Imperator vna porta [illegible] Vrbem ingreſſus, Cardinalis altera, [illegible] ad S. Petrum contendit, exceptus à Benedicto Vrſino Canonico. Quinta die Aprilis Paſchatis ſacra antelucani horis egreſſus Roma Cæſar, vt triumphantem introitum ageret. Cancellarius Romanæ Ciuitatis Nicolaus de Montenigro, & Sindicus Lalius de T[illegible]ſtis Euangeliorum Codicem manu tenentes, petierūt ab Imperatore Priuilegiorum confirmationem, & ſacramentum: Tres Cardinalis nepotes creauit Equites Petrum Bertrandum, Pe-*

trum de Moneſtier, cuius familia ſuperſtes, Petrū de Sanct Didier.

Caſare Romam ingreſſo, Senatores inceperere ire pedites ante S. Catharina Templum, & habenas equi tenentes progreſſi ſunt ad Vaticanum: Bertrandus Cardinalis ornatu Pontificio Imperatorem ante Baſilica fores ſalutauit, quem vnxit in Caſarem ipſo die Anaſtaſis Dominica, & coniugem eius Annam die Mercurij, octaua Aprilis ad Eccleſiam ſuam Oſtienſem viſendam ſecomulus Cardinalis, poſtea Auenionem rediyt, cui obuiam facti omnes Cardinales in Monaſterio S. Praxedis à Ciuitate Auenionenſi non multum diſſito. Oſculatus eſt Pontificios pedes, manus, & os Innocentij VI. vigeſima ſeptima Iunij ingreſſus Patrum Purpuratorum Conciſtorium orationem habuit, & gratias egit, ita exorſus, Domine factum eſt, vt imperaſti: iſta verba, qua ſunt ſerui ad Dominum, dirigo ad Te Patrem ſanctiſſimum de commiſſo mihi per ſanctitatem Tuam negocio, &c.

Ciaconius.

Legatione quoque functus eſt eiuſdem Innocētij iuſſu apud Galliæ, & Angliæ Reges, & Crucesignatorum caput deſignatus eſt huius ſtudio, operaque inter illos in biennium induciæ factæ, quæ tamen pacem non peperere. Subſcripſit Clementis literis datis anno 1348. ij. Kalend. Maij Monialibus Monaſterij Miſericordiæ beatæ Mariæ Virginis de Deneio.

Luc. Vuadding. in Annal. Minorum.

Facultates ſuas Petrus hic Cardinalis in opera pia, & religioſa impendit. Fundauit ſi quidem Monaſterium Cœleſtinorum Columbarij ſub titulo Annunciationis B. M. Virginis: vbi ante maius Altare ſepultus eſt, eò ſcilicet tranſlatus ex Prioratu Montiſalti, in quo die 13. Iulij anno 1365. ab hominibus demigrauit, vt fert eiuſdem Monaſterij Archiuium, & Collegij Auguſtodunenſis Martyrologium. Ferdinandus Vghellius in tomo primo Italiæ ſacræ, alijque ſcribunt Petrum hunc Epiſcopum Oſtienſem contagioſo morbo Auenione deceſſiſſe. Heredes inſtituit ſuos Patres Cœleſtinos Gentiliacenſis Cœnobij prope Auenionem, ac multa teſtamento reliquit Romano Pontifici, Eccleſiæ Ancienſi beatæ Mariæ Virginis, Niuernenſi, & Atrebatenſi, Eccleſijs, & Prioratui Annonæenſi, Eccleſiæ S. Cyri, in qua, vt pote Columbarij Parochia baptiſmo luſtratus fuerat. Prioratibus Andanciæ, Tini, Quintenaſij, & Pelgrai, Religioſis S. Antonij Annonæenſis, Eccleſiæ Auenionenſi B. V. Mariæ de Domnis, Sanctimonialibus S. Claræ tum Auenionēſis, tū Annonæenſi, Franciſcanis Annonæenſibus, Abbatiæ S. Antonij Viennenſis, Eccleſiæ B. V. Mariæ de Môteako, nec nō Puellis pauperibus Annonæenſibus, Torencianis, & Columbarienſibus.

Iacobus Gauder in Tab. Geneograph.

Claud. Robert. in Gall. Chriſt.

Petrus Priſſ. in Gal. Purp.

Felix Cōtel. in Elēch. Card.

Supra ianuā maiorē Collegij Auguſtodunenſis conſpicitur imago Petri Bertrandi iunioris, è regione Auunculi cū hac Inſcriptione.

PETRVS BERTRANDI DIOECESIS VIENNENSIS, OLIM NIVERNENSIS, DEINDE ATREBATENSIS EPISCOPVS, TITVLI POSTEA S. SVSANAE CARDINALIS DEMVM EPISCOPVS OSTIENSIS, ET VELITERNVS.

Et in tabella Sacelli eiuſdem Collegij Auguſtodunenſis hæc leguntur. *Reuerēdiſſimus in Chriſto Pater, Dominus Petrus Bertrandi Diœceſis Viennenſis, Epiſcopus Niuernenſis, deinde Atrebatenſis, poſtea ſancta Suſanna Presbyter Cardinalis, & conſequenter Oſtienſis, & Veliternus Epiſcopus, nepos pradicti Domini Cardinalis ſancti Clementis, huius Collegij Eduenſis Fundatoris.*

Ciaconius alijque Petrum hunc Cardinalem, & Epiſcopum Oſtienſem confundunt cum Petro Bertrando patruo Presbytero Cardinale S. Clementis, qui à Ioanne XXI. dicto XXII. inter Cardinales cooptatus fuit. A veritate quoque aberrant illi, qui noſtri huiuſce Petri Epiſcopi Oſtienſis promotionem in annum 1350. reijciunt, cum ad eam dignitatem promotus ſit menſe Februarij anno 1344. vt ſupra narrauimus. Malè huic Petro nepoti ſcripta Petri patrui tribuuntur à Philippo Locrio.

Pet. Friz. in Gallia Purpur.

Parma Petri Bertrandi iunioris argentea tribus roſis coccineis, cantherio cœruleo duabus columbis argenteis, cruribus, & roſtro miniatis exarata: diuerſam tamē ab hac expreſſerat olim Ciaconius.



XIII.

NICOLAVS de Reſſa, ſeu de Beſſa, natione Gallus, patria Lemouicenſis, Clementis VI. Romani Pontificis ex Delphina ſorore nepos, & Iacobi de Beſſa filius, Gregorij XI. conſanguineus, Electus Lemouicenſis, renūciatus eſt ab auunculo Clemente Diaconus Cardinalis S. Mariæ in via Lata in ſecunda Patrum electione, vt refert Anonymus Auctor vitæ Clementis apud Boſquetum his verbis. *Secundum vero fecit Diaconum, videlicet Dominum Nicolaum de Beſſia tunc Electum Lemouicenſem, de cuius Diœceſi oriundus erat, nepos ſuus ex ſorore.*

Ciaconius. Panuinius. Pet. Friz. in Gallia Purpurat. Felix Cōtel. in Elēch. Card. Oder. Raynald. in Annalibus Eccleſiaſt.

Nicolaus hic Cardinalis fuit ſeraphici ordinis S. Franciſci Protector, & ſubſcripſit Profeſſioni fidei Orthodoxæ, quam Ioannes Palæologus Orientis Imperator Romæ anno 1369. ex formula Romanæ Eccleſiæ profeſſus eſt eiurato ſchiſmate, ſe, ſuoſque Græcorum ritui addictos adiungens Eccleſiæ Occidentali. Firmauit quoque Clementis literas datas Monialibus S. Claræ de Manuaſca Siſtaricenſis Diœceſis Auenione ij. nonas Aprilis anno à partu Virginis 1344. licet alij Amanuenſium errore dicant anno 1343. quando Nicolaus nondum fuerat Cardinalibus adſcriptus. Adfuit electioni Innocētij VI. & Vrbani V. Extremū clauſit diem Romæ menſe Octobris, ſeu die quinta Nouembris anno 1369. ibidemque terræ datus.


Luc. Vvadingus in Annal. Minorum anno 1369. Bzou. in Annal. Luc. Vvadding ibid. Aubery, in vita. Marianus. Steph. Baluze in ... Auinionē. Claud. Robert. in Gall. Chriſt. ... de Archiep. Rothom.

Nicolaum hunc Archiepiſcopum ſexageſimum quintum Rothomagenſem fuiſſe contendit Frizonius, cum Nicolao Rogerio patruo Clementis confundens. At duos illos Nicolaos eſſe diuerſos patet ex eo, quòd vnus Clementis patruus, alter nepos; Nicolaus Rogerij Archiepiſcopus Rothomagenſis viuere deſijt anno 1347. Auenione, alter Romæ 1369. vt diximus.

TERTIA CREATIO CARDINALIS VNIVS.

Anno ſalutis humana 1348. Pontificatus VII. tertio, ſeu quarto Kalend. Iunij Auenione Clemens VI. Romanus Pontifex Cardinalem vnum renunciauit, qui fuit.

XIV.



PETRVS Rogerius Monſtrius de Malmonte, Gallus, filius Ioānæ Rogeriæ Monſtriæ ſororis Clementis VI. in ſecundis nuptijs locatæ cum Guillelmo Comite Belfortij Andegauorum oppidi, & Turrenæ Vicecomitæ, in minoribus conſtitutus, non Bituricēſis, ſed Rothomagēſis Eccleſiæ Archidiaconatum obtinuit, & adoleſcēs Peruſium, Italiæ Vrbem clarum, diſcendi Iuris cauſa profectus auditor fuit Baldi I. C. clariſſimi. Duo de viginti annos natus ſeu vix expleto ætatis ſuæ 17. ſedi Apoſtolicæ à Notis, Diacon' Cardinalis S. Mariæ Nouæ a Clemente non in ſecunda Patrum creatione, vt ſcripſit Frizonius, ſed in tertia renunciatus eſt. *Anno 1348.* inquit Clemētis vitæ ſcriptor, *menſe Maij extra quatuor Tempora dictus Papa aſſumpſit in Diaconum Cardinalem Dominum Petrum nepotem ſuum ſedis Apoſtolica tunc Notarium, qui tunc erat valde iuuenis, & tenera atatis, cum iudicio communi nondum annum octodecimum compleuiſſet, erat tamen totus humilis, & benignus, bonaque indolis, aptus, ingenioſus, & ſubtilis, ac ad ſtudium literarum multum intentus etiam in iure Ciuili, ſecundū tempus, quo circa ipſum verſatus fuerat, bene ſapiebat.* Plura etiam egregia ipſius elogia continet Apoſtolicum Diploma de collato illi Cardinalatu à Clemente VI. exaratum iij. Kalend. Iunij Pontificatus VII.

Ciaconius. Aubery in vita. Panuinius de Rom. Pontif. Felix Cōtel. in Elēcho Card. Oder. Raynald. in Annal. Eccleſiaſtic. Pet. Frizō in Gallia Purpurat. Spondan' in Annal. Eccleſiaſt.

Ab ipſo Clemente poſt obitum Ioannis Columnæ Romani Diaconi Cardinalis S. Angeli Præpoſitus fuit Baſilicæ Lateranenſi. Interfuit Comitijs Pontificijs, & ſuffragium tulit pro Innocentio VI. & Vrbano V. euectus deinde eſt ad Pontificatum, & appellatus Gregorius XI. Vide vitam.

Raſpon. de Baſil. Lateranē.

QVARTA CREATIO CARDINALIVM.

Anno à partu Virginis 1350. Pontificatus IX. in quatuor Temporibus Aduentus Domini xv. Kal. Ianuarij ex Panuinio, & Ciaconio, ex Contelorio verò xvj. Auenione Clemens VI. Romanus Pontifex quartò renunciauit Cardinales, qui fuerunt.

XV.



AEGIDIVS Garziæ Aluari Carrilius Albernotius, natione Hiſpanus, patria Conchenſis, ex nobiliſſima Albornotiorum familia natus, patrem habuit Garziam Aluarum Albornotium, Principem virum & multis populis dominantem, qui genus ab Alphonſo V. Legionenſium Rege perpetua ſtemmatis claritate repetebat; matrem verò Tereſiam de Luna, quæ eodem ſummo loco nata genus ducebat à Iacobo Rege Aragonum. Aegidius cum iam inde ab ineuntibus annis literarum ſtudio deditus, magna fu-

Ciaconius. Panuinius. Ant. Sanderio elog. Cardin. Iul. Roſcius in elog. Mi... Aubery in vita.

A turi profectus præbuiſſet documenta, ætate adultior in Toloſanum florentiſſimum id temporis Gymnaſium, iuri operam daturus à patre optima ſpe concepta mittitur; vbi ingenij felicitate, pertinaci erga literas ſtudio, eò proceſſit eruditionis, vt breui inter Iuris Pontificij peritiſſimos, nec extremo loco numeraretur. Quam doctrinam cum eximia morum ſanctitate, & ſingulari religionis obſeruantia illuſtraſſet, in patriam reuocatus, ac nactus familiaritatem Alphonſi Regis Caſtellæ, apud eum tanta gratia, & auctoritate valuit, vt haud ita longo interiecto tempore, Archiepiſcopatu Toletano, ampliſſima dignitate ab eodem auctus ſit. Expeditioni contra Mauros interfuit, & magna Victoriæ pars fuit; ſi quidem prælium Rex Caſtellæ cum Mauris initurus Aegidio rem diuinam facienti religioſiſſimè interfuit, & cum Chriſti Corpus adoraſſet, ac venerabundus ab eius manibus ſumpſiſſet, ab eodem ſeſe arma indui popoſcit, cuius illè precatu, vt res feliciter eueniret, non modò corpus ferro, ſed animum quoque ſumma ſpe, ac ingenti fiducia armauit. **B** Confluxerant ex Africa, & Aſia Saraceni, vt Chriſtianam Religionem in Hiſpanijs euerterent, & quaſi de triumpho ſecuri; cum mulieribus, & infantibus concurrerant tanta multitudine, vt ad ſexcenta millia peditum, equitum ſexaginta millia aſcendiſſe ſcribant nonnulli. In equitum numerum conſentiunt plurimi, vel eum augent alij, pedites autem ad quadringenta millia ſub ſignis ſtetiſſe dicunt. Impares longè erant tanto numero Chriſtiani Cruceſignati (quorum copiæ recenſitæ ſub Caſtellæ, & Luſitaniæ Regibus quatuordecim equitum, peditum viginti quinque millia) pro ardore ſuccenſi, aut vincendi in terra, aut fuſo pro Chriſtiana fide ſanguine, triumphandi in cœlo exoptabant. Cognito Cruceſignatorum aduentu Albohacenus, qui Tariffam obſidione premebat, caſtra mouit agmine compoſito occurſurus, ſpe plenus opprimendi noſtros Barbarorum multitudine, ſed leui prælio, iniecto diuinitus Barbaris pauore, & confuſis inconditæ multitudinis ordinibus, ad Salſum flumen eſt profligatus. **C** *Magna cædes facta*, ſcribit Mariana, *ſupra ducenta Maurorum millia in prælio, fugaque ceciderunt: captiuorum ingens numerus fuit, è Chriſtianis, quod vix fidem facit, viginti deſiderati, non amplius*. Diſſentit tamen Zurita, qui viginti quinque millia Chriſtianorum occubuiſſe in hac pugna tradit. In ipſo certamine Aegidius Regem alios hortantem, lateri ſemper proximus adhortationibus incendebat, vt refert laudatus Mariana ſuis verbis. *Aegidius Toletanus Præſul à Regis Caſtellæ latere nunquam diſceſſit, deſertumque penè à ſuis, & in confeſtos hoſtes irruere parantem, voce manuque retinuit, ne triſtis caſus certam Victoriam corrumperet.* Salutis anno 1340. pugnatum eſt, de die ſcriptores variant; *nobis certiſſimis monumentis*, inquit Mariana, *exploratum eſt tertio kal. Nouembris die lunæ Victoriam nobiliſſimam partam eſſe, vti in faſtis Toletanis notatum eſt, vbi anniuerſarijs ſacris, feſtaque lætitia veteri inſtituto eius diei memoria celebratur.* **D** Has annuas ſupplicationes ob partum de Mauris triumphum decreuit Aegidius Archiepiſcopus.

Io. Geneſ. in vita.

Parta hac Victoria Alphonſus Caſtellæ Rex obijt, Regnum filio Petro relinquens, apud quem Aegidius eodem familiaritatis loco receptus eandem auctoritatis gratiam aliquando continuauit. Quem in immanem ſæuitiam labentem, cum monitis ſuis à crudelitate retrahere non potuiſſet, & ab eo vitæ ſuæ inſidias moliri cognouiſſet, cauſa ſimulata miſſionē efflagitat, quam cum vix ad tempus impetraſſet, Concham Vrbem patriam peruenit, vbi parumper commoratus comparataq; profectione ad Clementem VI. Pontificē Maximum Auenione agentem venit, à quo ob doctrinam, prudentiam, rerum gerendarum peritiam, & generis nobilitatem Presbyteris Cardinalibus titulo S. Clementis adſcriptus eſt.

Anonym. Auct. vitæ Clement. VI. apud Boſquetum.

Mortuo Clemente, Innocentius VI. qui ei ſucceſſit, Aegidium Epiſcopum Sabinenſem nominauit, cumque tunc temporis à Tyrannis magna Italiæ pars, quæ Eccleſiaſticæ ditionis erat, opprime- **E** retur, ad illam recuperandam legatur in Italiam Aegidius. Tulit iniquiore animo Petrus Caſtellæ Rex Aegidium Cardinalem, cuius opera vti meditabatur, in Italiam mitti, atque apud Pontificem precibus inſtitit, vt illum ab Italica legatione reuocaret, cui Innocentius extremas Eccleſiæ difficultates, quibus pares alij non forent, expoſuit, *Tantum enim*, inquit, *præſumpſit, & præſumit in eiſdem partibus aduerſus Eccleſiam, & fideles, & deuotos eoſdem ambitio Tyrannorum, quæ iam maiorem partem terrarum ipſius Eccleſiæ temerarijs auſibus occupauit, & ad occupandum reſiduas ſtudia erigit, intendit, & curat, propter quod neceſſario expedit præfati Legati reditum non differre, ſed accelerare diſceſſum.* Extant Innocentij **F** literæ, quibus arduum hoc munus illi demandatum eſt, vt enaſcentes nimirum hæreſes præfocaret, coerceret ſcelerum licentiam, Sacerdotalem ſplendorem reſtitueret, inſtauraret diuini cultus maieſtatem, bella componeret, ſubueniret miſeris, animarumque ſalutem promouere: cuius Diplomatis partem ſubijcio.

Matth. Villanus.

Henric. Alfi. in ſuis Elogijs Cardin.

Theod. à Niem.

Oder. Raynald. in ſuis Annal. Eccleſiaſtic.

INNOCENTIVS EPISCOPVS, &c.

Dilecto filio Aegidio titulo ſancti Clementi Presbytero Cardinali Apoſtolicæ ſedis Legato.

Nos verò diligentius attendentes, quòd propter magna, & ardua, quæ Nobis in partibus Citramontanis incumbunt, ad partes illas, vbi mente ſumus, accedere perſonaliter pro huiuſmodi Noſtro **A** *exequendo deſiderio non valeamus, & quod perſonam tuam gratiarum dator Altiſſimus ſcientia magnitudine, induſtria claritate, & alijs multis virtutibus inſigniuit; ad te, in cuius affectu oritur pacificare diſcordes, & virtutum ſeminaria ſerere, Noſtrum intuitum, vt fortem opere, & ſermone mittamus ad fortia, & tuis robuſtis humeris onera grandia imponamus, duximus dirigendum. Ideoque gerentes de tuis claris meritis, & virtuoſis operibus fiduciam in Domino ſpecialem, quamuis Nos, & Fratres Noſtri, ac tu viri præſentia Nobis, & Eccleſiæ Romanæ neceſſaria, & perutili careamus inuiti; tamen propter vrgentem, & euidentem neceſſitatem partium, Prouinciarum, & Terrarum prædictarum, quibus ſperamus per tuam prouidentiam circumſpectam, illo tibi auxiliante, qui poteſt omnia in præmiſſis ſalubriter conſuli, & vtiliter ſubueniri. Te tanquam pacis Angelum ad dictas partes videlicet Lombardiæ, ac Aquileienſem, & Gradenſem Patriarchatus, ac* **B** *Mediolanenſem, Rauennatenſem, Ianuenſem, Piſanum, Spalatenſem, Raguſinum, Antibarenſem, & Iadrenſem Archiepiſcopatus, eorumque prouincias, ac Papienſem, Placentinam, Ferrarienſem, Peruſinam, Vrbeuetanam, Tudertinam, Reatinam, Interamnenſem, Narnienſem, & Caſtellanam Ciuitates, & Diœceſes; nec non Tuſciæ, Marchiæ Taruiſinæ prouincias, ac Terras Eccleſiæ Romanæ, videlicet Marchiam Anconitanam, Maſſam Trabariam, Ciuitatem Vrbinatem, eiuſque Diœceſim, & diſtrictum, Romandiolam, Ducatum Spoletanum, Sabinam, Patrimonium B. Petri in Tuſcia, Campaniam maritimam, & alias circum adiacentes partes, & terras eidem Eccleſiæ mediatè, vel immediatè ſubiectas, infra tuæ legationis terminos conſtitutas, excepto Regno Siciliæ, & Sardiniæ, & Corſicæ Inſulas, tibi in eiſdem partibus, & prouincijs, ac Terris, Ciuitatibus, & Diœceſibus vices Noſtras, ac plenæ legationis officium committendo, vt in eis euellas, & deſtruas, diſſipes, & diſ-* **C** *perdas, ædifices, & plantes, ac ſtatuas ſalubriter in nomine Domini, prout tibi gratia cæleſtis infuſio, & tua etiam prouidentia miniſtrabit, de dictorum Fratrum Noſtrorum conſilio deſtinamus, vt in prædictis proximè nominatis partibus, prouincijs, Terris, Ciuitatibus, & Diœceſibus, & Inſulis inter Eccleſiaſticas, mundanaſue perſonas, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & Nobiles, Communitates, Vniuerſitates, ac Populos, ac alios vniuerſos, & ſingulos diſcordes bonum pacis ſtudeas reformare, ac concordes in fraterna dilectionis glutino conſeruare, & nihilominus agere, & exactare quæcunque ad cultum Dei, & exaltationem Catholicæ fidei, Apoſtolicæ ſedis honorem, obſeruantiam Eccleſiaſticæ ſanctionis, & ad redintegrationem Eccleſiaſticæ libertatis, honeſtatis, & morum cultum, releuationem Eccleſiarum, & locorum Eccleſiaſticorum, & pauperum ſalutem, animarum tranquillitatem, corporum, ac robur ſtatus proſperi partium, Prouinciarum, ac Terra-* **D** *rum, Ciuitatum, Diœceſum, & Inſularum prædictarum quomodolibet pertinebunt.*

Et vt huiuſmodi commiſſum tibi legationis officium, ad Noſtrum & Apoſtolicæ ſedis honorem, commodum, & tranquillitatem, & pacem incolarum partium earūdem, & præſertim Terrarum, & locorum Nobis, & eidem Romanæ Eccleſiæ ſubiectorum, & in eiſdem partibus conſiſtentium, eo vtilius, & efficacius iuxta cor Noſtrum gerere valeas, quo maioris prærogatiua fauoris, & gratiæ fueris communitus, te zelatorem pacis, amatorem iuſtitiæ, ac veritatis amicum, & in arduis negotijs clara fidelitate probatum, reformatorem partium Prouinciarum, Terrarum, Ciuitatum, Diœceſum, & Inſularum prædictarum in ſpiritualibus, & temporalibus tenore præſentium ſpecialiter ordinamus, &c. Tributa etiam illi eſt alio Diplomate vniuerſæ ditionis Eccleſiaſticæ adminiſtratio; tum ampliſſimis prærogatiuis, vt dignitatem tueretur inſtructus, & inter **E** alia poteſtas illi collata, vt redeuntes ad obſequium cenſuris abſolueret, ſuiſque literis Innocentius commendauit Legatum Italiæ Magnatibus.

Aegidius legationis munus ex Apoſtolico imperio obiturus, diuerſarum nationum, Gallorum ſcilicet, Theutonicorum, Cimbrorum, & Britannorum exercitum comparauit, vſus ad hoc magna ex partē opera Gometij Albornotij nepotis ex fratre, viri ſtrenui, & rei militaris periti. Acciuit etiam ex Hiſpania viros, qui bello gerendo operam egregiam nauauerunt, inter hos Blaſcum Fernandum, & Garſiam Albornotum ſibi propinquos, qui iam ſub Alphonſo Rege Caſtellæ militantes, in ſuæ virtutis præmium amplos honores fuerant conſecuti. Sic milite, ac auctoritate ſtipatus in Italiam iter **F** ſuſcipiēs Aegidius Legatus Mediolanum venit, & à Ioanne Archiepiſcopo prænuſſis honeſtiſſimis viris, nobiliſſimo, ac magnifico hoſpitio exceptus eſt. Mediolano Piſas ſe contulit, & vndecima Octobris die anni 1353. Florentiam peruenit. Quem Florentini ſolemni pompa obuiam effuſi, inſtructo agmine religioſo, ingenti populi acclamatione, feſto campanarum clangore, prætenſo eius capiti prædiuite vmbraculo, ac nobiliſſimis ciuibus fræna equi tenentibus, honorificè in paratam ædem deduxerunt, donarunt muneribus, dein que diſcedenti centum quinquaginta equites auxiliares conceſſerunt. Contulit ſe inde in Patrimonium B. Petri, eique venienti Montiſflaſconis, Aquæpendentis, & Vulſinij arces ſe dedidere; Ioannem è Vico Patrimonium B. Petri occupantem armis fugauit, & ſic Tuſcanellam, Viterbium, Martam, & Caninum in Eccleſiæ poteſtatem redegit.

Scipio Ammirat. in hiſtor. Florentin.

Matth. Villanus.

Anonym. Auct. vitæ Innocent. VI.

redegit. Narnia etiam, atque Aemilia excuſſa eiuſdem Ioannis è Vico tyrannide, Eccleſiæ imperijs ſe addixere, Eugubium à Ioanne Cantuccio reſtitutum Legato, & Tudertini Eccleſię conciliati ſunt. Reuocans ad officium his populis, atque Eccleſiæ confirmata potentia Picenum ex Tyrãnorum ſeruitute vindicare aggreſſus eſt. Firmum, Anconam, Ariminum, Aſculum, Fanum, Piſaurum, Forumſempronium, Numanam, Senogalliam, Auximum, Recinetum, aliaſque plures Vrbes, & oppida in Aemilia, & Piceno à Tyrannis oppreſſas, Eccleſiæ reſtituit. Deinde Polentanos, ac Rauennam ad Pontificium obſequium adegit, Ceſenam, Caſtrum nouum, Britenorianam arcem expugnauit, & Bononiam à Io: Olegiano recepit.

Innocentius Carolum Regem Romanorum in Italiam ingreſſum Aegidio Legato commendat, eique prouinciam inungendi in Regem imponit, at implicitus Piceno bello ſe excuſauit; quare Petro Cardinali Oſtienſi diademate auguſtali cingendi Carolum munus illud impoſitum. Adduxerat ſecum Aegidius Legatus in Italiam Nicolaum Laurentium, ſeu Rentium Pontificis captiuum, quem Innocentij iuſſu Romæ Senatorem nominauit.

Anonym. auctor vitæ Nicolai Renʒ.

Cum autem Ludouicus Rex, & Ioanna Regina Siciliæ duplici bello exercerentur; hinc enim Federicus Aragonij ſanguinis Princeps Catalanis auxilijs fultus in Trinacria, Meſſanam, ac Panhormum vexabant; hinc fœderatorum militum turmæ Apuliam depaſcebant. Innocentius Romanus Pontifex Aegidio Cardinali, vt auxiliares copias illis ſubmitteret, impoſuit, eidemque in Siciliæ Regno legationis Apoſtolicæ munus demandauit, vt prædones coërceret, ſtatum Regni componeret, diſciplinam Eccleſiaſticam in pristinum ſplendorem aſſereret, tum Fraticellos hyppocritas reprimeret. Sollicitus interim Aegidius auertendi ab Eccleſiaſtica ditione ſocialem latronum exercitum, illum pacta quadam auri vi placauit, quòd Matthæus Villanus, vitio tribuit, ſed neceſſitas eò Cardinalem adegit, cum Ordelaffi Tyrannide Forumliuium liberare aliter non poſſet, niſi ab illius fœdere prædatrices turmas aſtraheret, quæ quidem illectæ promiſſo auro, cum iam Foroliuienſes depaſti, vix quæ poſſent abſumere, reperirent, diſceſſere. Ac tum Ordelaffus periculi extremi terrore cinctus, quippe qui Foroliuienſium ob inductos in eorum domos prædatores fœderatos, in ſe accenderat, miſericordiæ Legati Apoſtolici ſcelerum ſuorum veniam pactus, ſe commiſit. Ita redactum ad Eccleſiæ obſequium Foroliuium eſt, quam Vrbem Legatus magna celebritate, iv. Iulij die anno 1359. vt narrat Matthæus Villanus ingreſſus eſt. Ex qua victoria, ingenti gaudio affectus Pontifex Aegidio gratulatus eſt his verbis. *Licet Famæ volantis afflatibus, ante tuarum litterarum miſſionem, felix tuus ingreſſus in Ciuitatem Foroliuienſem ad Noſtram notitiam perueniſſet, facti tamen deinde ex ipſarum literarum ſerie certiores gauiſi ſumus in Domino, & exultauit in illo cor Noſtrum; cum ſperemus indubie, quod de cetero tam in Marchia, quam Romaniolæ prouincijs, Noſtris, & Apoſtolicæ ſedis laboribus, ſumptibuſque profluuijs Deus Eccleſiæ ſuæ gubernator, & rector, ac iurium ſuorum, ſuaque iuſtitiæ defenſator finem propitiatus imponet, tibi quoque (vt quod interius gerimus, exterius exprimamus) ſicut anxietatum multiplicium tuæ mentis non eſſe participes minime valebamus, ſicut congratulari cogimur, qui tecum etiam in tuis turbationibus turbabamur.*

Tota fermè Italia pacata, cum ſingulis Ciuitatibus probatæ fidei viros præfeciſſet, ac neceſſaria addidiſſet præſidia, ſuffecto ſibi Andronicô Abbate Cluniacenſi Auenionem contendit, vbi exceptus fuit honorificentiſſimè ingenti omnium lætitia. Appropinquanti enim ſummus Põtifex cum vniuerſo Cardinalium Collegio ad duo millia ab Vrbe paſſuum obuiam officij gratia prodijt, & in palatium Pontificium deductus eſt. Vbi locuplete oratione rerum geſtarum Aegidij ſummam complexus Pontifex ipſum pro ſuggeſtu magnopere laudauit, & Eccleſiæ Patrem cum magno omnium aſſenſu appellauit. Tandem iuſſit eum omnium rerum Italicarum curam cum ſumma poteſtate habere, ſi quidem dignum eſſe eo honore iudicauit, qui tot laboribus ſuſceptis tam bene de Eccleſia meritus eſſet, & ſi quid conſulto, factoue opus eſſet, per eum maximè Italiam optimeque retineri poſſe, per quem recepta fuiſſet. Verùm Aegidij abſentia cum res tanto labore partæ nutare cœpiſſent, repreſſique Tyranni rurſus emergerent, coactus Pontifex Innocentius eum denuò in Italiam ablegauit, qui breui, auctoritate ſua, & armis omnia pacauit. In Vicecomites arma mouit, eoſque vicit, vt refert Aegidius Viterbienſis Cardinalis in hiſtoria m. s. his verbis. *Aegidius Cardinalis Bernabonem vicit, caſtris exuit, duces clariſſima victoria omnes cœpit tanta gloria, vt vndique Oratores ad Legatum miſſi venerint partim gratulatum, partim commendandorum Vicecomitum gratia, quod fecerunt Angliæ, Galliæ, Cypri Regum Legati. Tanta eius victoriæ lux fuit, vt ſtatim orbem prope vniuerſum penetrarit.*

And. Victorel. in as Addit. ad Ciacon.

In Hungariam deinde ex Italia profectus eſt, vt Ludouicum Regem ad capeſſendam Romanæ Eccleſiæ clientelam, ac tuenda armis illius iura excitaret.

Oderic. Raynal. in Annal. Eccleſiaſtic.

Mortuo interim Innocentio ſucceſſit Vrbanus V. qui ab Aegidio in Italiam pacatam euocatus, Auenione maritimo itinere Cornetum venit, vbi obuiam habuit Aegidium Cardinalem ſtipatum quamplurimis Eccleſiæ Prælatis, ac Magnatibus. Viterbium ſe contulit Pontifex, cui Aegidius legationis munere depoſito, pedes oſculatus eſt. Ferunt Pontificem quorundam Cardinalium ſuggeſtione, rationem adminiſtratæ legationis à Legato petijſſe, qui Pontifici vectigalium etiam rationem repoſcenti, claues Vrbium, & arcium à ſe recuperatarum, vix eas capiente curru, Aegidius pro ratione obtulit. Cui Pontifex eius animi magnitudinem, & conſtantiam admiratus, *& Hercle*, inquit, *Aegidi tam amiſſam rem Eccleſiaſticam haud magno impendio Nobis receptam eſſe fatemur, ac tuæ parcitati gratias habemus.* Paucis poſt diebus Aegidius Pontificem Romam comitatus, iuſſus eſt Neapolim adire, vt Ioannam Reginam fidei ſacramento in Vrbani verba adigeret, & ſceptrum Siculum Apoſtolicæ ſedis liberalitati acceptum referẽti aſſereret. Magni honores Aegidio Cardinali Legato Siciliam ingredienti præſtiti, & Ioanna Regina ab eo fidei ſacramento adacta, Vrbani V. beneficiariam ſe profeſſa eſt, vt vetera monumenta teſtantur. De hac Sicula legatione Aegidio Cardinali data extant commendatitiæ Vrbani literæ ad Ioannam Reginam Siciliæ, Iacobum Balearem Regem, Philippum Imperatorem Conſtantinopolitanũ, Mariam Imperatricem, ac plures viros prænobiles. In hac legatione Aegidius plures ad componendum Siciliæ ſtatum ſanctiones edidit, quæ cum inuidorum maleuolentia ſpernerentur, Romanus Pontifex Ioannam Reginam monuit, vt eas ſeruandas curaret, atque ad publicam rem conſtituendam incumberet.

Ciaconius. *Sanderus.* *Oder. Raynald. in Annal. Eccleſiaſtic.*

Hanc legationem Siculam, ante Vrbani in Italiam aduentum, ſubijſſe Aegidium volunt aliqui, qui illum Viterbij præſente ipſo Pontifice, quaſi ſuo functum munere immortalitatis lauream collecturum obijſſe volunt. Viterbij igitur mortalitatis memor Aegidius, ac velut inſtantem mortem animo præſagiens, ac poſteritati conſulens teſtamentum condidit, & conuocatis amicis, Collegij in Vrbe Bononia Hiſpanis condendi præcipuam curam delegauit: quòd quidem anno poſt eius obitum exædificatum celebre nunc cernitur, & ampliſſimis redditibus dotatum, vt ipſe teſtamento cauit, in quo vnus, & triginta iuuenes bonis ſtudijs dediti alerentur; quorum tres Aragonenſes, vt eſſent ſtatuit, vnus Luſitanus, ceteri omnes Caſtellani; quorum item octo Theologiam, quatuor Medicinam, & ceteri ius Pontificium profiterentur. Item quatuor Sacerdotes, qui rebus diuinis præſint, & ſacra procurent, qui per octo annos in eo ſinguli permanerent, cum Rectore, & Conſiliarijs, more ceterorum Gymnaſiorum: in hoc Collegio Bononiæ erecto extat hoc Aegidij Elogium.

AEGIDIVS CARD. S. CLEMENTIS SPECTABILI VIRTVTE B. PETRI PATRIMONIVM TYRANNICA SAEVITIA RABIENTE VARIIS TVRBINIBVS AGITATVM RECVPERATA PRISTINA LIBERTATE IN TVTA PACE QVIESCIT.

Neque hoc ſolùm beneficio Bononiam Vrbem affecit Aegidius: magno carebat illa bono non tantum ad pulcritudinem, & ornamentum, ſed etiam ad quotidianos vſus neceſſario. Nullo ſi quidem fluuio interlabente Ciuitatem illam, ſed ne præterfluente quidem propiùs paſſuum tribus millibus, aſſiduo diſpendio longiùs ab Vrbe Ciues excedere ad conficiendum frumentum neceſſe erat. Res non modò grauis, ſed bellum gerentibus minimè tuta. Quo animaduerſo Aegidius, vt Bononienſes ſuo beneficio à tanto incommodo liberaret, vtque Vrbs honeſtior ſimul, & munitior redderetur, partem Rheni; qui Bononiam à tertio lapide præterlabitur, magno labore, magniſque ſuis impenſis per mediam Vrbem deriuauit, qui fluuius in plurimos, ac magnos vſus ciuitatis ceſſit; nam molæ aquariæ frequentes intra mœnia ædificatæ piſtrinorum neceſſitatem, & longiùs excedendi, molitionis cauſa incommodum ſuſtulerunt. Machinæ præterea conſtructæ ſunt ad ſiccandam mira celeritate materiam ſerra truſatili, quæ aquæ vi ſurſum ac deorſum agitata vnà multorum hominum operas adæquaret. Quo nec minus vtile, & maiore etiam admiratione dignum eſt frequens Bononiæ machinamentum ad polienda, & concinnanda textui fila ſerica, quo machinamento aquę impulſu circumacta ſupra quatuor millia fuſorum interdum miro ordine, & incredibili artificio ſimul verſantur. Quin ad ſalutem loci plurimùm contuliſſe flumen indubitato experimento didicerunt. Bononienſes nullis enim fontium riuis Vrbem diſcurrentibus, putealis tantùm aquæ copiæ, & vſus erat, qua fluuiatilis tantò dulcior eſt, tantoque ſalubrior, vt huic comparata putealis humano potui damnetur à Medicis. Nam quòd merces onerarijs cymbis Ferrariam, vſque ſecundo flumine deportentur, ac reportentur aduerſo, commune id Bononiæ, & Ferrariæ emolumentum eſt.

E vita exceſſit Aegidius Viterbij non anno 1364. vt refert Ciaconius, ſed ex Anonymo auctore vitæ Vrbani V. apud Boſquetum, atque ex Felice Contelorio in Elencho die 24. Auguſti anno 1367. hæc enim habet Vrbani vitæ auctor. *Die 24. menſis Auguſti immediate ſuum dictum aduentum ſubſequentis obijt in Viterbio præfatus Dominus Aegidius Albari Epiſcopus Sabinenſis Cardinalis, vir vtique memoria laudabilis, imo etiam indelebilis in æternum. Fuit namque Legatus in dictis partibus continuus fere per quatuordecim annos, & licet à principio repererit Ciuitates, Loca, Caſtra, & Terras, quæ ad dominium, ius, & proprietatem Romanæ Eccleſiæ ſpectabant, ſub manibus Tyrannorum conſiſtere, Montisflaſconis, & de*

nis, & de Monteſalco dumtaxat exceptis, tamen diuino fretus auxilio ſic operatus eſt nunc per tractatus amicabiles, nunc vero per inſultus hoſtiles, quòd ferè omnia ad obedientiam dictæ Eccleſiæ ſuo tempore, ſuoque miniſterio reducta. In quibus etiam Caſtra, Rochas, & alias munitiones, vt plurimum, aut nouiter fecit ædificari, aut quæ hactenus in poſterum in defenſionem fidelibus, rebellibus vero ad offenſionem, & terrorem. Fuit inſuper homo admodum virtuoſus, litterarum ſcientia præditus, in agibilibus multum circumſpectus, corde magnanimus, corpore laborioſus, ac in factis armorum, non omiſſa Pontificali decentia, valde edoctus, & expertus, ſicut que in omnibus ſic, & taliter ſe gerere, quod in tota Italia viuens amabatur, aut ſaltem timebatur. Ipſe de bonis à Deo ſibi datis conſtituit, datauit, ac fundauit Bononiæ vnum ſolemne Collegium pro pauperibus ſcholaribus regionis ſuæ.

Ferdinand. Vghel. in Ital. sac.

Tanti viri mortem Pontifex tam acerbè tulit, vt accepto nuncio, continuum biduum, nihil aliud quàm mœrori indulſerit, nec ſui conueniendi copiam alicui fecerit. Cineres Aſſiſij temporario ſepulchro in Eccleſia ſancti Franciſci conditos, Toletum poſtea tranſlatos ad Templum S. Hildephõſi voluit, vt ab ipſo in vltimis tabulis cautum fuerat: cumque Vrbanus Indulgentiarum ampliſſima prœmia funus cohoneſtaturis, ac feretro ſubcollantibus largitus eſſet, Toletum vſque Aſſiſio certatim populis occurrentibus, proprium humeris delatum eſſe referunt ſcriptores Hiſpanici, quòd officium Ægidio cum locupletiſſimo ipſius meritorum teſtimonio, ab Henrico Rege, qui Petro fratri à ſe interfecto ſucceſſerat, ſuiſque Purpuratis præſtitum quoque accepimus. Bergomenſis tamen affirmat non corpus, ſed cor ſolum in Hiſpaniam delatum.

Iacet Ægidius, vt referunt Hiſpanici ſcriptores, in Eccleſia ſancti Hildephonſi cum hac Inſcriptione.

AEGIDIVS. DE. ALBORNOTS
CARDINALIS. ARCHIEPISCOPVS
TOLETANVS.

Sequentem illi inſcripſit Ioannes Baptiſta Vrſi.

AEGIDIVS
CARDINALIS ALBORNOTIVS
Alta ab ſtirpe Regum Legionen. & Aragonenſ.
Archiepiſc. Toletanus
Maiore pietatis, & doctrinæ
Quàm natalium Maieſtate
verendus.
Rem Hiſpanicam quoad licuit,
Romanam quoad vixit,
Conſilio, labore, virtute bellica
A vi, à ſeruitute vindicauit.
Aduerſus Mauros
Alphonſo Primo Rege.
Periculi, & victoriæ conſors.
Italos
Romanis arcibus inſultantes
Summus Imperator perſecutus.
Extincto Innocentio VI.
Pontificiam dignitatem
Vltrò oblatam
Labantemque ſi Italia excederet
Victor ſui
Maluit tueri quam adire;
Nec ante arma poſuit
Quam debellatis hoſtibus
Vrbanum V.
Romanam in ſedem, Vrbemque reuocauit
Chriſtianæ libertatis vindex;
Quo functus munere,
Magno parto nomine, maiore otio
Fato ceſſit;
Nec ceſſit tamen,
De Bonis Artibus,
De Hiſpano Imperio
De nobiliore hominum genere
Fundato Bononiæ Collegio
Meretur adhuc.
Obijt Anno Sal. Hum. CIↃCCC. LXVII.
Inuicti cineres
Tam ſacri meritò capitis
Quã ſecularis ſuffragatione Iubilæi indulta deſerētib⁹
Viuentium inſtar Pontificum
Ceruicibus virorum, Regumque, & Magiſtratuum.
Corrigente etiam
Henrico IV. Rege Caſtellæ
Acta fratris;
Aſſiſio delati Toletum.

Legatione quoque functum fuiſſe Ægidium apud Galliæ, & Angliæ Reges volunt Bzouius, & Spondanus: hæc ſunt Bzouij verba. *Ne inter Ioannem Galliæ, & Eduardum Angliæ diſcordiæ, aliquæ maiores erumperent, Ægidium tituli S. Clementis, & Nicolaum S. Vitalis Cardinales Legatos ad vtrunque miſit.* Hæc tamen Bzouij verba non ſunt accipienda de Ægidio Rigaudi, vt malè opinatus eſt Frizonius, ſed de Ægidio Hiſpano, vt patet ex Spondano dicente. *Ne interim res vlterius progrederentur, aut diſcordiæ maiores erumperent, legauit Clemens ad vtrunque Regem Idibus Iunij Legatos Ægidium Aluari tituli S. Clementis Hiſpanum, & Nicolaum Capoccium tit. S. Vitalis Romanum Presbyteros Cardinales.*

Steph. Baluze in vit. Auenion.

Scripſit Ægidius Cardinalis Inſtitutiones quaſdam, quarum peruetuſtum exemplar in membranis, inter antiqua ſuorum ciuium monumenta ſe legiſſe fatetur Iulius Roſcius Hortinus in elogijs militaribus. Item Conſtitutiones pro tranquillo ſtatu Piceni Ægidianas dictas, quibus etiam nunc Picena regio dirigitur. Alias quoque edidit Conſtitutiones, cum Vicarius eſſet Regni Siciliæ citra, quæ in Cardinalis Sirleti Bibliotheca olim viſebantur ex Nomenclatore Cardinalium.

In Hiſpania Eccleſiam, & proximum Cœnobium in honorem S. Blaſij martyris erexit, illudq; annuis redditibus ditatum Canonicis Regularibus conceſſit: enſem, quo à ceruicibus caput S. Paulo Apoſtolo Romæ abſciſſum eſt, Eccleſiæ Toletanæ dono dedit. Ædem S. Franciſco Aſſiſij ſacram reſtaurauit, tantiſque beneficijs Religioſorum illorum virorum familiam proſecutus eſt, vt ſe ipſi ſãctiſſimo ſtatuto conſtrinxerint, ſingulis menſibus quarta, & vigeſima quaque die, eius animæ iuſta in perpetuum celebraturos. Quod officium pari de cauſa Bononiæ Anniuerſario ſacro præſtant eidem in Æde Ioannis in monte 25. Auguſti Religioſi viri, qui Auguſtini regulam profitentur. Multa præterea teſtamento in opera pia eroganda reliquit, quæ difficilè numerari poſſunt, vt videre eſt in libro hiſtoriæ de Bello Adminiſtrato in Italia per hunc Ægidium, cuius meminere cum laude quotquot de illo ſcripſere ſeculo, & præcipuè Theodoricus à Niem in Innocentio VI. Matthæus Villanus l. 3. cap. 80. vſque ad finem Hiſtoriæ, Auctor Hiſtoriæ linguæ Romanenſis, Ioannes Geneſius Sepulueda in vita, & alij.

Fer. Ca del Caſtil. in hiſtoria Ord. Prædicator.

Io. Genes. Sepulued. in vita.

Ciaconius

XVI.



GVILLELMVS de Agrifolio Gallus, monachus Cluniacenſis, ex Priore S. Petri de Abbatiſuilla Ambianenſis Diœceſis, Archiepiſcopus Cæſaraugustanus, deinde à Clemente VI. affini Presbyter Cardinalis S. Mariæ Tranſtyberim, & demum ab Vrbano V. anno reparatæ ſalutis 1368. Epiſcopus Sabinenſis renunciatus eſt. De quo hęc legimus apud Anonymum auctorem vitæ Clemẽtis: *Dominus Guillelmus de Agrifolio monachus S. Benedicti, tunc Electus Cæſaraugustanus, conſanguineus, & Cubicularius ipſius Papæ.* Sacratum vero ab Vrbano Sabinenſem Epiſcopum omnium Sanctorum peruigilio, narrat vitæ illius auctor, his verbis, *die vltima dicti menſis, quæ fuit dies Dominica, in vigilia omnium Sanctorum, primum in altari beati Petri ſolemniter celebrauit, & ibidem conſecrauit in Epiſcopum Sabinenſem prænominatum Dominum Guillelmum de Agrifolio, qui longis temporibus, ante non conſecratus titulo S. Mariæ Tranſtyberim extiterat Cardinalis.*

Ciaconius

Panuinius

Aubery in vit.

Arnoldus Vuion in Lig. Vitæ.

Oder. Raynald. in Annal. Eccleſiaſtic.

E viuis ſublato Rege Siciliæ Ludouico abſque liberis anno 1355. ad Siculi Regni tutelam mittitur Guillelmus hic Cardinalis ab Innocentio Romano Pontifice. In hac legatione Guillelmus diſcordias inter Principem Tarentinum, & Ducem Andriæ tunc temporis vigentes ſedauit, Ædemque in Virginis Mariæ honorem Neapoli erectam ſacris initiauit, vt refert Cæſar Capacius in hiſtoria Neapolitana his verbis. *Anno 1587. conſecratio, quam Ædes conſecuta fuerat, reperta eſt in maiori altari in plumbea arcula, dum inſtauraretur altare fuerat; nam ictu fulminis arx, & Templi concuſſa fuerant Kalendis Ianuarij. Facta eſt autem conſecratio anno 1368. iij. Kalend. Martias à Guillelmo de Agrifolio S. R. E. Cardinali, qui tituli S. Mariæ Tranſtyberim ab Vrbano V. Epiſcopus*

Pet. Frizon. in Gallia Purpurat.

Steph. Baluze in vit. Auenion.

Cardi-

A *Cardinalis Sabinus creatus eſt.* In tabulis autem in arcula plumbea ſeruatis hæc legebantur. *Reuerendus in Chriſto Pater, & Dominus Guillelmus de Agriſolio Lemouicenſis Diœceſis, permiſſione Diuina Epiſcopus Sabinenſis, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, & ſedis Apoſtolicæ Nuncius ad partes Regni Siciliæ per Dominum noſtrum Vrbanū V. deſtinatus ad pacificādum Magnates dicti Regni, qui habebant guerram ad inuicem, præſentem Eccleſiam fundatam per claræ memoriæ Dominum Carolum Ducem Calabriæ, Dominæ Ioannæ illuſtrem genitorem, anno Domini 1368. menſe Februarij de licentia eiuſdem Domini Papæ conſecrauit, & dedicauit in honorem beatiſſimæ Virginis Mariæ; beati Martini Epiſcopi, & Confeſſoris, & omnium Sanctorum, atque Reliquias ſanctorum ſubſequentium infra altare maius ipſius Eccleſiæ honeſte collocauit. Et præfatus Dominus ſummus Pontifex vere pœnitentibus, & confeſſis, qui in dicta dedicatione interfuerint, de omnipotentis Dei miſericordia tres annos, & tres quadragenas de Indulgentia* B *miſericorditer conceſſit, & ſubſequenter eandem Eccleſiam viſitantibus annum, & quadragenam in diebus, & feſtiuitatibus dari conſuetis. Et ſimiliter dictus Dominus Guillelmus Cardinalis omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui in Officio, vel Miſſa dictæ dedicationis interfuerint, ex priuilegio Apoſtolico ſpecialiter ſibi conceſſo, vnum annum, & vnam quadragenam conceſſit; die huiuſmodi conſecrationis ſimiliter centum dies, &c.* Huic quoque partes demandatæ ſunt, vt Beneuentani agri, ad ſedem Apoſtolicam ſpectantis, circumſcriberet limites, quorum deſignandorum auctoritas, ex pactis cum Carolo I. initis ad Eccleſiam ſpectabat.

Oder. Raynald. in Annal. Eccleſiaſtic.

Poſt hanc legationē lue graſſante Viterbij perijt iv. nonas Octobris anno 1369. tumulatus in ſacra Eremitarum Aede S. Trinitatis.

Felix Cōtel. in Elencho Card. Ferdinād. Vghel. to. 1. Ital. ſac.

Vrbanus V. Pontifex grati animi memor erga Guillelmum hunc Cardinalem, promouit eius nepotem eiuſdem nominis, & cognominis ad Cardinalatus faſtigium: aiebat enim Pontifex ſe fuiſſe vo- C catum ad Pontificatus apicem, procurante inter ceteros Guillelmo Cardinale Cæſaraguſtano. Comitatus eſt funus Clemētis VI. Pontificis ad Calam Dei cum alijs quatuor Cardinalibus propinquis.

Pet. Friz. in Gallia Purpur.

Meminere Guillelmi Cardinalis Clementis VI. Vrbani V. Gregorij XI. Romanorum Pontificum Regiſtra in Vaticano ſeruata.



XVII.

RAYMVNDVS de Canillac natione Gallus, patria Antiſiodorenſis, Decretorum Doctor, ex Canonico ordinis S. Auguſtini, & Abbate Conchenſi Diœceſis Ruthenenſis, non Epiſcopus Atrebatenſis, vt vult Ciaconius ex Panuinio, ne- D que ſancti Flori, vt refert Petrus Frizonius, ſed Archiepiſcopus Toloſanus electus, teſte auctore Appendicis ad Bernardum Guidonem, & Ioſepho M. Suareſio, deinde inter Presbyteros Cardinales tit. S. Crucis in Hieruſalē à Clemente VI. cooptatus, demum Epiſcopus Præneſtinus ab Innocentio Clementis ſucceſſore renunciatus eſt.

Ioſ. Maria Suareſius in Præneſt. Antiqua.

Scripſit Recollectorum librum ad Septimianum Narbonenſem Archiepiſcopum. E vita exceſſit Auenione die 20. Iunij anno 1373. & apud Minores illius Vrbis tumulatus.

Nomencl. Cardinal. Pet. Frizō. in Gallia Purpurat. Felix Cōtel. in Elench. Card.

Meminit Raymundi Epiſcopi Præneſtini Auenione commorantis Gregorius XI. auctor libri Cæremonialis S. R. E. tum Innocen- E tij VI. ac Vrbani V. Regiſtra.

Ciaconius Raymundum hunc renunciatum fuiſſe Cardinalem, non in quarta, ſed in ſecunda Cardinalium creatione affirmat, & in quarta alium Raymundum de Viſs, Gallum numerat; ac primum Epiſcopum Atrebatenſem, alterum Toloſanum Archiepiſcopum facit. Ferdinādus Vghellius in Additionibus ſuis ad Ciaconium hæc de Raymundo de Canillac ſcripſit: *Deodatum hunc vocatum fuiſſe docent Antonius Demochares de Sacrificio Miſſæ tomo 2. cap. 15. Belforeſtius tomo primo ſuæ Coſmographiæ, & Claudius Robertus in deſcriptione Epiſcopatus S. Flori, ſiu Florenſis. A Panuinio errorem hauſit Ciaconius, vt notat Viton lib. 1. Legis vota, dum hunc Raymundum vocat, deceptus in nomine Epiſcopatus, dum enim legiſſet quendam Raymundum Epiſcopum S. Flori Cardinalem creatum, & qui eſſet fortaſſe non inueniret, pro primo Florenſi Epiſcopo* F *Raymundo de Monſterghel, qui, & Cardinalis fuit, de quo ſupra in notis ad Ioannem XXII. egimus, quartum ſibi aſſumpſit, & ex Deodato Raymundum fecit; non fuit Epiſcopus Atrebatenſis, ſed Florenſis, vide Claudium Robertum in Gallia Chriſtiana.* De alio verò Raymundo de Viſs, hæc ſubiunxit. *De quo hæc habet Gallia Chriſtiana in deſcriptione Archiepiſcoporum Toloſanorum: (Raymundus de Canillac Card. tit. S. Crucis in Hieruſalem, ſeu Baſilica Seſſoriana forte idem qui Epiſcopus Atrebatenſis omittitur a nonnullis) ex ijs Ciaconius errorem colliges, dum Raymundum ſuperiorem, quem Deodatum Epiſcopum ſancti Flori vocatum fuiſſe di-* A *ximus, Atrebatenſem Epiſcopum ſanctæ Crucis Presb. Card. inde Epiſcopum Præneſtinum ab Innocentio VI. creatum facit. Duos enim Raymundos à duplici dignitate, quam vnus hic Raymundus Epiſcopus Atrebatenſis, & Toloſanus Archiepiſcopus ſortitus fuerat inter Cardinales Clementis Sexti numerauit Ciaconius. Raymundus enim hic de Canillac, Toloſanus Archiepiſcopus Presbyter Cardinalis S. Crucis eſſe non potuit ſi Raymundus alter eodem tempore fuit, eundemque titulum obtinebat.* Attamen reuera vnum tantùm Raymundum Cardinalibus aſcripſit Clemens in quarta Cardinalium creatione, vt videre eſt apud eiuſdem Clementis vitæ Anonymum Auctorem, qui recenſendo Cardinales à Clemente renunciatos anno 1350. hæc habet. *Raymundus de Canillaco Diœceſis Mimatenſis, Canonicus Regularis ordinis S. Auguſtini, Archiepiſcopus Toloſanus.* Vnum etiam Raymundum ex libris ſacri Collegij Cardinaliū numerat inter Cardinales Clementis Felix Contelo- B rius in Elencho. Huiuſce Raymundi de Canillaco ſymbolicā teſſerā nō bene expreſſerat Ciaconius, nos quā ſupra expreſſimus, ex Frizonio deprompſimus, atque Andreas Victorellus in Additionibus ad Ciaconium ex Ioſepho Maria Suareſio ſcripſit, Auenione in Collegij S. Martialis Aede in Belfortiorum ſacello noſtris quoque hiſce temporibus apparere expreſſam cum cane argenteo repente, ſiue erecto in ſcuto cœruleo.



XVIII.

MAG. FR. PASTOR de Sarelludio, vel de Serrelcuderio, quem alij de Albernaco, ſeu de Albenaco, à Monaſterio, in quo educatus eſt, & ab Vrbe ſui natalis cognominant, Gallus, ordinis Minorum Doctor Theologus Pariſienſis, Miniſter Prouinciæ electus, noluit tamen Patrum ſuffragijs aſſentiri, promotus ad cathedram Epiſcopalem Aſſiſiatem in Italia. Eidē proficiſcenti in Italiam ad ſuum Epiſcopatum a Benedicto XI. dicto XII. commiſſum, vt ad preces Sanciæ Siciliæ Reginæ viginti Sorores diſcretas, ac prouectæ ætatis ex Monaſterio Prouinciæ transferret ad Regium Corporis Chriſti Neapolitanum, quæ adoleſcentiores diſciplinis, & inſtitutis Regularibus informarent. Sed cum poſtea grauiſſimis expediendis negocijs, eiuſdem opera Pontifex vti vellet, illum in D Gallias reuocauit, ac tranſtulit ad Archiepiſcopatum Ebredunenſem, mox Clemens VI. Presbyteris Cardinalibus titulo SS. Marcellini, & Petri adiunxit. Illi vti etiam Guillelmo Carnotenſi Epiſcopo legato ad Philippum Galliarum Regem commiſſa ſuper liberandis Petro Cardinale Presbytero tituli S. Clementis, alijſque Cardinalibus, & eorum familiaribus, quos Rex cuſtodia detinebat, & ſuper reuocandis ijs, quæ contra Eccleſiæ auctoritatem, & immunitatem ſanxerat. Vt Regis animum emolliret, longo tempore Pariſijs oportuit immorari, ac tandem cooperante, & ſollicitè interueniente Ioanna Regina, ad optata peruenerunt: huius legationis inſtrumentum habetur in Regeſto Clementis VI. in Bibliotheca Vaticana.

Ciaconius. ... Vvadding in Annal. Minorum. Felix Cōtel. in Elench. Card. Pet. Friz. in Gallia Purpurat. Aubery in vita. Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana.

Scripſit de Geſtis ſuo tempore in Eccleſia memorabilibus, multaque in ſacros, ac profanos libros. Obijt Auenione v. nonas Iulij anni 1354. ex Necrologio Minorum Aueniomenſium, ſeu verius ex libro Obligationum, qui in Bibliotheca Vaticana m.s. aſſeruatur, die E vndecima Octobris anno 1356. & ibidem ad Minores ſepultus.

Ciaconius Paſtorem hunc Cardinalem nō SS. Marcellini, & Petri, vt ſupra diximus, ſed SS. Sylueſtri, & Martini in montibus titulum obtinuiſſe ſcribit, ſed cōtra illum ſunt eiuſdem Clementis literæ paucis à creatione diebus, nimirum decimo Kalendas Ianuarij ad eum datæ, & ſunt huiuſmodi.

Eiſengrē. Nomencl. Cardinal. Ciaconius Luc. Vvaddingus de ſcript. ord. Min. Gaſp. Iongel. in Elogijs Card. ord. Minorum. Luc. Vvaddingus in Annal. Minorum.

CLEMENS, &c. Dilecto filio Paſtori tituli ſanctorum Marcellini, & Petri Presbytero Cardinali.

Nuper propter clara virtutum tuarum inſignia, & grandium tuorum excellentiam meritorum, & alia dona, quibus te Dominus inſigniuit, ad ſupportandum Nobiſcum, & cum Fratribus Noſtris S. R. E. Cardinalibus, vniuerſalis Eccleſiæ onera te olim Archie- F *piſcopum Ebredunenſem a vinculo, quo Ebredunenſi Eccleſiæ, cui tunc præeras, tenebaris, de dictorum Fratrum conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſoluentes, in S. R. E. Cardinalem Presbyterum auctoritate Apoſtolica duximus aſſumendum. Cum igitur, prout huiuſmodi Cardinalatus tui ſtatus exigit ſufficientem, & conducentem non habeas facultatem, & propterea congruum exiſtimantes fore tuis opportunitatibus prouidendum, &c.*

Geſſit ſcutum tranſuerſim ſectum, in ima parte praſina ſcorpionem aureum, in ſuperiori minia gallum gallinaceum natiui coloris cum ſcorpione pugnantem, ad cuius inſignia ſic luſit Poëta.

Albernace tuis vigilatque inſignibus ales
Criſtata, ingenijtum notat illa tui.



XIX.

Ciaconius. Felix Cõtel. in Elẽch. Card. Anonym. Auct. vitæ Clement. apud Boſquetum. Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

PICTAVINUS, ſeu Pictauinus, Gallus de Mõteſquino, ex Epiſcopo Albienſi Preſbyteris Cardinalibus titulo SS. XII. Apoſtolorum à Clemente adſcriptus eſt. Hunc Frizonius Petrum *de la Foreſt* nominat, ac natum vult Suſæ in Cenomanica Diœceſi, eique in germanum fratrem dat Philippum Catalaunenſem Præſulem, detrum addit monachum, & Archimandritam S. Dionyſij, & Franciæ Cancellarium fuiſſe. Claudius Robertus in Gallia Chriſtiana, vt Frizonium cum alijs concordet, hæc habet: *forte nomen erat Petrus de Monteſquino Pictauinus, quod cognomen, vel gentem nobilem de Poictiers, vel nationem Pictauinam ſignificat, quod etiam in nomen proprium tranſire potuit.* Diuerſū tamen hunc ille agnoſcit à Petro *de la Foreſt*, Præſule Tornacenſi primò, & mox Archiepiſcopo Pariſienſi, de quo infra. Nam Pictauinus, vt refert Anonymus auctor vitæ Clementis apud Boſquetum, ex Epiſcopo Albienſi aſſumptus eſt ad Cardinalatum; *Pictauinus, inquit, de Monteſquino Vaſco, tunc Epiſcopus Albienſis.*

B

Mortem cum vita commutauit Pictauinus, teſte Contelorio ex libro Obligationum, die prima Februarij anno 1355. Ciaconius ad annum ſequentem 1356. huiuſce obitum refert. Meminere Pictauini Clementis VI. Regiſtra. Nullum gentilitium ſtemma huic Cardinali dat Ciaconius; nos ex Frizonio proprium illi tribuimus.

C



XX.

Ciaconius. Panuinius. Aubery. Floran. Martinel. in Addit. ad Ciacõ. Matth. Villanus. Albericus de Roſat.

NICOLAVS Capoccius Romanus, de Regione Montium, Honorij VI. abnepos ex latere matris Petriæ de S. Alberto, quæ fuerat filia Iſabellæ ſororis eiuſdem Honorij, à primordio ſuæ ætatis ſingularis ingenij acumine, & præſtantia præditus, à Ioanne patre Peruſiam, celebrem Italiæ Vrbem mittitur, Iuri optimam ſub Baldo, & Bartolo operam daturus. Illic annum nondum vigeſimum agens laurea Doctoratus inſignitur, ex quo tantam in Iure peritiam præ ſe tulit, vt Venerabilis, & in Iure Peritiſſimus ab eodem Baldo nuncuparetur. Hinc omnium grauiſſimorum munerum capax effectus, à Ioanne Frãcorum Rege ſupremus Cancellarius creatur ex Ciaconio, ac Floravante Martinello, illum tamen inter Galliæ Cancellarios non numerat in ſuo Catalogo Cancellariorum Franciſcus Lanouius ordinis Minimorum. Cumque indefeſſos pro Romana Eccleſia labores contra Imperatorem Ludouicum Bauarum, alioſque Pontificis rebelles ſuſcepiſſet, meritò in eum collata quamplurima ſacerdotia, & primùm Præpoſituram S. Audemari in Gallia obtinuit, in qua tres Capellanias erexit, & dotauit, deinde Præpoſituram Valentiæ, Præpoſituram Deuandienſem in Inſula Holandiæ, Prioratum item S. Quintini in Gallia, tum Archidiaconatum Herbipolenſem in Germania. Quas dignitates ſubſecutus eſt non Vercellenſis, vt ſcribunt aliqui, ſed ex Epitaphio infra nectendo, & Anonymo Auctore vitæ Clementis VI. apud Boſquetum Vrgellenſis Epiſcopatus in Hiſpania Tarraconenſi. His gradibus vir iſte omni iam prope laude cumulatus ad ſacram purpuram aſcendit, & à Clemente Presbyteris Cardinalibus titulo S. Vitalis, ſeu Veſtinæ primò, deinde ab Innocentio Clementis ſucceſſore, ſeu potius ab ipſo Clemente Epiſcopis Tuſculanis adſcriptus, legationis munere ex Ciaconio, iuſſu eiuſdem Innocentij functus eſt vna cum Talairando Epiſcopo Albanenſi, in Gallia, vt Ioannem Francorum, & Henricum Anglorum Reges bello decertantes pacaret, quòd non impetrauit, ſed inita pugna Ioannes Francorum Rex ab Anglis captus, & nobilitas Francorum ad internecionem ferè cæſa.

D E

Auct. vitæ Clement. apud Boſquet. Ferdinãd. Vghel. in Ital. ſac.

F

Aliqui auctorem Nicolaum hunc Cardinalem, faciunt Collegij Peruſiæ erecti, vulgo *la Sapienza Vecchia*, pro quadraginta Alumnos, qui Vrbẽ illam ſtudiorum cauſa adirent, ac ius præſentandi iſtos Alumnos attribuit Epiſcopis, & Capitulis nonnullis, in quorum Vrbibus ſacerdotia aliqua dum vixit, obtinuit. Alij non Nicolaum, ſed Petrum eiuſdem familiæ Cardinalem, huiuſce Collegij auctorem nominant, vt diximus in eius vita ſub Innocentio IV. ex Teſtamento tamen Nicolai, quòd mox referibam, conſtat Nicolaum, & non Petrum illius Collegij auctorem fuiſſe: cuius Conſtitutiones, ac

A

Regulas ipſemet Cardinalis compoſuit, ac illi reliquit perpetuò obſeruandas. In Eccleſia principe Vrbiueteris hæc eſt Nicolai Capoccij memoria.

NICOLAVS CAPOCCIVS CARDINALIS ANNO CIↃCCCC. LXII. SANCTI GREGORII COLLEGIVM PERVSIIS EREXIT EX TESTAMENTO IN QVO EPISCOPO ET CAPITVLO VRBEVETANO FACVLTATEM DEDIT DVOS IN ILLVD ADOLESCENTES ADSCRIBENDI HOC AD CIↃDCIV. VSQVE NVLLA VOLVNTATIS HVIVS HABITA NOTITIA ADIMPLETVM NON EST. HIERONYMVS SIMONCELLVS CARDINALIS EPISCOPVS VRBEVETANVS AD SVAM ADHIBITA DOMINICI TVSCHI CARDINALIS DILIGENTIA ADIMPLEVIT, SVIS SVCCESSORIBVS PROPALAVIT FIRMAVITQVE.

B

Secund. Lancellott. in hiſtor. Oliuetan.

Nobile quoque Cœnobium in Mõtemarcino prope Peruſium, & proximam Eccleſiam Virgini Mariæ ſacram ædificauit, & Monachos Albos Congregationis Montiſoliueti ibi conſtituit. Monaſterium etiam, & Eccleſiam ſub inuocatione S. Iulianæ Virginis, & Martyris proprijs ſumptibus conſtruxiſſe Nicolaum Cardinalem Peruſiæ pro Monialibus S. Benedicti ordinis Oliuetani vult Floravantes Martinellus in Additionibus ad Ciaconium. At ex tabulis eiuſdem Monaſterij S. Iulianæ ſcimus ante centum annos Cœnobium illud erectum fuiſſe à Cardinale Ioanne cognomento de Toleto, natione Anglo, vt videre eſt in eius vita ſub Innocentio IV. Romæ tamen in Exquilijs in Baſilica Liberiana Nicolaus ſacellum S. Laurentio Martyri ſacrũ exornauit, & Collegiũ duodecim Sacerdotũ erigi mandauit, qui præter ſacrum quotidie celebrandũ, tenerentur diuinis recitandis precibus cum Capitulo dictæ Baſilicæ ſemper intereſſe, annuos reditus illis aſſignauit, ac Aedes in eiuſdem Baſilicæ plateæ eiſdem ad collegialiter viuendum conceſſit. Poſtremam hæc optimi Cardinalis voluntas inconcuſſa, & inuiolata permanſit ab anno 1374. vſque ad annum 1568. quo ſacelli titulis ſuppreſſis, & miniſtris amotis Pius IV. quatuor Beneficiatos inſtituit ad maiorem, vt ipſe aſſerebat, dictæ Baſilicæ decorem, & tandẽ iuxta rerum omnium viciſſitudinem in Burgheſianę Capellæ ædificatione ſacellum ipſum, ac ipſam plurium ſæculorum pernobilem Capocciorum familiam anno 1630. Vincentio extincto, ad ſuum occaſum tractam vidit vnuſquiſque noſtrum. Hoc Sacellum ſacra ſupellectili ipſemet ornauit: in tabulario Baſilicæ Liberianæ adeſt Index illarum, cuius initium eſt. *Anno Domini 1373. die vero vndecima menſis Nouembris Ego Ioannes Ferãdi Executor bonæ memoriæ D. Nicolai Cardinalis Capoccij hoc Inuentarium de infraſcriptis paramentis, & alijs ornamentis, quæ ſunt deputata ad ſeruitium Diuini cultus Capellæ conſtructæ, ſiue dotatæ in hac ſacra Baſilica ſanctæ Mariæ Maioris, ſub vocabulo S. Laurentij per præfatum bonæ memoriæ Cardinalem ſupradictum, ſcribi feci ad perpetuam rei memoriam.*

Paul. de Angel. in Deſcript. Baſilic. Liberianæ.

C D

Felix Cõtelorius in Elencho.

E vita migrauit Nicolaus die Mercurij 26. Iulij anno 1368. non in Caſtro Verucæ Italicè *Monteſalco*, vt ſcribit Ciaconius, ac laudatus Martinellus, ſed ex Contelorio Monteflaſcone; agebat tunc apud Monteflaſconem Vrbanus huius nominis V. Romanus Pontifex ad clementiorem aërem in æſtate colligendum. Corpus Romam delatũ, & in dicto ſacello S. Laurentio ſacro ſepultum; progreſſu temporis ad aliud gentilitium ſepulchrum tranſlatum. In marmorea tabula cernebatur, teſte Paulo de Angelis in Deſcriptione Baſilicæ Liberianæ Nicolai effigies, cum hac Inſcriptione.

E

Nobilis Domini ***NICOLAE CAPOCIENI.***
Hic iacet corpus exortum de Capucinis
Qui ſpernens vitia Chriſto vixit ab eius ortu
Itaque continuans ad mortem vſque peregit
Eccleſiam Romanam omnimode iuſte defendens
Tam contra Bauarum, quam contra impios omnes.
Vade Audemari beati Præpoſituram,
In qua Capellanias magnifice tres dotauit,
Et Epiſcopatum Vrgelli, & Cardinalatum
Titulo Vitalis certe almi, & præſularem;
Sed Cardinalatum obtinuit Tuſculana,
Peruſioque fundauit Monachorum viginti quinque
Conuentum, & Scholam Scholarium bis præfatorum
In Auenione litigantes regebat in Aede
Viuens abſtinentia portauit cilicium que
In Eccleſia fundauit hac Capellam Capellanorum
Ter quater de ſuis paternis atque bonis.

F

In extremo verò eiuſdem lapidis hæc erant carmina exarata.

Hic vit ia Satris doctus, vtroque Iure peritus
Habere quod poterat, pauperibus ipſe dabat
Sed migrauit ad Chriſtum eius anima ſic beata
Mille trecentenis anno ſexaginta, & duo quater
Marmore conſcriptum firmat hoc ſe ſcuiſſe matrem
Pictor, quare per dicta laudetur opera Deus.

In Archiuio eiuſdem Baſilicę Nicolai huiuſce Teſtamentum aſſeruatur, in quo hæc iubet *Corpus meum ſi in Vrbe, vel propè, me obi-*

re contr-

Hippol. Marac. in Baſil. Mar.

rè contigerit, volo ad ipſam deferri, & ſepeliri in Eccleſia ſanctæ Mariæ Maioris de Vrbe, in Capella, ſeu loco in quo bonæ memoriæ Dom. Petrus Capoccius ſancti Georgij ad Velum aureum Diaconus Cardinalis fuit ſepultus.

Huic Cardinali S. Mariæ Maioris Canonici ad grati animi ſignificationem hoc Elogium in ſacrario appendendum curarunt.

NICOLAVS CAPOCCIVS ARCHIPRESBYTER CARDINALIS SACELLVM HOC IN BASILICA EXCITAVIT, QVOD INTER COMMOVENDVM ODÆVM, ET VALVAS OCCIDENTEM VERSVS APERIENDAS EXTVRBATVM EST TRIA LARGIVS SACELLO PRAEDIA EST, EADEMQVE IN BASILICA EXTINCTVM CONDI CORPVS SVPREMA VOLVNTATE CVRAVIT.

Anonymus auctor vitæ Vrbani V. apud Boſquetum inſigne contexuit de Nicolao Elogium, & eſt. *Eodem anno*, ſcilicet 1368. *die 26. menſis Iulij obijt in dicto loco Dominus Nicolaus de Capoccia Epiſcopus Tuſculanus Cardinalis Romanus, vir vtique magnæ litteraturæ, zelator maximus iuſtitiæ, & pauperum continuus ſuſtentator; diebus enim ſingulis per hoſpitalia panem, & vinum, & alia cibaria in domo ſua præparata abundanter faciebat diſtribui, & pauperibus miniſtrari. Vtraque de ipſo duo laudabilia notãter referuntur, primo quòd in Cõciſtorijs, & concilijs ſic liberè, & intrepide locutus eſt, quod propter neminem ſiue præſentem, ſiue abſentem omiſit dicere illud quod ſua conſcientia ſibi dictabat. Secundò cum eſſet valdè practicus in deciſione, & proſecutione cauſarum, amore Dei, & pietatis intuitu pauperibus litigantibus, quos ſciebat iuſtas fouere cauſas, conſilia dabat, eorum proceſſus videbat, poſitiones, & articulos, ac alia eis ad hoc opportuna dictabat, formabat, & ordinabat, ſalaria etiam Notariorum, Procuratorum, Aduocatorum de proprio miniſtrabat, & etiam quæcunque victus neceſſaria ſecundum, quod eorum inopia exigebant. De bonis etiam à Deo ſibi datis in Studio Pariſienſi fundauit, & dotauit nobile Collegium pauperum Scholarium, quod ſancta Sophonia, voluit nominari, fecitque etiam multa bona Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Maioris de Vrbe, vbi iacet miraculis coruſcando.*

Oder. Raynald. in Annal. Eccleſiaſtic.

Nulla tamen Collegij Pariſienſis mentio in ſupremis tabulis, Pauperum, Religioſorum virorum, ac aliorum beneficio, ante obitum Nicolai exaratis, & ſunt tales.

TESTAMENTVM BONAE MEMORIAE REuerendiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. olim Nicolai de Capoccijs Epiſcopi Tuſculani Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis reperti in quodam libro Monaſterij Montiſmorcini prope Peruſium.

IN CHRISTI NOMINE AMEN.

NOuerint omnes, & ſinguli præſentis Teſtamenti ſeriem inſpecturi, quòd Reuerendiſſimus in Chriſto Pater, & D. D. Nicolaus Dei gratia, Epiſcopus Tuſculanus S. R. E. Cardinalis ſanus mente, licet infirmus corpore, volens ſuum condere Teſtamentum, & de bonis ſuis ſalubriter ordinare, in præſentia noſtrorum Notariorum, & Teſtium ſubſcriptorum ad hoc per ipſum ſpecialiter vocatorum, & rogatorum, ſuum huiuſmodi Teſtamentum nuncupatiuum ſine ſcriptis de bonis ſuis ordinauerit ſub hac forma.

Quia nihil eſt certius morte, & nihil incertius hora mortis. Idcirco Ego Nicolaus miſeratione Diuina, Epiſcopus Tuſculanus, licet æger corpore, compos tamen mentis, volens caſum mortis prædictæ per diſpoſitionem teſtamentariam præuenire; Habens à ſanctiſſimo Patre D. N. D. Vrbano Diuina prouidentia Papa V. diſponendi, & ordinandi de bonis mihi à Deo collatis, etiam Eccleſiaſticis, & aliis vndecumque acquiſitis licentiam ſpecialem, prout de huiuſmodi licentia conſtat per litteras Apoſtolicas mihi conceſſas huius tenoris.

VRBANVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Venerabili fratri Noſtro Nicolao Epiſcopo Tuſculano ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Cùm nil ſit, quòd magis hominibus debeatur, quam ſupremæ voluntatis liber ſit ſtylus, & liberum, quod iterum, non redit arbitrium. Nos tuis ſupplicationibus inclinati ordinandi, teſtandi, & diſponendi libere de omnibus bonis ad te pertinentibus cuiuſcunque qualitatis, ſeu valoris fuerint, etiam ſi illa ex prouentibus Eccleſiaſticis, ſeu Eccleſijs tibi commiſſi, vel alteri perſona tua, vel Epiſcopatus intuitu, ratione, vel contemplatione ad te peruenerunt, peruenirent in futurum, prius tamen de omnibus bonis prædictis ære alieno, & ijs, quæ pro reparandis domibus, ſeu ædificijs conſiſtentibus in locis Eccleſiarum, vel Beneficiorum tuorum culpa, vel negligẽtia tua, vel Procuratorum tuorum diſtractis, ſeu deterioratis non reſtaurandis alijs iuribus earumdem Eccleſiarum, vel Beneficiorum de pr[illegible] ex culpa vel neg[illegible]gentia ſupradictis fuerint opportuna deductis, plenam, & liberam tibi licentiam elargimus. Si vero Teſtamentum, ſeu quamuis aliam vltimam voluntatis ordinationem ante hanc noſtram licentiam forſan feciſti, illud, & illam plene [illegible]em habere volumus, ac ſi Teſtamentum, ſiue ordinationem huiuſmodi præſens licentia præceſſiſſet. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc tentare præſumpſerit, indignationem Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Auenione xiij. Kalend. Iulij Pontificatus Noſtri Anno Primo.

Teſtamentum nuncupatiuum, & ſupremæ meæ voluntatis diſpoſitionem in hunc modum, qui ſequitur *facio, diſpono, & ordino.*

In primis animam meam, cum de meo fragili corpore exiuerit commendo Deo, & B. Mariæ ſemper Virgini, ac beatis Ioanni Baptiſtæ, nec non Laurẽtio martyri, & Martino Confeſſori, & toti Collegio beatorum. Corpus meum, ſi in Vrbe, vel prope eam, vbicumque me obire contigerit, volo ad ipſam deferri, & perpetuò ſepelliri in Eccleſia S. Mariæ Maioris de Vrbe in Cappella, ſeu loco in quo, bon. memoriæ Dominus Petrus Capoccij ſancti Gregorij ad Velum aureum Diac. Cardinalis fuit ſepultus, & huiuſmodi meam ſepulturam volo eſſe in terra ſine aliquo ædificio; Volo tamen, quòd vnus lapis ſupra dictam ſepulturam ponatur ſculpta in dicto lapide figura vnius Epiſcopi parati, vt moris eſt, ad quam ſepulturam, vbicumque fuerit, volo deferri ad plus quinquaginta torticia, & alias faculas, & candelas pro portione torticiorum, & mando, quòd nullus meus familiaris induatur de nigro.

Item volo ſatisfieri ſimpliciter, & de plano ſine ſtrepitu, & figura iudicij de bonis meis cuicumque, qui à me aliquid deberet habere, & ſuper hoc Dominus Ioannes Fernandi Canonicus Burgenſis Capellanus, & Camerarius meus, qui magno tempore ſtetit mecum, & de meis negocijs habet pleniorem notitiam, eiuſque conſcientiam in his onero ſpecialiter requiratur, & vbi querela valorem ſex florenorum non aſcendet, cuiuſcumque, niſi de fraude, vel malitia conſtaret petentis, clare cum iuramento credatur.

Item lego Eccleſiæ Valentinæ, in qua Præpoſituram obtineo Pluuiale meum melius operis Anglicani in campo azzurrino cum diuerſis figuris de auro, ſeruandum perpetuo in dictæ Eccleſiæ ſacriſtia, nec Epiſcopo, nec alteri extra Eccleſiam commodetur.

Item lego eidem Eccleſiæ Crucem meam paruulam ſatis pulchram, in qua eſt de ligno Crucis, quam portaui de Anglia.

Item Eccleſiæ Herbipolen. vbi Archidiaconatum obtineo Pluuiale meum album de panno aureo cum pixijs aureis pro ipſo paratis, ſed nondum eidem conſutis.

Item lego Eccleſiæ S. Mariæ Maioris de Vrbe, ſi me in ea ſepeliri cõtingat, ſiue non in ea Pluuiale, Planetam cum aurifrigijs figuratis, atque Dalmaticam, & Tunicelam de panno albo aureo.

Item lego eidem Eccleſiæ vnum Boriale de aureo, ſeu aurifrigium pro eius Altari maiore, ſi illud habuero tempore mortis meæ, alioquin decens ematur de bonis meis, & detur dictæ Eccleſiæ.

Item lego Eccleſiæ Educenſi, vbi habui Archidiaconatum Pluuiale meum violacei coloris cum friXio aureo ſine figuris, & Reliquiarium meum, quòd portaui de Anglia.

Item lego Eccleſiæ Cenomanenſi in qua habeo Archidiaconatum, Planetam meam violacei coloris cum friXio, aureo ſine figuris.

Item lego Eccleſiæ Bariandrienſi, Traiectenſis Diœceſis vbi obtineo Præpoſituram, & cui alias dimiſi vnum Pluuiale, lego vnam Planetam violacei coloris, cuius coloris eſt pluuiale dimiſſum Eccleſiæ Educenſi, & volo quòd Exequutores mei emant, vel faciant fieri, & dari dictæ Eccleſiæ Dalmaticam, & Tunicellam eiuſdem coloris per omnia.

Item lego Eccleſiæ ſancti Vitalis de Vrbe, quæ fuit Titulus mei Cardinalatus Pluuiale, Planetam, & Tunicellam de Cataſanto, quæ habeo in domo.

Item vnum Vas argenti deauratum ponderis trium marcharum conſeruandum, non in ipſa Eccleſia propter malum ſtatum ipſius, ſed alibi, prout huius mei Teſtamenti Exequutores duxerint ordinandum, & tradendum cum bona cautela Canonicis dictæ Eccleſiæ S. Vitalis in feſtiuitatibus in quibus fuerint opportuna.

Item volo, quòd Exequutores huius mei Teſtamenti poſſint expendere de bonis meis pro reparatione dictæ Eccleſiæ ſancti Vitalis, & domorum circa eam, illam pecuniæ quantitatem, quæ eis videbitur expedire.

Item lego Eccleſiæ S. Adomariæ de ſancto Adomaro Morinenſis Diœceſis, in qua Eccleſia fui Præpoſitus, vnum Pluuiale, vnam Planetam, vnam Dalmaticam, & vnam Tunicellã de ſtamieto rubro.

Item lego dictæ Eccleſiæ quatuor Tobalias de ſerico pro Altari pulchriores, quas habuero tempore mortis meæ.

Item eidem Eccleſiæ lego Crucem meam maiorem, & Capſulam argenteam cum Reliquijs.

Item lego Prioratui S. Quinani Banchinenſis Diœceſis, vnam aliam Planetam cum Dalmatica, & Tunicella conſeruandi, vt ſupra, & vbi Dalmaticæ, & Tunicellæ in Cappella mea decentes non eſſent, volo eas emi, vel de nouo fieri coloris, cuius fuerint Planetæ eædem.

Item volo, & mando, quòd Lecti, quibus familiares mei vtuntur ſi ſint in Vrbe dentur Hoſpitalibus Vrbis, ſi verò alibi, dentur Hoſpitalibus illius loci, in quo erunt, & Lecti perſonæ meæ vendantur, & pretia eorum dentur Pauperibus eiuſdem loci, in quo obiero, ſeu locorum vicinorum, aut Vrbis diſtribuenda in totum, vel in partem

inter Pau-

inter Pauperes eorumdem ſecundum huius Teſtamenti Exequuto- A
rum arbitrium voluntatis.
Item lego centum florenos diſtribuendos inter Pauperes Hoſpi-
talium Vrbis, ſecundum numerum, & indigentiam Infirmorum, &
Pauperum prout meis Exequutoribus videbitur expedire.
Item lego trecentos florenos diſtribuendos inter Infirmos, Vale-
tudinarios, & Mulieres prægnantes, & in puerperio decubantes, at-
que Decrepitos, & Puerulos infra decennium conſtitutos, qui ad
Romanam Curiam declinaſſent, alioquin de alijs partibus, de qui-
bus videbitur Exequutoribus prælibatis.
Item lego ducentos florenos auri locis, & Monaſterijs Religio-
ſorum Mendicantium, & Monialium de Vrbe diſtribuendis plus, &
minus, & illis, de quibus eiſdem Exequutoribus videbitur expedire.
Item volo, & mando, quod tam de fructibus bonorum Domus
Scholarium ſancti Gregorij, quam in Ciuitate Peruſij ordinaui, quã
de alijs bonis meis, iuxta dictam Domum ſancti Gregorij à meis B
Exequutoribus ordinetur, vna Domus cum vno ſolario ad hoc ap-
ta, in qua viginti quinque Pauperes Scholares in Grammatica vn-
decumque ſint recipiantur per illum, qui prædictæ domui ſancti
Gregorij præſidebit, & eorum cuilibet inſolidum victus, duo pa-
nes octo vnciarum, pro quolibet, & certa menſura vini ordinanda
per dictum Præſidentem ſingulis diebus, & duæ libræ carnium in
qualibet ſeptimana perpetuis temporibus tribuatur, & pro his fa-
ciendis emantur poſſeſſiones, ſeu redditus cõſtituentur, qui ad hoc
ſufficere extimentur, ipſique Scholares obedientiæ, & Regimini
Præſidentis eiuſdem, qui ſuper eos poſſit ſtatuere, aut diſponere,
prout ſibi videbitur expedire.
Item Caſtrum meum Ripæ de Thetis Theatin. Diœceſis relin-
quo dicto Collegio Scholarium, de cuius prouentibus augeatur
numerus Scholarium, prout poterit adaugeri.
Item volo, & mando, quòd expeditis, dicto Collegio dictæ Do- C
mus S. Gregorij, ac Monaſterio Religionis Fratrum ſeu Monaco-
rum de Monteoliueto, quòd prope dictam Ciuitatem Peruſinam
fieri ordinaui, nec non dicta Domo viginti quinq; Scholarium pau-
perum, qui ſtudebunt in Grammatica, vt præfertur, & omnibus cir-
ca præmiſſa diſponendis debita terminatione completis ſuper cu-
iuſmodi complemento huius mei Teſtamenti Executores ſtari volo,
ſi ſuperfuerint bona, fiant infraſcriptæ eleæmoſinæ de Puellis mari-
tandis, prout inferiùs continetur, vel pro illa parte, quæ fieri pote-
rit, videlicet.
Quòd de bonis meis centum Puellæ de Vrbe pauperes maritan-
dæ veſtiantur de duabus veſtibus, videlicet Tunica, & Vernacia, vel
Tunica, & Mantello prætij ſex florenorum pro ipſis ambobus veſti-
bus, & cuilibet earum in auxilium dotis dentur viginti libræ mone-
tæ Romanæ.
Nec prædictæ veſtes, & pecuniæ tradentur eiſdem, donec fue- D
rint deſponſatæ, ſed interim tradantur prædictæ veſtes, & pecuniæ
Rectoribus Eccleſiarum Curatarum locorum dictarum Puellarum
cum conſilio, ac in præſentia patrum, & matrum, vel aliorum bo-
norum virorum magis propinquorum huiuſmodi Puellarum tra-
dendæ poſtmodum earum maritis poſt matrimonium contractum,
& prædicta tradantur ſecundum ordinationem, & diſpoſitionem
Dom. Laurentij Aegidij Angelici Canonici Lateranenſis Capellani
mei, & D. Ioannis Fernandi, deputatis, ſibi ſocio, vel ſocijs, ſicuti
dicti Exequutores duxerint ordinandis.
Et ſimili modo lego in Ciuitate Tiburtina pro quindecim Puellis.
Item ſimili modo in Caſtro ſancti Angeli Tiburtinæ Diœceſis,
pro quinque Puellis.
Item ſimili modo in Caſtro Montiſtellorum dictæ Tiburtinenſis
Diœceſis, pro quinque Puellis.
Item volo, & mando, quòd ſolutis legatis huius mei Teſtamen- E
ti compleantur de bonis meis Collegium Scholarium per me in Pe-
ruſio ordinatum, & Monaſterium viginti quinque Monacorum or-
dinis ſancti Benedicti Religionis Montiſoliueti cum dote, quam in-
fraſcripti Teſtamenti huius Executores eidem Monaſterio duxerint
aſſignandam, volens, & mandans, quòd omnes poſſeſſiones emptæ
per quemcumque hominem meum in partibus Peruſin. pro dicto
Monaſterio eiſdem debeant aſſignari, ſi aſſignatæ non eſſent.
Item lego cuilibet Capellanorum, Clericorum, & Scutiferorum
meorum, qui tempore mortis meæ beneficia per me, ſeu beneficium
non fuerunt conſequuti, inter quos volo computari a tempore redi-
tus mei de Legatione Franciæ, & Angliæ citra Nicolaum de Sega-
rolo Presbyterum meum eleæmoſinarium, & familiarem, octo flore-
renos auri pro ſingulis annis. Quibus mei Capellani, Clerici, & Scu-
tiferi fuerint, ſingulis verò alijs familiaribus meis inferioribus pro F
ſingulis annis, quibus mei familiares fuerũt, qui ſimiliter dicto tem-
pore meæ mortis per me beneficium non fuerint conſequuti lego
quatuor florenos.
Volo tamen, quòd Executores huius mei Teſtamenti eiſdem
meis familiaribus beneficiatis, præſertim indigentibus ſi, & prout
eis videbitur de aliqua pecunia valeant prouidere.
Item lego cuilibet Sacerdotum, qui erunt in ſeruitio Capellæ
meæ tempore mortis meæ quatuor florenos auri pro quolibet anno,
quo fuerint mecum commorati.
Item volo, & ordino, quòd illi familiares mei, qui voluerint, poſ-
ſint in Domo mea expenſis meæ Exequutionis in victualibus poſt
mortem meam, per vnum menſem remanere, & interim poſſint ſibi
de his, quæ agere habuerint prouidere.
Volo tamen quòd ſi prædicta legata, vel aliquod eorum in vita
mea ſoluiſſem, ampliùs non ſoluantur. Huius autem mei Teſtamen-
ti, ſeu ordinationis Exequutores meos nomino, facio, & conſtituo
Reuerendiſſimos Patres Dominos Anglicum Albanen. ac Guillel-
mum Sabinen. Epiſcopos, & Ioannem tituli S. Marci Presbyterum,
ac Raynaldum ſancti Hadriani Diaconum Cardinales, nec non Ve-
nerabiles Patres, etiam, & Dominos Lucam Nucerin. Epiſcopum,
& Epiſcopum Peruſinum, qui eſt, & erit pro tempore, & Nico-
laum de Auximo D. Papæ Notarium, & Secretarium, ac Venera-
biles, & circumſpectos viros Dominos Bernardum de Rodu Came-
ræ Apoſtolicæ, & Ioannem Rubinelli Sacri Palatij Auditores, &
Ioannem Fernandi, ac Laurentium Aegidij Anclerij prædictos, &
Andream de Monteleone locumtenentem dicti Camerarij mei Ca-
nonicum Tudertinum, ac Priorem dicti Monaſterij Montiſoliueti
Peruſin. Diœceſis, quòd fieri ordinaui, qui erit pro tempore.
Volens, & diſponens, quòd duo, vel plures dictorum Exequutorum
poſſint ordinationem, & diſpoſitionem huiuſmodi in totum exe-
qui, & in qualibet eius parte, & ipſius exequutionis negocium libe-
re exercere abſque contradictione quorumcumque hæredum meo-
rum, & quòd alij ipſorum ſecundum modum præmiſſum poſſint
exequi, quòd per alios, vel aliquos ex eis fuerit inchoatum. Poſſint
etiam ſinguli ex prædictis cum commiſſione aliorum eius principa-
liter, vel alicuius ex eis particularia exequutionis prædictæ exercere.
Volo etiam, & ordino, quòd per manum dictorũ Exequutorum,
ſeu deputatorum ab ipſis omnia legata, & quo vis modo per me re-
licta ſoluantur ſine contradictione cuiuſcumque. Et quòd prædicti
Domini Epiſcopi Nucerien. Nicolaus de Auximo, Ioannes Fer-
nandi, Laurentius, & Andreas ex maiori conuerſatione, & familia-
ritate de negocijs meis, & voluntate ſunt pleniùs informati. Suppli-
co dictis Dominis meis Cardinalibus, quòd velint, & permittant, vt
præfati Epiſcopus Nucerien. ac D. Nicolaus de Auximo, Ioannes
Fernandi, Laurentius, & Andreas ſi affuerint, cum conſilio, & auxi-
lio eorumdem Dominorum Cardinalium, & aliorum prænomina-
torum Exequutorum prædicti, aut aliquorum eis, de quibus ipſis
Epiſcopo Nucerien. ac Dominis Nicolao, Ioanni, Laurentio, An-
dreæ, & eorum cuilibet videbitur huiuſmodi meæ exequutionis
gerant.
Item volo, & ordino, quòd dicti Exequutores poſſint reuidere
Statuta per me in dicto Collegio Scholarium ordinata, eaque corri-
gere, ac de correctione ipſius Domus, & aliter ſuper ſtatu eiuſdem
ordinare quæcumque eis vtilia videbuntur; ſaluo, quòd numerum
Scholarium non poſſint minuere, nec mutare loca, de quibus eos or-
dinaui aſſumi.
Item volo, & mando, quòd pro exigendis pecunijs, mihi debitis
pro Capello, ac alijs huius Teſtamenti, & dictorum Collegij Scho-
larium, & Monaſterij Montiſoliueti, & alijs meis negocijs exequu-
tioni demandandis dicti Domini Ioannes cum duobus, & Andreas
cũ vno ex familiaribus ad decentes expenſas meas, ſeu exequutiones
meas, ſi expedit in Romana Curia, ac Vrbe, vel Peruſij, vel alibi ſi
fuerit oportunum, vſque ad quinque annos valeant commorari, & ſi
in aliquo diſcordes fuerint D. Nicolai voluntati debeant obedire.
Item ſupplico ſanctiſſimo D. N. Papæ, quòd ordinationes, & Sta-
tuta, quæ feci ſuper ſtatu Domus meæ Scholarium de Ciuitate Pe-
ruſiæ ad eorum robur, & obſeruationem perpetuam dignetur au-
thoritate Apoſtolica confirmare.
In omnibus autem alijs meis bonis mobilibus, & immobilibus, iu-
ribus, & actionibus realibus, & perſonalibus mihi à Deo collatis, ſeu
commiſſis, tam per Eccleſiam, ſeu Eccleſias, ſeu ab ipſis Eccleſijs,
vel earum ratione, vel occaſione, quam ex induſtria, vel officijs, vel
quomodolibet alijs acquiſitis aut in poſterũ mihi, vel per me, vſq; ad
diem mei obitus ex eiſdẽ cauſis, vel aliter quomodolibet acquirendis
in quibuſcumque rebus, & vbicumque exiſtant, ſiue penes me, ſiue
penes factores, ſeu negociorum geſtores, & Procuratores, ac debi-
tores meos, vel Apoſtolicam Cameram Reuerendorum Patrum
Dominorum Cardinalium ratione Capelli exiſterent, vel exiſtant,
ſiue mihi à quibuſcumq; quomodolibet ex quauis cauſa debeantur,
ſeu mortis meæ temporis debebuntur, aut in poſterum deberi con-
tinget, dictam Domum, & Collegium dictorum Scholarium, quòd
fieri feci in Ciuitate Peruſiæ, & Monaſterium, & Conuentum ſan-
ctæ Mariæ, quòd, & quem in diſtrictu Peruſij fieri feci mihi hære-
des vniuerſales inſtituo, & relinquo. Ita tamen, quòd dicti Schola-
res, & quicumque eorum vltra habitationem, & cibum, & potum,
prout in dictæ Domus conſtitutionibus continetur de bonis huiuſ-
modi meæ hæreditatis, ſeu dictæ Domus, & ipſius Collegij non poſ-
ſint petere, vel habere, ſed bona ipſa dictæ hæreditatis ipſi Domui, &
Collegio pro temporũ ſtatu perpetuò obſeruando de numero Scho-
larium ſi facultates ſuppetant augumentando accreſcant, & perpe-
tuò permaneant ad eamdem. Dictũ verò Monaſterium, & Conuen-
tum de his, quæ per dictos meos Exequutores fuerint aſſignata iu-
beo, & mando eſſe contentos, & plus in bonis meis non poſſe pete-
re, vel habere.
Hoc autem volo, & ordino meum eſſe nuncupatiuum, & vlti-

mum Teſtamentum reuocans omnia alia Teſtamenta, Donationes cauſa mortis aliter per me factas.

Quòd quidem Teſtamentum valere, volo iure Teſtamenti, & ſi forſan non valeret, vel non valebit iure Teſtamenti, volo quòd valeat iure Codicillorum, vel Epiſcopale, vel cuiuſcumque alterius vltimæ voluntatis.

Vltimo rogo vos omnes hic præſentes ad huius mei Teſtamenti inteſtimonium euocatos, & vos Notarios, & quemlibet veſtrum in ſolidum, vt de ipſo Teſtamento, & de mea vltima voluntate teſtificantes faciatis ex inde publicum Inſtrumentum.

Acta ſunt hæc in Monteflaſcone in Hoſpitio habitationis prędicti Domini Nicolai Epiſcopi Tuſculani Teſtatoris, videlicet in eius camera, anno Natiuitatis Domini milleſimo trecẽteſimo ſexageſimo octauo Indictione xiij. die vero xxij. menſis Iulij Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris D.D. N. Vrbani Diuina Prouidentia Papæ Quinti, anno Sexto. præſentibus dictis Dominis Nicolao, Laurentio, & Andrea Exequutoribus, Fratribus Angelo de Bibiena Procuratore ordinis Minorum, & Ludouico de Venetijs in partibus Venetiarum Inquiſitore Hæreticæ prauitatis, ſacræ Theologiæ Magiſtris, & Angelo de Monteflaſcone Guardiano, & Angelo de Corneto Lectore in Conuentu Fratrũ Minorum de Monteflaſcone, nec non Venerabilibus, ac diſcretis viris Dominis Magno de Anania, & Caſtellino de filijs Oddonis de Placentia, & Ser Antonio de Placentia Prępoſitis, ac Tibaldo de Nottaria Archidiacono Tudertinẽ: & Bartholino de Lagijs de Placentia, & Bartholomeo de Luſponto D. N. Papæ Scriptore, nec non Magiſtris Grimaldo Mancij de Auximo, & Fratre Georgio Michaelis, aliàs Clerico Treuiren: præſentibus ambobus Notarijs publicis de prædictis omnibus, etiam rogatis facere in ſolidũ publicũ Inſtrumentum, ſeu publica Inſtrumenta. Teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter, & à dicto Teſtatore rogatis.

Et Ego Franciſcus q. Matthæi Feremiæ ciuis Piſanus publicus Apoſtolica, & Imperiali auctoritate Notarius, & ſupradicti D. Nicolai Epiſcopi Tuſculani Cardinalis, nunc Scriba, & familiaris publicationi ſupraſcripti Teſtamenti, & prædictæ vltimæ voluntatis, & omnibus, & ſingulis ſupradictis, vna cum prænominatis Teſtibus præſens fui, & ea de mãdato præfati Domini Epiſcopi Cardinalis ſcripſi, & in hanc publicam formam redegi, meiſque ſigno, & nomine ſolitis roboraui in teſtimonium omnium præmiſſorum. Additiones, & raſuras, ſi quæ ſunt ſupra factæ, tanquam veras, & non vitio, ſed errore, & omiſſione factas approbando.

Ego Marſilius q. Ser Franciſci, Ser Stephani de Peruſio Portæ S. Suſannæ publicus Imperiali auctoritate Notarius, & Iudex ordinarius, & nunc Notarius Curiæ Epiſcopalis Peruſinæ prædicta omnia, & ſingula prout in prædicto libro ſcripta inuẽta fuere, ita hic alteri mihi fido ſcribæ tranſcribenda, copianda, & fideliter exemplãda commiſſi, nihil addendo, vel minuendo, niſi forte per errorem litteram, ſyllabam, vel punctum, non tamen, quòd habeat mutare, variare, vel vitiare ſubſtantiam, vel effectum ipſorum cum decreto, & auctoritate eximij Decretorum Doctoris Dom. Thomæ de Collectibijs de Caſſia Spoletanæ Diœceſis Reuerendiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Ioannis Lopis Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopi Peruſini digniſſimi in Spiritualibus, & Temporalibus Vicarij Generalis, qui D. Thomas Vicarius ante dictus ſedens pro Tribunali ad banchum Iuris cauſarum Ciuilium, Curiæ Epiſcopalis Peruſinæ, ſitum in audientia prædictæ Curiæ, ſita in Platea magna Ciuitatis Peruſij ſubtus Palatium Epiſcopale Peruſinum, iuxta ſuos confines, quem locum quoad hunc actum, & ad infraſcripta primo, & ante omnia pro ſuo Iuridico Tribunali elegit, & deputauit. Viſo igitur, & lecto, & diligenter auſcultato prædicto originali, cum prædicto tranſumptu, & dicto tranſumptu, cum dicto originali per dictum D. Vicarium, vna mecum Marſilio Notario prædicto, & inuentis de verbo ad verbum in omnibus, & per omnia concordare, & in nihilo variare, vel vitiare ſuam, & præfati D. Epiſcopi Peruſini, & ſuæ Curiæ, qua fungitur auctoritatem interpoſuit, & decretum, & pronunciauit dicto præſenti tranſumptu plenam fore, & eſſe indubiam fidem adhibendam, prout dicto originali fides adhibetur. Cui quidem decreto, & auctoritatis interpoſitioni interfui, & de iis rogatus extiti, & ad fidem, & teſtimonium veritatis omnium præmiſſorum me ſubſcripſi, & publicaui; ſignumque nomenque meum ſolitum, & conſuetum appoſui ſub anno Natiuitatis Domini milleſimo treceteſimo ſexageſimo octauo Indictione xiij. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris D. D. N. Vrbani Diuina Prouidentia Papæ Quinti anno Sexto die verò lunæ decimaquarta menſis Decembris pręſentibus ibidem ſpectabilibus viris Ser Hieronymo Bartholomæi, & Ser Angelo Antonij ciuibus, & Notarijs prædictæ Curiæ Epiſcopalis Peruſinæ Teſtibus ad præmiſſa vocatis habitis, & rogatis.

Ego Hieronymus q. Bartholomæi, Andreæ de Peruſio P. E. publicus Apoſtolica, & Imperiali auctoritate Notarius, & Iudex ordinarius, & nūc Notarius prædictæ Curię Epiſcopalis Peruſinæ, prædictę auſcultationi, & decreti interpoſitioni factæ per ſupradictũ D. Vicarium in ſupradicto tranſumptu vna cum prædicto Ser Marſilio Ser Franciſco, qui fuit rogatus de dicto decreto interpoſito per dictum Dom. Vicarium, vt Teſtis interfui, vidi, & audiui, & ad fidem, vt in Teſtem me ſubſcripſi, & publicaui vna cum prædicto Ser Angelo, qui fuit Teſtis habitus vna mecum Notario prædicto, & in certitudinem præmiſſorum, ſignum meum appoſui conſuetum ſupradictis milleſimo anno, Indictione die, & Pontificatus quibus ſupra.

Ego Angelus Thomæ Antonij Faene de Peruſio P. S. P. publicus, & Imperiali auctoritate Notarius, & Iudex ordinarius, & nunc Notarius prædictæ Curiæ Epiſcopalis Peruſinæ prædictis auſcultationi, & decreti interpoſitioni factę per ſupradictum D. Vicarium in prædicto tranſumptu, vna cum prædicto Ser Marſilio, Ser Franciſco, qui fuit rogatus de dicto decreto interpoſito, per dictum Dom. Vicarium, vt Teſtis interfui, vidi, audiui, & ad fidem, vt in Teſtem me ſubſcripſi, & publicaui, vna cum prædicto Ser Hieronymo, qui fuit Teſtis habitus, vna mecum Notario prędicto, & in certitudinem præmiſſorum ſignum meum appoſui conſuetum, ſub prædictis milleſimo anno Indictione die, & Pontificatus quibus ſupra.



XXI.

ARNALDVS, quem alij Pontium nominant, natione Gallus, è Villamuro, Vrbe Diœceſis Toloſanæ, ordinis S. Auguſtini Canonicus, iuris Põtificij laurea accepta, renunciatus eſt Apamearum Præſul primò, mox Presbyter Cardinalis S. Sixti, vt refert inter alios Anonymus Auctor vitæ Clementis Sexti apud Bolquetum his verbis: *Pontius de Villamuro Vaſco, Canonicus ordinis S. Auguſtini, tunc Epiſcopus Appamiarum*. Auenione intra naturæ periolum, & quidem repentina morte die 28. Octobris anno noſtræ ſalutis 1355. Nullum Arnaldo huic dederat Ciaconius gentilitium Stemma, nos quòd ſupra expreſſimus, ex Frizonio deprompſimus.

Ciaconius. Panuinius. Aubery. Theodoricus à Nie. Felix Contel. in Elech. Card.



XXII.

MAG. F. IOANNES Morlandinus, aliis Molendinus, natione Gallus, in Nouempopulonia ex Frizonio ortus, ſeu meliùs ex Codicibus m. ss. & Luca Vraddingo, Ciaconio, Panuinio, & alijs patria Lemouicenſis, Diui Dominici ordini à puero nomẽ dedit, in Cœnobio Briuenſi Prouinciæ Toloſanæ. Laurea donatus plures inſtituti ſui ſodalibus Peripateticorum Principem Ariſtotelem enarrauit, Doctor deinde Theologus hæreticæ prauitatis Inquiſitoris munere functus eſt Toloſæ, demum vigeſimus ſui ordinis Magiſter generalis in Capitulo Barcinone coacto, anno reparatæ ſalutis 1349. ſuffectus eſt in locum Guerini de Graco Galli, eique præfuit ad biennium. Cum eſſet Theologia apprimè inſtructus, Gerardi Cardinalis opera, cui erat maxima neceſſitudine coniunctus, Lector, ſeu Magiſter ſacri Palatij primò, mox Presbyter Cardinalis titulo S. Sabinæ à Clemente VI. abſens, cum Gallici Regni Cœnobia ſibi commiſſa perluſtraret, renunciatus eſt. Poſt Clementis obitum Innocentij VI. Comitijs interfuit, eique, dum vixit, gratiſſimus fuit.

Scripſit de Reparatione Lapſi.

Sermones item multos, & alia nonnulla, vt habet ex Paulo Corteſio Nomenclator Cardinalium.

E vita exceſſit Auenione, non anno 1358. vt referunt Ciaconius, Frizonius, & Aubery, ſed teſte Felice Contelorio ex libro Obligationum in Vaticano aſſeruato, die 23. Februarij anno 1353.

Præter ſcriptores ſupra laudatos, memoriam iſtius Cardinalis Ioannis inſtruit S. Antoninus part. 3. tit. 23. cap. 11. & Anonymus Auctor vitæ Clementis apud Bolquetum.

Ordinis Prædicatorum Inſignia huic ex Frizonio tribuimus.



XXIII.

Ciaconius
Panuinius
Aubery.

RAYNALDVS Vrſinus Romanus, ex Protonotario Apoſtolico Diaconus Cardinalis S Hadriani, & Archipresbyter Baſilicæ Vaticanæ, non in ſecunda, vt ſcribit Sanſouinus, ſed ex Anonymo auctore vitæ Clementis VI. apud Boſquetum, in quarta Cardinalium creatione à Clemente creatus, Vrbani V. Legatus vnà cū Guillelmo Epiſcopo Oſtienſi, Bernardo Baſilicæ XII. Apoſtolorum, Frāciſco ſanctæ Sabinæ Presbyteris Cardinalibus Romæ Ioannis Palæologi Imperatoris Romanæ fidei Catholicæ profeſſionem excepit anno noſtræ ſalutis 1369. vt conſtat ex ipſius Ioannis Imperatoris Diplomate, cuius exemplar teſte Bzouio in Archiuio molis Hadrianæ ſeruatur, & ex ipſius Vrbani literis datis Viterbij nonis Octobris Pontificatus anno ſeptimo. Interfuit Comitijs, in quibus electi ſunt Romani Pontifices Innocentius VI. Vrbanus V. & Gregorius XI.

Bzou. in Annal.

Vitam cum morte commutauit Auenione viij. Idus Iunij anno à partu Virginis 1374. & ibidem ſepultus ad Minores, illius cadauer Auenione Romam deductum iacet in Baſilica Vaticana cum hac Inſcriptione.

Felix Cōtelor. in Elencho. Nomencl. Cardinal.

Mitis, & affatu dulcis, cenſuraque morum
Iratus vitijs, placidus virtutibus, æquus
Omnibus, Eccleſia ſpeculum, lux antea Romæ,
Vnica lux Latij, ſidus radiuſque Senatus
Cardines, dedit hunc titulo Hadrianus honoris
Vitamorum ſpes, ac Vrſina gloria gentis
Egregia, Raynaldus humo requieſcit in iſta
Corpore, ſed cælo meliori parte, ſereno.



XXIV.

Anonym. Auct. vitæ Clem. VI apud Boſquet.
Ciaconius
Panuinius
Aubery.
Felix Cōtelor. in Elencho.

IOANNES de Caramagna, ſeu de Carmain, vel de Caramanno, filius Vicecomitis de Caramanno, nepos Ioannis XXI. dicti XXII. Romani Pontificis, ex Protonotario Apoſtolico ad Cardinalatus apicem peruenit, & Diaconiam S. Georgij in Velabro obtinuit. Interfuit Comitijs, & ſuffragiū pro Innocentio huius nominis Sexto tulit: peſte interijt in Vrbe Auenionenſi Kalendis Auguſti anno noſtræ ſalutis 1361.

Nullum Cardinali huic gentilitium Stemma dederat Ciaconius, nos ex Petro Frizonio Comitum Caramanni ſcutum illi tribuimus, quòd eſt argenteum Leone cœruleo cum limbo lineari, octo libis miniatis, quadripartitum ex auro, duabus faſcijs miniatis impreſſum. Extat Ioannis huiuſce mentio in Regiſtris Innoc. VI.



XXV.

PETRVS de Croſſo, ſeu de Croſon, natione Gallus, patria Lemouicenſis, non ex Archiepiſcopo Rothomagēſi, vt bene notauit Ferdinandus Vghellius in Additionibus ad Ciaconium, nam in ſerie Præſulum illius Eccleſiæ non reperitur, ſed ex Epiſcopo Antiſiodorenſi adlectus eſt in ordinem Presbyterorum Cardinalium titulo SS. Martini, & Syluestri in Montibus anno 1350. à Clemente VI. vt refert Anonymus Auctor vitæ Clementis apud Boſquetum, & Felix Contelorius in Elencho ex libris ſacri Collegij. Ciaconius tamen, Panuinius, Frizonius, & alij ſcribunt non à Clemente anno 1350. ſed ab Innocentio Clementis ſucceſſore anno 1356. Petrum hunc renunciatum fuiſſe Presbyterum Cardinalem titulo SS. Syluestri, & Martini in montibus alias Equitij.

Deceſſit Auenione ex epidemia die 23. Septembris anno 1361. & ſepultus in Eccleſia Cathedrali eiuſdem Vrbis meminere huiuſce Cardinalis Regiſtra Innocentij VI.



XXVI.

Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon.
Anonym. Auct. vitæ Clement. apud Boſquetum.
Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana.
Oder. Raynald. in Annalibus Eccleſiaſt.

AEGIDIVS Rigaudus, Gallus de Ruiſſiaco, monachus S. Benedicti, Prior Oſſeriæ, & Abbas S. Dionyſij Pariſienſis, Philippi Francorum Regis ſtudio à Clemente VI. renūciatus eſt anno 1350. Presbyter Cardinalis ſanctæ Praxedis. Sed cum illius opera Philippus Frācorum Rex egeret, Clemēs ſingulari beneficio Pileum rubeum illi tradendum, Pariſienſi, Laudunenſi, & Carnotenſi Epiſcopis tranſmiſit. Quo argumento tum ad hos Epiſcopos, tum ad Aegidium ipſum ſcriptæ ſunt hæ literæ. *Licet imitanda ſeruarit Antiquitas, vt ad honorem Cardinalatus euectus nō prius Capello rubeo vteretur quam illum de manu Romani Pontificis ſuſcepiſſet: attendentes tamen, quod tu, quem ad honorem huiuſmodi duximus aſſumendum quique aſſumptionis tempore de Romana Curia abſens eras, habes pro certis negocijs arduis chariſſimi in Chriſto Filij Noſtri Ioannis Regis Francorum illuſtris, in quibus idem Rex præſentia tua indigere ſe dixit, diebus aliquibus in partibus ipſis de Noſtra licētia remanere, eiuſdem Regis ſupplicationibus inclinati, Capellum huiuſmodi per dilectum filium nobilem virum Nicolaum Iudicis Domicellum, Dominum de Lameria ſancti Pontij Thomeriarum Diœceſis, nepotem Noſtrum, venerabilibus Fratribus Noſtris Pariſiēſi, & Laudunenſi, & Carnotenſi Epiſcopis, exhibendum tibi per eos, vel alium eorundem prouidimus deſtinandum. Datum apud Villamnouam Auenion. Diœceſ. xviij. Kal. Aprilis anno IX.*

In Monaſterij ſancti Dionyſij monumentis benefactor munificus Aegidius habetur, locum enim, in quo decumbunt Religioſi ægroti, Valetudinarium vocant, ædificauit.

Abijt ex hac vita, ex Frizonio die 30. Decembris anno 1351. ſeu veriùs ex Contelorio in Elencho die 10. Septembris anno 1353. & ſepultus in Aede Dionyſiana æneo monumento.

Inter Cardinales à Panuinio, & Ciaconio recenſitos deeſt Aegidius hic, at ex Chronico Dionyſiano, & ex Catalogo illius Cœnobij Abbatum apud Claudium Robertum, & ex Contelorio in Elencho, atque ex Anonymo auctore vitæ Clementis apud Boſquetum, à Clemente Sexto Cardinalibus adſcriptum patet.

Certat de titulo Frizonius, eique ex Bzouio titulum S. Clementis tribuit, verum non ita eſt, vt arbitratur P. Frizonius, quòd, vt pateat, ſunt hic inferenda Bzouij verba, quæ ſic habent. *Ne inter Ioannem Galliæ, & Edenardum Angliæ Reges diſcordiæ aliqua maiores erumperent, Aegidium tituli S. Clementis, & Nicolaum tituli S. Vitalis Cardinales Legatos ad vtrumque miſit.* Hæc Bzouius; cuius tamen verba non ſunt accipienda de Aegidio Rigaudo, vt malè opinatus eſt Frizonius, ſed de Aegidio Aluari Albornotio Hiſpano, vt patet ex Spondano dicente. *Ne interim res vlteriùs progrederetur, aut diſcordiæ maiores erumperent, legauit Clemens ad vtrumque Regem Idibus Iunij Legatos Aegidium Aluari tituli ſancti Clementis Hiſpanum, & Nicolaum Capoccium tituli ſancti Vitalis Romanum Presbyteros Cardinales.*

XXVII.

MATTHAEVM Corozman, natione Germanum, Atheſinum Capellanum, Comitem Tirolenſem, Epiſcopum Brixinenſem à Clemente S. R. E. Cardinalibus adſcriptum anno 1350. ſcribit Ferdinandus Vghellius in Additionibus ad Ciaconium, ex Viguelo Hundenſi in hiſtoria Metropolitana Salisburgenſi in Catalogo Epiſcoporum Brixinenſium, & addit illam dignitatem modeſtè renuiſſe, neque titulo Cardinalitio, vnquam vſum fuiſſe. De quo nec Ciaconius, nec Panuinius, nec alij de Cardinalibus Scriptores meminere, neque in Regiſtris Pontificum Romanorum ex Contelorio, nec in libris ſacri Collegij de huiuſce Cardinalatu vlla extat memoria.

XXVIII.

STEPHANVM de Gardia, natione Gallum, Patria Lemouicenſem, Archiepiſcopum Arelatenſem, inter Presbyteros Cardinales à Clemente VI. renunciatos titulo SS. Syluestri, & Martini in montibus numerat Petrus Frizonius in Gallia Purpurata. Hunc fuiſſe ſedis Apoſtolicæ Legatum in Gallia Ciſalpina, & Romandiola, ac Regnum Neapolitanum adminiſtraſſe ſcribit, & reprehendit Ciaconium, qui eum vocat Aymericum. Sed errat Frizonius; nam Cle-

mens VI. Aymerico de Caſtroluci Cardinalatum detulit die 20. Septembris anno 1342. vt diximus ſupra, eundemque Legatum declarauit ij. Idus Octobris euſdem anni, & defuncto Roberto Rege Siciliæ eundem Aymericum, Bailum, Adminiſtratorem, & Gubernatorem Regni conſtituit x. Kalend. Februarij anni ſequentis 1343. eumque idem Clemens vocat Aymericum, & ipſemet Aymericus, Aymericum ſe inſcribit in ſuo Regeſtro Neapolitano. Negant igitur, inquit Contelorius, Cardinalem Aymericum Regni Neapolitani Gubernatorem, deferendum non eſt; quare ille Stephanum hunc ex Cardinalium numero reijcit, & meritò, cum in libris ſacri Collegij, & in Regiſtris Vaticanis non inueniatur, & nos ſupra in vita Aymerici diximus, ex Petro Saxio diuerſum eſſe Aymericum à Stephano de Gardia, tum ex nominum diuerſitate, tum ex tempore obitus; nam ille vitam cum morte commutauit anno 1348. ſeu 1349. hic verò anno 1359. non audemus igitur ſolo duce Frizonio Stephanum hunc Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus adſcribere: fides ſit penes ipſum Petrum Frizonium.



Mag. Salmeron.

Iac. Ioa Viues.

Natal. Gaver in ſuo Chronic.

Tunnel in vitis Magiſt. general.

Bernard. de Vargas in Chron.

XXIX.

MAG. F. DOMINICVM Serrano, natione Gallum, Patria Montempeſſulani, ſeu, vt alijs placet, Toloſanum, filium Dominici Serrani, & Franciſcæ Collers, ordinis beatæ Mariæ de Mercede redemptionis Captiuorum Alumnum & vndecimum eiuſdem ordinis generalem Magiſtrum, inter S.R.E. Cardinales referunt Syluester Marulus in Mari Oceano, Carolus de Tappia de Religioſis rebus, Stephanus Corbeta in vita B. Mariæ de Socos, Alphonſus Remódus in Chronico, alijq; eiuſdẽ ordinis ſcriptores. Horũ tamen aliqui à Clemente, alij ab Innocentio Clementis ſucceſſore, & alij ab Vrbano V. illum renunciatum ſcribunt titulo SS. Quatuor Coronatorum, ſeu S. Callixti, ſeu SS. Coſmæ, & Damiani. Hic Iuri tum Ciuili, tum Canonico in Academia Pariſienſi operam dedit, ac Doctoris laurea ornatus publice in eadem Academia omnium plauſu decreta adhuc iuuenis explicuit.

Scripſit librum De Sententia matura deliberatione danda; & Tractatum ſuper legem Corneliam de beneficijs.

Maior factus, cum iam quadrageſimũ ſuę ætatis annum attigiſſet, Cathedra Pariſiẽſi relicta ſeſe in ſacra B. Mariæ de Mercede redemptionis Captiuorum familia diuino famulatui deuouit. Ex Præceptore diſcipulus Tyrocinium poſuit Barcinone, quo confecto, ad redimendos captiuos iuxta ſui ordinis inſtitutum pluries ſeſe diuerſis itineribus commiſit. In honore fuit apud Robertũ Neapolitanum, Petrum Aragoniæ, & Alphonſum Caſtellæ Reges, Robertus enim Neapolim illum vocauit, eumdem Petrus, & Alphonſus Reges ſæpe ſæpius in conſilium adhibuerunt. Iam ſenex anno noſtræ ſalutis 1345. omnium ſuffragijs in Magiſtrum generalem Barcinone electus familiam ſanctiſſimè rexit, ac prudenter moderatus eſt. Peſtilentiæ morbo correptus perijt in Montepeſſulano die 9. Iulij anno 1348. menſe vno, ac ſex diebus poſt ſuam ad Cardinalis dignitatem aſſumptionem; renunciauerat enim ex laudatis ſcriptoribus illum Clemens Presbyterum Cardinalem die 4. Iunij anno 1348.

CANCELLARIVS, ET VICEcancellarius Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſub Clemente VI.

Bertrandus de Deucio ex Presbytero Cardinali S. Marci, Epiſcopus Sabinus, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cancellarius à principio, vſque ad finem Pontificatus.

Petrus Epiſcopus Præneſtinus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarius ſcripſit Clementis literas datas ſecundo nonas Aprilis anno 1343. Abbatiſſæ, & Monialibus Monaſterij ſanctæ Claræ de Mannalca, & ſecundo Kalend. Maij anno 1348. Abbatiſſæ, & Monialibus Monaſterij Miſericordiæ B. Mariæ Virginis de Deneio.

CARDINALES MORTVI ſub Clemente VI.

Andreas Gini Florentinus Presbyter Cardinalis ſanctæ Suſannæ è vita exceſſit die ij. Iunij anno 1343.

Magiſter Frater Gerardus Domarus Gallus, ordinis Prædicatorum Presbyter Cardinalis ſanctæ Sabinæ die 27. Septembris anno eodem 1343.

Iacobus Caietanus de Stephaneſchis Romanus, Diaconus Cardinalis ſancti Georgij in Velabro anno 1343.

Bertrandus de Montefauentio Gallus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Aquiro anno eodem 1343.

Raymundus de Fargis Gallus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ Nouæ anno 1346.

Neapoleo Vrſinus Romanus, Diaconus Cardinalis ſancti Hadriani, anno 1347.

Gaucellinus de Oſſa, Gallus, Epiſcopus Albanenſis, die 3. Februarij, anno 1348.

Imbertus de Puteo, aliàs de Pontio, Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctorum duodecim Apoſtolorum, die 26. Maij, anno 1348.

Goctius de Arimino, ſeu de Battaglijs, Presbyter Cardinalis ſanctæ Priſcæ, die 10. Iunij, anno 1348.

Petrus Bertrandi ſenior, Gallus, Presbyter Cardinalis ſancti Clementis, die 23. Iunij, anno eodem 1348.

Ioannes Columna Romanus, Diaconus Cardinalis ſancti Angeli 3. Iulij, anno 1348.

Magiſter Frater Dominicus Serrano, Gallus, ordinis beatæ Mariæ de Mercede redemptionis Captiuorum, Presbyter Cardinalis, die 9. Iulij, anno 1348.

Petrus Gomeſij Hiſpanus, Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis 14. Iulij, anno 1348.

Ioannes Raymundi, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ, die 20. Nouembris, anno 1348.

Henricus de Suardia, Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctorum Syluestri, & Martini in montibus, die 7. Martij, anno 1349.

Annibaldus de Ceccano Italus, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus, menſe Iulij, anno 1350.

Petrus de Mortuomari, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis, anno eodem 1350.

Petrus Cyriaci, Gallus, Presbyter Cardinalis ſancti Chryſogoni, anno 1351.

Bertrandus de Porto, aliàs de Podietto, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veluernus, die 3. Februarij, anno 1352.

Ademarus Roberti, Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Anaſtaſiæ, die prima Decembris, anno eodem 1352.

INNO.

INNOCENTIVS VI. PONT. CCI.

ANNO DOMINI MCCCLII.





IN NOMINE DEI, ET SALVATORIS Noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen.

FRANCORVM Rex Clementis VI. morte cognita, Auenionem verſus, quo Pontificem ſuæ factionis creare procuraret, magnis itineribus contēdit. Verùm Cardinales, ne ea res libertati Eccleſiaſticæ officeret, Comitia maturarunt. Anno enim Domini 1352. 7. Idus Decembris nouemdialia Auenione in Eccleſia Cathedrali a Cardinalibus celebrari ſunt cœpta, & xvij. Kalen. Ianuarij, finitis Exequijs, & Miſſa Spiritusſancto cantata, Conclaue ingreſſi ſunt, paratum in Apoſtolico palatio Auenionenſi, pro electione noui Pontificis; qui die altero incluſionis ad xv. Kalend. Ianuarij. 11. vacantis ſedis die, ſcrutinio Romanum Pontificem deſignant Stephanū Alberti filium Lemouicis in Galliæ prouincia Aquitania, mediocri genere ortum, optimæ, honeſtiſſimæq; vitæ, & non mediocris eruditionis fama conſpicuum, qui appellari INNOCENTIVS voluit, fortaſſis quia nemini nocere vellet, immo verò omnibus bonis, & pijs viris prodeſſe.

INNOcentij Electio.

Hic primùm fuit cauſſarum in Romana Curia procurator: deinde cum eſſet Iuris vtriuſque conſultiſſimus, Iudex delectus, poſtea Clericus factus, Epiſcopatum Nouiodunenſem, & paulò poſt Claromontenſem obtinuit. A Clemente VI. Presbyter Cardinalis ſanctorum Ioannis, & Pauli titulo Pammachij, & Maior Pœnitentiarius, demùm Epiſcopus Oſtienſis, & Veliternus creatus, ex eo gradu ad ſummum Sacerdotium aſcendit.

EIVSDEM primordia.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1352. die Dominico infra Octauam Natiuitatis, hoc eſt iv. Kal. Ianuarij. Innocentius VI. Auenione in Eccleſia Cathedrali S. Mariæ de Donis ſuæ Coronationis inſignia ſuſcepit, per manus Gailardi de la Mota Diaconi Cardinalis S. Luciæ in Septiſolio, S.R.E. Archidiaconi, Cardinalibus, Epiſcopis, Clero, & populo adſtantibus. Sedit autem in Petri Cathedra, Carolo IV. Imperatore annos 9. menſes 8. dies 26.

CORONATIO Papæ Innocentij VI.

CARDINALES XXVIII. VIVENTES quando Innocentius Papa VI. creatus eſt.

EPISCOPI CARDINALES VI.

IOANNIS PAPAE XXII.

1. Petrus de Prato, Diœceſis Caturcenſis, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Prænestinus.

CLEMENTIS PAPAE VI.

2. Talairandus Comes Petragoricenſis, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Albanus.
3. Stephanus Alberti Lemouicenſis, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus, Maior Pœnitentiarius.
4. Bertrandus de Deucio, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Sabinus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarius.
5. Guido de Bolonia, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ.
6. Fr. Guilielmus Curti de Diuano, Gallus, monachus, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus.

PRESBYTERI CARDINALES XV.

BENEDICTI PP. XI. DICTI XII.

7. Guillelmus de Aura Gallus, monachus Benedictinus Presbyter Cardinalis ſancti Stephani in Cœlio monte.

CLEMENTIS PAPAE VI.

8. Frater Hugo Rogerij Monſtrius de Malmonte, Lemouicenſis, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Laurentij in Damaſo, Prior Presbyterorum.
9. Aegidius Aluari Carriglius de Albornotio Hiſpanus, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Clementis.
10. Frater Guillelmus de Agrifolio Gallus, monachus Cluniacenſis, Presbyter Cardinalis titulo S. Mariæ Tranſtyberim.
11. Frater Paſtor, Gallus, Prouincialis ordinis Minorum, ex Monaſterio Albenaco, Presb. Card. SS. Petri, & Marcellini.
12. Pictauinus Gallus, Presbyter Cardinalis Baſilicæ ſanctorum duodecim Apoſtolorum.
13. Nicolaus Capoccius Romanus, Presbyter Cardinalis, &c.
14. Petrus Bertrandi, Gallus, S. R. E. Presbyter Cardinalis, &c.
15. Ioannes de Morlādinis, Lemouicenſis Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Sabinæ.
16. Arnaldus Gallus Presbyter Cardinalis ſanctorum duodecim Apoſtolorum.
17. Petrus de Croſſo Gallus Presbyter Cardinalis ſanctorum Sylueſtri, & Martini in montibus.
18. Aegidius Rigaudi Abbas ſancti Dionyſij Gallus Presbyter Cardinalis ſanctæ Praxedis.
19. Stephanus de Gardia Gallus, Presbyter Cardinalis, &c.
20. Frater Elias Gallus, ordinis Minorum, Presbyter Cardinalis ſancti Vitalis.
21. Raymundus de Viſſ, aliàs de Canillac, ordinis ſancti Auguſtini Presbyter Cardinalis ſanctæ Crucis in Hieruſalem.

DIACONI CARDINALES VII.

IOANNIS PAPAE XXII.

22. Gailardus de la Mota, Burdegalenſis, Gallus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Luciæ in Silice, Prior Diaconorum.

CLE-

CLEMENTIS PAPAE VI.

23. Bernardus de Turre, Lemouicenſis, Gallus, Diaconus Cardinalis ſancti Euſtachij.
24. Guillelmus Iudicis Lemouicenſis, Gallus, Diac. Card. ſanctæ Mariæ in Coſmedin.
25. Nicolaus de Reſſa Lemouicenſis, Gallus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in via Lata.
26. Petrus Rogerij Monſtrius de Malmonte, Lemouicenſis, Gallus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ Nouæ.
27. Raynaldus Vrſinus Romanus, Diac. Card. S. Hadriani.
28. Ioannes de Caramagna, Gallus, Diaconus Cardinalis ſancti Georgij in Velabro.

INNOcentij res geſtæ.

RESIDENtiam Prælatis, & alijs curam animarum habentib. iniungit.

Fuit hic Pontifex integerrimæ vitæ, magnæq; conſtantiæ, & grauitatis, grandæuus, & cunctis amabilis, magnus Frācorū Regis amicus; inito Pontificatu, tàm difficili, tàmq; arduo totis viribus operam dedit, vt Romanę aulæ vitia, & illicita quæq; reformaret, multiſq; ſaluberrimis decretis editis, laxiorem curialium, & Cardinalium vitam corrigere conatus eſt *, beneficia Eccleſiaſtica non niſi probatiſſimis * ſacerdotibus, & vita, & doctrina conferebat; Multas reſeruationes * à Clemente factas ſuſpendit: iuſſit omnibus Prælatis, & quibus animarū cura, incubebat, vt ad Eccleſias ſuas * ſub anathematis pœna proficiſcerentur. Maxima enim Prælatorum multitudo rubri pilei ſpe, Auenionem, dimiſſis gregibus, confluxerat: ipſe verò Pontifex oues à ſuis paſtoribus, non à mercenarijs cuſtodiri debere, dicebat, domeſticos ſumptus à Clemente in immenſum, auctos minuit, familiam Pontificiam ad certum, & honeſtum numerum redegit, nec domi voluit niſi viros probatiſſimos habere, & præterea, qui per ambitionem, & Clementis facilitatem clàm irrepſerant, fœdis hominibus inde, vt faceſſerent, conſtituto ſeuero edicto mandauit, publicè in Cōſiſtorio ſubſequente Cardinales acriùs obiurgauit, dictitās, ſuam, ac omnium Eccleſiaſticorum vitam cæteris exemplo eſſe debere, ad imitationem Saluatoris noſtri, cuius tota vita ad inſtitutionem humani generis reſpiciebat. Cardinales quidam iuuenes à Clemente deceſſore ſuo creati, libidini, voluptatibúſq; indulgebant, ciuiumq; Auenionenſium thoros, & fœminarum pudicitiā fœdabant: hac re cognita Innocētius eis grauiter ſuccenſuit ſtercora curiæ eos appellans, ac minatus, ſi quid eiuſmodi in poſterum facerent ſe migraturum in Italiam ad eos ſeueriſſimè coercendos; ſacri Palatij Auditoribus *, quos Rotæ vocant, menſtrua ſalaria conſtituit, ne largitionibus deprauati, in quæſtionibus cognoſcendis deficerent; famelicos enim non facilè ab alieno cibo abſtinere, dicebat, ſi eſſet quouis modo edendi facultas oblata: Et quanquam domeſtico victu frugalis eſſet, in his tamen repetendis, quæ à Tyrannis ſuperioribus temporibus de Eccleſia occupata in Italia fuerant, largiſſimus eſt habitus; Aegidium, namq; Aluari Carrigliun Albornotium Hiſpanum Cardinalem, virum bellica laude inſignem, cum armis militaribus in Italiam ſumma cū poteſtate ablegauit, qui Tyrānos bello perſequeretur, & ferè omnem ditionem Eccleſiaſticam amiſſam recuperaret; Patrimonium à Vico Præfecto, vel Tyranno Viterbienſi occupatum redimeret, eo maximè tempore, quo Imperator, Arragonenſium Rex, & Veneti fœdere iuncti, Genuenſes à Rege Hungariæ ſubleuatos armis vexabant. Quarum ciuitatum Legatos ad ſe accerſens Pontifex, illas componere operam dedit, ſed fruſtra. Nàm populus multis cladibus irritatus bellum paci prætulit, & Pontificis rogata neglexerunt. Genuenſes * inſigni prælio nauali à Venetis ſuperati, viribus ſuis diffiſi, ſe ſuàmque Vrbem Ioanni Vicecomiti dedunt Qui, vt deditirios tueretur, Venetos iterum bello aggreſſus Genuenſium claſſem inſtaurat, qua mari quoque Venetos vexaret Genuenſes pugna cum Venetis in Peloponenſi ad Sapenum promōtorium congreſſi, Venetos ingenti claſſe ſuperant, Nicolaum Piſanum claſſis Ducem, ac quinque hominum millia capta, Genuam perducunt ann. Dom. 1354. Quin verò de Venetis a potentiſſimo Tyranno exagitatis terra, & mari actum videbatur, niſi Archiepiſcopi propera mors cuncta metu ſoluiſſet, Genua ab his deficiens quibus ſe dediderat, ſuadente Aegidio Legato cum Venetis fœdus inijt; Longobardia pacata, Romæ tumultuatum eſt, populus enim Bertoldi Vrſini, & Stephani Columnæ Senatorū arrogātiam ferre non valens, qui frumento extra Vrbem extrahi permiſſo grandem pecuniam confecerant, ad arma, & ſeditiones concitatus in Capitolium irruit. Stephanus per poſticum aufugit, Bertoldus populum ſedare volens, lapidibus ab immani plebe obruitur: populus Romanus, donarijs, & pecunia multarum Europæ gentium diues ſub Clemente factus viros nobiles non ferebat, Columnas, Vrſinos, & Sabellos, immò aduerſus eos pugnare auſus eſt: Bertoldi morte nobiles territi populum ſine capite relinquunt: Interregni occaſionem captans Franciſcus quidam Barōcellus * Scrobaſio natus, infimæ ſortis homo, à nullo enim olim obſeruatus is fuerat, cæterum audax, & manu ſtrenuus popularium fauore ſubleuatus, Tribunitiam poteſtatem occupat, pulſis Senatoria dignitate Ioanne Vrſino, & Petro Columnenſi, hiſque titulis vtitur *Franciſcus Baroncellus Dei gratia almæ Vrbis Tribunus Secundus, ac Romanus Conſul*, qui ingenio præſtans, omnem ſibi ciuium amorem dexteritate, & prudentia conciliauit: populi enim Concilium delegit, ad quòd cuncta referebat, &

GENVENſes in nauali prælio à Venetis ſuperati.

GENVENſes inſtaurata claſſe Venetos ſuperant.

PAX inter Venetos, & Genuenſes ſancita.

POPVLVS Rom. aduerſus Senatores.

FRANciſcus Baroncellus Tribunitiā poteſtatē occupat.

SACRI Palatij reformatio in iudicibus.

CARDInales corrupti.

ROTAE Auditoribus ſtipēdia tribuit.

de quorum corpore magiſtratus ſorte cunctos creabat, iuſtitiæ plurimum vacans, pecunias publicas per Quæſtores ſorte creatos adminiſtrauit, & populum inter factiones diuiſum ad Reipublicæ amorem accendit. Tum verò Innocentius Pontifex, recognita, ad comprimendam hominis audaciam Nicolaum Rentij *, qui eodem modo dominatum appetierat, è carcere Auenionenſi eductum, Romā mittit ad Tribunatum repetendum: is itaque Vrbem ingreſſus adiuuante nobilitate, ac magna plebis parte, Baroncellum è Capitolio deiectum interficit, ac ſolus Tribunatu potitur. Verum cum non ita diu, priſtinæ conditionis immemor, nobilitatem perſequeretur, maximè verò Columnenſes à porta Exquilina in Hernicos cum clientela proficiſcentes, magno incommodo pulſus, in Capitolium ſe recipit, vnde fugiens, inſtantibus hoſtibus, mutata veſte, cognitus à ciuibus Romanis obtruncatur. Vterque igitur Tribunus volentibus Superis miſerrimo fato ſublatus eſt, & Senatoria dignitas per hunc modum reſtituta, redditaque nobiliſſimis ciuibus, quibus adempta fuerat.

FRANciſcus Baroncellus à Nicolao occiditur, Tribunatúque potitur.

NICOlaus Tribunus interficitur.

Interim in Oriente Calo Ioannes Conſtantinopolitanus Imperator in patriam redijt, pulſo armis Cantacuzeno, Imperij contra ius, faſq; occupatore anno 1357. Ioannes VII. itaque Palæologus, Andronici Iunioris filius, imperauit annos 27.

Turbatus Italicis rebus Carolus IV. Imperator * deſignatus, à Pontifice accitus, vt Eccleſiæ quaſſatæ opem ferret, pro coronatione Romanum iter ingreſſus in Lombardiam venit, & Mediolanum profectus in Baſilica S. Ioannis Baptiſtæ Italici Regni diadema viij. Idus Ianuarij die Epiphaniæ, ineunte anno Domini 1355. à Roberto Vicecomite Mediolanenſi Archiepiſcopo ſuſcepit, inde Romam veniens diademate Imperiali eodem anno nonis Aprilis in Baſilica Vaticana coronatur, à duobus Apoſtolicæ Sedis Legatis, Bertrando Epiſcopo Cardinale Oſtienſe * ob eam rem miſſo, & Aegidio veteri Italiæ Legato; hac conditione, vt neque Romæ, nec in Italia diutiùs immoraretur.

CAROlus IV. à Pontifice accit. Mediolani Italiæ Rex coronatur Romam veniens à Legatis Apoſtolicis coronatur Imperat.

Quo quidem in Germaniam abeunte, Aegidius Legatus * omnia ferè oppida breui recepit, quæ Tyranni, inſtigante Ludouico Bauaro, in Flaminia, quæ Romandiola vocatur, in Marchia Anconitana, in Patrimonio S. Petri occupauerant, eos tamen Vicarios in oppidis ſuis confirmauit, quos viderat Romanæ Eccleſiæ obſequentes. Aegidius autem pacata Flaminia, adeò Forolivij delectatus eſt, vt ærarium Eccleſiæ, & pecuniam Auenione miſſam, vnde arces Italiæ ædificarentur, eo loci repoſuerit, & Conſtitutiones quaſdam ibi compoſuerit, quibus adhuc prouincia ipſa vtitur. Cum autem Aegidius Italiam pacaſſet, arcéſque in ditione Eccleſiaſtica plures, ac pernecessarias ædificaſſet, omnéſq; Italos Principes, & populos ad officium redegiſſet. ad annum quintum legationis ſuæ ſucceſſorem habuit, Arduinum Burgundum Abbatem Ciſtercienſem, hominem rebus agendis, nequaquam idoneum. Hanc ob rem, abeunte Aegidio, omnes Italiæ Principes, ac populi arma capiunt.

AEGIdius Legatus abeunte Carolo in Germaniam Roman. Eccl. oppida à Bauaro occupata recepit.

Tumultuantium in ciuitate Romana in creādis Senatoribus, quam diſcordiam Innocētius optimè ſedauit, externo Senatore ad Vrbem miſſo Ptolemæo ciue Senenſi, qui annum integrum 1359. magiſtratum geſſit. Non quieuere, compoſitis hoc modo rebus, Romani, nam pulſo Senatore ſeptem ciues creantur cum ſumma poteſtate, quos Reformatores totius Reipublicæ vocarunt. Hanc ob rem Innocentius Hugonem Luſignanum Cypri Regem, Senatorem creauit, mandauitq; vt magiſtratum Reformatorum omnino aboleret.

DISSIDIA in eligendis Senatoribus.

Verùm cum Angli in Pictienſi agro Gallos ſuperaſſent, cępiſſentque Regē cum Philippo filio, Eduardus magnitudine animi motus captiuos omnes hac conditione liberat, ne amplius contra ſe bella gerant. Qui non ita multò poſt pacis fœdera rumpentes, Eduardum capere arma, & obſidere Pariſios impellunt. Nec ſeditionibus inteſtinis Veneti carebant, nam Marinus Dux affectatæ Tyrannidis * conuictus, ſecuri percutitur.

ANGLI Gallos ſuperant.

Non multò poſt Templum Lateranenſe caſu fortuito incenditur *, neſcitur tamen quid obſtiterit, quominus Innocentij iuſſu reficeretur, nam ad Vrbanum Quintum ſcribit Petrarcha a, Lateranum adhuc iacere *, & Eccleſiarum omnium matrem tecto carere. Plurimis verò è Collegio Cardinalium peſte extinctis, quoſdam eis ſuffecit, omnes quidem Ciſalpinos, & in his fratris, ſororiſue filium Epiſcopum Carcaſſonenſem; nam de cæteris quidem Innocentij conſanguineis nemo ſcripſit.

LATERAnenſe Templum fortuito incēditur.

a lib. 7. Senil.

Iterum plebs Romana claros ciues expulerat, ac ſe, reſq; ſuas commiſerat fidei Lælij Bonadotæ ſutoris, poſtea ad ſe rediens, adminiſtrationem liberam Vrbis, ac Reipublicæ Pontifici Romano tradendam exiſtimauit, ac re vera tradidit, ea lege, ne Aegidius Hiſpanus aliquam in eos poteſtatem haberet.

ROMAni tandem ſe tradiderūt Pōtifici.

Petrarcham magicis * artibus deditum eſſe Pontifex Innocentius crediderat; idque ei delator Iure conſultiſſimus ante Pontificatum perſuaſerat: ſed mortuo delatore illo, reperit Innocentius, falſum eſſe crimen, quód viro doctiſſimo obijciebatur; itaque Petrarcham, qui tum in Italia erat, donis, ac præcibus rogauit, vt Scriba Pontificis fieri vellet, is ſe excuſare maluit ſenectutis cauſſa, quàm Auenionem redire, idque Epiſtola ad Talairandum Albanenſem * Epiſcopum continetur.


PETRARcha magicis artibus calumnioſe accuſatus innocens agnoſcitur.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1362. pridie Idus Septembris hora 9. id eſt ſexta noctis ſequentis Auenione in palatio Apoſtolico,

OBITVS Innocentij Papæ VI.

tantis animi perturbationibus afflictatus, Innocentius obijt, Pontificatus ſui anno 9. menſe 8. die verò 23. * corpus eius ſepultum eſt in Eccleſia Cathedrali Aueniouenſi ſanctæ Mariæ de Donis, poſtea ad Monaſterium Carthuſianorum, à ſe apud Villamnouam, magnis ſumptibus conditum, tranſlatum eſt. Vacauit ſancta Romana ſedes menſem vnum, dies 26. Inſtante Pontificis morte, tanta Solis defectio facta eſt, quanta nunquam antea, mortis tanti Pontificis, planetas etiam ſigna aliqua dediſſe, à multis exiſtimatum.

Signum PP.



Innocen. VI.

ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

¶ 1352. ...... *xv. Kalend. Ianuarij.*] Ea die, Stephanus Alberti à 24. Cardinalibus Aueniione in Pontificem, Innocentius VI. electus fuit, Panuinius in Chronico at Platina, xvj. kalen. Decemb. eum in Pontificiam euectum ſedem affirmat.

* *Optima, integerrimaque vita.*] *Vir integerrima vita, magnaque conſtantia, & ſeueritatis.* Platina: egregiam tribuit illi laudem Card. Aegidius Viterbienſis cuius verba placebunt decies etiā repetita. *Innocentius VI. creatus eſt Pontifex; atq; in hoc ipſo exilio, tanquam in certamine virtutis, & probitatis vt Clement Benedicto liberalitate, ita Innocentius Clemente ſeueritate maior eſt habitus. fuit hic vtriuſque Iuris conſultiſſimus, vita incorrupta, integerrimaque, neminem ornauit vnquam, niſi qui omnium ſpectatiſſimus eſſet, & haberetur. Vir bonus, amator Religioſorum.* Genebrardus lib. 4. Chronic. (Io hiſt. 10. ſæcul.)

* *Iuris conſultiſſimus.*] *Pontificij, Ciuiliſque iuriſ cōſultiſſimus,* Platina, eadem Card. Aegidius Viterb. in allato teſtimonio. *Canoniſta maximus.* Trithemius in Chron. Hirſaug. Genebrardus l. cit.

* *xiij. Kalen. Ianuar.*] *xij. Kalend. Ianuar.* Panuinius in Chron.

* *Curialium .... vitam corrigere viſus.*] Familiam ſuam ad certum numerum redegit, nec niſi probatiſſimos viros domi habere voluit; vt idem Cardinales efficerent, acri iuſſit edicto, dicebat enim, ſua, & Eccleſiaſticorum omnium vitam alijs exemplo eſſe, debere: Ex Platina. cogitabat ſanctiſſimus Pontifex dictum illud Diuinum: *Vos eſtis ſal terra: quod ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur? Vos eſtis lux mundi,* Card. Aegidius a Platina non diſſentiens: *Minuit,* inquit, *impenſam, & familiam, in quam non niſi probatiſſimum aſciri poſſe voluit. idem edictum propoſuit Senatui, & Patribus, vti ſinceritatis, modeſtiæ, virtutiſque omnes exemplum eſſent populis, vt dignitatibus, opibuſque non abuti, ſed illis modeſtiſſime fungi, his ſanctiſſimè, & in pauperes liberaliſſimè vti viderentur.* (Loc. cit.)

* *Beneficia Eccleſiaſtica non niſi probatiſſimis.*] Ex Platina. Si Card. Aegidium legiſſet Ciaconius, ex illo quæ ſubijcio, non prætermiſiſſet *Vnus ſtatuit,* Innocentius VI. *vt nō quā diues, aut quam nobilis, ſed quàm eruditus, quàm ſtudioſus quis eſſet, ratio haberetur: homines ad ſacra admittendos, non de cenſu, vel ſtemmate, ſed de virtute, & pietate cenſeri; oportere, rerum humanarum contemptores recipi, cupidos expelli: quibus Chriſti, & Apoſtolorum vita cordi eſſet, iis Eccleſiarum curam credendam: contrà, quas opes, luxuſque delectant, hos arcendos eſſe à Diuinis adminiſtrandis: Apoſtoli regulam propoſuit, qui non laborat, non manducet: qui non abſtinet à lucris, atque illicitis, ne Eccleſiarum cenſus accipiat; neque decere, mitiorem eſſe Sapho Poetriam Sacerdotibus, Epiſcopiſq; quæ (Tryphone Grammatico teſte) ſcripſit verſum, vbi iuſtitia formulam, mira feſtiuitate, complexa eſt? Nec mihi mel, nec Apis, qui Apis morſus refugit. mel ij, qui non refugiunt, relinquat.*

* *Multas reſeruationes.*] Ex Platina. De eadem re Cardinalis Aegidius hæc *Clemens mitior fortaſſe, quam par eſſet, quas reſeruationes vocant, pleriſque concesserat, Innocentius qui non hominibus, ſed Eccleſijs conſultum eſſe volebat, ſuſpendit, oues dictitans, à Paſtore, non à mercenario, cuſtodiri oportere.*

* *Iuſſit Prælatis ...... vt ad Eccleſias ſuas.*] Platina: *Conſtituit, vt omnes Prælati, omneſque qui beneficia habebant, ad Eccleſias ſuas, ſub anathematis pœna proficiſcerentur.* Cognita ei, & cordi erat Paſtorum ſpiritalium obligatio; ſciebat, diuino iure præceptum ijs eſſe, ne à grege credito diſcedant, vt eum paſcant, regant, medicina ſpiritali iuuent, à lupis tueantur. *Paſce oues meas,* a Chriſto dictum Petro; at non paſcit oues, qui abeſt, & alia curat. Chriſtus bonos Paſtores requirit: Paſtor bonus gregem non deſerit; animam ſuam dat pro ouibus ſuis: mercenarius eſt, non Paſtor, qui dimittit oues: Epiſcopū ſuperintendentē interpretatur S. Auguſtinus, vt intelligat, ait, non ſe eſſe Epiſcopum, qui præeſſe dilexerit, non prodeſſe. (Io. XXI.) (Io. X. Lib. c. 19. de Ciuit. Dei.) Quid D. Petrus Paſtor Maximus? Quid Doctor Gentium Paulus? quid Iſaias, quid Ezechiel? Petrus: *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei. .... ſpontanee, ſecundum Deum; non turpis lucri gratia, ſed voluntariè, neque vt dominantes in Cleris ſed forma facti gregis ex animo.* (1. Pet. 5.) Paulus: *Attendite vobis, & vniuerſo gregi; in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* (Act. 20.) Iſaias: *Super muros tuos Ieruſalem conſtitui cuſtodes, tota die, & tota nocte in perpetuum non tacebunt.* (Cap. 62.) Ezechiel: *Fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſrael, & audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me.* (Cap. 3.) Paſtoralia munera ab ijs præſtari non poſſe, ait Conciliū Tridētinū, qui gregi ſuo non inuigilāt, neque aſſiſtunt; ſed deſerunt, vt mercenarij facere conſueuerunt; diuinòq; præcepto omnibus animarū curatoribus mandatū eſſe, ait, oues ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre, verbi Dei prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, bonorum omnium operum exemplo paſcere, pauperum aliarūmque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere; ſtatuit etiam non reſidentes fructus ſuos non facere. (Seſſ. 23. c. 1. de Reformat.)

* *Auditoribus, quos Rotæ vocant.*] *Sacri Palatij Auditoribus ſalaria inſtituit.* Platina, Card. Aegidius Viterb. *Cauſarum Auditoribus dedit præmia, ne, in iure dicundo, cauſas non iudicare, ſed vendere potius cogerentur.*

* *Genuenſes.*] De bello inter Venetos, & Genuenſes Platina, in Innocentius VI.

* *Franciſcus Baroncelius.*] Ex Platina hoc mutuauit Ciaconius. De eadem re Card. Aegidius Viterbien.

* *Nicolaum Reutij .... Romam mittit.*] Nicolaus, cum Aegidio Albornotio, Cardinale Legato, Aueniione in Italiam venit, & Viterbij obſidioni interfuit, Romam à nonnullis cum accerſeretur, gloriæ cupidus, Legatum conuenit, Senatoriſque Romani dignitatem ab eo petijt, & alſequutus eſt: ea autem pro Pontifice fungi volebat, & viam Legato ſternere: milites conſcripſit, ijs ſeptus ad Vrbem acceſſit, in eaq; perhonorificè exceptus fuit; vt in Clemente VI. diximus: pollebat conſilio, eloquentia, militari peritia. De illius morte actum in Clemente VI. (Auſtorvi. tæ Nic. c. 20.) (Cap. 21.)

* *Carolus IV Imperator.*] Anno 1355. coronatus fuit; vt cōſtat ex literis Innocentij, & ipſius Caroli; quas t. 14. Annal. Eccleſ. refert Bzouius: coronationi iuſiurandum præmiſit, ex formula præſcripta à Bzouio recenſita. Die Cœnæ Domini, eodem anno, emenſito peregrini cultu, Vrbem ingreſſus nonnullas ſacras Aedes in Vrbe, & extra, pedes inuiſit; Sabbatho, ſub Veſperas, ad caſtra redijt, die ſequenti, Chriſti Reſurrectioni ſacro, nobili pompa ad Vaticanum acceſſit. (Ad anno 1355.)

* *Bertrando Epiſcopo Card. Oſtien.*] Innocentius VI. litteris ad Carolum IV. datis, quas Senis ab ipſo Petro Bertrandi Epiſcopo Oſtienſi accepit, Aegidium Albornotium Card. Legatum, Petrum autem Epiſcopum Oſtienſem Nuncium ſedis Apoſtolicæ nominat. Panuinius, à quo Ciaconius, Petrum hunc Bertrandum à Clem. VI. anno 1350. Presbyterum Cardinalem, ab Innocen. autem VI. anno 1361. Epiſcopum Oſtienſem creatum narrat; Altiſiodorenſemque Epiſcopum vocat, Niuernenſem, deinde Atrebatenſem Gaulterius adijciens ab Innocentio VI. Pallio decoratum. (In Epiſ.)

* *Aegidius Legatus.*] De viro hoc præſtantiſſimo pauca etiam Sigonius, De Epiſcopis Bononien. ad annum 1360. quo anno Bononiam Eccleſiæ Romanæ acquiſiuit, & Carrocio à Bononienſibus obuiam miſſo, ab iiſdem occurrentibus perhonorificè acceptus, Vrbis, Eccleſiæ nomine, poſſeſſione potitus eſt, eamque multis annis rectiſſimè gubernauit. Vide Sigonium loc. cit. Literæ, quibus exprimitur facultas ab Innocētio VI. Aegidio Albornotio Legato tradita, extant t. 1. Bull. in ijs Innocentio Aegidiū Legatum ſuum, & Romanæ Eccleſiæ Vicarium in temporalibus, in nonnullis Prouincijs, reformatorem, paciſque ac Prouinciarum conſeruatorem dicit. Dat. Apud Villamnouam, Auenion. Diœceſ. ij. Kal. Iunij, Pontif. anno I. (In Tab. Chron.)

* *Marinus Dux affectata tyrannidis.*] ex Platina in Innoc. VI. De ſcelere, & ſupplicio Falerij Ducis, in marmorea atrij ſcala ſecuri obtruncati, Pet. Marcellus, & P. Iuſtinianus l. 4. occubuiſſet, vel ſaltim elanguiſſet ſereniſſimæ, & Dei auſpicijs bene fundatæ Venetorum Reip. libertas, niſi Diuina eadem Reip. propitia prouidentia, nefarij hominis deteſtandum facinus à Beltrando vno ex coniurationis principibus detectum fuiſſet. Ad quadringentos, & eò amplius impij ſceleris ſocij, octo dierum ſpatio, conuicti feruntur, ex quibus alij interfecti, alij acti in exilium: Falerij imago, ad eius memoriam penitùs abolendam, publico decreto, ex comitio ſublata fuit. Iuſtinianus loco citato. (Hiſt. Venet.)

* *Templum Lateran. ...... incenditur.*] Panuinius lib. 1. cap. 7. De Baſilica Lateranen. M. S. agit. de incendio; quo inſignis Baſilica, Clemente V. Aueniione degente, deflagrauit, at de hoc nihil.

* *Petrarcha Lateranum ..... iacere.*] Verba Petrarchæ, lib. 7. Senilium, affero. *Sed quo animo (da quæſo miſericors Pater temerariæ deuotioni meæ veniam) quo, inquam, animo tu ad ripam Rhodani, ſub auratis tectorum laquearibus ſomnum capis, & Lateranum humi iacet, & Eccleſiarum Mater omnium tecto carens, & ventis patet, ac pluuijs, & Petri, ac Pauli ſanctiſſimæ Domus tremunt, & Apoſtolorū, quæ nunc ædes fuerat, iam ruina eſt, informiſq;*

Lapidum,

lapidum acerrimus lapides quoque pectoribus ſuſpiria extorquens?

A * *Barnabi*] Barnabouem legunt Sigonius, Platina, Card. Viterbienſis, Sepulueda. Narratio non benè cohæret; facta eſt typographi, vt reor, incuria, verſum traiectio. Barnabos victus à Legato, cuiuſque exercitus penè deletus anno 1361. xij. Kal. Iulij, primo à Bononienſi vrbe lapide, ad S. Roffilli Aedem: ciues ad lætitiam, & victoriæ memoriam indicandam, in eum diem æquorum curſum inſtituerunt.

Sigon. l. 5. De Epiſc. Bon. in lo. de Nato.

* *Petrarcha magicus.*] Chriſtianam pietatem Petrarchæ ex multis, iiſque præclaris præſtantis eius ingenij monumentis agnoſco: quam etiam Teſtamentum ab eo, benè valente, Patauij anno 1370. Prid. non. Aprilis conditum redolet: laudat virum eruditum, & pium eruditiſſimus, & religioſiſſimus Card. Bellarminus eumque piè, & ſanctè compedem mortalitatis reliquiſſe, teſtatur.

De Script. Eccleſ.

* *Epiſtola ad Talas. Albanen.*] Ea eſt tertia lib. 1. Senilium. Talairandus autem, non Talarandus, ibi, appellatur, & Eccleſiæ decus: lib. 7. Senilium Talaranus, Lucidum Eccleſiæ Sidus, & vir oculatiſſimus. Epiſtola quarta ad Io. Boccaſium diſſerit de morientium vaticinio. B

* *Pontificatus annos 9. menſes 8. dies 23.*] Panuinius in Chron. & Sanderus annos ..... menſes dies 26. Platina, & Genebrardus annos ..... menſes ..... dies ſex.

* *Vacat ſedes menſ. vnum, dies 26.*] Panuinius loco cit. dies 14. Genebrardus annum vnum, menſes tres.

In Templo Carthuſianorum Villænoue ſecus Auenionem, in membranacenſi tabella (Soaretio mihi teſte) hoc Epitaphium Innocentij VI. m. s. extabat.

HIC. IACET. BEATISSIMVS. PAPA. INNOC. VI. PRIMVS FVNDATOR. HVIVS. DOMVS. QVI. OBIIT. A. MCCCLXII. DIE. VERO. XII. MENSIS. SEPTEMBRIS. CVIVS. ANIMA. IN. PACE. REQVIESCAT. AMEN. C

* *Deucio.*] Lege, *Demtio* ..... *Ebredunen. Epiſcopus.*] Lege *Ebredunen. Archiepiſcopus.*

Inter Francorum, & Anglorum Reges ab Innoc. VI. ſancita pax. Vide, Polydorum Virgil. lib. 19. Hiſtor. Angl. P. Aemilium lib. 9. Genebrardum lib. 4. Chronograph.

Lanceæ, & Clauorum, quibus Chriſtus Dominus transfixus, Feſtum ab Innoc. VI. inſtitutum, affirmant nonnulli, calumniam Mornæi diluit, infligitque Gretſerus, cap. 60. Exam. Myſter. Pleſſ. Quemadmodum Dominicæ Crucis celebritates ſapientiſſimè inſtitutæ fuerunt; ſic Lanceæ, & Clauorum feſtiuitas rectè potuit inſtitui: ſanctitatem ex Dominici corporis contactu hauſerunt inſtrumenta paſſionis; religio, cultus, honor non quieſcit in inſtrumentis, ſed ad D prototypon, Chriſtum ſcilicet ipſum, refertur, ac tranſit. Beneficiorum Chriſti ſollemnitatibus memoriam illi ſacramus, ne temporis decurſu ingrata ſubrepat obliuio; beneficia autem eius cum recolimus, ipſum, qui ea in nos contulit, veneramur.

V. D. Aug. l. 5. ca. 4. de Ciuit. Dei.

Innocentio VI. Pontifice, anno 1360. Pragenſis, anno 1361. Cracouienſis Vniuerſitas inſtituta. Middendorpius lib. 3. Academ. Gaulterius in Tab. Chronog. ſect. 14.

Laudauit Innocentius Bononienſe Gymnaſium; ſtatuitq; vt in illo Theologicæ facultates myſteria perpetuis temporibus explicentur, & magiſtri in eadem facultate conſtituantur. *Quaſi lignum, &c.* Apud Villamnouam Auen. Dioec. xj. Kal. Iulij Pontif. anno VIII.

To. 1. Bull. Lu. 19.

Eodem in Apoſtolico ſolio ſedente, Anglorum Rex Eduardus, quinquaginta annos natus, ætatis, vt ita dicam, Iubilæum peregit; exules nonnullos ad lares patrios redire, permiſit, aperuit carceres, maleficiorum pœnas condonauit, populum non vulgaribus immunitatibus affecit, magnáſque chartas liberali animo et denuò conceſſit, Polydorus Virg. in Hiſt. Angl. E

An. 1352.

Lib. 19.

Innocentius VI. Aymericũ Chatti Lemouicenſem Pontificium Bononiæ Quæſtorem Bononiẽſem creauit Epiſcopum, anno 1361. qui, die Omnium Sanctorum ſollemnem in eam Vrbem, æquo vectus ſub vmbella purpurea, obiuit ingreſſum: anno octauo, cum ius Theologiæ profitendæ in celebri eiuſdem Ciuitatis Gymnaſio, & Theologorum creandorum indulſiſſet, ſtatuit, vt donandi Theologica laurea Bononienſem Antiſtitem, vel eius ad id delectum Vicegerentem, in interregno autem vacantis illius Eccleſiæ, generalem Collegij Canonicorum Vicarium adeant, Vide, Conſtitut. *Quaſi lignum*, cuius partem refert Sigonius loc. cit. in Aymerico; cui deinde Carolus IV. Imper. Friderici Auguſt. priuilegium firmans, Bononienſem Præſulem ſacri Imperij Principem appellauit. F

Sigon. l. 5. de Epiſc. Bono.

T. 1. Bull.

Sigon. l. c.

Io. Vvicleffus Hæreſiarcha, quia Vigorienſem Epiſcopatum adipiſci non potuerat, peſtilentium dogmatũ venena vomere cœpit in Anglia. Vide Aeneã Syluiũ Hiſt. Boem. Concilium Conſtantien. 45. eius articulos damnauit, eos refert etiam Gaulterius in Tab. Chron. Vide Genebrardum loc. cit. Prateolum, Vvaldenſem: erat Vvicleffus ſacerdos Anglus, artium Magiſter, ingenio, & eloquentia præditus: ſed hac, & illo abuſus eſt.

Cap. 15. Seſſion. 8.

Bartolum Saxoferratenſem, magni nominis Iureconſultum anno 1355. ætatis 56. Palm. vel 46. vt alij dicunt, è viuis migraſſe, proditum eſt. Genebr. loc. cit.

A

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI SOCIETATIS IESV.

SVBLATO Clemente, Conclaue ingreſſi Cardinales dum vnà de creando nouo Pontifice vota conferrent, tantoque muneri vir inſignis probitate admouendus quæreretur, illatam de Ioanne Birellio, qui Carthuſianis præerat, ac tum magna ſanctitatis opinione florebat, vt Pontificatu ſummo digniſſimo mentionem, refert Carthuſienſium hiſtoria, ſed Talayrandum Cardinalem veritum ne is luxum omnem in Cardinalibus pia aſperitate reſecaret, obſtitiſſe: quare Cardinales in aliam abiere ſententiam, vt è Cardinalium cœtu Pontificem deligerent, ac priuati commodi illecebra deliniti ad Cardinalitiam augendam maieſtatem Pontificiæ detrimento conſpirarunt, plures leges in ſua commoda vertendas pacti, quas renunciandus ab ipſis Pontifex ſacramento confirmaret. Eæ verò conceptæ B erant his verbis. *Deliberatione plena habita pro bono publico concordans omnes Domini Cardinales, nemine diſcrepante, in primis, quod ſummus Pontifex, Domino prouidente creãdus, nullo vnquam tempore ex quauis cauſa procedat ad creationem Cardinalium, niſi ſecundum modum, & formam inferius denotatos; videlicet, quod non creet, ſeu faciat aliquos Cardinales, donec numerus Cardinalium venerit ad numerum ſexdecim Cardinalium, alijs, qui eſſent ſupra numerum ſexdecim, de medio iam ſublatis; & tunc aſſumat ſi ei videbitur, tot quot aſcendant ad plus, vſque ad numerum viginti, & non vltra prædictis ſexdecim, aut paucioribus, ſi forte tunc ſupereſſent, in viceno numero computatis. Quos quidem Cardinales per Papam creandos ipſe creare, & ordinare habeat de omnium Cardinalium tunc ſuper exiſtentium, ſeu duarum partium eorundem conſilio, & conſenſu, hoc tamen ſaluo, quod extante numero,* C *qui nunc eſt, vel forſitan pauciore, aſſumat Papa ſi voluerit duos Cardinales de conſilio omnium Fratrum, ſeu maioris partis eorum. Item, quod Papa non procedat ad depoſitionem, ſeu perſonæ captionem alicuius Cardinalis ſine conſilio, & conſenſu omnium Fratrum nemine diſcrepante, nec ad excommunicationem, vel aliam cenſuram Eccleſiaſticam, ſeu ſuſpenſionem vocis, vel conſiſtorij, ſeu portationis capelli, nec ad priuationem, nec etiam ad ſuſpenſionem beneficiorum ipſorum Cardinalium ſine conſenſu omnium Fratrum, aut duarum partium eorundem. Item, quod Papa nullo modo ponat manum in bonis quorumcunque Cardinalium, eis viuentibus, vel defunctis.*

Cardinales de Ioanne Birellio creãdo Pontifice agitãt Oder. Raynald. in Annal. Eccleſiaſtic.

Cardinales in Cõclaui ad ſua augẽda conſpirant.

Item, quod Papa Prouincias, Ciuitates, Caſtra, aut Terras alias Eccleſiæ Romanæ non alienet, aut in feudum, vel emphyteuſim, aut ſub certo cenſu concedat, & vbi alienationem, ſeu conceſſionem prædictas iuſta, & rationabilis cauſa fieri expediret, de conſilio, & con- D *ſenſu omnium Fratrum, ſeu duarum partium eorum ad prædicta procedat. Item, quod Collegium Cardinalium percipere, & habere debeat iure ſuo medietatem omnium fructuum, redituum, prouentuum, mulctarum, condemnationum, cenſuum, & omnium aliorum obuentionum, & emolumentorum ad Eccleſiam Romanam ſpectantium in quibuſuis Prouincijs, ac Terris, & locis Romanæ Eccleſiæ, prout in Priuilegio felicis Recordationis Nicolai Papæ IV. ſuper hoc plenius continetur. Item, quòd tam in Romana Curia, quàm in Terris, & Prouincijs Romanæ Eccleſiæ Officiales in temporalitate maiores, de conſilio, & conſenſu Cardinalium omnium, ſeu maioris partis ipſorum inſtituantur, & deſtituantur, prout in dicto Priuilegio, ſeu Conſtitutione præfati Domini Nicolai Papæ IV. noſcitur apparere. Item, quod ad officium Mareſcalli Romanæ Curiæ, & Rectorum Terrarum, ſeu Prouinciarum Romanæ Eccleſiæ nullus de conſanguinitate, vel affinitate Romani Pontificis aſſumatur.*

E *Item, quod ſummus Pontifex nulli Regi, vel Principi, ſeu cuius alij in Regnis, Prouincijs, ſeu Terris eorum concedat Decimas, nec Tertias decimarum, ſeu ſubſidia alia. Nec etiam Cameræ ſuæ reſeruabit ſine conſilio, & conſenſu omnium Fratrum, vel ſaltem duarum partium eorundem, & iuſte cauſa iuſta, & rationabili ſuadente.*

Item, quod Papa non impediat quin omnes, & ſinguli Cardinales in conſulendo, & conſentiendo liberum habeant arbitrium in agendis.

Item, quod omnes Domini Cardinales, qui hodie ſuperſunt, iurare habeant, quod ille ex dictis Cardinalibus, qui ad Papatum præſtante Domino aſſumetur, prædicta diligenter, & inuiolabiliter obſeruabit; & nihilominus ille, qui ad Papatum aſſumetur, ſiue Car- F *dinalis, ſiue alius aſſumptus fuerit, & a Cardinalibus receptus, eadem die omnia, & ſingula ſupradicta profiteatur fideliter obſeruare, & ratam habere præſtito iuramento.*

Item, quod ſi aliquod dubium occurrerit, vel inciderit, vel Papæ videbitur in prædictis, Dominus Papa cum conſilio, & conſenſu ſaltem duarum partium Cardinalium habeat declarare.

Sãcitas has pactiones ſe ſeruaturos Cardinaliũ aliqui nullo adhibito diſcrimine, ſacramẽto ſpopondere, alij hypotheſim ſi iure niterentur, iureiurando adiunxerunt. Et ſtatim electionẽ noui Pontificis maturarunt, Stephanũ Albertũ Epiſcopũ Oſtienſem ad Apoſtolicũ ſolium euehentes; de quo hæc habet m. s. Vaticanum. *Electus eſt in Papam per Cardinales anno Domini 1352. die Martis, 18. Decembris hora tertiarum Innocentius VI. & coronatus die penulti-*

Innocẽt. VI. electio.

ma dicti menſis Auenione in Apoſtolico Palatio. Ex quibus corrigendi Albertus Argentinenſis, & Ciaconius, dum die Epiphaniæ ſacro primus, alter die 29. Decembris tiara Pontificia redimitum Innocentium affirmant; pariterque emendandus apud Boſquetum Anonymus auctor, qui 23. die Decembris, & Vincentius Maria Cimarellus, qui in hiſtoria Vrbini anno 1355. eam pompam celebratam ſcribit.

Literas ſcribit. — Felix Cõtelor. in ***. Elecho.

Suſceptis Eccleſiæ Catholicæ gubernaculis Innocentius poſtridie eius diei, quo Pontificias Infulas de more accepit, Orbis vniuerſi Archiepiſcopos, & Epiſcopos de Clementis VI. obitu, ac Pontificatu ſibi delato his literis certiores fecit.

INNOCENTIVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Rhemenſi, eiuſque Suffraganeis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Prædicator egregius, qui Vas Electionis factus eſt à Domino, altitudinem ſapientiæ, & ſcientiæ Dei cum ſtupore conſiderãs, quam incomprehenſibilia ſunt, inquit, iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius; probat hoc quotidianorum euentuum ſucceſſio varia, probat rerum ipſa diuerſitas, & accidentium caſuum contrarietas manifeſtat, quorum myſteria mens nequit humana comprehendere, ratio inueſtigare non ſufficit, & ad contemplationem quorum obſitus caligine mortalis oculus non attingit: probat hoc etiam Noſtræ infirmitatis humilitas, per quam, dum nullis ſuffragantibus meritis ad faſtigium Apoſtolicæ dignitatis euehitur, quid aliud indicatur, niſi quòd occulto Nobis Dei iudicio agitur, vt plerunque promoueatur immeritus, & quandoque aſſumatur indignus. Nuper ſi quidem felicis Recordationis Clemente Papa Sexto Prædeceſſore Noſtro è la vita ſucceſſa, in Domino quieſcente, & ipſius funeralibus Exequijs cum honorificentia debita celebratis, Nobiſque vnà cum Fratribus Noſtris S. R. E. Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, tempore debito conuenientibus inuicem in Palatio Apoſtolico Auenionenſi, in quo idem Prædeceſſor tempore ſui obitus habitabat, pro futuri electione Paſtoris, tandem poſt dies aliquot licet paucos, ille Pontifex ſummus Summus, qui eandem Eccleſiam ſponſam ſuam proprij cruoris aſperſione fundauit, & ſupra petram fidei in ex naſcentis erexit, illamque ſoliditate firmauit, vt nullis impulſionibus quateretur, diatina vacationis ipſius Eccleſiæ diſpendia reſecans, in eum ſua munera contulit, in quo meritorum ſuffragia non inuenit, & eorundem Fratrum corda informans, & dirigens ſic afflauit, vt in imbecillitatem Noſtram, quanquam eſſent plures, in quos concurrere potuiſſent, vt credimus, conſultius, & vtilius, conuenirẽt, Noſque tunc Epiſcopum Oſtienſem, cuius ad tanta dignitatis honorem, & onus vires, & merita nec ſuppetebant, nec ſuppetunt, ad vniuerſalis Eccleſiæ faſcem regiminis eligerent ſupportandum. Nos autẽ infirmitatis Noſtræ conſcij, & imperfectionis etiam non ignari attendentes, quod nihil tam inſolitum, tam pauendum, quàm labor fragili, ſublimitas humili, & dignitas non merenti ad tantæ molis ſarcinam ſuſcipiendam expauimus. Sed demum debita conſideratione penſantes, quod de qualitate Noſtrorum operum nequaquam pendet cœleſtium menſura bonorum, ac ſperantes, quod ille, qui eſt oneris auctor, erit adminiſtrationis adiutor, & ne ſub magnitudinis gratia ſuccumbat infirmus, dabit virtutem, qui tribuit dignitatem, & in eo fiduciam erigentes, qui omnium ſuarum curam licet multis Paſtoribus delegarit, ſat tamen dilecti gregis cuſtodiam non relinquit; quique Diuo Petro Apoſtolorum Principi fiduciam præſtitit, vt in vndas deſcenderet, & dexteram porrexit auxilij, vt dubitans non periret, colla ſubijcimus iugo Apoſtolicæ ſeruitutis, ad quod gerendum vtilius orationum veſtrarum ſuffragia implorantes, vniuerſitatem veſtram monemus, rogamus, & obſecramus in Domino Ieſu Chriſto, quatenus diligentius attendentes, quod ad tanti ponderis ſarcinam ſupportandam peruigiles cooperatores eſſe vos exigit, vobis in veſtris gregibus ſollicitudo commiſſa in huiuſmodi cooperationis miniſterio exequendo ſuper greges eoſdem ſollicite vigiletis, & debilitate Noſtra deuotarum orationum, & placationum vberum frequentibus oblationibus aſſiſtatis ab eo, qui Nobis ſarcinam eandem impoſuit, ſeu potius forſan imponi permiſit, ſupplicationibus deuotis, & ſedulis implorantis, vt qui ex eiſdem Noſtris defectibus ſub illius onere premimur, ipſius munere ſubleuemur, Nobiſque ipſe bonorum largitor omnium ſic illam ad ſui nominis laudem, & gloriam Noſtram, Populique ſui ſalutem portare ſua pietate concedat, quod eadem mater Eccleſia filios ſuos numero, & merito Noſtris multiplicari temporibus glorietur. Cæterùm effectum vobis charitatiuæ benignitatis expandimus, & ſinum charitatis ſolicitè aperimus, proponentes in quibus cum Deo poterimus, honori veſtro deferre, ac veſtra, & Eccleſiarum veſtrarum commoda, pro quibus ad Nos recurrere cum ſecuritate poteritis, in promptitudine beneuolentiæ promouere. Cum autem ſicut intelleximus, portatores huiuſmodi literarum interdum eſſe conſueuerunt contra intentionem mittentium, exactores, nunc importuna petitionis inſtantia, nunc etiam murmurationum ſuſurris, & detractionum, & querelarum comminationibus exigendo, ſcire vos volumus, quod Noſtræ intentionis exiſtit, & latori præſentium expreſſe inhibuimus, eumque iurare fecimus, quod ad exigendum, vel obtinendum aliquid præter ea, quæ pro expenſis ſuis neceſſarijs, per alias ei ſub certa forma literas, quas Vobis exhiberi mandauimus, miniſtrari præcipimus, talibus inſtantijs, & murmurationibus non vtatur, nec recipere etiam oblata præſumat. Ideoque, vt Noſtris in hoc intentioni, & beneplacito concurratis, huiuſmodi abuſionibus, cæteriſque ſimilibus, ſi forſan eis, quod non eſt veriſimile, vti præſumerent contra proprium iuramentum, contemptis, omnino vos vltra præmiſſa ſibi veſtro miniſtranda mandato, tribuendo aliquid non grauetis, cum non per extorſiones huiuſmodi, ſed alia retributione congrua intendamus ipſorum laboribus reſpondere. Datum Auenione xi. Kalendas Ianuarij, Pontificatus Noſtri Anno Primo.

Christianæ Reipublicæ pacem curat.

Scriptæ ſunt etiam eodem argumentum literæ ad Carolum Cæſarem, aliosque Reges, ac Principes Catholicos, vt ſua cum ipſo ſtudia in tuenda religione, atque amplificanda coniungerent. Deinde conſulturus rei Chriſtianæ in grauiſſima pericula adductæ, Apoſtolica ſtudia ad Anglos, cum Gallis conciliandos, Genuenſes, ac Venetos ab extitiali abducendos bello, propulſandos Turcas, Græcos ad ſchiſma eiurandum excitandos, pacandos inteſtinos Caſtellæ motus, componendam aulam Pontificiam, ac Romanæ Eccleſiæ ditionem à Tyrannis penitus ferè occupatam, ex eorum manibus vindicandam conuertit, & Aegidium Alearum Albernotium genere Hiſpanum, patria Conchenſem ampliſſimæ legationis munere auctum in Italiam, Guidonem Cardinalem Epiſcopum Portuenſem ad Galliæ, & Angliæ Reges; Petrum Epiſcopum Cameracenſem ad Ludouicum Flandriæ Comitem, & Margaretam Hannoniæ Comitiſſam inter ſe diffidentes, plurima inſtructum auctoritate tranſmiſit. Ad componendos verò Caſtellæ varios motus, & ad reſtituendum Eccleſiaſticæ diſciplinæ in illo Regno ſplendorẽ; Guillelmum Diaconum Cardinalem S. Mariæ in Coſmedin Legatum in Caſtellam decreuit. Ad Chriſtianorum res iuuandas in partibus vltramarinis Fr. Petrum de Fano Minoritam, armis, & bello in eiſdem regionibus ante religioſum inſtitutum ſuſceptum aſſuetum, & à Clemente VI. iterum annis reſtitutum, ac militibus in Orientem ducendis præfectum, Vicarium in Ciuitate Smirnarum inſtituit. Ad promouendam Catholicam fidem in Raſſia Fr. Bartholomæum Minoritam Epiſcopum Traguritenſem, & Fr. Petrum Thomaſium Carmelitam Epiſcopum Pactenſem deſtinauit, ac literas addidit ad Stephanum Regem, ad Helenam Reginam, & Oroſium filium, ad Ianichum Patriarcham, & alios illius Regni Optimates, vt opus bene à Rege inchoatum, reducendi populos illos ad vnionem Eccleſiæ Latinæ, & concordiam doctrinæ catholicæ perficerent.

Raynaldus, in Annalibus. — Legationes variæ. — Luc. Vvaddingus in Annal. Minorum. — Fr. Petrus de Fano Vicarius Smirnarũ. — Catholicã fidem in Raſſia promouere ſtudet.

Reſcidit etiam pactiones ſedis Apoſtolicæ maieſtatis aduerſantes in Cõclaui à Cardinalibus editas; cum nefas ſit collatam à Deo poteſtatẽ nullis circumſcriptã finibus, humana arte, doloque certis limitibus definire, ac vetuit Cardinalibus vacuo ſacroſancto ſolio, alia de re, quàm de creando Pontifice quicquam decernere. Suſtulit corruptelam fundendi alieni ſanguinis viliſſimo interdum prætio; vetuit etiam taxillorum ludum, cum ex præcipiti animorum motu luſores in blaſphemas voces ora laxarent. Abrogauit quoque meretricum vectigal, quòd Miniſtri ab infelicibus mulierculis turpiter abradebant. Albertum Bauariæ Ducem Ludouici filium paterna ſcelera damnantem Eccleſiæ reconciliauit. Carolo Romanorum Regi Lanceam, Clauos, & partem Crucis Chriſti, & alia inſignia, quæ Imperij dicuntur, à patre accepta reſtituit, & ad eiuſdem Caroli preces Feſtum diem ad recolenda ſacra illa pignora decreuit, vt meminit Henricus Rebdorſius in Annalibus his verbis. *Hic Papa ad ſupplicationem Regis Caroli ſpeciale Feſtum in honorem Inſtrumentorum Dominicæ Paſſionis, videlicet Haſtæ, Clauorum, & aliorum in partibus Alemaniæ, & Boemiæ ſolemniter celebrandum indixit Feria vi. poſt Octauam Reſurrectionis Dominicæ, & ſuper hoc Indulgentias dedit.*

Cardinalium ſanctiones reſcindit. — Fidelium mores corrigit. — Albertum Bauariæ Ducem Eccleſiæ reconciliat. — Feſtum diem lanceæ, & aliorũ Inſtrumentorum Paſſionis Chriſti inſtituit.

Humaniſſimè excepit Philadelphiorũ Aſiæ Populorũ Oratores, promiſitq; ipſorũ clientelam contra efferatos Turcarum impetus ſuſcipere, ſi animabus ſimul, & corporibus eſſet conſulendum, & ad ſchiſma damnandum ipſos ſuis literis prouocauit; comparata enim diuina gratia, ac reſtituto religionis ſplendore feliciùs hoſtem fidei propulſandum. Hæſere in ſchiſmatis, atque hæreſeos volutabro Philadelphij, atque in Turcarum teterrimam ſeruitutem ſunt redacti. Cantacuzeno quoque Græcorum Imperatori, qui ad ſedem Apoſtolicam opem flagitaturus, Oratores cum literis tranſmiſerat, ac ſpoponderat ſe Græcam Eccleſiam ad Romanæ obſequium reuocaturum, adiumento eſſe contra Turcas pollicitus eſt. Hortatus etiam eſt grauiſſimis literis Ioannem Arſanem, virum Principem, atque alterum eiuſdem nominis auctoritate florentiſſimos, qui ſe ad Græcorum cum Latinis coniunctionem redintegrandam pio flagrare ſtudio præ ſe tulerant, vt ad cœptum opus ſtudioſè incumberent; quantæue vtilitates in Orientale Imperium eſſent emanaturæ, expoſuit. Certiores etiam huiuſmodi Cantacuzeni conſilij Catholicos Principes fecit, atque inter cæteros Hugonem Cypri Regem, vt aduerſus Barbaros, Imperatori promouendæ ſperatæ coniunctionis ſtudio auxilia explicaret. Reiecto poſtmodum Cantacuzeno, cum Imperij habenas recepiſſet Ioannes Palæologus, ſacramento ſe deuinxit Romano Pontifici Catholicorum Imperatorum, & Regum

Oratores Philadelphiorum recipit. — Cantacuzeno Imperatori adiumẽto eſſe promittit. — Ioannes Palæologus Imperator operam...

Promittit ſuam ad reuocandos Græcos.

more obſequentem fore, proſecuturum debitis honoribus Legatos Apoſtolicos, atque operam daturum reuocandis ad Romanę Eccleſiæ obſequium, ac fidem Orthodoxam Græcis. Abdalam Regem Clarorum montium Chriſtianæ Religioni bene affectum, ad excutiendam ſuperſtitionis Mahumeticæ ſeruitutem, ac baptiſmalia ſacra ſuſcipienda ſuis literis eſt adhortatus.

Literas miſit ad Abdalam Regem.

Cenſores fidei contra hæreticos creat.

Ne fidei maieſtas in Occidentalibus oris defloreſceret ſollicitus Innocentius, cum Begardos, ſeu Beckardos Hæreticos repullulare in Germania accepiſſet, Cenſores fidei, vt ipſos animaduerterent, creauit, ac Præſules, Principes, & Vrbium Magiſtratus mixtis imperijs precibus obſtrinxit, vt religionis cauſā ſua auctoritate fulcirēt.

Innocētij ſcripta. Lu Ion. Iacobus à S. Carolo in Bib. Pont.

Scripſit Innocentius Sermones aliquot, & Decreta Eccleſiaſtica. fertur etiam teſte Poſſeuino compoſuiſſe Foroliuienſibus Inſtitutiones aliquas.

Carthuſianos amauit, & beneficijs proſequitus.

Carthuſianis ex ſingulari in eos ſtudio Eccleſiam B. Ioannis Baptiſtæ ſacram Villanouæ, atque ædes, quas ad Religioſorum virorum vſus in Palatio, quód ante adeptum Pontificatum poſſederat, dono contulit. Complexum fuiſſe Innocentium ſingulari ſtudio Carthuſianos, è cœleſtis cuiuſdam viſi ſancto Eremitæ obiecti occaſione refert Faſciculi temporum auctor his verbis. *Viſio flebilis facta cuidam Eremitæ in præſentia Domini Innocentij Papæ VI. dum adhuc Cardinalis eſſet, vnde aiebat; Vidi animas in Infernum deſcēdere, ſicut niues denſiſſimas, in Purgatorium ſicut niuem rariſſimam, ſed ad Paradiſum tantum tres vidi intrare ſcilicet illius Epiſcopi, ac illius Viduæ Romanæ, & illius Prioris Carthuſienſis. Quæ omnia ſic poſt reperit vera, & ex tunc maximam deuotionem erga viros religioſos habuit, & præcipue Cluniacenſes, & Carthuſienſes. Hos enim duos ordines ſpecialiter præ ceteris priuilegiauit, & ab omni Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & quorumcunque Principum iuriſdictione, viſitatione, taxatione, & qualicunque vexatione exceptos eſſe decreuit ſub anathematis vinculo, eoſque ſub ſancti Petri, ac Romanæ Eccleſiæ protectione ſuſcepit.*

Gymnaſiū Toloſanū multis prouentibus ornat. Pet. Frizō in Gallia Purpurat. Bononieñ ſtudio in Theologiam priuilegia concedit. Carol. Sigonius de Epiſc. Bononien.

Diui Martialis Gymnaſium Toloſæ, vbi ſtudijs operam dederat, exædificari curauit, & in Scholarium dotem multos prouentus eſt largitus. Bononienſi quoque ſtudio obſecutus, ius profitendæ in Gymnaſio Theologiæ, atque honoris eius impertiendi eximij muneris loco indulſit. Extat Decretum eius his verbis ſcriptum. *Deuotionem eximiam, quam Populus, & Commune Bononiæ erga Nos habuerunt, & habere noſcuntur, attendentes, dignum exiſtimamus, vt Ciuitas ipſa, quam diuina gratia magnis donis, & gratijs illuſtrauit, ſcientia Theologicæ facultatis muneribus amplietur, ideo eorundem Populi, & Communis ſupplicationibus annuentes, auctoritate Apoſtolica ſtatuimus, vt in dicta Ciuitate deinceps exiſtat ſtudium generale in eadem facultate Theologica, & perpetuis futuris temporibus vigeat, ac ſtudentes ibidem in facultate prædicta omnibus priuilegijs, libertatibus, & immunitatibus conceſſis docentibus, & Scholaribus ſtudentibus in illa in ſtudijs generalibus eiuſdem facultatis commorantibus gaudeant, & vtantur, &c.* Muris elegantiſſimis circumduxit Vrbem Aueniomenſem: Eccleſiæ Cæſenatis inita inſtante Fratre Guillelmo Epiſcopo confirmauit ex Ferdinando Vghellio in Italia ſacra.

Auenionē muris cingit. Eccleſiæ Cæſenatis confirmat.

Innocētij obitus.

Obijt Innocentius non die vndecima, vt refert Matthæus Villanus, ſed ex Ciaconio ſupra, & ex Vrbani ſucceſſoris literis, atque ex Rebdorfio eius temporis auctore, die duodecima Septembris anno noſtræ ſalutis 1362. ac laudibus à cunctis tum ob vitæ integritatem, tum ob Pontificatum egregiè adminiſtratum cumulatur: hæc enim refert eius vitæ ſcriptor. *Ipſe fuit valde ſollicitus, & curioſus circa recuperationem Terrarum Eccleſiæ in partibus Italiæ exiſtentium, pro qua expendit, & expoſuit pecunias infinitas, & per Dei gratiam non in vanum, nam vt ſupra tangitur, pro maiori parte ſuo tempore recuperatæ fuerunt; & in ipſis pro earum tuitione multa caſtra, ſeu fortalitia noniter inſtructa, & antiqua reparata. Circa etiam bonam, & debitam expeditionem, & proſecutionem aliorum ſibi incumbentium, ac pertinentium ad officium ſibi creditum, cum magna diligentia vacauit, & intendit, proceſſitque in omnibus cum deliberatione, & conſilio tam Cardinalium, quam aliorum peritorum, nihilque de contingentibus omiſit, quandiu potuit laborare. Fuit tamen multum oppreſſus, & grauatus gutta, & podagra, propter quod multoties fuit impeditus in prædictis, & præſertim in ſuis vltimis diebus, in quibus fuit admodum debilitatus, & valetudinarius, cum eſſet ſatis annoſus, imo, & ſenio confectus: ſemper tamen habuit bonam intentionem in ſuis omnibus agendis. Dilexit etiam pauperes, & eis libenter ſubuenit: viros inſuper literatos fouit, eiſque benefecit, & multos promouit. Iuſtitiam maxime tenuit, & conſeruauit, & in Curia ſpecialiter voluit, & ordinauit malos, & inſolentes puniri. Suo enim tempore inſurrexit in Auenione quædam ſocietas, quæ Damperica vocabatur, cuius ſociatores de nocte incedentes, furta, ſtupra, & maleficia multa committebant, de quibus idem Papa iuſtitiam ſatis rigidam fieri mandauit: ſic quod multi ex eis etiam, qui ſe nobiles aſtimabant, erantque apparenter ſatis magni ſtatus, ſubmerſi fuerunt, aut alias trucidati: quorum exemplo alij perterriti aut fugerunt, aut de prædictis deſtiterunt, & ſic dicta ſocietas maxime ſatis citò. Plures ex ſuis tam nepotibus, quam conſanguineis in Eccleſia promouit, & exaltauit, ad quod faciendum caro ipſum aliqualiter traxit, & inclinauit; tamen, vt plurimum boni, & ſufficientes fuerunt, & in ſtatu eis dato, bene, & laudabiliter ſe habuerunt. Paucos habuit in ſtatu laicali ſibi multum propinquos, illis tamen ſic benefecit, quód poſt ipſum bene, & honorificè cum eorum potentia viuere, & ſtare potuerunt, non tamen alias ipſos magnis dignitatibus, aut honoribus ſublimauit.*

Vacatio ſedis poſt Innocētij obitum.

Vacauit ſedes poſt Innocentij obitum non menſem vnum, & dies viginti ſex, vt vult Ciaconius, multò minus annum vnum, & menſes tres, vti ſcribit Genebrardus, neque dies dumtaxat quatuordecim, vt ex Panuinio refert Lucas Vvaddingus, ſed menſem vnum, & dies ſeptem ſupra decem, non computatis diebus obitus Innocentij, aut electionis ſucceſſoris, non enim plures connumerantur inter Pridie Idus Septembris, quo Innocentius deceſſit, & Pridie Kalendas Nouembris, quo die ex libris Obligationum Vrbanus ſucceſſor electus eſt, vt dicemus infra.

Cōcilium Toletanū.

Anno à partu Virginis 1355. die prima menſis Octobris auctoritate Blaſij Archiepiſcopi Toletani ad reſtaurandos Eccleſiaſticorum mores habitum eſt Concilium Toletanum.

Ieſuatorū ordinis inſtitutio.

Hoc Pontifice, teſte Simone Starouolſcio in Epitome Conciliorum Ioannes Senenſis nobili Columbinorum familia ortus ordinem Ieſuatorum inſtituit, quem paucis poſt annis Vrbanus V. Viterbij agens confirmauit.

PRIMA CREATIO CARDINALIVM. Innocentij Papæ VI.

Anno ſalutis 1353. *Pontificatus I.* ex Ciaconio, & Panuinio menſe Martio in quatuor Temporibus Quadrageſimæ, ſeu ex libro Obligationum teſte Felice Contelorio die xv. Februarij Innocentius VI. Auenione primò renunciauit vnum Cardinalem, qui fuit.



I.

Pet. Frizō in Gallia Purpurat. Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana. Ciaconius. Panuinius. Ferdinād Vghel. in Ital. ſac.

ANDOINVS Alberti, quem alij Androinum nominant, ſummi Pōtificis Innocentij VI. fratris filius, natione Gallus, patria Lemouicenſis, cum rexiſſet Eccleſias Pariſienſem, & Antiſiodorenſem, Magalonenſem obtinuit (Magalona Inſula eſt maris Mediterranei, cuius ſedes Epiſcopalis ob prædonum incurſus auctoritate Pauli Tertij Mōtempeſſulum Vrbem Volcarum Aremoricorum tranſlata eſt) ex Epiſcopo Magalonenſi Andoinus ab Innocentio patruo anno 1353. Presbyter Cardinalis ſanctorum Ioannis, & Pauli titulo Pammachij primò, mox anno 1361. Epiſcopus Oſtienſis, & Veliternus renunciatus eſt.

Aliqui negant Andoinum hunc vnquam præfuiſſe Eccleſiæ Magalonenſi, ſed Anonymus auctor vitæ Innocentij apud Boſquetum, Ciaconij, Panuinij, & aliorum ſententiam confirmat his verbis. *Hic factus Papa die xv. Februarij, qua fuit feria ſexta quatuor Temporum anno* 1353. *iam inchoati fecit Presbyterum Cardinalem Dominum Andoinum Alberti Diœceſis Lemouicenſis, nepotem ſuum ex fratre, tunc Epiſcopum Magalonenſem, cui aſſignauit titulum ſanctorum Ioannis, & Pauli, quem prius habuerat ipſe.* Quibus Petrum Frizonium erroris arguunt dicentem xjv. Kalen. Ianuarij feria ſexta quatuor Temporum Aduentus Andoinum Presbyteris Cardinalibus fuiſſe adſcriptum.

Aud Victorel. in Addit. ad Ciacon.

Auctor fuit Andoinus Cardinalis Xenodochij Auenione in pontis capite ſiti, cuius inſignia lapidi inſculpta viſuntur ſupra fores collocata. Interfuit Comitijs, & ſuffragium pro Vrbano tulit, eumque die ſexto Nouembris 1362. Tiara Pontificia ornauit. Collegium Magalonenſe Toloſæ erexit. Mortem ſubijt nono Maij die, anno 1363. Auenione. Cadauer tumulatum apud Carthuſianos Villenouæ, vt refert Necrologium Carthuſianorum eiuſdem Villæ cum hac Inſcriptione ipſo mandante celata.

Felix Cōtel. in El. ch. Card.

LAPIDE SVB HOC MODICO IACENT OMNIA VISCERA
DICTI OSTIENSIS A. DVM VIVEBAM IN VITA MEA.

Claudius Robertus non eſt ſibi conſtans in aſſignando huiuſce Andoini obitus die, nam in ſerie Epiſcoporum Antiſiodorenſium affirmat, Andoinum ex Epiſcopo Antiſiodorenſi renunciatum eſſe Presbyterum Cardinalem, eundemque ex hac vita migraſſe die decima Maij anno 1361. In ſerie verò Epiſcoporum Magalonenſium depoſita memoria illorum, quæ antea ſcripſerat, huiuſce obitum ad annum 1363. refert.

Eccleſiæ Pariſienſi, & Antiſiodorenſi nonnulla legauit, vt ex ipſius Teſtamento habemus. *Item lego Eccleſijs Pariſienſi, & Antiſiodorenſi, quibus in Epiſcopali dignitate præfui, & cuilibet earum trecentos florenos ſemel ſoluendos ad emendum redditus, qui poterunt haberi, & eius, pro faciendo pro anima mea vno Anniuerſario ſingulis annis die mei obitus, ſeruato more, quo fiunt Anniuerſaria in dictis Eccleſijs.*

SECVN-

SECVNDA CREATIO CARDINALIVM.

Anno Domini 1356. Pontificatus Quinto, Feria vj. in quattuor Temporibus Aduentus Domini, x. Kal. Ianuarij Auenione Innocentius VI. Romanus Pontifex iterum creauit Cardinales, qui fuere.



II.

Pet. Frizô in Gallia Purpurat.

Claud. Robert. in Gall. Chriſtian.

Felix Cōtelor. in Elencho.

Aubery in vita.

Oder. Raynald. in Annal. Eccleſiaſtic.

Ferdinãd. Vghel in Ital. ſac.

MAG. ELIAS de ſancto Heredio, vel Aurelio, ſeu Aredio, Gallus, Diœceſis Lemouicenſis, ordinis Benedictini, & Abbas ſancti Florentij, aliàs Glannenſis ad oſtium Theodæ in Ligerim Diœceſis Andegauenſis, Decretorũ Doctor, ex Epiſcopo Vticenſi inter Presbyteros Cardinales titulo S. Stephani in Cœlio monte ab Innocentio VI. cooptatus, poſtea ab Vrbano Innocentij ſucceſſore Epiſcopus Oſtienſis, & Veliternus renunciatus eſt. De quo hæc apud Anonymum vitæ eiuſdem Innocentij ſcriptorem legimus. *Eodem anno die 23. menſis Decembris dictus Innocentius Papa VI. creauit ſex nouos Presbyteros Cardinales, videlicet Eliam de ſancto Aurelio Diœceſis Lemouicenſis, monachum ordinis S. Benedicti, tunc Epiſcopum Vticenſem.* Panuinius, Ciaconius, alijque Eliam hunc cum alio Elia item Cardinali à Clemente VI. renunciato confundunt, ſed perperam; ſi quidē ille Elias dictus eſt de Nubilaco aliàs Nabunal ordinis Minorum, & fuit ad eam dignitatē euectus, vt licet videre in libro Obligationum, à Clemente VI. cum eſſet Archiepiſcopus Nicoſiæ; hic verò appellatur de ſancto Aurelio, ſiue de ſancto Heredio profeſſione monachus Benedictinus, Abbas S. Florentij, & Epiſcopus Vticenſis, vt referunt Anonymus auctor vitæ Innocentij, & alij illius æui ſcriptores.

C Gaſpar Iongelinus in elogijs Cardinalium ordinis Minorum licet hunc Eliam alium, & diuerſum agnoſcat ab Elia de Nabunal, addit tamen, ſtrictioris vitæ deſiderio, relicto ordine S. Benedicti, & Abbatia S. Florentij ordinem Minorum ingreſſum fuiſſe. At cum nullum citet auctorem pro hac ſuâ ſententia, nulla eſt cauſa recedendi à communi omnium ſcriptorum ſenſu, qui ex Abbate S. Florentij illum renunciatum Epiſcopum Vticenſem affirmant; inter quos Claudius Robertus in Gallia Chriſtiana in ſerie Abbatum S. Florentij hæc habet. *Quadrageſimus quartus Abbas fuit Elias de ſancto Aredio Lemouicenſis, Decretorum Doctor, poſt nonum regiminis annum ad Epiſcopatum Vticenſem aſſumptus, ac tandem Cardinalis.* Et in ſerie Epiſcoporum Vticenſium eadem refert.

D Dicunt Eliam hunc ſcripſiſſe de Vita Contemplatiua.

Nomencl. Cardinal.

In libros Sententiarum.


Poſtillam in Apocalypſim.

Et alia quædam; ſed hæc non à noſtro, ſed ab Elia de Nabunal ordinis Minorum, S. R. E. Cardinali edita fuerunt, vt diximus ſupra in illius vita ſub Clemente VI.

E vita exceſſit Auenione noſter Elias Epiſcopus Oſtiēſis ex Ciaconio, Vghellio, & Contelorio, ſexto Idus Maij anno 1367. quorum auctoritate reijcitur ſententia Iongelini, qui illius vitam ad iv. vſque nonas Octobris producit eiuſdem anni 1367.

Meminere huiuſce Eliæ Cardinalis, tum Innocentij VI. tum Vrbani ſucceſſoris Regiſtra, quæ in Vaticano ſeruantur.

E



III.

Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciacon. ſecto 1. Italiæ ſacræ.

Panuinius.

Aubery in vita.

Anon. vm. Auct. vitæ Innoc. VI. apud Boſquet.

Oder. Raynald. in Annalibus Eccleſiaſt.

Felix Cōtelor. in Elencho.

FRANCISCVS de Aptis, ſeu de Attis, natione Italus patria, Tudertinus, filius Andreæ Ranuccij Domini Poggij, Guardiæ, Fermani, Montis, aliorumque oppidorum in Vmbriæ Prouincia, & fratri Andreæ Epiſcopi Tudertini, ab Innocentio VI. Presbyter Cardinalis S. Marci, & maior Pœnitentiarius renunciatus eſt, poſtquam Florentinorum Præſul ſanctè adminiſtraſſet Eccleſiam illam annos vndecim. Magni ob raram doctrinã ab omnibus habitus, ſcripſit libellum de Quarta Canonica, cuius exemplar noſtris hiſce temporibus aſſeruatur apud Alexandrum de Attis eiuſdem familiæ alumnum. Meminere huiuſce Franciſci Cardinalis de Attis opuſculi Baldus Conſilio 134. & Abbas Panhormitanus Conſilio 17. l. c.

Auenione contagioſo morbo ſublatus eſt die 25. Auguſti ex Cōtelorio, ſeu ex Ferdinando Vghellio 4. Septembris anno 1361. Cor-

A pus in Eccleſia Cœleſtinorum ad pontem Sergiæ ſepultum cum hac Inſcriptione.

Ferdinãd. Vghel. to. 3. Ital. ſac.

HIC IACET R. IN CHRISTO PATER ET DOMINVS
FRANCISCVS DE TVDERTO TITVLI S. MARCI
PRESB. CARD. FLORENTINVS VVLGARITER NVNCVPATVS
FVNDATOR HVIVS MONASTERII QVI FELICITER OBIIT INTER
MANVS FRATRVM DIE IV. MENSIS SEPTEMBRIS
CVIVS ANIMA REQVIESCAT IN PACE.

Hoc Epitaphium recenſuit Ciaconius, ex Nomenclatore in vita Cardinalis Franciſci Vrſini Neapoleonis filij, & pro *Tudertino* addidit *de filijs Vrſi*, quæ verba multis erroris anſam præbuerunt, vide quæ diximus in illius vita ſub Bonifacio VIII.

Vincentius Borghinus ex antiquis Florentinæ Eccleſiæ monumentis hæc de Cardinali Tudertino, in libro de Epiſcopis Florenti-

B nis ad poſteros tranſmiſit. *Franciſcus Tudertinus poſt Angelum de Acciaiolis ex ordine Prædicatorum, virum vitæ ſanctitate, & doctrina clarum Florentinam Eccleſiam rexit, vſque ad annum 1356. quo anno ab Innocentio VI. creatus eſt Cardinalis, Philippo Antellenſi cive Florentino ex Ferrarienſi Epiſcopo ſucceſſore relicto.* Mentio iterum de eo habetur in Catalogo Tudertinorum Epiſcoporum, in quo Andreas de Attis Epiſcopus Tudertinus creatus procurante Franciſco Cardinali de Attis.

Ciaconius hunc prætermiſit in ſerie Cardinalium Innocentij, illum tamen inter Cardinales mortuos ſub Innocentio VI. recenſet his verbis. *Franciſcus Tudertinus Presb. Card. tit. S. Marci, maior Pœnitentiarius obijt Auenione viij. Kal. Septembris ex peſte eodem anno* ſcilicet 1361. *corpus in Monaſterio Cœleſtinorum gentilitio cum Stemmate apud pontem Sergia ſepultum eſt.*

Franciſci Epiſcopi Florentini temporibus, & eiuſdem permiſſu

C Fratres Eremitani S. Auguſtini è veteri S. Matthæi Monaſterio ad nouum tranſmigrarunt in loco Tranſarnanæ regionis, vbi nunc nobile Templum S. Spiritus viſitur Petro Aldobrandino Priore procurante. Quòd deinceps flammis penè conſumptum in ſplendidiorem, ampliorem que faciem ex Philippi Brunelleſchi artificio, proprijs ſumptibus reſtituerunt clariſſimi ciues Laurentius Rodulphus, Bartholomæus Corbinellus, Nerius Capponius, & Gregorius Datus.



IV.

Ciaconius

Pet. Frizô in Gallia Purpurat.

Panuinius

Aubery in vita.

Anonym. Auct. vitæ Innocẽtij apud Boſquetum.

Oder. Raynaldus in Annal. Eccleſiaſt.

Steph. Baluze in Auinionen.

PETRVS de Selue è Monteruco, natione Gallus, ex ſorore nepos Innocentij Pontificis, ex Epiſcopo Pampilonenſi Cardinalium Presbyterorum numero titulo ſanctæ Anaſtaſiæ adiunctus, & S. R. E. Vicecancellarius ab ipſo Innocentio renunciatus eſt.

D Domus Villænouæ Carthuſianorum fuit ſecundus fundator; primus enim cenſendus eſt Innocentius VI. patruus, vt patet ex eiuſdem Innocentij Epitaphio apud Villamnouam. Toloſæ Collegium Pampilonenſe in honorem Diuæ Catharinæ Virginis erexit, & annuis redditibus locupletauit; Quòd Collegium reſtaurauit Hugo de Monteruco Epiſcopus Agathenſis, ipſius Petri Cardinalis nepos: extant hac de re ipſius Hugonis literæ datæ in Caſtro de Naſigno die quin-

E ta menſis Aprilis anno 1402. quarum initium eſt. *Hugo Miſeratione Diuina Epiſcopus Agathenſis, Prouiſor, ac Patronus Domus, ac Collegij ſanctæ Catharinæ Toloſæ per bonæ memoriæ Dominum Petrum ſanctæ Anaſtaſiæ Presbyterum Cardinalem Pampilonæ vulgariter nuncupatum, Patruum noſtrum fundati, &c.*

Cum alijs quinque Cardinalibus remanſit Auenione anno 1375. ſummo Pontifice Gregorio XI. Romam abeunte. Interfuit Conuitijs Pontificijs, in quibus Romani Pontifices electi ſunt Vrbanus V. Gregorius XI. & Vrbanus VI.

Felix Cōtel. in Elench. Card. Anl. Victorel in Addition. ad Ciacō.

Mortalitatis compede ſolutus eſt vltima die Maij anno reparatæ ſalutis 1385. & iacet in Aede Carthuſianorum Villænouæ prope Auenionem cum ſequenti Epitaphio recentibus characteribus expreſſo, ex veteri tamen, vt licet coniicere, excripto.

F HIC IACET R. IN CHRISTO PATER D. PETRVS CARDINALIS PAMPILONENSIS SECVNDVS FVNDATOR HVIVS DOMVS VALLIS BENEDICTIONIS NEPOS PAPAE INNOCENTII VI. QVI FVIT AMATOR AC DEFENSOR PAVPERVM ORPHANORVM AC VIDVARVM NEC NON RELIGIOSORVM ORDINVM PRAECIPVE CARTHVSIANORVM ET OBIIT ANNO DOMINI MCCCLXXXV. VLTIMA MAII.

In Carthuſianorum Necrologio ſcriptum eſt deceſſiſſe Petrum Cardinalē Pampilonenſē 30. die Maij fundatorē ſecundū. Aegidius Cardinalis Albornotius executores ſuos Teſtamentarios nominauit Nicolaum Capoccium Epiſcopum Tuſculanum, Petrum de Mon-

Aubery in vita.

teruco Presbyterũ Cardinalem S. Anaſtaſiæ, & Petrum Rogerium Diaconum S. Mariæ Nouę. Petrus Frizonius in vita Gregorij XI. diſtinguit Petrum Presbyterum Cardinalẽ S. Anaſtaſiæ à Petro Cardinali Pampilonenſi, duoſque ex vno facit dum dicit. *Sex Auenione Cardinales remanere iuſſit Angelicum Grimoardum Cardinalem Albanum, Aegidium Heſſelin de Montauig. Cardinalem Tuſculanum, Ioannem de Emboniaco Cardinalem Sabinum, Petrum de Monteruco Cardinalem titulo S. Anaſtaſia, Petrum Cardinalem Pampilonenſem, Guillelmum de Chaignac tituli S. Vitalis dictum Mimatenſem, & Hugonem de ſancto Martiale Diaconorum Priorem, Cardinalem S. Mariæ in Porticu.* At diuerſum non eſſe Petrum Cardinalem ſanctæ Anaſtaſiæ à Petro Cardinali Pampilonenſi patet ex Panuinio ſic dicente. *Petrus ...... PP. Nepos Epiſcopus Pampilonenſis, Lemouicenſis, Gallus, Presbyter Cardinalis in titulo ſanctæ Chriſti Martyris Anaſtaſia.* Eadem Ciaconius; eadem & ipſe Frizonius in vita, cuius initium eſt. *Petrus de Selue Antiſtes Pampilonenſis, Cardinalis S. Anaſtaſia è ſorore nepos Innocentij, &c.* denium Anonymus auctor vitæ Innocentij apud Boſquetum, eadem habet recenſendo Cardinales ab Innocentio renunciatos. *Petrum de Monteruco Diœceſis Lemouicenſis, nepotem ſuũ ex ſorore tunc Electum Pampilonenſem.* Ioãnes Tamaius Salazar in ſecundo tomo Anamnenſis, ſiue Commemorationis ſanctorum Hiſpanorum die ſeptima Aprilis in ſerie Epiſcoporũ Eccleſiæ Pampilonenſis, Petrum hunc prætermittit, & ab anno 1304. vſque ad 1403. hos tantum illius Eccleſiæ Epiſcopos recenſet, videlicet D. Arlandum huius nominis primùm, cognomento de Puyana, qui ab anno 1304. vſque ad 1316. Eccleſiæ illi præfuit. Dom. Scemenum huius nominis tertium cognomento Garcia, qui obijt Epiſcopus Pampilonenſis anno 1327. D. Arnaldum huius nominis ſecundum cognomento Barbacano, qui Eccleſiam Pampilonenſem rexit, vſq; ad annum 1356. D. Michaelem huius nominis tertium cognomento Sanchez Aſſiayn mortuum anno 1364. D. Bernardum huius nominis primùm, cognomento Folcaut, qui Pampilonenſem Eccleſiam moderatus eſt ab anno 1364. vſque ad annum 1377. demum Dom. Martinum huius nominis ſecundum cognomento Zalba, qui eidem Eccleſiæ Epiſcopus affuit, vſque ad annum 1403. Illum fortaſſe prætermiſit, quia electus tantùm Pampilonenſis Epiſcopus ad eam Eccleſiam numquam ſe contulit.

Extat huiuſce Petri Cardinalis S. Anaſtaſiæ mentio in Regiſtris Innocentij VI. & Vrbani V. Romanorum Pontificum.

V.



Ciaconius. Panuinius. Aubery in vita. Gaſp. Iongelin. in elog. Cardinal. ord. Minorum. Luc. Vuading. in Annal. Minorum.

MAG. F. GVILLELMVS Farinerius de Gordonio, natione Gallus, profeſſione Franciſcanus, Cuſtodiæ Cadurcenſis, Doctoratus gradum in Academia Toloſana aſſumpſit, Iordano Curti eiuſdem ordinis Theologicæ facultatis profeſſore, poſtea Epiſcopo Triuentino in Regno Neapolitano, tandem Archiepiſcopo Meſſanenſi. Cognominatus eſt Guillelmus de Gordonio, quia Franciſcanum Inſtitutum primò profeſſus eſt in Monaſterio de Gourdon Diœceſis Cadurcenſis. Ex Miniſtro Prouinciæ Aquitaniæ ſui ordinis Seraphici Generalis vigeſimus Veronæ electus anno à partu Virginis 1348. Succeſſit Fortanerio Valelli Aquitano Archiepiſcopo Rauennati creato: præfuit annos nouem, ac Statuta, D. Bonauenturæ eiuſdem ordinis Generalis ad amuſſim ab omnibus obſeruari imperauit.

Anonym. Auct. vitæ Innocentij apud Boſquetum. Pet. Frizon. in Gallia Purpur.

Cardinalatu ab Innocentio decoratus Presbyteris Cardinalibus aſcriptus eſt titulo SS. Petri, & Marcellini anno 1356. & anno ſequenti, eiuſdem Innocentij iuſſu in Hiſpanias Legatus ſe contulit, pacem inter eas gentes reuocaturus. Vt de pacis conditionibus facilius ageret, inducias anni vnius, & trium menſium inter Reges illos illico firmauit: oppida vtrinque capta, penes ſe recepit, illis, qui prius initum fœdus violaſſent, anathematis pœnam minatus eſt. Confecta inter Reges pace, ad Pontificem rediji. Scripſit

Nomencl. Cardinal.

Commentaria in varios libros ſacros, & profanos.

Sermones item varios.

Luc. Vuadingus de ſcript. ordin. Min.

Et rogatu Aegidij Cardinalis Albornotij librum de Cambijs, ſiue, vt Pauli Corteſij verbis vtar, De Mutuatitia Negociatione, ex quo facilè poſſit intelligi, quot ex nundinarum pretijs nummi in ſingula cẽtena, permutationis nomine exigi, & quando poſſit. Mortalitatem exuit ex Ciaconio, alijſque viij. Kalendas Septembris, ſeu ex Contelorio die 27. Iunij anno 1361. & ſepultus in Aede Minorum Auenionenſium. Toſſignanus Guillelmum hunc vita functum aſſerit anno 1353. ſed perperam; nam anno illo nondum fuerat inter Cardinales cooptatus, & ex varijs Innocentij Diplomatibus, ac monumentis doceri poteſt anno 1360. ſuperſtitem adhuc fuiſſe.

VI.



Ciaconius. Panuinius. Aubery in vita. Anonym. auctor vitæ Innocentij apud Boſquet.

MAG. FR. NICOLAVS Roſelli, natione Hiſpanus, patria Tarraconenſis anno noſtræ ſalutis 1314. die 13. Nouembris honeſtis parentibus in lucem editus, vix decimum tertium ſuæ ętatis annum attingẽs, diuino ſe ſe famulatui in ſacra Prædicatorum familia deuouit, eóque Phyloſophia, ac Theologia profecit, vt breui illas publicè docere in præcipuis ſui ordinis Academijs ſit iuſſus. Prouincialis deinde Aragoniæ, eiuſdemque Regni hæreticæ prauitatis Inquiſitor renunciatus, Presbyteris Cardinalibus titulo S. Syxti adſcriptus eſt ab Innocentio in ſecunda Cardinalium creatione. Hic virtutibus inſignis, vt ait Zurita, Petro Aragonum Regi pergratus ſemper extitit; & ne iam Cardinalis renunciatus ab Aragonia diſcederet, Petrus ipſe Rex Innocentium vrſit, vt pileum rubrum ad ipſum tranſmitteret, cui Pontifex reſpondit, non moris eſſe, vt cuiquam, niſi Pontificia manu daretur, ſeque ea de re Cardinales, vt regijs votis morem gereret, conſuluiſſe, neque ipſos ad ſuam ſententiam adducere potuiſſe. Cum verò Petrus Rex Petri Rothomagenſis Cardinalis exemplum attuliſſet, ad quem Pontifex Romanus pileum rubrum tranſmiſerat, reſcripſit Innocentius diſparem eſſe rationem; cum ille miſſus Burdigalam fuiſſet, vt de pace inter Anglorum, & Francorum Reges ageret. Quare Auenionem ſe contulit Nicolaus ad Romanum Pontificem, à quo perhonorificè exceptus, & honoribus affectus ad Regem rediji. Romanorum Pontificum geſta pergrandi volumine complexus eſt, cuius exemplar tineis ſulcatum Romæ ſe vidiſſe affirmat in Bibliotheca Collegij Capranicenſis, & in Vaticano auctor Nomenclatoris Cardinalium. Scripſit etiam Commentarium de quadruplici iuriſdictione Romanæ Eccleſiæ in Regnum Siciliæ, qui ſeruatur in Bibliotheca Vaticana.

Porreñus in Elogijs Card. Hiſpan. Odor. Raynald. in ſuis Annal. Eccleſiaſtic. Nomencl. Cardinal.

E vita exceſſit v. Kalendas Aprilis anno noſtræ ſalutis 1362. & ſepultus Maioricis in Eccleſia Prædicatorum.

Felix Cõtel in Elẽch. Card.

Præter ordinis Prædicatorum Chronicon, & S. Antoninum, huiuſce Cardinalis meminit Innocentij VI. Regiſtrum.

VII.



Ciaconius. Aubery in vita. Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciacon. Panuinius. Frizon. Sãdus, & Tillius de Regibus Francor. Belliforeſtius. Fr. Franc. Lanou. de Cancell. Franciæ.

PETRVS de la Foreſt Suſæ in Cenomanica Diœceſi anno noſtræ ſalutis 1314. prodijt in lucem: fratrem habuit germanum Philippum Catalaunenſem Præſulem, de quo Necrologiũ Eccleſiæ Pariſienſis. Ex monacho, & Archimandrita D. Dionyſij ſub Philippo, & Ioanne Regibus Regni Galliæ Cancellarius, Tornacenſis, & Pariſienſis Epiſcopus, ac demum Rothomagenſis Archiepiſcopus renũciatus, vnà cum Duce Borbonio ad Innocentium Romanum Pontificem miſſus, vt ſedarentur bella inter Franciæ, & Angliæ Reges orta. Cum Auenione perſonam Oratoris Regij ſuſtineret, Presbyteris Cardinalibus titulo SS. XII. Apoſtolorum ab Innocentio aſcriptus eſt, teſte Anonymo auctore vitæ Innocentij apud Boſquetum. Petrus Frizonius cum Ciaconio, & Panuinio Petrum de la Foreſt Franciæ Cancellarium anno 1350. à Clemente VI. ad Cardinalis Diaconi dignitatem primò promotum, deinde ab Innocentio in Presbyterum Baſilicæ SS. XII. Apoſtolorum electum fuiſſe affirmat. Sed Contelorio teſte labuntur hi, nam, vt refert Amanuenſis in libro Obligationum pro ſacro Collegio, die 23. Decembris anno 1356. Innocentius VI. Petrum hunc inter Cardinales cooptauit, qui die lunæ prima Maij anni ſequentis 1357. primò intrauit Curiam, cum iam functus fuiſſet Oratoris Regij munere.

In Regno Siculo, iubente Innocentio, Legati Apoſtolici munere peracto peſte extinctus eſt in Ciuitate Auenionenſi annos natus non quinquaginta quinque, vt ſcripſit Frizonius, ſed quadraginta ſeptem. Ab anno enim 1314. quo in lucem Petrus prodijt ex ipſo Frizonio, ad annum 1361. quo è vita exceſſit, quadraginta ſeptem interceſſere anni. Obijt ex Frizonio, & Roberto die 25. ſeu verius ex Contelorio die 27. Iunij anno 1361. in memorato tamen Necrologio Eccleſiæ Pariſienſis notatur Petri, & Philippi fratrum Anniuerſarius dies obitus Kalendis Nouembribus.

Scutum Petri de la Foreſt Cardinalis coccineum, Aquila aurea roſtro, & cruribus argenteis, molulis echinatis, item aureis ſparſum,

quadri-

quadripartitum ex argento, clathrata ſymboli puniceo pagina, ſcutulo miniato medium quadrantum occupante, cruce ſphærulis hermionicis inſtructa exaratum: aliud ab hoc illi tribuit Ciaconius ſcutum ſcilicet argenteum cum arbore viridi erecta.

TERTIA CREATIO CARDINALIVM.

Anno Dominicæ Incarnationis 1361. *Pontificatus IX.* xv. Kalendis Octobris, in quatuor Temporibus Septembris Auenione Innocentius Rom. Pontifex tertiò creauit Cardinales, qui fuerunt.



Panuinius

Ació Victorell. in Addit. ad Ciaconiũ.

Hier. Rubeus in hiſtor. Rauennaten.

VIII.

MAG. FR. FORTANERIVS, ſeu Fortannius, aliàs Sertorius Vaſellus, natione Gallus, genitus enim eſt in Diœceſi Cadurcenſi, teſte Fruzonio, in Aquitania Diui Franciſci Regulã in Monaſterio Gordonienſi amplexus eſt. Ciaconius, & Ioannes Pitſæus de ſcriptoribus Eccleſiaſticis Angliæ, Ioannem Trithemium, Vvilotum, alioſque Anglos ſcriptores ſecutus, nullo nixi fundamento Fortaneriũ Vvalliũ faciunt ex illa Anglicani Regni parte, quæ Vvallia, vel Gualliа vulgò dici ſolet. Ioannes XXI. dictus XXII. Romanus Pontifex ſcripſit ad Cancellarium Pariſienſem anno à partu Virginis 1323. vt doctoratus laurea fratrem Fortanerium Vaſellum tunc in ſacra Theologia Baccalaureum ornaret. Aueniononenſe Cœnobium fratrum Minorum à ſtudijs rexit Fortanerius, aſſumptoque Fr. Gerardo Odonis Miniſtro generali ad Patriarchatum Antiochenum, & adminiſtrationem Eccleſiæ Catanenſis, deſignatus eſt à Clemente VI. ordinis Seraphici Vicarius generalis, vſque ad proxima Comitia, in quibus eiuſdem ordinis Miniſter generalis renunciatus eſt. Clemens deinde his duabus, quas ſubnectimus, literis Fortanerium commendauit, & Electoribus inſinuauit ſibi rem gratam facturos, ſi illum in generalem Miniſtrum eligerent.

Luc. Vvading. in Annal. Minorum. Gaſpar. Iongelin. in elog Card. ord. Min. Rodulph. in hiſtor. Seraphic. Aubery in vita. Luc. Vvading. in Annal. Minorum.

CLEMENS EPISCOPVS, &c.

Dilecto filio Fortanerio Vaſſelli, FF. ord. Min. ſacræ Theologiæ Profeſſori, curam, & adminiſtrationem Miniſteriatus generalis eiuſdem ordinis Apoſtolica auctoritate gerenti.

Dudum ordine Fratrum Minorum pro eo generalis Miniſtri gubernatione carente, quod Nos venerabilem Fratrem Noſtrum Geraldum Patriarcham Antiochenum, tunc ipſius ordinis generalem Miniſtrum in Patriarcham de Fratrum Noſtrorum conſilio præfecimus Antiochenæ Eccleſiæ tunc vacanti. Nos ordinem ipſum intra Noſtra, & ſedis Apoſtolicæ præcordia recumbentem, remanere nolentes, vtilis gubernatoris ſolatio deſtitutum, & ad te, quem margaritis ſcientiæ, morum venuſtate, diſcretionis, & probitatis maturitate, alijſque donis virtutum inſigniuit Dominus, quique zelum feruentem ad ordinem ipſum habere dignoſceris, dirigentes intuitum mentis Noſtræ curam, & adminiſtrationem Miniſteriatus generalis eiuſdem ordinis, quouſque foret ei de Miniſtro generali prouiſum, tibi per Noſtras literas duximus committendas, ſicut in eiſdem literis plenius continetur. Sane cum inſtet Capitulum generale prædicti ordinis Maſſiliæ celebrandum, in quo dicti Miniſtri electio imminet de Noſtro beneplacito facienda, Noſtræque intentionis fuerit, & exiſtat, quod tu in eodem Capitulo, ac Electoribus, & Fratribus ibidem congregandis, velut gerens curam, & adminiſtrationem huiuſmodi præſideas, donec per electionem concordem, & vtilem fuerit de Miniſtro generali prouiſum, quibuſue priuilegijs Apoſtolicis, ac conſuetudinibus, ſtatutis, & obſeruantijs ipſius ordinis contrarijs nequaquam obſtantibus, quibus tamen propter hoc ſuper alijs, vel alias non intendimus in aliquo derogare; diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ad prædictum Capitulum accedens, tuumque huiuſmodi officium ibidem fideliter, & ſollicitè exercens, vt tam circa electionem prædictam, quàm alia in Capitulo ipſo agenda, pacis, & charitatis vigeat vnitas, & omnia ſecundum Deum, & ipſius vtilitatem ordinis ſalubriter dirigantur, partes tuæ ſollicitudinis interponas; ita quod ex tua directione vberes fructus aſſiſtente Diuina gratia proueniant, tuque perennis mercedem præmij conſequaris. Datum Auenione xi. Kalend. Iunij Anno Secundo.

CLEMENS, &c. Dilectis filijs Miniſtris, & Cuſtodibus Fratrum ordinis Minorum Capitulo generali eiuſdem ordinis celebrando Maſſiliæ congregandis.

Cum inter cetera, quæ in generali ordinis veſtri Capitulo celebrando Maſſiliæ gerenda vobis, vt æſtimamus incumbunt, electio generalis Miniſtri de Noſtro beneplacito ibidem immineat facienda; Nos cupientes talem perſonam ipſius ordinis, quem gerimus in viſceribus charitatis, in Miniſtrum eligi, per cuius virtutes, & merita dirigatur ad ſalutaria ipſe ordo, ſinceritatem veſtram attentius in Domino exhortamur, quatenus habentes ſuper his præ oculis ſolum Deum, illam eligatis ad Miniſteriatum prædictum perſonam, quam ſecundum Deum, & veſtras conſcientias vtiliorem credideritis ordini ſupradicto. Si vero hæc in perſona dilecti filij Fortanerij Vaſſelli eiuſdem ordinis ſacræ Theologiæ profeſſoris auctoritate Apoſtolica curam, & adminiſtrationem Miniſteriatus prædicti gerentis, cuius eminentiam ſcientiæ, & virtutes multas Nos perſpectas habemus, videritis concurrere; ſicque ipſum eſſe prædicto Miniſteriatu ſufficientem, & idoneum credideritis, gratum eſſet Nobis, & placabile, ſi ad omnes eligeretur illius, ſuper quibus omnibus cum omni ſinceritate, & puritate conſcientiæ procedatis. Datum Auenione ix. Kalend. Iunij Anno Secundo.

Renunciatũ deinde Miniſtrũ generalem Fortanerium profecturum in Italiam priuilegijs multis Pontifex muniuit, ac Principibus, & Pontificij Status Rectoribus commendauit. Non defuerunt tamen, qui de eo conquerebantur, quòd foueret, & priuilegijs, atque exemptionibus audentiores redderet Fratres, qui ad arctiorem regulæ obſeruantiam aſpirabant, præſertim illos, qui in Vmbria in Conuentu S. Bartholomæi de Bruſliano, alijſque locis ſub diſciplina B. Ioannis de Vallibus verſabantur, & parua tunc iacebant ſemina regularis obſeruantiæ, quæ poſtea in magnam ſegetem creuerunt. Inhibuit ergo Pontifex ne immunitates, aut gratias vllas eis, exhiberet, timens ne ſopita iam ſchiſmata, & moleſtę diſcordiæ iterum reuiuiſcerent. Rexit ordinem annos quinque, quibus elapſis a Clemente, nono Kalendas Nouembris anno à partu Virginis 1347. accepit adminiſtrationem Archiepiſcopatus Rauẽnatenſis. Cui Eccleſiæ præfuit nonnullis annis, partes Pontificis toto pectore defendendo contra Ghibellinos, ad Patriarchatum deinde Gradenſem tranſlatus retenta tamen adminiſtratione Eccleſiæ Rauennatis, Clementis iuſſu legationis munere functus eſt ad Andream Dandulum Venetiarum Ducem, vt inter Reſpublicas Venetam, ac Genuenſem inter ſe diſſidentes, rationes iniret concordiæ, atque ad illum has ſcripſit literas Clemens.

Luc. Vvading. in Annal. Minorum.

Ferdinãd. Vghel in Ital. ſac.

CLEMENS, &c. Venerabili Fratri Fortanerio Patriarchæ Gradenſi Apoſtolicæ Sedis Nuntio.

Grauis inter dilectos filios Nobiles viros Ducem Venetiarum, & Gubernatorem Ianuenſem, nec non Ianuenſis Ciuitatis, & Venetiarum communia, procurante pacis æmulo, ſuborta diſſenſio amaricat grauiter mentem Noſtram, pungit animum, & viſcera quoque conturbat. In ea nanque particularium diſſidentium partium damna, diſpendiaque deflemus; in ea communia Catholicæ fidei detrimenta, in ea Chriſtiani populi maximè partium Orientis pericula deploramus. Quis enim zelator Chriſtiani nominis, & honoris non defleat eos inuicem diſſidere, ac per diſſenſiones huiuſmodi periculoſa, ac diſpendioſa diſcrimina debiliores effici, quos ad exaltationem, & tutelam fidei, & populi prædictorum gratioſos pugiles patẽter aſpexit? quis non vniuerſalia detrimẽta, & pericula eorumdem fidei, & populi defleat, in quos pagana gens captata hinc opportunitate nocendi, velut effrænis ſæuit immanius, furit licentius, & liberius debacchatur. Merito itaque ad ipſam pernicioſam ſupputandam diſcordiam, & radices ipſius ne venenoſis ex ea ſuccreſcentibus ſurculis, praua detrimenta reſtaurent, funditus euellendas, & pacem propagatricem, & matrem bonorum omnium reformandam inducimur, & ab intimis præcordijs excitamur, vt diſſidentes ijdem pace mutua gaudeant, & ipſa pagana gente à perſecutionis impetu refrænata, idem Populus Chriſtianus ab anguſtijs, & preſſuris, eis per vſum veteribus, & per augmentum nouis, vtcunque reſpiret. Ideoque Fraternitati tuæ, de qua in magnis, & arduis multa experientia, & claris operum titulis approbata, plenam in Domino fiduciam gerimus, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ad partes illas, ſub ſpe illius, qui concordiam in ſublimibus parat, & ad cuius nutum ſtat ſpiritus procellarum, te perſonaliter conferens, ſtudeas ſalutaribus monitis, & ſalubribus inductionibus tuis iuxta datam tibi à Domino gratiam, & virtutem, ſuccidere huiuſmodi peſtilentem omnino diſcordiam, ac radices illius extirpare funditus ſtudeas, diſcordes ipſos ad concordiam ſollicitè reuocare. Vt autem in præmiſſis eo fauorabilius, & facilius, auctore Domino, cuius in hac parte negocium agitur, proſpereris, quo maiori fueris per Nos poteſtate munitus, tibi tractandi, & ordinandi pacem, & treguas inducendi, & treguas, & pacem huiuſmodi opportunis firmitatibus ſpiritualibus, & temporalibus roborandi, quaſcunque inſuper vniones, colligationes, confœderationes, pacta, & promiſſiones per quoſcunque facta, & inita, quatenus executioni præmiſſorum, aut aliquorum, vel alicuius ex eis directè, vel indirectè derogare poſſent, etiam ſi iuramentorum interpoſitionibus, & pœnarum adiectionibus vallata ſint, diſſoluendi, & irritandi, ac iuramenta, ac pœnas huiuſmodi relaxandi. Turbatores quoque, & impeditores, & violatores pacis, & treguarum huiuſmodi, nec non contradictores quoſlibet, & rebelles cuiuſcunque ſtatus, ordinis, gradus, & præeminentiæ fuerint, etiam ſi Pontificali, ſeu Imperiali, vel Regia, aut quauis alia

us alia præfulgeant dignitate, per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita, compeſcendi. Non obſtan. ſi aliquibus communiter, vel diuiſim à ſede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem plenam concedimus tenore præſentium facultatem. Sic igitur in præmiſſis omnibus te exhibeas, ſicut de virtutum tuarum meritis plane confidimus ſtudioſum, ſicque diligentem etiam te impendas, quod ex operum tuorum ſeminibus fructus gratos, & vtiles colligamus, tuque tanti boni promotor, & actor clarus attolli famæ præconijs, & æterna gloria conſequi præmia merearis. Datum apud Villamnouam Auenion. Diœceſ. ix. Kalend. Nouembris Anno Decimo.

A

In literis verò ad Andream Dandulum Ducem Venetiarum hæc de Fortanerio idem Clemens habet. *Venerabilem Fratrem noſtrum Fortanerium Patriarcham Gradenſem, honorabile Eccleſiæ Dei membrum, virum vtique magna virtutis, eminentis ſcientiæ, probitatis expertæ, induſtria ſingularis, pacis amicum, & concordiæ zelatorem, quanquam grata nobis, & vtili præſentia eius careamus inuiti, ad vos deliberatione conſulta prouidimus deſtinandum, &c.*

B

Vbi cum prudentiſſimè munus hoc obijſſet, ac res Pontificias in Aemilia promouiſſet, & alia egregiè in ſedis Apoſtolicæ obſequium præſtiuiſſet, Innocentius Sextus S.R.E. Cardinalibus eum adſcripſit die 17. Septembris, non Decembris, vt ſcripſit Fr. Lucas Vvaddingus, nam literas ea de re ab ipſo Pontifice Auenione, quinto Idus Octobris datas accepit Fortanerius, in quarum extrema pagella his verbis, vt ad ſe feſtinaret, hortabatur, *feſtina itaque fili, feſtina, & ſuaui iugo, leuique oneri Domini colla ſubmiſſurus attende, vt ſicut honoris factus es particeps, ſic oneris, & mercedis participium ſortiaris.* Ipſe, vt Pontificis imperia exequeretur, Auenionem proficiſcens, de illius manu ſacrum Galerum accepturus, in itinere Patauij eodem anno mortem ſubijt ante adeptum titulum, & ibidem ad S. Antonij ſepultus. Non potuit autem deceſſiſſe menſe Septembri, vt ſcribit Ciaconius, qui decimo ſeptimo renunciatus eſt Cardinalis, & non prius quàm ſub fine Octobris, ſi non tardiùs recipere potuit Pontificis literas ſexto Idus Octobris ſcriptas, ſuæ promotionis enunciatiuas. Sublatus eſt epidemia, quæ ferali morbo graſſabatur in Italia, & in Gallia: Fuit vir doctiſſimus, ac plura ingenij monumenta ad poſteros tranſmiſit; videlicet.

Felix Ca-ſtel. in Bib. Card.

C

Nomencl. Cardinal.

Officium de Stigmatibus.
Sermonum librum.
Lectionum Theologicarum librum vnum.
Quodlibeta diſputata.
Plures libros S. Auguſtini de Ciuitate Dei commentatus eſt.
Et omnes ferè ſacrorum Bibliorum libros expoſuit.

Luc. Vvaddingus de ſcript. ordin. Minorum.

In ordinem Seraphicum S. Claræ admiſit vigeſima prima Ianuarij die, anno reparatæ ſalutis 1344. Sanciam Siciliæ, Maioricarum, & Hieruſalem Reginam, quæ Clara de Sancta cruce dicta in Cœnobio ſanctæ Crucis Neapolitano ſanctiſſimè ſexqui annum vixit.

Petrus Rodulph. Gal. Parp.

D

Hunc fuiſſe Vrſinæ gentis Manhæus Villanus auctor eſt, vnde verò notitiam iſtam hauſerit Villanus mihi non eſt notum: neque veritati conforme, quòd Petrus Rodulphus, eumque ſecutus Ciaconius, & Claudius Robertus aſſerit ex Epiſcopo Maſſilienſi Fortanerium factum Archiepiſcopum Rauennatem; cum Romanus Pontifex Clemens referat in ſuo Diplomate ſe illum ab officio Miniſtri generalis immediatè ad Eccleſiam Rauennatem euehere. Et ipſe Rodulphus in ſerie Generalium Minorum, eius vitam referens, nullatenus huius Epiſcopatus Maſſilienſis meminit, ſed electum ſcribit Miniſtrum generalem Maſſiliæ, non verò Maſſiliæ Epiſcopũ fuiſſe.

Geſſit Fortanerius in ſcuto minio vaſculum, ſeu poculum anſatum argenteum.

E

IX.



Claud. Robert. in Gall. Chriſtian. Aubery in vita. And. Victorel. in Add. ad Ciacon. Ferdinand. Vghel. to. 1. Ital. ſac. Odoricus Raynald. in Annal. Eccleſiaſt. Cromerus in hiſtor. Poloniæ. Petr. Frizo in G. Purpur.

AEGIDIVS, ſeu Gilius, aliàs Guillelmus Aiceliin, vel Anſelmi, quem Ciaconius, & Panuinius Iſſalnij, Contelorus Yſſalnij nominat, de Monteacuto, natione Gallus, patria Aruernus, ex Epiſcopo Morinenſi, Presbyter Cardinalis SS. Syluestri, & Martini in montibus, titulo Equitij primò ab Innocētio, mox Epiſcopus Tuſculanus ab Vrbano V. renunciatus, eiuſdem Vrbani iuſſu legationis munere functus eſt in Vmbria, & in Diui Petri Patrimonio. Lutetiam quoque miſſus ad teſtaurandam Pariſienſem Academiã. Cum verò Caſimirus Rex Poloniæ Adeleidē vxorem Reginã thoro eieciſſet, pellicis cuiuſdam conſuetudine irretitus, Regina Vrbanũ Romanũ Pontificē interpellauit, qui cauſæ cognitionem Aegidio huic Presbytero Cardinali cõmiſit. Executor factus teſtamenti Domini Petri de Cabaſſole Cardinalis, qui anno à partu Virginis 1372. ex hac vita diſceſſit, & ſepultus in Monaſterio Boniphacij. Auenione remanſit cum alijs quinque collegis Cardinalibus, Romam repetente Gregorio XI. mortē ſubijt die v. Decembris anno 1378.

F

A

Diſtinguendus eſt Aegidius hic ab Aegidio Bellamera Epiſcopo Auenionenſi, licet à Ciaconio, & Nomenclatoris Cardinalium auctore, alijſque confundantur. Ille enim Auditor Rotæ, non fuit inſignitus Cardinalatu, vt patet ex Epitaphio Auenionenſi.

NOLVIT ET POTVIT ROMANO CARDINE FVNGI.

Hic Aegidius Cardinalis nulla poſteritati reliquit opera, ille multa ſcripſit ad Ius Canonicum pertinentia, videlicet Deciſiones Rotæ; Conſilia in Iure, De Pluralitate Beneficiorum, & permutatione; ſuper titulo de Foro competenti; ſuper §. Contrahentes. Quæ opera Aegidio Cardinali tribuunt Ciaconius, ac Nomenclatoris Cardinalium auctor.

B

Meminere Aegidij Cardinalis Innocentij VI. & Vrbani V. Regiſtra. Geſſit ſcutum non quòd alijs expreſſerat Ciaconius, ſed nigrum tribus leonum capitibus exaratum ex Frizonio, quòd perperam Ioanni de Blandiaco, ſeu de Blaoſaco Epiſcopo Cardinali Sabinenſi tribuerat idem Ciaconius.

Aliqui Aegidium hunc, aliàs vt ſupra diximus, Guillelmum dictum eundem faciunt cum Guillelmo de Monteacuto, quem Ioannes Feron, & Andreas Ducheſne Epiſcopum Teroanenſem, & Franciæ Cancellarium nominant. Anonymus auctor vitæ Innocentij apud Boſquetum refert Aegidium hunc ex Epiſcopo Morinenſi, & Galliæ Cancellario, Presbyteris Cardinalibus fuiſſe aſcriptum, tamen Fr. Franciſcus Lanouius in ſerie Cancellariorum Franciæ illum prætermittit.

X.

C



Thom. Vvalſing.

Ferdinand. Vghel. & Addit. ad Ciacon.

ANDROINVS, quem alij Hadrianum vocant, de Rocha, frater Comitis de la Rocha, natione Gallus, natus in Comitatu Burgundiæ, monachus teſte Frizonio ordinis Benedictini, & Abbas ſancti Sequani Cōfeſſoris Diœceſis Lingonienſis, poſtea Cœnobiarcha Cluniacenſis in Italiam ab Innocentio legatus eſt poſt Aegidium Albornotium. At cum omnia breui maximā paſſi ſint iacturam, cumque res tanto labore partæ faciem mutaſſent, Pontifex Aegidium denuo in Italiam mittere coactus eſt, quo aduentante omnia fuere pacata. Redijt in Gallias Abbas Cluniacenſis, qui vnà cum Hugone Gebennenſium Principum ſtirpe ſato, Hautonij Domino, adhuc Abbas legationis munere functus eſt in Anglia, eiuſdem Innocentij iuſſu anno 1360. ad conciliandos Galliæ, & Angliæ Reges, & impoſitum munus adeò egregiè obijt, vt menſe Maio eiuſdem anni apud Carnutes fœdus percuſſum ſit: ſeruatum ritum ad illud ſanciendum deſcribit his verbis Vvalſingamus in Eduardo III. *Rex* nimirũ *Anglorum annuit, vt iuratis in Corpore Dominico partibus, tactiſque ſacroſanctis Euangelijs, pacta ſtabilirentur. Mittantur igitur ex vtraque parte, Angliæ videlicet, & Franciæ duo Barones, duo quoque milites corporale ſacramentum Domini Caroli regentis Franciæ primogeniti Ioannis Regis eiuſdem, ac Domini Eduardi Regis Angliæ audire, & admittere. Paratis igitur celebrata ſolemni Miſſa, dictoque ter Agnus Dei, adiecto, Dona nobis pacem, dictus Carolus in præſentia prædictorum, & aliorum plurium dexteram ſuper patenam cum Corpore Dominico, & leuam ſuper Miſſale poſuit, hæc verba proferens. Nos Carolus iuramus ad ſacroſancta Corpus Domini, & Euangelia firmiter ſeruare penes nos pacem, & concordiam firmatas inter Reges, & nullo modo in contrarium venire. Poſt hæc datis militibus Reliquijs de Corona Chriſti in teſtimonium omnibus, vale fecit.*

D

Oder. Raynald. in Annal. Eccleſiaſtic.

E

Eduardus Iulio menſe vnà cum Ioanne Gallorum Rege Caletum applicuit, qua in Vrbe conuenta, iterum ſolemni ritu confirmanda erant: diuinis operatus eſt Androinus Abbas S.R.E. Legatus in Templo Diuo Nicolao ſacro, cumque Corpus Chriſti conſecraſſet, ac perueniſſet ad ea verba *Agnus Dei, qui tollis peccata Mundi dona nobis pacem:* ſacratiſſimam Hoſtiam manu præferens conuertit ſe ad Reges, qui in genua prouoluti, manu admota Euchariſtiæ fœdus ſeruaturos ſacramento ſe obſtrinxere, eoſque Abbas ſanctiſſimo diuiniſſimoque Chriſti Corpore pauit. Deinde porrectis ab illo Euangelijs, Reges iuſiurandum iterùm renouarunt; tum Gallici, & Anglici ſceptri hæredes futuri filij vnà cum alijs Principibus fidem pariter deuinxere. Flagitarunt fœderati Reges à Pontifice, vt Androinum Abbatem Cluniacenſem, qui felicitate ſumma, & contentione in conciliandis Regibus deſudarat, Cardinalatus præmio afficeret. Quare Innocentius anno ſequenti 1361. illum abſentem ſacra purpura donauit: non potuit tamen ſe recipere in Curiam niſi anno ſequenti 1362. Et dum Conclaui de more Cardinales poſt In-

F

Ciaconius. Panuinius. Aubery in vita.

nocentij

Anonym. Auct. vitæ Innocētij apud Boſquetum. Pet. Frizō in Gallia Purpur.

nocentij obitum includebantur, ſuborta eſt controuerſia an Androinus ad electionem vnà cum alijs celebrandam admittendus eſſet, cum os illi apertum, vt vulgò dicitur, nondum fuiſſet, ſed ex diuturno à Senatu vniuerſo ad id electorum Cardinalium ſententia licuit illi ad nouum Pontificem eligendum ferre ſententiam. Rem narrat Vrbani geſtorum ſcriptor his verbis. *In hac electione nimirum Vrbani, fuit præſens tanquam in ipſa vocem habēs admiſſus, & in Conclaui cum alijs Cardinalibus introductus Dominus Androinus de Rocha, prius Abbas Cluniacenſis, qui per dictum Innocentium Papam VI. factus fuerat Presbyter Cardinalis. Cum tamen nondum haberet titulum, nec viuente dicto Innocentio in Conſiſtorio fuerat inſtallatus: intrauit enim primo Curiam, dum dictus Innocentius laborabat in extremis, imò, & quaſi hora, qua moriebatur. Quod ideo hic notanter inferendum duxi, vt appareat, quod ſola aſſumptio, ſeu promotio ad Cardinalatum dat vocem in electione Papæ, & non tituli aſſignatio; & hoc expreſſe denotat regularis, ſeu communis obſeruantia, quæ habet, quod nouiter promotus ad dictum ſtatum per Papam clauditur os, antequam ſibi titulus aſſignetur, ſicque manet ore clauſo, & vocem in nullo habens, donec demum ſibi aperiatur, & tunc ſibi titulus aſſignatur, & vt in poſterum loquatur, vocemq; liberā habeat tā in dicta electione, quam alijs actibus ad ſtatū huiuſmodi pertinentibus tribuitur, & conceditur facultas, quæ per dictam oris clauſuram ſuſpenſa fuerat, & effectualiter interdicta.*

Bernard. Corius in Hiſt. Mediolanen. Matth. Villanus.

Ab Vrbano initio Pontificatus iterum miſſus Androinus Presbyter Cardinalis S. Marcelli iam renunciatus in Italiam cum milite contra Bernabonem, & Galeatium Vicecomites, Bononiam, & Romandiolam occupantes. Qui victi xij. Kalendas Iulij anno 1363. primò à Bononienſi Vrbe lapide ad ſancti Roſilli Aedem, pacem ab Androino Legato illico petierunt, eiſque data hiſce conditionibus.

1. Bernabos Vicecomes titulo Vicarij Imperij ne amplius vtatur.
2. Diplomata, quæ pro ea dignitate à Carolo acceperat, reſtituat, neque ampliùs quicquam Imperij, vt Vicarius adminiſtret.
3. Bononiam Vrbem ne deſideret, ne inuadat, ne tentet, & ſi quid iuris in poſſeſſionem illius putet ſe quocunque nomine habere, totum Romano Pontifici permittat.
4. Caſtra Burgi, Crepacorij, Caſtrifranchi, Plutrani, Semauallis, & omnia recens ab eo in agro Bononienſi fortalitia extructa Eccleſiæ Romanæ concedat.
5. Neminem confœderatorum Eccleſiæ Principum, & Ciuitatum bello laceſſat, ac inuaſa ſingulis attribuat.
6. Guelpham apud ſe factionem non opprimat, ſed ex æquo omnibus ſuis ſubditis imperet.
7. Pontifex Vrbanus ratione Caſtellorum recens extructorum certam auri ſummam infra octo annos dependat.
8. Anathemate illum, & ſocios exoluat.
9. Vrbibus, & oppidis illius, & ſociorum reſtitui ſacra iubeat.
10. Qui pactis non ſteterit, 1200. nummûm auri mulctetur.

Felix Cōtelor. in Genealog. Comit. Romanorum.

Bononiæ Aedes publicas, hodie Antianorum dictas, nouis fabricis ampliores reddidit. Hic Legatus in Italia conceſſit Ioanni de Comite Romano pari, Petri, Adenulphi, & Ildebrandini Dominorum Caſtri Vallimontonis Signinæ Diœceſis, feudum ſancti Hippolyti cum Caſtellari Vallis Rainerij, & Molendino Valerani Prænestinæ Diœceſis, quam donationem deinde Vrbanus V. confirmauit.

Scripſit Androinus Cardinalis ſermones multos diebus feſtis habitos, vt notat ex Eiſengrenio Nomenclatoris Cardinalium auctor: extare apud Ioſephum Mariam Suareſium Epiſcopum Vaſionenſem, affirmat Andreas Victorellus in Additionibus ad Ciaconium. m. s. exemplar relationis de ſtatu rerum ſedis Apoſtolicæ in Italia à die 13. Aprilis, vſque ad 23. Auguſti anni 1357. ab Androino Abbate Cluniacenſe ad Innocentium VI. Auenionem tranſmiſſæ.

Ferdinād. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

Viterbij quinto ex Friſonio, ex Contelorio verò quarto Kalend. Nouembris anno 1369. peſtifera lue obijt: Corpus delatum Cluniacum, & iacet iuxta ſellam lapideam capellæ ſancti Martialis. Necrologium Collegij S. Martialis Auenionenſis hæc habet. *Depoſitio Cardinalis Androini v. Kalendas Nouembris, qui fuit Abbas Cluniacenſis, & acquiſiuit libratam, in qua ædificata eſt Eccleſia cum Collegio.*

Archāgelus Gianius in Annal. Seruor. And. Victorel in Addition. ad Ciacō.

Quidam inter Seruorum B. Virginis Cardinales, enumerant Androinum hunc Presbyterum Cardinalem S Marcelli: volunt enim, vt ipſi aiunt, ante obitum, veſtibus ipſius ordinis amiciri, & cadauer in æde ſanctæ Mariæ de Veritate Viterbij tumulari: quidquid ſit, certū quidem eſt Androinum ordinis Seruorū Protectoris munere Romanorum Pontificum iuſſu functum fuiſſe: quare vna cum Canonicis, quorum Præpoſitus titularis erat ipſe Androinus, ſponte, Vrbani V. authoritate Templum D. Marcelli diuiſit, illudque tribuit Religioſis viris ordinis Seruorum B. Virginis, retento ta ſibi S. Marcelli titulo inde factum: vt Generales Præfecti Seruorum Præpoſiti nominētur ſancti Marcelli, nigrumque pileum in Romana Curia, aliorum Prælatorum more deferant, illoque gentilitia ſtemmata exornent.

Steph. Baluze in Antiſſiono.

Friſonius ſcribit, Hugone Fabri eiurante anno 1350. Epiſcopatum Tutellenſem, & facto Carthuſiano, Clementem huius nominis VI. Romanum Pontificem contuliſſe illum Androino de Rocha Burgundo, qui decennium præfuerat Cluniaco. His itaque veſtigijs inhærens in tertio ſui operis indice, dum recenſet Epiſcopos Tutellenſes, qui fuerunt Cardinales, inter hos nominatim exprimit Androinum de Rocha Presbyterum Cardinalem tituli ſancti Marcelli. At Hugonem Fabri, & Androinum de Rocha nunquam fuiſſe Epiſcopos adeo certum eſt, vt dubitari de eo non poſſit; cum præſertim omittantur a Chenutio, & Roberto in ſuis Epiſcoporum Tutellenſium Catalogis, & a Bertrando Turriano in hiſtoria Eccleſiæ Tutellenſis. Sanè Hugonem Fabri Abbatem Cluniacenſem fuiſſe, atque ea Abbatia eiurata anno 1350. in manibus Clementis VI. ſummi Pontificis, ſacram Carthuſianorum veſtem induiſſe ſcribit auctor vitæ Clementis tum viuens. *Frater Hugo Fabri*, inquit ille, *origine Tutellenſis, Abbas tunc Cluniacenſis, libere ſuo Monaſterio renunciauit, & ad ſeruiendum Deo liberius ordinem Carthuſienſem eſt ingreſſus, in quo poſt conuerſationem laudabilem proceſſu temporis vitam finiuit.* Cōfirmat hæc auctor Chronici Cluniacenſis his verbis. *Hugo Fabri ſeptimus, Abbas 33. regerecepit anno 1347. rexit annis quatuor, & reſignauit Abbatiam in manu Domini Noſtri Papæ, deinde factus eſt Carthuſianus, in quo ordine vixit 18. annis, obijt 4. Kal. Auguſti, iacet in Prioratu Vallis ſanctæ Mariæ ordinis Carthuſienſis.* Ex his patet Hugonem Fabri nunquam fuiſſe Epiſcopum non ſolùm Tutellenſis, ſed nullius omnino ſedis. Succeſſit ei in dicto Abbatis officio, ſeu dignitate a ſe eiurata eodem anno 1350. Androinus de Rocha Burgūdus, quem poſtea Innocentius Cardinalem nominauit, poſtquam decennium rexiſſet Abbatiam Cluniacenſem, vt docet auctor Appendicis ad Chronicon Bernardi Guidonis editus à Boſqueto, adeoque nullibi inuenitur Cardinalem illum fuiſſe infulis Epiſcopalibus decoratum.



XI.

Ciaconius. Panuinius. Aubery in vit. Pet. Frizō in Gallia Purpurat. Claud. Robert in Gall. Chriſtiana. Fer. Ughel to. 1. Ital. ſac. Anonym. Auct. vitæ Innocētij apud Boſquetum.

PETRVS Iterius natione Gallus, Diœceſis Petragoricenſis, Legum doctor illius qui inſignis, ex Præſule Aquenſi inter Presbyteros Cardinales titulo SS. IV. Coronatorum ab Innocentio, deinde inter Epiſcopos Albanenſes ab Vrbano ſucceſſore cooptatus eſt ann. 1364. non tamen diu vitam egit. Nam anno 1367. xiij. Kalend. Iunij Auenione extremum efflauit ſpiritum, & illic iacet in Prædicatorum Aede, & Sacello à ſe condito, cum hoc Epitaphio.

IN PRÆSENTI CAPELLA IACET REVERENDISSIMVS IN CHRISTO PATER DOMINVS PETRVS ITERII EPISCOPVS ALBANENSIS CARDINALIS AQVENSIS DOCTOR LEGVM EGREGIVS QVI OBIIT SVB DIE MENSIS MAII DECIMO NONO ANNO DOMINI MCCCLXVII. POST RECESSVM DOMINI VRBANI V.



XII.

Felix Cōtelor. in Slē. ch Card. Aubery in vit. Ciaconius. Panuinius de Rom. Pontif. Anonym. auctor vitæ Innocētij VI apud Boſq. Oder. Raynald. in Annal. Eccleſiaſtic. Pet. Frizō in Gallia Purpurat. Ferdinād Vghel in Addit ad Ciacon. & to. 1. Ital. ſacræ. Baldus conſ. 124. volum. 5.

IOANNES de Blandiaco, ſeu Branſaco, quem Claudius Robertus in Gallia Chriſtiana Petrū nominat, Vticenſis Diœceſis, nepos Bertrandi Cardinalis Deucij, Iuris Vtriuſque doctor ex Epiſcopo Nemauſenſi, Presbyter Cardinalis S. Marci ab Innocentio VI. deinde a Gregorio XI. Epiſcopus Sabinenſis renunciatus eſt anno 1372. Impetrata à Pontifice facultate Aedem S. Deſiderij Parœcialem in Vrbe Auenionenſi inſtaurauit, extructam anguſtiùs, ac dotatam Bertrandi Cardinalis de Deucio pecunijs in Collegiatam erexit anno 1359. Gregorio XI. Auenione Romam diſcedente, cum alijs quinque Cardinalibus remanſit Ioannes regendę Vrbis Auenionenſis ergo; cum iam ante Lutetiam miſſus fuiſſet ab Vrbano V. cum Aegidio Aiſcelino Cardinale ad Academiam illam priſco ſplendori reſtituendam. Bertrandus de Deucio auunculus ſuo teſtamento cum tribus alijs Cardinalibus Ioannem nepotem præfecit Clementis VII. Pſeudopontificis partes contra Vrbanum VI. conſectatus aliquando eſt.

Andr. Victorell in Addit ad Ciaconiū.

Ad extremam vitę metam peruenit octauo Idus Iulij anno 1379. Auenione, & ſepultus in Templo ſancti Deſiderij ſub lapide ante aram principem ſine pompa, & ſine Epitaphio, vt ipſe teſtamento iuſſerat. In eiuſdem Templi Necrologio die octaua Iulij notatur Anniuerſarium Domini Ioannis de Blandiaco Epiſcopi Sabinenſis nepotis fundatoris eiuſdem Templi, cuius cadauer in proximo ſepulchro fuit collocatum.

Ciaconius

Ciaconius Ioanni huic de Blandiaco Cardinali gentilitium Symbolum Aegidij Iſlalnij de Monteacuto Cardinalis, Iſlalnio verò inſignia Aegidij Bellamere Epiſcopi Aueniouenſis perperam tribuit. At in ſtemmate Ioannis de Blandiaco ſtat ceruus dextero anteriore pede parum erecto, vt ſupra expreſſimus ex Friſonio, qui ſibi conſtans in dicenda huiuſce Cardinalis patria non eſt; nam in vita natum illum eſſe affirmat in Diœceſi Vticenſi, in Appendice verò Lemouicenſem facit. In vita enim Ioannis de Rochechouard ſcribit: *Nec eſt confundendus cum Ioanne Lemouicenſi Cardinale Epiſcopo Sabino; nam hic vocitatur de Blandiaco.* Sibi quoque repugnat in tempore illius creationis: nam in Appendice docet Ioannem de Blandiaco purpura veſtitum fuiſſe ab Vrbano V. & alibi Cardinaliũ Presbyterorum ordini adiunctum tt. S. Marci ab Innocentio fuiſſe ſcribit.

Steph. Baluz. in Aueniocne.

XIII.



Ciaconius. Panuinus. Aubery in Vita. Pet. Friſon. in Gallia Purpurat. Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana. Felix Contelor. in Elench. Card. Anonym. Auct. vitæ Innoc. VI. apud Boſquet.

STEPHANVS Alberti, ſeu Auberti, Gallus natione, patria Lemouicenſis, Innocentij VI. Romani Pontificis pronepos, ſeu Papirio Maſſono teſte, ex fratre, nepos Epiſcopus Carcaſſonẽſis primò, mox Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Aquiro ab Innocẽtio, demum ab Vrbano V. Innocentij ſucceſſore, Presbyter Cardinalis ſancti Laurentij in Lucina renunciatus, in Italiam cum Vrbano ſe contulit, & Viterbij iij. Kal. Octobris anno 1369. ad Deum euocatus ex hac vita diſceſſit, & ſepultus in Cathedrali eiuſdem Vrbis.

XIV.



Ciaconius. Panuinus. Anonym. Auct. vitæ Innocẽtij apud Boſquetum. Aubery in vita. Pet. Friſon. in Gallia Purpurat. Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana. Felix Contelor. in Elencho.

GVILLELMVS Bragoſe, natione Gallus, patria Gabalitanus, Diœceſis Mimatenſis cum plures annos Doctor celebris Toloſæ docuiſſet Ius Canonicũ, Vabrenſis Præſul electus eſt. Illum ex Epiſcopo Diaconum Cardinalem S. Georgij in Velabro Innocentius anno 1361. & Vrbanus V. Presbyterum Cardinalem S. Laurentij in Lucina, & maiorem Pœnitentiarium nominauit. Legimus enim apud Innocentij vitæ ſcriptorem. *Dictus Vrbanus Papa modo præmiſſo electus, conſecratus, & coronatus, ſatis cito Dominum Guillelmum Bragoſe ſancti Georgij ad velum Aureum Diaconum Cardinalem, ac maiorem Pœnitentiarium, virum vtique ſatis grandæuum, qui per prius in Studio Toloſano, Doctor ſolemnis Decretorum exiſtens, annis pluribus Cathedram Doctoralem ad perutilem inſtructionem, ſeu informationem plurimorum rexerat, in Presbyterum Cardinalem ordinauit, ſibique titulum Presbyteralem aſſignauit, videlicet S. Laurentij in Lucina; ad quod faciendum præcipue motus extitit, officio Pœnitentiariæ, quod Presbytero magis, quam Diacono conuenire iudicauit.*

Cum Vrbano in Italiam venit, & Romæ die 11. Nouembris anno 1367. è vita deceſſit, & ſepultus in titulo ſui Cardinalatus: apud Ciaconium per errorem impreſſoris legimus Guillelmum obijſſe anno 1347. Huiuſce Guillelmi Cardinalis meminere Vrbani V. Regiſtra Vaticana.

XV.



Ciaconius. Panuinus. Aubery in vita. Petrus Friſon. in Gal. Purp. Anonym. auctor vitæ Innocẽtij VI. apud Boſq.

HVGO à ſancto Martiale, natione Gallus, Iuris Vtriuſque Doctor, Præpoſitus Duacenſis, natus eſt in Aquitania, in loco D. Thomæ de Capella à Planis: Lemouicenſem illum facit Andreas Victorellus in Additionibus ad Ciaconium. Fratres habuit Guidonem de S. Martiale, & Petrum Archipræſulem Toloſanum, antea Riuenſem, & Carcaſſonenſem Epiſcopum, & nepotem Bertrandum de Malomonte Biterrenſem Antiſtitẽ Diaconis Cardinalibus, ab Innocentio aſcriptus, præfuit Eccleſiæ S. Mariæ in Porticu. Vrbani V. iuſſu vna cum Stephano Diacono Cardinali S. Mariæ in Aquiro, Bernabonem Vicecomitem Eccleſiæ ... vt ſe Apoſtolicis ſubſellijs ſiſteret, appellauit. Gregorius XI. Romanus Pontifex Romam petens, Hugonem hunc, Diaconorum tunc temporis Decanum, cum alijs quinque Cardinalibus reliquit Auenione. Auctor fuit Sacelli in æde Cœleſtinorum Aueniouenſium.

Hugonẽ hunc mors abripuit Auenione anno 1403. corpus apud Cœleſtinos ad pontem Sorgiæ Aueniouenſem ſepulchro conditum ex Necrologio Cœleſtinorum: Ciaconius ſcribit obijſſe Pridie Kalendas Martij anno 1384. in obedientia Clementis VII. Sed contra Ciaconium eſt Benedicti XIII. Diploma, quo vj. Kalendas Octobris anni noni Pontificatus, Prioratum de Montealto Cluniacenſis ordinis, vacantem per obitum Hugonis Cardinalis confert Guidoni Epiſcopo Præneſtino: ſcimus enim vixiſſe anno 1398. & à Benedicti XIII. obedientia non receſſiſſe.

Felix Contelor. in Elencho.

XVI.



FR. IOANNES Laſſus, natione Hiſpanus, patria Hiſpalenſis, filius Garciæ Laſſi, generis nobilitate clari, ordinis B. Mariæ Redemptionis captiuorum Alumnus, Theologus inſignis, & Alphonſo Caſtellę Regi pergratus, ab Innocentio VI. Presb. Card. tit. S. M. Tranſtyb. abſens adſcriptus eſt die 23. Decembris anno 1356. ex Alphonſo Remondo, & Iacobo Ioanne Viues: Stephanus tamen Corbera non ab Innocẽtio, ſed ab Vrbano Innocentij Succeſſore hunc inter Cardinales cooptatũ affirmat. E vita exceſſit Auenione 1366.

CANCELLARII S. R. E.
ſub Innocentio VI.

Bertrandus Deucius, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis, à principio Pontificatus, vſque ad annum tertium.

Petrus de Prato, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus ab anno tertio, vſque ad nonum.

Petrus de Monteruco, Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Anaſtaſiæ, vſque ad finem Pontificatus.

CARDINALES MORTVI
ſub eodem Pontifice.

Mag. Frater Ioannes Morlandinus, alijs Molendinus, Gallus, ordinis Prædicatorum Presbyter Cardinalis ſanctæ Sabinæ exceſſit è vita die 23. Februarij anno 1353.

Aegidius Rigaudi Abbas ſancti Dionyſij, Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Praxedis, die 10 Septembris eiuſdem anni 1353.

Guillelmus de Aura, Gallus, monachus Benedictinus Presbyter Cardinalis S. Stephani in Cœlio monte, die 3. Decemb. anni 1353.

Pictauinus Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctorum duodecim Apoſtolorum, die prima Februarij anno 1355.

Bertrandus Deucius, Gallus, Epiſcopus Sabinenſis die 21. Octobris anno 1355.

Arnaldus Gallus, Presbyter Cardinalis ſancti Syxti, die 28. Octobris anno eodem.

Mag. F. Paſtor de Albernaco, Gallus, ordinis Minorum, Presbyter Cardinalis ſanctorum Syluestri, & Martini in montibus, ſeu ſanctorum Petri, & Marcellini, die 11. Octobris anno 1356.

Gailardus de la Mota, ſeu de Mota, Gallus, Diaconus Cardinalis S. Luciæ in Silice, die 20. Decembris anno eodem 1356.

Stephanus de Gardia Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctorum Syluestri, & Martini in montibus anno 1359.

Fr. Guillelmus Curti, Gallus, monachus Ciſtercienſis Epiſcopus Tuſculanus, die 12. Iunij anno 1361.

Mag. Fr. Guillelmus Fortanerij, Gallus, ordinis Minorum Presb. Card. SS. Petri, & Marcellini, die 27. Iunij anno eodem 1361.

Petrus de la Foreſt, Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctorum duodecim Apoſtolorum, die 27. Iunij anno 1361.

Petrus Bertrãdi I. Gallus Epiſc. Card. Oſtien. die 13. Iulij a. 1361.

Ioannes de Caramagna, Gallus, Diaconus Cardinalis S. Georgij in Velabro, die prima Augusti anno 1361.

Bertrandus de Turre, Gallus, Diaconus Cardinalis ſancti Euſtachij die 7. Augusti anno eodem 1361.

Franciſcus de Aptis de Tuderto Presbyter Cardinalis ſancti Marci, die 25. Augusti, ſeu die 4. Septembris 1361.

Petrus de Croſſo Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctorum Syluestri, & Martini in montibus, die 23. Septembris anno 1361.

Mag. Fr. Fortanerius, ſeu Sertorius Vaſelli Gallus, ordinis Minorum Presbyter Cardinalis menſe Octobris anno 1361.

Petrus de Prato, Gallus, Epiſc. Card. Præneſtinus anno 1361.

Mag. Frater Nicolaus Roſelli, Hiſpanus, ordinis Prædicatorum Presbyter Cardinalis ſancti Syxti, die 28. Martij, anno 1362.

VRBA-

VRBANVS V. PONTIFEX CCII.

ANNO DOMINI MCCCLXII.





IN NOMINE DEI, ET SALVATORIS Noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen.

POST Nouemdialia Innocentij VI. Papæ in Eccleſia Cathedrali Aueniomenſi celebrata, x. Kalend. Octobris Sacris Spiritus ſancto habitus, Cardinales congregati vnus, & viginti tantùm fuere in Palatio Pontificio Aueniomenſi, in quo poſt multas acres, ſed non longas Comitiales contentiones, cum concordes inter ſe non eſſent, aliquem patria Lemouicem Cardinalem Pontificem deligere volebant, ſed Deo aliter viſum; nam ad v. Kalend. Octobris ſcrutinio habito deſignatus eſt nullus Cardinalium; verùm eligitur abſens, & extra Collegium, Guillelmus Griſatus, Grimaldi viri militaris, & Amphiliſiæ Monferrantæ nobilis fœminæ, & religioſiſſimæ, quæ à multis ſancta exiſtimata eſt, filius, vtroque parente Gabalus: ea enim gens Gabalorum dicitur, in oppido paternæ ditionis Griſatio natus, id caſtri nomen in edito mōte ſiti, duodecim paſſuū millibus ab vrbe Mimatēſi, prouinciæ Galliarum Toloſanæ. Qui ab ineunte ætate liberalibus diſciplinis imbutus, artium, iuris Ciuilis, & Decretorum doctoratum, & ſacræ Theologiæ magiſterium in Gymnaſio montis Peſſulani, & Toloſano, Aueniomenſi, & Pariſienſi demùm acceperat. Monaſticam vitam adoleſcens profeſſus eſt in Monaſterio Cluniacenſi, Mimatenſis Diœceſis, vbi ſacros omnes ordines accepit, & habitum monaſticum, vſque ad mortem, etiam Pontifex continuò geſtauit. Suſcepto magiſterij gradu per viginti annos ius Pontificium, & ſacras literas publicè docuit, ac multos nobiles, & egregios auditores habuit, Vicarium Epiſcoporum Claromontis, & Vticenſis integrè, & ſeuerè egit; Inde ad Curiam Romanam veniens, eius induſtria, doctrina, & pietate cognita ab Innocentio VI. Abbas Antiſiodorenſis primùm, deinde Maſſilienſis factus eſt, multis, magniſque legationibus ſæpè ornatus, & præſertim nouiſſima Italica ad Vicecomites, in qua abſens Pontifex, vix annum 53. agens anno 1362. renunciatus eſt. Erat is vir ſingularis virtutis, & ingentis animi, morum, & innocentiſſimæ vitæ maieſtatem adiunxerat, ita, vt virgo eſſe ab omnibus crederetur, & poſt mortem miraculis fulgens pro ſancto habitus, & multa de eius canonizatione mentio facta ſit. Ad eum abſentem ſcribuntur literæ, quibus quam ocyſſime redire iubebatur, interim occultam electionem eſſe voluerunt, ne fortè ab Italica gente detineretur, literis acceptis Aueniomenem rediјt, dixiſſeque fertur Florentinis, ſi ſe Pontificem creatum viderit, venturum Romam, reductaque ad ſedem Petri Curia, & oppreſſis Tyrannis moleſtiſſimis Italiæ, non fore, cur diutiùs velit viuere; idque narrat Matthæus Villanus. Electionis decretum probauit; & ex Italia Aueniomem Pridie Kalend. Nouembris acceſſit.

VRBANI Electio.

EIVSDEM primordia.

VRBANVS, vt virgo apud omnes habetur.

ABSENS Pontifex eligitur Aueniomenem receptis literis redit.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1362. die Dominico viij. Idus Nouembris, Vrbanus Papa V. Aueniome in Cathedrali S. Mariæ de Domis conſecratus eſt, & ſuę coronationis inſignia ſuſcepit, per manus Arnaldi de Via Caturcenſis Diaconi Cardinalis ſancti Euſtachij S. R. E. Archidiaconi, Cardinalibus, Epiſcopis, Clero, & populo adſtantibus, Vrbani V. nomen accepit, ſeditque Carolo IV. Imperatore annos 7. menſes 2. dies 24.

CONSECRATIO, & Coronatio Papæ Vrbani V.

CARDINALES XXI. VIVENTES quando Vrbanus Papa V. creatus eſt.

EPISCOPI CARDINALES VI.

CLEMENTIS PAPAE VI.

1. Talairandus Comes Petragoricenſis, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Albanus.
2. Guido de Monteforti, Lemouicenſis, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ.

INNOCENTII PAPAE VI.

3. Aegidius Aluari Carriglius de Albornotio, Conchenſis, Hiſpanus, Epiſcopus Cardinalis Sabinus.
4. Raymundus de Canillac Antiſiodorenſis Gallus, Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus.
5. Nicolaus Capoccius Romanus, Epiſc. Card. Tuſculanus.
6. Androinus Alberti Lemouicenſis, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus.

PRESBYTERI CARDINALES VIII.

CLEMENTIS PAPAE VI.

7. Frater Hugo Rogerij Monſtruus de Malmonte, Lemouicenſis, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Laurentij in Damaſo, Prior Presbyterorum.
8. Frater Guillelmus de Agrifolio Gallus, monachus Cluniacenſis, Presb Card. tit. S. Mariæ Tranſtyberim, ſeu Calliſti.

INNOCENTII PAPAE VI.

9. Frater Elias de S. Heredio, Gallus, ordinis Minorum, Presbyter Cardinalis titulo S. Stephani in Cœlio monte.
10. Petrus de Monturuco, Lemouicenſis, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo S. Anaſtaſiæ S. R. E. Vicecancellarius.
11. Aegidius Iſlainij de Montecuto, Gallus, Presbyter Cardinalis SS. Syluestri, & Martini in montibus tit. Equitij.
12. Fr. Androinus de Roca, Burgundus, Gallus, monachus Cluniacenſis, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Marcelli.
13. Ioannes de Blandiaco, Gallus, Presbyter Card. tt. S. Marci.
14. Petrus Itrerij Aquenſis, Vaſco, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctorum Quatuor Coronatorum.

DIACONI CARDINALES VII.

CLEMENTIS PAPAE VI.

15. Guillelmus Iudicis Lemouicenſis, Gallus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Coſmedin, ſiuè ſchola Græca, Prior Diaconorum.
16. Nicolaus de [illegible]ella Lemouicenſis, Gallus, Diaconus Cardinalis ſanctæ M[illegible] in via Lata.
17. Petrus Rog[illegible] de Malmonte, Lemouicenſis, Gallus, Diacon[us] Cardinal[is] ſanctæ Mariæ Nouæ.
18. Raynaldus Vrſinus Romanus, Diac. Card. S. Hadriani.

INNOCENTII PAPAE VI.

19. Guillelmus de Bragoſſe Gallus, Diaconus Cardinalis ſancti Georgij in Velabro.
20. Stephanus Alberti Lemouicenſis, Gallus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Aquiro.
21. [illegible]go de ſancto Martiale, Gallus Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Porticu.

IOAN. [illegible] — Ad Vrbanum V. recens creatum obſequij, & reuerentiæ cauſſa, anno 1365. Ioannes Francorum Rex venit, coram quo Pontifex ſacrum bellum, & expeditionem tranſmarinam eleganti oratione habita, pro recuperandis Hieroſolymis publicè indixit, & Cruciatam contra Turcas, magnis conceſſis indulgentijs, concionibus publicari iuſſit. Legatum eius belli creauit Talairandum Cardinalem Albanum, Gallorum, & Cypri Reges cruce ſignauit, & qui eſſet libertatis Eccleſiaſticæ aſſertor vnicus, ad eam tuendam animum adiecit, eorumque opera vſus eſt, qui ad eam rem ſponte ſua excitati erant. Aegidio Cardinali Sabinenſi Italiæ Legato, qui munus ſuum egregiè obierat, legationem confirmauit, qui Ludouicum Gonzagam, Nicolaum Eſtenſem, & Franciſcum Carrarium initis fœderibus in Barnabam Vicecomitem Eccleſiæ hoſtem ita concitauit, vt inito prælio ſuperatus, & ſaucius vix aufugerit amiſſo filio, captiſque egregijs copiarum eius ducibus. Vicecomitum calamitate commoti Francorum, Angliæ, & Cypri Reges, Oratores ad Aegidium miſere, oratum, vt Vicecomitibus pacem daret. Reddita quidem, orantibus legatis, pax eſt, quæ haud diuturna fuit. Nam Ioannes Haucut Anglus, vir bellica [illegible] clarus, qui tunc apud Vicecomites manebat, cum Florentinos bello premeret, eorum copias apud oppidum Miniate profligauit. Eam ob rem Aegidius Legatus, Thomam Obicionem [illegible]cenſem, egregium copiarum Eccleſiæ Ducem cum tribus millibus [illegible] tum, & optimo peditatu Florentinis auxilio miſit; pugnatum eſt [illegible] marte inter Aretium, & Cortonam quatuor horis, atque demum Thomas ita hoſtes ſuperat, vt ex ſeptem millibus equitum, qui Ioanni militabant, nemo ſuperfuerit, atque ipſe dux in deditionem venerit: cuius tantæ victoriæ fama permoti, qui ab Eccleſia defecerant, illicò mandata fecere, & ciuitatum claues Legato Bononiæ agenti miſerunt. Mortuo Ioanne Francorum Rege, Carolus V. ei ſucceſſit; per id tempus cum populi Romani Legati Auenionem profecti Pontificem, vt ad Vrbem accederet, rogaſſent, eorum precibus permotus, quarto Pontificatus ſui anno, Chriſti verò 1365. in Italiam venit, vt Romanis ſatisfaceret, & res Eccleſiæ Romanæ componeret, longa Pontificum abſentia labefactatas. Pontifici Legatus Corneti obuiam fit, rationémque adminiſtratæ prouinciæ reddens, legationis muneri ceſſit, quod Pontifex gratuitò conceſſit, & dum tanto onere liberatus, Corneto Romam cum Pontifice proficiſcitur quieturus ob ſenium, Viterbium rediit, vbi tertio menſe poſt obijt. Vir animo præſtans, ſingulari virtute præditus, qui dignitatem Eccleſiaſticam in Italia penè exoleſcentem, vindicauit, auxit, & mirificè tutatus eſt. Pontifex Romam ingreſſus, incredibili totius ciuitatis gaudio, & honore ſuſceptus, & apud Baſilicam Vaticanam ſibi ſedem delegit, cuius propinquum palatium, vetuſtate dilapſum reſtituit, ornauitque hortis, & viridarijs, prægrandi conſilio, quibus excolendis 800. & aliquando mille pauperes laborantes pauit. Cum Carolus IV. Imperator intellexiſſet Vrbani Romam profectionem, eò ſtatim cum vxore, & liberis aduolauit, in itinere Lucam Piſanis, Miniate oppidum Florentinis ademit. Romæ verò ſtratoris officio Pontifici exhibito, in Pontificijs ſacris Euangelium decantauit. Inde tertio menſe poſt in Germaniam rediens, multa à Florentinis, ne eos bello vexaret, pecuniam emunxit. Cuncta Vrbi Romæ priuilegia, & vrbium, prouinciarumque donationes, quæ ſigillatim enumerat, Picenum, Flaminiam, Aemiliam, Vmbriam, Hetruriam, & Patri[illegible]um confirmauit. Cum Vrbs graui fame premeretur, frumentum ex omnibus regionibus, & à Sicilia aduectum, inopi plebeculæ paruo venire, iuſſit.

IOANNES Palæologus Imp. Conſtant. — Ad Pontificem tum Romæ commorantem Ioannes Palæologus Imperator C[illegible]ſtantinopolitanus venerationis gratia venit, quem Vrbanus pro foribus Baſilicæ Vaticanæ more Imperatorum ſuſceptum, honorificè habuit, is ante aram maximam principis Apoſtolorum, Pontificis Miſſa latina audita, publicè Catholicam fidem, quam Romana Eccleſia docet, & Spiritum ſanctum à Patre, Filióq. procedere, & Romanum Pontificem totius gregis Chriſtiani Paſtorem, caput, & magiſtrum profeſſus eſt, cumque ſæpius vnà comediſſent, Imperator al[illegible]o Pontifici dixit, ſe animo, & corpore potiſſimum recreari, quòd apud Pontificem epularetur.

Eodem tempore Vrbanus V. Eleazarum Comitem Arriani, Gallum, è Narbonenſi Gallia oriundum, qui obierat Pariſijs anno 1323. ætatis verò ſuæ 28. iv. Kal. Octobris, & apud Minoritas Pariſienſes habitum Minorum indutum, virginem creditum, & multis miraculis clarum inter ſanctos Confeſſores retulit, & de ea ſollemnitate luculentum ſermonem ad populum habuit.

VRBANI res geſtæ. — Quum verò cognouiſſet Aſiſij in ſacrario ordinis Minorum aliquot Romanæ Eccleſiæ Theſauros, & Reliquias à Bonifacio VIII. conditas, miſit, qui ad ſe cuncta afferrent, erant autem vaſa ſacra aurea, & argentea plurima, cum multis Reliquijs, quæ per Vrbis Baſilicas diſtribui fecit; S. Blaſij caput, quòd argenteo loculo incluſum Eccleſiæ Mimatenſi dono dedit: Baſilicas Lateranenſem, Vaticanam, & S. Pauli vetuſtate quaſſatas reſtituit. Aedes Pontificias tam Vrbeueteri, quæ Oruietum vulgaris vocatur, quàm in monte Faliſcorum, qui aliàs Monſflaſconus nuncupatur, conſtruxit, quæ in Vulſinium lacum proſpectus eſt, à Martino IV. inchoatas, vt ei, & alijs Pontificibus eò proficiſci liceret, vitandi æſtus cauſſa; & Monaſterium S. Victoris Maſſiliæ, cuius Abbas fuerat, ad inſtar arcis reparauit, magnamque turrim cimbalariam conſtruxit, in qua viginti, & tres campanas appendit, & SS. Victoris, & Caſſiani capita, argenteis, & gemmatis thecis concluſit; S. Victoris pretio quatuor mille aureorum redemit, multáſque ſacras veſtes diuinis vſibus obtulit. Quam Eccleſiam adeò veneratus eſt, vt aliquando iam Pontifex, Auenione pedes ad eam accederet, & conſecrato maiore altari, pedes Auenionem rediret: condidit, & dedicauit Eccleſiam SS. Marthæ, & Benedicti tractus Peſſulani, cui campanariis turrim 27. nobilis inſtructam adiunxit, & duodecim ſacella addidit, & altare maius dedicauit, ibidem Collegium erexit, & fundauit duodecim medicorum ſtudentium, qui gratis ibi nutrirentur, & omnia victui neceſſaria, & ſtudijs tribuerentur, eiuſdem oppidi Eccleſiæ maioris aram ipſe conſecrauit, & ſacras veſtes, quibus in ea celebritate vſus fuerat, Eccleſiæ eidem largitus eſt, & eam multis Reliquijs, & vario aureo, argenteóque ornatu, ſcilicet crucibus, calicibus, & alijs huiuſmodi ad ſacra miniſteria neceſſarijs dotauit, inſtructiſſimam Bibliothecam in ea fecit, Eccleſiam, & Monaſterium Canonicorum ſecularium in vicis Bedonica, vbi mater quieſcit, & Quaſaquo, item particulare Templum, ædibus emptis in oppido paternæ ditionis Griſaco ex patrimonij ſui redditibus condidit, & dedicauit, & ad inſtar arcium muris muniuit, multis ornamentis aureis, argenteis, & ſanctorum Reliquijs donatis, & viginti millibus aureorum ad reædificationem Eccleſiæ Mimatenſis relictis, cum ipſe eam teſicere, animo deſtinaſſet; ſed morte preuentus non potuit, quam multa aurea, & argentea ſupellectile ſacra, & Reliquijs ſanctorum ornauit: aureos, & ſericos pannos, qui ei donati fuerant, & alia, quibus in Italia vſus, Roma in Gallias rediens, cuncta Eccleſiæ Mimatenſi donauit.

VRBANI edicta. — Ineunte Pontificatu Vrbanus, Antiſtites Eccleſiarum ad ſedes proprias reuerti, iuſſit, ambitionique frænum impoſuit, & vno, aut paucis pro dignitate virtutis, & ſcientiæ beneficijs Eccleſiaſticis contenti eſſent, edixit, circa cultum corporis externum, & veſtium honeſtatem, multam curam, ac ſtudium impendit, ad antiquum morem omnia reuocare cupiens ad habitumque, & veſtitum priſtinum reducere, atque nimiam licentiam edictis, ac legibus caſtigandam, & comprimendam putauit. Sceleſti homines grauiſſimis facinoribus perpetratis, ad Cardinalium domos fugere ſoliti, legum nodis, ac digno ſupplicio eximebantur, eam peſſimam conſuetudinem primus ſuſtulit, indecorum putans, vt refugium, aſylumque iuſtitiæ reis eiuſmodi prodeſſet. Bononienſem verò ſcholam longis bellorum turbinibus ſtratam erexit, & antiquam illi nouis priuilegijs conceſſis reſtituit dignitatem, vt Petrarcha [a] teſtatur; pari beneficio Academiam Pariſienſem affecit, datis literis, quibus mandat, eadem Academiam optimis legibus inſtaurari.

[a] Epiſtola ad Vrbanum V.

IOANNES Francorum Rex [illegible] — Ioannes Francorum Rex ſoluto carcere Britannico, Auenionem viſendi Pontificis cauſſa acceſſit, petijtque ab eo, vt pacem daret Bernaboni Mediolanenſium Principi, id fieri non poſſe, à Pontifice reſponſum eſt; niſi oppida, vrbéſque Eccleſiæ redderentur, ac niſi ille obſequentem Romano Pontifici ſe præberet: poſtea præſentibus Bernabonis Legatis, Vrbanus in illum diras cenſuras pronunciauit, procumbénſque in genua, & manibus paſſis, altaque admodum voce; *Te quidem, inquit, Cælitum Pater, hoc* [illegible] *poſco, vt tu illum in Cælo liges, quemadmodum à me ligatum noſti*; Matthæo Villano atteſtante lib. 11. Hiſtoriarum.

PETRARCHÆ epiſtola ad Vrbanum. — [a] Epiſtolam ad Vrbanum Pontificem Petrarcha ſcripſit, quæ profectionem eius in Italiam optare ſignificat, atque illum acribus verbis vrget, vt Romam ad Petri ſedem aduolet: Eam Vrbanus libenter legit, miſiſque ad Petrarcham literis, copioſè admodum laudauit, & communi quidem voto Italicæ gentis, Pontifex ſubditiſque ſuis conſultum volens, à Cornelio Venetorum Duce tribus triremibus miſſis Maſſiliam ijs conſcenſis in Italiam nauigauit, Italas tandem oras feliciter attigit, exceptus ab omnibus, vt Deus aliquis è Cælo dilapſus, & præcipuè à Romanis; & loco Cardinalium, qui peſte exceſſerunt, nouos alios ſuffecit.

CAPITA SS. Petri & Pauli inuenta. — Vrbanus verò V. Papa Apoſtolorum capita Petri, & Pauli [illegible] diu quæſita, tandem inuenit in ſacello illius Baſilicæ, quod Sancta Sanctorum appellatur, in vaſculis argenteis, ſatis paruis, & minus nobilibus,

libus, quam decebat. Deſierant enim in honore eſſe, propter deſuetudinem, & ignorationẽ hominum, ſtatim ſuis ſumptibus duas Statuas argenteas, vnam videlicet in formam B. Petri, vmbilico tenus ponderantem mille ſeptuaginta marchas argenti, & modo conſimili aliam ad formam S. Pauli eodem pondere ordinauit, & fecit: Ad altare maius Baſilicæ Lateranenſis cum maxima veneratione, & celebritate, præſente Clero, & Populo Romano collocantur. A

EORVMdem in Lateranenſi Baſilica collocatio.

Eo tempore Brigitta deuotiſſima Chriſti mulier, Suetiæ Princeps*, Romam voti cauſſa venerat, viſitatoque Pontifice, ab eodem obtinuit confirmationem ordinis * virorum, & mulierum ab eadem ſancta fœmina paulò ante inſtituti, anno 1370.

BRIGITTA confirmationem ſui ordinis a Pontifice obtinet.

Idem confirmauit ordinem Monachorum ſancti Hieronymi in Hiſpania, ſub Regula ſancti Auguſtini inſtitutum.

Idem confirmauit ordinem Ieſuatorum * Senis à Ioanne Columbino inchoatum anno 1367.

ORDINES ab Vrbano confirmati.

Idem confirmauit Congregationem Montiſolinen * anno 1370. B

De reditu ſuo in Gallias * cogitare cœpit, ac menſe Septembri claſſem ingreſſus, in Prouinciam tandem rediit. Petrarcha ſicut Pontifici dum in Italia eſſet gratulatur *, at reditum eius in Galliam non probat; menſe autem Decembri 1370. Vrbanus Auenione incidit in morbum, ac tùm fortè Peruſinorũ Legati ad eum numero tres cum acceſſiſſent Pontifex autem graui morbo teneretur, tamen homines ne diutiùs ſuſpenſos haberet, ad ſe vocari iuſſit, admonitos antea, vt paucis loquerentur; quidam doctor, qui orationem longam in via, quam habiturus eſſet, ad Pontificem menti commendarat, nulla ratione habita morbi, aut quòd in lecto iaceret, multis verbis vſus eſt; ita vt Pontifex ſepæ moleſtiam audiendi præ ſe ferret, cum tandem indoctus ille peroraſſet, quæſiuit pro ſua humanitate Pontifex, nunquid aliud vellent, tùm alter ex Oratoribus, qui, & dicentis ſtultitiã, & Pontificis moleſtiam percepiſſet, *Pater*, inquit, *ſanctiſſime; habemus hoc in mandatis noſtris, vt niſi nobis e veſtigio pro iis, quæ petimus, feceris ſatis, ſocius hic meus, antequam hinc recedamus, vobis iterum referat ſermonem ſuũ.* Quo facetè dicto cum arriſiſſet Pontifex, Oratores ſtatim expediri iuſſit. Vix diſcendẽdi ab Vrbano facultatẽ impetrarant, cum is victus morbo Auenione exceſſit è vita C

PERVSINORũ Legati.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1370. ætatis ſuæ 61. xiv. Kal. Ianuarii circa horam 9. obiit Auenione * Vrbanus Papa V. Pontificatus ſui an. 8. menſe 2. die 23. * in ægritudine ſtatuit, quòd quando ab hac luce migraſſet, ſuum ipſius corpus ſepeliretur more pauperum, apud S. MARIAM de Domis in Auenionenſi Cathedrali, & dum corpus eius eſſet incineratum, oſſa portarẽtur Maſſiliam ad Eccleſiam Monaſterii S. Victoris, vbi quondam ipſe fuerat Abbas, & ibi ſepelirentur ante Altare maius, vbi adhuc iacent. Obiit in camera domus habitationis Cardinalis Albanenſis, ianuis patentibus, & apertis omninò, vt quilibet veniens ad videndum eius finem felicem, & catholicum, intrare poſſet, ſignum ſanctæ Crucis tenens in manibus, & ſuis veſtibus ſemper indutus, neque in illa ægritudine permiſerat ſe veſtibus ſuis ſpoliari. D

OBITVS Vrbani Papæ V.

VRBANI pauperum more ſuum corpus ſepeliri mandauit.

Poſt eius mortem, & ſepulturam in Eccleſia beatæ Mariæ de Domis Auenione per decem, & ſeptem menſes requieuit. Dominus Gregorius Papa XI. eius ſucceſſor præcepit ſollemne ſepulcrum more Pontificio in Monaſterio S. Victoris Maſſilienſis, iuxta illius voluntatem, fieri. Tranſlatũ fuit corpus eius de Auenione ad ſacrum Cœnobium S. Victoris Maſſilienſis, & poſitum in capella S. Petri propè maius Altare anno 1372. nonis Iunii, vbi nunc requieſcit, effigieſque eius adhuc viſitur, quæ obeſo vultu, & pendentibus genis illum fuiſſe demonſtrat; cæterum monachi S. Victoris, cognita Vrbani ſanctitate, capita quædam vitæ, & actionum beatiſſimarum, obtulerunt Clemẽti VII. qui Vrbano ſucceſſit *, vt illum inter Sanctos * referret, quod non fuit factum.

VRBANI Corporis translatio.


Dicam paucis, quid de Auenione ciues tradant: Aiunt, Vrbis ſuæ portas ſeptem numerari, plateas, Palatia, Collegia, parochiales Eccleſias, Monaſteria virorum, & ſepta virginum pari numero cenſeri; poſtremo adhuc dubium eſt, Palatium Auenionenſe, an pons, an murus, maioribus impenſis conſtructi fuerint; Pontifices habuit quaſi in exilio collocatos, ab Anonymo illius ætatis Gallo *, aduerſus Petrarcham ſcribitur, non ſine cauſſa dici ſolere, vbi Papa ibi Roma; in quem Petrarcha omnes ingenii ſui vires conuertit, vt doceret, nulla ratione adduci debere Vrbanum V. vt à ſemel ſuſcepto Romam adeundi conſilio dimoueretur: Mimatenſis Gabalorum Eccleſia, quæ euerſo Virginis Epiſcopali Templo, & priuata æde, auguſtiore Vrbani iuſſu, ſumptibuſque inſtaurata; ciuilibus Galliæ bellis à Caluinianæ ſectæ hominibus, Matthæo Merula Vticenſi, factionis duce, in luctu, & lacrymis verſatur, vaſaque ex auro, atque argento puriſſimo, auratas veſtes, & omnis generis inſtrumenta Eccleſiaſtica, liberalitate Vrbani V. illi olim tradita, anno 1580. ſpoliata eſt. E

DE AVENIONENSI Ciuitate.

Bedua vicus Gabalorum, Griſatio vicinus in ripa auriferi Tarnis poſitus, vbi Vrbanus Canonicorũ Collegium inſtituit, Templumq; fieri iuſſit, & donariis plurimis, reddituibuſque annuis dotauit; iniuriam ſectæ Caluinianæ paſſus eſt, illo enim anno Templum ipſum quatuor munitiſſimis turribus cinctum ab eodem Merula latronum duce, crudeliſſimo natura, dirutum planeq; euerſum eſt, & donaria omnia in prædam ceſſere: Collegium aliud Canonicorum inſtituit, dicauitque Virgini in vico, cui Quieſaco nomen, ad eundem Tarnem poſito, quatuor millibus paſſuum à Bedua, idque Templum ab eadẽ F

COLLEGIA, Templaq; a Caluiniſtis diruta.

immani bellua ſpoliatum, [illegible] Apoſtoli Eccleſiam apud Montempeſſulanum Vrbanus quoque ædificari iuſſerat; quam iidem Caluiniani diruerunt, anno 1567.

Signum Papa ***  Vrbani Quinti. ***

ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

¶ *Cardinales congregati.*] Panuinius in Chronic. à 20. Cardinalibus Guillelmum de Griſaco, in Romanum Epiſcopum, Vrbanum V. delectum fatetur.

* *Guillelmus.*] Guillelmus Grimoardus, oppido Griſaco Diœc. Mimaten. oriundus, Guillelmi militis, & Amphiliſiæ Monferranæ filius, (Binart. in vita S. Elzearii Ariani Comitis) in Chiriacenſi (non autem Cluniacenſi, vt non benè Ciaconius ſcripſit,) eiuſdem Diœc. Cœnobio D. Benedicti Regulam profeſſus. nobilis eſt familia, & priſca; ex ea Iacobus de Griſaco Roboretus Comes.

Griſac. Hat.

Ex Notis Soaref.

* *Doctrina, & pietate.*] *Vir ſingularis virtutis, ingentis animi, innocentiſſimæque vitæ*, ait de Vrbano V. Platina. Card. Aegid. Viterbien. non minore eum laude affecit, cum dixit. *Vrbanus V. ſacro hoc exilio non indignus prioribus Pontificibus omnium virtutum genere par; ſed animi magnitudine longè maior: creatus hic abſens eſt Pontifex, cum vita innocentiſſima haberetur.* Trithem. in Chron. Hirſaug. & Genebr. *Vir doctus, & ſanctiſſimæ conuerſationis, doctrina, & ſanctitate præſtans.* Gault. in Tab. Chronograph.

Gault. in Tab. Chronograph.

Petrarcha nonnulla de eodem Vrbano: Vita conſpicuum, literis excellentem, innocentiſſimum hominum, qui nulli maleſecerit, aut optauerit, qui humanitate rerum, & verborum humilitate, Chriſtum, quantũ poterat, ſequebatur, victorem humanorum affectuum, & contemptorem, Chriſti, cui in ſpiritu ſeruiebat, Petri, cui in officio ſucceſſerat, Eccleſiæ, cui præſidebat, ſedis Apoſtolicæ, cui inſidebat, vniuerſique Chriſtiani populi amatorem, appellauit; ſolumque illius temporis Pontificum, qui contemptis, magno animo, affectibus, bonum publicum cogitauit, virum ſine exemplo illius ætatis, vel qui raro cum exemplo virtutem amare, & voluptatem ſpernere docuerat; inter ſacram inediam nutritum, qui ciborum abſtinentia ad cæleſtem animi pinguedinẽ anhelabat. Nunquam de ſummo Pontificatu Abbas Maſſilienſis cogitauerat, Romano Cardine non fulgebat, Mediolani degens, quid Auenione Pontificii Electores agerent, neſciebat, Electores non exterum, ſed vnum ex ſacro Collegio delecturi erant: ſic omnino decreuerant: at ſolus Deus Abbatem Maſſilienſem Pontificem, Vrbanum nomine, voluit; ſuæque voluntatis clariſſimum edidit, apertiſſimumq; argumentum. rei huius grauiſſimum illius temporis ſcriptorem teſtem habeas Vrbanum ipſum alloquentem. *Nemo te fallat, Pater prudentiſſime, nemo tibi perſuadeat, eſſe aliquem tuorum Cardinalium, qui vel ſemel vnquam cogitauerit, te ad Papatum non dicam promouere, ſed poſcere. ſi quis forte tibi aliud inſuſurrat, verba dat, te ſibi mendacio obligatum cupit, Deus te profectò, Deus, inquam, ſolus, & nemo mortalium elegit, linguis licet illorum vſus; quas ad aliud diſpoſitas ad ſuum vertit obſequium; quodque ipſe volebat, dictu mirabile, peruolentes fecit.* Cur ita? fortaſſe, vt Gallus, qui in Italia erat, Pontificiam ſedem peregrinantem Italiæ, & Romanæ Vrbi reſtitueret.

L. 7. Senil.

lib. 9. Sen. ep. 1.

Petrarcha lib. 7. Sen.

* *Si ſe Pontificem creatum videret, venturum Romam.*] Fures viliſſimi Vrbanum, inſtructa acie, ita obſedere, vt ſe auro redimere coactus fuerit: tunc ſpiritu plenus, ait Petrarcha, Pontifex optimus ea mala inde maximè emanare, dixit; quod Petri ſedem, ſuamque deſereret, *ſeque indies grauiora metuere, ſi obſtinatis tunc etiam animis deſeratur Sedes illa, quam ſponſa ſua Chriſtus elegerat:* Et paulò ante narrauerat, quòd circumferebatur. *Eſt colloquium, quo tibi ſemper in ore Roma eſſe dicitur; ſemper te verbo iter illud optare, ſæpe etiam polliceri, & ſæpius ex te auditum, nunquam te animo quieturum, donec cum grege Romæ fueris.* Benedictus quoque XII. Romæ nomen ſemper habebat in ore, iuſſeratque vt corpus, poſt obitum, Romam deferretur. Romæ voces Benedictum, apud Petrarcham, alloquentis excipe.

L. 7. Senil.

To. 3 Op. l. 1. Epiſt.

. . . . nam fama loquuta eſt
Neſcio quid gratum miſera te ſemper in ore
Nomen habere meum, nec non de coniuge triſti
Multa ſolere loqui, viduam quoque ſæpe vocare:
Hæc eadem nunc fama meas perduxit ad aures
Pellere te, vt proprias ſedes, ac tecta reuiſant,

Prælatos ex Vrbe tua: nec velle, putandum eſt
Exteris præbere, tuis ſua iura negare.

Et poſt pauca.

Eſt breue tempus adhuc, cum te duriſſima morbi
Vis tenuit, timuitque putans te vita carere,
Terribilem, ſi vera ferunt, in limine mortem
Vidiſti intrepidus: nobis tunc oſſa referri
Iuſſiſſe, ac patrio Pallentia membra ſepulcro
Diceris, & clauſtro Vaticani corpus humandum.
Si moriens venturus eras, præcordia quando
Vita reget, calidoque agitantur ſanguine fibræ,
Cur dubitem ſecura diem promittere ſanctum
Gentibus Auſoniis?

* *Cruciatam.*] Vide Genebr lib. 4. Chronog.

* *Ioannes Rex Francorum.*] Victus in prælio ab Eduardo Angliæ Rege, captuſque cum multis Galliæ Proceribus, xiij. Kalen. Octob. anno 1356. Ioannes Gallorum Rex inſignis, abductus Burdegalam, deinde in Angliam, quò viij. Kalen. Iunij appulit, quatuor annos captiuus vixit: liberatus Britãnico carcere, domumque reuerſus ad inuiſendum Innocentium VI. Pontificem profectus eſt; interim obijt Innocẽtius, illiq; ſuffectus Vrbanus V. quem veneratus, & alloquutus, ſacram militiam profeſſus eſt, & Lutetiam repetijt. Vide Papirium Maſſonum lib. 4. Annalium Reg. Franc. in Ioanne. De bello inter hos Reges etiam Petrarcha lib. 2. De Vita Solitaria. *Gallus, & Britannus litigant: quinquis iam luſtra voluuntur; ex quo non Chriſtus, & Maria; ſed Mars, & Bellona inter illos Reges regnant.*

(margin: Ann. 1361. — Tract. 4. c. 1)

* *4. Pontif. ſui anno ..... in Italiam venit.*] *Ad 4. ſui Pontificatus annum in Italiam cum veniſſet.* (Vrbanus) Platina. Legati Apoſtolici Albornotij victoriã etiam ſpectaturus: dixit Card. Aegid. Viterb. cuius de inſigni victoria loquutus verba ad Clem. VI. retulimus. (margin: In hiſt. 20. ſecul.)

* *Legatus Corneti.*] Ex Platina: eadem Card. Viterb. l. c.

* *Pontif. Romam ..... incredibili ...... gaudio.*] Vrbanum, Romam ad ſuam ſedem reuerſum Petrarcha gaudio exiliens alloquitur. *In exitu Iſraël de Aegypto, domus Iacob de populo barbaro, facta eſt in cælis gratulatio Angelorum, in terris hominum piorum. Ecce Pater Beatiſſime beaſti, quod in te eſt, Chriſtianum populum, qui in propria ſede Chriſti Vicarium reperiet, ... Orbem noſtrum ſerenaſti, & quaſi Sol oriens ...... noctis algorem ..... ac tenebras effugaſti,* tunc verè Romanus Pontifex, verè Vrbanus: erat Auenione D. Petri ſucceſſor, & Ieſu Chriſti Vicarius, poteſtate, dignitate, officio: at Romam reuerſus voluntate, quòd eſt optimum, pietate, exercitioque etiam fuit. (margin: L. 9 Senil. Epiſt. 1. — Loc. cit.)

* *Carolus.*] De Carolo Romam, Vrbanum veneraturo, iter faciente, Platina in Vrbano V. narrans Lucam illum, in itinere, Piſanis, Miniate Florentinis ademiſſe, non conſtare autem, an Romam tunc adierit annoque 1368. Italia exceſſiſſe. Card. Aegidius Viterb Carolum Romam tunc adijſſe, exiſtimauit, ait enim. *Carolus Imp. cum reſciſſet Vrbem petere Vrbanum, eius veſtigia, cum vxore, ſecutus eſt; monens, quanti ſit in Sacerdote probitas, quem non plebecula, ... non exleges tantùm, ſed & Imperatores, & vltrenei ſint, adorandi gratia adituri.* Ciaconius à quo didicerit, Carolum Romę ſtratoris munere functum, Euangeliumque in ſacro Pontificio recitaſſe, neſcio: fortè, vſus eſt coniectura: ſciebat enim, ſolere Imperatores vtrumque munus obire. De munere ſtratoris Auguſtinus Patritius lib. 1. Rituum S. R. E. ſect. 5. cap. 4. quo in loco narrat, Imperatorem cooptatum inter Canonicos S. Petri ante coronationem, coronatum in numerum Canonicorum Lateranenſium referri. Hic obiter dicam: nonnullos alios Principes inter Canonicos S. Petri Romæ adſcriptos, noſtro tempore Poloniæ Principem Ladiſlaum, & Leopoldum Auſtriæ Archiducem. Chriſtianiſſimũ Galliæ Regem, ex Apoſtolicæ ſedis priuilegio, in nonnullis ſui regni templis Canonicum eſſe, tradit Carolus Degraſſalis lib. 2. Regalium Franciæ, iure 2. V. Baptiſtam Fulgoſum, tit. De Religionis cultu: poſſe eundem Regem, quamuis ſacro Ordine non ſit inſignitus, Subdiaconatus munus obire, & Carolum VIII. Romæ Pontifice rem Diuinam faciente, obijſſe, Degraſſalius idem teſtatus eſt. (margin: In hiſt. 20. ſecul. — De Imper. electo Canonico S. Petri idē cap. 5. l. c. — ann 1625. — L. 2. Iu. 10. Reg F.)

* *Elzearium.*] Baronius, ad Martyrol Rom. die 27. Septemb. an. 1325. hunc in cælum euolaſſe, ſcribit: ab Vrbano inter ſanctos relatum, non teſtatur, illius vitam habes apud Surium tomo 5. alteram à Bineto ſcriptam diſtincto volumine, oſtendes.

* *Ad Cadinalium domos fugere ſoliti.*] Petrarcha de hac re ſcripſit. *Audiebam ..... te licentiam peſtilentem ſalubri falce rigoris æquiſſimi præcidiſſe, illam dico, qua ſceleſtos homines grauiſſimis facinoribus perpetratis ad Cardinalium domos fugere ſolitos legum modis, ac digno ſupplicio eximebat.* (margin: L. 7. Senil. ad Vrb. V.)

* *Bononienſem vero ſcholam.*] Petrarcha narrat, Bononienſe Gymnaſium, longis bellorum turbinibus quaſſatum, ſtratúmque tanta cura, paternaque ſolicitudine Vrbanum reſpexiſſe, quanta nullus vnquam; illiuſque dignitatem pietate, magnificentia priuilegijs reſtituiſſe, & amplificaſſe. (margin: Loc. cit.)

* *Capita Petri, & Pauli*] Ex Plat. eadẽ Card. Viterb. Aegid. l c.

* *Brigitta ...... Suetia Princeps.*] Ita Polid. lib. 7. cap. 2. De Inu. rerum Neritiæ Duciſſam Genebr. lib. 3. Chronog. Reginam lib. 4. Reginam Sueciæ Gaulterius, & Morignis: at non verè. Bonifacius IX. in literis Canonizationis eius, fatetur, ſanctam Mulierem (margin: In Tab. Chrō cap. Hiſt. Rel.)

A nobilibus parentibus, Birghero, & Sighride ex Regum Sueciæ ſanguine, genitam Vlphoni Neritiæ Principi nupſiſſe. Eadem auctor vitæ illius, to. 4. Surij: Tempore Vrbani V. Romam, voti cauſſa, non venit Brigitta; id falsò ſcriptum à Ciaconio: Romæ erat, ann. 1350. cum Catharina eius filia, virgine animo, & corpore formoſiſſima, ad eandem Vrbem acceſſit, cum vt Iubilei diuitias compararet, tùm etiam, vt matrem inuiſeret; & iam quintus annus aduentus ſanctæ matris Romam numerabatur: Carolus euſdem Brigittæ filius in Italiam veniens anno 1365. matrem in alma Vrbe reperit. Quidam putant, Brigittam Auenionem iuiſſe, ibique Vrbanum alloquutam: id Genebrardus ſenſiſſe, videtur. (margin: Ex vita ſanctæ Brigittæ cit. — L. c. infra.)

* *Confirmationem ordinis.*] De ortu huius ordinis Polyd. Virg. lib. 7. cap. 4. De Inuent. Rerum (vbi falsò quidam dixere, Brigittam Romam, voti cauſſa, adijſſe, anno, quo Vrbanus V. in cælum migrauit, & Ciaconio labendi occaſionem præbuerunt) Paulus Morigius in Hiſt. Relig. cap. 55. Syluester Marulus lib. 4. Oceani Mari
B Gaulterius in Tab. Chron. Genebr. lib. 4 Chron. in Vrbano Quinto & lib. 3. in S. Ioan. 2. vbi de Brigitta virgine Scotica. Vnicum extruxit cœnobium, & Templum viris, & mulieribus religioſis commune Brigitta vidua Vvaſte in patria, cui Catharina eius filia prima Abbatiſſa præfuit: ſed parietibus ita diuiſum erat cœnobiũ, vt, cum ſuperiorem partem Moniales, inferiorem Monachi incollerent, neque hos illæ, neque illas hi poſſent aſpicere: Templum etiam diuiſum erat. Obijt ſancta hæc vidua Romæ anno 1373. (nõ autem 1363. vt in Genebr. Typographi negligentia, notatum eſt) x. Kalend. Aug.... Inter cælites relata fuit à Bonif. IX. nonis Octob. ann. 2. literæ extant to. 1. Bullarij; quas Martinus V. Florentiæ Kalen. Iulij. ann. 2. confirmauit. Reuelationes eius Card. de Turrecremata egregiè defendit. (margin: Hiſt. Relig. — Genebr. l. 3 — Polyd. l. c. — Lib. 3. 1391.)

* *Ordinem Ieſuatorum.*] B. Ioannes Colombinus obijt anno 1367. die vltima Iulij, die 29. autem teſtamentum condiderat, teſte
C Pharo, in eius vita. Ieſuatas ab Vrbano V. Viterbij, cum is Auenione in Italiam veniſſet, religioſas veſtes, die Natiu. S. Ioan. Baptiſtæ, accepiſſe, Morigius loc. cit. teſtatum reliquit. Huius ordinis ortum ad annum 1368. reuocat Polyd. Virg. Apoſtolici viri dicebantur: Paulus V. an. 1. xviij. Febr. indulſit; vt ex ijs nonnulli ſacerdotali dignitate decorari, queant. (margin: An. 1367. loc. cit. T. 3 Bull. religioſos)

* *Congregationis Montiſoliueti ..... 1370.*] Io. XXII. Pontifice, Montoliuetenſem Congregationem exordium habuiſſe, ann. 1319. ſcribit Morigius cap. 37. loc. cit. an. 1407. incendio ſchiſmatis excitato, Polydorus Virgil. an. 1409. Genebr. In Bullarij Appendice, Conſt. 1. Ioan. XXII. hanc Congregationem firmauit, Clemens VI. euſdem Abbati noua loca acquirendi poteſtatem fecit xij. Kalend. Febr. an. 2. Conſtit. 1. tom. 1. Bull. à Ioanne XXII. ordinem Montiſoliuetani approbatum fuiſſe, aſſeruit etiam Sigonius lib. 3. De Epiſcopis Bonon. in Almerico Chatti. (margin: Loc. cit.)

D * *De reditu ſuo in Galliam.*] Solus Vrbanus V. *omnium Pontificum in exilio degentium ...... Petri tumulum adorare, voluit: vbi, cum primus daret lacrymas, miſeratus collapſa Templa, & deſertam primi Pontificis Vrbem, illud Pſalmi, inter ſingultus repetebat. Super flumina Babylonis illic ſedimus, & fleuimus, cum recordaremur tui Sion. atque eo conſilio Italia exceſſit, vt rediret, profecto rediturus, niſi abeuntem occupaſſet mors.* Hæc Cardinalis Aegidius Viterbienſis, quæ quoniam ad hiſtoriam pertinent, & Ciaconius prætermiſit, omittenda non fuerunt.

* *Petrarcha ...... gratulatur.*] Vberi Epiſtola, quæ eſt prima lib. 9. Senilium.

* *1370. ...... Auenione.*] Ita Panuin. in Chron. Platina Vrbanum Maſſiliæ è viuis exceſſiſſe, arbitratur; addit tamen, vel Auenione, vt alij volunt.

* *Ann. 8. menſes 2. dies 23.*] Ex Panuin. in Chron. D. Anton.
E par. 3. Hiſt. tit. 21. cap. 10. an. 8. Platina anno 8. menſe 4 cum bellum arderet inter Francorum, & Anglorum Reges. Vrbanus pacis inter eos ſanciendæ ſtudio incenſus in Galliam redijt, in eaque cogitatione defixus ſpiritum, Deo reddidit. Vide Maſſonum lib. 4. Annales Regis Francorum. (margin: xij kalend. Ian. 1370.)

* *Clemens VII. qui Vrbano ſucceſſit.*] Non Clemens VII. ſed Gregorius XI. Vrbano V. ſtatim ſucceſſit: Clemens VII. Antipapa non fuit ſucceſſor, ſed ſedere voluit contra Vrbanum VI.

* *Vt illum inter ſanctos.*] De ſanctitate Vrbani V. Petrarcha lib. 13. Senilium Epiſtola 13. & inquit, *vt apud nos auditum eſt, ſanctitatis eius fama nunc maxime celebratur, & miraculis claret; quod nulli ex prædeceſſoribus ſuis, his nouiſſimis, accidit.* (margin: Ad Bruni)

F * *Anonyme ..... Gallo.*] Galli calumnias, & calumniatorum confutationem à Petrarcha vberim conſcriptam habes tom. 2. Operum ipſius Petrarcæ prope finem.

* *Pontificatus VII.*] *Octauo* dicendum: nam Vrbanus electus fuerat anno 1362. v. Kalend. Octobris.

Vrbanus V. orta inter Ciſtercienſes, apud quos Foſſænouæ ſanctus Thomas ſancto fine quieuerat, & Prædicatores, de illius corpore controuerſia, his illud donauit; caput etiam, quòd cæleſtis gratiæ gazophylacium nuncupauit D. Ant. loc. cit. Carthuſianis altarium portatilium vſum conceſſit vij. Kalend. Maij anno 1. Auenione. Vide tom. 1. Bullar. Hunc primùm ex Romanis Pontificibus triplicis coronamenti Tiaram geſtaſſe, ſcripſit vir doctus Nicolaus Alemanus, Diſſert. De Pariet. Lateranen. Bis mille, & octingenti (margin: Cap. 13.)

homines

hominesBononia Auenionem profecti, ad S. Iacobum Compoſtellanum, voti cauſſa, ituri, ab Vrbano abſoluti, iuſſi ad patriam redierunt: cuius decreto monachi Oliuetani ex Burgo Auri Bononienſi in collem ad S. Michaëlem in Boſco contenderunt. Sigonius loc. cit. Maſſiliam Vrbanus, initio Pontificatus, adijt; vt ſacrum, humilemque nidum, ex quo Dei prouidentia, & ſua virtute, quaſi duabus alis, ad Petri ſedem euolauerat, inuiſeret; cum plebs pia illum, vt Deum ferè ſumma cum hilaritate ſuſciperet, pro ſpectaculo motus, dixit. *Niſi eſſet alia cauſſa petendi Romam, niſi vt deuotionem populi excitarem, hoc ſola ſufficeret.* Petrarcha lib. 7. Seniliu m.

Quidam dicunt, Vrbanum V. primum Roſam Auream conſecraſſe: at hoc falſum: Innocêtius enim III. quem Vrbanum 170. præceſsit annis, de illa ſermone in Dominica, *Lætare*, meminit.

Petr. lib. 7. Senil.

Antiſtites ad peculiares remiſit ſedes: nauis enim ſine rectore naufragio propior eſt, quàm ſaluti; habituum honeſtatem ſumma diligentia curauit, ambitioni frænum iniecit, edicens, vt vir Eccleſiaſticus vnum, vel pauca, pro virtutis, doctrinæque dignitate beneficia haberet: Bononiam ſingulari beneficio affecit, indulgens, vt qui in Templo ſancti Petri adhibuiſſet precationes, pleniſsimas ſpiritalis theſauri diuitias conſequeretur: hinc factum, vt multi ex Italia vniuerſa Bononiam ſe conferrent.

Sigon. l. 1. De Epiſcopis Bon.

Sacra Amuleta ex cera côlecta, & Pontificijs precationibus conſecrata (Icunculas cereas quidam, omnes ferè Agnos Dei vocant) Vrbano V. Pontifice in vſu eſſe cœpiſſe, à nonnullis, falsò, exiſtimatum: antiquiora enim eſſe, Alcuinus Caroli Magni præceptor, & Treuirorum Antiſtes Amalarius, eius diſcipulus, ille cap. De Sabbatho ſancto, hic lib. 1. cap. 17. de illis loquentes, oſtendunt. Leonem III. Carolo Magno cereum orbem Agni effigie decoratum miſiſſe, narrat Fruſius in Poëmate de Agnô Dei. Mos conſecrandi orbes Agni cereos ex priſco more manauit: quo in Paſchate ijs, qui Baptiſmo initiabantur, cerea bulla Agni imagine ornata, ante pectus deferenda, tribuebatur: conſtabat autem illa ex Paſchalibus præteriti anni cereis facibus, ſanctorum Reliquijs, Chriſmate, & Oleo ſacro. In arca, in qua erant oſſa Mariæ Stiliconis filiæ, Honorij Imperatori vxoris, repertum Agnum cereum aureo circulo redimitum, ijs verbis *Maria noſtra clementiſſima* in vna facie additis, in altera *Michaël, Gabriel, Raphaël, Vriel*, narrant Marlianus, & Surius. Auguſtinus Patricius lib. 1. ſect. 7. cap. vlt. Rituum S. R. E. lib. Benedictionum Pontificalium m. s. Io. Molanus cap. 13. De Agno Dei, Gretſerus cap. 60. Exam. Myſt. Plæſſ. alijque Vrbanum V. tres cereos Agnos Dei ad Græcorum Imperatorem, & paucos verſus, quos affero, eorum vim indicantes, miſiſſe, teſtati ſunt.

Sic apud Aug. Caſtell. l. c.

Balſamus, & munda cera cum Chriſmatis vnda
Conficiunt Agnos, quod munus do tibi magnum:
Fonte velut natum, per myſtica ſanctificatum.
Fulgura deſurſum depellit, & omne malignum,
Peccatum frangit, vt Chriſti ſanguis, & angit.
Prægnans ſeruatur, ſimul & partus liberatur.
Dona confert dignis, virtutem deſtruit ignis:
Portatus munde de fluctibus eripit vnda.

In m. s. Codice Benedictionum, quibus Pontifex maximus vtitur, in Sacrario Apoſtolico aſſeruato, ijdem, at non eodem modo diſpoſiti, & alij verſus leguntur, nempe.

Balſamus, &c.
Conficiunt Agnum, quem do tibi munere magnum.
Fonte, &c.
Fulgura, &c.
Prægnans ſeruatur, &c. ***
Portatus munde, &c.
Peccatum, &c. ***
Dona confert, &c.

Deinde.

Morte repentina ſaluat, ſatanaque ruina,
Si quis honoret eum, retinet ſuper hoſte trophæum.
Parſque minor tantùm, tota valet integra quantum.
Agne Dei miſerere mei; qui crimina tollis.

In eodem m. s. c. poſt allata carmina, hæc quoq; adſcripta leges.

Salue, noſtra ſalus, Agnus mitiſſime ſalue,
Sanguine, qui tollis crimina noſtra, tuo.
Salue, quem ſacra confecit Chriſmatis vnda,
Ceraque candidior, balſameuſque liquor,
Salue, quem ſacro quaſi natum è fonte leuauit
Romanæ Antiſtes Maximus Eccleſiæ. ***
Salue, ſancte Agnus ſubitis qui mortibus obſtas
Qui premis inferna quidquid ab hoſte ruit,
Qui nos è flamma ſeruas, vndaque periclis,
Quique fugas fulgur, dæmoniumque fugas,
Qui nos tutaris vitijs, virtutibus ornas,
Qui partum pariter cum parente tuinas,
Qui confers lætos infeſto ex hoſte triumphos ***
Et reddis ductu proſpera cuncta tuo.
O Saluatoris monumentum nobile noſtri,
O magni ſalue myſtica forma Dei.

Pannonios in libello de ijſdem Agnis Oden elegantem, Iani Vitalis, Io. Molanus loc. citat. Gulielmi Eſtij Epigrammata refert, quo is paucis explicat primum verſuum ſententiam: Andreas Fruſius S. I. vberi, elegantique Poemate idem argumentum complexus eſt.

Leoni, leuitati, & inſcitiæ quorumdam hæreticorum tribue latratus, quibus conſecratas haſce imagines vellicant. Verba illa ab Illyrico, & Pleſſæo malè intellecta, & calumniæ notis adſperſa, *Peccatum frangit, vt Chriſti ſanguis*, defenduntur, & explicantur egregiè à Molano, & ab alijs viris doctrina, & ingenio præſtantibus. Particula, *vt* non æqualitatem, ſed ſimilitudinê quamdã analogicam oſtendit; ſicut, & illa Chriſti ore prolata *ſicut, & pater veſter cæleſtis perfectus eſt*. Finiti ad infinitum nulla eſt proportio. Dei perfectio infinitatem complectitur; quæ in homine, certis terminis circumſcripta, eſſe non poteſt: cerea Agni Dei forma non abolet peccatũ, vt Chriſti ſanguis; neque enim ea virtute præſtat, qua diuinus ille Sanguis in hominum lapſorum redemptionem effuſus: ſed ab ipſo ſanguine, & morte Chriſti precationibus, & benedictionibus Romani Pontificis, virtutem aliquam ad frangendum peccatum accepit. Benedictionem Epiſcopalem, Aquæ luſtralis aſperſionem, Sacramentalem vnctionem ad venialium culparum remiſſionem agere, ſcripſit D. Tho. 3. par. quæſt. 87. art. 3.

In Act. 5.

Maris tempeſtatem ſedatam, incendia extincta, matres, & proles in partu afflictas ſeruatas, æneorum tormentorum vim cohibitam, labefactatumq; ſacri Agni amuleto, hiſtoricè docet Molanus loc. cit.

Cap. 12.

Vnde, rogas, vni tàm magna potentia fluxit?
Ex AGNI meritis, haud aliunde, fluit.

Guil. Eſtius loc. cit.

Auſtriæ Cancellarius Vvidmanſtadius, & ex illo Molanus, cap. 6. narrat, in veteri apſide Baſilicæ Vaticanæ operis teſſellati, quæ aræ principi imminebat, cereorum Agnorum imagines, ex Conſtantiniana ſtructura, extitiſſe: vnde vir religioſiſſimus Marcellus Ceruinus, ante Pontificatum, colligi poſſe, dicebat, ritum conſecrandi cereos Agnos, ante Conſtantini Magni tempora viguiſſe. Hæc eis ſint adiecta, quæ de eorum antiquitate ſuperius notauimus.

Loc. cit.

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI
SOCIETATIS IESV.

CVM vacaſſet Romana ſedes non menſem vnum, & dies 26. vti dicit ſupra Ciaconius, multò minus annum vnum, menſes tres, vti ſcribit Genebrardus, ſed dies duntaxat quatuordecim, ſicuti aſſerunt Panuinius, qui Vrbani electionem ad diem 27. Septembris refert, ſeu veriùs ex Contelorio menſem vnum, & dies 16. non computatis diebus obitus Innocentij, aut electionis ſucceſſoris, non enim plures connumerantur inter Pridie Idus Septembris, quo Innocentius deceſsit, & Pridie Kalendas Nouembris, quo die Grimaldus Griſatus (Guillermum Grimoaldi alij vocant) abſens renunciatus eſt, ex libro Obligationum Romanus Pontifex. Maxima eſt inter hiſtoricos controuerſia de patria iſtius Pontificis; ſeptem enim diuerſæ Europæi orbis nationes de ſtirpe Vrbani contendunt. Aliqui Lemouicenſem, alij Lombardum, quidam Anglum, Tuſcanum alij, quidam Italum oppido Sulmonicenſi, alij Senenſem, aliqui Occitanum oppido Bellicardo, alij demum Griſacenſem apud Gabalos fuiſſe volunt. Nos illum Lemouicenſem cum probatiſsimis Hiſtoriarum ſcriptoribus dicimus, atque ex veteri Inſcriptione, quæ Toloſæ legitur in clauſtro Cœnobij ſancti Auguſtini ijſdem verbis, & ordine concepta.

Vacatio Romanæ ſedis.

Matth. Villanus.

Vrbani Patria. Platina. Io. Nauclerus. Paul. Aemil. in Carol. Sapiente. Genebrardus. Io. Tilius in Chron. Scipio Du pleix in hiſt. Francor. Flaminius in Ind. Pont. Rom. Franc. Belforeſt.

VRBANVS PAPA QVINTVS
LEMOVICENSIS
SANCTAE MEMORIAE.

Huiuſce Pontificis patria Frizonio graue offendiculum fuit, dum eum vno in loco ait fuiſſe Mimatenſem, in alio verò Lemouicenſem. Huic Grimaldo ſeu Guillelmo S. Victoris apud Maſſilienſes Abbati, ſedis Apoſtolicæ in Regno Siciliæ Nuncium agenti, Cardinales Auenione in Conclaui detenti ſcripſerunt, vt quàm primum Auenionem rediret, vt neceſsitatibus Eccleſiæ per obitum Innocentij vnà cum eis conſuleret. Auenionem reuerſum viij. Idus Nouembris Pontificem maximum ſalutatum, VRBANI nomen cum diademate accepiſſe ſcimus, & illud Dauidicum protuliſſe. *A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.* A veritate prorſus aberrat Frizonius, dum ſcribit Vrbanum V. Pontificem maximum coronatũ fuiſſe ab Arnaldo de Via Caturcẽſi, nepote ſororio Ioannis XXI. dicti XXII. Diacono Cardinale ſancti Euſtachij, & S. R. E. Archidiacono, cum conſtet Cardinalem illum è viuis ſublatum fuiſſe ante annos ſaltem viginti quatuor, quàm Vrbanus renunciaretur Romanus Pontifex, quòd, & ipſe Frizonius fatetur, vbi ait Arnaldum de Via Diaconum Cardinalem ſancti Euſtachij obijſſe anno 1338. Adde, quòd officium eſt Epiſcopi Oſtienſis nouum Romanũ Pontificem conſecrare, vt ſcribit ſanctus Auguſtinus dicens, *Non Numidiæ ſed propinquiores Epiſcopi Epiſcopum Carthaginis ordinãt, ſicut nec Romana Eccleſia ordinat aliquis Epiſcopus Metropolitanus, ſed de proximo Oſtienſis Epiſcopus.* Sanciuit id remotiſsimis longè ſeculis Marcus Papa huius nominis Primus, qui Pallij vſum Epiſcopo Oſtienſi hac ſolùm cauſa conceſsit, vt Pontificem conſecraret. Quæ cum ita ſint, quis inficiabitur Andoinum Alberti, quem tunc Auenione fuiſſe certum eſt, coronaſſe Vrbanum.

I. c. Phil. Bergom. Alb. Krãtz. Raph. Volaterr. Io. Lamardus. Andr. Ducheſne. Steph. Baluz. Cardinales illum ab Italia reuocant. Oder. Raynaldus in Annal. Eccleſiaſt. Sponius in Annal. Epiſcopus Oſtienſis coronat Rom. Pontificem.

Illico re-

Literas ad diuerſos ſcribit.

Illico renunciatus Romanus Pontifex Vrbanus Carolum Imperatorem, reliquos Reges, & Principes, Prælatos, Clerum, ac Populum aſſumptionis ſuæ admonuit. Ad eum ſalutandum ex omni Europa Regum, ac Principum Legati aduenere, inter quos illi Caſimiri Regis Poloniæ, qui impetrarunt, vt in Ruſſia inſtitueretur Cathedra metropolitica, & Cracouiæ noua Academia. Cum graues interceſſerent inimicitiæ inter Carolum Imperatorem Boemorum Regem, & Ludouicum Hungarorum Caroli generum, cui Caſimirus Poloniæ, & Valdemarus Danorum Reges adhærebant, de pace cum vtriſque egit per Nuncium ſuum Ioannem, Sodalem S. Franciſci virum prudentem, & eloquentem, qui non modò pacem inter inimicos Reges, verùm etiam affinitatem confecit. Vt autem diſcordias, quæ inter eundem Carolum Imperatorem, & Ioannem Marchionem Morauiæ fratrem ſuum; nec non quæ inter Ludouicum Regem Pannonium, & Rodulphum Ducem Auſtriacum extingueret, Petrum Epiſcopum Vvherranum legauit. Comitem quoque Sabaudiæ cum Marchione Montisferrati armis certantes ſtuduit Vrbanus ad pacem reuocare, miſſo ad vtrunque Fr. Marco Viterbienſi ordinis Minorum generali Miniſtro. Vt autem arma è manibus Regum Caſtellæ, & Aragoniæ extorqueret, Abbatem Fiſcanum primò, deinde Guillelmum Epiſcopum Cicestrenſem ad Reges miſit. Nicolaum Spinellum Legum doctorem familiarem ſuum pro grauiſſimis Romanæ Eccleſiæ negocijs Nuncium in Italiam deſtinauit. Abbatem Monaſterij è Cluſa Diœceſis Taurinenſis ad bellum inter Galliæ, & Nauarræ Reges extinguendum legauit, Regeſque illos ad concordiam adhortatus, controuerſiam ſe æquitate diremptùrum eſt pollicitus. Iuſſit deinde Aegidium Cardinalem Albornotium Siciliam adire, vt Ioannam Reginam fidei ſacramento in Vrbani verba adigeret, ac ſceptrum Siculum Apoſtolicæ ſedis liberalitati acceptum referenti aſſereret. De qua legatione Aegidio huic Cardinali Epiſcopo Sabinenſi data extant in Vaticano commendatitiæ ad Ioannam Reginam, Iacobum Balearem Regem maritum, Philippum Imperatorem Conſtantinopolitanum, Mariam Imperatricem, ac plures viros prænobiles literæ, vt miſſum pro Neapolitani Regni componendo ſtatu, honoribus, & obſequijs meritis proſequerentur. Succeſſit Aegidio Cardinali iam defuncto, in legatione Sicula, & in Epiſcopatu Sabinenſi Vrbani iuſſu Guillelmus, ipſique partes demandatæ ſunt, vt Beneuentani agri ad ſedem Apoſtolicam ſpectantis circumſcriberet limites. Cum autem metueret Vrbanus ne ex diſſenſione Genuenſes inter, & Piſanos, ac Petrum Cypri Regem coorta, noua pericula Reipublicæ Chriſtianæ conflarentur, operam nauauit egregiam, vt eos in concordiam reuocaret, ac beatum Petrum Thomam Patriarcham Conſtantinopolitanum Genuam proficiſci, atque ad redintegrandam concordiam iuſſit incumbere.

Legationes Principum ad eum ſalutandum.

Academię Cracouienſis inſtitutio.

Pacem curat inter Chriſtianos Principes.

Bizarr. in hiſtor. Genuenſ.

Pari ſtudio Vrbanus Chriſti Vicarius ad euellendos errores illos, quibus pietas omnis extinguitur, incubuit. Cum enim Beguini, ſiue Beguardi iam in Concilio Oecumenico Viennenſi damnati, in Gallijs præcipuè falſarum opinionum virus ſpargere conarentur, Pariſienſem Epiſcopum ad eos delendos auctoritate inſtruxit, atque alios Archiepiſcopos, & Epiſcopos eodem pio ardore iuſſit accendere. Vſus quoque eſt religioſis ſacri ordinis S. Dominici ad hæreſeon ſubnaſcentes venenatas ſtirpes excidendas, ac Simeonem eiuſdem familiæ Alumnum ea de cauſa in Sicilia Citeriori Cenſorem fidei nominauit. Adhibiti etiam ſunt ad id muneris in Peruſino agro Minoritæ, cum Guillelmus Narnienſis Epiſcopus plurima auctoritate ad Fraticellos, qui ſimplicitate prauorum dogmatum virus aſſlabant, reprimendos inſtructus.

Diuerſos errores euellere ſtudet.

Ferdin. del Caſtil. in Chronic.

Luc. Vvadingus in Annal. Minorum.

Proferendæ verò apud exteras gentes Chriſtianæ fidei expertes, religionis ſtudio Pontifex plures Minoritas ad Euangelium ijs inferendum miſit: data etiam Barchinonenſi, & Dertuſenſi Epiſcopis imperia, vt viginti religioſis viris ex ordinibus Mendicantium, tum Presbyteris ſecularibus permitterent, vt in Canariam, & alias Fortunatas Inſulas ſe conferrent ad colluſtrãdos Euangelij luce eos populos, quos aſtrorum ſuperſtitione inuolutos acceperat. Fr. Guillelmum Pratum Euangelizandi cauſa Cataium deſtinauit, eumque paulò poſt Archiepiſcopum Cambalenſem in Tartaria renunciauit. Antonium quoque Mileuitanum Epiſcopum ad inſtruendos ſchiſmaticos Georgianos ire iuſſit, data ei poteſtate ex quibuſcunque Monaſterijs ſecum ducendi viginti quinque fratres Minores. Multos ex eadem familia religioſos viros in Boſniam, Raſciam, & Bulgariam ad propagandum diuini Numinis cultum impulit, quorum laboribus innumera animarum millia ab impietate reuocata. Vrbani ſtudio in Albania Strazimirus, Georgius, & Balſa Principes damnarunt ſchiſma, atque ad Romanæ Eccleſiæ obſequium ſe contulerunt. In Valachia Alexandri olim Principis vidua ad Eccleſiæ gremium rediit, ac filiam Iuam Bulgariæ Imperatricem ad Orthodoxum ritum pellexit. Ladiſlaum Valachiæ Principem ſuis literis excitauit, vt abiectis erroribus fidem Orthodoxam coleret. Hortatus etiam eſt Tartarorum Imperatores, Reges, ac Principes, vt Euangelicæ luci oculos aperirent. Cum autem Banus ſenior ſchiſmaticus Fratrem Stephanum Catholicum in Boſnia inſectaretur, illius clientelam ſuſcepturus Pontifex, Ludouico Hungariæ Regi literas pro illo dedit, adiecitque preces, vt à fratris hæretici iniurijs Stephanum vindicaret. Alijs literis Stephanum ipſum ad conſtantiam excitauit, vt fratris odia, pro religione ſuſcepta magno animo toleraret; pati enim pro Chriſto non calamitati, ſed felicitati, ac triumpho adſcribendum. Aſſciendæ etiam ſuo ſplendori in Dalmatia religionis ſollicitus Dei Vicarius, cum certior eſſet factus plures hæreticos è Boſnia in finitimas prouincias ſe cõferre, neque abeſſe periculum, vt ſimplices inficerentur, Spalathenſi, & Raguſino Archiepiſcopis, eorumque Suffraganeis prouinciam dedit, vt anathema incuterent ijs, qui hæreticos Boſnenſes exciperent, vel cum ipſis mercium commutationem inirent.

Euangelij propaga.

Oder. Raynaldus, & Bzou. in Annalibus Eccleſiaſt.

Luc Vvadingus in Annal. Minorum.

Aggregatis cœtui fidelium tot populis, ſtudium ad gliſcentes in religioſis familijs corruptelas euellendas conuertit ſuum; & ne à ſacratum familiarum ingreſſu quis abſterreretur, Conſtitutionem tulit, qua cœnas ſumptuoſas, aliaſque expenſas in muneribus, ab ijs, qui ad ſacra ſodalitia admittebantur, abradendis abolebat. Curauit Curiales tum Eccleſiaſticos, tum laicos Aduentus Domini tempore à carnium vſu abſtinere. Caſinenſem Abbatiam in ſedem Epiſcopalem à Ioanne XXI. dicto XXII. erectam in priſtinum Abbatiæ ſtatum reduxit, aſſerens, monachos meliùs Abbate quàm Epiſcopo regi. Montisfaliſci ſedem conſtituit Epiſcopalem, & Eccleſiam Collegiatam in Diuæ Virginis Matris honorem dedicauit Cathedralem erigens, eamque ab Epiſcopo Balneoregienſi eximens: Vrbis Aueniomenſis mœnia inchoata iam perfecit. Ioannæ Neapolitanæ Reginæ, & Vvaldemaro Daniæ Regi Roſam auream ſolemnibus Romanæ Eccleſiæ cæremonijs, rituque benedictam; atque Enſem auratum die Paſchatis conſecratum Petro Cyprio Regi dono dedit. Tres particulas Ceræ benedictæ Agnos Dei communiter nominant, Palæologo Imperatori, & verſus addidit, quos ſupra expreſſit Victorellus, quibus efficacia eius Ceræ explicatur. Vniuerſitati Patauinæ ornamentum ſacræ Theologiæ addidit, Diplomate dato Aueniome xviij. Kal. Maij anno primo Pontificatus. In gratiam Nicolai de Romanis ciuis Auximani dignitatem Epiſcopalem Auximo reſtituit, Diplomate dato apud Montemflaſcum jv. Idus Iulij anno quarto Pontificatus. S. Blaſij Epiſcopi, & Martyris venerandum caput Eccleſiæ S. Benedicti in Montepeſſulano a ſe fundatæ collocauit. Mimatenſi quoque Gabalorum Eccleſiæ, cuius Alumnus fuerat, aliàs eiuſdem ſancti athletæ Reliquias religioſo munere contulit.

Religioſarum familiarũ corruptelas emendat.

Carnium vſum in Aduentu Domini prohibet.

Caſinenſe Cœnobiũ Abbatiæ cõmẽdat.

Montisfaliſci Eccleſiam in Epiſcopalẽ erigit.

Aueniomis mœnia excipit.

Roſam auream, Enſem cõſecratum, & Agnos Dei diuerſis Principibus dono dat.

Vrbi Patauinæ Theologiã. Auximanæ Epiſcopũ concedit.

Ferdinãd. Vghel. to. 1. Ital. ſac.

S. Blaſij Reliquias diuerſis Galliæ Eccleſijs cõcedit.

And. Sauſſay in ſuo Martyrol. Gallican.

Inuiſit Vrbanus Montempeſſulanum, in qua primùm Vrbe humanioribus literis fuerat perpolitus, eamque magnificis religioſis ædibus ornauerat, vt Anonymus auctor vitæ Vrbani apud Boſquetum narrat his verbis. *Circa principium anni 1367. iuit ad Montempeſſulanum cauſa videndi, & viſitandi Monaſterium, quod in honorem ſanctorum Benedicti, & Germani à ſolo ſuis magnis ſumptibus ædificauerat, & ſolemniter dotauerat pro ſuſtentatione certi numeri monachorum, tam per eum ibidem inſtitutis, & ordinatis, partim, vt diuinis inſiſtant officijs, & partim in literarum ſtudijs vacent pariter, & intendant. Ipſe enim pro tunc in proprio Monaſterio Altare maius Eccleſia huiuſmodi conſecrauit, magnis priuilegijs decorauit, & multis Reliquijs, ornamentis, & iocalibus pretioſis adornauit.*

Montempeſſulanũ inuiſit, & ornat.

Luſtrato Montepeſſulano Aueniomem reuerſus Pontifex itineri ad Vrbem ſe accinxit; nec leues illi difficultates in contrarijs Regum, & Principum, ac præcipuè Caroli Regis Francorum, Cardinalium, & Aulicorum, voluntatibus ſuperandis ſe obiecere, quas ſic deſcribit Petrarcha. *Ante alios inclytus Rex Francorum Eccleſiæ filius, qui deuoto quidem, ſed iuuenili amore matrem cupiẽs propinquam, nec conſiderans quanto honeſtius, ac meliùs alibi futura eſſet, ad te abitum meditantem, quos potuit laqueos direxit, quibus ſacros pedes Apoſtolicos ad omne pium, ſanctumque opus paratiſſimos implicaret, doctum ſcilicet, ac diſertum, vt perhibent quendam virum, qui coram te, ac Fratribus tuis cupide nimis audientibus verba faciens, in eo partem maximam ſuæ orationis aſſumpſit, vt cœlo tenus ſuam Galliam attolleret, Italiamque deprimeret.*

Itineri ad Vrbem ſe parat.

Die vltima menſis Aprilis anno 1367. Aueniome diceſſit Maſſiliam verſus Vrbanus quinque Cardinales relinquens eadem in Vrbe. Quanto verò magnificentiæ apparatu, effuſaque ciuium gratulatione Maſſiliæ fuerit exceptus, ac memorabile in ea ipſius dictum è Petrarcha libet decerpere, qui hiſce verbis Pontificem alloquitur. *Nuper dum Maſſiliam peteres, pietate non dubitet vrgente, ac deſiderio reuidendi religioſum illum atque humilem nidum: vnde hinc cœleſti prouidentia, hinc tua virtute, quaſi duabus alis ad ſuperos euolaſti, teque plebs deuota, & tui in primis amantiſſima, non vt hominem, ſed vt Deum, quem officio repræſentas, ſummo gaudio, atque ingenti veneratione ſuſciperet: tam pio ſpectaculo permotus neſcio an lacrymas, ſed certe verba non tenuiſti, quæ in noſtris gratiùs etiam fortaſsis quàm multorum, qui aderant auribus ſonuerunt. Dixiſti autem inter multa, quod niſi eſſet alia cauſa Romam atque Italiam petendi, niſi vt deuotionem fidelium excitares, abunde quidem hæc ſola ſufficeret. O ſanctum, & æterna memoria dignum verbum.*

Aueniome cedit Maſſiliam verſus.

Maſſiliam ſummo honore exceptus.

Narrat etiam Petrarcha ad Brunum, qui Pontifici ab Epiſtolis erat, vt Vrbanus claſſem, quam Italici Principes certatim ſubmiſerant, Maſſiliæ conſcenderit, auerſis adeo Cardinalium voluntatibus, vt hæc de ijs ſcribat. *Vnum de multis interſeram, fuiſſe ibi nonnullos ex illo etiam venerabili ordine, qui conſiſtim, vt ventus claſſem terris eripuit, contortis, acriter muliebri eiulatu, omnium vt ſe nau-*

Iter maritimum Italiã verſus.

tarum,

A *tarum, ſimulque victorum ora conuerterentque, & comitum, ne qua ſtomachi eſſet excuſatio, blaſphemiiſque non parcerent. O malum Papam, amore in patriam ducti proclamabant, o patrem impium exclamantes; quonam terrarum miſeros filios rapit? non quaſi ad Chriſtianitatis vnicam, ac ſupremam arcem Vrbem Romam ſua in ſede Catholica futuri Reges Eccleſiæ, ſed quaſi Teſiphontem, aut Memphim Sarracenorum in carceres traherentur. Vere ergo miſero ſunt ſic affecti; vere autem feliciſſimus pater, ac piiſſimus, ſi latine dicitur, qui nolentes etiam, ac luctantes filios ad ſalutem duxit.* Anonymus auctor vitæ Vrbani apud Bolquetum maritimum iter ita deſcribit. *Die 20. dicti menſis, menſium Maij, idem Vrbanus Papa de Maſſilia exiens intrauit mare cum mirabili apparatu galearum, & aliorum nauigiorum, de quibus honorifice valde ſibi prouiderant Ioanna Regina Siciliæ, Veneti, Ianuenſes, & Piſani: iterque ſuum perſequens die quarta ſequenti proſpere applicuit Ianuæ, vbi fuit tam in portu, quam Ciuitate per Ducem, & ciues ſolemniter*
B *receptus, & debite honoratus. Et quia pro tunc erant dies Rogationum, inſtabatque dies Aſcenſionis Domini, ibidem per illos remanere decreuit, & interim equitando per dictam Ciuitatem Eccleſiam maiorem viſitauit, & demum pro ſua manſione deſcendit ad domum S. Ioannis Hieroſolymitani, in cuius Eccleſia in dicta die Aſcenſionis Domini ſolemniter celebrauit, & in craſtinum iter ſuum continuando abinde diſceſſit, relicto ibidem Domino Fratre Marco de Viterbio tit. S. Praxedis Presbytero Cardinali pro ſedandis guerris, & diſſenſionibus, quæ pro tunc vigebant inter dictam Ciuitatem, & Bernabonem de Vicecomitibus Mediolani; & diuino ſibi aſſiſtente præſidio peruenit feliciter ad portum, ſeu plagam Corneti die iv. menſis Iunij ſubſequentis circa ortum Solis. Vbi mari exiens obuiam habuit Dominum Aegidium Aluari Hiſpanum Epiſcopum Sabinenſem Cardinalem, tunc Sedis Apoſtolicæ*
C *Legatum in prouinciis illis, comitatum fere omnibus nobilibus, & Magnatibus Terrarum Eccleſiæ, ac Prælatis, & aliis quamplurimis armatis aut inermibus, prout eorum cuiuſlibet conditio, ſeu qualitas exigebat. In littore autem parata fuerunt tentoria tam de pannis ſericis, quam frondibus, ſeu ramis arborum virentium magna amœnitatis decora, quæ cum dictus Pontifex fuit ingreſſus, ac in ipſis aliqualiter conuiuiſſet, parato ibidem Altari Miſſam cum nota fecit ſolemniter coram ſe decantari, qua finita equum aſcendit, venitque Cornetum hora prandij ad domum Minorum declinando. Vbi manſit, vſque in craſtinum diei inſtantis Pentecoſtes, in qua ipſe ibidem ſolemniter celebrauit, veneruntque ad eum ſolemnes Nuncii Romanorum, pro eorum parte ſibi plenum dominium Vrbis offerentes, ac claues S. Angeli per ipſos prius detenti ſecum deferentes. Abinde autem recedens die nona dicti menſis intrauit Viterbium, vbi fuit cum magno gaudio, & ſolemnitate receptus. Vene-*
D *runt ad eum ibidē paulo poſt tam Domini Cardinales, qui poſt eum per terram iter ſuum profecti fuerant, quam vniuerſaliter Nobiles, & Magnates, Prælati, & Communitates partium Italiæ de ſuo aduentu gaudentes. Dicto Vrbano adhuc Viterbij exiſtente venerunt ad ipſum Amedeus Comes Sabaudiæ, Patriarcha Conſtantinopolitanus, & aliqui alij viri notabiles miſſi pro parte Imperatoris Conſtantinopolitani, pro ſui parte eidem Papæ promittentes ipſum rediturum ad Romanæ Eccleſiæ vnitatem, & ſuper hoc breuiter perſonaliter venturum ad ipſum Papam. Qui Papa de Viterbio recedens die decimaſexta menſis Octobris Romam intrauit, occurrente ſibi Clero, & Populo Romano, ipſumque ſolemniter recipientibus cum magno gaudio, ac demum laudantibus de iucundo aduentu ſuo. Poſtquam vero in Eccleſia B. Petri ſuam fecit orationem, in Cathedra Papali fuit more ſolito collocatus, declinauitque ad Palatium ſuum dictæ Eccleſiæ contiguum, quod prius vetuſtate,*
E *ac inhabitatione quaſi conſumptum, & diruptum ſaltem, quoad tecta opere mirabili fecit renouari.*

Petrarcha gratulatur pro reditu in Italiam.

Scripſit Petrarcha panegyricam epiſtolam ad Vrbanum inter effuſas Principum, ac Populorum Italiæ gratulationes. Vbi ſuas ſedes in Baſilica S. Petri fixit Vrbanus, primas curas Orientalis Eccleſiæ ad Romanæ obſequium redituræ coniunctioni conſecrauit. Litteras hac de re plures ſcripſit Elenæ Imperatrici, Andronico, Manueli, & Michaeli Ioannis Palæologi Imperatoris filijs, Ioanni Cantacuzeno Imperatricis patri, qui multa pollebat auctoritate in Græcorum Clero, Philotheo Conſtantinopolitano, Niphoni Alexandrino, & Lazaro Hieroſolymitano Patriarchis. Prouocauit etiam alijs literis ciues Conſtantinopolitanos, & Imperij totius Proceres, commonuitque Latinos, qui in Oriente vitam ducebant, vt ijs non deeſſent. Quare Vrbani adhortationibus, ac ſancti Spiritus afflatu contulit ſe ad ſedis Apoſtolicæ obſequium, ac profeſſurus ſolemni ritu

Commotionem Eccleſiæ Orientalis cum Romana curat.

F fidem orthodoxam Græcorum Imperator Ioannes Palæologus Romam acceſſit anno noſtræ ſalutis 1369. vt dictum eſt ſupra à Ciaconio.

Græcorum Imperator orthodoxam fidē profitetur.

Tuendæ vero in Italia pacis ſtudio idem Vrbanus, vt facilius tyrannicam Bernabonis, & Galeacij ambitionē, ac fœderatorum Veronenſium reprimeret, fœdus ad ſeptennium cum Carolo Imperatore, ac Ludouico Rege Hungariæ, Franciſco Carrario Patauino, Ateſtinis Marchionibus Ferrarienſibus, ac Gonzagis Mantuanis iniit.

Italiæ pacem curat.

Angliæ, & Galliæ diſcordia Vrbanum

Vrgebant aliæ graues Chriſti Vicarium curæ redintegrandæ Anglos inter, & Gallos pacis, quæ ipſum ex Italia in Gallias traxere, de cuius diſceſſu hæc ipſius Vrbani vitæ ſcriptor cōſignat hiſtoriæ. *Ad-*

A *ueniente tempore æſtiuo, anno prædicto [illegible] dictus Vrbanus recedens de Vrbe, vadit vſque ad Mon[illegible] doctrinauit Viterbium, vbi primum palam publice [illegible] dixit ſe velle dare de proximo ad Ciuitatē Auenionenſem, & vt omnes Curiales ad hoc ſe diſponerent ferias indixit a principio menſis Iunij, vt ne inſtantis, vſque ad principium menſis Octobris poſtea ſecuturi.* Traxere omnes Italiæ Principes, ac Populi ſedis Apoſtolicæ ſtudioſi ex Vrbani diſceſſu grauiſſimum dolorem, ac præ ceteris Romani, quos angebat ingens metus, ne alij ſucceſſores ad anteceſſorum exemplum à reſtituenda Vrbi ſede Apoſtolica [illegible] abſterrerentur. Vt vero [illegible] fuleret eorumdem Romanorū famæ Pontifex, ne videlicet in pio ſiniſtra rei inſcios perſuaderet ex aliqua à Romanis accepta iniuria, ab alienatum abſceſſiſſe, publice [illegible] promulgauit, ſe toto [illegible] tio, quo Romæ, vel in finitimis locis eſſet verſatus, omnibus officijs cultū & habitū honorifice [illegible] fuiſſe, videri. Subornatis ad repe-
B tendas Gallias [illegible] Vrban[illegible] Cardinal[illegible], qui [illegible] consilio ad [illegible] a ſua del[illegible] referre, importunis ſuis [illegible], narrat [illegible] archa [illegible] literis ad [illegible] Bruni datis. Moniturum Vrbani [illegible] Petro Aragoniæ [illegible], ne Auenionem rediret, ne [illegible], qui [illegible] innocentium Chriſtianorum [illegible] referet Alphonſus Epiſcopus Giennenſis [illegible] Bibliothecæ Vaticanæ. Idem exomologeſibus [illegible] ſanctæ Brigittæ [illegible] adhibitus teſtatur illam cœlitus accepiſſe, Vrbanum, ſi rediret Auenionem, illico moriturum, remque Rogerio Belliforti Cardinali, qui poſtea Gregorius XI. in Pontificatu appellatus eſt, patefactam, ſed cum ille Pontifici id aperire non auderet, demum Vrbano apud Montemfiaſconem ab eadem S. Brigitta detectam, quamuis ipſe eiuſdem Sanctæ verba, veluti nullo fulta fundamento, quæ cœleſte arcanum fuiſſe confirmaret, reiecerit. De itinere Vrbani ex Italia Auenionem ver-
C ſus hæc habet auctor eius vitæ. *Vrbanus iter ſuum arripiens, mare intrauit in Corneto die quinta Septembris, [illegible] galeas, & nauigia ad excellentiam, de quibus cum magna excellentia, & apparatu ſibi prouiderant Reges Franciæ, Aragonum, Regina Siciliæ, Ciuitas Auenionenſis, & Prouinciales, [illegible] diuino ſibi aſſiſtente præſidio, iter ſuum continuando Maſſiliā feliciter applicuit, & xxiv. Auenione, vbi cum gaudio, & exultatione maxima receptus eſt.* Sed breui in morbum inci[illegible], & [illegible] ſexageſimum primum ſuæ ætatis annum compleſſet, obijt, [illegible] diſſer, non annos ſeptem, menſes duos, dies 24. vt ſupra ſcripſit Cia[illegible], ſed annos octo, menſem vnum, dies 13. vel ex [illegible]. [illegible] enim interceſſere [illegible] Nouembris anni 1362. quo Pontificia [illegible] eſt redimitus, [illegible] dierum numero non recenſito, quibus electio arcana latuit [illegible] ad 14. ſeu jv. Kal. Ianuarij anni 1370 quo è vita exceſſit. Pœnituiſſe illum nō perfecti diuini imperij, quod S. Brigitta ipſi ſignificauerat,
D votique de reſtituenda Romæ ſede Apoſtolica [illegible] repulſe, refert laudatus Alphonſus Epiſcopus Giennenſis. Vt vero rite ſacramentis communitus fuerit, dictaque omnia ſua decretis Eccleſiæ ſubmiſerit, narrat accurate vitæ illius ſcriptor [illegible] verbis. *Ad illa, quæ animæ ſuæ ſalutem concernere poterant, totaliter [illegible] conuertit, humiliter, & deuote [illegible] confeſſus eſt, & cetera Eccleſiaſtica ſacramenta ſuſcepit, præſentibus etiam Camerario, [illegible], pluribuſque aliis [illegible] ſuis, ac aliis multis nobilibus perſonis dixit, [illegible] aſſeruit ſe tenere, & credere firmiter, atque [illegible] ſimpliciter, quicquid ſancta, Catholica, & Apoſtolica tenet, docet, & prædicat Eccleſia, & ſi per prius docendo, legendo, prædicando, aut diſputando, vel alias aliud quouis modo prædicauerat, vel dixerat, totum id reuocauit, voluitque haberi pro non dicto, ſubmittens ſe, & dicta ſua huiuſmodi correctioni, & determinationi dictæ ſanctæ Matris Eccleſiæ, a qua aſſeruit ſe nunquam demaſ[illegible] ſenter. Fuit ſepultus in*
E *Eccleſia maiori Auenionenſi, demū transferendus ad Monaſterium S. Victoris Maſſilienſis, vbi viuens ſuam perpetuam elegerat ſepulturam, magnis, & ſtupendis miraculis [illegible]ſcando.* Maſſiliæ in Diui Victoris Templo hoc eſt illi adſcriptum Epitaphium rude quidem, ſed quod propter viri ſanctitatem libuit adiungere.

Epitaphiū.

Hic requieſcit VRBANVS Pontifex in ordine Quintus
Summus diuinitus Romanorum Præſul electus:
Auctor bonorum, lux, cenſor, normaque morum,
Speculum cunctorum, dogma, dux Monachorum,
Bonorum ductor, malorum quoque corrector,
Iuſtitiæ tutor, ſtudiorumque reparator,
Nullius acceptor direxit iuſtitiæ libram
Virtutibus fulgens cunctis, vera reddidit idem
F *Atque ſimoniam ſuo ſplendore fugauit.*
Eccleſias nempe reparauit, Romæ [illegible]
Apoſtolorumque capita [illegible] recondidit.
Pauperes alendo Chriſti [illegible] compleuit,
Hicque bonus Paſtor ad fidem Chriſti reduxit
Græcorum Cæſarem errorum [illegible] electum.
Poſt labores tandem multos, Ieſo per quæ vocatus
Inter fratrum manus illa [illegible] membra [illegible]
Chriſti Vicarius transfuit ad aſtra beatus
Quem Deus multum ex alto per ſigna monſtrauit
Qualis enim fuerit ſigna tanta clare demonſtrant
Ad tumulum huius languentium membra ſanantur!

Italiæ Principes, ac Romani ex Vrbani diſceſſu [illegible]

Petrus A[illegible] ne redeat Auenionem [illegible] Brigitta

Iter Vrbani [illegible]

Vrbani [illegible], & Obitus.

It[illegible]

[illegible] ultis al[illegible] prouinciiſque clare conſtat.
N[illegible] c non Italia ab ipſo multum amata
Miraculis latè hoc in Hiſpania patet.
A[illegible] Boemia nobiliſque Francia tota.
Gaudet Prouincia Arelatenſis ſine vanitate
Per tanta [illegible] a meritis Vrbano ornata.
Fr[illegible] [illegible] Vrbano beato
Fe[illegible] ſumm[illegible] lor deuotè commenda
A[illegible] mi[illegible] [illegible] teno quoque [illegible] ptuagesimo
Cum[illegible] e Domi[illegible] [illegible] o decima nona
D[illegible] embr[illegible] et dies, [illegible] beat[illegible] iſte
[illegible] aans ad C[illegible] [illegible] migrauit.

Hu[illegible] R[illegible] ani P[illegible] [illegible] ta, illiu[illegible] us ſcriptor ſubiectis v[illegible] en[illegible]. *D[illegible] lus Vrba[illegible] Papa quaſi a principio ſui Ponti[illegible] at[illegible] ple[illegible] que l[illegible] [illegible] ternè e[illegible] auit; & primo in Palatio A[illegible] uenionenſi, q[illegible] in magnam partem ampliauit in illa, qua hodie Roma [illegible] appella ur, in qua ſu[illegible] habitationes, deambulatoria, [illegible] iridaria mira pulcritudi[illegible], & amœnitati[illegible]. habent etiam [illegible] aiorem del[illegible] ationem quam etiam quæcumque alia in toto P[illegible] xiſt[illegible] te[illegible]. In loco etiam de Bediſſro Diœceſis Mimaten[illegible] [illegible] e at [illegible] ia Baptiſmatis, & Parochialis lo[illegible] ſua originis, [illegible] a atque ad [illegible] mu[illegible] am paternam, a[illegible] olo ædificauit pulcram, [illegible] lem [illegible] ſiam, quam muris altis, & turribus ad mo[illegible] dum [illegible] munitædi:, in qua conſtituit Collegium certorum Ca[illegible] [illegible] m [illegible] ularium, & Decanum, qui ibidem haberent Deo perpetuo ſ[illegible] rui[illegible] in memoriam ſui, & parentum ſuorum, quorum ſepultura el[illegible] [illegible] erat ibi ab antiquo: Dotauitque dictum Collegium tam de boni[illegible] paternis, quàm aliis bene, & ſufficienter. In Eccleſia etiam de Griſato dicta D[illegible] ſis, ibi eſt Oratorium ſpirituale, & deuotum B. Mariæ Virg[illegible] is, Collegium nouum instituit certorum Canonicorum [illegible] ecularium, & qui ipſis præſideret, Decanum, pro quorum ſubſtentatione ſu[illegible] ientis redditus, & prouentus multos acquiſiuit, & ordinauit [illegible] [illegible] e muris, & turribus dictam Eccleſiam aliis c[illegible] circundari, idemq[illegible] e[illegible] [illegible] is in plurimis al[illegible] locis, & Eccleſiis Dei ſeruitio d[illegible] putatis [illegible] d[illegible] [illegible] [illegible] ciſi c[illegible] [illegible], de quibus du[illegible] tauit, quod tem[illegible] re guerra[illegible] aliter p[illegible] ent capi aut hoſtiliter impugnari. I[illegible] Roma etia[illegible] ex[illegible] le[illegible] Eccleſias Lateranenſem, & ſancti Pauli, quarum te[illegible] a[illegible] e ant[illegible] taliter dem[illegible] lita, fecit mirabiliter, & ſumpt[illegible] [illegible] parari [illegible] e[illegible] [illegible] is de Fe[illegible] ia ſa[illegible] i Petri in ea parte, [illegible] epa[illegible] [illegible] e[illegible] de[illegible] ibat. I[illegible] ſ per tam in Vrbe, quàm in aliis E[illegible] [illegible] [illegible] ecti[illegible] ſiaſticis, prout eorum neceſſitas ex[illegible] [illegible] ra[illegible] ali[illegible] ornamenta Eccleſia[illegible] ica, & libros ad [illegible] [illegible] m op[illegible] r[illegible] innumerabiliter diſtribuit, atque deni[illegible] [illegible] quæ multorum Sanctorum auro, & argento, gemmis, ac lapidibus pre[illegible] ſis ad[illegible] [illegible] a[illegible] ep[illegible] ſuit in eiſdem.* Et infra. *Beneficiorum multitudinem præſertim incompatibilium in eandem perſonam concurrentium iniuſtiſſime tolerauit, imo multis ex illis, qui plurima obtinebant, priuauit, [illegible] clictis eis tantummodo illis, quæ ſuo ſtatui, & ſufficientiæ congrue conuenire iudicauit, ſuper quo etiam Co[illegible] ſtitutionem edidit, quæ incipit* Horribilis, *in qua quod ſuo tempore licere ſibi non paſſus eſt, ſuis ſucceſſoribus iudicauit.*

Viros literatos valde dilexit, multoſq; ex ipſis promouit, & exaltauit, [illegible] vt daret cæteris ad diſcendum materiam, [illegible] opportunitatem [illegible] andiu vixit in Papatu, ſuis expenſis tenuit mille Studentes in diu[illegible] is ſtudiis, [illegible] x quibus cum aliqui erant promoti, aut alias deficiebant, illorum loco alios continue ſubrogauit, libros neceſſarios tam eis, quam aliis pluribus, quos ſciuit ſtudio eſſe intentos, ipſiſque ind[illegible] e, etiam miniſtrauit. De pauperibus, & egenis, aliiſque mi[illegible] rabi[illegible] ibus perſonis ſemper ſibi cura fuit ſingulariter adeo, quod vbi ipſos eſſe cognouit, ipſorum inopia liberaliter, & generoſè ſubuenit præſertim illorũ, qui alias abundantes extiterant, & demum ad paupertatem deducti erubeſcebant mendicare. Non enim curauit conſeruare pecunias, & ſi quas aliquando habuit, ipſas feliciter, aut in Eccleſia negociis expoſuit, aut in piis operibus erogauit.

Ad beneficiorum collationes, prouiſioneſque Eccleſiarum, & Monaſteriorum habens procedere, magnam inquiſitionem, ſolertemque examinationem fieri ſemper fecit ſuper meritis, & ſufficientia [illegible] rum, de quorum prouiſione, aut promotione actum fuit, per quas [illegible] uo[illegible] benemeritis, & ſufficientes inuenti ſunt, ipſos liberaliter, & gra[illegible] [illegible] e promouit etiam quandoque inſcios, & non procurantes. Vbi vero [illegible] inuentum eſt oppoſitum, præſertim ſi fuerint inuita, vel conuerſatione maculati, aut ſcientia vel ætate notabiliter defectuoſi, etiam quarumcumque precum, ſeu [illegible] tercessionum obtentu, eos nullatenus [illegible] am ſcienter admiſit. Toto tempore ſuo diligentiam maximam adhibuit inquirendo mores, & vitam generaliter omnium ſuorum ſubditorum, & præſertim Ec[illegible] leſiaſticorum; ſuper quo modum tenuit valde notabilem, & bonum, [illegible] ſecretiſſime namque fere de omnibus nationibus aduocauit ad ſe aliquas perſonas deuotas, Deum, [illegible] ſuam conſcientiam pertimeſcentes, quas ſuper inquiſitione huiuſmodi per eorum quaſlibet in ſuis locis, ſeu regionibus occulte facienda, [illegible] demum ſibi referenda ſpecialiter onerauit. Sicque factum eſt, q[illegible] [illegible] a[illegible] ne[illegible] iſtiam ferè omnium morum, & vita ſatis notitiam [illegible] ut quia aliàs bonos in bono confirmauit, malos verò à m[illegible] [illegible] oluit aut corre[illegible] i, & emendari procurauit per viſitatores, aut [illegible] ormas [illegible] quos ad [illegible] demum ſpecialiter deputauit; volenſque Curiales Eccleſiaſtici pie viuentes, c[illegible] [illegible] [illegible] eſſent cæteris in exemplum.

Affectum carnalem nequaquam ad ſuos ſe habere demonſtrauit, nullum ex eis ad quamcumq; Prælaturam promouit, niſi duos duntaxat, videlicet fratrem ſuum, & nepotem ex conſanguineo germano, Doctorem Decretorum, aliaſque bonum, & ſufficientem, quem Eccleſia S. Pauli in Epiſcopum præfecit. Ali[illegible] autem quamquam eſſent boni, & idonei, aut beneficiis ſatis ſimplicibus, aut officiis Curia voluit remanere contentos. De laicis etiam nullum exaltauit, imo nec per alios exaltari permiſit. In cuius euidentiam expreſſè recuſari ordinauit per Patrem ſuum ſexcentas libras renduales, quas Rex Franciæ ſibi dederat ob ſui fauorem. Nepotem etiam ſuum, vnicum, & ad quem paterna hereditas pertinere debebat, non cum altiori, imo nec æquali ſibi in genere, voluit matrimonialiter copulari; ſuſcepit namque ſibi in vxorem filiam cuiuſdam Mercatoris Montiſpeſſulani ſatis ſimplicis ſui generis reſpectu. Ipſe etiam paternaliter, & caritatiue omnes dilexit, in his tamen, quæ pertinent ad Deum, neminem timuit, niſi eum, cuius gratia ſuffultus fuit, & taliter rexit, quod vniuerſaliter amabatur à malis: fuit enim ſancta, & iuſta intentionis faciendi in omnibus, quæ Deo credebat fore placitura, & contraria euitandi, habuitque in mente conſtantiam, veritatem in ore, & efficaciã, ſeu virtuoſitatem in operatione.

Scripſit Vrbanus.

Orationem de Expeditione Terræ S. ad Ioannem Regẽ habitam.

De Oratione Commentaria egregia.

Verſus de Agno Dei.

Extat m. s. in Vaticano, & Patauij in Muſeo Benedicti Siluatici Epiſtolarum volumen.

Et ſcripſit Epiſtolarum Senilium libros Franciſcus Petrarcha.

Cum floreret Vrbanus multis ſanctitatis argumentis, Vvaldemarus Daniæ Rex, quinto poſt anno à Gregorio XI. expetijt, vt ſanctorũ Catalogo adſcriberetur, cui idem Gregorius hæc reſcripſit; *Nobis expoſita affectio e ſincera, quam ad felicis recordationis V[illegible] ni Papæ V Prædeceſſoris Noſtri memoriam habere dignoſceris, Serenitati tuæ ind[illegible] grates referimus e[illegible] proſas, deuotionem tuam plurimùm in Domino commendantes; vnde ſi Noſtro tuiſq; temporibus canonizationem ipſius venire contingat, de ipſo te faciemus certiorem.* Contexuit ea religioſa actio de miraculis Vrbani, quæ oblato poſtea ſch[illegible] ſmate inſtaurata eſt; libellum enim eius geſta continentem Ma[illegible] henſes monachi S. Victoris, ac Petrus O[illegible] narius Canonicus Aquenſis Procurator Carol. Fracorum Regis, & Ludouici Andegauenſis, aliorumque Principum, ac Prælatorum nomine Clementi VII. porrexere, vt cælitum numero illum adſcriberet. Eius ſanctitas memoratur in Martyrologijs Benedictino, & Gallicano, illius quoque meminit Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum, qui nõ ſunt in Martyrologio Romano. In Proceſſu vitæ eius oblato Clementi VII. a Petro Olinarij Canonico Aquenſi, Procuratore [illegible] aroli Francorum, & Ludouici Siciliæ Regum narratur iam ipſis ſuis temporibus, vt ſanctus coli, & talis in Eccleſijs pingi. *In diœceſi ſua, & plurimis Eccleſiis,* inquiunt Acta illa, *etiam Patriarchalibus, etiam Romæ, Imago eius tanquam ſancti pingitur, & honoratur.* Et auctor Appendicis ad Chronicon Bernardi Guidonis ait vix vllam eſſe in mundo Eccleſiam ſolemnem, in qua Imago eius non ſit depicta. In Auguſtinianorum fratrum clauſtro Toloſano pictus eſt Vrbanus ad naturalem, vt aiunt, expreſsionem, procero corpore, capite craſſo, ſub cuius pedibus eſt Inſcriptio maioribus characteribus exarata, quam nos ſupra reſcripſimus.



Cum aliquem ex Minoritis ad Cardinalatum promouere decreuiſſet, petijt à Minoritis fratribus nomina trium ex ſuis, doctrina, ac integritate morum præſtantium, vt vnum ex eis Cardinalem renunciaret; illi ne magis in vnum, vel alium pendere viderentur, ſcripſerunt in figura plana ſphærica nomina trium ex ſuis hoc modo.

Ille modeſtiam religioſorum virorum admiratus relictis illis tribus, Miniſtrum generalem Cardinalium Collegio adſcripſit.

Sedente Vrbano in Petri Cathedra Fr. Paulus Trincius Fulginatenſis ordinis Minorum, religioſam ſuam familiam ad ſeueriorem diſciplinam reuocauit; & Angelina Comitiſſa Ciuitellæ Comitum Corbariæ, ſacrarum virginum, quas Tertiarias nominant, inſtitutum, Fulginatenſi in Vrbe reſtaurauit. Vrbani iuſſu habita eſt Synodus Cantuarienſis in Anglia ad coërcendam Clericorum auaritiam, qui pluribus ſacerdotijs potiebantur; imò reſtituendæ in Eccleſia Catholica priſtinæ ſanctitatis ſacro deſiderio incitatus Pontifex vniuerſis Archiepiſcopis imperia dedit, vt in ſingulis prouincijs concilia cogerent, in quibus de euellendis vitijs, & Chriſtiani populi excolendis moribus ſaluberrimas ſanctiones ederent.

Ad ſuperos euolauit anno 1366. S. Petrus Thomæ, de quo hæc Faſciculi Temporum auctor conſignat hiſtoriæ. *S. Petrus Thoma ex Carmelita Pallenſis Epiſcopus, & Patriarcha Conſtantinopolitanus, Doctorque percelebris, ſummique Regis ſignifer bellicoſus, poſt innumeras, quas habuit ne dum cum ſpiritualibus, ſed et corporalibus*

Margin notes: Vrbani ſcripta. Ludou. Iacob. à S. Carol. in Bibliotheca Pontificia. — Aliqui curant, vt ſanctorum Catalogo Vrbanus adſcribatur. — Imago Vrbani depicta in Eccleſijs. — Minoritarum Modeſtia. — Fr. Paulus Trincius, & Angelina Comitiſſa Corbariæ Religioſas familias reſtaurant. — Synodus Cantuarienſis. — S. Petrus Thomas.

ralibus Crucis inimicis victorias, poſt quam plures conſcriptos libros, ac patrata miracula, in Famaguſta regni Cypri ciuitate corpus exuit in feſto Epiphaniæ.

PRIMA CREATIO CARDINALIVM Vrbani Papæ V.

Anno Dominicæ Incarnationis 1366. Pontificatus IV. die 18. Septembris, feria ſexta quatuor Temporum, Auenione Vrbanus V. Romanus Pontifex tres ex Anonymo auctore Vrbani vitæ, & Conteloro, ex Ciaconio verò quatuor Cardinalium Collegio adſcripſit, qui fuerunt.

I.



Ciaconius

Panuinius

Pomp. Vi. al. in Miſ. Donna.

Aubery in vita.

Petr. Gerſi in hiſt. Canonic. Regular.

FR. ANGLICVS, ſeu Angelicus Grimaldi, ſeu Grimoardi de Griſato, ſeu de Griſaco, natione Gallus, Vrbani V. non fratris filius, ſed frater, vt habemus ex Chronico illius æui in Bibliotheca Regia Gallica, atque ex literis Cardinalium ad illum poſt Vrbani obitum datis, quas nos infra tranſcribemus; patre Guillelmo, matre Amphiliſia Monferrana natus eſt in Griſaco oppido Diœceſis Mimatenſis, Canonicorum Regularium Diui Auguſtini inſtitutum profeſſus eſt, & Cœnobium S. Rufi non longè ab Vrbe Valentia Abbas, deinde Vrbani iuſſu Eccleſiam Auenionenſem Præſul rexit. De eo hæc in Anonymo auctore vitæ Vrbani apud Boſquetum legimus. *Ad Eccleſiam Auenionenſem, quæ diu Paſtore caruerat, cum per duos prædeceſſores ſuos pro ſuis, & Eccleſiæ neceſſitatibus, vacans continue retenta fuiſſet, promouit Dominum Anglicum Grimoardi Priorem Dignenſem fratrem ſuum, de quo quaſi communiter dicebatur, quod in omni probitate, honeſtate, religionis obſeruantia, ac diſcretione, ſeu circumſpectione naturali cum literatura conuenienti ordo ſuus ſcilicet Canonicorum Regularium, etſi pares haberet paucos, tamen excedentes nullos.* Ex Epiſcopo Auenionenſi Presbyter Cardinalis S. Petri ad Vincula titulo Eudoxiæ primò, mox Epiſcopus Albanenſis, & Archipreſbyter Lateranenſis Eccleſiæ ab Vrbano fratre renunciatus eſt anno à partu Virginis 1366. & anno ſequenti legatur in Hiſpaniam ad Petrum Caſtellæ Regem: deinde Piceni, Vmbriæ, Hetruriæ, Campaniæ Maritimæ Legatus Vrbani, in temporalibus Vicelgerens Bononiæ ſedem poſuit, vt eam Vrbem in officio aduerſus Vicecomitum inſidias contineret.

Raſpon. de Baſilic. Lateranẽ.

le Mariana in Hiſt. Hiſpan.

Vita functo Vrbano eadem die Cardinales Auenione degentes Cardinalem Anglicum in Italia Legatum de fratris obitu certiorem fecere, illumque hiſce literis rogauerunt, vt ditionis Eccleſiaſticæ prouincias, quibus præerat, adminiſtraret, dum ipſi deſignando nouo Pontifici vacabant.

Oder Raynald. in. Annal. Eccleſiaſtic.

MISERATIONE DIVINA EPISCOPI, PRESBYTERI, ET DIACONI Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales.

Venerabili Fratri Anglico Epiſcopo Albanenſi, Terrarum ipſius Eccleſiæ in Italia conſiſtentium pro eadem Eccleſia in temporalibus Vicario generali ſal. in Domino.

Quod ex caſu flebili, corde turbati officium conſolationis aſſumimus, illius dilectionis feruor efficit, illius Nos ad id plenitudo dilectionis impellit, quæ nil humanum a ſe reputans alienum, ſic ex intimis dolentis condolet, & patienti compatitur, vt non minus in eius, quam in propriis anguſtiis anxietur. Hodie ſiquidem ſanctæ memoriæ Domino Noſtro Domino Vrbano Papa V. circa horam veſperorum ſublato de medio grauis mœror in amara conſideratione iacturæ, quam pertulit vniuerſalis Eccleſia omnium Noſtrum inuaſit, vobiſque mœſto ſpiritu eo profundius condolemus, quo Vos in ſubtractione tanti germani grauioribus debere præſumimus doloribus occupari. Sed quia Domini ſententia Statutum eſt hominibus ſemel mori, iuxta quam ſententiã proprio Filio ſuo non pepercit; rogamus Vos, vt ſapiens iuxta Sapientis conſilium non detis dolori cor veſtrum, ſed illum abiicientes dicatis cum beato Iob, Sit nomen Domini benedictum, quia cum Rex iuſtitia ponderet æquo libramine vniuerſa, nil in terris permittens fatere ſine cauſa, nemo illi audeat dicere, cur ſic facis. Eſt etiam in quo poteſtis non modicum conſolari, quia idem Dominus longa infirmitate vexatus, interim recepit deuotè, & humiliter Eccleſiaſtica Sacramenta. Rogamus etiam Vos, vt ſic circa regimen terrarum Vobis commiſſarum vigilare debeatis, vt poſteriora prioribus continuando acquiratis laudem apud homines, & meritum apud Deum, nec ipſum regimen propter pericula, quæ maxime hoc tempore poſſunt veriſimiliter occurrere, donec ſuper hoc aliter fuerit prouiſum, dimittere velitis. Deus autem conſolationis in præſenti Vos dirigat, & in futuro ad conſolationem perducat æternam. Datum Auenione die 19. menſis Decembris.

Poſt electionem Gregorij XI. Auenionem ſe contulit, qua in Vrbe etiam poſt Gregorij diſceſſum permanſit, vſque ad obitum; Clementis VII. Pſeudopontificias partes contra Vrbanum VI aliquando ſecutus, è vita exceſſit die 18. Aprilis anno 1387. ſeu veriùs ex Contelorio anno 1388.

Ferdinand. Vghel. in Ital. ſac.

Scripſit Antiphonas multas, & ſacra Reſponſoria.

Nomencl. Cardinal. Eiſengrenius.

Pet. Frizon. in Gallia Purpurat.

Andreas Quercet. in Vit. V.


Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana.

In Aptenſi Ciuitate erexit, ac dotauit Monialium, ordinis Ciſtercienſis Cœnobium, & Sanctimonialibus è Cœnobio de Furnis ordinis Benedictini Auenionem profugis, ædes à ſe emptas dedit, quibus Sanctorum largitus reliquias, & præclaram thecam argenteam, qua Diuæ Luciæ Virginis, & Martyris Lipſana ſeruabantur. In Montepeſſulano Canonicis Regularibus Domum conſtruxit, & annuis redditibus dotauit, vt refert Anonymus Auctor vitæ Vrbani apud Boſquetum his verbis. *Auenione ædificauit Monaſterium cum officinis, & habitationibus neceſſariis pro Monialibus de Furnis ordinis S. Benedicti, quæ prius erant collocatæ in ſuo loco campeſtri, & aperto, deditque eis multa bona, & Reliquias aliquorum ſanctorum, ſpecialiter S. Luciæ innitas, & incaſſatas in argento. Et in Montepeſſulano Monaſterium Canonicorum Regularium ſub nomine S. Rufi, in quo conſtituit certum numerum Canonicorum, qui Deo ibi ſeruirent, & nihilominus intenderent circa ſtudia literarum, dotauitque Collegium huiuſmodi de redditibus, & prouentibus ſatis ſufficientibus ad ſuſtentationem dictorum Canonicorum, quibus etiam prouidit de pluribus bonis, libris, & aliis ornamentis pro diuino ſeruitio, & ſui continuatione ſtudij neceſſariis, & opportunis.*

Cardinalis huiuſce inſignia hoc quoque tempore, teſte Andrea Victorello ex Notis Suareſij paſſim Auenione conſpiciuntur; cuius ædes ſub Apoſtolico Palatio extant, in quibus habitant D. Audibert, & D. Alphonſe, & olim decumbebat ſanctiſſimus Vrbanus huius nominis Quintus, cum piè quieuit in Chriſto.

Meminere Anglici Card. Vrbani V. & Gregorij XI. Regiſtra.

II.



MAG. F. GVILLELMVS Sudre, quem Anonymus auctor vitæ Vrbani Guillelmum Sudoris nominat, Gallus, Lemouicenſis, ſeu Diœceſis Tutellenſis, ordinis Prædicatorum Theologus inſignis, ex Toloſano Prouinciali Lector ſacri Palatij Apoſtolici primò, deinde Epiſcopus Maſſilienſis, poſtea Presbyter Cardinalis ſãctorum Ioannis, & Pauli titulo Pammachij, & demum Epiſcopus Oſtienſis, & Veliternus renunciatus eſt.

Ciaconius

Panuinius

Chrõ ord. Prædicat.

Aubery in Vita.

Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana.

S. Antoninus.

Petrus Frizonius in Gallia Purpurata. Thomam Aquinam Carmel tam ſecutus. ſcripſit Guillelmum Sudre Sanctæ R. E. Cardinalem functum fuiſſe legatione Neapolitana ad diſcordias, quæ inter Principem Tarentinum, & Ducem Andriæ ortæ erant, ſedandas, & controuerſias dirimendas. Eandem tamen legationem alibi tribuit idem Frizonius Guillelmo de Agrifolio iuniori Presbytero Cardinali ſancti Stephani in Cœlio monte his verbis. *In Regnum Neapolitanum miſſus ab Vrbano anno 1367. ſedandi belli cauſa inter Principem Tarentinum, & Ducem Andriæ exorti.* Errat tamen Frizonius in vtroque, cum neuter horum ſit functus ea legatione in Regno Neapolitano, ſed Guillelmus de Agrifolio ſenior, Presbyter Cardinalis ſanctæ Mariæ Transtyberim titulo Calliſti, deinde Epiſcopus Sabinenſis, vt ſupra diximus in eius vita.

Scripſit Guillelmus hic de Myſterijs ſanctæ Crucis nonnulla.

Nomencl. Cardinal.

Epiſtolas item plures in cauſa fidei ad diuerſos.

Quædam pertinentia ad Logicæ ſubtilitatem.

Mortem oppetijt Auenione iv. Kalendas Octobris ex Ciaconio, & Frizonio, ex Contelorio verò xviij. Aprilis anno 1373. & Auenione in Templo patrum Dominicanorum ante Aram principem ſepulchro donatus ſepulcrali eius tumulo hæc tantùm verba inſculpta leguntur hodie.

And. Victorel. in Addit. ad Ciacõ.

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

REQVIESCAT IN PACE.

Ferdinandus Vghellius Guillelmi Cardinalis ſepulcralem Inſcriptionem prætereuntium pedes ita deleuiſſe affirmat, vt vix poſtrema hæc verba legi poſſe videantur.

III.



Ciaconius. Panuinius. Aubery in vit. S. Antoninus. Gaſpar Iongelin. in Catal. ord. Min. Luc. Wadding in Annal. Minorum.

MAG. FR. MARCVS Viterbienſis, Italus, ordinis Minorum vigeſimus ſecundus generalis Miniſter Genuæ renunciatus anno 1359. Vrbani iuſſu mira dexteritate, & incredibili facilitate ſedauit graues contentiones, quæ inter Amedeum Comitem Sabaudiæ, & Ioannem Marchionem Montiſferrati, Comitis Auunculum intercedebant. In literis ad Amedeum datis hæc de Marco habet Vrbanus. *Nos igitur tantis malis, opportunis obuiare remedijs cupientes, de circumſpectione dilecti filij Marci de Viterbio ordinis fratrum Minorum generalis Miniſtri, Apoſtolicæ ſedis Nuncij, latoris præſentium, viri vtique ſcientifici, ac religioſi, quem vtrique parti reputamus acceptum, plenè confiſi, eum ad tuam, & dicti Marchionis præſentiam, ad extirpandam cum fauore auctoris pacis præfatam diſcordiam duximus deſtinandam.* Eiuſdem Vrbani iuſſu bellorum incendia extinxit inter Ioannem Vercellenſem, & Ioannem Aſtenſem Epiſcopos, ac Io. Montiſferrati Marchionē excitata: quos vt ad pacem reduceret, datis his, quæ ſequuntur literis, Pontifex iniunxit.

VRBANVS, &c. Dilecto filio Marco de Viterbio ordinis fratrum Minorum generali Miniſtro.

Litteras tuas, per quas Noſtro Apoſtolatui retuliſti, quòd tu pacem, quam inter dilectos filios nobiles viros Ioannem Marchionem Montiſferrati, & Amedeum Comitem Sabaudiæ pro parte Noſtra diu tractaueras, nuper auxiliante Deo, de voluntate partium promulgaſti, facto prius per partes eaſdem in Nos compromiſſo de omnibus querelis, & actionibus, quas alter eorum aduerſus alterum prætenderet ſe habere, recepimus, ac perlegimus cum lætitia pleniori, proinde Deo, qui eſt auctor pacis, & vnitatis amator, qui tantum bonum ſua pietate conceſſit, gratias referentes, ac tuæ diſcretionis ſollicitudinem multipliciter in Domino commendantes. Porrò quia partes illæ nondum ſunt à guerrarum ſentibus expurgatæ, & adhuc inter præfatum Marchionem, & dilectum filium nobilem virum Galeatium de Vicecomitibus militem in Ciuitate Mediolanenſi Imperialem Vicarium ſæua guerra remanſit partes eaſdem depopulans, & vicinas ſua contagione inficiens, & conturbans in votis gerimus inter ipſos Marchionem, & Galeatium, & inter cunctos Chriſtifideles ponere bonum pacis, ideoque ſperantes in Deo, quòd ipſe Zelum tuæ circumſpectionis ad pacem aſpiciens, gratiam, quam tuis deuotis, & ſtudioſis affectibus in prædicto primo negocio tribuit, in iſto ſecundo, cum non ſit abbreuiata manus eius, etiam ampliabit, eandem tuam diſcretionem hortamur attentè per Apoſtolica tibi ſcripta præcipiendo mandantes, quatenus ex parte, & auctoritate Noſtra inter eoſdem Marchionem, & Galeatium, ſecundum diſcretionem tibi datam à Domino ſtudeas procurare, & vt efficacius hoc poſſis efficere, tibi ſuper hoc per alias Noſtras patentes literas mox datum dirigimus opportunum, volumuſque, quòd huiuſmodi proſequendo negocium, literis Noſtris ſuper procurationis tibi à Clero exhibenda, cum ad hoc ſufficiant, vtaris, vt prius. Datum Auenione nono Kalend. Octobris Anno Primo.

Raph. Volaterr. Scipio Ammirat. in hiſtor. F[lor]. Matth. Villanus. Petr. Rodulph. in hiſtor. Seraph.

Legatus etiam ab Vrbano renunciatur Marcus ad ſedandos Italiæ tumultus. Conciliauit Piſanos, & Florentinos, Italiæ Principes, ac præcipuas Tuſciæ, & Lombardiæ Ciuitates coniunxit ad fœdus ineundum contra iniquas ſocietates, quas vocabant, in Italiam irruentes. Coaluerant impiæ gētis colluuiones ex ingenti multitudine latrunculorum per totam Galliam collecta ex reliquijs belli Anglicani ad hominum millia quadraginta, quæ hinc inde erratica, ſpolijs, & rapinis intenta Prouincias, & Regna ferro, flammaque deuaſtabant. Contra hanc multitudinem iniunxit Pontifex Marco Viterbienſi Minorum Miniſtro generali, vt Principes Italiæ conuocaret, atque has ad illum literas dedit.

VRBANVS, &c. Dilecto filio Marco de Viterbio ordinis fratrum Minorum Miniſtro generali, Apoſtolicæ ſedis Nuncio.

Nuper per alias Noſtras litteras tam dilectis Florentinis, & Piſanis, quam tibi ſuper pace, vel ſaltem longis treguis inter eoſdem Florentinos, & Piſanos faciendis direximus excitatoria ſcripta Noſtra, & quia pace, vel treguis huiuſmodi, Domino fauente firmatis, magno non ſolum Tuſciæ, ſed toti Italiæ de Comitiuis gentium armigerarum magnum periculum veriſimiliter imminebit. Diſcretionem tuam hortamur, attentè mandantes, quatenus Venerabilem fratrem Aegidium Epiſcopum Sabinenſem, & dilectum filium Noſtrum Androinum tituli S. Marcelli Presbyterum Cardinalem, Apoſtolicæ ſedis Legatos, ac eoſdem Florentinos, & Piſanos, nec non alios Tuſcos, ac dilectos filios nobiles viros Marchionem Montiſferrati, ac Regentes Ciuitatis Mediolanen. Veronen. Paduan. Ferrarien. Mantuan. Ianuen. & alios, de quibus videris expedire ad vniendum ſe contra Comitiuas eaſdem, ex parte Noſtra requiras, moneas, & etiam exhorteris ſecundùm prudentiam à Domino tibi datam, Nobis quid inde feceris, reſcripturus. Dat. Auenion. vi. Idus Aprilis Anno Secundo.

Ad Senenſes quoque Legatus miſſus, vt eos diſſidentes, placidè componeret.

Felin. in c. cum dilectus. q. de Reſp. Tiraquell. de iure primogen.

Dum ante adeptam purpuram, præclariſſimis his fungeretur legationibus Marcus, & ſumma cum laude obſequijs ſtuderet Apoſtolicis, petijt Vrbanus à ſenioribus ordinis patribus, qui Auenione reſidebant, vt tres probatos, ac doctos viros inſtituti ſui ſibi præſcriberent, ex quibus vnum in Cardinalem poſſet deligere. Illi tres tantæ dignitati idoneos ſelegerunt, ſed ne loco viderentur impares, quos meritis iudicabant æquales, & qui primus nominaretur, dignior haberetur, ac fieret reliquis præiudicium, non ordinatim, ſed circulariter omnium nomina ſcripſerunt, vt ſupra in Vrbani vita diximus, qua ratione dignoſci non potuit, quem primum nominabant. Vrbanus circulum conſpiciens, & ſubridens. *Vos*, inquit, *ordinem communem peruertiſtis, Ego pariter veſtrum peruertam*, & excluſis tribus in circulo conſcriptis, Marcum Viterbienſem Miniſtrum generalem Presbyteris Cardinalibus tit. S. Praxedis adſcripſit. Non tamen diu vixit Cardinalis, nam anno 1369. menſe Auguſti, ſeu verius ex Contelorio die 3. Septembris Viterbij ex hac vita migrauit, & iacet in eadem Vrbe in Eccleſia Minorum cum hoc Epitaphio.

Anonym. auct. vitæ Vrbani V. apud Boſquet. Oder. Raynald. in Annal. Eccleſiaſtic.

MARCVS. VITERBIENSIS. EX. ORDINE. MINORVM CONVENTVALIVM. CARDINALIS. AB. VRBANO V. OB. SVAM. INGENTEM. IN. OMNI. VIRTVTE. GLORIAM KALEND IANVARII. MCCCLXVI. CREATVS. VITERBII. VITAM. VIR. SANCTITATE. VITAE. CONSPICVVS. OBIENS. NOMEN. SVVM. IMMORTALITATI CONSECRAVIT. ANNO. VIRGINEI. PARTVS M C C C L X I X.

Quam tibi plus Marce longè huic Vetulonia dedit
Nam tu illi eſſe, dedit ille bene eſſe tibi.

A veritate errauit Epitaphij huius auctor dum dixit Marcum inter Cardinales cooptatum Kalen Ianuarij, ſcimus enim ex m. ss. Vaticanæ Bibliothecæ illum Cardinalitio pileo donatum die xviij. Septembris, vt ſupra diximus.

Nomencl. Cardinal.

Scripſit Summam Caſuū Conſcientiæ; atque hæc de illo legimus apud Paulum Corteſium. *A Marco Viterbienſi cùm multa præclara geſta ferantur, tum maximè ab eo eſt lex certa negociatoria præſcripta vitæ, ex qua minus in agenda ſoleat animæ excitari morſus.*

IV.



PETRVS Tornaquincius nobilis Florentinus, eiuſdemque Vrbis ex aliquibus Epiſcopus ab Vrbano V. Presbyteris Cardinalibus titulo ſancti Marcelli ex Ciaconio, Ammirato, & Florauante Martinello adſcriptus eſt. Nulla tamen illius mentio apud Anonymum auctorem vitæ Vrbani, qui tres tantùm recenſet Cardinales renūciatos ab Vrbano anno 1366. nulla apud Panuinium, & alios illius æui ſcriptores extat. Imò Contelorius, vna cum Amanuenſibus, à numero Cardinalium, & à titulo S. Marcelli omnino illum excludit, cum nulla de ipſius Cardinalatu in publicis libris, & in Regiſtris Romanorum Pontificum adſit mentio, præterea à titulo S. Marcelli reiciendus Tornaquincius, quia tunc temporis vitam ducebat, vt ipſe affirmat, Androinus de Rocha Presbyter Cardinalis S. Marcelli, quem titulum vnà cum Eccleſia verè, non autem per denominationem retinuit, & cum eo deceſſit anno 1369. eique in titulo ſubrogatus eſt poſt annos duos, anno ſcilicet 1371. Ioannes Fabri, cui ſucceſſit Ioannes Epiſcopus, qui vſque ad annum 1402. ſuperuixit. Quare cum præfati tres Cardinales titulum S. Marcelli ſucceſſiuè obtinuerint, non potuit eodem tempore eundem titulum obtinere Tornaquincius.

Varius eſt Ciaconius in aſſignando huiuſce Cardinalis obitus tempore; hic enim illum Auenione anno reparatæ ſalutis 1383. è vita exceſſiſſe, ſcribit; alibi tamen, nempe ſub Innocentio VII. in ſerie Cardinalium, qui è vita abierunt, affirmat Epiſcopum Florentinum, & Portuenſem mortem ſubijſſe anno 1404. Auenione, indeque delatum Florentiam in Eccleſia Cathedrali locatum, in qua eius viuum effigies eſt depicta. Contra Ciaconium eſt laudatus Martinellus, qui ex m. s. de Epiſcopis, & viris Illuſtribus Florentinis, quod in celebri Bibliotheca Dom. Horatij Morandi Abbatis S. Praxedis de Vrbe ſe vidiſſe affirmat humatum fuiſſe in Cathedrali Auenionenſi cum ſequenti Epitaphio refert.

D. O. M.

D. O. M.
PETRVS. TORNAQVINCIVS
FLORENTINVS
PRBSB. CARD. TIT. S. MARCELLI
OBIIT. ANNO. DOMINI
MCCCLXXXIII.
REQVIESCAT. IN. PACE.

SECVNDA CREATIO CARDINALIVM.

Anno Dominicæ Incarnationis 1367. Pontificatus V. jv. Idus Maij Maſſiliæ Vrbanus V. Romanus Pontifex iterum creauit vnum Cardinalem, qui fuit.

Ciaconius. Panuinius. Anonym. Auct. vitæ Vrbani V apud Boſquet. Odericus Raynald. in Annal. Eccleſiaſt.

V.



GVILLELMVS de Agrifolio iunior, nepos Guillelmi ſenioris eiuſdem cognominis, natione Gallus, Iuris Pontificij doctor, Vrbanique a Notis, & Epiſtolis, optimæ famæ vir, & honeſtæ conuerſationis, forma ſpecioſus, & ſtatura decorus cum annum ætatis ageret vigeſimum octauum, Presbyter Cardinalis titulo S. Stephani in Cœlio monte ab Vrbano V. effectus eſt, de quo hęc apud auctorē vitæ eiuſdem Vrbani legimus. *Ibidem, inſuper exiſtens die videlicet duodecima menſis Maij anni prædicti aſſumpſit in Presbyterum Cardinalem Guillelmum de Agrifolio Decretorum Doctorem, tunc ſedis Apoſtolicæ Notarium, iam Sacerdotem, de quo non modicum quamplurimi fuerunt admirati, cum eſſet iuuenis nondum attingens annum vigeſimum octauum ætatis ſuæ, & de eius promotione ſaltem ad illum ſtatum pro tunc nullatenus ſperaretur. Sed ad hoc faciendum motus fuiſſe dicitur conſideratione Domini Guillelmi de Agrifolio ſenioris tit. S. Mariæ Transtyberim Presbyteri Cardinalis, cuius ipſe Papa ſocius, & familiaris fuerat, cum in minoribus exiſtebat, & qui poſt Deum ſuæ dictæ aſſumptionis dicebatur fuiſſe præcipuus promotor, & auctor, cuius dictus Dominus Guillelmus nepos exiſtebat. Qui etiam in ſtudio, à quo a ſua adoleſcentia, vſque tunc verſatus fuerat, bona fama, vita laudabilis, & cōuerſationis honeſta, & inter alios ſuos coætaneos ſatis eſſe ſufficiens communiter ferebatur, eratque ſpecioſus forma, ſtatura decorus, & alias bene diſpoſitus ad omne bonum.*

Scribunt Ciaconius, & Petrus Frizonius, Guillelmum hunc ex Presbytero Cardinali renunciatum fuiſſe ab Vrbano, ſeu à Benedicto XII. dicto XIII. Epiſcopum Sabinenſem, ſed confundunt hunc iuniorem cum ſeniori. Ille enim, qui ordinatus eſt Epiſcopus Sabinenſis, ſenior fuit, vt apertè oſtendit ipſius Vrbani vitæ auctor his verbis. *Die vltima dicti menſis, quæ fuit dies Dominica in vigilia omnium Sanctorum primitus in altari B. Petri ſolemniter celebrauit, & ibidem conſecrauit in Epiſcopum Sabinenſem, prænominatum Dominum Guillelmum de Agrifolio, qui longis temporibus ante non conſecratus titulo S. Mariæ in Transtyberim Presbyter extiterat Cardinalis.* Guillelmus hic iunior nunquam dum vixit, præfuit Eccleſiæ S. Mariæ Transtyberim, præfuit tamen, vti diximus, ſenior; deinde in Inſcriptione ſepulcrali Presbyter tantùm ſancti Stephani nominatur.

Ferdinand. Vghel. in Ital. ſac.

Alij narrant Guillelmum Cardinalem S. Stephani, ſedis Apoſtolicæ nomine functum fuiſſe legationis munere in Regno Neapolitano; ſed hi quoque à veritate aberrant; nam ſenior Guillelmus, & non iunior legationem illam exercuit, vti refert frater Raymundus Hugonis tunc viuens in libro de Translatione Corporis S. Thomæ Aquinatis his verbis. *Scripſit etiam Fr. Elias*, Magiſter erat hic generalis ordinis Prædicatorum, *per alios fratres Dominæ Reginæ Siciliæ, Domino Cardinali Cæſaraugustano tūc Legato in Neapoli*, rexerat ſenior Eccleſiam Auguſtanam, adeò Cardinalis Auguſtanus dictus. Idem docet Iulius Cæſar Capaccius in Hiſtoria Neapolitana, dum ait. *Facta eſt autem conſecratio*, loquitur de conſecratione Eccleſiæ in honorem B. Virginis, & B. Martini Epiſcopi erectæ a Carolo Calabriæ Duce, *anno 1368. in Kalendas Martias a Guillelmo de Agrifolio S. R. E. Cardinali, qui titulo S. Mariæ Transtyberim ab Vrbano V. Epiſcopus Cardinalis Sabinus creatus eſt anno 1367.*

Steph. Baluze in not. ad vitas. Petrus Frizon. in Gal. Purp. Oder. Raynald. in Annal. Eccleſiaſtic.

Gregorius XI. Vrbani ſucceſſor prouinciam examinis reuelationum S. Brigittæ è Regum Sueciæ ſanguine genitæ, & Vlfono Neriitiæ Principi nuptæ, Guillelmo de Agrifolio Presbytero Cardinali [illegible] Stephani viro illius æui clariſsimo demandauit.

Card. de Turrecremata in Prolog. ad ſuas reuelationes. Frizonius.

[illegible] irtutes tamen ſuas obſcurauit, nam inter præcipuos Schiſmatis anteſignanos Clementem Pſeudopontificem ſecutus ab eodem in Germaniam legatur ad perſuadendum Auguſto Carolo IV. Germaniæ Proceribus, & Imperij Electoribus recipiendum eſſe vti legitimum Pontificē, & reprobandū Vrbanum nuius nominis VI. Metis diu moratus paſſus eſt repulſam a Germanijs, Vrbano bene affectis: Auenione m. s. aſſeruatur epiſtola Ducis Andiū, Ludouici Francorum Regis filij ad Imperatorem Carolum, qua poſtulat, vt Reuerēdiſsimus de Agrifolio vnus ex Legatis à latere Clementis VII. deſtinandus bene excipiatur. Literæ quoque aſſeruantur ibidem Cardinalis de Agrifolio ad eundem Clementem Metis datæ die vigeſima ſecunda Iulij, quibus eum admonet ſe Catalauno diſceſiſſe, vt Rauennatem Vrbani VI. Legatum magnis itineribus Metas properantem anteuerteret.

Ioſ. Maria Suareſius. And. Victorell. in Addit. ad Ciaconiū.

Poſt Clementis VII. Pſeudopontificis obitum permanſit Guillelmus in Schiſmate, & Benedicto XIII. adhæſit, in cuius obedientia è vita exceſsit Idibus Ianuarij, ſeu xjx. Kalen. Februarij an. 1401. vti habemus ex Necrologio Collegij ſancti Martialis Auenionēſis. Eius cadauer tumulatum in Templo eiuſdem Collegij in ſacello S. Stephani, quòd proprijs impenſis erexerat, & dotauerat, cui duo librarum millia teſtamento legauit: in tumulo nigri marmoris habetur hoc Epitaphium.

HIC. IACET REVERENDISSIMVS. IN. CHRISTO. PATER. DOMINVS. GVILLELMVS DE AGRIFOLIO. DECRETORVM. DOCTOR. TIT S. STEPHANI. IN. COELIO. MONTE. S. R. E. PRESBYTER. CARDINALIS. QVI OBIIT DIE XIII. MENSIS. IANVARII. ANNO. A. NATIVITATE. DOMINI MCCCCI ANIMA. EIVS. IN PACE QVIESCAT. AMEN.

Scripſit Sermones in laudem B. Virginis, & alia ex Nomenclatore Cardinalium. Habuit hic Cardinalis Auenione Palatium, illud quòd Dominus de Aubres modò incolit.

Biſengreuius.

TERTIA CREATIO CARDINALIVM.

Anno à partu Virginis 1368. Pontificatus VI. die xxij. menſis Septembris, quæ fuit feria ſexta quatuor Temporum, Vrbanus V. Romanus Pontifex apud Montemfilum, alias Flaſconem in Italia, tertiò creauit Cardinales, qui fuerunt.

Guillelmus Iudicis ſanctæ Mariæ in Coſmedin, & Stephanus Alberti ſanctæ Mariæ in Aquiro ex Diaconibus Presbyteri Cardinales ordinati ſunt.

VI.



ARNALDVS Bernardi de Montemaiori, natione Gallus, ex Patriarcha Alexandrino, Presbyter Cardinalis, & S. R. E. Camerarius, ab Vrbano renunciatus eſt non in ſecunda, vt ſcribit Frizonius, ſed ex Contelorio, & Ciaconio in tertia Cardinalium creatione. Auxitanus Archipræſul vocatur à Panuinio, & Ciaconio, ſed malè, nā eo æuo præfuit Eccleſiæ Auxitanæ Arnaldus Albretius, & poſt illum Ioannes Rogerius, vt ſcribit Claudius Robertus in Gallia Chriſtiana. Profeſſioni emiſſæ Fidei orthodoxæ ab Imperatore Palæologo Romæ Arnaldus hic Cardinalis ſubſcripſit. Viterbij peſte perijt anno 1369. & ſepultus apud Viterbienſes Franciſcanos.

Inter Cardinales ab Vrbano renunciatos, quos recenſet auctor vitæ eiuſdem Vrbani apud Boſquetum, & Odericum Raynaldum hic non inuenitur; meminere tamen illius Regiſtra Vrbani, & Felix Contelorius in Elencho Cardinalium.

VII.



PHILIPPVS Cabaſſolæ Gallus, ex nobili, & præpotenti Cabaſſolæorum Auenionenſium, ſeu melius Cauallicenſium familia ortus, patrem habuit non Bertrādum, vt Ciaconius, non Iſuardum, vt auctor Nomēclatoris dixere, ſed Iſnardum egregium militem, qui veluti auita parentum hereditate Galliæ Regibus, & Andegauenſibus Siculis militauit. Philippus ex Epiſcopo Cabellicenſi Patriarcha Hieroſolymitanus ordinatus, interfuit Synodo Auenionenſi habitæ anno 1338. & Innocentij VI. iuſſu in Germaniam proficiſcitur Legatus ad Decimas colligendas pro redintegrando Petri Patrimonio, & ditione Eccleſiæ in Italia.

Ciaconius. And. Victorel. in Addit. ad Ciaconiū. Aubery in vitis. Pet. Friſō in Gallia Purpur. Ferdinād. Vghel. to. 1. Ital. ſac.

Ab Vrbano V. Italiam inuiſente Rector Auenionenſis conſtitu-

Panuinius
Aconym. Auct. vitæ Vrbani V. apud Boſquet.
Oder. Raynaldus in Annal. Eccleſiaſt.

nu neſt, & abſens inter Presbyteros Cardinales titulo non S. Sabinæ, vt ſcripſit Panuinius, & Ciaconius, ſed ex Regiſtris Vaticanis, & Inſcriptione ſepulcrali, SS. Marcellini, & Petri primò, mox inter Epiſcopos Sabinenſes cooptatus eſt. Eccleſiæ conſuluiſſe Vrbanum ſcribit Petrarcha, cum Philippum libentiſſimè latitantem ad purpuram vocauit. *Hinc te extulit ſors tua, & ſumma illius ſancti Patris prouidentia, qui te Prædeceſſoribus ſuis incognitum, & libentiſſimo latitantem, Eccleſiæ conſulens, non tibi, niſi quòd magnus, & pius labor, inter tot præſertim impios præmio non carebit.*

Gregorius XI. Vrbani Succeſſor initio ſui Pontificatus, anno 1371. Philippum hunc in Vmbriam, Etruriam, Campaniam, aliaque loca Legatum mandauit, & ſuum in temporalibus Vicarium generalem voluit. De qua legatione hæc legimus apud Petrarcham. *Tuum ad has partes aduentum lætè audio, quem & tibi glorioſum, & Italiæ vtilem, & felicem ſpero; tales te innocentiæ, & virtutis fama præuenit, omniumque iam animos occupauit.* Minorum Protectoris munus ſumma cum laude geſſit, de quo hæc Marianus in Chronico habet. *Fuit ordinis brachium dextrum, & columna fortiſſima, vt iure merito habuerit nomen Protectoris, qui plurima vtilia ſtatuit circa regimen ſanctimonialium*

Luc. Vuadding. in ſuis Annal. Minorum.

Poſtremo defungitur die Perusij ſedis Apoſtolicæ Legatus, non die 27. Auguſti, ſed ſexto Kalendas Septembris anno à partu Virginis 1372. cadauer Auenionem delatum, ac terræ mandatum in æde D. Mariæ Carthuſianorũ de Bonopaſſu, cum hac Inſcriptione.

Felix Contelor. in ſuo Elencho.

D. O. M.

Hic iacet Reuerendiſſimus in Chriſto Pater, Dominus Philippus de Cabaſſole, Domini Isnardi militis filius, qui primo fuit Epiſcopus Cabellicenſis, deinde Patriarcha Hieroſolymitanus, poſt S. R. E. Cardinalis, Presbyter tituli SS. Marcellini, & Petri, mox Epiſcopus Sabinenſis, demum Legatus à Domino Gregorio Papa XI. Auenione ſedente, in Italiam ad gubernandum Romanæ Eccleſiæ Terras. Obijt Perusij ſexto Kalendas Septembres anno 1372. eius corpus ad Monaſterium Carthuſienſium Bonipaſſus delatum, ibidem ſepultum fuit cura Domini Aegidij de Sylua de Monteacuto Epiſcopi Cardinalis Tuſculani, & aliorum executorum teſtamẽti eius.

Andr. Victorell. in Addit. ad Ciacon.

Bonarum literarum ſtudia peramauit Philippus; quare noctes integras ante purpuram, ſomni immemor inter libros ſumma cum voluptate rure ſuo ad Pontem Sorgiæ cum Franciſco Petrarcha tranſigebat. Menſæ accumbens ſeruum libros de Vita Solitaria, quos illi Petrarcha idem inſcripſerat, legentem audiebat; Doctorum virorum ſermocinationibus ſummoperè oblectabatur, vt illa Petrarchæ verba innuunt. *Sileo quanta, quamque honeſta nobis eſſet ex alterno ſermone delectatio, dum nil niſi de noſtra ſalute, vel de literis, atque illuſtrium rerum memoria loqueremur, terraſque omnes, & omnia ſecula ſimul ante oculos haberemus, ſupra quam credi poſſet, noſtra ſorte contenti, & rerum labentium contemptores præcipuis laudibus efferentes, inter quos Iacobum de Columna, qui ætate tunc iuuenis, ſed morum grauitate, & mortis vicinitate iam ſenex, cum ab omni ambitione remotiſſimus, ad Epiſcopatum Papa iubente, inuitus, ne dicam iniuſtus, perueniſſet, atque inde ad Patriarchatum Aquileienſem ſummo nobilium, ac totius populi concurſu, ac ſtudio peteretur, ab Vrbe Roma, vbi tunc erat, fratri ſcripſit, & fidei ſuis, inter alios mihi iurans, aſcendiſſe altius quàm vellet, neque vnquam amplius aſcenſurum: nec ita multo poſt tamen ad cœleſtem dignitatem Chriſto vocante conſcendit.* Commemorat deinde laudatus Petrarcha Philippi iam Cardinalis virtutes his verbis. *Non ſolum hoc panniculo non ſuperbis, ſed nec qualibet purpura, aut corona, imò (& funditus te noui) factus humilior nulla te re alia quàm ſolis auctum curis ſentis.*

Dubitant aliqui vtrum Philippus rexerit vnquam Eccleſiam Cabellicenſem, & Claudius Robertus in ſerie Epiſcoporum Cabellicenſium illum non recenſet, ſed contra illos eſt Petrarcha, qui in libro primo Vitæ Solitariæ de Epiſcopatu illo Philippum alloquens ita ſcribit. *Eam quoque ſortitus es patriam, quam licet Epiſcopatus tuus ciuitatis appellatione nobilitet, ea tamen præter vetuſtatem, & nomen de Ciuitate nihil habet, non luxum, non frequentiam, non tumultum, ſingula ad eam vitam, de qua loquor, aptiſſima, &c.* Deinde addit de Veratio Patrono Cabellicenſi. *Scis quod Veranus tuus, & Chriſti confeſſor eximius, qui ſedem tuam nunc ſolito duriorem neſcio quotus ante te tenuit.*

Hunc Panuinius, & Ciaconius Patham cognominant: ſed contra illos eſt ipſius teſtamentum, & ſepulcralis Inſcriptio, quibus cognomen tale illum non habuiſſe conſtat. Antiqui vir ſunt abbreuiatione ad explicandam Patriarchalem Philippi dignitatem; quare abbreuiationem dignitatis pro cognomine illi vſurparunt.

Philippo Cardinali petenti verſus pios, conſcriptos in ea ſpelunca, in qua Magdalena triginta, & amplius annos diuinis contemplationibus vacauit, Angelorum ſocietatem, & beneficia experta, miſit Petrarcha, quorum primus eſt.

Dulcis Amica Dei lacrymis inflectere noſtris

Meminere Philippi Cardinalis Vrbani V. & Gregorij XI. Regiſtra, quæ m. ss. ſeruantur in Bibliotheca Vaticana.



VIII.

Ciaconius
Barthol. Chioccarell. in Catalog. Arch. Neap.
Panuinius
Aubery in vita.
Felix Contel. in Elench. Card.

BERNARDVS de Boſqueto, natione Gallus, nõ Ruthenenſis, vt refert Frizonius, ſed ex auctore vitæ Vrbani V. Cadurcenſis, Legum doctor, ex Canonico Burdegalenſi, Sacelli Pontificij Sacerdos primò, mox cauſarum Palatij Apoſtolici Auditor renunciatus, demum anno 1365. ab Vrbano V. præficitur Eccleſiæ Neapolitanæ, & anno 1368. Presbyteris Cardinalibus titulo SS. XII. Apoſtolorum ab eodem adſcribitur; inter Cardinales cooptatus Eccleſiam Neapolitanam in manibus Pontificis reſignauit. Obijt Auenione die 19. Aprilis anno noſtræ ſalutis 1371. & ibidẽ ſepultus.

Chioccarell.

Habetur huiuſce Bernardi Archiepiſcopi mentio in Actis conſecrationis Eccleſiæ S. Martini, quæ in Vrbe Neapolitana à Carthuſienſibus monachis incolitur, cui conſecrationi Bernardus Antiſtes interfuit, vt ex eius dedicationis memoria annis præteritis in ſummo illius Eccleſiæ altari reperta certò ſcimus, in qua hæc de Bernardo Præſule legimus. *Item Reuerendus Pater, Dominus Bernardus de Boſqueto tunc Archiepiſcopus Neapolitanus, qui in dicta conſecratione præſens fuit, auctoritate ſua ordinaria omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui in dicta dedicatione interfuerunt, vnum annum, & ijs, qui anniuerſario dictæ dedicationis annis ſingulis in futurum deuotè dictam Eccleſiam viſitabunt, quadraginta dies de iniunctis pœnitentijs miſericorditer relaxauit.*

Bernardum de Boſqueto Archiepiſcopum Neapolitanũ, & Cardinalem laudibus celebratum fuiſſe à Franciſco Petrarcha ob ſtudium Poetices ſcribit Frizonius his verbis. *De Bernardo Boſqueto pauca literis mandata reperimus; cui Petrarcha Epiſtolas verſibus ſcripſit laudans in eo ſtudium Poetices.*

Audio quod ſtudium ſacros tibi noſſe Poëtas
Cœperit alme parens, dulcis labor, ardua cura,
Gratulor, & laudo; quid enim ſolatia vitæ
Plura ferent ata, quidue otia tanta dediſſet?
Haud equidem me fallit amor, ſcio quanta ſub antris
Aonijs inuenta queas.

Hos tamen Petrarchæ verſus ſcriptos eſſe ad Bernardum de Albia Epiſcopum Ruthenenſem idem Frizonius alibi tradit, & à veritate aberraſſe Frizonium ſcribit Stephanus Baluze, quando quæ ad Bernardum de Albia ſcripſit Petrarcha, ille Bernardo de Boſqueto tribuit.

Steph. Baluz. in ſuo Antiſiceonte.

De Bernardo Boſqueto S.R.E. Cardinali habetur mentio in Reuelationibus S. Brigittæ, & in libro miraculorum eiuſdẽ Sanctæ, edito ex Codice m.s. Monialium ſancti Laurentij Paniſperna de Vrbe.



IX.

Ciaconius
Panuinius
Aubery in vita.
Ferdinãd. Vghel to. 1. Ital. ſac.
Thom. Vvalſing.
Nicol. Aripfeld.
Anonym. Auct. vitæ Vrbani V. apud Boſquetum.
Oder. Raynaldus in Annal. Eccleſiaſt.
Felix Contelor. in ſuo Elencho.

SIMON de Langhan, ſeu de Longam, vel de Langan, Anglus, monachus ordinis ſancti Benedicti, Vveſtmonaſterienſis Cœnobij deinde Prior, ac demum Abbas, & Regi Anglicano intimus, totius Regij ærarij, regiorumque reddituum cuſtodiam, & quæſturam habuit. A Vveſtmonaſterienſi Cœnobio ad Epiſcopatum Londinenſem addictus eſt, mox Elienſi, & Cancellarij munere donatus, Cantuarienſi demum ſede ornatus, anno 1366. poſt biennium inter Purpuratos Patres titulo S. Praxedis, ſeu potiùs S. Syxti ab Vrbano relatus, Cantuarienſi Archiepiſcopatu ſponte dimiſſo, ad Pontificem properauit. Interfuit electioni Gregorij XI. à quo vnà cum Ioanne Presb. Cardinali SS. quatuor Coronatorum in Angliam, & Galliam Legatus ad Francorum, & Anglorum Reges conciliandos; at conſumptos ab ijs fruſtra labores refert Gregorij vitæ ſcriptor his verbis. *Tandem licet diutius circa hoc laborioſe, & diligenter inſtiterint, nihil proficere potuerunt, tum quia inimicitiæ erant inter ipſos Reges nimium induratæ; tum etiam quia ipſi Cardinales videbantur partiales potius exiſtere quam tractatores, &c.* Idem Gregorius Simonem functum iam legatione Anglicana Epiſcopum Præneſtinum nominauit anno 1373. Ioſeph Maria Suareſius de Epiſcopis Præneſtinis ſcribit Simonem à Gregorio XI. renunciatum eodem tempore Epiſcopum Præneſtinum, & Legatum in Angliam, ſed morte præuentum legationem illam non ſubijſſe.

Auenione die 22. Iulij anno 1376. ex paralyſi vita functus eſt, ibi-

quem

A que in Templo Carthuſianorum Bonipaſſus, quòd ipſe conſtruxerat, ſepultus cum hac Inſcriptione.

Aubery in vita.

HIC IACET DOMINVS SIMON LANGHAN DE ANGLIA
QVONDAM ARCHIEPISCOPVS CANTVARENSIS
S. R. E. PRAENESTINVS EPISCOPVS CARDINALIS
QVI ISTAM ECCLESIAM DE NOVO CONSTRVXIT
ET OBIIT XXII. MENSIS IVLII ANNO DOM. MCCCLXXVI.
ORATE PRO EO.

Ferdinād. Vghel. in Addit. ad Ciaconium.

Oſſa eius triennio poſt exhumata ad Vveſtmonaſterienſem Eccleſiam, quam maximè adamauerat, cuique magna beneficia contulerat, ſepulchro honorifico condita ſunt, & tumulo hoc inſcripſerunt Epitaphium.

Simon DE LANGHAN ſub petris his tumulatus
Iſtius Eccleſiæ Monachus fuerat Prior, & Abbas,
B *Sede vacante fuit electus Londinenſis*
Præſul, & inſignis Ely, ſed poſtea Primas
Totius Regni, magnus Regiſque Miniſter,
Nam Theſaurarius, & Cancellarius eius,
Ac Cardinalis in Roma Presbyter iſte,
Poſtque Præneſtinus, & factus Epiſcopus atque
Nuncius ex parte Papæ tranſmittitur iſtuc
Orbe dolente Pater, quem nunc reuocare nequimus,
Magdalena feſto milleno ſeptuageno,
Et tercenteno ſexto Chriſti ruit anno,
Hunc Deus abſoluat de cunctis, quæ male geſſit,
Et meritis Matris ſibi cœlica gaudia donet.

And. Victor. in Addit. ad Ciaconium.

Huic literas ſcripſit S. Catharina Senenſis, in quibus Typographi negligentia, vocatur de Luna.

Ciaconius olim gentilitiū ſtemma Androini de Rocha Cardinalis Simoni de Langhan immeritò adſcripſerat, geſſit hic ex Notis Suareſij in Stemmate Crucem auream tribus aureis coronis in ara cærulea decoratam. C

Regiſtra Gregorij XI. meminere huiuſce Simonis Cardinalis.

X.

Ciaconius



Pet. Frizō. in Gallia Purpurat.

Franc. Lanou. de Cancell. Franc.

Claud. Robert. in Gall. Christian.

Pamuinius

Anonym. auctor vitæ Vrb. V. apud Boſquetum.

IOANNES, non de Normannis, ſed de Dormano, ſeu de Dormant, natione Gallus, qui in fratrem habuit Guillelmum de Dormano Frāciæ Cancellarium, nepotes Milonem Epiſcopum Andegauenſem, deinde Baiocenſem, demum Bellouacenſem, etiam Franciæ Cancellarium, & Guillelmum Præſulem Meldenſem, poſtea Archiepiſcopum Senonenenſem, ex Epiſcopo, & Comite Bellouacēſi, & Franciæ Cancellario anno 1368. adſcriptus eſt ab Vrbano V. Presbyteris Cardinalibus tt. SS. quatuor Coronatorum, & à Guillelmo de Meloduno Archipræſule Senonenſi præſente Galliarum Rege, eodem anno pileum rubrum recepit. D

Ferdinād. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

Gregorij XI. iuſſu functus eſt legatione vnà cum Simone de Langhan apud Galliæ, & Angliæ Reges; ſed parum vterque profecit, partiales enim nimium habebantur, cum vterque fuerit Cancellarius, vnus Francorum, alter Anglorum; inſuper ſimultates inter Reges illos à pluribus annis iam radices egerant. Tinxit ſacra vnda baptiſmali Carolum VI. Regem Gallorum die vndecima Decembris anno 1368. in æde Parœciali ſancti Pauli, ſuſceptore Carolo de Montmorencij. Gymnaſium celebre, dictum Bellouacenſe, vel Dormanum Pariſijs erexit, ac dotauit. Duas Carthuſianorum cellas dote ſufficienti locupletauit ad admittendos in perpetuum vnum, & alterum Religioſorum in ſui, & fratris memoriam. E

Brullius in Theatro Antiq. Pariſienſ.

Felix Cōtelor. in Elencho.

Ex hac vita, nō Auenione, ſed Lutetiæ migrauit die ſeptimo Nouembris anno 1373. cum teſtamentum condidiſſet die 29. Octobris eiuſdem anni, multis in pios vſus erogatis, & legatis pecunijs: ſepultus vnà cum fratre Guilelmo, qui eodem anno die vndecima Iulij deceſſerat, ante aram principem Carthuſianorum Pariſienſium, inſcripto hoc Epitaphio.

Nomencl. Cardinal.

Anno milleno ter C. ter I. ſeptuageno
F *Solutus ex membris ſeptena luce Nouembris*
Ioannes de Dormano primò prole Romano
Præſule ſuſceptus, Pater hinc Beluacēſis adeptus.
Sub Franco Rege Cancellauit duce lege
. . . . fouendo ſub alis
Intus confratrem, puerorum quem ſcito Patrem
Collegij clauſtri Brunelli, ſit ciuis aſtri.

Aubery in vita.

Alia inuenitur Inſcriptio ſepulcralis in eadem Eccleſia, teſte Brullio in Theatro Antiquitatum Pariſienſium, & eſt talis.

A *Dormit hic I. de Dormano*
Chriſto felix eſt oblatus
Corpus linquens mundo
Vano ſub marmore tumulatus
In deuoti Patris huius
Rex Gloriæ Ieſu Chriſte
Animam ſuſcipe, cuius
Corpus tegit lapis iſte.

Extat huiuſce Ioannis Cardinalis mentio in Regiſtris Vaticanis Vrbani V. & Gregorij XI.

XI.

B



STEPHANVS de Poiſſy, aliàs Pariſius, natione Gallus, in Lugdunenſi prouincia natus, vir in Iure verſatiſſimus, cum rexiſſet Eccleſiam Pariſienſem per decennium, inter Presbyteros Cardinales titulo ſancti Euſebij ab Vrbano cooptatus eſt anno 1368.

Pet. Frizō. in Gallia Purpurat.

Ciaconius

Panuinius

Aubery in vita.

Ferdinād. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

Suffragium pro Gregorio XI. poſt Vrbani obitum tulit, & Auenione ſupremo defunctus eſt die 17. ſeu 16. Octobris anno 1373. corpus Pariſios delatum habet hoc Epitaphium in tumulo ante, princeps altare Cathedralis Eccleſiæ. C

Anonym. Auct. vitæ Vrbani V. apud Boſquetum.

STEPHANVS hic ſedis Romanæ Collateralis
Deſertis terris ſpes ſanctis iungitur alis
M. C. ter, ac annotribus aucto ſeptuageno
Octobris decima ſexta Domini quoque prima,
Clauditur hoc lapide lux Iuris Pariſiorum,
Paſtor voce, fide dux Regis conſiliorum,
Fautor egenorum, damnans hæreſes reproborum.

Belforeſtius in Annalibus Franciæ ſcribit Stephanum hunc ſupremum diem obijſſe menſe Nouembris, ſed contra illum eſt præter Felicem Contelorium, Frizonium, & alios Inſcriptio ſepulcralis.

Claud. Robert. in Gall. Chriſtian.

Hoc Præſule ſacræ Cœleſtinorum ædes Pariſienſium decimoquinto Septembris anno 1370. fuere dedicatæ in Deiparæ Annunciatæ honorē Guillelmo Senonenſi Archipræſule ſacra operante, & Carolo V. Rege Galliarū Cœleſtinorum domus fundatore inſtante. D

XII.



Ciaconius

Panuinius

Oder. Raynal. in Annal. Eccleſiaſt.

Auctor vitæ Vrbani V. apud Boſquet.

FRANCISCVS Thebaldeſchus, vel de Thebaldeſchis, natione Italus, patria Romanus, ex Priore ſancti Petri ad Vincula renunciatur ab Vrbano Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Sabinæ, & Archipresbyter ſancti Petri in Vaticano; vnde à Theodoro à Niem Cardinalis S. Petri dicitur. Interfuit Electioni Gregorij XI. qui illū contra perduelles Eccleſiæ Legatū nominauit, eumdemq; Vrbi, Sabinæ, Campaniæ, Maritimæ, Patrimonio beati Petri in Tuſcia, Ducatu Spoletano, ac nonnullis Vrbibus inſignibus cum multa auctoritate præfecit. E

Aubery in vita.

Nomencl. Cardinal.

E vita exceſſit Romæ ſub Vrbano VI. pro quo ſuffragium tulit, die 20. Auguſti ex Contelorio, ſeu ex Inſcriptione ſepulcrali die 7. menſis Septembris anno 1378. & ſepultus, non in Eccleſia ſanctæ Sabinæ, ſed apud S. Petrum cum ſequenti Inſcriptione.

HIC REQVIESCIT REVERENDISSIMVS PATER DOMINVS
FRANCISCVS DE THEBALDESCHIS TITVLI S. SABINAE
PRAESBYTER CARDINALIS DE ......
QVI VIXIT ANNOS .....
F OBIIT A DOM MCCCLXXVIII DIE VII. MENSIS SEPTEMB.
INDICT. ... CVIVS ANIMA REQVIESCAT IN PACE AMEN.
ORATE PRO EO.

Franc. Maria Turrig. de Crypt. Vatican.

Eccleſiam ſancti Petri annuis redditibus ditauit. & in ea erexit ære proprio tres Clericatus, vt dicunt Beneficiatos.

Quo conſilio Ciaconius Parmam ſymbolicā Cardinalis Petragoricenſis, quā habes in Ioanne XXII. inter Cardinalis huic Thebaldeſcho tribuerit, prorſus ingnoro, cū roſa argentea vernans in vertice ſcutario puniceo, cū ſuppoſito ei aureo ... & præterea cū baltheis ſex partim coccineis, partim aureis ſit in Vrbe Roma familiæ Thebaldeſchæ, vt refert Syluester Petraſāctā de Teſſeris Gentilitijs.



XIII.

PETRVS de Banhato, quem Ciaconius de Chiuacho, Panuinius de Cinacho, & Anonymus auctor vitæ Vrbani apud Boſquetum, de Banhaco cognominant, natione Gallus, patria Lemouicenſis, ex Abbate Montiſmaioris prope Arelatem, ordinis Diui Benedicti, Epiſcopus Caſtrenſis (Caſtrum, vel Caſtra, ſeu Caſtrena Vrbs eſt totius Albigenſis territorij ad fluuium Acutũ, caput) mox Presb. Cardinalis tit. S. Laurentij in Damaſo ab Vrbano V. renunciatur, & dicitur Cardinalis Montiſmaioris. Ex hac vita migrauit Auenione anno 1370. ex Ciaconio, ſeu verius, vt refert Felix Contelorius in Elencho ex libro Obligationum menſe Octobris anno 1369.

Felix Contel. in Elench. Card. — *Claud. Robert. in sua Gall. Christiana.*

B

Panuinius ſcribit Petrum hunc poſt obitum Raymundi de Canilliaco obtinuiſſe Eccleſiam Præneſtinam: & Theodorus à Niem inter Gallos, qui Vrbanum VI. ſalutarunt, Abbatem Montiſmaioris numerat his verbis. *Ad dictum Vrbanum in Palatio Apoſtolico exiſtentem ſatis tempeſtiuè acceſſit Petrus de Luna tunc, & paulo poſt alter, qui Abbas Maioris montis vulgariter nominatur.* Quare aliqui pro Abbate Maioris montis, Cardinalem hunc intelligunt, cuius vitam, vſque ad Vrbani VI. æuum trahunt. Sed à veritate aberrauit Panuinius; nam Eccleſiam Præneſtinam retinuit Raymundus, vſque ad annum 1373. quo anno iam è viuis exceſſerat Petrus Cardinalis S. Laurentij in Damaſo, ex libro Obligationum, vt diximus ſupra. Ille verò, qui acceſſit ad Vrbanum huius nominis Sextum, non Montiſmaioris, ſed Maioris Monaſterij, ſeu Maioris montis Abbas ex Aubery fuit, qui alius omnino eſt ab Abbate Montiſmaioris. Deinde eſto ſuperſtes erat Petrus, vſque ad Vrbanum VI. poſt adeptam tamen purpuram non amplius Abbas, ſed Cardinalis Montiſmaioris dicebatur. Ille igitur, qui ad Vrbanum ex Theodoro à Niem acceſſit, Abbas tantùm, & non Cardinalis erat, alius omnino à Petro Cardinali ſancti Laurentij in Damaſo.

C

QVARTA CREATIO CARDINALIVM.

Anno Dominicæ Incarnationis 1370. *Pontificatus Octauo, vij. Idus Iunij,* Vrbanus V. Romanus Pontifex apud Monteniſtalconem iterum creauit Cardinales, qui fuere.

D



XIV.

Ciaconius — *Panuinius* — *Pet. Pruill. in Gallia Purpurat.* — *Io. Bapt. Resta in vita Franciſci de Stanno Epiſcop.* — *Claud. Robert. in sua Gall. Christiana.*

PETRVS de Stanno, ſeu de Stagno, ſiue, vt iam ab vno, alteroue ſeculo pronunciatur, d'Eſtain, natione Gallus, patrem habuit Guillelmum de Stanno, familiæ de Stãno Principe, & loci eiuſdem nominis Domino apud Ruthenos, quæ pars eſt ſuperioris Aquitaniæ. Perantiqua ea familia eſt, quippe quę certis monumentis aſſeritur iam ab octingentis annis in Gallia floruiſſe. Ex monacho S. Benedicti Petrus primò Epiſcopus Sanfloriacenſis, mox Archiepiſcopus Bituricenſis, deinde ab Vrbano Quinto Presbyter Cardinalis S. Mariæ Trãſtyberim titulo Calliſti, demum à Gregorio XI. Vrbani ſucceſſore Epiſcopus Oſtienſis, & Veliternus, S. R. E. Camerarius, & Epiſcopus Ferrarienſis renunciatus, clarus probitate, eruditione, & rerum peritia. Quare Vrbano ex Italia diſcedẽte, eodem anno 1370. menſe Septembri Italiæ præficitur, quem poſt Vrbani obitum Gregorius ſucceſſor confirmauit. In hac legatione arma in Vicecomites Mediolanenſes, & alios fœderatos populos mouit tam felici progreſſu, vt multis eos prælijs attritos, extremo tandem, & vniuerſo conflictu penitus profligauerit, & ad pacem redegerit. Nicolao, & Alberto Eſtenſibus Ferrariam beneficiario iure poſſidendam conceſſit Pontificis mandato cum decem aureorum millium penſione quotannis perſoluenda. Peruſium Italiæ Vrbem munitiſſimam ad Pontificis obedientiam illata obſidione redegit, ac triumphantium more Vrbem illam ingreſſus eſt. Sic demum Italia pacata ad Gregorium in Galliam rediit, eique præcipuus dicitur vnà cum Senenſi Virgine Catharina mentem indidiſſe Romanæ ſedis repetendæ. Redeuntem in Italiam Gregorium ſecutus in eodem conſilio Romanæ commorationis quoad vixit, confirmauit.

Marc. Ant. Guarinus in diſtor. Ferrarienſi. — *Ferdinand. Vghel. in Ital. ſacra. & in Al- ... Cacomanis.* — *Bern. Corius in hiſt. Mediol.* — *Aubery in vita.*

E

F

A Gregorio XI. Præſes datus eſt Petrus viginti viris doctiſſimis delectis in Cenſores doctrinæ Raymundi Lulli è ciuitate Maiori-

A

carum oriundi, vt patet ex Diplomate Auenione dato vij. Kalend. Februarij anno 1376.

Romæ, vt notat Andreas Victorellus ex Notis Suareſij, non autem Auenione, vt ſcripſit Ciaconius, è vita exceſſit Petrus Cardinalis de Stanno vij. Kalendas Decembris anno 1377. & ſepultus in titulo ſanctæ Mariæ Transtyberim.

Felix Contel. in Elench. Card.

Familia de Stanno ſingulari priuilegio lilia Regiæ domus Francorum, & Regis ipſius, tanquam peculiaria ipſius, & propria à Regibus obtinuit. Id iuris, & eximij decoris conceſſiſſe traditur Philippus Auguſtus Rex anno 1214. Bouinenſi prœlio, quo Germaniæ Imperator, & coniurati alij Principes victi ſunt memorabili clade. Cum enim Philippus conſoſſo ex equo deiectus in terram de vita periclitaretur, Petrus de Stanno, vt ex Rigordo Hiſtorico, qui prœlio interfuit, habemus in pedes proſiluit, & proſtratum Regem in ſuum ipſius equum tranſtulit, ſedenoque parmam liliatam, quæ ipſa quoque de manibus prolabentis exciderat, reſtituit. Victor Princeps Petrum, & totam eius familiam eadem parma donauit, eo tantùm adiecto diſcrimine, vt faſcia ex auro ad caput, ſeu partem ſuperiorem diſtingueretur à Regia. In prima editione Ciaconij multipliciter erratum eſt in ea gentilitia parma: primò omiſſa ſunt lilia, præcipua ipſius domus inſignia in prima, & quarta teſſella; ſecundò tranſuerſa, & media faſcia in ſuperiore tantum primæ, & quartæ teſſellæ collocanda. His paternis inſignibus addidit Petrus S.R.E. Cardinalis Cruces aliquot, vt ſupra expreſſimus, &, ſi comminiſci licet, peculiari conſilio vſurpatum fuiſſe id ab eodem Cardinali dicendum eſt, nimirum, vt doceret ſe Archiepiſcopum Bituricenſem, ſeu Primatem Aquitaniæ fuiſſe, ideoque ternas fortaſſis expreſſit Cruces, vt oſtenderet tres Archiepiſcopatus ſubiectos eſſe Bituricenſi Cathedræ, Auxenſem nempe Narbonenſem, ac Toloſanum. Cruces illas in alueolo miniato, ſeu rubro ob purpuram Romanam collocauit: non tamen ſemper Cruces illas geſſit in ſcuto; nam in pretioſiſſima ſacrarum Reliquiarum theca, quam ille dono dedit Eccleſiæ Ruthenenſi; ſcutum expreſſit cum lilijs ſine numero, & trabe capitali aurea.

B

C

XV.



Ciaconius — *Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon. & in Ital. ſac.* — *Aubery in vita.*

PETRVS Corſinus nobilis Florentinus, filius Thomæ, Decretorum Doctor, ex ſacri Palatij generali Auditore, & Epiſcopo Volaterrano Epiſcopus Florentinus iij. Idus Decembris anno 1361. renunciatus eſt. Quo anno, adhuc tamen Epiſcopus Volaterranus ab Vrbano V. Romano Pontifice in Germaniam ad Carolum IV. Imperatorem, Ludouicum Pannoniæ Regem, Rodulphum Auſtriæ Ducem, & Ioannem Boemiæ, ac Morauiæ Marchionem legatus eſt, vt illos fœdere iungeret: huius opera, & ſtudio pax inter illos Principes ſummo Reipublicæ Chriſtianæ bono firmata eſt. Quare ab eodem Vrbano, inſtante Petro de Albizis Reipublicæ Florentinæ Moderatore, Presbyteris Cardinalibus titulo SS. Laurentij, & Damaſi adſcriptus eſt, cum prius illum Carolus IV. Imperator ob egregiam dexteritatem agendi, ſacri Imperij Procerem, & Principem nominaſſet, quam dignitatem ſucceſſoribus quoque, cauſa Petri conceſſit legere quis poterit Caroli Diploma apud Ferdinandum Vghellum in tomo 3. Italiæ ſacræ in ſerie Præſulum Florentinorum reſcriptum.

D

Scip. Ammirat. de familijs Florentin. — *Anonym. Auct. vitæ Vrbani V. apud Boſquetum.*

E

Poſt Vrbani obitum interfuit Comitijs Pontificijs, & pro Gregorio XI. ſuffragium tulit, à quo anno 1374. Epiſcopatum, non Oſtienſem, ſed Portuenſem, & S. Rufinæ obtinuit. Defuncto Gregorio, cum in creando nouo Pontifice Cardinales abijſſent in partes, ex illis vnus fuit Petrus Corſinus, qui Vrbano Sexto Pontifice relicto, Clementem Septimum Pſeudopõtificem creauit, cuius fortunam Auenionem vſque ſecutus, ab Vrbano VI. excommunicatus, & Cardinalitia dignitate expoliatus eſt.

Deceſſit, non Florentię, vt ſcribit Michaël Pocciantius de ſcriptoribus Florentinis, ſed ex Ciaconio, & alijs Auenione die 16. menſis Auguſti, anno à partu Virginis 1405. cum prius teſtamentum condidiſſet, ac pro medietate Philippum fratrem hæredem inſtituiſſet, alterius verò partis Moniales S. Caij de Florentia, cuius olim Cœnobij Thomas pater fundator extiterat. Apud Auguſtinianos Auenionenſes demortui cadauer conditum eſt cum hoc Epitaphio.

Felix Contel. in Elench. Card.

F

D. O. M.

HIC IACET REVERENDVS IN CHRISTO PATER DOMINVS PETRVS
DE CORSINIS DE FLORENTIA DECRETORVM DOCTOR
PORTVENSIS EPISC. CARDINALIS QVI OBIIT DIE XVI. AVGVSTI
ANNO DOMINI MCCCCV. AC ANNO SVI CARDINALATVS XXXVI.
CVIVS ANIMA REQVIESCAT IN PACE.

Poſt nonnullos annos Petri corpus Auenione tranſlatum eſt ex eiuſdem Teſtamento Florentiam, & in Eccleſia principe eiuſdem

Vrbis le-

Vrbis ſepultum, vbi eius adhuc depoſitum cum effigie depicta, ſpectatur cum hac in pauimento Inſcriptione.

PETRO CORSINO FLORENTIAE EPISCOPO
ET CARDINALI AMPLISSIMO
OB FAMILIAE NOBILITATEM
ET EXIMIAS ANIMI SVI DOTES
HAEC VRBS OPTIME DE SE MERITO
SEPVLCHRVM HOC POSVIT.

Nomencl. Cardinal.

Scripſit de abolendo ſchiſmate opuſculum, quo Eccleſiæ Principes exorat, vt ſchiſma trium Pōtificum, ſe pro Chriſti Vicarijs gerentium extirparent, & efficerent, vt vnus eſſet Paſtor, & vnum Ouile.

Præterea nonnullos edidit Sermones, & Vitas aliquorum ſummorum Pontificum.

Dum vixit, magnis ſumptibus ingentem librorum copiam conquiſiuit, & inſignem Bibliothecam conſtruxit: à Carolo quoque IV. Imperatore ampliſſimum Priuilegium pro Florentina Academia, obtinuit, quód reſcripſit in 3. tom. ſuæ Italiæ ſacræ Ferd. Vghellus.

CANCELLARIVS S. R. E.
ſub Vrbano V. Pontifice.

Petrus de Monteruco, Gallus, Presb. Card. titulo S. Anaſtaſiæ.

CARDINALES MORTVI
ſub eodem Pontifice.

Androinus Alberti, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus, die 9. Maij anno 1363.

Fr. Hugo Rogerij Monſtrius, Gallus, ord. S. Bened. Presb. Card. ſancti Laurentij in Damaſo, die 22 Octobris anno eodem 1363.

Talairandus Comes Petragoricenſis, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Albanenſis, die 17. Ianuarij, anno 1364.

Fr. Ioannes Laſſus, Hiſpanus ord. B.M. de Mercede redemptionis Captiuorum, Presbyter Card. S. M. Transtyberim anno 1366.

Mag. Frater Elias de S. Heredio, Gallus, ordinis S. Benedicti, Epiſcopus Card. Oſtienſis, & Veliternus, die 10. Maij, anno 1367.

Petrus Iterij, Gallus, Epiſc. Card. Albanen. die 20. Maij, an. 1367.

Aegidius Albernotius, Hiſpanus, Presbyter Cardinalis S. Clementis, poſtea Epiſcopus Oſtienſis, die 24. Auguſti anno 1367.

Fr. Elias de Nabunal, ordinis Minorum Presbyter Cardinalis ſancti Vitalis, die 4. Nouembris anno 1367.

Guillelmus Bragoſe Gallus, Presbyter Cardinalis ſancti Laurentij in Lucina, die 11. Nouembris anno 1367.

Nicolaus Capoccius Romanus, Presbyter Cardinalis S. Vitalis, poſtea Epiſcopus Tuſculanus, die 28. Iulij, anno 1368.

Mag. Fr. Marcus Viterbienſis, ordinis Minorum Presbyter Cardinalis S. Praxedis, die 3. Septembris, anno 1369.

Stephanus Alberti, Gallus, Presbyter Cardinalis ſancti Laurentij in Lucina, die 29. Septembris, anno 1369.

Guillelmus de Agrifolio, Gallus, Presb. Card. S. Mariæ Transtyberim, poſtea Epiſc. Sabinenſis, die 4. Octobris, anno 1369.

Fr. Androinus de Rocha, Gallus, ord. S. Bened. Abbas Cluniacenſis, Presbyter Card. S. Marcelli, die 29. Octobris, anno 1369.

Petrus de Chinaco, Gallus, Presbyter Cardinalis ſancti Laurentij in Damaſo menſe Octobris, anno eodem 1369.

Nicolaus de Beſſa, Gallus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in via Lata, die 5. Nouembris anno 1369.

Arnaldus Bernardi, Gallus, S. R. E. Presb. Card. anno 1369.

GREGORIVS XI. PONT. CCIII.

ANNO DOMINI MCCCLXX.





IN NOMINE DEI, ET SALVATORIS Noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen.

GREGORII electio.

POSTRIDIE obitus Vrbani V. in Eccleſia Cathedrali Aueníonenſi, non Maſſiliæ, vt quidam inaccuratè ſcripſerunt, ipſius Exequiæ Nouemdiales celebrari ſunt cœptæ; ad iv. Kalend. Ianuarij factis Spirituſancto de more habitis, Cardinales Comitio includuntur in palatio Pontificio Aueníonenſi, Pontificem bonum, cum omnes Europæ gentes eligi cuperent: ibidem altera die ad iij. Kal. ſcrutinio inito, omnium ſuffragijs Romanus Pōtifex renunciatus eſt Petrus Rogerij Monſtrius oppido Malmonte, Lemouicenſis agri in Galliæ prouincia Toloſana, nobili genere ortus. Petrus Comes Belliforttis antea dictus, ac Clementis VI. fratris filius, qui eum adhuc adoleſcentem vix 17. annum egreſſum, Diaconum Cardinalem ſanctæ Mariæ Nouæ creauerat, & ne videretur Pontifex carni, & ſanguini magis, quàm Eccleſiæ conſuluiſſe, eundem ad exquiſitiſſimos doctores, maximè verò ad Baldum egregium I. C. qui tum Ius Pontificium Peruſij publicè profitebatur, diſciplinæ gratia ſtatim miſit, vbi tantùm in omni doctrinarum genere profecit, ſumma cum omnium admiratione, vt & idem Baldus eius auctoritate, & ſententia, & ſcriptis, in rebus dubijs confirmandis, plerumque in Cathedra vteretur: ſingulari vitæ modeſtiæ, tantam morum maieſtatem, pietatem, & humanitatem adiunxit, vt ab omnibus dilectus ſummo Sacerdotio dignus ſéper habitus, & à 19. Cardinalibus vnanimiter Pontifex maximus Romanus creatus ſit.

Eiuſdem promotio.

CONSECRATIO, & Coronatio Papæ Greg. XI.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1371. *viij. Idus Ianuarij*, in Cathedrali Aueníonenſi ſanctæ Mariæ de Donis, in die Epiphaniæ conſecratus, & coronatus eſt Gregorius Papa XI. per manus Guillelmi Iudicis Lemouicenſis, Galli, Diaconi Cardinalis ſanctæ Mariæ in Coſmedin S. R. E. Archidiaconi, præſentibus Cardinalibus, Epiſcopis, Clero, & populo. Imperatore Carolo IV. Auguſto, ſedit annos 7. menſes 2. dies 29.

CAR-

CARDINALES XIX. VIVENTES *quando Gregorius Papa XI. creatus eſt.*

EPISCOPI CARDINALES VI.

CLEMENTIS PAPAE VI.

1. Guido de Bolonia, Lemouicenſis, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ.

INNOCENTII PAPAE VI.

2. Raymundus de Canillac Antiſiodorenſis Gallus, Epiſcopus Cardinalis Prænestinus.

VRBANI PAPAE V.

3. Fr. Guillelmus Sudre, Lemouicenſis, Gallus, ordinis Prædicatorum Epiſcopus Card. Oſtienſis, & Veliternus.
4. Fr. Anglicus de Griſaco, Mimatenſis, Gallus, Canonicus Regularis, Epiſcopus Cardinalis Albanus.
5. Aegidius Iſſalnij de Monteacuto, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus.
6. Philippus de Cabaſſolæ, Auenionenſis, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Sabinus.

PRESBYTERI CARDINALES X.

INNOCENTII PAPAE VI.

7. Petrus de Monteruco, Lemouicenſis, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo S. Anaſtaſiæ S. R. E. Vicecancellarius.
8. Ioannes de Blandiaco, Gallus, Presbyter Card. tit. S. Marci.

VRBANI PAPAE V.

9. Guillelmus de Agrifolio Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Stephani in Cœlio monte.
10. Simon de Langhan Anglus Presb. Card. tit. S. Xyſti.
11. Bernardus de Boſqueto, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctorum duodecim Apoſtolorum.
12. Ioannes de Dormano, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctorum Quatuor Coronatorum.
13. Stephanus de Poiſy, Gallus, Presb. Card. tit. S. Euſebij.
14. Franciſcus Thebaldeſchus Rom. Presb. Card. tit. S. Sabinæ.
15. Petrus de Stagno, Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Mariæ Trans Tiberim, tituli Caliſti.
16. Petrus Corſinus Florentinus, Presb. Cardinalis titulo ſanctorum Laurentij, & Damaſi.

DIACONI CARDINALES III.

CLEMENTIS PAPAE VI.

17. Guillelmus Iudicis Lemouicenſis, Gallus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Coſmedin, Prior Diaconorum.
18. Petrus Rogerij Monſtrius de Malmonte, Lemouicenſis, Gallus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ Nouæ.
19. Raynaldus Vrſinus Romanus, Diac. Card. S. Hadriani.

Eo tempore, quo Gregorius Papa Pontificatum inijt, Romæ Senator ſingulo ſemeſtri à Pontifice datus, ius populo dicebat, Vrbis autem cuſtodiam, totámque Reipublicæ adminiſtrationem, & curam Banderenſij tunc gerebant Hi Germanico verbo * a vexillis (quę banderas vocant) appellati, quòd his in bello, & Magiſtratus inſignibus vterentur (ſingulæ enim Decuriæ ſigno internoſcebātur ſuo) Capita Regionum nunc vocantur, qui Vrbis Tribubus præſunt.

POPVLI Rom. Pontifici rebelles. E Poſtea Britonum, & Anglorum copias in Italia aluit, vt reſiſteret ijs populis, qui rebellionis auidi certatim Eccleſiaſticum iugum reijciebant; in hoc numero fuere Peruſini, Forolinienſes, & Tudertini, vicinorumque oppidorum incolæ, Florentini quoque inter parum obſequentes, Pontifici Romano numerari poterant.

CATHARINA Senenſis ad Pontificem miſſa. Octo viri Reipublicæ miſerunt Catharinam * Senenſem, dicatam Deo Virginem ad Pontificem maximum, qui tunc Auenione cum omni comitatu erat, vnde illa reſcribit, menſe Iunio anno 1376. Gregorium pacis amantem eſſe, foreque ita Florentini ſi velint, pacem petant: Catharinam verò Reipublicæ nomine ad ſe miſſam honorificè accepit, præbita ei honeſtiſſima domo, in qua ſacellum erat, & ſorori eam ſuæ ſpectatæ familiæ plurimùm commendauit, F quòd eam præſtanti eſſe ingenio, audierat. Hæc igitur cum Senenſi per interpretem familiariter de ſtatu Italiæ colloquuta, deque diuinis myſterijs, optauit intereſſe rei diuinæ, tunc cum Virgo Euchariſtiam percentura eſſet, & verò interfuit, viditque eam populus ſtatim extali miré correptam. Ad id ſpectaculum venerat Raymundi *CATHARINA e[illegible] rapta.* Vicecomitis Tutinæ vxor, quæ credere non poterat, Virginem illam extra corpus ſuum eſſe, itaque ſimulatis aliquoties pedum oſculo, eos acu transfixit, ſed ne tum quidem Catharina vllum dolorem ſentire viſa eſt. Hæc Stephanus Carthuſianus, qui tunc viuebat, interetarque hunc rei cum gereretur, memoriæ mandauit; preces, quas ad Deum pro Gregorio Auenione, rogatu eius ſummo manè fundebat, ſcriptæ a Thoma Petro Notario Apoſtolicæ ſedis adhuc extant. [illegible]nque hæc ſententia erat, vt Vicarius Dei, Deum ipſum vnicè

A amaret, eúmque tota mente complecteretur, & Chriſtianas oues rectè, legitiméque paſceret.

ITALI Pontificem Romam venire optant. Optabant Itali Pontificis in Italiam profectionem, & poſt infelicem rebellionis exitum, illos populos facilè deſcenſuros ſperabant ad vetus obſequium repetendum, modò Gregorius, exoptatiſſimus Princeps, Romam pergeret: vir ſanctiſſimus exiſtimans, hæc omnia mala ſe abſente fieri, de adeunda Italia cogitauit, pacem inter Francorum, Anglorúmque Reges fieri magnopere cupiebat, eiúſque rei cauſſa ſuos ad vtrumque Regem Legatos miſerat. Conſilium eius, vbi Carolus V. Rex Francorum cognouiſſet, fratri Andegauenſium Duci, qui Toloſæ tunc erat, ſtatim ſcripſit, vt Auenionem pergat, Pontificémque Galliæ relinquendæ conſilio dimoueat. At dimoueri a cœpto non potuit, etſi erat imbecillo corpore, ac valetudinario, itáque hanc ſuæ profectionis cauſſam eſſe, dicebat, quòd pollicitus eſſet immortali Deo, ſe in Italiam ad Romanam D. Petri ſedem, B quam primùm poſſet, profecturum: itaque quattuor Cardinalibus Auenione relictis, quibus Eccleſiaſtica negocia commiſit, è Gallia *PONTIFICIS è Gallia diſceſſus.* abijt, maiore Cardinalium dolore, quàm ſuo, primum autem Typhernates (quos Caſtellanos vocant) ab Eccleſia deſciuere, hos deinceps Peruſini, Tudertini, Spoletani, Eugubini, Viterbienſes, Foroliuienſis, Aſculani ſequuti ſunt. Tùm verò Pontifex cognita tanta rerum mutatione, Cardinalem Gebennenſem Legatum cum ſex millibus equitum Britonum, in Italiam mittit. Qui per Taurinos deſcendentes ſine vllo maleficio, vſque ad Bononiæ portas peruenere, Vrbem obſeſſum, ſed Legatus cognito Florentinorum aduentu, cum copijs ſuis, Cæſenam hyematum conceſſit; in qua Vrbe ita tumultuatum eſt ob ſuperbiam Gallorum, vt ſexcenti Britones interfecti ſint, reliqui Vrbe eiecti; qui poſtea per arcem ingreſſi, aucti nume- *BRITONES [illegible] ſe[illegible] cæſi.* ro, cædibus, & rapinis omnia compleuere: neque his quidem parcentes, quorum ætas ſuppliciter veniam petit, ſolæ Virgines, & iu- C niores matronæ ad iniuriam reſeruatæ ſunt. Intelligens autem Gregorius Pontifex mala, quæ in Italia quotidie ob ſuam abſentiam perpetrabantur, profectionem ſuam eo accelerauit, ipſum autem maximè mouere cuiuſdam Epiſcopi verba, qui interrogatus à Pontifice, dum ſimul ambularent, cur non rediret ad Eccleſiam ſuam, quam haud par erat, tandiu ſine paſtore nudam relinqui: cur, inquit, tu ſumme Pontifex cæteris exemplum daturus, tuum Epiſcopatum non repetis, Eccleſiámque Romanam? Froſſardus tamen Gallicæ ſcriptor hiſtoriæ, qui tunc viuebat, in Annalibus ſuis refert, nulla re magis motum, quàm Catharinæ Senenſis literis eum ad profectionem magnopere incitantis. Extant enim ad eum 14. Epiſtolæ eiuſdem argumenti, vt ſedem Petri Apoſtoli lætus adeat, pacem ſubditis ſuis, etiam rebellibus, concedat; promiſſa eiusm omnibus impunitate ſtatim quieturos, redditurôſque obſequium. Igitur menſe Septembri ſol- *GREGORIJ Romam aduentus.* uens a portu Maſſiliæ, paratiſque in Rhodano viis, & triginta triremibus, Genuam primò, inde Cornetum contendit. Vnde terreſtri D itinere, nauigationem pertæſus hyeme præſertim Romam peruenit, *FR. PETRUS Amelius Alectenſis Gregorij [illegible] ceſſum, & nauigationem poetice ſcripſit.* anno Domini 1376 Idibus Ianuarijs, Pontificatus ſui VII. migrationis verò Romanæ Curiæ in Gallias 70. Itinerarium extat huius Gregorij inceptum Idibus Septembris anno 1376 Pontificatus anno 6. Quòd quidem frater Petrus Amelius Alectenſis in Narbonéſi Gallia Epiſcopus Senogalliæ Auguſtinianus ab eius diſceſſu incipiens diligenter, ſcitéque hac narratione complexus eſt.

ITINERARIVM D. GREGORII PAPAE XI.

Floris pulchritudo, & tu tamen pauperum
Dulcoris origo, conſolamen mœrentium,
Eboris rutilano, & caſtitatis lilium,
Pudoris protectio, & exemplum decor virginum,
Maris ſtella, viáque proficiſcentium,
E Vocatis Domina de Donis, Regina Auenionenſium.
De tua ciuitate tuis donis miré prædita longis temporibus
Exiuit gemma grata, & clarè prædita cæleſtibus,
Nobili proſapia generata, annexa regalibus,
Deo accepta, & placita hominibus, Sacerdos Altiſſimi Gregorius,
Die tertia decima menſis ſeptimi,
Tibi aſſignata à cunctis, vocataque dies ſabbathi,
Seruis tuis grata pro electione ieiunij,
Heu fletus eſt, hæc mutata dies mœroris maximi,
Tibi Virgo glorioſa explicare dolorem nequeo,
Dum amœna tempora colore immutata video,
Multum grata, rubicundioráque ebore antiquo.
F Genas, colla rubricata, ſplendidiora claro topatio. * * *
Ciuitas ſecioſa magnalia dicta ſunt de te,
Nunc taces proſtrata in puluere, & cinere,
Remanes orbata viro abſque ſcelere,
Ab omnibus ſpreta velut peccatrix abſque fœdere.
Oculi tui oculi columbarum obfuſcati ſunt lacrymis,
Dilecti filij tui vberum tuorum ablactati ſunt vberrimis,
Specioſi ſponſi filiarum tuarum lacerati iacent in vijs,
Placidi tui intuitus irrigati ſunt in verbis maximis.
In nouis noua ciuitas, & noua habitatio,
In te prima cœna, & prima ſtatio,
Pulchra, & amœna grataque manſio,
Multis eſt amara, & horribilis mutatio.

A Manet dies Dominica ſecunda diæta omnibus olim grata.
Conuenit turba magna, quæ currit, vtérque ſexus facie immutata.
Oriuntur ſuſpiria, gemitúſque referantur cordis ſecreta,
Traditur familia, cum dolet dominus, franguntur viſcera cuncta.

Superſedeo de oſculis quoniam mixta ſunt lacrymis.

In Orgone terra abundans lapidibus, die tertia Petrus iacitur,
Sed in humo pétrea, ſpinoſaque granum inane ſeritur,
Arcta eſt via, ex vno latere alueo Druentiæ clauditur,
Et altera ripa ſaxea macerie inexpugnabili modo protegitur.

O Deus quare ergo non clauditur, ne vnquam ſemita inueniretur.

Mars Deus belli crudele, ac mortale texitur bellum,
In Solis ortu ad imperiale palatium acceſſit gemma Sacerdotum.
B O mirabilis ſtructura, mirabile præſidium, ex te fulget magnanimitas Principum.
Nec tu claudis ſemitas, ſed omnibus patefacis ingreſſum.
Meritò colonus nuncupatus, quaſi de Cælo ſis, aut de Cælo deſcenderis.
Idcirco tellus fertilis, non arida ſtamnbs, ſed prouiſionis vocaris,
Frondoſo ligno obúmbraris, oliuetis arboribúſq; pomiferis ſplēdearis.
Tuo Principe cōtēta ſis, cuius es chariſſima, ne duobus cōfundaris.
Lætè obuiam Principi cum omni genere muſicorum veniſti,
Rectè conſonantiam feciſti promendo, cantantibus mœſtitiæ gemitus non oſtendiſti.
Placidè crapulam nobis paraſti, multiplicia fuerunt pocula, plurima fercula miniſtraſti.
Donet tibi Deus de rore Cæli benedictionem, & te magnificet, quoniam ſic nos recepiſti.
C Dies Mercurij ſcientiarum dominus, tibi Deus debetur verus latriæ cultus,
Qui eam adduxiſti de nubibus, qui dediſti tuis ſeruis humilibus:
In Aquenſem regiam Vrbem ante Solis ortum viam direximus.
Longa, latáque fuit via, ſed dulcis, & amœnus aduentus.
Grata, amœna ciuitas regalis, cametáque læta familia,
Turba magna occurrit Apoſtolorum Principi: ſenex Antiſtes cum lætitia.
In eam ingreditur ſummus Pontifex cum ſua comitiua,
Strata domicilia, parietes pannis ſericis cooperta ſunt omnia.
Palatium admirabile quid de te efferam præconijs?
Ex tua ſtructura elucet magnanimitas tui Principis,
Grata fiunt conuiuia, vina electa, obmuteſco de ferculis,
Geminata diæta, in te manſit dignitas ſacerdotalis.
Veneris dies Aegyptiaca liquido in ortu diei aue nunciata,
D In alpibus mula cespitat, campana frangitur, via errata,
In Trecis paratur meridionalis manſio, refectióque grata,
Quia fiunt triplicia omni bonorum cupia, quia ciuitas amœna.
Sanctè præſul Maximine in te capitur nocturnalis dormitio,
Super te ara ſanctæ Magdalenę celebratur ſacra matutinalis libatio.
Proceſſit exinde Antiſtes ſumpto ſabbathinali prandio,
Pergit per arbuſta ſcallentia deſerti, ſomnum capit in Auriolo.
In montibus, & ſuper ſaxa conſtruitur nouella ciuitas,
In luſtris denſoſis ducitur agnina ſimplicitas,
Fructibus, ſeminibus, vinis electis pollet parua Communitas,
In domibus fumo dealbatis tertia die manſit regalis dignitas.
Mane ante lucem non fuit nobis vanum ſurgere,
Tunc cum faculis, & ingenti lætitia celeriter incedere,
Ad Vrbem ſanctam Maſſilienſem accedere pro tanto munere,
Lætantes, plaudentéſque manibus, incepimus loca ſancta viſere.
E In ingreſſu meridionalis æſtas incepit nos durè affligere.
In inceſſu turma popularis nos atrociter opprimere,
In introitu occurrit omnis cœtus cœnobicus cū canticis, & honore,
Lætatur omnis conuentus, vtriuſque ſexus de tanto Principe.
Legiſlator, Chriſtiq; Vicarius Anachoretarum metas ingreditur,
Veritatis doctor, Chriſtianæ fidei anchora, cœnobitarum ſepta aggreditur,
Sanctitatis doctor, pudicitiæ titulus, inter monachorum clauſtra ſituatur,
Dignitatis zelator à membris ſuis, dùxque mœſtè ſequeſtratur.
O ſplendor mundi, & lux lucis, caue ne obtenebreris,
Gubernator firmamenti fige pedem, rumina iter, quò proficiſceris,
Rector cleri adhibe tibi conſilium, ne terrearis,
Orator veri Dei pete, vt mentem illuſtret, ne confundaris.
F Eia Chriſti milites, conſortes apoſtolici, ſeculique rectores,
Sponſi Eccleſiaſtici nobiles ſurgite, vigilate, efficiamini paſtores vigiles,
Euangelij æmulatores, Caput conſulite, illi vos coniungite velut amatores,
Veri iudices, mundi principes, cuſtodite Eccleſiam, ne intrent lupi raptores.
O nautæ ſanctiſſimi nauem Petri rectè dirigite,
Anachoretæ veriſſimi, Eccleſię Apoſtoli, anchoram firmiter tenete,
Lucernæ mundi ſuper montem poſiti, radios veſtros pandite,
Eccleſiæ armamentum, ad quem locum transferatis, attendite.

In Mercurij ſancto conſiſtorio quidnam egiſtis?
Caput omnium Romanum Præſulem inuolui pelago permittitis?
Lemouicēſem virum perfectum in Epiſcopum Prenestinū elegiſtis?
Deus illum protegat, quem ſic periclitari ſinitis.
O glorioſa, & nobilis ciuitas nunquid tibi ſufficiebat ſtructura mirabilis,
Sacrarum Reliquiarum abundantia, dominorum, & mulierum ſpecioſitas amabilis,
Nauium ex omni mundi climate concurſus, portúſque amœnitas affabilis.
Niſi ſuſcipere mereret Romanum Pontificem duodecim diebus cum ſuis familis.

Ecce ex hoc te beatam dicent omnes generationes.

Iouis, ſeptentrionale regnante, veſpera cunctis eſt amara,
Dum palatium cœnobitale egreditur legis ſanctæ norma,
Et ambitum nauilem ingreditur præſulatis dignitas præclara,
Contuberniū frangitur viſcerale, fluente oculorum acerba lacryma.
O cor triſte cur mœrore in exitu dulcis Prouinciæ conſumeris:
Amor patriæ nunquam te deſeret, crede firmiter quòcumq; ieris,
Decor ſeculi vale, ex ora prome, loqui nequeo, offuſcor lacrymis,
Durior eſt ſaxis, qui non demollitur in tuis congedijs.
Deus quis vnquā cogitare poterit, quæ, & quāta fuerint lamenta.
Gemitus, lacrymæ, rugitus, mugituſque ſuſpiria nunquam extiterunt tanta,
Partus mulierum dolores excedunt receſſus tui terra benedicta,
Dominus lacrymatur, omnis maxilla lacrymis rigatur, franguntur viſcera cuncta,
In inſula ſomnum capit ante palatium Galranæ,
Legiſlator, Princeps Orbis, qui ſceptrum tenet imperiale,
Anchoram regit nauis, & nauta efficitur genus regale.
Triſtis, & flebilis dormitio cum ligamine frangitur cordiale.
O Venus flebile eſt tuum principium, finis quis ſequetur?
Ventus eſt nobis contrarius, & Papa portum Milonis aggreditur,
Deus iter noſtrum proſpicit, ſurgente aura proſperè via paratur,
Summus Præſul ſumpto prandio ibidem S. Nazarij litus ingreditur.
Suſcepta leui cœna noctis hora prima mutat ſtationem,
In plaga de Rouſellis ſummus Pontifex firmat ſtationem,
Patria eſt nobilis Tholonenſis Diœceſis, non habet habitationem,
Trina dierum, noctiúmque ſpatia peregimus ibi manſionem.
Serotina, & dominicalis eſt pluuia, nunquam fuit talis,
Tonitrua, inſurgúntque fulgura, inuaſit nos timor mortalis,
Palpebra non dormitat, mens illecebra ruminat, mors eſt finalis,
Quietatur temporis malitia, opitulāte Dei clemētia, dies eſt lunaris.
Crucē ſanctam fert miles ſtrenuus, S. Ioannis præcingitur balteo.
Gentem ſanctam regit, Admirallúſque pelago minatur ſuo baculo,
Barbam biſurcatam gerit ſenex, tyróque pollet vultu procero,
Procellam ſuperat nocte Ioannes Caſtellanus Empoſtæ nobilis euaſo barathro.
Quid eſt Ioannes Euangeliſta tu in maris viam rete acquiſiſti?
Ioannes Baptiſta abſque labe leui in eremo locuſtas comediſti?
Ioannes Chryſoſtome tuo opere, ſermonéque os aureum nominari meruiſti.
Et tu Ioannes Hieroſolymitani ordinis Ramelli pelago fluctuare permiſiſti?
Die ipſa lunæ ſexta Octobris compulatur, & exinde exiuimus,
Flante vento boreali ante Tholonum ſinus celeriter tranſiuimus,
Magnæ erant elationes maris, nec propter hoc ceſſauimus.
Tandem in occaſu Solis portum de Reneſton vix intrauimus.
Dum medium ſilentium tenerent omnia in noctis medio,
Surrexit ventus horribilis borealis in Forouslij pelago,
Timent nautæ, pauent turbæ, lamentantur omnes, ſine remedio,
Inchoat ſenex vetulus, proſequitur puer paruulus laudes Chriſto.
Omnes fundunt preces Altiſſimo, ſpōdent vota ſancto Quiriaco.
Excitatur Antiſtes, & expaueſcit de tam magno periculo,
Quieſcente mari properat infrà accedere ante locum de Grimaldo,
De naui celeriter egreditur, ſomnúmque capit in ſancto Tropeſio.
Mercurij octaua Octobris exiuimus portum de Vernignerijs,
Ventus erat ſeptentrionalis nobis valde placibilis,
Noſter tranſitus fuit ante Leones Forouilienſis Diœceſis,
Gauiſus Pontifex fortuna arridente largitur beneficia miſeris.
Defert munera Abbas cœnobita ſancti Honorato magnificè,
Conferteque gratiam retribuens illi, gerens vices Chriſti mirificè,
Aufert nobis veſperam tempeſtas diei mutatæ clarificè,
Defert cœnam Antipolis, obuiam ſibi Lemouices, & Narbonenſes Pelagiſtæ.
O Antiſtes Chriſtofore, vbi eſt tui generis nobilitas promulgata?
Abſorpta eſt in aduentu ſummi Pontificis largitas grata,
Mutat nomen tua Diœceſis Graſſa prouinciæ nuncupata,
Quid nobis attulerit referat ſocietas diu fatigata.
Die Iouis clarificata ante Riciam velox fuit noſter tranſitus,
Cum hilaritate nimia Villamfrācham, ceu portū Oliuæ intrauimus,
Prandium, cœnámq; lætè, abundè, quaſi famelici auidè ſuſcepimus,
Nocte eadem in tranquillitate, & ſilentio clareſcente hemiſpherio quieuimus.

Die Veneris minus benè conſulti mare intrauimus, vento flante,
Prope Monachū mane peruēti, retro reuerſi fuimus mare impellēte.
Ad locū, vnde receſſeramus, Oliuæ applicumus fortuna obijciente,
Diſpenſat Pōtifex in gradu tertio cōſanguinitatis lege cōtradicente.
Gaudet exercitus, credit ad propria cum gaudio remeare,
Sed non ſinit Altiſſimus corda Principum ſine cauſſa mutare.
Expergiſcit plebs Niciæ ad pedum oſcula cum hilaritate,
Manſit ibi vſque Mercurium Præſul cum humilitate.
Paupertatis profeſſor Franciſce modicè cur proſperitati Eccleſiæ inuides?
Aliàs in tua die fuit tectum capellæ palatij Auenionenſis redactum in cineres,
Nūc verò in tua octaua gentē ſummi Pontificis nauigare non ſines?
Puppis nauis frangitur, & vela per aërē voluuntur, lacerātúrq; funes.
In barcha ſunt curſores, ianitoréſque lectiſternijs papalibus.
In banda iacent ſacerdotes, votique ſpondent Deo cum ſuis promiſſionibus,
In hora noctis tertia frāgitur anchora, & antēna cū ſuis ligaminibus,
In media nocte omnia deſperata, vociferantur cuncti validis clamoribus.
Regrediuntur nautæ deſperati de ſua ſaluatione,
Diſcurrunt hinc inde per mare ſine gubernatione,
Submerguntur merces, & clericus incautè abſque dilatione,
Mane inueniunt ſe nautæ in ſancta Margarita cum admiratione,
Callixtus fuit nobis charus, & mihi propinus, clareſcente Sole,
Viam patefecit Mercurius 15. Octobris, relicto rure Oliuæ.
Pretioſa Oliua, relictáque in nauem extraneam mutata in Aue
Anchonenſi labeſcente altero Sole nos tranſfretauit in Ianuēſi litore.
O pretioſa inter baccharum, & lilia ſacerdotum Oliua,
Cur retrò hac die pedem fixiſti deſiderio fraudata,
Et iter tuum non proſequeris iuuenili conſilio decepta
Debilis exitus nunc tutus, nocturnus ſomnus in Monachali platea.
Iouis tibi fuit dies lætabunda, cum Sole oriente hemiſphærium clarificauit.
Quæ te fortuna arridente in nobili litore abſque portu collocauit,
Cur timet noctis tenebras, qui menſium latebras patefacit,
Nam ei cuncta obediunt, mare, terra, & venti cùm imperauerit.
Venus naturæ amicabilis decem milliaribus remeatis in locum voluptatis collocauit.
Structura mirabilis benedictus opifex, qui te ædificauit.
Verboſa curioſitas, & inanis iucunditas quæ te fraudauit,
Amœna ciuitas Sauona nuncupata in ea nocte Præſul pernoctauit.
Dies Sabbathi, dies celebris, gratè placidéque initiata,
Lucæ medico, Chriſti Apoſtolo, Euangeliſtæq; eſt hæc conſecrata,
Mane mare ingreditur Chriſti Vicarius cum acie, facie læta,
Mare direè erigitur prope Lucernā, euaſit barathrū hora veſpertina.
Quare ventus iraſceris, & mare quid mane eleuaris,
Aut certè ignoras ditionem illiúſque dulcedinem, quem tuleris,
Vel fortè mores eorum iudicas, ad quos eum geris.
Primus ipſe Ianuæ portum ingreditur, cui colla ſubderis,
Mirabilis patria, excelſa ædificia, montuoſa, gibboſáque terra,
Petroſa, arbuſtuoſa, quaſi non deſcenderit in ea ros, aut pluuia;
Mercimoniæ ſunt multæ, pluréſque diuitiæ populares, mixta tamen cuncta.
Apparatus eſt maximus plus tamen in apparentia quàm in exiſtētia.
Erigunt ceruicem, non reuerentur hominem fronte capillata.
Cupiunt ſibi cuncta ſubdere cæca mentéque elata.
Spernunt pauperem; ſpondent ſe carere omni inopia.
Et tamen vix ſeritur, neque nent in eorum patria.
Poteſtas ipſorum eſt maxima, non tamen naturale dominium,
Imperialis eſt ditio, principatus, atque monarchale myſterium,
Veruntamen magna fuit ſagacitas, quando acquiſierunt Cyprum,
Sed potior iuſtitia, qua obtinuit meritò triumphum.
Cane Antiſtes, profer verbum tuum, vt luceat ſicut gemma.
Demulce corda flammantia, emunge longè ad te venientia.
Benignè ſuſcipe cœtus Ianuēſium, affectionē confirma promiſſione.
Amplectere cunctos ad te venientes cum forti confœderatione.
O Præſul magnificè non te decipiat cooperta, & inflata nobilitas.
Nominalis, vocaliſque dignitas in facto comprobatur, & propalatur veritas.
Ruſticalis propago non nouit regalem nobilitatē, fictáq; ingenuitas,
Accipe ligam ipſorum cum firma confœderatione, quia ſollemnis eſt hæc Communitas.
Recede, & dirige greſſus tuos cū ſagacitate Antiſtes magnifice,
Iam elapſus eſt dies duodecimus, quo fuiſti in Ianuenſi ciuitate.
Rumores inſurgunt, ſtridunt dentibus, ſpreta Præſulis dignitate.
Cùm eos non accepiſti in tuo ligamine cum benignitate.
Vale ergo nobilis ciuitas cum tuis opulentijs,
Perſeuera in tuis mercimonijs, & ſta in tuis commercijs,
Precor te recole de antiquis Eccleſiæ amicitijs.
Adiuua ipſam, ac protege cum tuis diuitijs.
Celebrata Apoſtolorum Simonis, & Iudæ excelſa ſollemnitate,
Suſceptáque leui cœna iam clauſa die noctis obſcuritate,
Ingreſſa mare Præſularis ſanctitas cum nimia celeritate,
In galea Anconenſi ſomnum cœpit cum hilaritate.

A O ſtella mirabilis, ſitus tuus, & ingreſſus tuus eſt inueſtigabilis,
Quenam ſcis, aut quomodo vocaris, ignota es, & inſtabilis.
Fertur tamē, quod Apoſtolos per dies tres ātecedis, aut ſubſequeris,
Quapropter planeta Apoſtolorum Simonis, & Iudæ ab omnibus nominaris.
Tuæ influentiæ tamen ſunt horribiles, timent nautæ, tumet mare.
Surgunt venti, currunt nubes, eriguntur maris elationes, mouentur cometæ,
Magna ſunt tonitrua, fulguráque, corruſcationes cum grandine,
Non eſt colonus, qui audeat his diebus nauigare.
Sequens Mercurius Octobris 29. læti de lectulo ſurreximus.
Preces gementes Altiſſimo cum altis ſuſpirijs fudimus.
Quatenus in almam Vrbem diù deſideratā proſperè applicaremus.
Sed fortuna obijciente in Solis ortu Delphini portum intrauimus.
Quinta feria quare obdormitas; torpòrne inuaſit te, aut ſomnolentia?
B Surge, propera egregiè Paſtor, ſupra gregem tuū cū ſolertia vigila.
Inuade hoſtes tuos, atque cunctos eorum ſeueritate penetra.
Non ſinas fœtas tuas torqueri, tyrannicéq; cruciari fame, aut media.
Dies Veneris vigilia fuit celebris, fruſtra nauigare cœpiſti,
Ferè viginti milliaria extra portum Delphinum feliciter nauigaſti,
Tertiarum hora fortuna impellente, retrò verſus prælibatum portum intraſti,
Oſtendebant tibi dij, quòd hanc diem meritò celebrare debuiſti.
In viſu mentis intellexit hoc Antiſtes ſibi adeò ſpecialiter reſeruaſſe,
Patrono loci procurante S. Hieronymo anachorita, eximio doctore.
Vt in tuam celebrem memoriam, ſanctorúmq; omnium ſollemnitate
Noui cœnobitæ loci ſancti Hieronymi gratularentur perpetuò papali viſitatione.
C Pedeſter incedit per ſcalenta deſerti velut Romipeta,
Ad anachoritas die Veneris, quaſi hora diei ſexta,
Columna, & baſis Præſulum de nocte audit Chriſti ſacramenta,
Quia ibidem recreantur tota die membra fatigata.
Mane Sabbathi adſunt omnes Sancti miſſam celebrat Vicarius Chriſti,
Intrat Oratorium ſanctum, ad aram doctoris ſancti Hieronymi
Confluunt omnes, nautæq; obſtupeſcunt de amœnitate exigui loci,
De tùm ſollemni libatione ſacra, ſiuè ſermone gaudent omnes ſācti.
Intellexit paupertatē, monachorúmq; inediā paſtoralis clemētia.
Aſpexit quantitatem Eremitarum, ſupplétq; inopiā, confert iocalia.
Vidit exiguitatem redditúum, & obtulit eis magnalia munera.
Exaudiuit vota precantium, largitur eiſdem pretioſa priuilegia.
Inſurrexit gens elata, ſuſtinere non potuit inanem inflationem,
Inuida mens, ſuperbáque non compatitur æqualem proſperitatem,
D Inuident ſe mutuò Catalonia, & Ianua, abhorrent correctionem,
Nunquam inter ſe habuerunt veram, & ſinceram æmulationem.
Poſt aſpera verba peruenerunt ad acerbiora, crudeliáq; verbera,
Iacent in litore Ianuenſi lacerati, non fuerunt mortis vulnera,
Inſinuant ſuis conciuibus, volant hinc inde forefacta.
Excitatur Antiſtes, diſcuſſa ſomnolentia, mare ingreditur cum feſtinantia.
Adeſt dies celebris, non fuit fas orare pro defunctis,
Prima Dominica Nouembris non licuit nos officiare pro mortuis.
Completis duobus his diebus ingreditur mare nobilitas Præſularis,
Quæ iterum mutat manſionem pro impenſis proprijs ſuis ſeruulis.
Quid eſt pelagus, de te volo aliquid fari?
Nobis iam bina vice iter dulce paraſti,
Cur à tuo, mundique Principe non vis dominari?
Dominus ſeculi eſt, quem tu vehis, cui te oportet humiliari.
E Vniuerſo Orbi dominaris, & quos diligis dulce ſuſtines.
Quos odis deles, Anconenſes cognoſcis, & mitè fers,
Nunc Ianuenſes, Maſſilienſes, Arragonenſes abhorres,
Quia Domini tui Officiales, Camerarium, Theſaurarium, Senogallienſem proſperè ſuffers.
O ſancte Spiritus, & animæ defunctorū, qualis extitit dies veſtra,
Pelagi fluctus duos innocentes inuoluit barcha ſubuerſa,
Delphini portus alios ſuſcepit occurrendo Arragonum galea,
Gilberti nobilis de Crucellis auxilio omnia ſunt ſaluata.
Parat Martis quarta Nouembris omnibus viam in ortu de Aurora initiata.
Exhilarat gentis faciem ſuperna gratia ſolis ſplendore radiata.
F Claudicat retrò galea Ruſa cum gente ſua nominata,
Firmat ſpem vas mirabile Anconenſe cum ſua comitiua ſpreta.
Ante portū Veneris velox fuit tranſitus, quoniam non erat Dñs:
Leue extitit prādium, veruntamen merum dulce, ſaporatuſq; cibus,
Ad Liuornę portū fuit noſtra ſerotina refectio, nocturnùſq; ſomnus.
Manèq; illo remanſit ante litus Veneris omnium Præſulū Dominus.
O Leo de tribu Iuda tu feſtinas accedere ad indomitam gentem,
Tempus eſt, vt oſtendas tuam ditionem, clauiúmque poteſtatem,
Vectes ferreos confringas, cum prudentia, & ſagacitate non reuerearis hominem,
Tuo rugitu cuneos penetres, compagem ligaminis, inimicorúmque fortitudinem.
Piſanorū litus die Iouis ſexta Noučbris prandij hora applicuiſti.

In Liorna ſequens remis miſera plebem ore inueniſti,
Ignoro, quo conſilio, aut nutu ad inſidiatores tuos appropinquaſti,
Inebriati ſunt furore, crapulatique eorum veneno affines eorum ſunt infecti.
Piſanorum eſt ſollemnis Cõmunitas cum ſuis gratioſis muneribus,
Lucanorum grata ciuitas, cum ipſius opulentijs, & amœnitatibus,
Offerunt tibi encænia, magnificèq; tuis fratribus dominis Cardinalibus.
Caue ne excæcetur oculus Eccleſiæ, aut decipiatur blandis ſermonibus.
Si meminiſſent antiquarum Eccleſiæ ſubuentionum, nunc pro te firmiter decertarent
Cum ſua acie tibi occurrerent, & pro ipſorum matre viriliter dimicarent,
Sibi ipſis pro futuro prouiderent, teq; ſeipſos non illuderent,
Excæcauit eos malitia, noluerunt intelligere, vt benè agerent.
Intelligite viri eruditi, attendite auris penitus ſententiam noſtri codicis,
Vir duplex, animus inconſtans in omnibus vijs ſuis.
Quamobrem verbum duplex in veſtro ore male genitis.
Apertè, nudeque loquimini, de lingua pandite quæ latent in cordibus veſtris.
Caueatis ne circumueniamini in falſo negotio Patrem noſtrum,
Attendatis ſi eſt ne hoc verbum noſtrum, amiciſſimus omnium?
A Florentinis quid nam accepiſtis, cur ergo manu tenetis partem ipſorum?
Ab ipſis dudum deſtructi fuiſtis, & adhuc ducemini propter eos in interitum.
Quid eſt ſe fingere contriſtari de delictis, & perſeuerare in malitijs?
Veniũt quidã canibus rabidiores falſi religioſi in ouiũ veſtimentis.
Aiunt, ſi populus non deliquiſſet, veniam non exegiſſet, miſericordia non eſt neganda miſeris.
Cupiunt excuſationem inuenire in peccatis, & nolunt confiteri de commiſſis.
Vorago peſſima, & abyſſus verſutiæ profũda, quid deglutire intẽdis
Gentem ſanctam, Regale ſacerdotium, imperiale dominium, populum acquiſitionis?
Ab iſtis non perſequeris, ſed à tuis iniquitatibus, & malitijs,
Fruſtra ante innocentes laqueos tendis, qui ab ipſis irretita eris.
Flos lilij falsò nuncupata, vtinam redoleres, & te cognoſceres,
Et animum tuum à ſuperſtitione vana, & à paganitate reuocares,
Deum qui in cælis, & dominum qui terris præeſt, agnoſceres, & coleres,
Tẽpus eſſet, vt præterita peccata lugeres, futuraq; mala præuideres.
Conſummata die octaua Veneris 14. Nouembris, Anconenſes ſunt licentiati,
In Liorna vndecim diebus effecti ferè frænaticique territi ſunt illuſi
Acerba ſequeſtratio quando membra copulantur alio capiti,
Anconenſes Sabbatho fortuna ridente Plumbinum ſunt ingreſſi.
Cur ſic mundi facula te duci permittis, qui radios abſcondis,
Caue ne tertia mutatione dirè fugeas deſperatæ ſalutis.
Colũbina ſimplicitas à ſuo volatu poteſt retardari pennis eleuatis,
Inordinata voluntas conuenit fraudari ſpretis conſilijs.
Serotina fuit pluuia, dulcis, & amœna propter rei euentum,
Dominica 16. Nouẽbris tota à Plũbino abſceſſimus ante ſolis ortũ,
Hilarata facie, ciboq; roborata, feliciter ingreſſi fuimus Herculinum,
Prima noctis vigilia cum ingenti lætitia ibidem cœpimus ſomnium.
Parat, & hæc Apoſtolorum Principi, iterq; totæ aciei,
Refutat eum Plumbinus, vento Orientali flante, & cõtradicente ei,
Turbat nautas Thetis obſcuritas, ſed applaudit Ferraria triſti faciei,
Dormitat Antiſtes in Elba Ferrariæ, intrat Lingonẽ prima hora diei.
Progreditur pedeſter Præſul, quærens requiem, occurrit ei Chriſti Templum,
Mane ingreditur egregius Paſtor cum fratribus ſuis Oliuæ ſuum
Ariditate loci obijciẽte non decuit eum ibi triplicare tabernaculum.
Petrus, Ioannes, & Iacobus nõ ſunt cubicularij, ſed totus grex ouiũ.
Defert Ioannes Rogerij nobilis nouus cubicularius, & primus Narbonenſis
Pollet ſacris dotibus, mores tenet regios, fulget virtutibus politicis.
Apparet ſenex caluitie iã ornatus magis, maturitate quam temporis,
Floret iam trina dignitate adepta ſibi meritò à Deo collatis.
Nec defuit Petrus monachus imbre cæleſtis pluuiæ irrigatus,
Doctorali dignitate inſignitus, multiplicibuſq; abbatijs iã decoratus
Nunc Referendarius Carpentoracenſis Antiſtes, ſollemniſq; Paſtor egregius,
Iſti fuerunt comites peregrinationis aſſidui cum alijs nobilibus.
De Baro præclare Ioannes Subdiacone ſenior cubiculariæ tunc abſens fuiſti,
Epiſtolas, quas legis, benè intellexiſti, quia ter naufragiũ pertuliſti,
Petre de Caſtaneis calue venerabilis tua probitate regeſtum obtinuiſti,
Mare tuas bullas cum earum emolumentis refutat, tu vidiſti.
Doctor egregiè Elia cum tua doctrina, claraq; ſagacitate
Antiſtitem quare non conſulis cum nobili præclara fraternitate,

A Ne terram benedictam, mollitiuam deſerat cũ ſua grata amœnitate,
Videtur tibi ne hoc palatium fore Pariſienſe cum ſua nobilitate?
Cauallionẽſis Prepoſite Petre Guiraudone cũ tua grata ſocietate,
Etiam præſens extiſti, leuiorq; cœnam ſuſcepiſti cum hilaritate,
Roberte fideliſſime tu etiã in itineribus iacuiſti cũ tua ſagacitate,
Romanum Præſulem nunquam deſeruiſti quòcunque ierit ſeruiens cum humilitate.
O pelagus infidele neminem reuereris, nec vlli parcis,
Fluctus tuos nimis acerbè eleuas, inflauit te ventus Aquilonaris,
Dominus Glandacenſis in thalamo patitur tuas lymphas,
Hic homo ſanctus, & eſt mundi Princeps, quem tu abſorbere cupis,
Sanus, & incolumis ex te progreditur denudatus rebus,
Humerus ruſtici in terra tulit Apoſtolicũ, vnũmq; de Cardinalibus,
Dominus condolet de bonis euanitis, plus tamen de domeſticis humilibus,
B Mercibus naufragatis in litore ſe gratulantur mutuò plaudentes manibus.
Mare præceptis, ac nutibus tui Principis in nullo obtemperas,
Per te cõuenit habere Romanum Præſulem, quem tu inanè refutas.
Nobilem Ambianenſem Cardinalem ſine cauſſa cur ſic infeſtas?
Maſſilienſem ciuem de Brandis Stephanum cum galea naufragas?
Grandis fuit excubia, ſed incauta vigilia,
Inanis extitit ſola in mari anchora turbata maria.
In arduis negotijs geminata debuit fore ſapientia,
In magnis periculis non licuit nautam capere ſomnia.
Oritur tempeſtas horribilis, anchora frangitur, & galeæ latus aperitur.
Ingreditur galeam fluctus maris, & nauis in profundũ demergitur,
Promerentur vota, funduntúrque preces Altiſſimo, ſcelera illi panduntur.
C Naufragantur omnia perſonis reſeruatis, ibique iocalia perduntur.
Veneris feriata 21. Nouembris multis extitit amara,
Virginis Cæciliæ vigilia in Chriſto obdormiuit clara gemma,
Cardinalis Narbonenſis ſenex Antiſtes humatur in Piſana Eccleſia,
Maris fractus laboribus ſpiritum eius ſuſcepit Cæli gloria.
Benè memor Petre nobiliſſime, eruditiſſimeq; Camerarie Apoſtolicæ Cæli hoſpitalitate,
Dignè in memoriam vertitur iugis beneficij accepti largitas grata cum humanitate,
Aemulatione paterna ſummum Præſulem filialique ſuſcepiſti cum humilitate.
Et me eius ſeruulum benignè in tua menſa recreaſti cum hilaritate,
Retribuat tuæ ditioni, benignitatemq; perluſtret immenſitas ſupernalis,
Proficiat inceptã operationẽ, dignitatẽmq; adeptã pietas Diuinalis.
D Dirigat tuam celſitudinem cum probitate fraternali Trinitas ſupercæleſtialis,
Conſtituat tuam dignitatem in gloria Chriſti humanitas virginalis.
Inſula Maria non te decuit retinere mundi Principem,
Silua deſerta, & ſolitaria pro tanto exercitu non habuit habitationẽ.
Egreſſa acie de Ferrariæ alpibus mare tulit Romanum Præſulem,
Arrepta via progreditur liberatus à turbine, firmat in Plumbino manſionem.
Gaudet immensè Plumbinus de aduẽtu tãm magnifici Principis.
Lætatur exercitus hilarata facie, liberatus de tantis periculis,
Inane extitit gaudium tantis oppidis cùm nil ſequutũ fuit muneris,
Quid tibi obtulerit œconomi tui reponant in tuis theſauris.
Iouis 29. Nouembris multum celebris ac plurimis amabilis,
De Plumbini litore eleuatur Præſul cum ſuis ſeruulis,
Feſtinat clemens ac pius Pater, iungere ſe ſuis famulis
E Portum ſanctæ Reparatæ erga Argentarium aggreditur cum ſuis domeſticis.
Sequens Veneris mare quaſi mediterraneum ingreditur,
Orbitellus a cunctis meritò, ac propriè nominatur,
Cum barcha Friuoli tranſit ſtrenuumque ſic oppidum aggreditur,
Vndique parua tellus dempto latere vno mari circundatur.
Laureatur Comes Nolanus nobiliter, coronantur omnes ſertis frondoſis,
Armatur malleus hæreticorum Petrus Auguſtienſis, Epiſcopus Montisflaconis fidelis,
Accenditur lucerna qua Mons Argentarius ſplendet velut Sol multiplicatis faculis.
Gaudet Roma, Tuſcia, Campania, Anchonáque fidelis intellectis ſignis,
F Quid eſt Crucifer Chriſti præclare ſigno eius frontem muniſti,
Subdiacone Apoſtolicæ nobiliſſime iugis in tua epiſtolis legiſti,
Chriſtum ferre Pontificem, & tu per pontem in mare cecidiſti,
Tunc non gerebas Crucem ante Præſulem cum ſubmergi dubitaſti.
Remeant ad propria galeæ illuſtriſſimæ, sereniſſimæque Reginæ Siciliæ,
Feſtinant Romam accedere deſiderio fatigati, cruciatiq; inedia dirè,
Properat celeriter ſe iungere ſuus ſtrenuus dux Bertoy ſuæ ſponſæ,
Anhelat grata ſeruitia impendere nobiliſſimæ dominæ Ioannæ dilectæ ſuæ.
Eia cõnubiones mei nutriti in delitijs, comedite carnes de ſuibus

Qui famelici nimis auide ſumpſimus animam de brulonibus
Non adipe frumenti, aut meri ſaturati eſtis, vel lacte de ouibus,
Sed præſentia Romani Præſulis velut manna cæleſti repleuit nos Dominus.
Humatis iam aliquibus, fracti laboribus, infectique malo aëre,
Dimiſſis etiam ægrotantibus in magnis periculis feſtinauimus inde progredere.
Viam cum ingenti hilaritate ingreſſi fuimus relicto exiguo rure,
Non enim decuit Papam in Orbitello paruulo cum tanta acie remanere.
Calcato mare paruulo pedeſter progreditur Paſtor cũ ſuo baculo
Spreto oppido ſuum gregem ducit per arbuſta in Herculio,
Recto itinere cum luminaribus properat accedere die Iouis clauſo,
Serò met illo nactem ingreditur quaſi conſummato curſus brauio.
O caſtitatis zelator, pudicitiæque æmulator, gemma omnium Præſulum.
Veritatis prædicator Nicolae excelſe eſt nomen tuum,
Charitatis largitor, tua vigilia dulcem tribuit de Herculio exitum,
Puritatis præſeruator hæc tua Itineri marino impoſuit terminum.
Tellus Corneti nimis opulenta, fertiliſq; es decorata turribus,
Vicus tui lati exiſtunt, hinc inde eructant grauibus,
Rus tuum ſuſcepit die Veneris Romanum Pontificem cum validis clamoribus.
Zelus tui nos coegit obliti offenſionem in tuo litore deſcendere de nauibus.
Veſpera ipſius dies Veneris litus Corneti amicorum turbatur cuneis,
Gens armata præſtolabatur Dominum ſuum cum magnis ſuſpirijs,
Terrã aggreditur Antiſtes cũ lætitia ſumpto prãdio euaſis periculis.
Clamitantibus Viuat pax, miſericordiámq; poſcentibus paruulis.
Terram aggreditur Antiſtes in litore acceptis patriæ clauibus,
Populus vociferatur dimiſſis oſtenſionibus, tubis clangentibus,
Parce Domine populo tuo, & nunciatus Præfectus cũ ſuis ſequacibus,
Ingreſſus oppidum Corneti cum ingenti gaudio pax vallatur perpetuis promiſſionibus.
In vinea Domini Sabbaoths Gregorij Papæ Vndecimi quaſi hora dubia veniſti.
In ea colonus es, iam totam palmitibus tuis terram impleſti,
Seculi terminum ſignificatum in vineæ cultoribus benè intellexiſti,
Ac etiam tu in ſero præ conſortibus tuis in ea denarios accepiſti,
Certe ambigo an finis ſeculi in hora duodecima terminetur,
Expaueſco mundi turbine, crebra vbi mala perpetrantur.
Inuoco inſpectoris clementiam, quem latere nil poteſt, vt Eccleſiam tueatur,
Imploro illius miſericordiam, quid tua mens ab intentione ſua non fraudetur.
Confortare, & eſto robuſtus, te introduxit Dominus in terram melle fluentem
Euigilare, & expergiſcere, torpor ne inuadat te, ſed deſtrue malignantem
Aggredere iã brachio extenſo in virga ferrea poſſide Petri hæreditatem.
Reminiſcere oro te prædeceſſorum tuorum, qua iuſtitia deſtruxerunt Barbarorum ferocitatem.
Vale Præſul ſanctiſſimè, Deus inſpirauit te
Attende quid verbum ſcriptum ſit de te,
Surge ſenex, & eſto iuuenis, primam Petram recole.
Intuere prædeceſſorum tuorum veſtigia, mundus audiet te,
Sed tu conculcabis inimicos Chriſti fortiſſimè.
Indulge mihi precor, humillimæq; ſimplicitati ignoſce,
Si quid minus benè locutus ſum de tuo Itinere.
Te, & me reducat in patriam ſempiternam Chriſtus qui vocauit te
In Paſtorẽ gregis ſui, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

Fratribus, qui ſunt in Auenione afflictis ſalutem pacem bonam dicunt fratres veſtri per Italiam diſperſi. Benè faciat nobis Deus, & meminerit teſtamenti ſui ſancti, quod habuit ad Clementem Sextum, qui illuſtrauit nos, & annum Iubilei conceſſit. Orationibus inſtate, vigilijs, eleemoſynis, precibuſque Dominum pulſate, vt tandem aperiat cor nepotis ſui euſque ſucceſſoris Gregorij Vndecimi inclinet, & inducat ad id faciendum. Scribimus vobis inſuper mala, quæ meritò venerunt nobis his diebus, ex quo receſſit Iaſon à terra ſancta, quæ vos legentes, magnifice gratias Deo immenſas agatis, qui liberauit nos de ſupradictis periculis, mihi quoq; indulgeatis, meæque imbecillitati, ac imperitiæ adſcribatis, quia paſſus Leoninos, & Rhetoricos proſequutus non ſui, propter minus benè intelligentes conſortes meos. Pro me peccatore Chriſti ſeruulo Senogallienſi indigno Epiſcopo exoretis conſorte in veſtris tribulationibus. Scriptum, & completum in Almelo Corneti in die S. Nicolai Antiſtitis, anno Domini milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo ſexto, Pontificatus prælibati D. Gregorij Papæ XI. Anno Sexto.

Explicit Itinerarium marinum ſanctiſſimi, ac beatiſſimi D. D. Petri Rogerij de Belloforti, ſola Dei clementia GREGORII PAPAE XI. vſque Cornetum Thuſcanenſis Diœceſis, vbi fuit Curia à quinto Decembri, vſque decimumtertium Ianuarij.

A *INCIPIT DE CORNETO ITINERARIVM vſque Romam.*

MArtis Ianuarij 13. nobis extitit paradiſi terreſtris ianua,
Attenuatis maxillis, & fluctibus fatigatis, ſuiq; viuifolia ruina
Euanuitis quinque ſeptimanis in oppido Corneti cum mœſtitia,
Electis tribus Archiepiſcopis, Summus Antiſtes mare ingreditur cum lætitia.
Somnum cœpit in galea ante litus Corneti Pontificalis ſerenitas,
Populũ ſuũ recenſuit charitate Dei inflãmatus paſtoralis dignitas,
Ouium ſuarum curam gerit cum clementia præſularis ſanctitas,
Pauperùmq; debilium omnem multitudinem in barcha iubet recipi paternalis pietas.
Quid eſt nobiliſſime Guiſcharde Tyro ephebus Vicecomes de Combornio omnem colorem mutaſti,
B Nunquam patria nouit te, cuius propaginis tu trabẽ dulcẽ traxiſti,
Quòd præſagium fuit cum mare ingredereris enſem tuũ perdidiſti,
Non iubes velut Propheta, quòd ferrum nataret, quin imo ipſum perquiri feciſti.
O mare de tui itinere hæſitans vaticinatus ſui qualis finis ſequeretur.
Clarè intueor, quòd mentiti ſunt Aruſpices, arioliq; dũ prophetãtur,
Liquidè conſpicio, quòd mutata ſit noſtri ſententia, quòd Præſul Romam non ingrederetur,
Vnde vobis loquor, quòd obſtruxit veſtrum os altiſſimus, dum mirabilia operaretur.
Mentiti etiam ſunt Philoſophantes, loquentes de flebili principio malè terminato,
Decepti ſunt Phyſici cum ſuis falſis conſtellationibus determinantes ineptè,
C Imperiti ſunt obloquuti falsè Vaticinãtes de ſeculi ſceptrũ tenente,
Saluati ſunt Chriſticolæ hac die cum ſummo Pontifice, Dei clementia opitulante.
Tempus eſſet, vt mare tuum dominũ cognoſceres, illiq; obedires.
Deus in terris eſt, quem vtero tulerit, cui nunc arrides,
Venerius nunc culpam confitetur, & tu aura eidem adhæres,
Dominus Antiſtes eſt, quem abſorbere iugis ſatagiſti, cui modo applaudes.
Media nocte egredientes de litore Corneti ſeptentrionali flante,
Clara hemiſphæria rarefacientia aëria, claritate nimia emicante;
Maria quietante proſperè nauigauimus tota ea nocte,
Fortuna obijciente barcha equorum lapidatur vento impellente.
Martis Mercurij prandij hora cum ingenti gaudio Fauſes peruenimus,
Proſperè felicitèrq; prius trina anchora percuſſione ſuſcepta Tyberim introiuimus,
D Lætè cum immenſo gaudio, ſuſcepto prandio Oſtiã ingreſſi ſumus,
Murale præſidium mirabile eſt, ciuitas venerabilis nullius exiſtentiæ ibi cœnauimus.
Serò illo properauerunt ſenes Romanorum venerabiles ad eorum Præſulem accedere,
Gaudio immenſo repleti, plaudentes manibus non valebant verbum proferre,
Deo teſte in terris tanta iubilatio non viſa fuit, nequeo explicare,
Accenſo lumine choriſabant cum tubis, & ſaculis calui decrepiti cum ſonore.
Veneris ſequens ſurrexit media nocte Antiſtes, vt laudes Deo caneret,
Libatis ſacrificijs aliquali dormitatione ſuſcepta, tuba cecinit, vt omnes excitaret.
E In galeam reuertitur Romanus Pontifex, vt per alueum vrbem accederet,
Ventis, & remis cùm vela violentantur contra impetum fluuij, vt Romam applicaret,
In ortu diei ingreſſo Antiſtite galeam Maſſiliæ, omnes lætantur,
In exitu Oſtiæ galeæ Anchonæ, & Maſſiliæ obuiigantur,
In aſcenſu aluei obuiam ſibi inuicem è contrario paulominus omnes periclitantur,
In progreſſu impeditur Præſul ſanctiſſimus, mœſtitia, & dolore omnes anguſtiantur.
Euaſis barathro Chriſticolæ almam Vrbem fatigati applicare cum labore nimio.
F Relictis retro galeis celeriter properauimus ſumpto prandio in Portuenſi pelago,
Effuſis Deo precibus ſupplicibus nobis in ripa obuiantibus flentes præ gaudio,
Eleuatis vexillis, equis oneratis, tintinnabulis cum aſcenſoribus in campo magno.
Currebant banderarij Romani velut demẽtes tubis clãgentibus.
Veniebant ſenes, pueri, ac iuuenes clamantes, Viuat Dominus,
Stabant in litore S. Pauli infiniti populi cum luminaribus.
Expectabant Romanum Præſulem, cum nimio apparatu, Viuat Papa vociferantes.
Nocte præuentus non deſcendit in terram Dominus, ibidem pernoctauit in alueo,

Benè conſolatus ſomnum cœpit Antiſtes in galea in Tyberi,
Mane autem facto confluebant Romani innumerabiles à S. Paulo,
Sole reſperſo deſcendit de galea prius bis libato Sacrificio.
Die ipſa Sabbathi 17. Ianuarij Simone Petro Romam prius cathedrato
Anteceſſore tuo, cuius tu veſtigia ſequeris, ibidem cathedram tenuiſti primo,
Te ingrediente Doctore gentium Eccleſiam, tuæ ſanctitati occurrit mirabilis proceſſio.
Flectente te genua largito panno aureo Miſſam audiſti à Senogalienſi Epiſcopo.
Facta viſitatione S. Pauli palatij, ordinatàq; proceſſione domum Præſul egreditur,
Via incepta obuiant Pontifici hiſtriones, cum floreis via tractatur,
Luta ſunt nimia, infinitus eſt apparatus, chorizantes in iubilo omnes progrediuntur,
Tuba clangente, conuocatáque acie mirabili vexilla eriguntur.
Adeſt ſocietas nobiliſſimi ephebi Tyronis Remondi Turenæ multum grata,
Regaliſq; nobilis, & fortis acies erat militum benè armis decorata,
Multa milities, plurima ſagacitas, velut caſtrorũ acies benè ordinata
Nec defuerit Primicerij Banderenſq; etiam Senator manu armata.
Eggrediente Summo Pontifice ſancti Pauli palatium affuerunt mille hiſtriones.
Progrediente Præſule antè chorizabant induti omnes panno albo manibus plaudentes.
Canente tuba proceſſio incipitur, & banderiæ eriguntur omnes iubilantes,
Mane hora prima iter omnes ingreſſi ſumus eundo lætantes.
Vexillum Eccleſiæ gerebat ſenex Tyro Empolitæ Caſtellanus,
Domicilium quilibet egrediebatur proprium, occurrit infinitus populus Romanus,
Nobilium filij pileos ferebant ante Dominum, iſte eſt Dominus quem ſperabamus.
Vociferantium vox erat etiam, Viuat Papa, euntes lætè eamus.
In porta ciuitatis affuerunt innumerabiles Prælati induti Pontificalibus.
Signa gerebant Papalia Imperialiàq; cum Clericis, & Sacerdotibus,
Tintinnabula cum omni genere muſicorum reſonabãt cũ ſonoribus
Limina cùm ingreditur Romanus Antiſtes, dominium ei traditur cum clauibus.
Almæ Vrbis Conſiliarij, Senator, Bandarenſes omnes cooperti ſunt pannis ſericis,
Vnde oſtendebatur magnanimitas Romanorum nobilium cum eorum opulentijs,
Verè non credebam in præſenti ſeculo videre tantam gloriam oculis proprijs,
Dirè fatigatus Præſul prolixitate itineris, cum ſuis ſeruulis.
Per medium Vrbis proficiſcendo ambulantes mulieres præ gaudio lamentabantur.
Super tectũ aſcendebant cum nimia deuotione Præſulẽ intuebãtur,
Hilariter collendas ſpargebant velut Roſarum flores, omnes gratulabantur,
Celeriter per vicos currebat, ſicut Dei paranymphus Bertrandus Raphini mancionator.
Hora completorij ad gradus S. Petri ieiuni lætè peruenimus,
Tota perlibata die in proceſſione, & diuina laude inſudauimus.
Clauſa die nimium afflicti cum luminaribus prandium ſuſcepimus,
Membra fatigata, debilitatàque magnificè gemmatis ferculis recreauimus.
Tibi Chriſte Splendor Patris immenſas laudes refero,
Tuæque Virgini Matri humilem veniam poſtulo,
Simoni Petro, Paulòque Apoſtolo me recommendo,
Mihi indulge Gregori ſi minus benè loquutus ſũ de tuo Itinerario,
Loquar, & vtinam in tui præſentia referam in conſpectu Altiſſimi, quæ geſta ſunt in futuro ſeculo. Amen.

DE ROMA, VSQVE ANAGNIAM.

MOnitus ſancto Spiritu proficiſcitur Abraham de Aram verſus plagam Orientalem,
Prædonimus priſtino caſu, non mutatur, ſed viam aggreditur Campanialem,
Conſultus diuino nutu roboratur inter ipſum amicitia populiſq; eius cordialem.
Inflammatus Diuino flatu, ingreditur ſtratam verſus montem ſuperagionalem.
Illo tempore quo Paracletus ſanctus corda diſcipulorum temperantia inflammauit.
Sabbatho more ſolito 16. Maij norma Præſulum ſtationẽ mutauit,
Palatio ſancti Petri Tuſciæ derelicto ſummus Pontifex almam Vrbem intrauit,
Libato matutinali Sacrificio, ad ſanctam Mariam Maiorem accedere feſtinauit.
Mane orto iam Sole, in vigilia Pentecoſtes, celeriter currunt manipuli,

A Romæ namque Bandarenſes cum ſuis cuneis acceſſerunt nobiliſq; Mareſcalli,
Almæ Vrbis conciues cum nobilibus confluebant lætè mora hoſtili,
Turbæ iubilantis erat ſonitus, Viuat Papa, zelo zelati ſeruiamus illi.
In exitu palatij S. Petri adfuit Senator cũ conciuibus nobilibus,
In progreſſu mirabili aſtitit Tyro nobilis dominus Raymundus de Turena cum militibus.
In egreſſu domicilij extitit Mareſcallus, ſtrenuuſq; miles Hugo de Rocho cum Baronibus.
In inceſſu nobili non defuit caluus ephebus miles Guido de Brunis cum ſuis ſequacibus.
Equeſtres, ſeu habenarum Præſulis directores erant manipuli induti panno conſimili.
Hiſtriones, ioculatoreſque erant innumerabiles, qui præibant, etiam & muſici.
B Rectores Vrbis, & ſacræ ſocietatis trepudiabãt omnes clerici, & laici
Conſeruatores antecedebant omnes induti loricis, currebant pariti, & ſeruuli.
Traiecto ponte S. Angeli parietes ſtrati erant pannis aureis,
Incepto itinere verſus plateam Parionum hinc inde erant parata vela ſericis,
Orto ſole refulgebant vultus, velut meridies, ac depicti manibus angelicis,
Recto itinere pleniora, & exuberantia apparebant, vſque ad finem itineris.
Prolixa fuit dieta, ſed multum breuis propter ſui amœnitatem,
Ingrata imparalitas viarum, ſed grata nimis propter populi affabilitatem.
Arcta via repleta turbis non valens capere veneream ſpecioſitatem,
Peracta ſpatia peruenimus lætè ad S. Mariæ Maioris montem.
C Quanta fuit inde almi Spiritus in Templo S. Mariæ iubilatio,
Tota Vrbs ſacra congregata ibi, interfuit mane in Papali Sacrificio,
Sancta, & immaculata eſt Eccleſia Dei Genitrix multum grata in ædificio,
Vlla lingua carnis non poteſt exprimere, nec ego fari valeo.
Electa fuit à Deo, & Glorioſa Virgine Maria ab initio in monte ſuperagio.
Dotata & irrigata imbre cæleſti, cãdoreq; niueo in ſingulari exẽplo,
Completa rore deitatis, velut ara Gedeonis in Auguſti initio,
Conſtructa, & ædificata per almæ Vrbis Epiſcopum Liberium cum ciue Patritio,
Feria ſequens tertia ad ſedem ſuam accedit Eccleſiã Lateranenſẽ,
Gemma feruens omnium Præſulum, vobis dans normam rectam præſularem,
Lucerna ardens ſuper candelabrum, ibidem miſſam ſecretè celebrat
D ſingularem,
Sancta mens Sancta Sãctorum intrat poſt Sacrificij ſanctã libationẽ.
Surgit ab accubitu ſuo Summus Sacerdos Altiſſimi Gregorius completa oratione.
Exiuit Palatium Lateranenſe cum ſua nobili comitiua incepta proceſſione,
Occurrit ei innumerabilis populus vtriuſq; ſexus cum iubilatione,
Acceſſit iterum ad ſanctam Mariam, turba lacrymante præ gaudio, & dilectione.
Euanitis octo diebus Pentecoſtes adeſt dies ſanctæ Trinitatis,
Expletis omnibus Diuina celebrat Antiſtes ibidem in tabernaculo ſummæ ſanctitatis,
Imbutis populi mentibus eius ſanctæ conuerſationis exemplo, & honeſtatis,
Completis ſacris libationibus ad propria remeat turba in voce tubæ
E iubilantis.
Pulſatus deuotis precibus ſuorum Canonicorum S. Ioannis Lateranenſis Eccleſiæ,
Deuotus Paſtor gregem ſuum reuiſitat in ſollemnitate ſacratiſſimæ Euchariſtiæ,
Ornatus ſacris veſtibus ſollemnia peragit ſuper menſam Chriſti cœnæ,
Tantus populus Romanus adfuit, quòd ambitus loci nequiuit capere.
Reſeruata Euchariſtia, repoſitaque per ſuas manus ſacratiſſimas in cuſtodia,
Largita benedictione ſolleroni, atque promulgata ſeptennali annorum ſacra indulgentia,
Oſtenſa Apoſtolorum capita plaudendo manibus turba repatriat
F cum lætitia.
Apprehenſa habena equi non valebat Præſul equitare impediente turba.
Pariter ferens egregius Paſtor oppreſſionẽ à ſuis deuotis ouibus
Lætanter iens benigneq; ſuſcipiens vota à ſuis ſeruis humilibus,
Iter præbens profundæ humilitatis, ſanctitatiſque deuotis ſuis ſequacibus,
Gratanter audiens, publicam ſuſcipiens legem Moſaycam ſumptis Iudæorum cæremonialibus.
Ingreſſo Templum ſanctæ Mariæ in monte ſuperagio cũ lætitia,
Aggreſſo prandiũ ſollemne cũ Romanis nobilibus totàque familia.

A Completo conuiuio roboratur inter ipſum, & Romanos ſincera amicitia,
Peracto ſpatio duorum dierum viam direxit Anagniã cum ſolertia.
Aue virgo Dei Genitrix, quæ talem elegiſti locum pro tuo famulatu,
Salue Templum dominicum à Deo decoratum, dotatúmq; cum tuo tabulatu,
Vale mons, & regio temperata, multum grata cum tuo aſpectu,
Bene tibi ſit alma Vrbs ſacra prædita cæleſtibus cum miro aſtatu.
Quid Virgilius agnitor virium, regionum, herbarum de te fari potuit?
Quid Solinus ſpeculator vrbium, & climatum in te intueri valuit?
Quid Vegetius ſcrutator Tyronum nobilium de tui ſtrenuitate diſceptauit?
Quid Tullius compoſitor dictionũ, & verſuũ de te fabulari debuit?
B Quid Iudas Machabæus de tui prodigalitate in ſacro canone exarauit?
Quid Salluſtius ſcriba doctus de tui fundatione, exordióque texere potuit?
Quid Lucillius Martialiſq; doctus, Seneca de te ſcribere potuerũt?
Quid ſexus fœmineus Sibyllarum futura vaticinantium de te prophetauit?
Quid Valerius memorator geſtorum hiſtoriarúmque de tui vetuſtate habuit?
Quid Iuſephus ſcriptor antiquitatum vetuſtatum; de tui nobilitate referare debuit?
Quid Tripertitor temporum, recollectórq; Chronicorum de te exarare valuit?
Quid Vincentius ſeminator geſtorum, aſſignatórq; temporum de te in ſuis codicibus inſeruit?
C Quid omne genus poëtarũ, & doctorũ in laudẽ tui extollere potuit?
Intellectus, méntque mea ferè paruipendit; quoniam veritatem tuam ſiluerunt,
Oculus meus intuitus eſt infra mœnia tua ſanctiſſima, vrbſque corruerunt,
Verecundior quamplurimum, quia, & ego inſufficiens, minúſque eloquens ſuſcipere neſciui.
Imaginórque ipſa mirabilia, & inenarrabilia de ſe teſtibus perhibent veritati.
Quòd etiamſi homines ſilerent, ipſi lapides loquerentur cuilibet intuenti.
Quoniam diù ſtrenuè pro vtilitate reipublicæ in agone certaſti,
Quia diù ſynceram fidem illibatam, inuiolatámque ſeruaſti,
Quia diù fouiſti filios, quos lacte proprio in tui decore nutriuiſti,
Quamdiu fauiſti illis, qui proprio cruore te ſunt mercati,
D Tamdiu ſceptrum ditionis, totiúſq; mundi caput erectum tenuiſti.
Auertiſti faciẽ à Chriſto tuo interdũ, & non auxiliata es in bello.
Receſſiſti ſponſa, ſponſa, & fornicata es cum amatoribus multis a tuo dilecto,
Voluiſti te ſubmittere excæcata, deceptáq; in mente conſilio domino legitimo,
Abiſti currens poſt viros alienos ſine rubore orbata proprio viro.
Attende quæſo vbi proſtrata fueris, & quanto tẽpore ibi iacuiſti,
Aduerte exoro vbi veſtem regalem ſordidaſti, & diploidem in confuſionem induiſti.
Recole poſtulo celſitudinem dignitatis tuæ, ditioniſque qua mundum rexiſti,
Intuere porò nunc vbi ſunt, qui te beatam dicebant, tibíque arridebant in proprietate tua.
Abierunt, alienati ſunt retrorſum, téq; velut deſertã ſpreuerunt:
E Aduenerunt tibi dies mali, nec fuit qui te adiuuaret, omnes receſſerunt.
Circundederunt te inimici tui vallo, & florem pulchritudinis tuæ abſtulerunt:
Clamauerunt, venite diſperdamus illam, téque deſtruere cogitarũt.
Audiuit Dominus, & miſertus eſt tui pio paternitatis affectu,
Venit ad te ſponſus tuus facie rutilans cum grato aſpectu,
Reconciliauit, traxitque te miſerans tui dilectus diuino nutu,
Leuauit dexteram ſuã, amplexatus eſt te Paſtor charitatis amplexu.
Habes nunc ſponſa, quem per vicos, & plateas tam diu quæſiſti:
Tenes eum filia Syon, téque zelo ſynceritatis coniunges illi,
Poſſides nunc amorẽ ſuũ, tene, nec dimittas, quẽ tantum concupiſti,
F Fulget iam ſplendore illius, amiſſumque Dominum ſi adhæres ei, recuperaſti.
Læta nimium in aduentu ſponſa fuiſti extollens in iubilatione,
Oblita ſcelerum, & miſerationum vetuſtarum plaudiſti manibus præ admiratione,
Turbata plurimum die Sabbathi penultima Maij in Paſtoris tui profectione,
Afflicta cogitationibus Antiſtitẽ in receſſu nõ tuiſti tua munitione,
Certè non te deſeret dilectus, ne turberis, ſed mutat duntaxat ſtationem:
Crede firmiter zelo zelatus eſt tui, nunquam te deſeret propter tui amorem.
Perge poſt illũ, adhære ei, qui nõ recedit, ſed quærit recentẽ regionẽ.

A Dirige greſſus tuos Præſul ſanctiſſime inceptos, ne dubites radium ſolarem.
Recedẽte ab alma Vrbe ſummo Antiſtite mane primo diluculo,
Proficiſcente verſus Campaniam nobilem per talem planiciem compatiebatur ſuo populo,
Pergente increpata cuſtodia vocabat ſertas tradito pede pro ſancto oſculo,
Euntẽ Præſule, depeædatur quidam, capitur latro, nunc moritur in patibulo.
Sitiẽti aſperſo puluere præbuit diuina pietas ſollemne refrigeriũ,
Deficienti, & laſſo ſubuenit Dei Genitrix de Crota Ferrata Templũ,
Intranti cœnobitale domicilium præbebat omni volenti aquam in poculum:
Cupienti, & exuſto Solis ardoribus præſtabat multum placabile ſolatium.
B Situs hic eſt in montibus ſupra mare in lucis denſoſis,
Conuentus iſte eſt Cœnobitarum Græcorum fundatus in honorem Mariæ Virginis.
Locus eſt valde amœnus, diſtat ab Vrbe decem milliaribus, circundatus limphis,
Domus eſt bene fundata ſupra firmam petram licèt in locis aquoſis,
In ea manſit ſerena ſanctitas præſulatis geminata dieta, propter amœnitatem,
In ipſa egregiè collocati fuerunt duo Cardinales propter ipſius affabilitatem,
In ipſa Eccleſia aſtiterũt quatuor Prælati, propter loci fœcunditatẽ,
In qua tota ipſorũ familia ſemper extitit propter illius capacitatem
Primo mane Iunij ante lucanum Corpus Chriſti omnibus viam patefecit,
Ingreſſo itinere eum ſequitur turma, ſed incautè talis caſus euenit,
C Percuſſo Salmerio Antiſtitis Carpentoracenſis gladio crudeli manu interijt,
Orto iam ſole Summus Pontifex egreſſo Cœnobio Anagniam viam arripuit.
Prodijt exinde progrediens Summus Pontifex rectè per deſerta ſqualentia.
Abijt egregius Paſtor cum amicis ſuis, per eremum, & nemora,
Venit turba per campeſtria plurima ad beatorum pedum oſcula,
Siluit tellus in aduentu Principis, pacificatáque ſunt omnia.
Porrò ſiluam grandem ingreſſus lucus tuebatur caſtrorum diuerſis cuneis,
Credo illam fore vallem vmbroſam Ioſaphat in terra promiſsionis:
Puto quòd nemus lignorum Coſdroe, & ſaltus Libani nõ ſit ſimilis,
Spatio peracto tranſacta hora tertianũ applicuimus valli Mutonis.
D Oppidum illud ſollemne eſt in ingreſſu Campaniæ Præneſtinæ Diœceſis.
Caſtrum fortè eſt in montibus inter ſiluas obſitus ſilicis,
Caſtellum vnius domini nobilis eſt almæque Vrbis conciuis,
Domicilium illius pulchrum, cum aſpectu mirabili cum ornamentis ſericis.
Recreati in illo tota die hoſpitati egregiè ſoſpitati pernoctauimus.
Excitati bono mane immenſas laudes Deo obtulimus, ſacrificiúmq; libauimus,
Refocillati iter noſtrum continuauimus per vallem opacam condenſis nubibus,
Roborati aſperè, & cum celeritate illo mane 12. milliaribus equitauimus.
Cum tertiarum hora finem daret diei Martis ſeptæ menſis Iunij,
E Dum turmarum concurſus appropinquaret, ad pedum oſcula recedebant hilarati iterum,
Vrbium in voce tubarum populi ad eum confluebant præ gaudio exanimati,
Territorium Anagniæ applicamus optatum cum lætitia ingenti ſolemniſſi.
Appropinquante ſummo Antiſtite ciuitatem Anagniæ cum nimia hilaritate,
Ingrediente Paſtore gregem ſuũ, currebant oues cũ nimia auiditate,
Progrediente Præſule acceſſerunt populares choriſantes velut hiſtriones cum iucunditate,
Intrante ſuburbia adfuit turba cum proceſsione iubilando cum ſonoritate.
F Antiqua, & ſollemnis eſt hæc ciuitas ſituata in alpibus Cãpaniæ,
Longa valde nec lata, pollet vno vico inter alia communitas Anagniæ,
Amœna grata in aſpectũ, circumdata vallibus, colliſque planicie,
Vicina ferè ſideribus caret fluminibus, pollet fontibus, ciſternisque pluuiæ.
Alta ædificia, ſtructura lapidum maxima, terræ motu, ruinàque diſſipata.
Grata domicilia, fumo dealbata, lignis caſtaneis cooperta, & conſtructa,
Agmina hominum, & mulierum in vultu ſunt colorata pari forma,
Exuſta Solis ardoribus facies non rutilat colore tetro aſsimilata.
Quia alba, delicioſa, rubra, iuuita, & penitus ignota,
Grana optima cum fertilitate, & fructuum copioſitate timita,

Aeſtiua

Aenaria electa regio temperata gens bona cum ruſticali affabilitate grata,
Deuota plebs, ſimplex, grex fideliter ambulat in ſua prædia.
Secretum eſt ò alma ciuitas Romana nobilis in Cápania illuſtri,
Subdolum depoſco ſi pandam in laudem ne imputetur referanti,
Saxum concauum in modũ ſpecus latet in Anagnia in loco eminẽti.
Stagnum reputo aquam abundè præbens omni volenti,& haurire cupienti.
Retrò Matrem Virginem iacet,quæ nobis peccatoribus aquam tulit ſalutis,
Puto eius precibus illud ibidem præſeruatum ſuis fidelibus tempore ſterilitatis,
Credo quòd in ſeculo non eſt ei ſimile in cuſpide montis,
Ergo ne terreamini Vltramontani nobiles, ſitientes ibi lympham bonam haurientes,
Quæ ad æthereum thalamum aſcendiſti, in Anagnia mirabile Templum elegiſti,
Quòd crebreſcentibus miraculis portentis, prodigijsq; oſtendiſti,& mirabiliter decoraſti,
Tu etiam mentem ſummi Antiſtitis Gregorij Vndecimi tua gratia perfudiſti,
Cum ſancto Flamine ignito in tui deuotionem imbre cæleſti imbuto commouiſti.
Paſtor egregius ſuſcepto mundi regimine feruentius in tui deuotione, zelóque perſeuerauit,
Doctor eximius percepta tui gratia te in ſuam Matrem adoptauit,
Rector pius vniuerſum perluſtrauit, tua Oratoria iugi ſui principio decorauit,
Sator honeſtans tuã Natiuitatem adamauit, & ſacra vigilia primus adornauit.
Nutu Spiritus almi, cuius ſeptiformis gratia inflammatus ſeptima Septembris ieiunium mandauit,
Ritu perpetuo ſua poteſtate celebrari cum miſſa ſtabiliuit, & ordinauit,
Dictu ſuo firma promiſſione vallato etiam cum bulla vnde prædicta promulgauit.
Affatu diuinóque ſuo relatu hanc deuotionem inſerui quàm ſuo munere amplificauit.

Hactenus Fr. Petrus Amelius. Sequitur Ciaconius.

Romæ frequentibus picturis exceptio eius exhibita eſt,multitudóque populi illi occurrentis,& mulierum turbæ cum teneris infantibus illi obuiantes, quæ lætari,& plaudere Gregorio Vrbem ingredienti adhuc videntur: extantque in Templis, porticibus, & publicis locis huiuſmodi picturæ, atteſtantes lætitiam, gaudiúmque ingens ciuium Romanorum ſuſcipientium Gregorium, non vt Vicarium, ſed vt Deum aliquem in terras delapſum; quam magno igitur apparatu,incredibilique populi Romani lætitia ſuſceptus in Vrbem ſit honoratiſſimo quoque obuiam prodeunte, non attinet dicere, cum vultu, geſtu, acclamationibus omnem lætitiæ ſpeciem effuderint, vt filij ſolent, redeunte peregrè exoptato parente. Indigebant omnia aduentu Pontificis: nam & mœnia, & Baſilicæ, & publica,& priuata ædificia vbique ruinam minabantur, quæ certè integra ex parte reſtituit, vt turris ſuo iuſſu ædificata ad S. Mariam Maiorem indicat, labefactari etiam ita ciuitatis mores erant, vt nihil vrbanitatis habere viderentur, vtque illi ciuitati mores aliunde petẽdi eſſent, quæ totum Orbem terrarum quondam ad vrbanitatem redegerat. Senenſium Oratores Gregorium inter cæteros ſalutauere: commendat eos Catharina Pontifici, nec vllam gentem eſſe, ait, quæ tàm facilè beneuolentia, & manſuetudine capi, allicique cupiat; vt Catharina admonuerat, res ſeſe habuerunt, collocata itaque in Vrbe, ſede ſua, Pontifex (vt bonum paſtorem decuit) omnia circumſpicere cœpit, de medela vulneribus inferenda cogitare, pax igitur, qua ſanari nondum obducta vulnera poterant, ſibi diu multúmque cogitanti, oblata eſt. Florentini nullum iniuriæ,contumeliæque genus prætermiſerunt, quòd in Pontificem transferri poſſet,qua ex re anathemate notati, hac inſolentia vſi ſunt, vt etiam Sacerdotes ſuos,quibus a ſacris interdictum erat, celebrare contra ius, fáſque coegerint. Tum verò Pontifex à precibus ad arma conuerſus eſt, paxque inter diſſentientes populos incidenter compoſita eſt auſpicijs, & vigilantia prudentiſſimi Pontificis.

INGENti gaudio Gregorius a Romanis ſuſcipitur.

CATHArina Senẽſium Oratores Pontifici commendat.

FLORENtini excõmunicãtur. PAX inter rebelles Populos initur.


Sed dum vir ſanctus accuratè agit omnia, quæ ad Pontificem pertinerent, Anno Dominicæ Natiuitatis 1378. die vj. Kalen. Aprilis circa ſecundam noctis horam, Romæ in palatio Apoſtolico ſancti Petri intolerabili veſicæ dolore,ſiuè excolatione vrinæ,mortuus eſt. Pontificatus ſui anno 7. menſe 2. die 29. ſepultus in Diaconia S. Mariæ Nouæ, cuius quidem Diaconus Card. ante Pontificatum, extiterat, vacauit ſedes dies 12. ſepulcro marmoreo,quòd ad noſtra vſque tempora extabat, tantò cum omnium gemitu, & lacrymis, quanto numquam ante quiſquam ſepultus eſt: parente enim vnico priuati omnes videbantur, lugebantque non modo præſentem, verum etiam futuram calamitatem, in quam ſublato optimo Pontifice, ob Patrum diſcordiam, incidere, eodem die obitus Gregorij XI. Pontificum palatium Auenione fortuito incendio deformatum eſt. Florentini, etſi parum amici, ſollemnes tamen inferias ei dixerunt, & Roma, vt parentem luxit, funere eius in Templo Virginis in via noua munificentiſſime curato, nec immeritò Romani eum, vt parentem appellauere, plurima enim,& ampliſſima opera, Templaque ruina, vel incendio abſumpta, vel certè deformia reſtituere cœperat, qui in Pontificem creatus fuit ætatis 35. * annorum, vir paruæ, ſtaturæ, licentiatus in Legibus, acutus, ſtudioſus, librorum libenter cum intelligentibus diſputabat,& diligebat eoſdem, liberalis,honorabilis, & verecundus, cuius enim petenti ſe tribuit, nec ſciuit aliquid iuſtè petenti denegare, eleemoſynarius, magnificus in publico, & priuato, & valde compatiens omnibus afflictis, habens prudentiſſimos Referendarios, ac etiam Secretarios mundos, & honeſtos. Quo autem die deceſſerit, Baldus I.C. ad lib. 6. Codicis, docet, Romæ 26. Martij obijſſe. Mirandúmque Gregorium Baldi ipſius I.C. auditorem diu à Blondo Foroliuienſi, & Pio II. Pontifice in Epitome decadum, numquam tamen de eo tanquam diſcipulo mentionem a Baldo factam, nec tum, cum de eius obitu ageretur.

GREGOrij Obitus omnibus lachrymabilis.

AVENIOnem ſ[illegible]

Palatium fortuito incendio deformatur.

GREGOrius exiguis vixit ſtaturæ.

Signum  *Gregorij*

PP. *XI.*

ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

¶ * *iij. Kalend.*] Ex Panuinio in Chronic.

* *Ad Baldum.*] Ita Platina in Gregorio XI. & Card. Aegidius Viterbienſis in Hiſtor. 20. ſecul.

* *A 19. Cardinalibus .... creatus.*] A 17. ait Panuinius loc. citat. Ciaconius Cardinales 19. nominat, & inter illos Petrum Monſtrum, qui in Pontificem fuit electus.

* *Conſecratus, & Coronatus.*] Panuinius loc. cit. idem affirmat de coronatione; at nihil ſcribit de conſecratione.

* *Iſſelmj Bellamera.*] Dela *Bellamera*, vt aliàs monui, Aegidius Bellamera fuit Rotæ Romanæ Auditor.

* *Randerinj .... Germano verbo.*] Ex Platina loc. cit.

* *Miſerunt Catharinam.*] Diſſidebant à Pontifice Florentini, Interdictóque Eccleſiaſtico ſuppoſiti erant, cum Catharina Auenionem ad Gregorium contendit: cui iter Auenione Romam, quòd ipſe Deo occultè pollicitus fuerat, prophetico illuſtrata lumine, indicauit. Pius II. in literis canonizationis. In quibus illam doctrina infuſa, & prophetico ſpiritu præditam celebrat.

* *Extaſi.*] *Diuinis contemplationibus paſcebatur, adeò extra ſe acta; vt ex punctã, percuſſione nihil omnino ſentiret, idque ei contigebat, cum diuiniſſima reficiebatur Euchariſtia.* Pius II. loc. cit.

* *Populi Rom. lætitia ſuſceptus.*] Hæc ex Platina. De eiuſdem Populi Romani lætitia in aduentu Gregorij, Cardinalis Aegidius Viterbienſis aduentanti Gregorio obuiam proceſſere matres effuſæ conditionis omnis, & ſexus; à viris, fœminiſque tanto plauſu fuit exceptus, vt diem nullum lætum magis Romani a ſe viſum teſtati ſint.

* *Sexto Kalend. Aprilis mortuus.*] Ita Panuinius in Chronic. *Quinto*, ait Platina *Kalend. April. anno ſeptimo, menſe quinto ſui Pontificatus.* Panuinius opinatur, Gregorium ſediſſe annos 7. menſes 2. dies 29. ann. 7. menſ. 5. S. Anton. par. 3. Hiſtor. tit. xx. cap. 1. 1378.

* *Excolatione vrinæ.*] Hæc verba deſunt in Platina; ex quo Ciaconius, quæ hic ſcribit, deſumpſit. *Veſica dolore moritur*, tantùm dixit ille. *Intolerabili veſica dolore*, S. Anton. loc. cit.

* *Ætatis 35.*] Gregorium XI. triginta quinque annos natum ad Petri ſedem ann. 1370. perueniſſe, ait Ciaconius hic: at, initio vitæ illius, narrat, poſt decimum ſeptimum ætatis annum, in Cardinalium numerum à Clemente VI. adlectum: id autem accidit anno 1348. iv. Kalend. Iunij, eodem Ciaconio teſte. Si egreſſus annum decimumſeptimum, anno 1348. Purpuram conſequutus eſt, & anno 1370. ſummum Pontificatum; verum eſſe non poteſt, annum trigeſimumquintum agentem maximi Põtificatus tiara auctum fuiſſe. In Clem. VI.

Gregorium XI. virum ſanctum nominauit Platina, ex quo Ciaconius: incredibili illius integritate, humanitate, gratia omnium animos captos, & in ſpem erectos, dixit Cardinalis Viterbienſis Aegidius; eumque deinde Pontificem ſanctiſſimum, Deoque, & hominibus acceptiſſimũ nominauit: corpus autem illius exanime tot bonorũ omniũ lacrymis tumulatũ, quot ante illum Pontificum nemo. In hiſt. 20. ſecul.

Pontificum exilio Gregorius finem impoſuit, ſex in Gallia Pontifices vixerunt; exilium in ſeptimo quietis numero quieuit, ait Cardinalis Aegidius. *Tu ſi Vrbis, & Romanarum Eccleſiarum ruinam inſpicias, hoc exilij tempus noctem dixeris. ſi mores, ſanctitatemque Pontificum, diem appellandum exiſtimabis.*

* *Gregorius Conſtit. Super vniuerſas, &c.*] Datum Auenione x. Kalen. Febr. anno 2. Lateranenſem Eccleſiam præcipuam ſedem ſuam nominat, eamque inter omnes Vrbis, & Orbis Eccleſias, Baſi-

licaſque ipſa Principis Apoſtolorum Baſilica non excepta, ſummum A locum prioritatis, dignitatis, & præeminentiæ tenere, affirmat. Anno 3. vij. Kalend. Iunij apud pontem Sorgiæ Auenionen. Diœc. expoſuit, contraxitque facultatem Cardinalis Franciſcani ordinis Protectoris; anno 4. iij. Idus Nouemb. Auenion. ſtatuit, ne Clerici illegitimi Patriarchalium Eccleſiarum Lateranenſis, ſancti Petri, & S. Mariæ Maioris Canonici eſſe, queant; anno 5. iij. Kal. Decemb. Auenione, vt Fratres D. Ambroſij in Mediolanenſi eiuſdem ſancti Doctoris æde ad Nemus Ambroſianum officium recitare poſſint.

Decreuit, vt anno Iubilei ſacrum theſaurum conſequuturi S. Mariæ Maioris Baſilicam inuiſant, præter Baſilicas SS. Petri, & Pauli, ac Lateranenſem: *Saluator Noſter*. Dat. Auenione anno 3. die 29. Aprilis; quam Cõſtitutionem Nicolaus V. Conſtitut. *Immenſa*. Dat. Romæ xiv. Kalend. Febr. anno 1449. cum Conſtit. Clem. VI. de Iubileo ad annum 50. reuocato, retulit: quam vidimus in Vaticano.

Vide p. 2. noſtre hiſtor. sacri. Iubilaei.

Eumdem Gregorium inſtituiſſe, vt dies feſtus Natiuitatis beatiſ- B ſimæ Virginis Mariæ Matris Dei Vigiliam haberet, tradit Radulphus Tungrenſis de Canon. obſeru. propoſitione decimatertia Natiuitatis, fortè, quia is Septembri menſe Auenione Italiam petiturus exceſſit. Natiuitatem Virginis M. nec ieiunium, nec octauas, priſcis temporibus habuiſſe, obſeruauit Flaminius Cereſola, diligens reconditorum monumentorum ad Deiparę Virginis laudem ſpectantium indagator, in opere præclaro nondum edito, ſed optato de B. Virgine Dei Matre, ex Io. Beleto cap. 149. de Diuinis Officijs; qui floruit anno Domini 1165. Exordium ipſum feſti diei Natalis eiuſdem B. Virginis obſcurum agnouit Suarez lib. 2. cap. 8. De diebus feſtis; in Africa feſtam hanc diem S. Auguſtini temporibus celebratam non fuiſſe, ex eodem Aug. deprehendimus; à quo ſcriptum, Natalem Chriſti diem, & Io: Baptiſtæ tantùm celebrari. Vrbano VI. Gregorij XI. ſucceſſore, ſedente Vigilia Natiuitatis, & Aſſumptionis ieiunio celebrabatur: teſtis adeſt Bonifacius IX. Conſtit. *Superni, &c.* De inſtitutione celebritatis Viſitationis B. Mariæ Virginis, inquiens. *Suaſit etiam, & conſuluit idem Prædeceſſor Noſter*, (Vrbanus VI.) *vt ipſius feſti* (Viſitationis, &c.) *Vigilia, vt Vigilia Natiuitatis, & Aſſumptionis prædictæ Virginis feſtiuitatum, in obſeruatione ieiunij deuotius obſeruaretur.*

L. 1. c. ult.

T. 1. Bull.

Gregorium eumdem, & Vrbanum VI. decreuiſſe, vt Symbolum Apoſtolorum in ſacris quatuor Doctorum recitetur, Bartholomæus Gauantus, in Commentarijs in Rubricas Miſſalis, & Breuiarij Romani ſacra eruditione refertis, teſtatus eſt.

p. 1. tit. 11.

Initio Pontificatus, cum Barnabos Mediolanenſium Dux, pacis lege violata, bellum contra Bononienſes inſtauraret, à Gregorio communione, & dignitate priuatus eſt. Sigonius lib. 3. de Epiſcop. Bonon. Defecerant à Pontificio imperio Bononienſes, Guillelmum Card. S. Angeli Legatum ex Vrbe diſcedere compulerant, Rempub. Libertatis ſtatum nuncupatam inſtituerant, Antianos 12. & Iuſtitiæ D Vexilliferum creauerant: re cognita, Gregorius conſcriptos milites ad eam Vrbem recuperandam miſit, paulò poſt ipſe cum Aula vniuerſa in Italiam venit; anno, qui ſequutus eſt, Bononienſibus poſtulantibus pacem reddidit, & Vrbem amiſſam recepit. In Pepulorum, qui exulabant, ædibus Cardinalem Aegidium ſequutus, alterum nobile Collegium ad nutriendos quinquaginta adoleſcentes, bonarum artium ſtudioſos, inſtituendum, & optimis vectigalibus locupletandum curauit. *Gregorianum* id fuit vocatum.

Ad anno 1371.

Sigon. ad ann. 1377. loc. cit.

S. Catharina Senenſis, inſigniſque Iuriſconſultus Baldus Gregorium, ad proficiſcendum Romam, excitarunt, aientes, hanc Vrbem, D. Petri primi Pontificis laboribus, & ſanguine conſecratam, peculiarem Pontificatus maximi ſedem eſſe; quòd non ſemel ſcripſit Petrarcha ad Clementem V., ad Benedictum XII. & ad Vrbanum V. apud quem Roma Pontificem maximum ſponſum appellat ſuum. Cardinalis Bellarminus de Rom. Pontif. probabiliſſima ſenten- E tia, Apoſtolicam D. Petri Cathedram à Romana Vrbe ſeiungi, Romanamque Eccleſiam in errorem labi, & deficere, non poſſe, docuit. Sotus in 4. diſt. 24. quæſt. 2. art. 5. in fine, Pontificio iure, Apoſtolicam ſedem Romano Epiſcopatui addictam eſſe; Summùmque Pontificem Romanum Epiſcopatum deponere, & alium ſibi adſciſcere poſſe, vel illo depoſito, & alio non ſuſcepto. Nulli peculiari Eccleſiæ addictum, vniuerſalis Paſtoris munus obire; quod tamen ſic aſſerit, vt Romanis pedibus ſuum caput ſubmittat: at quia Chriſtus, tyrannidis in Chriſtianos procella ſæuiente, D. Petrum abeuntem, Romam redire, iuſſit, & eam Vrbem illius ſanguine decorari voluit, videtur dicendum, ex Chriſti inſtitutione, Romanam ſedem Apoſtolicam ſedem eſſe, & Orbis Epiſcopatum, in Epiſcopatum Vrbis F erectum. Id eſſe ex Chriſti inſtitutione, docent Io: Driedo lib. 4. c. 4. par. 3. de Diuerſ. Dogmat. Io: de Turrecremata lib. 2. Summæ de Eccleſia, Cano lib. 6. cap. 4. 5. 6. De Loc. Theol. præſtantes Theologicæ facultatis Doctores: à quibus non diſſentit Caiet. cap. 13. De Inſtit. Pontif. & alibi: quia Concilia, & Patres non obſcurè docere, videntur, Chriſtum Dominum inſtituiſſe, vt D. Petri ſucceſſor, Pontifex maximus Romanus Epiſcopus perpetuò ſit. Concilium Magnum Lateranenſe Romanam Eccleſiam, Deo diſponente, Matrem, & Magiſtram omnium Eccleſiarum eſſe, tradidit. Plura Conciliorum, & Patrum teſtimonia ſuggeret tibi Melchior Cano l. c. Soti ſententiam ſingularem, & non tutam exiſtimauit Greg. de Valent. tom. 3. Com. in D. Thom. Diſp. 1. quæſt. 1. pat. 7. §. 37.

Li. 7. Poſtol. carm. ſcrip. l. 1. l. 7. Senil.

Vide cap. Per venerabilem qui fil. ſ. l.

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI
SOCIETATIS IESV.

FVNERIBVS Vrbano ex maieſtate Pontificia perſolutis S. R. E. Cardinales jv. Kalendas Ianuarij Conclaue ingreſſi in palatio Auenionenſi, non die 9. Ianuarij, vt ſcribit Brandus in Chronologia Romanorum Pontificum, ſed die penultima Decembris anno 1370. vt confirmant datæ aliquot poſt annos Gregorij eiuſdem literæ, Petrum Rogerij Belfortium Clementis VI. non ex fratre, vt refert Ciaconius, ſed ex ſorore Ioanna Rogeria Monſtria nepotẽ, annorum non triginta quinque, ſed quadraginta, vt conſtat ex recta annorum computatione, & ex Spondano, conſentientibus ſuffragijs ſummum Pontificem deſignarunt, vt eius vitæ auctor ſubiectis verbis tradit. *Gregorius Papa XI. natione Aquitanicus, de loco de Malomonte* B *Diœceſis Lemouicenſis oriundus, poſt dictum Vrbanum V. fuit Auenione electus in Papam die penultima menſis Decembris anno Domini* 1371. Petito nimirum illius exordio a feſto Natalis Domini, non à Kalendis Ianuarij, vt nunc moris eſt. Pergit idem auctor paucis interiectis eiuſdem morum elegãtiam, ac literarum peritiam enarrare. *Hic quanquam eſſet ſatis iuuenis, quando fuit factus Cardinalis, cum nondum attingeret octodecim annos ſuæ ætatis, tamen erat totus ingenioſus, & aptus, ac ſtudio literarum valde intentus, volenſque in eis proficere amplius poſt promotionem ſuam ad ſtatum huiuſmodi, accerſitis ſibi notabilibus Eccleſiaſticis, quos ſecum continue habuit, audiendo, & legendo circa Legalem ſcientiam diutius inſudauit, & adeo in ipſa profecit, quod vnus de profundioribus, & ſufficientibus totius Orbis in ea fuit effectus. Demum ſe conuertit ad Canones, Theologiamque, ac Phyloſophiam naturalem, in quibus ſe adeo notabiliter profundauit, quod in collationibus, &* C *Concilijs, ac alijs actibus ſuo ſtatui congruentibus, in quibus de pertinentibus, ac huiuſmodi facultates actum fuit, ſufficientiſſime perorauit. Tum circa deciſionem etiam diligenter inſtitit, habuitque in iſto tam iuris quam facti experientiam tantam, quantam quicunque alius ſtatus ſui. In expeditione vero negociorum ſibi commiſſorum, aut aliorum, quæ ſecum, aut per eum tractanda occurrerunt, admodum peritum, gratum, benignum, & manſuetum ſe habuit, quod de ipſo vniuerſaliter omnes ſecum agere habentes multum remanſerunt contenti. Et cum eſſet humilis, modeſtus, circumſpectus, & liberalis, ac alijs multis virtutibus dotatus, omnes tam ſeculares Principes, quàm Prælati, & vt plurimùm quicunque ad ipſum recurſum habentes eum potiſſime dilexerunt. Habuit etiam magnam gratiam in Collegio Cardinalium, adeo quod demum ſuis ſuffragantibus meritis per debitam concordiam fuit, vt præmittitur, ab ipſis electus in Papam die ſupradicta de mane, quam ſola vox præ-* D *ceſſerat ab introitu Conclauis eorundem. fuit tamen ipſe in conſentiendo multum retinens, & contradicens, imo difficillimè per eos ad hoc potuit inclinari, ſed tandem cum omni humilitate, diuinæ, & ipſorum ſe ſubiecit voluntati.* Spondanus verò Gregorij creationem his verbis deſcribit. *Tantam ſibi omnium conciliauit gratiam, vt abſque vlla mora, aut diſcordia renunciatus fuerit vno omnium Cardinalium conſenſu Pontifex, ſolo ipſo diu renitente, & omnia auerſante; qui demum ne videretur diuinæ voluntati reſiſtere, humeros ſuppoſuit nondum quadragenarius.*

Gregorij electio.

Ciaconius.

Ciaconius.

Oder. Raynald. in Annal. Eccleſiaſtic.

Spon. in Annal. Eccleſiaſtic.

Luc. Vvadding. in Annal. Minorum.

Gregorij laudes.

Certiorem fecit eadem die, qua ad ſummi Pontificatus apicem eſt euectus, Carolum Francorum Regem de acceptis à ſe Eccleſiæ Catholicæ gubernaculis, hortatuſque eſt, vt eius Progenitorum more Eccleſiam meritis obſequijs proſequeretur, ac viciſſim ſtudia Apoſtolica, ac beneuolentiam in ipſum ſe explicaturum ſpopondit. Poſtridie eius diei ad Ioannam Siciliæ Reginam ſcripſit, & ſequen- E ti ineunte anno ad Petrum Regem Aragonum, Amedeum Comitem Sabaudiæ, nec non ad Archiepiſcopos, & Epiſcopos datæ ſunt aliæ literæ, quibus ipſos ad curas in populo Chriſtiano in viam ſalutis adducendo defigendas adhortatur. Galliarum Rex adijt Gregorium apud Auenionem, vt de conſcenſo Apoſtolico faſtigio ipſi gratularetur; acceſſere quoque ad eundem Regis Aragonum Oratores profeſſuri Sardiniam, & Corſicam beneficentia Apoſtolica acceptas, & conſtitutas a Bonifacio VIII. pactiones inſtauraturi.

Certiores facit de ſua electione Chriſtianos Principes.

Oderic. Raynald. in Annal. Eccleſiaſt.

Gregorio gratulantur Chriſtiani Principes.

Deinde, vt Orienti ab infidelibus ad extremæ ſeruitutis periculum adducto ſuccurreret, animum, cogitationemque intendit ad Occidentis res componendas, & inhærens Vrbani prædeceſſoris veſtigijs, qui pacis Francorum inter, & Anglorum Reges conciliandæ ſtudio Simonem titulo S. Sixti, & Ioannem titulo SS. Quatuor F Coronatorum Presbyteros Cardinales, renunciarat Apoſtolicæ ſedis Legatos, vt impoſitum munus facilius proſequerentur, noua auctoritate inſtruxit, ac Regibus mala ingentia è bello emerſura exponere iuſſit. Literas ſcripſit ad Eduardum Angliæ Regem, eumque ad pacem ſumma precum contentione eſt adhortatus. Pacandæ etiam Hiſpaniæ ſtudio miſit Gregorius Bertrandum Conuenarum, & Brixienſem Epiſcopos, & opera Guidonis de Bolonia Legati Apoſtolici, ac Epiſcopi Portuenſis Henricum Caſtellæ, Petrum Aragonenſem, & Carolum Nauarræ Reges fœdere ſociauit. Scripſit ad Buſiorum Principem bello peritiſſimum, qui apud Eduardum Regem Angliæ plurimum gratia pollebat, vt ipſum ad ſacram expeditionem incitaret. Sollicitat pariter ad eandem expeditionem An-

Pacem inter Gallos & Anglos curat.

Hiſpanorum res compōnit.

Sacrā expeditionem procurat.

dreas Con-

dreas Contarenus Dux Venetorum, & Ludouicus Flandriæ Comes, ac Genuenſes, Carolus Francorum Rex, Ludouicus Dux Borbonius, Ludouicus Hungariæ Rex, Carolus Dyrrachius Dalmatiæ, & Croatiæ Dux, alijq; Chriſtiani Principes. Cumque Petrus Raccanellus nobilis Genuenſis, qui Smyrnæ præerat, à Præfectura illa diſcedere molíretur, ſollicitus ne Smyrna Chriſtianæ fidei in Aſia munitiſſimum propugnaculum in Turcarum caderet poteſtatem, Raymũdo Berengario Rhodiorum Equitum Magiſtro prouinciam dedit, vt ſtrenuum Ducem, ac bello exercitatum illi imponeret, & eundem Magiſtrum Cyprij Regni cuſtodiæ præfecit, eaque de cauſa ipſum ſedis Apoſtolicæ Internuncij in illa Inſula munere, ac dignitate ornauit, cum Petrus Rex Cypri gerendis rebus impar eſſet.

Nuncios mittit ad Ioannem Palæologum.

Luc. Vvadding. in ann. Annal. Minorum.

Vt autem Ioannes Palæologus Græcorum Imperator, qui in ipſa Vrbe, & Baſilica S. Petri publicè abiurarat ſchiſma Orientalis Eccleſiæ, & promiſerat ſe adhæſurum fidei, & doctrinæ Romanæ, & curaturum, vt ſibi ſubditi ad eandem reducerentur vnionem, promiſſis ſatisfaceret, anno à partu Virginis 1373. ad illum legauit Thomam de Bozolaſco Priorem prouincialem ordinis Prædicatorum in Longobardia, & fratrem Bartholomæum Cherracij alias Characij ordinis Minorum ſacræ Theologiæ Magiſtrum. Per hos Apoſtolicæ ſedis Nuncios ſcripſit Simoni Archiepiſcopo Thebano, vt cum illis Conſtantinopolim pergeret, ac negocijs commiſſis incumberet; Demetrio item Chidonij, Philippo Domicello, & vniuerſis, ac ſingulis Eccleſiarum, & Monaſteriorum Prælatis, ac perſonis Eccleſiaſticis, nobilibus viris, & populo Conſtantinopolitano, Ioanni Cantacuzeno olim Imperatori ordinis S. Baſilij profeſſori, Poteſtati, ac Communi Terræ Pegiæ, Franciſco Cathalucio, Domino Inſulę Metelini, Maximo Laſcari Abbati Monaſterij Conſtantinopolitani S. Diomedi ſacri, & alijs Orientalibus orthodoxis, vt reliquos ad vnitatem Eccleſiaſticam adducerent, literas dedit.

Eccleſiaſticorũ mores corrigit.

Religioſas familias vtriuſque ſexus ad priſtinum ſplendorem reddere ſtuduit, imò vt Eccleſiaſticorum omnium ſanctimoniam curaret, tum Siciliæ cis, & vltra Pharum, tum totius Orbis Chriſtiani Epiſcopis, Archiepiſcopis, & Patriarchis, vt pro reformatione ſtatus Eccleſiaſtici, & perſonarum Deo dicatarum, Concilia Prouincialia, & Diœceſana quamprimum fieri commodè poſſent, celebrarent, & deprauatos aliquorum mores corrigerent, caſtigarentque, ac deinde pro Eccleſiaſtica libertate, & iuribus Eccleſiarum ſe ſe ſtrenuè aduerſus violatores opponerent.

Pro Eccleſiaſtica libertate laborat.

Opprimentibus in Catalonia, ac Tarraconenſi prouincia regijs adminiſtris libertatem Eccleſiaſticam, Petrum Regem Aragoniæ Gregorius præmonuit, vt mala tentata reuocaret: Ferdinandum pariter Luſitaniæ Regem admonuit, vt Bracarenſi Archiepiſcopo liberum Vrbis imperium reſtitueret. Amedeum quoque Sabaudiæ Comitem corripuit, qui Geneuenſem Epiſcopum Geneuenſi Principatu exuere eſt aggreſſus.

Vicecomitib⁹ Mediolanenſibus ſacra, & matrimonia interdicit.

Ad liberandam verò Vicecomitum Mediolanenſium tyrannide Italiam Caroli Romanorum Imperatoris opem implorauit, ac rogauit Ludouicum Hungariæ Regem, vt vires cum Eccleſiaſticis, & Marchione Atreſtino coniungeret; Bernabonem, & Galeatium Vicecomites Mediolanenſes Eccleſiæ Terras inuadentes excommunicatione ferijt, vt dictum eſt ſupra à Ciaconio, & matrimonia eiſdem interdixit, nam agebatur de collocanda Galeatia filia, Ioanni Regis Aragonenſis filio, quòd vetuit Pontifex literis ſuis datis ſecũdo Idus Ianuarij anno 1373. Et quamuis Gregorius ad tuendã Etruriæ libertatem ſincerè incumberet, aduerſa tamen opinio, ac ſuſpicio Florentinorum animos ſe infudit, ipſum de affectando Etruriæ Principatu conſilia verſare, quam vti falſiſſimam repellere ſtuduit, datis hiſce ad Senenſes literis.

Etruriæ libertatem defendit.

G R E G O R I V S   E P I S C O P V S
Seruus Seruorum Dei.

Defenſoribus, & Communi Ciuitatis Senenſis.

Literæ ſcribit ad Senenſes.

Nuper ad Noſtrum peruenit auditum dilectos filios Communes Ciuitatis Florentinæ quandam ſuſpicionem concepiſſe, quod gentes Eccleſiæ Terras Imperij occupare, & Statum Ciuitatum Tuſciæ perturbare volebant. Veſtram itaque ſinceritatem Nobis caram ſcire volumus, & ſatis poteſt eſſe omnibus notum, quòd huiuſmodi ſuſpicio omnino falſa eſt, & nullum rationis habet fundamentum; indecens enim eſſet, quod vnde ſequerentur contraria, vnde ira naſcuntur; & illi de paterna manu nocumenta ſentirent, qui per eam attolli gratia meruerint. Vnde cum Noſtra intentionis nunquam fuerit, nec eſſe debeat, quòd per gentes Eccleſiæ ſtatus pacificus, & tranquillus Tuſciæ perturbetur, nec Terras Imperij volumus recipere, qui Noſtris Terris Eccleſiæ contenti ſumus, quinimo partes Tuſciæ in ſtatu pacifico plenis, & ſtudioſis affectibus cupimus conſeruari. Datum apud Villamnouam Auenionenſis Diœceſis nonas Iulij, Anno Primo.

Ad euellendam eandem ſuſpicionem ex Lucenſium animis exaratæ aliæ ſimiles ſunt literæ.

Epiſcopatus in Ruſſia inſtituit.

Steph. Damalenecz de Epiſc. Vladiſl.

Inſtante Ludouico Hungariæ, & Poloniæ Rege Epiſcopales Cathedras Præmyſliæ, & Vladimiriæ in Ruſſia erexit, & Halicix Archiepiſcopatum inſtituit.

Vt pacem redderet Italiæ iam diu armorum ſtrepitu perditæ, ſuadentibus Catharina Virgine Senenſi, & Brigitta Sueciæ Regina, Pontificiam ſedem Romam reducere, relictis ſex Cardinalibus Auenione decreuit. Soluit igitur Gregorius hilari vultu, dolentibus tamen reliquis, Maſſiliæ portu 13. menſis Septembris anno reparatæ ſalutis 1375. vectus triremi, quam illi parauerant ciues Anconitani, pulcherrimam viſu, & bene vnctam itineri, tectam alijs triginta ſimilibus, partim à Genuenſibus, partim ab alijs Romano Pontifici benè affectis Principibus, inſtructis. Pontificiæ triremis Dux erat Nicolaus Taurus Leoneus, alias Truglioneus, nobilis ciuis, ac ſtrenuus miles Anconitanus; cui, & poſteris, confecto itinere, Gregorius, grati animi ergo Caſſari comitatus titulum, & rem dono dedit, familiamque Truglioneam varijs affecit beneficijs; ambitumque paternarum domorum Nicolai, & poſterorum, in ipſa Vrbe Anconitana erectarum, immunem ſemper reddidit, vt habemus ex eiuſdem Vrbis Chronico. Caſſari comitatum noſtris hiſce temporibus Nicolai poſteri adhuc retinent; in quorum præclaram, ac nobilem familiam alius etiam marchionatus titulus ceſſit. Genuam appulit Gregorius, & cum die Sanctis omnibus ſacro, Kalendis ſcilicet Nouembris eiuſdem anni in Cœnobio S. Hieronymi de Ceruaria ordinis S. Benedicti Ianuenſis Diœceſis prope Portumfinum hoſpitatus eſſet, grati animi ergo Eccleſiæ illi largiſſimam delictorum Indulgentiam elargitus eſt. Genua maritimo itinere Cornetum, terreſtri verò Romam ſe Corneto contulit, Vrbem ingreſſus die 13. Ianuarij anni 1376. vt referunt omnes illius æui ſcriptores. Quare a veritate omnino aberrare illi videntur, qui ſcribunt, Gregorium Maſſilia Anconam triremibus, Ancona verò Romam terreſtri itinere appuliſſe. Huius Pontificis more ouantis in Vrbem ingreſſum in Aula Regia Vaticani Palatij Raphaël Vrbinas magni nominis Pictor coloribus expreſſit cum hac Inſcriptione.

Mar. Cromer in sua hiſt. Polõ. In Ital. am contẽdit.

Bzou. in Annalibus Eccleſiaſt. Ferdin. V[illegible] in Ital. ſac.

Mich. Tep[illegible] in hiſtor. Roman.

Gregorij iter Romam verſus.

Mutius Panſa in deſcript. Biblioth. Vatican.

GREGORIVS XI. PATRIA LEMOVICENSIS
ADMIRABILI DOCTRINA HVMANITATE ET INNOCENTIA
VT ITALIAE SEDITIONIBVS LABORANTI MEDERETVR
ET POPVLOS AB ECCLESIA CREBRO DESCISCENTES
AD OBEDIENTIAM REVOCARET
SEDEM PONTIFICIAM DIVINO NVMINE PERMOTVS
AVENIONE ROMAM POST ANNOS LXX. REDVCIT
SVI PONTIFICATVS ANNO VII. SALVTIS MCCCLXXVI.

Baſilicæ Lateranẽſi fauet.

Dum Romæ vixit, ſæpe ſæpiùs in Baſilica Lateranenſi Deo cœleſtem Hoſtiam immolauit: cenſum florenorum aureorum decem, quem Cameræ Apoſtolicæ illa Baſilica quotannis perſoluebat, ad annuum florenum aureum redegit, atque vſumfructum Viridarij Pontificij Canonicis Lateranenſibus conceſſit pro tempore, quo ab Vrbe Pontifices abeſſent. Ad dirimendas verò controuerſias omnes, quæ de Lateranenſis Eccleſiæ Primatu oriri poſſent, declarauit ſuo Diplomate, quòd reſcripſit in hiſtoria Baſilicæ Lateranẽſis Cæſar Raſponus, eam obtinere omnium Eccleſiarum Vrbis Romæ, & Chriſtiani Orbis vniuerſi Principatum. Portam eiuſdem Baſilicæ inſignem, & omnium maximam Septentrioni oppoſitam è Pario marmore extruxit, ac duobus prægrandibus marmoreis leonibus ornauit. Baſilicam quoque S. Mariæ Maioris de Vrbe beneficijs proſecutus eſt; etenim dum Auenione eſſet, ei Eccleſiam S. Luciæ in Silice, eiuſque annuos redditus anno ſecundo ſui Pontificatus conceſſit. Plenariam Indulgentiam ad modum Iubilæi illis impertitus eſt, qui eiuſdem S. Mariæ Maioris Eccleſiam viſitarent. Affirmant nonnulli, vt Platina, & Panuinius Turrim Campanariam eiuſdem Baſilicæ ſtructura, atque elegantia omnes alias Romanas antecellentem, ab hoc Gregorio conditam, atque huius Pontificis etiam nunc Inſignia Pario marmore inſculpta cernuntur.

Eſt S. Mariæ Maioris Pa[illegible] A[illegible] in De[illegible] ſcript. Baſilic. S. Mariæ Maioris. Hip. Marrac. in ſua Pont. Marian.

Religioſos viros ad Chriſti Euangeliũ promulgandum mittit.

Luc. Vvadding. in ann. Annal. Minorum.

Externa tamen, ſi externa habet omnium pater, non prætermiſit; duodecim Religioſos viros ad Tartaros Aquilonares Euangelij Luce colluſtrandos miſit. Cumque refloruiſſet fides orthodoxa in Moldauia, cuius Princeps Laſco ad Romanę Eccleſiæ obſequium redierat, Gregorius illi literas dedit, eumque ad propagandam in Principatu pietatem eſt adhortatus. Plures quoque Religioſos viros, ac potiſſimum ex Dominicana familia ad promulgandam Chriſti fidem in Armenia delegit, atq; ampliſſima auctoritate inſtruxit. Cum Lituanos ad Chriſti fidem redire velle nunciatum eſſet, Pontifex ad eos Dobrogoſtum Præpoſitum Cracouienſem miſit, ac ſimul Ludouico Regi, & Eliſabethæ Reginæ Poloniæ, Ladiſlao Duci Oppolienſi, & Semouito Duci Maſouiæ, vt Lituanorum conuerſioni adiumento eſſent, literas dedit.

Hæreticos inſectatur.

Odor. Raynald. in ſuis Annalibus Eccleſiaſt.

Pari à Gregorio pro retinendo in Occidente, priſtino religionis ſplendore, ne ab Hæreticis inficeretur, inſudatum fuit ſtudio. In Germania ſceleſtos homines, inſtituta à Chriſto ſacramenta negantes à fidei Cenſore ordinis Prædicatorum comprimi iuſſit; cumque pluribus libris aureo fictæ pietatis calice Babylonica venena ſimplicibus propinarentur, Pontifex cauſarum fidei cognitoribus, coacto Doctorum cœtu excuti, exurique huiuſmodi libros mandauit, & obiectis grauiſſimis pœnis exſcribi, ac perlegi vetuit. Vt verò inſanientem Albertum Epiſcopum Alberſtadenſem, qui è paſtore in lupum ſæuiſſimum verſus, inſano dogmate, quo libertatem humani arbitrij perimebat, ſuos inficere non perhorrebat, ad ſanitatem mentis reuocaret, Cenſoribus fidei iniunxit, vt ipſum ad damnandas pu-

biſ cè coram popu circumfuſa multitudine hæreſes Apoſtolica auctoritate adigerent, detrectantes iudicium apud ſubſellia Pontificia intenderent, ac bimeſtri excurrente comparere iuberent. Suis etiam literis vniuerſos Archiepiſcopos, Epiſcopos, Principes, & Vrbium Magiſtratus, & Carolum ipſum Imperatorem ad Beguardos abolendos inflammauit. Cum autem in Hungariæ prouincijs plures impij abiecto Chriſti cultu, ad Mahumeticam ſuperſtitionem deſciſcerent, atque alij, qui ab ea ad Chriſtianorum caſtra transfugerant, poſtquam baptiſmo fuiſſent initiati, ad priſtinam pietatem relaberentur, Gregorius tantum flagitium repreſſurus Prædicatoribus, & Minoritis, quibus de fidei cauſis cognoſcendi munus erant iniunctum, dedit imperia, vt in hos eodem pœnæ genere atque in Hæreticos animaduerterent.

In Vualdenſes quoque, qui Allobrogum prouinciæ, ac Delphinatus fines inquinabant, ſtatuit Eccleſiaſtica Tribunalia, vt eam peſtem, quæ exciſa ſæpius, iterum germinabat, aboleret. Toloſano Archiepiſcopo, atque Hugoni ordinis Prædicatorum fidei Cenſori partes dedit, vt in eos, qui Toloſæ diſputando, ſeu concionando aliquam contra fidem Catholicam errorem diſſeminarent, Eccleſiaſticam ſeueritatem diſtringerent. Irrepſerant etiam in inſulam Corſicæ plures Hæretici, ac ſplendorem pietatis obſcurare moliebantur, cuius reſtituendi ſollicitus Pontifex Epiſcopo Marianenſi prouinciam dedit, vt ad tutandam religionem, & inſectandos impios incumberet. Certior deinde factus Gregorius in Cretæ inſula Græcos nonnullos in ſchiſmate obfirmatos ab inſula diſcedere, vt à ſchiſmaticis Epiſcopis, ſacris ordinibus initiarentur, ac reuerſos vetus ſchiſma inter Cretenſes confirmare, quamuis iam ante à Duce, ac Senatu Veneto cautum eſſet, nullum ſchiſmaticum Epiſcopum in inſula verſari permittendum, nec Græcis fas fore, vt à ſchiſmaticis Sacerdotio initiarentur; Andream Contarenum Venetorum Ducem vrſit, ne tam præclaram legem obſoleſcere pateretur, ſuamque operâ pro tuendo, ſeruandoque inter Cretenſes fidei nitore impenderet. Vt verò reprimeret motus, quos in Anglia excitauerat Vuicleffus Parochus nouus, hæreſis ex Marſilio Ianduno, Michaële Cæſenate, & Fraticellis hauſtæ inuentor, Cantuarienſi Archiepiſcopo, & Epiſcopo Londinenſi imperia dedit, vt in eum legibus illico agerêt. Impiam quoque Turepinorum, ſeu Cynicorum ſectam ab Eccleſiaſtico ſolo funditus eradicari curauit: damnauit, vt hæreſi infectam illorum ſententiam, qui aſſerere non dubitabant damnandum vti Hæreticum peccantem mortaliter.

Fera. del Cathol. in chrõ ord. Prædicat.

Gregorij ſtudium in Chriſti Paſſionem & in Deiparam Virginem.

Ob egregium, quo erat delibutus, pietatis ſenſum in recolenda Domini paſſione, & obſeruantiam in Deiparam, hæc inſtituit, vt refert eius vitæ auctor. *Eodem anno ſcilicet noſtræ ſalutis 1377. dictus Gregorius in principio menſis Septembris ob deuotionem, quam ſingulariter habebat ad paſſionem Chriſti, & beatam Mariam Virginem, ordinauit quæ ſequuntur. Primo quod in poſterum fieret officium integrum, quod ſuper hoc fecit ſolemniter ordinari, de Inuentione, & Exaltatione ſanctæ Crucis diebus, quibus occurreret; cum per prius in matutinis non dicerentur pro earum qualibet duntaxat niſi tres vltimæ lectiones, & aliæ ſex de certis ſanctis, quorum feſtiuitates dictis occurrerent diebus. Secundo quod Natiuitas beatæ Mariæ Virginis haberet vigiliam cum ieiunio, pro qua etiam officium proprium Miſſæ ordinauit; cum tamen per prius nec eſſet de illa ieiunium, nec Miſſa de vigilia huiuſmodi cantaretur.*

Auenionē cum redire meditatur, ægrotat.

Inter hæc cum Pontifex receſſus Auenionenſes ad Cardinalium Gallorum preces meditaretur, arcano Numinis conſilio, ne Romanæ ſedis Apoſtolicæ faſtigio, ac beneficio careret, vt pij viri interpretati ſunt, implicitus eſt morbo, quo omnia remediorum genera ſeſpuente, de ſucceſſore ſollicitus hæc ſanxit.

Diploma pro electione ſucceſſoris.

GREGORIVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam futurorum.

Periculis, & detrimentis grauiſſimis, quæ Eccleſiæ ſanctæ Dei ex longa vacatione, propter guerras ingruentes, & earum occaſione, & alias quamplures cauſas poſſent accedere, ſalubri remedio obuiare cupientes, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium irrefragabiliter ſtatuimus, & etiam ordinamus, quod ſi hinc ad Kalendas Septembris proximè futuras contingat Nos decedere, ſanctæ Eccleſiæ Cardinales tunc in Romana Curia præſentes, ſeu maior pars, abſentibus non vocatis, nec aliquatenus expectatis, poſſint licite quemcunque locum, alias honeſtum voluerint eligere ſiue intra, vel extra Vrbem, etiam minoris partis præſentium, contradictione non obſtante, pro electione ſummi Pontificis futuri, immediatè ſucceſſoris Noſtri hac vice facienda, recipere, & habere, & tempus Cardinalibus præfixum ad expectandum Cardinales abſentes, antequam ad electionem ſummi Pontificis procedant, & Conclaue pro eligendo ingrediantur, abbreuiare, vel prolungare, vel in totum tollere, prout ipſis, vel maiori parte ipſorum videbitur expedire, locumque prædictum, electum, & receptum, ſemel, vel pluries mutare, aliumque de nouo recipere, & ſine eo quod aliquod Conclaue ingrediantur, libere eligere, prout ipſis, vel maiori parte ipſorum videbitur opportunum, minori parte non conſentiente, ſeu etiam contradicente, dantes, & concedentes auctoritate Apoſtolica, & de plenitudine poteſtatis, prædictis Cardinalibus præſentibus ſeu maiori parti ipſorum omnem poteſtatem, & auctoritatem eligendi Romanæ, & vniuerſalis Eccleſiæ ſummum Pontificem Nobis immediatè ſucceſſorem, ſtatuentes, ac decernentes auctoritate Apoſtolica, & de plenitudine poteſtatis, vt ille, qui a prædictis Cardinalibus in Romana Curia præſentibus, vel maiori parte numeri ipſorum, minori parte etiam non conſentiente, vel contradicente, in Papam, & Romanum Pontificem electus fuerit, ſancta Romana, & vniuerſalis Eccleſiæ ſummus Pontifex, & Paſtor abſque vlla exceptione ſit, & habeatur, prædictorum Cardinalium conſcientias de eligendo bono Paſtore onerantes, & ipſos obſecrantes per viſcera Miſericordiæ Dei Noſtri, ipſiſque nihilominus iniungentes diſtrictius, & ſub pœnis iuris, quod in præmiſſis pure, ſimpliciter, abſque omni fraude, ac celerius quantum poterunt ſecundum Deum, & earum conſcientias procedere non poſtponant, Conſtitutionibus Prædeceſſorum Noſtrorum Romanorum Pontificum contrarijs non obſtantibus quibuſcumque, quas in quantum præmiſſis obuiant, vel alicui præmiſſorum, volumus pro iſta vice pro infectis haberi, ipſas tamen, & ipſarum modificationes alias volumus in ſuo robore permanere. Nulli ergo, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum xiv. Kalend. Aprilis Pontificatus Noſtri Anno Octauo.

Superſtes deinde paucis diebus vitæ extitit Gregorius, & verſis ad ſalutem animæ curis, Eccleſiæ ſacramentis rite munitus, non die 26. vt referunt nonnulli, neque die 28 Martij, ſeu prima Aprilis, vt ſcribunt aliqui, ſed ex Contelorio, Ciaconio, & Anonymo auctore vitæ eiuſdem Gregorij, die 27. Martij Romæ in Vaticano circa ſecundam horam noctis piè obijt, vt narrat ſubiectis verbis geſtorum eius ſcriptor. *Memoratus Gregorius Papa diu antea ſatis debilis, & valetudinarius, ac graui infirmitate detentus, deuoto receptis Eccleſiaſticis ſacramentis cum magna cordis cõtritione, prout Domino placuit, die xxvij. menſis Martij anni prædicti 1378. in pace quieuit. tuncque primò corpus eius delatum ad Eccleſiam B. Petri, & ibi pro eo ſolemnibus exequijs celebratis, in craſtinum tranſlatum, & ſepultum in Eccleſia B. Mariæ Nouæ, in qua prius Cardinalis exiſtens fuerat intitulatus.* Et paulò poſt. *Ipſe multum dilexit ſuos præſertim patrem, fratres, & nepotes, & alios de domo, & genere ſuo prodeuntes, quos licet denuo non exaltauerit, cum per prius per patruum ſuum Clementem Papam VI. ſublimati fuiſſent, tamen ipſos in ſuo ſtatu huiuſmodi conſeruauit, ſecumque tenuit, ac eorum conſilio, & inſtigatione multa fecit, præſertim in promotionibus nonnullorum, quibus ſo... ientiores in moribus, & ſcientia forſitan reperiri potuiſſent. Fuit tamen aliàs multum virtuoſus, Deo, & beatæ Mariæ Virgini ſingulariter deuotus, quibus preces aſſiduas omni die cum magnis feruore, & intentione effundebat; fuit inſuper pauperum, & afflictorum pius ſuſtentator, conſolator, & largiflue benefactor. Dilexit etiam ſingulariter viros literatos, multoſque ex ipſis ſuo tempore promouit, & exaltauit, quamdiu Eccleſiæ præfuit. Quaſi continue mentales anxietates habuit propter turbationes, quæ eidem Eccleſiæ ſuo tempore contigerunt, quibus quantum potuit cum omni diligentia obuiauit, ſed plene non valens occurrere. Etiam non minus afflictus eſt in perſona, quam granella adeo grauauit, quòd dies ſuos in magna parte minorauit, nondum enim annum 47. ætatis ſuæ attigerat, quando eius ſpiritus, vt piè creditur, ad ſuperos euolauit.*

Gerſon.

Gregorij obitus

Sparſa eſt in Vrbe illico fama, Gregorij mortem diuinitus acceleratum, vt in Vrbe ſedes Apoſtolica defixa hæreret, cum illam Auenionem reducere meditaretur, quamuis antea diuino afflatus inſtinctu contra Cardinalium, Regum, necnon conſanguineorum, ac patris luctantes voluntate, Romam acceſſiſſet, eaque de cauſa maxima diſcrimina ſubijſſet. Ipſa hora, qua e vita exceſſit Romæ Gregorius, Florentiæ ad portam S. Fridiani oppeſſulatam, aliquis genius pulſans, quid tandem ad extremum in conuentu Serezano de reliquis conditionibus pacis decerneretur expectantibus renunciauit, interrogatus quis eſſet, paciferum ſe eſſe, obuiumque aſſerere reſpondit; cumque aperto oſtiolo neminem reperiſſent, ac populus ad mentionem pacis euigilans exultaret, compertum eſt poſtea hac ipſa hora Pontificem obijſſe. Luxerunt eum Romani tanto cum gemitu, quanto neminem Pontificum, quòd Vrbem ingentibus beneficijs exornaſſet. Poſt exequias a ſexdecim Cardinalibus præſentibus celebratas, eius corpus ſepulchro illectum in Eccleſia ſanctæ Mariæ Nouæ, vt dictum eſt ſupra a Ciaconio, & anno poſt ducenteſimo ſexto, Romani memores beneficiorum ab eo acceptorum ſepulchrum hoc nouum marmoreum elegantius, ac magnificentius in eadem Eccleſia ſtruxerunt.

Portenti obitus.

Gregorij ſepulchrum

Ioanne Petro Draco	}	Coſſ.
Cyriaco Matthæio		
Io: Bapiſta Albero		

Thoma Bubalo de Cancellarijs Priore.

Sepul-

GREGORII XI·SEPVLCRVM A S·P·Q·R· IN S·MARIÆ NOVÆ TEMPLO ERECTVM
FELICESQVE SEDIS APOSTOLICÆ ROMAM REDEVNTIS MEMORIÆ.





II.

Pet. Friſo in Gallia Purpurat. Aubery in vita. Anonym. Auct. vitæ Greg. XI. apud Boſquetum. Ciaconius. Panuinius. Ioſeph Maria Suareſ. in Præneſt. Antiqua.

IOANNES de Croſſo natione Gallus, natus in pago Calmaforti Lemouicenſis Diœceſis, frater germanus Petri de Croſſo Cardinalis Clementis VII. Pſeudopontificis, iuris Pontificij Doctor, à Gregorio XI. quem tertio conſanguinitatis gradu attingebat, ex Lemouicenſi Epiſcopo Presbyteris Cardinalibus tit. ſanctorum Nerei, & Achillei, aliàs Faſciolæ adſcriptus, & maior Pœnitentiarius primò, deinde Epiſcopus Præneſtinus anno 1376. renunciatus eſt. Affuit Electioni Vrbani VI. & ſuffragium pro eo tulit, ſed paulò poſt illo deſerto ſecedēs Anagniam, vt ex eius, aliorumque Cardinalium epiſtola ibi data 20. Iulij conſtat, mox Fundos adijt, & Clementem Septimum Antipapam intruſit die 20. Septembris, ab eoque Legatus eſt ad Carolum V. Francorum Regem, vt Vrbanum VI. vi, ac metu, vti aſſerebant nonnulli, ideoque vitio, Petri Cathedræ incumbentem, ipſum Clementem rite perſuaderet electum, quòd perfecit. Nam Galli reiecto Vrbano VI. & Clementem VII. receperunt, ac ceteros Cardinales rogarūt, Petrum Corſinum Florentinū, & Simonem de Borſano Mediolanēſem, vt & alios ad duo ſibi propoſita capita perinde, ac in mortis periculo poſiti, & præſentes Christi Tribunali reſpōderent pro conſcientiæ ſuæ labe purganda; primum, an liberè Vrbanum VI. elegiſſent, & ſi alibi fuiſſent quàm Romæ ipſum omnimodè renūciaſſent; deinde an animum habuerint eam Electionem ratam habendi, ob coronationem, & alios actus publicos, quibus ei conſentire viſi ſunt; an verò metu mortis id fecerint. Iis Cardinales Lemouicenſis, Glaudalenſis, de Britannia, Viuarienſis, Maioris Monaſterij, & de Verruco reſponderunt interpoſito iuramento, ſe ad metu mortis, à Romanis ſibi timentes præſtitiſſe, & omnes actus fuiſſe coactos, proinde irritos, qua de re popoſcerunt publicum Inſtrumentum.

Claud. Robert. in ſua Gall. Christiana. Ferdinād. Vghel. to. 1. Ital. ſac. Felix Cōtel. in Elēch. Card. Nomencl. Cardinal. Chenu.

Vti Legatus Apoſtolicus confirmauit Lutetiæ Statuta Collegij trium Epiſcoporum, vulgo Cameracenſis die quinta Iulij an. 1379.

Auenione vitam finijt in obedientia Clementis VII. vigeſima prima, ſeu verius vigeſima ſecunda die Nouembris anno 1383. & iacet in principe Eccleſia eiuſdem Vrbis cum hoc Epitaphio.

HIC IACET REVERENDISSIMVS IN CHRISTO PATER DOMINVS IOANNES DE CROSSO DE CALIMAFORTI LEMOVICENSIS DIOECESIS DEINDE ASSVMPTVS FVIT IN ECCLESIAE ROMANAE PRESBYTERVM CARDINALEM ET SVBSEQVENTER FVIT ELECTVS EPISCOPVS PRAENESTINENSIS ET SVMMVS POENITENTIARIVS QVI OBIIT VIGESIMO SECVNDO DIE MENSIS NOVEMBRIS ANNO A NATIVIT. DOM. MCCCLXXXIII. PRO CVIVS ANIMAE SALVTE DEVM HVMILITER DEPRECAMVR VT IN PACE CVM ANGELIS REQVIESCAT. AMEN.



III.

Ciaconius. Panuinius.

MAG. F. BERTRANDVS Lagerij de Figiaco dictus, quia ortū duxit Figiaci, quē Frizonius Petrū vocat, & auctor vitæ Gregorij Latigri cognominat, Gallus, Aluernus, ordinis minorum Theologus, à Clemente VI. teſte Fr. Luca Vvaddingo, ac Ferdinando Vghellio renunciatus eſt Epiſcopus Adiacenſis in Corſica, atque inde ab eodem tranſlatus ad Aſſiſiatem, quam Eccleſiā prudentiſſimè rexit 20. annorum ſpatio, mox ab Vrbano huius nominis V. electus eſt Epiſcopus Glandatenſis; Glandeua Galliæ Vrbs eſt ad Varum fluuiū in alpibus maritimis ſub Archiepiſcopo Ebredunenſi. Hic à Gregorio XI. Presbyteris Cardinalibus titulo S. Priſcæ adſcriptus, in Hiſpania legationis munere functus eſt ad Regem Caſtellæ Ioannem huius nominis primum; interfuit Comitijs, in quibus renunciatus eſt Romanus Pontifex Vrbanus VI. à quo Epiſcopatum Oſtienſem, & Veliternum obtinuit, & ab illo paulò poſt cum reliquis ferè Cardinalibus defecit, & creato Fundis Antipapa Clemente VII. fouit cum ceteris ſchiſma contra Vrbanum. In literis, Cardinalibus abſentibus poſt electionem Vrbani VI. ſcriptis Bertrandus hic titulo ſanctæ Cæciliæ loco ſanctæ Priſcæ, fortaſſe Amanuenſium errore, ſubſcriptus inuenitur.

Petrus Friſon. in ſua Gal. Purp. Claud. Robert. in ſua Gall. Christiana.

Anno Christi 1390. prius Bauiliæ lapis Auenione poſitus manu trina Ducum Aurelianenſis, Bituricenſis, & Burgundi nomine Caroli VI. Regis, poſt benedictionem datam à Cardinali noſtro Lagerio.

Pet. Friſo in Gallia Purpur.

Scripſit de ſchiſmate, & contra ſui temporis hæreſes. E vita exceſſit Auenione, aſſecla Clementis VII. Pſeudopontificis, non anno 1396. vt ſcribit Frizonius, ſed ex Ciaconio, Contelorio, Aubery, atque ex libro Obligationum Cameræ Apoſtolicæ vj. Idus, vel die 16. Nouembris anni 1392. & apud Franciſcanos Auenionenſes ſepultus.

Contelor. Nomencl. Cardinal.

Extat huiuſce Bertrandi Cardinalis mentio in Regiſtris Vaticanis Gregorij XI. & apud S. Antoninum. Hunc Bertrandum cum altero Bertrando à Turre Cardinale quoque Minorita confundit Petrus Rodulphus; nam & Turritanum cognominat Agerium, & hunc, cui verè Lagerij inditum cognomen, Salernitanum ſcribit Archiepiſcopum, qua dignitate functus eſt Bertrandus Turritanus, ſeu de Turre, vt diximus in eius vita.



IV.

Aubery in vita. Anonym. auct. vitæ Greg. XI. apud Boſquetum. Claud. Robert. in ſua Gall. Christiana. Arnald. Oihenart in notitia vtriuſque Vraſconiæ. Panuinius.

BERTRANDVS de Chanaco, ſeu veriùs de Coſnaco, natione Gallus, ex Canonico Regulari S. Auguſtini Epiſcopus Conuennarum primò ab Innocentio VI. mox Presbyter Cardinalis abſens renunciatus eſt a Gregorio XI. Romano Pōtifice, vt refert Gregorij eiuſdem vitæ ſcriptor his verbis. *Die ſexta, quæ fuit Feria ſexta quatuor Temporum poſt Pētecoſten, dictus Gregorius Papa fecit Ordinationem duodecim nouorum Cardinalium, videlicet octo Presbyterorum, & quatuor Diaconorum. Presbyteri autem fuerunt, &c. Bertrandus de Coſnaco Diœceſis Lemouicenſis, Canonicus Regularis ordinis S. Auguſtini, tunc Epiſcopus Conuennarum.* Aberat tunc Bertrandus à Curia Pontificia, & Nuncij Apoſtolici munere fungebatur in Hiſpania, vnà cum Agapito Brixienſi Epiſcopo, vt Ferdinandum Luſitaniæ, ac Henricum Caſtellæ Reges conciliaret. Extant Vrbani V. Romani Pontificis literæ ad Bertrandum Conuennarum, & Agapitum Brixienſem Epiſcopos datæ, apud Odericum Raynaldum in Annalibus Eccleſiaſticis anno 1370. Huic abſenti purpuratum Pileum per Arnaldum Andreæ Subdiaconum Eccleſiæ Burdegalenſis miſit, & epiſtolam ſequentem, quæ habetur m.s. in Bibliotheca Vaticana, ſcripſit.

Pet. Friſo in Gallia Purpurat.

GREGORIVS, &c. Dilecto filio Bertrando ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbytero Cardinali Apoſtolicæ ſedi Nuncio ſalutem, &c.

Licet de more Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum fuerit obſeruatum, quod ijs, qui ad Cardinalatus apicem perueniebant, Capellum rubeum proprijs manibus tradiderūt, & abſentes ad hoc fuerunt excitati; Noſque Prædeceſſores Noſtros fuerimus imitati. Conſiderantes tamen, quod tu, (quem tuis exigentibus meritis, & vtilitate Sanctæ Eccleſiæ Romanæ ſuadente, dudum ad huiuſmodi dignitatem promouerimus) Noſtro mandato in remotis partibus pro arduis, & publicis negocijs immoraris, & propterea volentes, quod inſignibus prædicti Capelli donatione fruſtreris diutius, potius cupientes tuam in hoc, & in alijs honorare perſonam, vt per honorificationem Noſtram amplius ab alijs honoreris, tibi Capellum rubeum, per dilectum filium Arnaldum Andreæ Subdiaconum Eccleſiæ Burdegalenſis licentiatum in Legibus, Apoſtolicæ ſedis Nuncium, latorem præſentium destinamus, linquentes diſcretioni tuæ, huiuſmodi Capello rubeo vtendi de cetero. Datum Auenione ſecundo Kal. Februarias Anno Tertio.

Innocentius quoque VI. Bertrandum hunc Conuennarum Epiſcopum in Hiſpanias legarat, vt Caſtellanum, & Aragonium diſſidentes Reges in concordiam reuocaret.

E vita migrauit Bertrandus Presbyter Cardinalis Auenione die 17. Iunij, anno à partu Virginis 1374.

Felix Cōtelor. in ſuo Elencho.

Bertrandum de Chanaco oriundum è Dominis de Seillac, aliàs de Chanac prope Tutellam in Lemouicibus, Archiepiſcopum Bituricenſem, Patriarcham Hieroſolymitanum, ac Presbyterum Cardinalem S. Pudentianæ titulo Paſtoris fuiſſe Epiſcopum Conuennarum tradit Frizonius, confundens ſcilicet Bertrandum de Chanaco, cum Bertrando de Coſnaco, quem alij, vt diximus, nominant de Chanaco, vel de Canilhaco, qui reuera fuit Epiſcopus Cōuennarum. Hos tamen diuerſos fuiſſe patet ex multis, nam Patriarcha Hieroſolymitanus Presbyteris Cardinalibus adſcriptus fuit à Clemente VII. Pſeudopontifice, vt ſcribunt auctor vitæ Clementis VII, Ciaconius, Ioannes Chenu, & alij. Bertrandus autem de Coſnaco Epiſcopus Conuennarum purpura donatus à Gregorio XI. anno 1371. vt tradunt vitæ eiuſdem Gregorij auctor, Hieronymus Zurita, Ciaconius,


Steph. Baluze in ſuo Antiſiodoro. Ferdinād. Vghel. in Ital. ſac.

Claudius

A Curtius Robertus, Aubery, & alij. Præterquam quòd Patriarcha Hierofolymitanus obijt, vt dicemus infra, ex Inſcriptione ſepulchrali anno 1404. Bertrandus autem de Coſnaco Epiſcopus Conuenarum obijt, vt diximus die 17. Iunij anno 1374.

Ioſeph Maria Suareſius Epiſcopus Vaſionenſis ex Andrea Victorello cenſuit, Bertrandum, & Guillelmum de Chanaco fratres fuiſſe, ideoque ſtemma idem gentilitium ambobus dandum, ſcutum ſcilicet cum duodecim faſcijs, quarum ſex cœruleæ, totidem argenteæ; ſed cum Bertrandi agnomen ex Anonymo auctore vitæ Gregorij, aliud ſit ab illo Guillelmi, nullumque illius æui ſcriptorem pro ſe ille referat, viri licet doctiſſimi ſententiæ ſubſcribere alij non audent, & antiqua inſignia, quę Bertrando Ciaconius tribuerat, intacta relinquunt.

V.



Andr. Duchesn. de Antiq. Pariſienſ. — Ciaconius — Pet. Friz. in Gallia Purpurat. — Aubery in vita. — Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon. — Claud. Robert. in sua Gall. Chriſtiana.

B GVILLELMVS de Chanaco natione Gallus, patria Lemouicenſis, ex Dominis de Pampadoux, nepos Guillelmi de Chanaco, Patriarchæ Alexandrini, Pariſienſis Epiſcopi, fundatoris Collegij quod à Chanaco ſeu à S. Michaele Pariſijs nomen habet, ordinis S. Benedicti monachus, & Abbas primò Beꝛę in Burgundia Diœceſis Lingonenſis, deinde S. Martialis Lemouicēſis, & S. Florentij Martyris ad oſbū Theodæ in Ligerim Diœceſis Andegauenſis, Cœnobia per annos quatuordecim rexit. Iuris Pontificij Doctor Lu- C tetiæ lectiones in ſcholis publicis habuit; ex Abbate Epiſcopus Mimatenſis anno 1381. mox gradum fecit ad ſedem Carnotenſem. Scribit Frizonius Guillelmum hunc ante Cardinalatum functum fuiſſe Cancellarij munere Ludouici Ducis Andium, ac Siciliæ Regis; ſed teſte Aubery, Ludouicus Dux non niſi anno 1380. Imperium in Siculos habuit; eo enim anno & non priùs illum Ioanna Regina Regem Siciliæ inſtituit. Cum autem Guillelmus renunciatus ſit Cardinalis, vt mox dicemus anno 1371. non potuit ante Cardinalatum, Ludouici Ducis Cancellarij officio fungi.

Anonym. Auct. vitæ Greg. XI. apud Boſquetum. — Odericus Raynald. in Annal. Eccleſiaſt. — Pet. Friz. in Gallia Purpurat.

Presbyteris igitur Cardinalibus titulo S. Vitalis in Veſtina illum anno 1371. adſcripſit Gregorius, quem tamen properantem in Italiam ſecutus non eſt, nec affuit electioni Vrbani VI. vt ſcribit Theodorus à Niem illius æui ſcriptor. E viuis exceſſit Guillelmus Cardinalis Mimatenſis ab Epiſcopatu dictus, in Ciuitate Auenionenſi, an- D no ex Ciaconio, Frizonio, Aubery, & alijs 1394. ex Contelorio verò anno 1383. & apud Dominicanos eiuſdem Vrbis tumulatus.

Collegio de Chanaco teſtamēto dedit pedū paſtorale, ſacram infulam, & libros magni pretij, eidemque legauit 500. libras. Abbas S. Florentij Monaſterium illud muris, & propugnaculis ſepiuit.

VI.



Pet. Friz. in Gallia Purpur. — Claud. Robert. in sua Gall. Chriſtiana. — Ciaconius — Panuinius — Aubery in vita. — Felix Cōtel. in Elench. Card.

ROBERTVS Gebēnenſis, à Gebēnenſium Comitibus, Amedeo III. patre, & Mathilde de Bolonia filia Comitis Boloniæ, & Aruerniæ, matre genitus, quatuor fratrū poſtremus natus, Gallicam, Italicam, Germanicam, & Latinam lin- E guas calluit, tantillum pede vno claudicauit. Primùm Protonotarius Apoſtolicus, deinde Morinenſis Epiſcopus, poſtea Præſul Cameracenſis, demum inter Presbyteros Cardinales titulo SS. Duodecim Apoſtolorum à Gregorio XI. cooptatus eſt, & in Italiam Legatus miſſus vnà cum Franciſco Presbytero Cardinali S. Sabinæ contra Eccleſiæ perduelles, vt illos armis reprimeret. Roberto huic Gregorius in hac legatione Flaminiæ, Piceni, & aliarū prouinciarū adminiſtrationem F demandauit, ac præcepit, vt Eccleſiæ hoſtes perſequeretur; tum inſtruxit auctoritate, vt pacem cum Vicecomitibus Mediolanenſibus procuraret. Quæ verò ab eo geſta ſint in hac legatione, narrant Gregorij vitæ ſcriptor, & S. Antoninus, nimirum pacem cum Bernabone iniuiſſe, Bononiam, & Florentinos varijs artibus ad Eccleſiæ obſequium reuocare fruſtra tentaſſe. Illum tamen in crimen vocat S. Antoninus, quia permiſerit, vt tres Britones cum totidem Bononienſibus ſingulari certamine equeſtri concurrerent. Robertus cum perduelles nec mulcere verbis, nec armis potuiſſet frangere, Ceſenam ſe recepit, ac licentiæ frena militi adeo laxauit, vt Ceſenates atrociſſimis iniurijs à Britonibus, ſibi illatis laceſſiti, correptis armis octingētos Britones obtruncarint. Robertus Legatus verborum lenocinijs

Anonym. Auct. vitæ Greg. XI. apud Boſquetum. — Oder. Raynald. in sua Annal. Eccleſiaſtic.

A eiuſdem tumultum compeſcuit, ſed paulò poſt crudelitate excitis Anglis, Ceſenates nullo ætatis, aut ſexus diſcrimine ferro conciderent. Rem deſcribit S. Antoninus ſubiectis verbis. *Arcem in ea munitiſſimam tenebat Gebennenſis, qui veritus ne Ciuitas ad hoſtes deficeret, indignationem diſſimulabat, nihilque ſiniſtrum de Ceſenatium facto loquebatur; ſed eos multa perpeſſos indignè, meritò ſimul, neceſſarioque aiebat arma corripuiſſe, verùm ea deponere tandem, & ad ſua redire ſuadebat: his verbis confiſi Ceſenates arma depoſuere. Acciens autem properè Anglorum copias, & cum Britonibus coniunctis, per ipſam arcem eos contra Populum inermem, deceptumque immiſit; Britones verò irati cædem ſuorum vlciſci properantes, neque ætate, neque ſexui pepercerunt, miſeram, & innocuam multitudinem trucidantes crudeliſſimè. Angli autem cum eis magis inſiſtebant rapinæ Ciuitatis; vnde, & Ceſenates ipſos admonebant ad fugiendum è Ciuitate; vix enim aliqui alij euaſerunt niſi a Ciuitate* B *recedentes. Tanta fuit crudelitas Britonum, vt & lactentes de cunis extraherent; capita eorum ad parietes contundentes, aliquos alios ſtrangulantes, reliquos perſocantes, ipſos occiſos alligantes ad oſtia domorum. Strata plena erant cadaueribus, & ſanguinibus; iuxta patres reperiebantur filij interempti, ſecus germanos fratres eorum, & cum vxoribus viri. Numerus autem occiſorum fuiſſe dicitur tria millia, ſecundum aliquos quinque millia. Dominus autem Galeottus Dux exercitus Eccleſiæ hæc fieri ſinebat, quaſi non curans, fortè ſperans Ciuitatem vacuam remanentem ad eius dominium peruenturam, ſicut poſtmodum accidit. Et vbi Britones hoc egerunt in vindictam, vt inde ab alijs Ciuitatibus timerentur, citiuſque ſe eis traderent, ne paterentur talia, oppoſitum inde ſecutum eſt. Nam tanto horrori omnibus Italicis hoc fuit, vt magis animarentur ad repugnandum eis, ne aliquando deuenirent ad manus tam immanium ferarum. Et ſi Legatus ad hoc illos induxit, vt dici-* C *tur, cum tamen ſub iureiurando promiſiſſet Ceſenatibus ſecuritatem, vt deponerent arma, ne dum Prælatum Eccleſiaſticum vices tenentem Ieſu Chriſti, ſed Herodem, & Neronem dedecuiſſet tam ſæuiſſima, ſceleſtaque vindicta.* de hoc plura inferius.

VII.



Ciaconius — Panuinius — Aubery in vita. — Claud. Robert. in sua Gall. Chriſtiana. — Felix Cōtelor. in sua Elencho.

IOANNES Fabri natione Gallus, patria Lemouicenſis Gregorio Pontifici conſanguinitate proximus fuit, vt refert auctor vitæ Gregorij, illius æui ſcriptor his verbis. *Ioannes Fabri Diœceſis Lemouicenſis, tunc Epiſcopus Tutellenſis, conſanguineus germanus ipſius Papæ.* Frizonius tamen docet, Ioan- D nem hunc fuiſſe ex genere Fabriorum apud Prouinciales. Hic ex Epiſcopo Tutellenſi à Gregorio XI. Romano Pontifice renunciatus eſt Presbyter Cardinalis titulo ſancti Marcelli, ſed dignitate illa ſpatio tantùm nouem menſium potitus eſt; nam pridie nonas Martij anno 1372. Auenione diſceſſit è vita.

VIII.



Ciaconius — Panuinius — Aubery in vita. — Theod. à Niem.

IACOBVS Vrſinus nobilis Romanus, frater Comitis Nolani, Decretorum Doctor, ex Protonotario Apoſtolico Diaconus Cardinalis S. Georgij in E Velabro, non ab Vrbano V. vt ſcripſit Franciſcus Sanſouinus in hiſtoria familiæ Vrſinæ, ſed ex Anonymo auctore vitæ Gregorij XI. apud Boſquetum, ex Ciaconio, Panuinio, Contelorio, Aubery, & alijs à Gregorio XI. renunciatus eſt. Scriptoris vitæ Gregorij verba refero: *Diaconi vero fuerunt Dominus Iacobus de Vrſinis, tunc ſedis Apoſtolicæ Notarius.* Romam F cum Gregorio venit, & Florentiæ ſummo honore à Ciuibus exceptus eſt; Vrbani VI. electioni affuit, eumque Tiara Pontificia ex Panuinio ornauit; ſed paulò poſt Clementis VII. Pſeudopontificis partes ſecutus in eius obedientia obijt die 15. Auguſti anno 1379. apud Vicum Varronis, cuius erat Dominus in Diœceſi Tiburtina, & ibidem ſepultus. Ciaconius ſcribit, Iacobum hunc exceſſiſſe vita anno 1374. ſed non eſt ſibi conſtans, nam illum numerat inter Cardinales, qui pro Vrbano VI. & Clemente VII. Pſeudopontifice ſuffragium tulerunt, & eundem recenſet in ſerie Cardinalium mortuorum ſub Clemente VII. Antipapa, & dicit obijſſe anno 1379. Extant ad hunc Cardinalem ſcriptæ duæ S. Catharinæ Virginis Senenſis literæ; huiuſce Iacobi Cardinalis meminit Regiſtrum Gregorij XI.

Scip. Ammirat. in Hiſt. Florentin. — Felix Cōtelor. in sua Elencho. — And. Victorel. in sua Addit. ad Ciaconiū.



IX.

IOANNES de Turre de Aruernia, natione Gallus, patria Lemouicenſis, monachus ſancti Benedicti Congregationis Cluniacenſis, & Abbas Monaſterij S. Benedicti Floriacenſis ad Ligerim quod ſupra ſex annos texit. Huiuſce familiæ viri quàmplurimi fuere magni nominis in Aruernia, imò in Gallia vniuerſa. Noſter Ioannes ex Abbate Cardinalatu, & titulo S. Laurentij in Lucina inſignitus anno 1371. lucis vſura paulò poſt Auenione priuatur, die ſcilicet 15. Aprilis anno 1374. Meminere illius Gregorij XI. Regiſtra Vaticana.

Ciaconius. Pet. Frizó. in Gallia Purpurat. Aubery in vita. Anonym. auct. vitæ Greg. XI. apud Boſquetum. Felix Cótel. in Elé. ch. Card.



X.

PETRVS Flandrinus, aliàs Flandrius, natione Gallus, patria Viuarienſis, teſte Anonymo auctore vitæ Gregorij XI. apud Boſquetum, Pontificij Iuris Doctor, & Decanus Baiocenſis, Referendarius Apoſtolicus, & ſacri Palatij Auditor, Diaconus Cardinalis S. Euſtachij renūciatus, Fratri Petro Bonagetæ contra ſacram Hoſtiam errores aliquos in Aragonia diſſeminanti datus eſt Iudex vnà cum Guilelmo S. Angeli Diacono Cardinali, & die 8 menſis Auguſti anno Domini 1371. cauſam à Bonageta abiudicauit, eumque damnauit. Inſuper deliria Raymundi Lullij, ſeu potius Raymundi Neophiti fuere examinata a pluribus Theologis coram Petro Flandrino Cardinale S. Euſtachij, & Guilelmo S. Angeli. Hic vnà cum Gregorio Romam venit, & poſt illius obitum Vrbanum VI. vnà cum alijs Cardinalibus Romæ elegit, a quo poſtea defecit, & Fūdis aſtitit, quando Robertus Gebennenſis in Clementem VII. Pſeudopontificem electus eſt, in cuius obedientia è vita diceſſit x. Kalend. Februarij in Vrbe Auenionenſi anno 1381. & ibidem tumulatus.

Scripſit Deductionem ſchiſmatis oborti poſt mortem Gregorij Vndecimi, quæ extabat m. s. vt refert auctor Nomenclatoris in Bibliotheca Cardinalis Sirleti.

Ciaconius. Panuinius. Pet. Frizó. in Gallia Purpurat. Aubery in vita. Felix Cótelor. in Elencho Card.



XI.

GVILLELMVS Nouelleti, ſeu Noelleti natione Gallus, patria Engoliſmenſis, iuris Cæſarei Doctor, Archidiaconus Carnotēſis Eccleſiæ, Romani Pontificis Referendarius, ac ſacri Palatij Auditor, Diaconis Cardinalibus adſcriptus præfuit Eccleſiæ S. Angeli, & Petri Bonagetæ, ac Raymundi Neophiti errores vnà cum Petro Cardinale S. Euſtachij damnauit Gregorio mandante, functus eſt legationis munere Guillelmus Cardinalis in Italia anno primo Pōtificatus Gregorij, ſed Bononienſes ciues libertatis cupidi malè illum exceperunt, & carceri addixerunt, deinde ſpoliatum eum ignominia abire coëgerunt. Florentinos, multaſque alias Italiæ Ciuitates fautores habuerunt Bononienſes; quare Gregorius diris ipſos Florentinos deuouens datis ad eos literis, hæc ſcripſit. *Vniuerſitas veſtra falſis ſuggeſtionibus concitata contra Nos, & dilectum filium Noſtrum Guillelmum S. Angeli Diaconum Cardinalem in nonnullis Terris Romanæ Eccleſiæ pro Nobis, & Eccleſia ipſa in temporalibus Vicarium generalem, in querelas, & verba contumelioſa prorumpit, Deum, cuius vices in Terris gerimus, præfatamque Eccleſiam, cui licet immeriti præſidemus, ipſamque incorruptam veritatem lædere non verentes.*

Poſt legationem vitam duxit Guillelmus in Italia, interfuit Comitijs habitis poſt mortem Gregorij, & ſuffragium dedit pro Vrbano VI. adhæſit tamen Clementi VII. Pſeudopontifici, & in eius obedientia è vita exceſſit Auenione jv. nonas Iulij anno reparatæ ſalutis 1390. Ciaconius tamen in Catalogo Cardinalium mortuorum ſub Clemente VII. Pſeudopontifice ſcribit hunc mortem ſubijſſe anno 1394. Extat huiuſce Cardinalis memoria in Regiſtris Vaticanis Gregorij XI.

Anonym. Auct. vitæ Greg. XI. apud Boſquetum. Ciaconius. Panuinius. Spondan. in Annal. Eccleſiaſt. Aubery in vita. Pet. Frizó. in Gallia Purpurat. Felix Cótel. in Elēch. Card.



XII.

PETRVS de Verruco, ſeu de Verneyo, vel de Verruto, aut Vernhio, quem Frizonius Ioannem nominat, natione Gallus, patria Tutellenſis, laurea iuris Pontificij redimitus, in Eccleſia Rothomagenſi Archidiaconus, ex ſacri Palatij Auditore, ac Referēdario Apoſtolico Cardinalis Diaconus S. Mariæ in via Lata inauguratus eſt. Poſt Gregorij obitum deſeruit Vrbanum VI. legitimum Pontificem, & adhæſit Clementi VII. Pſeudopontifici.

Vitam produxit ſuam, vſque ad annum 1403. quo die ſexta Octobris Auenione è vita exceſſit ex Contelorio: illum obijſſe anno 1390. ſcribit Frizonius in obedientia Petri de Luna, aliàs Benedicti XIII. ſed a veritate aberrat. Certò enim certius conſtat Benedictum illum, anno tantùm 1394. menſe Septembri renunciatum fuiſſe Pſeudopontificem; cuius Pontificis electioni ipſe Petrus Diaconus Cardinalis S. Mariæ in via Lata præſens fuit, vt patet ex veteri Codice m. s. illius æui in Bibliotheca Collegij Fuxenſis Toloſæ, in quo inter nomina eorum Cardinalium, qui elegerunt Petrum de Luna in Pontificem diſertè recenſetur, *Dominus Petrus de Vernhio Lemouicenſis ſanctæ Mariæ in via Lata.* Quo item anno ipſe ſubſcripſit cuidam ſchedulæ Cardinalium factæ pro extinctione ſchiſmatis die 26. Septembris in hunc modum. *Et Ego Petrus tituli S. Mariæ in via Lata Diaconus Cardinalis ſupraſcripta iuraui, & manu propria ſubſcripſi.* Hieronymus Zurita dum recenſet Cardinales, qui Kalendis Septembris anno 1398. receſſerunt ab obedientia Benedicti XIII. Pſeudopontificis, atque Auenione ea de cauſa deceſſerunt, diſertiſſimis verbis nominat *Petrum ex Vernhio Diaconum Cardinalem patria Lemouicem*, quem non eſſe diuerſum ab illo dubium non eſt. Auctor huiuſce erroris fuit Ciaconius, qui ſcripſit Petrum de Verruco Gallum, Diaconum Cardinalem S. Mariæ in via Lata ex hac vita abijſſe Auenione anno 1390. Alibi tamen inter Cardinales illos enumerat, qui vitam cum morte commutarunt ab anno 1400. vſque ad annum 1409. quare cum ſibi in hoc non ſit conſtans, non eſt illi præſtanda fides.

Ciaconius. Anonym. Auct. vitæ Greg. XI. apud Boſquetum. Aubery in vita. Panuinius de Rom. Pont. Florimūdus Marti... de Diacon. S. Mariæ in via Lata. Steph. Baluz. in ... Auenionen.

SECVNDA CREATIO CARDINALIVM.

Anno Dominicæ Incarnationis 1375. *Pontificatus V.* die 20. menſis Decembris Auenione Gregorius XI. Romanus Pontifex tertium creauit Cardinales, qui fuerunt.



XIII.

PETRVS Iudicis, ſeu de Iudicia (la Iugye villa eſt in agro Lemouicenſi in Parochia d'Eyta n prope Roſeriū, in qua adhuc viſitur turris antiquiſſima, quam à Cardinalibus illius familiæ conſtructam eſſe fama fert) natione Gallus, patria Lemouicenſis, ordinis S. Benedicti monachus, ſummi Pontificis Gregorij XI. conſobrinus, Archiepiſcopus primò Narbonēſis, mox Rothomagenſis, demum Presbyter Cardinalis titulo S. Clementis Auenione renunciatus, Gregorium Italiam, & Vrbem repetentem comitatus eſt. In itinere Piſis è vita migrauit non die 22. Decembris, vt affirmat Scipio Ammiratus in hiſtoria Florentina, neque die 12. vt ſcribit Ciaconius, ac Frizonius, ſed die 21. Nouembris anno 1376. & ſepultus Piſis, vt referunt laudati ſcriptores ſieri auctoritate Petri Amelij Epiſcopi Alectenſis in Gallia, qui deſcribens Gregorij XI. Itinerarium, hæc de Cardinalis iſtius morte, & ſepultura inſeruit. *Veneris feriata xxi. Nouembris multis exitus amara; Virginis Cæcilia Vigilia in Chriſto obdormiuit clara gemma, Cardinalis Narbonenſis, ſenex Antiſtes humatur in Piſana Eccleſia, maris fractus laboribus, ſpiritum eius ſuſcepit cœli gloria.* Quare Frizonius ſcripſit hallucinari illos hiſtoricos, qui Narbonæ tertio nonas Nouembris anno 1379. defunctum referunt, & iacere in Cathedrali. At Stephanus Baluze non hallucinari eos, qui referunt Petrum hunc Presbyterum Cardinalem Narbonæ ſepultum, probat ex auctore Appendicis Chronici

Steph. Baluze in ... Auenionē. Ferdinād. Vghel. in Addit. ad Ciacon. Claud. Robert. in Gal. Chriſtiana. Aubery in vita. Ciaconius. Panuinius.

Bernardi Guidonis tunc viuente, qui hæc habet. *Petrus Cardinalis Narbonenſis tituli ſancti Clementis, qui ſecutus fuerat Papam, obijt in Ciuitate Piſana 21. die menſis Nouembris, & in Eccleſia Cathedrali S. Mariæ fuit traditus in commendam anno Domini 1376. qui poſtea tranſlatus fuit Narbonam, & tumulatus in ſepulchro ſuo pulcherrimo, quod ipſemet ibidem fecerat ædificare.* Domum dum vixit, opulenté ornatam habuit; & ex teſtamento quingenta florenorum millia diſtribuit.

Scipio Ammirat. in hiſtor. Florentin.

Geſſit hic Cardinalis in ſcuto tres mures ponticos ex Frizonio; Ciaconius alia ab his inſignia olim tribuerat, vt videre eſt apud ipſū.



XIV.

SIMON de Borſano, ſeu de Boyſſano, vel Borſinus, aut Borſanus, vel de Brouſano, quē Theodoricus a Niem, Ioannem nominat, natione Italus, patria Mediolanenſis, vtriuſque Iuris Doctor ann. noſtræ ſalutis 1370. à Gregorio XI. Romano Pontifice poſt obitum Guillelmi Puſtrellæ Archiepiſcopus Mediolanenſis, mox anno 1375. Presbyter Cardinalis SS. Ioannis, & Pauli titulo Pammachij renunciatus eſt. Ioannes de Deis de ſucceſſoribus S. Barnabæ Apoſtoli in Mediolanenſi Eccleſia ſcribit, non à Gregorio Vndecimo ſed ab Vrbano V. Presbyteris Cardinalibus Simonem hunc adſcriptum, deinde à Gregorio Archiepiſcopum electum. Sed contra illum eſt Anonymus auctor vitę Gregorij, ſcriptor illius æui, qui dum recenſet Cardinales à Gregorio renunciatos anno 1375. hæc habet. *Dictus Gregorius Papa XI. creauit nouos Cardinales, videlicet octo Presbyteros, & vnum Diaconum Presbyteri vero fuerunt, &c. Dominus Simon de Brouſano Italicus, tunc Archiepiſcopus Mediolanenſis, Referendarius ipſius Papæ, &c.* Vixit Archiepiſcopus annos ſex, menſes ſex, occupationibus tamen varijs diſtentus ad creditum gregem non acceſſit.

Ciaconius. Panuinius. Aubery in vita. Ferdinād. Vghell. in Addit. ad Ciaconiū & in Ital. ſacr. And. Victor. in Addit. ad Ciaconium.

Poſt Gregorij obitum interfuit Comitijs Pontificijs, & pro Vrbano VI. ſuffragium tulit, ſed paulò poſt illo relicto, Clementis VII. Pſeudopontificis partes ſecutus eſt, in cuius obedientia diem clauſit extremum Niciæ in Prouincia, die 27. Auguſti anno 1381. & ibidem ſepultus.

Felix Contelorius in Elencho. Nomencl. Cardinal.

Scripſit perutile volumen ſuper Clementinarum librum: de hoc Archiepiſcopo Mediolanenſi extat mentio in Epiſtolis Franciſci Petrarchæ.



XV.

HVGO de Montrelaix, ſeu de Montelongo, vel de Montrelegum, aut de Monatilegum, natione Gallus, de Britannia minore, filius Reginaldi Domini de Montrelaix, & Mariç de Ancenis, in fratres habuit Ioannem primò Venetenſem, deinde Nannetenſem Epiſcopū, & Bonaham in eodem Epiſcopatu ſucceſſorem. Noſter Hugo Canonicus primò, & Cantor Eccleſiæ Nannetenſis, deinde Archidiaconus, & Epiſcopus eiuſdem Ciuitatis, ſeu ex alijs Trecorenſis electus eſt, ſed paulo poſt illa Eccleſia relicta Epiſcopatum Briocenſem obtinuit.

Pet. Frizō in Gallia Purpurat. Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana. Anonym. Auct. vitæ Greg. XI. apud Boſquetum. Aubery in vita. Ciaconius. Panuinius.

Inter Presbyteros Cardinales titulo SS. Quatuor Coronatorum à Gregorio cooptatus, mandante eodem Pontifice interceſſit apud Carolum Regem Galliarum pro Iolanda Flandrenſi Barri Comitiſſa cuſtodiæ addicta. Ex Presbytero Cardinali Epiſcopus non Prænestinus, neque Tuſculanus, vt referunt aliqui, ſed Sabinenſis ex Vghellio, Contelorio, ac Suareſio renunciatus Vrbanum VI. elegit, & adorauit Pontificem, ſed paulò poſt illo relicto Clementem VII. Pſeudopontificem ſalutauit, in cuius obedientia Auenione mortem oppetijt die vltima Februarij anno 1384. ex Contelorio in Elencho, & Vghellio in Italia ſacra. Ciaconius in vita ſcribit, Hugonem hunc obijſſe anno 1390. & alibi cum Frizonio anno 1400. Pontificatus Benedicti XIII. Antipapæ ſexto; ſed cum habuerit ſucceſſorem in Epiſcopatu Sabinenſi Petrum de Sortenaco, aliàs de Bernia, qui ex hac vita migrauit teſte Vghellio anno 1389. circa obitum Hugonis ſentiendum eſſe iudico cum laudatis ſcriptoribus Contelorio, & Vghellio.



XVI.

IOANNES de Buxerijs, ſeu de Buxeria, Gallus, nobilis Aruernus, ab adoleſcentia in Clarauallēſe illuſtre Galliç Monaſterium ſe recepit, vt erudiretur cæleſtium rerum meditatione. Inde ad Pariſienſe S. Bernardi Collegium, tranſmiſſus humaniores literas, liberales artes, Phyloſophiam, ac ſacrā Theologiam ita accuratè didicit, vt puber adhuc Doctoratus lauream promeruerit; virtus itaq; & pietas illius in immenſum excreſcens omnibus tandem domi foriſque enituit. Primum namq; trigeſimus ſecundus fuit Claræuallenſis Cœnobiarcha anno 1359. & præfuit annos quattuor, poſtea trigeſimus ſextus ſui ordinis Abbas effectus generalis, tandem S. R. E. Presbyter Cardinalis à Gregorio XI. Romano Pontifice electus eſt anno 1375. ſed anno ſequenti 1376. die 4. Septembris Auenione diem clauſit extremum, cuius corpus ad Claramuallem delatum inter S. Bernardum, & ſanctos Martyres Eutropium, Zoſimum, & Bonoſam ſepulturam accepit, hac breui marmorea inſcriptione ornatam.

Ciaconius. Anonym. auct. vitæ Greg. XI apud Boſquetum. Henriqu. in Faſciculo SS. ord. Ciſtercienſis. Mirræus in Chronic. Abb. Ciſtercien. & Claraualléſ. And. Ducheſne. Panuinius. Felix Contel. in Elench. Card. Aubery in vita. Pet. Frizō in Gallia Purpur.

HIC IACET DOMINVS IOANNES DE BVXERIIS ABBAS
CLARAEVALLIS QVI POSTEA FACTVS EST ABBAS CISTERCII
AC DEMVM EFFECTVS CARDINALIS S. R. ECCLESIAE.
OBIIT MCCCLXXVI.

Ita liber ſepulchrorum Claræuallis. Eius ad viuum Ciſtercij in aula magna viſitur depicta imago inter ceteros eiuſdem Cenobij Abbates, poſt Ioannem de Barro, vbi, & ij verſus leguntur.

Nominis eiuſdem capit alter poſtea Sedem
Officium meruit ſumptus de Cardine fungi.

Ferdinandus Vghellius in Additionibus ad Ciaconium, imò, & Felix Contelorius antiquitatum ſtudioſiſſimi, ſcripſere Ioannem de Buxerijs a Gregorio titulum ſancti Laurētij in Lucina obtinuiſſe. At cum titulum eundem ab ipſomet Gregorio datum certò ſciamus in eadem patrum creatione Petro de Sortenaco, aliàs de Bernia, haud potui Vghellij, & Contelorij ſententiæ ſubſcribere; quare illum ex alijs antiquis ſcriptoribus ſine titulo vixiſſe puto.

Gaſpar Iongelinus in Purpura D. Bernardi Ioanni huic Cardinali communia ordinis Ciſtercienſis Inſignia dedit, nempe ſcutum, in cuius campo cæruleo ſeminata lilia aurea, quibus imponitur ſcutulum Burgundicum tribus balteis aureis, ac totidem cæruleis conſtans, circunducto limbo minio. Alia ab his Ciaconius, & Frizonius eidem tribuerunt, ſcutum ſcilicet, in cuius limbo octo ſunt lilia Gallica, & faſciolæ quaſi ſegmentatæ. Nos demum alia ab his omnibus ſupra expreſſimus ab Abbate Ferdinando Vghellio nobis communicata.



XVII.

GVIDO de Maleſicco, aliàs Malaſſiete, natione Gallus, nepos è ſorore Gregorij XI. natus eſt in Tutelienſi Diœceſi, vbi poſita ſunt Malumſicū, & Caſtrum Lutij oppida, quorum ditio ad illuſtrem eius familiam pertinebat, Decretorum Doctor, & Referendarius Pōtificius Lodeuenſem primùm Eccleſiā poſtea Pictauienſem rexit, Gregorius XI. Auenione adhuc agens illum promouit ad Cardinalitiam dignitatem titulo S. Crucis in Hieruſalem.

Ciaconius. Pet. Frizō in Gallia Purpurat. Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana. Aubery in vita. Panuinius.

Mortuo auunculo ſummo Pōtifice calculos Romæ pro Vrbano VI. Pontifice tulit, & vt legitimè electo præſtitit reuerentiā, deinde nomen dedit Clementi VII. Pſeudopontifici, à quo in Inſulam Angliam miſſus ad Richardum Anglorum Regem in obedientiam ipſius Clementis alliciendum. Verum detrectauit conſentire Richardus Rex, Cardinalē à ſe amandans, Vrbano VI. legitimo Pontifici fidem habens, & ab eius ſtans partibus. Guidonem hunc idem Clemens Antipapa in locum Ioannis de Croſſo Prænestinum Epiſcopum nominauit, eique Eccleſiæ per annos ſcilicet 28. præfuit eam gubernans. Cum præſertim illam Antonius Caietanus ipſi remiſiſſet in Piſano Concilio, vbi, & Guido deſerto Benedicto XIII. quem inſuper meruſerat, exceptus vti verus Cardinalis Alexandrum V. promouit ad ſummum Pontificatum; abeoque confirmatus Epiſcopus Prænestinus. Functus eſt etiam legationis munere Ioannis XXIII. mandato in Gallijs, in

Ferdinād. Vghel. in Ital. ſac. Ioſeph Mar. [illegible] Anonym. auct. vitæ Greg. XI. apud Boſquetum.

qua lega-

Nomencl. Cardinal.

qua legatione iam ſenex mortuus eſt Lutetiæ, octauo Idus Martij, A anno 1412. & iacet in æde Prædicatorum ſequenti ſepulchrali Inſcriptione donatus.

D. O. M.

In Aquitania parte Galliæ, nobiliſſima familia Maleſiccorum vetuſtate, ac ſingulari virtute præclara à Maleſicco nomen habet. Ea in Gente viri Clariſſimi, vnde orta ſunt Aquitaniæ quondam lumina, Viri rerum geſtarum magnitudine florentes, alij Equites Aurati, ſancti Pontifices, alij Præfecti. Ex ea generis claritate prodijt Guido à Maleſicco dicti loci, & Caſtri Lucij Dominus, in doctrinarum, virtutumque genere prope abſolutus, cuius acta permulta Annalibus conſcripta, his breuibus non capiuntur anguſtijs. Is Vir ſumma prudentia, ampliſſimiſque meritis creatus fuerat Lodeuenſis Pontifex, deinde Pictauienſis, poſtmodum, & cooptatus titulo Præneſtini Cardinalis, in qua dignitate cum octauo, & trigeſimo floruiſſet anno, tandem Legatus apud Regem Gallorum nomine Pontificis Maximi ſui Auunculi Lutetiæ honeſto mortis genere quieuit, octauo Idus Martij anno autem M. CCCCXII. cuius corpus hac cella, & hoc ſaxo ſepultum eſt magno cum omnium luctu, ac deſiderio, donec propinquorum ſententia ad maiorum ſepulchra transferatur.

Diues opum Guido, forma, bonitatis, & artis
Ditior, hocque magis diues honoris erat.
Plura darent Superi, niſi fatum plura negaret.
Quo maiora darent, euolat ad Superos.

Deceſſit Hugo hic Epiſcopus Præneſtinus ex Contelorio, anno 1412. eiuſque obitus nunciatus fuit Ioanni XXIII. die jv. Aprilis eiuſdem anni, vt legitur in libro Obligationum; at in tumulo, vt diximus ſupra, ſcribitur die 8. Martij anno 1411. C

Ciaconius
Panuinius
Petrus Frizon. in Gal. Purp.
Aubery in vita.



XVIII.

IOANNES de Grangia, aliàs ex Claudio Roberto de Buccamacchijs, natione Gallus, patria Lugdunenſis, Stephani de Grangia Principis Senatus in Parlamento Pariſienſi frater, Iuris Pontificij Doctor, ex monacho S. Benedicti Abbas Sandionyſianus, & Fiſcanenſis, electus Nuncius Apoſtolicus vnà cum Petro Abbate Dionenſi ab Innocentio VI. miſſus eſt in Hiſpanias ad ſedanda bella inter Aragoniæ, & Caſtellæ Reges excitata. Poſt hanc legationem ex Abbate Epiſcopus Ambianenſis anno 1372. deinde Presbyter Cardinalis S. Marcelli à Gregorio XI. renunciatus, comitatus eſt Gregorium maritimo itinere Romam petentem. Mox legationis munere functus eſt in Hetruria ad amicè componendum bellum inter Romanam Eccleſiam ac Florentinos, ſeu potiùs Etruſcos excitatum. Viterbium in hac legatione Eccleſiæ conciliauit, & audita Gregorij XI. morte, pace infecta, Romam ex Hetruria rediit, & Vrbanum VI. iam creatum Romanum Pontificem adorauit. A quo malè exceptus, & auaritiæ accuſatus, cum alijs Gallis Cardinalibus Roma digrediens Clementem VII. Pſeudopontificem creandum curauit, parum memor inſtituti ſui, & publici commodi, ac pietatis. Clementis igitur partes ſecutus ab illo Epiſcopatum Tuſculanum obtinuit. D E

Aretinus, & Poggius de Rebus Florent.
Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon.
Alphonſ. monach. de Schiſmate.
Thomas Vvalſing. à Ricard. 2.

Vitam cum morte commutauit non Auenione apud S. Martialem, vt vult Ciaconius, ſed Ambiani in Gallia die 24. Aprilis anno 1402. & iacet in Eccleſia Cathedrali eiuſdem Vrbis Virgini Deiparæ ſacra cum ſequenti Epitaphio.

HIC IACET REVERENDISSIMVS IN CHRISTO PATER DOMINVS DOMINVS IOANNES DE GRANGIA ABBAS FISCANENSIS DEINDE EPISCOPVS AMBIANENSIS POSTREMO VERO SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE CARDINALIS TVSCVLANVS QVI OBIIT ANNO DOM. MCCCCII. DIE XXIV. MENSIS APRILIS. ORATE DEVM PRO EO VT REQVIESCAT IN PACE IN PARADISO.

Aliqui volunt Ioannem defunctum Auenione, & inde cadauer tranſlatum ad Ambianenſem Cathedralem. F

Multa poſteritati reliquit ſui ingenij monumenta.

Icon ipſius, & ſcutum viſuntur in feneſtra vitrea Eccleſiæ S. Dionyſij a carcere, ſitæ in Inſula Vrbis Pariſienſis, indumentum habet nigrum, vt pote religioſus Benedictinus, cum purpurato galero. Scutum miniatum eſt tribus merulis argenteis primo Britanniæ laterculo impreſſum. Carolus V. Galliæ Rex cognomento Sapiens Ioannem hunc magna proſecutus beneuolentia, ipſum adhuc Epiſcopum Ambianenſem præfic[illegible] educandæ proli Regiæ, literis ſuper ea re datis Meloduni menſe Octobris anno 1373. poſtmodum primatus rerum Gallicarum miniſter, vſque ad Caroli obitum, quòd

Paul. Aemil. in Hiſt. Gall.
Andreas Querceti. Io. Iuuen. Vrſin.

odium ſibi peperit apud plebem eundem accuſantem, ſubſidiorum populo impoſitorum, & pecunias Regij ærarij, & fiſci in ſuos vſus impendiſſe. Non fuit ita gratus Carolo VI. filio Caroli V. quo mortuo ſublato, nec dum vnctus in Regem, hæc prolocutus, familiarem habens ſermonem cum Saueuſio, qui erat à Theſauris, *Ecce Saueuſi ab hoc ſacerdote liberi erimus*. Quibus auditis Ioannes Epiſcopatum reliquit, Belgium adijt deinde Auenionem.

Petrus Frizonius in vita huiuſce Cardinalis ſcribit, Ioannem Ioanni XXIII. Romano Pontifici legitimo ante obitum præſtitiſſe obedientiam, in Gallias rediiſſe, & fato paulò poſt ceſſiſſe anno 1402. Verùm quantum à veritate aberret, annorum computatio facilè demonſtrat, Ioannes enim XXIII. electus eſt Romanus Pontifex anno 1410. Cardinalis verò de Grangia mortalitatem expleuit, vt diximus ſupra ex Inſcriptione ſepulchrali die 24. Aprilis anno 1402. B



XIX.


PETRVS de Sortenaco, aliàs de Bernia à Ciaconio, & Panuinio dictus, Gallus, Cadurcenſis è Sortenaco, Vtriuſque Iuris Doctor, & cauſarum Palatij Apoſtolici Auditor, ac Præſul Viuarienſis, Presbyter Cardinalis dignitatem tituli S. Laurentij in Lucina cõſecutus eſt ſub Gregorio XI. eique idem Pontifex curam commiſit examinandorũ criminum à Florentinis in Eccleſiam commiſſorum, ob quæ fuere ſacris interdicti; ſic loquitur Gregorius in Diplomate dato Auenione xij. Kalen. Maij, anno Pontificatus Sexto. *Dilectus filius Noſter Petrus tituli S. Laurentij in Lucina Presbyter Cardinalis, cui ad cautelam, & maiorem certitudinem præmiſſorum, oraculo viuæ vocis commiſimus, vt ſe de eis informaret, quæ per informationem reperiret huiuſmodi, Nobis poſtmodum relaturus, eadem informatione per ipſum diligenter, & debite recepta Nobis in Conciſtorio retuliſſet, ea eſſe notoria, & manifeſta.*

Pet. Frizõ. in Gallia Purpur.
Aubery in vita.
Anonym. Auct. vitæ Greg. XI. apud Boſquetum.
Bzouius, & Odoric. Rayn. in Annal. Eccleſiaſtic.

Poſt Gregorij obitum interfuit Comitijs habitis pro Electione noui Pontificis, ac album Vrbano VI. calculum adiecit, ſed paulò poſt relicto Vrbano ſecutus eſt Clementis VII. Pſeudopontificis partes, à quo Epiſcopatum Sabinenſem obtinuit. Lucis vſuram amiſit Auenione anno 1384. ex Ciaconio, ac Frizonio, ſeu verius ex Contelorio, Aubery, Ferdinando Vghellio, & ex libro Obligationum 16. Auguſti anni 1394. in obedientia Benedicti XIII. Pſeudopontificis ſucceſſoris Clementis VII. D

Felix Contelor. in Elencho.
Ferdinãd. Vghel. in Ital. ſac.

Hunc Ciaconius confundit cum Petro Archiepiſcopo Ebredunenſi à Clemente VII. renunciato Cardinale.



XX.

GERALDVS, alijs Girardus de Podio, ſeu de Puy, aut de Loy, natione Gallus, patria Lemouicenſis, Cluniacenſis monachus, ipſius Gregorij conſanguineus, frater Petri de Podio Abbatis S. Florentij ad Ligerim iuxta Salmurium, & poſtea Maioris Monaſterij Cœnobiarchæ, ex Archimandrita Maioris Monaſterij, Abbas primò, deinde Epiſcopus S. Flori, poſtea Antiſtes Carcaſſonenſis, demum Presbyter Cardinalis tituli S. Clementis, & Maior Pœnitentiarius à Gregorio XI. renunciatus eſt. Anonymus tamen auctor vitæ Gregorij XI. apud Boſquetum ſcribit, Geraldum hunc ex Abbate Maioris Monaſterij Presbyteris Cardinalibus adſcriptum, cum Vicarij Apoſtolici munere in Italia fungeretur; Extant eiuſdem Gregorij literæ ad hunc Abbatem Maioris Monaſterij in Italia degentem, quibus Pontifex ei Vultum Sanctum, vulgo Veronicam oſtendi iubet. Mortuo Philippo de Cabaſſole Cardinale Legato in Italia, Cardinali huic data eſt ab ipſo Gregorio adminiſtratio Ciuitatis Peruſinæ, & Patrimonij Diui Petri. E F

Ciaconius
Panuinius
Pet. Frizõ. in Gallia Purpurat.
Aubery in vita.
Arnoldus Vvion in Lig. Vitæ.
Franciſc. Boſquet.
Bzou. in Annal. Eccleſiaſtic.

Fundis interfuit, dum Clemens VII. Pſeudopontifex electus eſt anno 1378. data arce, & mole Hadriani Romæ Petro Præfecto, qui Vrbano VI. obedire renuit ſtans à partibus Gallorum Cardinalium, quam ob cauſam Cardinalem Maioris Monaſterij acerrimè Pontifex increpuit, & Anagniæ aderat, cum Archipræſul Arelatenſis Papæ Vrbani Camerarius eò ſe contulit, in cuius poteſtate, & cuſtodia erant omnia ſacra Pontificum ornamenta, Tiaræ ſcilicet, Cru[illegible] Veſtes, aliaque ſimilia, nulla abeundi venia à Pontifice petita Ana-

gniam omnia detulit. Quare commotus Vrbanus mandauit Cardinalibus de Agrifolio, Pictauienſi, & Viuarienſi, vt Archiepiſcopum captiuum reducerent, quòd facere detrectarunt. Auenione occubuit menſe Februarij anno noſtræ ſalutis 1389. Ciaconius ſibi contradixit duobus diebus, cum vno in loco vult decimo tertio Februarij mortuum, alibi xvj. Kalendas Martij. Stemmata gentilitia alia, ab his Cardinali huic dedere Ciaconius, ac Frizonius, nos, quæ ſupra expreſſimus, ex ipſius Cardinalis ſigillo nobis ab aliàs laudato Carolo Carthario, communicato depromſimus.

Felix Cõtelor. in Elencho. Ferdinãd. Vghel in Addit. ad Ciacon.



XXI.

PETRVS, filius Ioannis Martini de Luna, & Mariæ Peteſiæ, nobilis Hiſpanus, natus in loco Regni Aragoniæ dicto Caſpe, Decretorum Doctor, cũ publicè in Montepeſſulano diuina iura ſummo omnium plauſu docuiſſet, ex Canonico Concheſi, & Archidiacono Cæſaraugustano Præpoſitus primò Valentinus, deinde Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Coſmedin renunciatus eſt à Gregorio Vndecimo, eique ab eodem Gregorio, vti etiam Cardinalibus Montiſmaioris, & de Agrifolio prouincia examinis reuelationum ſanctæ Brigittæ demandata. Poſt Gregorij obitum ſecutus Clementis VII. Pſeudopontificis partes, legationis munere functus eſt in Hiſpania, vt eius regionis Reges ad obedientiam Clementis pertraheret. Romæ à fundamentis conſtruxit palatium prope Eccleſiam S. Apollinaris, quòd hodie ſingulari Romanorum Pontificum beneficio incolunt Collegij Germanici, & Hungarici Alumni. Hic ſublato è viuis Clemente VII. Pſeudopontifice, in ſchiſmate electus, arrepto Benedicti XIII. nomine Eccleſiam Dei diu vexauit; de illo plura inferiùs.

Aubery in vita. Baluſſ. Porregu. in Elog. Card. Hiſpan. m. s. Felix Cõtel. in Elẽch. Card. Ciaconius Pamunius And. Victorel. in Addit. ad Ciaconũ. Turrecrê. de Reuel. S. Brigitt. Anonym. Auct. vitæ Greg. XI. apud Boſquetum.

Ciaconius



XXII.

PETRVS de Tartaris Romæ nobilibus parentibus natus, gentis, & patriæ nobilitatem eximijs virtutibus, animi præſertim firmitate, & cõſtantia cumulauit. Is primùm Ordinis Oliuetani monachus, ac Prior S. Mariæ Nouæ, deinde ad Caſinenſes trãſgreſſus, Abbatiale munus geſſit, tum in Cœnobio S. Laurentij extra muros Vrbis, poſtea in monte Caſinenſi, atque viros religioſos ſancti Benedicti vndeuiginti annis, menſibus octo, diebus decem, ac nouẽ rexit. Cum enim Vrbanus Quintus Romanus Põtifex teſte Secundo Lancellotto in hiſtoria Oliuetana monaſticam diſciplinam in Montecaſino reparare, ac monachorum illorum numerum augere peroptaret, miſſo Diplomate copiam fecit Abbati Caſinenſi, vt monachos 40. ex vniuerſo Benedictinorum quocumque habitu incederent, atque ordine, pro voluntate electos ad Caſinenſem ſedem, veſtem, inſtitutum, vitæque rationem transferret. Ea igitur facta poteſtate, Abbas, qui per ea tempora Caſinẽſibus eo in loco præſidebat, Raynerio maximo Oliuetanorum Præſidi literis datis mandat, vt è Conſtitutione Pontificia de ſuis dimitteret ſex nominatim expreſſos, inter quos Petrus de Tartaris vltimum locum non obtinuit. Hic Abbas octuageſimus primus Caſinenſis Templum arcuato opere perfecit, pulcherrimis laquearibus interius decorauit, plumbeis laminis operuit exterius: Odæo in media Eccleſia conſtituto, haud parum addidit elegantiæ, ac nitoris. Hoſpitalem domum in ipſo Cœnobio incluſam, ne aduenientes Peregrini parum commodè admitterentur, magna impenſa reſtituit. Conſcripto milite plura Monaſterij oppida, illud præſertim, quòd Caſtrum Cœli appellant, prope Aquinum ab aliorũ poteſtate vindicauit. Oppidanos Plumbariolæ, Fractarum, & Citrarij in Calabria, qui à monachis defecerant, rurſus adegit miſſa conſueta exequi, & fidelitatis ſacramentum obire, quòd item à ceteris Caſinati ditioni ſubiectis eſt præſtitum. Germaneuſes in officio continuit; oppidum Pontiſcurim deiecto inde Henrico Fundenſi Comite, priſtinæ monachorum ditioni ſubiecit; demum tanti Præſulis fama longè latèque percrebreſcẽte, plurimi, Cœnobio Caſinenſi poſſeſſiones, ac fortunas propenſiſſimis animis obtulere.

M. Anton. Scipio in Elog. Abbat. Caſinenſium.

Petrum hunc ex Abbate Caſinenſi à Gregorio XI. Romano Pontifice renunciatum eſſe Presbyterum Cardinalem, referunt Ciaconius, Lancellotus, ac Thomas Vualſingamus, & vulgo Cardinalem Reatinum dictum, ſed poſtea anno ſcilicet 1385. ab Vrbano VI. tum

A Cardinalitia, tum Abbatiali dignitate priuatum, ſed quadriennio poſt, ideſt anno 1389. in integrum reſtitutum fuiſſe a Bonifacio IX. Vualſingami verba reſcribam. *Poſt finem verò ſermonis Papa cum Cardinalibus non priuatis, erecta Cruce, & accenſis Candelis excommunicauit Regem Carolum, & Reginam, Antipapam, & Anticardinales, Abbatem Montiſcaſini, quondam Reatinenſem Cardinalem, & prædictos ſex quondam Cardinales, &c.* Et infra ad annum 1388. *Cardinales ſex mox aduentum Papæ Abbati de Montecaſino ſignificare curarunt, hic erat quondam Cardinalis Reatinenſis, vt præmittitur, ſed degradatus fuerat per Papam præfatum; hic illico collecta manu militari explorauit aduentum Papæ, quem oportuit omnino tranſire per illum locum, qui cum veniſſet ad partes eius, ei reſtitit, & eius tranſitum prohibebat. Papa verò, quem nimius amor ſoli patrij detinebat, confectis Bullis de reſtitutione ſua ad Cardinalatus dignitatem, & gradum Doctoratus, nec non Abbatiæ Caſini montis honorem, deſtinauit illi hæc omnia, ea conditione, vt permitteret ſe tranſire, & remiſſo natale ſolum, cui Abbas reſpondit, ſe quidem non egere Bullis eius ad reſtitutionem dignitatum, quibus, & donatus, & inueſtitus fuit à Prædeceſſore ſuo, cuius temporibus non erat ſchiſma in Eccleſia, qui & cognitus eſt vniuerſaliter pro Papa Romano.* Hæc Thomas. Reſtitutionis autem eius modus in fragmentis quibuſdam Catalogorum Abbatum Montiſcaſini his verbis exprimitur. *Anno 1389. fuit reſtituta dignitas huic Abbati*, Petro ſcilicet de Tartaris, *per Papam Bonifacium IX. & Abbatia Caſinenſis, quæ ei a Papa Vrbano VI. ablata fuerant, mandans per quoddam vniuerſale priuilegium directum omnibus Vaſſallis Monaſterij Caſinenſis, vt obediant dicto Petro Tartaro, quem reſtituerat in Abbatem Caſinenſem.*

B

Felix Contelorius in Elencho erraſſe ſcriptores illos, qui Petrum inter Cardinales enumerant, ſequentibus probat argumentis: Petrus de Tartaris die 2. Nouembris anno 1375. à Monaſterio S. Laurentij extra muros Vrbis tranſlatus eſt ad Monaſterium Caſinenſe, vt ex ipſius Gregorij XI. Diplomate conſtat; non igitur ante prædictum tempus Cardinalibus adſcriptus ille fuerat. Deinde Vrbanus Sextus anno primo ſui Pontificatus has ad Petrum direxit literas.

C

VRBANVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Dilecto filio Petro Abbati Monaſterij Montiſcaſinenſis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Boni rumores, quos quotidie de tua fidelitate, & ſinceritate ſentimus, mentem Noſtram ſaturatam varijs tribulationibus, plurimum conſolantur. Tu itaque fili, ſicut cœpiſti perſeuera; quia, prout ſperamus in Domino, qui non derelinquit ſperantes in ſe, finis præſentibus aduerſitatibus imponetur. Tu, & alij deuoti filij Noſtri & Eccleſiæ Romanæ gaudebitis per viam rectitudinis ambulaſſe. Datum Romæ, &c.

D

Anno verò ſecundo, quo tempore Romana ſedes grauiſſimo ſchiſmate a Roberto Pſeudopontifice, eiuſque fautoribus Cardinalibus, Principibus, Epiſcopis, Aquinate præſertim, excitato, atque enutrito laborabat, maximis difficultatibus, atque anguſtijs circumſepta, alias eidem Petro Caſinenſi Abbati ſuperioribus longe copioſiores dedit idem Vrbanus, in quarum initio hæc erant.

VRBANVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Dilecto filio Petro Abbati Monaſterij Caſinenſis, &c.

Die 15. Ianuarij anni 1385. cum Petrus Abbas Caſinenſis relicto Vrbano, ad Clementem Pſeudopontificem transfugiſſet, illi Vrbanus ſacra interdixit, vti habemus in Chronica Regni Siciliæ, quæ adſeruatur, teſte Contelorio, in Vaticano. Die 7. Iulij eiuſdem anni 1385. ex eadem Chronica Petrus Abbas Caſinenſis ab obſidione Caſtri Luceriæ coactus aufugit. Idem Vrbanus eundem Petrum Abbatem ſchiſmaticum declarauit Diplomate dato jv. Idus Octobris anno 1387. In Inſtrumentis Ianuæ celebratis anno 1385. menſe Octobris coram Vrbano VI. aliquot Cardinales iureiurando pollicentur, ſe non adhæſuros Clementi VII. nec Cardinalibus, qui ibi enumerantur, neque Petro Tartaro Abbati Caſinenſi: & idem promittunt Ioannes, & Poncellus fratres, & filij quondam Franciſci de Viſinis die 24. Nouembris anno 1388.

E

Deceſſit demum Petrus auctore Marco Antonio Scipione in Elogijs Abbatum Caſinenſium, Abbas Caſinenſis tertio nonas, ſeu pridie nonas Iunij anno 1395. & ibidem conditus eſt perhonorificè. Quare cum ille ſede vacante poſt obitum Gregorij XI. & anno 1379. adhuc eſſet Abbas, & ab Vrbano VI. Romano Pontifice, & Clemente VII. Pſeudopapa vocetur ſemper Abbas in Diplomatibus Pontificijs, & in Tabulis publicis, quibus idem Petrus Abbatiali dignitate priuatur, & obierit dum adhuc eſſet Abbas, non video cum Contelorio, quo tempore in Cardinalium numerum adſcriptus eſſe potuerit, non anno 1375. vt refert Secundus Lancellottus in hiſtoria Oliuetana; nam Vrbanus Gregorij ſucceſſor in Diplomatibus, vt diximus, illum, tantùm Abbatem nominat.

F

Multum ſingulari Petri Abbatis ſapientiæ, rerumque gerenda-

rum ma-

rum maximo viri, ac peritiæ Vrbanus VI. Romanus Pontifex mino Pontificatus detulit, vt teſtatum reliquit, directo ad eumdem, quod hic ſubijciemus, Diplomate; quo etiam magis, magiſque, quæ ſuperius diximus, firma redduntur.

VRBANVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Dilecto filio Petro Abbati Monaſterij Caſinenſis, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Cum Nos dudum ex certis, iuſtis rationabilibus cauſis, iniquitatis alumnam Ioannam olim Reginam Siciliæ, tanquam hæreticam, & ſciſmaticam omnibus Regnis, & Feudis ac bonis, quæ ipſa olim obtinebat priuatam fore declarauimus, & ipſam etiam priuauerimus, & propterea Regnum Siciliæ, quod ipſa Ioanna à Romana Eccleſia tenebat in Feudum, cuiuſque ſupremum dominium, & omnimoda diſpoſitio ad Nos, & eandem Eccleſiam pertinet, vacauerit, & adl vacare noſcatur: Nos volentes quantum cum Deo poſſumus, eiuſdem Regni, & Incolarum, ac habitatorum ipſius indemnitatibus præcauere, Te Vicarium Noſtrum in Temporalibus in omnibus Caſtris, Terris, Villis, & locis Monaſterij tui Caſinenſis, tenore præſentium, vſque ad Noſtrum beneplacitum conſtituimus, & etiam deputamus, & inſuper diſcretioni tuæ exercendi, durante huiuſmodi beneplacito, auctoritate Apoſtolica per alium, ſeu alios ad hoc idoneos in omnibus Caſtris, Terris, Villis, & locis prædictis tum infra dictum Regnum exiſtant, temporalem iuriſdictionem cum mero, & mixto imperio, prout opportunum fuerit, ac ſtatui, & honori Noſtro, & Romanæ Eccleſiæ prædictæ videris expedire, plenam, & liberam concedimus tenore præſentium poteſtatem. Datum Romæ, &c.

Caroli quoque Tertij Regis Neapolis animum, virtutis præſtantia, & ſuppeditatis ad Regni recuperationem auxilijs, vſque eo demeritus eſt, vt totius Regni magnus Cancellarius inſtitutus ab eo fuerit, & ampliſſimo elogio cohoneſtatus, vti liquet ex priuilegij ad ipſummet Petrum Abbatem tranſmiſſi conceptiſſimis hiſce verbis. *Conſtantiſſimus, & tenaciſſimus cultor fidei apud ſanctiſſimum Dom. N. Papam, ac ſanctam Romanam Eccleſiam fuiſti zelator Noſtri nominis, & honoris, amator bonorum, correptor reproborum, quem non terruerunt tempore turbinum horrenda, & formidanda pericula; ſed quanto humana periculoſius te inuaſit, tanto fortior, & robuſtior armatus veritatis clypeo ſurrexiſti ad pugnam, in virtute diuina, & fide Catholica, ad aliorum regulam, & doctrinam, difficultatē rerum, & ponderū ſuperando.* Ladiſlao item Regi acceptiſſimus multis ab eo donatus eſt in rem Cœnobij beneficijs.

De hoc Petro Cardinali nulla mentio apud Panuinium, Aubery, & alios de S. R. E. Cardinalibus ſcriptores.

XXIII.

YVo, quem Euenum nuncupant Armoricum natione Gallus, ortus ex ſtirpe, & familia Rumen Begaignon, ordinis Prædicatorum Alumnus, ex Doctore Theologo Pariſienſi renunciatus Antiſtes Trecorenſis, excepit aduentantem Britanniæ Ducem Ioannem cognomento Victorem, eique ſacramentum clientelę præſtitit, ac multa ab eo præclara priuilegia, & exemptiones in ſui Cleri fauorem obtinuit anno 1360. Et anno ſequenti ſacris veſtibus indutus affuit, cum Ioannes Dux, ipſa die Virginis Aſſumptæ ſacra primum lapidem poſuit ſtonus magnificæ Collegiatæ Eccleſiæ Deiparæ Morlaci, quam fundarat Dux Ioannes II. Ab Vrbano V. Romano Pontifice Auenionem vocatus, magni Pœnitentiarij munus exercuit. Cardinalem fuiſſe anno à partu Virginis 1371. qui fuit primus Gregorij XI. habetur ex antiquo manuſcripto, in quo hæc leguntur teſte Frizonio. *Yuo, aliàs Euenus Begaignon ordinis Prædicatorū, Cardinalis Epiſcopus Præneſtinus, vulgo Cardinalis de Morlacia.* Romam deinde profectum Yuonem, cum Gregorio XI. Auenionem deſerente, ſcribit Frizonius, reſignaſſe Epiſcopatum Trecorenſem, & è viuis abijſſe Romæ anno Domini 1378. ac ſepultum in Eccleſia ſanctæ Mariæ ad Mineruam, quæ eſt patrum Dominicanorum.

Scripſit in Pſalmum *Miſerere mei, Deus*; & geſſit ſcutum argenteum, ſena clathrata argenti pagina. Hæc ille.

At cum Claudius Robertus in ſua Gallia Chriſtiana Yuonē hūc inter Epiſcopos Trecorenſes non numeret, & Ioſeph Maria Suareſius Epiſcopus Vaſionenſis, aq; Ferdinandus Vghellus Abbas Ciſtercienſis in tomo 1. Italiæ ſacræ in ſerie Epiſcoporum Præneſtinorum habita diligenti annorum computatione hunc prætermittant, ſicuti eundem prætermiſerunt Panuinius, & Ciaconius, non audeo ſolo duce m. s. antiquo Frizonij ſententiæ ſubſcribere, & inter S. R. E. Cardinales Yuonem numerare. Cum maximè nulla ſit illius mentio apud Anonymum auctorem vitæ Gregorij XI. qui ſummo ſtudio, Cardinalium omnium à Gregorio renunciatorum nomen, agnomen, patriam recenſet.

CANCELLARII S. R. E.
ſub Gregorio XI.

Petrus de Monteruco, Gallus, Presbyter Cardinalis tituli ſanctæ Anaſtaſiæ S. R. E. Cancellarius.

Bartholomæus Prignanus Neapolitanus, Archiepiſcopus Acheruntinus, deinde Barenſis Cancellariam rexit in Italia ſub Gregorio XI. in abſentia Petri de Monteruco, & Vicecancellarij munere functus eſt ab anno quinto, vſque ad finem Pontificatus.

CARDINALES MORTVI
ſub eodem Pontifice.

Ioannes Fabri, Gallus, Presbyter Cardinalis ſancti Marcelli, die 6. Martij, anno 1372.

Philippus Cabaſſolæ, Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctorum Petri, & Marcellini, poſtea Epiſcopus Sabinenſis die 27. Septembris, anno 1372.

Bernardus de Boſqueto, Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctorum duodecim Apoſtolorum, die 19. Aprilis, anno 1373.

Magiſter Fr. Guillelmus Sudre, Gallus, ordinis Prædicatorum Presbyter Cardinalis ſanctorum Ioannis, & Pauli, poſtea Epiſcopus Oſtienſis, die 28. Aprilis eiuſdem anni 1373.

Raymundus de Viſi, aliàs de Canillac, Gallus, ordinis ſancti Auguſtini Presbyter Cardinalis ſanctæ Crucis in Hieruſalem, deinde Epiſcopus Præneſtinus, die 20. Iunij, anno 1373.

Stephanus Pariſius, Gallus, Presbyter Cardinalis ſancti Euſebij, die 17. Octobris, anno 1373.

Ioannes de Dormano, Gallus, Presbyter Cardinalis Sanctorum Quatuor Coronatorum, die 7. Nouembris, anno 1373.

Guido de Monteforti, Gallus, Presbyter primò Cardinalis ſanctæ Cæciliæ, poſtea Epiſcopus Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ, die 25. Nouembris, anno 1373.

Fr. Ioannes de Turre monachus, Gallus, Presbyter Cardinalis ſancti Laurentij in Lucina, die 15. Aprilis, anno 1374.

Guillelmus Iudicis, Gallus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Coſmedin, deinde Presbyter ſancti Clementis, die 28. Aprilis anno 1374.

Petrus Gomeſius Albornotius, Hiſpanus Presbyter Cardinalis ſanctæ Praxedis, die 2. Iunij, anno 1374.

Raynaldus Vrſinus, Romanus, Diaconus Cardinalis ſancti Hadriani, die 6. Iunij, anno eodem 1374.

Bertrandus de Chanaco, Gallus, Presbyter Cardinalis, die 17. Iunij, anno 1374.

Simon de Langhan Anglus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Praxedis, ſeu ſancti Xyſti, poſtea Epiſcopus Præneſtinus, die 22. Iulij, anno 1376.

Ioannes de Buxerijs, Gallus, ordinis Ciſtercienſis, Presbyter Cardinalis, die 4. Septembris, anno 1376.

Petrus Iudicis, Gallus, Presbyter Cardinalis ſancti Clementis, die 21. Nouembris, anno 1376.

Petrus de Stanno, Gallus, Presbyter Card. S. Mariæ Tranſtyberim, poſtea Epiſcopus Oſtienſis, die 25. Nouembris, anno 1377.

VRBANVS VI. PONT. CCIV.

ANNO DOMINI MCCCLXXVIII.





IN NOMINE DEI, ET SALVATORIS Noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen.

AD viij. Kalend. Aprilis mortuo Romæ Gregorio XI. Magiſtratus vrbani, frequentia, & publica, & priuata concilia, more maiorum, habuerunt, perinde, vt facere ſolent, cum de ſummis, & arduis aliquot negocijs tractare conſueuerunt. Quibus actitatum fuit, qua iam ratione cum Cardinalibus agerent in noui Pontificis Comitijs; Atque quemadmodum à multis ciuibus Romanis, qui ijs conſilijs interfuerant, Cardinalibus relatum fuit, in id tandem omnes conſenſerunt è Republica Chriſtiana, & Romana pariter eſſe, Romanum, vel ſaltem Italicum Pontificem deligi. Quare Primores quique ex Vrbe negotium Magiſtratibus dederunt, vt de ea re blande, & humaniſſime cum Cardinalibus agerent, quòd ſi id precibus obtinere nequirent, vi eoſdem cogerent. Res verò ita in Senatu decreta vbique percrebuerat. Nam affirmabant Romani, ſe nulla alia ratione efficere poſſe, vt Romana Curia in Italia remaneret. Præſtito verò de more a Senatore, & Magiſtratibus de ſeruanda lege *Vbi periculum*, iuramento; iidem Magiſtratus, aliquot primarijs ciuibus comitantibus, vniuerſum Cardinalium cœtum in vnum coactum, graui oratione habita, obſecrarunt, vt ante Conclauis ingreſſum mentem ſuam ſuper his poſtulatis aperirent, quo populus Romanus afflictus conſolaretur, eo addito, quòd ſi Patres aliter feciſſent, maxima, & grauiſſima pericula verebantur, cum ciues ſubleuati, ad ſeditionem aſpirarent. Hoc publicè facto, ſigillatim ad vnumquemque Cardinalium nobiles, & egregios ciues miſerunt, qui iidem, nomine Senatus, & populi Romani eos monerent; Italum autem requirebant, ne ſi Gallus deligeretur, Romanæ Curiæ iterum migrare vltra montes neceſſe eſſet, cum maximo Vrbis Romæ, totiúſque Italiæ detrimento, quòd dicerent, abſente Pontifice, omnem prouinciam, Vrbémque Romam tyrannicis ſeditionibus continuò vexari, Eccleſiáſque Romanas neglectas, & incultas, ſitu, & ſqualore iam magna ex parte prolabi, tolli que ob eam rem, populorum pietatem, Romam continuò proficiſcentium, cum videant, & ſedem Pontificiam, titulos Cardinalium, & Monaſteria, ac ſacratiſſima Martyrum loca, ſine tecto, corruentibus iam parietibus, pecoribus, & brutis animalibus patere, æquum eſſe, vt eo loci Pontifex reſideret, in quo Petrus ſedem Pontificiam, relicta patria ſua, relicta natione, volente Deo, collocauerit, auxeritque Deus Martyrum, Confeſſorum, Sanctiſſimorumque Pontificum cineribus, ac ſanguine: vnde paſtores Eccleſiæ vndequaque circumſpicientes, mandatorum Chriſti memores, incitatique maiorum exemplis, quorum Martyria, & res geſtas ante oculos haberent, ſaluti hominum conſulerent, Patrimonium beati

ROMANI Italum Pontificem eligendum à Cardinalibus petunt.

AT QVÆ Romanorum rationes de Italo Pontifice eligendo.

A Petri recuperarent, quòd Pontificum abſentia in Hetruria, in Sabinis, in Hernicis, in Vmbris, in Piceno, in Flaminia à Tyrannis quibuſdam occupatum fuerat. Reticere ſe in præſentiarum, quam imminuta ſit hominum pietas, & peregrinatio ad Vrbem Romam, immò ad ſanctorum Corpora, & Reliquias inuiſendas ob Pontificum abſentiam, quæ adhuc redintegrari poſſet, ſi Pontifex Italicus crearetur. Reſpondere tùm Cardinales, ſibi curæ fore, vt Virum optimum deligerent, qui Eccleſiæ Dei præeſſet, nulla perſonarum, aut nationum acceptione habita, ad imitationem Saluatoris, qui ad Apoſtolatum, & Diſcipulatum, Viros ex omni natione delegit; irent ipſi, & bono animo eſſent, arbitrarenturque ſe nihil acturos, quòd non totum ad honorem Dei, vtilitatem Eccleſiæ Romanæ, totiuſq; B populi Chriſtiani pertineret. Diſpoſito deinde apud S. Petrum Conclaui, collocatiſque in Vaticano militum ſtationibus, ne tumultu aliquo tanta electio impediretur, vbi de ineundis ſuffragijs mentionem faciunt, magna contentio ſubito exorta eſt; tredecim erant Cardinales Gallici, hi Pontificem ex ſuo corpore volebant, quatuor erant Italici, quorum vnus ex gente Vrſina ad Pontificatum maximè aſpirabat. Inclinabat res ipſa in Gallos, quippè qui plures erant. ſed forte fortuna inter Lemouicenſes, & reliquos Gallos orta diſcordia, cum vtràque pars è ſuis aliquem creari vellet, effecit, vt Bartholomæum Barenſem Archiepiſcopum abſentem, & Purpura non inſignitum, in Pontificem eligerent.

Patres tumultum aliquem veriti, Magiſtratibus ad ſe accerſitis, C mala, & detrimenta, quæ ex eorum præſumptione, Vrbi & Eccleſiæ euenire poſſent, aperuerunt, addentes, ne dum Curiam in Italia retinere ſtuderent, eam omnino labefactarent. Ideóque illis imperarunt: primùm, vt ingentem ruſticorum manum, qui ad Vrbem confluxerant, vitandi tumoris cauſſa, expellerent: quo Pontifex liberùm, & ſine vi eligi poſſet. Ab his conſilijs, & ſermonibus, quibus populus ad ſeditionem, & tumultum inflammaretur, abſtinerent, deinde, vt optimos viros deligerent, qui Vrbis Leonianæ, & Conclauis cuſtodiæ, cum militum, qui Cardinalibus fidi, & non ſuſpecti eſſent, cohortibus, Præfectus cuncta diligenter cuſtodiret, pontes clauderet, vel ijs milite ſtipatis, populum à palam irruptione prohiberet. Quæ ſe facturos verbo polliciti ſunt. Ante omnia vnum ex Bandereſijs D Præfectum Conclauis, ac tredecim Tribunos ex ciuibus conſtituit, qui in Collegij verba iurarunt, ſe Cardinales omnes ab omni violentia immunes ſeruaturos, & quidquid eorum nomine ijs mandaretur, executuros, quòd poſtea facere neglexerunt.

Scitu dignum, à Magiſtratu Romanum cum ruſticis nobiles omnes Vrbe exire ſub graui pœna iuſſos, ſpecie ne ciues ad arma ſollicitarent, re vera quia omnes Cardinalium fautores cognoſcebat; Nam Patres inſtantiſſimè pro ijs omnibus, vt in Vrbe ob ſuam ipſorum tutelam retinerentur, rogarunt, quòd cum non concederetur, pro duobus tantum, qui Eccleſiaſticis muneribus fungebantur, petierunt; quòd & penitus eis negatum eſt. Hora, qua Conclaue Cardinales inierunt, vniuerſus populus Romanus ad aream Vaticanam arma-

CARDINALIVM reſponſa.

CARDINALIVM in Conclaui ...

CARDINALIVM ... mandata.

EDICTVM, vt ... ruſticis ex Romana Vrbe exeant.

tus con-

rus confluxit, Pontificem Romanum, vel Italicum ſe velle clamans. Cardinalibus verò Comitium intrantibus, magna populi pars maiori ex parte armata palatium intrauit, & per totam noctem, & die ſequenti permanſit, & cunctos eius aditus, & exitus obſtruxit, ne vllus ingredi, aut egredi ipſis inſcijs poſſet, cum verò tempus Conclauis recludendi eſſet, plebs egreſſa Senatorem tantùm, & quoſdam ex Magiſtratibus, qui cum Cardinalibus de cuſtodia portæ Conclauis loquebantur, reliquit. Quæ dum Senator cum ſocijs ordinis permiſ agitarent, ſuperuenerunt Banderiſij, & Capita Regionum cum aliquot ciuibus, & Conclauis reſerato oſtio intrantes, & repugnantibus Cardinalibus præter morem hora iam tarda ingreſſi, Cardinales denuò congregatos monuerunt, repetentes, quæ ſupra eis dixerant, de Pontifice Romano, vel Italico, quòdque antequam Conclaue exirent, id facerent, addentes, quòd ita populus volebat, aliòquin res ſine perſonarum periculo tranſigi non poſſet. His recedentibus Conclaue clauſum eſt. Ferunt ante Conclauis introitum Cardinalibus relatum fuiſſe nonnullos Romanos, & peregrinos in Vrbe mercede conductos eſſe, qui populum ad Papam Romanum petendum inflammabant, Magiſtratibus multa pollicebantur, ſi Romanum, vel Italicum Papam deligi, feciſſent.

POPVLVS Romanus in area Vaticana armatus Roman. vel Italū Pontificem eligendū acclamat.

BANDERISII cum alijs Conclaue ingreſſi ſunt [illegible] Cardinales admonentes de [illegible].

Cum verò 15. tunc in Vrbe Cardinales tantùm eſſent, quatuor Italici, & 11. Galli, ad quos ſolos Pontificis electio pertinebat, Galli, vſque ad populi impreſſionem, tàm ante ingreſſum Conclauis, quam poſt, perpetuò in ea ſententia, & propoſito ſe fuiſſe, teſtificati ſunt, vt Pontificem extra Collegium tranſalpinum eligere mallét, quàm non Cardinalem, & Italicum: Itali verò conſtituerant ex Collegio vnum creare Italicum, ſi potuiſſent, ſin autem Gallicum, aut, vbi nè fieri potuiſſet, extra Collegium, Italicum; atque in hac voluntate ſe vſque ad ſequentis diei mane poſt Miſſam permanſere, nulla habita ratione, quòd Romani armati occupato palatio tota nocte cum tympanorum ſonitu conclamaſſent, Romanum, aut Italicum volumus, quo ſtrepitu nemo Cardinalium quieſcere ea nocte potuit, quòd & vſque ad Conclauis irruptionem continuarunt. Cæterum ſummo mane ſacris Spiritu ſancto habitis, cum Patres in ſuffragia ire conſtituiſſent, campana Capitolina, & Vaticana auditæ ſunt, populi conuentum aduocantes, qui extra poſitus eadem verba repetebat: Ferunt Cardinales ab amicis, & familiaribus ſuis, & ab ijs qui Conclaue cuſtodiebant, monitos, quòd niſi quàm primum Pontificem, Romanum vel Italicum deligerent, periculum erat, ne tunc minutatim conciderentur in fruſta. Eorum verbis territi Cardinales, vt mortis periculum vitarent, quemadmodum tunc multi, poſtea verò iuramento omnes teſtificati ſunt, in Italicum Papam extra Collegium conſenſerunt, id nulla ratione alias facturi. Quum enim impreſſionem imminentem cernerent, omnes quaſi ex abrupto nulla perſonæ diſcuſſione habita, Bartholomæum Archiepiſcopum Barenſem, amicum, & familiarem, & in Romanæ Curiæ praxi exercitatum, in Pontificem elegerunt, quum Cardinales Italici affirmaſſent, ſe ea ratione lectos, Pontificatus munus non ſuſcepturos. Tùm verò Patres omnes, præter duos Gallum, & Romanum, metu durante, eo animo, & propoſito quidem elegerunt, tanquam legitimus Papa eſſet futurus: eorū verò alter, Gallus videlicet, dixit, quòd tamquam compulſus conſentiret electioni, & exiſtimabat, eum illegitimum eſſe: Romanus verò dixit, quòd ob manifeſtam vim, & impreſſionem, nec ſibi, nec alteri ſuffragaturus eſſet, niſi impreſſione ceſſante libertati ſuæ redderetur. Multi verò Cardinales in hoc aſſenſerunt, vt, ceſſante vi, idem electus ad locum tutum, vt electio libera eſſet, cum Cardinalibus ſecederet, & Pontificatum deponeret, ipſi verò viciſſim eum iterum eligerent, atque ea ratione ſchiſma euitari poſſet, & malæ electionis opinio: demum, cum Conclauis cuſtodes pro celeri electione inſtarent, Patres ad populum clamantem, tumultuantem, & furijs agitatum tres Cardinales miſerunt, qui cum non auderent electionem factam inſano, & concitato populo pronunciare, ei promiſerunt, quod ante ſequentem diem, eum de Pontifice Romano, vel Italico ſolarentur, modò recederet, & ad ſuas domos quiſque rediret: ægrè impetratum eſt, vt ex aula abiret, palatio expelli non potuit, aut area Vaticana dimoueri. Rumore paululum quieſcente, Cardinales, multos Prælatos ad palatium accerſiuerunt, inter quos erat Barenſis ita electus, qui veniens populum furentem vidit, vim, & impreſſionem cognouit, nam clamores concitati populi audierat. Populo aliquantulum intra palatium quieſcente, Cardinales conquierunt. A prandio quum Prælati accerſiti adfuiſſent, Cardinales iterum in ædiculam conueniunt, vbi primo electio habita erat: tres non interfuerunt. Tunc verò vnus ex præſentibus dixit, quia modò rumor, & violentia ceſſat, iterum in ſuffragia eamus. Tunc Cardinalis quidam vim nequaquam ceſſare, dixit, propterea quidquid fieret nullum erat, adhuc enim palatium armatis repletum erat, quanquam non ita clamantes, & numeroſi, nec vt primum vociferarentur; eo ſpreto, tribus Cardinalibus Gallis, & Vrſino, repugnantibus, aut certè non conſentientibus eum denuò elegerunt. Quum verò Romani Magiſtratus ex quibuſdam ſignis coniectaſſent, Pontificem Romanum electum non eſſe, tumultu concitato, Conclaue, tribus portis refractis ingreſſi ſunt, ad clamantes, Romanum volumus. Cardinales territi ſe in ædicula penitiore recluſerunt, cuius porta ſecuribus, & dolabris refracta, armata multitudo minitabunda, & clamans Cardinales circumdedit. Tunc vnus

ROMANORVM ſtrepitus in vrbe.

CARDINALES Italum Papā deſignarunt Bartholomæum Archiep. Barenſem.

CARDINALES inter ſe diſcordes.

ALII Prælati ad Conclaue acceſſiti.

DENVO Archiepiſcopus Barenſis [illegible] eligitur, vel repugnantibus aliquibus Cardinalibus.

Cardinalium, vt periculum, quod cunctis imminebat, euitaret, aſtanti per Conclaue plebi dixit, Cardinalem S. Petri electum quidem, tamen vocum electioni cōſentire nolle, proinde rogabat eos, vt eum cogerent ad conſenſum. fuere qui affirmarint, hoc aſtuti Cardinalis commentum, à Cardinalibus, & maximè Gallis inuentum fuiſſe; populus, ea re audita, in Cardinalem ipſum irruit, & inuitum, & recuſantem Cathedræ Pontificiæ imponunt, in quo adorando dum omnes occupati eſſent, Cardinales omnes paulatim aufugerunt, eorum quidam Vrbe mutato habitu, egreſſi, alij Arce S. Angeli ſe concluſerunt, alij domibus ſuis ſe munierunt, poſtridie populi tumultu ſedato, Barenſis, qui in palatio remanſerat, nulla ratione, à quibuſdam Cardinalibus rogatus exire ſuſtinuit. Quinimò ad Cardinales, qui in mole Hadriana erant, miſit, vt ad ſe accederent; quòd cum facere recuſaſſent, Banderiſijs, & alijs Vrbis Magiſtratibus perſuaſit, vt eos populi Romani nomine ad maius malum euitandum ad palatium euocarent. Qui peiora veriti, eo maximè, quòd familias ſuas tota Vrbe diſperſas habebant, chirographo manibus ſuis ſubſcripto electionem firmarunt, & facultatem Cardinalibus, qui cum Vrbano erant dederunt, vt eum in Apoſtolica ſede locarent, ſuóſque in ea re procuratores conſtituerunt. Demum tumultu omni ſedato, Cardinales ex Arce palatium adierunt, & ipſum more ſollemni, vt ſummum Pontificem venerati ſunt; interim qui Vrbe egreſſi fuerant, redierunt, cunctique eius coronationi interfuerunt. A quo tempore deinceps Cardinales in omnibus publicis, priuatiſque actionibus, vt Papam eum habuerunt, tamen (vt ipſe affirmauit poſtea) numquam eius ſententiæ fuit, vt per eos actus aliquod ius ſibi tribueretur, quòd eſſet electionis iure quæſitum. Ipſe verò in Conſiſtorijs, & alijs actibus publicis, vt Papa ſe geſſit, at confirmatio, quam diximus, in Vrbe facta non eſt, vbi numquam Cardinales Gallici ſe tutos eſſe exiſtimauerunt, quin pro certo affirmauerunt, quòd ſi in Vrbe electionem eius renouaſſent, aut in dubium reuocaſſent in aliquod diſcrimen facilè incidiſſent. Ipſe verò, etſi ſæpè rogatus fuiſſet, vt Vrbe egrederetur, id numquam facere voluit, niſi demùm poſt quam Cardinales Anagniam ſe contulerunt, quo tempore Tibur populi Romani Vrbem receſſit. Sic illorum temporum ſcriptores, qui Clementis VII. cauſſam defendunt, de hac electione diſſeruere.

CARDINALES è Conclaui aufugiunt.

TVMVLTV ſedato Cardinales denuò Palatium adeuntes Vrbanum Pōtificem venerātur.

Sexagenarius igitur, exigua ſtatura, craſſus corpore, coloréque fuſco, Vrbanus ad Pontificatum promotus eſt, præclaræ in eo quidem virtutes ante Pontificatum elucebant, eruditio propè ſingularis, amor iuſtitiæ, & caſtitatis, odium ſimoniæ, ac munerum, beneuolentia ingens erga bonos, doctóſque viros; ſed virtutes illas, Pontifex factus, viſus eſt aut numquam habuiſſe, aut vno veluti momento amiſiſſe, tunc cum magnopere illis indigebat. Cardinales 11. ex quindecim Galli erant, quatuor tantùm Itali, cumque à populo Romano vrgerentur, quemadmodum ſupra diximus, vt aliquem Romanum, aut ſaltem Italicum in Pontificē eligerent, Bartholomæum Prignanum Neapolitanum, ad ſupremam dignitatem eo, quem narrauimus, modo euexerunt. Is natus erat Neapoli in vico Pandini, propè tabernam meritoriam, quæ infernus dicebatur, patre, & maioribus Piſanis, matre Neapolitana, gente ignobili Prignana; adoleſcens in Pontificio opera ſtrenuè nauata, egregius Doctor euaſerat, Auenione in contubernio Petri Cardinalis Pampilonenſis Vicecancellarij diu fuit, Apoſtolicam Cancellariam rexit. Romæ quoque eodem Cancellario abſente munus ſtrenuè exequutus eſt, quem à Gregorio XI. Papa ab Archiepiſcopatu Acheruntino ad Barenſem tranſlatum, in Pontificem maximum, vt dictum eſt, delegerunt.

VRBANI Natiuitas eiuſq; promotio.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1378. in die ſancto Paſchæ Reſurrectionis xjv. Kalend. Maij, Vrbanus VI. cunctis Cardinalibus approbantibus, Epiſcopis aſtantibus, Clero, & populo ante fores Baſilicæ ſancti Petri, per Iacobum Vrſinum Romanum S.R.E. Archidiaconum ſuæ Coronationis inſignia ſuſcepit, ſeditque in Petri Cathedra. Imperatoribus Carolo IV. & Vincellao Auguſtis, annos vndecim, menſes ſex, dies ſeptem.

CORONATIO Papæ Vrbani VI.

CARDINALES XXIII. VIVENTES
quando Vrbanus Papa VI. creatus eſt.

EPISCOPI CARDINALES V.

VRBANI PAPAE V.

1. Frater Anglicus Grimaldi de Griſaco, Mimatenſis Diœceſis, Gallus, Canonicus Regularis, Monaſterij S. Rufi propè Valentiam, Epiſcopus Cardinalis Albanus.
2. Aegidius Iſſalnij de Monteacuto, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus.

GREGORII PAPAE XI.

3. Ioannes de Blandiaco, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Sabinus.
4. Petrus Corſinus Florentinus, Epiſcopus Card. Portuenſis.
5. Ioannes de Croſſo Lemouicenſis, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus, S.R.E. Maior Pœnitentiarius.

PRESBYTERI CARDINALES XII.

INNOCENTII PAPAE VI.

6. Petrus de Monteruco, Lemouicenſis, Gallus, Presbyter Car-

dinalis

dinalis titulo ſanctæ Anaſtaſiæ S.R.E. Cancellarius, Epiſcopus Pampilonenſis, Prior Presbyterorum.

VRBANI PAPAE V.

7. Guillelmus de Agrifolio Lemouicẽſis, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Stephani in Cœlio monte.
8. Franciſcus Thebaldeſchus Romanus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Sabinæ, Archipresbyter ſancti Petri.

GREGORII PAPAE XI.

9. Fr. Bertrandus Lagerij de Figiaco prouinciæ Aquitaniæ, cuſtodiæ Putenenſis, Gallus, ordinis Minorum, dictus Glandatenſis, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Priſcæ.
10. Guillelmus de Chanaco, Gallus, monachus ord. S. Benedicti Presb. Card. S. Vitalis tit. Veſtinæ dictus Mimatenſis.
11. Robertus ex Comitibus Gebennenſibus, Gallus, Presbyter Card. Baſilicæ SS. duodecim Apoſtolorum.
12. Simon de Borſano Mediolanenſis, Presbyter Cardinalis ſanctorum Ioannis, & Pauli titulo Pammachij.
13. Hugo de Montelongo, dictus de Britannia, Gallus, Presbyter Card. titulo SS. Quatuor Coronatorum.
14. Guido de Maleſicco, Pictauenſis, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Crucis in Hieruſalem.
15. Fr. Ioannes de Grangia, Gallus, monachus, dictus Ambianenſis, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Marcelli, abſens Legatus in Tuſcia, paulò poſt creationem Vrbani, Romam venit ad præſtandam obedientiam Papæ Vrbano Sexto cum alijs Cardinalibus.
16. Petrus de Bernia, Gallus, dictus Viuarienſis, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Laurentij in Lucina.
17. Fr. Gerardus de Podio, Gallus, monachus, & Abbas Maioris Monaſterij, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Clementis.

DIACONI CARDINALES VI.

INNOCENTII PAPAE VI.

18. Hugo de ſancto Martiali, Gallus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Porticu, Prior Diaconorum.

GREGORII PAPAE XI.

19. Iacobus Vrſinus Romanus, Diaconus Cardinalis S. Georgij in Velabro.
20. Petrus Flandrini, Gallus, Diac. Card. ſancti Euſtachij.
21. Guillelmus Nouelletti, Gallus, Diac. Card. S. Angeli.
22. Petrus de Verruco, Gallus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in via Lata.
23. Petrus de Luna, Arrago, Hiſpanus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Coſmedin.

Itaque in hunc modum à concordi eorum diſcordia electus ampliſſimi Sacerdotij dignitatem adeptus eſt. Baldus Iuriſconſultorum decus, & Boninſegnius ciuis Florentinus, compluresque Itali, & Gallicus ſcriptor Froſſardus, vim illatam Collegio, ſagittis, lapidibuſque confectum negocium aſſerunt, ſed ita, vt nemo Cardinalium læderetur: vtcumque ſit, Pontifex tamen Vrbanus erat, & in poſſeſſionem miſſus; eumque verè, & propriè eſſe Epiſcopum Romanum, Baldus, qui tùm de iure reſpondebat, quærentibus, affirmauit, reſponſumque eius ad Commentarium in libro 6. Codicis continetur, Vrbanũmq; nutritum in Gallia, & mores gentis induiſſe, dicit.

BALDI Iuriſconſult. affirmatio Vrbanum verũ Rom. Pontificem eſſe.

Catharina Senenſis ad Vrbanum octo Epiſtolas mittit, quibus eum hortatur ad Eccleſiam Romanam, vt hortum optimis, & ſuauiſſimis floribus, ita ſanctiſſimis Cardinalibus muniendam, qui ſint velut columnæ firmiſſimæ, & ad inſtaurandam illum impellit, ſimul ad Carolum Romanorum Regem ſcribit Bartholomæum Archiepiſcopum Barenſem, ſiuè Vrbanum VI. legitimè electum, coronatúmque à Cardinalibus, nec in metum conferendam eſſe electionem. Scribit eadem tribus Cardinalibus Italis, qui ab Vrbano diſceſſerant, vt ad ſanitatem animi redeant, illum enim nõ metu ab iis, ſed legitimè electum, coronatúmque cum Archiepiſcopus Bari tantum eſſet.

CATHARinæ Senenſis ad Vrbanum epiſtolæ.

Poſt menſem verò tertium, in calores vrbanos Galli Cardinales culpam reijcientes, à Pontifice petunt, vt ſibi proficiſci Anagniam cum bona eius venia, liceat, aerem mutaturi peſtilentem, æſtate præſertim, maximè verò Gallis, ſed re vera ſeueritatem Vrbani veriti, abiere; Nam ſemel atque iterum eos ad ſe vocatos admonuit, vt manus abſtinentes haberent, non dona aliqua, non munera acciperent, cauſſas agentes, dum patrocinium ſuum beneficia petẽti præſtant, interminatus eſt ſe acerrimè puniturum in ſimonia deprehenſos, aut inutilas cauſſas fouentes; præterea oſtendit ſibi placere, & ita velle, vt pompam dimitterent, tantámque familiarium turbam, & equorum, cum id, quod in tales ſumptus conſumerent Eccleſiæ Romanæ pernicioſos, pauperibus, & reſtituendis conuentibus Baſilicis deberetur, ſe deinceps bonorum delectum habiturum dicebat, affirmans malos ſuorum flagitiorum pœnas daturos, niſi ſententiam mutarent. Et quia ſentiebat, Cardinales Gallicos de reditu Curiæ Romanæ in prouinciam ſuam aliquando mentionem facere,

CARDINAles Galli Anagniã proficiſci à Pontifice petunt.

VRBANI [illegible] in Gallos Cardinales.

apertè oſtendit, ſe Romæ manſurum; neque cuiquam ſuadenti, vt inde abiret, obtemperaturum; quòd diceret, fundamentum vniuerſalis Eccleſiæ, fideique Chriſtianæ Romæ iactum, & auctum ad culmen eſſe. His itaque rationibus Cardinales Gallici, & ij maximè, qui theſauros Eccleſiæ in morte Pontificum expilauerant, quique pro arbitrio animi ſui priùs agebant, Anagniam primò, mox Fundos confugere, ſcribùntque Italis, qui receſſerunt ab Vrbe, vt ad ſe veniant, ſingulis eorum Pontificatum polliciti, cuius ſpe literas, quas accepiſſent non legunt ſocijs, ſed recta eunt Fundos, quòd eſt oppidum ſitum non procul à Caieta, & Mediterraneo Mari, vbi primo in Vrbanum (vt falſum Pontificem) inuecti ſunt, quòd dicerent, hominem vi creatum, vi etiam coronam Pontificatus accepiſſe, cum electio illa, & coronatio in loco minimè tuto ſit habita, in qua liberæ deberent eſſe hominum voluntates, libera ſuffragia: cum contra ipſi à populo Romano coacti ſint, Italicum potius, quam Gallicum eligere. Has autem ob cauſſas, Sede Vacante (vt ipſi dicebant) decem, & octo cum eſſent Ioanna Regina fauente, habitis Comitijs Pontificem creant Robertum Gebennenſem, genere nobiliſſimum, facundum, & eloquentem, atque ſtatura mediocri, eique Clementis VII. nomen imponunt (is antea Legatus in Italia fuerat) deceptiſque Italis illum Auenionem traducunt. Magna diſcordia in Eccleſia Dei orta, & diuturnum Schiſma, omnium peſſimum, quòd quinquaginta annis durauit, cum pars Chriſtianorum Principum Vrbano, pars Gebennenſi faueret: talis igitur fuit calamitas tunc inuecta in meſſem, ac ſegetem Dei immortalis. Porrò facile eſt ignem accendere, at cum ſemel vagari cœpit, & ſubiectam materiam corripere, non niſi difficile extinguitur; ambitione, vt licet conijcere protrahẽdi exilij Curiæ Romanæ in Gallia tot mala in Eccleſia excitata.

GALLI Cardinales, quod in Vrbanũ obi[illegible]

ROBERtus [illegible]

Genuenſes odio, quòd in Venetos mente conceperant, cum ipſis maritimo certamine confligentes, quinque et decem triremibus amiſere, ſuperiores deinde alijs pugnis Genuenſes fuerunt, & Veneti deſerti, cum nec terra, nec mari auxilia ſperarent, inſtabant Genuenſes, & captis circumquaque Caſtellis ingredi Vrbem parabãt. Quos poſt longam pugnam Ioannes Barbadicus armatis lembis quibuſdam perfacilè repulit, cum progredi in æſtuarijs illis triremes Genuenſium non poſſent. Hac arte Barbadicus vſus eſt: inuenta tùm primùm à quodam Teuthonico Bombarda fuit, à ſonitu, & tonitru ſic dicta, nulla erat ſcapha Venetorum, nullus lembus, qui non duas Bombardas, & eo amplius haberet, quibus multi Genuenſes, vt à re inſolita, nec ad præcauendum ſcita, opprimebantur: ſingulæ enim Bombardæ vno ictu, binos, ternóſue plerumque necabant, cum præſertim in triremibus declinare ictus, vt in terra, non liceat.

BELLVM inter V[illegible]

BOMBARdarũ primus vſus.

Interim verò Vrbanus non intentus componendæ paci inter Chriſtianos, vt par erat, ſed iniurias à Ioanna Regina acceptas vlciſci cupiens, Ludouicum Hungariæ Regem impulit, vt Andreæ ſui fratris mortem ſe adiuuante vlciſceretur.

Vrbanus terrore Gallico liberatus, Neapolim ſe conferens, à Rege petit, vt ſibi liceat creare nepotem ſuum Campanum Principem, quod cum impetrare nequiuiſſet, homo ſub ſpecie iuſti, & honeſti minus vrbanus, ac nulli gratus ad minas conuerſus eo iracundię Regem compulit, vt cuſtodijs adhibitis per aliquot dies prodire in publicum nequiuerit. Verum diſſimulata ad tempus iniuria, Nuceriam ad vitandos æſtus (vt ipſe dicebat) cum bona Regis venia profectus, communita firmiſſimis præſidijs Vrbe, nouem Cardinales creat, & ſeptem ex veteribus in carcerem conijcit, quod diceret, eos cum Rege, & Antipapa contra ſe coniuraſſe: poſtremò verò, & proceſſum, vt more communi loquamur, contra Regem inchoauit, miſſa de more citatione; qui breui ſe venturum Nuceriam reſpondit, diluturúmque obiecta crimina, non verbis modo, ſed etiam armis; Nuceriam itàque cum ſatis magno exercitu veniens Vrbem obſidet; motus autem rei indignitate Raymundus Balcianus è gente Vrſina, Comitis Nolani filius, ſuis copijs fretus, Vrbanum cum tota Curia ad proximum litus deductum, Genuenſium triremibus ad id inſtructis, paratiſque impoſuit. Quibus Pontifex dum Genuam defertur, ex ſeptem Cardinalibus Nuceriæ captis, quinque ſaccis inuolutos, quos diu in fœdiſſimo carcere clauſos detinuerat, in mare demerſit: Et ſe deſertum videns, nouem, & viginti Cardinalibus vna die creatis, quorum multi Romani, reliqui verò omnes Neapolitani fuere, Romam rediit.

VRBAnus Neapolim ſe confert.

NVCEriam [illegible] de proſ[illegible] carcerem [illegible] Cardinales.

REX Neapo[illegible]

RAYmundus Comitis Nolani [illegible] Genuã [illegible]

CARDInales [illegible]

Pontifex itaque re infecta Romam rediẽs, cum magno apparatu, honoréque pluſquam dici poteſt, à populo Romano in Vrbem ſuſcipitur, licet haud ita multo poſt à Bãdereſijs inſidias perpeſſus ſit; quas certè omnino deuitauit, & ſuſtulit creatis, vna die nouem, & viginti Cardinalibus. Qui cetera Vrbani acta requirit, à Boninſegnio Florentinæ hiſtoriæ lib. 4. petat. Interim verò Vrbanus Pontificatus ſui infeliciter acti anno 11. menſe 6. die 7. Romæ moritur, die Veneris Idibus Octobris anno 1389. Vixit annos 72. moritur non ſine ſuſpicione veneni; recteque eum Catharina Senenſis monet, vt ſibi caueat; eſſe enim quoſdam, qui exitium, & mortem Pontifici Romano minitentur; ſepeliturque in Baſilica B. Petri, paucis eius mortem, vtpote hominis inexorabilis flentibus.

OBIT Vrbanus papa VI.

VRBANI VI. vita Boninſe[illegible]


Vacauit ſedes eo mortuo dies decem, & ſeptem.

Cum Genua Romam peteret nocte Natalis Domini Diuinis peractis, ſupremum Magiſtratum Lucenſem Enſe, & Pileo, gemmis, auroque exornans donauit.


Carolus IV. Imperator obijt vj. Kalend. Maij, anni 1379. Cæſar Venceſlaus Rex Romanorum anno 1379. regnauit annis 21. menſibus 5. diebus 28.

Imperator Manuel II. Palæologus Auguſtus imperauit annis 34.

Hic Pontifex annum Iubileum indixit, anno 1389. quem Bonifacius IX. poſtea celebrauit anno 1400.



SIGNA PP. VRBANI VI.



ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

¶ Vrbano VI. magni animi, & doctrinæ viro, qui ad ſupremũ verticẽ ſacri Apoſtolatus, ab ipſo ętatis flore viã virtutibus ſibi aperire cępit, nonnulli patriam, cognomen alij, quidam generis nobilitatem adimere viſi ſunt; quorum ſententiam ego olim, quantum licuiſſet per vires, refutaſſem, niſi properandum, præter ſapientum hominum opinionem, calamo fuiſſet, & monumenta, quæ deinde videre contigit, præ manibus habere potuiſſem. Quod olim non licuit, præſtandum modo; ſed paucis. Pontificis maximi merita, & monita amicorum in hanc me vocant arenam.

Onuphrius Panuinius, cuius ingenium, & calamus in Eccleſiaſtica hiſtoria cum laude, doctorum virorum ſententia, deſudauit, Bartholomæum Prignanum patre Piſano, matre Neapolitana natum, dixit, lib. de Pontificibus, & Cardinalibus Alexandro Farneſio Cardinali S. R. E. Cancellario dicato, Venetijſque anno 1557. edito; alteroque eiuſdem argumenti m. s. Codice apud virum doctum ex meis intimis Marium Mileſium Sarazanum, typiſque à Strada Mantuano recuſo. Seuerinus Binius, in Concilijs Coloniæ impreſſis, in Vrbani huius vita, patrem illius Piſanum nuncupat. Franciſcus de Roſiers Barroducæus, Archidiaconus Tullenſis; tomo 5. cap. 29. Stemmatum Lotharingiæ, & Barri Ducum, Piſanum à nonnullis eum exiſtimatum narrat; quòd fortaſſis à Platina deſumpſit.

In elogio Vrb. VI.

At Hiſtorici Regni Neapolitani, Panuinius ipſe, locis indicatis, in Chronico etiam, & in elogijs quorumdam ſummorum Pontificũ; Neapolitanum appellant. Priſcus præterea Codex m. s. ex membrana, quo multę Romanorum Pontificum vitæ continentur, in Bibliotheca Mileſij mei: & plura alia m. ss. monumenta, quæ legi, Neapoli Romam aduecta.

Sentiunt idem S. Antoninus par. 2. Hiſt. tit. 22. cap. 2. ſcribens. *Dominus Bartholomæus ex Auo Piſanus, ex Patre Neapolitanus, Neapoli natus, & educatus.* Fr. Marianus Florentinus in m. s. Seraphici ordinis Hiſtoria (eam vir doctiſſimum Fr. Lucas Vvaddingus in S. Iſidori Bibliotheca Romæ inſpiciendam dedit) Blondus, Sabellicus, Volaterranus, Iac. Philippus Bergomas, Leonardus Aretinus lib. 8. Hiſt. Flor. in fine, Io. Stella in vitis Pontificum, in Vrbano VI. Auctor Hiſtoriæ Concilij Conſtantienſis eidem Concilio præfixæ, Carolus Sigonius, lib. 3. de Epiſcopis Bononienſibus, in Bernardo Lemouicenſi, & alij quamplurimi. Conſpirant ad hanc rem nationes. Italos habuiſti: pro Britannis, Iacobus Gordonus in opere Chronographico; pro Flandris Ludouicus Maleanus, lib. 13. Annalium Flandriæ; Aubertus Miræus in Chronico ab anno Dom. 1200; pro Gallis Paulus Aemilius, rerum Gallicarum ſcriptor, in Carolo Sapiente; Henricus Spondanus Epiſcopus in Auctario ad Annales Baronianos in compendium redactos; G. Genebrardus in Chronologia; Gaulterius in Tabula Chronographica. Pro Germanis Franciſcus Ioannettus, qui maximorum Pontificum vitas ex Germanis collegit ſcriptoribus, Seuerinus Binius maioris Colonienſis Eccleſiæ Canonicus, in Collectione Conciliorum Generalium, & Prouincialium pro Hibernis Lucas Vvaddingus tom. 4. operis egregij Annalium; ordinis Minorum. Pro Hiſpanis Io. Mariana, lib. 18. Hiſtor. Hiſp. cap. 1. Conſaluus Illeſcus par. 2. Hiſt. Pontif; pro Polonis Alexander Sculterus Varmienſis Canonicus in Chronographia, ſiue Annalibus Regum, Principum, &c. ab orbe condito ad annum, &c. Abraham Bzouius to. 15. Annalium Eccleſ. ad annum 1378. Conſentiunt lapides: Neapoli, apud S. Mariæ Nouæ in Sacello Prignanæ, & Funicellæ familiæ leges.

In Vrbano VI.

In Vrbano VI.

VRBANVS PAPA VI. NEAPOLITANVS.

Cognomen huic Pontifici Ioannes Mariana ademiſſe viſus eſt, cum hæc poſteris tradidit. *Bartholomæus Butillus Neapolitanus, &c.* Conſaluus Illeſcus Butillum appellauit, ſed priùs verum cognomen expreſſit. Panuinius in Epitome Pontificum, & Cardinalium, Butillum quidem dixit; at ad cognomen verbum non retulit: in elogio vero ſcripſit *Bartholomæus Prignanus, alias Tuczillus,* (vnde hanc vocem hauſerit, diuinare non queo) ſed Prignanam gentem parentem Vrbano fuiſſe non ſemel agnouit: in Chronico, omiſſa Butilli voce, ſcriptum reliquit. *Vrbanus VI. Neapolitanus Bartholomæus Prignanus.* Scriptor Hiſtoriæ, Concilij Conſtantienſis

Lib. 18. c. 1 Hiſtor. Hiſpan. In Hiſtor. Pontif. Vrb. VI.

A *Communi conſenſu, Bartholomæum Prignanum Neapolitanum Archiepiſcopum Barenſem extra Collegium, ſummum Pontificem deſignarunt.* Neapolitani Hiſtorici idem vno quaſi calamo affirmãt, & m. ss. Neapolitana monumenta: ex quorum vno, anno 1370. die octaua Auguſti conſcripto, agnoſcimus, Batholomæum Prignanum, tunc Acherontinum Antiſtitem, Nicolaum Prignanum, & Margaritam Brancatiam parentes habuiſſe. Ciaconius Prignanum fatetur, ſculptus lapis Neapoli in S. Mariæ Nouæ habet.

In Vrbano VI.

VRBANVS PP. VI. EX PAMILIA PRIGNANA.

In Pontif. Rom. & Cardinalium vitis.

Auitam Vrbani VI. nobilitatem Panuinius in Epitome, & ex eo Ciaconius næuis inficere viſi ſunt: vterque enim ignobili eum ortum genere teſtatus eſt. Ego vero vtrumque à veritate aberraſſe, oſtendere facilè poſſum. Palinodiam Panuinium ceciniſſe, ſanè opinabere; nam neque in Chronico, neque in huius Pontificis elogio, B quòd cum nonnullis aliorum Põtificum elogijs, poſt omnes ingenij ſui fœtus, initio anni 1568. paulò ante obitum (Panhormi enim obijt anno eodem, Martio menſe) prælo dedit, de Vrbani VI. ignobilitate verbum vllum ſcripſit, cum integram tamen de eo narrationem poſteris reliquerit. Paulus Aemilius, nobilis, & fide dignus Hiſtoricus, in Carolo Sapiente, Bartholomæum Prignanum ciuem Neapolitanum nuncupauit; & hæc nobilitatem indicantia adiecit. *Apud Pontifices maximos Auenione in gratia, apud omnes authoritate ſumma à prima iuuenta fuerat.* Obſcuris parentibus geniti ſumma auctoritate in Aula Pontificia à prima iuuenta florere non ſolent. Plura m. ss. monumenta Romam ad me Neapoli miſſa clarum Prignanę gentis, genus indicant. Carolus I. Rex Neapolitanus anno 1274. ſanguinis huius ſplendorem innuiſſe exiſtimatur, cum ſcripſit; *ſcriptum eſt eidem Iuſtitiario, cum Bonushomo de Prignano miles, &c.* (militis nomen in hominem terræ filium non quadrat) Carolus II. Auguſtionem de Prignano Neapolitanum militem V. I. P. regij Fiſci patro- C num, & Angelum de Afflicto. I. C. P. pauperum Aduocatum in Inſubriam, & Tuſciam ad negotia ablegauit, & honeſtauit laudibus, audi loquentem Regem. *Confiſi de fide, induſtria, & circumſpectione diſcretorum virorum Auguſtionis de Prignano de Neapoli militis, Fiſci noſtri patroni V. I. & Angeli de Afflicto de Scala in magna noſtra Curia pauperum Aduocati I. C. P. dilectorum Conſiliariorum, familiarium, & fidelium noſtrorum.* Ad Vrbanum redeat oratio. Is ante Pontificatum Bartholomæus Margaritam Brancatiam Neapolitanam veteris, inſigniſque nobilitatis fœminam matrem habuit: tam vetuſtæ autem, & tam nobilis familiæ Heroina à Nicolai Prignani nuptijs, ſi infimo fuiſſet loco natus, abhorruiſſet. Neapoli in Archiuio Hebdomadariorum maioris Eccleſiæ monumentum m. s. extat (Lucas Capaſſus Scriba Neapolitanus hoc publicis teſtatus eſt Tabulis) anni 1370 in quo Ioannes de Iubino Nea- D politanus Iudex ad Contractus, & Iulianus Tallarita in vniuerſo Siciliæ Regno regali authoritate Notarius hæc habet. *Præſente ſcripto publico notum facimus, & teſtamur, quod prædicto die (8. Auguſti) in noſtra præſentia conſtitutis nobilibus perſonis Domina Margarita Brancatia de Neapoli muliere vidua, relicta q. Nicolai Prignani de Neapoli iure Romano viuente, & Domino Iacobo Prignano de Neapoli milite filio dictæ Dominæ Margaritæ, & dicti q. Nicolai Prignani, tutoribus, & gubernatoribus perſonarum, & bonorum nobilium iuuenculorum Franciſci Prignani maioris annorum quindecim, vt dixerunt, & ſuo ſacramento firmarunt, ac Bertella, & Cicella Prignanorum in pupillari ætate conſiſtentium filiorum, & heredum q. Ioannelli Prignani filij dictæ Dominæ Margaritæ, & fratris carnalis dicti Domini Iacobi agentibus tam proprio eorum nomine, quam tutorio, & pro parte Reuerẽdi in Chriſto Patris Domini Bartholomæi Archiepiſcopi Acherontini abſen- E tis, filij dictæ Dominæ Margaritæ, & fratris carnalis ex vtroque parente dicti Domini Iacobi, &c.* Codicem m. s. Io. Franciſci Rubei Neapoli eſſe, eiuſque teſtimonio Prignanam familiam nobilem, & Pontificiam dici, & Nidenſi Regioni adſcriptam, intellexi, Triſtanumque Caracciolum Neapolitanum patritium, Vrbanum VI. ex equeſtri prodijſſe ordine, teſtatum fuiſſe. Poſt Vrbanum, alij viri clari nobilitate ex Prignana gente recenſentur. Franciſcum Prignanum Vrbani nepotem Principem ferunt monumentorum quorumdam m. ss. exemplaria, quæ Neapoli huc peruenere, Caroli III. Regis, Margaritæque Reginæ Hieruſalem, Siciliæ, &c. & Regis eiuſdem Vicariæ habent, quæ annecto. Scribens Carolus Franciſco Prignano, ait. *Carolus III. Magnifico viro Franciſco Prignano Principi, ac eius Officiali, ſeu Vicario in terra Nuceriæ, &c.* * Margarita Regina eumdem Franciſcum Capuæ Principem, & Regni Si- F ciliæ Camerarium nominauit. Ladiſlaus Rex, anno 1391. publicis Tabulis hunc eumdem Franciſcum nuncupat Principem. Obierat Franciſcus; Ladiſlaus nonnulla Bonifacij IX. Papæ erga ſe merita commemorans, Ioannello, & Andreæ Tomacellis fratribus Nuceriam, Altamuram, Minerbinum, & Caſtrum in Barenſi ditione, quæ loca, Franciſco, liberis non relictis, extincto, redierant ad Regem, non ſine grati animi ſignificatione, donauit Ioanna II. anno Regnorum ſuorum 19. literis ad nonnullos miniſtros ſuos datis, Ioannem de Prignano, ſeptemque eius filios nobilitatis nomine decorauit. Prignanam itaque gentem, & ante, & poſt Vrbanum, nobilem dicas, licet & quæ Margaritam illius parẽtem dedit, Brancatiã; ex qua

Ex Reg. Caroli I.

An. 1306. die 2. Iulij Ex Reg. Caroli II.

An. 1381. in Reg. Caroli III. fol 164. in Archiuo Cur. Magnæ Neap. * in Rego eo anni 1384.

An. 1418. die 19. April.

plures

plures Cardinales Eminentiſſimi, & bellica gloria clariſſimi Duces protulerit, nobiliſſimam, & vetuſtiſſimam: lapides eam celebrant, pluresque Hiſtoricorum poſterorum memoriæ commendatæ ſcriptiones, & diebus hiſce Hieronymus Caracciolus, religioſus, atque eruditus amicus hoc elogio honeſtauit.

Brancatium maternum Vrbani genus cum ob antiquitatem, tum ob ſplendorem clariſſimum. Ammiratus in Tractatu de nobilitate Familiarum, ad Marinum Caracciolum Atripaldenſium Ducem, Brancatiam omnium Neapolitanarum, quæ ab eodem Regno originem ducunt, antiquiſſimam appellat, idque Franciſcus Aelius Marcheſius in ſuo Commentario oſtendit, cum non poëtico niſus teſtimonio, ſed ex publicis, ac priſcis Tabulis huius ſtemmatis cognomen anno poſt Chriſtum natum nonageſimo, initium ſumpſiſſe, affirmat. Hac certa, haud fabulica antiquitate in vlla alia Italicarum familiarum maior; quam ſplendor comitatus, Burrus namque Brancatius ante ſexcentos annos Neapolitana Republica Conſul fuit, vt Diploma Archiui S. Sebaſtiani apud Ammiratum in hiſtoria Capicia gentis teſtatur; Philippus Campania Comes extitit, vt lapides monumenta inſcriptio apud Ciaconij additamenta in Cœleſtino V. & Engenium in Neapoli Sacra aſſerit. S. R. E. Cardinales fuere Landulphus in Sicilia, & Raynaldus ad Ladislaum Neapolitanum Regem Legati, Ludouicus, Thomas, Morinellus, & Nicolaus. Hæ primaria Brancatiorum dignitates, ac potentia. Quid de bellica virtute inquam? Strenuus complures Duces ex hac gente emanarunt, Andreas ſcilicet Magnus Galliarum Admiratus, Alexander, Thomas, & Antonellus Neapolitani Regni Mareſcalli; memoratus Philippus S. R. E. Sachacius Baſilij, ac Conſtantini Cæſarum, Paulus Nuceria, atque Marinus Noæ Comites; alter Ladislai, alter verò Ferdinandi Secundi Neapolis Regum exercituum Imperatores. Teſtantur hæc omnia marmora apud eoſdem ſcriptores. Tantus ſplendor minime vetuſtate diminuitur; hiſce enim temporibus, inter Purpuratos Franciſcus Maria, inter militarium autem copiarum Moderatores Lælius emicant.

V. Ferdin. Caſtil. in Hiſt. Fratrum Prædicator. Ex vita S. Cather. Senen. to. Surij. Ex ca. 17. vitæ S. Cather. virg. & viduæ. to. 1. Surij in Martio.

De Vrbani VI. virtutibus aliàs. Impugnarunt olim nonnulli ſummum eius Pontificatum, verum Romanum Pontificem eum non iudicantes, at defenderunt bene ſentientes ſanctiſſimæ Eccleſiæ Dei filij, multorum agmen duxit virgo, diuinis animi ornamentis mirificè cumulata, Catharina Senenſis; cuius ad illum octo inſignis plenæ pietatis typis cuſæ extant epiſtolæ, ex quarum lectione pius lector non mediocrem ſacræ voluptatis fructum capiet; quamque idem Vrbanus Romam venire, iuſſit. Catharina altera ſanctitate, & gloria celebris, virgo, & vidua S. Birgittæ filia eumdem Romanæ Eccleſiæ Præſidem, vniuerſique Dominici gregis Paſtorem venerata eſt: hic illam viciſſim ſingulari beneuolentia eſt proſequutus.

* *L. Vbi periculum.*] Alexandrum III. in Concilio Lugdunenſis de Elect. in 6.

* *Ne ſi Gallus.*] Quatuor Pontifices nouiſſimi, illius temporis, Galli eiuſdem Vrbis fuerunt ciues, Lemouices omnes, Clemens Sextus, Innocentius VI. Vrbanus V. Gregorius XI. ab his Chriſtianus orbis vndetriginta continuos annos ſacra iura poſtulauit. Ex Paulo Aemilio in Annalibus Franciæ in Carolo V. Sapiente.

* *Cum videant, & ſedem Pontificiam.*] Ex Platina, & multa ex ijs, quæ ſequuntur.

* *Tredecim. .... Cardinales.*] Ita Platina; ſed Ciaconius inferiùs, Cardinales Gallos vndecim fuiſſe, ait.

* *Magrata.*] Locum corruptum dices, lector, tu illũ reſtituas.

* *Cardinales 11. ex 15. Galli erant.*] Superiùs, cum Platina, dixit 13. & iterum 11. vnde hæc mutatio? Panuinius, in Chronico, ſexdecim Cardinales electores agnouit.

* *Vim illatam.*] Cardinalis Bellarminus, ad oram Codicis ſui Ciaconiani, hæc ſcripſerat, Theodoricum Niemum, qui interfuit, Vualſinghamum in Richardo II. Blondum, & Catharinam Senenſem eximiæ ſanctitatis virginem, affirmaſſe, Vrbani VI. electionem liberam, & canonicam, non autem coactam fuiſſe. Pro eodem Vrbano, Carolo V. Gallorum Regi, Sapienti nuncupato, literas ſcripſit eadem Catharina, prudentes, & ſucci plenas, quas magnis, ſed veris laudibus Maſſonius, lib. 4. Annales Franciæ in Carolo V. proſequutus eſt.

* *Scribuntque Itali.*] Verba ſuperiora *poſt menſem, &c.* Platinæ ſunt: quæ ſequuntur, *vbi primo, &c.* interiectis verbis, *ſcribuntque Itali*, Ciaconius poſuit. Vide Platinam in Vrbano VI. ex quo multa Ciaconius mutuo accepit.

* *Italicum.*] Ex Platina, eadem Cardinalis Aegidius Viterbienſis. Vide etiam Paulum Aemilium, & Maſſonium loc. cit.

* *Genuenſes odio.*] Hæc fuſiùs, & clariùs Platina: nonnulla Ciaconius omiſit; vnde obſcurus factus. De Venetorum victoria contra Genuenſes Cardinalis Aegidius in hiſtor. 20. ſec.

* *Bombarda.*] Platina, & Cardinalis Aegidius Viterbienſis loco cit. de Inuentione æneæ huius tormenti Polyd. Virgil. lib. 2. c. 11. de inuent. Rerum; narratque Venetos, anno 1330. in bello cum Genuenſibus, ad Foſſam Clodiam inito, eo primùm vſos. Si bellum incidit in Vrbani VI. tempora, vt Platina, Cardinalis Aegidius Ciaconius, & alij putant, Polydorum erroris argues; cum Vrbanus VI. anno 1378. non autem 1330. Pontificatum inierit, æneum tormentum minus deſcribit Pius II. lib. 2. Commentar. Galli, anno 1425. A bombardarum, quas vocant, vſum in Gallia cognouerunt; cum Thomas Montacutus Anglus, Sarisberienſis Comes, Cenomannorum Vrbem eiuſmodi bellicis tormentis oppugnaret, Polydor. Virgil. in Hiſtor. Angl. Genebr. in Chron. in Martino V.

L. 23. l. 4.

* *Ioanna Regina.*] De hac etiam Froſſardus. Cardinalibus, vt Antipapam crearent, Ioannam Reginam fauiſſe, Diuus quoque Antoninus auctor eſt, par. 3. Hiſt. tit. 22. cap. 2. Platina in Vrbano VI. & Cardinalis Aegidius Viterbienſis in Hiſt. 20. ſec. Ioannæ interfectæ obitus obtigit, anno 1382. vt ex illius Epitaphio, apud Summontium lib. 3. part. 2. Hiſt. Neapol. colligitur. Carolum ab Vrbano accerſitum, & in Ioannam incitatum, captaque ab eo Neapoli, illuc Pontificem acceſſiſſe, leges apud Card. Aegidium loc. cit.

An. 1350. Lud. Hũg. Rex Romam Neap. poſt rediit, vt Iubilei adipiſceretur. V. Bonifa. cium l. c.

* *Ludouicum Hungariæ.*] Vide Platinam in Vrbano Sexto Ludouicus, Clemente Sexto Pontifice, recenti Andreæ fratris ſanguine euocatus, exercitu ſtipatus Ioannam Reginam Neapoli diſcedere, coegit. B

* *Andreæ fratris mortem.*] In arce Auerſana Andreas laqueo iugulatus occubuit, anno 1345. Angelus Conſtantius lib. 6. Hiſtor. Neap. Dyrrhachij Dux, ſceleris auctor exiſtimatus, Ludouici Hungariæ Regis Neapolim cum exercitu, vt fratris mortem vlciſceretur, contendentis, iuſſu, in eadem arce a lictore occiſus fuit. Vide Anton. Bonfin. lib. 10. dec. 2. Hiſtor. Hung. Angelum Conſtantium loc. cit. Pap. Maſſon. lib. 4. Annal. Franc. Bzouius, Ioannam Reginam in Auerſæ arce peremptam dicit, Dyrrhachij Ducem dicere voluit. De Rege adoleſcente Auerſæ laqueo interfecto, Petrarcha lib. 6. famil. epiſt. 5.

* *Terrore Gallico.*] Ex Platina, omiſſis antea nonnullis ab eo ſcriptis.

* *Feraimmanitate.*] Mitior Platina, qui ait. *Dum Genuam Pontifex defertur, ex ſeptem Cardinalibus Nuceriæ captis, quinque ſaccis inuolutos in mare demerſit.* C Petrus Boninſegnius, lib. 4. Hiſtor. Flor. quinque Cardinales, & quatuor inſignes Prælatos, Vrbani VI. iuſſu Genuæ necatos, eorumque cadauera in ſtabulo quodam humata, memorat: Binius conſpiraſſe in necem Pontificis Cardinales quoſdam, & de ijs dignum ſupplicium ſumptum, nonnullaque Theodorici Niemi, qui res Vrbani intimè aſpexit, verba probitatem, zelumque iuſtitiæ, & caſtitatis eius teſtantia, recenſet. ſeueritatem Vrbani in Cardinalium nece reprehendit quoque Cardinalis Aegidius Viterbienſis loc. cit.

In vita Vrbani VI. T. 3. Côc. part. 2.

In hiſt. 20. ſecul.

* *Creationes Cardinalium.*] Ex 29. Cardinalibus vno eodemque die ab Vrbano VI. creatis, tres Romanos, cæteros Neapolitanos fuiſſe, ſcripſit Cardinalis Aegidius Viterbienſis idem ferè Volaterranus lib. 22. Anthr. ab his parum differt Paulus Corteſius, lib. de Cardinalatu: viros 30. ab eodem inter Purpuratos patres adſcriptos, Paulus Aemilius in Annal. Franciæ ex Panuinio de Pontiff. Cardd. D quinquaginta quatuor, ex Ciaconio quinquaginta ſex Vrbani VI. Cardinales enumerabis.

In Carolo V.

* *Quem Nuceria.*] Deeſt aliquid; legendum, forſitan, *Quem Nuceria captum, quia ſine tormentis, quæ de eo quærebantur, detexit: vel fateri noluit*, diu, &c.

* *Tertia creatio anno* 1381.] Lancellottus Conradus, lib. 2. Templi omn. Iud. §. 1. num. 10. non verè dixit, 29. viros Romanæ ſacræ Purpuræ ab Vrbano additos, anno 1381. id enim ab eo factum, anno 1379.

In hiſt. 20. ſecul.

* *Moritur .... anno 11. menſe 6. die 7.* Ex Panuinio in Chron. at Platina, & Genebrardus cenſent, obijſſe an. 11. menſe 8.

De epitaphio Vrbani, de quo nihil Ciaconius, loquitur Cardinalis Aegidius Viterbienſis. *Ne illaudata interiret ruſtica inurbanitas, Epitaphio commendatus eſt .... ineptiſſimo; quod in ſepulchro etiam nunc viſitur* adijcit, Vrbani mortem Principibus admonitioni eſſe debere; vt ſciant, ſe ſummo loco à Deo poſitos, vt E generis humani commodis proſpiciant, non vt ſuis cupiditatibus ſatisfaciant; & eum, qui Vrbanus vixerit, ſe quoque Vrbanum moriturum, ſperare, poſſe.

* *Non ſine ſuſpicione veneni.*] Idem D. Antoninus par. 3. hiſt. tit. 22. cap. 2. *nam*, ait, *corpus etiam poſt obitum tumuit*: Petrus Boninſegnius lib. 4. Hiſt. Flor. ab his non diſcedit.

* *Enſe, & Pileo.*] De Enſe, & Pileo, quos Romanus Pontifex ſollemni cæremonia, & precationibus decorare, conſueuit, Auguſt. Patritius lib. 1. ſect. 7. cap. 6. Rit. S. R. E. & liber Benedictionum Sacrarij Apoſtolici m. s. Benedictionem Enſis, priſcam non potuit inuenire Patritius; at recenſuit benedictionem, & verba præſcripta F a Sixto IV. dicenda, cum Enſis datur, & Pileus: Vrbanus VIII. anno Iubilei Poloniæ Principi huiuſmodi Enſem, Pileumque dedit; præſcripſitque egregias ſacras preces; (eas m. ss. vidi in m. s. libro Benedictionum Sacrarij Apoſtolici) non tamen retulit; quas inſtitutas à Sixto IV. ſucceſſores vti poſſint, ſi velint. De eodem ſacro Enſe loquitur Patritius lib. 2. cap. 11. & 12. Fridericus III. Romæ a Paulo II. anno 1468. Enſem habuit: quem, & Pileum, Cæſaris armiger ante illum, ad ſedem reuertentem, detulit. Pius II. eiuſdem generis Enſem dono miſit Philippo Burgundiæ Duci, & alium alterius anni benedictione ſacrum, Ludouico Galliarum Regi, cum pragmaticam ſanctionem, quam Carolus promulgauerat, ab ipſo, pio animo, damnatam, ſublatamque intellexiſſet: vagina gemmis, & auro, gladius his verſibus ornatus erat.

Vladiſlao.

V. Patritiũ c. 1. l. cit.

Lib. 3. l. 7. Comm.

Exerat

Exerat in Turcas tuam, Ludouice, furentes
Dextera: Graiorum ſanguinis vltor ero.
Corruet Imperium Mahumetis, & inclyta rurſus
Gallorum virtus, te, petit aſtra, duce.

Verba Ciaconij de Enſe, & Pileo ab Vrbano Lucenſi Magiſtratui tributis, verba ſunt Nicolai Tugrini Lucenſium oratoris, in oratione ad Alexandrum VI. qui Enſem, & Pileum à Pontifice datos libertatis, & iuſtitiæ, ſine qua libertas ſtare non poteſt, inſignia vocauit.

* *Annum Iubilæum 36. ..... quem Bonifacius IX. .... celebrauit anno 1400.*] Verba, *Iubilæum 36* accepit à Panuinio: apud quem locus reſtitutione indiget. In allatis verbis duplex hallucinatio. Vrbanus ad 33. quemque futurum annum Eccleſiaſtici Iubilei celebritatem reuocauit; obijt autem, antequam præſcriptum tempus adueniret, Bonifacius IX. illi ſuffectus, anno 1390. non autem, 1400. eam peregit. Vrbani literas, quibus id ſtatuit, cum 12. Iubilæorum Hiſtoriam texerem, in Vaticano quæſitas anno 1624. reperire, non potui: inſtitutionis tamen Vrbani mentionem inueni in literis Bonifacij IX. ad Richardum Regem, & Annam Reginam Angliæ, dicentis *Vrbanus VI. ſtatuit, vt vniuerſi Chriſtifideles vere pœnitentes, & confeſſi, qui in anno à Natiuitatis Domini Noſtri Ieſu Chriſti 1390. inſtante tunc futuro, & deinceps perpetuis temporibus de 33. annis in 33. annos Apoſtolorum Petri, & Pauli Baſilicas de Vrbe, & Lateranenſem & S. M. Maioris Eccleſias viſitaſſent, &c.* De eadem Vrbani VI. inſtitutione verba faciunt Paulus II. Conſtitut. *Ineffabilis, &c.* Sixtus IV. Conſtit. *Paſtoris æterni, &c.* Iulius III. Cõſtit. *Si Paſtores ouium, &c.* De quibus in 2. par. Hiſtoriæ noſtræ, de 12. Iubil. Pontif. Lapſus Genebr. cum dixit, Vrbanum VI. annum Iubilei tertio celebraſſe; nam indixit in annum 1390. & Bonifacius IX. eo extincto, celebrauit.

Ex Reg. Bonif. IX in Vatic. exigunt, &c. Dat. &c. ann. 1.

L. 4. Chrõ.

Diem feſtum Viſitationis B. Mariæ Virginis Vrbanus VI. inſtituit, ſperans fore, vt auxilio Dei Matris, quæ hæreſeon monſtra interfecit, funeſtum ſchiſma fũditus deleretur: obijt autem, antequam conderetur Conſtitutio, Bonifacius IX. eam condidit, edidit que *Superni benignitas, &c.* 5. Idus Nouemb. anno 1. in qua de hoc feſto ab Vrbano inſtituto.

Sermo Id. Apul. Põtific. Vrb. anno 11.

To. 1. Bullarum.

Hoc Pontifice ſedente, anno 1383. cum vir impius, amiſſa ludo pecunia, Crucifixi Saluatoris Imaginem diſſecuiſſet, & B. Virginis Mariæ, & aliorum quorundam ſanctorum ſimulacris vulnera inflixiſſet, in ſacello apud Moguntinam ciuitatem, ſanguis terrificus, & admirabilis ex omnibus effluxit, qui adhuc viſitur, coliturque; rem perbelle narrat Theodoricus Greſemundus ſoluta oratione, & eleganti carmine: illam, & huius partem refert Serarius lib. 5. Rerum Mogunt. in Adolpho I. Imagines vulneribus affectæ, & ſanguine conſperſæ ex ædicula ad ſanctæ Crucis Templum à Sacerdotibus translatæ fuerunt.

Carolus V. Francorum Rex, à prima die ſuſcepti diadematis, togatus inceſſit; arma numquam induere voluit, Diuinarum literarum ſtudio addictus fuit; cum regium ærarium exhauſtum inueniſſet, moriens decem, & octo aureorum nummorum milliones reliquit, & quidquid ferè Angli abſtulerant patri, recuperauit: Vide Guaguin. Chron. Franciæ Aemil. lib. 9. Maſſonum in eius vita, Genebrardum lib. 4. Chronog.

Iagello Princeps Lithuaniæ, cum octo fratribus, Lithuania vniuerſa, & Samogithia, ſanctam Chriſti fidem ſuſcepit. Olaus Magn. lib. 2. cap. 1. Hiſt. Septent. Genebr. loc. cit. quem Iagellonem Poloniæ Regem creatum teſtatur Gaulterius in Tab. Chron. ſec. 14.

Carolus Andreæ filius Rex Neapolis, & Hungariç, Reginæ, quæ odium texerat opera, obtruncatus perijt. Platina in Vrbano VI. Vide etiam Angelum Conſtant. lib. 8. Hiſt. Neapol.

Ludouicus Caroli Martelli filius, 27. Hungariæ Rex, ab an. 1342. anno 1382. regnandi, viuendique finem fecit. Vide Bonfinium dec. 2. Hiſtor. Hungar. & Chron. Hungar.

Vrbanũ nulli mortaliũ gratũ, dixit (hyperbolicè forſitan) Aegid. Card. Viterb. *eoque ex humanis erepto in tanta Neapolitanorum Cardinaliũ turba, qui potuerit lacrymas dare, vix vnum inuentum.*

Theodericus de Niem de diro ſchiſmate, anno 1378. Vrbano VI. Pontifice exorto, tres conſcripſit libros, aliudque opus Nemus vnionis inſcriptum: ex hoc Molinæus de eodem ſchiſmate ineptè declamitandi materiam hauſit. Theodorici liber à Caluiniſta in Romanos Pontifices virulentiſſimo Simone Schardio cuſus: Nouatores quidam Theodoricum, vt illius, inepta, petulantiáque monumenta maioris auctoritatis robore munirentur, Epiſcopum Verdenſem, aliqui, maiori impudentia, Cameracenſem nominarunt. Si quæras, à quo ille Epiſcopalem infulam acceperit, dicunt à Bonifacio IX. & is poſt Bonifacij IX. obitum, vtrumque opus confecit. Nemus vnionis anno 1408. Libros de ſchiſmate anno 1410. & non erat Epiſcopus; vt ex ipſius verbis prudenter colligit Gretſerus: Bonifacius autem IX. anno 1404. res humanas deſeruit.

Capit. 61. Ex à Myſt. Plaſſ.

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI
SOCIETATIS IESV.

Spondan. in Annal. Eccleſiaſt.

POST Gregorij XI. obitum, cum eſſent in Romana Eccleſia viginti tres Cardinales, quorũ ſex Auenione remanſerant, quando Gregorius Italiam petijt, vnus alius à legatione Serazaniana non-

A dum redierat, reliqui ſexdecim, quorum quatuor Itali, vnus Hiſpanus, & vndecim Galli Conclaue Romæ ingreſſi ſunt ſeptima die Aprilis. Quo tempore horrificum fulmen in illud cecidiſſe, & duo illorum cubicula diſſeciſſe narrat, qui tunc viuebat Continuator Gallicus Chronici Nangij. Ait enim hora electionis Vrbani apparuiſſe quandam nigram nubeculam ſereno aere ſuper Conclaue, & ſubito ſpargi cœpiſſe, & tonitruum, ac fulmen inde prodiens percuſſiſſe cubicula Roberti Gebennenſis, & Petri de Luna, qui fuerunt poſtea creati in ſchiſmate; nec non arma, ſeu claues armorum Eccleſiæ in iunctura earum, & inſignia Gregorij tunc Defuncti in præſagium futuri ſchiſmatis. Die verò ſequenti, quæ fuit 8. Aprilis anni 1378. renunciatus eſt Romanus Pontifex Bartholomæus Prignanus, ſeu ex Conſtantino Caietano Perignanus, vel ex m. s. antiquo Peſignanus, aut Tucillus, ſeu Butillus, Neapolitanus, vt produnt eiuſdem Ciuitatis ſcriptores, apud plateam Nidi in vico nobilium de Offerijs; vnde Panuinius falsò dixit in platea Vindi, in

Cardinales 5. viii poſt Gregorij obitum.

Fulmen in ſacra incidit in Cõclaue.

Ant. Summont. in hiſt. Neap.

Vrbani VI. genus.

B vico Inferni, egregius Iuris Pontificij Doctor, vir vitæ laudabilis, & Pontificatu, ſi non eſſet adeptus, digniſſimus, & dictus eſt Vrbanus huius nominis Sextus. Illum enim Cardinales, alioquin inter ſe diſſidentes, ſiue quòd Pontificio faſtigio, quippe optimæ famæ, & ſacræ aulæ peritum, dignum iudicarint, ſiue quòd timuerint perſtrepentia arma populi Romani circum ſonantis, & clamantis aut Romanum, aut Italum ſe velle Pontificem, ne ſcilicet Auenionem iterum ſedes transferretur. Nihil ſanè mirum, vt facilè vtriuſque gentis Cardinales in hunc conuenerint; neque magna violentia opus erat, vt hominem apud Pontifices maximos in gratia, apud omnes auctoritate ſumma habitum ad dignitatem hanc, de qua maximo nationum ſtudio contendebatur euexerint dum ſuum, & Galli, & Itali nominare poſſent. Erat enim, vt diximus, natione Italus, patria Neapolitanus; ſed vitam duxerat Auenione multorum annorum ſpatio in contu-

Luc. Vvadding in ſuis Annal. Minorum. Io. Stella. in vit. Summor. Põt. S. Antoninus. Sabellic. Blondus. Raphael Volat. Iac. Philipp. Bergomas.

C bernio Petri Cardinalis Pampelonenſis; de quo hæc legimus apud Anonymum illius æui ſcriptorem. *Hic ante Papatum, per multos annos me exiſtente cũ ipſo, ſingulis noctibus poſtquam ad cubile ſuum cauſa quieſcendi accederet, coram ſe in Biblia quouſque dormiret, legi fecerat, & rarò vel nunquam tempus aliquod vigilando otiosè conſumpſit; ſed aut ſtudebat, ſeu commiſſa ſibi officia exercebat, vel orabat. Et niſi arctiatus quodammodo per plateas nullatenus incedebat, & incedendo duabus beſtijs contentus erat, vna mula ſcilicet, ſuper qua ipſe, & vno equo, ſuper quo vnus familiaris ipſum aſſocians equitabant. Etiam induebatur cilicio, diuturno tempore, & nocturno, in quo dormiens indutus fuit de ſupertunica talari alba de mediocri panno laneo, & multum erat patiens tunc temporis in aduerſis, compatiens etiam valde calamitatibus aliorum. Omnia etiam ieiunia per Eccleſiam indicta, ſanctiſſime obſeruabat; nec non per Aduentum Domini, & per ſexageſimam annis ſingulis ieiuna-*

Paul. Aemil. de Rebus Gall. Hẽr. Spõdan in Annal. Eccleſiaſtic. Genebrardus. Vrbani ante Pontificatum virtutes.

D *bat, & ieiunantes ſimiliter, nec non bonos Religioſos ſatis amabat.*

Inter Romani populi plauſus, vt dictum eſt ſupra Cardinalium alij relicto Vrbano molem Hadriani tenuerunt, alij extra Vrbem elapſi ſunt, plerique ad ædes proprias præſidio munitas, vim illatam accuſantes, execrantes factum, fugerunt. Omnes tamen, ſiue mutata repente voluntate, ſiue ſeruiendum tempori iudicantes, in Vaticanum reuerſi, Vrbanum Pontificijs inſignibus, ac Tiara vnanimiter magno apparatu exornarunt, & quicquid Romano Antiſtiti debetur obſequij priuatim, & publice exhibuerunt, atque has Cardinalibus abſentibus literas ſcripſerunt.

Poſt Vrbani electionẽ Cardinales fugiunt.

Cardinales redeunt ad Vrbanũ, & Pontificia tiara exornant.

REVERENDISSIMI PATRES ET DOMINI:

Quia plerunque, imò vt plurimũ præſertim in rebus arduis, famæ loquacitas veritatem quibuſdã coloribus adulterinis obnubilat, ideo quid ijs diebus in Romana Eccleſia, cuius honorabiliora membra, & ſublimes columnæ pariter Nobiſcum exiſtitis, geſtum ſit, Vobis præ-

Cardinalium literæ ad abſentes Felix Cõtelorius in Elencho.

E *ſenti ſcriptione veridica curauimus intimare, vt & his, qui Vobis rem aliter narrauerint, aut ſcripſerint, non credatis, ac mentes Veſtræ hac Noſtra inſinuatione clarificatæ, in tranquillo, & ſereno veritatis littore conquieſcant. Veſtris igitur Paternitatibus innoteſcat, quòd ſanctæ, felicisque recordationis Domino, & patri Noſtro D. Gregorio Papa XI. die 27. menſis Martij nuper elapſi viam vniuerſæ carnis ingreſſo, & ſicut de largiſſima Dei pietate confidimus, per labores ad præmia euocato, ſicut aliàs Vobis ſcripſimus, tantique patris, prout erat iuris, & moris, cum debito honore, & reuerentia exequijs celebratis, die 6. præſentis menſis Aprilis Conclaui Palatij Apoſtolici, in quo prædictus Dominus Noſter obierat, ne dicamus obieratis, iuxta ſanctiones Canonicas decreuimus introi-*

F *re, ſed certis ex cauſis ad id Noſtrum inducentibus animum, huiuſmodi Noſtrum introitum ad diem immediatè ſequentem duximus differendum. Quapropter die videlicet ſeptima huius menſis, primitus gratia ſancti Spiritus inuocata, Conclaue præfatum intrauimus, de electione, & ſubſtitutione Romani Pontificis tractaturi, ſequentique die lucifero neſcientes occaſum, vt pie credimus, radijs illuſtrati circa illam diei horam, qua Spiritus ille Paracletus in ſanctorum Diſcipulorum corda deſcẽdit ad perſonam Reuerendi in Chriſto patris D. Bartholomæi Archiepiſcopi Barenſis, viri vtique magnorum meritorum claritate conſpicui, & multiplicium virtutum lampade refulgentis, liberè, & vnanimiter direximus vota Noſtra, eum ad celſitudinis Apoſtolicæ ſpeculum concorditer euocantes, & hanc Noſtram euocationem, ſeu electionem in conſpectu*

A *maxima varia plebis multitudini annunciantes. Ceterùm die 9. huius menſis idem Dominus electus coram turba fidelium copioſa ſuper Thronum dignitatis Apoſtolica ſublimatus ſibi Vrbani VI. nomen aſſumpſit, ac die externa, qua Chriſtus Ieſus ſummus Pontifex vitam Noſtram reſurgendo reparauit, ſicut in Romana Eccleſia conſuetudinis eſt, in Baſilica Principis Apoſtolorum de Vrbe cum ingenti tripudio, & lætitia innumerabilis populi Chriſtiani Pontificali Regno magnificè, & ſolemniter extitit coronatus. Quæ quidem Vobis ideo nunciamus, vt ſicut obitus memorati Domini Gregorij Vobis amaritudinem, & triſtitiæ calicem propinauit, ſic de præſentis Patris conceſſione cælitus Vobis, & Nobis facta, gaudij & exultationis ſpiritum aſſumatis. In illo enim, cuius vices idem Dominus Noſter gerit in terris, firmam ſpem, fiduciamque tenemus, quod ſub eius felici regimine ſtatus Romanæ, & vniuerſalis Eccleſiæ reflorebit, & orthodoxa Fides felix optatumque ſuſcipiet*

B *incrementum. Saluator Noſter Ieſus Chriſtus diu, & feliciter in ſuo ſeruitio Vos perſeuerare faciat iuxta vota. Dat. Romæ 19. die menſis Aprilis ſub ſigillis Noſtris Petri Portuenſis Epiſcopi, Guillelmi S. Stephani in Cælio monte Presbyteri, & Iacobi ſancti Georgij ad Velum Aureum Diaconi Cardinalium hoc prioritatis locum obtinentium in ordinibus ante dictis.*

Hiſce literis ſubſcripſerunt

✠ *Petrus Portuenſis, & S. Rufina* } *Epiſcopi*
✠ *Ioannes Praneſtinus.*
✠ *Guillelmus ſancti Stephani in Cælio monte.*
✠ *Franciſcus ſanctæ Sabinæ.*
✠ *Bertrandus ſanctæ Caciliæ*, fortaſſe loco ſanctæ Priſcæ Amanuenſium errore in reſcribendis hiſce literis.
✠ *Simon ſanctorum Ioannis, & Pauli.*
✠ *Hugo ſanctorum quatuor Coronatorum.*
✠ *Guido ſanctæ Crucis in Hieruſalem.*
✠ *Petrus ſancti Laurentij in Lucina Presbyteri.*
✠ *Geraldus ſancti Clementis Presbyter.*
✠ *Iacobus ſancti Georgij ad Velum Aureum Diaconus.*
✠ *Petrus ſancti Euſtachij Diaconus.*
✠ *Guillelmus ſancti Angeli Diaconus.*
✠ *Petrus ſanctæ Mariæ in via Lata Diaconus.*
✠ *Petrus ſanctæ Mariæ in Coſmedin Diaconus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales.*

C Præter ſupraſcriptos interfuit electioni Robertus tituli ſanctorum duodecim Apoſtolorum Presbyter Cardinalis, poſtea Clemens VII. ſed ſubſcriptione ſua non firmauit literas haſce.

Cardinales Auenione viuentes tempore electionis Vrbani VI. ad quos data ſunt literæ ſuperiùs reſcriptæ.

D Fr. Anglicus Grimaldi Epiſcopus Albanenſis.
Aegidius Iſſalnij Epiſcopus Tuſculanus.
Ioannes de Blanſaco Epiſcopus Sabinenſis.
Petrus ſanctæ Anaſtaſiæ Presbyter, dictus Pampilonenſis.
Guillelmus tituli ſancti Vitalis Presbyter, vulgò Mimatenſis.
Hugo de S. Martiali Diaconus S. Mariæ in Porticu.
At Ioannes tituli ſancti Marcelli Presbyter, dictus Ambianenſis, tempore electionis erat in Italia in ciuitate Corneti.

Eccleſiaſticorum mores corrigere ſtudet.

Vrbanus cum in honore conſtitutus, prudentiam, qua priùs enituerat, viſus eſt omnem exuiſſe. Seuerè illico cœpit animaduertere in ſuæ dignitatis auctores, incenſo ſtudio, ſed intempeſtiuo eorum mores increpare, à donis, ac muneribus accipiendis, à ſimoniæ ambitu, & labe, vt abſtinerent, iubere, vitia corruptiſſimorum temporum tollere, ac mores deprauatos emendare, aliaque id genus adijcere, quæ animos mitioribus Pontificibus aſſuefactos, atque Italorum moribus aduerſos in pœnitentiam à ſe creati Pontificis adduxe-

E re. Faciliùs fortaſſe perditorum etiam hominum impetum prudentia fregiſſet, ſi temporum memor præſentibus obſecundaſſet, & meliora voto expetere, turbulentam, & infirmam ſuam electionem diuturniori Cardinalium obſequio ſtabilire, & dulci præludio ad grauiora excipienda, mentes Potentum allicere curaſſet. Non tulit hoc elati animi, & infauſti temporis conditio. Principes aliquos in Pontificatus auſpicijs offendit; Othonem nimirum Brunſuuicenſem, Ioannæ Siciliæ Reginæ virum contempſit, Honoratum Caietanum Fundorum Comitem Campaniæ Præfectura ſpoliauit: ita aliorum iræ Cardinalibus malè cogitantibus opportunitatem præbuere publicæ pacis turbandæ. Romæ æſtus, cœlique grauitatis ergò Anagniam primò diuerſi, at diſſimulanter, mox fundos Caietani Comitis in ditione, Ioannæ Reginæ Vrbem palam conſpirantes

Principes aliquos offendit.

Cardinales in Vrbanũ conſpirant.

F Galli omnes Cardinales conceſſerunt; callide aduocati Itali ſub ſpe promiſſæ vnicuique ſeorſim ſupremæ dignitatis; ſed plenis Comitijs, & concordibus ſuffragijs Itali, & Galli Cardinales Robertum Gebennenſem Cardinalem Pontificem renunciarunt xiij. Kalendas Octobris eiuſdem anni 1378. quatuor tantùm menſibus, & vndecim diebus elapſis ab electione Vrbani, Clementis VII. nomine impoſito. Extemplo ad Francorum Regem Clemens literas miſit, ne fidem vllam haberet literis, aut Nuncijs Vrbani ſe Pontificem maximum prædicantis, vtpote vi, ac vitio creati.

Clementis Septimi Pſeudopontificis electio.

Itali, Germani, Angli, Hiberni, Hungari, Belgæ, Britanni, & Luſitani ſtant pro Vrbano.

At pro Vrbano ferè ſemper contra Clementẽ fuere Italiæ populi, Germaniæ, Angliæ, Hiberniæ, Hungariæ, Belgæ quoque, Britanni, & Luſitani, eique mutata ſententia tandem Aragones, & Catalani adhæſerunt, Clementis partes ſequentibus Gallis duntaxat, qui ſtatim confœderatos Scotos, mox Nauarreos, deinde Hiſpanos legationibus multis in ſuam ſententiam adduxerunt.

Multi Vrbanum, vt legitimũ Pontificem agnoſcũt.

Triginta duo volumina huiuſce ſchiſmatis ſeruantur in Archiuio Vaticano, in quibus omnia congeſta reperiuntur, quæ pro vtraque parte acta, vel ſcripta ſunt. Habentur ibi Doctorum virorum tractatus varij, Vrbanum verum Pontificem probantes; extant Catharinæ Senenſis ſanctiſſimæ Virginis epiſtolæ ad Carolum Imperatorem, vt illum legitimè electum crederet, ac veneraretur; aliæ ad Italicos Cardinales, qui ab Vrbano deſciuerant, vt ad ſanam mentem redirent; nonnullæ ad ipſum Vrbanum, quibus illum hortabatur ad Eccleſiam Romanam nouis, ijſque optimis Cardinalibus muniendam, qui eſſent veluti columnæ fortiſſimæ, & ad omnẽ Satanæ impetum inconcuſſæ. S. Catharina Sueca Diuæ Brigittæ filia Vrbanum vti le-

B gitimum Pontificem agnouit, Fr. Petrus Aragonius Infans, ordinis Minorum Alumnus, vir Regia nobilitate non minus, quàm ſanctitate, ac reuelationum dono illuſtris Vrbanum verum Pontificem nunciabat. Baldus peritiſſimus iuris Ciuilis, ac Pontificij Interpres, ſuper hac re conſultus reſpondit, Vrbanum ſibi videri verum Pontificem. Ioannes quoque Lignanus ſacri Iuris celebris Doctor Vrbani cauſam defendit. Contra Vrbanum tamen videntur eſſe Ioannes Lazardus Cæleſtinus, illius æui ſcriptor in Epitome hiſtoriæ vniuerſalis, Theodorus à Niem aliique; at hi faciliimè erroris arguuntur. Si enim Cardinales inuito illum elegiſſent, curiam Roma ſemel egreſſi, ad Vrbem ſponte redire, ſacræque inaugurationis maieſtati interfuerunt? cur Regibus, & Purpuratis Patribus literas de hac electione ſcripſerunt?

Seditionẽ Romanorum compeſcit.

Spondan. in Annal.

Gobel in act. 6. c. 72

Vrbanus igitur Romæ à Cardinalibus Romanis Pontifex renunciatus, cum Romani in illum ſeditionem excitaſſent Cruce manibus

C accepta, fidenter ſe ſe concitatæ multitudini obijciens, eam facile ſua conſtantia placauit, & ad veniam petendam flexit, vt refert Vvalſingamus. Cauſam tamen ſeditionis ille non tangit, quam Krantzius ex tractatu cuiuſdam monachi de rebus Vrbani, quibus interfuiſſe ſe fatetur, & nihilominus multa eis abſona, & inepta immiſcet, extitiſſe ait ex eo, quòd aliquid Vrbanus Romanis denegaſſet, quòd ipſi petebant, Vrbanũ autem audito eorum cum armis ad palatium aduentu, ſediſſe infulatum ad ingreſſum atrij, & vultu ſeuero adeo terruiſſe irruentes, vt pacati reuerſi ſint ad ſua. Sedato Romano tumultu totus fuit in regenda Romana Eccleſia.

In Monteregali ſedes Epiſcopalis erecta.

Aug. Vghel. 10 Ital. ſac. 4. tom.

F. Damianus Taualia primus Epiſcopus Montiſregalis.

Roma Neapolim ſe confert Vrbanus.

Michael Monach. in Sanctuar. Capuan.

Spondan. in Annal. Eccleſiaſt.

Montem regalem, ſeu corrupto vocabulo *Mondom*, quæ eſt Vrbs in Pedemontana regione, ſita inter Sturiam, & Tanagrum Epiſcopali dignitate, poſtulãte Theodoro Palæologo Montisferrati Marchione donauit, ac primum illius Epiſcopum Vrbis dedit Fr. Damianum Taualiam Ianuenſem ordinis Prædicatorum Theologum, & verbi

D Dei celebrem concionatorem. Huiuſce erectionis Diploma Pontificium ex Archiuio eiuſdem Vrbis reſcripſit in quarto tomo ſuæ Italiæ ſacræ Ferdinandus Vghellius. Anno 1383. principio menſis Maij ad euitandum periculum peſtilentiæ in Vrbe graſſantis Tibur petijt, deinde Neapolim adijt, tum, vt turbatum bello Regnum ſtabiliret, tum, vt promiſſos à Carolo Rege in ſua Regni inauguratione nepoti ſuo Franciſco Prignano Principatus, quorum traditionem Carolus differebat, vindicaret. Iter eò ſumpſit, quamuis, & à nonnullis è ſuis Cardinalibus diſſuaderetur, & multi Prælati è Regno ipſo ſcriberent, ne accederet, ac denique Rex ipſe Carolus ſibi fore eius aduentum ingratum non diſſimulanter oſtenderet. Proceſſit nihilominus, & poſt aliquas in itinere moras Auerſam peruenit ad principium Octobris, cuius appropinquationem cum audiſſet Carolus, qui tunc longè diſſitis locis occupatus erat aduerſus Ludouicum Andegauenſem, aduolans in occurſum, obuius ei factus eſt extra

E Auerſam, & ſtratoris munus ei de more exhibuit. Vrbem illam ingreſſum cum vellet Carolus in arcem amplam, & hoſpitio longe commodiorem deducere, abnuit ille, ne fortè non liberum ei foret inde egredi, ſed ad ædes Epiſcopi diuertit, rebus ſequẽti die quietè procedentibus, nocte proxima miſit Carolus, qui in arcem inuitarent, & renuentem traherent. Perductus inuitus, & perducentes fruſtra excommunicans detentus eſt ibi quinque diebus, cunctis extra ignorantibus, quid cum ipſo ageretur; ibi coactus eſt reuocare conditiones, quibus Regnum Carolo conceſſerat. Poſt hæc Neapolim concedens, à Carolo, qui præceſſerat, ſuperbè magis quàm honorificè ſuſceptus eſt, quippe Throno eminentiore ante portam Ciuitatis ſibi erecto, Corona, alijſque Inſignibus Regijs ornatus inter medios Proceres conſidens, non priùs ſe mouit, quàm ad locum Pontifex perueniſſet, tunc verò ſe erigens pedes oſculatus eſt, &

Malè habitus à Carolo Rege.

F Pontifex ex equo frontem eius. Nullo alio ei honore à Neapolitanis exhibito, prohibente Rege, ab eodem tantùm deductus eſt per frœnum equi, & cum vellet ad ædes Archiepiſcopales diuertere, haud permiſſus eſt à Carolo, ſed in Caſtellum nouum deductus, ibi ſub fideli cuſtodia multis diebus detentus fuit; haud tamen prohibitis, qui vellent ad eum viſitationis, aut negotiorum cauſa accedere. Demum interceſſione Cardinalium, ac nonnullorum Procerum inita inter eos concordia, Rex publicè veniam de præteritis à Pontifice petijt, promiſſa Franciſco Prignano adimplere pollicitus eſt, ac Pontificem in ædes Archiepiſcopales migrare, & à populo Neapolitano ſolitis honoribus recipi, & coli permiſit. In his ædibus ſæpiùs

Barthol. Chiocca pell. in Catalog. Arch. Neap.

à Rege

à Rege, & à Margarita coniuge ſalutatus. In Vigilia Natiuitatis Domini anni 1383. in eam Eccleſiam cum Cardinalibus deſcendit, vbi primæ Veſperæ Pontificalibus ſolennijs celebratæ ſunt, & die prima Ianuarij anni ſequentis 1384. Miſſam in ara maxima celebrauit, ac inter Miſſarum ſolemnia Hæreticum, & Schiſmaticum Ludouicum, aliàs Aloyſium Andegauenſem Ducem declarauit, qui Clementis VII. Pſeudopontificis partes fouebat, ac Regnum Neapolis armato milite inuaſerat. In hunc ſacram militiam indixit, atque ijs, qui contra illum arma impugnaſſent, cunctorum veniam delictorum indulgere promiſit. Carolum Regem S. R. E. Anteſignanum nominauit, ac Vexillum ſacrauit, quod dextera manu Carolus Rex ſemper geſtauit, dum Pontifex ſacrum fecit. In feſto Purificationis B. Mariæ die ſecunda Februarij in Eccleſia eadem peracto de more ſacrificio, ſacris candelis Regem, Reginam, & Cardinales donauit.

Bina denouet Andegauenſ. Ducem.

Carolus Rex S. R. E. Anteſignanus. Sacras eis delas diſtribuit.

B Neapoli Luceriam ſeceſſit Vrbanus, & ibidem conuocato ad concionem Clero, ac populo, longa ad eos habita oratione de coniuratione quadam in ſe à nonnullis Cardinalibus deſignata, & vinctorum confeſſione, qua præcipuus eius architectus detectus fuerat Cardinalis Reatinus, conſcij Carolus Rex, eiuſque vxor Margarita, quos ipſe ad tantam dignitatem euexerat, erecta Cruce, & accenſis candelis, eoſdem Regem, & Reginam, Reatinum, ſexque alios Cardinales, nec non Robertum hoc eſt Clementem Antipapam, eiuſque Pſeudocardinales, complices, conſiliarios, adiutores, fautores, conniuentes, ac communicantes excommunicauit. Regem, & Reginam Regno depoſuit, Cardinales, & alios dignitatibus exuit, Vrbem Neapolitanam interdicto ſubiecit, ac demum in eorundem execrationem candelas extinxit, & in terram proiecit. Prælatos omnes, & Clericos, qui Neapoli partes Vrbani fouere detecti ſunt, carceribus includi, tormentis vexari, ac nonnullos in mare præcipitari iuſſos eſſe à Carolo Rege ſcribit Niemus. Sic igitur rebus inter Pontificem iracundum, & Regem ingratum procedentibus, cum antelatam in Regem excommunicationis, ac priuationis ſententiam, C præmiſiſſet Pontifex de more citatione, Rex vt ei facilius, ſicut dicebat, reſponderet, collecto exercitu Luceriam obſidione cinxit, Ducem tamen ei præficiens Reatinum olim Cardinalem, quem ſuum Cancellarium creauerat. Luceria capta, direpta, & incenſa, præter eminentiorem Arcem, in qua erat Pontifex graui penuria preſſus, qui interim armis vſus Pontificijs, ter ſingulis diebus è feneſtris arcis cum tintinnabulo, & cãdelis accenſis maledicebat exercitui Caroli, vnde commoti Neapolitani ciues Carolum de pace ineunda ſollicitarunt, & eo annuente res tamen effectu caruit, aduerſariorum improbitate ſperantium Vrbanum breui in manus ſuas peruenturum, quem deponere, aliumque eius loco ſufficere conſtituerant. Sed prouidens ipſe rebus ſuis, rogatis clam Genuenſibus decem ad ſe mitti triremes, quæ ipſum educerent. Interim ope D Raymundi de Baucio de Vrſinis filij Comitis Nolani, ac Thomæ Sanſeuerinatis, egregiorum Ducum partis Andegauenſis, inuitis hoſtibus è Luceria ereptus eſt die ſeptima Iulij. Deinde non ſine magno labore, & periculo deducitur terreſtri, ac difficili itinere vna cum ſuis Cardinalibus tam liberis, quàm captiuis primò Beneuentum, deinde Minorbium Ciuitatem Apuliæ, demum inter Barletum, ac Tranum à triremibus exceptus, multa littora Siciliæ, ac Italiæ legens, tandem Genuam peruenit die 23. Septembris, ibique vſque ad finem anni ſequentis permanſit. In itinere autem è Luceria ad triremes quomodo in captiuos Cardinales, & præſertim in Aquilanũ Epiſcopum ſe geſſerit, refert Theodorus à Niem his verbis. *Dum Vrbanus iter ageret ad portum fluminarum, ſemper ſecum captiuos abduxit Cardinales, & Epiſcopum Aquilanum, & eos iuxta ſe equo vehi, & quemlibet eorum per ſatellites, ne per viam euadere poſſent, diligenter fecerat cuſtodire. Sed quia prædictus Epiſcopus habuit equum parum vtilem, atque inualidum, quo* E *vehebatur, ſimulque propter tormenta adhuc membris confractus extiterat, ſic quod ita citò equitare non poterat, ſicut Pontifex affectabat, vnde Papa credens ipſum Epiſcopum, vt euaderet, ſic in via tardare, furore ſuccenſus, à carnificibus mactari mandauit.* Hæc ille in Romanos Pontifices maledicus; huius tamen crudeliſſimæ inhumanitatis reliqui illius æui auctores non meminerunt. Genuæ reſidens Vrbanus, cum ab amicis Cardinalium captiuorum tam veneno, quàm nocturnis armis non ſemel tentatus fuiſſet, demum ab ijs

Luceriam ſeceſſit.

Regi, & Reginæ Neapolitanis, ac eorũ fautoribus ſacra interdicit.

Obſidione cincta Luceria, deinde capta.

Genuam petit.

Epiſcopi Aquilani mors.

A ſe expedire deliberans, reiectis omnium, qui pro eis interpellarant, precibus, quinque eorum vario mortis genere mactari iuſſit. Cum ijs verò quatuor alios inſignes Prælatos necatos eſſe, Boninſegnius Florentinus tunc viuens memorat.

Senet in Cardinales.

Ceterum Vrbanus poſtquam ampliùs anno Genuæ fuiſſet, cum parum inter ipſum, & Antoniottum Adornum Ducem Ciuitatis conueniret, ſiue quòd non debita reuerentia ei exhiberetur à Genuenſibus, inde ſoluens maritimo itinere, Lucam Hetruriæ Vrbem petijt ad finem anni 1386. vbi nouem menſes ſedit; ibique nocte Natalis Domini diuinis peractis, illius Ciuitatis Magiſtratum Enſe, & Pileo gemmis, auroque exornato, ut de more benedictione conſecrato donauit. Teſtatum hoc facit manuſcripta Petri Tuccij Lucenſis Chronica laudata à Carolo Carthario in Syllabo Aduocatorum ſacri Conſiſtorij his verbis.

Lucam ſe confert.

Magiſtratũ Lucenſem enſe, & pileo ſacro donat.

B *Nel 1385. venne à Lucca Vrbano Seſto, sbarcando il giorno 23. di Decembre al Porto di Motrone, e quiui riuerentemente raccolto, e magnificamente alloggiato da gl'Ambaſciatori di Lucca, il giorno ſeguente ſe ne venne alla Città, doue la medeſima notte, che fù la Vigilia di Natale, volle egli ſteſſo celebrare la Meſſa, e fare la benedittione dello Stocco, honorandone la Republica nella perſona di Fortegnerra Forteguerri, che in quel tempo ſi trouaua nel ſupremo Magiſtrato Confaloniere di Giuſtitia; e così haueua ſeruito à ſua Santità di Suddiacono, e cantata l'Epiſtola. Dimorò queſto Pontefice in Lucca con tutta la Corte ſei meſi, nel qual tempo fece la benedittione delle Candele, delle Palme, della Roſa, e de gli Agnuſdei; tenne Segnatura di Gratia, Conciſtori publici, e ſegreti, quali tutti teneua nel Veſcouato, doue era alloggiato. Fece inoltre molte gratie, tra le quali fù l'elettione di Roberto Guinigi in Protonotario Apoſtolico de' Participanti, e di Bartolomeo Fortegnerra in Auuocato Conciſtoriale.*

C Antequam Luca abiret, S. Antonino teſte, Crucem promulgauit contra Othonem Brunſuuicenſem, ac Thomam Sanſeuerinatem, qui Neapolim occupauerant: in receſſu verò ſuo frænum equi fractum eſt, & mitra de capite cecidit, quòd in malum omen quidam interpretati ſunt. Luca Peruſium acceſſit circa feſtum S. Michaelis, egreſſus deinde Peruſio Vrbanus cum vix decimo milliario abeſſet, cespitante mulo, cui inſidebat, corruẽs in terram, varijs corporis partibus læſus, vehiculo Tibur delatus eſt. Ad quam Vrbem obuios habens Romanorum Legatos, acceſſum ad Vrbem obnixè ſuadentes; parum tamen ijs fidens vltra proceſſit, vſque Ferentinum Campaniæ oppidum. Deſertus interim à ſtipendiarijs, eo quòd pecunijs deſtitueretur, Romam coactus rediJt, eòque peruenit ad principium menſis Octobris. Scribit Gobellinus quendam Eremitam viſione admonitum, fuiſſe hortatum Vrbanum, vt Romam peteret, dubioque illi quid facturus eſſet, apparuiſſe S. Petrum D in ſublimi ad eam partem, quæ Romam ducebat, ac vidiſſe cum eo plurimos è ſuis, ſed illum iuſſiſſe, ne viuente ſe cuiquam reuelarent, ea porrò viſione confirmatum Romam acceſſiſſe, & inſigni honore acceptum fuiſſe.

Othoni Brunſuuicenſi, & Thomæ Sanſeuerino ſacra interdicit.

Romam redit.

Sic igitur Eccleſiæ ſtatu ſub turbulento, & aſpero regimine Vrbani, quem Otho Brunſuuicenſis, ſi non piè, certè non impropriè *Turbanum* loco *Vrbani* nuncupare ſolebat, laborante, & vacillante, tandem anno à partu Virginis 1389. Idibus Octobris, vel tertio Idus, ſeu xvj. Kal. Nouembris, nullo bonis relicto ſui deſiderio, nulliſque præter conſanguineos mortis impreſſo dolore migrauit è vita. Præter enim grauiſſimum, & diuturnum ſchiſma ab eius imprudentia, & feritate ortum, etiam ſuæ obedientiæ Principes nonnullos bello vexauit, Cardinales plurimos ſibi reddidit inuiſos, & vt contra eos, quos ſibi facilè conciliauit, hoſtes ſe defenderet, Eccleſiam depauperauit. Sedit, ſi ſediſſe dicatur, qui nullibi quietè commoratus, E ſedes multas mutare coactus eſt, annos vndecim, ſex menſes, dies ſeptem, etſi plures menſes Platina, & Genebrardus, dies plures Fr. Lucas Vvaddingus enumerent. Mortuus traditur ab Onuphrio, nullo recepto Eccleſiæ Sacramento, fortè veneno ex inſperato ſuffocatus, quantumuis Niemus velit, continuos dies viginti octo ægrotaſſe. Sepulturam habuit in Vaticano, vt dictum eſt ſupra à Ciaconio; eius ſepulchrum viſebatur olim in illa Baſilica, nunc autem cum multis aliorum monumentis euerſum eſt, & erat tale,

Vrbani obitus.

Sepulchrũ

Erat etiam hæc ibidem Inſcriptio ſepulchralis, rudis quidem.

Inſcriptio ſepulchralis.

Hac animo magnus, ſapiens, iuſtuſque Monarcha
Parthenopæus adeſt, VRBANVS Sextus in Arca,
Feruebat fides latebras conſerre Magiſtris;
O decus, his fretus ſemper poſt prandia ſiſtris,
Schiſmatibus magnis animo maiore regebat;
Omne ſimoniacum tanto ſub Patre tremebat,
Quid tenet hunc terris mortalis tollere laude?
Pro meritis cæli ſplendet ſibi gloria valde.

Neapoli in ſacello familiæ Funicellæ alia extat Vrbani memoria, & eſt talis.

Inſcriptio Neapolitana de eod. Vrbano.

Caraccio. l.º io Neap. ſacra.

VRBANVS PAPA VI.
EX FAMILIA PRIGNANA NEAPOLI NATVS
SED A PISIS ORIVNDVS ANTE ERAT
BARII ARCHIEPISCOPVS.
IS MORTVO GREGORIO PAPA XI. A CARDINALIBVS
IV. ID. APRILIS IN CONCLAVI CONSENTIENTIBVS
PONT. OPT. MAX. FVIT RENVNCIATVS
AC XIV. KAL. MAII PAPATVS INSIGNE
ASSEQVVTVS FVIT.
SEDIT MAGNO TVMVLTV
ANNOS XI. MENSES VI. DIES VII.
OBIIT ROMAE A. MCCCLXXXIX. III. ID. OCTOBRIS
IACET IN BASILICA S. PETRI.

Dæmon obſeſſus profitetur Vrbanum eſſe verũ Pontificẽ.

Io. Chapeauill.º de Geſt. Pontif. Leodien.

Memorabile eſt, quòd apud Leodium in Gallia Belgica anno a partu Virginis 1380. accidiſſe ferunt. Cum Parochus ibi ſacram Hoſtiam inter Miſſæ ſolemnia de more eleuaret, cœpit præter morem æditus, vultum ab hoſtia cum fremitu auertere; vnde Parochus in ſuſpicionem eius, quòd erat, adductus, ſacris peractis, confeſtim illum exorcizat, & inter alia multa dæmonem coniurationibus preſſum adigit, *Vt non Clementem, ſed Vrbanum legitimum Pontificem eſſe profiteretur, nam & ego, inquit, cum alijs auctor fui, vt Cardinales alterum, qui modo ſe Clemẽtem nominat, eligerent.*

Scripta.

Ludou. Iacob. à S. Carol. in Bibliotheca Pontificia.

Scripſit Vrbanus hiſt. Epiſcoporũ Barenſiũ ad ſua vſq; tempora.
Formulas item Precum.
Epiſtolas quaſdam, quæ extant tomo ſeptimo Conciliorum.
Conſtitutiones Eccleſiaſticas, quæ leguntur in Collectione Romæ edita anno 1579.
Literas Apoſtolicas, ſeu Bullas, quæ habentur in Magno Bullario Laërtij Cherubini, & apud Ferdinandum Vghellium in Italia ſacra.

Vrbani ſtudium in Deiparam.

Hippol. Marrac. in Pōt. Mar.

In Deiparæ Virginis cultu feruens Lauretanam Domum ipſo die Natalis Virginis viſentibus cumulatiſſimam delictorum omnium Indulgentiam impertiuit; omnibus autem pœnitentibus, & confeſſis, qui matutino officio feſti Viſitationis B. Mariæ Virginis intereſſent, centum; qui verò Miſſæ totidem; qui autem primis, ſeù ſecundis feſti Veſperis, ſimiliter centum; illis verò qui Primæ, Tertiæ, Sextæ, & Nonæ, ac Completorij officijs pro qualibet horarum ipſarum quadraginta dies; illis autem, qui per octauam feſti prædicti Matutinis, Veſperarum, Miſſæ, ac prædictarum horarum officijs intereſſent, centum dies, ſingulis octauarum ipſius diebus de iniunctis ſibi pœnitentijs miſericorditer relaxauit. Illis verò, qui ordinem Carmelitarum, & fratres eiuſdem ordinis, ordinem, ſeu fratres beatiſſimæ Mariæ Dei Genitricis de monte Carmeli vocaſſent, ac nominaſſent, trium annorum Indulgentiam, ac tot quadragenarum perpetuis temporibus duraturam conceſſit. Romæ Templum ſanctæ Mariæ Montis Serrati nationis Arragonicę à fundamentis extruxit, ac Purificationi Deiparæ dicauit.

Io. Rupe. Lezan. in Maria Patrona.

Erectio Templi S. M. Montis Serrati.

Erectio Cœnobij S. Hieronymi de Quarto.

Cathedralis Ceſenatenſis erectio.

Anni Iubilæi reductio ad trigeſimum tertium quemque annum.

Studium generale Vrbeuetanũ erect.

Tribus ordinis D. Auguſtini fratribus ab Hiſpania profugis, & iram Ioannis Caſtellæ Regis declinantibus, conceſſit facultatem extruendi Cœnobium S. Hieronymi de Quarto non procul ab Vrbe Ianuenſi, ordinis Montiſoliueti. Permiſit etiam alio Diplomate de hac re Tibure jv. nonas Auguſti, anno primo ſui Pontificatus edito Cæſenatibus, vt nouam Cathedralem conſtruerent, cum antiqua in arce, de nouo extructa ad præſidium Vrbis incluſa eſſet. Iuſſit præterea non amplius quinquageſimo, ſed trigeſimo quoque tertio anno ſacrum Iubilæum celebrari. In Vrbeuetana Ciuitate, quam peculiarem filiam ſuam, & Romanæ Eccleſiæ ob ſeruatam fidem nominat, generale ſtudium, ad inſtar Pariſienſis, ac Bononienſis erexit, & multis priuilegijs exornauit; extat in Tabulario eiuſdem Vrbis Vrbani Diploma hac de re editum Romæ jv. Idus Maij anno primo ſui Pontificatus.

Congregationis Feſulanæ inſtitutio.

Anno à partu Virginis 1386. Sedente Vrbano in Petri Cathedra ortum habuiſſe dicitur Congregatio Feſulana fratrum Mendicantium S. Hieronymi, à B. Carolo filio Antonij Comitis Montiſgranelli Sacerdote Diœceſis Sarcenatenſis vitam eremiticã vnà cum nonnullis eius ſocijs ducente in montibus antiquæ Ciuitatis Feſulanæ in Hetruria; quę poſtea confirmata eſt ab Innocentio VII. ſub quo eam collocat Panuinius, & ab alij poſt eũ, Gregorio XII. Eugenio IV. alijſque Romanis Pontificibus ſub regula S. Auguſtini, ac veſte leucophæa.

Concilium Palentinũ.

Saliſburgenſe.

Tempore Vrbani habitum eſt Concilium Palentinum in Hiſpania, quæ Clementis Pſeudopontificis partes ſequebatur, ſub præſidio Petri de Luna, in quo plurimæ Conſtitutiones pro reſtauratione diſciplinæ Eccleſiaſticæ conſcriptæ ſunt, prout, & in Synodo Saliſburgenſi tempore eodem à Pilgrino Archiepiſcopo celebrata.

PRIMA CREATIO CARDINALIVM
Vrbani Papæ VI.

Anno Dominicæ Incarnationis 1378. *Pontificatus Primo*, ijv. Kal. Octobris, ſeu ex Contelorio die 28. Septembris Romæ in Baſilica S. Mariæ Trãſtyberim Vrbanus VI. Romanus Pontifex viginti nouem Eccleſiaſticos, & ſeculares, ac Religioſos per diuerſa mundi Regna exiſtentes, vnica die in Cardinales aſſumpſit, nominauit, & creauit; quorum nonnulli aſſenſum huiuſmodi aſſumptioni non præbuerunt, alij verò conſenſerunt, & ſunt.

I.

GVILLELMVS, cuius agnomen, ac patria nobis ignota, ab Vrbano VI. renonciatus Presbyter Cardinalis S. Euſebij anno 1378. paulò poſt ſuam creationem, nempe die 29. Nouembris eiuſdem anni è vita exceſſit; vt conſtat ex Vrbani Diplomate dato tertio Kal. Decembris anni 1378. in quo fit mentio bonæ memoriæ Guillelmi tituli S. Euſebij. Ciaconius, & Panuinius ſcribunt hunc ex Patriarcha Hieroſolymitano Presbyteris Cardinalibus tit. ſancti Stephani in Cœlio monte, deinde Epiſcopis Tuſculanis adſcriptum, ac Romæ è vita diſceſſiſſe primis Vrbani VI. Pontificatus annis, & in Baſilica S. Petri ſepultum. Sed labuntur, quia Guillelmus Patriarcha Hieroſolymitanus numquam renunciatus eſt S. R. E. Cardinalis, & deceſſit, dum eſſet Patriarcha, & Adminiſtrator Eccleſiæ Hydruntinæ, vt aſſerit Clemens VII. Pſeudopontifex in Diplomate edito jv. Kal. Aprilis anni 1393. Alter Guillelmus tituli ſancti Stephani in Cœlio monte eſt Guillelmus de Agrifolio creatus ab Vrbano Quinto. Tertius Guillelmus tituli S. Stephani in Cœlio monte eſt Guillelmus de Altauilla, de quo infra. Quartus verò Guillelmus Epiſcopus Tuſculanus eſt Guillelmus Curte, qui obijt anno 1361. quare quæ vni tribuuntur Guillelmo à Ciaconio, ſunt pluribus reſtituenda Guillelmis, vt ſcribit Felix Contelorius in Elencho; his adde quòd ex aliquibus tunc tẽporis Philippus de Alẽchonio erat Patriarcha Hieroſolymitanus. Huic Guillelmo cum Patriarchatu Hieroſolymitano, titulo S. Stephani, & Epiſcopatu Tuſculano gentilitium ſtemma dederat Ciaconius, ſed nos cum titulis illis hoc quoque reijcimus.



II.

Ciaconius

Panuinius

Aubery in vita.

PHILIPPVS de Alenconio, alijs de Alenſonio, natione Gallus, Regij ſanguinis, filius Caroli Ducis de Alenzon, & Mariæ De la Cerda Hiſpanæ, in baptiſmatis fonte à Philippo Valeſio Rege patruo ſuſceptus, adeo dictus Philippus, primum Epiſcopus Bellouacenſis, deinde Auxitanus Præſul, tandem Rothomagenſis Archiepiſcopus ac Monaſteriorũ S. Georgij Ferrariæ, & in Braida Veronę Præfectus renunciatus, cum in ſe Regis Galliarum animum maleuolentia ſuffuſum agnouiſſet, Romam ad Vrbanum, cui ſciebat Regem aduerſari, confugit. Benignè illum excepit Vrbanus, & nondum planè Regi reconciliatum, Presbyterum Cardinalem titulo Caliſti S. Mariæ Tranſtyberim primò, deinde Epiſcopum Sabinenſem, Patriarcham Aquileienſem, & Legatum Patrimonij nominauit cum ſumma auctoritate, ita vt milites legere poſſet ſtipendio Eccleſiæ, imò ipſius Romanæ Eccleſiæ oppida pignori tradere ad colligendam pecuniam, qua Carolo III. Dyrrachij Duci commeatum, & militum copias ſubminiſtrare valeret ad Regnum Neapolitanum recipiendum. Volunt etiam nonnulli eum fuiſſe Patriarcham Hieroſolymitanum.

Ferdinand. Vghel. in Ital. ſac.

Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana.

Henricus Spondan.º in Annal. Eccleſiaſt.

Cum ab Vrbano, vt diximus, Patriarchatum Aquileienſem obtinuiſſet illico huic electioni ſe ſe oppoſuere Vtinenſes, Carni, & Forojulij Principes viri nolentes hoc ſacerdotium Cardinalibus mancipari. At ille Regi Galliarum iam conciliatus, vt & armis eiuſdem Franciæ Regis Ludouici conſanguinei, & Franciſci Carrariæ Domini Paduæ, quòd vltro non dabatur ab Vtinenſibus, quos ſacris interdixit, acquirere non prætermiſit ſex annorum ſpatio, quòd cum Pontifex non probaret, Philippum in propoſito perſiſtentem, Vicariatu primò, deinde vti Clementis VII. ſequacem, Eccleſia Sabinenſi, & pileo ipſo Cardinalitio priuauit. Sed ab ipſo Vrbano, ſeu potiùs à Bonifacio Nono ſucceſſore reſtitutus, ad Sabinenſem primò, deinde ad Oſtienſem Epiſcopatum aſcendit, vt ipſemet Bonifacius teſtatur dum ſcribit Philippum hunc Epiſcopũ Oſtienſem Romæ obijſſe.

Felix Contelor. in Elencho.

E vita igitur exceſſit Romæ magna ſanctitatis opinione die 16. Auguſti anni 1397. ex libro Obligationum ſacri Collegij, qui in Vaticano ſeruatur, ex ſepulchrali vero inſcriptione anno 1403. ex Ciaconio anno 1402. & ſepultus ad S. Mariam Tranſtyberim inſigni marmoreo cum eius effigie, & clypeis tumulo ſuper aram ab ipſo extructam parieti affixo, & habet hoc elogium.

Franco-

Francorum genitus Regia de ſtirpe PHILIPPVS
Alenconiades, Oſtia Titulatus ab Vrbe,
Eccleſiæ Cardo, tanta virtute reluxit,
Vt ſua ſupplicibus cumulentur marmora votis.
Anno milleno cum C quater abde ſed I ter
Occubuit, qua luce Dei pia Virgoque Mater.

Hier. Gambert in vit. Pont. & Cardinalium.

S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus Hiſtoriæ tertia parte, meminit Philippi de Alenconio: quem tamen ſcriptores aliqui malè acciprunt, & ingrati animi notam illi inurunt, quòd relicto Vrbano immemor beneficiorum acceptorum Clementis VII. Pſeudopontificis partes aliquando ſecutus eſt. Felix tamen Contelorius ſcribit Philippum nunquam Cardinalatu priuatum fuiſſe, & vnde id hauſerit Ciaconius, ſe neſcire.

Geſſit Philippus ſcutum Regum Franciæ illius æui ſcilicet cœruleum lilijs aureis incerto numero exaratum, margine miniato nummis byzantijs argenteis impreſſo octo, vt alijs videtur fractum.



III.

Ciaconius. Felix Côtel. in Elẽch. Card. Luc. Vvadding in Annal. Minorum.

FR. THOMAS, aliàs Thomaſinus de Frignano, ſeu Firignano, natione Italus, patria Mutinenſis (familia enim Firignana, ſeu Frignana Bononiæ oriunda Mutinæ cum conſediſſet, inter nobiles eius Ciuitatis gentes olim relata, hodie nullum ſuæ antiquitatis retinet veſtigium) ordinem Minorum in Monaſterio Mutinenſi à puero profeſſus eſt, cumque Theologus eximius, & diuini verbi côcionator maximus euaſiſſet, in Academia Bononienſi publicus Profeſſor, & Bononienſis Prouinciæ Miniſter primò, mox Aſſiſij die 6. Iunij anno 1367. in Comitijs generalibus, omnium ſuffragijs electus eſt totius ordinis Miniſter generalis. Sed anno ſequenti non alia cauſa, quàm quòd cuidam fratri Paulutio, alijſque qui vitam agebant ſpiritualem fauerit, & à Miniſtrorum exemerit poteſtate, accuſatus apud Pontificem, quòd non rectè in fide ſentiret, crimen vrgentibus Guillelmo ex Minorita Epiſcopo Narnienſi, ac Miniſtro Prouinciæ S. Franciſci, per ſexqui annum fermè circa hæc diſtractus, & à regimine ſuſpenſus, tandem publicè Romæ in Eccleſia ſancti Petri coram tribus Cardinalibus, Prælatis multis, viris Religioſis quamplurimis, & ingenti populi multitudine, probata per teſtes centû, & ampliùs eius innocẽtia, ac explorata vitæ probitate, & malo aduerſantium conſilio, cum honore priſtinæ redditus eſt dignitati.

Aubery in vita. Monumenta Trimiliana. Barth. Piſan. lib. cõformit. Oder. Raynald. in ſuis Annalibus Eccleſiaſt. S. Antoninus.

Gregorius XI. Romanus Pontifex anno noſtræ ſalutis 1371. cum magni, & pernicioſi exorti eſſent tumultus in Ciuitate Ianuenſi, ad illos ſedandos Nuncium, & pacis curatorem miſit Fr. Thomam Frignanum ordinis Minorum Miniſtrum generalem, ſcriptis ad Reipublicæ Ducem, & ad Fliſcos literis, in quibus hæc de illo habet Pontifex. *Vos ad reformandam concordiam, & vnitatem cum prædictis, veſtros animos effectualiter diſponatis, pro cuius effectu votiuo, auctore Domino, conſequendo dilectum filium Thomam ſacræ Theologiæ Magiſtrum ordinis fratrum Minorum generalem Miniſtrum, Apoſtolicæ Sedis Nuncium, virum vtique excellentium virtutum, pacis, & concordiæ, ac honoris, & ſtatus veſtræ domus, vt accepimus, zelatorem, ad partes illas præſentialiter deſtinamus.* Ad ipſum autem Thomam has ſcimus ab ipſo Pontifice datas eſſe literas.

Dilecto filio Thomæ, ſacræ Theologiæ Magiſtro, ordinis FF. Minorum generali Miniſtro Apoſtolicæ ſedis Nuncio.

Literas tuas nuper benignè recepimus, & ipſas, ac illas, quas dilecto filio Magiſtro Franciſco Bruni ſecretario Noſtro direxiſti, perlegimus diligenter, & ſuper contentis in illis tuam prudentiam, & diligentiam multipliciter in Domino commendantes, ipſam exhortamur attente, vt tua diligentia, ac ſollicitudinis ſtudijs, totiſque viribus inſiſtas, vt concordia, cuius tractatus in manibus tuis pendet, deſideratus effectus ſine vlterioris moræ diſpendio ſubſequatur, &c. Datum Auenione viij. Idus Octobris.

Menſe Maij anni 1372. motus hoſce compoſuit, vti ſequentes literæ docent, quibus Pontifex ei refert gratias ob rem feliciter, & cum laude geſtam.

Dilecto filio Thomæ ſacræ Theologiæ Magiſtro, ordinis FF. Minorum generali Miniſtro, Apoſtolicæ ſedis Nuncio.

Nouit tua diſcretio, quantum pacis negocium inter dilectos filios nobilem virum Ducem, Conſilium, & Commune Ciuitatis Ianuenſis, & nobiles de domo de Fliſco inſidet cordi Noſtro, Noſque etiam nouimus, quantum ſollicitudo tua vigilauerit, & diligens ſtudium tua induſtria laborauerit in prædictis. Ideoque breuiter ſine multis exhortationibus tuæ diſcretioni mandamus, quatenus in laboribus huiuſmodi pij proſequendi negotij tua perſeuerantia non frangatur, ſed illud ſemper promptioribus ſtudijs proſequaris, &c. Datum Auenione xij. Kalend. Maij, Anno Secundo.

His perfunctum pro Eccleſia Catholica laboribus ſub anni 1372. finem Gregorius XI. Romanus Pontifex Patriarchatu Gradenſi honeſtauit, at non diu ei ab opere, & labore feriari licuit. Ingraueſcente enim inter Cyprios, & Genuenſes perículoſa contentione, iterum aſſurgendum ad opus fuit, & noua ineunda ſollicitudo, ne hi procederent ad arma, eo præſertim tempore, quo in Oriente Chriſtianorum ceruicibus graue imminebat iugum Turcarum. Nuncius Apoſtolicæ ſedis Genuam denuo adijt, vt ad pacem illius Reipublicæ Ducem, ac nobiles impelleret; ac ſimul prouincia illi commiſſa eſt conuocandi ad fœdus, & ſocietatem armorum contra Bernabonem, & Galeatium Vicecomites Duces Mediolanenſes, Amadeum Comitem Sabaudiæ, Marchionem Montisferrati, Nicolaum Marchionem Eſtenſem in Ciuitate Ferrarienſi Eccleſiæ Romanæ Vicarium, & Dominicum Ducem Ianuenſem: Venetos inſuper, ac Patauinos inter ſe armis certantes conciliauit.

Andr. Dãdul. in ſuo Chron.

Thomam ergo tot meritis effulgentem Vrbanus huius nominis Sextus Romanus Pôtifex Presbyteris Cardinalibus adſcripſit titulo SS. Nerei, & Achillei, ſeu, vt refert Panuinius, S. Laurentij in Damaſo. Scribunt aliqui, inter quos Fr. Lucas Vvaddingus in Annalibus Minorum, Gaſpar Iongelinus in Elogijs Cardinalium ordinis Minorum, ac Hieronymus Brianus in hiſtoria Italiæ, paulò poſt Epiſcopatum Tuſculanum ab eodem Vrbano obtinuiſſe. Ferdinandus tamen Vghellius in ſerie Epiſcoporum Tuſculanorum hunc non recenſet, & Felix Contelorius in Elencho videtur innuere Romæ deceſſiſſe Presbyterum Cardinalem. Quicquid ſit, inter eos Cardinales refertur, qui examini Canonizationis S. Brigittæ ex Regno Sueciæ ab Vrbano VI. anno 1379. præfecti leguntur, ſcilicet.

Thomas ſanctorum Nerei, & Achillei.
Eleazarus ſanctæ Balbinæ.
Agapitus ſanctæ Priſcæ.
Gentilis de Sangro Diaconus Cardinalis.
Ioannes Coſſienſis.
Nicolaus tituli ſancti Cyriaci in Thermis.
Scandienſis, aliàs Grandienſis.

Quorum actus, & cunctas res ab his S. R. E. Cardinalibus Bonifacius IX. qui eam inter Diuos retulit, confirmauit.

Ex hac vita migrauit Thomas hic Cardinalis Romæ anno 1381. & ſepultus in Aede ſui ordinis Capitolina ante ſacellum B. Virginis de Aracœli, ac lapis cum eius Inſignibus, & Inſcriptione, quæ ferè exoleuit, cadaueri ſuperpoſitus; Inſcriptionis vix vltimi verſus legi poſſunt, & ſunt.

. . . .
. . . .
. . . .
. . . . . . *mille currentibus annis*
Trecentis quateruicenis vnoque iuncto.



IV.

Ciaconius. Aubery in vita. Ferdinãd. Vghell. in Addit. ad Ciaconiũ & in Ital. ſacr. Chron. Piſan. Monumenta Piſana. Ioſ. Maria Suareſius in Præneſt. Antiqua. Baron. in Annal. Eccleſiaſt. Felix Côtel. in Elẽch. Card.

FRANCISCVS Prignanus, aliàs Moricottus de Vico, natione Italus, patria Piſanus, ſeu ex Panuinio Neapolitanus, Vrbani VI. ex ſorore nepos; anno 1363. ex Primicerio ſublectus fuit Archiepiſcopus Piſanus, atque à patruo vocatus eſt ad Purpuram ad titulum S. Euſebij, inde S.R.E. Cancellarius, poſtea Epiſcopus Cardinalis Preneſtinus. Cardinalis renunciatus Piſas nonis Octobris magnificentiſſima pompa ingreſſus eſt, inde Romam profectus ab eodem Vrbano Campaniæ, & Maritimæ oræ pro Apoſtolica ſede Vicarius generalis, vel potiùs Legatus deſignatur, & prouinciam ſibi ab Apoſtolica ſede mandatam optimè rexit. Prouincijs Patrimonij S. Petri iterum Præfectus aduerſus Clementis Pſeudopontificis milites, ne quid noui in detrimentũ Eccleſiaſticæ dignitatis auderent, maximè ſtuduit. Semper Vrbani in frequẽtibus peregrinationibus perpetuus comes fuit, eoque mortuo, Comitijs Bonifacij IX. interfuit, quo ſedente, cum Romana Curia Aſſiſij eſſet, die Veneris, viij. Idus Februarij anno reparatæ ſalutis 1394. more verò Piſano, 1395. rebus humanis exceſſit. Corpus Piſas tranſlatum marmoreo tumulo in Cathedrali Aede prope chorum ſine vlla Inſcriptione, vt refert Ciaconius, vel ex Ferd. Vghello in ſacrario cum ſequenti Epitaphio ſepultum eſt.

SEP. FRANCISCI MORICOTTI PISANI
CARD. S.R.E. VICECANCELLARII
PATRIAE ARCHIEPISCOPI
OBIIT ANNO DOMINI
MCCCXCV.

Piſis adhuc huius Cardinalis ædes cum eiuſdem marmoreis Inſignibus pileo Cardinalatio exornatis, licet ferè collapſæ extant.

Ciaconius. Panuinius. Ferdinand. Vghel. in Ital. ſac. Spondan. in Annal. Eccleſiaſt.



V.

PILEVS de Prata Foroiulienſis, ex Concordia Ciuitate, ex nobili familia Comitum de Prata ortus, Archiepiſcopatum Rauennatenſem à Gregorio XI. obtinuit; cuius auctoritate, atque hortatu, Conuentu Brugis in Flandria anno 1375. habito pro concordia inter Reges Francorum, & Angliæ tractanda interfuerunt Nuncij iuſſu Pontifice Pileus Archiepiſcopus Rauénas, & Guillelmus Epiſcopus Carpentoratenſis; eo tamen nihil inter illos de pace firmatū eſt cum Angli ſibi ſummum Aquitaniæ imperium omnino aſſertū vellēt, Franci omnino detrectarent concedere, maximè cum iam illam vniuerſam poſſiderent. Et memorabile eſt, quòd ex antiquis actis refert Tilius, obtuliſſe Carolum Regem per ſuos Legatos Eduardo pacis deſiderio mille, & quater centum Vrbes cum ter mille Caſtris in Aquitania, dummodo ſupremitas Carolo remaneret, & Caletum reſtitueretur cum reliquis oppidis ab Anglo occupatis in Piccardia. Cum autem nihil agi potuiſſet de pace ob Eduardi obſtinatum animum, induciæ tantùm per Apoſtolicæ ſedis Nuncios in annum ſunt conſtitutæ. Mortuo deinde Gregorio, & pernicioſo ſchiſmate inter Vrbanū VI. Romanū Pontificē, & Clementem VII. Pſeudopapam exorto, Vrbani partes ſecutus, ab eo, primo ſui Pontificatus anno Presbyteris Cardinalibus titulo S. Praxedis adſcriptus eſt, mox cum Ioanne Pragenſe Senatore Legatus ad Venceſlaum Boemiæ Regem, deſignatum Cæſarem, vt eum in Vrbani fide confirmaret. Germaniam deinde cum eodem legationis munere percurrens, omnes prouinciarum illarum Proceres, & liberas Ciuitates Vrbani VI. partibus, Clemente VII. reprobato addixit. In Italiam reuerſus, Cornetum Vrbem in Patrimonio S. Petri tenuit, exitiali deinde inter Vrbanum, & Carolum Siciliæ Regem diſcordia excitata, multum pro pace inter eos componenda, vltro citroque inter eos commeans Luceriæ, & Neapolim incaſſum laborauit.

Hier. Rubeus in a. h. ſtor Rauennaten. Aubery in vita.

Ceterùm ſeueritate, & rigido Pontificis ingenio, qui aliquot Cardinales necarat, aliquot honore priuauerat, & bella bellis ſerendo Italiam omnem conturbauerat, commotus, qui eius perpetuò fidus Comes extiterat, ab eodem cum Genuæ eſſet, anno 1386. cum Galeoto de Petramala Cardinale ad Clementem VII. defecit, a quo Auenione honorificè ſuſceptus, & maioribus ſacerdotijs locupletatus cum titulo S. Priſcæ inter eius partis Senatores Idibus Iunij refertur. Priuſquam verò Pileus Italia cederet, pileum Cardinalitium, quem ab Vrbano acceperat, Papiæ in foro publico concremauit. Cum autem vir ille acer, & ad res agendas ſtrenuus exiſtimaretur, ab eodem Clemente Legatus in Italiam citra Regnum Neapolitanum cum ampliſſima poteſtate deſtinatur, vt Italos omnes, tum Florentinos ad ſui obedientiam, Vrbano tanquam adulterino Pontifice reiecto, reuocaret. Verùm Vrbanus eum honore, & ſacerdotijs omnibus exuit, vt ex eius, quæ nunc extant, Diplomatibus apparet, quibus ſub grauiſſimis pœnis, & mulcta, diuerſis Italiæ Principibus præcepit, vt eum quauis ratione poſſent, captum in vinculis haberent. Pileus autem in Italiam rediens, cum multis precibus, ac pollicitationibus Florentinos ab Vrbano ad Clementem auertere tentauiſſet, omnia fruſtra egit, acerrimè illi repugnante Angelo Acciaiolo Epiſcopo Florentino, & ab eodem Vrbano Purpureo honore donato. Hac ergo re à Pileo fruſtra tentata, Vrbemveterem magna auri copia ſibi ab Auenionenſibus tranſmiſſa profectus, ingenti exercitu congregato, fœdus cum Raynaldo Vrſino Aquilano Principe, qui Cornetum, Spoletum, aliaque Eccleſiæ Romanæ oppida occupauerat, & Conrado, ac Luca Monaldenſibus Berardi filijs Vrbeuetanis Regulis percuſſit. Quos etiam, vt ſibi ſtrictiore vinculo ſociaret, facultate ſibi conceſſa eos cum ſumma, atque adeo regia poteſtate eiuſdem Ciuitatis Vicarios, & Gubernatores pro S.R.E. conſtituit, annuo accipitris tantùm cenſu perſoluendo Natali Apoſtolorum Petri, & Pauli impoſito. Horum ſubſidijs fretus oppida, Vrbeſque ſubiectas Vrbano mirum in modum afflixit, agros vaſtauit, prædas abegit, & mortales multos captiuos abduxit.

Hier. Gabrielli ... vit. Pont. & Cardinalium. Spondan. in Annal. Eccleſiaſt. S. Antoninus.

Vrbano autem VI. vita functo, aliquot Cardinalium interuentu cum Bonifacio IX. ſucceſſore pacem iniit, & à Clemente, cuius adhuc Legatus erat, diuertens, Viterbium, Montemflaſconē, Narniæ, Spoletique arces, ac demum cuncta, quæ Vrbano VI. abſtulerat, reſtituit. A Bonifacio Cardinalium Senatui redditus, quo fuerat ab Vrbano priuatus, ac Idibus Februarij anno 1391. Pontificatus ſecundo Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus creatus, deinceps per deriſum *Cardinalis trium Pileorum, ſeu Cappellorum* dictus eſt. Bonifacius eum vnicè dilexit, ac Legatum Vmbriæ, Piceni, Aemiliæ, & Flaminiæ ſimul cum annuo trium millium aureorum ſalario dixit. Poſt eas prouincias adminiſtratas, Peruſiæ, & finitimorum regionum legatione iunctus eſt, generalis Apoſtolicæ ſedis in temporalibus Vicarius appellatus. Bonifacij IX. Legatus Viterbij reſidens, ſpirituale, ac temporale dominiū Epiſcopali ſede vacante geſſit, omnibus vtriuſque Iuriſdictionis Officialibus, ac Miniſtris auocatis, alios in ſe bene affectos elegit. Cum autem in dies magis magiſque ibi Viterbienſes infenſos experiretur, de eorum fide veritus; pluribus militibus acceſſitis, Ciuitatem ipſam grauiori iugo ſubijciēdam cenſuit, & quos Clementi Pſeudopōtifici ſuffragari ſuſpicabatur, aut miſerrimè peremit, aut in carcerem affligendos ad exemplum aſperitatis ſuæ detruſit. Verùm die ſeptima Februarij anni 1391. vniuerſo irruente populo, omnes Pilei ſequaces profligati ſunt, Pileus ipſe timore coactus, ſcalis apud S. Syxtum mœnibus adhibitis, propriam ſalutem fugæ commiſit.

Petr. Corretini de ... Epiſc. Viterbienſis.

Pataùij Collegium Pratenſe dictum literarum ſtudioſis alendis, quòd adhuc extat a fundamentis, ſuis impenſis excitauit, & annuis redditibus auxit; hoc tamen Collegium nonniſi poſt Pilei fundatoris mortem, nempe anno 1420. abſolutum eſt, vt indicant ſubiecta carmina ſuperiorem portæ eiuſdem Collegij partem in lapide inciſa, exornantia, quæ adhuc extant, & ſunt.

And. Victorel. in Addit. ad Ciaconium. Laurent. Schrader. de monū. Italiæ.

Atria quanta vides, ſinuoſos flexa per arcus
Dedita Diuinis ſtudijs, & Canone ſacro
Magna Comes PRATAE PILEVS dedit inclytus heros
Cardine Pontificum, celſos operatus honores.
Mille quadringentos bis denos auxerat annos
Partus Virgineus, cum mœnia ſtructa queruut.

E vita exceſſit Pileus menſe Decembri, non anno 1398. vt ſcripſit Ciaconius ſed anno 1400. ſeu 1401. corpus Pataùij in Cathedrali prope Sacellum Corporis Chriſti marmoreo tumulo affixo muris, cum eius inſignibus, & effigie, vt ipſe ex teſtamento iuſſerat, ſepultum, cum hoc Epitaphio.

Stirpe Comes PRATAE præclarus origine multos
Dotibus inſignis, ſeclo celeberrimus, Vrbe
Defunctus, ſtatuit ſua ſic ſuprema voluntas.
Hac Cardinalis PILEVS tumulatur in vrna.

Andreas Victorellus in Additionibus ad Ciaconiū ſcribit Pileum nondum obtenta Eccleſia Rauennatenſi, Patauini Pontificatus inſulis fuiſſe decoratum, ac probat Petrarchæ Templi Patauini Canonici teſtimonio, qui Pileo Patauino Epiſcopo epiſtolam iam ſenex ſcripſit, eumque ad animi conſtantiam hortatus eſt, in cuius initio hæc habet. *Aetate fili, charitate frater olim, dignitate iam Pater amantiſſime.* Pileum quoque Patauinum Epiſcopum nominant Guillelmus Ongarellus in hiſtoria Patauina, Catalogus Patauinorum Antiſtitum m. ſ. apud Laurentium Pignorium, Iacobus Cauacius in hiſtoria S. Iuſtinæ, & illius imago coloribus effìcta Patauij in celebri ædium Epiſcopalium aula cum alijs omnium Epiſcoporum imaginibus viſitur. Et Catalogus eorundem in libro Angeli Portinarij de Patauij Felicitate editus, & Ferdinandus Vghellius in ſerie Epiſcoporum Patauinorum idem affirmāt; imò Vghellius vult Pileum hunc ex Epiſcopatu Taruiſino ad Eccleſiam Patauinam tranſlatum anno 1359. eamque adminiſtraſſe, vſque ad annum 1370. quo anno Archiepiſcopatum Rauennatenſem obtinuit.

Pileus hic Cardinalis, imò Comites Pratæ ex eadem nobiliſſima gente erant, qui nunc Comites Purliliorum (vulgò *de Purzia*) dicuntur. Purlilia oppidulum eſt in eorundem Comitum ditione in ea Venetiarum parte, quæ Forumiulij appellatur. Duplicia ſunt illorum Comitum gentilitia ſtemmata; quædam enim ſex lilia candida habent in area rubri coloris, quædam ſex aurea lilia in area cœrulea; inde nomen Purliliorum, quaſi dicas pura lilia.



VI.

IOANNES Archiepiſcopus Corſienſis, alias Conſicenſis, ſeu Corcyrenſis, eximius Theologiæ Magiſter, & diuini verbi præco maximus, ab Vrbano VI. inter Presbyteros Cardinales titulo S. Sabinæ cooptatus eſt, eique Vrbanus, & Guillelmo tituli ſancti Euſebij Presbytero Cardinali mandauit, vt referrent quæſtiones, & cognitiones contra Robertum Gebennenſem Pſeudopontificem. Extat eiuſdem Vrbani VI. commiſſio huic Cardinali contra Ioannem Henrici Caſtellæ, & Legionis Regem facta, quem idem Romanus Pontifex, quòd Clementi VII. adhæſiſſet, Regno priuauit. Inter illos Cardinales Ioannes hic recenſetur, quibus Reuelationum S. Brigittæ examinis prouincia delegata ab Vrbano eſt, vt refert Ioannes de Turrecremata in epiſtola ad omnes Chriſtifideles, quam ante ipſas Reuelationes Romæ cuſas inuenies. Vrbanum in itinere Neapolitano ſecutus eſt, qua in Vrbe cum ſuſpicionem aliquam de ſe in Vrbano mouiſſet, Luceriæ, ſeu Nuceriæ die vndecima Ianuarij anni 1385. captus, non ſine tormentis diu perdiu

Ciaconius. Panuinius. Aubery in vita. Annales Trauiſiani, & Italiæ. S. Antoninus. And. Victorel. in Addit. ad Ciaconiū. Felix Cōtel. in ... Card.

carcere detentus, poſtremò Genuæ ſupplicio horrendo cum alijs quatuor Cardinalibus iuſſu Pontificis menſe Decembri anno eodem 1385. interfectus eſt.

VII.



Ciaconius. Aubery in vita. Vbert. Foliett in Elog. Clar. Ligur. Marian. de Grimald. in Saluſtat. Ianuenſ. Felix Cõtelorius in Elencho. ¶ Barthol. Piſan. in libr. Conformit. Annal. Triuultian. & Siculæ. Ferdinãd. Vghel. in Ital. ſac. Luc. Vuadding. in Annal. Minorum. Gaſp. Iongelin in elogijs Cardinal. ord. Minorum.

FR. BARTHOLOMAEVS de Cucurno, aliàs de Cothurno, natione Italus, patria ex Clauari, Ianuenſis Reipublicæ oppido, nobili, & peruetuſto genere ortus, ordinis Minorum Theologus eximius, ac Diuini verbi maximus præco, Archiepiſcopus primò Ianuenſis, vt ſcribunt Ciaconius, Ferdinandus Vghellius, alijque ſcriptores, deinde Presbyter Cardinalis titulo S. Laurentij in Damaſo ab Vrbano in prima ex Ciaconio, ex Panuinio verò in tertia Cardinalium enunciatione renunciatus eſt, eique commiſſa facultas abſoluendi Genuenſes, Mediolanenſes, ac Placentinos à Cenſuris propter delatas merces ventas Sultano Aegypti. Claudius Robertus in Catalogo Præſulum Ianuenſium Bartholomæum hunc non recenſet: extat tamen illius memoria in Vrbani Diplomate edito die 4. Martij anni 1382. in quo illum Vrbanus nominat Archiepiſcopum Ianuenſem, & Cardinalem. Illique poteſtatem facit alijs impartiendi facultatem, vt octo millium florenorum valore mercimonia poſſent impunè ad terras, ac loca Soldani Babylonici deferre. Vnde conſtat Bartholomæum tenuiſſe Ianuenſem ſedem, vſque ad annum 1383. poſtea ſimultatibus cum duro Pontifice ſuſceptis, cum eum Neapolim profectum, Romæ ſubſiſtens deſeruiſſe videretur, in ipſius incidit indignationem. Multas ob hanc cauſam paſſus eſt contumelias, multis minis exagitatus, tandem Regis Caroli Dyrrachij interuentu Neapolim accedens, Pontificis gratiæ reſtitutus eſt. Sed paulò poſt in ſuſpicionem iterum adductus, quòd cum alijs Cardinalibus, & Carolo Rege in Pontificis necem conſpiraret, in Luceriæ Caſtro die 11. Ianuarij anno 1385. captus, tormentis examinatus, prædicto carcere diu detentus, ac demum iubente Vrbano, cum alijs quatuor Cardinalibus horrendo ſupplicio Genuæ menſe Decembri eiuſdem anni 1385. infelici exitu vitæ curſum terminauit.

VIII.

Baltaſſ. Porreño in Elog. Card. Hiſpanos.

IOANNES Epiſcopus Vrgellenſis (hæc autem Hiſpaniæ Ciuitas eſt) Presbyteris Cardinalibus ab Vrbano VI. adſcriptus eſt, Panuinio, & Ciaconio teſtibus, qui ex monumentis Triuultianis Epiſcopum de Virioghe, & Annales Piſani de Vergela illum nominant; in illis enim ſcriptum inuenimus. *Cardinalis alius nouus menſe Ianuario Piſas venit, vt Romam iret, hic erat Epiſcopus de Vergela, & Romam itinere pedeſtri profectus eſt.* Huiuſce titulum, vt etiam obitus diem apud neminem expreſſum me legiſſe memini; imò Felix Contelorius in Elencho, nihil de hoc in publicis documentis, quòd in medium poſſit afferri, ſe inueniſſe fatetur. Fides ſit penes ipſos ſcriptores, an hic alius ſit ab Ioanne Epiſcopo Vercellenſi de quo infra, prorſus ignoro.

IX.

N. Epiſcopum de Edena inter Presbyteros Cardinales ab Vrbano huius nominis VI. cooptatum fatentur ex monumentis Triuultianis, Ciaconius, & Panuinius, non expreſſo tamen titulo, nec tempore, quo inter Cardinales ille vixerit. Felix Contelorius in Elencho ſcribit nullam huiuſce mentionem vnquam inueniſſe in m. ss. Vaticanis.

X.



Ciaconius. Ferdinãd. Vghel. in Ital. ſac. Aubery in vita. Panuinius de Rom. Pont. Monumẽta Triuultiana. Felix Cõtelor. in Elencho.

ANDREAS Martini Bontempus, natione Italus, patria Peruſinus, filius Lælij magni Iuriſconſulti, Phyloſophia, ac eruditione illuſtris, Præfectura S. Luciæ vltra Arnum Florentiæ egregiè functus eſt primò, mox ex Canonico Cathedralis Eccleſiæ à Capitulo poſtulatus, defuncto Franciſco Gratiano ad Peruſinum Epiſcopatum ab Vrbano V. aſſumptus eſt, ſexto nonas Maij anno 1353. Cum verò in explicandis, ac peragendis negocijs vniuerſali Eccleſiæ magno vſui eſſet, Vrbanus VI. illum vocauit ad purpuram ſub titulo SS. Marcellini, & Petri, & eundem perpetuum Peruſinæ Eccleſiæ Adminiſtratorem eſſe decreuit; Marchiæ Anconitanæ, ac Vmbriæ deinde legatione, ſeu Vicarij generalis munere illum ornauit. In qua legatione poſt electionem Bonifacij IX. cui interfuit, Recineti die 17. Iulij anno 1390. è vita deceſſit, ac tumulatus apud eandem Vrbis Cathedralem. Extant in Vaticano Bonifacij IX. literæ, quibus mandat Antonio de Paulo Neapolitano, vt cuncta huius Cardinalis defuncti bona mobilia, quæ penes eum erant, reddat Andreæ Tomacello germano ſuo agri Piceni tunc Marchioni. Tranſtulit Andreas hic Epiſcopus Peruſinum die 18. menſis Octobris anni 1378. ab Eccleſia Amegnolæ Brachium, & Caput S. Herculani martyris Ciuitatis Peruſinæ Patroni. Huius æuo Cardinalis Capoccius Peruſiæ Sapientiam, vt vocant, erexit ad maiorem publicæ Academiæ iam inſtitutæ, ac iuuenum vtilitatem, & in literis progreſſum.

XI.

IIdem laudati ſcriptores ex monumentis Triuultianis inter Presbyteros Cardinales ab Vrbano renunciatos recenſent N. Epiſcopum de Seme, aliàs Scandienſem, ſeu Grandienſem, de quo nulla mentio apud illos, qui Eccleſiaſticam hiſtoriam, vel de Cardinalibus ſcripſerunt, & Felix Contelorius eadem de hoc, quæ de alijs ſupra recenſitis narrat, nempe in Archiuijs Vaticanis nullam huiuſce memoriam inueniſſe.

XII.



Ciaconius. Panuinius. Aubery in vita. Felix Cõtel. in Elẽch. Card. Ferdinãd. Vghel. Addit. ad Ciacon. & in Ital. ſac. In Franc. Florent. in Catal. Brixiẽ. Epiſc. Monumẽta Triuultiana. Chron. Piſan. Paul de Angel. in Deſcript. Baſil. Liberian.

AGAPITVS Columna, nobilis Romanus, Petri Vrbis Senatoris filius, excelſi animi vir, ex Archidiacono Bononienſi, Epiſcopus Aſculanus primò, deinde Brixienſis renunciatus, in Alemaniam ad Carolum IV. Imperatorẽ miſſus, mox ad Henricum Caſtellæ, & Ferdinandum Luſitaniæ Reges Apoſtolicæ ſedis Nuncius ſub Gregorio XI. Pontifice maximo, à quo ad Vlyſſiponẽſem Archiepiſcopatum tranſlatus eſt. Romam reuerſus ab Vrbano, nõ V. vt aliqui ſcripſere, ſed huius nominis VI. Presbyteris Cardinalibus titulo S. Priſcæ adſcriptus, Flaminiæ legationem pro reſtituenda Eccleſiaſtica diſciplina obtinuit. Quo munere deinde functus etiam eſt in Hetruria, & Gallia Ciſalpina, tum apud Ligures, ac Venetos, vt illos exitiali diſcordia, aſpero, & difficillimo bello digladiantes pacaret.

Romæ fato functus eſt v. Idus Octobris anno noſtræ ſalutis 1380. & ſepultus in Baſilica Liberiana non longè a tumulo Petri ſuæ familiæ Cardinalis in naui maiori prope aram, in qua Matris Dei Imago colebatur, quòd teſtamento cautum eſt. *Corpus autem meum volo tradi Eccleſiaſticæ ſepulturæ ſecundum loca, & tempora mihi incerta, iudicio tamen certo, ſi verò Romæ, vel in Romana prouincia me deceſſiſſe contingat, in Eccleſia B. Mariæ Maioris de Vrbe, quæ dicitur de Niue, meam eligo ſepulturam, in naui illa propinqua Imagini Virginis glorioſæ, vel ante Tabernaculum Virginis de picta manu beati Lucæ, dum tamen ſit poſſibile, vel in Cappella, vbi eſt ſepultus D.D.B.M.D. Petrus de Columna Card. vel ad pedes D. Iacobi patrui mei, qui eſt ſepultus ante altare maius.* Cernitur etiam in eodem loco eiuſdem Agapiti marmorea tabula vnà cum Inſignibus, ex qua vix hæc fragmenta eruimus.

.... tenui requieſcit AGAPITVS vrna
.... egregiorum decus altus auorum
.... ætatis apex ſpeciemque verendum
.... Cardine natus honorem
.... per aditus, varioſque recurſus
.... luſtrauit, & æquora miles
.... & fluitantis iura tegentem
.... nos rapuerunt fata ſub vmbras.

In manuſcriptis Tabularij Liberiani hæc ſunt. *Agapitus Columna Cardinalis S. Priſcæ ab Vrbano Papa Sexto creatus iacet in terra ſub lapide marmoreo ad Imaginem glorioſæ Virginis: habet conſumptum Epitaphium, qui obijt anno 1379. die nona Decemb.* Variat in aſſignando Agapiti obitus tempore, cum reliqui ferè omnes ſcriptores referant illum è viuis abijſſe anno 1380. v. Id. Octob.

Hip. Marrac. in 1. Purp. Mariana.

Hic inter alia ſuæ pietatis erga ſacratiſſimam Dei Matrem Virginem Mariam, in Baſilica Liberiana duos Sacerdotes conſtituit, qui altari eiuſdem Virginis inſeruirent, vt patet ex ipſius teſtamento in Archiuio prædictæ Baſilicæ aſſeruato, in quo hæc legimus. *Item volo, & mando, quod infraſcripti mei Executores, ac meæ vltimæ voluntatis tenentur, & debeant vendere de bonis meis hereditarijs tantum quantum poſſent ex pretio inde recipiendo emere tot poſſeſſiones, & bona, quod in altari illo, quod eſt ſubtus Imaginem Virginis poſſint, & debeant viuere duo Cappellani perpetui, quorum quilibet habeat ad minus in redditibus annuis florenos auri quadraginta. Item volo, & mando, quod præſentatio ipſorum Cappellanorum fiat, & fieri debeat per Executores meos dum viuent, & poſt mortẽ eorũ præſentatio pertineat ad Priorem S. Mariæ Maioris.*



XIII.

FR. Nicolavs Miſquinus, alias Miſcinus, ſeu Molchinus, è Caracciola nobiliſſima Neapolitani Regni familia, ab ineũte ætate ſacrũ Prædicatorũ ordinem profeſſus, in pietate, & eruditione mirum in modũ profecit. Inquiſitor generalis Regni Neapolitani renunciatus, ſtrenuam nauauit operam pro Romana Eccleſia, vt illam à Schiſmate liberaret. Meſſanẽſem Archiepiſcopatum deinde obtinuit & ſancta Catharina Senenſi poſtulante, ab Vrbano Presbyteris Cardinalibus titulo S. Cyriaci in Thermis adſcriptus, multas Legationes geſſit, Peruſinam ſcilicet, Venetam, & cum Cardinalibus Reatino, & Veneto Neapolitanam, in Flaminia, & Aemilia Vicarius fuit Pontificius cum Agapito Columna. Vrbano VI. peregrinanti contra Clementem Pſeudopontificem ſemper adhæſit; ſubſcripſit conceſſioni de Regno Siciliæ factæ Carolo Regi per Vrbanum VI. anno 1381.

Romæ è vita exceſſit iv. Kal. Auguſti anno 1389. & ſepultus ad Prædicatores in Aede S. Mariæ ſuper Mineruam, vir morum ſanctitate præditus, beatus poſt mortem a nõnullis nuncupatus fuit. Neapoli in Refectorio patrum Dominicanorum ad viuum depicta huius Cardinalis imago conſpiciebatur hac breui Inſcriptione.

Ciaconius. Panuinius. Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon. Andr. Victorell. in Addit. ad Ciaconiũ. Annal. Prædic. Monumẽta Triuultiana. Chronicõ Regni Siciliæ. Aubery in vita. Felix Contelor. in Elencho. Leand. Albert. de vir. Illuſtr. ord. Prædicator. Antõ Senenſ. in Chrõ. Prædicator.

C

B. F. NICOLAVS CARACCIOLVS ORD. PRAEDIC. S. R. E. CARD.

Scripſit Nicolaus teſte auctore Nomenclatoris Cardinalium, Summam de Pœnitentia; & Paulus Corteſius libro de Cardinalatu, primo capite de Cardinalibus, qui aliquid ſcripſerunt, hunc cum alijs nonnullis ſic commemorat. *Eodemque modo intelligi debet multos tum viros extitiſſe graues, qui in Senatum cooptati ſunt, & a quibus ſemper eſt ſcriptioni continuata ſeruitum, quo ex genere Ioannes Morlandinus, Stephanus Lugdunenſis, Philippus Romanus, & Nicolaus Caracciolus Neapolitanus nominari poſſunt.* Leãder Albertus de Viris illuſtribus ordinis Dominicani Nicolaum hunc ſacrarum literarum interpretem nominat.



XIV.

D

BArtholomaevs Mezauacca, alias Mãzauachi, Bononienſis, filius Guilelmi, Iuris Vtriuſque Doctor, quem Iuriſconſultum delatis honoris inſignibus Americus Chatti Epiſcopus Bononienſis declarauerat, ex Auditore Rotæ Romanæ Epiſcopus Reatinus primò a Gregorio X I. deinde ab Vrbano VI. abſens Presbyter Cardinalis titulo S. Marcelli renunciatus eſt. Atque ad illum Vrbanus purpureum galerum Bononiam honoris gratia miſit, quem Ioannes Lignanus Iuriſconſultus inſignis, ac ſummæ tum in

E

Vrbe illa auctoritatis, ipſi in æde S. Dominici frequenti populo non minus plaudente, quàm inſpectante impoſuit. Hunc Vrbanus cum ad maxima quæque negocia, pertractanda promptum, ac peritum agnouiſſet, ad Carolum III. Dyrrachij Ducem, opera Vrbani Regno Neapolitano iam potitum, cum Cardinalibus S. Cyriaci, ac Veneto Legatum miſſum, honorificentiſſimè Rex Carolus ſuſcepit; legationis ſumma erat, vt quæ ipſe Rex Franciſco Butillo Papæ fratris filio ex fœdere cum Pontifice icto promiſerat, præſtaret. Ea erant Ducatus Capuani, & Amalphitani iura, & poſſeſſio. Quibus rebus cum Rex difficulter aures præberet, occaſionem præbuiſſe viſus eſt earum inimicitiarum initijs,

F

quæ inter ipſum, & Romanum Pontificem deinde exortæ, multis exitio fuere. Vrbani partes Cardinalis S. Cyriaci maximè adiuuabat, Venetus medius, Reatinus verò Regi gratus, Pontificis poſtulatis neglectis, pro legato, hoſtis potiùs vices gerere viſus eſt, ac Regem impuliſſe à quibuſdam creditus ad ea pernegaṅda, quæ Pontifex ex fœdere poſtulabat. Redeuntibus in Vrbem Legatis, rebus improſperè geſtis, in Regnum proficiſci ipſe Vrbanus ſtatuit, repugnantibus licet Cardinalibus, contra quos, quia ſecum proficiſci noluerunt, iudicium inſtituit, & niſi ad eum infra certum diem accederent, Cardinalitia dignitate ſe eos priuaturum comminabatur. Idibus verò Octobris anno 1383. Cardinalem Reatinum abſentem, ſibi maximè inuiſum, ac tanquam omnium diſcordiarum fomitem, ſolemni ritu Cardinea purpura, & reliquis honoribus priuauit.

Ciaconius. Panuinius. Carol. Sigonius de Epiſc. Bononien. Monumẽta Triuultiana. Chronicõ Regni Siciliæ. And. Victorell. in Addit. ad Ciaconiũ. Aubery in vita. Leãd. Albertus in Deſcript. Ital. Pomp. Vizan. in Iſtor. Bonnonienſ. Paul. Merula in Coſmograph. Hier. Garimbert. in vit. Pont. & Card.

A

Mortuo Vrbano, Cardinales aliquot exiſtentes in Caſtro Lucetiæ Bartholomæum hunc licet Cardinalatu priuatum, tractarunt de eligendo in ſummum Pontificem. & Bonifacius IX. qui Vrbano ſucceſſit, primo ſui Pontificatus anno decimoquinto Kal. Ianuarij Cardinalem Reatinum Romæ cum Adamo Anglico, & Landulpho Marramauro purpuræ, ac reliquis dignitatibus reſtituit. Et quoniam antiquus Cardinalis Reatini titulus S. Marcelli Stephano Paloſio Cardinali Tudertino tunc demandatus erat, ei Pontifex titulum ſancti Martini in montibus conceſſit. Sub hoc Romano Pontifice legationibus Genuenſi, & Viterbienſi functus eſt.

Exceſſit Romæ, non pridie Kalen. Auguſti, vt ſcripſit Ciaconius, ſed ex ſepulcrali Inſcriptione, die 20. Iunij anno 1396. Corpus in Baſilica ſanctæ Mariæ ad Præſepe ante Aram B. Virginis ſepultum, cui marmorea tabula cum hac Inſcriptione, & proprijs Inſignibus ſuperpoſita eſt.

Felix Contelor. in Elencho. Paul. de Angel. in Deſcript. Baſil. Liberianæ.

B

HIC REQVIESCIT CORPVS BONAE MEMORIAE REVERENDISSIMI IN CHRISTO PATRIS DOMINI D. BARTHOLOMAEI DE BONONIA TIT. S. MARTINI IN MONTIBVS PRESB. CARD. QVI OBIIT ANNO DOM. MCCCXCVI. DIE XX. MENSIS IVNII.

In tabulario autem euſdem Baſilicæ Liberianæ hæc ſunt de Bartholomæo Cardinali notata: *Bartholomaeus Mezauacca Cardinalis Reatinus ab Vrbano VI. creatus iacet in terra ad Imaginem beatæ Mariæ.* Extat teſte Ioanne Nicolao Paſchali Alidoſio in libro de Vrbe Bononienſi à ſe edito, Bononiæ huiuſce Cardinalis in lapide inciſa hæc memoria.

Bartholomaeus de Mezauachis tit. S. Marcelli S.R.E. Presb. Card. creatus ab Vrbano VI. Pont. Max. Anno Domini 1379.

C

Panuinius quoque ſcripſit, Bartholomæum hunc, non in prima, hoc eſt anno 1378. ſed in tertia Patrum enunciatione, anno ſcilicet 1379. inter Presbyteros Cardinales ab Vrbano fuiſſe cooptatum; Ciaconius, Contelorius, Ferdinandus Vghellus, qui ſæpeṕq manibus Vaticana Regiſtra habuerunt, in prima illum recenſent.



XV.


D

GVillelmvs Comitis Alæuillæ filius, natione Italus, patria Capuanus, ex Archiepiſcopo Salernitano Diaconus primò Cardinalis ſanctæ Mariæ in Coſmedin, poſtea Presbyter Cardinalis, non ſancti Euſebij, vt ſcripſit Ciaconius, ſed ex libro Obligationum Cameræ Apoſtolicæ, S. Stephani in Cœlio monte ab Vrbano in prima, teſte Ciaconio, ex Contelorio verò in tertia Cardinalium enunciatione renũciatus, dictus eſt Cardinalis Salernitanus. Hic obtinuit Eccleſiam S. Laurentij de Rabacca, & plebem S. Mariæ de Caina Peruſinæ Diœceſis. Extat citatio Cardinalium Salernitani, Veneti, Genuenſis, & de Petramala, poſt quam Vrbanus Sueſſæ Cardinalem Reatinum priuauerat, Neapolim profectus apud eum gratia, & auctoritate deinceps valuit. Ab Vrbano miſſus eſt Peruſium, vt in illa Vrbe Legati, vel Vicarij Apoſtolici

E

munere fungeretur, ibidem eundem Vrbanum Luca Hetruriæ Vrbe aduenientem expectauit, cum quo Romam accedens, ibi paulò ante obitum Vrbani, die ſcilicet 23. Iulij anno 1389. diem clauſit extremum. Referuntur Bonifacij IX. literæ, quibus Ludouicum de Altauilla Capuanum militem, Ducem exercitus Eccleſiaſtici, & Patrimonij Gubernatorem creauit.

Ciaconius. Panuinius. Aubery in vita. Ant. Summont. in Iſt. Neap. Monumẽta Triuultiana.



XVI.

F

FR. Lvdovicvs patricius Venetus, quem Ciaconius, & Panuinius Ludouicum Donatum vocant, ordinem Minorum à puero ingreſſus, Procuratoris generalis totius ordinis, deinde Inquiſitoris hæreticæ prauitatis Venetijs, & Prouinciæ ſancti Antonij Miniſtri munere functus eſt. Excitato paulò poſt in Eccleſia Schiſmate, Vrbani partes ſecutus eſt contra Leonardum de Chiſono Miniſtrum generalem ordinis, qui quia Clementi VII. Pſeudopontifici adhæſerat, ab Vrbano exauctoratus fuit. Ludouicus Vicarius primò, mox Miniſter generalis ele-

Luc. Vvadding in Annal. Minorum. Aubery in vita. Felix Contelor. in Elench. Card. Gaſpar. Iſgelius in Catal. ord. Min. Antõ. Summont. in Iſt. Neapolit.

ctus eſt in Comitijs habitis in Ciuitate Strigonienſi in Hungaria. Hunc virum doctrina inſignem Presbyteris Cardinalibus titulo ſancti Marci in prima ex Ciaconio, & Panuinio, ex Luca verò Vvaddingo in Annalibus Minorum, in tertia Cardinalium enunciatione adſcripſit Vrbanus nonniſi anno 1379. Refert enim laudatus Vvaddingus nonniſi anno 1379. Ludouicum electum eſſe Miniſtrum generalem in Comitijs habitis Strigonij, & vix tertio exacto menſe ab electione purpureo decoratum fuiſſe galero.

Cum S. Cyriaci, & Reatino Cardinalibus legatus ad Carolum III. Neapolitanum Regem, in ſiniſtram apud Vrbanum ſuſpicionem incidit, eundem cum Reatino, & Carolo Rege contra ſe conſpiraſſe exiſtimantem. Quare die 11. Ianuarij anni 1385. tanquam læſæ Maieſtatis reus Luceriæ Chriſtianorum iuſſu Vrbani cum alijs Cardinalibus carceri mancipatus, grauiter tortus, poſtremò omnibus honoribus mulctatus, Genuæ menſe Decembri eiuſdem anni interfectus eſt. Varijs affectus cruciatibus nil aliud pronunciaſſe dicitur, niſi illud Petri Apoſtoli, *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplum, vt ſequamur veſtigia eius.*



XVII.

Aubery in Vita. — Felix Cōtelor. in Elencho. — Michael monac. in Sanct. Capuan.

LVDOVICVS Campanus à Panuinio, & Ciaconio de Capua, in m. ss. Vaticanis, & Monaſterij S. Crucis in Hieruſalem de Vrbe, de Capice dictus, ex Protonotario Apoſtolico renunciatur ab Vrbano Diaconus Cardinalis S. Mariæ Nouæ. Huius ferè res omnes geſtæ deſiderantur, hoc tantum in actis, & in Diplomatibus Vrbani VI. contra Clementem VII. Pſeudopontificem inueni, Ludouicum videlicet Cardinalem S. Mariæ Nouæ cum Galeotto Cardinale de Petramala ad palatij fores profectos fuiſſe quæſitum, num aliquis exiſteret, qui Roberti Gebennenſis Antipapæ, cui Vrbanus diem dixerat, cauſam tueri vellet, & quòd neminem inuenerit, retuliſſe. E vita exceſſit Romæ ſub eodem Vrbano, incertum tamen quo anno, vel menſe.



XVIII.

Ciaconius. — Panuinius. — Aubery in Vita. — Ferdinād. Vghell. in Card. Columneñ. Elog. — Felix Cōtelor. in suo Elencho. — Aēl. Vicorel. in suis Additiō. ad Ciacō.

STEPHANVS Columna nobilis Romanus, Agapiti itē Cardinalis frater, & Petri Vrbis Senatoris filius, Eccleſiæ S. Audomari Morinēſis Præpoſitus, Protonotarius Apoſtolicus ſub Gregorio XI. ad Ianuenſiū Ducem pro concordia ineunda inter ipſum, & Regem Cypri diu Apoſtolici Nuncij munere ſumma integritatis, & prudentiæ laude functus eſt. Ab Vrbano VI. Pontifice maximo anno 1378. eodēque die ſimul cum fratre Agapito in populi Romani ſolatium, ſuæque Curiæ exiſtimationem, & ornamentum Diaconus Cardinalis S. Euſtachij renunciatur. Vnius tantùm anni ſpatium vitam duxit in Purpura, res ſemper maximas pro Pontifice, pro patria, & pro tollēdo Schiſmate peragens; quo elapſo ſummo omnium dolore Chriſtiano Orbi expirat anno 1379 cadauer in maiorum ſuorum ſepulchro Liberianæ Baſilicæ ſepultum eſt. Stephanum hunc aliqui ſenioris Stephani filium fuiſſe putarunt, eique nonnullas epiſtolas Petrarcham ſcripſiſſe, ac virum bellaciſſimum appellaſſe affirmarunt; ſed toto cœlo aberrant, nam vt diximus, Stephanus hic Petri, non Stephani filius fuit. Stephani autem ſenioris filius, qui ad purpuram à Ioanne XXII. vocatus eſt, non Stephanus, ſed Ioannes dictus obijt Aueniøne anno à partu Virginis 1343.

In libris Vaticanis de Schiſmate leguntur depoſitiones teſtium ſuper electione Vrbani examinatorum menſe Auguſti anno 1379. his verbis: *Ego Franciſcus de Senis Medicinæ Doctor iui ad Caſtrum Galicani, vbi iacebat infirmus D. Stephanus de Columna Protonotarius, & tunc in Cardinalem electus. Dominus Agapitus de Columna, qui erat ibi ad viſitandum D. Stephanum, habens nouum, quod de Gebennis Cardinalis erat electus, dixit mihi iſta verba formaliter. Doleo quod Dominus meus Gebennenſis talem honorem aſſumpſit, quia eſt onus inſupportabile ſibi, & cuilibet, & non credo, quod ipſe ſit factus Papa, ſed credo, quod ſit factus Caput, & director Collegij, vſque ad concordiam cum Domino Noſtro.* Verbis illis: *& tunc in Cardinalem electus*, nonnullos in eam ſententiam veniſſe ſcio, Stephanum nempe non in prima, anno ſcilicet 1378. vt ſupra diximus, verum in ſecunda, vel tertia Cardinalium enunciatione, anno videlicet 1379. inter Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales cooptatum ab Vrbano fuiſſe.

Huiuſce Cardinalis nil præter nudum nomen in Triuultianis monumentis inuenitur.



XIX.

Pondio & Vghelium. — Panuinius. — Felix Cōtelor. in Elencho. — Aubery in Vita. — Alphōſus Fernan. in Concertatione. — Annal. Prædic. — Chronic. Piſan. — Monum. Triuult.

FR. PHILIPPVS Gezza, alijs de Ruffinis Romanus, Petri Angeli, & Lucretiæ de Magiſtris filius, de regione Pineæ, ſeu vt vult Ciaconius, Parionis, ordinis Prædicatorum Theologus, ex Epiſcopo Tiburtino, quam Eccleſiam obtinuerat poſt Iſernienſem ab Vrbano Quinto, Presbyteris Cardinalibus adſcriptus eſt ab Vrbano Sexto titulo SS. Gabinij, & Suſannæ. Hic in Baſilica Vaticana Presbyter Pœnitentium, minorem Pœnitentiarium vocant, fuit, & ad cuſtodiam Conclauis pro populo Romano electus eſt. Cardinalis deinde renunciatus, Quadrageſimæ ferijs per totam Italiam Vrbani VI. Legatus diſcurrens, Piſis primùm, deinde Lucæ, poſtremò vbique populis è ſacro ſuggeſtu diſertiſſimè concionabatur, Vrbani cauſam facundo ore confirmans, & in eius fide Italiæ populos nutantes retinens, Clementem VII tanquam adulterinum Pontificem oppugnare totis viribus ſatagebat. Huic, & Poncello Vrſino Cardinalibus Vrbanus Sextus Romanus Pontifex facultatem tribuit, vt diſtrahere, vendere, & pignori tradere poſſent quæcunque Eccleſiarum bona, exceptis Caſtris, etiam ſine conſenſu Prælatorum, vel Capitulorum, quando id Romanæ Eccleſię neceſſitas poſtularet. Scripſit in libros Phyſicorum Ariſtotelis.

Nomencl. Cardinal. — Ferdinād. Vghel. in Ital. ſacra.

Ad ſuperos euolauit anno 1384. ſub eodem Vrbano, & humili loco ad S. Sabinam in monte Auentino apud Prædicatores ſine vlla ſepulchrali inſcriptione ſepultus. Huius Cardinalis mater defuncta Romæ anno 1348. iacebat in Eccleſia S. Ioannis de Pinea cum epitaphio, in quo olim, vt patebat legenti, extabat mentio Philippi filij tunc Epiſcopi Iſernienſis. Nullum tamen hodie huiuſce ſepulchralis inſcriptionis veſtigium.



XX.

Ciaconius. — Panuinius. — Aubery in Vita. — Monumēta Triuultiana. — Felix Cōtelor. in Elencho. — Aug. Coſtanz. in ſua hiſt. Neapolitana. — Ant. Summont. in hiſt. Neapolitana. — Barthol. Chioccar. in Catal. Antiſtitū Neapolit. — Theod. à Niem. — Sci. Ammir. Carat. in hiſt. neap.

GENTILIS de Sangro natione Italus, patria Neapolitanus; familia de Sangro ex Aprutio inter nobiles Neapolitanas connumeratur, ex Protonotario Apoſtolico Diaconus Cardinalis S. Hadriani ab Vrbano huius nominis Sexto in prima Cardinalium creatione renunciatus eſt. Fuit is Legatus Apoſtolicæ ſedis in Regno Neapolitano, quando Carolus Dyrrachij Dux ab Vrbano VI. ex Hungaria euocatus Regnum Neapolitanum, Ioanna Regina ſeniore capta, & occiſa occupauit; de cuius auſtera legatione ſic reliquere ſcriptum illius æui ſcriptores. *Cardinalis de Sangro natione Aprutinus de Baronum genere, cum Rege Carolo Legatus de Latere ab eodem Vrbano ad Regnum Siciliæ deſtinatus, ſeuerè nimis Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Presbyteros, & Clericos, qui Reginæ Ioannæ adhæſerant, aliter facere, ſi ſuis prouentibus Eccleſiaſticis in ipſo Regno frui volebant, nequeuntes afflixit. Multos enim ex his in carcerem conijcens, multoſque grauiter torſit, dignitatibus omnibus, ſacerdotijs, & poſtremo cunctis ipſorum bonis, nulla ætatis, honoris, ſtatus, aut virtutis habita ratione inhumaniter ſpoliauit; ſacrificium enim ſe Deo præſtare exiſtimabat cum in eos miſeros ita deſæuiret. Quibus, vt nihil ad miſeriæ cumulum deeſſet, idem Pontifex alios paſſim ſine diſcrimine ſubrogauit, ita vt vna die viginti duos Epiſcopos, vel Archiepiſcopos Neapoli ortos, ex his potiſſimum, qui Carolo Regi in Regni acquiſitione fauiſſent, crearet, eos enim ſolos omni honore dignos exiſtimabat. Nec ijs contentus Cardinalis de Sangro in peiora prorupit. Ad pridie enim nonas Septembris in Eccleſia S. Claræ, Carolo Rege, multis Proceribus, & Ciuibus Neapolitanis congregatis, Leonardum de Chiſono, & Iacobum Hidruntinum Clementis VII. Pſeudopontificis Anticardinales, Caſellum Epiſcopum Theatinum, & Abbatem Maſſellum eiuſdem factionis cum Regina Ioanna captos, coram ſe publice Pileos Cardinalitios, Pallium, & Cucullum Epiſcopalem comburere coegit, & ad populum verba facere, palinodiamque recitare iuſſit, qua errores ſuos reuocantes, Clementem VII. execrarunt, & Vrbanum VI. tanquam legitimum Pontificem confeſſi ſunt. Tertio no-*

nas No-

nas Nouembris generali totius Regni Concilio in area arcis nouæ congregato, cui Rex Carolus Regio veſtitu indutus, & Legatus interfuerunt; lecta ſunt aliquot Vrbani Bullæ Legati iuſſu, quibus Regi Carolo Pontifex Regnum Neapolitanum Apoſtolica auctoritate confirmabat. Ad vij. Kalend. Decembris Legatus Pontificis nomine, & iuſſu Margaritam de Dyrrachio Reginam, Caroli Regis vxorem diademate aureo coronatam inunxit in Eccleſia S. Mariæ de Coronata, Rege & cunctis Proceribus aſtantibus. Anno qui ſecutus 1382. Vrbani VI. Legatus de Sangro Idibus Februarij Neapoli Beneuentum verſus receſſit, duos Pſeudocardinales, Epiſcopum, & Abbatem captiuos ſecum ducens, quos in arce Auerſana prouinciæ Aprutij anno ſequenti menſe Ianuario in cuſtodiam miſit. Hæc illi. Theodoricus quoque de Niem multa de ſeueritate Cardinalis de Sangro in Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Preſbyteros, & Clericos, qui Reginæ Ioannæ, & Clementi VII. Pſeudopontifici adhæſerant, narrat.


Anno noſtræ ſalutis 1383. ex legatione rediit ad Curiam Gentilis, & biennio poſt læſæ Maieſtatis ab eodem Pontifice reus factus, quaſi in Pontificem conſpiraſſet vnà cum Carolo Rege, eius iuſſu menſe Ianuario anni 1385. Luceriæ cum alijs Cardinalibus in carcerem detruſus, & acerbiſſimis tormentis cruciatus, tandem vinctus Genuam adductus cum alijs menſe Decembri eiuſdem anni necatus eſt. In ſe Vrbani ſeueritatem illam Dei permiſſu expertus fuit, quam pro Vrbano in alios fortaſſe iniuſtè Neapoli exercuerat.



XXI.

Ciaconius. Ferdinand. Vghel. in Ital. ſac. Panuinius. Aubery in vita. Monum. Tumult. Franc. SS. ſon. in hiſtor. fam. Vrſinæ. Oſtauius Pancir. in Theſaur. Vrbis. Annal. Siculæ.

PONCELLVS Vrſinus nobilis Romanus, Vrſi filius, Auerſanus Epiſcopus ab Vrbano V. & Presbyter Cardinalis titulo ſancti Clementis ab Vrbano VI. inauguratus eſt. Hic primò honoris ſibi collati memor, Vrbano aliquando fidus comes frequentibus eius peregrinationibus adhæſit; ceterùm duri Pontificis ſeueritate victus ab eo, cum Luceriæ eſſet, ſpecie eundi, vt animum relaxaret, aufugit, neque eum ampliùs vidit, moram in ſuis oppidis trahens. Quo mortuo, cum noui Pontificis Comitijs Romæ in Vaticano interfuiſſet, quatuordecim Cardinalibus, qui tunc in Conclaui aderant, in duas æquas partes deductis, ipſe ſex ſuffragijs ad Pontificatum vocatus eſt, totidem Cardinalem Angelum Acciaiolum eligere obſtinatè contendentibus. Et cum alter, vt alteri cederet, nulla ratione adduci poſſet, inſtauratis Comitijs, ex renunciatione Cardinalis Carboni, omnium ſuffragijs Romanus Pontifex electus eſt Petrus Tomacellus Bonifacius IX. appellatus, à quo Poncellus Sabinorum pro Apoſtolica ſede Vicarius generalis, & Romanæ Eccleſiæ Archipresbyter conſtituitur. Nec longè poſt Romæ tertio Idus ex Ciaconio, ex Contelorio autem quartu nonas Februarij anni 1395. diem clauſit extremum; fuit vltimus Commendatarius Hoſpitalis S. Thomæ in monte Cœlio Redemptionis captiuorum ab Innocentio III. erecti; nam illo mortuo Bonifacius IX. illud adiunxit menſæ Canonicorum ſancti Petri in Vaticano.



XXII.

Ferdinand. Vghel. in Additi. ad Ciaconi. Panuinius. Aubery in vita. Monum. Tumult.

LVCAS de Gentilibus, alijs Rodulphuccius, natione Italus, patria Camers (Camerinum Vrbs eſt Piceni præclara à curuitate ſitus ſic appellata) vir doctrina clarus, Archidiaconus primò, mox Epiſcopus Camerinenſis renunciatus eſt. Hunc anno 1363. Vrbanus V. Pontifex maximus ad Nucerinam ſedem euexit, & Gregorius XI. ſuas in Vrbe vices ei commiſit. Quare ab Vrbano Sexto inter Presbyteros Cardinales titulo S. Syxti cooptatus eſt, ſub quo Romano Pontifice, dum legatione in Vmbria fungeretur, Tudertinos feralibus inter ſe odijs diſſidentes pacauit. Exceſſit è vita Peruſij paulò ante eiuſdem Pontificis Vrbani obitum, incertum quo anno ex Ciaconio, certum tamen eſt, vt ſcribit Contelorius ex libro diuiſionũ Bonifacij IX. Lucam Cardinalem deceſſiſſe inter annum 1388. & diem ſecundam Auguſti 1389. Ferdinandus Vghellius ſcribit hunc Legatum obijſſe menſe Ianuarij anno 1389. Eius corpus ſepulturæ datum in Cathedrali Camertium cum ſequenti ſepulchrali Inſcriptione.

Hic iacet inſi...is Lucas rutilantis ... aſtro
Tam celeber Iuris Doctor, quam cultor, & omnis
Præcipuum exemplum virtutis, regula morum.

Camerini adhuc huius Cardinalis ædes extare dicuntur cum eiuſmodi in fronte elogio.

Sedis Apoſtolicæ Lucæ hæc monumenta notari
Andreas Patrus fecit, quo iuſtior alter
Haud fuit Heſperia tota, nec doctior alter
Anno Domini MCCCCXXVIII.
Die . . . . Octobris.

Laudatus tamen Vghellius non in ædibus Cardinalis, ſed ſupra Iuliam portam Ciuitatis Camerini in petra exaratum eſſe reſcriptum epigramma affirmat. Legitur alia Lucæ Cardinalis in eadem Cathedrali Camerinenſi Inſcriptio in marmore inciſa, & eſt talis.

D. O. M.
LVCAE RODVLPHVCCIO CAMERTI
Tit. S. Syxti S. R. E. Cardinali
Qui huius Baſilicæ
Quondam Prior, & Archidiaconus Camerinenſis
Tum Epiſcopus Nucerinus.
Romæ Gregorio XI. Pont. Max.
Vic. fuit
Deinde ab Vrbano VI.
Cardinalis creatus
Atque in Pannoniam miſſus
Poſtremo Peruſiæ cum legatione fungeretur
Obiens
Oſſa Camerinum tranſlata
In Templo S. Venantij ſepeliri mandauit
Anno Sal. MCCCLXXXIX.
Venantius Rodulphuccius
Eiuſdem Baſilicæ Prior
Gentili ſuo
Monumentum antiquitate deformatum
Ornauit, poſuitque
Et Lauretanæ Virgini ſacellum erexit
Anno ſalutis MDCXIX.



XXIII.

Ciaconius. Panuinius. Petrus Frizon. in Gal. Purp. Claud. Robert. in Gall. Chriſtian. Aubery in vita.

RAINVLPHVS de Monteruco natione Gallus, prouinciæ Lemouicenſis, è genere Innocentij VI. Pontificis, & nepos Petri de Monteruco Cardinalis ſanctæ Anaſtaſiæ, & S. R. E. Cancellarij, de quo ſupra ſub Innocentio VI. ex Epiſcopo Ciſtancenſi, aliàs Siſtarienſi ad Druentiam fluuium ſub Archiepiſcopo Aquenſi, Cardinalitia dignitate ab Vrbano VI. Romano Pontifice decoratur titulo S. Pudentianæ, aliàs Paſtoris. Hunc abſentem, & ſibi antea amicitia coniunctum Vrbanus Presbyteris Cardinalibus adſcripſit, & pro Petro de Monteruco Cancellario Apoſtolicæ ſedis Auunculo ſuo Auenione degente, Cancellariæ Apoſtolicæ Romæ Regentem nominauit. Vrbanus enim teſte Ciaconio Petrum ipſum de Monteruco, in cuius contubernio aliquando fuerat, licet Clementis VII. Pſeudopontificis ſequacem in Cancellaria Romana manere permiſit, & neminem ei muneri præfecit, ſed Rainulphum affinem ſuum, tanquam eius Vicarium conſtituit. Felix tamen Contelorius ex inueſtitura Regni Siciliæ ſcribit, conſtare Rainulphum non modò Cancellariæ Apoſtolicæ Regentem, ſed Vicecancellarium fuiſſe. Monachos conſtituit Rainulphus apud ſanctam Pudentianam in Viminali. Chronicon Piſanum huiuſce Cardinalis meminit his verbis: *Anno Domini 1379. Cardinalis quidam Gallus venit Piſas venit, vt ad Vrbanum VI. iret terreſtri itinere Romam; nam maritimo à factione Clementis VII. prohibebatur, & ſane Clementem Auenione ſedentem hic Cardinalis terra marique fugiebat.* Vitæ coronidem impoſuit in Vrbe Roma xviij. Kalendas Septembris anno 1382. & iacet in foribus ſanctæ Pudentianæ cum hoc Epitaphio marmori inſculpto.

HIC IACET REVEREN. PATER DOMINVS RAINVLPHVS TIT. S. PVDENTIANAE PRESB. CARD. NATIONE LEMOVICEN. DE GENERE D. INNOCEN. PP. VI. QVI IN HOC TIT. SVO MONACHOS CONSTITVIT. ..... AN. MCCCLXXXII. DIE XV. MENS. AVGVSTI.

Scutum geſſit bipartitum ad perpendiculum, cuius primus laterculus muricatus in ſummo duabus ſtellis aureis, cantherio aureo, in montibus argenteis, ſecundus verò laterculus coccineus, ramo aureo impreſſus.

XXIV.



Ciaconius. Felix Cõtel. in Elẽch. Card. Aubery in vita. Panuinius. Monumẽ. Triuult.

ELEAZARVS, alijs Elziarius, de Sabrano, natione Italus, qui Ariani Comitis filius, & Neapolitani Regis conſanguineus dicitur, à Gregorio XI. non Reatinus, vt ſcripſit Antonius Summontius in hiſtoria Neapolitana, ſed ex Regiſtris Vaticanis, & ex Tabulis eiuſdem Eccleſiæ, Theatinus Epiſcopus anno 1373. electus eſt. Anno verò 1378. ab Vrbano Gregorij ſucceſſore Cardinalitia purpura ornatus, inter Presbyteros Cardinales titulo S. Balbinæ adſcriptus, & S. R. E. Maior Pœnitentiarius renunciatus, Eccleſiæ Theanæ adminiſtrationem per aliquot annos, Põtificis permiſſu, retinuit. Hic ab adoleſcentia S. Brigittam ſanctitate claram dilexit, & coluit, eiuſque in exilij mortalitatis peregrinantis conſilia in vita rectè inſtituenda ſemper complexus eſt; & Catharinæ eius filiæ, vt illa Apoſtolica auctoritate ad ſanctorum numerum adiungeretur, operam dans ſeduló præſtò fuit.

Scribit Ferdinandus Vghellius Eleazarum hunc anno 1382. ad ſuperos euolaſſe, Ciaconius Vrbano VI. ſedente è vita illum ceſſiſſe affirmat, ſed pauló poſt recenſens Cardinales ab eodem Vrbano Cardinalitia dignitate ſpoliatos, hæc de noſtro Eleazaro habet. *Quid de hoc acciderit, incertum, cum poſt eius priuationem non extet memoria*; Si non extat memoria, inquit Andreas Victorellus, C cur ſcripſit, Vrbano Eccleſiam regente occubuiſſe? Anno 1385. Vrbanum purpuram ei ademiſſe affirmat Panuinius; vita illum priuaſſe Genuæ cum alijs Cardinalibus menſe Decembri eiuſdem anni addit Aubery. At cum vir vitæ innocentia, & morum integritate, teſtimonio omnium illius æui ſcriptorum ille fuerit, Panuinij, & Aubery ſubſcribere non debeo; & cum certò ſciam Eleazarum ſuperuixiſſe Vrbano, neque Vghellio, & Ciaconio adhærere poſſum.

Paul. de Angel. in Deſcript. Baſil. Liberianæ. Hippol. Marrac. in Purp. Marian.

Inter alia huiuſce Cardinalis pietatis in Deiparam Virginem teſtimonia, trecentos florenos ex teſtamento aſſignaſſe lego ad hoc, vt Oliuetum emeretur, ex cuius oleo ſemper ante Virginis Imaginem in Baſilica S. Mariæ Maioris de Vrbe aſſeruatam lampades replerentur. Sic enim in Archiuio eiuſdem Baſilicæ habetur. *Elzearius Tit. S. Balbinæ Presbyter Cardinalis ſuo teſtamento reliquit florenos trecẽtum, ex quibus emeretur vnum Oliuetum, ex cuius oleo ardeant perpetuo tot lampades ante Imaginem glorioſæ Virginis. anno Domini* 1394. D Viuebat igitur anno 1394. & non ſub Vrbano perijt, qui vt diximus ſupra è vita exceſſit anno 1389. quare Eleazarum Cardinalem anno 1394. vel pauló poſt naturæ debitum ſoluiſſe dicendum eſt.

XXV.



Ciaconius. Panuinius. Felix Cõtel. in Elẽch. Card. Carol. Sigonius de Epiſc. Bononien. Ferdinãd. Vghel. in Italia ſac. Pomp. Vizan. in hiſtor. Bononienſ. Antõ. Summont. in hiſt. Neapolit. Monumẽta Triuultiana. Aubery in vita.

PHILIPPVS Caraffa de la Serra Neapoli ortus ex gente Caraffa nobili in Nidi Curia, quæ in plures nobiles familias diſtribuitur, quarum vetuſtior ea eſt, vt ſcribunt, quæ de Serra dicitur. Neapoli quoque in literarum ſtudijs adoleuit Philippus, Romam inde venit, vt in virtutum theatro, ſuarum Orbi E ſpeciem exhiberet. Ibi primo Bononienſis Eccleſiæ Archidiaconatũ obtinuit, mox ipſis poſtulantibus Bononienſibus, eiuſdem Vrbis Cathedram aſcendit. Hunc Vrbanus VI. vt gratiam ab ipſis Bononienſibus iniret, Presbyterum Cardinalem titulo S. Martini in montibus aſciuit, atque ad illum purpureum galerum Bononiam vſque honoris gratia miſit, quem Ioannes Lignanus Iuriſconſultus inſignis, ac ſummæ tunc temporis in Vrbe illa auctoritatis ipſi in Aede S. Dominici, frequenti populo non minus plaudente, quàm inſpectante impoſuit. Philippus Cardinalis Presbyter S. Martini in montibus declaratus ſe ſe Cardinalem Bononiæ nuncupauit. Sequenti anno 1379. mutata eſt Reſpublica Bononienſis; nam Ciues a Florentinis impulſi vj nonas Octobris prætexto ſchiſmate, quód in Eccleſia verſabatur, iterum ſe ſe fœderatis applicuerunt, ac liberos ſe, non hoſtes Eccleſiæ præferentes, ſtatum libertatis redintegrarunt, & nummum aureum percuſſerunt, in quo ab vno latere leonem vexillum libertatis tenentem, cum literis BONONIA DOCET, ab altero imaginem cum nomine S. PATRI finxerunt. Quód vt Vrbanus audiuit, ægrè admodum tulit; Clemens autem Pſeudopontifex, Vrbani aduerſarius, vt eos à Romano Pontifice prorſus auerteret, Oratorem illico miſit, oſtendens ſe Vrbis Vica-

A natum eis libere permiſſurum, ſi ſe Pontificem recepiſſent. Cui reſponderunt ipſi, ſe in auctoritate Vrbani, quem primum coluiſſent, perſiſtere velle, donec de vero Pontifice iudicatum fuiſſet: quód reſponſum adeo gratum Vrbanus habuit, vt eis Comitatum Imolæ per Philippum Epiſcopum aſſignarit.

Ciaconius.

Huic Cardinali, & Epiſcopo Bononienſi idem Pontifex Codicillis ſuis, qui extant, præcepit, vt arces Britenorij, & Caſtricari ſuæ cuſtodiæ commiſſas Marino Archiepiſcopo Tarentino Papæ Camerario traderet. Fuit enim Philippus in Romandiola Apoſtolicæ ſedis Legatus, vt ex eiuſdem Diplomatibus datis Bononiæ xjv. Kalen. Auguſti Pontificatus Vrbani VI. anno ſecundo liquet.

And. Victorel. in ſuis Addit. ad Ciaconiũ. Carol. Sigonius de Epiſc. Bononien. Pomp. Vizan. in hiſt. Bonon.

Anno 1383. xij. Kal. Martij fratres Prædicatores caput S. Dominici Patriarchæ ex arca, Philippo Epiſcopo, ac Magiſtratibus præſentibus, extraxerunt, & ad vſum Eccleſiæ nobili loculo argenteo condiderunt. Mirum verò illud oculis mortalium accidit, quód interim B dum arca patuit, ſtella ſupra Eccleſiam clariſſimè fulſit, quæ res animaduerſa Ciuitatis religionem erga ſanctum Confeſſorem accendit. Poſtridie Ioannes Lignanus eſt mortuus, cuius funus Philippus quoque Epiſcopus, & Cardinalis honoris gratia proſecutus eſt.

Anno 1389 Bononiæ Ciuitas cum peſtilentia grauiſſimè laboraret, Philippus xj. Kalendas Iunij abſumptus eſt, cuius mortem populus Bononienſis, vſque adeo acerbè tulit, vt exequias eius, quæ tum omnibus propter contagionis periculum negabantur, maxima frequentia celebrarit, ac Magiſtratu proſequente corpus in Eccleſiam principem retulerit, & in ſacrario eiuſdem Templi ſepelierit cum hac ſepulchrali inſcriptione, quę cum eiuſdem Cardinalis Inſignibus in prælato pariete adhuc viſitur.

HIC EST CORPVS REVERENDI IN CHRISTO PATRIS ET DOMINI D. PHILIPPI DE CARAFIS DE NEAPOLI CARDINALIS BONONIENSIS.

C

XXVI.



Nicol. Harpsfild. in hiſtor. Eccleſ. Angl. Io. Pitſeus de Script. Eccleſiæ Angliæ. Monumẽta Triuultiana.

ADAM de Eſton Hereſordienſis, nobilibus teſte Aubery, ex Ferdinando verò Vghellio humilibus in Anglia natus parentibus doctrina ad ſummos in Eccleſia peruenit honores. Adoleſcens enim ſancti Benedicti regulam amplexus Venteſcenorum, id eſt Noruuitaci inter Monachos cum diſciplina regulari literarum fundamentum iecit; Oxonium deinde miſſus Oxonienſis Academiæ Alumnus, ac Theologiæ D Profeſſor inſignis euaſit. Non modò Latinam, ſed & Græcam, atque Hebraicam linguam exactè didicit, ac multa, quę ad Hebraicam linguam ſpectant, conſcripſit. Fortuna igitur comite, virtute duce, Rex Angliæ illi Hereſordienſem ex Vghellio, ſed ex Ciaconio, Panuinio, & Aubery Londienſem Epiſcopatum contulit, & Vrbanus VI. in prima teſte Ciaconio, ex Cotelerio verò in tertia, ſeu quarta Cardinalium enunciatione illum Presbyterum Cardinalem titulo S. Cæciliæ nominauit. Aliqui non ab Vrbano, ſed à Gregorio XI. Adamum renunciatum eſſe Cardinalem aſſirmant, ſed toto cœlo à veritate aberrant. Nam Adam teſte Cotelerio die 9. Martij anni 1379. erat Monachus Benedictinus, & interrogatus depoſuit, quæ nouerat de geſtis tempore electionis Vrbani VI. vt in libris E de Schiſmate, qui ſunt m. ss. in Vaticano. Imò in inueſtitura Regni Siciliæ, quam die prima Iunij anni 1381. Vrbanus Carolo conceſſit, & cui Cardinales ſubſcripſerunt, Adam non ſubſcripſit, ſed vna cum alijs, qui non erant Cardinales, recenſetur vt teſtis, & vocatur frater Adam de Anglia, nulla facta mentione Cardinalatus: non igitur à Gregorio XI. imò neque ab Vrbano in prima Cardinalium creatione Adam adſcriptus eſt Cardinalibus.

Godwinus in An. Angliæ. Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

Theodor. à Niem de ſchiſm. Antõ. Summont. in hiſt. Neapolitana. Henricus Spondan. in Annal. Eccleſiaſt.

Hic vt in vitam Pontificis conſpirator, cum alijs quinque Cardinalibus Luceriæ iuſſu Vrbani captus, grauiter tortus, diu in vinculis eſt detẽtus; tandem in gratiam Regis Angliæ, & quód nihil aliud peccaſſet, quàm, quód Pontificem dixiſſet intolerabili eſſe faſtu, ſeu vt quidam habent, quód ſciens coniurationem non detexiſſet, ac ſatis iam pœnarum expendiſſet ſuę taciturnitatis, dimiſſus eſt ſub cuſtodia cuiuſdam Clerici Cameræ Apoſtolicæ Galli, depoſitus tamen F à Cardinalatu. Mortuo Vrbano VI. Bonifacius IX. qui illi ſucceſſit, Pontificatus ſui anno primo, xv. Kalen. Ianuarij eum Romæ omnibus dignitatibus reſtituit, ac ſuis literis magno Regni Angliæ expoſuit Concilio, ac teſtatus eſt, Vrbanum Romanum Pontificem nunquam ipſum Adam ſacerdotijs ſuis priuaſſe, ſed eorundem ius, & poſſeſſionem illi ſemper integra conſeruaſſe, eum verò mirificè commendans, Regni maximum zelatorem vocat.

Hippolyt. Marrac. in Purpur. & in Bibliothec. Mariana. Cardinal.

Officium feſti Viſitationis beatæ Virginis Mariæ ab Vrbano VI. in ſchiſmatis remedium inſtituti, & à Bonifacio IX. confirmati compoſuit Adam, qui etiam ſcripſit

De Communicatione Idiomatum.

De ſua

De ſua Calamitate.
De Poteſtate Eccleſiæ.
De Electione Pontificis.
Defenſorium Eccleſiæ. ***
De Perfectione vitæ Spiritualis.
Modum conferendi Beneficia.
Formam procedendi contra Hæreticos.
Opus vitæ contra Hæreticos. ***
Dialogum Regis, & Epiſcopi.
De Diuerſitate Tranſlationum.
De Veritate Catholica Græcè.
Meteororum Ariſtotelis libros latinitate donauit.
Hebraicè etiam edidit.
Alphabetum Iudæorum. ***
Textum Hebraicum Bibliorum.
Poſtillam Hebraicam.
Pſalterium Hebraicum. ***
Expoſitionem Leuitici.
Hebraica Saraceni.
Hebraica Iarchi Salomonis.

Exceſſit Romæ xiij. Kalendas Nouembris anno 1397. ſepultus in titulo ſuo S. Cæciliæ, marmoreo cum eius effigie, & Inſignibus ſepulchro, ac ſequenti Inſcriptione.

D. O. M.
ADAM ANGLO TIT. S. CAECILIAE PRESB. CARDINALI
EPISCOPATVS LONDINENSIS PERPETVO
ADMINISTRATORI
INTEGRITATE DOCTRINA ET RELIGIONE
PRAESTANTI

Artibus iſte Pater famoſus in omnibus ADAM
Theologus ſummus Cardiquenalis erat
Angliacus patriam Titulum dedit iſta beata
Aedes Cæciliæ morſque ſuprema Polum
Anno M.CCC.XCVII. menſe Septemb. XV.

Traduntferè omnes auctores Angli, qui de Adamo ſcripſerunt, Vrbanum morti proximum palam de Adami innocentia teſtatum, & vehementer ob illum malè habitum indoluiſſe.

Ciaconius. Panuinius. Aubery in Vitis. Ant. Summont. in hiſt. Neap.



XXVII.

STEPHANVS Sanſeuerinus Neapolitanus ex Protonotario Apoſtolico inter Diaconos Cardinales cooptatus eſt ab Vrbano huius nominis Sexto. Huiuſce familia inter Regnicolas nobiliſſima, Marſorum, ſiue Marſicorum Comitum antiquitus vocata, tam antiquis quam noſtris temporibus multos egregios Cardinales Romanæ Eccleſiæ dedit. Huius Cardinalis Stephani nil memoria dignum præter nudum nomen, in monumentis Triuultianis inuenitur. Addit Ciaconius obiiſſe ſub eodem Vrbano VI. Felix tamen Contelorius ex depoſitionibus teſtium ſuper electione Vrbani ſcribit, Stephanum præſente Ioanna Regina Siciliæ rubeum galerum depoſuiſſe, ac duxiſſe vxorem.

E



XXVIII.

PETRVS Hiſpanus ex Epiſcopo Placentino, ſeu Palentino (Pallentia, aliàs Palantia Vrbs eſt Hiſpaniæ Tarraconenſis) Presbyter Cardinalis ab Vrbano renunciatus eſt, vt refert Ciaconius ex monumentis Triuultianis, & Panuinio. Nulla tamen illius mentio apud Felicem Contelorium in Archiuio Vaticano experientiſſimũ, & Auberyaccuratum Cardinalium ſcriptorem inuenitur. Balthaſſar Porreguus in elogijs Cardinalium Hiſpanorum Petrum hunc filium Ioannis fratris Regis Caſtellæ facit, atque ante Epiſcoporum Pallentinum aliàs obtinuiſſe in Hiſpania dignitates Eccleſiaſticas fatetur; fides ſit penes ipſum. Scriptores alij fide digniſſimi aſſerunt Petrum hunc ex nobiliſſima familia Rodriguez de Torres in Hiſpania natum, Theologum inſignem, & illuſtrem verbi Dei præconem, Religioſum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum ex Prouinciali Caſtellæ Epiſcopum Pallentinum renunciatum, & ad Gregorium XI. à Rege Caſtellæ oratorem miſſum, ab Vrbano Presbyteris Cardinalibus adſcriptum fuiſſe. Non tamen diu vixit in purpura; exceſſit enim è vita ſub eodem Vrbano VI. nam ex ſene Epiſcoporum Eccleſiæ Pallentinæ alios ſcio cathedram illam aſcendiſſe, ſedente Vrbano in Petri Cathedra.

Mag. Salmeron. in hiſt. ord. B. Mariæ de Mercede. ... lic. 10. Vines in Viridario Mercenario. Steph. de Corber in vit. Mariæ de Socos.



XXIX.

GALEOTTVS Tarlatus de Petramala Italus, patria Aretinus, ex Protonotario Apoſtolico Diaconus Cardinalis S. Agathæ ab Vrbano renunciatus, ſubſcripſit conceſſioni de Regno Siciliæ ab Vrbano Carolo Regi factæ; & cum Ludouico S. Mariæ Nouæ Diacono Cardinali, accuſata Roberti Gebennenſis Antipapæ contumacia, cum ad palatij fores quæſitum iuiſſet, num aliquis, qui pro ipſo reſponderet, adeſſet, ſe neminẽ inueniſſe retulit. Sed poſtea Vrbani ſeueritatem deteſtans, cum ſe in illius ſiniſtram opinionẽ incidiſſe animaduertiſſet, ab Vrbano fugiens cum Pileo Cardinale Rauennate ad Clementem VII. Pſeudopontificem ſe contulit, & Auenionem ingreſſus eſt iij. nonas Maij anno 1387. à quo inter ſui ordinis Cardinales ſuſceptus, mutata Diaconia S. Agathæ ab Vrbano VI. data, ſancti Georgij in Velabro Diaconiam ſuſcepit. Illum Vrbanus dignitatibus omnibus exuit, eique ſacra interdixit; mortuo Clemente, Comitijs Benedicti XIII. Pſeudopontificis interfuit, ac pro illo ſuffragium tulit. Nec multo poſt, anno ſcilicet 1396. rebus humanis excedens Aſſiſij ex Ciaconio, ex alijs verò Auenione, apud Aluerniam in ſummis Appennini iugis ad Eccleſiam fratrum Minorum delatus, ſepultus eſt in ædicula, quam ipſe ſibi viuens extruxerat, & vocatur hactenus Cardinalis ſacellum. Hunc à Clemente VII. Pſeudopontifice defeciſſe, & ad Vrbanum rediiſſe, à quo iterum honore Purpuræ nobilitatum ſcripſit Hieronymus Garimbertus.

Ciaconius. Panuinius. Aubery in Vitis. Monumenta Triuultiana. Felix Contelorius in Elencho. S. Antoninus. And. Victor. in Addit. ad Ciaconium.

SECVNDA CREATIO CARDINALIVM.

Anno Dominicæ Incarnationis 1379. Pontificatus Secundo, Vrbanus VI. Romanus Pontifex Romæ iterum creauit ex Ciaconio, & Panuinio tres, ex Theodorico verò à Niem teſte oculato duos Cardinales, qui fuere.



XXX.

IOANNES Oczko Boemus, ex nobili, & antiqua familia Dominorum Vlarſim, Conſiliarius, & Secretarius Cæſaris, ex Præpoſito omnium Sanctorum in arce Pragenſi, fauore inuictiſſimi Principis Caroli Romanorum, & Boemiæ Regis Epiſcopatum Olmucenſem ſortitus, non multò poſt ad Metropolitanam Eccleſiam Pragenſem, omnium Canonicorum ſuffragijs poſt Erneſtum à Pordubitz, licet repugnans tranſlatus, Pallium ab Epiſcopo Spirẽſi adeptus eſt. Secundus Pragenſis Archiepiſcopus extitit, cui aucta fuit dignitas à Pontifice Vrbano VI. qui eidem argenteã Crucem deauratam, rubeum pileũ vnà cum titulo etiam Legati Apoſtolicæ ſedis miſit, Presbyter Cardinalis SS. Duodecim Apoſtolorum, ac Legatus Apoſtolicus renunciatus ab Vrbano in ſecunda ex Panuinio, & Ciaconio, ex notis verò Codicis S. Crucis in Hieruſalem de Vrbe in prima Cardinalium enunciatione, prouinciam illam ſibi commiſſam ſummo ſtudio adminiſtrauit. In Vueiſgrado Xenodochium pro ijs, qui è pinguiore fortuna in paupertatem prolapſi, aut qui peregrinantur ad loca ſacra, liberaliſſimis annuis redditibus de nouo fundauit. Domum Archiepiſcopalem Pragenſem mirificè auxit, & in ea ſacellum in honorem B. Mariæ Virginis, & ſanctorum Patronorum; nec non aliud in honorem Paſſionis Dominicæ conſtruxit. Item Monaſterium S. Iacobi in veteri Praga conſecrauit, & Moguntiæ Archiepiſcopum inaugurauit. Sub eo collecta ſunt mortuorum eius Eccleſiæ Epiſcoporum corpora, & in vnum locũ in ſaxeo ſarcophago repoſita tecta ſuperius marmore, occultis amodo titulis, Altaria, Hoſpitalia, pluraque alia ædificia præſtantiſſima erexit. Apud Regem Vvenceſlaum Decimum auctoritate plurimum polluit; huic enim viri tãtùm benè monenti Rex libenter aures dabat, ac modum aliquem ſuis animi perturbationibus illo interueniente ſtatuebat, ceteris omnibus con-

Ciaconius. Ferdinand. Vghell in Addit. ad Ciaconium. Panuinius. Aubery in Vitis. Monumenta Triuultiana. Hip. Marrac. in ... Purp. Mariana.

temptui habitus. Orationem habuit in funere Caroli IV. Imperatoris, quæ extat apud Raynerium Reynuccium.

Pragæ in Boemia rebus humanis exceſſit ex Ciaconio menſe Februario anni 1381. ex Diplomatibus verò Vrbani VI. datis die 29. Aprilis, quæ ſe vidiſſe fatetur in Vaticano Felix Contelorius, menſe Martio 1380. & in Eccleſia Pragenſi ſanctis Erhardo, & Ottholæ ſacra conditus eſt. Ferunt aliqui, vt narrat Auguſtinus Brunenſis Præpoſitus in Catalogo Olmucenſium Epiſcoporum, huic Genitricem Dei Mariam in arce Raudnik viſibiliter apparuiſſe.

Huiuſce Cardinalis morte audita Vrbanus ſummus Pontifex Pationi Epiſcopo Palignonenſi Nuncio ſuo, & in ijs Prouincijs Quæſtori ſcripſit, vt quoniam conſuetudo eſſet teſtamenta Cardinalium Romano Pontifici præſentari, ipſe omnium bonorum defuncti Cardinalis indicem accuratè conficeret, ac teſtamenti eius legitimum ad ſe exemplum tranſmitteret.

XXXI.

Ciaconius
Panuinius
Aubery in vita.
Felix Contel. in Elench. Card.
Monumenta Trinuitiana.



DEMETRIVS Hungarus Præſul Strigonienſis inter Presbyteros Cardinales titulo SS. Quatuor Coronatorum ab Vrbano cooptatus eſt: Huiuſce Cardinalis memo fit in aliquot Vrbani Pontificis monumentis, cui prædictus Pontifex Pannoniæ Regis rogatu Eccleſiam Strigonienſem commẽdat, quæ eius in Cardinalium Senatum lectione Paſtore vacauerat; præſertim cum Regio Edicto poſt purpuram ſuſceptam, ſemper in Pannonia permanſiſſet. Extat in libro 5. Obligationum Pontificalium literarum exemplar ad hunc Cardinalem in Hungaria commorantem miſſarum, quibus Romanus Pontifex ſub certis pœnis præcipit, vt quintam decimam omnium redditium Eccleſiæ, & Diœceſis Strigonienſis redimeret, & ipſe etiam eadem ratione quintam decimam prouentuum ſuorum perſolueret.

Stephan. Damalenicus in ſerie Epiſcopor. Vladiſlau. & alior.

Hic anno 1384. Hedwigim filiam natu minorem Eliſabethæ Reginæ Hungariæ in vxorem Regi Poloniæ datam, magno, & ſplendido comitatu in Poloniam deduxit. Migrauit è vita circa annum 1386. ſub eodem Vrbano, & in Cathedrali Strigonienſi ſepultus: viſuntur eius Inſignia ſupra expreſſa ante fores Eccleſiæ ſanctorum quatuor Coronatorum de Vrbe.

XXXII.

Ciaconius
Panuinius
Aubery in vita.
Monumenta Trinuitiana.



VALENTINVS Hungarus, quem Theodoricus à Niem in libro de ſchiſmate Ludouicum nominat, ex Epiſcopo Quinqueccleſienſi Presbyter Cardinalis S. Sabinæ ab Vrbano VI. in gratiam Regis Hungariæ renunciatus eſt. In patria pileum rubrum recepit; iam ſenex, & grandæuus, creato Gregorio XII. in Italiam venit, vt vnitatem in Eccleſia Catholica, pernicioſo, & diuturno Schiſmate ſublato perſuaderet, ac procuraret. Florentiæ honorificentiſſimè ſuſceptus, inde Senas, vbi Gregorius tunc erat, cum magna nobilium Hungarorum manu acceſſit. Ceterum cum contigiſſet illum graui ægritudine corripi, cognito quòd Pontifex, & alij, tanquam breui morituri facultatibus inhiarent, indignatus hæc verba dixiſſe fertur: *Vere nec me, nec bona mea habebitis.* Nec mora, lecticæ impoſitus, nulla à Pontifice licentia petita, quanquam prædura hieme, Venetias deferri ſe fecit, & non longè poſt in patriam perueniens, rebus humanis eximitur anno ex Aubery 1408. ex libris verò Diuiſionum ſacri Collegij, qui ſeruantur teſte Contelorio in Vaticano, circa menſem Iulij anni 1410. Huius Cardinalis Inſignia in abſide S. Sabinæ de Vrbe adhuc viſuntur; & ſunt inſculpta in Metropolitana Senenſi cum illis aliorum vndecim Cardinalium, qui cum Gregorio XII. ad Vrbem Senarum acceſſerant, vt Chriſtianæ Reipublicæ pene ob diuturnum Schiſma ruenti conſulerent.

Ferdinand. Vghel. in Ital. ſac.

TERTIA CREATIO CARDINALIVM.

Anno à partu Virginis 1381. Pontificatus IV. in quatuor Temporibus Aduentus Domini, menſe Decembri Romæ Vrbanus VI. ſummus Pontifex iterum creauit Cardinales, qui fuere.

XXXIII.

Ciaconius
Panuinius
Monumenta Trinuitiana.
Annal. Neapol.
Ambr. Simeon. in hiſt. Neapolitana



MARINVS de Iudice aliàs de Vulcano natione Italus, patria Amalphitanus, Archiepiſcopus Tarentinus, & Cõmendatarius Eccleſiæ Auerſanæ ab Vrbano renunciatus eſt Presbyter Cardinalis S. Pudentianæ titulo Paſtoris, & S. R. E. Camerarius anno ex Ciaconio, & Panuinio 1381. menſe Decembri. Sed vt refert Felix Contelorius ex eiuſdem Vrbani Diplomatibus datis Idibus Februarij, & a vij. Kal. Nouembris, & Kalendis eiuſdẽ menſis anno 1382. Marinus hic nondum erat Cardinalium Collegio adſcriptus; quare illum nonniſi anno 1383. creatum fuiſſe Cardinalem ſcribit Aubery. Nondum Cardinalis renunciatus legationis munere Vrbani iuſſu functus eſt in Hungaria ad Ludouicum Regem, cui Vrbanum ſic ſcripſiſſe inuenio; *Venerabili fratri Marino Archiepiſcopo Tarentino, Adminiſtratori Eccleſiæ Auerſanæ, Camerario noſtro.* Poſt adeptam purpuram aliàs geſſit legationes, videlicet ad Florentinos, Peruſinos, Picenses, Inſubrum Principes, & per totam ferè Italiam, vt hos Principes, & populos Romanæ adhuc Eccleſiæ rebelles conciliaret, & Vrbano ſummo Pontifici obſequentes redderet. Archipresbyteratum Baſilicæ Liberianæ obtinuiſſe ab Vrbano VI. ex eiuſdem Baſilicæ tabulis manuſcriptis conſtat.

Paul. de [illegible] Bibl. Liberianæ.

Aliquot poſt annos, menſe ſcilicet Ianuario 1385. læſæ Maieſtatis reus factus, Luceriæ Chriſtianorum cum alijs Cardinalibus iuſſu Vrbani captus, tortus, & diu carceri incluſus, poſtremò Genuæ menſe Decembri eiuſdem anni interfectus eſt. Huius Cardinalis Inſignia ſupra expreſſa in titulo Paſtoris Romæ ſpectantur.

XXXIV.

Ciaconius
Panuinius
Felix Contel. in Elench. Card.
Aubery in vita.
Io. Bapt. Tuſo in hiſt. Cler. Reg.
Hier. Garimbert.
Monument. Trinuit.



LANDVLPHVS Marramauris, aliàs Marramaldus, nobilis Neapolitanus, ex Archiepiſcopo Barenſi Diaconus Cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano ab Vrbano VI. creatus eſt. Sed paulò poſt, illum tanquam Regis Caroli fautorem, & proditę Maieſtatis reum Cardinalitia dignitate, & Archiepiſcopatu idem Vrbanus ſpoliauit. Eo mortuo Bonifacius IX. initio Pontificatus, videlicet xv. Kalen. Ianuarij anno 1389. Landulphum vnà cum Adamo Anglico, & Bartholomæo Reatino Cardinalium Senatui, non tamen Archiepiſcopatui reſtituit. Multis, & ampliſſimis legationibus ſtrenuè pro Romana Eccleſia Landulphus Cardinalis functus eſt; primùm enim maxima cum poteſtate Legatus fuit Aemiliæ, Florentiæ, & in omni ditione, ac oppidis Antonij Geltij, Pandulphi, & Galeotti Malateſtarum, qui de Vrbinatum imperio decertantes, periculoſum bellum gerentes, Bonifacium Romanum Pontificem controuerſiarum illarum arbitrum delegerant, quibus cognoſcendis, ac terminandis, antea inutilis fuerat Ioannes Caracciolus, qui parum profecerat; eius enim ſententia, quam ambæ partes publicatam aſportauerunt, neglecta, nec mutua odia remiſſa erant, & atrox adhuc bellum inter eos perſeuerabat. Bonifacius ſuis literis appellat Landulphum Cardinalem benè agendi magis, quàm loquendi auidum; poſtea in vtraque Sicilia, citra, & vltra Pharum legationis onus ſub eodem Pontifice ſuſtinuit. Ad hæc in Regno Neapolitano, quo tempore inter Regem Ladiſlaum, & Regni Proceres feralibus odijs inter ſe diſſidentes, omnium controuerſiarum componendarum arbiter à Pontifice Bonifacio factus, ſua opera, & diligentia arctiſſimo inter eos fœdere inito, & amicitia compoſita, cuncta pacauit, & Diplomatis eiuſdem Pontificis executor fuit.

Acta Conſiſtorialia.
Ambr. Simeon. in hiſt. Neapolit.

Ab Innocentio VII. legatione Peruſina honeſtatus, ei Vrbi præfuit. Extant citationes, & proceſſus Gregorij XII. contra hunc, & Burdegalenſem, quando eo deſerto, Piſas cum alijs Cardinalibus profectus eſt. Cum verò eſſet rerum gerendarum dexteritate mirificus, à Concilio Piſano, & à Cardinalibus vtriuſque obedientiæ, qui Piſas ſeceſſerant, in Germaniam Legatus ad Principes, & Antiſtites ad Synodum Piſanam inuitandos. Vbique honorificè ſuſceptus, circa feſtum Epiphaniæ anno 1409. Francofordiam venit, vbi erant Rupertus Rex Romanorum, Archiepiſcopus Moguntinenſis, & Colonienſis, ac alij multi Antiſtites, & Principes, nec non Regum Francorum, & Angliæ, aliorum Principum, ac Ciuitatum Oratores in vnum congregati ad tractandum de vnione Eccleſiæ, occaſione

literarum publicarum à Cardinalibus de ſua ſeceſſione, & ad Synodum inuitatione ſcriptarum. Nouiſſimè Ioannes XXIII. anno primo ad Caſtellæ, Legionis, Aragoniæ, Nauarræ, Granatæ, ac totius Hiſpaniæ, Regna pro Vnitate Eccleſiaſtica Concilio generali celebrando legationem ampliſſimam cum facultate, vt Petrum de Luna ad obedientiam reciperet, & cum eo concordiæ aliquam rationem iniret, quamquam Petri eiuſdem pertinacia nihil factum fuerit.

Interfuit Landulphus Comitijs Innocentij VII. Gregorij XII. Alexandri V. & Ioannis XXIII. & quidem ſine vlla labe in Piſani Concilij conflictu virum ſe integerrimum geſſit. Demum Conſtantiam cum Ioanne XXIII. ad generale Concilium profectus, paulò poſt eiuſdem Pontificis abrogationem eo loci, vbi ad eam diem ſummæ virtutis conſtanti omnium teſtimonio ſpecimen dederat, xvij. Kal. Nouembris anno noſtræ ſalutis 1415. rebus humanis exceſſit, & ad Prædicatores ſepultus.

Concilio Conſtantienſi ſe ſubſcripſit: *Landulphus Barenſis ſancti Nicolai in Carcere Diaconus Cardinalis.* Barenſis agnomen ab Archiepiſcopatu, quem olim rexerat, dum vixit, retinuit; vnde ſunt qui illum confundunt cum Ludouico Cardinale Barenſi è regio Francorum ſanguine nato.

Ant. Beral. in hiſt. Barēd.



XXXV.

PETRVS alias Perinus, Tomacellus, natione Italus, nobili familia, quamquam paupere, ortus Neapoli, ex Clerico, ac ſolnago, ſeu ex Protonotario Apoſtolico, decimoquinto, ex quo Romam venerat, die, ab Vrbano VI renunciatus eſt primò Diaconus Cardinalis ſancti Georgij in Velabro, mox Preſbyter Cardinalis S. Anaſtaſiæ, ac Baſilicæ Lateranenſis Archipresbyter. Hunc aiunt, ſcribendi quidem, & canendi peritum, & præceptis Grammaticę imbutum, ſed grauioribus diſciplinis non valde excultum fuiſſe. Erat autem procera ſtatura, & facie decora, mortuo Vrbano electus Romanus Pontifex, dictus eſt Bonifacius IX. vide vitam.

Ciaconius. Felix Cōtelor. in Elencho. Panuinius. Aubery in vita. Caſ. Raſpon. de Baſil. Lateranen. Theod. à Niem.



XXXVI.

THOMAS Vrſinus ex Comitibus de Manupello, nobilis Romanus, Protonotarius Apoſtolicus Diaconis Cardinalibus ab Vrbano adſcriptus, præfuit dum vixit, Eccleſiæ S. Marię in Domnica. Eiuſdem Romani Pontificis iuſſu, legationis munere functus eſt in Petri Patrimonio, ac in Vmbria, quo tempore Raynaldus Vrſinus Aquilanus Princeps, & Taleacotij Comes, qui paulò ante Vrbemueterem, Spoletum, & finitimas quaſque regiones Romanæ Eccleſię vi occupauerat, Innuum, Cornetum vocant, eidem Legato eripuit; qui in Vmbriam, Corneto amiſſo, profectus Narniam, Bucciolo, qui eam Tyrannicè occupauerat, capto, in deditionem accepit, & Ameriam, ac Interamnam Ciuibus ſponte ſe dedentibus, dum Vrbanus Romanus Pontifex Lucæ in Hetruria eſſet Romanæ Eccleſiæ acquiſiuit. Extant Narniæ Thomæ Legati literæ, quibus Interamnenſes iam ad Eccleſiam reduces venia donauit. Nec longè poſt Angelo de Vico Vrbis Præfecto, Tyranno Viterbij, ciuili conſpiratione, non ſine Pontificis ſcientia interfecto, Ciues ſeſe ab occiſi Præfecti propinquis acerbè vexati, cum tueri non poſſent, Vuerbium Thomæ Vrſino Legato tradiderunt, ſub cuius tutela ab eorundem, qui adhuc multa in Patrimonio oppida poſſidebant, impreſſionibus liberati ſunt. His alijſque pro Romana Eccleſia præclarè geſtis motus Vrbanus Thomam non modò in legationis munere confirmauit, ſed eundem Vicarium in eiſdem prouincijs conſtituit. At non multò poſt alio in eius locum miſſo Legato, Thomam accuſatū, quòd aliquot Patrimonij oppida Romanæ Eccleſiæ ſubiecta, alijs tradere tentaſſet, reuocauit, ſed eiuſdem Legati opera tumultu in Ciuitate Viterbienſi concitato, is qui à Pontifice illi ſucceſſor deſtinatus fuerat, excluſus Peruſium ad Vrbanum reuerſus eſt. Ira ſuccēſus Pontifex in Thomam Cardinalem illico eum ad ſe acceſſiuit; hunc Peruſium proficiſcentem medio itinere Beltot Anglici Præfecti militiæ ſuæ opera captum, Peruſij primùm apud ſe, deinde in arce Amerina in carcerem tradi iuſſit. Quapropter Nicolaus Vrſinus Thomæ Cardinalis frater, vt eum vlciſceretur, Narniam, & Interamnam, quas paulo ante Romanæ Eccleſiæ acquiſierat, occupatas diripuit. Pontifex ſtatim aliquot militum cohortibus miſſis, tradente ſe Ciuitatis populo Narniam recepit, & Nicolaum, qui in arcem refugerat, captum, Peruſiam in cuſtodiam miſit. Cardinalis deinde non longo poſt tempore, Pontifice aliquot Procerum precibus expugnato, è carcere ereptus, mortuo deinde Vrbano, Pontificijs Comitijs interfuit, & pro Bonifacio Vrbani ſucceſſore ſuffragium tulit. Sub quo, primo eius Põtificatus anno, Chriſti verò 1390. Romæ vj. Iulij è vita migrauit, & ad S. Petrum in Vaticano ſepultus. Claruit prudentia in rebus gerendis, & eius nomen grauius in Eccleſiaſticorum auribus inſonuiſſet, ſi regnandi cupidus tumultum Viterbij contra ſucceſſorem Legatum non excitaſſet.

Ciaconius. Panuinius. Felix Cōtelor. in Elencho. Aubery in vita. Franc. Ant. ... in hiſt. Interamn. Chronic. Neapolit. Commen. Triuult. S Antoninus. F. Sanſouin. in hiſtor. fam. Vrſinæ. Franc. Maria Turrig. de Crypt. Vatican.

QVARTA CREATIO CARDINALIVM.

Anno Dominicæ Incarnationis 1384. *Pontificatus VII.* xjv. Kalendas Ianuarij Feria quarta quatuor Temporum Aduentus Domini, Nuceriæ in Campania, ex Ciaconio, ex Panuinio vij. Idus Ianuarij anno 1385. Luceriæ Chriſtianorum in Apulia Vrbanus VI. Romanus Pontifex quartò creauit Cardinales, & vnum priuauit ex antiquis, qui fuit.

Petrus de Tartaris Romanus, monachus ordinis Montiſolueti, & Abbas S. Laurentij extra muros, deinde Abbas Caſinenſis, demum Presbyter Cardinalis à Gregorio XI. renunciatus, qui poſtea à Bonifacio IX. priſtinæ dignitati reſtitutus eſt.



XXXVII.

ADOLPHVS Comes Anaxouicanus, nobiliſſimo genere in Germania ortus, anno noſtræ ſalutis 1372. omnium Canonicorum ſuffragijs Spirenſis Epiſcopus electus, nouem annorum ſpatio ſedem illam prudenter rexit. Initio tamen Sacerdotij ſui Spiram rebellem, & ſeditioſam, auxilijs Archiepiſcoporum Colonienſis, ac Treuirenſis, ſuæque familiæ armis imperata facere coēgit, Henrico à Landouu nobili, & opulentiſſimo Spirenſi ciue eius rebellionis auctore, Vrbe in perpetuum exilium electo, & cunctis bonis eiuſdem publicatis. Deinde Ioanne Duce Lucemburgenſi, & Comite S. Pauli, Gallo vulgò cognominato, Vvenceſlai Ducis Brabantiæ, & Lucemburgi, Caroli IV. Imperatoris fratris filio mortuo, vnanimi totius Cleri Moguntini conſenſu, ſedis Moguntinæ Archiepiſcopus deſignatus eſt. Contra hunc Gregorius XI. Romanus Pontifex Ludouico Miſniæ Marchioni Epiſcopo Bambergenſi, quem Moguntinis ipſe Paſtorem Carolo IV. Imperatore conniuente deſtinarat, ſuffragabatur, & eum honorem deferri volebat. Moguntinam igitur Adolphus Vrbem accedere, & illic ſedere à Pontifice prohibitus, Spirenſem Epiſcopatum retinuit. At anno à partu Virginis 1380. Ludouico cœleſti igne, dum Pontificiam dignitatem paruifaciens, choreæ vacaret, abſumpto, Moguntinam ſedem Adolphus quietè, ac pacificè obtinens, Spirenſis Eccleſiæ regimen per ſeptennium retinuit, tametſi Nicolaus quidam ab Vrbano VI. Spirenſis Epiſcopus deſignatus ex Vrbe in Germaniam miſſus eſſet; poſt ſeptennium Adolphus Spirenſem Cathedram liberam reliquit. Præfuit hic laudabiliter Moguntinæ ſedi annos octo.

Hunc Vrbanus VI. Romanus Pontifex abſentem, & nihil tale cogitantem, purpureo honore donauit in fine anni 1384. ſeu initio anni 1385. Ille tamen vltro præſtitam dignitatem recuſauit fortaſſe ob ſchiſma inter Vrbanum VI. & Clementem VII. exortum, dubius quis illorum eſſet verus, ac legitimus Pontifex; quare ab illorum neutro Pallium petere, aut accipere vnquam voluit. Obijt Heiligenſtadij menſe Februarij anno Dominicæ Incarnationis 1388, vel vt alij ſcribunt, 1390. Pontificatus Moguntini anno octauo, ſeu decimo, & ſepultus Moguntiæ.

Nulla huiuſce Adolphi mentio apud Panuinium, qui in ſerie ſex Cardinalium, qui pileum recuſantes, dignitatem accipere noluerunt, hunc prætermittit, & loco illius Ludouicum de Miſna Archiepiſcopum Moguntinum, Adolphi in cathedra æmulum numerat. Sed Felix Contelorius de Cardinalibus diligens ſcriptor ex m. s. Bibliothecæ Vaticanæ, non Ludouicum, ſed Adolphum cum Ciaconio, Presbyteris Cardinalibus ab Vrbano adſcriptum refert.

Ciaconius. Gaſp. Bruſchius de Germ. Epiſcop. Aod. Victor. in Addit. ad Ciaconium. Felix Cōtelor. in ſuo Elencho. Nicol. Serar. Rebus Mogunt.



XXXVIII.

FRIDERICVS Comes Sarwerdenſis, Germanus, Cunonis, ſeu Simonis Treuirēſis Archiepiſcopi nepos, ex Canonico, ætate adhuc iuuenis, ſed ſapiēs, Imperialium legum peritia clarus, & rerum maturitate pollēs, anno 1370. electus eſt Colonienſis Archiepiſcopus, cuius electionis confirmationem obtinuit à Gregorio XI. cum quo Bononiæ in Italia operam bonis literis dederat. Renunciatus Archiepiſcopus tres ordine Imperatores, Vvenceſlaum ſcilicet, Rupertum, ac Sigiſ-

Ciaconius. Ferdinad. Vghell. in Addit. ad Ciaconium. Gaſp. Bruſchius de Germ. Epiſcop. Panuinius. Felix Cōtelor. in ſuo Elencho.

mundum

mundum elegit, & Aquiſgrani conſecrauit, Cathedram Colonienſem ſanctiſſimè rexit. Quare Vrbanus huius nominis Sextus illum vna cum Moguntino, & Treuirenſi Archiepiſcopis, Leodienſi, & Vratiſlauienſi Epiſcopis, ac Petro de Roſſembergh Boëmo purpura donauit, ac Presbyteris Cardinalibus adſcripſit. Sed laudatiſſimus Princeps ampliſſimam Cardinalatus dignitatem vltro oblatam recuſauit. Vitam duxit ſuam, vſque ad noſtræ ſalutis annum 1414. quo anno die 9. Aprilis, cum præfuiſſet Colonienſi Eccleſiæ annos 44. Coloniæ è vita exceſſit, & in ſummo Templo eiuſdem Ciuitatis honorificè ſepultus.

XXXIX.

Ciaconius. Panuinius. Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon. Felix Cõtel. in Elench. Card. Gaſp. Bruſchius de Epiſcop. German.



CVNO, aliàs Simon de Falkenſtein, nobilis Germanus, Friderici Comitis Saruuerdenſis Archiepiſcopi Colonienſis patruus, electus Archiepiſcopus Treuirenſis, ampliſſimis illis prouincijs ſibi commiſſis laudabiliter præſedit, ac optimè proſpexit. Erat enim vir ſtrenuus, labori aſſuetus, ingenio, & conſilio acutiſſimus, qui à natura ad regimen natus videbatur. Hic ab Vrbano inter S. R. E. Presbyteros Cardinales cooptatus, Treuirenſi Eccleſia contentus dignitatem illam recuſauit. Confluentiæ anno noſtræ ſalutis 1388. Treuirenſis gubernationis anno vigeſimo, diem obijt ſupremum, & ad S. Caſtorem magnificè ſepultus.

XL.

Ciaconius. Panuinius. Felix Cõtelor. in Elencho. In Chapeau. [illegible] Leodienſi. Rodulph. de Riuo de Epiſcop. Leodienſ.




ARNOLDVS de Horne Leodienſis, ex Comitibus Hornanis progenitus, ex Vltraiectenſi ad Epiſcopatum Leodienſem ab Vrbano VI. euectus eſt. Defuncto enim Ioanne de Arkel, Vrbanus Romanus Pontifex, tum vt ius veri ſui Pontificatus Leodienſibus aperiret, tum, vt Eccleſiæ Leodienſi de Epiſcopo grato, & maximè pro rerum Leodienſium ſtatu idoneo prouideret, Arnoldum hunc tunc temporis in Curia Romana exiſtentem, annos natum circiter 40. viribus corporis, & animi pollentem, iuriſprudentiæ, ſicut & rei militaris apprime peritum, Epiſcopum Leodienſem nominauit, vt Eccleſiæ illius iuriſdictionem in pace conſeruaret, & belli tempore contra hoſtiles inuaſiones defenderet. Interea Canonici Leodienſes quinta ab obitu Ioannis de Arkel die concordibus ſententijs in Epiſcopum Leodienſem elegerant Dominum Euſtachium, dictum Perſan de Rupeforti Canonicum eiuſdem Eccleſiæ, nec longa poſt mora D. Vuillelmum Volen Vicedecanum Leodienſem, & Abbatem noui Monaſterij Hoienſis, aliosque primarios viros in Italiam ablegarant ad Clementem VII. Pſeudopontificem, ad confirmationem obtinendam, qua obtenta, Arnoldus non eſt admiſſus. Interim orta eſt inter Perſandum Pſeudoepiſcopum, & D. Vualtherum de Rupeforti eius fratrem eiuſdem Epiſcopatus, vt dicunt Mambrunum, hoc eſt Præſidem, grauis ſimultas, ratione prouentuum menſæ Epiſcopalis. Dicebat enim Vualtherus, illos interim dum legitimè confirmatus non eſſet Epiſcopus, ad ſe veluti Mambrunum ſpectare; ille, & ſe legitimè confirmatum, & fructus omnes hactenus decurſos ſuos eſſe contendebat. Cum nemo interea hanc inter fratres controuerſiam facilè dirimere poſſet, Perſandus cum Vuenceſlao Brabantiæ Duce, Archiepiſcopo Colonienſi, & Duce Iuliæ fœdus inijt, quòd grauiter Leodienſes acceperunt. Quo circa Arnoldum Hornanum ad Epiſcopatum illum ab Vrbano euectum aduocant, fidem, obedientiam, operamque promittunt. Ille igitur Leodienſium votis ſatisfacturus, anno 1378. paulò ante feſtiuitatem Natalis Domini cum Ludouico fratre, ſplendido multorum patriæ Procerum Comitatu Leodium ingreditur, & à Clero, Magiſtratu, ac populo magno applauſu recipitur. At cum rem periculo plenam agnoſceret, ſi prouiſionem ab Vrbano ſibi factam prouiſioni Clementis Perſando factæ præferret, quòd Leodij factioſi non deeſſent, qui partibus Clementis fauerent, nec in vicinis Brabantiæ locis certum vſquequaque eſſet, Vrbanum verum eſſe Pontificem, hoc temperamentum inijt, vt iam non Epiſcopum ſe profiteretur, ſed Mambrunum; maximè quòd in agro Vltraiectenſi ſopiendis quorundam Geldrorum motibus adhuc detineretur. Placuit Leodienſibus conſilium, & loco ſui conſtituto Mambruno fratre eius Ludouico, redijt Vltraiectum. Perſandus, & cum eo Brabantiæ, & Iuliæ Duces, necnon Archiepiſcopus Colonienſis magno conſcripto exercitu, Traiectum ad Moſam veniunt. Primores Vrbis viginti quatuor, quòd Hornano per Vrbanum creato adhærerent, in exilium mittunt, inde ſe in omnes patriæ Leodienſis partes diffundunt, prædas agentes. His exacerbati Leodienſes Perſandum Epiſcopatu tanquam proditorem ſacrilegum excidiſſe publicè edicunt, eius ſigna côcremant, Hornanum Epiſcopum communi acclamatione, tanquam à legitimo Pontifice Vrbano datum gratulabundis vocibus acceptant, fortunam, vitamque in eius obſequium offerentes. Anno igitur ſequenti 1397. die craſtino S. Seuerini inſigni, ducentorum, & ampliùs nobilium Comitatu ſtipatus Leodium Arnoldus ingreſſus eſt, non tam, vt patriæ Mambrunus, ſed vt Epiſcopus, & Princeps, ac ſolemnibus cum Capitulo, & Magiſtratu ſacramentis ſeruatis, literas Epiſcopatus ab Vrbano Pontifice, & regalium à Vuenceſlao Imperatore conceſſas Capitulo præſentauit. Epiſcopus autem, & Princeps inauguratus, vt pacificum regiminis ſui initium haberet, cum Duce Brabantiæ, de cuius ſanguine ex latere materno prodierat, fœdera pacis inijt. Perſandus vtriuſque Principis Brabantiæ, & Iuliæ fauore de repente ſe priuatum conſpiciens, Clementis Antipapæ, eiuſque adhærentium opem implorauit; ſacra Arnoldo interdixit Clemens, ſed ille Vrbano legitimo Pontifici adhærens, parui Clementis minas fecit. Quare Perſandus videns Hornanum nobilibus ſanguine iunctis potentem, & populo gratum, relicta dignitate, quòd reliquum vitæ fuit, priuatam ſibi traducendam putauit. Arnoldus Epiſcopus ſedatis tumultibus in Ciuitate Leodienſi exortis, profectus eſt in Angliam, vt pacem inter Regem, & Ludouicum Comitem Flandriæ componeret, ſed re infecta Leodium redijt; Angliæ enim Rex ſpe reducendi breui totam Flandriam in ſuam poteſtatem, reſpuit pacem.

Dum in patria licet non quietè viueret Arnoldus Vrbani ſectator, ab Vrbano Presbyteris Cardinalibus abſens adſcriptus eſt; verùm ille Pontifici gratias agens, beneficium remiſit. Nec multò poſt anno ſcilicet 1389. apoſtemate inter ſcapulas enato ægrotare cœpit, quo ex morbo mox, die ſcilicet 8. Martij circa vndecimam noctis horam, anno ætatis ſuæ quinquageſimo obijt. Cuius corpus per defluuium Moſæ in agrum Hornenſem delatum in Monaſterio nobilium Virginum ordinis Ciſtercienſis, cui nomen Keſerbos à maioribus ſuis fundato ſepultum fuit. Præfuit Leodienſibus circiter annos decem.

XLI.

Ciaconius. Felix Cõtel. in Elench. Card. Panuinius. Bzou. Ann. [illegible] Ferdinand. Vghel. Add. ad Ciaconiũ.



VVSNCESLAVS Principis Lignicenſis filius, Boleſlai Ducis Signicenſis regia ſtirpe Poloniæ Regum natus, natione Germanus, Epiſcopatum Lubricenſem primò, mox Vratiſlauienſem ab Vrbano huius nominis Sexto, Romano Pontifice obtinuit. In his dignitatibus optimi Præſulis partes agens, pro Vrbano, contra Clementem VII. Pſeudopontificem ſemper ſtetit; quare ab eodem Vrbano inter Presbyteros Cardinales cooptatus eſt, ſed oblatam dignitatem reſpuit, ſua ſorte contentus. Obijt Epiſcopus Vratiſlauienſis incertum tamen, quo anno, vel menſe.

XLII.

P. Sanm. in hiſtor. fam. Vrſinæ. Panuinius. Felix Cõtel. in Elench. Card.



PETRVS de Vrſinis Dominus Roſſembergh, nobilis genere, & honeſtæ conuerſationis, Clericus, ſeu Presbyter de Regno Boëmiæ natus, ab Vrbano VI. Cardinalatus dignitate donatus eſt. Sed poſt longam deliberationem habitam, omni ambitione remota, huiuſmodi Cardinalatus honorem acceptare noluit; incertum quandiu vixerit poſt iſtam abdicationem.

XLIII.

Ciaconius. Panuinius. Aubery in vita. Monumenta Tudertana. Felix Cõtel. in Elencho. Ferdinand. Vghel. in Ital. ſac.



STEPHANVS Paloſius, quem Contelorius Angelum nominat, nobilis Romanus, ex Canonico S. Mariæ Maioris de Vrbe, & vrbani Cleri Camerario Epiſcopus Tudertinus à Gregorio XI. anno 1374. & ab Vrbano VI. S. R. E. Camerarius, ac Romæ Vicarius primò, mox Presbyter Cardinalis titulo ſancti Marcelli ſublectus eſt. Hunc populus Romanus, quòd vir grauis, prudens, & Reipublicæ amantiſſimus eſſet, maximè coluit. Pro Vrbano contra Clementem Pſeudopontificem ſtetit, quo mortuo interfuit Bonifacij IX. Comitijs, & egregiæ nauatæ pro eo in adipiſcendo Pontificatu operæ fructum tulit, vt perpetuo illi accepiſſimus fuerit. Nam Baſilicæ Liberianæ Archipresbyter factus ab eodem Pontifice præfectus eſt ſarciendo Baſilicæ ſancti Pauli tecto, quòd ceciderat, vt ea de cauſa decimam, & alias indictiones exigeret. Tudertinam Eccleſiam rexit vſque ad annum 1396. quo ſpontè munere illo ſe exoluit: cum Eccleſiam Tudertinam adminiſtraret, Conſtitutiones, Capituli rebus compoſitis, cum Canonicis præſcripſit. Ab Aptis, & Claretallenſibus, qui erant factionum Guelphorum, & Ghibellinorum principes in Ciuitate Tudertina, anno 1380. ſolemne pacis ſacramentum ſuſcepit. Deceſſit Romæ iij. Kalendas Maij anno 1398. & ſepultus apud S. Mariam Maiorem prope Præſepium, ante Altare S. Hieronymi, cum ſequenti Inſcriptione.

HIC IACET REVERENDISSIMVS PATER IN CHRISTO D. STEPHANVS PALOSIVS TIT. S. MARCELLI S R. E. PRESBYTER CARD. ARCHIPRESBYTER HVIVS BASILICAE QVI OBIIT ANNO DOMINI MCCCXCVIII. MENS. APR. D. XXIX. CVIVS ANIMA REQVIESCAT IN PACE. AMEN.

Paul. de Angel. in Deſcript. Baſil. Liberianæ.

Extat huiſce Cardinalis in tabulis Baſilicæ Liberianæ memoria his verbis. *Stephanus tituli S. Marcelli, Presbyter Cardinalis, Archipresbyter ſanctæ Mariæ Maioris, ſedente Bonifacio IX. Pontifice Maximo anno ſalutis* 1390. De illius ſepulchro hæc in eiſdem tabulis legimus. *Stephanus Paloſius Cardinalis S. Marcelli, Rom. ab Vrbano VI. creatus, iacet in terra ante Altare S. Hieronymi.*

F. Sanſouin. in hiſtor. fam. Vrſinæ.

Felix Cōtelor. in Elencho.



XLIV.

RAYMVNDELLVS, aliàs Raymundus de Baucio, de Vrſinis, nobilis Romanus, filius Nicolai Comitis Nolani, teſte Panuinio, & Ciaconio, anno noſtræ ſalutis 1384. renunciatus eſt ab Vrbano huius nominis Sexto Diaconus Cardinalis. Extat huiuſce Raymūdelli mentio in tabulis antiquis his verbis. *Nam Raymundellus de Baucio de Vrſinis filius Nicolai Comitis Nolani, Miles ſtrenuiſſimus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Athleta Chriſti maximus, equitum, & peditum multitudine veniens in ſuccurſum Vrbani VI. qui in Caſtro Ciuitatis Luceriæ obſidebatur à Carolo de Duratio olim Rege Hieruſalem, & Siciliæ, diſſoluit obſidionem, exercitum Caroli, cui Petrus Tartari Abbas Caſinenſis præerat, in fugam vertit, & Vrbanum, & Curiales ad tutum locum deduxit. Ideoque Vrbanus pro florenis triginta millibus, quos ratione expenſarum promiſerat, tradidit in pignus Cœnam Benedictinam, & Gregorianam, quas ſanna redemit.* Tabulæ iſtæ ſcriptæ ſunt die 15. Nouembris anno 1385. Non igitur, inquit Contelorius, Raymundellus Diaconus Cardinalibus adſcriptus fuerat anno præcedenti 1384. cum anno 1385. pro milite ſe gerebat. Certè ſi Cardinalis fuiſſet, tabulæ iſtæ expreſſiſſent, non enim prætermiſiſſent dignitates aliàs, quibus ille ornatus incedebat. Franciſcus Sanſouinus in hiſtoria familiæ Vrſinæ Raymundum hunc non numerat inter Cardinales eius familiæ, imò ſcribit ſedatis tumultibus in Neapolitano Regno à Carolo Rege obtinuiſſe Principatum Tarentinum.

Ciaconius

Panuinius

Aubery in vita.

Ferdinād. Vghel. in Ital. ſac.

Burghinus de Epiſc. Florent.

Scipio Ammirat. in hiſtor. Florentin.



XLV.

ANGELVS Acciaiolus nobilis Florentinus, filius Iacobi, & Bartholomeæ de Ricaſolis, ex Epiſcopo Rampollano in Regno Neapolitano translatus eſt ad Florentinam Eccleſiam anno 1383. ſedente Vrbano huius nominis Sexto in Petri Cathedra. Noui Præſulis dignitas Florentinorum ciuium ſtudio amplificata eſt; nullum enim ſtudij genus, officij, & obſeruantiæ illi prætermiſerunt initio anni 1384. in excipiendo intra Vrbem nouo Epiſcopo. Qui ab eodem Vrbano Presbyteris Cardinalibus titulo S. Laurentij in Damaſo primò, mox à Bonifacio IX. Epiſcopis Oſtienſibus, & Veliternis adſcriptus eſt. Hunc ab Vrbano VI. Cardinalium cœtui adſcriptum anno 1385. Genuā ab eodē Vrbano purpureū petaſum accepturū Angelū commeaſſe ſcribit Boninſegnius in hiſtoria Florentina. Purpuratorum deinde Senatus Decanus præſedit, ac munere ſacræ Cancellariæ functus eſt. Poſt Vrbani obitum in Comitijs ex quatuordecim Cardinalibus, qui Conclaui incluſi erant, ſex Angelo conſtantiſſimè fauebant, totidem Poncellum Vrſinum poſtulabant, & cum alter alteri cedere noluiſſent, tandem inſtauratis Comitijs Franciſco Carbone Cardinale maximè ſuadente, omnium ſuffragia in Bonifacium IX. conuerſa ſunt, quo ſedente Angelus plures, & longè grauiſſimas legationes geſſit. Bonifacius enim Pontificatus initio Ladiſlaum puerum decimum ſeptimum ſuæ ætatis annum agentem Caroli Dyrrachij filium Caietæ tum cum Margherita matre incluſum, & Regno ſpoliatum, attollendum, ornandum, ac tuendum totis viribus ſuſcepit. Quòd, vt facilius fieret, priuationem Caroli patris ab Vrbano factam, eiuſque anathema abrogauit; & quia induſtrio, & lectiſſimo Legato opus erat, Cardinalem Florentinum inter omnes Patres potiſſimum delegit, quem Regni Neapolitani Legatum, & Regis pueri gubernatorem, ac tutorem nominauit. Is Caietam profectus, eundem Ladiſlaum in Regem Siciliæ, & Hieruſalem, vna cum eius coniuge Conſtantia, filia Manfredi Claromontij Comitis Moticæ viri potentiſſimi, qui in turbis Siculis auctoritate penè regia magnam Inſulæ partem occupabat, Bonifacij iuſſu Kalendis Iunij anno 1390. inunxit, & coronauit, ac ſolemne ab eo recepit beneficiarij iuris ſacramentū. Legationis etiam munere functus eſt cum Ladiſlao in Hungaria, Sclauonia, Dalmatia, & Croatia, cui ſcribens Romanus Pontifex ita ait. *Vt aſſiſtentia tam ſpiritualis, quam temporalis chariſſimo filio Noſtro Ladiſlao Regi Siciliæ Illuſtri circa recuperationem Regni Hungariæ, & partium prædictarum aliarum iurium in illis, & alijs partibus eidem Regi quomodolibet competentium valeat efficacius exhiberi, opportunum adhibeamus auxiliante Domino conſilium, ſalubreque remedium impendatur.* Iaderæ in Dalmatia Bonifacij iuſſu, Ladiſlai Hungariæ Regis caput regio Diademate cinxit. Reuerſus porrò ad Vrbem, Vrſinos Romanos Principes à Pontifice diſſidentes, ſua dexteritate eidem reconciliauit. Innocentij VII. iuſſu, cuius creationi interfuit, monachorum S. Pauli Romæ via Oſtienſi, lapſos mores, & ſolutam viuendi normam correxit. Florentinam Eccleſiam adminiſtrauit, vſque ad annum 1387. cui deinde Eccleſiaſticis negocijs propemodum oppreſſus renuſit nuncium. Florebat Angelus prudentia, ceteriſque nobilioribus dotibus, ac verſatus multum in literis erat. Cùm ſuis temporibus Clementis VII. Pſeudopontificis ſchiſma regnaret, arrepto ſtylo opuſculum inſigni pietate, ac doctrina refertum edidit ad Cardinales Clementis ſequaces; de quo Paulus Corteſius libro primo de Cardinalibus, qui aliquid ſcripſerunt, hæc habet. *Sed inferioris ætatis maximè Acciaiolus laudari ſolet, quòd & habitus ſit in ſenatoria ſententia dicenda ſapiens, & quòd ab eo Apologeticus libellus ſit contra Tranſalpinos Senatores de Vrbani VI. Electione ſcriptus, in quo non tam differendo diſputatur, vtrum Robertus Allobrox Pontifex poſſet extraordinaria ſuffragatione legi, quàm ea exquiratur via, qua naſcentium malorum eſſet extinctura facem.* Cum Gregorio XII. manſit Senis à die tertia Septembris anni 1406. vſque ad vigeſimam tertiam Ianuarij anni ſequentis, vt inſcriptio in Metropolitanæ eiuſdem Vrbis Eccleſiæ parieti affixa teſtatur.

Thom. Coſt. in hiſt. Neapol.

Nomencl. Cardinal.

Ferdinād. Vghel. in Ital. ſac.

Felix Cōtel. in Elēch. Card.

Piſis deceſſit, vbi per idem tempus ad Concilium habendum cōmorabatur, pridie Idus Iunij, die Iouis, hora inter decimam quartam, & quintam, anno noſtræ ſalutis 1407. Pontificatus Gregorij Duodecimi, ſecundo, & in Cathedrali Piſana ſepultus, in qua iacuit, vſque ad annum 1550. quo eius corpus ad nobilem Florentinam Carthuſiam fundatam, ac dotatam non ab Angelo Acciaiolo Cardinali, vt ſcripſit Hieronymus Garimbertus, ſed ex Ferd. Vghellio, alijſque, à magno Siniſcalco Nicolao Acciaiolo, delatum eſt, ac ſepultum ad medium eius nobiliſſimæ gentis ſubterranei ſacelli, in quo in candida marmorea tabula, ne tanti viri memoria periret, eius effigies cum ſequenti Inſcriptione ſpectatur.

MONVMENTVM HOC ANGELO ACCIAIOLO CARD. ET EPISCOPO OSTIENSI S. R. E. CANCELLARIO EIVSQVE GERMANO FRATRI DONATO EQVITI CLARISSIMO SIBIQVE DONATI INSTAVRARVNT ANNO SALVTIS M. D. L.

Leonem Cardinali huic dedit in gentilitio ſtemmate Ciaconius geſtantem Crucē: Syluester verò Petraſancta in libro inſcripto *Teſſera Gentilitia*, ſcribit, Acciaiolæ familiæ Florentinæ inſignia continere leonem cyaneū cum punicea bipenni in argentei metalli arena quaſi præliaturum. Nos tamen cum Ferdinando Vghellio relictis his omnibus, ſcutum Angelo tribuimus tum, quòd Acciaiola familia noſtris hiſce temporibus vſurpat, tum quale vidimus in monumentis antiquis eiuſdem familiæ.

Vidi Romæ in Muſæo Equitis Caſſiani à Puteo æneum numiſma cum effigie Angeli Cardinalis Acciaioli: huius Cardinalis cum laude meminit S. Antoninus in ſua hiſtoria: eſt apud Carthuſianos Florentinos S. Brigittæ epiſtola conſolatoria ad Angelum hunc Cardinalem data, in morte Nicolai Acciaioli conſobrini, ipſius Angeli.

Felix Cōtelor. in Elencho.

Hier. Garimbert. in vit. Pont. & Cardinalium.

Ciaconius

Panuinius

Sylueſt. Maurolic. in Oceano

Barnab. Montalb. in hiſtor. Ciſterc.

Aubery in vita.

Caſ. Raſpon. de Baſil. Lateranen.



XLVI.

FRANCISCVS Carbonus, aliàs Carbonarius, nobilis Neapolitanus, Ioannis filius, à teneris annis Ciſtercienſium ordinem ingreſſus, nobilitatem quam à parentibus acceperat, morum grauitate, virtutis ſplēdore, doctrina, & Religionis Chriſtianæ zelo plurimùm illuſtrauit. Hic ab Vrbano VI. Romano Pontifice anno 1382. Eccleſiæ Monopolitanæ Epiſcopus creatus, Apoſtolicæ ſedis Nuncius in Regno Neapolitano contra Ioannam Reginam miſſus eſt. Quo in munere pro ſede Apoſtolica egregiam nauauit operam. Quare in nume-

rum Preſbyterorum Cardinalium ſub titulo SS. Gaii, & Suſannæ ab eodem Vrbano meruit cooptari: Illum Vrbanus paulò poſt ex Preſbytero Cardinali inter Epiſcopos Sabinenſes numerauit, eique ſacræ Pœnitentiariæ munus, & Archipreſbyteratum Baſilicæ Lateranenſis conceſſit.

Defuncto Vrbano, ſub Bonifacio IX. cui acceptiſſimus fuit, cum præcipuus eius promotionis auctor fuiſſet, pluribus, & inſignibus legationibus functus eſt. Fuit enim Legatus varijs temporibus pro Romana Eccleſia, ſumma cum poteſtate, inſuper Vicarius generalis Sabinæ, Campaniæ, Patrimonij ſancti Petri, Tuſciæ, & Vmbriæ; præfuit ſpeciatim Tudertinis, Vrbeuetanis, Tiphernatibus, Narnienſibus, alijſque Ciuitatibus. Inter ceteras eius legationes illuſtrior illa fuit, quam obijt aduerſus Fulginatenſes Romanæ Eccleſiæ rebelles, quos ſua in negocijs gerendis dexteritate ad obedientia Bonifacij IX. & Eccleſiæ reduxit. Religioſos viros contra hæreſes deſtinauit, ac multum auri pro Crucesignatis collegit.

Gaſpar Iacegelio in Europ. D. Bernardi.

Innocentij VII. Comitijs affuit, apud quem gratia, & auctoritate plurimum valuit. Anno à partu Virginis 1390. ordinis Minorum, & S. Claræ Protector renunciatus, magna concepta opinione de bono ſtatum Minorum regimine, Clariſſas omnes ſiue primæ, ſiue Vrbani VI. ſiue alterius regulæ ſibi ſubiectas, curæ, & adminiſtrationi Minorum commiſit, ac Diploma circa hæc ad Henricum Miniſtrum generalem Mantuæ Comitia generalia celebrantem miſit.

Luc Vuadding in Annal. Minorum.

E vita exceſſit Romæ, morte ferè repentina die Corporis Chriſti xjv. Kalendas Iulij anno 1405. Pontificatus eiuſdem Innocentij primo; corpus Neapolim tranſlatum in Cathedrali Eccleſia marmoreo tumulo cum eius effigie, inſignibus, & hac Inſcriptione conditum.

Clarus in excelſa Carbonum Parthenopea
Ingenua tellure ſatus de ſtirpe Columnas
Inter Apoſtolicas velut igne micantius Aſtrum,
Cardineique chori lux, gloria, ſpes quoque multis
Cui Sabinenſis Apex, titulumque Suſanna dedere,
Crimina qui lauacro laxabat cuncta ſecundo,
Et pius in cunctis, ſolerſque ad myſtica rebus
Conſilij probitate nitens, duxque ordinis alti
Corpore marmorea iacet hac Franciſcus in arca
Lætus in ætherea plaudit, ſed ſpiritus aula,
Anno milleno Domini quinto quatriceno
Octaua denaque die Iunij requieuit.

XLVII.



FR. BONAVENTVRA Baduarius de Peraga, quem de familia de Carrara fuiſſe Cortolanus affirmat, natione Italus, Patria Patauinus, ex nobili familia, quæ Baduaria, Peraghina, ſeu de Peraga dicta fuit, natus Patauij die Lunæ 22. Iunij anno 1332. ab ineunte ætate ſacrũ fratrũ Eremitarum S. Auguſtini ordinem profeſſus, Phyloſophiæ, ac Theologiæ ſtudijs operam nauauit, ita ut adhuc iuuenis diuinas literas Populo è ſacro ſuggeſtu magno cũ plauſu ſit interpretatus. Sic inculpatæ vitæ tenore, ſuffragante literarum eruditione per omnium honorum gradus ad ſummum ſui ordinis Magiſtratum aſcendit; mortuo enim ordinis Magiſtri Guidone de Belloreguardo prouinciæ Galliæ Ciſalpinæ, maioribus Comitijs Veronæ congregatis, ipſe omnium Patrum ſuffragijs xvj. Kalendas Iunij reparatæ ſalutis anno 1377. decimo octauo loco ei ſuffectus eſt, & ordini ſumma cum laude præfuit ex Ciaconio annis octo. Hunc Vrbanus huius nominis Sextus, cuius partes in ſchiſmate ſemper fuerat ſecutus, virtutis ergo abſentem, & nihil tale cogitantem purpureo honore donauit ex Panuinio, & Ciaconio anno 1384. Sed vterque labitur, nam Bonauentura ſubſcripſit, vt Cardinalis conceſſioni de Regno Siciliæ factæ Carolo Regi per Vrbanum VI. anno 1381. die prima Iunij, his verbis: *Fr. Bonauentura Presbyter Cardinalis S. Ceciliæ:* & Clemens VII. Pſeudopontifex in Diplomatibus datis anno 1378. & 1379. eum appellat Cardinalem Vrbani. Quare pro vera Anonymi auctoris ſententiam recipio, qui ſcripſit Bonauenturam Presbyteris Cardinalibus titulo S. Cæciliæ adſcriptum ab Vrbano anno 1378. in prima Patrum enunciatione; nam ad hunc iam Cardinalem Epiſtolam ſcripſit B. Catharina Senenſis, quæ die 29. Aprilis anno 1380. ad ſuperos euolauit, & extat inter Epiſtolas huius Sanctæ. Primus hic fuit teſte eiuſdem Spondano ex ordine Eremitarum, qui ad dignitatem Cardinalatus aſſumptus ſit, Cardinalis renunciatus nunquam Roma diceſſit. Nam haud longe poſt, cum Eccleſiaſticæ libertatis vnicus aſſertor, & patronus eſſet, ortis inter eum, & Franciſcum Carrarienſem Patauij Regulum ob ius Eccleſiaſticum ſimultatibus, impijs Principis conatibus conſtantiſſimè ſeſe oppoſuit, & iniqua eius poſtulata inſigni conſtantia contempſit. Quare Carrarienſis iratus clam per occultos ſicarios egit (ſic enim omnes ſuſpicati ſunt) vt tantæ virtutis vir Romę dum pontem Aelium tranſiens ad Baſilicam Vaticanam pergeret, ſagitta ab incerto emiſſa, immaniter transfixus nefariè interficeretur ita occultè, vt neque de homicidio, neque de tanti ſceleris auctore quicquam certi vnquam ſciri potuerit. Hanc rem his verbis breuiſſime commemorat libro primo de Cardinalatu Paulus Corteſius. *Nec multò minus acutè Bonauentura eſt in Sententiarum ſelectu enodando verſatus, qui Republica tuenda cauſa eſt ſagitta à Patauino Tyranno confixus.* Obijt igitur Romæ, ſed incertũ mihi eſt quo die, vel anno; Georgius Garnefelt Cartuſianus in vita B. Nicolai Albergati Cardinalis refert ex Panuinio Bonauenturam die 10. Iunij anno 1390. ad ſuperos euolaſſe; alij mortem eius reijciunt in annum 1386. ſeu 1389. alij in annum 1396. ſed neque huius, nec illius aſſerti omnino firmum fundamentum inuenio; attamen ex Epitaphij verbis certum eſt anno 1379. ad cælos abijſſe. Poſt obitum ſepultus in marmoreo pilo cum eius inſignibus, effigie, & inſcriptione in Eccleſia Eremitarum S. Triphonis, poſtea inſigni B. Auguſtini Baſilica condita, ad ſacellum S. Nicolao Tolentinati ſacrum tranſlatus iacet cum hoc rudi Epitaphio.

Bern. Scardeonius de Clar. vir. Patau.

Ant. Sandero in elog. Cardin.

Aubery in vit.

Hippol. Marraccius in Purp. Mariana.

Ioſeph Pamphilus in chron. ord.

Codex ms. Cœnobij S. Iuſtinæ de Vrbe.

Felix Cõtelorius in Elencho.

Hic Bonauentura eſt, qui doctus dogmate ſacro
Auguſtine tuis Eremis iam præfuit orbis;
Padua promotus ad ſolium Cardinis, inde
Anni milleni deceis ſeptemque triceni
Additis his nonem Chriſti requieuit in Vrbe
Cæli ciues animam, tu poſſides oſſa ſepulcre.

Scripſit Bonauentura in libros Sententiarum.
Meditationes in vitam Chriſti.
Speculum Mariæ.
Vitas Sanctorum.
Commentaria Iacobi, & Ioannis.
Ternarium, ſiue primum bonum de regimine conſcientiæ.
Breuiloquium, in quo ſubtiliſſimo modo Theologico à prima cauſa ad ſuos effectus progreditur.
Sermones de Tempore, de Sanctis, & ad Clerum.

Nomenc. Cardinal.

Hipp. Marracc. in Bibl. Marian.

Orationem in funere Franciſci Petrarchę arctiſſima familiaritate ac literarum, & ſtudiorum ſimilitudine ſibi coniuncti, quam habuit ante Purpuram Arquade inter colles Euganeos in frequentiſſimo funere, cui Epiſcopus Patauinus cum Clericorum claſſe, Carrarienſis Princeps, Academia, & Ciuitas ferè vniuerſa interfuere.

Scholis Theologicis Academiarum Italiæ, Pontificis Romani iuſſu leges dedit; In Academia Bononienſi Theologicam facultatem mandante Innocentio VI. publicè docuit.

Fratrem hic habuit vterinum, nomine Bonſemblantem, eiuſdem inſtituti, ac doctrina excultum, in cuius funere Petrarcha ad ipſum Bonauenturam amicum literas dedit conſolatorias, ex quibus, quantũ illum vir clariſſimus faceret, conijcere licet. Sancta Catharina Senenſis eidem epiſtolam ſcripſit, in qua Vrbanum VI. verum Pontificem confeſſa eſt.

Sanctitate quoque floruit Bonauentura, imò poſt mortem quam ſubijt, vt diximus pro Eccleſiaſtica libertate, tanquam martyr habitus eſt, vt refert Paulus Corteſius his verbis: *Hic doctrinæ ſanctitatem adiecit, vt pro martyre ferè celatur.* Trithemius quoque martyrio, dum Eccleſiæ libertatem defenderet, ex ſagitta accepto vulnere, coronatum dixit; eodem titulo à Scardeonio ab Henrico Spondano, & ab alijs nonnullis honeſtatur. Romæ in inferiori porticu Auguſtiniani Cœnobij, optimi Cardinalis imaginem palmam manu tenentem cum ſequenti elogio aſpicies.

Volaterranus.

Poſſeuin.

B. Bonauentura Patauinus generalis Magiſter
Et Cardinalis
Dum Eccleſiaſticam libertatem tueretur
Romæ ſagitta confoſſus pro Chriſti gloria
Supremum in terris diem glorioſiſſime concluſit Anno 1385.

In Indice ſanctorum, & beatorum ordinis Eremitarum S. Auguſtini, & in Chronico edito, beati titulo inſignitur, teſte Victorello.

XLVIII.



LVDOVICVS Fliſcus nobilis Genuenſis, ex Lauaniæ Comitibus, filius Nicolai quondam Lucchini ab Vrbano VI. anno 1384. Vercellenſem obtinuit Epiſcopatum, à quo, eodem anno 1384. ex Ciaconio, ex Contelorio anno ſequenti 1385. ex Panuinio verò anno 1381. vocatus eſt ad Purpuram titulo ſancti Hadriani cum adminiſtratione Vercellenſis Eccleſiæ ad beneplacitum Apoſtolicum. Quare tanti beneficij memor Vrbanum Luceriæ obſeſſum, per Iacobum Fliſcum Archiepiſcopum Genuenſem decem bene vnctis nauibus in libertatem vindicauit, & Genuam duxit. A Bonifacio IX. Vrbani ſucceſſore, cuius Comitijs interfuit, Le-

Fed. Federic. in hiſt. famil. Fliſcæ.

Aubery in vita.

S. Antonin.

Comment. Triumph.

Carol. Carth. [illegible] vocat [illegible] ciſtonal.

Her. Rubeus [illegible] hiſtor. Rauennaten.

Ferrer. vit. B. Vercell. Epiſc.

gatus,

gatus, ſiue Rector, & pro ſede Apoſtolica Adminiſtrator Campaniæ, Maritimæ, & Agrifundani creatus, ſua diligentia Anagniam de ſchiſmaticorum manibus ereptam ſedi Romanæ reſtituit. Genuam quoque cum legationis munere deſtinatur, vt eam Ciuitatem nutantem in Bonifacij IX. fide conſeruaret. Quo mortuo, & Innocentio VII. à cuius electione abfuit, ſuffecto, primis eiuſdem Pontificatus diebus, vt in libris Collegij legitur, poſtergato honore, & recta fide ſecutus eſt Benedictum XIII. Pſeudopontificem. Nam cum Francorum Regis Oratores Genuam acceſſiſſent, ita cum Ciuibus, & Republica egerunt, vt Ciuitas, Archiepiſcopus, & is Cardinalis, qui adhuc legationis munere fungebatur, Innocentio VII. eiurato, Benedictum XIII. pro legitimo Pontifice ſuſceperint, quod maximæ leuitati ab omnibus adſcriptum eſt. Quare Innocentius ita percitus, Ludouico tum Cardinalatus, tum Epiſcopatus abrogauit honorem, altero Vercellenſi declarato Epiſcopo. Fliſcus interea Auenionem ad Benedictum profectus, in eius Cardinalibus numeratus eſt, & ibidem moratus, vſque ad annum 1409. quo ad Concilium Piſanum profectum Patres Concilij tanquam legitimum Cardinalem excepere. Qui abrogatis ijs, qui Apoſtolicæ ſedis faſtigium vitio arripuerant, Alexandrum V. euexerunt ad ſedem, quo item mortuo Comitijs Senatorijs Ludouicus interfuit, ac ſuo ſuffragio Ioannem XXIII. ſupremum promouit ad thronum, cuius iuſſu, mortuo Cardinale Minutulo, Bononiæ, Romandiolæ, & Ferrariæ legatione functus eſt. Magno Concilio Conſtantienſi, & Martini III. aliàs Quinti, creationi interfuit, à quo aliam legationem Regni Siciliæ accepit. Benedictus XIII. Pſeudopontifex Ludouico iam Romanæ Eccleſiæ reconciliato ſacra interdixit, eumque Schiſmaticum, & conſpiratorem contra Romanam Eccleſiam in Diplomate dato Paniſcolæ xvj. Kalendas Maij anno ſecundo nominauit.

E vita exceſſit Romæ anno ſexto Pontificatus Martini V. qui fuit Chriſti 1423. iij. nonas Aprilis: corpus Genuam tranſlatum maiorum monumentis in æde ſancti Laurentij conditum eſt. Martinus V. Romanus Pontifex mille aureos pro tanti Cardinalis funere celebrando impendit. Præſul ſanè magni animi, ac ſtrenuarum virtutum, niſi Gallorum, ac Genuenſium fortunæ obſecuturus, ſchiſmatica labe illas fœdaſſet.

Ciprius in hiſtor. Genuenſ. Iuſtinian. in Annal. Genuenſ. Foglietta de Clar. viris Ligur.

At qui duos numerant Ludouicos Cardinales Fliſcos, alterum ab Vrbano VI. anno 1381. alterum à Benedicto XIII. Pſeudopontifice anno 1395. renunciatos, ſed vnus idemque fuit ab vtroque Diaconis Cardinalibus adſcriptus, vt conſtat ex ipſa hiſtoria familiæ Fliſcæ, quæ inter primarias Genuenſes Lauaniæ Comitatu conſpicua coruſcat, deſcripta ex tabulis Genuenſibus à Federico Federicio.

Ciaconius

Panuinius

Ant. Beatilli in vita S. Nicolai

Chronic. Regn. Siciliæ.

Monumenta Tranſtiberina.

Aubery in vita.



XLIX.

MARINVS, aliàs Marinellus Bulcanus Neapolitanus, Abbas, Vrbani propinquus, ex Subdiacono, & Protonotario Apoſtolico, ac ex Priore Eccleſiæ Regiæ Barenſis S. Nicolao ſacræ, ab Vrbano renunciatus eſt Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ Nouæ, & S. R. E. Camerarius. Nuncij Apoſtolici munere functus hic fuerat ante Cardinalatum cum Epiſcopo Brixiano; Abbate S. Andreæ, & Cicco Turtello apud Carolum III. Regem recens Regno Siciliæ potitum, pro fœderum initorum executione. Extant Vrbani literæ ad eũ ante Cardinalatũ cum hac inſcriptione.

VRBANVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Dilecto filio Marino Bulcano, Priori ſæculari Eccleſiæ S. Nicolai Barenſis, Subdiacono Noſtro, in Regno Siciliæ, & in Terris citra Pharum pro Nobis, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Theſaurario Generali ſalutem, &c.

Bonifacius IX, cui in Comitijs habitis poſt Vrbani obitum maximè fauit, ipſum & Miniſtros eius de omnibus ab eis forſitan male tempore Vrbani adminiſtratis abſoluit, & cuncta ipſorum acta approbauit. Sub quo cum Aſſiſij ſimul cum Romana Curia eſſet, vj. Idus Auguſti die Sabbati, non anno 1395. vt ſcripſit Ciaconius, ſed ex libris Obligationum, qui ſeruantur m. ss. in Vaticano, & ex tumulo, anno 1394. deceſſit; ſepultus Romæ in Diaconia ſua ſanctæ Mariæ Nouæ, marmoreo ex Pario lapide ſepulchro, cum eius Inſignibus, effigie, & eiuſmodi Inſcriptione.

Felix Contelorius in Elencho.

Cardinibus ſancta Cardo famoſus in almis
Eccleſia, cuius Camerarius omnia toto
Geſſit amore vigili maior, quàm mente gerendis
Semper erat magnus animo corfultus aperto
Parthenope natiis, BVLCANA ex prole Marinus
Aſtra petens pulcro liquit ſua membra ſepulcro
M ſemel, & C ter, nonies II. quater adde.

L.

FRANCISCVS de Alipha (Alipha Samnitum Ciuitas eſt inter Venafrum, & Beneuentum) nepos Marini Bulcani Cardinalis, quem Ciaconius Renoj agnomine donat, ab Vrbano ſibi ſanguine iuncto ex Protonotario Apoſtolico Diaconus Cardinalis ſancti Euſtachij renunciatus, Vicarij Apoſtolici munere in prouincijs Campaniæ, & Maritimæ functus eſt, vt ex Vrbani Diplomate dato Idibus Aprilis anno Pontificatus V. conſtat. De eo nihil aliud certi reperi, niſi quòd Antonellus de Alipha frater, & hæres eiuſdem fuerit. In tabulis antiquis m. ss. ab ipſo Marino Bulcano Cardinali hæc leguntur verba. *Nobilis vir Antonellus de Alipha germanus bonæ memoriæ Franciſci Cardinalis de Alipha chariſſimi nepotis noſtri.* Poſt obitum Vrbani interfuit Comitijs, & pro Bonifacio IX. ſuffragium tulit, ſub quo v. Kal. Octobris anno 1390. Romæ obijt.

Ciaconius

Chronic. Regni Siciliæ.

Panuinius de Rom. Pontific.

Aubery reijcit ab hoc Cardinali Inſignia, quæ illi tribuerat Ciaconius, & benè, nam illa erant propria Guidonis de Maloſicco Presbyteri Cardinalis S. Crucis in Hieruſalem, poſtea Epiſcopi Prænestini, de quo ſupra ſub Gregorio XI. Quare nos quoque Aubery adhærentes illa reijcimus, & nullum gentilitium ſtemma ſupra expreſſimus, quia quale illud fuerit, nobis prorſus ignotum adhuc eſt.

Felix Contelorius in Elencho.



LI.

RAYNALDVS Brancacius nobilis Neapolitanus, Abbas, & Acolythus Romani Pontificis, & Protonotarius Apoſtolicus inter Diaconos Cardinales titulo SS. Viti, & Modeſti in Macello Martyrum ab Vrbano huius nominis Sexto cooptatus eſt. Erat hic Cardinalis ſtatura procerus, humero tenus communem hominum ſtaturam excedens, ore magno, naſo aquilino, oculis cæſijs, excelſi, & ingentis animi, atque inter omnes ſacros Senatores maximi æſtimatus. Pro Vrbano ſemper ſtetit, & poſt illius obitum, Bonifacij IX. primò, mox Innocentij VII. Gregorij XII. Alexãdri V. Ioannis XXII. dicti XXIII. & Martini III. alias V. Comitijs interfuit, à quibus, cum eis acceptiſſimus fuiſſet, multis honoribus auctus eſt. Ipſi enim, & Pileo Epiſcopo Tuſculano, & Coſmato titulo S. Crucis in Hieruſalem Presbytero Cardinali Bonifacius IX. Pontificatus initio iniunxit, vt de Honorato Caietano Fundorum Comite Schiſmatis fautore, quàquam abſente cognoſcerent, qui quæſtionibus habitis, in Conſiſtorio quæ de eius contumacia, competerant, retulerunt. Hic Cardinalis Neapoli prope Eccleſiam S. Andreæ ad Nidum ædem Sanctis Angelis erexit, & Xenodochium proximum cum omnibus vſui humano neceſſarijs officinis, & vtenſilibus propria pecunia pro ægrotis conſtruxit, ac dotauit. Extat adhuc in Archiuio eiuſdem Xenodochij Martini III. aliàs V. Diploma hac de re editum die 29 Aprilis anno 1426. In ſacra quoque Dominicanorum æde Neapolitana ſacellum familiæ ſuæ exædificauit. S. Mariæ ad Præſepe Archipresbyteratum à Bonifacio IX. obtinuiſſe affirmat Ciaconius, Paulus tamen de Angelis in Deſcriptione eiuſdem Baſilicæ hunc in Catalogo Archipresbyterorum prætermittit, fortaſſe quia nullam de illo in antiquis Archiuij tabulis inuenerit mentionem.

Ciaconius

Panuinius

Aubery in vita.

Comment. Tranſt.

Ceſar de Engen. in Neap. ſacra.

Serius cum Gregorio XII. Roma acceſſit, quia tamen ipſo inuito ex illa Vrbe diſceſſerat Piſas verſus ad Concilium celebrandum, illũ die 19. Ianuarij anno 1409. tum dignitate, tum honore Cardinalitio Gregorius priuauit, ſed irrita paulò poſt in Concilio Piſano priuatio illa habita eſt, vti legimus in Seſſione decimaſexta. Extat adhuc noſtris hiſce temporibus huius Cardinalis, tum aliorum, qui Gregorium ſecuti ſunt, in Metropolitana Eccleſia Senenſi memoria, & Inſignia. Ioannem deinde XXII. dictum XXIII. tiara Pontificia primus ornauit, ſub quo Campaniam, & Maritimam Legatus rexit. Deinde tanquam ſedis Apoſtolicæ Vicarius ſumma cum poteſtate Neapolim miſſus, vt cum Ladiſlao Rege amicitiæ, & pacis fœdera, & conditiones tractaret. Interfuit magno Conſtantienſi Concilio, quo terminato, Martini III. alias V. Pontificis maximi iuſſu omnibus abeundi licentiam fecit, cum ex alto ſuggeſtu clamaſſet. *Domini ite in pace.* Ab eodem Martino Epiſcopatus Auerſani adminiſtrationem anno 1418. obtinuit, eamque retinuit, vſque ad annum 1422. quo illam Petro Caracciolo Caſſano ceſſit.

Ferdinand. Vghel in Ital. ſacra.

Ant. Summont. in H. Neapolitana.

Ferdinand. Vghel. in Ital. ſac.

Demum Martini Pontificatus anno decimo, Chriſti verò 1427. initio menſis Octobris ex Contelorio, ſeu ex ſepulchrali Inſcriptione, die 27. Martij Romæ iam ſenex in ædibus Tranſtyberinis vitam cum morte commutauit. Corpus ex eius teſtamento Neapolim tranſlatum, in Eccleſia S. Angeli ad Nidum à ſe vt diximus erecta in marmoreo, & eleganti mauſoleo tribus ſtatuis ornato à Donato dicto Donatello Florentino inſigni illius æui Sculptore, conſtructo ſine vlla ſepulchrali Inſcriptione conditum eſt. Poſteri tamen eiuſdem nobilis familiæ Alumni ne tanti Cardinalis memoria vnquam periret, ſequentem eidem tumulo Inſcriptionem inciderunt.

Caſ. de ſt Figeno in Neap. ſacra.

RAYNALDVS BRANCACIVS S. R. E. CARDINALIS
HVIVS ECCLESIAE ET SACRI HOSPITALIS FVNDATOR
OBIIT XXVII. MARTII ANNO DOMINI MCCCCXXVII. A

Octauius Brancacius aliam in eadem Eccleſia Sancti Angeli ſacra inſcriptionem hiſce noſtris temporibus in huius Cardinalis, & aliorum memoriam ad ſuæ familiæ ornamentum poſuit, & eſt talis.

D. O. M.
Raynaldo Brancacio S. R. E. Card. huius Eccleſiæ fundatori, Ludouico, Thomæ, Marinello, Nicolao, Landulpho Brancacijs, à Cæleſtino V. Vrbano VI. Gregorio XII. Ioane XXII. Purpuratorum Patrum Collegio cooptatis: Paulo quoque, & Marino Brancacijs, illi Nuceriæ Ladiſlai Regis, huic Nolæ Comite, ac Ferdin. II. Regis Neapol. militiæ ſummo Duci, Buffillo Brancacio Niſſæ in Ægeo mari Inſulæ Regulo, & Philippo Brancacio Campaniæ Comiti Sacræque Rom. Eccl. exercitus Imperatori, Octauius Brancacius Mutij, ac Sarræ Brancaciæ F. nouiter hoc antiquiſſima memoria. B
P. A. D. M. DC. V.

LII.



IOANNES Stephaneſcus Romanus, de regione Trãſtyberim, Protonotarius Apoſtolicus inter Diaconos Cardinales titulo S. Georgij in Velabro, poſtea inter Presbyteros Cardinales titulo S. Cæciliæ ab Vrbano cooptatus, à Panuinio & Ciaconio numeratur. Mouetur Ciaconius ad hoc aſſumandum, quia Inſignia de Stephaneſchis depicta ſunt in Eccleſijs S. Georgij, & S. Cæciliæ; illum tamen, cum nulla extet mentio in Regiſtris, aut libris ſacri Collegij Cardinalium a numero Cardinalium excludit Felix Contelorius; præſertim cum ex Inſignibus depictis in Eccleſijs S. Georgij, & S. Cæciliæ argui minime poſſit, Ioannem fuiſſe renunciatum Cardinalem ab Vrbano VI. cum nomen Inſignibus non adſit, illa enim benè poſſunt attribui Petro Cardinali pariter de Stephaneſchis ab Innocentio Septimo creato. C

Ciaconius

Panuinius

Ferdinand. Vghel. in Ital. ſac.

Ioſ. Maria Suareſius in ſpecil. Antiqua.

Ad. Victor. in Ad. ... Bar... ſub Bonifacio IX.

Auguſtinus ... hiſtor. Camaldulenſium.

LIII. D



FR. ANGELVS de Anna de Summaripa, Neapolitanus, monachus Camaldulenſis, dictus de Laude, ſeu Laudenſis, non quia Laudenſi Eccleſiæ præfuerit Epiſcopus, vt ſcripſit Ciaconius, ſed quia Laude Pompeia, quæ eſt Vrbs ad ripam Addæ fluminis in Inſubria ſuam duceret originem, vt narrat Defendens Leodius, vir eruditus in Laudenſi hiſtoria, ſeu in Academico Diſcurſu de Angelo Cardinali de Anna; ab Vrbano huius nominis Sexto Diaconus primò Cardinalis S. Luciæ in Septiſolio, poſtea a Bonifacio IX. Presbyter Cardinalis ſanctæ Pudentianæ titulo Paſtoris, demum à Ioanne XXII. dicto XXIII. anno 1411. Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus renunciatus eſt. Geſſerat enim ante Cardinalatum in Regno Neapolitano Oratoris Apoſtolici munus, vt illius Regni Proceres inter ſe diſcordes componeret, & vt cum ipſo Rege tranſigeret, ob non exhibitas Eccleſiæ ... & vectigal non ſolutum, vti ex fœderis formula tenebantur. Interfuit Comitijs habitis pro electione Bonifacij IX. Innocentij VII. Gregorij XII. Alexandri V. Ioannis XXII. dicti XXIII. & Martini III. alias V. & ex Ciaconio etiam Eugenij V. Roma cum Gregorio XII. diſcedens, Senis aliquando commoratus eſt, cum autem Piſas inde ad Concilium profectus eſſet tenuente Gregorio, Cardinalatu illico ſpoliatus eſt, at Concilij interpoſitione irrita priuatione illa declarata fuit, vt in Seſſione decima ſexta. Interfuit quoque Concilio Conſtantienſi. Deceſſit Romæ iam longæuus, & ſacri Collegij Decanus, ſeu Princeps, cum annos pluſquam quadraginta in Cardinalatu vixiſſet, die 12. vel 21. menſis Iulij anno 1428. ex Contelorio, Ferdinando Vghellio, Aubery, & alijs. Ex Ciaconio verò menſe Aprili anno 1431. ſed contra illum eſt inſcriptio ſepulchralis, quam mox ſubijciam. Corpus Neapolim tranſlatum, in Eccleſia S. Mariæ de Portanoua quieſcit pulcherrimo conditum ſepulchro cum ... hoc Epitaphio. E F

Hic iacet in Tumulo ... ardine cinctus
Laudenſis dictus Senior, pater optimus iſte
ANNA, fuit genero, a domus, ſed amabile nomen
ANGELVS An... elicam pia mens reuolauit in Aulam
Mille CCCC bis denis octoque cunctis
Currebat Chriſte menſis quoque Iulius anno

LIV.



FRANCISCVS Caſtagnola Pauli filius, Neapolitanus S. R. E. Diaconus Cardinalis ex Protonotario Apoſtolico ab Vrbano Genuæ renunciatus eſt die 7. Ianuarij anno 1385. quo anno eadem in Vrbe die videlicet 15. Nouembris, ex libris Obligationum, qui ſeruantur in Vaticana Bibliotheca, è vita exceſſit: Ciaconius ſcribit nõ anno 1385. ſed 1386. ante adeptam Diaconatus mortem ſubijſſe.

LV.



IVLIVS Coſſus, nobilis Romanus ab Vrbano VI. inter Presbyteros Cardinales titulo S. Mariæ Tranſpontinæ cooptatus eſt ex Ciaconio, ſed incertum quo anno, & die, quaue creatione. Extat depictum eius gentilitium ſtemma in antiqua eius domo cum Inſignibus Cardinalis, ſepultus in titulo ſanctæ Mariæ Tranſpontinæ, vbi tabula marmorea cum Elogio extabat, quam ipſemet Ciaconius aliquando vidit, legit, & excepit.

IVLIVS hic tegitur COSSVS Romanus in Vrna
Cui roſeus ſacro vertice fulſit apex
Quo viuente olim, vestrecis gloria Roma
Viuere viſa fuit, quo moriente mori.

De hoc Cardinali nullam mentionem extare in Regiſtris Pontificum, vel in libris ſacri Collegij Cardinalium, aut in probatis auctoribus, ſcribit Felix Contelorius, fides igitur tota penes ſolum Ciaconium, quam maximè dubiam reddit illud, quòd alij fide digni ſcriptores referunt, nempe titulum S. Mariæ Tranſpontinæ tunc temporis erectum nondum fuiſſe.

LVI.



IOANNEM de Picciolpaſſis Bononienſem, Nicolaus Paſqualis Alidoſius inter Epiſcopos Oſtienſes numerat, additque illum obijſſe die 18. Iulij anno 1383. & Bononiæ in D. Proculi Eccleſia ſepultum cum ſequenti Inſcriptione.

ANNO DOMINI MCCCLXXXIII. DIE XVIII. MENSIS IVLII
REV. IN CHRISTO PATER DOMINVS IOANNES DE PIZZOLPASSIS
DE BONONIA EPISCOPVS OSTIENSIS
SPIRITVM ALTISSIMO COMMENDAVIT.

At in ſerie Epiſcoporum Oſtienſium ſub Vrbano VI. Ioannes hic non inuenitur; Vrbanus enim poſt ſuam aſſumptionem ad ſummum Pontificatum anno 1378. ... cleſiam Oſtienſem Bernardo Lagerio Cardinali Glandacenſi tituli S. Cæciliæ commiſit, qui obijt menſe Nouembris anno 1392. vt ſupra diximus in Gregorio XI. eique ſubrogauit Philippum de Alenconio tunc Epiſcopum Eccleſiæ Sabinenſis, qui è vita exceſſit die 16. Auguſti anno 1397. octo fermè annis poſt obitum Vrbani VI. *Quare*, ſcribit Contelorius, *non intelligo, quis ſit iſte Ioannes de Picciolpaſſis, cuius non eſt memoria in Regiſtris Pontificis, aut libris ſacri Collegij.* Ferdinandus Vghellius apertæ voluntatis vir, licet in Additionibus ad Ciaconium Alidoſio duce Ioannem hunc Epiſcopis Oſtienſibus adſcripſerit, tamen in Italia ſacra errorem publicè detegit, atque hæc habet. *Temporibus Vrbani VI. Bononiæ deceſſit Ioannes de Picciolpaſſis Epiſcopus ... onerſis, ſepultuſque in Eccleſia ... Proculi in pauimento*

ſub lapide, qui ſuam præfert effigiem, & quam mox ſubiiciemus Inſcriptionem, quam cum Nicolaus Paſqualis Aliodoſius in ſuum de Viris Illuſtribus Ciuitatis Bononiæ librum tranſtuliſſet, pro Oſtonenſi Oſtienſis imperite, oſcitanterque repoſuit. Cuius ego ipſe corrupta lectione deceptus in noſtris ad Ciaconium Notis in vita Vrbani Sexti pagina 1002. lit. A. in album Oſtienſium Epiſcoporum retuli memoratum Ioannem. Sed cum deinde mihi contigiſſet proficiſci Bononiam, ibique aliquandiu commoratus fuiſſem, cum ex inſtituto meo luſtrare marmora, inſcriptiones, & ſepulchra, viſurus an antiquitate prodente aliquid, quod meo huic operi ditando, exornandoque videretur idoneum, opportunè occurreret. Quid plura, dum ex antiquis noua perquiro, reperi quæ me monerent aliquid demendum de meis ſcriptis, quæ olim ad Ciaconium dilucidationis gratia prouideram. Etenim Paſqualium offendi Oſtienſi pro Oſtonenſi legiſſe, &c.

LVII.

MAG. FR. THOMAM Anglum ordinis S. Dominici, ſacræ Theologiæ Doctorem Ioannes Pitſæus inter Presbyteros Cardinales ab Vrbano renunciatos, titulo S. Petri ad Vincula recenſet. Hic cui pietas, & eruditio celebrē famam pepererat, Richardo Secundo Anglorum Regi, qui Angliæ Regno præerat an. 1380. magno fuit in pretio, eique ſucceſſu temporis factus eſt ab arcanis conſcientiæ in iis quæ ad Deum ſunt. Et ſanè eius ſcripta, quæ ex Ferdinando Vghellio adhuc inueniuntur, eminentem Phyloſophum, res geſtæ eum, & optimum virum abunde teſtantur. Antoninus Senenſis in ſuo Patrum Dominicanorum Chronico, licet Thomam hunc Cardinalis titulo non ornet, ſcribit tamen ſe opera quædam illius vidiſſe Toleti in ordinis ſui Cœnobio dicato S. Petro Martyri, & ſequentia numerat volumina.

Super Ariſtotelis Phyloſophiam vniuerſam libros plures.

Quodlibeta varia.

At ex Felice Contelorio nulla huiuſce Cardinalis memoria in libris Vrbani Sexti, vel Clementis Septimi, aut ſacri Collegij Cardinalium, neque apud S. Antoninum, Leandrum Albertum, aliosque probatos ſcriptores; fides igitur tota penes ipſum Ioannem Pitſæum remanet.

LVIII.

IOANNEM quoque Carbonum, ſeu Carlonum Neapolitanum, Protonotarium Apoſtolicum, inter Diaconos Cardinales ab Vrbano anno 1384. renonciatos, numerat Panuinius, & Ciaconius ex Schedulis quibuſdam Triultianis, & Chronicis Siculis, & addit veriſimile eſſe illum ante Vrbani obitum mortem ſubijſſe, cum Bonifacij IX. Comitijs non interfuiſſe referatur. Sed ex Contelorio Ioannes hic non fuit Cardinalis, ſed pater Franciſci Carboni Cardinalis, de quo ſupra, ſic enim legitur in Chronicis Neapolitanis, quas ipſe Ciaconius laudat.

LIX.

GVILLELMO Courtneio ab Herefordia Epiſcopo Londinenſi delatam eſſe ab Vrbano huius nominis VI. Romano Pontifice Cardinalatus dignitatem, ſed eam non ſuſcepiſſe, traditur in manuſcripto aſſeruato apud monachos Ciſtercienſes Romæ in Monaſterio ſanctæ Crucis in Hieruſalem.

LX.



IOANNES Fliſcus Italus, patria Genuenſis, ex Epiſcopo Vercellenſi, ab Vrbano VI. renunciatus eſt Presbyter Cardinalis titulo S. Marci. Ciaconius hunc inter Cardinales Gregorij XI. recenſet, ſed teſte Ferdinando Vghellio in Additionibus ad Ciaconium ex Io. XXII. dicti XXIII. Diplomatibus datis ad Ibletum Vercellenſem Electum clarè patet Ioannem hunc de Fliſco ex Vercellenſi Epiſcopo S. R. E. Cardinalem non a Gregorio XI. ſed ab Vrbano VI. creatum circa annum noſtræ ſalutis 13[?]9. Diplomatis Pontificij verba, quæ ex Regiſtro Bullarum Apoſtolicarum reſcripſit in ſuo de Epiſcopis Vercellentibus Catalogo Ioannes Stephanus Ferrerius eiuſdem Vrbis Epiſcopus; hæc [illegible].

IOANNES EPISCOPVS, &c.

Dilecto filio Ibleto de Fliſco Electo Vercellenſi ſalutem, &c.

Dudum ſiquidem cum Vrbanus VI. in ſua obedientia nominatus bon. mem. Ioannem tit. S. Marci Presbyterum Cardinalem, tunc Epiſcopum Vercellenſem, a vinculo, quo Eccleſia Vercellenſis, cui tunc præerat, tenebatur, abſoluens, ipſum in Rom. Eccl. in huiuſmodi obedientia Cardinalem duxiſſet aſſumendum, Eccleſia Vercellenſi ſic vacante ipſi Cardinali ſub certis modo, & forma per ipſum Vrbanum etiam commendata, &c.

A Felix quoque Contelorius ex manuſcripto aſſeruato apud monachos Ciſtercienſes Romæ in Cœnobio S. Crucis in Hieruſalem Ioannem Epiſcopum Vercellenſem inter Cardinales Vrbani recenſet. Extant ad Ioannem hunc Epiſcopum Vercellenſem Innocentij VI. Romani Pontificis literæ, quibus iubet, ne ſinat commeatus deferri per ſuos ad Bernabonem de Vicecomitibus, oppida Eccleſiæ, & præcipuè Bononiam oppugnantem; imò adſit Legato Apoſtolico, eique fauorem, & opem præſtet. Vrbanus quoque V. plures eidem ſcripſit literas, quibus, vt deſiſteret à bello, & offenſis Marchioni Montisferrati inferendis, mandat, ac ſignificat Galeatium militem ſcripſiſſe per Manuelem de Ponzano Iuriſperitum Vicarium ſuum exercitum amouendum a Caſtro Meſſerani Vercellenſis Eccleſiæ, modò Epiſcopus remitteret omnino offenſam communiter, & priuatim ab ijs locis campeſtribus, nec iuuntas, quæ Galeatio ſe ſe dediderant, cum ſe defendere non valerent. Aliæ Gregorij XI. literæ

B recenſentur à Ioanne Stephano Ferrerio Epiſcopo, ad Ioannem datæ, quibus imperat, vt in quibuſdam negocijs pro Eccleſia Romana tranſigendis adſit Bartholomæo Silauengo Canonico Nouarienſi, doletque quòd illi opem ferre contra Galeatium non poſſit; illum tamen hortatur, vt defendere nitatur Eccleſiæ Vercellenſis iura. Laudat de relata victoria apud ſanctum Germanum; commendat de bene geſtis pro Eccleſiæ ſuæ defenſione, & hortatur, vt perſeueret. Cumque intellexerit, ipſum fauere Comunitæ, vt ait, in Gallia Ciſalpina congregatæ contra Genuenſes, eaque de re conqueſta ſit Reſpublica, tametſi minimè credat, præcepit ſub pœna excommunicationis, vt deſiſtat, ſi fortè ſit verum, ne odia contra Eccleſiam excitentur.

Ioannes hic Epiſcopus anno reparatæ ſalutis 1377. poſt diuturnas cum Popularibus ſibi ſubditis diſſenſiones, repentè quadam nocte, propria in arce captus, ac in eiuſdem turrim coniectus eſt,

C vbi vſque in annum ſequentem detentum eſſe apparet. Interea Sighinus quidam eò deſtinatus eſt à Pontifice pacis internuncius, qui ſimultates illas compoſuit, & Ioannem Epiſcopum in libertatem vindicauit. Vitam cum morte commutauit Ioannes non anno 1376. vt ſcripſit Ciaconius, viuebat enim, vt diximus, anno 1377. ſed ex laudato Ferrerio ante annum 1384.

Felix Contelorius ſcribit incertum eſſe, an Ioannes hic ſe pro Cardinali vnquam geſſerit; ex Ioannis tamen XXII. dicti XXIII. literis latis apertè conſtat, ſe tanquam Cardinalem ab anno 1379. vſque ad obitum ſemper geſſiſſe.

LXI.

PETRVS de Barreria Epiſcopus Aeduenſis, Guterius Gometius Epiſcopus Palentinus, & Leonardus de Ghifono S. R. E. Cardinalibus ab Vrbano adſcripti ſunt, ſed oblatam ab eo dignitatem

D reſpuerunt, ex Contelorio. De his infra ſub Clemente VII. Pſeudopontifice, a quo Cardinalatum ſunt allecti.

LXII.

FRANCISCVS Presbyter Cardinalis ſanctæ Sabinæ à Felice Contelorio numeratur inter Cardinales, qui pro Clemente Septimo Pſeudopontifice ſuffragium tulerunt, de quo nulla alia mentio apud auctores.

LXIII.

BERTRANDVS quoque Presbyter Cardinalis ſanctæ Cæciliæ a laudato Contelorio recenſetur in eadem ſerie Cardinalium, qui interfuerunt electioni Clementis VII. Pſeudopontificis. Nullus enim huius nominis erat tunc temporis in Cardinalium Collegio.

E

VICECANCELLARII S. R. E. ſub Vrbano VI.

Petrus de Selue de Monteruco Presbyter Cardinalis ſanctæ Anaſtaſiæ ab anno primo Pontificatus ad octaui partem.

Ramulphus de Monteruco Presbyter Cardinalis ſanctæ Pudentianæ, Cancellariæ Apoſtolicæ Regens abſente Petro de Monteruco, ab anno primo ad quintum.

Franciſcus Prignanus, ſeu Moricottus Neapolitanus, Presbyter Cardinalis S. Euſebij, Cancellariæ Apoſtolicæ Regens pro Petro de Monteruco abſente, ab anno quinto ad octauum.

Franciſcus idem Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus Vicecancellarij munere functus eſt, ab anno octauo, vſque ad finem Pontifica-

F tus Vrbani Sexti.

CARDINALES MORTVI ſub eodem Pontifice.

Franciſcus Thebaldeſchus, ſeu de Thebaldeſchis Romanus, Presbyter Card. S. Sabinæ è vita migrauit die 7. Septembris anno 1378.

Guillelmus Presbyter Cardinalis ſancti Euſebij die 29. Nouembris anno eodem 1378.

Aegidius Halaij de Monteacuto, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus die 5. Decembris anno 1378.

Yuo Begaignon, Gallus ordinis Prædicatorum Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus anno 1378.

Ioannes

Ioannes de Bianſaco, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis die 8. Iulij anno 1379.

Iacobus Vrſinus Romanus, Diaconus Cardinalis ſancti Georgij in Velabro, die 15. Auguſti, anno 1379.

Stephanus Columna Romanus Diaconus Cardinalis ſancti Euſtachij, anno eodem 1379.

Ioannes Oczko Boemus Presbyter Cardinalis ſanctorum duodecim Apoſtolorum menſe Martio, anno 1380.

Agapitus Columna Romanus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Priſcæ v. Idus Octobris, anno eodem 1380.

Fr. Thomas Anglus, ordinis Prædicatorum Presbyter Cardinalis ſancti Petri ad Vincula, poſt annum 1380.

Petrus Flandrinus, aliàs Flandrus, Gallus, Diaconus Cardinalis ſancti Euſtachij, die 23. Ianuarij, anno 1381.

Simon de Borſano Mediolanenſis, Presbyter Cardinalis ſanctorum Ioannis, & Pauli, die 27. Auguſti, anno 1381.

Fr. Thomas de Frignano, ſeu Firignano Mutinenſis, ordinis Minorum, Presbyter Cardinalis ſanctorum Nerei, & Achillei, ſeu ſancti Laurentij in Damaſo, anno 1381.

Fr. Bonauentura Baduarius de Peraga Patauinus, ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini Presbyter Cardinalis ſanctæ Cæciliæ, poſt annum 1381.

Raiulphus de Monteruco, Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Pudentianæ, die 15. Auguſti, anno 1382.

Ioannes de Picciolpaſſis Bononienſis, per errorem dictus Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, die 18. Iulij, anno 1383.

Ioannes de Croſſo, Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctorum Nerei, & Achillei, poſtea Epiſcopus Prænestinus, die 22. Nouembris anno 1383.

Petrus Tornaquincius Florentinus, Presbyter Cardinalis ſancti Marcelli, anno 1383.

Ioannes Fliſcus Genuenſis, S.R.E. Cardinalis ante annum 1384.

Hugo de Montelongo, Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctorum quatuor Coronatorum, poſtea Epiſcopus Sabinenſis, die vltima Februarij, anno 1384.

Fr. Philippus Gezza aliàs de Ruffinis Romanus, ordinis Prædicatorum Presbyter Cardinalis SS. Gabinij, & Suſannæ, anno 1384.

Petrus de Monteruco, Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Anaſtaſiæ, die 30. Maij, anno 1385.

Franciſcus Caſtagnola Neapolitanus, Diaconus Cardinalis, die 15. Nouembris, anno 1385.

Ioannes Archiepiſcopus Corfienſis, aliàs Conſlicenſis Presbyter Cardinalis ſanctæ Sabinæ, menſe Decembri, anno 1385.

Fr. Bartholomæus de Cucurno, Genuenſis ordinis Minorum, Presbyter Cardinalis ſancti Laurentij in Damaſo, menſe Decembri eodem anno 1385.

Fr. Ludouicus Donatus Venetus, ordinis Minorum, Presbyter Cardinalis ſancti Marci, menſe Decembri, anno 1385.

Gentilis de Sangro Neapolitanus, Diaconus Cardinalis ſancti Hadriani, menſe Decembri, anno 1385.

Marinus de Iudice Amalphitanus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Pudentianæ, menſe Decembri, anno 1385.

Demetrius Hungarus, Presbyter Cardinalis ſanctorum quatuor Coronatorum, circa annum 1386.

Adolphus Comes Anaxouicanus, Germanus, Presbyter Cardinalis, menſe Februarij anno 1388.

Frater Anglicus Grimaldi de Griſaco, Gallus, Canonicus Regularis, Presbyter Cardinalis ſancti Petri ad Vincula, poſtea Epiſcopus Albanenſis, die 18. Aprilis, anno 1388.

Cuno aliàs Simon de Falkenſtein, Germanus, Presbyter Cardinalis, anno 1388.

Fr. Gerardus de Podio, monachus Cluniacenſis, Gallus, Presbyter Cardinalis ſancti Clementis, menſe Februarij, anno 1389.

Arnoldus de Horne Belga, Presbyter Cardinalis, die 18. Martij, anno 1389.

Philippus Caraffa de la Serra Neapolitanus, Presbyter Cardinalis ſancti Martini in montibus xj. Kal. Iunij, anno 1389.

Guillelmus de Capua Comitis Altæuillæ filius, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Coſmedin, poſtea Presbyter Cardinalis ſancti Stephani in Cœlio monte, die 23. Iulij, anno 1389.

Frater Nicolaus Moſchinus Caracciolus Neapolitanus, ordinis Prædicatorum, Presbyter Cardinalis ſancti Cyriaci iv. Kalend. Auguſti, anno 1389.

Lucas de Gentilibus aliàs Rodulphuccius Italus, Presbyter Cardinalis ſancti Syxti anno 1389.

Ludouicus de Capua, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ Nouæ, ſub Vrbano VI. incertum, quo anno.

Petrus Hiſpanus, Presbyter Cardinalis, ſub eodem Vrbano.

Ioannes Carbonus Neapolitanus, ex aliquibus Diaconus Cardinalis, paulò ante Vrbani obitum.

Franciſcus Presbyter Cardinalis ſanctæ Sabinæ incertum, quo tempore obierit.

Bertrandus Presbyter Cardinalis ſanctæ Cæciliæ ſub Vrbano, incertum tamen quo anno.

SCHISMA XXXVI.

IN ECCLESIA ROMANA.

Inter Vrbanum VI. Romanum Pontificem, & Clementem Septimum Pſeudopontificem.



CLEMENTIS VII. Antipapæ comitia, & res geſtas hic commemoramus, qui Antipapa in Eccleſiæ ſciſſura contra Vrbanum VI. creatus, Auenione annos 16. menſes 11. dies 29. Venceſlao Cæſare, Summi Sacerdotij iura in eo ſchiſmate vſurpauit, quo nullum aut deterius, aut prolixius, quòue maioribus odijs, & acrioribus diſſenſionibus certatum ſit, humana poteſt memoria recordari, cuius deſcriptionem facturus, eius initia, & occaſionem, quantum ad ipſum attinet, altiùs repetam.

Vrbanus igitur VI. Pontifex, ſtatim à Coronatione ſua, quæ omnium Cardinalium, qui eum delegerant, conſenſu celebrata eſt, quale ingenium haberet expreſſit. Fuit enim vir rigidus, durus, aſper inexorabilis, arrogans, habendi cupidus, ac cunctis hominibus, & ijs præſertim, qui de eo benemeriti fuerant, Cardinalibus ingratus, quibus ſæpè honeſta petentibus, cuncta negando, & grauiſſimis obiurgationibus cum alijs Prælatis vexatos, ad ſubſequens parum opportunè ſchiſma incitauit.

Primùm enim poſtridie Coronationis, veſperis in ſacello Pontificio celebratis, Sermonem habens, vehementi increpatione Epiſcopos aſtantes laceſſiuit, eos periuros, & Dei hoſtes appellans, quòd ſuis Eccleſijs deſertis in Romana curia moram traherent: cui omnibus tacentibus, Martinus de Salua Cantaber, Epiſcopus Pampilonenſis, Iuris Pontificij egregius doctor, & Papæ Referendarius, publicè reſpondit, ſe non eſſe periurum, quippe quòd Romanam ſedem, non propter ſuam priuatam, ſed ob publicam vtilitatem ſequeretur, & quòd illicò paratus eſſet ad gregem ſuum redire; ac Pontificem, quòd minus cautè generali illa reprehenſione egerit, clam monuit. Primo habito publico Conſiſtorio, aſſidentibus Cardinalibus, Prælatis, & numeroſo curialium cœtu Concionem habuit, cuius argumentum fuit: *Ego ſum Paſtor bonus*, quo intempeſtiuè, omnium, & præſertim Cardinalium, & Prælatorum mores, nullo reprehenſionibus modo impoſito redarguere cœpit, monuitque, vt ſuæ dignitatis memores, manus abſtinentes haberent, non dona aliqua, non munera ab vllo reciperent dum cauſas agunt, dum patrocinium ſuum beneficia petentibus præſtarent, ſed gratis omnia facerent, nihiluè ſperantes quidem, vt curiæ Romanæ in moribus labefactatæ opem ferrent, & cuncto populo Romano exemplum bonis operibus præberent: interminatuſque eſt, ſe acerrimè animaduerſurum in eos, quos in ſimoniaca labe deprehendiſſet: præterea oſtendit, ſibi placere, & ita velle, vt Cardinales, tanquam Eccleſiæ Cardines, & ſuſtentacula honeſtè viuerent, omnibus exemplo eſſent, pompam, & ſuperfluas epulas dimitterent, tantamque domeſticorum inutilium, & equorum turbam, quum id, quòd in tales ſumptus abſumerent, Romanæ Eccleſiæ pernicioſum, pauperibus, & reſtituendis collabentibus Baſilicis deberetur: ſe deinceps bonorum delectum habiturum dicebat, addens, malos ſuorum flagitiorum pœnas, nulla perſonæ ratione habita, daturos, niſi ſententiam mutarent; ſe enim iuſtitiæ in omnibus ſeuerè vacaturum profeſſus eſt. Et quia ſentiebat Cardinales Gallicos de reditu curiæ Romanæ in prouinciam ſuam aliquando mentionem feciſſe, apertè oſtendit, ſe Romæ manſurum, vbi ſedem Apoſtolicam B. Petrus conſtituiſſet, quòd ſi ſecus faceret, ſe malè agere crederet, neque cuiquam ſuadenti, vt inde abiret, obtemperaturum, quòd diceret, vniuerſalis Eccleſiæ, & fidei Chriſtianæ fundamentum, Romæ iactum, & aucturn eſſe.

tum eſſe. Hac oratione, quæ maximum ſubſequuti ſchiſmatis incentiuum fuit, Cardinales ſe pulſari rati, eam grauiſſimè tulerunt, quanquam ad tempus diſſimularint, & clandeſtinas in eum conſpirationes inire. Acceſſere alia multa, quæ Cardinalium ſucios animos ad rebellionem incitarunt. Venerant per eos dies ad Vrbem Quæſtor quidam Pontificius, is pecunias ab ſe collectas Pontifici coram Cardinalibus obtulit, quas Papa reijciens, *pecunia tua tecum* (inquit) *in perditionem ſit*, & illam recipere recuſauit. Multa eiuſmodi fecit, quibus omnium Cardinalium, & Prælatorum iram in ſe concitauit, qui non modicum etiam turbati ſunt, quòd pacem inter Eccleſiam, & Florentinos, ac alios Hetruriæ fœderatos ſub Gregorij morte initam, firmare recuſauit, & Othonem Bruſuicenſem Ducem, & Principem Tarentinum, Ioannæ Reginæ maritum, virum, omni virtutum genere egregium, quo potiſſimum procurante pax inita fuerat, pro eius confirmatione adeuntem, ſpreuerat; vnde Cardinales ipſi eum delirum, & fatuum eſſe exiſtimantes, exitialis ſchiſmatis conſilia clam agitare cœperunt, ob odium potius in Vrbanum, quam quòd eius illegitimam electionem aſſerere poſſent. Pontifex magis inſaniens, Romanis ciuibus, qui Collegium in Comitio offenderant, quibuſcumque rationibus poterat, gratificabatur. Quam rem Cardinales ferre non poterant, & ipſum ſenno odio proſequi, & quæ diu contra eũ cogitauerant, exequi cœperũt.

IMMODESTA Vrbani reprehenſio ſchiſmatis ſuit origo.

SCHISMATIS initium.

Ante omnia igitur eorum conſilio, Archiepiſcopus Arelatenſis, Camerarius Papæ, in cuius poteſtate erant omnia ſacra Pontificum ornamenta, vt tiara, cruces, veſtes, & ſimilia, nulla abeundi venia à Pontifice petita, Anagniam omnia ſecum afferens acceſſit. Pontifex ea re commotus, mandauit Cardinalibus Agrifolio, Pictauienſi, & Viuarienſi, qui & ipſi Anagniam acceſſerant, vt Epiſcopum captum reducerent; at ipſi eius iuſſa contempſerunt. Quin, & arcem Hadriani à Petro Præfecto, qui à Cardinale Maioris Monaſterij eo præſidio impoſitus fuerat, repetijt, quam ille monitu eiuſdem Cardinalis tradere recuſauit, & à Pontifice deſciuit. Pontifex Cardinalem Maioris Monaſterij acerrimè increpauit, eique interminatus eſt, quòd de eo ſupplicium ſumeret, ni arcem maturè reddi, procuraret. Cardinali Ambianenſi minatus etiam, quòd Franciſco de Vico Vrbis Præfecto Viterbienſium Tyranno hoſti Eccleſiæ ſecretè faueret, & Cardinali S. Euſtachij, quòd cum Britonibus eiuſdem Eccleſiæ perduellibus, qui circa Vrbem hoſtiliter graſſabãtur, clandeſtina quotidie conſilia agitaret, ac ijs pecuniam à Pontifice pro receptione molis Hadrianæ acceptam in eius perniciem tribuiſſet; nec ijs contentus adeò cum eodem Pontifice egerat, vt Britonibus ipſis aliquot ſtipendia penderet, quibus receptis eius ſuaſu Britones à Pontifice defecerant, quæ res non ſine conſenſu Ambianẽſis, Gebennenſis, Maioris Monaſterij, & aliorum Cardinalium Gallicorum facta credebantur. Pontifex Gallorum Cardinalium machinamenta cognoſcens durius cum ijs agere cœpit, & cuncta, quæ ab ijs petebantur reijcere; ea re ad extremum irritati, exitu menſis Iunij, ſpecie vitandi caloris æſtiui, & peſtilentis aeris vrbani, Gallis maximè aduerſi, Cardinales omnes Galli, qui in Vrbe erant, bona venia à Pontifice obtenta, Anagniam conceſſerunt, ſed & Pontifex audiens, illos contra ſe conſpiraſſe, dolens, quòd ita inconſulto eos abire permiſiſſet, animo eos ad ſe reuocandi, cum quatuor Cardinalibus Italis, 200. equitibus, 100. peditibus, Tibur acceſſit, clementioris auræ captandæ gratia, vbi quatuor menſibus manſit.

CARDINALES Anagniã proficiſcuntur.

VRBANVS Tibur accedit.

Cardinales Galli Anagniæ cum omnibus ſuis familijs, & ſupellectili exiſtentes, 1200. Vaſconum, & Britonum equitum alas, & cohortes ſuis ſtipendijs adduxerunt, & cum Honorato Caietano Fundorum Comite, Campaniæ pro Eccleſia Romana Præfecto fœdus percuſſerunt, vt ſub eius tutela, quæ cogitauerant agerent, primùm igitur Archiepiſcopus Arelatenſis, ſe vacantis ſedis, non Vrbani VI. Camerarium eſſe publicè edixit, & proceſſum contra eum habere cœpit.

CARDINALES Gallorũ cum Honorato Caiet. conſpiratio in Vrbanum.

Poſtea quatuor Cardinales, qui Tibur cum Vrbano erant, citarunt, vt ſecum conuenirent, ad nouum legitimum Pontificem, vacante ſede, deligendum: adhuc Camerarius Cardinalium iuſſu, Pontificem Vrbanum citauit, nominans eum Bartholomæum Archiepiſcopum Barenſem in Papatum intruſum, vt ius ſuum tueretur, & proceſſus contra ſe habitos audiret. ipſi Cardinales communi conſenſu miſerunt ad eum, primùm Priorem S. Martini Neapolis, ordinis Carthuſienſium, monentes ipſum, vt qui optimè ſciret, ſe non eſſe legitimum Papam, eam dignitatem, tanquam vir pius, prudens, & bene doctus, deponeret, quæ ad eum nulla ratione ſpectabat, cum ex tumultu populi Romani, vi eam obtineret, & non pateretur, grauiſſimum ſchiſma in Dei Eccleſia oriri. Poſt Priorem, Martinum de Salua Epiſcopum Pampilonenſem, & demùm Iacobum Cardinalem Vrſinum, quem vt pacis arbitrum ad ſe vocauerant, eiſdem cum mandatis diuerſo tempore miſerunt; quibus nihil aliud ipſe reſpondit, quàm, *Ego ſum legitimus Pontifex*: & ipſe ter ad eoſdem Cardinales Oratores ſuos miſit, vt aliquam concordiæ, & pacis rationem inirent, primò fuerunt ablegati Epiſcopus Maſtilienſis, & Andreas Caraſta, domus Pontificiæ Magiſter, ſecundo Cardinalis Vrſinus, & Galeottus Malateſta Arimini Princeps, tertio ſolus idẽ Cardinalis Vrſinus; & nulla concordiæ ratio inter eos inueniri potuit, animis ex vtraque parte obſtinatis, tres Cardinales Itali Florentinus, Mediolanenſis, & Vrſinus, (Cardinalis enim S. Petri apud Vrbanum remanens, paulò poſt obijt) Tibure, à Camerario citati receſſerunt, accedentes ad Caſtellum Agapiti Columnæ, ſexto ab Vrbe Anagnia lapide, vbi biduo cum totidem Cardinalibus Gallis, Gebennenſi, Ambianenſi, S. Euſtachij loquuti, quum eos in ſuas partes traducere non poſſent, rebus infectis, Galli Anagniam redierunt.

VRBANVS à côncentu Cardinalium citatur.

Tum Otho Dux Bruſuicenſis, & Princeps Tarentinus, nefarium ſchiſma præſentiens, antequam excitaretur, Anagniam, & Tibur, ad Cardinales, & ad Pontificem acceſſit, vt operam daret, ne tantum virus in Eccleſia ſpargeretur: in id verò præcipuè incumbebat, vt Cardinales ad Pontificem redirent, quòd cum ſe facere poſſe, aliquam ſpem concepiſſet, Tibur ad Pontificem adijt, rogauitque vt Cardinalibus parcens, eos ſuſciperet, & diſpenſaret, vt Maria hæres Regni Siciliæ propinquo ſuo Marchioni Montisferrati matrimonio iungeretur, quæ res admodum ad ſuborientis ſchiſmatis extinctionem profutura eſſet. Neutrum tamen vir a Pontifice impetrare potuit: Iam enim animo conceperat fratris ſui filium, hominẽ ignauum, & nullius virtutis, Siciliæ Regem, Maria ei matrimonio iuncta, creare. Tantam eius duritiem cernens, Princeps, dixit, eum Pontificem, non Vrbanum, ſed Turbanum rectius vocari poſſe, quòd proculdubio Eccleſiam omnem turbaturus eſſet. Sed, & Nicolaus Neapolitanus, egregius Iureconſultus, ac tum prouinciæ Narbonenſis Præfectus, qui maximo amicitiæ iure Vrbano ante Pontificatum adſtrictus fuerat, eum impensè rogare cœpit, vt votis ipſius Principis acquieſceret; qui ab Vrbano contemptus, & reiectus, ad Cardinales Gallos acceſſit, & eam factionem publicè conſilijs, & auxilijs iuuit. Otho verò Vrbani pertinaciam ægre ferens ab eo diſceſſit, eumque nihilominus, vt legitimum Pontificem ſemper veneratus eſt; Maria autem ipſa, Siciliæ Inſulæ Regina capta, in Hiſpaniam adducta eſt, & ipſum Regnum ab Vrbani obedientia defecit.

OTHO Tarẽtinus Princeps Cardinales Vrbanumque adijt pro pace inter eos cõponenda.

OTHO nihil ab Vrbano impetrare poteſt.

NICOLAUS pro Othone apud Vrbanum intercedens nihil proficit.

Ad v. Idus Auguſti iuſſu tredecim Cardinalium Gallorum, ex auctoritate verò Camerarij ſedis (vt aiebant) vacantis, Archiepiſcopus Hidruntinus, Patriarcha Conſtantinopolitanus, poſt Sacra in maiore Eccleſia Anagnina celebrata, aſcenſo ambone aſtantibus Cardinalibus 13. & innumera Prælatorum, Clericorum, & Procerum ex cuncta regione multitudine, publicè legit declaratoriam cedulam, ab eiſdem Cardinalibus factam, & expoſuit, Bartholomæum Prignanum Archiepiſcopum Barenſem in Pontificatum intruſum, qui ſe vocari faciebat Vrbanum non eſſe, nec vnquam fuiſſe legitimum Pontificem, ſed Antichriſtum, nec pro legitimo Pontifice haberi debere, cum eius electio per impreſſionem, vim, & metum populi Romani furentis, in loco non tuto facta fuerit.

GALLORUM Cardinalium declaratio Vrbanum legitimũ Pontificem non eſſe.

Vrbanus rem in manifeſtum ſchiſma tendere videns, tres Cardinales Italos ad ſe vocauit, quod cum facere diſtuliſſent, ipſe Romam redijt cum 300. militibus, quos ad eius tutelam Regina Ioanna miſerat, duce Comite Laureti, erantque cum eo N. Vrſinus Comes Nolanus, Palatij, & cuſtodiæ Prefectus, Thomas Sanſeuerinus Senator, & Andreas Caraffa domus Magiſter: manſit autem per aliquot menſes apud S. Mariam Transtyberim, loco opportuno, & munito, quum arx S. Angeli in poteſtate Cardinalium Gallorum eſſet. Interim Vaſcones, & Britones, qui Cardinalium Gallorum ſtipendijs militabant, occupato Monaſterio Cryptæferratæ, ex eo, tanquam ex arce, frequentibus incurſionibus, & prædis agrum Romanum vexabant, diſcurſabantque vſque ad Vrbis portas Tiburtinam, Maiorem, & Lateranenſem cuncta diripiendo, & prædando, ducibus Petro, & Bernardo de Sala, à quibus, maxima Romanis damna illata fuere, & plurimi cæſi.

VRBANVS Romã redit.

BRITONES maxima damna Romanis inferunt.

Tres Cardinales Itali Sueſſam profecti, ibidem aliquandiu permanſerunt, Vrſinus autem Neapolim excurrens, ſecreto cum Regina colloquio habito Sueſſam redijt.

Galli verò Cardinales ſub Britonum, & Honorati Caietani tutela, cum Camerario, & omnibus familijs ipſorum Fundos acceſſerũt, ac ibi cum Legatis Reginæ Ioannæ, Comite Caſtellano, ac Regni Cancellario, multa ad ſubſequens ſchiſma euitandum tractarunt. Habitabant vero ferè omnes ædes Comitis Fundani, quas Palatium Papale vocabant. Quum verò Pontificem creare conſtituiſſent, ad tres Cardinales Italos, clam, ſeorſum literas ſingulis ſcripſerunt, rogantes, vt ad nouam electionem accederent, ſingulique promiſerũt fore, vt Pontifex deligeretur, ſi id ſecretè haberent, qui promiſſionibus inducti, Sueſſa Fundos menſe Septembri acceſſere. Quibus reliqui Cardinales obuiam, cum Comite, egreſſi, eos honorificentiſſime ſuſcepere, & poſt multa habita cõſilia, tandem omniũ conſenſu Comitiũ ad nouam electionẽ in palatio Comitis Fundani ineunt, vbi breui ad xij Kalen. Octobris anni 1378. Pſeudopontificem ſecreto ſcrutinio, quemadmodum antea conſpirauerant, in ſchiſmate delegerunt Robertum ex Gebennenſibus Comitibus in Galliarum prouincia Arelatenſi ſummo genere ortum, quem ex Epiſcopo Cameracenſi, Presbyterum Cardinalem SS. duodecim Apoſtolorum, Gregorius XI. creauerat. cuius electione poſtridie publicata, illicò Cardinales omnes Comitio egredientes, & ad ædes quiſque mercede conductas digrediũtur, Italici eluſi Sueſſam redeunt.

CARDINALES Galli Fundos accedunt.

ANTIPAPÆ electio.

Anno 1378. proximo die Dominico Kal. Nouembris. Robertus ante fores Eccleſiæ, maioris Fundanæ, multis proceribus aſtantibus coronatus Clementis VII. nomen aſſumpſit; Interfuere Comes Rondanus, Otho Dux Bruſuicenſis, ac Robertus Comes Arelatenſis, cum pleriſque alijs Regni Proceribus.

ANTIPAPÆ Coronatio.

CARDI-

CARDINALES XXII. VIVENTES quando Clemens VII. Antipapa factus eſt.

EPISCOPI CARDINALES VI.

INNOCENTII PAPAE VI.

1. Aegidius Aiſcelin Aruernus de Monteacuto, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus, dictus Motinenſis.
2. Ioannes de Branſaco, Gallus, dictus Nemauſenſis, Epiſcopus Cardinalis Sabinus.

VRBANI PAPAE V.

3. Frater Anglicus Grimoardi de Griſaco, Mimatenſis, Gallus, Canonicus Regularis, Epiſcopus Cardinalis Albanus, dictus Albanenſis.

GREGORII PAPAE XI.

4. Petrus Corſinus Florentinus, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ, dictus Cardinalis Florentinus.
5. Ioannes de Croſſo Lemouicenſis, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus, S. R. E. Maior Pœnitentiarius, dictus Lemouicenſis.

VRBANI PAPAE VI.

6. Fr. Bertrandus Lagerij de Figiaco, Gallus, ordinis Minorum, dictus Glandatenſis, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus.

PRESBYTERI CARDINALES X.

INNOCENTII PAPAE VI.

7. Petrus de Monteruco, Lemouicenſis, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Anaſtaſiæ S.R.E. Cancellarius, Epiſcopus Pampilonenſis, Prior Presbyterorum.

VRBANI PAPAE V.

8. Guillelmus de Agrifolio Lemouicẽſis, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Stephani in Cœlo monte.

GREGORII PAPAE XI.

9. Fr. Guillelmus de Chanaco, Gallus, monachus Presbyter Cardinalis ſancti Vitalis titulo Veſtinæ dictus Mimatenſis.
10. Robertus ex Comitibus Gebennenſibus, Gallus, Presbyter Cardinalis Baſilicæ ſanctorum duodecim Apoſtolorum, dictus de Gebenna.
11. Simon de Borſano Mediolanenſis, Presbyter Cardinalis ſanctorum Ioannis, & Pauli titulo Pammachij.
12. Hugo de Montelongo, dictus de Britannia, Gallus, Presbyter Card. titulo SS. Quatuor Coronatorum.
13. Guido de Maleſicco, Pictauienſis, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo S. Crucis in Hieruſalem, dictus Pictauienſis.
14. Fr. Ioannes de Grangia, Gallus, monachus, dictus Ambianenſis, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Marcelli.
15. Petrus de Bernia, Gallus, dictus Viuarienſis, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Laurentij in Lucina.
16. Fr. Gerardus de Podio, Gallus, monachus, & Abbas Maioris Monaſterij, Presb. Card. titulo ſancti Clementis.

DIACONI CARDINALES VI.

INNOCENTII PAPAE VI.

17. Hugo de ſancto Martiali, Gallus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Porticu.

GREGORII PAPAE XI.

18. Iacobus Vrſinus Romanus, Diaconus Cardinalis ſancti Georgij in Velabro.
19. Petrus Flandrini Gallus, Diac. Card. S. Euſtachij.
20. Guillelmus Nouelleti, Gallus, Diac. Card. S. Angeli.
21. Petrus de Verruco, Gallus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in via Lata.
22. Petrus de Luna, Arrago, Hiſpanus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Coſmedin.

Fuit Clemens, vt dixi, ex Comitibus Gebennenſibus ortus, homo ambitioſus, decoctor, ſemper indigens, & multis ſumptibus vacans, negotij Eccleſiaſtici parum curans; multis, & nobilibus propinquis, quos profuſè extulit, refertus; linguis Latina, Italica, Gallica, & Germanica peritus; vno pede parum claudicans, quem corporis defectum ſumma induſtria diſſimulabat; ſtatura mediocri, & nonnihil corpulentus, eloquens, ac liberalis; nobiles, & Principes viros ſe adeuntes, hoſpitio, & menſa ſua humaniſſimè recreabat.

Anno pontificatus initio Fundis agens, quatuor Legatos creauit, Lemouicenſem ad Regem Francorum, Agrifolium ad Regem Boemiæ deſignatum Imperatorem, Pictauienſem ad Regem Angliæ, Petrum de Luna ad Hiſpaniæ Reges, qui eos de electione ſua docerent, eumque legitimum eſſe Pontificem demonſtrarent, ab ipſis, eiurato Vrbano, obedientiam reciperent: Hiſpaniæ, & Francorum Reges legatos, & Clementem VII. ſuſceperunt: Imperator, & Anglus, ijs reiectis, Vrbano VI. tanquã legitimo Pontifici adhæſerunt.

Rex Boemiæ Imperator deſignatus, & Ludouicus Hungariæ Rex, peſtiferi ſchiſmatis dirum virus in dies ſerpere videntes, & Vrbani æquiorem, & iuſtiorem cauſſam eſſe, rati, vt tot malis occurrerent, honeſtiſſimorũ hominum legationem ad Clementem in Campania exiſtentem mittunt, rogatum, vt ab eo ſchiſmate diſcederet, & Vrbano ipſi, quem Pontificem legitimè creatum cunctis Regibus, & Principibus ſcripſerant, obediret, ne ea ſchiſmatis occaſione maiora mala toti orbi Chriſtiano euenirent. At Clemens Imperatoris, & Regis Hungariæ legatione ſpreta, eorum nuncios malè tractauit, & multis contumelijs affectos in carcerem veluti latrones coniecit, & equuleo tortos, tanquam ſchiſmaticos, & exploratores, demum dimiſit, quæ intelligentes Imperator, & Rex, Vrbani partes conſtantiſſimè tuendas propoſuerunt; eo quòd verus eſſet Pontifex, & legitime creatus; Clementem verò, vt ſchiſmaticum eiurarunt, & in ſententiam ſuam Regem Anglorum Richardum traxerũt. Clementem multo Prælati, ac Curiales, & Officiales Galli, & Hiſpani, Vrbano deſerto, ſequuti ſunt, ita vt ipſe Vrbanus penè ſolus Romæ remaneret, cum paucis Germanis, Anglis, Boemis, & Hungaris, qui caſu tunc in Curia erant. Qui ſe ita deſertum a Cardinalibus omnibus, & Curialibus cernens, tum demum errorem ſuum, & intempeſtiuam ſeueritatem agnouit, & eos, qui ſuperfuerant, amanter, & humaniter ſuſcepit, & varijs officijs, & ampliſſimis redditibus ornauit, ac ita ingẽs in Eccleſia Catholica ſchiſma excitatum, quòd multorum malorum cauſſa fuit, totus Chriſtianus orbis diuiſus erat; Vrbano enim Italia omnis, præter Comitem Fundanum, & Præfectum de Vico Viterbij Tyrannum, Germania, & Anglia obedientiam præſtabant. Clementi verò Gallia omnis, & Hiſpania. Hinc infinita mala, errores, & hæreſes ortæ. Nam, quòd vnus ligabat, alter ſoluebat; fiebantque ex vtraque parte proceſſus, priuationes, anathemata, non ſine magna Dei iniuria, & Eccleſiæ detrimento, & ſubſannatione, eadem Eccleſia, Abbatia, Parœcia, & Sacerdotium duobus ſimul concedebantur, quorum poſſeſſionem, vt acquirerent litigantes armis certabant, vnde hominum cædes, rapinæ, lites, agrorum prædationes ſequebantur. Hinc nouiſſimum illud bellum excitatum inter Burgundiæ Ducem, & Leodienſes, in quo ad 30. hominum millia cæſa traduntur. Vrbanus Clementem, & eius fautores, Cardinales, Prælatos, Clericos &, Principes laicos, inter hos Fundorum Comitem, & Præfectum, omnibus beneficijs priuatos, Romæ anathematizauit. Idem poſtea fecit Clemens cum fuit Auenione, ac ita tota Chriſtianitas ſciſſa erat.

Vt verò ad ſuperiora redeamus, tres Cardinales Itali, à Gallis eluſi poſteaquam electioni Clementis Fundis interfuerunt, Sueſſam reuerſi, paulò poſt Taliacotium receſſerunt, vbi Iacobus Vrſinus paulò poſt obijt. Alij duo Vrbani ſæuitiam veriti, ad eum accedere timuerunt, Mediolanenſis Auenionem verſus iter arripiens apud Niciam prouinciæ exceſſit, Florentinus Auenionem perueniens, longo tempore ibi vixit.

Dum adhuc Clemens in Campania eſſet, Britones impulſu Cardinalium Gallorum, multis Eccleſiæ caſtellis, & pagis direptis, ac arcibus occupatis, Duce Bernardo de Sala in Agrum Romanum miſſi, ponte Salario capto, Romanos ſibi obuios obtruncant, & in fugam agunt, & ingenti edita ſtrage, multaque ablata præda reuertuntur: Romani, qui fugæ ſuperfuerant, in Vrbem reducti, vindictæ cupidi, quum alios non haberent, in quos odium ſuum effunderent, in miſeros aliquot Curiales Gallos, imbelles, qui ſuperfuerant, Romæ irruunt, quos, nulla ordinis, ætatis, aut dignitatis ratione habita, partim cædunt, partim publicis in carceribus macerarunt, mulieréſque nonnullas Gallicas inhoneſtè tractarunt; inde Epiſcopos quoſdam, bonis exutos, carcere per plures menſes detinuerunt. Multas interim Romanis moleſtias inferebat arcis Præfectus Gallus, qui eam pro Clemente obtinebat, & frequentibus bombardarum ictibus Vrbem quatiebat, & ſæpius eruptione facta ciuium ædificia incendio conſumpſit, & multos occidit.

Interim Ioannes, & Raynaldus Vrſini, fratres Iacobi Cardinalis, Honoratus Fundorum Comes, Angelus Vrbis Præfectus, & Iordanus Vrſinus, qui Clementis VII. partes tuebantur. Agrum Romanum prædis, & incendijs vexabant, & magno exercitu coacto vſque ad Vrbis portas, populando diſcurrebant, atque ita populus Romanus intus, & extra crudeliſſimè vexabatur, ac vniuerſo pecore ſpoliatus duram temporum conditionem lamentabatur.

Anno Domini 1379. Clemens, qui ita cum Regina Ioanna egerat, vt eiurato Vrbano VI. ſe Pontificem ſuſciperet, ſex triremibus vectus, vj. Idus Maij Neapolim adijt, quem Regina in Megara tanquam legitimum Pontificem cum omnibus Regni Proceribus venerata eſt: at populus Neapolitanus Ludouici Guzuti impulſu tumultu concitato, Archiepiſcopales domos, & monachorum ſancti Petri præda expoliuit, & tota Vrbe diſcurſabat, Vrbano VI. proſpera, & ſancta precatus, in Clementem verò ignominioſa minatus, quo tumultu territus Clemens Neapoli diſceſſit, præmiſſis qui Auenione pro aduentu ſuo cuncta pararent.

At verò quum Britones, & Vaſcones, qui Clementi militabant

BOEMIÆ Hũgariæque Reges ad Clementem Antipapam legatio.

ANTIPApa Regum Legatos ignominioſè tractat.

VRBANVS ab omnibus derelictus.

DAMNA ex ſchiſmate orta.

VRBANVS, & Antipapa ad inuicem inter eos anathematizantur.

ITALI Cardinales à Gallis eluſi.

BRITONES Eccleſiæ Caſtella diripiunt.

QVID Romani in Gallos in Vrbe degentes.

POPVLVS Romanus crudeliter ab Antipapæ fautoribus vexatur.

ANTIPApa Neapolim petit.

QVID Neapolitani in Antipapam.

ANTIPApa Maſſiliam nauigat.

Propè vicum Marinæ in Latio ab Vrbani exercitu cæſi, vel fugati eſſent: Antipapa in tuto ſe eſſe minimè ratus xj. Kal. Iunij aptam triremium claſſem conſcendens Maſſiliam nauigauit. Qui à prouinciæ Præfecto, & omnibus propinquis Regulis, & Prælatis, tanquam Pōtifex ſuſceptus, demum Auenionem adijt, Cardinalibus obuiam prodeuntibus. Verum ipſo Neapoli diſcedente, Regina cuncto populo, vbique & toto Regno publicari fecit, Vrbanum VI. verum, & legitimum Papam eſſe, ipſamque eum ſemper venerari, cui obedientiam eſſet præſtatura, & quatuor nobiles eius rei ergo ad eum miſit, Comitem Arrium, Comitem Belluactum, Comitem Squillanum, & Hugonem Sanſeuerinum, qui Romam menſe Iunio applicantes Vrbanum VI. Reginæ, & totius Regni nomine Summum Pontificem venerati ſunt, Clemente VII. eiurato, qui Auenione agens, diros proceſſus, cenſuras contra Vrbanum VI. promulgauit, eum anathemate notatum, Antichriſtum, Idolum, & Pſeudopapam vocauit, omneſque operam ſuam quoquo modo ei præſtantes similibus pœnis mulctauit. Et quum eſſet, nobilium, ac Procerum ſtudioſus, oppida, & Caſtella, Eccleſiarū Cathedraliū, & Monaſteriorū ipſis nullo pudore, vendidit, & pignori obligauit, annuòque cenſu modico impoſito, beneficiario iure in perpetuū diſtracta conceſſit.

NEAPOlis Regina Vrbanum legitimū Papā eſſe, populo aſſirmat.

CAROLVS Francorum Rex Auenionem ad Pſeudopapam venit.

Anno Domini 1389. iij. Kalend. Nouembris Carolus VI. cognomento Benenatus Francorum Rex, Auenionem ad Pſeudopapam ſalutandum acceſſit, ducens ſecum Ludouicum patruum ſuum Ioannis Francorum Regis filium, vt diadema Regium à Pontifice ſuſciperet; cum enim Ioanna ſenior Siciliæ Regina, quæ ſine liberis erat, filium adoptauerat, & Comitatus Prouinciæ Regnique Siciliæ hæredem crearat. Erant cum Regibus Duces Turenæ, frater Regis Francorum, Dux Borbonius frater Regis Nauarræ, & omnes ferè Galliæ Principes cum octo millibus Equitum. Quibus Cardinales omnes obuiam exiere, vſque Rocamaulam. Pontifex eos in Cōſiſtorio publico honorificentiſſimè ſuſcepit. Rex Francorum Clementis pedes, manum, & os oſculatus ab eius latere dextero ſedit. Kalend. Nouembris in ſacris Miſſarum ſollemnijs, idem Clemens cuius manibus aquam Rex Francorum dedit, Ludouicum Ducem Andegauenſem, Regem Siciliæ coronauit, & fidei ſacramentum ab eo ſuſcepit, magna cum cæremoniarum pompa, cui celebritati tota Galliæ nobilitas interfuit, Clemens ante omnia operam dedit, vt Florentinos ad ſe traheret, Legatos ad eos miſit, ratus ſi operam ſuam interponerent in conuocando generali Concilio, vt cuius cauſſa æquior eſſet, cognoſceretur, qui, ſi Concilium pro ſe ſententiam ferret, pollicebatur Vrbanum creare Cardinalem ſi contra ſe in eius poteſtate futurum dixit: effecit etiam, vt Rex Francorum ad illos pro ſe ſcriberet, illi ſuum non eſſe de Concilio agere dixerunt, neque velle ab eius obedientia recedere, quem legitimè creatum ſciebant, facturos denique, quòd Concilium decreuiſſet.

LVDOVIcus Rex Siciliæ ab Antipapa coronatus.

Bonifacio IX. Pontifice anno 1394. xvj. Kalen. Octobris, hora inter nonam, & decimam obijt Auenione Clemens VII. Antipapa, ſepultus in Eccleſia Cœleſtinorum ad pontem Sorgiæ, cum hac Inſcriptione.

HIC. REQVIESCIT.
DOMINVS. CLEMENS. PP. VII.
PRIMVS. HVIVS. COENOBII. FVNDATOR. EX. PATRE. AMEDEO. COMITE. GEBENNENSI. MATRE. VERO. MATHILDA. DE. BOLONIA. GENITVS. QVI. FVIT PROTONOTARIVS. MORINENSIS. ET. CAMERACENSIS. EPISCOPVS. DEINDE. CARDINALIS. DEMVM. AD PAPATVM. INVITVS. ASSVMPTVS. ET. CVRIA. TVNC INCOLVMI. REDVCTA. DOMINVM. PETRVM. CARDINALEM. DE. LVTZEMBVRGO. MIRACVLIS. CORVSCANTEM. IN. HOC. COEMETERIO. SEPVLTVM. AD CARDINALATVM. ASSVMPSIT. ET. IN. FINE. ANNO XVII. SVI. PONTIFICATVS. MIGRAVIT. AD. CHRISTVM. DIE. XVI. SEPTEMB. MCCCXCIV. CVIVS. ANIMA REQVIESCAT. IN. PACE.

Vacauit Antipapatus dies 12. cum præfuiſſet in eo annos 15. menſes 11. dies 28. ſexdecim inquam annis, duobus diebus minus, cui ſucceſſit Petrus Luna, Benedictus XIII. dictus, de quo infra.

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI
Societatis Iesv.

Cardinales Fundos accedunt.

Ioanna Regina cōtra Vrbanum.

CARDINALES ab Vrbano ſegregati, ſub Honorati Comitis Caietani, & Britonum militum tutela Fundos, Vrbem Regni Neapolitani non procul a Mediterraneo mari via Appia ſitam, annuente Ioanna Regina acceſſerunt. Hæc enim cum priùs Vrbano fauiſſet, & non ſolùm copias armatas, verùm etiam, vt Niemus ſcribit, pecunias, & cibaria, aliaque neceſſaria ſubminiſtraſſet, cognito tamen, vt Summontius tradit, eum intentione ſuos facilius euehendi, tractaſſe iam de Carolo Dyrrachij Duce, Reginæ patruele in Regnum intrudendo, auerſa ab eo eſt. Ottonem quoque eius virum quantumuis, & ipſe multis humilibus obſequijs Vrbanum demereri ſtuduiſſet, idem Vrbanus inurbanitate, & ferocia ſua, vt Niemus ait, ab ſe alienauit. Fundis igitur in Regno Neapolitano creatus

A Antipontifex a duodecim Cardinalibus Gallis, & tribus Italis, quorum ecce nomina.

Cardinales, qui Clementi ſuffragiū dederūt.

Petrus Corſinus Archiepiſcopus Florentinus, Card. Portuenſis.

Ioannes de Croſſo Cardinalis Lemouicenſis, Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus.

Guillelmus de Agrifolio Cardinalis ſancti Stephani.

Robertus ex Comitibus Gebennenſibus, Presbyter Cardinalis ſanctorum Duodecim Apoſtolorum.

Hugo de Montelongo Cardinalis à Britannia Presbyter Cardinalis ſanctorum quatuor Coronatorum.

Guido de Maleſicco Cardinalis ſanctæ Crucis in Hieruſalem.

Petrus de Bernia Cardinalis ſancti Laurentij.

Simon de Borſano Cardinalis SS. Ioannis, & Pauli.

Girardus de Podio Abbas Maioris Monaſterij, Presbyter Cardinalis ſancti Clementis.

B Ioannes de Grangia Cardinalis ſancti Marcelli.

Iacobus Vrſinus Diac. Card. ſancti Georgij ad Velum Aureum.

Petrus Flandrinus Diaconus Cardinalis ſancti Euſtachij.

Guillelmus Nouelleti Diaconus Cardinalis ſancti Angeli.

Petrus de Luna Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Coſmedin.

Petrus de Verruco Diaconus Cardinalis S. Mariæ in via Lata.

Præter hos, Felix Contelorius in Elencho alios duos recenſet Cardinales, qui interfuerunt electioni Clementis VII. Pſeudopontificis, Franciſcum ſcilicet Presbyterum Cardinalem ſanctæ Sabinæ, & Bertrandum ſanctæ Cæciliæ.

Quare falluntur, aut fallere volunt, qui ſeptem, vel octo tantùm Cardinales electioni Clementis Pſeudopontificis interfuiſſe ſcripſerunt, quantumuis ex trium Cardinalium ad Principes epiſtola intelligatur, eos Roberti electioni non tam vota ſua contuliſſe, quam non contradixiſſe, habita tamen ea ab ipſis pro canonica.

Clemens Oratores malè accipit.

C Narrat Niemus indignum planè, & pluſquam barbarum Clementis facinus, ſi tamen verè geſtum fuit; vt cum Vvenceſlaus Romanorum, & Ludouicus Hungariæ Reges ſatagentes concordiam in Eccleſia ponere, Legatos ſuos miſiſſent ad Clementem, & Cardinales ei adhærentes, dum adhuc Fundis eſſent, petentes, vt abdicato ſchiſmate ad obedientiam Vrbani legitimi Pontificis redirent, quem vniuerſæ Chriſtianorum Reipublicæ nuper, vt verum Pontificem exhibuiſſet, Clemens Legatos peſſimè exceperit, eorumque nonnullos Clericos exiſtentes, veluti latrones equuleo torſerit, ac diutius captiuos detinuerit, quapropter eo magis dictos Reges in parte Vrbani confirmatos fuiſſe. In qua etiam iubilantes Angli tum zelo iuſtitiæ, tum fortè etiam inuidia Francorum ſibi odioſiſſimorum, quos videbant Clementi fauere, literas Cardinalium contra Vrbanum ad ſe miſſas, magno dedecore ſuſcipientes, conuicioſiſſimas, & aculeatiſſimas reſcripſerunt, ac promulgarunt, quas

Angli contra Clementem.

D deſcripſit Vvalſingamus in Richardo II. In ſummis verò Angliæ Comitijs refert Harsfeldius, qui hiſtoriam Eccleſiaſticam eiuſdem Regni ſcripſit, Vrbanum comprobatum fuiſſe, cautumque, vt Cardinalium, & aliorum quoruncunque Anglorum ſacerdotia, & dignitates, qui ad Clementem deſciſcerent, ad Regis vſum deuoluerentur; vtque ij, qui Diploma aliquod Pontificium ab alio Romano Pontifice, quam Vrbano impetrarent, inſtar Regis, & Regni hoſtium haberentur. Academia Pariſienſis poſt ſolemnem ea de re factam iuſſo Regis apud Saltum Vicennarum xvj. Nouembris, anno 1378. Prælatorum, ac Theologorum conſultationem, qua pro Clemente iudicatum eſt, ei vtcumque adhæſit; haud tamen vnquam ceſſauit pro extinctione ſchiſmatis omnem operam impēdere. Quare antequam Clemens diem obiret, ducta zelo extinguendi ſchiſmatis, cum apud Regem impenſiùs ea de re inſtitiſſet, demum obtenta facultate viam indagandi, qua vnio fieri poſſet, poſt ſupplicationes

Academia Pariſienſis licet pro Clemēte, ſtu- [illegible] ſchiſma extinguere.

E publicas, ac maturam deliberationem tres commodiores ſtatuit, nempe ceſſionis, & renunciationis plenariæ vtriuſque contendentis, vel compromiſſionis mutuæ in aliquos deligendos, vel determinationis Concilij generalis. Decreto facto, vt hæ viæ in forma epiſtolæ Regi offerrentur, epiſtolam de ijs confectam ſatis prolixam, ſeu libellum aut ſuaſionem dixeris, eidem Regi obtulerunt die vltima Iunij, anno noſtræ ſalutis 1394. læto licet vultu legiſſet literas illas Rex, arte tamen Petri de Luna, Ducis Bituricenſis, aliorumque factum eſt, vt cum ad certum diem, qui rei gerendæ ab Vniuerſitate præfecti erant, adueniſſent reſponſum accepturi, Cancellarius Regni, nomine Regis interdixerit, ne ampliùs ea de re ageretur, ac ne literæ aliunde ſcriptæ de his, niſi priùs oblatæ Regi reciperentur.

F Academię Nuncij Cancellario liberè ſignificarunt, ſtatuiſſe Vniuerſitatem ceſſationem à lectionibus, prædicationibus, alijſque omnibus ſtudiorum actibus, donec iuſtis eorum petitionibus ſatisfieret.

Eandem ſupplicationem, quam Regi obtulerat, etiam ad Clementem per Nuncios Auenionem miſit, & ſcripſit hortans ad aliquam propoſitarum Regi viarum vnionis amplectendam. Et expoſtulauit grauiter quòd ſibi in his ſilentium à Rege impoſitum petitum fuiſſet per virum Eccleſiaſticum, Petrum nempe de Luna, tanquam atrox facinus exaggerat, quòd ſuper Religionis, & Fidei materia, ſuper Eccleſiæ diſſipatione, ac damnabili iactura Doctoribus Eccleſiæ, & lucernæ ardenti ſilentium imponi quæſierit; quòd ſi quis verbis duntaxat pertinaciter diceret, hæreticus cenſeri deberet. Denique per omnia ſacra, per honorem Dei, animæque propriæ ipſius

ſalutem hortatur, & obteſtatur, vt ad concordiam, quæ in manu eius ſita eſſet intenderet. Satis iam ceſſatum eſſe animos iam ad huius rei aggreſſum excitandos, niſi ſchiſma perpetuum in Eccleſia Chriſti permittere proponeret; cum iam eò ventum eſſet, & in tantum errorem res proceſſiſſet, vt plerique paſſim, & publicè non vererentur dicere, haud omnino curandum eſſe quot Papæ eſſent, & non ſolùm duo, aut tres, ſed decem, aut ampliùs, imò ſingulis Regnis ſingulos præfici poſſe, nulla ſibi inuicem poteſtatis, aut iuriſdictionis auctoritate prælatos.

Clemens contra Academiã Pariſienſẽ.

His lectis literis Clemens ſupramodum excandeſcens, contemptis Vniuerſitatis Nuncijs, & reſponſo denegato, hoc ſolùm reſpondiſſe fertur, literas eſſe malas, & venenoſas. Quòd cum audiſſet Vniuerſitas, reſcribens continuò liberius ad eum, ſperare ſe ait, ſiquidem falſa foret relatio prædictorum eius verborum, ipſum id demõſtraturum grata aliqua reſponſione pro pace Eccleſiæ voluntaria, ſin vera, ſupramodum mirari ſe, ac dolere, quòd tam indignum facinus patrio excidiſſet ore.

Cardinales inſtant ad ſundius euellẽdũ ſchiſma.

Accidit verò, vt antequam hæc ſecunda epiſtola ab Academia Pariſienſi exarata, ad Clementem perueniret, diem ipſe ſupremum obiret. Cum enim priori, vnà cum priuatis ad ſe ſcriptis Vniuerſitatis literis, accepta Cardinales, qui cum Clemente erant, ſeorſum inter ſe congregati, vt pergunt Monachus, & Iuuenalis, petitionem Vniuerſitatis de vna ex vijs propoſitis aſſumẽda, æquam iudicaſſent maiori iracundia, & anxietate correptus Clemens ſeu primùm ſuperueniẽte infirmitate, paucis poſt diebus apoplexia percuſſus diem obijt Auenione, vt ſupra dictum eſt à Ciaconio xvj. Kalendas Octobris, horam inter nonam, & decimam, ac ſepultus in Eccleſia Cathedrale eiuſdem Vrbis B. Mariæ de Donis ſacra ex Henrico Spondano; ex Vvaddingo verò in Eccleſia Cæleſtinorum ad pontem Sorgiæ. Cum retinuiſſet prætenſam dignitatem non menſes 11. & dies 29. ſupra annos ſexdecim, vt ſcripſit Ciaconius, ſed annos ſexdecim minus quatuor, ſeu duobus diebus. Tot enim anni, & non plures interceſſere à xij. Kal. Octobris anni 1378. quo renunciatus eſt Pſeudopontifex ad xvj Kal. menſis item Octobris anni 1394. quo è vita migrauit. Obijt quinquageſimum ſecundum ſuę ętatis annum agẽs.

Clemẽtis obitus.

Clemens pecuniam multam reliquit.

Clemẽtis vitæ auctor illum excuſare nititur, quòd longo tempore occupatus in defenſione ſui, ac Status Auenionenſis, & rei familiaris penuria, minimè potuerit attendere extinctioni ſchiſmatis; cum nihilominùs Iuuenalis ſcribat, fuiſſe eum valdè diuitem, ac potentem tam ſupellectili, quàm pecunia; & expreſſiùs Monachus, reliquiſſe trecenta millia aureorum, quæ ceſſerunt Cameræ Papali in vſum ſucceſſoris. Vt Minorum Inſtituti viros beneuolos ſibi redderet, illorum aliquot in Sacellanos, & Pœnitentiarios ſuos aſſumpſit; alios Magiſterij honore ſibi affecit. Horum Vaſatenſe Cœnobium propter bellorum diſcrimina, quæ in Ducatu Aquitaniæ diu viguerant, funditus penè euerſum, & ſacris ornamentis ſpoliatum, vt infra Vrbis fortalitium transferretur, diplomate hac de re edito xij. Kal. Februarij iuſſit, & vt Eccleſiaſtica ſupellex, & alia prædicti Cœnobij bona ab occultis detentoribus reſtituerentur, præcepit. In Clemente defecit penitus proles maſculina antiquiſſimæ domus Gebennenſis; cum mortuo ante triennium Petro Comite fratre vnico abſque liberis, Clemens tam iure propinquitatis, quàm ex ſubſtitutione paterna Comitatum adeptus fuiſſet; poſt cuius obitum eum ſuſcepit Imbertus de Villarijs nepos eius ex ſorore.

Clemens vltimus familiæ Gebennenſis.

PRIMA CREATIO PSEVDOCARDINALIVM Clementis VII. Pſeudopontificis.

Anno Dominicæ Incarnationis 1378 Antipontificatus Primo, xvij. Kalend. Ianuarij, quatuor Aduentus temporibus Fundis in Campania Clemens VII. Pſeudopontifex, vt ius ſuum, ſeu potiùs iniuſtitiam tueri facillimè poſſet, ſex creauit Pſeudocardinales, qui fuerunt.

I.



Ciaconius. Annales Regni Siciliæ. Pet. Fraſſ. in Gallia Purpur. Barthol. Chioccarell. in Catalog. Arch. Neap. Henricus Spondan. in Annal. Eccleſiaſt.

IACOBVS de Vis, ſiue de Itro, natione Gallus, ex Archiepiſcopo Hydruntino, & Patriarcha Conſtantinopolitano Latino, Presbyteris Cardinalibus titulo ſanctæ Priſcæ primum, deinde S. Praxedis à Clemente Pſeudopontifice adſcriptus, legationis munere, eiuſdem Clementis iuſſu functus eſt apud Ioannam Reginam, à qua, & à Regni Proceribus ſummo honore exceptus eſt. Verùm paulò poſt Carolo III. Rege mandante in carcerem incluſus cum Leonardo Geophonenſi Pſeudocardinali, pridie nonas Septembris anni 1385. Neapoli in Eccleſia S. Claræ coram Rege Carolo, & Gentili de Sangro Cardinali Vrbani VI. Legato, & Regni Proceribus Vrbanum legitimum Pontificem vterque profeſſi fuerunt, eiurato Clemente, & combuſtis igne Inſignibus Cardinalitijs à Clemente acceptis. Inde ab eodem Legato Beneuentum, deinde in Aprutium, tum Auerſam deducti ſunt, tandem dimiſſi ab eodem Gentili de Sangro Cardinali, Auenionem reuerſi in Pſeudocardinalium Collegium ſunt reſtituti.

Vitam cum morte commutauit Iacobus Auenione in Clementis Septimi obedientia anno 1387. in literis tamen Clementis VII. ex Contelorio enunciatur defunctus die 30. Martij, anno 1393.

II.




Ciaconius. Ferdinãd. Vghel. in Ital. ſac. Felix Contelorius in Elencho.

NICOLAVS Brancacius, natione Italus, patria Neapolitanus, ex Archiepiſcopo Coſentino, à Clemente Septimo Antipapa ſublectus eſt primò anno 1378. Presbyter Cardinalis tituli S. Marci, deinde Presbyter Cardinalis S. Mariæ Tranſtyberim, mox anno 1388. Epiſcopus Cardinalis Albanenſis. Poſt Clementis obitum ſchiſma, quoque ſecutus eſt etiam ſub Benedicto XIII. vſque ad Piſanum Concilium, in quo cum Benedicti Pſeudopontificis obedientiam abiuraſſet, legitimè purpuratus declaratus eſt ab Alexandro V. quem concordia Concilij ſuffragia legitimè ad thronum prouexerant. Florentiæ è vita exceſſit 29. Iunij anno 1412. ac ſepultus apud S. Mariam Nouellam. Ab Alexandro V. Romano Pontifice Cathedram Bononienſem Nicolaum adeptum fuiſſe narrat Ciaconius; at Carolus Sigonius, & Ferdinandus Vghellius, qui diligenter Epiſcopos Bononienſes enumerarunt, huius Nicolai mentionem vllam non faciunt. Imò ex recta annorum ſupputatione non potuiſſe Nicolaum illi Eccleſiæ præfuiſſe dicendum eſt; ab Vrbano enim Philippus Caraffa tiaram Bononienſem accepit anno 1378. poſt Bernardi Lemouicenſis obitum, & eam retinuit, vſque ad annum 1386. quo idem Vrbanus Coſmato Meliorato Eccleſiæ illius curam commiſit. Et licet Bononienſes Coſmatum non exceperint, titulum tamen ille non remiſit niſi anno 1392. quo Bartholomæus de Raymundis Bononienſis ordinis ſancti Benedicti ad patriæ ſedem aſcendit, ac ſedit, vſque ad annum 1406. demum anno 1407. Antonius Corarius Venetus Canonicus S. Georgij in Alga ſubrogatus eſt à Gregorio patruo, quam dignitatem nonniſi anno 1412. qui fuit poſtremus vitæ, vt diximus Nicolai Brancacij, dimiſit.

Andr. Victorell. in Addit. ad Ciaconium.

Octauius Brancacius in Inſcriptione, quam Neapoli in Templo S. Angeli ad Nidum Cardinalibus, alijſque familiæ viris inſignibus poſuit, & nos ſupra in vita Raynaldi Cardinalis Brancacij reſcripſimus, meminit huiuſce Cardinalis.

III.



PETRVS Soracenacus, Sorinicum villa in agro Toloſano ſic dicta eſt à riuulo, qui eam abluit, quem Robertus de Sorcenats nominat, natione Gallus, Iuris Vtriuſque Doctor, ex Archiepiſcopo Ebredunenſi, & Rotæ Romanæ Auditore, in Presbyterorum Cardinalium titulo ſanctæ Mariæ Tranſtyberim à Clemente VII. Pſeudopontifice primùm, deinde in Epiſcoporum Sabinenſium numerum relatus eſt. Auenione viuendi finem fecit in eiuſdem Clementis VII. obedientia anno 1389. ſeu xvij. Kalendas Septembris anno 1390. & ibidem ſepultus.

Felix Contelorius in Elencho ſcribit Petrum hunc obtinuiſſe primò titulum S. Marci; at ex ipſomet Contelorio cum titulus hic in eadem Cardinalium enunciatione datus ſit Nicolao Brancacio, haud dari potuit eadem die Petro, à quo Soracenaci agnomen laudatus Contelorius reijcit; Petrus enim Soracenacus, ſiue Sorecenacius dictus, vulgò Viuarienſis, non à Clemente VII. ſed à Gregorio XI. renunciatus eſt Presbyter Cardinalis, & interfuit electioni ipſius Clementis. Vide quæ nos ſupra in Petro de Sortenaco, aliàs de Bernia ſub Gregorio XI. diximus.

IV.

Ciaconius. Pet. Fraſſ. in Gallia Purpurat. Chronic. ord. Prædicatorũ. S. Antoninus. Henricus Spondan. in Annal. Eccleſiaſt.

MAG. FR. NICOLAVS de S. Saturnino, Gallus, Claromontanus, Aruernus, ſacrum Prædicatorum Inſtitutum à teneris annis profeſſus, Prouincialis munere functus in generalem ordinis Magiſtrum ſelectus eſt. Hunc ſacri Palatij Magiſtrum, Theologum eximium Cardinales ab Vrbano ſegregati, Anagnia ad Regem Galliæ legarunt cum literis ad Rectorem, & Doctores Vniuerſitatis Pariſienſis, quibus eum pro arduiſſimis negocijs fidem Catholicam, & Statum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ vniuerſalis ſpectantibus ad Regem miſſum ſignificabant, & eundem benignè audire, ac fidem ei adhibere rogabant. Clementis deinde partes ſecutus ab eodem inter Presbyteros Cardinales titulo S. Syxti, ſeu ex Contelorio SS. Sylueſtri, & Martini in montibus in prima Pſeudocardinalium enunciatione cooptatus eſt, & x. Kalendas Februarij anno 1382. Auenione in eiuſdem Clementis obedientia è vita migrauit, cuius corpus ad Prædicatores Auenionenſes ſepulturæ mandatum.

Nicolao huic Ciaconius gentilitium Petri de Firgniaco Pſeudocardinalis inſigne malè attribuerat; nos ab Andrea Victorello, & Ioſepho Maria Soareſio monito nullum illi dedimus; quia cum proprium ſit nobis ignotum, alienum rapere æquum non eſſe iudicauimus.

V.



Ciaconius

PETRVS de Barreria in Aquitania nobiliſſima Galliæ prouincia natus, Aeduenſis Præſul deſignatur anno à partu Virginis 1377. poſt Godefridum Dauidis, ſucceſſorem Reginaldi Malbernardi. Ferdinandus Vghellius in Additionibus ad Ciaconium, malè Petrum hunc noſtrum, ſucceſſorem Reginaldi aſſeruit, cum reuera Godefrido ex Claudio Roberto, & Frizonio ſucceſſor fuerit datus. Nec etiam bene à Roſerio in ſtemmate Lotharingiæ Virdunenſis Epiſcopus appellatur; in ſerie enim Epiſcoporum Virdunenſium à laudato Roberto non recenſetur. Hic autem Purpuram, quam reſpuerat, vt diximus ſupra, ab Vrbano VI. Romano Pontifice ſibi oblatam, accepit à Clemente Pſeudopontifice; quare Presbyter Cardinalis tituli SS. Marcellini, & Petri eſt deſignatus anno 1378.

Exceſſit è viuis Aueniones in obedientia ipſius Clementis Idibus Iunij anno 1383. & ibidem in Eccleſia Cathedrali ſepultus.

Gens Barreria pro inſignibus leonem argêteum in campo rubeo ex Frizonio gerit; gentilitium tamen hoc ſtemma idem fermè eſt cum illo, quòd ſupra nos Iacobo de Vis Pſeudocardinali cum laudatis Frizonio, & Ciaconio attribuimus.

VI.



Ciaconius
Chronic. ord. Min.
S. Antoninus.
Fr. Lucas Vvaddingus in Annal. Minor. & de ſcript. Minorum.

LEONARDVS de Rubeis de Ghiffono dictus, non Gallus, ſed natione Italus, patria Giffonenſis, Giffonium Campaniæ Felicis oppidum eſt nō ignobile; perperam alij illum de Ciffono, ſeu Chiffono, vel de Iouis Fano cognominant, ordinis Minorum Theologus, ex Miniſtro prouinciæ Terræ Laboris in Regno Neapolitano, non Toloſanæ, vti habent Poſſeuinus, & Vvillottus, anno ſalutis 1373. totius Seraphici ordinis Miniſter generalis renunciatus, ab Vrbano anno 1378. rubeo galero donatus eſt, ſed illum reſpuit, quem tamen recepit à Clemente VII. Pſeudopontifice, cuius partes ſecutus, legationis munere in Regno Siciliæ fungebatur apud Ioannam Reginam eo tempore quo Carolus Dyrrachij Comes ab Vrbano ſceptro Regio donatus, Neapolim, & Reginam Ioannam cepit. Qua deditione ipſe etiam Leonardus Clementis Legatus captus, coram Vrbani VI. Legato Cardinali Sangrio dignitatem deponere, ſchiſma eiurare, & Vrbanum verum Romanum Pontificem profiteri publicè in Eccleſia S. Claræ ſacra in Vrbe Neapolitana coactus eſt, longo deinde, & præduro carcere diu detentus tandem dimittitur, qui Auenionem ſe conferens, tanquam Cardinalis receptus eſt. Volunt aliqui Leonardum hunc à Clemente obtinuiſſe titulum S. Martini in montibus, aliàs Equitij, ex Contelorio verò S. Syxti, & à Benedicto XIII. Epiſcopatum Oſtienſem, & Veliternum.

Cum eſſet vir in diuinis ſcripturis doctiſſimus, & in profanis literis apprimè eruditus, ſcripſit in Cantica ingens volumen, in centum quadraginta capita diuiſum, multa continens abſtruſiora Theologiæ arcana, quod S. Antoninus ſe vidiſſe teſtatur, & laudat.

In libros quatuor Magiſtri Sententiarum Commentaria.

Summam Theologiæ Moralis.

Tractatum de modo extinguendi Schiſmatis Pontificij, qui teſte Fr. Luca Vvaddingo extat m. s. in Bibliotheca Toletana.

Sermones item multos.

Obijt Auenione ex Ciaconio iv. nonas Maij, anno 1405. ex Contelorio tamen adhuc viuebat die 17. Martij, anno 1407. Benedictus enim XII. dictus XIII. eo anno Maſſiliam eum vocauit pro vnione tractanda, vt conſtat ex eiuſdem Benedicti literis. Poſt obitum ſepultus apud Minores ex Vvaddingo, & Ciaconio, non in æde Cathedrali, vt ſcribit Poſſeuinus.

SECVNDA CREATIO PSEVDOCARDINALIS.

Anno ſalutis 1382. *Antipontificatus IV.* iterum Clemens VII. Pſeudopontifex renunciauit Pſeudocardinalem vnum abſentem, & in Hiſpania commorantem, qui fuit.

VII.



Ciaconius
Felix Contelorius in Elencho.
Baltaſſ. Porrégn. in Elog. Card. Hiſpan.

GVTERIVS, ſeu Cunčterus Gometij ſeu Gomeſij de Luna Hiſpanus ex Aragonia Epiſcopus Palentinus, S.R.E. Cardinalibus ab Vrbano huius nominis Sexto adſcriptus oblatam dignitatē reſpuit, deinde à Clemēte VII. Pſeudopontifice abſens renūciatus Presbyter Cardinalis SS. Ioannis, & Pauli titulo Pammachij, gratum, acceptumque honorem illum habuit, & ſe pro Cardinali, & Sedis Apoſtolicæ Legato geſſit in Hiſpania, ſemper pro Clemente contra Vrbanum partes agens. Exceſſit in Hiſpania in eiuſdē Clementis obedientia Idibus Ianuarij anni 1391.

TERTIA CREATIO PSEVDOCARDINALIS.

Anno Dominicæ Incarnationis 1382. *Antipontificatus IV.* tertio Kalend. Iunij Clemens VII. Pſeudopontifex, Auenione tertiò creauit Pſeudocardinalem vnum, is fuit.

VIII.



Ciaconius
Pet. Frizon. in Gallia Purpurat.

FR. THOMAS de Clauſſe, aliàs Caſſaco, ſeu Caſaſto, natione Gallus, profeſſione monachus, ex Abbate à Clemente VII. Pſeudopontifice tertia Patrum promotione ſolus Presbyter Cardinalis S. Sabinæ renunciatus eſt. Auenione in eiuſdem Clementis obedientia vitam cum morte commutauit xv. Kal. Iulij, anno 1390. hunc Felix Contelorius ſcribit ex ordinis Prædicatorum Alumno, ad Archiepiſcopatum Neapolitanum aſcendiſſe.

QVARTA CREATIO PSEVDOCARDINALIVM.

Ante annum 1385. ſeu ex Contelorio anno 1383. Clemens VII. Pſeudopontifex, decimo Kal. Ianuarij creauit quartò Pſeudocardinales: expunges autem mendum Typographi negligentia in Ciaconio admiſſum, & impreſſum, quo quarta hęc creatio in annum 1389. reijcitur, cum conſtet illam hunc annum præceſsiſſe annis aliquot. Nempe Petrus de Croſſo, & Haymericus de Manaco in hac renunciati Pſeudocardinales ex hac vita abierunt, primus ex ipſo Ciaconio, anno 1388. & alter anno 1385. ante igitur hunc annum Cardinalibus adſcripti ſunt ſequentes.

IX.



Ciaconius
Petrus Frizon. in Gal. Purp.
Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciaconū.
Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana.
Henricus Spondan. in Annal. Eccleſiaſt.

PETRVS de Croſſo, ſeu de Cros, natione Gallus, patria Monſortenſis, Diœceſis Lemouicenſis, monachus ordinis S. Benedicti, ex Præpoſito de Braſſaco, & Cancellario Tullenſis Eccleſiæ, ac Priore Cœnobij de Volta Epiſcopus S. Pauli anno 1375. creatus, inde ad Biturcenſem primò, deinde Arelatenſem Archiepiſcopatum tranſlatus eſt. S.R.E. Camerarius à Gregorio XI. renunciatus, primus ab Vrbano receſsit, & Anagniam fugit, nulla abeundi venia à Pontifice petita, ac ſecum abſtulit omnia ſacra Pontificum Romanorum ornamenta, vt Tiaras, Cruces, ac Veſtes. Ea in Vrbe Iudex Ordinarius à Cardinalibus conſtitutus, pro tribunali ſedens ſententiam tulit contra Vrbanum Sextum, iuramento, ac ſubſcriptione firmatus, quæcunque poſt obitum Gregorij Romæ pro electione ſucceſſoris per vim Cardinalibus illatam acta eſſe. Propter quæ non Papa, & Apoſtolicus, vt ſe nominabat Bartholomæus Archiepiſcopus Barenſis, ſed iuxta ſanctorum Patrum doctrinam, & ius commune Apoſtaticus, & Anathematizatus Antichriſtus, & totius Chriſtianitatis illuſor, ac deſtructor meritò nominandus eſſet. Poſt hanc ſententiam Clemens in Schiſmate à Cardinalibus fundis electus, grati animi ergo Petrum hunc Archiepiſcopum Arelatenſem Presbyteris Cardinalibus titulo ſanctorum Nerei, & Achillei, aliàs Faſciolæ adſcripſit.

Petrus hic in patriæ gratiam ſacellum Arelate poſuit Lemouicenſium Apoſtolo Martiali, ac dotauit, vt ſingulis in eo diebus ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium celebraretur æternæ quietis exorandæ cauſa Clementi VI. ſuiſque parentibus. Præterea Auenione celeberrimi Collegij, & Xenodochij, nomine Diui Martialis, fundamenta iecit, muneribus auxit, & redditibus locupletauit, ac prius in ſacros Diui Trophimi cineres, argentea imagine incluſit affabrè elaborata, & hoc inſcripta elogio.

Hoc opus B. Trophimi Chriſti diſcipuli factum eſt regnante Domina Ioanna Regina Siciliæ, & Prouinciæ Comitiſſa, & Domino Petro de Croſſo Archiepiſcopo, & Principe Arelatenſi, anno Domini 1381.

Nec vnquam ſancti Martialis ſui oblitus Subcanonicos Canonicis adlegit, Diui Martialis titulo inſignitos, & ad certum numerum reduxit, in illorum fauorem condito teſtamento. Salloni Caſtrum conſtruxit: Biturigibus Mariæ de Berry, & Ludouici de Chaſtillon ſponſalia celebrauit. Mortem ſubijt ex Ciaconio, die 16. Nouembris anno 1388. poſt obitum non Arelate quamuis ibi mauſolæum ſibi paraſſet viuens cum ſequenti ſepulchrali Inſcriptione, ſed Auenione in Diui Martialis Templo ſepultus eſt.

Nomencl. Cardinal.

D. O. M.

Hic iacet bonæ memoriæ Reuerendiſſimus in Chriſto Pater Dominus PETRVS DE CROSSO, *oriundus de Calmoforti Lemouicenſis Diœceſis, Decretorum Doctor, qui primò fuit monachus S. Martialis Lemouicenſis ordinis S. Benedicti, & inde Præpoſitus de Roſſaco dictorum ordinis, & Diœ-*

ceſis: Poſ-

ceſis: Poſtmodum Cellelarius Eccleſiæ Tutellenſis: & poſt Prior de Volta ordinis Cluniacenſis ſancti Flori Diœceſis: & deinde Abbas Monaſterij Trenorchienſis, Cabilon. Diœc: & poſt Epiſcopus S. Pauli: poſtmodum Archiepiſcopus Bituricenſis, & exiſtente Archiepiſcopo fuit factus Camerarius Domino Noſtri Papæ per ſanctæ memoriæ Dominum Gregorium Papam XI: & deinde Archiepiſcopus Arelatenſis: & de Eccleſia Arelatenſi, & Camerariatu fuit aſſumptus in titulo ſanctorum Nerei, & Achilles Presbyterum Cardinalem. Qui ſanitate fungens hic ſuam elegit ſepulturam.

Orate Deum pro eo.

X

Ciaconius

Ferdinād. Vghel in Addit. ad Ciacon.

Claud. Robert. in noua Gall. Chriſtiana.

Pet. Friſ. in Gallia Purpur.

X.



HAYMERICVS de Manaco, aliàs de Magnaco, vel Magnai, Gallus, Lemouicenſis, Iuris Vtriuſque Doctor, Regum Ioannis, & Caroli V. Conſiliarius, ex Decano Epiſcopus Pariſienſis renunciatus anno 1373. vnde nominatus tum in dedicatione Capellæ Collegij Nauarrici anno 1373. die Dominica, decima ſexta Octobris, tum etiam in tranſlatione brachij ſanctæ Opportunæ, quæ contigit anno 1374. Præterea ad hunc Archiepiſcopum Pariſienſem reſcripſit Gregorius XI. Auenione iij. Kalen. Septembris anno 1377. pro Collegio Magiſtri Geruaſij Chriſtiani. Inde confirmat Statuta Collegij Cameracenſis Pariſijs die 27. Iulij, anno 1380. In Cardinalem Presbyterum aſſumitur titulo S. Euſebij à Clemente VII. Pſeudopontifice in quarta Pſeudocardinalium enunciatione.

Nomencl. Cardinal.

Diem clauſit extremum Auenione xij. Kalend. Aprilis, non anno 1384. ſed 1385. & ſepultus in Eccleſia Cathedrali Pariſienſi cum hoc Epitaphio.

Hic iacet in Chriſto Pater Reuerendiſſimus Dominus HAYMERICVS DE MAGNACO, natione Lemouicenſis in Villa ſancti Iuniani ex nobilibus parentibus creatus Vtriuſque Iuris Profeſſor, quondam Regum Ioannis, & Caroli V. Conſiliarius, & Magiſter Requeſtarum Hoſpitij: primo fuit Decanus Eccleſiæ Pariſienſis nominatus, deinde ad Pontificalem aſſumptus eſt dignitatem: tandem factus fuit titulo S. Euſebij S.R.E. Presbyter Cardinalis. Obijt autem Auenione 20. die Martij, anno 1385. cuius corpus integrum intra Pariſios aſportatum, ſub hac Tumba requieſcit;


Anima cuius requieſcat in pace. Amen.

Ciaconius

Claud. Robert. in noua Gall. Chriſtiana.

Pet. Friſ. in Gallia Purpurat.

XI.



FAVCITVS de Agrifolio, Gallus, Lemouicenſis, Epiſcopus Auenionenſis à Clemente VII. Pſeudopontifice inter Presbyteros Cardinales cooptatus eſt titulo SS. Syluestri, & Martini in montibus, aliàs Equitij. In ipſius Clementis obedientia Auenione exceſſit è vita vj. nonas Octobris anno 1390. & ibidem ſepultus in Eccleſia Cathedrali.

Ciaconius

Ferdinād. Vghell. in Addit. ad Ciaconū.

Arnoldus Vvion in Lig. Vitæ.

Claud. Robert. in noua Gall. Chriſtiana.

Iacobus Bruil. de Antiq. Pariſienſ.

Nomencl. Cardinal.

XII.



PETRVS Amelij, aliàs Aiſcelin, ſeu Iſſalnij de Monteacuto Gallus, frater Aegidij Iſſalnij S. R. E. Cardinalis ſub Innocentio VI. monachus Benedictinus, & S. Martini de Campis, vt narrat Belforeſtius, Epiſcopus Laudunenſis primò anno 1370. mox abſens Presbyteris Cardinalibus titulo S. Marci à Clemente VII. Pſeudopontifice adſcriptus eſt. Felix Contelorius ſcribit incertum eſſe an illi à Clemente datus fuerit titulus. Pſeudocardinalis renunciatus Epiſcopatu ſe abdicauit, Collegiū de Monteacuto ſui nominis Pariſijs inſtaurauit.

Rhemis non ſine ſuſpicione veneni moritur, cadauer tamen eius terræ datum in Templo S. Martini Pariſijs, vbi Prior fuerat, cum hac ſepulchrali Inſcriptione.

Hic iacet in tumulo Reuerendiſſimus in Chriſto Pater Dominus PETRVS DE MONTEACVTO S.R.E. Presbyter Cardinalis Laudunenſis nuncupatus, huius Eccleſiæ Adminiſtrator, Conſiliariuſque Domini noſtri Francorum Regis excellens, & magnificus, qui Rhemis in ſeruitio dicti Domini noſtri Regis diem ſuum clauſit extremum, ſub anno Incarnationis Domini 1388. menſis Nouembris die octaua.

Pro cuius anima ſalute velitis Deum orare.

Rectè hic dicitur extremum diem clauſiſſe anno Incarnationis Verbi 1388. die octaua menſis Nouembris, nam eadem die, & anno

A notatur etiam in Necrologio Pariſienſi eiuſdem obitus, licet Panuinius, & Ciaconius ad quartum Idus Auguſti, & annum 1389. eum reijciant.

Ciaconius

Balthaſ. Porreņo in Elogijs Card. Hiſpan.

XIII.




MARTINVS Luſitanus, Epiſcopus Vlyſſipponenſis abſens inter Presbyteros Cardinales cooptatus eſt à Clemente VII. Pſeudopontifice, qui vt Reges Chriſtiani Orbis ſibi redderet beneuolos, viros doctrina, vel ſanctitate inſignes ad Purpuram ex diuerſis nationibus ſelegit. Poſt Clementis obitum Benedicto XIII. Pſeudopontifici adhæſit, & Fernandi Regis Luſitaniæ Oratoris munere functus eſt, ad Carolum Regem Galliarum pro Schiſmate tollendo, in Benedicti eiuſdem obedientia è vita exceſſit, incertum tamen quo anno.

B

Ciaconius

Felix Contelorius à Blancho.

XIV.



GVALTERIVS Anglus ex Epiſcopo Glaſquenſi (Glaſcoma ſedes Epiſcopalis in Anglia, vulgò *Glaſtembury*) à Clemente VII. Pſeudopontifice, in gratiam Anglorum Regis abſens renunciatus eſt Presbyter Cardinalis. Poſt Clementis obitum, Benedicti XIII. partes ſecutus pariter eſt, & in illius obedientia è vita migrauit, non eſt tamen mihi certum, quo anno, vel menſe.

C

Chronic. ord. Prædicator.

S Antoninus.

Claud. Robert. in noua Gall. Chriſtiana.

Panuinius

Pet. Friſ. in Gallia Purpurat.

Nomencl. Cardinal.

XV.



IOANNES de Nouocaſtro (Nouumcaſtrum ad lacum ſui nominis in Sequanis) Gallus, nobilis Burgundus, Theobaldi, & Ioannæ Chaloniæ filius, Clementis VII. Pſeudopontificis conſobrinus, quem Dominicanum Theologum, ac Magiſtrum Sacri Palatij facit Ciaconius, & nonnulli ſed malè Hiſpanum, & Aragonenſem nominarunt; ex Canonico Eduenſi Præſul Niuernenſis primò, poſtea Tullenſis, deinde Cardinalitijs ornatus infulis titulo SS. quatuor Coronatorum à Clemente VII. demum Epiſcopus Oſtienſis, & Veliternus, vt refert Ciaconius, renunciatus eſt. Vita functus narratur Auenione, quarto nonas Octobris anno 1398. tumulatus autem in Eccleſia Monaſterij Carthuſiani Villænouæ prope Auenionem, in

D qua legitur hoc eiuſdem Epitaphium.

Hic iacet Reuerendiſſimus in Chriſto Pater bonæ memoriæ Dominus Ioannes Miſeratione Diuina Epiſcopus Oſtienſis, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis de Nouocaſtro nuncupatus, qui obijt Auenione anno Domini 1398. iv. Octobris.

Huic Deitas parce, qua ſumma viuis in arce.
Colluſtrans cælos, ſis ſibi dulce melos,
Et ſocur amen, ſonet omnis ſpiritus, Amen.

Scutum Dominorum de Nouocaſtro ex Frizonio, muricatum faſcia argentea exaratum, vt ſupra expreſſimus, aliud ab hoc illi tribuerat olim Ciaconius.

Ciaconius

XVI.



AMADAEVS de Marchionibus Salutiarum, de Salutijs dictus, Italus, Subalpinas, Valenſis primò, mox Dienſis Epiſcopus electus eſt. (Valenſes, ſeu Vienenſes Italiæ ſunt populi prope Rauennam, Dia verò, ex qua Dienſes, Italiæ Vrbs iuxta Alpes) Hunc Clemens VII. Pſeudopontifex, ne vllum officij genus prætermitteret ad Italorum animos ſibi conciliandos, Diaconum Cardinalem S. Mariæ Nouæ nominauit. Poſt Clementis obitum Benedicto XIII. aliquando adhæſit, eiuſque literis datis anno decimo tertio ſui Pontificatus ſubſcripſit his verbis: *Amadæus de Salutijs S. Mariæ Nouæ Cardinalis Diaconus.* At cum idē Benedictus XIII. & Gregorius XII. de Pontificatu contenderent, & vniuerſam Eccleſiam inde ſecarent, Cardinales tam Itali quàm Galli tum Benedictum XIII. qui apud portum Veneris erat, tum Gregorium reliquerunt, ac Piſas acceſſerunt, vbi communibus vtriuſque Collegij ſuffragijs, in dicto generali Concilio, duobus de Pontificatu contendentibus priuatis, tertius electus eſt Romanus Pontifex Alexander V. à quo Nuncius Genuam miſſus. Interfuit etiam magno Conſtantienſi Concilio, & Martini III. aliàs V. Comitijs, quem in Italiam Florentiam, vſque ſecutus eſt, qua in Vrbe extincto Schiſmate è vita migrauit jv. Kal. Iulij anno ſalutis 1419. & ibidem ſepultus.

E

F

Fr. Franciſc. Bzovi in Hiſtor. Imagin. B. Mariæ de Pace.

Ciacconius. Pet. Fraſſ. in Gallia Purpurat. Nomencl. Cardinal. Felix Cõtelor. in ſuo Elencho.

XVII.



A PETRVS de Fitignaco, ſeu Ferenhiaco, Gallus, vtriuſque Iuris Doctor, & Aduocatus Curiæ ſupremæ Pariſienſis, & Canonicus in Eccleſia Cathedrali, ac Protonotarius Apoſtolicus in Cardinalem Diaconum S. Mariæ in Aquiro à Clemente VII. Pſeudopontifice electus, in viuis eſſe deſijt Auenione in euſdem Clementis obediẽtia ijx. Nouembris, anno ſalutis 1392. & apud Cœleſtinos ad pontem Sorguæ cum hac inſcriptione ſepultus.

Hic requieſcit bona memoria Dominus PETRVS DE FITIGNIACO genere nobilis, vtriuſque Iuris Doctor, qui Aduocatus Parlamenti, & Canonicus Pariſienſis exiſtens, & pugil Eccleſiæ, inde immeritus per Dominum Clementem Papam VII. aſſumptus fuit in B. Maria in Aquiro Diaconum Cardinalem, qui obijt anno Domini 1392. die quarta Nouembris, anima cuius requieſcat in pace.

Ciacconius. Pet. Fraſſ. in Gallia Purpurat. Felix Cõtelor. in ſuo Elencho.

XVIII.



IACOBVS de Montenayo, Gallus, Archidiaconus maior Eccleſiæ Rhemenſis, Clementis Cubicularius, ab ipſo Clemente inter Presbyteros Cardinales titulo ſanctorum Marcellini, & Petri, ſeu ex alijs ſancti Clementis cooptatus obijt Auenione Kalendis Maij, anno ſalutis 1391.

QVINTA CREATIO PSEVDOCARDINALIVM.

Anno à partu Virginis 1385. Antipontificatus Octauo, quarto Idus Iulij Auenione Clemens VII. Pſeudopontifex, quintò creauit Pſeudocardinales, qui fuere.

Ciaconius. Anonym. Auct. vitæ Clẽ. VII. apud Boſquetum. Barthol. Chioccar. in Catal. Antiſt. ũ Neapolit.

XIX.



THOMAS Amanatus, ſeu de Amanatis, aliàs de Manatis, filius Donati, & Lippę de Ricciardis natione Italus, patria Piſ- D toricnſis (Piſtorium nobilis eſt Vrbs Tuſciæ) ex Archiepiſcopo Neapolitano Presbyteris Cardinalibus titulo S. Praxedis à Clemente VII. Pſeudopontifice adſcriptus eſt. In libro Obligationum Cameræ Apoſtolicæ Clemẽtis VII. habetur, Thomam Archiepiſcopum Neapolitanum electum promiſiſſe die 17. Februarij anni 1380. ſoluere iura eidem Cameræ ſpectantia pro dicta eius promotione. Neapolitanam tamen Eccleſiam nunquam rexit, nec vnquam in ea reſedit; vigente enim ſchiſmate, vt plurimùm Auenione reſedit, quia Neapolitana Vrbs Vrbano VI. parebat.

E Hunc credimus eſſe Thomam illum Amanatũ, ſacri Palatij Apoſtolici Auditorem, quem Gregorius XI. Summus Pontifex anno 1374. ad Carolum IV. Imperatorem pro grauiſſimis Romanæ Eccleſiæ negocijs Nuncium direxit, vt ex euſdem Pontificis Regiſtris refert Abraham Brouius in Annalibus Eccleſiaſticis.

Scribit Ioannes Chenu Bituricus in ſua Chronologica hiſtoria Archiepiſcoporum, vel Epiſcoporũ Galliæ, in ſerie Epiſcoporum Nãnetenſium, & Venetenſium, Henricum le Barbu è nobili de Quillio familia ortum, profeſſione monachum, virum pium ac religioſum, Doctorem Theologum, & Abbatem primò à Conſilijs Ioannis Ducis, dein Cancellarium, è Monaſterio euocatum, Venetenſis Vrbis Epiſcopum in minori Britannia fuiſſe creatum a Thoma Neapolitano Archiepiſcopo, ſummi Põtificis in Britannia Legato (licet Typo- F graphorum incuria, & mendoſe legatur à S. Thoma Neapolitano Archiepiſcopo) quòd non niſi huic Thomæ contingere potuit, vt nobis videtur, habita temporum ratione. Ex quo colligimus Thomam, antequam Cardinalitia eſſet dignitate decoratus, legationis munere functum fuiſſe in Anglia.

E vita migrauit Auenione die 6. Decembris anno à Chriſto nato, non 1390. vt quidam ſcripſere, ſed ex Regiſtris tum Clementis, tum Benedicti, 1396. Felix Contelorius ſcribit hunc obijſſe anno 1399. die 9. Decembris. Panuinius vocat hunc Thomam de Manatis Ciuem, & Archiepiſcopum Neapolitanum, ſed reuera fuit Piſtorienſis, vt ferè omnes Scriptores affirmant; dictus tamen eſt Cardinalis Neapolitanus ab Archiepiſcopatu, quem à Clemente habuerat.

Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana. Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciaconiũ. Bzouius in Annal. Nomencl. Cardinal.

XX.



BERTRANDVS de Canhaco Gallus, patria Lemouicenſis, genere nobiliſſimus, Guillelmi de Canhaco S.R.E. Cardinalis frater ex Frizonio, ſeu ex Ciaconio, fratris filius, in iure Pontificio, & Cæſareo Doctor, ex Archidiacono Agatenſi, & Cameræ Apoſtolicę Clerico, Podienſis primò Pręſul, mox Bituricenſis Archiepiſcopus, & Patriarcha Hieroſolymitanus, ac S.R.E. Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Pudentianę, ſeu Paſtoris à Clemente VII. demum à Benedicto XIII. Epiſcopus Ec- B cleſiæ Sabinenſis renunciatus eſt. Vixit vſque ad annum 1404. quo obijt Auenione die 20. Maij, ac tumulo conditus apud Patres Dominicanos euſdem Vrbis cum ſequenti Inſcriptione.

Hic iacet Reuerendiſſimus in Chriſto Pater Dominus BERTRANDVS DE CANHACO, Lemouicenſis Diœceſis, genere nobilis, qui Doctor vtriuſque Iuris, Archiepiſcopus Bituricenſis, poſtmodum Patriarcha Hieroſolymitanus, & Adminiſtrator Eccleſiæ Abrincenſis extitit, & deinde in Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, titulo S. Pudentianæ Presbyterum Cardinalem aſſumptus, & demum Sabinenſis Epiſcopus effectus, obdormiuit in Domino, die xx. Maij anno D. 1404.

Hic ante obitum legauit quingentas libras Collegio S. Michaëlis Lutetiæ, & domum ampliſſimam in ſuburbio S. Marcelli ſuam, quæ vocitatur Domus Patriarchæ. Meminit huius Bertrandi Cle- C ment VI. Pontifex Maximus in literis Auenione datis xj. Kal. Septembris ad Canonicos S. Petri de Vrbe ipſum commendans, vt illi Veronicam, aliàs Vultumſanctum oſtendant. Aliqui ſcribunt Bertrandum de Chanaco S.R.E. Cardinalibus adſcriptum à Gregorio XI. ſed illum confundunt cum Bertrando de Coſnaco, aliàs de Chanaco: vide quæ diximus ſupra ſub Gregorio XI. in vita Bertrandi de Coſnaco.

XXI.



AMILINVS, ſeu Amelius de Lantruo, ſeu de Lautrech, natione Gallus, originem duxit ex nobiliſſima Vicecomitum Lautrecenſium familia, ex Epiſcopo Conuenarum (Coquenæ Aquitaniæ populi ad Pyrenæorum radices) & Referendario Apoſtolico Presbyter Cardinalis titulo S. Euſebij renũciatus, extremum diem clauſit Auenione ſeptimo Idus Iunij anno 1390. ex Ciaconio, & Contelorio, ſeu ex Frizonio anno 1399.

XXII.



IOANNES de Placentinis, quem Ciaconius natione Gallum, facit, Frizonius tamen illum inter Cardinales Gallos, non numerat, Epiſcopus Caſtellanus (Caſtellum Vrbs eſt Galliæ Belgicæ) Presbyteris Cardinalibus titulo S. Cyriaci in Thermis a Clemente VII. Pſeudopontifice, adſcriptus eſt. Poſt Clementis obitum Benedicto XIII. adhæſit, & in eius obedientia è vita migrauit, die 9. Maij anno 1404.

XXIII.



PETRVS de Tureyo, quem Ciaconius ex Gallia facit, licet Frizonius illius non meminit in Gallia Purpurata, licet non prætermiſerit alios Pſeudocardinales Gallos, ex Epiſcopo Malcacenſi (Maleacum Vrbs eſt ad fluuium Separim in Comitatu Pictauienſi ſub Archiepiſcopatu Burdegalẽſi) Presbyter Cardinalis SS. Gabinij, & Suſannæ renunciatus à Clemente Septimo legationis munere eiuſdem Clementis iuſſu functus eſt in Regno Neapolitano, quando Regnum illud relicto Vrbano Romano Pontifice ad Clementem ſe conuertit. Poſt Clementis obitum Benedicti XIII. partes aliquando ſecutus eſt, ſed illo relicto, Piſis

Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana.

Alexan-

Alexandrum V. in Romanum Pontificem elegit, à quo legationem A
in Tuſcia primò, mox in Gallia obtinuit. In qua legatione Gallica
menſe Septembris anni 1412. ex Ciaconio ſedente in Petri Cathe-
dra Ioanne XXIII. e vita migrauit. Felix tamen Contelorius ex lite-
ris Benedicti XIII. Pſeudopontificis ſcribit vixiſſe, vſque ad 16. A-
prilis diem anni 1417.

XXIV.



Pet. Priſc. in Gallia Purpurat.

Felix Contelorius in Elencho.

IOANNES de Minolijs, ex Fer-
dinando Vghellio de Morel-
lijs, ex Vicecomitibus de Eſtain,
Gallus, Epiſcopus Gebennenſis
inter Presbyteros Cardinales titu-
lo S. Vitalis, aliàs Veſtinæ à Cle-
mente Septimo Pſeudopontifice
cooptatus eſt. Poſt Clementis obi- B
tum ſuffragium tulit pro Benedic-
to XIII. ſub quo Auenione ani-
mam exhalauit: cadauer Claro-
montem delatum apud Aruernos
in æde Frãciſcanorum humo con-
ditum fuit inter annum 1399. &
1405. tempore, quo Benedicto
ſubtracta fuerat obedientia.

XXV.



Ciaconius

Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana.

Io Chenu.

Petrus Saxo in hiſt. Eccleſ. Arelatenſ.

IOANNES de Broniaco, ſeu
Embroniaco, aliàs Armet,
Anicij Geneuenſis Diœceſis in
Sabaudia obſcuris parentibus or- C
tus, ex Canonico Geneuenſi Vi-
uarienſis primò, mox Gebennen-
ſis Epiſcopus, deinde Archiepiſ-
copus Arelatenſis, demum Vien-
nenſis, & Presbyter Cardinalis
titulo ſanctæ Anaſtaſiæ à Cle-
mente VII. Pſeudopontifice re-
nunciatus, ſub eodem Clemente
Vicecancellarij munere functus eſt. Poſt Clementis obitum Bene-
dicto Decimotertio adhæſit, à quo Epiſcopatum Oſtienſem, & Ve-
literrnum obtinuit.

Hic magni animi, & conſilij vir, tametſi ea dignitatum decora in
Schiſmate aſſecutus fuiſſe, adeò tamen veritatis, & pacis Eccleſiæ
amans fuit, vt Benedictum enixè adhortaretur vltro abire munere
illo, eaque ratione tantopere exoptatam pacem reddere Eccleſiæ. D
Qui cum haud acquieſceret deprecanti, Ioannes damnato ſchiſma-
te in Italiam profugit, ac Piſas deuenit, vbi Concilium celebrabatur.
Ibi ergo, cum melior, ſaniorque pars Eccleſiæ illum amplexata fuiſ-
ſet, & illi Cardinalatus dignitatem iterum aſſeruiſſet, ipſe inter cete-
ros Cardinales Alexandrum V. euexit ad ſedem Pontificiam, à quo
iterum electus eſt Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus an-
no 1409. quin, & Cancellarius S. R. E. & affuit Conclaui, in quo
Cardinales concordibus votis Ioannem XXII. aliàs XXIII. nomina-
uere Pontificem. Conſtantienſi quoque interfuit Concilio, cui præ-
ſedit, atque auctor fuit, vt Martinus III. aliàs V. ſalutaretur Roma-
nus Pontifex, cui ſemper ob excellentes animi dotes gratiſſimus
fuit. Deceſſit Romæ die 16. menſis Februarij, anno 1426. & ibi-
dem ſepultus.

Geneuæ ex Ferdinando Vghellio Collegium erexit, & alterum
Auenione, cui Magni Collegij nomen fuit, vt illic, qui cum dura E
paupertate confligantur, excoli poſſint diſciplinis. Fundauit etiam
ex Iacobo Fodere in deſcriptione prouinciæ Lugdunẽſis Minorita-
rum, Cœnobium fratrum Prædicatorum Anicij, & Eccleſiam ſanc-
ti Laurentij cũ Noſocomio in loco natali Brognero prope Anicũ.

XXVI.



Ciaconius

Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana.

Ferdinand. Vghell. in Addit. ad Ciacon.

Pet. Priſc. in Gallia Purpurat.

IOANNES Rolandus, ſeu Rol-
landus, natione Gallus, ex An-
tiſtite Ambianenſi S.R.E. Presby-
ter Cardinalis, deinde Epiſcopus
Tuſculanus à Clemente Septimo
Pſeudopontifice anno 1385. crea-
tus, mortales artus deſeruit Aue- F
nione die 17. Septembris, ſeu poſt
menſem Octobris anni 1388. non
in Benedicti XIII. vt ſcripſit Cia-
conius, ſed in Clementis VII. tunc
temporis viuentis, obedientia, &
in Cathedrali eiuſdem Vrbis ſepultus, vbi in Epitaphio, quod olim
extabat, nunc autem deletum eſt, vocabatur Virtutis Thalamus, &
Pauperum, quos heredes inſtituit, largiſſimus adiutor. At in illo nul-
la fit de Cardinalatu mentio, cuius tamen meminit Onuphrius.

SEXTA CREATIO PSEVDOCARDINALIS.

A

Anno reparatæ ſalutis 1386. *Antipontificatus VI.* Auenione
Clemens Septimo, Pſeudopontifex creauit Pſeudocardinalem
vnum, qui fuit.

XXVII.



PETRVS de Lucemburgo, na-
tus legitur die vigeſima Iulij
anno noſtræ ſalutis 1369. Linæi in
Diœceſi Tullenſi, ex nobiliſſima
Goidonis Lucemburgi, primi Co-
mitis Linæi, & de Rouſſiaco pro-
ſapia, cuius mater Mathildis de
Chaſtillon Comitiſſa ſancti Pauli,
Domina de Fiennes, quæ clariſſi- B
mum in Arteſia Comitatum Sam-
paulinum, alioſque quampluri-
mos fundos in dotem attulit. Fra-
tres hic habuit duos, vnum natu maiorem Valeranum à Lucembur-
go, ſancti Pauli, & Linæi Comitem, ſummum in Frãcia militiæ Præ-
fectum, vulgò Comitem ſtabuli; alterum natu minorem Andream
dictum à Lucemburgo Cameracenſem Epiſcopum. Tantus in Pe-
trum Mathildis matris amor fuit, vt proprio lactè non aduentitio, vt
aſſolent fœminæ nobiles, infantem nutrierit. Vix excellerat Petrus
quintum annum, aut ſextum, cum caſtitatis florem Deo promiſit:
Anno ætatis vndecimo cum nihil præter annulum haberet, eum
detractum vendi iuſſit, ne pauper ſtipem petens, indonatus abiret.
A puero ſingulari acumine ingenij præditus bonarum artium ſtudia
coluit. breuique temporis interuallo diuina potiùs ope, quàm hu-
mano labore, ſcientiarum orbem confecit. Adoleſcentulus in nobi- C
le Pariſienſium Canonicorum Collegium cooptatus, veterem diſci-
plinam Eccleſiaſticam ibi penè collapſam reſtituit, ac ſanctitatis fa-
ma vniuerſam ferè compleuit Europam, deinde Archidiaconatu
Drienſi primò, mox Canonicatu Carnotenſi à Clemente VII. Pſeu-
dopontifice, & Archiepiſcopatu Metenſi, demum Purpura dona-
tus, Diaconis Cardinalibus titulo S. Georgij in Velabro adſcriptus
fuit. Solemni pompa nouus Epiſcopus Metenſem Ciuitatem verus
Chriſti diſcipulus, Magiſtri humilitatem, vt miratus, ſic imitatus, in
aſinæ pullo nudis pedibus ingreſſus eſt. Qua in Vrbe non ita diu ſte-
tit, quin Diœceſanas cum Suffraganeo Eccleſias adierit, immutatam
reſtituerit diſciplinam, & cultum diuinum, cui ſemper ille affixus
fuit adauxerit. Apud homines viuens, cum Cœlitibus verſabatur, ac
terrenis illecebris, & fortunis contemptis, æternorum cupiditate
bonorum flagrabat, & ad ipſa tantùm capeſſenda anhelabat. Forma
D corporis mirificè præſtitit, Angelicam quandam referebat pulcritu-
dinem, atque illius vultum tanquam vultum Angeli intuebantur
mortales, imò flammas amoris in Chriſtum, eo aſpectu, cœleſtis cu-
iuſdam ſpeciei radio in illo emicante, in ſe excitari ſentiebant. Leuiſ-
ſimas animi noxas adhuc puer pœnitentiæ ſacramento ſæpiſſime
eluebat, ac lacrymis, inedia, verberibus, & cilicio expiabat. Flagris
ſingulis diebus corpus ſuum affligebat, cilicium, quo induebatur,
erat aſperrimum, funiculo duris contorto nodis tam arctè compri-
mebat membra, vt ſanguis erumperet, Metenſi ornatus infula ean-
dem corporis macerationem reſtituit, & adauxit. Aduentus Domi-
nici tempore carnibus non veſcebatur, ter ſingulis hebdomadibus,
ſubtractis corpori cibis, lautiſſima animo parabat conuiuia; ieiunia
Eccleſiæ lege indicta diligenter ſeruabat, humilitate, charitate, be-
nignitate, prudentia, liberalitate, alijſque virtutibus prope innume-
ris enituit. Puer quicquid habere poterat, carnes etiam à domeſtica
E culina clam ablatas, pauperibus donabat; deprehenſus aliquando à
patre, & quid ſub pallio ferret interrogatus, roſas ſero reſpondit;
amouit pallium genitor, & carnes in roſas verſas aſpexit. Humilita-
tem vnicè ſemper dilectam in ſuprema lucta ex animo excidere non
eſt paſſus; iuſsit enim, vt ſi extra Auenionis ditionem è viuis exceſ-
ſiſſet, corpus Pariſios delatum, viliſsimis obtectum pannis in pau-
perum Cœmeterio S. Innocentij vulgo appellato; ſi verò intra eiuſ-
dem Vrbis ditionem obitus obtigiſſet, in Cœmeterio S. Michaelis
ſub dio cum pauperum cadaueribus tumularetur. Tres ſolos cereos
ſuo in funere ardere volebat, at ſuorum victus precibus duodecim
permiſit poſtremis teſtamenti tabulis; lapideam arcam moderato
ſumptu comparatam ſuperſtrui tumulo iuſsit. Aſsiduo orandi, &
meditandi ſtudio addictus corporis afflictiones non omittebat; qui-
bus quaſi attritus, poſt grauem, ſex menſium morbum euolauit in
F cœlum anno 1387. die 5. Iulij, licet alij perperam eius obitum die
ſecunda Iulij accidiſſe aſſimẽt, ætatis ſuæ anno 17. vt Clemens VII.
Romanus Pontifex in Diplomate, quo illum beatum declarauit, af-
firmat; alij tamen anno ætatis ſuæ 23. ſeu veriùs 18. ad Chriſtũ demi-
graſſe aiunt. Vixerat humatum Petri corpus, cum ecce confluunt
ad illud venerandum frequenti numero populi, ob res quæ obtige-
rant, miras, & opem quam qui poſtulauerant, fuerant experti. Qua-
re erutum, & aptius conditum, crate ferrea munitum, deinde in ſa-
cello, Mariæ Hieruſalem Reginæ præcepto ſepultum, tandem in
templo à Clemente VII. Pſeudopontifice Cœleſtinis extructo con-
ditum eſt. In funere qui poterat ex Petri veſtibus, alijſue rebus, qui-

bus cor-

bus corpus regebatur, decerpere aliquid conabatur. Miracula acciderunt multa, quorum monumenta extare intellexi ex Andrea Victorello apud Cœleſtinos Auenionenſes. Primis duobus ab illius morte annis nongenta ſexaginta quatuor contigiſſe Ioannes Molanus, & Gazæus apud Atrebatenſes Paſtor, alijque affirmarunt: atque inter illa quadraginta duorum ſuſcitatio mortuorum habetur. Quare Philippus Burgundiæ, & Brabantiæ Dux anno 1436. literis ex Villa Bruxellis ad Baſilienſe Concilium datis, & die 9. Martij in eo lectis inauditis miraculis celebrem adoleſcentem quotidie corruſcare aſſeruit, petijtque, vt inter Cœli ciues conſcriberetur. Habetur epiſtola illa in tomo 4. Conciliorum editionis Colonienſis in appendice ad Concilium Baſilienſe. Foſſardus teſtatur, ſe fama eius miraculorum illectum ad eius monumentum peregrinatum fuiſſe.

Clemens VII. Romanus Pontifex die 9. Aprilis anno 1530. conceſsit, vt ſacra beati Adoleſcentis Lipſana honorificè transferrentur, & vt illum pro Beato venerari poſsint fideles, his tamen additis; *Non intendimus propterea Petrum hunc in Catalogo ſanctorum eſſe relatum, donec ſeruatis debitis ſolemnitatibus in ſanctorum Canonizatione ſeruari ſolitis ad illius Canonizationem deuentum fuerit.* Et paulò ante, vbique eius imaginem à longiſsimis annis à pijs fidelibus pingi conſueuiſſe ait, ac nonnulla eius præclara opera receniet, cœlibem vitam caſtam, immaculatam duxiſſe, Chriſti imitatorem extitiſſe, humanis calcatis illecebris puriſsimam animam Creatori reddidiſſe, eum Deo in Cœlo frui piè exiſtimari, ad eius opem implorandã, magnam populi multitudinem confluere, Deum eius precibus, miraculis, dolorum, & anguſtiarum ſubleuationibus ad hunc Protectorem confluentes adiuuare ſolitus eſt Diplomate dato iii. Kal. Aprilis anno Pontificatus quarto. Non tamen hunc illum vnquam Cardinalem appellat, ne Clementis Pſeudopontificis in eo creando legitimam auctoritatem probare videretur.

Auenio Ciuitas beatum Petrum hunc patronum agnoſcit, & colit, quotannis diem Iulij quintam in illius honorem ſolemnem peragit, virtutes eiuſdem in Templo appenſis tabulis miraculorum monumentis, ornato. Orator aliquis in nobili Auditorum conſeſſu collaudat. Qua in re præteritis annis Franciſcus Suareſius ingenuus adoleſcens, ingenij, indoliſque egregiæ ſpecimen dedit, & laudationem habitam, quam ego, inquit Andreas Victorellus in Additionibus Ciaconianis, legi libenter, prælo tradidit. In qua illud quoque narrat, extare Auenione apud Cœleſtinos, geminos Conſtantienſis Concilij auctoritate de beao Petri admirandis conſcriptos Codices, honorificum de illius ſanctitate, & virtutibus iudicium complexos. Quare Auenionenſes ciues grati animi ergo, noſtro hoc æuo nobile nouum ſacellum in honorem beati Petri ædificarunt. Cum tranſlatum fuit corpus B. Petri, inſcriptum eſt Epitaphium, quòd Ioſeph Maria Suareſius Epiſcopus Vaſionenſis indicauit, & eſt tale.

Hoc colitur Templo, legitur ſimul aurea virtus
Clara Lucemburgi ſoboles, nitidiſſima merces
Orbis, & vnus honos mortali corpore cælum
Transfertur meritis PETRVS inter Numina Numen
Annis millenis ſepelitur; ſicque trecentis
His ſeptem iunges, octogima ſuperaddes,
Et quinta Iulij florens virtutibus altis
Aſſiduo populo veneratur quolibet anno.

Molanus de ſanctis Belgij ad vj. nonas Iulij ex m. s. hiſtoria Lucemburgenſi, hæc de noſtro B. Petro habet. *Auenione obitus B. Petri de Lucemburgo, titulo S. Georgij ad Velum Aureum Diaconi Cardinalis, qui parentes habuit ex Imperiali, & Regali ſtirpe prodeuntes, Guidonem de Lucemburgo Comitem S. Pauli, & D. Mathildam de Caſtilione. Hunc autem puerum bonam animam ſortitum liberalibus artibus, & decretis imbuendum Pariſijs tradiderunt, vbi à Clemente VII. Antipapa, ætatem moribus tranſiens Pariſienſis Canonicus eſt inſtitutus, & poſtea Archidiaconus Carnotenſis, & 15. ætatis anno, licet plurimum renitens Epiſcopus Eccleſiæ Metenſis, in quibus ſanguinis, & honorum dignitatibus non extulit, ſed omnia tanquam arenarum fila nihil pendens, ſoli Deo placere ſtuduit. Vnde etiam Clemens voluntate Dei ſe confirmans, qui ſupra cardines terræ poſuit Orbem, eum Cardinalium Collegio aggregauit. Cumque omni ſanctitate polleret, Crucem ſuam baiulando, adeo Chriſti veſtigia eſt inſecutus, vt in extaſi poſitus ipſum Ieſum in Cruce pendentem corporeis oculis in aëre meruerit intueri. Migrauit autem per mortem ad vitæ auctorem circa annum decimum octauum ætatis, anno Domini 1387. die 2. Iulij abſtinentijs, & ieiunijs attritus. Quinta autem die ſepultus eſt Auenione in Cœmeterio, vt ipſe voluit, S. Michaëlis, vbi nunc eſt Monaſterium fratrum Cœleſtinorum de Lucemburgo, in quo loco, eius meritis intra duos ſui obitus annos nongenta, & ſexaginta quatuor miracula leguntur contigiſſe. Philippus Dux Burgundiæ Baſilienſibus patribus anno 1436. ſcripſit, vt vellent eum in ſanctorum album referre: Depingitur Petrus procumbens in genua ante Crucifixi viſionem.* Hæc ille. Andreas verò de Sauſſay in Martyrologio Gallicano ſimile de Petro contexuit elogium. *Ipſomet die*, tertio ſcilicet nonas Iulij, *Auenione tumulatio, & feſtiuitas B. Petri de Lucemburgo, cognomento Thaumaturgi, caſtitatis, & charitatis portenti, atque egregij in ipſo amœnitatis flore totius ſanctimoniæ exemplaris; ob cuius merita, velut alter Enoch, quod Deo placuiſſet, raptus præmaturo, ac felici exceſſu præmia conſummatæ virtutis percepit. Cuius gloriæ odor ſuauiſſimus inſtar balſami perenniter ex ipſius corpore manans indicio eſt, innumeraque, quæ ad eius tumulum in dies eduntur diuinæ virtutis, & potentis ius opitulationis teſtimonia. Propter quæ à Franciſco Cardinale Epiſcopo Tuſculano de Claromonte Legato Apoſtolicæ ſedis leuatum pretioſum beati iuuenis ex ſepulchro exuuium, permiſſu Clementis VII. Papæ Hadriani VI. ſucceſſoris, venerationi fidelium expoſitum fuit in Aſcetarium Cœleſtinorum Eccleſia; vbi & eiuſdem Pontificis auctoritate annuis ſacris hodie beata eius memoria celebratur.*

Inter res admirabiles, quas hic vir ſanctitate clarus patrauit, illud ſupra naturæ vim, atque ordinem portentum narratur, quòd reſcripſit Suareſius in panegyri ſuperiùs laudata, videlicet alta ex turri homo præcipitatus perierat, corpus plures in partes graui lapſu diſſectũ, Thaumaturgi Petri precibus coaluit, reuixit, & citiſsimè inceſsit.

Conſules, & monachi Cœleſtini Vrbis Auenionenſis anno 1628. Vrbano VIII. Pontifici maximo ſupplicem libellum obtulerunt petentes, vt Cœleſtinis iiſdem quotannis diem feſtum B. Petri, totamque octauam officio duplici primæ claſsis celebrare liceret.

Præter Molanum, alioſque ſuperius laudatos ſcriptores loquuntur de B. Petro Cardinali; Iacobus Meyerus in Annalibus Flandriæ, Gazæus in Hiſtoria Belgij, Ludouicus de Barlaymont in Paradiſo Puerorum, Albertus Miræus in Faſtis Belgicis, Martius Bourey Cœleſtinus monachus in vita, Binius in tomo 4. Conciliorum, Cratepolius de ſanctis Germaniæ, Philippus Ferrarius in Catalogo ſanctorum, qui non ſunt in Martyrologio Romano, Petrus Frizonius in Gallia Purpurata, Andreas Victorellus, Ferdinandus Vghellius Abbas Ciſtercienſis in Additionibus ad Ciaconium, Locrius, & Henricus Spondanus in Annalibus Eccleſiaſticis.

Hunc Petrum Claudius Robertus in Gallia Chriſtiana innui putat à S. Antonino Archiepiſcopo Florentino titulo 22. capite 2. cum de Schiſmate verba faciens hæc refert, *vtraque pars*, videlicet Vrbanus, & Clemens, *habuit etiam religioſiſſimos viros, & quod maius eſt, etiam miraculis fulgentes.*

SEPTIMA CREATIO PSEVDOCARDINALIVM.

Anno à Chriſto nato 1387. Antipontificatus IX. Clemens VII. Pſeudopontifex Auenione duos renunciauit Pſeudocardinales, ab Vrbano VI. olim Cardinales creatos, & poſtea priuatos: hi fuere.



XXVIII.

PILEVS de Prata Foroiulienſis, ab Vrbano ſeiunctus, Clementi VII. Pſeudopontifici adhæſit, à quo Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Priſcæ renunciatus eſt. Vide quæ de illo ſuprà ſub Vrbano VI. numero 5. diximus.



XXIX.

GALEOTTVS Tarlatus de Petramala Italus, patria Aretinus, cum ab Vrbano Romano Pontifice receſſiſſet, ad Clementem Pſeudopontificem confugit, à quo Diaconis Cardinalibus adſcriptus Diaconiam ſancti Georgij in Velabro obtinuit: Vide quæ de illo ſupra narrauimus, ſub Vrbano Sexto numero 29.

OCTAVA CREATIO PSEVDOCARDINALIS.

Anno reparatæ ſalutis 1388. Antipontificatus X. Clemens VII. Pſeudopontifex Auenione creauit Pſeudocardinalem, vnum, is fuit.



XXX.

IACOBVS de Aragonia Hiſpanus, regio genere ortus, filius Petri Comitis Pratarum, & Iacobi Aragoniæ Regis nepos inter Presbyteros primò Cardinales, mox inter Epiſcopos Sabinenſes à Clemente VII. Pſeudopontifice cooptatus eſt. Poſt Clementis obitum Benedicto XIII. adhæſit, in cuius obedientia è vita exceſſit die 30. Maij, ex Ferdinando Vghellio, ſeu ex Ciaconio iij. Kal. Iulij anni 1396. Præter Purpuram obtinuiſſe Iacobum hunc à Clemente Eccleſiam Valentiæ in Hiſpania, eamque rexiſſe, vſque ad obitum, ſcribit Balthaſſar Porregnus in elogijs m. ss. Cardinalium Hiſpanorum.

NONA

NONA CREATIO PSEVDOCARDINALIS.

Anno à partu Virginis 1389. *Antipontificatus XI.* ante diem vj. Idus Nouembris Auenione Clemens VII. Pſeudopontifex alterum creauit Pſeudocardinalem, qui fuit.



XXXI.

Io. Chenu.

Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana.

IOANNES de Thalaru, natione Gallus, cuius nobiliſſima familia ex Andrea Victorello adhuc in Lugdunenſi prouincia floret, ex Archiepiſcopo Lugdunenſi ad petitionem Caroli VI. Francorum Regis à Clemente Septimo Pſeudopontifice abſens renunciatus eſt Presbyter Cardinalis ex Ciaconio anno 1389. ſeu vt refert laudatus Victorellus ex Annalibus, & m.s. Archiuij Lugdunenſis Eccleſiæ, anno 1378. In Annalibus Victorinus vir doctus, & probus appellatur. Legimus etiam anno 1376. die tertia Martij Lugduni Concilium Prouinciale habuiſſe, vt ſuæ ſedis, ac Primatus exordio ſuum in reformandis Eccleſiaſticorum animis Lugdunenſi populo zelum oſtenderet, ſuamque dignitatem, & officium felicius auſpicaretur.

In viuis eſſe deſijt viij. Kalen. Octobris anno 1392. non in Benedicti XIII. vt ſcripſit Petrus Frizonius, ſed in Clementis VII. obedientia, Clemens enim VII. vitam produxit ſuam, vſque ad annum 1394. vt diximus ſupra, & Benedictum XIII. habuit ſucceſſorem in Schiſmate. Iacet in ſacello ſancti Petri in Eccleſia Cathedrali Lugdunenſi.

In Archiuijs Eccleſię Lugdunenſis in magno mortuorũ libro, extat quæ ſequitur huiuſce Ioannis Cardinalis memoria. *Anniuerſarium R. D. Ioãnis de Thalaru Cardinalis, & Archiepiſcopi ad opus eiuſdem Eccleſiæ, & Capellæ S. Petri ibi fundatæ, in qua fuit ſepultus. Fundauit ibi qualibet die vnam Miſſam ſuper bonis patrimonialibus Bellicaſtri, & de Vallibus; pariterque in feſto S. Annemundi: fundauit alium ſocium Sacriſtæ S. Stephani ad inuandum miniſtrando luminaria, & neceſſaria altari.* Hactenus liber ille.

Scutum familiæ de Thalaru bipartitum miniatum, & cyaneum, tænia muricata expreſſum, quód ab allato olim à Ciaconio differre ſcripſit Victorellus.

DECIMA CREATIO PSEVDOCARDINALIS.

Anno reparatæ ſalutis 1390. *Antipontificatus XII.* decimo Kalend. Auguſti Auenione Clemens VII. Pſeudopontifex vnum creauit Pſeudocardinalem, qui fuit.



XXXII.

Ciaconius

Ioann. Tamayus.

Salazar. in Martyrol. Hiſpanico

MARTINVS Salua, aliàs Zalba, Nauarrus, Ciuis, & ſecundus huius nominis Epiſcopus Pampilonenſis, Decretorum Doctor, & Clementis Referendarius, Presbyteris Cardinalibus titulo S. Laurentij in Lucina ab ipſo Clemente adſcriptus eſt. Interfuit Comitijs, & pro Benedicto XIII. ſuffragium tulit, à quo legatus ad Regem Galliarum, Benedicti partes ſuſtinuit, ac defendit contra Regem Galliarum, à quo cum alijs duobus Pſeudocardinalibus in cuſtodiam traditus eſt. In libertatem deinde vindicatus ad Eccleſiam Pampilonenſem ſe contulit, in qua Synodum celebrauit ad Eccleſiaſticorum deprauatos mores corrigendos. Inter hæc a Carolo huius nominis Tertio Nauarræ Rege ad Regem Galliarum miſſus è vita exceſſit Auenione, ſeu vt refert Balthaſſar Porregnus in m. ss. elogijs Cardinalium Hiſpanorum in oppido prouinciæ Narbonenſis vj. Kalen. Nouembris anno 1403. iacet ſepultus Auenione in Eccleſia S. Mariæ de Bonopaſſu ad Carthuſianos, cum hac ſepulchrali Inſcriptione.

D. O. M.

Hic requieſcit Reuerendiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus D. MARTINVS DE SALVA, Nauarrus de Ciuitate Pampilonenſi oriundus, primò Decretorum Doctor, poſtmodum Referendarius per D. Gregorium Papam XI. deinde Epiſcopus Pampilonenſis factus, demum titulo S. Laurentij in Lucina Presbyter Cardinalis per D. Clementem Papam VII. aſſumptus. Qui obijt die 27. menſis Octob. anni 1403. Cuius anima requieſcat in pace Amen.

VNDECIMA CREATIO PSEVDOCARDINALIVM.

Anno eodem 1390 *Antipontificatus XII. menſe Octobris*, apud Bellocadium Arelatenſis Diœceſis Clemens VII. Pſeudopontifex duos Pſeudocardinalibus adſcripſit, qui fuerunt.



XXXIII.

IOANNES Flandrini Gallus, Archiepiſcopus Auxitanus Presbyter primò Cardinalis titulo ſanctorum Ioannis, & Pauli, aliàs Pammachij à Clemente VII. poſtea Epiſcopus Sabinenſis a Benedicto XIII. Pſeudopontificibus effectus eſt. Quem licet a Collegio ſuo deſertum, & damnatum, nunquam reliquit, ſed in eius obedientia ante Concilij Conſtantienſis ſententiam poſt annum 1405. lucis vſura priuatus eſt. Huiuſce extat memoria ex Claudio Roberto in Catalogo Archiepiſcoporum Auxenſium in dedicatione Capellæ Biturienſis anno 1405.

Ciaconius

Pet. Frizon. in Gallia Purpurat.



XXXIV.

PETRVS Gerardi de Podio natione Gallus, patria Lemouicenſis, ſeu vt alijs placet, Delphinas, natus, vt aiunt, in oppido S. Symphoriani inter Lugdunum, & Viennam, ex Epiſcopo Lodeuenſi primùm, deinde Podienſi, aliàs Anicienſi Presbyteris Cardinalibus titulo S. Clementis, ſeu vt ſcribit Ferdinandus Vgbeilus titulo Eudoxiæ, aliàs S. Petri ad Vincula à Clemẽte, demũ à Benedicto XIII. ſucceſſore Epiſcopis Tuſculanis anno 1402. adſcriptus eſt. Quem poſtea in Schiſmate pertinacem deſeruit, atque ad Piſanum Concilium confugit, in quo legitimè delata Petro purpura eſt cum Epiſcopatu Tuſculano. Maioris Pœnitentiarij munere functus eſt ſub Alexandro V. quem verum Pontificem promouendum curauit, fouit etiam Comitia, in quibus Ioannes XXIII. ſubuectus eſt ad ſupremum in Eccleſia tronum. Auenione deceſſit anno 1415. ex Ciaconio, ſeu ex literis Benedicti XIII. poſt annum 1417. die autem 16. Aprilis 1417. quo datæ ſunt Benedicti literæ adhuc viuebat. poſt obitum in Cathedrali mandatus ſepulchro.

Ciaconius

Panuinius

Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana.

DVODECIMA CREATIO PSEVDOCARDINALIS.

Anno Dominicæ Incarnationis 1391. *Antipontificatus XIII.* decimo ſexto Kal. Maij Auenione Clemens VII. Pſeudopontifex, vnum nominauit Pſeudocardinalem, qui fuit.



XXXV.

GVILLELMVS de Vergy Gallus, Ioannis de Vergy Seneſchalli Burgundię, & Aegidiæ, alias Giletæ de Vienna filiæ Guillelmi de Vienne Domini à ſancto Gregorio, & à Sanctacruce filius, Archiepiſcopus Biſuntinus Philippum Burgundiæ Ducem excõmunicationis vinculo obſtrinxit, eo quód contra iura vetera Ciuitatis Biſuntinæ monetam Auxonæ cuderet, qua de cauſa Graci commorantem obſedit Philippus; ſed de ſuorum conſilio furori Philippi Ducis cedens, Auenionem ſe recepit ad Clementem VII. à quo Cardinalitijs infulis titulo S. Cæciliæ ornatus eſt; poſt Clementis obitum, Benedicti XIII. partes bona fide ſecutus eſt. Exceſſit è vita Auenione anno 1407. & in ſua Metropolitana in Sacello Diui Nicolai ſepultus dicitur.

Ciaconius

Iacob. Chifflet.

Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

Pet. Frizon. in Gallia Purpur.

Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana.

DECIMATERTIA CREATIO PSEVDOCARDINALIVM.

Anno à Chriſto nato 1394. *Antipontificatus XVI.* ix. Kalend. Februarij Auenione Clemens Septimus Pſeudopontifex alios creauit Pſeudocardinales, qui fuerunt.

A



XXXVI.

Ciaconius

PETRVS Fernandi Frias, ſeu de Frigidis Hiſpanus, Epiſcopus Auximenſis, ſeu Oxmenſis in Hiſpania, Presbyteris Cardinalibus titulo S. Praxedis à Clemente VII. Pſeudopontifice, deinde Epiſcopis Sabinenſibus à Ioanne XXIII. adſcriptus eſt. Is Benedicti XIII. partes poſt obitum Clementis quondã ſecutus eſt; ſed Concilio Piſano adhærens, illum reliquit; quare inumerum legitimorum Cardinalium à Concilio receptus: interfuit Comitijs Alexandri V. à quo Vrbis Legatus renunciatus eſt. Sed in itinere audita Pontificis morte Bononiam rediji, & in Comitijs ibidem habitis ſuffragium pro Ioanne XXIII. tulit, à quo continuationem in legatione Vrbis obtinuit, quam retinuit vſque ad ipſius Pontificis ad Vrbem ipſam aduentũ; illa functus legatione renunciatus eſt S. Petri Archipresbyter. Conſtantienſi etiam interfuit Cõcilio inter electores Martini III. aliàs V. quo ſedente, Florentiæ deceſſit 5. Idus, ſeu 19. Septembris die Lunæ anno 1420 & ſepultus in Templo S. Mariæ Angelorum. Balthaſſar Porregnus in Elogijs Cardinalium Hiſpanorum ſcribit huiuſce Cardinalis cadauer Florentia tranſlatum in Hiſpanias ſepulturam habuiſſe in Eccleſia Principe Burgenſi. Idem affirmat Ioannes Mariana in Hiſtoria Hiſpanica, his verbis. *Florentia in Hetruria Petrus Frias Hiſpanus Cardinalis deceſſit. corpus in Hiſpaniam relatum, Burgis in Templo maximo tumuli honorem habuit.* Additq. *ex obſcuro genere, tenuique fortuna, conſpicuam formam, induſtriam atque dexteritatem, Regum gratiam Henrici, Ioanniſque ad ampliſſimos honores illum euexiſſe. mediocris ſtatura fuit, turpis vita, auaritia ſordibus, atque libidine, vitiata accidit, vt Burgis cum Segobienſi Epiſcopo Io: Tordeſilla rixaretur cum Cardinalis è familia quidam fuſte eodem die dolauit. atrocis facinoris inuidia penes herum ſtetit, quamuis inſcium; vti is poſtmodum eſt confeſſus, qui tetri facinoris patrator fuit; ſed expoſtulantibus tamen Proceribus ſuperbiam hominis immodici, & priſtina ſortis obliti ebdomandam, in Italiam Cardinalis abſcedere fuit compulſus. pecunia, cuius vim magnam ſtruxerat ab Rege occupata; qua precipua cauſa extitit exilij maturandi. ſic pereunt male, perduntque theſauri praui ſtudijs quaſiti: viris ſacratis nullum certius, quam in pietate præſidium. an in exilio, in quo vita reliquum exegit, mutarit, nil compertum habemus. huius opus eſt nobile Cœnobium Spegia Religioſis viris ordinis S. Hieronymi à fundamentis erectum, dotatumque annuis redditibus.*

Ferdinand Vghel. in Ital. ſacra


Henricus Spondan. in Annal. Eccleſiaſt.

B

Felix Cõtelorius in Elencho.

C

D



XXXVII.

Ciaconius

LVDOVICVS Allobrox ex familia Mitũ de Pondeuax in prouincia Breſſia vulgò appellata, Epiſcopus Maurianenſis (Mauriana nomen eſt vallis ad Alpes Cottias titulo Comitatus inſignis, Sabaudiæ Ducatu contenta habens Vrbem ſancti Ioannis de ſuo nomine cognominatam, ſanctus Ioannes de Mauriana, ad Arcum fluuium ſitam ſub Archiepiſcopatu Viennenſi) inter Presbyteros Cardinales titulo ſancti Cæſarij à Clemente VII. cooptatus eſt. De hoc nulla mentio apud Claudium Robertum in Catalogo Epiſcoporum Maurianenſium neque in libris ſacri Collegij; incertum quo tempore è vita exceſſerit.

And. Victorel. Addit. ad Ciacon.

E

Gentilitia eius Inſignia, quæ olim Ciaconius in priori editione in medium attulerat, alia erant ab his, quæ ſupra expreſſimus, cum certò ſciamus, familiam Militum de Pondeuax his, & non illis ornari; ideò illis relictis, hæc expreſſimus.



XXXVIII.

IOANNES de Rupecauardi Gallus antiquo, & nobili natus genere è Dominis de Charos in Biturigibus, Biturigenſis primò, deinde Arelatenſis Archiepiſcopus, à Clemente VII. renunciatus Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, animam efflauit ex Frizonio anno 1402. Claudius tamen Robertus ſcribit, è vita migraſſe anno 1391. quare non in vltima Pſeudocardinalium enunciatione, ſed in antecedentibus hic recenſendus videtur.

Aliqui tamen hunc non diſtinguunt à Ioanne de Broniaco, aliàs Armet, de quo nos ſupra numero 25. Petrus Frizonius licet illos diuerſos agnoſcat, ſcribit tamen, Ioannem hunc ſucceſſorem habuiſſe in Arelatenſi Eccleſia Artaudum quendam, qui tamen ex Claudio Roberto ſucceſſit Ioanni de Broniaco: fides ſit penes illos. Nulla de hoc mentio in libris ſacri Collegij.

Geſſit Ioannes de Rupecauardi in ſcuto, teſte Frizonio ſenas vndas minatas, & argenteas.

CANCELLARIVS S. R. E.
ſub Clemente VII. Antipapa.

Petrus de Monteruco, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Anaſtaſiæ à principio, vſque ad finem Antipontificatus.

PSEVDOCARDINALES MORTVI
ſub eodem Antipapa.

Mag. Fr. Nicolaus de S. Saturnino Gallus, ordinis Prædicatorũ Presbyter Cardinalis S. Sixti obijt, die 23. Ianuarij, anno 1382.

Petrus de Barreria, Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctorum Petri, & Marcellini, die 13. Iunij, anno 1383.

Haymericus de Manaco, Gallus, Presbyter Cardinalis ſancti Euſebij, die 21. Martij, anno 1385.

Petrus de Lucemburgo, Diaconus Cardinalis ſancti Georgij in Velabro, die 5. Iulij, anno 1387.

Iacobus de Viſs, aliàs de Itro Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Priſcæ, anno eodem 1387. ſed incertum quo menſe, ex literis tamen Clementis VII. habemus illum è vita exceſſiſſe, die 30. Martij, anno 1393.

Ioannes Rotlandi, Gallus, Presbyter Cardinalis, die 17. Septembris, anno 1388.

Petrus Amelij, ſeu Aiſcelini de Monteacuto, Gallus, Monachus ſancti Benedicti, Presbyter Cardinalis ſancti Marci. die 8. Nouembris, anno 1388.

Petrus de Croſſo, Monachus ſancti Benedicti, Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctorum Nerei, & Achillei, die 16. Nouembris, anno eodem 1388.

Fr. Thomas de Claſſe, aliàs Claſſaco, Monachus, Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Sabinæ, die 18. Maij, anno 1390.

Petrus Soracenacus, Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Mariæ Tranſtyberim, poſtea Epiſcopus Sabinenſis, die 16. Auguſti, anno eodem 1390.

Cuncterus, Gometij de Luna, Hiſpanus Presbyter Cardinalis ſanctorum Ioannis, & Pauli, die 13. Ianuarij, anno 1391.

Iacobus de Montenayo, Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctorum Petri, & Marcellini, ſeu ſancti Clementis, die prima Maij, anno eodem 1391.

Faiditus de Agrifolio, Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctorum Sylueſtri, & Martini, die 2. Octobris, anno item 1391.

Ioannes de Thalaru, Gallus, Presbyter Cardinalis, die 24. Septembris, anno 1392.

Petrus de Fitigniaco, Gallus. Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Aquiro, die 5. Nouembris, eiuſdem anni 1392.

BONIFACIVS IX. PONT. CCV.

ANNO DOMINI MCCCLXXXIX.





IN NOMINE DEI, ET SALVATORIS Noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen. A

POSTRIDIE Obitus Vrbani VI. ad xvij. Kalend. Nouembris, Romæ in Baſilica Vaticana Nouemdialibus ſacris celebrandis Patres initū dederunt, die proximo Miſſa Spiritus ſancti more ſolemni decantata, ijdē Comitium ineun', primo ſcrutiniu 14. Cardinalium vota ſciſſa ſunt; ſex enim Cardinales Florētino, qui Pōtificatū ambiebat, & totidem Pon-
B cello Vrſino ſuffragabantur, inſtauratis Comitijs perſuaſione Cardinalis Carbonis ad iv. nonas Nouembris anno 1389. Romanum Pontificē deſignant Petrum, vel Petrinum Tomacellum Neapoli, nobili, ex Nidi Curia, forte præditum quanquam facultatibus tenuem, qui Romam, Vrbani VI. tempore veniens ab eo Acolythus, & Prothonotarius Apoſtolicus primùm, deinde Diaconus Cardinalis S. Georgij in Velabro, poſtremo Presbyter Cardinalis ſanctæ Anaſtaſiæ creatus fuerat, annum agens 45. à prandio Pontifex, BONIFACII nomine, renunciatus, ſedit Venceſlao, Roberto, & Friderico Cæſaribus annos 14. menſes vndecim.

BONIFAcij electio

Anno Dom. Natiuit. 1389. iv. Idus Nouembris, Bonifacius Papa IX. Romæ in Baſilica Vaticana conſecratus eſt, & ante gradus euiſdē Baſilicæ Coronationis ſuæ inſignia ſuſcepit, per manus Thomæ Vrſini de Manupello S. R. E. Archidiaconi, præſentibus Cardinalibus, & Epiſcopis, Clero, & Populo Romano, eodem die Lateranū præ gaudio, proficiſcitur, immenſas pluuias nihil curans.

CONSEcratio, & Coronatio Papæ Bonifacij

CARDINALES XIV. PRAESENTES quando Boniſacius IX. Papa factus eſt.

Hi omnes Cardinales ab Vrbano VI. Papa creati ſunt.

EPISCOPVS CARDINALIS I.

1. Franciſcus Moricottus de Vico, ciuis, & Archiepiſcopus Piſanus, Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus.

PRESBYTERI CARDINALES VII.

2. Poncellus Vrſinus Romanus, Presb. Card. titulo S. Clementis, S.R.E. Archipresbyter, ſeù primus Presbyterorum.
3. Andreas Bontempus, ciuis, & Epiſcopus Peruſinus, Presbyter Card. tit. S S. Petri, & Marcellini, Marchiæ Legatus.
4. Stephanus Paloſius Romanus, Epiſcopus Tudertinus, Preſbyter Cardinalis tit. ſancti Marcelli, Papæ Vicarius.
5. Angelus Acciaiolus Florentinus, Presbyter Cardinalis ſanctorum Laurentij, & Damaſi.
6. Franciſcus Carbonus Neapolitanus, Epiſcopus Monopolitanus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Suſannæ ad duas Domos, Maior Pœnitentiarius.
7. Petrus Tomacellus Neapolitanus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Anaſtaſiæ.
8. Ioannes Stephaneſcus Romanus, Presbyter Cardinalis tituli ſanctæ Cæciliæ.

DIACONI CARDINALES VI.

9. Thomas Vrſinus de Manupello Romanus Diaconus Card. S. Mariæ in Dominica S. R. E. Archidiaconus.
10. Ludouicus de Fliſco Genuenſis, Electus Epiſcopus Vercellenſis, Diaconus Cardinalis ſancti Hadriani.
11. Marinus Bulcanus, Neapulitanus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ Nouæ, S. R. E. Camerarius.
12. Franciſcus Rentius, Alliphanus, dictus de Allipha, Diaconus Card. S. Euſtachij, iuxta Thermas Agrippæ.
13. Raynaldus Brancacius Neapolitanus, Diac. Card. SS. Viti, & Modeſti in macello Martyrum.
14. Fr. Angelus de Anna, Neapolitanus, Electus Laudenſis, Monachus Camaldulenſis, Diaconus Cardinalis ſanctæ Luciæ in Sepiſolio.

CARDINALES ABSENTES.

Philippus de Alenconio, Gallus, Patriarcha Aquileienſis, Epi-
C ſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus, Decanus.

Valentinus Hungarus, Epiſcopus Quinqueccleſienſis, Presbyter Cardinalis ſanctæ Sabinæ in Auentino.

Pileus de Prata Concordienſis, Foroliuienſis, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Praxedis.

Eleazarus de Sabrano Italus Epiſcopus Theatinus, Presbyter Cardinalis titulo S. . . . .

Adam de Eſton Anglicus, Epiſcopus Londinenſis, Presbyter Cardinalis tituli S. . . . .

Duo poſteriores Cardinales abſuerunt, quia erant ab Vrbano VI. Papa Cardinalatu priuati, igitur Cardinales 14. præſentes quos Vrbanus Sextus Papa creauerat, quinque alij abſuerunt.

D Bonifacium IX. procera quidem ſtatura fuiſſe, ac decorū vultu, ſingularíq. humanitate præditū ferunt, mediocriter doctus, iuuenis ætate, modeſtiſſimus tamen, atque continentiſſimus fuit, vt iuuentutem cum ſenectute permutaſſe videretur, quòd ſine magna doctrina, etiam magnæ res, ac præclaræ ab hominibus geruntur.

In ampliſſimo Magiſtratu conſtitutus multa egregia Pontificis ſigna, & documenta dedit. Annum Iubileum ab Vrbano VI. Papa ad 33. annum redactum anno 1391. qui fuit tertius ſui Pontificatus celebrauit, & Romæ primo ſui Pontificatus anno, primam Cardinalium creationem fecit.

Anno ſui Pōtificatus Primo, Reate in Sabinos profectus, in aduerſam valetudinem incidit, ex qua vix mortem euaſit, inde Ro-

BONIFAcius duos fratres v. & Duc. alterū Marchionem conſtituit.

mam rediens ad quartum Pontificatus annum fratres duos, quos habuit, Ioannem, & Andream, alterum Ducem Spoletinum, & Comitem Soræ, alterum agri Piceni Marchionem conſtituit. Quibus à Ladiſlao Soranam Toparchiam, & aliquot oppida in Regno, centum millibus aureorum emit; ſororem in matrimonium Comiti ſancti Flauiani, quem poſtea Arduæ Ducem creauit, dedit, cum 107. millium aureorum dote, qui aliquando iratus, vxorem gladio tranſuerberauit.

Rigam, Pruſsiæ Vrbem, quæ hactenus in Archiepiſcopi Regienſis poteſtate, & ditione fuerat, commutato quindecim millium aureorum pretio, magiſtro Hoſpitalis Theutonicorum vendidit.

CAROLo Ro. Imp. Vinceſlaus filius ſuccedit.

Succeſsit tùm Carolo Imperatori Romano Vinceſlaus filius, a quo Ioannes Galeatius Vicecomes Mediolanenſis Ducatus titulum accepit, miſſo Oratore Petro Philargo Mediolanenſi Archiepiſcopo, qui poſtea Pontificatum Romanum adeptus, Alexander V. eſt appellatus.

Galeatius ſtrenuos Duces copijs præficiens, oppugnare Florentinos adortus eſt, vnde crebris incurſionibus tùm agros, tùm ciuitatem Florentinam continuò vexabat, cædibus, rapinis, incendijsque omnia complens, anno 1397. Quo quidem tempore Bonifacius Pontifex Peruſium ſe contulit, nobilitatem plebeijs Raſpantibus conciliaturus, ſed plebs præſente Pontifice, præter fidem datam, maxima capiens, interfectis ad 80. ex Optimatibus, Beordum, & Michelorum plebeiarum partium Principes in Vrbem intromiſſos, dominos conſtituit, ob quam rem indignatus Pontifex Peruſio diſcedens Aſiſium venit.

BONIFAcius Peruſiū ſe conferēs inde Aſiſium venit.

Gerardus cum retinere Piſas in poteſtate ſua non poſſet, ob ſeditiones à Florentinis excitatas, Vrbem ipſam Galeatio Vicecomiti vendidit, anno Domini 1399. Plumbino oppido tantummodo ſibi, & ſuis retento.

LEGATI populi Rō. Pōtificem adeunt, vt Romam redeat.

Bonifacium Aſiſij agentem, Legati populi Romani adeunt, rogantque, vt Aſiſio Romam proficiſcatur. Quod etſi magnoperè perciperet, tamen diſsimulato eo deſiderio, facturum ſe quòd petebant, negauit, quòd diceret, eos noluiſſe recipere Senatores ex nobilitate externa, ſecundùm priorum Pontificum conſtitutum, quòdque Romanæ Cameræ Conſeruatores ſuo arbitrio delegiſſent, homines parum idoneos, quorum ignauia Bandereſijs omnia licerent. Tùm Romani Magiſtratus ex populi auctoritate, vt Pontifici gratificarentur, ſimulque inteſtinis diſcordijs feſſi, auctore potiſsimum Nicolao Columna, Bandereſios tollunt, Malateſtam Pandulphi filium Piſaurienſem Regulum virum doctum, & prudentem, Pontificis nomine, in Senatorem eligunt: pecuniaſque inſuper Bonifacio tranſmiſerunt, quò ei ad Vrbem proficiſci liceret; qui Vrbem ingreſſus tantum conſilij, & prudentiæ habuit, in recuperanda ditione Eccleſiaſtica, vt magna mole Hadriani, mœnibus, & turribus, Capitolio, & pontibus Vrbis liberè potitus ſit; primus Romanorum Pontificum omnem populi Romani vim, cunctis ſuo arbitrio Magiſtratibus creatis, vectigalibus publicis ad ſe receptis, pontibus, quibus Tranſtyberim iter eſt, munitis, ſtatim ad ſe tranſtulerit, Pontificiam ditionem mirum in modum ſtabiliuit, Vrbis tandem ſummum Imperium, ciuibus dedentibus, obtinuit, & Pontificum auctoritatem eò vſque nutantem confirmauit, nulli Pontificum tanta obſeruantia, & obedientia contigit, quanta Bonifacio IX. populo Romano omnia illi tradente, Latium, Campaniam, Picenum in Hetruria, Viterbium, Montemfaliſcorum, vulgariùs Montemflaſconem dictum, Vrbemueterem, Oruietum popularius dictum, in Vmbris Narniam, Tuder, Spoletum, Peruſium, in Aemilia, & Flaminia Bononiam, Fauentiam, & Forumliuium Imperio Eccleſiaſtico reſtituit, Ioannis Galeatij Vicecomitis Mediolanenſis, & totius ferè Italiæ trans Apenninum vires repreſsit.

BONIFAcius Romā venit.

OBSERuantia à populo Rom. Bonifacio præſtita.

NOVAE ſuperſtitionis genus Blanchorū dictū, ſeu Alborum.

Albos genus hominum nouam ſuperſtitionem introducentes, Bonifacius IX. ſuo Pontificatu perſequutus eſt; ex Alpibus deſcendiſſe in Italiam, anno ante Iubileum, Presbyterum quendam ferunt, cum magna hominum multitudine; is quidem albo indutus tantam modeſtiam vultu, ac verbis præ ſe ferebat, vt ab omnibus ſanctus haberetur; in Italiam itaque deſcendens, magnam hominum, ac mulierum turbam in ſententiam ſuam plus breui deduxit, linteis albis circumuoluti omnes, ſine diſcrimine mares an fœminæ, ruſtici aut ciues, ſerui an liberi eſſent, paſsim veluti pecora, vbi nox oppreſsiſſet, dormiebant, publicè in vicis epulabantur, portatis vndique quaſi ad ſacrum epulis Crucifixum ſacerdos ipſe ferebat, cuncti incredibili deuotionis feruore ſubſequebantur, pacem, & miſericordiam à Domino ſupplices precantes, laudes Virginis canētes, Hymnis ad id aptè compoſitis. Ex Ciſalpinis autem, Flaminiam, Hetruriam, Picenum, aucta opinione ſanctitatis, veniens, non plebem modo rudem, ſed & Principes, & Epiſcopos ciuitatum in ſententiam ſuam facilè traxit; ſubſtitit Viterbij cum magna multitudine, labore itineris feſſus, Romam inde, vt ipſe dicebat, ad viſenda loca ſancta, Sanctorùmque corpora veneraturus, ſed Bonifacius fraudem ſubeſſe veritus, quòd diceret, hominem ſuperſtitioſum Pontificatum appetere, adiuuante illa multitudine, milites aliquot præmittit, qui hominem comprehenſum ad ſe perducant: ſunt qui ſcribant, huius fraudem quæſtione detectam fuiſſe, hominèmque in tanto facinore deprehenſum meritas pœnas luiſſe, ignem ſcilicet, quo exuſtum ferunt.

SVPERſtitionis auctorem debitas pœnas luiſſe fertur.

ANNVS MAGNI IVBILEI TERTII.



Celebrato deinde Romę Iubileo tertio, more veteri, anno 1400. quo in Vrbem innumera ferè multitudo ex Gallia præſertim religionis cauſſa venerat, anni fine Iubileum inchoatum, & indictum clauſit, & quæ ſeminauerat meſſuit, infinitam animarum multitudinem Indulgentijs lucratus; hoc tamen conſtat poſt tantam alluuionem, quæ partim ſuperſtitione Alborum, partim frequentia Iubilei aduenerat, magnam hominum multitudinē peſtilētia conſumptā fuiſſe.

IVBILEum Anno 1400.

Annatarum ſolutionem pro ſubſidio Eccleſiaſtico, decimo Pontificatus anno perpetuam facit; ſtatuit enim nullum ad Epiſcopatum, vel Abbatiam, vel Sacerdotium aliquod promouendum fore, niſi dimidia parte primi anni reddituum Cameræ Apoſtolicæ perſoluta, neceſsitati Eccleſiaſticæ ſubleuandæ, primi anni dimidiatos prouentus ærario Apoſtolico perſoluendos in perpetuum ſtatuit, priuſquam gratiam Apoſtolicam conſequerentur. Cum verò aliquando pecuniæ deeſſent, fœnori excipiebantur, termino præfixo ſoluendæ, ſtatuit eam Cōſtitutionem Ioannes XXII. primus de annatis in certum quoddam tempus ſoluendis, renouauit eandem, & perpetuò erigi voluit Bonifacius Nonus. Quam Cōſtitutionem omnes eius obedientiæ Clerici, præter Anglos admiſere. Qui id in Epiſcopatibus ſolùm conceſſere, in cæteris verò Sacerdotijs negarunt.

BONIFAcij conſtitutio de colligendis fructibus primi anni Cam. Apoſtol. cōpetēti.

Iis pecunijs S. Petri Patrimonium recuperauit, magnos exercitus in præſidio aluit, immenſa ædificia extruxit in Capitolio, mole Hadriani, palatio Vaticano, fratres, & propinquos ditauit.

BONIFAcij res geſtæ.

Bonifacius Pontifex Robertum Ducem Baioariæ, & Comitem Palatinum Rheni, Cæſare Vinceſlao 13. Kalend. Septembris abrogato, ob ignauiam, à Germanis Proceribus, jv. Idus Septembris, anno 1400. creatum, (regnauit autem annos nouem, menſes octo) approbauit; Ladiſlaum adoleſcentem, Caroli Neapolitani Regis filium, in Regnum paternum reſtituit, à Tyrannis, & populis occupatum, qui Ludouici Andegauenſis partes ſequuti fuerant. Quo autem faciliùs, & honeſtius id fieret, priuationem Caroli ab Vrbano VI. Nuceriæ factam abrogauit, & Angeli Acciaioli Cardinalis Florentini Legati opera, quem Caietam miſit, quæ ſola in fide remanſerat, vt eo loci adoleſcentem coronaret, vbi ſumma cum fide ſeruatus fuerat, miſerat, & cum eo latis iuſtum exercitum, & fratrem ſuum Pontifex, vt Regi Ladiſlao auxilio eſſet, qui à Neapolitanis repulſus, Peruſium mouens, ciuitatem ipſam in poteſtatem Pontificis breui redegit. At Balthaſſar Coſſa Neapolitanus cuius, ſancti Euſtachij Cardinalis, Bononienſes aliquandiu obſeſſos, redire tamen ad Eccleſiam compulit: Albericus autem Sfortia, vnde tanquam ex equo Troiano innumerabiles belli principes emanarunt, dictus Cotignola, & Nicolaus Piccininus, inter ipſos primores, quorum ſectatores, & militiæ præcepta adhuc durant, Neapolim diù oppugnatam, tandem in Ladiſlai Regis poteſtatem receperunt. Qua victoria moti omnes Regni Principes, Ciuitatéſque ſtatim in deditionem Regis peruenere. At verò Ladiſlaus regnādi cupidus priuſquā fundamenta Regni Neapolitani confirmaſſet, accitus ab Hungaris ad illud quoq; Regnū iure hæreditario ſuſcipiendū, cum copias traiecisſet Iaderamo; Iaderamque obſideret, certior ab amicis fit, Neapolitanos, & inter eos aliquot Regni Proceres ad defectionem ſpectaſſe. Iadera itaque potitus, eadèmque Venetis vendita, Neapolim redijt, reuocato è Flaminia Alberico, omnes Proceres rebelles dominatu priuauit. Recuſantes autem parere è patria deiecit, in Seuernatum verò familiam, crudeliter animaduertit, primoribus ipſis vltimo ſupplicio affectis.

LADISlaū in regnū Neapolit. reſtituit.

BONOnienſes ad Eccleſ. redire compulit.

LADISlaus Rex quid in rebelles.

Ordo Canonicorū Lateranēſiū congregationis Friſonariæ reſtitutus à Leone de Carate Mediolanēſi in Diœceſi Lucenſi an. 1401.

Ordo Canonicorum Secularū S. Georgij in Alga, Venetijs à B. Laurentio Iuſtiniano inſtitutus anno 1404. Qui cum pro libito eam ſocietatem inire, & ſua ſponte recedere poſſent, Pius V. vt religionis normam ſectarentur, profiteri compulit, qui nollent, abire à Congregatione iuſſit, & ita hic ordo in meliorem modum reformatus.

CONgregatio Canonicorū S Georgij de Alga à beato Laurent. Iuſtiniano inſtituta.

Pontificatu Bonifacij IX. admirandum prælium conſertum eſt, quale ab initio mundi, vſque ad noſtra tempora nuſquam contigit, inter duos maximos Duces Baiazethum IV. Turcarum Regem, & Tamurbei, ſeu, vt communius dicitur, Tamurlanum Tartarorum Regem, in quo ad Montemſtellam, bis millies mille, ideſt duobus millionibus militum vtrinque pugnatum eſt maximo ardore animi propè Euphratem flumen, ab oriente, vſque ad occiduum ſolem, ſub quo victoria ad Tamurlanum inclinauit, & Baiazethes viuus

INGENS bellum inter Baiazethum, & Tamurlanū Reges.

BAIAZETHES captus.

captus, qui terrori fuerat toti Orbi. In quo prælio ducenta millia militum ex exercitu Tamurlani, & centum quadraginta millia ex Baiazethis exercitu interfecta fuiſſe feruntur; vnde Euphrates maiore ſanguinis, quàm aquarum fluxu in ſinum Perſicum exonerauit. Baiazethes viuus captus toti Aſiæ ſpectaculum miſerabile præſtitit, nam cauea ferrea incluſus, Victori, quoties equitaret, dorſo ſubdito ſcabelli vicem præbuit, prandenti verò quo magis ridiculo foret, & deſpicatui, iuxta menſam tripodi alligatus, Canis in modum, reliquijs proiectis ex menſa famem ſedare cogebatur: qui animum obſtinatione deſpondens caput clathris ferreis allidens, cerebro ſparſo vitam miſerabiliter finiuit, anno ſequenti 1398. iuſtiſſimo Dei iudicio; qui tanto odio Chriſtianos proſequebatur, vt omnes captiuos pluſquam centum millia in bellis captos morte plecteret, eo ſolo titulo, quòd Chriſtiani eſſent. Aiunt, Tamurlanum cuidam pro Baiazethe deprecanti reſpondiſſe, ſe non Regem nobilitate, aut rebus geſtis clarum, ſed hominem improbum, nefarium, fratris interfectorem punire, eius tandem captiuitate Conſtantinopolis, & Chriſtiani Europæi ſeruati, qui proculdubio ſummum exitium paſſi eſſent, niſi Deus, illos hac ratione ſeruaſſet.

EIVSDEM ferum fatum.

GALEAZIJ Vicecomitis mors.

Mortuo ex febre peſtilenti Galeatio Vicecomite apud Marignanum anno 1402. ante Cometes tantæ mortis indicium apparuit; multi Tyranni repente oborti ſunt.

BONIFACIJ obitus.

Interim Bonifacius Pontifex mala corporis habitudine, grauiſſimis morbis vexabatur, tuſſi, raucedine, gutturis, cholica, calculo, quo afflictatus, lecto decubuit, & triduo poſt, Kalend. Nouembris anno 1404. deceſſit, corpus ſollemni funere in Baſilica Vaticana ſepultum eſt, in ſacello, intra quòd ſepulcrum marmoreum vermiculato opere diſtinctum cum gentilitijs inſignibus propinqui ei erexerunt, quòd in Baſilicæ Vaticanæ reædificatione cum alijs multis dirutum fuit, & erat tale quale nos expreſſimus.

BONIFACIJ laudatiſſimæ

Præfuit Pontificatui annis 14. menſes 11. vel 15. annis vno menſe minus. Fuit Bonifacius IX. viris inſigniorum, & prudentiſſimorum Pontificum, quos vnquam Roma vidit, & qui plus timoris, obſeruantiæ, & obedientiæ apud Romanos ciues obtinuit. Reliquit Cameram Apoſtolicam ditiſſimam, media annata reſeruata. Quoad mores fuit irreprehenſibilis, & præcipuè commendantur eius continentia, & honeſtas, fuit propenſiſſimus ad ædificia Romæ denuò conſtruenda, & ciuitatem nobilitandam, molem Hadriani, quæ deſtructa erat, renouauit, & munitiorem reddidit. Multa in Capitolio, & Vaticano, quorum adhuc veſtigia extant, & inſignia gentilitia conſtruxit.

CRINITÆ ſtellæ apparitio.

Ante mortem eius Stella crinita, per 40. dies apparuit, horribiles tempeſtates, venti validi, grandines, tonitrua, & terræmotus, qui in Vrbe fuerunt, eam præſignaſſe viſa ſunt, quòdque mœnianum quadrato lapide firmiſſimum ab eodem Bonifacio, ad Lateranum ad populum benedicendum extructum, ſubito cecidit, poſtes, & pinna arcis Hadriani corruerunt.

Huiuſmodi elogium ſuppoſitum ſepulcro Bonifacij IX. in Baſilica Vaticana ſimul cum ipſo ſepulcro dirutum eſt.

Flete ſuper pugilem, claues, crux, alma tyara,
Eccleſia viduata viro, ſimul inclyta Roma.
En petra parua patrem ſub calcis ſidera primùm
Claudit, Apoſtolica ſolium qui rexit habena,
Catholicamque fidem, ſeruans à turbine ſanctum
Remigium Chriſti, vllas virtute Tyrannis.
Orthodoxus erat ſuper omnis, arca ſupernis
Conſilijs ſui iura tuens, & grandia tractans
Cæſaris ex animo, fides clypeatus honore,
Corpore conſpicuus, roſeus flos, famine conſtans,
Auditorque placens, miſeris miſerator opimus.
Oſſa iacent, mens alta Polum felicibus alis
Aſcendens micat ante Deum noua lucis origo,
Glorius Antiſtes, quiſnam BONIFACIVS alter
NONVS & iſte fuit, quæ chronica ſcripſerit vnquam,
Quodue genus, parilem dedit aut nomen, & omnis,
De TOMACELLIS fulget, fulgebit in annos
Parthenope luſtrans. talis hunc genus omne Latinum,
Quidquid alit tellus, & quod tegit omnia cælum,

TAMVRLANI Regis Obitus.

Obijt 1404. die prima Octobris, Pontificatus verò eius 15. quo eodem anno, & tempore, mortuus eſt Tamurlanus Tartarorum Rex, vt teſtati ſunt, & ſcripſerunt tres legati Henrici III. Regis Caſtellæ, qui præſentes tunc in eius curia fuere; licèt alij perperam annotarint, mortuum fuiſſe anno 1402.

BRIGITTÆ canonizatio.

Brigitta vidua Suecica, quæ multas ſanctorum locorum peregrinationes obiuit, & diuino afflata ſpiritu multa propheticè ſcripſit, Romæ, beato fine quieuit, anno 1373. Quam miraculis clarentem inter Cælites retulit Bonifacius IX. Romanus Pontifex, cuius corpus in Sueciam poſtea tranſlatum eſt, & eius vita ſcripta extat apud Laurentium Surium tomo 4. cuius feſtiuitas ab Eccleſia Catholica recolitur x. Kalend. Auguſti, 23. Iulij.

AVCTOR hæreſis, quæ nunc Lutherana dicitur.

Ioannes Vvicleph Anglus eius hæreſis, quæ modò Lutherana dicitur, à Martino Luthero eius renouatore ita vocata, primus auctor fuit, cuius diſcipuli fuerunt Ioannes Hus, & Hieronymus de Praga Boëmi, qui pertinaces in ea hæreſi in Concilio Conſtantienſi combuſti fuerunt.

SIGNVM BONIFACII PAPAE IX.



ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

¶ *Rom. Pontificem deſignant.*] Cardinales 13. Petrum Tomacellum in Pontificem Romanus legiſſe, die Martis, iv. non. Nouemb. ſcribit in Chron. Panuinius. 1389.

* *Annum agens 45.*] Ita Panuinius loc. cit. anno 34. at Boninſegnius lib. 4. hiſtor. Flor. circiter 30. Platina in Bonifacio IX. Cardin. Aegid. Viterb. in hiſtor. 20. ſec. Genebr. lib. 4. Chron. Franc. Ioannettus in hiſt. Pontif. & prius Sabellicus En. 10. lib. 11.

* *Sedit annos 14. menſes 11.*] Ex Panuinio loc. cit. annos 14. menſes 9. Bonifacium ſediſſe, Platina opinatus eſt. Panuinio adhæſere Sanderus lib. 7. de Viſib. Eccleſiæ Monarch. & Genebr. loc. cit.

* *Iuuenis ætate, modeſtiſſimus tamen.*] Nobile Bonifacij elogium conſcripſit Cardinalis Aegidius; quòd audire præſtat. *Bonifacius IX. omnium, qui vnquam fuerunt Pontificum, vt maximè iuuenis, ita & maximè integer, maturus, & grauis: etſi florenti ætate iuuenis, præter morem, extitit tàm inſigni virtute ſenex, ac velut ad faſtigium nemo iunior, ita nemo attigit modeſtior, prudentior, grauior; agebat is ætatis annum circiter trigeſimum: quem homines in ætatis flore tanta ſapientia, virtute, moderatione præditum, non vt hominem ſuſpiciebant, ſed, vt Numinis effigiem, prædicabant, colebant, admirabantur. .... Nihil in illo iuuenile, nihil leue, nihil præterea, quòd vel ad luxus, vel ad voluptatem, mollitiem inclinaret, facilis alijs, vni ſibi durus; ad bonos excipiendos mitiſſimus, leniſſimuſque, ad malos coërcendos ſeueriſſimus, atque conſtantiſſimus; vtrumque in Pontifice damnabat, in probos, improboſque æquam vel manſuetudinem, vel ſeueritatem: cum altera in alteros, altera uti in alteros oporteret. .... Nemo hoc Pontifice in conſilijs capiendis prudentior, nemo in rebus diſponendis accuratior, nemo in peragendis celerior, expeditior: primus vim Populi Romani in Pontificem retulit, primus in Hadriani Mole arcem firmauit, primus Tiberis aditus; Pontesque communiuit.* A Platina quoque Bonifacius laudatus. *Ita .... vixit in tam florida ætate, & tanta peccandi licentia; vt nulla ei libido, nulla voluptas impingi, vel obijci, poſſet.* Hadrianì Molem Bonifacium IX. muniuiſſe, ad arcis formam redegiſſe, perpetuaque murorum acie Vaticano iunxiſſe, memorauit Sabellicus En. 10. lib. 9.

* *Iubileum ...... anno 1391. qui fuit tertius ſui Pontif. celebrauit.*] Anno 1390. primo ſui Pontificatus, Bonifacius IX. Iubileum, in eum annum ab Vrbano VI. indictum, ſingulo quoque trigeſimo tertio anno deinceps celebrandum, peruigilio Natiuitatis Domini celebrare cœpit. Id ab Vrbano ſtatutum, narrat ipſe Bonifacius, literis ad Regem Angliæ, verbis, *Vrbanus VI. ſtatuit, vt vniuerſi Chriſtifideles, &c.* allatis ſuperius. Richardus Angliæ Rex, cum Anna Regina vxore, Venceſlai Imp. filia, à Bonifacio enixè petierat; vt ſibi Regni negotijs ita detento, vt Romanam peregrinationem ſuſcipere, non poſſet, Reginæque vxori Iubilei ſacri diuitias in Anglia liceret adipiſci: morem geſſit pijs Regi, & Reginæ Pontifex, literiſque apud S. Petrum, iv. non. Ianu. anno Pontificatus primo dedit; quarum prima verba: *Exigunt deuotionis integritas, & fidei puritas*, eodem priuilegio Ioannem Primum Luſitaniæ Regem Chriſtiana pietate inſignem, & Philippam vxorem, poſtulantes affecit; nec non homines ditionis Bauariæ Ducis; vt ex literis ipſius ad Hermannum de Baluelt Præpoſitum Eccleſiæ S. Andreæ Friſingen. Capellanum Pontificium, & Apoſtolicæ ſedis Nuntium: *Dudum per nos accepto, &c.* datis anno 4. Pontificatus apertè conſtat. *Dudum, ait, ... vniuerſis, & ſingulis perſonis terrarum, & locorum dilectorum filiorum nobilium virorum Stephani, Friderici, & Ioannis Fratrum, aliorumque Ducum Bauariæ, & partium circumſtantium per tres dictas legales indulgentiam anni Iubilei, per fel. Record. Vrbanum PP. VI. prædeceſſorem Noſtrum anno à Natiuitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti 1390. conſtitutí, ſub certis modis, & formis, duximus concedendam; & inter alia voluimus, quòd, labore perſonali, quem perſonæ huiuſmodi paſſa fuiſſent, ſi ad Vrbem in dicto anno perſonaliter veniſſent, in alia opera pietatis commutato.* Longobardis etiam, qui, bellorum turbinibus implicati, adire Romam anno 1390. nequiuerant, Io. Galeatio Vicecomite peten-

Has ſimiles vidi in Vaticano.

Eodem die, & literæ ſimilibus viſæ in l. c.

Ex Reg. Bonif. IX. Vaticanæ Bibliotb.

Bern. Corius in hiſtor. Mediol. Erfford. Lāt. Turingiæ.

le, vt eiuſmodi ſpiritale munus, anno 1391. Mediolani conſequi poſſent, indulſit: eodem beneficio, anno 1393. Miſniæ Vrbis incolis, Bonifacio Vvillelmi Marchionis precibus fauente, ab octauo Paſchatis die, vſque ad S. Andreæ Apoſtoli celebritatem, frui licuit. Quamplurimos Romam ad diuitias Iubilei acquirendas anno 1390. aduenisse, narrat Bzouius, ex Theodorico Niemo, (lib. 1. cap. 60. de Schiſmate,) illius æui ſcriptore: ex Alemania, Hungaria, Polonia, Boemia, Anglia, Italia, alijſque Prouincijs, Regniſque Vrbani VI. partes ſectantibus. Hæc Iubilei celebritas prima fuit, poſt Pontificiam ſedem ab exilio Auenionenſi Romam reuocatam; innumeros viſendi Pontificis cupiditate allectos Romanam obiuiſſe peregrinationem, credibile eſt: quòd Turſellinus videtur ſenſiſſe, dicens. *Vt ſedes Pontificalis Romam aliquando reuocata, cupidoque viſendi Pontificis mortales innumerabiles vndique in Vrbem ad Baſilicas Apoſtolorum exciuit.* Albertus Eſtenſis Ferrariæ Marchio pietate clarus, cum quadringentis peregrinationis Comitibus, eodem habitu indutis tunc ad Vrbem ſe contulit, ad primumque ab Vrbe lapidem à quinque Cardinalibus fuit exceptus: ex vniuſcuiuſque cucullo ſacer bacillus, humilitatis indicium, ſuſpenſus pendebat. Multa ille à Bonifacio Pontifice accepit: Diploma præcipuè, *Bonifacianum* nuncupatum, ad bona Eccleſiaſtica ſpectans; quo fit, ne ciues paſſim, ſed certis ſolum de cauſis, eorum bonorum poſſeſſionem amittant: & publici Gymnaſij Ferrariæ erectionem. De qua re extat Cōſtitutio ipſius Bonifacij, to. 1. Bullarij, *In ſuprema dignitatis, &c.* in qua Bonifacius Albertum ſuum, & Romanæ Eccleſiæ in ſua Ferrarienſi ciuitate generalem Vicarium vocat. Promiſit Pontifex, vt opinor, anno primo cum luſtralis Indulgentiæ cauſſa Romæ erat Albertus, erectionem Gymnaſij Ferrarienſis, anno ſecundo Conſtitutionem edidit.

Io. Niſtor. Laur. li. 1. cap. 21. Io. Baptiſta Pigna l. 5. de Principibus Atestinis. Scoeorib' ait illo.

Dat. Romæ ap. S. Petr. 4. non. Martij Pontif. anno 2.

* *Sororem in matrimonium Comiti S. Flauiani.*] Catharinam Tomacellam neptem, non autem ſororem, Bonifacij Andreæ Matthæo Aquiuiuo Atriæ Duci II. coniugio iunctam, affirmant alij, recenti memoria, Philibertus Campanilius, lib. de Nobilium Stemmatibus.

Pag. 27.

* *Ardua Ducem creauit.*] Atriæ Dux erat ſecundus, cum neptem Bonifacij in vxorem duxit, Comeſque ſancti Flauiani, & Montorij. Campanilius loc. cit.

* *Vxorem gladio.*] Ipſe peremptus à ſubditis quibuſdam, ſuſceperat autem ex coniuge Tomacella tres liberos, Antonium, Petrum Bonifacium, & Ioſiam, qui omnes, vnus poſt alium, Atriæ Duces fuere. Campanilius loc. cit.

* *Bonifacium Aſſiſij agentem legati P. R.*] Platina, Ciaconio duce, *Appropinquante*, ait, *anno Iubilei* (1400.) *Legati Romanorum Pontificem adeunt, rogantes, vt Aſſiſio Romam proficiſceretur.* eleganter de eadem re Cardinalis Aegidius Viterbienſis. *Inſtabat iam ſacer annus Centeſimus; quamobrem ad Iubileum celebrandum Romani ſe accingere, Oratores mittere, Pontificem reuocare, Pontifex, qui tunc Aſſiſij erat, & id ardentiſſimè percupierat, deſiderium tamen diſſimulare, voluntatem tegere, quod illi poſtulabant, tergiuerſari; ratus, aduenisse tempus, quo omnes ex Vrbe tenebræ, Tyrannorum radices euellerentur, Solque qui in Vrbe poſuit tabernaculum ſuum, imperaret in Vrbe ſolus; nec eſſet impoſterum, qui ſe abſconderet à calore eius, hoc eſt, qui in Vrbe Pontifici non pareret; negat prudentiſſimus Pontifex in Vrbem ſe venturum, &c.*

* *Banderiſios tollunt.*] Ea Platina, Cardinalis Aegidius Viterbienſis plura. *Tollunt ſtatim Romani Banderiſios, Senatorem recipiunt.* (Ciaconius *eligunt* dixit, an verè, alij iudicent) *Conſeruatores admittunt: omnia demum faciunt, ac ſe facturos ſpondent, quæ iuberet Pontifex modeſtiſſimus, grauiſſimus, optimus.*

Philelphi? Malotella loc. cit.

* *Primus .... Omnem P. R. vim.*] Hæc quoque ex Platina. Viros doctos hoc negantes audiui; certè Cardinalis Aegidius Ciaconij, & Platinæ ſententiam munit; cuius verba non referrem, ſi erudita, & elegans illius Hiſtoria 20. ſec. typis lucem aſpexiſſet: ſed locum tantùm indicarem, *Nulla vis*, (attentius diſerto Cardinali adeſto, & prudentius Pontificis virtutem perpende) *Vrbem Romam cepit, nulla arma domuere, nulli Imperatores, nullum barbarum robur obſemperantem reddere potuit, tot bella, tot exercitus, tot incendia, tot direptiones, ... tot anni, tot ſecula; ſolus id Bonifacius fecit, ſolus, poſt tot ſecula, præſtitit: & quod alij iubendo .... bellando non potuere aſſequi, hic fugiendo, diſſimulando, cunctando, eſt aſſecutus; rurſuſque a Sacerdotibus illud Ennij cantitatum eſt.* Vnus homo cunctando reſtituit rem. *Fecit itaque Pontificis ſapientia; vt, obſeruato tempore, pareret iam Eccleſiæ Vrbs Roma, fecit continentia, & ſanctitatis opinio; vt Romani contraire non auderent, fecit magna virtutis auctoritas, vt, poſt tot ſecula, omnia tandem Romæ, nutu Pontificis, adminiſtrarentur.*

Loc. cit.

* *Albos.*] De his Sabellicus Ennead. 10. lib. 9. Card. Aegid. Blondus, Volaterranus, Aeneas Siluius in hiſt. Boe. Polyd. Virg. de Inu. Rerum, lib. 7. cap. 5. Io: Bapt. Pigna lib. 5. de Principibus Ateſtinis Marianus Florent. in m. 1. Hiſt. Faſc. Chron. ordin. Min. Albatos eos vocant Card. Aegid. & Io: Baptiſta Pigna. & rem diligenter commemorantes tres annos viguit horum hominum ſecta, Gaulterius in Tab. Chronog. Quæ de his Albis in Ciaconio legis, ea omnia iiſdem verbis expreſſa leges in Platina; ex quo excripta. Bonifacium, ob Albatorum ducem ſupplicio affectum, reprehenderunt quidam,

Loc. cit. Lib. 21.

commendarunt viri grauiſſimi; in horum claſſe eminet Aegidius Cardinalis Viterbienſis; qui dixit, capto auctore, & in Vrbem perlato; *quem igne cum dediſſet Bonifacius ab alijs imprimis commendatus* (eſt) *cum motum Eccleſiæ periculoſum ſedaſſet, ſuſpectam populorum audaciam, & audētem omnia conuentum ſoluiſſet.* Ea Hiſpania venerant Albati; Sacerdos eorum ductor exterius eximiam ſanctitatem præ ſe ferebat, ſed interiùs vita erat profligatiſſima, & ad Pontificatum ſeditione adſpirare, putabatur. Pighius loc. cit.

Loc. cit.

* *Celebrato .... Iubileo .... anno 1400.*] Hoc anno, ſi Bonifacij VIII. & Clementis VI. Conſtitutiones præ oculis habeas, Iubileum celebrandum erat. Bonifacius enim ſingulis centenis annis, Clemens VI. quinquageſimo quoque anno; initio præſcripto, in anno 1350. illud celebrandum ſtatuerant: at ſi Vrbani legem, qua ad 33. quemque annum reuocatum fuit: neceſſariò dices, hunc annum Iubilæi celebritate caruiſſe; quia Bonifacius Vrbani ſanctionem ſecutus, anno 1390. ſacras Iubilei opes in Chriſtifideles præſcriptas Romæ Baſilicas inuiſentes effudit. Innumerabiles ferè mortales, ſanctam Chriſti Domini fidem profeſſi, exiſtimantes, eum annum Iubilei beneficio celebrem, Romam conuolarunt: celebratumque eodem anno Iubileum Iacobus Philippus Bergomas, Pānuinius, Platina, Ioannettus, & alij nonnulli, non verè, teſtati ſunt: non verè eos locutos, collige ex verbis, ipſius Bonifacij IX. quæ affero, ex eius Diplomate m. s. anni 1400. à me lecto. *Per hoc*, (ait, locutus fuerat de frequenti fidelium ad Vrbem concurſu, & de centeſima, & quinquagenaria Bonifacij VIII. & Clem. VI. Indulgentia) *tamen Indulgentias, & remiſſiones peccaminum Chriſtifidelibus centeſimo, & quinquageſimo annis huiuſmodi, præfatas, ac S. Pauli extra muros prædictæ Vrbis Baſilicas deuotè viſitantibus, ab ipſis noſtris Prædeceſſoribus quandocunque conceſſas minimè concedimus, nec ipſas confirmamus. Nulli ergo, &c.* Initium Diplomatis eſt *Cum nonnulli Pontifices, &c.* De fidelium Romam hoc anno confluente multitudine Sabellicus. *Ingens mortalium numerus Romam confluit, religionis cauſſa*, de Gallorum multitudine Carolus Saulſeius 10 Annal. Eccl. Aurelian. *Ad quem, Iubileum innumeri ex Gallijs profecti ſunt; licèt edicto Regio ſancitum eſſet, ne quis Romam iret, propter penuriam pecuniarum, & clades Regni.* Hoc anno Boëmiæ Rex Vvenceſlaus Pragæ Iubileum habere cupiebat, impetrauitque à Bonifacio; vt illum *ad Romanum modum*, (ait Io: Dubrauius Epiſcopus,) *haberet; celebrauitque magna religione, & mira hominum multitudine; qui non Iubilei ſolum, verum etiam Reliquiarum venerandarum gratia, Pragam confluxerant.* Eo anno ſæuiſſima peſtis bacchata eſt; Romæ ſingulis diebus, ſexcenti, & octingenti, Boninſegnio teſtante, interibant. Vide etiam S. Antonin. par. 3. Hiſt. tit. 22. c. 3. §. 33. Iacob Philip. Bergom. in Supplem. Hiſt. Meierum lib. 14. Annal. Fland. ſcriptorem vitæ S. Bernard. Sen. tom. 3. Surij.

Habetur in Archiu. Biblioth. Vatic.

An. 1400.

Lib. 23. hiſt. Boemic.

Li. 4. hiſt. Florentin. De hoc in hiſt. Sub par. ...

Hoc eodem anno Lauretanam ſanctiſſimæ Virginis Domum, nocte illius natalitia, cælitus emiſſæ flammæ lambere viſæ. Turſellinus rem explicat lib. 1. cap. 21. Hiſtor. Lauret. miraculum innuit Ambroſius Nouidius ad Paulum III.

Io. Faſt. Sacris.

Ne ve ſequens ætas mendacia credat, Olympi
Hac in nocte illam lambit ab axe iubar.

* *Annatarum.*] Ex Platina in Bonifacio Nono ad onera belli contra infideles.

* *In Capitolio.*] Vide Plat. loc. cit. De arce extructa in Mole Hadriani, Plat. Card. Aegid. Viterb. & Sabellicus, allati ſuperiùs, ſtemmata adhuc viſuntur in Capitolio.

* *Robertum.*] Virum religione conſpicuum, Venceſlao, ob ſegnitiem abrogato, ab Imperij Electoribus delectum, ſcimus. Vide Platinam loc. cit. Volaterranum lib. 23. Egnatium in vitis Impp. Appendicem Sexti Aur. Vict. Pen ú Miſſiam in eius vita. Schiſmatis incendio extinguendo diligentem nauabat operam Robertus Imper. miſſis, hac de cauſſa, ad diuerſos legatis, ſuadebat, vt ad illud extinguendum catholica Synodus cogeretur; in hoc pio ſtudio, & cogitatione mortalem vitam deſeruit: Sigiſmundus, illius ſucceſſor, id diligentiſſimè præſtitit. Ex Petro Miſſ. in eius vita, Robertus Præfectus prætorio Rheni, & Boiorum Legatus erat, antequam imperatorio fulgeret ſceptro, Pronepos, ex fratre, Ludouici IV. Cæſaris Auguſti, viri fortis, eruditi, in proſperis modeſti, in aduerſis conſtantis, in bellis conficiendis, vt quibuſdam placet, penè inuicti, & ad gloriam nati; cui quinque Septemuirorum votis, nulla fraude, doloue interiecto, decretum imperium fuerat, quique præclaræ, & piæ indolis, Templis extruendis, ornandiſque ſpecimen non obſcurum aliquando dederat; tametſi poſtea ſuſceptæ cum Pontifice diſcordiæ tranſuerſum illum egerunt.

Ruperti quidam dicunt.

Li. 7. hiſt.

* *Ordo Can. Lateranenſium.*] Fuit reſtitutus ordo. De hac re Abbas Pennottus lib. 3. Hiſt. Trip. Can. Regul. cap. 8. Leo de Carrate, & Thadæus de Bonaſco, ſeu Bagnaſco, Canonici Regulares Cœnobij S. Petri in Cælo aureo, ordinis reſtituendi fundamenta iecerunt: Bonifacius IX. anno 1401. viij. Kalend. Aprilis literis ad Abbatem S. Petri in Cælo aureo Papiæ, & ad Priores S. Frigdiani Lucen. & S. Auguſtini Piſanæ Diœceſ. Prouincialia Canonicorum comitia cogi, & Conſtitutiones Benedicti XII. palàm proponi, & ad praxim reuocari, iuſſit. Bartholomæus Columnius Romanus generis ſplendore, Theologicæ facultatis ſcientia celebris, morum ſanctitate, concionandi peritia, ſanctique zeli feruore illuſtris, diſciplinæ

illius

illius ordinis iam collabentis, reſtituendæ auctor fuit. Vide Gab. Pennottum loco citato.

* *Ordo Can. . . . . S. Georgij in Alga.*] Eccleſia S. Georgij in Alga, in paruula apud Venetam Vrbem inſula habuit olim Monaſterium coniunctũ ordinis S. Auguſtini, quòd ſolebat regere Prior. Angelus Kiſſamenſis Epiſcopus, Bonifacij VIII. auctoritate, eam in Collegiatam erexit; in eaq. Priorem, & Canonicos ſeculares Capitulum conſtituentes, aliosq. ſeculares Clericos in perpetuos Vicarios, ſeu beneficiarios ſimul viuẽtes inſtituit. Tunc inter illos erat B. Laurentius Iuſtinianus Diaconus; vt conſtat ex literis Greg. XII. *Illis quæ pro Diuino cultu, &c.* in quibus extant etiam Statuta eiuſdem Congregationis ſecularium Canonicorum S. Georgij, &c. Pius V. qui eos ad religioſa vota nuncupanda induxit, nonnulla Congregationis priuilegia confirmauit, & innouauit. *Ex incumbenti, &c.* anno 1569. iij. Idus Decemb. Pontif. anno 4. Syxtus V. die 7. Septemb. an. 1587. Pontif. 3. Conſtit. *Circumſpecta, &c.* declarationem edidit, circa proprietatẽ Congregationi eidem vetitã.

[An. 1406. v. kal. Iulij Pontif. an. 1 20. 1. Bullar.]

[In Bullar.]

* *Tamurlanum.*] De Tamurlano, & Bazazete, ſeù Pazazete Sabellicus En. 9. lib. 10. prælium inter illos fusè narrat Laonicus Chalcondylas, lib. 3. de Rebus Turcicis; putatque accidiſſe, anno 1397. in illo autem non ſolùm Pazazetes, ſed Moſes etiam, reliquique ferè omnes illius Duces capti, præfractus erat, ac temerarius Pazazetes, nullius conſilia amplectebatur, ſibi vni, quando in hoſtes eundum erat, confidebat, captus aureis vinciebatur catenis. Ioannes Dubrauius hiſtor. Boëm. lib. 25.

[Tamurlanes dicitur a Chalcondyla Tamerlanes Chal. c. l. c.]

De eodẽ Tamurlano victore Petrus Meſſias in Silua Var. Lect. Pius II. Iouius, Petrus Perondinus in Temiris, ſeù Tamurlani vita, Genebr. l. 4. Chronog. Palmerius, Turſellinus l. 9. Comp. hiſt. Myræus in Chron. ad an. 1398. Petrus Opmeerus in Op. Chronog. orbis vniuerſi, Gaulterius in Tab. Chronog. aiebat autem Tamurlanus, celeritate in obſidendo, rapiendo, deſtruendo mirabilis, ſe Dei iram eſſe, ad corruptum orbem puniendum. Vide Gaulter. loc. cit.

* *Anno 1404. deceſſit.*] Ita Platina loc. cit. & Panuin. in Chron.

* *Brigittam Viduam.*] Literas Canonizationis offendes, tomo 1. Bullarij *Ab origine mundi, &c.* datas an. 2. 1391. nona Octob. in quibus nonnullæ virtutes, & miracula ſanctæ Viduæ referuntur. Martinus V. ſublato ſchiſmate, anno 2. Pont. die 1. Iulij, eiuſdem relationem in Cælites firmauit.

De exuſtione Io: Huſſi, & Hieronymi de Praga S. Anton. per. 3. Hiſt. tit. 22. cap. 4. § 3. de Vvicleff, & Huſſo damnatis: etiam Cardinalis Aegidius Viterbienſis in Hiſt. 20. ſecul. De eodem Huſſo, & Huſſitis nonnulla Gretſerus cap. 63. Exam. Myſt. Pleſſ. cum Huſſus combureretur, Anſerem aſſari, dictum à quibuſdam, vide Gretſer. cap. 62. loc. cit. Anſerem, & Cycnum in Numiſmatis Lutherani inſulſe expreſſerunt. Vide Commentariolum Gretſeri de duobus Numiſmatibus.

Multa præclarè geſſit Bonifacius, Friderici II. & Caroli Impp. Conſtitutiones pro Eccleſiæ immunitate confirmauit, Conſt. *Iuſtis, & honeſtis, &c.* vj. Kalend. Iunij, anno 2. celebritatem Viſitationis ſanctiſſimæ Virginis Genitricis Dei Mariæ ab Vrbano VI. inſtitutam, vt aliàs dictum, confirmauit, Conſtitutionem promulgauit. Academiam, ſeù Gymnaſium publicum Ferrariæ inſtituit. *In ſuprema, &c.* xvij. Kalend. Aprilis. Eccleſiam Olyſſiponen. Luſitaniæ Metropolitanam effecit.

[T. 1. Bull.]

[4. non. Maij an. 2. vide tom 1. Bullar.]

Bonifacio Pontifice, Græcæ literæ à Chryſolora Byzantino in Italiam, poſt quingentorum annorum ſilentium, aductæ. Platina loc. cit. inſtituta Academia Herefordienſis, Genebr. lib. 4. & Herbipolenſis, Middendorp. lib. 3. Acad. Gault. in Tab. Chronogr.

Gannit in Bonifacium, & inſanit Niemus, barbara maledicentia; quæ ſuæ hiſtoriæ omnem fidem abrogat: fortaſſe, quia, cum ab Vrbano VI. Bonifacio IX. & Gregor. XII. dignitatem aliquam, aut ſacerdotium poſtulaſſet, repulſam paſſus eſt, vt Gretſerus conijcit, meritò maledici, & mendacis hominis liber proſcriptus, maledicam Poggij facetiam, & Maſſonij maledicta mendacijs ſcatere, viri graues, doctique opinantur.

[Lib. 2. de Schiſm. & alibi.]

[C. 31. l. c.]

Cum Bonifacius IX. orbi ſacro præeſſet imperio, Gratimola, probatiſſima, & optima fœmina, è priſca, & nobiliſſima Neapoli familia Philimarina, illius mater, mortali adhuc erat in vita; vt ipſius Pontificis ad illam literæ, quas ex Vaticano penetrali ſubijcio, apertiſſimè teſtantur.

BONIFACIVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Dilectæ in Chriſto filiæ nobili mulieri Gratimolæ Philimarinæ Domicellæ Neapolitanæ, genitrici noſtræ ſalutem, &c.

Cum dilectus filius nobilis vir Malateſta quondam Pandulphi de Malateſtis in Ciuitate Noſtra Tudertina, eiuſq. Comitatu, & diſtrictu pro Nobis, & Romana Eccleſia Vicarius, pro annuo Cenſu Ciuitatis, Comitatus, & diſtrictus prædictorum Nobis, & Cameræ Noſtræ ſex millia florenos Auri de Camera in feſto Paſchæ proximè præterito ſoluere teneretur, & non ſoluerit. Nos volentes ex certis iuſtis, & rationabilibus cauſis Noſtrum ad hoc animum inducentibus, mille florens dumtaxat præfata ſumma ad manus tuas deduci, nobilitati tuæ à præfato Malateſta petendi, & recipiendi per te, vel alium, ſeu alios præfatam mille florenorum ſummam, ac exigendi, & recuperandi, tuiſque vſibus, & commoditatibus applicandi, nec non de receptis, habitis, atque recuperatis præfatum Malateſtã quietandi, & plenius abſoluendi per te, vel aliũ, ſeu alios, vt permittitur, plenam, & liberam tenore præſentiũ, concedimus poteſtatem, de ijs quæ recipies Noſtram Cameram quãtocitius certificatura. Dat. Perusij Kal. Maij Pontif. Noſtri anno 4.

A. De Portvor.

Gratis de mandato Domini Noſtri Papæ
Io: De Pepemlvonde.

Præſens ſumptum extractum de verbo ad verbum ex libro tertio Bullarum originali Bonifacij Papæ IX. fol. 95. exiſtente in Archiuio Apoſtolico Bibliothecæ Vaticanæ, quia collationatum concordat ſubſcripſi. & proprio ſigillo muniri iuſſi.

Ego Felix Contelorius dictæ Bibliothecæ Cuſtos, & Archiui Præfectus, & Prothonotar. Apoſtolicus hac die 28. Martij 1628.

Loco ✠ Sigilli

Antiquitatem Philimarinæ familiæ indicat publicũ monumentum an. 1080. quo Marinus Philimarinus Matthęi filius, titulo Domini tunc inſignitus, Aedi S. Georgij Neapolitanæ bonorum ſuorum partem donat, Philiberto Campanilin teſte, libro, Stemmata Nobilium, inſcripto, Neapolique anno 1610. cuſo. Floruit autem, floretque clariſſima familia viris, Eccleſiaſtici, & Militaris ordinis pręſtantibus: recenſe, ſi placet, Stephanum Philimarinum Tarentinorum, Marinum Capuanorum, Matthæum Neapolitanorum Archiepiſcopos; de primo Ioſiluenis lib. 8. de Antiquitate &c. Tarentinorum, de ſecundo manuſcripta monumenta, quę vidi; de tertio, qui, ante ſacram Infulam, intimus Regni Conſiliarius, Magnique Prothonotarij vice functus Magnus Regni Cancellarius euaſerat. Campanilius, inter militari gloria claros recenſet Thomam Mareſciallum Regni, copiarũmq. Ducem, Ferdinando Primo imperante, M. Antonium Aprutij Proregem, & Tarentinæ prouinciæ moderatorem, aliòſque nonnullos à Campanilio paucis recenſitos: floret modò Ianuarius Caluenſis Epiſcopus, & Romæ Aſcanius frater, intimus ſummi Pontificis Vrbani Octaui Cubicularius, Franciſci Cardinalis Barberini cubiculo Præfectus, quem idem ſanctiſſimus Pater conſuetudine ſibi coniunctum, & literarum laudibus commendatum nuncupauit, præteritis proximis annis, patruus, & frater Aſcanij, Catholico maximo Regi, inuictis animis militantes, occubuerunt. Scipio, Eques S. Iacobi de Spatha, & Regni Neapolitani Conſiliarius à Latere, ſuperſtes adhuc, Aſcanij itidem frater, in Belgio, in Boemia, in Hungaria multis annis, militares acies duxit, inſtruxit, in Pragenſi, & Poſonienſi prælio Neapolitana prudentia, & robore depugnauit, Mansfelchij fugæ interfuit, Albeſtadienſem victum, & cæſum vidit, acceptorum in forti dimicatione vulnerum cicatricibus fulgens, Sergentis, vt vocant, Maioris, & Caſtrorum Præfecti, (Magiſtri Campi) dignitate decoratus, ad maiora ſua ſibi virtute aditum parat. In huius familiæ ditione varia oppida: viget apud eamdem Comitatus Caſtelli, Principatus Roccæ, Ducatus Perdefumi.

[Pag. 23.]

[An. 1100. 1374. 1511.]

[Loc. cit.]

[Vidi Diploma datũ 28. Ian. an. 5. Pontif.]

Gratimolam, ſeù Catarinolam Philimarinã Bonifacij IX. genitricem agnouit Gregorij XII. P. M. in quodam Diplomate, Caietę dato, Kal. Aug. an. 4. quod extat in communi ipſius Gregorij Reg. De diuerſis formis, fol. 116. De inſigni nobilitate familię Tomacellę, ex qua Bonifacius IX. Rerum Neapolitanarũ hiſtorias conſule.

[In Vaticano Penetrali.]

Vaticanum etiam palatium Pontificum ſedem Bonifacium IX. inchoaſſe, memorauit, in illius elogio, Panuinius.

Caſinenſis Congregatio ab eodem Bonifacio magnis beneficijs affecta ſimulacrum illi marmoreum, erexit ſedens, manuque librum tenens, in quo ea verba inciſa.

BONIFACIVS IX.
STIRPE TOMACELLVS.
GENERE CYBO.

In S. Pauli Baſilica extra Vrbem locauit: quòd temporũ iniuria collapſum lectiſſima Heroina Lucretia Tomacella Columna religione, pietate, prudentia, clementia, liberalitate, alijſque veris virtutibus à M. Antonio Capello funebri panegyrico ſcite recenſitis, inclyta, in oportuniorem locum tranſtulit, ſubiectaq. inſcriptione, ſuæ in Gentilem obſeruantiæ teſte clareſcere voluit. [1629.]

BONIFACIO. IX. TOMACELLO
P. O. M.
GRATI. ANIMI. MONVMENTVM. A. CASINENSI. CONGREGATIONE. OLIM
ERECTVM. MOX. TEMPORVM
INIVRIA. COLLAPSVM.
LVCRETIA. TOMACELLA. COLVMNA
PALIANI. DVX
GENTILI. SVO. RESTITVIT.

NOVA

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI
Societatis Ieſv.

Cardinales intrant Conclaue. — *Felix Cōtelorius in Elencho.* — *Ciſr. Mar. Vsaladan Diano.* — *Cardinales qui interfuerunt Conclaui.*

IN libro ſacri Collegij S.R.E. Cardinalium, in quo obligationes Epiſcoporum annotabantur, Bonifacij IX. in Romanum Pontificem renunciatio his verbis deſcribitur.

Die Lunæ 25. Octobris anno 1389. S.R.E. Cardinales intrauerunt Conclaue factum in maiori Cappella Apoſtolici palatij, pro Pontifice eligendo videlicet,

Franciſcus Epiſcopus Praneſtinus S.R.E. Vicecancellarius, vulgariter dictus Piſanus.

Poncellus ſancti Clementis Presbyter, dictus de Vrſinis.

Stephanus ſancti Marcelli, dictus Tudertinus.

Angelus ſancti Laurentij in Damaſo, dictus Florentinus.

Franciſcus ſanctæ Suſannæ, dictus Monopolitanus *Presbyter.*

Petrinus ſanctæ Anaſtaſiæ, dictus Neapolitanus *Presbyter.*

Thomas ſanctæ Mariæ in Dominica, dictus de Manupello.

Marinus ſanctæ Mariæ Nouæ, dictus Bulcanus.

Ludouicus ſancti Hadriani, dictus de Flilco.

Franciſcus ſancti Euſtachij, dictus de Allipha.

Raynaldus ſanctorum Viti, & Modeſti ad macellum Martyrum, dictus de Brancacijs.

Angelus ſanctæ Luciæ in Septemſolijs, dictus de Laude.

Die Mercurij 27. Octobris, hora Veſperorum Andreas Sanctorum Petri, & Marcellini Presbyter Cardinalis, dictus Peruſinus, *rediens de prouincia Marchiæ Anconitana, in qua pluribus annis Vicarius remanſerat, viſitata Baſilica S. Petri, reperiens rem integram, fecit aperire Conclaue, & intrauit.*

Bonifacij IX. electio.

Die Martis 2. Nouemb. 1389. Cardinales omnibus ſeruatis, vnanimiter, concorditer, eorum nemine diſcrepante, antedictum Petrinum Cardinalem Neapolitanū, ſummum Pontificem elegerunt, qui ſtatim ſibi nomen impoſuit BONIFACII NONI.

Conſecratio, & Coronatio.

Die Martis 9. Nouembris Bonifacius IX. in Baſilica Principis Apoſtolorum de Vrbe fuit conſecratus, & in mane ſuper ſcalis dictæ Baſilicæ in alto paramento ligni, ibidem conſtructo, & honorifice ornato, fuit coronatus; & immediate more ſolito equitauit cum Cardinalibus, & Prælatis, & infinitis alijs gentibus ad Eccleſiam ſancti Ioannis Lateranenſis, & eadem die reuerſus eſt ad Apoſtolicum palatium.

Litteras encyclicas ſcribit. — *Hēr. Spōdan. in Annalib. Eccleſiaſtic.*

Bonifacius poſt ſuam electionem Principes omnes Reipublicę Chriſtianæ, ac Prælatos literis encyclicis de ea admonuit, tum illos, qui Vrbano adhæſerant, confirmando, tum cęteros ad vnionem Eccleſiæ hortando. Reperitur in Bibliotheca Victorina Pariſienſi huiuſce Pontificis epiſtola data Kalen. Martij anni 1391. ad vniuerſos Chriſt. fideles in deteſtationem ſchiſmatis, manifeſtationem diuinæ prouidentiæ in defendenda Eccleſia Romana, & exhortationem ad obedientiam Pontifici in ſede Apoſtolica eiuſdem Eccleſiæ ſedenti ab omnibus præſtandam.

Bandereſijs ac Romano populus infurgit in Bonifacium. — *Ladiſlaus Rex Bonifacium defendit.* — *Roma diſcedit.* — *Pacem curat Eccleſiæ poſt obitum Clementis VII.*

Romæ deinde à Bandereſijs, ſeu Regionum Vrbis Præfectis non modò deſpectui habitus, ſed ab illis varias, ac multas perſecutiones paſſus eſt; menſe enim Maij anni noſtræ ſalutis 1394. Bandereſij vnà cum populo Romano inſurgentes, adeo contra Bonifacium ſuccenſuere, vt tantùm non occiderint. His verò malis obuiatum eſſe à Ladiſlao Apuliæ Rege ſcribit S. Antoninus; quippè qui tunc Romæ exiſtens ad quaſdam à Pontifice gratias impetrandas, armis correptis eum defendit ab iniurijs. Roma diſceſſit Bonifacius, & Peruſium primò, deindè Aſſiſium, & paulò poſt Spoletum ſe contulit, vocatus demum à Romanis ciuibus Romam redijt, & audita morte Clementis VII. Pſeudopontificis literas ſcripſit, ad Regem Galliarum, quibus obnixè rogabat, vt Romanæ Eccleſiæ, ſuorum exemplo maiorum, acceptabili hoc tempore ſuccurreret. Scripſit etiam ad Cardinales Aueniouenſes, & ad Vniuerſitatem Pariſienſem; imò Legatos Patriarcham Gradenſem, Carolum Bracium Comitem Campaniæ ipſius Bonifacij conſanguineum, & Thomam Spinellum Neapolitanum Militem, & legum Doctorem ad eundem Galliarum Regem miſit. Deinde rogatus de pace reſtituenda, non modò gratiam Bononienſibus ſuam indulſit, ſed etiam ſeditioſos, qui fortunas Eccleſiæ diripuerant, pœna exemit, Clericis, vt Iura Ciuili, & Phyſicis operam Bononiæ darent, conceſſit. Ac Ciuitati Iubilæum, quo nouum Baſilicæ in S. Petronij honorem opus proueherent, impertiuit; qua de re magna publicè lætitia celebrata, tabernæ edicto publico per triduum clauſæ, & ludi aliquot editi ſunt.

Cum Bononienſibus pacem firmat. — *Carol. Sigonius de Epiſc. Bononien.* — *Minoribus Conuentualibus eadem confirmat.* — *Gab. Pennot. in hiſt. Cano. Reg.* — *Philip. Tomaſin. in hiſtoria.* — *Ferdinand Vghel. in Ital. ſacra.* — *Luc. Vvaddingus in Annal. Minorum.* — *Caſtri Durantis S. Chriſtophori ſui ſuccurſus Cauenſem Abbatiam in Cathedralem erigit.*

Antiqua Minorum Priuilegia nouis Diplomatibus Apoſtolicis firmiora reddidit; Minorum multos ad Tertiarios direxit, vt in conuerſionem illorum incumberent. Suo Diplomate dato octauo Idibus Martij Pontificatus anno 13. à Diœceſi Vrbinate ſeiunxit, ac ſui iuris fecit celebre ſancti Chriſtophori Caſtri Durantis Cœnobium, quòd nunc Epiſcopali dignitate inſignitum, Vrbania ab Vrbano Octauo inſtitutore dicitur. Inſtante Bartholomæo Epiſcopo Beneficijs varijs affecit Ariminenſem Eccleſiam. Cauenſem Abbatiam, in qua monaſtica obſeruantia ferè obſoleuerat, in Cathedralem, & Cauam oppidum prouinciæ Principatus Neapolitani Regni in Ciuitatem erexit, vt cōſtat ex Diplomate 7. Idus Auguſti anno ſui Pontificatus Quinto dato, quòd reſcripſit in ſuo primo tomo Italiæ ſacræ Abbas Ferdinandus Vghellus. Lipparenſem in Sicilia à Pactenſi Eccleſia ſeiunxit; Cathedrali Sauonenſi duraturam perpetuò Indulgentiam impertitus eſt; vt fideliū eleemoſynis diuinus cultus in ea augeretur. Dum Spoleti moraretur, ſacram imaginem Deiparæ Virginis à S. Luca Euangeliſta depictam, quæ in Eccleſia principe Vrbis Spoleti ſumma veneratione aſſeruabatur, viſitantibus, cunctorum veniam delictorum indulſit. Olyſipponenſem Præſulem Archiepiſcopum fecit, Conimbricenſi Epiſcopo contributo.

Lipparenſem à Pactenſi Eccleſia diuidit. — *Indulgentiam Eccleſiæ Sauonenſi tribuit.* — *Item Imagini è Mariæ in Cathedrali Spoletana.* — *Olyſipponenſem Præſulem Archiepiſcopum facit.*

Io. Mariana in Hiſt. Hiſpan. — *Benedicti XIII. Legati ad Bonifaciū pro tollendo ſchiſmate.*

Miſſi ſunt à Benedicto XIII. Pſeudopontifice Maſſiliæ tunc temporis exiſtente ad Bonifacium Pontificem Romanum, petito priùs ab eo conſenſu, acceptiſque tàm ab illo, quàm à populo Romano liberi commeatus literis, vnitatis Eccleſię cauſa Petrus Rhebanus Epiſcopus S. Pontij Tomarienſis, Petrus Zagarrige Eccleſiæ Illerdenſis Electus, cum nonnullis alijs. Qui vbi Romam aduenerunt, x. Kalendas Octobris anni 1404. ad eum admiſſi, coacti tamen honorem ipſi ſicut verò Pontifici exhibere, rogarunt in præſentia Cardinalium ipſius partis, vt ambo ſimul Pontifices aliquo loco commodo conuenirent de vnione tractaturi, ad quam Benedictus paratiſſimum ſe oſtendebat. Pro reſponſio remiſſi Nuncij Benedicti in alium diem, eo quòd ægrotaret Bonifacius calculi dolore vehementi; feſto S. Michaëlis iterum accedentes, haud ſatis grato accepto reſponſo, quo aſſerebat Bonifacius ſe eſſe verùm Pontificem, ac Benedictum ſpurium, ingratiora, & ipſis verba reddentibus, inde commotior factus Bonifacius, febre ad dolorem calculi accedente, ſupremum diem obijt kalendis, non Nouembris, vt ſcripſere nonnulli, ſed ex antiquis omnibus Scriptoribus, Octobris anni 1404.

Bonifacij Obitus.

Mori maluit quam impurè viuere.

Eiuſdem Bonifacij honori, ac vitæ puritati valdè facit, quòd refert S. Antoninus, videlicet cum eidem decumbenti aſſereretur poſſe ipſum conualeſcere, ſi rem cum fœmina haberet, auditu horruiſſe, & mortem vitæ prætuliſſe; qua ſanè vna te multas potuit alias vitæ maculas, ſi habuit, eluere. Non alienum autem arbitror, à propoſito erit egregiam iſtam integerrimi huius Pontificis electionem certiſſimo teſtimonio magis magiſque firmare, eadem, & propria verba recitando quæ ſanctus ſuprà poſitus Bonifacij conſtantiam ſuſpiciens in ſuis Chronicis exarata tranſmiſit ad poſteros; cum enim beatiſſimus hic Florentiæ Archiepiſcopus non minùs rerum ſcriptarum auctoritate, quàm vitæ ſanctimoniæ præſtet; in mediū allatus indubitatiſſimam certè fidem promerebitur; & acriores ad puritatem animi, vitæ præferendam, Lectoribus addet ſtimulos. Dicit itaque Antoninus. *Pontifex verò infirmatus grauiter ex febre, & calculo, ſeu lapide, intra triduum ſpiritum reddidit. Et multis vulgatum eſt, quod cum ſecundum medicinam carnalem diceretur ſibi, quod per coitum cum muliere liberaretur à calculo, ex quo deceſſit: minime acquieſcere voluit tanto ſacrilegio contra diuinam Legem: eligens potius pudicè mori, quàm impudicè viuere. Et ideo valde commendandus fuit.* Qui quidem morum integritate, ac virtutum cultu, cum probis, conſtantibus, & vtilibus Reipublicæ Pontificibus annumerandus plurimorum iudicio cenſetur. Sedit, vt dictū eſt ſupra, annos quindecim minus triginta quatuor dies, vixit ſexaginta. Hic Prædeceſſorum Romanorū Pontificum pietatem æmulaturus Lateranen. Baſilicā ditauit Abbatia Cryptæ ferratæ, Capitulo verò Lateranenſi poteſtatem omnem tribuit conferendi beneficia, & Eccleſias ædificandi. Præterea Chriſtifidelibus quibuſcunque poteſtatem eſſe voluit Eccleſias aliàs ſubmittendi Lateranenſi Capitulo, cui merum, & mixtum imperium, atq. adeò ius omne, collationem, prouiſionem, & præſentationem eorundē tàm beneficiorū, quàm Eccleſiarum conceſſit, permiſit etiam Fratribus ordinis S. Frāciſci, ac Sororibus ordinis S. Claræ, vt perpetuum celebrare poſſent feſtum S. Antonij de Padua, cum octaua.

Bonifacij liberalitas in Baſilicā Lateranenſem. — *Ceſ. Raſpon. de Baſil. Lateranen.* — *Luc. Vvaddingus in Annal. Minorum.*

Bonifacij ſcripta. — *Ludou. Iacob. à S. Carolo.* — *Io. Piſſeus de Script. Angliæ.*

Scripſit Bonifacius Epiſtolas multas, quæ manuſcriptæ ſeruantur in Archiuio Vaticano; edidit etiam Conſtitutiones aliquas Eccleſiaſticas: Bonifacio verò ſcripſit Epiſtolarum librum Gualterus Diſſæus, non Burdegalenſis, ſed Anglus Carmelita, & Bonifacij Legatos in Anglia.

Cum autem populi Romani cuſtodiæ, & Eccleſiaſticæ ditionis ſecuritati, acerrimè Bonifacius incùmberet, inter cætera Arcem Adriani temporis diuturnitate, & iniurijs pœnè dixerim expugnatam inſtaurandam validiſſimè curauit, & à ruinis vindicetam muniuit; vt ex quadam memoria marmori inciſa, & in Vaticano poſita, ſit manifeſtum. Videlicet,

BONIFACIVS IX. TOMACELLVS CYBO
ARCE HADRIANI MVNITA
PONTIFICIS DITIONEM STABILIVIT
MVNIVITQVE.

Cōgregationis Friſonariæ Canonicorum Regularium inſtitutio.

Sub Bonifacio IX. floruiſſe ponitur Bartholomæus Columna nobilis Romanus, & in Monaſterio B. Marię Frigdionarię, ſeu Friſonariæ, non procul à Luce, celebri Tuſciæ Vrbe Canonicā diſciplinam Regulæ S. Auguſtini primum reſtituiſſe; quæ totam poſtea Italiam peruagata eſt, titulo Congregationis Lateranenſis, à Baſilica Lateranenſi Romana, vbi reſtituti per Eugenium IV. Canonici

Henricus Spondan° in Annal. Eccleſiaſt.

Regulares eam rexerunt, vſque ad tempora Syxti IV. qui eorum loco poſuit Canonicos ſæculares: ſunt tamen, qui ordinis Canonici Lateranenſis Congregationis Friſonariæ reſtitutionem tribuāt Leoni de Carate Mediolanenſi, & Thadæo de Bonaſco Canonicis Regularibus Cœnobij S. Petri in Cœlo aureo Papienſis, miſſis Frigdionariam à prædicto Bartholomæo Columna, anno 1401. Nonnulli quoque diſciplinæ ſtudioſi in Auguſtiniano ordine, illum inſtaurarunt, & opera, & diligentia Simonis Cremonenſis, Congregatio Carbonaria dicta (à familia eius nominis, vt vult Summontius) ſiue ſancti Ioannis de Neapoli, circa annum 1400. emerſit.

Cōgregationis Carbonariæ inſtitutio.

Duorum Minorum Obitus. Io. Mariana in Hiſt. Hiſpan.

Sedente Bonifacio in Petri Cathedra duo Sodales Franciſcani in Hiſpania, Ioannes vnus à Cetina, & Petrus de Duennas alter dictus, fidei Chriſtianæ inter Mauros Granatenſes propagandæ ſtudio incenſi, Granatam adeuntes, conciones in magna populi frequentia habere aggreſſi ſunt. Moniti à Magiſtratu, & ſummo illorum Sacerdote, vt deſiſterent, adduci non potuerunt, ac ne verberibus quidem affecti: adueniente eorum Rege Mahomade, qui abſens principio erat, variè tentati, poſt dira verbera ab ipſomet Rege menſe Aprilis anni 1397. capite truncati ſunt: corpora iniurijs varijs affecta à Chriſtianis occultè collecta ſunt, & in Cataloniam translata.

PRIMA CREATIO CARDINALIVM,
& reſtitutio Bonifacij Papæ IX.

Anno à partu Virginis 1389. Pontificatus Primo, die Sabbati, 18. Decembris Romæ Bonifacius IX. Romanus Pontifex, primò creauit Cardinales, in quibus quatuor nouos pronunciauit, & quatuor ab Vrbano VI. priuatos reſtituit, qui fuere.

Bartholomæus Mezzauacca Epiſcopus Reatinus, Bononienſis, Iuris Vtriuſque Doctor reſtitutus Presbyter Cardinalis titulo ſancti Martini in montibus.

Adam Anglus Epiſcopus Londonienſis titulo ſanctæ Cæciliæ.

Landulphus Marramaurus electus Archiepiſcopus Barenſis Diaconus ſancti Nicolai in Carcere Tulliano.

Ciaconius in hac prima Cardinalium enunciatione, præter tres recenſitos Cardinales, quartum numerat, Petrum ſcilicet de Tartaris Romanum Presbyterum Cardinalem. Sed in hoc credendum Contelorio, qui cum antiquas Vaticani tabulas præ manibus ſæpe ſæpius habuerit, Petrum de Tartaris à Cardinalium numero excludit, vt diximus ſupra in eius vita.

I.

Ciaconius. Panuinius. Auberyin vita. Monumēta Tranilnana. Barthol. Chioccar. in Catal. Antiſtit. Neapolit. Barth. Dulcin. de vario Bononiæ ſtatu.



HENRICVS Minutulus, patricius Neapolitanus, Bitiutinus primò Epiſcopus, deinde Tranenſis Archiepiſcopus, demum Neapolitanus, à Bonifacio IX. renunciatus eſt Presbyter Cardinalis titulo S. Anaſtaſiæ, deinde Epiſcopus Tuſculanus, demum ex Tuſculana ad Sabinenſem transfertur Eccleſiam ab Alexandro V. Sub Gregorio XII. Camerarij S. R. E. munere functus eſt vnà cum Amadeo de Marchionibus Saluciarum. Multas egit pro ſede Apoſtolica legationes, nempe apud Bononiam, Ferrariam, Foroliuium, & Rauennæ Exarchatum, in quibus vtiles aliquot Conſtitutiones edidit. Statim atque Balthaſſar Coſſa S. R. E. Cardinalis ſummum Pontificatum adeptus eſt, ac Ioannes XXIII. dictus, eadem die qua renunciatus fuit Pontifex, antequam coronæ inſignia acciperet, Bononiæ Legatum Henricum conſtituit. Qui tum ob legationes geſtas, tum ob ſchiſmata in Romana Eccleſia diu abfuit ab Eccleſia Neapolitana. Qua in Vrbe anno 1407. conſtruxit marmoream portam maioris Eccleſiæ, rem equidem admirandam, & operis vaſtitate, ac ſtatuis, & ſculpturæ artificio, cum columnis è porphyretico marmore, in qua eius ſtatua marmorea flexis genibus ante beatam Virginem Deiparam conſpicitur cum ſequenti Inſcriptione.

And. Victorel. in ſuis Addition. ad Ciacō. Hip. Marrac. in ſuis Purp. Mariana.

Nullus in longum, & ſine ſchemate tempus honoris
Porta fui, rutilans ſum iamua plena decoris
Me meus, & ſacræ quondam Minutulus aulæ
Excoluit proprijs Henricus ſumptibus huius
Præſul, Apoſtolica nunc conſtans Cardo columna
Cui precor incolumem vitam poſt fata perennem
Hoc opus exactum mille currentibus annis
Quo quater centum ſeptem Verbum caro factum eſt.

Hanc portam Abbas Antonius Baboſus de Piperno eius ſeculi inſignis Sculptor cælauit; vt Inſcriptio, quæ in magnifico, ac prægrandi marmoreo ſepulchro Antonij de Penna Ladiſlai Regis ſecreti Conſiliarij in ſanctæ Claræ æde, quòd idem quoque Abbas ſculpſit anno 1423. docet his verbis.

ABBAS ANTONIVS BABOSVS DE PIPERNO QVI FECIT ET PORTAM MAIOREM CATHEDRALIS ECCLESIÆ NEAPOLI.

Conſtruxit quoque idem Henricus Cardinalis in eadem maiori Eccleſia Neapolitana paruum ſacellum ſanctiſſimæ Triadi ſacrum, in quo noſtris huſce temporibus adhuc Henrici Inſignia rubro galero decorata conſpiciuntur. In ſacello verò S. Petro Apoſtolorum Principi dicato à ſuis maioribus familiæ Minutulæ aras duas, vnam in ſancti Spiritus, alteram in S. Anaſtaſiæ Martyris honorem erexit, & annuis reddithibus dotauit, ac Iuſpatronatus familiæ Minutulæ addixit. De quibus publica aliquot documenta, & Innocentij VII. Romani Pontificis Diplomata extant, quæ ſe vidiſſe affirmat Bartholomæus Chioccarellus in Catalogo Archiepiſcoporum Neapolitanorum. Viſitantibus hoc ſacellum in honorem ſancti Petri erectum in Eccleſia principe Neapolitana in Natiuitate Domini, & in feſto S. Petri Apoſtoli idem Innocentius Romanus Pontifex ſuis literis Viterbij datis viij. Idus Martij anni 1405. cunctorum indulſit veniam delictorum. Anno verò 1410. die vndecima Martij fundos quoſdam, prædia, ac domos eidem ſacello dono dedit Henricus ea lege, vt quatuor conſtituerentur Sacerdotes, qui præter Anniuerſarium ſingulis diebus Miſſas duas viciſſim celebrarent.

E vita exceſſit Bononiæ in legatione, ſeu ex Ciaconio Romæ die Veneris 17. Iunij anno noſtræ ſalutis 1417. ſed illius cadauer Neapolim delatum, in Cathedrali ſepultum in eius familiæ ſacello in magnifico, ſublimi, ac ſatis pulchro marmoreo ſepulchro abſque Inſcriptione. Interfuit Henricus hic Comitijs, in quibus renunciati ſunt Romani Pontifices Innocentius VII. Gregorius XII. Alexander V. & Ioannes XXII. dictus XXIII.

At cum laudato Chioccarello acquieſcere non poſſum Hieronymo Garimberto Gallenſi Epiſcopo, qui in Vitis aliquorum Romanorum Pontificum, ac Cardinalium, quas ſcripſit, aſſerere non dubitauit Henricum Cardinalem Minutulum ineptum, indoctum, ac inertem ab omnibus illius æui habitum fuiſſe; quare conuicia aliquot in Bonifacium infert, eo quòd tot dignitates, ac honores in Henricum contulerit. Neſcio tamen ex quibus auctoribus didicerit tam recens ſcriptor, quæ in Henricum ſcribit, cum nullus ex antiquis ſcriptoribus id affirmet. Nec enim credibile eſt, tot Pontifices Bonifacij ſucceſſores, tot tantaſque ſupremas dignitates, quæ non niſi viris, & literis, & negociorum dexteritate præſtantibus impertiri ſolent, errantes Henrico ſine cauſa contuliſſe. Scimus autem ex Ciaconio Henricum hunc quingentorum aureorum pretio à Camera Apoſtolica libros quoſdam emiſſe ſedente Gregorio XII. in Petri Cathedra. Ad quid tot libri niſi ſtudioſus eſſet; eſt ne credibile dictu, viros librorum copiam congerere, niſi illorum ſaltem delectarentur lectione? Contra Garimbertum eſt Andreas Victorellus, qui in Additionibus ad Ciaconium Henricum Minutulum Cardinalem virum doctum nominat.

Ferdinād. Vghel to. 1. Ital. ſac.

Senas Henricus ſe contulit cum Gregorio XII. & ibidem manſit à die 3. Septembris anni 1406. vſque ad 23. Ianuarij anni ſequentis, vt Inſcriptio in Metropolitana Eccleſia parieti affixa teſtatur, in qua eiuſdem Gregorij Inſignia vnà cum ſtemmatibus duodecim Cardinalium inſculpta viſuntur. Inde relicto Gregorio, Concilium Piſanum Henricus iam Tuſculanus Epiſcopus renunciatus adiuit; & poſt Alexandri V. electionem, cum Petrus Gerardus Cardinalis, qui Benedicti Pſeudopontificis partes ſecutus fuerat, nomine Epiſcopi Tuſculani vocaretur, quo etiam Minutulus legitimè inſignitus fuerat, Alexander Tuſculanam dignitatem Petro Gerardio adiudicauit, ne iterum pertinacia, ac rabies ſchiſmatis deſæuiret, & vacuam Sabinenſem Cathedram Minutulo attribuit.

II.



FR. BARTHOLOMÆVS de Vliarijs, ſeu Vliarius, aut Olearius, natione Italus, patria Patauinus, honeſtis parentibus ortus, Phyloſophiæ ſtudijs iam addictus, cum Religioſorum vitæ, ſacræ Theologiæ, ac diuinæ ſcripturæ ſtudio mirificè caperetur, ſpretis illecebris terrenarum rerum, ac cœleſtem vitam amplexus, Minorum Conuentualium ad inſtitutum contendere decreuit. Sacris ibi Theologiæ, ac diuinæ ſcripturæ myſterijs initiatus vtranque facultatem publicis in Cathedris profeſſus eſt; deinde Magiſter renunciatus eximium ſui ingenij ſpecimen tum in diſputationibus, tum in concionibus dedit. Ea re patres ordinis ſingularem eius in omni diſciplinarum genere præſtantiam, quæ clarum illum, ac celebrem vbique locorum reddiderat, admirati, certatim illum ad primos dignitatum apices extulere. At ille nihilominus varijs peragratis regionibus, multiſque, ac magnis itineribus ſuſceptis, verbum Dei, & Sacroſanctæ Eccleſiæ dogmata vbique locorum, ac gentium acerrimè defendere, longè ac latè propagare ſedulò ni-

tebatur. Tandem Florentiam profectus, aliquot illic annorum ſpatio quà docendo, quà concionado Florentinorum animos ſuis adeò virtutibus, ac præclariſſimis moribus in ſui beneuolentiam attraxit, vt defuncto Vrbis Epiſcopo, vnanimi conſenſu ſucceſſor ei datus fuerit, cunctis quidem gratus, ſummo verò Pontifici Bonifacio huius nominis IX. gratiſſimus. A quo primùm Epiſcopus Florentinus confirmatus eſt, mox & meritis eiuſdem poſcentibus ad apicem Cardinalatus titulo S. Pudentianæ, aliàs Paſtoris euectus eſt. Hoc honore auctus ſummo Pontifici pro Republica Chriſtiana amplianda, & Eccleſiæ libertate tuenda ſedulò ſemper affuit, & inſeruiuit. Poſt hæc in Siciliam Apoſtolica legatione cum ampliſſima poteſtate miſſus, vt Vrbem Neapolim, quæ à ſanctæ Romanæ Eccleſiæ vnitate deſciuerat Clementis VII. partes ſecuta, ad eandem, & Regis Ladiſlai imperium maxima cum dexteritate reuocaret; Scardeonius tamen Bartholomæum Cardinalem ad regimen Siciliæ miſſum ſcribit. Eo in munere, in quo præſtantiſſimè ſe habuit; Caietæ in Campania xvj. Kalendas Maij, anno reparatæ ſalutis 1396. apud Minoritas eiuſdem loci ad ſuperos euolauit, ibique ſepultus duplici iſta memoria decoratus eſt.

Vnica Cardinei fueras, qui gloria cœtus
Hac te petra tegit Patauinis mœnibus ortum;
Almas inter nunc animas lætaris Olympo.
Miſſus eras partes demum legatus ad iſtas,
Cum tibi viuaces mors inuida ſuſtulit annos,
Vnanimes quicquid condignum munere fama
Scire datur, ſtudijs ſublimi mente locaſti.
Longa tuum meritis clarum per ſecula nomen.
Non adimet ſuprema dies: tua viuida virtus
Nunquam morte cadens omni memorabitur æuo.

HIC IACET REVERENDISS. IN CHRISTO PATER DOMINVS BARTHOLOMAEVS DE VLIARIS DE PADVA DEI GRATIA TT. S. PVDENTIANAE PRESBYTER CARD. PADVANVS REGNI SICILIAE APOSTOLICAE SEDIS LEGATVS QVI OBIIT DIE XVI. APRILIS ANNO MCCCXCVI. INDICT. IV.

Ferdinandus Vghellus ſcribit, Bartholomæum Vliarium ab Vrbano VI. Romano Pontifice electum eſſe Epiſcopum Anconitanum, deinde à Bonifacio IX. tranſlatum fuiſſe ad Florentinam, ſed poſt adeptam purpuram ſedem illam reliquiſſe.

Meminere Bartholomæi Cardinalis præter Ciaconium, Panuinium, Andream Victorellum, & Aubery, Bernardinus Scardeonius de claris Viris Patauinis, Angelus Portinarius de Felicitate Patauij, Bartholomæus Piſanus in libro Conformitatum, Gaſpar Iongelinus in Elogijs Cardinalium ordinis Minorum, Felix Cōtelorius in Elencho, Iacobus Philippus Tomaſinus in Elogijs illuſtrium Virorū, Sabellicus, Auguſtini Triumphi monumenta, Hieronymus Garimbertus in vitis Romanorum Pontificum, & Cardinalium, Frater Lucas Vvaddingus in Annalibus Minorum, ac Toſſignanus in hiſtoria Seraphica, vbi hæc carmina.

Te ingenij valuiſſe bonis, ſanctuſque Senatus
Regnaque Parthenopes Bartholomæe docent.

III.

Ciaconius. Panuinius. Felix Cōtelor. in Elencho. Aubery in vita. And. Victor. in Addit. ad Ciaconium.



COSMATVS Melioratus, Aprutinus in Pelignis, patria Sulmonenſis, adoleſcens Pontificio, ac Cæſareo iuri operam cum dediſſet, vtriuſque doctoratus inſignia conſecutus eſt; cum antea licentiatus in Decretis aliquando fuiſſet. Capuæ Cancellarium egit, deinde Vrbani VI. ſub quo primùm claruit, Capellanus, poſtea ſacri Collegij, ad hæc Cameræ Apoſtolicæ Clericus fuit. Ab eodem Vrbano Nuncius, & Collector redditùum eiuſdem Cameræ in Angliæ Regno deſtinatus, integerrimè eo in munere ſe geſſit. Ad Romanam Curiam reuerſus, Epiſcopus Bononienſis dictus eſt, at electum populus Bononienſis non excepit; quare à Bonifacio IX. ex Ferdinando Vghellio, ſeu veriùs ab eodem Vrbano VI. Archiepiſcopus Rauennas, & S. R. E. Theſaurarius, & Vicecamerarius deſignatus eſt. Mortuo Vrbano, Conclauis cuſtodiæ præfuit, & à Bonifacio IX. cui gratiſſimus fuit, Pontificatus initio Presbyter Cardinalis titulo S. Crucis in Hieruſalem, & S. R. E. Camerarius effectus: legationis munere, eiuſdem Bonifacij iuſſu functus eſt in Italia, vt pacem inter Venetos, Ioannem Galeatium Vicecomitem Inſubrium Ducem, Florentinos, & Bononienſes bello decertantes componeret. Licet Epiſcopatum Bononienſem nunquam inijſſet populo repudiante, ſacra tamen purpura nobilitatus, Bononiæ Cardinalis dici voluit. Apud Bonifacium tantum auctoritate valuit, vt grauiſſima quæque negocia illi publice committeret: infirmitate deinde grauatus Bonifacius eum publico Conciſtorio præpoſuit, eique cunctam Eccleſiæ poteſtatem tribuit. Erat enim humaniſſimus, moribus placidus, vita integer, in calamitoſos miſericors, in ieiunijs, & orationibus aſſiduus, in Curiæ praxi, verſatiſſimus, in reſponſionibus cautus, & argutus. Eas ob res in magna Principum Chriſtianorum, Aulicorum, & cunctorum ordinum exiſtimatione, & amore fuit, quem omnes futurum Pontificem augurabantur, & exoptabant. Canendi, & ſcribendi, ac bonarum literarum peritiſſimus orationem habuit grauiſſimam in conſeſſu Cardinalium de Eccleſiaſtica vnione. Poſtremò vita functo Bonifacio, in eius locum in ſchiſmate ſuffectus, & Innocentius VII. appellatus ſedit annos vndecim, dies 22. De illo plura in eius vita.

Nomencl. Cardinal.

IV.

Ciaconius. Felix Cōtelor. in Elencho. Monumēta Tranſtiberina. Franc. Maria Turr. de Crypt. Vaticanis. Aubery in vita. Panuinius de Rom. Pontific.



CHRISTOPHORVS Maro, aliàs de Maronibus, Romanus ex Epiſcopo Iſernienſi Presbyter Cardinalis titulo S. Cyriaci in Thermis, & Archipresbyter S. Petri in Vaticano à Bonifacio IX. Romano Pontifice renunciatus, vnà cum Franciſco Carbone Cardinali Monopolitano, & Bartholomæo Carafa Vrbis Priore deligitur arbiter inter Bonifacium IX. Romanum Pontificem, & Paulum Sabellum nobilem Romanum, Lucæ filium, in quæſtione litis de poſſeſſione oppidorum Aſpræ, Zarani, Cignani, Montiſboni, & Rochetarum, vt ex Bonifacij Codicillis, qui ſuperſunt Ciaconio teſte, conſtat. Fuit hic Cardinalis Præfectus Monaſterij SS. Alexij, & Bonifacij in monte Auentino, poſt cuius obitum Cœnobium illud Baſilicæ Vaticanæ adiectum eſt.

Exceſſit Romæ Innocentij VII. anno primo, Chriſti verò 1404. pridie nonas Decembris ex Ciaconio, ex Petro verò Camerario die ſexta, hæc enim iſte habet in ſuo Diario. *Die Sabbati 6. Decembris obijt Cardinalis Iſernienſis Chriſtophorus Maro hora noctis tertia in domo Domini Abbatis S. Pauli de Regione S. Euſtachij 1404. Item ſequenti poſt horam decimam fuit portatum corpus eius per duos Romanos in palatio capitis ſcalarum S. Petri de Vrbe, & die Dominica, ſeptima ſupradicti menſis facta fuerunt exequiæ; inde ſepultus fuit in capella S. Gregorij Papæ.* Sepultus fuit in Baſilica S. Petri in Sacello S. Gregorio ſacro propè ædiculam S. Thomæ in marmoreo, & muro affixo ſepulchro cum inſignibus, & ſequenti Inſcriptione.

Qui legitis carmen lacrymabile, fundite fletus,
Fundite, & hoc multis lacrymis ornate ſepulcrum,
Maxima Cardinei cubat hoc nam gloria cœtus,
Corpore Chriſtophorus ſed ſpiritus inſidet aſtris,
Fidus Apoſtolica per tot fluitantia cimba
Naufragia Eccleſia fuit, & tunc tertio ſalutis
Multiplici virtute nitens, & amator honeſti
Vir erat, euecto cui tante ad culmen honoris.
Nominis almi tui titulum Cyriace dediſti.

ANNO DOMINI MCCCCIV.

SECVNDA CREATIO CARDINALIVM.

Die Lunæ 13. Februarij anno 1391. Pontificatus Secundo, Bonifacius IX. Romæ vnicum ex Panuinio, & Contelorio, ex Ciaconio verò duos renunciauit, ſeu potiùs ad Cardinalatum reſtituit, qui fuerunt.

Philippus de Alenconio, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo S. Mariæ Tranſtyberim, deinde Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis, poſtea Oſtienſis, Felix tamen Contelorius ſcribit Philippum hunc nunquam Cardinalatu priuatum fuiſſe, & incertum eſſe, vndè id hauſerit Ciaconius.

Pileus de Prata, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus; hunc Panuinius, recenſito in ſecunda Cardinalium enunciatione ſolùm Philippo de Alenconio, in tertia numerat.

TERTIA CREATIO CARDINALIVM,
quam Panuinius quartam vocat.

Anno à partu Virginis 1402. Pontificatus XIII. die 27. Februarij ex Ciaconio, & Contelorio, ex Panuinio verò die 27. Ianuarij Bonifacius IX. Romæ nonnullos Cardinalium Collegio adſcripſit, qui fuerunt.

ANTO-

Scip. Ammirat. de Epiſc. Feſulan. — Ciaconius — Aubery in vita. — Auguſt. Triumphi monumenta. — Alexãder V. Acta Conſiſtorialia.



V.

ANTONIVS Caietanus, ex nobiliſſima, vetuſtiſſimaq. inter Romanas Caietanorum familia, natus eſt Romæ ex Iacobo Comite Fũdano, & Sueua Sanſeuerina, qui ab ineunte ætate Clericali adſcriptus militiæ, liberalium artium ſtudijs animum adiunxit; ea tàm in Humanioribus, quàm in Seuerioribus diſciplinis magni ingenij ſpecimina, mentiſque per ſpicaciſſimę argumenta ſuis exhibens Præceptoribus, vt manifeſtè innoteſceret præclarum adoleſcentem ad ſumma quæque natum, non tàm arridentis fortunæ præſidijs illi domum opulentiſſimam, parenteſq. generis ſplendore clariſſimos largientis, quàm propriæ adminiculo virtutis, ad maxima dignitatum faſtigia, quamcitiſſimè fuiſſe conuolaturum. Emenſo itaque non minùs breuiter, quàm feliciter ſtudiorum curriculo per varios honorum gradus Patriarcha Aquileienſis renunciatus eſt, quam Sedem cum aſſecutus eſſet die 12. Februarij anno 1395. & retinuiſſet vſque ad annum 1402. à Bonifacio IX. Presbyteris Cardinalibus tributo S. Cæciliæ titulo, fuit adſcriptus. Deinde Epiſcopus Præneſtinus ab Innocentio VII. renunciatus eſt. At in Piſano Concilio anno 1409. cum ob communem Eccleſiæ concordiam vltrò Epiſcopatu Præneſtino abijſſet, vt in Guidonem Maleſiccũ Cardinalem caderet, ab Alexandro Quinto Epiſcopus Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ, ac S.R.E. Maior Pœnitentiarius declaratus eſt. Fuit is vir tùm auita maiorum, cùm ſua virtute inſignis, cui Gregorius XII. facultatem conceſſit, vt minores Vrbis Pœnitentiarios ſuo arbitrio corrigeret, & reformaret. Gregorio deinde relicto Piſas profectus Concilio, & Alexandri V. Comitijs affuit; quamobrem Gregorius illũ Cardinalatu, & Epiſcopatu abire iuſſit, & priuauit Diplomate dato Arimini die 19. Ianuarij an. 1409. quam priuationem Piſani Patres irritam pronunciarunt. Feſulanus Epiſcopatus ipſi fuit commendatus adminiſtratione attributa. Scripſit pro Eccleſiæ vnione Carolo de Malateſtis; harum literarũ initium eſt. *Antonius miſeratione Diuina Epiſcopus Præneſtinus S.R.E. Cardinalis Aquileienſis vulgariter nuncupatus, Magnifico Domino Carolo de Malateſtis Domino Arimini fratri Noſtro chariſſime, ſalutem in illo, qui omnibus attulit in Chriſto ſalutem, & cum executione operis ad vnionem ſanctæ Matris Eccleſiæ, &c.*

Panuinius de Rom. Pont. — Felix Cõtelor. in Elencho — Sa: Robe'io vita Bonifac. VIII. — Hier. Garimbert in vita Pont. & Cardinalium. — Ioſ. Maria Suareſius in Præneſt. Antiqua. — Ferdinand Vghell. in Italia ſac.

Poſt obitum Franciſci Carboni Cardinalis iubente Innocentio Septimo Archipresbyteri munus geſſit in Baſilica Lateranẽſi teſte Cęſare Raſpono, qui tamen per errorẽ fortaſſe Typographi ſcripſit ex Presbytero S. Luciæ, loco S. Cæciliæ renunciatum eſſe Epiſcopum Præneſtinum. Scimus enim omnium ſcriptorum teſtimonio, Antonium Caietanum non S. Luciæ, ſed S. Cæciliæ Eccleſiæ præfuiſſe: præterquàmquòd S. Lucia non inter Presbyterorum, ſed Diaconorum titulos tunc temporis adnumerabatur.

Inter cæteras verò animi, egregiam indolem præſeferentis dotes, ornabatur Antonius, peculiari quodam in Deiparam Virginem cultu ſingularique pietate, quapropter vt reliqua omittam, apſidem Templi S. Mariæ ſuper Mineruam, vt eius inſignia indicant, exædificauit.

Romæ è vita migrauit die vndecima Ianuarij anni 1412. & ſepultus ad ſanctum Petrum in Sacello Bonifacij VIII. ſui gentilis; ex quo Sacello paulò poſt eius cadauer tranſlatum ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ ſuper Mineruam; & iacet ad ſiniſtram maioris aræ cum ſequenti Epitaphio.

Ex Nomẽclatore inter Epitaph. p. 19.

HIC REQVIESCIT REVERENDISS. IN CHRISTO
PATER DOMINVS ANTONIVS CAIETANVS
EPISCOPVS PORTVENSIS
SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE CARDINALIS
QVI OBIIT ANNO DOMINI
MCDXII.
MENSIS IANVARII DIE VNDECIMA
INDICTIONE QVINTA

Antonius tamen Petrus in Diarijs, non in S. Petri Baſilica, ſed in S. Mariæ ſuper Mineruam Antonium Cardinalem ſepultum illico poſt obitum fuiſſe ſcribit his verbis. *Anno 1412. die 11. Ianuarij hora Veſperorum obijt Antonius Caietanus Cardinalis Aquileienſis, & die ſequenti 12 poſt Veſperas delatus in Eccleſiam S. Mariæ ſuper Mineruam, ibidem humatus fuit.*



VI.

Ciaconius — Monumẽta Triumphana. — Ant. Sand. in elogijs Cardin. — Andr. Victorell. in Addit. ad Ciaconiũ. — Scip. Ammirat in hiſt. Florentina. — Barthol. Dulcin. de Vario Bononiæ Statu. — Poggius in hiſtor. Florentina. — Coſtus in Hiſtor. Neapolit. — Ferdinand Vghel in Ital. ſacra. — Aubery in vita.

BALTASSAR Coſſa Neapolitanus, variantis fortunæ rariſſimum exemplum, adoleſcens Bononiæ Iuri Ciuili, & Canonico operã dedit; Decretorũ deinde Doctor factus Archidiaconatum Bononienſem obtinuit. Ex Romani Pontificis Cubiculario illũ in ampliſſimũ S.R.E. Cardinalium Diaconorum ordinem titulo S. Euſtachij retulit Bonifacius IX. & Bononiæ Legatum nominauit. In qua legatione mirificè ſe geſſit. Ciuitatem enim ipſam Bononienſem cum tota ferè Romandiola rebellem, pulſis Tyrannis, Romanæ Eccleſiæ reſtituit; & cum diu difficili ea legatione functus fuerit, integrum ei nõ fuit Ciuitatẽ inteſtinis ſeditionibus obnoxiã deſerere; quare Innocentij VII. & Gregorij XII. Comitijs non interfuit. Ad comparandam potentiam contra Romanæ Eccleſiæ hoſtes, conficiendæ pecuniæ cauſa Baltaſſarem Legatum vendidiſſe prędia nonnullarum Eccleſiarũ, & Gregoriani Collegij ſcripſit Carolus Sigonius. Spinam vnam Coronæ Chriſti Patribus Dominicani inſtituti donauit, & ſacra pompa, Ciuitate Bononienſi lætitia exiliente ad eorum Templum xj. Kal. Maij detulit. Septem annorum ſpatio functus eſt legatione Bononiẽſi, qua tamen priuatur à Gregorio XII. vt ex citationibus, & Diplomatibus eius liquet. Quia eo cũ reliquis Cardinalibus deſerto Piſas ad Concilium acceſſerat, vbi creationi Alexandri V. affuit; à quo non ſolùm in Bononiæ legatione confirmatus, ſed & Piceni; ac aliquor aliarum prouinciarum pro S.R.E. Vicariatu auctus eſt. Deinde Piſis recedens in Patrimonium S. Petri profectus eſt, vt aliquor Eccleſiæ oppida à Tyrannis occupata reciperet. Bononię poſtmodum defuncto Alexandro V. in Pontificem Romanum à Cardinalibus delectus Ioannis XXII. aliàs XXIII. nomine decoratus eſt, vir ſanè cùm armis, cùm religione clarus. In Conſtantienſi autem Concilio Pontificali dignitate exutus, ad Martini III. aliàs V. Romani Pontificis pedes Florentiæ prouolutus, non modò clementer exceptus eſt, ſed iterum etiam purpura ornatus, ac declaratus Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus, & ſacri Collegij Decanus deceſſit Florentiæ die 22. Decembris anno 1419. ac ſepultus in ſancti Ioannis Baptiſtæ Templo in ſepulchro à Donatello celebri Statuario inſculto, cum hoc Epitaphio.

Pomp. Vizz. in hiſt. Bonon. — Panuinius de Rom. Pont. — Felix Cõtelor. in Elench. Card — Vide Ioã. XXIII. vitam.

BALTASSARIS COSSAE IOANNIS XXIII. QVONDAM PAPAE CORPVS HOC TVMVLO CONDITVM





VII.

LEONARDVS Cybo Genuenſis V.I.D. eximius, Diaconus Cardinalis SS. Coſmæ, & Damiani.

VIII.

ANGELVS Cybo Genuenſis Diaconus Cardinalis SS. Silueſtri, & Martini in Montibus.

Bonifacius igitur IX. Pontifex, tribus Ordinationibus Romæ, menſe Februarij, & Decembri, factis, octo nouos creauit Cardinales, & ſex alios reſtituit, Epiſcopos tres, Presbyteros ſeptem, & Diaconos quatuor.

VICECANCELLARII S.R.E. ſub Bonifacio IX.

Franciſcus Prignanus, ſeu Moricottus de Vico, Piſanus Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus, ab anno Pontificatus primo ad finem quarti, ſeu ad initium quinti.

Angelus Acciaiolus Florentinus ex Presbytero Cardinali tituli S. Laurentij in Damaſo, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus ab anno quinto, vſque ad finem Pontificatus.

CARDINALES MORTVI
ſub eodem Pontifice.

Goillelmus Nouelletti, Gallus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in via Lata, die 4. Iulij, anno 1390.

Thomas Vrſinus de Manupello, Romanus, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Dominica, die 10. Iulij, anno eodem 1390.

Andreas Bontempus Perusinus, Presbyter Cardinalis SS. Marcellini, & Petri die 16. eiuſdem menſis Iulij, & anni 1390.

Petrus de Sortenaco, aliàs de Bernia, Gallus, Presbyter Cardinalis ſancti Laurentij in Lucina, poſtea Epiſcopus Sabinenſis die 16. Auguſti, anno eodem 1390.

Franciſcus Rentius de Allipha Diaconus Cardinalis ſancti Euſtachij, die 27. Septembris, anno eodem 1390.

Mag. Fr. Bertrandus Lagerij, Gallus, ordinis Minorum, Presbyter Cardinalis ſanctæ Priſcæ, poſtea Epiſcopus Oſtienſis, & Veliternus, die 15. Nouembris, anno 1392.

Marinus Bulcanus Neapolitanus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ Nouæ, die 8 Auguſti, anno 1394.

Fr. Guillelmus de Chanaco, Gallus, Presbyter Cardinalis ſancti Vitalis, die 30. Decembris, anno eodem 1394.

Eleazarus de Sabrano Italus Epiſcopus Theatinus, Presbyter Cardinalis S. Balbinæ, anno 1394.

Poncellus Vrſinus, Romanus, Presbyter Cardinalis ſancti Clementis, die 2. Februarij, anno 1395.

Franciſcus Prignanus, ſeu Moucottus de Vico, Piſanus, Presbyter Cardinalis S. Euſebij. poſtea Epiſcopus Prænestinus, die 6. Februarij, anno 1394. ſeu 1395.

Petrus de Tartaris S.R.E. Cardinalis, die 4. Iunij, anno 1395.

Fr. Bartholomeus Vlarius Patauinus ordinis Minorum Presbyter Cardinalis ſanctæ Pudentianæ xvj. Kal. Maij, anno 1396.

Bartholomæus Mezzauacca, Bononienſis, Presbyter Cardinalis S. Marcelli, poſtea S. Martini in montibus, die 20. Iunij, an. 1396.

Galeottus Tarlatus de Petramala, Diaconus Cardinalis ſancti Georgij in Velabro, ſeu S. Agathæ, anno 1396.

Philippus de Alenconio, Gallus, Presbyter Cardinalis S. Mariæ Transtyberim, deinde Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis, demum Oſtienſis, & Veliternus, die 17. Auguſti, anno 1397.

Adam de Eſton, Hereford enſis, Anglus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Cæciliæ, die 20. Octobris, anno 1397.

Stephanus Paloſius, Romanus, Presbyter Cardinalis ſancti Marcelli, die 29. Aprilis, anno 1398.

Pileus Comes Pratæ, Concordienſis, Presbyter Cardinalis S. Praxedis, deinde Epiſcopus Tuſculanus, anno 1400. ſeu 1401.

Guillelmus de Agrifolio, Gallus, Presbyter Cardinalis ſancti Stephani in Cœlio monte, die 13. Ianuarij, anno 1401.

Fr. Ioãnes de Grangia, Monachus Gallus, Presbyter Cardinalis S. Marcelli, poſtea Epiſcopus Tuſculanus, die 24. Aprilis, an. 1402.

Petrus de Verruco, Gallus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in via Lata, die 6. Octobris, anno 1403.

Hugo de S. Martiali, Gallus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Porticu, anno 1403.

Leonardus Cybus Genuenſis, Diaconus Cardinalis ſanctorum Coſmæ, & Damiani ante annum 1405.

Angelus Cybus Genuenſis, Presbyter Cardinalis ſancti Marcelli in montibus ante annum 1405.

INNOCENTIVS VII. PONT. CCVI.
ANNO DOMINI MCCCCIV.





IN NOMINE DEI, ET SALVATORIS Noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen.

INNOcentij primordia.

SVLMONA è Pelignorum oppido, Diœceſi Valuenſis in Aprutio, mediocri genere, familia Meliorata, & honeſtis parentibus prodijt Innocentius VII. Coſmatus Melioratus ante Pontificatum vocatus xxix. Papa Regnicola. Qui adoleſcens literis diſciplinæ operam dedit, & Doctoratus vtriuſque Iuris inſignia ſuſcepit. Capuæ publicum Scribam egit, & ſub Vrbano Papa V. Clericus Cameræ Apoſtolicæ, à quo Collector redditurum eiuſdem Cameræ in Regnũ Angliæ eſt miſſus, poſtea ab eodem Vrbano Archiepiſcopus Rauennas, in locum Pilei Cardinalis priuati, mox Bononienſis Epiſcopus, cum commenda Rauennatis Eccleſiæ, deinde Romanæ Eccleſiæ Theſaurarius, & Vicecamerarius creatus fuit. Demùm à Bonifacio Papa IX. in principio ſui Pontificatus, cum alijs octo, Presbyter Cardinalis titulo S. Crucis in Hieruſalem factus, aliquot annis poſt, mortuo Stephano Paloſio, S.R.E. Camerario, Camerariatus munus obtinuit, legatione Italica, vt pacem inter Venetos, & Ioannem Galeatium Inſubrum Ducem, bello certantes componeret, egregiè functus. Mortuo autem Bonifacio IX. Romæ in eius locũ in ſchiſmate, omnium Cardinalium in Conclaui exiſtentium ſuffragijs, xvj. Kal. Nouemb. anno 1404. nono vacantis ſedis die, Pontifex max. renunciatur, iureiurando adactus, vt in Eccleſia vnitate ineunda, etiam cum Pontificatus depoſitione operam daret.

EIVSDEM electio.

Anno Dom. Natiuit. 1404. xij. non. Nouemb. Romæ in Baſilica S. Petri, Conſecratus, Pontificatus inſignia ſuſcepit ſolemni ritu Innocentius Papa VII. præſentibus Cardinalibus, Clero, Populoq; Romano: ſedit autem Roberto Cæſare, & Venceſlao Auguſtis, annis duobus, diebus 23. in ſchiſmate contra Benedictum XIII.

CONSEcratio, & Coronatio Papæ Innocentij VII.

CAR-

CARDINALES XII. VIVENTES
quando Innocentius VII. Papa factus eſt.

EPISCOPI CARDINALES III.

VRBANI PAPAE VI.

1. Angelus Acciaiolus Florentinus, Epiſc. Card. Oſtienſis, & Veliternus, Decanus, & S. R. E. Vicecancellarius.
2. Franciſcus Carbonus Neapolitanus, Epiſcopus Cardinalis Sabinus, Maior Pœnitentiarius.

BONIFACII PAPAE IX.

3. Henricus Minutulus Neapolitanus, Epiſc. Card. Tuſculanus.

PRESBYTERI CARDINALES V.

VRBANI PAPAE VI.

4. Valentinus Hungarus, Epiſcopus Quinqueccleſienſis, Preſbyter Cardinalis titulo ſanctæ Sabinæ.
5. Fr. Angelus de Anna Neapolitanus, Presbyter Cardinalis S. Pudentianæ tit. Paſtoris ordinis Camaldulenſis.

BONIFACII PAPAE IX.

6. Coſmatus Melioratus Sulmonenſis, Presb. Card. titulo ſanctæ Crucis in Hieruſalem S. R. E. Camerarius.
7. Chriſtophorus Maronus, aliàs Maro, Romanus, Iſernienſis Epiſcopus Presb. Card. tit. S. Cyriaci in Thermis.
8. Antonius Caietanus Romanus, Patriarcha Aquileienſis; Presb. Card. tt. S. Cæciliæ, aliàs SS. Gabinij, & Suſannæ.

DIACONI CARDINALES IV.

VRBANI PAPAE VI.

9. Ludouicus de Fliſco Genuenſis, Electus Epiſcopus Vercellenſis, Diaconus Cardinalis ſancti Hadriani.
10. Raynaldus Brancacius Neapolitanus, Diac. Card. SS. Viti, & Modeſti in macello Martyrum.
11. Landulphus Marramaurus Neapolitanus, Diac. Cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano, Barenſis.

BONIFACII PAPAE IX.

12. Balthaſſar Coſſa Neapolitanus, Diaconus Cardinalis ſancti Euſtachij, Legatus Bononiæ.

INNOcentij probitas. Fuit Innocentius VII. mediæ ſtaturæ homo, corporèque gracili, patria, vt diximus, Sulmonenſis, ad quam Latij Vrbem natus Cœleſtinus V. Romanæ culmen dignitatis obtinuit, quòd ſi ille Cœleſtinus verè fuit, hic quidem Innocentium re quidem, & nomine ſe præbuit. Triplexque illi elogium à ſcriptoribus illius temporis tribuitur, pacifici, mitis, & probi, adduntque Iuris conſultiſſimum illum fuiſſe, & delectari ſolitum colloquijs doctorum virorum, ſingularemque facundiam, & venuſtatem in dicendo obtinuiſſe.

INNOcentij liberalitas. Columnæ per id tempus ciues Romani, Ghibellinos profitebantur, Vrſini contra Guelphos, vincere eos beneficijs, vincere innocentia, & probitate optimus Pontifex, non poterat, vexatuſque ab iis quotidie aliquid noui petentibus, *conceſſi equidem* ait, *quidquid a me petiſtis, nec iam ſupereſt, quod petere poſſitis, niſi hanc Pontificiam veſtem velitis*, importunos nimium illos eſſe mitiſſimo reſponſo indicans. Erat enim Pontificijs ornamentis vndique inſignitus, vita integer, & prudens, liberalis, ſimoniacæ labis acerrimus hoſtis, mitis, placidiſſimus, humanitate incredibili præditus, doctorum, & proborum hominum ſtudioſiſſimus, Eccleſiaſticæ libertatis, & ditionis defenſor egregius. Schiſmate, quo Eccleſia Dei tùm multum laborabat, eò ventum erat, vt viliſſimus quiſque Tyrannus, poſt mortem Ioannis Galeatij Vicecomitis, vnumquòdque facinus, quamuis magnum, aggrederetur; Innocentius enim quum adhuc Cardinalis eſſet, carpere negligentiam, & timiditatem priorum Pontificum conſueuerat, quòd diceret, eorum ſocordia factum, ne ſchiſma Eccleſiæ Romanæ, totiuſque Reipublicæ Chriſtianæ, perniciem, hactenus extinctum, & ſublatum eſſet. verùm ipſe Pontificatum adeptus, ſequutuſq; in hac parte Vrbani, & Bonifacij veſtigia, quos priuatus carpebat, non modo quòd tantopere laudabat non effecit, verùm etiam iniquo animo ferebat, ſi quis apud ſe ea de re verbum vllum feciſſet: prætereà verò adeò tumultuosè omnia gubernabat, vt non ſemel Romani reſtitui in libertatem, reddique ſibi Capitolium, pontem Miluium, & arcem Hadriani peterent, inſtarentque item, vt Schiſma, rem perniciosi exempli, de Eccleſia tolleret, bella extingueret, & ſeditiones, Rege Gallorum ad eam rem conficiendam operam ſuam pollicente, ac Petro Luna Antipapa nequaquam tantam concordiam abnuente.

Ladiſlai Regis ambitio. Ladiſlai Neapolitani Regis, immanem ambitionem fregit, qui Vrbi, & Imperio Eccleſiaſtico inhians, Romanos iam inquietos clam in Pontificem concitauit, qui libertate repetita Pontificem repugnantem affligerent, & infeſtum redderent, illud ſanè putans, vt Pontifex illorum petulantia vexatus Vrbe excederet, & ad ſe conuerteretur.

A LVDOVIcus Eccleſiaſticarū copiarū Dux auctoritate Pōtificis abutitur. Ludouicum à Fermo Melioratum, fratris filium, iuuenem triginta fermè annorum, audacem, & temerarium, copiarum Eccleſiaſticarum Ducem Innocentius Romæ alebat, qui auctoritate Pontificia in perniciem aliquorum abutebatur.

Anno 1405. Innocentius VII. ad colloquium primores aliquos Romanos inuitauit, benignè excepit, de concordia actum, pacis conditiones Ludouico à Fermo Meliorato remiſit, qui à Vaticano palatio ad valetudinarium S. Spiritus diuertentes pacis habendæ, & conſultandæ gratia adierunt vndecim, ex primoribus ciuibus capti, & occiſi, & per feneſtras eiuſdem valetudinarij corpora vita ſpoliata, iactata in publicum fuerunt, ob maius dedecus Romanorum, & quòd diceret, eo modo tolli ſeditiones, & ſchiſma, & non alio quidem poſſe: moleſtiſſime enim ferebat, à ſeptem viris Pontificem quotidie vexari. Hac autem ſæuitia, & inmanitate permotus populus Romanus, accito Ladiſlao Neapolitano Rege, arma capit, B ſupplicium de Ludouico ſumpturus. Verùm Pontifex declinaturus populi furorem nonis Auguſti, Viterbium cum Curia, & Ludouico, citato gradu proficiſcitur. Tum verò populus cum ſæuire in auctorem tanti facinoris non poſſet, in aulicos iram conuertit: quorum bona magna ex parte direpta ſunt, ſeruati quidam dicuntur in ædibus Cardinalium Romanorum, qui adiuuantibus clientibus, ægre tamen ad ſe confugientes tutati ſunt. populus furens in palatium Pontificium impetum fecit: capto deinde Capitolio, occupatoque ponte Miluio, arcem Hadriani oppugnare fruſtra conati ſunt, adiuuantibus etiam Romanis, Ioanne Columna, Troiæ Comite, Gentile Monterano Comite Carrariæ egregijs tùm copiarum ducibus, & Ladiſlai Regis auſpicijs militantibus. Verùm ſuperueniens Paulus Vrſinus mandato Pontificis, cum Moſtarda, & Cecholino turmarum Præfectis, in Pratis Neronianis, Ioannem Columnam, & reliquam Ladiſlai militiam fundit, ea res hactenus ex voto Ladiſlao C Regi ſucceſſerat, qui tamen copijs ſuis in Vrbem miſſis, iam occupare eam molitus, ab irato populo repellitur, nefarij Regis imperium detrectante. Cognita autem Pontificis in occiſione ciuium innocentia, & fraudem, aut mandatum ab eo Meliorati facto abfuiſſe, & tot malis circumuenti, & cum omnia plena graſſatoribus in agro Romano eſſent, & viæ à Latronibus vbique obſiderentur, ita vt homines, & eorum pecora abigerentur, reſidente etiam ira iam ante concepta, ſupplices Romani legatos ad Pontificem miſerunt, ſe ei ſubdentes, & claues ei Vrbis offerentes; vnde anno 1406. in Vrbem Pontifex venit, ſummis honoribus à Romanis ſubter pallium exceptus: die 13. Martij, Capitolium, quòd à Pontifice defecerat cum Senatu 23. menſis Auguſti ſe Papæ dedidit, ſaluis perſonis, vnde mœnia, & turris mercati euerſa: Ladiſlaum tot malorum auctorem, anathemate damnauit Pontifex, & Regno deinde priuauit. Rebus itaque hoc modo compoſitis, Romam veniēs Ordinationem vnam D menſe Iunio anno 1405. fecit, in qua 12. Cardinales creauit, quorum de numero fuit Angelus Corarius, patria Venetus, titulo ſancti Marci, Presbyter Cardinalis, in Pontificatu Gregorius XII. appellatus; Fr. Petrus Philargi, natione Cretenſis, Presbyter Cardinalis Baſilicæ ſanctorum duodecim Apoſtolorum, Alexander V. deinde vocatus; & Otho Columna, natus è Principibus Romanis, Diaconus Cardinalis ſancti Georgij in Velabro, qui poſtea Martinus V. eſt appellatus.

ALIQVOT ex primoribus Romanis à Ludouico interfecti.

POPVLVS Rō. arma cōtra Ludouicum ſumit.

INNOcētius Viterbium cum Ludouico accedit.

POPVLVS in Vaticanum Palatiū irruit.

PAVLVS Vrſin' Ladiſlai militiā fundit.

LADISlaus à populo repellitur.

ROMAnorum Legati ad Pōtificē miſſi Vrbis claues ei offerunt.

INNOcētius Romam veniens Ladiſlaū excōmunicat Regnoque priuat.


INNOcentij obitus. Confirmata autem ſuo Pontificatu pace, Ludouicum nepotem Agri Piceni Cardinalem creat, eundemque Firmanum Principem conſtituit; ipſe vero non diu poſt ſenex, & grandæuus, Romæ moritur, Pontificatus ſui anno ſecundo die 21. anno 1406. viij. Idus Nouembris; ſepeliturque in Baſilica S. Petri in ſacello, quòd olim Pontificibus dicatum erat, S. Thomæ titulo inſignitum, Pœnitentiariorum vſibus nunc præcipuè ſeruiens, quòd quidem vetuſtate, & ſitu E corruens, Nicolaus V. poſtea reſtituit, notato etiam hoc epitaphio in hominis ſepulcro.

INNOCENTIO VII. PONT. MAX.
CVM NEGLECTI EIVS SEPVLCRI
MEMORIA INTERIISSET
NICOLAVS V. PONTIFEX MAXIMVS
RESTITVI CVRAVIT.

Vacauit Sacroſancta, & Apoſtolica ſedes dies vigintiquatuor.

ORDINIS Fratrum S. Hieronymi inſtitutio. Ordo Fratrum Mendicantium ſancti Hieronymi, ſub regula S. Auguſtini à Iulio à Redone, Comite Montiſgrandis, & Gualtero Marſo inſtitutus, anno 1405.

F *SIGNA INNOCENTII PAPAE VII.*





ADDI-

ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

Pleſſæus venenatis maledicentię ſpiculis Innocentium VII. configere conatus eſt: at ſpiculorum cuſpides retuſæ, & ſpicula ipſa contracta, æneo, rectiùs, adamantino virtutum præſtantiſſimi Pontificis clypeo obiecto. Leonardus Aretinus, in Commentario rerum ſuo tempore geſtarum, & D. Ant. Innocentium ætate grandæuum, multarum, magnarumque rerum experientiam callentem, hic, loc. cit. pacificum, mitem, & á cædibus abhorrentem, Platina natura mitem, Cardinalis Aegidius Viterbienſis humani, Diuinique iuris peritiſſimum, dicendi, & perſuadendi ratione pollentem, Panuinius cunctis Max. & Opt. Pontificis dotibus ornatum, vitæ integritate, egregijs moribus, humanitate, doctrina, pietate, & liberalitate præſtantiſſimum, Binius bonarum literarum, Iuris Canonici, & Romanæ Curiæ peritiſſimum, mitem, bonum, pacificum, doctorum virorum ſummum fautorem, & amatorem, Genebr. iuriſperitum, comem, blandum appellarunt. Erubeſcant, abeantque in flammas mendaces, tabifici, virulenti, proſcriptique Niemi, & Pleſſæi calami, quos iuratos Romanorum Pontificum hoſtes rectiſſimè dixeris.

Pat. 3. hiſt. tit. 22. c. 4. §. 3.
In eius vita in Hiſt. 20. ſec. in eius elogio.
In eius vita t. 3 p. 1. Conc. lib. 4. Chron.

* *Sulmone.*] Gregor. XII. Bulla 3. pro ordine Eremitarum ſancti Aug. apud Emanuelem Rodericum, to. 1. Priuilegiorum Apoſtolicorum pro Regularibus (ſi tamen bulla illa Gregorij eſt) Coſmatum de Peruſio nominauit: in ea autem ſchiſmatis teterrimi, diuturnique Pontificum, & Pſeudopontificum ſeries deſcripta eſt.

Iuſtis petitionibus.

* *Archiepiſcopus Rauennas ...... mox Bononienſis Epiſcopus.*] Panuinius loc. cit. *ex Archiepiſcopo Rauennate, Epiſcopus Bononienſis, &c.* A Bononienſibus reiectus Bononienſem Epiſcopatum non inijt. Sigonius lib. 3. de Epiſcopis Bonon. Hier. Rubeus lib. 7. hiſt. Rauen. Vrbanus VI. Bononienſi Eccleſiæ, anno 1389. Coſmatum præfecerat; illo mortuo, Bonifacius IX. ei ſuffectus Decembri exeunte (Octobri menſe obierat Vrbanus, vt placet Sigonio) Cardinalem creauit: ita Sigonius: Rubeus, eodem die, quo a populo Bononienſi repudiatus fuit, eum in Purpuratorum Collegium adlectum, & Rauennatenſis Eccleſiæ adminiſtratorem inſtitutum ſcribit; Bononienſemque Cardinalem nominatum; quia Pileus Pratæ Comes Cardinalis Rauennas dicebatur; Pileo mortuo, anno 1400. Rauennatenſem Eccleſiam dimiſit, quam Bonifacius ſtatim Ioanni Meliorato Coſmati nepoti commiſit.

* *Cardinalium in Conclaui exiſtentium.*] Septem fuiſſe Cardinales electores Innoc. VII. teſtatur loc. cit. & in Chron. Panuin.

* *Corporeque gracili.*] Eius imago, æneis typis ad viuum delineata, apud Panuinium, gracile Innocentij corpus non refert.

* *Eo ventum ...... vt viliſſimus.*] Sunt verba Platinæ, paulò ante extulit laudibus Ciaconius Innocentium; at modo verba auctoris non laudantis recenſet.

* *Petro de Luna .... nequaquam abnuente.*] Hæc ex Platina hauſit; ſed omiſit hic quæ apud eumdem ſequuntur, & paulò inferiùs præpoſterè attulit. Platina addit: *Romanos ipſos Pontifex ad Ludouicum nepotem diuertentem apud Hoſpitale S. Spiritus in Saxia, tanquam ad certum carnificem miſerit.*

* *Ladiſlao.*] Præpoſtero videtur vſus ordine, accitus priùs a Romanis Ladiſlaus, vt paulò poſt, ex Platina, ſcribit auctor. Cardinalis Aegidius dixit. *Romani tanto ſcelere* (videlicet Ludouici Meliorati, qui nonnullos Romanos necauerat) *exciti Ladiſlaum accerſunt, ad arma concurrunt, Vrbem, & carnificem petunt; fugit Papa, &c.*

Loc. cit.

* *Capti, & occiſi.*] De hac re Platina, & Card. Aegid. loc. cit. Quidam Innocentium criminis Ludouici conſcium exiſtimarũt; ſed falsò: nam mitis erat, & pacis amans, De cæde Ludouici loquutus S. Antoninus, de Pontificis innocentia ſcribit. *Res tota eo* (Innocentio) *inſcio, tranſacta fuerat: vir erat vtique pacificus, & mitis, & á cuius lenitate nihil magis abhorrebat, quam cædes, & humani ſanguinis effuſio: mœſtus itaque ſe ſe, & fortunam deplorabat ſuam, oculos interdum ad cælum colens, quaſi Deum inuocaret teſtem ſuæ innocentiæ erga Populum Romanum.* De diſſidij incendio, quo tunc Roma flagrabat, etiam Leonardus Aretinus Romæ eo tempore degens; & D. Antoninus cap. 4. loc. cit.

Loc. cit.
Loc. cit.

* *Roma moratur ...... anno 2. die 21. anno 1406. &c.*] Ita Panuinius in Chron. anno 2. Pontificatus è ſocietate mortalium eum diſceſſiſſe, ſcripſit Platina: alij anno 1407. iij. non. Nouemb. *Sedit duobus annis, vel circa.* D. Antoninus.

Loc. cit.

* *Innoc. VII.*] Ita etiam Platina, at Panuinius in eius elogio. *Innoc. VII. P. M. quum neglectis eius ſepulcri memoria pene interiiſſet, Nicolaus V. P. M. inſtaurandam hic curauit.* Reſtituit Nicolaus V. collapſum ſacellũ Baſilicæ Vaticanæ Pōtificibus dedicatum.

* *Vacauit .... dies 24.*] Panuin. in Chron. & Genebr. lib. 4. Chronolog. dies 23.

* *Ordo .... S. Hieronymi.*] Caroli quondam Antonij Comitis Montiſgranelli, & ſociorum precibus, Innocentius VII. confirmauit regularem vitam Eremitarum S. Hieronymi. Vide Conſtit. Gregor. XII. 3. *Nonnullorum, &c.* tom. 1. Bullar.

Vrbis Imperium, Populo Romano mite reddito, recuperauit Innocentius. Vide Panuinium in eius elogio.

A Inito Pontificatu, legationem Bononienſem Balthaſſari Coſſæ confirmauit Innocentius, Sigon. lib. 3. de Epiſcopis Bononienſ. Regulam Fratrum, & Sororum de Pœnitentia ordinis S. Dominici approbauit vj. Kal. Iulij an. 1. Conſt. *Sedes Apoſtolica, &c.* to. 1. Bull.

Eiuſdem ordinis Fratribus indulſit, vt carentes Confeſſarijs Dominicanis, dum iter habent, alijs ſacerdotibus ſua crimina in ſacra confeſſione explicare, poſſint. Extat Conſtitutio tom. 1. Collectionis Priuilegiorum pro Regularibus Emanuelis Roderici.

Pontifex autem ea conditione creatus fuerat; vt, quotieſcunque ad ſchiſma extinguendum opus fuiſſet, Pontificiam tiaram, munuſque dimitteret; idque ante electionem, ſe, cum alijs, ſi deligeretur, facturum ſpoponderat. Indixerat Pontifex creatus Concilium Romæ celebrandum; at, ſeditione à Ghibellinis excitata, nullus Epiſcopus Romam tutò adire potuit. Vide Binium loc. cit.

V. D. Ant. p. 3. hiſt. tit. 22. c. 4.
T. 3. Côc. p. 2. in eius vita.

Quidam aiunt, dixiſſe Baptiſtam Campofulgoſum, Innocentium VII. non omiſiſſe prorſus Pontificias curas, & tamen ſucceſſiuas horas, quas tranſigere otioſus poterat, non, vt pius Pontifex, nonnullique alij ſtudijs dediſſe; ſed perſæpe putandis hortorum ſuorum arboribus impendiſſe: at Codex cuius Mediolani anno 1509. Innocentio Octauo id tribuit.

B

Lib. 8. Dictorum, & Factorum memor. cap. 1.

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI SOCIETATIS IESV.

POST Bonifacij IX. obitum, die Dominico, duodecima Octobris anni 1404. veſpere Cardinales nouem Conclaue apud S. Petrum in Vaticano ingreſſi ſunt. Horum nomina, vt habemus ex libris ſacri Collegij ſunt.

Cardinales Conclaue ingrediũtur. Felix Côtelorius in Elencho Pontificũ de Rom. Pont.

Florentinus Angelus Acciaiolus Epiſcopus Oſtienſis.

Monopolitanus Franciſcus Epiſcopus Sabinenſis.

C *Neapolitanus Henricus Epiſcopus Tuſculanus de Minutolis.*

Aquileienſis Antonius Caietanus ſanctæ Cæciliæ.

Coſmatus de Melioratis Sulmonenſis, Cardinalis Bononienſis tituli ſanctæ Crucis.

Angelus Neapolitanus de Summaripa ſanctæ Pudentianæ Cardinalis Laudenſis.

Chriſtophorus de Maronibus Romanus, ſancti Ciriaci Cardinalis Iſernienſis.

Raynaldus de Brancacijs Neapolitanus, ſancti Viti in Macello Diaconus.

Landulphus de Marramauris Neapolitanus, ſancti Nicolai in Carcere Tulliano, dictus Barenſis.

Abſentes erant Balthaſſar Coſſa in legatione Bononienſi, & Valentinus Cardinalis Quinqueccleſienſis in Hungarica.

Cardinales abſentes.

In eodem libro ſacri Collegij hæc notata ſunt: *Die Veneris 17.* D *Octobris hora 21. Dominus Coſmatus ſanctæ Crucis in Hieruſalem Cardinalis Bononienſis eligitur in ſummum Pontificem nomine Innocentij VII qua hora electionis pluit fortiter, nec antea per quatuor menſes, nec poſt per vnum menſem vnquam pluit. Die Martis, quæ fuit feſtiuitas S. Martini xi. Nouembris 1404. Innocentius VII. coronatur Romæ in gradibus S. Petri cum omnibus ſolemnitatibus, & demum ſubtracto thalamo per Canonicos S. Petri, acceſſit ad S. Ioannem Lateranenſem, & factis cum ordine ceremonijs, cũ magna lætitia reuerſus eſt ad palatium S. Petri.* Hæc ibi.

Innocentij VII. electio.
Coronatio.

Henricus tamen Spondanus in Annalibus Eccleſiaſticis ſcribit duodecim Cardinales viuentes fuiſſe in obedientia Romani Pontificis, quorum quatuor abſentes ab Vrbe, octo tantùm Conclaue ingreſſos, hoc ſe ſe iuramento aſtrinxiſſe, vt quis quis ipſorum Pontifex renunciaretur, liberè Pontificatu ſe abdicaret, quoties alterius obedientiæ Papa idem faceret, Schiſmatis tollendi cauſa. Ac licet E Rex Francorum Carolus confeſtim, vt audiuiſſet Bonifacij obitum, curſorem ad Cardinales miſiſſet cum literis, quibus rogabat differre ſucceſſoris electionem, donec honorabilem a ſe mittendam ad eos pro rerum accomodatione legationem accepiſſent; nihilominus fuit priùs omnium votis electus Coſmatus Melioratus, & dictus Innocentius huius nuncupationis Septimus, cunctis maximi, & optimi Pontificis dotibus ornatus, vitæ integritate, egregijs moribus, humanitate, doctrina, pietate, & liberalitate præſtantiſſimus, Eccleſiaſticæ libertatis, & ditionis aſſertor vnicus. Quem vt laudemus, ſatis fuerit dicere, laudari ipſum maximè à Niemo aliàs obtrectatore Romanorum Pontificum, vti mitem, probum, benignum, caſtum, non ſuperbum, non auarum, non cupidum, ſimoniæ oſorem, & expertæ in rebus agendis induſtriæ. Quamuis nonnihil eum carpat, F quòd ſuos properè diuitijs augere ſategerit, nempè vt familiam Melioratam melioraret.

Innocētij virtutes.

Cum autē audito Bonifacij deceſſu, Ladiſlaus Siciliæ Rex quam citiſſimè cum magnis copijs acceſſiſſet ad Vrbem, intendens operam dare, vt ad ſedem Petri eligeretur ſibi beneuolus, & amicus, & appellens repeiſſet iam Innocentium electum, honeſtiſſimam ſalutandi, & congratulandi cauſam ſui acceſſus prætexuit, ac ſe copias in fauorem Eccleſiæ duxiſſe, quò ad electionem faciendam liberiores forent Cardinales. Erat tamen reuera augendi Regni cupiditas, cum iam Apuliæ Regno ſub manus eius redacto in id potentiæ creuiſſet, vt planè formidabilis haberetur. Callidè autem in his progrediens, primò clam Romanos aduerſus Pontificem commouit, exiſtimans, In-

Ladiſlaus Rex Romã petit. Aegid. Viterbien. in Annal. Leonard. Aretin. in Comment.

A mans, Innocentium illorum petulantiam non ferentem ex Vrbe migraturum, & Romanos inde ad ſe conuerſum iri. Deinde ſimulans fauere Pontifici, conſtituit ſe quaſi mediatorem ad concordiam inter eos perficiendam; hac facta conuentione, vt gubernatio Vrbis in temporalibus penes populum reſideret, in manu videlicet decem virorum per eos vocandorum, illa autem pars, quæ dicebatur Leonina, ſcilicet circa S. Petrum Pontifici remaneret cum arce, S. Angeli, ac Senator Vrbis de voluntate Pontificis, & conſenſu populi aſſumeretur. Quæ tamen pacta diu non durarunt, ac Rex obtenta à Pontifice in triennium Campania, reuerſus eſt Neapolim.

Romani ſeditiosi Pontifici.

Interea conſiderans Innocentius, quanta mala, & damna tam ſedi Apoſtolicæ, quàm alijs Eccleſijs, ac locis, nec non Regno Siciliæ Ladiſlaus intuliſſet, ac inferre pergeret, bonis, & perſonis Eccleſiaſticis, Regularibus, ac ſecularibus, graſſationibus, exactionibus, nec item Proceribus Regni parcens etiam illis, quorum ope, & opibus Regnum obtinuerat, quin eos carceribus, exilijs, ſpoliationibus tyrannicè vexaret, nec paucos vita priuaſſet, omni ſpe depoſita illius emendationis, menſe Iunij in publico Cardinalium, Magiſtratuum, Prælatorum, Senatus, Populique Romani, & aliorum Conſiſtorio, propoſitis in eum diuerſorum criminum articulis ſexdecim, atque in primis periurij, proditionis, & conſpirationis in ipſum Pontificem, anathemate illum percuſſit, & Regno, ac terris, quas à Romana Eccleſia tenebat, priuatum, pœniſque, ac cenſuris ab Vrbano VI. olim contra Carolum eius patrem, ac poſteros latis irretitum declarauit, ac rem geſtam publicis ad Imperatorem, Reges, ac Principes Chriſtianos ſcriptis literis promulgauit. Quibus rebus percuſſus Ladiſlaus miſſo è veſtigio ad Pontificem Oratore, & obtentis aliquot dierum inducijs, mitti ad ſe Paulum Vrſinum nobilem Romanum, qui fidelem Pontifici ſemper operam præſtiterat, vna cum Ludouico Meliorato nepote Pontificis ad res componendas impetrans, ijs ab ipſo ſupra modum honoratis, & muneribus oneratis, ſimulatam aliquam concordiam confecit, iuſſo etiam caſtro S. Angeli, quòd per fraudem occupauerat, Pontifici reſtitui. Narrant hæc Niemus, & Aretinus, quorum nihil leges apud Collenutium, & Summontium rerum Neapolitanorum ſcriptores.

Ladiſlaus Eccleſiæ hoſtis.

Ladiſlaum anathemate percuſſit.

B

C

Cum verò accepiſſet Innocentius ex binis ad ipſum ſcriptis literis ab Vniuerſitate Pariſienſi, quæ Nuncij Benedicti retulerant de ijs, quæ Romæ tractaſſent, ac de ſua ipſorum captiuitate, reſcribens ad eam xiij. Kal. Martij anni 1405. in primis ſchiſma deteſtans, & ſe ad illud extinguendum parati ſſimum profitens, poſtea de Nuncijs ait, eos nullam aliam viam extinctionis eius obtuliſſe, quàm conuentionis duorum contendentium. Cumque morbis grauatus Bonifacius obijſſet, & Cardinales eius ab ijſdem Nuncijs ſciſcitantes, num mandatum haberent ad cedendum ex parte Benedicti, quoniam inter ipſos omnino decretum fuerat, ſi id habuiſſent, non procedere ad aliam electionem, quouſque ſuper extinctione ſchiſmatis prouiſum foret, audiſſent à Nuncijs eiuſmodi mandatum ſe non habere, ipſos, ne Eccleſia Dei diutius Paſtore careret, proceſſiſſe ad electionem, qua ipſe Innocentius creatus fuiſſet. Quòd verò de captiuitate Nuncij quererentur, eam proculdubio ipſiſmet imputandam eſſe, qui nolentes in Vrbe manere, vbi omnis ſecuritas præbebatur, maluiſſent abſcedere, & in eius manus incidiſſent, è quibus nec Cardinales, nec ipſemet Innocentius potuiſſet eos eruere in motibus vrbanis, qui mox eruperunt. Hæc Innocentius ad Vniuerſitatem; eademque ix. Kal. Maij eiuſdem anni ad Ducem Bituricenſem patruum Regis ſcripſit; cum is etiam Romam miſiſſet ad rei geſtæ veritatem inquirendam.

Schiſma extinguere cupit.

S. Antoninus.

D

Scripſit Innocentius Epiſtolas quaſdam ad diuerſos ex Andrea Ducheſnio in vita, & Fr. Luca Vvaddingo in tomo 5. Annalium Minorum, quarum vna tempus officij Miniſtrorum prouincialium in Seraphica familia, & Abbatiſſarum S. Claræ ordinis præſcripſit.

Epiſtolas varias ſcripſit.

E

Mitram Pontificalem dono dedit Eccleſiæ Sulmonenſi, ac ſequentes ad Clerum eiuſdem Vrbis literas dedit.

Donis pretioſis cumulat Eccleſiam Sulmonenſem.

INNOCENTIVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei.

Dilectis filijs Capitulo Eccleſiæ Sulmonenſis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Ferdinand. Vghel in Ital. ſacra.

Eccleſiam Sulmonenſem Apoſtolicæ ſedis filiam ſpecialem, & peculiari quadam ſubiectione deuotam, in qua Chriſti veſtem, & fidei rudimenta ſuſcepimus, ſingulari beneuolentia proſequentes dignum duximus neceſſitatibus proſpicere, & vtilitatibus prouidere, ne eadem Eccleſia, quæ temporalibus fulcitur honoribus, in ſpiritualibus contemptibilis habeatur. Hac igitur conſideratione ducti, Mitram vnam Pontificalem perlis, & lapidibus pretioſis intextam ad vſum dictæ Eccleſiæ, & quæ debeat in ea perpetuò conſeruari pro diuino cultu, & Eccleſiæ veſtræ decore per dilectum filium Iacobum Caputgraſſum adminiſtratorem Monaſterij S. Ioannis in Venere, ex dono Apoſtolicæ largitatis Vobis præſentialiter deſtinauimus, deuotionem veſtram hortantes, quatenus quamprimum acceperitis dictam Mitram, Nobis per Veſtras literas intimare curetis. Dat. Viterbij, iij. non. Octobris Pontificatus anno 1.

Iuſſit Innocentius teſte Bartholomæo Gauanto in Theſauro ſacrorum rituum, ſymbolum recitari in Miſſæ ſacrificio diebus ſacris S. Ioanni Baptiſtæ, & S. Laurentio Martyri, quando die Dominico

Symbolum in feſtis diebus aliquibus recitari iubet.

A eorum feſtiuitates fideles celebrant. Sanctiſſimam Dei Matrem, Virginem Mariam præcipuo, ac particulari cultu ſemper coluit, cuius Conceptionem immaculatam ſingulari affectu ita piè coluit, vt Doctorem quendam Theologum nomine Ioannem Monteſonem, qui in ſuis concionibus affirmarat in peccato fuiſſe conceptam, inſtante ad hoc Pariſienſi Gymnaſio reprehenderit, & vt palinodiam caneret, coercuerit, vti referunt ex Roberto Gaguino ordinis ſanctiſſimæ Trinitatis generali Magiſtro in hiſtoria Francorum Doctor Luzerus de Conceptione, Ioannes Baptiſta Lezana in Apologetico pro Conceptione, Mauritius Hilaretus in Homilijs, & Hippolytus Marraccius in Pontificibus Marianis.

Deiparam Virginem colit.

E vita migrauit Innocentius ſeptuagenarius ex apoplexia Romæ die Sabbati 6. Nouembris, hora vigeſima anno 1406. vt dictum eſt ſupra à Ciaconio.

Obitus.

Bernardinus Scardeonius in libro 3. ſuæ Hiſtoriæ lepidam de Innocentio VII. hiſtoriam narrat: Andreas Mantineus celebris illius æui Pictor, Innocentij iuſſu ſacellum Pontificium in Vaticano picturis ornare, opulentæ remunerationis ſpe illectus aggreſſus fuerat. Opus quòd in dies creſcebat, ſingulis ferè diebus Pontifex ſummis laudibus celebrabat; pictor tamen auri æquè, ac laudum cupidus, nihili Pontificis laudes ſine auro faciens, ira ſuccenſus, & moræ impatiens miro artificio iniuriam illam tali modo proſequi meditatus eſt. Iuſſerat Pontifex, vt ſeptem capitalia peccata, in certa ſacelli parte coloribus exprimeret; ille ſpatium circumſcriptum cum menſus fuiſſet, loco ſeptem octo ſpatia ſtabiliuerat. Miratus Innocentius, illico quale monſtrum ſeptem alijs ſimile in octauo ſpatio pingere in animo ſibi eſſet, petijt: Cui Pictor, in octauo hoc ſpatio efferuni ingrati animi monſtrum omnium vitiorum turpiſſimum collocare decreui. Pontifex Pictoris mentem aſſecutus, ſubridens reſpondit, placet nouitium inuentum, placet vt exprimas ingrati animi vitium, ſed proximam illi collocabis patientiã, virtutum omnium reginam; deinde larga manu perfectum opus multo argento, & auro repẽdit.

Innocentius larga manu Pictoris opus rependit.

B

C

PRIMA CREATIO CARDINALIVM

Innocentij Papæ VII.

Anno reparatæ ſalutis 1405. Pontificatus Primo, pridie Idus Iunij, die Veneris Romæ apud S. Petrum Innocentius VII. Romanus Pontifex Cardinales duodecim renunciauit, qui fuerunt.



I.

CONRADVS Caracciolus nobili genere Neapoli ex Nidi Curia ortus, ad Romanam Curiam ſedente Vrbano huius nominis Sexto in Petri Cathedra acceſſit, à cuius ſucceſſore Bonifacio IX. cum Eccleſiæ S. Stephani propè Aquileiam præpoſitus fuiſſet, Subdiaconus Apoſtolicus, & Procamerarij munere functus eſt, vt ex libro 5. Obligationũ Vrbani VI. liquet, deinde anno 1402. vj. nonas Octobris Archiepiſcopus Nicoſienſis in Inſula Cypri, poſtea Melitenſis Epiſcopus, cum eiuſdem Archiepiſcopatus commẽdatione renunciatus eſt. Hunc Innocentius VII. cuius Procamerarius fuerat, S. R. E. Camerarium, & Presbyterum Cardinalem titulo S. Chryſogoni dixit. A cuius ſucceſſore Gregorio XII. maxima ei poteſtas conceſſa fuiſſe traditur, vt Apoſtolicæ ſedis nomine Paulum Vrſinum Principem Romanum ſub certis conditionibus, Romanæ Eccleſiæ ſtipendijs duceret, quando à Ladiſlao Neapolitano Rege impiè vexata, graui ſeruitutis iugo premebatur. Cum Gregorio Senas acceſſit, ſed paulò poſt illo deſerto, cum Piſas ad Concilium acceſſiſſet ab eo citatus inane Pontificis edictum contempſit, & cum ceteris Cardinalibus Alexandri V. Comitijs interfuit, a quo nobili in Galliam Ciſalpinam legatione, vt aliquot oppida nutantia in Eccleſiæ Romanæ fide confirmaret, honeſtatus rem proſperè geſſit. Verùm Gregorius cum ſe deluſum à Caracciolo vidiſſet, eum Melitenſi, alijſque Sacerdotijs ſpoliauit: ab Alexandro V. Vrbeuetanæ Eccleſiæ perpetuus Adminiſtrator aſcitus eſt.

Ciaconius

Panuinius de Rom. Pontif.

Aug. triũphi monumenta.

Scipio Ammirat. de familia Neapol.

Aubery in vita.

Briſeus in Inſtar.

D

E

Sub Ioanne XXII. dicto XXIII. anno à partu Virginis 1411. xv. Kalen. Martij ex Ciaconio, alijſque, ex Contelorio verò die 25. Februarij diem clauſit extremum Bononiæ; & in Cathedrali ſepultus, vbi adhuc in marmore hæc ſpectatur Inſcriptio.

Diarium ſacri Collegij.

Ferdinãd Vghel in Ital. ſacra.

F

CONRADO CARACCIOLO NEAPOLITANO
TITVLI S. CHRYSOGONI
PRESB. CARD. S. R. E. CAMERARIO
BONONIAE LEGATO
SVPREMAM VITALIS STADII METAM EMENSO
XV. KAL. MARTII MCCCCXI.

Franciſcus Petrus in Chronologia familiæ Caracciolæ, hunc ex

Apud Victorel. in Addit. ad Ciaconiũ.

A

30.

NONA CREATIO PSEVDOCARDINALIS.

Anno à partu Virginis 1389. Antipontificatus XI. ante diem vj. Idus Nouembris Auenione Clemens VII. Pſeudopontifex alterum creauit Pſeudocardinalem, qui fuit.



XXXI.

Io: Cheru.

Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana.

IOANNES de Thalaru, natione Gallus, cuius nobiliſſima familia ex Andrea Victorello adhuc in Lugdunenſi prouincia floret, ex Archiepiſcopo Lugdunenſi ad petitionem Caroli VI. Francorum Regis à Clemente Septimo Pſeudopontifice abſens B renunciatus eſt Presbyter Cardinalis ex Ciaconio anno 1389. ſeu vt refert laudatus Victorellus ex Annalibus, & m.s. Archiuij Lugdunenſis Eccleſiæ, anno 1378. In Annalibus Victorinus vir doctus, & probus appellatur. Legimus etiam anno 1376. die tertia Martij Lugduni Concilium Prouinciale habuiſſe, vt ſuæ ſedis, ac Primatus exordio ſuum in reformandis Eccleſiaſticorum animis Lugdunenſi populo zelum oſtenderet, ſuamque dignitatem, & officium feliciùs auſpicaretur.

In viuis eſſe deſijt viij. Kalen. Octobris anno 1392. non in Benedicti XIII. vt ſcripſit Petrus Frizonius, ſed in Clementis VII. obedientia, Clemens enim VII. vitam produxit ſuam, vſque ad annum 1394. vt diximus ſupra, & Benedictum XIII. habuit ſucceſſorem in C Schiſmate. Iacet in ſacello ſancti Petri in Eccleſia Cathedrali Lugdunenſi.

In Archiuijs Eccleſię Lugdunenſis in magno mortuorũ libro, extat quæ ſequitur huiuſce Ioannis Cardinalis memoria. *Anniuerſarium R. D. Ioãnis de Thalaru Cardinalis, & Archiepiſcopi ad opus eiuſdem Eccleſiæ, & Capella S. Petri ibi fundata, in qua fuit ſepultus. Fundauit ibi qualibet die vnam Miſſam ſuper bonis patrimonialibus Bellicaſtri, & de Vallibus; pariterque in feſto S. Annemundi: fundauit alium ſocium Sacriſtæ S. Stephani ad iuuandum miniſtrando luminaria, & neceſſaria altari.* Hactenus liber ille.

Scutum familiæ de Thalaru bipartitum miniatum, & cyaneum, tænia muricata expreſſum, quòd ab allato olim à Ciaconio differre ſcripſit Victorellus.

D

DECIMA CREATIO PSEVDOCARDINALIS.

Anno reparatæ ſalutis 1390. Antipontificatus XII. decimo Kalend. Auguſti Auenione Clemens VII. Pſeudopontifex vnum creauit Pſeudocardinalem, qui fuit.



XXXII.

Ciaconius

Ioann. Tamayus.

Salazar in Martyrol. Hiſpanico

MARTINVS Salua, aliàs Zalba, Nauarrus, Ciuis, & ſecundus huius nominis Epiſcopus Pampilonenſis, Decretorum Doctor, & Clementis Referendarius, Presbyteris Cardinalibus titulo S. Laurentij in Lucina E ab ipſo Clemente adſcriptus eſt. Interfuit Comitijs, & pro Benedicto XIII. ſuffragium tulit, à quo legatus ad Regem Galliarum, Benedicti partes ſuſtinuit, ac defendit contra Regem Galliarum, à quo cum alijs duobus Pſeudocardinalibus in cuſtodiam traditus eſt. In libertatem deinde vindicatus ad Eccleſiam Pampilonenſem ſe contulit, in qua Synodum celebrauit ad Eccleſiaſticorum deprauatos mores corrigendos. Inter hæc à Carolo huius nominis Tertio Nauarræ Rege ad Regem Galliarum miſſus è vita exceſſit Auenione, ſeu vt refert Balthaſſar Porregnus in m. ss. elogijs Cardinalium Hiſpanorum in oppido prouinciæ Narbonenſis vj. Kalen. Nouembris anno 1403. iacet ſepultus Auenione in Eccleſia S. Mariæ de F Bonopaſſu ad Carthuſianos, cum hac ſepulcbrali Inſcriptione.

D. O. M.

Hic requieſcit Reuerendiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus D. MARTINVS DE SALVA, Nauarrus de Ciuitate Pampilonenſi oriundus, primo Decretorum Doctor, poſtmodum Referendarius per D. Gregorium Papam XI. deinde Epiſcopus Pampilonenſis factus, demum titulo S. Laurentij in Lucina Presbyter Cardinalis per D. Clementem Papam VII. aſſumptus. Qui obijt die 27. menſis Octob. anni 1403.

Cuius anima requieſcat in pace Amen.

A

VNDECIMA CREATIO PSEVDOCARDINALIVM.

Anno eodem 1390 Antipontificatus XII. menſe Octobris, apud Bellocadium Arelatenſis Diœceſis Clemens VII. Pſeudopontifex duos Pſeudocardinalibus adſcripſit, qui fuerunt.



XXXIII.

IOANNES Flandrini Gallus, Archiepiſcopus Auxitanus Presbyter primò Cardinalis titulo ſanctorum Ioannis, & Pauli, aliàs Pammachij à Clemente VII. poſtea Epiſcopus Sabinenſis à B Benedicto XIII. Pſeudopontificibus effectus eſt. Quem licet à Collegio ſuo deſertum, & damnatum, nunquam reliquit, ſed in eius obedientia ante Concilij Conſtantienſis ſententiam poſt annum 1405. lucis vſura priuatus eſt. Huiuſce extat memoria ex Claudio Roberto in Catalogo Archiepiſcoporum Auxenſium in dedicatione Capellæ Biturιcenſis anno 1405.

Ciaconius

Pet. Frizõ. in Gallia Purpurat.



XXXIV.

PETRVS Gerardi de Podio natione Gallus, patria Lemouicenſis, ſeu vt alijs placet, C Delphinas, natus, vt aiunt, in oppido S. Symphoriani inter Lugdunum, & Viennam, ex Epiſcopo Lodeuenſi primùm, deinde Podienſi, aliàs Anicienſi Presbyteris Cardinalibus titulo S. Clementis, ſeu vt ſcribit Ferdinandus Vghellus titulo Eudoxiæ, aliàs S. Petri ad Vincula à Clemẽte, demũ à Benedicto XIII. ſucceſſore Epiſcopis Tuſculanis anno 1402. adſcriptus eſt. Quem poſtea in Schiſmate pertinacem deſeruit, atque ad Piſanum Concilium confugit, in quo legitimè delata Petro purpura eſt cum Epiſcopatu Tuſculano. Maioris Pœnitentiarij munere functus eſt ſub Alexandro V. quem verum Pontificem promouendum curauit, fouit etiam Comitia, in quibus Ioan- D nes XXIII. ſubuectus eſt ad ſupremum in Eccleſia thronum. Auenione deceſſit anno 1415. ex Ciaconio, ſeu ex literis Benedicti XIII poſt annum 1417. die autem 16. Aprilis 1417. quo datæ ſunt Benedicti literæ adhuc viuebat. poſt obitum in Cathedrali mandatus ſepulchro.

Ciaconius

Panuinius

Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana.

DVODECIMA CREATIO PSEVDOCARDINALIS.

Anno Dominica Incarnationis 1391. Antipontificatus XIII. decimo ſexto Kal. Maij Auenione Clemens VII. Pſeudopontifex, vnum nominauit Pſeudocardinalem, qui fuit.



XXXV.

GVILLELMVS de Vergy Gal- E lus, Ioannis de Vergy Seneſchalli Burgundię, & Aegidiæ, aliàs Giletæ de Vienna filiæ Guillelmi de Vienne Domini à ſancto Gregorio, & à Sanctacruce filius, Archiepiſcopus Biſuntinus Philippum Burgundiæ Ducem excõmunicationis vinculo obſtrinxit, eo quòd contra iura vetera Ciuitatis Biſuntinæ monetam Aronæ cuderet, qua de cauſa Graci commorantem obſedit Philippus; ſed de ſuorum conſilio furori Philippi Ducis cedens, Auenionem ſe recepit ad Clementem VII. à quo Cardinalitijs infulis titulo F S. Cæciliæ ornatus eſt; poſt Clementis obitum, Benedicti XIII. partes bona fide ſecutus eſt. Exceſſit è vita Auenione anno 1407. & in ſua Metropolitana in Sacello Diui Nicolai ſepultus dicitur.

Ciaconius

Iacob. Chifflet.

Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

Pet. Frizõ. in Gallia Purpur.

Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana.

DECIMATERTIA CREATIO PSEVDOCARDINALIVM.

Anno à Chriſto nato 1394. Antipontificatus XVI. jx. Kalend. Februarij Auenione Clemens Septimus Pſeudopontifex alios creauit Pſeudocardinales, qui fuerunt.

Ciaconius
Ferdinand Vghel. in Ital. ſacra
Henricus Spondan' in Annal. Eccleſiaſt.
Felix Cōtelorius in Elencho.

XXXVI.



PETRVS Fernandi Frias, ſeu de Frigidis Hiſpanus, Epiſcopus Auximenſis, ſeu Oxamenſis in Hiſpania, Presbyteris Cardinalibus titulo S. Praxedis à Clemente VII. Pſeudopontifice, deinde Epiſcopis Sabinenſibus à Ioanne XXIII. adſcriptus eſt. Is Benedicti XIII. partes poſt obitum Clementis quondã ſecutus eſt; ſed Concilio Piſano adhærens, illum reliquit; quare innumerum legitimorum Cardinalium à Concilio receptus: interfuit Comitijs Alexandri V. à quo Vrbis Legatus renunciatus eſt. Sed in itinere audita Pōtificis morte Bononiam redijt, & in Comitijs ibidem habitis ſuffragium pro Ioanne XXIII. tulit, à quo continuationem in legatione Vrbis obtinuit, quam retinuit vſque ad ipſius Pontificis ad Vrbem ipſam aduentũ; illa functus legatione renunciatus eſt S. Petri Archipresbyter. Conſtantienſi etiam interfuit Cōcilio inter electores Martini III. aliàs V. quo ſedente, Florentiæ deceſſit 5. Idus, ſeu 19. Septembris die Lunæ anno 1420. & ſepultus in Templo S. Mariæ Angelorum. Balthaſſar Porregnus in Elogijs Cardinalium Hiſpanorum ſcribit huiuſce Cardinalis cadauer Florentia tranſlatum in Hiſpanias ſepulturam habuiſſe in Eccleſia Principe Burgenſi. Idem affirmat Ioannes Mariana in Hiſtoria Hiſpanica, his verbis. *Florentia in Hetruria Petrus Frias Hiſpanus Cardinalis deceſſit. corpus in Hiſpaniam relatum, Burgis in Templo maximo tumuli honorem habuit.* Additq. *ex obſcuro genere, tenuique fortuna, conſpicuam formam, induſtriam atque dexteritatem, Regum gratiam Henrici, Ioannisque ad ampliſſimos honores illum euexiſſe. mediocris ſtatura fuit, turpis vita, auaritia ſordibus, atque libidine, vitiata accidit, vt Burgis cum Segobienſi Epiſcopo Io: Tordeſilla vexaretur cum Cardinalis è familia quidam fuſte eodem die dolauit. atrocis facinoris inuidia penes herum ſtetit, quamuis inſciam; vti is poſtmodum eſt confeſſus, qui tetri facinoris patrator fuit; ſed expoſtulantibus tamen Proceribus ſuperbiam hominis immodici, & priſtina fortis oblitis edomandam. in Italiam Cardinalis abſcedere fuit compulſus. pecunia, cuius vim magnam ſtruxerat ab Rege occupata; quæ præcipua cauſa extitit exilij maturandi. ſic pereunt malè, perduntque theſauri prauis ſtudijs quæſiti: viris ſacratis nullum certius, quam in pietate præſidium. an in exilio, in quo vita reliquum exegit, mutarit, nil compertum habemus. huius opus eſt nobile Cœnobium Spegia Religioſis viris ordinis S. Hieronymi à fundamentis erectum, dotatumque annuis redditibus.*

Ciaconius
And. Victorel. in Addit. ad Ciaconiũ.

XXXVII.



LVDOVICVS Allobrox ex familia Militũ de Pondeuax in prouincia Breſſia vulgò appellata, Epiſcopus Maurianenſis (Mauriana nomen eſt vallis ad Alpes Cottias titulo Comitatus inſignis, Sabaudiæ Ducatu contenta habens Vrbem ſancti Ioannis de ſuo nomine cognominatam, ſanctus Ioannes de Mauriana, ad Arcum fluuium ſitam ſub Archiepiſcopatu Viennenſi) inter Presbyteros Cardinales titulo ſancti Cæſarij à Clemente VII. cooptatus eſt. De hoc nulla mentio apud Claudium Robertum in Catalogo Epiſcoporum Maurianenſium neque in libris ſacri Collegij; incertum quo tempore è vita exceſſerit.

Gentilitia eius Inſignia, quæ olim Ciaconius in priori editione in medium attulerat, alia erant ab his, quæ ſupra expreſſimus, cum certò ſciamus, familiam Militum de Pondeuax his, & non illis ornari; ideò illis relictis, hæc expreſſimus.

XXXVIII.



IOANNES de Rupecauardi Gallus antiquo, & nobili natus genere è Dominis de Charos in Biturigibus, Biturigenſis primò, deinde Arelatenſis Archiepiſcopus, à Clemente VII. renunciatus Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, animam efflauit ex Frizonio anno 1402. Claudius tamen Robertus ſcribit, è vita migraſſe anno 1391. quare non in vltima Pſeudocardinalium enunciatione, ſed in antecedentibus hic recenſendus videtur.

Aliqui tamen hunc non diſtinguunt à Ioanne de Broniaco, aliàs Armet, de quo nos ſupra numero 25. Petrus Frizonius licet illos diuerſos agnoſcat, ſcribit tamen, Ioannem hunc ſucceſſorem habuiſſe in Arelatenſi Eccleſia Artaudum quendam, qui reuera ex Claudio Roberto ſucceſſit Ioanni de Broniaco: fides ſit penes illos. Nulla de hoc mentio in libris ſacri Collegij.

Geſſit Ioannes de Rupecauardi in ſcuto, teſte Frizonio ſenas vndas miniatas, & argenteas.

CANCELLARIVS S. R. E.
ſub Clemente VII. Antipapa.

Petrus de Monteruco, Presbyter Cardinalis tituli ſanctæ Anaſtaſiæ à principio, vſque ad finem Antipontificatus.

PSEVDOCARDINALES MORTVI
ſub eodem Antipapa.

Mag. Fr. Nicolaus de S. Saturnino Gallus, ordinis Prædicatorũ Presbyter Cardinalis S. Sixti obijt, die 23. Ianuarij, anno 1382.

Petrus de Barreria, Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctorum Petri, & Marcellini, die 13. Iunij, anno 1383.

Haymericus de Manaco, Gallus, Presbyter Cardinalis ſancti Euſebij, die 21. Martij, anno 1385.

Petrus de Lucemburgo, Diaconus Cardinalis ſancti Georgij in Velabro, die 5. Iulij, anno 1387.

Iacobus de Viſs, alias de Itro Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Priſcæ, anno eodem 1387. ſed incertum quo menſe, ex literis tamen Clementis VII. habemus illum è vita exceſſiſſe, die 30. Martij, anno 1393.

Ioannes Rotlandi, Gallus, Presbyter Cardinalis, die 17. Septembris, anno 1388.

Petrus Amelij, ſeu Aiſcelini de Monteacuto, Gallus, Monachus ſancti Benedicti, Presbyter Cardinalis ſancti Marci. die 8. Nouembris, anno 1388.

Petrus de Croſſn, Monachus ſancti Benedicti, Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctorum Nerei, & Achillei, die 16. Nouembris, anno eodem 1388.

Fr. Thomas de Claſſe, aliàs Claſſaco, Monachus, Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Sabinæ, die 18. Maij, anno 1390.

Petrus Soracenacus, Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Mariæ Transtyberim, poſtea Epiſcopus Sabinenſis, die 16. Auguſti, anno eodem 1390.

Cuncterus, Gometij de Luna, Hiſpanus Presbyter Cardinalis ſanctorum Ioannis, & Pauli, die 13. Ianuarij, anno 1391.

Iacobus de Montemayo, Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctorum Petri, & Marcellini, ſeu ſancti Clementis, die prima Maij, anno eodem 1391.

Faiditus de Agrifolio, Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctorum Syluestri, & Martini, die 2. Octobris, anno item 1391.

Ioannes de Thalaru, Gallus, Presbyter Cardinalis, die 24. Septembris, anno 1392.

Petrus de Fitigouco, Gallus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Aquiro, die 5. Nouembris, euiſdem anni 1392.

BONIFACIVS IX. PONT. CCV.

ANNO DOMINI MCCCLXXXIX.





IN NOMINE DEI, ET SALVATORIS Noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen.

A POSTRIDIE Obitus Vrbani VI. ad xvij. Kalend. Nouembris, Romæ in Baſilica Vaticana Nouemdialibus ſacris celebrandis Patres initiū dederunt, die proximo Miſſa Spiritus ſancti more ſolemni decantata, ijdē Comitium ineunt, primo ſcrutinio 14. Cardinalium vota ſciſſa ſunt, ſex enim Cardinales Florētino, qui Pōtificatū ambiebat, & totidem Poncello Vrſino ſuffragabantur, inſtauratis Comitijs perſuaſione Cardinalis Carbonis ad iv. nonas Nouembris anno 1389. Romanum Pontificē deſignant Petrum, vel Petrinum Tomacellum Neapoli, BONIFACIJ electio nobili, ex Nidi Coma, forte præditum quanquam facultatibus tenuem, qui Romam, Vrbani VI. tempore veniens ab eo Acolythus, & Prothonotarius Apoſtolicus primùm, deinde Diaconus Cardinalis S. Georgij in Velabro, poſtremo Presbyter Cardinalis ſanctæ Anaſtaſiæ creatus fuerat, annum agens 45. à prandio Pontifex, BONIFACII nomine, renunciatus, ſedit Vencellao, Roberto, & Friderico Cæſaribus annos 14. menſes vndecim.

Anno Dom. Natiuit. 1389. iv. Idus Nouembris, Bonifacius CONSECRATIO, & Coronatio Papæ Bonifacij Papa IX. Romæ in Baſilica Vaticana conſecratus eſt, & ante gradus eiuſdē Baſilicæ Coronationis ſuæ inſignia ſuſcepit, per manus Thomæ Vrſini de Manupello S. R. E. Archidiaconi, præſentibus Cardinalibus, & Epiſcopis, Clero, & Populo Romano, eodem die Lateranū præ gaudio, proficiſcitur, innumeras plumas nihil curans.

CARDINALES XIV. PRAESENTES quando Bonifacius IX. Papa factus eſt.

Hi omnes Cardinales ab Vrbano VI. Papa creati ſunt.

EPISCOPVS CARDINALIS I.

1. Franciſcus Moricottus de Vico, ciuis, & Archiepiſcopus Piſanus, Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus.

PRESBYTERI CARDINALES VII.

2. Poncellus Vrſinus Romanus, Presb. Card. titulo S. Clementis, S.R.E. Archipresbyter, ſeù primus Presbyterorum.
3. Andreas Bontempus, ciuis, & Epiſcopus Peruſinus, Presbyter Card. tit. S S. Petri, & Marcellini, Marchiæ Legatus.
4. Stephanus Paloſius Romanus, Epiſcopus Tudertinus, Presbyter Cardinalis tit. ſancti Marcelli, Papæ Vicarius.
5. Angelus Acciaiolus Florentinus, Presbyter Cardinalis ſanctorum Laurentij, & Damaſi.
6. Franciſcus Carbonus Neapolitanus, Epiſcopus Monopolitanus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Suſannæ ad duas Domos, Maior Pœnitentiarius.
7. Petrus Tomacellus Neapolitanus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Anaſtaſiæ.
8. Ioannes Stephaneſcus Romanus, Presbyter Cardinalis tituli ſanctæ Cæciliæ.

DIACONI CARDINALES VI.

9. Thomas Vrſinus de Manupello Romanus Diaconus Card. S. Mariæ in Dominica S. R. E. Archidiaconus.
10. Ludouicus de Fliſco Genuenſis, Electus Epiſcopus Vercellenſis, Diaconus Cardinalis ſancti Hadriani.
11. Marinus Bulcanus, Neapolitanus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ Nouæ, S. R. E. Camerarius.
12. Franciſcus Rennus, Alliphanus, dictus de Allipha, Diaconus Card. S. Euſtachij, iuxta Thermas Agrippæ.
13. Raynaldus Brancacius Neapolitanus, Diac. Card. SS. Viti, & Modeſti in macello Martyrum.
14. Fr. Angelus de Anna, Neapolitanus, Electus Laudenſis, Monachus Camaldulenſis, Diaconus Cardinalis ſanctæ Luciæ in Septiſolio.

CARDINALES ABSENTES.

Philippus de Alenconio, Gallus, Patriarcha Aquileienſis, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus, Decanus. C

Valentinus Hungarus, Epiſcopus Quinqueeccleſienſis, Presbyter Cardinalis ſanctæ Sabinæ in Auentino.

Pileus de Prata Concordienſis, Foroliuienſis, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Praxedis.

Eleazarus de Sabrano Italus Epiſcopus Theatinus, Presbyter Cardinalis titulo S. . . . .

Adam de Eſton Anglicus, Epiſcopus Londinenſis, Presbyter Cardinalis tituli S. . . . .

Duo poſteriores Cardinales abfuerunt, quia erant ab Vrbano VI. Papa Cardinalatu priuati, igitur Cardinales 14. præſentes quos Vrbanus Sextus Papa creauerat, quinque alij abfuerunt.

D Bonifacium IX. procera quidem ſtatura fuiſſe, ac decorū vultu, ſingulariq. humanitate præditū ferunt, mediocriter doctus, iuuenis ætate, modeſtiſſimus tamen, atque continentiſſimus fuit, vt iuuentutem cum ſenectute permutaſſe videretur, quòd ſine magna doctrina, etiam magnæ res, ac præclaræ ab hominibus geruntur.

In ampliſſimo Magiſtratu conſtitutus multa egregia Pontificis ſigna, & documenta dedit. Annum Iubileum ab Vrbano VI. Papa ad 33. annum redactum anno 1391. qui fuit tertius ſui Pontificatus celebrauit, & Romæ primo ſui Pontificatus anno, primam Cardinalium creationem fecit.

Anno ſui Pōtificatus Primo, Reate in Sabinos profectus, in aduerſam valetudinem incidit, ex qua vix mortem euaſit, inde Ro-

BONIFAcius duos fratres, alterū Ducē, alterū Marchionem conſtituit.

A mam rediens ad quartum Pontificatus annum fratres duos, quos habuit, Ioannem, & Andream, alterum Ducem Spoletinum, & Comitem Soræ, alterum agri Piceni Marchionem conſtituit. Quibus à Ladiſlao Soranam Toparchiam, & aliquot oppida in Regno, centum millibus aureorum emit; ſororem in matrimonium Comiti ſancti Flauiani, quem poſtea Arduæ Ducem creauit, dedit, cum 107. millium aureorum dote, qui aliquando iratus, vxorem gladio tranſuerberauit.

Rigam, Pruſſiæ Vrbem, quæ hactenus in Archiepiſcopi Regienſis poteſtate, & ditione fuerat, commutato quindecim millium aureorum pretio, magiſtro Hoſpitalis Theutonicorum vendidit.

CAROLO IV. Imp. Vinceſlaus filius ſuccedit.

Succeſsit tùm Carolo Imperatori Romano Vinceſlaus filius, à quo Ioannes Galeatius Vicecomes Mediolanenſis Ducatus titulum accepit, miſſo Oratore Petro Philargo Mediolanenſi Archiepiſcopo, qui poſtea Pontificatum Romanum adeptus, Alexander V. eſt appellatus.

B Galeatius ſtrenuos Duces copijs præficiens, oppugnare Florentiam adortus eſt, vnde crebris incurſionibus tùm agros, tùm ciuitatem Florentinam continuò vexabat, cædibus, rapinis, incendijſque omnia complens, anno 1397. Quo quidem tempore Bonifacius Pontifex Perusium ſe contulit, nobilitatem plebeijs Raſpantibus conciliaturus, ſed plebs præſente Pontifice, præter fidem datam, arma capiens, interfectis ad 80. ex Optimatibus, Beordum, & Michelorum plebeiarum partium Principes in Vrbem intromiſſos, dominos conſtituit, ob quam rem indignatus Pontifex Peruſio diſcedens Aſsiſium venit.

BONIFAcius Peruſiū ſe cōferēs, inde Aſſiſium venit.

Gerardus cum retinere Piſas in poteſtate ſua non poſſet, ob ſeditiones à Florentinis excitatas, Vrbem ipſam Galeatio Vicecomiti vendidit, anno Domini 1399. Plumbino oppido tantummodo ſibi, & ſuis retento.

LEGATI populi Romani Bonifacium adeunt, vt Romam veniat.

C Bonifacium Aſſiſij agentem, Legati populi Romani adeunt, rogantque, vt Aſſiſio Romam proficiſcatur. Qui id etſi magnopere perciperet, tamen diſsimulato eo deſiderio, facturum ſe quòd petebant, negauit, quòd diceret, eos noluiſſe recipere Senatores ex nobilitate externa, ſecundùm priorum Pontificum conſtitutum, quodque Romanæ Cameræ Conſeruatores ſuo arbitrio delegiſſent, homines parum idoneos, quorum ignauia Bandereſijs omnia licerent. Tum Romani Magiſtratus ex populi auctoritate, vt Pontifici gratificarentur, ſimulque inteſtinis diſcordijs feſsi, auctore potiſsimum Nicolao Columna, Bandereſios tollunt, Malateſtam Panduldphi filium Piſaurienſem Regulum virum doctum, & prudentem, Pontificis nomine, in Senatorem eligunt: pecuniaſque inſuper Bonifacio tranſmiſerunt, quò et ad Vrbem proficiſci liceret; qui Vrbem ingreſſus tantum conſilij, & prudentiæ habuit, in recuperanda ditione Eccleſiaſtica, vt magna mole Hadriani, mœnibus, & turribus, Capitolio, & pontibus Vrbis liberè potitus ſit, primus Romanorum Pontificum omnem populi Romani vim, cunctis ſuo arbitrio Magiſtratibus creatis, vectigalibus publicis ad ſe receptis, pontibus, quibus Tranſtyberim iter eſt, munitis, ſtatim ad ſe tranſtulerit, Pontificum ditionem mirum in modum ſtabiliuit, Vrbis tandem ſummum Imperium, ciuibus dedentibus, obtinuit, & Pontificum auctoritatem eò vſque nutantem confirmauit, nulli Pontificum tanta obſeruantia, & obedientia contigit, quanta Bonifacio IX. populo Romano omnia illi tradente, Latium, Campaniam, Picenum in Hetruria, Viterbium, Montemfaliſcorum, vulgatiùs Montemflaſconem dictum, Vrbemueterem, Oruietum popularius dictum, in Vmbris Narniam, Tuder, Spoletum, Peruſium, in Aemilia, & Flaminia Bononiam, Fauentiam, & Foruminium Imperio Eccleſiaſtico reſtituit, Ioannis Galeatij Vicecomitis Mediolanenſis, & totius ferè Italiæ trans Apenninum vires repreſsit.

BONIFAcius Romā venit.

D

OBSERuantia populi Rom. Bonifacio præſtita.

E Albos genus hominum nouam ſuperſtitionem introducentes, Bonifacius IX. ſuo Pontificatu perſequutus eſt; ex Alpibus deſcendiſſe in Italiam, anno ante Iubileum, Presbyterum quendam ferunt, cum magna hominum multitudine; is quidem albo indutus tantam modeſtiam vultu, ac verbis præ ſe ferebat, vt ab omnibus ſanctus haberetur; in Italiam itaque deſcendens, magnam hominum, ac mulierum turbam in ſententiam ſuiapſius breui deduxit, linteis albis circumuoluti omnes, ſine diſcrimine mares an fœminæ, ruſtici aut ciues, ſerui an liberi eſſent, paſsim veluti pecora, vbi nox oppreſsiſſet, dormiebant, publicè in vicis epulabantur, portatis vndique quaſi ad ſacrum epulis Crucifixum ſacerdos ipſe ferebat, cuncti incredibili deuotionis feruore ſubſequebantur, pacem, & miſericordiam à Domino ſupplices precantes, laudes Virginis canētes, Hymnis ad id aptè compoſitis. Ex Ciſalpinis autem, Flaminiam, Hetruriam, Picenum, aucta opinione ſanctitatis, veniens, non plebem modo rudem, ſed & Principes, & Epiſcopos etottatum in ſententiam ſuam facilè traxit; ſubſtitit Viterbij cum magna multitudine, labore itineris feſſus, Romam inde, vt ipſe dicebat, ad viſenda loca ſancta, Sanctorùmque corpora veneraturus, ſed Bonifacius fraudem ſubeſſe veritus, quòd diceret, hominem ſuperſtitioſum Pontificatum appetere, adiuuante illa multitudine, milites aliquot præmittit, qui hominem comprehenſum ad ſe perducant: ſunt qui ſcribant, huius fraudem quæſtione detectam fuiſſe, hominèmque in tanto facinore deprehenſum meritas pœnas luiſſe, ignem ſcilicet, quo exuſtum ferunt.

NOVAE ſuperſtitionis genus Blanchorū dictū ſeu Alborum.

SVPERſtitionis auctorem debitas pœnas luiſſe fertur.

A

ANNVS MAGNI IVBILEI TERTII.



IVBILEum Anno 1400.

B Celebrato deinde Romę Iubileo tertio, more veteri, anno 1400. quo in Vrbem innumera ferè multitudo ex Gallia præſertim religionis cauſſa venerat, anni fine Iubileum inchoatum, & indictum clauſit, & quæ ſeminauerat meſſuit, infinitam animarum multitudinem Indulgentijs lucratus; hoc tamen conſtat poſt tantam alluuionem, quæ partim ſuperſtitione Alborum, partim frequentia Iubilei aduenerat, magnam hominum multitudinē peſtilētia conſumptā fuiſſe.

Annatarum ſolutionem pro ſubſidio Eccleſiaſtico, decimo Pontificatus anno perpetuam facit; ſtatuit enim nullum ad Epiſcopatum, vel Abbatiam, vel Sacerdotium aliquod promouendum fore, niſi dimidia parte primi anni redituum Cameræ Apoſtolicæ perſoluta, neceſsitati Eccleſiaſticæ ſubleuandæ, primi anni dimidiatos prouentus ærario Apoſtolico perſoluendos in perpetuum ſtatuit, priuſquam gratiam Apoſtolicam conſequerentur. Cum verò aliquando pecuniæ deeſſent, fœnori excipiebantur, termino præfixo

BONIFAcij conſtitutio de medietate fructuum primi anni Cam. Apoſtol. ſoluenda.

C ſoluendæ, ſtatuit eam Cōſtitutionem Ioannes XXII. primus de annatis in certum quoddam tempus ſoluendis, renouauit eandem, & perpetuò erigi voluit Bonifacius Nonus. Quam Cōſtitutionem omnes eius obedientiæ Clerici, præter Anglos admiſere. Qui id in Epiſcopatibus ſolùm conceſſere, in cæteris verò Sacerdotijs negarunt.

Iis pecunijs S. Petri Patrimonium recuperauit, magnos exercitus in præſidio aluit, immenſa ædificia extruxit in Capitolio, mole Hadriani, palatio Vaticano, fratres, & propinquos ditauit.

BONIFAcij res geſtæ.

Bonifacius Pontifex Robertum Ducem Baioariæ, & Comitem Palatinum Rheni, Cæſare Vinceſlao 13. Kalend. Septembris abrogato, ob ignauiam, à Germanis Proceribus, jv. Idus Septembris, anno 1400. creatum, (regnauit autem annos nouem, menſes octo) approbauit; Ladiſlaum, adoleſcentem, Caroli Neapolitani Regis filium, in Regnum paternum reſtituit, à Tyrannis, & populis occupatum, qui Ludouici Andegauenſis partes ſequuti fuerant. Quo

D autem facilius, & honeſtius id fieret, priuationem Caroli ab Vrbano VI. Nuceriæ factam abrogauit, & Angeli Acciaioli Cardinalis Florentini Legati opera, quem Caietam miſit, quæ ſola in fide remanſerat, vt eo loci adoleſcentem coronaret, vbi ſumma cum fide ſeruatus fuerat, miſerat, & cum eo ſuos iuſtum exercitum, & fratrem ſuum Pontifex, vt Regi Ladiſlao auxilio eſſet, qui à Neapolitanis repulſus, Peruſium mouens, ciuitatem ipſam in poteſtatem Pontificis breui redegit. At Balthaſſar Coſſa Neapolitanus eius ſancti Euſtachij Cardinalis, Bononienſes aliquandiu obſeſſos, redire tamen ad Eccleſiam compulit: Albericus autem Sforza, vnde tanquam ex equo Troiano innumerabiles belli principes emanarunt, dictus Cotignola, & Nicolaus Piccininus, inter ipſos primores, quorum ſectatores, & militiæ præcepta adhuc durant, Neapolim diu oppugnatam, tandem in Ladiſlai Regis poteſtatem receperunt. Qua victoria moti omnes Regni Principes, Ciuitatéſque ſtatim in deditionem Regis peruenere. At verò Ladiſlaus regnādi cupidus poſtquā fundamenta Regni Neapolitani confirmaſſet, accitus ab Hungaris ad illud quoq; Regnū iure hæreditario ſuſcipiendū, cum copias traieciſſet Iaderam; Iaderamque obſideret, certior ab amicis fit, Neapolitanus, & inter eos aliquot Regni Proceres ad defectionem ſpectare. Iadera itaque potitus, eadémque Venetis vendita, Neapolim rediit, reuocato è Flaminia Alberico, omnes Proceres rebelles dominatu priuauit. Recuſantes autem parere è patria deiecit, in Seuerinatum verò familiam, crudeliter animaduertit, primoribus ipſis vltimo ſupplicio affectis.

LADISLAū in regnū Neapolit. reſtituit.

BONOnienſes ad Eccleſ. redire compulſi.

E

LADISlaus Rex quid in rebelles.

Ordo Canonicorū Lateranēſiū congregationis Friſonariæ reſtitutus à Leone de Carate Mediolanēſi in Diœceſi Lucenſi an. 1401.

CONgregatio Canonicorū S. Georgij de Alga à beato Laurent. Iuſtiniano inſtituta.

Ordo Canonicorum Secularū S. Georgij in Alga. Venetijs à B. Laurentio Iuſtiniano inſtitutus anno 1404. Qui cum pro libito eam

F ſocietatem inire, & ſua ſponte recedere poſſent, Pius V. vt religionis normam ſectarentur, profiteri compulit, qui nollent, abire à Congregatione iuſsit, & ita hic ordo in meliorem modum reformatus.

Pontificatu Bonifacij IX. admirandum prælium conſertum eſt, quale ab initio mundi, vſque ad noſtra tempora nuſquam contigit, inter duos maximos Duces Baiazethum IV. Turcarum Regem, & Tamurbei, ſeu, vt communius dicitur, Tamurlanum Tartarorum Regem, in quo ad Montemſtellam, bis milies mille, id eſt duobus millionibus militum vtrinque pugnatum eſt maximo ardore animi propè Euphratem flumen, ab oriente, vſque ad occiduum ſolem, ſub quo victoria ad Tamurlanum inclinauit, & Baiazethes viuus

INGENS bellum inter Baiazethum, & Tamurlanū Reges.

BAIAZE-thes capt⁹

captus, qui terrori fuerat toti Orbi. In quo prælio ducenta millia militum ex exercitu Tamurlani, & centum quadraginta millia ex Baiazethis exercitu interfecta fuiſſe feruntur; vnde Euphrates maiore ſanguinis, quàm aquarum fluxu in ſinum Perſicum exonerauit. Baiazethes viuus captus toti Aſiæ ſpectaculum miſerabile præſtitit, nam cauea ferrea incluſus, Victori, quoties equitaret, dorſo ſubdito ſcabelli vicem præbuit, prandenti verò quo magis ridiculo foret, & deſpicatui, iuxta menſam tripodi alligatus, Canis in modum, reliquijs proiectis ex menſa famem ſedare cogebatur: qui animum obſtinatione deſpondens caput clathris ferreis allidens, cerebro ſparſo vitam miſerabiliter finiuit, anno ſequenti 1398. iuſtiſſimo Dei iudicio; qui tanto odio Chriſtianos proſequebatur, vt omnes captiuos pluſquam centum millia in bellis captos morte plecteret, eo ſolo titulo, quòd Chriſtiani eſſent. Aiunt, Tamurlanum cuidam pro Baiazethe deprecanti reſpondiſſe, ſe non Regem nobilitate, aut rebus geſtis clarum, ſed hominem improbum, nefarium, fratris interfectorem punire, eius tandem captiuitate Conſtantinopolis, & Chriſtiani Europæi ſeruati, qui proculdubio ſummum exitium paſſi eſſent, niſi Deus, illos hac ratione ſeruaſſet.

GALEA-tii Vicecomitis mors.

Mortuo ex febre peſtilenti Galeatio Vicecomite apud Marignanum anno 1402. ante Cometes tantæ mortis indicium apparuit; multi Tyranni repente oborti ſunt.

BONIFA-tii obitus.

Interim Bonifacius Pontifex mala corporis habitudine, grauiſſimis morbis vexabatur, tuſſi, raucedine, gutturis, cholica, calculo, quo afflictatus, lecto decubuit, & triduo poſt, Kalend. Nouembris anno 1404. deceſſit, corpus ſollemni funere in Baſilica Vaticana ſepultum eſt, in ſacello, intra quòd ſepulcrum marmoreum vermiculato opere diſtinctum cum gentilitijs inſignibus propinqui ei erexerunt, quòd in Baſilicæ Vaticanæ reædificatione cum alijs multis dirutum fuit, & erat tale quale nos expreſſimus.

BONIFA-cii vir laudatiſſimus

Præfuit Pontificatui annis 14. menſes 11. vel 15. annis vno menſe minus. Fuit Bonifacius IX. vnus inſigniorum, & prudentiſſimorum Pontificum, quos vnquam Roma vidit, & qui plus timoris, obſeruantiæ, & obedientiæ apud Romanos ciues obtinuit. Reliquit Cameram Apoſtolicam ditiſſimam, media annata reſeruata. Quoad mores fuit irreprehenſibilis, & præcipuè commendatur eius continentia, & honeſtas, fuit propenſiſſimus ad ædificia Romæ denuò conſtruenda, & ciuitatem nobilitandam, molem Hadriani, quæ deſtructa erat, renouauit, & munitiorem reddidit. Multa in Capitolio, & Vaticano, quorum adhuc veſtigia extant, & inſignia gentilitia conſtruxit.

CRINI-ta ſtella apparuit.

Ante mortem eius Stella crinita, per 40. dies apparuit, horribiles tempeſtates, venti validi, grandines, tonitrua, & terræmotus, qui in Vrbe fuerunt, eam præſignaſſe viſa ſunt, quòdque mœnianum quadrato lapide firmiſſimum ab eodem Bonifacio, ad Lateranum ad populum benedicendum extructum, ſubito cecidit, poſtes, & pinna arcis Hadriani corruerunt.

Huiuſmodi elogium ſuppoſitum ſepulcro Bonifacij IX. in Baſilica Vaticana ſimul cum ipſo ſepulcro dirutum eſt.

Flete ſuper pugilem, claues, crux, alma tyara,
Eccleſia viduata viro, ſimul inclyta Roma.
En petra parua patrem ſub cælica ſidera primùm
Claudit. Apoſtolica ſ⁓lum qui rexit habena,
Catholicámque fidem, ſeruans à turbine ſanctum
Remigium Chriſti, victis virtute Tyrannis.
Orthodoxus erat ſuper omnes, arca ſuperni *
Conſilij ſui iura tenens, & grandia tractans
Cæſaris ex animo, fidei clypeatus honore,
Corpore conſpicuus, roſeus flos, famine conſtans,
Auditorque placens, miſeris miſerator opimus.
Oſſa iacent, mens alta Polum felicibus alis
Aſcendens micat ante Deum noua lucis orige.
Gloriꝰ Antiſtes, quiſnam BONIFACIVS alter
NONVS & iſte fuit, quæ chronica ſcripſerit vmquam,
Quodue genus, pariem dedit ano nomen, & omnis,
De TOMACELLIS fulget, fulgebit in annos
Parthenope luſtrans. tulit hunc genus omne Latinum,
Quidquid alit tellus, & quod tegit omnia cælum,

TAMVR-lani Regis Obitus.

Obijt 1404. die prima Octobris, Pontificatus verò eius 15. quo eodem anno, & tempore, mortuus eſt Tamurlanus Tartarorum Rex, vt teſtati ſunt, & ſcripſerunt tres legati Henrici III. Regis Caſtellæ, qui præſentes tunc in eius curia fuere; licèt alij perperam annotarint, mortuum fuiſſe anno 1402.

BRIGIT-tæ canonizatio.

Brigitta vidua Suecica, quæ multas ſanctorum locorum peregrinationes obiuit, & diuino afflata ſpiritu multa prophetice ſcripſit, Romæ, beato fine quieuit, anno 1373. Quam miraculis clarentem inter Cælites retulit Bonifacius IX. Romanus Pontifex, cuius corpus in Sueciam poſtea tranſlatum eſt, & eius vita ſcripta extat apud Laurentium Surium tomo 4. cuius feſtiuitas ab Eccleſia Catholica recolitur x. Kalend. Auguſti, 23. Iulij.

AVCTOR hæreſis, quæ nunc Lutherana dicitur.

Ioannes Vvicleph Anglus eius hæreſis, quæ modò Lutherana dicitur, à Martino Luthero eius renouatore ita vocata, primus auctor fuit, cuius diſcipuli fuerunt Ioannes Hus, & Hieronymus Praga Boëmi, qui pertinaces in ea hæreſi in Concilio Conſtantienſi combuſti fuerunt.

SIGNVM BONIFACII PAPAE IX.



ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

¶ *Rom. Pontificem deſignant.*] Cardinales 13. Petrum Tomacellum in Pontificem Romanus legiſſe, die Martis, jv. non. Nouemb. ſcribit in Chron. Panuinius. 1389.

* *Annum agens 45.*] Ita Panuinius loc. cit. anno 34. ait Boninſegnius lib. 4. hiſtor. Flor. circiter 30. Platina in Bonifacio IX. Cardin. Aegid. Viterb. in hiſtor. 20. ſec. Genebr. lib. 4. Chron. Franc. Ioannettus in hiſt. Pontif. & prius Sabellicus En. 10. lib. 11.

* *Sedit annos 14. menſes 11.*] Ex Panuinio loc. cit. annos 14. menſes 9. Bonifacium ſediſſe, Platina opinatus eſt. Panuinio adhæſere Sanderus lib. 7. de Viſib. Eccleſiæ Monarch. & Genebr. loc. cit.

* *Iuuenis ætate, modeſtiſſimus tamen.*] Nobile Bonifacij elogium conſcripſit Cardinalis Aegidius, quòd audire præſtat. *Bonifacius IX. omnium, qui vnquam fuerunt Pontificum, vt maximè iuuenis, ita & maximè integer, maturus, & grauis: etſi florente ætate iuuenis, præter morem, extitit tàm inſignis virtute ſenex, ac veluti id faſtigium nemo iunior, ita nemo attigit modeſtior, prudentior, grauior; agebat is ætatis annum circiter trigeſimum: quem homines in ætatis flore tanta ſapientia, virtute, moderatione præditum, non vt hominem ſuſpiciebant, ſed, vt Numinis effigiem, prædicabant, colebant, admirabantur. .... Nihil in illo iuuenile, nihil leue, nihil præterea, quod vel ad luxus, vel ad voluptatem, mollitiem inclinaret, facilis alijs, vni ſibi durus; ad bonos excipiendos mitiſſimus, leniſſimuſque, ad malos coërcendos ſeueriſſimus, atque conſtantiſſimus; vtrumque in Pontifice damnabat, in probos, improboſque æquam vel manſuetudinem, vel ſeueritatem: cum altera in alteros, altera vti in alteros oporteret. .... Nemo hoc Pontifice in conſilijs capiendis prudentior, nemo in rebus diſponendis accuratior, nemo in peragendis celerior, expeditior: primus enim Populi Romani in Pontificem retulit, primus in Hadriani Mole arcem firmauit, primus Tiberis aditus; Ponteſque communiuit.* A Platina quoque Bonifacius laudatus. *Ita .... vixit in tam florida ætate, & tanta peccandi licentia; vt nulla ei libido, nulla voluptas impingi, vel obijci, poſſet.* Hadriani Molem Bonifacium IX. muniuiſſe, ad arcis formam redegiſſe, perpetuaque murorum acie Vaticanum iunxiſſe, memorauit Sabellicus En. 10. lib. 9.

* *Iubileum .... anno 1391. qui fuit tertius ſui Pontif. celebrauit.*] Anno 1390. primo ſui Pontificatus, Bonifacius IX. Iubileum, in eum annum ab Vrbano VI. indictum, ſingulo quoque trigeſimo tertio anno deinceps celebrandum, peruigilio Natiuitatis Domini celebrare cœpit. Id ab Vrbano ſtatutum, narrat ipſe Bonifacius, literis ad Regem Angliæ, verbis, *Vrbanus VI. ſtatuit, vt vniuerſi Chriſtifideles, &c.* allatis ſuperius. Richardus Angliæ Rex, cum Anna Regina vxore, Venceſlai Imp. filia, à Bonifacio enixè petierat; vt ſibi Regni negotijs ita detento, vt Romanam peregrinationem ſuſcipere, non poſſet, Reginæque vxori Iubilei ſacri diuitias in Anglia liceret adipiſci: morem geſſit pijs Regi, & Reginæ Pontifex, literaſque apud S. Petrum, jv. non. Ianu. anno Pontificatus primo dedit; quarum prima verba: *Exigunt deuotionis integritas, & fidei puritas*, eodem priuilegio Ioannem Primum Luſitaniæ Regem, Chriſtiana pietate inſignem, & Philippam vxorem, poſtulantes affecit; nec non homines ditionis Bauariæ Ducis; vt ex literis ipſius ad Hermannum de Balueſt Præpoſitum Eccleſiæ S. Andreæ Friſingen. Capellanum Pontificium, & Apoſtolicæ ſedis Nuntium: *Dudum per nos acceptis, &c.* datis anno 4. Pontificatus apertè conſtat. *Dudum, ait, ... vniuerſis, & ſingulis perſonis terrarum, & locorum dilectorum filiorum nobilium virorum Stephani, Friderici, & Ioannis Fratrum, aliorumque Ducum Bauariæ, & partium circumſtantium per tres dietas legales indulgentiam anni Iubilei, per fel. Record. Vrbanum PP. VI. prædeceſſorem Noſtrum anno à Natiuitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti 1390 conſtituti, ſub certis modis, & formis, duximus concedendam; & inter alia voluimus, quòd, labore perſonali, quem perſonæ huiuſmodi paſſæ fuiſſent, ſi ad Vrbem in dicto anno perſonaliter veniſſent, in alia opera pietatis commutato.* Longobardis etiam, qui, bellorum turbinibus implicati, adire Romam anno 1390. nequiuerant, Io. Galeatio Vicecomite peten-

Non ſimilitas vidi nam. In aula quad Iure... ſenori in Vaticano.

Eodem die, & literis ſimilibus viſa in l. c.

Ex Reg. Bonif. IX. Vaticana bibliotheca.

te, vt

Bern. Corius in hiſt. Med. hiſt. Erefford. Lit. Tunngiæ.

te, vt eiuſmodi ſpirituale munus, anno 1391. Mediolani conſequi poſſent, indulſit: eodem beneficio, anno 1393. Mutinæ Vrbis incolis, Bonifacio Vvilelmi Marchionis precibus fauente, ab octauo Paſchatis die, vſque ad S. Andreæ Apoſtoli celebritatem, frui licuit. Quamplurimos Romam ad diuitias Iubilei acquirendas anno 1390. aduenisse, narrat Bzouius, ex Theodorico Niemo, (lib. 1. cap. 60. de Schiſmate,) illius æui ſcriptore: ex Alemania, Hungaria, Polonia, Boemia, Anglia, Italia, alijſque Prouincijs, Regniſque Vrbani VI. partes ſectantibus. Hæc Iubilei celebritas prima fuit, poſt Pontificiam ſedem ab exilio Aueniouenſi Romam reuocatam; innumeros viſendi Pontificis cupiditate allectos Romanam obiuiſſe peregrinationem, credibile eſt: quod Turſellinus videtur ſenſiſſe, dicens. *Vt ſedes Pontificalis Romam aliquando reuocata, cupidoque viſendi Pontificis mortales innumerabiles vndique in Vrbem ad Baſilicas Apoſtolorum excruit.* Albertus Eſtenſis Ferrariæ Marchio pietate clarus, cum quadringentis peregrinationis Comitibus, eodem habitu indutis tunc ad Vrbem ſe contulit, ad primumque ab Vrbe lapidem à quinque Cardinalibus fuit exceptus: ex vniuſcuiuſque cucullo ſacer bacillus, humilitaris indicium, ſuſpenſus pendebat. Multa ille à Bonifacio Pontifice accepit: Diploma præcipuè, *Bonifacianum* nuncupatum, ad bona Eccleſiaſtica ſpectans; quo fit, ne ciues paſſim, ſed certis ſolum de cauſis, eorum bonorum poſſeſſionem amittant: & publici Gymnaſij Ferrariæ erectionem. De qua re extat Cóſtitutio ipſius Bonifacij, to. 1. Bullarij, *In ſupremæ dignitatis, &c.* in qua Bonifacius Albertum ſuum, & Romanæ Eccleſiæ in ſua Ferrarienſi ciuitate generalem Vicarium vocat. Promiſit Pontifex, vt opinor, anno primo cum Iuſtralis Indulgentiæ cauſſa Romæ erat Albertus, erectionem Gymnaſij Ferrarienſis, anno ſecundo Conſtitutionem edidit.

In Hiſtor. Laur. lib. 1. cap. 21. Io. Bapiſta Pigna l. 5. de Principibus Ateſtinis. Senatori. b' aut ille.

Dat. Romæ ap. S. Petr. 4. non. Martij Pontif. anno 2.

* *Sororem in matrimonium Comiti S. Flauian.*] Catharinam Tomacellam neptem, non autem ſororem, Bonifacij Andreæ Matthæo Aquiuino Atriæ Duci II. coniugio iunctam, affirmant alij, recenti memoria, Philibertus Campanilius, lib. de Nobilium Stemmatibus.

Pag. 17.

* *Ardua Ducem creauit.*] Atriæ Dux erat ſecundus, cum neptem Bonifacij in vxorem duxit, Comeſque ſancti Flauiani, & Montorij. Campanilius loc. cit.

* *Vxorem gladio.*] Ipſe peremptus à ſubditis quibuſdam, ſuſceperat autem ex coniuge Tomacella tres liberos, Antonium, Petrum Bonifacium, & Ioſiam, qui omnes, vnus poſt alium, Atriæ Duces fuere. Campanilius loc. cit.

* *Bonifacium Aſſiſij agentem legati P. R.*] Platina, Ciaconio duce, *Appropinquante*, ait, *anno Iubilei* (1400.) *Legati Romanorum Pontificem adeunt, rogantes, vt Aſſiſio Romam proficiſceretur.* eleganter de eadem re Cardinalis Aegidius Viterbienſis. *Inſtabat iam ſacer annus Centeſimus, quamobrem ad Iubileum celebrandum Romani ſe accingere, Oratores mittere, Pontificem reuocare, Pontifex, qui tunc Aſſiſij erat, & id ardentiſſimo percuperat, deſiderium tamen diſſimulare, voluntatem tegere, quod illi poſtulabant, tergiuerſari; ratus, aduenisse tempus, quo omnes ex Vrbe tenebræ, Tyrannorum radices euellerentur, Solque qui in Vrbe poſuit tabernaculum ſuum, imperaret in Vrbe ſolus; nec eſſet impoſterum, qui ſe abſconderet à calore eius, hoc eſt, qui in Vrbe Pontifici non pareret: negat prudentiſſimus Pontifex in Vrbem ſe venturum, &c.*

* *Banderiſios tollunt.*] Ex Platina, Cardinalis Aegidius Viterbienſis plura. *Tollunt ſtatim Romani Banderiſios, Senatorem recipiunt.* (Ciaconius *eleganter* dixit, an verè, alij iudicent) *Conſeruatores admittunt: omnia demum faciunt, ac ſe facturos ſpondent, quæ iuberet Pontifex modeſtiſſimus, grauiſſimus, optimus.*

Ebdolpho Malateſta loc. cit.

* *Primus .... Omnem P. R. vim.*] Hæc quoque ex Platina. Viros doctos hoc negantes audiui; certè Cardinalis Aegidius Ciaconij, & Platinæ ſententiam muniſ; cuius verba non referrem, ſi erudita, & elegans illius Hiſtoria 20. ſec. typis lucem aſpexiſſet: ſed locum tantùm indicatem, *Nulla vis*, (attentus diſerto Cardinali adeſto, & prudentis Pontificis virtutem perpende) *Vrbem Romam cœpit, nulla arma domuere, nulli Imperatores, nullum barbarum robur obtemperantem reddere potuit, tot bella, tot exercitus, tot incendia, tot direptiones, ... tot anni, tot ſecula; ſolus id Bonifacius fecit, ſolus, poſt tot ſecula, præſtitit. & quod alij iubendo .... bellando non potuere aſſequi, hic fugiendo, diſſimulando, cunctando, eſt aſſecutus; rurſuſque a Sacerdotibus illud Ennij cantitatum eſt.* Vnus homo cunctando reſtituit rem. *Fecit itaque Pontificis ſapientia; vt, obſeruato tempore, pareret iam Eccleſiæ Vrbs Roma, fecit continentia, & ſanctitatis opinio; vt Romani contraire non auderent, fecit magna virtutis auctoritas, vt, poſt tot ſecula, omnia tandem Romæ, nutu Pontificis, adminiſtrarentur.*

Loc. cit.

* *Albos.*] De his Sabellicus Ennead. 10. lib. 9. Card. Aegid. Blondus, Volaterranus, Aeneas Siluius in hiſt. Boc. Polyd. Virg. de Inu. Rerum, lib. 7. cap. 5. Io. Bapt. Pigna lib. 5. de Principibus Ateſtinis Marianus Florent. in m. s. Hiſt. Faſc. Chron. ordin. Min. Albatos eos vocant Card. Aegid. & Io. Baptiſta Pigna, & rem diligenter commemorantes tres annos viguit horum hominum ſecta, Gaulterius in Tab. Chronog. Quæ de his Albis in Ciaconio legis, ea omnia iiſdem verbis expreſſa leges in Platina; ex quo excripta. Bonifacium, ob Albatorum ducem ſupplicio affectum, reprehenderunt quidam, commendarunt viri grauiſſimi; in horum claſſe eminet Aegidius Cardinalis Viterbienſis, qui dixit, capto auctore, & in Vrbem perlato: *quem igni cum dediſſet Bonifacius ab alijs imprimis commendatus* (eſt) *cum motum Eccleſiæ periculoſum ſedaſſet, ſuſpectam populorum audaciam, & audétem omnia conuentum ſoluiſſet.* Ex Hiſpania venerant Albati; Sacerdos eorum ductor exteriùs eximiam ſanctitatem præ ſe ferebat; ſed interiùs vita erat profligatiſſima, & ad Pontificatum ſeditione adſpirare, putabatur. Pighius loc. cit.

Loc. cit. Lib. 21.

Loc. cit.

* *Celebrato .... Iubileo .... anno 1400.*] Hoc anno, ſi Bonifacij VIII. & Clementis VI. Conſtitutiones præ oculis habeas, Iubileum celebrandum erat. Bonifacius enim ſingulis centenis annis, Clemens VI. quinquageſimo quoque anno; initio præſcripto, in anno 1350. illud celebrandum ſtatuerant: at ſi Vrbani legem, qua ad 33. quemque annum reuocatum fuit: neceſſariò dices, hunc annum Iubilæi celebritate caruiſſe; quia Bonifacius Vrbani ſanctionem ſecutus, anno 1390. ſacras Iubilei opes in Chriſtifideles præſcriptas Romæ Baſilicas inuiſentes effudit. Innumerabiles ferè mortales, ſanctam Chriſti Domini fidem profeſſi, exiſtimantes, eum annum Iubilei beneficio celebrem, Romam conuolarunt: celebraturque eodem anno Iubileum Iacobus Philippus Bergomas, Pãuinius, Platina, Ioannettus, & alij nonnulli, non verè, teſtati ſunt: non verè eos locutos, collige ex verbis, ipſius Bonifacij IX. quæ affero, ex eius Diplomate m. s. anni 1400. à me lecto. *Per hoc*, (ait, locutus fuerat de frequenti fidelium ad Vrbem concurſu, & de centeſima, & quinquagenaria Bonifac. VIII. & Clem. VI. Indulgentia) *tamen Indulgentias, & remiſſiones peccaminum Chriſtifidelibus centeſimo, & quinquageſimo annis huiuſmodi, præfatas, ac S. Pauli extra muros prædictæ Vrbis Baſilicas deuote viſitantibus, ab ipſis noſtris Prædeceſſoribus quandocunque conceſſas minimè concedimus, nec ipſas confirmamus. Nulli ergo, &c.* Initium Diplomatis eſt. *Cum nonnulli Pontifices, &c.* De fidelium Romam hoc anno confluente multitudine Sabellicus. *Ingens mortalium numerus Romam confluit, religionis cauſſa*, de Gallorum multitudine Carolus Sauſſeius in Annal. Eccl. Aurelian. *Ad quem, Iubileum innumeri ex Gallijs profecti ſunt; licet edicto Regio ſancitum eſſet, ne quis Romam iret, propter penuriam pecuniarum, & clades Regni.* Hoc anno Boëmiæ Rex Vvenceſlaus Pragæ Iubileum habere cupiebat, impetrauitque à Bonifacio; vt illum *ad Romanum modum*, (ait Io. Dubrauius Epiſcopus,) *haberet; celebrauitque magna religione, & mira hominum multitudine; qui non Iubilei ſolum, verum etiam Reliquiarum venerandarum gratia, Pragam confluxerant.* Eo anno ſæuiſſima peſtis bacchata eſt; Romæ ſingulis diebus, ſexcenti, & octingenti. Boninſegnio teſtante, interibant. Vide etiam S. Antonin. par. 3. Hiſt. tit. 22. c. 3. § 33. Iacob Philip. Bergom. in Supplem. Hiſt. Meierum lib. 14. Annal. Fland. ſcriptorem vitæ S. Bernard. Sen. tom. 3. Surij.

B. g. 1300.

Habetur in Archiu. Bibliotu. Vatic.

An. 1400.

Lib. 23. Hiſtor. Boemiæ.

Li. 4. hiſt. Florent. De hac in hiſt. 1. lib. pa.

Hoc eodem anno Lauretanam ſanctiſſimæ Virginis Domum, nocte illius natalitia, cælitus emiſſæ flammæ lambere viſæ. Turſellinus rem explicat lib. 1. cap. 21. Hiſtor. Lauret. miraculum innuit Ambroſius Nouidius ad Paulum III.

In Faſt. ſacr.

Neve ſequens ætas mendacia credat, Olympi
Hac in nocte illam lambit ab axe iubar.

* *Armatarum.*] Ex Platina in Bonifacio Nono ad oneta belli contra infideles.

* *In Capitolio.*] Vide Plat. loc. cit. De arce extructa in Mole Hadriani, Plat. Card. Aegid. Viterb. & Sabellicus, allati ſuperiùs, ſtemmata adhuc viſuntur in Capitolio.

* *Robertum.*] Virum religione conſpicuum, Venceſlao, ob ſegnitiem abrogato, ab Imperij Electoribus delectum, ſcimus. Vide Platinam loc. cit. Volaterranum lib. 23. Egnatium in vitis Impp. Appendicem Sexti Aur. Vict. Petrũ Miſſiam in eius vita. Schiſmatis incendio extinguendo diligentem nauabat operam Robertus Imper. miſſis, hac de cauſſa, ad diuerſos legatis, ſuadebat, vt ad illud extinguendum catholica Synodus cogeretur; in hoc pio ſtudio, & cogitatione mortalem vitam deſeruit: Sigiſmundus, illius ſucceſſor, id diligentiſſimè præſtitit. Ex Petro Mill. in eius vita, Robertus Præfecturæ prætorio Rheni, & Boiorum Legatus erat, antequam imperatorio fulgeret ſceptro, Pronepos, ex fratre, Ludouici IV. Cæſaris Auguſti, viri fortis, eruditi, in proſperis modeſti, in aduerſis conſtantis, in bellis conficiendis, vt quibuſdam placet, penè inuicti, & ad gloriam nati, cui quinque Septemuirorum votis, nulla fraude, doloue interiecto, decretum imperium fuerat, quique præclaræ, & piæ indolis, Templis extruendis, ornandiſque ſpecimen non obſcurum aliquando dederat; tametſi poſtea ſuſceptæ cum Pontifice diſcordiæ tranſuerſum illum egerunt.

Reperiũ quidam dicunt.

Li. 5. hiſt.

* *Ordo Can. Lateranenſium.*] Fuit reſtitutus ordo. De hac re Abbas Pennottus lib. 3. Hiſt. Trip. Can. Regul. cap. 8. Leo de Carrate, & Thadæus de Bonaſco, ſeu Bagnaſco, Canonici Regulares Cœnobij S. Petri in Cælo aureo, ordinis reſtituendi fundamenta iecerunt: Bonifacius IX. anno 1401. viij. Kalend. Aprilis literis ad Abbatem S. Petri in Cælo aureo Papiæ, & ad Priores S. Frigdiani Lucen. & S. Auguſtini Piſanæ Diœceſ. Prouincialia Canonicorum comitia cogi, & Conſtitutiones Benedicti XII. palàm proponi, & ad praxim reuocari iuſſit. Bartholomæus Columnius Romanus generis ſplendore, Theologicæ facultatis ſcientia celebris, morum ſanctitate, concionandi peritia, ſanctique zeli feruore illuſtris, diſciplinæ

illius

illius ordinis iam collabentis, reſtituendæ auctor fuit. Vide Gab. Pennottum loco citato.

* *Ordo Can. . . . . S. Georgij in Alga.*] Eccleſia S. Georgij in Alga, in paruula apud Venetam Vrbem inſula habuit olim Monaſterium communi ordinis S. Auguſtini, quòd ſolebat regere Prior. Angelus Kiſſameoſis Epiſcopus, Bonifacij VIII. auctoritate, eam in Collegiatam erexit; in eaq. Priorem, & Canonicos ſeculares Capitulum conſtituentes, alioſq. ſeculares Clericos in perpetuos Vicarios, ſeù beneficiarios ſimul viuẽtes inſtituit. Tunc inter illos erat B. Laurentius Iuſtinianus Diaconus; vt conſtat ex literis Greg. XII. *Illis quæ pro Diuino cultu, &c.* in quibus extant etiam Statuta eiuſdem Congregationis ſecularium Canonicorum S. Georgij, &c.

An. 1406. v. kal. Iulij Pontif. an. 1. to. 1. Bullar.

Pius V. qui eos ad religioſa vota nuncupanda induxit, nonnulla Congregationis priuilegia confirmauit, & innouauit. *Ex incumbenti, &c.* anno 1569. iij. Idus Decemb. Pontif. anno 4. Syxtus V. die 7. Septemb. an. 1587. Pontif. 3. Conſtit. *Circumſpecta, &c.* declarationem edidit, circa proprietatẽ Congregationi eidem vetitã.

In Bullar.

* *Tamurlanum.*] De Tamurlano, & Baiazete, ſeù Paiazete Sabellicus En. 9. lib. 10. prælium inter illos fuſè narrat Laonicus Chalcondylas, lib. 3. de Rebus Turcicis; putatque accidiſſe, anno 1397. in illo autem non ſolùm Paiazetes, ſed Moſes etiam, reliquique ferè omnes illius Duces capti, præfractus erat, ac temerarius Paiazetes, nullius conſilia amplectebatur, ſibi vni, quando in hoſtes eundum erat, confidebat, captus aureis vinciebatur catenis. Ioannes Dubrauius hiſtor. Boëm. lib. 25.

Tamires dicitur a Chalcondyla Temerianus Chalc. l. c.

De eodẽ Tamurlano victore Petrus Meſſias in Silua Var. Lect. Pius II. Iouius, Petrus Perondinus in Temiris, ſeù Tamurlani vita, Genebr. l. 4. Chronog. Palmerius, Turſellinus l. 9. Comp. hiſt. Myræus in Chron. ad an. 1398. Petrus Opmeerus in Op. Chronog. orbis vniuerſi, Gaulterius in Tab. Chronog. aiebat autem Tamurlanus, celeritate in obſidendo, rapiendo, deſtruendo mirabilis, ſe Dei iram eſſe, ad corruptum orbem puniendum. Vide Gaulter. loc. cit.

* *Anno 1404. deceſſit.*] Ita Platina loc. cit. & Panuin. in Chron.

* *Brigittam Viduam.*] Literas Canonizationis offendes, tom. 1. Bullarij *Ab origine mundi, &c.* datas an. 2. 1391. nona Octob. in quibus nonnullæ virtutes, & miracula ſanctæ Viduæ referuntur. Martinus V. ſublato ſchiſmate, anno 2. Pont. die 1. Iulij, eiuſdem relationem in Cælites firmauit.

De exuſtione Io: Huſſi, & Hieronymi de Praga S. Anton. par. 3. Hiſt. tit. 22. cap. 4. §. 3. de Vvicleff, & Huſſo damnatis: etiam Cardinalis Aegidius Viterbienſis in Hiſt. 20. ſecul. De eodem Huſſo, & Huſſitis nonnulla Gretſerus cap. 63. Exam. Myſt. Pleſſ. cum Huſſus combureretur, Anſerem aſſari, dictum à quibuſdam, vide Gretſer. cap. 62. loc. cit. Anſerem, & Cycnum in Numiſmatis Luthetani inſulſe expreſſerunt. Vide Commentariolum Gretſeri de duobus Numiſmatibus.

Multa præclarè geſſit Bonifacius, Friderici II. & Caroli Impp. Conſtitutiones pro Eccleſiæ immunitate confirmauit, Conſt. *Iuſtis, & honeſtis, &c.* vj. Kalend. Iunij, anno 2. celebritatem Viſitationis ſanctiſſimæ Virginis Genitricis Dei Mariæ ab Vrbano VI. inſtitutam, vt alibi dictum, confirmauit, Conſtitutionem promulgauit. Academiam, ſeù Gymnaſium publicum Ferrariæ inſtituit. *In ſuprema, &c.* xvij. Kalend. Aprilis. Eccleſiam Olyſipponen. Luſitaniæ Metropolitanam effecit.

T. 1. Bull.

4. non. Maij an. 2. vide tom. 1. Bullar.

Bonifacio Pontifice, Græcæ literæ à Chryſolora Byzantino in Italiam, poſt quingentorum annorum ſilentium, aductæ. Platina loc. cit. inſtituta Academia Herefordienſis, Genebr. lib. 4. & Herbipolenſis, Middendorp. lib. 3. Acad. Gault. in Tab. Chronogr.

Gannit in Bonifacium, & inſanit Niemus, barbara maledicentia; quæ ſuæ hiſtoriæ omnem fidem abrogat: fortaſſe, quia, cum ab Vrbano VI. Bonifacio IX. & Gregor. XII. dignitatem aliquam, aut ſacerdotium poſtulaſſet, repulſam paſſus eſt, vt Gretſerus coniecit, meritò maledici, & mendacis hominis liber proſcriptus, maledicam Poggij facetiam, & Maſſonij maledicta mendacijs ſcatere, viri graues, doctique opinantur.

Lib. 2. de Schiſm. & alibi.

C. 51. l. c.

Cum Bonifacius IX. orbi ſacro præeſſet imperio, Gratimola, probatiſſima, & optima fœmina, è priſca, & nobiliſſima Neapoli familia Philimarina, illius mater, mortali adhuc erat in vita; vt ipſius Pontificis ad illam literæ, quas ex Vaticano penetrali ſubijcio, apertiſſimè teſtantur.

BONIFACIVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Dilectæ in Chriſto filiæ nobili mulieri Gratimolæ Philimarinæ Domicellæ Neapolitanæ, genitrici noſtræ ſalutem, &c.

Cum dilectus filius nobilis vir Malateſta quondam Pandulphi de Malateſtis in Ciuitate Noſtra Tadertina, eiuſq. Comitatu, & diſtrictu pro Nobis, & Romana Eccleſia Vicarius, pro annuo Cenſu Ciuitatis, Comitatus, & diſtrictus prædictorum Nobis, & Cameræ Noſtræ ſex millia florenos Auri de Camera in feſto Paſchæ proximè præterita ſoluere teneretur, & non ſoluerit. Nos volentes ex certis iuſtis, & rationabilibus cauſis Noſtram ad hoc animum inducentibus, mille florenos dumtaxat præfatæ ſummæ ad manus tuas deduci, nobilitati tuæ a præfato Malateſta petendi, & recipiendi per te, vel alium ſeù alios præfatam mille florenorum ſummam, ac exigendi, & recuperandi, tuiſque vſibus, & commoditatibus applicandi, nec non de receptis, habitis, atque recuperatis præfatum Malateſtã quietandi, & plenius abſoluendi per te, vel aliũ, ſeù alios, vt permittatur, plenam, & liberam tenore præſentiũ concedimus poteſtatem, de ijs quæ recipies Noſtram Cameram quãtocius certificatura. Dat. Peruſij Kal. Maij Pontif. Noſtri anno 4.

A. De Portvgr.

Gratis de mandato Domini Noſtri Papæ
Io: De Pepsmlvonde.

Præſens ſumptum extractum de verbo ad verbum ex libro tertio Bullarum originali Bonifacij Papæ IX. fol. 95. exiſtente in Archiuio Apoſtolico Bibliotheca Vaticana, quia collationatum concordat ſubſcripſi, & proprio ſigillo muniri iuſſi.

Ego Felix Contelorius dicta Bibliotheca Cuſtos, & Archiui Præfectus, & Prothonotar. Apoſtolicus hac die 28. Martij 1628.

Loco ✠ Sigilli

Antiquitatem Philimarinæ familiæ indicat publicũ monumentum an. 1080. quo Marinus Philimarinus Matthæi filius, titulo Domini tunc inſignitus, Aedi S. Georgij Neapolitanæ bonorum ſuorum partem donat, Philiberto Campanilio teſte, libro, Stemmata Nobilium, inſcripto, Neapolique anno 1610. cuſo. Floruit autem, florètque clariſſima familia viris, Eccleſiaſtici, & Militaris ordinis præſtantibus: recenſe, ſi placet, Stephanum Philimarinum Tarentinorum, Marinum Capuanorum, Mathæum Neapolitanorum Archiepiſcopos; de primo Ioſ. Iuuenis lib. 8. de Antiquitate &c. Tarentinorum, de ſecundo manuſcripta monumenta, quæ vidi; de tertio, qui, ante ſacram Infulam, intimus Regni Conſiliarius, Magnique Prothonotarij vice functus Magnus Regni Cancellarius euaſerat, Campanilius, inter militari gloria claros recenſet Thomam Mareſciallum Regni, copiarumq. Ducem, Ferdinando Primo imperante, M. Antonium Aprutij Proregem, & Tarentinæ prouinciæ moderatorem, aliòſque nonnullos à Campanilio paucis recenſitos: floret modò Ianuarius Caluenſis Epiſcopus, & Romæ Aſcanius frater, intimus ſummi Pontificis Vrbani Octaui Cubicularius, Franciſci Cardinalis Barberini cubiculo Præfectus, quem idem ſanctiſſimus Pater conſuetudine ſibi coniunctum, & literarum laudibus commendatum nuncupauit, præteritis proximis annis, patruus, & frater Aſcanij, Catholico maximo Regi, inuictis animis militantes, occubuerunt. Scipio, Eques S. Iacobi de Spatha, & Regni Neapolitani Conſiliarius à Latere, ſuperſtes adhuc, Aſcanij eidem frater, in Belgio, in Boemia, in Hungaria multis annis, militares acies duxit, inſtruxit, in Pragenſi, & Poſſonienſi prælio Neapolitana prudentia, & robore depugnauit, Mansfelchij fugæ interfuit, Albeſtadienſem victum, & cæſum vidit, acceptorum in forti dimicatione vulnerum cicatricibus fulgens, Sergentis, vt vocant, Maioris, & Caſtrorum Præfecti, (Magiſtri Campi) dignitate decoratus, ad maiora ſua ſibi virtute aditum parat. In huius familiæ ditione varia oppida: viget apud eamdem Comitatus Caſtelli, Principatus Roccæ, Ducatus Perdefumi.

Pag. 14.

An. 1100. 1274. 1312.

Loc. cit.

Vidi Diploma datũ 28. Ian. an. 3. Pontif.

Gratimolam, ſeù Catarinolam Philimarinã Bonifacij IX. genitricem agnouit Gregorij XII. P. M. in quodam Diplomate, Caietæ dato, Kal. Aug. an. 4. quòd extat in communi ipſius Gregorij Reg. De diuerſis formis, fol. 116. De inſigni nobilitate familię Tomacellę, ex qua Bonifacius IX. Rerum Neapolitanarũ hiſtorias conſule.

In Vaticano Penetrali.

Vaticanum etiam palatium Pontificum ſedem Bonifacium IX. inchoaſſe, memorauit, in illius elogio, Panuinius.

Caſinenſis Congregatio ab eodem Bonifacio magnis beneficijs affecta ſimulacrum illi marmoreum, erexit ſedens, manuque librum tenens, in quo ea verba inciſa.

BONIFACIVS IX.
STIRPE TOMACELLVS.
GENERE CYBO.

In S. Pauli Baſilica extra Vrbem locauit: quòd temporũ iniuria collapſum lectiſſima Heroina Lucretia Tomacella Columna religione, pietate, prudentia, clementia, liberalitate, alijſque veris virtutibus à M. Antonio Capello funebri panegyrico ſcitè recenſitis, inclyta, in opportuniorem locum tranſtulit, ſubrectaq. inſcriptione, ſuæ in Gentilem obſeruantiæ teſte clareſcere voluit. 1629.

BONIFACIO. IX. TOMACELLO
P. O. M.
GRATI. ANIMI. MONVMENTVM. A. CASINENSI. CONGREGATIONE. OLIM
ERECTVM. MOX. TEMPORVM
INIVRIA. COLLAPSVM.
LVCRETIA. TOMACELLA. COLVMNA
PALIANI. DVX
GENTILI. SVO. RESTITVIT.

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI SOCIETATIS IESV.

Cardinales intrant Conclaue.

IN libro ſacri Collegij S.R.E. Cardinalium, in quo obligationes Epiſcoporum annotabantur, Bonifacij IX. in Romanum Pontificem renunciatio his verbis deſcribitur.

Fuit Cõclaue in Elencho. Præf. Mar. Vialard. in Diario.

Die Lunæ 25. Octobris anno 1389. S.R.E. Cardinales intrauerunt Conclaue factum in maiori Cappella Apoſtolici palatij, pro Pontifice eligendo videlicet,

Franciſcus Epiſcopus Praneſtinus S.R.E. Vicecancellarius, vulgariter dictus Pilanus.

Cardinales qui in terfuerunt Comitijs.

Poncellus ſancti Clementis Presbyter, dictus de Vrſinis.

Stephanus ſancti Marcelli, dictus Tudertinus.

Angelus ſancti Laurentij in Damaſo, dictus Florentinus.

Franciſcus ſanctæ Suſannæ, dictus Monopolitanus *Presbyter.*

Petrinus ſanctæ Anaſtaſiæ, dictus Neapolitanus *Presbyter.*

Thomas ſanctæ Mariæ in Dominica, dictus de Manupello.

Marinus ſanctæ Mariæ Nouæ, dictus Bulcanus.

Ludouicus ſancti Hadriani, dictus de Flisco.

Franciſcus ſancti Euſtachij, dictus de Aliſpha.

Raynaldus ſanctorum Viti, & Modeſti ad macellum Martyrum, dictus de Brancacijs.

Angelus ſanctæ Luciæ in Septemſolijs, dictus de Laude.

Die Mercurij 27. Octobris, hora Veſperorum Andreas Sanctorum Petri, & Marcellini Presbyter Cardinalis, dictus Peruſinus, *rediens de prouincia Marchiæ Anconitanæ, in qua pluribus annis Vicarius remanſerat, viſitata Baſilica S. Petri, reperiens rem integram, fecit aperire Conclaue, & intrauit.*

Bonifacij IX. electio.

Die Martis 2. Nouemb. 1389. Cardinales omnibus ſeruatis, vnanimiter, concorditer, eorum nemine diſcrepante, antedictum Petrinum Cardinalem Neapolitanũ, ſummum Pontificem elegerunt, qui ſtatim ſibi nomen impoſuit BONIFACII NONI.

Conſecratio, & Coronatio.

Die Martis 9. Nouembris Bonifacius IX. in Baſilica Principis Apoſtolorum de Vrbe fuit conſecratus, & in mane ſuper ſcalis dictæ Baſilicæ in alto paramento ligni, ibidem conſtructo, & honorifice ornato, fuit coronatus; & immediate more ſolito equitauit cum Cardinalibus, & Prælatis, & infinitis alijs gentibus ad Eccleſiam ſancti Ioannis Lateranenſis, & eadem die reuerſus eſt ad Apoſtolicum palatium.

Literas encyclicas ſcribit. Hēr Spõdan. in Annalib. Eccleſiaſtic.

Bonifacius poſt ſuam electionem Principes omnes Reipublicæ Chriſtianæ, ac Prælatos literis encyclicis de ea admonuit, tum illos, qui Vrbano adhæſerant, confirmando, tum cęteros ad vnionem Eccleſiæ hortando. Reperitur in Bibliotheca Victorina Pariſienſi huiuſce Pontificis epiſtola data Kalen. Martij anni 1391. ad vniuerſos Chriſtifideles in deteſtationem ſchiſmatis, manifeſtationem diuinæ prouidentiæ in defendenda Eccleſia Romana, & exhortationem ad obedientiam Pontifici in ſede Apoſtolica eiuſdem Eccleſiæ ſedenti ab omnibus præſtandam.

Bãdereſij, ac Romanus populus inſurgit in Bonifacium.

Romæ deinde à Bandereſijs, ſeu Regionum Vrbis Præfectis non modò deſpectui habitus, ſed ab illis varias, ac multas perſecutiones paſſus eſt; menſe enim Maij anni noſtræ ſalutis 1394. Bandereſij vnà cum populo Romano inſurgentes, adeo contra Bonifacium ſuccenſuere, vt tantùm non occiderint. His verò malis obuiatum eſſe à Ladiſlao Apuliæ Rege ſcribit S. Antoninus; quippè qui tunc Romæ exiſtens ad quaſdam à Pontifice gratias impetrandas, armis correptis eum defendit ab iniurijs.

Ladiſlaus Rex Bonifacium defendit. Roma diſcedit.

Roma diſceſſit Bonifacius, & Peruſium primò, deindè Aſſiſium, & paulò poſt Spoletum ſe contulit, vocatus deinum à Romanis ciuibus Romam redijt, & audita morte Clementis VII. Pſeudopontificis literas ſcripſit, ad Regem Galliarum, quibus obnixè rogabat, vt Romanæ Eccleſiæ, ſuorum exemplo maiorum, acceptabili hoc tempore ſuccurreret.

Pacem curat Eccleſiæ poſt obitum Clementis VII.

Scripſit etiam ad Cardinales Aueniouenſes, & ad Vniuerſitatem Pariſienſem; imò Legatos Patriarcham Gradenſem, Carolum Bracium Comitem Campaniæ ipſius Bonifacij conſanguineum, & Thomam Spinellum Neapolitanum Militem, & legum Doctorem ad eundem Galliarum Regem miſit.

Cum Bononienſib. pacem firmat. Carol. Sigonius de Epiſc. Bononien.

Deinde rogatus de pace reſtituenda, non modò gratiam Bononienſibus ſuam induſit, ſed etiam ſeditioſos, qui fortunas Eccleſiæ diripuerant, pœna exemit, Clericis, vt Iuri Ciuili, & Phyſicis operam Bononiæ darent, conceſſit. Ac Ciuitati Iubilæum, quo nouum Baſilicæ in S. Petronij honorem opus proueherent, impertiuit; qua de re magna publicè lætitia celebrata, tabernæ edicto publico per triduum clauſæ, & ludi aliquot editi ſunt.

Minorum Priuil. cõfirmat. Gab. Pennot. in hiſtor. Canonic. Reg. Philip. Tomaſin. in hiſtoria. Ferdinand Vghel. in Ital. ſacra. Luc. Vuadingus in Annal. Minorum.

Antiqua Minorum Priuilegia nouis Diplomatibus Apoſtolicis firmiora reddidit; Minorum multos ad Tartaros dirent, vt in conuerſionem illorum incumberent. Suo Diplomate dato octauo Idibus Martij Pontificatus anno 13. à Diœceſi Vrbinate ſeiunxit, ac ſui iuris fecit celebre ſancti Chriſtophori Caſtri Durantis Cœnobium, quòd nunc Epiſcopali dignitate inſignitum, Vrbania ab Vrbano Octauo inſtitutore dicitur. Inſtante Bartholomæo Epiſcopo Beneficijs varijs affecit Ariminenſem Eccleſiam. Cauenſem Abbatiam, in qua monaſtica obſeruantia ferè obſoleuerat, in Cathedralem, & Cauam oppidum prouinciæ Principatus Neapolitani Regni in Ciuitatem erexit, vt cõſtat ex Diplomate 7. Idus

Cœnob. S. Chriſtophori ſui iuris facit. Cauenſem Abbatiam in Cathedralem erigit.

Auguſti anno ſui Pontificatus Quinto dato, quòd reſcripſit in ſuo primo tomo Italiæ ſacræ Abbas Ferdinandus Vghellius. Lipparenſem in Sicilia à Pactenſi Eccleſia ſeiunxit; Cathedrali Sauonenſi duraturam perpetuò Indulgentiam impertitus eſt; vt fidelium eleemoſynis diuinus cultus in ea augeretur. Dum Spoleti moraretur, ſacram imaginem Deiparæ Virginis à S. Luca Euangeliſta depictam, quæ in Eccleſia principe Vrbis Spoleti ſumma veneratione aſſeruabatur, viſitantibus, cunctorum veniam delictorum indulſit. Olyſipponenſem Præſulem Archiepiſcopum fecit, Conimbricenſi Epiſcopo contributo.

Lipparenſem à Pactenſi Eccleſia diuidit. Indulgentiam Eccleſiæ Sauonenſi tribuit. Item Imagini à Maria in Cathedrali Spoletana. Olyſipponenſem Præſulem Archiepiſcopum facit. Io. Mariana in Hiſt. Hiſpan.

Miſſi ſunt à Benedicto XIII. Pſeudopontifice Maſſiliæ tunc temporis exiſtente ad Bonifacium Pontificem Romanum, petito priùs ab eo conſenſu, acceptiſque tàm ab illo, quàm à populo Romano liberi commeatus literis, vnitatis Eccleſię cauſa Petrus Rhabanus Epiſcopus S. Pontij Tomarienſis, Petrus Zagarriga Eccleſiæ Ilerdenſis Electus, cum nonnullis alijs. Qui vbi Romam aduenerunt, x. Kalendas Octobris anni 1404. ad eum admiſſi, conſti tamen honorem ipſi ſicut verò Pontifici exhibere, rogarunt in præſentia Cardinalium ipſius partis, vt ambo ſimul Pontifices aliquo loco commodo conuenirent de vnione tractaturi, ad quam Benedictus paratiſſimum ſe oſtendebat. Pro reſponſio remiſſi Nuncij Benedicti in alium diem, eo quòd ægrotaret Bonifacius calculi dolore vehementi; feſto S. Michaëlis iterum accedentes, haud ſatis grato accepto reſponſo, quo aſſerebat Bonifacius ſe eſſe verùm Pontificem, ac Benedictum ſpurium, ingratiora, & ipſis verba reddentibus, inde commotior factus Bonifacius, febre ad dolorem calculi accedente, ſupremum diem obijt kalendis, non Nouembris, vt ſcripſere nonnulli, ſed ex antiquis omnibus Scriptoribus, Octobris anni 1404.

Benedicti XIII. Legati ad Bonifaciũ pro tollendo ſchiſmate. Bonifacij Obitus.

Eiuſdem Bonifacij honori, ac vitæ puritati valdè facit, quòd refert S. Antoninus, videlicet cum eidem decumbenti aſſereretur poſſe ipſum conualeſcere, ſi rem cum fœmina haberet, audita horruiſſe, & mortem vitæ prætuliſſe; qua ſanè vna te multas potuit alias vitæ maculas, ſi habuit, eluere. Non alienum autem arbitror, à propoſito erit egregiam iſtam integerrimi huius Pontificis electionem certiſſimo teſtimonio magis magiſque firmare, eadem, & propria verba recitando quæ ſanctus ſuprà poſitus Bonifacij conſtantiam ſuſpiciens in ſuis Chronicis exarata tranſmiſit ad poſteros; cum enim beatiſſimus hic Florentiæ Archiepiſcopus non minùs rerum ſcriptarum auctoritate, quàm vitæ ſanctimonia præſtet; in mediũ allatus indubitatiſſimam certè fidem promerebitur; & acriores ad puritatem animi, vitæ præferendam, Lectoribus addet ſtimulos. Dicit itaque Antoninus. *Pontifex verò infirmatus grauiter ex febre, & calculo, ſeu lapide, intrà triduum ſpiritum reddidit. Et multis vulgatum eſt, quod cum ſecundum medicinam carnalem diceretur ſibi, quod per coitum cum muliere liberaretur à calculo, ex quo deceſſit: minimè acquieſcere voluit tanto ſacrilegio contra diuinam Legem: eligens potius pudicè mori, quàm impudicè viuere. Et ideo valde commendandus fuit.* Qui quidem morum integritate, ac virtutum cultu, cum probis, conſtantibus, & vtilibus Reipublicæ Pontificibus annumerandus plurimorum iudicio cenſetur. Sedit, vt dictũ eſt ſuprà, annos quindecim minus triginta quatuor dies, vixit ſexaginta.

Mori maluit quàm impudicè viuere.

Hic Prædeceſſorum Romanorũ Pontificum pietatem æmulaturus Lateranen. Baſilicã ditauit Abbatia Cryptæ ferratæ, Capitulo verò Lateranenſi poteſtatem omnem tribuit conferendi beneficia, & Eccleſias ædificandi. Prætereà Chriſti fidelibus quibuſcunque poteſtatem eſſe voluit Eccleſias aliàs ſubmittendi Lateranenſi Capitulo, cui merum, & mixtum imperium, atq. adeò ius omne, collationem, prouiſionem, & præſentationem eorundẽ tàm beneficiorũ, quàm Eccleſiarum conceſſit, permiſit etiam Fratribus ordinis S. Frãciſci, ac Sororibus ordinis S. Claræ, vt perpetuum celebrare poſſent feſtum S. Antonij de Padua, cum octaua.

Bonifacij liberalitas in Baſilicã Lateranẽſem. Caſ. Raſpon. de Baſil. Lateranen. Luc. Vuadingus in Annal. Minorum.

Scripſit Bonifacius Epiſtolas multas, quæ manuſcriptæ ſeruantur in Archiuio Vaticano; edidit etiam Conſtitutiones aliquas Eccleſiaſticas: Bonifacio verò ſcripſit Epiſtolarum librum Gualterus Diſſæus, non Burdegalenſis, ſed Anglus Carmelita, & Bonifacij Legatus in Anglia.

Bonifacij ſcripta. Ludou. Iacob. à S. Carolo. Io. Pitſeus de Script. Anglia.

Cum autem populi Romani cuſtodiæ, & Eccleſiaſticæ ditionis ſecuritati, acerrimè Bonifacius incumberet, inter cætera, Arcem Adriani temporis diuturnitate, & iniurijs pœnè dixerim expugnatam inſtaurandam validiſſimè curauit, & à ruinis vindicatam muniuit; vt ex quadam memoria marmori inciſa, & in Vaticano poſita, fit manifeſtum. Videlicet,

BONIFACIVS IX. TOMACELLVS CYBO
ARCE HADRIANI MVNITA
PONTIFICIS DITIONEM STABILIVIT
MVNIVITQVE.

Sub Bonifacio IX. floruiſſe ponitur Bartholomæus Columna nobilis Romanus, & in Monaſterio B. Marię Frigdionarię, ſeu Friſonariæ, non procul à Luca, celebri Tuſciæ Vrbe Canonicã diſciplinam Regulæ S. Auguſtini primum reſtituiſſe; quæ totam poſteà Italiam peruagata eſt, titulo Congregationis Lateranenſis, à Baſilica Lateranenſi Romana, vbi reſtituti per Eugenium IV. Canonici

Cõgregationis Friſonariæ Canonicorum Regularium inſtitutio.

Regu-

Henricus Spondan. in Annal. Eccleſiaſt.

Regulares eam rexerunt, vſque ad tempora Syxti IV. qui eorum loco poſuit Canonicos ſæculares: ſunt tamen, qui ordinis Canonici Lateranenſis Congregationis Friſonariæ reſtitutionem tribuăt Leoni de Carate Mediolanenſi, & Thadæo de Bonaſco Canonicis Regularibus Cœnobij S. Petri in Cœlo aureo Papienſis, miſſis Frigdionariam à prædicto Bartholomæo Columna, anno 1401. Nonnulli quoque diſciplinæ ſtudioſi in Auguſtiniano ordine, illum inſtaurarunt, & opera, & diligentia Simonis Cremonenſis, Congregatio Carbonaria dicta (à familia eius nomini, vt vult Summontius) ſiue ſancti Ioannis de Neapoli, circa annum 1400. emerſit.

Cōgregationis Carbonariæ inſtitutio.

Duorum Minorum Obitus.

Io: Mariana in Hiſt. Hiſpan.

Sedente Bonifacio in Petri Cathedra duo Sodales Franciſcani in Hiſpania, Ioannes vnus à Cetina, & Petrus de Duennas alter dictus, fidei Chriſtianæ inter Mauros Granatenſes propagandæ ſtudio incenſi, Granatam adeuntes, conciones in magna populi frequentia habere aggreſſi ſunt. Moniti à Magiſtratu, & ſummo illorum Sacerdote, vt deſiſterent, adduci non potuerunt, ac ne verberibus quidem affecti: adueniente eorum Rege Mahomade, qui abſens principio erat, variè tentati, poſt dira verbera ab ipſomet Rege menſe Aprilis anni 1397. capite truncati ſunt: corpora iniurijs varijs affecta à Chriſtianis occultè collecta ſunt, & in Catalomam translata.

PRIMA CREATIO CARDINALIVM, & reſtitutio Bonifacij Papæ IX.

Anno à partu Virginis 1389. Pontificatus Primo, die Sabbati, 18. Decembris Romæ Bonifacius IX. Romanus Pontifex, primò creauit Cardinales, in quibus quatuor nouos pronunciauit, & quatuor ab Vrbano VI. priuatos reſtituit, qui fuere.

Bartholomæus Mezzauacca Epiſcopus Reatinus, Bononienſis, Iuris Vtriuſque Doctor reſtitutus Presbyter Cardinalis titulo ſancti Martini in montibus.

Adam Anglus Epiſcopus Londonienſis titulo ſanctæ Cæciliæ.

Landulphus Marramaurus electus Archiepiſcopus Barenſis Diaconus ſancti Nicolai in Carcere Tulliano.

Ciaconius in hac prima Cardinalium enunciatione, præter tres recenſitos Cardinales, quartum numerat, Petrum ſcilicet de Tartaris Romanum Presbyterum Cardinalem. Sed in hoc credendum Contelorio, qui cum antiquas Vaticani tabulas præ manibus ſæpe ſæpiùs habuerit, Petrum de Tartaris à Cardinalium numero excludit, vt diximus ſupra in eius vita.

Ciaconius

Panuinius

Auberyus in vita.

Monumenta Vrsini. ...

Barthol. Chioccar. in Catal. Antiſtitū Neapolit.

Barth. Dulcin. de varie Bonon. ...



I.

HENRICVS Minutulus, patricius Neapolitanus, Bitiitinus primò Epiſcopus, deinde Tranenſis Archiepiſcopus, demum Neapolitanus, à Bonifacio IX. renunciatus eſt Presbyter Cardinalis titulo S. Anaſtaſiæ, deinde Epiſcopus Tuſculanus, demum ex Tuſculana ad Sabinenſem transfertur Eccleſiam ab Alexandro V. Sub Gregorio XII. Camerarij S. R. E. munere functus eſt vnà cum Amadeo de Marchionibus Saluciarum. Multas egit pro ſede Apoſtolica legationes, nempe apud Bononiam, Ferrariam, Foroliuium, & Rauennæ Exarchatum, in quibus vtiles aliquot Conſtitutiones edidit. Statim atque Balthaſſar Coſſa S. R. E. Cardinalis ſummum Pontificatum adeptus eſt, ac Ioannes XXIII. dictus, eadem die qua renunciatus fuit Pontifex, antequam coronæ inſignia acciperet, Bononiæ Legatum Henricum conſtituit. Qui tum ob legationes geſtas, tum ob ſchiſmata in Romana Eccleſia diu abfuit ab Eccleſia Neapolitana. Qua in Vrbe anno 1407. conſtruxit marmoream portam maioris Eccleſiæ, rem equidem admirandam, & operis vaſtitate, ac ſtatuis, & ſculpturæ artificio, cum columnis è porphyretico marmore, in qua eius ſtatua marmorea flexis genibus ante beatam Virginem Deiparam conſpicitur cum ſequenti Inſcriptione.

And. Victorel. in Addition. ad Ciacō.

Hip. Marrac. in ... Purp. Mariana.

Nullus in longum, & ſine ſchemate tempus honoris
Porta fuit, rutilans ſum iamia plena decoris
Me meus, & ſacra quondam Minutulus aula
Excoluit proprijs Henricus ſumptibus huius
Præſul, Apoſtolicæ nunc conſtans Cardo columnæ
Cui precor incolumem vitam poſt fata perennem
Hoc opus exactum mille currentibus annis
Quę quater centum ſeptem Verbum caro factum eſt.

Hanc portam Abbas Antonius Baboſus de Piperno eius ſeculi inſignis Sculptor cælauit; vt Inſcriptio, quæ in magnifico, ac prægrandi marmoreo ſepulchro Antonij de Penna Ladiſlai Regis ſecreti Conſiliarij in ſanctæ Claræ æde, quòd idem quoque Abbas ſculpſit anno 1423. docet his verbis.

ABBAS ANTONIVS BABOSVS DE PIPERNO QVI FECIT ET PORTAM MAIOREM CATHEDRALIS ECCLESIÆ NEAPOLI.

Conſtruxit quoque idem Henricus Cardinalis in eadem maiori Eccleſia Neapolitana paruum ſacellum ſanctiſſimæ Triadi ſacrum, in quo noſtris huiſce temporibus adhuc Henrici Inſignia rubro galero decorata conſpiciuntur. In ſacello verò S. Petro Apoſtolorum Principi dicato à ſuis maioribus familiæ Minutulæ aras duas, vnam in ſancti Spiritus, alteram in S. Anaſtaſiæ Martyris honorem erexit, & annuis redditibus dotauit, ac Iuſpatronatus familiæ Minutulæ addixit. De quibus publica aliquot documenta, & Innocentij VII. Romani Pontificis Diplomata extant, quæ ſe vidiſſe affirmat Bartholomæus Chioccarellus in Catalogo Archiepiſcoporum Neapolitanorum. Viſitantibus hoc ſacellum in honorem ſancti Petri erectum in Eccleſia principe Neapolitana in Natiuitate Domini, & in feſto S. Petri Apoſtoli idem Innocentius Romanus Pontifex ſuis literis Viterbij datis viij. Idus Martij anni 1405. cunctorum indulſit veniam delictorum. Anno verò 1410. die vndecima Martij fundos quoſdam, prædia, ac domos eidem ſacello dono dedit Henricus ea lege, vt quatuor conſtituerentur Sacerdotes, qui præter Anniuerſarium ſingulis diebus Miſſas duas viciſſim celebrarent.

E vita exceſſit Bononiæ in legatione, ſeu ex Ciaconio Romæ die Veneris 17. Iunij anno noſtræ ſalutis 1417. ſed illius cadauer Neapolim delatum, in Cathedrali ſepultum in eius familiæ ſacello in magnifico, ſublimi, ac ſatis pulchro marmoreo ſepulchro abſque Inſcriptione. Interfuit Henricus hic Comitijs, in quibus renunciati ſunt Romani Pontifices Innocentius VII. Gregorius XII. Alexander V. & Ioannes XXII. dictus XXIII.

At cum laudato Chioccarello acquieſcere non poſſum Hieronymo Garimberto Gallenſi Epiſcopo, qui in Vitis aliquorum Romanorum Pontificum, ac Cardinalium, quas ſcripſit, aſſerere non dubitauit Henricum Cardinalem Minutulum ineptum, indoctum, ac inertem ab omnibus illius æui habitum fuiſſe; quare conuicia aliquot in Bonifacium infert, eo quòd tot dignitates, ac honores in Henricum contulerit. Neſcio tamen ex quibus auctoribus didicerit tam recens ſcriptor, quæ in Henricum ſcribit, cum nullus ex antiquis ſcriptoribus id affirmet. Nec enim credibile eſt, tot Pontifices Bonifacij ſucceſſores, tot tantaſque ſupremas dignitates, quæ non niſi viris, & literis, & negociorum dexteritate præſtantibus impertiri ſolent, errantes Henrico ſine cauſa contuliſſe. Scimus autem ex Ciaconio Henricum hunc quingentorum aureorum pretio à Camera Apoſtolica libros quoſdam emiſſe ſedente Gregorio XII. in Petri Cathedra. Ad quid tot libri niſi ſtudioſus eſſet, eſt ne credibile dictu, viros librorum copiam congerere, niſi illorum ſaltem delectaretur lectione? Contra Garimbertum eſt Andreas Victorellus, qui in Additionibus ad Ciaconium Henricum Minutulum Cardinalem virum doctum nominat.

Senas Henricus ſe contulit cum Gregorio XII. & ibidem manſit à die 3. Septembris anni 1406. vſque ad 23. Ianuarij anni ſequentis, vt Inſcriptio in Metropolitana Eccleſia parieti affixa teſtatur, in qua eiuſdem Gregorij Inſignia vnà cum ſtemmatibus duodecim Cardinalium inſculpta viſuntur. Inde relicto Gregorio, Concilium Piſanum Henricus iam Tuſculanus Epiſcopus renunciatus adiuit; & poſt Alexandri V. electionem, cum Petrus Gerardus Cardinalis, qui Benedicti Pſeudopontificis partes ſecutus fuerat, nomine Epiſcopi Tuſculani vocaretur, quo etiam Minutulus legitimè inſignitus fuerat, Alexander Tuſculanam dignitatem Petro Gerardo adiudicauit, ne iterum pertinacia, ac rabies ſchiſmatis deſæuiret, & vacuam Sabinenſem Cathedram Minutulo attribuit.

Ferdin. Ed. Vghel to. 4. Ital. ſac.

II.



FR. BARTHOLOMÆVS de Vliarijs, ſeu Vliarius, aut Olearius, natione Italus, patria Patauinus, honeſtis parentibus ortus, Phyloſophiæ ſtudijs iam addictus, cum Religioſorum vitæ, ſacræ Theologiæ, ac diuinæ ſcripturæ ſtudio mirificè caperetur, ſpretis illecebris terrenarum rerum, ac cœleſtem vitam amplexus, Minorum Conuentualium ad inſtitutum contendere decreuit. Sacris ibi Theologiæ, ac diuinæ ſcripturæ myſterijs initiatus vtranque facultatem publicis in Cathedris profeſſus eſt; deinde Magiſter renunciatus eximium ſui ingenij ſpecimen tum in diſputationibus, tum in concionibus dedit. Ea re patres ordinis ſingularem eius in omni diſciplinarum genere præſtantiam, quæ clarum illum, ac celebrem vbique locorum reddiderat, admirati, certatim illum ad primos dignitatum apices extulere. At ille nihilominus varijs peragratis regionibus, multiſque, ac magnis itineribus ſuſceptis, verbum Dei, & Sacroſanctæ Eccleſiæ dogmata vbique locorum ac gentium acerrimè defendere, longè ac latè propagare ſedulò nitebatur.

A tebatur. Tandem Florentiam profectus, aliquot illic annorum ſpatio quà docendo, quà concionãdo Florentinorum animos ſuis adeò virtutibus, ac præclariſſimis moribus in ſui beneuolentiam attraxit, vt defuncto Vrbis Epiſcopo, vnanimi conſenſu ſucceſſor ei datus fuerit, cunctis quidem gratus, ſummo verò Pontifici Bonifacio huius nominis IX. gratiſſimus. A quo primùm Epiſcopus Florentinus confirmatus eſt, mox & meritis euiſdem poſcentibus ad apicem Cardinalatus titulo S. Pudentianæ, aliàs Paſtoris euectus eſt. Hoc honore auctus ſummo Pontifici pro Republica Chriſtiana amplianda, & Eccleſiæ libertate tuenda ſedulò ſemper affuit, & inſeruiuit. Poſt hæc in Siciliam Apoſtolica legatione cum ampliſſima poteſtate miſſus, vt Vrbem Neapolim, quæ à ſanctæ Romanæ Eccleſiæ vnitate deſciuerat Clementis VII. partes ſecuta, ad eandem, & Regis Ladiſlai imperium maxima cum dexteritate reuocaret; Scardeonius tamen Bartholomæum Cardinalem ad regimen Siciliæ miſſum B ſcribit. Eo in munere, in quo præſtantiſſimè ſe habuit; Caietæ in Campania xvj. Kalendas Maij, anno reparatæ ſalutis 1396. apud Minoritas euiſdem loci ad ſuperos euolauit, ibique ſepultus duplici iſta memoria decoratus eſt.

Vinea Cardinei fueras, qui gloria cœtus
Hac te petra tegit Patauinis mœnibus ortum;
Almas inter nunc animas lætaris Olympo.
Miſſus eras partes demum legatus ad iſtas,
Cum tibi viuaces mors inuida ſuſtulit annos,
Vnanimes quicquid condignum munere fama
Scire datur, ſtudijs ſublimi mente locaſti.
Longa tuum meritis clarum per ſecula nomen.
Non adimit ſuprema dies: tua viuida virtus
Nunquam morte cadens omni memorabitur æuo.

C HIC IACET REVERENDISS. IN CHRISTO PATER DOMINVS BARTHOLOMAEVS DE VLIARIS DE PADVA DEI GRATIA TT. S. PVDENTIANAE PRESBYTER CARD. PADVANVS REGNI SICILIAE APOSTOLICAE SEDIS LEGATVS QVI OBIIT DIE XVI. APRILIS ANNO MCCCXCVI. INDICT. IV.

Ferdinandus Vghellius ſcribit, Bartholomæum Vliarium ab Vrbano VI. Romano Pontifice electum eſſe Epiſcopum Anconitanum, deinde à Bonifacio IX. tranſlatum fuiſſe ad Florentinam, ſed poſt adeptam purpuram ſedem illam reliquiſſe.

Meminere Bartholomæi Cardinalis præter Ciaconium, Panuinium, Andream Victorellum, & Aubery, Bernardinus Scardeonius de claris Viris Patauinis, Angelus Portinarius de Felicitate Patauij, D Bartholomæus Piſanus in libro Conformitatum, Gaſpar Iongelinus in Elogijs Cardinalium ordinis Minorum, Felix Cõtelorius in Elencho, Iacobus Philippus Tomaſinus in Elogijs illuſtrium Virorũ, Sabellicus, Auguſtini Triumphi monumenta, Hieronymus Garimbertus in vitis Romanorum Pontificum, & Cardinalium, Frater Lucas Vvaddingus in Annalibus Minorum, ac Toſſignanus in hiſtoria Seraphica, vbi hæc carmina.

Te ingens valuiſſe bonis, ſanctuſque Senatus
Regnaque Parthenopes Bartholomæe docent.



III.

Ciaconius | Panuinius | Felix Cõtelor. in ſuo Elencho. | Aubery in vita. | And. Victor. in Addit. ad Ciaconium.

COSMATVS Melioratus, Aprutinus in Pelignis, patria Sulmonenſis, adoleſcens Pontificio, ac Cæſareo iuri operam cum dediſſet, vtriuſque E doctoratus inſignia conſecutus eſt; cum antea licentiatus in Decretis aliquando fuiſſet. Capuæ Cancellarium egit, deinde Vrbani VI. ſub quo primum claruit, Capellanus, poſtea ſacri Collegij, ad hæc Cameræ Apoſtolicæ Clericus fuit. Ab eodem Vrbano Nuncius, & Collector redditûum euiſdem Cameræ in Angliæ Regno deſtinatus, integerrimè eo in munere ſe geſſit. F Ad Romanam Curiam reuerſus, Epiſcopus Bononienſis dictus eſt, at electum populus Bononienſis non excepit; quare à Bonifacio IX. ex Ferdinando Vghellio, ſeu veriùs ab eodem Vrbano VI. Archiepiſcopus Rauennas, & S.R.E. Theſaurarius, & Vicecamerarius deſignatus eſt. Mortuo Vrbano, Conclauis cuſtodiæ præfuit, & a Bonifacio IX. cui gratiſſimus fuit, Pontificatus initio Presbyter Cardinalis titulo S. Crucis in Hieruſalem, & S.R.E. Camerarius effectus: legationis munere, euiſdem Bonifacij iuſſu functus eſt in Italia, vt pacem inter Venetos, Ioannem Galeatium Vicecomitem Inſubrium Ducem, Florentinos, & Bononienſes bello decertantes componeret. Licet Epiſcopatum Bononienſem nunquam inijſſet populo repudiante, ſacra tamen purpura nobilitatus, Bononiæ Cardina-

A lis dici voluit. Apud Bonifacium tantum auctoritate valuit, vt grauiſſima quæque negocia illi publice committeret: infirmitate deinde grauatus Bonifacius eum publico Conciſtorio præpoſuit, eique cunctam Eccleſiæ poteſtatem tribuit. Erat enim humaniſſimus, moribus placidus, vita integer, in calamitoſos miſericors, in ieiunijs, & orationibus aſſiduus, in Curiæ praxi, verſatiſſimus, in reſponſionibus cautus, & argutus. Eas ob res in magna Principum Chriſtianorum, Aulicorum, & cunctorum ordinum exiſtimatione, & amore fuit, quem omnes futurum Pontificem augurabantur, & exoptabant. Canendi, & ſcribendi, ac bonarum literarum peritiſſimus orationem habuit grauiſſimam in conſeſſu Cardinalium de Eccleſiaſtica vnione. Poſtremò vita functo Bonifacio, in eius locum in ſchiſmate ſuffectus, & Innocentius VII. appellatus ſedit annos vndecim, dies 22. De illo plura in eius vita. Nomencl. Cardinal.

IV.

B



CHRISTOPHORVS Maro, aliàs de Maronibus, Romanus ex Epiſcopo Iſernienſi Presbyter Cardinalis titulo S. Cyriaci in Thermis, & Archipresbyter S. Petri in Vaticano à Bonifacio IX. Romano Pontifice renunciatus, vnà cum Franciſco Carbone Cardinali Monopolitano, & Bartholomæo Caraſa Vrbis Priore deligitur arbiter inter Bonifacium IX. Romanum Pontificem, & Paulum Sabellum nobilem Romanum, Lucæ filium, in quæſtione litis C de poſſeſſione oppidorum Aſpræ, Zarani, Cignani, Montiſboni, & Rochetarum, vt ex Bonifacij Codicillis, qui ſuperſunt Ciaconio teſte, conſtat. Fuit hic Cardinalis Præfectus Monaſterij SS. Alexij, & Bonifacij in monte Auentino, poſt cuius obitum Cœnobium illud Baſilicæ Vaticanæ adiectum eſt.

Ciaconius | Felix Cõtelor. in ſuo Elencho. | Monumenta Thomaſiano. | Franc. Maria Turrig. de Crypt. Vaticanis. | Aubery in vita. | Panuinius de Rom. Pontific. lib.

Exceſſit Romæ Innocentij VII. anno primo, Chriſti verò 1404. pridie nonas Decembris ex Ciaconio, ex Petro verò Camerano die ſexta, hæc enim iſte habet in ſuo Diario. *Die Sabbati 6. Decembris obijt Cardinalis Iſernienſis Chriſtophorus Maro hora noctis tertia in domo Domini Abbatis S. Pauli de Regione S. Euſtachij 1404. Item ſequenti poſt horam decimam fuit portatum corpus eius per duos Romanos in palatio capitis ſcalarum S. Petri de Vrbe, & die Dominica, ſeptima ſupradicti menſis facta fuerunt exequiæ; inde* D *ſepultus fuit in capella S. Gregorij Papæ.* Sepultus fuit in Baſilica S. Petri in Sacello S. Gregorio ſacro propè ædiculam S. Thomæ in marmoreo, & muro affixo ſepulchro cum inſignibus, & ſequenti Inſcriptione.

Qui legitis carmen lacrymabile, fundite fletus,
Fundite, & hoc multis lacrymis ornate ſepulcrum,
Maxima Cardinei cubat hic nam gloria cœtus,
Corpore Chriſtophorus ſed ſpiritus inſidet aſtris.
Fidus Apoſtolicæ per tot fluitantia cimbæ
Naufragia Eccleſiæ fuit, & tunc terno ſalutis
Multiplici virtute nitens, & amator honeſti
Vir eras, euecto cui tanto ad culmen honoris.
Nominis alme tui titulum Cyriace dediſti.

E *ANNO DOMINI MCCCCIV.*

SECVNDA CREATIO CARDINALIVM.

Die Lunæ 13. Februarij anno 1391. Pontificatus Secundo, Bonifacius IX. Romæ vnicum ex Panuinio, & Contelorio, ex Ciaconio verò duos renunciauit, ſeu potiùs ad Cardinalatum reſtituit, qui fuerunt.

Philippus de Alenconio, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo S. Mariæ Tranſtyberim, deinde Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis, poſtea Oſtienſis, Felix tamen Contelorius ſcribit Philippum hunc F nunquam Cardinalatu priuatum fuiſſe, & incertum eſſe, vndè id hauſerit Ciaconius.

Pileus de Prata, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus; hunc Panuinius, recenſito in ſecunda Cardinalium enunciatione ſolùm Philippo de Alenconio, in tertia numerat.

TERTIA CREATIO CARDINALIVM,
quam Panuinius quartam vocat.

Anno à partu Virginis 1402. Pontificatus XIII. die 27. Februarij ex Ciaconio, & Contelorio, ex Panuinio verò die 27. Ianuarij Bonifacius IX. Romæ nonnullos Cardinalium Collegio adſcripſit, qui fuerunt.

Scip. Ammirat. de Epiſc. Feſulan.
Ciaconius
Aubery in vita.
Auguſt. Triumphi monumẽta.
Alexãder V. Acta Conſiſtorialia.



V.

ANtonius Caietanus, ex nobiliſſima, vetuſtiſſimaq. inter Romanas Caietanorum familia, natus eſt Romæ ex Iacobo Comite Fũdano, & Sueua Sanſeuerina, qui ab ineunte ætate Clericali adſcriptus militiæ, liberalium artium ſtudijs animum adiunxit; ea tàm in Humanioribus, quàm in Seuerioribus diſciplinis magni ingenij ſpecimina, mentiſque perſpicaciſſimę argumenta ſuis exhibens Præceptoribus, vt manifeſtè innoteſceret præclarum adoleſcentem ad ſumma quæque natum, non tàm arridentis fortunæ præſidijs illi domum opulentiſſimam, parenteſq. generis ſplendore clariſſimos largientis, quàm propriæ adminiculo virtutis, ad maxima dignitatum faſtigia, quamcitiſſimè fuiſſe conuolaturum. Emenſo itaque non minùs breuiter, quàm feliciter ſtudiorum curriculo per varios honorum gradus Patriarcha Aquileienſis renunciatus eſt, quam Sedem cum aſſecutus eſſet die 12. Februarij anno 1395. & retinuiſſet vſque ad annum 1402. à Bonifacio IX. Presbyteris Cardinalibus tributo S. Cæciliæ titulo, fuit adſcriptus. Deinde Epiſcopus Præneſtinus ab Innocentio VII. renunciatus eſt. At in Piſano Concilio anno 1409. cum ob communem Eccleſiæ concordiam vltrò Epiſcopatu Præneſtino abijſſet, vt in Guidonem Maleſiccũ Cardinalem caderet, ab Alexandro Quinto Epiſcopus Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ, ac S.R.E. Maior Pœnitentiarius declaratus eſt. Fuit is vir tùm auita maiorum, cùm ſua virtute inſignis, cui Gregorius XII. facultatem conceſſit, vt minores Vrbis Pœnitentiarios ſuo arbitrio corrigeret, & reformaret. Gregorio deinde relicto Piſas profectus Concilio, & Alexandri V. Comitijs affuit; quamobrem Gregorius illũ Cardinalatu, & Epiſcopatu abire iuſſit, & priuauit Diplomate dato Arimini die 19. Ianuarij an. 1409. quam priuationem Piſani Patres irritam pronunciarunt. Feſulanus Epiſcopatus ipſi fuit commendatus adminiſtrationa attributa. Scripſit pro Eccleſiæ vnione Carolo de Malateſtis; harum literarũ initium eſt. *Antonius miſeratione Diuina Epiſcopus Præneſtinus S.R.E. Cardinalis Aquileienſis vulgariter nuncupatus, Magnifico Domino Carolo de Malateſtis Domino Arimini fratri Noſtro chariſſimo, ſalutem in illo, qui omnibus attulit in Chriſto ſalutem, & cum executione operis ad vnionem ſanctæ Matris Eccleſiæ, &c.*

Paulinus de Rom. Pont.
Felix Cõtelor. in Elencho.
Io: Rubeus in vita Bonifac. VIII.
Hier. Garimbert in vita Pont. & Cardinalium.
Ioſ. Maria Suareſius in Pr æneſt. Antiqua.
Ferdinand Vghell. in Italia ſac.

Poſt obitum Franciſci Carboni Cardinalis iubente Innocentio Septimo Archipresbyteri munus geſſit in Baſilica Lateranẽſi teſte Cęſare Raſpono, qui tamen per errorẽ fortaſſe Typographi ſcripſit ex Presbytero S. Luciæ, loco S. Cæciliæ renunciatum eſſe Epiſcopum Præneſtinum. Scimus enim omnium ſcriptorum teſtimonio, Antonium Caietanum non S. Luciæ, ſed S. Cæciliæ Eccleſiæ præfuiſſe: præterquàmquòd S. Lucia non inter Presbyterorum, ſed Diaconorum titulos tunc temporis adnumerabatur.

Inter cæteras verò animi, egregiam indolem præſeferentis dotes, ornabatur Antonius, peculiari quodam in Deiparam Virginem cultu ſingularique pietate, quapropter vt reliqua omittam, apſidem Templi S. Mariæ ſuper Mineruam, vt eius inſignia indicant, exædificauit.

Romæ è vita migrauit die vndecima Ianuarij anni 1412. & ſepultus ad ſanctum Petrum in Sacello Bonifacij VIII. ſui gentilis; ex quo Sacello paulò poſt eius cadauer tranſlatum ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ ſuper Mineruam; & iacet ad ſiniſtram maioris aræ cum ſequenti Epitaphio.

HIC REQVIESCIT REVERENDISS. IN CHRISTO
PATER DOMINVS ANTONIVS CAIETANVS
EPISCOPVS PORTVENSIS
SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE CARDINALIS
QVI OBIIT ANNO DOMINI
MCDXII.
MENSIS IANVARIS DIE VNDECIMA
INDICTIONE QVINTA

Ex Nomẽclator inter Epitaph. p. 19.

Antonius tamen Petrus in Diarijs, non in S. Petri Baſilica, ſed in S. Mariæ ſuper Mineruam Antonium Cardinalem ſepultum illico poſt obitum fuiſſe ſcribit his verbis. *Anno 1412. die 11. Ianuarij hora Veſperorum obijt Antonius Caietanus Cardinalis Aquileienſis, & die ſequenti 12 poſt Veſperas delatus in Eccleſiam S. Mariæ ſuper Mineruam, ibidem humatus fuit.*



VI.

BAltassar Coſſa Neapolitanus, variantis fortunæ rariſſimum exemplum, adoleſcens Bononiæ Iuri Ciuili, & Canonico operã dedit; Decretorũ deinde Doctor factus Archidiaconatum Bononienſem obtinuit. Ex Romani Pontificis Cubiculario illũ in ampliſſimũ S.R.E. Cardinalium Diaconorum ordinem titulo S. Euſtachij retulit Bonifacius IX. & Bononiæ Legatum nominauit. In qua legatione mirificè ſe geſſit. Ciuitatem enim ipſam Bononienſem cum tota ferè Romandiola rebellem, pulſis Tyrannis, Romanæ Eccleſiæ reſtituit; & cum diu difficili ea legatione functus fuerit, integrum ei nõ fuit Ciuitatẽ inteſtinis ſeditionibus obnoxiã deſerere; quare Innocentij VII. & Gregorij XII. Comitijs non interfuit. Ad comparandam potentiam contra Romanæ Eccleſiæ hoſtes, conficiendæ pecuniæ cauſa Baltaſſarem Legatum vendidiſſe prædia nonnullarum Eccleſiarũ, & Gregoriani Collegij ſcripſit Carolus Sigonius. Spinam vnam Coronæ Chriſti Patribus Dominicani inſtituti donauit, & ſacra pompa, Ciuitate Bononienſi lætitia exilienſe ad eorum Templum xj. Kal. Maij detulit. Septem annorum ſpatio functus eſt legatione Bononiẽſi, qua tamen priuatur à Gregorio XII. vt ex citationibus, & Diplomatibus eius liquet. Quia eo cũ reliquis Cardinalibus deſerto Piſas ad Concilium acceſſerat, vbi creationi Alexandri V. affuit; à quo non ſolùm in Bononiæ legatione confirmatus, ſed & Piceni; ac aliquot aliarum prouinciarum pro S.R.E. Vicariatu auctus eſt. Deinde Piſis recedens in Patrimonium S. Petri profectus eſt, vt aliquot Eccleſiæ oppida à Tyrannis occupata reciperet. Bononię poſtmodum defuncto Alexandro V. in Pontificem Romanum à Cardinalibus delectus Ioannis XXII. aliàs XXIII. nomine decoratus eſt, vir ſanè cùm armis, cùm religione clarus. In Conſtantienſi autem Concilio Pontificali dignitate exutus, ad Martini III. aliàs V. Romani Pontificis pedes Florentiæ prouolutus, non modò clementer exceptus eſt, ſed iterum etiam purpura ornatus, ac declaratus Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus, & ſacri Collegij Decanus deceſſit Florentiæ die 22. Decembris anno 1419. ac ſepultus in ſancti Ioannis Baptiſtæ Templo in ſepulchro à Donatello celebri Statuario inſculto, cum hoc Epitaphio.

Ciaconius
Monumẽta Triultiana.
Ant. Sand. in elogijs Cardin.
Andr. Victorell. in Addit. ad Ciaconiũ.
Scip. Ammirat in hiſt. Florentina.
Barthol. Dulcin. de Vario Bononiæ Statu.
Poggius in hiſtor. Florentina.
Coſtus in Hiſtor. Neapolit.
Ferdinand Vghel in Ital. ſacra.
Aubery in vita.
Pomp. Viz.. lib. hiſt. Bonon.
Panuinius de Rom. Pont.
Felix Cõtelor. in Elench. Card.
Vide Ioan. XXIII. vitam.

BALTASSARIS COSSAE IOANNIS XXIII. QVONDAM
PAPAE CORPVS HOC TVMVLO CONDITVM



VII.

LEonardus Cybo Genuenſis V.I.D. eximius, Diaconus Cardinalis SS. Coſmæ, & Damiani.



VIII.

ANgelus Cybo Genuenſis Diaconus Cardinalis SS. Silueſtri, & Martini in Montibus.

Bonifacius igitur IX. Pontifex, tribus Ordinationibus Romæ, menſe Februarij, & Decembri, factis, octo nouos creauit Cardinales, & ſex alios reſtituit, Epiſcopos tres, Presbyteros ſeptem, & Diaconos quatuor.

VICECANCELLARII S.R.E.
ſub Bonifacio IX.

Franciſcus Prignanus, ſeu Moricottus de Vico, Piſanus Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus, ab anno Pontificatus primo ad finem quarti, ſeu ad initium quinti.

Angelus Acciaiolus Florentinus ex Presbytero Cardinali tituli S. Laurentij in Damaſo, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus ab anno quinto, vſque ad finem Pontificatus.

CARDINALES MORTVI
ſub eodem Pontifice.

A Guillelmus Nouelletti, Gallus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in via Lata, die 4. Iulij, anno 1390.

Thomas Vrſinus de Manupello, Romanus, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Dominica, die 10. Iulij, anno eodem 1390.

Andreas Bontempus Peruſinus, Presbyter Cardinalis SS. Marcellini, & Petri die 16. eiuſdem menſis Iulij, & anni 1390.

B Petrus de Sortenaco, aliàs de Bernia, Gallus, Presbyter Cardinalis ſancti Laurentij in Lucina, poſtea Epiſcopus Sabinenſis die 16. Auguſti, anno eodem 1390.

Franciſcus Rentius de Aliphа Diaconus Cardinalis ſancti Euſtachij, die 27. Septembris, anno eodem 1390.

Mag. Fr. Bertrandus Lagerij, Gallus, ordinis Minorum, Presbyter Cardinalis ſanctæ Priſcæ, poſtea Epiſcopus Oſtienſis, & Veliternus, die 15. Nouembris, anno 1392.

C Marinus Bulcanus Neapolitanus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ Nouæ, die 8 Auguſti, anno 1394.

Fr. Guillelmus de Chanaco, Gallus, Presbyter Cardinalis ſancti Vitalis, die 30. Decembris, anno eodem 1394.

Eleazarus de Sabrano Italus Epiſcopus Theatinus, Presbyter Cardinalis S. Balbinæ, anno 1394.

Poncellus Vrſinus, Romanus, Presbyter Cardinalis ſancti Clementis, die 2 Februarij, anno 1395.

Franciſcus Prignanus, ſeu Moncottus de Vico, Piſanus, Presbyter Cardinalis S. Euſebij, poſtea Epiſcopus Prænestinus, die 6. Februarij, anno 1394. ſeu 1395.

A Petrus de Tartaris S.R.E. Cardinalis, die 4. Iunij, anno 1395.

Fr. Bartholomeus Vlarius Patauinus ordinis Minorum Presbyter Cardinalis ſanctæ Pudentianæ xvj. Kal. Maij, anno 1396.

Bartholomæus Mezzauacca, Bononienſis, Presbyter Cardinalis S. Marcelli, poſtea S. Martini in montibus, die 20. Iunij, an. 1396.

Galeottus Tarlatus de Petramala, Diaconus Cardinalis ſancti Georgij in Velabro, ſeu S. Agathæ, anno 1396.

Philippus de Alenconio, Gallus, Presbyter Cardinalis S. Mariæ Transtyberim, deinde Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis, demum

B Oſtienſis, & Veliternus, die 17. Auguſti, anno 1397.

Adam de Ellon, Herefordenſis, Anglus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Cæciliæ, die 20. Octobris, anno 1397.

Stephanus Paloſius, Romanus, Presbyter Cardinalis ſancti Marcelli, die 29. Aprilis, anno 1398.

Pileus Comes Pratæ, Concordienſis, Presbyter Cardinalis S. Praxedis, deinde Epiſcopus Tuſculanus, anno 1400. ſeu 1401.

Guillelmus de Agrifolio, Gallus, Presbyter Cardinalis ſancti Stephani in Cœlio monte, die 13. Ianuarij, anno 1401.

C Fr. Ioánes de Grangia, Monachus Gallus, Presbyter Cardinalis S. Marcelli, poſtea Epiſcopus Tuſculanus, die 24. Aprilis, an. 1402.

Petrus de Verruco, Gallus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in via Lata, die 6. Octobris, anno 1403.

Hugo de S. Martiali, Gallus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Porticu, anno 1403.

Leonardus Cybus Genuenſis, Diaconus Cardinalis ſanctorum Coſmæ, & Damiani ante annum 1405.

Angelus Cybus Genuenſis, Presbyter Cardinalis ſancti Martini in montibus ante annum 1405.

INNOCENTIVS VII. PONT. CCVI.
ANNO DOMINI MCCCCIV.





IN NOMINE DEI, ET SALVATORIS Noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen.

INNOcentij primordia.

SVLMONA è Pelignorum oppido, Diœceſi Valuenſis in Aprutio, mediocri genere, familia Meliorata, & honeſtis parentibus prodijt Innocentius VII. Coſmatus Melioratus ante Pontificatum vocatus xxix. Papa Regnicola. Qui adoleſcens Iuris diſciplinæ operam dedit, & Doctoratus vtriuſque Iuris inſignia ſuſcepit. Capuæ publicum Scribam egit, & ſub Vrbano Papa V. Clericus Cameræ Apoſtolicæ, à quo Collector redditiuum eiuſdem Cameræ in Regnū Angliæ eſt miſſus, poſtea ab eodem Vrbano Archiepiſcopus Rauennas, in locum Pilei Cardinalis priuati, mox Bononienſis Epiſcopus, cum com-

A mendа Rauennatis Eccleſiæ, deinde Romanę Eccleſiæ Theſaurarius, & Vicecamerarius creatus fuit. Demùm à Bonifacio Papa IX. in principio ſui Pontificatus, cum alijs octo, Presbyter Cardinalis titulo S. Crucis in Hieruſalem factus, aliquot annis poſt, mortuo Stephano Paloſio, S.R.E. Camerario, Camerariatus munus obtinuit, legatione Italica, vt pacem inter Venetos, & Ioannem Galeatium Inſubrum Ducem, bello certantes componeret, egregiè functus. Mortuo autem Bonifacio IX. Romæ in eius locū in ſchiſmate, omnium Cardinalium in Conclaui exiſtentium ſuffragijs, xvj.

B Kal. Nouemb. anno 1404. nono vacantis ſedis die, Pontifex max. renunciatur, iureiurando adactus, vt in Eccleſia vnitate ineunda, etiam cum Pontificatus depoſitione operam daret. (EIVSDEM electio.)

Anno Dom. Natiuit. 1404. iiij. non. Nouemb. Romæ in Baſilica S. Petri, Conſecratus, Pontificatus inſignia ſuſcepit ſolemni ritu Innocentius Papa VII. præſentibus Cardinalibus, Clero, Populoq; Romano: ſedit autem Roberto Cæſare, & Venceſlao Auguſtis, annis duobus, diebus 21. in ſchiſmate contra Benedictum XIII. (CONSECRATIO, & Coronatio Papæ Innocentij VII.)

CAR-

CARDINALES XII. VIVENTES quando Innocentius VII. Papa factus eſt.

EPISCOPI CARDINALES III.

VRBANI PAPAE VI.

1. Angelus Acciaiolus Florentinus, Epiſc. Card. Oſtienſis, & Veliternus, Decanus, & S. R. E. Vicecancellarius.
2. Franciſcus Carbonus Neapolitanus, Epiſcopus Cardinalis Sabinus, Maior Pœnitentiarius.

BONIFACII PAPAE IX.

3. Henricus Minutulus Neapolitanus, Epiſc. Card. Tuſculanus.

PRESBYTERI CARDINALES V.

VRBANI PAPAE VI.

4. Valentinus Hungarus, Epiſcopus Quinqueccleſienſis, Preſbyter Cardinalis titulo ſanctæ Sabinæ.
5. Fr. Angelus de Anna Neapolitanus, Presbyter Cardinalis S. Pudentianæ tit. Paſtoris ordinis Camaldulenſis.

BONIFACII PAPAE IX.

6. Coſmatus Melioratus Sulmonenſis, Presb. Card. titulo ſanctæ Crucis in Hieruſalem S. R. E. Camerarius.
7. Chriſtophorus Maronus, aliàs Maro, Romanus, Iſernienſis Epiſcopus Presb. Card. tit. S. Cyriaci in Thermis.
8. Antonius Caietanus Romanus, Patriarcha Aquileienſis; Presb. Card. tit. S. Cæciliæ, aliàs SS. Gabinij, & Suſannæ.

DIACONI CARDINALES IV.

VRBANI PAPAE VI.

9. Ludouicus de Fliſco Genuenſis, Electus Epiſcopus Vercellenſis, Diaconus Cardinalis ſancti Hadriani.
10. Raynaldus Brancacius Neapolitanus, Diac. Card. SS. Viti, & Modeſti in macello Martyrum.
11. Landulphus Marramaurus Neapolitanus, Diac. Cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano, Barenſis.

BONIFACII PAPAE IX.

12. Balthaſſar Coſſa Neapolitanus, Diaconus Cardinalis ſancti Euſtachij, Legatus Bononiæ.

INNOcentij probitas.

Fuit Innocentius VII. mediæ ſtaturæ homo, corporèque gracili, patria, vt diximus, Sulmonenſis, ad quam Latij Vrbem natus Cœleſtinus V. Romanæ culmen dignitatis obtinuit, quòd ſi ille Cœleſtinus verè fuit, hic quidem Innocentium re quidem, & nomine ſe præbuit. Triplexque illi elogium à ſcriptoribus illius temporis tribuitur, pacifici, mitis, & probi, adduntque Iuris conſultiſſimum illum fuiſſe, & delectari ſolitum colloquijs doctorum virorum, ſingularemque facundiam, & venuſtatem in dicendo obtinuiſſe.

INNOcentij liberalitas.

Columnæ per id tempus ciues Romani, Ghibellinos profitebantur, Vrſini contra Guelphos, vincere eos beneficijs, vincere innocentia, & probitate optimus Pontifex, non poterat, vexatuſque ab ijs quotidie aliquid noui petentibus, *conceſſi equidem* ait, *quidquid a me petiſtis, nec iam ſupereſt, quod petere poſſitis, niſi hanc Pontificiam veſtem vultis*, importunos nimium illos eſſe mitiſſimo reſponſo indicans. Erat enim Pontificijs ornamentis vndique inſignitus, vita integer, & prudens, liberalis, ſimoniacæ labis acerrimus hoſtis, mitis, placidiſſimus, humanitate incredibili præditus, doctorum, & proborum hominum ſtudioſiſſimus, Eccleſiaſticæ libertatis, & ditionis defenſor egregius. Schiſmate, quo Eccleſia Dei tùm multum laborabat, eò ventum erat, vt viliſſimus quiſque Tyrannus, poſt mortem Ioannis Galeatij Vicecomitis, vnumquòdque facinus, quamuis magnum, aggrederetur; Innocentius enim quum adhuc Cardinalis eſſet, carpere negligentiam, & timiditatem priorum Pontificum conſueuerat, quòd diceret, eorum ſocordia factum, ne ſchiſma Eccleſiæ Romanæ, totiuſque Reipublicæ Chriſtianæ, pernicies, hactenus extinctum, & ſublatum eſſet. verùm ipſe Pontificatum adeptus, ſequutuſq; in hac parte Vrbani, & Bonifacij veſtigia, quos priuatus carpebat, non modo quòd tantopere laudabat non effecit, verùm etiam iniquo animo ferebat, ſi quis apud ſe ea de re verbum vllum feciſſet: præterea verò adeò tumultuosè omnia gubernabat, vt non ſemel Romani reſtitui in libertatem, reddique ſibi Capitolium, pontem Miluium, & arcem Hadriani peterent, inſtarentque item, vt Schiſma, tam pernicioſi exempli, de Eccleſia tolleret, bella extingueret, & ſeditiones, Rege Gallorum ad eam rem conficiendam operam ſuam pollicente, ac Petro Luna Antipapa nequaquam tantam concordiam abnuente.

Ladiſlai Regis ambitio.

Ladiſlai Neapolitani Regis, immanem ambitionem fregit, qui Vrbi, & Imperio Eccleſiaſtico inhians, Romanos iam inquietos clam in Pontificem concitauit, qui libertate reperita Pontificem repugnantem affligerent, & infeſtum redderent, illud ſanè putans, vt Pontifex illorum petulantia vexatus Vrbe excederet, & ad ſe conuerteretur.

LVDOVIcus Eccleſiaſticarũ copiarum Dux auctoritate Pōtificia abutitur.

A Ludouicum à Fermo Melioratum, fratris filium, iuuenem triginta fermè annorum, audacem, & temerarium, copiarum Eccleſiaſticarum Ducem Innocentius Romæ alebat, qui auctoritate Pontificia in perniciem aliquorum abutebatur.

Aliquot ex primoribus Romanis à Ludouico interfecti.

Anno 1405. Innocentius VII. ad colloquium primores aliquos Romanos inuitauit, benignè excepit, de concordia actum, pacis conditiones Ludouico à Fermo Meliorato remiſit, qui à Vaticano palatio ad valetudinarium S. Spiritus diuertentes pacis habendæ, & conſultandæ gratia adierunt vndecim, ex primoribus ciuibus capti, & occiſi, & per feneſtras eiuſdem valetudinarij corpora vita ſpoliata, iactata in publicum fuerunt, ob maius dedecus Romanorum, & quòd diceret, eo modo tolli ſeditiones, & ſchiſma, & non alio quidem poſſe: moleſtiſſime enim ferebat, à ſeptem viris Pontificem quotidie vexari. Hac autem ſæuitia, & immanitate permotus populus Romanus, accito Ladiſlao Neapolitano Rege, arma capit, B ſupplicium de Ludouico ſumpturus. Verùm Pontifex declinaturus populi furorem nonis Auguſti, Viterbium cum Curia, & Ludouico, citato gradu proficiſcitur. Tùm verò populus cum ſæuire in auctorem tanti facinoris non poſſet, in aulicos iram conuertit: quorum bona magna ex parte direpta ſunt, ſeruati quidam dicuntur in ædibus Cardinalium Romanorum, qui adiuuantibus clientibus, ægrè tamen ad ſe confugientes tutati ſunt. populus furens in palatium Pontificium impetum fecit: capto deinde Capitolio, occupatoque ponte Miluio, arcem Hadriani oppugnare fruſtra conati ſunt, adiuuantibus etiam Romanis, Ioanne Columna, Troiæ Comite, Gentile Monterano Comite Cartariæ egregijs tùm copiarum ducibus, & Ladiſlai Regis auſpicijs militantibus. Verùm ſuperueniens Paulus Vrſinus mandato Pontificis, cum Moſtarda, & Cecholino turmarum Præfectis, in Pratis Neronianis, Ioannem Columnam, & reliquam Ladiſlai militiam fundit, ea res hactenus ex voto Ladiſlao C Regi ſucceſſerat, qui tamen copijs ſuis in Vrbem miſſis, iam occupare eam molitus, ab irato populo repellitur, nefarij Regis imperium detrectante. Cognita autem Pontificis in occiſione ciuium innocentia, & fraudem, aut mandatum ab eo Meliorati facto abfuiſſe, & tot malis circumuenti, & cum omnia plena graſſatoribus in agro Romano eſſent, & viæ à Latronibus vbique obſiderentur, ita vt homines, & eorum pecora abigerentur, reſidente etiam ira iam ante concepta, ſupplices Romani legatos ad Pontificem miſerunt, ſe ei ſubdentes, & claues ei Vrbis offerentes; vnde anno 1406. in Vrbem Pontifex venit, ſummis honoribus à Romanis ſubter pallium exceptus: die 13. Martij, Capitolium, quòd à Pontifice defecerat cum Senatu 23. menſis Auguſti ſe Papæ dedidit, ſaluis perſonis, vnde mœnia, & turris mercati euerſa: Ladiſlaum tot malorum auctorem, anathemate damnauit Pontifex, & Regno deinde priuauit. Rebus itaque hoc modo compoſitis, Romam veniēs Ordinationem vnam D menſe Iunio anno 1405. fecit, in qua 12. Cardinales creauit, quorum de numero fuit Angelus Corarius, patria Venetus, titulo ſancti Marci, Presbyter Cardinalis, in Pontificatu Gregorius XII. appellatus; Fr. Petrus Philargi, natione Cretenſis, Presbyter Cardinalis Baſilicæ ſanctorum duodecim Apoſtolorum, Alexander V. deinde vocatus; & Otho Columna, natus è Principibus Romanis, Diaconus Cardinalis ſancti Georgij in Velabro, qui poſtea Martinus V. eſt appellatus.

POPVLVS Rō. arma cōtra Ludouicum ſumit.

INNOcentius Viterbium cum Ludouico accedit.

POPVLVS in Vaticanum Palatiū irruit.

PAVLVS Vrſin. Ladiſlai militiā fundit.

LADISlaus à populo repellitur.

ROMAnorum Legati ad Pōtificē miſſi Vrbis claues ei offerunt.

INNOcētius Romam veniens Ladiſlaū excōmunicat et Regno priuat.

Confirmata autem ſuo Pontificatu pace, Ludouicum nepotem Agri Piceni Cardinalem creat, eundemque Firmanum Principem conſtituit; ipſe vero non diu poſt ſenex, & grandæuus, Romæ moritur, Pontificatus ſui anno ſecundo die 21. anno 1406. viij. Idus Nouembris; ſepelitùrque in Baſilica S. Petri in ſacello, quòd olim Pontificibus dicatum erat, S. Thomæ titulo inſignitum, Pœnitentiariorum vſibus nunc præcipuè ſeruiens, quòd quidem vetuſtate, & ſitu E corruens, Nicolaus V. poſtea reſtituit, notato etiam hoc epitaphio in hominis ſepulcro.

INNOcentij obitus.


INNOCENTIO VII. PONT. MAX.
CVM NEGLECTI EIVS SEPVLCRI
MEMORIA INTERIISSET
NICOLAVS V. PONTIFEX MAXIMVS
RESTITVI CVRAVIT.

Vacauit Sacroſancta, & Apoſtolica ſedes dies viginti quatuor.

ORDINIS Fratrum S. Hieronymi inſtitutio.

Ordo Fratrum Mendicantium ſancti Hieronymi, ſub regula S. Auguſtini à Iubo à Redone, Comite Montiſgrandis, & Gualtero Marſo inſtitutus, anno 1405.

F *SIGNA INNOCENTII PAPAE VII.*



ADDI-

ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

A

¶ Pleſſæus venenatis maledicentię ſpiculis Innocentium VII. configere conatus eſt: at ſpiculorum cuſpides retuſæ, & ſpicula ipſa confracta, æneo, rectius, adamantino virtutum præſtantiſſimi Pontificis clypeo obiecto. Leonardus Aretinus, in Commentario rerum ſuo tempore geſtarum, & D. Ant. Innocentium ætate grandæuum, multarum, magnarumque rerum experientiam callentem, hic, loc. cit. pacificum, mitem, & à cædibus abhorrentem, Platina, natura mitem, Cardinalis Aegidius Viterbienſis humani, Diuinique iuris peritiſſimum, dicendi, & perſuadendi ratione pollentem, Panuinius cunctis Max. & Opt. Pontificis dotibus ornatum, vitæ integritate, egregijs moribus, humanitate, doctrina, pietate, & liberalitate præſtantiſſimum, Binius bonarum literarum, Iuris Canonici, & Romanæ Curiæ peritiſſimum, mitem, bonum, pacificum, doctorum virorum ſummum fautorem, & amatorem, Genebr. iuriſperitum, comem, blandum appellarunt. Erubeſcant, abeantque in flammas mendaces, tabifici, virulenti, proſcriptique Niemi, & Pleſſæi calami, quos iuratos Romanorum Pontificum hoſtes rectiſſimè dixeris.

[Pat. 3. hiſt. tit. 22. c. 4. §. 1. In eius vita in Hiſt. 20. ſec. in eius elogio. In eius vita t. 3. p. 1. Conc. lib. 4. Chron.]

B

* *Sulmone.*] Gregor. XII. Bulla 3. pro ordine Eremitarum ſancti Aug. apud Emanuelem Rodericum, to. 1. Priuilegiorum Apoſtolicorum pro Regularibus (ſi tamen bulla illa Gregorij eſt) Coſmatum de Peruſio nominatur: in ea autem ſchiſmatis tetetrimi, diuturnique Pontificum, & Pſeudopontificum ſeries deſcripta eſt.

[Inſlis pertitionibus.]

* *Archiepiſcopus Rauennas ...... mox Bononienſis Epiſcopus.*] Panuinius loc. cit. *ex Archiepiſcopo Rauennate, Epiſcopus Bononienſis, &c.* A Bononienſibus reiectus Bononienſem Epiſcopatum non iniit. Sigonius lib. 3. de Epiſcopis Bonon. Hier. Rubeus lib. 7. hiſt. Rauen. Vrbanus VI. Bononienſi Eccleſiæ, anno 1389. Coſmatum præfecerat; illo mortuo, Bonifacius IX. ei ſuffectus Decembri exeunte (Octobri menſe obierat Vrbanus, vt placet Sigonio) Cardinalem creauit: ita Sigonius: Rubeus, eodem die, quo a populo Bononienſi repudiatus fuit, eum in Purpuratorum Collegium adlectum, & Rauennatenſis Eccleſiæ adminiſtratorem inſtitutum ſcribit; Bononienſemque Cardinalem nominatum; quia Pileus Prataæ Comes Cardinalis Rauennas dicebatur; Pileo mortuo, anno 1400. Rauennatenſem Eccleſiam dimiſit, quam Bonifacius ſtatim Ioanni Meliorato Coſmati nepoti commiſit.

C

* *Cardinalium in Conclaui exiſtentium.*] Septem fuiſſe Cardinales electores Innoc. VII. teſtatur loc. cit. & in Chron. Panuin.

* *Corporeque gracili.*] Eius imago, æneis typis ad viuum delineata, apud Panuinium, gracile Innocentij corpus non refert.

* *Eo ventum .... vt viliſſimus.*] Sunt verba Platinæ, paulò ante extulit laudibus Ciaconius Innocentium; at modo verba auctoris non laudantis recenſet.

D

* *Petro de Luna .... nequaquam abnuente.*] Hæc ex Platina hauſit; ſed omiſit hic quæ apud eumdem ſequuntur, & paulò inferius præpoſterè attulit. Platina addit: *Romanos ipſos Pontifex ad Ludouicum nepotem diuertentem apud Hoſpitale S. Spiritus in Saxia, tanquam ad certum carnificem miſerit.*

* *Ladiſlao.*] Præpoſtero videtur vſus ordine, accitus priùs a Romanis Ladiſlaos, vt paulò poſt, ex Platina, ſcribit auctor: Cardinalis Aegidius dixit. *Romani tanto ſcelere* (videlicet Ludouici Meliorati, qui nonnullos Romanos necauerat) *exciti Ladiſlaum accerſunt, ad arma concurrunt, Vrbem, & carnificem petunt; fugit Papa, &c.*

[Loc. cit.]

* *Capti, & occiſi.*] De hac re Platina, & Card. Aegid. loc. cit. Quidam Innocentium criminis Ludouici conſcium exiſtimarũt; ſed falsò: nam mitis erat, & pacis amans, De cæde Ludouici loquutus S. Antoninus; de Pontificis innocentia ſcribit. *Res tota eo* (Innocentio) *inſcio, tranſacta fuerat: vir erat enique pacificus, & mitis, & à cuius lenitate nihil magis abhorrebat, quam cædes, & humani ſanguinis effuſio: mæſtus itaque ſe ſe, & fortunam deplorabat ſuam, oculos interdum ad cælum tolens, quaſi Deum inuocaret teſtem ſuæ innocentiæ erga Populum Romanum.* De diſſidij incendio, quo tunc Roma flagrabat, etiam Leonardus Aretinus Romæ eo tempore degens; & D. Antoninus cap. 4. loc. cit.

E

[Loc. cit.]

[Loc. cit.]

* *Romæ moritur ...... anno 2. die 21. anno 1406. &c.*] Ita Panuinius in Chron. anno 2. Pontificatus è ſocietate mortalium eum diſceſſiſſe, ſcripſit Platina: alij anno 1407. iij. non. Nouemb. *Sedit duobus annis, vel circa.* D. Antoninus.

[Loc. cit.]

F

* *Innoc. VII.*] Ita etiam Platina, at Panuinius in eius elogio. *Innoc. VII. P. M. quum neglectis eius ſepulcri memoria pene interiiſſet, Nicolaus V. P. M. inſtaurandam hic curauit.* Reſtituit Nicolaus V. collapſum ſacellũ Baſilicæ Vaticanæ Põtificibus dedicatum.

* *Vacauit .... dies 24.*] Panuin. in Chron. & Genebr. lib. 4. Chronolog. dies 23.

* *Ordo .... S. Hieronymi.*] Caroli quondam Antonij Comitis Montiſgranelli, & ſociorum precibus, Innocentius VII. confirmauit regularem vitam Eremitarum S. Hieronymi. Vide Conſtit. Gregor. XII. 3. *Nonnullorum, &c.* tom. 1. Bullar.

Vrbis Imperium, Populo Romano mite reddito, recuperauit Innocentius. Vide Panuinium in eius elogio.

A

Inito Pontificatu, legationem Bononienſem Balthaſſari Coſſæ confirmauit Innocentius, Sigon. lib. 3. de Epiſcopis Bononienſ. Regulam Fratrum, & Sororum de Pœnitentia ordinis S. Dominici approbauit vj. Kal. Iulij an. 1. Conſt. *Sedes Apoſtolica, &c.* to. 1. Bull.

Eiuſdem ordinis Fratribus indulſit, vt carentes Confeſſarijs Dominicanis, dum iter habent, alijs ſacerdotibus ſua crimina in ſacra confeſſione explicare, poſſint. Extat Conſtitutio tom. 1. Collectionis Priuilegiorum pro Regularibus Emanuelis Roderici.

Pontifex autem ea conditione creatus fuerat; vt, quotieſcunque ad ſchiſma extinguendum opus fuiſſet, Pontificiam tiaram, munuſque dimitteret; idque ante electionem, ſe, cum alijs, ſi deligeretur, facturum ſpoponderat. Indixerat Pontifex creatus Concilium Romæ celebrandum; at, ſeditione à Ghibellinis excitata, nullus Epiſcopus Romam tutò adire potuit. Vide Binium loc. cit.

[V. D. Ant. p. 3. hiſt. tit. 22. c. 4.]

[T. 3. Conc. p. 2. in eius vita.]

B

Quidam aiunt, dixiſſe Baptiſtam Campofulgoſum, Innocentium VII. non omiſiſſe prorſus Pontificias curas, & tamen ſucceſſiuas horas, quas tranſigere otioſus poterat, non, vt pius Pontifex, nonnullique alij ſtudijs dediſſe; ſed perſæpe putandis hortorum ſuorum arboribus impendiſſe: at Codex cuſus Mediolani anno 1509. Innocentio Octauo id tribuit.

[Lib. 8. Dictorum, & Factorum memor. cap. 8.]

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI
Societatis Iesv.

POST Bonifacij IX. obitum, die Dominico, duodecima Octobris anni 1404. veſpere Cardinales nouem Conclaue apud S. Petrum in Vaticano ingreſſi ſunt. Horum nomina, vt habemus ex libris ſacri Collegij ſunt.

[Cardinales Conclaue ingrediũtur. Felix Cõtelorius in Elencho. Panuinius de Rom. Pont.]

Florentinus Angelus Acciaiolus Epiſcopus Oſtienſis.

Monopolitanus Franciſcus Epiſcopus Sabinenſis.

C

Neapolitanus Henricus Epiſcopus Tuſculanus de Minutolis.

Aquileienſis Antonius Caietanus ſancta Cæciliæ.

Coſmatus de Melioratis Sulmonenſis, Cardinalis Bononienſis tituli ſanctæ Crucis.

Angelus Neapolitanus de Summaripa ſanctæ Pudentianæ Cardinalis Laudenſis.

Chriſtophorus de Maronibus Romanus, ſancti Ciriaci Cardinalis Iſernienſis.

Raynaldus de Brancacijs Neapolitanus, ſancti Viti in Macello Diaconus.

Landulphus de Marramauris Neapolitanus, ſancti Nicolai in Carcere Tulliano, dictus Barenſis.

Abſentes erant Balthaſſar Coſſa in legatione Bononienſi, & Valentinus Cardinalis Quinqueccleſienſis in Hungaria.

[Cardinales abſentes.]

D

In eodem libro ſacri Collegij hæc notata ſunt: *Die Veneris 17. Octobris hora 21. Dominus Coſmatus ſanctæ Crucis in Hieruſalem Cardinalis Bononienſis eligitur in ſummum Pontificem nomine Innocentij VII qua hora electionis pluit fortiter, nec antea per quatuor menſes, nec poſt per vnum menſem vnquam pluit. Die Martis, qua fuit feſtiuitas S. Martini xi. Nouembris 1404. Innocentius VII. coronatur Romæ in gradibus S. Petri cum omnibus ſolemnitatibus, & demum ſubtracto thalamo per Canonicos S. Petri, acceſſit ad S. Ioannem Lateranenſem, & factis cum ordine ceremonijs, cũ magna lætitia reuerſus eſt ad palatium S. Petri.* Hæc ibi.

[Innocẽtij VII. electio.]

[Coronatio.]

Henricus tamen Spondanus in Annalibus Eccleſiaſticis ſcribit duodecim Cardinales viuentes fuiſſe in obedientia Romani Pontificis, quorum quatuor abſentes ab Vrbe, octo tantùm Conclaue ingreſſos, hoc ſe ſe iuramento aſtrinxiſſe, vt quis quis ipſorum Pontifex renunciaretur, liberè Pontificatu ſe abdicaret, quoties alterius obedientiæ Papa idem faceret, Schiſmatis tollendi cauſa. Ac licet

E

Rex Francorum Carolus confeſtim, vt audiuiſſet Bonifacij obitum, curſorem ad Cardinales miſiſſet cum literis, quibus rogabat differre ſucceſſoris electionem, donec honorabilem à ſe mittendam ad eos pro rerum accomodatione legationem accepiſſent; nihilominus fuit prius omnium votis electus Coſmatus Melioratus, & dictus Innocentius huius nuncupationis Septimus, cunctis maximi, & optimi Pontificis dotibus ornatus, vitæ integritate, egregijs moribus, humanitate, doctrina, pietate, & liberalitate præſtantiſſimus, Eccleſiaſticæ libertatis, & ditionis aſſertor vnicus. Quem vt laudemus, ſatis fuerit dicere, laudari ipſum maximè a Niemo aliàs obtrectatore Romanorum Pontificum, vti mitem, probum, benignum, caſtum, non ſuperbum, non auarum, non cupidum, ſimoniæ oſorem, & ex-

[Innocẽtij virtutes.]

F

pertæ in rebus agendis induſtriæ. Quamuis nonnihil eum carpat, quòd ſuos properè diuitijs augere ſategerit, nempè vt familiam Melioratam melioraret.

Cum autẽ audito Bonifacij deceſſu, Ladiſlaus Siciliæ Rex quam ciriſſimè cum magnis copijs acceſſiſſet ad Vrbem, intendens operam dare, vt ad ſedem Petri eligeretur ſibi beneuolus, & amicus, & appellens reperiſſet iam Innocentium electum, honeſtiſſimam ſalutandi, & congratulandi cauſam ſui acceſſus prætexuit, ac ſe copias in fauorem Eccleſiæ duxiſſe, quò ad electionem faciendam liberiores forent Cardinales. Erat tamen reuera augendi Regni cupiditas, cum iam Apuliæ Regno ſub manu eius redacto in id potentiæ creuiſſet, vt planè formidabilis haberetur. Callidè autem in his progrediens, primò clam Romanos aduerſus Pontificem commouit, exciti-

[Ladiſlaus Rex Romã petit. Aegid. Viterbien. in Anal. Leonard. Aretin. in Comment.]

mans, In-

mans, Innocentium illorum petulantiam non ferentem ex Vrbe migraturum, & Romanos inde ad ſe conuerſum iri. Deinde ſimulans fauere Pontifici, conſtituit ſe quaſi mediatorem ad concordiam inter eos perficiendam; hac facta conuentione, vt gubernatio Vrbis in temporalibus penes populum reſideret, in manu videlicet decem virorum per eos vocandorum, illa autem pars, quæ dicebatur Leonina, ſcilicet circa S. Petrum Pontifici remaneret cum arce, S. Angeli, ac Senator Vrbis de voluntate Pontificis, & conſenſu populi aſſumeretur. Quæ tamen pacta diu non durarunt, ac Rex obtenta à Pontifice in triennium Campania, reuerſus eſt Neapolim.

Romani recõciliati Pontifici.

Interea conſiderans Innocentius, quanta mala, & damna tam ſedi Apoſtolicæ, quàm alijs Eccleſijs, ac locis, nec non Regno Siciliæ Ladiſlaus intuliſſet, ac inferre pergeret, bonis, & perſonis Eccleſiaſticis, Regularibus, ac ſecularibus, graſſationibus, exactionibus, nec item Proceribus Regni parcens etiam illis, quorum ope, & opibus Regnum obtinuerat, quin eos carceribus, exilijs, ſpoliationibus tyrannicè vexaret, nec paucos vita priuaſſet, omni ſpe depoſita illius emendationis, menſe Iunij in publico Cardinalium, Magiſtratuum, Prælatorum, Senatus, Populique Romani, & aliorum Conſiſtorio, propoſitis in eum diuerſorum criminum articulis ſexdecim, atque in primis periurij, proditionis, & conſpirationis in ipſum Pontificem, anathemate illum percuſſit, & Regno, ac terris, quas à Romana Eccleſia tenebat, priuatum, pœniſque, ac cenſuris ab Vrbano VI. olim contra Carolum eius patrem, ac poſteros latis irretitum declarauit, ac rem geſtam publicis ad Imperatorem, Reges, ac Principes Chriſtianos ſcriptis literis promulgauit. Quibus rebus percuſſus Ladiſlaus miſſo è veſtigio ad Pontificem Oratore, & obtentis aliquot dierum inducijs, mitti ad ſe Paulum Vrſinum nobilem Romanum, qui fidelem Pontifici ſemper operam præſtiterat, vna cum Ludouico Meliorato nepote Pontificis ad res componendas impetrans, ijs ab ipſo ſupra modum honoratis, & muneribus oneratis, ſimulatam aliquam concordiam confecit, iuſſo etiam caſtri S. Angeli, quòd per fraudem occupauerat, Pontifici reſtitui. Narrant hæc Niemus, & Aretinus, quorum nihil leges apud Collenutium, & Summontium rerum Neapolitanorum ſcriptores.

Ladiſlaus Eccleſiæ hoſtis.

Ladiſlaus anathemate percuſſus.

Cum verò accepiſſet Innocentius ex binis ad ipſum ſcriptis literis ab Vniuerſitate Pariſienſi, quæ Nuncij Benedicti retulerant de ijs, quæ Romæ tractaſſent, ac de ſua ipſorum captiuitate, reſcribens ad eam xiij. Kal. Martij anni 1405. in primis ſchiſma deteſtans, & ſe ad illud extinguendum paratiſſimum profitens, poſtea de Nuncijs ait, eos nullam aliam viam extinctionis eius obtuliſſe, quàm cõuentionis duorum contendentium. Cumque morbis grauatus Bonifacius obijſſet, & Cardinales eius ab ijſdem Nuncijs ſciſcitantes, num mandatum haberent ad cedendum ex parte Benedicti, quoniam inter ipſos omnino decretum fuerat, ſi id habuiſſent, non procedere ad aliam electionem, quouſque ſuper extinctione ſchiſmatis prouiſum foret, audiſſent à Nuncijs eiuſmodi mandatum ſe non habere, ipſos, ne Eccleſia Dei diutius Paſtore careret, proceſſiſſe ad electionem, qua ipſe Innocentius creatus fuiſſet. Quòd verò de captiuitate Nuncij quererentur, eam procuIdubio ipſiſmet imputandam eſſe, qui nolentes in Vrbe manere, vbi omnis ſecuritas præbebatur, maluiſſent abſcedere, & in eius manus incidiſſent, è quibus nec Cardinales, nec ipſemet Innocentius potuiſſet eos eruere in motibus vrbanis, qui mox eruperunt. Hæc Innocentius ad Vniuerſitatem; eademque jx. Kal. Maij eiuſdem anni ad Ducem Bituricenſem patruum Regis ſcripſit, cum is etiam Romam miſiſſet ad rei geſtæ veritatem inquirendam.

Schiſma extinguere curat.

S. Antoninus.

Scripſit Innocentius Epiſtolas quaſdam ad diuerſos ex Andrea Ducheſnio in vita, & Fr. Luca Vvaddingo in tomo 5. Annalium Minorum, quarum vna tempus officij Miniſtrorum prouincialium in Seraphica familia, & Abbatiſſarum S. Claræ ordinis præſcripſit.

Epiſtolas varias ſcripſit.

Mitram Pontificalem dono dedit Eccleſiæ Sulmonenſi, ac ſequentes ad Clerum eiuſdem Vrbis literas dedit.

Donis pretioſis cumulat Eccleſiam Sulmonenſem.

INNOCENTIVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Dilectis filijs Capitulo Eccleſiæ Sulmonenſis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Ferdinãd. Vghel in Ital. ſacra.

Eccleſiam Sulmonenſem Apoſtolica ſedes filiam ſpecialem, & peculiari quadam ſubiectione deuotam, in qua Chriſti veſtem, & fidei rudimenta ſuſcepimus, ſingulari beneuolentia proſequentes dignum duximus neceſſitatibus proſpicere, & vtilitatibus prouidere, ne eadem Eccleſia, quæ temporalibus fulcitur honoribus, in ſpiritualibus contemptibilis habeatur. Hac igitur conſideratione deducti, Mitram vnam Pontificalem perlis, & lapidibus pretioſis intextam ad vſum dictæ Eccleſiæ, & quæ debeat in ea perpetuò conſeruari pro diuino cultu, & Eccleſiæ veſtræ decore per dilectum filium Iacobum Caputgraſſum adminiſtratorem Monaſterij S. Ioannis in Venere, ex dono Apoſtolicæ largitatis Vobis præſentialiter deſtinauimus, deuotionem veſtram hortantes, quatenus quam primum acceperitis dictam Mitram, Nobis per Veſtras literas intimare curetis. Dat. Viterbij, iij. non. Octobris Pontificatus anno 1.

Iuſſit Innocentius teſte Bartholomæo Gauanto in Theſauro ſacrorum rituum, ſymbolum recitari in Miſſæ ſacrificio diebus ſacris S. Ioanni Baptiſtæ, & S. Laurentio Martyri, quando die Dominico eorum feſtiuitates fideles celebrant. Sanctiſſimam Dei Matrem, Virginem Mariam præcipuo, ac particulari cultu ſemper coluit, cuius Conceptionem immaculatam ſingulari affectu ita piè coluit, vt Doctorem quendam Theologum nomine Ioannem Monteſonem, qui in ſuis concionibus affirmarat in peccato fuiſſe conceptam, inſtante ad hoc Pariſienſi Gymnaſio reprehenderit, & vt palinodiam caneret, coercuerit, vti referunt ex Roberto Gaguino ordinis ſanctiſſimæ Trinitatis generali Magiſtro in hiſtoria Francorum Doctor Luzerus de Conceptione, Ioannes Baptiſta Lezana in Apologetico pro Conceptione, Mauritius Hilaretus in Homilijs, & Hippolytus Marraccius in Pontificibus Marianis.

Symbolũ in feſtis diebus aliquibus recitari iubet.

Deiparam Virginem colit.

E vita migrauit Innocentius ſeptuagenarius ex apoplexia Romæ die Sabbati 6. Nouembris, hora vigeſima anni 1406. vt dictum eſt ſupra à Ciaconio.

Obitus.

Bernardinus Scardeonius in libro 3. ſuæ Hiſtoriæ lepidam de Innocentio VII. hiſtoriam narrat: Andreas Mantineus celebris illius æui Pictor, Innocentij iuſſu ſacellum Pontificium in Vaticano picturis ornare, opulentæ remunerationis ſpe illectus aggreſſus fuerat. Opus quòd in dies creſcebat, ſingulis ferè diebus Pontifex ſummis laudibus celebrabat; pictor tamen auri æquè, ac laudum cupidus, nihil Pontificis laudes ſine auro faciens, ira ſuccenſus, & moræ impatiens miro artificio iniuriam illam tali modo proſequi meditatus eſt. Iuſſerat Pontifex, vt ſeptem capitalia peccata, in certa ſacelli parte coloribus exprimeret; ille ſpatium circumſcriptum cum menſus fuiſſet, loco ſeptem octo ſpatia ſtabiliverat. Miratus Innocentius, illico quale monſtrum ſeptem alijs ſimile in octauo ſpatio pingere in animo ſibi eſſet, petijt: Cui Pictor, in octauo hoc ſpatio efferum ingrati animi monſtrum omnium vitiorum turpiſſimum collocare decreui. Pontifex Pictoris mentem aſſecutus, ſubridens reſpondit, placet nouitium inuentum; placet vt exprimas ingrati animi vitium, ſed proximam illi collocabis patientiã, virtutum omnium reginam; deinde larga manu perfectum opus multo argento, & auro repẽdit.

Innocentius larga manu Pictoris opus rependit.

PRIMA CREATIO CARDINALIVM
Innocentij Papæ VII.

Anno reparatæ ſalutis 1405. *Pontificatus Primo*, pridie Idus Iunij, die Veneris Romæ apud S. Petrum Innocentius VII. Romanus Pontifex Cardinales duodecim renunciauit, qui fuerunt.



I.

CONRADVS Caracciolus nobili genere Neapoli ex Nidi Curia ortus, ad Romanam Curiam ſedente Vrbano huius nominis Sexto in Petri Cathedra acceſſit, à cuius ſucceſſore Bonifacio IX. cum Eccleſiæ S. Stephani propè Aquileiam præpoſitus fuiſſet, Subdiaconus Apoſtolicus, & Procamerarij munere functus eſt, vt ex libro 5. Obligationũ Vrbani VI. liquet, deinde anno 1402. vj. nonas Octobris Archiepiſcopus Nicoſienſis in Inſula Cypri, poſtea Melitenſis Epiſcopus, cum eiuſdem Archiepiſcopatus commẽdatione renunciatus eſt. Hunc Innocentius VII. cuius Procamerarius fuerat, S. R. E. Camerarium, & Presbyterum Cardinalem titulo S. Chryſogoni dixit. A cuius ſucceſſore Gregorio XII. maxima ei poteſtas conceſſa fuiſſe traditur, vt Apoſtolicæ ſedis nomine Paulum Vrſinum Principem Romanum ſub certis conditionibus, Romanæ Eccleſiæ ſtipendijs duceret, quando a Ladiſlao Neapolitano Rege impiè vexata, graui ſeruitutis iugo premebatur. Cum Gregorio Senas acceſſit, ſed paulò poſt illo deſerto, cum Piſas ad Concilium acceſſiſſet ab eo citatus inane Pontificis edictum contempſit, & cum ceteris Cardinalibus Alexandri V. Comitijs interfuit, a quo nobili in Galliam Ciſalpinam legatione, vt aliquot oppida nutantia in Eccleſiæ Romanæ fide confirmaret, honeſtatus rem proſperè geſſit. Verùm Gregorius cum ſe deluſum à Caracciolo vidiſſet, eum Melitenſi, alijſque Sacerdotijs ſpoliauit: ab Alexandro V. Vrbeuetanæ Eccleſiæ perpetuus Adminiſtrator aſcitus eſt.

Ciaconius

Panuinius de Rom. Pontifice.

Aug. Triũphi monumenta.

Scipio Ammirat. de familia Neapol.

Aubery in vita.

Brienus in hiſtor.

Sub Ioanne XXII. dicto XXIII. anno à partu Virginis 1411. xv. Kalen. Martij ex Ciaconio, alijſque, ex Contelorio verò die 25. Februarij diem clauſit extremum Bononiæ; & in Cathedrali ſepultus, vbi adhuc in marmore hæc ſpectatur Inſcriptio.

Diploma facti Collegij.

Ferdinãd. Vghel. in Ital. ſacra.

CONRADO CARACCIOLO NEAPOLITANO
TITVLI S. CHRYSOGONI
PRESB. CARD. S. R. E. CAMERARIO
BONONIAE LEGATO
SVPREMAM VITALIS STADII METAM EMENSO
XV. KAL. MARTII MCCCCXI.

Franciſcus Petrius in Chronologia familiæ Caracciolæ, hunc ex

And. Victorel. in Addit. ad Ciaconiũ.

Pamiiino Gradenſem Patriarcham, ac Legatum in Gallia fuiſſe, & A
familiam Caracciolam eandem eſſe cum Caraſa, Leonardo Aretino id teſtante, tradit. *Carapheam gentem*, inquit ille, *vnam tantùm cum Caracciola affirmant, & ab vno, eodemque ſtipite originem traxiſſe omnes fatentur.* Reſcripſerunt in ſuis libris Petrus, & Philibertus Campanilius nonnullas ſepulchrales Inſcriptiones indicantes à Caroli Primi Regis Neapolitani ætate Caracciolos Caraſas appellatos inter quas hæ ſunt quæ extant Neapoli in Diui Dominici Templo.

HIC REQVIESCIT
DOM. MATTHAEVS CARACCIOLVS DICTVS CARAFA
MILES QVI OBIIT ANNO DOMINI MCCCXV.

HIC IACET CORPVS QVONDAM NOBILIS VIRI
DOMINI THOMASII CARACCIOLI
DICTI CARAFA DE NEAPOLI
QVI OBIIT ANNO DOM. MCCCXXXII. B



II.

Ciaconius

F. Sanſouin. in hiſtor. fam. Vrſinæ.

S. Antoninus.

Hier. Garimber. in vit. Pont. & Card.

Luc. Vvaddingus in Annal. Minorum.

Ferdinãd. Vghel. in Ital. ſac.

Monumẽta Triuulziana.

Panuinius de Rom. Pont.

Aubery in vita.

Paul. Moroſin. in hiſtor. Venet.

Cherubin. Ghetardacc. in hiſtor. Bononienſi.

Brianus in hiſtor.

Barthol. Chioccarell. in Catalog. Arch. Neap.

IORDANVS huius nominis tertius Cardinalis nobiliſſimæ familiæ Vrſinæ, nobilitate tum generis, tum animi, ac rerum gerendarum peritia inſignis, natus Romæ, germanus frater fuit Franciſci Vrſini Vrbis Præfecti, ac rei militaris peritia illuſtris, qui maximè eo tempore armis florebat, atq; inſignis dux, ac militiẽ ductor erat, Neapolitanæ Eccleſiæ præfuit Iordanus iubente Bonifacio IX. Illum de- C
inde Innocentius VII. Romanæ Eccleſiæ ſenatorem purpuratum dedit tit. SS. Syluestri, & Martini in montibus honeſtatum, ac Patronum Seraphici ordinis S. Franciſci nominauit. Mortuo paulò poſt Innocentio, electioni Gregorij XII. interfuit, quo ſegniùs, ac remiſſius præter iuſiurandi fidem in ſchiſmate tollendo ſe agente, eum cum reliquis Cardinalibus deſerens, Piſas ad generale Concilium profectus eſt, & in Alexandri V. Comitijs integrè ſe geſſit, à quo ex titulo Equitij ad illum SS. Laurentij, & Damaſi tranſlatus eſt. Ioanne XXII. dicto XXIII. cuius Bononiæ creationi interfuerat, legatione in Hiſpania ad ſedandos motus, quos Petrus de Luna Pontificatu priuatus excitauerat functus eſt. Poſtea legationem Piceni ſumma virtute adminiſtrauit. Multa ab eodem Pontifice, & grauiſſima negocia explicanda ſuſce- D
pit, inter quæ præcipuũ fuit executio Diplomatis Apoſtolici, quam ipſi, Franciſco Lando, & Raynaldo Brancacio Cardinalibus Pontifex demandarat, in eos, qui Eccleſiarum, Monaſteriorum, & domorum Hoſpitalium bona rapuiſſent, occupaſſent, vel quacunque ratione iniquè poſſiderent. Eidem etiam Pontifex, vt Monaſteria, Eccleſias, & pia Vrbis loca inquireret, viſitaret, & quæ ſoluta, ac deprauata inueniſſet, corrigeret, iniunxit. Viſitatoris munus in Vrbe gerens, Monaſterij S. Andreæ de Fractis bona omnia in Baſilicam Liberianam tranſtulit, vt patet ex Eugenij IV. Diplomate, quòd in ſuo libro de illa Baſilica Paulus de Angelis reſcripſit. Nouiſſimè ex Presbytero Epiſcopum Cardinalem Albanenſem cum tituli ſui commenda, & S. R. E. maximum Pœnitentiarium illum renunciauit, idem Ioannes Romanus Pontifex. In Concilijs Piſano, & Conſtantienſi Eccleſiæ Romanæ dignitatem, & honorem conſtantiſſimè tutatus eſt, & pro eiuſdem vnitate maximè laborauit. Ioanne E
porrò XXIII. in Concilio Conſtantienſi Pontificatu priuato, oblitus factionum, & veterum omnium ſimultatum, quas familiæ Vrſina, & Columna inter ſe ad cædes, vſque exercuerant, Othonem Columnam S. Georgij Diaconum Cardinalem, qui Martinus III. alias V. poſtea vocatus eſt, modis omnibus in ſummo Sacerdotio adipiſcendo iuuit, & ſuo ſuffragio omnibus prætulit. A quo cum pro Eccleſiæ vnitate, tum pro pace inter Angliæ, & Galliæ Reges componenda in Galliam anno noſtræ ſalutis 1418. primùm cum Guillelmo Presbytero Cardinale tit. S. Marci, deinde anno 1425. in Hungariam, & Boëmiam, ac Regna Septentrionalia, ad extirpandas, quæ ibi pullulauerant Huſſitarum, & Vviclephitarum hæreſes Legatus miſſus, dignum ſe in omnibus tanti Pontificis miniſ- F
trum præbuit, & quantum dura temporum illorum conditio permiſit, optimè ſe geſſit Martino V. vita functo, ſuffragium tulit Eugenio IV. à quo ex Epiſcopo Albanenſi declaratus eſt Sabinenſis. Legatus quoque ad Baſilienſe Concilium Pontificatus initio cum Petro de Fuxo Epiſcopo Albanenſi, Nicolao Albergato Presbytero Cardinali tit. S. Crucis, & Angelo Fuſco Presbytero Cardinali S. Marci, vt Apoſtolicæ ſedis nomine Concilio præeſſet, Kalen. Martij deſignatur. Ceterùm exitiabili diſcordia inter Eugenium IV. & Baſileenſes Patres exorta, cum Pontifex Concilium transferre in Italiam ſtatuiſſet, & Baſileenſes acerrimè ſe ſe Pontifici oppoſuiſſent; illorum conatibus Iordanus Eugenij partes conſtantiſſimè ſecutus, dum vixit, intrepidus reſtitit. Nouiſſimè ab eodem Eugenio IV. Le-

Alexius Manianes in vita Nicolai Albergati Card.

A gatus ad Sigiſmundum Imperatorem Romam pro Imperiali diademate ſuſcipiendo petentem, Senas vſque honorificentiſſimè directus, eum ad Vrbem adduxit. Exceſſit haud longè poſt, die ſcilicet 29. Maij anni 1439. apud Balnea Petriolana propè Senas Hetruriæ Vrbem, omnibus æquè gratus. Cuius corpus Romam inde tranſlatum, in Baſilica Vaticana in ſacello à ſe extructo, ac dote alijſque bonis locupletato ſepultum.

Felix Cõteloi. in Elencho.

Franc. Maria Turrig. de Crypt. Vatican.

Hipp. Marrace. in Purp. Marian.

Bracciani in Sutrina Diœceſi Eccleſiam, & Conuentum S. Mariæ Nouellæ pro Patribus Eremitarum S. Auguſtini fundauit. Fuit Ladiſlai Regis Neapolitani dum vixit familiaris; ad preces enim huius tunc temporis Neapolitani Archiepiſcopi conceſſit ille hominibus Caſalis Afragolæ dilationem per quadriennium, ac præcepit, ne in bonis, vel in perſona ab aliquo moleſtia vlla afficerentur, atque ſe eiuſdem Archiepiſcopi gratia id feciſſe affirmauit ob paternum zelum, quem erga Regem ipſe Archiepiſcopus gerebat. Multas is ha-
B buit cum Capitulo, & Canonicis Neapolitanæ Eccleſiæ controuerſias, quas deinde ſuis literis Bonifacius IX. diremit. Gratiſſima liberalitate viros doctos ſemper fouit, & maximam rariſſimorum librorum copiam ex varijs mundi partibus collegit: quos magno pretio comparatos, valoris octo millium ducatorum tandem in obitu Vaticanæ Bibliothecæ legauit: extat liber Franciſci de Bilijs ordinis S. Auguſtini, viri doctiſſimi pro ſuſcipienda in Boëmos expeditione huic Cardinali dicatus.

Eccleſiam Neapolitanam in manibus Romani Pontificis reſignauit ante annum 1406. anno enim 1406. illa vacabat, vt cognoſcimus ex publicis tabulis Neapoli ſcriptis per Lucam de Comite Tabellionem publicum die 11. Iulij anni 1406. quo Ioãnes Sirralione de Auerſa Primicerios Neapolitanæ Eccleſiæ, & Angelus Barattallus Canonicus, & Vicarij ſede vacante, aliqua paciſcuntur nomine Eccleſiæ Neapolitanæ cum Maſone Carbone, & alijs eiuſ-
C dem familiæ viris, ſuper Sacello SS. Tiburtio, & Suſannæ ſacro, quòd olim in Metropolitana illa Eccleſia erexerat Franciſcus Carbonus S. R. E. Cardinalis.



III.

Ciaconius

Ferdinãd. Vghel. in Ital. ſac.

Inſtrumen. in hiſt. Venet.

Panuinius de Rom. Pont.

Aubery in vita.

Felix Cõ… in Elencho.

And. Vitorell. in Addit. ad Ciaconiũ.

A NGELVS Corarius patritius, & Patriarcha Venetus Nicolerri, & Poliſſenæ filius ſacræ Theologiæ eximius doctor, primùm Epiſcopus Caſtellanus Venetijs, poſtea Chalcidienſis in Eubœa Inſula Venetæ ditionis in Græcia, deinde Patriarcha Conſtantinopolitanus Latinus ſanctitate claruit, vt ſcripſere S. Antoninus, & Blondus. Ille tertia parte ſuæ hiſtoriæ hæc habet. *Fuit vir ille à pueritia magna* D
ſanctimonia, & ſapientia; Blondus verò: *fuerunt ex gente Coraria Gregorius XII. Pont. max. & Antonius nepos S. R. E. Cardinalis, ea vterque morũ, & vitæ ſanctimonia, quæ priuatos quoque celebres reddere potuiſſet.* Sanderus de Viſibili Monarchia, ſanctiſſimum, & vnionis Eccleſiaſticæ amantiſſimum; Leonardus Aretinus in Commentarijs rerum ſuo tempore in Italia geſtarum, virum priſca ſeueritate, & ſanctimonia reuerendum eundem nominarunt.

Hic à Bonifacio IX. Apoſtolicæ ſedis Nuncius ad Regem Ladiſlaum in Regnum Neapolitanum Legatus eſt, vt auctoritate ſua Neapolim rebellem, & Ludouici Andegauẽſis Ducis factiones ſecutam
E in Ladiſlai Regis fidem reduceret, & Eccleſiam Neapolitanam, quæ tũ fortè Paſtore vacabat, adminiſtraret, maxima cũ facultate omnia Sacerdotia conferẽdi, & ſchiſmaticos ad Catholicæ Eccleſiæ vnitatem eiurato ſchiſmate redeuntes abſoluendi. Illũ Innocẽtius VII. cui in minori fortuna eximiæ virtutis nomine cognitus, & gratiſſimus fuerat, adhuc Picena legatione perfungentem, abſentem, Presbyterum Cardinalem titulo S. Marci nominauit, atque in eadem legatione, aucta poteſtate confirmauit. Romam deinde veniens, intimus conſiliorum particeps, & conſcius eiuſdem Pontificis fuit. Quo mortuo ea conditione tanquam interrex Romæ Patrum omnium conſenſu Pontifex renunciatur, ea lege, vt Pontificatum primo, quoque tempore pro tollendo ſchiſmate deponeret, quando idem Pe-
F trus de Luna Benedictus XIII. vocatus factitaſſet; quòd etiam ſanctiſſimo iuramento interpoſito ſe præſtiturum affirmauit. Ceterùm cum tergiuerſando moras, & dilationes quærendo, quæ pollicitus fuerat, præſtare recuſare videretur, Cardinales vtriuſq; partis, vtroque Pontifice deſerto, Piſas conuenerunt, vbi generali Concilio congregato, ambobus priuatis, tertium ſubſtituerunt, Alexandrum Quintum dictum. Non defuerunt aliqui ex ordine Ciſtercienſi hiſtorici, qui Angelum hunc ante Caſtellanum pontificatum Ciſtercienſem monachum fuiſſe malè affirmarunt; & Ferdinandus Vghellius Abbas Ciſtercienſis, vti nullo certo fundamento innixam narrationem eandem, vt falſam damnauit in ſuo 5. to. Italiæ ſacræ, in ſerie Patriarchatũ Venetiarum. Deceſſit poſt Pontificatũ Epiſcopus Sabinenſis; plura de illo in eius Pontificatu: vide Gregorij XII. vitam.

IOANNES

Ciaconius

Panuinius

Aubery in Vita.

Monumenta Triuultiana.

I V.



IOANNES Melioratus natione Italus, patria Sulmonenſis, Innocentij VII. ex fratre nepos, filius Nicolai, eximius iuris Pontificij interpres, à patruo iam Romano Pontifice renunciato ex Ciaconio; ex Ferdinando verò Vghellio anno 1400. xvij. Kalend. Octobris à Bonifacio IX. Archiepiſcopatum Rauēnatem primùm obtinuit. Nam vt narrat Hieronymus Rubeus in hiſtoria Rauennatenſi, Pileo Cardinali mortuo, qui ſe Rauennatem Cardinalem, cum Rauēnas Archiepiſcopus fuiſſet, appellabat; licet Rauennates Paulum Scordilum Eccleſiæ euſdem Præpoſitum, & Canonicum delegiſſent, attamen Coſmatus Melioratus Cardinalis Rauennatenſem Eccleſiam, quam ab Vrbano VI. acceperat, Bonifacio IX. liberè reſignauit, & Bonifacius ſtatim illam Ioāni Coſmato nepoti detulit. Anno verò 1405. à patruo iam Pontifice electo Presbyteris Cardinalibus titulo S. Crucis in Hieruſalem adſcriptus eſt, cum perpetua adminiſtratione Rauennatis Archiepiſcopatus. Comitijs Gregorij XII. Alexandri V. & Io: XXIII. interfuit, ſub cuius Pontificatu è vita migrauit ex Ciaconio xvij. Kal. Auguſti, ex Contelorio verò, atque ex Ferdinando Vghellio, die 16. Octobris anno 1410. Diſſentit etiam Ciaconius ab alijs ſcriptoribus in aſsignando loco obitus Ioannis huiuſce; nam illum obijſſe Rauennæ, & ſepultum in Cathedrali eiuſdem Vrbis affirmat, ſed tamen certò ſcimus deceſsiſſe Bononiæ, & ſepulturam habuiſſe apud S. Petronium cum hac ſepulchrali Inſcriptione.

IOANNI MELIORATO
SVLMONENSI
INNOCENTII VII. PAPAE
NEPOTI
S. R. E. CARDINALI
TITVLI S. CRVCIS IN HIERVSALEM
XVII. KAL. NOVEMBRIS
MCCCCX.
E VIVORVM NVMERO
SVBLATO.

V.

Ciaconius

Panuinius

Carol. Sigonius de Epiſc. Bononiens.

Aegid. Viterbiē. in Annalibus

Andr. Victorell. in Addit. ad Ciaconiū.

Ferdinād. Vghel. in Addit. ad Ciaconiū & in Ital. ſacra.



FR. PETRVS Philargus, alijs Philaretus, ordinis Minorum, in Inſula Cretæ, ſeu natus, ſeu educatus, vt dicemus infra in Alexandro V. incertę originis, & ſtirpis, nec patrem, aut matrē, fratres vel ſorores, aut quenquam ſibi ſanguinis neceſsitudine coniunctum vnquam agnouiſſe dicitur. Eum in pueritia victum mendicando oſtiatim quęrentem Minorita quidam Italus, qui in Inſula Cretæ commorabatur, piè ſuſcepit, & in Monaſterio Minorum Cretenſi ordinis ſancti Franciſci veſtem induit, & Græcis, ac Latinis literis inſtruxit. Cum autem optimæ indolis, & ſummæ ſpei adoleſcens euaſiſſet, ipſum ſecum in Italiam rediens pater ille adduxit, ac primùm in celeberrimo Angliæ Gymnaſio Oxonienſi multis annis, deinde Lutetiæ Pariſiorum in ſui ordinis Cœnobijs Logicæ, Phyloſophiæ artibus liberalibus, & diuinis literis operam, eiuſdem patris ſtudio, & ope impensè nauauit. Pariſijs verò ſacræ Theologiæ Doctoratus gradu ſuſcepto, in Galliam Ciſalpinam venit, vbi ſcribendo, & diuinas literas populis interpretando clariſsimus euaſit. Vbi autem eius doctrinæ, virtutum, & dexteritatis famam Ioannes Galeatius Vicecomes primus Inſubrum Dux accepit, ei, ad ſe accito primùm locum in conſilijs ſuis dum vixit, tribuit, ac moriens filiorum ſcripſit tutorem. Eius rogatu, & poſtulatione Epiſcopus Vicentinus primùm, mox Nouarienſis, deinde Archiepiſcopus Mediolanenſis renunciatus eſt. Rerum Mediolanenſium ſcriptor ait eum fuiſſe Epiſcopum primò Brixienſem, mox Placentinum, poſtea Nouarienſem, deinde Vicentinum, demum Gradenſem Patriarcham, tandem Archiepiſcopum Mediolanenſem. Cum tot rexiſſe Epiſcopatus, auctores ſcribant, difficile valdè eſt regiminis ordinem ſeruare aut tempus metiri; Nouarienſis Eccleſiæ Antiſtitem fuiſſe referunt Carolus à Baſilica S. Petri, & Vmbertus locatus; Vicentinæ Ciaconius, Ripamontius, Catalogus Sileti, & Claudius Robertus; Brixienſis idem Carolus à Baſilica ſancti Petri; Placentinæ Locatus ſupra laudatus; Patriarchatus Gradenſis

A Belozzus, Sirletus, Ciaconius, B. Piſanus, & Frāciſcus Gonzaga Mediolanēſis Archiepiſcopus omnes quotquot de illa Eccleſia ſcripſerunt. Fr. Lucas Vvaddingus in Annalibus Minorum de Brixienſi, & Gradenſi valdè dubitat, de reliquis probatiſsima ſe habuiſſe pręmanibus monumenta refert, atque eo ordine omnes fuiſſe adeptum, vt à Placentina ad Vicentinam ad Nouarienſem, ad Mediolanenſem aſcenderit. Epiſcopus Nouarienſis a Vvinceſlao Imperatore confirmationem priuilegiorum Eccleſiæ Nouarienſis obtinuit.

Ioannes de Deo in Catal. Pręſul. Mediolanen.

Iuſtinian. in Hiſtor. Venet.

Gaſpar. Ingelin. in eleg. Card. ord. Min.

Aubery in vita.

Felix Cōtel. in Elēch. Card.

Quid pro his honoribus Galeatio Vicecomiti rependerit, & quę præſtiterit obſequia, narrant omnes ferè illius æui Hiſtorici. Eius opera in grauiſſimis legationibus, & negocijs frequenter vſus dicitur, & præcipuè in adipiſcendis Mediolanenſis Ducatus à Cæſare Vvenceſlao titulis. ad Cæſarem enim in Boëmiam Ducis orator profectus, cuncta ex eiuſdem voto reportauit, illudque Ducalibus inſignibus in platea S. Ambroſij Mediolani cohoneſtauit nonis Septembris anno 1402. B Non longè poſt ab Innocentio VII. qui viri virtutem, & ſcientiarum eximiam magnitudinem olfecerat, Romam euocatus, memorabili admodum Cardinalium enunciatione, qua tres poſtea Pontifices Romani lecti ſunt, Presbyteris Cardinalibus titulo SS. Duodecim Apoſtolorum adſcriptus eſt. Cardinalatus initio Innocentius eum Apoſtolicę ſedis de latere Legatum in Patriarchatum Aquileienſem, Inſubres, & Liguriam miſit pro ſalute, vt ipſe Pōtifex in Diplomate ſuo ſcribit, Principum, Nobilium, Ciuitatum, & Prouinciarum, item ad ciuiles motus, ſeditiones, diſſenſiōnes, quæ mortuo Ioanne Galeatio primo Mediolani Duce exortæ fuerant, ſedandas. Viterbio, vbi ab Innocentio deſtinatus fuerat, in legationem ſuam profectus eſt, quam Gregorij etiam XII. Pontificatu geſſit; quo ad vtriuſque partis Cardinalibus in Concilio Piſano cum Petro de Luna Pontificatu priuato, ipſe in vtriuſque locum omnium Cardinalium votis ſuffectus, Alexandri V. nomen accepit. C Reliqua in eius vita, vbi de eo Pontifice verba faciam.

VI.

Ciaconius

Panuinius

Aubery in vit.

Franc. Maria Turrig. de Crypt. Vaticanis.

Ferdinād. Vghel. in Ital. ſac.

Felix Cōtelorius in Elencho.

Monumenta Triuultiana.



ANTONIVS Caluus, ſiue de Caluis nobilis Romanus: familia enim Calua ex Ciconio regionis Montium inter antiquas, & nobiles gentes recenſetur, ex Canonico S. Petri anno 1390. Idibus Octobris ad Epiſcopatum Imolenſem promotus eſt, & anno 1397. illo relicto ad Tudertinum. Hunc Innocentius VII. vt populo Romano gratificaretur, Presbyteris Cardinalibus titulo S. Praxedis adſcripſit, & Gregorius XII. Archipresbyterum S. Petri nominauit, eique facultatem dedit, vt Baſilicam ipſam reformaret, ac ſolutam Canonicorum viuendi diſciplinam conſtitueret. Senas cum Gregorio XII. ſe cōtulit, & ſolus cum illo permanſit, licet alij omnes Cardinales eo relicto Piſas confugiſſent Concilium celebraturi; ad quòd tandem etiam ipſe peruenit, vt in Seſſione 16. eiuſdem Concilij. Interfuit Comitijs Alexandri V. à quo S. Marci titulum conſecutus eſt. Vitam cum morte commutauit vj. nonas Octobris anno 1411. Romæ, & in Baſilica Vaticana in ſacello, quòd ipſe viuens ſibi conſtruxerat ſepultus. Huius Cardinalis effigiem in numiſmate expreſſam vidi Romæ apud equitem Caſſianum è Puteo.

Carol. Cartharius in Syllabo Aduocat. Cōſiſtor.

Antonium hunc ante Epiſcopatum Imolenſem inter Aduocatos Conciſtoriales ab Vrbano VI. adſcriptum fuiſſe, & conſtitutum Senatoris Romani, & illius officialium Sindicum exiſtimo. In Diplomate enim eiuſdem Vrbani, & in Regiſtris lib. 3. pag. 83. *N. de Caluis* recenſetur, tunc enim florebat Romę Antonius de Caluis, qui, vt diximus, inter ſacros purpuratos ſenatores anno 1405. adlectus eſt.

VII.

Ciaconius

Panuinius

Monumenta Triuultiana.

Ferdinād. Vghel. in Ital. ſac.

Aubery in vita.



ANTONIVS Archionius è nobili gente Archionia, regionis Montium, cuius ædes in Quirinali inter Thermas Cōſtantinianas fuerunt, Romæ natus, ex Epiſcopo Aquinate Aſculanus, deinde Aretinus Epiſcopus renunciatus eſt. Aretinam tamen Eccleſiam, quam à Bonifacio IX. anno 1390. obtinuerat, breuiſſima mora rexit, & ad Aſculanam redijt. Cum autem præcipuæ doctrinæ prærogatiua præſtaret, ab eodem Bonifacio Romæ Vicarius electus, & ab Innocentio VII. in gratiam populi Romani inter Presbyteros Cardinales tit. S. Petri ad Vincula, aliàs Eudoxiæ cooptatus eſt.

Pont. de af Angel. in Deſcript. Baſil. Liberianæ. Sed vix elapſo menſe, die ſcilicet ex Contelorio 21. ſeu ex Ciaconio 26. Iulij, anni 1405. Romæ deceſſit, & ſepultus apud S. Mariam Maiorem prope Præſepe Domini ad Aram S. Hieronymo ſacram, vbi in marmoreo lapide hæc inciſa carmina leguntur.

Quem pia Romuleo genuit natura fauori
Tegmine Cardineo dedit hoc Antonius Artus
Hunc apice euecto, ſacrique ad Vincula Petri
Semper . . . . . us Vrbis ſolamen amicum
Lumine vt extinxit, terra germana profundo
Spiritus hoſpitium mundi melioris adiuit

ANNO DOMINI MCCCCV.
MENSIS IVLII DIE XXVI. OBIIT
ANTONIVS CARDINALIS DE ARCHEONIBVS.

B In Tabulario eiuſdem Baſilicæ hæc de Antonio Cardinali adnotantur: *Antonius Archionius Romanus, Cardinalis ſancti Petri ad Vincula ab Innocentio VII. Papa creatus, iacet in terra ad Altare S. Hieronymi.* Paulus Langius ſcribit in ſuo Chronico, Antonium hunc Cardinalem Romæ, argenti pauperem, ſed meritorum locupletem ad ſuperos euolaſſe. Hic ad Clericorum, ac laicorum mores reformandos promulgauit ſanctiores leges nonnullas. Aſculanam Vrbem Eccleſiaſtico ligauit Interdicto, eo quia ciues Caſtrum Crucis, quòd pleno iure ad Epiſcopatum ſpectabat, violenter occuparant. Latifundia multa, ac terras paternas Epiſcopatui Aſculano induſit, vt ex beneplacito Bonifacij IX. Romani Pontificis perſpicuè colligitur, & arguitur iam tunc Archeoneam Romanam gentem nobiliſſimam fuiſſe, atque opibus affluentem.



VIII.

Ciaconius. Panuinius. Aubery in vita. C PETRVS Stephaneſcus de Hannibaldis Romæ natus eſt: inter veteres, & nobiles familias Romanas regionis Transtyberinæ præcipua fuit Stephaneſca, aliàs de filijs Stephani dicta quamplurimis titulis clara. Nã egregios in bello Duces, & Senatores multos Romanæ Vrbi dedit, ex qua orta eſt Conſtantia mater Petri huiuſce noſtri, qui nomine materno de Stephaneſcis dictus eſt, quòd hæc marito de Hannibaldis cum opulenta dote gẽtilitium quoque nomen tradiderit. Hãnibalda verò gens D Romæ ſemper inter primarias floruit; Molatiæ ab oppido accitæ ditionis appellationem nonnulli huiuſce familiæ obtinuerunt. Petrum adhuc iuuenem Bonifacius Nonus Protonotarium, & Acolythum Apoſtolicum; & Innocentius VII. Diaconum Cardinalem S. Angeli in Foro Piſcium in gratiam populi Romani renunciauit. Cum Othone enim Cardinali Columna populum Romanum vndecim præclariſſimorum virorum nefaria cæde in Innocentium tumultuantem Pontifici conciliauit. Interfuit Comitijs Gregorij XII. à quo Piſas primùm Hetruriæ, deinde Sauonam Liguriæ Vrbes pro tollendo Schiſmate, & vnitate facienda ex Vrbe proficiſcente, Romæ cum annuo ſex millium aureorum ſtipendio, & ſumma poteſtate Legatus relictus eſt, vt Romanos Proceres contumaces ditionibus ſuis priuare, oppida & arces Eccleſiæ oppignorare, vendere, & alia qua vellet ratione diſtrahere poſſet. Vrbis Magiſtratibus viros ſibi gratos, & Romanæ Ec- E cleſiæ fidos præponebat; at in Legati munere ſe malè geſsiſſe exiſtimatus eſt. Nam & arces omnes, aliaque Sanctæ Romanæ Eccleſiæ loca munitiſsima coactus eſt Regi Ladiſlao tradere, & Vrbem ſuæ fidei creditam amiſit, ita vt multi affirmarint, volente Gregorio, qui ne vnitati, & ſchiſmati tollendo intendere, ac Pontificatum deponere cogeretur, clam cum Ladiſlao egerat, vt eiuſmodi turbas excitaret: ita cæcæ ſunt mortalium mentes ambitione immodica deprauatæ. Vrbe, & ditione Eccleſiaſtica à Rege occupatis, Cardinalis profugus Senas ad Gregorium ſe contulit, à quo cum benignè ſuſceptus fuiſſet, ſuſpicionem Reipublicæ proditæ auxit. Extant tria eiuſdem Gregorij Diplomata, quibus comminatur huic Cardinali, acriterque illi præcipit, vt ad ſe reuertatur, quando ab omnibus Cardi- F nalibus deſertus, ſolus Lucæ in Hetruria remanſerat. Sed eius edictis neglectis, Concilio Piſano, & creationi Alexandri V. interfuit, à quo ex Diaconia S. Angeli, quam Petro Sertæ Tranſalpino Cardinali reliquit, ad SS. Coſmæ, & Damiani tranſlatus eſt; Sed paulò poſt illo vita functo, veterem ſuam S. Angeli Diaconiam iterum recepit. Alexandro adeo gratus fuit, vt eius rogatu Conſtantiæ matri menſtruum quadraginta florenorum ſtipendiũ, dum viueret, ex Eccleſiæ redditibus dono dedit, quòd qui ei ſucceſsit Ioannes XXIII. ratum habuit. A quò Legatus ſumma cum poteſtate in Regnum Neapolitanum cum Ludouico Andegauenſi Rege deſtinatus eſt, vt Ladiſlao Dyrrachino Eccleſiæ rebelli, & ditis deuoto, qui Gregorij XII. priuati ſchiſma ſecutus, eum Caietæ tanquam verùm Pon- A tificem retinebat, venerabatur, vtque idem facerent, omnes Regnicolas vi cogebat, Regnum eriperet Neapolitanum, prout ex eiuſdem Pontificis Diplomate liquet, in quo hæc ſcripta ſunt.

IOANNES EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei, &c.

Cum dilectum filium Noſtrum Petrum ad recuperationem Regni Siciliæ, & Terræ citra Pharum miſerimus, vt pacis deſiderabilis, & optata bono populi potiantur, & gaudeant, &c. Die 9. Maij anni 1411. de Vrbe exiuit ad hanc legationem, vt notat Antonius Petrus in Diario. Eum poſtremò Vrbis, & totius Status Eccleſiaſtici Legatum, ſeu Vicarium generalem cum menſtruo 400. aureorum ſtipendio idem Ioannes XXIII. conſtituit, quando Italia excedens ad Conſtantienſe Concilium profectus eſt, vt liquet ex huiuſmodi verbis in Ioannis Diplomate reſcriptus.

B IOANNES EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei, &c.

Dilecto filio Petro Diacono Cardinali, &c. in alma Vrbe, eiuſque Comitatu, Territorio, ac Diſtrictu, eiuſque Prouincijs Campaniæ, Maritimæ, Sabinæ, Patrimonij B. Petri in Tuſcia, Ducatus Spoletani, Marchæ Anconitanæ, Præſidatus Farfenſis; nec non Ciuitatibus, & Terris ſpecialis commiſſionis Arnulphorum pro Nobis, & eadem Eccleſia cum plurima poteſtate Legati de latere in ſpiritualibus, & temporalibus generali Vicario. Datum Bononiæ vij. Kal. Decembris Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

Præfuit honorificentiſsimè, & ſumma cum æquitate Eccleſiaſtico imperio annis plus minus quatuor dum Conſtãtienſe Concilium viguit; ad quod Petrum aliquando acceſsiſſe volunt nonnulli, qui af- Anton. in Hiſtor. Chronico. firmant, cum patres Concilij non bene inter ſe ſuper aliquos articu- C los conuenirent, Cardinalem S. Angeli Petrum Hannibaldum dictum ad Vincentium Ferrerium ordinis Prædicatorum virum, qui tunc prædicationi vacans in Burgundia viuebat, legaſſe, vt quid circa illos ipſe ſentiret, exploraret.

Mortem ſubijt Romæ ex Contelorio Diaconus Cardinalis ſanctorum Coſmæ, & Damiani, ex Ciaconio verò S. Angeli in Foro Piſcium adhuc ætate iuuenis, mente tamen, & conſilio ſenex pridie Kal. Nouembris anno 1417. paulò antequam Martinus III. aliàs V. in Conſtantienſi Concilio renunciatus eſſet Romanus Pontifex; & in Baſilica S. Mariæ Transtyberim marmoreo ſepulchro muro cum eius imagine, Inſignibus, & huiuſmodi Inſcriptione affixo ſepultus.

Cui tua pro meritis radiantem frontem galerum
Cardineum tribuit virtus, ætate virenti
Aſpice cum lacrymis lector, quo marmore clauſum
Impia mors rapuit formam natura nitentem
D *Angelicam dederat ſapiens, & doctus in omni*
Præfuit eloquio, titulum cui ſancte dediſti
Angele Petrus erat, nomen ſtat linea prima;
De Stephaneſcis materno cardine natus;
Fulſit ab Hannibale tam longi tramitis auo
Oſſa terit tellus, anima ſtat gloria Cœlo

OBIIT ANNO DOM. MCCCCXVII. MENSIS
OCTVBER. A DI. VLTIMO
MAGISTER PAVLVS FECIT HOC OPVS.



IX.

OTHO, ſeu Odo Columna è Principibus Roma- Platina. E nis natus, patrem habuit Agapitum primarium in Vrbe Ciaconius. Romæ hominem; ab ineunte ætate Panuinius. cura parentum Chriſtianis moribus, & literis imbutus eſt. Vbi Aegidius Card. Viterb. in ſuis Annalib. adoleuit, Peruſiæ Iuris Pontificio operam dedit, vnde ad Vrbem poſt nonnullos annos rediens, ſingulari prudentia, & Iuſtinian. in Hiſtor. Veneta. ſcientiarum ferè omnium cognitione effulſit. Exorto deinde in Romana Eccleſia ſchiſmate, Scip. Ammirat. in Hiſt. Florentina. F adhuc iuuenis Vrbani VI. Romani Pontificis partem, ſecutus eſt, à quo ob integritatem, & doctrinam inter Protonotarios, & Referendarios adiectus, illud munus tanta cum humanitate, iuſtitia, & manſuetudine geſſit, vt nemo Andr. Victorell. in Addit. ad Ciaconium. ei par in Romana Curia reperiretur. A Bonifacio poſtea ſucceſſore Nuncius Apoſtolicus per Italiam deſtinatur; ab Innocentio VII. in gratiam populi Romani Diaconus Cardinalis S. Georgij in Velabro Aubery in vita. renũciatus à ſuo humano ingenio minimè diſceſſit; humanior enim quàm antea factus patrocinium ſuum omnibus præſtabat, ita tamen Felix Contelor. in Elencho. vt in rebus publicis non multum ſe immiſceret. Innocentio vita functo, Gregorij XII. Comitijs interfuit, quem etiam ab omnibus Cardinalibus deſertum, Senas Luca reuertentem ſecutus eſt, neque eum

vnquam diſtituit, donec per Concilium Piſanum ab eo diſcedere grauis anathematis pœna propoſita coactus eſt. Concilio Piſano, & electioni Alexandri V. item Bononiæ Ioannis XXIII. præſens fuit, quo Pontifice, S. Petri Patrimonio, ac Tuſciæ Eccleſiaſticæ, legationis munere præfuit, vt aliquot S. R. E. oppida ab hoſtibus recuperaret, quo in munere cum egregiè operam nauaſſet, ab eodem Pontifice Vicarius generalis, ſiue Legatus Apoſtolicæ ſedis in Vmbria, Peruſiæ, Tuderti, Vrbeueteri, Interamnæ, & Reate nominatur; qua legatione honeſtiſſimè functus eſt. In Concilio Conſtantienſi, cum multæ in vtranque partem altercationes excitarentur propter diuerſa factionum ſtudia, ipſe medium quoddam tenuit, quo in alterutram partem inclinare nullo modo iudicabatur, communi vtilitati ſemper conſulens. Nam ob eam rem Imperatori Sigiſmundo, Cardinalibus, ac denique omnibus gratus, ob multiplices virtutes, extincto Schiſmate, omnium conſenſu ab vniuerſali Synodo, in qua tres ſupra viginti Cardinales erant, ad ſublime Romani Pontificatus culmẽ anno ætatis quinquageſimo euectus, Martini III. alias V. nomen aſſumpſit. Qui ita in Pontificatu ſe geſſit, vt ſuorum temporum felicitas meritò ſit habitus, & appellatus: plura infra cum de Martino V. agemus.

X.

Ciaconius

Pet. Frizõ in Gallia Purpurat.

Ferdinãd. Vghellius in Ital. ſac.

Aubery in vita.

Monumẽta Taurinuſiana.

Felix Cõtelorius in Elencho.



IOANNES Aegidij non Germanus, vt ſcripſit Panuinius, ſed Gallus è Neuſtria, vt habent ferè omnes ſcriptores, Iuris Vtriuſque Doctor, Præpoſitus Eccleſiæ Leodienſis in Belgio, Sacri palatij Apoſtolici cauſarum cognitor, ſeu Rotæ Romanæ Auditor, & Sacelli Pontificij Sacerdos ab Vrbano Sexto cuius partes in ſchiſmate ſemper ſecutus eſt, renunciatur, & in Colonienſi, Treuirẽſi, & Rhemẽſi Diœceſibus Nuncius ſedis Apoſtolicę dictus eſt, vt conſtat ex eiuſdem Vrbani Sexti Diplomate. Permanſit autem ibi toto Bonifacij IX. Pontificatu, & ibidem ab Innocentio VII. cum eſſet eximiæ probitatis vir, & induſtriæ, abſens Diaconus Cardinalis SS. Coſmæ, & Damiani nominatus eſt; qua dignitate adepta, iiſdem in locis magnas facultates obtinuit. Haud ita longè poſt Romam veniens, mortuo Innocentio VII. Gregorij XII. interfuit creationi, quem ipſe omnium primus, cum vnitatem detrectare videretur, Lucæ deſeruit, ceteriſque Collegis Cardinalibus, vt idem facerent, exemplum præbuit, ac Luca Hetruriæ Vrbe diſcedens Piſas profectus eſt. Quòd ægrè ferens Gregorius illum odio habuit, vtque ad ſe viuus, vel intruſta diſcerptus duceretur, præcepit; & quia illum habere non potuit, Cardinalitia dignitate priuauit. Cum autem reliqui Cardinales Gregorium deſeruiſſent, Ioannes Cardinalis Leodienſis epiſtolam cuidam amico ſuo ſcripſit, qua oſtendebat, ipſos neque contra eundem Gregorium conſpiraſſe, nec ab eius obedientia receſſiſſe, ſed vnitati Eccleſiæ intendere voluiſſe. Exemplum autem literarum ſequens eſt.

Venerabilis amice chariſſime, ſcripta vidimus per latorem præſentium oblata, quibus per ſingula reſpondere non permittit temporis anguſtia, & etiam lator ipſe cauſam latius referre poterit. Vnum non intendimus omittere, quòd ab obedientia, & iuſtitia hactenus obſeruatis nunquam recedere certum eſt iuramentis, & obligationibus efficaciſſimis eſt firmatum: Et ſic apparet mendaciſſimè illa, quæ ſcribitis, fuiſſe diuulgata. Vnum ſolum eſt ſtudium, vſque ad mortem incluſiue proſequendum votis, promiſſis, & iuramentis atque per mundum vniuerſum tam publicè diuulgatum, & vnioni Eccleſiæ velle inſiſtere, & ſic auctoritatum, rationumque multiplicata congeries locum habebat, ſuoſque intellectus locis, & temporibus coarctatos; ita tum eſt vera, & ſana doctrina, quæ in nullo aduerſatur iiſdem, quòd Deo magis obediendum eſt habetur. Si enim Papa illa mandaret, vel ad ea cogere vellet, quæ animas in præcipitium ducunt, & animæ perditionem includunt, ſibi non fore obediendum iure diuino, & humano notiſſimum eſt ſecundùm Doctores S. Auguſtinum, Ambroſium, Bedam, & alios, imò non obediendo, & propter hoc eius ſeueritates ſuſtinendo, & cenſuras mereretur homo. iſta pro nunc ſufficiant, tacemus de modis hactenus obſeruatis, in faciendo, & non faciendo, & lapſu temporis tanti, in quo quid & quantum actum ſit in cauſa Dei, & ſub quibus coloribus, & quantum fundatis; ex quibus quanta affectio fuit tollendi Schiſmatis, & ut illa ad fautoriam magis pertineant, non intendimus nos dilatare. Poſtea tamen de hoc videri poterit pleniùs, & quid mundus, quoad hoc reputet, aut teneat vnuſquiſque poterit perpendere. Vnum eſt, quod nihil aliud agitur, quàm animæ, & Chriſtianitati languentibus, & conſcientiæ, atque famæ prouidere cum omni ſinceritate, & charitate prout cunctis hoc [illegible] et manifeſtum. Aliud prætermiſſis non obſtantibus, cum feſtinantia duximus adiungendum, quòd quicunque ſunt illi quibus talentum à Domino quali, & quantum cuique creditum eſt, maximè qui ſtatu Eccleſiaſtico glorientur, ſuntque illuminati ſcientia, & ſe vnionis Zelatores eſſe profitentur, ſe ad currum deberent adiungere, & etiam cooperatores exiſtere, illi maximè, quibus innoteſcit, quanta fuerunt hactenus adhibita molimina non ad vnionem veniendi iuxta promiſſa, & iurata, ſed potius impediendi, & ea pro poſſe reprobandi. Scripta Piſis altera die Aſcenſionis.

Cum autem præcipuus auctor fuiſſet Concilij Piſani congregandi, illud videre non potuit; nam paulò antequam tantus conuentus inchoaretur, menſe Iulio anno 1407. Gregorij XII. Pontificatus primo, Piſis è vita exceſſit, & corpus tranſlatum Leodium, in Cathedrali Eccleſia conditum eſt. Extat ex Ciaconio Alexandri V. fides publica data huiuſce Cardinalis familiaribus, quando eius corpus Leodium tranſtulerunt.

Huiuſce Cardinalis Inſignia, quæ tria Aquilarum capita argentea continent. Senis in Metropolitana Eccleſia expreſſa ſunt cum reliquis nonnullorum Cardinalium ſequacium tunc temporis Gregorij XII.

XI.

Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana.

Monumẽta Taurinuſiana.

Theodor. à Niem.



FRANCESCVS Archiepiſcopus Burdegalenſis, quem Panuinius, & Ciaconius de Huguccionis, & Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, de Aguzzonis cognominant, natione Italus, patria Vrbinas, in Ciuili, & Canonico Iure doctiſſimus a Bonifacio IX. Archiepiſcopus Burdegalenſis in Aquitania renunciatus, Nuncij quoque Apoſtolicæ ſedis munere in Caſtellæ, Legionis, Aragoniæ, ac Nauarræ Regnis; item in Vaſconia eiuſdem Pontificis iuſſu functus eſt, vt ſua dexteritate, quæ ſumma erat, eas regiones ad Romani Pontificis obedientiam, eiurato Clementis VII. Schiſmate, reuocaret. Prudentiſſimè cuncta ex Pontificis voto tranſegit; quanquam contra Reges Caſtellæ, & Legionis, patrem & filium ſchiſmaticos diris deuotos Vrbanus VI. primò, & poſtea Bonifacius IX. ſacrum bellum, quòd Cruciatam vocant, indixiſſent. Eum Innocentius VII. abſentem in Aquitania, & paſcendi gregi ſuo intentum Presbyterum Cardinalem titulo ſanctorum Quatuor Coronatorum legit: diu à Romana Curia abfuit, Burdegalæ permanens; ad quam non niſi valde ſenex acceſſit. Gregorio XII. iam renunciato, ſtudio vnitatis perſuadendæ incenſus, magna Theologorum, ac Iuriſperitorum manu Comitatus Sauonam in Liguribus primùm applicuit locum tollẽdo Schiſmati deſtinatum, quò iam Benedictus acceſſerat, à quo & ſuis Cardinalibus honorificè ſuſceptus, ibidem aliquandiu, in portu tamen permanſit, ne ſi è naui in terram deſcendiſſet Benedicto communicare videretur, quem pro adulterino Pontifice habebat. Ibi Gregorium non ſine magno valetudinis ſuæ incommodo expectauit; verùm de labante eius mente certior factus, ad eum laborioſo ſatis, & difficili itinere Sepis tunc agentem profectus eſt, ibique manſit nonnullis menſibus. Extant in Metropolitana Eccleſia illius Vrbis huiuſce Cardinalis Inſignia. At cum Gregorio neque precibus, neque ſuaſionibus, aut rationibus, vllis ſuadere potuiſſet, vt ſaltem pro diuturnæ moræ infamia tollenda, iter Sauonam verſus cœptum perficeret, & vt ibidem ad nouiſſimum ſaltem vnitati præfixum terminum adeſſet, inter primos Cardinales, qui eum deſeruerunt, vnus fuit. Quare cum à Gregorio citatus, & honore Cardinalitio, imò & Cathedra Burdegalenſi priuatus eſſet, Collectores prouentuum Cameræ Apoſtolicæ in Aquitania, eiuſdem Gregorij iuſſu cunctos ipſius Cardinalis redditus Burdegalis interuerterunt.

Interfuit Piſis Comitijs Alexandri V. & Bononiæ Ioannis XXII. alias XXIII. cuius Pontificatus anno tertio, Chriſti verò 1412. xix. Kal. Septembris ex Ciaconio, ex Contelorio verò die 14. Iulij cum verum Pontificem obſequioſè comitaretur, Florentiæ exceſſit. Corpus Romam relatum in Diaconia S. Mariæ Nouæ ſub Gregorij XI. tumulo in terra conditum iacet, vbi habet tabulam lapideam cum Inſignibus, & ſequenti Inſcriptione.

Cardines quo ſummus honor, qui gloria cœtus
Alta fuit, paruo ſub marmore clauditur iſto,
Hicque Coronatos vir ſanctus quatuor annos
Hinc titulum tenuit nulli virtute ſecundus,
Spiritus egregijs meritis præclarus in aſtris
Franciſci reſidet, cœlique locatur in aula.

OBIIT ANNO DOMINI MCCCCXII.
MENSE AVGVSTO.

Vir fuit literis præditus, prudens, & pius, quem niſi mors intercepiſſet, ſuorum temporum calamitatibus facilè occurrere potuiſſet.

Hunc Aubery natione Anglum facit, & Ferdinandus Vghellius in tomo 2. Italiæ ſacræ ab Vrbano VI. anno 1380. Fauentinam ſe-

dem in Italia obtinuiſſe ſcribit, quam tamen grauioribus Eccleſiaſticis diſtentum negocijs nunquam præſentem adminiſtraſſe; additque anno 1383. ad Archiepiſcopatum Beneuentanum, & anno 1390. ad Burdegalenſem tranſlatum; fides ſit penes iſtos ſcriptores.

ANTONIVS CAIETANVS Romanus ex Presbytero Cardinali titulo S.Cæciliæ Bonifacij IX.Epiſcopus Cardinalis Prænestinus, & maior Pœnitentiarius ab Innocentio VII. renunciatur.

Innocentius VII. Romanus Pontifex Ordinatione vna menſe Iunio facta duodecim Cardinales creauit, videlicet Epiſcopum vnum ex antiquo Presbytero, Presbyteros octo, & Diaconos tres.

VICECANCELLARIVS S. R. E.
ſub Innocentio VII.

B Angelus Acciaiolus Florentinus, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis & Veliternus à principio, vſque ad finem Pontificatus.

CARDINALES MORTVI
ſub eodem Pontifice.

Chriſtophorus Maro, Romanus, Presbyter Cardinalis ſancti Cyriaci, pridie nonas Decembris, anno 1404.

Franciſcus Carbonus Neapolitanus, Presbyter Cardinalis ſanctorum Gabinij, & Suſannæ, deinde Epiſcopus Sabinenſis, die 18. Iunij, anno 1405.

Antonius Archionus Romanus, Presbyter Cardinalis S.Petri ad Vincula titulo Eudoxiæ, die 21. ſeu 25. Iulij, anno eodem 1405.

Petrus Corſinus Florentinus, Presb. Card. SS. Laurentij, & Damaſi, poſtea Epiſcopus Portuenſis, die 16. Auguſti, anno 1405.

C

SCHISMA XXXVII.
IN ECCLESIA ROMANA

Inter Bonifacium IX. Romanum Pontificem, & Benedictum XII. dictum XIII. Pſeudopontificem.



BENEDICTVS XII. dictus XIII. Antipapa, Arrago, Hiſpanus, Petrus de Luna antea vocatus, Archidiaconus Cæſarauguſtanus, nobiliſſimo genere ortus, maiores ſuos eius Regni Proceres de Luna vocatos, ſortitus eſt; patrem habuit Ioannem Martinez de Luna, matrem Mariam Pereſiam à Gotor; adoleſcens iuri operam dedit, ac in ea facultate tantum profecit *, vt in Gymnaſio Montiſpeſſulani id diu profeſſus fuerit, & præſertim Pontificium. Cum verò ingenio plurimum valeret, cognita eius doctrina, & virtutis fama, publica eius commendatione, eum Gregorius XI. Diaconum Cardinalem S. Mariæ in Coſmedin creauit. Qui cum eodem Pontifice Romam veniens in ædibus S. Apollinari propinquis, propè Turrim Sanguineam permanſit, quas ſuo ſumptu à fundamentis reſtituit. Clemente creato, cuius electioni interfuit, & partes ſequutus legationis munus in Hiſpania pro eo longo tempore functus eſt. Exiſtimatus eſt vir rigidi, ſeuerique animi, vitæ integræ, ab omnique labe alienæ. Dirum Schiſma publicè deteſtans, Clementis famam ſæpè coram Regibus, & Principibus, quòd vnitatem Eccleſiaſticam negligeret, carpebat; concionabatur enim de ea re aſtantibus populis, & Clericis, & Prælatis, ratus ea ratione ſibi Pontificatum paraturum. Fuit verò in ea legatione diligens in pecunijs congerendis. Ex qua rediens, denuò ab eodem Clemente Lutetiam Pariſiorum, & Gymnaſia Pariſienſia ad Francorum Regem ablegatus, vbi publicè, & poſtea apertiſſimè profeſſus eſt, quòd ſi ſibi ſuccedere Clementi contigiſſet, totis viribus operam daret, in vnitate Eccleſiaſtica ſarcienda, id & Pariſijs, & Auenionem rediens, continuò prædicans. At cum Vrbani VI. morte, & Bonifacij IX. ſucceſſione, Schiſma continuaretur, poſtridie obitus Clementis VII. ad xv. Kalend. Octobris, qui eius partis Cardinales ipſius Nouemdialibus exequijs celebrandis vacare cœpiſſent: dùm continuis nouem diebus fierent frequentes congregationes, non alium, quàm Petrum de Luna Pontificatu dignum eſſe conſtituerunt, exiſtimantes, eum ita ex corde loqui, quemadmodum ore profitebatur. Quòd vt certiùs fieret, ſanctiſſimo iureiurando ſe ſe inuicem omnes Cardinales, & ipſe Petrus aſtrinxerunt, vt quiſquis Pontifex ex his nominatus fuerit, is quotieſcunque Cardinales eum requirerent, ſi hoc tollendo Schiſmati opportunum remedium videretur, Pontificatu ſe abdicaret, ita tamen, ſi & alteriùs partis Pontifex itidem pro vnitate facienda præſtaret. His actis, & iuratis ad vj. Kalend. Octobris, Sacris Spiritus ſancto habitis Conclaue ingrediuntur in palatio Apoſtolico Auenionenſi; qui iuramentis renouatis, & certis conditionibus conſtitutis, biduo poſt, ad iv. Kal. Octobris, Pontificem eundem Petrum renunciarunt *. Qui electus eadem iuramenta, & vota repetijt, & confirmauit: ad v. Idus Octobris in Cathedrali cõſecratus, & coronatus, Benedicti nomine ſuſcepto, ſedit in obedientia ſua, Vvenceſlao, Roberto, & Sigiſmundo Cæſaribus, annos circiter triginta.

BENEDICTI Antipapæ primordia.

BENEDICTI electio.

EIVSDEM Coronatio.

CARDINALES XXIV. VIVENTES
quando Benedictus XIII. Antipapa factus eſt.

EPISCOPI CARDINALES V.
VRBANI PAPAE V.

1. Petrus Corſinus, Epiſc. Card. Portuenſis, & S. Rufinæ.

GREGORII PAPAE XI.

2. Guido Epiſcopus Cardinalis Prænestinus.

CLEMENTIS VII. ANTIPAPAE.

3. Nicolaus Brancacius Epiſcopus Cardinalis Albanus.
4. Iacobus de Arragonia, Epiſcopus Cardinalis Sabinus.
5. Fr. Ioannes Epiſcopus Card. Oſtienſis, & Veliternus.

PRESBYTERI CARDINALES XVI.
GREGORII PAPAE XI.

6. Fr. Ioannes de Grangia Presbyter Card. tit. S. Marcelli.

D

CLEMENTIS VII. ANTIPAPAE.

7. Fr. Leonardus de Ghiſono, Presbyter Card. tit. S. Xyſti.
8. * Martinus Presbyter Cardinalis.
9. * Gualterus S. R. E. Presbyter Cardinalis.
10. Bertrandus Presbyter Card. S. Pudentianæ tit. Paſtoris.
11. Thomas Presbyter Cardinalis tit. S. Praxedis.
12. Ioannes Presbyter Cardinalis ſancti Vitalis tit. Veſtinæ.
13. Ioannes Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Anaſtaſiæ S.R.E. Vicecancellarius.
14. Petrus de Tureyo, Presbyter Cardinalis tit. S. Suſannæ.
15. Ioannes Presbyter Cardinalis ſancti Cyriaci in Thermis.
16. . . . Lugdunenſis, Presbyter Cardinalis.
17. Martinus Salua Presbyter Cardinalis S. Laurentij in Lucina.
18. Ioannes Flandrini, Presbyter Cardinalis ſanctorum Ioannis, & Pauli titulo Pammachij.

E

19. Petrus de Podio, Presbyter Cardinalis tit. ſancti Clementis.
20. Guillelmus de Vergy, Presbyter Cardinalis ſanctæ Cæciliæ.
21. Petrus Fernandi Frias, Presbyter Cardinalis.

DIACONI CARDINALES III.
GREGORII PAPAE XI.

22. Petrus de Verruco, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in via Lata S.R.E. Archidiaconus.
23. Petrus de Luna, Diac. Card. S. Mariæ in Coſmedin.

CLEMENTIS VII. ANTIPAPAE.

F

24. Amadeus, Marchio Sallutiarum, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ Nouæ.

Inito Pontificatu, Benedictus illicò Legatos ſuos ad Bonifacium Nonum mittit, rogatum, vt vterque illorum Pontificatu ſe abdicaret, vt tertius quiſpiam alius eligeretur; quo perniciosum Schiſma tolli poſſet. Bonifacius his nihil aliud reſpondit, quam, *ſe eſſe legitimum Papam, Petrum verò adulterinum.* Hoc Cardinales Galli, Francorum Rex, & Principes quoque Gallicani animaduerſo, Principes, Imperij Electores monuerunt, vt poſteaquam Rex Romanorum, cuius munus id eſſet, ignauia, & ſocordia preſſus, tantam rem negligeret, ipſi operam cum Bonifacio darent, vt vnitatis Eccleſiæ conſeruandæ gratia, Pontificatum, & ipſe deponeret, quando idem

ANTIPAPÆ legatio ad Bonifacium Papā.

Petrus

A Petrus de Luna eſſet facturus; id Electores ſumma diligentia ſe curaturos reſponderunt, ea tamen conditione, vt ipſe Petrus omninò, quemadmodum iuramento promiſerat, abdicaret. Nam Papatus dulcedine allectus, & eius diuturnitate coalita audacia, paulatim à priore propoſito reſilire videbatur. Cum enim Principes Galliç Duces, Ioannes Bituricenſis, Philippus Burgundus, Ludouicus Aurelianenſis, qui tunc ob Regis ęgritudinem Gallias gubernabant, calamitatem Eccleſiæ miſerati Auenionem ad ipſum perueniſſent, eùmque cum Cardinalibus rogaſſent, vt collabenti Eccleſiæ conſuleret, etiamſi abdicare ſe Pontificatu neceſſe eſſet, quemadmodum ſe facturum, iuramento interpoſito, electionis ſuæ tempore promiſerat; ipſe ita reſpondit, ſe grauiter Deum offenſurum, ſi Eccleſiam Dei deſereret, cui patronus, & pater, conſenſu, & votis eorum, ad quos pertinuit, non furtim, ſed apertè electus eſſet, nolle ſe in dubium ponere, quòd iuſtis ſuffragijs ſibi demandatum fuerat; neque ſe id facturum, vnde toti Reipublicæ Chriſtianæ detrimentum oriri poſſet.

ANTIPApa à Galliæ Principibus, vt abdicaret rogat' reſpondit ſe Deum offenſurũ ſi hoc ageret.

B Porrò cùm inter Principes Gallos de tribus ineundæ pacis conditionibus deliberatum eſſet, eas miſſi legati Bonifacio IX. obtulerunt, videlicet, vt aut vterque Pontifex cum ſuis Cardinalibus certum in locum conuenirent, & Pontificatu ibi depoſito aliqua iniretur ratio Pontificis creandi: aut vt eorum iuſſu ipſi tantùm Cardinales accederent, eandèmque rem pertractarent: vel ſaltem vt ijdem Cardinales vtrinque conuenirent, & quem legitimum eſſe Papam iudicarent, is ſuſciperetur, & eſſet Pontifex. Quibus conditionibus Bonifacius nequaquam acquieuit, aſſerens legitimum ſe Papam eſſe, Petrum verò Antipapam, aliaque huiuſmodi addidit ad rem nihil facientia. Oratores indignati publicè dixerunt, ſuum ipſorum Pontificem non eſſe ſimoniacum; Bonifacium hiſce verbis obliquè notantes. Quare Bonifacius ira accenſus, nimiòque dolore actus eos Vrbe illicò excedere iuſſit. Qui fidem publicam à populo Romano ſe habere referentes, ea tamdiu ſe vti velle, dixerunt, quo ad tempus C conceſſum eſſet manendi in Vrbe: eo reſponſo magis incitatus, & calculi dolore afflictus, paulò poſt expirauit. Cum primum verò Cardinales alium Pontificem ſuffectum Conclaue inire conſtituiſſent, Benedicti Legati eos rogarunt, vt Comitijs tantiſper abſtinerent, nam ea ratione vnitas faciliùs ſequi poterat, vt Benedicto ſolo abdicante, vtriuſque partis Cardinales ſimul conuenirent, & nouis communibuſque ſuffragijs Pontificem crearent. At Cardinales eos dolosè loqui rati, eorum poſtulatis ſpretis, alium Pontificem deſignarunt Innocentium VII. Mortuo verò Bonifacio IX. Acas Neapolitanus vir perfidus fide publica eoſdem Oratores hactenus in Vrbe commorantes cæpit, & in carcere incluſos, quinque millia francorum ſoluere pro libertate aſſequenda coëgit.

ANTIPApæ Oratores quid io Bonifacium Papã.

ANTIPApæ Oratores ab Acas cepti io carcereque recluſi.

Pridie Kalend. Decembris anno 1406. Angelus Corarius Conſtantinopolitanus Patriarcha, Venetus Card. vir inſignis, doctrina, D & religione venerandus, & ab ampliſſimi ſacerdotij Collegio optimus, & ſelectiſſimus vir iudicatus, & qui in Bonifacij Pontificatu in Eccleſiæ communione, vt prodeſſet, ſummè elaborauit, in Innocentij locum ſufficitur, Gregorij XII. nomen aſſumpſit, & decretum ab vniuerſo Collegio conſtitutum ſtabiliuit.

GREGOrij XII. Electio.

Anno Domini 1406. Indictione 14. die Mercurij, prima die menſis Decembris, hora 17. noctis euiſdem diei, ſanctiſſimus in Chriſto pater Dominus Gregorius diuina prouidentia Papa XII. ſecunda die creationis ſuæ, ſua ſpontanea, & libera voluntate in præſentia Patrum Dominorum Cardinalium, notariorum, & teſtium in inſtrumento contentorum, intra dictum Conclaue ratificauit, approbauit, & firmauit, ac denuò vouit, iurauit, & promiſit omnia, quæ in iſto inſtrumento continentur, tenere, ſeruare, proſequi, & effectualiter adimplere, & finire, nec in aliqua ſui parte contrauenire. De quibus omnibus, & ſingulis præfati Domini Cardinales, & E ipſorum quilibet petierunt per Stephanum notarium, & quemlibet aliorum notariorum rogatorum, fieri vnum, & plura publica inſtrumenta.

GREGOrij iuramẽtũ in conclaue præſtitum.

Ego Gregorius XII. hodie vltima die Nouembris 1406. aſſumptus in Romanum Pontificem, ſicut præmittitur, iuro, voueo, promitto, ac confirmo omnia ſupradicta, &c.

Ea re conſtituta literis ad Benedictum miſſis, pollicetur, ſe Pontificatu abdicaturum, ſi Benedictus iuret, neminemque ſe in Cardinalium Collegium cooptaturum, vt duobus Collegijs æquo numero aggregatis, verus, ac minimè dubius Chriſti Vicarius deligatur. Rege Francorum annitente, vt Benedictus Pontificio Comitatu in Galliam regrediatur, quòd Italiæ ciuitates, Potentatuſque magnis pollicitationibus ad ſe ſe eum pellicerent, Maſſiliam iij. nonis Decembris appulit.

GREGOrij literæ ad Benedictum Pſeudopapam de cõcordia inter eos ſtatuẽda.

F Benedictus Maſſiliæ ad S. Victorem vndecimo Kalend. Februarij, Pſeudopontifex 13. eaſdem concordiæ conditiones, quas Gregorius attulerat profert, modò antea tuto in loco ambo primò congrediantur.

BENEDIct' Maſſiliam venit.

Secundo non. Aug. Benedictus Maſſilienſi portu ſoluens, Sauonam ex pacto conuento, vt cum Gregorio congrediatur, nauigat, & in S. Honorati inſula commoratur; atque inde nonis Septembris Nicæam applicat, ibique certior fit, Sauonam, vt minimè tutum conueniendi locum à Gregorio reijci; xviij. Kal. Octobris Benedictus Sauonam contendens, Villæfrancæ portum tenet, & vij. Kal. euiſdem Sauonam applicat, neque Gregorius conſtitutis S. Michaëlis,

INDE Sauonam nauigat. GREGOrius in ſtatutum locum, vt illi tenebatur, non venit.

& omnium ſanctorum diebus, vti conuenerat, eo loco ſe ſiſtit, vt abrogatis duobus de Pontificatu contendentibus, quorum alter Gallicæ, alter Italicæ factionis haberetur, vnus aliquis poſtea deligeretur, omnium nationum pater, & Pontifex. Reſpondit, ſibi admodum placere de concordia agere, modo id in loco fieret libero, nec coactus quiſque potiùs, quàm ſpõte aliquid facere videretur, vnum tamen ſe polliceri, idque iureiurando affirmare, ſi aliter tolli Schiſma non poſſet, depoſiturum omnem Pontificiam dignitatem, modò idem eodem tempore ab altero competitore ſtatim fieret.

Vnde Benedictus, & Gregorius paciſcuntur, vt in confinijs ſuarum ditionum ad colloquium congrediantur, Benedictus ij. non. Iunij Mercurij die portum Veneris tenet, & Gregorius Lucam vj. Kalen. Februarij contendit. Ad quem Legati à Benedicto mittuntur. Cardinales ferè omnes Gregoriani cauſſa illata, quòd Gregorius pactis non ſtetiſſet, & inuito, ac repugnante Collegio in ampliſſimum ordinem tres Cardinales, & in his Senenſem Epiſcopum ſororis filium cooptaſſet, verentes, vt ferebant, ne ſibi vincula iniicerentur, cum Gallicis Cardinalibus, qui Benedicto parebant, Piſas commigrant, & à ſui partibus deficiunt, ſecernùntque ſe. Qui à Benedicto defecere ij fuiſſe literis Benedicti traduntur: Guido Epiſcopus Cardinalis Prænestinus, Nicolaus de Brancacijs, Albanenſis, Ioannes Oſtienſis, Petrus Gerardus Tuſculanus, Epiſcopi; Petrus de Tureyo tit. S. Suſannæ, Petrus Frias Hiſpanus tit. S. Praxedis, Preſbyteri; Amadeus de Sallutijs S. Mariæ Nouæ, Petrus Blaui S. Angeli, Ludouicus de Barro S. Agathæ, Antonius de Chalant S. Mariæ in via Lata Diaconi S. R. E. Cardinales.

GREGOrius Lucã, Benedict' Portũ Veneris tendunt.

CARDInales deſerunt Gregorium.

BENEDIctus a ſuis Cardinalibus derelinquitur.

Conuenerat itàque inter Benedictum, & Gregorium, vt inter Lucam, & portum Veneris, quædam loca ad congreſſum deligerentur, quæ ditioni Gregorij parebant. Benedictus obtulit ſe libenti animo Liburnum acceſſurum, modo Gregorius Piſas commigret, cum ea oppida in ditione Gregorij eſſent. Ea re denegata, neque publica fide tradita, Cardinales Gregoriani eum, vt diximus, deſeruerunt, ac ſe Luca vrbe Piſas tranſtulerunt, & Benedictum deprecati ſunt, vt eò proficiſceretur, & Liburnum accederet. Benedicto interim denunciatum fuit, Francorum Regem, cuius fide publica in Genuenſi ditione tutò ſe commorari arbitrabatur, & tàm periculoſo itineri ſe commiſerat, ſtudioſiſſimè curaſſe, vt in eum, & in Epiſcopos manus iniicerentur, inexpectata, & repentina fuga in Galliam prouinciam, ac Auenionem reditum dirigit. Principes Gallici cognita hominis voluntate conſultare inter ſe cœperunt, quo nam modo Benedictum in ſententiam ſuam perducerent: quorum colloquia, & conſultationes Benedictus veritus, Pontificias Aedes, & præſidio militum, & commeatu optimè muniuit, in quibus aliquot menſes obſeſſus, tandem paratis ad fugam triremibus per Rhodanum in Cathaloniam, vnde oriundus erat, adnauigauit: ſunt autem qui ſcribant, Principes Gallos id molitos in Benedictum eſſe, inſtantibus Cardinalibus Gallicis, qui eum oderant, quòd alterius nationis eſſet non Gallicæ. Nam cum poſt mortem Clementis VII. de creando Pontifice Gallico inter eos non conueniret, hunc poſt longam altercationem creaſſe, vt virum bonum, & Reipublicæ Chriſtianę amantiſſimum, qui eos ſæpè admonuit, vt honeſtè, ac ſanctè viuerent, atque à ſimoniaca prauitate cauerent, aliter ſe in eos grauiter animaduerſurum. Huius itàque mores ferre nequeuntes, Principes Gallos in virum optimum, & conſtantis vitæ concitaſſe. Et quidem Benedicto Carolus Sextus Francorum Rex obſequium præſtari, iuſſit anno 1398. id denuò reſtituit, anno quarto, poſt tandem deſijt eum colere, quinquennio poſt Ioannes Gerſon Cancellarius Eccleſiæ Pariſienſis concionem habuit, Academiæ nomine, ad Benedictum Maſſiliç nonis Nouembris ſæpè hanc vocem repetens, *Benedicte benedic hæreditati tuæ.*

BENEDIctus ſe recepit Auenionẽ pergit.

BENEDIctus à Gallis obſeſſus Cathaloniam nauigat.

CAROLVS Frãcorum Rex obſequium Benedicto præſtari iubet.

Epiſtola verò ad Aurelianenſem Ducem ſcripta Taraſconis anno 1403. meminit denegati à Rege Francorum erga Benedictum officij, ſe enim & ſubditos ſuos ab eo ſubtraxit, quarum fides in actis Senatus Pariſienſis adhuc ſeruatur.

Pſeudopontificatus anno 14. Benedictus Concilium Perpinianum Helenenſis Diœceſis oppidum indicit. Cardinales Benedictiani, Gregorianique qui Piſas ſeceſſerant, & eò ſe conceſſurum Benedictum ſpopondiſſe, prædicabant, ſeorſim Concilium Piſas indicunt, & inde à religioſiſſima cõcordiæ pactione, Benedicto, & Gregorio reſilientibus, in ſeriò ritè, nec purè, ſed ſacrilego more abrogationis actionem intendi obteſtantur. Benedictus tota Liguſtica ora, & Gallia prouincia expulſus ad Illiberitanum portum vj. nonas Iulij anno 12. appellit, x. Kalend. Auguſti Helenam vrbem, & poſtero die Benedictus Perpinianum introit, & x. Kal. Octobris, Ioannem Armeniacenſem, Rhotomagenſem, & Petrum Rauarium Toloſatem Archiepiſcopos, Ioannem Martinum, Murilium, Abbatem Montiſaragonis, Carolum Vrrien, & Alphonſum Carriglium, Gometij Carriglij filium in Cardinalium Collegium cooptat, à Cardinalibus, qui à ſe deſciuerant, & Piſas ſeceſſerant, deſtitutus.

PERPInianum Conc. à Benedicto indicitur.

BENEDIctus Perpiniani venit, Cardinales creat.

Kalendis Nouembris die omnium Sanctorum, Benedictus Perpiniani ſollemni cœtu, & frequentiſſima celebritate Concilium habet. Concilio interfuerunt Prælati penè omnes Regnorum Caſtellæ, Arragoniæ, & Nauarræ, & nonnulli Franciæ, prouinciæ Galliæ, Raſcitaniæ, & Sabaudiæ, omnes circiter 120. ſumma diſſenſione, atque diſſidio in contrarias partes Patrum opiniones in deliberando diſtrahuntur, quibuſdam cenſentibus à Benedicto Legatis

PERPIanianum Concil.

mandata danda eſſe, vt eius nomine Pontificiam dignitatem, nulla interpoſita mora, Gregorio abroget, alijs verò tempus ducentibus, & maximè diſtincta, atque contraria aſſerentibus. Ea opinionum, & ſententiarum diſcrepantia eò rem deduxit, vt Perpiniano pene omnes diſceſſerint, & xviij. in ſententia permanerent.

Septimo Kal. Aprilis anno 1414. Seſſio Concilij Perpinianenſis per paucos celebratur: eo in conſeſſu Benedicti XIII. Legati Piſas mittuntur, vt perſcrutarentur, quibus conditionibus res in concordiæ pactionem deduci poſſent; Legatos Francorum Regis miniſtri detinent, ac remorantur, & mandata, quæ Benedictus Legatis dederat, intercipiuntur; quæ res ſpem omnem adipiſcendæ concordiæ, & Benedictum ad abrogationem deducendi contudit, atque confregit.

ARRAGONIÆ Regis Legatio ad Regem Francorum. BENEDICTUS, & Gregorius in Conc. Piſano Pontificatu priuantur.

Vndecimo Kalen. Iunij, Oratores viri primarij ab Arragoniæ Rege ad Francum legantur, Eccleſiaſtici diſſidij dirimendi cauſſa. Interim Concilium Piſanum decreto interpoſito, Benedictus, & Gregorius Eccleſiæ inimici, & hoſtes cenſentur, Pontificatu priuati * die Mercurij nonis Iunij, anno 1409. Pontificatus 14. die 9. Benedictus 5. Idus Iunij, Perpinianenſi conuentu dimiſſo, & Pyrenæo tranſcenſo Cœnobium Rhodienſe prope Emporiarum vetuſtæ vrbis veſtigia migrat, inde Barchinonem, vbi de ſumma Chriſtianæ Reipublicæ cum Rege deliberet, contendit, & graui, ac peſtilenti anno in Turri regia, diuturno tempore permanet.

BENEDICTUS Cardinales, à ſe deficientes interdicit.

Duodecimo Kal. Nouembris Pontificatus anno 16. Benedictus decem Cardinales, qui à ſe defecerant, & Piſas receſſerant, execrationibus publicis, & Eccleſiaſticis interdictis condemnat, & contra ſe, ac Romanam Eccleſiam conſpirantes, ſacrilegos, ſchiſmaticos, & nouorum, vt nominat, ſchiſmatum fautores, læſæ Maieſtatis perduelliones, & parricidij conuictos, lata ſententia denunciat.

DEPOSITIONIS ſententia ſibi intimata, nil ſpernit.

Citatus, & monitus Benedictus XIII. & intimata ſententia depoſitionis eius, & Cardinalium, qui eum ſequebantur, contempſit, & noluit parere: ab eius enim creatione, vſque ad Concilij Piſani tempus, 15. anni tranſierant, & cum ipſe alios Cardinales non creauerit, niſi decem primæ creationis; prohibitus enim à Cardinalibus ſuæ obedientiæ fuit, vt faciliùs vnio in Eccleſia Chriſti fieri poſſet, ne nouos Cardinales crearet 15. Cardinales ſuæ obedientiæ ſpatio quindecim annorum obierunt, tot interceſſerunt ab eius creatione ad Concilij Piſani tempus; fuit enim prima eius abrogatio facta in Concilio Piſano die Mercurij nonis Iunij, anni 1409. Antipontificatus 14. menſe 8. die 9.

CARDINALES OBEDIENTIAE BENEDICTI XIII. Antipapæ, qui eo relicto Piſis conuenerunt.

Guido de Maleſicco, Epiſc. Pictauienſis, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus, Decanus Collegij Benedictini.

Nicolaus Brancacius, Neapolitanus Epiſc. Card. Albanus.

Fr. Ioannes de Brouhiaco, Epiſc. Viuarienſis, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus, S. R. E. Vicecancellarius.

Petrus de Podio, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus.

Petrus de Tureyo, Presbyter Cardinalis titulo S. Suſannæ.

Petrus Fernandi Frias, Hiſpanus, Presb. Card. tit. S. Praxedis.

Amadeus, Marchio Salutiarum, Longobardus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ Nouæ.

Petrus Serra, Hiſpanus, Diaconus Cardinalis ſancti Angeli.

Ludouicus de Barro, Gallus, Diaconus Cardinalis S. Agathæ.

Antonius de Chalant, Allobrox, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in via Lata.

Ludouicus de Fliſco, Genuenſis, Diaconus Cardinalis ſancti Hadriani; qui quum ab Vrbano VI. creatus eſſet, relicto Innocentio Papa VII. eius ſucceſſore, ad Benedictum XIII. confugerat; redijt autem nouiſſimus omnium Bononiam, poſt creationem Papæ Ioannis XXIII.

GREGORIUS, & Benedictus Pontificatibus priuantur in cuius locum ſufficitur Alexander V.

Anno Domini 1409. Antipontificatus Benedicti XIII. Antipapæ anno 14. menſe 8. die 9. nonis Iunijs in Concilio Piſano à Cardinalibus vtriuſque obedientiæ congregato, ex totius Synodi ſententia, Benedictus Antipapa XII. dictus XIII. & Gregorius XII. periurij, ſchiſmatis, & aliorum criminum, veluti colluſores, & præuaricatores damnati, Pontificatibus priuati ſunt, tertiuſque in vtriuſque locum ſuffectus eſt Alexander Papa V. Nec Benedictus, tùm, nec Gregorius Concilio obtemperare voluerunt; ſed vterque Pontificatus inſignia tenuit, Benedictus quidem vſque ad mortem, Gregorius verò vſque ad Concilium Conſtantienſe.

Anno Dom. 1417. *Antipontificatus Benedicti XII. dicti XIII. anno* 22. menſe 9. die 28. vij. Kal. Auguſti, publico Patrum Concilij Conſtantienſis decreto, eidem Benedicto, pro Catholicæ Eccleſiæ concordia Pontificatum pertinaciter renunciare recuſanti, iterum Papatus ei abrogatus eſt; iterum Concilio non paruit, ſed Pontificatus inſignia vſque ad mortem retinuit.

CARDINALES IV. QVI POST Concilium Conſtantienſe relicto Benedicto XII. dicto XIII. ſchiſmatico, & damnato, ad Martinum V. Papam acceſſerunt.

Fr. Ioannes Martinus Murilius, Canonicus Regularis, & Abbas Montiſarragonum, Presbyter Cardinalis tit. S. . . . .

Carolus de Vrrias Hiſpanus, Diaconus Cardinalis ſancti Georgij in Velabro.

Alphonſus Carrilius, Hiſpanus, Diac. Card. S. Euſtachij.

Petrus Fonſeca Portugallenſis, Hiſpanus, Diaconus Cardinalis ſancti Angeli.

Qui Florentiam menſe Martio, vbi Romana Curia reſidebat, ad Papæ Martini V. pedes venerunt, à quo in Cardinalium numerum fuit recepti, permanſeruntque in eius obedientia vſque ad mortem. Hi verò duo remanſerunt.

N. Monachus Carthuſianus, Presb. Card. tit. S. . . . .

Iulianus de Dobla Hiſpanus, Presb. Card. tit. S. . . . .

Quare à Martino V. denuò priuati ſunt omnibus dignitatibus, & anathemate graui percuſſi, Pſeudocardinaleſque appellati. Sederat autem, quando iterum hoc Concilio priuatus eſt, ab eius creatione Aueniore facta, annos 22. menſes 9. dies 28. octauo anno poſt primam in Concilio Piſano abrogationem. Legatos Concilium Conſtantienſe ante eius depoſitionem miſit, quos ſequutus pijſſimus, & religioſiſſimus Imperator Sigiſmundus, peregrinatione diuturna, & laborioſa ſuſcepta, ſi quo modo poſſet ſua præſentia, & verbis inclinare hominẽ in abrogationẽ Pontificatus. Exijt igitur Imperator Sigiſmundus Conſtantia anno 1415. menſe Iulio. Legati Concilij Perpiniano legationem ſuam expoſuerunt, reſponſum habuerant aliquantulum ſpei oſtendens, poſtea die Iouis 16. menſis Septembris anno 1415. Imperator Sigiſmundus Perpinianũ appulit *, vbi tũ aderant Benedictus, & Rex Ferdinandus, qui lecto æger iacebat, quòd in cauſſa fuit, ne tranſire Nicæam poſſet, vbi conuentum erat conueniendi de negocio hoc pertractando. Magno apparatu, & pompa ſuſceptus, apud Minores hoſpitio exceptus, ſequenti die ad viſitandum Regem lecto decumbentem pergerit, vbi publice cum Legatis Concilij verba ad Regem fecit, poſtea ſolus cum ſolo ſermocinatus eſt, deinde ad arcem, vbi Benedictus habitabat, qui ad portam aulę occurrit, & ipſum ſubmiſſionis gratia adorauit, non vt Pontificem, ſed vt virum, qui hanc dignitatem vſurpabat, præſentibus Legatis Concilij, qui legatione ſua ex parte Concilij expoſita, quam rationibus efficacibus Imperator aſtruebat, receſſerunt.

IMPERATOR Sigiſmundus Perpinianum venit. *

Quinquaginta diebus manſit Imperator Perpiniani, partim cum Benedicto, partim cum Rege Arragonum Ferdinando, partim cum ambobus ſimul negotium, ad quòd venerat, moratus eſt, tractans: demùm videns, ſe nihil proficere, & duriorem indies Benedictum euadere, decreuit, illum relinquere, tanquam mortuum, cuius mentem ferream flectere nullo modo poſſet. Conuentum inter Imperatorem, & Regem Ferdinandum, vt per publicum præconem indiceretur Regno, ſub grauibus pœnis, ne vllus ei obedientiam præſtaret, neque haberet eum pro Papa; iudicio, & ſententia priùs virorum doctorum adhibita, præſertim Fratris Vincentij Ferrerij, qui tunc præſens Perpiniani aderat. Statim vt comperit edictum Regium aduerſus ſe publicatum, nauigationi ſe commiſit, & recta ad oppidum, & arcem Peniſcholæ Regni Valentiæ ſe recepit, natura, & arte munitum, rupe quadam ſitum, vndique cinctum mari, anguſtiſſimum aditum terra præbens, & ideò Peniſchola corruptè vocatum, quaſi penè inſula, vbi manſit toto tempore vitæ ſuæ, vbi procedens contra Regem, eum anathemate notatum Regno priuauit Arragoniæ. Qui ad Regem Ioannem Secundum profectus, vt eum ab obedientia abduceret Benedicti XIII. cum valdè ægrotaret, in itinere Igualadæ mortuus eſt, die Iouis ſecunda Aprilis, anni 1416. Imperator per diſpoſitos equos certum conſilium fecit itineris ſuſcepti, & legationis ſuæ ad Benedictum, & menſe ſeptimo peruenit Conſtantiam. Patres Concilij, habita pro vacante ſede Apoſtolica, ſententia vltima aduerſus Benedictum prolata, & Pontificatu depoſitus eſt, & declaratus ſchiſmaticus, perturbator quietis, & pacis Eccleſiæ vniuerſalis, & totius Reipublicæ Chriſtianę, damnatus tanquam ſchiſmaticis Rege Scotiæ, & Comite Armeniacenſi, & omnibus, qui illum tanquam Pontificem colebant. Viginti igitur tres Cardinales, qui Concilio interfuerant, cum alijs triginta, qui ſocij electionis à Concilio fuerunt deſignati, ſeptima die Nouembris anni 1417. Otho Columna in Pontificem creatus, & quia dies electionis fuit vndecima Nouembris, die S. Martini Epiſcopi, Martinus V. vocatus eſt. Martinus Legatum in Arragoniam deſtinauit Othomarum, ſeu Alemanum Florentinum Cardinalem, virum doctiſſimum qui Peniſcholam veniens, & expoſito Cardinalibus, qui erant cum Benedicto, decreto Concilij, duo illorum obedierunt, & adnixi ſunt illum reducere, ſed fruſtra id tentarunt, cum pertinacia eius creſceret, quanto magis illum auocare, conabantur.

IMPERATORIS Sigiſmundi Ferdinandique Regis edictũ de obedientia Benedicto non præſtanda.

BENEDICTUS in Arcẽ Peniſcholæ ſe recepit, ibique Regẽ Arragoniæ Regno priuauit.

BENEDICTUS ſchiſmatic⁹ declaratur.

OTHO Columna Papa eligitur, ac Martinus V. vocatur. *

Anno Chriſti 1424. Antipontificatus ſui anno trigeſimo, menſe Septembri, Petrus de Luna, Benedictus XIII. in ſua obedientia nominatus, Peniſcholæ, oppido Regni Valentiæ munitiſſimo, Diœceſis Dertucenſis, diem clauſit extremum, octuagenario maior, vſque ad vltimum vitæ ſpiritum in ſua obſtinatione permanens, ibique cadauer ſepultum eſt, quòd poſtea tranſlatum eſt Igluecam Arragonię oppidum, ibique intra arcem loco profano repoſitum, quo in loco integrum hodie perſeuerat, in ditione Comitis Moratæ, & cum in Antipontificatu exegiſſet annos triginta, illegitimus Papa: ex eo etiam viſus eſt, quia nemo ex legitimis Pontificibus annos Petri * (vt vulgò dicitur) vidit. Reliquit aliquot ingenij ſui monumenta, inter quæ extat libellus lingua Hiſpanica conſcriptus, quem appel-

OBITUS Benedicti XIII. Antipapæ.

BENEDICTI ſedes. *

laut Con-

buit Conſolationes vitæ humanæ,contra omnes labores,& aduerſitates, quæ homini ſuccedere poſſunt in hac vita miſerabili. Hoc ſedente Hieronymus eius medicus, genere Iudæus contra Iudæorum perfidiam libellum ſcripſit longè doctiſſimum, menſe Auguſto, anni 1412. Antipontificatus Benedicti XIII. decimo octauo.

ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

¶ *Tantùm profecit.*] Benedictum XIII. S. Anton. p. 3. Hiſt. tit. 22. cap. 5. §. 1. literatum, alij doctiſſimum nuncupat.

* *Pontificem ...... Petrum renunciarunt.*] Viginti Cardinales Auenione in Schiſmate eum in Pontificem delegerunt. Panuin. in Chron. vnus,& viginti,ait Mariana l. 19. c. 5. Rerum Hiſpanicarum.

* *Anno circiter triginta.*] *Annos plus, minus triginta.* Panuinius loco citato.

* *Deum offenſurum.*] Ex Platina in vita Gregorij XII. initio. Benedicti ingenium calliditate præſtans indicauit paucis S. Antoninus par. 3. tit. 22. cap. 5. inquiens. *Erat ille Benedictus (etſi literatus) calidiſſimus omnium, verſipellis, & ſuis aſtutijs, vt anguilla de manu ſtringentis elapſa, lubricus, & verſatilis: Gregorius autem (XII.) vt agnus innocens, & ſine felle columba.* Mariana loc. cit. comitatem, & naturales ingenij dexteritatem, quibus maximè hominum animi conciliantur, præter nobilitatem, & excellentem iuris cognitionem, in eo agnouit.

* *Tres ineunda pacis conditiones.*] Conſidera locum, & vide, quæ Platina ſcribit de Principibus Galliæ, Ducibus Bituricenſi, Burgundo, Aurelianenſi.

* *Gregorius ...... iurauit, quæ in iſto inſtrumento.*] Non attulit Ciaconius inſtrumentum, de quo loquitur, vel Typographus primæ editionis prætermiſit. De hac re D. Anton. l. c. §. 1.

* *Literis ad Benedictum miſſis.*] Gregorius ſtatim ac Pontificiam ſedem adeptus fuit, Benedicto *benignè ſcripſit, eum ad pacem inuitans, ſeque ad mutuam abdicationem offerens: ille totidem ferè ſyllabis reſpondit, eadem inuitatio fuit, eadem cohortatio adueniunt de ciuitate Saona, &c.* D. Anton. loc. cit. agnouit Gregorius verſutias Benedicti, ſuis commodis aſtutè conſulentis, & aſtutum, qui mutato cõſilio, Sauonam petere noluit. Antoninum virum ſanctum teſtem habeas. *Percipiens Gregorius aduerſarium* (Benedictum) *non verè quærere vnionem, ſed ſui ſubuerſionem, vt ſolus remaneret in ſede Petri, mutauit, vt ſapiens propoſitum in eundo Sauonam.* paulò poſt idem auctor Benedictum iterum callidum, & ambitioſum nominat. Sanderus de Viſibili Eccleſiæ Monarchia, Gregorium, (quem iuſtiſſimum titulum habuiſſe exiſtimat) ſyncerè, Benedictum autem callidè, & ſimulatè de concordia egiſſe, teſtatur.

Loc. cit.

Lib. 7.

* *Benedictus, & Gregorius paciſcuntur.*] Vide, quæ de vtroque S. Antoninus loco citato.

* *Poſt mortem Clementis VII.*] Pſeudopapæ.

* *Concilium Perpinianum.*] Conciliabulum dicas: cum enim verus Pontifex non eſſet, legitimum Concilium cogere non poterat. De eo Conciliabulo Binius tom. 3. Conc. part. 2. Vrbanus VI. verus Pontifex fuit; Clemens VII. qui, eo ſuperſtite, ſedem inuaſit, Pſeudopontifex, & qui ei ſucceſſit Benedictus XIII. Vide Card. Bellarm. lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 14. §. 38.

* *In Concilio Piſano Bened. & Gregorius Pontificatu priuati.*] Vide Caietanum, tom. 1. Opuſc. tract. 2. Apolog. de auct. Papæ, & Concil. cap. 11. Card. Bellar. lib. 1. cap. 8. de Concil. vbi docet, Concilium Piſanum nec approbatum, nec reprobatum videri. D. Anton. part. 3. Hiſt. tit. 22. cap. 5. §. 2. & 3. Conciliabulum exiſtimauit; non enim ab eo ſublatum, ſed auctum Schiſma, ita vir ſanctus: nihilominùs communis opinio eſt, Alexandrum V. & Io. XXIII. fuiſſe veros Pontifices; vt Bellarmino placet: Sanderus Gregor. XII. verum titulum habuiſſe opinatur; non diſcrepabit S. Antoninus.

Lib. 7. de Viſib. Eccleſiæ Monar. par. 3. hiſt. tit. 22.

* *Creauit Cardinales.*] Pſeudocardinales: nam Pſeudopontifex veros Cardinales inſtituere, non poteſt: à nonnullis tamen doctis viris, veritate in obſcuro tunc latente, verus Pontifex iudicatus fuit, ab horum numero ſanctum Vincentium Ferrerium, & Ioannem Gerſonem non eximes.

* *Sigiſmundus Perpinianum appulit.*] Sigiſmundum religioſiſſimum Imperatorem triennium non exiguam Europæ partem, vt Schiſma funeſtiſſimum aboleretur, peragraſſe, nec alterius Principis operam, in vera pietate vindicanda, magis enituiſſe, ſcripſit Egnatius. Is Conſtantiæ ſublatum Schiſma, & Martinum Pontificem coronatum, vidit, viros doctos amauit, ampliſque dignitatibus auxit: cum à Germanis Principibus aliquando reprehenderetur, quòd viros doctrina claros, ſed humili loco natos, foueret; *Ego*, dixit, *eos amo, quos natura alijs antecellere facile voluit.*

In eius vita.

Id. loc. cit.

* *Othomanum Florentinum Cardinalem.*] Alemanum Aldimarum Presbyterum Cardinalem tituli ſancti Euſebij, vt ipſe Ciaconius in Martino V. teſtatur.

* *Non videbis annos Petri, præter Petrum de Luna illegitimum.*] Hæc verba in Pontificis coronatione dici, à quo didicerit, qui hæc ſcripſit, (id affirmaſſe Ciaconium, non arbitror) diuinare non poſſum. Auguſtinus Patritius, qui ſeriem, & ritum Pontificiæ coronationis diligenter recenſet, ne verbulum quidem de hac re in ſuo libro extare, voluit: fabellam redolent, & non à Ciaconio ſed ab aliquo non beneſetiato viro inſerta nonnullus opinabitur: Ea nos à Ciaconij libro abraſimus.

L. 1. ſect. 2 cap. 3. lit. S. R. E.

Hunc Benedictum Pſeudopontificem primùm omnium iuſſiſſe, vt auguſtiſſimum Dominici Corporis Sacramentum ante Pontificem geſtaretur, in itinere, à nonnullis proditum.

Genebrar. l. 4. Chronog. ad annū 1394.

At toto errarunt cælo. Angelus Rocca Tagaſtenſis Epiſcopus, Pontificij Sacrarij Præfectus, cum Clemens VIII. Ferrariam petijt, libello, de Diuina Euchariſtia ante Pontificem Rom. iter habentem deferenda, edito, hunc morem ante Benedicti tempora viguiſſe, demonſtrat, Gregorius XI. cum Romam Auenione perueniſſet, Anagniam ire voluit: in illo anagnino itinere ſanctiſſimam Euchariſtiam ante ſe deferendam curauit, ipſe in Pixide collocauit: teſtem habemus Petrum Amelium Apoſtolici Sacrarij, eo tempore, Præfectum aientem. *Reſeruata Euchariſtia, repoſitaque per ſuas manus ſacratiſſimas in cuſtodia*, & paulò poſt *primo mane ſiue antelucanum, Corpus Chriſti omnibus viam patefecit.* Ab antiquioribus Pontificibus Euchariſtiã, priuatim ſaltem, in itinere delatam, ab alijs etiam priſcorum temporum hominibus id factum, docet idem auctor p. 1. eiuſdem libelli: ex cuius lectione voluptatem hauries. Benedictus Pſeudopontifex metu, ignominiàque motus id fecit, Paulo Aemilio ſcribente. *Metu, ignominiaque permotus, nè à quoquam violaretur, Sacroſanctum Domini Corpus præſeferens, in Cathaloniam ad natales ſuos, Tarraconenſeſque conceſſit.*

Cleon an. Dñi 1376.

Rocca p. 1. Com.

Lib. 10 de Reg. Francorum.

Anno 1424. Septembri menſe, Benedictum eundem expiraſſe, Ciaconij ſententia eſt; at anno 1423. ad x. Kalen. Iunias ipſo die feſto Pentecoſtes, Marianæ, lib. 20. cap. 14. De Rebus Hiſp. à Thoma monacho eius familiari, qui confeſſus, conuictuſque ſupplicio, corpore in quatuor partes diſcerpto, affectus fuit, veneno interemptum. Peninſulæ, ex Ludouico Paniſano, teſtatus eſt idem Mariana: Cardinalem Piſanum, ad eum capiendum ablegatum, eiuſmodi conſilij auctorem nonnulli, eodem Mariana referente, exiſtimarunt: nonagenarium autem obijſſe Benedictum, idem aſſeruit.

Loc. cit.

Procella Schiſmatis ſæuiente, docti, pijque viri, diuiſis ſententijs, alij hunc, illum alij verum Pontificem iudicabant. S. Catharina Senenſis Vrbanum VI. B. Petrus de Lutzemburgo Clementem VII. ſequebatur. S. Vincentius Ferrerius, doctrina, ſanctitate, miraculiſque nobilis, qui in Concionibus vno vtens idiomate à diuerſarum nationum hominibus intelligebatur, Benedicti XIII. Clementis Antipontificis ſucceſſoris cauſam, (vt etiam Io. Gerſon Cancellarius Pariſienſis, vt nonnullis placet) defendebat: Gregorium XII. Vrbano VI. ſubrogatum *multi Deum timentes*, ait D. Antoninus, *& periti reputabant Pontificem ſummum.* Tribus eodem tempore de ſummo Pontificatu contendentibus, Gregorio XII. Benedicto XIII. & Io. XXIII. quis eorum verus eſſet Romanus Antiſtes, non poterat facilè iudicari, ſingulis doctiſſimi viri patroni fauebant. Vide Card. Bellar. lib. 4. cap. 14. de Rom. Pontif. & Greg. de Val. tom. 3. Com. in D. Tho. Diſp. quæſt. 1. p. 7. §. 38. Gerſon tempore Schiſmatis viuens aiebat. *In Schiſmate præſenti tàm dubio, temerarium, iniurioſum, & ſcandaloſum eſt aſſerere, omnes tenentes iſtam partem, vel alteram, vel omnes neutrales etiam abſolutos, eſſe vniuerſaliter extra ſtatum ſalutis, vel excommunicatos, vel rationabiliter de Schiſmate ſuſpectos.* ...... id affirmauit *propter probabilem ignorantiam veri iſtius, vel illius partis.* In eodem Schiſmate, licitum, immò cautum fuiſſe, ait idem Gerſon, præſtantibus obedientiam iſti, vel illi, eam ſub conditione tacita, vel expreſſa tribuere. D. Antoninus ſcitè ſcripſit. *Etſi neceſſarium ſit credere, ſicut vnam Catholicam Eccleſiam, non plures, ita & vnicum eius Paſtorem Vicarium Chriſti ...... tamen ſi contingat, plures per Schiſma creari, ſeu nominari Pontifices ſummos, vno, & eodem tempore, non videtur ſaluti neceſſarium, credere, iſtum eſſe, vel illum; ſed alterum eorum; qui ſcilicet fuerit canonicè aſſumptus, quis autem fuerit canonicè electus, non tenetur quis ſcire: ſicut nec ius Canonicum; ſed in hoc populi ſequi poſſunt Maiores ſuos, ſeu Prælatos.* Vide etiam, ſi libet, Io. de Turrecrem. Card. lib. 4. Summa cap. 19. Martinum V. duos monachos Ciſtercienſes ad Petrum de Luna ablegaſſe, vt is Chriſtiani orbis potiùs conſenſum, quàm priuatum iudicium ſequeretur, moniturnque à monachis, & à Cardinalibus à priuato iudicio non diſceſſiſſe, ſcriptum quoque à Mariana l. 20. cap. 9. l. c.

Mariana l. 19. c. 19. Rer. Hiſp.

Par. 3. hiſt. tit. 22.

Tom. 1. de modo ſe habēdi in Schiſmate.

1. p. tit. 22. cap. 2.

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI SOCIETATIS IESV.

CARDINALES viginti quatuor viuebant tempore electionis Benedicti, quorum nomina hæc ſunt ex m. s. Vaticano.

Petrus Portuenſis, dictus Florentinus.
Guido Preneſtinus, dictus Pictauienſis.
Ioannes Tuſculanus, dictus Ambianenſis.
Iacobus Sabinẽſis, dictus de Valẽtia in Hiſpania, qui erat abſens.
Ioannes Oſtienſis, dictus de Nouocaſtro, qui erat abſens.
Nicolaus Albanenſis, dictus Coſentinus.
Guillelmus tit. S. Stephani in Cælio monte, dictus de Agrifolio.
Leonardus tituli ſancti Xyſti, dictus de Ghiſono.
Bertrandus tituli S. Pudentianæ, dictus Hieroſolymitanus.
Thomas tituli ſanctæ Praxedis, dictus Neapolitanus.
Ioannes tituli ſancti Vitalis, dictus de Murobo.

Petrus

Petrus titulo ſanctæ Suſannæ, dictus de Tureyo.
Ioannes S. Anaſtaſiæ, dictus Viuarienſis, Vicecancellarius.
Petrus S. Petri ad Vincula, dictus Ambianenſis, Pœnitentiarius.
Martinus S. Laurentij in Lucina, dictus Pampilonenſis.
Ioannes ſanctorum Ioannis, & Pauli, dictus Auxitanus.
Guillelmus ſanctæ Cæciliæ, dictus de Vergy.
Petrus, qui fuit Epiſcopus Oxomenſis, dictus de Hiſpania, qui non habebat titulum, & erat abſens.
Hugo ſanctæ Mariæ in Porticu, dictus de ſancto Martiali.
Petrus ſanctæ Mariæ in via Lata, dictus de Verruco.
Petrus ſanctæ Mariæ in Coſmedin, dictus de Luna.
Amedæus ſanctæ Mariæ Nouæ, dictus de Salutijs.
Galeottus S. Georgij ad Velum Aureum, dictus de Petramala.

Octo ſupra viginti numerabat Ciaconius Cardinales, quorum tres reuera tunc temporis iam è vita migrarant, ſcilicet

Petrum de Bernia, alias de Sortenaco Presbyterum Cardinalem S. Laurentij in Lucina, qui obierat, vt dictũ eſt in eius vita, an. 1390.

Guillelmum Presbyterum Cardinalem ſancti Stephani in Cœlio monte, qui iam è viuis exceſſerat, anno 1389.

Ioannem Rotlandi Presbyterum Cardinalem, qui omnium primus, anno videlicet 1388. mortem ſubierat.

Numerabat quoque inter illos Hugonem Epiſcopum Tuſculanum, cuius nulla eſt mentio apud ſcriptores: nullum enim huius nominis ex Ferdinando Vghellio, alijſque præfuiſſe Eccleſiæ Tuſculanæ ab anno 1300. vſque ad 1400. legimus. Fortaſſe Ciaconius illorum ſecutus eſt errorem, qui inter Epiſcopos Tuſculanos recenſent Hugonem de Montelõgo; at hic præterquam, quòd nunquam Tuſculanam, ſed tantùm Sabinenſem rexit Eccleſiam, decennio ante electionem Benedicti Pſeudopontificis, anno ſcilicet 1384. vitam eius morte commutarat.

Pſeudocardinales Conclaue ingrediuntur.

Benedicti electio.

Horum decem, & nouem ex m.s. antiquo, ex Henrico verò Spondano vnus, & viginti, decimo die à Clementis VII. obitu Conclaue ingreſſi in palatio Auenionenſi, quarto Kal. Octobris vnanimi conſenſu pro ſucceſſore Clementis, Petrum de Luna Diaconum Cardinalem S. Mariæ in Coſmedin multis legationibus clariſſimum, qui Benedictus XII. ſeu XIII. dictus eſt, elegerunt. Hic autem nobiliſſimo genere in Hiſpania natus, patria Arragonius, breuis ſtaturæ, ac gracilis, Vtriuſque Iuris Doctor peritiſſimus, ex Præpoſito Valentino à Gregorio XI. renunciatus olim fuerat Diaconus Cardinalis. De quo hæc legimus apud Henricum Spondanum in Annalibus Eccleſiaſticis: *Vidi in quodam eius æui manuſcripto Codice Eccleſiæ Burdegalenſis, Gregorium, cum eum aſſumeret in Diaconum, dixiſſe ei: caueas, ne tua Luna patiatur eclipſim, cunctis adſtantibus audientibus, & notantibus: quippe qui præter Lunæ cognomen inſigne gerebat quadrantis Lunæ. audierat enim*, inquit auctor, *multiplicia eſſe diuerſoria, & ſemitas animi dicti Petri ſophiſmatibus, verbiſque fallacibus imbuti*. At ſi vera forent hæc, non videretur Gregorius culpa vacare, quòd talem à ſe agnitum hominem ad tantam dignitatem euexerit. Niemus tamen qui nemini parcit, & illum ſe nouiſſe profitetur cum apud Montempeſſulanum ius Canonicum publicè magna laude interpretaretur, teſtatur, Gregorium creaſſe illum Cardinalem, eo quòd tunc pleriſque omnibus ob peritiam, & virtutem charus eſſet.

Gregorij XI. de Petro de Luna dictũ.

Petrus de Luna renunciatus Cardinalis ob virtutes.

Conſultationis huius cauſa.

Monachus Dionyſianus ſcribit, Cardinales, Clementis obedientiæ, electionem hanc præcipitaſſe, ne Regis Galliarum Nuncij, qui in itinere erant, illam impedirent. Iuuenalis autem prætexuiſſe eos neceſſitatem vnius in ſuo corpore capitis ad reſiſtendum inſultibus Raimundi Turenij, qui velut obſeſſos tenebat eos Auenione, ſuſcepto in eos, & Clementem, alioſque bello, prætextu recuperationis bonorum patrui ſui. Denique Froiſſardus ait, ea lege Cardinales ad electionem Petri proceſſiſſe, ſi ea grata foret Regi Franciæ, neque aliter valituram, miſeram dolens conditionem eorundem Cardinalium quòd eò vilitatis culpa ſua decidiſſent, vt eorum ſe voluntati ſubdere non dubitarent a quibus rogari debuiſſent.

Cardinales promittunt adeſſe nouo Pontifici.

Iidem verò antequam ad electionem procederent, ne Schiſmatis fautores viderentur, confecta iuſiurandi forma, omnes & ſinguli ea ſe lege obſtrinxerunt, laboraturos ſe fideliter, & diligenter quatenus ad eos pertineret, in tollendo Schiſmate, ac daturos ei, qui foret electus, auxilium, conſilium, & fauorem ad vnionem Eccleſiæ faciendam, & quicunque eligeretur, obſeruaturum ſine excuſatione vel dilatione etiam, vſque ad ceſſionem incluſiuè, ſi Cardinalibus, qui tunc forent, vel maiori parti eorum pro bono pacis, & Eccleſiæ videretur expedire. Iuſiurandi formam hoc loco adſcribi placet.

Iuſiurandi formula.

Nos omnes, & ſinguli S. R. E. Cardinales congregati pro Electione futura in Conclaui, ante Altare, in quo Miſſa communiter celebrari conſueuit, pro Dei ſeruitio, vnitate Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, & ſalute animarum fidelium omnium promittimus, ac iuramus ad ſancta Dei Euangelia corporaliter per Nos tacta, quod abſque dolo, fraude, & machinatione quibuſque ad vnionem Eccleſiæ, & finem imponendo Schiſmati, proh dolor, in Eccleſia nunc vigenti, quatenus in nobis erit, laborabimus fideliter, & diligenter, quatenus ad nos pertinet, ſeu etiam pertinebit, & dabimus Paſtori noſtro, & gregis Dominici, ac Vicario Ieſu Chriſti Domino noſtro futuro, qui erit pro tempore, auxilium, conſilium, & fauorem, nec ad impediendum præmiſſa dabimus conſilium, vel fauorem directè, vel indirectè, publicè, vel occultè. Et iſta omnia, & ſingula, & alia vltra præmiſſa, omnes vias vtiles, & accommodas ad vtilitatem Eccleſiæ, & vnionem prædictam eiuſdem ſanè, & veraciter ſine machinatione, ſeu excuſatione, vel dilatione quacunque ſeruabit, & procurabit poſſe tenus quilibet noſtrum, etiam ſi aſſumptus fuerit ad Apoſtolatum, etiam vſque ad ceſſionem incluſiue per ipſum de Papatu faciendam, ſi Dominis Cardinalibus, qui nunc ſunt, vel erunt in futurum, de iis qui ſunt nunc, vel maiori parti eorundem hoc pro bono Eccleſiæ, & vnionis prædictæ videatur expedire. Electus deinde Benedictus iterum iureiurando ad prædicta firmiùs ſe aſtrinxit, labijs tamen magis quàm animo, vt ex poſt factis apparuit.

Benedictus poſt electionem iuſiurandum firmat.

Scripſit illico ad Principes Orbis Chriſtiani literas perſuadere conatus eſt, inuitiſſimum, & coactum ſe fuiſſe vnanimi omnium Cardinalium iudicio acquieſcere. Ardens initio ſopiendi Schiſmatis deſiderium præferebat, adeò vt cum mox Vniuerſitas Pariſienſis Nuncios cum literis ad eum in hoc bono propoſito confirmandum deſtinaſſet, aſſeruerit, tam paratum ſe eſſe ad quancunque viam ab ipſis propoſitam, ac etiam ceſſionis amplectendam, quàm facilè cappam ſuam deponeret, quam tunc fortè deponebat ad ſumendum prandium. Id ipſum profeſſus eſt Petro de Alliaco inſigni Theologiæ doctori, Vniuerſitatis Cancellario, ac Regio Eleemoſynario, quem Rex ad eum ſalutandum miſerat.

Sopiendi Schiſmatis cupidum ſe oſtẽdit.

Renunciatus Pſeudopontifex Benedictus Magiſtrum ſacri Palatij conſtituit Vincentium Ferrerium ordinis Prædicatorum, virum ſanctitate, & miraculis clarum, quem ante Pontificatum in Hiſpania agens aſſumpſerat in Confeſſorem. Quòd tamen nihil ſanctiſſimi viri merita obumbrare, vel minuere potuiſſe ait S. Antoninus, nondum enim ſancto viro veritatis lux aperta erat. *Et quia Benedictus*, ſunt verba S. Antonini, *obſtinatus permanſit ad non cedendum priuatus ſuis omni iure, ſi quod habuiſſet in Papatu; & tunc beatus Vincentius, qui prius prædicauerat pro obedientia eius, prædicauit contra eum, vt Hæreticum, & Schiſmaticum.* Hæc ille.

Vincentius Ferrerius ord. Prædicatorum conſtituitur Magiſter ſacri Palatij.

Vincentius Ferrerius contra Benedictum.

Cardinales igitur obedientiæ tam à Benedicto ſegregati, Piſis commorantes literas ad illum in remotis agentem dederunt die 15. Iulij anno 1408. hoc titulo. *Sanctiſſimo Domino Noſtro Benedicto XIII. miſeratione diuina ſummo Pontifici, Deo humiles, & deuoti Oratores Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi S. R. E. Cardinales nunc in Liburno Piſanæ Diœceſis exiſtentes pro Nobis, & alijs Reuerendiſſimis Patribus Dominis Cardinalibus pro nunc abſentibus, nobis adhærentibus, & adhærere volentibus in hac, cum ſupplici, & deuota recommendatione vtriuſque hominis ſoſpitatem.* His literis poſt narratas cauſas ſeceſſionis, nihil ſe in indictione Concilij, aut vocationis contendentium de Pontificatu, indiſcretè, aut inconſultè agere docebant. Sed cum poſt ſeceſſionem Gregorij ſectatorum quatuor ex ipſis de expreſſa ipſius Benedicti volũtate cum totidem Gregorianis Liburni conueniſſent, omnes vtriuſque partis communi conſenſu, & matura habita cum multis alijs Prælatis, ac viris literatis, & pijs deliberatione iudicaſſe neceſſarium extinguendo Schiſmati Eccleſiam vniuerſalem congregare, quòd non poſſet in Schiſmate ab alterutro contendentium efficaciter fieri; quoniam nec Gregoriani vellent Benedictinæ conuocationi intereſſe, nec Benedictini Gregorianæ. Rogabant deinde, vt per ſe ipſum intereſſe dignaretur, aut ſaltem per Procuratores poteſtatem habentes eius nomine ceſſionem faciendi, ſicuti & poſtulatum erat à Gregorio, qui demum ſi acquieſcere recuſarent, Synodum proceſſuram in negocio vnionis ſecundùm, quòd dictaret Spiritus ſanctus, & iurata promiſſa.

Cardinales literas dãt Benedicto.

Cõcilium conuocãt Cardinales ad extinguendũ Schiſma.

Miſit Benedictus ad Piſanum Concilium Nuncios, qui in gratiam Legati Regis Arragoniæ coram nonnullis Cardinalibus auditi ſunt poſt prandium in Eccleſia S. Martini, & ſine vllo honore excepti: paulò poſt clanculo abierunt è Piſis, cum per Vrbem conclamaretur in eos tanquam in Iudæos. Miſſos hoſce Nuncios ex Zurita ſcimus tantùm, vt perſcrutarentur, quibus conditionibus res ad concordiam deduci poſſent; ſeu vt clarius Mariana refert, ſimulatione ineundæ concordiæ, re autem vt Patrum conatus cognoſcerent, & exploratos renunciarent, cum parum ſpei eſſet Petrum quicquam voluntate facturum. Nam, & tradit Niemus ipſum aliquot antè diebus quàm ſententia Synodi lata fuiſſet, publicam feciſſe in quadam Eccleſia Piſarum citationem contra Cardinales, qui à ſe receſſerant, cum minis niſi intra certum terminum redirent, ſe aduerſus eos proceſſurum.

Nuncij Benedicti ad Concilium Piſanum.

Vixit Benedictus Pſeudopontifex praui tenax, ferè ſemper exul à Cardinalibus ſuæ obedientiæ, ac licet à Concilijs Piſano, & Conſtantienſi damnatus, nunquam tamen dum vixit, inſignia Pontificia depoſuit. Exceſſit tandem è viuis anno 1323. vt Hieronymus Zurita, Ioannes Mariana, & alij vetuſtiores Hiſpaniæ ſcriptores affirmarunt, ſeu ex Ciaconio, alijſque ferè omnibus anno 1324. menſe Septembri, vel ad extremum Nouembris, ſeu, vt alijs placet, die Pentecoſtes, quæ incidit illo anno in vndecimam Iunij, adeo in ſua obſtinatione perſeuerans, vt & ſuos ſacramento adiurauerit, alium in ſuum locum eligere. Quinimo, vt habet auctor Burdegalenſis illius temporis, etiam poſtquam loquelam amiſit, ne fortè rem negligerent, accepto calamo ſuis qui aderant, Cardinalibus iniunxerit ſub pœna maledictionis æternæ, alium poſt mortem ſuam eligere in Papam. Mortuum Benedictum ex veneno habent ſcriptores quidam

Obitus Benedicti.

Hiſpani

Hiſpani à Thoma monacho ei propinato, conſilij nefarij auctore Cardinale Piſano, qui ad capiendum Benedictum in Hiſpaniam ex Italia ſe contulerat. Sed quòd præſentius venenum quàm ætas octogenaria, vel etiam nonagenaria, qua confectum volunt alij. Cadauer in Templo arcis Paniſcolæ, vbi deceſſit, compoſitum eſt funere translatitio, quòd ſexto poſt anno odorem ſuauiſſimum afflare compertum eſt, vt ex gratia potiùs, quàm ex fide nonnulli ſcripſiſſe putantur. Ioannes Luna eius nepos Illuelcam transferendum curauit ſuæ ditionis oppidum Arragoniæ, quòd nihilominus dicitur hactenus incorruptum ibi perſeuerare.

Corpus Illeſcam translatum.

Scripſiſſe traditur de Poteſtate Papæ, & Concilij, ac vitæ humanæ aduerſus omnes caſus Conſolationes.

Scripta.

Martino Regi Arragoniæ Auenionem ex Sicilia vecto Roſam auream, & Sardiniæ, ac Corſicæ imperium donauit. Calatrauæ militibus veſtem nigram, qua pectus, & humerum tegentes rubra cruce inſignitam conceſſit. Quatuor argenteas ſtatuas gemmis, auroque nitentes ad ſeruandos SS. Valerij, Vincentij, Laurentij, Encratidis cineres Eccleſiæ Barcinonenſi dono dedit. Ampliſſimam delictorum Indulgentiam luſtrantibus Aedem B. Mariæ de Puca in Diœceſi Valentiana indulſit literis ſuis, datis Maſſiliæ xj. Kalen. Februarij anno noſtræ ſalutis 1407. quas reſcripſit in ſua Hiſtoria Fr. Franciſcus Boyl ordinis B. Mariæ de Mercede.

Roſam auream, & Regna Corſicę ac Sardiniæ Regi Arragoniæ concedit. Crucē rubeam Calatrauæ militibus. Argentea vaſa Eccleſiæ Barcinonenſi.

A

B

PRIMA CREATIO PSEVDOCARDINALIVM Benedicti XII. dicti XIII. Pſeudopontificis.

Anno à partu Virginis 1396. Antipontificatus non Secundo, vt ſcripſit Ciaconius, ſed tertio, viij. Kal. Ianuarij, Auenione Benedictus Pſeudopontifex primò renunciauit Pſeudocardinales, qui fuere.

I.



PETRVS Blaui, ſeu Blani, natione Gallus, patria Gaballitanus, Diœceſis Mimatenſis, vtroque parente nobilis, è proſapia Vrbani V. Iuris vtriuſque Doctor clarus, Referendarius Apoſtolicus, Diaconus Cardinalis ſancti Angeli à Benedicto Pſeudopontifice renunciatus eſt; quem deſeruit, vt pote ſchiſmaticū, & interfuit Concilio Piſano, ac ſuffragium tulit pro Alexandro V. à quo teſte Ciaconio, titulum ſanctorum Ioannis, & Pauli obtinuit, & inter Presbyteros Cardinales connumeratus eſt. Felix tamen Contelorius ex ſepulchrali inſcriptione, & m. s. Vaticano ſcribit Petrum ſancti Angeli Diaconiam retinuiſſe, vſque ad obitum.

C

E vita migrauit Auenione non die 14. vt ſcripſit Ciaconius, ſed ex Epitaphio die 12. Decembris, anno 1409 & ſepultus in Eccleſia Monaſterij, non ſancti Angeli, ſed S. Andreæ ex Notis m. ss. Suareſij, ordinis S. Benedicti prope Auenionem, in qua characteribus Gothicis inciſa lapidi hæc leguntur carmina.

D

CARMEN QVANTVLAE LAVDIS ST MERITISSIMAE BONAE MEM. D. PETRI BLAVI CARD. SANCTI ANGELI HIC TVMVLATI.

Hac tegitur petra Petrus cognomine Blani
Gaballitanus, ſis ſibi Chriſte pius.
Limida, quam redimit leo candidus, area ſignat
In clypeo proauis, quod fuit iſte cluens.
Virtutum meritis hunc induit infula bina,
Canonis iſta ſacri, Cardinis illa fuit.
Prebuit huic titulum ſacer Angelus, ordine fulcit,
Quem tenet alma leuis ſtirps bene promerita.
Officiumque ſuum bene geſſit, dum fuit illi
Ceu petra firma fides, iuſtitiaque libra
Huic pretium, fauor, & odium, timor, & fuit hoſtis;
Mens intenta tamen tota placere Deo.
Templa gemunt, inopes plorant, viduaque puellæ,
Quod patronus abeſt, publica reſque ſimul.
Prudens, & caſtus, humilis, pius, atque benignus,
Sobrius, & largus, & requietus erat.
Spiritus carnem docuit ſeruire domatam,
Stratus cui durus, ſitque carina cibus.
Carmine Dauidico Dominum placare ſolebat ***
Sæpeque cantare, tu Miſerere mei.
Sollicitum veſtis Dominus fuit inſita menti
Huius ſarcire ſi queat arte bona;
Sed contendentum Petri retinere curile
Ambitio turpis obſtitit inde ſibi. ***
Huius nempe rei teſtis Synodus generalis
Eſt ſacra, quæ Piſis concelebrata fuit.
Heu mors ſæua virum metit hunc dum craſtino ſancta
Paſſio Lucia commemoranda foret.
Mille quatercentis annis ter iungito ternos
Chriſti, dic iterum, ſis ſibi Chriſte pius. Amen.

E

F

A

Epitaphium refert auctor Nomenclatoris Cardinaliū, & eſt tale.

HIC IACET REVERENDISSIMVS IN CHRISTO PATER DOMINVS PETRVS BLANI NATIONE GABALLITANVS EX VTROQVE PARENTE DE MILITARI GENERE PROCREATVS AC DE PROPINQVO GENERE FOELICIS RECORDATIONIS DOMINI VRBANI PAPAE QVINTI DECRETORVM DOCTOR EGREGIVS S. ANGELI DIACONVS CARDINALIS QVI OBIIT ANNO DOMINI MCCCCIX. DIE XII. DECEMBRIS.

Scutariam parmam aliam omnino ab hac Petro huic olim tribuebat Ciaconius. Nos cum Andrea Victorello, & Frizonio ex Notis m. ss. Suareſij ſcutum miniatum leone argenteo inſiliente expreſſum eidem dedimus, cum tale ſit ad eius ſepulchrum lapidi inciſum.

Petrum hunc Catalanum facit Baltaſſar Porregnus in Elogijs Cardinalium Hiſpanorum, & per errorem in ſepulchrali inſcriptione ſcriptum Gaballitanum loco Gotholani refert; ſed cum vnde notitiam iſtam ille hauſerit, non referat, non eſt recedendum ab antiquis ſcriptoribus.

B

II.



ORLANDINVS Vulpellius, natione Italus, patria Lucenſis, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in via Lata recenſetur à Ciaconio inter Pſeudocardinales à Benedicto XIII. renunciatos in prima creatione. De eo tamen nulla eſt mentio, teſtè Contelorio, in libris ſacri Collegij Cardinalium, in quibus Cardinales de nouo creati adnotabantur; nec Benedicti Diplomata huiuſce meminere. Eccleſiam S. M. in via Lata regebat Petrus de Ver aliàs Verruco à Gregorio XI. inter Diac. Cardinales cooptatus, qui obijt anno 1403. vt diximus in eius vita; Petro huic ſubrogatus eſt Antonius de Chalant Pſeudocardinalis ab ipſo Benedicto renunciatus anno 1404. Florauantes tamen Martinellus in ſerie Diaconorum Cardinalium S. Mariæ in via Lata poſt Petrum de Verruco, & ante Antonium de Chalant hunc collocat Diaconum; at cum nullum pro ſe præter Ciaconium, referat auctorem, neque vllum proferat documentum, vnde notitiam hauſerit; è Cardinalium numero Contelorij iudicio Orlandinus hic expungendus eſt.

C

SECVNDA CREATIO PSEVDOCARDINALIVM.

D

Anno Dominica Incarnationis 1397. Antipontificatus Tertio, ſeu aliàs initio Quarti, xij. Kal. Octobris ex Ciaconio, ex Contelorio verò die 20. vel 22. Decembris Auenione Benedictus XII. dictus XIII. iterum creauit Pſeudocardinales, qui fuere.

III.



FERDINANDVS de Calniello, aliàs Pererius Caluillus, natione Hiſpanus, Taraſonæ oriundus, inſigni literatura præditus, vt refert Ferdinandus Vghellius, ex Epiſcopo Taraſonenſi, ſeu Tarraconenſi, cum legationis munere functus fuiſſet apud Franciſcum Regem, ab ipſo Benedicto renunciatus eſt Presbyter Cardinalis ſanctorum Duodecim Apoſtolorum; cuius obedientiæ adeo ſtudioſus fuit, vt à ceteris relictus vnus ipſe Auenione in palatio obſeſſus permanſerit. Mortem ſubijt poſt annum 1404. eo enim anno, vt ex ipſius Benedicti literis conſtat, viuebat. In aula palatij Epiſcopalis Tarraconenſis hoc extat Elogium.

E

IVRIVM ET AMPLITVDINIS AC DIGNITATIS EPISCOPALIS PRAESENTIAE DEFENSOR CONSERVATORQVE.

Habuit in Epiſcopatu Tarraconenſi ſucceſſorem germanum fratrem Petrum Caluillum.

IV.

F



IANFRIDVS, ſeu Gaufridus, quem, Ciaconius de Ronyl cognominat, & natione Gallum; ſed Index Rerum ab Arragoniæ Regibus geſtarum, Hiſpanum ex Regno Arragoniæ facit, ex Referendario Apoſtolico Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Aquiro nominatus eſt; cū Sallutij Marchionis filio, & Cardinalis Agrifolij fratre ad Regem Arragoniæ Benedicti Pſeudopontificis iuſſu legationis munere fu-

ctus fuiſſet. Obierat etiam Aueniononſem legationem ſub Clemente VII. Is cum paucis Pſeudocardinalibus Auenione vnà cum Benedicto à populo Auenionenſi obſeſſus egregiam militis, & ducis nauauit operam, & eius in obedientia vſque ad finem vitæ permanſit. Deceſſit anno nono Pontificatus eiuſdem Benedicti, anno ſcilicet noſtræ ſalutis 1402. ſeu 1403. Baltaſſar tamen Porregnus in Elogijs Cardinalium Hiſpanorũ, vſque ad annum 1406. ſuam produxiſſe vitã ſcribit, Aubery verò refert illum è vita migraſſe anno 1401.

V.

Io. Baptiſta de Groſſis in not. Eccl. Catanenſ.

Baltaſſar Porregnus in elogijs Card. Hiſpanorum.

Ferdinãd. Vghell. in Addit. ad Ciaconiũ.



PETRVS Serra natione Hiſpanus, patria Barcinonenſis, Martini Regis Aragoniæ ſobrinus, ex Archidiacono Barcinonẽſi Catanæ Vrbis in Sicilia Epiſcopus electus inter eiuſdem Martini Regis Conſiliarios aſcitus, Regij Vicecancellarij munere functus eſt. Purpurã deinde à Benedicto XIII. obtinuit, & præfuit Diaconiæ ſancti Angeli in Foro Piſcium. Ciaconius labitur, dum credit Petrum hunc eſſe Petrum Diaconum Cardinalem S. Angeli ſeniorem; Petrus enim ſancti Angeli Diaconus ſenior ex libro Diuiſionum fuit Petrus Fonſeca. Perperam etiam ab ipſo Ciaconio dicitur Petrum hunc Serram cum alijs nouem Cardinalibus Gallis Benedicto ipſo deſerto, Piſis in generali Concilio Alexandrum V. delegiſſe, atque Oratorem eo iti Concilio Ioannis Regis Hieruſalem, Cypri, & Armeniæ fuiſſe; atque in Hiſpania diem ſuum vltimum clauſiſſe anno ſalutis 1409. Nam vt habet Indicis Rerum ab Arragoniæ Regibus geſtarum auctor, & vt referunt ipſius Benedicti Pſeudopontificis Diaria, Petrus hic multis annis ante Concilium Piſanum Genuæ, die ſcilicet 8. Octobris anno 1404. obierat ex peſte, dum illuc vnà cum Benedicto, in cuius obedientia permanſit; pro vnione Eccleſiæ procuranda appuliſſet. Ipſum Indicis auctorem audiamus. *Anno 1404. viij. Idus Octobris, quòd Genuæ peſtilentia graſſaretur, Benedictus Saonam regreditur, Petrus Serra Catanenſis Cardinalis ea contagione infectus decidit.* Volunt aliqui Petrum hunc ex Diacono renunciatum eſſe Presbyterum Cardinalem titulo S. Clementis, ſeu SS. Syluestri, & Martini in montibus, ſed à veritate omnino hi quoque aberrant; ſcimus enim ex Benedicti Diarijs Petrum hunc non Presbyterum, ſed Diaconum Cardinalem ſancti Angeli ſupremum diem obijſſe.

Aubery in vita.

Felix Cõtelorius in Elencho.

TERTIA CREATIO PSEVDOCARDINALIVM.

Anno Dominicæ Incarnationis 1397. ex Ciaconio, ex alijs vero 1398. Benedictus XIII. Auenione, ſeu in Ponte Sorgiæ Auenionenſis Diœceſis tertiò renunciauit Cardinales, qui fuere.

VI.

Ciaconius

Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciaconiũ.

Index Rerum ab Aragoniæ Regib' geſtarum.

Felix Cõtelorius in Elencho.

Aubery in vita.

Baltaſſar Porregnus in elogijs Card. Hiſpanorum.



BERENGARIVS Angleſola Hiſpanus, ex Epiſcopo Gerundenſi Presbyteris Cardinalibus titulo S. Clementis; poſtea Epiſcopis Portuenſibus a Benedicto XIII. Pſeudopontifice adſcriptus, legationis munere functus eſt eiuſdem Benedicti iuſſu ad Regẽ Arragoniæ. Mortem ſubijt ex Ciaconio anno à partu Virginis 1408. in Benedicti obedientia.

VII.

Ciaconius

Scip. Ammirat. de famil. Florentin.

Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciaconiũ.

Aubery in vita.

Index Rerum ab Aragoniæ Regib' geſtarum.



BONIACIVS Amanatus, filius Donati, & Lippæ de Ricciardis, frater Thomæ Amanati Pſeudocardinalis Clementis Septimi, natione Italus, patria Piſtorienſis, Iuriſprudentiæ conſultiſſimus, & in negocijs peragendis prudens, ex Protonotario Apoſtolico à Benedicto XIII. Diaconus Cardinalis S. Hadriani renunciatus, Benedicti obedientiæ adeo ſtudioſus extitiſſe legitur, vt ob amorem illius varios labores, ac varia pericula ſubire non dubitauerit. Ab Auenionenſi enim populo contra Benedictum concitato, vnà cum Cardinali Pampilonenſi in carcerem truſus diu in eo manſit, tandem ſub conditione dimiſſus ad Benedictum redijt, eique adhæſit, vſque ad obitum. E vita migrauit ex Contelorio intra annum, anno ſcilicet 1399. & menſe Martij, alij anno 1403. quo tempore Patro de Luna ſubtracta fuerat obedientia in Regnis Franciæ, & Caſtellæ.

VIII.

Theod. à Niem.

Ciaconius

Aubery in vita.

Io. Chenu de Epiſc. Galliæ.

Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana.

Index Rerum ab Aragoniæ Regibus geſtarum.



LVDOVICVS de Barro, quem aliqui Landolphum nominant, Gallus, Regio Francorum Regum ſanguine, filius Roberti primi Ducis Barrenſis, & Mariæ Ioannis Galliarum Regis filiæ, Iolãtæ, ſeu Yolandæ Arragoniæ Reginæ frater germanus, Galliarum Reginæ conſobrinus, cognatus Sigiſmundi Imperatoris, Antiſtes in primis Lingonenſis, deinde Catalaunenſis, poſtea Præſul Virdunẽſis electus interfuit Synodo habitæ ad Turrbam prope Monaſteriolũ cũ Henrico de Sauoiſy Archiepiſcopo Senonenſi pro fœdere firmando inter Burgundũ, & Aurelianenſem Præſules. Ex Epiſcopo Virdunenſi, quam tamen Eccleſiam rexit, vſque ad obitum, renunciatus eſt à Benedicto XIII. Diaconus Cardinalis S. Agathæ; ſed paulò poſt Schiſmatis extinguendi ſtudio Benedicto deſerto interfuit Synodo Piſanæ, & pro Alexandro V. ſtetit, à quo titulum SS. Duodecim Apoſtolorum obtinuit. A Cardinalibus Piſana in Synodo congregatis miſſus Francofurtum ad conuentum, vt Eccleſiæ vnionem procuraret. Præſens etiam fuit Comitijs Ioannis XXIII. à quo Epiſcopatum Portuenſem obtinuit; & in Synodo Conſtantienſi cum alijs Cardinalibus Martinum III. aliàs V. elegit.

Pet. Frizõ in Gallia Purpurat.

Ferdinãd Vghel. in Addit. ad Ciaconiũ.

Felix Cõtelorius in Elencho.

Obijt ex nonnullis Varanij Vrbis ſui Epiſcopatus in Gallia, ex alijs verò Viroduni non anno 1425. neque anno 1443. ſed menſe Iunij, ſeu Iulij anni 1430. vt ex ſequenti Epitaphio ad eius ſepulchrum exarato, & collecto à Nomenclatoris Cardinalium auctore agnoſces. Corpus in Diuæ Mariæ Virdunenſis Eccleſia, cuius erat Epiſcopus tumulatũ in Oratorio S. Eliſabethæ, cũ hoc Epitaphio.

Hic ſitus eſt fulgens LVDOVICVS *laude perenni,*
Quem Barri genuit gens generoſa Ducum.
Filia Regis erat genitrix, de culmine ſummo
Francorum, & cuncta nobilitatis apex.
Hunc decus & mores, quondam celebrare ſolebant
Dum Portuenſi Cardine dignus erat.
Egregius pariter præſentis Paſtor ouilis,
Ac Virdunenſis Pontificalis honos.
Ambiguis certa præponens, tuta timendis,
Spreuit opes Orbis Religione fruens.
At quia non moritur virtus, quid Parca tuliſti?
Clara per æternos ſtat ſibi fama dies.
Mille quater centum ter denos iunxerat annos
Delius, & Iunij tempora menſis erant.
Nunc Matris precibus, æterna dona quietis
Illi pro meritis det Deus omnipotens.

Vltimæ ſuæ voluntatis executricem conſtituerat ſororem Bonnam Barrenſem viduam Ludouici Valeriani Luxemburgi Comitis à S. Paulo, & Lignæi Franciæ ſtabuli Comitis, quòd onus illa magnis diſtracta negocijs detrectauit. Peculiari cultu Virginem Matrem coluit, & in Eccleſia Cathedrali Virdunenſi Deiparæ ſacra multas erogauit pecunias pro fundatione.

Hippol. Marrac. in Purp. Mariana.

Edidit Eccleſiæ Lingonenſis Statuta Synodalia: cui Eccleſiæ Cathedrali Reliquias ſanctarum Florinæ, & Valeriæ de Collegio vndecim millium Virginum multo auro, & argento ornatas dono dedit. Fundauit in Laudunenſi Eccleſia pro Yolanda ſorore ſua Ioannis Arragonum Regis vxore Anniuerſarium: & erexit Cœnobium Franciſcanorum in Vrbe Varanij.

QVARTA CREATIO PSEVDOCARDINALIVM.

Anno à Chriſto nato 1404. *die* 9. *Maij, Antipontificatus Decimo* Benedictus XIII. Auenione quartò creauit Pſeudocardinales, qui fuere.

IX.

Ciaconius

Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciaconiũ.

Aubery in vita.

Petrus Frizon in Gal. Purp.



ANTONIVS ex nobiliſſima de Chalant familia apud Sabaudos in lucem prodijt, maior factus cum Comitis Sabaudiæ Cancellarij munere fungeretur, Eccleſiam Lauſanẽſem rexit, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in via Lata deinde à Benedicto XIII. Antipapa effectus eſt. Eo poſtea relicto, Alexandri V. Comitijs affuit Piſis, cuius Concilio ſubſcripſit vltimus, in cuius etiam Seſſione vigeſima ſedente Pontifice in Cathedra altè poſita ante maius Altare, & ab oppoſito illius verſus Occidentem in vltima parte Concilij tribus Patriarchis Alexãdrino ſcilicet, Antiocheno, & Hieroſolymitano in tribus altis, & magnis cathedris, lectum fuit Decretum electionis Pontificis, quo lecto Cardinalis de Chalant roga-

ut Concilium, vt oraret pro ſtatu Papæ, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ. Poſt electionem Alexandri V. Cardinalis S. Euſtachij, dictus Bononienſis nomine noui Pontificis aliqua promulgauit, inter quæ nonnulla habentur in fauorem Cardinalis de Chalant his verbis. *Idem impedimentum appoſitum in beneficijs Cardinalis de Chalanco ſub prætextu; quod diu ſteterat cum Petro de Luna, ſub prætextu autem ſuorum excuſationum aliàs per Cardinales admiſſarum relaxauit.*

Felix Cõtelorius in Elencho.

Suffragium tulit pro Ioanne XXIII. à quo Presbyter Cardinalis S. Cæciliæ renunciatus, Legati Apoſtolici munere perfunctus eſt apud Sigiſmundum Romanorum Regem, & apud Regem Angliæ. Ad primum vnà cum Franciſco Zabarella Cardinali pro Concilij loco ſtatuendo miſſus Pontificis partes prodidit, cum Conſtantiam, quæ in Imperatoris poteſtate erat, delegiſſet, ad quam Ioannes ipſe profectus depoſitus eſt. Interfuit electioni Martini V. in Concilio Conſtantienſi, & nominatur inter illos, qui iurauerunt Capitulorum approbationem: hæc habentur in eiuſdem Concilij ſeſſione 44.

E vita migrauit Lauſanæ die 4. Septembris non anni 1417. vt ſcripſere nonnulli, ſed ex libris Diuiſionum Cameræ Apoſtolicæ anno 1418. & ibidem in Cathedrali ſepultus.

Hunc Claudius Robertus in Catalogo Lauſanenſium Præſulum non Antonium, ſed Ioannem nominat, & monachum facit.

X.



Ciaconius. Ind. Rer. ab Arag. Reg. geſtarum. Ferdinand Vghell in Addit. ad Ciaconiũ. Felix Cõtelorius in Elencho. Aubery in vita. Baltaſſar Porreguus in elogijs Card. Hiſpanorum. Nomencl. Cardinal.

MICHAEL de Salua, aliàs Zalba, ſeu Salua Nauarrus, nepos Martini Pſeudocardinalis Pampilonenſis, vir doctus, & in vtroque iure verſatiſſimus, ex Epiſcopo Pampilonenſi à Benedicto XIII. renunciatus Diaconus Cardinalis S. Georgij in Velabro cum ipſo Benedicto XIII. Auenione in Italiã venit, & apud portum Herculeum Monæci in Nicienſi Diœceſi, ex epidemiæ morbo die 16. Auguſti an. 1406. è vita exceſſit, ac Niciæ in fratrum Minorum Cœnobio conditur. Volunt aliqui Michaelem hunc Pſeudocardinalem ſepultum Auenione prope patruum in Eccleſia Carthuſianorum ſanctæ Mariæ de Bonopaſſu cum hac ſepulchrali Inſcriptione.

HIC. IACET. REVERENDISSIMVS. PATER. MICHAEL DE LA. SALVA. LEGVM. DOCTOR. NATIONE NAVARRVS. S. GEORGII. AD. VELVM. AVREVM. DIACONVS. CARDINALIS. OBIIT. APVD. MONACHVM NICIENSIS. DIOECESIS DIE. XVI. AVGVSTI. ANNO MCCCCVI. ET. FVIT. NEPOS. DOMINI. MARTINI CARDINALIS. PAMPILONENSIS. VVLGARITER. NVNCVPATI. IN. HAC. CAPELLA. ETIAM. SEPVLTI. QVORVM. ANIMAE. REQVIESCANT. IN. PACE. AMEN.

Io. Tamayus de Salazar. to. 3. tom. Martyrolog. Hiſp.

Fuit quinquageſimus ſecundus Epiſcopus Pampilonenſis, & ſucceſſit D. Martino patruo Pſeudocardinali Clementis VII. eamque Eccleſiam tribus tantùm annis rexit, & habuit ſucceſſorem D. Lancellotum huius nominis primum cognomento Nauarrum.

QVINTA CREATIO PSEVDOCARDINALIVM.

Felix Cõtel. in Elẽch. Card.

Anno à partu Virginis 1408. ex Bulla Alexandri V. ex Ciaconio verò 1409. menſe Septembris in quatuor Temporibus Peniſcolæ, quòd eſt Regni Valentiæ oppidum, ſeu, vt alijs placet, in Vrbe Perpiniani Benedictus XIII. audita ſua depoſitione facta in Concilio Piſano, ad augendum Schiſma creauit quintò Pſeudocardinales, qui fuerunt.

XI.



Ciaconius.

PETRVS Rauatius, ſeu Rauatius Archiepiſcopus Toloſates in Cardinalium Collegium à Benedicto XIII. cooptatus eſt, vt narrat Index Rerum ab Arragoniæ Regibus geſtarum his verbis. *Anno 1409. decimo Kalend. Octobris Perpiniani Benedictus à Cardinalibus, qui à ſe deſciuerant, & Piſas receſſerant, deſtitutus Ioannem Armeniacenſem Rothomagenſem Petrum Rauatium Toloſatem Archiepiſcopos; Ioannem Martinum Murillum Abbatem Montiſarragonum, Carolum Vrrias, & Alphonſum Carrillum Gomecij Caroli filium in Cardinalium Collegium cooptat.* Felix tamen Contelorius, cum nulla fiat Petri Rauatij in libris ſacri Collegij, & in Diplomatibus Benedicti mentio, cumque laudatus Index inter Cardinales à Benedicto renunciatos Petrum de Fuxo, aliàs de Foix omittat, in ea eſt ſententia, vt vnus idemque ſit Petrus Rauarius apud Indicis auctorem, ac Petrus de Fuxo, qui reuera, vt ipſe aſſerit, erat Archiepiſcopus Toloſanus. Non enim veriſimile videtur duos eodem tempore, & ſub eodem Pſeudopontifice fuiſſe Archiepiſcopos Toloſanos. Claudius Robertus in ſerie Præſulum Toloſanorum neque Rauarium, neque de Fuxo, ſed tantùm Petrum quendam de S. Martiali recenſet inter Præſules Toloſanos; in re tam dubia fides ſit penes ipſos ſcriptores.

XII.

N. Archiepiſcopum Roſſanenſem incerti nominis collocat Ciaconius inter Presbyteros Cardinales Benedicti XIII. de quo nulla mentio in libris ſacri Collegij, neque apud auctorem Indicis Arragoniæ ſupra laudatum.

XIII.



Ciaconius. Monaſt. in hiſtor. Ciſtercien. Arnaldus Vion in Lig. vitæ. Zurita. Ferdinãd. Vghel in Addit. ad Ciaconiũ. Aubery. Baltaſſar Porreguus in elogijs Card. Hiſpanorum.

IOANNES Martinus Murillus Hiſpanus, Canonicus Regularis ex aliquibus, ex alijs verò monachus Ciſtercienſis, & Abbas Montiſarragonum Oſcenſis Diœceſis Presbyterus Cardinalibus titulo S. Laurentij in Damaſo a Benedicto XIII. aſcriptus, Benedicti partes ſecutus eſt ſemper, quouſque in Conſtantienſi Synodo damnatus, & Martinus Tertius alias V ſummus Pontifex deſignatus eſt. Cuius tamen pertinaciam, & obſtinationem tandem peroſus, eo relicto anno 1419. in Italiam venit cum alijs duobus eiuſdem obedientiæ Cardinalibus, & xvj. Kalend. Aprilis Florentiam, vbi Martinus cum Curia erat, ingreſſus, eum vt Chriſti Vicarium ſalutauit. Quare Cardinalitia dignitate à Benedicto priuatus eſt, in ea tamen confirmatur à Martino: exceſſit vita Romæ menſe Octobris, ſeu meliùs Nouembris anni 1420.

XIV.



Ciaconius. Luc. Vuadingus in Annal. Minorum. Henricus à ſe in elogijs. Aubery in vita. Ferdinãd Vghel to. 1. Ital. ſac. Gaſp. Iongel. in elogijs Cardinal. ord. Minorum. Felix Cõtelor. in Elencho. Pet. Frodꝰ in Gallia Purpurat. Henricus Spondanꝰ in Annal. Eccleſiaſt. Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana.

MAG. FR. PETRVS de Foix, ſeu de Fuxo ſenior, Gallus Bearnenſis illuſtri terræ illius Principum familia natus, filius Archambaldi, & Iſabellæ Caſtelbonæ Comitiſſæ Fluſſatum, ordinis Minorum Regularem profeſſus eſt in Cœnobio de Morlas, olim fundato à Gaſtone de Moncada atauo. Ex ſui ordinis Theologo inſigni Abbas Montiſmaioris prope Arelatem, deinde Epiſcopus Laſcarenſis, ſeu Leſcarenſis, vt volunt alij in Gallia ſub Archiepiſcopo Auxẽſi annos natus viginti, & vnũ à Benedicto XIII. anno 1405. ſeu, vt volunt alij, ab Alexandro V. inauguratus eſt anno 1409. adhibita prius circa defectum ætatis diſpenſatione. Cognominatur in Diplomate Alexandri V. dato x. Kal. Nouembris de Morlanis, quia in huius loci Cœnobio, vt diximus ſupra, Minorum inſtitutum profeſſus olim erat. Deinde à Leſcarenſi Epiſcopatu ad Conuenarum ſedem primò, mox ad Lombarienſem, inde ad Archiepiſcopatum Aquenſem, poſtea ad Arelatenſem tranſijt. Benedictus XIII. vt Bearniæ Principes in ſuas partes traheret, aut in ſua obedientia contineret, Petro filio Cardinalatus dignitatem titulo non S. Angeli in foro Piſcium, ſed S. Stephani in Cœliomonte contulit. Hic Benedicti partes ſemper ſecutus eſt, vſque ad Conſtantienſe Cõcilium, ad quod acceſſit, & Martini III. aliàs V. creationi interfuit, & in Seſſione 25. illius Concilij legitur Procurator Ioannis Comitis Fuxi germani fratris, ac trium Statuum Vicecomitatus Bearnenſis.

Electo Martino V. Sardiniæ, & Siciliæ legationibus fungitur, deinde ad Hiſpanos miſſus, duos Hiſpaniæ Reges, Caſtellæ ſcilicet, & Arragoniæ conciliauit, reliquias Schiſmatis, quæ mortuo Benedicto XIII. ſupererant, omnino ſuſtulit, & Clementem illum VIII. Pſeudopontificem Pontificatu abdicare coegit, pœnitentes abſoluit, contumaces, & obſtinatos carcere incluſit. Ad Vrbem rebus bene geſtis quaſi triumphans reuerſus viij. Idus Ianuarij anno 1428. Epiſcopatum Albanenſem, & Auenionis legationem ab Eugenio IV. deinde obtinuit, quo munere functus eſt egregiè etiam ſub Nicolao Quinto, Calliſto III. Pio II. & Paulo II.

Aliam addunt legationem Stephanus Garibaius, & Henricus Spondanus, eumque miſſum à Martino V. Conſtantinopolim pro vnione Græcorum ſcribunt, ſed decipiuntur; non enim Petrus iſte, ſed Hiſpanus Fonſeca Cardinalis S. Angeli ad Græcos ablegatus eſt. Orto Schiſmate Felicis Sabaudi, Eugenij partem conſtantiſſimè defendit. Alphonſo Carillio Hiſpano Diacono Cardinali ſancti Euſtachij Auenionenſi legationi à Benedicto XIII. intruſo bellum intulit, & Auenionem Ciuitatem obſidione cepit. Functus eſt tanta omnium gratulatione, & laude ea legatione, vſque ad obitum, vt *bonus Legatus*, vulgò nominaretur.

E vita migrauit Pauli II. Pontificatus anno primo, Chriſti 1464.

Cardinalatus 56. Auenione die 13. Decembris, & ſepultus ad Minores Auenionenſes cum hac ſepulchrali Inſcriptione.

Sub hoc humili iacet loco Fr. Petrus de Fuxo creatus Cardinalis, anno ætatis ſuæ 22. qui in Concilio Conſtantienſi cum Cardinalibus, & in Hiſpania Legatus Schiſma deleuit, & duos Hiſpaniæ Reges confœderauit. Tiaram B. Syluestri Lateranenſi Eccleſiæ reſtituit; Auenionem, & diuerſas Prouincias, vt Pater patriæ annis 32. rexit, Iacobi, & Salome Marias alta locauit. Tandem anno 1464. menſe Decembri animam Cælo reddidit, quam ſancta ſuſcepit de terra Lucia. Pauli Pontificis Maximi anno primo.

Lemma etiam hoc ſarcophago illius inſcriptum erat *SERVIRE DEO REGNARE EST.*

Celebrauit Concilium Prouinciale Auenionenſe, cui præfuit, & ſubſcripſit his verbis: *Petrus miſeratione diuina Albanenſis Epiſcopus, S. R. E. Cardinalis, Auenionenſis vulgariter nuncupatus, à latere ſedis Apoſtolicæ Legatus.*

Duarum Mariarum Salome, & Iacobi Reliquias, quæ in ſubterraneo iacebant, Renati Regis Siciliæ, & Prouinciæ Comitis precibus, & Nicolai V. auctoritate alto leuauit loco. Tiaram S. Syluestri Papæ Auenione Romam ad Baſilicam Lateranenſem miſit. Arelatenſe palatium Epiſcopale ædificijs ornauit: Eccleſiam verò ſacello auxit: Caſtrum Salonis illuſtrauit, & vt quolibet die Miſſæ Sacrificium in Matrice Eccleſia celebraretur, attributis redditibus inſtituit. Extruxit Domum Cœleſtinorum Auenionenſem: fundauit Collegium Fuxienſe in villa Toloſana in honorem SS. Hieronymi, & Franciſci, in quo viginti quinque Adoleſcentes Iuri Canonico, vel Ciuili operam dantes nutriri voluit, è quorum numero vnus præſit Rector quotannis ipſorum collegarum ſuffragijs electus, & quatuor Presbyteri Capellæ eiuſdem Collegij, quam ſanctorum Reliquijs, & Eccleſiaſticis ornamentis ditauit, miniſterio adhibiti ſingulis diebus Miſſas celebrantes. Hoc Collegium ampliſſimè dotauit, & copioſa m. ss. Librorum Bibliotheca decorauit, quam ex Arragonica Benedicti Libraria, & aliunde ſibi comparauerat; & illud ex venia Romanæ ſedis hæredem inſtituit teſtamento ſcripto anno 1464. Indictione 13. menſis Auguſti: cuius hæc ſunt fragmenta, quæ reſcripſit in Annalibus Minorum Fr. Lucas Vvaddingus.

In Nomine S. &c. Notum ſit omnibus, &c. quòd anno à Natiuit. Dom. 1464. Nos Petrus miſeratione diuina, &c. In primis igitur commendamus animam Noſtram, dum eam Altiſſimo diſponente à nexibus corporei diſſolui contigerit, Domino Noſtro Ieſu Chriſto, qui voluit pro Redemptione Noſtra, & totius humani generis incarnari, pati, & mori, necnon ſuſcipere miſerias humanas, vt mediante ſua maxima gratia, miſericordia, & charitate, non habendo aſpectum ad offenſas Noſtras infinitas, dignetur animam Noſtram ponere in viam redeundi ad patriam, & non priuemur fructu redemptionis ſuæ. Ipſam animam Noſtram etiam humillime commendantes glorioſiſſimæ Virgini Mariæ eius matri, in qua poſt ipſum Dominum Noſtrum Ieſum Chriſtum ſemper fuit, eſt, & erit ſpes Noſtra, eidem humiliter ſupplicando per illam gratiam, per quam voluit eam effici matrem ſuam, vt velit in hora mortis Noſtræ orare Filium ſuum pro Nobis, oſtendendo eidem pectus, & vbera, quæ ſuxit, vt ipſe oſtendere dignetur latus, & vulnera, quæ pro redemptione Noſtra, & dicti totius humani generis ſuſcepit, vt effectus tanti meriti in Nos non fruſtretur. Beatiſque Michaëli Archangelo, Ioanni Baptiſtæ, ſanctis Apoſtolis Petro, & Paulo, atque Andreæ, Ioanni Euangeliſtæ, B. Franciſco, cuius habitum indigne portamus, ſupplicando, ne velit reſpicere ad iniquitates Noſtras, ſed ad fidem, & deuotionem eorum, qui antequam ex vtero matris Noſtræ egrederemur, ſuo ſeruitio Nos dedicauerunt. S. Hieronymo patrono Noſtro, & ſicut Deus conceſſit ei leonem obſequioſum, velit liberare animam Noſtram à leone rugiente: B. Lazaro, ſororibus beatiſſimis Mariæ Magdalenæ, S. Marthæ, S. Catharinæ, S. Margaritæ, & omnibus ſanctis Dei, vt interceſſione eorum, & per merita totius Eccleſiæ tam militantis, quàm triumphantis detur Nobis venia peccatorum Noſtrorum. Angelo, qui deputatus eſt ad cuſtodiam, cui noluimus credere, ſed ſæpiſſime Noſtra fragilitate contempſimus perſuaſiones ſuas bonas, ſupplicando, vt in hora mortis Noſtræ Nos non velit derelinquere. Deinde eligimus corpori Noſtro ſepulturam in Eccleſia Conuentus fratrum Minorum præſentis Ciuitatis Auenionenſis, & in medio Chori ipſius Eccleſiæ volentes, & ordinantes fieri vnum lapidem fortem ponendum ſuper ſepulturam Noſtram, in quo ſculpatur imago Noſtra cum Armis, & habitu Noſtro, ita quod dictus lapis non ſit eleuatus à terra, ſed ſtet in plano. Præterea volumus, & ordinamus, quod in die ſepulturæ Noſtræ ſint centum intortitiæ ceræ, quodlibet ponderis quatuor librarum, & quatuor cerea, quodlibet ponderis viginti quinque librarum, quæ portari volumus per centum quatuor pauperes indutos panno albo cum capuccijs eiuſdem panni. Ordinantes ceram huiuſmodi intortitiarum, & cereorum, quæ ſuper erit poſt cantatum nouena, Eccleſiæ remanere. Volumus etiam ſepeliri in terra cum habitu Noſtro B. Franciſci, & indumentis Pontificalibus, & paramentis. Item volumus illo die ſepulturæ Noſtræ celebrari centum Miſſas, & pariter triginta diebus ſequentibus, qualibet die totidem. Item volumus primo anno omnia ſatisfieri creditoribus Noſtris, &c. Deinde multis Eccleſijs multa legat: Conuentui Minorum Auenionenſi, cuius Eccleſiæ interiorem partem viuens ſubſtruxerat, pro vna Miſſa qualibet die in perpetuum celebranda annuos redditus reliquit: & ſub finem. *Legamus Conuentui fratrum Minorum de Morlanis Laſcurienſis Diœceſis, in quo Conuentu habitum Noſtrum S. Franciſci ſuſcepimus, Calicem Noſtrum auri, cum canetis, &c.* Infra. *Conuentui fratrum Prædicatorum Orthezij, & de Morlanis quinquaginta ſcuta pro vno obitu perpetuò, &c. Item legamus Conuentui fratrum Cæleſtinorum Auenionenſium pro augmento Capellæ S. Hieronymi, quam ædificare fecimus ducenta ſcuta auri ſemel tantum, &c.* Omnibus ferè Eccleſijs Cathedralibus, & alijs, quæ intra ſuæ legationis terminos erant, legauit ad Miſſas quotannis, & ſæpè ſingulis diebus faciendas.



XV.

EXHIMINVS Dahæ, quem Ciaconius N. de Anche Hiſpanum vocat, Referendarius Apoſtolicus, & Pontificij Sacelli Sacerdos, anno 1408. ſeu 1409. vel menſe Septembri anni 1424. ex Codice Vaticano renunciatus Presbyter Cardinalis S. Laurentij in Lucina, ab Arragoniæ Regis militibus Paniſcolæ carceri mancipatur, tanquã aliorum a Cõcilio ſegregator, quippe cui vnio Eccleſiæ placeret, tamen motum repentinum, quo Aegidius Monotius, & ceteri vnionem reſtituere conabantur, tutum haud iudicabat. Ideo ne alios turbaret, vel recederet, ac per ſuum receſſum ſcandalum pareret, vſque ad aduẽtum Petri de Fuxo Cardinalis Apoſtolicæ ſedis Legati detentus fuit ad diem vigeſimum tertium menſis Auguſti anni 1429. quo in manibus eiuſdem Cardinalis ſponte, & liberè dignitatem, ac titulum reſignauit, & veram obedientiam, ac ſubiectionem Martino Romano Pontifici præſtitit. Dubitant aliqui tamen de veritate huius hiſtoriæ: nam in Actis Concilij Piſani Seſſione 15. & 17. & in Alexandri V. Diplomate, quorum auctoritate abrogantur Cardinalium enunciationes à Benedicto XIII. vel a Gregorio XII. factæ, quinque tantùm Cardinales recenſentur à Benedicto renunciati in quinta Pſeudocardinalium creatione; quorum nomina ſunt.

Petrus de Fuxo, Presbyter Card. S. Stephani in Cœlio monte.
Ioannes Murillus, Presbyter Card. S. Laurentij in Damaſo.
Carolus de Vrries, Diaconus Cardinalis S. Georgij in Velabro.
Antonius Caſillus, Diaconus Cardinalis S. Euſtachij.
Petrus Fonſeca, Diaconus Cardinalis S Angeli in Foro Piſcium.
Alij verò nempe
Iulianus Dobla, ſeu de Loba, Presbyter Cardinalis ſancti Clementis, deinde Epiſcopus Oſtienſis.
Exhiminus Dahæ Presbyter Cardinalis S. Laurentij in Lucina.
Dominicus de Bonalpe, ſeu de Bonafide Presbyter Cardinalis ſancti Petri ad Vincula. &
Ioannes Carterius, Presbyter Cardinalis S. Stephani in Cœlio monte, nonniſi menſe Septembri anno 1424. in ſexta Pſeudocardinalium enunciatione dicti ſunt Cardinales. Extat Martini V. Diploma datum, quinto Idus Octobris anno X. Pontificatus, in quo narratur Benedictum menſe Septembri die ante obitum, anno 1424. in Paniſcola de nouo enunciaſſe nonnullos Cardinales. Alij tamen, imo & ipſe Ciaconius ſcribit Exhimenum Dahę renunciatum eſſe Pſeudocardinalem à Clemente VIII. Benedicti ſucceſſore.



XVI.

IVLIANVS Dobla, ſeu de Lobera vel de Loba, Benedicti XIII. à Secretis, Cameræ Apoſtolicæ Clericus, & Pontificij Sacelli Sacerdos, Presbyter Cardinalis anno 1409. ſeu 1424. primò renunciatus titulum S. Clementis obtinuit, deinde Epiſcopatum Oſtienſem. In cuius obedientia adeo pertinaciter permanſit, vt eo mortuo Aegidium Monotium Barcinonenſis Eccleſiæ Canonicum in Schiſmate elegerit. Qui Petri Fuxij Cardinalis, Martini V. à latere Legati auctoritate ſpoliatus eſt nomine, & inſignibus Pontificatus, & ipſe Iulianus die 16. Auguſti anno 1429. in palatio Magiſtri Monteſiæ propè Paniſcolam in manibus prælibati Legati liberè renunciauit titulum, & Cardinalatus honorem, quos à Benedicto ſuſceperat, & veram obedientiam, ac fidelitatem Martino Pontifici maximo ſacramento præſtitit. Huius rei publicum extat inſtrumentum apud Bzouium tomo 15. Annalium. Duo erexit ſacerdotia Iulianus in Hiſpania pro ruſticis, qui ſummo mane ad laborem ſurgunt, vt intereſſe ſacroſancto Miſſæ ſacrificio quotidie commode poſſent, Sacerdotes illos obſtringendo ad celebrandum ſingulis diebus ante lucem. Ciaconius ſcribit Iulianum

[Margin notes: Ciaconius. — Ferdinand. Vghel in Addit. ad Ciaconiũ. — Michael Martin de Patron Catalan. — Felix Cõtelor in Elencho. — Baltaſſar Porreg. in Elog. Card. Hiſpan.]

hunc vnà

hunc vnà cum Dominico de Bonaſpe monacho Carthuſiano Schiſma eiurare negantem, Petri Fuxij iuſſu carcere incluſum miſerè periſſe, incertum quo tempore: hunc Ciaconius recenſebat vti renunciatum Pſeudocardinalem à Clemente VIII.

XVII.

Ciaconius

Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

Baltaſſar Porregnus in elogijs Card. Hiſpanorum.

Felix Cōtelorius in Elencho.



DOMINICVS de Bonaſpe, ſeu de Bonafide, natione Hiſpanus, profeſſione monachus Carthuſianus Domus B. Mariæ de Montallegre Carthuſienſis ordinis, Barcinonenſis Diœceſis, à Benedicto XIII. inter Presbyteros Cardinales titulo S. Petri ad Vincula, aliàs Eudoxiæ anno 1408. ſeu 1409. vel melius anno 1424. cooptatus, pro ipſo Benedicto ſemper ſtetit. Imò poſt illius obitum renouato Schiſmate Aegidium Monotium in Pſeudopontificem Clementem Octauum dictum elegit, à quo poſtea in obſcuro carcere Paniſcholæ detentus ea de cauſa, quia cum Ioanne Carreſſij Baccalaureo in Legibus, Diœceſis Ruthenenſis pro Cardinali titulo ſancti Stephani in Cœlio monte ſe gerente, contra ipſum Aegidium voluiſſet procedere ad nouam electionem alterius tertij Papæ, ac propterea propoſuiſſe nouum Schiſma ſuſcitare. Is etiam à Martino III. alias V. ſemel iterumque excommunicatus, anathematizatus, atque omnibus honoribus priuatus, miſerè perijt, vt ſcribit Ciaconius, in carcere. Sunt tamen alij, qui referunt, ante obitum ad ſaniorem mentem redijſſe, & in manibus Petri Fuxij Cardinalis Apoſtolicæ ſedis Legati die 24. Auguſti anno 1429. veram obedientiam, ſubiectionem, & debitam reuerentiam Martino Romano Pontifici iuraſſe, & præſtitiſſe, ac libere renunciaſſe honori, & titulo Cardinalatus olim à Benedicto accepto. Hæc omnia reſcripſit Bzouius in tomo 15. Annalium Eccleſiaſticorum ex m. s. Codice de legatione Petri Fuxij Cardinalis in Vaticano ſeruato. Alij volunt, hunc Pſeudocardinalibus aſcriptum fuiſſe à Clemente VIII. Antipapa.

XVIII.

Ciaconius Index Rerum ab Arragoniæ Regibus geſtarum.

Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciaconiū.

Baltaſſar Porregnus in elogijs Card. Hiſpanorum.

Felix Cōtelor. in ſuo Elencho.



CAROLVS de Vrries Hiſpanus ex Arragoniæ Regno, inter Pſeudocardinales Benedicti XIII. titulo ſancti Georgij in Velabro relatus eſt, ex aliquibus anno 1406. ſeu verius anno 1408. vel 1409. Poſt Cōſtantienſe Concilium ad Martinum III. aliàs V. confugit, à quo die prima Auguſti anno 1418. benigniſſimè acceptus, & confirmatus in Cardinalatu, die 17. Martij anni ſequentis Florentiam peruenit. Deceſſit Romæ in Regione Transtyberina viij. Idus Octobris anno noſtræ ſal. 1420.

XIX.

Ciaconius

Baltaſſar Porregnus in elogijs Card. Hiſpanorum.

Caſ. Raſpon. de Baſil. Lateranen.

Henricus Spondan' in Annal. Eccleſiaſt.

Aubery in vita.

Felix Cōtelorius in Elencho.



ALPHONSVS Carillius nobilis Hiſpanus, patria Concanus (Conca Hiſpaniæ Vrbs eſt in Aſturia) filius Gomeri Cubicularij Ioannis II. Regis Caſtellæ, & Vrracæ Gometiæ de Albornoꝛijs, à Benedicto XIII. Diaconus Cardinalis S. Euſtachij renunciatus, à Benedicto deſecit, & Martino III. alias V. Romano Pontifici adhæſit, a quo non modò Cardinalatus cōfirmationem, ſed etiam Lateranenſem Archipresbyteratum, & Bononiæ legationem obtinuit. Poſt illam legationem Gubernator, ſeu Rector, aut Vicarius tum in Spiritualibus, tum in Temporalibus Auenionenſis Ciuitatis, & Comitatus Venaiſini conſtitutus eſt, cum Petrus Cardinalis de Fuxo Epiſcopus Albanenſis, quem Auenionenſi Ciuitati Vicarium dederat Eugenius IV. ob certas vrgentes rationes non admitteretur à Synodo Baſileenſi. Obijt Baſileæ, ad quam Vrbem acceſſerat, vt intereſſet Concilio, die 14. Martij anno 1434. Multum auri, argentique reliquit, inter Epiſcopos pauperes, qui ad Concilium Baſileenſe venerant, diſtribuendum. Imperator, & Præſules omnes, qui Concilio aderant, illi parentarunt, Rex Caſtellæ audita Alphonſi Cardinalis morte, tunica pulla, ac lugubri veſte vnà cum filio, & Regina, ſtipatus Regni Proceribus ad Templum acceſſit, vt publicas in illo preces Deo optimo maximo pro tanto viro funderet. Corpus ex eadem Vrbe Romam primò, inde in Hiſpanias tranſlatum, & ſepultum in Eccleſia principe Oxomenſi, cuius Eccleſiæ Romanorum Pontificum iuſſu adminiſtrator extiterat. Romæ in Eccleſia SS. Quatuor Coronatis ſacra, quam reſtaurauit, hæc extat de noſtro Cardinali memoria.

Hæc quæcunque vides veteri proſtrata ruina
Obruta verbenis hederis, dumiſque iacebant,
Non tulit Hiſpanus CARRILLO ALPHONSVS honore
Cardineo fulgens, ſed opus licet occupat ingens
Sic animus magno reparat palatia ſumptu
Dum ſedet extincto Martinus Schiſmate Quintus.

XX.

Ciaconius

Henricus Spondan' in Annal. Eccleſiaſt.

Aubery in vita.

Felix Cōtel. in Elench. Card.

Baltaſſar Porregnus in elogijs Card. Hiſpanorum.

Franc. Maria Turrig. de Cryptis Vaticanis.



PETRVS Fonſeca Luſitanus à Benedicto XIII. Diaconus Cardinalis S. Angeli in Foro Piſcium renunciatus, vulgo dictus Cardinalis S. Angeli ſenior, poſt Concilium Conſtantienſe Martini III. alias V. Romani Pōtificis partes ſecutus eſt, à quo poſt confirmationem in Cardinalatu legatus primò eſt in Hiſpaniam anno 1420. deinde Neapolim ad Alphonſum Regem, inde Conſtantinopolim ad Manuelem Imperatorem pro vnione Eccleſiæ. Deceſſit in Vico Varronis Tiburtinæ Diœceſis die 20. ſeu 21. Auguſti anno 1422. & ſepultus Romæ in Vaticana Baſilica in Sacello S. Thomæ Apoſtoli marmoreo eleganti ſepulchro, cum hoc Epitaphio.

Ortus in Hiſpanis Præſul digniſſimus oris
FONSECA de prole PETRVS, lux, gloria, magni
Sanguinis, & patriæ ſuper exaltator honoris,
Hic iacet, a ſacro titulum Michaele recepit
Cardineum, cuius ſapientia claruit, altas
In laude ſenſatis animi, mirabilis iſte
Doctor erat, diuina colens, & amator honeſti,
Mente pius, recti prudens moderator, & æqui;
Venit amara dies, quæ dira ſyncopa mortis
Heu patrem hunc rapuit, Domini labentibus annis
Mille quadringentis bis denis, atque duobus.
Dum vigena dies Auguſti panderet, aſtra
Spiritus in cœlo tecum, ſacer Angele viuat.

XXI.



IORDANVS Hiſpanus, Diaconis Cardinalibus à Benedicto aſcriptus, poſt Concilium Conſtantienſe Martino III. ſeu V. Romano Pontifici adhæſit. A pleriſque tamen reijcitur à numero Cardinalium Benedicti, qui quinque tantum ſupra recenſitos anno 1408. ſeu 1409. creauit Cardinales: Ciaconius plures numerat, fides ſit penes ipſum.

XXII.



ANTONIVS Veneris, ſeu Venerız, nobilis Hiſpanus ex Epiſcopo Legionenſi renunciatus eſt, teſte Ciaconio à Benedicto XIII. Pſeudopontifice Presbyter Cardinalis, quia tamen ſine auctore hæc narrat, pro vera illius opinio recepta minimè eſt.

XXIII.



FR. CHRISTOPHORVS, aliàs Rodulphus Anierius Hiſpanus, ordinis B. Mariæ de Mercede redemptionis Captiuorum recenſetur inter Presbyteros Cardinales Benedicti Duodecimi, ſeu XIII. titulo S. Crucis in Hieruſalem a Fr. Didaco Morillo ordinis Minorum in Hiſtoria Cappellæ Virginis Mariæ de Pilar. Qui inſuper addit poſt Concilium Cōſtantienſe relicto Benedicto XIII. Martino V. Romano Pontifici adhæſiſſe; cum tamen hæc ſine auctore narret, fides tota penes ipſum ſolum manet.

XXIV.

Bern. Vargas in chrō. ord. B. Mar. de Mercede.

Steph. corbera in vita Mar. de Socos.

Iac. Io Viues in Viridario Merced.

Fr. Melch. Rodriqu. de Torr. Epiſc Roſſan. in l. 6. Agricult. Animæ

ALios euſdem familiæ Religioſos viros, videlicet Fr. Ioannem Virinum, Fr. Arnaldum Laurentium; Fr. Bartholomæum Celtorem, & Fr. Bernardum de Riera Hiſpanos à Benedicto XIII. ornatos purpura ſcribunt ſcriptores in margine laudati. Quorum tres in Concilio Conſtantienſi purpuram ſponte depoſuiſſe volunt, & primum Fr. ſcilicet Ioannem Virinum in Cardinalitia dignitate confirmatum pro Martino Romano Pontifice ſteriſſe, vſque ad obitum: fides penes laudatos ſcriptores ſit.

XXV.



Per Priab. in Gallia Purpurat.

IOANNES de Arminiaco natione Gallus, inter Presbyteros Cardinales Benedicti recenſetur a Ciaconio, & Archiepiſcopus Rothomagenſis dicitur: Sed malè, nam in Catalogis Archiepiſcoporum Rothomagenſium, apud Robertum, & apud Ioannem Dadræum in Chronologica hiſtoria huiuſce ſedis Archiepiſcoporum nomen eius non reperitur. Reperitur tamen in Nomenclatura Antiſtitum Caſtrenſium eui ſucceſſit Raymundus Mayroſius Cardinalis Martini III. aliàs V. Hic Benedictum nunquam dimiſit, apud quem mortuus eſt, incertum tamen quo loco, & tempore: hunc eundem credit Felix Contelorius cum Ioanne Carrerio familiari Comitis Armeniaci, de quo nos mox agemus.

XXVI.



Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

IOANNES Carrerius Gallus, Diœceſis Ruthenenſis, Baccalaureus in legibus, Archidiaconus S. Andreæ in Eccleſia Ruthenenſi, familiaris Comitis Armeniaci, Presbyter Cardinalis titulo S. Stephani in Cœlio monte à Benedicto anno 1408. vel 1409. ſeu melius menſe Septemb. anni 1424. renũciatus eſt. De quo in Codice Vaticano mm.s. de legatione Petri Fuxij Cardinalis habetur, quòd ab Aegidio Mugnotio in ſua obediẽtia Clemente VIII. nuncupato, Paniſcolæ cũ F. Dominico de Bonalpe Pſeudocardinale in carcere detentus fuerit, quaſi contra ipſum ſtuderet procedere ad electionem alterius tertij Papæ. Fortè obijt in carcere, cum in Actis Cardinalis de Fuxo de eo nulla deinceps mentio habeatur, nec legatur abdicaſſe, ſicut ceteri Pſeudocardinales ſpontè, vel coactè fecerunt. Hunc non diſtinguit F. Contelorius à Io: de Arminiaco, vt diximus ſupra.

XXVII.



RAYMVNDVM de Anignone Abbatem Montiſarragonum, Epiſcopum Illerdenſem Cardinalibus adſcriptum fuiſſe à Benedicto XIII. affirmat Martinus Carillus in hiſtoria ſancti Valerij, & addit fuiſſe ſepultum in Eccleſia ſancti Dominici in Ciuitate Auenionenſi: fides ſit penes ipſum auctorem.

VICECANCELLARII S. R. E.
ſub Benedicto XII. aliàs XIII. Antipapa.

Ioannes de Broniaco, Gallus, Presbyter Cardinalis S. Anaſtaſiæ, deinde Epiſcopus Oſtienſis, & Veliternus, S. R. E. Vicecancellarius, ſub Benedicto XIII. ab anno primo, vſque ad xv. quo ad Concilium Piſanum eo relicto cum reliquis Cardinalibus acceſſit.

Ab anno xv. vſque ad finem nullum legimus habuiſſe Vicecancellarium, errauit enim ferè ſemper, ac tanquam exul habitus eſt.

CARDINALES MORTVI
ſub eodem Antipapa.

Iacobus de Arragonia, Hiſpanus, Presbyter Cardinalis obijt iij. Kalen. Iulij, anno 1396.

Thomas Amanatus Piſtorienſis, Presbyter Cardinalis S. Praxedis, die 6. Decembris, anno 1396.

Mag. Fr. Ioannes de Nouocaſtro, Gallus, ordinis Prædicatorum, Presbyter Cardinalis SS. Quatuor Coronatorum, deinde Epiſcopus Oſtienſis jv. nonas Octobris, anno 1398.

Amelinus de Lautruo, ſeu Lautrec, Presbyter Cardinalis ſancti Euſebij 7. Idus Iunij, anno 1399. ex alijs tamen anno 1390.

Ioannes de Rupecauardi, Gallus, Epiſc. Card. Oſtienſis an. 1402.

Ianfridus, ſeu Gaufridus Ronyl, vel Boilly, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Aquiro, anno 1402. ſeu 1403.

Martinus Salua Hiſpanus, Presbyter Cardinalis ſancti Laurentij in Lucina vj. Kalen. Nouembris, anno 1403.

Bonifacius Amanatus Piſtorienſis, Diaconus Cardinalis S. Hadriani circa annum 1403.

Mag. Fr. Leonardus de Rubeis Italus, ordinis Minorum, Presbyter Cardinalis ſanctorum Sylueſtri, & Martini in montibus, poſtea Epiſcopus Oſtienſis, jv. nonas Maij, anno 1404.

Ioannes de Placentinis, Gallus, Presbyter Cardinalis ſancti Cyriaci, die 9. Maij, anno eodem 1404.

Bertrandus de Chanaco, Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Pudentianæ, deinde Epiſcopus Sabinenſis xij. Kal. Iunij, anno 1404.

Petrus Serra, Hiſpanus, Diac. Card. die 8. Octobris, anno 1404.

Ferdinandus de Calnielio, Hiſpanus, Presbyter Cardinalis ſanctorum Duodecim Apoſtolorum, poſt annum 1404.

Michaël Salua, Hiſpanus, Diaconus Cardinalis ſancti Georgij in Velabro, die 16. Auguſti, anno 1406.

Guillelmus de Vergy, Gallus, Presb. Card. S. Cæciliæ, anno 1407.

Berengarius Angleſola, Hiſpanus, Presbyter Cardinalis ſancti Clementis, deinde Epiſcopus Portuenſis, anno 1408.

Nicolaus Brancacius Neapolitanus, Presbyter Cardinalis primò S. Marci, deinde Epiſcopus Albanenſis, die 29. Iunij anno 1412.

Petrus de Tureyo, Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Suſannæ, menſe Septembri, anno 1412. ſeu ex alijs, poſt annum 1417.

Amedeus de Marchionibus Salluciarum, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ Nouæ, jv. Kalen. Iulij, anno 1419.

Martinus Luſitanus, Presbyter Cardinalis.
Gualterius Anglus, Presbyter Cardinalis.
Ioannes de Minolijs, ſeu Morellijs, Gallus, Presbyter Cardinalis S. Vitalis.
Ioannes Flandrini, Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctorum Ioannis, & Pauli, poſtea Epiſcopus Sabinenſis.
} Sub Benedicto XII. aliàs XIII. incertum quo anno, vel menſe.

SCHISMA XXXVIII.

IN ECCLESIA ROMANA

CLEMENS VIII. PSEVDOPONTIFEX.



Abd. Victorel. in Addition. ad Ciacon.

Henricus Spondan. in Annal. Eccleſiaſt.

Clementis VIII Pſeudopontificis electio.

ANTE diem obitus Benedicti XII. aliàs XIII. Aegidius Sanctij Munionis, aliàs Mugnotius, natione Hiſpanus, Prouinciæ Arragoniæ, Diœceſis Cæſaraugustanæ, Vrbe Terculi, ſeu de Serrania, ex Canonico Eccleſiæ Barcinonenſis in Schiſmate contra Martinum III. aliàs V. Romanum Pontificem, à duobus, vel tribus Pſeudocardinalibus Peniſcholæ, oppido Regni Valentiæ munitiſſimo, menſe Septembri, anno 1424. ſtudio Regis Arragonum Martino Romano Pontifici infenſi, renunciatus Pſeudopontifex, dictus eſt Clemens VIII. & coronationis inſignia ſuſcepit, die 18. Maij, anni ſequentis 1425. in eodem oppido Paniſcholæ. Ille enim oblatam dignitatem aduerſus Orbis Chriſtiani conſenſum ſuſcipere recuſans ab Alphonſo ad eam excipiendam confirmatus dicitur. Alphonſus Rex Martinum ſummum Pontificem ad Andegauenſes propenſum, & ab Arragonijs auerſum, quia Andegauenſem Ludouicum Regem Neapolitanum, & Romanæ Eccleſiæ beneficiarium nominauerat, exiſtimabat. Sed annis aliquot poſt cum idem Alphonſus Rex Arragonum in gratiam cum Martino Romano Pontifice rediſſet coactus, vt ſcribunt aliqui, ſeu ex alijs ſpontè die 26. Iulij S. Annæ ſacro anno 1429. Antipontificatui ſuo quarto abdicauit. Pontificalibus enim indutus inſignibus, ſedens in medio ſuorum Cardinalium, & Miniſtrorum Curiæ, & coram Petro de Fuxo Cardinale, S. R. E. Legato teſtatus, ſe ad hoc potiſſimum ſuſcepiſſe Pontificatum, vt per ipſum fieret vnio Eccleſiæ, & extirparetur omne Schiſma, publicè verbo, & ſcripto renunciauit liberè, & voluntariè omni eiuſmodi iuri, ac de ſede Papali deſcendens, depoſitis veſtibus, priuatam ac propriam Doctoralem ſumpſit; atque Martino in perſona ipſius Legati ſe ſubmiſit. Hic paulò poſt ex

Abd. Victorel. in Add. ad Ciacon.

Io. Mariana in Hiſt. Hiſpan.

Ciaconius

Codex m. s. Vaticanus.

Abdicatio Pſeudopontificis.

Aegidius Mugnotius Epiſcopus Maioricẽſis. Schiſma in Romana Eccleſia ſublatum. Creat Cardinales.

Apoſtolicæ ſedis auctoritate, & gratia Epiſcopus Maioricenſis ordinatus eſt; ſicque ingens, & diuturnum Schiſma, quòd in Eccleſia Romana per annos duos ſupra quinquaginta durauerat, totumque fermè Orbem Chriſtianum afflixerat, omninò ſublatum eſt, ac ſolus Martinus verus, & legitimus Pontifex remanſit.

Ante tamen Pontificatus ſui abdicationem nonnullos varijs temporibus, ſeu eadem die, qua Pontificatu deijciendus erat, Pſeudocardinales nominauit. Quinque ex m. s. eoque graui Archiuij molis Hadriani monumento à Ioanne Baptiſta Confalonerio, viro pio prudentique, illius Cuſtode, exſcripto recenſuit Andreas Victorellus in Additionibus ad Ciaconium; videlicet:

Iulianum de Loba.

Franciſcum Rouera.

Aegidium Sanctium Mugnotium iuniorem.

Eximinum, aliàs Maximinum Dahæ.

Dominicum de Bonafide, ſeu de Bonaſpe Carthuſianum.

Horum tres, licet recenſeantur in actis dictæ legationis Cardinalis de Fuxo, non tamen vti à Clemente, ſed vti à Benedicto XIII. creati recenſentur: quare nos cum de illis ſupra egerimus, illorum nomina modò deleuimus.

CREATIO VNICA PSEVDOCARDINALIVM Clementis VIII. Pſeudopontificis.

I.

And. Victor. in Addit. ad Ciaconium.

FRANCSSCVS Rouera Hiſpanus, Decretorum Doctor, Promotor negociorum Regiæ Curiæ Arragoniæ, ex Canonico Maioricenſi, conſentiente Petro Cardinali de Fuxo ſedis Apoſtolicæ in Hiſpania Legato, Presbyteri Cardinalis titulo S. Clementis dignitatem à Clemente VIII. Pſeudopontifice eadem die, qua Pontificatu deijciendus erat, die ſcilicet 26. Iulij, anno 1429. initium ſuſcepit; eademque die Cardinalatus titulum, atque honorem liberè in manibus Cardinalis Fuxij Legati reſignauit. Huius vnius diei Pſeudocardinalis hiſtoriam, & cauſam, cum coactus dignitatem receperit, Codex Vaticanus his verbis narrat. *Franciſcus Rouera Decretorum Doctor creatus illa die actus Cardinalis per præfatum Aegidium ad titulum S. Clementis, procurantibus, & ad hoc Roueram inducentibus præfatis Ambaſſiatoribus videntibus Dominum Aegidium diſpoſitum non velle renunciare, niſi ille Rouera reciperet Capellum ab eo, dicens quod volebat eſſe Cardinalem ipſum Roueram, ad hoc vt intereſſet cum alijs Cardinalibus ibi præſentibus, & illos dirigeret in promotione Romani Pontificis ſecutura taliter, quòd amplius non eſſet Schiſma. Quem Capellum idem Rouera, ne facta Eccleſiæ impedirentur, licet per antea fuiſſet, & pro tunc eſſet de vera obedientia Domini Noſtri Martini Papa V. tamen pro tanto bono nullatenus impediendo infeſtatus recepit licet renuens, & inuitus.*

Felix Côtelor in Elencho. Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciaconiũ. Aubery in vita.

II.

AEGIDIVS Sanctius Mugnotius iunior, natione Hiſpanus, nepos Clementis VIII. Pſeudopontificis, Baccalaureus in Decretis, Præcentor, & Canonicus Eccleſiæ Gerundenſis, ab ipſo Clemente renunciatus Diaconus Cardinalis S. Mariç in Coſmedin, poſt abdicationem Pontificatus factam à Clemente, die ſcilicet 16. Auguſti, anni 1429. coram Petro Fuxio Cardinali, & Apoſtolicæ ſedis ad partes Arragoniæ pro Schiſmate tollendo, Schiſma eiurauit, veramque obedientiam, fidelitatem, & ſubiectionem Martino III. aliàs V. Pontifici, in manibus eiuſdem Cardinalis Legati præſtitit, atque Cardinalatus dignitatẽ, ac titulum ſpôtè, & liberè reſignauit.

Andr. Victorell. in Addit. ad Ciaconiũ. Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciaconiũ. Felix Côtelorius in Elencho. Aubery in vita.

GREGORIVS XII. PONT. CCVII.

ANNO DOMINI MCCCCVI.





IN NOMINE DEI, ET SALVATORIS Noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen.

GREGOrij Electio qualis.

PERNSCSOSO Schiſmate in Dei Eccleſia inualeſcente, Innocentio VII. ea lege iureiurando firmata *, 13. Cardinalium ſuffragijs, Romæ in palatio Vaticano pridie Kalen. Decembris *, anno 1406. ſuffectus eſt GREGORIVS Duodecimus, vt primo quoque tempore Pontificatu abdicaret, ſi idem Benedictus XIII. quemadmodum ſe facturum *, iurauerat, præſtitiſſet: ita vt magis procurator ad deponendum Pontificatum, quàm Pontifex factus exiſtimaretur. Natus is erat Venetijs ex gente patritia Corariа, Angelus Corarius ante Pontificatum vocatus. Qui ab ineunte adoleſcentia pietatis ſtudijs deditus eximius ſacræ Theologiæ Magiſter euaſerat: eum Bonifacius IX. ex Epiſcopo Caſtellano, Patriarcham Conſtantinopolitanum titulo tenus, cum Chalcidenſis ſacerdotij in Græcia commendatione, creauit. Ab Innocentio Septimo, cuius ante Pontificatum familiariſſimus fuit, Referẽdarius aſſiſtens, Piceni Præfectus, & abſens Presbyter Cardinalis titulo S. Marci, eadem Picena legatione prorogata deſignatur. Romam veniens, ita vitæ integritate *, doctrina, & morum maieſtate emicuit, vt Innocentio mortuo octuagenario maior, is potiſſimum delectus ex omni Cardinalium Collegio ſit, qui teterrimo Schiſmate ſublato, pacem Eccleſiæ reſtitueret, Pontificatus, quẽ ad id ſuſceperat, abdicatione.

EIVSDEM præmonitio.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1406. menſis Decembris, Gregorius XII. in Baſilica Vaticana S. Petri ſuæ coronationis inſignia ſuſcepit, per manus Ludouici de Fliſco S. Hadriani Diaconi Cardinalis, S.R.E. Archidiaconi, præſentibus Cardinalibus, Epiſcopis, Clero, & populo Romano; Sedit autem in Schiſmate contra Benedictum XII. dictum XIII. annos duos, menſes ſex, & dies ſex; & contra eundem Benedictum, Alexandrum V. & eius ſucceſſorem Ioannem XXII. dictum XXIII. annos ſex, & menſem vnum. Imperatoribus Cæſaribus Vvenceſlao, Ruperto, & Sigiſmundo Auguſtis.

CORONATIO Papæ Gregorij XII.

CARDI-

CARDINALES EPISCOPI III.

VRBANI PAPAE VI.

1. Angelus Acciaiolus Florentinus, Epiſc. Card. Oſtienſis, & Veliternus, Decanus, & S.R.E. Vicecancellarius.

BONIFACII PAPAE IX.

2. Henricus Minutulus Neapolitanus, Epiſc. Card. Tuſculanus.
3. Antonius Caietanus Romanus, Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus, S.R.E. Maior Pœnitentiarius.

PRESBYTERI CARDINALES IX.

VRBANI PAPAE VI.

4. *. Valentinus Hungarus, Presbyter Cardinalis S. Sabinæ, Prior Presbyterorum, abſens in Hungaria.
5. Fr. Angelus de Anna Neapolitanus, Presbyter Cardinalis S. Pudentianæ tit. Paſtoris ordinis Camaldulenſis.

INNOCENTII PAPAE VII.

6. Conradus Caracciolus Neapolitanus, Presbyter Cardinalis titulo S. Chryſogoni, S.R.E. Camerarius.
7. Angelus Corarius Venetus, Presb. Card. titulo S. Marci.
8. * Franciſcus Hugoccionius Vrbinas, Presbyter Cardinalis titulo SS. Quattuor Coronatorum, abſens in Aquitania.
9. Iordanus Vrſinus, Romanus, Presbyter Cardinalis SS. Sylueſtri, & Martini in montibus, titulo Equitij.
10. Ioannes Melioratus Sulmonenſis, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Crucis in Hieruſalem.
11. * Fr. Petrus Philargi Cretenſis, Græcus, Archiepiſcopus Mediolanenſis, ordinis Minorum, Presb. Card. Baſilicæ SS. duodecim Apoſtolorum, abſens in Lombardia.
12. Antonius Caluus Romanus, Presb. Card. tit. ſanctæ Praxedis.

DIACONI CARDINALES VII.

VRBANI PAPAE VI.

13. Raynaldus Brancacius Neapolitanus, Diac. Card. SS. Viti, & [illegible] deſti in macello Martyrum.
14. Ludouicus de Fliſco Genuenſis, Diaconus Cardinalis ſancti Hadriani, S.R.E. Archidiaconus.
15. Landulphus Marramaurus Neapolitanus, Diac. Cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano, Barenſis dictus.

BONIFACII PAPAE IX.

16. Balthaſſar Coſſa Neapolitanus, Diaconus Cardinalis ſancti Euſtachij, abſens Legatus Bononiæ.

INNOCENTII PAPAE VII.

17. Otho Columna Romanus, Diac. Card. S. Georgij in Velabro.
18. Petrus Stephaneſcus, Romanus, Diaconus Card. S. Angeli.
19. Ioannes Aegidij, Gallus, Diac. Card. SS. Coſmæ, & Damiani.

* Quæ ante Pontificatum promiſerat Gregorius XII. Pontifex, ſcripto adhibito *, & Notarijs confirmauit, ſedit autem in Pontificatu annos 8. menſes 7. diebus 5.

LADISlaus neap. Rex Romã venit. * *Anno Domini 1408. die 25. Aprilis*, Ladiſlaus * Rex Neapolis per portam ſancti Ioannis Lateranenſis Romam ingreſſus, in Cœnobio ſancti Chryſogoni in Regione Tranſtyberina exceptus eſt, Romanis charus, omnes eius Magiſtratus creabat, portas, & muros Vrbis refecit.

Haud longè poſt Gregorius imperij dulcedine allectus, & à propinquis deprauatus, à quibus inanes formidines, & adumbrata pericula eius auribus inſtillata fuerant, optimam voluntatem mutauit *, atque in his, quæ ad pacem Eccleſiæ afferendam pertinebant difficilem ſe, & moroſum præbuit. Cum verò de loco deligendo, quo ſine diſcrimine Benedictus XIII. & ipſe de Pontificatu contendentes, conuenirent, mentio haberetur, Gregorius Vrbe exiens, Senas primùm, mox Lucam acceſſit. Benedictus Sauonam, qui locus ſtatutus conuentui erat, aduenit. Cæterum cum de re inter eos non conueniret ab vtroque Cardinalium cœtu, vt colluſores, & periuri deſeruntur. *GREGOrius, & Bened. Pōtificatibus priuãtur.* * Qui Piſis generali Concilio, indicto, vnũ conſenſu Gregorium, & Benedictum, nonis Iunij anno 1409. dignitate pontificia priuarunt, conſentientibus in eandem ſententiam omnibus ferè Chriſtianis nationibus. Erat is annus Pontificatus Gregorij XII. ſecundus, ſupra menſem, & diem 6. cum duabus electionibus menſibus Iunio, & Septembri habitis 14. Cardinales creaſſet, Epiſcopum ſcilicet vnum, Presbyteros decem, & Diaconos tres Concilij Piſani decretis non paruit, ſed aliud in ea Carnorum Vrbe ipſe conuocauit, quæ Ciuitas Auſtriæ aliquando dicta eſt, poſtea veterem appellationem Fori Iulij reſumpſit, quam etiam num retinet, ſuumque toti prouinciæ nomen communicauit. Quò Luca diſcedens, Senis, Ariminòque pertranſiens acceſſit; inde diſcedens Caietam ſub Ladiſlai Regis tutela acceſſit. Quo mortuo, Ioannes XXIII. qui Alexandro V. in Concilio Piſano creato ſucceſſerat, Ariminum, quo quietiùs viueret, & tutiùs, aufugit. Qui verò Piſis erant Cardinales, cæterique Proceres, & Legati omnes, aduerſus ambos Pontifices, pro ſanctæ Eccleſiæ vnione cantabant.

Piſis itaque pro Concilio congregando conuenientes, vt Concilium aduerſus Pontificem celebrarent, Gregorius, Hæreticos, & Schiſmaticos, & ſanctæ Eccleſię inimicos omni Eccleſiaſtica dignitate priuauit, & ita ſcribendum Chriſtianis Principibus, & populo cenſuit: congregationem illam, non Concilium, ſed Conciliabulum appellauit: nullius enim Pontificum auctoritate conſtabat; deinde vt plurimos in ſententiam ſuam traduceret, nouos alios Cardinales creauit, bonos quidem, ac ſeniores viros, ſed, Deo aliter diſponente, minimum ea res roboris, vel momenti, Gregorio, aut fidei attulit: ſcribentibus enim Cardinalibus, qui Piſis erant, aduerſus Pontifices, plus fidei apud homines obtinebant. Tandem in Gregorium Duodecimum, & Benedictum XIII. tanquam in Hęreticos, & Schiſmaticos ſententiam protulerunt: deinde xvii Kalend. Iulij, anno 1409. pro nouo Eligendo Pontifice in Archiepiſcopatu incluſi, tandem verum, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Pontificem Petrum Cretenſem Magiſtrum in Theologia, Mediolanenſem Archiepiſcopum, Presbyterum Cardinalem SS. Duodecim Apoſtolorum, ordinis Minorum, præcipuum, & ſingularem virum, ingenti omnium lætitia elegerunt, cui ALEXANDRI V. nomen impoſitum eſt. *ALEXANder V. Pōtifex eligitur.*

His itaque geſtis, plurimæ Regum, & Principum legationes Venetijs conuenerunt, & cum alteræ quidem pro Gregorio, aliæ pro Benedicto, pluresque pro Alexandro eſſent, tandem Venetijs ita firmatum eſt, vt obedientia Alexandro præſtaretur, idèmque Florentiæ geſtum. *PRINCIpũ conuentiones de præſtanda obediẽtia Alexãdro, & nō alijs Pōtificib⁹.*

Gregorius autem audita ſuæ in Concilio Piſano depoſitionis ſententia, nouique Alexandri V. aſſumptione, ſicut & Benedictus XIII. nihili fecit ſententiam Concilij *, aſſerens, ſe eſſe verum Papam, & neminem, ſe excepto, habere auctoritatem indicendi Concilium generale; Papatus inſignia nihilominùs retinuit, vſque ad Concilium Conſtantienſe; timens tùm, & metuens, ne contra ſe procederetur, iuxta Concilij Piſani ſententiam, locis munitiſſimis, & ſecuris, apud amicos ſuos ſe continebat, modò in Regno Neapolitano apud Regem Ladiſlaum, modò apud Forum Iulij, modò apud Malateſtas Arimini Domicellos, ſicque vixit annis continuis ſex, vſque ad Concilium vniuerſale Conſtantienſe: in quo cum ſponte Pontificatu ſe abdicaſſet, Cardinalis, & Marchiæ perpetuus Legatus relictus eſt. *GREGOrius ſuę depoſitionis ſentẽtiam [illegible] facit.* *GREGOrius ſpōte Pōtificatu ſe abdicat.*

Anno Domini 1415. Gregorius Papa XII. ſpontè per procuratorem ſuum Carolum Malateſtam, Arimini Domicellum, pro bono pacis, Schiſmatéque tollendo, iv. nonas Iulij, abſens in Concilio Conſtantienſi, ob eam cauſſam congregato, Pontificatu abdicauit. * In aula enim Concilij thronus Pontificius ſtatutus, in quo ſedens Pontificali habitu eius procurator Carolus Malateſta, Pontificatum procuratorio nomine depoſuit; cũ etiã Ioannes XXII. dictus XXIII. pro eadem cauſa idem paulò ante feciſſet, ſederat autem ab electione ſua ad eam diem, annos 8. menſes 7. dies 5. Quam obrem ex Synodi decreto creatus eſt Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus, Collegijque Decanus, & Piceni perpetuus Legatus, cunctis eius actibus confirmatis, & Cardinales viuentes ab eo creati, qui pro Cardinalibus non fuerant habiti, ex eiuſdem Concilij ſententia in cæterorum Collegium aſcripti ſunt, fuerunt autem hi ſex.

Fr. Ioannes Dominici, Florentinus, ordinis Prædicatorum, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Xyſti.

D. Antonius Corarius Venetus, in ſua obedientia S.R.E. Camerarius, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ.

D. Gabriel Condulmerius Venetus, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Clementis.

Angelus Barbadicus Venetus, Presb. Card. ss. Marcellini, & Petri.

Petrus Maurocenus Venetus, Diac. Card. S. Mariæ Nouæ.

Bandellus de Bandellis Lucenſis, Presb. Card. tit. S. Balbinæ.

Angelus Corarius Venetus, Gregorius XII. appellatus, obijt Recineti * biennio poſt anno 1417. paulò ante Martini V. creationem: corpus eius in Cathedrali Recanatenſi cum hoc elogio marmoreo tumulo ſepultum eſt.

Maximus Eccleſiæ Princeps, ſummuſque Monarcha
Ordine GREGORIVS BIS SENVS clauditur arca.
Hic pro pace datus, cæleſti munere ſemper
Feruit æthereos ſuperis munere decenter,
Archiſchiſma malum, facta hac dementia Piſis,
Ipſe pius releuat, facta eſt Conſtantia tectis,
Cardinibus ſacro paſtoris conſcia ſede
Marchia ſuſcepit Recanati Flaminis æde.

OBIIT. ANNO. DOMINI. MCDXVII.

Ordo ſiue Congregatio S. Saluatoris Bononiæ *, à Stephano Senenſi, ordinis Eremitarum S. Auguſtini inſtitutus anno 1408. *

Congregatio S. Iuſtinæ, quæ poſtea Caſinenſis dicta eſt, à Ludouico Barbo Veneto inſtituta, anno 1409.

Floruerunt hoc tempore anno 1409. Viri doctrina præſtantes, Franciſcus Zabarella Patauinus, I. C. eximius, Ioannes Dominici Archiepiſcopus Raguſinus, ordinis Prædicatorum, & Petrus de Alliaco, Cameracenſis Epiſcopus, S.R.E. Cardinales, Ioannes Gerſon, & Nicolaus de Clemangis Theologi.

ADDI-

ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

¶ *Ea lege iureiurando firmata.*] In Vaticano palatio in S. Nicolai Sacello intra Conclaue confectum fuit inſtrumentum, & in eo formula adiecta, qua tunc vtendum fuit, vt Chriſtianæ Reipublicæ tranquillitati conſulerent; eam Oſtienſis Epiſcopus, & duodecim alij Cardinales (tot enim erant) ſubſcriptionibus, & iureiurando firmarunt, anno 1406. Indict. 14. fer. 3. die 23. Nouemb. refert eandem auctor Indicis rerum à Regibus Arragonum geſtarum l. 3.

Vide etiã in Marianam De Reb' Hiſp. lib.

* *13. Cardinalium.*] Ita Panuinius in Chron. & in elogio Gregorij XII. ſi Cardinales erant 13. & ex ijs vnus electus fuit, vt videtur indicare recenſitis Indicis auctor; electores xiij. non fuerunt.

* *Pridie Kalend. Decemb.*] Panuin. in Chron. Pridie Kalend. Nouemb. Platina, xj. Kalend. Decemb. eiuſdem Indicis auctor.

B * *Quemadmodum ſe facturum.*] D. Antoninus part. 3. cit. tit. 22. cap. Platina in vita, Panuinius in elogio Gregorij.

* *Vitæ integritate.*] Vide ſuperius in Innoc. VII. ad Angelum Corarium in Cardinalium Senatum ab eodem Innocentio relatum, vbi S. Antonini, Blondi, Naucleri, Leonardi Aretini, & Sanderi teſtimonia, in illius laudem, commemoraui. Relati Indicis auctor laudes Gregorij penitùs ſilentio non præterijt: dixit enim de illo, *vir inſigni doctrina, & religione venerandus, optimus & ſelectiſſimus, à Cardinalibus iudicatus.* D. Anton. loc. citato cap. 5. *virum à pueritia magna ſanctimonia, & ſapientia,* §. 1. *quaſi agnum innocentem, & ſine felle columbam,* §. 2. virum ſanctum nominat; *qui Eccleſiæ vnionem, & reformationem ſemper optauerat*; Leonardus Aretinus epiſtola ad Franciſcum Cortonenſium Principem, *virum priſca ſeueritate, & ſanctimonia reuerendum:* Hiſtoria Concilij Conſtantienſis, *virum bonum, & pium.*

T. 4. Cõc.

C * *Chalcidenſis ſacerdotij commendatione.*] *Et Chalcidenſis in Inſula Euboea Epiſcopus primùm, mox Presbyter Cardinalis.* Panuinius in elogio.

Loc. cit. * *Octuagenario maior.*] S. Antoninus ſeptuagenarium in Pontificem electum Gregorium XII. aſſeruit: annorum 80. Panuinius in Chronico, octuagenario maiorẽ in eius elogio, à ſeipſo diſſenſiẽs.

* *Scriptis adhibitis.*] *Notarijs, & teſtibus*, Platina in Gregorij XII. vita.

* *Quattuor creauit Cardinales.*] Eos recenſuit, veroſque Cardinales exiſtimauit S. Antoninus tit. 22. cit.

* *Ladislaus.*] Regem Ladiſlaum Vicarium, & perpetuum Vrbis Senatorem a Gregorio XII. creatum magno exercitu coacto Vrbem obſediſſe, anno 1408. & jx. Kalend. Maij in eam irrupiſſe, ſcribit memorati Indicis auctor, eodemque anno Gregorium, & Benedictum de congreſſu ad colloquium, in ditionum confinijs, pactos.

D * *Optimam voluntatem mutauit.*] Ex epiſtola Leonardi Aretini, Poggium ſequentis, hoc deprompſit Ciaconius: non ita S. Antoninus, à quo egregiè celebratur Gregorius; ex cuius parte ſyncerè, ex parte autem Benedicti ſimulatè de concordia actum, ſcribit Sanderus de Viſib. Eccl. Monarch. vei ſipellis, verſatilis, anguillæ more lubricus, callidiſſimuſq; Benedictus, eiuſdẽ S. Antonini teſtimonio.

Li. 7. pag. 514.

Loc. cit. * *Piſis generalis Concilij.*] S. Antoninus Conuentum illum Piſanum illegitimum Conciliabulum iudicauit: eo Schiſma non ſublatum, ſed auctum fuit: priùs enim duo de Romano Pontificatu contendebant; at, Concilio celebrato, tres in illa arena nomine Pontifices depugnabant: Cardinales religioſiſſimi, & doctiſſimi Caietanus, & Bellarminus de illo loquuntur; hic Piſanam Synodum nec approbatam, nec reprobatam videri, ait; ille firma ratione negat, conſtare, Synodum illam certam, indubitatamque extitiſſe.

T. 1. c. 8. de Cõc. tract. 2. Apol. de auct. Papæ & Concil. cap. 11.

E De Concilio Piſano nonnulla in hiſtoria Concilij Conſtantienſis, to. 4. Conciliorum editionis Romanæ anni 1612.

* *Gregorius .... nihili fecit Concilij* (Piſani) *ſententiam.*] Gregorium iuſtiſſimum titulum ſupremi Pontificatus habuiſſe, affirmat Sanderus: at S. Antoninus ſcriptum reliquit, eundem Gregorium, poſt recenſitam Piſani Concilij ſententiam, à multis Deum timentibus, & peritis verum Pontificem iudicatum; inter eos autem referendus Io: Dominici, Prædicatorum ordinis Cardinalis, doctrina, & ſanctitate clariſſimus.

L. cit. pag. 5 cit.

* *Secunda creatio.*] Hanc non improbat, S. Antoninus cap. 5. §. 1. loc. cit. Cum vnio deſperata videbatur, Gregorius alios plures Cardinales viros prudentes, probos, & pios creauit. Sauonam non acceſſit, quamuis nonnullorum perſuaſione ad id excitaretur; quia intimi animi, & timorati viri acceſſum ad eam Vrbem tutum non eſſe, dicebant. D. Ant. loc. cit. Benedictus, ſuperbiæ fuco à quibuſdam deceptus, Pontificatum dimittere noluit: Eccleſiam damnum paſſuram, ſi id ille feciſſet, dictitabant; exiſtimantes, neminem ad eam regendam tam idoneum reperiri poſſe, quin Benedictus magis idoneus eſſet. Hæc planè dæmonij meridiani tentatio, dixit Gerſon, tomo 2. referens cauſas, ob quas Cancellariæ munere ſe abdicare volebat.

Idem l. c.

F * *Gregor. ...... Pontificatu abdicauit.*] Indixerat Concilium Conſtantienſe Ioannes XXIII. ſed ab ipſo Concilio Pontificatu deinde ſpoliatus, ſe illo ipſo etiam abdicauerat; cum Gregorius pacis Eccleſiæ cupidiſſimus, vt ſemper fuerat, Io: Dominici Cardinalem Raguſinum, & Carolum Malateſtam Conſtantiam Legatos ſuos

A miſit, Concilium comprobauit, & magna omnium approbatione, ſe, per Carolum, ſummo Pontificatu abdicauit. Vide ſeſſ. 14. Concilij eiuſdem, vbi res tota exprimitur, & literæ Gregorij referuntur: de qua abdicatione, S. Antoninus. *Gregorius vir ſanctus, vtpote qui Eccleſiæ, & vnionem, & reformationem ſemper optauerat, per Carolum Malateſtam, procuratorem ad hoc ſuum, omni iuri ſuo, quod in Papatu haberet, renunciauit ſollemniter: Qua (abdicatione) recepta cum magna iucunditate, Patres nihilominus venerandum illum, & omni laude digniſſimum antiquum dierum, ex Gregorio Angelum, ad ſuum primum nomen reuerſum, Legatum inſtituerunt in Picentibus conſiſtentem.*

Vide etiã hiſt. eiuſdẽ Cõc. to. 4. Concil.

Deſiderauerat ſemper ardenti ſtudio Gregorius Eccleſiæ pacem; audi, quid ſcribat Cardinali S. Xyſti, & alijs nonnullis. *Ex eodem affectu continuato, ... ad Eccleſiæ pacem .... libenti animo prompte ſumus, vt ſemper fuimus, pro extirpatione horrendorum*

B *Schiſmatum, & integra vnione, meritò optanda, & proficienda, dimittere libere Papatum, quamuis nobis clarum ſit, tam ex titulo ſanctæ mem. Vrbani VI. Prædeceſſoris Noſtri, & canonica noſtra electione, quam etiam clariſſime ex Noſtra puritate, cum efficaci voluntate, & recta,* & paulò ante, *contra quam* (pacem Eccleſiæ) *negare non poſſumus, impios errores commiſſos circa Papatum, noſque aduerſantium aſtutijs repulſos ad pacem, & Eccleſiæ Chriſti clarum ſtatum, per viam renunciationis, & progreſſum firmiter deſiderantes, &c.* Auctor Indicis rerum geſtarum ab Arragonum Regibus, Angelũ Corarium in Bonifacij IX. Pontificatu ſummè in Eccleſiæ pace, & coniunctione, vt prodeſſet, elaboraſſe, teſtatus eſt.

Lib. 2.

* *Obijt .... Recineti.*] Non verè nonnulli dixere, Angelum Corarium, olim Gregorio XII. Arimini deceſſiſſe; decepti, quia ante abdicationem Pontificatus in ea Vrbe aliquando vixit: ibique ad Cardinalem Raguſinum, & ad Carolum Malateſtam, dum

C Conſtantienſe Concilium celebraretur, literas dedit. Vere obijt Recineti; & proximis præteritis annis, aperto tumulo, cadauer conſpectum fuit. Sanctus Antoninus ſanctitatem viri clariſſimi, & religioſiſſimi, mortem illius verbis, quibus ſancti Stephani obitus, & multorum præterea ſanctorum, deſcriptus eſt, referens, indicauit. *Qui durante Concilio, non multo poſt, obdormiuit in Dom. plenus dierũ.*

Vide Cõcil. Cõſtãt. ſeſſ. 14.

Loc. cit.

* In agnum mitiſſimum, & in columbam felle carentem Gregorium deſçuit atroci ſtilo Theodoricus Niemus, & eum ſecutus Pleſſæus. vt etiam in Vrbanum VI. & Bonifacium IX. veros Chriſti Vicarios, pepercit autem Antipapæ Benedicto; cui Eccleſiæ pacem cordi non fuiſſe, ſatis ipſe, oſtendit, cum Chriſtiani Orbis iudicio, à quo Martinus V. verus Chriſti Vicarius, & ſupremus Eccleſiæ Paſtor delectus, & agnitus eſt, iudicium ſuum (talpæ cæcitatem aquilarum in videndo acumini) nefaria audacia, prætulit. Veros Pontifices odio habuiſſe, falſos amaſſe Niemum, & Pleſſæum, tibi facilè perſuade-

D bis. Vide Gretſerum, cap. 62. Exam. Myſt. Pleſſ. & Coquæum in Antimornæo.

* *Ordo ...... S. Saluatoris Bononiæ.*] Summi Pontifices, vno excepto, cum Congregationem, S. Saluatoris Canonicorum Regularium ordinis S. Auguſtini nominant, non addunt Bononiæ; neque ipſe Gregorius XII. Conſtit. *Excitat, &c.*

T. 1. Bull.

* *Stephano Senenſi .... inſtitutus anno* 1408.] De hoc Stephano Cioni Abbas Pennottus fusè lib. 2. Hiſt. Trip. cap. 51.

E

Signum PP.



Gregorij XII.

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI
SOCIETATIS IESV.

F COMPLETIS exequijs Innocentij VII. die 18. Nouembris anni 1406. Indictione 14. die Iouis hora 24. Conclaue pro electione noui Pontificis Cardinales infraſcripti ingreſſi ſunt, vt habemus in Libro ſacri Collegij, & in Diarijs illius æui his verbis.

Cardinales qui intrant Cõclaue.

Florentinus, Angelus ſcilicet Acciarolus Florentinus, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, Decanus, & S. R. E. Cancellarius.

Neapolitanus, Henricus Minutulus, Neapolitanus, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus.

Aquileienſis, Antonius Caietanus, Domicellus Romanus, Patriarcha Aquileienſis, Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus.

Laudenſis, Angelus videlicet Summaripa Laudenſis, Presbyter Cardinalis S. Pudentianæ titulo Paſtoris.

Melitenſis, Conradus Caracciolus, Neapolitanus, Epiſcopus Melitenſis, Presbyter Cardinalis ſancti Chryſogoni.

Conſtantinopolitanus. Angelus Corarius, Venetus, Patriarcha Conſtantinopolitanus, Preſbyter Cardinalis ſancti Marci.

De Vrſinis, Iordanus Vrſinus Domicellus, Romanus, Preſbyter Cardinalis tituli ſancti Martini in montibus.

Rauennatenſis, Ioannes de Melioratis Sulmonenſis, Archiepiſcopus Rauēnatenſis, Preſbyter Cardinalis S. Crucis in Hieruſalem.

Tudertinus, Antonius Caluus, Romanus, Epiſcopus Tudertinus, Preſbyter Cardinalis ſanctæ Praxedis.

De Brancacijs, Raynaldus de Brancacijs, Neapolitanus, Diaconus Cardinalis ſancti Viti in Macello Martyrum, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Archidiaconus.

Barenſis, Landulphus Marramaurus, Neapolitanus, Barenſis Archiepiſcopus, Diaconus Card. S. Nicolai in Carcere Tulliano.

De Columna, Otho, ſeu Odo Columna, Domicellus Romanus, Diaconus Cardinalis ſancti Georgij in Velabro.

Sancti Angeli, Petrus Stephaneſcus Romanus, Diaconus Cardinalis ſancti Angeli in Foro Piſcium.

Leodienſis, Ioannes Aegidij Leodienſis, Germanus, Diaconus Cardinalis ſanctorum Coſmæ, & Damiani.

Cardinales abſentes.

Abſentes ex eodem Libro Sacri Collegij, & Diarijs tres, ex Ciaconio verò quatuor Cardinales fuerunt.

Cuſtodes Conclauis.

Conclaui, vt Cuſtodes præfuerunt N. de Molaria Protonotarius Apoſtolicus, Archiepiſcopus Piſanus, & Nicolaus de Vrſinis.

Cardinalium iuſiurandum.

Ante electionem noui Pontificis Cardinales omnes ad extinguendum Schiſma, ſacramento hoc ſe aſtrinxerunt.

In Nomine ſanctæ, & Indiuiduæ Trinitatis amen. Anno à Natiuitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti milleſimo quadringenteſimo ſexto, Indictione decimaquarta, die Martis 23. menſis Nouembris, in die S. Clementis, Apoſtolica ſede vacante per obitum Fel. Record. D. Innocentij Papæ Septimi, congregati, & ad inuicem collegialiter coadunati pro futura Electione ſummi Pontificis celebranda, infraſcripti Reuerendiſſimi in Chriſto Patres, & Domini, Domini Angelus Oſtienſis, dictus Florentinus; Henricus Tuſculanus, dictus Neapolitanus; Antonius Præneſtinus, dictus Aquilegienſis; Epiſcopi. Angelus tit. S. Pudentianæ, dictus Laudenſis; Conradus tit. S. Chryſogoni, dictus Melitenſis; Angelus titulo S. Marci, dictus Conſtantinopolitanus; Iordanus tit. S. Martini in montibus, dictus de Vrſinis; Ioannes tit. S. Crucis in Hieruſalem, dictus Rauennatenſis; Antonius tit. S. Praxedis, dictus Tudertinus; Presbyteri. Raynaldus tit. S. Viti in Macello de Brancacijs; Landulphus S. Nicolai in Carcere Tulliano, dictus Barenſis; Otho ſancti Georgij ad Velum Aureum, dictus de Columna; Petrus ſancti Angeli, dictus S. Angeli; & Ioannes SS. Coſmæ, & Damiani, dictus Leodienſis, Diaconi Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales: in communi Cappella S. Nicolai ſacri Palatij Apoſtolici Romæ apud S. Petrum intra Conclaue conſuetum, quod pro loco ad infraſcripta idoneo elegerunt, ac etiam deputauerunt in præſentia mei Stephani de Prato ſacri Collegij Clerici, & aliorum Notariorum, & Teſtium infraſcriptorum. Conſiderātes Chriſtianæ religionis infamiam, detrimenta, & graues fidelium moleſtias, ac pericula, quæ hactenus emerſerunt, & emergere veriſimiliter eſt cenſendum, niſi ſalubriori remedio, ac in tempore, diuina fauente clementia, cuius res agitur, occurratur, ex peſtifero, & damnabili Schiſmate, quod tantis, proh dolor, temporibus in ſciſſuram Chriſtianæ fidelitatis grauiſſimè perdurauit, & durat; nec piam prouiſionem aliàs pro eiuſdem Schiſmatis remotione per eos factam effectum aliquem produxiſſe, ac intendentes ad remedia fortiora, non quid iuris pro parte eorum iuſtitia ſuadet, quòd ius veriſſimum eſt, & plena veritate fulcitum, ſed quod pro integratione, & vnitate Chriſtianorum, ex malitia temporis, de facto, & finem de iure expediat, eligentes, & in ſpeculam eorum conſiderationem extollentes quanti poſſit eſſe diſcriminis, ſi dilatio in electionem ſummi futuri Pontificis fieret, temporum malignitate penſata, vniuerſaliter ſinguli, & ſingulariter vniuerſi vnanimiter, & concorditer, nemine diſcrepante ex certa ſcientia conuenerunt, vouerunt Deo, & eius Matri Virgini glorioſæ, ac ſanctis Apoſtolis Petro, & Paulo, totique Cœleſti Curiæ iurauerunt, & ad inuicem vnus alteri, & è conuerſo ſe obligando ſolemniter promiſerunt, quod ſi quis eorum aſſumptus fuerit ad apicem ſummi Apoſtolatus, pro integritate vnitatis Chriſtianorum renunciabit effectualiter iuri ſuo, & Papatui liberè, ac ſimpliciter, ſi, & quando Antipapa, qui eſt, & qui pro tempore fuerit, conſimiliter renunciabit, & cedet prætenſo iuri ſuo, & Papatui, ſiue decedat, dummodo Anticardinales effectualiter velint cum eiſdem Dominis ſacri Collegij ſic conuenire, ac concordare, quod ex hoc ſacro Collegio, & ex ipſis ſequatur iuſta canonica electio vnici ſummi Romani Pontificis, ac etiam promittentes ſe futuros, & curaturos, omni dolo, fraude, ac malitia, & interpretatione ceſſantibus, pro poſſe, quòd ſi quis ex Dominis abſentibus, vel de extra Collegium per eos aſſumatur in Papam, eandem faciet obligationem, ac quod infra menſem à die ſuæ inthronizationis numerandum, per ſuas extenſas Apoſtolicas literas Regi Romanorum, Antipapæ, & eius prætenſo Collegio, Regi Franciæ, & omnibus alijs Regibus, illuſtribus Principibus, Prælatis, Vniuerſitatibus, & Communitatibus Chriſtianis ſecundùm videre præfatorum Dominorum de Collegio præmiſſa omnia indicabit, & ea ſe offeret ſimplici-

A

rum, & paratum ad ceſſionem modo prædicto, & ad omnem aliam viam rationabilem, per quam dictum Schiſma, & vnionis ſequatur integritas in Eccleſia Chriſtianorum, & quod ſuper omnibus ſupradictis vltra præmiſſa, ſuos ſolemnes deſtinabit Oratores infra tres menſes à die inthronizationis prædicto computandos, illos, quibus de conſilio præfatorum Dominorum ſacri Collegij viſus videbitur, & ipſis Ambaſciatoribus cum effectu imponet, cum conſilio eorundem Dominorum de locis decentibus eligendis ab vtraque parte, eiſque poteſtatem plenariam dabit de loco conueniendo habili, & decenti, ac etiam promittet ſimiliter, vt præfertur, quod pendente tractatu vnionis huiuſmodi, effectualiter, & realiter ex vtraque parte non creabit, nec faciet aliquem Cardinalem, niſi cauſa coæquandi numerum ſacri Collegij cum numero prætenſi Collegij Anticardinalium præfatorum, niſi ex defectu ſteterit aduerſæ partis, quod vnionis prædictæ concluſio infra annum à fine dictorum trium

B

menſium computandum, non fuerit ſubſecuta, quo caſu eidem liceat Cardinales eligere, ac creare pro Statu ſanctæ Matris Eccleſiæ, vt ei videbitur conuenire; & hoc de non creando Cardinales, niſi modo prædicto in forma congrua inſinuabit Antipapæ, & prætenſo Collegio ſupradicto, vt ipſi ſimiliter ſic faciant. Nec non quod præmiſſa omnia, & ſingula inchoata, & inchoanda mediabit, proſequetur, & fine debito terminabit nihil de contingentibus neceſſarijs, & vtilibus quomodolibet opportunis omittendo, quantum in eo fuerit; quodque ſtatim poſt eius electionem, & ante ipſius publicationem omnia, & ſingula ſupradicta confirmabit, & approbabit authentico modo, & de nouo ſimilem promiſſionem faciet in omnibus, & per omnia coram dictis Dominis de Collegio Teſtibus, & Notarijs; & ſubſcriptionem faciet manu propria in inſtrumentis, prout ſupra de Cardinalibus continetur, & ſimiliter huiuſmodi ratificationem, approbationem, votum, & promiſſionem effectualiter faciet in primo Con-

C

ſiſtorio publico, vel generali, quod poſt Coronationem ſuam ad hoc commodo, conſueto, & congruo tempore celebrabit. Inſuper præfati Domini Cardinales vouerunt, iurauerunt, & ad inuicem promiſerunt, quod per ſuas literas infra menſem à die inthronizationis prædictæ collegialiter intimabunt de electione facta, nec non de voluntate, & promiſſione quoad vnionem proſequendam, & omnia ſupradicta omnibus prædictis Dominis, prout, & ſicut facere tenetur, qui erit electus, ac etiam inchoata mediabunt, proſequentur, & finient quantum in eis erit, nihil de contingentibus neceſſarijs, ſeu quomodolibet vtilibus omittendo, quæ omnia, & ſingula promiſerunt inter ſe ad inuicem, & viciſſim, vt ſupra attendere, obſeruare facere exequi, & effectualiter adimplere bona, pura, & ſincera fide, omni dolo, & fraude ceſſantibus, & ſic quilibet eorum iurauerunt corporaliter, manu tactis Sacroſanctis Euangelijs coram eis præſentialiter poſitis obſeruare, & adimplere, ac exequi prout ſuperius conti-

D

netur, quodque ad prædicta promiſſione, voto, & obligatione, ac iuramenti præſtatione, & eius obſeruatione, ac omnibus, & ſingulis ſupradictis nullus eorum abſolutionem petet, ſeu impetrabit per ſe, vel alios, & impetratis, aut impetrandis vtetur, & ſibi conceſſam nullatenus acceptabit, nec dicta poteſtate per ipſum alteri commiſſa faciet ſe abſolui, ſeu etiam ſecum in aliquo diſpenſari, ſed volet perpetuo dicto vinculo remanere obligatus, & nihilominus ad maiorem certitudinem, & firmitatem præmiſſorum, quilibet ex Dominis de Collegio ſupradicto teneatur ſubſcribere manu propria omnibus, & ſingulis inſtrumentis conficiendis exinde, quorum inſtrumentorum quilibet ex Dominis de Collegio vnum, vel plura habere valeat pro eius arbitrio voluntatis. Actum in Cappella prædicta præſentibus ibidem Venerabilibus, & circumſpectis viris Dominis Franciſco de Duce Cameræ Apoſtolicæ Clerico: Iacobo de Calupis, & Petro de Sacco Canonicis Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe: Ioanne

E

de Caracciolo literarum Apoſtolicarum Scriptore: Nicolao Blaſij Canonico Narnienſi, Antonello de Iurracca, Ioannello Caraczullo literarum ſacræ Pœnitentiariæ Scriptoribus: Laurentio Turabane S. Mariæ in Transtyberim; Nicolao de Leonibus SS. Coſmæ, & Damiani de Vrbe, Ioanne Prenito minoris Sanctæ crucis Leodienſis Eccleſiarum Canonicis: Andrea de Caualerijs de Sicilia; Saluccho de Ricaſolis de Florentia; Layſia de Gobacis de Marmillis de Neapoli Domicellis; Preſbytero Paulo Petri Franciſci de Roma; Materno Georgij Clerico Lemanenſis Diœceſis; Franciſco Paulucij Clerico Peruſino; Petro Surmenat Clerico Traiectenſi; & Saluato Lelli Petri Blanchi Ciue Romano, Teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter, & rogatis.

Et Ego Stephanus Gernboni de Prato literarum Apoſtolicarum Scriptor, dictique ſacri Collegij Clericus, & publicus, Apoſtolica, &

F

Imperiali auctoritate Notarius; præmiſſis omnibus, & ſingulis, dum ſic, vt præmittitur, per prædictos Reuerendiſſimos Dominos Cardinales agerentur, & fierent, vnàcum ſupradictis Teſtibus, & infraſcriptis Notarijs præſens fui, ideoque hoc præſens publicum inſtrumentum confeci, publicaui, & authenticaui, & in hanc publicam formam redegi, ſignoque, & nomine meis ſolitis, & conſuetis ſignaui, rogatus, & requiſitus in fidem, & teſtimonium omnium, & ſingulorum præmiſſorum.

Et Ego Baronius Philippi de Piſtorio literarum Apoſtolicarum Scriptor, ac Notarius, &c.

Et Ego Clemens Notarius, &c.

Et Ego

A *Et Ego Gerlacus Notarius, &c.*
Et Ego Franco Notarius, &c.
Et Ego Ioannellus Clericus Cappellæ Dom. Papæ Notarius, &c.
✠ *Et Ego Angelus Epiſcopus Oſtienſis Cardinalis Florentinus, ſicut præmittitur, voui, & promiſi, & iuraui, & in teſtimonium præmiſſorum mea propria manu ſubſcripſi.* iiſdem ferè verbis ſubſcripſerunt reliqui omnes Cardinales præſentes.

Gregorius renouat iuſiurãdũ.

Poſt electionem eadem die Gregorius renouans votum, ac iuramentum, his verbis ſe ſubſcripſit. *Ego Gregorius Duodecimus, hodie vltima die Nouembris 1406. aſſumptus in Romanum Pontificem. ſic vt præmittitur, voueo, & iuro, promitto, ac confirmo omnia ſupradicta.* Habuit deinde concionem elegantiſſimam coram Cardinalibus, ac Curialibus, & frequentiſſimo populo; cuius thema illud fuit: *Parate viam Domino*; ad vnionem in Eccleſia faciendam non minùs præſentes, quàm abſentes dictis prouocare, & excitare intendens: Virtutique à pleriſque de doctrina, religione, B pietate, ac morum probitate apprimè laudatus, niſi intergiuerſationibus derelinquendi Pontificatum, & colluſionibus cum Aduerſario contra præſtitum iuramentum, harum virtutum famam ex aliquibus commaculaſſet. Magnam initio Gregorius ſpem omnibus fecit reſtitutionis pacis Eccleſiæ: nam de vnione, hæc loquitur, vt ſi cetera deeſſent, cymbula nauigare, aut pedibus, & baculo ſe ſe iturum ad eam conficiendam aſſeueraret. Interim, ſicuti iurauerat, ſcripſit feſtinanter etiam antequam coronaretur, ad Benedictum Lunenſem, hoc titulo.

Gregorius vnionis amator.

Leonard. Aretinus in hiſtoria.

Henricus Spondan. in Annal. Eccleſiaſt.

Scribit ad Benedictũ.

GREGORIVS, &c. Petro de Luna, quem nonnullæ gentes in hoc miſerabili Schiſmate Benedictum XIII. appellant: pacis, & vnionis affectum, &c.

Illum exhortatur ad vnionem, illique offert ceſſionem, dum & is cedere vellet, & Cardinales eius concordare cum ſuis ad electionem vnius, ac promittit abſtinere pendente vnionis tractatu à creatione C nouorum Cardinalium, modò & Benedictus abſtineret; ac miſſurum ſe breui Oratores, qui cum eo de loco ad hæc inter ipſos tractanda idoneo agerent. Scripſit quoque eodem ſenſu ad Vniuerſitatem Pariſienſem, & ad Benedicti Cardinales hoc titulo.

Ad Pariſienſem Academiam ad Cardinales Benedicti, & ad alios.

GREGORIVS, &c. Vniuerſis, qui in hoc miſerabili Schiſmate Petro de Luna, qui ſe Benedictum nominat, tanquam Cardinales adhærent, pacis & vnionis conſolationem, &c.

Nec non ad omnes Reges, Principes, ac Reſpublicas; & præcipuos Prælatos, ac Proceres, & Vniuerſitates, narrans ea quæ facta eſſent, eademque promittens, & in certam vnionis ſpem erigens, atque ad eam peragendam concurrere cohortans; commendatus propterea ab omnibus in immenſum. Scripſere inſuper eadem ſententia Cardinales Gregoriani tam ad Benedictum, quam ad eius Cardinales. Nuncios deinde, vt promiſerat ad eundem Benedictum D miſit, Antonium ſcilicet, ſuum ex fratre nepotem, quem ex Methonenſi Epiſcopum creauit Bononienſem, Guilhmum Epiſcopum Tudertinum Theſaurarium ſuum, natione Normannum; & Antonium de Butrio Bononienſem, inſignem Iuris Vtriuſque Doctorem, pro determinando loco, tempore, & conditionibus congreſſus inter partes faciendi. Iis perhonorificè à Benedicto Maſſiliæ ſuſceptis, poſt longas diſceptationes demum concordatum eſt, ambos cum ſuis Collegiis conuenturos Sauonæ in ora Liguriæ ad feſtum S. Michaelis, menſe Septembris; vel ſi tunc non eſſet Gregorio copia nauium ad illuc nauigandum, res differretur ad proximum feſtum omnium Sanctorum.

Nuncios mittit ad Benedictũ.

Coranj viri ſanctiſſimi ad ſummum Apoſtolatus apicem promotio maximo ordinum gaudio Venetiis excepta fuit: Vrbis totius, & Reipublicæ ingenti lætitia, gratiæ Deo publicè ſolutæ, quòd patritio Veneto prima Diui Petri ſedes obtigiſſet. Octo è primis Senatoribus Oratores electi, qui ſummo Pontifici ſolemni pompa gratu- E latum Romam accederent, vireſque ſuas, & omnem Principatum in ſanctitatis eius, ac totius Eccleſiæ Romanæ tutelam laudatiſſimo ſuorum maiorum exemplo offerrent. Huic muneri deſtinati fuerunt Iacobus Guſſonius, Nicolaus Loredanus, Andreas Contarenus, Rogerius Maurocenus, Marcus Triuiſanus, Benedictus Capellus, Polus Zane, & Marcus Iuſtinianus Orſatus. Quibus additi ſexdecim è primoribus iuuenes ſelectiores, aliique viri nobiles, & Eccleſiaſtici primates ſumptuoſiſſimo, ac frequentiſſimo apparatu, adeo vt Annales Veneti memorent trecentos legationis equites.

Iuſtinian. in Hiſtor. Venet.

Iac. Phil. Tomaſ. in Annal. Canonic. ſecular.

Oratores Veneti ad Gregorium miſſi.

Rex Francorum vnionis Eccleſiæ percupidus nonnullos inſignes Antiſtites, & Doctores ad Gregorium, & ad Benedictum legauit: eius legationis princeps erat Simon de Cramaudo Patriarcha Alexandrinus. Hi ſicut fuerat conſtitutum, priùs Benedictum Maſſiliæ commorantem adierunt, & omni ſuaſione tentarunt ab eo ſcriptum F ceſſionis, quam ſæpe promiſerat, obtinere, ſed fruſtra. Nam variis prætextibus reſponſum differendo, clam conſtitutionem edidit, qua ſub magnis pœnis ſubtractionem fieri ipſis Nunciis, & Cardinalibus prohibebat. Patriarcha ſolus Romam ad Gregorium pergens, cum ad principium menſis Iulii anno 1407. appuliſſet, honorificè ſuſceptus, Gregorium tamen à conuentu Sauonenſi alienum reperit, quòd diceret adeo ſe pauperem eſſe, vt non haberet quo itineri, & expenſis in illo congreſſu faciendis ſufficeret, nec adeo fidere poſſe loco Sauonæ alterius imperii, & obedientiæ; quare in mutatione loci fixus perſiſtebat. Acciderunt hæc optatiſſimè Benedicto, qui

Legati Galli ad Gregorium, & ad Benedictum.

Sauonam adire refugit Gregorius, & quare.

A quò magis intellexit Gregorium loci mutationem vrgere, eò pertinaciùs ille priori ſtandum aſſerere cœpit; vt fuerit plurimorum ſuſpicio clam ita hæc pacta inter ipſos fuiſſe, vt huiuſmodi ludificationibus tempus protraheretur, atque ipſi interim Pontificatum retinerent, cum alter in alterum culpam deriuaret.

Fuit tamen aliud, quòd diutius Gregorium in Vrbe detinuit, nempe metus à Ladiſlao Rege Siciliæ, qui ardore vehementi cupiens Vrbem ipſam occupare, menſe Iunii anni 1407. cum exercitu appropinquans, Romanos exules Columnenſes, & alios ſuæ factionis Proceres immiſit, qui Vrbem noctu ingreſſi capere Gregorium poterant, niſi ſe protinus in caſtrum S. Angeli recepiſſet, & Cardinales, niſi omnes fuga ſibi conſuluiſſent, vno tantum, aut altero Gregorium in caſtrum ſecuto. Hæc Gregorii ipſius conniuentia, vel etiam tacita ſuggeſtione tentata fuiſſe à Ladiſlao multi crediderunt, eo fine, vt ſi Ladiſlaus Vrbem obtineret, mentio omnis vnitatis ob- B rueretur; alii tamen id minimè de Gregorio ſuſpicati ſunt, ſed non dubitarunt de propinquis eius, qui nihil non agebant, quò cœptos tractatus interrumperent, & Gregorii ceſſionem impedirent.

Ladiſlaus Rex Vrbẽ occupat.

Theod. à Niem.

Leonard. Aretinus

Egreſſus nihilominus eſt Gregorius tandem Vrbe die 9. Auguſti anno 1407. primò Viterbium cum tota Curia profectus; cuius Ciuitatis, & ipſius prouinciæ Rectorem Marcum Corarium nepotem deſignauit; Clerum, & Rempublicam Viterbienſem compoſuit, atque edidit nonnullas Conſtitutiones. Inde poſt aliquot dierum moram Senas peruenit ad principium Septembris, ibique manſit, vſque ad 23. diem Ianuarii anni ſequentis; vt marmorea Inſcriptio in Metropolitana Eccleſia Senenſi parieti affixa indicat; in qua eiuſdem Gregorii ſtemmata vnà cum Inſignibus duodecim Cardinalium, qui tunc ſecum aderant, viſuntur inſculpta, nempe Cardinalis Angeli Acciaioli, Henrici Minutuli, Antonii Caietani, Valentini Hungari, Angeli de Arona, Conradi Cataccioli, Franciſci Vguccio- C nii, Iordani Vrſini, Antonii Calui, Raynaldi Brancacii, Odonis Columnæ, ac Ioannis Normandi. Inſcriptio verò talis eſt.

Vrbe egreſſus, Viterbium primò, mox Senas petit.

Petr. Corretin de Ppiſc. Viterbienſis.

Ferdinand. Vghel. in Ital. ſac.

DOMINVS G. PP. XII.
INTRAT SEN. DIE III. SEPTEMB.
CVM XII. CARD. VT SCHISMA TOLLANT,
HIC MORAM TRAXITVSQVE HODIE
XXIII. IANVARII.
IPSORVM D. PP. ET CARD.
IN ISTA ECCLESIA MVLTÆ INDVLGENTIÆ
SVNT CONCESSÆ QVORVM D. PP.
ET CARD. AD PERPETVAM REI MEMORIAM
ARMA HIC SVNT POSITA
TEMPORE EGREGII VIRI DOMINI CATARINI OPERARII
D DOMINAE MAIORIS ECCLESIAE
ANN. D. MCCCCVII.

Ex altera verò parte Benedictus die 24. eiuſdem menſis Septembris Sauonam peruenit vnà cum ſuis Cardinalibus. Obtulit Gregorius ſuis Cardinalibus Senis Papatui cedere dummodo ſibi remanerent ad vitam Patriarchatus Conſtantinopolitanus, quem priùs geſſerat, aliaque nonnulla beneficia Eccleſiaſtica in ditione Veneta, nec non Eccleſia Eboracenſis, vel Oxonienſis in Anglia, quæ tunc vacare dicebantur, ac darentur tribus ſuis nepotibus Marco, Franciſco & Paulo, eorumque heredibus, & ſucceſſoribus aliquæ Terræ Eccleſiæ Romanæ. Quibus cum annuiſſent Cardinales, nihilominùs aliis adinuentis excuſationibus res effectu caruit. Sicuti & cum propoſitum fuiſſet pluribus Iuris Doctoribus, num teneretur Gregorius vi ſuorum iuramentorum, & pactorum Maſſilienſium Sauo- E nam accedere, & ipſo ſiue vera, ſiue falſa excuſatione detrectante, Cardinales eius ad idem obligarentur, atque vnionem procurare. Quamuis celeberrimi Doctores Paulus à Caſtro, Antonius de Butrio, & Matthæus de Mattaſſelanis, quorum extant ea de re conſilia, aliique plurimi aulæ Romanæ, inter quos, & ipſe Niemus, omnes aſſertiuè reſpondiſſent. Quinimo, & Cardinales teneri, ſi aliter fieri non poſſet, Concilium ad id celebrare, & alium Pontificem eligere.

Benedictus Sauonam peruenit.

Gregorius offert Papatui cedere.

Conſulit viros doctos.

Permanſit tamen Gregorius inſtigatione ſuorum propinquorum & familiarium, in ſua deliberatione non eundi Sauonam, confirmatus etiam in ea quorundam Principum ſuaſionibus, cum nihilominùs contrarium ei ſuaderetur à Cardinalibus, aliiſque Principibus, ac Ciuitatibus. Quare & ipſo die poſterioris termini conuentus Sauonæ faciendi, nempe feſto omnium Sanctorum per verbi Dei præcones publicè ibidem Senis ad populum ſe excuſari curauit, cur non F iret, quamplurimis rationibus propoſitis, quas recitat Niemus, quæ omnes ad violationem conditionum, defectum ſecuritatis, & inſidias ſibi vndequaque tenſas referuntur. Adeo quidem vt non poſſet eo ſtatu Papatui cedere, vt inde ſequeretur vnio, quin peccaret mortaliter, & animam ſuam pœnis infernalibus cruciandam perpetuò condemnaret, propter animarum pericula, atque etiam grandia corporum diſpendia, quæ inde veriſimiliter conſequi poſſent. Ne tamen penitus exiſtimaretur vnionem deſeruiſſe, propiùs accedens, principio ſequentis anni Lucam Hetruriæ Vrbem, quam tunc temporis regebat Paulus Guiniſius, ſe tranſtulit, ſicut & Benedictus ad portum Veneris.

Lucam ſe transfert.

Creat quatuor Cardinales.

Lucæ Gregorius Roſa ſacrata Paulum Guiniſium Lucæ Dominum donauit, & die 9. menſis Maij, anni 1408. cum quatuor nouos creaſſet Cardinales, videlicet duos ex ſuis nepotibus Antonium Corarium, & Gabrielem Condelmerium; Iacobum Vtinenſem, & Fr. Ioannem Dominici ordinis Prædicatorum, grauiſſima orta eſt inter Gregorium, & Cardinales ſuæ obedientiæ rixa, & cum nulla amplius ſpes de vnione ſupereſſet, Cardinales Gregorium deſerentes Piſas ſeſe receperunt, licet Gregorius ſub grauiſſimis pœnis etiam priuationis Cardinalatus prohibuiſſet, ne abſque eius licentia, vel Luca abirent, vel inter ſe conuenirent, aut cum alterius partis, vel Regis Francorum, & Vniuerſitatis Pariſienſis Oratoribus tractatus haberent.

Cardinales à Gregorio ſecedunt.

Cardinalium literæ ad diœceſes.

Cardinales Piſis iam metu liberi circulares ad Principes, & Antiſtites literas ſcripſerunt de rebus hactenus geſtis, & cauſis eorum ſeceſſionis, hortantes ad cauſam Eccleſiæ adiuuandam, appellarunt à Gregorio, & Concilium conuocarunt, tractatu prius clam habito cum Cardinalibus obedientiæ Benedicti, qui pariter eum deſerentes paulò poſt Piſas confugerunt.

Senas repetẽs Gregorius multa paſſus in itinere. Henric. Spondan. in Annal. Eccleſiaſt. Creat nouos Cardinales.

Inter hæc Gregorius Luca Senas repetens, multa incommoda in itinere paſſus, ac prodigijs in Cruce, quæ ante ipſum deferebatur, & mula, qua diuinum Sacramentum de more geſtabatur factis, atque apparitione Cometæ territus eſt. Senis vt tutiorem partem ſuam faceret, menſe Septembri nouem nouos Cardinales creauit; deinde ad auertendos fideles à Concilio Piſano, Synodum indixit celebrandam ad feſtum Pentecoſtes anni 1409. in prouincia Aquileienſi in Ciuitate Auſtriæ. Poſt creationem Alexandri V. actam in Concilio Piſano, & ſub Pontificatu Ioannis XXII. aliàs XXIII. Arimini in Italia vixit; demum ad Concilium Conſtantienſe Carolum Malateſtam Arimini Dominum, Legatum ſuum miſit pro ceſſione Pontificatus facienda. Huic multi nobiles obuiam occurrerunt vnà cum primis Gregorij Nuncijs, qui ad Concilium Conſtantienſe acceſſerant initio anni 1415. Ingreſſus eſt autem Carolus Malateſta Conſtantiæ Vrbem ſumma cum magnificentia, ac ſplendore: exhibito poſtridie Sigiſmundo Regi ſalutatoriæ venerationis officio ſignificauit, miſſum ſe à Gregorio ad dandam pacem Eccleſiæ, directumque ea de cauſa ad ipſum Regem, non ad Concilium, quòd illud Gregorius non approbaret. Quarta igitur die menſis Iulij eiuſdem anni 1415. die Iouis Carolus Malateſta Gregorij procurator in manibus Sigiſmundi Romanorum Regis, præclara prius habita oratione, purè, liberè, ac ſincerè iuri, titulo, & poſſeſſioni eidem Gregorio in Pontificatu Eccleſiæ Romanæ competenti ceſſit, ac renunciauit, quam renunciationem Concilium admiſit, & collaudauit, cantato Hymno, *Te Deum laudamus*. Carolum autem ita ceſſiſſe Platina ait, vt in ſede non aliter ſtructa, quàm ſi ipſe Gregorius affuiſſet, collocatus, perlecta renunciandi facultate ab ea ſede abierit. Habent etiam nonnulli, ſediſſe eum Pontificio habitu veluti perſonam Gregorij gerentem, ac depoſitis ſacris inſignibus Pontificatum pariter exuiſſe.

Carolus Malateſta legatus ad Concilium Conſtantienſe.

Gregorius renunciat Pontificatũ per Procuratorem.

Approbat ceſſionem factam.

Gregorius, vt Niemus ait, atque alij poſt eum meminerunt, vbi intellexit ceſſionem per Carolum factam, conuocatis ſuis Curialibus, & Cardinalibus, nec non Prælatis, & Clero, qui ſibi vt Papæ tunc temporis adhærebant, in publico Conſiſtorio ſpontè approbauit, laudauit, & confirmauit omnia Conſtantię pro ipſo per dictum Carolum geſta, eoque facto, illico depoſuit mitram, & omnia inſignia Pontificalia cum ſolemni proteſtatione nunquam ſe illa reſumpturum, imò quantum poſſet, procuraturum vnionem Eccleſiæ. Quæ ſatis ſunt contra ipſum Niemum, qui eum continuò tanquam hoſtem infenſiſſimum vnitatis inſectatus eſt; cuius nihilominus zelum ſemper S. Antoninus, multique alij prædicauerunt: & ſi quid colluſionis, vt plerique viſum fuit, cum Petro de Luna ad Pontificatum retinendum exercuit, totum illud hac voluntaria ceſſione eluiſſe exiſtimandum eſt. Quamuis non deſit Platina Pontificibus nec ipſe parcere ſciens, qui ſcribat, eum non multo poſt renunciationem mortuum eſſe dolore animi, vt ferebatur, propter ſubitam abrogationem ante conſtitutum tempus à Carolo factam, quam ipſe in longum protrahi volebat, in mora ſpem aliquam reponens.

Declaratur Epiſcopus Cardinalis.

Synodus autem poſt hæc decreuit fore eum ſemper Epiſcopum Cardinalem ſub titulo per eandem Synodum, vel futurum Romanum Pontificem declarando, quem fuiſſe Portuenſem Niemus, Tuſculanum Onuphrius ait, itaut ſecundus poſt Romanum Pontificem dignitate, & ordine haberetur. Inſuper perpetuum creauit Legatum Piceni, ſiue Marchiæ Anconitanæ, & alias largita eſt gratias, & conceſſiones, quas videre eſt in Conſtitutione ea de re edita. Mortuus eſt octogenarius, ſeu nonagenarius poſt biennium, paulò ante Martini III. aliàs V. creationem, anno ſcilicet 1417. & ſepultus in Eccleſia principe Vrbis Recineti in ſepulchro, cuius exemplar lectorum oculis exponemus in fine præſentes vitæ.

Legatus Piceni.

Obitus.

Sepulchralem Inſcriptionem Gregorio appoſitam ſupra reſcripſit Ciaconius.

Huius Pontificis ſepulchrum anno noſtræ ſalutis 1623. ob conſtructionem pulpiti muſici ab Eminentiſſimo Cardinali Roma illius Vrbis Epiſcopo cum deſtrueretur, cadauer habitu Pontificio adhuc ſarto ornatum, maxima omnium admiratione integrum fuiſſe, ex illis qui proprijs oculis illud aſpexerunt, habemus.

Tanta huius viri pietas fuit, vt S. Antoninus, dum eorum vitas proſequitur, qui ſanctitatis opinionem reliquerunt, ipſum haud dubiè, propter ſummam in aduerſis conſtantiam D. Stephano Martyri compararet.

Scripſit Gregorius epiſtolas multas, quæ extant m. ss. in Vaticano, quarum aliquot habent Theodoricus à Niem, & Binius tom. 8. Conciliorum.

Scriptores. Ludou. Iacobus à S. Carolo in Bib. Pont. Cœnob. ... nis Canonicorum Regular. S. Saluatoris Siluæ lacus.

Anno reparatæ ſalutis 1408. Gregorius Lucæ exiſtens, nonis Aprilis confirmauit Religioſum ordinem, ſeu Congregationem Canonicorum Regularium S. Saluatoris Siluę lacus prope Senas paulò ante, vt diximus ſupra à Stephano Senenſi ordinis Eremitarum S. Auguſtini inſtitutum, qui mutato habitu auctoritate Pontificis Canonicus Regularis effectus eſt. Sic autem dicta eſt hæc Congregatio ab Eccleſia S. Saluatori dicata in Silua ilicum ad lacum Ciuitati Senenſi vicina: quæ poſtea à vulgo Scopetinorum dicta eſt ab vnione Eccleſiæ S. Donati de Scopeto Florentiæ ſitæ, quam Martinus V. prædictæ S. Saluatoris vniuit. Præfiniuit his viris Religioſis habitum Gregorius, & Regulam præſcripſit, eoſque priuilegijs multis ornauit, vt videre eſt in eius Conſtitutione. Sed paulò poſt Canonicis hiſce Ilicetanis pulſis à Senenſibus idem Gregorius aliud Cœnobium S. Ambroſij prope Eugubium indulſit. Hæc Congregatio, quæ non modò ab Ambroſianis, ſed etiam à Rhenanis Canonicis reuera originem agnoſcit ſuam, viros multos vitæ integritate, & doctrina præſtantes Eccleſię Romanæ, ita vt illa inter ſacros eiuſdem Eccleſiæ præcipuos ordines numeretur à ſcriptoribus. Grati animi ergo hanc Gregorio parenti optimo Inſcriptionem primi huiuſce ordinis viri poſuere.

Ioſ. Mozzagrugn. in narrat. rerum geſtar. à Canonicis Regularibus.

Gabriel Pennot in Hiſt. Tripartit.

GREGORIO XII. CORARIO
PONTIFICI MAXIMO CVIVS AVCTORITATE
CANONICORVM ORDO DOMINI SALVATORIS
INSTITVTVS FVIT MONVMENTVM HOC
GRATI ANIMI TESTIMONIVM POSITVM EST
ANNO MCCCCVIII.

Laurent. Schrader. de monũ. Italiæ.

Pluribus agunt Maurolicus in Mari Oceano omnium Religionum, Ioſeph Mozzagrugnus in Narratione rerum geſtarum Canonicorum Regularium, Gabriel Pennottus in ſua hiſtoria tripartita, & alij quamplures. Qui huiuſce ſacri ordinis inſtitutionem ponunt ſub Gregorio XI. apertè decepti ſunt ſimilitudine nominis, vt diximus in eius vita.

Idem Pontifex Lucæ quoque Idibus Maij Conſtitutionem edidit de reformatione Monaſteriorum ordinis S. Benedicti, & Abbatem Monaſterij S. Iuſtinæ Patauienſis Ludouicum Barbum patricium Venetum, tunc præfecturam agentem Congregationis Canonicorum ſancti Georgij in Alga conſtituit; qui collapſum penè ordinem ſancti Benedicti in Italia ad antiquum Religionis decus reduxit. Vnde exorta eſt celebris Congregatio ſanctæ Iuſtinæ, aliis Caſinenſis dicta à monte Caſino, vbi maximè viget. Hoc idem Patauinum ſanctæ Iuſtinæ Cœnobium Gregorius monaſticæ vitæ formam exercitaturus tradiderat iam Oliuetanis edito Diplomate reſcripto in hiſtoria Oliuetana à Secundo Lancellotto. Confirmauit etiam Inſtitutionem Canonicorum Secularium ſancti Georgij in Alga Venetiarum, quos etiam eodem habitu, quo olim ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales vſi fuerant, mutato colore decorari voluit.

Reſtaurat ordinem Benedictinorum.

Cõfirmat canonicos ſeculares S. Georgij in Alga. Iacob. Tomaſin. in Annal. Can. Secul.

Sedente Gregorio habita ſunt Concilia nonnulla, nempe anno 1409. Piſanum, in quo ad tollendum Schiſma, depoſitis Gregorio Romano Pontifice, & Benedicto Antipapa, omnium Cardinalium vtriuſque obedientiæ conſenſu electus eſt Alexander V. huiuſce Concilij acta ex Codice m. s. in lucem prodierunt Lutetiæ Pariſiorum anno 1612.

Cõcilium Piſanum.

Alterum Concilium à Gregorio celebratum Auſtriæ Diœceſis Aquileienſis pro tollendo Schiſmate.

Auſtriacũ.

Tertium habitum eſt Conſtantiæ indictum à Ioanne XXII. aliàs XXIII. de quo infra.

Conſtantienſe.

Conuocatum etiam eſt Conciliabulum in Arragonia auctoritate Benedicti XII. vulgo XIII. Pſeudopontificis.

Conciliabulum in Arragonia.

Gregorij XII. Sepulcrum in Cathedrali Recineti Ecclesia Positum.



Ciaconius

Carol. Sigonius de Epiſc. Bononien.

Panuinius

Hēr. Spōdan.in Annalib. Eccleſiaſtic.

Iac. Phil. Tomaſ. in Annal. Canonic. Regular.



II.

ANTONIVS Corarius, ſeu Correrius, patritius Venetus, Philippi, Gregorij XII. fratris filius, Canonicus Congregationis S. Georgij in Alga, cuius fuerat auctorum vnus, Epiſcopus primò Bononiēſis, mox Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſeu Hieroſolymitanus, & Eccleſiæ Romanæ Camerarius ab ipſo Gregorio declaratur, verùm Ciuitatem Bononienſem à Gregorij obedientia auerſam nō iuuit; mox inter Presbyteros Cardinales cooptatur, titulo non S. Chryſogoni, neque S. Gregorij, vt referunt Pāuinius, Ciaconius, & alij, ſed ex Diarijs, & Diplomatibus ipſius Gregorij, S. Petri ad Vincula, alias Eudoxiæ, & Cardinalem Bononiæ ſe nominauit. Epiſcopus deinde Portuenſis, demum Oſtienſis ab Eugenio IV. renunciatus Eccleſiam Bononienſem, annua redditum parte ſibi reſeruata dimiſit. Conſtantienſi Concilio interfuit, in quo inter Purpuratos annumeratus Martini V. partes ſincerè deinceps ſecutus eſt, legationis munere pro Gregorio patruo in Gallia, & in Germania, & ſub Martino V. apud Senenſes & Peruſinos functus eſt. Eccleſiam Ciuitatis nouæ, ſeu Aemonenſem anno 1420. vſque ad annum 1421. Commendatarius rexit, deinde anno 1435. Eccleſiam Ceruienſem regendam ſuſcepit, cui paulò poſt nuncium remiſit. Abbas etiam Commendatarius fuit Abbatiæ ſancti Zenonis Veronenſis Diœceſis.

Aubery in vita.

Ferdinād. Vghel in Ital. ſacra.

Scripſit, vt Garimbertus narrat, ſui temporis Hiſtoriam, quæ ms. olim Venetijs aſſeruabatur: vitam cum morte commutauit Patauij in Cœnobio S. Ioannis ſui ordinis, ſacri Collegij Decanus, die 19. Ianuarij anno 1445. & Venetijs, vt mandauerat, ſepultus eſt apud S. Georgium in Alga cum hoc Epitaphio.

Felix Cōtel. in Elēch. Card. Romeoci. Cardinal.

And. Victorell. in Addit. ad Ciaconiū.

Sepulchrum piiſſimi Patris

DOMINI ANTONII CORARII

Beatæ memoriæ Epiſcopi Oſtienſis

Cardinalis Bononienſis

Fundatoris huius Congregationis

Qui obijt anno à Natiuitate Domini

MCCCCXLV. DIE XIX. IANVARII

Orate pro eo.

Omnium opinione ſanctiſſimè vixit, itaut arbitrentur plerique illum fuiſſe illibatæ virginitatis: vt ſenectutem ſuam tranquille duceret ad Cœnobium Patauinum S. Ioannis Baptiſtæ ſacrum ſe contulit, in quo cellula ſelecta, communi illorum Religioſorum victu contentus antiquum inſtitutum profeſſus eſt. Bibliothecam ſuam rarioribus libris eleganter conſcriptis refertam eidem Cœnobio Patauino dono dedit.

Iacobus Philippus Tomaſinus Aemoniæ Epiſcopus hæc de Antonio Corario Cardinali in ſuis Annalibus habet: *Mira eius in omnes liberalitas maximè in pauperes, & egenos colonos iis, temporibus nuperis bellis exhauſtos: nec diſpar eius in Religioſos ſtudium; binas enim Abbatias non infima ſortis Veronæ, & Patauij Benedictinis reddidit, aliaque loca, quæ ſummi Pontificis benignitate accepta ferebat, primis poſſeſſoribus reſtituit.*

Cum autem non longè abeſſe corporis ſui diſſolutionem cognouiſſet, quæ ſupererant facultates diuerſorum Religioſorum locis, & pauperibus reliquit: conuocatis autem quorundam Cœnobiorum Procuratoribus partem ſuę ſupellectilis, reſeruato ſibi calice his verbis diſtribuit. *En portionem fructuum ex veſtris locis accipite, quem diligenti cura vobis ſeruaui, gratias Deo agite, & pro me orate.* Sacra omnia ſua veſtimenta Eccleſiæ ſancti Georgij in Alga vnà cum viginti ſupra centum manuſcriptis Codicibus tempore, & magnis impenſis comparatis tradidit.

Laudatur a Blondo, & Sigonio Antonius hic Cardinalis, quem virum tanoratum, mundique contemptorem vocat S. Antoninus, & Morigia, qui libro primo Originum Religionum, Antonium hunc ordinis Geſuatarum fuiſſe, ſed malè, contendit. Nam Antonius Corarius ea Sacerdote, & Decano Eccleſiæ Coronenſis Canonicorum Secularium Sodalitij anno 1395. fundamenta iecit, & in eo vixit, vſque ad annum 1408. quo Presbyteris Cardinalibus adſcriptus a Gregorio eſt.

Ferdinād. Vghel. in Ital. ſac.

Ciaconius

Iac. Phil. Tomaſ. in Hiſt. Can. Secular.

Henricus Spondan' in Annal. Eccleſiaſt.



III.

GABRIEL Condulmerius patritius Venetus, filius fuit Angeli, & Beriolæ Corariæ clariſſimæ fœminæ, & omnibus ſeculis celebris, quæ raro felicitatis exemplo fratrem Gregoriū ſcilicet XII. filiū Eugenium IV. & nepotē ex Polixena filia, Nicolao Barbo matrimonio iuncta Paulum II. Romanos Pontifices vidit. Gabriel à patruo Angelo tunc Caſtellano Epiſcopo educatus magnæ ſpei adoleſcens, vnà cum Antonio Corario in ipſo iuuentutis flore ordinis Canonicorum ſecularium S. Georgij in Alga auctor fuit. In quo vitam ſanctiſſimè duxit, vſque quo Romam cum Antonio, ab eodem Angelo ad Apoſtolicam ſedem ſub Gregorij XII. nomine euecto vocatus, ex Canonico Veronenſi Protonotarius primum Apoſtolicus, deinde S. R. E. Theſaurarius, & Epiſcopus Senenſis anno 1407. tametſi adhuc in legitima ętate conſtitutus non eſſet, quandoquidem nondum vigeſimum quintum ſuæ ætatis annum attigerat. Non tamen munere illo Epiſcopali diu functus eſt, ſiquidem annuente ipſo Gregorio, & honore, atque onere ſe exoluens anno 1408. Apoſtolicæ Cameræ Clericus primò, mox ſub eodem Pontifice Presbyter etiam Cardinalis titulo S. Clementis euaſit, non tamen vt talis à reliquis Cardinalibus habitus, niſi poſt Gregorij abdicationem factam in Concilio Conſtantienſi. Hunc indiuiduum Antonij Corarij ſocium S. Antoninus iiſdem ferè verbis, quibus ipſum Antonium Corarium celebrat auctor Indicis rerum à Regibus Arragoniæ geſtarum Patriarcham Cōſtantinopolitanum, & Cardinalem Venetum nominat.

Ant. Sand. in elogijs Cardin.

Panuinius

Aubery in vita.

Felix Cōtelor. in Elencho.

Andr. Victorell. in Addit. ad Ciaconiū.

Barth. Dulcin-devar. Bonō. ſtat.

Cum Martinus III. alias V. Bononiam rebellem ad officium reuocare vellet, Gabrielem bello illi Legatum præeſſe voluit: eius autem induſtria claram Vrbem breui in Pontificis poteſtatem redegit. Abbas Commendatarius S. Georgij maioris factus, Abbatiam illam retinuit, vſque ad annum 1431. quo iam renunciatus Romanus Pontifex, & dictus Eugenius IV. monachis Congregationis ſanctæ Iuſtinæ reddidit. Vide vitam.



IV.

IACOBVS, ſeu Iacobinus Vtinenſis Foroiulienſis ex Protonotario Apoſtolico Diaconus Cardinalis, ſine Diaconia; paulò poſt Diaconus S. Mariæ Nouæ a Gregorio renunciatus eſt. Antequam hic Eccleſiaſticam vitam amplecteretur, medicinæ arti operam dederat ſuam: S. Antoninus virum valde religioſum, & pium Epiſcopum Iacobum appellauit, neſcimus tamen cuius Eccleſiæ Epiſcopus fuerit. Obijt ex Ciaconio, & Ferdinando Vghellio Arimini Legatus ad Venetos deſtinatus, die vltima Auguſti anno 1410. ſeu 1412. & ſepultus in Templo S. Ioāni Euangeliſtæ ſacro, in quo noſtris etiam hiſce temporibus viſitur huius Cardinalis effigies in marmore inſculpta. Ex Contelorio verò deceſſit die 19. Februarij anni 1431. Aubery Ciaconij ſententiæ videtur adhærere, quia eandem S. Mariæ Nouæ Diaconiam Iacobo Inſulano ſub Ioanne XXII. aliàs XXIII. Gregorij ſucceſſore tribuit. Sed reuera fundamentum Aubery ruit, cum certum ſit Iacobum Inſulanum non ſanctæ Mariæ Nouæ, ſed ſancti Euſtachij Diaconiam obtinuiſſe. Fides in re dubia penes ipſos ſcriptores ſit.

Panuinius

And. Victorell. in Addit. ad Ciaconiū.

Henricus Spondan' in Annal. Eccleſiaſt.

Caſ. Clementio. in Hiſt. Arimin.

SECVNDA CREATIO CARDINALIVM.

Anno noſtræ ſalutis 1408. *Pontificatus Gregorij XII. Secundo,* cum omnes Cardinales Gregoriani ipſum deſeruiſſent, ac Piſas pro extirpatione Schiſmatis ad Concilium celebrandum conueniſſent, conſiderans Gregorius pro ſe non niſi quinque Cardinales habere, vt tutiorem Pontificatum ſuum redderet, ac ſtabiliret, Senis in Tuſcia die 19. Septembris decem de nouo creauit Cardinales, nouem ſcilicet Presbyteros, & vnum Diaconum, qui nec ipſi pro Cardinalibus habiti ſunt, antequam Gregorius in Concilio Conſtantienſi ſponte Papatum deponeret, tunc enim pro bono pacis ex totius Synodi ſententia in Cardinalium numerum ſunt recepti, qui fuere.

V.



[Ciaconius. Panuinius. Aubery in Vita. Ferdinand. Vghel. in Ital. ſac. Felix Cõtelorius in Elencho.]

ANGELVS Ciuis Recanatenſis Decretorum Doctor, ab Vrbano VI. patriæ Epiſcopus, & in Marchia Anconitana Spoliorum Collector renunciatus, à Gregorio XII. Purpuram Cardinalitiam accepit titulo S. Stephani in Cœlio monte. Poſt ſuam ad Cardinalatum aſſumptionem, eandem Eccleſiam Recanatenſem commendatam retinuit, vt liber Prouiſionum ſub Martino V. prodit, & Acta Conciſtorialia Gregorij XII. & Alexandri V. Romanorum Pontificum. Mortem ſubijt die 21. menſis Iunij anno 1412. & in Cathedrali Recanatenſi conditus in ſepulchro haud multum elato à terra cum hac Inſcriptione.

REVERENDISSIMVS D. A. CARD. RECANATI
OBIIT XXI. IVNII ANNO MCCCCXII.
CVIVS ANIMA REQVIESCAT IN PACE.

De hoc nil aliud memoria dignum narrat Argoletta in Hiſtoria Recanatenſi; vir fuit doctrina non minus & prudentia, quàm pietate præditus.

VI.



[Ciaconius. Panuinius. Aubery in Vita. And. Victor. in Addit. ad Ciaconium. Ferdinand. Vghel. lib. & in Ital. ſacra. Theod. à Niem. Ioannes Iunenis. Cæſar Clementin. in Hiſt. Ariminen. Felix Cõtelorius in Elencho.]

LVDOVICVS Bonitus, natione Siculus, patria Agrigentinus, Decretorum Doctor, origine Neapolitanus, è Scalenſi Ciuitate, cuius maiores nobiles, & patritios cum Andrea de Bonito Regio miniſtro anno 1272. è Scala in Siciliam demigraſſe creditur, & Agrigenti, atque alibi in ea Inſula ſe diffudiſſe. Hi honores varios, ac dignitates multas ibidem aſſecuti ſunt. Inter ceteros huiuſce familię viros claros recenſent nonnulli Bonitum ſanctitate clarum, & Odonem nobilem virum ſub Roberto Rege anno 1336. Sedilis Nidi, vt vocant, Procuratorem, magni nominis in literis, Regi in paucis carum, ac Dominum Bonin oppidi, à quo vel eius familia, vel oppidum ipſum nomen retinuiſſe exiſtimatur. Ex hac nobili gente Ludouicus Agrigenti ortus, humanioribus literis, ac bonis artibus delibatis, Iuris Vtriuſque Doctor euaſit. Regio fauore adhuc iuuenis Panormitanæ Eccleſiæ præficitur anno 1383. ac Pallio donatur ab Vrbano VI. qui eum commendauit Manfredo de Claramonte Regni Siculi Ammirato, & Diplomate ſcripto Ianuæ iij. Idus Maij Põtificatus anno Nono huiuſce meminit. Nouem fermè annos vario euentu eam adminiſtrauit, nec paruum ſub ipſo detrimenti paſſa eſt, ob bellum Martini Regis in Claramontanos, quibus Ludouicus Pręſul fauebat. Vt ergo Martinus Panormum recepit, Ludouicus à ſua ſede pellitur anno 1391. teſte Fazello. Exul igitur ab Inſula Sicula Romam transfugit ad Bonifacium IX. Romanum Pontificem, a quo benignè receptus, apud eum, alioſque Pontifices in Romana claruit aula, & varijs muneribus egregiè functus eſt. Poſt tumultus ſuę ſedi Metropolitanę Ludouicum reſtitutum ſcribit Rocchus Pyrrhus in Notitijs Eccleſiæ Sicilienſis, & illum conſtitutum affirmat Iudicem in controuerſia de finibus Burgecti, quæ excitata eſt inter Abbates S. Mariæ Alifontis, & S. Martini de Scalis. Alij tamen, & melius referunt, poſt quartum ſui exilij annum Panormitanæ Eccleſiæ remiſiſſe titulum, recepto Antibarenſi in Albania anno 1395. & ſequenti ab eodem Pontifice xj. Kal. Iunij Theſſalonicenſem conſtitutum Archipræſulem; anno verò 1399. nonis Septembris, vt libri Prouiſionum, & Obligationum Prælatorum Vaticani Archiuij narrant, ad Bergomenſem Epiſcopatum in Inſubria ex deceſſu Branchini Beſuti tranſlatum eſſe. Hunc tamen longo tempore non adminiſtrauit; nam anno 1400. die 15. Nouembris ad Piſanam Tuſciæ Metropolim iterum eum tranſtulit Bonifacius IX. & apud ſe ad ardua negocia expedienda retinuit. Itaque per alios oportuit hanc quoque Eccleſiam quinque fermè annis moderari, donec Innocentio VII. iubente, eam cum Tarentina commutauit anno 1406. quam retinuit ad mortem vſque.

Ad Ladiſlaum Regem Neapolitanum Apoſtolicus Nuncius ab Innocentio miſſus, eodem munere ſub Gregorio ſucceſſore functus eſt, a quo Senis commorante anno 1408. xjv. Kalendas Octobris ad Purpuram abſens euocatus ſub titulo S. Mariæ Transtyberim, alias Calliſti Cardinalis Tarentinus dictus eſt ſemper. Poſt hæc infracto animo ſemper Gregorium in Schiſmate ſecutus eſt.

Arimini tandem dum ad Concilium Conſtantienſe tenderet, Gregorium ſalutauit, ibique omnibus mœrentibus febri abſumptus eſt anno 1413. die 13. Septembris, & ſolemni pompa elatus, in æde ſancti Franciſci die 15. eiuſdem menſis funebri oratione à Ioanne Dominico Cardinali Raguſino laudatus, in medio Eccleſiæ conditus eſt cum hac Inſcriptione.

Hic animo, moribus, ſenſu, virtute, ſenecta
Conſiliorum potens Ludouicus ſtirpe BONETO,
Agrigentina Sicula telluris, vt ipſe
Ingenio clarus, ſic dignitate ſerenus
In ſacro ſamam, Romanaque Tarentum
Prabuit Eccleſiam per mille pericula
Papa Gregorio ſub vera tenens fuit, vſque ſecutus.

Ex quibus erroris facilè arguitur laudatus Rocchus Pyrrhus, qui Ludouicum Panormitanum Archiepiſcopum Panormi anno 1397. obijſſe credit.

Ad huius funus tum Cardinales, tum Epiſcopi, ac Abbates, qui Arimini apud Gregorium tunc temporis erant, conuenerunt: ſolemne ſacrum ibidem fecit Antonius Corarius Epiſcopus Bononienſis, ipſius Gregorij nepos.

In Amalphitana principe Eccleſia hæc alia patet legentibus Inſcriptio.

LVDOVICO BONETO S. R. E. CARDINALI
Inclita progenie conſpicuo,
Panormitana, Antibarenſis, Theſſalonicenſis,
Bergomenſis, Piſana, ac Tarent. Eccleſ.
Antiſtiti.
Ab INNOCENTIO VII. Neapolim Legato
Ad Ladiſlaum Regem miſſo.
A GREGORIO XII. legatione obita
In Purpuratorum Patrum Collegium
Cooptato.
Arimini vita functo A. MCCCCXIII.
Idibus Septembris.
A Cardinali Raguſino funebri oratione
Laudato
Marmoreo tumulo ibidem in Eccleſia
Sancti Franciſci
Quieſcenti Gentiles eius
P. P.

*

Ludouicus hic à plerіſque Neapolitanis ſcriptoribus cum Ioanne Iuuene, Ciaconio, Victorello, Ferdinando Vghellio, Aubery, & Contelorio inter Brancaciæ pernobilis familiæ Cardinales recenſetur, cuius etiam familiæ inſignia tribuerat olim Ciaconius. Nos ex Inſcriptione ſepulchrali, quam ſupra reſcripſimus ex Ferdinando Vghellio in Italia ſacra, familiæ Bonitæ olim tum apud Scalenſes, tum apud Siculos, & noſtris hiſce temporibus in Vrbe Amalphitana, & Neapolitana pernobili, Ludouicum hunc reſtituimus, & eiuſdem familiæ inſignia tribuimus.

VII.



[Ciaconius. Ferdinand. Vghel. in Ital. ſac. Panuinius. Aubery in Vita.]

ANGELVS Barbadicus illuſtri, ac nobili genere Venetijs natus Clunienſem primò, deinde Veronenſem rexit Eccleſiam; cuius ſolemnem ingreſſum in Vrbem Veronenſem deſcripſit Bartholomeus de Olmeto in Diarijs his verbis. *Anno 1407. die Iouis ſexta Epiphaniæ, Reuerendus in Chriſto Pater D. Angelus Barbadico de Venetijs, Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Epiſcopus Veronenſis creatus, aurea veſte velatus, niueo ſonipede conſedendo, purpureoque tegmine, quod a præſtantiſſimis huius Vrbis iuuenibus ferebatur, coopertus, cultus Religionis vacaturus, exoptatum Ciuium oculis ſui conſpectum obtulit: In cuius honorem Clerus, & Populus Veronenſis vexillis artium erectis, & extra Vrbem obuiam occurrerunt, ipſumque Paſtorem venientem Pontificali infula, & baculo decoratum, multiſque nobilibus Venetis comitatum, & non modicis noſtris præſtantibus Ciuibus circumdatum, mœnia huius Ciuitatis inter effuſam ad officium ſpectaculum eius turbam intrantem cum iubilo mentis aſpexerunt, & ad aram ſacratiſſimi magni Templi Veronenſis ipſius triumphalem reuerentiam, & paternitatem venerati ducendo, vbi ſuam benedictionem, & indulgentiæ largitionem condonauit, hilariter aſſociauerunt tanquam Angelũ ſalutantẽ ſibi diuina prouiſione munere deſtinatum.*

Fuit Angelus vir ſingulari religione præditus, iuſtitiæ ſtudioſiſſimus, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ cultor eximius. Annis ferè duobus Eccleſiam Veronenſem moderatus fuerat, quando Gregorius XII. Romanus Pontifex, cuius erat ex ſorore nepos, eum ad Purpuram

titulo

tìtulo SS. Petri, & Marcellini vocauit: poſt purpuram Veronenſi Epiſcopatu ſe exoluit. Interfuit Conſtantienſi Concilio, quo confecto, cum in Italiam vnà cum Martino III. aliàs V. Romano Pontifice reuerteretur, Genuæ graui morbo oppreſſus, die 16. Auguſti, ſeu prima Septembris anno 1418. animam Deo reddidit, ac ſepultus in Eccleſia principe eiuſdem Vrbis. Hoc Præſule Veronæ Canonicis Regularibus Congregationis Frigidianæ datum fuit ad habitandum Cœnobium S. Leonardi Gregorio XII. concedente. Ciaconius ſcribit Angelum hunc Presbyterum Cardinalem in Conſtantienſi Concilio obtinuiſſe relicto titulo SS. Petri, & Marcellini alium ſanctæ Praxedis; ex Diarijs tamen m. s. Bibliothecæ Vaticanæ ſcimus obijſſe Presbyterum ſanctorum Petri, & Marcellini.

Felix Côtelor. in Elencho.



VIII.

BANDELLVS de Bandellis ex nobili familia Bãdellorum Lucæ in Hetruria natus, Iuris vtriuſq; Doctor, an. 1388. Tiphernatem Epiſcopatum moderabatur, & ſpoliorum Collectoris munere fungebatur in Hetruria, & in Spoleti Ducatu, vt patet ex Libro Obligationum, qui ſeruatur in Vaticano. Anno tamen 1407. die 14. menſis Maij tranſlatus eſt à Gregorio XII. ad Ariminenſem Eccleſiam, à quo etiam anno ſequenti Cardinalitiam purpuram accepit ſub titulo S. Balbinæ. Hic ſolemni pompa Gregorium promotorẽ ſuum in Cathedrali excepit anno 1413. die Epiphaniæ Domini, dum ille veluti profugus apud Carolum Malateſtam amicum Arimini Principem ſe recepiſſet. Interfuit Concilio Conſtantienſi, & legationem Apoſtolicæ ſedis nomine obijt in Venetiarum dominio, & in Romandiola. Ex hac vita deceſſit menſe Auguſti, ſeu Septembris anno 1415. ſeu 1417. poſtquam Martinus III. aliàs V. Apoſtolicum conſecutus eſt thronum. Huiuſce Cardinalis epiſtolam ad Abbatem S. Saluatoris de monte Amiato directam anno 1396. ſe vidiſſe fatetur Ferdinandus Vghellius in tomo primo Italiæ ſacræ: in cuius obſignatoria cera eius gentilitia ſtemmata, alia omnino ab illis, quæ iam expreſſerat Ciaconius in prima editione ſpectabantur, quæ tres balteos ex obliquo ſcutum ſecantes continebant. Nos duce Vghellio, Cardinali Bandello relictis antiquis, hæc exprimi curauimus.

Ciaconius. Panuinius. Ferdinãd. Vghellius in Ital. ſac. Aubery in vita. Felix Côtelorius in Elencho.



IX.

PHILIPPVS Repindonus, ſeu Repintonus Anglus, Canonicus Regularis S. Auguſtini, ab adoleſcentia Oxonium miſſus ad ſtudia, felicis ingenij beneficio non vulgares in literis fecit progreſſus, adeo vt breui emẽſo ſtudiorũ curriculo, Theologici Doctoratus dignitate omnium ſuffragijs donatus fuerit. In ætatis flore à Vvicleffitis deceptum quædam pro concione affirmaſſe dicitur, imò & Libris ſcriptis in publicum emiſiſſe, quæ poſtea, errorem agnoſcens, & veniam deprecatus in ſolemni concione ad Crucem D. Pauli Londini reuocaſſe dicitur. Nam illic anno reparatæ ſalutis 1382. palinodiam cecinit, & abiuratis viginti quatuor erroneis articulis ad ſaniorem mentem, & rectiorem vitam redijt, ac præcedentis vitæ errata pia ſenectute obliterauit. Quare iam maior factus, ſui Cœnobij Leicenſtrenſis Abbas primò electus, deinde Epiſcopus Lincolnienſis, tandem à Gregorio XII. Presbyter Cardinalis titulo ſanctorum Nerei, & Achillei renunciatus eſt.

Ciaconius. Franc. Godeuuin. de Epiſc. Lincolnien. Pitſæus de Scriptor. Angliæ. Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciacoñũ. Felix Côtelor. in Elencho.

Referunt nonnulli Philippum è vita migraſſe anno ſequenti poſt purpuram adeptam, anno ſcilicet 1409. at hi facillimè erroris arguuntur; nam ex Concilij Conſtantienſis actibus certum eſt Philippum interfuiſſe electioni Martini III. aliàs V. quæ nonniſi anno 1417. accidit, vt dicemus infra; poſt annum igitur 1417. huius Cardinalis obitum eueniſſe dicendum eſt.

Panuinius. Aubery in vita.

Scripſit Defenſorium Vvicleffi Præceptoris ſui hæreſi imbuti.
Pro Doctrina morali eiuſdem.
Homilias per Annum.
In Euangelia Dominicalia.
De Seculari Dominio.
Quæſtiones Diſputatas.

Nomencl. Cardinal.

Claruit etiam Poëſi: extant nonnulla ipſius Epigrammata, inter quæ illud lepidum contra quendam ſui æui Poetam dictum Neckam, & eſt tale.

Aubery in vita.

Et niger, & nequam cum ſis cognomine Neckam,
Nigrior eſſe potes, nequior eſſe nequis.

Iniuriam tamen retaliauit Neckam alio ſimili Epigrammate.

Phi nota fœtoris, Lippus malus omnibus horis,
Phi malus, & Lippus, totus malus ergo Philippus.



X.

MATTHAEVS non in Germania, ſed Cracouiæ in Poloniæ Regno natus, Magiſter in Theologia, Epiſcopus Vvormacienſis, & Orator Ruperti Imperatoris à Gregorio Duodecimo Romano Pontifice renunciatus eſt Presbyter Cardinalis ſancti Cyriaci in Thermis. Hic Academiarum Pariſienſis, ac Pragenſis Rector multa ſcripſit, videlicet.
De Amore Charitatis.
Expoſitiones, ſeu Commentationes Cantici Canticorum.
In Eccleſiaſten.
In Matthæi Euangelium.
In epiſtolam ad Romanos.

Ciaconius. Antõ. Demochar. Claudius Robertus. Gaſp. Bruſchius. Panuinius. Nomencl. Cardinal. Eiſengreinius. Ferdinãd. Vghel in Addit. ad Ciacoñũ.

Et alia multa, quæ in Monaſterio Franchenthalenſi m. ss. aſſeruantur, & oſtenduntur.

Imperatoris Ruperti Palatini Cancellarius fuit, cuius interceſſione conſecutus eſt Vvormacienſem Epiſcopatum, cui ſumma prudentia, ac ſubditorum vtilitate præfuit quinque annis. Vvormaciæ valedixit huic mortali ſeculo die 5. Martij, ſeu Maij anno noſtræ ſalutis 1410. & ſepultus, vt ferunt, in medio Chori Vvormacienſis Baſilicæ.

Aubery in vita.



XI.

FR. LVCAS Manzolius, vel Manzolus, aliàs Ognilanti, Florentiæ nobilibus parentibus procreatus, à pueritia ordinem Humiliatorum (quem extinctũ à ſanctiſſimo Pontifice Pio V. ſeculo preterito vidimus) in Cœnobio Omnium Sanctorũ profeſſus, optimis Præceptoribus traditus, cum pietate, ac ſanctitate ſacra literarum ſtudia coniunxit. Vnde ſucceſſu temporis ſacræ Theologiæ inſignis Magiſter euaſit, & paulò poſt propter cõceptam ſingularem prudentiam, & miram ſanctitatem, ex Præpoſito, non ordinis, ſed ſui Monaſterij tantum, Republica Florentina petente Epiſcopus Feſulanus electus eſt; & paulò poſt à Gregorio XII. inter Presbyteros Cardinales titulo S. Laurentij in Lucina, non in prima, vt aliqui aſſeruerunt, ſed in ſecunda Cardinalium enunciatione cooptatus, in Hetruria legationis munere eiuſdem Pontificis iuſſu functus, Florentiæ ſummo honore expenſis publicis exceptus eſt. Sed cum deinde in Piſano Concilio Pontificatus honore ſpoliatus fuiſſet Gregorius, ſimul & qui ab eo pronunciati fuerant Cardinales, abierunt repulſi, ac ſedente Alexandro V. poſt Iacobi Altouiti Epiſcopi Feſulani obitum Feſulana Eccleſia Antonio Caietano Cardinali commendata eſt; vt ex actis Conſiſtorialibus eiuſdem Pontificis perſpicuè erui poteſt. Quare facillimè erroris arguuntur illi, qui aſſeruerunt ad duodecim annos Lucam Eccleſiam illam adminiſtraſſe. Deceſſit autem Manzolius iam octogenarius Florentiæ die 14. Septembris anno 1411. & ſepultus in Eccleſia Omnium Sanctorum ſui ordinis in ſepulchro altiùs è terra ſublato cum ſtemmatibus Gregorij Papæ, & ipſius Lucæ cum ſubiectis carminibus à Florentina Republica ſarcophago appoſitis.

Ciaconius. Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciacoñũ, & in Ital. ſacra. Panuinius. Scip. Ammirat. in vit. Epiſc. Feſulan. & in hiſtoria Florent. Aubery in vita. Valerian. Florẽt. de Card. Florent. Hier. Garimbert. Andr. Victorell. in Addit. ad Ciacoñũ.

Exemplar vitæ, morum, virtutis, & almæ
Profeſſor legis, qualem vix viderat ætas
Noſtra parem: fuit hic Lucas ex ordine noſtro
Cardinis ad culmen Romanæ ſponte vocatur
Eccleſiæ verùm Legatus poſtea ſummi
Pontificis moritur, cælum mens ipſa volauit.

ANNO DOM. MCCCCXI. DIE XIV. SEPTEMB.

Scripſit hic Lucas Summam Caſuum Conſcientiæ.
Tractatum de Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.
Ac ſimulato nomine edidit Conſilium Laurentij de Ridolphis pro Collegio contra Antipapas.

Nomencl. Cardinal.

Hunc S. Antoninus magni conſilij virum, ſacræ Theologiæ profeſſorem peritum, ac magnæ famæ, & probitatis appellat. In Tabulis olim ordinis Humiliatorum pro beato habebatur; de quo in Martyrologio Monaſtico hæc habet Arnoldus Vvion: *xviij. Kal. Octo-*

bris Florentiæ depoſitio B. Lucæ Manzoli Præpoſiti ordinis Humiliatorum, & S. R. E. Cardinalis ampliſſimi, ſummæ doctrinæ, & ſanctitatis. Iiſdem ferè verbis eum extollit Anonymus m.s. Morandianæ Bibliothecæ. In Catalogo tamen Feſulanorum Epiſcoporum ex monumentis eiuſdem Eccleſiæ collecto, nulla de eius Beatificatione fit mentio, quamuis ſanctus, & virtutibus pollens dicatur.

XII.



OCTAVIANVM de Octauianis nobilem Florentinum inter Presbyteros Cardinales à Gregorio XII renunciatos numerant Ciaconius, & Anonymus auctor Morandianæ Bibliothecæ qui de Cardinalibus Florentinis plura collegit. huiuſce veritatis fidem in ipſum Ciaconium refundit Felix Cõtelorius, cum in libris Bibliothecæ Vaticanæ nullam de illo inuenerit mentionem. Ferdinandus Vghellius in Additionibus ad Ciaconium refert nonnulla, quæ ex monumentis Ioannis de Gorbo Florentino, rerum patriæ peritiſſimo, de hoc ampliſſimo Cardinali ſe accepiſſe fatetur, nempe in ijs quæ ad publicam rem ſpectabant, plurimum valuiſſe; ob, id, ante purpuram variis, & difficillimis negocijs ſemper implicitum, ſingulari amore patriam proſecutum fuiſſe: vnde Gregorium XII. Papam viri dexteritate delectatum, eum in numerum Cardinalium retuliſſe. Idem tamen Vghellius in m. ss. mihi communicatis Octauianum è Cardinalium numero delendum eſſe affirmat, cum præſertim quanto tempore in ea dignitate ille vixerit, quo anno obierit, & quæ præclare geſſerit, quemuè titulum obtinuerit, deſiderentur.

XIII.

Panuinius



PETRVS Maurocenus patritius Venetus, clarus ſui æui artium Doctor, Protonotarius Apoſtolicus renunciatus eſt à Gregorio XII. Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Coſmedin. Ciaconius illum ſanctæ Mariæ in Dominica Diaconum dicit ex Inſcriptione ſepulchrali, ſed in Gregorij euſdẽ Diplomatibus, & in tabulis antiquis S. Mariæ in Coſmedin Diaconus nominatur. Idem Ciaconius inter Cardinales electores Martini III. aliàs V. Petrum hunc recenſet, & Diaconum S. Mariæ in via Lata à Ioanne XXII. creatum facit; cum reuera neque Ioannis, neque S. Mariæ in via Lata Diaconus vnquam ille fuerit. Martini V. iuſſu legationis munere functus eſt in Regno Neapolitano: Explicauit Patauij Sextum Decretalium; & ſcripſit, referente Trithemio, ſuper Sextum Decretalium Commentaria, quæ in Bibliotheca Vaticana ſeruantur. Determinationes item varias, & alia legum Interpretamenta edidit, quæ non mediocri Pontificij Iuris iactura in varijs Bibliothecis puluere obducta m. ss. deliteſcunt, vt auctor eſt Marcus Mantua Patauinus.

Florimantes Martinellus de Diacon. S. Mariæ in via Lata.

Riccobõ. de Gymnaſio Patauino.

Antõ. Poſſeu. in Appar. ſacro.

And. Victorel. in Addition. ad Ciacõ.

Aubery in vita.

Trithemius de Scriptoribus Eccleſiaſticis Petrum hunc in diuinis literis, & iure Canonico doctiſſimum, ſecularium literarum non ignarum, ingenio præſtantem, vita & conuerſatione inſignem appellat.

Interfuit Concilio Conſtantienſi, à quo inter S.R.E. Cardinales receptus eſt: obijt deinde Romæ, ſeu apud Gallicanum oppidum Diœceſis Præneſtinæ, dum rediret à legatione Neapolitana, die 11. Auguſti, non anno 1425. vt ſcripſit Iacobus Gaddius in ſecundo tomo de Scriptoribus non Eccleſiaſticis; ſed ex tumulo anno 1424. corpus Romam delatum iacet in Eccleſia ſanctæ Mariæ Nouæ cum hoc Epitaphio.

Pelix Cõtelorius in Elencho.

HIC. IACET. PRAECLARAE. MEMORIAE. REVERENDISSIMVS. IN. CHRISTO. PATER. DOMINVS. DOMINVS. PETRVS. S. MARIAE. IN. DOMINICA. DIACONVS. CARDINALIS. VENETIARVM. IVNIOR. NVNCVPATVS. QVI. OBIIT. ANNO. DOM MCCCCXXIV. DIE. XI. MENSIS. AVGVSTI. CVIVS. ANIMA IN. PACE. REQVIESCAT.

XIV.



FR. VINCENTIVS, aliàs Valentinus, ſeu Vicentius Valentinus Riuus, natione Hiſpanus, patria Arragonenſis, vel Valentinus, ordinis S. Benedicti, Decretorum Doctor, Prior, ſeu Abbas Cœnobij B. Virginis Montiſſerrati Presbyteris Cardinalibus titulo S. Anaſtaſiæ à Gregorio XII. adſcriptus eſt, dum Martini Regis Arragoniæ Oratoris munere fungeretur apud ipſum Gregorium Romanum Pontificem. Paulò poſt circa annum 1410. è vita exceſſit neſcio ſi in Italia, vel poſt reditum, in Hiſpania.

Ciaconius

Panuinius

Anton. de Yepes in hiſt. Montiſſerrati.

Baltaſſar Porreguus in elogiis Card. Hiſpanorum.

Aubery in vita.

Pelix Cõtelorius in Elencho.

Gregorius XII. duabus Ordinationibus factis menſibus Maij, ſeu Iunij, & Septembris, tredecim, ſeu quatuordecim nominauit Cardinales videlicet Epiſcopum vnum, Presbyteros nouem, ſeu decem, & Diaconos tres.

VICECANCELLARIVS S. R. E.
ſub Gregorio XII.

Angelus Acciaiolus Florentinus, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus S. R. E. Vicecancellarius ab anno Pontificatus Gregorij XII. primo ad initium Concilij Piſani, in quo mortuus eſt. Poſt obitum Angeli, à Concilio Piſano Gregorius Pontificatu ſpoliatus nullum habuit Vicecancellarium.

CARDINALES MORTVI
ſub eodem Pontifice.

Angelus Acciaiolus, Florentinus, Presbyter Cardinalis S. Laurentij in Damaſo, poſtea Epiſcopus Oſtienſis, exceſſit è vita, die vltima Maij, anno 1407.

Ioannes Aegidius, Gallus, Diaconus Cardinalis ſanctorum Coſmæ, & Damiani, menſe Iulio, anno eodem 1407.

Matthæus Polonus, alijs Germanus, Presbyter Cardinalis ſancti Cyriaci in Thermis, die 5. Martij, anno 1410.

Fr. Vincentius, aliàs Valentinus Riuas Hiſpanus, ſ. Fr. Vincentius Arragonius dictus, ordinis ſancti Benedicti, Presbyter Cardinalis ſanctæ Anaſtaſiæ circa annum 1410.

Fr. Lucas Manzolus, alias Manzolius, Florentinus, ordinis Humiliatorum, Presbyter Cardinalis ſancti Laurentij in Lucina, die 14. Septembris, anno 1411.

Angelus ciuis, & Epiſcopus Recanatenſis, Presbyter Cardinalis S. Stephani in Cœlio monte, die 25. Iunij, anno 1412.

Ludouicus Bonitus, Siculus Presbyter Cardinalis ſanctæ Mariæ Transtyberim, anno 1413. die 13. Septembris.

Bandellus de Bandellis, Lucenſis, Presbyter Cardinalis S. Balbinæ, menſe Auguſti, anno 1415.

ALEXANDER V. PONT. CCVIII.

ANNO DOMINI MCCCCIX.





IN NOMINE DEI, ET SALVATORIS Noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen.

ALEXAN. electio

ALEXANDRO V. Cretenſi Papæ, qui, duobus de Pōtificatu cōtendentibus Gregorio XII. & Benedicto XIII. in Concilio Piſano priuatis *, tertius ſummus Pontifex omnium in Concilio exiſtentium conſenſu, triumq; & viginti, ſeu quinque, & viginti Cardinaliū * ſuffragijs creatus eſt, Inſula, Venetæ ditionis, Creta in Græcia originem dedit *, incerta tamen ſtirpe, & patria. Frater Petrus Philargi antea vocatus. Is adhuc puer, neque parentes, neque affines vllos cognoſcens, oſtiatim victum mendicans, à viro religioſo quodam ordinis Minorum Italo, ordini in Monaſterio Cretenſi addictus, & educatus, altæ indolis, & viuidiſſimi ingenij adoleſcens euaſit: omnia ordinis Minorum Gymnaſia, & præcipuè Oxonienſe in Anglia, & Pariſienſe circumiens, ita in liberalium artium, Phyloſophiæ, & Theologiæ ſtudijs profecit, vt breui Magiſterij gradum conſequutus, & publicam ſcholam habuerit, & in libros Sententiarum, doctè, & acutè ſcripſerit: magnus quoque Orator, & Prædicator eſt habitus. In Longobardiam deinde veniens, ibi & ſcribendo, & ſacras literas profitendo, Ioanni Galeatio Vicecomiti Inſubrum Principi innotuit, qui illum ad ſe accitum, cum eius virtutem cognouiſſet, ſummo in honore habuit, primùm ei in conſilijs locum tribuit; cuius poſtulatione Epiſcopus primùm Vicentinus, poſtea Nouarienſis mutato loco; mox Archiepiſcopus Mediolanenſis creatus. Maximas pro Vicecomite legationes obiuit, & præcipuè Germanicam, qua illi Ducis Inſubrum titulos, & inſignia à Vvenceſlao Cæſare impetrauit: Innocentius Septimus viri doctrinam cognoſcens, eum Presbyterum Cardinalem Baſilicæ ſanctorum Duodecim Apoſtolorum creauit, & honeſtiſſima Longobardica legatione honeſtauit, qua diſcordes, Galeatij Ducis morte, ciuitates ad concordiam reſtituit.

ALEXAN. diu pauper dictus

Ab alijs dicitur Fr. Petrus Philaretus Nouariēſis Cruſinalio vico natus, de Candia vulgo nuncupatus, ordinis Minorum, vir Græcè, & Latinè peritus, Theologus præſtantiſſimus, primùm Vicentiæ, deinde Nouariæ Epiſcopus factus huius nominis octauus, qui illi Eccleſiæ præfuit annis 18. A Vvenceſlao autem Imperatore, nullo iure Regio, nullaque ſuperiori auctoritate ſibi reſeruata, non ſolum multis priuilegijs decoratus eſt, ſed etiam ampliſſimi Principis Imperij titulo, nominèque cohoneſtatus, poſtea Patriarcha Gradenſis *. Qui in Pontificatu meritò Alexandri V. nomen conſequutus eſt, quum liberalitate, & magnitudine animi cum quouis optimo Principe conferri poſſet. Adeò enim munificus erat in pauperes, & viros ſua benignitate dignos, vt breui nihil ſibi reliquerit, vnde per iocum dicere interdum ſolebat, ſe diuitem Epiſcopum *, pauperem Cardinalem, mendicum Pontificem fuiſſe. In illo enim deſiit habendi illa cupiditas, quæ vna cum ætate creſcit ſimul; quòd vitium cadere in viros bonos, & rerum humanarum contemptores non poteſt. Qui quo magis conſeneſcunt eo minus viatico indigere ſe cognoſcunt, & ob hanc rem cupiditates ſedant, refrænant auaritiam, & cæteras animi labes expellunt, firmius eſt, quòd traditur ex tabula Dyptica Epiſcoporum Nouarienſium, hoc tamen de illo narratur, cum eſſet in vltimis vitæ conſtitutus, dixiſſe, parentes ſuos ignorare, nec alicuius affinis notitiam vnquam habuiſſe, quòd & teſtatur Baptiſta Fulgoſius lib. 4. Memorabilium Factorum.

CORONATIO Papæ Alexandri V.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1409. die Nonarum Iulij, Alexander V. Papa, Piſis, ſuæ Coronationis inſignia ſuſcepit, per D. Amadæum Cardinalem Sallutiarum, S. Mariæ Nouæ, S. R. E. Archidiaconum, ante Eccleſiam Cathedralem *, aſtantibus Cardinalibus, & Prælatis, Clero, & vniuerſa populi multitudine; ſedit Roberto Cæſare menſes decem, dies octo.

CARDINALES XXV. VIVENTES

Vtriuſque obedientiæ quando Alexander Papa V. creatus eſt.

EPISCOPI CARDINALES VI.

GREGORII PAPAE XI.

1. Guido de Maleſieco, Pictauienſis, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Prænestinus, Decanus.

BONIFACII PAPAE IX.

2. Henricus Minutulus Neapolitanus, Epiſc. Card. Tuſculanus.

CLEMENTIS VII. ANTIPAPAE.

3. Nicolaus Brancacius, Neapolitanus, Epiſc. Card. Albanus.

INNOCENTII PAPAE VII.

4. Antonius Caietanus Romanus, Epiſcopus Cardinalis Prænestinus, S. R. E. Maior Pœnitentiarius.

BENEDICTI XIII. ANTIPAPAE.

5. Ioannes de Bronhiaco, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Velitermus, S. R. E. Vicecancellarius.
6. Petrus Gerardi de Podio, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus, dictus Anicienſis, Maior Pœnitentiarius.

PRESBYTERI CARDINALES X.

VRBANI PAPAE VI.

7. Fr. Angelus de Anna Neapolitanus, Presbyter Cardinalis S. Pudentianæ titulo Paſtoris.
8. Petrus de Turreyo, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Suſannæ, S. R. E. Archipresbyter.

9. Ioannes Flandrini, Presbyter Cardinalis ſanctorum Ioannis, & Pauli, titulo Pammachij.
10. Petrus Fernandi Frias, Hiſpanus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Praxedis, dictus de Hiſpania.

INNOCENTII PAPAE VII.

11. Conradus Caracciolus Neapolitanus, Presbyter Cardinalis titulo S. Chryſogoni, S. R. E. Camerarius.
12. Franciſcus Hugoccionius Vrbinas, Archiepiſcopus Burdegalenſis, Presbyter Cardinalis titulo ſanctorum Quatuor Coronatorum.
13. Iordanus Vrſinus, Domicellus Romanus, Presbyter Cardinalis SS Sylueſtri, & Martini in montibus, titulo Equitij.
14. Ioannes Melioratus Sulmonenſis, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Crucis in Hieruſalem.
15. Fr. Petrus Philargi Cretenſis, Græcus, Archiepiſcopus Mediolanenſis, ordinis Minorum, Presb. Card. Baſilicæ SS. duodecim Apoſtolorum.
16. Antonius Caluus Romanus, Presb. Card. tit. ſancti Marci.

DIACONI CARDINALES IX.

VRBANI PAPAE VI.

17. Ludouicus de Fliſco Genuenſis, Diaconus Cardinalis ſancti Hadriani, S. R. E. Archidiaconus, ſub Ioanne XXIII. ex Hiſpania, ad Curiam Romanam venit Bononiam, relicto Benedicto XIII. Antipapa.
18. Raynaldus Brancacius Neapolitanus, Diac. Card. SS. Viti, & Modeſti in macello Martyrum.
19. Landulphus Marramaurus Neapolitanus, dictus Barenſis Diac. Cardinalis ſancti Nicolai in Carcere Tulliano.

CLEMENTIS VII. ANTIPAPAE. *

20. Amadæus de Sallutijs, Diaconus Card. S. Mariæ Nouæ.

BONIFACII PAPAE IX.

21. Balthaſſar Coſſa Neapolitanus, Diac. Cardinalis S. Euſtachij.

INNOCENTII PAPAE VII.

22. Otho, ſeu Odo Colomna Domicellus, Romanus, Diaconus Cardinalis ſancti Georgij in Velabro.
23. Petrus Stephaneſcus Hannibaldos Romanus, Diaconus Cardinalis ſancti Angeli in Foro Piſcium.

BENEDICTI XIII. ANTIPAPAE.

24. Ludouicus de Barro, Hiſpanus, Diac. Card. S. Agathæ.
25. Antonius de Chalant, Gallus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in via Lata.

Abſentes Cardinales obedientiæ Gallicæ.

Alphonſus Carrillus Presbyter Cardinalis titulo ſanctorum Quatuor Coronatorum, Hiſpanos. Is poſt Concilium Conſtantienſe, & electionem Martini V. relicto Benedicto XIII. Antipapa, eidem Pontifici Martino V. adhæſit, ex Hiſpania Romam veniens, vbi & mortuus eſt.

Cardinales obedientiæ Italicæ abſentes nulli, exceptis illis quatuor, qui à Gregorio Papa XII. iam creati erant; qui tamen pro Cardinalibus, vſque ad Concilium Conſtantienſe, non ſunt habiti.

ALEXANder Cardinalium titulos mutat.

Papa Alexander V. nullum Cardinalem nouum creauit; ſed tantùm quoſdam titulos mutauit. Nam ob Schiſma contigerat, vt plerumque duo eſſent in eodem ſacerdotio Titulares. Hinc mutandorum titulorum * in Romana Eccleſia vſus manauit, quód ad eam vſque diem inauditum fuerat.

Henricus Minutulus, ex Epiſcopus Tuſculano, factus eſt Epiſcopus Sabinus.

Antonius Caietanus, ex Epiſcopo Prænestino factus eſt, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ.

Antonius Caluus, ex Presbytero ſanctæ Praxedis, factus eſt Presbyter Cardinalis titulo ſancti Marci.

Petrus Hannibaldus, ex Diacono Cardinali ſancti Angeli, factus eſt Diaconus Cardinalis ſanctorum Coſmæ, & Damiani.

Iordanus Vrſinus, ex Presbytero ſanctorum Sylueſtri, & Martini in montibus titulo Equitij, factus eſt Presbyter Cardinalis tit. S Marci.

Ludouicus de Barro ex Diacono S. Agathæ Benedicti XIII. Antipapæ factus eſt Presb. Card. Baſilicæ SS. duodecim Apoſtolorum.

Petrus Hannibaldus ex Diacono ſanctorum Coſmæ, & Damiani, mortuo Petro Serra Hiſpano iterum factus eſt Diaconus Cardinalis ſancti Angeli.

Factæ ſunt hæ mutationes anno Dom. 1409. Pontificatus primo.

Ioannes de Bronhiaco Gallus, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus, imo S. R. E. Vicecancellarius.

QVOT Patres Concilio Piſano interfuerunt.

Conuenerunt in hoc Concilio Piſano * Cardinales vigintiquatuor tres Patriarchæ, centum octuaginta Archiepiſcopi, & Epiſcopi: trecentum Monaſteriorum Patres, ducenti octuaginta Theologi, Legatique Principum Europæ, ad vim tempeſtatis calamitoſæ ab

Eccleſia Dei repellendam. Ioannes Gerſon in libello, an Papa e cathorari poſſit, *Hi Dei nutu, inquit, & Spiritus ſancti ſicut credendum eſt inſpiratione tacti fuerunt, qui ad conuocationem ſacri Concilij Piſis celebrandi dederunt operam.*

Innocentius VII. tres Cardinales crearat, quos omnes ſucceſſores habuit, Gregorium XII. Alexandrum V. & Martinum V. initio Pontificatus, auditæ ab eo ſunt legationes omnium ferè Europæ Principum, publicè gratulantium Eccleſiæ tranquillitati, & quieti: tanti animi Alexander fuit, vt Ladiſlaum Regem * tum potentiſſimum, qui ditionem Eccleſiæ, Pontificibus abſentibus, diu, multumque vexauerat, oppidàque aliquot vi occupauerat, in Concilio Piſano approbantibus, qui tum aderant, Regno priuauerit, iuſque illud Ludouico Andegauiæ Duci competere declarauit.

ALEXANder Bononiam ſe confert.

Soluto autem Concilio Piſano, Alexander Romam ab aduerſarijs occupatam optauit equidem, cupijtque, at non potuit Pontifex videre, Bononiamque ſe conferens, cui ciuitati tum præerat Balthaſſar Coſſa * S. Euſtachij Diaconus Cardinalis, quem Alexander in legatione confirmauit, quòd eius induſtria, ac præſidijs Piſanum Concilium habitum fuiſſet, quòdque etiam vir erat, qui percommodè Tyrannis, ac rem Eccleſiaſticam occupare conantibus, obijci quouis tempore poſſet, in homine tùm plus ferociæ, pluſque audaciæ & ſecularitatis (vt ita loquar erat) quàm eius profeſſio requirebat. Militaris propè habebatur eius vita, militares eius mores, adeò vt multa etiam, quæ loqui fas non eſt, ſibi licere arbitraretur, Boninſegnius de vita eius tradit, & Baptiſta Fulgoſius tantùm illum fuiſſe, & videri voluiſſe, ac vinis generoſis, propter ſenectutẽ, vſum.

Cum autem Alexander grauiter Bononiæ ægrotare cœpiſſet, cognouiſſètque mortem propè inſtare, Cardinales ad ſe venientes, ad concordiam, ad pacem, ad tuendam Eccleſiæ dignitatem adhortatur; teſtatuſque præterea eſt, per eam mortem, quam ſe cernere dicebat, nec reformidare, conſcientia bene actæ vitæ motus, ſe exiſtimare, & credere, quæ in Concilio Piſano decreta fuiſſent *, rectè, atque integrè facta eſſe, omnia ſine dolo, malo, fraudeue; cum hæc dixiſſet, lacrymantibus omnibus, qui aderant, illud Saluatoris verbum ægrè proferens *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*, ſuſceptis piè Sacramentis, moritur, die Sabbathi ad 5. nonas Maij, noctis ſequentis, hora 5. anno 1410. Pontificatus ſui menſe 10. die 8. ætatis verò ſuæ 71. ſepeliturque Bononiæ in Eccleſia Fratrum Minorum, in marmoreo tumulo, cuius exemplar mox proponam cum huiuſmodi epitaphio.


ALEXANder obitus.

Summus Paſtorum ALEXANDER V. & omnis
Scripturæ lumen, ſanctiſſimus ordo Minorum,
Quem dedit, & proprio Cretenſis nomine PETRVS,
MIGRAVIT ANNO MCCCCX.

PETRO. PHILARGO. CRETENSI VIRO. INSIGNI. ORATORI. GENTIVM. CONCIONATORI. FACVNDISSSIMO. CONSILIARIO. DVCVM DISPVTATORI. ACERRIMO. PARISIIS. PVBLICE. THEOLOGIAM. PROFITENTI. IN. QVATTVOR. SENTENTIARVM. LIRROS. SCRIPTORI. LVCVLENTISSIMO QVI. EX. ORDINE. MINORVM. AD. EPISCOPATVM VINCENTIÆ. NOVARIÆ. ARCHIEPISCOPATVM. MEDIOLANENSEM. CARDINALATVM. ET. TANDEM AD. SVMMI. PONTIFICATVS. APICEM. EVECTVS. ET ALEXANDER. QVINTVS. APPELLATVS. BONONIAE MORITVR. ANNO. SALVTIS. MCCCCX. PONTIFICATVS. SVI. MENSE. OCTAVO. IOANNES. BAPTISTA PAGANVS. DE. ZANCTINIS. BONO. PIETATIS. IMPVLSVS. DVM. PLVRA. IN. HOC. TEMPLO. DIVINO CVLTVI. PARARET. EIDEM. DIVO. CVLTORI. HOC MAVSOLEVM. REPARAVIT. ANNO. MDLXXXVIII. DIE. XX. SEPTEMBRIS.

Vacauit eo mortuo Romana ſedes, dies 14.

SIGNVM ALEXANDRI PAPAE V.



ADDI-



A

Cardinalis, Gregorio annuente, ementito habitu, Sigiſmundum Imperatorem conuenit, egitque cum illo de modo celebrandæ Synodi, in qua Schiſma penitus aboleretur; cum Piſana auctum fuiſſet; non ſublatum. Vide D. Antoninum loc. cit.

Alexander V. Suiani Archiepiſcopo ſcripſit; vt, Apoſtolica auctoritate, iuberet, ne ſermones, aut conciones ab aliquo haberentur ad populum, extra Cathedrales, Collegiatas, Paræciales, Regulariumque Eccleſias, ſeu Cœmeteria. Vide Io: Cochlæum lib. 1. hiſt. Huſſitarum: contra Alex. literas conqueſtus eſt Ioan: Hus, & Rom. Pontificis iuſſa contempſit. Vide Cochlæum, loc. cit.

De Alexandro, olim Mediolanenſi Archiepiſcopo, Tabula Archiepiſcoporum Mediolan. par. 6. Act. Eccl. Mediolan.

Alexandrum V. ſathanæ mancipium, mendaci, ſacrilego, & liuoris tabo contaminato conuicio, nominauit, in Myſterio Iniquitatis, Mornæus; ſed eum redarguit, & veritatis enſe confodit Coquæus, tom. 2. Antimornæi, ſiue confutationis Myſterij Iniquitatis: vbi

B

etiam de Concilio Piſano, non certæ, vt ipſe videtur opinari, firmitatis, ac roboris, cum exiſtimet, Gregorium XII. certum Pontificem; quoniam qui, poſt multos annos, in Apoſtolica ſede eodem nomine inſignitus D. Petri ſucceſſor extitit, XIII. dictus eſt; quem deinceps, annis, & Pontificibus alijs interiectis, Gregorij XIV. & XV. virtutibus valdè inſignes, ſecuti ſunt: Alexandrum tamen, virum religioſiſſimum, & doctiſſimum, defendit, & Pontificiæ ſedis inuaſorem non fuiſſe, demonſtrat.

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI
Societatis Iesv.

Felix Cõtelorius in Elencho.

IN libro ſacri Collegij S. R. E. Cardinalium, in quo obligationes Epiſcoporum de ſoluendis communibus ſeruitijs deſcribuntur, quæ ſequuntur, ſcripta extant.

C

Anno Domini 1409. Indictione 2. die Mercurij 26. menſis Iunij, hora tertiarum, vel circa, infraſcripti Reuerendiſſimi in Chriſto Patres, & Domini, Domini, miſeratione diuina Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales.

EPISCOPI.

Cardinales, qui interfuerunt electioni Alexandri Quinti.

Guido Præneſtinus, dictus Pictauenſis.
Henricus Tuſculanus, dictus Neapolitanus.
Nicolaus de Brancacijs, Neapolit. Albanen. dictus Albanenſis.
Antonius Caietanus Præneſtinus, dictus Aquileienſis.
Ioannes Oſtienſis, dictus Viuarienſis.
Petrus Tuſculanus, dictus de Podio.

PRESBYTERI.

D

Petrus ſanctæ Suſannæ, dictus de Turreyo.
Angelus ſanctæ Pudentianæ, dictus Laudenſis.
Petrus ſanctæ Praxedis, dictus de Hiſpania.
Conradus ſancti Chryſogoni, dictus Melitenſis.
Franciſcus SS. Quatuor Coronatorum, dictus Burdegalenſis.
Iordanus S. Laurentij in Damaſo, dictus de Vrſinis.
Ioannes ſanctæ Crucis in Hieruſalem, dictus Rauenatenſis.
Petrus Baſilicæ Duodecim Apoſtolorum, dictus Mediolanenſis.
Antonius ſancti Marci, dictus Tudertinus.

DIACONI.

Amedæus ſanctæ Mariæ Nouæ, dictus de Salutijs.
Raynaldus ſancti Viti in Macello, dictus de Brancacijs.
Landulphus ſancti Nicolai in Carcere Tulliano, dictus Bareñſis.
Balthaſſar ſancti Euſtachij, dictus ſancti Euſtachij.
Ludouicus ſanctæ Agathæ, dictus de Barro.

E

Oddo ſancti Georgij ad Velum Aureum, dictus de Columna.
Petrus ſancti Angeli, dictus ſancti Angeli ſenior.
Petrus ſancti Angeli, dictus ſancti Angeli iunior.
Antonius ſanctæ Mariæ in via Lata, dictus de Chalant.

Hi Cardinales numero 24. non 26. vt Panuinius, & olim Ciaconius, neque 25. *Piſis Archiepiſcopali Palatio in vnum congregati, Spiritus ſancti gratia implorata, vnanimes nemine diſcrepante elegerunt in ſummum Romanum Pontificem Petrum de Candia dictum, ſacræ Theologiæ Profeſſorem, tituli ſanctorum Duodecim Apoſtolorum, qui nomen aſſumpſit, & vocari voluit ALEXANDER QVINTVS.*

Electio Alexandri V.

F

Philippus de Turreyo Miſſam S. Spiritus celebrat. Epiſcopus Nouarienſis orat pro electione ſummi Pontificis. Philibertus de Naillaco Cuſtos Cõclaui. Alexandri V. Patria.

Ante dictam diem, videlicet die 25. eiuſdem menſis Iunij celebrata Miſſa de Spiritu ſancto per Philippum de Turreyo fratrem Cardinalis, Archiepiſcopum Lugdunenſem, habitoque ſermone hortatorio ad Cardinales pro optimo eligendo Pontifice, per Epiſcopum Nouarienſem, Cardinales ſupra recenſiti ingreſſi fuerant Conclaue, cuius cuſtodiam demandatam fuiſſe Philiberto de Naillaco Magiſtro Hoſpitalariorum, qui paullò ante Piſas aduenerat, eorum Annales tradunt.

Antequam ad rerum ab Alexandro geſtarum narrationem deſcendamus, libet tanti viri patriam inquirere, & pro auctorum diſcordia veritatem ſeriò examinare. Græcum illum fuiſſe, in Inſula Cretenſi natum ſcribunt aliqui: Nouarienſem volunt alij, atque in

A

Franc. Sforz. in hiſt. Pont. Mediol. Manen. Florent. Marc. Vlyſippon. Petr. Rodulph. Franc. Gonzaga. Familiam Caccorum Luc. Vvaddingus de ſcript. ordin. Min. Gaſp. Iongelin. in elogijs Cardinal. ord. Minorum. Carol. à Baſilic. S. Petr. in Nouar. Catal. Succeſſor. S. Barnabæ in Eccleſ. Mediolã. Carol. Sigonius de Epiſc. Bononien. Pomp. Vizan. in hiſtor. Bononienſi. Gaſp. Bombacij in mem. ſac. Virot. illuſt. Bononien.

Churſinallo vico in montibus ſito ſub plebe Eumeniæ Nouarienſis Diœceſis natum contendunt, & quædam rudia carmina ante ducentos annos, vt credunt, in ſacrario Eccleſiæ ſancti Iuliani Inſulæ non longè à Churſinallo inciſa idem Carolus à Baſilica ſancti Petri tranſcripſit, & ſunt

QVINTVS ALEXANDER de Religione Minorum
Ex Churſinalli Dominis fuit iſte Monarcha,
Sacra ſcriptura vir in artibus, atque ſupremus
Sicut teſtantur libri, quos ſcripſit in iſtis.
Integer vt viuens Virgo fuit, integer eſt nunc
Corpore Bononia, qui languida corpora ſanat.

Inferiùs hæc leguntur.

B

EPITAPHIVM
FR. PETRI NOVARIENSIS EPISCOPI
ALEXANDRI PAPAE V.
POSTEA NOMINATI.

Et ne negocium faceſſeret cognomen *de Candia*, dicit Carolus à Baſilica S. Petri propterea ita nuncupatum; quia longo tempore hæſit in ea Inſula, atque in ea religioſum ſubijt inſtitutum: conſuetum autem eſſe monet in illa gente montana, vt in longinquas abeat regiones; quia domi res eſt anguſta. Bononienſes eum ſibi vendicant allegantes teſtimonium cuiuſdam Canonici S. Ioannis, qui eas res, quibus ipſe interfuit in Chronicis à ſe compactis enarrat, atque inter hæc iſta tanquam à ſe audita recenſet. *Alexander tempore mortis ſuæ publicauit, quod erat Ciuis Bononienſis, licet de vili pro-*

C

genie, & in Saragaſia natus, & quod in ſua iuuentute dilectus à quodam Magiſtro de ordine Minorum Veneto conduxit eum Venetias, deinde Pariſios, vbi fuerat Magiſtratus, & deinde in Candiam, vbi diu ſtetit, & ideo de Candia dicebatur. Papienſes quoque ſuum eſſe affirmant, natum in Candiæ oppido ſito in Papienſi Territorio è gente Philarga eius Vrbis ciuilitate ornata, quæ Churſinallum oppidum Nouarienſis ditionis fiduciaria poteſtate obtineret. Et addunt, paternas domos, quas Papiæ ille poſſidebat, Martinum Quintum Romanum Pontificem, vt refert Boſſius in libro inſcripto *Miſcellanea ſacra*, conceſſiſſe anno 1421. Balthaſſari, Franciſco, & Bartholomæo fratribus de Caſtilionibus. Equidem Concilium Piſanum, ſi Alexander patria Cretenſis fuiſſet, de Candia non nominaſſet; Latini enim nunquam Candię vocabulum pro Cretenſi Inſula vſurparunt. Demum Mediolanenſes Principes Mediolani Archiepiſcopatum illis temporibus extero non commiſiſſent, dum Italia

D

tota diſſenſionibus dilaniata bello ardebat. Ego verò in re licet dubia ſi ſententiam meam proferre cogerer, ab illis non diſſentirem, qui Alexandrum Papienſem in oppido Candiæ natum volunt; tum quòd de Candia perpetuo cognomine pro Franciſcanorum more dictus ille ſit: tum etiam quia in Commentarijs, quos in Magiſtrum Sententiarum edidit, alijſque eiuſdem Petri operibus de Candia, nunquam Cretenſis nomen præfigitur. Non enim dum viris doctis ſcribebat, imperiti vulgi voces maximè barbaras vſurpare fas illi fuiſſet, dũ proprias, & Latinas in promptu habebat. Deinde S. R. E. Cardinales, dum Schiſma quam maximè in Eccleſia vigebat, ipſius Eccleſiæ regimen extero, natione Græco, à Latinis non modò moribus, ſed ritu alieno non commiſiſſent; dum viri inſignes Latini tum doctrina, tum morum ſanctitate clari inter ipſos Purpuratos eminebant. Maximo tamen decori erit Alexandro ſemper, vt plerique ferè certando illum deſiderent conciuem habere.

E

Res geſtæ in Pontificatu.

Alexander iam in ſolio Pontificio conſtitutus, prout erat ingentis animi, magna quæque molitur, vt Eccleſiæ vnionem conſolidaret, & corruptos hominum mores, & ex nimia temporis licentia exortos abuſus extirparet. Vt autem ab ordinum primoribus inciperet, longiſſimam ſcripſit encyclicam epiſtolam ad omnes Reges, & Proceres, ad Prælatos, & Clerum, & populum vniuerſum, in qua ortum Schiſmatis diuturni, ab ipſo, vt aiunt ouo, ab electione ſcilicet Vrbani VI. & intruſione Roberti Gebennenſis, ac progreſſus, narrat colluſionem Petri de Luna, & Angeli Corarij, diſceſſionẽ vtriuſque à tractatu vnionis, Cõcilij Piſani neceſſitatem, & actiones, ſententiam in colluſores latam, acta illorum reſciſſa, electionis ſuæ modum; Collegij vtriuſque coniunctionem, Schiſma ſublatum, vnionem Eccleſiæ ſub vno indubitato Paſtore explicat, & ad extremum hortatur, ne colluſoribus fauerent, ne gratias, aut beneficia ab eis poſtularent, ne ſancitis eorum parerent, ne minas aut cenſuras eorum metuerent; demum ne eos Pontificum loco haberent; quin potius illorum fidem eiurarent, & ex concepta formula Schiſma deteſtarentur, & ad Schiſmatis reliquias tollendas totis conatibus collaborarent.

Literæ encyclicæ.

Henricus Spondan. in Annal. Eccleſiaſt.

F

Reges, ac Principes Chriſtianos ad ſacram militiam excitat.

Deinde vt Sigiſmundo Hungarorum Regi à Turcis ad Columbacium Seruianorum oppidum prope Samendriam victo, atque opem imploranti, & Rhodianis militibus ad Terræ ſanctæ recuperationem aſpirantibus ſuppetias mitteret, miſſis Nuncijs, & literis omnes Reges, & Principes Europæos ad ſacram militiam excitauit. Ne autem Hæretici, Chriſti vineam deuaſtarent, Inquiſitorem Fr.

Vrg. lat. contra Hæreticos. Luc. Vvaddingus in Annal. Minorum.

Poncium Feugeyronis ordinis Minorum ſuis literis monuit, vt errores omnes procul faceret, malos Magiſtros, & Hæreticorum fautores ſeuerè puniret, & qui Schiſma fouebant, ad Eccleſiæ vnionem alliceret.

Conſtitutionē edidit pro mendicantibus.

Cum autem adhuc Piſis eſſet, quarto Idus Octobris anni 1409. Conſtitutionem edidit in fauorem ordinum Mendicantium, quam refert monachus Dionyſianus in ſuis Annalibus, & extat pariter in alio Codice m. s. Victorino, qua poſt narrata quæ Bonifacius VIII. in Conſtitutione *Super Cathedram, &c.* & Clemens V. de eadem in Concilio Viennenſi ſtatuiſſet ſuper prædicationibus, & confeſſionibus, ac ſepulturis, quæque poſtea Ioannes XXII. de condemnatione Articulorum Ioannis de Poliaco promulgaſſet, cum, vt ait, nuper fratrum Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, & B. Mariæ de Carmelo ordinum querelæ ad ſe delatæ eſſent, quòd nonnullæ perſonæ Eccleſiaſticæ, atque vtriuſque ſexus homines, nedum prædictos damnatos per eundem Ioānem Papam, ſed etiam quoſdam alios prorſus erroneos articulos non vererentur aſtruere, puta confeſſionem fratribus factam multis eſſe dubitabilem, & incertam, ac propterea homines teneri dimittere incertum, & ſolis ſuis Sacerdotibus curam animarum habentibus, de quibus nullum eſt dubium, confiteri. Item quamuis fratres habeant auctoritatem audiendi confeſſiones, & abſoluendi, tamen populum ſubiectum non habere poteſtatem accedendi ad eos ſine licentia proprij Sacerdotis. Item Sacerdotem Curatum dantem licentiam Mendicantibus audiendi confeſſiones, magis diſpenſare cum ſtatuto, *Omnes vtriuſque, &c.* quàm Papā fratribus dantem licentiam iuxta formā Decretalis, *Dudum, &c.* Hos omnes articulos, & alios tanquā erroneos, & ſacris Canonibus contrarios Alexander prædicta ſua Conſtitutione damnauit, & quicunque eos defendere, aut aſſerere præſumerent, Hæreticos eſſe cenſendos, & excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrere decreuit.

Recedit Piſis.

Ingreditur Bononiam.

Carol. Sigonius de Epiſc. Bononien.

Interim Piſas inuadente ſub finem anni 1409. lue contagioſa, receſſit Alexander Pratum, hinc Piſtorium, demum Bononiam, inde tranſiturus in Vrbem. Octauo Idus Ianuarij Bononiam ingreſſus eſt, & ab occurrente vniuerſa Ciuitate, ingenti omnium plauſu, ac gratulatione receptus, iv. nonas Februarij prima ſacra in Baſilica S. Petronij fecit, & ſacram Roſam Nicolao Marchioni Ferrariæ dedit. Ibidem Romanos Oratores benignè excepit, votiſque eorum ſatiſfacere, & Romam quantocius venire promiſit, ſed varijs curis diſtentus, & Ladiſlai armis impeditus, Bononiæ hæſit: Et dum intentus, vt Græcos Eccleſiæ Latinæ adiungeret, beneficia Eccleſiaſtica dignis conferret, ſimoniam procul faceret, Canonum obſeruantiæ inuigilaret, Schiſmatis fibras euelleret, pacem terris reſtitueret, vitia tolleret, ac virtutes reduceret, è vita exceſſit, atque hæc generoſa conſilia breui tēporis momento inopinata mors diſſipauit. Bononiæ apud Franciſcanos Conuentuales marmoreo tumulo eſt conditus, vt dictum eſt ſupra.

Obijt Bononiæ.

Huic tumulo inſcriptę Inſcriptiones, quas ſupra retulit Ciaconius.

Scripta.

Fr. Lucas Vvaddingus in ſuis Annal. Minor. & de ſcript. Minorum.

Scripſit Commentaria in quatuor libros Sententiarum, quæ extare m. ss. Oxoniæ in Bibliotheca Balliolenſi, Cremonæ apud Auguſtinianos, Piſauri in illa Ducis, Aſſiſij, & Patauij in illa ſancti Antonij apud Franciſcanos Conuentuales affirmant Ludouicus Iacobus à ſancto Carolo, & Vvaddingus. Extant etiam Toloſæ in Bibliotheca Collegij Fuxenſis, manu propria Fr. Petri Fuxenſis Cardinalis, qui Collegium extruxit, conſcripta.

Edidit etiam Quodlibeta quædam.

Concluſiones in Collegio habitas, quæ ſeruantur m. ss. Cantabrigiæ in Collegio Emmanuelis.

Sermones varios.

Epiſtolas ad diuerſos; quarum multæ ſunt m. ss. in Vaticano, & vna legitur ad Hugonem Etherianum tomo 6. Bibliothecæ Patrum.

Habentur in Bibliotheca Vaticana m. ss. editæ ab eo Regulæ Cancellariæ; & aliud opus inſcriptum: *Obligationes.*

Bernardus Buſt. ſerm. de Cōcept.

Hip. Marrac. in ſua Bibl. Pontificia.

Edidit etiam Tractatum de Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione: & iam Romanus renunciatus Pontifex euulgauit Conſtitutionem in fauorem eiuſdem Immaculatæ Conceptionis, non tamen, vt refert Salazar, id exiſtimandum eſt illam opinionem definiuiſſe, aut determinaſſe, ſed tantummodo illam approbaſſe, ac ſine iniuria fidei defendi poſſe Pontificia auctoritate ſanxiſſe.

Columniæ in Alexandrum dilutæ.

Non defuerunt tamen, qui huic tanto viro, & laude digniſſimo obloquerentur: primus Theodotus Niemus auctor proſcriptus, omnium illius temporis Pontificum maledicus conuiciator Alexandrum in multis accuſat, videlicet, quòd *omnia ex ſententia Balthaſſaris Coſſæ Cardinalis gerebat, quia ad Pontificatum eius opera euectus*, quòd *nimia morum facilitate nemini quicquam petenti denegarit*: quòd *inter competitores nequicquam diſcerneret, neque merita alicuius expenderet*, quòd *Miniſtris nihil deferret, ſed omnia pro arbitrio diſtribueret*: quòd *ſui inſtituti fratribus Cathedrales Eccleſias citra merita conferret, eiuſque creatione adeo illos lætatos, vt cateruatim vbique curſitauerint, tanquam amentes per vias, & vicos Ciuitatis*: Quòd demum *quatuor ordinibus Mendicantium decimas conceſſerit Eccleſiarum Parochialium, propterea quòd illi docendis populis ſeriò incumberent.* Et addit *magnas turbas rem hanc Pariſijs excitaſſe, opponente ſe Pariſienſi ſchola conceſſioni dolo, & fraude impetrata.* Miræ impoſturæ, & graues hæ ſunt calumniæ, quibus hominem omnium votis, & vnanimi conſenſu Cardinalium Pontificatu digniſſimum, tanquam immerentem, & omnino incapacem depingunt. Qui ſui regiminis, & prudentiæ adeo diuturnam fecit experientiam, qui virtutis, & iuſtitiæ ſpecimen exhibuit in tot regendis Eccleſijs, & diſtribuendis beneficijs, ad Pontificatum euectus adeo repente mutatus eſt in virum alterum, vt omnino deſipuerit? Hic ille eſt quem aduerſarum factionum Cardinales relictis veteranis Pontificibus vnum delegerunt Orbi pacificando, Clero reformando, Eccleſiæ gubernandæ? Hic ille eſt quem Inſubrum Dux primum voluit, & optimum probauit Conſiliarium, quem filij infantuli ſcripſit curatorem, & Principatus primum Dictatorem? Quòd autem Conſodales eius creatione exultauerint, nihil id mirum, nec vituperabile, hoc enim omnibus ſodalitatibus commune eſt, & licitum gaudij ſigna exhibere, dum ex illorum conſortio quiſquam euehitur ad excelſiores dignitates; quòd autem curſitarint, tanquam mente capti publicè per vicos, & plateas, hoc commentum eſt, & liuoris additio. Contra Theodoricum Niemum, & alios, aliorum auctorum aciem producit Frater Lucas Vvaddingus in tomo 5. Annalium Minorum, apud quem legere quis poterit. Illud tamen, quòd Alexander conceſſerit quatuor ordinibus Mendicantium decimas Eccleſiarum Parochialium, inſigne fuit inuentum, nunquam enim quid tale Mendicantium ordinibus ille indulſit.

VICECANCELLARIVS S. R. E.
ſub Alexandro V.

Ioannes de Bronhiaco, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus Vicecancellarij munere functus eſt ab initio Pontificatus Alexandri, vſque ad finem.

CARDINALIS MORTVVS,
ſub eodem Pontifice.

Petrus Blaui, ſeu Blani, Gallus, Diaconus Cardinalis ſancti Angeli, deinde Presbyter ſanctorum Ioannis, & Pauli obijt pridie Idus Nouembris, anno 1409.

IOANNES XXII. DICTVS XXIII. PONT. CCIX.

ANNO DOMINI MCCCCX.





IN NOMINE DEI, ET SALVATORIS Noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen.

IOANNIS primordia.

LVDOVICI Andegauenſis Ducis commendatione, non ſine ambitus ſuſpicione, Alexandro V. Bononiæ vita functo, ſexdecim Cardinalium ſuffragijs, xvj. Kalend. Iunij, Anno 1410. ſuffectus eſt Ioannes XXII. dictus XXIII. Papa, Balthaſſar Coſſa antea vocatus. Qui Neapoli patre equite, & opulento ortus, adoleſcens, Bononiæ, Ciuili, Pontificióque Iuri operam dedit; Doctoratus tandem gradu inſignitus, Romam non ſine Pontificatus obtinendi ſpe veniens, à Bonifacio IX. Papa, in patriæ gratiam inter Cubicularios primùm adſcitus*, inde Archidiaconatu Bononienſi, & Protonotariatu Apoſtolico honeſtatus, poſtea Diaconus Cardinalis S. Euſtachij, & Flaminiæ Legatus creatur. In prouinciam accedens, Ioanne Galeatio Vicecomite Inſubrium primo Duce vita functo, Bononiam, quæ eius præſidio tenebatur, obtinuit; & nouem annis integrè, ſumma cum laude, adminiſtrauit. Reliqua prouinciæ oppida, antiquis Tyrannis vel pulſis, vel ſublatis, recepit; præcipuus Concilij Piſani auctor fuit, in quo Alexander V. creatus eſt, cui gratiſſimus cum eſſet, Legatus Bononiæ ab eo confirmatur: eoque vita excedente, ſuffectus in eius locum Bononiæ* fuit, die Sabbathi xvj. Kalend. Iunij, hora 11. á ſexdecim Cardinalibus, vigeſimus nonus Papa Regnicola.

CONSEcratio, & Coronatio Papæ Io. XXII. dicti XXIII. EIVSDEM electio. *

Anno Chriſtianæ ſalutis 1410. *die Dominico viij. Kalend. Iunij*, in ſollemnitate S. Vrbani Papæ, Ioannes XXIII. Pontifex maximus, qui in die Sabbathi præcedenti, cum fuiſſet Presbyter conſecratus, per Ioannem Cardinalem Viuarienſem, Epiſcopum Oſtienſem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarium, in Baſilica S. Petronij, in Epiſcopum ab eodem Cardinale conſecratus eſt, Miſſa per eundem Pontificem cantata, ſeruatis conſuetis cæremonijs, & poſt Miſſam ante fores Eccleſiæ Cathedralis ſuæ coronationis* inſignia ſuſcepit, per Raynaldum Brancacium Neapolitanum, Diaconum Cardinalem SS. Viti, & Modeſti, S.R.E. Archidiaconum, Cæſaribus Roberto, & Sigiſmundo Romanorum Regibus, ſedit annos 5. dies 15.

CARDINALES XXIV. VIVI Quando Ioannes XXIII. Papa factus eſt.

EPISCOPI CARDINALES VI.

GREGORII PAPAE XI.

1. Guido de Maleſicco, Gallus, Epiſc. Card. Præneſt. Decanus.

BONIFACII PAPAE IX.

2. Henricus Minutulus, Neapolitanus, Epiſc. Card. Sabinus.
3. Antonius Caietanus, Romanus, Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus.

CLEMENTIS VII. ANTIPAPAE.

4. Nicolaus Brancacius, Neapolitanus, Epiſcopus Cardinalis Albanus.

BENEDICTI XIII. ANTIPAPAE.

5. Ioannes de Bronhiaco, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus, S.R.E. Vicecancellarius.
6. Petrus Gerardi de Podio, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus.

PRESBYTERI CARDINALES X.

VRBANI PAPAE VI.

7. Fr. Angelus de Anna, Neapolitanus, Presbyter Cardinalis S. Pudentianæ titulo Paſtoris.

CLEMENTIS VII. ANTIPAPAE.

8. Petrus de Turreyo, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Suſannæ, S.R.E. Archipresbyter, Legatus in Gallia.
9. Ioannes Flandrini, Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctorum Ioannis, & Pauli, titulo Pammachij.
10. Petrus Fernandi Frias, Hiſpanus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Praxedis, dictus de Hiſpania.

INNOCENTII PAPAE VII.

11. Conradus Caracciolus, Neapolitanus, Presbyter Cardinalis titulo S. Chryſogoni, S.R.E. Camerarius.
12. Franciſcus Hugoccionus, Vrbinas, Archiepiſcopus Burdegalenſis, Presbyter Cardinalis titulo ſanctorum Quatuor Coronatorum.
13. Iordanus Vrſinus, Romanus, Presbyter Cardinalis titulo SS. Laurentij, & Damaſi.
14. Ioannes Melioratus, Sulmonenſis, Presbyter Cardinalis tit. ſanctæ Crucis in Hieruſalem.
15. Antonius Calbus, Romanus, Presb. Card. tit. ſancti Marci.

BENEDICTI XIII. ANTIPAPAE.

16. Ludouicus de Barro, Gallus, Presbyter Cardinalis Baſilicę ſanctorum Duodecim Apoſtolorum, Legatus in Germania.

DIACONI CARDINALES VIII.

VRBANI PAPAE VI.

17. Ludouicus de Fliſco, Genuenſis, Diaconus Cardinalis ſancti Hadriani, S.R.E. Archidiaconus.

18. Raynaldus Brancacius, Neapolitanus, Diac. Card. SS. Viti, & Modeſti in macello Martyrum.
19. Landulphus Marramaurus, Neapolitanus, dictus Barenſis Diac. Cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano.

CLEMENTIS VII. ANTIPAPAE.

20. Amadæus de Sallutijs, Italus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ Nouæ Legatus in Germania.

BONIFACII PAPAE IX.

21. Balthaſſar Coſſa, Neapolitanus, Diaconus Cardinalis ſancti Euſtachij, Legatus Bononiæ.

INNOCENTII PAPAE VII.

22. Otho Columna, Romanus, Diaconus Cardinalis S. Georgij in Velabro.
23. Petrus Stephaneſcus Hannibaldus, Romanus, Diaconus Cardinalis ſancti Angeli.

BENEDICTI XIII. ANTIPAPAE.

24. Antonius de Chalant, Gallus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in via Lata.

S. MARci ſupplicationes à Ioanne inſtitutæ.

Ioannes Papa XXIII. in Vrbem venit, tertiam partem vini vectigalem fecit, multáſque auxit exactiones, quæ à Romanis ægrè ferebantur. Supplicationes à Baſilica Lateranenſe, vſque ad S. Petrum in Vaticano inſtituit die ſancti Marci, voluitque deferri in ea pompa Caput S. Ioannis Baptiſtæ, ea mente, vt interceptum, Florentinis largiretur, magnam pecuniæ ſummam ob eam rem accepturus. Quòd intelligentes Romani, Moniales S. Syluestri comitati, præſertim Columnenſes, & Capita Regionum, multi alij ciues Romani Caput comitati, & vigilanter ſeruantes, ne à quouis eripi, aut occupari poſſet, & incolume tamen ad S. Syluestri ædem reduxerunt; itaque res non pro voto Pontifici, & Florentinis ſucceſſerat. Venerat autem in Vrbem Ioannes Pontifex octo Cardinalibus comitatus Florentia anno 1411. die 11. Aprilis.

CONCIlium Conſtantienſe indictum.

Laude Pompeiæ Ioannes Pontifex Synodum indixerat: verùm ad Concilium Conſtantienſe omnium nationum conſenſu citatus, ad tollendum Schiſma, duos Cardinales ſtatim in Germaniam miſit, qui vnà cum Principibus Gallicæ, & Germanicæ nationis locum Concilio idoneum deligerent. Conſtantia locus commodior viſus eſt, in quo Synodus generalis celebraretur. Eſt autem Conſtantia ad Rhenum fluuium in Moguntina Germaniæ prouincia, à Conſtantio Conſtantini patre nomen habens, ac iuxta eam lacus eſt omnium amœniſſimus, in cuius infima parte Vrbs ſita non quidem magna, ſed opulenta, & pulchra. Eò itaque ad certum diem ex inſtituto proficiſcuntur nationes, proficiſcitur, & Ioannes Pontifex, admonentibus tamen quibuſdam, ne id faceret, quòd vererentur, ne cum Pontifex accederet, priuatus reuerteretur, quòd etiam contigit. Eò namque proficiſcens cum viris quibuſdam in omni genere doctrinæ præſtantibus, anno 1414. menſe Octobri, honorificentiſſimè ſuſcipitur die Dominico v. Kalend. Nouemb. qui Germanos multis diſputationibus incertos, & ambiguos tenuerunt, quid potiſſimum decernerent. Verùm ſuperueniente Sigiſmundo Imperatore, factâque omnibus dicendi, quòd liberet, poteſtate, multa crimina, grauiſſima Pontifici obiecta ſunt.

Ioannes Cóſtantiá proficiſcitur.

CRIMIna Ioanni obijciunt.

Anno Chriſti 1414. Pontificatus Ioannis XXIII. anno quinto, Gregorij XII. nono, Petri de Luna, Benedicti XIII. in ſua obedientia nuncupati anno vigeſimo primo, die nonarum Nouembrium, Indictione 8. Miſſa de Spiritu ſancto cantata per Dominum Papam Ioannem XXIII. inchoatum eſt ſacroſanctum generale Concilium Conſtantienſe, & die Veneris xvj. Kalend. Decembris eiuſdem anni prima ſeſſio habita eſt, in qua pertractatum eſt de pertinentibus ad proſequutionem generalis Concilij, & vnionis faciẽdæ.

CONſtãt. Concilij prima ſeſſio de vnione facienda.

Habita prima ſeſſione, Papa Ioannes XXIII. requiſitus eſt à ſancta Synodo, vt ſequentem ſchedulam acceptaret, iuraret, & voueret prout in ea ſcriptum erat, pro bono vnionis, pace Eccleſiæ, Schiſmate tollendo: quam cum per multos dies idem Pontifex accipere renuiſſet, tandem videns totum Concilium in hoc conſenſiſſe, & præſertim Prælatos Italicos, vt hanc ſchedulam acciperet, & ſimul timens ſe coactè facturum, quòd tunc liberè facere poterat, hanc omninò acceptare decreuit, & quòd in ea contineretur, approbare.

Ioannes ſchedulã pro bono vnionis acceptat.

Quapropter in ſecunda ſeſſione, quæ die Martis 6. nonas Martij, anno 1415. conuocata eſt, quum prius ipſe Pontifex Miſſam de Spiritu ſancto celebraſſet, eandem ſchedulam à ſe prius probatam, per D. Vitalem Patriarcham Antiochenum publicè legi fecit alta voce, coram toto Concilio, cuius tenor hic eſt.

SCHEDVla legitur.

Ego Ioannes Papa XXIII. propter quietem totius populi Chriſtiani, profiteor, ſpondeo, promitto, voueo, & iuro Deo, & Eccleſiæ, & huic ſacro Concilio ſponte, & liberè dare pacem Chriſtianæ Eccleſiæ per viam meæ ſimplicis ceſſionis Papatus, & eam facere, & adimplere cum effectu iuxta deliberationem præſentis Concilij, ſi & quando Petrus de Luna, Benedictus XIII. & Angelus Corarius Gregorius XII. in ſuis obedientijs nuncupati, Papatum, quem prætendunt, per ſe, vel per procuratores ſuos legitimos ſimpliciter cedant, & in quocunque caſu ceſſionis, vel deceſſus, aut alio, in quo per meam ceſſionem poterit dari vnio Eccleſiæ Dei ad extirpationem præſentis Schiſmatis.

SCHEDVla formula.

Cum autem requireretur ab omni Concilio, vt iuxta tenorem prædictæ ſchedulæ Pontificatum deponeret, hoc facere nolens, nocte clam habitu mutato Conſtantia fugit *, habito fugæ conſilio cum Friderico Auſtriæ Duce, à quo etiam comitatus eſt, vſque ad Schafuſiam, quód erat oppidum ditionis ipſius Friderici Ducis Auſtriæ; in Burgundiam paulò poſt profecturus: hoc factum fuit anno Domini 1415.

* Ioannes cum abdicare cogeretur è Cõſtantia aufugit.

Verùm Concilij, & Imperatoris Sigiſmundi ſtudio de fuga retractus in oppido Cellis Conſtantienſis Diœceſis in honeſta cuſtodia ex Concilij, & Imperatoris Decreto ſeruatus eſt. In quo loco exiſtens, formatus eſt contra eum proceſſus, & articuli multi per Concilium ſufficienter probati.

Ioannes Cõcilij decreto in cuſtodia detinetur.

Quare coactus eſt à Concilio ſeruare ea, quæ per dictam ſchedulam in ſecunda ſeſſione promiſerat, & vouerat. Pontificatum pridie Kalen. Iunij, anno 1415. in eodem oppido Sellis abdicauit, abrogationèmque à Concilio de ſe factam poſt fugam ſuam Conſtantia, & abrogationis cauſſam ratificauit, & approbauit, cum ad eam diem, ab initio ſuæ creationis, ſediſſet annos quinque, & dies quindecim, poſt cuius abdicationem cum Concilium Conſtantienſe ceſſionem Papatus à Gregorio XII. primùm, mox à Benedicto XIII. quærendo, tempus tereret, Apoſtolica ſedes vacauit annis duobus, menſibus quinque, & diebus 10. videlicet vſque ad legitimam electionem Martini V.

EIVSDEM abdicatio, approbatioque per Conc. facta.

DE SEDE vacante.

Balthaſſar Coſſa, olim Ioannes XXIII. Papa in cuſtodia poſitus honeſta, in caſtro de Cellis Cóſtantienſis Diœceſis, multoties clam fugere tentauit: quòd cum à Concilio intellectum eſſet, ne ſeditio aliqua oriretur, ſeu vnio impediri poſſet, ſtatim decretum eſt, vt traderetur cuſtodiendus Ludeuico Bauariæ Duci, Concilij nomine. Qui ipſum in fida cuſtodia recludens, tenuit in munitiſſimo caſtro Golebes, ſeù Manheim, vbi triennium in rerum omnium neceſſitate peragens ſine vllo cubiculario, famulóue Italico diligenter aſſeruatus eſt. Theutones erant cuſtodes omnes, quibus cum Ioannes nutibus, & ſignis loquebatur, cum nec ipſe linguam Theutonicam, nec illi viciſſim Italicam ſcirent, coempta tandem triginta millibus ducatorum fuga, anno Chriſti 1419. liber factus; rectà Florentiam venit, vbi Martinus V. erat, eius in Pontificatu ſucceſſor cum tota Curia ſua. Illic non ſine omnium admiratione, ac ſimul commiſeratione, quia in fugitiui hominis forma, lacrymabundus, humi genibus fixis, & ad eius pedes procumbens, eum vt Chriſti Vicarium veneratus eſt, omniaque tàm de ſe, quàm de D. Martino V. in Concilio Conſtantienſi facta, denuò approbauit, & ratificauit. Is ſupplicare alijs cernebatur, cui Principes, Reges, Imperatórque ipſe non modò paruerant, verùm etiam pedes venerabundi conſueuerant deoſculari, qui prætereà multos ad Cardinalatus honorem euexerat, qui tunc in eo Concilio Pontifici aſſidebant. Pontificatu priuatus ingentis muneris loco eodem anno 1419. Florentiæ à Papa Martino V. die Veneris ix. Kalend. Iulij, S. R. E. Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus, & ſacri Collegij Cardinalium Decanus creatus eſt, atque ob memoriam Romani Pontificatus, quem aliquando iuſtè poſſederat, ſedes eius propè ſedem Papæ paulò eminentior, quam cæterorum Cardinalium, poſita eſt; vixitque Cardinalis, vſque ad diem Veneris xj. Kalend. Ianuarij, anni eiuſdem 1419. in quo Florentiæ mortuus eſt, ibique in Baptiſterio S. Ioannis, ſepulcro marmoreo eleganti ſepultus: quum, poſt Pontificatus abdicationem, vixiſſet annos 4. menſes 6. dies 24. Vir maximo fortunæ ludibrio vexatus, & ingens rerum viciſſitudinis exemplum.

Ioannes Bauariæ Duci cuſtodiendus traditur.

E CARceribus coempta fuga, Florentiam fugit.

FLEXIS genib. Martino V. adorat Cõcil. Conſtant. de eo approbat.

CARDInalis Decanus à Martino creatur, aliiſq. præmuneribus decoratur.

EIVSDEM Obitus.

Ante Concilium Conſtantienſe, Ladiſlaus Rex Neapolis Oſtiam Tiberinam vi expugnauerat, & in Vrbem veniens, murum verſus Baſilicam S. Ioannis diruit, per quem ad palatium Lateranenſe cum ſuis copijs progreſſus multis diebus ibi permanſit, vſque ad 13. Martij, qua occaſione Ioannes XXIII. Vrbe exceſſit Florentiam proficiſcens menſe Iulio, multis Romanis comitatus, quorum non pauci ſiti in itinere enecti. Rex Arcem S. Angeli in deditionem accepit, quo tempore fames adeò increuit, vt menſura frumenti, quę rubrum dicitur, 18. florenis venderetur: multi ea charitate annonæ fame peribant. Quam rem miſeratus Ladiſlaus, Siciliam miſit, & magnam frumenti copiam nauibus in Vrbem inuexit, totumque egentibus diſtribuit, Romaniſque donauit, pauco pretio inde habito.

LADISlaus Rex Neap. Oſtia Tiberina vi expugnat Vrbẽque ingreditur.

Eo tempore Ladiſlaus ex Vrbe diſcedens, Florentiam contendit, in itinereque veneno interfectus fuit, miniſterio puellæ, quam vehementer Ladiſlaus amabat, quo tàm Rex, quàm ipſa perierunt. Rex enim videns lethali ſe veneno immedicabili correptum Florentia diſceſſit, libertateque illius morte Florentini potiti ſunt, quam amittere pro certo aliter habebant.

LADISlaus Florentiam tendens veneno interimitur.

Anno 1417. Brachius à Montone Peruſinus, Roma potitus Magiſtratus creauit, Arcemque S. Angeli oppugnauit, ſed acerrimè eam tuentibus, qui pro Regina Neapolis eam tenebant, licèt multis machinis tentatam, & tormentis impetitam expugnare nequiuit.

BRAchius Peruſin. Roma potitur.

Eodem anno 28. Auguſti, in Vrbem venit Sfortia miſſus cum auxiliaribus copijs à Regina Neapolitana Ladiſlai coniuge, vt obſeſſis in Arce S. Angeli ſuppetias ferret, per portam Populi ingreſſus, Brachium ab obſidione prohibuit, & fugauit.

SFORTIA in Vrbem veniens Brachium fugat.

Cæſar Robertus obijt Kalendis Iunij, anno 1410. interregnum fuit menſium trium, dierum nouem.

Cæſar Iodocus Rex Romanorum creatus xij. Kalend. Octobris anno 1410. regnauit menſes 6. qui obijt xiij. Kal. Aprilis ann. 1411.

Imperator Cæſar Sigiſmundus Auguſtus creatus menſe Martio anno 1411. imperauit annos 26. menſes 8. dies aliquot.

Iordanus Saxo, Petrus Birincquellus, Auguſtinus Romanus ex ordine Fratrum Eremitarum S. Auguſtini Theologi eximij.

Ioannes Hus, & Hieronymus de Praga combuſti.

In Concilio Conſtantienſi damnata eſt Ioannis Vvicleffi hæreſis, & duo ex ſectatoribus eius combuſti ſunt, Ioannes Hus, & Hieronymus de Praga eius diſcipuli, tãquam Hæreſiarchæ, quòd inter cæteros errores dicerent, Eccleſiaſticos ad imitationem Chriſti pauperes eſſe debere, cum ex tanta rerum copia, & luxu, populi omnes ſcandalizarentur; primi omnium mitras in capitibus geſtarunt cum inſignibus dæmonum, idque ad alios deinde hæreticos tranſlatum.

ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

¶ *Bonifacio IX. in patria gratiam Cubicularius primum.*] Ex *Cubiculario ſuo in patria gratiam Diaconus Cardinalis S. Euſtachij Flaminiaque Legatus creatus.* Panuinius in elogio, quo munere fungens Bononiam Io: Galeatio Inſubrum Duci abſtulit. Idem loco citato.

* *Suffectus in locum eius Bononia.*] In Gregorij Cardinales pauperes adhuc largitione viuum Coſſam, ante Pontificatum, memorat Platina loc. cit. Pontifex Bononiæ creatus Io: Cardinalium Comitatus corona equo vectus per Vrbem incedens ſtipem diſperſit in populum: cum in Palatium rediſſet, Henricum Cardinalem Neapolis Bononienſi legatione honeſtauit. Vide Sigonium de Epiſc. Bonon.

* *vij. Kal. Iunij...... ante fores Eccleſia Cathedralis ſua Coronationis inſignia.*] vij. Kalen. in S. Petronij (differt hoc Templum à Cathedrali D. Petri) gradibus Io: coronatum, ait Sigonius: quo die equo inſidens, Marchione Ferrariæ, Nicolao, & Malateſta Ariminiu Regulo, Equitibuſq; Bononienſibus ſtratorum munus obeuntibus, iterum per Vrbem inceſſit, anno 1411. pridie Kalen. Februar. Ludouicus Galliarum Rex, qui paulò ante Neapoli Bononiam acceſſerat, ſacræ aureæ Roſæ donum à Io: Pontifice accepit. Pontifex autem triumphali pompa, (Sigonium ſequor,) tertio Bononiam luſtrauit: & pridie Kalen. Aprilis Romam inde contendit.

Loc. cit.

* *Caput Io: Baptiſta.*] Aſſeruatur ſacrum Præcurſoris Caput Romæ in Aede S. Syluestri ad Campum Martium. Martyrol. Rom. die 29. Aug. In Gallias Alexandria tranſlatum, dicunt nonnulli; at Cardinalis Baronius caput illud Ioannis, illic cum Cyro martyrio coronati, fuiſſe, teſtatur in Notis in Martyrologium; quem, mirum additæ veritatis indagatorem, ſequitur Io: Giacchettus libro de S. Io: Baptiſtæ Capite in indicato S. Syluestri Templo aſſeruato, qui nondum in lucem erupit: agit autem in eo de varijs inuentionibus illius ſacri Capitis, de ſeptem tranſlationibus; & diluit eorum argumenta, qui illud alibi eſſe, dixerunt.

29. Auguſti.

Templum S. Syluestri ad campum Martium dicitur de Capite, ob Caput Præcurſoris.

* *Nationum conſenſu citatus.*] Ex Platina in Io: XXIII. quem ipſe XXIV. dicit. Vt Schiſmatis monſtrum necaretur, hæreſeſque ſcelerati Vvicleffi, quas nefarius Hus ſacrilegis concionibus fouebat, aliæque ab hoc ipſo additæ, quaſi funeſtę tartari faces extinguerentur, Io: Pontifex, Sigiſmundo Rom. Imp. electo ſuadente, Concilium, Conſtantiæ deinde habitum, indixit. Ex Bulla conuocationis Concilij *Ad pacem, &c.* in qua etiam agitur de ipſo Concilij loco, Dat. Laude 5. Idus Decemb. anno 1413. Pontif. Io: 4.

Habetur ſeſſ. 1. Concil. Conſtant.

Dum Io: Pontifex legeret verba illa *ſpondeo, promitto, voueo, & iuro*, verſus Altare procubuit in genua, manúſque ad pectus admouens, adiecit. *Et ita promitto obſeruare*. Imperator ſtatim flexis poplitibus, corona depoſita, Pontifici, pedem eius exoſculans, gratias egit, ex ſeſſ. 2. Concil. Conſtant.

* *Noctu fugit.*] De clandeſtina fuga Ioannis etiam in ſententia diffinitiua ſeſſ. 12. Conc. Conſtantien. Promiſerat Io: ſe Pontificatu abdicaturum: at mutauit conſilium, Pontificijſque abiectis inſignibus, Conſtantia noctu egreſſus ad Auſtriæ Ducis, cuius opem popoſcerat, oppidum, metu affectus, ſe recepit; eaque fuga Concilio moleſtiam attulit. Accidit autem illa: poſt ſecundam Concilij ſeſſionem: in quarta Archiepiſcopus Rhemenſis dixit, Ioannem non vi, non metu, non culpa adactum Conſtantia diſceſſiſſe; ſed bonæ valetudinis cauſſa; nam aerem illius Vrbis ſibi pernicioſum eſſe cognouerat, ſeſſ. ſexta ſtatutum eſt, vt Legati decreti Ioannem adirent, peterentque ab eo: vt procuratores ad cedendum Pontificatu conſtituerent: ſeſſ. 11. nonnulla eius crimina recenſentur; 12. ſententia contra ipſum lata fuit, quam ipſe ſuo aſſenſu probauit: extatque ibidem ratificationis, vt aiunt, inſtrumentum: decreuit autem Concilium, eadem ſeſſione, die 29. Maij, anno 1415. ne Balthaſſar Coſſa, aut Angelus de Corario, vel Benedictus de Luna iterum in Pontificem eligeretur: agnouerant ſapientes illius Concilij patres difficillimum, & longiſſimi temporis opus eſſe, ſingulorum trium hominum de Pontificatu diſceptantium iura perpendere, & quiſnam præferri deberet, argumentis exquirere, & declarare; quare in eo elaborarunt; vt eorum quilibet de ſuo cederet iure, & vnus, ijs amotis, certus, de quo nulla dubitatio eſſe poſſet, ad ſummum Pontificatum efferretur.

Extat ibi ſententia.

V. hiſt. Concil. Conſt.

Io: XXIII. hæreſis accuſatum in Concil. Conſt. ſeſſ. 11. exploratum eſt: aiebant, qui accuſabant, dixiſſe Io: hominis animam interire cum corpore, nullam eſſe aliam, poſt hanc vitam: reſurrectionem mortuorum non futuram, Cardinalis Bellarminus aduerſarios refellens, qui nonnullis Romanis Pontificibus errores adſcripſerunt dicit, Io: XXIII. non fuiſſe Pontificem omnino certum, & indubitatum: tunc enim quis ex tribus, qui Pontifices dici volebant, verus Pontifex eſſet, diſcerni facilè non poterat. Pighius, de Eccleſ. Hierar. Romanos omnes Pontifices, eo D. Petri priuilegio cumulatos putat; vt eorum fides deficere, nequeat. Bacchante Schiſmate, diuerſa confingi, & culpa vacantibus appingi aliquando conſueuerunt: num id acciderit in Io: XXIII. *Deus nouit*, ait Gretſerus, in Exam. Myſt. Pleſſæani; adijcitque *Caluiniamus Scarabeus voluitet ſeſe, & oblectet in ſtercoribus Io: XXIII. vſque ad ſatietatem nihil inuidebimus.*

Lib. 4. c. 8.

Cardinalis Aegidius Viterbien. in hiſt. 20. ſec. m. s. Balthaſſarem Coſſam largitione, & vi ad faſtigium aſcendiſſe, dixit; dediſſeque operam, miſſis Legatis ad Germaniæ Principes, vt Sigiſmundus Lucemburgus Hungariæ, & Boëmiæ Rex, in Imperatorem deligeretur; ſperans fore, vt ille hoc beneficio deuinctus defenſoris munus diligentiſſimè obiret; volebat enim, ijs rebus ſuum tueri gradum, quibus illum adeptus fuerat.

Vocatus Io: ad Conſtantienſe Concilium, multis diſſuadentibus, Conſtantiam ſe recepit, ſed doctiſſimorum hominum, quos ſecum habuit, cœtu confiſus; *Intelligens* ait Aegidius, *Pontifices nullas arces, nullos exercitus, nullas vires ad ſe tuendas efficaciores, quàm hominum eruditorum habere*. Certe, vbi iure agitur, docti viri, & probi tutiſſimum ſunt præſidium; monebatur Io: ne Conſtantiam proficiſceretur, fruſtraque ſi id ageret pœnitentiæ anchoram adhibiturum: ſed delicta quis intelligit? abducunt illa à rectè viuendi via, & ad pœnam luendam pertrahunt; quæ animum ſeducunt, vt homo labatur, eadem faciunt, vt puniatur. Cum illi Conſtantiæ crimina obiecta fuere, fruſtra reſipiſcere, & ſua conſilia accuſare cœpit: clam fugit, mutata veſte: ſed quæſitus inuenitur; in carcerem conijcitur; ibi ſententiam, qua fuit punitus, approbauit; triennio, ait idem, Adelbergæ cuſtoditur; ijs tributis comitibus, & non alijs, *quibus non lingua, ſed nutibus agi poſſet*: vt qui nec Pontificem intelligerent, nec a Pontifice intelligerentur.

De hoc Pontifice pauca Garimbertus, lib. 4. Rerum à Pontiff. & Cardd. geſtarum, cap. 5. vbi de varia quorundam fortuna. Ianus Vitalis de eodem moriente ſcripſit.

Coſſa nothus palmes conſertus in arbore furtim
Pontificum, a ſancta ſede reuulſus obit,

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI
SOCIETATIS IESV.

IN ſacri Collegij libro, hæc de Ioannis electione in Romanum Pontificẽ annotata legimus: *Bononia anno* 1410. *Indictione* 3. *die Mercurij* 14. *menſis Maij, hora* 22. *infraſcripti Reuerendiſſimi in Chriſto Patres, & Domini, Domini, Sancta Romana Eccleſia Cardinales numero* 17. *nouena ſolemniter celebrata, & ipſa die cantata Miſſa, Spiritus ſancti, vt eſt moris, Conclaue intrauerunt pro electione futuri Romani Pontificis, videlicet.*

Nomina Cardinalium, qui Conclaue ingreſſi ſunt.

EPISCOPI.

Henricus Sabinenſis, dictus Neapolitanus.
Nicolaus Albanenſis, dictus Albanenſis.
Ioannes Oſtienſis, dictus Vsuarienſis.
Petrus Tuſculanus, dictus de Podio.
Angelus, dictus Laudenſis.

PRESBYTERI.

Petrus tituli ſancta Praxedis, dictus de Hiſpania.
Conradus ſancti Chryſogoni, dictus Melitenſis.
Franciſcus SS. Quatuor Coronatorum, dictus Burdegalenſis.
Iordanus S. Laurentij in Damaſo, dictus de Vrſinis.
Ioannes ſancta Crucis in Hieruſalem, dictus Rauennatenſis.
Antonius ſancti Marci, dictus Tudertinus.

DIACONI.

Raynaldus ſancti Viti in Macello, dictus de Brancacijs.
Landulphus ſancti Nicolai in Carcere Tulliano, dictus Bareñſis.
Balthaſſar ſancti Euſtachij, dictus ſancti Euſtachij.
Otho ſancti Georgij ad Velum Aureum, dictus de Columna.
Petrus ſancti Angeli, dictus ſancti Angeli Iunior, qui ab Alexandro promotus eſt de titulo SS. Coſma, & Damiani.
Antonius ſancta Maria in via Lata, dictus de Chalant.

Cardinalium igitur ſexdecim ſuffragijs Ioannes XXII. dictus XXIII. die Sabbathi, hora xj. renunciatus eſt Romanus Pontifex. Tradunt aliqui virum fuiſſe armis, quàm religioni aptiorem, in temporalibus magnum, in ſpiritualibus modicum, ſeu, vt Leonardus Aretinus, & S. Antoninus habent, nullum. Quare obſeruat Gobellinus Perſona, qui cum eo conuerſatus ſæpe eſt, multos ex eius elec-

Ioannis electio. Felix Contelorius in Elencho. Henricus Spondan. in Annal. Eccleſiaſt. Conncia nonnulla in Ioannem.

tione ſcandalum paſſos eſſe: & auctor Burdegalenſis, ſuiſſe quidem eum à Cardinalibus Neapolitanis, & Gallicis facile electum; at verò Franciſcum Cardinalem Burdegalenſem nunquam voluiſſe conſentire dicentem, ſe potiùs eum in Regem, vel Imperatorem electurum. Sunt etiam qui ſcripſerint, eum violenter creatum eſſe, quòd & Legatus Bononienſis eſſet, & armatos milites tum in Vrbe, tum in agris pro ſtatione haberet; vel etiam largitione, quòd Alexandro mortuo, munera diſtribuiſſet pauperibus Cardinalibus Gregorianis; aut denique ambitu, quòd Ludouicus Rex audito Alexandri obitu, cùm non longè abeſſet cum nauium claſſe, quendam Oratorem ſuum ad Cardinales, antequam Conclaue ingrederentur, miſerit pro commendatione eiuſdem, quem ſuum ſingularem amicum eſſe dicebat. Denique ipſum ſemet Pontificem declaraſſe, ceteris præ metu contradicere non auſis, Bergomenſis narrat. Horum tamen pleraque vana eſſe nihil dubitamus, cum nec Niemus eius hoſtis, & in omnes maledicus aliud ei obijciat, quàm prædictam commendationem Ludouici Regis. Nec in criminationibus in eum in Concilio Conſtantienſi acerbiſſimè congeſtis aliud dicatur quàm generatim, quòd tantùm practicare ſciuit, vt in Romanum Pontificem electus extiterit. Manſit autem toto eo anno Bononiæ tractans interim cum Ludouico, & Florentinis de bello contra Ladiſlaum Regem, cui erat infenſiſſimus, pro defenſione Eccleſiæ gerendo.

Platina. Naucleus.

Decimas Galliæ poſcerat.

Narrat Monſtreletus miſiſſe Ioannem initio Pontificatus in Gallias Archiepiſcopum Piſanum pro Decimis, & vacantijs Beneficiorum Eccleſiaſticorum, & Spolijs Sacerdotum defunctorum, quæ iure Diuino, Naturali, Canonico, & Ciuili deberi ſummo Pontifici, & Cameræ Apoſtolicæ contendebat; Vniuerſitatem verò Pariſieſem his acriter initio reſtitiſſe, ſed tandem conceſſiſſe, vt ſubſidium caritatiuum concederetur mediæ Decimæ.

Romã ſe confert.

Anno à partu Virginis 1411. Bononia Romam adijt, eamque intrauit vnà cum Ludouico Andegauenſi Siciliæ Rege, & Cardinalium cœtu, Sabbatho ſancto, & à ciuibus exceptus ſummis honoribus, Miſſam die Paſchatis celebrauit in Baſilica Vaticana. Deinde die feſto S. Georgij 23. Aprilis poſt Miſſarum ſolemnia ibidem peracta, Vexilla militaria Pontificum, Romanæ Eccleſiæ, Ludouici Regis, Senatus, Populique Romani, nec non Pauli Vrſini Pontificiarum Copiarum Ducis ex ſolemni formula ſacrauit, & die S. Vitalis 28. eiuſdem menſis ipſis Ludouico, & Paulo ſummam rei bellicæ commiſit contra Ladiſlaum Eccleſiæ hoſtem, & Angeli Corarij olim Gregorij XII. fautorem. Legatum Apoſtolicum eis adiunxit Petrum Stephaneſcum Hannibaldum Romanum, Diaconum Cardinalem S. Angeli: quibus datus eſt auxiliator Iacobus Sfortia Dux illius æui celeberrimus.

Bellum parat contra Ladiſlaũ.

Oratores Polonæ cũ muneribus ad Põtificem miſſi.

Excepit Romæ Oratores ab Vladiſlao Polonorũ Rege, cum perampl is donis miſſos: Crucem aduerſus Ladiſlaum tanquam impium Schiſmaticum, iniuſtum Regni Siciliæ vſurpatorem, & acerbiſſimum Eccleſiæ hoſtem publicauit, & vbique promulgari iuſſit cum ijſdem indulgentijs, & conditionibus, quæ concedi, & apponi conſueuerunt pro tranſmittentibus in Terram ſanctam. Hinc autem ſibi timens Ladiſlaus, ad fraudes ſemper, & vbique intentus, cum Pontifice tractare cœpit de obedientia ei præſtanda, miſſoque per Pontificem Nicolao Brancacio Epiſcopo Cardinali Albanenſi, pacem cum eo compoſuit, ſed in ſpeciem magis quàm ex animo, cum nihil Ladiſlaus ex fide ageret, qui nullam habebat. Sed reuera Ioannes paulò poſt eiuſdem Ladiſlai morte releuatus, Bononia, ad quam Vrbem Roma confugerat, vt Ladiſlai arma, ac manus euitaret, recedens, per Veronenſem, ac Tridentinum agrum tranſmiſſis Alpibus Conſtantiam acceſſit, Ciuitatem Germaniæ in Prouincia Moguntina ad Rhenum, & lacum amœniſſimum ſitam ea parte qua Heluetios reſpicit, quæ à Conſtantio Conſtantini Magni patre nomen accepiſſe dicitur. Ibi ſolemniter acceptus eſt 28. Octobris anni 1414. quæ erat dies Dominica, ac feſtum SS. Apoſtolorum Simonis, & Iudæ: cuius ingreſſum ſpecialiùs deſcripſit Naucleus. Iacobus Cerretanus in ſuis Diarijs narrat, die 18. Nouembris, poſt aduentum Ioannis, poſtulante Cardinale Fr. Ioanne Dominici, Gregorij XII. Legato aſſignatum eſſe Cœnobium S. Auguſtini ordinis Eremitarum pro hoſpitio, cui cum Inſignia Gregorij præfixiſſet, ea detecta fuiſſe nocte ſequenti: diſceptatione ex de re habita in Concilio, decretum eſſe non debere illa poni in loco obedientiæ Ioannis.

Naucler. Cromer. in Miſſoc. Polon.

Crucem in Ladiſlaum promulgat.

Ladiſlaus pacem init, & obtinet.

Cõſtantiã accedit.

Gregorij XII. inſignia detecta ex ſynodi Decreto.

Cum Archiepiſcopus Biſuntinus Theobaldus de Rubeo monte dictus Conſtantiam poſt Ioannis Pontificis aduentum peruenitſet, ex priuilegio Eccleſiæ ſuæ conceſſo, Papam in prima viſitatione teneri ſibi tribus paſſibus occurrere poſtulabat. Ioannem tamen id recuſaſſe eiuſdem Synodi acta referunt, & cauſam Placentino, & Aquileienſi Cardinalibus commiſiſſe. Quòd quidem putamus eum feciſſe, non quòd indignum Pontificia Maieſtate cenſeret trium paſſuum occurſum vni ex fratribus ſuis exhibere; ſed quòd Biſuntinus ex neceſſaria obligatione, & ſingulari priuilegio præ ceteris contratribus illud ſibi debitum contenderet. Quid verò pronunciatum à prædictis Cardinalibus fuerit, Acta non ponunt. Ioannes ne coactus Pontificatum ſicut promiſerat, dimitteret, nocte præcedente diem feſtum S. Benedicti vigeſimum primum Martij, re cum Federico Auſtriæ Duce ſecretò compoſita, diſſimulato habitu Conſtantia Vrbe egreſſus, Schoffuſiam aufugit oppidum prædicti Federici Diœceſis Conſtantienſis ad eundem fluuium Rheni quatuor milliaribus Conſtantia diſtans. Quare cum omnes turbarentur, Sigiſmundus Imperator, qui ad ipſam Synodum iam ante acceſſerat, congregatis nationibus, metum deponere iuſſit; ſe enim protecturum Concilium, & vnionem, vſque ad mortem procuraturum. Continuò verò Ioannes miſſo Conſtantiam Archiepiſcopo Rhemenſi Schoffuſiæ reperto, ſignificauit, ſe minimè receſſiſſe, ne promiſſionem impleret, aut intentione diſſipandi Concilium, ſed vt liberè, ac ſecurè poſſet, quæ ſpoponderat, perficere. Concilium illico Cardinales tres ad Ioannem miſit, vt eius voluntatem ſcrutarentur: cum eorum ſeptem alij, ſpecie aut ſpe reducendi, eundem adijſſent.

Archiepiſcopus Biſuntinus priuilegio ſuæ Eccleſiæ explicat.

Fuga ſe commiſit.

Nuncium mittit ad Cõcilium.

Cardinales tres à Concilio miſſi ad Ioannem.

Quæ autem fuerit Ioannis receſſus cauſa, ex actis Victorinis intelligitur, videlicet ſimulationes inter illum, & Sigiſmundum Imperatorem: & confirmatur diſertiùs à S. Antonino, cum ait diſcordias inter eos oriri cœpiſſe, quæ alterum alteri ſuſpectum planè, & inimicum reddidere. Ioannes autem ad Ducem Burgundiæ poſt receſſum ab Vrbe Conſtantiæ Oratores cum literis direxerat, quibus ſignificabat, ſe Conſtantia ad hoc tantùm receſſiſſe, vt iret Niciam ad renunciandum in propria perſona. Literas quoque ad Vladiſlaum Poloniæ, & ad alios Reges Chriſtianæ Reipublicæ dedit, quibus narrabat, quomodo ſtudio procurandæ pacis in Eccleſia, in dicto Conſtantienſi Concilio, viam ceſſionis ibi obtuliſſet, ac iuraſſet, licet nullatenus ad eam aſtrictus eſſet; eo quòd Petrus de Luna, & Angelus Corarius fuiſſent à Concilio Piſano eiecti, & damnati. Contra hos Ioannis literas Concilium aliàs ſcripſit ad omnes Chriſtifideles, quibus narrabat, cum per Piſanum Concilium Schiſma non potuiſſet tolli, ex ipſius ordinatione fuiſſe aliud ab ipſo Ioanne indictum. In quo tametſi idem Ioannes ſolum confirmationem Concilij Piſani, quòd Petrum de Luna, & Angelum Corarium eiecerat, procuraret, vt ſic ſtatum ſuum vnitati Eccleſiæ anteponeret, ipſum nihilominùs Concilium magis ad vnitatem intẽdens, quæ per tres contendentes impediebatur, nec vſquam ab ordinationibus Piſani recedens, viam ceſſionis omnium trium vti faciliorem, ac ſecuriorem tractaſſe, atque ad illam acceptandam Ioannem induxiſſe. Et cum nihilominùs haud plenè ſatiſfacere videretur, tandem poſt multa hinc inde habita colloquia, alio meliori modo per Concilium recepto, eum die ſecunda Martij cedere promiſiſſe, ac iuraſſe. Poſt quæ & alia narrata damnabant Ioannis fugam, eumque ad reditum humillimis obſecrationibus inducere conabantur, vt tot annis, ac tot laboribus, & impenſis quæſita pax, & vnio Eccleſiæ, vnanimi ipſius, & Synodi affectu faciliùs, ac feliciùs concluderetur.

Cauſæ huiuſce fugæ.

Literas ſcribit ad Chriſtianos Reges.

Cõcilium literas ſcribit contra Ioannem.

Die 24. Martij ſummo mane duo Cardinales, Piſanus videlicet, & Placentinus ſecretò Conſtantia receſſerunt, eademque die poſt prandium Brancacius, Barenſis, ac ſucceſſiuè quidam alij Cardinales, multi Officiales, & Curiales ſecuti ſunt Ioannem. Quarta verò feria videlicet 27. Martij, quatuor Cardinales Conſtantiam redierunt, & ex die facta eſt Congregatio Concilij, cui Rex Romanorum interfuit. Ad eam accedentes ſex Cardinales, qui pro Ioanne ſtabant, affirmarunt Concilium eſſe diſſolutum propter abſentiam, & receſſum Pontificis; acriter tamen eis reſtiterunt plures ex partibus magnæ auctoritatis, & doctrinæ. Eadem die in portis maioris Eccleſiæ Conſtantienſis affixa eſt quædam ſchedula, qua nomine Ioannis Põtificis citabantur omnes Officiales Papæ ſub pœna excommunicationis, & priuationis ad ipſum accedere. Ea ad prædictam Congregationem perlata, conclamatum eſt in Cardinales illos, qui ſpecie pacis, & concordiæ venientes Conſtantiam, illam ſchedulam ad res turbandas attuliſſent: cuius tamen ipſi ſe conſcios eſſe negarunt. Referunt etiam Acta Victorina, nec non Diaria Cerretana Cardinales illos, qui è Schoffuſia redierant die 27. Martij, literas & mandatum à Ioanne retuliſſe, conſtituturum ipſum Procuratores ad cedendum ipſo abſente, vel nolente. Futuros autem Procuratores omnes, & ſingulos Cardinales; ita vt tres eorum poſſent ceſſionem facere; ac prætereà electurum octo Prælatos, quorum ſimiliter tres mandatum ceſſionis exequi poſſent, qui hoc modo eligerentur ab ipſo, vt Concilium nominaret triginta ex omnibus nationibus, & ex ijs Papa eligeret octo: conſtituturum quoque Vicarios ad negocium Concilij omnes, & ſingulos Cardinales exiſtentes Conſtantiæ, qui ex ſe vnum conſtituerent præſidentem. Petere autem, vt ageretur de prouiſione eius poſt ceſſionem; & vt Rex Romanorum, & Concilium redderent eum ſecurum tam ante, quàm poſt ceſſionem ab omni moleſtia, ac par ſecuritas concederetur Duci Auſtriæ, ſaltem ad certum tempus. Tranſijt deinde Ioannes ad caſtrum Louffenberg ſitum etiam ad ripam Rheni, & paulò poſt, vt Niemus in eius vita tradit, die ſcilicet Mercurij poſt octauam Paſchæ, nempe decimo Aprilis, in crepuſculo matutino, mutato habitu recedens à Louffenberg, duobus, vel tribus tantummodo comitatus Friburgum petijt muniti ſſimum oppidum eiuſdem ampliſſimæ Diœceſis Conſtantienſis; vbi poſtquam aliquot dies manſiſſet, tranſtulit ſe Briſacum oppidum eiuſdem Diœceſis ad flumen Rheni, ſpe tractandi cum Duce Burgundiæ, cuius terræ aliquæ non longè aberant, de ſui ipſius abductione ex Germania ad Ciuitatem Auenionenſem, quæ erat ſedis Apoſtolicæ, cõducta iam ad hoc valida armatorum manu, quæ tempus opportunum opperiebatur. Verùm re inter moras detecta Regi Sigiſmundo, Ioannes iterum mutato habitu ad oppidũ Nuemburgum ſiue Nouumcaſtrum eiuſdem Diœceſis ad idem flumen abijt. Sed illico ex falſo rumore aduenientis exercitus Sigiſmundi

Cardinales aliquot à Concilio recedunt.

Redeunt paulò poſt, & volunt Cõcilium eſſe diſſolutum ob receſſum Pontificis.

Ioannes Miniſtros ſuos vocat.

Conditiones pro ceſſione Pontificatus.

Noua itinera commutat.

adeum

Legati Cõcilij tractant cum Ioanne.

ad eum obſidendum, rediit cum magna feſtinatione Friburgum; vbi eum conuenerunt Legati Synodi, duo ſcilicet S. R. E. Cardinales, aliquot Epiſcopi, Abbates, & Doctores miſſi ad ſuadendum ei reditum Conſtantiam, vel acceſſum ad vnum aliquem ex tribus alijs locis vicinis ei deſignatis, cum omni ſecuritate, & ſaluoconductu Regis Romanorum, vt faciliùs res terminarentur, atque interim, dum eius expectaretur reſponſum, ſuperſederetur à proceſſu contra eum faciendo. Die 24. Aprilis audito à Ioanne Concilij Nuncij remiſſi ſunt ad ſequentem diem pro accipiendo reſponſo: interim, ſummo mane clam receſſit ad oppidum Nuemburgum, mandans interim Legatis ſe receſsiſſe, eo quòd illa nocte recepiſſet Nuncium de periculo, quòd ei imminebat Briſaci. At verò reſumentes iter Legati Conſtantiam verſus, cum perueniſſent Friburgum, acceperunt à Ludouico Bauaro, Ioannem futurum ea die Friburgi; quare moram ibi trahentes, appulſo Pontifice, triduo cum eo egerunt, ac tandem obtinuerunt procuratorium datum 27. Aprilis, quo promiſit, ac iurauit, purè, & ſimpliciter renunciare Papatui per ſe, vel Procuratores, quam primùm per Concilium de ipſius honeſto ſtatu pro vita, & honeſta libertate foret prouiſum ſecundùm formam à ſe traditam Cardinalibus S. Marci, SS. Coſmæ, & Damiani, ac Epiſcopo Carcaſſonenſi. Quòd tamen Procuratorium, etſi, vt facilè apparet, imperfectum, quòd & propterea à Concilio repudiatum eſt, noluit Concilio tradi, donec ſibi de ſtatu prouiſum eſſet; ſed interim cuſtodiri à Comite Bertholdo de Vrſinis Romano, Cuſtode Cõcilij. Quæ verò eſſent Ioannis petitiones, recenſet Niemus, videlicet, quòd toto tempore vitæ ſuæ eſſet Legatus à latere irreuocabiliter per totam Italiam, haberet ſub ſe Bononiam, & eius Comitatum in temporalibus, nec non Comitatum Aueniouenſem: emerentur ipſi annui reditus ad vitam triginta millium auri, videlicet decem Venetijs, totidem Florentiæ, ac totidem Genuæ: liber eſſet ab omni cuiuſcunque ſubiectione, ac nihilominùs remaneret Cardinalis, & particeps eſſet emolumẽtorum Cappellæ, & immunis à reddenda ratione omnium hactenus geſtorum, ac in futurum gerendorum. Quæ tanta, & alia huiuſmodi nonnulla Ioannem petijſſe Niemus ait, quòd ſciret ea non ſibi fore concedenda, vtpotè in multis irrationabilia, quærens dumtaxat tempus huiuſmodi ludificationibus trahere, ſpem ſemper habens eductionis à Burgundiæ Duce. Concilij patres audita legatorum ad Ioannem Pontificem miſſorum legatione, cum iam tædio affecti eſſent ex tam varia eius locorum mutatione, ſeu potiùs ſuffugio; nec vlla ampliùs ſpes eſſe videretur aliquid eum eiuſmodi circuitionibus pro ſano acturum, aduerſus eum de iure procedere deliberantes, citationem in eum auctoritate Synodali publicarunt ad nonum ſe diem Conſtantiæ ſiſtendum, ac reſpondendum de fuga, & alijs ei objciendis, dato ad hoc pleno ſaluoconductu ad veniendum, & commorandum ibi liberè, & ſecurè. Cum verò interim Federicus Auſtriæ Dux receptus eſſet in gratiam à Rege Romanorum promiſit Ioannem Papam reducere, dummodo tam ei quam ſuis cautum eſſet de vita, & bonis quæ haberent. Quare ad Ioannem, qui Friburgi erat, miſsi ſunt à Concilio Archiepiſcopi Biſuntinus, & Rigenſis, vt quæ geſta erant, ei ſignificarent. Hos ille vultu ſpecie læto ſuſcipiens paratum ſe eſſe dixit ire cum ijs Conſtantiam, atque ægrè multum ferre, quòd ſic Concilium malo conſilio deſeruiſſet. Paulò poſt à trecentis armatis militibus ad ſecuriorem eius cuſtodiam à Sigiſmundo Rege miſsis ductus eſt ad oppidum Cellæ dictũ, Conſtantia duobus tantum milliaribus, ibique diligenter cuſtoditus mutatis omnibus eius famulis præter coquum, ac datis in conſortium, & ſolatium Vitale Epiſcopo Tolouenſi vnà cum alijs octo viris honoratis, duobus ex qualibet natione: ipſo interim ingentes ad hæc gemitus edente, & grandem contritionem de præteritis præſeferente. Præter quæ idem Vitalis Epiſcopus recepit ab eo Sigillum, & Annulum Piſcatoris dictum, ac miſit Conſtantiam. Deinde per Promotores reproducta citatione aliàs contra Ioannem Pontificem decreta, accuſataque eius contumacia, petierunt ex ſtylo iuris dari Commiſſarios in hac cauſa; Cardinalis verò Florentinus Diploma eiuſdem propoſuit, quo nõnullos Cardinales Procuratores conſtituerat ad defendendam cauſam ſuam. Sed replicantibus Promotoribus, citationem eſſe perſonalem, & cauſam Curialem, in qua nullus admitteretur per Procuratorem, ſed obſeruandas rectè iudicij formas, rogati ſunt duo Cardinales Diaconi, & quidam Prælati nationum ire ad valuas Eccleſiæ, inquiſitum an Ioannes aduenìſſet. Recuſantibus Cardinalibus, Prælati id executi ſunt in valuis, & extra valuas Eccleſiæ, ac demum delegati ſunt à Synodo ad eiuſdem Ioannis cauſam duo Cardinales, & aliquot Prælati ſingularum quatuor nationum. Poſtmodum de ſententia totius Concilij declaratus eſt Ioannes contumax cum ſuis ſequacibus, & fautoribus, qui æquè citati fuerant, nec comparuerant. Antequam tamen ad ſententiam hanc prouenirent patres, miſſi ſunt ad Ioannem quinque Cardinales, qui ei referrent, quæ facta fuiſſent: obſeruant Acta Bibliothecæ Regiæ Gallicanæ hos Cardinales minimè fuiſſe permiſſos à Cuſtodibus deoſculari pedes eius, ſed tantum manus, & os. Reſpondit ille ſcripto Cardinalibus, velle ſe in omnibus ſtare deliberationibus, & determinationibus Synodi, ac ſe paratum eſſe, ſi ita Synodo placuerit, Papatui cedere ſiue in ipſa Ciuitate Conſtantiæ, ſiue alio quouis loco, neque reclamaturum vnquam contra Synodi ſententiam, quinimo ipſam ratam habiturum, & approbaturum, & quantum in ſe erit, confirmaturum omni meliori via, modo, & forma, quibus videbitur Synodo: rogans tamen per viſcera miſericordiæ Dei, vt dignaretur Synodus commendatum habere honorem ſuum, ac perſonam, & ſtatum. Scripſit etiam ad Sigiſmundum Regem, ac repræſentauit, quanto affectu procuraſſet apud Electores eius promotionem in Regem Romanorum: quanta promptitudine deſideratam ab eo ſuam præſentiam magnis ſumptibus, & periculis exhibuiſſet, quàm facilè conſenſiſſet electioni eius de loco Conſtantiæ ad Synodum celebrandam; quàm ſincerè de eo confidens ad Conſtantiam eius aduentum præueniſſet. Cum hæc tantæ in eum dilectionis teſtimonia non poſſint niſi pari dilectione compenſari. Ad eum tanquam vnicum poſt Deum ſpei ſuæ refugium recurrens, per viſcera miſericordiæ Domini Ieſu Chriſti rogauit deponere iram, & clementiam aſſumere, ac ſui miſereri, agendo apud Concilium, vt perſonam ſuam haberet commendatam.

Promiſit Pontificatum deponere.

Ioannis petitiones

Cõcilium citat Ioannem.

Amicitia fœdus inter Auſtriæ Ducem, & Regem Romanorum.

Ioannes in Concilij poteſtate.

Cardinales miſſi ad Ioannẽ ante ſententiam.

Paratum ſe dicit ſtare Concilij mandatis.

Scribit ad Sigiſmundũ Regẽ.

Die Sabbathi 25. Maij in Seſsione 11. præſide Cardinale Viuarienſi, & præſentibus ceteris omnibus Cardinalibus, vno S. Marci excepto, qui infirmus erat, in publico Concilio lecti ſunt numero 54. articuli formati contra Ioannem ſuper notoria dilapidatione bonorum Eccleſiæ, ſimonia in adeptione Cardinalatus, collatione, & diſtractione honorum, ac beneficiorum Eccleſiaſticorum, gratiarum, Indulgentiarum, ac diſpenſationum Apoſtolicarum, & ſacrarum Reliquiarum, oppreſsione pauperum, ac virorum Eccleſiaſticorum; frequenti fuga in habitu indecenti, ac transformato, contra iuramenta preſtita; fauore Schiſmatis, vita impia, impudica, ſcandaloſa, & incorrigibili. Qui articuli patrum iuſſu delati ſunt ad Ioannem, vt pro libito eis reſponderet: ille ſcripto declarauit, nolle ſe aliquid dictis articulis contra ſe propoſitis objcere, ſed potiùs tam proceſſum, quàm ſe ipſum iudicio Synodi ſubijcere. Quare die Mercurij 29. menſis Maij in Synodo ad inſtantiam Promotorum prolata eſt in Ioannem ſententia definitiua eius depoſitionis, & abſolutionis omnium Chriſtianorum ab eius obedientia, cum prohibitione, ne quis ampliùs eum Papam nominaret, aut illi tanquam Papæ quocunque modo adhæreret, eumque ſub cuſtodia Regis Sigiſmundi, quandiu Concilio pro bono vnionis Eccleſiæ videretur, honeſtè detinendum ſtatuit, reſeruatis ſibi alijs pœnis, quibus pro ipſius criminibus plectendus foret, ſuo tempore declarandis. Inſuper ſtatuit, ne ſi contingeret ſedem Apoſtolicam quouis modo vacare, in prima vacatione ad electionem futuri ſummi Pontificis vllo modo procederetur ſine deliberatione, & conſenſu Synodi, ac ne vllo vnquam tempore deligerentur in Pontifices Balthaſſar Coſſa, nuper Ioannes XXIII. nec Angelus de Corario Gregorius XII. nec Petrus de Luna Benedictus XIII. in ſuis obedientijs nominati: & ſi prædictis contrarium quid fieret, eſſet id facto ipſo irritum, & inane. Hanc ſententiam vno omnium Concilij patrum conſenſu approbatam, vltima Maij inſtrumento publico ratam habuit Ioannes, ac iurauit ſe nunquam contra eam quicquam acturum, & ſic Papatu ceſſit, & depoſitis omnibus ornamentis Papalibus renunciauit.

Articuli contra Ioannem.

Nihil objicit articulis.

Sententia Cõcilij in Ioannem.

Ratam habet Cõcilij ſententiam.

Poſt hæc, addit Niemus, principio menſis Iunij Balthaſſarem ductum fuiſſe ad Caſtrum Godeuem prope Conſtantiam, ac traditum cuſtodiæ Ludouici Ducis Bauariæ Comitis Palatini Rheni conſtitutum à Rege Sigiſmundo Cuſtodis Concilij loco Bertholdi de Vrſinis abſentis. A quo benignè habitus eſt datis ei duobus Sacerdotibus ad Diuinum officium, & quibuſdam nobilibus ad miniſterium menſæ: at Nauclerus, Platina, & alij peſſimè ipſum, vel in eo habitum volunt, quod priuato omni famulitio Italico tributi ſunt ei comites, & cuſtodes Teuthonici, quibus cum non lingua, ſed nutibus agendum eſſet. Locus autem carceris, quo ferè quadriennio detentus fuit, à Nauclero Manheim, à Platina Heidelberga nominatur, fortaſſe vtrunque ille ſortitus eſt locum diuerſis temporibus.

Balthaſſar Coſſa traditur cuſtodiæ.

Anno tamen 1419. Martini V. tacita opera, vt quidam habent, ne fortè diutius in Germania detentus nouas aliquando turbas cieret, pretio triginta millium aureorum carcere exemptus eſt, eo animo, vt eundem rurſum Martinus ſecuriori cuſtodia Mantuæ detineret, ſiue vt alij aiunt, liber abire permiſſus, cum vir magni animi eſſet, & qui priuatam vitam nequaquam pati poſſe videretur, nouos tumultus in Italia excitaret. Nihilominus ſiue conſcientia ductus, ſiue deſperans aliquid proficere, vel potiùs Deo omnipotente Eccleſiæ ſuæ miſerto, eum impellente, idem ipſe ſponte, nullis pactionibus interpoſitus, nulla requiſita cautione, Florentiam ad Martinum Quintum Romanum Pontificem profectus eſt, ac in Vigilia Corporis Chriſti 24. Iunij publicè ad pedes eius procumbens, eum vt Pontificem verum, & vnicum, atque canonicè electum profeſſus, & veneratus eſt, cunctis præ gaudio, & commiſeratione hominis lacrymantibus, maximè verò ijs Cardinalibus, qui vel ab eo creati, vel eum vti Pontificem ſecuti olim fuerant. Creatus à Martino Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus, & ſacri Collegij Decanus, ac deinceps ab eo in honore habitus, non multò poſt ibidem Florẽtiæ dolore animi, vel veneno, vt aliqui referunt, diem obijt ſupremum 22. Decembris anni 1419. & honorificentiſſimè ſepultus procurante Coſmo Mediceo Ciue Florentino, chariſſimo ipſius amico, quem homines exiſtimarunt pecunia Balthaſſaris opes ſuas in tantum auxiſſe, vt & primatus apud Florentinos Ciues, & dicſſimus omnium cum apud Italos, tum apud exteras nationes deinceps ſit habitus.

Carcere eximitur.

Confitetur ad Martinum V.

Creatur Epiſcopus Card. Tuſculanus

Obitus.

Coſmus Mediceo ſepulchrũ conſtruit.

Balthaſſari Coſſæ.

Sepulchri Balthaſſaris Coſſæ exemplar hic propono.

Cuìhæc

Cui Sepulchro hæc ferè verba inſcripta, ait Platina, in vitis Pontificum.

Inſcriptio ſepulchralis.

BALTHASSARIS COSSAE
IOANNIS XXIII. QVONDAM PAPAE.
CORPVS HOC TVMVLO CONDITVM.

Vel ex Onuphrio Panuinio.

IOANNES QVONDAM PAPA XXIII.
OBIIT FLORENTIAE
ANN. DOMINI MCDXIX. KAL. IANVARII

Scripta. Scripſit verſibus de Varietate Fortunæ lib. 1. Et Epiſtolas quaſdam, quarum quædam leguntur in Cõcilio Cõſtantienſi, to. 7. Conciliorum cum Notis Binij, & ſunt m.ss. in Bibliotheca Vaticana.

Platina in eius vita. Suſceptis doctoratus inſignibus, cum Romam pergeret, interrogatus ab amicis, quò iret, *Ad Pontificatum*, dixit.

Cõcilium Romanũ. Indixit Ioannes anno 1412 Concilium Romæ habendum, cum tamen Prælati, & ceteri, qui Concilio intereſſe debebant, nequaquam in tanto numero conueniſſent, quantum rerum agendarum pondus, & magnitudo requirere videbantur, illud prorogauit ad tempus commodius.

Conſtantienſe. Celebrauit deinde Conſtantienſe, vt dictum eſt ſupra.

Bullar. an. 3 & 4. Stephano generali Præfecto Fr. Seruorũ indulſit; vt ordo, quem, cũ ſuis profitebatur, propagaretur. Literæ *Sacer ordo, &c.* habentur Centuria 2. Annal. Seruorum, l. 4. c. 17. exemit eumdem ordinem à ſubſidijs, quæ nuncupant charitatiua: vide literas, *Super gregẽ, &c.*

Cõfirmat relationẽ S. Brigittæ in ſanctorum numerum. Ad inſtantiam Oratorum Regnorum Sueciæ, Daniæ, & Noruegiæ ex Nauclero, ac Trithemio cœleſtes honores decreuit Brigittæ Reginæ; ſeu potiùs confirmauit Canonizationem iam olim factam per Bonifacium IX. vt aliàs dictum eſt, petita iam forte in Concilio generali ob dubiam apud multos Bonifacij auctoritatem occaſione Schiſmatis tunc maximè vigentis. Samagitia ad Chriſti fidem perducta eſt. Sedente Ioanne in Petri Cathedra, Samagitia Septentrionalis, & gelida regio Lituaniæ, Liuoniæ, & Pruſſiæ contermina, ſtudio Ladiſlai Regis Poloniæ, non ſolum pij Principis, verùm etiam Doctoris, & Apoſtoli fungentis officio ad Chriſti fidem perducta eſt.

PRIMA CREATIO CARDINALIVM Ioannis Papæ XXIII.

Anno à partu Virginis 1411. Pontificatus Secundo, die Sabbathi, ſexta Iunij, Romæ Ioannes XXIII. primò renunciauit Cardinales, qui fuerunt.

I.

Ciaconius

Panuinius

Andr. Victorell. in Addit. ad Ciaconiũ.



FRANCISCVS Landus patritius Venetus, ex Landorum familia, priſca nobilitate, & præſtantium Senatorum fœcunditate illuſtri, natus, Iuris Vtriuſque Doctor, Patriarchatu Gradenſi auctus, anno 1408. interfuit Concilijs Piſano, & Conſtantienſi, & ab Alexandro V. translatus eſt ad Conſtantinopolitanam Eccleſiam anno 1409. Hunc Ioannes XXIII. Presbyteris Cardinalibus titulo ſanctæ Crucis in Hieruſalem, & Martinus V. Epiſcopis Sabinenſibus adſcripſit. Sacellum in honorem Aſſumptionis B. Virginis, & ſancti Franciſci in Baſilica S. Mariæ de Præſepe Romæ extruxit Franciſcus hic, & duas in eo perpetuas, vt aiunt Cappellanias cũ redditibus annuis ad alendos Sacerdotes attribuit, ac ſepulturam in eadem Baſilica ſibi elegit his verbis. *Sepulturam mei corporis in Eccleſia S. Mariæ Maioris de Vrbe eligo: Sepulchrum vnum, in quo corpus meum poſtquam ab hac luce deceſſerit, reponi iubeo, atque volo fabricari, & ædificari. Et inſuper poteſtate Apoſtolica deſiderans, vt in ipſa Eccleſia diuinus cultus augeatur, ad laudem, & gloriam indiuiduæ Trinitatis, glorioſiſſimæ Virginis Mariæ, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum, ac Franciſci Confeſſoris, totiuſque Cæleſtis Curiæ fieri feci vnam Cappellam cum Altari iuxta Altare maius dictæ Eccleſiæ verſus latus ſiniſtrum, quo Euangelium cantatur, ipſamque ſub nomine Aſſumptionis B. Mariæ Virginis, & S. Franciſci Confeſſoris decreui intitulandum.*

Paul. de Angel. in Deſcript. Baſil. Liberianæ.

Hippol. Maracc. in Purp. Marian.

Auguſt. Fuſcin. in memor. Baſilic. Liberianæ.

Ex hac vita deceſſit die 26. Decembris, anno 1427. in Ciaconio legitur anno 1417. impreſſoris fortaſis errore: corpus exanime in eadem Baſilica, vti iuſſerat, ſepulturæ traditũ, vt ex tabulis antiquis eiuſdem Baſilicæ conſtat, in quibus hæc ſunt verba. *Franciſcus Landus Epiſcopus Sabinenſis Cardinalis à Ioanne XXIII. creatus in marmoreo ſepulchro iacet propè Tribunam maiorem:* Tumulo verò hæc appoſita Inſcriptio.

Felix Cõtelorius in Elencho.

Aubery in vita.

Ferdinãd. Vghellius in Ital. ſac.

Nomencl. Cardinal.

Laudibus æternum ſenior celebrandus in annum
Hic FRANCISCVS habet cineres, quem clara creauit
LANDA Domus, Veneta proles ſanctiſſima gentis
Aetherea virtute nitens, cui nullus vtrumque
Doctor eras, Cleri lumen, grauis auctor honeſti,
Iuſtitiæ ſublimis apex, expertus honores
Eccleſiæ meritos, Gradi ſibi credita ſedes,
Hinc Conſtantini Patriarcha appoſitus Vrbi,
Hieruſalem ſacri titulum poſt Cardinis auctum
Crux dedit; hic ſumma Piſani laude peregit
Concilij fœdus, Gradi tunc ſceptra tenebat
Feruida Conſtanti leniuit corda furentis
Hic populi, motuſque acies, mortique paratus
Inde Sabinenſem titulum, dum Præſul agebat
Spiritus æternum clarus migrauit in Orbem.

Hippol. Maracc. in Purp. Marian.

Huius beneficijs, vt le gratos Canonici Baſilicæ Liberianæ redderent, hoc publico elogio, quòd in Sacrario cernitur, eum decorandum curarunt.

FRANCISCVS LANDVS ARCHIPRESBYTER CARDINALIS
HAC IN BASILICA SACELLVM EXTRVXIT ADIECTA
PRO PLVRIBVS SACERDOTIBVS DOTE DELECTOQVE
IBIDEM SEPVLCHRO VBI MORTVVS CONDERETVR.

F. Sanſouin. in hiſtoria Veneta.

In Aula magni Conſilij dicta, Venetijs Franciſci Cardinalis Landi coloribus expreſſa effigies inter claros Reipublicæ Venetæ viros viſebatur olim, vt referunt multi.

Ex hac nobili familia Veneta prodijt Hieronymus Landus Epiſcopus Cretenſis, Legatus Peruſinus, ad quam literas dedit Cardinalis Papienſis Romæ 23. Decembris anno 1468. cũ hac inſcriptione. *Hieronymo Lando Epiſcopo Cretenſi, Legato Peruſino.* in quarum fine addit, *gratulari me multum, quod in iſthac difficillima Peruſiæ adminiſtratione ita prædicetur dextera tua, vt nihil intempeſtiuum, aut improuidum agere iudiceris; ita etiam commendetur vitæ inſtitutio, vt adſit ſemper, & ſine ſcurrilitate comitas, & ſine aſperitate grauitas.*

II.

Ciaconius

Ferdinãd. Vghell. in Ital. ſac. & in Addit. ad Ciac.

And. Victorel. in Addition. ad Ciacõ.

Panuinius

Aubery in vita.



ANTONIVS Pancerinus, ſeu Panciarinus de Portogruario Foroiulienſis, nepos ex ſorore Antonij Caietani Cardinalis, ex Concordienſi Epiſcopo, teſte Vghellio, cum iam Caietanus patruus ad Purpuram perueniſſet, Bonifacio IX. mandante, Patriarcha Aquileienſis euaſit anno 1402. Patriarchatus dignitate ornatus Zapulam oppidum Panciarinis ſuis conceſſit: Templum Diuo Andreæ Apoſtolo ſacrum ære ſuo in Portogruario a ſolo extruxit. Haud tamen diu proſpera fortuna vſus eſt; cum enim Gregorio XII. Romano Pontifici ex ſuſpicione inuiſus eſſet, ab eodem ipſe Patriarchatu, alijſque honoribus Panciarini omnes ſpoliati ſunt: & Antonius de Ponte nobilis Venetus Patriarchatum à Gregorio obtinuit. Inter hæc Antonius iam Patriarchatu ſpoliatus, ad infimam paupertatem deductus inter cognatos, & amicos, quaſi mendicus victum ſibi comparauit. Sed iterum arridente fortuna, à Ioanne XXIII. qui poſt Piſanum Concilium Alexandro V. ſucceſſerat, iiſdem dignitatum titulis eſt reſtitutus, & Cardinalium purpura cumulatus titulo S. Suſannæ. Interfuit Concilio Conſtantienſi, & ſuffragium pro Martino V. ac Eugenio IV. tulit, à quo Epiſcopatum Tuſculanum obtinuit: at paulò poſt Romæ, die ſcilicet 3. Iulij, anno 1431. è vita exceſſit, & ſepultus apud ſanctum Petrum in Vaticano.

Io. Candidus in hiſtor. Aquileien.

Felix Cõtelor. in ſuo Elencho.

Franc. Maria Turrig. de Crypt. Vatican.

III.

Ciaconius

Panuinius

Balthaſſar Porreñus in elogiis Card. Hiſpanorum.

Aubery in vita.

Felix Cõtelorius in Elencho.



IOANNES Luſitanus, ex Epiſcopo Conimbricenſi Archiepiſcopus Vlyſſipponenſis primò, deinde Presbyter Cardinalis ſancti Petri ad Vincula titulo Eudoxiæ inſtante Rege Luſitano, cuius erat Conſiliarius, à Ioanne XXIII. Romano Pontifice renunciatus eſt. Brugis, quæ eſt Theutonicæ Flandriæ Vrbs omnium pulcherrima, ac nitidiſſima, dum in Luſitaniam ex Vrbe reuerteretur, è vita migrauit die 23. Ianuarij, anno 1415. Ciaconius ſcribit anno 1413. Ioannem mortem ſubijſſe in Hiſpania apud villam Bruges.

IV.



Ciaconius. Ferdinand. Vghell. in Addit. ad Ciaconiũ. Ioannes Iouen. de var. fortun. Tarentinor. Panuinius. Aubery in vita. Cæſ. Raſpon. de Baſil. Lateranen. Scip. Ammirat. in Hiſt. Florentin. And. Victor in Addit. ad Ciaconium. And. Sauſſay.

ALAMANVS Adimarius nobilis Florentinus, ex illuſtri, & antiqua Adimariorũ proſapia natus, Philippi, & N. Fortiguerræ filius, Liberales artes in natali ſolo edoctus, Doctoratus lauream, & Cathedralis Eccleſiæ Canonicatum in patria aſſecutus eſt, mox Plebanus S. Stephani Modilianæ renunciatus Romam adijt. Ibi, cum eſſet vir pius, & doctus, tum ſummo Pontifici, tum alijs pergratus, Protonotarius Apoſtolicus primò, deinde Epiſcopus Florentinus anno 1400. adlectus eſt; cui Eccleſiæ præfuit per annũ tantùm. Nam anno 1401. die 22. Decembris tranſlatus eſt ad Archiepiſcopatum Tarentinum, mox ad Piſanum: Ioannes XXIII. illum legauit ad Galliarum Regem. In qua legatione poſt adeptam Purpuram Cœleſtinis indulſit, vt in Regno Franciæ Eccleſias omnes, quas tunc temporis Religioſi illi viri poſſidebant, ſexto Idus Octobris conſecrarent: & in Martyrologio Gallicano extat huiuſce conſecrationis memoria his verbis. *Dedicatio omnium Eccleſiarum ordinis Cœleſtinorum per vniuerſum Franciæ Regnum hodie celebrata ex indulto Alamani Cardinalis Presbyteri tituli S. Euſebij, Piſani nuncupati, Apoſtolicæ ſedis de latere in Francia Legati.* Huiuſce legationis cum Pontifex vberrimos fructus retuliſſet, Cardinalitia Purpura illum abſentem decorauit, & Presbyteris Cardinalibus Titulo S. Euſebij aſcriptum in Hiſpaniam direxit, vt Regnum illud cum Romana Eccleſia fœdere iungeret, & contra Saracenos infenſiſſimos hoſtes Hiſpaniarum populos excitaret.

Interfuit Archipræſul Piſanus Piſano, & Cardinalis Conſtantienſi Concilijs, in quibus contra Schiſmaticos, & Eccleſiam Dei ſcindentes, intrepidè ſe oppoſuit, ac præcipuus auctor extitit, vt Otho Cardinalis Columna, qui Martinus V. dictus eſt, Pontifex Maximus in Concilio Conſtantienſi eligeretur. A quo in Arragoniam ſedis Apoſtolicæ Legatus deſtinatur, vt Petrum de Luna ad ſe Pontificatu abdicandum pœnis, & cenſuris Eccleſiaſticis cogeret. Illum quoque Martinus Archipresbyterum Eccleſiæ Lateranenſis nominatur. Ad Vrbem tandem ex legatione Hiſpanica rediens, Tibure prope ipſam Vrbem, ex peſte vita fungitur die 27 Septembris, anno 1422. Corpus Romam relatum in Eccleſia S. Mariæ Nouæ conditum fuit. Apud Felicem Contelorium legimus impreſſoris errore Alamanum obijſſe anno 1472. Sunt qui ſcribunt, eundem in Gallia è vita migraſſe anno 1420. ibique ſepultum: at ex marmorea ad eius ſepulchrum in ſupradicta Eccleſia exarata Inſcriptione ſepulchrali id falſiſſimum eſſe comperitur: ſic enim ſe habet Inſcriptio.

Ferdinand. Vghel. in Ital. ſac.

Corpus ALAMANI Cardinalis Piſani Florentia ex ADIMARIORVM antiqua, nobilique familia ortus, Vtriuſque Iuris Doctor, & omni literarum genere eruditus, primum Protonotarius, deinde Tarentinus, poſt Piſanus Archipræſul ad Cardinalatus apicem prouectus, dum pro Romana Eccleſia legatione fungeretur in Gallijs, doctorum virorum amator, & cultor vir ipſe doctiſſimus, Zelator Iuſtitiæ, & communis Reipublicæ boni, qui pro Eccleſiæ vnione apud Piſanum, Conſtantienſeque Concilia, vſque ad optatam concluſionem, neminem veritus laborauit intrepidè.

Obijt ex peſte anno ætatis ſuæ 60. menſe Septembris 27.

MCCCCXXII.

Præclara Alamanus geſſit pro Apoſtolica ſede facinora; quare illum celebrauit Garimbertus, vbi de amore in Apoſtolicam ſedem: hunc Raphaël Volaterranus, Platina, Ioannes Iuuenis, Iacobus Gaddius, & alij commendant, idque iure merito; cum ſummæ prudentiæ, ac probitatis inter ceteros ſuæ ætatis clariſſimos Antiſtites laude excelluerit. Ac tantam gratiam, & beneuolentiam apud Piſanos collegerit, vt non niſi gratiſſimo parentis nomine illum compellarent: nec ille minori eos amore, ac beneficijs eſt proſecutus. Imò Cardinalis Piſani nomen ſibi aſciuit, vt quàm altè in eos impreſſus pectori ſuo, ac fixus amor hæreret, ſignificaret; & in gentilitio ſcuto paterno Piſarum inſignia, Crucem nimirum candidam in area rubra adiecit.

Dubitant aliqui an hic vnquam rexerit Eccleſiam Florentinam, tum quia in ſepulchrali inſcriptione nulla de ea dignitate mentio extat; tum quia illis Borghinum, qui de Præſulibus Florentinis ſcripſit latuit, & latuiſſet etiam alios, ſi Ferdinandus Vghellius Abbas Ciſtercienſis ex libro Prouiſionum, & literis Bonifacij IX. veritatem hanc primus non aperuiſſet. Bonifacius enim IX. literas dedit ad Balthaſſarem Coſſam poſtea Ioannem XXIII. de Præpoſitura ſancti Geminiani per aſſumptionem Adimari vacante, in quibus perſpicuè Alamani Adimari electionis fit mentio his verbis. *Dudum ſiquidem dilecto filio Alamano Philippi Plebano S. Stephani de Modiliano Fauentina Diœceſis, dum Præpoſitura Eccleſia S. Geminiani Volaterranenſis Diœceſis, tunc certo modo vacante, per Noſtras literas gratioſè mandauimus prouideri, prout in ipſis literis pleniùs continetur, & deinde de perſona dicti Alamani poſſeſſionem dicta Præpoſitura per eum non habita, Eccleſia Florẽtina tunc vacante, auctoritate Apoſtolica duximus prouidendum, præficiendo ipſum eidem Eccleſiæ in Epiſcopum, & Paſtorem, &c.* Extat hoc Bonifacij Diploma datum Romæ Idibus Decembris Pontificatus anno XII. in Archiuio Florentino.

V.



Ciaconius. Pet. Fraẽ. in Gallia Purpurat. Aubery in vita. Andr. Viſtorell. in Addit. ad Ciaconiũ. Henricus Spondan. in Annal. Eccleſiaſt. Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana. Panuinius. Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciaconiũ. Io. Chenu in Chron. Epiſcop. Galliæ. Bruſſ. in Theatro Acad. Pariſienſ. Nomencl. Cardinal. Xyſtus Senenſis in Bibl. ſancta. Antõ. Poſſeuin. in Appar. ſacro. Robertus Bellarm. de Script. Eccleſ. Io. Trithemius de Scriptoribus.

PETRVS de Alliaco natione Gallus, Compendij ad Oeſiam fluuium prouinciæ Picardiæ natus, patre Colardo, in Parœcia S. Iacobi ſacramento Baptiſmi renatus eſt; In vitreis feneſtris eiuſdem Eccleſiæ, Petri parentum imagines elapſis annis adhuc conſpiciebantur. Volunt aliqui Petrũ hunc fuiſſe de familia de Ailly nobilitate commendatiſſima. A puero literis omnibus deditus, nunquã ſe à ſtudio ſeiunxit: Cancellarius Academiæ Pariſienſis, & eiuſdem Doctor Ioannem Gerſonem auditorem habuit. Ex Regiæ domus Nauarræ Magiſtro, ac magno Franciæ Eleemoſynario, & Lutetianæ Cappellæ Theſaurario, primùm Antiſtes Anicienſis, ſeu Podienſis, deinde Vaurenſis, tandem Cameracenſis inauguratus, poſt electionem Benedicti XIII. ad eum ſalutandum à Galliarum Rege Aueniones miſſus eſt. Ad Piſanam Synodum cum Ioanne Gerſone Doctore celeberrimo in comitatu Ludouici Cardinalis Ducis Barrenſis miſſus, Schiſma extirpare conatus eſt. Ioannes XXIII. qui illum optimè nouerat in Piſana Synodo ad Cardinalatum promouit, & Presbyterum Cardinalem titulo S. Chryſogoni nominauit. Interfuit Concilio Conſtantienſi, & electioni Martini V. albo calculo præſtò fuit. Collegij Nauarræi Pariſienſis ampliſſimam aulam, & Bibliothecam Regiam erexit, atque ædes Baccalaureis Theologis dedit habitandas, pro quarum foribus quaſi vnicam patronam ſtare voluit Deiparæ Virginis imaginem. Doctrina clarus dictus eſt *Aquila Franciæ*, atque aberrantium à veritate *Malleus indefeſſus*.

Scripſit vir doctiſſimus.

In quatuor libros Sententiarum libros quatuor.

Quæſtiones in Hexameron.

De Laude ſanctæ Scripturæ.

In Principium Euangelij ſancti Marci.

De Stabilitate Eccleſiæ.

Speculum Conſiderationis in tres libros diſtinctum.

Compendium Contemplationis tribus libris comprehenſum.

De Spiritali Scala.

In Pſalterium.

Meditationes in Pſalmos 42. & 70.

De Legibus, & Sectis.

De Concilio Generali.

De Interdicto.

De Permutatione Beneficiorum.

In ſeptem Pſalmos Pœnitentiales.

In Cantica Canticorum.

De Oratione Dominica, & ſuper eadem anagogicè libros duos.

Hippolyt. Marrac. in Purp. mar.

Super Aue Maria.

Super Magnificat.

In Canticum Zachariæ.

In Canticum Simeonis.

De Electione Papæ.

De Exercitio Spiritali.

De duodecim honoribus ſancti Ioſephi.

De Anima, & Accidentibus eius.

Super libros Meteororum.

Concordiam Theologiæ cum Aſtronomia, & Hiſtoria.

De Sacramentis Eccleſiæ.

De Poteſtate Eccleſiaſtica.

De Emendatione Eccleſiæ.

Sermones varios.

De duodecim Parallelis, ad quæ Ptolomæi Parallela reuocat.

Epiſtolas plures, quarum aliquæ ſunt ad S. Vincentium Ferrerium ordinis Prædicatorum, quibus illi gratias agit, quòd tot labores pro Eccleſia Dei ſuſceperit.

Antõ. Senenſ. in Chrõ. Prædicator.

Vitam S. Petri Cœleſtini, in qua Pontificatus abdicationem ab eo factam laudibus in cœlum extollit extat apud Surium; licet aliqui dicant hanc eſſe ſcriptam ab alio Petro de Alliaco Gymnaſij Nauarrici Archididaſcalo.

In Momos, & Detractores.

Animaduerſione dignum eſt reprehendi Petrum de Alliaco Car-

dinalem,

dinaleio, quòd ſenſiſſe videatur, Chriſti Saluatoris Natiuitatem prænoſci potuiſſe genethliacis obſeruationibus, cuius rei confirmandæ gratia in medium profert Stellam, quæ Magis ipſis apparuit. Refutauit Picus Mirandulanus, Petri Alliaci Opuſculum de Concordia Theologiæ cum Aſtronomia, & Hiſtoria, in quo plane tot errata, quot verba indicat eſſe, aſſirmans Alliacum ignorantem Aſtronomiæ, quam ſenex delibauit, & in illis libellis ferè quæcunque ſcripſit, ex alijs ad verbum accepit, potius lecta, quam medullitus intellecta. Verba Pici retuli, quia non auderem hæc proferre, vt mea, ignorantiæ meæ conſcius in Aſtronomia.

Iacobus Gaddius de ſcript. nō Eccleſ.

Statuta Viduarum Cœnobij ordinis ſancti Auguſtini à Stephano Audris Secretarij Diui Ludouici Galliarum Regis, erecti, Audriertæ nuncupatæ, curauit edi.

Terram tandem Petrus deſeruit, Cœlum petiturus die 8. ſeu 9. Auguſti, anno 1425. vt habetur in Necrologio Pariſienſi, & ſepultus in Eccleſia Cameracenſi cum hoc Epitaphio.

Felix Cōtelor in ſuo Elencho.

HIC. IACET. REVERENDVS. PATER DOMINVS. PETRVS. DE. ALLIACO THEOLOGIAE. DOCTOR QVONDAM. EPISCOPVS. CAMERACENSIS ORATE. PRO. EO.

Mors rapuit Petrum, petram ſubijt putre corpus,
Sed Petram Chriſtum Spiritus ipſe petit.
Quiſquis ades, precibus fer opem, ſemperque memento,
Quòd præter mores omnia morte cadunt.
Nam quid Amor Regum, quid opes, quid gloria durent,
Aſpicis, hæc aderant tunc mihi, nunc abeunt.

Aliud monumentum in grati animi ſignificationem poſuit Collegium Nauarræum, vt pote Benefactori munificentiſſimo; cum effigie depicta in naui Cappellæ Nauarreæ ſupra minoris ianuæ fores.

MEMORIA EST REVERENDISSIMI IN CHRISTO PATRIS DOMINI DE ALLIACO TITVLI QVONDAM S. CHRYSOGONI CARDINALIS PRESBYTERI CAMERACENSIS EPISCOPI HVIVS PRIDEM DOMVS PRAECEPTORIS SEV MAGISTRI AC BENEFACTORIS AMPLISSIMI CVIVS LEGATA ET GESTA IN LITERIS SVPRA HIS CONFECTIS ATQVE TABELLIS SVPPOSITIS CONTINENTVR.



VI.

GEORGIVS ab aliquibus Roſco, ſeu Ruſca, ab alijs Liechtēſtain cognominatus, natione Germanus, vel Italus, patria Comenſis, ex Epiſcopo Tridentino, & Principe eiuſdē Vrbis Presbyter Cardinalis à Ioanne XXIII. Romano Pōtifice renunciatus, in Caſtro Spori veneno ſublatus, interijt ſub eodem Ioanne poſt annum Epiſcopatus ſui vigeſimum nonum.

Panuinius. Ciaconius. Franc. ualſana in ſuo Chronic. Comenſi. Ianus tirus de Epiſc. Trident. Robertus Ruſca. Aubery in vita. Felix Cōtelorius in Elencho.



VII.

BRANDA Caſtellio, ſeu Caſtellioneus Maphæi nobilis Mediolanenſis filius, I.C. celeberrimus, à Io: Galeatio Mediolanenſium Duce in Papienſi Academia inter publicos profeſſores aſcitus, ſub Bonifacio IX. Romanæ Rotæ Auditor, varios & immenſos pro Romana Eccleſia tolerauit labores. Nam ſemel, & iterum in Germaniam ab eodem Pontifice pro vnione Eccleſiæ miſſus, legationem ſibi commiſſam egregiè adimpleuit: Placentinus Epiſcopus deinde ab eodem Bonifacio conſtitutus populum ſibi creditum virtute, & exemplo moderatus eſt. Innocentio VII. ac Gregorio XII. Romanis Pontificibus pergratus fuit. Sed cum Branda Gregorium XII. animaduertiſſet non ſtare iuramento, quòd in ſua electione ſanctè præſtiterat, de procuranda publica concordia, & abolendo Schiſmate, cœpit refragari violatæ fidei Pontifici. Quamobrem ab ipſo Placentini Epiſcopatus honore ſpoliatus eſt anno 1408. & excepit ſucceſſorem Bartholomæum Cacciam Mediolanenſem ex Prædicatorum ordine, inculpatæ alio-

Ciaconius. Ferdinād. Vghellus in Addit. ad Ciaconiū. Aubery in vita. Panuinius de Rom. Pontific. Ambr. Nigrio. in Hiſt. Caſtellon. Martin. Cromer. in Hiſtor. Polon. Ferdinād. Vghellus in Ital. ſac.

A quin vita hominem. A Ioanne XXIII. in numerum Cardinalium ſub titulo S. Clementis relatus, Cardinalis Placentinus nuncupari voluit: inde à Martino V. ſeu ab Eugenio IV. Portuenſis Epiſcopus, Placentina Eccleſia dimiſſa, renunciatus eſt. Concilijs Piſano, & Conſtantienſi, ac Martini V. creationi interfuit, à quo in Boëmiam contra eius æui Hæreticos, Huſſitas dictos, Apoſtolicæ ſedis à latere Legatus miſſus Sigiſmundo Imperatori mirificè charus extitit. In Hungariam quoque pro Eccleſiæ pace à Martino V. ablegatus eſt. Ab Eugenio verò IV. altera legatione ornatus, vt inter ipſum, & Philippum Mariam Vicecomitem Inſubrum Ducem, id Nicolao Eſtenſi Ferrarienſium Marchione ſollicitante, pacem firmaret. In hac legatione, cum eſſet ipſe Abbas Monaſterij S. Ambroſij Mediolanenſis, eiecit illinc monachos Ciſtercienſes, qui ab initio ipſorum ordinis fundationis ibi collocati fuerant; ac loco eorum Carthuſianos introduxit: in animo enim habebat Ambroſianum ritum delere, B & Romanum introducere. Ea nouitate Mediolanenſes offenſi ad Ducem confugerunt; qui abire ex Templo Carthuſianos à Cœnobio Ambroſiano, ſub pœnis ignis iuſſit. Cardinalis alia via tentata, à Præpoſito Eccleſiæ S. Theclæ accepit Codicem ritus Ambroſiani eius cuſtodiæ creditum, quem ipſemet ille Sanctus compoſuiſſe, & ſcripſiſſe dicitur; atque in feſto Natalis Domini rem diuinam in Altari maiori Romano ritu curauit. Ciues hoc viſo ad Cardinalis ædes cū facibus aduolarunt, minas ingeminātes incendij, niſi Codex redderetur: eo tumultu Cardinalis territus illū è feneſtra proiecit, ac poſtridie Mediolano egrediens, nunquam ampliùs eò reuerſus eſt.

Bernardinus Corius in Hiſt. Mediolanen. Henricus Spondan' in Annal. Eccleſiaſt.

Noluit intereſſe Concilio Baſileenſi, quia non pro Eccleſia, ſed contra illam coactum reputabat. Multa pia, ac præclara opera poſteris reliquit: inter illa, duo Collegia, vnum Ticini, alterum ex aliquibus Caſtellione in ſtudioſorum iuuenum commodum ab ipſo à fundamentis erecta, & annuis redditibus dotata. Caſtellione nobile C Templum extruxit, ſeu à maioribus extructum ornauit: annuos redditus firmauit pro Præceptore, qui pueros Caſtellionenſes in literis inſtrueret.

Plenus dierum ab anno 1350. quo natus fuerat, debitum naturæ ſoluit ætatis ſuæ 93. anno à partu Virginis 1443. die 5. Februarij: corpus in maiori Eccleſiâ à ſe, vel à ſuis maioribus erecta Caſtellione, marmorea vrna reconditum, in cuius fronte hi verſus leguntur.

Quiſquis ades ſubſiſte gradum, pauliſmque ſepulchro
Flecte aciem, & ſaxo conſcriptum perlege carmen.
Optima pars quondam, claro qui ſanguine felix
Enitui, & mira vixi pietate verendus;
Marmoreo hoc condor tumulo, nec flebile lethum
Eſt mihi, perpetuo manet inclyta fama decore,
Factaque præclaris nunquam morientia rebus.
D *Mille ego per caſus, per mille pericula victor*
Fortunam viei; quin me virtutis amore
Flagrantem, & ſpartas ſperantem pectore leges
Erexit ſumma ad faſtigia: floruit Hunnis
Præſule me, me Pontificem Placentia vidit,
Donec Veſpertinus Comes, & maiora ſecutus
Tempora Purpureo cinxi redimita galero
Struxi acies, dicaui aras, delubra locaui
Immenſo redimita auro, maiora parabam,
Ni me inter curſus, atque hæc molimina nixum
Omnipotens genitor terrenis è carcere ſecli
Traxiſſet, celſaque Poli regione locaſſet.

Sub ſepulchro.

VTINAM VIVERES, VTINAM VIVERES.

E A tergo ſepulchri.

Si de morte queri fas eſt, Cœloque ſupremis
Viribus humana voluunt quæ tempora vitæ:
Heu quantum mors auſa nefas: quæ te inuida nobis
Abſtulit, & tanto priuauit lumine terras?
Optatis inuiſa bonis, quid vita piorum,
Quid bene facta iuuant, mitiſque affectus, & ingens
Religionis amor? nullo diſcrimine ſoluit
Impia, & humanos abrumpit Parca triumphos.
Tu requies, tu dulce decus, columenque bonorum
Magne Pater, Tu diuini lux vnica cultus.
Nam quantum æterna fidei, & cœleſtibus aris
F *Præfueris, teſtes conuerſi ad ſacra Sabæi,*
Armeniæque Vrbes, & latis Græcia campis.
Flete Patrem mœſti Proceres, fleat Itala tellus
Communi priuata bono, Tuque alma Quiritum
Roma dole (quanquam ſummo Pater optime Cœlo
Præfueris, mæſtumque Polo nunc deſpicis Orbem,
Nobis ſollicitis gemitus, curaque relicta)
Queis te iam fortuna ferox crudelibus auſis
Abſtulit, & Cœli radiantibus intulit aſtris.

Hæc ferè omnia excepta ex monumentis Franciſci Abundij Caſtellionij Cardinalis ampliſſimi, à viro doctiſſimo Ioanne Franciſco

Caſtellionio Ciſtercienſis ordinis monacho, reſcripſit in ſuis Additionibus Ciaconianis Ferdinandus Vghellius Abbas Ciſtercienſis. Ceterum in Collegio Caſtellioneo Papiæ à Branda fundato ſequentem Inſcriptionem legimus, in qua perperam Epiſcopus Sabinenſis dicitur pro Portuenſi; nunquam enim Portuenſem Eccleſiam cum Sabinenſi mutauit, vt aliqui hac decepti inſcriptione ſcripſerunt.

MCCCCXLIII. DIE III. FEBRVARII
REVERENDISSIMVS IN CHRISTO PATER
D. D
BRANDA DE CASTELLIONIO
EPISCOPVS SABINENSIS
CARDINALIS PLACENTINVS
VVLGARITER NVNCVPATVS
HVIVS VENERABILIS COLLEGII FVNDATOR
DIEM SVVM CLAVSIT EXTREMVM.
CVIVS CORPVS IN CASTRO DE CASTELLIONIO REQVIESCIT.

Claudius Robertus in ſua Gallia Chriſtiana Brandam Cardinalem, quem *Brandum de Caſtilliano* nominat, inter Epiſcopos Lexouienſes (Lexouij Galliæ Celticæ populi) recenſet: & Romæ obijſſe die ſeptima Septembris, anno 1431. ac ſepultum ad Mineruam ſcribit. Quæ omnia cum omnino diuerſa ſint ab illis, quæ ſupra, ex omnibus ferè ſcriptoribus, ac ex m. ss. Bibliothecæ Vaticanæ enarrauimus, attendenda non eſſe iudico.

VIII.



Ciaconius. Panuinius. Hier. Garimbert. Aubery in vita. Felix Cõtelorius in Elencho.

THOMAS Brancacius, nobilis Neapolitanus, Ioannis XXIII. Pontificis ſororis filius, Epiſcopus Tricaricenſis inter Presbyteros Cardinales titulo ſanctorum Ioannis, & Pauli, aliàs Pammachij ab ipſo Ioanne cooptatus, non diu in purpura, neque vti decebat virum Eccleſiaſticum, vixit. Nam die 8. Septembris, anni 1427. Romæ ſupremum diem obijt, cum prauis moribus familiæ ſuæ claritati tenebras obduxiſſet: eius corpus Neapolim tranſlatum, conditum eſt in Mauſoleo ab Octauio Brancacio illi & reliquis Cardinalibus familię ſuæ erecto in Eccleſia S. Angeli ad Nidum.

IX.



Ciaconius. Panuinius. Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciaconiũ. Felix Cõtelorius in Elencho. Pitſeus de Scriptor. Angliæ. Nomencl. Cardinal.

THOMAS Langlei, quem alij Armellinum vocant, natione Anglus, Epiſcopus Dunelmenſis, anno 1406. electus, cũ eſſet ingenio acutus, & Pontificij Iuris peritiſſimus, magnæ prudentiæ, eruditionis variæ, & vitæ integerrimæ, S.R.E. Presbyteris Cardinalibus à Ioanne XXIII. adſcriptus eſt; Titulum tamen alicuius Eccleſiæ, vt moris eſt nõ accepit, quia nunquam Romæ comparuit. Ferũt Angliæ ſcriptores Thomã hunc quædam ad Iuriſprudentiam ſpectantia ſcripſiſſe. Incertum, inquit Vghellius, quo anno in humanis eſſe deſijt, conſtat ex Ciaconio ante Martini V. electionem ex hac vita abijſſe: Aubery verò licet hunc è Cardinalium numero excludat, affirmat, mortẽ illũ ſubijſſe, anno 1437. fides penes illos ſit.

X.



Ciaconius.

ROBERTVS Alim, ſeu à Luna, natione Anglus, ex Archidiacono Cantuarienſi, & Cancellario Academię Oxonienſis, Epiſcopus Sariſberienſis, ſeu Lexouienſis interfuit Concilio Piſano, in quo die vltima Aprilis poſt Miſſam ſolemnem celebratam aſcendens cathedram, increpans contendentes, hortatus eſt ex parte Regis Angliæ, & Cleri, Cardinales, & Concilium diligenter opus vnionis agere. Fuiſſe autem Robertum hunc Epiſcopum vnà cum alijs viris grauibus ad Synodum à Clero Anglicano miſſum Vvalſingamus narrat. Poſt Alexandri V. obitum à Ioanne XXIII. ſucceſſore iam ſenex Presbyter Cardinalis renunciatus, Titulum non obtinuit de more, quia Romam nunquam venit. Interfuit S.R.E. Cardinalis Concilio Conſtantienſi. Quædam ſcripſit, vt refert auctor Catalogi ſcriptorum Angliæ, & obijt Conſtantiæ die 4. Septembris, anno 1417. Aliqui Robertum hunc è Cardinalium numero excludunt contra Panuinium, Ciaconium, & Contelorium, qui ex m. ss. Bibliothecæ Vaticanæ Robertum inter Cardinales a Ioanne XXIII. renunciatos recenſent.

XI.



Ciaconius. Panuinius. Aubery in vita. Felix Cõtelorius in Elencho. Pet. Friſõ in Gallia Purpurat.

AEGIDIVS de Campis, natione Gallus, Theologus Pariſienſis, Caroli VI. Francorum Regis à Confeſſionibus, & Epiſcopus Conſtantienſis à Ioanne XXIII. inter Presbyteros Cardinales cooptatus, Titulum tamen non obtinuit, quia ad Romanam Curiam nunquam acceſſit. Regis Galliarum nomine functum fuiſſe Oratoris munere ante Purpuram apud Clementem VII. Pſeudopontificem ad Schiſma extinguendum in Romana Eccleſia: Nauarræi Collegij Pariſijs fundati Moderatorem, & primum Franciæ Eleemoſynarium Aegidium hunc volunt extitiſſe nonnulli, ſed quo auctore ipſi videant. Affuit Concilio Conſtantienſi. Incertum quo tempore è vita exceſſit; ante tamen Martini V. electionem mortuum fuiſſe teſtatur Ciaconius; nam in Catalogo eorum, qui ſubſcripſerunt nonnullis Decretis a Synodo editis Aegidij nomen non legitur. In ſerie Epiſcoporum Conſtantienſium à Claudio Roberto confecta Aegidius hic non inuenitur; fides igitur penes plures ſcriptores Gallos ſit, qui illum Epiſcopum Conſtantienſem nominant.

XII.



Ciaconius. Panuinius. Aubery in vita. Iacob. Caracc. in ann. S. Ioan. Anto. Ricobon. de Gymnaſ. Patauino. Angelus Portenar. de felicit. Patau. And. Victorel. in add. ad Ciacõ. Ant. Sand. in elogijs Cardin. Hier. Garimbert. Ferdinãd. Vghel. in Ital. ſac.

FRANCISCVS Zabarella, natione Italus, patria Patauinus, Pontificio, ac Cæſareo Iure, nec non dicendi facultate adeo inſignis, vt meritò inter ſui æui Oratores, Iuris peritos, & Eccleſiæ Antiſtites primum locum obtinuerit. Hic dictis, & ſcriptis Orthodoxam Catholicę fidei doctrinam aduerſus impijſſima Ioãnis Hus dogmata acerrimè propugnauit. Docuit publicè diu Patauij, & Florentiæ Ius Canonicũ ita diſcipulis charus, vt vix vllus vnquam pater proprijs filijs; ex cuius ſchola multi Iuriſcõſulti clariſſimi prodierunt, & in primis, qui omnium maximus habetur, Nicolaus Abbas Panormitanus, qui tot volumina ſcripſit in Iure Põtificio quot alius nemo. Et licet plurimũ temporis in docendo iura conſumeret, ac plurimum in reſpondendo, & in cauſis, quæ ad eum, vt conſultum iuris deferebantur, & plurimum quoque in amicorum negocijs laboraret, tamen nullus ei labebatur dies, quin non & alijs quoque diſciplinis aliquid operæ impenderet. Quo ſtudio effecit, vt nulla eſſet artium, quas appellant Liberales, in qua non excellenter ſaperet, & docere poſſet; atque etiam in quibuſdam earum eleganter opuſcula ſcripſerit. Naturali verò Phyloſophiæ, & Oratoriæ facultati accuratiorem operam dedit, hauſitque eas plenius, quòd in earum ſtudium ſuopte ingenio pronus erat; quamobrem de Natura rerum accuratiſſimè diſputare poterat, & omnia quæcunque vellet luculentiſſimè diſſerere. Omnium Oratorum, ac Poëtarum, Hiſtoricorum quoque libros, qui ſunt apud nos cogniti, & habentur in vſu, ita diligenter legerat, vt etiam familiares haberet. Nullius enim rei tam diligens fuit, quàm temporis non amittendi: itaque ſomno, cum in eo totum, vt ita dixerim tempus elabatur, & ſit ſtatus ille ſimillimus morti, non niſi quantum naturæ ſatis eſſet ad incolumitatem corporis, indulgebat. De reliquis verò, quæ ineſſe hominibus ſolent, vt honoris, ac laudis minimè reſpuens fuit, quæ non magis præmia ſunt, quàm calcar, & ſtimulus laborantibus ad virtutem. Itaque ab omni alia animi perturbatione, & concupiſcentijs carnis prorſus erat alienus, ceteroſque, vt ita eſſent, ſeduló admonebat: nam ille quidem cum iura traderet, non tam in literis ſuos auditores, quàm in bonis moribus, & quotidiana vita, vt cum honeſtate agerent, informabat.

Eo verò tempore Carrarienſium familia extincta, conciues omnes miro conſenſu illi deferendi patriæ Ciuitatis claues, vtique faciédæ deditionis eius Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ prouinciam commiſere. Mox in Cathedrali Patauina Eccleſia Archipresbyteratus honore

tus honore inſignitus, pauperum incommodis mira ſubueniebat liberalitate. Defuncto verò tum Epiſcopo Patauino, dum Canonici cunctis votis illum vnum conſpiciunt, voluntati Reipublicæ morem gerens, oblatam electionem refugit. Qua animi integritate Reſpublica commota opulentiſſimam Abbatiam S. Mariæ de Pratalea monachorum incuria ab eorum Cœnobio alio deuolutam, illi conſignandam curauit, quam tamen elapſo modici temporis curriculo, iiſdem monachis pientiſſimus pater ſumma liberalitate donauit; cuius ergo apud illos in tam inſignis beneficij memoriam, & eius ſacræ veſtes Sacerdotales in hanc, vſque diem ſeruantur, & extant monumenta, in quibus tum in eorundem Eccleſia, tum in Turri ſacra, tum in Templo S. Vrbani prope Plateam vinariam Patauinæ Ciuitatis eius ſtemmata conſpiciuntur.

Hunc ergo tantum virum Ioannes XXIII. Romanus Pontifex, vt doctorum virorum patrocinio ſe muniret, ad ſe aſcitum primò in Epiſcopum Florentinum, & aliàs à populo Florentino, atque ab illius Reipublicæ Proceribus electum, deinde in Cardinalem Diaconum SS. Coſmæ, & Damiani, Cardinalem Florentinum appellatum promouit. Is ſupra modum ſuarum fortunarum liberalis in omnes fuit, ſed in miſerabiles multò propenſiùs ferebatur: nam eiuſmodi homines in primis omni tempore ſumma cum pietate fouere conſueuerat. Concilij quoque tempore Prælatos inopes, quos diuturnitate moræ exhauſtos nouerat, omni qua poterat, ope ſuſtentabat: Domi quidem parcus erat, foris verò mutuum contrahens, vt aliorum indigentiæ ſupplere poſſet. Multos labores, pericula, & peregrinationes ſupra omnes pro congregando Concilio paſſus eſt: nam hieme media per Alpes, quæ Italiæ imminent, ſedis Apoſtolicæ Legatus ad Sigiſmundum Imperatorem acturus de congregandi Concilij loco profectus eſt. Die igitur prima Nouembris anni 1414. feſto Omnium Sanctorum celebrata Miſſa à Ioanne Romano Pontifice, inter eius ſolemnia Franciſcus Diaconus Cardinalis SS. Coſmæ & Damiani ſchedulam, vt vocant, ſiue libellum, aut Codicillum legit de facta per eundem Ioannem Pōtificem indictione huius Concilij in continuationem Piſani pro reformatione ſtatus Eccleſiæ, ac de illo inchoando die Sabbathi ſequenti tertia Nouembris. In hoc igitur Concilio abſente Pontifice, Pontificis vices geſſit, & extincto Schiſmate, cum de certo, & vero Pontifice creando ageretur, omnium conſenſu ſummus Pontifex dictitatus, re quoque ipſa deſignatus fuiſſet; ni Deus optimus maximus ipſum in Cœlum ibi ſatiùs Eccleſiæ ſuæ profuturum euexiſſet. Conſtantiæ igitur annum 78. ſeu 80. agens extinctus eſt anno 1417. Octauo Idus Nouembris, ſeu, vt alij volunt die 26. Septembris: ſancta Synodus pias eius inferias celebrauit cohoneſtante Sigiſmundo Imperatore funeris pompam. Huiuſmodi profectò exequiæ magno ei, vel defuncto fuerunt ornamento, cum præſentia Imperatoris, ac totius Romanæ Eccleſiæ tanta pompa fit elatus, quanta antea eius ordinis vix quiſquam fuerit. Poggius Florentinus funebri Oratione eum exornauit, quæ oratio extat, & in publico edita, ab omnibus legi poteſt. Eius oſſa in Cathedrali Patauina in ſacello ab ipſomet Diuæ Virgini Mariæ dicato, ſublimiori in loco ſita, huiuſmodi memoria decorantur.

Hier. Spōdan. in Annalib. Eccleſiaſtic.

Felix Cōtelorius in Elencho.

Hipp. Marrace in Purp. Marian.

Lauren. Schrader. de monumentis Italiæ.

FRANCISCO ZABARELLAE FLORENTIAE ARCHIEPISCOPO VIRO OPTIMO VRBI ATQVE ORBI GRATISSIMO DIVINI HVMANIQVE IVRIS INTERPRETI PRAESTANTISSIMO IN CARDINALIVM COLLEGIVM OB SVMMAM SAPIENTIAM COOPTATO AC EORVNDEM ANIMIS PONTIFICI PROPE MAXIMO IOANNE XXII. EIVS SVASV ABDICATO ANTE MARTINVM V. OB SINGVLAREM PROBITATEM IN CONCILIO CONSTANTIENSI DESTINATO IOANNES IACOBI VIRI CLARISSIMI FILIVS ID MONVMENTI PONENDVM CVRAVIT VIXIT ANNOS LXXVIII. OBIIT CONSTANTIAE MCCCCXVII.

Qui huiuſmodi ſepulchralem Inſcriptionem compoſuit, perperam illum Archiepiſcopum Florentinum appellauit, cum Martinus Quintus ea dignitate Florentiam primus decorauerit, anno 1420. tres videlicet omnino annos à Franciſci exceſſu, qui poſtquam purpuram adeptus eſt, eo Epiſcopatu ſe abdicauit.

Conciues Patauini pro tanti viri memoria in magna Gigantum aula prope atrium Præfecti, eiuſdem effigiei monumentum iſtud alterum auctore Hieronymo Cauatio, votis concordibus erexere.

FRANCISCVS ZABARELLA PATAVINVS CHRISTIANÆ REIPVBLICAE TVTOR CARDINALIS MERITO CREATVS SVIS IMMORTALIBVS COMMENTARIIS QVÆ IN MANIBVS SVNT IVRIS PONTIFICII ÆNIGMATA NODOSQVE SOLVIT CVM OMNI VIRTVTE TVM VITAE INTEGRITATE ADMIRANDVS RELIGIONEM NOSTRAM DISCORDIIS PRAESIDVM NVTANTEM CONCILIO BASILIENSI IN PRISTINAM SEDEM RESTITVIT QVO OMNIVM CONSENSV PONTIFEX DESTINATVS OCTOGESIMVM AETATIS ANNVM AGENS HVMANIS EXCESSIT.

Hoc tamen monumentum corrigendum eſt, & pro Baſilienſi Concilio, Conſtantienſi reponendum, cum Baſilienſe Concilium poſt Conſtantienſe, in quo obijt, vt diximus, Cardinalis Zabarella noſter, non niſi anno 1431. ſummi Pontifices coegerint.

De Franciſci Cardinalis Zabarellæ vita, ac morte Petrus Paulus Vergerius eius diſcipulus, ac familiaris accuratiſſimam epiſtolam conſcripſit: Plura Bernardinus Scardeonius de Viris Inſignibus Patauinis; ac Iacobus Philippus Tomaſinus in Elogijs Virorum Illuſtrium. Scripſit

Cómentariorum in Decretales, & Clementinas tomos ſex.
Commentarios item in Naturalem, & Moralem Phyloſophiam Ariſtotelis.
De Horis Canonicis.
De Schiſmate.
Sui Temporis Hiſtoriam. ***
De Felicitate libros tres.
Conſiliorum tomum vnum.
In Decretum.
Varias Legum Repetitiones.
In Vetus, & Nouum Teſtamentum.
Opuſcula de Artibus Liberalibus. ***
Opuſcula Varia.
De Natura rerum diuerſarum.
Acta in Concilijs Piſano, & Conſtantienſi.
Volumen Orationum, & Epiſtolarum variarum.

Momencl. Cardinal. Iac. Phil. Tomaſ. in elogijs virer. illuſt. Iodo. Neorzanus. Ludouic. Gomeſius Ioan. Pichardus. Ioā. Bapt. Ziletus. In Vvolphangus. Georgius Draudius in Biblioc. Claſſic.

Huius ampliſſimi Cardinalis Epicherema tale fuiſſe fertur quale ſubijcio ex Muſæo Caſſiani à Puteo, atque ex Iacobo Philippo Tomaſino in Elogijs Illuſtrium Virorum.





XIII.

LVCINVS, ſiue Lucius de Comitibus, filius Aldebrādini, ſeu Ildebrandini, Domicellus Romanus, ex Protonotario Apoſtolico à Ioanne XXIII. renunciatus Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Coſmedin, aliàs Scholæ Græcæ, interfuit Concilio Conſtantienſi, & pro Martino V. album calculum adiecit. Quare Martinus grati animi ergo Ildebrādino, & filijs, qui contra Eccleſiam arma olim impugnarant, non modò offenſas omnes remiſit, ſed Terras, Caſtra, aliaque bona reſtituit, & illos ſub ſuo, & Romanæ Eccleſiæ patrocinio recepit. Eiſdem inſuper conceſſit, vſque ad tertiam generationem Caſtra Canini, Gradularum, Cryptarum, & Abbatiam ad pontem Montisflaſconis, & Caſtrenſis Diœceſis. Cum autem Bononienſes ab Eccleſia defeciſſent, Martinus contra illos armatorum exercitum inſtruxit; cum armatis militibus Lucidum Diaconum Cardinalem Legatum direxit, vt Bononienſes ad priſtinam obedientiam Romanæ Eccleſiæ præſtandam cogeret. Res perbenè cecidit, nam illi cum Vrbis exitium proprijs oculis vſurparent, Legati clementia implorata ad Eccleſiæ obedientiam redierunt. Illius Vrbis regimen à Martino, Lucido Legato commiſſum, tenuit, vſque ad obitum. Affuit Comitijs, in quibus electus eſt Romanus Pontifex Eugenius huius nominis IV. a quo poſt obitum Alphonſi Carilli natione Hiſpani S. R. E. Diaconi Cardinalis ſancti Euſtachij Archipresbyteratum Baſilicæ Lateranenſis obtinuit.

Panuinius

Ciaconius

Felix Cōtelorius de fam. de Comitum Roman.

Aloyſ. Mēginus in vita Nicolai Card. Albergati

Aubery in vita.

Pomp. Vizan. in hiſtor. Bononienſi.

Caſ. Raſpon. de Baſil. Lateranen.

E vita exceſſit Bononiæ non anno 1417. vt ex Impreſſoris errore legimus apud Felicem Contelorium in Elencho, ſed die 9. Septembris, anno 1437. & ibidem ſepultus apud Seruitas.



XIV.

Claconius. Panuinius. Pet. Friſô. in Gallia Purpur. Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana. Aubery in vita. Ferdinãd Vghell. in Addit. ad Ciaconi. And. Victorel. ib. Hier. Garimbert.

GVILLELMVS Philaſterius, aliàs Filaſtrus, natione Gallus, in Cœnomanico agro ſagacium hominum feraci natus, ſummo à natura dotatus ingenio, Iuris Pontificij, & Cæſarei Doctor inſignis, Rhemorum Decanus electus eſt in Eccleſia Metropolitana; quo munere antea quoque functus fuerat in S. Symphoriani Collegiata. Philaſterio Decano Rhemis præclara in Metropolitanæ Eccleſiæ Canonicorum vſum, inſtructa eſt Bibliotheca, cui maximam Codicum antiquorum copiam eſt largitus: adhuc in ea viſitur rara, & ingens totius mundi charta, mappam vocãt, miro artificio elaborata, & deſcripta in equimarini pelle cum Philaſterij inſignibus. Extrui mandauit Scholas Theologiæ Rhemenſes: exornauit ſacram Diui Rigoberti Rhemorum Archipræſulis capſam. In Conuentu Pariſienſi ſexaginta quatuor Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Abbatum quamplurimorum ad Schiſma in Romana Eccleſia extirpandum congregatorum, pro Benedicto XIII. ſtetit, & in Regis, & Eccleſiæ Gallicanæ auctoritatem inuectus, eaque de re valde reprehenſus, veniam ſubmiſſiſſimè petijt. Archiepiſcopatum tamen Aquarum Sextiarum in Prouincia obtinuit, & Cardinalium Collegio à Ioanne XXIII. aſcriptus eſt, inter Diaconos primùm, mox inter Presbyteros titulo ſancti Marci cooptatum volunt nonnulli.

Henricus Spondan. in Annal. Eccleſiaſt.

Conſtantienſi Synodo interfuit: in ſeſſione decima datus Commiſſarius cum Iordano Vrſino Cardinale Ioanni Pontifici, qui clam Conſtantia diſceſſerat. Et in ſeſſione trigeſima quarta præclaram habuit concionem apud patres Concilij, ſumpto illo D. Petri loco pro themate, *Tempus eſt, vt incipiat iudicium à domo Dei*: Contra Petrum de Luna. Martino V. ſuffragium tulit, à quo in Gallias à latere Legatus cum eodem Iordano Cardinali Vrſino pro vnione in Catholica Eccleſia Romana conſeruanda. Ad Vrbem reuerſus Archipresbyter Baſilicæ Lateranenſis eſt nominatus: apud ſanctum Chryſogonum Palatium a fundamentis erexit, quòd ſucceſſu temporis incendio perijt.

Caſ. Raſpon. de Baſil. Lateranen. Felix Cõtelor. in Elencho. Nomencl. Cardinal.

Romæ octogenarius animam exhalauit octauo Idus Nouembris anno noſtræ ſalutis 1428. Garimbertus ſcribit nonaginta annos vitam duxiſſe, & in aula Romana non exigua veneratione dignum: ſepultus eſt apud S. Chryſogonum, cum Epitaphio ſequenti.

SEPVLCHRVM

Guillelmi Tituli S. Marci, Presbyteri Cardinalis

Cœnomanenſis Diœceſis,

Miniſtri Eccleſiæ ſancti Chryſogoni,

Olim Decani Rhemenſis,

Iuris Vtriuſque Doctoris.

Habeat Deus, quam creauit animam:

Habet Natura quod ſuum eſt.

Expectans reſurrectionem, & vtriuſq; vitã æternam.

Oportet enim corruptibile hoc induere corruptionem,

Et mortale hoc induere mortalitatem.

Obijt Anno Domini MCCCCXXVIII.

Menſe Nouembri, die verò ſexta,

Aetatis ſuæ octogeſimo.

In Mathematicis verſatiſſimus, nec non linguæ Græcæ peritiſſimus Platonis libros Latinos è Græco idiomate reddidit: Pomponium Melam notis illuſtrauit, & præfationem adiecit.

SECVNDA CREATIO VNIVS CARDINALIS.

Anno Dominicæ Incarnationis 1413. Pontificatus Tertio, die Veneris, 13. ſeu ex alijs 14. vel 15. Aprilis Romæ Ioannes XXIII. Romanus Pontifex vnum creauit Cardinalem, qui fuit.



XV.

Ciaconius. Panuinius. Pet. Friſô. in Gallia Purpurat. Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana.

SIMON, quem alij Petrum malè vocant, Gallus, dictus de Cramado, ſeu de Cramaudo, à patrio ſolo, in quo natus eſt, Cramaudum enim vicus eſt iuxta Rupemcauardi Lemouicenſis Diœceſis, doctrina, & eloquentia clarus, à Carolo VI. Galliarum Rege, obtento Magiſtri libellorum ſupplicũ officio, Oratoris munere eiuſdem Regis nomine functus eſt ad Benedictum XIII. Auenione degentem. Ex Ioannis Biterrẽſis Pictonum Comitis Cancellario Agenenſis primò, deinde Biterrenſis, Carcaſſonenſis, Auenionenſis, & demum Pictauienſis Eccleſiæ Præſul electus eſt. In hac Eccleſia Diuo Petro Apoſtolorum Principi ſacra, inſtituit Magiſtrum, & ſex chori pueros, atque anniuerſarium ſolemni ritu peragendum cuiuſlibet menſis die poſtrema; in cuius rei finem dono dedit Terram de Nouſilley. Ex Pictauienſi ad Rhemenſem cathedram gradum fecit, & Patriarchatu non Hieroſolymitano, ſed Alexandrino obtento miſſus eſt à facultate Theologica Pariſienſi Perpinianum, vbi agebat Carolus VI. vt finis aliquis daretur Schiſmati Petri de Luna.

Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciaconi.

Henric. Spondan. in Annal Eccleſiaſt.

Cum autem Wenceſlaus Imperator menſe Martij, anno 1398. cum Carolo Rege Galliarum Rhemis conueniſſet ad Schiſma in Romana Eccleſia extinguendum. In Conuiuio regio, quo vnã in menſa ſederunt, primus Simon Caramedus, ſeu de Cramado Patriarcha Alexandrinus, inde Wenceſlaus, tertius Francorum Rex, quartus Rex Nauarræ, nec plures: ad alias autem menſas ſedebant ceteri Germaniæ Prælati, ac Proceres, miniſtrantibus Francis. Interfuit Synodo Pariſienſi habitæ eodem anno 1398. ad idem Schiſma extirpandum: in qua publicatus Tractatus de Schiſmate Simeonis Patriarchæ Alexandrini eximij Decretorum Doctoris, quo diſputabat num Reges, & Regna obedientiarum Benedicti XIII. & Bonifacij IX. ipſis nolentibus renunciare Papatui, poſſent obedientiam eis Canonicè ſubtrahere, ſeu penitùs denegare. Poſtquam partem negatiuam multis rationibus, & allegationibus ſuſtinuit, affirmatiuam deinde prolixè probauit, confutatis rationibus, argumentis, ac textibus in contrarium adduci conſuetis. Abunde ſimul demonſtrauit, ſola via ceſſionis vtriuſque, aut abdicationis poſſe remedium Schiſmati afferri, ceteraſque omnes longè difficiliores, & minus aptas eſſe. A Rege, & ab Eccleſia Gallicana cum alijs Epiſcopis, & viris doctrina præſtantibus ad Benedictum XIII. Maſſiliæ commorantem miſſus, vt omni ſuaſione tentaret ab eo ſcriptum ceſſionis, quod ſæpe promiſerat obtinere. Re infecta cum ſocijs ad Regem redijt; nam Benedictus nullum aliud reſponſum protulit, niſi per ipſum non ſtaturum, quin vnio fieret.

Io. Chenu in Chron. Epiſcop. Galliæ. Ioan. de Vrſin. in hiſt. Caroli VI. Regis Francorum. Aubery in vita. Monſterlet. Felix Cõtel. in Elench. Card. Nomencl. Cardinal.

Poſt Concilium Piſanum Purpuram accepit à Ioanne XXIII. & inter Presbyteros Cardinales titulo S. Laurentij in Lucina adſcriptus eſt. Aliqui, ſed malè Epiſcopum Cardinalem Præneſtinum renunciatum Simonem affirmant; nam ex m. ss. Bibliothecæ Vaticanæ conſtat titulum S. Laurentij in Lucina initio obtinuiſſe, & retinuiſſe, vſque ad obitum. Interfuit Concilio Conſtantienſi, in quo Concionem habuit elegantem die Dominico 27. Aprilis, themate ſumpto ex ijs Scripturæ verbis: *Libera Deus Iſraël ex omnibus tribulationibus ſuis.* Dedit calculum electioni Martini V. poſt cuius electionem Conſtantia receſſit in Galliam, vbi obijt anno 1429. Pictauij ſepultus in Cathedrali, cuius olim Epiſcopus, deinde Adminiſtrator fuit, cum hoc Epitaphio, & effigie alabaſtrina.

Simon S. R. E. & S. Laurentij in Lucina Preſbyter Cardinalis, & Epiſcopus Pictauienſis iacet in hoc ſepulchro, cuius imago de Alabaſtro eſt ſuper tumulum marmoreum poſita, & ſtatua Cardinalis in proximo pilari prædicto ſepulchro contiguo erecta. Qui, dum fuit Romæ promotus ad Cardinalatum, erat Archiepiſcopus Rhemenſis, & pro ſuſtentatione ſui ſtatus fuit etiam ſibi datus Epiſcopatus Pictauienſis: cuius etiam ante per multos annos fuerat Epiſcopus, & fundauit in iſta Eccleſia vnam præbendam cum groſſo quadraginta librarum pro nutrimento vnius Magiſtri, & ſex puerorum in Muſica inſtruendorum ad faciendum diuinum ſeruitium.

Reliqua ſunt obliterata.

TERTIA CREATIO VNIVS CARDINALIS.

Anno à partu Virginis 1413. ſeu ex alijs 1414. Pontificatus Tertio, ſeu Quarto, xij. Kalend. Octobris Bononiæ Ioannes XXIII. Romanus Pontifex vnum renunciauit Diaconum Cardinalem, qui fuit.

Ciaconius.
Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciaconium.
Carol. Sigonius de Epiſc. Bononien.
Aubery in vita.
Io: Paſchalis Alidoſ. de Vrbe Bonon.
Pomp. Vizan. in hiſtor. Bononienſi.
Folietta.



XVI.

IACOBVS Inſulanus, nobilis Bononienſis, Ioannis filius, Iuris Vtriuſque Doctor inſignis, & vnus ex ſexdecim Vrbis Bononienſis Reformatoribus fuit. Is mortua Bartholomæa Ludouica legitima vxore, ex qua vnicum filium ſuſceperat, Eccleſiaſticam viuendi rationem amplexus, in ea tantùm profecit, vt Cardinalis Diaconus S. Euſtachij primò, mox S. Mariæ Nouæ exigentibus meritis à Ioanne XXIII. dictus ſit, & ab eodem in D. Petri Patrimonio Legatus à latere contra Tyrannos, qui ferè totum Patrimonium temere vſurparant, conſtitutus, breui tempore ſua in peragendis negocijs induſtria totam prouinciam illam in Romanæ Eccleſiæ poteſtatem redegit. In Vrbe euiſdem Pontificis in Spiritualibus, & Temporalibus Vicarius fuit: à Braccio Montonio Ladiſlai Neapolitani Regis iuſſu in mole Hadriani detentus, ab inuicto Sfortia Attendolo liberatus eſt. Philippo Mariæ Mediolani Duci maximè charus extitit, à quo Genuæ Gubernator electus, per quinquennium Ianuenſem prouinciam prudentiſſimè rexit. A Martino V. Ioannis ſucceſſore, non ab Eugenio IV. vt aliqui ſcripſere in Galliam ad Regiu tumultus ſedandos, anno 1430. Legatus, anno elapſo, ad Vrbem peracto negocio properans, Mediolani mortem oppetijt anno 1431. die 9. Februarij, & in Eccleſia S. Mariæ de Calunzano, quæ eſt vna ex Parrecijs illius Vrbes, ſeu, vt volunt alij, in S. Ambroſij Maioris Templo ſepultus.

CREATIO VNIVS CARDINALIS.

Ferdinand. Vghel in Additam. Ciaconii.



XVII.

GVILLELMVS Carbonus Neapolitanus, Ioannis filius, & frater Franciſci Cardinalis Carboni, olim Archidiaconus Aquileienſis, & Protonotarius Apoſtolicus, ex Epiſcopo Theatino non à Martino Quinto, vt ſcripſit Ferrantes de Marra, ſed à Ioanne XXIII. Romano Pontifice in numerum Presbyterorum Cardinalium ſub titulo S. Balbinæ aſcriptus dicitur in Catalogo Theatinorum Præſulum, anno noſtræ ſalutis 1411. De Guillelmo hoc illud tantum ſe inueniſſe fatetur Ferdinandus Vghellius in monumentis m. ss. illius Eccleſiæ, Theatinam Eccleſiam ab anno 1396. vſque ad annum 1419. prudenter, ac piè rexiſſe. Cum verò nulla ſit huiuſce Guillelmi Cardinalis mentio apud ſcriptores illos, qui de Cardinalibus ſcripſerunt illum inter Cardinales recenſere non audent nonnulli, ſed ex Martini V. Romani Pontificis Diplomate conſtat Guillelmum hunc purpura ornatum olim viriſſe, & in Vaticanis Regiſtris Cardinalis hic nominatur. Incertum tamen eſt, quo anno è vita exceſſerit. Neapoli ſepultus apud Franciſcum Carbonum fratrem ſuum in Eccleſia principe, in ſacello ſuæ fam hæ, in quo noſtris etiam hiſce temporibus ſunt duo Cardinalitij Pilei, indicantes duo ibi iacere corpora Cardinalium. In eadem Eccleſia principe Neapolitana ſingulis annis menſe Nouembri annui funeris huiuſce Cardinalis Canonici memoriam celebrant.

Ciaconius.
Panuinius.
Felix Contelorius.

EPISCOPI CARDINALES QVATVOR & vnus Presbyter, a Ioanne XXIII. Romanus Pontifex creati ex Ciaconio.

Frater Angelus de Anna, ex Presbytero, titulo Paſtoris, Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus.

Petrus Frias, ex Presbytero titulo ſanctæ Praxedis, Epiſcopus Cardinalis Sabinus.

Iordanus Vrſinus, ex Presbytero ſancti Laurentij in Damaſo, Epiſcopus Cardinalis Albanenſis.

Ludouicus de Barro, ex Presbytero Baſilicæ ſanctorum Duodecim Apoſtolorum Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & S. Rufinæ.

Antonius de Calancho, ſeu de Chalant, ex Diacono ſanctæ Mariæ in via Lata, Presbyter Cardinalis ſanctæ Cæciliæ.

VICECANCELLARIVS S.R.E. ſub Ioanne XXIII.

Ioannes de Bronhiaco, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus, S.R.E. Vicecancellarius ab anno primo, vſque ad finem Pontificatus.

CARDINALES MORTVI ſub eodem Pontifice.

Valentinus Hungarus, Epiſcopus Quinqueeccleſienſis, Presbyter Cardinalis ſanctæ Sabinæ, obijt menſe Iulij, anno 1410.

Ioannes Melioratus Sulmonenſis, Presbyter Cardinalis ſanctæ Crucis in Hieruſalem xvij. Kalendas Auguſti, ſeu Nouembris, anno eodem 1410.

Conradus Caracciolus, Neapolitanus, Presbyter Cardinalis S. Chryſogoni xv. Kalen. Martij, anno 1411.

Guido de Maleſieco, alias Malaſierre, Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Crucis in Hieruſalem, poſtea Epiſcopus Præneſtinus, die 5. Martij, anno 1411.

Antonius Caluus, Romanus, Presbyter Cardinalis S. Praxedis, deinde S. Marci, 6. nonas Octobris, anno eodem 1411.

Antonius Caietanus, Romanus, Presbyter Cardinalis S. Cæciliæ, deinde Epiſcopus Præneſtinus, demum Portuenſis, 4. Idus Ianuarij, anno 1412.

Henricus Minutulus, Neapolitanus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Anaſtaſiæ, deinde Epiſcopus Tuſculanus, demum Sabinus, xv. Kalend. Iulij, anno eodem 1412.

Franciſcus Huguccionius, ſeu de Aguzzonis, Vrbinas, Presbyter Cardinalis ſanctorum Quatuor Coronatorum, die 14. Iulij, ſeu xix. Kalend. Septembris, anno 1412.

Federicus Comes, Saruuerdenſis, Germanus, S. R. E. Cardinalis 9. Aprilis, anno 1414.

Georgius Roſco, Germanus, Presbyter Cardinalis, obijt ſub Ioanne XXIII. incertum quo anno.

CARDINALES MORTVI poſt abdicationem Ioannis XXIII. ante tamen electionem Martini Quinti.

Landulphus Marramaurus, Neapolitanus, Diaconus Cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano, die 16. Octobris, anno 1415.

Petrus Gerardi de Podio, Gallus, Presbyter Cardinalis ſancti Clementis, poſtea Epiſcopus Tuſculanus, anno 1415. ſeu poſt annum 1417.

Petrus Alun, ſeu Hallus, Anglus, Presbyter Cardinalis, die 4. Septembris, anno 1417.

Franciſcus Zabarella, Patauinus, Diaconus Cardinalis ſanctorum Coſmæ, & Damiani, die 26. Septemb. ſeu Nouembris, anno 1417.

Petrus Stephaneſcus de Hannibaldis, Romanus, Diaconus Cardinalis ſancti Angeli, deinde ſanctorum Coſmæ, & Damiani, pridie Kalendas Nouembris, anno eodem 1417.

Angelus Corarius, Venetus, Presbyter Cardinalis ſancti Marci, deinde GREGORIVS XII. anno 1417.

Aegidius de Campis, Gallus, Presbyter Cardinalis ante electionem Martini V. incertum tamen, quo anno.

MARTINVS III· DICTVS V· PONT· CCX·

ANNO DOMINI MCCCCXVII.




IN NOMINE DEI, ET SALVATORIS Noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen.

A ANNO MCDXVII. ſublatis per Concilium Conſtantienſe tribus Schiſmatis teterrimi capitibus, reductoque orbe Chriſtiano ad Catholicæ Eccleſiæ vnitatem, Apoſtolica ſede iam tertio anno vacante, reliquum erat tandem, vt nouus Romanus Pontifex orbi Chriſtiano daretur, quo mediante, poſtea Schiſmate ſublato, Eccleſiæ reformationi atten- B deretur, tam in capite, quàm in membris, quæ res ſine Pontifice rectè fieri non poſſe, Concilij patres cenſuere. Igitur die Sabbathi pridie Kalendas Nouembris publica ſeſſione 40. anno 1417. hoc Decretum per omnes nationes tàm in priuatis, quàm publica Congregatione probatum editum eſt, vt procedatur ad electionem Romani Pontificis, non obſtante abſentia Cardinalium Petri de Luna, & vt debita auctoritas Concilio redderetur, nulluſque futuram electionem calumniari poſſet; atque vt electus in Papam pro vero, & indubitato Pontifice Romano apud totum orbem Chriſtianum haberetur, ſicque dici poſſet per Canonicum, & Legitimum Pontificem, verè antiquum Schiſma ſublatum, pacemque, & vnionem Eccleſiæ datam eſſe: quòd quælibet natio eligeret ſex honeſtas perſo- C nas Eccleſiaſticas, & religioſas, ac in ſacris Ordinibus conſtitutas, quæ vna cum Cardinalibus præſentibus in Concilio pro hac vice tantùm intrarent Conclaue, haberentque auctoritatem, vnà cum Cardinalibus, eligendi futurum Papam, & qui à duabus partibus ex deputatis cuiuſlibet nationis eligeretur in Papam, ille pro ſummo Pontifice haberetur, & teneretur. Quapropter die Lunæ vj. Idus Nouembris eiuſdem anni 1417. celebrata ſeſſione publica 41. iuxta Decretum 11. ſeſſionis, hora poſt meridiem cum 28. Cardinalibus in Concilio tunc exiſtentibus; triginta aliæ perſonæ religioſæ in ſacris Ordinibus conſtitutæ, partim Prælati, partim aliorum ordinum, ſex videlicet pro qualibet natione (quæ quinque erant, videlicet Italica, Gallica, Germanica, Hiſpanica, & Anglica) ingreſſi ſunt Con- D clauæ, paratum in palatio Epiſcopali Conſtantienſi, quorũ omnium nomina hæc ſunt, tàm Cardinalium, quàm non Cardinalium.

Decretum pro hac electione facienda.

CARDINALES XXVIII. QVI CONCLAVI Quo Martinus Papa III. dictus V. Conſtantiæ creatus eſt, interfuerunt.

EPISCOPI CARDINALES VI.

1. Ioannes de Bronhiaco, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus, Decanus, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarius.
2. A Fr. Angelus de Anna, ciuis, & Epiſcopus Laudenſis, Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus.
3. Petrus Fernandi Frias, Hiſpanus, Epiſcopus Cardinalis Sabinus, dictus de Hiſpania.
4. Iordanus Vrſinus, Domicellus, Romanus, Epiſcopus Cardinalis Albanus, Maior Pœnitentiarius.
5. Ludouicus de Barro, Hiſpanus, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ.
6. Antonius Corarius, Venetus, Epiſcopus Bononienſis, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis.

PRESBYTERI CARDINALES XIV.

7. B Franciſcus Landus, Venetus, Patriarcha Conſtantinopolitanus, Presbyter Cardinalis titulo S. Crucis in Hieruſalem.
8. Fr. Ioannes Dominici, Florentinus, Epiſcopus Raguſinus, ordinis Prædicatorum, Presbyter Card. titulo S. Xyſti.
9. Antonius Pancerinus, Forouilienſis, Patriarcha Aquileienſis, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Suſannæ.
10. Alamanus Adimarius, Florentinus, Epiſcopus Piſanus, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Euſebij.
11. Gabriel Condulmerius, Venetus, Epiſcopus Senenſis, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Clementis.
12. Petrus de Alliaco, Gallus, Doctor Pariſienſis, Epiſcopus Cameracenſis, Presb. Card. titulo S. Chryſogoni.
13. C Thomas Brancacius, Neapolitanus, Epiſcopus Tricaricenſis, Presbyter Cardinalis titulo ſanctorum Ioannis, & Pauli.
14. Branda de Caſtellioneis, Mediolanenſis, Epiſcopus Placentinus, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Clementis.
15. Angelus Barbadicus, Venetus, Epiſcopus Veronenſis, Presbyter Cardinalis titulo SS. Marcellini, & Petri.
16. Bandellus de Bandellis, Lucenſis, Epiſcopus Ariminenſis, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Suſannæ.
17. Guillelmus Philaſterij, Gallus, Cœnomanenſis, Decanus Rhemenſis, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Marci.
18. Simon de Cramaud, Gallus, Archiepiſcopus Rhemenſis, Patriarcha Alexandrinus, Presbyter Cardinalis titulo ſancti D Laurentij in Lucina.
19. Antonius de Chalant, Gallus, Presbyter Cardinalis tit. ſanctæ Cæciliæ.
20. Fr. Petrus de Fuxo, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo S. Stephani in Cœlio monte, S. R. E. Archipresbyter.

DIACONI CARDINALES VIII.

21. Ludouicus de Fliſco, Genuenſis, Diaconus Cardinalis ſancti Hadriani, S. R. E. Archidiaconus.
22. Amadeus de Sallunjs, Italus, Diac. Card. tit. S. Mariæ Nouæ.
23. Raynaldus Brancacius, Neapolitanus, Diac. Card. titulo SS. Viti, & Modeſti in macello Martyrum.

24. Otho

24. Otho Columna, Domicellus Romanus, Diaconus Cardinalis ſancti Georgij in Velabro.
25. Petrus Stephaneſcus Hannibaldus, Romanus, Diaconus Cardinalis ſancti Angeli in foro Piſcium.
26. Lucidus de Comitibus, Domicellus Romanus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Coſmedin.
27. Iacobus Inſulanus, Bononienſis, Diaconus Cardinalis ſancti Euſtachij.
28. Petrus Mauroçenus, Diac. Card. S. Mariæ in via Lata.

CARDINALES IN HAC ELECTIONE
Conſtantiæ abſentes.

* Georgius Epiſcopus Tridentinus, Presb. Card......
* Thomas Anglus, Epiſcopus Dunelmenſis, Presb. Card....
* Robertus Anglus, Epiſcopus Sariſberienſis, Presb. Card....
* Aegidius de Campis, Gallus, Epiſcopus Conſtantienſis Preſbyter Cardinalis......

Hi an abſentes, an mortui fuerint per hæc tempora incertum; nam quòd nunquam ad Romanam Curiam venerint, obſcuri ſunt, & ſine titulo, hoc tamē de eis cōſtat, illos abſentes à Ioanne XXIII. Papa Cardinales factos fuiſſe in prima eius promotione. De eis præterea nec diem, nec locum, nec annum mortis, vel alicuius rei ad eorundem vitam ſpectantis mentionem fieri, quamuis curioſè indagauerim, vnquam reperire potui, & ideò in ſequentibus conſulto eorum mentio omittetur.

* Petrus Stephaneſcus, Romanus, Diaconus Cardinalis S. Angeli, abſens Romæ.
* Iacobus Inſulanus, Bononienſis, Diaconus Cardinalis ſancti Euſtachij. Legatus Vrbis.

Abſentes quoque fuerunt Benedicti XIII. in ſua obedientia nominati Cardinales viuentes.

NOMINA ELECTORVM XXX.
Qui ex ſingulis nationibus electi cum Cardinalibus, Conclaue intrarunt, pro electione ſummi Pontificis.

ELECTORES VI. NATIONIS ITALICAE.

Bartholomæus Archiepiſcopus Mediolanenſis.
Franciſcus Epiſcopus Melitenſis.
Henricus Epiſcopus Feltrenſis.
Iacobus electus Epiſcopus Pennenſis.
Fr. Leonardus Magiſter generalis ordinis Prædicatorum.
Pandulphus Malateſta, Archidiaconus Bononienſis.

ELECTORES VI. NATIONIS GALLICAE.

Guillelmus Archiepiſcopus Bituricenſis.
Iacobus Archiepiſcopus Turonenſis.
Ioannes Epiſcopus Gebennenſis.
Fr. Robertus Abbas Cluniacenſis.
Gualterus Graſſi Prior Rhodius.
Lambertus de Stipite, Prior Bercheneyo.

ELECTORES VI. NATIONIS GERMANICAE.

Ioannes Patriarcha Conſtantinopolitanus.
Ioannes Archiepiſcopus Rigenſis.
Nicolaus Archiepiſcopus Gniſnenſis.
Simon Epiſcopus Tragurienſis.
Nicolaus de Dinchelſpuel, Magiſter in Theologia.
Conradus de Suſato, ſacræ Theologiæ Doctor.

ELECTORES VI. NATIONIS HISPANICAE.

Didacus Epiſcopus Conchenſis.
Ioannes Epiſcopus Pacenſis.
Nicolaus Epiſcopus Aquenſis.
Philippus de Madalia, Archidiaconus Barchinonenſis.
Gundiſaluus Garziæ, Archidiaconus de Bruneſca.
Velaſcus Petri, Vtriuſque Iuris Doctor.

ELECTORES VI. NATIONIS ANGLICAE.

Richardus Epiſcopus Londonienſis.
Nicolaus Epiſcopus Bathonienſis.
Ioannes Epiſcopus Lichfeldenſis.
Ioannes Epiſcopus Noruicenſis.
Fr. Thomas Abbas ſanctæ Mariæ Eboraci.
Thomas, Protonotarius Apoſtolicus, Diaconus Eboracenſis.

MARTINI electio.

Anno igitur 1417. iij. Idus Nouemb. vigintiocto Cardinalium, & triginta Prælatorum, nationum quinque, ſuffragijs, creatus fuit Romanus Pontifex Otho de Columna Romanus, viro clariſſimo genere Agapeto Columna parente natus Romæ anno 1368. Diaconus Cardinalis S. Georgij in Velabro. Qui dies erat feſtus S. Martini Epiſcopi Turonenſis in Gallia; ob cuius reuerentiam, & affectum, MARTINI nomen ei placuit aſſumere, & Quintus huius nominis appellatus fuit, licèt re vera Martinus Tertius potius dicendus eſſet;

A nam duo Marini fuerunt, non Martini, vt ex eorum Bullis, & Regiſtris apparet: non magis autem ſuo, quam Eccleſiæ labentis tempore, Pontifex in Concilio Conſtantienſi creatus eſt, nationum omnium, & Cardinalium conſenſu. Is enim à teneris annis cura parentum, moribus, & literis imbutus, vbi adoleuit, iuri Pontificio Perusij operam dedit, vnde ad Vrbem rediens, ob integritatem, & doctrinam ab Vrbano VI. Referendarius factus eſt. Quòd munus tanta cum humanitate, iuſtitia, & manſuetudine geſſit, vt Diaconus Cardinalis S. Georgij in Velabro ab Innocentio VII. Papa inter alios decem creatus ſit; nec ob eam quidē rem à natura ſua diſceſſit. Humanior etenim, quàm antea factus, patrocinium ſuum omnibus præſtabat, ita tamen, vt in rebus publicis non multum ſe immiſceret. Nam cum in Concilio Conſtantienſi multæ in vtraque parte altercationes haberentur, propter diuerſa factionum ſtudia, ipſe medium quoddam tenuit, quo in alterutram partem inclinare nullo modo vi- B debatur, publicæ vtilitati ſemper conſulens. Hanc ob rem, & Imperatori, & Cardinalibus, ac denique omnibus gratus, Pontifex euaſit. In ipſius namque Synodi actis continetur, vnam potiſſimum ob cauſſam, tantam dignitatem eum adeptum, quòd nulli vnquam factioni, vel conſentire omninò, vel conniuere viſus eſſet. Quo in magiſtratu non ſomno, & otio, ſed negotio, & ſollicitudini deditus, audire, refellere, approbare, ſuadere, diſſuadere, hortari & deterrere accedentes ad ſedem Apoſtolicam conſueuerat, cognita petentium honeſtate, vel ſecus. Mira enim vtebatur facilitate, & honeſta petentes à ſe voti compotes dimittebat. In conſultationibus autem, miræ prudentiæ vir eſt habitus; nam & quid agendum, & quid vitandum eſſet, ſtatim, re propoſita, acutiſſimè dijudicabat. Breuis in dicendo, cautior in agendo, adeò vt prius rem factam cernerent homines, quàm ab eo excogitatam putarent. Eius autem ſermo plenus ſententijs erat; ex eius ore nullum verbum tam crebro, quàm iuſti- C tiæ nomen prodibat. Ad eos enim, quos prouincijs, iurique dicendo præfuiſſet, ſcribere erat ſolitus, vt illius verbi diuini meminiſſent *Diligite iuſtitiam omnes, qui iudicatis terram.* Indigebat tum profectò tali Pontifice Eccleſia Dei, qui naiculam Petri, Schiſmatis, & ſeditionum fluctibus quaſſatam, redigere in portum ſalutis, gubernaculo admotus, ſciret, & poſſet. Adeptus itaque tantum magiſtratum, cum reſtare adhuc caput renaſcentis Hidræ cerneret, Petrum Lunam, cum aliquot Cardinalibus, & Prælatis, Peniſcholæ, tanquam in arce Schiſmatis ſe continentem, quibuſdam Arragoniæ populis, in vtram partem inclinarent, titubantibus adhuc, approbante Concilio, Alamanum Adimarium, virum doctiſſimum, cuius ſepulchrum in ſancta Maria Noua adhuc cernitur, patria Florentinum, S. Euſebij Presbyterum Cardinalem, Legatum è latere ſuo in Arragoniam mittit, qui ſub pœnis, & cenſuris Eccleſiaſticis Petrum admoneret, vt ſe Pontificatu abdicaret. Cardinales, qui cum Petro D ſentiebant, intelligentes vltimam Concilij, & Pontificis ſententiam, Petrum ipſum adeunt, rogantque, vt de Eccleſia Dei tandem omne Schiſma tollat, quo tam multos annos Chriſtiana Reſpublica magnis calamitatibus afflicta erat. Id autem ob ſalutem labentis Eccleſiæ à Gregorio, & Ioanne factum eſſe. Reſpondit Petrus cauillationibus quibuſdam, id ſibi nequaquam integrum eſſe, ſibi autem cum Martino conuenturum, ſi vera eſſent, quæ de hominis integritate, & humanitate dicerentur; ſinerent ſibi id negotij, nec ampliùs ea de re ſolliciti eſſent. Ex ſex verò Cardinalibus, quatuor, pertinaciam Petri de Luna inſpicientes, eo relicto, ad Martinum ſtatim defecerunt. Qui autem in fide manſerunt, Pſeudocardinales ſunt habiti, quorum alter Carthuſienſis fuit, alter verò Iulianus de Dobla appellatus eſt. Martini quoque auctoritatem Hiſpania omnis ſequuta eſt; idem fecerunt non multò poſt, & Scoti, & Armeniaci: atque ita omnis Reſpublica Chriſtiana, vna duntaxat Peniſchola excepta, Martini E auctoritatem ſequuta eſt: compoſita autem ex ſententia tanta re, Principum omnium Eccleſiaſticorum, & ſecularium, maximè verò Sigiſmundi Imperatoris labore, & induſtria, de componendis, nimia licentia tam labefactatis, tam laicorum, quàm clericorum moribus mentio haberi cœpta eſt. Verùm quum triennio, menſibus quinque, & diebus quindecim duraſſet, cum magno Prælatorum, & Eccleſiarum incommodo, anno 1418. Pontificatus primo xij. Kalend. Maij Concilium generale Conſtantienſe diſſolutum eſt. In ſequens tamen triennium aliud Concilium generale indictum eſt. In quo negotium reformationis Eccleſiæ agi deberet. Diſſoluendi itaque Concilij generalis Conſtantienſis Martinus cupidus anno Domini 1418. conuentum habuit publica ſeſſione, quo ſublato, conſenſu omnium, maximè verò Imperatoris, hæc verba, mandante F Pontifice, à Raynaldo Diacono Cardinale, SS. Viti, & Modeſti in macello Martyrum, audientibus omnibus, enunciata ſunt, *Domini ite in pace:* abeundi itaque omnibus poteſtas data eſt.

Anno Domini 1417. die Sabbathi x. Kalend. Decembris. Dominus Papa Martinus per Ioannem Cardinalem Oſtienſem in Preſbyterum ordinatus eſt, & ſequenti die Dominico xj. Kal. Decembris ab eodem Cardinale Oſtienſe in Epiſcopum conſecratus, Miſſaque de Spiritu ſancto cantata per Raynaldum Brancacium Neapolitanum SS. Viti, & Modeſti in macello Martyrum S.R.E. Archidiaconum, ſuæ coronationis inſignia ſuſcepit, ante fores Baſilicæ Cathedralis Conſtantienſis, omni aſtante Concilio, Imperatore Sigiſmundo Auguſto, & innumera populorum multitudine, ex omni Germa-

EIVSDEM commendatio.

QVA DE cauſa electus fuit Martinus.

MARTINI Legatio in Arragoniā ad Petrum Lunā Pſeudopapā, vt ſe abdicet.

CARDINALES pertinaciam Petri de Luna inſpicientes eo relicto ad Martinum deficiunt.

OMNIS Chriſtiana Reſpublica Martino ſubijcitur.

CONSTANTIENSE Conc. diſſoluitur.

CONSECRATIO, & coronatio Mart. V. Pōt. Max.

ri Germania, Italia, Gallia, Hiſpania, & Anglia illuc confluente Se-dit autem in Apoſtolica ſede eodem Sigiſmundo Imperatore Auguſto, ſublato Schiſmate, annos 13. menſes 3. dies 10.

Martini ſedes.

Concilium aliud generale cum indicendum eſſet, rem tantam Martino placuit in aliud tempus magis idoneum transferre, approbante Concilio. Dicebat enim, rem ipſam maturitate, & conſilio indigere, quia ex Hieronymi ſententia, vnaquæque prouincia ſuos habet mores, ſuos ſenſus, qui tolli ſine perturbatione rerum ſubitò non poſſunt. Verum quia Schiſma ex parua re antea ortum fuerat, diutiuſque cum magna calamitate Reipublicæ Chriſtianæ durauerat, de celebrandis Concilijs talem ſententiam pronunciauit. Maximè verò vbi intellexit, Ioannem XXIII. è cuſtodia aufugiſſe: verebatur enim, ne rurſus aliud Schiſma inchoaretur. Eius autem ſententia, & Decretum tale fuit; vt à fine Concilij Conſtantienſis, non niſi in quinquennium vſque, Concilium denuò celebraretur, atque à quinquennali in ſeptennium aliud transferretur: ab hoc verò in decennium res protracta legis haberet locum, vt ſingulis quibuſque decennijs generale Concilium idoneo haberetur loco, vbi de rebus omnibus ad fidem, & Rempublicam Chriſtianam pertinentibus mentio fieret. Ad hanc autem rem approbandam, patentibus literis, quas Bullas vocant, comprobari Martinus rem voluit, in eius ſententiam Concilio veniente. Omnia autem decreta ante Pontificatum ſuum in Schiſmate facta, niſi ad fidem, & bonos mores pertinerent, omninò ſuſtulit. Vt verò omnes intelligerent, ſibi in animo eſſe Concilium habere, locum ad id aptum, publico Concilio diſquirit, ac tandem approbantibus omnibus, Papiam, idoneum habendi Concilij locum, decernit, literaſque Apoſtolicas ſuper ea re edidit, datas Conſtantiæ, in loco publicæ ſeſſionis, xiij. Kalen. Maij, Pontificatus anno primo.

PAPIENſe generale Conc. indicitur.

Cum autem Pontifex, hinc ab Imperatore, & Germanis rogaretur, vt in Germania aliquandiu remaneret, hinc à Principibus Gallicis, vt in Galliam proficiſceretur, oſtendit, ſibi id nequaquam integrum eſſe, quòd diceret Patrimonium Eccleſiæ, abſente Pontifice, à Tyrannis quibuſdam in Italia occupatum diſtrahi, & lacerari. Vrbemque Romam Religionis Chriſtianæ caput, cum Rectore ſuo careret, penè ad interitum redactam eſſe peſte, fame, ferro, igne, ſeditionibus. De Baſilicis verò, ac ſanctorum Martyrum ſacellis nolle dicere; quæ abſente Pontifice, aut iam corruerent, aut paulò poſt collapſuræ viderentur, proinde ſibi abeundum eſſe, dicebat. Ferrent æquo animo, quòd vellent ratio, & neceſſitas, paterenturque eum ſedere in ſolio Petri, quem Pontificem omnium conſenſu decreuerant. Eccleſiam Romanam Caput eſſe, & Matrem omnium Eccleſiarum, proinde in ea immorandum Pontifici eſſe, ne verus gubernator à puppi ad proram transferatur, cũ magno nauigantiũ (hoc eſt in Chriſtiana Republica viuentium) periculo, & detrimento.

MARTInus à diuerſis Principibus rogatus, vt ſecum diutius permaneat, Eccleſiam Romam ſe petiturum reſpōdet.

Anno Domini 1418. *die Lunæ xvij. Kalend. Maij*, hora tertiarum, Papa Martinus V. diſceſſit Conſtantia, ac per Sabaudiam iter faciens, dum Italiam petit, Mediolanum peruenit; vbi à Philippo Duce, populoque Mediolanenſi, nullo non genere honoris adhibito, perbenignè ſuſcipitur. Menſe deinde Octobri Mantuam venit, vbi per aliquot menſes commoratus eſt. Eo autem tempore, quo Mantua profectus offendit Brachium Montonium, virum in re militari præſtantem, Peruſiam, Ducatum Spoletinum, & magnam Patrimonij partem ita occupaſſe, conductis mercede quibuſdam Tyrannis, circumquaque poſitis, vt ipſe tutò proficiſci Romam non poſſet. Cum verò admonitus Brachius redire ad ſanitatem nollet, armis ſpiritualibus, hoc eſt cenſuris primò in eum Pontifex vſus eſt, interdictum à ſacris omnibus eſt, qui Brachio parerent, vetitique Sacerdotes Decreto Pontificis eiſdem in locis celebrare. Hanc ob rem Florentini, moti amici Brachij incommodo, de pace cum Martino agunt, hac conditione, vt Brachius ad pedes Martini prouolutus, veniam peteret (quòd etiam fecit) oppidaque aliquot Eccleſiæ redderet, vtque etiam ſtipendijs Pontificis militans Bononiam rebellem in Martini poteſtatem redigeret, cui quidem bello Gabriel Cõdolmerius titulo ſancti Clementis Presbyter Cardinalis, & Legatus præfuit, cuius induſtria, & Brachij virtute Bononia in poteſtatem Eccleſiæ breui redacta eſt.

Martinus è Conſtantia diſceſſit.

MANtuā venit, Brachiūq; anathemat.

BRAchius ad pedes Pontificis venit, oppidaque Eccleſiæ reſtituit.

Martinus V. Mantua Florentiam venit die 26. Febr. anno 1418. ſummo honore à Republica, Primoribus, & populo Florentino exceptus; diuertit ad Baſilicam S. Mariæ Nouellæ, ordinis Prædicatorum, vbi tamdiu manſit, quamdiu Florentiæ fuit; iuxta quam Florentini palatium ædificarunt, vt ibi Martinus ſpatioſiùs moraretur, cum Inſcriptione huiuſmodi in tabula marmorea.

MARTInus Florentiam venit magno honore exceptus.

Pontifici ſummo MARTINO nomine QVINTO,
Conſtantienſi Synodo ſacra venienti.
Hic populus proprias has gratis condidit ædes,
Ac ſibi magnificos multos impendit honores:
Dum venit primo, dum manſit, dumque receſſit.
Manſit ſex menſis, feliciter, atque per annum.
Poſtea ſacrata Templo ſollemniter iſto,
Acceſſit Romanam ſedem, patriamque vetuſtam.

VENIT. DIE. XXVI. FEBRVARII. MCDXVIII.

Anno Domini 1419. quatuor ex Cardinalibus Petri de Luna, qui vſque ad finem Concilij Conſtantienſis cum eo permanſerant, videntes, euiſdem Petri pertinaciam, Concilij ſententiam ſequuti, eo relicto Florentiam, vbi tunc Curia Romana reſidebat, acceſſerunt, & die xvj. Kalendas Aprilis, oſculatis pedibus Papæ Martini, ab eo in cæterorum Collegium conſcripti ſunt; nam vſque ad eam diem pro Cardinalibus habiti non extiterant: fuerunt autem hi.

CARDInales quidam Petri de Luna erant, cum ad Martinum venerant in cæterorum collegium aſcribuntur.

Dominus . . . Hiſpanus, Canonicus Regularis, Abbas Montiſaragonum, Presbyter Cardinalis titulo S. . . . .

Carolus de Virias, Hiſpanus, Diaconus Cardinalis ſancti Georgij in Velabro.

Alphonſus Carrillius, Gometij filius, Hiſpanus, Diaconus Cardinalis ſancti Euſtachij.

Petrus Fonſeca Portugallenſis, Hiſpanus, Diaconus Cardinalis ſancti Angeli.

Cum autem Balthaſſar Coſſa adhuc in vinculis in Germania à Comite Palatino detineretur, quidam Florentini ciues, quorum de numero Coſmus habitus eſt, rogare Pontificem Martinum omninò non deſiſtebant, vt tandem è carcere Balthaſſarem liberaret; facturum ſe id Pontifex pollicitus eſt. Verum dum eò Legatum ob eam rem mittit, Balthaſſar moræ impatiens, triginta millibus nummum aureorum, Palatino Comiti perſolutis, ſe è vinculis redimens, in Italiam rediens, vt rectam Florentiam proficiſceretur, apud Petrum Ribeum, Agri Parmenſis Baronem, veterem amicum diuertens, parari ſibi inſidias intelligit. Hanc ob rem noctu cum Legato Pontificis, qui eum in via conuenerat, ad Thomam Fregoſum veterem amicum confugiens, magnam iniecit omnibus ſuſpicionem, ne rurſus Schiſma innouaretur. Erat enim vir magni animi, ſagaciſſimique, & qui priuatam vitam nequaquam pateretur. Non deerant præterea, qui hominis audaciam ad res nouas moliendas concitarent, adeo illum rebus nouis ſtudebatur. Sed Deus omnipotens Eccleſiæ ſuæ conſulturus Balthaſſarem impulit, nullis pactionibus interpoſitis, nulla requiſita cautione, Florentiam ad Martinum proficiſci: quo cum veniſſet, admirantibus omnibus, exoſculato Pontificis pede, eundem audientibus omnibus, vt verum Pontificem, & Chriſti Vicarium canonicè electum ſalutauit. Mira profectò hæc res omnibus viſa eſt, Dei potius, quàm hominum induſtria eo deducta, quòd homo regnandi cupidus in ſummo rerum faſtigio antea collocatus, in loco libero, vbi plurimum ab omnibus diligebatur, amabaturque, tanta vteretur manſuetudine. Quæ certè omnibus præ gaudio lacrymas excuſſit, maximè verò ijs Cardinalibus, qui eum prius, vt Pontificem ſequuti fuerant. Martinus autem viciſſitudine rerum humanarum motus, poſt aliquot dies hominem in numerum Cardinalium aſciſcens, Epiſcopum Tuſculanum creat, & deinceps eo habuit in honore, quo reliquos Cardinales, tam publicè, quàm priuatim. Verum Balthaſſar, dolore animi, vt putatur (ferre enim vitam priuatam non poterat) aliquot poſt menſes Florentiæ moritur, ſepeliturque honorificentiſſimo ſepulchro in Templo S. Ioannis, non longe ab Eccleſia Cathedrali, magna adhibita funeris pompa, eam rem Coſmo Medice procurante, quem homines exiſtimant pecunia Balthaſſaris opes ſuas in tantum auxiſſe, vt & primarius apud Florentinos ciues, & ditiſſimus omnium apud Italos, & fortaſſis apud exteras quoque nationes deinceps ſit habitus.

FLORENtini pro Balthaſſare Coſſa apud Martinum interceſſunt.

BALthaſſar ſe à vinculis redimens in Italiam venit.

FLORENtiā venit, Martinum ſalutat.

CARDInalis Tuſculanus, Decanuſque à Martino creatur.

EIVS ſepulchrum.

Interim verò dum hæc Florentiæ agerentur, Oratores Imperatoris Conſtantinopolitani ad Pontificem venere, publicantes, Græcos, quòd ad fidem pertineret, velle in ſententiam Latinorum venire, ſi æquæ conditiones proponerentur. Hos & perbenignè, ac ſplendide Pontifex ſuſcepit, & Legatum è latere creauit Petrum Fonſecam S. Angeli Cardinalem, hominem Hiſpanum, in quauis facultate doctum, qui Conſtantinopolim ad componendas res proficiſceretur. Verùm prius quàm virum integerrimum à ſe dimitteret, eò præmiſit fratrem Antonium Maſſanum, ordinis Minorum generalem Gubernatorem, qui Imperatoris, & Græcorum explorata ſententia, quid ea in re ſperandum eſſet, Pontificem admoneret. Inſtantibus autem Romanis, vt demùm Pontifex Romam proficiſceretur, Martinus cum bona Florentinorum gratia diſceſſurus, ciuitatem honore Metropolitico exornauit. Nam cum antea, ab ipſa penè Vrbis origine, Epiſcopatum tantummodo habuiſſet, in Archiepiſcopatum eorum Cathedralem Eccleſiam tranſtulit, eique ſubiecit, vt matrem, Volaterranam, Piſtorienſem, Feſulanàmque Eccleſiam: Dedicauit præterea ipſemet manus Altare S. Mariæ Nouellæ ordinis Prædicatorum, apud quam Baſilicam tamdiu diuerterat, quamdiu Florentiæ fuit: eſt enim Conuentus ille ad recipiendos Pontifices maximè commodus.

ORATOres Conſtantinopol. Imper. ad Martinum pro vnione Eccleſiæ Græcæ, & Latinæ.

PETRVS Fonſeca Martini Legatus Conſtantinopolim proficiſcitur.

FLORENtina Eccleſia à Martino Metropolis cōſtituitur.

Abiens itaque Florentia Romam tandem peruenit Sabbatho, & per portam Populi ingreſſus, in Cœnobio S. Mariæ de Populo pernoctauit. Dominica de mane per forum Columnæ, vſque ad S. Marcum, deinde per viam Pontificiam Pallio exceptus ad palatium Vaticanum peruenit, ſummis honoribus à Senatu, Populòque Romano comitantibus exceptus, multis noctibus equitatus, facibus accenſis inclamabat frequenter, *Viuat Papa Martinus*. Paſſim effuſa obuiam omni vrbana multitudine, effuſis Principibus tantæ Vrbis, qui hominem non ſecus, ac quod iam ſalutare ſidus, vel vnicum patriæ parentem expectabant. Diem illum in faſtis adnotauere Romani, decimo Kalendas Octobris, anno Domini 1421. Vrbem Romam adeò diruptam, & vaſtatam inuenit, vt nulla ciuitatis facies in ea videretur. Collabentes vidiſſes domos, collapſa Templa, deſertos vi-

MARTInus Romam ... excipitur.

ROMA ferè diruta.

cos, Cœno-

coſ, cœuolam, & oblitam Vrbem, laborantemque rerum omnium charitate, atque inopia. Quid plura? nulla Vrbis facies, nullum vrbanitatis indicium in ea videbatur; dixiſſes, omnes ciues, aut inquilinos eſſe, aut extremam omnium fæcem eò commigraſſe. Ciuium itaque ſuorum calamitate permotus optimus Pontifex, animum ad exornandam ciuitatem, componendóſque ciuium mores ita adiecit, vt breui conualeſcens meliorem faciem præ ſe tulerit. Hanc ob rem, ciuitas ipſa eum non modò ſummum Pontificem, verùm etiam patriæ parentem appellauit.

INGENS Tiberis inundatio

Sed ne publica lætitia diuturna eſſet ſine aliqua moleſtia, ſequenti anno 1422. die 29. Nouembris in vigilia ſancti Andreæ Apoſtoli, adeò in immenſum Tiberis creuit, vt per portam Flaminiam ingreſſus, totam Vrbem in plano ſitam inundauerit: cauſſa inundationis Brachius à Montone fuit, quòd Roma valde iratus diſceſſerit, eius imperio amiſſo: rupit enim marmora Pedis luci, quo vis magna aquarum Tiberim impleuit, in odium, & detrimentum Romanorum. Hæc inundatio ad ætam ſancti Celſi maximam peruenit, Templumque Pantheon, vſque ad Altare maius repleuit, adeò vt menſe integro exhauriri nequiuerit, quòd cloaca aquas excipiens fuerit repleta; in augmento autem, & decremento in triduum protracta eſt. Multa animalia ſecum traxit, multaque ciuibus damna intulit; qui non ſecus per vicos nauigabant, ac per alueum Tiberis facere conſueuerant. Huius inundationis memoria Romæ in muro Eccleſiæ Mineruæ exteriori, prope gradus Templi Tabula marmorea annotata eſt.

ALOYSIVS Rex titulũ Regni Neapolitani à Martino conſequitur.

Aloyſius autem Rex, Ludouici Regis filius, eodem tempore Romam ad Pontificem veniens, Regni Neapolitani titulum à Martino conſequutus eſt, Cardinalium omnium conſenſu; in Regnum namque per adoptionem à Regina Ioanna, Ladiſlai ſorore vocatus, hoc modo conſequuturum ſe Regnum putabat: verùm ſtudio partium ab Vrbe Neapoli ſubmotus in Calabriam ſeceſſit.

MARTINVS Prælatos Papiã mittit, vt Cõcilium inchoarẽt.

Cum autem Concilij tempus inſtaret, vt ex decreto Conſtancienſi inſtitutum erat, Martino placuit, ſentientibus etiam ita Cardinalibus omnibus, præmittere quoſdam Prælatos, qui Papiæ illud inchoarent: is enim locus ad rem commodus maximè videbatur: miſſique eò ſtatim Petrus Donatus Archiepiſcopus Cretenſis, Iacobus Camplo Epiſcopus Spoletinus, Petrus Roſatus Aquileienſis Diœceſis Abbas, Fr. Leonardus Florentinus, fratrum Prædicatorum Generalis, Concilium inchoarunt, ad quòd nemo quidem adhuc venerat, præter duos Abbates Burgundos; differre itaque rem in aliquot dies placuit, donec ex omni natione aliquis ſuperueniret; ex Gallica enim, & Germanica natione nondum aliquis venerat, parui namque momenti fore putabant, quòd ſine illorum auctoritate, & ſuffragijs eſſet inchoatum: Sed ecce dum hos expectant, tanta repentina peſtis Papiam inuaſit, vt præſidentes Concilij mutare locum, & tempus ſint coacti. Placuit itaque omnibus, ex ſententia Pontificis, Senas migrare, quò maior ea omni natione multitudo, quàm Papiam perueniret.

PAPIA repentina peſte inuaditur.

CONCILium Senis celebratur.

ALPHONSVS Arragonũ Rex Oratorem ad Concilium mittit pro reſtitutione Petri de Luna.

Alphonſus autem Arragonum Rex, Martino infenſus, à quo titulum Regni Siciliæ, & Neapolis habere nequiuerat, datum (vt antea dictum) Aloyſio Regis Ludouici filio, oratorem ad Cõcilium mittit, qui & Concilium in longum duceret, & cauſſam Petri de Luna in Peniſchola adhuc ſuperſtitis reſtitueret, largitione, pollicitationibus, ambiendo vnumquemque ex ijs, qui in Concilio auctoritatem haberet. Martinus non ignarus, quantam calamitatem ea res Eccleſiæ Romanæ allatura eſſet, quantumque periculi in mora haberetur, mandauit, Concilium ſtatim diſſolui, approbatis decretis in Concilio habitis; quæ ad fidem pertinebant; Sed ne ſubterfugere Conuentum Chriſtianorum videretur, in ſequens ſeptennium Concilium in Vrbe Baſilea celebrandum indixit, atque hoc modo Schiſmatis, & diſcordiarum ſemina, à quibuſdam in Concilio Senenſi iacta, & ſparſa hominis prudentia, ſublata ſunt.

SENENSE Conc. diſſoluitur.

ALPHONSVS de Martino conqueſtus.

Tum verò Alphonſus Rex palam de Martino V. conqueſtus eſt, quòd diceret eius opera, & ſe à Regina Ioanna, abrogatum Regno eſſe, quem prius hæredem inſtituerat, & Aloyſium Regis Siciliæ filium nouum hæredem inſtitutum. Refellebat quidem hæc crimina perfacile Martinus; quòd diceret, Aloyſium hæredem Ioannæ ab Alexandro Quinto, & Ioanne XXIII. in Regno prius confirmatum fuiſſe; reijceretque eam omnem culpam in Reginam, nõ autem in ſe, ad quem pertineret feudatarios Eccleſiæ confirmare, non autem tollere, niſi ad quod grande facinus in ſedem Romanam commiſiſſent, ſe non videre, cur Aloyſius, Ioannæ ſuo iuſſu coronatæ legitimus hæres eſſe, non poſſet.

BRACHIVS Eccl. oppida [illegible] Pontificio exercitu ſuperatur [illegible].

At verò Brachius, cum videret Pontificem multiplici cura implicatum, ob ſimultatem cum Alphonſo contractam, multis Eccleſiæ oppidis per vim potitis, Aquilam Vrbem Regni Neapolitani graui obſidione premit. Hanc ob rem motus Pontifex, comparato ſatis iuſto exercitu, liberare Aquilam annixus, non longè ab Aquila patenti campo Brachium ſuperat, & interficit. Delatum itaque Romam Brachij cadauer in loco profano, extra portam S. Laurentij ſepelitur. Hac autem victoria tanta tranquillitas exorta eſt, redactis ad ditionem Eccleſiæ Peruſio, Tuderto, Aſſiſio, alijſque oppidis, quæ Brachius occupauerat; vt Auguſti Octaui felicitas, & pax rediſſe ſua ætate videretur, licebat tum iam otio, & liberè per ſiluas noctu etiam tutò commeare. Nulli latrones tum extabant, nulli ſicarij, & fures, adeò hoc hominum genus perſequebatur; ſublatis è medio Tyrannis, qui latrocinijs potius, quam militia vitam traducebant.

MARTINVS omnes prædones, latroneſque amputauit.

Martinus namque anno 1429. multas Arces cepit, quæ tenebantur à Tyrannis, & vim tranſeuntibus inferebant. Montelupum diù obſeſſum vi expugnauit, & penitus diruit, & complanauit. Multis Regulis capita amputauit, quòd pecora, armenta, & iumenta prædarentur. Idem Dominus intulit Montiſrotundi, Campagnani, Magnani, & Montiſlupi, quòd viarum publici prædones, & latrones eſſent, & ita omnia pacata, & tuta reddidit.

LÆTITIA in Vrbe geſta de Brachij nece.

Anno itaque 1424. *die* 2. *Iunij*, occiſus Brachius à Montone, Dux belliger, hoſtis Papæ, & Romanorum, ingens tum lætitia concepta, ignes publici excitati, & quiſque faces gerebat noctu accenſas, comitantes, & congratulantes Iordano Columnæ Papæ nepoti; quòd ſublatus fuiſſet ferox hoſtis Papæ, & familiæ Columnenſis.

FRATRE Bernardino Senẽſi inſtigante ſuperſtitioſa inſtrumẽta igne comburuntur.

FINICELLA inſignis lamia cõburitur.

Anno eodem 1424. *die* 21. *Iulij*, ante fores Capitolinas arſerunt tabulæ luſoriæ, cantica laſciua, incantatoria, breuia, ſortes, & capillamenta, quibus fœminæ ad ſuperſtitioſa vtebantur, lignea mole conſpectui populi priùs expoſita, inſtigante fratre Bernardino Senenſi viro ſanctiſſimo. Multorum odia eius ſuaſu conciliata, plures Iudæos ipſe conuertit, Finicella lamia venefica inſignis arſit, quæ infantes multos occiderat: per id tempus idem Bernardinus Senenſis, longè lateque per totam Italiam maximo cum fructu Verbum Dei diſſeminauit, Aquilæ poſtea vita functus anno 1444.

ANNVS MAGNI IVBILEI QVARTI.



IVBILEI celebratio

Anno 1425. Martinus V. Annum Iubileum celebrauit, multis ad Vrbem concurrentibus, quòd pax & tranquillitas vniuerſim eſſet, & tanta copia annonæ, vt onus tritici baiochis 20. hordei 12. diſtraheretur Romæ.

BASILICÆ à Martino exornatæ.

Martinus autem ab externis hoſtibus quietus, ad exornandam patriam, Baſilicáſque Romanas animum adijciens, porticum S. Petri iam collabentem reſtituit, & pauimentum Lateranenſis Baſilicæ, opere vermiculato perfecit, & teſtudinem ligneam eidem Templo ſuperinduxit, picturámque Gentilis, opus pictoris egregij inchoauit. Aedes præterea vetuſtate collabentes ad duodecim Apoſtolos reſtituit, vbi & annos aliquot habitauit. Huius autem ſtudia Cardinales ſequuti, titulos ſuos ita certatim reſtituunt, vt iam aliqua facies redijſſe Vrbi Romæ videretur.

Interea verò mortuo Petro Luna, in Peniſchola qui dictus erat Benedictus XIII. menſe Septembri anno 1424. ne aliquid deeſſet, quòd Eccleſiam vexaret, duo illi Pſeudocardinales, de quibus mentio facta eſt, Alphonſo Rege, Martini hoſte, adhortante, Aegidium cognomento Mugnoz, Canonicum Barchinonenſem, genere nobilem, Pontificem deligunt, Clementemque VIII. appellant. Qui ſtatim Cardinales creauit, & fecit, quæ à Pontificibus fieri conſueuerunt. Verùm cum Martinus in gratiam cum Alphonſo Rege redijſſet, eò ſtatim Petrum de Fuxo Cardinalem miſit, Apoſtolicæ ſedis Legatum, in cuius manus, iubente Alphonſo Rege Peniſcholæ Domino, Aegidius omnia Pontificatus iura depoſuit anno 1428. erga quem hac benignitate Martinus poſtea vſus eſt, vt eum Maioricenſem Epiſcopum declarauerit. Cardinales autem ab Aegidio creati, ſponte ſe Cardinalatu abdicarunt: Illi autem duo, quos à Petro Luna creatos diximus, cum in ſua pertinacia manſiſſent, neque Romano Pontifici parere vellent, ambo in carcerem à Legato conijciuntur, qui vel necati, vel animi angore perierunt: atque hoc modo, Martini Pontificis ſapientia, & induſtria, omne Schiſma ſublatũ eſt.

MARTINI induſtria omne Schiſma ſublatum.

SCHISMA 19. ſummorum [illegible]

MARTINI [illegible] in conferendis beneficijs

Pacata hoc modo vndique Eccleſia Dei, in dandis beneficijs prudentia mira vſus eſt: non enim vnicuique petenti ea conferebat, ſed ſtatim mente agitabat, quis potiſſimum eſſet idoneus, cui talis cura demandaretur. Quòd ſi homines prouinciarum non noſſet, in quibus vacare beneficia contigiſſet, ſtatim peritos regionum conſulebat, quis aut in Curia, aut in Gymnaſijs publicis eſſet doctrina, nobilitate, moribus, tanta prouincia dignus. Atque hac quidem ratione, & Eccleſijs & hominibus honore dignis pariter conſulebat, cum maxima celebritate nominis ſui. Academiam Salmanticenſem in Hiſpania multis priuilegijs, & reddítibus auxit. Tantæ præterea conſtantiæ fuit, vt, cum duos haberet fratres, quorum alter Iordanus Princeps Salernitanus, maior natu, peſte extinctus; alter verò minor natu, Laurentius appellatus, in turri igne caſu iniecto exuſtus eſt, nihil à Martino ſit dictum, aut factum, quod aut impatientiæ, aut abiecti animi ſignum aliquod præſeferret.

Anno 1431. *die* 12. *Februarij, feria* 2. Carniſpriuij, ſol deliquium

paſſus, & die 21. eiuſdem menſis Februarij, in aurora die Martis, Martinus V. vir in omni vita ſua integer, Pontificatus ſui anno 13. menſe 3. die 12. apoplexia obijt, ætatis ſuæ anno 63. ſepeliturque eius mandato in Baſilica Conſtantiniana ante Capita Apoſtolorum ſepulchro æneo, comitante Clero, non aliter flente, quàm ſi Eccleſia Dei, ſi Vrbs Roma, vnico, atque optimo parente orbata fuiſſet. Hoc elogium in ſepulchro eius ſcriptum.

MARTINVS PAPA V.
SEDIT ANN. XIII. MENS. III. DIES. XII. OBIIT. ANN. MCDXXXI. D. XXI. FEBR. TEMPORVM. SVORVM. FELICITAS.

MARTINVS in agrũ Tuſculanum antequam obiret ſeceſſit.

Martinus paulò antequam diem ſuum obiret, ab Vrbe in agrum Tuſculanum ſeceſſit, valetudinis cauſſa, etſi autem honeſtiſſime ducebat vitam, vt mortalium felicitas comitem ſolet habere inuidiam, populus tamen perpetuò inſanus, eum, & aliquot ſucceſſores eius, pereunte cum eis ſimul inuidia, mortuos laudauit. Rectè igitur Gobellinus hiſtoricus præfatione libri primi, *Martinum V.* inquit, *vidi, & Eugenium IV. & Nicolaum V. & Calliſtum III. quos dum vixere, damnauit populus, fato defunctos magnis extulit præconijs.*

GOBELLINUS hiſtoricus quid de Martino.

Baptiſta Fulgoſius, res, & vitam Martini V. quem ſæpe viderat, non minus præclarè mandauit literis, quàm vel Platina, vel quicunque alius fecerit lib. 8. Rerum memorabilium.

BAPTISTA Fulgoſius Martini vitam ſcripſit.

Imperator Cæſar Ioannes VII. Manuelis filius, Palæologus Auguſtus, anno 1418. imperauit annos 27.

Vvenceſlaus olim Rex Romanorum, eodem anno 1418.

Ordo monachorum Eremitarum S. Hieronymi, à Lupo Oliuetano Romæ in Monaſterio S. Alexij reſtitutus, ſub propria regula ex ſcriptis ſancti Hieronymi excerpta.

Paulus Venetus ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Phyloſophus, & Theologus. Thomas de Kempis Canonicus Regularis, Henricus de Coſueldia, ordinis Carthuſianorum, Theologi.

Concilium Baſilienſe inchoatum anno 1431. quo eodem, obijt Martinus V. Papa.

VIRI illuſtres ſub Martino.

Quia verò publicè intereſt ſcire, hoc Pontifice, quis perpetua recordatione dignus vixerit. Temporibus Martini floruit Nicolaus Tudeſchius apud Cataniam Siciliæ Vrbem, ex èaque ortus Benedictinæ familiæ ſe addixit, vt ipſe initio Commentariorum ad librum 2. Decretalium narrat, poſtea in ampliſſima Senarum Vrbe Ius Pontificium interpretari cœpit, anno 1421. continuiſque decem annis in Pontificum Decretales Epiſtolas Commentarios inſtructiſſimos orbi dedit, tantamque auctoritatem, & gloriam nomini ſuo peperit, vt ex Abbate Monacenſi, vnde *Abbas* cognomento dictus fuit, Archiepiſcopus Panormitanus electus ſit, Sicilia tota alumnum ſuum honorante, *Lucernam Iuris* cognominatum.

Ante ipſum in Gratiani congeriem, Gregorijque Noni libros 5. ſcripſerat Henricus à Seguſio, Decretaléſque Epiſtolas Lutetiæ profeſſus ſub Innocentio IV. Hic Henricus ille eſt, quem Oſtienſem ferè vocamus, ab Oſtiæ Epiſcopatu Romæ vicino, quem Cardinalis obtinuit.


Floruerunt etiam ea ætate Antonius de Butrio, Franciſcus Zabarella Cardinalis clariſſimi ingenij, Paulus de Caſtro, Petrus Ancharanus, Ioannes Imolenſis, & duo ſancti, & doctiſſimi Theologi ſanctus Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, ordinis Prædicatorum, & Laurentius Iuſtinianus Venetus, Epiſcopus Oliuolenſis, quorum opera extant, plena ſanctitatis, & doctrinæ. Refertur de Laurentio Iuſtiniano idem, quòd de S. Auguſtino, & noſtris temporibus de Budeo, nullum habuiſſe Magiſtrum in literis perdiſcendis, quòd idem accidiſſe S. Antonino Florentino, plerique teſtantur.

Lingua Latina magnum tunc acceperat incrementum, opera, & induſtria Leonardi Aretini, & florebant in ea Laurentius Valla Secretarius Regis Alphonſi, & alij plerique.

Habemus huius ſancti Pontificis Extrauagantem vnam, qua declarat licere contractus Cenſuales, qui hodie in Hiſpania in vſu eſſe ſolent, ſub certis conditionibus.

Anno 1419. Pontificatus Martini V. Dux Philippus Burgundiæ dedit principium nobili ordini Equeſtri Aurei Velleris vocato, caput huius religionis eſt hodie Philippus III. Hiſpaniarum, & Indiarum Rex. Erat ab initio numerus Equitum 31. Carolus autem V. addidit 20. alios, & ita numerus ad 51. aſcendit.

SIGNVM MARTINI PAPAE V.



ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

¶ *Martinus.*] Anno 1417. die Lunæ 8. cœpta fuit ſeſſio 41. Concilij Conſtantienſis lectáque Conſtitutio Clementis VI. de victualibus Cardinalis in Conclaui, & capitula ab Electoribus iureiurando confirmanda, decretaque de Electoribus pro illa vice, & de non ſpoliando electo in Pontificem.

* *Die Luna 6. Idus Nouemb.*] Die Iouis 11. Nouembris Odo, ſiuè Otho Columna in Pontificē delectus fuit à Cardinalibus, & 30. Electoribus, in ædibus Communitatis Conſtantienſis, pro Conclaui paratis: deinde per Sigiſmundum Romanorum Regem, vna cum ſancta Synodo, in ſolio collocatus.

Ex ſeſſ. 41. Cōc. Conſtantien.

* *Deligate inſtituam.*] Platina eadem narrat, & Cardinalis Aegidius Viterbienſis in hiſtor. 20. ſecul.

* *Triennio, menſibus.*] Platina Concilium Conſtantienſe quadriennio duraſſe, dixit: intellige, ante quadriennium abſolutum: prima ſeſſio anno 1414. die 16. Nouemb. ſub Ioanne XXIII. vltima autem anno 1418. die Veneris 22. Aprilis, ſub Martino V. habita fuit. Anno 1413. 5. Idus Decembr. Synodus à Ioanne indicta fuit. Laude datæ literæ *Ad pacem, &c.*

* *In ſequens tamen triennium.*] Ad quinquennium Concilij celebratio redacta: Platina, quòd, ſibi aduerſans, Ciaconius ſcribit inferiùs. Decreuit Synodus Conſtantienſis primùm Concilium generale tunc futurum in quinquennium, ſecundum in ſeptennium, deinde ſingulo quoque decennio celebrandum.

Vide literas indict. Cōcil. Baſil. Mart. Quint.

* *Mandante Pontifice à Raynaldo.*] *Vmbaldus ...... S. Viti in Macello Diaconus Cardinalis, de mandato ipſius Domini Noſtri, totiúſque ſacri Concilij .....* dixit *Domini ite in pace.* Reſponderunt adſtantes. *Amen,* ſic in vltima Concilij ſeſſione.

Ex Cōcil. Conſt.

* *Coronatio.*] Egit de Concilij fine: & modò de coronatione Martini, quæ anteceſſit, agere inſtituit, de ea agitur ſeſſ. 41. Suſcepta corona, equo, quem, fræno arrepto, Romanorum Rex Sigiſmundus, dextero à latere, Fridericúſque Imperij Archicamerarius, & Elector à ſiniſtro, ducebant, vectus, frequenti proceſſione, à primario Templo, vſque ad ſancti Auguſtini Cœnobium, & inde ad idem Templum progreſſus eſt.

Ex eodem Cōc. Conſt. l. c.

* *Papiam.*] Decretum Martini habes in eodem Concil. Conſt. ſeſſ. 44. præſedit autem in Concilio Conſtant. tribus vltimis ſeſſionibus Martinus, nempe 43. 44. 45.

* *1418. XIIII. Kal. Maij diſceſſit Conſtantia.*] Inferiùs narrat, menſe Octobri Martinum perueniſſe Mantuam, ibique menſes aliquot commoratum, Florentiam autem acceſſiſſe die 26. Februarij, anno 1418. Typographi mendum ſuſpicor; & pro 1418. legendum cenſeo 1419. quòd Bzouium non latuit, to. 15. Annal. ad an. 1419.

Quatuor menſes Martinum Mantuæ manſiſſe, ait Platina.

* *Quatuor ex Cardinalibus.*] Hæc, & quæ de Balthaſſaris Coſſæ impatientia, necnon alia plura, quæ de Martino Ciaconius refert, à Platina mutuatus eſt.

* *Io: quondam Papa.*] Diſcrepat in hoc parum à Platina, & à Panuinio Ciaconius, Vide quæ ad Ioannem XXIII.

* *Effuſa obuiam.*] Vide Platinam, ex quo & quæ de die in faſtis, & de Tiberis alluuione excripſit.

* *Senas migrare.*] De Concilio Senis habito Martinus ipſe, literis indictionis Concilij Baſilienſis ad Iulianum S. Angeli Diac. Card. S. A. L. *Dum onus*, Concilium illud Typis cuſum non vidi.

To. 1. Bullar.

* *Bernardinus vita functus 1444.*] Et anno 1450. à Nicolao Quinto Cælitum numero additus in militanti Eccleſia. Vide tom. 1. Bullar. Conſtit. 2.

* *Anno 1425. ...... annum Iubilæum.*] Legem Vrbani VI. qui ad trigeſimum tertium quemque annum Iubilei celebritatem reuocauerat, ſecutus Martinus, anno 1423. non autem 1425. thrum ... Indulgentiæ Theſaurum Chriſtifidelibus præſcriptas Romæ Baſilicas inuiſentibus impertijt, Paulus II. teſtis adſit. *Martinus V. R. P. ...... reductionem per eundem Vrbanum factam huiuſmodi ratam habens, ... ipſam in ſua firmitate perſiſtere, & anno trigeſimo tertio ...... obſeruari debere, cenſuerat.* Eadem dixere Xyſtus Quartus, & Iulius III. Vide, ſi libet, quæ de hac re ſcripſimus par. 2. Hiſt. 12. Iubil. pag. 257. Martini V. Conſtitutionem, qua Iubileum indictum fuit, inuenire in Vaticano Archiuo non potui, idem Rutilio Benzonio, Epiſcopo Lauretano acciderat antea.

Ciaconij ipſum ſecutus eſt Baronius. Cōſt. Ineffabilis. Conſt. Paſtoris æterni. Ex Paſtore.

* *Clementemque VIII. appellant.*] De hoc Pſeudopontifice, ac de Pſeudocardinalibus eius, ſuperiùs ante vitam Gregorij XII. nonnulla attigi.

* *Gobellinus.*] Pius II. Commentariorum illorum exiſtimatus eſt auctor, & ſub illius nomine m. s. circumferebantur; Typis editi lot Gobellini nomine donati ſunt. Plat. Pium II. agnouit auctorem.

In vita ...

Martinus, anno 1425. 6. Idus Ianuar. Pontific. anno 8. Romæ, apud SS. Apoſtolos, de fratrum Conſilio Petrum titulo S. Stephani in monte Cœlio Presb. Card. de Fuxo vocatum, Legatum de latere ad Alphonſum Arragonum Regem pronunciauit; vt Peniſcholenſium Schiſma radicitùs euelleretur. Vita functo Petro de Luna, Benedicto XIII. dicto Pſeudopontifice, ſuffectus ei fuerat Aegidius Sanctius de Munione Doctor Decretorum Presbyter, & Clemens Octauus à ſuis appellatus fuerat: ac proinde vigebant adhuc Schiſmatis Reliquiæ. Petrus Legatus, poſt multos, magnóſque quinque

annorum

A

annorum labores, & ſumptus, innumeris ferè cum Alphonſo Rege difficultatibus ſuperatis, Schiſma ſublatum penitùs vidit: anno enim 1429. tàm ipſius Legati, quàm Regis operâ, Clemens adulterinus Pontifex liberè, ſponte, & ex certa ſcientia Peniſcholæ ſe Pontificatu, die ſanctæ Annæ feſto, abdicauit: deinde in S. Matthæi villa tribus leucis ab oppido Peniſcholæ diſtante, coram eodem Legato, Martino Quinto obedientiam, fidelitatiſque iuramentum præſtitit. Pſeudocardinales ab eo prius creati, & poſt illius vitam ſuperius recenſiti, ibidem coram eodem Legato, ementitam, adulterinamque ſe dignitatem depoſuerunt: celebrauit etiam Legatus Dertuſę prouinciale Concilium: & lætus dicere potuit, ſublato penitùs Schiſmate, quo quinquaginta, & eo ampliùs annos, Chriſtianus orbis vexatus fuerat, Eccleſiæ, ſolo Martino vero Pontifice clauum illius regente, pacem reſtitutam. Hæc vir ingenuus, & literarum amicus Io: Baptiſta Cōfalonerius Protonotarius Apoſtolicus Archiuiique Arcis S. Angeli Cuſtos ex Codice m. s. Legationis Cardinalis de Fuxo in eodē Archiuo aſſeruato, ſubminiſtrauit. De eodem Clem. VIII Pſeudopapa nonnulla Cardinalis Aegidius Viterbienſis in hiſt. 20. ſec.

B

Nonnullas Martini V. Conſtitutiones offendes in 1. Bullarij tomo; prima damnat VVicleffi, Hus, Pragenſis, &c. errores. *Inter cunctas, &c.* (vt etiam Concil. Conſtant.) Secunda eſt contra impedientes literarum Apoſtolicarum executionem; ſeptima continet vnionem Canonicorum Regularium ordinis S. Auguſtini: Decima vitat, ne homines Eccleſiaſtici ad ſeculare forum trahantur. Vndecima approbat Congregationem pauperum, qui Ieſuatæ dicuntur. Duodecima indulget, vt feſtum Corporis Chriſti, etiam per octauam tempore interdicti, ianuis Templorum apertis, celebrari queat. In decimatertia extant declarationes Regulæ fratrum Minorum, ad inſtaurandam ordinis diſciplinam.

C

In Regno Valentino peculiaris Cenſor contra Hæreticos non erat: Commiſſarij, ſeu Vicarij Inquiſitoris Cathaloniæ, eo munere ibi fungebantur: Cenſorem eiuſmodi pro illo Regno, Alphonſo Rege poſtulante, Martinus, dum Florentiæ eſſet, inſtituit. Vide literas *Romanus Pontifex, &c.* apud Paramum lib. 2. cap. 9. apud Bzouium to. 15. Annal. Louanienſem Academiam, quam Lipſius ſuas, & Belgicas Athenas nuncupauit,

1419. 26. Febr. Lib. 5. c. 3. ſui Louanij.

Saluete Athenæ noſtræ, Athenæ Belgicæ,
O fida ſedes Artium, & fructu bona,

Apoſtolicæ auctoritatis robore muniuit. *Sapientiæ immarceſcibilis, &c.* id fecit Martinus faciliùs, quia doctus, Lipſium ſi audias, veracem, etiam in hoc, me dices. *Præerat tunc Eccleſiæ Martinus Quintus e gente Columnia, ideſt primaria Latij familia, & quæ bello, ac pace inſignia lumina rei Chriſtianæ dedit: Sed hic Pontifex bonarum Artium ſciens, & cupiens erat; eoque faciliùs de Academia impetratum.* Dedit literas Martinus ad Vvitoldum Lituaniæ Ducem anno 5. xij. Kalend. Iunij, ſuadens, & inflammans; vt Huſſitas deſereret, eas retulit Io: Cochlæus, propagandæ fidei ardore æſtuabat ipſo etiam Pontificatus initio, Martinus ad omnes Boemiæ Barones armigeros, literas paterna beneuolentia refertas miſit, hortans apprimè, vt, relicto diſſidio, ad Eccleſiæ vnitatem redirent, referenſque Huſſitarum ſcelera, earum initium eſt. *Grauis admodum, flebilis, & horrenda, &c.* Multa in hoc Pontifice admirabundus, penè, conſiderabis, ſolus, poſt iacta Eccleſiæ Chriſti fundamenta in Concilio generali ad Pontificium thronum elatus: primus graue, & diuturnum diſſidium Eccleſię ſuſtulit, adulterinos Pontifices abrogauit, diſcordiarum flammas extinxit, Eccleſiaſticam ditionem reſtituit, pacauit; & cum exiguæ eſſent Eccleſiæ vires non ſpiritales, cum parum illa copijs, & auctoritate valeret, Martinus eam ex humili alto in loco ſtatuit, formidabilem reddidit, copijs, opibus, auctoritate firmauit; primus illius potentiæ, magnitudinis, gloriæ fundamenta iecit; labenti mira columna extitit; in omnium ore Martinus erat patriæ pater, & decus: deturpatam Vrbis faciem formoſam reddidit, ſacra, & profana ædificia, mores ipſos collapſos reſtituit, Vaticana porticus ab eo extructa, Lateranenſis Baſilica vermiculato opere ſtrata, lignea teſtudine obtecta, ſacris imaginibus ornata, SS. Apoſtolorum ædes inſtauratæ: Vrbs ad eam bonorum vbertatem perducta, vt Auguſti tempora, Panuinio teſte, rediſſe viderentur: indicauit non ſemel eam felicitatem Cardinalis Aegidius ſed præcipuè, cum dixit. *Huius felicitatem temporis multum turbauit Boëmorum hæreſis, plus Cæſarini Cardinalis caſus, plurimum Martini mors.*

Dat. Rom. 5. Idus Decemb Pōtif. anno 9.

1421. Li 5. hiſt. Huſſit. 1. kal. April. anno 1.

D

Vide Cochlæum.

Ex Card. Aegid. Viterbienſi hiſtor. 20. ſec. m. s.

E

In eius elogio.

In Aromatariorum Collegium Romæ contulit beneficia Martinus: hoc indicant ſubiectæ inſcriptiones; ea ſcilicet, quæ in Eccleſia S. Laurentij in Miranda ſupra portam ſic viſitur.

F

OPTIMO PRINCIPI OTHONI COLVMNAE
PONTIFICI MAX.
CVIVS AVCTORITATE HOSPITALE ERECTVM
AC IVSPATRONATVS ELARGITVM
ANNO CHRISTI MCDXXX.
COLLEGIVM AROMATARIORVM
AMPLISSIMI MVNERIBVS
ET PIORVM FRATRVM ELEEMOSYNIS DECORATVM
GRATI ANIMI SIGNVM POSVIT
MDCVII.

A

Altera ſupra Xenodochij portam ſic in marmore exarata.

MARTINO COLVMNAE V. P. M.
OB HVIVS TEMPLI IVSPATRONATVM VLTRO DATVM
PHARMACOPOLARVM COLLEGIVM B. M. P.
MCDXXX.

Aequo animo feras, lector, hæc à me hoc loco addi, quæ inuitus, feſtinatione vrgente, prætermiſeram.

Sigiſmundus Romanorum Rex Conſtantiam profectus, celebrante Io: XXIII. primo Natalis Chriſti diei ſacro, Diaconi ornatu indutus, Euangelium legit. Cochlæus lib. 2. Hiſt. Huſſit. & Binius in Notis ad Concil. Conſtant. Vacante ſede, Patres, Deo cum lacrymis inuocato, Conclaue ingreſſi Martinum delegere: qui *vt Diuina prouidentia datus*, ait Card. Aegid. *ita ſumma hominum lætitia eſt ſuſceptus, tanta vis gaudij omnium animos inuaſit; vt ne loqui quidem poſſent. Imperator in primis dignitatis oblitus, erumpit in Conclaue, ad Pontificem procurrit, humi ſternit ſeſe, ad genua ſe voluitat, pedes incredibili lætitia geſtiens, oſculatur ..... Non poterant Patres lacrymas continere.*

An. 1414. alta voce.

Intercedibus in ſe, ait Binius in vita Martini V. loc. cit.

B

Martinus Florentiæ *Archiepiſcopatum erexit, ratus ciuitatem, quæ alijs pietate, & religione antecelleret, nullis alijs dignitate inferiorem eſſe oportere.* Cardinalis Aegidius loc. cit.

Dicere non eſt, quanta virtutis, prudentiæ, modeſtiæ, manſuetudinis fuerit Martinus; iuſtitiam ita voluit, vt crebrò diceret Diligite iuſtitiam, &c. Dicebat autem, virtutes alias Principum ornamentum eſſe; ne ab ijs, quibus imperant, deſpiciantur; iuſtitiam autem neceſſariam, vt à ſceleſtis etiam timeantur. Principem virtutibus carentem non Principem, ſed abiectum in regio ornatu mancipium vocabat: eoſque Tyrannos iudicandos, aiebat, qui non ſe publicis commodis, ſed publica ſuis ſeruire, conſtituiſſent. De Martino Ianus Vitalis.

Ex narratione Card. Aegidius Viterbienſis.

C

Maximus vt fieres mundi, Martine Sacerdos,
Non hominum potuit cura, ſed eſſe Dei.

Concilio Conſtantienſi Cardinales 29. Patriarchas 4. Archiepiſcopos 47. Epiſcopos 160. interfuiſſe, dixere Cochlæus in hiſt. Huſſit. & Binius in Notis ad idem Conc. Panuinius in elogio Card. 23. in Chron. 22. notat; Baptiſta Fulgoſius numerum Cardinalium, qui in eo fuerunt Concilio, duos, & triginta ſuperaſſe, affirmauit: quidam Epiſcoporum numerum maiorem fuiſſe, teſtati ſunt: vt Card. Bellar. qui dixit Concilium illud, ferè, mille Patrum fuiſſe, ex ijſque Epiſcopos 300. & ampliùs. Nugas Pleſſæi contra Martinum refutat Gretſerus, cap. 63. Exam. Myſt. Pleſſæani. De calumnia Henrici Pantaleonis, aliorùmque Proteſtantium Concilio Conſtantienſi iniquè facta Sanderus lib. 7. de Viſibil. Eccleſ. Monarch. pag. 540. Card. Bellar. Concilium Conſtantien. inter Concilia partim confirmata, partim reprobata recenſuit: confirmatum, quoad vltimas ſeſſiones, & ea omnia, quæ à Martino V. probata fuerunt; reprobatum à Concilijs Florentino, & Lateranenſi vltimo in ijs ſeſſionibus, in quibus tradiderat, Concilium eſſe ſupra Papam.

Lib. 2.

Lib. 2. c. 7. de Concil.

Loc. cit.

D

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI SOCIETATIS IESV.

CIACONIVS in Martini reuera III. aliàs dicti V. vita ſcribit, eiuſdem electioni interfuiſſe Cardinales viginti & octo, & inter illos recenſet Bandellum de Bandellis Lucenſem, Presbyterum Cardinalem S. Suſannæ, ac Petrum Stephaneſcum de Hannibaldis Romanum; quorum primus iam è vita exceſſerat duobus ferme annis, vt diximus in eius vita, anno Domini ſcilicet 1415. alter quoque obierat pridie Kalendas Nouembris anni 1417. nonnullis diebus ante eandem electionem Martini. Panuinius viginti duos Cardinales Martini V. electioni interfuiſſe ſcribit: nos tamen ex libro Officialium Romanæ Curiæ ſub Martino V. Pontifice, & ex ipſis Concilij Conſtantienſis Actis ſcimus viginti tres tantum, ex viginti ſex, qui tunc ſuperſtites erant, S. R. E. Cardinales die Lunæ octaua Nouembris, anni 1417. hora tertia poſt meridiem non palatium Epiſcopale, ſed Communitatis domum ſuper lacu Conſtantiæ poſitam, pro Conclaui paratam ingreſſos eſſe. Nam tres videlicet Ludouicus de Barro, Iacobus Inſulanus, & Petrus Maurocenus Cardinales abſentes erant. Præterea inter ſex Electores nationis Gallicæ numerat Ciaconius Lambertum de Stipite Priorem Bercheneyenſem Diœceſis Leodienſis ordinis Cluniacenſis, Decretorum Doctorem; & inter Electores Germanicos recenſet Ioannem Patriarcham Conſtantinopolitanum. Cum reuera ex ipſius Concilij Actis, atque ex monumentis Vaticanis Ioannes Conſtantinopolitanus Patriarcha inter Gallos, & Lambertus de Stipite inter Germanicos Electores recenſendi ſint.

Quot Cardinales interfuerint electioni Martini Quinti.

E

F

Sacris peractis die Mercurij ventum eſt ad ſecretum ſcrutinium, & ſchedulis apertis cognitum eſt Patres viſos fuiſſe multiplici verborum forma. Scriptum enim erat in aliquibus ſyngraphis: *Ego nomino, & eligo in Romanum, & ſummum Pontificem N. & in casum, in quo non erit, nomino, & eligo N.* in alijs: *Ego nomino, & eligo N. & N. & N.* & alij aliter. Die Iouis 11. eiuſdem menſis Nouembris publicato ſcrutinio, numerata ſunt pro Ioanne Cardinali

Primum ſcrutinium.

Oſtienſi vota vndecim ex Cardinalibus, tria ex natione Gallicana, quinque ex Hiſpanica, vnum ex Germanica. Pro Amadeo Cardinali Salluciarum duodecim ex Cardinalibus, duo ex Italica, tria ex Gallica, vnum ex Germanica, quinque ex Hiſpanica. Pro Othone Cardinali de Columna octo ex Cardinalibus, quatuor ex Italica, vnum ex Gallica, tria ex Germanica, duo ex Hiſpanica, ſex ex Anglicana. Pro Franciſco Cardinale Venetiarum vota decem ex Cardinalibus, duo ex Italica, tria ex Gallica, vnum ex Hiſpanica. Otho igitur Cardinalis de Columna inter alios votis plurimũ exoptabatur; nam pro illo 24. pro Ioanne Cardinali Oſtienſi 20. pro Amadeo Cardinali Salluciarum 23. & pro Franciſco Cardinali Venetiarum ſexdecim ex Patribus erant. Poſt hæc progredientes ad acceſſum, Alamanus Cardinalis Piſanus ſtatim acceſſit ad Cardinalem de Columna, verum huius voti nullam habendam eſſe rationem Patres ediſſere, niſi per ſchedulam ſua manu ſcriptam, vt moris erat, accederet. Perlectis igitur ſchedulis, conſtitit ad Cardinalem de Columna ex qualibet natione quatuor ad minus, ac ſeptem alios Cardinales acceſſiſſe. Guillelmus ſancti Marci, ac Petrus de Fuxo Cardinales, qui nulli acceſſerant, electionem Othonis, cui vnicum deerat ex Cardinalibus votum, in eorum arbitrio poſitam ſuſpiciebant, & inuicem alloquentes, quid agerent, incerti, tandem cum omnium ora ad ſe conuerſa conſpicerent: *& nos duo*, inquit Cardinalis S. Marci, *ad conſummationem huius operis, & vnionis Eccleſiæ accedimus*, ac illicò Othonem in ſummum Pontificem ſalutarunt, qui Martinus dici voluit eius nominis Tertius, Quintus tamen nũcupatus ob confuſionem duorum Marinorum. Sumpſit autem Symbolum Sigilli ſiue ſententiam verſum Pſalmi 53. *Auerte mala inimicis meis, & in virtute tua diſperde illos.* Quo ſanè nemo vnquam maiori quin imo nec pari vniuerſæ Eccleſiæ conſenſu electus dici poteſt; cuius creationi non ſolùm Cardinales ordinarij Electores, verùm etiam cunctarum Orbis Chriſtiani nationum ex tribus partibus, in quas Eccleſia fuerat ante diſtracta, ſpeciales delegati ſuffragia ſua ſingulatim contulerunt. Erat tunc Martinus ætatis quinquaginta annorum; cuius multiplices virtutes deſcribens Platina ait tantam fuiſſe omnium de eius creatione lætitiam, vt præ gaudio loqui vix homines poſſent. Effuſum nimio gaudio Sigiſmundum Regem nullo habito ſuæ dignitatis diſcrimine Conclaue ingreſſum gratias omnibus egiſſe, qui tantum virum, ac tam Reipublicæ Chriſtianæ propè extinctæ neceſſarium delegiſſent; & ante eum proſtratum cum ſumma veneratione eius pedes exoſculatum eſſe. Quem contra Pontifex amplexus non ſecus, ac fratrem in pretio habuerit, eique gratias egerit, quòd ſua opera, & induſtria pax tandem Eccleſiæ reddita eſſet.

Vota Electorum.

Felix Columnæ vniuſ Martini.

Electio Martini.

Henricus Spondan. in Annal. Eccleſiaſt.

Lætitia in omnibus pro eo electione.

Per vniuerſum Terrarum Orbem nouæ Electionis rumor, & ſedati Schiſmatis fama diffunditur, ac ſanctiſſimus Pontifex pacis Eccleſiæ ſtudioſus Conſtantienſe Concilium proſequi ſtatuit. Sigiſmundum Romanorum Regem, qui Balthaſſarem Coſſam, alias IOANNEM XXIII. dictum, viſus opera Ludouici Ducis Bauariæ, & Comitis Palatini Rheni, per ſex menſes ſupra biennium ſub fida cuſtodia tenuerat, ab huiuſmodi onere liberauit, & Henrico Epiſcopo Vuintonienſi, & Conrado de Sulato Præpoſito Eccleſiæ ſancti Cyriaci Dulmienſi Subdiacono, ac Paulo de Captanica literarum Apoſtolicarum Scriptori tradi iuſſit. Eccleſiaſticorum non minus quàm ſecularium mores in melius commutare ſatagens, exemptiones longo durante Schiſmate conceſſas in iuriſdictionis Epiſcopalis detrimentum reuocauit; vniones verò Eccleſiarum ad petitionem eorum, quorum intereſſet, ſtatuit reuocandas. Fructus Eccleſijs vacantibus prouenientes illis, quibus de Iure, aut Conſuetudine debentur reſeruauit: diſpenſationes datas electis ad Eccleſias Abbatibus, aut prouiſis de beneficijs, ne munus conſecrationis, aut benedictionem, vel ordinem beneficio annexum ſuſciperent, aboleuit. Conſtitutiones, quæ prohibent, vt nullus præter Pontificem indicere valeat decimas Eccleſijs, aut perſonis Eccleſiaſticis confirmauit: ac decreuit, ne in poſterum decima toti Clero, niſi pro vniuerſalis Eccleſiæ cauſa, & de conſenſu Cardinalium; nec ſpecialiter in aliqua prouincia, niſi cõſultis illius prouinciæ Prælatis imponeretur.

Balthaſſar Coſſa traditur Epiſcopo Vvintonienſi & aliis.

Baptiſta Fulgoſius in vita.

Mores ſi de eũ corrigere ſtuduit.

Imperatoris exemplum, reliqui Germaniæ Principes ſecuti, & Archiepiſcopi Electores, ac inter ceteros Raynaldus Dux Iuliacenſis, & Geldriæ, qui in literis obedientiæ, & congratulationis; *A domo Columna*, ſunt verba literarum, *antiqua, & excelſa Romana ſtirpe*, claram deduxiſſe fatetur originem, Martinum V. in Chriſti Vicarium ac verum Pontificem recognouerunt. Sicuti poſtmodum Reges Francorum, Angliæ, Poloniæ, Caſtellæ, Arragoniæ, Siciliæ, Daciæ, Nauarræ, & Cypri obedientiam præſtiterunt. Poſt Concilium data Præſulibus facultate remeandi ad proprios lares, ipſe Martinus ad antiquam Pontificum ſedem, & Reipublicæ Chriſtianæ tutiſſimam Arcem, ad Vrbem inquam Romæ iter dirigens ſuum, die 16. Maij, anni 1418. Conſtantia receſſit, ac die 5. Iunij, per Biennam Caſtrum Lauſanenſis Diœceſis tranſiens, in Monaſterio fratrum Prædicatorum aliquot diebus quieuit. Die 11. Iulij ſolemni pompa, & acclamante populo Ciuitatem Gebennenſem ingreſſus eſt, vbi Oratores Auenionenſes obuiam profecti præſtitere fidelitatis iuramentum. Hinc die tertia Septembris abiens, & Seguſium, ac Taurinum iter faciens, Mediolanum ingreditur, vbi ſplendidè acceptus, Altare maius Eccleſiæ principis adſtantibus Cardinalibus, ac multitudine maxima adiacentium populorum conſecrauit die 16. Octobris. Quare Philippus Maria Vicecomes Inſubrium Dux, ne tanti beneficij immemor poſteris videretur, eidem Pontifici marmoream Statuam ad læuam Baſilicæ prope ſacrarium ſtatuit, ſub qua adhuc hi rudi Minerua exarati verſus viſuntur teſte Ferdinando Vghellio.

Familiæ Columnæ nobilitas.

Obedientia à Principibus Martino præſtita.

Poſt Concilium diſcedit Romam verſus.

Conſecrat Altare maius Eccleſiæ Mediolanẽſis.

Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacconiũ.

Lauren. Schrader. de monumentis Italiæ.

Bernard. Corius in Hiſt. Mediolanen.

Cerne Viator aue, hic ſtat Imago ſimillima Papæ
Qui bonus Eccleſiæ MARTINVS in ordine Quintus
Paſtoralis tibi Roma tua tibi gloria gentis,
Quam parit alta domus celebrata Columna per Orbem.
Mundus erat longo Eccleſiæ vexatus in anno
Schiſmate, Concilium Conſtantia firmat, & ecce
Otho Columna potens, magno de Cardine ſummus
Præſul hic eligitur merito, velut ante Creator
Surgentem Eccleſiam ſuper alta cacumina Petræ:
Mox voluit fundare ſuam ſic peſte cadentem
Schiſmatis, ac firma ſtatuit ſtabilire columna.
Hic repetens primo ſua ſancta palatia Romæ
Hanc prius amplificam, quæ Roma ſecunda vocatur,
Vrbem adit, hoc Altare ſacrat, celebrat quoque Miſſam
Primus, & hic venias grandes, miraſque ſalutis
Pro fabrica Eccleſiæ bona dantibus addit habendas;
Præſertim admiſſi cum feſta dicatio Templi
Venerit, atque die præſtante, ſequenteque feſtum.
Iſta Duce Angluorro Ligu-um regnante Philippo
Imperio talis, per iuſtaque bella tremendo
Mille quatercentum octauo decimoque ſub anno
Et ſextodecimoque die tum Octobris euntis
Facta celenda manent ad honorem Virginis almæ
Carminis eſt Bripius Ioſeph ordinarius auctor,
Doctor Canonici Iuris, ſacræque Magiſter
Theologiæ: eſt hoc præſtantis Imaginis auctor
De Tradate ſuus Iacobinus in arte profundus,
Nec Praxitele minor, ſed maior, ſi ſit auſim.

Die Martis 25. Octobris vndecim Cardinalibus comitantibus Mantuam peruenit: hic dum Curialium quieti conſulit, Galliæ Regem ad pacem hortatur, & Amadeum S. Mariæ Nouæ Diaconum Cardinalem Legatum ad eum dirigit. Die ſeptima Februarij, anni 1419. Mantua egrediens Ferrariam tranſijt, ac ad Monaſterium ſancti Salui prope Florentiam aduenit, vbi Guelphæ partis prima capita album equum ſerico rubro tegmine coopertum cum frœnis auro, argentoque collucentibus obtulerunt. Hinc ad ſanctum Gallum obuiam habuit delectos Reipublicæ Florentinæ primates, ſupra eius caput vmbellam tenentes cum maxima equitum multitudine, Iudices, Mercatorum ſocietatem, ceteros Ciues, ac populum. Illum verò die Dominica 26. Februarij in Vrbem Domini Ciuitatis ſub alia vmbella auro ditiſſima, & armellinis pellibus ornata equitantem receperunt. Præcedebat Ciuitatis Clerus, ſolemni cultu ſacras Reliquias deferens, ſubſequebantur Ciues, Equites, Iudices, ac cetera nobilitas; hinc Crux Pontificia, & ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum deferebatur. Poſt Cardinales Pontifex medius inter Ciues nobilitate præſtantes, ætate ſeruidos, inceſſu graues, vultu decoros, veſtitu ſplendidos, capite laureatos, oliuam manu deferentes equitabat. Progrediens igitur per Burgum S. Laurentij, & prope flumen in Eccleſiam S. Mariæ de Flore per contabulationem pannis ornatam ſericis, ob Pontificis dignitatem à Ciuibus erectam ingreditur, breuique peracta oratione, populo, ac ceteris adſtantibus bene precatus eſt. Equum rurſus aſcendens ex Baliſtrariorum via ad Magalottos per plateam Dominorum, per Vacchereccia, per portam S. Mariæ, & burgum S. Apoſtoli ad S. Xyſtum, & inde recta via ad plateam S. Mariæ Nouellæ in ſecundo clauſtro ex equo deſcendit, ibique manſit.

Legatum dirigit ad Galliæ Regem.

Ingreditur Florentiã.

S. Antoninus

Bzouius Annal.

Poggius hiſtor. Florentina.

Ricord. Malaſpina in hiſt. Florent.

Confluxere illico ex vicinis Ciuitatibus & Caſtris, verum Chriſti Vicarium, & vnicum Eccleſiæ caput veneraturi Ciues, & Duces, inter quos magno cum equitatu Plumbini Princeps; Berardus de Varano Dux Camerini; Ludouicus Alidoſius Imolæ Vicarius; Trincius de Trincijs Fulginei Dominus; & Pontificis ſoror Paula nomine, duabus filijs fœminis comitata, quarum vna paulò poſt Ducis Camerinenſis filio nupſit.

Principes multi Martinum venerantur.

In Eccleſia S. Mariæ Nouellæ, quam Iordanus Vrſinus Epiſcopus Albanenſis præſente Pontifice, & Cardinalibus ſacram reddidit, Deo ſæpiſſimè cœleſtem Hoſtiam immolauit. Enſem, & Pileum ad Delphinum Viennenſem per ipſius Oratorem in Curia præſentem tranſmiſit; Roſam verò auream in Dominica *Lætare* ſacratam Florentino populo donauit, quam Thadæus Gherardinus nomine Confalonerij tunc ægrotantis recepit; & à Ciuibus, ac populo, & quindecim S. R. E. Cardinalibus, alijſque Prælatis ſtipatus ad palatium Dominorum detulit. Geſta omnia miro feliciter ſunt, ſed paulò poſt ob receptos Bononienſes Oratores die 11. Aprilis, anni 1420. Ciuitate Florentina interdicto ſuppoſita, omnium Eccleſiarum ianuæ ſunt clauſæ.

Enſem ſacrum Delphino Viẽneſi, & Roſam auream Florentino populo donat.

Interim Martinus recuperata per deditionem Bentiuoli Bononia, cum ex cantilenis puerorum Florentinorum paſſim, & publicè dicentium ſua lingua rythmicè. *Papa Martino non vale vn quattrino*, hoc eſt Papa Martinus non valet vnum quadrantem: exiſtimaret hoc à pueris non ex ſe ipſis, ſed impulſu hominum maleuolorum

Recipit Bononiam. Barth. Dulcin. de vat. Bonõ. ſtat. Pomp. Vizan. in hiſtor. Bononien ſ.

concini,

Leonard. Aretinus in hiſtor.

A conciom; inde nonnihil in Florentinos commotus, ex ea opinione demotus fuit per Leonardum Aretinum Secretarium ſuum, quanta ei proſpera Florentiæ contigiſſent enarrantem, quæ non facile alio loco conſequi potuiſſet. Rebus igitur pro tempore pacatis, ac ſedatis belli tumultibus propter pacem cum Braccio de Fortebraccijs de Montone initam, quem ad pedes deuolutum ad fidelitatis ſacramentum, ſupplicante populo Romano admiſerat, ad Vrbem proficiſci ſtatuit. Re cognita, Reſpublica Florentina octo Ciues elegit, qui Pontificem comitarentur, & ſplendidè, ac lautè per Reipublicæ Vrbes reciperent. Hi fuere Laurentius de Rodulphis, Matthæus Caſtellanus, Pallas de Strozzis, Raynaldus Marij de Albizzis, Carolus Franciſci Federici, Ioannes Bicci de Medicis, Gherardus Antonij Canegiani, & Philippus de Ianis: & die 9. Septembris anni 1420. Ciuitas tota, Domini cum Collegijs ſolemni pompa ad Eccleſiam S. Mariæ profecti ſunt. Pontifex aſcendit equum, quem hinc B inde Conphalonerius Iuſtitiæ, & Præpoſitus frœno duxerunt ſub vmbella aurea à viginti quatuor Ciuibus delata. Deſcendit ad Eccleſiam S. Aegidij, & conſecrationem illius à Nicolao Albergato Epiſcopo Bononienſi, poſtea ſanctæ Crucis in Hieruſalem Presbytero Cardinali factam confirmauit, ac Miſſa celebrata rurſus conſcendit in equum. Domini Ciuitatis ad portam S. Petri, poſt blandum colloquium recepta benedictione ſubſtiterunt, hinc partis Guelphæ viri primarij equum frœno ducentes, & vmbellam geſtantes à ſancto Gaggio pedibus Pontifici oſculatis receſſerunt. Viterbium inde peruenit Martinus Auguſti mēſe, cui in Eccleſia principe ſedenti in throno Ciuitatis Magiſtratus, & Conſules fidelitatis ſacramentum nomine publico præſtiterunt. In palatio Pontificio reſidens exulibus innumeris Viterbienſibus, etiam ſedis Apoſtolicæ rebellibus, paucis ſolummodo exceptis ſanctiſſimus, ac benigniſſimus pater piè indulſit. Inde Romam expetitus acceſſit, quam Vr- C bem ingreſſus die 28. Septembris, in Eccleſia S. Mariæ de Populo pernoctauit. Die Lunæ 30. eiuſdem menſis Senatus, & Ciues acclamantibus omnibus *Martino Papa ſalutem, & vitam*, per publicas vias aulæis ſplendidas, hilata, & fauſta omnia, ac nouam Vrbi faciem prænunciantes ad Vaticanum palatium deduxerunt.

Diſcedit Florentia.

Viterbium peruenit.

Petr. Coretin. de Epiſc. Viterbienſis.

Ingreditur Romam.

Nec eos fefellit opinio, vt enim cognouit Martinus primarias Vrbis Baſilicas, vel ruinæ proximas, vel herbis obſitas, aut humi proſtratas eſſe Iordanum Epiſcopum Albanenſem, Guillelmum ſancti Marci Presbyterum, & Raynaldum S. Viti Diaconum Cardinalem, Iacobum Epiſcopum Adrienſem, Franciſcum Epiſcopum Tranenſem, ac alios elegit, qui Vrbis Eccleſias inuiſerent. Viſitationem Baſilicæ Principis Apoſtolorum in Spiritualibus, & Tēporalibus Antonio Epiſcopo Portuenſi demandauit: in Eccleſia S. Nicolai in Carcere Tulliano præbendas conſtituens in ſacris ordinibus aſſignauit. In Eccleſia fratrum Eremitarum S. Auguſtini corpus S. Moni- D cæ in Vrbem ex Oſtia tranſlatum die Palmarum, anno 1430. collocauit: Eccleſiam S. Cæciliæ Tranſtyberim ordini S. Saluatoris ſub regula S. Auguſtini per beatam Brigittam inſtituto de conſenſu Canonicorum attribuit. Eccleſiam Collegiatam S. Mariæ in Monaſterio monachis ſancti Petri ad Vincula ordinis ſancti Hieronymi annexuit: Monaſterium S. Andreæ de via Cratica Monaſterio Monialium S. Vrbani de Vrbe: Monaſterium verò S. Catharinæ propè S. Petri Porticum ad Eccleſiam S. Mariæ Dominæ Roſæ in Regione Campitelli tranſtulit. Ceteras Vrbis Eccleſias, quæ reparatione indigerent, rationes deducente Laurentio Pauli Omnialancti Ciue Romano, pecunijs ad dignitatem Pontificis conſeruandam deſtinatis reparauit. Lateranenſi Eccleſiæ, cuius ipſe fuerat olim Canonicus, deinde, vt volunt aliqui, etiam Archipresbyter, reditus Eccleſiæ ad Sancta Sanctorum, ſuppreſſis Canonicatibus, vniuit, eique dona complura tum aurea, tum argentea, ac ſacras veſtes contulit.

Baſilicas Romanas reſtaurat.

Corpus S. Monicæ Romam tranſlatū.

Caſ. Raſpon. de Baſil. Lateranen.

E Eccleſias pariter, licet longo diſſitas interuallo, iuxta Pontificum primæuum morem paterno fouebat affectu: nam Diœceſim Patracenſem, quam Theodorus Moreæ Deſpotus Imperatoris filius bello premebat, dans Imperatori literis, ab omni moleſtia liberauit. Poſſeſſiones Monaſterij S. Ebdulphi ordinis ſancti Benedicti Lexouienſis Diœceſis per Regem Angliæ reſtitui mandauit: bona Patriarchatus Aquileienſis à Venetis detenta vindicari præcepit. Ludouicum ſeniorem Bauariæ Ducem à Branda S. Clementis Presbytero Cardinali ſedis Apoſtolicæ Legato percuſſum anathemate, nonniſi reſtitutis, quæ Eccleſijs Diœceſis Salisburgenſis abſtulerat, ad ſacra reſtituit. Caſtra plurima ſub iuriſdictione, & proprietate Aſtenſis Eccleſiæ conſeruauit: Eccleſiam Narbonenſem ab omni iure Primatiæ, ſi quòd haberet Archiepiſcopus Bituricenſis, aut F Viennenſis, exemit. Archiepiſcopo Lugdunenſi Primatum ſuper Eccleſijs Rothomagenſi, Turonenſi, ac Senonenſi confirmauit: Vnionem Eccleſiarum Corhagēſis, & Clouenſis approbauit: Montiſregalis, Aſtenſis Diœceſis Epiſcopatui fines, ac terminos præſcripſit. Eccleſiam B. Mariæ de Betentuna in Inſula Canariæ Fortiſuenturæ in Epiſcopalem ſub nomine Fortiſuenturæ erexit: Caſtra Centi, & Plebis Centi, Epiſcopatui Bononienſi conceſſit, ſeu potius reſtituit. Ciuitatem Numanatenſem, ſeu Humanatenſem ſolitudine, & excidio ſqualidam Epiſcopatui Anconitano: Salpenſem verò Tranenſi adiecit: Ioanni Contrerio Archiepiſcopo Toletano Primatus Hiſpaniarum nomen conceſſit. Super ſanctitate vitæ, & miraculis Oſmundi primi Epiſcopi Saresberienſis, exemplo Gregorij IX.

Aliarum Eccleſiarū curam habet.

A & XII. ac ſuper miraculis Petri de Lucemburgo olim Cardinalis Diaconi S. Georgij ad Velabrum mandauit inquiri. Beatum Sebaldum de Regum Daciæ proſapia genitum, ſupplicante populo Nirembergenſi, Catalogo ſanctorum adſcripſit. Franciſco Contareno, ac alijs nobilibus Venetis, qui abiectis mundi illecebris, ſub regula S. Auguſtini vitam docere decreuerant, Monaſterium S. Danielis in monte ordinis S. Benedicti attribuit. Romanæ Curiæ Officialibus tam Cancellariæ Apoſtolicæ, quàm in foro verſantibus certas leges edixit, vt minori populos diſpendio fatigarent. Eccleſiaſticum ordinem in ditione Regis Alphonſi à moleſtijs vindicauit, pronos ad malum pœnarum frœno cohibuit, recta ambulantes virtutum ſemita confirmauit. Sacro Cardinalium cœtui, vt alijs eſſent exemplo, has leges præſcripſit.

Sebaldum SS. lis adſcribit.

Romanæ Curiæ leges ſcribit.

Leges dat Cardinalibus.

Cardinales munditia vitæ alios præcellant, ac ſobriè, iuſtè, & piè viuant, non ſolum à malo, ſed à ſpecie mali ſe abſtineant, pœ- B *nam in aliorum exemplum ſubituri ſi vitam ſuo ſtatui minimè congruentem ducere comperti fuerint.*

Humilitatem continuò exerceant, Prælatoſque benignè, ac honorificè pertractent ſecundum diuerſitatem ſtatuum eorundem.

Domui ſuæ ſe bene præeſſe oſtendant, familiamque tam Clericorum, quam laicorum honeſtam, honeſtiſque veſtibus incedentem induāt; Sacerdoteſque, ac Leuitas in teſtimoniū bonum ſecū habeant.

Protectiones Regum, Principum, Comitum, aliarumque perſonarum ſecularium non aſſumant, aſſumptaſque non exerceant, vt liberius ipſi Sanctiſſimo in conſilijs, ac alijs actibus valeant aſſiſtere.

Pro ordinum Religioſorum quorumcunque, aut perſonarum particularium protectione nihil pecuniæ percipiant, etiam à ſponte offerentibus.

Nullas ſupplicationes ipſi Sanctiſſimo præſentent niſi pro pauperibus, vel pro perſona ſua, ſeu famulorum, vel conſanguineorum, C *affinium, aut familiarium ſuorum.*

Non ducant ſecum vltra viginti familiares equites Clericos, & laicos continuos commenſales, cum ad palatium equitant, vel ſe ipſos viſitant, vel alio in loco conueniunt.

Non portent in præſentia Papæ cappam, vel aliam veſtem ſuperiorem coloris rubei.

Procurent reparationem Eccleſiarum ſuorum Titulorum, iuxta poſſe ſuum, in iſque diuinum cultum per Religioſos deuotos, ac honeſtos Clericos perfici, ac augeri faciant, ne ſanctorum loca, in quibus ipſi commodè reſidere nequeunt, per negligentiam deſerta remaneant.

In Eccleſijs, ac Monaſterijs ſibi commendatis, abſque excuſatione congruum numerum Canonicorum, vel Monachorum pro Diuinis officijs celebrandis habeant, ædificiaque, poſſeſſiones, & iura in ſtatu conuenienti conſeruent.

D Opportunè Reipublicæ Chriſtianæ conſultum arbitrabatur, ſi iuuenes in primo ætatis flore optimis moribus, ac liberalibus artibus imbuerentur. Ideo Vniuerſitatem Salmanticenſem Conſtitutionibus, ac priuilegijs ampliſſimis confirmauit; Scholas in villa de Maiorica à Didaco Carthaginenſi Præſule, & in oppido Stocolmienſi Vpſalenſis Diœceſis à Conſulibus inſtitutas, Collegium pro pauperibus Scholaribus, quòd Peruſijs Benedictus Epiſcopus Aprutinus, Papiæ, quòd Branda S. Clementis Presbyter Cardinalis erexerat, approbauit. Gymnaſium Heidelbergæ à Ruperto Duce Bauariæ fundatum; Auenionenſe, quòd Ioannes Epiſcopus Oſtienſis S. R. E. Vicecancellarius inſtituerat. Senenſe, ac Pampilonenſe redditibus auxit. Patauinum, ac Bononienſe, Lipſienſe, Merſiburgēſe, & Elienſe priuilegijs multis decorauit. In Ciuitate Nannetenſi generale omnium artium Gymnaſium Ioanne Britanniæ Rege ſupplicante, & aliud in Theologia in villa Valliſoleti, aliud in Vrbe Louanij, & aliud E Dolæ ad preces Philippi Burgundiæ Ducis erexit: Taurinenſe ad oppidum Cherij tranſtulit; Romanum denique fouit, & excoluit.

Academias varias confirmat.

Samaytarum gentem ſacro Baptiſmatis fonte renatam ſtudio Ladiſlai Regis Poloniæ, & Alexandri Ducis Lituaniæ ſub Eccleſiæ patrocinio recepit. Contra Fraticellos, qui in pluribus Italiæ partibus prauarum opinionum virus euomebant, diligenter inquiri mandauit: Huſſitas monuit, vt ad Chriſti gregem redirent. Extat apud Cochlæum Martini epiſtola è Conſtantia ſcripta octauo Kalendas Aprilis ad Barones, & Milites Huſſitas Boemiæ, qua dolet, quòd imagines Crucifixi, B. Virginis Mariæ, & Sanctorum frangerentur, & comburerentur; claues Eccleſiæ contemnerentur; ſacri ritus abijcerentur; imagines Huſſi, & Hieronymi hæreſis Huſſitarum auctorum colerentur, eorum feſta celebrarentur, aliaque nefandiſ- F ſima perpetrarentur. Magnopere exhortabatur, vt eiuſmodi errorum, & impiorum facinorum defenſione reiecta, fidei Catholicæ firmiter inhærerent, ſciturі alioqui ſe ad extirpandos eos errores, & proteruiam eiuſmodi comprimendam omnibus vijs, ac remedijs etiam cum brachij ſecularis auxilio inſurrecturum.

Huſſitarū hæreſim extinguere curat.

Hēr. Spōdan. in An. na. b. Eccleſiaſtic.

Vt autem leges aliquas à Regibus Alphonſo Arragoniæ, Henrico Angliæ, Carolo Franciæ, Ioanne Luſitaniæ contra Eccleſias editas extirparet, & Eccleſiæ libertatem vendicaret, precibus, & monitis apud illos Principes inſtitit, vt quia ſublatum iam Schiſma fuerat, cuius occaſione leges illæ emanauerant, ceteras diſſenſiones tollerent, & libertatem R. E. reſtituerent. Sed vbi monitis nihil ſe poſſe proficere cognouit, auctoritate ſibi à Deo tradita vſus eſt.

Eccleſiæ libertatē vindicat.

Lauretanā Aedem indulgentijs ornat. Pace, & otio Ecclesiæ vtcunque parto, antiquissimum habuit Martinus Lauretanam Aedem miraculis, ac prodigijs nobilem, suo aliquo munere insignem relinquere. Itaque multis magnisque indulgentiarum propositis præmijs mortales omnes ad Lauretanum sacellum Septembri potissimùm mense visendum, & colendum inuitauit. *Hor. Turselin. in Hist. Lauretana.* Porrò anno 1420. hoc beneficium nouo beneficio cumulauit; solemnes enim Recineti nundinas ad gloriam, & honorem Lauretanæ Virginis instituit, ratus fore id quòd euenit, vt ob locorum propinquitatem Recinetensis emporij celebritas celebritatem augeret Lauretanæ Domus; quippe cum finitimos populos mercium illecebra, mercatores indulgētia delictorum ad Lauretanam Aedem celebrandam alliceret. *Hipp. Mar[illegible] Mariana.* Lauretanas autem Indulgentias trimestres esse volunt, & Recinetensi mercatui pares, nimirum, vt Septembri, Octobri, Nouembri mensibus, quibus Recinetenses nundinæ celebrarentur, indulgentiæ Laureti percipi ab adeuntibus ritè beatam Virginem possent.

Magnam habet necessitudinem cum Rege Poloniæ. Magna inter Martinum, & Regem Poloniæ necessitudo intercessit, nam misso ad eum Nuncio Puerum ex ipso, & Sophia Regina natum sacro baptismatis fonte abluit eius nomine placuit; eique se affinitatis vinculo obstrictum professus est. Cum enim Ladislaus Heduuigim filiam Federico, filio Federici Marchionis Brandeburgensis despondisset, Pontifex cum de matrimonio gratulatur, sic loquitur. *Martin. Cromer. in Histor. Poloniæ.* *Nos quoque cum Nostra prosapia de Columna, ex qua carnaliter nati sumus, obstrinxisti vinculo affinitatis: nam sicut ab antiquo accepimus, qui priscam originem Nostram per manus traditam ab antiquioribus retulerunt; Nostra de Columna Romana, & præsentium Burgrauiorum Nurimbergensium Domus, quæ etiam Romana fuisse dicitur, ab eodem stipite deriuata sunt. Ex quo cum essemus antea Serenitati tuæ affecti propter gloriam, & virtutem tuam, & propter merita, & officia tua in populum Christianum, esse nunc debemus, & erimus accedente vinculo affinitatis magis cum Excellentia sua coniuncti, & ad honorem Celsitudini suæ exhibendum inclinati.*

Celebritatem Corporis Christi pluribus Indulgentijs exornat. Ad faciliùs impetrandam in tot bellorum turbinibus, hæresum superstitionibus, pestilentiæ grassationibus, aliarumque calamitatum afflictionibus diuinam opem, & misericordiam Sacrosancti Corporis Christi celebritatem pluribus Indulgentijs, & gratijs edita Constitutione ornauit, quas paulò post Eugenius IV. confirmauit, & auxit.

Legationes varias instituit. Legatos multos ad diuersos Principes legauit. Antequam abiret Constantia, Legatos in Galliam ad Regni turbas componendas misit Cardinales Iordanum Vrsinum Romanum, Episcopum Albanensem, & Guillelmum Philasterium Gallum Presbyterum S. Marci. In Boëmiam verò ad reducendos Hussitas ad Ecclesiæ fidem, primò Fr. Ioannem Dominici Florentinum ordinis Prædicatorum Presbyterum Cardinalem tituli S. Xysti, deinde Brandam Castellioneum Presbyterum Cardinalem S. Clementis, mox Henricum Vvicestrensem, siue Vvintoniensem in Anglia Episcopum, & Presbyterum Cardinalem S. Eusebij; demum Iulianum Cæsarinum Diaconum Cardinalem S. Angeli, virum doctrina, facundia, rerum experientia, ac prudentia clarum direxit. Misit quoque Constantinopolim ad Manuelem Græcorum Imperatorem, Petrum Fonsecam S. Angeli Diaconum Cardinalem, hominem Hispanum in quauis facultate doctum, vt Græcos quoad fidē pertinet, cum Latinis componeret. Destinauit etiam Legatum à latere in Arragoniam Petrum de Fuxo Presbyterum Cardinalem S. Stephani in Cœlio monte ad Schisma, quód Benedictus XIII. in ditionibus Alphonsi Regis sustentabat, extinguendum. Ad sanciendam verò concordiam inter Philippum Ducem Mediolanensem, & Venetos, Florentinos atque alios Principes, & populos contra eum fœderatos, Nicolaum Albergatum Bononiensem, Presbyterum Cardinalem sanctæ Crucis in Hierusalem Legatum direxit.

Iulianum Card. Cæsarinum à Basileē. Concilij dirigit. Instante iam tempore celebrationis Concilij generalis ex decreto primùm Concilij Constantiensis, deinde Senensis, quo Ciuitatem Basileæ ad id designatam legimus, Iulianum Cæsarinum S. R. E. Cardinalem vitæ integritate, & sapientia præclarum, magnitudine consilij conspicuum, ac in maximis Romanæ Ecclesiæ, & vniuersalis negocijs diuturna experientia comprobatum, tanquam pacis Angelum ad prædictam Ciuitatem Basileensem destinauit Legatum è latere cum plena, & absoluta potestate, ipsius Pontificis nomine præsidendi Concilio in ea celebrando atque in illo proponendi, & cum Patribus Concilij, deliberandi, ac statuendi, quæ ad laudem Dei, conseruationem, & augumentum fidei, statum Ecclesiæ, reformationem Cleri, reductionem Orientalis Ecclesiæ, & quorumlibet aliorum aberrantium, ac præcipuè Boemorum, & extirpationem hæresum vbicunque grassantium, conseruationem Ecclesiasticæ libertatis, pacem, & quietem Regnorum, Regum, Principum, ac populorum pertinerent, vt pluribus continetur in Constitutione ea de re ad eundem Iulianum missa Kalendis Februarij anni 1431. ipsius Martini Pontificatus decimiquarti, vigesimo ante obitum die.

Obitus Martini. Dum enim isthæc prosequeretur pius Pontifex, contigit eum iam ab aliquo tempore infirmum, apoplexia oppressum hanc vitam deserere decimo Kalend. Martij Romæ anno 63. sedis 13. mense tertio, die duodecimo, vt habetur in eius partim æneo partim lapideo hoc sepulchro, quòd ei positum est in Basilica Lateranensi ante *Sepultus.* capita Apostolorum Petri, & Pauli, cuius exemplar in sequenti pagina proponam.

Laudatur ab omnibus scriptoribus tantarum virtutum, cui Ecclesia vnionem, Italia quietem, Roma restaurationem debuit, ceteræ nationes eximiam de omnibus benemerendi voluntatem agnouerunt. *Solis deliquium.* Paulò ante eius mortem, die scilicet 20. Februarij memorabile præcessit solis deliquium circa horam vigesimam secundam, adeoque obumbrata sunt omnia, vt noctem duabus horis præcurisse iudicauerint. *Ioannes de Capistrano prædicit mortē Martini.* Ferunt B. Ioannem Capistranensem, qui tunc Romæ erat, & ipsa die, quæ obitum præcessit, adstitit Pontifici morbo laboranti, è Palatio discedentē vidisse fulgur è cœlo emissū, in quo clarè exarata hæc verba perlegit: *Nō videbit lucem surgentis Auroræ.*

Luc. Vvaddingus in Annal. Minorum. Culpanit tamen Martinus ab hæreticis nonnullis, quasi cuidam permiserit sororem germanam vxorem ducere, auctoritate fultus Angeli de Clauasio in sua Summa. *Falsò ab hæreticis accusatur.* Qui si Aotonituanam inspexissent, quam idem Angelus testem citauit, reperissent vtique falsitatem citationis, quippe S. Antoninus disertè loquitur de dispensatione concessa cuidam, qui matrimonium contraxerat cum fœmina, cuius sororem priùs fornicariè cognouerat, super qua affinitate dispensare, minimè excedere potestatis Pontificiæ limites inconfesso est. Tametsi S. Antoninus scribat, variè super hac re à Theologis, & Canonistis tunc disceptatum esse, nec dispensasse Martinum, nisi quia fornicatio erat occulta, nec vir ille aptus esset ad Religionem, vel ad longinquam peregrinationem; & si factum fuisset diuortium, magna scandala secutura erant. Quód verò, & ab alijs idem Martinus accusatus sit de nimia cumulandarum pecuniarum cupidine, excusatur ab eodem S. Antonino, quód eæ insumptæ sint in stipendiarios, & contra hostes Ecclesiæ, præter ingentes illas, quæ in restaurationes Ecclesiarū, aliaque Vrbis ornamenta expendendæ fuerunt.

Scripta. Scripsit Martinus Sermonem de Translatione Corporis S. Monicæ B. Augustini matris Ostia Romam: qui extat in historia Augustiniana Tolosæ edita, anno 1641. *Ludou. Iacobus à S. Carolo in Bib. Pont.*

Epistolas varias, quæ asseruantur m.ss. in Vaticano, quarum multas videlicet 143. rescripsit in suo quinto tomo Annalium Minorum Frater Lucas Vvaddingus. In Vrbeuetano verò Archiuio sunt nonnullæ Martini literæ datæ ad Romanum de Abiamonte nobilem Vrbeuetanum, Præfectum Corneti, & aliarum Arcium in Patrimonio sancti Petri.

Eius approbatio Regulæ monachorum extat inter opera D. Hieronymi: eiusdem Testamentum, & Cœremoniale Curiæ Romanæ est Romæ in Bibliotheca Barberina. Sunt apud Ferdinandum Vghellium literæ ad Martinum datæ ab Episcopo Lucensi fungente legatione Germanica, & Polonica.

Numismata. Extat Romæ apud alias laudatum Equitem Cassianum à Puteo Martini numisma continens Martini sedentis effigiem cum Inscriptione: OPTIMO PRINCIPI. In Conclaui Vaticano hæc huiusce Pontificis memoria.

MARTINVS V. COLVMNA
EXTINCTO SCHISMATE
PACEM ECCLESIAE PEPERIT.

Soldanus Aegypti [illegible] ad Martinum. Ad Martinum Romanum Pontificem datas esse literas inuenimus in Chronico auctoris Burdegalensis, à Soldano Aegypti scriptas ferocia barbarica in hunc ferè modum.

Sagitara cum Creatore potentior Dominus, alma. Quia apud nonnullos Papa nuncuparis, indignationem Nostri ensis nudi, & crudelis incurristi: non mireris, si te verbis salutationis non exquirimus, cum te habeamus capitalem hostem, & hostis hosti non debet orare salutem. Tibi sufficere deberet, quód terram, quam dudum Prædecessor Noster Aeneas occupauerat, in ex parte possedisti. Quare tibi per præsentes consulimus, vt inde te transferas alibi moraturus; alias in breui infelici morte succumbes, & gens tua crudeli morte peribit, & felix Roma tota ex ruina cessabit. Dat. Baruch in mense Caslen.

Aliam etiam longè insulsiorem ab eodem ad Principes Christianos scriptam iubentem eos ad se accedere, & fidem deserere Monstreletus refert; sed quam æquè ac superiorem ad Pontificem scriptam inuentum esse insipidi alicuius ingenij nihil dubitauerim.

Concilium Salisburgense. Præter Concilium Basiliense sub hoc Romano Pontifice inchoatum, reperitur etiam celebratum anno 1420. Concilium Salisburgense in Germania ab Eberardo Archiepiscopo, & comprouincialibus Episcopis, ad restituendam disciplinam tempore Schismatis collapsam, & labefactatam. *Colon.* Anno verò 1423. mense Aprilis Theodoricus Archiepiscopus Coloniensis synodum prouincialem habuit pro reformatione quorundam excessuum, ac præsertim Clericorum concubinariorum, & quæstuariorum, & contra hæreses Vvicleffi cam, & Hussiticam.

Hasniensem in Dania. In Regno quoque Daniæ anno 1425. Petrus Luchius Archiepiscopus Lundensis Concilium conuocauit pro restitutione disciplinæ, & correctione morum tam Ecclesiasticorum, quàm secularium valdè per continua ferè bella corruptorum: cuius salubres constitutiones recensentur epistola synodali ab eodem Petro ad omnes eius prouinciæ fideles pro illarum obseruatione conscripta.


HIERONYMO COLVMNÆ S.R.E. CARD. EMINENTIS.
DILIGITE IVSTITIAM
QVI IVDICATIS TERRAM
MARTINI·QVINTI·PONT·MAX·
MONVMENTVM VETVS
EX ÆRE IN LATERANEſI BASILICA POSITVM
MAR TINVS PP·V·
MARTINVS PP V SEDIT ANNOS XIIII MENSES III DIES XII OBIIT ANNO M CCCC XXXI DIE XX FEBRVARII TEMPORVM SVORVM FELICITAS.
Quod nobili PONT. OPT.
Monumento hic expreſſo veterū numiſmatī coronam adiectam intue aris; Franciſci Gualdi Ariminenſis Militis S.ti Stephani curæ acceptum feras.

cutiarum continebant, luſtrationes exercituum, Vrbis, & prouinciarum omnium curam ſuſcipiebant; quæ omnia temporum culpa penè amiſerunt. Inde in Secretariorum numerum aſcitus clariſſimis totius Orbis Iuris collega additur, & qui non minus dignitatis, & exiſtimationis ei officio attulerunt, quàm ipſi ab eo loco ornamenti acceperint. Ij fuerunt Leonardus Aretinus, Cincius Romanus, Antonius Luſcus Vicentinus, & Poggius Florentinus pater Baptiſtæ, qui Dominici Capranicenſis vitam ſcripſit. Cum quibus nec ſatis longo interuallo in eum ordinem lecti Iacobus Languſco Veronenſis, Blondus Forliuienſis, & alij multi ſimul floruerunt, qui vnà cum eo ſunt extincti. Nam poſtea quam à Calliſto, nullo aut hominum, aut loci habito reſpectu, ſordidiſſimis multis in eum ordinem lectis, ad cohortis Prætoriæ modum numerus eſt inſtitutus, quæ quondam maxima in Curia erat, dignitas eſſe deſijt, & in nullo honore haberi. Et qui deinceps rerum potiti ſunt, tati oblatam ſibi honeſtam cauſam, qua tam gentium colluuionem comprimerent, ad vnum omnibus eum ordinem funditus ſuſtulerunt. Cum igitur Dominicus Secretarius eſſet, cum Leonardo Datho eo tempore, qui & ſacrarum literarum ſcientia, & ſanctitate vitæ clariſſimus, ordinis Prædicatorum Generalis erat, ad diſſoluẽdum generale Concilium à Pontifice Senas mittitur, in qua cum Vrbe conuenerant ex nonnullorum Italiæ Principum, & Prælatorum voluntate, qui ægrè ferrent, à Pontifice ſperni, quæ quondam de communi omnium voluntate accuratè, optimèque in Concilio Conſtantienſi decreta eſſent, cuius auctoritate ad Pontificatum electus eſſet. Eò igitur vbi ventum eſt, ſua prudentia effecerunt, vt omiſſa eius rei mentione, id in Ciuitate Germaniæ Baſilea ſeptennio poſt conuenturum indicerent.

Perdinand. Vghel. in Ital. ſac.

Pomp. Vizan. in Hiſtor. Bononienſ.

Ludou. Iacobill. in Hiſt. Fulginat.

Hor. Aniceo. in ſuis memor. Cingol.

Ioſ. Gratian. de Laud. Militaribus Card. Capranicenſ.

Romam deinde Dominicus rediens, Protonotarius factus, in Flaminiam pro Legato deſtinatur, vt Forumliuij, & Imolam Vrbes a Philippo Duce Mediolanenſi nouiſſimè reſtitutas Pontifici adminiſtraret, ac in fide contineret; quòd eius maxima diligentia factum eſt. Nam cum de pace inter Ducem, & Venetos, ac Florentinos belli ſocios conueniſſet, ac Bononia Baptiſtæ Canneruli opera à Pontifice defeciſſet, expulſis aduerſę factionis Principibus, qui parte Pontificis ſequebantur, Flaminia etiam omnis ad defectionem ſpectaret: Dominicus extemplo cõtractis in vnum præſentibus copijs, ij erant equites ſexcenti, qui Eccleſiæ ſtipendijs militabant, eas Vrbes in fide continuit, & innouare res molientes prohibuit, nonnullis eius rei auctoribus vltimo ſupplicio affectis. Acceſſitis inſuper nouis auxilijs a Carolo Malateſta, qui Ariminum Vicarius pro Eccleſia tenebat, contra Baptiſtam, & Bononienſes caſtellum ſancti Petri, & alia oppida defendit. In ſequenti deinde æſtate maioribus copijs à Pontifice acceptis, Duce Iacobo Caudola Bononienſibus bellum inferre iuſſus eſt. Adiuncta igitur ſibi exulum manu, quorum Princeps erat Antonius Bentiuolus a Baptiſta Cannetulo Bononia pulſus, agrum Bononienſem hoſtiliter ingreſſi, omnia eius oppida, quæ aut vi capta fuerant, aut ſponte in ditionem hoſtium venerant, receperunt. Ducto deinde propius Vrbem exercitu, cuncta igne, ac ferro populati ſunt ea potiſſimùm ratione, vt aut hoſtes ad pugnam allicerent, aut vaſtatione agrorum ad deditionem compellerent. Verùm cum nec direptio villarum, nec agrorum depopulatio, vllaue alia belli calamitas eos terreret, Vrbem obſidione cinctam pactione in fidem receperunt: protracta eſt tamen ductorum culpa ad vndecimum menſem obſidio illa. Vrbe tandem potitus, ac pacatis Romandiolæ rebus, ob nauatam operam bene, ac feliciter, Firmi Epiſcopus Dominicus declaratus, & procuratio Peruſinæ Vrbis, & omnis eius regionis, quam Ducatum Spoletanum vocant, illi demandata eſt. Quam prouinciam biennio ea vitæ integritate, continentia, & iuſtitia adminiſtrauit, quanta ad aſſequendam omnium prouincialium beneuolentiam fide ſua incolumi fieri poterat, ac reuerentia: nullius nanque gratia, nullius precibus cum à iuſtitia non moueretur, æquabilem ſe omnibus ſemper præbuit. Id verò, quòd difficillimum videri poterat, præſtitit, quòd varias, quibus ea prouincia abundabat, factiones adeo ſedauit, atque eorum Principes tanta beneuolentia, ſua humanitate, manſuetudine, prudentia inuicem deuinxit, vt inter eos nullæ inimicitiarum, aut irarum cauſæ remanſiſſe viderentur, ſibique, ac rebus ſuis optimè conſultum à Dominico crederent, & gloriarentur. Is nanque cum ſpecimen iuſtitiæ, temperantiæ, continentiæ Eccleſiæ Præſulum ferè primus dediſſet, oſtendit perſæpe adminiſtratores prouinciarum aut auaritia ſua, aut luxuria, aut ambitione cauſas fuiſſe multarum perturbationum. Cum quandoque præficiantur ijs externarum gentium viri, qui aut precibus amicorum emendicati, aut aliquo modo potentioribus obnoxij, vt plurimùm egentes, atque omnium rerum inopes ſint, nulla verò virtute, ſed fortunæ beneficio id muneris aſſecuti, arrogantes, ſuperbi, contumelioſi reperiantur, eaque agant, & aggrediantur, quæ quiuis prædo mercenarius, non dignitatis, quam nullam cognouerunt, non virtutis, à qua longè abhorruerunt; non prouincialium, quorum cura, non rapina illis demandatur, ſed ſuæ cupiditatis memores, ſe non prouinciarum adminiſtratores, ſed mercatores potiùs credentes, potiſſimùm attendunt, quo nam maximè modo ſuam auaritiam, atque egeſtatem expleant, in qua continuè vixerunt: quæ eò etiam immoderatiùs agunt, quò magis ſucceſſorem timent. Ita cum Dominicus eam prouinciam adminiſtraſſet, vt nec mitiùs, aut æquiùs ab optimo patrefamilias domus regi, & res adminiſtrari poſſet, ac tanta fuiſſet lenitate, manſuetudine, eaque in omnes charitate, vt à plurimis pater, à multis frater, à nonnullis filius diceretur. Nullum eius factum atrox, nullum iniuſtum, nullum auarum, nullum libidinoſum, nullum quoque inſolens verbum, nullum impudens quiſquam, vel audiuerit, aut viderit: ſed aduerſus omnem cupidinem, atque auaritiam inuictus vixerit.

Martinus V. vt tanti viri virtutem laurea aliqua ornaret, Cardinalium Collegio illum adſcripſit die 23. Iulij anno 1423. non tamen publicauit, ſed illum reſeruauit, vt ferunt, in pectore. Decreuit tamen, vt ſi ipſum mori contingeret, antequam Dominicum, & alios tres publicaſſet, Cardinales ſuperſtites intra diem ab eius obitu publicare deberent, ac eos recipere in Cardinales, ſub priuatione vocis actiuæ, & paſſiuæ, prout in quadam ſchedula, cui omnes Cardinales ſeſe ſubſcripſerunt.

Felix Cõtelorius in Elencho.

Aubery in vita.

Scriptores inter ſe non ſunt concordes in narratione huiuſce hiſtoriæ; volunt enim aliqui Dominicum renunciatum Diaconum Cardinalem S. Mariæ in via Lata anno 1423. publicatum deinde ab ipſo Martino die 8. Nouembris anno 1430. Alij non à Martino, ſed ab Eugenio Martini ſucceſſore ipſum Dominicum inter Cardinales Presbyteros titulo S. Crucis in Hieruſalem cooptatum volunt. Certum tamen eſt, Martino defuncto, Dominicum dimiſſa prouincia Romam veniſſe, & ad ædem B. Laurentij via Numentana ſubſediſſe, ex amicis quendam in Vrbem ad collegas miſiſſe, qui & publicè, & priuatim à ſingulis poſtularet, vt venire ſibi ad ſuffragia ineunda pro creando Pontifice liceret; ſimul etiã oſtenderet illũ ſua humanitate petere ab ijs, quòd ſcirent ſibi liberũ eſſe. Sed cũ varijs inter ſe habitis ſententijs, res in longũ trahi videretur, miſſis iterũ ad omnes amicis communibus, qui aut id ab eis impetrarent, aut iniuſſum ſe venturum exponerent; quamuis æqua poſtulare videbatur, tamen nonnullorum Cardinalium perſuaſionibus ab incœpto deſtitit, affirmantium ſi hanc ſuam, licet iuſtam voluntatem paulum differret, futurum vt faciliùs, quòd ſperaret, aſſequeretur. Redijt igitur Dominicus Peruſium, ibique manſit, vſque ad electionem noui Pontificis. Cum Eugenius ordine Quartus electus eſſet, ſtatim ad illum Dominicus familiarem miſit, qui primò ei pro tanta poteſtate adepta gratularetur, deinde peteret, vt ſe cum Cardinalium inſignibus ingredi Vrbem pateretur. Cum verò verba ſibi dari animaduertiſſet, relicta prouincia, Montefalcum Ducatus Spoletani oppidum ſe contulit, ex quo cum miſſos à Pontifice milites venire intellexiſſet, paulò poſt abijt, ſimulatoque itinere, clam quatuor aſſumptis comitibus, ad Soractis montem, is eſt in Faliſcis, proficiſcitur, & in ſacello quodam quadraginta dies continuos latuit, omnia experiri ſtatuens, quo Pontificis iracundiam, & plus æquo inimicorum calumnijs præbentem aures leniret. Qui ea ſpecie, quòd diceret Martini nepotes, quibus cum bellum Eugenius incœperat, eius opera contra Eccleſiam arma mouiſſe, omnia eius bona publicauerat. Sed cum eius leniendi nulla ſpes videretur, & apud Iudicem non bene ſibi affectum, malis præterea viſum conſultoribus agi cauſam animaduerteret, Baſileam proficiſci conſtituit: quo aliquot ante annis Concilium tranſlatum fuerat. Verùm cum prius adire Ducem Mediolani placeret, impetrata à Senenſibus fide publica Sarteanum venit: ibi vocatus per viatorem in iudicium ab ijs Cardinalibus, quibus mandatum fuerat a Pontifice, vt eam cauſam cognoſcerent, venire noluit, & codicillis manu ſua conſcriptis, quibus ad Baſileenſe Concilium prouocabat, ad eum miſſis, Plumbinum maritimum Hetruriæ oppidum ſe contulit, deinceps expectata triremi, quam ad eum Philippus Dux Mediolanenſis miſerat, Genuam conceſſit. Ibi benignè exceptus à Magiſtratibus, qui pro Philippo Vrbem illam adminiſtrabant, equis inſuper, alijſque ad victum neceſſarijs adiutus ad Philippum terreſtri itinere Mediolanum profectus eſt. Ab eo quoque humaniſſimè, ac liberaliſſimè ſuſceptus hoſpitio plures dies apud illum manſit: impetrata deinde abeundi venia, ac ſuperatis Alpibus, per Heluetiorum agrum Baſileam contendit. Vbi eò venit, illico apud Concilij præſidentes, ij erant viri aliquot de Concilij ſententia electi, prudentia, & doctrina præſtantes, Pontificis iniuriarum conqueſtus, cauſam ſuam propoſuit; quam triennio continuo ea modeſtia agitauit, vt cum plerunque tanta inopia fuerit, interceptis Pontificis iuſſu tum paternis facultatibus, tum prouentibus beneficiorum, vt neceſſarijs etiam ad victum indigeret, nemo tamen dictum quicquam aſperius ab eo, nihil contumelioſum in illum, aut inimicos audierit, quos plurimos habebat apud Pontificem potentes, qui ſuæ dignitati aduerſarentur, eiuſque animum ſuapte natura mitem, & ad meliora promptum aſſiduis delationibus, & criminationibus accenderent; cum etiam alios minorum ordinum, quorum natura eſt, vt ex aduerſis aliorum rebus, ac miſerijs ſuam potentiam cupiant creſcere, & vel adulando, vel detrahendo, Principum beneuolentiam inire, ac dignitates ambire velint.

Ciaconius

Panuinius

Floravantes Martinellus de Diacon. S. Mariæ in via Lata.

In Concilio Dominicus vti Martini Cardinalis tandem receptus eſt; nec multò poſt Eugenius ipſe timore, vt creditur eius alti, & præclari ingenij, vt Cardinalem recepit, & vnà cum pileo Cardinalitio titulum S. Crucis in Hieruſalem eidem conceſſit. Hoc igitur modo recuperatis omnibus, quæ quondam amiſerat, aliquot annis quietam vitam duxit, ſtudijs maximè, ac rei familiari intentus: nam cum parum acceptus reuera Pontifici eſſet, & ob eam rem aliquid

nulli opera, nulli res familiaris defuit: verùm illud in eo homine prædicatione dignum fuit, & optimi viri indicium, quòd multitudini honeſtorum hominum, quos premi inopia ſciuit, pro facultatibus ſubuenit, quamuis ex illi eſſent petentes. Percontabatur amicos diuerſorum ordinum, qui domum ſuam frequentabant, de Vrbis, ac ciuium conditione; deinde ſingulorum neceſſitate perſpecta, aut ijs ſalaria ad vitæ ſuſtentationem ſuppeditabat, aut alia ope iuuabat. Multis victum, ac veſtitum præbuit, quamplurimorum etiam filias pecunia ſua collocauit, nihil æquè pium ſibi videri inquiens, quàm miuriæ, ac turpitudini expoſitos propter inopiam, ac naturæ imbecillitatem ad honeſtam vitam traducere. Quòd etiam in adoleſcentibus obſeruauit, in quibus aut ingenij, aut virtutis indoles appareret, ne res eorum anguſtæ officerent, quo minus bona ſibi à natura data poſſent exercere: ſed id aut per ſe fecit, aut quàm occultiſſimè curari per ſuos voluit, quos fidos ſibi delegerat, ne captandæ popularis auræ cauſa facere iudicaretur. Nemo autem vnquam ab eo fruſtra quicquam petijt; quare aliquando ſibi calceos detraxit, vt cuiquam largiretur: quandoque etiam, cum offenſum fortuna quenquam vidit minus bene veſtitum, ſuum amiculum dedit. Et cum pecunia ad erogandum non ſufficeret, ſæpiùs vaſa argentea, quæ habebat, conflari, ac petentibus diſtribui iuſſit, cumque ob eam rem ab amicis argueretur, conſueuit reſpondere; hominis proprium ſibi videri quamplurimis benefacere. Quòd adeo in omni vita fecit, vt plerunque neceſſarijs ad victum deficientibus, pecuniam ſumere mutuò ab amicis cogeretur. Modicis prouentibus contentus fuit, quippe qui non plus tribus millibus aureis annuatim ex ſuis facultatibus recepit.

S. Antoninum Florentinum Archiepiſcopum amicitiæ vinculo ſibi coniunctum, præcipuo amore ſemper eſt proſecutus, vt refert Mainardus Geminianenſis in vita S. Antonini apud Surium his verbis. *Sanctum Pontifices maxima beneuolentia, & S. R. E. Cardinales complectebantur; Dominicus præcipue Firmanus, vir virtute præſtans, & charitate magnus, qui celebre ſanctitatis, & integritatis nomen poſteris reliquit.*

Quos autem domi retinuit, non contumelioſos, non rapaces, non auaros eſſe voluit, illos verò, in quibus aliquod integritatis, aut virtutis ſimulacrum ineſſe cognouit, quoad potuit, ad honores extulit, inquiens Chriſtianam Religionem ſe meliùs habituram fuiſſe, ſi virtutum amatores ad eius adminiſtrationem eligerentur. Ex eius ergo domo, quæ & caſtitatis, ac ſanctitatis exemplum fuit, plures clariſſimi viri, velut ex Seminario aliquo prodierunt, & omnium virtutum genere ornatiſſimi. In quibus Aeneas Siluius Piccolomineus Senenſis primus floruit, qui & eo vitio ad Cardinalatus dignitatem promotus eſt, & Caliſto in Pontificatu ſuccedens, Pius II. cognominatus eſt: Iacobus Amanatus Lucenſis, qui doctrina, & probatiſſimis moribus clarus, non modò à Pio in ſuam familiam Piccolomineam adoptatus eſt, ſed & Papienſis Præſul, & S. R. E. Cardinalis creatus poſtmodum eſt: Amicus Aquilanus integritate vitæ, ac Pontificij iuris doctrina inſignis, qui à Paulo II. eandem Cardinalis dignitatem obtinuit: Franciſcus Archidiaconus Toletanus vir tum bonitate, tum ſcientia Sacrarum literarum omnium illius ætatis facilè princeps: Antonius Latioſus Forolinienſis vir caſtiſſimus: Leonardus Peruſinus Theologus clariſſimus: Blondus Forolinienſis vir literatiſſimus: & alij permulti tã doctrina, quàm moribus venerabiles.

Poggius. Aubery. Veſpaſianus in vita.

Sacerdotum dignitati plurimum detulit, Epiſcopos, ac ceteros, qui aliquo honore alijs antecellebant, nonniſi aut ſedẽtes, aut operto capite audiebat: viros bonos, ac doctos euexit quoad potuit, ac ſumma liberalitate, & beneuolentia excepit. Aditus ad eum ſere cuiuis etiam humillimo cuique de plebe patuit; aderat ipſe horis ſtatutis loco publico domus aperto oſtio, vt omnibus illum adeundi libera facultas eſſet, quos ita audiebat, vt grauitatem cum dignitate retineret.

Studia in maximis occupationibus nunquam omiſit; operam multam, & iam prouectioris ætatis Theologiæ, ac Phyloſophiæ morali impertitus eſt, ac tantum in ijs profecit, vt inter doctiſſimos haberetur. Nullum vnquam diem prætermiſit, quin aliquid aut ſcriberet, aut legeret: legit autem tanta, vt ſemper cura, & negocio vacaſſe facilè videri poſſit. Cuius rei hoc vnum eſt argumentum, quòd cum plus mille, & quingenta librorum volumina habuerit ad Ius tum Pontificium, tum Ciuile ſpectantia, nihil in ijs fuerit, quód ipſe non viderit diligentiſſimè: idque in omnibus Auguſtini, & Hieronymi libris fecit. Hiſtorias tantas nouit, quantas tenio aliet: Poëtas vidit omnes: Oratores, ac Phyloſophos familiariſſimos habuit.

Scripſit Introductorium de Pontificatu regendo.

Nomencl. Cardinal.

De Arte piè in Chriſto moriendi, materno idiomate.

Orationem ad Alphonſum Neapolis Regem: quam habes apud Lucium Marinæum Siculum de Rebus Hiſpaniæ.

Epiſtolas ad Philelphum.

Et alia nonnulla eruditè magis quàm eleganter, quæ in vulgus emanarunt, ad religionem noſtram ſpectantia.

Eſt apud me huiuſce Cardinalis epiſtola ad Leonardum Archiepiſcopum Mitylenæ data die 28. Iulij anno 1449. qui libellum de Vera Nobilitate a ſe conſcriptum miſerat.

Apud monachos Ciſtercienſes Florentiæ eſt m.s. Tractatus de Contemptu mundi à Dominico Cardinali conſcriptus.

Ferdinand. Vghel. in Ital. ſac.

Literas multas Ioanni Capiſtranenſi Seraphici ordinis claro ſideri ſcripſit, & ab eo viciſſim ſcriptas accepit, quæ extant apud Fr. Lucam Vvaddingum in Annalibus Minorum.

Caliſti III. Romani Pontificis iuſſu Roſæ Virginis Viterbienſis acta, vna cum Beſſarione, & Proſpero Columna Cardinalibus, ad illam in ſanctorum ordinem adſcribendum accuratè conſiderauit.

Plurimas Romæ domos partim à fundamentis conſtruxit, partim reſtituit. Aedificauit ſibi domum in Regione Columnæ pro dignitate ſua commodam ſatis, ac magnificam; ita tamen, vt ſuperfluos in ea ſumptus, atque ornamenta vitauerit. Quam deinde moriens Gymnaſium eſſe voluit, ad quòd plurimi adoleſcentes diſcendi ſtudio diuerterent; & ijs neceſſaria ad victum conſtituit, magna pecuniarum ſumma in eum vſum erogata. Decreuit in ea, & Bibliothecam ad communem doctorum hominum vtilitatem, congeſtis ibidem libris, quorum magnis impenſis in omni doctrinarum genere ad duo millia volumina congeſſerat tum optimos, tum pulcherrimos, & vt qui eam domum incolerent, quique ſtudioſi forent, pro arbitrio illis vti poſſent. Hanc tamen domum Angelus Capranica frater ad Cardinalis dignitatem à Pio II. euocatus, ſuo vſui reſeruatam inhabitauit; & ne laudabilis voluntas fratris irrita eſſet, contiguum illi Gymnaſium magnificè conſtruxit, quòd hodie in Vrbe extat, & *Collegium Capranicenſe* nominatur.

Aedificauit etiam Dominicus, ac reparauit nonnullas Romæ, in Hetruria, & in Piceno Eccleſias; in Soractis monte, vbi quondam latuerat, B. Syluestro ædem à fundamentis erexit: Eccleſiam S. Laurentio martyri ſacram in via Nomentana reſtaurauit, & ornauit. Atque hoc præcipua laude dignum in eo fuit, quòd cum redditus habuerit, & pro dignitate tenues, & aliorum, qui pari erant poteſtate, reſpectu penè nullos; ijs tamen contentus vixerit; & nullam Eccleſiam tenuit, quin aut eam aliqua ex parte inſtaurauerit, vel illius fructus auxerit.

Optimo igitur vitæ inſtituto cum viueret Dominicus, non minori apud omnes gratia, quàm aut fortuna, aut dignitate, in morbum incidit ab initio quidem haud periculoſum, attamen moleſtum, profluuio nanque ventris laborare, & ſe domi continere cœpit, verùm ita vt negocijs ex conſuetudine fungeretur, nec ſolito magis accumberet. Poſt viginti dies cum Caliſtus vita functus eſſet, & creandi Pontificis neceſſitas inſtaret, ideoque Cardinales conuenturi eſſent, ne diſſimilis ſui videretur, vtque quòd in omni vitæ inſtitutione feciſſet, Reipublicæ Chriſtianæ proficeret, adeſſe huic rei voluit. Quare fretus conſilio medicorum aluum pharmaco ad eam rem parato ſiſtit, ex qua re in febrem incidit, & quidem vehementem, cumque ea continuè augeretur, omnia Eccleſiæ Sacramenta, vt ad eam diem ſanctiſſimè eius acta vita exigebat, ſumma religione primum ſuſcepit. Deinde ingraueſcente morbo vbi adeſſe vitæ finem ſenſit, amicis ad ſe vocatis, magnificè ad eos de contemnenda morte locutus eſt; ad quæ verba cum amici ingemerent, rogauit ne ſuam mortem lacrymis proſequerentur. Si enim, inquit, vixiſſe ad eam ætatem, ad quam pauci ex multis perueniant, omnes ferè deſiderent, iuuenem præterea ſe adeptum quæ mortales ſumma putant, inſtituiſſe quoque ad eam diem ita vitam ſuam, vt ſperandum ab eis ſit, ſe miſericordia, & clementia Dei optimi maximi adiuuantibus, eò vbi vera ſit felicitas, ex hoc veteri carcere migraturum. Quare orare illos, vt lamentis parcerent, ne non dolere eius diſceſſum, ſed inuidere huic ſummo ſuo bono viderẽtur; perſuadere ſe illis, vt potiùs hanc ſuam diuerſionem lætitia proſequantur, cuius ipſe, vel maximum hoc gaudium caperet, quòd in eorum conſpectu vitam finiat. Dolere enim homines eorum mortes debere, qui in Dei veri, & cœleſtis beatitudinis ignoratione occidant; vel qui ita vixerint, vt poſt habita virtutum, atque animæ cura, ſoli corpori inſeruientes, tunc demum cogitare de morte incipiant, cum calamitoſè, miſerèque vitæ curriculo exacto ſe victuros deſperarint; quique in ſumma dignitate conſtituti, ſolùm quòd præſens oculis fuerit, reſpiciant, nec vltorem ſcelerum Deum expaueſcant, aut bonorum remuneratorem credant. Valerent igitur, & poſtquam obijſſet, Deo pro animæ ſuæ ſalute ſupplicarent, & ad eum preces tum pias, tum frequentes effunderent. His dictis omnium apprehenſa manu dextera, & amplexus lacrymantes omnes dimiſit; nec multo poſt exceſſit è vita quinta die poſtquam febris eum tenuiſſet, decimonono videlicet Kalendas Septembris anno noſtræ ſalutis ſupra milleſimum quadringenteſimum quinquageſimo octauo; ætatis verò octauo, & quinquageſimo. Vir certè morum probitate clarus, & qui meritò dignus crederetur ea dignitate, quam tanto labore defenſam, annos ferè triginta ſumma cum laude tenuit. Elatus eſt maxima omnis generis hominum frequentia, comitante omni ciuitate, & laudatus publicè ſumma cum adſtantium attentione. Funus inſuper celebratum ſumma omnium mæſtitia, & in eius ſumptum pecunia ab amicis collata; illatus deinde marmoreo ſepulchro affixo muro, quòd ipſe ſibi in Templo Mineruæ in Sacello ſanctæ Catharinæ Virginis Senenſis viuens fecerat, cum ſequenti elogio.

SEDENTE PAVLO II.

Dominico Capranicenſi T T. S. Crucis in Hieruſalem,
Presb. Cardinali Antiſtiti Firmano, Maiori Pœnitentiario.
XII. Apoſtolicis Legationibus claro.

Pacis


Pacis Italicæ in Anno XXV. conſtitutori.
Doctrina, religione, & ſanctis ſemper operibus admirabili.
Angelus eiuſdem Tit. Cardinalis
Vnanimi fratri, ac ſibi communi monumentum hoc fecit.
Vixit idem Dom. Ann. LVIII.

S. Antoninus de hoc Cardinali hæc ſcripſit: *Reuerendiſſimus Cardinalis Firmanus D. Dominicus de Capranica eiuſdem decimaquarta die ex infirmitate fluxus appoſitus eſt ad Patres ſuos, cum multa deuotione ex hoc mundo tranſitum faciens in aſpero cilicio, quod ad carnes ferebat aſſidue; multum triſtitia, & doloris mors eius intulit multis, qui nouerant eũ, propter eminentes virtutes eius.*

Vnum hic addam ex Arnoldo Vvione libro 2. Ligni vitæ cap. 20. & Andrea Victorello in Additionibus ad Ciaconium, ſanctum Malachiam Archiepiſcopum Armachanum profetiæ dono præditum, Cardinales Dominicum Capranicam, & Nicolaum Albergatum obſcuro indicaſſe Oraculo, cum de Pio II. ſub hoc duorum verborum inuolucro de CAPRA, & ALBERGO locutus eſt. Nam Aeneas Syluius, qui Pius in Pontificatu dictus eſt, Cardinalibus Albergato, & Capranicæ fuit à ſecretis.

QVARTA CREATIO CARDINALIVM.

Die Veneris 24. *Maij anno* 1426. Romæ à Martino renunciati alij Cardinales, & die 25. publicati: Ciaconius hanc quartam Cardinalium renunciationem nominat ſecundam, & die 23. Iunij anni 1426. factam ſcribit. Cardinales enunciati ſunt.




VIII.

Ciaconius
Panuinius
Aubery in vitis.
Pet. Frizõ in Gallia Purpurat.
Claud. Robert. in Gall. Christiana.
Ferdinãd Vghel. in Addit. ad Ciaconiũ.
Scip. Ammirat. in Hiſt. Florent.

IOANNES de Rupeſciſſa, (Rupeſciſſa viculus eſt duobus circiter milliaribus à Lugduno diſtans, à quo nomen eſt mutuatus Ioannes) natione Gallus, Iuris vtriuſque Doctor, ex puero Chorali Lugdunenſi fit Curiæ Rothomagenſis Eccleſiaſticæ Iudex, & literarum Apoſtolicarum Corrector. Deinde Geneuẽſem Epiſcopatum primò, mox S. Pauli, & Biturricenſem, ſeu Biſuntinum obtinuit. Vt Epiſcopus S. Pauli affuit Concilio Conſtantienſi, ac ſuum Martino V. ſuffragium dedit: interfuit Archiepiſcopus Biturricenſis conſilio Caroli VI. Regis anno 1395. pro acceptione Vrbis Geneuenſis in dominium Franciæ habito. Poſt aſſumptionem Martini renunciatur Patriarcha Conſtantinopolitanus, ac perpetuus Eccleſiæ Pariſienſis Adminiſtrator denominatur, vti habetur in Statutis Collegij Marchiani à Guillelmo de la Marche Canonico Tullenſi Pariſijs erecti Præſul Pariſienſis vnxit ſacro oleo Templum S. Petro Apoſtolorum Principi in eadem Vrbe ſacrum. Hunc quoque ad Patriarchatum Aquileienſem promotum in Concilio Conſtantienſi innuit Iacobus Chiffletius, ſed forſan poſſeſſionem non eſt adeptus; ideoque in Catalogo Patriarcharum Aquileienſium non inuenitur adſcriptus. A Pariſienſi ad Rothomagenſem Cathedram promouetur, & poſt duos annos Presbyteris Cardinalibus titulo S. Laurentij in Lucina à Martino adſcribitur, & S. R. E. Vicecancellarius conſtituitur. Archipresbyteri munere functus eſt in Baſilica Liberiana, vt habemus ex tabulis eiuſdem Baſilicæ. Bononiæ ſedis Apoſtolicæ partes ſuſtinuit ſub Eugenio Martini ſucceſſore; qua in legatione Dominica in Palmis die 24. Martij anno 1437. è vita exceſſit. Corpus Bononia delatum ad Cathedralem Eccleſiam Lugdunenſem, ibi in Choro iacet ſub humili ſaxo ſine vlla ſepulchrali Inſcriptione.

Paul de Angel in Deſcript. Baſil. Liberianæ.
Felix Cõtelorius in Elencho.



IX.

Ciaconius
And. Victor. in Addit. ad Ciaconium.
Panuinius
Faſciculus Temporũ
Io. Chenu in Hiſtor. Archiepiſcopis, & Epiſcop. Galliæ.
Hier. Grimbert.
Pet. Frizõ in Gallia Purpurat.

LVDOVICVS Alemandus, ſeu Alamannus, natione Gallus, natale ſolum habuit Arbencium municipium apud Burgeſios prope Cœnobium ſancti Claudij Veſuntinorum Archiepiſcopi. Petrus illi pater ex illuſtri gente, quæ Arbencio imperitabat, mater verò nobilis Galla ſoror Franciſci de Conzi, quæ præter Ludouicum peperit Hugonem Arbencij Dominum. Ludouicus igitur ſe literis a puero dedit, & obtenta in vtroque Iure doctoris laurea, Eccleſiæ Lugdunenſis primùm Canonicus, & Comes; inde Antiſtes Magalonenſis, demum Archie-

A piſcopus Arelatenſis omninatus eſt. Ciaconius ſcribit, Ludouicum hunc ex Canonico regulari Epiſcopum Maclouienſem primò, mox Archiepiſcopum Arelatenſem, & Vicecamerarium, ac Prolegatum Bononiæ ante Cardinalatum renunciatum fuiſſe. Quicquid ſit, certum eſt Cardinalatus dignitatem titulo S. Cæciliæ ei delatam a Martino fuiſſe, & in Italiam vocatum, eiuſdem Martini iuſſu functum legationis munere Bononiæ; Inde iubente ipſo Martino Baſileam ad Synodum, quam indixerat Martinus anno ſui Pontificatus vltimo ſeſe contuliſſe.

Aut. Sand. in elogijs Cardin.
Claud Robert. in Gall. Chriſtiana.

Inter hæc defuncto Martino, Eugenius Quartus ſucceſſor Cõcilij Patres, ſpe ductus Græcos Romanæ Eccleſiæ conciliandi, ab Heluetijs in Italiam reuocauit. Quare tantopere irritati ſunt eorum animi, vt Amedeum ex Duce Sabaudiæ ſolitudinis colonum, in Pontificem elegerint Ludouico noſtro auctore, ſi Ciaconio fides danda ſit. Eugenius enim Concilium Baſileenſe, Legato ſedis Apoſtolicæ euocato, ob eiuſmodi cauſam diſſoluere viſus eſt; idque Ferrariam tranſtulit, Vrbem ad Padum. Dicebat enim Græcos cum
B Eccleſia Romana in fidei articulis, in quibus illi aberrabant, conuenturos ad eundem locum ſibi deligendum, quæ omnia eò tendebant, vt Concilium Baſileenſe diſſolueretur. Quo cognito Prælati Concilij Baſileenſis, quorum Signifer, & dux erat Ludouicus Alemandus Cardinalis Arelatenſis dictus ob Eccleſiam Arelatenſem ſibi commiſſam, ſolus Cardinalium, qui Baſileæ remanſerat, nulla ratione adduci vnquam potuerunt, vt Eugenio obtemperarent. Quamobrem non ſolum Baſilea non diſceſſerunt, ſed ipſum Eugenium cum Cardinalibus omnibus ad Concilium Baſileenſe auſi ſunt citare; vnde graues inter Eugenium, & Ludouicum inimicitiæ exortæ. Inter hæc purpura, & alijs dignitatibus Eccleſiaſticis ab Eugenio priuatur, ſed mortuo Eugenio, Nicolaus ſucceſſor illum priſtinis dignitatibus reſtituit. Pugnarat enim Ludouicus vir Eccleſiaſticæ diſcipli-
C næ tenaciſſimus, pro Synodo contra Eugenium; quia ferre non poterat, vt ab illis legibus diſcederet Romanus Põtifex, in quibus condendis Conſtantienſis Synodus aliquando incubuerat. Indixerat Martinus ex Cõſtantienſis Synodi Decreto tandem aliquãdo Concilium Baſileenſe; durum Patribus, & Ludouico videbatur tam citò re infecta illud, quòd legitimum credebat dimittere: pugnauit contra Eugenium, quia pro Eccleſia pugnare arbitrabatur, zelo non ſecundùm ſcientiam, ſed nimia credendi calumniatoribus facilitate.

Ex Baſilea Legatus in Sabaudiam miſſus Ludouicus Cardinalis, Felicem in Epiſcopum ordinauit, & Apoſtolico diademate coronauit, deinde ſub eodem Felice V. Antipapa miſſus eſt ad conuentum Moguntinum, alijs Francofordienſe cum duobus alijs Cardinalibus obedientiæ eiuſdem Felicis. Principes tamen tam Eccleſiaſtici, quàm Seculares eis ſignificauerunt, Arelatenſem quidem ſe honoraturos, vt verum Cardinalem, & eum atque alios æquo animo au-
D dituros, dummodo ille Crucem, & legationis inſignia, alij habitum Cardinalitium domi dimitterent, quoniam neque illos pro Cardinalibus habebant; idemque ſe facturos, ſi quis Cardinalium ab Eugenio poſt ſuam ſuſpenſionem creatorum veniret. Cum autem ingens per multos dies contentio ſuper his habita eſſet, Baſileenſibus nullo modo cedere volentibus, Principibus conuentum ſe aliò tranſlaturos aſſerentibus, tandem Magiſtratum, ac Ciues Moguntinos Baſileenſibus ſignificaſſe, niſi voluntati Principum acquieſcerent, ſe fidem publicam eis datam reuocaturos, niſi infra octo dies ab ipſorum Vrbe diſcederent. His auditis Baſileenſes ne cauſam ſuam indefenſam dimitterent, cedere ſtatuiſſe. Nono igitur Kalendas Aprilis anni 1441. Cardinalis Arelatenſis Cruce domi dimiſſa, ad locum congregationis iuit, ac multa primùm ipſe, & multo poſt plura collega eius dixit de ſuprema Conciliorum poteſtate, de recto Concilij iudicio contra Eugenium, ac legitima, & neceſſaria ſubro-
E gatione Felicis.

Æneas Sylu. in ſuis Commẽt.
Henricus Spondan' in Annal Eccleſiaſt.
Lambert. Vvandemburch. in hiſt. Ducũ Sabaud.

In actis Nauarricis extat mandatum Concilij Baſileenſis decimo Kalen. Iunij anni 1435. datum Ludouico Cardinali Arelatenſi, qui aderat; quo poſt narratas diſputationes, quæ factæ fuiſſent apud Concilij Delegatos pro rebus fidei tractandis, de Conceptione beatiſſimæ Virginis, vtrum eius anima in inſtanti ſuæ infuſionis in corpore præſeruata fuerit à peccato Originali, an non, iniunxit, vt diligẽter procuraret per omnes Bibliothecas, ſingula Archiuia Vniuerſitatum, Eccleſiarum, Monaſteriorum, Regum, ac Principum perquiri quoſcunque libros, ſcripta, acta, deliberationes, deciſiones, concluſiones publicas, vel priuatas quaſlibet in generalibus ſtudijs,
F & alibi de hac materia factas, aut quæ ad eam quomodolibet ſpectarent; eaſque extrahi, & ad Synodum deferri, vt ijs adiuta illa Synodus quæſtionem hanc decidere, & definire poſſet. Id verò Ludouicum Cardinalem diligenter præſtitiſſe intelligitur ex declaratione facta poſt quadriennium in Seſſione 36. quæ declaratio, quia Concilium tunc temporis ab obedientia Eugenij Romani Pontificis deſciuerat, auctoritatem vllam non habet.

Hippolit. Marrac in Purp. mar.

Poſt obitum Eugenij, non eſt facilè explicare quos deinde pro concilianda Eccleſiæ pace, & abrogando Schiſmate labores Ludouicus tulerit: auctor fuit Amedeo, qui Felix V. dicebatur, vt inſignia, ac nomen Pontificium deponeret. His diſcordijs ſopitis, & extinctis Arelatem Ludouicus Cardinalis redijt, effuſa in ſacras ædes liberalitate commendatiſſimus: nam ſuis ſumptibus, & impenſis mediam Eccleſiæ principis partem, & eam, in qua Sancta Sanctorum

ad Orien-

nem nonniſi anno 1426. electum fuiſſe Epiſcopum Olmucenſem, ſeptem annis poſt VVenceſlai Romanorum Regis obitum. Hic non modò Pontificem, ſed fortiſſimum etiam militem, & imperatorem geſſit, Hæreticorum copijs ipſius auſpicijs ſæpe fuſis; cum is cataphracto etiam equo inſidens, inſtructis eorum aciebus occurrere haud dubitaret, ob id vulgo *Ferreus* nuncupatus eſt. Cum laudabiliter Eccleſiæ Olmucenſi præſediſſet, Strigonij, adhuc Martino viuente è vita exceſſit menſe Decembri anno 1430. & Vacciæ ſepultus. Ciaconius ſcribit Ioannem hunc poſt Olmucenſem, Pragenſem rexiſſe Eccleſiam; ſed ex laudatis in margine ſcriptoribus ſcimus illum obijſſe Epiſcopum Olmucenſem. Dictus eſt autem Ioannes Pragēſis, non quòd præfuerit Eccleſiæ illi, ſed quia ea in Vrbe natus eſt ex nobili, vt diximus familia Bucca; quæ pro inſignibus gerit ſcutum, in cuius ſuperiori parte Aquila, in inferiori verò tres vndatæ faſciæ viſuntur.

XII.

Ciaconius

Panuinius

Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon. & in Ital. ſac.

Iſid. Vgurg. Angel. in Pompis Seneſibus.

Hippolit. Marrac. in Purp. mar.

Hier. Garimbert.



ANTONIVS Caſinus, Franciſci, ſeu ex alijs Ioannis Caſini nobilis Senenſis, & N. Capociæ Romanæ neptis ex ſorore Martini V. filius fuit: Franciſcum Caſinum, Antonij Cardinalis ex aliquibus, vt diximus patrem, celebrem ſui æui medicum Vrbanus VI. Romanus Pōtifex apud ſe dum vixit, retinuit. A parente in bonarum artium ſtudijs educatus Antonius ad Iuriſprudentiæ ſtudium ſe contulit, in quo laurea Doctoratus acquiſita, Plebaniam Signanam primùm obtinuit, poſtea Cathedralis Florentinæ Canonicus, ac Vicarius illius Eccleſiæ, ac Tuſciæ Subcollector eſt declaratus. Quibus gradibus auctus, ad Romanam Curiam ſe contulit, ibique apud Romanos Pontifices auctoritate plurimùm valuit. Cameræ Apoſtolicæ primò Clericus, tum Piſaurienſis Epiſcopus, ac Romani Pontificis Theſaurarius, & Bononiæ Prolegatus dictus eſt. Piſaurienſem Eccleſiam cum Groſſetana commutauit; demum ad Senenſem Epiſcopatum tranſlatus, Eccleſiam illam pluribus annis ſanctiſſimè rexit. In Cathedrali Senenſi ſancti Sebaſtiani M. ſacellum erexit, & illud pretioſis donarijs locupletauit: tandem Martinus inter Purpuratos Patres illum cooptauit titulo S. Marcelli, & ſemper dum vixit in conſilijs habuit. Senenſem Cathedram dimiſit anno 1427. eamque Bernardino Senenſi Minoritæ ſanctitate celeberrimo, Martini V. ſummi Pontificis iuſſu committi curauit: vt conſtat ex ipſius Cardinalis literis, quas mox ex Ferdinando Vghellio reſcribam.

MAGNIFICIS, ET EXCELLENTISSIMIS DD.

Prioribus, Conſilio, Communi, ac Capitaneo populi ciuitatis Senarum, amicis noſtris chariſſimis.

A. Card. ſancti Marcelli.

Magnifici, & Excellentes Domini. Hoc mane ſanctiſſimus Dominus Noſter de Eccleſia Senenſi prouidit Reuerendo in Chriſto Patri Domino Fratri Bernardino de Senis, de quare Sua Beatitudini inſtantiſſimè ſupplicauimus. Et ſicut in hoc operati ſumus, ita in omnibus vobis grati, & iuxta vota veſtra faciemus. Romæ die quarta Iunij, anno 1427.

Patriæ tamen, & aliarum Ciuitatum inſulas humilitatis gratia Bernardinus longiùs à ſe repulit dicens, *Non ſe miſſum à Domino baptizare, ſed euangelizare.*

And. Victorel. in Addition. ad Ciacon. Felix Contelorius in Elencho. Aubery in vita.

Poſt Martini obitum interfuit electioni Eugenij IV. cui ſummè gratus, & charus ſemper fuit; Archipresbyteratum Baſilicæ Liberianæ obtinuit, & retinuit vſque ad obitum. E vita migrauit non Romæ, ſed Florentiæ die 4. Februarij anno 1439. inde tranſlatus ad Vrbem in Baſilica ſanctæ Mariæ Maioris ſepultus, vti in ſupremis tabulis iuſſerat, cum hac ſepulchrali Inſcriptione.

SEPVLCHRVM ANTONII CASINI DE SENIS
TITVLO S. MARCELLI PRESBYT. CARDINALIS.
QVI OBIIT IV. FEBR. MCCCCXXXIX.

Huic Baſilicæ ſextam ſuæ hæreditatis partem reliquit; in cuius tabulario hæc legi affirmat Paulus de Angelis in Deſcriptione eiuſdem Baſilicæ. *Antonius Caſinus Senenſis Cardinalis S. Marcelli a Martino V. creatus iacet in medio Eccleſiæ.* Vniuerſalem ex aſſe inſtituit heredem ſororem ſuam Agnetem, Monialem in Cœnobio Florentino, S. Apolloniæ ſacro, quæ nomine ſui Monaſterij hereditatem accepit cum oneribus expreſſis in ſupremis tabulis. Præter multa, quæ diuerſis Eccleſijs legauit, quatuor aureos florenos ſingulis annis erogandos ſanctiſſimæ Trinitatis Eccleſiæ ad ripam Arni ordinis Valliſumbroſæ largitus eſt, vt quolibet anno Anniuerſarium pro anima Angelæ ſororis ſuæ, & fratrum ſuorum ibidem quieſcentium à monachis celebraretur. Item Eccleſiæ ſancti Georgij pro anima Angelæ amitæ ſuæ, & Mariæ ſororis ſuæ, ac Petræ Monialis S. Apolloniæ quatuor florenos pro anniuerſario Officio faciēdo. In Eccleſia Metropolitana Florentina duo ſacella fundauit, ac perpetuo cenſu dotauit, vt ex monumentis eiuſdem Eccleſiæ Carolus Strozzius ſpectatæ virtutis vir monuit Ferdinandum Vghellium qui tamen Antonium, non Senenſem, ſed patria Florentinum ex inueterata apud Florentinos memoria, tum ex monumentis Florentinis agnoſcit, & in eadem Ciuitate natum vult è familia Caſina populari quidem, ſed ciuili, & honeſta; quippequæ olim in Republica honores, & dignitates obtinuerat. Nos tamen Cardinalem hunc ex ſepulchrali Inſcriptione, atque ex ipſius Teſtamento cum Panuinio, Ciaconio, & alijs ſcriptoribus Vrbi Senenſi reſtituimus. Senis enim in Metropolitana Eccleſia ſeruatur Antonij huiuſce Cardinalis Teſtamentum, in quo Antonius de Senis ſæpiùs nominatur, vt ex fide publica ad me miſſa ab Aſcanio Piccolomineo Archiepiſcopo Senenſi apparet: non enim Antonius de Senis diceretur, ſi patria Senenſis non fuiſſet. Scribit laudatus Vghellius Antonium renunciatum Cardinalem, vt Senenſem populum, qui Florentinum ciuem, Epiſcopum Senenſem ægre ferebat, ſibi infenſum conciliaret, ſeſe Cardinalem Senenſem nuncupaſſe, ducta etiam Senas ex ſua familia colonia Senenſi Republica ciuitate donata, quæ adhuc inter nobiles eius Ciuitatis floret. Hinc factum eſſe, vt Cardinalis hic ferè ab omnibus rem neſcientibus Senenſis patria ſit dictus. Si hæc vera eſſent, in ſupremis tabulis, quas ipſe confecit, & in ſepulchrali inſcriptione non diceretur Antonius de Senis, ſed Antonius Cardinalis Senenſis; de Senis enim ſemper patriam, Senenſis verò dignitatem aliquando indicant, vt videre eſt apud ſcriptores. Quare Andreas Victorellus in Additionibus ad Ciaconium hæc habet: *Antonius Caſinus vir Senenſis varia eruditione clarus, Apologia pro illo conſcripta, qua Abbas Vghellius exiſtimans eum Florentinum memoria prodidit, cōfutauit, firmiſſimiſque argumentis verū illum præſtantis medici filium Senenſem patria extitiſſe aperte oſtendit.*

Superioribus annis in Eccleſia Cathedrali Senenſi, cum ad ornatum ipſius Eccleſiæ dirutum eſſet Altare, erectum olim ab Antonio Cardinali, & inſignibus proprijs ornatum, ne tanti viri memoria periret, Annibal de Aciaria nobilis Senenſis inſcriptionem hanc a Fabio Chiſio nunc ALEXANDRO VII. ſcriptam affigi curauit.

Antonio Caſino Franciſci F. Bartholomæi N.
Cameræ Apoſtolicæ Clerico, Theſaurario
S. R. E. Presbytero Cardinali tit. S. Marcelli
Ob vtriuſque Iuris peritiam, atque prudentiam
Martino V. & Eugenio IV. Summ. Pont.
A Conſilijs intimis, ac ſummè caro
Cuius Cinis Romæ ab An. MCCCCXXXIX. in Aede
S. Mariæ Maioris diem reſurrectionis expectat.
S. P. Q. Senen. Ciui optimo, Paſtori ſuo vigilantiſſimo
Annibale de Aciaria Aedituo cur. Mem. cau. Poſ.
A. D. MDCLIII.

XIII.



ARDICINVS de la Porta ſenior, nobilis Nouarienſis, vtriuſque Iuris Doctor, qui Conſtantienſi Concilio interfuit, ex Aduocato Conſiſtoriali, & Clerico Cameræ Apoſtolicæ ac literarum Apoſtolicarū Correctore, à Martino V. renunciatus eſt Diaconus Cardinalis SS. Coſmæ, & Damiani. Mortalia Romæ deſeruit ſub Eugenio Quarto, Martini ſucceſſore, die 9. Aprilis ex Contelorio, ex alijs verò 5. Idus Auguſti anno 1434. tumulatus in Vaticanæ Baſilicæ Cryptis iacet, hoc addito elogio.

Ciaconius

Carol Cartharius in Syllab. Aduocat. Cōſiſtor.

Carol Epiſcop. in Nouaria.

Aubery in vita.

Panuinius

Felix Cōtelor. in ſuo Elencho.

Nomencl. Cardinal.

Hic de la PORTA iacet ARDICINVS, vtroque
Iure tenens primum Doctor in Orbe locum:
Primus, & orabat per Conſiſtoria cauſas,
Iuſtitiam ſumma Religione colens:
Poſt ad Cardineum meritò exaltatus honorem,
Inter Apoſtolicos ſedit, & ipſe Patres.
Talem Roma tibi Lombarda Nouaria miſit
Inſignem generis nobilitate virum.

Hunc Cardinalem ſignificari exiſtimo ab Aenea Siluio in epiſtola 26. ad Gaſparem de Fara eius diſcipulum Nouarienſem, cuius auunculum Cardinalem dicit.

FR. NICO-



Inſignia aſſūpta in Cardinalatu.



Inſignia familia Albergata.

XIV.

FR. NICOLAVS Albergatus non modò ordinis Carthuſianorum, ſed Eccleſiæ ſanctæ decus, & ornamentum. Bononiæ, quæ eſt inter Italiæ Vrbes celebris, natus eſt anno à partu Virginis 1375. gente in primis vetuſta, ac nobili, cuius antiquitatem vetera eiuſdem Ciuitatis monumenta ſatis declarant. Ex ijs enim conſtat Albergatos circa annum Chriſti 1200. ædes celeberrimi nominis in ea Vrbis parte, in qua nunc quoque habitant, incoluiſſe; inde in diſſidijs, ac diſtenſionibus domeſticis, & inteſtinis, quæ Bononiæ deinceps emerſere, crebra, ac perhonorifica Albergatorum mentio facta reperitur. Nam anno 1334. ad veterem ſtatum Ciuitatis reſtituēdum ipſa in primis inter alias quaſdam primarias familias aſſuiſſe narratur à Carolo Sigonio: ac mox ex ijs Petrus Nicolaus, Cardinalis noſtri parens potiſſimùm prædicatur, qui cum Bononiæ primùm Tribunos plebis, nouæ Adminiſtrationis ergo creari placuit, vnus fuit, ad quos inchoandi Magiſtratus inſignia, & quidem maxima cum auctoritate tunc temporis delata ſunt.

Ciaconius. Petrus Sutor de vit. Carthuſiā. Poggi° in Oratione funebri. Andr. Victorell. in Addit. ad Ciaconi. Io: Bapt. Zeno in vita. Carol. Sigonius de Epiſc. Bononien. Paul. Corteſius de Cardinalibus. S. Antoninus. Aloyſius Mannin. Princip. Eccleſiaſtico. Theodor. Vraſmut: Bibliotec. Carthuſ. Aeneas Sylu. in Comment. Polidor Virgil. in Hiſt. Anglicana. Blondus. Ferdinād. Vghel. in Addit. ad Ciacon. & Ital. ſacr. Paſqual Alidoſi de Bononſ. Ciuitate. Bzou. in Annal. Eccleſiaſtic. Bonon. Caballinus in vita. Ludouic. Dominus in vita. Arnoldus Vuion in Lig. Vitæ. Platina in Pio II. Pomp. Viſcaſt. in eius hiſtor. Bononienſ. Cardinal. Papienſ. in Epiſtolis. Petr. Dorlandus in Chronic. Carthuſ. Ant. Sard. in elogijs Cardin. Paul. Morolinus in hiſtor. Venetæ. Bonauent. Angeli in Hiſt. Parmenſis.

Ex hac igitur gente ſatus Nicolaus anno, vt diximus noſtræ ſalutis 1375. patre Petro Nicolao, matre Philippa Chioppetta, Bartholomæi legum Doctoris, ac Profeſſoris præſtantiſſimi vnica filia, illorum cura, ac ſtudio humanioribus primùm literis, vbi per ætatem licuit, imbutus eſt; tum verò maximè Iuris ſcientia, quæ in ea Vrbe vigebat, in qua magnum doctrinæ ſpecimen exhibuit. Cum autem confecto ſtudiorum eiuſmodi ſtadio, & curſu in eadem ipſa celeberrima Bononienſi Academia per plures annos Iuri operam dediſſet, iamque Doctoratus laurea donandus videretur, ad grandiora, & altiora vocatus, atque ad ſcientiam ſanctorum in ſchola Religioſi ſtatus aſpirans, ſenſit ſe incredibili vitæ ſolitariæ apud Carthuſienſes monachos amplectendæ deſiderio inflammari; quòd tamen nonniſi peculiari Dei nutu, atque conſilio contigit, occaſione nata quam hic refero. Fortè ad Monaſterium eiuſdem ordinis, quòd eſt extra Pomœrium Ciuitatis, grato & amœno loco ſitum, aliquando recreandi animi cauſa, vt fit, pergebat Nicolaus, cum coorto imbre vehementi, à muris ipſius Ciuitatis excluſus, atque in Carthuſia pernoctare compulſus, fratribus ad Matutinas laudes conuenientibus, & ipſe in ædem ſacram acceſſit, vbi pro illo per noctis ſilentium Angelicæ turbæ concentu captus, ac delinitus, tanquam alter Auguſtinus de conuerſione ſua Dominum alloquens; *quantum* inquit, *fleui in Hymnis, & Canticis dulciſonantis Eccleſiæ tuæ*: & quaſi vocem illam Domini per Prophetam audiſſet; *ducam eam in ſolitudinem, & ibi loquar ad cor eius*; ijſdem monachis protinus aggregari petijt, ac poſt aliquot dies haud magno negocio impetrauit.

Adſcriptus inter ſacros illos Aſcetas anno ætatis ſuæ vigeſimo, noſtræ ſalutis 1395. ita in omni Religionis ordine, vigiliarum aſſiduitate, obedientia, humilitate, alijſq; Congregationis huius quamuis arctiſſimæ, ac ſeueriſſimæ legibus, & generatim in vniuerſis monaſticæ Religionis officijs ſe probauit, vt à cunctis non humano caſu, aut impulſu, vel ſuſcepto leuiter conſilio, ſed inſpirante Deo, arduum hoc inſtitutum arripuiſſe ſit iudicatus. Quin etiam elapſis aliquot annis ab expleto illius tyrocinio, ea prudentiæ, ac religioſi animi documenta dedit, vt Cœnobijs primùm Florentino, & Bononienſi, deinde etiam Romano, & Mantuano, cuius fundamenta iecerat, Præpoſitus fuerit, ac Procurator generalis totius ordinis in Romana Curia ex aliquorum teſtimonio conſtitutus. Demum poſtea ob eximiam integritatis, ac ſapientiæ laudem vbique celebratus, Bononienſis Eccleſiæ Antiſtes magna Cleri, ac populi conſenſione anno 1415. delectus eſt.

At Nicolaus, qui lucem hominum, & frequentiam iamdudum fugerat, neque Epiſcopalis officij difficultates, & curarum molem ei annexam ignorabat, auditis electionis ſuæ latoribus, qui ad eum priuatim, & publicè gratulabundi venerant, atque vt ad Vrbem quantocius conferre ſe vellet, inuitabant; omnino ſe in hanc ſtatus mutationem conſenſurum negauit. Quem vbi conſtantiſſimè, imò pertinaciſſimè honorem detrectare animaduerterunt, eumque ſemper in deliberationis ampliùs obfirmatum, ad nouas artes confugerunt;

A quò ipſius humilitatem, & honorum fugam vincerent. Cum enim præ alijs, quas obtendebat, excuſationibus, vt preces, ac poſtulata amicorum de admittenda hac dignitate, quibus vehementer oppugnabatur, aliquo modo à ſe propelleret, ac rogantium impetum frangeret, illam præcipuè oppoſuiſſet, ſe ſine Prioris magnæ Carthuſiæ, qui vniuerſi ordinis præfecturam gerit, eiuſque generalis Capituli aſſenſu quicquam agere poſſe; ſubitò miſſus eſt in Galliam, qui totius Ciuitatis, ac Diœceſis Bononienſis nomine à venerandis illis ſacræ huius Eremi patribus Nicolaum Epiſcopum ſibi concedi ſummi beneficij loco peteret. Quibus non annuentibus modò, ſed etiam ex auctoritate Nicolao præcipientibus, atque inſuper monentibus, vt Dei voluntati ſibi ſignificatæ morem gereret, ac impoſitum onus ſubire vellet, vocantes, ſeu veriùs trahentes ſequi ſtatuit.

Sept. A ſummatus. in Hiſt. Florentina. Hier. Gramberti. Annerij in vita. Pamenius Felix Cōtelor. in Elencho. Barth. Dulcius de var. Bonō. ſtat. Leand. Albertus in Deſcript. Italiæ. Gaſpar Bl. bacci de viris Bononien. ſanctit. illuſtribus. Paul. Merula in ſua Coſmograph. Franciſc. Amad. de Nobilitate Bononiæ.

Sed alio adhuc interpoſito moræ genere, cogitans Romanam ſedem vacare ob priuationem Ioannis XXIII. in Concilio Conſtantienſi nouiſſimè factam, aſſeruit ſibi nefas eſſe abſque Rauennatis B Metropolitæ, cui tunc Bononienſis Eccleſia ſuberat, confirmatione, illius poſſeſſionem adire, quam cum petitam facilè poſt paululum obtinuiſſet, qui rogabat ipſius Ciuitatis Orator, victus tandem omni ex parte remanſit; præſertim ipſo Rauennatenſi Archiepiſcopo, ad quem inaugurandum ductus eſt, cum eundem adhuc animo fluctuantem, & quid ageret hæſitantem videret, diuini iudicij metum comminante, ſi Eccleſiam illam diutius Paſtore orbatam relinqueret, ac Deum rationem ouium ſibi commiſſarum in tremendo iudicio eſſe ab illo repetiturum. His nanque verbis Nicolaus quaſi ex ipſius Dei ore emiſſis exterritus, atque vltra repugnare non auſus, ab eodem in æde ſacra Bononienſis Carthuſiæ conſecrari ſe paſſus eſt, & inde cum Magiſtratibus Vrbem pontificaliter, vt aiunt, ingreſſus, vſque ad S. Stephani equitando ſub holoſerica vmbella proceſſit; ac poſtea pedibus ſine calceis ad S. Petri Baſilicam pergens, Eccle- C ſiæ ſuæ poſſeſſionem, plaudente præ lætitia populo, ſolemniter inijt. Sed eam quoque tunc conditionem addidiſſe ait Poggius notatu digniſſimam, nimirum, vt bona & Caſtella eiuſdem Eccleſiæ, quæ deſtructa erant, publici Magiſtratus auctoritate reſtituerentur. Synodum illico conuocauit ad Eccleſiaſticorum mores corrigendos; Seminarium erexit; mulieres, quæ meretricium faciebant, in anguſtam Ciuitatis partem certam coercuit.

Euectus per ea tempora in Conſtantienſi Concilio ad Petri ſedem Martinus V. per quem depulſis horrendi, ac diuturni Schiſmatis noctibus, optata pacis Eccleſiaſticæ dies Orbi Chriſtiano illuxit; cum ſciret Nicolaum in manſione ſua Bononienſi ſibi, & Eccleſiæ ſanctæ perutilem, vt adeundi ſui ad fidelitatis ſacramentum præſtandum iuxta antiquum Eccleſiæ morem, labore leuaret, iuſiurandum illud apud Mutinenſem, aut Imolenſem Epiſcopos concipiendi copiam fecit hiſce literis, quas ex Albergatæ gentis Archiuijs erutas D in Commentarios de huius Cardinalis vita retulit, ac publici iuris fecit Carolus Sigonius, ac ſunt tenoris ſequentis.

MARTINVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Venerabilibus fratribus Mutinenſi, & Imolenſi Epiſcopis Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Cum Nos nuper electionem de perſona fratris Noſtri Nicolai Epiſcopi Bononienſis per dilectos filios Capituli Eccleſiæ Bononienſis ad eandem Eccleſiam tunc paſtoris ſolatio deſtitutam, nec non eiuſmodi electionis confirmationem, & conſecrationis impenſionem eidem Nicolao Epiſcopo per venerabilem fratrem Noſtrum Thomam Archiepiſcopum Rauennatem, auctoritate ordinaria, ſede Apoſtolica vacante factas, de fratrum Noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica duxerimus ratificandas, ac etiam approbandas. Nos E *volentes eiuſdem Epiſcopi in illis partibus commorantis parcere laboribus, ac expenſis, ne per hoc cogatur veniendo ad Romanam Curiam perſonaliter laborare, fraternitati veſtræ auctoritate præſentium committimus, ac mandamus, quatenus ab eodem Epiſcopo, Noſtro, & Romanæ Eccleſiæ nomine, fidelitatis debitæ recipiatis, ſeu alter veſtrum recipiat iuramentum iuxta formam, quam ſub Bulla Noſtra mittimus interclusam.*

Nicolaus deinde Orator a Bononienſibus ad Pontificem congratulationis ergo deſtinatus Martinum Mantuæ degentem inuenit, cui cum ſolitam, ac debitam exhibuiſſet reuerentiam tam ſuo, quàm nobiliſſimæ illius Ciuitatis nomine, & quæ ſibi mandata fuerant, expoſuiſſet, ac totum ſe Pontificis auctoritati, ac iudicio permiſiſſet, F perbenignè ab eo acceptus eſt, licet non mediocriter ipſi a ſe, & ab Apoſtolica ſede alienatæ Vrbi offenſo, tantoque in honore habitus, vt eum in palatio, quo ipſemet habitabat, locum habere voluerit, ac multa ſupellectile ſacra donauerit, literas Apoſtolicas, ſeu Diplomata Confirmationis ſuæ, eidem gratis concedi, ac neceſſaria quæcunque ex ærario Pontificio, quamuis tunc valde exhauſto, [illegible] miniſtrari iuſſerit. Has illi gratias, & alias multo ampliores vltro conceſſit partim ob pietatem eius, ac ſapientiæ famam, partim etiam, quòd cum Bononiam ditionis Pontificiæ florentiſſimam Vrbem nuper factionibus, ac variis conſilijs Canneuliorum, ac Bentiuolorū, quorū hi poſtea illos expulerunt, ab ipſius Eccleſiæ temporali dominio ſeiunctā acerbiſſimè ferret Pontifex, quantū ad illam recuperandam poſſet ſpectata Nicolai Epiſcopi auctoritas, non ignoraret.

A Othienſi vota vndecim ex Cardinalibus, tria ex natione Gallicana, quinque ex Hiſpanica, vnum ex Germanica. Pro Amadeo Cardinali Sallutiarum duodecim ex Cardinalibus, duo ex Italica, tria ex Gallica, vnum ex Germanica, quinque ex Hiſpanica. Pro Othone Cardinali de Columna octo ex Cardinalibus, quatuor ex Italica, vnum ex Gallica, tria ex Germanica, duo ex Hiſpanica, ſex ex Anglicana. Pro Franciſco Cardinale Venetiarum vota decem ex Cardinalibus, duo ex Italica, tria ex Gallica, vnum ex Hiſpanica. Otho igitur Cardinalis de Columna inter alios votis pluriũ exoptabatur; nam pro illo 24. pro Ioanne Cardinali Oſtienſi 20. pro Amadeo Cardinali Sallutiarum 23. & pro Franciſco Cardinali Venetiarum ſexdecim ea Patribus erant. Poſt hæc progredientes ad acceſſum Alamanus Cardinalis Piſanus ſtatim acceſſit ad Cardinalem de Columna, verum huius voti nullam habendam eſſe rationem Patres edixere, niſi per ſchedulam ſua manu ſcriptam, vt moris erat, accederet. Perlectis igitur ſchedulis, conſtitit ad Cardinalem de Colum- B na ex qualibet natione quatuor ad manus, ac ſeptem alios Cardinales acceſſiſſe. Guillelmus ſancti Marci, ac Petrus de Fuxo Cardinales, qui nulli acceſſerant, electionem Othonis, cui vnicum deerat ex Cardinalibus votum, in eorum arbitrio poſitam ſuſpiciebant, & inuicem alloquentes, quid agerent, incerti, tandem cum omnium ora ad ſe conuerſa conſpicerent: *Et nos duo*, inquit Cardinalis S. Marci, *ad conſummationem huius operis, & vnionis Eccleſiæ accedimus*, ac illicò Othonem in ſummum Pontificem ſalutarunt, qui Martinus dici voluit eius nominis Tertius, Quintus tamen nũcupatus ob confuſionem duorum Martinorum. Sumpſit autem Symbolum Sigilli ſiue ſententiam verſum Pſalmi 53. *Auerte mala inimicis meis, & in virtute tua diſperde illos.* Quo ſanè nemo vnquam maiori quin imo nec pari vniuerſæ Eccleſiæ conſenſu electus dici poteſt; cuius creationi non ſolùm Cardinales ordinarij Electores, verùm etiam C cunctarum Orbis Chriſtiani nationum ex tribus partibus, in quas Eccleſia fuerat ante diſtracta, ſpeciales delegati ſuffragia ſua ſingulatim contulerunt. Erat tunc Martinus ætatis quinquaginta annorum; cuius multiplices virtutes deſcribens Platina ait tantam fuiſſe omnium de eius creatione lætitiam, vt præ gaudio loqui vix homines poſſent. Effuſum nimio gaudio Sigiſmundum Regem nullo habito ſuæ dignitatis diſcrimine Conclaue ingreſſum gratias omnibus egiſſe, qui tantum virum, ac tam Reipublicæ Chriſtianæ propè extinctæ neceſſarium delegiſſent; & ante eum proſtratum cum ſumma veneratione eius pedes exoſculatum eſſe. Quem contra Pontifex amplexus non ſecus, ac fratrem in pretio habuerit, eique gratias egerit, quòd ſua opera, & induſtria pax tandem Eccleſiæ reddita eſſet.

Vota Electorum.

Felix Cõclaue inter vota Martini.

Electio Martini.

Henricus Spondan. in Annal. Eccleſiaſt.

Lætitia in omnibus pro eius electione.

Per vniuerſum Terrarum Orbem nouæ Electionis rumor, & ſedati Schiſmatis fama diffunditur, ac ſanctiſſimus Pontifex pacis Eccleſiæ ſtudioſus Conſtantienſe Concilium proſequi ſtatuit. Sigiſ- D mundum Romanorum Regem, qui Balthaſſarem Coſſam, aliàs IOANNEM XXIII. dictum, vſus opera Ludouici Ducis Bauariæ, & Comitis Palatini Rheni, per ſex menſes ſupra biennium ſub fida cuſtodia tenuerat, ab huiuſmodi onere liberauit, & Henrico Epiſcopo Vvintonienſi, & Conrado de Sulato Præpoſito Eccleſiæ ſancti Cyriaci Dulniſenſi Subdiacono, ac Paulo de Capranica literarum Apoſtolicarum Scriptori tradi iuſſit. Eccleſiaſticorum non minus quàm ſecularium mores in melius commutare ſatagens, exemptiones longo durante Schiſmate conceſſas in iuriſdictionis Epiſcopalis detrimentum reuocauit; vniones verò Eccleſiarum ad petitionem eorum, quorum intereſſet, ſtatuit reuocandas. Fructus Eccleſijs vacantibus prouenientes illis, quibus de Iure, aut Conſuetudine debentur reſeruauit: diſpenſationes datas electis ad Eccleſias Abbatibus, aut prouiſis de beneficijs, ne munus conſecrationis, aut benedictionem, vel ordinem beneficio annexum ſuſciperent, aboleuit. Conſtitutiones, quæ prohibent, vt nullus præter Pontificem indi- E cere valeat decimas Eccleſijs, aut perſonis Eccleſiaſticis confirmauit: ac decreuit, ne in poſterum decima toti Clero, niſi pro vniuerſalis Eccleſiæ cauſa, & de conſenſu Cardinalium; nec ſpecialiter in aliqua prouincia, niſi cõſultis illius prouinciæ Prælatis imponeretur.

Balthaſſar Coſſa traditur Epiſcopo Vvintonienſi & alijs.

Baptiſta Fulgoſus in vita.

Mores fidelium corrigere ſtuduit.

Imperatoris exemplum, reliqui Germaniæ Principes ſecuti, & Archiepiſcopi Electores, ac inter ceteros Raynaldus Dux Iuliacenſis, & Geldriæ, qui in literis obedientiæ, & congratulationis; *A domo Columna*, ſunt verba literarum, *antiqua, & excelſa Romana ſtirpe*, claram deriuiſſe fatetur originem, Martinum V. in Chriſti Vicarium ac verum Pontificem recognouerunt. Sicuti poſtmodum Reges Francorum, Angliæ, Poloniæ, Caſtellæ, Arragoniæ, Siciliæ, Daciæ, Nauarræ, & Cypri obedientiam præſtiterunt. Poſt Concilium F data Præſulibus facultate remeandi ad proprios lares, ipſe Martinus ad antiquam Pontificum ſedem, & Reipublicæ Chriſtianæ tutiſſimam Arcem, ad Vrbem inquam Romæ iter dirigens ſuum, die 16. Maij, anni 1418. Conſtantia receſſit, ac die 5. Iunij, per Biernam Caſtrum Lauſanenſis Diœceſis tranſiens, in Monaſterio fratrum Prædicatorum aliquot diebus quieuit. Die 11. Iulij ſolemni pompa, & acclamante populo Ciuitatem Gebennenſem ingreſſus eſt, vbi Oratores Aueniouenſes obuiam profecti præſtitere fidelitatis iuramentum. Hinc die tertia Septembris abiens, & Seguſium, ac Taurinum iter faciens, Mediolanum ingreditur, vbi ſplendidè acceptus, Altare maius Eccleſiæ principis adſtantibus Cardinalibus, ac multitudine maxima adiacentium populorum conſecrauit die 16.

Familiæ Columnæ nobilitas.

Obedientia à Principibus Martino præſtita.

Poſt Concilium diſcedit Romam verſus.

Conſecrat Altare maius Eccleſiæ Mediolanẽſis.

A Octobris. Quare Philippus Maria Vicecomes Inſubrium Dux, ne tanti beneficij immemor poſteris videretur, eidem Pontifici marmoream Statuam ad læuam Baſilicæ prope ſacrarium ſtatuit, ſub qua adhuc hi rudi Minerua exarati verſus viſuntur teſte Ferdinando Vghellio.

Cerne Viator aue, hic ſtat Imago ſimillima Papæ
Qui bonus Eccleſiæ MARTINVS in ordine Quintus
Paſtoralis tibi Roma tua tibi gloria gentis,
Quam parit alta domus celebrata Columna per Orbem.
Mundus erat longo Eccleſia vexatus in anno
Schiſmate, Concilium Conſtantia firmat, & ecce
Otho Columna potens, magno de Cardine ſummus
Præſul hic eligitur merito, velut ante Creator
Surgentem Eccleſiam ſuper alta cacumina Petræ:
Mox voluit fundare ſuam ſic peſte cadentem
B *Schiſmatis, ac firma ſtatuit ſtabilire columna.*
Hic repetens primo ſua ſancta palatia Roma
Hanc prius amplificam, quæ Roma ſecunda vocatur,
Vrbem adit, hoc Altare ſacrat, celebrat quoque Miſſam
Primus, & hic venias grandes, miraſque ſalutis
Pro fabrica Eccleſiæ bona dantibus addit habendas;
Præſertim admiſſi cum feſta dicatio Templi
Veneris, atque die præſtante, ſequenteque feſtum.
Iſta Duce Anguigera Ligurum regnante Philippo
Imperio talis, per iuſtaque bella tremendo
Mille quatercentum octauo decimoque ſub annis
Et ſextodecimoque die tum Octobris euntis
Facta colenda manent ad honorem Virginis almæ
Carminis eſt Bripius Ioſeph ordinarius auctor,
Doctor Canonici Iuris, ſacraque Magiſter
C *Theologiæ: aſt hoc præſtantis Imaginis auctor*
De Tradate fuit Iacobinus in arte profundus,
Nec Praxitele minor, ſed maior, ſarier auſim.

Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciaconiũ.

Lauren. Schradus de monumentis Italiæ.

Bernard. Corius in hiſt. Mediolanen.

Die Martis 25. Octobris vndecim Cardinalibus comitantibus Mantuam peruenit: hic dum Curialium quieti conſulit, Galliæ Regem ad pacem hortatur, & Amadeum S. Mariæ Nouæ Diaconum Cardinalem Legatum ad eum dirigit. Die ſeptima Februarij, anni 1419. Mantua egrediens Ferrariam tranſijt, ac ad Monaſterium ſancti Salui prope Florentiam aduenit, vbi Guelphæ partis prima capita album equum ſerico rubro tegmine coopertum cum frœnis auro, argentoque collucentibus obtulerunt. Hinc ad ſanctum Gallum obuiam habuit delectos Reipublicæ Florentinę primares, ſupra eius caput vmbellam tenentes cum maxima equitum multitudine, Iudices, Mercatorum ſocietatem, ceteros Ciues, ac populum. Illum verò die Dominica 26. Februarij in Vrbem Domini Ciuitatis ſub D alia vmbella auro ditiſſima, & armellinis pellibus ornata equitantem receperunt. Præcedebat Ciuitatis Clerus, ſolemni cultu ſacras Reliquias deferens, ſubſequebantur Ciues, Equites, Iudices, ac cetera nobilitas; hinc Crux Pontificia, & ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum deferebatur. Poſt Cardinales Pontifex medius inter Ciues nobilitate præſtantes, ætate feruidos, inceſſu graues, vultu decoros, veſtitu ſplendidos, capite laureatos, oliuam mano deferentes equitabat. Progrediens igitur per Burgum S. Laurentij, & prope flumen in Eccleſiam S. Mariæ de Flore per contabulationem pannis ornatam ſericis, ob Pontificis dignitatem à Ciuibus erectam ingreditur, breuique peracta oratione, populo, ac ceteris adſtantibus bene precatus eſt. Equum rurſus aſcendens ex Baliſtratiorum via ad Magalottos per plateam Dominorum, per Vacchereccìam, per portam S. Mariæ, & burgum S. Apoſtoli ad S. Xyſtum, & inde recta via ad plateam S. Mariæ Nouellæ in ſecundo clauſtro ex equo E deſcendit, ibique manſit.

Legatum dirigit ad Galliæ Regem.

Ingreditur Florentiã.

S. Antoninus

Bzouius Annal.

Poggius hiſtor. Florentinæ.

Ricord. Malaſpina in hiſtoria Florent.

Confluxere illico ex vicinis Ciuitatibus & Caſtris, verum Chriſti Vicarium, & vnicum Eccleſiæ caput veneraturi Ciues, & Duces, inter quos magno cum equitatu Plumbini Princeps; Berardus de Varano Dux Camerini; Ludouicus Alidoſius Imolæ Vicarius; Trincius de Trincijs Fulginei Dominus; & Pontificis ſoror Paula nomine duabus filijs fœminis comitata, quarum vna paulò poſt Ducis Camerinenſis filio nupſit.

Principes multi Martinum venerantur.

In Eccleſia S. Mariæ Nouellæ, quam Iordanus Vrſinus Epiſcopus Albanenſis præſente Pontifice, & Cardinalibus ſacram reddidit, Deo ſæpiſſimè cœleſtem Hoſtiam immolauit. Enſem, & Pileum ad Delphinum Viennenſem per ipſius Oratorem in Curia præſen- F tem tranſmiſit; Roſam verò auream in Dominica *Lætare* ſacratam Florentino populo donauit, quam Thadæus Gherardinus nomine Confalonerij tunc ægrotantis recepit; & à Ciuibus, ac populo, & quindecim S. R. E. Cardinalibus, alijſque Prælatis ſtipatus ad palatium Dominorum detulit. Geſta omnia initio feliciter ſunt, ſed paulò poſt ob receptos Bononienſes Oratores die 11. Aprilis, anni 1420. Ciuitate Florentina interdicto ſuppoſita, omnium Eccleſiarum ianuæ ſunt clauſæ.

Enſem ſacrum Delphino Viennenſi, & Roſam auream Florentino populo donat.

Interim Martinus recuperata per deditionem Bentiuoli Bononia, cum ex cantilenis puerorum Florentinorum paſſim, & publicè dicentium ſua lingua rythmicè. *Papa Martino non vale vn quattrino*, hoc eſt Papa Martinus non valet vnum quadrantem: exiſtimaret hoc à pueris non ex ſe ipſis, ſed impulſu hominum maleuolorum

Recipit Bonon. Barth. Dulcin. de var Bonõ. ſtat Pomp. Vizan. in hiſtor. Bononienſ.

concini,

Leonard. Aretinus in hiſtor.

A concitu; inde nonnihil in Florentinos commotus, ex ea opinione demotus fuit per Leonardum Aretinum Secretarium ſuum, quanta ei proſpera Florentiæ contigiſſent enarrantem, quæ non facile alio loco conſequi potuiſſet. Rebus igitur pro tempore pacatis, ac ſedatis belli tumultibus propter pacem cum Braccio de Fortebraccijs de Montone initam, quem ad pedes deuolutum ad fidelitatis ſacramentum, ſupplicante populo Romano admiſerat, ad Vrbem proficiſci ſtatuit. Re cognita, Reſpublica Florentina octo Ciues elegit, qui Pontificem comitarentur, & ſplendidè, ac lautè per Reipublicæ Vrbes reciperent. Hi fuere Laurentius de Rodulphis, Matthæus Caſtellanus, Pallas de Strozzis, Raynaldus Marij de Albizzis, Carolus Franciſci Federici, Ioannes Bicci de Medicis, Gherardus Antonij Canegiani, & Philippus de Ianis: & die 9. Septembris anni 1420. Ciuitas tota, Domini cum Collegijs ſolemni pompa ad Eccleſiam S. Mariæ profecti ſunt. Pontifex aſcendit equum, quem hinc

Paci init cum Braccio Fortebraccio.

Diſcedit Florentia.

B inde Conphalonerius Iuſtitiæ, & Præpoſitus fræno duxerunt ſub vmbella aurea à viginti quatuor Ciuibus delata. Deſcendit ad Eccleſiam S. Aegidij, & conſecrationem illius à Nicolao Albergato Epiſcopo Bononienſi, poſtea ſanctæ Crucis in Hieruſalem Presbytero Cardinali factam confirmauit, ac Miſſa celebrata rurſus conſcendit in equum. Domini Ciuitatis ad portam S. Petri, poſt blandum colloquium recepta benedictione ſubſtiterunt, hinc partis Guelphæ viri primarij equum fræno ducentes, & vmbellam geſtantes à ſancto Gaggio pedibus Pontifici oſculatis receſſerunt. Viterbium inde peruenit Martinus Auguſti mēſe, cui in Eccleſia principe ſedenti in throno Ciuitatis Magiſtratus, & Conſules fidelitatis ſacramentum nomine publico præſtiterunt. In palatio Pontificio reſidens exulibus innumeris Viterbienſibus, etiam ſedis Apoſtolicæ rebellibus, paucis ſolummodo exceptis ſanctiſſimus, ac benigniſſimus pater piè indulſit. Inde Romam expetitus acceſſit, quam Vr-

Viterbium peruenit.

Petr. Corretin. de Epiſc. Viterbienſis.

Ingreditur Romam.

C bem ingreſſus die 28. Septembris, in Eccleſia S. Mariæ de Populo pernoctauit. Die Lunæ 30. eiuſdem menſis Senatus, & Ciues acclamantibus omnibus *Martino Papa ſalutem, & vitam*, per publicas vias aulæis ſplendidas, hilara, & fauſta omnia, ac nouam Vrbi faciem prænunciantes ad Vaticanum palatium deduxerunt.

Nec eos fefellit opinio, vt enim cognouit Martinus primarias Vrbis Baſilicas, vel ruinæ proximas, vel herbis obſitas, aut humi proſtratas eſſe Iordanum Epiſcopum Albanenſem, Guillelmum ſancti Marci Presbyterum, & Raynaldum S. Viti Diaconum Cardinalem, Iacobum Epiſcopum Adrienſem, Franciſcum Epiſcopum Tranenſem, ac alios elegit, qui Vrbis Eccleſias inuiſerent. Viſitationem Baſilicæ Principis Apoſtolorum in Spiritualibus, & Tēporalibus Antonio Epiſcopo Portuenſi demandauit: in Eccleſia S. Nicolai in Carcere Tulliano præbendas conſtitutis in ſacris ordinibus aſſignauit. In Eccleſia fratrum Eremitarum S. Auguſtini corpus S. Moni-

Baſilicas Romanas reſtaurat.

Corpus S. Monicæ Romam translatū.

D cæ in Vrbem ex Oſtia tranſlatum die Palmarum, anno 1430. collocauit: Eccleſiam S. Cæciliæ Transtyberini ordini S. Saluatoris ſub regula S. Auguſtini per beatam Brigittam inſtituto de conſenſu Canonicorum attribuit. Eccleſiam Collegiatam S. Mariæ in Monaſterio monachis ſancti Petri ad Vincula ordinis ſancti Hieronymi annexuit: Monaſterium S. Andreæ de via Cranca Monaſterio Monialium S. Vrbani de Vrbe: Monaſterium verò S. Catharinæ propè S. Petri Porticum ad Eccleſiam S. Mariæ Dominæ Roſæ in Regione Campitelli tranſtulit. Ceteras Vrbis Eccleſias, quæ reparatione indigerent, rationes deducente Laurentio Pauli Omniaſancti Ciue Romano, pecunijs ad dignitatem Pontificis conſeruandam deſtinatis reparauit. Lateranenſi Eccleſiæ, cuius ipſe fuerat olim Canonicus, deinde, vt volunt aliqui, etiam Archipresbyter, reditus Eccleſiæ ad Sancta Sanctorum, ſuppreſſis Canonicatibus, vniuit, eique dona complura tum aurea, tum argentea, ac ſacras veſtes contulit.

Caſ. Raſ. pon. de baſil. Lateranen.

Aliarum Eccleſiarū curam habet.

E Eccleſias pariter, licet longo diſſitas interuallo, iuxta Pontificum primæuum morem paterno fouebat affectu: nam Diœceſim Patracenſem, quam Theodorus Moreæ Deſpotus Imperatoris filius bello premebat, datis Imperatori literis, ab omni moleſtia liberauit. Poſſeſſiones Monaſterij S. Ebdulphi ordinis ſancti Benedicti Lexouienſis Diœceſis per Regem Angliæ reſtitui mandauit: bona Patriarchatus Aquileienſis à Venetis detenta vindicari præcepit. Ludouicum ſeniorem Bauariæ Ducem à Branda S. Clementis Presbytero Cardinali ſedis Apoſtolicæ Legato percuſſum anathemate, nonniſi reſtitutis, quæ Eccleſijs Diœceſis Salsburgenſis abſtulerat, ad ſacra reſtituit. Caſtra plurima ſub iuriſdictione, & proprietate Aſtenſis Eccleſiæ conſeruauit: Eccleſiam Narbonenſem ab omni iure Primatiæ, ſi quòd haberet Archiepiſcopus Bituricenſis, aut

F Viennenſis, exemit. Archiepiſcopo Lugdunenſi Primatum ſuper Eccleſijs Rothomagenſi, Turonenſi, ac Senonenſi confirmauit: Vnionem Eccleſiarum Corhagēſis, & Clouenſis approbauit: Montiſregalis, Aſtenſis Diœceſis Epiſcopatui fines, ac terminos præſcripſit. Eccleſiam B. Mariæ de Betencuria in Inſula Canariæ Fortiſuenturæ in Epiſcopalem ſub nomine Fortiſuenturæ erexit: Caſtra Centi, & Plebis Centi, Epiſcopatui Bononienſi conceſſit, ſeu potiùs reſtituit. Ciuitatem Numanatenſem, ſeu Humanatenſem ſolitudine, & excidio ſqualidam Epiſcopatui Anconitano: Salpenſem verò Tranenſi adiecit: Ioanni Contrerio Archiepiſcopo Toletano Primatis Hiſpaniarum nomen conceſſit. Super ſanctitate vitæ, & miraculis Oſmundi primi Epiſcopi Sareſberienſis, exemplo Gregorij IX.

A & XII. ac ſuper miraculis Petri de Lucemburgo olim Cardinalis Diaconi S. Georgij ad Velabrum mandauit inquiri. Beatum Sebaldum de Regum Daciæ proſapia genitum, ſupplicante populo Nurembergenſi, Catalogo ſanctorum adſcripſit. Franciſco Contareno, ac alijs nobilibus Venetis, qui abiectis mundi illecebris, ſub regula S. Auguſtini vitam ducere decreuerant, Monaſterium S. Danielis in monte ordinis S. Benedicti attribuit. Romanæ Curiæ Officialibus tam Cancellariæ Apoſtolicæ, quàm in foro verſantibus certas leges edixit, vt minori populos diſpendio fatigarent. Eccleſiaſticum ordinem in ditione Regis Alphonſi à moleſtijs vindicauit, pronos ad malum pœnarum fræno cohibuit, recta ambulantes virtutum ſemita confirmauit. Sacro Cardinalium cœtui, vt alijs eſſent exemplo, has leges præſcripſit.

Sebaldum SS. his adſcribit.

Romanæ Curiæ leges ſcribit.

Leges dat Cardinalibus.

Cardinales munditia vitæ alios præcellant, ac ſobriè, iuſtè, & piè viuant, non ſolùm à malo, ſed à ſpecie mali ſe abſtineant, pœ-

B *nam in aliorum exemplum ſubituri, ſi vitam ſuo ſtatui minimè congruentem ducere comperti fuerint.*

Humilitatem continuò exerceant, Prælatoſque benignè, ac honorificè pertractent ſecundum diuerſitatem ſtatuum eorundem.

Domui ſuæ ſe bene præeſſe oſtendant, familiamque tam Clericorum, quam laicorum honeſtam, honeſtiſque veſtibus incedentem induāt; Sacerdoteſque, ac Leuitas in teſtimoniū bonum ſecū habeant.

Protectiones Regum, Principum, Comitum, aliarumque perſonarum ſecularium non aſſumant, aſſumptaſque non exerceant, vt liberius ipſi Sanctiſſimo in conſilijs, ac alijs actibus valeant aſſiſtere.

Pro ordinum Religioſorum quorumcunque, aut perſonarum particularium protectione nihil pecuniæ percipiant, etiam à ſponte offerentibus.

Nullas ſupplicationes ipſi Sanctiſſimo præſentent niſi pro pauperibus, vel pro perſona ſua, ſeu famulorum, vel conſanguineorum,

C *affinium, aut familiarium ſuorum.*

Non ducant ſecum vltra viginti familiares equites Clericos, & laicos continuos commenſales, cum ad palatium equitant, vel ſe ipſos viſitant, vel alio in loco conueniunt.

Non portent in præſentia Papæ cappam, vel aliam veſtem ſuperiorem coloris rubei.

Procurent reparationem Eccleſiarum ſuorum Titulorum, iuxta poſſe ſuum, in iiſque diuinum cultum per Religioſos deuotos, ac honeſtos Clericos perfici, ac augeri faciant, ne ſanctorum loca, in quibus ipſi commodè reſidere nequeunt, per negligentiam deſerta remaneant.

In Eccleſijs, ac Monaſterijs ſibi commendatis, abſque excuſatione congruum numerum Canonicorum, vel Monachorum pro Diuinis officijs celebrandis habeant, ædificiaque, poſſeſſiones, & iura in ſtatu conuenienti conſeruent.

D Optimè Reipublicæ Chriſtianæ conſultum arbitrabatur, ſi iuuenes in primo ætatis flore optimis moribus, ac liberalibus artibus imbuerentur. Ideo Vniuerſitatem Salmanticenſem Conſtitutionibus, ac priuilegijs ampliſſimis confirmauit; Scholas in villa de Matorica à Didaco Carthaginenſi Præſule, & in oppido Stocolmienſi Vpſalenſis Diœceſis à Conſulibus inſtitutas, Collegium pro pauperibus Scholaribus, quòd Peruſijs Benedictus Epiſcopus Aprutinus, Papiæ, quòd Branda S. Clementis Presbyter Cardinalis erexerat, approbauit. Gymnaſium Heidelbergæ à Ruperto Duce Bauariæ fundatum; Auenionenſe, quòd Ioannes Epiſcopus Oſtienſis S. R. E. Vicecancellarius inſtituerat. Senenſe, ac Pampilonenſe redditibus auxit. Patauinum, ac Bononienſe, Lipzienſe, Merſiburgēſe, & Elbenſe priuilegijs multis decorauit. In Ciuitate Nannetenſi generale omnium artium Gymnaſium Ioanne Britanniæ Rege ſupplicante, & aliud in Theologia in villa Valliſoleti, aliud in Vrbe Louanij, & aliud

Academias varias confirmat.

E Dolæ ad preces Philippi Burgundiæ Ducis erexit: Taurinenſe ad oppidum Cherij tranſtulit; Romanum denique fouit, & excoluit.

Samaytarnam gentem ſacro Baptiſmatis fonte renatam ſtudio Ladiſlai Regis Poloniæ, & Alexandriæ Ducis Lituaniæ ſub Eccleſiæ patrocinio recepit. Contra Fraticellos, qui in pluribus Italiæ partibus prauarum opinionum virus euomebant, diligenter inquiri mandauit: Huſſitas monuit, vt ad Chriſti gregem redirent. Extat apud Cochlæum Martini epiſtola è Conſtantia ſcripta octauo Kalendas Aprilis ad Barones, & Milites Huſſitas Boemiæ, qua dolet, quòd imagines Crucifixi, B. Virginis Mariæ, & Sanctorum frangerentur, & comburerentur; claues Eccleſiæ contemnerentur; ſacri ritus abijcerentur; imagines Huſſi, & Hieronymi hæreſis Huſſitarum auctorum colerentur, eorum feſta celebrarentur, aliaque nefandiſ-

Huſſitarū hæreſim extinguere curat.

Hēr. Spōdan. in Annal. Eccleſiaſtic.

F ſima perpetrarentur. Magnopere exhortabatur, vt eiuſmodi errorum, & impiorum facinorum defenſione reiecta, fidei Catholicæ firmiter inhærerent, ſciturus alioqui ſe ad extirpandos eos errores, & proteruiam eiuſmodi comprimendam omnibus vijs, ac remedijs etiam cum brachij ſecularis auxilio inſurrecturum.

Vt autem leges aliquas à Regibus Alphonſo Arragoniæ, Henrico Angliæ, Carolo Franciæ, Ioanne Luſitaniæ contra Eccleſias editas extirparet, & Eccleſiæ libertatem vendicaret, precibus, & monitis apud illos Principes inſtitit, vt quia ſublatum iam Schiſma fuerat, cuius occaſione leges illæ emanauerant, ceteras diſſenſiones tollerent, & libertatem R. E. reſtituerent. Sed vbi monitis nihil ſe poſſe proficere cognouit, auctoritate ſibi à Deo tradita vſus eſt.

Eccleſiæ libertatē vindicat.

Pace, &

Lauretanā Aedem Indulgentijs ornat.

Pace, & ocio Eccleſiæ vtcunque parto, antiquiſſimum habuit Martinus Lauretanam Aedem miraculis, ac prodigijs nobilem, ſuo aliquo munere inſignem relinquere. Itaque multis magniſque indulgentiarum propoſitis præmijs mortales omnes ad Lauretanum ſacellum Septembri potiſſimùm menſe viſendum, & colendum inuitauit. Porrò anno 1420. hoc beneficium nouo beneficio cumulauit; ſolemnes enim Recineti nundinas ad gloriam, & honorem Lauretanæ Virginis inſtituit, ratus fore id quod euenit, vt ob locorum propinquitatem Recinetenſis emporij celebritas celebritatem augeret Lauretanæ Domus: quippe cum finitimos populos mercium illecebra, mercatores indulgētia delictorum ad Lauretanam Aedem celebrandam alliceret. Lauretanas autem Indulgentias trimeſtres eſſe voluit, & Recinetenſi mercatui pares, nimirum, vt Septembri, Octobri, Nouembri menſibus, quibus Recinetenſes nundinæ celebrarentur, indulgentiæ Laureti percipi ab adeuntibus intè beatam Virginem poſſent.

Hier. Turſel. in Hiſt. Lauretana.

Hipp. Marracc. in Font. Mariana.

Magnam habet neceſſitudinem cum Rege Poloniæ.

Magna inter Martinum, & Regem Poloniæ neceſſitudo interceſſit; nam miſſo ad eum Nuncio Puerum ex ipſo, & Sophia Regina natum ſacro baptiſmatis fonte ablui eius nomine placuit; eique ſe affinitatis vinculo obſtrictum profeſſus eſt. Cum enim Ladiſlaus Heduuigim filiam Federico, filio Federici Marchionis Brandeburgenſis deſpondiſſet, Pontifex cum de matrimonio gratulatur, ſic loquitur. *Nos quoque cum Noſtra proſapia de Columna, ex qua carnaliter nati ſumus, obſtrinxiſti vinculo affinitatis: nam ſicut ab antiquo accepimus, qui priſcam originem Noſtram per manus traditam ab antiquioribus retulerunt; Noſtra de Columna Romana, & præſentium Burgrauiorum Nurimbergenſium Domus, quæ etiam Romana fuiſſe dicitur, ab eodem ſtipite deriuata ſunt. Ex quo cum eſſemus antea Serenitati tuæ affecti propter gloriam, & virtutem tuam, & propter merita, & officia tua in populum Chriſtianum, eſſe nunc debemus, & erimus accedente vinculo affinitatis magis cum Excellentia ſua coniuncti, & ad honorem Celſitudini ſuæ exhibendum inclinati.*

Martin. Cromer. In Hiſtor. Polon. 18.

Celebritatem Corporis Chriſti pluribus Indulgentijs exornat.

Ad faciliùs impetrandam in tot bellorum turbinibus, hæreſum ſuperſtitionibus, peſtilentiæ graſſationibus, aliarumque calamitatum afflictionibus diuinam opem, & miſericordiam Sacroſancti Corporis Chriſti celebritatem pluribus Indulgentijs, & gratijs edita Conſtitutione ornauit, quas paulò poſt Eugenius IV. confirmauit, & auxit.

Legationes varias inſtituit.

Legatos multos ad diuerſos Principes legauit. Antequam abiret Conſtantia, Legatos in Galliam ad Regni rixas componendas miſit Cardinales Iordanum Vrſinum Romanum, Epiſcopum Albanenſem, & Guillelmum Philaſterium Gallum Presbyterum S. Marci. In Boëmiam verò ad reducendos Huſſitas ad Eccleſiæ fidem, primò Fr. Ioannem Dominici Florentinum ordinis Prædicatorum, Presbyterum Cardinalem tituli S. Xyſti, deinde Brandam Caſtellioneum Presbyterum Cardinalem S. Clementis, mox Henricum Vvinceſtrenſem, ſiue Vvintonienſem in Anglia Epiſcopum, & Presbyterum Cardinalem S. Euſebij, demum Iulianum Cæſarinum Diaconum Cardinalem S. Angeli, virum doctrina, facundia, rerum experientia, ac prudentia clarum direxit. Miſit quoque Conſtantinopolim ad Manuelem Græcorum Imperatorem, Petrum Fonſecam S. Angeli Diaconum Cardinalem, hominem Hiſpanum in quauis facultate doctum, vt Græcos quoad fidē pertinet, cum Latinis componeret. Deſtinauit etiam Legatum à latere in Arragoniam Petrum de Fuxo Presbyterum Cardinalem S. Stephani in Cœlio monte ad Schiſma, quòd Benedictus XIII. in ditionibus Alphonſi Regis ſuſtentabat, extinguendum. Ad faciendam verò concordiam inter Philippum Ducem Mediolanenſem, & Venetos, Florentinos atque alios Principes, & populos contra eum fœderatos, Nicolaum Albergatum Bononienſem, Presbyterum Cardinalem ſanctæ Crucis in Hieruſalem Legatum direxit.

Iulianum Card. Cæſarinum à latere ad Conciliū dirigit.

Inſtante iam tempore celebrationis Concilij generalis ex decreto primùm Concilij Conſtantienſis, deinde Senenſis, quo Ciuitatem Baſileæ ad id deſignatam legimus, Iulianum Cæſarinum S. R. E. Cardinalem vitæ integritate, & ſapientia præclarum, magnitudine conſilij conſpicuum, ac in maximis Romanæ Eccleſiæ, & vniuerſalis negocijs diuturna experientia comprobatum, tanquam pacis Angelum ad prædictam Ciuitatem Baſileenſem deſtinauit Legatum è latere cum plena, & abſoluta poteſtate, ipſius Pontificis nomine præſidendi Concilio in ea celebrando atque in illo proponendi, & cum Patribus Concilij, deliberandi, ac ſtatuendi, quæ ad laudem Dei, conſeruationem, & augumentum fidei, ſtatum Eccleſiæ, reformationem Cleri, reductionem Orientalis Eccleſiæ, & quorumlibet aliorum ab errantium, ac præcipuè Boemorum, & extirpationem hæreſum vbicunque graſſantium, conſeruationem Eccleſiaſticæ libertatis, pacem, & quietem Regnorum, Regum, Principum, ac populorum pertinerent, vt pluribus continetur in Conſtitutione ea de re ad eundem Iulianum miſſa Kalendis Februarij, anni 1431. ipſius Martini Pontificatus decimiquarti, vigeſimo ante obitum die.

Obitus Martini.

Dum enim iſthæc proſequeretur pius Pontifex, contigit eum iam ab aliquo tempore infirmum, apoplexia oppreſſum hanc vitam deſerere decimo Kalend. Martij Romæ anno 63. ſedis 13. menſe tertio, die duodecimo, vt habetur in eius partim æneo partim lapideo hoc ſepulchro, quòd ei poſitum eſt in Baſilica Lateranenſi ante

Sepulcri

capita Apoſtolorum Petri, & Pauli, cuius exemplar in ſequenti pagina proponam.

Laudatur ab omnibus ſcriptoribus tantarum virtutum, cui Eccleſia vnionem, Italia quietem, Roma reſtaurationem debuit, ceteræ nationes eximiam de omnibus benemerendi voluntatem agnouerunt. Paulò ante eius mortem, die ſcilicet 20. Februarij memorabile præceſſit ſolis deliquium circa horam vigeſimam ſecundam, ad eoque obumbrata ſunt omnia, vt noctem duabus horis præcurriſſe iudicauerint. Ferunt B. Ioannem Capiſtranenſem, qui tunc Romæ erat, & ipſa die, quæ obitum præceſſit, adiſſet Pontifici morbo laboranti, è Palatio diſcedentē vidiſſe fulgur è cœlo emiſſū, in quo clarè exarata hæc verba perlegit: *Nō videbit lucem ſurgentis Auroræ.*

Solis deliquium.

In ſerm. de Capiſtrano prædicit mortē Martini.

Culpatur tamen Martinus ab Hæreticis nonnullis, quaſi cuidam permiſerit ſororem germanam vxorem ducere, auctoritate fultus Angeli de Clauaſio in ſua Summa. Qui ſi Antoninianam inſpexiſſent, quam idem Angelus teſtem citauit, reperiſſent vtique falſitatem citationis, quippe S. Antoninus diſertè loquitur de diſpenſatione conceſſa cuidam, qui matrimonium contraxerat cum fœmina, cuius ſororem priùs fornicariè cognouerat, ſuper qua affinitate diſpenſare, minimè excedere poteſtatis Pontificiæ limites inconfeſſum eſt. Tametſi S. Antoninus ſcribat, variè ſuper hac re à Theologis, & Canoniſtis tunc diſceptatum eſſe, nec diſpenſaſſe Martinum, niſi quia fornicatio erat occulta, nec vir ille aptus eſſet ad Religionem, vel ad longinquam peregrinationem; & ſi factum fuiſſet diuortium, magna ſcandala ſecutura erant. Quòd verò, & ab alijs idem Martinus accuſatus ſit de nimia cumulandarum pecuniarum cupidine, excuſatur ab eodem S. Antonino, quòd eæ inſumptæ ſint in ſtipendiarios, & contra hoſtes Eccleſiæ, præter ingentes illas, quæ in reſtaurationes Eccleſiarū, aliaque Vrbis ornamenta expendendæ fuerunt.

Luc. Vvaddingus in Annal. Minorum.

Falsò ab Hæreticis accuſatur.

Scripſit Martinus Sermonem de Tranſlatione Corporis S. Monicæ B. Auguſtini matris Oſtia Romam: qui extat in hiſtoria Auguſtiniana Toloſæ edita, anno 1641.

Scripta.

Ludou. Iacobus à S. Carolo in bib. Pont.

Epiſtolas varias, quæ aſſeruantur m.ss. in Vaticano, quarum multas videlicet 243. teſcripſit in ſuo quinto tomo Annalium Minorum Frater Lucas Vvaddingus. In Vrbeuetano verò Archiuio ſunt nonnullæ Martini literæ datæ ad Romanum de Abiamonte nobilem Vrbeuetanum, Præfectum Corneti, & aliarum Arcium in Patrimonio ſancti Petri.

Eius approbatio Regulæ monachorum extat inter opera D. Hieronymi: eiuſdem Teſtamentum, & Cæremoniale Curiæ Romanæ eſt Romæ in Bibliotheca Barberina. Sunt apud Ferdinandum Vghellium literæ ad Martinum datæ ab Epiſcopo Lucenſi fungente legatione Germanica, & Polonica.

Extat Romæ apud alias laudatum Equitem Caſſianum à Puteo Martini numiſma continens Martini ſedentis effigiem cum Inſcriptione: OPTIMO PRINCIPI. In Conclaui Vaticano hæc huiuſce Pontificis memoria.

Martini numiſma.

MARTINVS V. COLVMNA EXTINCTO SCHISMATE PACEM ECCLESIAE PEPERIT.

Ad Martinum Romanum Pontificem datas eſſe literas inuenimus in Chronico auctoris Burdegalenſis, à Soldano Aegypti ſcriptas ferocia barbarica in hunc ferè modum.

Soldanus Aegypti ſcribit ad Martinum

Sagitara cum Creatore potentior Dominus, alma. Quia apud nonnullos Papa nuncuparis, indignationem Noſtræ enſis nudi, & crudelis incurriſti: non mereris, ſi te verbis ſalutationis non exquirimus, cum te habeamus capitalem hoſtem, & hoſtis hoſti non debet orare ſalutem. Tibi ſufficere deberet, quod terram, quam dudum Prædeceſſor Noſter Aeneas occupauerat, in ex parte poſſediſti. Quare tibi per præſentes conſulimus, vt inde te transferas alibi moraturus; alias in breui infelici morte ſuccumbes, & gens tua crudeli morte peribit, & felix Roma tota ex ruina ceſſabit. Dat. Baruch in menſe Caſleu.

Aliam etiam longè inſulſiorem ab eodem ad Principes Chriſtianos ſcriptam iubentia eos ad ſe accedere, & fidem deſerere Monſtreletus refert; ſed quam æquè ac ſuperiorem ad Pontificem ſcriptam inuentum eſſe inſipidi alicuius ingenij nihil dubitauerim.

Præter Concilium Baſilienſe ſub hoc Romano Pontifice inchoatum, reperitur etiam celebratum anno 1420. Concilium Salisburgenſe in Germania ab Eberardo Archiepiſcopo, & comprouincialibus Epiſcopis, ad reſtituendam diſciplinam tempore Schiſmatis collapſam, & labefactatam. Anno verò 1423. menſe Aprilis Theodoricus Archiepiſcopus Colonienſis ſynodum prouincialem habuit pro reformatione quorundam exceſſuum, ac præſertim Clericorum concubinariorum, & quæſtuariorum, & contra hæreſes Vvicleffiticam, & Huſſiticam.

Cōcilium Salisburgenſe.

Colonienſe.

In Regno quoque Daniæ anno 1425. Petrus Luchius Archiepiſcopus Lundenſis Concilium conuocauit pro reſtitutione diſciplinæ, & correctione morum tam Eccleſiaſticorum, quàm ſecularium valdè per continua ferè bella corruptorum: cuius ſalubres conſtitutiones recenſentur epiſtola ſynodali ab eodem Petro ad omnes eius prouinciæ fideles pro illarum obſeruatione conſcripta.

Haffnienſe in Dania.


HIERONYMO COLUMNÆ S.R.E. CARD. EMINENTIS.
DILIGITE IVSTITIAM
QVI IVDICATIS TERRAM
MARTINI·QVINTI·PONT·MAX·
MONVMENTVM VETVS
EX ÆRE IN LATERANENSI BASILICA POSITVM
MAR TINVS PP.V.
MARTINVS PP.V. SEDIT ANNOS XIII MENSES III DIES XII OBIIT ANNO M CCCC XXXI DIE XX FEBRVARII TEMPORVM SVORVM FELICITAS.
Quod nobili PONT. OPT. Monumento hic expreſſo veteri numiſmati coronam adiectam intuearis; Franciſci Gualdi Ariminensis Militis S.^ti Stephani curæ acceptum feras.

A cuoiarum continebant, luſtrationes exercituum, Vrbis, & prouinciarum omnium curam ſuſcipiebant; quæ omnia temporum culpa penè amiſerunt. Inde in Secretariorum numerum aſcitus clariſſimus totius Orbis Iuris collega additur, & qui non minus dignitatis, & exiſtimationis ei officio attulerunt, quam ipſi ab eo loco ornamenti acceperint. Ij fuerunt Leonardus Aretinus, Cincius Romanus, Antonius Luſcus Vicentinus, & Poggius Florentinus pater Baptiſtæ, qui Dominici Capranicenſis vitam ſcripſit. Cum quibus nec ſatis longo interuallo in eum ordinem lecti Iacobus Languſco Veronenſis, Blondus Forliuienſis, & alij multi ſimul floruerunt, qui vnà cum eo ſunt extincti. Nam poſtea quam à Calliſto, nullo aut hominum, aut loci habito reſpectu, ſordidiſſimis multis in eum ordinem lectis, ad cohortis Prætoriæ modum numerus eſt inſtitutus, quæ quondam maxima in Curia erat, dignitas eſſe deſiit, & in nullo honore haberi. Et qui deinceps rerum potiti ſunt, rati oblatam ſibi honeſtam cauſam, qua tam gentium colluuionem comprimerent, ad vnum

B omnibus eum ordinem funditus ſuſtulerunt. Cum igitur Dominicus Secretarius eſſet, cum Leonardo Datho eo tempore, qui & ſacrarum literarum ſcientia, & ſanctitate vitæ clariſſimus, ordinis Prædicatorum Generalis erat, ad diſſoluẽdum generale Concilium à Pontifice Senas mittitur, in qua tum Vrbe conuenerant ex nonnullorum Italiæ Principum, & Prælatorum voluntate, qui ægrè ferrent, à Pontifice ſperni, quæ quondam de communi omnium voluntate accuratè, optimèque in Concilio Conſtantienſi decreta eſſent, cuius auctoritate ad Pontificatum electus eſſet. Eò igitur vbi ventum eſt, ſua prudentia effecerunt, vt omiſſa eius rei mentione, id in Ciuitate Germaniæ Baſilea ſeptennio poſt conuenturum indicerent.

Ferdinand. Vghel. in Ital. ſac.

Pomp. Viz an. in hiſtor. Bononienſ.

Ludou. Iacoboll. in Hiſt. Fulginat.

Hor. Anicen. in ſ memor. Cingoli.

Ioſ. Gratian. de ſ Laud. Militaribus Card. Capranicenſ.

Romam deinde Dominicus rediens, Protonotarius factus, in Flaminiam pro Legato deſtinatur, vt Forumliuij, & Imolam Vrbes à

C Philippo Duce Mediolanenſi nouiſſimè reſtitutas Pontifici adminiſtraret, ac in fide contineret; quòd eius maxima diligentia factum eſt. Nam cum de pace inter Ducem, & Venetos, ac Florentinos belli ſocios conueniſſet, ac Bononia Baptiſtæ Canneruli opera à Pontifice defeciſſet, expulſis aduerſæ factionis Principibus, qui parte Pontificis ſequebantur, Flaminia etiam omnis ad defectionem ſpectaret: Dominicus extemplo cõtractis in vnum præſentibus copijs, ij erant equites ſexcenti, qui Eccleſiæ ſtipendijs militabant, eas Vrbes in fide continuit, & innouare res molientes prohibuit, nonnullis eius rei auctoribus vltimo ſupplicio affectis. Accerſitis inſuper nouis auxilijs à Carolo Malateſta, qui Ariminum Vicarius pro Eccleſia tenebat, contra Baptiſtam, & Bononienſes caſtellum ſancti Petri, & alia oppida defendit. In ſequenti deinde æſtate maioribus copijs à Pontifice acceptis, Duce Iacobo Caudola Bononienſibus bellum inferre iuſſus eſt. Adiuncta igitur ſibi exulum manu, quorum Princeps erat

D Antonius Bentiuolus à Baptiſta Cannetulo Bononia pulſus, agrum Bononienſem hoſtiliter ingreſſi, omnia eius oppida, quæ aut vi capta fuerant, aut ſponte in ditionem hoſtium venerant, receperunt. Ducto deinde propius Vrbem exercitu, cuncta igne, ac ferro populati ſunt ea potiſſimùm ratione, vt aut hoſtes ad pugnam allicerent, aut vaſtatione agrorum ad deditionem compellerent. Verùm cum nec direptio villarum, nec agrorum depopulatio, vllaue alia belli calamitas eos terreret, Vrbem obſidione cinctam pactione in fidem receperunt: protracta eſt tamen ductorum culpa ad vndecimum menſem obſidio illa. Vrbe tandem potitus, ac pacatis Romandiolæ rebus, ob nauatam operam bene, ac feliciter, Firmi Epiſcopus Dominicus declaratus, & procuratio Peruſinæ Vrbis, & omnis eius regionis, quam Ducatum Spoletanum vocant, illi demandata eſt. Quam prouinciam biennio ex vitæ integritate, continentia, & iuſtitia adminiſtrauit, quanta ad aſſequendam omnium prouincialium

E beneuolentiam fide ſua incolumi fieri poterat, ac reuerentia: nullius nanque gratia, nullius precibus cum à iuſtitia non moueretur, æquabilem ſe omnibus ſemper præbuit. Id verò, quòd difficillimum videri poterat, præſtitit, quòd varias, quibus ex prouincia abundabat, factiones adeo ſedauit, atque eorum Principes tanta beneuolentia, ſua humanitate, manſuetudine, prudentia inuicem deuinxit, vt inter eos nullæ inimicitiarum, aut irarum cauſæ remanſiſſe viderentur, ſibique, ac rebus ſuis optimè conſulium à Dominico crederent, & gloriarentur. Is nanque cum ſpecimen iuſtitiæ, temperantiæ, continentiæ Eccleſiæ Præſulum ferè primus dediſſet, oſtendit perſæpe adminiſtratores prouinciarum aut auaritia ſua, aut luxuria, aut ambitione cauſas fuiſſe multarum perturbationum. Cum quandoque

F præficiantur ijs exterarum gentium viri, qui aut precibus amicorum emendicati, aut aliquo modo potentioribus obnoxij, vt plurimùm egentes, atque omnium rerum inopes ſint, nulla verò virtute, ſed fortunæ beneficio id muneris aſſecuti, arrogantes, ſuperbi, contumelioſi reperiantur, exque agant, & aggrediantur, quæ quiuis prædo mercenarius, non dignitatis, quam nullam cognouerunt, non virtutis, à qua longè abhorruerunt, non prouincialium, quorum cura, non rapina illis demandatur, ſed ſuæ cupiditatis memores, ſe non prouinciarum adminiſtratores, ſed mercatores potiùs credentes, potiſſimùm attendunt, quonam maximè modo ſuam auaritiam, atque egeſtatem expleant, in qua continuè vixerunt: quæ eò etiam immoderatiùs agunt, quò magis ſucceſſorem timent. Ita cum Dominicus eam prouinciam adminiſtraſſet, vt nec mitiùs, aut æquiùs

A ab optimo patrefamilias domus regi, & res adminiſtrari poſſet, ac tanta fuiſſet lenitate, manſuetudine, eaque in omnes charitate, vt à plurimis pater, à multis frater, à nonnullis filius diceretur. Nullum eius factum atrox, nullum iniuſtum, nullum auarum, nullum libidinoſum, nullum quoque inſolens verbum, nullum impudens quiſquam, vel audiuerit, aut viderit: ſed aduerſus omnem cupidinem, atque auaritiam inuictus vixerit.

Martinus V. vt tanti viri virtutem laurea aliqua ornaret, Cardinalium Collegio illum adſcripſit die 23. Iulij anno 1423. non tamen publicauit, ſed illum reſeruauit, vt ferunt, in pectore. Decreuit tamen, vt ſi ipſum mori contingeret, antequam Dominicum, & alios tres publicaſſet, Cardinales ſuperſtites intra diem ab eius obitu publicare deberent, ac eos recipere in Cardinales, ſub priuatione vocis actiuæ, & paſſiuæ, prout in quadam ſchedula, cui omnes Cardinales ſeſe ſubſcripſerunt.

Felix Contelorius in Elencho.

Aubery in vita.

B Scriptores inter ſe non ſunt concordes in narratione huiuſce hiſtoriæ; volunt enim aliqui Dominicum renunciatum Diaconum Cardinalem S. Mariæ in via Lata anno 1423. publicatum deinde ab ipſo Martino die 8. Nouembris anno 1430. Alij non à Martino, ſed ab Eugenio Martini ſucceſſore ipſum Dominicum inter Cardinales Presbyteros titulo S. Crucis in Hieruſalem cooptatum volunt. Certum tamen eſt, Martino defuncto, Dominicum dimiſſa prouincia Romam veniſſe, & ad ædem B. Laurentij via Numentana ſubſediſſe, ex amicis quendam in Vrbem ad collegas miſiſſe, qui & publicè, & priuatim à ſingulis poſtularet, vt venire ſibi ad ſuffragia ineunda pro creando Pontifice liceret; ſimul etiã oſtenderet illũ ſua humanitate petere ab ijs, quòd ſcirent ſibi liberũ eſſe. Sed cũ varijs inter ſe habitis ſententijs, res in longũ trahi videretur, miſſis iterũ ad omnes amicis communibus, qui aut id ab eis impetrarent, aut inuiſſum ſe venturum exponerent; quamuis æqua poſtulare videbatur,

Ciaconius

Panuinius

Plures auctores Martinellus de Diacon. S. Mariæ in via Lata.

C tamen nonnullorum Cardinalium perſuaſionibus ab incœpto deſtitit, affirmantium ſi hanc ſuam, licet iuſtam voluntatem paulum differret, futurum vt faciliùs, quòd ſperaret, aſſequeretur. Rediit igitur Dominicus Peruſium, ibique manſit, vſque ad electionem noui Pontificis. Cum Eugenius ordine Quartus electus eſſet, ſtatim ad illum Dominicus familiarem miſit, qui primò ei pro tanta poteſtate adepta gratularetur, deinde peteret, vt ſe cum Cardinalium inſignibus ingredi Vrbem pateretur. Cum verò verba ſibi dari animaduertiſſet, relicta prouincia, Monteſalcum Ducatus Spoletani oppidum ſe contulit, ex quo cum miſſos à Pontifice milites venire intellexiſſet, paulò poſt abiit, ſimulatoque itinere, clam quatuor aſſumptis comitibus, ad Soractis montem, is eſt in Faliſcis, proficiſcitur, & in ſacello quodam quadraginta dies continuos latuit, omnia experiri ſtatuens, quo Pontificis iracundiam, & plus æquo inimicorum calumnijs præbentem aures leniret. Qui ea ſpecie, quòd diceret Martini

D nepotes, quibus cum bellum Eugenius incœperat, eius opera contra Eccleſiam arma mouiſſe, omnia eius bona publicauerat. Sed cum eius leniendi nulla ſpes videretur, & apud Iudicem non bene ſibi affectum, malis præterea vſum conſultoribus agi cauſam animaduerteret, Baſileam proficiſci conſtituit: quo aliquot ante annis Concilium tranſlatum fuerat. Verùm cum prius adire Ducem Mediolani placeret, impetrata à Senenſibus fide publica Sarteanum venit; ibi vocatus per viatorem in iudicium ab ijs Cardinalibus, quibus mandatum fuerat a Pontifice, vt eam cauſam cognoſcerent, venire noluit, & codicillis manu ſua conſcriptis, quibus ad Baſileenſe Concilium prouocabat, ad eum miſſis, Plumbinum maritimum Hetruriæ oppidum ſe contulit, deinceps expectata triremi, quam ad eum Philippus Dux Mediolanenſis miſerat, Genuam conceſſit. Ibi benignè exceptus à Magiſtratibus, qui pro Philippo Vrbem illam adminiſtrabant, equis inſuper, alijſque ad victum neceſſarijs adiutus

E ad Philippum terreſtri itinere Mediolanum profectus eſt. Ab eo quoque humaniſſimè, ac liberaliſſimè ſuſceptus hoſpitio plures dies apud illum manſit: impetrata deinde abeundi venia, ac ſuperatis Alpibus, per Heluetiorum agrum Baſileam contendit. Vbi eò venit, illico apud Concilij præſidentes, ij erant viri aliquot de Concilij ſententia electi, prudentia, & doctrina præſtantes, Pontificis iniuriarum conqueſtus, cauſam ſuam propoſuit; quam triennio continuo ex modeſtia agitauit, vt cum plerunque tanta inopia fuerit, interceptis Pontificis iuſſu tum paternis facultatibus, tum prouentibus beneficiorum, vt neceſſarijs etiam ad victum indigeret, nemo tamen dictum quicquam aſperius ab eo, nihil contumelioſum in illum, aut inimicos audierit, quos plurimos habebat apud Pontificem potentes, qui ſuæ dignitati aduerſarentur, eiuſque animum ſuapte natura

F mitem, & ad meliora promptum aſſiduis delationibus, & criminationibus accenderent; tum etiam alios minorum ordinum, quorum natura eſt, vt ex aduerſis aliorum rebus, ac miſerijs ſuam potentiam cupiant creſcere, & vel adulando, vel detrahendo, Principum beneuolentiam inire, ac dignitates ambire velint.

In Concilio Dominicus vti Martini Cardinalis tandem receptus eſt; nec multò poſt Eugenius ipſe timore, vt creditur eius alti, & præclari ingenij, vt Cardinalem recepit, & vnà cum pileo Cardinalitio titulum S. Crucis in Hieruſalem eidem conceſſit. Hoc igitur modo recuperatis omnibus, quæ quondam amiſerat, aliquot annis quietam vitam duxit, ſtudijs maximè, ac rei familiari intentus: nam cum parum acceptus reuera Pontifici eſſet, & ob eam rem aliquid

ab illo petere vererentur, quòd facilè negaturus iudicabatur, omnia negocia, omnem curam tum priuatarum rerum ſuarum, tum etiam amicorum prætermiſit. Quòd ſi fortè aliqui ad eum venirent, qui ſuo patrocinio apud Pontificem egerent, vel ijs ſe ſurripuit, aut ſuam operam denegauit apertè, nec vllis precibus diu ab illa ſententia dimoueri potuit; vnde moroſi, ac difficilis nomen apud omnes ſubijt, quam etiam opinionem auxit, quòd natura erat ſeuerus, nec vllius rei ſimulator, aut diſſimulator, ideoque inſtantibus plerunque aſper. Ad iniuſtas verò preces ſicut inexorabilis, ita vbi quid ab eo peruicaciùs peteretur, ad iram pronus, ſed quæ ſtatim recederet: a luxuria omni alienus, & ambitione idem continentiſſimus, & alienæ luxuriæ acerrimus caſtigator, idē minimè cupidus, ſui tamen parcus.

Verum vbi illius integritas, fides, continentia omnibus nota eſſe cœperant, ac ſummam in eo viro ſuo prudentiam, tum modeſtiam eſſe apparuit; Pontifex illam priſtinam duritiem in maximam beneuolentiam conuertit. Primò nanque lenire odium, mox illum diligere, & charum habere, demum illi plurimum credere cœpit, omnia ex illius voluntate agere, illius iudicium potiſſimùm ſequi. Itaque prouinciam Piceni illi adminiſtrandam deſtinauit, deinde etiam exercitui præfecit, quem contra Franciſcum Stortiam parauerat. Ad exercitum igitur profectus Dominicus arbitratus ſe ſatis eſſe facturum, ſi & hoſtes populationibus arceret, & ſocios in fide contineret, cunctando, ac ſedando bellum conficere decreuit. Ita aliquandiu protracto bello, cum ſua diligentia eò hoſtes eſſent redacti, vt vel decedere prouincia illa commeatuum inopia, vel ſe dedere cogerentur, ab exercitus ductoribus, qui ſe iniuſſos pugnaturos vulgò minabantur, mutare conſilium eſt coactus. Vnde cum potiùs improbare conſilium eorum quàm non ſequi poſſet illud, & ipſe in pugnam cum alijs proceſſit, nec quicquam in acie prætermiſit, quòd ad optimum ducem pertinere videretur: ſed illius optimam mentem haud par fortuna ſecuta eſt. Fuſæ nanque, ac fugatæ Pontificis copiæ ſunt, capta, ac direpta impedimenta omnia, ipſe inſuper latus, ac manum ſaucius, mutata veſte è pugna Auximum ſe recepit. Plures in eo prælio occiſi, multi capti, quorum magnum numerum ſua ipſe pecunia redemit; plures etiam à Franciſco liberi eius gratia abſque pretio abire iuſſi.

Poſt hanc pugnam Dominicus Cardinalis miſſus iterum Peruſium ad illius Vrbis, ac prouinciæ regimen, vbi præter antiquam illam in adminiſtrandis Vrbibus moderationem adhibitam, ac diligentiam, plurimos magicis ſuperſtitionibus deditos, & in his mulierem famoſiſſimam ſcelerum conuictos igni damnauit. Id præterea in huiuſmodi legatione continuè obſeruauit, vt bis in hebdomada Iuriſconſultos omnes, & eorum diſcipulos in palatium conuocaret, ac propoſitis quæſtionibus, eos diſputantes attentiſſimè audiret, nonnunquam verò etiam ipſe alteram partem tueretur. Interea cum Aſculum, & Roccacontrada à Franciſco ſua opera deſciuiſſent & multæ illius prouinciæ eorum exemplum ſecuturæ viderentur, ſi ad quem deficerent, in ijs locis cum imperio foret, iuſſus tranſire in Picenum cum exercitu, Firmum, & complura eius regionis oppida, impunitate propoſita, partim deditione ciuium, partim vi in Pontificis poteſtatem redegit. Sed audita haud multo poſt Eugenij aduerſa valetudine, & impetrata abeundi venia, Romam conceſsit.

Eugenio vita functo, Nicolaus ordine Quintus creatus illum extemplo Tibur ad Alphonſum Regem Arragonium deſtinat, qui ægrotante Eugenio per ſpeciem Eccleſiæ opem afferendi, eam Vrbem ingreſſus Nicolao reſtituere recuſabat. Hic ergo cum ad Regem veniſſet, ſua auctoritate effecit, vt eam Vrbem quamprimùm Pontifici relinqueret. Poſt hæc reuerſus in Picenum ad reliquias belli proſequendas, omni vi oppugnare hoſtium loca aggreſſus omnia pro Eccleſia intra paucos dies recepit; mox hoſtes certamen detrectantes deſperatis rebus abire prouincia illa compulit. Poſt eam recuperatam prouinciam, ſingulas illius Vrbes circuiuit, earumque populos pro cuiuſque meritis ſubleuauit, res eorum ſtabiliuit, Vrbium diſſenſiones compoſuit, prouincialium cauſas tum publicas, tum priuatas ſumma charitate, ac beneuolentia audiuit. Iuri autem reddendo plurimum temporis impertijt, quòd multis annis vexata prouincia ſine legibus potētiorum arbitrio vixerant. Singulos etiam infimi generis homines ſumma clementia, ac patientia audiens, plurima quoque ipſorum æquitate, & miſericordia magis quàm legibus compoſuit. Quæ autem ipſe non poterat, ſuis audienda, & cognoſcenda diſtribuebat; nam tanta erat ſe ſequentium turba, vt non minus trecentos homines in ſingulos dies audierit, & eorum cauſas cognouerit. Miſerorum maximè patrocinium ſuſcepit, quibus cum ſoluendo non eſſent, nec vnde litium actiones ſequerentur, mediatorem ſe ponebat, vt æquitate res iudicarentur; quo factum eſt, vt a multis vexationibus prouinciales priuatim ſubleuarentur. Publicè verò multis Vrbibus, atque oppidis immunitates conceſsit, vectigalia pleraque noua amouit, leges multas ad reprimendam prætorum, & miniſtrorum auaritiam tulit. Ipſe ne victum quidem ab illis exegit, dona omnia reſpuit, præter ea, quæ Legatis Vrbes ingreſsis a ciuibus offerri ſolent, nec in ſe, aut eos, qui ſecum erant, fieri ſumptus vllos paſſus eſt.

Barthol. Patius in hiſtoria.

Ita Prouincia peragrata Romam reuerſus, à Nicolao ſummus Pœnitentiarius factus eſt: ea autem loci huius dignitas eſt, ac poteſtas, vt ſecundùm Pontificem maximæ ſit auctoritatis, quam quò faciliùs retineret, id maximè obſeruauit, vt eius miniſtri nonniſi probatæ vitæ eſſent, ſed ij potiſsimùm qui Scriptores appellantur; tantam verò in ſingulis diligentiam adhibuit, vt nihil vnquam in eo egerit, cuius non probabilem ſaltem rationem afferre poſſet. Non modò autem ſummi Pœnitentiarij, iubente Nicolao, ſed & Archipresbyteri Baſilicæ Lateranenſis munere functus eſt. Circa portam Septentrioni oppoſitam à Gregorio XI. e Pario marmore ſtructam, ac duobus prægrandibus leonibus ornatam, quam Xyſtus V. vt porticum extrueret, abſtulit, viſebantur olim Cardinalis Dominici, & aliorum Archipresbyterorum Inſignia. Eondem Franciſcanis addictiſſimum Eugenius poſt obitum Iuliani Cardinalis Cæſarini, anno 1445. in Protectionis munere Seraphici ordinis ſubſtituerat, quòd munus multis annis obiuit.

Caſ. Raſpon. de Baſil. Lateranen.

Luc. Vvadingus in Annal. Minorum.

Sub idem tempus Byzantium aliàs Conſtantinopolis in Turcarum poteſtatem venerat tum Græcorum perfidia, atque auaritia, tum etiam Chriſtianorum Principum negligentia. Quòd cum Nicolaus ægrè ferret, ac ſuis temporibus adeo præclaram Vrbem impiorum viribus acceſſiſſe, de ſua auctoritate iudicatum iri crederet, ad eam recuperandam animum adiecit. Sed cum vires magnitudini rei non ſufficerent, eaque tempeſtate plurimùm mari, ac terra Alphonſi Regis Arragonij opes poſſent, Dominicum Cardinalem ad illum miſit, quem arma capere pro tantæ Vrbis recuperatione hortaretur: ſed Rex Italico bello intentus expeditionem illam ad meliora tempora reiecit. Ad Pontificem re infecta redijt Cardinalis: illico Genuam Pontificis iuſſu ſe contulit ad nouos ciuium motus, & factiones ſedandas: vbi eò venit nil priùs egit, quàm peractis de more ſacris, atque implorata Dei, & aliorum Sanctorum ope ſupplicem in Templis totam Vrbem videret. Exiſtimabat enim vir virtute præſtans ſingulari agi rectè nihil vnquam poſſe, vbi Dei maximi ratio in primis non haberetur; è contra verò eius ratione habita omnia ſecunda, proſperaque euenire. Intellecta deinde cauſa diſcordiarum Ciuitatis, Principes, quos ad extremum ferè diſcrimen cum patriæ pernicie perueniſſe apparebat, ſumma diligentia, ac prudentia placauit, atque ereptis e manibus iratorum ciuium armis Ciuitatem in ſummo otio, ac tranquillitate collocauit maxima omnium gratulatione. Seditionibus ciuium ſedatis, ad componenda ſacra loca, & Sacerdotum mores conuerſus, breui in antiquos mores, ac religionem reſtituit: quæ quò faciliùs conſeruarentur, decreto etiam ſanxit, vt vetuſto ritu quotannis Synodus in Genuenſium Diœceſibus celebraretur. Maritima quoque auxilia contra Turcas ab iiſdem impetrauit. Rebus Genuenſium ita compoſitis, accepti ſſimus omnibus Romam reuertitur. Inde cum Pontifex quietis Italiæ ſtudioſiſſimus, tentatis omnium animis, pacis & belli arbitrium eſſe penes Regem intelligeret, iterum Dominicum ad Alphonſum legauit, perſuaſus aut de pace omnino deſperandum, aut eo interprete cum Rege conuenturum; nec fefellit opinio. Nam breui Regem, & alios ad pacem ſua prudentia perduxit: qua ex se maximum ab omnibus ſibi tum amorem, tum gratiam conciliauit; apud Pontificem verò fidei plurimum, & auctoritatis comparauit.

Scip. Ammirat. in Hiſt. Florentia.

Ea functus legatione, Romæ deinceps vixit tum officio ſuo adminiſtrando intentus, tum etiam ijs quæ ad Eccleſiæ vtilitatem, ac dignitatem pertinere arbitrabatur. Ingentes enim labores, & magnas curas ita pro alijs continuè ſuſcepit, ita Sacerdotum dignitatem, & commoda pro viribus defendit, & auxit, vt non ſua cauſa, ſed ad communem omnium vtilitatem natum diceres. Nihil verò magis toto eo tempore egit cum Nicolao primum, mox Calliſto Pontificibus, quàm inſtare, & orare, vt Byzantio recuperando incumberent, & ad id Chriſtianorum Principes incitarent.

Eorum conatibus quoad potuit, ſemper obſtitit, qui contra religionis exiſtimationem, ſiue Apoſtolicæ ſedis maieſtatem, & auctoritatem aliquid molirentur. Innocentum patrocinium ſuſcepit, ita vt cum ſub Calliſto Pontifice Franciſcus Epiſcopus Ferrarienſis, vir certè innocentiſſimus, ac doctiſſimus à Borſio Marchione Ferrarienſi per vim Epiſcopatu deiectus eſſet, ac priuari illum à Pontifice peteret, eiuſque rei multos fautores ex Collegio haberet, ſolus Dominicus intellecta cauſa, illi contra multorum potentiam reſtitit, ac ſua auctoritate præſtitit, vt Franciſcus quoad vixit, ſuam dignitatem retineret. Hoc autem officium non ſolum amicis, ſed etiam incognitis præſtitit ſæpe vbi opus fuit, inquiens, non hominum ſe, ſed iuſtitiæ rationem habere. Omnium verò, qui Pontificis ditionis eſſent, præ ceteris perpetuam propugnationem ſuſcepit, ac pro eorum ſalute, & ornamentis tuendis eam diligentiam adhibuit, vt ab omni vi, atque iniuria eos defenderit. Quibus ex rebus tantam ſibi apud omnes gratiam peperit, vt omnes vndique omnium gentium, ac nationum, quibus aliquid Romæ negocij erat, ad eius patrocinium confugerent.

Apud Principes quoque Chriſtianos ſumma in opinione fuit ſanctitatis, Philippo primum, deinde Franciſco Sfortiæ Mediolanenſium Ducibus tanta in veneratione fuit, vt eum ſemper appellare parentem, & inter loquendum, & in epiſtolis conſueuerint. Alphonſus Rex Neapolitanus eius auctoritate, & oratione ductus, Romani Pontificis decretis paruit; Oratoribus verò ſuis, ac negociorum Procuratoribus, quos Romæ diuerſis temporibus habuit, etiam mandata dedit, vt nihil inſcio Cardinali Dominico aut nolente tentarent. Ceterum cum Nicolaus primò, deinde eo mortuo Calliſtus

à Franciſco Sfortia auxilia contra Iacobum Piccininum peterent, non priùs ad illos Sfortia miſit, quàm à Dominico id facere eſt perſuaſus. Eugenio poſt reconciliationem, mox Nicolao ita charus continuè vixit, vt veluti parenti illi detulerint. Ferunt tamen initio Pontificatus Nicolaum alieno ab illo animo fuiſſe, quòd cum ſuffragijs Cardinalium electus ad Pontificatum eſſet, Dominicus tanquam ad rem vix credibilem motus, videre diligentiùs ſuffragia petierit. Sed haud multò poſt Nicolaum cognita hominis virtute illum ſibi coniunxiſſe; nihil deinde egiſſe, quin eius conſilium prius percontaretur; ioco etiam ei dixiſſe ſæpiùs: *Tu tuorum ſuffragia videri voluiſti*.

Cardinalibus autem tanta in veneratione fuit, vt mortuo Calliſto III. & Eugenio IV. ex Collegij ſententia Pontifex deſignaretur; nam præter quam quòd in eo ſumma rerum agendarum prudentia, conſtantia, integritas, in rebus omnibus fides erat. Fuit etiam emendata adeo vita, vt honeſtate, probitate, exemplo omnibus eſſe poſſet: nihil in eo fictum vnquam apparuit, eſſe, quàm videri bonus maluit ſemper, omni vitæ, ac ſupellectilis cultu neglecto. Poſt adeptam enim Cardinalatus dignitatem nunquam culcitra ex pluma cubuit, ſed ſtraminea, adeoque id ſedulò in omni vita obſeruauit, vt vix biduo antequam decederet, à medicis, & amicis perſuaderi illi potuerit, vt ſententiam mutaret, quòd ne cauſa captandæ popularis auræ facere videretur, eius rei conſcium præter cubicularios neminem habuit; lectos verò inſtratos quamuis ſplendidè, modicè tamen paratos tenuit. Interiori amiculo laneo à pueritia vſus eſt, quin etiam eo veſtitus, & calceatus dormiuit continuè, camiſiæ autem, quæ ceruicibus circundata apparet, lineam partem adiunxit. Veſtitu vſus eſt nitido, & tamen honeſto, & qui ab omni faſtu, ac pompa alienus eſſet, quorum erat inimiciſſimus, dicere frequenter conſuetus *non in ijs dignitatis illius ornamenta eſſe, ſed in religione, fide, iuſtitia, ceteriſque virtutibus*. Cibo dumtaxat vnico in menſa ſemper eſt vſus; quam frugalitatem & in conuiuijs obſeruauit, vno, aut ad ſummum duobus ferculis conuiuas excipiens; famis tamen impatiens erat, ita vt ſi quando negocijs longiùs detineretur, etiam coram Pontifice, & Cardinalibus comederet. Comedebat verò parum quid ſacchari, aut vuas paſſas, aut aliquid quippiam ex ſaccharo cõfectum, quo cibo vnicè delectatus eſt; ita vt ſæpiùs nihil aliud cum modico pane cœnauerit, idque ferre ſecum impranſus ad Pontificem iturus ſemper conſueuit. Semper cum cœnauit, aut eſt pranſus, adhibuit lectorem maximè ſacrorum operum, & ea attentione, vt corrigere lectorem ſi quid errâſſet, ſoleret. Domeſticum, qui contra ſuam voluntatem extra domum dormierat, domo excluſit, nec adduci vnquam potuit, vt eum reciperet.

Viuendi vſum ita inſtituit: ſemper duas, aut tres horas ante lucem ſurrexit, niſi eum caſus aliquis tenuiſſet; nam ſomni ita parci fuit, vt ad ſummum quatuor horis dormire ſit ſolitus, ac ſtatim horis Canonicis, prout Sacerdotibus in more eſt, dicendis operam dabat, deinde aut ſacra ipſe celebrabat, aut ijs intererat. Peractis ſacris legere conſueuit, donec tempus eſſet venientes audire, quòd deinceps ad horam prandij prorogabat; vbi pranſus erat, doctos viros, quos domi ſemper habuit, ad ſe conuenire volebat, & propoſitis quæſtionibus de Phyloſophia, ac Theologia maximè diſputantes audiuit. Vbi ſatis ſermonis habitum erat, ſe in cubiculum cum ſuis recipiens, domeſtica primùm negocia ab ijs audiebat, tum aliorum, ſi qui forent, qui aut ſua gratia, aut opera indigerent. Id verò continuè obſeruauit, vt priuſquam mane cubiculum egrederetur, breuem rerum omnium ſeriem conſcriberet, quæ ea die facturus erat, eoque deinde ordine, cuncta, vt erant notata, tractaret. Deinde noctu, priuſquam cubaret, & quæ nouiſſimè ſuperuenirent, pari diligentia notabat, & notata quæque relegebat; ſi quid autem eſſet aut temporis culpa, aliaue cauſa prætermiſſum, in poſterum diem reijciebat, & abſoluebat. Vbi publica expedierat, in cubiculum ſe recipiens, ſubſcriptionis ſupplicationum officij primò dabat operam, deinde epiſtolas tum amicorum, tum aliorum, qui ad eum ſcripſerant, perlegebat. Poſt hæc legebat aliquid, præ ceteris Auguſtinum de Ciuitate Dei, Hieronymi omnia, & Caſſiani opera, ac Senecam familiariſſimos habuit. Fuit ingenio ſummo, ac memoria maximè autem rerum; nam neque audierat quicquam vnquam, neque viderat, aut etiam legerat, quin eorum recordaretur. Nihil cuiquam denegauit vnquam, quòd ipſe præſtare poſſet, aut gratia ſua quenquam fraudauit: nihil autem ſe facturum recepit, quòd non effecerit; qua in re tantam diligentiam adhibuit, vt per ſe ſtare crederet, quo minus qui peterent, abſoluerentur, gloriari ſæpe ſolitus neminem fruſtra patrocinium implorâſſe ſuum. Beneficium verò nec vendidit vnquam, nec vendi paſſus eſt; ideo ne in ſuſpicionem aliquam incideret, nunquam à priuato etiam amico munus accepit, quin par, aut maius redderet; aliquando annulum digito extractum dono dedit mittenti quippiam: à Ciuitatibus, ac Prouincijs nonniſi edulia accepit. Fœminam nullam ingredi domum ſuam eſt paſſus, ſiue illæ alienæ, ſiue coniunctæ aliqua cognatione eſſent; quòd ſi fortè aliquam ſua opera indigere, aut coniunctarum vllam ad ſe venire contigiſſet, in veſtibulum domus deſcendens, aut propinquam ædem, illam audiebat, ac dimittebat. Mendacium nec ioco vnquam dixit, nec pati potuit nil magis alienum ab homine eſſe debere; in loquendo verò liber adeo, vt nec Pontifici parceret; eo dicente aliquando publicè de fratrum Noſtrorum conſilio, & voluntate fecimus, ſurrexit Dominicus, ac detecto capite, nihil ſe vnquam ea de re audiuiſſe affirmauit. Cuidam ſtipem petenti, quòd manus Catalaunorum elapſus eſſet, quaſi ob eam rem mendicare, & alios ad miſericordiam commouere cogeretur, ad adſtantes conuerſus, *quid ergo*, inquit, *debetur nobis, qui in eorum manibus ſumus*, de Calliſto locutus. In creatione Pontificis quidam ex Collegis ad eum accedens petijt, quòd etſi ſciret Pontificatum nequaquam ad ſe peruenturum, cuperet tamen, & orare illum, vt ſibi ſuum ſuffragium daret, quo talis viri teſtimonio probari videretur; reſpondit *id ſe non facturum, nec commiſſurum, vt illius facti conſcientia aliquando vrgeretur*; erat enim vir ille tardo admodum ingenio, & vita non multum probata. Idem ad iniuſtas quoque preces fuit inexorabilis, ita vt nec minis, nec precibus de ſententia deijceretur, aut vllius gratia flecteretur. Calliſto ad Pontificatum aſſumpto, ac volenti Borgiam ex ſorore genitum, Ducatus Spoletani pro Eccleſia Vicarium facere, & Cardinales partim timore, partim Pontifici gratificantes illi aſſentiri viderentur, ſolus Dominicus apertè reſtitit, & id fieri prohibuit.

Ambitioſos homines maximè odit, eoſque ad ſe venientes interrogabat, nunquid à ſe aliquid vellent, cumque illi ſeſe viſitatum veniſſe dicerent, porrecto brachio ſæpiùs rogabat, vt vena tentata viderent, an febri, aliove morbo laboraret, deinde increpitos admonebat, vt potiùs domi ſecundùm eorum ordines aliquid agentes quietè viuerent, & virtuti operam darent, quàm tota Vrbe vagarentur. Futurum enim neceſſariò quandoque, vt boni doctique in pretio haberentur, & quamois inuiti ad munia Eccleſiæ vocarentur; ſe verò nequaquam adirent, niſi vbi opera ſua indigerent. Adulatorum genus abhorruit quaſi pernicioſiſſimam peſtem, quos etiam amouere à ſe, publicè quoque acerbiùs redarguere, & increpare ſummo cum ſtomacho ſolitus fuit.

His igitur moribus aſſecutus eſt, vt durus, ac difficilis nonnullis videretur, & ad vitæ inſtitutionem rudis: accedebat ad hæc formæ qualitas, nam aſpectu erat aſpero, & vultu, qui ſeueritatem quandam præſeferebat. Statura fuit etiam mediocri, dextero pede admodum claudus natura, ſed non vt multum dehoneſtaretur, id verò vitium quò faciliùs occuleret, crepidis continuè vſus eſt. Erat præterea incorruptus, alieni verò & omnium rerum abſtinentiſſimus, moderationis, & humanitatis tantæ fuit, vt quid quiſque de ſe ſentiret, ab amicis liberè ſibi dici optauerit, & audierit attentiùs; ita vt ſi quid minus bene feciſſe redargueretur, libenter emendaret, idque ſedulò vt facerent, humaniſſimè hortaretur. Sed nihil omnino ægrius tulit, quàm detractorum voces, & abſentes carpentium, humanum eſſe dictitans aut alteriùs peccatum occulere, aut errantem, clam & amicè redarguere. Ipſe vbi aliquid amicis vitio dari audiuit ſeu verè, ſeù falsò, ijs ad ſe vocatis benignè oſtendebat, quæ illis vitio dabantur. Amicis nonniſi continentiſſimis, & optimis viris eſt vſus, quos & conſilijs ſuis continuè adhibuit: nam nec ad amicitiam quenquam facilè admiſit, & quos admiſit, conſtanter retinuit, eiſque plurimùm etiam detulit. Quibus autem potuit, magno ſemper honori, & dignitati fuit; pro cuiuſque etiam meritis, ita eorum opes auxit, vt miſerias paupertatis effugerent: in eorum neceſſitatibus non ſecus abſentes, ac præſentes illi curæ eſſe cognitum ſemper fuit; id amici officium exiſtimans, ſi cum poſſet, vltro beneficium præſtaret. Vnde ſæpius factum eſt, vt multi priùs aliquod beneficium in ſe collatum cognoſcerent, quàm id futurum cogitauerint; quæ verò feciſſet, occulta eſſe cupiebat; nec ab eo quidem qui accepiſſet, ſibi commemorari æquo animo eſt paſſus, ſatis amplam gratiam habitam, & relatam arbitratus, ſi amico non defuiſſet.

Cum Eugenij IV. temporibus ex vecordia cuiuſdam Iuliani Abbatis Septimi nobiliſſimi Cœnobij ex ordine Ciſtercienſi fortunas funditus euerti contigiſſet, Pontifex Abbatem deturbauit de ſede, ac Septimianum Cœnobium ad Monaſterium Bonifolatij eius ditionis Dominico Capranicæ Cardinali commendauit. Ille licet inuitus curam ſuſcepit, opus refecit; quin effuſis propemodum Theſauris, cum pleraque recuperaſſet, quæ luxus perdiderat, florens iterum Cœnobium Septimianis monachis raro exemplo attribuit. Inde puriores mores, monaſtica inde diſciplina reſtrictior, progreſſus vberiores ad perfectionem extitere; ita vt inde deinceps emiſſis monachorum colonijs, Ciſtercienſis Italica Congregatio dimanauerit. Monachi proinde beneficiorum haud immemores præ foribus veteris Caſtelli, quòd Septimianæ ditionis erat, in marmorea tabula egregij facti voluerunt extare memoriam. Quin annuas, ac perpetuas in ferias pro eodem in Septimo, ac ceteris Hetruſcis Monaſterijs celebrandas cenſuerunt, vt vel obliuioſis nullo vnquam tempore tantus pater, ac patronus munificus poſſet excidere.

Perdin&d. Vghel. in Ital. ſac.

Baccetius Abbas in ſ. hiſt. Monaſter. Septim.

Martini Pontificis propinquos omnes ſumma beneuolẽtia quoad vixit, eſt proſecutus. Proſperum eius nepotem Cardinalem magna charitate ſemper coluit; & Columnenſes omnes ab omni vi atque iniuria non ſine ſui periculo defendit. Amicos præterea eorum, clientes, & qui eius partis erant, continuè tanta cura, ac ſtudio eſt proſecutus, vt pro vniuſcuiuſque commodis, ac dignitate propugnatione perpetua ſuſcepta nihil vnquam prætermiſerit, quòd aut ſaluti, aut honori, aut vtilitati illorum conducere exiſtimaret, vel ad augendam familiæ Columnenſium gratiam, auctoritatem, amplitudinem ſpectaret.

Inimicitias nullas geſſit, neminem vnquam læſit, nulli fides eius,

A nulli opera, nulli res familiaris defuit: verùm illud in eo homine prædicatione dignum fuit, & optimi viri indicium, quòd multitudini honeſtorum hominum, quos pietati inopia ſciuit, pro facultatibus ſubuenit, quamuis ex illi eſſent petentes. Percontabatur amicos diuerſorum ordinum, qui domum ſuam frequentabant, de Vrbis, ac ciuium conditione; deinde ſingulorum neceſſitate perſpecta, aut ijs ſalaria ad vitæ ſuſtentationem ſuppeditabat, aut alia ope iuuabat. Multis victum, ac veſtitum præbuit, quamplurimorum etiam filias pecunia ſua collocauit, nihil æquè pium ſibi videri inquiens, quàm iniuriæ, ac turpitudini expoſitos propter inopiam, ac naturæ imbecillitatem ad honeſtam vitam traducere. Quod etiam in adoleſcentibus obſeruauit, in quibus aut ingenij, aut virtutis indoles appareret, ne res eorum anguſtæ officerent, quo minus bona ſibi à natura data poſſent exercere: ſed id aut per ſe fecit, aut quàm occultiſſimè curari per ſuos voluit, quos fidos ſibi delegerat, ne captandæ popularis auræ cauſa facere iudicaretur. Nemo autem vnquam ab eo fru- B ſtra quicquam petijt; quare aliquando ſibi calceos detraxit, vt cuiquam largiretur: quandoque etiam, cum offenſum fortuna quemquam vidit minus bene veſtitum, ſuum amiculum dedit. Et cum pecunia ad erogandum non ſufficeret, ſæpiùs vaſa argentea, quæ habebat, conflari, ac petentibus diſtribui iuſſit, cumque ob eam rem ab amicis argueretur, conſueuit reſpondere; hominis proprium ſibi videri quamplurimis benefacere. Quòd adeo in omni vita fecit, vt plerunque neceſſarijs ad victum deficientibus, pecuniam ſumere mutuò ab amicis cogeretur. Modicis prouentibus contentus fuit, quippe qui non plus tribus millibus aureis annuatim ex ſuis facultatibus recepit.

S. Antoninum Florentinum Archiepiſcopum amicitiæ vinculo ſibi coniunctum, præcipuo amore ſemper eſt proſecutus, vt refert Mainardus Geminianenſis in vita S. Antonini apud Surium his verbis. *Sanctum Pontifices maxima beneuolentia, & S. R. E. Cardi-* C *nales complectebantur; Dominicus præcipue Firmanus, vir virtute præſtans, & charitate magnus, qui celebre ſanctitatis, & integritatis nomen poſteris reliquit.*

Quos autem domi tenuit, non contumelioſos, non rapaces, non auaros eſſe voluit, illos verò, in quibus aliquod integritatis, aut virtutis ſimulacrum ineſſe cognouit, quoad potuit, ad honores extulit, inquiens Chriſtianam Religionem ſe meliùs habituram fuiſſe, ſi virtutum amatores ad eius adminiſtrationem eligerentur. Ex eius ergo domo, quæ & caſtitatis, ac ſanctitatis exemplum fuit, plures clariſſimi viri, velut ex Seminario aliquo prodierunt, & omnium virtutum genere ornatiſſimi. In quibus Aeneas Siluius Piccolomineus Senenſis primus floruit, qui & eo viuo ad Cardinalatus dignitatem promotus eſt, & Calliſto in Pontificatu ſuccedens, Pius II. cognominatus eſt: Iacobus Amanatus Lucenſis, qui doctrina, & pro- D batiſſimis moribus clarus, non modò à Pio in ſuam familiam Piccolomineam adoptatus eſt, ſed & Papienſis Præſul, & S. R. E. Cardinalis creatus poſtmodum eſt: Amicus Aquilanus integritate vitæ, ac Pontificij iuris doctrina inſignis, qui à Paulo II. eandem Cardinalis dignitatem obtinuit: Franciſcus Archidiaconus Toletanus vir tum bonitate, tum ſcientia Sacrarum literarum omnium illius ætatis facilè princeps: Antonius Lanoſus Forolıuienſis vir caſtiſſimus: Leonardus Perufinus Theologus clariſſimus: Blondus Forolıuienſis vir literatiſſimus: & alij permulti tã doctrina, quàm moribus venerabiles.

Poggius. Aubery. Veſpaſianus in vita.

Sacerdotum dignitati plurimùm detulit, Epiſcopos, ac ceteros, qui aliquo honore alijs antecellebant, nonniſi aut ſedẽtes, aut operto capite audiebat: viros bonos, ac doctos euexit quoad potuit, ac ſumma liberalitate, & beneuolentia excepit. Aditus ad eum ferè nimius etiam humillimo cuique de plebe patuit; aderat ipſe horis ſtatutis loco publico domus aperto oſtio, vt omnibus illum adeundi libera facultas eſſet, quos ita audiebat, vt grauitatem cum digni- E tate retineret.

Studia in maximis occupationibus nunquam omiſit; operam multam, & iam prouectioris ætatis Theologiæ, ac Phyloſophiæ morali impertitus eſt, ac tantum in ijs profecit, vt inter doctiſſimos haberetur. Nullum vnquam diem prætermiſit, quin aliquid aut ſcriberet, aut legeret: legit autem tanta, vt ſemper cura, & negocio vacaſſe facilè videri poſſit. Cuius rei hoc vnum eſt argumentum, quòd cum plus mille, & quingenta librorum volumina habuerit ad Ius tum Pontificium, tum Ciuile ſpectantia, nihil in ijs fuerit, quòd ipſe non viderit diligentiſſimè: idque in omnibus Auguſtini, & Hieronymi libris fecit. Hiſtorias tantas nouit, quantas nemo alter: Poëtas vidit omnes: Oratores, ac Phyloſophos familiariſſimos habuit.

Scripſit Introductorium de Pontificatu regendo. F

De Arte piè in Chriſto moriendi, materno idiomate.

Nomencl. Cardinal.

Orationem ad Alphonſum Neapolis Regem: quam habes apud Lucium Marinæum Siculum de Rebus Hiſpaniæ.

Epiſtolas ad Philelphum.

Et alia nonnulla eruditè magis quàm eleganter, quæ in vulgus emanarunt, ad religionem noſtram ſpectantia.

Eſt apud me huiuſce Cardinalis epiſtola ad Leonardum Archiepiſcopum Mitilen. data die 28. Iulij anno 1449. qui libellum de Vera Nobilitate à ſe conſcriptum miſerat.

Apud monachos Ciſtercienſes Florentiæ eſt m. s. Tractatus de Contemptu mundi à Dominico Cardinali conſcriptus.

Ferdin. Vghel. in Ital. ſac.

Literas multas Ioanni Capiſtranenſi Seraphici ordinis claro ſideri ſcripſit, & ab eo viciſſim ſcriptas accepit, quæ extant apud Fr. Lucam Vvaddingum in Annalibus Minorum.

Calliſti III. Romani Pontificis iuſſu Roſæ Virginis Viterbienſis acta, vna cum Beſſarione, & Proſpero Columna Cardinalibus, ad illam in ſanctorum ordinem adſcribendum accuratè conſiderauit.

Plurimas Romæ domos partim à fundamentis conſtruxit, partim reſtituit. Aedificauit ſibi domum in Regione Columnæ pro dignitate ſua commodam ſatis, ac magnificam; ita tamen, vt ſuperfluos in ea ſumptus, atque ornamenta vitauerit. Quam deinde moriens Gymnaſium eſſe voluit, ad quòd plurimi adoleſcentes diſcendi ſtudio diuerterent; & ijs neceſſaria ad victum conſtituit, magna pecuniarum ſumma in eum vſum erogata. Decreuit in ea, & Bibliothecam ad communem doctorum hominum vtilitatem, congeſtis ibidem libris, quorum magnis impenſis in omni doctrinarum genere ad duo millia volumina congeſſerat tum optimos, tum pulcherrimos, & vt qui eam domum incolerent, quique ſtudioſi forent, pro arbitrio illis vti poſſent. Hanc tamen domum Angelus Capranica frater ad Cardinalis dignitatem à Pio II. euocatus, ſuo vſui reſeruatam inhabitauit; & ne laudabilis voluntas fratris irrita eſſet, contiguum illi Gymnaſium magnificè conſtruxit, quòd hodie in Vrbe extat, & *Collegium Capranicenſe* nominatur.

Aedificauit etiam Dominicus, ac reparauit nonnullas Romæ, in Hetruria, & in Piceno Eccleſias; in Soractis monte, vbi quondam latuerat, B. Syluestro ædem à fundamentis erexit: Eccleſiam S. Laurentio martyri ſacram in via Nomentana reſtaurauit, & ornauit. Atque hoc præcipua laude dignum in eo fuit, quòd cum redditus habuerit, & pro dignitate tenues, & aliorum, qui pari erant poteſtate, reſpectu penè nullos; ijs tamen contentus vixerit; & nullam Eccleſiam tenuit, quin aut eam aliqua ex parte inſtaurauerit, vel illius fructus auxerit.

Optimo igitur vitæ inſtituto cum viueret Dominicus, non minori apud omnes gratia, quàm aut fortuna, aut dignitate, in morbum incidit ab initio quidem haud periculoſum, attamen moleſtum, profluuio nanque ventris laborare, & ſe domi continere cœpit, verùm ita vt negocijs ex conſuetudine fungeretur, nec ſolito magis accumberet. Poſt viginti dies cum Calliſtus vita functus eſſet, & creandi Pontificis neceſſitas inſtaret, ideoque Cardinales conuenturi eſſent, ne diſſimilis ſui videretur, vtque quòd in omni vitæ inſtitutione feciſſet, Reipublicæ Chriſtianæ proficeret, adeſſe huic rei voluit. Quare fretus conſilio medicorum aluum pharmaco ad eam rem parato ſiſtit, ex qua re in febrem incidit, & quidem vehementem, cumque ea continuè augeretur, omnia Eccleſiæ Sacramenta, vt ad eam diem ſanctiſſimè eius acta vita exigebat, ſumma religione primùm ſuſcepit. Deinde ingraueſcente morbo vbi adeſſe vitæ finem ſenſit, amicis ad ſe vocatis, magnificè ad eos de contemnenda morte locutus eſt; ad quæ verba cum amici ingemerent, rogauit ne ſuam mortem lacrymis proſequerentur. Si enim, inquit, vixiſſe ad eam ætatem, ad quam pauci ex multis perueniant, omnes ferè deſiderent, inuenem præterea ſe adeptum quæ mortales ſumma putant, inſtituiſſe quoque ad eam diem ita vitam ſuam, vt ſperandum ab eis ſit, ſe miſericordia, & clementia Dei optimi maximi adiuuantibus, eò vbi vera ſit felicitas, ex hoc veteri carcere migraturum. Quare orare illos, vt lamentis parcerent, ne non dolere eius diſceſſum, ſed inuidere huic ſummo ſuo bono viderentur; perſuadere ſe illis, vt potiùs hanc ſuam diuerſionem lætitia proſequantur, cuius ipſe, vel maximum hoc gaudium caperet, quòd in eorum conſpectu vitam finiat. Dolere enim homines eorum mortes debere, qui in Dei veri, & cœleſtis beatitudinis ignoratione occidant; vel qui ita vixerint, vt poſt habita virtutum, atque animæ cura, ſoli corpori inſeruientes, tunc demum cogitare de morte incipiant, cum calamitosè, miſerèque vitæ curriculo exacto ſe victuros deſperarint; quique in ſumma dignitate conſtituti, ſolùm quòd præſens oculis fuerit, reſpiciant, nec vltorem ſcelerum Deum expaueſcant, aut bonorum remuneratorem credant. Valerent igitur, & poſtquam obijſſet, Deo pro animæ ſuæ ſalute ſupplicarent, & ad eum preces tum pias, tum frequentes effunderent. His dictis omnium apprehenſa manu dextera, & amplexus lacrymantes omnes dimiſit; nec multo poſt exceſſit è vita quinta die poſtquam febris eum tenuiſſet, decimonono videlicet Kalendas Septembris anno noſtræ ſalutis ſupra milleſimum quadringenteſimum quinquageſimo octauo; ætatis verò octauo, & quinquageſimo. Vir certè morum probitate clarus, & qui meritò dignus crederetur ex dignitate, quam tanto labore defenſam, annos ferè triginta ſumma cum laude tenuit. Elatus eſt maxima omnis generis hominum frequentia, comitante omni ciuitate, & laudatus publicè ſumma cum adſtantium attentione. Funus inſuper celebratum ſumma omnium mæſtitia, & in eius ſumptum pecunia ab amicis collata; illatus deinde marmoreo ſepulchro affixo muro, quòd ipſe ſibi in Templo Mineruæ in Sacello ſanctæ Catharinæ Virginis Senenſis viuens fecerat, cum ſequenti elogio.

S E D E N T E P A V L O II.

Dominico Capranicenſi T T. S. Crucis in Hieruſalem, Presb. Cardinali Antiſtiti Firmano, Maiori Pœnitentiario. XII. Apoſtolicis Legationibus claro.

Pacis

Pacis Italicæ in Anno XXV. conſtitutori.
Doctrina, religione, & ſanctis ſemper operibus admirabili.
Angelus eiuſdem Tit. Cardinalis
Vnanimi fratri, ac ſibi commune monumentum hoc fecit.
Vixit idem Dom. Ann. LVIII.

S. Antoninus de hoc Cardinali hæc ſcripſit: *Reuerendiſſimus Cardinalis Firmanus D. Dominicus de Capranica eiuſdem decimaquarta die ex infirmitate fluxus appoſitus eſt ad Patres ſuos, cum multa deuotione ex hoc mundo tranſitum faciens in aſpero cilicio, quod ad carnes ferebat aſſiduè; multum triſtitia, & doloris mors eius intulit multis, qui nouerant eū, propter eminentes virtutes eius.*

Vnum hic addam ex Arnoldo Vvione libro 2. Ligni vitæ cap. 20. & Andrea Victorello in Additionibus ad Ciaconium, ſanctum Malachiam Archiepiſcopum Armachanum prophetiæ dono præditum, Cardinales Dominicum Capranicam, & Nicolaum Albergatum obſcuro indicaſſe Oraculo, cum de Pio II. ſub hoc duorum verborum inuolucro de CAPRA, & ALBERGO locutus eſt. Nam Aeneas Syluius, qui Pius in Pontificatu dictus eſt, Cardinalibus Albergato, & Capranicæ fuit à ſecretis.

QVARTA CREATIO CARDINALIVM.

Die Veneris 24. Maij anno 1426. Romæ à Martino renunciati alij Cardinales, & die 25. publicati: Ciaconius hanc quartam Cardinalium renunciationem nominat ſecundam, & die 23. Iunij anni 1426. factam ſcribit. Cardinales enunciati ſunt.

Ciaconius
Panuinius
Aubery in vit. ...
Pet. Frizō. in Gallia Purpurat.
Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana.
Ferdinād. Vghel in Addit. ad Ciaconiū.
Scip. Ammirat. in Hiſt. Florent.



VIII.

C IOANNES de Rupeſciſſa, (Rupeſciſſa viculus eſt duobus circiter milliaribus à Lugduno diſtans, à quo nomen eſt mutuatus Ioannes) natione Gallus, Iuris vtriuſque Doctor, ex puero Choralis Lugdunenſis, fit Curiæ Rothomagenſis Eccleſiaſticæ Iudex, & literarum Apoſtolicarum Corrector. Deinde Geneuēſem Epiſcopatum primò, mox S. Pauli, & Biturienſem, ſeu Biſanenum obtinuit. Vt Epiſcopus S. Pauli affuit Concilio Conſtantienſi, ac ſuum Martino V. ſuffragium dedit: interfuit Archiepiſcopus D Bituricenſis conſilio Caroli VI. Regis anno 1395. pro acceptione Vrbis Geneuenſis in dominium Franciæ habito. Poſt aſſumptionem Martini renunciatur Patriarcha Conſtantinopolitanus, ac perpetuus Eccleſiæ Pariſienſis Adminiſtrator denominatur, vti habetur in Statutis Collegij Marchiani à Guillelmo de la Marche Canonico Tullenſi Pariſijs erecti. Præſul Pariſienſis vnxit ſacro oleo Templum S. Petro Apoſtolorum Principi in eadem Vrbe ſacrum. Hunc quoque ad Patriarchatum Aquileienſem promotum in Concilio Conſtantienſi innuit Iacobus Chiffletius, ſed forſan poſſeſſionem non eſt adeptus; ideoque in Catalogo Patriarcharum Aquileienſium non inuenitur adſcriptus. A Pariſienſi ad Rothomagenſem Cathedram promouetur, & poſt duos annos Presbyteris Cardinalibus titulo S. Laurentij in Lucina à Martino adſcribitus, & S. R. E. Vicecancellarius conſtituitur. Archipresbyteri munere functus eſt E in Baſilica Liberiana, vt habemus ex tabulis eiuſdem Baſilicæ. Bononiæ ſedis Apoſtolicæ partes ſuſtinuit ſub Eugenio Martini ſucceſſore; qua in legatione Dominica in Palmis die 24. Martij anno 1437. è vita exceſſit. Corpus Bononia delatum ad Cathedralem Eccleſiam Lugdunenſem, ibi in Choro iacet ſub humili ſaxo ſine vlla ſepulchrali Inſcriptione.

Paul de Angel in Deſcript. Baſil. Liberianæ.
Felix Cōtelor. in Elencho.



IX.

LVDOVICVS Alemandus, ſeu Alamannus, natione Gallus, natale ſolum habuit Arbencium municipium apud Burgeſios prope Cœnobium ſancti Claudij Veſuntinorum Archiepiſcopi. F Petrus illi pater ex illuſtri gente, quæ Arbencio imperitabat, mater verò nobilis Galla ſoror Franciſci de Conzi, quæ præter Ludouicum peperit Hugonem Arbencij Dominum. Ludouicus igitur ſe literis a puero dedit, & obtenta in vtroque Iure doctoris laurea, Eccleſiæ Lugdunenſis primùm Canonicus, & Comes; inde Antiſtes Magalonenſis, demum Archie-

Ciaconius
And. Victor. in Addit. ad Ciaconium.
Panuinius
Faſciculus Temporū
Io. Chenu in Hiſtor. Archiepiſcop. & Epiſcop. Galliæ.
Hier. Gambert.
Pet. Frizō. in Gallia Purpurat.

A piſcopus Arelatenſis nominatus eſt. Ciaconius ſcribit, Ludouicum hunc ex Canonico regulari Epiſcopum Maclouienſem primò, mox Archiepiſcopum Arelatenſem, & Vicecamerarium, ac Prolegatum Bononiæ ante Cardinalatum renunciatum fuiſſe. Quicquid ſit, certum eſt Cardinalatus dignitatem titulo S. Cæciliæ ei delatam a Martino fuiſſe, & in Italiam vocatum, eiuſdem Martini iuſſu functum legationis munere Bononiæ; Inde iubente ipſo Martino Baſileam ad Synodum, quam indixerat Martinus anno ſui Pontificatus vltimo ſeſe contuliſſe.

Ant. Sand. in elogijs Cardin.
Claud Robert. in Gall. Chriſtiana.

Inter hæc defuncto Martino, Eugenius Quartus ſucceſſor Cōcilij Patres, ſpe ductus Græcos Romanæ Eccleſiæ conciliandi, ab Heluetijs in Italiam reuocauit. Quare tantopere irritati ſunt eorum animi, vt Amedeum ex Duce Sabaudiæ ſolitudinis colonum, in Pontificem elegerint Ludouico noſtro auctore, ſi Ciaconio fides danda ſit. Eugenius enim Concilium Baſileenſe, Legato ſedis Apoſtolicæ B euocato, ob eiuſmodi cauſam diſſoluere viſus eſt; idque Ferrariam tranſtulit, Vrbem ad Padum. Dicebat enim Græcos cum Eccleſia Romana in fidei articulis, in quibus illi aberrabant, conuenturos ad eundem locum ſibi deligendum, quæ omnia eò tendebant, vt Concilium Baſileenſe diſſolueretur. Quo cognito Prælati Concilij Baſileenſis, quorum Signifer, & dux erat Ludouicus Alemandus Cardinalis Arelatenſis dictus ob Eccleſiam Arelatenſem ſibi commiſſam, ſolus Cardinalium, qui Baſileæ remanſerat, nulla ratione adduci vnquam potuerunt, vt Eugenio obtemperarent. Quamobrem non ſolum Baſilea non diſceſſerunt, ſed ipſum Eugenium cum Cardinalibus omnibus ad Concilium Baſileenſe auſi ſunt citare; vnde graues inter Eugenium, & Ludouicum inimicitiæ exortæ. Inter hæc purpura, & alijs dignitatibus Eccleſiaſticis ab Eugenio priuatur, ſed mortuo Eugenio, Nicolaus ſucceſſor illum priſtinis dignitatibus reſtituit. Pugnarat enim Ludouicus vir Eccleſiaſticæ diſciplinæ C tenaciſſimus, pro Synodo contra Eugenium; quia ferre non poterat, vt ab illis legibus diſcederet Romanus Pōtifex, in quibus condendis Conſtantienſis Synodus aliquando incubuerat. Indixerat Martinus ex Cōſtantienſis Synodi Decreto tandem aliquādo Concilium Baſileenſe; durum Patribus, & Ludouico videbatur tam cito re infecta illud, quòd legitimum credebat dimittere: pugnauit contra Eugenium, quia pro Eccleſia pugnare arbitrabatur, zelo non ſecundùm ſcientiam, ſed nimia credendi calumniatoribus facilitate.

Henricus Albi in elog Card.
Petr. Saxi de Pontif. Arelat.

Ex Baſilea Legatus in Sabaudiam miſſus Ludouicus Cardinalis, Felicem in Epiſcopum ordinauit, & Apoſtolico diademate coronauit, deinde ſub eodem Felice V. Antipapa miſſus eſt ad conuentum Moguntinum, alijs Francofordienſe cum duobus alijs Cardinalibus obedientiæ eiuſdem Felicis. Principes tamen tam Eccleſiaſtici, quàm Seculares eis ſignificauerunt, Arelatenſem quidem ſe honoraturos, vt verum Cardinalem, & eum atque alios æquo animo auD dituros, dummodo ille Crucem, & legationis inſignia, alij habitum Cardinalitium domi dimitterent, quoniam neque illos pro Cardinalibus habebant; idemque ſe facturos, ſi quis Cardinalium ab Eugenio poſt ſuam ſuſpenſionem creatorum veniret. Cum autem ingens per multos dies contentio ſuper his habita eſſet, Baſileenſibus nullo modo cedere volentibus, Principibus conuentum ſe aliò tranſlaturos aſſerentibus, tandem Magiſtratum, ac Ciues Moguntinos Baſileenſibus ſignificaſſe, niſi voluntati Principum acquieſcerent, ſe fidem publicam eis datam reuocaturos, niſi infra octo dies ab ipſorum Vrbe diſcederent. His auditis Baſileenſes ne cauſam ſuam indefenſam dimitterent, cedere ſtatuiſſe. Nono igitur Kalendas Aprilis anni 1441. Cardinalis Arelatenſis Cruce domi dimiſſa, ad locum congregationis iuit, ac multa primùm ipſe, & multo poſt plura collega eius dixit de ſuprema Conciliorum poteſtate, de recto Concilij iudicio contra Eugenium, ac legitima, & neceſſaria ſubroE gatione Felicis.

Aeneas Sylu. in Comment.
Henricus Spondan. in Annal. Eccleſiaſt.
Lambert. Vvandemburch. in hiſt. Ducū Saband.

In actis Nauarricis extat mandatum Concilij Baſileenſis decimo Kalen. Iunij anni 1435. datum Ludouico Cardinali Arelatenſi, qui aderat; quo poſt narratas diſputationes, quæ factæ fuiſſent apud Concilij Delegatos pro rebus fidei tractandis, de Conceptione beatiſſimæ Virginis, vtrum eius anima in inſtanti ſuæ infuſionis in corpore præſeruata fuerit à peccato Originali, an non, iniunxit, vt diligēter procuraret per omnes Bibliothecas, ſingula Archiuia Vniuerſitatum, Eccleſiarum, Monaſteriorum, Regum, ac Principum perquiri quoſcunque libros, ſcripta, acta, deliberationes, deciſiones, concluſiones publicas, vel priuatas quaſlibet in generalibus ſtudijs, & alibi de hac materia factas, aut quæ ad eam quomodolibet ſpeF ctarent; eaſque extrahi, & ad Synodum deferri, vt ijs adiuta illa Synodus quæſtionem hanc decidere, & definire poſſet. Id verò Ludouicum Cardinalem diligenter præſtitiſſe intelligitur ex declaratione facta poſt quadriennium in Seſſione 36. quæ declaratio, quia Concilium tunc temporis ab obedientia Eugenij Romani Pontificis deſciuerat, auctoritatem vllam non habet.

Hippolit. Marrac. in Purp. mar.

Poſt obitum Eugenij, non eſt facilè explicare quos deinde pro concilianda Eccleſiæ pace, & abrogando Schiſmate labores Ludouicus tulerit: auctor fuit Amedeo, qui Felix V. dicebatur, vt inſignia, ac nomen Pontificium deponeret. His diſcordijs ſopitis, & extinctis Arelatem Ludouicus Cardinalis rediit, effuſa in ſacras ædes liberalitate commendatiſſimus: nam ſuis ſumptibus, & impenſis mediam Eccleſiæ principis partem, & eam, in qua Sancta Sanctorum

ad Orien-

A ad Orientem erant, quòd antiquitatem redolerent, ſolo proſtrauit, vt amplioribus ſpatijs, noua excellentiorique forma excitarentur. Ornauit etiam Caſtrum Salonæ Vrbis varijs ædificijs, & Epiſcopium Arelatenſe aulis, cubiculis, ac diuerſis ornamentis illuſtrauit; ſed quòd ſummum eſt, vitam duxit angelicam. Sexagenarius obijt Salonæ ad Crauum die 17. Septembris anno 1450. & Arelatem tranſlatus eſt, vt patet ex ſacro, & ſolemni in eius laudem carmine.

Vella Cātelonus in Elencho.

Hic (Ludouicus ſcilicet) laborans in extremis,
Sacramentum Vnctionis,
Sibi dari complacuit,
Minorum ac in Ordinis
Conuentu noſtri Salonis,
Felix eius finis fuit.
B *Citò corpus, vt decuit,*
Tranſlatum in Arelatem
A Clero plebeque fuit
Suſceptum honorificè.

Ciaconius hic refert Ludouicum Cardinalem mortuum in Sabaudia, ibique in Ciuitate Lauſanenſi ſepultum; in calce tamen vitæ Nicolai V. à ſe ipſo diſcrepans dicit obijſſe Arelate; & ibi in Cathedrali ſepultum, ſed reuera vt diximus Arelatem Salona tranſlatum, qua in Vrbe è vita exceſſerat. Celebrandis verò exequijs tota ferè prouincia Arelatem aduolauit; numerantur enim viginti tres Vrbes, quæ per Sacerdotes, ac Religioſos viros exequiarum celebritati affuere. Eius oſſa in dextero Altaris principis cornu recondita fuere cum hac ſepulchrali Inſcriptione.

Nomencl. Cardinal.

C *Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo,*
Et ſubito caſu, quæ valuere, ruunt.

Vnde ſicut Deo placuit anno M.CCCC.L. luce verò ſexta menſis Septembris decima, bonæ memoriæ Reuerendus in Chriſto Pater, & Dominus Ludouicus ſacro S.R.E. Titulo Sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis, Arelatenſis vulgariter nuncupatus, ſacræ huius Baſilicæ Adminiſtrator benè meritus, & Princeps, vitæ laudabilis, & cõuerſationis honeſtæ ad maius vocatus tribunal deuotè viã eſt vniuerſæ carnis, & Catholicè ingreſſus. Orate pro eo, vt eius anima requieſcat in pace.

D Tanta eius tumulus miraculorum gloria enituit, vt quos illic pietas euocabat, reuocata pleroſque deſereret infirmitas; cœcis enim videndi, claudis ambulandi, ſurdis audiendi, mutis loquendi, & mortuis nonnunquam facultatem viuendi reſtitutam accepimus, & extat apud Arelatenſes miraculorum ab eo editorum Liber, quem Actuarij tres publica ſubſcriptione roborarunt. Illuſtri genere procreatum Ludouicum, vitam cœlibem, caſtam, & immaculatam egiſſe, mortalium illecebras contempſiſſe, puriſſimam animam Deo reddidiſſe, in Diplomate, quòd ſubijciam, ſcripſit Sadoleti calamo Clemens VII. anno 1527. die 9. Aprilis.

CLEMENS PAPA SEPTIMVS.

E Dilectis filijs Præpoſito, & Canonicis Metropolitanæ Arelatenſis Eccleſiæ, ac Priori, & Fratribus domus Fratrum Cœleſtinorum Regularis obſeruantiæ Ciuitatis Noſtræ Auenionenſis Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Cũ ſicut accepimus, iam diu magnis Chriſtifideliũ, & potiſſimùm Noſtræ Ciuitatis Auenionenſis votis erga B. Petrũ de Lucemburgo, & Arelatenſis erga Ludouicum Alemandum S.R.E. Cardinalē, & Eccleſiæ Arelatenſis Archiepiſcopum, quorum corpora, Ludouici in Arelatenſi & Petri in veſtro Monaſterio reſpectiue requieſcunt, deuotionis affectus ita immineat, & populi multitudo, non ſolum Ciuitatum prædictarum, ſed aliarum partium diuerſarum concurrat, vt in eorum procellis, & huius caduci ſeculi turbinibus tanquam ſpeciales protectores, fautores, interceſſores, adiutores ad Dominum inuocentur. Nec mirum, ſi Dominus Noſter Ieſus Chriſtus, cuius pro poſſe, vt fide dignorum habet aſſertio, imitatores extiterint, in dies ipſorum precibus eos inuocantes, miraculis, ac F *dolorum, & anguſtiarum ſubleuationibus adiuuet, opemque ferat, & auxilium. Quandoquidem Petrus tenerus ſub annis, & Ludouicus ipſe, vt accepimus, vitam cœlibem, caſtamque, & immaculatam exegerunt, & Petrus in ſeptemdecimo, & Ludouicus in ſexageſimo ſuarum ætatũ annis (vt in eorũ vita Annalibus traditur) ſuo Creatori ſuas puriſſimas reddiderunt animas, calcatis huius mundanæ vitæ (quamuis illuſtri eſſent orti proſapia) illecebris. Proinde claræ memoriæ Rex Siciliæ, & Hieruſalem tunc in illis partibus degens, cum multitudine Chriſtifidelium, miraculorum huiuſmodi ſtupore, veſtraque Regularis obſeruantia, & vitæ exemplaris meritis motus Eccleſias, domum, & Conuentum veſtrum inſtaurauit, & non par-*

A *ua impenſa conſtrui fecit. Voſque præterea ob ſingulares eorundem Petri, & Ludouici virtutes, quæ innumera leguntur, nec non ieiunia, orationes, vigilias, & quamplures Deo gratas, & acceptas operationes, quas tunc viuentes, gratia ſibi aſſiſtente diuina operabantur; ita vt Cœlitum numero piè exiſtimentur relati, cupiatis eorum corpora, quæ vt præmittitur, in eiſdem Eccleſijs veſtris, & locis ſatis humidis, & ſubterraneis iacent, ad alia, intra tamen Eccleſias veſtras, commodiora loca transferre, ipſoſque Petrum de Lucemburgo, & Ludouicum Alemandum, quorum imagines à pijs vbique fidelibus, à longiſſimis iam annis citra depingi conſueuerunt, pro Beatis coli, & venerari poſſe Nobis propterea Venerabilis Fratris Noſtri Franciſci Epiſcopi Tuſculani S.R.E. Cardinalis de Claromonte illarum partium Noſtrarum de latere Legati, qui ad eoſdem Petrum, & Ludouicum non paruum gerit affectum, à veſtro nomine humiliter extitit ſupplicatum, vt huiuſmodi veſtris tam* B *pijs, & honeſtis deſiderijs annuere pro Noſtri Paſtoratus officio de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui fideles quoslibet, & paſſim ſub ſuaui Religionis iugo Domino famulantes ad deuotionem, & venerationem illorum, qui Beati habentur, quantum cum Deo poſſumus, libenter excitamus, vt illorum imitatores exiſtere valeant. Veſtris in hac parte deſiderijs pijs, vt potè ex magno deuotionis feruore prodeuntibus, annuentes Vobis quod eorundem Petri, & Ludouici corpora, & oſſa ex ſubterraneis locis in alia commodiora loca earundem Eccleſiarum veſtrarum transferre, & ibidem venerabiliter collocare. Et iam vos, quàm alij vtriuſque ſexus fideles pro veſtra, & eorum ſpirituali conſolatione, in veſtris Eccleſijs, & ſacellis pro Beatis venerari, ſine incurſu alicuius demeriti, vel idololatriæ, ſine conſcientiæ ſcrupulo poſſitis, & valeatis, ac ipſi poſſint, & valeant, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine concedimus pariter, & indulgemus.* C *Non intendimus propterea eoſdem Petrum, & Ludouicum in Catalogo SS. eſſe relatos, donec ſeruatis debitis ſolemnitatibus in Sanctorum canonizatione ſeruari ſolitis, ad illorum canonizationem deuentum fuerit. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die nona Aprilis, anno 1527. Pontificatus Noſtri Quarto.*

Illi ſacellum Arelate, & Altare cum hac extructum eſt, & in Breuiario Arelatenſi peruetuſto hæc de Ludouico Cardinali memoria. *Qua die obijt glorioſæ memoriæ B. Ludouicus Alemandus Cardinalis Arelatenſis fiat officium ſemiduplex cum primis, & ſecundis Veſperis, & omnia dicuntur de communi Confeſſoris Pontificis.* In Martyrologio quoque Gallicano extat euiſdem Cardinalis memoria xvj. Kal. Octobris his verbis. *Ad æternam feliciter euolauit requiem beatæ memoriæ Ludouicus Alemandus Archiepiſcopus Are-* D *latenſis S.R.E. Presbyter Cardinalis titulo S. Cæciliæ, qui nobili apud Burgundos familia Arbanenſi natus, dotibus pietatis, & doctrinæ præfulgens, primum Epiſcopus Maclouienſis, tum Arelatenſis, deinde Cardinalis creatus, non minus ſanctiſſimis his muneribus commendationis integritate vitæ attulit, quam ab ijs acceperit dignitatibus ornamenti. Qui tamen in Concilio Baſilienſi cum aduerſus Eugenium Papam IV. ſtetiſſet, Felicemque conſecraſſet, falſi pœnitens, ad ſucceſſorem ipſius Eugenij, Nicolai V. obedientiam redijt, Eccleſiæq; vnitatem reſarciuit, Felicis ipſius, quam pacis amator procurauit, ſpontanea abdicatione, à quo Nicolao inter Eccleſiæ Cardinales receptus, ipſo S. Cæciliæ titulo honoratus eſt. Demum propagata plurimùm Religione, calcata ſeculi gloria, ſuperatis Diaboli artibus, impreſſis Gallico ſolo æternis ſanctæ vitæ veſtigijs, ſumpto diuino Viatico ad Cœlitum optatum migrauit conſortium. In Arelatenſi Metropolitana æde ſepultus eſt, vbi tot miraculis* E *claruit, vt horum multitudine excitus Clemens Papa VII. Romæ dato Diplomate illum in Cœlitum numerum Beatitatis nomine retulerit, honoribuſque, quibus Beati coli conſueuerunt, vnà cum Beato Petro de Lucemburgo proſequendum decreuerit, elato de ſubterraneo ſitu ad Baſilicæ intimum gremium eius corpore venerando.*

Eundem laudant auctores permulti: Aeneas Siluius, qui poſtmodum Pontifex Pij II. nomen obtinuit, ſic de Ludouico noſtro ſcribit. *In Arelate ad ſepulchrum Ludouici Cardinalis S. Cæciliæ eius Vrbis Epiſcopi, quem Baſileæ in conſeſſu Patrum vidimus præſidentem, magna miraculorum opinio orta eſt, & inualidorum frequens vndique concurſus ſpe ſanitatis factus.* Eadem fermè habet Philippus Bergomenſis; *Ludouicus*, inquit, *Arelatenſis vir doctiſſimus, atque eloquentiſſimus, qui Baſileenſi Synodo ex conſenſu omnium* F *Patrum præfuit his temporibus, cum multa edidiſſet Opuſcula, quæ odio, vt exiſtimo Schiſmatis perierunt, & quidem docta, non ſine magna ſanctitatis opinione deceſſit, & ob eam rem ad eius ſepulchrum magna miraculorum opinio orta eſt, & infirmorum magnus concurſus.* Venetus illorum temporum æqualis *Ludouicus*, inquit, *Epiſcopus Arelatenſis, vir ſancta vita, ac mira patientia, ſingularique columna Concilij Baſileenſis, cui diu præfedit, multis coruſcat miraculis.* Totidem ferè verbis Philippus de Lignamine in Felice V. & Lambertus Vvandemburgius eundem commendant, & Noſtradamus his conſentit, ac miraculis inclaruiſſe commemorat.

Inter alia pietatis ſuæ erga Deiparam Virginem ſpecimina, dum in Germania eſſet ſedis Apoſtolicæ à latere Legatus, Cellenſem Dei-

paræ Vir-

Hiſt. Virginis Mariæ Celleuſis.

paræ Virginis Eccleſiam præuia confeſſione viſitantibus, manus pro ſtructura adiutrices porrigentibus, ſignum peregrinationis inde ſecum deferentibus, centum dierum indulgentiam toties quoties id feciſſent. Ijs qui diebus Sabbathis, & per Quadrageſimam *Salue Regina* decantaſſent, vel decantationi intereſſent in eadem Eccleſia quadraginta dierum indulgentias in perpetuum duraturas cõceſſit.



Nicol. Arſpheld.

Io: Piſæus

Aegid. a Roya in Annalib. Belgic.

Thõ. Valſingam. in Hiſt. Anglicana.

Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciacconiũ.

Io: Franc. Blondus in hiſtor. Anglic.

X.

HENRICVS Benufort, ab Angliæ ſcriptoribus Chrichiſelius, ſeu Chicheleius cognominatus, natione Anglus filius Ioannis Ducis Lãcaſtriæ, Regio Anglorum Regum ſanguine, Henrici V. Anglorum Regis patruus, natus eſt in oppido Angliæ, quòd Heighanſteyns appellant Hoſthomptonenſis Comitatus, & prima literarum fundamenta iecit in Vvintoniẽſi Academia deinde migrauit ad Collegium Vvichanicenſe, ibique doctoratus gradu in vtroque iure ſuſcepto, Sariſberiẽſem Archidiaconatum accepit. Regis gratia inde ad Meneuenſem Epiſcopatum, inde ad Cantuarienſem aſcendit cathedram, ac totius Angliæ Primas effectus eſt.

Virum hunc magnæ pietatis, & prudentiæ, ac pluſquam mediocris doctrinæ, ſed pluſquam dici poſſit, bonarum literarum cultorem, & fautorem Martinus V. Romanus Pontifex, non in ſecunda, ſed in quarta Cardinalium enunciatione Presbyterum Cardinalem titulo S. Euſebij nominauit, atque in vniuerſis Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, & Angliæ Regnis contra Huſſitas, qui Prouincias illas deuaſtabant, Apoſtolicæ ſedis Legatum conſtituit Diplomate dato Romæ xv. Kalend. Aprilis anno Pontificatus decimo, Chriſti 1427. Cum enim Huſſitæ non ſolum Bohemiam, in qua nihil ferè ſacri, profanique reliquum erat, in quòd non ſæuirent, verùm etiam multas Prouincias Germaniæ paribus incendijs, direptionibus, diruptionibus, ſacrilegijs, abominationibus, libidinibus, ſæuitijs, atrocitatibus deuaſtarent, Martinus vt Sigiſmundo Regi, & Catholicis, quantum in ſe eſſet, opitularetur; cum parum hactenus per alios Legatos, & Crucis prædicationes profectum eſſet, ſciens quantæ potentiæ, & auctoritatis eſſet Henricus Cardinalis in Anglia, & quanta eſſet fama virtutis militaris Anglorum, legationem ei contulit cum ampliſſima auctoritate ad exercitus contra Huſſitas conſcribendos, Crucemque vbique aduerſus eos prædicandam, ijſdem Indulgentijs, & priuilegijs, quæ concedi conſueuerant ijs qui Crucem pro Terræ Sanctæ ſubſidio ſumebant, ſimul ſperans validam eum manum Anglorum ex patria ſua in Germaniam ducturum. Humfridus Gloceſtriæ Dux, & Angliæ pro Rege puero Rector, eo quòd legationis munus Henricus Cardinalis, minimè petito Regio permiſſu in Anglia exerceret, per Procuratorem Regium tam ab eo, quàm ab ipſo Pontifice de iniurijs, ac præiudicijs Regi, & Regno factis, ad proximum generale Concilium prouocare fecit. Tanquam nullus Apoſtolicæ ſedis Legatus venire, aut mitti poſſet in Regnum niſi petitus, & vocatus à Rege fuiſſet; ſi quid autem Cardinalis non vt Legatus, ſed vt Cardinalis dicere, aut proponere à Pontifice Regi vellet, ſibi liceret, impetraturus ſine dubio niſi iuribus, & priuilegijs Regiæ Coronæ officeret. Ad quæ reſpondit Cardinalis nec fuiſſe, nec eſſe, nec fore ſui animi per ingreſſum ſuũ in Angliam, neque per alia facta, aut facienda, legationem ſine permiſſu Regio exercere, nec iuribus, priuilegijs, ac libertatibus, aut conſuetudinibus Regis, aut Regni in aliquo derogare, ſed ea conſeruare ac defendere.

Felix Cõtelorius in Elencho.

Ciacconius

Panuinius

Aubery in vita.

Henricus Spondan. in Annal. Eccleſiaſt.

Scribit nihilominus Polidorus Henricum non mediocrem militum numerum in Germaniam tranſmittendum confeciſſe. Ad Cardinalis aduentum in Bohemia tres inſtituti ſunt Catholicorum exercitus, & ab ijs obſeſſa Vrbs Miſna, quam priùs recuperare viſum fuerat, quàm vltra procederent. Allato Nuncio Hæretici collecto raptim milite in eos properarunt. Catholici nondum viſo hoſte, fugæ ſeſe dederunt, admirante Cardinale, tot Ducum, tot fortium virorum pauidam, ac fœdam fugam, & hortante, ſed fruſtra magnis precibus, vt redirent in hoſtem omni ex parte debiliorem. Hoc infelici exitu Catholici afflicti arma depoſuerunt, ac ſtudium, & diligentiam omnem ad ſe ſuaque defendenda ab Hæreticis adhibuerunt; Henricus poſt pugnam in Angliam redijt, & nouo milite collecto, in Gallias ſe contulit, vt Anglis adiumento eſſet.

Rem aliter narrat Polidorus in hiſtoria Anglicana ſcribens Henricum Cardinalem militum numerum non mediocrem in Germaniam tranſmittendum confeciſſe; iamque milites naues conſcendere cœpiſſe; cum à Duce Bethfordiæ Regni Gallici pro Anglis Rectore ad Gloceſtrenſem literæ allatæ ſunt, quibus nouum militum ſupplementum petebat. Gloceſtrenſem magna affectum ſollicitudine, quòd nec commoditas, nec ſpatium eſſet noui delectus habendi, Cardinalem rogaſſe, vt primùm ad Bethfordienſem cum ſuis copijs deflecteret; & Cardinalem ne ſuis deeſſet, tranſmiſſo mari Lutetiam ad Bethfordienſem acceſſiſſe. Cum enim animaduertiſſet Bethfordienſis pleraſque Francorum Ciuitates, quæ ab Anglis occupabantur, maximè cupere eorum iugo liberari, propterea de ſumma rerum decertare quæſiſſe. Contra verò Carolus Galliarum Rex prudenter conſiderans, & exemplis præteritis edoctus, quanta ſit præliorum alea, ac ſimul per immiſſos exploratores intelligens Ciuitates paratas eſſe quamprimum tentare defectionem, adeoque Anglos ſine certamine breui tota Gallia expulſum iri, in animum induxit ſuum, nunquam niſi coactum omnino fortunæ ſe committere. Quare ſublata certaminis occaſione Henricum Legatum in Germaniam perrexiſſe, ac rem Chriſtianam aduerſus Bohemos pro virili parte iuuiſſe, manſiſſeque aliquot menſibus. Ita Polidorus, quem tamen confudiſſe tempora non dubitamus. Cum enim Michouius, qui res ſingulas per annos accuratè diſtinguere conſueuit, Cardinalem vnà cum Electoribus Imperij intraſſe in Bohemiam anno 1428. & paſſum fugam eodem anno ſcribat; & ex Annalibus Francorum conſtet eundem Cardinalem in Galliam perexiſſe cum exercitu anno 1429. tempore Ioannæ puellæ; inde colligere poſſe videmur priùs Cardinalem ex Anglia in Germaniam nauigaſſe, & accepta clade mox in Angliam rediſſe, ac rurſum in Galliam euocatum eò perrexiſſe, vt diximus.

Pertinet ad hanc Bohemicam legationem Henrici, quòd Krantzius narrat, veniſſe ab Vrbe Roma in Saxoniam Germaniæ Prouinciam ſpecie Nuncij Apoſtolici quendam falſarium nomine Marcellum cum fratre ſimulante Hoſpitalarium S. Ioannis; fuiſſe verò carnales fratres, & ambos profeſſione Minores, religioſa veſte proiecta, literas prætuliſſe Apoſtolicas, quibus promittebatur Indulgentia plenaria dantibus pro redemptione captiuorum. Cum per alia loca multam collegiſſent pecuniam, Lubecæ detectos, ab Epiſcopo, vt falſarios, mortuo breui fratre Marcellum ſecretò abceſſiſſe: cum verò interim Epiſcopus rem ſummo Pontifici ſignificaſſet, Pontificem Cardinali Anglico Legato in Bohemia, & in Germania mandaſſe in falſarium iure agere. Captum igitur denuo, & fallentem cuſtodes, qua in arte mirabilis erat, ac rurſum interceptum, publico iudicio conuictum damnatum eſſe ad carcerem perpetuum Coloniæ. Sed poſtea ab Archiepiſcopo Colonienſi, cum quid incommodi pateretur, & is medicinam polliceretur, è carcere eductum, in Regna Aquilonis perueniſſe.

Ingentes collegit diuitias Henricus Cardinalis, vnde & Diuitis cognomẽtum conſecutus eſt; immenſas tamen auri ſummas in egenos, captiuos, & carceribus detentos, ac pia opera legauit, vt habet Arpſfeldius aſſerens inſuper magno illum & Regi, & Regno Anglicano ſua prudentia, conſilio, & opibus præſidio fuiſſe. Ad incrementum bonarum artium Oxonij duo conſtruxit Collegia, quorum alterum Defunctorum animarum, alterum D. Bernardi memoriæ, quem peculiari inter ceteros Sanctos ratione coluit, conſecrauit. Cantuariæ Bibliothecam reparauit, ac lectiſſimis Libris repleuit; Vvintoniæ Xenodochium extruxit. Pacem inter Carolum VII. Francorum, Henricum VI. Anglorum Reges, & Philippum Burgundiæ Ducem iuijt.

Demum multis prudenter, ac piè geſtis, in Anglia ſupremo defungitur die, tertio Idus Aprilis, anno 1447. atque in Eccleſia Cathedrali, non Cantuarienſi, ſed Vvintonienſi humatus eſt in tumulo, quem ipſe ſibi viuens conſtruxerat cum hac Inſcriptione.

TRIBVLARER SI NESCIREM MISERICORDIAS TVAS.

Scripſit Henricus, vt refert Piſæus quædam Decreta Synodalia de Ferijs ſcilicet, & de Clericis coniugatis.



XI.

IOANNES Pragenſis, aliàs Ioannes Germanus dictus, ex nobiliſſima, & peruetuſta familia Bucca natus, ex Lytomiſſenſi ad Olmucẽſem ſedem poſtulatus variam fortunam expertus eſt, aduerſante Vvenceſlao Romanorum, & Bohemiæ Rege. Ad cuius importunitatem, vt narrat Auguſtinus Brunenſis Præpoſitus in Catalogo Olmucenſium Epiſcoporum, quidam Alio Canonicus Viſſegradenſis fauore Hæreticorum, & Conradi Archiepiſcopi Pragenſis, per factioſos quoſdam Canonicos Epiſcopus Olmucenſis electus fuit. Verùm cum ea de re coram ſacro Concilio Conſtantienſi diſceptatum eſſet, Ioannis electio approbata eſt; adeo vt non modò in Cardinalium cœtum ſub titulo S. Cyriaci in Thermis, non in ſecunda, ſed in quarta Cardinalium enunciatione à Martino V. facta, fuerit aggregatus, ſed etiam vniuerſo Clero, & populo illi occurrente, ac plaudente ſedi Olmucenſi reſtitutus. Dubitat tamen de veritate huius hiſtoriæ Aubery; nam ex Germaniæ ſcriptoribus ſcimus Ioan-

Ciacconius

Panuinius

Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciacconiũ.

Felix Cõtelor. in Elencho.

Sebaſt. Riuald. in arbitros. familiæ Buccæ.

nem non-

nem nonniſi anno 1426. electum fuiſſe Epiſcopum Olmucenſem, ſeptem annis poſt Vvenceſlai Romanorum Regis obitum. Hic non modò Pontificem, ſed fortiſſimum etiam militem, & imperatorem geſſit, Hæreticorum copijs ipſius auſpicijs ſæpe fuſis; cum is cataphracto etiam equo inſidens, inſtructis eorum aciebus occurrere haud dubitaret, ob id vulgo *Ferreus* nuncupatus eſt. Cum laudabiliter Eccleſiæ Olmucenſi præſediſſet, Strigonij, adhuc Martino viuente è vita exceſſit menſe Decembri anno 1430. & Vaccii ſepultus. Ciaconius ſcribit Ioannem hunc poſt Olmucenſem, Pragenſem rexiſſe Eccleſiam; ſed ex laudatis in margine ſcriptoribus ſcimus illum obijſſe Epiſcopum Olmucenſem. Dictus eſt autem Ioannes Pragẽſis, non quòd præfuerit Eccleſiæ illi; ſed quia ea in Vrbe natus eſt ex nobili, vt diximus familia Bucca; quæ pro inſignibus gerit ſcutum, in cuius ſuperiori parte Aquila, in inferiori verò tres vndatæ faſciæ viſuntur.

Ciaconius

Panuinius

Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon. & in Ital. ſac.

Ibid. Vgon. & Azol. in Pompeo Senenſibus.

Hippolit. Marrac. in Purp. mar.

Hier. Gigimbert.



XII.

ANTONIVS Caſinus, Franciſci, ſeu ex alijs Ioannis Caſini nobilis Senenſis, & N. Capocciæ Romanæ neptis ex ſorore Martini V. filius fuit; Franciſcum Caſinum, Antonij Cardinalis ex aliquibus, vt diximus patrem, celebrem ſui æui medicum Vrbanus VI. Romanus Pōtifex apud ſe dum vixit, retinuit. A parente in bonarum artium ſtudijs educatus Antonius ad Iuriſprudentiæ ſtudium ſe contulit, in quo laurea Doctoratus acquiſita, Plebaniam Signanam primùm obtinuit, poſtea Cathedralis Florentinæ Canonicus, ac Vicarius illius Eccleſiæ, ac Tuſciæ Subcollector eſt declaratus. Quibus gradibus auctus, ad Romanam Curiam ſe contulit, ibique apud Romanos Pontifices auctoritate plurimùm valuit. Cameræ Apoſtolicæ primò Clericus, tum Piſaurienſis Epiſcopus, ac Romani Pontificis Theſaurarius, & Bononiæ Prolegatus dictus eſt. Piſaurienſem Eccleſiam cum Groſſetana commutauit; demum ad Senenſem Epiſcopatum tranſlatus, Eccleſiam illam pluribus annis ſanctiſſimè rexit. In Cathedrali Senenſi ſancti Sebaſtiani M. ſacellum erexit, & illud pretioſis donarijs locupletauit: tandem Martinus inter Purpuratos Patres illum cooptauit titulo S. Marcelli, & ſemper dum vixit in conſilijs habuit. Senenſem Cathedram dimiſit anno 1427. eamque Bernardino Senenſi Minoritæ ſanctitate celeberrimo, Martini V. ſummi Pontificis iuſſu committi curauit: vt conſtat ex ipſius Cardinalis literis, quas mox ex Ferdinando Vghellio reſcribam.

MAGNIFICIS, ET EXCELLENTISSIMIS DD.

Prioribus, Conſilio, Communi, ac Capitaneo populi ciuitatis Senarum, amicis noſtris chariſſimis.

A. Card. ſancti Marcelli.

Magnifici, & Excellentes Domini. Hac mane ſanctiſſimus Dominus Noſter de Eccleſia Senenſi prouidit Reuerendo in Chriſto Patri Domino Fratri Bernardino de Senis, de quare Sua Beatitudini inſtantiſſime ſupplicauimus. Et ſicut in hoc operati fuimus, ita in omnibus vobis grati, & iuxta vota veſtra faciemus. Romæ die quarta Iunij, anno 1427.

Patriæ tamen, & aliarum Ciuitatum infulas humilitatis gratia Bernardinus longiùs à ſe repulit dicens, *Non ſe miſſum à Domino baptizare, ſed euangelizare.*

And. Victorel. in Addition. ad Ciacō. Felix Cōtelorius in Elencho. Aubery in vita.

Poſt Martini obitum interfuit electioni Eugenij IV. cui ſummè gratus, & charus ſemper fuit; Archipresbyteratum Baſilicæ Liberianæ obtinuit, & retinuit vſque ad obitum. E vita migrauit non Romæ, ſed Florentiæ die 4. Februarij anno 1439. inde tranſlatus ad Vrbem in Baſilica ſanctæ Mariæ Maioris ſepultus, vti in ſupremis tabulis iuſſerat, cum hac ſepulchrali inſcriptione.

SEPVLCHRVM ANTONII CASINI DE SENIS TITVLO S. MARCELLI PRESBYT. CARDINALIS. QVI OBIIT IV. FEBR. MCCCCXXXIX.

Huic Baſilicæ ſextam ſuæ hæreditatis partem reliquit; in cuius tabulario hæc legi affirmat Paulus de Angelis in Deſcriptione eiuſdem Baſilicæ. *Antonius Caſinus Senenſis Cardinalis S. Marcelli a Martino V. creatus iacet in medio Eccleſiæ.* Vniuerſalem ex aſſe inſtituit heredem ſororem ſuam Agnetem, Monialem in Cœnobio Florentino, S. Apolloniæ ſacro, quæ nomine ſui Monaſterij hereditatem accepit cum oneribus expreſſis in ſupremis tabulis. Præter multa, quæ diuerſis Eccleſijs legauit, quatuor aureos florenos ſingulis annis erogandos ſanctiſſimæ Trinitatis Eccleſiæ ad ripam Arni ordinis Valliſumbroſæ largitus eſt, vt quolibet anno Anniuerſarium pro anima Angelæ ſororis ſuæ, & fratrum ſuorum ibidem quieſcentium à monachis celebraretur. Item Eccleſiæ ſancti Georgij pro anima Angelæ amitæ ſuæ, & Mariæ ſororis ſuæ, ac Petræ Monialis S. Apolloniæ quatuor florenos pro anniuerſario Officio faciẽdo. In Eccleſia Metropolitana Florentina duo ſacella fundauit, ac perpetuo cenſu dotauit, vt ex monumentis eiuſdem Eccleſiæ Carolus Strozzius ſpectatæ virtutis vir monuit Ferdinandum Vghellium qui tamen Antonium, non Senenſem, ſed patria Florentinum ex inueterata apud Florentinos memoria, tum ex monumentis Florentinis agnoſcit, & in eadem Ciuitate natum vult è familia Caſina populari quidem, ſed ciuili, & honeſta; quippe quæ olim in Republica honores, & dignitates obtinuerat. Nos tamen Cardinalem hunc ex ſepulchrali Inſcriptione, atque ex ipſius Teſtamento cum Panuinio, Ciaconio, & alijs ſcriptoribus Vrbi Senenſi reſtituimus. Senis enim in Metropolitana Eccleſia ſeruatur Antonij huiuſce Cardinalis Teſtamentum, in quo Antonius de Senis ſæpiùs nominatur, vt ex fide publica ad me miſſa ab Aſcanio Piccolomineo Archiepiſcopo Senenſi apparet: non enim Antonius de Senis diceretur, ſi patria Senenſis non fuiſſet. Scribit laudatus Vghellius Antonium renunciatum Cardinalem, vt Senenſem populum, qui Florentinum ciuem, Epiſcopum Senenſem ægre ferebat, ſibi infenſum conciliaret, ſeſe Cardinalem Senenſem nuncupaſſe, ducta etiam Senas ex ſua familia colonia à Senenſi Republica ciuitate donata, quæ adhuc inter nobiles eius Ciuitatis floret. Hinc factum eſſe, vt Cardinalis hic ferè ab omnibus rem neſcientibus Senenſis patria ſit dictus. Si hæc vera eſſent, in ſupremis tabulis, quas ipſe confecit, & in ſepulchrali inſcriptione non diceretur Antonius de Senis, ſed Antonius Cardinalis Senenſis; de Senis enim ſemper patriam, Senenſis verò dignitatem aliquando indicant, vt videre eſt apud ſcriptores. Quare Andreas Victorellus in Additionibus ad Ciaconium hæc habet: *Antonius Caſinus vir Senenſis varia eruditione clarus, Apologia proſtlo conſcripta, qua Abbas Vghellius exiſtimans eum Florentinum memoriæ prodidit, cōfutauit, firmiſſimiſque argumentis verū illum præſtantis medici filium Senenſem patria extitiſſe aperte oſtendit.*

Superioribus annis in Eccleſia Cathedrali Senenſi, cum ad ornatum ipſius Eccleſiæ dirutum eſſet Altare, erectum olim ab Antonio Cardinali, & inſignibus proprijs ornatum, ne tanti viri memoria periret, Annibal de Aciaria nobilis Senenſis inſcriptionem hanc a Fabio Chiſio nunc ALEXANDRO VII. ſcriptam affigi curauit.

Antonio Caſino Franciſci F. Bartholomæi N.
Cameræ Apoſtolicæ Clerico, Theſaurario
S. R. E. Presbytero Cardinali tit. S. Marcelli
Ob vtriuſque Iuris peritiam, atque prudentiam
Martino V. & Eugenio IV. Summ. Pont.
A Conſilijs intimis, ac ſummè caro
Cuius Cinis Romæ ab An. MCCCCXXXIX. in Aede
S. Mariæ Maioris diem reſurrectionis expectat.
S. P. Q. Senen. Ciui optimo, Paſtori ſuo vigilantiſſimo
Annibale de Aciaris Aedituo cur. Mem. cau. Poſ.
A. D. MDCLIII.



XIII.

ARDICINVS de la Porta ſenior, nobilis Nouarienſis, vtriuſque Iuris Doctor, qui Conſtantienſi Concilio interfuit, ex Aduocato Conſiſtoriali, & Clerico Cameræ Apoſtolicæ ac literarum Apoſtolicarū Correctore, à Martino V. renunciatus eſt Diaconus Cardinalis SS. Coſmæ, & Damiani. Mortalia Romæ deſeruit ſub Eugenio Quarto, Martini ſucceſſore, die 9. Aprilis ex Contelorio, ex alijs verò 5. Idus Auguſti anno 1434. tumulatus in Vaticanæ Baſilicæ Cryptis iacet, hoc addito elogio.

Ciaconius

Carol Carthar. in Syllab. Aduocat. Cōſiſtor.

Carol. Epiſcop. in Nouara.

Aubery in vita.

Panuinius

Felix Cōtelor. in Elencho.

Nomencl. Cardinal.

Hic de la PORTA iacet ARDICINVS, vtroque
Iure tenens primum Doctor in Orbe locum:
Primus, & orabat per Conſiſtoria cauſas,
Iuſtitiam ſumma Religione colens:
Poſt ad Cardineum meritò exaltatus honorem,
Inter Apoſtolicos ſedit, & ipſe Patres.
Talem Roma tibi Lombarda Nouaria miſit
Inſignem generis nobilitate virum.

Hunc Cardinalem ſignificari exiſtimo ab Aenea Siluio in epiſtola 16. ad Gaſparem de Fara eius diſcipulum Nouarienſem, cuius auunculum Cardinalem dicit.



Inſignia aſſũpta in Cardinalatu.



Inſignia familiæ Albergatæ.

XIV.

FR. NICOLAVS Albergatus non modò ordinis Carthuſianorum, ſed Eccleſiæ ſanctæ decus, & ornamentum, Bononiæ, quæ eſt inter Italiæ Vrbes celebris, natus eſt anno à partu Virginis 1375. gente in primis vetuſta, ac nobili, cuius antiquitatem vetera eiuſdem Ciuitatis monumenta ſatis declarant. Ex ijs enim conſtat Albergatos circa annum Chriſti 1200. ædes celeberrimi nominis in ea Vrbis parte, in qua nunc quoque habitant, incoluiſſe; inde in diſſidijs, ac diſſenſionibus domeſticis, & inteſtinis, quæ Bononiæ deinceps emerſere, crebra, ac perhonorifica Albergatorum mentio facta reperitur. Nam anno 1334. ad veterem ſtatum Ciuitatis reſtituẽdum ipſa in primis inter alias quaſdam primarias familias affuiſſe narratur à Carolo Sigonio: ac mox ex ijs Petrus Nicolaus, Cardinalis noſtri parens potiſſimùm prædicatur, qui cum Bononiæ primùm Tribunos plebis, nouæ Adminiſtrationis ergo creari placuit, vnus fuit, ad quos inchoandi Magiſtratus inſignia, & quidem maxima cum auctoritate tunc temporis delata ſunt.

Ex hac igitur gente ſatus Nicolaus anno, vt diximus noſtræ ſalutis 1375. patre Petro Nicolao, matre Philippa Chioppetta, Bartholomæi legum Doctoris, ac Profeſſoris præſtantiſſimi vnica filia, illorum cura, ac ſtudio humanioribus primùm literis, vbi per ætatem licuit, imbutus eſt; tum verò maximè Iuris ſcientia, quæ in ea Vrbe vigebat, in qua magnum doctrinæ ſpecimen exhibuit. Cum autem confecto ſtudiorum eiuſmodi ſtadio, & curſu in eadem ipſa celeberrima Bononienſi Academia per plures annos Iuri operam dediſſet, iamque Doctoratus laurea donandus videretur, ad grandiora, D & altiora vocatus, atque ad ſcientiam ſanctorum in ſchola Religioſi ſtatus aſpirans, ſenſit ſe incredibili vitæ ſolitariæ apud Carthuſienſes monachos amplectendæ deſiderio inflammari; quòd tamen nonniſi peculiari Dei nutu, atque conſilio contigit, occaſione nata quam hic refero. Fortè ad Monaſterium eiuſdem ordinis, quòd eſt extra Pomœrium Ciuitatis, grato & amœno loco ſitum, aliquando recreandi animi cauſa, vt fit, pergebat Nicolaus, cum coorto imbre vehementi, à muris ipſius Ciuitatis excluſus, atque in Carthuſia pernoctare compulſus, fratribus ad Matutinas laudes conuenientibus, & ipſe in ædem ſacram acceſſit, vbi pro illo per noctis ſilentium Angelicæ turbæ concentu captus, ac delinitus, tanquam alter Auguſtinus de conuerſione ſua Dominum alloquens: *quantum* inquit, *fleui in Hymnis, & Canticis dulciſonantis Eccleſiæ tuæ:* & quaſi vocem illam Domini per Prophetam audiſſet; *ducam eam in ſolitudinem, & ibi loquar ad cor eius;* iiſdem monachis protinus aggre- E gari petijt, ac poſt aliquot dies haud magno negocio impetrauit.

Adſcriptus inter ſacros illos Aſcetas anno ætatis ſuæ vigeſimo, noſtræ ſalutis 1395. ita in omni Religionis ordine, vigiliarum aſſiduitate, obedientia, humilitate, alijſq; Congregationis huius quamuis arctiſſimæ, ac ſeueriſſimę legibus, & generatim in vniuerſis monaſticæ Religionis officijs ſe probauit, vt à cunctis non humano caſu, aut impulſu, vel ſuſcepto leuiter conſilio, ſed inſpirante Deo, arduum hoc inſtitutum arripuiſſe ſit iudicatus. Qui etiam elapſis aliquot annis ab expleto illius tyrocinio, ea prudentiæ, ac religioſi animi documenta dedit, vt Cœnobijs primùm Florentino, & Bononienſi, deinde etiam Romano, & Mantuano, cuius fundamenta iecerat, Præpoſitus fuerit, ac Procurator generalis totius ordinis in F Romana Curia ex aliquorum teſtimonio conſtitutus. Demum poſtea ob eximiam integritatis, ac ſapientiæ laudem vbique celebratus, Bononienſis Eccleſiæ Antiſtes magna Cleri, ac populi conſenſione anno 1415. delectus eſt.

At Nicolaus, qui luces hominum, & frequentiam iamdudum fugerat, neque Epiſcopalis officij difficultates, & curarum molem ei annexam ignorabat, auditis electionis ſuæ latoribus, qui ad eum priuatim, & publicè gratulabundi venerant, atque vt ad Vrbem quantocius conferre ſe vellet, inuitabant; omnino ſe in hanc ſtatus mutationem conſenſurum negauit. Quem vbi conſtantiſſimè, imò pertinaciſſimè honore ſe dedi eſſe animaduerterunt, eumque ſemper in deliberatis amplius obfirmatum, ad nouas artes confugerunt; A quò ipſius humilitatem, & honorum fugam vincerent. Cum enim præ alijs, quas obtendebat, excuſationibus, vt preces, ac poſtulata amicorum de admittenda hac dignitate, quibus vehementer oppugnabatur, aliquo modo à ſe propelleret, ac rogantium impetum frangeret, illam præcipuè oppoſuiſſet, ſe ſine Prioris magnæ Carthuſiæ, qui vniuerſi ordinis præfectura ingerit, eiuſque generalis Capituli aſſenſu quicquam agere poſſe; ſubitò miſſus eſt in Galliam, qui totius Ciuitatis, ac Diœceſis Bononienſis nomine à venerandis illis ſacræ huius Eremi patribus Nicolaum Epiſcopum ſibi concedi ſummi beneficij loco peteret. Quibus non annuentibus modò, ſed etiam ex auctoritate Nicolao præcipientibus, atque inſuper monentibus, vt Dei voluntati ſibi ſignificatæ morem gereret, ac impoſitum onus ſubire vellet, vocantes, ſeu veriùs trahentes ſequi ſtatuit.

Sed alio adhuc interpoſito moræ genere, cogitans Romanam ſedem vacare ob priuationem Ioannis XXIII. in Concilio Conſtan- B tienſi nouiſſimè factam, aſſeruit ſibi nefas eſſe abſque Rauennatis Metropolitæ, cui tunc Bononienſis Eccleſia ſuberat, confirmatione, illius poſſeſſionem adire, quam cum petitam facilè poſt paululum obtinuiſſet, qui rogabat ipſius Ciuitatis Orator, victus tandem omni ex parte remanſit; præſertim ipſo Rauennatenſi Archiepiſcopo, ad quem inaugurandum ductus eſt, cum eundem adhuc animo fluctuantem, & quid ageret hæſitantem videret, diuini iudicij metum comminante, ſi Eccleſiam illam diutius Paſtore orbatam relinqueret, ac Deum rationem ouium ſibi commiſſarum in tremendo iudicio eſſe ab illo repetiturum. His nanque verbis Nicolaus quaſi ex ipſius Dei ore emiſſis exterritus, atque vltra repugnare non auſus, ab eodem in æde ſacra Bononienſis Carthuſiæ conſecrari ſe paſſus eſt, & inde cum Magiſtratibus Vrbem pontificaliter, vt aiunt, ingreſſus, vſque ad S. Stephani equitando ſub holoſerica vmbella proceſſit; ac poſtea pedibus ſine calceis ad S. Petri Baſilicam pergens, Eccle- C ſiæ ſuæ poſſeſſionem, plaudente præ lætitia populo, ſolemniter iniit. Sed eam quoque tunc conditionem addidiſſe ait Poggius notatu digniſſimam, nimirum, vt bona & Caſtella eiuſdem Eccleſiæ, quæ deſtructa erant, publici Magiſtratus auctoritate reſtituerentur. Synodum illico conuocauit ad Eccleſiaſticorum mores corrigendos; Seminarium erexit; mulieres, quæ meretricium faciebant, in anguſtam Ciuitatis partem certam coercuit.

Euectus per ea tempora in Conſtantienſi Concilio ad Petri ſedem Martinus V. per quem depulſis horrendi, ac diuturni Schiſmatis noctibus, optata pacis Eccleſiaſticæ dies Orbi Chriſtiano illuxit; cum ſciret Nicolaum in manſione ſua Bononienſi ſibi, & Eccleſiæ ſanctæ perutilem, vt adeundi ſui ad fidelitatis ſacramentum præſtandum iuxta antiquum Eccleſiæ morem, labore leuaret, iuriſiurandum illud apud Mutinenſem, aut Imolenſem Epiſcopos concipiendi copiam fecit hiſce literis, quas ex Albergatæ gentis Archiuijs erutas in Commentarios de huius Cardinalis vita retulit, ac publici iuris fecit Carolus Sigonius, ac ſunt tenoris ſequentis.

MARTINVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Venerabilibus fratribus Mutinenſi, & Imolenſi Epiſcopis Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Cum Nos nuper electionem de perſona fratris Noſtri Nicolai Epiſcopi Bononienſis per dilectos filios Capituli Eccleſiæ Bononienſis ad eandem Eccleſiam tunc paſtoris ſolatio deſtitutam, nec non eiuſmodi electionis confirmationem, & conſecrationis impenſionem eidem Nicolao Epiſcopo per venerabilem fratrem Noſtrum Thomam Archiepiſcopum Rauennatem, auctoritate ordinaria, ſede Apoſtolica vacante factas, de fratrum Noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica duxerimus ratificandas, ac etiam approbandas. Nos E *volentes eiuſdem Epiſcopi in illis partibus commorantis parcere laboribus, ac expenſis, nè per hoc cogatur veniendo ad Romanam Curiam perſonaliter laborare, fraternitati veſtræ auctoritate præſentium committimus, ac mandamus, quatenus ab eodem Epiſcopo, Noſtro, & Romanæ Eccleſiæ nomine, fidelitatis debitæ recipiatis, ſeu alter veſtrum recipiat iuramentum iuxta formam, quam ſub Bulla Noſtra mittimus interclusam.*

Nicolaus deinde Orator à Bononienſibus ad Pontificem congratulationis ergo deſtinatus Martinum Mantuæ degentem inuenit, cui cum ſolitam, ac debitam exhibuiſſet reuerentiam tam ſuo, quam nobiliſſimæ illius Ciuitatis nomine, & quæ ſibi mandata fuerant, expoſuiſſet, ac totum ſe Pontificis auctoritati, ac iudicio permiſiſſet, F perbenignè ab eo acceptus eſt, licet non mediocriter ipſi à ſe, & ab Apoſtolica ſede alienatæ Vrbi offenſo, tantoque in honore habitus, vt eum in palatio, quo ipſemet habitabat, locum habere voluerit, ac multa ſupellectile ſacra donauerit, literas Apoſtolicas, ſeu Diplomata Confirmationis ſuæ, eidem gratis conceſſit, ac neceſſaria quæcunque ex ærario Pontificio, quantumuis tunc valde exhauſto ſubminiſtrari iuſſerit. Has illi gratias, & alias multo ampliores vltro conceſſit partim ob pietatis eius, ac ſapientiæ famam, partim etiam, quòd cum Bononiam ditionis Pontificiæ florentiſſimam Vrbem, nuper factionibus, ac variis conſilijs Canetulorum, ac Bentiuolorũ, quorũ hi poſtea illos expulerunt, ab ipſius Eccleſiæ temporali dominio ſeiunctã acerbiſſimè ferret Pontifex; quantũ ad illam recuperandam poſſet ſpectata Nicolai Epiſcopi auctoritas, non ignoraret.

Ciacconius Petrus in ... de vir. ... Carthuſi. Poggi' in Oratione funebri. Andr. Victorell. in Addit. ad Ciaconi. Io. Bapt. Zeno in vita. Carol. Sigonius de Epiſc. Bononien. Paul. Corteſius de Cardinalibus. S. Antoninus. Aloyſius Mannu. in Principe Eccleſiaſtico. Theodor. ... Biblioth. Carthuſ. Aeneas Sylvius in Comment. Polidor Virgil. in Hiſt. Anglicana. Blondus. Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon. & in Ital. ſac. Paſqual. Alidoſ. de Bonon. Ciuitate. Bonon. in Annal. Eccleſiaſt. Bonon. Caballinus in vita. Ludouic. Domus in vita. Aſcoldus Vrion in Lig. Vitæ. Platina in Pio II. Pomp. Vizan. in hiſtor. Bononienſi. Cardinal. Papienſ. in Epiſtolis. Petr. Dorlandus in Chronic. Carthuſ. Ant. Sand. in elogijs Cardin. Paul. Moroſinus in hiſtor. Veneta. Bonauent. Angel. in Hiſt. Parmenſi.

Scip. Ammirat. in Hiſt. Florentin. Iſber. Grimbert. Aubery in vita. Panuinius. Felix Côtelor in Elencho. Barth. Dulcin. de var. Bonõ. ſtat. Leand. Alberti in Deſcript. Italiæ. Gaſpar Bibaci de viris Bononien. ſanctit. Illuſtribus. Paul. Merula in Coſmograph. Franciſc. Amad. de Nobilitate Bononiæ.

Confectis igitur ſatis feliciter omnibus, quæ apud Pontificem agenda ſibi erant, negocijs, reuerſus Bononiam Nicolaus aliquandiu quietè Epiſcopali curæ incubuit; emendando namque Clero, vt potè nobiliori gregis ſui portioni vacans, quem ipſe ob ſuperiorum temporum vt ita dicam malitiam, ac bellorum, & Schiſmatum turbas diſſolutiorem inuenerat, laxiores, & molliores, ac penè fœmineas eius veſtes ad virilem, & honeſtum Eccleſiæ morem reduxit, omneſque illius miniſtros maiori quàm ante hac frequentia, & modeſtia diuinis officijs intereſſe præcepit. Cum porrò Iudæos inter Chriſtianos indiſcriminatim, & confusè verſantes animaduertiſſet rem mali exempli, ac pernicioſi ad Chriſtianæ fidei, & diſciplinæ corrumpendum propoſitum incitamenti iudicans, eos luteum in capite circulum geſtare iuſſit, quo à ceteris dignoſcerentur, & feſtis diebus clauſas habere tabernas, atque ab emendis, & eſitandis publicè ſacro Quadrageſimæ tempore carnibus abſtinere. Mox vſuras eorum grauiores, & liberiores coercuit; nam cum ſenos denarios in ſingulas libras exigerent, quaternis contentos eſſe ſtatuit. Vt verò collapſam Cleri diſciplinam efficaciùs erigeret, præclaras Conſtitutiones pridem à Bernardo Bononienſi Epiſcopo ſanctè, ac ſapienter editas, quæ iam obſoleſcere cœperant, reuocauit. Tum ad Monaſteria, quæ præteritorum temporum calamitate à prioris instituti puritate deflexerant, reſtauranda conuerſus, duas Canonicorum Regularium domos ad vnum Priorem reſtituit, ac paucis illis veteribus nouos è S. Georgij in Alga Cœnobio, in quo regularis obſeruantia vigebat, adiunxit. Alia verò duo eiuſdem ordinis Collegia ſodalibus planè deſtituta pijs Canonicis aliunde euocatis vniuit; & ſancti Saluatoris Monaſterium deinceps vocari mandauit. Poſtremò oculis in laicorum mores coniectis, eoſdem reformare ſtudens, ludos aleatorios magno animi ſui dolore per Vrbem nimium frequentes eſſe comperiens; ita vt ciues non ſolùm ad illos celebrandos cum inſigni ſcandalo, Deique offenſa palam, ac impune conuenirét, verum etiam publicum ea de re vectigal institutum haberent; ipſe peſſimam hanc conſuetudinem adeo improbauit, vt in eos, qui illam tenerent, edicto grauiore propoſito, conuenticula illa damnarit, & vectigal inde collectum in ſubleuandos pauperes pro inſito charitatis ſtudio, vel in fabricam Baſilicæ S. Petronij conferri voluerit. Adueniente etiam illuc ſub eoſdem dies S. Bernardino Senenſi viro Apoſtolico ordinis S. Franciſci, qui ſpiritu Dei plenus vniuerſam Italiam peragrabat, & igniris verbis omnes quoad poterat ad virtutis amorem, ac peccati horrorem, & odium vehementer incendebat, peramanter illum excipiens hortatus eſt, vt inter concionandum pro more ſuo in foro, cum cetera populi vitia reprehenderet, tum maximè in aleæ ſtudium, cui deditiſſima erat Ciuitas illa, vehementiùs inueheretur. Quod ille pro gradibus S. Petronij ſtans audiente frequenti admodum plebis multitudine, vt erat animarum ſalutis ſitientiſſimus, præſtitit potentiſſimè, atque ita prauum illum, & inueteratum ludendi modum coarguit, vt ab eo damna, probraque omnia cum manifeſta Dei hominumque iniuria promanare dictitaret. Errare enim, inquiebat, ſi quis aleatorem vno tantùm ſe obſtringere putat ſcelere, immò omnia in ſe piacula côcipere, quem eiuſmodi occupatio, ſtudiumue delectat. Enimuero vt pernicioſam, & irrecuperabilem temporis iacturam omittam, cuius à Deo exacta demum ad calculum ratio repoſcetur, non ſolùm patrimonium proijcit ſuum, quòd ad vitam ſuſtentandam, ac ſenectutem ſubleuandam, & ſibi, & Chriſti pauperibus debuit conſeruare; ſed etiam inuadit alienum, cum ciui, & ſæpiſſimè amico eripit id, quòd ſi boni viri, aut ciuis officio fungi vellet, promptum cuſtodire ad duriora illorum tempora conueniret. In victoria profuſus, & inſolens, in offenſione adeo veſanus, & amens, vt quam iram in ſe exercere deberet, eam ſæpe in vxorem innoxiam, & in ipſum Deum vertat, ac modò Deum, aut Virginem glorioſam, impura, & petulanti lingua proſcindat; modò ea cœcitate animi rapiatur, vt ferro in earum imagines ſanctiſſimas irruat, quòd flagitium ipſi ſæpe præſenti inflicta plaga, atque vltimo illato ſupplicio vindicarunt. Quæ omnia cum opportuna exemplorum, ac diuinorum oraculorum auctoritate firmaret, ac magno animi ardore, ſummaque pro rei grauitate, dicendi copia exaggeraret, tantum profecit, vt multi iuſto luſus odio incitati abacos, calculos, tabellas, teſſeras, ceteraque prædictæ aleæ inſtrumenta ad eum deferrent; quæ cuncta poſt 4. nonas Maij in foro, populo ipſo approbante combuſta ſunt. Quòd videns Nicolaus noſter, qui Diuo Bernardino ſanctæ huiuſmodi ſementis in agro Diœceſis ſuæ Bononienſis ferendæ auctor fuerat, incredibili gaudio perfuſus eſt, quòd tantus inde fructus, ac meſſis exurgeret.

Inter hæc cum Baſilica Bononienſis, quam Cathedralem vocant, & Aedes Epiſcopales inſtauratione indigerent, ne id quidem ſibi prætermittendùm eſſe duxit: itaque Campanarij ſummitatem è lignea lapideam fecit, ac totam laminis plumbeis cooperuit; vt ex ſubiecta Inſcriptione a Paſqualino allata conſtat.

Campanarij huius faſtigium
A NICOLAO ALBERGATO CARDINALE
Epiſcopo Bononienſi inſigni virtute, & pietate viro ex ligneo lapideũ factũ, & plumbo contectũ A. 1426. Canonici vetuſtate conſumptũ notabili impenſa plumbo retexerunt A. 1603.
Alphonſo Paleotto Archiepiſcopo.

In Epiſcopio verò aulam inſignem miræ amplitudinis, & cubicula permulta ædificauit, nec non Bibliothecam magna, & copioſa ſupellectile librorum inſtruxit, quos in morte ſacris locis ferè omnes ac Monaſterijs legauit ad publicam vtilitatem. Et tamen cum pio huic reſarciendorum ſacrorum ædificiorum operi totus incumberet Nicolaus, ac pridem eſſet à deceſſoribus ſuis impoſitum Bononienſibus tributum pro S. Petronij, quòd eſt maius Templum, fabrica, ille potiorem habens egenorum curam, ipſos eiuſdem tributi perſolutione abſoluit, ac proprijs ſumptibus opus omne perfecit.

Neque externis hiſce tantùm operibus, ſed exemplo quoque ſuo, quòd plurimum valet ad permouendos hominum animos, populum in viam ſalutis induxit Nicolaus. Auctus quippe Bononienſibus infulis non propterea monaſticam vitam, & obſeruantiam deſeruit, quinimo illam cum Epiſcopali ſublimitate coniunxit. Eadem ſiquidem ipſi fuit in corde humilitas, in veſtitu intimo vilitas, in aſpectu pudor, eadem cibi, ac potus abſtinentia, in cilicio, & ieiunijs aſperitas, atque in fundendis ad Deum precibus aſſiduitas. Nam & carne perpetuò ſibi interdixit, nec ſe vnquam in culcitra collocauit, ſed in victu, cultu, ac ſtratu, Carthuſienſium regulam ad extremum vſque vitæ ſpiritum inuiolatè ſeruauit. Sanè cum Romæ moraretur, domum iuxta Eccleſiam S. Pudentianæ conſtruxit, in qua & habitauit remotus à ſtrepitu populari.

Facultates verò Eccleſiaſticas iuxta ſanctiones Canonicas ita diſtribuit, vt poſt moderatum illarum vſum, qui ſibi, ac ſuis ſufficeret, reliquum ſacris ædificijs reparandis, ſuſtentandis in opibus, ac maximè puellis nubilibus, quæ dote carerent, collocandis impertiretur. Erat enim, vt iam diximus, in egenos ac pauperes, Clericos præſertim beneficentiſſimus, neminemque ex illis à ſe vacuum, aut indonatum abire patiebatur. Nec ſatis illi erat, quòd ijs, qui ad illum ſtipem rogaturi ventitabant, larga manu ſuccurreret, aut confluentibus ad ipſum tanquam charitatis, & miſericordiæ fontem mendicis victum publicè ſubminiſtraret, niſi etiam per Vrbem aſſiduè, & occultè perquiri faceret eos, qui egeſtatem paterentur, ac erubeſcerent, quos frumento, vel pecunia clanculum domum miſſa ab inopia ſubleuabat. Suis autem, id eſt ſibi côſanguinitate coniunctis nihil vnquam ex bonis Eccleſiæ tradidit, aſſerens diſpenſatorem ſe à Deo, non Dominum, aut largitorem eſſe conſtitutum, nec Eccleſiæ redditus ad familias Clericorum aut Epiſcoporum locupletandas, ſed ad ſuſtentandas in primis egentium turmas eſſe conceſſos. Immò affinium ſuorum neminem ſecum domi eſſe volebat, perturbare illos dicens, reliquam familiam, dum ſibi omnia deberi, ac patrimonium Chriſti ſuum eſſe putant, & ad ſanctuarium Dei hereditate poſſidendum aſpirant. Ijs autem, qui familiariter illi miniſtrabant, ampla ſalaria, ſeu ſtipendia pro ſui obſequij ratione, non tantum annua, ſed menſtrua quoque perſolui faciebat, ne pro iniurijs quandoque ſupplicare, aut de ſpiritualibus illis ſatisfacere cogeretur. Familiam habuit moribus magis, quàm numero ſpectatam, de qua pulcrum eſt legere, & audire quæ à Iacobo Zeno Epiſcopo Feltrenſi, tanquam oculato teſte recenſentur. *Habitabat,* inquit, *Florentiæ apud ſancti Spiritus Aedem,* quæ eſt Eremitarum S. Auguſtini, *eumque ibi nos cum primùm ad Curiam acceſſimus, commorantem conuenimus, & ſalutauimus. Habitabat autem ſatis anguſte, & familia ingenua quidem, & optime honeſtiſſimeque morata, & inſtituta, verum non lauta nimis, & compta, ſed modeſta omnino, & qua Præſulis ſanctimoniam ſignificaret. Ipſe verò maxima apud omnes veneratione erat, neque quicquam dignius, aut diuinius in ore hominum verſabatur.* Hæc Zenus: quæ quamuis præclarè non minus quàm perſpicue dicta, ampliorem tamen adhuc lucem accipiunt à Poggio, qui de hac ipſa re copioſiùs ita loquitur. *Cum multis pompa, & apparatu rerum, ac magnificentia ſeculi Cardinalibus inferior videretur Nicolaus, virtute tamen, & continentia ſuperior omnibus erat, magiſque in eo modeſtia admirabilis erat, quam in ceteris ornatus, aut rerum cultus externarum. Virtutum namque comitatu contentus, ea negligebat, quæ ſpecioſa vulgus ducit, rectèque, vt ſapiens ille Bias, omnia ſecum ferebat, nullius exterioris cultus egens adminiculo. Non tamen obſoletam ſecum familiam habuit, ſed quæ ſatis culta eſſet, ac plus honeſtatis, quam ſplendoris circumferret, ita vt hinc contemptum fugeret, hinc ſuperfluitatem.*

Licet liberalis in omnes fuerit Nicolaus, in beneficijs tamen conferendis ſemper illos prætulit, qui virtute aliqua præcellerent, ac præſertim eruditis hominibus, vel aliquam elegantioris ingenij laudem habentibus mirificè ſtuduit, atque eis non ſolùm anguſtia rei familiaris oppreſſis præſtò fuit, ſed etiam quos ex illis idoneos eſſe iudicauit, ad honores Eccleſiaſticos, & Sacerdotia prouexit. Quo in numero duo ex ipſius domo, ac familia, quaſi ex quadam doctrinæ, ac ſanctitatis officina progreſſi inter Pontifices maximos, eoſque laudatiſſimos referri meruerunt. Vnus Thomas Sarzanenſis, quem ex domeſtico puerorum magiſtro ſibi ad ſcribẽdas epiſtolas miniſtrum aſſumpſit, ac poſtea Canonicatu inſigniuit. Alter verò Aeneas Siluius Picolomineus Senenſis, quem in legationibus ſuis non tam itineris comitem, quàm actionum, & conſiliorum participem habuit. PIVS II. hic in Pontificatu dictus, ille NICOLAVS V. quem in minoribus agentem, Albergati familiæ præfectum fuiſſe, ac nullum eo ſibi cariorem habuiſſe tradit Zenus. Tertius à ſelectis illis alumnis

fuit Fran-

fuit Franciſcus Philelphus, homo inſigni Græcarum, ac Latinarum literarum cognitione celebris, Orator, ac Poeta clariſſimus, à Pio II. *Muſa Attica* dictus, quem primò haud ſatis fortunę bonis inſtructum, in amicis intimis habuit Nicolaus, atque amplexus ita fouit, vt multis eum commodis, atque honoribus auxerit. Quibus addi poteſt præter alios Poggius Florentinus, qui Eugenio IV. & Nicolao Quinto à Secretis fuit; vir ſuo æuo doctiſſimus, ac eloquentiſſimus; adeo vt Nicolai Albergati beneficio per eos latinis idiomatis defæcata puritas refloruiſſe videatur. Si quem enim noſſet illa tempeſtate politioris literaturæ hominem, eum in ſuum contubernium, aut clientelam admittebat, vel apud Pontificem, ac Principes commendabat, aut ſuo ære, vt ad altiora gradum faceret, adiuuabat. Nec mirum ſi doctis adeo impensè faueret, qui præditus erat ipſemet rerum plurimarum ſcientia; nec literis tantum ſacris operam dabat; verùm etiam vbi aliquid otij ab oratione, & negocijs publicis ei ſupererat, humanioribus ipſe ſtudijs aliquãdo ſe recreabat, quantũ dignitatis, ac ingenij ſui grauitas pateretur, adeoq; doctos omnes eſſe cupiebat aut euadere, vt cũ aliquos noſſet adoleſcentes diſcendi cupidos, eis opem plurimam conferret, qua bonis literis imbuerentur.

Has verò omnes laudes cumulauit ſingularis illa humanitas, ac facilitas admirabilis, quam ad ſe accedentibus quibuſcunque paſſim exhibebat, quodque aditus ad eum non minus patebat Epiſcopum, ac ſi priuatus in ædibus ſuis egiſſet, aut monachus adhuc in humili cella conſideret. Quo veluti potentiſſimo philtro omnes ſibi facilè demeruit, quemadmodum ex ante dictis ſanctiores vitæ, quam profitebatur inſtitutis, eam apud ſuæ ætatis homines, probitatis, ac innocentiæ opinionem eſt conſecutus, vt cunctis eſſet admirationi. Ciues præſertim eius, illum inſolito ijs temporibus cultu venerabantur, ſi quidem & genua prætereunti ponebant, & capita profundè inclinabant, & in ſupplicationibus publicis multi nudis pedibus honoris, & reuerentiæ cauſa proſequebantur. Quamuis enim laudes hominum ille auerſaretur, fugientem tamen laus, & honor omnis inſequebatur, idque tacens, ac ſolo exemplo effecit, vt alius populus, aliuſue Clerus ab eo, quem in ſuo ad Epiſcopatum ingreſſu regendum ſuſceperat, eſſe videretur. Etenim facile eſt illi ceteros corrigere, aut ſalutis viã docere, qui ſibi ipſi bene viuendi legẽ indixit, ac faciliimè in officio continẽtur homines ab eo, qui ſe ipſũ cõtinet.

Cum Mantua Ferrariam acceſſiſſet Martinus Romanus Pontifex, Nicolaum Epiſcopum Bononienſem ad ſe vocauit, & conſilium ſuum de repetenda Bononia nuper ab Eccleſiæ dominio ſubtractà aperuit, eumque Legatum ad ipſos tranſmiſit. Re tamen infecta redijt Nicolaus ad Pontificem; nam Bononienſes pręter tributum ſeptem aureorum millium, & certum equitum numerum nil aliud promiſerunt. Exorta paulò poſt inter primarios Vrbis Bononienſis ciues contentione grauiſſima, alijs alios eijcientibus, qui ad Martinum confugerunt, Pontifex in ſpem haud leuem ex domeſticis illis diſcordijs, ipſius potiundæ adductus, denuo ad eos miſis qui denunciarent, niſi ſe vltro Eccleſiæ dederent, à cuius dominio receſſerant, ſe quibuſcunque modis illos ſubacturum. Illi licet dura quæuis pati ſtatuiſsẽt potiùs quàm Ciuitatis ſuæ poſſeſſioni, ac propriæ libertati cedere, Nicolaum tamen Epiſcopum ſuum apud Pontificem deprecatorem deſtinarunt, qui ſubmiſsè ipſum oraret, vt conditionibus aliàs pactis ſtare vellet, in quibus ipſe ſe certo tributo, & ſacro Ciuitatis obſequio contentum fore promiſerat. Repugnabat certè vehementer hanc prouinciam ſuſcipere Nicolaus, quòd diceret, ac multis rationibus probaret fruſtra id tentari, nec ſe tantum Pontificis in ſe beneuolentiæ confidere, quin arbitraretur ipſius Vrbis conſecutionem longè ſibi eſſe cariorem. Imò quaſi futuri præſcius ſubiungebat, vereri ſe, ne quid ſibi à Martino Pontifice iniungeretur, quòd & inuito illi ſeruare oporteret, ſeruatumque Vrbi graue detrimentum afferret. Verùm ſurdis canebat, illi enim obſtinatiùs inſiſtebant, atque vt Pontificem adiret, modis omnibus vrgebant, iactantes ex eo ſe intelligere illum ſuæ factionis amicum non eſſe, quòd aliàs priuſquam aduerſarij Vrbe pellerentur, onus iſtud non recuſaſſet. Parere ergo coactus ciuium ſuorum precibus, tres ex primoribus Vrbis dari ſibi ſuæ legationis teſtes, ac ſocios prudenter expetijt, coram quibus iniuncta ſibi fideliter expoſuit, eorumque res quoad potuit diligenter egit apud Pontificem. At Martinus, qui curas omnes ſuas in recuperanda Bononia locauerat, videns id ſe, niſi vi, & armis tum Spiritualibus, tum Temporalibus conſequi non poſſe, Ferraria diſcedens, Florentiam ſe contulit, ibique ad ſuperandam Bononiam neceſſaria omnia adornauit. Dimiſſis itaque duobus alijs Oratoribus Nicolai collegis ipſum ſolum detinuit, cui paulò poſt paucos dies diſtrictè, & ſub anathematis pœna mandauit, vt è veſtigio Bononiam rediret, & nullibi tracta mora literas Apoſtolicas, quas illi conſignauit, publicè populo exhiberet, & caueret ne quòd in eis contineretur, priuſquam Bononiam appuliſſet, legeret. Nicolaus quanquam quid rei foret, quiſue literarum eiuſmodi tenor eſſet, coniectura aſſequeretur, nihilominus facere nullo pacto ſibi viſus eſt, quin Pontifici maximo, cui omnia debebat, tam obſtrictè potiſſimum imperanti obtemperandum duceret. Quare poſtridie ſui in patriam reditus in S. Petri Baſilicam venit, ac ſilentio indicto, inter Miſſarum ſolemnia Interdictum, quòd ſecum attulerat, mœrens ad maiorem aram pronunciauit, atque ad valuas Eccleſiæ S. Petronij, & palatij poſtes illud affigi fecit, ac demum accitis ipſis Gymnaſij Rectoribus, & Magiſtris, Pontificis nomine publicè profeſſionis munus inhibuit. Quibus rebus perſpectis Ciuitas ſuum prorſus erga illum animum immutauit; quem enim antea præ oculis ferebat, ſummiſque in Cœlum laudibus extollebat, tum planè alienata in illum exclamare, ac fremere tanquam publicæ dignitatis hoſtem cœpit, ac Pontificis, quam patriæ ſtudioſiorem. Eò furoris impetu, & cœca rabie progreſſi ſunt, vt in illius etiam vitam, & caput conſpirarint; ductis propterea ad Epiſcopales ædes ſatellitibus, Nicolai trucidandi gratia, qui tamen vbi in conſpectum eius venerunt, ipſius ſanctitatis reuerentia permoti, & occulta vi depulſi furorem omnem depoſuerunt. Quæ cum Nicolaus comperiſſet, ſtruique ſibi à nonnullis inſidias, vitæ ſuæ, vt prudentem decet, conſulens, commutatis veſtibus ignotus, Vrbe digreſſus Florentiam venit, ibique Carthuſienſe Cœnobium per aliquot menſes incoluit. Statim Pontifex Bononienſibus apertè bellum indixit, & Braccium Peruſinum egregium ducem cum exercitu validiſſimo in eorum agrum immiſit, qui eos breui in Martini poteſtatem redegit. Vnde Antonius Bentiuolus, qui Principem in Vrbe illa agebat, ne ipſam Ciuitatem in vltimum obſidionis diſcrimen adduceret, eam vltro Pontifici dedidit. Quo facto Nicolaus Epiſcopus ad Eccleſiam ſuam reuerſus, aduocatis Magiſtratibus Decretum Pontificis illis ſignificauit, quo ipſi oppida quædam ante triginta quinque annos eidem Eccleſiæ ſuæ adempta reſtituere iubebantur, ac ſubinde illis non reluctantibus, per Epiſcopum Imolenſem Vicarium ſuum, ſolemnem eorum poſſeſſionem adiuit. Deinde rebus Ciuitatis compoſitis, ad priſtina boni pijque paſtoris officia per otium concelebranda ſe contulit.

Non tamen tanti viri virtutem intra Diœceſis Bononienſis fines contineri paſſus eſt idem Pontifex: nam exorta paulò poſt grauiſſima diſſenſione inter Carolum Sextum Francorum Regem, eiuſque filium Delphinum ex vna parte, & Henricum Quintum Anglię Regem, ac Ioannem, & Philippum Burgundiæ Duces ex altera, Martinus ad ſedandas tanti momenti diſcordias, Nicolaum Nuncium miſit, & vt re ſcitius conficeretur, & illum ſui Romam adeundi labore leuaret, has quas refert Sigonius, ad illum literas ſcripſit.

MARTINVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Cùm dudum graui, & atroci diſſenſione Principum Gallorum peſtiferum bellum ſuſcitatum in Regno Franciæ, & vicinis partibus viguerit, & vigeat de præſenti cum exterminio illarum gentium, & iactura grauiſſima totius Reipublicæ Chriſtianæ, Nos cupientes tantis malis finem imponere, & indurata Principum corda placare; & ob hanc piam cauſam tam neceſſariã, & ſanctæ pacis ad partes illas Nuncium Apoſtolicum deſtinare, qui in conſpectu Principum, & populorum iuſtus, & idoneus prædicator, & ſuaſor pacis, & charitatis exiſtat, Te ad hoc ſanctum opus ex omnibus Prælatis elegimus digniſſimum Nuncium tantæ pacis, profecturum ad chariſſimum in Chriſto filium Noſtrum Henricum Regem Angliæ Illuſtrem, & ad dilectos filios nobiles viros Delphinum, &c. & Ducem Burgundiæ inter ipſos pacem, ac concordiam tractaturum. Nam poſt omnipotentis Dei miſericordiam plurimum in tanto negocio de tua ſapientia, & ſingulari virtute confidimus, & ſperamus, quod vltra profundos ſenſus tui naturalis ingenij ſubminiſtrabit Spiritus ſanctus deuotioni, & humanitati tuæ gratiam, vt verba Noſtra ex ore tuo cum fructu exaudiantur. Quare fraternitatem tuam in Domino hortamur, & affectuosè rogamus, vt in tanti, & tam communis boni procuratione Nos adiuuets, & pium hunc laborem non refugias, ſed pro tot populorum quiete, & ſalute fidelium prompta, ac læta mente ſuſcipias. Ceterùm hac de cauſa te ad Nos venire noluimus, & laborem itineris duplicare, ſed pro informatione tua incluſas præſentibus agendorum inſtructiones mittimus, & literas Noſtras cum copijs ipſarum literarum, quas Principibus ipſis ſcribimus ſuper iſta materia; volentes quòd inſtructionibus ſupradictis dicendo, & agendo, & negocium hoc tractando addas, & minuas ſecundum, quod circumſpectioni, & prudentiæ tuæ videbitur expedire. Datum Romæ apud ſanctum Petrum 6. Idus Februarij, Pontificatus Noſtri, Anno Quinto.

His acceptis Nicolaus voluntati Pontificis morem gerens, continuò ſeſe ad iter inſtruxit, & cum eximio Bononienſis nobilitatis flore in Galliam properans, ibi liberalibus officijs ob eximiam vulgatæ illius ſanctitatis exiſtimationem exceptus, de componenda pace cum vtraque parte ſæpius, ac ſeriò collocutus, ad eum iam ſtatum pacis conditiones adduxerat, vt optatus rei exitus ſperari poſſet; verùm ſecuta amborum Regum mors negocium omne perturbauit. Quare non mediocri animi ſui dolore, cum iam duodeuiginti menſes Galliam conſtituendæ pacis gratia peragrando tranſegiſſet, Romam redire coactus eſt, qua ex Vrbe cum ſuæ Villicationis rationem reddidiſſet, diſceſſit Bononiam verſus ad paſcendum gregem ſibi commiſſum.

Poſt biennium Romam illum iterum acciuit Martinus, cui iam Vrbi proximo Cardinalitiæ dignitatis inſignia deferri curauit. Nicolaus nihil inde commotus, aut elatus, eadem, qua antehac Epiſcopalem lituum animi magnitudine, atque conſtantia reſpuit, quouſque in Pontificis conſpectum veniens, cum adhuc eiuſmodi a ſe honorem auerteret, ſub anathematis interminatione pileum illum

A ſuſcipere coactus eſt, quem obuiam miſſum recuſarat. Presbyter verò Cardinalis titulo S. Crucis in Hieruſalem vocatus, titulum illum adeò gratum habuit, vt in poſterum pro inſigni gentilitio ſolam Crucis effigiem tulerit. *Ad Cardinei gradus eminentiam*, ait Poggius ſæpe laudatus, *aſſumptus, eodem quo antea vultu permanſit, vt palam fieret eum humani faſtigij inſignia parui exiſtimare, qui honorem illum ſuſcepit, ne beneficentiam in ſe Pontificis contemneret, aut mandati eius contumax eſſe videretur. Qui nihil ex eo niſi ad virtutem, vitæque moleſtias multa addi, maiuſque ſibi onus impoſitum reputauerit, vitamque deinceps inſtituit, vt & dignitati conſuleret, & religioni.* De priuata namque viuendi auſteritate nihil remiſit, exteriora ſolum quædam auxit, quæ ad cultum ſpectarent, ac tuenda tantæ dignitatis ornamenta, de cetero eadem integritas, eadem continentia, eadem pietatis officia, eademque benignitas permanſit.

Neque verò Martinus Papa hoc illum ornamento cohoneſtaſſe B ſatis habuit, niſi etiam inſigne, ac magnificum legationis munus adiungeret: decreuit autem et legationem ad Philippum Mariam Inſubrum Ducem, ac Venetos, & Florentinos fœderatos, quibus cum Philippo acre bellum vigebat, vt pacem inter eos ſtatueret. Confecta pace ad Pontificem rediit Nicolaus. Cum tamen pactas conditiones pacis à Philippo Duce minimè ſeruari animaduertiſſet Martinus, ideoque bellum iterum inſtaurari, vt imminentia toti Italiæ mala propulſaret, rurſus Nicolaum ad eandem pacem procurandam ablegauit. In quo tractatu cum ſex ipſos menſes conſumpſiſſet, ac de rei exitu ſæpe numero deſperatum eſſet, tanta tamen fuit Nicolai prudentia, tanta diligentia, ac tolerantia, vt ſuperatis tandem difficultatibus vniuerſis ad optatum finem res tota ab eo perducta ſit, ac belli extinctum incendium.

Pacatis Italiæ rebus, & Principum animis, Bononiam ſe contulit, vt inde Romam adiret, adminiſtrationis ſuæ Pontifici rationem redditurus; ſed dum Bononiæ in tranſitu moram aliquam trahit, ibi de- C tentus componendis quibuſdam Eccleſiæ, & patriæ ſuæ cauſis, ecce repente Bononienſis ciuitas ſtatus mutationem perpeſſa eſt, & grauiter intra Vrbem tumultuatum, atque ad arma concurſum. Hoc tumultu effectum eſt, vt ab Eccleſia deficientes Bononienſes in libertatem, pulſo ſedis Apoſtolicæ Legato Cardinale Condulmerio, qui poſtea fuit Eugenius IV. ſeſe vindicarent. Cumque illos fruſtra ad ſaniorem mentem reducere conatus eſſet Nicolaus, ac in ipſo popularis ſeditionis æſtu penè occubuiſſet, ij, qui ipſum Eccleſiaſticarum partium ſtudioſiſſimum eſſe nouerant, atque ex eo ſuſpectum vehementer habebant, vt potè ſuis mutationibus aduerſiſſimum, euocari eum ad ſe tanquam aliquem homuncionem de plebe iuſſerunt eo conſilio, vt illa Eccleſiæ ſuæ caſtra, quæ pridem ipſi ex pacto, cum ad Epiſcopatum aſſumptus eſt, & ipſius deinde Pontificis iuſſu reſtituta fuerant, per vim ab eo repeterent. At ille edicti ſuperbia, atque eiuſdem rei indignitate permotus, qua Epiſcopalis, & D Cardinalitia dignitas tam contumelioſè habebatur, mirum ſe negauit, quòd contra naturæ, & iuris ordinem eſſe diceret, patrem ad filios ire, præſulem ad ciues.

Inde tamen inſidias parari ſibi intelligens, ne temeritati commotæ plebis facultas amplior delinquendi præberetur, aſſumpto Dominicani ordinis habitu, alium ſe eſſe ſimulans, vt ſcribit Sigonius, vel potiùs, vt habet Zenus, euocato ad ſe Carthuſienſis Monaſterij Præſide, ac mutatis cum eo veſtibus, illum tanquam ſocius, aut inferior proſecutus ad Carthuſiam venit: ſequenti verò die ſummo mane, cum equi parati, vt conſtituerat, hora dicta affuiſſent, Mutinam magnis itineribus profectus eſt. Poſt Nicolai diſceſſum Bononienſes Cardinalis familia Epiſcopio pulſa, alium Epiſcopum, Bartholomæum nempe Zambeccarium in eius locum ſubſtituerunt, qui nullo comitante Canonico, ſed ſolis laicis Magiſtratibus poſſeſſionem Epiſcopatus adijt. E

His auditis Martinus Pontifex, Bononiæ ſacris iterum interdixit, & bellum in eos redintegrauit, quo demum compulſi Bononienſes, cum Lucido tituli S. Mariæ in Coſmedin Diacono Cardinale de Comitibus Legato Imolæ tunc degente, de compoſitione tractarunt, ac pacem ab eo certis retulere conditionibus, quarum præcipua hæc fuit, vt Bartholomæus ille intruſus loco cederet, ac Nicolaus in ſuam ſedem reſtitueretur, quòd poſtea idem Legatus in Vrbem ingreſſus executioni mandauit.

Reſtitutus Nicolaus in ſuam ſedem à Martino recrudeſcentibus inter Gallos, & Anglos, eorumque Reges odijs, tanquam pacis Angelus, ſic enim paſſim vocatur in epiſtolis Pontificijs ad hoc ipſum datis, iterum Legatus deſtinatur. Ex occaſione itineris impoſita eidem prouincia eſt ab ipſo Pontifice, vt inter Ligures, Florentinos, ac F Venetos armis pugnantes pacem firmaret. Vix Alpes tranſcenderat, cum de Martini Papæ obitu primò, mox de electione Eugenij IV. Nuncium accepit, qui Eugenius, vt omnino in Gallias quantocius pergeret, ipſi iniunxit. Pontificis itaque iuſſis obtemperans, ſuperatis Alpibus in Galliam deſcendit, vbi fremebant vndique bella, & armorum fragoribus longè latèque omnia circumſtrepebant biennio toto, quo apud Gallos Legatus permanſit, vniuerſam Galliam pacis gratia circumiuit, mox ad Regem, mox ad Burgundiæ Ducem proficiſcens. Interfuit conuentui Atrebatenſi, at vbi ad pacem Angliæ Regem variè tergiuerſantem inducere non poſſe perſpexit, inde ex Pontificis auctoritate diſceſſit.

A E Gallijs in Germaniam tranſiens eiuſdem Pontificis iuſſu Baſileam ad Concilium ſe cōtulit, quo in loco per annum ferè integrum iura ſedis Apoſtolicæ auctoritatem ſemper, ac Romanum Pontificem defendendo. Cum tamen in peruicacia ſua perſiſtentes patres illos agnouiſſet, eos vt inſaniam multitudinem, & acephalum gregem contempſit, ac deſeruit. Vt ſedis Apoſtolicæ Legatus interfuit conuentui Norimbergenſi in Germania acto, vt concordia inter Eugenium Romanum Pontificem, ac Baſileenſes patres ſtabiliretur, & locus tertius eligeretur pro Concilio, in quo & Baſileenſes, ac Ferrarienſes cum Græcis, & Pontifice conuenirent. Verùm cum nihil in eo conuentu agi perſpexit, in Italiam ad Eccleſiam Bononienſem rediit Nicolaus ſemper in ea vigilantis, ac pij paſtoris officio fungens.

Henricus Spondan' in Annal. Eccleſiaſt.

Hoc tempore cum exorta prodigia quædam cœleſtia diuinas minas hominibus intentare viderentur, ſæuiſſimi ſcilicet terræmotus, B quorum impetu plura corruerunt ædificia; Solis eclypſis tāta, vt Sol poſt meridiem obſcuratus ipſas noctis tenebras adæquaret; imbres aſſidui, ac vehementes, omniſque generis tempeſtates, quæ proximæ iam meſſi certiſſimum exitium, ac tamen indubitatam infelici augurio portendebant; poſt varias ſupplicationes inſtitutas, cum nondum placatus eſſet Deus, Nicolaus Epiſcopus decreuit, vt Imago Deiparæ Virginis, manu S. Lucæ expreſſa, quæ in æde S. Mariæ Montiſguardiæ prope Bononiam ſeruabatur, intra Vrbis mœnia deferretur, ac ſub vmbella cum accenſis cereis longo agmine comitantibus ſacris, ac profanis ordinibus religioſè deportaretur: quo facto ciuitas voti compos facta Epiſcopo ſuo auctore vberrimum ſuæ pietatis fructum accepit.

Canonicam S. Mariæ ad Rhenum proximis, elapſis bellis afflictam reſtituit, & Canonicis illis, ac S. Saluatoris, qui ad vnum Franciſcum Ghiſlerium Priorem deuenerant, Canonicos S. Ambroſij C Eugubini Regulares illos quidem, ſed diuerſi habitus, & obſeruantiæ à Gregorio XII. probatos, ex decreto Martini V. copulauit, qui nunc S. Saluatoris dicuntur. Monaſterium S. Gregorij extra portam S. Vitalis ad vnum Priorem, & Conuerſum, redactum à veteribus Canonicis S. Auguſtini ad nouos S. Georgij in Alga traduxit. Inſignem quoque fabricam Hoſpitalis S. Mariæ de Morte in ampliorem, & commodiorem formam reduxit, ac multis ſalutaribus legibus domum illam ſtabiliuit. Deuotorum ſancti Hieronymi ſodalitatem à viginti quatuor iuuenibus inſtitutam probauit: Monaſterium ſanctæ Miſericordiæ monachis Oliuetanis conceſſit; S. Proculi Cœnobij viros Religioſos ad primæuam ordinis Benedictini regularem obſeruantiam reduxit.

Carol. Sigonius de Epiſc. Bononien.

Hippolyt. Marracius Purp. Mar.

Gab. Pennotus in Hiſtor. Tripartita.

Secund. Lancellot. in Hiſtor. Oliuet.

Interim Eugenius Romanus Pontifex audiens Baſileenſes in ſe magis, ac magis inſanire, vt frenum aliquod eorum exceſſibus daret, duos iterum illuc à latere Legatos emiſit, Nicolaum ſcilicet Al- D bergatum S. Crucis, & Ioannem Ceruantem tituli S. Petri ad Vincula Presbyteros Cardinales. Hos ſub ſpecie honoris Baſileenſes patres ad Eugenium remiſerunt pro pace inter eos ſtabilienda: Eugenius tamen eliminatos quodammodo à Baſileenſi Synodo Legatos ſuos, quanquam boni publici prætextu grauiter ferens, Nicolaum Cardinalem Baſileam reuerti voluit, vt omnibus aut præeſſet, aut ſaltem intereſſet, ac factioſorum conatibus quoad poſſet, ſe obijceret. Cumque commiſſum ſibi negocium ſumma fide, induſtriaque ſingulari curaret, placuit Eugenio eundem tertiò in Gallias proficiſci ad pacem inter Gallum, Anglum, ac Burgundum ſanciendam, quam ſumma omnium gratulatione poſt longa itinera firmauit. Vnde ab vniuerſis egregiè collaudatus, & plauſu omnium Galliæ Ciuitatum vbique exceptus, & celebratus Nicolaus in Italiam ſe recepit, ac S. Annæ Matris B. Mariæ Virginis cranium ab Henrico Angliæ Rege dono acceptum Bononiam attulit, & monachis ſuis Carthuſien- E ſibus dono dedit pridie Kalendas Decembris anno 1435. Inde Florentiam abijt ad Pontificem, qui auditis quæ in Gallia egiſſet, incredibili ex ijs lætitia cum toto Cardinalium Collegio perfuſus eſt.

Carol. Sigonius de Epiſc. Bononien.

At prius quam ad vlteriora progrediamur, non videtur hoc loco reticendum, quòd referunt copioſius rerum Burgundicarum, Gallicarum, & Batauicarū ſcriptores, vtpotè admiratione ſimul, & commemoratione digniſſimum. Cum videlicet conuentus ad diem certum indictus eſſet, Atrebatum pro pace inter Francorum, & Anglorum Reges conſtituenda, quòd iam bis antea fuerat fruſtra tentatum; cum Burgundus ad voluntatem Legati flecti minimè vellet, Nicolaus ſe contra eum, & Anglos quaſi in pacis apertiſſimos hoſtes iure acturum minatus eſt. Ac ne aliquo modo de poteſtate, quam Chriſtus Eccleſiæ tribuit, dubitarent, petijt candidum panem, cui in F [illegible] bliſſimo conſilij conſeſſu cum ſumma in Deum fiducia malè eſſet precatus, ſubitò nigerrimus apparuit, magna omnium qui aderant, admiratione; iterumque pijs verbis pani bene precatus priſtinum reſtituit candorem. Quare ex eo tempore Burgundus concepto terrore ſeſe Eccleſiæ arbitrio ſubmiſit, ac dimiſſis Anglis, pacem cum Gallis illico fecit.

Poſt hæc ad Pōtificem rediit Nicolaus, cui grati animi ergò multa pro ſe, ac ſuis obtulit Eugenius; ille vnum tantùm à Pontifice pro tot ſuſceptis itineribus præmium petijt, nimirum vt dimiſſa Purpura, ac Epiſcopi dignitate, ad Carthuſienſium vitam redire ſibi permitteret. Non impetrauit, quòd exoptabat Nicolaus, immò animaduertens Eugenius Baſileenſes nullum audaciæ ſuæ modum po-

nere, ſed & omnem mouere lapidem, vt vicinos populos in ſuam ſententiam, ac eiuſdem Schiſmatis damnationem quoquomodo pertraherent, è re ſua, & Eccleſiæ duxit, graui legatione Germaniæ Principes in fide, & communione ſua continere. Nec diu ipſi hærendum fuit, cui illam committeret, cum eſſet ei ad manum Nicolaus, qui patrem, ac principem ſuum, quod eſt optimi Cardinalis officium, in aduerſis nunquam deſeruit, quique ad pacandum vniuerſum Terrarum Orbem diuino nutu atque conſilijs deſtinatus videbatur. Huic ergo legationem illam iniunxit Eugenius, additis, vt eius perſonam, ac munus ornaret, varijs indultis, quæ refert Sigonius, ac præſertim facultate pleniſſima, prout aliàs fecit, quaſcunque perſonas in partibus illis degentes, à quibuſlibet noxis etiam Hæreſis, aut Schiſmatis abſoluendi. Fuit autem nouiſſima illi, nec minus ceteris laborioſa demandata legatio, quam ideo tot itineribus, ac peregrinationibus pro Eccleſia Summorum Pontificum Martini, & Eugenij iuſſu exhauſtus ſubterfugere non immeritò poterat. Sed ille recens ſemper, ac integer animo, nec laboribus fractus, aut periculis territus vllis, dummodo Deo, aut eius Vicario obſequi, vel alicuius ſalutem procurare valuiſſet, Ferraria mouens in Germaniam venit, ad tentãdum quo nam modo poſſet obuiari Schiſmatis malo, quòd poſtea Baſileenſium veſania confecit, ibique non mediocri adiumento Pontificis rebus apud Germanos labentibus fuit.

Poſt hanc legationem Eugenium Florentiam, & Ferrariam euntem comitatus eſt Nicolaus; interfuit Concilio Ferrarienſi, cui Eugenij iuſſu præfuit: reperitur enim in prima actione vnus è ſex Latinis Doctoribus, qui cum totidem Græcis de Spiritus ſancti proceſſione diſputarunt. Per triennium deinde Florentię nunquam à Pontificis latere diſceſſit. Mortuo Iordano Cardinale Vrſino Epiſcopo Sabino, ſacri Collegij Decano, maioris Pœnitentiarij, ex alijs Camerarij etiam officium, & Archipresbyteratum Baſilicæ Liberianæ ab Eugenio Nicolaus accepit. Romæ Carthuſianis ad ſanctam Crucem in Hieruſalem pro illorum domicilio ingens, ac magnificum clauſtrum extruxit. Eccleſiam Bononienſem duobus Sacerdotibus, quos Manſionarios vocant, qui maiora ſacra celebrarent, adauxit.

Paul. de Angel. in Deſcript. Baſil. Liberianæ.

Cum autem Romam proficiſci conſtituiſſet Eugenius, Florentia abſcedens, Senas conceſſit, ibique aliquot menſium ſpatio ſubſtitit, quem ſecutus Cardinalis noſter calculo grauiter vexari cœpit. Luctatus eſt, ait Sigonius, patientia magis, & virtute, quàm remiſſione doloris, aut ſpe aliqua vitæ, quam libenter ſe cum meliore, atque optabiliore commutaturum eſſe dicebat. Qua cum vitam hanc, vt pulcrè ſcribit Poggius tanquam peregrinus, & aduena tranſegiſſet, nihil in ea aut ſpei, aut momenti ponens, mortem quoque contempſit, cum ſe ad meliorem ſciret vitam profecturum; & cum ſummo dolore torqueretur ex calculo, (qui poſtmodum ad libræ pondus in eo repertus eſt, Zenus ad ſtateram appenſum à Phyſicis bilibrem repertum, & à ſe viſum fuiſſe ſcribit) tanquam ſciens extremum ſibi diem inſtare, & Medicos contempſit, & dolores immenſos ſumma patientia pertulit agens gratias Deo ſemper, qui ipſum etiam in extremo ſpiritu exerceri ad patientiam vellet. Inualeſcente itaque vi morbi, ac febrili ardore, & doloris pertinacia victus, anno ætatis ſuæ ſexageſimo octauo, ſalutis verò humanæ 1443. die 9. Maij vita ceſſit, ac piam animam Deo reddidit, omnibus Eccleſiæ Sacramentis, quæ ipſe identidem petijt, ac deuotiſſimè percepit, ritè expiatus.

And. Victorel. in Addit. ad Ciaconium. Henricus Spondan. in Annal. Eccleſiaſt.

Quòd vbi reſciuit Eugenius, & communi fama per Vrbem vulgatum eſt, dici non poteſt, quantus Pontificem, vniuerſam Curiam, & ciuitatem mœror inuaſerit. Omnes ſiquidem ſplendorem, & decus Eccleſiæ amiſſum conſonis vocibus prædicabant, & ipſe Eugenius cecidiſſe coronam capitis ſui ſibi videbatur, & mœrens aiebat; atque vt erepti ſibi amici deſiderium aliquo modo ſolaretur, veſicam, aperiri, & calculum extrahi iuſſit, atque apud ſe pro concepta ſanctitatis eius opinione retinuit. Cùm verò in Baſilicam D. Auguſtino Eccleſiæ Doctori ſacram exanime corpus delatum eſſet, tantus vniuerſi populi, omniumque ordinum concurſus effectus eſt manus ac pedes deoſculantium, vt comprimere ſeſe cœperint, & vix contineri ſacris ædibus poſſent, felixque ſibi videbatur, cui illum contingere licuiſſet. Funus in principe Senenſi Baſilica ingenti pompa celebratum eſt, non vtique ex eius mandato, ſed cura Thomæ Apoſtolici Subdiaconi, Cardinalis familiæ præpoſiti, qui inde ad ſummum ſub nomine Nicolai V. euaſit Sacerdotium. Eugenius autem Pontifex, qui ægrum ſæpe inuiſerat, defuncti etiam exequijs interesſe voluit, & ſacrum ſolemne celebrauit, quòd pietatis officium in S. Bonauenturæ funere Gregorium X. præſtitiſſe legimus.

Huius mortis nuncio Bononiam perlato, magno luctu Vrbs omnis completa eſt, tabernæ clauſæ, iuſtitium indictum, atque omnia veræ, ac immanæ triſtitiæ ſigna edita, quæ ad decorandum ſummi cuiuſquam Principis obitum exhiberi potuiſſent. Iuſta etiam per triduum in maiore Templo magnificè perſoluta, quæ Antiani, & Magiſtratus præſentia ſua honeſtarunt. Poggius Florentinus eidem oratione funebri parentauit.

Sacrum autem eiuſdem corpus Senis ad Carthuſiam Florentinam, prout ipſe viuens præceperat, delatum, piè, ac religioſè in ea conditum eſt, vbi vſque in hodiernum diem iacet cum hoc Epitaphio.

SEPVLCHRVM
Omni laude digniſſimi, & Reuerendiſſimi Patris,
NICOLAI tituli S. Crucis in Hieruſalem,
PRESBYTERI CARDINALIS.
Hic natus Bononiæ primùm, ex Priore Carthuſienſe
Petente Populo Bononienſi Epiſcopus.
Tum à Martino V. Pontifice Cardinalis deſignatus,
Poſt plurimas legationes Senis diem ſuum obijt,
Aetatis ſuæ anno ſexageſimo octauo.
Vir piiſſimus, mitiſſimuſque, vitæ integritate,
Singularią; virtute, omnium teſtimonio comprobatus.

In gradibus verò tumuli, qui extat è marmore, hi leguntur Verſus, qui à Nomenclatoris Cardinalium auctore cum præcedenti excribuntur epitaphio.

Carthuſiæ me terra tegit, quem ſumpſit alumnum.
Ac dedit eſſe patrem natiua Bononia tandem.
Me ſibi paſtorem tenuit de iure vocatum.
Cardinis Eccleſia compulſus pondera ſumpſi,
Et Crucis in titulo mihi fulſit rubra Tiara.
Mille quatercentum denos quater egerat annos,
Tres etiam cyclus ſolaris, dum NICOLAVS
Mente petens Cœlum ſub ſaxo corpore claudor.

Hodie quoque ad perennem Nicolai Cardinalis Albergati memoriam pij illi Carthuſienſis Eremi ad Florentiam incolæ calculum ex eius veſica exemptum, & pontificale ſuperpelliceum, ac ſandalia in ſacrario ſuo magna religione conſeruant. Bononienſes verò Crucem argenteam, quam Legatus Apoſtolicus præferebat, & alteram, quam ſacris operans in pectore geſtabat, item acerram, ac thuribulum eius Eccleſiæ ſuæ relicta oſtendunt.

Poſt mortem Thomæ Sarzanenſi apparens, ſummum illi Pontificatum prædixit, eumque de ſuo felici ſtatu commonuit; quare non modò apud Carthuſienſes viros, ſed etiam apud omnes eam ſibi ſanctitatis opinionem peperit, vt nomine à maioribus accepto, & de manu in manum tradito, in hunc vſque diem beatus Nicolaus vocitetur. Carthuſiani quoque titulo beati Nicolaum decorant: immò inter beatos ciues, ac Tutelares Vrbis Bononienſis ille relatus eſt, ac deſcriptus in Catalogo, qui extat ad calcem egregij illius operis, quòd Gabriel Cardinalis Palæotus, primus Bononienſis Archiepiſcopus edidit, ac inſcripſit de ipſius Eccleſiæ Bononienſis adminiſtratione Pius II. Romanus Pontifex, qui Nicolaum, dum vixerat, optimè nouerat, inter res Vrbis Bononienſis illuſtres Cardinalem hunc recenſuit, ac dignum nominauit *Sancti* appellatione. Philippus Ferrarius in Catalogo ſanctorum, qui non ſunt in Martyrologio Romano, vij Idus Maij beatum nominat his verbis: *Senis in Tuſcia beati Nicolai monachi Carthuſiani Epiſcopi Bononienſis, & Cardinalis.*

Quare Franciſcus Philelphus, vir ſcriptis inſignis in epiſtolis ſuis ad diuerſos, nominatim verò libro ſexto, epiſtola 22. ad Thomam Sarzanenſem, cum eſſet electus in Romanum Pontificem, eundem Nicolaum *Diuum* conuenienter publicæ huic exiſtimationi appellare non dubitauit. *Reliqua*, inquit, *ſi ſanctiſſimus ille ſpiritus Diui Nicolai Cardinalis Bononienſis tibi quondam patris, dum erat in viuis, nunc verò ſanctimoniæ tuæ filij, altioribus, melioribuſque intentus obſequijs, ingerere memoriæ tuæ diſtulerit.* S. Antoninus *virum venerabilem, & ſanctiſſimum* Nicolaum nominat, *ſpeculum ſine macula omnibus Curialibus, & Præſidentibus, patrem pauperum, inter Principes diſſidentes pacis reformatorem, ac Schiſmatis impeditorem; in Epiſcopatu Antiſtitum exemplar inſigne, & in Cardinalatu Cardinalium ſpeculum.*

Iacobus, ſeu alijs Ioannes Baptiſta Zenus Epiſcopus Feltrenſis eius vitæ ſcriptor, ex ijs, quæ vel ipſe præſens vidit, vel à Thoma Sarzanenſi beati viri Oeconomo, & familiari ante Pontificatum audiuit, in epiſtola nuncupatoria ad Petrum Barbum Cardinalem ſancti Marci, qui deinde fuit Paulus II. quem etiam in teſtem eorum, quæ ſcribit, inuocat, de Nicolao hoc noſtro Cardinali hæc habet. *Ita vir ille Deo plenus, quaſi ſplendor omnis virtutis, & ſanctimonia præfulgebat vt decus, & ornamentum Eccleſiaſtici ordinis, & Cleri totius eſſe meritò videretur. Neque profectò omnium, quæ ad virtutem, & ſanctam, exemplaremque vitam attineant, dici quicquam aut excogitari poterat, quod non eſſet in eo accumulate congeſtum; religio, fides, pietas, doctrina, integritas, humanitas, prudentia, ſanctimonia, charitas, patientia, omnia ſeſe cateruatim effuderant, & in Nicolai anima, tanquam in vaſi puriſſimo, & electiſſimo collocarant. Quàm verò ipſe virtutis feruens Zelator eſſet, hominumque illam excolentium indefeſſus fautor, & amator, Eccleſiæ, Pontificis, Eccleſiaſticæque ſalutis validiſſimus clypeus, & propugnator exiſteret, quis facile verbis poterit explicare? Itaque meritò tanti nominis, tanta apud omnes auctoritatis erat, vt nihil dignius quàm de ſua vita, ſanctitate, virtute per vniuerſum Ter-*

tarum Or-

A *rarum Orbem prædicari, & celebrari poſſet. Neque enim Chriſtianos modo populos eius laudis, nominis, & gloriæ fama compleuerat; ſed ad barbaras etiam, & exteras, gentileſque nationes illius vera, ſolidaque virtutis vox, & conſtans opinio penetrarat. Quanti verò illum præſtantiſſimus Pontifex faceret, quanti Patres exiſtimarent, quantum vniuerſa Curia coleret, ac veneraretur quis ignorat, cum nihil pretioſius in omnium poſſet ore verſari, ſancti Nicolai nomine.* Huc vſque Zenus.

A Ioanne Gobellino libro 1. Commentariorum dicitur. *Nicolaus Cardinalis S. Crucis Albergatus probatiſſimus, ac laudatiſſimus Pater:* & libro 2. *Opinione ſanctitatis noſtra ætatis, memoria dignus:* Item libro 6. *Vitæ ſanctimonia, & ingenij dexteritate clarus.* Ab ipſo Pio II. ſi tamen alius ab ipſomet eſt ille Gobellinus, ſub cuius nomine Commentarij illi prædicti circumferuntur, in reſponſione ad Martinum Meyer. *Non minus ſanctimonia vitæ, quàm rerum experientia, doctrinaque multa memorabilis:* & alibi: *Pater* B *celeberrimi nominis appellatur:* Et libro 1. de geſtis Concilij Baſileenſis: *magna hominum opinione ſanctiſſimus Cardinalis Cruciſer.* Quòd elogium iiſdem verbis repetit Baptiſta Platina in Pio Secundo. In Hiſtoria Bononienſi Pompei Vizani legimus. *Relictis in terra manifeſtis ſignis beatitudinis, Senis mortuus eſt, & ob ſuam bonitatem, & ſanctimoniam deploratus ab vniuerſo populo Bononienſi, qui eundem ſolemniſſimis exequijs honorauit.* A Cardinali Papienſi in Epiſtolis primo loco nominatur in illorum numero, qui circa hæc tempora feliciter in Domino dormierunt: Corteſius verò de Cardinalatu, omnes eius laudes paucis complectens ſic ait. *Quis Nicolao Albergato aut vitæ integritate probior? aut in republica agenda clarior? ſiue quis in ſcribendo, aut diſputando doctior?* Et Brouius in Annalibus eundem appellat, *Virum ſummum, egregium Cardinalem præſtantiſſimum, ſanctiſſimum, & Eccleſiarum partium ſtudioſiſſimum, qui ramo oliuæ prælato introiens, vbi-* C *que ab Epiſcopis, Clero, & populo obuiam prodeuntibus ſummo honore exceptus eſt.* Flauius Blondus Foroliuienſis Eugenij IV. ab Epiſtolis miniſter; in Italia illuſtrata Nicolaum vocat *ſanctimonia celebrem, & ſapientia ſingularis, cui Eccleſia rariſſimos ætate ſua habuit Prælatos aſſimiles.* Poggius Florentinus eruditiſſimus ſimul, ac diſertiſſimus, qui fuit etiam à Secretis Eugenio IV. & Nicolao V. ſummis Pontificibus, hæc de illo habet: *Vir inſignis, integerrimus, omni laude ornatiſſimus, cuius morte ingenti præſidio Eccleſia, auxilio inopes, boni omnes adiumento ſunt ſpoliati. Vir vita, & moribus ſingularis, cui parem ætas illa non protulit, & qualem ſecula rara ferent: vir ſumma prudentia, & ſapientia præditus, religione inſignis, pietate præcipuus, excellens integritate vitæ, de omnibus optimè meritus, in quo nullorum quamuis perſpicaces oculi vllum vnquam locum maledicto inuenire potuerunt. Qui facultatibus egenos, ſubſidio imbecilles, conſilio plurimos, opibus ſingulos, omnes* D *patrocinio ſubleuabat, eratque veluti parens vnicus bonorum, ac calamitoſorum refugium.*

A Sigonio verò in Vita *homo* dicitur *in maximis ante cętum, & amplius annos Reipublicæ Chriſtianæ negocijs diu, multumque inſigni cum virtutis, conſiliique laude verſatus, & ea fide, integritate, atque in omnibus rebus agendis ſapientia præditus, vt meritò homines tantam virtutis indolem admirari potuerint.* Ab Arnoldo Boſtio de Viris Illuſtribus ordinis Carthuſiani, *magnus Eccleſiæ Bononienſis Antiſtes, toti ſalutifer Orbi, & velut alter Elias Zelo domus Dei accenſus ſanctorum Cathedram meritis eximijs impleuit, humanarum, diuinarumque rerum cognitione ornatus, qui Diui Petri nauicula, dum ſecundis vteretur ventis, maximo ſemper adiumento extitit, dum verò aduerſis procellarum turbinibus quateretur, adminiculo, & ſubſidio ſingulari, terſum virtutis ſpeculum, errorum excidium, Chriſtianæque Reipublicæ propugnacu-* E *lum, & clarum Eccleſiæ iubar, cuius vita fuit totius ſanctitatis exemplum, cuius mores, inſtituta Eccleſiarum, eloquentia, ſtupor, doctrina, miraculum. Quem mortuum omnis planxit Italia, cuius corpus terra ſuſcepit, anima Chriſto reddita eſt; cui diuro, & diuturno martyrio veniens ſui corporis Hoſtiam immolarat.* Iiſdem ferè verbis eundem concelebrant Petrus Dorlandus, & Petrus Sutor Carthuſiani, ille in Chronico ſui ordinis, hic de vita Carthuſiana.

Ex neotericis autem Henricus Spondanus *Virum* nuncupat *magnum, vſquequaque doctiſſimum, piiſſimum, ac prudentiſſimum, magni nominis, magnorumque meritorum, & apud omnes illius temporis auctores laudatiſſimum.*

Scripſit Nicolaus Recollecta multæ Lectionis.

Ciaconius. Franc. Maria Torrig. de ſcriptorib. Card. Nomencl. Cardinal.

F De inexcuſabili peccatoris nequitia.

Orationes multas habitas ad Venetos, & Philippum Vicecomitem Mediolani Ducem pro pace.

Sermones multos.

Epiſtolas eruditiſſimas.

Ad illum Aeneas Siluius plures dedit literas.

S. Malachias Archiepiſcopus Armachanus, vaticinandi dono præditus Cardinales Dominicum Capranicam, & Nicolaum Albergatū obſcuro indicauit oraculo, cum de Pio II. Arnoldi Vvionis ſententia; eo duorum verborum inuolucro: *De Capra, & Alberge* locutus eſt: nam Aeneas Siluius Pius II. in Pontificatu, Cardinalibus Capranicæ, & Albergatis à Secretis fuit.

A Nos ſupra Nicolao huic tum gentilitia, tum mutata patentia, tumque poſt Cardinalatum ſponte aſſumpſit tribuimus.



XV.

RAYMVNDVS Mayroſius, natione Gallus, patria Auillanus, Diœceſis Ruthenenſis, eximius Decretorum Doctor, ex Epiſcopo Tracaſtinenſi Caſtrenſis Præſul primò, mox Presbyter Cardinalis S. Praxedis renunciatus anno 1426. B vitam finijt Romæ die 22. Octobris anni 1427. & ſepultus in ſuo ſanctæ Praxedis titulo cum Epitaphio ſequenti.

Ciaconius. Panuinius. Aubery in vita. Pet. Frizō in Gallia Purpurat. Claud. Robert in Gall. Chriſtiana. Felix Contelorius in Elencho. Nomencl. Cardinal.

Ego Raymundus Mayroſi tit. S. Praxedis Presb. Card.
Caſtrenſis vulgariter nuncupatus.
Hæc requies mea vſque in finem ſæculi.
Hic habitabo quoniam elegi eam.
Orate pro me Fratres.
Anno Domini MCCCCXXVII.
Die xxij. Menſis Octobris obij.

C

XVI.



HVGO Luſignanus Græcus, filius Iacobi Regis Cypri, & Ioles de Breſinij filiæ Philippi, frater Iani Regis item Cypri, ex Archiepiſcopo Nicoſienſi Diaconus Cardinalis ſancti Hadriani creatus à Martino, mox ab Eugenio Presbyter S. Clementis, demum Epiſcopus Prænestinus electus eſt. Legationem obijt Martini iuſſu in Campania & Maritima, ac nomine Concilij Baſileenſis, in Gallia ad pacem inter Reges D Francorum & Angliæ, ac Ducem Burgundiæ componēdam. Interfuit cōuentui Atrebatenſi, & Concilio Baſileenſi; Abbas rexit Abbatiam S. Mariæ de Pinerolio, & anno 1437. die 25. Februarij Ripaliæ peregit fœdus nuptiarum ſolemne inter Ioannem Regem Cypri fratris filium, & Amedeam Palæologam filiam Ioannis Iacobi Marchionis Montisferrati. Huius Hugonis Cardinalis opera Anna Luſignana Ludouico Duci Sabaudiæ Felicis Antipapæ filio nupſit; quo tempore Rex Ianus eius frater à Sarracenis Aegyptijs captiuus detinebatur, Hugo qui Cerinas profugerat, Regno præfectus fuit, ac multos facinoroſos plecti iuſſit, & proclamationibus eius exciti ciues Nicoſiam rediere. Defecit ab Eugenio, ac Baſileenſibus patribus adhæſit; quare cum Eugenius illi dignitatem Cardinalitiam, & Epiſcopatum abrogaſſet, menſe Auguſti anno E 1442. non in Germania, vt referunt aliqui, ſed in Sabaudia è vita exceſſit: cuius mors Romæ die 24. eiuſdem menſis Auguſti nunciata eſt.

Ciaconius. Aubery in vita. Panuinius. Io. Franc. Blondus in hiſtor. Anglic. Hēr. Spōdan. in Annalib. Eccleſiaſtic. Aeneas Siluius in Comment. Nicol. Dogliop. in Theatr. Princip. Franc. Auguſtin. ab Eccleſia in hiſt. Pedemontan. Felix Contelor. in Elencho.

XVII.



IOANNES Ceruantes, natione Hiſpanus, ciuis, & Archidiaconus Hiſpalenſis, Iuris Vtriuſque Doctor, ex Epiſcopo Abulenſi Segobienſis primò, mox Burgenſis, demum Archiepiſcopus Hiſpalenſis renunciatus, purpuram à Martino V. obtinuit, ac præfuit Presbyter Car- F dinalis Eccleſiæ S. Petri ad Vincula titulo Eudoxiæ, & Nicolai Quinti iuſſu Epiſcopus Eccleſiam Oſtienſem rexit. Legationis munere functus eſt cum Nicolao Albergato Cardinali ſanctæ Crucis ad Concilium Baſileenſe, & à Concilio vna cum eodem Cardinali Albergato Legatus eſt ad Pontificem, & ad Principes Italos.

Ciaconius. Panuinius. Ferdinād. Vghel. in Ital. ſac. Baltaſſar Porreguus in elogijs Card. Hiſpanorum. Aloyſ. Mānu. in Principe Eccleſ. Aubery in vita. Felix Contelorius in Elencho.

In Vrbe Hiſpalenſi in honorem S. Hermenegildi in paterna domo Xenodochium pro pauperibus erexit, & annuis redditibus do-


tauit ad

A tauit ad octuaginta infirmorum miſerias ſubleuandas. In Eccleſia principe eiuſdem Vrbis Hiſpalenſis ſacellum conſtruxit in honorem eiuſdem ſancti martyris Hermenegildi, & annuos redditus quatuor ſacerdotibus, qui in illo ſingulis diebus ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium facerent, ſuppeditauit larga manu. Abulæ ſacras Sanctorum Reliquias varijs ornamentis exornauit; iuſſit, vt ſuis ſumptibus ſingulo quoque anno duodecim puellæ nuptui in perpetuum collocarentur. Deceſſit in Hiſpania die 25 Nouembris anno noſtræ ſalutis 1453. & ſepultus in Hiſpalenſi Eccleſia Cathedrali cum ſequenti ſepulchrali Inſcriptione.

Poſtquam eximio nitore virtutum Reuerendiſſimus
DOMINVS IOANNES CERVANTES
Cum Titulo S. Petri ad Vincula Galerum optime meruit, digniſſimoſque per Orbem edidit fructus, quoniam totius Eccleſiaſticæ honeſtatis oſtium fuit indicatus, Oſtienſem ſedem obtinuit. Tandem graueſcente iam ætate Hiſpalenſem Metropolim ſapienter adminiſtrans, Eccleſiam (vt Prælatum decet) reliquit hæredem:
Tum inter probatiſſimas operationes Hoſpitale famoſum, dotatiſſimumque in Ciuitate Hiſpalenſi primus ædificauit.
Obijt xxv. Nouembris anno Domini
MCCCCLIII.

B

XVIII.



Ciaconius. Panuinius. Aubery in vita. Ant. Sand. in elogijs Cardin. Hier. Gamberi. Aud. Victor in Addit. ad Ciaconium. Ferdinand. Vghel in Ital. ſacra.

IVLIANVS Cæſarinus Romanus, familiæ ſplendore illuſtris, doctrina, rerum experientia, & prudentia clarus. Iuriſprudentiam in nobili Gymnaſio Patauino publicè & cum laude docuit: vbi iuuenem miro diſcendi ardore incenſum Dominicum Capranicam, eadem die cum illo ad Purpuram prouectum, Auditorem habuit. Hic ex Protonotario Apoſtolico, & Referendario Signaturæ Sanctiſſimi, ſeu vt alij voluit, ex Auditore Rotæ Romanæ à Martino V. Diaconus Cardinalis ſancti Angeli in Foro Piſcium die 26. Maij anni 1426. renunciatus, ſed non publicatus niſi die 8. Nouembris anno 1430. Ab eodem Martino titulum S. Sabinæ, & pridie nonas Martij anni 1444. ab Eugenio, Martini ſucceſſore, Epiſcopatũ Tuſculanũ adeptus eſt.

C D

Martini iuſſu legationis munere functus eſt in Boemia ad hæreſim, quæ in illo Regno maximè vigebat, eradicandam: atque hanc ad Boëmos orationem habuit. *Eccleſiam Chriſti Saluatoris Sponſam, omnium Fidelium matrem eſſe dictitans, claues ligandi, atque ſoluendi habere, candidam ſine ruga, ſine macula, in his quæ neceſſaria ad vitam æternam creduntur errare non poſſe. Qui eam contempſerit, alienum, prophanum, & quaſi Ethnicum, Publicanumque cenſendum: eam nuſquam melius, quam in generali Concilio repræſentari. Statuta Conciliorum, Eccleſiæ plantas exiſtimari. Concilius, non minus quam Euangelijs credi oportere; quorum auctoritate, & ipſa ſacrarum literarum eloquia præcepta ſunt. Boemos qui ſe Eccleſiæ filios dicerent, voces matris audire debere, quo filiam obliuiſci non poteſt: eos iam pridem ſeorſim à matre vixiſſe, n quæ id nouum eſſe. Complures aliquando fuiſſe, qui matrem reliquere, rediſſe tamen, qui ſalutem optauere. Regnante diluuio omnes periiſſe, qui extra arcam remanſere. Dominicum agnum in vnis ædibus comedendum: extra Eccleſiam non inueniri ſalutem. Hanc eſſe concluſum hortum, ſignatumque fontem, cuius aquam ſi quis biberit, non ſitiet in æternum. Ex re ſua ſapuiſſe Boëmos, qui eius aquæ fluenta apud Concilium requiſierint, matremque tandem audire ſtatuerint. Faceſſere iam odia debere, ponenda eſſe arma, omnemque belli materiam procul abijciendam, audituros benigne patres, quæcumque Boëmi pro ſua cauſa dicere velint, tantum parato animo ſint, ne bene conſulta ſancta Synodi conſilia reſpuant, quibus non Boëmos tantum, ſed omnes Chriſtifideles comquieſcere oportet, ſi modo æternæ vitæ participes eſſe velint.*

Michael Aytsinger. in Theſauro Principum.

E F

Boëmi pauca reſpondere: contra Huſſitas tamen Cruceſignatos excitauit, & breui quadraginta equitum millia coëgit. At cum Principum tentoria, vel hoſtium dolo, vel alia ratione igne arſiſſent, Catholicorum acies in fugam verſa, Iuliano Legato ad confligendum cum hoſte fruſtra cohortante. Hac re in Boemia infeliciſſimè geſta, Legatus Baſileam pergens Concilium Pontificis nomine indixit, in quo Legatus etiam fuit. Mortuo autem Martino, ſub eius ſucceſſore Eugenio, functus eodem munere, cum videret Concilium à veritate deuiare, & ob ſimultates, & odia de Eugenij depoſitione tractari, miſſo Concilio ad Eugenium redijt, à quo Epiſcopatum Groſſetanum in Hetruria obtinuit. Paulò poſt Legatus iterum miſſus ad Ioannem Græcorum Imperatorem, apud quem tantùm auctoritate, & oratione valuit, vt eum Ferrariam, quò Concilium tranſlatum

Ioan. Cochlæus in Hiſt. Huſſitar.

A fuerat, cum multis viris inſignibus, & Patriarcha Conſtantinopolitano ſecum adduxerit, in quo conciliata fuit Græca cum Latina Eccleſia. Interfuit Concilio Ferrarienſi, ac Florentino, & in Ferrarienſi peculiari Decreto patrum, conſtitutus eſt ſanctorum locorum Hieroſolymitanorum Protector.

Luc. Vvaldingus in Annal. Minorum. Henricus Spondan. in Annal. Eccleſiaſt.

Romæ erat Iulianus Cardinalis, quando ab Eugenio audita eſt Felicis Pſeudopontificis electio a Baſileenſibus patribus facta, facile autem contempſerat Eugenius Baſileenſes ſine duce, ſine capite. At Felice Pontificatum acceptante, magno Principe vniuerſis fere Chriſtianis Regibus aut conſanguinitate, aut affinitate coniuncto, qui annis quadraginta ſubditos ſuos in pace ſumma iuſtitia, ac prudentia gubernarat, cuius opes inæſtimabiles credebantur, non Eugenij modò, ſed omnium Cardinalium, & aliorum Prælatorum mentes ingens metus peruaſerat. Iulianus autem in Conciſtorio cum allato Nuncio de nouo Pontifice trepidare omnes animaduerteret;

B *Tria, inquit Beatiſſime Pater, ni fallor, quæ tibi Felice aduerſarium metuendum reddunt, coniunctio, quæ illi cum Regibus eſt; ſapientia, qua præditus exiſtimatur; & ingens pecuniarum vis, quam illi per tot annos pacifice regnanti ſuccreuiſſe putant. Hæc times? ij ſunt hoſtes, quos vereris, cum his tibi bellum futurum eſt? Fratres mei, qui ante me ſunt locuti, multa de his rebus dixere, eaſque ſupra modum extulerunt, ac inſuperabilem aduerſarium his eminentem dotibus exiſtimauerunt. At ſi me audias, metum tibi omnem adimam, facile iſta contemnes, hinc tibi victoria dabitur, vnde times exitium; neque conſanguinitas eius, nec affinitas nocitura eſt tibi. Irridebunt Reges, non adorabunt hominem, qui e ſeculari Principatu ad Eccleſiaſticum euolauerit; virum ſanguinum, qui ſæpe in bellis fuerit verſatus, indignum Sacerdotio iudicabunt. Vxorem, dicent, in ſeculo duxit, filios procreauit, & nunc in Altari ſacratiſſimam Chriſti Hoſtiam audet offerre? irridebunt, & maledicent homini,*

C *nemo amabit. Inter ſeculi Principes rara charitas eſt, nec tanta propinquitas vſquam reperitur, quæ tollat inuidiam laborantibus conſanguineis, nunquam Amedeus auxilio fuit, Burgundos in bello reliquit, & Francos, qualem ſe præbuit amicis, tales eos inueniet; gaudebunt veniſſe tempus, quo vices reddant, deſeretur, ne dubita; nemo illi non emptus adhærebit. Amedeum ſapientem putamimus, cum multos regnaſſet annos feliciter, non ſua credo prudentia, ſed aliena miſeria felix fuit. Decertantes inter ſe hinc Itali, inde Galli quietam Sabaudiam reddiderunt; nos quod erat temporis, attribuimus homini: fecit ſapientia ſua periculum Amedeus, neque ſe paruo inuoluit negocio, in re omnium maxima peccauit: ruent ſua conſilia: felicem vocant, ſed ſæpe rebus aduerſa ſunt nomina. De pecunia minus dubito; nunquam enim tanta eſt, quantam prædicant, neque exponunt qui cumulant: nihil eſt, quod tam nobis proſit, quam pecunioſum aduerſarium exiſtimari: cuncti ab eo petent, neque im-*

D *petrantes inimici abibunt. Hæc mihi de nouo electo ſententia eſt.* His recreatus vocibus Eugenius ad Schiſma extinguendum adiunxit animum, Felicem non timuit, & contra Baſileenſes patres collatis ſignis depugnauit.

Cum deceſſiſſet Iordanus Cardinalis Vrſinus ordinis Minorum Protector, & eius loco poſtulaſſent Religioſi illi viri dari ſibi Iulianum Cardinalem Cæſarinum ordini addictiſſimum, illorum precibus Eugenius libenter aſſenſit.

Luc. Vvalding. in Annal. Minorum.

Inter hæc ab eodem Eugenio Iulianus legationem ad Ladiſlaum Poloniæ, & Hungariæ Regem accepit, vt eum, ac reliquos Principes Chriſtianos ad bellum contra Amuratem Turcam Chriſtiani nominis hoſtem fœdere vniret, quo quidem bello, exigentibus hominum peccatis, Chriſtiani multi, ac tantus vir de Eccleſia Dei benemeritus, vnà cum Rege, & multis nobilibus cæſi ſunt. Tribus ſagittis confoſſum inter fugiendum apud quandam paludem equo

Ioan. Rhò in Hiſtor. virtut.

E lapſum exhalaſſe ſpiritum Iulianum ſcribit Aeneas Syluius. Io: Cochlæus Iulianum euaſiſſe fuga Turcarum manus; at in Europa, ſubdit, eum latrunculi quidem agnoſcentes, & pecunia inſtructum exiſtimantes, dum equum aquæ potu recrearet, peremere, & corpus, quod S. Antoninus non repertum teſtatus eſt, ablatis veſtibus nudum dimiſere.

Iulianum Legatum pro Chriſti nomine occubuiſſe ſcriptum reliquit Magnum Chronicon Belgicum. Occiſus eſt menſe Iulio anno 1445. ſeu veriùs die 10. Nouembris anno ætatis ſuæ quadrageſimo ſexto, Chriſti 1444. Vir, qui nihil vnquam omiſit, quod ad Religionem, ac fidem Catholicam, & Eccleſiæ auctoritatem ſuſtinendam iudicauerit. Fuit honeſta facie, ſtatura procera, ingenio excel-

Ferdinand. Vghel. in Ital. ſac. B. Ioannes Capiſtranus. Felix Contelor. in Elencho. Paulus Iouius.

F ſo, eloquentia ſingulari, & moribus nitidiſſimus ornatus, in Gymnaſijs accuratè verſatus, Ciuilis, Diuinique iuris ſcientiſſimus. Cochlæus Iuliani mortem defleuit his verſibus.

Integer, impollutus, inexpertuſque malorum
Vixit in extremum ſanctior vſque diem.
Pontificiſque vocem dum ſuſtinet, agmina firmat,
Ad lympham diro cuſpide cæſus obit.
Talis ad Eurotæ ripas dum cantibus auras
Mulcet, glande leui concidit ictus olor.

Interulam laneam geſtaſſe Iulianum etiam Cardinalem, ſuis in veſtibus cubitaſſe, longis ieiunijs, & ſemel in hebdomada pane, & aqua ſe maceraſſe, quotidie pœnitentiæ ſacramentum obijſſe, Sacrum feciſſe, & ob profuſam eleemoſynarum largitionem alterum

Diuum

Diuum Martinum à familiaribus nuncupatum, memoriæ proditum ſcimus ab Andrea Victorello, & à Veſpaſiano Florentino.

Nomencl. Cardinal.

Scripſit de Poteſtate Concilij Baſileenſis.

Orationem ad Boëmos habitam.

Apologias pro ſede Apoſtolica.

Epiſtolas multas, quarum aliquæ editæ ſunt in lucem.

De Proceſſione Spiritus ſancti contra Græcos.

Diſceptationes eius in Concilio Ferrarienſi, & Florentino cum Marco Epheſino Epiſcopo habitæ eorundem Conciliorum Actis inditæ ſunt.

Par. 3. hiſt. tit. 22. ca. 11. §. 13. — In Commentarijs. — De Cardinalatu.

S. Antoninus Iulianum hunc Cardinalem ſcientia, & fama probitatis præclarum nuncupat. Aeneas Siluius eundem non ſolùm virum magnum, ſed admirabilem, in quo neſcias doctrina maior, an eloquentia fuerit. Paulus Corteſius non dubitauit aſſerere ita illum multarum rerum varietate doctum, vt iure in Florentina Synodo inter Græcorum, & Romanorum diſceptationem arbiter datus fuerit. Cardinalis Nicenus ad Alexium Laſcarem Imperatorem hoc de illo protulit teſtimonium. *Quoad orationem nos excepit in omnibus optimus vir, & admirabilis, & Latinorum gentis ſimulacrum, & ornamentum natura Iulianus S.R.E. Cardinalis digniſſimus, qui multa, & pulcra dicens, & ad propoſitum argumentum, adeo validis, manifeſtis, & claris demonſtrationibus problema abſoluit, vt oſtenderet, licere veritatem ſemper apponi diuino Symbolo ſynodice, & vocante neceſſitate, ita vt nos pluribus diebus meditantes nihil ad hæc reſpondere potuerimus.* Martinus V. cum Iulianum Baſileenſis Concilij Legatū de latere conſtituiſſet, literis datis xjv. Kalendas Februarij, meritò *Vita integritate, & ſapientia præclarum, magnitudine conſilij conſpicuum, in maximis S.R.E. negocijs diuturna experientia comprobatum appellat.* Virum ſanctiſſimum, omnium ſcientiarum genere eximiè excultum, Chriſti martyrem inuictum, Præſulum normam, præclarum Chriſtifidelium exemplar non ſemel aſſerit Veſpaſianus Florentinus, qui Cardinalis vitam vulgari ſermone, vt illa ferebat ætas, ſed verè, ac ſincerè conſcripſit: hanc vitam primò in lucem dedit Ferdinandus Vghellius in tomo tertio ſuæ Italiæ ſacræ.

XIX.



Ciaconius — Ferdinand. Vghell. de Card. Columnenſ. — Aubery in Vita. — Panuinius — Hier. Garimbert. — Brian. hiſtoria.

PROSPER Columna Romanus, Laurentij Comitis Albæ filius, Martini V. Pontificis Maximi ex fratre nepos, ex Protonotario Apoſtolico ab ipſo Martino ad Purpuram cum Diaconia S. Georgij ad velum Aureum 24. Maij anno 1426. adhuc iuuenis euectus eſt, reſeruatus tamen, vt dicunt, in pectore, vſque ad diem 8. Nouembris anni 1430 qua die publicatus eſt. In Purpuratorum Senatu triginta ſex, aut eo amplius annos cum laude vixit; tres Romanos Pótifices, Nicolaum ſcilicet V. Calliſtum III. & Pium II. ſacra tiara S.R.E. Archidiaconus exornauit. Archipresbyteri munere in Baſilica Lateranenſi ſub Pio II. functus eſt, ac parum abfuit, quin ſummus Eccleſiæ Pontifex renunciaretur in eo ipſo Conclaui, quo Pius II. iuſſus eſt ad clauum ſedere. Potiſſima cauſa electionis Pij, cui erat veteri beneuolentia coniunctus, Proſper fuit; nam cum vna tantùm vox Aeneæ deeſſet ad Pontificatum, hic ad reliquos Cardinales conuerſus, *Et Ego* inquit, *Senenſi accedo, eumque Papam facio.* Roma deinde egreſſum Pium Mantuam verſus, Proſper cum alijs quinque Cardinalibus inſecutus eſt. Ioanni Cliuenſi Duci Philippi Ducis Burgundiæ Oratori ad Pontificem Mantuæ commorantem, vnà cum Latino Vrſino Cardinali, eiuſdem Pij iuſſu occurrit, ſummoque illum honore excepit. Diſcedens Mantua, viſere Venetias ſtatuit, quò cum veniſſet, Ciuitate donatus eſt, & inter patritios Vrbis aſcriptus. Nauem antiquiſſimam Tiberij Cæſaris, vt ferunt, iuſſu in fundo lacus Albanenſis, quem hodie Caſtelli Gandulphi appellant, extractam, vlnis ferè ſub aqua duodecim ſubmerſam, accerſitis ex Genua nautis, quibus ſub aqua degere non eſſet difficile, extrahere curauit. Tiburtinos in Romanæ Eccleſiæ fide tenuit: Vnà cum Beſſarione, & Dominico Capranica, Calliſti iuſſu ad Roſæ Virginis Viterbienſis acta attentè conſideranda Iudex conſtitutus eſt.

Ceſ. Raſpon. de Baſil. Lateranen. — Aeneas Siluius in Commēt. — Iac. Card. Papienſis in Epiſt. — Petr. Corretinus in vita S. Roſæ.

Romæ die 24. Martij anno 1463. obijt, & ſepultus ad Sanctos Apoſtolos. Hunc conſilij virum, religione, & iuſtitia illuſtrem Dominicus Capranica Cardinalis Firmanus, Columnenſibus deuinctus & addictus ſingulari charitate ſemper coluit. De Proſpero hęc apud Pium II. in Commentarijs legimus: *Obijt & Proſper S. Georgij ad velum Aureum Diaconus Cardinalis, Columnenſis familiæ Princeps, Martini quondam Quinti nepos, mitis vir ingenio, literarum cultor, & quem nemo potuiſſet non amare, niſi plus æquo Ghibellinarum partium ſtudioſis auſcultaſſet.*

Felix Contelor. in Elencho.

QVINTA CREATIO CARDINALIVM.

Anno à partu Virginis 1430. *Pontificatus XIII.* quinto Idus Nouembris, Romæ Martinus V. Romanus Pontifex, quintam ex Contelorio, at ex Ciaconio, & Panuinio tertiam fecit Patrum enunciationem, in qua duos ex quatuor ſuperioribus publicauit Cardinales, & duos nouos creauit, ſed non publicauit: Hi fuere.

Proſper Columna Romanus, Diac. Card. S. Georgij in Velabro.

Iulianus Cæſarinus Romanus, Diaconus Cardinalis ſancti Angeli, de quibus ſupra egimus.

Alij de nouo creati ſunt.

XX.



Ciaconius — Ferd. del Caſtil. in chrō. ord. Prædicat. — Antō. Sonenſis. — Nomencl. Cardinal. — Hier. Garimbert. — Baltaſſar Porregnus in ci. g. 30 Card. Hiſpanorum. — Raphael Volaterranus. — Panuinius — Aubery in vita. — Ferdinād. Vghel. in Addit. ad Ciaconiū. — Felix Cōtelorius in Elencho.

FR. IOANNES Caſanoua Theologus inſignis, Hiſpanus, in Regno Arragoniæ nobilibus parentibus natus, à puero patrum Prædicatorum inſtitutum in Cœnobio Barchinonēſi, S. Catharinæ Virginis, ac Martyri ſacro anno 1403. die 8. Iulij amplexus eſt. Adhuc iuuenis Regi Arragoniæ à Confeſſionibus fuit, & poſt decimum quintum ab ingreſſu in ſacrum Prædicatorum ordinem annum, ſacri Palatij Magiſter factus, ſcripſit de Poteſtate Papę ſupra Concilium aduerſus conuentum Baſileenſem, & alia multa in ſacra Theologia. Ex Magiſtro ſacri Palatij Boſanus primò, mox Eluenſis Epiſcopus, demum die Mercurij 8. Nouembris anno 1430. à Martino V. Presbyter Cardinalis titulo S. Xyſti renunciatus eſt; ſed pileum rubrum non recepit niſi ab Eugenio Martini ſucceſſore die 4. Iulij anno 1431. Volunt aliqui Ioannem hunc è vita exceſſiſſe die prima Martij anno 1436. Florentiæ in Italia, alij Barchinone in Hiſpania: ex monumentis tamen Cœnobij Florentini S. Mariæ Nouellæ, imò ex Vaticanis habemus Florentiæ illum obijſſe; inde verò breui corpus in Hiſpaniam ad Cœnobium Barchinonenſe, in quo multos ante annos ſacram Diui Dominici veſtem induerat, delatum fuiſſe.

XXI.



Ciaconius — Panuinius — Pet. Frizō in Gallia Purpurat. — Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana.

GVILLELMVS de Monteforti, aliàs de Dinam, ſeu Dinanus, nobilis Gallus, filius natu minor Rodulphi, & Eliſabethæ de Loheac, ex Protonotario Apoſtolico Epiſcopus Maclouienſis (Maclouium, ſeu Maclouiopolis à S. Maclouio, ſeu Macuto primo Præſule, S. Malò ſic nuncupata, ex Alethæ ruinis nata, Vrbs eſt maritima, & peninſularis Britanniæ Celticæ, vel Armoricæ) renunciatus, Eccleſiam illam ſumma prudētia regebat anno 1424. quando Angli obſidione Vrbem viciniam, montem S. Michaelis dictam cinxerant. Eam ob rem Dux Britonum Ioannes eò miſit copias militum terra, marique, quibus Guilielmus hic noſter inter alios Dux datus, Anglos partim cæſos, partim fugæ datos obſidionem illam relinquere, ſumma gloria coëgit. Cardinalis dignitatem conſecutus eſt conferente Martino V. die 8. Nouembris anno 1430. verùm non publicatus; ſed poſtea ab Eugenio IV. ſucceſſore die 13. Iunij anno 1432. eſt effectus Presbyter tituli ſanctæ Anaſtaſiæ.

Ferdinād. Vghel. in Addit. ad Ciacon. — Catalog. Epiſcoporū Maclouienſis. — Felix Cōtelorius in Elencho.

Sub finem vitæ Martini ex Gallia Romam ſe contulerat Guillelmus; at poſt aſſumptionem Eugenij adepta purpura, cum in Gallias rediret, Senis in Hetruria die 27. Septembris præfati anni 1432. vitæ ſuæ finem impoſuit, atque ibi tumulatus in Minoritarū Templo.

Aliud olim Ciaconius, vel Ciaconij ſectatores gentilitium Stemma Guilielmo huic Cardinali dederant; nos ex Petro Frizonio nouum expreſſimus ſcutum muricatum, quatuor fuſarijs plagulis argenteis, hermionicis, ſex byzantijs argenteis item hermionicis, tribus in ſummo, & in imo totidem exaratum.

XXII.

STEPHANVM à Burgo ſancti Sepulchri, natione Italum, decimum ſeptimum Præfectum generalem fratrum Seruorum B. Virginis Mariæ, cum eſſet Apoſtolicæ ſedis Nuncius apud Poloniæ Regem anno 1424. à Martino V. Presbyterum Cardinalem titulo S. Marcelli deſignatum fuiſſe, & Cracouiæ in Polonia, antequam Cardinalis publicaretur, è vita ceſſiſſe tradit ex Seruorum Annalibus ab Archangelo Gianio conſcriptus Andreas Victorellus in Ad-

ditionibus

A ditionibus ad Ciaconium. At Martinus V. ante annum 1426. Balthaſſarem tantùm Coſſam olim Cardinalẽ, poſtea Ioannem XXIII. declarauit, & Dominicum Ram, vnà cum Dominico Capranica, ſcripſit Cardinales, non tamen publicauit, vt conſtat ex publicis tabulis Vaticanis. Verùm, vt ſcribit Contelorius, ſi Stephano huic datus eſt titulus S. Marcelli, facilè argui poteſt, illum fuiſſe creatum, & publicatum, in publica enunciatione tantum datur Patribus titulus, & tamen in libris ſacri Collegij, & in Regiſtro Pontificio nulla extat Stephani huiuſce Cardinalis mentio. Fides igitur huiuſce hiſtoriæ penes ipſum Archangelum Gianium remanet; qui inſuper refert Stephanum publicè Florentiæ florenti adhuc ætate ſacram Scripturam docuiſſe, & ante Præfecturam, Procuratoris generalis munere in ſuo ordine functum fuiſſe.



XXIII.

B LEONARDVS Datus, cui Antonius Senenſis in Bibliotheca Fratrum ordinis Prædicatorum, & Michael Poccianius in Catalogo Scriptorum Florentinorum, Stanj cognomen tribuunt, nobilis Florentinus, ordinis Prædicatorum generalis Magiſter, ſpectatæ virtutis, & multiplicis eruditionis, ac rerum variarum cognitione inſignis vir die 23. Iunij anno 1426. à Martino V. S.R.E. Preſbyter Cardinalis ex Ferdinando Vghellio adlectus eſt. Extat enim, vt ipſe refert, de hac re C inueterata memoria non ſolùm apud Florentinos, verùm etiam in monumentis eiuſdem familiæ; in quibus hæc adducuntur, quòd Nuncij à ſummo Pontifice Florentiam miſſi, qui hominem de eius ad Cardinalatum aſſumptione certum redderent, fato ceſſiſſe inuenerunt. Fuſiùs rem totam proſequitur Anonymus auctor m.s. Morandianæ Bibliothecæ, & Paulus Altuius de Florentina nobilitate. Ceterùm Fr. Leonardus è nobili, & antiqua de Datis proſapia apud Flórentinos natus, à iuuentute in Monaſterio S. Mariæ Nouellæ D. Dominici regulam amplexus, humaniores ibi literas didicit, maturior inde factus, ad maiora ſtudia miſſus, Theologiæ Doctor inſignis euaſit. Prior ſui Monaſterij conſtitutus primò, deinde Bononiæ contra hæreticam prauitatem Inquiſitor, mox Prouincialis Romanus, ac totius ordinis Procurator generalis, ſacri Palatij Apoſtolici Magiſter, tandem eiuſdem ordinis Prædicatorum, omnium ſuffragijs in Comitijs Florentiæ habitis Generalis effectus eſt. D Interfuit Concilio Conſtantienſi, & pro Italica natione vnus electorum conſtitutus: Odoni Cardinali Columnæ ſuffragium dedit, à quo vnicè dilectus, primò ad Papienſe Concilium Pontificio nomine inchoandum, cum Cretenſi, & Spalatino Antiſtite deſtinatus, Concilium indixit. Plurimos quoque tum pro S. R. E. tum pro patria tolerauit labores. Vir fuit excellentis ingenio, doctrina, & vita conſpicuus, & omni veneratione proſequendus, concionator autem facundus, & gratioſus ſcripſit.

Sermones de Paſſione, de Tempore, & Feſtiuos, quorum aliqui habentur in Concilio Conſtantienſi.

Inſuper Meteoram Ariſtotelis verſibus elegantiſſimis exarauit. Compoſuit opus Concionatoribus, ac Theologis admodum gratum, inſcriptum Petitiones: quòd extat m.s. in Monaſterio Florentino.

E E vita exceſſit Florentiæ ex aliquibus xvij. Kal. Aprilis anno noſtræ ſalutis 1425. ex alijs verò die 22. Iunij anni 1426. ſeu circa annum 1427. & in medio Eccleſiæ eiuſdem Monaſterij ſepulchro æneo reconditus eſt cum hac Inſcriptione.

CELEBRIS HIC MEMORIA COLITVR CLARI RELIGIOSI
FRATRIS LEONARDI STATII DE FLOREN.
SACRAE THEOLOGIAE AC TOTIVS ORDINIS
MAGISTRI GENERALIS.

Nulla tamen huiuſce Cardinalis mentio in libris ſacri Collegij, ſi enim Leonardus, vt ſcribit Felix Contelorius, renunciatus fuiſſet Cardinalis, deſcriptus proculdubio inueniretur in libris laudatis, F præſertim cum Martinus Nuncium de eius creatione Florẽtiam miſerit. Hoc enim peculiare eſt illis omnibus, qui à ſcriptoribus ſine auctoritate in album Cardinalium referuntur, vel poſt obitum creati ſint Cardinales, vel ob ſuperuenientem obitum publicari nequiuerint, & in libris ſacri Collegij deſcripti non reperiantur. Quare cum Contelorio Leonardum hunc inter Cardinales non eſſe deſcribendum iudico.

VICECANCELLARII S.R.E.
ſub Martino V. Romano Pontifice.

Ioannes de Bronhiaco, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus ab anno Pontificatus primo, vſque ad nonum.

Ioannes de Rupeſciſſa, Gallus, Presbyter Cardinalis S. Laurentij in Lucina ab initio anni noni vſque ad finem Pontificatus.

CARDINALES MORTVI
ſub eodem Pontifice.

Philippus Anglus, Presbyter Cardinalis ſanctorum Nerei, & Achillei, poſt annum 1417.

Angelus Barbadicus Venetus, Presbyter Cardinalis ſanctorum B Petri, & Marcellini primò, deinde ſanctæ Praxedis, die 16. Auguſti, ſeu prima Septembris, anno 1418.

Antonius de Chalant, Allobrox, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in via Lata, deinde Presbyter ſanctæ Cæciliæ, die 4. Septembris, anno eodem 1418.

Frater Ioannes Dominici, Florentinus, ordinis Prædicatorum, Presbyter Cardinalis ſancti Xyſti, die 10. Iunij, anno 1419. ſeu ex alijs 1420.

Balthaſſar Coſſa, Neapolitanus, Diaconus Cardinalis ſancti Euſtachij, deinde Romanus Pontifex; qua dignitate ſpoliatus, factus eſt Epiſcopus Tuſculanus; obijt die 22. Decembris, anno 1419.

Petrus Frias, Hiſpanus, Presbyter Cardinalis S. Praxedis, poſtea Epiſcopus Sabinenſis, die 9. Septembris, anno 1420.

Carolus de Vrrias, Hiſpanus, Diaconus Cardinalis ſancti Georgij in Velabro, die 8. Octobris, anno eodem 1420.

C Fr. Ioannes Martinius, Hiſpanus, Canonicus Regularis, Presbyter Cardinalis ſancti Laurentij in Damaſo, menſe Nouembri, ipſo anno 1420.

Petrus Fonſeca, Luſitanus, Diaconus Cardinalis ſancti Angeli, die 21. Auguſti, anno 1422.

Alamanus Adimarius, Florentinus, Presbyter Cardinalis ſancti Euſebij, die 17. Septembris, anno 1422.

Ludouicus Fliſcus, Genuenſis, Diaconus Cardinalis ſancti Hadriani, die 3. Aprilis, anno 1423.

Petrus Maurocenus, Venetus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in Coſmedin, ſeu ex alijs ſanctæ Mariæ in Dominica, die 19. Auguſti, anno 1424.

Stephanus à Burgo ſancti Sepulchri, Seruita, Presbyter Cardinalis, vt ferunt, ſancti Marcelli, poſt annum 1424.

Ioannes Luſitanus, Presbyter Cardinalis ſancti Petri ad Vincula, D die 23. Ianuarij, anno 1425.

Leonardus Datus, aliàs Statius, Florentinus, ordinis Prædicatorum, S. R. E. Presbyter Cardinalis, vt ſcribunt aliqui, die 16. Martij, anno 1425. ſeu die 22. Iunij, anni ſequentis 1426. vel circa annum 1427.

Petrus de Alliaco, Gallus, Presbyter Cardinalis ſancti Chryſogoni, die 8. Auguſti, anno 1425.

Ioannes de Broniaco, Gallus, Pſeudocardinalis titulo ſanctæ Anaſtaſiæ, poſtea legitimus Epiſcopus Oſtienſis, menſe Februarij, anno 1426.

Thomas Brancacius, Neapolitanus, Presbyter Cardinalis ſanctorum Ioannis, & Pauli titulo Pammachij, die 8. Septembris, anno 1427.

Raymundus Mayroſius, Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctę Praxedis die 21. Octobris, anno eodem 1427.

E Raynaldus Brancacius, Neapolitanus, Diaconus Cardinalis ſanctorum Viti, & Modeſti, menſe Octobris, ipſo anno 1427.

Franciſcus Landus, Venetus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Crucis in Hieruſalem, deinde Epiſcopus Sabinenſis, die 17. Decembris eodem anno 1427.

Fr. Angelus de Anna, Neapolitanus, monachus Camaldulenſis, Diaconus Cardinalis ſanctæ Luciæ in Septiſolio, poſtea Presbyter ſanctæ Pudentianæ, demum Epiſcopus Præneſtinus, die 21. Iulij, anno 1428.

Guillelmus Philaſterij, Gallus, Diaconus Cardinalis, poſtea Presbyter S. Marci, die 6. Nouembris, anno eodem 1428.

Simon Cramado, ſeu Caramaudus, Gallus, Presbyter Cardinalis S. Laurentij in Lucina, anno 1429.

F Ludouicus de Barro, Gallus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Agathæ, deinde Presbyter ſanctorum duodecim Apoſtolorum, demum Epiſcopus Portuenſis, menſe Iulij, anno 1430.


Ioannes Pragenſis, alter cognominatus, Germanus, Presbyter Cardinalis S. Cyriaci, menſe Decembri, eodem anno 1430.

Iacobus Inſulanus, Bononienſis, Diaconus Cardinalis S. Euſtachij, deinde S. Mariæ Nouæ, die 9. Februarij, anno 1431.

EVGENIVS IV. PONTIFEX CCXI.

ANNO DOMINI MCCCCXXXI.





IN NOMINE DEI, ET SALVATORIS Noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen.

A Anno Domini MCDXXXI. vij. Kalend. Martij, die obitus Papæ Martini Quinti nouemdialia celebrari ſunt cœpta; & Kal. Martij, Miſſa Spiritus ſancti ab Epiſcopo Albano cantata, Cardinales 14. qui tunc in Vrbe erant, Conclaue ingreſſi ſunt, paratum in ſacrario S. Mariæ ſuper Mineruam, ordinis Prædicatorum: fuit ſepta platea ſuper Mineruam, vſque B ad plateam Rotundæ: Sabbatho igitur 5. non. Martij, tertio Conclauis ingreſſus die: omnium Cardinalium ſuffragijs habito ſcrutinio, electus eſt in Romanum Pontificem D. Gabriel Condolmerius Venetus, Presbyter Cardinalis titulo S. Clementis, Senenſis vulgò vocatus, qui EVGENIVS Papa IV. appellatus eſt. Hic Venetijs honeſta familia populari, ſed antiqua anno 1383. ortus eſt, quæ poſtea, ipſo Pontifice renunciato, patritiatum obtinuit, patrem Angelum habuit; adoleſcens, parentibus mortuis, Euangelij non ſurdus auditor patrimonium, quòd ab illis non tenue acceperat, inter Chriſti pauperes diſtribuit, & ſocio Antonio Corario, euiſdem ſeruoris adoleſcente, ordinem religioſorum hominum, Canonicorum ſecularium, in Monaſterio S. Georgij in Alga Venetiarum, cui ipſimet C initium dederant, profeſſus; in eo, ſumma cum laude, multis annis moratus eſt, & tandiu vnà ſanctiſſime vixerunt, donec Angelus Corarius, GREGORIVS XII. vocatus, Petri ſedem obtinuit. Et cum alter ab altero ſeparari non poſſet, ambos ad ſe Pontifex vocans; illum quidem, Antonium ſcilicet, Bononienſi, Gabrielem verò Senenſi Eccleſijs præfecit. Recuſarunt aliquandiu Senenſes Gabrielem ſuſcipere Epiſcopum, quòd dicerent, hominem alibi natum, nequaquam in tanto Magiſtratu ciuibus Senenſibus præficiendum, eam curam deberi alicui ciui, qui mores hominum, & ſitus ciuitatis noſſet. Sed vicit Pontificis auctoritas, qui haud longè poſt, geminatis honoribus, Antonium Camerarium ſuum, & Gabrielem Cameræ Clericum, Theſaurariumque dixit. Nec diu moratus inuito Col D legio, vtrique Purpuræ honore collato, in Patrum numerum legit, Antoniū tituli S. Chryſogoni, Gabrielem S. Clementis Presbyterum creans; in quo ordine ambo diu claruerunt. Verùm Gabriel Pontifex maximus poſtea renunciatus magis enituit. Eius opera in magnis rebus Martinus V. vſus eſt, maxime verò in legatione Piceni, qua & Picentes in fide Eccleſiæ confirmauit; ſumpto de quibuſdam ſeditioſis, & coniuratis ſupplicio, & Templum S. Agnetis Anconæ dirutum, portumque eiuſdem ciuitatis magna impenſa reſtituit, fluctibus quaſſatum, & vetuſtate conſumptum: at verò cum Martinus intellexiſſet, Bononienſes rebus nouis ſtudere, eò è Piceno Gabrielem Legatum miſit, qui ſuo aduentu ſeditionem omnem ſuſtulit.

EVGENII electio.

EIVSDEM promotio.

A Qui Romam inde veniens, mortuo haud multo poſt Martino V. è 14. Cardinalibus, qui tunc in Conclaui apud Mineruam aderant, Pontifex creatur in ſacrario, aut ſacro veſtiario.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1431. Eugenius IV. Papa, 5. Idus Martij ante fores Baſilicæ Principis Apoſtolorum in Vaticano ſuæ Coronationis inſignia ſuſcepit, per Lucidum Comitem Diaconum Cardinalem S. Mariæ in Coſmedin S. R. E. Archidiaconum, præſentibus Cardinalibus, Clero, & Populo; ſedit autem in Apoſtolica ſede Imperatoribus Cæſaribus Sigiſmundo Lutzemburgio, Alberto, & Friderico IV. Auguſtis, annos 15. menſes 11. dies 21.

CORONATIO Papæ Eugenij IV.

CARDINALES XIX. VIVI quando Eugenius IV. Papa factus eſt.

B

EPISCOPI CARDINALES II.

INNOCENTII PAPAE VII.

1. Iordanus Vrſinus, Domicellus Romanus, Epiſcopus Cardinalis Albanus, S. R. E. Maior Pœnitentiarius.

GREGORII PAPAE XII.

2. Antonius Corarius, Venetus, Epiſcopus Bononienſis, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & S. Rufinæ.

PRESBYTERI CARDINALES XI.

C

IOANNIS PAPAE XXII.

3. Antonius Pancerinus, de Portugruario, Forouilienſis, Patriarcha Aquileienſis, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Suſannæ, S. R. E. Archipreſb. dictus vulgò Aquileienſis.
4. Branda Caſtellio Mediolanenſis, Epiſcopus Placentinus, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Clementis.

BENEDICTI XII. PAPAE.

5. Fr. Petrus ex Comitibus de Fuxo, Gallus, ordinis Minorum Presbyter Cardinalis titulo S. Stephani in Cœlio monte.

D

GREGORII PAPAE XII.

6. Gabriel Condolmerius, Venetus, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Clementis.

MARTINI PAPAE V.

7. Ioannes de Rupeſciſſa, Archiepiſcopus Rothomagenſis, Gallus, Presb. Card. tit. S. Laurentij in Lucina, S. R. E. Vicecancellarius, dictus Rothomagenſis.
8. Ludouicus Alemandus, Archiepiſcopus Arelatenſis, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Cæciliæ.
9. Henricus Beaufort, Anglicus, Epiſcopus Vuintonienſis, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Euſebij.

10. Anto-

10. Antonius Caſinus Senenſis, Epiſcopus Senenſis; Presbyter Cardinalis titulo ſancti Marcelli.
11. Fr. Nicolaus Albergatus, ciuis, & Epiſc. Bononienſis, ordinis Carthuſianorum, Presb. Card. tit. S. Crucis in Hieruſalem.
12. Ioannes Ceruantes, Hiſpalenſis, Hiſpanus, Presbyter Cardinalis ſancti Petri ad Vincula titulo Eudoxiæ.
13. Dominicus Ram, Hiſpanus, Presbyter Cardinalis ſanctorum Ioannis, & Pauli titulo Pammachij.

DIACONI CARDINALES VI.

IOANNIS PAPAE XXII.

14. Lucidus de Comitibus, Diaconus Cardinalis ſanctę Mariæ in Coſmedin, alias Schola Græca, S. R. E. Archidiaconus.

BENEDICTI XII. PAPAE.

15. Alphonſus Carrillus, Hiſpanus, Diac. Card. S. Euſtachij.

MARTINI PAPAE V.

16. Ardicinus de la Porta, Nouarienſis, Diaconus Cardinalis ſanctorum Coſmæ, & Damiani.
17. Hugo Luſignanus, Cyprius, electus Epiſcopus Nicoſienſis, frater Regis Cypri, Diaconus Cardinalis S. Hadriani.
18. Proſper Columna, Domicellus Romanus, Diaconus Cardinalis ſancti Georgij ad Velabrum.
19. Iulianus Cæſarinus, Romanus, Diaconus Cardinalis ſancti Angeli in foro Piſcium.

Ex his quatuordecim Cardinales electioni Eugenij interfuerunt, alij abſentes.

Poſt Coronationem ſuam Eugenius Papa IV. Baſilicam ſancti Ioannis Lateranenſis viſitauit, in Vaticanum rediens, Conſiſtorium generale indixit; & quo die habitum eſt, tanta multitudo adfuit, vt cum trabes deficerent, eius loci, vbi nunc Conſiſtorium publicum fit, trepidatum adeo tumultuoſe ſit, fugam omnes capeſſentes, vt in ipſa preſſura, Senogalliæ Epiſcopus, ciuis Romanus è gente Millina, obtritus perierit.

Dimiſſo Conſiſtorio, Eugenius tumultus ex induſtria vitauit: inſtantibus deinde quibuſdam delatoribus, qui dicerent, Martinum, congregandi auri cupidum, maximos theſauros reliquiſſe, idque ſciturum Eugenium ex Martini familiaribus, nepotibuſque eum perpulere, vt Oddum Poccium, Martini Vicecãcellarium comprehendi iuſſerit, idque negotium Stephano Columnæ dederit, quem copijs ſuis præfecerat. Ab alijs enim Columnenſibus, is ſolus diſſentiebat, Cardinale Vrſino, & Cardinale Comitum, adiuuantibus, quorum artibus, hęc omnia contra Columnenſes geſta putantur, ob inueterata factionum odia. Mandauerat Eugenius, vt Oddo ad ſe, ſine vllo tumultu, ſine ignominia perduceretur; quòd contra à Stephano factum eſt; nam eius bona à militibus direpta ſunt, & ipſe vi, tanquam latro, per ora hominum ad Pontificem tractus eſt. Hac indignitate motus Eugenius Stephano admodum ſuccenſuit, eique interminatus eſt, quòd & Oddonem, & Epiſcopum Tiburtinum, olim Martini Cubicularium ita indecẽter ad ſe pertraxiſſet. Veritus itaque Stephanus Eugenij iram, Præneſte ad Principem Columnam confugit, eumque adhortatus eſt, ſuas opes pollicitus, vt Eugenium ab Vrbe pelleret, quòd diceret, eum in animo eſſe, nomen Columnenſium extinguere: id ſe optimè ſcire, eiuſque conſiliorum participem fuiſſe: ob eamque rem aufugiſſe, quòd ſciret, partem illius calamitatis, ad ſe quoque (niſi tantum mali ſimul declinarent omnes) peruenturam. Motus his verbis Princeps, & eorum calamitatibus, qui Martini Pontificis familiares fuerant, ſumptis properè armis, Pontificem aggredi inſtituit; ſubſtitit tamen aliquandiu, donec Proſper frater, Diaconus Cardinalis, quem quidem præmonuerat, ab Vrbe diſcederet. Viſo autem fratre, è Præneſte, Marinum, atque deinceps Romam, tanquam ex arce bellum in Eugenium mouens occupata, per Ioannem Baptiſtam porta Appia, Vrbem armato milite, nulla illata iniuria, primò ingreditur: iam peruenerant ad S. Marcum, & in vicum Columnam, cum ſubitò eis obuiam facti ſunt Pontificis milites, magna populi parte adiuuante, pugnatum eſt in Vrbe aliquandiu, atque acriter; qua in pugna multi vtrinque cecidere, & capti ſunt. Quare Columnenſes, cum viderent populum Romanum, longè aliter ſentire, quàm arbitrarentur, cedere ex Vrbe inſtituentes, omnia paſſim rapiunt, pecora abigunt, homines abducunt, talionem tamen his reddiderunt Pontificis milites, Romano populo mixti. Nam & Proſperi Cardinalis, & Columnenſium omnium, ac eorum, qui cum Martino familiariter vixerant, domos hoſtilem in modum diripiunt & vaſtant, irritatis hoc modo vtrinque animis, non ſolùm aperto marte, verùm etiam proditionibus res agi cœpta eſt: capitur namque Archiepiſcopus Beneuentanus, Antonij Columnæ filius, ac quidam Maſius frater, qui faſſus eſt, quæſtione adhibita, ſibi in animo fuiſſe, arcem ſancti Angeli dolo capere, interfecto ipſius arcis Præfecto, eamque Columnenſibus tradere, qua occupata, & Põtificem, & Vrſinos ab Vrbe pellerent. De Maſio, Sacerdotio abrogato, quòd degradare appellant, ſumptum ſupplicium eſt in campo Floræ, eiuſque corpus quadrifariam ſub furca diuiſum, ad quatuor Vrbis celeberrimas vias ſuſpenſum eſt, de Archiepiſcopo Beneuentano nulla mentione habita.

ODDO Poccius Martini Vicecãcellarius comprehenditur.

EVGENIVS in Stephanũ Columnã ſuccenſet. STEPHANVS Præneſte ad Principem Columnã confugit.

PRÆNESTIæ Princeps Vrbẽ armato milite ingreditur.

PVGNA inter Columnẽſes, & Romanos.

MASIVS Columna captus ſub furca quadrifariam diuiditur.

At verò cum Eugenius in ægritudinem quandam incidiſſet, vel dolore animi, quo in tantis perturbationibus affligebatur, vel veneno, quòd propinatum à Soldano ſuo quidam dicebant; agere de pace cum Columnenſibus cœpit: curante eam rem Angelo Fuſco ciue Romano, quem, non ita multo poſt, vna cum Franciſco Condolmerio nepote ſuo Cardinalem creauit.

EVGENIVS de pace cum Columnenſibus agit.

Imperator Sigiſmundus, quum iam ſex menſes Senis ſubſtitiſſet, cum magna populi Senenſis impenſa, tentatam fruſtra cum Florentinis pacem omittens, ad Eugenium conuerſus, inito cum eo fœdere anno 1433. ſeptima Aprilis, pax inter eundem Eugenium, & Sigiſmundum Regem Romanorum, die Martis ſancti publicata tubarum ſonitu, hilaritas populi, & publica lætitia habita. Prædicto anno 1433. die 21. Maij Sigiſmundus Rex Romanorum in Vrbem venit, magnàque pompa ingreſſus, per portam Caſtelli pergens ad Baſilicam S. Petri. Quem Populus Romanus, magnis honoribus adhibitis, & ſumptibus ingentibus erogatis, excepit, & comitatus vſque ad ſcalas S. Petri, in quibus Papa illi occurrit, & ambo Baſilicam ingreſſi ſunt. Et vltima die Maij, Sigiſmundus ab Eugenio Papa, Imperator Corona aurea redimitus in Baſilica S. Petri: die Paſchatis Reſurrectionis Papa & Imperator ſteterunt parumper colloquentes ſimul, deinde Papa equum conſcendit, & Imperator tres paſſus habenas tenuit, deinde equitantes vſque ad plateam arcis S. Angeli, diſceſſerunt. Papa ad palatium Vaticanum regreſſus, Imperator autem viam Baſilicæ Lateranenſis ingreſſus, ad Baſilicam perueniens, equo deſcendit, Aram Templi maximam oſculatus eſt, & benedictione accepta ad SS. Quatuor Coronatos, pranſurus, acceſſit: & palatium ad gradus S. Petri, nunc Presbyteratus dictum quieturus hoſpes peruenit hora eius diei 24. Quem progredientem ad Baſilicam Lateranenſem Papa comitatus eſt, vſque ad molem Hadriani, in cuius ponte, multos tum Italos, tum Germanos, vt Imperatorum mos, eſt in Equeſtrem ordinem aſciuit, qui ſculpti ſunt in valuis arcis S. Petri verſus dexteram. Papa verò ad S. Petrum rediit. Abiens deinde cum bona Eugenij gratia, anno 1433. die 13. Auguſti per portam Salariam, per Picentes, & Flaminiam iter faciens, Ferrariam, atque Mantuam peruenit, vbi dies aliquot immoratus, Ioannem Franciſcum Mantuæ dominum, Marchionali dignitate, additis Imperij inſignibus, ornauit. Militauerat prius ſub Eugenio Nicolaus, & eius nomine Præfectum Vici, Vetralla, & Ciuitate Veteri ſpoliauerat; verum quum poſtea Nicolaus ſtipendia ſua poſceret, reſpondit Eugenius, tantum prædæ ex Caſtellis eum auexiſſe, maxime ex direpto Vico, vt ei pro ſtipendio ſat eſſe poſſet.

PAX inter Eugenium, & Sigiſmundũ Rom. Regẽ publicatur.

SIGISMVNDVS Romam veniens magnis honoribus excipitur ab Eugenioque coronatur.

SIGISMVNDVS Roma diſcedens Mantuã petit, Ioannem Franciſcumq; Mantuę Dominum Imperij inſignibus ornauit.

Quamobrem indignatus Nicolaus, agrum Romanum ingreſſus, tantum tumultus concitauit, ingenti præda, tum hominum, tum pecorum abacta, vt Eugenius aliquandiu incertus remanſerit, quorſum iret. Concurrebant Romani ciues ad Eugenium, queſtum de illatis iniurijs, quos Pontifex eo potiſſimum tempore conſilij expers, & bonæ valetudinis ad Franciſcum Camerarium remittebat: qui otio, & voluptatibus deditus, nihil aliud reſpondebat, cum crebræ de ablatis pecoribus querelæ fierent, niſi eos nimium ſpem in pecoribus collocaſſe, Venetos quidem ſine gregibus, & iumentis longè vrbaniorem vitam ducere. Indignati huiuſmodi reſponſo Romani, inuitatis Columnenſibus, ſublato clamore ad arma, & libertatem, pulſis omnibus Eugenij Magiſtratibus, ac capto Franciſco Camerario, nouos ipſi Magiſtratus creant. Septem fuerunt è ciuibus Romanis, quos ipſi Gubernatores appellabant, penès quos vitę, ac mortis hominum ſumma poteſtas erat. Magiſtratus præterea crearunt anno 1434. die vigeſimaſexta Octobris, vigilia ſanctorum Apoſtolorum Simonis, & Iudæ, clamantes, *Viuat Populus, & Romana libertas:* Sabbatho hora vigeſimaſecunda, & nocte mox ſequente Capitolium occupauere, & multis vulneribus Senatorem ſauciarunt, & Tranſtyberim prætergreſſi, vbi Papa exiſtebat, Camerarium S.R.E. eius nepotem ceperunt, & in Capitolino carcere recluſerunt, eo die profecti Cardinales Vrſinus, & de Comitibus, intra ædes Pauli Gocci ſe abdiderunt, vſque ad diem 2. Iulij. Cumque publico edicto caueretur ſub capitali pœna, ne quiſpiam Princeps, aut Baro Romæ exiſteret; Cardinalis de Comitibus ſcapha vectus, quarta hora noctis occulte ad arcem ſe ſancti Angeli recepit.

NICOLAVS agrũ Romanũ ingreditur ſimulque deprædatur.

EVGENIVS omnia ad Franciſcũ Camerarium remittit.

ROMANI libertatem conclamãt pulſiſque Eugenij magiſtratibus nouos creant.

ROMANI Capitoliũ occupant, Senatoremque vulneribus ſauciant.

At verò Eugenius in tanta rerum perturbatione, incertus quid potiſſimum faceret, de fuga cogitare cœpit. Anno igitur 1434. die 3. Iulij è palatio ſuo Tranſtyberino, lintre vectus, mutato habitu, ſumptòque monaſtico cucullo, vna cum Arſenio monacho S. Pauli nauigans ad Oſtia Tiberina peruenit: cum ſubitò Romani quidam, cognita hominis fuga, ſelectam iuuentutem tranſmittentes, qui eius curſum ſagittis, & ſaxis iactis impedirent, ad vſque Oſtia Tiberina eum iniurijs, & contumelijs laceſcentes, & inclamantes, furem, prædonem, & perditionem; Oſtia autem Tiberina is citra offenſam pertingens (diſtinere enim hominem tandiu cupiebant, quoad arce S. Angeli potirentur) ibique paratam triremem inueniens, in eandem conſcendit nonis Iulij, eadèmque Piſas, deinde Florentiam peruenit. Romani ad oppugnandam arcem ſeſe accingunt, vallo, & aggeribus omnia loca munientes, quę dare acceſſum hoſtibus poſſent. Contra autem, qui in arce erant, prodire in certamen, nonnunquam conſueuerant. At verò Præfectus, artibus agendum cum Romanis

EVGENIVS mutato habitu Roma diſcedit Tiberinaque oſtia petit Romanorum contumeliæ in Eugenium.

ROMANI ad S. Angeli arcẽ oppugnandam ſeſe accingunt.

ratus, adiuuante Balthaſſare Auſtica, viro ſagaciſſimo, qui interiorem arcis partem tuebatur: vni ex militibus ſuis in certamē prodeuntibus, negotium dat, vt captus de induſtria ab hoſte, Caſtellani ſæuitiam, & auaritiam criminetur, polliceatùrque eis, ſi velint, pactam mercedem præſtare, & mortem Præfecti, & arcis proditionem, fecit ille mandata diligenter: captus, nullo non genere maleficij, in Antonium Ridium arcis Præfectum coniecto fidem dat ſe omnia cum ſocijs tranſacturum, dimiſſus itaque, arcem ingreditur, veſtes Antonij, ac caligas addita etiam capitis forma, ſuſpendit à longe, ita vt idem videretur: clamabat Balthaſſar, de ſcelerato ſumptum eſſe ſupplicium, ingrederentur aliquot ex optimatibus, & enumerata pecunia iam pacta, arcem reciperent: credidere miſeri nullam ſubeſſe fraudem; ingreſſi aliquot ſtatim capiuntur, fit clamor exultantium in arce: conijciuntur in populum Romanum miſſilia, bombardæque denſi hoc modo Romani, de redimendis captiuis cogitantes, & Camerarium Eugenij nepotem, quem in vinculis habebant, dimittunt; ſuos, qui in arce erant, recepturi: & denium in Eugenij poteſtatem veniunt, quinto poſt libertatem adeptam menſe, creati itaque Magiſtratus Eccleſiæ nomine, ſtatim Capitolium firmo præſidio, & commeatibus muniunt.

PVLcherrima Caſtodum arcis calliditas.

CAMERarius Eugenij nepos, qui in vinculis detinebatur, dimittitur, Magiſtratuſq. Eccl. nomine creantur.

Ioannes Vitelleſcus Cornetanus Patriarcha Alexandrinus, & Epiſcopus Recanatenſis, creatus demùm ab Eugenio IV. Archiepiſcopus Florentinus, & Presbyter Cardinalis S. Laurentij in Lucina anno 1437. Pontificatus 4. vij. Auguſti, ob cuius promotionem magnæ lætitiæ ſigna edita à Senatu, Populòque Romano. Campanæ Capitolij crebro inſonuerunt, ignes nocturni accenſi, Equitum turmæ per ciuitatem diſcurrerunt facularis accenſis, haſtiludia præmijs propoſitis facta: ſuperueniente autem Ioanne Vitelleſco, quem Patriarcham vocabant, abeunte ad Eugenium Franciſco nepote, tantus repente Romanis terror incuſſus eſt, vt hiſcere præ metu non auderent. Erat enim Vitelleſcus homo imperioſus, & ſæuus, & tyrannicam magis, quàm religioſam præſeferens vitam.

Ioannes Vitelleſc. ab Eugenio Cardinalis creatus magna lætitia à Populo R. ſigna geruntur.

FRANCIſco Camerario ad Eugenium abeunte, ingens timor Romanos inuadit.

Per hoc tempus viuebat in Gallijs Ioanna Virago Aurelianenſis, Pũcella, vel Pucella vulgò vocata, quæ Galliæ ferè occupatæ ſubuenit, & miraculo quodã Anglos expulit victores, & Gallicos liberauit.

IOANNA Pucella Gallos liberat Anglos fugat.

Agebantur hæc Romæ, cum Alphonſus interim Neapolim, & Caietam expugnat, à mercatoribus Genuenſibus acriter defenſam: ſuccurrendumque ſuis Genuenſes rati, claſſem quanta maxima poſſunt celeritate inſtruunt, Philippo Vicecomite eorum Duce annuente, ac pedites aliquot præbente, facti non longe à Caieta hoſti Alphonſo obuiam, cum eo confligunt: poſt longam, & acrem pugnam ſuperatur Alphonſus Rex, & capitur vna cum ſuis omnibus, quorum de numero aliquot principes fuerunt. Perducitur Mediolanum ad Philippum Alphonſus, ſuſcipitùrq; non vt captiuus, & Genuenſium hoſtis, ſed vt Rex, & amicus, habitus autem honorificentiſſimè per aliquot dies, multiſque & magnis muneribus à Philippo donatus, in Regnum abiens, Caieta ſtatim potitur. Tum verò Genuenſes indignabundi, quòd Alphonſum hoſtem, quem tanto cum periculo captum, tàm leuiter dimiſiſſet, à Philippo deſciuere.

ALPHONſus Neapolim expugnãs a Genuenſibus ſuperatur, & capitur.

ALPHONſus Mediolanum ad Philippum perducitur, vt Rex & amicus ſuſcipitur.

Eugenius ad tollendum Concilium Baſilienſe conuerſus, illud primo quidem ex Baſilea Bononiam tranſtulit, Cardinalium omniũ, qui ſecum aderant, conſenſu; ſed Imperator, alijque Principes, & Prælati, qui tunc Baſileæ erant, non modò Pontifici non obtemperarunt, verum etiam eum bis, terque monuerunt, vt Baſileam, idoneum a Martino celebrandi Concilij locum delectum, vna cum Cardinalibus proficiſceretur, aliter ſe in eum acturos, vt in præuaricatorem, & contumacem. Motus iſtis verbus Eugenius Baſilienſe Concilium literis etiam Apoſtolicis confirmauit, facta vnicuique eundi ad Concilium poteſtate. Adeò enim bellis vndique vexabatur, vt vix ei reſpirandi facultas daretur. Verùm recuperata Vrbe Roma, eo ſtatim Ioannem Vitelleſcum Eugenius mittit, hominem quidem ad res agendas aptiſſimum, ſed natura ſæuiſſimum, & immitem, qui in Columnenſes, & Sabellos, totam Gibellinam factionem ducens, & Caſtellum Gandulphum ad Lacum Albanum poſitum, & Sabellũ, & Borgetũ in Latio de Sabellis diripuit, & euertit.

BASILIENſe Concilio indicitur.

Ioannes Vitelleſc. in Columnenſes deſæuit.

Idem vltima die Maij vocatus ab incolis Caſtellinoui, ij Eccleſiæ ſe dediderunt, & iureiurando fidelitatem ipſi promiſerunt. Arcem ipſius 175. militum præſidio muniunt, & die 2. Iunij eiuſdem anni Sabbatho copias Eccleſiæ in Præneſtem duxit, è ſingulis domibus Vrbis Romæ, milite vno conſcripto, exceptis Regionibus Pontis, & Parionis, qui expugnationi, & deditioni Caſtellinoui milites contulerant. Secunda die Iunij, obſidione cincta Præneſte ab exercitu Eccleſiæ, quæ ad 18. Auguſti protracta eſt. Interim Paſſaranum, S. Gregorius, & Zagarolum aquæ penuria oppreſſæ ſe dediderunt. Gallicanum autem, & Præneſte vnà in deditionem venerunt, fame vrgente. Nam vt Præneſte, quia fortiſſima erat ciuitas, & munitiſſima, & plena populo vix expugnari, niſi longo tempore potuiſſet. Laurentius Columna, cui parebant iſthæc oppida, pacto liber cum omnibus rebus ſuis Terracinam contendit, omni ferme ditione ſua, in qua erant munitiſſimæ ciuitates, & oppida, amiſſa, Præneſte, Ciuitas Lauinia, Zagarolum, Gallicanum, Caſtellumnouum, S. Gregorius, Paſſaranum, S. Petrus in ſocoris Præneſte autem à Cæculo Rege olim fundata, vt Virgilius libro 7. verſus finem teſtatur, quæ 800. fermè annis Columnenſium, & maiorum ipſorum dominio paruerant ante expugnationem. Patriarcha Vrbem 29. Auguſti victor reuerſus, obuiam ei & capita Regionum, & populus ad Arcum S. Viti proceſſerunt; à quibus honorificentiſſimè ſub pallio aureo exceptus, & ad ædem S. Laurentij in Damaſo deductus, vijs tamen oliuarum ſtratis, muris aulæis aureis, & ſericeis coopertis, & alijs pulchris pannis, inclamante populo, *Viuat Patriarcha*, & intra calicem aureum mille ducenti aurei donati, quinque dies Romæ mãſit.

CASTELLinoui incolæ Eccl. ſe tradũt.

PRÆNEſte ab Eccleſiæ exercitu obſidione cingitur, ideòque premitur.

OPPIDA quæ Eccl. ſe dediderunt.

Ioannes Vitelleſc. Victor in Vrbem regrediens magno honore excipitur.

Dominica hora veſperarum Vrbe exceſſit, Aquilam adiuit. Multos in Campania Eccleſiæ rebelles ſuſtulit, & Romam reuerſus die 17. Decembris, anno Domini 1435. Præneſte ad rebellionem ſpectans, funditùs euertere ſtatuit, quæ ſuo dominio ſuberat. Patriarcha reuerſus propoſuit animo Præneſte diruere, & ſolo æquare, & ita multis artificibus, & opificibus ex Vrbe Roma eductis, eam igne, ferròque diripuit, die 20. Martij exuſta, muris deiectis, & omninò deſolata fuit. Multi illius ciues Romam, & aliàs Vrbes, & oppida habitatum conceſſerunt. Nihil præter arcem ſuperfuit, quæ tamen anno ſequenti 1438. in vigilia S. Nicolai dirui cœpta, curantibus Cola à Roma, regionis Columnæ, & Paulo à Lælio patrono regionis Pontis. Quo quidem anno Eugenius Florentia abſens, conſecrata prius, vel dedicata Florentinorum Cathedrali Eccleſia, Bononiam eſt profectus, & arcem ædificat ad eam portam, qua Ferrariam itur; & ædes in ſuo poſitas, vbi Legatus nunc reſidet, muro prealto, & lato à tergo potiſsimum, & turribus firmat. Anno verò ſequenti publico Conſiſtorio Baſilienſe Concilium, quòd ante approbauerat, Ferrariam transfert, quòd diceret Græcos cum Eccleſia Romana in fide conuenturos eundem locum ſibi delegiſſe. Inſtabant tunc Concilij Baſilienſis præſides, & precibus, & pollicitationibus Græcos adhortabantur, vt omiſſo Eugenio ad ſe proficiſcerentur. Neque hoc contenti, abrogaturos ſe Eugenium, prædicabant, niſi ipſe quoque eò proficiſceretur. Suſtinit aliquandiu Eugenius animi dubius quid potiſsimũ decerneret, miſſo tamẽ eò Legato Io: Franciſco Capitelista, iureconſulto, Patauinóq; Equite, qui eius cauſſam tueretur.

PRÆNEſte à Ioanne diruitur.

EVGENius Florentia Bononiam proficiſcitur.

CONCIL. Baſilienſe prius inductũ in Ferrariã trãſfertur.

Verùm mortuo Sigiſmundo Imperatore 5. Idus Decembris, anno 1437. poſt interregnum dierum 11. Cæſar Albertus iunior Auſtriacus Rex Romanorum creatus Kalend. Ianuarij, anno 1438. imperauit annum 1. menſes 9. dies 27. qui obijt vj. Kalend. Nouemb. anno 1439. & poſt interregnum menſium 2. dierum 4. Imperator Fridericus III. Auſtriacus, Herneſti filius Auguſtus creatus Kalend. Ianuarij, anno 1440. qui imperauit annis 57. menſes 7. dies 19. Quorum tempore Concilium Baſilienſe abſolutum anno 1442. & Concilium generale Florentinum Ferrariæ inchoatum anno 1438. finitum anno 1439. Imperator præterea Cæſar Conſtantinus XV. Paleologus, Manuelis II. filius, Auguſtus, imperauit in Oriente annos circiter ſeptem.

SIGISMVNdo Imper. mortuo Cæſar Albert' Rex Roman. creatur.

CONCIL. Ferrarienſe inchoatũ.

Anno 1443. Eugenius IV. Senis profectus die Exaltationis ſanctæ Crucis, Viterbium peruenit 15. Septembris, triduumque ibi commoratus, 21. Cardinalibus comitatus, multiſq; Curialibus Romam venit. Vrbs ob abſentiam Pontificis, in magnam paupertatem, & miſeriam redacta; multos Legatos 27. Octobris ad eum miſit, vt in Vrbem reducerent, ſed nihil profecerunt, indignatione Papæ aduerſus Romanos adhuc efferueſcente. Bononiam Florentia profectus, ciuibus Romanis grauitate tanta annonæ pleriſque incœnatis noctu cubitum concedentibus, frumentum 10. florenis venale, & nec reperiebatur panis, neque frumentum, ijs qui copioſum frumentum habebant abſcondentibus, ſpe maioris lucri, malo hoc regimine mala prouidentia accidit, vt in magna copia ingrueret tanta inopia: durauit hæc caritas annonæ à Ianuario vſque ad Maium: ſequuta eſt famem, vt ſolet, peſtilens ægritudo, quæ multos ſuſtulit.

EVGENius Romã venit.

ROMA fame, peſteq; vexatur.

Anno Domini 1435. *die* 12. *Auguſti*, pax inter Papam, Ducem Mediolani, Venetos, Florentinos, & Genuenſes, quæ die 17. Auguſti publicata eſt Romæ.

PAX inter Papã aliosque Principes publicata.

Eodem anno 17. *Martij*, capti & torti fuere ciues quidam Romani potentes, qui ſecretò coniurarant aduerſus Eugenium Pontificem de eo deturbando è dominio Vrbis, & multis ciuibus opulentis deprædandis, & alijs occidendis; ſed coniuratione detecta, & illorum confeſsione tormentis patefacta, duo illorum, Blaſius à Colico regionis Treij, & Cola Martinus patibulo fuere ſuſpenſi, die Martis 29. Martij, & filius Pauli Moti ad ſcalas Capitolinas capite truncatus, particeps eiuſdem coniurationis repertus, eodem die, quo captus fuit, Sabbatho ſancto 16. Aprilis eiuſdem anni 1435.

QVIDAM ciues R. in Eugenium coniurantes patibulo ſuſpenduntur.

Imperator Græcorum Ferrariam ingrediens, non aliter ſuſceptus ab Eugenio, ac Romani Imperatores ſuſcipi conſueuere.

Anno 1437. *die* 10. *Decembris* reperti fuerant fures, qui ſacrilegè Capita SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, gemmis, & vnionibus ſpoliauerant: fuerunt duo Beneficiati S. Ioannis Lateranẽſis, Regnicolæ, qui ea omnia apud Nicolaum ipſorum patruum, Canonicum eiuſdem Baſilicæ depoſuerunt, cum enim eos huiuſcemodi ſacrilegia infamia laborare nunciaſſet, gemmas, quas nondum diſtraxerãt, ipſi concrediderunt, qui eos in Campaniam ſaluti ipſorum conſulturus miſit, ſed malefactoribus non repertis, Nicolaus patruus captus; qui, cum pertinaciter, & iureiurando inficiaretur, ſe non eſſe conſcium huius facinoris, vt nepotes ſeruaret, tandem tortus, confeſſus, & conuictus eſt. Garofolus autem, & Capacciola capti iuxta Velitrum fuere, & faſſi ſunt, ſe multas ex ijs gemmas, & vniones vendidiſſe, quæ ab emptoribus, pretio exoluto, redemptæ fuerunt, & ſuis à quibus fuerant auulſæ locis repoſitæ triginta mille aureis

FVRES reperti, qui capita SS. Apoſtolorum gemmis ſpoliauerant.

furtum

furtum æſtimatum. Ab Andræa Epiſcopo Oſimi Vicario Papæ, eius inquam ſententia, in S. Maria Aræcœli degradati, & die Dominico 7. eiuſdem menſis Septembris in Campum Floræ adducti, in caueis ferreis, altis à terra haſtam vnam expoſiti, & deinde in Capitolium reducti, & illic vſque ad 12. eiuſdem, die Iouis, quo tempore matutino, Nicolaus Canonicus ſuper aſinum ſedens, & mitra papyracea in capite depicta, in qua erant duo diaboli, & duo Beneficiati ſequebantur, caudis equorum tracti, vſque ad plateam Lateranenſem; duobus Beneficiatis manus dexteræ abſciſſæ, & igni combuſti tandem fuerunt, ob ſcelus atrox, nefandum, & ſacrilegum, quòd admiſerant in expoliando ornamentis, & gemmis, quibus ornata erant, Capita Apoſtolorum, in eadem Baſilica, quæ argēto ſunt cooperta, valoris mille ducentorum ducatorum, in quo inſertæ multæ gemmæ, & vniones, immenſi fermè pretij. Abſtulerant verò die Lunæ 2. Paſchæ, populo Capita demōſtraturi, noctu diabolica ſuggeſtione ſeducti, Balaſſios duos, vnum 48. alterum 47. charactorum, Sapphirum magnum, tres Adamantes ingentes pretioſiſſimos; ſinguli autem caracti Balaſſiorum 28. ducatis æſtimabantur, duodecim vniones craſſos, & ſelectiſſimos: & non contenti hac præda, die SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, 18. alias pretioſiſſimas gemmas abſtulerunt. Nicolaus non furatus eſt, ſed cuſtodiuit, & occultauit gemmas, cupiditate ductus, iureiurando interpoſito nihil de ea re ſe ſcire, at conuictus, morte damnatus fuit. Vrbanus namque Papa (qui ea Capita tot gemmis ornauerat) ſtatuerat, vt ſi vllo vmquam tempore, quis eriperet aliquam illarum gemmarum, vel ornamentorum furaretur, vel ſciens occuparet, vel non manifeſtaret, ab omni dignitate tàm Eccleſiaſtica, quàm ſeculari caderet, & vſque ad tertiam generationem priuaretur, nec teſtari vmquam poſſet, vel teſtimonium ferre; omni Dominica excommunicari, neque in ſacro loco ſepeliri. Hæc hiſtoria ad memoriam poſteritatis, & terrorem cæterorum, & tanti facinoris deteſtationem in muro Baſilicæ Lateranēſis è regione Tabernaculi, vbi ſunt Capita Apoſtolorum depicta fuit, & perſeuerauit vſque ad annū 1587. & aliò tranſlata.

FVRES atrociſſimis pœnis plectūtur.

Ioannes Vitelleſcus Cornetanus Epiſcopus Recanatēſis Patriarcha Alexandrinus, iuxta Pipernum conflixit cum copijs Antonij Comitis Pontederæ, quæ erant ſex millium equitum, peditum duorum millium, quas eo prælio ſuperauit, & Antonium cepit Eccleſiæ hoſtem, à quo portam Maiorem Vrbis occupatam ante vi ceperat. Patriarcha, Antonium patibulo ſuſpenſum in agro Piperni necauit, corpus nudatum à lupis deuoratum fuit. Occupauerat hic Tyrannus totam Campaniam, quæ mox, vt occiſus fuit, ad obedientiam Pontificis reuerſa eſt, obſedit Patriarcha ciuitatem Lauiniæ, quæ Rienzo Columnæ hoſti Eccleſiæ parebat, & expugnauit tandem, Eccleſiæque acquiſiuit. Idem Ferrariam proficiſcitur, ac publico Conſiſtorio cum magna laude in numerum Cardinalium recipitur: Cardinalis namque ſex menſes antea Bononiæ creatus fuerat. Qui poſtea maiori cum auctoritate rediens, Præfectum Vici, Vetrallæ, & Dominum Fulginatem tyrannide pulſum in via Suriana capitali ſupplicio affecit. Eugenius autem duas Eccleſias iam pridem diſſidentes, in vnum redigere cupiens, anno 1438. demiſſa ſupplicatione Deum veneratus, celebratàque Spiritus ſancti Miſſa, Concilium vnà cum Imperatore Græcorum, & Patriarcha Conſtantinopolitano ingreſſus, ſedente Imperatore condigna ſede, alijſque Græcis è regione Pontificis; primo quæſitum eſt, vellent ne tàm Latini, quàm Græci, ex duabus Eccleſijs iam pridem diſſidentibus vnam fieri? Ad quam vocem omnes ſucclamarunt, placere, & velle, modò rationibus illa prius confutarentur, quæ tantæ diſcordiæ cauſſa fuerant. Diſputabatur quotidie ea de re ab his, qui tum à Græcis, tum à Latinis delecti ad tantam rem fuerant. Verùm cum peſtis Ferrariæ inoleuiſſet, eodēmque in loco non ſine magna incommoditate permaneretur, Florentiam transferre Concilium placuit.

IOANNES Vitelleſc⁹ copias Antonij Comitis Pontederæ ſuperat, ipſumq; interficit.

PRIMVM quæſitum in Concil. de Vnione Eccleſiæ. FERRARIēſe indictum Cōc. Florētiam trāſfertur.

Verùm eò dementiæ Concilium Baſilienſe deuenit, vt, abrogato Eugenio, Amadeum tùm Sabaudiæ Ducem, qui eremiticam vitam ad Ripaliam, cum quibuſdam nobilibus, ducebat, Pontificem crearent, FELICEMQVE appellarent. Hinc magnæ ſeditiones in Eccleſia Dei exortæ ſunt, quum Chriſtiana Reſpublica trifariam diuiſa, aut Felicem, aut Eugenium ſequeretur, eſſentque qui neutrales vocarentur; quòd neutris obtemperarent. Eugenius tamen haud animo concidit, nam habito ſæpius conuentu, diſcuſſa Græcorum, & Latinorum contentione, tandem eò ventum eſt, vt Græci rationibus victi, faterentur, Spiritum ſanctum à Patre, Filióque procedere, non à Patre tantùm, vt ipſi credebant, prouenire, vtque in azimo pane corpus Chriſti conſecraretur, ac Purgatorij locum eſſe crederent; poſtremò verò, vt faterentur Romanum Pontificem, verum Chriſti Vicarium, Petrique legitimum ſucceſſorem, primum in Orbe locum tenere, cui & Orientalis, & Occidentalis Eccleſia meritò pareret. Abeuntibus autem Græcis, re hoc modo compoſita, Armenij etiam cum fide noſtra conuenere ſublatis crebris diſputationibus horum erroribus, promulgatiſque Eugenij literis ſuper ea re, quæ rationem concordiæ oſtenderent, cum ſubſcriptione. Datum in ſacroſancti œcumenici Concilij Florentini, quòd in Cathedrali Eccleſia habitum eſt, ſeſſione, anno Domini 1439. die 22. Nouembris. Præterea verò vt partes ſuas augendo, Baſilienſe Cōcilium infirmaret, eodem tempore, Conſiſtorio publico decem, & octo Cardinalis creauit. Quorum de numero fuere duo Græci, Ruthenus, & Nicænus, vt eorum auctoritate Græcorum natio in fide contineretur, habere ſe alios dixit, quorum nomina deinceps renunciaturus eſſet, duos tantùm ad Cardinalatum vocauit, Beſſarionem Nicænum, & Iſidorum Ruthenum, viros omni virtutum genere ornatos. Quorum ille, & Georgius Trapezuntius de Primatu Apoſtoli Petri inſtructiſſimis voluminibus plurima tradidere; exitus tamen iſtius concordiæ biennij mora conciliata, tandem vitiatus eſt, & iterum Græci ad vomitum reuerſi, recuſante Marco Epheſio Metropolita concordatis ſubſcribere, & denuò concertationes Conſtantinopoli renouare. At Eugenius pridie nonas Iulij anno 1439. ad omnes Chriſtianos literas miſit de Latinorum, Græcorumque concordia, & conſenſione, dignas profectò, quæ legantur à pijs, & orthodoxis hominibus: extant enim in lib. Conſtitutionum, & literarum Apoſtolicarum, Romæ nuper edito. Extat præterea Ioannis à Turrecremata Presbyteri Cardinalis S. Xyſti, qui multum in Concilio Florentino laborauit in ſarcienda concordia cum Græcis, reſponſio ad Baſilienſium Oratorem, in qua locus hic reperitur: *In œcumenica Synodo Florentina Occidentali, & Orientali Eccleſijs conuenientibus, præſidente ſanctiſſimo, ac beatiſſimo Domino Noſtro Eugenio Papa IV. Diuina, & Apoſtolica auctoritate deffinitum eſt, Apoſtolicam ſedem, & Romanum Pontificem, in vniuerſum Orbem tenere primatum, & ſucceſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, ac Doctorem, & ipſi in B. Petro paſcendi, & regendi, & gubernandi Eccleſiam vniuerſalem à Domino Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe.* Vltima ſeſſione Concilij Florentini, inuētus eſt mortuus Ioſephus Patriarcha Cōſtantinopolitanus, quum inquiſitio fieret à patribus Concilij de cauſſa mortis, neſcierūt aliud dicere eius familiares, quàm hilariter illa nocte cœnaſſe, & cubiculum ſecretum conceſſiſſe, vbi ſtudijs literarum vacabat, vt moris ſui erat, & chartam aduertentes, quàm tenebat in manibus, confeſſionem fidei Catholicæ Eccleſiæ Romanæ inuenerunt: in qua ſupremum totius Eccleſię caput Romanum Pontificem fatebatur, & Purgatorium. Datum Florentiæ 8. Iunij, anni 1439. reſque notatu digniſſima. Quo tempore peruenerunt Oratores ex Armenia, & Aethiopia, ſubdentes ſe Pontifici, & Concilio, petentes formam, & regulam, quam deberent obſeruare in Chriſti religione, quæ in relatis illis factum eſt.

EVGENIVS in Baſilieñ Cōcilio abrogatus, Felixq; intruditur.

GRAECI rationibus victi S. Roman. Eccl. dogmata fatentur. ARMENII etiā cum fide Rom. Eccl. conueniunt.

DVO Græci Cardinales ab Eugenio creati.

GRAECI tranſacto bienio ad paſtinum reuertūtur. EVGENII literæ ad Chriſtianos de Latinorum, Græcorūque concordia.

IOSEPHVS Patriarcha Cōſtantinop. ingenerali Cōcil. Florētino moritur.

ORATORES ex Armenia Aethiopiaque veniūt ſubdentes ſe Pontifici.

Ioanni Vitelleſco Cornetano, potētia ab Eugenio Pontificis tanta communicata fuit, vt tàm dominio Eccleſiæ, quàm rebus ſpiritualibus præeſſet. In tantam ideò ſuperbiam, & arrogantiam venit, vt Romæ Præfectus in crudelitatem, & ſæuitiam cuncta verteret, & ideò Antonius Ridus Patauinus, arcis Præfectus, iuſſu Pontificis, eum vi cepit, & tribus vulneribus in captione affectum in arcem S. Angeli reclufit, vbi die ſequenti, aut ex vulneribus, aut alia ratione mortuus, elatus eſt ad Eccleſiam S. Mariæ ſuper Mineruam, nudúſque expoſitus ſine calceis, & braccis, tanta eſt inconſtantia, permutatio, & viciſſitudo rerum, vt contemptui, & ludibrio haberetur, qui ante biduum omnibus imperabat, & ad nutum cuncta diſponebat in ditione Eccleſiaſtica, Romam gubernabat, Patrimonium, Ducatum, Campaniam, Maritima, & quæcumque Eccleſiæ erant. Ex Templo Mineruæ corpus eius Cornetum patriam ſuam deductum, & ſepultum fuit. Ex opibus relictis multi ditati; valor enim auri, gemmarūmque quas poſſidebat, pluſquam trecenta aureorum millia conficiebat, præter ſtabilia bona, cum omnes ad eum, cum muneribus confluerent, Mediolanenſium Duce excepto, qui hominem inuiſum, & exoſum habebat; Surianum, & Centumcellæ, Caſtellumnouum ob eius mortem in poteſtatem Eccleſiæ venerunt.

IOANNES Vitelleſci miſerrim⁹ finis.

Anno 1441. die 10. Octobris, Abbas S. Antonij in Aegypto, vir inſignis apud Imperatorem Aethiopiæ, vulgò Presbyterum Ioannem vocatum, duodecim fermè monachis comitatus, Romam venit, ad portam Vrbis obuiam illi factus, Gubernatore, Senatore, & Regionarijs Romanæ Vrbis; Præfecto arcis S. Angeli, Conſeruatoribus, multiſque alijs ciuibus; à quibus deductus eſt in Baſilicam S. Petri, vbi illi Vultus ſanctus oſtenſus; hoſpitatus eſt ad S. Laurentium in Damaſo, & poſtea Capita Apoſtolorum, & cæteræ Vrbis Reliquiæ ei monſtratæ fuerunt.

ABBAS ſancti Antonij in Aegypto Romā venit, honorificeque ſuſcipitur.

Eugenius, quamuis Florentinis quoquo modo eum retinere annixis, Romam veniens die 21. Septembris, Sabbatho hora 12. anno 1443. ad portam Flaminiam, effuſa obuiam vrbana multitudine, nullo non genere honoris adhibito noctu diuertit. Sequenti verò die ad S. Petrum iturus, paratus de more ſupplicationibus, Pontificio habitu per Vrbem incedens, tumultuantem populum intelligit, ob duplicatum tributum, vectigalque nouum vino impoſitum. Hác ob rem facto ſilentio audientibus omnibus, exactionem illam, vt minus liberalem, ſuſtulit: Quo facto, ſtatim inclamatum ab omnibus eſt *Viuat Eugenius*, cum antea clamaſſent, *moriantur noua vectigalia, eorumque inuentores:* Viæ velis, vſque ad Baſilicam S. Petri, coopertæ: Ad altare maximum orauit, & ad corpora Apoſtolorum, & in egreſſu oſtenſus fuit illi Vultus ſanctus. Abſens ab Vrbe fuerat annos 9. menſes 3. dies 23.

EVGENIVS Romā venit, vectigalq; nouum vino impoſitū aufert.

Poſt dies verò decem, & nouem ad Lateranum proficiſcitur. Concilium generale eo loci ſe habiturum omnibus denūciat, miſſis ad Principes literis, & Nuncijs, quibus ea de re certiores fierent, hac enim ratione, infirmari, ac tolli omninò Conciliū Baſilienſe, volebat.

CONCIL. generale Lateranēſe indicitur.

Anno 1444.

ANGElottus Cardinalis Fuſci ab Antonello eius cubiculario interficitur.

A

Anno 1444. die 12. Septembris hora 22. fuit in lecto repertus Angelottus Fuſcus Cardinalis S.Marci,creatus ab Eugenio IV.die 19. Septembris, anno 1431. vulneribus lethalibus ſaucius; Papa edictum propoſuit, vt qui Vicecamerario reuelaſſet homicidium, veniam, & impunitatem,& quingentos aureos lucraretur,& ſub ſigillo ſecreti cuſtodiretur: fuit occiſus dum familia iuiſſet ad ripam Tiberis fluminis, nauem frumento onuſtam exceptura, ad domeſticam prouiſionem: domi ſolus remanſerat cum ſolo cubiculi cuſtode Antonello de Roca, iuuenculo 18. annorum, vel ad ſummum 20. filio ſuæ nutricis, qui ab illo fuerat à puero nutritus; qui cum eum ſomno oppreſſum comperiſſet, enſem pectori direxit, & transfixit ad renes vſque, & poſt gladiolo aſſumpto,inflixit illi multa vulnera, & poſt raſtro caput concuſſit argenteo,quo ipſe ſolebat hortum colere, & arcam confringens, & pecuniam, & argentea vaſa prædatus ad domum maternam aſportauit, atque ita vno die Cardinalis Fuſcus vita, & fortunis, quas tanta cum auiditate parauerat (poſſide-

B

bat enim centum aureorum millia gemmis, & ſupellectile vnà cum pecunijs computatis) priuatur. Reuerſus paulò poſt Antonellus,& Cardinalem eſſe mortuum ratus, ad Carolum Cardinalis nepotem properè acceſſit, heu me (clamans) Cardinalis occiſus eſt, at viuus adhuc repertus eſt. ſed cum loqui nequiret, eiulans vnà cum Carolo Antonellus, Domine mi quis te occidit? aiebat,cumque feneſtræ annixus eſſet, in eum Cardinalis manum intendebat, ille verò Cardinalem eludens ad Carolum verſus, innuit nimirum (dicebat) per feneſtram occiſores ingreſſos, & egreſſos eſſe. Id Carolo facile perſuaſum, Cardinalis verò haud multò poſt obijt. Nullus erat,qui ſuſpicaretur. Antonellum admiſiſſe hoc facinus; ſed opinio erat,quod ille ſolus in ædibus relictus, aliquid de occiſoribus reſciſſet: & hac occaſione captus, & carcere incluſus fuit. Conſanguinei Cardinalis aiebant, nequiſſe illum tanti ſceleris patratorem fuiſſe. Et ille in-

C

quiebat, mortis ſe eſſe reum, quòd tàm male patronum cuſtodiſſet. Quæſtionibus ſubiectus, licèt acriter tortus, tamen ſemper inficiatus fuit. Soldanus tamen, & Camerarius techna vſi, eum in carcerem adierunt, nunciantes Papam pepercisſe malefactori, ſi rem,pro vt geſta erat, fateretur,& hac arte veritatem ab eo extorſerunt. Cóductus ad ædes Cardinalis, Antonellus,curru,qui illic paratus erat, impoſitus, forcipibus ignitis carnibus eius laceratis, per Vrbem ducitur,& in campo Floræ manus illi abſciſſæ,poſt patibulo ſuſpenſus, & in quatuor partes corpus diſcerptum, eæque ad portas Vrbis expoſitæ, & caput cum vna quarta parte in campo Floræ affixum, manus autem ad pontem ſancti Angeli: vno die ſcelus hoc excogitauit, & eodem exequutioni mandauit, & octauo poſt die pœnas exoluit.

ANTOnelli atrociſſimas ſui ſceleris luit pœnas.

Ioannes Conſtantinop. Imp. Obitus.

Anno 1445. obijt Conſtantinopoli Ioannes Palæologus Imperator, qui Concilio Florentino interfuerat: cui ſucceſſit Conſtantinus XV. ſub quo Epiſcopus Epheſinus vix reuerſus ad propria apoſ-

D

tatauit, cum Epiſcopis, qui cum eo Florentiam profecti fuerant, inde ruina Imperij Conſtantinopolitani,& expugnatio ſequuta eſt,& multa illis aduerſa ſucceſſerunt.

S. NICOlai Tolentini canonizatio.

Interea verò Eugenius, ne rem bellicam ſolùm curare videretur, Nicolaum Tolentinatem Picentem, ordinis Eremitarum S. Auguſtini,qui vitæ innocentia,ſanctimonia,& miraculis multis poſt mortem claruit, inter Sanctos Confeſſores retulit anno 1446. die 5. Iunij, feſto Pentecoſtes, præſentibus Cardinalibus,& Prælatis,Clero, & Populo Romano. A ſancto Petro cum omni Clero Eugenius Pontifex ſupplicando ad S. Auguſtinum profectus,ſollemnia ipſe celebrauit, aſtante Cardinalium omnium cœtu, & Populo Romano, Protonotarijs, Aduocatis, Auditoribus Rotæ, & Curialibus in dignitate conſtitutis præſentibus,facem tenebant, ſinguli bilibrem, alij libralem, alij ſemilibralem, iuxta cuiuſque dignitatem;Presbyteri, & Fratres omnes ſemilibrem.Fratres Eremitæ Confalonem fece-

E

runt bombicinum purpureum, cum effigie B.Nicolai canonizandi, & cum inſignibus S. R. E. S. Auguſtini, Papæ,& Populi Romani, ſubter quòd Papa exceptus fuit. Abſoluta Miſſa, Fratres Auguſtiniani duos cados vini falerni, plures hœdos, phaſianos, pullos, gallinas, anſeres, turtures, coturnices, & vitulam vnam in oblationem obtulerunt; viæ velis opertæ, & ornatæ pannis aureis, bombicinis, & laneis à S. Auguſtino vſque ad S. Celſum, & floribus, & herbis odoriferis ſparſis, myrti, roriſmarini, geneſtæ, fœniculi, lauri, abrotani, &c. Sumptus ab Auguſtinianis factus exceſſit quinque mille aureos. Migrauit ex hac vita S. Nicolaus anno 1306. in canonem Sanctorum relatus anno 1446. Pontificatus Eugenij Papæ IV. decimoſexto. Huius præclara geſta referuntur à Mombritio tomo 2. Surij tom. 5. & S. Antonino parte 3. tit. 22. cap. 11. §. 17.

F

CANONICis ſecularibus è Later. Eccl. pulſis Regulares ſubſtituuntur.

Præterea verò, pulſis omninò è ſancto Ioanne Lateranenſi Canonicis Secularibus, Regulares ſubſtituit, ægrè ferentibus Romanis, quòd ſui ciues Eccleſiæ miniſterio, & emolumentis priuarentur. Idem porticum illam extruxit, qua ab Eccleſia ad Sancta Sanctorum itur, & clauſtrum, vbi Sacerdotes habitarent, reſtituit. Auxit & picturam Templi a Martino antea inchoatam. Præterea verò S. Syluestri Mitram, Romam ex Auenione delatam, tribus coronis aureis diſtinctam, ipſemet è Vaticano ad Lateranum detulit, magna cum veneratione,& Litania Sacerdotũ omnium, Populiq; Romani.

S. BERnardinus Senenſis Obitus.

Anno 1444. in ciuitate Aquilæ obijt Frater Bernardinus Senenſis, vigilia Aſcenſionis, die 20. Maij, vir eximiæ ſanctitatis, declamator Dei acerrimus, & Apoſtolicus, & multis poſt mortem miraculis clarens.

Anno 1445. Sabbatho, 14. Auguſti, portæ æneæ Baſilicæ ſancti Petri ſumptibus Eugenij Pontificis factæ, repoſitæ ſuo loco fuere. Tecta Baſilicæ ſarta, præter nauem mediam, quæ tegulis æneis eſt cooperta.

Eugenius Pontifex miſit Vladiſlaum Hungariæ, & Poloniæ Regem, cum Iuliano Cæſarino Diacono Cardinali in Turcas, quorum de numero ad triginta millia vno prælio cæſa, inter Hadrianopolim, & Danubium fuere, licèt in tanta victoria Rex ipſe cum Cardinali ab hoſtibus interfectus ſit. Cardinalis ante prælium initum Dromedarium fœminam Eugenio dono miſit, quæ nutrita fuit,& maior,& procerior erat equo, & quando celeriter ambulabat, vix poterant eam veloces equi aſſequi, & vno die poterat iter centum milliarium conficere; & cum eſſet laſſa, dentibus ſtridebat; & cum onus eſſet

DROMEdarius ad Eugenium mittitur à Iuliano Card. Cæſarino.

B

ei imponendum, genuflectebat in terra, &, vt ſentiebat, ſe eſſe ſatis onuſtam, ſurgebat, & iter agebat.

OBITVS Eugenij Papæ IV.

Anno ſalutis 1447. Pontificatus 16. vitæ verò 64. Eugenius IV. Papa, Romæ in palatio Apoſtolico Vaticano vij. Kal. Martij die Iouis hora 8. noctis præcedentis, rebus humanis exceſſit, ingenio, & rebus geſtis inſignis, & in Pontificatu varius: principio enim licèt illum non ita cautè & prudenter adminiſtraſſe videatur, poſtea tamen omnia prudenter, & conſtantiſſimè egit. Vir aſpectu inſignis, & veneratione dignus, grauis in dicendo potiùs, quàm eloquẽs, modicæ literaturæ, multæ cognitionis, hiſtoriæ præſertim, liberalis in omnes, tùm vel maximè in literatos, quorum familiaritate delectatus eſt. Nam Leonardum Aretinum, Carolum Poggium, Auriſpam, Trapezuntium,& Blondum, viros doctiſſimos ſecretis ſuis admiſit. Ad iram non facilè mouebatur, ob iniurias illatas, & maledicentiam hominum, aut mimos, & dicteria ſcribentium. Gymnaſia ante om-

C

nia quàm diligentiſſimè fouit, maximè verò Romanum, ad quòd genus omne literaturæ adhibuit. Religioſos mirum in modum dilexit, eóſque opibus, & immunitatibus auxit; bella autem ita amauit, (quòd mirum in Pontifice) vt præter ab eo in Italia geſta,& Delphinum Caroli Regis Franciæ filium, compoſita prius inter Regem,& Ducem Burgundiæ pace, cum magno equitatu in Baſilienſes concitauerit, cuius impetu, diſſipatus penè ille conuentus eſt: Conſtans præterea in pactis ſeruandis eſt habitus, niſi ſi quid pollicitus fuiſſet, quòd reuocare, quàm perficere ſatius eſſet: ſplendidus in victu familiæ, parcus in ſuo, & a vino ita alienus, vt abſtemius meritò vocaretur: familiares habuit admodum paucos, ſed viros doctos, & quorum opera in grauibus rebus vti poſſet, quóſque tanquam ſuæ modeſtiæ teſtes in cubiculum cœnaturus admittebat, ac ſciſcitabatur, quid in Vrbe fieret, quid de Pontificatu ſuo ſentirent homines, vt errata ſua, vel ſuorum, ſi quid perperam factum eſſet, emendaret.

ALIQVA de Eugenio Papa.

D

Exornare autem Eccleſias ædificijs, & ſacellis eſt annixus, vt ex Capella Pontificia, & æneis S. Petri valuis apparet,& Baſilicis S.Petri, S. Pauli, S. Ioannis Lateranenſis, Spiritus ſancti, S. Mariæ Maioris, S. Mariæ Rotundæ, S.Sebaſtiani, & S. Suſannæ: quas reparauit, palatium Apoſtolicum refecit innouatum; multas eleemoſynas pauperibus elargitus, liberalis in maritandis puellis, & virginibus collocandis. Ingratitudinis tamen notatus erga Vrſinos, & Cardinalem Vrſinum, quòd eius opera,& ſtudio in Pontificatum prouectus,& Vrſinorum opera ditionem ſuam amiſſam recuperauit, nullum verò rependit beneficium, 33. Cardinalibus ex infima fermè conditione creatis, at nemine ex familia Vrſina, cum tamen multi ea tempeſtate viri inſignes eſſent, & qui eum gradum promererentur, fuit habitus ſententiæ propriæ tenax, & capito: Mortuus autem ſepelitur in Baſilica S.Petri Vaticana, ſepulcro marmoreo his verſibus exornato.

E

EVGENIVS iacet hic QVARTVS, cor nobile cuius
Teſtantur vitæ ſplendida facta ſuæ,
Iſtius ante ſacros ſe præbuit alter ab ortu,
Alter ab occaſu Cæſar vterque pedes.
Alter vt accipiat fidei documenta Latina,
Alter vt aurato cingat honore caput.
Quo duce, & Armenij Græcorum exempla ſequuti
Romanam agnorunt, Aethiopeſque fidem.
Inde Syri, ac Arabes, mundique e finibus Indi,
Magna, ſed hæc animo cuncta minora ſuo.
Nam valida rurſum Turcos iam claſſe petebat,
Dum petit, aſt illum ſuſtulit atra dies.
Qui ſemper vanos mundi contempſit honores,
Atque hac impreſſa condite, dixit, humo.

F

Sed non quem Rubro decorauerat ille Galero,
Non hoc Franciſcus ſtirps ſua clara tulit.
Suſcepitque memor meriti tam nobile, quod nunc
Cernis, tàm præſtans ſurgere iuſſit opus.

Vacauit ſedes dies decem tantum.

In reædificatione autem nouæ Baſilicæ Vaticanæ, quum dirueretur ſepulcrum Eugenij Papæ IV. Canonici ſui gregis S. Saluatoris in Alga Romæ exiſtentes miſerati, memoriam tanti Pontificis labefactari, marmora, quibus erat conſtructum, emerunt, & monumentum ex ipſis in clauſtro confecerunt, & dedicarunt cũ huiuſmodi elogio.

VRBS.

VRBS. VENETVM. DEDIT. ORTVM. QVID. ROMA. VRBIS. ET ORBIS. IVRA. DET. OPTANTI. CAELICA. REGNA. DEVS.

MEMORIAE
EVGENII. IIII.
SVMMI. ATQ. OPTIMI. PONTIFICIS
HIC. IN. PACE. GRAVIS. IN. BELLIS. PRO. CHRISTI. ECCLESIA. IMPIGER
IN. INIVRIIS. PATIENS. RELIGIOSORVM. AMATOR. AC. IN. ERVDITOS. VIROS. MVNIFICVS
CONCILII. BASILEENSIS. INSOLENTIAM
ADVERSVS. PONTIFICIAM. ROMANAM. POTESTATEM
CONCILIO. FLORENTIAE. CELEBRATO. REFRENAVIT. AC. FREGIT
IN QVO
IOANNES. PALEOLOGVS. GRAECIAE. IMPERATOR
ROMANVM. CAPVT. AGNOSCENS
EIVS. PEDIBVS. SE. MVLTASQ. EXTERNAS. ET. REMOTAS. NATIONES. HVMILL. SVBSTRAVIT
CONGREGATIO. CANONICOR. S. GEORGII. IN. ALGA. VENET.
FVNDATORI. RELIGIOSISSIMO. PIETATIS. CAVSSA. P. C.

A Hanc ſepulcralem inſcriptionem famam eſt inſcripſiſſe Aldum Manutium virum ſua ætate clarum.


Blondus Flauius Foroliuienſis, Hiſtoricus clariſſimus, Eugenij Quarti Secretarius, anno 1435.

Mattheus Petracretus Cronographus, anno 1441.


S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus vir ſanctiſſimus, & doctiſſimus.

Eugenij IV. quoque temporibus floruit Alphonſus Toſtatus, hunc Hiſpania excellentium ingeniorum parens, in Madrigale tenui vico genuit, vnde profectus Salmanticam primùm, Iuris Ciuilis, & Pontificij, mox Theologiæ ſtudia auidè amplexus eſt, deſignatúſque ex Salmanticenſi ſcholaſtico Epiſcopus Abulenſis plura volumina de rebus ſacris edidit.

B



SIGNA PP. EVGENII IV. ✱



ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

C ¶ *Sigiſmundus cum iam ſex menſes Senis, &c.*] Ioannes Cochlæus initio libri 7. Hiſtoriæ Huſſitarum: tradit, die Pentecoſtes, anno 1433. Sigiſmundum ab Eugenio corona donatum: alteram coronam Mediolani acceperat. Hieronymus Rubeus lib. 7. Hiſtor. Rauen. ad annum 1432. De corona Sigiſmundo ab Eugenio tributa etiam Platina in Eugenio, & Volater. lib. 23. Iuſtum coronæ deſiderium fecit; vt Sigiſmundus rebus Boemicis non interfuerit. Cochlæus loc. cit.

✱ *Papa ad palatium Vaticanum regreſſus.*] Vide Platinam, & Cochlæum loc. cit. his paucis agit etiam de Equitibus Auratis, quos Sigiſmundus creauit.

D ✱ *Ad ſanctos Quattuor Coronatos.*] Horum ſanctorum Templum vetuſtum, celebrium Lipſanorum theſauro locupletatum, piorum veneratione dignum, præteritis proximis annis, pius, prudens, doctùſq; Ioannes Garſias Cardinalis Millinus inſtaurauit, ornauitq; egregie. Vide libellum de hac re Decij Memoli Romæ editum.

✱ *Papa comitatus eſt.*] Hoc redũdat: idẽ enim paulò ante dixit.

✱ *Nicolaus.*] Nicolaum Fortebrachium intellige. vide Plat. l. cit.

✱ *Eugenius in tanta rerum perturbatione.*] Hæc ex Platina; quem adeas, in Eugenio IV.

✱ *Ioanna puella.*] Inopis paſtoris filia, annum agens 16. ab Vrbe Aurelianenſi obſidionis iugum excuſſit; (magna Galliæ parte potiebantur Angli) effecitque auſpicijs ſuis, vt Galli multis in prælijs victoriam reportarent. Vide Guaguinum lib. 10. cap. 20. Fulgoſum lib. 3. Genebr. lib. 4. Chron. Pium II. lib. 6. Comm. hic illam porcorum cuſtodem fuiſſe, ſcribit, Diuinòque Spiritu afflatam virili E amictam veſte Delphinum Anglorum gladijs circumuentum, & de ſceptro deferendo, deſperato penè animo, cogitantem conueniſſe, & dixiſſe. *Veni, Dei iuſſu, ad te, non meo conſilio; vt me ducem ſequaris; ita præcepit; hoc ſi feceris, ſolium tuum tibi reddam, Rhemiſque propediem te corona donabo.* Ducem exercitus virginem bellica gloria clariſſimi duces ſecuti ſunt; vicit Anglos hoſtes non ſemel ab ea ductus exercitus. Aurelianenſis Vrbis obſeſſionem ſuſtulit, SS. Angelorum phalanges pro Gallico ſceptro, pro virgine militiæ præfecta pugnare, dixiſſes. Delphinus militantem puellam ſecutus Rhemos peruenit, fugato hoſte, nemine reclamante, ciuibus togatis ex-

An. 1429.

Extat etiã ipſius Ioannæ vita vberrimè ſcripta, & in G... cuſa.

A tra mœnia occurrentibus, nulla adiecta conditione, patentibus portis exceptus, vnguento cælitus allato oblinitur, Regni diademate coronatur; populus lętitia exiliens Carolo Regi vitam, & victoriã, fauſta acclamatione, precatur. De altera puella huic ſimili Petrarcha.

Poſt Caſa ſius VI.

✱ *Alphonſus.*] Ex Platina in Eugenio IV.

✱ *Eugenius ad tollendum Conc. Baſil.* Hæc ex Platina; qui præmiſit: [Pontifex ancipiti cura diſtractus, & quòd bellis ...... premeretur; & quòd Baſileen. Concilium augeri in dies cerneret, concurrentibus eò Hiſpaniæ, Galliæ, Germaniæ, Pannoniæque Principibus; qui .... Reip. Chriſtianæ cauſſam in arbitrio Concilij reponebant; ad Concilium tollendum, &c.] Pius II. in literis retractationis *In minoribus agentes, &c.* narrat, ſe, cum Baſileam, cum Dominico Capranica à Martino V. in ſecreto Conſiſtorio Cardinali B creato, acceſſit, anno 1431. Synodum Baſilienſem inchoatam, ſed ab Eugenio reuocatam reperiſſe; & congregatos parere noluiſſe, aientes, eam ſine congregatorum Patrum conſenſu, diſſolui non potuiſſe. Iulianus Card. S. Angeli, Concilij Præſes pro Pontifice, eius reuocationi paruit; at cum, inuito etiam Pontifice, Synodus, Epiſcopis, & Principum Legatis ex varijs locis, nonnulliſque Cardinalibus ex Romana Curia profugis aduenientibus, excreſceret, Iulianus Synodi præſidentiam reſumpſit. Generalis Concilij auctoritas, Pio teſte, efferebatur: de Romani Pontificis auctoritate pauci audebant, diſſerere.

To. 1. Bullarij.

Loc. cit.

✱ *Concilium Baſillienſe confirmauit.*] Pius II. loc. cit. [Acceſſit, & ipſius Eugenij conſenſus, qui diſſolutionis Concilij à ſe fac- C tam reuocauit, ... cum reconciliata Synodus Eugenio videretur, & pax Eccleſiæ data; præterita enim omnia per duas literas Concilij Patres Eugenio ſe le remiſſuros, & pedes eius, tanquam B. Petri exoſculaturos promiſerant, ſi, reuocata diſſolutione, Concilio curſum permitteret, atque illi cohæreret.] Cum Eugenius Concilium Ferrariam tranſtulit, ann. 1437. die 9. Aprilis, Iulianus S. Angeli, & Io: S. Petri Cardinales ad Eugeniũ defecerunt. Vide literas Pij II. cit.

T. 4. Cõc. ed. Rom. 1438.

✱ *Recuperata Vrbe.*] Ex Platina; quem videas.

✱ *Anno ...... ſequenti ...... Conc. Ferrariam transfert.*] De hac tranſlatione Io: Leonis Cod. m. s. de geſtis Concil. Baſil. apud Card. Biſciam doctorum virorum fautorem, Conſtitutionem Eugenij *Magnus omnipotens, &c.* qua Concilium Ferrariam tranſtu- D lit habes in 1. tom. Bullarij. & tom. 4. Conc. edit. Rom.

An. 1438.

Miſſo .... Legato Io: Franciſco Capiteliſta.] Io: Franciſcus Capiteliſtius Eques, & Comes I. V. cõſultiſſimus in Patauino Gymnaſio, cum collegis Paulo Caſtrenſi, Iacobo Saliceto, & Raphaele Fulgoſo, egregijs Iureconſultis, triginta tres annos Legum Interpres fuit: pro Venetis anno 1431. (Scardeonio narrante) pro Eugenio Quarto 1432. in Baſilienſi Synodo legationem obiuit, aliàs à Venetis, pro componenda pace, ad Mediolanenſium Principem, & iterum pro finibus conſtituendis, miſſus, Scard. lib. 2. Ant quit. Patau.

✱ *Concil. Baſilien. abſolutum anno 1442.*] Baſileenſem Synodum Baſileæ continuatam, & poſtea Lauſannæ vſque ad Chriſti Domini annum 1449. tunc enim Felix V. à Patribus Baſileenſibus in Schiſmate creatus, & ipſa Synodus Nicolaum V. verum Ponti- E ficem Maximum agnouit. Vide Cardinalem Bellarm. lib. 1. De Concil. cap. 7.

✱ *Florentinum Ferrariæ inchoatum, anno 1438.*] Ferrariæ cœptum fuit Concilium; illuc Baſilea tranſlatum, ibique erat abſoluendum; at cum peſtilentia Ferrariam vexare cœpiſſet, Florentiam Pontifex, Patres Latini, & Græci, Imperatórque Conſtantinopolitanus ſe contulerunt; ibique abſoluta Synodus. Imperator, & Patriarcha Græcorum, cum Clero, & alijs, Venetias, inde Ferrariam peruenerant. Vide tom. 4. Concil. Rom. edit. in ijs, quæ Concilium Florent. præcedunt. In Templo S. Georgij Ferrariæ anno 1438. die nono Aprilis lectum fuit Eugenij IV. decretum; quo affirmabat, ſacram

Iohã. C8 cuiſ.

occume-

œcumenicam Synodum Ferrariæ, libera, tutáque ciuitate celebrandam. Dat. Ferrariæ anno 1438. die 9. Aprilis: Die 4. Iunij, habita eſt priuata ſeſſio, & à Latinis quæſtio de igne Purgatorio propoſita. (An. citat.) Die 8. Octobris, indict. 2. Synodi ſeſſione 1. œcumenica Synodus diſputare cœpit. Vide locum. Quo modo ſedes diſpoſitæ in Synodo fuerint, diſcere licet ex ijs, quæ Concilium præcedunt. Lue peſtilente Ferrariam obſidente, Eugenius, ſeſſ. 16. poſtrema Ferrariæ celebratarum, Synodum Florentiam tranſtulit. Die Ianuarij 16. Pontifex è palatio exiuit pompa non vulgari: duodecim equi albi phaleris, operimentiſque nobilibus inſignes parati erant; vnus arculam ſacroſancta munera continentem, deferebat; (Euchariſt. intellige.) alteri Eugenius mitra, & precioſo pluuiali ornatus inſedit; viri ad L. pedeſtres cereis facibus Diuinam Euchariſtiam venerabantur; ipſe etiam Pontifex multis cereis comitatus erat; Marchio vrbis dominus Pontificij equi frenum manu tenẽs, eiuſque filius, pedibus incedebat, donec Eugenius Ferraria egrederetur; (Ex ſeſſ. 16. Cõc. Flor.) Cardinales, & Epiſcopi hinc inde equeſtres ſequebantur, exercitus etiam præeuntium, & ſequentium.

* *Finitum anno 1439.*] Vide ſeſſionem 25. Synodi Florentinæ, eo anno, feria 2. ſexta Iulij die Eccleſiarum vnio peracta eſt, & definitio lecta, ſacro facto, Latinè, à Iuliano Card. S. Sabinæ; Græcè, ab Archiepiſcopo Nicæno Beſſarione, nondum purpura initiato.

* *Franciſcus Condolmerius .... ab anno 7.*] Hoc verum non putabis; ſi verum, quòd ait idem Ciaconius, Brãdam Caſtellioneum, & Antonium Corarium fuiſſe Epiſcopos Cardinales Portuenſes (vnum poſt alium intelligo) nam Branda anno 1443. Antonius Corarius anno 1445 (Ciaconio inferiùs narrante) obijt: Eugenius autem Pontificatum inijt, anno 1431. reliquit, cum vita mortali, anno 1447. Franciſcus Condolmerius Nicolaum V. Pontificem vidit, & anno 1453. deceſſit: fortè, poſt Corarij mortem, Portuenſem Epiſcopatum adeptus eſt: niſi dicas (quòd falſum puto) duos eodem tempore Epiſcopos Portuenſes fuiſſe.

* *Fures, qui ...... Capita SS. Apoſtolorum.*] Platina de hac re pauca.

* *Eugenius duas Eccleſias.*] Superiùs ſcripſit Ciaconius iter, quòd Eugenius habuit Senis, Viterbium, & Romam, anno 1443. nunc agit de Concilio ab eo Ferrariæ, & Florentiæ celebrato anno 1438. 1439. Reddant alij præpoſteri ordinis rationem, ſi qua erit.

* *Duas Eccleſias .... diſſidentes in vnum corpus redigere.*]
(1438. die 8. Aprilis.) Duas Eccleſias dixit Platina: Eugenius IV. in literis, quibus Ferrariæ Concilium indixit, ſcripſerat, Orientales, & Occidentales populos diſſidio olim inuicem ſeiunctos in vnam vnitatem, & pacis gratiam conuenire, feſtinare, & paulò ante dixerat, Deum Eccleſiam ſuam fœcundioribus ſemper progreſſibus reddere ampliorem. Vna eſt Chriſti Eccleſia omnium Chriſtianorum parens, quam lacerant hæretici in plures Eccleſias; (Al. Gerũtiam.) *quæ*, (ait D. Hier. ad Ageruchiam, Epiſtola 11. cap. 4.) *iuxta Apocalypſis Ioannis, Synagogæ magis diaboli appellandæ ſunt, quàm Chriſti cõciliabula. Super hanc Petram* (dixit Chriſtus Petro,) *ædificabo Eccleſiam meam.* (Matt. 16. Lib. 1. Epiſt. 8. ad Plebem.) egregiè S. Cyprianus. *Deus vnus eſt, & Chriſtus vnus, & vna Eccleſia, & Cathedra vna ſuper Petrum Domini voce fundata.* Multi in Chriſtiano Orbe Epiſcopi, ſinguli à Romano Pontifice, hic huic, ille illi populo regendo præfecti; omnes ſub eius imperio ad regendam Eccleſiam (quilibet ſuum gregem curans) operam conferunt; conſideranda D. Pauli verba. (Act. 20.) *Attendite vobis, & vniuerſo gregi; in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei. Vnum corpus ſumus in Chriſto.* (Rom. 12.) *vnum corpus, & vnus ſpiritus, &c. vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, &c.* Epheſ. 4. Vnitatem Eccleſiæ probat optimè D. Cyprianus lib. de Eccleſiæ vnitate: affert locum Cantic. 6. *Vna eſt columba mea*, & ideo tare voluit. *Epiſcopatus vnus eſt, cuius à ſingulis pars tenetur.* Vide etiam D. Irenæum lib. 1. & lib. 3. cap. 3. adu. Hæreſ. D. Io. Chryſ. homil. 1. in 1. ad Cor. D. Aug. de Vnit. Eccleſiæ contra Epiſtolam Petiliani.

Eccleſia vna eſt in radice, & capite, quamuis propagatione multiplex fiat: radicis, fontis, & Solis exempla S. Cyprianus recenſuit: (De Vnit. Eccleſiæ.) rami arboris à radice vim habent, riui fluunt à fonte, ſolares radij à Sole ipſo lucem accipiunt, membrorum corporis virtus à capite manat. Schiſmaticos non eſſe in Eccleſia, diſce ex Diuo Aug. lib. 21. cap. 25. de Ciuit. Dei, ex alijſque Patribus; quorum teſtimonia extant apud Card. Bellarm. cap. 5. de Eccleſia militanti: apud Græcos malè ſentientes non eſſe Eccleſiam, idem Card. oſtendit; quia in Concilijs Lateranen. Lugdunen. Florentino eorum Schiſma, & hæreſis, (Lib. 4. c. 8. de Notis Eccleſiæ.) contra proceſſionem Spiritus ſancti à Filio, apertè patuit: deſcribit autem doctiſſimus vir Eccleſiam, quam vnam, non duas fatetur, in hunc ferè modum. (Cap. 2. de Eccl. Mil.) *Eccleſia eſt vnus, vtriuſque hominum cœtus eiuſdem Chriſtianæ fidei profeſſione, eorundem ſanctorum Sacramentorum communione colligatus, ſub legitimorum Paſtorum, præcipue verò vnius Romani Pontificis Chriſti Domini in terris Vicarij, regimine.* Romanam Eccleſiam Eccleſiarum omnium matrem eſſe; quia S. Petrus Romanæ Vrbis Epiſcopus Apoſtolos, aliòſque omnes Epiſcopos per ſe, vel per alios Antiſtites effecit, certiſſima etiam veterum Doctorum ſententia eſt. Vide Iulium I. Epiſtola 1. ad Orientales, Innoc. I. Epiſtola ad Concil. Carthag. ex recentioribus Card. Bellarm. lib. 1. cap. 23. de Rom. Pontif. (Eſt 91. inter Epiſt. S. Aug.) Lynceus aſpicier, hæc ab re non eſſe ſcripta. Baronium ducem habeo Eccleſiaſticorum Hiſtoricorum Coryphæum; qui ſæpe ſacra dogmata, ritúſque explicat, & contra impios nouatores defendit.

In fine ſeſſionis 25. Conc. Flor. leges 6. *die Iulij facta eſt vnio Eccleſiarum*, & in literis Eugenij IV. *Lætentur Cœli, &c.* ſubiatum parietem de medio, *qui Occidentalem, Orientalemque diuidebat Eccleſiam*, & pacem, concordiámque rediſſe: quæ rectè ſi perpenderis Imperatoris Græcorum, & alia Eugenij verba. Imp. dixit, gratum ſibi futurum, ſi Armenis ad orthodoxam fidem, & Catholicam Eccleſiam redierint; Eugenius, in Decreto vnionis Armeniorum, Deum de Eccleſia ſua lapidem alium diſſidij nongentis, & amplius annis inueteratum abſtuliſſe: & paulò poſt, Græcos, & Armenos vnum cum Eccleſia Romana effectos fuiſſe. Imperator, & Pontifex de vna loquuntur Eccleſia. Græcorum cœtus Chriſti fidem amplexus in Eccleſiæ Catholicæ, & Apoſtolicæ ſinu olim viuebat; errorum venena hauſit, Eccleſiam ſanctam ſpreuit, deſeruit: cum reſipuit, eum errores reiecit, & priſcam Romanæ Eccleſiæ fidem, & doctrinam diuinitus traditam, ſuſcepit, facta eſt vnio, ad pacem, quam ſuis erroribus violauerat, redijt: ſublatis erroribus; ſublatus paries diuiſionis.

* *Habita ſupplicatione.*] Ex Platina; Nõ eadem in Græco ſcriptore Synodi Florentinæ; ante primam ſeſſionem indicta fuit Synodus: ſed prius ſublata controuerſia de Latinorum, & Græcorum ſedibus: nam ſtatutum, communi conſenſu fuit, vt Templi pars læua ingrediente Pontifici, Pontificijſque dextera Imperatori, & Græcis tribueretur. Sedes ſic diſpoſitæ. Pontificis ſolium in ea parte quattuor ferè paſſus diſtabat à Templi Ara, infra illud ſedes Imperatoris Alemaniæ, vno ferè paſſu, ſed vacua; deinde ſequebantur ſedes Cardinalium, Metropolitanorum, Epiſcoporum ad 150. In altera parte è regione, Imperatoris Græcorum ſedes purpureo, auróque contexto peripetaſmate eminebat; deinde ſedes Patriarchæ Conſtantinopolitani, (Vide quæ præcedunt primã ſeſſionem.) Pontificia ſede quattuor ferè palmos inferior, ſed, vt Pontificia, purpura decorata, ſcabello adiecto purpureo; deinde ſedes Vicariorum abſentium Patriarcharum, deinde Metropolitarum, & aliorum Orientalium, ſuo ordine; in æde media ante Aram in ſolio pulcherrimo aureo velamento exornato, (vide 1. ſeſſionem.) inter ſanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli capita, ante quæ cerei fulgebant, Iudex Magnus, & iuſtus Dominus Noſter IESVS Chriſtus, ſanctum ſcilicet Euangelium, ſedebat. (9. Aprilis 1438.) Epiſcopi Latini, & Græci ſacris veſtibus amicti, feria quarta maioris hebdomadæ in S. Georgij martyris Templo, vbi Pontifex clara voce dixit, *Benedictus Dominus Deus Iſraël*, diuinas laudes precéſque decantarunt: ſederunt deinde, & Patriarchæ exhortatio, ab eius Referendario, Pontificis & Imperatoris iuſſu, ex ſcripto, & œcumenicæ Synodi indictio Latinè, & Græcè lecta fuit. *Eugenius, &c. Magna profectò, &c.* Recepit, approbauítque pars vtraque lecta, & ſcripta; Deo gratias egerunt; hymno, & prece abſoluta, dimiſſa Synodus eſt.

* *Quæſitum eſt, vellent ne.*] Hoc in Synodi ſcriptore non legi.

* *A Græcis, & Latinis delecti.*] Antequam primæ ſeſſionis tempus adueniret: ex Latinis duo Cardinales, duo Metropolitæ, Epiſcopi duo, Sacerdotes Monachi duo, Abbates duo, Notarij duo: ex Græcis duo Metropolitæ, ex primarijs, duo ex medijs, duo ex poſtremis, Hegumeni duo, Crucesignati duo, Notarij duo, delecti, bis in hebdomada in D. Franciſci diſputabant; die 4. Iunij, priuata Synodo conſedente, quæſtio de igne Purgatorio à Latinis propoſita fuit: multáque ab vtraque parte ad eam quæſtionem dicta. Die Iulij 16. Imperatoris mandato, Græci Antiſtites ad ædes Patriarchæ, vbi ipſe etiam Imperator adfuit, conuenerunt: collatiſq; ſententijs quæſierunt, an Sancti perfectam beatitudinem ſint aſſecuti. Imperator voluit ab vnoquoque ſcribi ſententiam, quam ſequebatur: tres ſententiæ allatæ fuerunt; poſtridie de eadem re actum, declaratúmque Sanctorũ animas, vt animas, perfectam beatitudinem adeptas; adepturas tamen in reſurrectione perfectiorem; cum corpora ijs iuncta, fulgebunt, vt ſol, aberat penè quattuor menſium ſpatium celebrandæ Synodo præſcriptum, & Baſileenſis Synodus, ab Eugenio ſeiuncta, Ferrariæ expectata, non accedebat neque ex Italis aliquis; quare, elapſo tempore, Pontifex dixit: *Vbi ego ſum cum Imperatore, & Patriarcha, ibi eſt vniuerſa Chriſtianorum Synodus; cum præcipuè Patriarchæ omnes, & Cardinales noſtri adſint:* (Die 8. Octobris.) quare vnanimes diſputationem aggreſſi ſunt, perpendentes 1. An fas ſit quidquam addi ſymbolo 2. An pium ſit, quòd additum fuit, *Filioque.* Cardinales, qui ei Synodo interfuerunt, hi ſunt, D. Franciſcus Papæ nepos, Camerarius Card. S. Clementis, D. Angelottus Card. S. Marci, D. Iordanus Card. Vrſinus, Epiſcopus Sabinen. D. Iulianus Card. S. Angeli, D. Nicolaus S. Crucis, Cardinalis, D. Branda Cardin. Placent. Epiſcopus Portuenſis, D. Proſper Card. Columna, ſancti Georgij, D. Antonius Card. Bononiæ, Epiſcopus Oſtienſis, Epiſcopi, & Archiepiſcopi ducenti, ſed & Hegumeni, & Archimandritæ, & plures alij paſtores Eccleſiarum. (Vide præcedentia Concil. in Rõ. edit.)

Die 8. Octobris non in æde Epiſcopij ſancti Georgij, ſed in Templo palatij, quia Eugenius pedibus laborabat, habita eſt prima ſeſſio: eo ſedium ordine, quem ſuperius expreſſi: Latinis aquilonare, Græcis auſtrale Templi latus tributum: vt conuenerant ſupra Pontificem, in plano Notarij, Primicerij, & nonnulli dignitatibus ornati ſedebant; ad Pontificis pedes Equites, Marchiones, Comites, Duces, tum Ariſtocraticorum, & Democraticorum oratores, ſupra Im-

peratorem

peratorem ad ſacrarium, D. Demetrius, eius frater in ſcabello ſedit; A in plano Optimates, Orientaliumque Principum Legati. In Altari, inter thecas capitum SS. Apoſtolorum, S. Euangelij Codex apertus conſpiciebatur. Ex Latinis Cardinales duo, Iulianus Cæſarinus, & Nicolaus Albergatus, Andreas Rhodi Archiepiſcopus, & Ioannes Præſul Foroliuienſis, duòque Monachi Sacerdotes, docti Theologię Magiſtri; ex Græcis Marcus Epheſi Metropolita, Iſidorus Ruſſiæ, Beſſario Nicææ, Xantzopulus magnus Vaſorum Cuſtos, Michael Balſamon, magnus Bibliothecarius, & Georgius Gemiſtus ad diſputandum delecti fuere: Græcis, honoris gratia, diſputationis inſtituendæ facultas tributa. Nicænus ab Imperatore, & Patriarcha poteſtate dicendi accepta, Synodum, eiuſque Præſides vberi encomio celebrauit: quo abſoluto, ſeſſioni primæ finis impoſitus eſt; in ſecunda ſeſſione diſputatio non fuit inſtituta (non verè dixit Ciaconius *Diſputabatur quotidie*) Rhodi Antiſtes, Beſſarionem imitatus Pontificem, Imperatorem, Patriarcham, Synodum laudibus cumulauit: in tertia, die Octobris 14. diſputandi initium factum à Marco B Epheſi Metropolita.

Verum ex his Theologis Io: Turrecremata fuiſſe creat. Die 11. Octobr.

* *Concilium Baſileenſe abrogato Eugenio.*] De ijs, quæ Eugenio obijciebantur vide Pij II. literas Retract. in quibus is Eugenium meritò laudat. De Synodo Baſileenſi quædam Platina in Eugenio. Aeneas Syluius iuuenis Eugenium iuſto iudicio priuatum, & Felicem V. verum Pontificem exiſtimauit; at à Deo illuſtratus, errorem agnouit, & ad bonam mentem redijt.

Vide liter. eiuſdem Pij II.

* *Neutrales.*] Vide Platinam loc. cit. Pium II. in literis Retractationis. Fridericus Imper. cum tota, ferè, Germania, Eugenio IV. Pontifice, neutralis erat. Germani, idolum Baſileæ reſpuebant, nec Eugenio, nec Baſileenſibus omninò parebant: Aeneas Syluius Baſileenſium aliquando ſectator ad neutrales ſe contulit; vt liberiùs, quę vera eſſent, audiret, neutralitas Germanis placuit, vt concordiam C faciliùs reperirent.

Vide liter. cit.

De Eugenio à Baſileenſibus deiecto, & Amedeo ſuffecto inferiùs ad Amedeum.

* *Purgatorij locum eſſe crederent.*] Ferrariæ, ante primam Concilij ſeſſionem, in priuata diſputatione, Latini Græcis de igne Purgatorij quæſtionem propoſuerunt. Vide Concilij locum in Romana editione. Suarez tom. 4. in 3. p. D. Thom. Diſp. 46. ſect. 2. ignem in Purgatorio reperiri, certum eſſe tradit, intra latitudinem opinionis Theologicæ; non autem certum ſanctæ fidei dogma: nam in literis Vnionis docet Eugenius, Animas iuſtas, purgatione indigentes, poſt mortem, Purgatorijs quidem pœnis expiari, at de igne nihil addit. Græcis nullo vnquam tempore de Purgatorio dubitaſſe, docet Card. Bellarm. lib. 1. cap. 15. de Purg. de qualitate pœnæ ij ambigebant, nempè an ignis, vel aliquid aliud animas in illo cruciet. Verba Eugenij ſunt, *Eorum animas pœnis Purgatorijs, poſt mortem, purgari*, Græcorum, ſeſſ. 25. Synodi Florent. *De igne verò Purga-* D *torio determinatum ſic eſt .... peccatorum vero animas perfectè luere pœnas: medias, autem eſſe in loco tormentorum; ſed ſiue ſit ignis, ſiue caligo, ac turbo, ſiue quid aliud, non contendimus.*

Ad 2.

* *Renunciaturus eſſet.* Ex Platina repone. *Hi autem fuere Petrus Barbo ex ſorore nepos, & Ludouicus Patauinus; quem deinceps Patriarcham Aquileienſem .... fecit*, alijs ſublatis, lege in Ciaconio *Exitus iſtius concordia, &c.*

* *Marco Epheſi Metropolita.*] Is diſputauit in Synodo; Imperatore autem, Patriarcha, alijſque Græcis, cum Latinis fatentibus, Spiritum ſanctum à Patre Filióque procedere, infelix veriſſimum fidei dogma negare, auſus eſt. *Epheſius Marcus*, ait Synodi ſcriptor, *noluit aſſentiri huic ſententiæ, atque ita dimiſſa eſt Synodus.* Noluit Patriarcha, noluit Imperator, cum Græcis alijs, ſuo Symbolo addi *Filioque* neque ad hoc à Latinis cogi; ſuóſque omnes ritus retinuere. Vide ſententias eorum ſeſſ. 25. Synod. cit. imminente neceſſitate, veritatis explicandæ gratia, licitè, & rationabiliter additum Symbolo à Latinis *Filioque*, Vide Eugenij literas *Lætentur Cæli, &c.* & ſunt illæ, quibus definitio œcumenicæ Florentinæ Synodi continetur; & quas ad Chriſtianos omnes ab Eugenio miſſas, ſcribit Ciaconius. Eugenius 6. Iulij Miſſam celebrauit, adfuerunt Græci ſacris amicti veſtibus, eo die Vnio abſoluta, & poſt Miſſam, & Litanias Latinè, & Græcè definitio recitata. Vide Conc. Florent. in fine.

Seſſ. 25.

E

In fine Synodi.

1439.

* *Mortuus Ioſeph Patriarcha.*] Florentiæ, die Iunij 9. indict. 2. deceſſit Conſtantinopolitanus Patriarcha: corpus in æde Monaſterij Fratrum Dominicanorum, vbi habitabat Eugenius, ſatis amplo funeris pompa, Græcorum more, tumulatum.

1439. Seſſ. 25. Syn. Flor.

* *Hilariter cænaſſe.*] Synodi ſcriptor hæc. *cognouimus .... ex eius famulis, à cœna, illum, vt ſui moris erat, ſeceſſiſſe in ſuam* F *ædiculam, acceptiſque charta, & calamo ſcripſiſſe, atque ibi tremore, & agitatione nimia correptum occubuiſſe.*

* *Confeſſionem fidei Catholicæ.*] Digna ſunt, quæ hìc inſerantur extrema aurea ſapientis Patriarchæ verba. *Ioſeph miſeratione Diuina Archiepiſcopus Conſtantinopolis nouæ Romæ, & œcumenicus Patriarcha. Quoniam ad finem vitæ meæ perueni, ſoluturus iam commune debitum, Dei gratia ſcribo, & ſubſcribo ſententiam meam apertè vniuerſis ac meorum filiorum. Omnia igitur quæ ſentit, & quæ dogmatizat Cathol. & Apoſtol. Eccleſia Domini Noſtri Ieſu Chriſti Senioris Romæ, ipſe quoque ſentio; & ijs me acquieſcentem do, ac dico. Profiteor quoque beatiſſimum Patrem Patrum,*

Scriptor Synod. ſeſſ. 25.

A *& Max. Pontif. & Vicarium Domini Noſtri Ieſu Chriſti antiquæ Romæ Papam, ad certam omnium fidem; necnon Purgatorium animarum .... ſubſcripſit eſt die M. Iunij 9. 1439. Indict. 2.*

* *Quo tempore .... ex Armenia.*] Die 9. Iunij Patriarcha interijt; die 21. Iulij ſubſcripſerunt Græci; poſt dies aliquot, Patriarchæ Armeniorum Apocriſarij ex Armenia Florentiam venerunt, fideique rectitudinem, & vnionem cum Catholica Eccleſia poſtularunt: & adepti ſunt. Deus Armenicum populum per Septentrionem, & Orientem inſigni multitudine diffuſum in eodem fidei, & charitatis vinculo cum ſede Apoſtolica ſtabiliuit, vide literas Eugenij vnionis Armenorum *Exultate Deo adiutori, &c.* Dat. Florentiæ in publica Synodali ſeſſione in æde maiori celebrata, An. Domini 1439. x. Kal. Decemb. Pontif. anno 9. Dedit autem Eugenius eis Symbolum, cum illa additione *Filioque*. Vide literas citat.

In fine Concil.

* *Aethiopia.*] Iacobitarum vnio accidit anno 1441. Vide literas Eugenij IV. quibus ſanctæ fidei doctrinam ijs tradidit: *Cantate* B *Domino, &c. Dat. Florentiæ in publica ſeſſione Synodali, in Eccleſia ſancta Mariæ Nouella celebrata.* Anno Domini 1442. prid. non. Februarij, Pontificatus Eugenij 9. eæ literæ datæ fuerunt: quas ego, Romæ apud Cardinalem Biciam, cum docto amico Leone Allatio, in Codice m. s. Rerum geſtarum Conciliorum Baſileenſis, Ferrarienſis, & Florentini, Io: Leonis Dominicani vidi in eo autem præclaro Codice ſunt aliæ plures Eugenij literæ, quæ in edita Florentina Synodo deſiderantur, & alia multa, quæ Eccleſiaſticam eius temporis hiſtoriam, ſi prælo committerentur, illuſtrarent. Hic ego pauca, quæ inde, quaſi canis è Nilo tribus horis delibaui, in lectoris bonum, ſubijcienda, putaui.

Extant eędem literę cõ ſtate &c. To. 5. Bullarij.

Aegypti populi Iacobini V. literæ Cãtate, &c.

Eugenius, Bononiæ cum eſſet, Nicolaum Albergatum, Cardinalis S. Crucis, Apoſtolicæ ſedis Legatum, vt Ferrarienſi Synodo præſideret, inſtituit. *Dum onus vniuerſalis gregis Dominici, &c.* Dat. C Bononiæ, anno 1437. jv. non. Ianuar. Pontif. anno 7. eodem anno Baſileenſis Synodi tranſlationem ad Ciuitatem Ferrarienſem confirmauerat. *Pridem ex iuſtis, &c.* Dat. Bononiæ iij. Kal. Ianuar. an. 7.

Eugenium Bononia digreſſum Ferrariam egregia pompa, ann. 7. die Lunæ, Ianuarij 7. ingreſſum, teſtatur Io: Leonis; & die Mercurij, 9. Ianuarij, Indict. 1. Nicolaum Card. S. Crucis in primaria æde Ferrariæ, mane, hora prima, pro Eugenio, Synodi præſidem fuiſſe: enumerátque nonnullos Antiſtites, qui in ea ſeſſione eidem Synodo interfuerunt. Is autem ordo in ea ſeſſione ſeruatus. Spiritus ſancti ope inuocata, ſacróque à Thoma Archiepiſcopo Rauconate de Spiritus ſancto peracto, (inter ſacrum faciendum Martinus Vvargas Abbas Vallisbonæ ſermonem habuit) proceſſionèque cum pluuialib. & mitris albis, à Legato, & Epiſcopis ſollemni cultu præmiſſa, Legatus Baſileenſem Synodum Ferrariam ad ea omnia peragenda, ad quæ Baſileæ olim coacta fuerat, tranſlatam fuiſſe, edixit. Eugenius, D anno 7. xv. Kal. Martij Concilium Baſilienſe, reuocatum à ſe, Conuenticulum nuncupauit, ad illud accedentes excommunicatione, & quarumcunque dignitatum priuatione affecit, actaque ab eo irrita declarauit: Dat. Ferrariæ in ſeſſione Synodali 1437. xv. Kal. Martij, anno 7. illud autem reuocauerat anno 7. *Doctoris gentium admonet ſaluberrima doctrina, &c.* Ferrariámque quò ipſe cum Cardinalibus, & alijs, acceſſurus erat, vocauerat: multaque ad hiſtoriam ſpectantia recenſuerat. Dat. Bononiæ xjv. Kal. Octob. ann. 7.

Anno eodem.

Ab Incar. II N I C. Ann. 7.

Anno 1438. 4. Id. Ianuar. Conſtit. *Decet œcumenici Concilij locum, &c.* in primario Templo Ferrariæ, egit Eugenius de tranſlatione Concilij Ferraria Florentiam; eum refert Io: Leonis.

Anno 9. Loc. cit.

Anno 1438. 15. menſis Febr. Cardinalis S. Marci Angelottus rem ſacram ſollemnem de Spiritu ſancto fecit, Eugenius deinde ad ſeſſionem celebrandam acceſſit; preces nonnullas recitauit, Synodum trina benedictione cumulauit, ſeſſionémque inchoauit.

Io. Leonis loc. cit.

E Prælatos Latinos 118. Synodo Florentinę interfuiſſe, narrat idem Io: Leonis loc. cit. Eugenium, 10. Cardinales, duos Patriarchas Hieroſolymitanum, & Gradenſem, 12. Archiepiſcopos, 62. Epiſcopos, Abbates 31. multóſque diuini, & humani iuris Doctores, vtróſque alios inſignes ſeculares, ac religioſos, Regum, & Principum Oratores, Ordinum, & Militiarum, & Mendicantium Procuratores: ex Orientalium parte Imperatorem Deſpotam, Patriarcham Conſtantinopolitanum, Locumtenentes Patriarcharum Alexandrini, & Hieroſolymitani & Antiocheni, 20. Archiepiſcopos, 8. Abbates, 3. Cruciferos, Cõſtãtinopolitanę Eccleſiæ Cardinales appellatos, Calogeros plurimos, Sacerdotes, & Monachos; nobiles ſeculares, Oratores Principum, Imper. Trapezuntiorum, & Regis Iberorum, Oratores Nabathorum, duóſque Armenos Antiſtites, Patriarchas, ſiue Ar- F chiepiſcopos Armeniæ vniuerſæ. Refert idem Io: Leonis literas Eugenij ad Imper. & Patriarcham Conſtantinopolit. & capitula roborata inter Franciſcum Cardinalem S. Clementis Camerarium, nomine Eugenij Pontif. & Nicolaum Marchionem Ferrariæ.

Sed vide Synodum Flor. edit. Romana.

Ante Græcorum aduentum, Synodus Ferrariæ cœpta fuit. Imperator eorum Io: Palæologus, die 7. Februarij Parentio ſoluit, die 8. Venetias, cum alijs triremibus, appulit, 28. inde diſceſſit, die 4. Martij, feria 3. Ferrariam veniens per honorificè exceptus à Pontifice fuit.

An. 1438. Vide Concil. in Rõ. edit.

* *Anno 1441. .... Abbas S. Antonij.*] Sacram Chriſti Domini Imaginem à Canonicis Vaticanis, anno 1442. Eugenij iuſſu, oſtenſam, teſtatus eſt Iacobus Grimaldus in libello à Bzouio edito tom. 13. Annal. Eccl. ad annum 1216.

Poſt deceñalem peregrinationem, dixit in Elogio Panuinius cap. 17.

A ✱ *Eugenius Romam veniens ...... 1443.*] Eugenium, an. 1441. prid. non. Febr. Florentiæ fuiſſe, ex eius literis inſtructionis Iacobitarum *Cantate Domino, &c.* liquidò apparet: eæ enim tunc datæ in Synodali ſeſſione in S. Maria Nouella celebrata. Carolus Sigonius, in vita Nicolai Albergati Cardinalis Eugenium, paucos annos Florentiæ commoratum, inde Senas anno 1443. nonis Martij conceſſiſſe, & Nicolaum ex grauiſſimo calculi morbo morientem ſæpe nocte inuiſiſſe, ſcripſit: obijt autem ibi Nicolaus vij. Idus Maij, eodem anno; eiuſque funeri intereſſe voluit Eugenius. Dices. Græci anno 1441. morabantur Florentiæ? Non affirmarim: vnione abſoluta, diſceſſerunt anno 1439. poſt 22. Iulij diem; vt ex ipſa Synodo licet conijcere: Imperatorem Io: Palæologum in patriam iter facientem Nicolaus Albergatus Bononiæ, perhonorifice excepit, ijs digreſſis, vel Synodus, ante eorum aduentum Ferrariæ cœpta, perſeuerauit, vel noua, cuius acta non vidimus, habita. Idem Binius in Notis ad Concilium Florentinum.

Zenus c. 21. Vitæ eiuſdem Nicolai.

B ✱ *Mitus liberalem.*] Ex Platina.

✱ *Sub quo Epiſcopus Epheſinus.*] Deeſt aliquid, Marcus Epheſi Metropolita ſolus errorem priſtinum non euomuit; Synodi definitioni ſubſcribere, noluit; reuerſus in Græciam mendacia confinxit, calumnijs ſanctam Synodum fœdare nixus eſt, Græcorum animos Schiſmati aſſuetos ſcriptis literis ad priſcas diſſidij voragines ſollicitauit, nimium etiam ſtudium erga res ciuiles effecit; ne vnionis negotium ad optatum exitum perduceretur: vide Epiſtolam Nicolai V. ad Conſtant. Imper.

V. Hiſtor. Syn. Flor. in edit. Rom. Conciliorum.

✱ *Nicolaum Tolentinatem.*] Literas canonizationis habes to. 1. Bullar. *Licèt militans ...... Eccleſia, &c.* Datũ Romæ anno Incarnat. Dom. 1447. Kal. Feb. anno 16. Feſtum eius diem innouauit Xyſtus V. Conſtit. 16. *Sancta Rom. &c.* Vitam ſcripſit Ambroſius Frigenius doctus, & eloquens concionator.

C ✱ *Pulſis Canonicis ſecularibus.*] Ex Platina. Pennottus lib. 3. cap. 18 histor. Trip. ſcribit, Eugenium, initio Pontificatus, Lateranenſem Baſilicam Canonicis Regularibus obtuliſſe, duos in ea Pœnitentiarios inſtituiſſe: ſed hos Canonicos Regulares tantum onus tunc ſuſcipere non potuiſſe.

✱ *Syluestri Mitram.*] De hac Mitra Auenione Romam delata, Platina in Eugenio IV. Cardinalis Aegidius Viterbienſis in hiſt. 20. ſecul. at neuter aſſerit, quòd Ciaconij calamus exarauit; nempe tribus coronis aureis eam diſtinctam fuiſſe. Innocentius II. multis luſtris, Syluestro recentior in Gallijs vnius coronamenti tiara vſus eſt. *Phrygium ornamentum Imperiale, inſtar galeæ, circulo aureo concinnatum imponunt.* Ait de Innocentio II. tiara Sugerius Abbas in vita Caroli Craſſi, alibi diximus, Bonifacium VIII. duplicis, Vrbanum V. triplicis coronamenti tiaram adhibuiſſe. Platinæ verba de S. Syluestri tiara ſunt. *S. Syluestri Mitram Romam Auenione delatam ipſemet è Vaticano in Lateranum tranſtulit.* Cardinalis Aegi-

D dius *Syluestri Mitram quæſiuit, & in Sacrario, honoris perpetui gratia, collocauit.* Cum Cæſaris Legati Eugenio Romæ ægrotanti obedientiam præſtitiſſent: tota Vrbe ignes viſi, campani æris ſonitus, tubarũmque clangores auditi, decretæ ſupplicationes, Cardinales, Prælati alij, cum populo à D. Marci ad Lateranum ordine incedentes, S. Syluestri Coronam, S. Io: Baptiſtæ Caput, aliáſque præcipuas ſanctorum Reliquias deferendas curarunt, ibi Res ſacra peracta, & de Eugenij Pontif. & Friderici Imp. laudibus habita oratio.

Hæc lib. 2. Cõ. Pij II.

✱ *Porta ænea.*] In æneis foribus Baſilicæ S. Petri Florentinæ Synodi hiſtoriam, Eugenij IV. iuſſu, expreſſam fuiſſe, narrauit Baptiſta Campofulgoſius lib. 8. cap. 15. Dictorum, & Factorum memorabilium: de æneis valuis etiam Platina in Eugenio.

✱ *Vladiſlaum.*] Vide lib. 12. Comm. Pij II. & cap. 5. Europæ.

E ✱ *vij. Kal. Martij.*] Ita Panuinius loc. cit. Pius II. lib. 1. Com. viij. Kal. Martij, anno 1447. Eugenium IV. poſtquam cum morbis, & morte dies 16. conflixiſſet, ex hac vita diſceſſiſſe, teſtatus eſt. Corpus ante oſtium ſacrarij Vaticanæ Baſilicæ humatum. Panuinius in elogio.

✱ *Ingenio, & rebus geſtis, &c.*] Hæc, & alia ex Platina.

✱ *Religioſos dilexit.*] Vide Pennottum, lib. & cap. cit. nonnulla beneficia ab Eugenio in Canonicos Regulares S. Auguſtini collata recenſentem: ex Platina autem verba ipſa hauſit Ciaconius.

✱ *33. Cardinalibus ...... creatis.*] 27. Cardinales ab Eugenio Quarto creatos, ſcribit, in Chronico, & in elogio Panuinius. Tu idem dices, ſi Cardinales à Ciaconio recenſitos enumeraueris.

F ✱ *Ex infima, ferme, conditione.*] Immeritò, & non verè, hoc ſcripſit, qui ſcripſit; (Ciaconium infamia libero) nam viros familiæ ſplendore, aut morum integritate, doctrina, & prudentia claros, purpura inſigniuit Eugenius.

✱ *Ordo S. Ambroſij ad Nemus.*] S. Ambroſij fratres ad vnam Congregationem redegit, & Cœnobium Mediolanenſe S. Ambroſij ad Nemus caput eſſe voluit Eugenius; vide literas *Regimini, &c.* Dat. Florentiæ 4. non. Octob. 1441. tom. 1. Bullar.

Plures Eugenij Conſtitutiones ſuggerit prima Bullarij pars. Anno 1431. vij. Kal. Nouemb. *In eminenti, &c.* ſtatutum, ne Cardinales in ſecreto Conſiſtorio creati Cardinales dicantur, neque electioni Pontificis interſint, antequam ſacræ dignitatis inſignia ſuſcipiant. De hac re videndus liber Ritualis, ad Gregorij XV. Conſtitutionem, de Electione ſummi Pontificis, Franciſci Ingoli. Vide

A etiam quid de tempore magis priſco, Auguſtinus Patritius, l. 1. ſect. 1. cap. 5. Rituum S. R. E. ſcriptum reliquit.

Regulam fratrum Carmelitarum ab Honorio III. firmatam declarauit, anno eodem, xv. Kal. Martij *Romanus, &c.* Curialibus priuilegia tribuit, anno 1432. 8. Id. Martij *Diuina, &c.* Congregationem S. Iuſtinæ ordinis S. Benedicti, eodem anno jx. Kal. Decemb. firmauit *Et ſi, &c.* Celebritatem ſanctiſſimæ Euchariſtiæ cum octauis, pio affectu celebrari, voluit; Indulgentijs à prædeceſſoribus conceſſis totidem adiecit, anno 1433. vij Kal. Iunij. *Excellentiſſimum &c.* Eremitis B. Petri de Piſis, anno 1437. viij. Kalend. Martij, priuilegia conceſſit. *Prouenit, &c.* Abbates Ciſtercienſes quoſcunque ab ordinis Abbate, Viſitatoribus, & Reformatoribus exemptos non eſſe, iuſſit, anno 1438 Id. Decemb. *Ad vniuerſales, &c.* De S. R. E. de Cardinalium dignitate inſignem, vberemque Conſtitutionem edidit, anno Pontif. 8. *Non mediocri, &c.* Moniales S. Claræ ab

Ferrariæ.

Florentiæ ibidem.

B Ordinariorum iuriſdictione exemit, anno 1439. Id. Aug. *Licèt Romanus, &c.* Declarauit, ſuſcipientes ſanctiſſimam Euchariſtiam in hebdomada ſancta, & infra octauam Paſchæ Eccleſiæ præcepto ſatisfacere. *Fide digna, &c.* 1440. die 8. Iunij Pont. 10. Congregationem fratrum S. Hieronymi, ſub nomine S Hieronymi de Feſulis, ſub Regula S. Auguſtini firmauit, anno 1441. vij. Kalend. Aug. anno 11. Leges ad diſciplinam Monachorum S. Baſilij in Sicilia, Calabria, & Apulia reſtituendam Romæ in Capitulo latas ſua auctoritate muniuit, anno 1446. xvj. Kal. Ianuarij. *Inter cunctas, &c.* Declarauit, leniuitque Regulam Monialium S. Claræ, anno 1447. jx. Febr. *Ordines, &c.* Ad ſummi Pontificis obedientiam à Baſileenſi Conciliabulo reuertentes abſoluit, anno 1447. 7. Id. Febr. *Inter cætera, &c.* Conſtitutiones, ſeu literas nonnullas euſdem Eugenij referunt Emanuel Rodericus, Gabriel Pennottus.

Romæ ſub annulo ſecreto. Florentiæ.

Romæ.

ibidem.

ibidem.

C Eugenius inſignem nobilium fœminarum cœtum, à S Franciſca Romana Romæ inſtitutum, ſuæ auctoritatis honore decorauit, exiguus initio earum numerus fuit; à quo ſancta Fundatrix viduas non excluſit, & ipſa, viro extincto, ad ſpiritales filias in ædibus, olim paruis, Turris Speculorum congregatas conuolauit: progreſſu temporis, creuit nobilium Virginum Romanarum in amplificatis ædibus numerus, vt nunc centeſimum æquet. Floruit, floretque in eo cœtu cœleſtium virtutum ſtudium, meliorum chariſmatum æmulatio, virginale decus, humilitatis, & modeſtiæ nitor, paupertatis, obedientiæ, & Chriſtianæ perfectionis inſigne, rerum humanarum cõtemptus, diuinarum contemplatio, & amor. Sacro tyrocinio adoleſcentulæ inſtituuntur, nonnullis à ſuſcepta ſanctæ Congregationis veſte, menſibus elapſis, in Templo S. Mariæ Nouæ, apud S. Franciſcæ Lipſana, coram vniuerſi ordinis Montoliuenſium Abbate generali, aut illius vicaria poteſtate vtente, & Monaſterij Turris Speculorum Præſide; ſimplicia, vt aiunt, vota nuncupantes, poſtquam ſe ſe Deo,

1430. in Iulij Vrſinus diſ. lib. 3. c. 11. vitæ Fct.

D Deiparæ Virgini, S. Benedicto, & S. Mariæ Nouæ Cœnobio obtulerunt, verbis, quibus Benedictini Monachi, & Moniales religioſa emittunt vota, ſtabilitatem perpetuam in mero illo virtutum Muſeo, morum conuerſionem, obedientiámque receptam more, Deo, ex animo, ſpondent. Vbi è vita exceſſerint, cadauera apud S. Franciſcam tumulantur. Verè locutum, qui dixit, virtutum, & ſanctitatis Romanarum Virginum, & Matronarum, generis ſplendore illuſtrium, priſci æui, eas æmulas eſſe, affirmabis.

Vrſinus, in vita S. Franciſcæ, nobiles has mulieres Oblatas beatæ Virginis Dei Matris eſſe, affirmat, Natar. Monachas, ſeu Oblatas Turriſnouæ Speculorum Vrbis appellat.

L. 3. c. 21. de Regul.

Baſileenſes Eugenium verum Pontificem calumnijs affecerunt, hæreticum etiam, ſed falsò, nuncupauerunt, ſummo Pontificatu ſpoliarunt: at cecinere Lauſannæ palinodiam; ibi enim acta priora irrita declararunt, & Nicolaum V. in locum Eugenij vita functi ſuffectum, excepere, & venerati ſunt: vt videre eſt in ipſius Nicolai V.

E epiſtola, *Vt pacis, &c.* Dat. Spoleti anno Incarn. Dom. 1449. xjv. Kal. Iulij Concilio Baſileenſi annexa tom. 4. Concil. editionis Binianæ: pronuntiaruntque eidem Nicolao vnico, & indubitato Pontifici ab omnibus Chriſtifidelibus obediendum eſſe; & Congregationem Concilij generalis nomine à ſe inſignitam, ſoluerunt. Pius II. tuuenis, cum celebraretur Baſileenſis Conuentus, contra Eugenium (non tamen malo animo) ſenſit; ibi, eo teſte, vna omnium vox Concilium Eugenio præferebat: ad neutrales acceſſit; inter quos multa didicit, quæ eum antea latebant; at autem. *Eugenium falsò de multis accuſatum inuenimus, Cardinales, qui Baſileam venerant, ob priuatas inimicitias, bono, & ſancto viro notam inurere, qui ta-*

V Card. Bellar. l. 4. cap. 14. de Rõ. Põt.

In literis Retract.

F *men ...... poſtea ad eum redierunt, & veniam errati petierunt.* Et de ſe adiecit. *Eugenio, cum fuiſſem rebellis, ſubmiſi ceruicem, à quo miſericordiam conſecutus ...... ego ad ouile redij ...... & paſtoris Eugenij vocem audiui.* Et cap. 4. Europæ, Eugenij menti nullam maiorem curam, quàm fidei propagandæ, inſediſſe, affirmauit. Conſidera, Lector, Græcos in Synodo Florentina, Eugenij etiam ſtudio, Catholica omnia dogmata amplexos, Armenos, & Iacobitas ad Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ vlnas reuocatos. Quatuor Legatos in Aethiopiam ad Zerah Iacob Abyſſinorum Imper. ab Eugenio miſſos, qui, Io: Palæologum Imper. Græcóſque Catholicæ Eccleſiæ eadem fide iunctos, nuntiarent, eúmque ad idem hortarentur, narrat Dauid Aethiopiæ Imper. literis ad Clementis VII. apud Damianum Goes, lib. de Moribus Aethiopum: Zerah autem Iacob initi-

Vide Genebrard. l. 4. Chron. in Eug. IV

tanti Pon-

tanti Pontifici paruit. Hac noſtra ætate, qua Vrbanus VIII. P.M. Chriſtianæ Reipublicæ præeſt, ſanctam Chriſti Domini fidem apud Abyſſinos mirificè propagari, literis ex longinquis, difficiliſque eorum regionibus miſſis Romanus orbis intellexit.

Panuin. in elogio. Multa a multis in Eugenij laudem dicta, quæ Ciaconius, à Platina accepit, de illius manſuetudine Card. Papien. lib. 2. Comm. pauca. Romam, poſt 10. annorum peregrinationem, reuerſus, eam deformem, ſuâque abſentia laceratam reſtituit, Tyrannos deleuit, mari claſſem, terra exercitum, Iuliano Cæſarino Legato, in Turcas miſit, populis, quibus imperabat, beneficijs afficiendis delectabatur, rectè exiſtimans, Platonem Medicum, & Paſtorem ſimul definiuiſſe: Medicus erat, & Paſtor in ſuos: Vrbis, ſuorum cum magiſtratuum, *Cardinalis Aegidius Viterb. in hiſtor. 20. ſecul.* cum familiarium mores etiam ex rumore populi odorari conſueuerat; neminem ad ſe accedentem dimittebat, quin diligenter ſciſcitatus eſſet, quid ageretur in Vrbe; hac induſtria maximos interdum emendauit errores. In viros doctos liberalis apprimè fuit: dictitabatque non modo eorum eruditionem amandam, ſed indignationem quoque formidandam; cum impune offendi non ſoleant, & ijs telis ſint armati, quæ vitari facilè nequeant: dictum Platonis non contemnendum opinabatur; aiens. Satius eſſe Imperatorem, vel exercitum armatum, quam Poetam, vel Oratorem iratum hoſtem habere: exercitum exercitu refringi, horum ſtylum ſtudio nullo deleri poſſe.

Ex eodem Card. Cum ædificia corruant, & Vrbes ipſæ ſolo æquentur; Pontificibus annitendum, dicebat Eugenius, vt iuſtitia, liberalitate, clementia, pietate, cæteriſque virtutibus clareant; agântque quòd in ſacris ſemper appareat. Huius magni Pontificis præſtantiam paucis indicatam verbis hic aſpice.

Ioan. Vitalis.

Si mentem EVGENII aſpicias, e maxima Roma,
Illa tuo Imperio maior, & Orbe fuit.

Notas nonnullas in Concilium Florent. habes apud Binium to. 4. Concil. & apud Anton. Poſſeuinum in Apparatu ſacro. Defenditur Eugenius contra Nouatores à Gretſero, & à Coquæo.

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI
Societatis Iesv.

Gabriel Condulmerius, ſeu Condolmerius, aut Condelmerius, Venetus, qui vicinas maiori Templo Venetiarum paternas ædes habuit, quæ adhuc integræ in tanti viri memoriam hac Inſcriptione conſpicuæ ſunt.

EVGENII IV. PONTIFICIS OPT. MAX.
FELIX DOMICILIVM.

Electio Eugenij. Octauo, ſeu decimo à Martini obitu die, ſcilicet nonas Martij, nō pridie Kalendas Aprilis, à quatuordecim, vt ſcripſit Ciaconius, ac Spondanus, ſed vt rectius Panuinius, à tredecim Cardinalibus renunciatus eſt Romanus Pontifex, & dictus Eugenius IV. Ciaconius *Cardinales, qui eligunt Eugenium.* enim inter Cardinales electores Fr. Angelum de Anna Epiſcopum Cardinalem Præneſtinum recenſebat, qui iam duobus ferè annis ante è viuis exceſſerat, vt diximus in eius vita. Erant enim omnes Car- *Literæ Eugenij.* dinales numero vndeuiginti, ſeu viginti, ſed ſex, aut ſeptem ab Vrbe abſentes, inter quos illi quatuor à Martino renunciati, ſed nondum *Vide Cōcionem in 2. tomo Electio.* publicati non recenſentur. Electionem ſuam Eugenius illico Orbi Chriſtiano denunciauit his literis.

EVGENIVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Dilecto filio, nobili viro N. N. ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Salvator Noster Dominvs Iesvs Christvs *qui vt ab æterna morte liberaret Humanum Genus, mortalitatem carnis aſſumpſit, ſacroſanctam vniuerſalem Eccleſiam ſua ſacratiſſima Paſſione fundatam, ita in terris vſque ad conſummationem ſeculi perpetuari voluit, vt tamen illi, quos Sponſos daret, perpetui eſſe nō poſſent, diſponens gregis ſui oues paſcendas per variam ſucceſſionem Paſtorum, qui eas verbo, & opere ad æternam gloriam inuitarent. Sane cum felicis recordationis Martinus Papa V. Prædeceſſor Noſter, ſicut Domino placuit, nuper videlicet decimo Kalendas Martij ab hac mortali lacrymarum valle ad immortalem vitam migrauerit, poſt funeris ipſius, ac ſolemnium exequiarum, vt moris eſt, celebrationem, venerabiles fratres Noſtri S.R.E. Cardinales, de quorum numero tunc eramus, in Conclaui pro Electione futuri ſummi Pontificis celebranda modo, & tempore congruis, & debitis, in virtute Altiſſimi conuenerunt; vbi varijs conſilijs, & deliberationibus habitis, prout tanta res, qua nulla maior agitur in terris, grauitas poſtulabat, tandem Spiritus ſancti gratia eorum mentibus cælitus infuſa, licet in alios maioribus meritis inſignes conuenire potuiſſent, certo tamen Dei iudicio, cuius conſilia ſunt inſcrutabilia, Nos tunc tit. S. Clementis Presbyterum Cardinalem in Sponſum, Paſtoremque Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, vnanimi voluntate, & concordia elegerunt. Quoniam vero, ſicut Deo placuit, ita factum eſt, quamuis habere nos humeros imbecilles ad perferendum*

A *tantum onus, quantum eſt Eccleſiæ vniuerſalis ſarcina, ſentiremus, tamen ne reluctari voluntati Dei videremur, colla ſubiecimus iugo Apoſtolicæ ſeruitutis, ſperantes in eo, qui infirma elegit, vt confunderet fortia, (cum Romanus Pontifex, licet per miniſterium hominum eligatur, ex cæleſti inſpiratione procedat) quod fragilitati Noſtræ robur ſua gratia impirabit. Hanc ergo aſſumptionem Noſtram ad tuam conſolationem, ſignificandam duximus nobilitati tuæ, quem deuotum Eccleſiæ filium eſſe cognouimus, & quem fixum gerimus in viſceribus charitatis, exhortantes tuam Excellentiam in Domino primùm, vt porrigi facias preces ſolemnes ad Dominum Deum Noſtrum, vt Noſtræ paruitati gratiam tribuat, Eccleſiam ſuam ſanctam ad laudem, & gloriam eius, ac exaltationem fidei, pacem, & tranquillitatem Chriſtiani populi gubernandi. Tu autem (quod præcipuè decet Catholicum Principem) vt pie colens Chriſtianam fidem, eius Antiſtites venereris, Noſtrum, ſedíſque*
B *Apoſtolicæ honorem, & auctoritatem defendas, libertatem Eccleſiaſticam tuearis; ita ut & a Nobis condignas gratias, & ab Altiſſimo, qui eſt ſolus bonorum operum retributor, æternam gloriam ſuſcipere merearis, & cæteri exemplo ſuo ad ſimilia inuitentur. Datum Romæ apud S. Petrum 4. Idus Martij, Pontificatus Noſtri anno I.*

Eugenij ſymbolum. Symbolum illico de more ſumpſit illud Pſalmi Dauidici: ADIVTOR, ET PROTECTOR MEVS ES TV DOMINE, NE DERELINQVAS ME DEVS MEVS: Hanc dignitatem illi prædixerat vir quidam Anachoreta; nam patri eius in Aegypto cum *Prædictio Pontificatus.* Franciſco Foſcaro Anachoretam de vtriuſque filijs ſciſcitanti reſpondiſſe memorat Aeneas Syluius, Foſcari filium fore Venetorum *Iac. Phil. Tomaſ. in Annal. Canonic. Secular.* Ducem, Condulmerij ad ſummum Sacerdotij faſtigium ſublatum iri: vtrunque euentus probauit. Quam dignitatem ante aliquot menſes ipſimet Gabrieli quoque prædixerat Ioannes Capiſtranenſis ordinis S. Franciſci, quem ſummopere diligebat. Profecturus enim in *Luc. Vvadingus in Annal. Minorum.*
C regionem lōginquam Ioannes, vale dicto Gabrieli ſumma reuerentia pedes oſculatus eſt, rei nouitate excitus Cardinalis interrogauit, cur ita præter morem feceri, ſolitus antea manum duntaxat oſculari. Reſpondit Ioannes, venerari ſe ſacram illam cœlo cognatam, quam in eò præuidebat dignitatem, neque ampliùs viſurum niſi in ſupremo Eccleſiæ faſtigio.

Auctor Burdegalenſis, ſiue ſit eius Continuator ſatis accuratus Chronographus in Vitis Pontificum Romanorum, quas producit vſque ad Nicolaum V. & annum 1453. ſcribit, antequam Cardinales ad electionem Pontificis procederent, ſtatuiſſe inter ceteros articulos, ac iuraſſe, vt in poſterum poneretur in literis Apoſtolicis: De *Cardinalium Statuta ante electionē Eugenij.* conſenſu fratrum noſtrorum; & non ſolùm vt priùs de Conſilio: vt Papa non poſſet creare nouos Cardinales abſque conſenſu antiquorum; atque vt medietas Patrimonij Eccleſiaſtici eſſet ipſorum Cardinalium. Fuit Eugenius, vt eum S. Antoninus, qui ſæpe vidit, deſ- *Eugenij virtutes.*
D cribit, ſtatura procerus, gratioſus aſpectu, nec animo minor; liberaliſſimus ad pauperes, ad reparationem Eccleſiarum munificus; religioſos Deum timentes eximio fouens affectu pariter, & effectu; cultus Diuini, & Chriſtianæ religionis dilatandæ zelator præcipuus. *Inſectationes multas paſſus eſt Eugenius.* Multas tamen inſectationes iniuſtè paſſus, & inſidias vitæ, quas æquanimiter, & excelſo animo tulit.

Venetorū legatio ad Eugenium. Senatus Venetus illico de nouis dignitate gratulatus eſt, miſſis octaua die Aprilis, anno 1431. ad illum è ſelectioribus patritijs Legatis, Fantino Dandulo, Andreæ Contareno, Syluestro Mauroceno, *F. Sanſouin in hiſtoria Venet.* Petro Diedo, Andrea Mocenigo, Marco Lippomano Doctore, Delphino Venerio, & Franciſco Barberigo, quorum comitatum augebat præſtantiſſimorum iuuenum, aliorumque ciuium numerus.

Nuncios mittit ad Baſileenſe Concilium. Nuncios ipſe quoque initio ſui Pontificatus miſit ad Baſileenſe Concilium Andream de Conſtantinopoli Archiepiſcopum Coloſſenſem, Ioannem Tarentinum, Bertrandum Epiſcopum Magalo-
E nenſem, & Antonium de S. Vito ſacri Palatij Cauſarum Auditorem, qui in publico conuentu audita anno 1432. Andreas quidem *Henricus Spondan. in Annal. Eccleſiaſt.* vndecimo Kalend. Septembris, & Ioannes octauo luculentiſſimas orationes habuerunt de malo Schiſmatis, & diuiſionis, deque pacis, & vnionis bono, cum exhortatione ad illam fugiendam, hanc am- *Orationes habitæ ad patres Concilij.* plectendam, & cum capite, ac Principe Eccleſiæ tenendam, quò facilius & Græci reduci, & Huſſitæ conuerti, & morum reformatio fieri poſſet; Concilij tamen patres Eugenij contumaciam accuſarūt, *Baſileēſes accuſant Eugenium.* quòd nec Concilij diſſolutionem reuocaſſet, nec comparuiſſet per ſe, vel alios die ipſi dicta.

Ne tamen res in apertum Schiſma prolaberetur, ſatius duxit Eu-
F genius ad importunas Baſileenſium patrum contentiones deſcendere, & Concilium illud confirmare: Quare Legatos elegit, qui ſuo *Cōfirmat Eugenius Concilium Baſileenſe & Legatos eligit.* nomine Concilio à ſe confirmato præſiderent. Cum verò eorum miſſioni legitima quædam impedimenta obſtarent, interim alios Nuncios miſit, quos Concilij patres admittere noluerunt, cum pro nouo celebrando Concilio, non pro illo, quòd hactenus celebratum fuerat, confirmando miſſos eſſe argumentarentur. Commotus Eugenius hac repulſa data à Baſileenſibus, miſſis à ſe Præſidentibus, ac ſentiens rem ad Schiſma, & Hæreſim tendere, publica declaratione quart. Kalendarum Auguſti, omnes citationes, proceſſus, decreta *Baſileēſiū Decreta irrita declarat.* contra ipſum, aut ſedem Apoſtolicam, vel Cardinales, & alios quoſcunque ipſi adhærentes, ac cetera quæcunque Baſileenſes attentare præſumpſiſſent, aut in poſterum præſumerent, irrita, ac inania declarauit. Nihilominus Baſileenſes in ſuis auſis perſeuerantes, acriùs

A in Eugenium inuecti ſunt, intuitu tamen Sigiſmundi Imperatoris per ſuas literas inſtantis, adhuc illi ſexaginta dies conceſſerunt, intra quos niſi omnino reuocaret decreta contra Concilium publicata, ſuſpenſus ipſo facto eſſet ab omni adminiſtratione Papatus in Spiritualibus, & Temporalibus.

Oratores ad Eugenium pro pace.

Interim pro pace vniuerſalis Eccleſiæ Romam ſe contulerunt Sigiſmundi Imperatoris, Caroli Francorum Regis, & Philippi Burgundiæ Ducis Oratores, qui Eugenium precibus impulerunt in hanc ſententiam conuenire, vt Baſileenſes contra ipſum, ac ſuos acta reuocarent, eiuſque Præſidentes admitterent; Eugenius verò profiteretur Concilium Baſileæ eſſe, & hactenus legitimè fuiſſe, atque omnia contra illud, eiuſque ſectatores à ſe decreta pariter reuocaret, ac planè Concilio adhæreret. Præſidentes poſt hæc electi fuere quatuor præſtantiſſimi Cardinales, Iordanus ſcilicet Vrſinus Sabinenſis, Petrus de Fuxo Albanenſis Epiſcopi; Nicolaus Albergatus B ſanctæ Crucis, & Angelottus Fuſcus S. Marci Presbyteri. Et quoniam hi grauibus alijs negocijs adhuc detenti nec dum poterant Baſileam ſe conferre; ne propterea Concilij proſecutio interrumperetur, eis interim ſurrogauit cum pari poteſtate Ioannem Archiepiſcopum Tarentinum, Petrum Epiſcopum Patauinum, & Ludouicum Abbatem S. Iuſtinæ. Ac ne Iulianus Cæſarinus Cardinalis, qui hactenus Concilio præfuerat, contemptum ſe ob præterita quereretur, etiam illum alijs literis Præſidentem cum iiſdem alijs Legatis, & eorum Subſtitutis de nouo conſtituit. At nihilominus Baſileenſes perſeuerantes in ſuo propoſito, elapſo termino ſexaginta dierum, habita ſeſſione 28. die Martis prima Octobris anni 1437. Præſidente Epiſcopo Vicēſi Hiſpano ditionis Aragonicæ, Promotoribus Concilij Eugenium contumacem declarari petentibus, quòd in termino peremptoriè præfixo non comparuiſſet nec per ſe, nec per Procuratores, Eugenium contumacem declararunt.

Præſidentes Concilij electi.

Baſileēſes Eugenium contumacem declarant.

C Interea Eugenius de eorum auſis certior factus, literas publicas tranſlationis Concilij edidit decimo quarto Kalendas Octobris. & auctoritate Apoſtolica, & de plenitudine poteſtatis Ciuitatem Ferrarienſem pro futuro œcumenico Concilio aſſignauit, locum Græcis gratum, in decreto conuentionis comprehenſum, ceteris omnibus commodum. His literis ſubſcripſerunt vnà cum ipſo Cardinales, qui tunc apud eum erant, vtque ad illud ſuo, & Apoſtolicæ ſedis nomine, Nicolaum Albergatum ordinis Carthuſienſis, Presbyterū Cardinalem ſanctæ Crucis, magni illum nominis, & maiorum meritorum virum, inchoandum delegit cum plena poteſtate Legati de latere, literis ad eum hac de reſcriptis quarto nonas Ianuarij, anno 1437. ab Incarnatione Domini, more ſcilicet Romanæ Cancellariæ, quæ annum ab ea hoc eſt 25. Martij inchoare conſueuit, ac reſpondet anno 1438. inchoato à Kalendis Ianuarij. Ijs autem literis acceptis Nicolaus Ferrariam confeſtim ſe transferens, die Mer- D curij octaua eiuſdem menſis Ianuarij in Eccleſia maiori Ferrarienſi conuētum habuit vnà cum quinque Archiepiſcopis, Epiſcopis duodeuiginti, quatuor Electis, Generali Camaldulenſi, alijſque decem Abbatibus, Generalibus Auguſtinianorum, & Seruorum, Prouinciali Dominicanorum per Lombardiam, & Minorum Procuratore generali, ad eiuſdem Synodi è Baſilea tranſlatæ continuationem, & Ferrariæ inchoationem legi publicè fecit per Chriſtophorum de Rogerijs Canonicum ſanctæ Mariæ Maioris de Vrbe Promotorem Concilij, decretum olim Baſileæ factum electionis loci pro Concilio transferendo, & literas ſeu Conſtitutiones Eugenij tranſlationis Ferrariam, ſaluiconductus Græcorum, & facultatis dicti Legati; nec non alias ſalui item conductus Nicolai Eſtenſis Marchionis Ferrariæ pro libertate, & ſecuritate Concilij in ea Ciuitate, ac de obſequijs, & ſeruitijs ab eo præſtandis. Aduenięns poſt hæc die vigeſimo ſeptimo Ianuarij Eugenius Romanus Pontifex Ferrariam, die E Sabbathi octaua Februarij Cōgregationem omnium Cardinalium, Antiſtitum, & Doctorum habuit, in qua de Baſileenſibus modeſtè queſtus, ſuam innocentiam conteſtatus eſt, & nihilominùs, ſi vel ipſe, vel ſui aliquorum facinorum rei iudicarentur, ſubmittere ſe libenter patrum, & determinationi declarauit, hortatuſque omnes eſt, vt & ipſi ita ſe in omnibus gererent, vt eorum bona opera ceteris in exemplum cederent.

Ferrariam eligit Eugen. pro Concilio.

Nicolaus Albergat. Card. Legatus ad Cōcilium Ferrarienſe.

Initium Concilij Ferrarienſis

Ferrariam Eugenius peruenit.

Anno ſequenti 1439. egreſſi Ferraria ob peſtem Eugenius Pontifex Romanus, Ioannes Imperator, & Ioſephus Patriarcha Conſtantinopolitanus, vna cum alijs Synodalibus patribus tam Græcis, quàm Latinis Florentiam peruenerunt ad continuandam ibi Synodum Ferrariæ inchoatam. Ad hanc Synodum Eugenius ſuis literis, F & Oratoribus Iacobinos, ſeu Iacobitas Orientales Aegyptum incolētes inuitauerat: Ioannes eorum Patriarcha ad Synodum miſit Andream Abbatem Monaſterij S. Antonij in Aegypto, virum religione, & moribus non mediocriter inſtitutum, cum mandatis, vt fidei doctrinam, quam ſancta Romana Eccleſia tenet, nomine ipſius Patriarchæ, & ſuorum Iacobinorum reuerenter ſuſciperet, & in patriam deferret cunctis prædicandam. In literis ad Eugenium miſſis Romanum Pontificem ille vocabat *Sacerdotij perfectionem, & omnium Eccleſiarum Apoſtolicum Paſtorem, Sacerdotum Principem, peregrinantium, qui ceteris viam ſalutis oſtendit Ducem, & languentium Medicum.* Ipſius verò Ioannis Vicarius Andreas Abbas Syrus eundem in alijs literis appellabat *Caput, & vniuerſalem Eccleſiæ Doctorem.* Aſſerebat Latinam Eccleſiam retinere doctrinam,

Cōcilium transfertur Florentiā.

Literæ ad Iacobitas datæ.

Iacobitarum nuncius ad Cōcilium.

quam ab initio Petrus, & Paulus tradiderunt, quam aliæ Eccleſiæ deſerentes, & ſe à Romana Eccleſia matre, & magiſtra omnium ſeparantes, gentibus in opprobrium, & ruinam traditæ ſunt, vt euidenter in Armenis, Græcis, & ipſis etiam Iacobitis cernebatur.

De hac Synodo, Florentiæ in ſummo Templo adhuc extat talis Inſcriptio.

Synodi Florentinæ memoria.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM
Generali Concilio Florentiæ celebrato poſt longas diſputationes Vnio Græcorum facta in hac ipſa Eccleſia die vj. Iulij MCCCCXLI. Præſidente eidem Concilio Eugenio PP. IV. cum Latinis Epiſcopis, & Prælatis, & Imperatore Conſtantinopolitano cum Epiſcopis, Prælatis, & Proceribus Græcorum in copioſiſſimo numero, ſublatiſque diſcordijs, in vnā eandemque fidem rectam, quam Romana tenet Eccleſia conſenſerunt.

Romæ quoque in Bibliotheca Vaticana alia eſt eiuſdem Concilij memoria his verbis.

Alia in aula Vaticano. Mut. Pōt. & Biblioth. Vaticana.

EVGENIO IV. PONTIFICE GRAECI ARMENI AETHIOPES AD FIDEI VNITATEM REDEVNT.

Et in æneis portis Baſilicæ Vaticanæ, quas ipſe metallo circumtexit, exarata legimus hæc carmina.

Vt Græci, Armeni, Aethiopes hic aſpice, vt ipſam
Romanam amplexa eſt gens Iacobina fidem:
Sunt hæc Eugenij monumenta illuſtria Quarti,
Excelſi hæc animi ſunt monumenta ſui.

Dum Florentiæ adhuc moraretur, Templum S. Marco Euangeliſtę ſacram ſolemni ritu conſecrauit, vt patet ex ſequenti Inſcriptione, quam hic reſcribimus ex monumentis Laurentij Schraderi.

Conſecrat Templum S. Marci.

CVM HOC TEMPLVM MARCO EVANgeliſtæ dicatum, mirificis ſumptibus clariſſimi viri Coſmi de Medices tandem abſolutum eſſet, Eugenius IV. Rom. Pont. maxima Cardinalium, Archiepiſcoporum, aliorumque Sacerdotum frequentia comitatus in celeberrimo Epiphaniæ die, ſolemni more ſeruato conſecrauit; tum etiam quotannis omnibus eodem die Feſto annuos, ſtataſque conſecrationis ceremonias caſtè pièque qui celebrauerint, viſerintque temporis luendis patris ſui debitis ſeptem annos, totidemque quadrageſimas Apoſtolica auctoritate remiſit Anno MCCCCXLII.

Metropolitanam quoque Eccleſiam eiuſdem Vrbis ſacrauit, vt patet ex alia Inſcriptione, quam reſcripſit in ſuo tertio tomo Italiæ ſacræ Ferdinandus Vghellus, & eſt talis.

OB INSIGNEM MAGNIFICENTIAM Ciuitatis, & Templi Eugenius Papa IV. omni ſolemnitate adhibita dedicauit die xv. Martij MCCCCXXXVI. cuius dedicationis gratia ligneus pons inſigni magnificentia, & ornatu factus eſt, ab Eccleſia Sancta Maria Nouella vbi Papa inhabitabat, vſque ad hanc Eccleſiam, per quem veniens Pontifex cum Cardinalibus, & Epiſcopis, cæteriſque Proceribus Pontificali habitu ad dedicationem acceſſit, tanta enim multitudo ad ſpectandum conuenerat, vt præ nimia turba vias obſidente, niſi per pontem commode tranſire Pontifex non potuiſſet.

Dum ibidem eſſet, ampliſſimo Diplomate pro fabrica Eccleſiæ S. Georgij in Alga perficienda florenos mille aureos ex teſtamentarijs donationibus quorumcunque pro incertis, & malè ablatis, nec non pauperibus nullo nomine expreſſis, conceſſit, ac Epiſcopo Caſtellano executio eius commiſſa eſt. Florentiæ item Clericorum

Erectionē Eccleſiæ S. Georgij in Alga promouet.

ſcholam

Florentiæ Clericorū ſeminariū inſtituit. Henricus Spondan° in Annal. Eccleſiaſt. Eccleſiam S. Saluatoris de Lauro Canonicis ſuis donat.

ſcholam inſtituit, quibus iniunxit, vt quotidie intereſſent Miſſæ decantandæ, & Horis diurnis Completorio dempto; his magiſtrum deputauit, qui in Grammatica, & Cantu, ac bonis moribus eos inſtrueret, loco eis prope Eccleſiam aſſignato. Erant hi aſſumendi ex legitimis natalibus à decimo anno, vſque ad decimumquintum, & vſque ad Sacerdotium detinēdi ab Antiſtite Ciuitatis certa eis prouiſione decreta; vbi videas praxim, niſi fortè & originem Seminariorum à ſacro Concilio Tridentino poſtea diligentius præſcriptorum. Eccleſiam S. Saluatoris Romæ erectam Canonicis ſuis ſecularibus dono dedit: quare illi grati animi ergo præter ſupra reſcriptas Inſcriptiones aliam in eadem æde poſuerunt, quæ eſt talis.

EVGENIVS CONDELMARIVS IV. PONT. MAX.
OB SVVM IN CANONICOS HOSCE ANIMVM
CANONICAM HANC DOMINI SALVATORIS GRATVITO CONTVLIT
MCCCCXLII. XI. KAL. IVLII.

Romā ſe confert.

Florentia Senas, inde Romam ſe contulit Eugenius ad celebrandum Concilium in Laterano. Ibi Abdolam Epiſcopum Edeſſæ Ignatij Patriarchæ Syrorum, ac totius nationis nomine, ac Timotheum Archiepiſcopum Tarſenſem Metropolitam Chaldæorum Cypri, & Eliæ Epiſcopi Maronitarum Nuncium miſſum recepit, in fide Catholica inſtruxit, ac rectam euſdem fidei formulam illis tradidit.

Roſam auream mittit Angliæ Regi. Harpsfeldius.

Auream Roſam à ſe Dominica *Lætare* quarta Quadrageſimæ de more ſolemnibus precibus conſecratam Henrico VI. Angliæ Regi miſiſſe anno 1444. tradunt illius gentis hiſtorici.

Pacem in Germania curat.

Diploma ſeptimo Idus Februarij anni 1447. pacis gratia edidit pro Germanis, multa illis circa beneficia Eccleſiaſtica, iuriſdictionem Principatuum, vel Diœceſum, eorumque ſubditorum, annatas, & ſeruitia indulſit, admiſit, approbauit, & confirmauit; quæ tempore Schiſmatis facta citra, & contra ſedis Apoſtolicæ auctoritatem, per ſe inualida erant. Inſuper omnes illos, qui Congregationi Baſileenſi poſt Concilij ibi incepti diſſolutionem adhæſerant, tam qui iam ad obedientiam redierant, quàm qui intra ſex menſes reuerturi eſſent, ab omnibus Cenſuris, & pœnis abſoluit, & in priſtinas dignitates, officia, & beneficia pleniſſimè reſtituit. Fuit hoc concordiæ Diploma vltimum Eugenij opus publicum. Frigidus enim erat annus, & ſupra modum omnibus grauis, hic peſtifer ſeni Pontifici fuit; duplex illum febris vrebat, vexabant diſtillationes, & ſæpe commouebatur aluo.

Aeneas Sylu. in eius Rel. Legat.

Eugenius ægrotat.

Quare cum deſperata iam Eugenij Romani Pontificis vita videretur, Archiepiſcopus Florentinus, vt omnium votis bonæ frugis extremam vnctionem parabat; cui Pontifex, quid eſt, adhuc ſum fortis, cum adeſt hora, admonitum te faciam; ſiſte modò. Pugnabat aduerſus mortem intrepidus Pater, & anceps diu prælium tenuit, nec medicorum ſatis erat iudicium certum. Hoc cum accepiſſet Alphonſus Rex Arragonum, quid mirum, inquit, ſi Comitem Franciſcum, ſi Columnenſes, ſi me, ſi totam Italiam bello impetijt Eugenius, qui auſus eſt cum morte pugnare, nec facilè ſuccubuit. At cum certa mortis ſigna ſuperueniſſent, accerſiti ſunt Cardinales, quos in hunc modum ille allocutus eſt. *Meum tempus, meuſque dies eſt, Venerabiles, amatique fratres, moriendum eſt mihi; nec naturæ legibus queror, diu vixi, & honoratus; vtinam officio meo ſatisfeciſſem, ſed voluntatem magis, quàm opera reſpicis Deus. Mihi Pontificatus, etſi ſperanti, non tamen ambienti obuenit, multa acciderunt aduerſa, dum ſedi præſumus Apoſtolicæ; non tamen idcirco minus acceptos Nos Deo credimus, quia quos diligit, Deus corrigit, atque caſtigat, nec malè eſſet ad tura, ſi eum hominibus remur, qui cum fortunæ varietate luctantur, ſed eſſe arcanas cauſas, ad quas nulla mortalium curioſitas poteſt peruenire. Vtcunque res hactenus tranſierunt, Nobis maximum ſolamen eſt, antequam oculos clauderemus, res vitam cernere: hoc Federico filio Noſtro Romanorum Rege, Theodericoque Moguntino Archiepiſcopo, fratri Noſtro, & dilecto filio Marchioni Brandeburgenſi adſcribimus. Ceterùm quia iam hora Noſtra ſubripiuntur, modicumque vobiſcum ero; quia vocor ad Iudicem, Regem & Patrem, teſtari prius volumus, teſtamentumque Domini Noſtri IESV Chriſti vobis relinquere, qui tranſiturus ex mundo ad Patrem, pacem meam, dixit, relinquo Vobis. Ego Vos omnes præter vnum Cardinales creaui, & illum vnum quaſi filium tractaui, amauique: omnes mei eſtis fratres, obſecro dilectiſſimi, ſeruate vinculum pacis, diligite inuicem, non ſint inter Vos Schiſmata, adimplete legem Chriſti, & alter alterius onera portato. Mox vacatura eſt Apoſtolica ſedes, ſcitis quem virum cupiat hoc ſolium: eligite Succeſſorem, qui me doctrina, & moribus ſuperet: nulla Vos affectio ſeducat, non priuata res, ſed publica conſulite. Ceterum ſi me audieritis, mediocrem virum vnanimiter, quam præſtantiſſimum diſcorditer eligetis: vbi pax, ibi & Spiritus Dei eſt. Nuper vnionem effecimus, ſed radices Schiſmatis nondum euulſimus; ne Vos ipſi fomentum ſciſſioni præbeatis: ſalua Eccleſia eſt ſi concordes. Sed iſta circumſpectioni Veſtræ magis paternè, quam neceſſario dicimus, qui pro Veſtra prudentia non ignoratis, quid Eccleſiæ conueniat, dignitatique Veſtræ. Verùm ne memoriæ, de funere diſputetis; quod in ceremonijs Pontificum ſcriptum eſt, id ſolum facite; nemo amplius agat, nec funus adornet meum; abſint pompa, & inanis gloria ſepulturæ: apud Eugenium Tertium humili loco ſepeliri libet, ſi quis impedimento fuerit, anathema ſit.*

Renuit reuocare ab exilio Cardinalē Capuanum.

Cum autem inſtarent multi reuocari ab exilio Cardinalem Capuanum, nequaquam obtinuere, quòd plerique ſiniſtrè interpretati ſunt, & abſurdum dicebant, Romanum Pontificem etiam in extremis laborantem odij cuſtodem eſſe; ſed reuera non odio hęc peragebat; *neſcitis*, reſpondit, *quod Vobis deſiderium eius, & illi exilium magis conueniat*. Poſt hæc Florentinus Archiepiſcopus inunxit Eugenium, qui vitalibus exinanitis viribus, inutctum, aliumque ſpiritum exhalauit die 23. Februarij non anni 1446. vt nōnulli ſcripſere, ſed anno 1447. cum vixiſſet ex aliquibus ſexaginta quatuor, ex alijs ſexaginta ſex annis, quorum ſexdecim minus nonnullis diebus in Pontificatu tranſegerat. Corpus balſamo conditum, per integrum diem populo patuit, atque inde ſepultum apud S. Petrum in Vaticano prope Eugenium III. vix Pontificem inuenies, ſub quo plura, & aduerſa, & ſecunda contigerint: alti cordis fuit, ſed nullum in eo maius vitium erat, niſi quia ſine menſura erat, & non quòd potuit, ſed quòd voluit, aggreſſus eſt. In Eugenij exequijs duæ habitæ orationes funebres, vnam Malateſta quidam ex genere Auditorum, alteram Cardinalis Bononienſis recitauit, ille Eugenij vitam, hic obitum commendauit; ille qualis fuerat Eugenius, hic qualis Succeſſor eligi deberet, edocuit.

Archiepiſcopus Florentinus ſacro oleo vngit Eugenium.

Obit Eugenius.

Sepelitur in Vaticano.

Orationes habitæ in funere.

Poſt obitum Eugenij corpus in Vaticana Baſilica in arcamarmorea conditum inter altare beatæ Virginis à ſe erectum, & altare S. Marci prope ſepulchrum Eugenij III. in poſtrema naui ad ſiniſtram introeuntibus, vbi quondam perilluſtre ſupra reſcriptum Epitaphium tanto Pontifice dignum legentibus vltro exhibebatur pagina 876. quòd apud Vegium etiam legitur cum ſequenti ab ipſomet, vt ait, ibidem appoſito.

Epitaphiū

Dum ſtudet Eccleſiam placida componere pace,
Actaque pars voti, pars quoque agenda ſui,
EVGENIVS QVARTVS moriens hic oſſa reliquit,
Sic nece præruptum, quòd bene cœpit, opus.
Debuerant dura tantis perferre ſorores,
Tardius & vitæ ſoluere penſa breuis.
Tunc vbi pax terris, quam miro ardebat amore,
Reddita, tunc cœlo reſtituendus erat.
Sed Deus, ac tutum ſedes ornare beatas
Conſultumque ſuis maluit ire bonis.

Oſſa Eugenij tranſlata ad Eccleſiam S. Saluatoris in Lauro.

E Baſilica Vaticana proceſſu temporis ad Eccleſiam ſancti Saluatoris in Lauro Eugenij oſſa deducta iacent apud Canonicos illos ſeculares in ſepulchro, cuius exemplar ob oculos lectorū proponimus

Scripſit

Scripta.

Scripſit epiſtolas, & libellum aduerſus Concilium Baſileenſe, qui A extat apud Binium in tomo ſeptimo Conciliorum.

Ludou. Iacobus à S. Carolo in Bib. Pont.

Decretum de vnione Græcorum cum Latinis, ſupra quòd ſcripſit apparatum Ioannes de Turrecremata Cardinalis.

Librum contra Boëmos, & Huſſitas Hæreticos.

Conſtitutiones Eccleſiaſticas.

Epiſtolas varias, quę leguntur in tomo octauo Conciliorum cum Notis Binianis. Sunt aliæ apud Ferdinandum Vghellium in Italia ſacra; illæ ſcilicet ad Franciſcum Foſcarum Venetiarum Ducem datæ, vt iura Patriarchalia Aquileienſi Patriarchæ redderet, ne diuinas in ſe iras concitaret. Et apud Fr. Lucam Vvaddingum in tomo 5. Annalium Minorum inueniūtur ducentæ nonaginta quinque exaratæ.

Conciliū eius Florentinū œcumenicū extat to. 8. Conciliorum.

Eugenij modeſtia.

Refert Volaterranus ſe à patre ſuo, qui Eugenium ſequebatur, audiuiſſe, tanta eum fuiſſe modeſtia, ac pudore, vt oculos in publico nunquam attolleret. Virginis Mariæ cultū ſemper promouit. Dum B Florentiæ ageret, viſitantibus conſecratam aram ſacratiſſimæ Dei Genitricis Annunciatæ indulgentias perpetuò valituras viuæ vocis oraculo primùm, mox per Apoſtolicas literas conceſſit. Romæ Diaconiæ S. Mariæ in via Lata, Monialium Cœnobium S. Cyriaco ſacrum adiunxit, vt ipſemet refert in Diplomate ſcripto anno Incarnationis Dominicæ 1435. Pontificatus quinto. *Ad exequendum Paſtoralis officij debitum, vigilantibus ſtudijs intendentes circa Eccleſiarum, & Eccleſiaſticorum in illis diuinis laudibus debitarum perſonarum omnium ſtatum proſperè dirigendum aciem attentæ conſiderationis extendimus; & vt in Eccleſijs ipſis deuota ſollicitudinis ſtudio benedicatur Altiſſimus, diuinorumque cultus continuum ſuſcipiat incrementum, Noſtra vigilantia curas feruentius adhibemus, conſulendo perſonarum earundem neceſſitatibus, & opportunitatibus prouidendo.* Anno verò 1439. pridie Kal. Auguſti S. Xyſti Cœnobium auxit, atque ad illud Moniales S. Cæſarij reduxit. C

Virginem Mariā coluit.

Hippolit. Marrac. in Purp. Mar.

Florauantes Martinellus de Diacon. S. Maria in via Lata.

Franc. Maria Turrig in Hiſtor. Imag. B. Mariæ.

Columnas ferè omnes primæ contignationis Baſilicæ Lateranenſis incendio deprauatas, & ruinoſas, opere lateritio conueſtiuit, atque intercolumnijs arcus adiecit; quòd opus maximè ad ipſius Baſilicæ ornamentum pariter, & commoditatem conferebat. In fine Calchidiæ poſt Apſidem maiorem verſus meridiem ſacrarium extruxit. Eidem Eccleſiæ Lateranenſi reſtituendum curauit Caſtrum Tuſculanum, quòd olim Canonici vendidere Iordano Columnæ Principi Salernitano. Cunctis Apoſtolicæ ſedis Miniſtris Diplomate inhibuit, ne à Lateranenſi Eccleſia, vel à Miniſtris eius pedagia, impoſitiones, vectigalia, vel alia id genus vnquam exigerent, ac decreuit eam immunem ab huiuſmodi oneribus eſſe debere. Emonienſem Eccleſiam Parentinæ coniunxit ea conditione, ac lege, vt vna effecta ex duabus vnum tantùm deinceps populi illi venerarentur Paſtorem. Extat apud Ferdinandum Vghellium hac de re Diploma ſcriptum apud S. Chryſogonum ſexto Idus Maij anno à par- D tu Virginis 1434. Pontificatus quarto. Hortenſem quoque alio Diplomate edito Bononiæ anno 1437. Caſtellanæ ſubmiſit; & Sutrinam, ac Nepeſinam Eccleſias vniuit alio Diplomate dato Florentiæ anno 1435. pridie Idus Decembris.

Eccleſ. Lateranenſem ornat.

Caſ. Raſpon. de Baſil. Lateranen.

Coniungit Emonienſem Eccleſiam Parentinæ.

Hortenſ. Caſtellanæ.

Item Sutri. ac Nepeſinæ.

Decreta nonnulla.

Luc. Vvaddingus in Annal. Minorum.

Facultatem indulſit fratribus Obſeruantibus S. Franciſci abſoluendi mulieres longas veſtium caudas trahentes, ſub multis interminationibus aliàs prohibitas, modò eas ducerent propter patriæ conſuetudinem, & non propter prauos fines; nec non abſoluendi Sarcinatores huiuſmodi caudas adaptantes, modò nouas non aſſuerent adinuentiones. Declarauit dies quatuor Eccleſiæ Doctorum non eſſe feſtiuos ſub præcepto: laborantes vſque ad mediam noctem in vigilijs magnarum ſolemnitatum non peccare in regionibus in quibus hæc viget conſuetudo: laborioſæ artis operarios, & ruſticos in agricultura laborantes non obligari ad obſeruationem ieiunij. Tempore Paſchatis etiam in aliena Diœceſi ſatisfieri præcepto con- E feſſionis, & Communionis ab Eccleſia inſtitutæ, quantumuis breui illic tempore moretur. Parentes non poſſe abſque reatu mortali impedire, ne diebus feſtiuis ſacrum audiant filiæ nubiles, niſi aliqua grauis ſubſit cauſa.

Obit° Leonardi Aretini.

Sedente Eugenio in Petri Cathedra anno 1443. è vita deceſſit Leonardus Brunus à patria dictus Aretinus Græcè, & Latinè doctiſſimus, quem Aeneas Syluius *magnum Hetruriæ ſplendorem* appellat, quo nemo poſt Lactantium Ciceroni proximior fuerit.

Synodus Friſingenſis.

Conciliabulum Biturcenſe.

Præter Baſileenſe, Ferrarienſe, ſeu Florentinum Concilium, de quibus ſupra, celebrata etiam ſunt ſub Eugenio alia, nempe Friſingenſe in cauſa Eccleſiaſticorum Conſtitutionum: Et Conciliabu- F lum Bituricenſe in Gallia. Concilium enim Baſileenſe miſſis ad Carolum Regem Oratoribus petijt admitti leges, quas ipſi ſanxerant numero quadraginta: quæ reuera nil aliud erant niſi compendium ſeſſionum præcipuarum Baſileenſis Conciliabuli.

CARDINALES QVATVOR
à Martino V. Rom. Pontifice creati, ac ab Eugenio IV. ſecundum aliquos publicati anno Pontificatus I.

Dominicus Ram, Hiſpanus, Presbyter Cardinalis ſanctorum Ioannis, & Pauli titulo Pammachij.

Fr. Ioannes Caſanoua, Hiſpanus, ordinis Prædicatorum, Presbyter Cardinalis ſancti Xyſti.

Guillelmus Diuanus de Montefortí, Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Anaſtaſiæ.

Dominicus Capranica, Romanus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in via Lata.

Alij tamen horum aliquos à Martino V. publicatos ſcribunt.

PRIMA CREATIO CARDINALIVM
Eugenij Papæ IV.

Die Mercurij 19. Septembris anno 1431. Pontificatus Primo, Romæ in cubiculo Pontificio Eugenius IV. Romanus Pontifex duos renunciauit Cardinales, eodemque die eoſdem rubro Galero decorauit: hi autem fuerunt.

I.



FRANCISCVS Condulmerius, ſeu Condolmerius, patritius Venetus, Eugenij fratris filius, præter Protonotariatum Apoſtolicū, & Vicecamerarij, ac Vicecancellarij munus Archiepiſcopatum Biſuntinum, & Patriarchatum Conſtantinopolitanum à patruo Romano Pontifice obtinuit, à quo etiam Presbyteris Cardinalibus titulo non S. Cæciliæ, vt ſcripſit Ciaconius; hunc enim titulum ex libro Participationum in Vaticano ſeruato nunquam habuit, ſed S. Clementis primò, mox Epiſcopis Portuenſis, ac S. Rufinæ, adſcriptus eſt; imò poſt Purpuram tot dignitatum congeſtis titulis etiam Veronenſem Epiſcopatum adiecit.

Ciaconius.

Panuinius.

Aubery in vita.

Pallia Cæleſtinus in Elencho.

Ferdinād. Vghel. in Ital. ſacra.

Anno enim noſtræ ſalutis 1438. xij. Kal. Nouembris literas dederat Eugenius ciuibus Veronenſibus, in quibus ſemetipſum Canonicum Veronenſem commemorat, ac Franciſcum Cardinalem nepotem in pueritia ſecum in Veronenſi Eccleſia educatum, Eccleſiæ ipſi præficiendum in Epiſcopum ſummopere curauerat. Verùm Condulmerij Cardinalis deſignatio ita vniuerſam Ciuitatem Veronenſem commouit, quæ proprium regiminis Eccleſiæ ſuæ optabat Epiſcopum, vt tum ipſi deſignato Epiſcopo, tum Eugenio Pontifici, ac Senatui Veneto Oratores, ac ſupplices libellos miſerit, vt nobiliſſimæ Eccleſiæ conſulerent. Permanſit tamen Eugenius in ſua ſententia, quare die 15. Septembris anni 1442. Franciſcus Cardinalis ſolemni pompa Epiſcopatus illius poſſeſſionem inijt; ſed paulò poſt Romam vocatus, eandem Eccleſiam abſens adminiſtrauit annis quindecim.

Vt in Veronenſi Eccleſia diuinus cultus ſummopere effloreſceret, fundauit Eugenius ad Franciſci Cardinalis Epiſcopi preces Veronæ Acolythorum Collegium: Diploma conſcripſit, quo Sacerdotia quamplurima, ſimplicia dicta ſuppreſſit, ac eorundem Acolythorum menſæ attribuit. Quam quidem digniſſimam inſtitutionem iuxta Theobaldi, ac Petri Scaligeri Veronenſium Epiſcoporum olim ſancita decreta magis proficuam fore exiſtimabat, quàm ſi Clericis ea Sacerdotia diſtribuerentur. Vrbis tamen Senatus ad nouitatem commotus, per Oratores Pontificem, ac Epiſcopum Cardinalem exorauit, vt omnino Diploma illud deleret; ſed fruſtra; nam viget adhuc Collegium idem magno cum decore, & Cathedralis Eccleſiæ bono. Minoribus fratribus de obſeruantia facultatem fecit Cœnobium condendi Veronæ, quòd ex ciuium eleemoſynis conſtructum eſt Diuo Bernardino ſacrum; cuius primum lapidem ſolemni ritu poſuit idem Franciſcus Cardinalis Epiſcopus.

Luc. Vvaddingus in Annal. Minorum.

Legationes multas Eugenij iuſſu ſubijt; ad Ducem ſcilicet Venetiarum contra Turcas, nam prælio amiſſo Iuliano Cardinale Cæſarino, Franciſcus cum triremibus contra Turcas claſſis Præfectus Legatus eſt. Panuinius tamen in Chronico refert, non poſt, ſed ante Iuliani Cardinalis obitum Franciſcum legationis munere functum fuiſſe contra Turcas: illius verba reſcribo. *Legationibus maximis ſub Eugenio IV. functus, Veneta, & claſſica contra Turcas; cum terreſtribus copijs præeſſet Iulianus Cæſarinus Cardinalis, magni animi, & ſpiritus vir; Franciſcus verò inertiſſimè ſe gerens, vt Papa Pius ait, neque fretum cuſtodiuit, neque tranſuectos hoſtes Turcas ex Aſia in Europam Hungaris, Chriſtianiſque alijs Ducibus, vt par erat, renunciaſſet, maximæ cladis Chriſtianorum cauſa fuit. Inter quos Iulianus ipſe Cæſarinus Legatus, Ladiſlaus Hungariæ, ac Poloniæ Rex, Epiſcopi, & Prælati, Hungari quam plures ceciderunt.* Additque lingua incontinentem fuiſſe, & fugiente ex Vrbe Eugenio, à Populo Romano captum, & in Capitolio, honeſto carcere, donec inter partes compoſitæ diſcordiæ, reſeruatum fuiſſe.

Aeneas Syluius in Comment.

Blet Gamundum.

Interfuit Comitijs, in quibus renunciatus Romanus Pontifex Nicolaus V. ſub quo è vita exceſſit Romæ non die 5. Septembris, vt refert Ciaconius, ſed 30. Octobris, vt ſcribit Contelorius ex monumentis Vaticanis, anno 1453. & ſepultus apud S. Petrum in Vaticano. Romæ in acie campi Floræ ſuper parietinas Theatri Pompeiani Aedes

Franc. Mar. Turrig. de Crypt. Vaticanis.

ni Aedes conſtruxit nobiliſſimas, quas Vrſinorum familia, vſque ad noſtra tempora retinuit. Dictus eſt Cardinalis Venetiarum, vt ex Actis Concilij Ferrarienſis à Ioanne Leone Romano ordinis Prædicatorum conſcriptis habemus: Hæc enim Andreas Victorellus m.ss. non ſemel ſe legiſſe Romæ apud Cardinalem Biſciam teſtatur, in quibus nonnulla inter Franciſcum Cardinalem Venetiarum Domini Papæ Camerarium, & D. Nicolaum Marchionem Eſtenſem firmata enarrantur.

Chifflet. Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana. Aubery in vita. Ferdinand. Vghel to. 1. Ital. ſac.

Galliæ ſcriptores referunt, Franciſcum Cardinalem Venetiarum aliquando Eccleſiæ Veſuntionenſi præfuiſſe; Veſuntio, quæ & Veſunticum, & Biſuntium, Italice *Beſanzone* Vrbs eſt in vmbilico Burgundiæ Comitatus ad Dubim fluuium. Huiuſce Franciſci Cardinalis æuo Nicolaus V. Pontifex maximus S. Rufinæ Eccleſiam à Portuenſi diſiunxit, eamque contulit Ioanni Kemp Anglo Archiepiſcopo Cantuarienſi, Presbytero Cardinali S. Balbinæ, ea conditione, vt illorum Epiſcoporum altero defuncto, duo illi Epiſcopatus in ſuperſtitem iterum coirent: Cardinalis Kemp Condulmerio quidem ſuperſtes fuit, ſed nunquam declaratus Epiſcopus Portuenſis.

Ciaconius. Panuinius. Aubery in vita. Brian. in hiſtor. Ferdinand. Vghel. in Ital. ſac. Cæſar Raſpon. de Baſil. Lateranen.



II.

ANGELOTTVS Fuſcus Romanus, ex honeſtiſſima progenitus familia, cum eſſet Canonicus S. Ioannis in Laterano, Conſtantiæ à Martino V. xvij. Kalen. Martij, anno 1418. electus eſt Epiſcopus Anagninus, atque ab eodem die vndecima Iulij, anno 1428. ad Eccleſiam Cauenſem tranſlatus eſt. Arctiſſimo neceſſitudinis vinculo coniunctus fuit cũ Cardinali Cõdulmerio, qui cum ad ſummam Apoſtolicã ſedem euaſiſſet ſub nomine Eugenij IV. Angelottum in prima Patrum enunciatione Cardinalem nominauit titulo S. Marci, & Archipresbyterum Baſilicæ Lateranenſis. Auaritiæ ſordibus fuit inquinatus; ſi vlla Garimberto fides, & Purpurata fortuna haud dignus, quæ cum illum ad huiuſmodi dignitatis gradum euexiſſet, vt etiam in tribus Legatis, qui ab Eugenio ad Concilium deſtinabantur, numeraretur, mutata ex more repentina volubilitatis facie, eundem cum vita omnibus exuit dignitatibus. Aulicus quippe, ſeu cubicularius, quem à puero educauerat, raſtro armatus, quo ruſtici homines confringendis glebis vtuntur, dum poſt meridiem quieſceret, ac fortè nullus alius tunc in domo eſſet, illum occidit, pecuniarum eius habendarum cauſa. Clamans deinde ad facinus idem ipſe cubicularius, cum nulla de eo ſuſpicio haberetur, captus tamen torturſque, cum in tormentis nihil fateretur, poſtea verbis blandis, quaſi rem fortiter, probèque egiſſet in hominem auariſſimum, rem confiteri impulſus, ſuſpenſus eſt, & in quatuor partes diſſectus, quæ ad præcipuas Vrbis portas appenſæ ſunt. Obijt die vndecima, ſeu duodecima Septembris, anni 1444. corpus Angelotti apud S. Mariam ſuper Mineruam ex Vghellio, ex Cæſare verò Raſpono in Laterano tumulatum eſt, in quo Altare, ſeu ſacellum Deiparæ Virgini ſacrum conſtruxit propinquum illi, in quo ſeruabatur ſanctiſſima Euchariſtia, in cuius loco Horatius eius gentilis monumentum hoc poſuit.

Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciaconii. Henricus Spondan. in Annal. Eccleſiaſt. Felix Cõteloriuſ in Elencho. Cæſar Raſpon. de Baſil. Lateranen.

DEIPARAE VIRGINI MARIAE ARA
AB ANGELOTTO FVSCO S. R. E. CARDINALIS
HVIVS BASILICAE ARCHIPRESBYTERO
OLIM ERECTA ATQVE AD EXORNANDVM
SAC. EVCHARISTIAE SACELLVM DIRVTA
HORATIVS FVSCVS SACRI S. P. Q. R. SCRIBA
MEMORIAE GENTILIS SVI OPT. MERITI
POS.
ANNO SALVTIS HVMANAE MDLXXVI.

In Templo etiam S. Bernardo ſacro ad Columnam Traianam alia extat huiuſce Cardinalis memoria, & eſt.

CHR. SAL.
ANGELOTTO FVSCO PATRITIO ROM.
OB SINGVLARES EIVS ANIMI DOTES
AB EVGENIO IIII. PONT. OPT. MAX.
IN CARDINALIVM NVMERO ADSCITO
LATERANENSIS ECCL. ARCHIPRESBYTERO
HORATIVS FVSCVS S. P. Q. R. SCRIBA
GENTILI SVO MEMORIÆ CAVSA PO.
MDLXXX.

SECVNDA CREATIO VNIVS CARDINALIS.

Anno Dominicæ Incarnationis 1437. Pontificatus Septimo, die 9. Auguſti, Florentiæ Eugenius IV. vnum renunciauit Cardinalem, qui fuit.



III.

IOANNES Vitellius Vitelleſchus, quem Paulus Iouius, Vitellium nominat, Corneti Tuſcorum oppido, honeſto genere natus, origine, vt volunt aliqui, Fulginas, præclara in primis indole, poſt Tuſcanellenſium Tyranni obitum, cui ob linguæ hæſitantiam, Tartaliæ cognomentum fuit, apud quem & a ſecretis fuerat, & in grauioribus negocijs obeundis operam ſuam præſtiterat, vnius Palladis ductu in Martis aciem, quòd nouum eſt, & inſuetum penetrauit. Ad Vrbem igitur ſe contulit loc vt virtutes ſuas, vſque adhuc latentes, in lucem, ac proſpectum Orbis proueheret. A Martino Romano Pontifice Protonotarius creatur, & illo defuncto, ab Eugenio ſucceſſore Epiſcopus primò Maceratenſis, & Recanatenſis electus, deinde Patriarcha Aquileienſis, poſtea Alexandrinus, & Archiepiſcopus Florentinus, ac exercitus Romani Pontificis Præfectus, & contra Tyrannos Legatus amplisſima poteſtate; demum Presbyter Cardinalis titulo S. Laurentij in Lucina anno 1437. renunciatus eſt. Ioannis huiuſce electionem in Cardinalem Baſileenſe Conciliabulum vti factam contra Decreta Concilij irritam declarauit, die 26. Septembris eiuſdem anni 1437. vt in eius Actis. In his dignitatibus conſtitutus Ioannes, qui vſque ad obitum Patriarchæ nomen retinuit, & ſemper Patriarcha cognominatus. Picenum ingreſſus eſt vnà cum Andreaſſo Caſtello eius collega, qui præter ſummam generis nobilitatem, nec Vitelleſcho, nec cuiuis præcipuo militum duci illius temporis, rei militaris peritia, ceteriſque animi dotibus, quæ in maximo equite deſiderari poſſunt, minimè impar erat. Duo igitur belli fulmina, ac militiæ ſidera Malateſtæ Piſaurum, ac Senogalliam ſubtrahunt, atque omnem lapidem mouent, vt Forum Liuij, & Aſiſium occupent.

Ciaconius. Ludou. Iacobill. in Chron. Epiſc. Fulg. oſcaſ. Panuinius. Aubery in vita. Barthol. Facius in N ſt ſuor. tempor. Ferdinand. Vghel in Ital. ſac. Felix Cõteloriuſ in Elencho. Andr. Victorell in Addit. ad Ciaconii. Nicol. Gombert. Ludou. Domenici in Hiſtor. Strozz. in hiſtoria. Thomas Cõmin. in hiſtor. Neapolitana. Io Nic. Doglioni Theatr. Henricus Albini in elog. Card. Henricus Spondan. in Annal. Eccleſiaſt. Ioh. Rom. elog. Malat. Aut. San L. in elogijs Cardin. Marc. Anton. Gent. in hiſtor. Ferrarienſ.

Interea pax inter Pontificem, & Collegatos cum Vicecomitibus celebratur anno milleſimo quadringenteſimo quinto, Vitelleſchus, & Andreaſſus interim Romanæ ditionis propagandæ, Iacobum Vicanum Vrbis Præfectum, pluribus circa Forum Caſſij oppidis imperantem, vnà cum Conrado Trincio Fulginatum Tyranno in arce Suriana ſecuri percutiunt; porrò Trincium Fulgineo obſeſſo, & capto, in triumphum ducunt. Ferunt eius Vrbis Regulum, virum plurima futura prædicentem conſuluiſſe de Fulginei ſucceſſu, ac reſponſum accepiſſe tum demum poſteros ea ſede priuandos, cum boues circa illius mœnia volitaſſent: Id fieri non poſſe exiſtimans Regulus loci, regnum ſibi perpetuum pollicebatur. Sed ecce tibi Ioannes Vitelleſchus Patriarcha Alexandrinus Vrbem obſidens fidem fecit reſponſo explicans Vexillis, ventoque agitatis, in quibus par bouum impreſſum erat: magnus Ciuitati tremor incuſſus eſt; erat enim omnibus notum vaticinium, nec multo poſt ea Vrbs dedita eſt.

Poſt hæc Vitelleſchus, & Andreaſſus eos perſecuti, qui Romanam ditionem vexabant, ad vnum omnes ſuſtulere: inter eos fuit Antonius Pinſanus, qui quod Priuernum in Volſcis occupaſſet, ad altiorem oleæ ramum ſanè ſeruus, ſed vt honeſtiùs, ac ſplendidiùs penderet, vt ille per iocum iactabat, duplici capiſtro ſuſpenſus. Deinde Præneſte fatigatum, atque enectum difficili obſidione cepere; tum Aquilæ hoſtem in fugam coniecere; atque Arpinum, & ampliſſimos totius Latij campos Põtificis imperio, ac poteſtati ſubiecerũt.

Inter hæc Iſabella Neapolitana Regina vxor Renati Andegauenſis cum Alphonſi Aragoniæ Regis vires in dies creſcere animaduertiſſet, eumque è Regni Neapolitani finibus, iuribus ſuis arceri poſſe deſperaret, ad Eugenium IV. Romanum Pontificem Legatos opem poſtulatum miſit. Hic Ioannem Vitelleſchum Patriarcham Aquileienſem cum tribus millibus equitum, ac pari peditum numero quæ ſecuta eſt æſtate ad eam miſit. Ioannes in Campaniam profectus, primo impetu aliquot Caſtella vi cœpit, cumque Capuam obſidere ſtatuiſſet, ad Iſabellam miſit, qui hortaretur vt quas poſſet, vires cogeret, & ad ſe mitteret; quæ haud morata ad octingentos equites raptim coactos in Auerſanum campum ad Patriarcham ire iuſſit. Alphonſus per id tempus tria millia paſſuum à Capua caſtra habebat, non tamen eas habebat copias, quibus poſſet tantis aduerſariorum viribus obſiſtere; namque & Ioannes Antonius Vrſinus, & alij nonnulli Duces, quos cognito Patriarchæ aduentu Alphonſus acceſſierat, nondum ad ſe peruenerant. Ceterùm cum audiſſet Patriarcham appropinquare, cedendum interim fortunæ exiſtimauit, donec maiores vires contraxiſſet. Varia erat ſuadentium ſententia: Hiſpani Caietam eundum cenſebant, quòd i[illegible] ſitu munitur, &

ab obſi-

ab obſidionis periculo tutior foret; Italici Theanum potius, quòd eius longus receſſus deſperationem quandam Principibus, ac populis ſuarum partium eſſet allaturus. Plurimum enim ad nominis ſui exiſtimationem conducere, quam minimum à ſuis abeſſe; poſſe illum Theani tutò permanere, quòd id oppidum mœnibus, & annona ſumum eſſet. Siquidem longiùs abſcederet, non alia potius de cauſa, quam quòd non haberet vbi propius in tuto conſiſteret, tam ſuos quàm hoſtes factum exiſtimaturos. Capuam quidem validam, & præmunitam Vrbem, ſed parum in ea frumenti eſſe; ſeque in ea facilè commeatibus intercludi poſſe, quòd trans flumen omnia hoſtium incurſionibus quotidianis infeſta eſſent. Quorum ſententia comprobata, relicto, qui copijs præeſſet, Ioanne Vintimillio, Theanum ſe recepit; quo digreſſo, Ioannes Alphonſi Dux motis inde properè caſtris Capuam copias reduxit.

Neapolitani equites, quos ab Iſabella ad Patriarcham miſſos dixi, Sicinium, qui vicus eſt in Auerſano agro, conceſſere, ibi Patriarchæ aduentum præſtolantes. Quos cum Vintimillius per exploratores cognouiſſet, incautius in caſtris agere, ac nullo munimento obducto paſſim vagari, eos aggredi ſtatuit, exiſtimans ſi hos fudiſſet, nec permitteret Patriarchę coniungi, eius vim faciliùs ferri poſſe. Neque enim fuſis Neapolitanis, illum ad Capuam obſidendam profecturum, vno modò prælio, ſi fortuna adeſſet, ſeſe obſidionis periculo liberari poſſe. Non abfuit fortuna conſilio; nanque è Capua profectus, ſpeculatoribus præmiſſis, priùs penè in hoſtium caſtris conſpectus eſt, quàm eius aduentum cognoſcerent, & imparatos, ac inermes aggreſſus, non ſui colligendi, non arma capiendi, non gladios ſtringendi ijs facultatem reliquit, captiſque prope omnibus, confeſtim ſe ſe Capuam recepit.

Hac clade audita Ioannes Patriarcha de obſidenda Capua conſilium omiſit, ac Vulturnum circiter ſex millia paſſuum vado tranſgreſſus, nullo obſiſtēte per Caudinam vallem montem Sartium petit, eumque ex itinere oppugnare aggreſſus eſt. Quòd vbi Ioannes Vrſinus, qui ad Alphonſum cum copijs proficiſcebatur, agnouit, confeſtim ad mōtem Tuſculum quatuor ferè millia paſſuum à monte Sartio contendit; ibique caſtris poſitis, auxilij ſpem obſeſſis afferebat, ceterùm cum ſe imparem Patriarchæ viribus ſciret, ſeſe in caſtris continebat. Alphonſus iam Capuam redierat, itaque Ioannis Antonij ad montem Tuſculū aduentu cognito, Ioannem Vintimillium eò ire iuſſit cum parte copiarum, vt ſi poſſet, ſe cum eo coniungeret. Ad quem cum tutò tranſire non poſſet, aliquanto procul inde loco tuto poſitis caſtris conſtitit, vt hoſtibus fiduciam adimeret, ac Ioanni Antonio, atque obſeſſis ſpem daret. Patriarcha per exploratores cognito in hoſtium caſtris cuſtodias negligi, ac poſſe opprimi incautos, eò celeriter profectus eſt, eoſque inopinantes ea improuiſo adortus primo impetu fudit, & expugnatis caſtris, magnam partem militum, & in his Ioannem Antonium Vrſinum cepit, ceteri teceptus propinquitate freti, Patriarchæ vim effugerunt.

Ea clade cognita Ioannes Vintimillius, cum nullam ſe obſeſſis opem afferre poſſe animaduerteret, atque in ijs locis cum ſummo periculo diutius immorari, confeſtim Capuam cum copijs ſe recepit. Iam Alphonſus cum parte copiarum Sulmonetam contenderat, eo videlicet conſilio, vt Patriarcham Vitelleſchum à montis Sartij oppugnatione auerteret, arbitratus hoſtem iniecto domi metu, ab amicorum vexatione deterreri poſſe, totamque eam regionem tumultu, ac terrore compleuerat. Quòd cum Patriarchæ nunciatum eſſet, omiſſa montis Sartij obſidione iter in Campanum flexit, ac Varranum, & Præſentianum, ac Venafrum ſine certamine in deditionem accepit.

Inter hæc ſimultate quadam inter illum, ac Iacobum Caudolam, qui vnà cum eo copias Iſabellæ iunxerat, exorta, cum ei haud ſatis fideret, diuiſo exercitu, Iacobo in Apuliam profecto, ipſe ad vicum, quem ſanctum Petrum vocant, ad mille paſſus à Scaphato ſe recepit. Alphonſus cognita calamitate, ad montem Fuſculum acceptam magno dolore ob amici maximè captiuitatem affectus, prætermiſſa Sulmonetæ oppugnatione, confeſtim Capuam regreſſus eſt. Ibi cum accepiſſet de diſſenſione inter Patriarcham, & Iacobum orta, ac diſtractis copijs Patriarcham apud Scaphatum conſediſſe, eius opprimendi tempus idoneum ratus, celeriter in Nolanum profectus, primò ad Cancellum, deinde ſub Nolam ad mille paſſus ſubſtitit. Forte eo die magna Equitum manus de Patriarchæ exercitu, Regis aduentus neſcia, prædandi cauſa Nolam verſus profecta, in Alphonſi caſtra incidit impetuque in proximos quoſque imparatos, & inopinantes facto, quoſdam iam è Regijs ceperant, quo cognito Alphonſus illico arma expediri iubet, acieque celeriter pro tempore inſtructa, laborantibus ſuis occurrit. Ceterùm ex vi pulueris hic, mutuo concurſu excitata, vt via armorum inſignia, quæ in prælijs accommodari ſolent, inter dimicandum diſcernerentur. Ad hæc æſtus intolerabilis grauem armis militem exanimabat, nec reciprocare anhelitum defatigatos ſinebat. Ad poſtremum hoſtes multitudine circumuenti in fugam vertuntur, quos Alphonſi equites conſectati, pleriſque vulneratis, complures ceperunt, nec quiſquam omnium ſuperfuiſſet, niſi itinere, atque æſtu defatigatis militibus Alphonſus receptui cani iuſſiſſet. Hac clade nunciata, Patriarcha perterritus cum eum locum haud ſatis idoneum caſtris putaret, nocte, quæ inſecuta eſt, relictis præ feſtinatione equitibus, quos ad trecētos Neapolim miſerat, inde in ſancti Seuerini agros citato agmine ſe recepit, ac modico ſpatio militibus ad quietem dato per Vallem Serninam ſub montem Fuſculum tranſmiſſo monte profectus eſt. Quòd vbi Alphōſus agnouit, eius itinere per exploratores cognito, cum propter locorum iniquitatem minimè proſequendum illum exiſtimaret, conuerſo itinere Iſerniam, ac Varranum Patriarchæ metu liberata oppida ſine certamine recepit.

Inter hæc cum Patriarcha per amicos agi cœptum, vti Ioannes Antonius Vrſinus, quem in vinculis habebat, accepta cautione dimitteretur, ſibique eum virum beneficio obſtringeret, quem ſi allicere in ſuam amicitiam poſſet, plurimum eſſet opibus ſuis acceſſurum. Non diſplicuit Patriarchæ eius rei mentio, ſeque eum dimiſſurum ſine pretio eſt pollicitus, modò is ad ſeſe cum quingentis equitibus reuerti vellet, Pontificis ſtipendia facturus. Eam verò conditionem quanquam et permoleſtam, & grauem, quando ita neceſſitas vrgebat, vt ſe in libertatem vindicaret, accepit, ea tamen lege, vt dum is fratrem pro ſe mitteret, ſibi domi liceret permanere, idque eius factum Alphonſus haud iniquo animo tulit, quamuis conditionem eius viri captiuitate, cuius amicitiam ſibi fructuoſam ſenſerat, potiorem ducens. Poſt hæc Patriarcha Alphonſi in Venafranum agrum profectione cognita, cum omnibus copijs Salernum perijt, eo videlicet conſilio, vt illi obuiam contenderet. Quòd poſtquam Alphonſo nunciatum eſt, ſubitò in Nolanum contendit; iam enim is ſibi Patriarchæ par factus Iacobi receſſu videbatur. Cumque ad oppidum Sarnū peruenitſſet, fortè duo de Patriarchæ equitatu ad eum venere, hortatique ſunt, vt quempiam è ſuis ad Patriarcham mitteret, ſperare ſe, ſibi cum illo de pace, aut certè de inducijs conuenturum, quòd eum belli ſanetas cepiſſet. Alphonſus eam rem haud aſpernandam ratus, quòd graui aduerſario ſublato, ſuperiorem ſeſe hoſtibus intelligebat fore, quoſdam è ſuis vnà cum ijs ad eum miſit, qui de ea re illius animum explorarent. Ipſe nihilo ſegniùs cœptum iter proſecutus ad vicum, quem Aquemellam dicunt, cum copijs acceſſit; quò maiorem pacis neceſſitatem Patriarchæ iniiceret; ſimul quòd verebatur, ne equites à Patriarcha fallendi animo ad ſe veniſſent, & ad ſex millia paſſuum à Salerno in cumulo quodam naturæ munito caſtra poſuit. Fortè autem eo proficiſcente, trecenti equites, quibus præerat Paulus Alemannus, è monte Fuſculo Salernum ad Patriarcham ibant; ijque improuiſo cum in hoſtes incidiſſet, paruo negocio fuſi, magnaque ex parte capti ſunt. Poſt hæc qui Salernum ad Patriarcham ierant, ad Alphonſum rediere, hique inducias in duos menſes, ſi ita is vellet, Patriarchæ fieri placere retulerunt. Quòd cum ille haud abnuiſſet, induciæ factæ, hac lege adiecta, vt ſi qua Vrbs quatriduo antequam ſibi induciæ denunciatæ eſſent, alterutri parti ſeſe dederet, accipienti ne eſſet fraudi.

Factis per hunc modum inducijs, Alphonſus inde in Auerſanum agrum cum copijs redijt, & ad Iulianum vicum tria millia paſſuum Auerſa caſtris poſitis ibi aliquot dies egit, ac ſtatuerat Puteolos petere, & acceſſitis triremibus, quas tum Caietæ habebat, id oppidum expugnare, vt inde commeatuum Neapolim importandorum facultatem adimeret. Ceterùm Patriarchæ nouum conſilium eum, vt ſententiam mutaret, compulit. Is enim per Archiepiſcopum Beneuentanum Iacobo Caudolæ reconciliatus, rurſus cum eo copias iunxit, iureiurando ab equitibus, ac ductoribus vltro citroque exacto, ſeſe commune bellum cum fide geſturos, nec iniuriam Ducibus fieri paſſuros. Deinde cum ſciret Alphonſum ad Iulianum vicum ſtatiua habere, locum haud ſatis tutum, opprimi poſſe ratus, ſi antequam de reconciliatione eius cum Iacobo reſciſſet, aduerſus eum contenderet, omnis humani iuris, ac diuini oblitus, per omnes ſaltus, atque aditus cuſtodes diſponi iuſſit, qui obſeruarent, ne quis Nuncius ad Alphonſum iret, à quo de eius conſilio certior fieri poſſet. Quòd cum Iacobus Lagoniſſa, vnus è Regni primarijs viris, fide in Alphōſum & conſtantia ſingulari cognouiſſet, plures ad Alphonſum confeſtim Nuncios per varias partes dimiſit, qui omnes excepti à cuſtodibus, præter vnum, qui per tranſuerſos, ac deuios tramites ad Regem profectus omnem ei rem pandit. Alphonſus primum admiratus, quòd bona fide Patriarcham ſecum inducias feciſſe exiſtimaret, cum ſe loco haud ſatis tuto eſſe cognoſceret, atque hoſtes copijs ſuperiores eſſe, confeſtim abeundi Capuam conſilium cepit, atque haud mora, milites cogi, arma expediri, & impedimenta componi imperat. Sed dum hoſtes, qui apud Auerſam erant, auxilij propinquitate freti ferociùs inſtant, atque inconſultiùs, eorum plerique capti. Nec dubium quin intra Vrbem reiecti omnes, aut capti eo die fuiſſent, niſi Patriarcha, & Iacobus citatis equis aduolantes pauorem, ac trepidationem Regijs intuliſſent; qui cum apud Caiuanum accepiſſent Alphonſum à Iuliano vico iam mouiſſe, quanta celeritate potuere, Auerſam contenderunt, & hoſtes partim pugna implicitos, partim abeuntes conſpicati effuſo curſu peruenerunt; quos vt Regij in ſeſe concitè venientes conſpexere, cedendum rati, omnibus prope impedimentis amiſſis ſaluti conſuluerunt. Poſt hæc rurſum inter Patriarcham, & Iacobum diſſenſio exorta eſt hac maximè de cauſa. Patriarcha quò tutum aliquem receptum in Neapolitano Regno haberet, vti ſibi Auerſa ab Iſabella Regina traderetur, poſtulabat, Iacobus verò cum intelligeret quorſum eius petitio tenderet, eum ſcilicet non tam pro Renato, quam pro Eugenio Pontifice maximo bellum gerere, eius poſtulatis maximè aduerſabatur. Quòd

cum Patriarchæ permoleſtum accidiſſet, haud diſſimulatis inimicitijs, relicto Iacobo, Auerſa abijt. Per idem ferè tempus Tranenſes ad Alphonſum Legatos miſere, quid editione facta opem implorarent, ac dicerent Vrbem in poteſtate ciuium eſſe; ceterùm arcem ab hoſtibus teneri, eamque nec expugnatu facilem, nec abſque nauibus propter mare circumfuſum obſidioni obnoxiam. Cauſa verò deditionis fuit, quòd vulgatum erat Patriarcham eò ire ſtatuiſſe, vti à Iudæis ad Chriſtianam legem recens profectis, qui multi in ea Vrbe erant, grandem pecuniam in belli ſumptum exigeret. Mouit ea legatio maximè Alphonſum, plurimùm conferre ſuis rebus ratum, ſi Vrbe tam opulenta potiretur. Legatis igitur benignè reſpondit, & collaudatos quòd deditionem ſuæ voluntati feciſſent, ſpe plenos dimiſit; & mox Ioannem Carrafam cum triremibus tribus Tranium petere, & quæ ad arcis obſidionem neceſſaria cognoſceret, cum cura gerere imperauit. At Patriarcha eius Vrbis cognita deditione, Andrium, quæ ciuitas in Apulia eſt, ſubitò profectus, copiarum Duces, quos in fide acceperat, cum omnibus copijs eodem cõuenire quamprimum iubet, quibus ad diem profectis, obſeſſæ arci opem ferre ſtatuerat. Inter hæc orta ſeditio, maiore ciuium, ac militum parte ad Alphonſum inclinante, Patriarcham in maximum metum, ac diſcrimen adduxit, nec eſſet temperatum cædibus, niſi Ioannes Antonius Vrſinus eorum furorem interuentu ſuo compreſſiſſet, qui ad fidem ſuam id pertinere exiſtimans, temerarijs ſuorum conſilijs ſeſe obiecit. Itaque poſtquam tumultus conquieuit, nihil mutato conſilio, & contractis vndique auxilijs ex Andrio mouere caſtra conſtituit; cœperat enim eum ante ſuſpicio Ioannem Antonium Vrſinum rurſus cum Alphonſo ſentire. Hanc autem ſuſpicionem vel ea res maximè confirmauit, quòd Ioannes Antonius malæ valetudinis cauſa Tranenſem expeditionem detrectabat. Accepta tamen ab eo copiarum parte Tranium, quòd haud plus decem millibus paſſuum aberat, repente profectus, caſtris poſitis, agrum circumiectum hoſtiliter populatus eſt. Interea Tranenſes Paulo Pellicano auctore eius factionis principe, quæ Alphonſo Vrbem dediderat, foſſam, qua arx continentem, atque Vrbis ædificijs iungitur, arci obduxerant, ne qua ab obſeſſis eruptio in Vrbem fieri poſſet, eamque foſſam aggere, & crebris turribus communierãt, & ob eam cauſam, niſi ſuperatis munimentis in arcem terra euadi, atque obſeſſis ſubueniri nullo modo poterat. Cœperat Ioannis Antonij Vrſini fides, vt ante dixi, Patriarchæ ſuſpecta eſſe: cum igitur oppugnare munimenta ſtatuiſſet, & ob eam rem equis deſilire equites imperaſſet, nec paruiſſet Ioannis Antonij equitatus, ſuſpicionem confirmauit. Patriarcha deſerta obſidione, Veſcilium oppidum petijt; ibi cum cognouiſſet triremes ab Alphonſo mitti, quæ arcem obſiderent, veritus vbi veniſſet, ne ſibi minus integrum foret, ex ea prouincia cum vellet, excedere, quòd Ioannis Antonij copiæ terreſtre iter occupaturæ eſſent, triremes autem mare clauſuræ; ſtatuit ante nauium aduentum relictis copijs, dum liceret, abſcedere. Lembum igitur quendam nactus, paucis conſcijs, is qui paulò ante vniuerſum Neapolitanum Regnum terrore compleuerat, quaſi ad contrahendas maiores vires iturus, turpi fuga, intempeſta nocte digreſſus, primò in Picenum, mox terreſtri itinere ad Eugenium Pontificem abijt. Poſtridie milites, & equites cognita Patriarchæ fuga, rebus ſuis diffidentes, cum nec Ducem, nec pecuniam haberent, vnde commeatus ſuppeditarent, ſeſe ad Iacobum Caudolam contulerunt, qui Iſabellæ rogatu poſita ſimultate eòdem acceſſerat: huic enim ſalutem ſuam credere, quàm hoſti maluerunt.

Iandiu ſuſpecta Ioannis Vitelleſchi fides, tum quia Tarentinum Principem liberum dimiſiſſet, tum alijs de cauſis æmulorum maledicentia expreſſis non modò Eugenio, ſed Cardinalibus quoque erat. Apud eundem Eugenium etiam ab inuidis accuſatus, quòd validiſſimis copijs innixus, ſingulas Pontificiæ ditionis arces per fidos, atque obnoxios Clericos in poteſtate haberet, Pontificatum affectare cœpiſſet. Noua igitur cum Nicolao Piccinino conſilia ſuſcepta à Ludouico Scarampo Cardinali eius æmulo, explorata illius opprimendi cauſa fuit; conſilium enim Eugenio obtulit, vt ab Antonio Rido Patauino molis Hadrianæ Præfecto, vi quoquo modo detineretur. Ad Kalend. igitur Aprilis anno 1439. ſeu veriùs 1440. in Etruriam caſtra moturus Vitelleſchus, Antonio ſignificauit, vt ſibi Hadriani pontem tranſeunti adeſſet, vt de cuſtodia, & munimine arcis, & profectione ſua quædam cum eo communicet. Præmittitur prima luce à Vitelleſcho Comes Auerſius Anguillarius cum quatuor millibus equitum, ac duobus millibus peditum; ipſe poſtremò cum familiaribus agmen claudit. Tum verò Antonius occaſione accepta tendendis inſidijs idonea, porta arcis egreſſus, prætervecta totius pontis longitudine, inermis, & compoſito vultu ſalutat, & accedens propius ſimulatione ſecretioris colloquij procedentem comitatur, pedes equi habenis molliter tractans, tandiu de annonæ ſupplemento, de inſtaurando tormentorum, ac telorum apparatu verba producit, quoad contra arcis portam peruentum eſt. At Vitelleſchus maturè ſe curaturum profitetur, vt nihil earum rerum ei deeſſet, ſe Reipublicę cauſa in Hetruriam ducturum, tantũ per Cornetum ex itinere diuerſurum, vt ædificatam à ſe magno ſumptu domum inſpiciat. Eodem verò puncto temporis Antonius equi frœnum arripuit, ſignũ dat, cataracta demittitur, ac perturbatũ inopinato malo Vitelleſchũ milites circumſiſtunt. Ille tamen nihil ſe deſerit,

A calcaribus equum, ſed fruſtra incitat, atque curuum gladium, quo militari more cinctus erat, ferociter educit, ſed obluctantem ſatelles falcato hoſtili vno per ceruicem corripit, altero dexterum brachium quo diſtricto gladio in Antonij Arcis Præfecti caput ictum minabatur grauiter vulnerat, atque ita cruentus intra portam arcis pertrahitur. Hunc ſupremæ calamitatis malo perturbatum, & ſe ingratè proditum profundo ſuſpirio conquerentem ornatiſſimo toro collocant, obligant ei vulnera, & Antonius, vt bene ſperet, cohortatur, quòd in poſterum Eugenius non Militari, ſed Senatoria eius opera vti vellet. Ad id Vitelleſchus anxiè æſtuans, non eſſe ſe adeo rerum imperitum reſpondit, vt temerè crederet ſummæ dignitatis viros, vel iniquo iure captos dimitti ſolere. Nec multo poſt acerbitate vulnerum, ſeu vt alij referunt, veneno, die ſcilicet vndecima Aprilis anni 1440. è duplici huius mortalitatis carcere euolauit. Ciaconius die 8. Aprilis anni 1439. alij die 2. Aprilis anni 1438. è vita illum

B exceſſiſſe affirmant, & ſepultum ad Mineruam.

Eius cadauer ex pleriſque caruit honore funeris, & tumulo, licet ei poſtea propinqui Corneti in Cathedrali marmoreum Cenotaphium extruxerint, atque ad illud oſſa, & cineres deduxerint hoc appoſito Epitaphio.

REVERENDISSIMO DOMINO
IOANNI DE VITELLESCHIS DE CORNETO
PATRIARCHAE ALEXANDRINO
CARD. FLORENTINO
BARTHOLOMÆVS EPISCOPVS CORNETANVS
NEPOS
IN POSTERITATIS MEMORIAM

Quando ego pro patria, pro maieſtate repreſſi
C *Pontificis furias bellorum, hoſteſque ſubegi*
Eccleſia, noſtris qua floruit aucta ſub armis,
Reſtitui res effluxas, vrbeſque, decuſque
Inuidit ſors atra mihi, magis æmula virtus
Immeritam ſtatuens non æquo munere mortem.

Quoniam verò Ioannes circumlatis victricibus armis, & oppreſſis Tyrannis, immortalia commoda, ac libertatem penè amiſſam populo Romano pepererat, equeſtris illi ſtatua ab eodem populo Romano, & Senatu cum hac honorificentiſſima Inſcriptione in Capitolio decreta eſt.

IOANNI VITELLESCHO
PATRIARCHAE ALEXANDRINO
D TERTIO A ROMVLO ROMANAE VRBIS
PARENTI.

Inde factum eſt, vt ab eodem Senatu, populoque Romano ciues omnes Cornetani in Romanorum ciuium numerum cooptati fuerint: verba reſcribo ipſius Decreti. *Sint Cornetani omnes de cetero illius meritis Romani ciues, omnique prærogatiua, priuilegio, honore, immunitate, dignitate fungantur, ac ſi originarij ciues eſſent.* Statuit inſuper idem Senatus, populuſque Romanus, vt in die feſto ſancti Ludouici, quo Patriarcha hoſtem fugauerat, argenteus Calix communi ære coëmptus ad Aram Cœli deferatur. Hæc omnia publicis ſuis Tabulis teſtatus eſt ex Andrea Victorello, Paulus Antonellus ciuis Romanus Notarius.

Multi de hoc Cardinale, quem Iouius inter viros militari gloria illuſtres recenſuit, & Elogio extulit, ſermonem habuere; nonnulli

E Romani Pontifices honorificè de illo locuti ſunt: Xiſtus IV. in Diplomate Priuilegiorum familiæ Vitelleſchæ *Hinc eſt*, ait, *quòd Nos ad grandia merita bo: mem: Ioannis de Vitellenſibus de Corneto, S. Laurentij in Lucina Presb. Card. Florentini, &c.* Iulius II. *Merita bo: mem. Io: de Vitellenſibus, &c.* Leo X. recoluit memoria ſtudia, ſollicitudines, labores, impenſas eiuſdẽ Io: Cardinalis pro amplificanda Eccleſiæ Romanæ ditione. Clemens VII. eius merita ingentia: Paulus III. ſeruitia eius Eccleſiæ exhibita grata nũcuparunt.

Bartholomæus Facius quia Alphonſum Arragoniæ Regem Patriarchæ aduerſarium capitalem, amanter complectebatur, maledicè de Ioanne Vitelleſcho Cardinali in Hiſtoria ſui temporis locutus, huius libidinem, & auaritiam, atque effrænatam crudelitatem hu-

F manum modum excedentem paſſim coarguit: illius tamen fides mihi ſuſpecta.

Ioannem hunc Cardinalem S. Mariæ Maioris Archipresbyterum fuiſſe dixit Paulus de Angelis in Deſcriptione eiuſdem Baſilicæ: id tamen alij negant, & verè lapſus Pauli cognitus.

TERTIA CREATIO CARDINALIVM.

Anno à partu Virginis 1439. *die Sabbathi*, 18. *Decembris* Florentiæ in Concilio generali Eugenius IV. Romanus Pontifex decem & ſeptem renunciauit Cardinales, eiſque tam præſentibus, quàm abſentibus die Veneris 8. Ianuarij anni 1440. aſſignati fuerunt tituli: autem fuerunt.

IV.



REGINALDVS de Carnute, alias de Chartres natione Gallus, patria Carnotenſis, filius Hectoris, quem aliqui Hectorem ſumpto parentis nomine nuncupant, ex Decano Bellouacenſi, Cubiculario, & Referendario Apoſtolico ad Bellouacenſem cathedram electione facta primò petitus, poſſeſſionem non eſt adeptus, mox Adminiſtrator Aurelianẽſis Eccleſiæ, demum Archiepiſcopus Rhemenſis renũciatus eſt; quo in munere Regem Carolum huius nominis Septimum Rhemis inunxit ſeptimo Iulij die anni 1409. Quare ſummus Galliæ Cancellarius ab ipſo Carolo nominatus, Atrebati de pacis conditionibus pactus, Anglis expulſis Pariſienſem Senatum reuocauit, & ſuæ ſedi reſtituit. Ad hunc Baſileenſes patres literas dederunt, illum ad Concilium inuitando. In Concilio Florentino aſcitus eſt in numerum Patrum Purpuratorum titulo S. Stephani in Cœlio monte: Cæſarodum Turonum poſt aliquot annos idibus ſcilicet Aprilis anni 1446. ex Ciaconio, & Frizonio; ſeu ex Claudio Roberto 1448. vita functus, ibidem ſepultus apud Minores.

Gentilitia inſignia Reginaldi Cardinalis rubeæ ſunt faſciæ duæ in area argentea, alia ab his, quæ illi Ciaconius olim dederat.

Ciaconius. Pet. Frizõ in Gallia Purpurat. Conſinot in Hiſtor. Franciæ. Franc. Lanouius de Cancell. Franciæ. Panuinius. Aubery in vita. Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciaconiũ. Henricus Spondan. in Annal. Eccleſiaſt. Io. Chenu in Chron. Epiſcop. Galliæ. Felix Cõtelorius in Elencho.

V.



IOANNES ab aliquibus ex Comitibus Taleacotij, ſed ſeuera de Pontibus, Neapolitanus, patria Curiſcumelenſis, quòd eſt oppidum Aprutij, & diſtat à Taleacotio octo ferè millia paſſuum; ex Archiepiſcopo Tarentino in Concilio Florentino Presbyter Cardinalis SS. Nerei, & Achillei tituli Faſciolæ promotus, dum Nuncius in Germaniam profectus eſſet, vt gẽtes illas neutrales, ſeu neutrum Pontificem ſectantes, Amedei Schiſmate vigẽte, ad Eugenij obedientiam, cultumque reduceret. Nuncij quoque Apoſtolici munere functus eſt ad Synodum Baſileæ congregatam, vbi doctè plurics pro Eugenio perorauit. Mox Legatus ad Regnum Neapolitanum pro pace inter Alphonſum Arragonum Regem, & Andegauenſem Comitem cõciliandã, munere ſuo functus eſt egregiè, vir diligentia præſtans, & auctoritate. Sacri Collegij Decanus præfuit Comitijs Nicolai V. fuit, & maior Pœnitentiarius, Epiſcopatum Prænestinum obtinuit; præfuit etiam Eccleſiæ Legionenſi, & Aurienſi, & Patronus ordini Eremitarum S. Auguſtini. Tandem rebus bene geſtis, & maximo apud omnes ſui nominis teſtimonio relicto, è vita migrauit Romæ die 21. Ianuarij non anno 1448. ſed ex Inſcriptione ſepulchrali anno 1449. & ſepultus in Eccleſia fratrum ordinis ſancti Auguſtini, cuius, vt diximus, erat Protector, cum hoc metrico Epitaphio.

Felices animas inter micat iſte IOANNES,
Qui TAGLIACOTIAE gloria gentis erat:
Qui Tarentinus Paſtor, qui Cardeus Heros,
Præneſtinus item, flentibus aſtra dabat.

OBIIT MCCCCXLIX. XXI. IANVARII.

Ciaconius, alijque ferè omnes ex Comitibus Taleacotij, quòd eſt oppidum Aprutij e ruinis veterum oppidorum Marſorum excitatum, teſte Volaterrano, prope lacum Fucinum, Ioannem hunc faciunt, & filium Raynaldi Vrſini Comitis Taleacotij nominant. Nos tamen ex monumentis antiquis, quæ noſtris hiſce temporibus ſeruantur apud nobiles Vetulos hæredes familiæ de Pontibus errorem deteximus. Extat quoque noſtris hiſce temporibus in oppido Curiſcumeli domus huiuſce Cardinalis, in qua pluribus in locis viſuntur tum coloribus expreſſa, tum ſaxo inciſa Ioannis Cardinalis inſignia, & ſunt, quæ nos ſupra exprimi curauimus. Nepotem Cardinalis hic habuit Ioannem Baptiſtam de Pontibus Epiſcopum Bituntinum, cuius inſignia in eadem domo extant, & ſunt illa eadem, quæ geſſerat Ioannes patruus; qui vnicam ex familia neptem hæredem inſtituit, ac nuptui dedit cuidam adoleſcentulo familiæ Vetulorum, nobilis in ea prouincia.

Ciaconius. Ioſ. Maria Suareſius in Præneſt. Antiqua. Aubery in vita. Panuinius. Hier. Garimbert. Io. Iouenis de Antiq. Tarentin. Aod. Victorel. in Addit. ad Ciaconium. Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciaconiũ. Ferdinãd. Vghel. to. 1. Ital. ſac. Felix Cõtelor. in Elencho. Nomencl. Cardinal.

VI.



IOANNES Kemp, ſeu Chempius, vel Kempius, natione Anglus, natus in Vera Cantiana villula in Anglia à teneris annis Grammaticæ primò, mox in iuris Ciuilis, & Canonici ſtudio egregiam operam poſuit, ſtudijque fructus ampliſſimos conſecutus eſt. Ex Archidiacono enim Dunelmenſi Curiæ de Arcubus, & ſummæ omnium rerum Eccleſiaſticarũ per Henricum Chichelerum Cantuarienſem Archiepiſcopum, & Cardinalem, omnium deinde Ciuilium cauſarum in Normandiæ Ducatu per Regem cognitioni Præfectus, Roſſenſi paulò poſt, tum Ciceſtrenſi, & Londinenſi Epiſcopatu, quadriennio poſt Eboracenſi, poſtremò Cantuarienſi Archiepiſcopatu auctus, antequam Cantuariam migraſſet, ſummo totius Angliæ Magiſtratu, & Cancellarij munere à Rege, & à Romano Pontifice galero Cardinalitio ornatus eſt titulo S. Balbinæ. Legati Apoſtolici munere, Romani Pontificis iuſſu in Anglia dum fungeretur, Epiſcopatum SS. Rufinæ, & Secundæ à Nicolao V. obtinuit, qui illum à Portuenſi disiunxit. Portuenſem enim Franciſco Condulmerio, alium SS. Rufinæ, & Secundæ Ioanni Kemp dedit ea conditione, vt illorum Epiſcoporum altero defuncto, duo illi Epiſcopatus in ſuperſtitem iterum coirent; Cardinalis Kemp Condulmerio quidem ſuperſtes fuit, non tamen Epiſcopatui Portuenſi vnquam præfuit. Vir ſuo ſeculo pietatis, & doctrinæ titulis celebris obijt Cantuariæ die 22. Martij anno ex auctore de Antiquitate Eccleſiæ Britannicæ 1455. ſeu ex alijs 1454. vel ex Ciaconio anno 1456. & ſepultus in Eccleſia principe Cantuarienſi.

Quædam eruditionis, & ingenij ſui literarum monumenta poſt ſe reliquit, vt vult Polidorus Virgilius.

Negant aliqui recentiores Angliæ ſcriptores Ioannem hunc tot rexiſſe in Anglia Eccleſias, quot ſupra recenſuimus, illarum tribus tantum præfuiſſe narrant, quarum tamen nomina non referunt; quare de illo Anonymus Poeta ſcripſit.

Bis Primas, ter Præſes, & bis Cardine functus.

Ciaconius. Arſpheldius. Piſſeus. Polidorus Virgil. in Hiſt. Anglicana. Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciaconiũ. Aubery in vita. Felix Cõtelorius in Elencho.

VII.



NICOLAVS de Acciapacio natione Italus, patria Surrentinus, Surrentum Campaniæ oppidum eſt, Decretorum Doctor, ex Tropienſi Epiſcopo Surrentinus primò, mox Capuanus Præſul renunciatus, demum ab Eugenio IV. in Presbyterorum Cardinalium numerum eſt adſcriptus titulo S. Marcelli, & vulgo dictus Cardinalis Capuanus. Hunc Alphonſo Neapolis Regi grauem fuiſſe inimicum ſcribit Panormita, Rhenato enim Andegauenſi adhæſerat contra Alphonſum. Is Florentiæ cum eſſet, ac Neapolim cum exercitu Franciſcus Sfortia aduentaret, & ideò aliqui dicerent, iam Alphonſo Regi cum Rhenato negocium fore, reſpondit: Imò mehercule intelliget nunc Sfortia, cum alio ſibi, quam cum Philippo Maria rem [illegible]. Rex, cum hæc quidam ei retuliſſet, ſi mei omnes, inquit, ita de me ſentirent, vt inimicus hic & ſentit, & prædicat, bello me certè nequaquam laceſſerent. Perduellis itaque habitus à Rege electo Rhenato, Nicolaus Capuæ Archiepiſcopatum, alioſque Eccleſiaſticos redditus, quos in Regno obtinebat, amiſit, ſed omnia idem poſtea Rex ei reſtituit, vt ex veteribus monumẽtis, quæ in Diui Laurentij Auerſæ ſeruantur, refert Iulius Cæſar Capacius in hiſtoria Neapolitana. Ab ipſo Eugenio, qui illum Cardinalem renunciauerat, in gratiam, vt ferunt Alphonſi Regis, exilio quoque affectus eſt, ac licet Cardinales prece, & obſecratione humili ab illo in extremis laborante inſtantiſſimè petijſſent reuocationem Nicolai ab exilio, non obtinuerunt. Redijt tamen Romam poſt Eugenij obitum, magnoque populi, & Cleri applauſu exceptus interfuit exequijs; magni conſilij vir erat, ac multarum literarum, ætate tam & moribus maturus, quare multi Pontificatum illi auſpicabantur, ſed non quæ populi eſt opinio, eadem eſt Senatus; rarò vulgus cum ſapientibus ſentit. Suffragium pro Nicolao V. tulit, & poſt illius electionem ſtatim in morbum incidit, atque Eugenium paulò poſt, die ſcilicet 3. Aprilis anni 1447. ſecutus eſt, ac ſepultus ad ſanctum Petrum. Romæ prope Templum ſanctæ Mariæ in via Lata palatium extruxit, quòd hodie retinent Aldobrandinorum hæredes.

Ciaconius. Panuinius. Aubery in vita. Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciaconiũ. Aeneas Syluius in narratione ſuæ legationis. Felix Cõtelorius in Elencho. Pet. Mat. Turrig. de Crypt. Vaticanis.

Ciaconius
Panuinius
Io. Chenu in Chronol. Epiſc. Galliæ.
Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana.
Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciaconiũ.
Pet. Friſõ. in Gallia Purpur.
Aubery in vita.

VIII.



LVDOVICVS de Lucemburgo, quem alij de Bar vocant, huius Ioannis Lucemburgij, Domini de Beaureuoir, & Mariæ Anguianæ, frater Petri Comitis, & Domini paternorum municipiorum, & Ioannis magni copiarum Ducis, præfuit Lutetiæ Cameræ Regiæ, & Cancellarij munere functus eſt ſub Henrico V. Angliæ Rege Galliam occupante, & affuit filio eius Henrico coronãdo à Cardinale Vinceſtrienſi in Aede Metropolitana Pariſienſi. Deinde Morinenſis Epiſcopatus geſſit lituum, & interfuit Concilio Baſileenſi, demum Rothomagenſis creatus Archipræſul anno reparatæ ſalutis 1436. Hunc Eugenius Florentiæ in Synodo Presbyterum Cardinalem titulo SS. Quatuor Coronatorum nominauit anno 1439. E viuis in Anglia, & non in Gallia ſublatus anno 1443. die 4. Octobris, & iacet in Elienſi Eccleſia, cuius Epiſcopatu fuerat donatus.

Felix Cõtelor. in Elencho.
Ferdinãd. Vghel. in Ital. ſac.
Pet. Friſõ. loc. cit.

Ludouicum hunc Ciaconius, ſed qua ratione ductus, non video, contendit vocandum Ludouicum de Bar, & falsò vocari Ludouicum de Lucemburgo; ſed à ſcriptoribus Gallicis, atque in Eugenij Quarti, Diplomate dato anno 1442. Ludouicus non de Bar, ſed de Lucemburgo nominatur. Scribunt aliqui anno 1442. ex Presbytero Cardinale renunciatum ab eodem Eugenio fuiſſe Epiſcopum Toſculanum; imò Frizonius, qui in eadem ſententia eſt, relicto titulo SS. Quatuor Coronatorum, illum SS. Petri, & Marcellini ante Epiſcopatum Tuſculanum obtinuiſſe affirmat. Nullam tamen huiuſce mutationis memoriam ſe inueniſſe in Vaticanis monumentis Felix Contelorius teſtatus eſt, fides igitur ſit penes illos.

Scutum huiuſce Cardinalis argenteum, leone muricato corona, lingua, faculis aureis, decuſſata cauda expreſſum; aliud omnino ab hoc, illi Ciaconius olim tribuerat.

Ciaconius
Panuinius

IX.



ISIDORVS Theſſalonicenſis, monachus S. Baſilij, & Abbas S. Demetrij Conſtantinopolitani, Archiepiſcopus Ruthenorum cum Beſſarione ad Concilium Florentinum cum veniſſet, ac vtriuſque virtus, & pietas non modò ipſi Pontifici Romano, ſed toti Concilio etiã maximè probaretur, ab Eugenio IV. Florentiæ in ipſo Concilio adſcriptus eſt Presbyteris Cardinalibus titulo SS. Petri, & Marcellini. Refert Alexander Guagninus Veronenſis in ſua Sarmatiæ Europeæ Deſcriptione, vbi de Ruthenorum, Moſcouitarum, aliorumque eiuſdem Sarmatiæ populorum moribus, & religione agit, Iſidorum Cardinalem, poſtquam in Synodo Florentina Eccleſias Ruthenicas, abiectis Græcorum ritibus, cum Romana Eccleſia vniuiſſet, Pontificis iuſſu in Ruſſiam reuerſum, ibique cum propoſitum ſuum, & rem iam concluſam proponeret, eoſque ex verbo Dei ad vnitatem, & concordiam fidei inſtrueret, captum, & omnibus bonis ſpoliatum in carcerem coniectum eſſe. Fuere namque ij populi, ex quo ſemel ritus, & errores Græcorum imbiberunt, adeo eorum tenaces obſeruatores, vt nullis ceterorum græciſmi profeſſorum ceſſerint, multis etiam præceſſerint. Adeo etiam, vt ſcribit Gobellinus, vel Pius Papa II. in ſuis Commentarijs, cum Eugenius miſiſſet ex Hungaria viros Religioſos, qui prædicarent fidem Chriſtianam, alijs populis regionem quandam vltra Tanaim incolentibus, qui Deos more Gentilium, & Idola colerent, rituque propemodum ferino vitam agerent, interiacentes Ruthenos tranſitum vetaſſe, perire potiùs in errore Idololatras volentes, quàm Romanæ ritum Eccleſiæ ad eos deferri. Non ſic tamen Rutheni, qui Regni Poloniæ finibus continebantur; hos enim tradunt, eiuſdem Iſidori ſollicitudine, & Vladiſlai Regis beneficentia, ac priuilegijs definitionem Florentinam ſuſcepiſſe, ac multo tempore retinuiſſe.

Henricus Spondan. in Annal. Eccleſiaſt.

De Iſidori verò Cardinalis vitæ periculo, alijſque ærumnis apud Ruthenos diſtinctius agens Michouius ait, eum anno 1440. in Ruſſiam miſſum vnà cum Diplomatibus Apoſtolicis plumbeis, & Imperatoris Conſtantinopolitani aureis intraſſe in Sandech oppidum Poloniæ feria ſexta Paraſceues, ibique per Sbigneum Epiſcopum Cracouienſem hoſpitio fuiſſe receptum, & ad celebrandum diuina more ſuo Græco, tanquam Eccleſiæ Romanæ reunitum admiſſum. Vnionem tamen illam Eccleſiæ Latinæ, & Græcæ breuiuſculè durasse, Græcis, & Ruthenis illam irridentibus, & contemnentibus; atque inde dum Iſidorus Cardinalis ad ſuos Suffraganeos in Ruſſiam, & Moſcham veniſset, & illam vnionem eis prædicaret, per Principes Moſchæ captum, & in carcere recluſum omnibus rebus ſpoliatum fuiſse; de hac tamen captiuitate, fauente Deo fuga euaſiſſe, & Romam reuertiſse cõſtat. Vnde poſtea ab ipſo Eugenio Conſtantinopolim ad Imperatorem miſſus Legatus, vt concordiam, & Chriſtianæ fidei fœdus, quam Græci cum Latina Eccleſia Florentię ſemel profeſſi erant, ſua adhortatione præſentiaque ſartam tectam ſeruaret. Mortuo Eugenio, ſub Nicolao V. eodem munere fungens ibi permanſit, vnitati illi ſeruãdæ operam omnem adhibens. At cum Græci nihilominus in perfidiam, atque hæreſim leuiſſimè iterum relapſi fuiſsent, certiſſima Dei optimi prouida vindicta factum eſt, vt non multo poſt, die Spiritui ſancto ſacra, cuius per ſummam impietatem proceſſionem ex Patre, & Filio impugnauerant, validiſſimo Turcæ ſuccincti exercitu, Conſtantinopolim Orientalis Imperij caput, ac ſedem expugnarent, & captam vſque ad internecionem barbara immanitate vaſtarent. In qua calamitate Cardinalis cum iacente cadauere per tumultum veſtibus commutatis, cladi ſeſe proripuit, ſed qui emendito cultu mortem effugerat, haud pari felicitate ſeruitutem euaſit, ſiquidem captus eſt, atque in ſeruitutem abductus. Inter ea cadauer, quòd purpuratum Eccleſię Senatorem mentiebatur, qui deſideratorum numerum inibant, & explorabant, ingenti elati gaudio reperierunt, & eiuſdem præciſum caput roſeo pileo protectum haſtæ infigunt, perque compita, plateas, & vias captæ ciuitatis deportant, illud eſſe caput Cardinalis Rutheni præcone clamante; interim viuus ille apud Turcarum Principem ſordidis miniſterijs deſtinatus latebat. Qua ſeruitute trecentis aſperis tandem ſe exoluit, ac tranſuerſo curſu Romã peruenit, vbi vſque ad annum 1463. vitam produxit. Ibi à Nicolao V. Eugenij ſucceſſore 7. Idus Februarij anni 1452. dictus eſt Epiſcopus Sabinenſis, & Commendator Eccleſiæ S. Agathæ, & Epiſcopatus Corinenſis ſiue Ficodenſis: rexit Epiſcopatum Corphienſem, Nicaſienſem, & Pij II. iuſſu Patriarchatum Conſtantinopolitanum.

Ferdinãd. Vghel. in Ital. ſacra.
Andr. Victorell. in Addit. ad Ciaconiũ.
Aeneas Syluius in Commẽt.
Hier. Giamberti.
Felix Cõtelorius in Elencho.

Tandem ſub Pio II. Romæ non die 8. Martij, anni 1464. vt ſcripſere cum Ciaconio alij quamplures; ſed ex libro Diuiſionum in Vaticana Bibliotheca ſeruato, die 27. Aprilis anni 1463. naturæ debitum ſoluit, & apud ſanctum Petrum in Vaticano conditus.

Scripſit de Capta Conſtantinopoli, & Negroponte.

Diſputationes item aliquot Concilij Florentini Actis interſperſæ leguntur.

Nomencl. Cardinal.
Hippol. Marrac. in Bibl. Mariana.

Græcè edidit in Natiuitatem B. Virginis Orationem vnam.

Alteram in Præſentationem eiuſdem.

Aliam in Annunciationem.

Quartam in Aſſumptionem eiuſdem.

Has in Latinam vertit linguam Ioannes Matthæus Caryophilus Cretenſis Archiepiſcopus Iconienſis, ſed nondum prodierunt in lucem.

A Nicolao V. Cardinalem Ruthenum Legati honore auctum Conſtantinopolim miſſum, vt Græcos ad agnoſcendum Eccleſiæ Romanæ Primatum induceret, in Chronico Magno Belgico narratum, & Cardinalem ſanguinem fundere voluiſſe, capta à Turcis Conſtantinopoli, ſed coactum à ſeruo in Templum ſe recepiſſe, captum deinde a Turcis, ſed redemptum poſtea Romam veniſſe. Scribit autem illius Chronici auctor ſe ex Henrico Zomereu Theologo collegiſſe, quæ de illo memoriæ prodidit. Georgius Franza Protoueſtiarius Græcus illius æui ſcriptor hæc de eodem, quæ exſcribo, quoniam hiſtoriæ lucem afferunt. *Cardinalis Ruſſiæ, & ego cum venerando, & beatæ memoriæ Domino meo Imperatore de eo in Patriarchatum Conſtantinopolitanum aſciſcẽdo agerem; tum enim Papam illius temporis eius auctoritate ad ſubſidium mittendum commouere poſſe, multa diſputatione, ſermone, & conſultationibus habitis, idem Cardinalis Domino meo vnum ex duobus omnino futurum oſtendit: Sibi namque Patriarcha creato, neceſſario fere omnes obedire, aut diſſidia, diſſenſioneſque inter ipſum, & rebelles exſtitere; interea ſi nobis foris bellum inferretur, & haberemus etiam bellum intus, quantum eſſet hoc mali? memoriam autem Papam ſacris hac neceſſitate noſtra propter ſpem auxilij fieri placuit.* Iacobus Pontanus Societatis Ieſu in notis ad hunc locum ait, Georgium Iſidoro Cardinali Rutheno locutum, & cum à ſuis pulſum, ac Romam reuerſum, à Nicolao V. Conſtantinopolim ad res denuo componendas Legatum miſſum, idque præſtitiſſe. Reconciliationem autem nimis ſeram fuiſſe, illum verò captum Galatiam ductum, ac venditum ignotum in Peloponneſum, cognitum nunquam eò peruenturum, euaſiſſe: de qua re Laonicus Chalcondilas. *In hac rerum turba miſerabili captus eſt Cardinalis Iſidorus Sarmatarum Antiſtes, qui ductus in Galatiam Vrbem venditus eſt, & conſcenſa naui profugit in Peloponneſum. Si Rex Turcarum virum hunc nouiſſet, videlicet quod Cardinalis eſſet, certe eum interfeciſſet; cum eum inter ceteros occiſum putaret, nullam eius rationem habebat.* Tertius poſt Imperatorem Græcorum Concilio Florentino his verbis pro Antiocheno Patriarcha ſubſcripſit. *Iſidorus Metropolita Kiouienſis totiuſque Ruſſiæ, & locum tenens Apoſtolicæ ſedis ſanctiſſimi Patriarchæ Antiocheni Domini Dorothei ſatis habens ſubſcripſi.* In eadem Synodo pluries Iſidori mentio fit; ſeſſione 25. cum age-

Andr. Victorell. in Addit. ad Ciaconiũ.

retur de

tetur de proceſſione Spiritus ſancti, is ante Beſſarionem dixit. *Dicamus Spiritus ſancti proceſſionem Filio quoque tribui non ſolum a patribus Occidentalibus, ſed etia Orientalibus: qua propter æquum eſt, vt Sanctos noſtros ſequentes cum Romana Eccleſia coniungamur.* Erat autem Iſidorus Græcorum Theologia in doctus, & in dicendo apprime grauis facundiam illius tanquam ex vngue leonẽ, ex epiſtola, qua in Thracia Byzantij direptionem, & luctuoſum funus luxit, Paulus Corteſius de Cardinalatu perſpectam habuit.

Ped. Pedone in hiſt. famil. Fliſcæ.
Ciaconius
Panuinius
Aubery in vita.
Carol. Carthaius in Syllab. Aduocat. Cõſiſtorial.
Mariſ. de Genua d in Sãctuario Genuenſi.



X.

GEORGIVS Fliſcus, nobilis Genuenſis, ex Comitibus Lauagnæ, filius Hectoris, Sauignoni Domini, Marianenſem primò in Corſica Epiſcopatum, deinde Eccleſiam Ianuenſem anno 1436. & in gratiam Thomę Fregoſi Ducis Reipublicæ Genueſis purpuram ab Eugenio IV. obtinuit; nam anno 1439. inter Presbyteros Cardinales titulo S. Anaſtaſiæ cooptatus eſt. Interfuit Comitijs, in quibus renunciati ſunt Romani Pontifices Nicolaus V. Calliſtus III. & Pius II. præfuit Nicolai V. iuſſu ab anno 1453. vſque ad obitum Eccleſiæ Oſtienſi, & Veliternenſi; legationis munere functus eſt in Liguria. Romæ ſacri Collegij Decanus deceſſit non anno 1481. ſed ex ſepulchrali Inſcriptione die xj. Octobris anni 1461. eius poſtea corpus Genuam tranſlatum, ac tumulatum in Cathedrali in pernobili ſepulchro cum ſequenti Epitaphio.

Ferdinãd. Vghel. in Ital. ſac.
Felix Cõtelor. in Elencho.
Nomencl. Cardinal.

SEPVLCHRVM REVERENDISSIMI DOMINI D. GEORGII
EPISCOPI OSTIENSIS CARDINALIS FLISCI
ARCHIEPISCOPI AC PROVINCIAE GENVENSIS LEGATI
QVI OBIIT ANNO MCCCCLXI. DIE XI. OCTOBRIS.

Ferdinãd. Vghel. in Ital. ſac.

Naulenſem Eccleſiam anno 1447 commendatam habuit, & poſt exceſſum Matthæi de Coretin, anno ſcilicet 1448. Albingauenſem, primam anno 1448. alteram anno 1459. Neapoleoni Fliſco ceſſit, & reſignauit.

Ciaconius
Panuinius
Andr. Victorell. in Addit. ad Ciaconiũ
Andr. Barbat. de preſſ. Cardinal.
Paul. Corteſius de Cardinal.
Philelph. in Epiſt.
Aeneas Sylu. in ſuis Commẽt.
Card. Papienſ. in Epiſtolis.



XI.

BESSARION natione Græcus, patria Trapezuntius, monachus S. Baſilij, ante monachatum Baſilius dictus, à puero operam dedit literis primò in patria, deinde in Vrbe Conſtantinopolitana, ſcientiarum tunc temporis matre, ſub diſciplina Georgij Gemiſti Plethonis Conſtantinopolitani. Vir quo nemo ſuorum æqualium Chriſtiana pietate ſpectabilior, nemo admirabilior doctrina, nemo denique generoſis moribus ornatior. Archiepiſcopus Nicenus primò renũciatus ad Synodum Florentinam acceſſit, in qua ab Eugenio IV. Presbyteris Cardinalibus titulo ſanctorum XII. Apoſtolorum adſcriptus; à Nicolao verò V. Epiſcopus Sabinenſis primò, mox Tuſculanus dictus, Patriarchatum Conſtantinopolitanum, & Eccleſiam Pampilonenſem rexit. Interfuit Concilio Ferrarienſi, & Florentino; & in prima ſeſſione Ferrarienſis habita die octauo menſis Octobris anni 1438. in Sacello palatij; cum enim Eugenius Pontifex podagra laboraret, Epiſcopalem Eccleſiam, vbi Synodus fuerat indicta, adire non poterat, Beſſarion Nicenus facundiſſimus Orator, ætate adhuc iuuenis, ſed doctrina, & grauitate venerabilis, accepta prius ab Imperatore, & Patriarcha dicendi facultate; poſt profundam incuruationem orationem habuit luculentiſſimam, quæ extat in Actis, qua exultans de hac die, quam feciſſet Dominus pro vnione totius Eccleſiæ, ſanctiſſimam Trinitatem, ac ſingulas eius Perſonas laudauit, & inuocauit, ac Pontificem, Imperatorem, Patriarcham, & vniuerſum cœtum pariter laudans de ſancto omnium deſiderio, hortatus eſt ad conſtantiam, & perſeuerantiam, vſque ad ſuſceptæ rei conſummationem. Deinde in Florentino contra Marcum Epheſinum, qui Latinos hæreſis accuſabat ob additionem vocis *Filioque* Beſſarion pro Spiritus à Filio proceſſione fortiter agens, & hanc Sanctorum etiam Patrum Grecorum doctrinam eſſe confirmans, qui ſanè nec fuiſſent, nec dici poſſent Hæretici. Habuit inſuper ad ſuos Græcos elegantiſſimam, & admodum prolixam orationem dogmaticam in decem capita diſtinctam pro vnione facienda, qua in primis de cauſis Schiſmatis agens docuit tametſi ante generale Concilium aliqua Græcis de ſua à Latinis diuiſione excuſatio fuiſſet; nunc tamen celebrato Concilio œcumenico non poſſe ipſos abſque ſcelere diuidi ab eis, niſi eos à veritate deuiare probarent. Neceſſe eſſe tam Occidentales, quàm Orientales Doctores inuicem eſſe concordes; & quamuis nulla omnino eſſet in propoſita quæſtione Doctorum contradictio, ſi tamen aliqua appareret, conandũ magis eſſe eos conciliare, quàm erroris accuſare, ac ſibi potiùs ignorantiæ culpam imputare, quam illos credere diſcordare. Ad intelligentiam illorum Doctorum, qui obſcuriùs locuti eſſent, vtendum illis, qui clariùs loquerentur: ipſos Orientales Doctores idem cum Occidentalibus de proceſſione Spiritus ſancti ſentire, manifeſtè intelligi ex ſolis præpoſitionibus *per*, & *ex*, quibus vſi ſunt ad eam exprimendam, cum partim dixerunt, Spiritum ſanctum ex Patre per Filium, partim ex Patre, & Filio procedere. Quibus ſi addatur omnium Patrum Occidentalium probatiſſima aſſertio de proceſſione ex vtroque, & ita ex Filio, ſicut ex Patre, & principium Spiritus Filium eſſe ſicut ipſum Patrem; & vnum & idem eius principium eſſe Patrem, & Filium ſimul, non duo principia. Futiles eſſe obiectiones de corruptis per Latinos codicibus Patrum, qui prædicta teſtentur. Nec minus in hac quæſtione verba *mitti, profluere, prodire, emanare, ſcaturire, oriri*, & alia huiuſmodi, quibus Græci vtuntur, quàm *procedere* ſignificare; nec denique alias, quas Græci comminiſcuntur, euaſiones vllius eſſe momenti. Nihil ampliùs reſtare, quam vt perfecta fieret vnio Eccleſiæ, ad quam eos magno affectu, & efficaciſſimis rationibus hortatus eſt, nè ſi Schiſma continuaretur, animarum ſimul & corporum interitum paterentur. Auctor igitur huiuſce vnionis Eccleſiæ Græcæ cum Latina ab omnibus meritò habitus eſt Beſſarion.

Henricus Spondan. in Annal. Eccleſiaſt.

Qui poſt adeptam Purpuram Germanica legatione functus, Fredericum, ac Sigiſmundum Cæſares fratres periculoſa ſeditione laborantes coniunxit; quòd adeo feliciter, cumulatèque præſtitit, vt non modò inter vtrunque fœdus pacis dicatur ſanxiſſe, ſed etiam conſociatis armis, animiſque armaſſe in Turcas. Apud quos, cum iam inſtructis aciebus ad certandum ſtarent, tantùm valuit auctoritate, & facundia, vt ambæ partes ſedato omni tumultu, & pace inter ſe inita, ab armis & cæde diſcederent. Sub Pio II. ad Principes Chriſtianos miſſus eos conciliauit, & fœdere ad bellum cõtra Turcas vniuit: triremem contra Turcas ære ſuo inſtruxit, & Anconam ad Pium perduxit. A Venetis Legatus Apoſtolicus Bucentauro cum magno honore exceptus, in S. Marci platea miro ardore animi ſacrum bellum ſuaſit, ac vulgauit, ita vt ad eius eloquentiam plerique æſtuarent ad prælium. In hac legatione Iudex conſtitutus de corpore S. Lucæ Euangeliſtæ, quòd in æde S. Iuſtinæ quieſcere Benedictini monachi affirmabant. Plures illius Vrbis Eccleſias ſacris donis affecit, in illarum vna hodie quoque eius munificentiæ extat hæc memoria.

Robertus Bellarm. de Script. Eccleſ.

Si quando fratres oculos huc adieceritis,
BESSARIONIS CARDINALIS memoriam
piè colere ne grauemini, qui Maiorum veſtrorum in ſe animum, atque obſeruantiam grate reputans, Ligno Crucis ſanctiſſimo, Seruatoris Chriſti Tunica, multiſque præterea religioſiſſimis, ac pretioſiſſimis muneribus ſe ipſum priuans, ijs ſacrarum Veſtium, & vetuſtate, & ſanctimonia apud omnes clarum, viuẽs perpetuò donauit.

Vrſati Iuſtiniani claſſis Imperatoris Vexillo benedixit, eidemque cum imperio abeunti more maiorum ſolemni ceremonia de Turc victoriam precatus eſt. Mox Religioſorum pompam per Vrbem Venetiarum duxit, decimas, vigeſimas, ac trigeſimas impoſuit, & plenarias Indulgentias publicauit his, qui ſanctam expeditionem aut ære, aut manibus adiuuarent.

Poſt obitum Dominici Capranicæ Cardinalis ordinis Minorum Protectoris, rogauit Miniſter generalis Calliſtum III. Romanum Pontificem alium ſubſtitui, accepit die decima Septembris anno reparatæ ſalutis 1458. Beſſarionem Trapezuntium Cardinalem, qui ſummo ſtudio inuigilauit ordinis incremento, & regularem obſeruantiam ſemper promouit.

Luc. Vvading. in Annal. Minorum.

Rauennæ Exarchatum, & Bononiam nobiliſſimam Italiæ ciuitatem, ac ſtudiorum matrem inflexibili iuſtitia, & æquitate Legatus adminiſtrauit. Academiam illam nobiliorum artium ſtudioſissimus domicilium in priſtinam dignitatem reſtituit, nobilibus illic artibus reuocatis, quæ iam inde ob ciuiles diſcordias, & armorum tumultus cœperant exulare. Dominium Eccleſiæ, & auctoritatem ſedis Apoſtolicæ in ea maximè ſtabiliuit, ac totis viribus Vrbem illam in Eccleſiæ fidem reduxit, Tyranno Bentiuolo perturbatore repreſſo, & fugato. In æde Bononienſi Seruorum B. Mariæ hæc legitur de Beſſarione memoria.

Aubery in vita.
Felix Cõtelorius in Elencho.
Paul. Iouius in Elogijs.
Aur. Sand. in elogijs Cardin.
Henricus Albi in elog. Card.
Lauren. Schrader. de monumentis Italiæ.

BESSARIONI EPISCOPO TVSCVLANO
CARDINALI NICENO
BENEFACTORI NOSTRO.

Apud Regem Angliæ, Ducem Burgundiæ, & demum in Gallijs

pro defen-

pro defenſione fidei Catholicæ contra Turcas Legati Apoſtolici munere functus eſt. Cardinalis Papienſis cognoſcens Beſſarionem apud Pontificem neceſſarium, eiuſque auctoritatem in Gallia magnam eſſe, ſcripſit: *Si mittitur Nicenus, quis hic reliquus erit? ſi non mittitur, quis alter mittetur?* In hac legatione tamen à Ludouico huius nominis Vndecimo Galliarum Rege parum honorificè exceptus, fraudis, ac perfidiæ facetè perſtrictus eſt, cum his illum ſalibus, contrectata blandè eius barba, quam promiſſam, & pexam ad delicias gerebat, ex porrecto ad mimicam hilaritatem vultu, ac pronunciato hoc verſu apud Grammaticos trito, ac decantato aſperſit.

Barbara Græca genus retinent quod habere ſolebant.

Innuere quippe, vt erat politulus, & acutulus ingenio Rex voluit, quod barbarorum Græcorum nominum exemplo, quæ idem apud Latinos, quòd apud Græcos genus retinerent, pariter ipſe homo Græcus Græcam fidem, lubricam ſcilicet ſuſpectamque haberet; cuius proinde dicta, ac promiſſa floccipenderet. Ob quæ Beſſarion ingenti contracto mœrore, infecta re è Gallia Romam verſus diſceſſit, in itinere Rauennæ morbo correptus, de Eccleſia Romana, & Græca optimè meritus, omnium ingenti mœrore, anno ætatis ſuæ 77. deceſſit die 18. Nouembris anno 1472. ſeu ex alijs die 14. Decembris anni 1473. Eius corpus Romam delatum, poſt exequias illi celebratas, quibus interfuit Xiſtus IV. Romanus Pontifex, in ſacello à ſe conſtructo in Eccleſia SS. Apoſtolorum honorificè, Baptiſta Platina in eius funere orante, conditum eſt cum hoc Epitaphio.

Peña Cōtelorius in Ciacon.
Ciaconius
Aubery in Vita.

ΤΟΥΤ' ΕΤΙ. ΒΗΣΣΑΡΙΩΝ
ΖΩ͂Ν. ΑΝΥΣΑ. ΣΩΜΑΤΙ.
ΣΗ͂ΜΑ.
ΠΝΕΥ͂ΜΑ ΔΕ ΦΕΥΞΕΙΤΑΙ.
ΠΡΟΣ ΘΕΟΝ ΑΘΑΝΑΤΟΝ.

Beſſarion feci hunc tumulum, qui conderet oſſa,
Venerat vnde olim ſpiritus aſtra petit.

BESSARIO EPISCOPVS TVSCVLANVS
SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE CARDINALIS
PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANVS
NOBILI GRAECIA ORTVS ORIVNDVSQVE
SIBI VIVENS POSVIT
ANNO SALVTIS MCCCCLXVI.

Nomencl. Cardinal.

Extant apud Iouium aliæ duæ Beſſarionis Inſcriptiones ſepulchrales, & ſunt.

Maiorani.

Viuens adhuc feci hoc ſepulchrum corpori
BESSARION ad Deum remittens ſpiritum:
Me docta genuit Græcia, at honores dedit
Vrbs Roma, quæ mihi perpetuò eſt patria.

Altera.

Iani Vitalis.

Non tibi ſit laudi ſanctum celebraſſe Platonem
Caſtaque Socratica fræna pudicitiæ:
Non quod virtutum exemplum, quod lumen honoris
Quod Sol extinctæ Religionis eras,
Verum quòd per te migrauit Græcia Romam
Et didicit Latios Attica Muſa ſonos,
Per te hanc Romanas miratur Tybris Athenas,
Argolicam, & Romam Græcia BESSARION.

Bibliothecam optimis Libris inſtructam moriens legauit Venetiis extat hac de re eiuſdem Beſſarionis epiſtola ad Ducem, & Senatum Venetiarum libro primo epiſtolarum ad Principes; & ne huiuſce doni memoria cum ſeculo periret, hanc inſcripſerunt Bibliothecæ memoriam.

BESSARIONIS CARDINALIS
ex Legato, Senatus iuſſu Procuratorum D. Marci cura Philippi Truno, Anton. Capell. And. Leono, Victor. Grimano, Ioan. à Lege hac Bibliotheca inſtructa, & erecta M. Antonio Triuiſano Principe, Anno ab Vrbe condita MCXXXIII.

Beſſarionem Eugenius IV. Nicolaus V. & Pius II. ſufficere ſibi exoptaſſent, ſi fas eſſet, vt in Elogio eius auctor eſt Iouius; neque optimè de Republica merito Senatorum ſtudia defuiſſent, ſed Paulo II. morte ſublato, in Comitijs fatalis caſus tantæ ſpei fortunam auertit. Ferunt enim tres ſummæ auctoritatis Cardinales cum, vt Pontificem ſalutarent, abditum in cella Conclauis adijſſent, nec admitterentur à Nicolao Perotto ianitore, quòd tum vir ineptus lucubranti parcendum diceret, vſque adeo ſtomachatos, vt ſeſe indignanter auertentes reſponderent. Ergo nec præſtanti nec roganti quidem ſumma dignitas erit inculcanda, vt cum è cœlo ſuffragia expectet, ſuperbis demum, ac ſtolidis ianitoribus pareamus? ac ſtatim ſuffragia alteri detuliſſe. Quo repente renunciato, adoratoque Beſſarion dixiſſe fertur; hæc tua Nicolæ intempeſtiua ſedulitas, & tiaram mihi, & tibi galerum eripuit. Rem tamen hanc aliter narrat Giraldus. Cum eſſet iam omnium ferè votis ſummus Pontifex deſignatus Beſſarion, nocte acceſſit ad eum Latinus Vrſinus inter Cardinales ampliſſimus, rogans eum, vt ſibi, & Vrſinæ familiæ vellet neſcio quæ priuilegia ſcripto confirmare; quòd ſi faceret, & ſua, & ſuorum amicorum Cardinalium ſuffragia, quæ vulgo vota vocantur, daret. Ille vt erat homo integerrimus, admodum ſeuerè reſpondit, ſi ea ipſa priuilegia maieſtatem Pontificiam, & honorem ſanctæ ſedis continerent, omnia facturum. Indignatus Latinus tali reſponſo, ſe, & ſuorum ſuffragia ad Fr. Franciſcum de Ruuere ordinis Minorum Cardinalem conuertit, qui ſequenti die renunciatus Romanus Pontifex, dictus eſt Xiſtus IV. Poſt obitum Nicolai V. Beſſarionem Cardinales Romanum Pontificem peroptauerant, ſed Cardinalis Auenionenſis opera Pontificatum amiſit; ſic enim Pius II. hiſtoriam narrat. *Cardinales peracto funere, de Succeſſore ſolliciti, ac Conclaue, vt moris eſt ingreſſi, varijs conſultationibus agitati ſunt; erat que admodum difficile duas Collegij partes in vnum conuenire, ſcrutinioque ſemel atque iterum incaſſum peracto collecti ſunt inter ſe aliqui extra locum ſcrutinij, Beſſarionemque Cardinalem Nicenum eligere decreuerunt, quod is omnium aptior ad Rempublicam gubernandam videretur, conueniebatque numerus in eum ſufficiens, nec dubium videbatur, quin ſequenti ſcrutinio Pontifex à duabus partibus eligeretur, eamque ad eum ſupplicationes deferebantur. Quod vbi ad aures alterius partis delatum eſt, Alanus Cardinalis Auenionenſis nunc iſtum, nunc illum circumiens; ergo, inquit, Eccleſiæ Latinæ Græcum Pontificem dabimus? & in capite libri neophitum collocabimus. Nondum barbam raſit Beſſarion, & Noſtrum caput erit? en paupertas Eccleſiæ Latinæ, quæ virum non reperit ſummo Apoſtolatu dignum, niſi ad Græcos recurrat; Sed agite Patres quodlibet, ego, & qui mihi credent, in Græcum Præſulem nunquam conſentiemus. Mouerunt ea verba nonnullos, adeo vt duæ partes Collegij nullo pacto ad Beſſarionem accederent. Qui cum vna nocte Pontifex conſtanti omnium opinione habitus eſſet, adueniente luce Cardinalem ſeſe reperit aliquanto minoris famæ, quam antea fuerat, vt his accidere ſolet, qui magna è ſpe ceciderunt.*

Habitabat Cardinalis ad radices montis Quirinalis, vnde in Vaticanum decoro maximè comitatu quotidie deduci ſolebat; in illo ſæpe Trapezuntius, Argyropilus, Philelphus, Blondus, Leonius, Aretinus, Poggius, Valla, Campanus, & Platina conſpecti ſunt, præter Theodorum Gazam, Plethonem, Andronicum Theſſalonicenſem, Domitium Calderinum, Nicolaum Perottum, & Valerium Viterbienſem, quos in famulatu habebat, vnde *Literarum Patronus* omnium voce dictus.

Scripſit aduerſus Marcum Epheſinum de Spiritu ſancto male ſentientem.

Iacobus Gaddi de ſcript. non Eccleſiaſt.

In illud Ioannis: *Sic eum volo manere.*

In Phyloſophię Platonicæ Laudem, libros quinque ad Gręcorum Imperatorem.

Nomencl. Cardinal.

De obitu Imperatricis Conſolationem libros tres.

De eo quòd per ſe ſubſiſtit, ad Plethonem, ſiue Gemiſtum, cuius diſcipulus fuerat.

In Calumniatorem Platonis libros quatuor.

De Natura, & Arte aduerſus Trapezuntium, an Natura & Ars conſultò agant.

De Euchariſtia, ſeu Cœna Dominica, vnà cum eiuſdem Apologia contra Georgium Polanum à Petro Arcudio Latinam factam.

Laudes Patriæ ſuæ, & Iſthmi libris duobus.

De Proceſſione Spiritus ſancti aduerſus Alexandrum Laſcarem.

Eruditam Trinitatis Explicationem.

Orationes de Bello aduerſus Turcas ſuſcipiendo.

Epiſtolas plures, & Carmina varia.

Contra Ariſtotelis ſequaces in defenſionem Platonis librú vnum.

De Vnitate Sermonum.

Ariſtotelis Metaphyſicorum libros 14.
Theophraſti Metaphyſices librum. } Latinis auribus dedit.
Xenophontem de factis, & dictis Socratis.

Huiuſce opera m. ss. Venetijs in inſigni Sereniſſimæ Reipublicæ Bibliotheca extare teſtatur in Apparatu ſacro, Antonius Poſſeuinus Societatis Ieſu; Viennæ Auſtriæ in Cæſaris Bibliotheca, eiuſdem Cardinalis librum m. s. de Euchariſtia, vnà cum Apologia de Proceſſione ſancti Spiritus, & cum Methodo cognoſcendi quot horis Luna fulgeat, cum erudita Explicatione Trinitatis, & Catholica Epiſtola ad Græcos.

Ipſe ex Gręcis primus in Concilio Florentino, in quo, vt diximus, conciliata fuit Græca cum Latina Eccleſia, confeſſus eſt articulum illum de proceſſione Spiritus ſancti ſimul à Patre, & Filio tot ſeculis inter Græcos dubium. Beatæ Roſæ Viterbienſis acta, Pontificis iuſſu diligentiſſimè excuſſit. Monaſterium Grottæ, ſeu Cryptæ Ferratæ, & maximam Eccleſiæ partem reſtaurauit, veſtibus ſacris, & va-

ſis aureis, & argenteis, alijſque ad diuinum cultum neceſſarijs rebus donans. Pius II. Abbatem Calabrum Cryptæ Ferratæ in Sicilia Archimandritam inſtituerat, & Cœnobium agri Tuſculani eiuſdem Cryptæ Beſſarioni Cardinali commendauerat, teſte Aenea Syluio in Commentarijs. Eo in loco Ciceronis villam fuiſſe, in quo Quæſtiones Tuſculanæ conſcriptæ, nonnulli dixere; id innuit Tuſculani proſopopœia Franciſcus Lucidus.

Exciſum quid ego Xiſtum, quid mœſta ruinam
Porticus ingentis Tuſcula Villa querar?
Sit fas, vel magnum Ciceronem odiſſe colonum,
Dum tactem Dominum Beſſariona meum.

Hippolit. Marrac in Purp. mar.

Inter alia propenſæ ſuæ erga Deiparam Virginem voluntatis teſtimonia, præter Monaſterium S. Mariæ Cryptæ Ferratæ prope Tuſculanum, agri Bononiæ etiam in Eccleſia S. Mariæ in Monte multa conſtruxit, atque ibi ante Deiparæ Virginis imaginem, ſe poſitis genibus orantem pictoris egregij manu exprimendum curauit.

Laudatur Beſſario ab Andrea Barbatia, à Paulo Corteſio, à Philelpho, à Cardinali Papienſi, à Pio II. & à Campano hoc carmine.

Nonne vides quantus nobis ſit Deus alter, & omnis
Tempore, cumque ſuo pariter victurus Homero
BESSARIO, cuius ſub pectore totus Apollo eſt,
Quem tulit, vt fieret priſcis celebratior ætas
Noſtra, nec à magno vincamur, vt ante Platone.

De præſt. Cardin. — De Cardinalatu. — In Epiſtolis. — In Commẽtarijs.

Laudatur à Cardinali Bellarmino de Scriptoribus Eccleſiaſticis; à Famiano Strada in nobili volumine Prolusionum Academicarum, vir ſanctimonia æquè, ac literis memorabilis dicitur. Alius quiſquis fuit, bellè de illo cecinit.

Græcia mè genuit, fouit Italis ora, Galero
Roma colit, vita ſum Numa, & arte Plato.

Tantos breui tempore Beſſarionem in Latinè loquendi, & ſcribendi facultate progreſſus feciſſe ſcribit Cardinalis Papienſis, vt inter Latini ſermonis peritiſſimos numeraretur. In Conſiſtorio quicquid in re propoſita optimum erat, ita exprimebat, vt poſt ſe dicturis nihil relinqueret, & Patres in eius ſententiam, vt plurimùm irent, probarent quòd probaret, damnarent, quòd damnaſſet. Diem integrum eum ibi loquentem Cardinalis Papienſis ſine faſtidio audiuiſſet, ita ſemper habebat, texebat, aptè, ornatèque dicebat, quòd animum iuuabat.

Michael Apoſtolicus Byzantius funebri Græcè ſcripta Oratione nondum cuſa, quam Andreas Victorellus in Additionibus ad Ciaconium à Leone Allatio Latinitate donatam ſe vidiſſe fatetur, Beſſarionem laudauit. Extabat prætetea olim eiuſdem Beſſarionis Vita Græce m. s. apud Cardinalem S. Suſannæ.

Pius II. in Commentarijs.

Beſſarion, Alexander Oliua, & Franciſcus Senenſis Eccleſię Adminiſtrator miſſi Legati Narniam à Pio II. vt S. Andreæ Apoſtoli caput inde ad pontem Miluium deferrent; cum in Baſilicam Vaticanam delatum fuit, Beſſarion elegantem, piumque ſermonem habuit. Cum idem Pius in mortis agone Cardinales allocutus fuiſſet, Beſſarion pro omnibus reſpondit: & indoluit caſum, in quem erat adductus, non ſui tantùm cauſa, quem lacrymabile erat deficere, ſed magis Chriſtiani populi, qui tantùm ſalutis auctorem amitteret. Laudauit Pontificem, & præclara eius in Præſulatu opera, agens identidem gratias, quòd etiam ſuprema hora ſalutaribus monitis communem rem adiuuaret. Orare ſe Deum dixit Patrem miſericordiarum, vt ſic affecto, & iacenti ſalutem tribueret; verùm ſi propter peccata ſuperſtitis populi eſſet migrandum, manſura in animis noſtris ſancta eius præcepta, ac daturos operam filios, vt nec publicæ res Chriſtianorum, neue priuatæ Romanæ Eccleſiæ detrimentum acciperent. Quam autem veniam popoſciſſet, humilitatis ſuæ, non erratorum eſſe confeſſionem: benignè omnes, atque indulgentes habitos ſemper, nec querelam aduerſus eum extare. Suorum quoque quos commendaſſet, gratam apud omnes futuram memoriam dixit, docens quàm charus eſſe deberet, vel ſanguis, vel contubernium eius, qui tantùm de Chriſtianis, & de Romana ſede meritus eſſet. Poſtulare autem ſingulos fratrum, vt poſtremum, piumque benedictionis ſuæ munus manſuris relinqueret: ad hæc Pontifex eleuata manu fratribus benedicens, eos dimiſit.

Iacob. Papienſ. in Commentarijs.

Poſt Calliſti III. obitum in Conclaui Cardinali Rothomagenſi fauebat, ſed renunciato Pio II. Beſſarion ſuo, & eorum nomine, qui Rothomagenſi adhæſerant, ante illius pedes prouolutus, hæc protulit verba. *Laudamus Pontifex maxime tuam aſſumptionem, quam ex Deo eſſe non dubitamus: & ſanè dignum te hoc munere, & cenſuimus antea, & nunc cenſemus. Quod autem te non elegimus; id fecit ægritudo tua; nam cum pedibus ægrotares, hoc tantum ſufficientiæ tuæ deeſſe putauimus: eſt enim Eccleſia egens viro actiuo, qui poſſit itineribus corporis exerceri, & imminentibus periculis occurrere, quæ à Turcis formidamus; tu contra quietis eges. Hoc nos ad Rothomagenſem traxit; quod ſi fuiſſes corpore validus, nullus erat, quem tibi præferendum exiſtimaremus. At cum Deo placuerit, & nobis placet; nos te Pontificem veneramur, & denuo quantum in nobis eſt, eligimus, tibique fideliter ſeruiemus.*

XII.



Ciaconius. — Ferdinād Vghell. in Addit. ad Ciacon. & in Ital. ſacra. — Panuinius. — Aubery in vita. — Tabulæ Epiſcop. Laudenſiũ. — Bened. Iouius in ſuo Catal. Epiſc. Comenſium. — Franc. Ballarin. in ſua Hiſt. Comenſ.

GERARDVS Landrianus de Capitaneis, natione Italus, patria Mediolanenſis, Canonicus Eccleſię ſanctę Trinitatis Papienſis, à Martino V. Romano Pontifice Laudenſem Eccleſiam, Laus enim Pompeia nobilis Ciuitas ad ripam Adæ fluminis in Inſubria ſita eſt; ſuſcepit adminiſtrandam. Ad Comenſem deinde Eccleſiam ab Eugenio tranſlatus, & in generali Concilio Florentino ab eodem Presbyter Cardinalis ſanctæ Mariæ Tranſtyberim titulo Calliſti renunciatus, cognominatus Cardinalis Comenſis, & ab Aenea Syluio Cumanus, legationis munere functus eſt eiuſdem Eugenij iuſſu ad Philippum Mariam Vicecomitem Ducem Mediolanenſem. Concilio Baſileenſi interfuit, à cuius patribus Nuncius miſſus ad Britannię Regem, orationem ad Regem, & Regni Proceres habuit, quæ eiuſdem Concilij Actis inſerta eſt. Dum legatione Mediolanenſi fungeretur, Capitulum Cathedralis Laudenſis duabus dignitatibus nempe Archidiaconatus, & Primiceriatus anno 1440 decorauit, & menſæ Epiſcopalis redditus auxit. Viterbij è vita ſublatus 8. Idus Octobris anno non 1446. ſed 1445. & ſepultus ibidem in Eccleſia ſancti Franciſci ordinis Minorum cum hoc Epitaphio.


GERARDVS LANDRIANVS MEDIOLANENSIS
S. R. E. CARDINALIS AMPLISSIMVS
ALIQVOT SVB EVGENIO IV. LEGATIONIBVS FVNCTVS
VITERBII VIII. IDVS OCTOBRIS MCDXLV. E VITA DISCEDENS
HIC SVMMA CVM PIETATE CONDITVR.

Scribit Garimbertus, Gerardum Cardinalem veneno, quòd ei ſecretò Philippi Mariæ Vicecomitis miniſtri præbuere, perijſſe. Fratrem enim Gerardus Franciſcum dictum, gratia apud Ducem Mediolanenſem pollentem habuit, cuius ſtudio tum Laudenſem, & Comenſem Eccleſias, tum purpuram à Romanis Pontificibus obtinuerat. Duorum fratrum magnitudo tam eximia ſuſpicionens primò, mox capitale odium in Philippo Maria auctore fecit; quare vt ambobus euolueretur, ambos veneno extinxiſſe fertur.

Ad Gerardum hunc aliquot extant Leonardi Bruni, Philelphi, & Laurentij Vallæ epiſtolæ. In Tabulario Capituli, & Epiſcopali Laudenſi vir vt honoris dignitate, ita & virtutum omnium laudibus illuſtriſſimus nominatur. Dum regeret Eccleſiam Laudenſem, Cœnobium Villanouanum ordinis Montiſoliueti conditum eſt ab Angelo Cardinali de Anna ex voluntaria Nicolai Summaripæ fratris teſtamentaria inſtitutione. Fuit Gerardus S. R. E. Cardinalis primus Abbas Commendatarius Monaſterij ſanctę Mariæ Claræuallis ſecundo ab Vrbe Mediolani ad portam Romanam lapide anno 1135. à ſancto Bernardo extructi.

Ferdinād. Vghell. in Ital. ſac.

XIII.



Ciaconius. — And. Victorel. in Additiõn. ad Ciacõ. — Panuinius. — Aubery in Vitam. — Domalecus in vitis Epiſc. Cracou.

SBIGNEVS Oleſnicius Polonus, Epiſcopus Cracouienſis, renunciatus Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Priſcæ ex Ciaconio ab Eugenio, & certior factus à Branda Placentino, & Iuliano Cæſarino Cardinalibus, tunc ſedis Apoſtolicæ Legatis de eius ad Cardinalatum aſſumptione per Eugenium Romanum Pōtificem, gratias agēs reſpondit ex Conſtantio, quòd non ægrè ferrent, ſi dignitatem illam non acceptaret; cum id ageret, ne Eccleſiæ vniuerſalis auctoritas læderetur. Creatum verò Anticardinalē anno 1440. à Felice V. à Nicolao deinde V. in dignitate confirmatum, & die 28. Iulij anni 1449. pileum rubeum ab eo tranſmiſſum accepiſſe conſtare affirmant aliqui ex Bulla eiuſdem Nicolai, & Actis Concilij Baſileenſis. Ciaconius tamen aſſerit Cardinalatum ſibi ab Eugenio oblatum Sbigneum acceptaſſe, ac legationis munus geſſiſſe ad Regem Polonorum, vt ipſum in obedientia Eugenij IV. contineret aduerſus Felicem V. Antipapam, quòd & obtinuit. Vir fuit religioſiſſimus, Pupillorum, & Viduarum patronus, in egenos liberalis, Eccleſiæ vindex, ac defenſor acerrimus, Reipublicæ ſtudioſiſſimus, minarum, ac periculorum contemptor. Saudeciæ Collegium Sacerdotum cum Prælatis inſtituit, facultates verò ſuas egenis, & Eccleſijs, propinquis prætermiſſis teſtamento legauit.

Staniſlaus Reſcius in Hiſtor. — Martino Cromer. in Hiſtor. Polon.

Ioannem

Ioannem de Capiſtrano ordinis Minorum vnicè dilexit, eumque Miſniam deflectentem ad expurgandam Prouinciam illam ab Huſſitis in Poloniam pluries inuitauit; ac piè dolens, quòd iuxta ſponſionem, & fidem datam à Boëmia non venerit rectà in Poloniam via apud eum, ſuis literis conqueſtus eſt. Cœnobium Cracouienſe Diuo Bernardino ſacrum ligneum prius, deinde latericium pro Fratribus Minoribus extruxit, vtque opus illud abſolueretur ſuis facultatibus, teſtamento ſcripſit.

Luc. Vvadingus in Annal. Minorum.

Vladiſlaum Poloniæ Regem Eccleſiaſtica bona diuerſis nobilibus dilargientem à cœpto deterruit Sbigneus, qui ſemper aliàs in defenſione patriæ libertatis, legum, & conſuetudinum contra earum contemptores fortiſſimum ſe propugnatorem fidei Catholicæ contra Hæreticos præbuit. Cum enim, vt rem narrat Cromerus, ad Regem Vladiſlaum veniſſent Legati Boemorum auxilia cõtra Cruciferos, continuos Polonorum hoſtes, pollicentes, & Baſileenſis Concilij propoſitionem erga ſe nunciantes, comiter, & lautè habiti, etiam ab Archiepiſcopo Gneſnenſi, & Epiſcopis, qui tunc aderant, ad ſacrorum communionem quamuis Hæretici admiſſi ſunt. In reditu verò Cracouia diuertentes, mox tota Ciuitate à ſacris celſante mandato Sbignei Epiſcopi licet abſentis, qui iam ante cum alijs eorundem Boemorum Nuncijs id ipſum præſens præſtiterat; contumeliam ipſi apud Regem quiritati ſunt. Rex autem in Epiſcopum excandeſcens venientem ad ſe aſperioribus verbis excepit, ac Petri Viſſi fortunam, qui fuerat non ita pridem Epiſcopatu eiectus, ei comminatus eſt. Cui Epiſcopus imperterritus reſpondit, fauorem ſe, non offenſam Regis meritum arbitrari, quòd ſolus & ſalutis eius, & exiſtimationis, quæ ab inimicis eius, & maximè Cruciferis tum aliàs, tum in Concilio Baſileenſi tanquā fautoris Hæreticorum proſcinderetur, optima fide curam haberet. Cum verò de religione ageretur, neque Regis, neque cuiuſquam omnino vultum, ac minas ſe reformidare: Petri calamitatem non tam innocenti Epiſcopo, quàm iniurioſo Regi ignominioſam accidiſſe, neque ex re ſe terreri paratum nō modò quas vis contumelias pro religione, verùm etiam exilium, ac mortem ſubire. Poſt quæ monitus à quodam ſibi cauere, quòd ſubornaſſet Rex qui eum de medio tollerent, nihil ea nocte, in quam ſibi periculum comparatum eſſe acceperat, de conſuetudine remittens, eodem lecto, eodem cubiculo cubuit, nulla ſibi cuſtodia adhibita, ac nocte intempeſta cum vno ſacerdote, & puero lumen præferente, ad matutinas precationes Templum adijt; neque aduerſi quicquam ei accidit, quòd vel Rex mutaſſet conſilium, vel vanus ille terror fuiſſet. Nec multò poſt ſacerdotem Hæreticum, qui ad Regem venerat, idem Sbigneus eiecit, vir excelſi animi, & ſempiterna memoria dignus.

Henricus Spondan. in Annal. Eccleſiaſt.

Noua nupta Caſimiro, Alberti Cæſaris filia Eliſabetha ſplendidè adducta Cracouiam à Rege ipſo, vnà cum matre obuiam ei profecta, cum deducta eſſet, contentio tum inter Archiepiſcopum, & Sbigneum Cardinalem orta eſt de nuptiali cæremonia, vti et eorum Adminiſtrator eſſet futurus, quòd ille Archiepiſcopus, & Primas, hic Cardinalis, & Cracouienſis Epiſcopus, vbi hæc agebantur, eſſet. Re diu agitata conuenerunt, vt Ioanni Capiſtrano ordinis Minorum tunc temporis Cracouiæ degenti doctrina, facundia, & ſanctitate vitæ pollenti, vſque adeò, vt multis miraculis comprobarat, eum honorem deferrent.

Tandem cum Sandomiriæ, Quadrageſimam ferè totam arctiore abſtinentia peregiſſet, ac die Palmarum publicè ſacris operatus eſſet, ibidem die prima Aprilis anno 1455. vitam cum morte commutauit, cum triginta, & duos annos Eccleſiam Cracouienſem Epiſcopus rexiſſet, ac vixiſſet ſex, & ſexaginta; die verò 20. Iunij eiuſdem anni 1455. eius obitus Romæ nunciatus eſt.


Ciaconius

Henricus Spondan. in Annal. Eccleſiaſt.

Ferdinād. Vghel. in Addit. ad Ciaconiū.

Panuinius de Rom. Pontific.

Aubery in vita.



E XIV.

PETRVS Schoumbergus Germanus, nobili familia in Francouia natus ex Canonico Bambergenſi, & Herbipolenſi a Martino V. anno noſtræ ſalutis 1420. Epiſcopus Auguſtanus conſtituitur. Erat vir eximiè doctus, eloquentia, ac prudentia nemini ſecundus, dederat operam literis in Italia in nobili Academia Bononienſi. Interfuit Concilio Baſileenſi, Imperatori Federico III. in primis carus, qui eius opera, & conſilio in maximis Imperij negocijs expediendis vtebatur. Ab eodem Imperatore miſſus in Galliam, compoſuit, & ad concordiam redegit diſceptantes inter ſe Galliæ, ex Angliæ Reges, ac Burgundionum Ducem: pacem quoque conciliauit inter Ducem, & Principes Bauariæ. Ab Eugenio IV. Romano Pontifice in Concilio Florentino adſcriptus eſt Presbyteris Cardinalibus titulo S. Vitalis, aliàs Veſtinæ. Bruſchius in Catalogo Auguſtonenſium Epiſcoporum ſcribit Petrum hunc Cardinalitium galerum, ac titulum S. Vitalis anno Iubilæi à Nicolao V. obti-

A nuiſſe. Sed à veritate aberrat, nam ex mss. Vaticanæ Bibliothecæ, & ex illius æui ſcriptoribus certò ſcimus, ab Eugenio inter Cardinales Petrum hunc cooptatum, forſan ſub Nicolao V. anno ſub læ: primò Romam acceſſit, & ab illo Cardinalitium galerum, ac titulum obtinuit. Vir hic in pauperes munificus, doctrina, & prudentia clarus, plenus dierum, & ſenio maximè confectus è vita deceſſit in arce Dilingenſi die 12. ex Ciaconio, ex alijs verò 14. Aprilis anni 1469. Corpus tranſlatum Auguſtam ibi ante Aram ſancti Victoris intra marmoreum tumulum ſepultus cum ſequenti Inſcriptione, teſte Bruſchio ſupra laudato.

Felix Cõtelorius in Elencho.

PETRVS eram Schaumbergo quondam de ſtirpe creatus,
Pilea rubra tuli, quæ mihi Roma dedit.
Cardineos titulos ſancti Vitalis habebam;
Vindelicam rexi Præſul hic Eccleſiam.
Quadraginta, & quinque illic præſedimus annis
B *Cardineos titulos geſſimus octodecim.*

Hanc tamen ſepulchralem Inſcriptionem, quam ex Bruſchio ferè omnes ſcriptores, qui de Cardinalibus ſcripſerunt, referunt, vt hiſtoriæ veritati repugnantem reijcit, & quidem bene Aubery. Nam ſi Petrus hic inter Cardinales cooptatus, vt diximus, ab Eugenio anno 1439. cumque produxerit vitam ex eodem Bruſchio, vſque ad annum 1469. non octodecim, ſed triginta annorum ſpatio purpuram Cardinalitiam geſſit.

Monumentum hoc Petri Cardinalis cum Inſcriptione ab Hæreticis dirutum, & diſſipatum fuiſſe refert Ciaconius.

C 

XV.

ANTONIVS Martini de Clauibus Luſitanus, cū Luſitania toto illo longiſſimo Schiſmate fidiſſima fuerit ſemper Romanis Pontificibus in Italia ſedentibus, ex Decano Epiſcopus Elborenſis primò, deinde Presbyter Cardinalis titulo S. Chryſogoni renunciatus eſt. In Baſilica Lateranenſi ſuis ſumptibus nobile organum fabrefecit, eidemque Eccleſiæ, & Canonicis donauit Caſale Trigoriæ, ex quo habetur annuus cenſus trium milliū aureorum; quare meritò inter Cardinales, qui eidem Baſilicæ benefici fue-
D runt, illum recenſet Cæſar Raſponus libro ſecundo de Baſilica Lateranenſi. E vita migrauit Romæ die vndecima menſis Iulij, anno Chriſti 1447. & ibidem ſepultus in Baſilica Lateranenſi cum hac ſepulchrali Inſcriptione.

Ciaconius

Panuinius

Aubery in vita.

Hēr. Spōdan. in Annal. Eccleſiaſt.

Balthaſſar Porregnus in elogijs Card. Hiſpanorum.

SEPVLCHRVM. DOMINI. ANTONII
CARDINALIS. PORTVGALENSIS
QVI. OBIIT. ROMÆ. DIE. XI. MENSIS. IVLII
ANNO. A. NATIVITATE. DOM. MCCCCXLVII.
CVIVS. ANIMA
IN. PACE. REQVIESCAT. AMEN.

E 

XVI.

IOANNES Iuuenis Picardus, patria Ambianenſis, à Roberto Ambianenſi Balliuo progenitus, frater Guillelmi domini de Contay, Burgū duæ Ducis ad Eugenium Oratoris, Iuris Vtriuſque Doctor, Maſiconenſem primò, ex alijs Coſoronenſem, deinde Ambianenſem, demum Morinenſem Eccleſiam Epiſcopus rexit. Legatus Ducis Burgundiæ, & Flandriæ Comitis ad œcumenicum Concilium Florentinum ſe contulit, in quo ab Eugenio inter Purpuratos patres Presbyter S. Praxedis annumeratus eſt. Malè a Frizonio, alijſque dicitur Cardinalis ſancti Laurentij in Lucina; nam titulum hunc S. Laurentij ex libro Diuiſionum, qui ſeruatur in Vaticano, poſt illum S. Praxedis obtinuiſſe ſcimus. Hic renunciatus Cardinalis diſtulit præſtare conſenſum, donec Eugenius declararet, an dignitatem conceſſiſſet cum retentione Epiſcopatus, quem dimittere nolebat. Cum Purpura retento Epiſcopatu legationis munere functus eſt pro pace componenda inter Alphonſum Arragonium Regem, Rempublicam Florentinam, Ducem Venetorum, & alios Chriſtianos Principes.

F

Ciaconius

Felix Cōtelorius in Elencho.

Aubery in vita.

Monſtrelet.

Panuinius

Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana.

Ferdinād. Vghel. in Addit. ad Ciaconiū.

Omnium ſui æui Cardinalium ditiſſimus mortuo Eugenio interfuit Comi-

Nomencl. Cardinal.

fuit Comitijs Pontificijs, in quibus parum abfuit, quin fuerit aſſumptus in Chriſtiani Orbis Rectorem. E vita Romæ ſublatus die 9 Septembris, ſeu die 9. Decembris anni 1451. annos natus quadraginta, & ſepultus in ſuo S. Laurentij titulo, addita hac in eius memoriam Inſcriptione.

MISERERE MEI DEVS
QVIA IN TE SPERAVIT ANIMA MEA.

HIC. IACET. CORPVS. R. PATRIS. ET. DOMINI. D. IOHANIS. TIT. S. LAVRENTII. IN. LVCINA. SACRO. S. R. E. PRESBYTERI. CARDINALIS. MORINENSIS. NVNCVPATI. QVI. OBIIT. ANNO. MCCCCLI. DIE. IX. MENSIS. SEPTEMBRIS.

XVII.



Ciaconius. Aubery in vita. Panuinius. Pelin Cōtelorius in Elencho.

DIONYSIVS *Zechus* Epiſcopus Agrigenſis Hūgarus, renunciatus ab Eugenio Presbyter Cardinalis S. Cyriaci in Thermis, & Archiepiſcopus Strigonienſis, legatione functus eſt ſedis Apoſtolicæ nomine ſub Eugenio eodem in Hungaria pro concordia inter Ladiſlaum Regem, ac Prælatos, & Barones Regni, & ad ornandum Regio Diademate ipſum Ladiſlaum. Romæ palatium apud S Mariæ in via Lata Eccleſiam à Nicolao Cardinali Capuano inceptum proprijs pecunijs perfecit. E vita migrauit in Hungaria circa annum noſtræ ſalutis 1464. & ſepultus in Eccleſia principe Strigonienſi, cui octo aureorum millia legauit ante obitum.

XVIII.



Ciaconius. Andr. Victorell. in Addit. ad Ciaconium. Ioannes Chenu. Pet. Frizō in Gallia Purpur. Hier. Garimbert.

GVILLELMVS de Eſtouteuille, aliàs Totauilla, Gallus, filius Ioannis à Totauilla, & Margaretæ Harcurianæ quintogenitæ filiæ Ioannis Comitis Harcuriani, & Catharinæ Borboniæ è ſanguine Regio, monachus, & Prior Diui Martini Pariſienſis ordinis S. Benedicti Congregationis Cluniacenſis, Decretorum Doctor, Antiſtes primò Morinenſis, deinde Andegauenſis, poſtea Biterrenſis, & Lodeuenſis, tandem Rothomagenſis Archiepiſcopus renunciatus eſt, & Purpura donatus ab Eugenio Quarto Romano Pontifice, & inter Presbyteros Cardinales titulo SS. Sylueſtri, & Martini in montibus aliàs Equitij adſcriptus eſt, & Cardinalis Rothomagenſis dictus. Diſtulit tamen aſſenſum præbere oblatæ ſibi per Eugenium dignitati, donec declararetur, an Cardinalatus fuiſſet conceſſus cum retentione Eccleſiæ Andegauenſis. Poſtea Nicolaus V. Epiſcopum Portuenſem illum creauit; Oſtienſis, & Veliternus effectus eſt à Pio huius nominis Secundo: mortuo Latino Cardinali Vrſino Xiſtus Quartus Apoſtolicæ ſedis Camerarium nominauit. Vidi apud Carolum Cartharium Aduocatorum Conciſtorialium Decanum Numiſma cũ effigie huius Cardinalis, & hac inſcriptione. G. DE ESTOVTEVILLA EPIS. OSTI. CAR. ROTHO. S.R.E. CAM.

Ferdinād. Vghel. in Ital. ſac. Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana. Aubery in vita. Pelin Cōtelorius in Elencho. Panuinius de Rom. Pont. Hippolit. Marracc. in Purpur. Mariana.

Legatus in Gallias Pontificis iuſſu mittitur Carolo VII. Francorum Regi ad fœdus ſtabiliendum inter Francum, & Anglum Reges ſed inani conatu. Apoſtolica, & Regia auctoritate Academiam Pariſienſem ſuſcepit reformandam, vt inde ſcientiarum vberiores fructus in Eccleſiam redundarent. Legati vſus poteſtate Indulgentias anno 1452. confert Eccleſiæ Diuæ Mariæ Bolonienſis, non longè à Lutetia, & eiuſdem Eccleſiæ ſtatuta reſtaurauit. Florentiæ Aram Diuæ Virgini Annunciatæ ſacrauit, vt patet ex Inſcriptione, quæ ibidem ad parietes legitur.

D. O. M.
GVILLELMVS CARD. ROTHOMAGENSIS
Cum ſuperni in terris Nuncij munere fungeretur, innumeris miraculis, locique religione motus, hanc Annunciatæ Aram ſumma cum celebritate, & ſolemni pompa ſacrauit Anno ſalutis
M. CCCC. LII.

Paul de Angel. in Deſcript. Baſil. Liberianæ.

Archipresbyteratus munus in S. Mariæ Maioris de Vrbe geſſit, cui Eccleſiæ multos ad diuinum cultum reliquit prouentus; vaſa aurea, & argentea ingentis valoris donauit: Naues laterales cum fornicibus reſtituit, atque altare maius columnis quatuor porphyreticis adornauit. Legauit præterea ducatos 1050. auri, ex quibus emerentur prædia, vt eorum fructus in ipſius animæ ſuffragium impenderentur. In tabulario eiuſdem Baſilicæ hæc notata reperiuntur. *Guilelmus tituli S. Martini in montibus Presbyter Cardinalis de Eſtouteuilla nuncupatus, Epiſcopus Rothomagenſis, Archipresbyter huius Baſilicæ, ſedente Eugenio IV. Pontifice Romano anno ſalutis 1445. & de anno 1472. &c.* Ne verò tanti viri de ſe optimè meriti vnquam memoriam deperiret, Capitulum, & Canonici Baſilicæ Liberianæ ad grati animi ſignificationem hoc in ſacrario monumentum extare voluerunt.

GVILLELMVS ESTOVTEVILLE
Cardinalis Rothomagenſis
Regia Vir nobilitatis;
Sancta Romana Eccleſiæ Camerarius.
Vtranque Baſilica concamerationem fecit.
Campanarum Turrim
Nola addita reſtituit.
Geminas ad Occidentem valuas aperuit.
Archangelo Michaeli, & B. Petro ad Vincula
Quatuor Sacerdotes addidit.
In Ara maxima Ciborium excitauit.

Abhinc in eadem Baſilica legitur Guillelmi Cardinalis Elogium.

D. O. M.
VRBANO VIII. SVMMO PONTIFICE
Et Antonio Cardinali Barberino
Huius Baſilica Archipresbyter
Sacellum quod Archangelo Michaeli,
Et B. Petro ad Vincula
GVILLELMVS CARD. ROTHOMAGENSIS
Hic olim excitauerat,
Ex ampliore ad anguſtiorem
Hanc formam ideò redactum eſt;
Vt Sacelli, quòd eſt è regione,
Faciem exprimeret,
Ac Baſilica ornatum augeret.
Ne verò tanti
Regia claritudinis Viri
De Baſilica
Multis optimè meriti
Peculiare hoc pietatis monumentum
Deperiſſe videretur.
Capitulum, & Canonici
Ad grati animi ſignificationem
Memoriam extare voluerunt.
ANNO SALVTIS MDCXXXIV.

Sodalitium etiam Annunciationis B. Virginis in Eccleſia S. Geneſij Lodouenſis inſtituit. Abbas Commendatarius Cœnobij de Cerreto in agro Laudenſi anno noſtræ ſalutis 1481. approbante Xiſto IV. Romano Pontifice illud Italicæ Congregationi ordinis Ciſtercienſis perpetuò vniuit. Tempore enim Calliſti II. Albertus de Oldradis Monaſterium illud proprio ære fundauerat, & Congregationi Ciſtercienſium donauerat. Eccleſiam S. Apollinaris adminiſtrauit; ordinis S. Auguſtini Patronatum geſſit: plures Comitij Pontificijs dum vixit, interfuit: nam inter Cardinales, qui longam traxere vitam, numeratur Octogenario maior, cum quadraginta ferè annos in Cardinalatus dignitate tranſegiſſet, Romæ terram reliquit, cœlum petiturus non decimo ſexto Kal. Februarij, vt referunt aliqui, neque die 22. Ianuarij, vt habet Contelorius in Elencho, ex Inſcriptione, quam fortè legerat in Eccleſia S. Auguſtini; ſed poſt decimam quartam diem Februarij anni 1483. In Archiuio enim Capitolino extat huiuſce Cardinalis Teſtamentum à ſe conditum die 14. Februarij anni 1483. in quo heredes ſuos ſcripſit Ioannem Baptiſtam, & Angelum de Eſtouteuille nepotes, quibus ab Honorato Caietano Ciſternæ, & Caſtrumeterii oppida pro aureis ſcutis ducentis ſupra quinque mille, & à Ioanne Columna pro ſcutis aureis duodecim millibus Cynthianum, & Nemorenſe caſtrum emerat. Poſt obitum tumulatus in Eccleſia S. Auguſtini, quam à fundamentis extruxerat, ac multis dotauerat prouentibus ad diuinum cultum pe-

A tagendum. Primum lapidem huiuſce Eccleſiæ locauit Kalendis Nouembris anno 1479. ianuæ maioris frontiſpicio inſcriptum legimus.

GVILLELMVS DE ESTOVTEVILLE CARDINALIS ROTHOMAGENSIS A FVNDAMENTIS EREXIT.

In Templo verò ad æternam tanti viri memoriam aliud extat ſub effigie Pario marmori inciſa monumentum, & eſt tale.

D. O. M.

D. Guillelmo de Eſtouteuilla Normando Gallo

Epiſcopo Oſtienſi, Card. Rothomagenſi, S.R.E. Camerario

Ex Congregatione Cluniacenſi Ordinis Sancti Benedicti aſſumpto.

Qui

Apud S. Sedem totius Auguſtiniani Ord. Protectorem agens. B

Templum hocce

A fundamentis conſtruxit, ampliſſimis dotibus locupletauit.

Altare maius

Deipara Virginis Imagine à D. Luca depicta exornandū curauit.

Sacrarium

Precioſiſſimis Veſtibus ditauit.

Conuentum

In ampliorem, & commodiorem formam redegit.

Totum Ordinem

Singularibus beneficijs cumulauit.

Plura & maiora collaturus, niſi mortis inuidia præpediuiſſet.

Præſuli ampliſſimo C

Tam doctrina, moribus, virtutibus

Quam ſanguine, opibus, honoribus conſpicuo.

Patrono Beneficentiſſimo.

M.F. Hippolytus Montius Gen. Prior, ac Patres huius Cœnobij

Aeternū grati animi monumentū PP. Anno ſal. MDCXXXVII.

Obijt Anno Domini MCCCCLXXXIII.

XI. Kal. Februarij.

Aetatis ſuæ anno LXXX.

Supra adnotauimus errorem huiuſce ſepulcralis Inſcriptionis in aſſignando tempore obitus Guillelmi. Cum adhuc demortui in feretro cadauer Guillelmi precioſis indutum ornamentis iaceret, inter fratres Auguſtinianos, ac Diuæ Mariæ Maioris Canonicos (D) concertatum eſt, cui nam Eccleſiæ ornamenta illa demum cedere viderentur. Cum autem vtrique pro ſua parte calentibus animis decertarent, à diſcordantibus verbis ad violentiam factorum deuentum eſt; quippe prædabundi vbique precioſa quæque haud reluctanti cadaueri violenter diripuerunt.

Apud omnes Orbis Chriſtiani Principes ob familiæ ſplendorem, Regibus enim Francorum ſanguine iunctus erat, & ob vitæ integritatem plurimùm valuit, & maxima in æſtimatione fuit. Meminit Guillelmi cum laude Cardinalis Papienſis, eundemque ad cœlum tollit, quòd ex Gallijs ad Calliſtum recens ad ſummum Pontificatum euectum rediens, à Carolo VII. Rege rogatus, vt cum ceteris, quos ad exhibendam Calliſto obedientiam mittebat, Legatus proficiſci vellet, id facere noluiſſet. Dignitatem tueri Cardinalitiam is maluit, quàm Regis gratiæ inſeruire reſpondens, nec debere, nec ſo- (E) litum eſſe, Cardinalem niſi pro ſummo Pontifice legationis munus ſuſcipere. Rex modeſtiſſimus id ægrè non tulit, ſed mittens alios, quos elegerat Oratores, inter cetera mandata, quæ dedit, hoc eſſe primum voluit, vt quicquid acturi, quicquid dicturi eſſent, ad Cardinalem referrent, eiuſque conſilio, & ſuffragio in omnibus vterentur. Extat inter Cardinalis Papienſis epiſtolas vna ad Guillelmum Cardinalem Rothomagenſem data; ad eundem quoque Franciſcus Philelphus literatorum ſui temporis facilè princeps perplures literas ſcripſit, ac in illis columnam, & columen ſanctæ Romanæ Eccleſiæ illum appellat. Pium II. qui numquam Tiberinam viderat Oſtia, Cardinalis hic Oſtienſis Epiſcopus ad ea conſpicienda inuitauit: (F) hunc laudat Cardinalis Papienſis his verbis. *Guillelmus Epiſcopus Oſtienſis conſanguinitate Reges Francorum attingens, doctrina Pontificij Iuris, & Principum clientelis, vna quoque ad Gallos ſuos legatione inſignis:* laudatur ab eodem epiſtola 48. & à Garanberto, ſed hic labitur, cum eum Nicolai V. Cardinalem nominat.

Tulit Guillelmus hic Cardinalis inſignia, quæ nos ſupra expreſſimus, & ſunt omnino illa, quæ pluribus in locis Romæ in Templo à ſe in honorem Diui Auguſtini erecto, & in numiſmate, quòd ſeruatur apud D. Carolum Antonium à Puteo fratrem Equites Caſſiani viſuntur. Alia ab his illi tribuit Frizonius, parmam videlicet faſciatam argento, & minio octo ſegmentorum, & in ea furuum leonem auro torquatum, & aurea in humero Cruce notatum.

XIX.

A 

MAG. FR. IOANNES de Turrecremata, natione Hiſpanus, patria Valliſoletanus, ſeu de Turrecremata, quòd eſt oppidum Palentini Epiſcopatus in Hiſpania, filius Aluari Fernandez, ordinis Prædicatorum, Theologus, & Magiſter ſacri palatij, Presbyter primò Cardinalis S. Xiſti, poſtea Calliſti, demum Epiſcopus Cardinalis Sabinus renunciatus eſt. Fuit hic vir ampliſſimus ornatus dotibus, polluit apprimè literis Sacris, quibus maximè deditus erat, & iure Pontificio. A- (B) doleſcens Prædicatorum veſtem induit in Cœnobio Valliſoletano S. Pauli Apoſtoli, & primæ adoleſcentiæ annos humanis literis, ac morali, & naturali Phyloſophiæ conſecrauit. Et quòd in puero præcipua admiratione dignum, tanta indole, ac tanta facilitate hauſit prima literarum rudimenta, vt ij, quibus illius inſtitutio fuit à principio credita, incertum habuerint eſſet ne illud diſcere in tam puerili ætate, an, vt Plato perſuaſum habuit, reminiſci. Tantus erat in eo bonarum artium amor innatus, vt ceterarum rerum oblitus quiduis ageret, ac pateretur, ipſa cognitione, & ſcientia captus curas, vigilias, ac ſollicitudines præferret, nec voluptatem requirens aliam, quàm quæ ex ſtudijs capitur. Erat in eo inexhauſta auiditas legendi nec ſatiari poterat; dicere ſolitus omne tempus deperire, (C) quòd in literis non poneretur, ac nihil expetendum præter ſapientiam, ac ſcientiam, eſſe hanc vnam, quæ breuitatem vitæ ſpe immortalitatis, & poſteritatis memoria conſolaretur. Phyloſophiæ ſtudijs abſolutis, Pariſijs ita ſacræ Theologiæ incubuit, vt breui Magiſterium maxima omnium admiratione adeptus fuerit, & cum eſſet ſuæ Religionis obſeruantiſſimus, in Hiſpaniam reuerſus, nonnullos obtinuit Prioratus. Primò enim Prior S. Pauli Valliſoleti, deinde ſancti Petri Martyris Toletani factus, in eo officio ita ſe geſſit, vt omnibus charus, & ſumma in veneratione haberetur; intrepidum ſe oſtendit ad quæque agenda, & præcipuè pro Republica Chriſtiana. Cum enim ſuauiter, ac fortiter ſuis præfuiſſet, ac dulciſſimum nominis, & morum ſuorum odorem vniuerſæ afflaſſet Hiſpaniæ, Romam Vrbem æternam euocatum, Magiſtrum ſacri palatij Eugenius renunciauit. Magiſter electus ſacri palatij, ob eius eminentem eruditionem ab eodem Eugenio IV. Baſileam cum quibuſdam alijs viris doc- (D) trina præſtantibus pro vniuerſali conuentu edendo Legatus miſſus eſt. Sed cognita vafritie quorundam Principum, qui abrogari Eugenium ſuadebant, iuſſu ipſius diſſolutus ibi conuentus Ferrariam primò, deinde Florentiam tranſlatus eſt. Qua in Vrbe Presbyteris Cardinalibus adſcriptus, vt erat moribus grauis, ad amuſſim in omnibus priſtinum viuendi modum, quem tot annis in ordine Prædicatorum didicerat, ſeruauit, & apprimè retinuit. Togam non mutauit, licet mutauerit gradum; vtebatur lanea ad carnes ſubucula, tunica, cuculla, & pallio, prout ante conſueuerat. Religionis ſuæ ritus ſic dilexit, vt quos initio cœperat, haud quaquam dimitteret, admitens pro viribus, vt ad amuſſim à ceteris ſeruarentur. Vnde aliquando quendam ſui ordinis præſidentem offendens cæremonias, vt par erat, non ſeruantem; hæc, inquit, alterius ſunt opera, non fratris, non alijs præſidentium. Haud æquo animo videbat ſui ordinis profeſſores per Curiam Romanam vltro citroque meare, aſſerens, non fra- (E) tris hoc eſſe munus, ſed Curialium, vel litigantium; & fratri ſibi obuiam aliquando dicebat; mitte Curialibus, vel diſceptantibus Curiam, & ad Cœnobium reuertere. Tam intracti animi fuit, vt numquam nec precibus, nec minis in ijs quæ fidei, quæ veritatis, & religionis erant, poſſet auerti ab opinione ſua, quapropter Fidei defenſor eſt appellatus. Templum S. Mariæ ad Mineruam nuncupatum teſtudine, & primùm ædium impluuium eius Templi, quòd Clauſtrum vocant, à fundamentis erexit, & picturis exornauit, quibus meditationes præcipuas vtriuſque Teſtamēti graphicè inſcriptas, vt facilius picturæ dignoſci valeant, iuſſit apponi. Nec ſolum ædificijs, picturis, ſeu nouis fabricis, ſed etiam moribus ædium illarum incolas adornari curauit; porrò ex regulari vita, cui Lombardiæ Congre- (F) gationis nomen eſt, patres accerſiuit, & ibi Deo iuſſit famulari. Sacellum item exornauit multis picturis, ac S. Mariæ Cœli Reginæ dicauit, & erexit Societatem ſub nomine Annunciatæ, cuius intereſt quotannis in feſto Annunciationis Virginis Puellas Romanas inopes certa pecuniæ quantitate nuptui tradere. In ſacrario eiuſdem Eccleſiæ ſanctæ Mariæ ad Mineruam hi verſus appoſiti, vt ferunt, ab ipſo Ioanne Cardinali, leguntur.

Ne male patrandis ſtupris quòd auara marendo
Forma puellaris ſæpe coëgit inops.
Annua pauperibus ſtips eſt hic perſa viritim,
Doſque maritandis condita Virginibus.
Munus, & officium ſancti celebrate Quirites,
Cum vicena venit Martia quinta dies.

Terreſtri,

Ciaconius.
Balthaſſar Porreguo in elogij Card. Hiſpanorum.
Ant. Sanderus in elogiis Cardin.
Aubery in vita.
Panuinius de Rom. Pontific.
Hier. Garimbert.
Acta Concilij Florentini.
Chronic. ord. Prædicator.
Henricus Spondan. in Annal. Eccleſiaſt.
Hippol. Marrac. in Bibl. Mariana.
Laurent. S[...] de monumentis Lateran.

Terreſtri, vt cenſu cæleſtia Regna pareus,
Pollicita, & vobis centupla meſſis erit.

Hæc Societas, quæ ab ipſo originem ſumpſit, in tantum aucta eſt, vt ſuccedente tempore Leo X. Pontifex, dum in minoribus eſſet, cum ferè omnibus Cardinalibus illi adſcribi voluerit, Oliuerio Carrafa Cardinali Neapolitano viro integerrimo ſuadente. Qui Ioannem imitatus in tam egregio opere Sacellum aliud ſculptura, & pictura elaboratum in eodem Templo Deiparæ Virgini, ac S. Thomæ Aquinati erexit, & ab Alexandro VI. Pontifice maximo obtinuit quotannis in vtriuſque feſto remitti omnibus illuc accedentibus omnium ſuorum criminum noxam. Sic igitur aucta eſt maximis iuribus, & prouentibus, vt cum ſuperioribus temporibus quadraginta, aut ad ſummum ſexaginta Virgines nuptui traderentur, hac noſtra tempeſtate ipſe Pontifex ducentis, & amplius Virginibus pauperibus, quæ ſe viris matrimonio iungere volunt, ſcuta octuaginta in dotem donat, centum verò ijs, quæ Deo ſeſe deſponſare deſiderant. Subſecuta enim eſt Vrbani VII. Pontificis maximi largiſſima donatio, qui totum ſuum patrimonium prædictæ Societati conceſſit, quare mirum in modum Societas creuit. Quòd quidem diuinum opus prædicto Ioanni tanquam auctori, & primo fundatori debetur.

Aeneas Sylu. in ſuis Comment.

Eugenij Legatus interfuit Conuentui Bituricenſi in Gallijs iuſſu Caroli Regis Francorum habito, ad tollendum Schiſma, quòd Baſileenſes patres excitarant in Eccleſia Catholica. In hoc Conuentu Carolus Rex publicè faſſus eſt, ex conſilio Prælatorum, ac Procerum Regni ſui velle ſe in obedientia Eugenij permanere.

Scripſit in Gratiani Decreta volumina quatuor.

Nomencl. Cardinal.

Antõ. Senenſ. in ſua Bibl. Prædicator.

Xyſtus Senenſis in Bibl. ſãcta

Hippolit. Marrac. in Bibl. Mar.

De Pœnitentia.
De Concilio Florentino.
De Conſecratione.
De Concilijs.
De Conceptione Domini libros tres.
De Corpore Chriſti contra Boëmorum errores.
De Aqua Luſtrali.
Meditationes in vitam Chriſti.
Contra Iſmaelitas.
De Animæ ſalute.
De Vnitate Græcorum.
De Sacramentis librum vnum.
Summam Eccleſiæ libris ſex.
De auctoritate Romanæ Eccleſiæ.
In Regulam ſancti Benedicti.
Quæſtiones, ſeu Scholaſticam Poſtillã in totius anni Euangelia.
Sermones de Tempore, & de Sanctis.
Commentaria, ſeu Paraphraſim breuiſſimam, locupletiſſimam, luculentiſſimamque ſimplici, & aperto ſermone ad Pium II. dictatam in omnes Dauidicos Pſalmos.
De Cóceptione Deiparæ Mariæ libros treſdecim.
Et alia quædam.
Toſtati Theologicas quaſdam theſes impugnauit.

Felix Cõtreloriu in Elencho.

Cum vir de Deo, deque ſancta, & Catholica Eccleſia optime quidem meritus, laudabiliter, ac ſanctiſſimè vixiſſet, anno ſuæ ætatis ſeptuageſimo nono, ſeu octogenario maior, die 26. Septembris anno Domini 1468. Romæ in Cœnobio Mineruæ ordinis Prædicatorum ſpiritum Deo reddidit, & in Sacello à ſe conſtructo in honeſto ſepulchro ſepelitur, marmoreo tumulo his inſcriptis verbis.

F. IOANNI HISPANO VALLISOLETANO
EX VETERE PVRA NOBILIQVE FAMILIA
DE TVRRECREMATA
ORDINIS PRAEDICATORVM
S. R. E. CARDINALI EPISCOPO SABINENSI
PIETATE AC DOCTRINA CLARISSIMO
MVLTIS LEGATIONIBVS EGREGIE FVNCTO
BEATAE VIRGINIS ANNVNCIATAE
SODALITAS
AVCTORI SVO POSVIT.
OBIIT ROMAE VI. KAL. OCTOBRIS
AN. DOMINI MCCCCLXVIII.
ÆTATIS VERO SVÆ LXXX

And. Victorel. in ſuis Addition. ad Ciacõ.

In eadem Eccleſia aliud extat Ioannis Cardinalis elogium.

HIC REQVIESCIT
DOM. IOANNES DE TVRRECREMATA
NATIONE HISPANVS
EPISCOPVS SABINVS S. R. E. CARDINALIS
S. SIXTI
QVI OBIIT XXVI. SEPTEMBRIS
ANNO DOMINI MCDLXVIII.
REQVIESCAT IN PACE.

Primum apud ſui temporis Theologos locum tenuit, diſputauit egregiè in Concilio Florentino pro Latinis; quare à Græco ſcriptore *Phyloſophus Latinorum, & Dialectica peritiſſimus* appellatur. Acerrimus fuit defenſor, & vindex Reuelationum cæleſtium prædilectæ Sponſæ Chriſti S. Birgittæ viduæ de Regno Sueciæ; cumque ex commiſſione ſedis Apoſtolicæ has ſanctę Birgittę Reuelationes ſtudioſè, ac diligenter perlegiſſet, affirmauit, omnes à diuino Spiritu veraciter emanaſſe, & omnes fidei Catholicæ veritate ſalua, & abſque doctrinæ ſanctorum Doctorum iniuria ſuſtineri poſſe.

Henricus Spondanus in Annal. Eccleſiaſt.

Aeneas Syluius in Comment.

Legionenſem Epiſcopatum Pius II. Ioanni huic Cardinali S. Xyſti contulit, ſed Henricus Caſtellæ, ac Legionis Rex illi poſſeſſionem nunquam conceſſit: hac de cauſa multæ, & magnæ contentiones inter Regem, & Pontificem exerſerunt. Tres Principes Hæreticos in aula Regis Boſnæ potentes, vinctos ad Pontificem maximum ductos Ioannes hic in fide inſtruxit, ac tandem perſuaſit, abiuratis erroribus, Eccleſiæ Romanæ, quæ nec falleret, nec falleretur, documenta ſuſcipere. Horum duo in fide permanſere, tertius ad vomitum rediens, dum in patriam tenderet, ex itinere dilapſus ad Stephanum Boſnæ Ducem, perfidiæ ſocium confugit. Sublacenſe Monaſterium adminiſtrauit, atque in illo Pium II. Romanum Pontificem magno cum apparatu hoſpitio excepit.

Nemini vnquam viſus Ioannes obtrectare; de ingenijs ſuæ ætatis, ſemper loquebatur honorificè, & candidè ſentiebat de omnibus, ſibi nihil arrogans, alijs plurimùm tribuens. Amicos coluit magni nominis, & eruditionis viros, nempe Flauium Blondum, Nicolaum Perottum, Ioannem Antonium Campanum, & Beſſarionem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem Patriarcham Conſtantinopolitanum.

XX.



Ciaconius

Scip. Ammirat. in Hiſt. Florentina.

Ferdinãd. Vghell. in Addit. ad Ciaconiũ. & in Ital. ſacra.

Aubery in vita.

Panuinius de Rom. Pontific.

ALBERTVS de Albertis nobilis Florentinus, filius Cypriani ex Canonico Florentino, Epiſcopus Camerinẽſis primò, deinde renunciatus Diaconus Cardinalis S. Euſtachij ab Eugenio IV. legationem geſſit ſub eodem Pontifice pro pace componenda inter Alphonſum Arragonium, & Renatum Andegauenſem. Eugenius enim, vt Rempublicam Florentinam de ſe bene meritam gratificaret, præſtantiſſimum è primaria nobilitate Florentina virum hunc omnium virtutum genere clariſſimum inter Patres allegit. Is autem in Concilio Florentino, cum eſſet vir doctiſſimus, in conciliandis Græcis cum Latinis plurimùm laborauit; vnde Eugenius, & illius præſtantiam in rebus agendis, & doctrinam ſingularem agnouit. At conceptam de eius promotione lætitiam breui tempore immatura mors abſtulit, nam è vita exceſſit in Abbatia Cryptæ Ferratæ anno à partu Virginis non 1435. neque anno 1446. vt per errorem impreſſoris ſcripſit Ciaconius, ſeu alij ſub illius nomine, ſed anno 1445. die iij Auguſti. Corporis pars Romam delata ſepulturam habuit in Baſilica Lateranenſi prope ſacellum Diuo Hilario factum, cum Epitaphio ab auctore Nomenclatoris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium excerpto tenoris ſequentis.

Ceſ. Raſpon. de Baſil. Lateranea.

HOC IN TVMVLO SEPVLTA EST PARS CORPORIS
REVERENDISSIMI IN CHRISTO PATRIS ET DOMINI
ALBERTI DE ALBERTIS DE CIVITATE FLORENTIA
S. R. E. TITVLI S. EVSTACHII DIACONI CARDINALIS
QVI OBIIT IN ABBATIA CRYPTAE FERRATAE
TEMPORE DOMINI EVGENII PAPAE IV.
ANNO DOM. MCCCCXLV. DIE VERO
III. MENSIS AVGVSTI
CVIVS ANIMA REQVIESCAT IN PACE AMEN.

Altera verò pars, & quidem potior delata Florentiam eſt, ac tumulata ante maius ſacellum Templi ſanctæ Crucis ordinis Minorũ, quòd gens Albertia olim magnificentiſſimè conſtruxerat, in ſuorum maiorum ſepulchro, quòd à ſuis gentilibus reſtauratum in pauimento exculpto exornarunt hoc Epitaphio.

ALBERTO ALBERTIO EPISCOPO CAMERTINO
AB EVGENIO IV. PONT. MAX.
IN CONCILIO FLORENTINO EX LECTISSIMIS
CHRISTIANAE REIPVBLICAE VIRIS
IN COLLEGIVM CARDINALIVM COOPTATVS
SACRI FOEDERIS SVB VLADISLAO POLON. ET
HVNG. REGE LATINAE CLASSI PRAEFECTO
ROMANAE APOSTOLICAE DIGNITATIS
STVDIOSISSIMO PROPVGNATORI
ALB[illegible]II
GENTILI SVO [illegible]ME MERITO
MONVM. RESTITVERE
ANNO SALVTIS MDLXXIII.
OBIIT III. IDVS AVGVSTI MCCCCXLV.

mortalium laude, & benedictione non pauca, quam tamen pro ſua innata humanitate diſtribuit. Cum autem Scarampi detenti, de quibus mentio facta eſt, e cuſtodia ſe in pedes dediſſent, ne detegerent Pontifici Paulo multum auri, & argenti, & aliarum facultatum, fugientes capti ſunt in Nouo Caſtello ad decimum lapidem, aut circiter ab Vrbe Roma, deinceps arctius detenti, & cuſtoditi ſunt. Interea omne argentum, & aurum cum ceteris rebus immobilibus, quas Florentiam Patriarcha miſerat, quo ſi vixiſſet, iturus fuerat, reportata ſunt ad Pontificem, actoribus primarijs, & adiutoribus Antonio Eugubino Procuratore cauſarum Fiſci acutiſſimo, & Falcone Sinibaldo Romano, Cameræ Apoſtolicæ Clerico digniſſimo, quicquid expetierunt a Florentinis ea in re impetrauerunt, & ſummo cum honore, & laude Romam cum grandi illo pondere diuitiarum reuerterunt, pecunia numerata, indumentis immenſi pretij, annulis aureis, lapilliſque precioſiſſimis penè infinitis, tapetibus quoque, & aulæis, labris, & lancibus argenteis omnibus, & omni denique precioſorum genere, quarum omnium rerum ipſe parens, imo auarus in vita præſtiterat. De quibus quidem facultatibus ſatis ſuperque humanus, liberaliſque ſummus Pontifex eſſe conſtituit, nec relicta ſanctiſſimis Eccleſijs denegauit, nec nepotes eius neglexit, nec familiam ſpreuit. Cui quidem familiæ ſeptem millia aureorum diſpertiuit, & pluſquam menſes duos aluit largiter, & benigne. Inopibus ergo præſertim Virginibus maritandis, & Pannonibus, quos Vngaros vocant, non paruam partem dicitur induliſſe aduerſus Turcas, hominum beſtiale, & perfidum genus. Teſtamentum autem Ludouici Cardinalis præfati non irritum factum eſt; nam legata religioſa, & pia, vt dixi, reddita ſunt Templis, & puellis coniungendis, nulla facta retentione à Paulo II. Scarampis tandem, & nepotibus Ludouici ſatis abundeque lætis abeuntibus, cum tamen paulo ante nil ſe aſſecuturos exiſtimarent. Hæc ille de Cardinali Ludouico.

XXII.

Ciaconius
Aubery in vita.
Panuinius de Rom. Pont.
Eccliæ Cõtelor. in Elencho.




PETRVS Barbus Venetus, Nicolai Barbi, & Polixenę Eugenij ſororis filius, ex Canonico Patauino, & Protonotario Apoſtolico, imò affirmante Aubery ex Archidiacono Eccleſiæ principis Bononienſis, Epiſcopus Ceruienſis primò, mox Vicentinus, demum Patauinus ab Eugenio purpuram accepit, & Diaconus Cardinalis S. Mariæ Nouæ, poſtea a Nicolao V. ſucceſſore Presbyter S. Marci, & Archipresbyter S. Petri renunciatus, Cardinalis Venetiarum cõmuniter eſt appellatus. Vt Commendatarius præfuit aliquandiu Eccleſiæ S. Cæciliç, & ſub Calliſto III. legationis munere functus eſt in Italia ſuburbana. Hic in Baſilica Vaticana Chriſti Domini Imaginem ſudore, & ſanguine in linteo ad eius faciem a Veronica admoto efformatam populo oſtendit, cum Pius II. Romanus Pontifex S. Andreæ caput ad Vaticanam Baſilicã inſigni ſupplicatione, & cultu detulit. Pium Secundum, tum Mantuam, tum Anconam cum alijs Cardinalibus proſecutus eſt, qua in Vrbe ex tanta hominum colluuione orta eſt peſtilentia, quæ intolerabili æſtu per autumnum humana corpora mouente, per vulgaria primùm capita vagari cœpit; inde nobilitatem quoque primoreſque corripuit. Inter quos fuit Petrus Barbus Cardinalis, ætate, prudentia, ac rerum vſu inter ceteros eminens; hic communi peſtilentia tactus æſtuare animo cœpit, cum fœda impendentis mortis facies oculis obuerſaretur. Confeſtim ad Lauretanum Templum ſe deferri iubet, quo vt ventum eſt, eiectis arbitris in Deiparæ cellam infertur, ibi venerabundus procumbere humi, omnem in beata Virgine ſecundùm Deum ſuæ curationis ſpem reponere, vrgentis morbi, mortiſque impendentis remedium expoſcere. Nec fruſtra, precibus inſiſtenti leuis quidam, ac dulcis ſomnus obrepſit: ſiſa eſt illi in quiete Deiparam Virginem cœleſti quadam ſpecie oblatam, quæ bonum habere animum, & auditas eius preces nunciaret; mox diſcuſſum iri morbum; inſuper ipſum propediem Dei nutu Pontificem maximum futurum. Haud vanum fuiſſe viſum docuit euentus: ex Templo cum ſomno morbus abijt, ipſe voti compos animi, & corporis vigorem omnium ſpe maturius recuperauit. Ipſe admodum lætus multiplex Dei, ac Deiparæ beneficium agnoſcit, & gratijs vtrique impensè actis ſoſpes, ac vegetus exit è ſacroſancto ſacello, cunctis qui eius morbi conſcij erant, attonitis, & ingenti admiratione defixis. At ille B. Mariæ promiſſo ad ſummi Sacerdotij ſpem erectus, & ſimul accepti beneficij ſatis memor Lauretanæ Aedis Præſidem protinus acceſſiri iubet; huic propalam enunciat, ſibi eſſe in animo magnificentiſſimum S. Mariæ Lauretanæ Templum condere, proinde primo quoque tempore, calcis, cæmentorum, materiæ, quòd ſatis ſit, comparet ſuo nomine, ſumptuque. Inde Romam ad Comitia profectus, Pontifex renunciatus, Pauli II. inditum nomen: vide vitam.

Hor. Turſellinus in Hiſt. Lauretan.
And. Victorell. in Add. ad Ciacon.
Hipp. Marracc. in Poll. Marian.

QVINTA CREATIO VNIVS CARDINALIS.

Anno à partu Virginis 1444. die Sabbathi, ij. Maij, ex Contelorio, ſeu ex Ciaconio, ac Panuinio jv. Idus Iulij, Eugenius IV. Romæ vnum renunciauit Cardinalem, qui fuit.

XXIII.




ALPHONSVS Borgia, filius Ioannis, ſeu Dominici, natione Hiſpanus, ex oppido Sauina Valentinę Diœceſis, Decretorum Doctor, Canonicus primò Ilerdenſis à Benedicto Pſeudopontifice factus, & Conſiliarius Alphonſi Regis Arragonum, mox Archiepiſcopus Valentinus, deinde die 2. Maij, anno 1444. inter Presbyteros Cardinales titulo ſanctorum Quatuor Coronatorum cooptatus eſt. Ciaconius ponit ſub die 12. Iulij huius Cardinalis enunciationem, eo ſcilicet die, quo primùm in Vrbem hic Cardinalis iam renunciatus ingreditur. Poſtremò poſt Nicolai Quinti obitum Cathedram Petri aſcendens, Calliſtus III. dictus eſt: vide vitam.

Ciaconius
Aubery in vita.
Panuinius de Rom. Pont.
Felix Cõtelorius in Elencho.

SEXTA CREATIO CARDINALIVM.

Anno Dominicæ Incarnationis 1446. die 16. Decembris, Eugenius IV. Romanus Pontifex, Romæ quatuor adſcripſit Cardinalibus, qui fuere.

XXIV.



THOMAS Lucanus Ligur, patria Sarzanenſis, Bartholomæi profeſſione Medici, & Andreolæ filius, in Bononienſi Academia tum Phyloſophiæ, tum Theologiæ operam nauauit ea diligentia, vt breui Magiſtri lauream in vtraque ſcientia obtinuerit. Canonicus Eccleſiæ Bononienſis præfecturam familiæ Nicolai Cardinalis Albergati geſſit, & poſt obitum Nicolai illum ad ſedem Eccleſiæ eiuſdem anno 1445. v Kalendas Decembris Eugenius IV. euexit. Hunc Bononienſem Præſulem ad Philippum Burgundiæ Ducem Eugenius pro pace reddenda Eccleſiæ direxit. Interfuit Legatus Apoſtolicæ ſedis conuentui Francofordienſi; cumque rem bene, ac feliciter peregiſſet, ad Cardinalatus eminentiam prouectus eſt. Huic Presbyteris Cardinalibus titulo S. Suſannæ adſcripto Eugenius ad portam Flaminiam galerum obuiam miſit, vt Vrbem ſolemni pompa ingrederetur. Thomas igitur adeò felici, & inoffenſo gradu omnes dignitates Eccleſiaſticas percurrit, vt vnius anni curriculo Bononienſis Epiſcopus, Cardinalis, ac ſummus Pontifex ſub nomine Nicolai V. euaſerit: de quo plura infra in eius vita.

Ciaconius
Aubery in vita.
Panuinius de Rom. Pont.
Felix Cõtelor. in Elencho.
Hier. Spondanus in Annal. Eccleſiaſtic.

XXV.



HENRICVS de Alloſio, ſeu de ſancto Alloſio, natione Italus, patria, vt quidam autumant, Papienſis, ſeu ex alijs Scotus, Terdonenſem Epiſcopatum primò obtinuit, inde ad Papienſem anno 1439. jx. Kal. Septembris tranſlatus, tum Canonico, ac Theologiæ operam dedit; vnde breui, quod in iuuentute minimè fecerat, in virilitate, maxima omnium admiratione præſtitit. Mediolanenſis Archiepiſcopus, inde & Presbyter Cardinalis titulo ſancti Clementis creatus, multa pietatis opera edidit, & pauperum pater eſt appellatus. Diſtribuit enim precioſiſſimam omnem ſuæ domus ſupellectilem, vaſa aurea, & argentea, vt pauperes fame, & peſtilentia, quæ tunc Mediolanum inuaſerant, laborantes ſubleuaret. In viuis pius pater eſſe

Ciaconius
Panuinius
Petr. Galeſinus.
Franc. Bacolus in Catal. Archiep. Mediolan.
Ferd. Vghel. in Addit. ad Ciacon. & in Ital. Sac.
And. Victorell. in Addit. ad Ciacon.
Felix Cõtelorius in Elencho.
Nomencl. Cardinal.
Ioann. de Deo de Succeſſor. S. Barnabę

deſijt at-

deſijt anno ætatis ſuæ ſexageſimo, Chriſti verò 1450. die 4. Iulij, & ſepultus apud S. Clementem cum hac Inſcriptione.

Heu decus, heu lumen tibi nunc domus inclyta ſancto
De Alloſio perijt tuus ipſe colendus HERICVS,
Hac requieſcit humo, primùm qui tempore longo
Præſul in Vrbe fuit Terdona, dehinc quì Papia,
Poſt Mediolani ſacer Archiepiſcopus inde
Pro virtute ſua rubeo fuit ecce galero
Per Papam EVGENIVM donatus in ordine Quartum
Hic pius, hic ſapiens, hic iuſtus, caſtus, honeſtus,
Seruorumque Dei Protector in omnibus ardens
Hic Teſtamentum renuit ſibi condere dicens
Cuncta fore Eccleſiæ, ſe cuncta relinquere Chriſto,
Qui dedit, ac tandem cum ſexaginta ſubiſſet
Annorum ætatem, Iubilei tempore ſancti
Mille quadringentis, & quinquaginta ſub annis
Atque die quarta Iulij deuotus, & almus
Spiritus ille ſuus felix ſuper aſtra volauit.

Antonius Maria Spelta, qui de Epiſcopis Papienſibus hiſtoriam proſecutus eſt, ex varijs monumentis Papienſis Eccleſiæ Henricum hunc ex Dominis ſancti Alloſij Terdonenſis Diœceſis, Rampinæ familiæ nobiliſſimæ, Franciſco Rampino patre natum affirmat.

Ciaconius. Pamiinius. Aubery in vita. Felix Contelorius in Elencho.



XXVI.

IOANNES Siculus, patria Meſſanenſis, monachus Congregationis S. Iuſtinæ Patauij, & Abbas S. Pauli extra muros Vrbis, inter Alphonſum Arragonenſem, & Renatum Andegauenſem Ducem pacem, & amicitiæ fœdus firmare eo ardore animi curauit, vt Eugenius perſpecto Ioãnis ſtudio in procuranda Italiæ pace, illum Presbyteris Cardinalibus titulo S. Sabinæ, anno 1446. adſcripſerit. Diu tamen non vixit in Cardinalatu; nam anno 1449. die 21. Ianuarij, Neapoli mortem ſubijt, & ſepultus apud patres Benedictinos illius Vrbis in Eccleſia ſancti Seuerini.

Ciaconius Card. Papienſ. in Commẽt. & in epiſtolis. Pius II. in Commẽt. 1460. Aubery in vita. Pamiinius. Andr. Victorell. in Addit. ad Ciaconiũ. Hier. Gambert. Ant. Sander. in elogijs Card. Ioan. Cochlæus in Hiſtoria Huſſit. Ferdinãd. Vghell. in Ital. ſac. Brian. in hiſtoria. Bernardus Comus in Hiſt. Mediolanen. Amb. Salmon. in hiſt. Neapolis.



XXVII.

IOANNES CARAVAGIAL ſeu Caruaial, Hiſpanus, ex Trugillo vlterioris Hiſpaniæ oppido, cuius Lucianæ hiſtoriæ meminerunt, parentum cura præceptoribus ad literas datus eſt: poſt prima autem rudimenta, & mox poſt iuris profeſſam ſcientiam, Romam veniens, opinione præſtantis doctrinæ in Collegium Iudicum Rotæ eſt cooptatus. Paulò poſt Prætor Curiæ, ſeu Vrbis Rector eſt deſignatus; quibus in muneribus, integritatis etiam ſpecimen præbens ad grauiora adhiberi eſt cœptus. Electus primò Epiſcopus Placentinus in Hiſpania, deinde renunciatus eſt Diaconus Cardinalis ſancti Angeli in Foro Piſcium, poſtea Presbyter S. Crucis in Hieruſalem, deinum à Pio II. anno 1460. Portuenſis, & S. Ruffinæ Epiſcopus. Hic nobilibus ortus parentibus, ab ineunte ætate iuri Pontificio, & Cæſareo, vt diximus, operam adeo nauauit, vt apud omnes maximum de ſe nomen ediderit. Cum verò bonis moribus, doctrina, & prudentia præditus eſſet, ab Eugenio IV. Romano Pontifice ob eius nobilitatem, & doctrinam cognitus diuerſas legationes obtinuit, in quibus honorificentiſſimè ſe geſſit; præcipuè in ea, qua miſſus eſt ad Concilium Baſileenſe. Ex qua rediens ob res bene geſtas Pontifici gratus in numerum Cardinalium abſens cooptatur. A Nicolao V. in Germaniam miſſus eſt; eo defuncto, Pontificatus Calliſti III. initio in Pannoniam, & in omnem oram Illyrij ad bellum in Turcas, Chriſti fidelium hoſtes acerrimos proficiſci iuſſus eſt. Sexennium ijs in locis, ſub cœlo inſalubri, & inter gentem illam legatione functus, in caſtris ſæpe verſatus, hoſtium irruptionibus, militibus ſua diligentia Cruce inſignitis obuiam proceſſit, nonnunquam deſertus à ſuis, ſeipſum nunquam deſeruit. Frigorum vis illi dentes ademit alijſque multis moleſtijs afflictus omnia pro Chriſto, æquo, alacrique animo pertulit vir doctrina, ac ſanctimonia inſignis, magni conſilij, acerrimus ſemper hæreſum oppugnator, tota vita integritatis, & conti-

A
nentiæ laude præſtans: in legationibus, quæ teſte Cardinali Papienſi triginta duæ illi ab Eccleſia commiſſæ fuerunt, Romanorum Pontificum non ſolùm præceptis, ſed votis obtemperauit, plurimas compoſuit paces, Cardinalitij ordinis libertatem quibuſdam in locis amiſſam reſtituit. Pontificij Legati auctoritatem retinuit, ac prompto animo exercuit; magnis beneficijs populos affecit, de omnibus optimè meritus eſt, & cum multas regiones peragraſſet, magna ſemper pertractaſſet, nihil præter caſti Sacerdotij gloriam in perpetuas intulit ædes. Apud Belgradum Turcas ab Hungaris magno prælio ſuperatos vidit. In his legationibus opera Ioannis de Capiſtrano ordinis Minorum viri ſanctitate inſignis vſus eſt: plures ſunt apud Fr. Lucam Vvaddingum huiuſce Cardinalis literæ ad Fr. Ioannem de Capiſtrano, tum Fr. Ioannis ad Cardinalem datæ. Pace inter Hungaros, Auſtraleſque ſummo Chriſtianorum beneficio conſtituta, in Boëmiam Romani Pontificis iuſſu tranſijt. Illic enim à

B
Rochezana Hæreſiarcha in publicam de fide diſputationem vocatus, ne diffidere in tanta expectatione Romano dogmati videretur, aſſenſit, cumque ad diem dictam in magno Regni Conuentu vterque aſtitiſſet, prior Rochezana ab his verbis diſputationi initium dedit: *Aeterni Patris Verbum.* Offundente ſtatim Deo malignæ menti tenebras, progredi vltra non valuit, ac ſtatim obticuit: reſumente iterum, ac tertiò ex longis ſemper interuallis idem orationis initium, iterum coactus eſt obmuteſcere. Cum verò ſtuperet iam conſeſſus omnis, & prouocator ob confuſionem ægrè conſiſteret, læto vultu Ioannes Legatus ſilentium eius excipiens, idemque initium repetens tanta memoria, ſpirituque diſſerendo peregit reliqua, vt plurimi diuinum opus mirati, poſito errore ad ſanitatem redierint, & promiſſum Diuini Seruatoris manifeſtè euiuerit dicentis fidelibus ſuis: *Ego dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere omnes aduerſarij veſtri.*

Chronicõ Dominicanorum. Balthaſſar Porreguna in elog. in Card. Hiſpanorum.

C
Epiſcopus Placentinus in Hiſpania factus, ita eo in munere vixit, vt ſemper iuſtitiæ ſectator, & amator fuerit, in pauperes liberalis, in omnes beneuolus. Legatus bis in Germaniam miſſus, vt eius prouinciæ Principes inter ſe diſcordes componeret, & ad concordiam reduceret, quòd præſtitit: pro hæreſi Boemorum, quæ maximè in illis partibus vigebat, eradicanda maximè elaborauit. In Hiſpania iuxta Placentiam Ciuitatem pontem maximis impenſis, quo ſupra Tagum fluuium tranſire liceret, conſtruxit, qui vſque in hodiernum diem, Cardinalis nomen retinet, vulgò *la Puente del Cardenal:* cum multi ante illud tempus periculum experti fuiſſent, & ob aquæ impetum perijſſent.

Septuagenario maior è vita exceſſit Romæ die 6. Decembris, anno 1469. & ſepultus ad ſanctum Marcellum cum hoc Epitaphio in tabula marmorea expreſſo.

Felix Contelorius in Elencho.

D
IOANNI. CARVAIALI. GENERE. IBERO
PONT. PORTVENSI
S. R. E. CARDINALI. PATRVM. SPLENDORI
VIRTVTVM. DECORI. DEI. RELIGIONI
ATQVE. OMNI. REIP. BENEMERITO
Q. VIXIT. A. LXX.
BESSARIO. CARD. NICAENVS
COLLEGAE. PIENTISSIMO.

Ibidem de eodem in tabula marmorea muro proximo affixa, alia extat Inſcriptio.

Pontificum ſplendor iacet hic, ſacrique Senatus,
Namque animo Petrus, pectore Cæſar erat.
Hunc genuit Bætis, rapuit ſed Roma, tenetque,
Corpora velat humus, ſpiritus aſtra colit.
E
Imputat hunc Bætis Latio, cui fama perennis
Puniceo ſacro vertice fulſit apex.
Victus honor meritis, contempta, & munera vitæ,
Dum meliore ſui viuere parte cupit.
Aetheres qui magna fuit tutela Senatus,
Ioannes iacet hic CARVAIAL gentis Ibera,
Angelus in titulo, Princeps, & Epiſcopus almi
Portus, cuius habet meritis iam ſpiritus aſtra.

Vir fuit eximiæ virtutis, in laboribus pro Apoſtolica ſede aſſiduus & nunquam animo feſſus: prudentia, robore animi, amoreque in Rempublicam Chriſtianam, & Apoſtolicam ſedem clarus. Pius huius nominis Secundus, Romanus Pontifex Anconam proficiſcens,
F
vt inde cũ Crucesignatorum exercitu in Turcas contenderet, eum ſolebat præmittere, vt milites in Peloponneſum traduceret. Sed quia is ætate confectus, & laboribus pro Dei Eccleſia exantlatis attritus erat, verecundè demandabat prouinciam, non imperando, ſed innuendo: Ioannis vox humilitatis, & fortitudinis vna eademque ſemper fuit. *Si is ſum Pie ſumme Pontifex, quem tantis rebus idoneum iudices, ſequor ſine mora imperium tuum, & certè etiam exemplum, qui in fragili valetudine animam pro me, & pro ceteris ouibus tuis ponis. Scriptum mihi eſt: veni, ecce adſum; imperatur vt vadam, iam iter ingredior, pars hæc vitæ vltima Chriſto neganda non eſt.* Cum Anconam perueniſſet Pius, magnum Turcarum exercitum prope Raguſiam conſediſſe intellexit, Ioannem Caruaial conſuluit,

Card. Papienſ. in Commẽt.

Ciaconius. Panuinius. In Chron. in Chronol. Epiſc. Galliæ. Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana. Ferdinād. Vghel. in Addit. ad Ciaconiū. Pet. Frizō. in Gallia Purpur. Aubery in vita.

VIII.



LVDOVICVS de Lucemburgo, quem alij de Bar vocant, filius Ioannis Lucemburgij, Domini de Beaureuoir, & Mariæ Anguianæ, frater Petri Comitis, & Domini paternorum municipiorum, & Ioannis magni copiarum Ducis, præfuit Lutetiæ Cameræ Regiæ, & Cancellarij munere functus eſt ſub Henrico V. Angliæ Rege Galliam occupante, & aſſuit filio eius Henrico coronādo à Cardinale Vinceſtrienſi in Aede Metropolitana Pariſienſi. Deinde Morinenſis Epiſcopatus geſſit lituum, & interfuit Concilio Baſileenſi, demum Rothomagenſis creatus Archipræſul anno reparatæ ſalutis 1436. Hunc Eugenius Florentiæ in Synodo Presbyterum Cardinalem titulo SS. Quatuor Coronatorum nominauit anno 1439. E viuis in Anglia, & non in Gallia ſublatus anno 1443. die 4. Octobris, & iacet in Elienſi Eccleſia, cuius Epiſcopatu fuerat donatus.

Felix Contelor. in Elencho. Ferdinād. Vghel. in Ital. ſac. Pet. Frizō. loc. cit.

Ludouicum hunc Ciaconius, ſed qua ratione ductus, non video, contendit vocandum Ludouicum de Bar, & falsò vocari Ludouicum de Lucemburgo; ſed à ſcriptoribus Gallicis, atque in Eugenij Quarti Diplomate dato anno 1442. Ludouicus non de Bar, ſed de Lucemburgo nominatur. Scribunt aliqui anno 1442. ex Presbytero Cardinale renunciatum ab eodem Eugenio fuiſſe Epiſcopum Tuſculanum; imò Frizonius, qui in eadem ſententia eſt, relicto titulo SS. Quatuor Coronatorum, illum SS. Petri, & Marcellini ante Epiſcopatum Tuſculanum obtinuiſſe affirmat. Nullam tamen huiuſce mutationis memoriam ſe inueniſſe in Vaticanis monumentis Felix Contelorius teſtatus eſt, fides igitur ſit penes illos.

Scutum huiuſce Cardinalis argenteum leone muricato corona, lingua, faciubs aureis, decuſſata cauda expreſſum; aliud omnino ab hoc, illi Ciaconius olim tribuerat.

Ciaconius. Panuinius.

IX.



ISIDORVS Theſſalonicenſis, monachus S. Baſilij, & Abbas S. Demetrij Conſtantinopolitani, Archiepiſcopus Ruthenorum cum Beſſarione ad Concilium Florentinum conueniſſet, ac vtriuſque virtus, & pietas non modò ipſi Pontifici Romano, ſed toti Concilio etiā maximè probaretur, ab Eugenio IV. Florentiæ in ipſo Concilio adſcriptus eſt Presbyteris Cardinalibus titulo SS. Petri, & Marcellini. Refert Alexander Guagnius Veronenſis in ſua Sarmatiæ Europeæ Deſcriptione, vbi de Ruthenorum, Moſcouitarum, aliorumque eiuſdem Sarmatiæ populorum moribus, & religione agit, Iſidorum Cardinalem, poſtquam in Synodo Florentina Eccleſias Ruthenicas, abiectis Græcorum ritibus, cum Romana Eccleſia vniuiſſet, Pontificis iuſſu in Ruſſiam reuerſum, ibique cum propoſitum ſuum, & tentam concluſam proponeret, eoſque ex verbo Dei ad vnitatem, & concordiam fidei inſtrueret, captum, & omnibus bonis ſpoliatum in carcerem coniectum eſſe. Fuere namque ij populi, ex quo ſemel ritus, & errores Græcorum imbiberunt, adeo eorum tenaces obſeruatores, vt nullis ceterorum græciſmi profeſſorum ceſſerint, multis etiam præceſſerint. Adeo etiam, vt ſcribit Gobellinus, vel Pius Papa II. in ſuis Commentarijs, cum Eugenius miſiſſet ex Hungaria viros Religioſos, qui prædicarent fidem Chriſtianam, alijs populis regionem quandam vltra Tanaim incolentibus, qui Deos more Gentilium, & Idola colerent, ritúque propemodum ferino vitam agerent, interiacentes Ruthenos tranſitum vetaſſe, perire potius in errore Idololatras volentes, quàm Romanæ ritum Eccleſiæ ad eos deferri. Non ſic tamen Rutheni, qui Regni Poloniæ finibus continebantur; hos enim tradunt, eiuſdem Iſidori ſollicitudine, & Vladiſlai Regis beneficentia, ac priuilegijs definitionem Florentinam ſuſcepiſſe, ac multo tempore retinuiſſe.

Henricus Spondan. in Annal. Eccleſiaſt.

De Iſidori verò Cardinalis vitæ periculo, alijſque ærumnis apud Ruthenos diſtinctius agens Michouius ait, eum anno 1440. in Ruſſiam miſſum vnà cum Diplomatibus Apoſtolicis plumbeis, & Imperatoris Conſtantinopolitani aureis intraſſe in Sandech oppidum Poloniæ feria ſexta Paraſceues, ibique per Sbigneum Epiſcopum Cracouienſem hoſpitio fuiſſe receptum, & ad celebrandum diuina more ſuo Græco, tanquam Eccleſiæ Romanæ reunitum admiſſum. Vnionem tamen illam Eccleſiæ Latinæ, & Græcæ breuiuſcule durâſſe, Græcis, & Ruthenis illam irridentibus, & contemnentibus; atque inde dum Iſidorus Cardinalis ad ſuos Suffraganeos in Ruſſiam, & Moſcham veniſſet, & illam vnionem eis prædicaret, per Principes Moſchæ captum, & in carcere recluſum omnibus rebus ſpoliatum fuiſſe; de hac tamen captiuitate, fauente Deo fuga euaſiſſe, & Romam reuertiſſe cōſtat. Vnde poſtea ab ipſo Eugenio Conſtantinopolim ad Imperatorem miſſus Legatus, vt concordiam, & Chriſtianæ fidei fœdus, quam Græci cum Latina Eccleſia Florentię ſemel profeſſi erant, ſua adhortatione præſentiaque ſartam tectam ſeruaret. Mortuo Eugenio, ſub Nicolao V. eodem munere fungens ibi permanſit, vnitati illi ſeruādæ operam omnem adhibens. At cum Græci nihilominus in perfidiam, atque hæreſim leuiſſimè iterum relapſi fuiſſent, certiſſima Dei optimi prouida vindicta factum eſt, vt non multo poſt, qui Spiritui ſancto iacta, cuius per ſummam impietatem proceſſionem ex Patre, & Filio impugnauerant, validiſſimo Turcæ ſuccincti exercitu, Conſtantinopolim Orientalis Imperij caput, ac ſedem expugnarent, & captam vſque ad internecionem barbara immanitate vaſtarent. In qua calamitate Cardinalis cum iacente cadauere per tumultum veſtibus commutatis, cladi ſeſe proripuit, ſed qui emenento cultu mortem effugerat, haud pari felicitate ſeruitutem euaſit, ſiquidem captus eſt, atque in ſeruitutem abductus. Inter ea cadauer, quòd purpuratum Eccleſię Senatorem mentiebatur, qui deſideratorum numerum inibant, & explorabant, ingenti elati gaudio repererunt, & eiuſdem præcitum caput roſeo pileo protectum haſtæ infigunt, perque compita, plateas, & vias captæ ciuitatis deportant, illud eſſe caput Cardinalis Rutheni præcone clamante; interim viuus ille apud Turcarum Principem ſordidis miniſterijs deſtinatus latebat. Qua ſeruitute trecentis aſperis tandem ſe exoluit, ac tranſuerſo curſu Romā peruenit, vbi vſque ad annum 1463. vitam produxit. Ibi à Nicolao V. Eugenij ſucceſſore 7. Idus Februarij anni 1452. dictus eſt Epiſcopus Sabinenſis, & Commendator Eccleſiæ S. Agathæ, & Epiſcopatus Corutienſis ſiue Ficedenſis: rexit Epiſcopatum Corphienſem, Nicaſienſem, & Pij II. iuſſu Patriarchatum Conſtantinopolitanum.

Ferdinād. Vghel. in Ital. ſacra. Andr. Victorell. in Addit. ad Ciaconiū. Aeneas Sylvius in Commēt. Hier. Gerumbert. Felix Contelorius in Elencho.

Tandem ſub Pio II. Romæ non die 8. Martij, anni 1464. vt ſcripſere cum Ciaconio alij quamplures; ſed ex libro Diuiſionum in Vaticana Bibliotheca ſeruato, die 27. Aprilis anni 1463. naturæ debitum ſoluit, & apud ſanctum Petrum in Vaticano conditus.

Scripſit de Capta Conſtantinopoli, & Negroponte.

Diſputationes item aliquot Concilij Florentini Actis interſperſæ leguntur.

Nomencl. Cardinal.

Græcè edidit in Natiuitatem B. Virginis Orationem vnam.

Alteram in Præſentationem eiuſdem.

Aliam in Annunciationem.

Quartam in Aſſumptionem eiuſdem.

Hippol. Marrac. in Bib. Mar.

Has in Latinam vertit linguam Ioannes Matthæus Caryophilus Cretenſis Archiepiſcopus Iconienſis, ſed nondum prodierunt in lucem.

A Nicolao V. Cardinalem Ruthenum Legati honore auctum Conſtantinopolim miſſum, vt Græcos ad agnoſcendum Eccleſiæ Romanæ Primatum induceret, à Chronico Magno Belgico narratum, & Cardinalem ſanguinem fundere voluiſſe, capta à Turcis Conſtantinopoli, ſed coactum à ſeruo in Templum ſe recepiſſe, captum deinde a Turcis, ſed redemptum poſtea Romam veniſſe. Scribit autem illius Chronici auctor ſe ex Henrico Zomereu Theologo collegiſſe, quæ de illo memoriæ prodidit. Georgius Franza Protoueſtiarius Græcus illius æui ſcriptor hæc de eodem, quæ exſcribo, quoniam hiſtoriæ lucem afferunt. *Cardinalis Ruſſiæ, & ego cum venerando, & beatæ memoriæ Domino meo Imperatore de eo in Patriarchatum Conſtantinopolitanum aſciſcēdo ageremus; tum enim Papam illius temporis eius auctoritate ad ſubſidium mittendum commoueri poſſe, multa diſputatione, ſermone, & conſultationibus habitis, idem Cardinalis Domino meo vnum ex duobus omnino futurum oſtendit: Sibi namque Patriarcha creato, neceſſario fere omnes obedire, aut diſſidia diſſenſioneſque inter ipſum, & rebelles exiſtere; interea ſi nobis foris bellum inferretur, & haberemus etiam bellum intus, quantum eſſet hoc mali? memoriam autem Papa in ſacris hac neceſſitate noſtra propter ſpem auxilij fieri placuit.* Iacobus Pontanus Societatis Ieſu in notis ad hunc locum ait, Georgium Iſidoro Cardinali Rutheno locutum, & cum à ſuis pulſum, ac Romam reuerſum, à Nicolao V. Conſtantinopolim ad res denuo componendas Legatum miſſum, idque præſtitiſſe. Reconciliationem autem nimis letam fuiſſe, illum verò captum Galatam ductum, ac venditum ignotum in Peloponneſum, cognitum nunquam eò perventurum, euaſiſſe: de qua re Laonicus Chalcondilas. *In hac rerum turba miſerabili captus eſt Cardinalis Iſidorus Sarmatarum Antiſtes, qui ductus in Galatam Vrbem venditus eſt, & conſcenſa naui profugit in Peloponneſum. Si Rex Turcarum virum hunc nouiſſet, videlicet quod Cardinalis eſſet, certè eum interfeciſſet; cum eum inter ceteros occiſum putaret, nullam eius rationem habebat.* Tertius poſt Imperatorem Græcorum Concilio Florentino his verbis pro Antiocheno Patriarcha ſubſcripſit. *Iſidorus Metropolita Kiouien: totiuſque Ruſſiæ, & locum tenens Apoſtolicæ ſedis ſanctiſſimi Patriarchæ Antiocheni Domini Dorothei ſatis habens ſubſcripſi.* In eadem Synodo pluries Iſidori mentio fit; ſeſſione 25. cum age-

Andr. Victorell. in Addit. ad Ciaconiū.

retur de

tetur de proceſſione Spiritus ſancti, is ante Beſſarionem dixit. *Dicimus Spiritus ſancti proceſſionem Filio quoque tribui non ſolum a patribus Occidentalibus, ſed etiam Orientalibus: quapropter æquum eſt, vt Sanctos noſtros ſequentes cum Romana Eccleſia coniungamur.* Erat autem Iſidorus Græcorum Theologiam doctus, & in dicendo apprimè grauis facundiam illius tanquam ex vngue leonē, ex epiſtola, qua in Thracia Byzantij direptionem, & luctuoſum funus luxit, Paulus Corteſius de Cardinalatu perſpectam habuit.



Fed. Pedone in hiſt. famil. Fliſcæ. Ciacconius. Panuinius. Aubery in vita. Carol. Carthari in Syllab. Aduocat. Cōſiſtorial. Marſ. de Grima de in Bāſtuaria Genuenſi.

X.

GEORGIVS Fliſcus, nobilis Genuenſis, ex Comitibus Lauagnæ, filius Hectoris, Sauignoni Domini, Marianenſem primò in Corſica Epiſcopatum, deinde Eccleſiam Iauuenſem anno 1436. & in gratiam Thomę Fregoſi Ducis Reipublicæ Genuenſis purpuram ab Eugenio IV. obtinuit; nam anno 1439. inter Presbyteros Cardinales titulo S. Anaſtaſiæ cooptatus eſt. Interfuit Comitijs, in quibus renunciati ſunt Romani Pontifices Nicolaus V. Calliſtus III. & Pius II. præfuit Nicolai V. iuſſu ab anno 1453. vſque ad obitum Eccleſiæ Oſtienſi, & Veliternenſi; legationis munere functus eſt in Liguria. Romæ ſacri Collegij Decanus deceſſit non anno 1481. ſed ex ſepulchrali Inſcriptione die xj. Octobris anni 1461. eius poſtea corpus Genuam tranſlatum, ac tumulatum in Cathedrali in pernobili ſepulchro cum ſequenti Epitaphio.

Ferdinād. Vghel in Ital. ſac. Felix Cōtelor. in ſuo Elencho. Nomencl. Cardinal.

SEPVLCHRVM REVERENDISSIMI DOMINI D. GEORGII
EPISCOPI OSTIENSIS CARDINALIS FLISCI
ARCHIEPISCOPI AC PROVINCIAE GENVENSIS LEGATI
QVI OBIIT ANNO MCCCCLXI. DIE XI. OCTOBRIS.

Ferdinād. Vghel in Ital. ſac.

Naulenſem Eccleſiam, anno 1447 commendatam habuit, & poſt exceſſum Matthæi de Coretto, anno ſcilicet 1448. Albingauenſem, primam anno 1448. alteram anno 1459. Neapoleoni Fliſco ceſſit, & reſignauit.



Ciacconius. Panuinius. Andr. Victorell. in Addit. ad Ciacconū. Andr. Barbat. de perfect. Cardinal. Paul. Corteſius de Cardinal. Philelph. in Epiſt. Aeneas Sylu. in ſuo Comment. Card. Papienſ. in Epiſtolis.

XI.

BESSARION natione Græcus, patria Trapezuntius, monachus S. Baſilij, ante monachatum Baſilius dictus, à puero operam dedit literis primò in patria, deinde in Vrbe Conſtantinopolitana, ſcientiarum tunc temporis matre, ſub diſciplina Georgij Gemiſti Plethonis Cōſtantinopolitani. Vir quo nemo ſuorum æqualium Chriſtiana pietate ſpectabilior, nemo admirabilior doctrina, nemo denique generoſis moribus ornatior. Archiepiſcopus Nicenus primò renūciatus ad Synodum Florentinam acceſſit, in qua ab Eugenio IV. Presbyteris Cardinalibus titulo ſanctorum XII. Apoſtolorum adſcriptus; à Nicolao verò V. Epiſcopus Sabinenſis primò, mox Tuſculanus dictus, Patriarchatum Conſtantinopolitanum, & Eccleſiam Pampilonenſem rexit. Interfuit Concilio Ferrarienſi, & Florentino; & in prima ſeſſione Ferrarienſis habita die octauo menſis Octobris anni 1438. in Sacello palatij; cum enim Eugenius Pontifex podagra laboraret, Epiſcopalem Eccleſiam, vbi Synodus fuerat indicta, adire non poterat, Beſſarion Nicenus facundiſſimus Orator, ætate adhuc iuuenis, ſed doctrina, & grauitate venerabilis, accepta priùs ab Imperatore, & Patriarcha dicendi facultate; poſt profundam incuruationem, orationem habuit luculentiſſimam, quæ extat in Actis, qua exultans de hac die, quam feciſſet Dominus pro vnione totius Eccleſiæ, ſanctiſſimam Trinitatem, ac ſingulas eius Perſonas laudauit, & inuocauit, ac Pontificem, Imperatorem, Patriarcham, & vniuerſum cœtum pariter laudans de ſancto omnium deſiderio, hortatus eſt ad conſtantiam, & perſeuerantiam, vſque ad ſuſceptæ rei conſummationem. Deinde in Florentino contra Marcum Epheſinum, qui Latinos hæreſis accuſabat ob additionem vocis *Filioque* Beſſarion pro Spiritus a Filio proceſſione fortiter agens, & hanc Sanctorum etiam Patrum Græcorum doctrinam eſſe confirmans, qui ſanè nec fuiſſent, nec dici poſſent Hæretici. Habuit inſuper ad ſuos Græcos elegantiſſimam, & admodum prolixam orationem dogmaticam in decem capita diſtinctam pro vnione facienda, qua in primis de cauſis Schiſmatis agens docuit tametſi ante generale Concilium aliqua Græcis

Henricus Spondan. in Annal. Eccleſiaſt.

de ſua a Latinis diuiſione excuſatio fuiſſet; nunc tamen celebrato Concilio œcumenico non poſſe ipſos abſque ſcelere diuidi ab eis, niſi eos à veritate deuiaſſe probarent. Neceſſe eſſe tam Occidentales, quàm Orientales Doctores inuicem eſſe concordes; & quamuis nulla omnino eſſet in propoſita quæſtione Doctorum contradictio, ſi tamen aliqua appareret, conandū magis eſſe eos conciliare, quàm erroris accuſare, ac ſibi potiùs ignorantiæ culpam imputare, quàm illos credere diſcordare. Ad intelligentiam illorum Doctorum, qui obſcurius locuti eſſent, vtendum illis, qui clarius loquerentur: ipſos Orientales Doctores idem cum Occidentalibus de proceſſione Spiritus ſancti ſentire, manifeſtè intelligi ex ſolis præpoſitionibus *per*, & *ex*, quibus vſi ſunt ad eam exprimendam, cum partim dixerunt, Spiritum ſanctum ex Patre per Filium, partim ex Patre, & Filio procedere. Quibus ſi addatur omnium Patrum Occidentalium probatiſſima aſſertio de proceſſione ex vtroque, & ita ex Filio, ſicut ex Patre, & principium Spiritus Filium eſſe ſicut ipſum Patrem; & vnum & idem eius principium eſſe Patrem, & Filium ſimul, non duo principia. Futiles eſſe obiectiones de corruptis per Latinos codicibus Patrum, qui prædicta teſtentur. Nec minus in hac quæſtione verba *mitti, profluere, prodire, emanare, ſcaturire, oriri*, & alia huiuſmodi, quibus Græci vtuntur, quàm *procedere* ſignificare; nec denique alias, quas Græci comminiſcuntur, euaſiones vllius eſſe momenti. Nihil ampliùs reſtare, quàm vt perfecta fieret vnio Eccleſiæ, ad quam eos magno affectu, & efficaciſſimis rationibus hortatus eſt, nè ſi Schiſma continuaretur, animarum ſimul & corporum interitum paterentur. Auctor igitur huiuſce vnionis Eccleſiæ Græcæ cum Latina ab omnibus meritò habitus eſt Beſſarion.

Qui poſt adeptam Purpuram Germanica legatione functus, Federicum, ac Sigiſmundum Cæſares fratres periculoſa ſeditione laborantes coniunxit; quòd adeo feliciter, cumulatèque præſtitit, vt non modò inter vtrunque fœdus pacis dicatur ſanxiſſe, ſed etiam, conſociatis armis, animiſque armaſſe in Turcas. Apud quos, cum iam inſtructis aciebus ad certandum ſtarent, tantùm valuit auctoritate, & facundia, vt ambæ partes ſedato omni tumultu, & pace inter ſe inita, ab armis & cæde diſcederent. Sub Pio II. ad Principes Chriſtianos miſſus eos conciliauit, & fœdere ad bellum cōtra Turcas vniuit: triremem contra Turcas ære ſuo inſtruxit, & Anconam ad Pium perduxit. A Venetis Legatus Apoſtolicus Bucentauro cum magno honore exceptus, in S. Marci platea miro ardore animi ſacrum bellum ſuaſit, ac vulgauit, ita vt ad eius eloquentiam plerique æſtuarent ad prælium. In hac legatione Iudex conſtitutus de corpore S. Lucæ Euangeliſtæ, quòd in æde S. Iuſtinæ quieſcere Benedictini monachi affirmabant. Plures illius Vrbis Eccleſias ſacris donis affecit, in illarum vna hodie quoque eius munificentiæ extat hæc memoria.

Robertus Bellarm. de Script. Eccleſ.

Si quando fratres oculos huc adieceritis,
BESSARIONIS CARDINALIS memoriam
piè colere ne grauemini, qui Maiorum veſtrorum in ſe animum, atque obſeruantiam gratè reputans, Ligno Crucis ſanctiſſimo, Seruatoris Chriſti Tunica, multiſque præterea religioſiſſimis, ac pretioſiſſimis muneribus ſe ipſum priuans, ijs ſacrarum Veſtium, & vetuſtate, & ſanctimonia apud omnes clarum, viuēs perpetuò donauit.

Vrſati Iuſtiniani claſſis Imperatoris Vexillo benedixit, eidemque cum imperio abeunti more maiorum ſolemni ceremonia de Turcis victoriam precatus eſt. Mox Religioſorum pompam per Vrbem Venetiarum duxit, decimas, vigeſimas, ac trigeſimas impoſuit, & plenarias Indulgentias publicauit his, qui ſanctam expeditionem aut ære, aut manibus adiuuarent.

Poſt obitum Dominici Capranicæ Cardinalis ordinis Minorum Protectoris, rogauit Miniſter generalis Calliſtum III. Romanum Pontificem alium ſubſtitui, accepit die decima Septembris anno reparatæ ſalutis 1458. Beſſarionem Trapezuntium Cardinalem, qui ſummo ſtudio inuigilauit ordinis incremento, & regularem obſeruantiam ſemper promouit.

Luc. Vuadding in ſuis Annal. Minorum.

Rauennæ Exarchatum, & Bononiam nobiliſſimam Italiæ ciuitatem, ac ſtudiorum matrem inflexibili iuſtitia, & æquitate Legatus adminiſtrauit. Academiam illam nobiliorum artium tutiſſimum domicilium in priſtinam dignitatem reſtituit, nobilibus illuc artibus reuocatis, quæ iam inde ob ciuiles diſcordias, & armorum tumultus cœperant exulare. Dominium Eccleſiæ, & auctoritatem ſedis Apoſtolicæ in ea maximè ſtabiliuit, ac totis viribus Vrbem illam in Eccleſiæ fidem reduxit, Tyranno Bentiuolo perturbatore repreſſo, & fugato. In æde Bononienſi Seruorum B. Mariæ hæc legitur de Beſſarione memoria.

Aubery in vita. Felix Cōtelorius in Elencho. Paul. Iouius in Elogijs. Ant. Sand. in elogijs Cardin. Henricus Albi in elog. Card. Lauren. Schrader. de monumentis Italiæ.

BESSARIONI EPISCOPO TVSCVLANO
CARDINALI NICENO
BENEFACTORI NOSTRO.

Apud Regem Angliæ, Ducem Burgundiæ, & demum in Gallijs

pro defen-

A pro defenſione fidei Catholicæ contra Turcas Legati Apoſtolici munere functus eſt. Cardinalis Papienſis cognoſcens Beſſarionem apud Pontificem neceſſarium, eiuſque auctoritatem in Gallia magnam eſſe, ſcripſit: *Si mittitur Nicenus, quis hic reliquus erit? ſi non mittitur, quis alter mittetur?* In hac legatione tamen à Ludouico huius nominis Vndecimo Galliarum Rege parum honorificè exceptus, haudis, ac perfidiæ facetè perſtrictus eſt, cum his illum ſalibus, contrectata blandè eius barba, quam promiſſam, & pexam ad delicias gerebat, ex porrecto ad inimicam hilaritatem vultu, ac pronunciato hoc verſu apud Grammaticos trito, ac decantato aſperſit.

Barbara Græca genus retinent quòd habere ſolebant.

Innuere quippe, vt erat politulus, & acutulus ingenio Rex voluit, quod barbarorum Græcorum nominum exemplo, quæ idem apud Latinos, quòd apud Græcos genus retinerent, pariter ipſe homo Græcus Græcam fidem, lubricam ſcilicet ſuſpectamque haberet; cuius proinde dicta, ac promiſſa floccipenderet. Ob quæ Beſſarion ingenti contracto mœrore, infecta re è Gallia Romam verſus diſceſſit, in itinere Rauennæ morbo correptus, de Eccleſia Romana, & Græca optimè meritus, omnium ingenti mœrore, anno ætatis ſuæ 77. deceſſit die 18. Nouembris anno 1472. ſeu ex alijs die 14. Decembris anni 1473. Eius corpus Romam delatum, poſt exequias illi celebratas, quibus interfuit Xiſtus IV. Romanus Pontifex, in ſacello à ſe conſtructo in Eccleſia SS. Apoſtolorum honorificè, Baptiſta Platina in eius funere orante, conditum eſt cum hoc Epitaphio.

Felix Contelorius in Elencho. Ciaconius. Aubery in Vita.

ΤΟΥΤ' ΕΤΙ. ΒΗΣΣΑΡΙΩΝ
ΖΩ͂Ν. ΑΝΥΣΑ. ΣΩΜΑΤΙ,
ΣΗ͂ΜΑ.
ΠΝΕΥ͂ΜΑ ΔΕ ΦΕΥΞΕΙΤΑΙ.
ΠΡΟΣ ΘΕΟΝ ΑΘΑΝΑΤΟΝ.

Beſſarion feci hunc tumulum, qui conderet oſſa,
Veneras vnde olim ſpiritus aſtra petit.

BESSARIO EPISCOPVS TVSCVLANVS
SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE CARDINALIS
PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANVS
NOBILI GRAECIA ORTVS ORIVNDVSQVE
SIBI VIVENS POSVIT
ANNO SALVTIS MCCCCLXVI.

Nomencl. Cardinal.

Extant apud Iouium aliæ duæ Beſſarionis Inſcriptiones ſepulchrales, & ſunt.

Maiorani.

Viuens adhuc feci hoc ſepulchrum corpori
BESSARION ad Deum remittens ſpiritum:
Me docta genuit Græcia, at honores dedit
Vrbs Roma, quæ mihi perpetuò eſt patria.

Altera.

Iani Vitalis.

Non tibi ſit laudi ſanctum celebraſſe Platonem
Caſtaque Socratici frana pudicitiæ:
Non quod virtutum exemplum, quod lumen honoris
Quod Sol extinctæ Religionis eras,
Verùm quòd per te migrauit Græcia Romam
Et didicit Latios Attica Muſa ſonos.
Per te hinc Romanas miratur Tybris Athenas,
Argolicam, & Romam Græcia BESSARION.

Bibliothecam optimis Libris inſtructam moriens legauit Venetis: extat hac de re eiuſdem Beſſarionis epiſtola ad Ducem, & Senatum Venetiarum libro primo epiſtolarum ad Principes; & ne huiuſce doni memoria cum ſeculo periret, hanc inſcripſerunt Bibliothecæ memoriam.

BESSARIONIS CARDINALIS ex Legato, Senatus iuſſu Procuratorum D. Marci cura Philippi Truno, Anton. Capell. And. Leono, Victor. Grimano, Ioan. à Lege hæc Bibliotheca inſtructa, & erecta M. Antonio Triuiſano Principe, Anno ab Vrbe condita MCXXXIII.

Beſſarionem Eugenius IV. Nicolaus V. & Pius II. ſufficere ſibi exoptaſſent, ſi fas eſſet, vt in Elogio eius auctor eſt Iouius; neque optime de Republica merito Senatorum ſtudia defuiſſent, ſed Paulo II. morte ſublato, in Comitijs fatalis caſus tantæ ſpei fortunam auertit. Ferunt enim tres ſummæ auctoritatis Cardinales cum, vt Pontificem ſalutarent, abditum in cella Conclauis adijſſent, nec admitterentur à Nicolao Perotto ianitore, quòd tum vir ineptus lucubranti parcendum diceret, vſque adeo ſtomacharos, vt ſeſe indignanter auertentes reſponderent. Ergo nec prænſanti nec roganti quidem ſumma dignitas erit inculcanda, vt cum è cœlo ſuffragia expecter, ſuperbis demum, ac ſtolidis ianitoribus pareamus? ac ſtatim ſuffragia alteri detuliſſe. Quo repente renunciato, adoratoque Beſſarion dixiſſe fertur; hæc tua Nicolae intempeſtiua ſedulitas, & tiaram mihi, & tibi galerum eripuit. Rem tamen hanc aliter narrat Giraldus. Cum eſſet iam omnium ferè votis ſummus Pontifex deſignatus Beſſarion, nocte acceſſit ad eum Latinus Vrſinus inter Cardinales ampliſſimus, rogans eum, vt ſibi, & Vrſinæ familiæ vellet neſcio quæ priuilegia ſcripto confirmare; quòd ſi faceret, & ſua, & ſuorum amicorum Cardinalium ſuffragia, quæ vulgo vota vocantur, daret. Ille vt erat homo integerrimus, admodum ſeuerè reſpondit, ſi ea ipſa priuilegia maieſtatem Pontificiam, & honorem ſanctæ ſedis continerent, omnia facturum. Indignatus Latinus tali reſponſo, ſe, &
B ſuorum ſuffragia ad Fr. Franciſcum de Ruuere ordinis Minorum Cardinalem conuertit, qui ſequenti die renunciatus Romanus Pontifex, dictus eſt Xiſtus IV. Poſt obitum Nicolai V. Beſſarionem Cardinales Romanum Pontificem peroptauerant, ſed Cardinalis Aueniononſis opera Pontificatum amiſit; ſic enim Pius II. hiſtoriam narrat. *Cardinales peracto funere, de Succeſſore ſolliciti, ac Conclaue, vt moris eſt, ingreſſi, varijs conſultationibus agitati ſunt; eratque admodum difficile duas Collegij partes in vnum conuenire, ſcrutinioque ſemel atque iterum incaſſum peracto collocuti ſunt inter ſe aliqui extra locum ſcrutinij, Beſſarionemque Cardinalem Nicenum eligere decreuerunt, quod is omnium aptior ad Rempublicam gubernandam videretur, conueniebatque numerus in eum ſufficiens, nec dubium videbatur, quin ſequenti ſcrutinio Pontifex à duabus partibus eligeretur, iamque ad eum ſupplicationes deferebantur. Quòd vbi ad aures alterius partis delatum eſt, Alanus Cardina-*
C *lis Aueniononſis nunc iſtum, nunc illum circumueniens; ergo, inquit, Eccleſia Latina Græcum Pontificem dabimus? & in capite libri neophitum collocabimus. Nondum barbam raſit Beſſarion, & Noſtrum caput erit? en paupertas Eccleſiæ Latinæ, quæ virum non reperit ſummo Apoſtolatu dignum, niſi ad Græcos recurrat; Sed agite Patres quodlibet, ego, & qui mihi credent, in Græcum Præſulem nunquam conſentiemus. Mouerunt ea verba nonnullos, adeo vt duæ partes Collegij nullo pacto ad Beſſarionem accederent. Qui cum vna nocte Pontifex conſtanti omnium opinione habitus eſſet, adueniente luce Cardinalem ſeſe reperit aliquanto minoris famæ, quam antea fuerat, vt his accidere ſolet, qui magna è ſpe ceciderunt.*

Habitabat Cardinalis ad radices montis Quirinalis, vnde in Vaticanum decoro maximè comitatu quotidie deduci ſolebat: in illo ſæpe Trapezuntius, Argyropilus, Philelphus, Blondus, Leonius, Aretinus, Poggius, Valla, Campanus, & Platina conſpecti ſunt, præ-
D ter Theodorum Gazam, Plethonem, Andronicum Theſſalonicenſem, Domitium Calderinum, Nicolaum Perottum, & Valerium Viterbienſem, quos in famulatu habebat, vnde *Literarum Patronus* omnium voce dictus.

Scripſit aduerſus Marcum Epheſinum de Spiritu ſancto male ſentientem.

Iacobus Gaddi de ſcript. non Eccleſiaſt.

In illud Ioannis: *Sic eum volo manere.*

In Phyloſophiæ Platonicæ Laudem, libros quinque ad Græcorum Imperatorem.

Nomencl. Cardinal.

De obitu Imperatricis Conſolationem libros tres.

De eo quòd per ſe ſubſiſtit, ad Plethonem, ſiue Gemiſtum, cuius diſcipulus fuerat.

In Calumniatorem Platonis libros quatuor.

De Natura, & Arte aduerſus Trapezuntium, an Natura & Ars conſultò agant.

E De Euchariſtia, ſeu Cœna Dominica, vnà cum eiuſdem Apologis contra Georgium Polanum à Petro Arcudio Latinam factam.

Laudes Patriæ ſuæ, & Iſthmi libris duobus.

De Proceſſione Spiritus ſancti aduerſus Alexandrum Laſcarem.

Eruditam Trinitatis Explicationem.

Orationes de Bello aduerſus Turcas ſuſcipiendo.

Epiſtolas plures, & Carmina varia.

Contra Ariſtotelis ſequaces in defenſionem Platonis librũ vnum.

De Vnitate Sermonum.

Ariſtotelis Metaphyſicorum libros 14. }
Theophraſti Metaphyſices librum. } Latinis auribus dedit.
Xenophontem de factis, & dictis Socratis. }

F Huiuſce opera m. ss. Venetijs in inſigni Sereniſſimæ Reipublicæ Bibliotheca extare teſtatur in Apparatu ſacro, Antonius Poſſeuinus Societatis Ieſu: Viennæ Auſtriæ in Cæſaris Bibliotheca, eiuſdem Cardinalis librum m. s. de Euchariſtia, vnà cum Apologia de Proceſſione ſancti Spiritus, & cum Methodo cognoſcendi quot horis Luna fulgeat, cum erudita Explicatione Trinitatis, & Catholica Epiſtola ad Græcos.

Ipſe ex Græcis primus in Concilio Florentino, in quo, vt diximus, conciliata fuit Græca cum Latina Eccleſia, confeſſus eſt articulum illum de proceſſione Spiritus ſancti ſimul à Patre, & Filio tot ſeculis inter Græcos dubium. Beatæ Roſæ Viterbienſis acta, Pontificis iuſſu diligentiſſimè excuſſit. Monaſterium Grottæ, ſeu Cryptæ Ferratæ, & maximam Eccleſiæ partem reſtaurauit, veſtibus ſacris, & va-

ſis aureis, & argenteis, aliiſque ad diuinum cultum neceſſarijs rebus donatis. Pius II. Abbatem Calabrum Cryptæ Ferratæ in Sicilia Archimandritam inſtituerat, & Cœnobium agri Tuſculani eiuſdem Cryptæ Beſſarioni Cardinali commendauerat, teſte Aenea Syluio in Commentarijs. Eo in loco Ciceronis villam fuiſſe, in qua Quæſtiones Tuſculanæ conſcriptæ, nonnulli dixere; id innuit Tuſculani proſopopœia Franciſcus Lucidus.

Exciſum quid ego Xiſtum, quid mœſta ruinam
Porticus augentis Tuſcula Villa querar?
Sit fas, vel magnum Ciceronem odiſſe colonum,
Dum iactem Dominum Beſſariona meum.

Hippolit. Marrac. in Purp. mar.

Inter alia propenſæ ſuæ erga Deiparam Virginem voluntatis teſtimonia, præter Monaſterium S. Mariæ Cryptæ Ferratæ prope Tuſculanum, agri Bononiæ etiam in Eccleſia S. Mariæ in Monte multa conſtruxit, atque ibi ante Deiparæ Virginis imaginem, ſe poſitis genibus orantem pictoris egregij manu exprimendum curauit.

Laudatur Beſſario ab Andrea Barbatia, à Paulo Corteſio, à Philelpho, à Cardinali Papienſi, à Pio II. & à Campano hoc carmine.

Nonne vides quantus nobis ſit Deus alter, & omni
Tempore, cumque ſuo pariter victurus Homero
BESSARIO, cuius ſub pectore totus Apollo eſt,
Quem tulit, vt fieret priſcis celebratior ætas
Noſtra, nec à magno vincamur, vt ante Platone.

De præſt. Cardin.
De Cardinalatu.
In Epiſtolis.
In Commentarijs.

Laudatur à Cardinali Bellarmino de Scriptoribus Eccleſiaſticis; à Famiano Strada in nobili volumine Proluſionum Academicarum vir ſanctimonia æquè, ac literis memorabilis dicitur. Alius quiſquis fuit, bellè de illo cecinit.

Græcia mè genuit, fecit Italis ora, Galero
Roma colit, vita ſum Numa, & arte Plato.

Tantos breui tempore Beſſarionem in Latinè loquendi, & ſcribendi facultate progreſſus feciſſe ſcribit Cardinalis Papienſis, vt inter Latini ſermonis peritiſſimos numeraretur. In Conſiſtorio quicquid in re propoſita optimum erat, ita exprimebat, vt poſt ſe dicturis nihil relinqueret, & Patres in eius ſententiam, vt plurimùm irent, probarent quod probaret, damnarent, quòd damnaſſet. Diem integrum eum ibi loquentem Cardinalis Papienſis ſine faſtidio audiuiſſet, ita ſemper habebat, texebat, aptè, ornatèque dicebat, quòd animum iuuabat.

Michaël Apoſtolicus Byzantius funebri Græcè ſcripta Oratione nondum cuſa, quam Andreas Victorellus in Additionibus ad Ciaconium à Leone Allatio Latinitate donatam ſe vidiſſe fatetur, Beſſarionem laudauit. Extabat præterea olim eiuſdem Beſſarionis Vita Græce m. s. apud Cardinalem S. Suſannæ.

Pius II. in Commentarijs.

Beſſarion, Alexander Oliua, & Franciſcus Senenſis Eccleſię Adminiſtrator miſſi Legati Narniam à Pio II. vt S. Andreæ Apoſtoli caput inde ad pontem Miluium deferrent; cum in Baſilicam Vaticanam delatum fuit, Beſſarion elegantem, piumque ſermonem habuit. Cum idem Pius in mortis agone Cardinales allocutus fuiſſet, Beſſarion pro omnibus reſpondit: & indoluit caſum, in quem erat adductus, non ſui tantùm cauſa, quem lacrymabile erat deficere, ſed magis Chriſtiani populi, qui tantum ſalutis auctorem amitteret.

Iacob. Papienſ. in Commentarijs.

Laudauit Pontificem, & præclara eius in Præſulatu opera, agens identidem gratias, quòd etiam ſuprema hora ſalutaribus monitis communem rem adiuuaret. Orare ſe Deum dixit Patrem miſericordiarum, vt ſic affecto, & iacenti ſalutem tribueret; verùm ſi propter peccata ſuperſtitis populi eſſet migrandum, manſura in animis noſtris ſancta eius præcepta, ac daturos operam filios, vt nec publicæ res Chriſtianorum, neue priuatæ Romanæ Eccleſiæ detrimentum acciperent. Quam autem veniam popoſciſſet, humilitatis ſuæ, non erratorum eſſe confeſſionem: benignè omnes, atque indulgentes habitos ſemper, nec querelam aduerſus eum extare. Suorum quoque quos commendaſſet, gratam apud omnes futuram memoriam dixit, docens quàm charus eſſe deberet, vel ſanguis, vel contubernium eius, qui tantùm de Chriſtianis, & de Romana ſede meritus eſſet. Poſtulare autem ſingulos fratrum, vt poſtremum, piumque benedictionis ſuæ munus manſuris relinqueret: ad hæc Pontifex eleuata manu fratribus benedicens, eos dimiſit.

Poſt Calliſti III. obitum in Conclaui Cardinali Rothomagenſi fauebat, ſed renunciato Pio II. Beſſarion ſuo, & eorum nomine, qui Rothomagenſi adhæſerant, ante illius pedes prouolutus, hæc protulit verba. *Laudamus Pontifex maxime tuam aſſumptionem, quam ex Deo eſſe non dubitamus: & ſane dignum te hoc munere, & cenſuimus antea, & nunc cenſemus. Quod autem te non elegimus; id fecit ægritudo tua; nam cum pedibus ægrotares, hoc tantum ſufficientiæ tuæ deeſſe putauimus: eſt enim Eccleſia egens viro actiue, qui poſſit itineribus corporis exercere, & imminentibus periculis occurrere, quæ à Turcis formidamus; tu contra quietis eges. Hoc nos ad Rothomagenſem traxit; quod ſi fuiſſes corpore validus, nullus erat, quem tibi præferendum exiſtimaremus. At cum Deo placuerit, & nobis placet; nos te Pontificem veneramur, & denuo quantum in nobis eſt, eligimus, tibique fideliter ſeruiemus.*

XII.



Ciaconius.
Ferdinand. Vghell. in Addit. ad Ciacon. & in Ital. ſacra.
Panuinius.
Aubery in vita.
Tabulæ Epiſcop. Laudenſis.
Benedict. Iouius inter Catal. Epiſc. Comenſium.
Franc. Ballarin. inter Hiſt. Comenſ.

GERARDVS Landrianus de Capitaneis, natione Italus, patria Mediolanenſis, Canonicus Eccleſię ſanctę Trinitatis Papienſis, à Martino V. Romano Pontifice Laudenſem Eccleſiam. Laus enim Pompeia nobilis Ciuitas ad ripam Aduæ fluminis in Inſubria ſita eſt; ſuſcepit adminiſtrandam. Ad Comenſem deinde Eccleſiam ab Eugenio tranſlatus, & in generali Concilio Florentino ab eodem Presbyter Cardinalis ſanctæ Mariæ Tranſtyberim titulo Calliſti renunciatus, cognominatus Cardinalis Comenſis, & ab Aenea Syluio Cumanus, legationis munere functus eſt eiuſdem Eugenij iuſſu ad Philippum Mariam Vicecomitem Ducem Mediolanenſem. Concilio Baſileenſi interfuit, à cuius patribus Nuncius miſſus ad Britannię Regem, orationem ad Regem, & Regni Proceres habuit, quæ eiuſdem Concilij Actis inſerta eſt. Dum legatione Mediolanenſi fungeretur, Capitulum Cathedralis Laudenſis duabus dignitatibus nempe Archidiaconatus, & Primiceriatus anno 1440 decorauit, & menſæ Epiſcopalis redditus auxit. Viterbij è vita ſublatus 8. Idus Octobris anno non 1446. ſed 1445. & ſepultus ibidem in Eccleſia ſancti Franciſci ordinis Minorum cum hoc Epitaphio.

GERARDVS LANDRIANVS MEDIOLANENSIS
S. R. E. CARDINALIS AMPLISSIMVS
ALIQVOT SVB EVGENIO IV. LEGATIONIBVS FVNCTVS
VITERBII VIII. IDVS OCTOBRIS MCDXLV. E VITA DISCEDENS
HIC SVMMA CVM PIETATE CONDITVR.

Scribit Garimbertus, Gerardum Cardinalem veneno, quod ei ſecretò Philippi Mariæ Vicecomitis miniſtri præbuere, perijſſe. Fratrem enim Gerardus Franciſcum dictum, gratia apud Ducem Mediolanenſem pollentem habuit, cuius ſtudio tum Laudenſem, & Comenſem Eccleſias, tum purpuram à Romanis Pontificibus obtinuerat. Duorum fratrum magnitudo tam eximia ſuſpicionem primò, mox capitale odium in Philippo Maria auctore fecit; quare vt ambobus euolueretur, ambos veneno extinxiſſe ferunt.

Ad Gerardum hunc aliquot extant Leonardi Bruni, Philelphi, & Laurentij Vallæ epiſtolæ. In Tabulario Capituli, & Epiſcopali Laudenſi vir vt honoris dignitate, ita & virtutum omnium laudibus illuſtriſſimus nominatur. Dum regeret Eccleſiam Laudenſem, Cœnobium Villanouanum ordinis Monteſolueti conditum eſt ab Angelo Cardinali de Anna ex voluntaria Nicolai Summanipæ fratris teſtamentaria inſtitutione.

Ferdinand. Vghell. in Ital. ſac.

Fuit Gerardus S. R. E. Cardinalis primus Abbas Commendatarius Monaſterij ſanctę Mariæ Claræuallis ſecundo ab Vrbe Mediolani ad portam Romanam lapide anno 1135. a ſancto Bernardo extructi.

XIII.



Ciaconius.
And. Victorel. in not. & Addition. ad Ciacon.
Panuinius.
Aubery in Vitis.
Domalowicz in vitis Epiſc. Cracou.

SBIGNAVS Oleſnicius Polonus, Epiſcopus Cracouienſis, renunciatus Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Priſcæ ex Ciaconio ab Eugenio, & certior factus à Branda Placentino, & Iuliano Cæſarino Cardinalibus, tunc ſedis Apoſtolicæ Legatis de eius ad Cardinalatum aſſumptione per Eugenium Romanum Pontificem, gratias agēs reſpondit ex Conſtelorio, quòd non ægrè ferrent, ſi dignitatem illam non acceptaret; cum id ageret, ne Eccleſiæ vniuerſalis auctoritas læderetur. Creatum verò Anticardinalē anno 1440. à Felice V. à Nicolao deinde V. in dignitate confirmatum, & die 28. Iulij anni 1449. pileum rubrum ab eo tranſmiſſum accepiſſe conſtare affirmant aliqui ex Bulla eiuſdem Nicolai, & Actis Concilij Baſileenſis. Ciaconius tamen aſſerit Cardinalatum ſibi ab Eugenio oblatum Sbigneum acceptaſſe, ac legationis munus geſſiſſe ad Regem Polonorum, vt ipſum in obedientia Eugenij IV. contineret aduerſus Felicem V. Antipapam, quòd & obtinuit.

Staniſlaus Reſcius in Hiſtor.
Marinus Cromer. in Hiſtor. Polon.

Vir fuit religioſiſſimus, Pupillorum, & Viduarum patronus, in egenos liberalis, Eccleſiæ vindex, ac defenſor acerrimus, Reipublicæ ſtudioſiſſimus, minarum, ac periculorum contemptor. Saudeciæ Collegium Sacerdotum cum Prælatis inſtituit, facultates verò ſuas egenis, & Eccleſijs, propinquis prætermiſſis teſtamento legauit.

Luc. Vvaddingus in Annal. Minorum.

Ioannem de Capiſtrano ordinis Minorum vnicè dilexit, eumque Miſniam deflectentem ad expurgandam Prouinciam illam ab Huſſitis in Poloniam pluries inuitauit; ac piè dolens, quòd iuxta ſponſionem, & fidem datam à Boëmia non venerit rectà in Poloniam via apud eum, ſuis literis conqueſtus eſt. Cœnobium Cracouienſe Diuo Bernardino ſacrum ligneum prius, deinde latericium pro Fratribus Minoribus extruxit, vtque opus illud abſolueretur ſuis facultatibus, teſtamento ſcripſit.

Henricus Spondan. in Annal. Eccleſiaſt.

Vladiſlaum Poloniæ Regem Eccleſiaſtica bona diuerſis nobilibus dilargientem à cœpto deterruit Sbigneus, qui ſemper aliàs in defenſione patriæ libertatis, legum, & conſuetudinum contra earum contemptores fortiſſimum ſe propugnatorem fidei Catholicæ contra Hæreticos præbuit. Cum enim, vt rem narrat Cromerus, ad Regem Vladiſlaum veniſſent Legati Boëmorum auxilia cõtra Cruciferos, continuos Polonorum hoſtes, pollicentes, & Baſileenſis Concilij propoſitionem erga ſe nunciantes, comiter, & lautè habiti, etiam ab Archiepiſcopo Gneſnenſi, & Epiſcopis, qui tunc aderant, ad ſacrorum communionem quamuis Hæretici admiſſi ſunt. In reditu verò Cracouia diuertentes, mox tota Ciuitate à ſacris ceſſante mandato Sbignei Epiſcopi licet abſentis, qui iam ante cum alijs eorundem Boëmorum Nuncijs id ipſum præſens præſtiterat; contumeliam ipſi apud Regem quiritati ſunt. Rex autem in Epiſcopum excandeſcens venientem ad ſe aſperioribus verbis excepit, ac Petri Viſſi fortunam, qui fuerat non ita pridem Epiſcopatu eiectus, ei comminatus eſt. Cui Epiſcopus imperterritus reſpondit, fauorem ſe, non offenſam Regis meritum arbitrari, quòd ſolus & ſalutis eius, & exiſtimationis, quæ ab inimicis eius, & maximè Cruciferis tum aliàs, tum in Concilio Baſileenſi tanquã fautoris Hæreticorum proſcinderetur, optima fide curam haberet. Cum verò de religione ageretur, neque Regis, neque cuiuſquam omnino vultum, ac minas ſe reformidare: Petri calamitatem non tam innocenti Epiſcopo, quàm iniurioſo Regi ignominioſam accidiſſe, neque ea re ſe terreri paratum nõ modò quas vis contumelias pro religione, verùm etiam exilium, ac mortem ſubire. Poſt quæ monitus a quodam ſibi caueret, quòd ſubornaſſet Rex qui eum de medio tolleren., nihil ea nocte, in quam ſibi periculum comparatum eſſe acceperat, de conſuetudine remittens, eodem lecto, eodem cubiculo cubuit, nulla ſibi cuſtodia adhibita, ac nocte intempeſta, cum vno ſacerdote, & puero lumen præferente, ad matutinas precationes Templum adijt; neque aduerſi quicquam ei accidit, quòd vel Rex mutaſſet conſilium, vel vanus ille terror fuiſſet. Nec multò poſt ſacerdotem Hæreticum, qui ad Regem venerat, idem Sbigneus eiecit, vir excelſi animi, & ſempiterna memoria dignus.

Noua nupta Caſimiro, Alberti Cæſaris filia Eliſabetha ſplendidè aduecta Cracouiam à Rege ipſo, vnà cum matre obuiam ei profecta, cum deducta eſſet, contentio tum inter Archiepiſcopum, & Sbigneum Cardinalem orta eſt de nuptiali cæremonia, vter eorum Adminiſtrator eſſet futurus, quòd ille Archiepiſcopus, & Primas, hic Cardinalis, & Cracouienſis Epiſcopus, vbi hæc agebantur, eſſet. Re diu agitata conuenerunt, vt Ioanni Capiſtrano ordinis Minorum tunc temporis Cracouiæ degenti doctrina, facundia, & ſanctitate vitæ pollenti, vſque adeò, vt multis miraculis comprobarat, eum honorem deferrent.

Tandem cum Sandomiriæ, Quadrageſimam ferè totam arctiore abſtinentia peregiſſet, ac die Palmarum publicè ſacris operatus eſſet, ibidem die prima Aprilis anno 1455. vitam cum morte commutauit, cum triginta, & duos annos Eccleſiam Cracouienſem Epiſcopus rexiſſet, ac vixiſſet ſex, & ſexaginta; die verò 20. Iunij eiuſdem anni 1455. eius obitus Romæ nunciatus eſt.



Ciaconius

Henricus Spondan. in Annal. Eccleſiaſt.

Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciacon.

Panuinius de Rom. Pontific.

Aubery in vita.

XIV.

PETRVS Schounmbergus Germanus, nobili familia in Franconia natus ex Canonico Bambergenſi, & Herbipolenſi a Martino V. anno noſtræ ſalutis 1420. Epiſcopus Auguſtanus conſtituitur. Erat vir eximiè doctus, eloquentia, ac prudentia nemini ſecundus, dederat operam literis in Italia in nobili Academia Bononienſi. Interfuit Concilio Baſileenſi, Imperatori Federico III. in primis carus, qui eius opera, & conſilio in maximis Imperij negocijs expediendis vtebatur. Ab eodem Imperatore miſſus in Galliam, compoſuit, & ad concordiam redegit diſceptantes inter ſe Galliæ, ex Angliæ Reges, ac Burgundionum Ducem: pacem quoque conciliauit inter Ducem, & Principes Bauariæ. Ab Eugenio IV. Romano Pontifice in Concilio Florentino adſcriptus eſt Presbyteris Cardinalibus titulo S. Vitalis, aliàs Veſtinæ. Bruſchius in Catalogo Auguſtanenſium Epiſcoporum ſcribit Petrum hunc Cardinalitium galerum, ac titulum S. Vitalis anno Iubilæi à Nicolao V. obtinuiſſe. Sed à veritate aberrat; nam ex mss. Vaticanæ Bibliothecæ, & ex illius æui ſcriptoribus certò ſcimus, ab Eugenio inter Cardinales Petrum hunc cooptatum: forſan ſub Nicolao V. anno Iubilæi primò Romam acceſſit, & ab illo Cardinalitium galerum, ac titulum obtinuit. Vir hic in pauperes munificus, doctrina, & prudentia clarus, plenus dierum, & ſenio maximè confectus è vita deceſſit in arce Dilingenſi die 12. ex Ciaconio, ex alijs verò 14. Aprilis anni 1469. Corpus tranſlatum Auguſtam ibi ante Aram ſancti Victoris intra marmoreum tumulum ſepultus cum ſequenti Inſcriptione, teſte Bruſchio ſupra laudato.

Felix Contelorius in Elencho.

PETRVS eram Schaumberg quondam de ſtirpe creatus,
Pilea rubra tuli, quæ mihi Roma dedit.
Cardineos titulos ſancti Vitalis habebam;
Vindelicam rexi Præſul hoc Eccleſiam.
Quadraginta, & quinque illic præſedimus annis
Cardineos titulos geſſimus octodecim.

Hanc tamen ſepulchralem Inſcriptionem, quam ex Bruſchio ferè omnes ſcriptores, qui de Cardinalibus ſcripſerunt, referunt, vt hiſtoriæ veritati repugnantem reijcit, & quidem bene Aubery. Nam ſi Petrus hic inter Cardinales cooptatus, vt diximus, ab Eugenio anno 1439. cumque produxerit vitam ex eodem Bruſchio, vſque ad annum 1469. non octodecim, ſed triginta annorum ſpatio purpuram Cardinalitiam geſſit.

Monumentum hoc Petri Cardinalis cum Inſcriptione ab Hæreticis dirutum, & diſſipatum fuiſſe refert Ciaconius.



Ciaconius

Panuinius

Aubery in vita.

Hẽr. Spõdan. in Annal. Eccleſiaſt.

Balthaſſar Paregrinus in elogijs Card. Hiſpanorum.

XV.

ANTONIVS Martini de Clauibus Luſitanus, cũ Luſitania toto illo longiſſimo Schiſmate fidiſſima fuerit ſemper Romanis Pontificibus in Italia ſedentibus; ex Decano Epiſcopus Elborenſis primò, deinde Presbyter Cardinalis titulo S. Chryſogoni renunciatus eſt. In Baſilica Lateranenſi ſuis ſumptibus nobile organum fabrefecit, eidemque Eccleſiæ, & Canonicis donauit Caſale Trigoriæ, ex quo habetur annuus cenſus trium millũ aureorum; quare meritò inter Cardinales, qui eidem Baſilicę benefici fuerunt, illum recenſet Cæſar Raſponus libro ſecundo de Baſilica Lateranenſi. E vita migrauit Romę die vndecima menſis Iulij, anno Chriſti 1447. & ibidem ſepultus in Baſilica Lateranenſi cum hac ſepulchrali Inſcriptione.

SEPVLCHRVM. DOMINI. ANTONII
CARDINALIS. PORTVGALENSIS
QVI. OBIIT. ROMÆ. DIE. XI. MENSIS. IVLII
ANNO. A. NATIVITATE. DOM. MCCCCXLVII.
CVIVS. ANIMA
IN. PACE. REQVIESCAT. AMEN.



Ciaconius

Felix Contelorius in Elencho.

Aubery in vita.

Monſtrelettus.

Panuinius

Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana.

Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciaconiũ.

XVI.

IOANNES Iuuenis Picardus, patria Ambianenſis, à Roberto Ambianenſi Balliuo progenitus, frater Guilelmi domini de Contay, Burgũdiæ Ducis ad Eugenium Oratoris, Iuris Vtriuſque Doctor, Matiſconenſem primò, ex alijs Coſoronenſem, deinde Ambianenſem, demum Morinenſem Eccleſiam Epiſcopus rexit. Legatus Ducis Burgundiæ, & Flandriæ Comitis ad œcumenicum Concilium Florentinum ſe contulit, in quo ab Eugenio inter Purpuratos patres Presbyter S. Praxedis annumeratus eſt. Malè à Frizonio, alijſque dicitur Cardinalis ſancti Laurentij in Lucina; nam titulum hunc S. Laurentij ex libro Diuiſionum, qui ſeruatur in Vaticano, poſt illum S. Praxedis obtinuiſſe ſcimus. Hic renunciatus Cardinalis diſtulit præſtare conſenſum, donec Eugenius declararet, an dignitatem conceſſiſſet cum retentione Epiſcopatus, quem dimittere nolebat. Cum Purpura retento Epiſcopatu legationis munere functus eſt pro pace componenda inter Alphonſum Arragonum Regem, Rempublicam Florentinam, Ducem Venetorum, & alios Chriſtianos Principes.

Omnium ſui æui Cardinalium ditiſſimus mortuo Eugenio inter-

fuit Comi-

Nomencl. Cardinal.

A fuit Comitijs Pontificijs, in quibus parum abfuit, quin fuerit aſſumptus in Chriſtiani Orbis Rectorem. E vita Romæ ſublatus die 9 Septembris, ſeu die 9. Decembris anni 1451. annos natus quadraginta, & ſepultus in ſuo S. Laurentij titulo, addita hac in eius memoriam Inſcriptione.

MISERERE MEI DEVS
QVIA IN TE SPERAVIT ANIMA MEA.

HIC. IACET. CORPVS. R. PATRIS. ET. DOMINI. D. IOHANIS. TIT. S. LAVRENTII. IN. LVCINA. SACRO. S. R. E. PRESBYTERI. CARDINALIS. MORINENSIS. NVNCVPATI, QVI. OBIIT. ANNO. MCCCCLI. DIE. IX. MENSIS. SEPTEMBRIS.

Ciaconius
Aubery in vita.
Panuinius
Felix Cōtelorius in Elencho.



XVII.

B DIONYSIVS Zechus Epiſcopus Agrigenſis Hũgarus, renunciatus ab Eugenio Presbyter Cardinalis S. Cyriaci in Thermis, & Archiepiſcopus Strigonienſis, legatione functus eſt ſedis Apoſtolicæ nomine ſub Eugenio eodem in Hungaria pro concordia inter Ladiſlaum Regem, ac Prælatos, & Barones Regni, & ad ornandum Regio Diademate ipſum Ladiſlaum. Romæ palatium apud S. Mariæ in via Lata Eccleſiam a Nicolao Cardinali Capuano inceptum proprijs pecunijs perfecit. E vi- C ta migrauit in Hungaria circa annum noſtræ ſalutis 1464. & ſepultus in Eccleſia principe Strigonienſi, cui octo aureorum millia legauit ante obitum.

Ciaconius
Andr. Victorell. in Addit. ad Ciaconiũ.
Ioannes Chenu.
Pet. Frizõ. in Gallia Purpur.
Hier. Garimbert.



XVIII.

GVILLELMVS de Eſtouteuille, aliàs Totauilla, Gallus, filius Ioannis à Totauilla, & Margaretæ Harcurianæ quintogenitæ filiæ Ioannis Comitis Harcuriani, & Catharinæ Borboniæ è ſanguine Regio, monachus, & Prior Diui Martini Pariſienſis ordinis S. Bene- D dicti Congregationis Cluniacenſis, Decretorum Doctor, Antiſtes primò Morinenſis, deinde Andegauenſis, poſtea Biterrenſis, & Lodeuenſis, tandem Rothomagenſis Archiepiſcopus renunciatus eſt, & Purpura donatus ab Eugenio Quarto Romano Pontifice, & inter Presbyteros Cardinales titulo SS. Syluestri, & Martini in montibus aliàs Equitij adſcriptus eſt, & Cardinalis Rothomagenſis dictus. Diſtulit tamen aſſenſum præbere oblatæ ſibi per Eugenium dignitati, donec declararetur, an Cardinalatus fuiſſet conceſſus cum retentione Eccleſiæ Andegauenſis. Poſtea Nicolaus V. Epiſcopum Portuenſem illum creauit, Oſtienſis, & Veliternus effectus eſt à Pio E huius nominis Secundo: mortuo Latino Cardinali Vrſino Xiſtus Quartus Apoſtolicæ ſedis Camerarium nominauit. Vidi apud Carolum Cartharium Aduocatorum Conciſtorialium Decanum Numiſma cũ effigie huius Cardinalis, & hac inſcriptione. G. DE ESTOVTEVILLA EPIS. OSTI. CAR. ROTHO. S.R.E. CAM.

Ferdinãd. Vghel. in Ital. ſac. Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana. Aubery in vita. Felix Cōtelorius in Elencho. Panuinius de Rom. Pont. Hippolit. Marracc. in Purpur. Mariana.

Legatus in Gallias Pontificis iuſſu mittitur Carolo VII. Francorum Regi ad fœdus ſtabiliendum inter Francum, & Anglum Reges ſed inani conatu. Apoſtolica, & Regia auctoritate Academiam Pariſienſem ſuſcepit reformandam, vt inde ſcientiarum vberiores fructus in Eccleſiam redundarent. Legati vſus poteſtate Indulgentias anno 1452. confert Eccleſiæ Diuæ Mariæ Bolonienſis, non longè à Lutetia, & euſdem Eccleſiæ ſtatuta reſtaurauit. Florentiæ Aram F Diuæ Virgini Annunciatæ ſacrauit, vt patet ex Inſcriptione, quæ ibidem ad parietes legitur.

D. O. M.
GVILLELMVS CARD. ROTHOMAGENSIS
Cum ſuperni in terris Nuncij munere fungeretur, innumeris miraculis, locique religione motus, hanc Annunciatæ Aram ſumma cum celebritate, & ſolemni pompa ſacrauit Anno ſalutis
M. CCCC. LII.

A Archipresbyteratus munus in S. Mariæ Maioris de Vrbe geſſit, cui Eccleſiæ multos ad diuinum cultum reliquit prouentus; vaſa aurea, & argentea ingentis valoris donauit: Naues laterales cum fornicibus reſtituit, atque altare maius columnis quatuor porphyreticis adornauit. Legauit præterea ducatos 1050. aur., ex quibus emerentur prædia, vt eorum fructus in ipſius animæ ſuffragium impenderentur. In tabulario euſdem Baſilicæ hæc notata reperiuntur. *Guilelmus titulo S. Martini in montibus Presbyter Cardinalis de Eſtouteuilla nuncupatus, Epiſcopus Rothomagenſis, Archipresbyter huius Baſilicæ, ſedente Eugenio IV. Pontifice Romano anno ſalutis 1445. & de anno 1472. &c.* Ne verò tanti viri de ſe optimè meriti vnquam memoriam deperiret, Capitulum, & Canonici Baſilicæ Liberianæ ad grati animi ſignificationem hoc in ſacrario monumentum extare voluerunt.

Paul de Angel. in Deſcript. Baſil. Liberianæ.

B *GVILLELMVS ESTOVTEVILLE*
Cardinalis Rothomagenſis
Regia Vir nobilitatis;
Sancta Romana Eccleſia Camerarius.
Vtranque Baſilica concamerationem fecit.
Campanarum Turrim
Nola addita reſtituit.
Geminas ad Occidentem valuas aperuit.
Archangelo Michaeli, & B. Petro ad Vincula
Quatuor Sacerdotes addidit.
In Ara maxima Ciborium excitauit.

C Aliud in eadem Baſilica legitur Guillelmi Cardinalis Elogium.

D. O. M.
VRBANO VIII. SVMMO PONTIFICE
Et Antonio Cardinali Barberino
Huius Baſilica Archipresbyter
Sacellum quod Archangelo Michaeli,
Et B. Petro ad Vincula
GVILLELMVS CARD. ROTHOMAGENSIS
Hic olim excitauerat,
Ex ampliore ad anguſtiorem
D *Hanc formam ideò redactum eſt;*
Vt Sacelli, quòd eſt è regione,
Faciem exprimeret,
Ac Baſilica ornatum augeret.
Ne verò tanti
Regia claritudinis Viri
De Baſilica
Multis optimè meriti
Peculiare hoc pietatis monumentum
Deperiſſe videretur.
Capitulum, & Canonici
Ad grati animi ſignificationem
Memoriam extare voluerunt.
E *ANNO SALVTIS MDCXXXIV.*

Sodalitium etiam Annunciationis B. Virginis in Eccleſia S. Geneſij Lodouenſis inſtituit. Abbas Commendatarius Cœnobij de Cerreto in agro Laudenſi anno noſtræ ſalutis 1481. approbante Xiſto IV. Romano Pontifice illud Italicæ Congregationi ordinis Ciſtercienſis perpetuò vniuit. Tempore enim Calliſti II. Albertus de Oldradis Monaſterium illud proprio ære fundauerat, & Congregationi Ciſtercienſium donauerat. Eccleſiam S. Apollinaris adminiſtrauit; ordinis S. Auguſtini Patronatum geſſit: plures Comitij Pontificijs dum vixit, interfuit: nam inter Cardinales, qui longam traxere vitam, numeratur. Octogenario maior, cum quadraginta ferè annos in Cardinalatus dignitate tranſegiſſet, Romæ terram re- F liquit, cœlum petiturus non decimo ſexto Kal. Februarij, vt referunt aliqui, neque die 22. Ianuarij, vt habet Contelorius in Elencho, ex Inſcriptione, quam fortè legerat in Eccleſia S. Auguſtini; ſed poſt decimam quartam diem Februarij anni 1483. In Archiuio enim Capitolino extat huiuſce Cardinalis Teſtamentum à ſe conditum die 14. Februarij anni 1483. in quo heredes ſuos ſcripſit Ioannem Baptiſtam, & Angelum de Eſtouteuille nepotes, quibus ab Honorato Caietano Ciſternæ, & Caſtrueteris oppida pro aureis ſcutis ducentis ſupra quinque mille, & a Ioanne Columna pro ſcutis aureis duodecim millibus Cynthianum, & Nemorenſe caſtrum emerat. Poſt obitum tumulatus in Eccleſia S. Auguſtini, quam à fundamentis extruxerat, ac multis dotauerat prouentibus ad diuinum cultum pe-

tagendum. Primum lapidem huiuſce Eccleſiæ locauit Kalendis Nouembris anno 1479. ianuæ maioris frontiſpicio inſcriptum legimus.

GVILLELMVS DE ESTOVTEVILLE CARDINALIS ROTHOMAGENSIS A FVNDAMENTIS EREXIT.

In Templo verò ad æternam tanti viri memoriam aliud extat ſub effigie Pario marmori inciſa monumentum, & eſt tale.

D. O. M.
D. Guillelmo de Eſtoutevilla Normando Gallo
Epiſcopo Oſtienſi, Card. Rothomagenſi, S. R. E. Camerario
Ex Congregatione Cluniacenſi Ordinis Sancti Benedicti aſſumpto.
Qui
Apud S. Sedem totius Auguſtiniani Ord. Protectorem agens.
Templum hocce
A fundamentis conſtruxit, ampliſſimis dotibus locupletauit.
Altare maius
Deiparæ Virginis Imagine à D. Luca depicta exornandũ curauit.
Sacrarium
Precioſiſſimis Veſtibus ditauit.
Conuentum
In ampliorem, & commodiorem formam redegit.
Totum Ordinem
Singularibus beneficijs cumulauit.
Plura & maiora collaturus, niſi mortis inuidia præpediuiſſet.
Præſuli ampliſſimo
Tam doctrina, moribus, virtutibus
Quam ſanguine, opibus, honoribus conſpicuo.
Patrono Beneficentiſſimo.
M. F. Hippolytus Montius Gen. Prior, ac Patres huius Cœnobij
Aeternũ grati animi monumentũ PP. Anno ſal. MDCXXXVII.
Obijt Anno Domini MCCCCLXXXIII.
XI. Kal. Februarij.
Aetatis ſuæ anno LXXX.

Supra adnotauimus errorem huiuſce ſepulcralis Inſcriptionis in aſſignando tempore obitus Guilelmi. Cum adhuc demortui in feretro cadauer Guillelmi precioſis indutum ornamentis iaceret, inter fratres Auguſtinianos, ac Diuæ Mariæ Maioris Canonicos coortalis eſt, cui nam Eccleſiæ ornamenta illa demum cedere viderentur. Cum autem vtrique pro ſua parte calentibus animis decertarent, à diſcordantibus verbis ad violentiam factorum deuentum eſt; quippe prædabundi vbique precioſa quæque haud reluctanti cadaueri violenter diripuerunt.

Apud omnes Orbis Chriſtiani Principes ob familiæ ſplendorem, Regibus enim Francorum ſanguine iunctus erat, & ob vitæ integritatem plurimùm valuit, & maxima in æſtimatione fuit. Meminit Guillelmi cum laude Cardinalis Papienſis, eundemque ad cœlum tollit, quòd ex Gallijs ad Calliſtum recens ad ſummum Pontificatum euectum rediens, à Carolo VII. Rege rogatus, vt cum ceteris, quos ad exhibendam Calliſto obedientiam mittebat, Legatus proficiſci vellet, id facere noluiſſet. Dignitatem enim Cardinalitiam is maluit, quàm Regis gratiæ inſeruire reſpondens, nec debere, nec ſolitum eſſe, Cardinalem niſi pro ſummo Pontifice legationis munus ſuſcipere. Rex modeſtiſſimus id ægrè non tulit, ſed mittens alios, quos elegerat Oratores, inter cetera mandata, quæ dedit, hoc eſſe primum voluit, vt quicquid acturi, quicquid dicturi eſſent, ad Cardinalem referrent, eiuſque conſilio, & ſuffragio in omnibus vterentur. Extat inter Cardinalis Papienſis epiſtolas vna ad Guillelmum Cardinalem Rothomagenſem data; ad eundem quoque Franciſcus Philelphus literatorum ſui temporis facilè princeps perplures literas ſcripſit, ac in illis columnam, & columen ſanctæ Romanæ Eccleſiæ illum appellat. Pium II. qui numquam Tiberinam viderat Oſtia, Cardinalis hic Oſtienſis Epiſcopus ad ea conſpicienda inuitauit: hunc laudat Cardinalis Papienſis his verbis. *Guillelmus Epiſcopus Oſtienſis conſanguinitate Reges Francorum attingens, doctrina Pontificij iuris, & Principum clientelis, vna quoque ad Gallos ſuos legatione inſignis:* laudatur ab eodem epiſtola 48. & à Garimberto, ſed hic labitur, cum eum Nicolai V. Cardinalem nominat.

Tulit Guillelmus hic Cardinalis inſignia, quæ nos ſupra expreſſimus, & ſunt omnino illa, quæ pluribus in locis Romæ in Templo à ſe in honorem Diui Auguſtini erecto, & in numiſmate, quòd ſeruatur apud D. Carolum Antonium à Puteo fratrem Equites Caſſiani viſuntur. Alia ab his illi tribuit Frizonius, parmam videlicet faſciatam argento, & minio octo ſegmentorum, & in ea furuum leonem auro torquatum, & aurea in humero Cruce notatum.

XIX.



MAG. FR. IOANNES de Turrecremata, natione Hiſpanus, patria Valliſoletanus, ſeu de Turrecremata, quòd eſt oppidum Palentini Epiſcopatus in Hiſpania, filius Aluari Fernandez, ordinis Prædicatorum, Theologus, & Magiſter ſacri palatij, Presbyter primò Cardinalis S. Xiſti, poſtea Calliſti, demum Epiſcopus Cardinalis Sabinus renunciatus eſt. Fuit hic vir ampliſſimus ornatus dotibus, polluit apprimè literis Sacris, quibus maximè deditus erat, & iure Pontificio. Adoleſcens Prædicatorum veſtem induit in Cœnobio Valliſoletano S. Pauli Apoſtoli, & primæ adoleſcentiæ annos humanis literis, ac morali, & naturali Phyloſophiæ conſecrauit. Et quòd in puero præcipua admiratione dignum, tanta indole, ac tanta facilitate hauſit prima literarum rudimenta, vt ij, quibus illius inſtitutio fuit à principio credita, incertum habuerint eſſet ne illud diſcere in tam puerili ætate, an, vt Plato perſuaſum habuit, reminiſci. Tantus erat in eo bonarum artium amor innatus, vt ceterarum rerum oblitus quiduis ageret, ac pateretur, ipſa cognitione, & ſcientia captus curas, vigilias, ac ſollicitudines præferret, nec voluptatem requirens aliam, quàm quæ ex ſtudijs capitur. Erat in eo inexhauſta auiditas legendi nec ſatiari poterat; dicere ſolitus omne tempus deperire, quòd in literis non poneretur, ac nihil expetendum præter ſapientiam, ac ſcientiam; eſſe hanc viam, quæ breuitatem vitæ ſpe immortalitatis, & poſteritatis memoria conſolaretur. Phyloſophiæ ſtudijs abſolutis, Pariſijs ita ſacræ Theologiæ incubuit, vt breui Magiſterium maxima omnium admiratione adeptus fuerit, & cum eſſet ſuæ Religionis obſeruantiſſimus, in Hiſpaniam reuerſus, nonnullos obtinuit Prioratus. Primò enim Prior S. Pauli Valliſoleti, deinde ſancti Petri Martyris Toletani factus, in eo officio ita ſe geſſit, vt omnibus charus, & ſumma in veneratione haberetur, intrepidum ſe oſtendit ad quæque agenda, & præcipuè pro Republica Chriſtiana. Cum enim ſuauiter, ac fortiter ſuis præfuiſſet, ac dulciſſimum nominis, & morum ſuorum odorem vniuerſæ afflaſſet Hiſpaniæ, Romam Vrbem æternam euocatum, Magiſtrum ſacri palatij Eugenius renunciauit. Magiſter electus ſacri palatij, ob eius eminentem eruditionem ab eodem Eugenio IV. Baſileam cum quibuſdam alijs viris doctrina præſtantibus pro vniuerſali conuentu edendo Legatus miſſus eſt. Sed cognita vaſritie quorundam Principum, qui abrogari Eugenium ſuadebant, iuſſu ipſius diſſolutus ibi conuentus Ferrariam primo, deinde Florentiam tranſlatus eſt. Qua in Vrbe Presbyteris Cardinalibus adſcriptus, vt erat moribus grauis, ad amuſſim in omnibus priſtinum viuendi modum, quem tot annis in ordine Prædicatorum didicerat, ſeruauit, & apprimè retinuit. Togam non mutauit, licet mutauerit gradum; vtebatur lanea ad carnes ſubucula, tunica, cuculla, & pallio, prout ante conſueuerat. Religionis ſuæ ritus ſic dilexit, vt quos initio cœperat, haud quaquam dimitteret, admitens pro viribus, vt ad amuſſim à ceteris ſeruarentur. Vnde aliquando quendam ſui ordinis præſidentem offendens cæremonias, vt par erat, non ſeruantem; hæc, inquit, alterius ſunt opera, non fratris, non alijs præſidentum. Haud æquo animo videbat ſui ordinis profeſſores per Curiam Romanam vltro citroque meare, aſſerens, non fratris hoc eſſe munus, ſed Curialium, vel litigantium; & fratri ſibi obuianti aliquando dicebat; mitte Curialibus, vel diſcipantibus Curiam, & ad Cœnobium reuertere. Tam intracti animi fuit, vt numquam nec precibus, nec minis in ijs quæ fidei, quæ veritatis, & religionis erant, poſſet auerti ab opinione ſua, quapropter Fidei defenſor eſt appellatus. Templum S. Mariæ ad Mineruam nuncupatum teſtudine, & primùm ædium impluuium eius Templi, quòd Clauſtrum vocant, à fundamentis erexit, & picturis exornauit, quibus meditationes præcipuas vtriuſque Teſtamẽti graphicè inſcriptas, vt faciliùs picturæ dignoſci valeant, iuſſit apponi. Nec ſolum ædificijs, picturis, ſeu nouis fabricis, ſed etiam moribus ædium illarum incolas adornari curauit; porrò ex regulari vita, cui Lombardiæ Congregationis nomen eſt, patres acceſſiuit, & ibi Deo iuſſit famulari. Sacellum item exornauit multis picturis, ac S. Mariæ Cœli Reginæ dicauit, & erexit Societatem ſub nomine Annunciatæ, cuius intereſt quotannis in feſto Annunciationis Virginis Puellas Romanas inopes certa pecuniæ quantitate nuptui tradere. In ſacrario eiuſdem Eccleſiæ ſanctæ Mariæ ad Mineruam hi verſus appoſiti, vt ferunt, ab ipſo Ioanne Cardinali, leguntur.

Ne male patrandis ſtupris quòd amara merendo
Forma puellaris ſæpe coëgit inops.
Annua pauperibus ſtips eſt hic perſa virilitum,
Doſque maritandis condita Virginibus.
Munus, & officium ſancti celebrate Quirites,
Cum vicina venit Martia quin' a dies.

Ciaconius. Balthaſſar Porreguus in elogijs Card. Hiſpanorum. Ant. Sand. in elogijs Cardin. Aubery in vita. Panuinius de Rom. Pontific. Hier. Garimbert. Acta Concilij Florentini. Chronic. ord. Prædicator. Henricus Spondan. in Annal. Eccleſiaſt. Hippol. Marrac. in Bibl. Mariana. Lauren. Schrader. de monumentis Italiæ.

Terreſtri, vt cen'u cæleſtia Regna pareti,
Pollicita, & vobis centupla meſſis erit.

Hæc Societas, quæ ab ipſo originem ſumpſit, in tantum aucta eſt, vt ſuccedente tempore Leo X. Pontifex, dum in minoribus eſſet, cum ferè omnibus Cardinalibus illi adſcribi voluerit, Oliuerio Carrafa Cardinali Neapolitano viro integerrimo ſuadente. Qui Ioannem imitatus in tam egregio opere Sacellum aliud ſculptura, & pictura elaboratum in eodem Templo Deiparæ Virgini, ac S. Thomæ Aquinati erexit, & ab Alexandro VI. Pontifice maximo obtinuit quotannis in vtriuſque feſto remitti omnibus illuc accedentibus omnium ſuorum criminum noxam. Sic igitur aucta eſt maximis iuribus, & prouentibus, vt cum ſuperioribus temporibus quadraginta, aut ad ſummum ſexaginta Virgines nuptum traderentur, hac noſtra tempeſtate ipſe Pontifex ducentis, & amplius Virginibus pauperibus, quæ ſe viris matrimonio iungere volunt, ſcuta octuaginta in dotem donat, centum verò ijs, quæ Deo ſeſe deſponſare deſiderant. Subſecuta enim eſt Vrbani VII. Pontificis maximi largiſſima donatio, qui totum ſuum patrimonium prædictæ Societati conceſſit; quare mirum in modum Societas creuit. Quòd quidem diuinum opus prædicto Ioanni tanquam auctori, & primo fundatori debetur.

Aenea Sylu. in ſuis Comment.

Eugenij Legatus interfuit Conuentui Bituricenſi in Gallijs iuſſu Caroli Regis Francorum habito, ad tollendum Schiſma, quòd Baſileenſes patres excitarant in Eccleſia Catholica. In hoc Conuentu Carolus Rex publicè faſſus eſt, ex conſilio Prælatorum, ac Procerum Regni ſui velle ſe in obedientia Eugenij permanere.

Scripſit in Gratiani Decreta volumina quatuor.

Nomencl. Cardinal.

De Pœnitentia.
De Concilio Florentino.
De Conſecratione.
De Concilijs.
De Conceptione Domini libros tres.
De Corpore Chriſti contra Boemorum errores.
De Aqua Luſtrali.
Meditationes in vitam Chriſti.
Contra Iſmaelitas.
De Animæ ſalute.
De Vnitate Græcorum.
De Sacramentis librum vnum.
Summam Eccleſiæ libris ſex.
De auctoritate Romanæ Eccleſiæ.
In Regulam ſancti Benedicti.
Quæſtiones, ſeu Scholaſticam Poſtillã in totius anni Euangelia.
Sermones de Tempore, & de Sanctis.
Commentaria, ſeu Paraphraſim breuiſſimam, locupletiſſimam, lucidiſſimamque ſimplici, & aperto ſermone ad Pium II. dictatam in omnes Dauidicos Pſalmos.
De Cõceptione Deiparæ Mariæ libros treſdecim.
Et alia quædam.

Antō. Senenſ. in ſua Bibl. Prædicator.

Xyſtus Senenſis in Bibl. ſ.

Hippolit. Marrac. in Bibl. Mar.

Toſtati Theologicas quaſdam theſes impugnauit.

Cum vir de Deo, deque ſancta, & Catholica Eccleſia optime quidem meritus, laudabiliter, ac ſanctiſſimè vixiſſet, anno ſuæ ætatis ſeptuageſimo nono, ſeu octogenario maior, die 26. Septembris anno Domini 1468. Romæ in Cœnobio Mineruæ ordinis Prædicatorum ſpiritum Deo reddidit, & in Sacello a ſe conſtructo in honeſto ſepulchro ſepelitur, marmoreo tumulo his inſcriptis verbis.

Felix Contel. in Elencho.

F. IOANNI HISPANO VALLISOLETANO
EX VETERE PVRA NOBILIQVE FAMILIA
DE TVRRECREMATA
ORDINIS PRAEDICATORVM
S. R. E. CARDINALI EPISCOPO SABINENSI
PIETATE AC DOCTRINA CLARISSIMO
MVLTIS LEGATIONIBVS EGREGIE FVNCTO
BEATAE VIRGINIS ANNVNCIATAE
SODALITAS
AVCTORI SVO POSVIT.
OBIIT ROMAE VI KAL. OCTOBRIS
AN. DOMINI MCCCCLXVIII.
ÆTATIS VERO SVÆ LXXX.

And. Victorel. in ſuis Addition. ad Ciacc.

In eadem Eccleſia aliud extat Ioannis Cardinalis elogium.

HIC REQVIESCIT
DOM. IOANNES DE TVRRECREMATA
NATIONE HISPANVS
EPISCOPVS SABINVS S. R. E. CARDINALIS
S. SIXTI
QVI OBIIT XXVI. SEPTEMBRIS
ANNO DOMINI MCDLXVIII.
REQVIESCAT IN PACE.

Primum apud ſui temporis Theologos locum tenuit, diſputauit egregiè in Concilio Florentino pro Latinis; quare à Græco ſcriptore *Phyloſophus Latinorum, & Dialectica peritiſſimus* appellatur. Acerrimus fuit defenſor, & vindex Reuelationum cæleſtium prædilectæ Sponſæ Chriſti S. Birgittæ viduæ de Regno Sueciæ; cumque ex commiſſione ſedis Apoſtolicæ has ſanctæ Birgittæ Reuelationes ſtudioſè, ac diligenter perlegiſſet, affirmauit, omnes à diuino Spiritu veraciter emanaſſe, & omnes fidei Catholicæ veritate ſaluas, & abſque doctrinæ ſanctorum Doctorum iniuria ſubſiſtere poſſe.

Henricus Spondan. in Annal. Eccleſiaſt.

Aeneas Syluius in Comment.

Legionenſem Epiſcopatum Pius II. Ioanni huic Cardinali S. Xyſti contulit, ſed Henricus Caſtellæ, ac Legionis Rex illi poſſeſſionem nunquam conceſſit: hac de cauſa multæ, & magnæ contentiones inter Regem, & Pontificem exerſerunt. Tres Principes Hæreticos in aula Regis Boſnæ potentes, vinctos ad Pontificem maximum ductos Ioannes hic in fide inſtruxit, ac tandem perſuaſit, abiuratis erroribus, Eccleſiæ Romanæ, quæ nec falleret, nec falleretur, documenta ſuſcipere. Horum duo in fide permanſere, tertius ad vomitum rediens, dum in patriam tenderet, ex itinere dilapſus ad Stephanum Boſnæ Ducem, perfidiæ ſocium confugit. Sublacenſe Monaſterium adminiſtrauit, atque in illo Pium II. Romanum Pontificem magno cum apparatu hoſpitio excepit.

Nemini vnquam viſus Ioannes obtrectare; de ingenijs ſuæ ætatis, ſemper loquebatur honorificè, & candidè ſentiebat de omnibus, ſibi nihil arrogans, alijs plurimùm tribuens. Amicos coluit magni nominis, & eruditionis viros, nempe Flauium Blondum, Nicolaum Perottum, Ioannem Antonium Campanum, & Beſſarionem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem Patriarcham Conſtantinopolitanum.

XX.



ALBERTVS de Albertis nobilis Florentinus, filius Cypriani ex Canonico Florentino, Epiſcopus Camerinẽſis primò, deinde renunciatus Diaconus Cardinalis S. Euſtachij ab Eugenio IV. legationem geſſit ſub eodem Pontifice pro pace componenda inter Alphonſum Aragonum, & Renatum Andegauenſem. Eugenius enim, vt Rempublicam Florentinam de ſe bene meritam gratificaret, præſtantiſſimum è primaria nobilitate Florentina virum hunc omnium virtutum genere clariſſimum inter Patres allegit. Is autem in Concil[illegible]rentino, cum eſſet vir doctiſſimus, in conciliandis Græcis cum Latinis plurimùm laborauit; vnde Eugenius, & illius præſtantiam in rebus agendis, & doctrinam ſingularem agnouit. At conceptam de eius promotione lætitiam breui tempore immatura mors abſtulit, nam è vita exceſſit in Abbatia Cryptæ Ferratæ anno à partu Virginis non 1435. neque anno 1446. vt per errorem impreſſoris ſcripſit Ciaconius, ſeu alij ſub illius nomine, ſed anno 1445. die iij. Auguſti. Corporis pars Romam delata ſepulturam habuit in Baſilica Lateranenſi prope ſacellum Diuo Hilario ſacrum, cum Epitaphio ab auctore Nomenclatoris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium excerpto tenoris ſequentis.

Ciaconius

Scip. Ammirat. in Hiſt. Florentina.

Ferdinãd. Vghell. in Addit. ad Ciacon. & in Ital. ſacra.

Aubery in vita.

Panuinius de Rom. Pontific.

Caſ. Reſpon. de ſua Baſil. Lateranen.

HOC IN TVMVLO SEPVLTA EST PARS CORPORIS
REVERENDISSIMI IN CHRISTO PATRIS ET DOMINI
ALBERTI DE ALBERTIS DE CIVITATE FLORENTIA
S. R. E. TITVLI S. EVSTACHII DIACONI CARDINALIS
QVI OBIIT IN ABBATIA CRYPTAE FERRATAE
TEMPORE DOMINI EVGENII PAPAE IV.
ANNO DOM. MCCCCXLV. DIE VERO
III. MENSIS AVGVSTI
CVIVS ANIMA REQVIESCAT IN PACE AMEN.

Altera verò pars, & quidem potior delata Florentiam eſt, ac tumulata ante maius ſacellum Templi ſanctæ Crucis ordinis Minorũ, quòd gens Albertia olim magnificentiſſimè conſtruxerat, in ſuorum maiorum ſepulchro, quòd à ſuis gentilibus reſtauratum in pauimento exculpto exornarunt hoc Epitaphio.

ALBERTO ALBERTIO EPISCOPO CAMERTINO
AB EVGENIO IV. PONT. MAX.
IN CONCILIO FLORENTINO EX LECTISSIMIS
CHRISTIANAE REIPVBLICAE VIRIS
IN COLLEGIVM CARDINALIVM COOPTATVS
SACRI FOEDERIS SVB VLADISLAO POLON. ET
HVNG. REGE LATINAE CLASSI PRAEFECTO
ROMANAE APOSTOLICAE DIGNITATIS
STVDIOSISSIMO PROPVGNATORI
ALB[illegible]II
GENTILI SVO [illegible]ME MERITO
MONVM. RESTITVERE
ANNO SALVTIS MDLXXIII.
OBIIT III. IDVS AVGVSTI MCCCCXLV.

A In Tabulis euſdem Eccleſiæ ſanctæ Crucis corpus huiuſce Cardinalis ibi iacere dicitur, vbi pendens Cardinalitius Pileus inſpicitur, quemadmodum etiam indicat appoſitum Epitaphium: fortaſſe Roma illuc deducta Alberti Cardinalis oſſa, & cineres, ſeu pars altera corporis. In vltima hac inſcriptione, quam diximus extare Florentiæ ad ſepulchrum euſdem Cardinalis narratur Albertum præfuiſſe claſſi à Chriſtianorum Principibus inſtructæ contra Turcas. Sed reuera omnium ſcriptorum illius æui ſententia non hic, ſed alius Cardinalis Florentinus claſſi illi præfuit, vt ſuo loco dicemus.

QVARTA CREATIO CARDINALIVM.

Anno à partu Virginis 1440. decimo Kal. Iulij, Romæ ex Ciaconio, & Panuinio, ſeu ex Contelorio, die prima Iulij Florentiæ Eugenius IV. Romanus Pontifex duos renunciauit Cardinales, qui fuerunt.

B

Ciaconius. Bernard. Scardeonius de al. Clar. viris Patauin. Iac. Phil. Tomaſ. in elogijs vir. illuſt. And. Victor. in Addit. ad Ciaconium. Ferdinand. Vghell. in Ital. ſac. Angelus Portenar. de Felic. Patauin. Aubery in Vita. Panuinius. Raphael Volaterr. Hier. Gambert. Antõ. Simeon. in hiſt. Neapolit.



XXI.

LVDOVICVS Scarampus, ſeu Mediarota Italus, patria Patauinus, obſcuris natalibus, ſeu ex aliquibus claro genere ortus, geſtis certè rebus illuſtris, primùm artium Liberalium, & Medicæ facultatis ſtudijs, ac Phyſicis diſciplinis in patria imbutus Romam petijt, vbi à prioribus ſtudijs ad armorum diſciplinam animum intẽdit ſuum; quando ea tempeſtate Romæ plus arma quàm toga valerent. Quamobrẽ tum Martini, tum Eugenij IV. ſucceſſoris amorem, vſque adeo ſua militari diſciplina promeruit, vt Epiſcopatum Traguriensem primò, deinde Archiepiſcopatum Florentinum, demum primus ex Veneta gente Patriarchatum Aquileienſem obtinuerit. Legationis munere functus eſt in Marchia, & ad Regem Aragoniæ. Commendatas etiam habuit Eccleſias Cauenſem, & Bononienſem, hanc tamen poſtremæ poſt duos annos nuncium remiſit. Et poſt multa præclare geſta in demortui Ioannis Vitelleſchi locum viuuet ... copijs præficitur; & cum ijs in auxilium Reipublicæ Florentinæ aduerſus Piccininum Philippi Mediolanenſis Præfectum Hetruriam longè lateque vaſtantem miſſus eſt. Vbi tunc apud Anglare Florentinorum oppidũ conſertus cum hoſte manibus, vi & aſtu Piccininũ, re ipſa magnum, & alioqui inuictũ Ducem vicit, fregit, fugauitque.

C

Hac victoria Ludouicus vno tempore liberam reddidit Apoſtolicam ſedem à maximis calamitatibus, Pontificem Romanum à multis periculis, Vrbem à metu, Ciues, oppida, rura, & agros ab ingentiſſima ruina, ac peſte, perniciéque bellorum. Gratiſſima ob id ſupra quàm dici poteſt, hæc victoria Eugenio accidit; quare Ludouicum iam ante Patriarcham Aquileienſem renunciatum, Presbyteris Cardinalibus titulo S. Laurentij in Damaſo adſcripſit, & S. R. E. Camerarium, ſeu ex alijs Cancellarium nominauit. In eo ordine multa ſubinde geſſit, quæ non minus Ducem fortiſſimum, quàm religioſiſſimum Chriſtianæ Reipublicæ Præſidem decerent. Huius autem apud Eugenium, vſque adeò auctoritas valuit, vt nihil ille penitus publicè, aut priuatè ageret, quòd non priùs Ludouici conſilium approbaſſet. Is tunc vnus omnia adminiſtrabat, eique ob ſingulare ingenium ſumma Pontificatus, ac rerum omnium cura tradita fuerat:

D

Ferrandinus Scardeonius.

Patauinos omnes, qui ad eum confugerant, valdè hilariter ſummo cum honore, ac benignè recipiebat, ſeque eis liberaliſſimum exhibebat. Tantus fauor in tantam inuidiam vulgò ceſſit, vt Romæ in vulgus in prouerbium venerit, dum malos agerent. *Eia Vellemus ſi eſſes Paduanus, fieres Papa, aut Caſtellanus*. Cum is ergo tantus apud Pontificem haberetur, familiaribus quibuſdam inſtantibus, quò haberent, quem Ludouici potentiæ poſſent obijcere, Petrus Barbus Pontificis nepos cum eo Cardinalis efficitur. Ceterùm Pontificem tum palam dixiſſe ferunt, ſe duos Cardinales tunc creaſſe, ſed alterum meritorum gratia, alterum verò conſanguinitatis affectu. Ex quo poſtea tanta ſimultas inter hos duos Cardinales orta eſt, vt in Romana Curia nunquam maiori odio certatum fuerit. Ægerrimè quidem ferebat Petrus Barbus primum ſibi locum apud Pontificem ſurripi, & ſibi nepoti ex ſorore, ac Veneto patritio hominem alienigenam, & obſcuri generis tam apertè præferri. Neque ſolùm ſub Eugenio, ſed etiam ſub ſucceſſoribus Romanis Pontificibus ſimultates haſce duo hi Cardinales retinuerunt. Patauinam exoptabat Eccleſiam Petrus Barbus, ... Ludouicus ſub ſpecie lauandi apud balneas, Patauium petijt, de ... Venetas, quibus in locis multa molitus, ne Patauinam ille conſequeretur Eccleſiam. Quare omni ſtudio ſemper Petrus Barbus curauit honoris ergo illum à Curia remouere: vnde Legatum in Aquileienſi, ac Gradenſi prouincijs, tum ad Philippum Mariam Mediolanenſem, & ad Ducem Ianuenſem, ac Rempublicam Florẽtinam deſtinauit, & hæ ad illum literæ datæ.

E

EVGENIVS EPISCOPVS, &c.

Ludouico Tit. S. Laurentij in Damaſo Presb. Card. Patriarchæ Aquileienſi, Camerario Noſtro A. S. L.

Summo deſiderio cupientes, vt inter dilectos filios nobiles viros Philippum Mariam Angelum Ducem Mediolani, & Ducem Ianuæ, & Florentinos bonum pacis, ſublatis diſſenſionibus inter eos, & ſcandalorum materijs, vigeat pax, & concordia ſtatuatur, firmetur, ac roboretur; ac ſperantes in Domino, quod id per opus Tuæ ſapientiæ faciliùs, Deo dante, poterimus conſequi, Te, quem potentem opere, & ſermone, in magnis expertum, & arduis, ſcientiæ claritate conſpicuum, bonæ gerendarum rerum experientia, & maturitate conſilij inſignitum, ac morum grauitate, plurimarumque virtutum donis illuſtrem, in cuius affectibus geritur, pacem ponere inter diſſidentes, & bellorum materiam inter diſcordes penitus ſubmouere, Noſtrum, & Apoſtolicæ Sedis Legatum in Aquileienſi, & Gradenſi prouincijs de Fratrum Noſtrorum conſilio, tanquam pacis Angelum facimus, conſtituimus, & etiam deputamus: Teque ad eaſdem prouincias cum plena legationis de latere officio deſtinamus, vt in eis diuellas, & deſtruas, diſſipes, & diſperdas, ædifices, & plantes, ac ſtatuas ſalubriter, & ordines in nomine Domini, prout tibi pro bono pacis, & concordiæ huiuſmodi conſequendo, & ſtatuendo, gratia cæleſtis infuſio, & Tua etiam prouidentia monſtrabit; omnes & ſingulos Principes, Marchiones, Comites, Barones, Communitates, & Populos, & alios vniuerſos, & ſingulos prouinciarum diſcordes, & diſſidentes ad huiuſmodi pacem, & concordiam, & earum obſeruantiam ſalubriter exhortando, vt in mutua fraterna dilectionis charitate, & beneuolentia conquieſcant. Tibi præterea omnia quoque, & ſingula agendi, tractandi, & perficiendi, quod ad cultum Dei, exaltationem Catholicæ fidei, Noſtrum & Apoſtolicæ Sedis honorem, nec non ad recuperationem ſtatus Eccleſiaſtici, & præcipue ciuitatis Noſtræ Bononienſis, comitatus, & diſtrictus, ac prouinciæ Romandiolæ, obſeruantiam Canonicarum ſanctionum, & redintegrationis Eccleſiaſticæ libertatis, honeſtatis, & morum decus, releuationem Eccleſiarum, ac locorum Eccleſiarum, pauperum, fidelium defenſionem, reproborum exterminationem, ſalutem animarum, ac proſperum ſtatum dictarum prouinciarum quomodolibet pertinebunt; nec non reformandi, corrigendi in eis Spiritualiter, & Temporaliter, quæ correctionis, & reformationis officio videris indigere. Dat. Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ 1441. Pontificatus Noſtri Anno Vndecimo.

A Calliſto III. cum copijs Pontificijs in Hungariam mittitur contra Turcas, ſed ante ſuum ab Vrbe Roma diſceſſum has ad Fr. Ioannem de Capiſtrano in Hungaria degentem literas dedit.

Religioſo Viro, amico Noſtro chariſſimo, Fr. Ioanni de Capiſtrano. Ludouicus Aquileienſis, &c.

Luc. Vvadingus in Annal. Minorum.

Intelleximus quanto ardore, & ſollicitudine V. P. pro communi Chriſtianorum ſalute laboret, idque Nobis facile perſuaſit iamdiu cognita vita probitas ſanctis operibus comprobata. Hortamur autem, vt in hoc propoſito eò libentius perſeueret, quo certius nouit ſanctiſſ. Dom. Papam ſe in eodem opere habere ſummè concordem. Eius animus quotidie magis, & magis contra hoſtes inflammatur, ita vt nihil iam cupiat, quam vt expedita claſſe Noſtra, cuius magna pars iam in Tyberim deducta eſt, quantocius illam conſcendamus, & in hoſtes proficiſcamur. Nos etiam ſuæ Sanctitati ſummo ſtudio obſequentes, nihil prætermittimus induſtriæ, vt quamprimum cum vniuerſa claſſe ſoluamus. Infra breue ſpatium abſoluetur magna quadriremis, quam pro Noſtra perſona fabricari curauimus, omni bellico apparatu inſtructam. Rogamus itaque V. P. vt ſicut hactenus fecit, omni diligentia, & ſtudio cures Principes, & Reges ad neceſſarium, & meritorium hoc bellum excitare, eoſque exhortari, vt depoſitis odijs, & diſſenſionibus contra communem Chriſtiani nominis hoſtem accingatur, ita vt in tempore debito cum expeditione maritima ſint parati, quod ſiquidem fecerint, ſperamus, & in Domino confidimus felicem rerum gerendarum euentum. Alia nunc non licet ſcribere, paratus ad Veſtra beneplacita; bene valete: Ex Vrbe die 26. Aprilis 1456.

F

In hac Præfectura ita ſtrenuè ſe geſſit, vt Turcis apud Belgradum parua manu ſuperatis, & fuſis victor euaſerit; quo prælio cæſa ſunt ad ſex hoſtium millia, commeatus intercepti, ſexaginta tormenta bellica capta, & abducta. Conſtantinopolim nauigaſſe, ac nonnullis Inſulis in Ægeo receptis, diſſoluta deinde claſſe Romam rediJſſe ſcripſit Cardinalis Papienſis. Pius enim, qui Calliſto in Pontificatu ſucceſſerat, inteſtinis Italiæ motibus, & ſubditorum ſeditionibus occupatus longinqua proſpicere non poterat. Præſertim cum Roma ipſa in periculo eſſet, non ſolùm Baronibus per circuitum, ſed aliquibus Romanis Ciuibus res nouas mouentibus, & Eccleſiaſticæ potentiæ inſidiantibus. Romam igitur redijt Ludouicus, Rhodo, & omni Oriente noſtræ religionis cultore in diſcrimine, ſummaque deſperatione relicto. Romam geſtarum rerum gloria clarus à Pio II. Pontifice maximo, & à toto Cardinalium Collegio, ſummo honore exceptus, & mirificè collaudatus eſt. De hoc celebris fama extat apud omnes illorum temporum ſcriptores, atque hunc inter militares Duces, & Præſulos Eccleſiæ collocant, ac ſuiſſe virum omnium clariſſimum aſſirmant. Paulus II. anno ipſo ſui Vicariatus 1464. ſiluam ...

Card. Papienſ. in Commẽt.

Æneas Syluius in Commẽt.

Epiſcopum

Epiſcopum Albanenſem renunciauit, inſuper, vt dicunt, in Commendam obtinuit S. Mariæ Claræuallis Abbatiam ſecundo ab Vrbe Mediolani lapide à S. Bernardo extructam.

Is Campum Floræ Romæ tunc temporis neglectum, atque in equorum paſcua redactum lapidibus ſtrauit, & ornauit ædes iuxta Baſilicam S. Laurentij in Damaſo, & maximo ſumptu inſtruxit. Præterea in Sabello vetuſtiſſimi nominis oppido Monaſterium, quòd Honorius III. de gente Sabellorum ibi ædificauerat, penè funditus dirutum, magnis impenſis inſtaurauit; ductus aquarum conſtruxit, ac demortuæ Vrbi aliquam oppidi faciem reddidit. Archiepiſcopus Florentinus, Concilio Florentino ſubſcripſit, & anno Pontificatus Aquileienſis quarto litem de Foro Iulij ditione, quam Veneti obtinebant, ita compoſuit, vt ſingulis annis tria aureorum millia è publico Fiſco ſibi, & ſucceſſoribus ſoluerent, ac Turcarum, & ceterorum hoſtium eò irrumpentium impetus retunderent, quibus ipſemet Patriarcha ſuis viribus abſque auxiliaribus copijs, atque inclyta Venetorum virtute reſiſtere non valebat. Propterea anno 1462. donatus à patribus ciuitate Venetiarum, & creatus Venetus patritius cognominatus eſt ex matris familia Mediarota: ille enim ex Arenæ familia prodierat, ſi Angelo Portinario præſtanda eſt fides. Anno verò viceſimo quinto ſui Patriarchatus, Chriſti 1465. die 13. ex Tomaſino, ex Contelorio verò die 22. Martij, Romæ ſub Paulo II. obijt, & ſumma cum pompa iuſſu Pontificis Romæ in Templo S. Laurentij in Damaſo tumulatus: ſed noctu effracto ſepulchro, annulo, & veſte exutus eſt. Quare huius tumulus diu planè neglectus manſit, ſed tandè Henrici Hunis liberalitate è marmore cũ hoc titulo reparatur.

Andr. Victorell. in Addit. ad Ciacconi.

Bernard. Scardeon. de Prælat. Patauin.

LVDOVICO MEDIAROTA PATAVINO,
Patriarchæ Aquileienſi, Epiſcopo Cardinali Albano, & D. Laurentij in Damaſo S.R.E. Cancellario. Quod animi magnitudine, & ſingulari præditus prudẽtia, cum rem Romanam multitudine hoſtium laborantem Legatus ab EVGENIO IV. *in priſtinum armis, & victorijs vindicaſſet; Nicolaum Piccininum apud Anglariam profligaſſet; agrum Picenum à Franciſci Sfortiæ dominatu in deditionem Romanæ Eccleſiæ recuperaſſet; Turcas ſub* CALLISTO III. *in naualibus prælijs contudiſſet; auctoritatem Rom. Pontificatus longe lateque propagaſſet; domeſticis quoque virtutibus, Conſilio, Grauitate, Continentia, plurimis denique in omnes bonos Liberalitatis, & Beneficentiæ monumentis bellicas laudes ornatiores reddidiſſet: Henricus Hunis Archiepiſcopus Tarentinus, Pontificis, Sacrique Senatus à Secretis, Aerarij Apoſtolici Præfectus tantæ virtutis in lucem reuocandi cauſa, veterem quoque ſuam in eum obſeruantiam hoc recenti pietatis officio teſtaretur; hoc illi monumentum, XL. ab eius morte anno, ſua pecunia faciundum locauit anno ſalutis,* CIƆ. IƆ. V. *9. Kalen. Aprilis.*
Vixit annos LXIII. *Menſes* IV. *Dies* VIII.

Condidit miram quadam eruditione refertas epiſtolas inſcriptas Franciſco Barbo Compatri ſuo, quæ in Bibliotheca Laurentij Pignorij antiquitatum omnium ſtudioſiſſimi cultoris extant. Ludouicum hunc Cardinalem, regium ferè ſplendorem, equos, canes, magnam familiam, conuiuia lauta, ſupellectilem precioſam, lautitiarum cultum in Romanam Curiam, primum inuexiſſe Scardeonius teſtatus eſt: hinc ab Aulicis *Cardinalis Lucullus* appellatus eſt. Ioannes Iouianus Pontanus Ludouicum hunc apud Inferos galero æreo candẽte coopertũ luſit, & ſcripſit, quod ob ingẽtes opes male audierit.

Patauij in Muſæo Aloyſij Coradini, Ludouici Patriarchæ Aquileienſis Numiſma extabat, in cuius altera parte Ludouici imago his verbis circundata. L. AQVILEIENSIVM PATRIARCHA ECCLESIAM RESTITVIT. In altera parte Templum à militibus exaltatum, ijs verbis additis ſuperiùs. ECCLESIA RESTITVTA. Inferiùs his. EX ALTO.

Moriens Ludouicus heredes ſibi in theſauris, & precioſa ſupellectile reliquit duos è familiaribus ſuis, & alumnis Scarampos cognominatos. Quare Ludouicus, qui viuens in peragendis rebus omnibus ſupra modum ſagax ab omnibus habitus eſt, in calce vitæ ſuæ ab illa ſua prudẽtia innata defeciſſe videtur: non enim, ſicut quidam ſcripſere, tantas diuitias, tam amplum, & copioſum patrimonium ita facilè in manus priuati hominis conferre debuerat. Et licet Paulus II. Pontifex maximus ad Pontificatum aſſumptus, ceſſante iam omni inuidia, & æmulatione, & antiqua omnis odij cauſa ſublata, volens ei, vel maximè reconciliatus videri, poteſtatem ei teſtãdi conceſſerat; at vbi mortuus eſt, immenſas huius opes aggreſſus, reuocauit omnem teſtandi licentiam, meritò damnans, quòd is tantas facultates Eccleſiæ munere partas, non in publicos pioſque, ſed in priuatos paucorum vſus diſpertiendas mandaſſet; quòd & ipſi crimen, & Pontificiæ poteſtati ſcandalum, & ſacro Ordini ſiniſtram famam afferret. Quocirca Scarampos ipſos eò vſque in cuſtodia detinuit, donec immenſus Ludouici theſaurus è Florentia, & alijs locis Romam peruenerit; ita poſtmodum cum bona pace, & quota hereditatis parte incolumes dimiſſi ſunt. In reliquis bonis immobilibus, & prædijs, quæ excedebant quinque millia iugerum, heredem habuit Andream fratrem, & Franciſcum nepotem ab Arena appellatos, qui poſtmodum per aliquot annos rerum ſuarum prodigi, exhauſtis omnibus pecunijs, & abſumpto ne dicam deuorato tam grãdi patrimonio, non ceſſarunt prodigaliter conſumere; quouſque ingentia illa prædia cum amicis aſſiduis, alijſque vniuerſa diſtraherent, & breui mirabiliter omnem rem ſuam profunderent. Arena quoque ipſa, quòd eſt vetuſtiſſimi Amphitheatri nomen, à quo & ipſi cognomen acceperant, diuendita, ad nouas ædes conſtruendas apud Vmedium vicum animum intendunt, ibique ſubterraneis arcubus, & imis tantùm partibus ædium ædificatis, vbi ad prima lacunaria deuentum fuit, deficientibus iam pecunijs deſitum eſt. Hic locus cum vicino vico progreſſu temporis ad fratres S. Franciſci ex pijs legatis eorum, qui ea loca emerant, in vſus ampliſſimorum hortorum, ædes verò ad infirmorum Xenodochium deuenere. Huiuſce Cardinalis effigiem è latebris erutam tradidit omnibus conſpiciendam Iacobus Philippus Tomaſinus in Elogijs virorũ illuſtrium, eamque diligentiſſimè expreſſam eſſe affirmat ad exemplar delineatum olim in ædibus viri nobilis Franciſci Leonis manu excellentis illius æui pictoris Andreæ Manuneæ Patauini. In Academia noua, quam *Deliam* vocant, erecta anno 1508. Patauij pro Equitibus Patauinis, ea in parte ciuitatis, quæ *Cittadella* dicitur, prope Eccleſiam S. Michaelis, auſpice Antonio Frigimelica, effictus etiam cernitur Mediarota, eidemque tale poſitum elogium legitur, quòd ſubnecto.

LVDOVICVS AB ARENA MEDIAROTA,
Pietate magis, an armis inſignis, neſcias. Etenim ſub EVGENIO IV. *Pont. Max. copijs ſumma cum auctoritate præpoſitus, Florentinis ſuppetias ferens, Piccininum magni nominis Ducem, Hetruriam deuaſtantem, poſt pugnam ancipiti Marte quinque horas acriter vtrinque commiſſam, tandem victoria potitus, ad Ducem Mediolani, cuius partes tuebatur, debellatum, ac fractum remiſit. Ob id inter Cardinales cooptatus, Eccleſiæ Cancell. efficitur. Pluribus Vijs Romæ ſtratis, Eccleſijs in priſtinum reſtitutis, Aquaductibus inſtauratis; tanto ſplendore, & magnificentia Cardinalatus dignitatem auxit, vt declarauerit, Cardinales merito inter Principes eſſe commemorandos. Ad Aquileiæ Patriarchatum permotus, à Venetiarum Principe Veneta donatus Nobilitate, Armis Toga ſuperimpoſitis,* CALLISTO III. *iteidem Pont. obtemperans, Turcas circa Belgradum inuadens, formidabili prælio diſiecit, diſperſit, & Conſtantinopolim aduolare coegit. Cùm præſto eſſet Rhodijs, numeroſam Turcarum claſſem paucis nauibus fulminis in morem protriuit, ac demerſit. Pluribus Aegæi Inſulis hoſti Orientali ademptis, alijs egregiæ Virtutis experimentis editis, tot patratis facinoribus, tot inſignitus victorijs terra, marique partis, Magno Pompeio non inferior, incredibili omnium applauſu, & acclamatione Romam Victor ingreditur. Moritur non moriturus* M. CCCC. LXV.
Tanti Viri memoriæ ergo.

Viſuntur adhuc eius ſtemmata Patauij in fronte Eccleſiæ S. Luciæ, & in Domibus Xenodochij ſancti Franciſci; quibus ſunt ſimilia, quæ ſupra expreſſimus.

Demum ſilentio præterire non poſſum, quòd de eo ſcripſit, rudè tamen Gaſpar Veronenſis lib. 2. de Geſtis ſub temporibus Pauli II. Romæ in Bibliotheca Franciſci Cardinalis Barberini aſſeruatum. Reſcribam illius verba, vt fidem faciant omnibus, qui huiuſce geſta percurrent. *Ludouicus*, inquit laudatus Gaſpar, *Patriarcha Aquileienſis ab Eugenio creatus, quem, vt fama fert conſtantiſſima, nemo vnquam iam negauerit, omnium pene mortalium Italorum fuiſſe ditiſſimum; poſt habitis tamen Principibus terrarum, Coſmo Florentino. Quem quidem Patriarcham probe Petrus Barbus, nunc Pontifex ſummus, atque digniſſimus nouerat à vertice ad plantas; & ſub Eugenio IV. & poſt. Nam cum Eugenius Florentiæ Curiam collocaſſet poſt diceſſum ab Vrbe Ferraria, illud conſtat, Ludouicum Patauinum necem Petro Barbo ſummis viribus eſſe conatum: quòd cum non ſucceſſiſſet ad vota, deinde ſemper indoluit, nec vlla lætitia affici potuit. Verùm aliorum tempore Pontificum, qui ſecuti ſunt, res, atque indignationes, diſcordiæque parumper ſedata videbantur. Malo tecum in Paulum animo, & praua mente Patriarcha reuera ſemper fuit, & aptiſſimus ſimulator, ac diſſimulator, nec vlla alia ratione diem ſuum obijt, quam dolore ingenti, atque ſummo mœrore, quod Barbus ſummus Pontifex euaſiſſet. Ille ſuit, vt gladius, quo confoſſus eſt, vt Medicus, & qui ei aſſiſtebant, apertiſſime conſuerunt; quod Cardinalis S. Anaſtaſiæ Ioannis Aretino Subdiacono Pontificio, & Gaſpari Veronenſi non dubitauit aſſerere. Eius facultates, de Patriarcha loquor, cum eſſent immenſa, & vltra ducenta millia aureorum paruulam particulam Eccleſijs, & pauperibus dereliquit, ſicut nec in vita indigentibus, & inopibus diſtribuere conatus eſt. Teſtatus pene omnis conſilio, & ratione carẽs Scarampos Ludouicum, & Nicolaum heredes inſtituit, quos penè a pueritia educauerat; verùm ea cuncta bona Eugenij quaſi fuiſſe credũtur. Quippe apud eum Ludouicus ipſe princeps extiterat, & Camerarius omnem Eugenij pecuniam pro ſuo arbitrio pertractans, quod non erat huic Pontifici ſummo incognitum. Quas ob res Teſtamentum illud pene irritum fuit, & caſſum, & pene omne abrogauit, & ad ſe fere omnem illam hereditatem iure contraxit cum omnium*

mortalium

mort alium laude, & benedictione non pauca, quam tamen pro ſua innata humanitate diſtribuit. Cum autem Scarampi detenti, de quibus mentio facta eſt, e cuſtodia ſe in pedes dediſſent, ne detegerent Pontifici Paulo multum auri, & argenti, & aliarum facultatum, fugientes capti ſunt in Nouo Caſtello ad decimum lapidem, aut circiter ab Vrbe Roma, deinceps arctius detenti, & cuſtoditi ſunt. Interea omne argentum, & aurum cum ceteris rebus immobilibus, quas Florentiam Patriarcha miſerat, quò ſi vixiſſet, iturus fuerat, reportata ſunt ad Pontificem, actoribus primarijs, & adiutoribus Antonio Eugubino Procuratore cauſarum Fiſci acutiſſimo, & Falcone Sinibaldo Romano, Cameræ Apoſtolicæ Clerico digniſſimo, quicquid expetierunt à Florentinis ea in re impetrauerunt, & ſummo cum honore, & laude Romam cum grandi illo pondere diuitiarum reuerterunt, pecunia numerata, indumentis immenſi pretij, annulis aureis, lapilliſque precioſiſſimis penè infinitis, tapetibus quoque, & aulæa, labris, & lancibus argenteis omnibus, & omni denique pretioſorum genere, quarum omnium rerum ipſe parens, imo auarus in vita præſtiterat. De quibus quidem facultatibus ſatis ſuperque humanus, liberaliſque ſummus Pontifex eſſe conſtituit, nec relicta ſanctiſſimis Eccleſijs denegauit, nec nepotes eius neglexit, nec familiam ſpreuit. Cui quidem familiæ ſeptem millia aureorum diſpertiuit, & pluſquam menſes duos aluit largiter, & benigne. Inopibus ergo præſertim Virginibus maritandis, & Pannonibus, quos Vngaros vocant, non paruam partem dicitur induiſſe aduerſus Turcas, hominum beſtiale, & perfidum genus. Teſtamentum autem Ludouici Cardinalis præfati non irritum factum eſt; nam legata religioſa, & pia, vt dixi, reddita ſunt Templis, & puellis coniungendis, nulla facta retentione à Paulo II. Scarampis tandem, & nepotibus Ludouici ſatis abundeque lætis abeuntibus, cum tamen paulo ante nil ſe aſſecuturos exiſtimarent. Hæc ille de Cardinali Ludouico.

XXII.



Ciaconius

Aubery in vita.

Panuinius de Rom. Pont.

Felix Cõtelor. in ſuo Elencho.

PETRVS Barbus Venetus, Nicolai Barbi, & Polixenę Eugenij ſororis filius, ex Canonico Patauino, & Protonotario Apoſtolico, imò affirmante Aubery ex Archidiacono Eccleſiæ principis Bononienſis, Epiſcopus Ceruięſis primò, mox Vicentinus, demum Patauinus ab Eugenio purpuram accepit, & Diaconus Cardinalis S. Mariæ Nouæ, poſtea à Nicolao V. ſucceſſore Presbyter S. Marci, & Archipresbyter S. Petri renunciatus, Cardinalis Venetorum cõmuniter eſt appellatus. Vt Commendatarius præfuit aliquandiu Eccleſiæ S. Cæciliç, & ſub Calliſto III. legationis munere functus eſt in Italia ſuburbana. Hic in Baſilica Vaticana Chriſti Domini Imaginem ſudore, & ſanguine in linteo ad eius faciem à Veronica admoto efformatam populo oſtendit, cum Pius II. Romanus Pontifex S. Andreæ caput ad Vaticanam Baſilicã inſigni ſupplicatione, & cultu detulit. Pium Secundum, tum Mantuam, tum Anconam cum alijs Cardinalibus proſecutus eſt, qua in Vrbe ex tanta hominum colluuione orta eſt peſtilentia, quæ intolerabili æſtu per autumnum humana corpora mouente, per vulgaria primùm capita vagari cœpit; inde nobilitatem quoque primoreſque corripuit. Inter quos fuit Petrus Barbus Cardinalis, ætate, prudentia, ac rerum vſu inter ceteros eminens; hic communi peſtilentia tactus æſtuare animo cœpit, cum fœda impendentis mortis facies oculis obuerſaretur. Confeſtim ad Lauretanum Templum ſe deferri iubet, quo vt ventum eſt, eiectis arbitris in Deiparæ cellam infertur, ibi venerabundus procumbere humi, omnem in beata Virgine ſecundùm Deum ſuæ curationis ſpem reponere, vrgentis morbi, mortiſque impendentis remedium expoſcere. Nec fruſtra, precibus inſiſtenti leuis quidam, ac dulcis ſomnus obrepſit: fama eſt illi in quiete Deiparam Virginem cœleſti quadam ſpecie oblatam, quæ bonum habere animum, & auditas eius preces nunciaret; mox diſcuſſum iri morbum; inſuper ipſum propediem Dei nutu Pontificem maximum futurum. Haud vanum fuiſſe viſum docuit euentus: ex Templo cum ſomno morbus abijt, ipſe voti compos animi, & corporis vigorem omnium ſpe maturius recuperauit. Ipſe admodum lætus multiplex Dei, ac Deiparæ beneficium agnoſcit, & gratijs vtrique impensè actis ſoſpes, ac vegetus exit è ſacroſancto ſacello, cunctis qui eius morbi conſcij erant, attonitis, & ingenti admiratione defixis. At ille B. Mariæ promiſſo ad ſummi Sacerdotij ſpem erectus, & ſimul accepti beneficij ſatis memor Lauretanæ Aedis Præſidem protinus accerſiri iubet; huic propalam enunciat, ſibi eſſe in animo magnificentiſſimum S. Mariæ Lauretanæ Templum condere, proinde primo quoque tempore, calcis, cæmentorum, materiæ, quòd ſatis ſit, comparet ſuo nomine, ſumptuque. Inde Romam ad Comitia profectus, Pontifex renunciatus, Pauli II. ſibi nomen vide vitam.

Hor. Turſellinus in Hiſt. Lauretana.

And. Vitorell. in Addit. ad Ciaconiũ.

Hipp. Marracc. in ſuo Pont. Marian.

QVINTA CREATIO VNIVS CARDINALIS.

Anno à partu Virginis 1444. die Sabbathi, ij. Maij, ex Contelorio, ſeu ex Ciaconio, ac Panuinio jv. Idus Iulij, Eugenius IV. Romæ vnum renunciauit Cardinalem, qui fuit.

XXIII.



Ciaconius

Aubery in vita.

Panuinius de Rom. Pont.

Felix Cõtelorius in Elencho

ALPHONSVS Borgia, filius Ioannis, ſeu Dominici, natione Hiſpanus, ex oppido Sauina Valentinę Diœceſis, Decretorum Doctor, Canonicus primò Ilerdenſis à Benedicto Pſeudopontifice factus, & Conſiliarius Alphonſi Regis Arragonum, mox Archiepiſcopus Valentinus, deinde die 2. Maij, anno 1444. inter Presbyteros Cardinales titulo ſanctorum Quatuor Coronatorum cooptatus eſt. Ciaconius ponit ſub die 12. Iulij huius Cardinalis enunciationem, eo ſcilicet die, quo primùm in Vrbem hic Cardinalis iam renunciatus ingreditur. Poſtremò poſt Nicolai Quinti obitum Cathedram Petri aſcendens, Calliſtus III. dictus eſt: vide vitam.

SEXTA CREATIO CARDINALIVM.

Anno Dominicæ Incarnationis 1446. die 16. Decembris, Eugenius IV. Romanus Pontifex, Romæ quatuor adſcripſit Cardinalibus, qui fuere.

XXIV.



Ciaconius

Aubery in vita.

Panuinius de Rom. Pont.

Ferdinãd. Vghel. in Ital. ſac.

Felix Cõtelor. in Elencho.

Hẽr. Spondan. in Annal. Eccleſiaſtic.

THOMAS Lucanus Ligur, patria Sarzanenſis, Bartholomæi profeſſione Medici, & Andreolæ filius, in Bononienſi Academia tum Phyloſophiæ, tum Theologiæ operam nauauit ea diligentia, vt breui Magiſtri lauream in vtraque ſcientia obtinuerit. Canonicus Eccleſiæ Bononienſis præfecturam familiæ Nicolai Cardinalis Albergati geſſit, & poſt obitum Nicolai illum ad ſedem Eccleſiæ eiuſdem anno 1445. v. Kalendas Decembris Eugenius IV. euexit. Hunc Bononienſem Præſulem ad Philippum Burgundiæ Ducem Eugenius pro pace reddenda Eccleſiæ direxit. Interfuit Legatus Apoſtolicæ ſedis conuentui Francofordienſi, cumque rem bene, ac feliciter peregiſſet, ad Cardinalatus eminentiam prouectus eſt. Huic Presbyteris Cardinalibus titulo S. Suſannæ adſcripto Eugenius ad portam Flaminiam galerum obuiam miſit, vt Vrbem ſolemni pompa ingrederetur. Thomas igitur adeò felici, & inoffenſo gradu omnes dignitates Eccleſiaſticas percurrit, vt vnius anni curriculo Bononienſis Epiſcopus, Cardinalis, ac ſummus Pontifex ſub nomine Nicolai V. euaſerit: de quo plura infra in eius vita.

XXV.



Ciaconius

Panuinius

Petr. Galeſinus.

Franc. Bẽzolus in Catal. Archiep. Mediolanen.

Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciacon. & in Ital. ſac.

And. Victorell. in Addit. ad Ciaconiũ.

Felix Cõtelorius in Elencho.

Nomencl. Cardinal.

Ioann. de Deo de ſuis Succeſſor. S. Barnabę

HENRICVS de Alloſio, ſeu de ſancto Alloſio, natione Italus, patria, vt quidam autumant, Papienſis, ſeu ex alijs Scotus, Terdonenſem Epiſcopatum primò obtinuit, inde ad Papienſem anno 1439. jx. Kal. Septembris tranſlatus, iuri Canonico, ac Theologiæ operam dedit; vnde breui, quòd in iuuentute minimè fecerat, in virilitate, maxima omnium admiratione præſtitit. Mediolanenſis Archiepiſcopus, inde & Presbyter Cardinalis titulo ſancti Clementis creatus, multa pietatis opera edidit, & pauperum pater eſt appellatus. Diſtribuit enim precioſiſſimam omnem ſuæ domus ſupellectilem, vaſa aurea, & argentea, vt pauperes fame, & peſtilentia, quæ tunc Mediolanum inuaſerant, laborantes ſubleuaret. In viuis pius pater eſſe

deſijt an-

deſijt anno ætatis ſuæ ſexageſimo, Chriſti verò 1450. die 4. Iulij, & ſepultus apud S. Clementem cum hac Inſcriptione.

Heu decus, heu lumen tibi nunc demus inclyta ſanctè
De Alleſio periit tuus ipſe colendus HERICVS,
Hac requieſcit humo, primum qui tempore longo
Præſul in Vrbe fuit Terdona, dehinc qui Papia,
Poſt Mediolani ſacer Archiepiſcopus inde
Pro virtute ſua rubeo fuit ecce galero
Per Papam EVGENIVM donatus in ordine Quartum
Hic pius, hic ſapiens, hic iuſtus, caſtus, honeſtus,
Seruorumque Dei Protector in omnibus ardens
Hic Teſtamentum renuit ſibi condere dicens
Cuncta fore Eccleſiæ, ſe cuncta relinquere Chriſto,
Qui dedit, ac tandem cum ſexaginta ſubiſſet
Annorum ætatem, Iubilei tempore ſancti
Mille quadringentis, & quinquaginta ſub annis
Atque die quarta Iulij deuotus, & almus
Spiritus ille ſuus felix ſuper aſtra volauit.

Antonius Maria Spelta, qui de Epiſcopis Papienſibus hiſtoriam proſecutus eſt, ex varijs monumentis Papienſis Eccleſiæ Henricum hunc ex Dominis ſancti Alloſij Terdonenſis Diœceſis, Rampinæ familiæ nobiliſſimæ, Franciſco Rampino patre natum aſſirmat.



XXVI.

Ciaconius. Panuinius. Aubery in vita. Felix Cõtelorius in Elencho.

IOANNES Siculus, patris Meſſanenſis, monachus Congregationis S. Iuſtinæ Patauij, & Abbas S. Pauli extra muros Vrbis, inter Alphonſum Arragonenſem, & Renatum Andegauenſem Ducem pacem, & amicitiæ fœdus firmare eo ardore animi curauit, vt Eugenius perſpecto Ioãnis ſtudio in procuranda Italiæ pace, illum Preſbyteris Cardinalibus titulo S. Sabinæ, anno 1446. adſcripſerit. Diu tamen non vixit in Cardinalatu; nam anno 1449. die 21. Ianuarij, Neapoli mortem ſubijt, & ſepultus apud patres Benedictinos illius Vrbis in Eccleſia ſancti Seuerini.



XXVII.

Ciaconius Card. Papienſ. in Commẽt. & in epiſtolis. Pius II. in Commẽt. 1460. Aubery in vita. Panuinius. Andr. Victorell. in Addit. ad Ciaconiũ. Hier. Gvrimbert. Ant. Sanderus in elogijs Card. Ioan. Cochlæus in Hiſtoria Huſſit. Ferdinãd. Vghell. in Ital. ſac. Bzou. in hiſtoria. Bernardinus Corius in Hiſt. Mediolanẽ. Antõ. Sãmont. in hiſt. Neapolit.

IOANNES CARAVAGIAL ſeu Caruaial, Hiſpanus, ex Trugillo vlterioris Hiſpaniæ oppido, cuius Liuianæ hiſtoriæ meminerunt, parentum cura præceptoribus ad literas datus eſt: poſt prima autem rudimenta, & mox poſt iuris profeſſam ſcientiam, Romam veniens, opinione præſtantis doctrinæ in Collegium Iudicum Rotæ eſt cooptatus. Paulò poſt Prætor Curiæ, ſeu Vrbis Rector eſt deſignatus; quibus in muneribus, integritatis etiam ſpecimen præbens ad grauiora adhiberi eſt cœptus. Electus primò Epiſcopus Placentinus in Hiſpania, deinde renunciatus eſt Diaconus Cardinalis ſancti Angeli in Foro Piſcium, poſtea Presbyter S. Crucis in Hieruſalem, demum à Pio II. anno 1460. Portuenſis, & S. Ruffinæ Epiſcopus. Hic nobilibus ortus parentibus, ab ineunte ætate iuri Pontificio, & Cæſareo, vt diximus, operam adeo nauauit, vt apud omnes maximum de ſe nomen ediderit. Cum verò bonis moribus, doctrina, & prudentia præditus eſſet, ab Eugenio IV. Romano Pontifice ob eius nobilitatem, & doctrinam cognitus diuerſas legationes obtinuit, in quibus honorificentiſſimè ſe geſſit; præcipuè in ea, qua miſſus eſt ad Concilium Baſileenſe. Ex qua rediens ob res bene geſtas Pontifici gratus in numerum Cardinalium abſens cooptatur. A Nicolao V. in Germaniam miſſus eſt; eo defuncto, Pontificatus Calliſti III. initio in Pannoniam, & in omnem oram Illyrij ad bellum in Turcas, Chriſti fidelium hoſtes acerrimos proficiſci iuſſus eſt. Sexennium ijs in locis, ſub cœlo inſalubri, & inter gentem illam legatione functus, in caſtris ſæpe verſatus, hoſtium irruptionibus, militibus ſua diligentia Cruce inſignitis obuiam proceſſit, nonnunquam deſertus à ſuis, ſeipſum nunquam deſeruit. Frigorum vis illi dentes ademit alijſque multis moleſtijs afflictus omnia pro Chriſto, æquo, alacrique animo pertulit vir doctrina, ac ſanctimonia inſignis, magni conſilij, acerrimus ſemper hæreſum oppugnator, tota vita integritatis, & continentiæ laude præſtans: in legationibus, quæ teſte Cardinali Papienſi triginta duæ illi ab Eccleſia commiſſæ fuerunt, Romanorum Pontificum non ſolum præceptis, ſed votis obtemperauit, plurimas compoſuit paces, Cardinalitij ordinis libertatem quibuſdam in locis amiſſam reſtituit. Pontificij Legati auctoritatem retinuit, ac prompto animo exercuit; magnis beneficijs populos affecit, de omnibus optimè meritus eſt, & cum multas regiones peragraſſet, magna ſemper pertractaſſet, nihil præter caſti Sacerdotij gloriam in priuatas intulit ædes. Apud Belgradum Turcas ab Hungaris magno prælio ſuperatos vidit. In his legationibus opera Ioannis de Capiſtrano ordinis Minorum viri ſanctitate inſignis vſus eſt: plures ſunt apud Fr. Lucam Vvaddingum huiuſce Cardinalis literæ ad Fr. Ioannem de Capiſtrano, tum Fr. Ioannis ad Cardinalem datæ. Pace inter Hungaros, Auſtraleſque ſummo Chriſtianorum beneficio conſtituta, in Boëmiam Romani Pontificis iuſſu tranſijt. Illic enim à Rochezana Hæreſiarcha in publicam de fide diſputationem vocatus, ne diffidere in tanta expectatione Romano dogmati videretur, aſſenſit, cumque ad diem dictam in magno Regni Conuentu vterque aſſuiſſet, prior Rochezana ab his verbis diſputationi initium dedit *Aeterni Patris Verbum.* Offundente ſtatim Deo malignæ menti tenebras, progredi vltra non valuit, ac ſtatim obticuit: reſumente iterum, ac tertiò ex longis ſemper interuallis idem orationis initium, iterum coactus eſt obmuteſcere. Cum verò ſtuperet iam conſeſſus omnis, & prouocator ob confuſionem ægrè conſiſteret, læto vultu Ioannes Legatus ſilentium eius excipiens, idemque initium repetens tanta memoria, ſpirituque diſſerendo peregit reliqua, vt plurimi diuinum opus mirati, poſito errore ad ſanitatem redierint, & promiſſum Diuini Seruatoris manifeſtè enituerit dicentis fidelibus ſuis: *Ego dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere omnes aduerſarij veſtri.*

Chronicõ Dominicanorum. Balthaſſar Porregnus in elogijs Card. Hiſpanorum.

Epiſcopus Placentinus in Hiſpania factus, ita eo in munere vixit, vt ſemper iuſtitiæ ſectator, & amator fuerit, in pauperes liberalis, in omnes beneuolus. Legatus bis in Germaniam miſſus, vt eius prouinciæ Principes inter ſe diſcordes componeret, & ad concordiam reduceret, quid præſtitit pro hæreſi Boemorum, quæ maximè in illis partibus vigebat, eradicanda maximè elaborauit. In Hiſpania iuxta Placentiam Ciuitatem pontem maximis impenſis, quo ſupra Tagum fluuium tranſire liceret, conſtruxit, qui vſque in hodiernum diem, Cardinalis nomen retinet, vulgò *la Puente del Cardenal:* cum multi ante illud tempus periculum experti fuiſſent, & ob aquæ impetum perijſſent.

Septuagenario maior è vita exceſſit Romæ die 6. Decembris, anno 1469. & ſepultus ad ſanctum Marcellum cum hoc Epitaphio in tabula marmorea expreſſo.

Felix Cõtelorius in Elencho.

IOANNI. CARVAIALI. GENERE. IBERO
PONT. PORTVENSI
S. R. E. CARDINALI. PATRVM. SPLENDORE
VIRTVTVM. DECORI. DE. RELIGIONI
ATQVE. OMNI. REIP. BENEMERITO
Q. VIXIT. A. LXX.
BESSARIO. CARD. NICAENVS
COLLEGAE. PIENTISSIMO.

Ibidem de eodem in tabula marmorea muro proximo affixa, alia extat Inſcriptio.

Pontificum ſplendor iacet hic, ſacrique Senatus,
Namque animo Petrus, pectore Cæſar erat.
Hunc genuit Batis, rapuit ſed Roma, tenetque,
Corpora velat humus, ſpiritus aſtra colit.
Imputat hunc Batis Latio, cui fama perennis
Puniceo ſacro vertice fulſit apex.
Veſtus honor meritis, contempta, & munera vita,
Dum meliore ſui viuere parte cupit.
Aetheres qui magna fuit tutela Senatus,
Ioannes iacet hic CARVAIAL gentis Ibera,
Angelus in titulo, Princeps, & Epiſcopus almus
Portus, cuius habet meritis iam ſpiritus aſtra.

Vir fuit eximiæ virtutis, in laboribus pro Apoſtolica ſede aſſiduus & nunquam animo feſſus: prudentia, robore animi, amoreque in Rempublicam Chriſtianam, & Apoſtolicam ſedem clarus. Pius huius nominis Secundus, Romanus Pontifex Anconam proficiſcens, vt inde cũ Cruceſignatorum exercitu in Turcas contenderet, eum volebat præmittere, vt milites in Peloponneſum traduceret. Sed quia is ætate confectus, & laboribus pro Dei Eccleſia exantlatis attritus erat, verecundè demandabat prouinciam, non imperando, ſed innuendo: Ioannis vox humilitatis, & fortitudinis vna eademque ſemper fuit. *Si is ſum Pie ſumme Pontifex, quem tantis rebus idoneum iudices, ſequor ſine mora imperium tuum, & certè etiam exemplum, qui in fragili valetudine animam pro me, & pro ceteris ouibus tuis ponis. Scriptum mihi eſt: veni, ecce adſum; imperatur vt vadam, iam iter ingredior, pars hæc vitæ vltima Chriſto neganda non eſt.* Cum Anconam perueniſſet Pius, magnum Turcarum exercitum prope Raguſiam conſediſſe intellexit, Ioannem Caruaial conſuluit,

Card. Papienſ. in Commẽt.

quid fa-

quid faciendum, ſi Turcæ Auguſtam obſidione vexarent. Senex optimus ad Dei opus ſemper accinctus, *Ibo ego*, dixit, *hac nocte cum triremibus, quæ in portu inſtructæ ſunt, & vel obſidionem adiuuante Deo ſoluam, vel territis oppidanis ſpem, atque animum addam.* Etiam in vltima ſenectute perpetuo cilicio, & cibo fortuito vſus, vt cœli deſiderio quibuſuis, vel grauiſſimis ærumnis facilè aſſueſceret.

Scripſit, vt erat Apoſtolicæ ſedis ſtudioſiſſimus.

In Apoſtolicæ ſedis Defenſionem.

Legationum ſuarum Relationem compendiariam.

Et Epiſtolas à doctis multum laudatas, vt refert Cardinalis Papienſis, quibus tamen faſtuoſam quorundam cenſuram declinare haud licitum, ſubmurmurantibus inuidis.

Ad illum epiſtolas plures ſcripſit Cardinalis Papienſis.

Cardinales omnes in Comitijs ante electionem Pauli II. ſacramento inter alia promiſerant, vt quiſquis eorum ad Pontificatum eſſet aſſumptus, Cardinales non ante crearet, quam ij, qui creati iam haberentur intra viginti quatuor eſſent reducti, ac maiorem hoc numero non pateretur in Eccleſia eſſe. neminem quoque aſſumeret, qui non trigeſimum annum excederet, quique non profeſſus eſſet, vel Pontificium Ius, vel Ciuile, vel Sacras literas; nec niſi vnum, eumque huius generis hominem de cognatione ſua eligeret. Has leges licet Cardinalis, & mox Pontifex factus ſubſcriptionibus duabus iureiurando firmaſſet Paulus, delere nihilominùs pauló poſt aggreſſus eſt, aliena magis inſtigatione, quàm ſuo propoſito. Quare Cardinalium ſubſcriptiones nunc minis, nunc promiſſis ad illas delendas requirebat, qui omnes diuerſis moleſtiarum machinis debilitati ceſſerunt, atque ad vnum omnes non ſine gemitu ſubſcripſere; Ioanne Caruaial tantùm excepto, qui quód Iuuenem ſe non feciſſe meminerat, vt nulla de cauſa ſententiam mutaret, id iam ætatis non commiſſurum reſpondit. *Tibi* ad Pontificem conuerſus, inquit, *propter has leges moleſtus non ero; tantùm ſinito dignitatis, & conſcientiæ meæ me rationem habere.*

Cũ Georgius Poggebraccius Ladiſlai Regis Boëmiæ adhuc pueri tutor, & auitæ Religionis Catholicæ contemptor per vim Boemorum Regnum occupaſſet, Romanus Põtifex Pupillorum pater contra Georgium Eccleſiæ arma parabat, ſed illum, & patrum nonnullos cura angebat, quòd ſi in illum ſacrorum interdictionem intendiſſet, eorundem contemptorem expertus eſſes, nec vltor contemptæ legis certus apparebat. Horum verò fluctuantes animos vnius Ioannis Cardinalis Portuenſis incitatio confirmauit, qui magni conſilij vir, & hæreſum ſemper oppugnator acerrimus, vbi in re tam neceſſaria non ſatis explicari ſententias vidit. *Quid*, inquit, *metimur humanis iudicijs omnia? an non relinquenda magnis in rebus Deo ſunt aliqua? Si non aderit Cæſar, non Polonus, non Hungarus ſpondeo, aderit de excelſo ſancto Deus, & caput impiorum conteret; nos iuſta noſtri muneris impleamus, reliqua ille acturum perficiet.* Ad quam vocem erectis omnium mentibus dies Natalis Chriſti pronunciãdæ damnationi edicitur: quo die, peracto ſacro ſolemni Pontifex in magna hominum frequentia marmoreum ſuggeſtum aſcendens, quòd ante ſummum altare in Baſilica Vaticana ad dexteram erat, ex Diplomate ſententiam recitauit, ac Regno malè olim, deteriùs inde parto Georgium priuauit.

Ioannes igitur quandiu apud Pontifices egit, idem qui foris eſſe non deſijt; toto eius Cardinalatus tempore nulli vnquam non interfuit Senatui, ſolemnibus ſacris nullis non affuit: munera verò cuncta publicæ celebritatis ſic primus obiuit, vt nec valetudo vnquam, nec priuatæ occupationes eum abduxerint. Sententiæ eius plenæ religionis erant, ac maieſtatis; prudenter præuidebat, rem diſertè explicabat, abundabat exemplis; tum fucati nihil habebat oratio; diuina quædam animi, & vultus modeſtia id aſſequebatur dicendo, quod mirabantur omnes, & præter ipſum præſtare nemo ex omnibus poterat. Vt cum videlicet Pontificibus, aut Collegarum cuiquam aduerſandum eſſet, id verborum, atque agendi genus depromeret, quo non ſuperare quenquam, ſed ſolum conſilium ſine contentione dicere videretur; aſperum, aut contentioſum, vel leue actioni non admiſcuit; mores eius ab omni ambitione longiſſimè aberant. Habitabat ædibus modicis apud Templum S. Marcelli; nulla aulæorum, aut veſtis ſtragulæ vanitate: familiæ quoque is erat cultus atque modeſtia, vt in ea ſancti ſenis diſciplina facilè videretur. Ieiunijs ſemper intentus ſubſidia inopibus larga manu ſuppeditauit; plures ſacras ædes reſtaurauit; patrocinia labentibus tenuiorum cauſis fortiſſimè præſtitit. Hilaritatem ſemper coluit, quæ tanta, ac tam continua in eo fuit, vt non minùs oblectare pia feſtiuitate homines, quàm adiuuare videretur. Verè dignus Eccleſiæ, & ſancto Dei famulatu, quem ætas hæc priſcis illis naſcentis Eccleſiæ patribus ſine iniuria æquare poteſt.

CARDINALES AB EVGENIO IV.
Ex Parmenſe ab vno ad alium titulum tranſlati.

Iordanus Vrſinus ex Epiſcopo Albanenſi, Epiſc. Card. Sabinẽſis.

Antonius Corarius ex Epiſcopo Portuenſi, & S. Rufinæ Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus.

Antonius Pancerinus ex Presbytero ſanctæ Suſannæ, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus.

Branda Caſtellio ex Presbytero ſancti Clementis, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ.

Fr. Petrus de Fuxo ex Presbytero ſancti Stephani in Cœlio monte, Epiſcopus Cardinalis Albanenſis.

Hugo Luſignanus ex Diacono ſancti Hadriani Presbyter Cardinalis ſancti Clementis, & pauló poſt Epiſcopus Card. Præneſtinus.

Iulianus Cæſarinus ex Diacono S. Angeli, Presbyter Cardinalis S. Sabinæ, poſtea Epiſcopus Tuſculanus, & maior Pœnitentiarius.

Dominicus Ram, ex Presbytero Cardinali ſanctorum Ioannis, & Pauli, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ.

Ioannes Taliacotius, ſeu de Pontibus, alijs de Vrſinis ex Presbytero SS. Nerei, & Achillei, Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus.

Ioannes Ceruantes ex Presbytero ſancti Petri ad Vincula, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus.

Franciſcus Condulmerius ex Presbytero ſancti Clementis, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ.

Dominicus Capranica ex Diacono ſanctæ Mariæ in via Lata, Presbyter Cardinalis ſanctæ Crucis in Hieruſalem.

VICECANCELLARII S.R.E.
ſub eodem Eugenio IV. Rom. Pont.

Ioannes de Rupeſciſſa, Presbyter Cardinalis ſancti Laurentij in Lucina, ab anno Pontificatus primò ad ſeptimum.

Franciſcus Condulmerius, Presbyter Cardinalis ſancti Clementis, poſtea Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ ab anno ſeptimo, vſque ad finem Pontificatus.

CARDINALES MORTVI
ſub eodem Pontifice.

Iacobus Vrinenſis, Forojulienſis, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ Nouæ obijt, ex aliquibus die 19. Februarij, anni 1431. pauló ante electionem Eugenij; alij tamen aſſerunt illum è vita exceſſiſſe die 31. Auguſti, anni 1414. ſeu 1410.

Antonius Pancerinus Forojulienſis, Presbyter Cardinalis S. Suſannæ, deinde Epiſcopus Tuſculanus, die 3. Iulij anni 1431.

Guillelmus de Monteforti, alias Druanus, ſeu Dinan Gallus, Presbyter Cardinalis S. Anaſtaſiæ, die 27. Septembris, anni 1433.

Alphonſus Carillus, Hiſpanus, Diaconus Cardinalis ſancti Euſtachij, die 14. Martij, anno 1434.

Ardicinus de la Porta Nouarienſis, Diaconus Cardinalis ſanctorum Coſmæ, & Damiani, die 9. Aprilis, anno 1434.

Ioannes Caſanoua, Hiſpanus ordinis Prædicatorum, Presbyter Cardinalis S. Xiſti, die prima Martij, anno 1436.

Ioannes de Rupeſciſſa, Gallus, Presbyter Cardinalis ſancti Laurentij in Lucina, die 24. Martij, anno 1437.

Lucidus de Comitibus, Romanus, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Coſmedin, die 9 Septembris, anno eodem 1437.

Thomas Armellinus, Anglus, Presbyter Cardinalis, anno 1437.

Antonius Caſinus Senenſis, Presbyter Cardinalis ſancti Marcelli, die 4. Februarij, anno 1439.

Ioannes Vitellius Vitelleſchus Cornetanus, Presbyter Cardinalis S. Laurentij in Lucina, menſe Aprili, anno 1439. ſeu 1440.

Iordanus Vrſinus, Romanus, Presbyter Cardinalis SS. Sylueſtri, & Martini in montibus titulo Equitij, ſeu S. Laurentij in Damaſo, deinde Epiſcopus Cardinalis Albanenſis, demum Sabinenſis v. Kal. Iunij, anno 1439.

Hugo Luſignanus, Cyprius, Diaconus Cardinalis ſancti Hadriani, poſtea Presbyter ſancti Clementis, demum Epiſcopus Præneſtinus, menſe Auguſti, anno 1442.

Branda Caſtellio, Mediolanenſis, Presbyter Cardinalis S. Clementis, deinde Epiſcopus Portuenſis, die 4. Februarij, anno 1443.

Ludouicus de Lucemburgo, Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctorum IV. Coronatorum, deinde SS. Petri, & Marcellini, demum Epiſcopus Tuſculanus, die 4. Octobris, anno eodem 1443.

Fr. Nicolaus Albergatus, Bononienſis Carthuſianus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Crucis in Hieruſalem, anno 1443.

Angelottus Fuſcus, Romanus, Presbyter Cardinalis ſancti Marci, die 12. Septembris, anno 1444.

Iulianus Cæſarinus, Romanus, Diac. Card. S. Angeli, poſtea Presbyter S. Sabinæ, demum Epiſc. Tuſculanus anno eodem 1444.

Antonius Corarius, Venetus, Presbyter Cardinalis S. Chryſogoni, ſeu veriùs ſancti Petri ad Vincula tit. Eudoxiæ, poſtea Epiſcopus Portuenſis, demum Oſtienſis, die 19. Ianuarij, anno 1445.

Henricus Beaufort, Anglus, Presbyter Cardinalis ſancti Euſebij, die 12. Aprilis, anno eodem 1445.

Dominicus Ram, Hiſpanus, Presbyter Cardinalis ſancti Xiſti, deinde ſanctorum Ioannis, & Pauli, demum Epiſcopus Portuenſis, die 25. Aprilis, anno 1445.

Albertus de Albertis, Florentinus, Diaconus Cardinalis ſancti Euſtachij, die 11. Auguſti, anno eodem 1445.

Gerardus Landrianus, Mediolanenſis, Presbyter Cardinalis ſanctæ Mariæ Tranſtyberim, die 9. Octobris anno pariter 1445.

SCHISMA XXXIX.

IN ECCLESIA ROMANA

Inter Amedeum de Sabaudia, Felicem IV. vulgò dictum Felicem V. Pſeudopontificem, & Eugenium IV. Rom. Pont.



INDIXERAT Concilium Baſileenſe *, ex præſcripto Synodi Conſtantienſis, Martinus V. Papa, à quo de componendis moribus tàm Clericorum, quàm laicorum hominum nimia licentia iam labefactatis, item de Curiæ Romanæ reformatione agendum eſſet, iàmque de eo inchoando Legato Cardinali Iuliano Cæſarino mandauerat, cum rebus humanis idem Pontifex exemptus eſt. Eius ſucceſſor Eugenius IV. Martini V. inſtitutum ſequutus, Cōcilium confirmauit: vtque ei daretur initium, eidem Legato Iuliano iniunxit; cum verò maxima Prælatorum multitudo ex vniuerſo Orbe Latino Baſileam in dies confluerct, atque xiv. Kalen. Auguſti, anno 1431. Pontificatus Eugenij Papæ IV. primo, Concilium inchoatum eſſet, multa de Eccleſiæ Romanæ reformatione tractari cœpta ſunt. In quibus ſub ſpecie reformandi Rempublicam Chriſtianam pleraque Eccleſiæ Romanæ priuilegia, & ea quæ erant magis neceſſaria omninò tollere, & antiquare ſtudebant. Id veritus Papa Eugenius IV. Concilium Baſileenſe, licèt iam pridem approbaſſet, Legato Apoſtolico ſedis reuocato, ob eiuſmodi cauſſam diſſoluere viſus eſt; idque Ferrariam tranſtulit, hoc prætextu, quòd diceret, Græcos cum Eccleſia Romana in fidei articulis, in quibus Græci aberrabant, conuenturos, eundem locum ſibi deligere. Quæ omnia eò tendebant, vt Concilium Baſileenſe diſſolueretur. Quo cognito, Prælati Concilij Baſileenſis, quorum Signifer, & Dux erat Ludouicus Alemandus Cardinalis Arelatenſis *, qui ab Eugenio IV. cum quo graues inimicitias habuit, ad eos confugerat, nulla ratione vnquam adduci potuerunt, vt Eugenio obtemperarēt. Quamobrem non ſolùm Baſilea non diſceſſerunt: ſed ipſum cum Cardinalibus omnibus ad Concilium Baſileenſe legitimè congregatum citauerunt; ipſe autem Baſileam omninò accedere renuens, quò illud Concilium omninò tolleret, vel infirmaret, Ferrariam, vbi Nicolaus Albergatus Cardinalis ſanctæ Crucis in Hieruſalem, Apoſtolicæ ſedis Legatus 5. idus Aprilis anno 1438. Concilium generale ab ſe iam pridem ibidem indictum, inchoauerat *, cum ſuis Cardinalibus profectus eſt, Pontificatus ſui anno 8. In quo de omnibus controuerſijs tranſactum eſt: quæ vnquam inter Latinos, & Græcos emerſerint. Verùm vno menſe, poſtquam inchoatum fuerat, repentina peſte in Ferrariam ingruente, Pontifex Eugenius IV. coactus eſt Florentiam * illud tranſferre, vbi anno ſequenti 1439. pridie nonas Iulij finitum * eſt, cum per annum, & tres ferè menſes partim Ferrariæ, & partim Florentiæ perduraſſet. In eo autem Græcam Eccleſiam cum Romana in eis articulis fidei conſenſiſſe ferunt, de quibus olim maxima inter vtramque Eccleſiam fuerat controuerſia. Interim verò Baſileenſes, cum Eugenium IV. eiúſque Cardinales, Baſileam, ad Concilium ſæpe citaſſent, nec illi vnquam, vel accedere, vel aliquem ſuo nomine mittere voluiſſet: ipſum tunc Concilio Florentino inſiſtentem damnauerunt, & anathemate notatum in publica 34. ſeſſione, vij. Kal. Iulij * anno 1439. Romano Sacerdotio priuauerunt, Pontificatus eius anno 8. menſe 3. & die 23. atque ad alterius Pontificis electionem hac ratione eodem anno proceſſerunt.

CONCIL. Baſileen.

AGITVR de electione facienda.

Priuato Romano Pontificatu Eugenio IV. Prælati Concilij Baſileenſis, quibus Cardinalis Arelatenſis Eugenio IV. infenſiſſimus præſidebat, de noua Romani Pontificis electione pertractare cœperunt, atque poſt multas diſceptationes, tandem in hanc ſententiam

A deuentum eſt, vt Triumuiri * nominarentur, qui ex corpore Concilij, nouem, & viginti alios Electores omnes viros religioſos, & in ſacris Ordinibus conſtitutos legerent, quorum ſuffragiis, cum ipſo Cardinale Arelatenſi, nouus Romanus Pontifex eligeretur. Tunc pridie Idus Octobris anno 1439. ex ſententia Guilelmi Archidiaconi Metenſis, poſtea Cardinalis, Fr. Thomas, Abbas de Donduno Scotus, Ioannes Segobienſis Hiſpanus, Thomas Corcellus, viri graues, prudentes, eximiæque probitatis, & ſacræ Theologiæ Doctores, Triumuiri lecti ſunt, cum auctoritate, vt ſinguli tot Collegas ex quatuor nationibus, quæ Concilio intererant, Italica videlicet, Gallica, Hiſpana, & Germanica, ſibi cooptarent, qui cum ipſis 32 numerum complerent *: Statutum enim in Concilio fuerat, in electione Pontificis futuri addendos eſſe Cardinalibus, qui electioni eſſent adfuturi, duos & triginta alios Electores, octo ſcilicet ex vnaquaque natione. Quo autem hæc commodius perfici poſſent, Triumuiri, B iv. Kal. Nouembris, quartum ſibi Collegam aſciſcunt, Chriſtianum de Greta, Germanum, nam totidem erant nationes, qui ſimul iuncti v. Kalen. Nouemb. in publica 37. Concilij Baſileenſis ſeſſione, viginti octo alios Electores legerent, pari numero ex omnibus nationibus, octo videlicet, pro qualibet natione, quæ quatuor erant. Porrò autem inter ipſos Electores fuerunt Epiſcopi 11. Abbates 7. Theologi 5. interlumınati, ac Doctores 9. omnes in Presbyterij ordine conſtituti, quorum ſuffragijs, & lectione, nouus Romanus Pontifex crearetur.

Eodem anno ix. Kal. Nouemb. locus Conclauis in Epiſcopi palatio * extructus eſt, & cellulæ, Romano more, omnibus diuiſæ.

Eodem anno 3. Kal. Nouemb. officiales Conclauis, videlicet Cuſtodes numero 11. Clerici cæremoniarum duo, Promotor vnus, & Soldanus vnus in Concilio creati ſunt.

Eodē anno, & die videlicet eadē iij. Kal. Nouemb. cantata Miſſa C Spiritus ſancti per Dominum Cardinalem Arelatenſem, omnibúſq. Electoribus ſacra Euchariſtia refectis, ipſi Electores numero 33. cum ipſomet Cardinali, Conclaue ingreſſi ſunt, paratum in Epiſcopali palatio Baſileenſe, pro noui Pontificis electione vbi ſex diebus commorati, ſeptimo, poſtquam Conclaue ingreſſi fuerant, die, à depoſitione verò Eugenij Papæ IV. menſe 4. & die 12. hoc eſt nonis Nouemb. mane hora 3. facto ſcrutinio *, ſex & viginti patrum ſuffragijs, Amedeus olim Sabaudiæ Dux, tunc verò in ſolitudine Ripaliæ Gebennenſis Diœceſis vitam eremiticam agens, Romanus Pontifex renunciatus, electioni de ſe factæ aſſenſum præbuit *.

FELICIS Antipapæ electio in Conc. Baſileenſi.

Amedeus Allobrox huius nominis VIII. Dux I. Sabaudiæ, erectione Sigiſmundi Imperatori anno 1397. qui poſtquam ex Maria Burgundica, filia Philippi Burgundiæ Ducis, filios ſuſtuliſſet, Ludouicum II. Sabaudiæ Ducem, & Comitem Geneuæ, Mariam Duciſſam Mediolani, Margaritam Reginam Siciliæ Ducatum Ludouicum pri- D mogenito renunciauit, in Ripalia eremiticam vitam cælibem, & ſolitariam egit; factuſque fuerat Decanus militum Ieſu Chriſti, loci S. Mauritij de Ripalia Gebennenſis Diœceſis, ſub regula S. Auguſtini. Eremitæque habitu aſſumpto, cum decem alijs nobilibus viris, in Monaſterio à ſe conſtructo, vitam Angelicam agens, Deo ſeruiebat *. Hic dum religioſè in ea ſolitudine viueret, a patribus Concilij Baſileenſis, abrogato Eugenio IV. Romanus Pontifex in Schiſmate, in eius locum factus FELIX V. appellatus eſt, cum potius IV. appellandus eſſet. Qui in ſua obedientia in Schiſmate contra Eugenium Papam IV. & Nicolaum V. Sedit Imperatoribus Alberto, & Friderico III. Auguſtis, annos 9. menſes 5. & dies 7. *

EIVSDEM primordia.

NOMINA ELECTORVM XXXIII.

Qui Felicem Antipapam IV. vocatum V. creauerunt.

PRESBYTER CARD. VNVS.

MARTINI PAPAE III.

E Ludouicus Alemandus, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Cæciliæ, Arelatenſis vulgò dictus, qui non Triumuirali lectione, ſed iure, quo in electione Romani Pontificis Cardinales habent, Conclaue ingreſſus eſt.

ELECTORES VIII. NATIONIS ITALICAE.

Guillelmus Gallus, Epiſcopus Vercellenſis.

Georgius ex Marchionibus Sallutij, Epiſcopus Auguſtanus.

Ioannes Epiſcopus Eporedienſis.

Ludouicus Epiſcopus Auguſtæ Prætoriæ Taurinorum.

Frater Aleramus de Carreca Genuenſis, Abbas Monaſterij ſancti Benigni, Fructuarienſis, Eporedienſis Diœceſis. F

Fr. Iacobus de Seguſia, Abbas S. Benedicti, Taurinēſis Diœceſis.

Fr. Ioannes de monte Comito, Decretorum Doctor, Præceptor domus ſancti Antonij de Reuerſo, Taurinenſis Diœceſis.

Fr. Bartholomæus de Prouanis, Præceptor domus ſancti Antonij de Clauaſio Eporedienſis Diœceſis Decretorum Doctor.

ELECTORES VIII. NATIONIS GALLICAE.

Ioannes Arſius de Artus, Gallus, Archiepiſcopus Tarentaſienſis.

Franciſcus, Epiſcopus Gebennenſis.

Bernardus Epiſcopus Aquenſis; cui podagra laboranti ſuffectus eſt Ludouicus Epiſcopus Maſſilienſis.

Fr. Raymundus Abbas Conchenſis, Ruthenenſis Diœceſis.

Nicolaus Thibouth Northmandus, Pœnitentiarius Conſtantienſis Theologus.

Ioannes de Valle Britto, Rector parœcialis Eccleſiæ de Plenior, Diœceſis Lugdunenſis Theologus.

Thomas Corcellus, Canonicus Ambianenſis Theologus.

Guillelmus Hugonis de Stagno, Virdunenſis, Archidiaconus Metenſis Vtriuſque Iuris Doctor.

ELECTORES VIII. NATIONIS GERMANICAE.

Fridericus Epiſcopus Baſileenſis.

Fr. Chunradus, Abbas de Lucella, Theologus ordinis Ciſtercienſis, Diœceſis Baſileenſis.

Fr. Thomas de Donduno Scotus, Abbas ordinis Ciſtercienſis, Diœceſis Calæ candidæ, Theologus.

B Detzelaus, Polonus, Archidiac. Cracouienſis Decretorũ Doctor.

Ioannes Vviler, Decanus Baſileenſis, Decretorum Doctor.

Henricus Iudæus, Colonienſis Legum Doctor.

Iacobus Saltzburgenſis, Licentiatus in Iure Canonico, Canonicus Ranſponenſis.

Chriſtianus de Gretz Reginæ, Præpoſitus Eccleſiæ S. Petri in Bramia, Olmucenſis Diœceſis, Magiſter in Theologia.

ELECTORES VIII. NATIONIS HISPANAE.

Otho Epiſcopus Dertuſenſis.

Georgius Epiſcopus Vicenſis, Legatus Regis Arragonum.

Ludouicus Portugallenſis, Epiſcopus Viſenſis Legatus Regis Portugalliæ.

Fr. Petrus Abbas S. Cucuphatis, Barchinonenſis Diœceſis.

Fr. Antonius Abbas Arularum Eluenſis Diœceſis.

C Ioannes de Villa Vezzoſa, Segobienſis, Archidiaconus Ouetenſis, Theologus.

Bernardus Buſco, Canonicus Ilerdenſis Decretorum Doctor.

Raymundus Allioli, Canonicus Tiraſonẽſis, Decretorũ Doctor.

Ab his igitur Felix V. electus, eius electio xv. Kalen. Decembris, in publica ſeſſione 39. ab vniuerſo Concilio confirmata fuit.

Eodem anno 3. nonas Decembris, Legati 25. à Concilio ad Amedeum mittuntur, vt eius cognoſcerent voluntatem: qui xv. Kal. Ianuarij, electioni de ſe factæ conſentiens, Felicis nomen aſſumpſit.

Anno Domini 1440. Felix IV. Antipapa, jx. Kal. Iunij Baſileam ingreſſus eſt, & jx. Kal. Auguſti ſuæ Coronationis inſignia ſuſcepit.

Anno Domini 1443. Antipontificatus Felicis Antipapæ IV. tertio, xvij. Kalend. Iulij celebrata 45. (quæ vltima fuit) ſeſſione in Concilio Baſileenſi, finis eidem Concilio impoſitus eſt: & in ſequens triennium Lugduni, aliud Concilium generale celebrandum indictum. Durauit autem Concilium Baſileenſe, annos 11. menſes 9.

D dies 27.

Mortuo Eugenio Papa IV. qui in Concilio Baſileenſi priuatus fuerat, atque ab eius obedientiæ Cardinalibus, contra ipſum Antipapam Felicem, qui Lauſanis reſidebat, Romæ in locum Eugenij, Nicolao Papa V. creato, anno Domini 1449. 5. Idus Maij Pontificatus Nicolai Papæ V. anno 3. Felix V. Antipapa in ſua obedientia appellatus, precibus Imperatoris Friderici III. Auguſti, à Nicolao Papa ad id ſollicitatus, Pontificatu ſponte ſe abdicauit. Quamobrem à Nicolao Papa V. Epiſcopus Cardinalis Sabinus, Collegij Cardinalium Decanus, perpetuúſque totius Germaniæ Legatus, & tres è Pſeudocardinalibus ab eo factis, legitimi S. R. E. Cardinales creati ſunt: atque non longè poſt Lauſanis beatè vitam finiuit, ibique in Cathedrali ſepultus ſub Pontificatu eiuſdem Nicolai.

FELICIS Antipapæ Obitus.

ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

E ¶ *Concilium Baſileenſe ...... Martinus.*] Anno 14. Pontif. Kal. Febr. Vide literas *Dum onus, &c.* par. 1. Bullarij Iuliano Cardinali ſancti Angeli ſcriptas.

* *Eugenius .... Concilium confirmauit.*] Vide ſuperiùs in Notis ad Eugenium IV. & literas retract. Pij Secundi par. 1. Bullar.

* *Reuocato Legato.*] Vide eaſdem literas retract. Pij II.

* *Dux ...... Ludouicus ...... Card. Arelatenſis.*] De hoc Cardinali ſuperiùs in Martino V. is pro Baſileenſi Conuentu depugnauit acerrimè, iuſtam cauſſam ſe tueri iudicans, Diuinæ gratiæ luce affulgente, veritatem faciè agnouit, reſipuit, & Nicolaum V. veneratus eſt; à quo Purpuræ, qua ab Eugenio priuatus fuerat, redditus

F beato quieuit fine, & miraculis coruſcauit, à Clemente VII. Beatorum numero, non tamen ſollemni ritu, additus Hippolytum Preſbyterum Nouati Schiſmate aliquantulum deceptum, Chriſti gratia, ad Eccleſiæ vnitatem rediſſe, & in ea, & pro ea martyrium conſummaſſe, legimus. Aeneas Syluius quoque cum Baſileenſibus contra Eugenium ſenſerat, ad Eugenium reuerſus florentis ætatis errores defleuit tandémque à Deo in D. Petri ſede collocatus Eccleſiam ſapienter rexit.

Vide ſupra in Martino V. Martyrol. ad 30. Ianuar.

* *Nicolaus Albergatus ...... 5. Idus Aprilis 1438. inchoauerat.*] Nicolaus Albergatus Cardinalis ſanctæ Crucis facultatem Legati, vt Concilio præſideret, ab Eugenio Bononiæ accepit, an. 1437. 4. non. Ianuarij. *Dum onus vniuerſalis gregis, &c.* referuntur Eu-

Vol 1.

A genij literæ à Io: Leone lib. m.s. præſedit autem, eodem Io: Leone referente, die Mercurij 9. Ianuarij, indict. 1. anno 1438. De Concilij Ferrariæ in Eugenio IV. de Nicolao Albergato in Martino V.

* *Florentiam.*] Vide ſuperiùs in Eugenio IV.

* *1439. Prid. non. Iulij finitum.*] Facta eſt Latinorum, & Græcorum vnio die Lunæ 6. Iulij, 1439. ſeſſióque poſt ſacrum à Pontifice celebratum, definitio Latinè, & Græcè. *Lætentur Cæli, &c.* Diſceſſerunt Græci Florẽtia, vnionis negotio perfecto; Concilio tamen non impoſita tunc ſuprema manus; eodem enim anno 2. Kalen. Decemb. Florentiæ in Synodali publica in maiori Templo habita ſeſſione, datæ Eugenij literæ vnionis, & inſtructionis Armeniorum. *Exultate, &c.* & anno 1441. Incarnationis Dominicæ, Pontificatus Eugenij 11. prid. non. Febr. ibidem in ſanctæ Mariæ Nouellæ Eugenius ſeſſionem Synodalem celebrauit, in eaque literas vnionis Iacobitarum dedit. *Cantate Domino, &c.*

Vide to. 1. Bullar.

B * *34. Seſſ. vij. Kalend. Iulij.*] Habita fuit ſeſſio illa in primario Baſileæ Templo, anno à Natiuitate Domini 1439. Vide Synodum Baſil. Non priuarunt Eugenium Baſileenſes Pontificatu; neque enim poterant, actúmque ab ijs irritum fuit; inualidam, ſtultam, impiam priuationis protulere ſententiam: à momento ipſo electionis ad vltimum, vſque mortalis vitæ ſpiritum Eugenius verus, & magnus Eccleſiæ vniuerſæ Paſtor fuit, temere Eugenium à Baſileenſibus deiectum, leges lib. 1. Com. Pij II. & in literis retractationis.

* *Triumuere.*] Vide Concil. Baſil. ſeſſ. 37. celebrata in eadem, æde anno 1439. jx. Kal. Decemb. reuocatæ proteſtationes, conuentiones, & iuramenta, quæ electioni obſiſtere poterant, ſcriptúmque decretum de modo eligendi Pontificem, quem ipſi ſe electuros exiſtimabant: actúmque de numero Electorum.

* *Ad ...... Pontificis electionem.*] Vide Syn. Baſil.

* *32. numerum complerent.*] De 32. Electoribus vide ſeſſion.

C 39. Concil. Baſil. & lib. 1. Comm. Pij II. Aeneam Syluium inter Italos Electores vocauerant, at quia ſacris initiatus non erat, ei muneri idoneus non fuit: Conclaue tamen, velut cæremoniarum Clericus, ingreſſus cæremonias in Amedei electione vſurpatas aſpexit, ex lib. 1. Comm. Pij II.

* *Locus Conclauis in Epiſcopi palatio.*] Non in eo palatio Conclauis locus delectus; ſed in ijs Baſileæ ædibus; in quibus deputatio pro communibus haberi conſueuerat. Ita ſcriptor Conciliabuli Baſileenſis ſeſſione 39.

* *Facto ſcrutinio.*] Diebus ſeptem, quinque ſcrutinia peracta, in quinto electus Amedeus. Hæc referuntur. ſeſſ. 39. in æde primaria Baſileæ, xv. Kal. Decemb. 1439. celebrata.

* *Qui electioni aſſenſum præbuit.*] Plures legati conciliabuli, inter eos Præſes Ludouicus Cardinalis Arelaten. ad Amedeum Ripaliæ ſolitudinem incolentem acceſſere, hominémque obſecrarunt, ne

D à ceruice onus excuteret: conſternatus animo non ſtatim aſſenſit; viros prudentes, piòſque exiſtimatos, conſuluit, aientibus illis, Chriſtianæ Reipublicæ bonum poſtulare; vt demandatam prouinciam ſuſciperet, oneri ſuppoſuit humeros. Aeneas Syluius etiam ad Amedeum ſolitudinis incolam electum ſe contulit, eique à ſecretis, Ripaliæ, Tononij, Gebennis, Lauſanæ, Baſileæ ſeruiuit, donec Romanorum Rex Fridericus Aquiſgrani corona inauguratus eſt.

Vide Cõc. Baſileen. lib. 1. Cõ Pij II.

* *Solitariam vitam amplexus.*] Vide Hiſtoricos Ducum Sabaudiæ, Pij II. Comment. lib. 1. & 7. Card. Aegidium in m. s. hiſtoria 20. ſeculi.

* *Decanus militum ...... Deo ſeruiebat.*] Ex Panuinio in Chronico. A pluribus annis in Ripaliæ eremo Deo ſeruiebat Amedeus: ſic ſcriptor Conciliabuli Baſileen. ſeſſ. 39. lib. 7. Com. Pij II. Amedeum ſex eremitis præcedentibus, & paucis ſacerdotibus ſequentibus, vili veſte indutum Cardinali S. Crucis, ſecundo in Gallias Le-

E gato, vt pacem componeret, proficiſcenti obuiam proceſſiſſe, eremitas Crucem auream, nobilitatis inſigne, in pectoribus geſtaſſe; Amedeum in eo habitu, eaq; in ſolitudine annos circiter octo manſiſſe: ſceptri curam filio demandaſſe, grauiora tamen negotia, Ducatus titulum, & res pecuniariæ curam non deſeruiſſe, legimus.

* *Contra Eugenium ...... ſedit ...... ann. 9. m. 5. d. 7.*] An. 9. menſes 5. Panuinius in Chron. & dies aliquot, ait in elogio; menſes 6. dies 7. Genebrardus lib. 4. Chron.

* *Electioni .... conſentiens.*] In Comment. Pij II. 7. lib. hæc *Facturum ſe dixit, quod de ſe patres S. Synodi decreuiſſent. Quo dicto, mox in Conclaui receptus eſt, & abraſa barba, tonſóque vertice, corona breui capillorum dimiſſa, Pontificalibus indumentis*

F *adornatus iterum in publicum rediyt, tum ſedens pro tribunali Pallio Pontificali, & mitra preditus, ex duobus filijs Ludouicum ſeniorem Sabaudiæ Ducem creauit, Philippum natu minorem Gebennarum Comitem; deinde Tononium ſe contulit*, plures dies ibi Curiam tenuit; adueniente demùm æſtate, *Per Lauſanam, & Solotrum, apparatu magno Baſileam petijt*. Ibi, coram filijs, ante maius Templum à Cardinali Arelatenſi, Patribus, multiſque alijs adſtantibus, Epiſcopali charactere, & Pontificio diademate inſignitus eſt: Scriniarijs, & Aduocatis *Felici V. à Deo electo, & coronato vitam*, acclamantibus: celebritas inſignis viſa, pompa ornatu miro per Vrbem ducta, conuiuium magno ſumptu inſtructum, ab eo nullus ex Curia reiectus. Felix multis menſibus Baſileenſi Conciliabulo præfuit, Epiſcopos inſtituit, & Cardinales: Romanorum Regem Fridericum

illuc tran-

Vide l. cit. Cõ. Pij II.

illuc tranſeuntem clam allocutus eſt; noluit enim ille Felicem, palàm, quaſi Pontificem, venerari. His cognitis. Eugenij, Cardinalium, Aulicorùmque animi pauore aliquo correpti; at vir ſapientiſſimus Iulianus Cardinalis S. Angeli grauis, & prudenti oratione pauoris aculeum ademit, eam, non ſine voluptate, leges lib. eodem 7. Comment. Pij II. anno 1440. jx. Kal. Aug. Felicem coronatum ferunt. Vide Panuin. in Chron. & in Elogio.

* *Ante coronationem ſuam 4. fecit Anticardinales.*] Ex loco indicato Comment. Pij II. conſtat, Felicem ante coronationem nullum Cardinalem creaſſe: ibi enim legitur: *Sollemnitas omni ex parte celebris fuit quamuis vnus tantum Cardinalis adeſſet.* Is erat Arelatenſis. Aeneas Syluius oculatus teſtis fuit.

* *Precibus Imp. Friderici.*] Audi, quid de hac re ſcriptum lib. 7. Comment. Pij II. *Martino ...... Eugenio, ac Nicolao V. ſuffecto, interuentu Caroli Francorum Regis, pacem Eccleſiæ dare decreuit. Renuntiauit Apoſtolatus, & Nicolao reconciliatus, quem verum eſſe Pontificem, profeſſus eſt.* Amedeus: Quæ Ciaconius hic de Friderico, deſumpſit à Platina.

* *Epiſcopus Cardinalis Sabinus.*] In Comm. Pij II. loc. citato hæc. *Cardinalatum ab eo* (Amedeus à Nicolao V.) *accepit, & legationem, quoad viueret, Cardinalis Sabinenſis appellatus.*

Lib. 1. hiſt. Ducū Sabaudiæ.

* *Lauſanis beate vitam finiuit.*] Philibertus Pingonius, Amedeum Geneuæ anno 1451. Idibus Ianuarij è vita ceſſiſſe, Ripaliæ tumulatum, clariſſimùmque poſt mortem, miraculis, inter beatos creditum, narrat: Lambertus Vanderburchius, refert cuiuſdam Synodi verba, quibus Amedeus concordiæ zelator, Eccleſiæque pacis auctor nuncupatur; ipſe de illo hæc. *Schiſmate ſublato ...... Amedeus Ripalios ad priſtinum viua genus rediit; vbi Diuinis, piſque meditationibus, actionibuſque totus intentus, ſeculi eius anno (vt plerique opinantur) 52. menſe Ianuario, non ſine comparata ſanctitatis opinione, deceſſit.* Ripaliæ ſepultum, diſces etiam ex Comm. Pij II. lib. 7. Sanctitatem Amedei Cardinalis Aegydius Viterbienſis, his verbis indicauit. *Philippus iubet, Eugenium citari; quæ cum fruſtra feciſſet, Antipapam creari, iubet; vtque illi ſanctitas adſtipularetur, Eremum petit, Amedeum inuenit Sabaudiæ Ducem ſpretis humanis rebus, Diuinis ſe in Eremo dedentem: eripit illum ex alta ſpecu, ad Concilium trahit, ſede collocat, mitra coronat, adorari iubet, Felicem appellat, quanquam, & reluctantem, & miſeriam deflentem ſuam, cui ne in Eremo quidam tutum eſſe, licuerit.* De lætitia, quam Roma, ſublato Schiſmate, percepit, Platina in Nicolai V. nocte, multis equi vecti cum accenſis facibus per Vrbem incedentes clamabant, viuat *Nicolaus Papa.*

Io hiſtor. m. n. a. ſecul.

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI
SOCIETATIS IESV.

Felicis parentes, & ortus.

AMEDEVS Dux Sabaudiæ primus, Amedei Sabaudiæ Comitis, & Bonæ Ioannæ à Biturigum Duce natæ filius, in Sabaudia illuſtriſſimos ſortitus eſt natales, pridie nonas Septembris, anno à partu Virginis 1384. Hic à teneris vnguiculis inſtructus optimis moribus, prudentiſſimis inſtitutoribus, obſequentiſſimus, iuſtitiæ amantiſſimus, pietatis tota vita cultor eximius, vt poſtè qui ad plurimam prouectus ætatem, Miſſæ ſacrificijs quotidie intereſſet. Ea floruit animi magnitudine, vt apud Sigiſmundum Imperatorem Forenſi certamine Gebennenſem euicerit Comitatum, ac mox deinde familiam ſuam honoribus amplificans, Ducales ſuſceperit infulas. Quo etiam tempore duxit ex Domo Burgundica vxorem, Philippi Ducis non ſororem, vt vult Aeneas Syluius, ſed amitam, nempe ſororem Ioannis, & Philippi Audacis filiam. Vxorem, in quam, vnicam virginem, & nobilem; forma ac prudentia admirabilem; ex qua ſuſcepit Ludouicum primogenitum, Pedemontanum Principem à ſe creatum; cui coniugem ex Cypro copulauit. Omnibus ferè Regibus affinitate iunctus, Philippum Comitem Gebennenſem declarauit, nec non Mariam Duci Mediolanenſi, & Margaretam Regi Siciliæ nuptui dedit. Cum vxore, ſumma vitæ integritate, pace domi foriſque parta, orbis penè totius Chriſtiani arbiter ſanctè vixit, Imperatori Sigiſmundo cariſſimus, Gallis, Venetis, Tuſcis, Inſubribus, immò & Eugenio IV. illa tempeſtate amiciſſimus. Coniuge porrò vita functa, ſolitariam vitam amplexus, Ducale faſtigium reliquit, omnem ſeculi pompam procul eiecit, ac ſubditorum regimine commiſſo Ludouico Primogenito, ad Eremum Ripaliæ nomine inſignem ad lacum Lemanum ſitam ſeceſſit, cui comites ſeſe præbuere ſenes grandæui ſex, ætate pares vltra ſexageſimum annum prouecti, coniugibus orbati, gloria militari illuſtres. Deſertum, nemoroſumque locum ſeptem illi, extructo ibi nobiliſſimo palatio incoluerunt, nouum militare inſtitutum Amedeo auctore, Diui Mauritij Sabaudiæ patroni nomine clariſſimum profeſſi fuere. Cuncti penula, pallio, cingulo, & baculo retorto, quibus Eremitas vti videmus, aſſumpto, barbam prolixam nutriebant, & crines intonſos geſtabant: loco Ripalia nomen fuit, mille paſſibus ferè ab oppido Tononio diſtanti. Nicolaus Albergatus Cardinalis S. Crucis cum iret ſecundò in Galliam de pace acturus huc nauibus appulit; Amedeus per ſiluam muro cinctam obuiam venit ad portam, quæ erat in littore. Spectaculo digna res: Princeps ſeculi potentiſſimus, Gallis, atque Italis metuendus, quem aureis veſtibus ornatum purpurati ad modum multi circumſiſtere conſueuiſſent, & ſecures præire, atque armatorum ſequi cohortes, & turba potentum; nunc ſex tantùm Eremitis præcedentibus, & paucis ſequentibus Sacerdotibus in veſte vili, & abiecta Legatum Apoſtolicum excepit. Crucem auream Eremitæ in pectore geſtarunt: id tantùm nobilitatis ſignum retinuere, cetera contemptum ſeculi præſeferebant. Venere in amplexum Cardinalis, & Amedeus, ac multa ſe inuicem charitate ſunt deoſculati: nec ſatis Cardinalis aut admirari, aut collaudare Principem poterat, quamuis ſuſpecta mutatio calumniatoribus erat dicentibus, Amedeum ſcilicet ſperare Pontificatum, atque idcirco Eremitam factum. Manſit in hoc habitu; & in hac Eremo Amedeus annos circiter octo, & quamuis curam regiminis ad filium relegaſſet, grauiora tamen ad ſe deferri negocia volebat, nec Ducatus titulo ſe priuauit, nec rem pecuniariam alteri, quàm ſibi credidit.

Primus Dux Sabaudiæ.

Vxorē ducit.

Ludouicū Primogenitū habet & alios filios.

De functa vxore in ſolitudinē ſe recipit.

Eremitarū ſtatum.

Nicolaus Card. Albergatus Amedeum viſitat.

Renunciatus à Baſileenſibus Summus Pontifex dictus eſt Felix V.

Inter hæc iuxta Decreti Concilij Baſileenſis trigeſimæ ſeptimæ ſeſſionis diſpoſitionem, à Cardinali Arelatenſi, non decimo quinto Kalendas Decembris, ſed nonis Nouembris anni 1439. renunciatus eſt Amedeus ſummus Pontifex, & per Legatos Baſileam accerſitus. Huic electioni tandem ille conſenſit ea conditione, vt prius annatę, quas illi eligendo Pontifici ſuſtulerant, reſtituerent: & electionem ſuam ſignificauit his literis Regi Alphonſo Arragonio, quem ſibi auxilio futurum exiſtimabat.

Ad Regē Alphōſum literas ſcribit.

FELIX ELECTVS SERVVS SERVORVM DEI.

Chariſſimo filio Alphonſo Regi Arragonum illuſtri ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cognouit vniuerſus Orbis, quanto labore, quantaque ſollicitudine, vſque in hodiernum diem celebrata extitit ſancta Synodus Baſileenſis, quam omnes Reges Orthodoxi vniuerſalem Eccleſiam repræſentare confeſſi ſunt, & Oratores ad eandem tranſmiſerunt, vt pro reformatione Eccleſiæ in capite, & in membris, quam admodum neceſſariam arbitrantur, ſalute publica Chriſtianæ Religionis virtuoſe decertarent. In hoc ipſum concurrit duorum Prædeceſſorum Noſtrorum ſummorum Pontificum auctoritas, & totius Chriſtianæ Religionis aſſenſus. Et Nos cum in minoribus eſſemus conſtituti, Oratores Noſtros pariter cum ceteris Principibus Orbis in eadem ſancta Synodo habere curauimus, tantoque animo deſiderauimus, vt illa ſancta opera publicam ſalutem concernentia, in qua adſpirabat ipſius ſanctæ Synodi deſiderium, & in quorum proſecutione iam ferè nouem annis cum multis laboribus, & anxietatibus occupata extitit, felices progreſſus, & votiuam conſummationem acciperent. Tandem verò diebus iſtis ad Nos miſſi ſunt per eandem ſanctam Synodum Nuncij plurimi, & nouiſſime aduenerunt dilectus Noſter Ludouicus tituli S. Cæciliæ S. R. E. Cardinalis Arelatenſis Legatus de latere, & Venerabiles fratres Noſtri Epiſcopi ſeptem, Abbates quatuor, aliique in Theologia Magiſtri, ac vtriuſque legis Doctores, & Oratores eiuſdem ſanctæ Synodi, vſque ad numerum viginti, & duorum inſignium Eccleſiaſticorum virorum, nec non Ioannes Comes de Dierſtein locumtenens Protectoris Imperialis ipſius ſanctæ Synodi, Ludouicus de Lanſer Prouincialis per Elſatiam ord. B. M. Theutonicorum; Vuillelmus de Brunemberch miles, cum quibus erant Magiſtri artium Ciuitatis Baſileenſis nouus & antiquus, aliique ex parte eiuſdem Ciuitatis ad Nos deſtinati, qui neceſſitates Eccleſiæ diffuſis ſermonibus Nobis expoſuerunt recitantes labores magnos tam diuturno tempore pro ſalute vniuerſalis Eccleſiæ, & totius Chriſtianæ Religionis impenſos, nec non aduerſitates plurimas in contrarium procuratas. Deinceps quoque vlteriori expectatione quatuor menſium habita, eadem ſancta Synodus conſiderans diuturnam vacationem ſedis Apoſtolicæ plenam eſſe periculis, & plurimis onuſtam diſpendijs, ad vlterius Pontificis Electionem procedere decreuit, præmiſſis quamplurimis ſolemnitatibus in hoc ipſum congruentibus, & alijs circa hoc neceſſarijs, & opportunis, prout eandem ſanctam Synodum Cardinalatus, Archiepiſcopali, Epiſcopali, Abbatiali dignitatibus, variiſque graduum, & ſcientiarum titulis inſignitis, & omni natione habita rerum diligenti, & matura diſcuſſione pro perquirenda ſalute vniuerſi Orbis, factiſque pluribus ſcrutinijs per diuerſos dies intra Conclaue, quod huiuſmodi gratia, more in talibus conſueto ſubierat. Nos licet immeritos ad ſummi Apoſtolatus apicem, eiuſdem ſanctæ Synodi auctoritate vocarunt, & elegerunt, fuitque deinceps ipſa electio per eandem Synodum in ſuis deputationibus, ac generali Congregatione, ac ſeſſione publica vnanimiter laudata, & approbata, atque etiam ex abundanti ratificata, & confirmata ſuper qua præfati Legati, & Oratores Nos multipliciter requiſierunt vt eandem electionem acceptaremus, & in ipſam Noſtrum præſtaremus conſenſum. Erat autem non paruum graue Nobis tanta rei pondus aſſumere, qui iam à pluribus annis occupationes extrinſecas, & ſollicitudines effugere decreueramus, ſolitariamque manſionem delegeramus ad quietem Noſtræ grandioris ætatis: neque Nos valentes ſufficere arbitrabamur in tanta adminiſtratione vniuerſæ Eccleſiæ curam, gubernationemque gerendam. Allegarunt autem illi, quos Synodus tranſmiſerat, graue Nobis fore peccatum, & non mediocrem Diuinæ Maieſtatis offenſam, ex cuius largiflua bonitate multa gratiarum munera, multorumque bonorum copiam ſuſcepimus, ſi vocationem hanc contemneremus, ſi Eccleſiam in neceſſitatis tempore ſeruire recuſaremus, cuius conculcabatur auctoritas,

veritas, & iuſtitia oppugnabatur, aut languoribus, & doloribus eius pro Noſtris viribus ſubuenire refugeremus, pro qua Chriſtus Deus Noſter ſanguinem ſuum pretioſum fundere dignatus eſt. Plurima quoque pericula vniuerſa Reſpublica Chriſtianorum imminere ferebant, ex ipſa Noſtra recuſatione, & pro neceſſitate Orthodoxæ fidei ad euitationem Schiſmatum, repreſſionem malorum imminẽtium, promotionemque bonorum, in gloriam Dei Creatoris Noſtri, Nos inſtantiſſimè orabant, & obſecrabant, & requirebant, quatenus matris Eccleſiæ, ex qua ſpiritualiter nati ſumus, Noſtra in afflictionibus ſuis non denegaremus obſequia. Quibus plane auditis, & intellectis leuauimus oculos Noſtros ad eũ qui habitat in Cælis, vt Noſtri miſereretur, nobiſque donaret facere voluntatem ſuam: tandem verò reſiſtere non valuimus pietati Eccleſiæ Nos vocantis in opus miniſterij huius. Quin imò attendẽtes plurimas neceſſitates eiuſdem Eccleſiæ, corpus, & bona Noſtra pro ſalute, & honore ipſius afferre duximus, nec refugere ſollicitudinem, & laborem, aut illius Noſtram preferre quietem; ſi bono communi Chriſtianorum in aliquo auxiliari poſſe videbamur. Nec vero ad hoc capeſſendum miniſterium opes Eccleſiæ, quæ nulla, vel pauca ex patrimonio, vel ex obuentionibus aderant, Nos impulerunt, nec mundana oblectatio, cum res plena eſſet anxietatum, & laborum. Satis quidem Nobis ex diuino munere, rerum temporalium copia ſuppetebat, & poteramus in tranquillitate grata reliquos vitæ dies agere. Verùm non Nobis ſoli nati ſumus, nec Noſtri exiſtimus, ſed illius, qui Nos redemit pretio magno, cuius beneplacito obtemperare potius deſiderantes, quàm Noſtræ voluntati: conſenſum Noſtrum electioni celebratæ per ſanctam Synodum, prout fuimus requiſiti, ſub confidentia quoque ſuperni auxilij, & diuinæ pietatis, gubernacula ſedis Apoſtolicæ ſuſcepimus, non parum ſperantes tuam deuotionem in hoc tantæ rei pondere Nobis ſemper prompta ferre auxilia, quæ pro ipſa auctoritate Conciliorum generalium multos labores impendit, atque ſanctam ipſam Synodum Baſileenſem in Spiritu ſancto legitimè congregatam, repræſentantem vniuerſalem Eccleſiam aſſiduè recognouit. Vt ſic Te, ac ceteris Principibus, atque Prælatis Orbis adiuuantibus, miniſterium Nobis iniunctum ad ſalutem cunctorum exercere valeamus; quod vnà cum zelo fidei Orthodoxæ, & bono communi Religionis Chriſtianæ, cui toto corde, & omni poteſtate a Domino Nobis conceſſa ſeruire intendimus, ſingulariter etiam pro tuendo Principum honore ſuſcepimus in gloriam Diuinæ Maieſtatis, quæ ſuam Eccleſiam, vſque ad conſummationem ſeculi ſeruare dignetur in terris. Non mireris, quod Bulla exprimens nomen Noſtrum non eſt appenſa præſentibus: nam hi qui fuerunt hactenus electi in Romanos Pontifices, ante ſuæ conſecrationis & benedictionis ſolemnia in ſuis bullandis literis modum hunc obſeruare conſueuerunt. Datum Tononij Gebennenſis Diœceſis Pridie Kalen. Ianuarij, ſuſcepti à Nobis Apoſtolatus officij Anno Primo.

Quòd verò pertinet ad aſſenſum eius electioni ab aliquibus Principibus præſtitum, de Rege quidem Francorum monet Spondanus, ſe vidiſſe in quodam Codice Victorino Pariſienſi Proteſtationem oratorum eius factam Baſileæ, quando depoſitus eſt Eugenius, & Felix electus, his planè verbis. *Proteſtatur Rex ſicut Princeps Chriſtianiſſimus, quod more Prædeceſſorum ſuorum paratus eſt audire Eccleſiam rite, & legitimè congregatam. Verum quod apud multos graues, & probos non modica eſt dubitatio, an ſuſpenſio, priuatio, & ſubſecuta electio facta Baſileæ ſint rite, & canonicè facta, & celebrata. Dubium etiam eſt an illa Congregatio illis diebus, quibus prædicta agitata, & facta ſunt, ſufficienter repræſentaret vniuerſalem Eccleſiam ad tantos, & tam arduos actus. Idcirco Rex perſtat, & manet in obedientia Domini Eugenij, in qua nunc ſtat. Vbi vero Rex plene, & ſufficienter de prædictis informatus fuerit, ſiue per Oecumenicum, aut aliud generale Concilium, aut in Congregatione Eccleſiæ ſuæ Gallicanæ extenſius congreganda, ſeu in conuentione Principum Rex comperta veritate ſtabit cum ea, & ei adhærebit.* Cum verò eundem Regem in Congregatione Eccleſiæ ſuæ itidem in obedientia Eugenij perſeuerare decreuiſſe conſtet, miror, vnde quidam auctores hauſerint, eum Felici adhæſiſſe: inter quos primum tenet locum Sabellicus, qui expreſsè ſcribit, initio fauiſſe nouo Pontifici Carolum Galliæ, & Alphonſum Arragoniæ Reges, Philippum Vicecomitem, Fridericum Imperatorem, Albertum Auſtriæ Ducem Cæſaris fratrem, Albertum, & Stephanum Duces Bauariæ, Magnum Magiſtrum Boruſſiæ, Eliſabetham Alberti Cæſaris viduam cum ſuis Boemiæ, & Hungariæ Regnis. Potiſſimam tamen partem horum Principum Felicem breui deſeruiſſe, inter quos Carolus Franciæ Rex, qui cum aureorum triginta millium petiiſſet, neque impetraſſet, Eugenium ei præpoſuit. Idem feciſſe ſubdit Ducem Mediolani, qui centum millibus aureis, & Bononiam vendere, & Nicolaum Piccininum cum nouem millibus equitũ in eius exercitu fruſtra tentaſſet adſcribere. Nonnulli Heluetios duntaxat, & Sabaudos ab Felice ſtetiſſe pronunciant. Quicquid ſit, certum eſt, cum manſiſſet per æſtatem, & quæ ſecuta eſt, hiemem Baſileæ, nec Pontificatum eius Chriſtiani Reges, vt antea complecterentur, ſequenti tandem vere in Sabaudiam rediiſſe, & paulò poſt Concilium ex Baſilea ad ſe vocauit, cum patres edicto Imperatoris illinc deiicerentur; cum aurum non haberet ad ſuſtinendam dignitatem. Solebat enim ille dicere, cum aurum a te quis peteret, pulcherrimam ſibi ſobolem eſſe, nolle ſe filios inopes relinquere. Poſtremò cum iam ſe omnibus contemptui eſſe cerneret, nec ſpes vlla eſſet obedientiæ naſciſcendæ, mortuo iam pridem Eugenio, ac Nicolao V. ſuffecto, interuentu Caroli Francorum Regis pacem Eccleſiæ dare decreuit, renunciauit Apoſtolatui, & Nicolao reconciliatus, quem verum eſſe Pontificem profeſſus eſt, Cardinalis dignitatem, & legationem, quoad viueret, ab eo accepit, & Cardinalis Sabinenſis appellatus. Quęcunque inſuper ab eo dum Pontificem ageret, acta firmauit Nicolaus, eique honores omnes, qui Decreto Lauſanenſis Synodi continentur, decreuit. Sed hæc ne quis temere ficta ſuſpicetur, publicis firmanda ſunt tabulis; ſic igitur habet Decretum Lauſanenſe.

Principes Chriſtiani qui initio fauent Felici paulò poſt illum deſeruat.

Redit in Sabaudiã.

Renũciat Pontificatum.

Honores decreti a Synodo Lauſanẽſi.

SACROSANCTA LAVSANENSIS SYNODVS IN SPIRITV SANCTO legitimè congregata Reuerendiſſimo, & chariſſimo filio Amedeo, pridem Felici Papæ Quinto ſalutem, & omnipotentis Dei benedictionem.

Tam maximè de venerabili Eccleſia meritus es, vt præſentes habeant vberrimam tuarum laudum memoriam, futuris quoque tui nominis Felix, ſempiternaque recordatio relinquatur. Tu ad Eccleſiæ ſubſidium euocatus, quanta vnquam fuit perſecutione vexata, veniſti; Tu illi profuſa liberalitate, ſumma induſtria, exacta diligentia, dedita opera opitulatus es: Tu tandem tranquillam populo Chriſtiano cõcordiam reddidiſti pariter, & pacem. Loquuntur quàm multi, qui belli paciſque tempore inſeruierunt Eccleſiæ, commemorandis per omne ſeculum obſequijs, ſed perſonæ cauſa, rerum, temporiſque diſparitas ſuper eminentiam meritorum coarguunt. Nouit Orbis vniuerſus ſanguinis Tui Regiam claritatem; vidit, & audiuit, quam continuas ſollicitudines, indeſinenſque certamen pro auctoritate ſacrorum generalium Conciliorum, & veritate Catholica ſuſtinendis Nobiſcum iniſti, opulẽta quiete abiecta retrorſum. Nunc autẽ dum per Tuæ humilitatis excelſum modũ pax in omnes Chriſtianos diffunditur, quo te nomine niſi ZELATOREM CONCORDIAE, PACISQVE AVCTOREM *appellent? quas ob res congratulationibus, promeritiſque honoribus perſonam tuam proſequi cupiens hæc ſacroſancta in Spiritu ſancto congregata Synodus vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, & inter cetera conſiderans, qui te ipſum paruũ facere voluiſti, vt pacata, quietaque exaltaretur Eccleſia, Te Sabinenſem Epiſcopum, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, Sedis Apoſtolicæ in Terris, & Iuriſdictionibus dilectorum Eccleſiæ filiorum, nobilium virorum Ducis Sabaudiæ, & Principis Pedemontium, ac Montisferrati, & Sallutiarum Marchionum, in Comitatu, & Territorio Aſtenſi, nec non in Prouincia Lugdunenſi citra Sagonam, atque Auguſtenſi, Lauſanenſi, Baſileenſi, Argentinenſi, Conſtantienſi, Curienſi, Sedunenſi Ciuitatibus, & Diœceſibus Legatum, Vicariumque perpetuum facit, creat, & nominat. Tibique in ſancta Dei Eccleſia primum poſt Romanum Pontificem locum pro tempore conſtituit, conſignat, & decernit: qui quidem tibi ad ſuam præſentiam accedenti aſſurget duntaxat oris oſculum exhibendo; atque vt altiſſimi in terris honoris, quem ſola dilectione vniuerſalis pacis contempſiſti, multa, manifeſtaque in Tua perſona remaneant, Tibi vt habitum, & inſignia Papalia, demptis delatione Corporis Chriſti, Annulo Piſcatoris, Cruce in pedibus, ac Vmbraculo deferre, ac inſignijs, ac poteſtate Legati vti, quoties te extra terminos tuæ legationis egredi contigerit, valeas, nec non vt in Curia Romana, vel generali Concilio perſonaliter comparere minime tenearis, concedit, & indulget per præſentes. Dat. Lauſanæ, &c. vij. Kal. Maij Anno a Natiuitate Domini 1449.*

Ante abdicationẽ Põtificatus has Chriſtifidelibus literas ille ſcripſit.

Felicis literæ ante abdicationem.

FELIX EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

Quas ob cauſas euocati, & emoti curam Apoſtolici regiminis ſuſcepimus, toti ſæpenumero manifeſtauimus Orbi: quanquam enim imparitatem Noſtrarum virium ad ſuſtinendam huiuſmodi oneris grauitatem ſentiremus, nihilominus, vbi vniuerſalis Eccleſia Baſileæ in Spiritu ſancto legitimè congregata, pias exhortationes ſcilicet, & ſanctas iuſſiones accepimus, quibus ad ſuccurrendum auctoritati Eccleſiæ ſuppreſſæ nimium inſtanter commonebamur, concaluit introrſus cor Noſtrum pietate quæ ad omnia valet, & caritate, quæ omnia ſuſtinet, animum formidoloſum congeminantibus; atque confidentes in illo, qui poteſt, & de cuius agebatur negotio, tranquillam ſolitudinem reliquimus, laborioſum, & immenſum aggredientes opus. Nanque nihil immortali Deo placentius offerre poſſe exiſtimauimus, quam conatus Noſtros in obſequium Eccleſiæ grandibus, & inſuetis oppugnationibus conturbatæ, quid nempe condignum reddi poteſt ab homine illi Noſtræ inclytæ matri, cuius in gremio fidelis quiſque ſalutem conſequitur; propter quam Vnigenitus Dei Filius, & Dominus Noſter Ieſus Chriſtus de ſinu Patris ad terras deſcendere, & ſanguinem proprium fundere dignatus eſt. Cumque ipſam videremus tantis perplexam anxietatibus, vt nullus mortalium ab exhibitione poſſibilis auxilij deberet excuſari, profectò neceſſitate, deuotione ſuadente, ſpe denique in finem optimum ducendarum rerum freti, perſonam facultateſque Noſtras ex integro deuouimus ei. Aderat namque tempus, quo ab omnibus vehemens oeſtingui debebat incendium, &c. Proinde ſatagentes gra-

uiſſimus,

miſſimis, & abhorrendis periculis obuiare, & oſtendere cunctis fidelibus rectitudinem Noſtra Deo inſpirante, voluntatis, quod non caducorum, futilium que bonorum, ſed communis ſalutis cauſa, Sedem Apoſtolicam teneremus, non præeſſe, ſed prodeſſe cupientes, in ſancta Synodo Baſileenſi perſonaliter comparere voluimus, ſubireque communes pro ſalute publica labores. Cumque in temporis proceſſu luculenter exploratum foret diſſenſiones, & differentia materiam in Eccleſia ſancta Dei magis, ac magis obdurari, dubitantes, ne à quouis hominum de ſcandalo notari poſſemus, oblationes multas, & pergrandes Regibus, & Principibus Orbis deſtinare curauimus, ex quibus quidem animaduertere potuerunt, nos noſtra propria non quærere, ſed quæ Ieſu Chriſti, publicamque pacem formis, modiſque priſcis à patribus, dum Schiſmata vigerent, pro vnitate, & pace traditis, ac practicatis, diuerſi, liberari, apertoque animo ſemper acquieuimus omnibus, & ſingulis, quæ ad ſerenitatem, reintegrationemque Eccleſiæ iudicata fuerunt quomodolibet opportuna, atque longo feruentiore ſtudio inuigilauimus, per Noſtrarum Ceſſionis, & Renunciationis medium diſertos, diſtantoſque animos Chriſtifidelium conuenire, quam in ſede Petri manentes Schiſma diutius immorari. Non ignoramus enim Schiſmatis incommoda mortifera: ſcimus contra Chriſtianam Religionem à pacis auctore fundatam, ſine pacis vinculo damnoſa confuſioni ſubiacere. Cumque pax omnium rerum tranquillitas ſit, & ea nihil gratius ſoleat audiri; nihil poſtremo melius inueniri debito filialis adſtringebamur pietatis ipſi Noſtra matri lucluoſa venuſtatem, iucunditatem, integritatem, vnionem, & pacem extrema poſſibilitate procurare, quãtumque pro huiuſmodi excelſi, & deſideratiſſimi boni conſecutione perſeueranter, & indefeſſe laborauerimus apud ipſos Reges, & Principes, ceteroſque fideles, ex Noſtris, accuratiſſimis multiplicium quoque literarum tenoribus totus percognouit Orbis. Nunc igitur, vt ſemper conſtituti ſub ineffabili, incomprehenſibilique prouidentia Dei omnia dirigentis, & diſponentis in melius, poſt acerrimos, continuoſque labores, quos ſolius veritatis manifeſtanda, auctoritatiſque ſacrorum generalium Conciliorum conſeruanda gratia voluimus amplecti. Poſt maxime chariſſimorum in Chriſto filiorum Francorum, Angliæ, & Siciliæ Reges, nec non Delphini Vienenſis primogeniti Francorum Regis illuſtrium ſupplices, frequenteſque inſtantias, quorum ſaluberrimis ſuaſionibus intentas ſemper accommodauimus aures, Noſtros omnes cogitatus per Orbem diſperſos in arcem vnica conſiderationis reducimus. Deſiderantes namque toto corde in hoc dierum Noſtrorum reſiduo beatam pacem in Eccleſia Dei diſſeminari, quæ veluti à Noſtris egreſſa manibus in corda omnium fidelium dilabatur, ſinceritatem Noſtræ intentionis per anum ſectatura, exemplo Domini Noſtri Ieſu Chriſti, qui ſic dilexit Eccleſiam, vt pro ea non modo formam ſerui acciperet, ſed traderet ſemetipſum; ſancta in hac Synodo Lauſanenſi in Spiritu ſancto legitime congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentante, purè, liberè, ſimpliciter, & ſincere, realiter, & cum effectu in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Papatui, eiuſque oneri, honori, dignitati, titulo, & poſſeſſioni cedimus, & renunciamus per præſentis, ſperantes, quod in futurum præfati, ceterique Reges, & Principes, Prælati, & alij Catholici, quibus huiuſmodi Noſtram renunciationem acceptiſſimam fore iudicamus, auctori generalium Conciliorum aſſiſtent, eamque tuebuntur, & defendent. Quodque vniuerſalis Eccleſia pro cuius dignitate, ſuperemineutia, & auctoritate, totis viribus pugnauimus, Nos apud clementiam primi, & æterni Paſtoris, Noſtra huiuſcemodi pacifica humilitatis contemplatu, ſuis deuotis, ingibuſque orationibus commendabit. Datum Lauſanij ſeptimo Aprilis, Anno à Natiuitate Domini 1449. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

Amedei obitus.

E Sic Amedeus ſe ſibi reddit, ſanctiſſimo deinceps ocio indulget, ac toto reliquo vitæ tempore, pietatis opera exercet. Vixit vſque ad principium anni Iubilæi, quinquageſimi ſcilicet, poſt annum milleſimum quadringenteſimum Idibus Ianuarij, quo die alui profluuio è vita exceſſit. De quo Bergomenſis hæc habet: *Deficiens demum in ſenectute bona, poſt obitum etiam miraculis multis clarus effulſit.* Et quidem multum illi Catholicam Eccleſiam debere fatendum eſt; nam ſua demiſſione, cuncta Schiſmata extinxit, ſi quidem ab eo tempore nulla in Eccleſia extitere.

Scriptores aliqui iniuſtè Amedeum lacerant.

Blondus in hiſtoria.

Scriptores aliqui, vel maledicendi laſcitia, vel veri ignorantia, Amedeum hunc, aliàs Felicem, ſapientiſſimum, ac religioſiſſimum principem, fœdis calumnijs lacerarunt, ſed iniuſtè. Nam Amedeus non modò ſedem Apoſtolicam, ſed ipſum Eugenium tantis cumulauit beneficijs, vt ipſe Eugenius faſſus ſit, Amedeum reliquos omnes Chriſtianos principes in hoc officij genere facilè ſuperaſſe. F Eaque Nicolaus Eugenij ſucceſſor in ſe, totamque Eccleſiam eiuſdem Amedei merita agnouit, vt ea omni amplitudine fauorum proſequi, & quicquid ſibi factu poſſibile videretur, recordationi eius, & honori tribuendum decerneret, ac propterea ſeuerè iuberet, vt ea omnia inducerentur, quæ vel temporum iniquitas, vel maleuolorum proteruia in tantum Principem excogitaſſet.

Alij laudibus extollũt eũ.


Amedeum verò ſummis laudibus extollũt Donatus Boſſius, [a] Philibertus Pingonius, [b] Petrus Carus [c] Legatus ad Alexandrum VI. Raphaël Volaterranus, [d] Petrus Leo, [e] Iacobinus de ſancto Georgio, [f] Georgius Fibricius Chemunicenſis, [g] Martinus Taurinus, [h] A Hieronymus Henningius, [i] Hector Pintus, [l] Lambertus Vvanderburchius, [m] Philippus Bergomenſis, [n] Hartmanus Schedelius, [o] Simeon Maiolus, [p] Bernardinus Corius, [q] Gaſpar Bugatus, [r] Io. Nicolaus Doglionus, [ſ] Marcus Guazzus, [t] Hieronymus Bardus, [u] Ioannes Boterus, [x] Petrus Franciſcus Maletus, [z] Ludouicus de Eccleſia, alijque quamplures, quos recenſere non eſt opus.

a In Chronico. b In Aug. Taurin. c In Orat. ad Alex. VI. & in Epiſt. d In Comment. Vrb. e In Epithalam. f In tract. de ſtud. g In lib. de orig. ſtirp. Saxonic. h In Chronico. i In Theat. Geneal. l In Dialogis. m In hiſt. Sabaud. n In ſuppl. Chron. o In Chrõ. magno. p In Canicul. q In Hiſt. Mediol. r In hiſt. ſ In Toscanico. t In hiſtor. u In Chronolog. x In vita. z In Hiſt. Pedemont.

PRIMA CREATIO PSEVDOCARDINALIVM.

Anno à partu Virginis 1440. die 29. Ianuarij, conceſſum eſt Felici à Congregatis in ciuitate Baſileenſi, vt priuſquam Baſileam veniret Coronationis inſignia recepturus, aliquos fama præclaros, ac ſcientia, ſeu magnæ nobilitatis generoſitate conſpicuos iuxta exigentiam Decreti ſeſſionis 23. in S. R. E. Cardinales aſſumere, & publicare poſſet inſignijs, & honoribus Cardinalatus, & emolu- B mentis viuros. Menſe verò Septembris proximi permiſerit, vt duos, vel tres quamuis ex vna Diœceſi pro illa vice duntaxat poſſet renunciare: Felix tamen menſe Aprilis, anno 1440. apud Tononium ante Coronationem iam Cardinalibus adſcripſerat duos, vel tres, qui fuerunt.

I.



LVDOVICVS de la Palu Comes, ſeu Dominus loci de Varambone, ex monacho Ordinis S. Benedicti, ſeu aliquorum teſtimonio ex Ciſtercienſi ordine, Epiſcopus primò Maurinenſis, demde Lauſanenſis Epiſcopatus adminiſtrator, demum à Felice Pſeudopontifice Presbyter Cardinalis, non S. Cæciliæ, vt ſcripſit Ciaconius, ſed ex Vaticanis monumentis S. Suſannæ renunciatur. C Ciaconius in hac prima Patrum enunciatione recenſet Ludouicum Epiſcopum Lauſanenſem, & in quarta Ludouicum de Varambone, vti duos Pſeudocardinales; cum tamen vnus idemque ſit ex Nicolai Quinti Diplomate, ex actis Concilij Baſileenſis, & ex Commentatio Pij II. de rebus Baſileæ geſtis ſtante, vel diſſoluto Concilio. Iterum à Nicolao Quinto, inter Cardinales legitimè cooptatus, de quo vide infra.

Ciaconius. Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciaconiũ. Aubery in vita. Felix Cõtelor. in Elencho. Panuinius de Rom. Pont. Pet. Frizõ. in Gallia Purpur. Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana.

II.



BARTHOLOMAEVS Nouarienſis, Scaramucciæ frater, Philippi Ducis Mediolanenſis Conſiliarius, in Vicecomitum familiam adſcitus, adeoque de Vicecomitibus cognominatus, à Martino V. Ro- D mano Pontifice anno reparatæ ſalutis 1429. Nouarienſis Epiſcopus renunciatus, ad ea, quæ Guillelmus Epiſcopus prædeceſſor ædificauerat, non pauca addidit in arce Veſpolati, vt eius inſignia indicant ex coctis lateribus facta; multa quoque feciſſe etiam in palatio Epiſcopali eadem eius inſignia indicant. Ab Eugenio in iudicium vocatus, & conuictus, quòd in Eugenium conſpiraſſet, honore ac dignitate Epiſcopali ſpoliatus eſt; quare ad declinandam Pontificis iram, Alpibus ſuperatis ad Baſileenſe Concilium, & ad Imperatorem confugit. Albertum quidem Romanorum Regem adijt, à quo impetrauit confirmationem eorum omnium priuilegiorum, quæ ſuperiores Imperatores, & Reges Eccleſiæ Nouarienſi conceſſerant, & quæ tunc ipſa Eccleſia tenebat. Nam licet Epiſcopatu ab Eugenio priuatus, E tanquam Epiſcopum ſe gerebat: & in ea confirmatione Bartholomæus ſacri Imperij Princeps dicitur.

Ciaconius. Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciacon. & in Ital. ſac. Carol. à Baſil. S. Petri in ſua Nouar. Aubery in vita. Felix Cõtelor. in ſuo Elencho. Panuinius de Rom. Pontific.

Cardinalitiam dignitatem ſibi à Felice delatam occultè quidem ſuſcepit, ſed publicè ſe illam recuſaſſe profitebatur, vt eam ab Eugenio conſequeretur. Pius II. affirmat, illum in Romana Curia Florentiæ coram Eugenio dignitati huic ceſſiſſe, quem audi ſic loquentem in Commentarijs. *Bartholomæus de Vicecomitibus Epiſcopus Nouarienſis, Scaramuccia frater, iuuenis ad Epiſcopatum aſſumptus eſt non ſua tantum virtute, quàm germani fauore. Scaramuccia namque qui & Georgius dictus eſt, humili natus loco, puer admodum Gabrieli Vicecomitis ſeruiuit, quo apud Ianuam capite truncato, ad Ioannem Vicecomitem Mediolani Ducem puer ſe contulit, cum eo quoque, dum is perceteretur, fuit, eiuſque occiſioni interfuit, reper-* F *tuſque eſt lacrymans ſuper cadauer, at ſic poſtea Philippo ſeruire cœpit melioribus auſpicijs, à quo ditatus eſt, in tantumque dilectus, vt in numero quoque Vicecomitum reciperetur, & frater ſuus Bartholomæus Epiſcopus fieret. Huic Epiſcopo ego quoque ſeruiui dum is eſſet Baſileæ, magnique nominis haberetur propter Ducem, & cum eo Mediolanum iui, & per Nouariam fideliter ſibi tribus annis famulatus ſum. Poſtea cum in legatione Ducali Florentiam miſſus ſecutus ſum, ſibi vir perditus in malignitatem natus cum deluſit, confingens ſe Eugenij inimicum, &c.* Et poſt narratam conſpirationem de capiendo Eugenio Florentiæ, ſubdit. *Poſt inde paucos dies liberatus eſt Epiſcopus, Mediolanumque iuit cum D. Cardinali ſanctæ Crucis, qui nonnihil negocij habebat cum Duce, at ire Atre-*

barum ad tractandam pacem inter Regem Franciæ, & Ducem Burgundiæ debebat, quem ego ſecutus ſum, & iuſſu eius iui in Scotiam, ſed cum reuertiſſem, nolui eſſe apud Eugenium in Bononia, ne mihi imputaret facta Nouarienſis. Fui ego Baſileæ diu, interfuique omnibus, quæ acta ſunt contra Eugenium, poſtea in ſecretarium acceptus ſum à Felice nouo Papa creato, apud quē dum Cardinales crearentur, operam dedi, quod is quoque Nouarienſis fieret Cardinalis, idque factum eſt, ſed poſtea mutatis rebus, cum Felicem omnes relinquerent, nec eius Papatum amplecti vellent, ego ad Cæſarem Federicum me recepi, nec etiam volui ſtatim de parte ad partem tranſire. Nouarienſis vero Epiſcopus Cardinalatum renunciauit non ſine ſpe noui Cardinalatus ab Eugenio obtinendi, quæ ſpes adhuc eum tenet. Mediolanenſi Duce annitente priſtinæ ſuæ Eccleſiæ reſtitutus eſt; vbi ſupremum diem expleuit ex Ferdinando Vghellio in Additionibus ad Ciaconium, anno 1456. ex alijs verò anno 1457.

Extat Aeneæ Syluij Cardinalis epiſtola, & eſt 319. ad Andream Vicecomitem, in qua dolet obitum Bartholomæi fratris Epiſcopi. Fatetur Syluius in his literis omnia ſe debere eius domui, ea de cauſa puto quòd Bartholomæo fuerit à ſecretis. Eſt alia eiuſdem Aeneæ epiſtola ad Bartholomæum ipſum data, & eſt in ordine 22. Huius Epiſcopi extant tabulæ publicæ, quibus poſſeſſionem cepit oppidi Veſpolati, anno 1447. & aliæ, quibus forum Nundinarium Gaudiani, anno 1448. erexit.

III.

Felix Cōtelonus in Elencho. Aubery. Acta Concilij Baſileenſis. Aeneas Syluius in Commēt.



VVALDRAMVS de Morſa Dominus de Baèr, quem Panuinius, & Ciaconius Vrbanum vocant, natione Germanus, electus Epiſcopus Traiectenſis, renunciatur abſens Presbyter Cardinalis à Felice; recuſauit tamen oblatam dignitatem, & ſcripſit ſe venturum ad Concilium Baſileenſe. Sub Nicolao V. ceſſit Eccleſiæ Traiectenſi, de illo nulla alia mentio apud illius æui ſcriptores.

IV.

Ciaconius. Panuinius. Andr. Victorell. in Addit. ad Ciacon. ī. Aubery. Felix Cōtelor. in Elencho.



ALPHONSVS Carillius, ſeu de Carillo Hiſpanus, alius ab illo, qui à Benedicto XIII. adſcriptus eſt Pſeudocardinalibus, ex Protonotario Apoſtolico à Felice renunciatus Diaconus Cardinalis S. Euſtachij, recuſauit dignitatem illam, vt conſtat ex Actis Concilij Baſileenſis, vbi legitur præfatos quatuor Pſeudocardinales fuiſſe à Synodo Baſileenſi approbatos. Gaſpar Porregnus Alphonſum hunc Pſeudocardinalem confundit cum Alphonſo Carillio de quo nos ſupra ſub Benedicto XIII. Pſeudopontifice: ille enim è vita migrauit anno à partu Virginis 1434. hic à Felice inter Cardinales cooptatus anno 1440.

V.



A Felice quoque antequam Baſileam ingrederetur, Pſeudocardinalibus adſcriptus eſt Sbigneus Epiſcopus Cracouienſis, qui licet fuiſſet renunciatus Cardinalis ab Eugenio IV. ſe tamen geſſit ex Conſenſu pro Cardinali creato à Felice V. cui per Nuncium gratias egit Baſileæ, die vltima Octobris anni 1441. vt in Actis Concilij: vide ſub Eugenio IV.

SECVNDA CREATIO PSEVDOCARDINALIVM.

Anno à Chriſto nato 1440. Antipontificatus Primo, die 12. Octobris Baſileæ Felix alios nominauit Pſeudocardinales, qui fuerunt.

VI.

Ciaconius. Panuinius. Aubery in vita. Felix Cōtelorius in Elencho.



ALEXANDER Zamouiti Polonus, Moſcouiorum Ducis filius, Patriarcha aliquorum teſtimonio Aquileienſis, & Adminiſtrator Eccleſiæ Tridentinæ, renunciatus Presbyter Cardinalis S. Laurentij in Damaſo à Felice, eiuſdem iuſſu legationis munere functus eſt in Polonia, vt Regnum illud ab Eugenij obedientia reuocaret, ac Felici ſubditum redderet. Nihil tamen in hac legatione peregit, nam Regem ipſum, & Regni Primates auerſos a Felice inuenit; paulò poſt tum legationi, tum Cardinalitiæ dignitati valere iuſſit; quare Nicolaus huius nominis Quintus in Epiſcopum Tridentinum confirmauit, ſexto Idus Nouembris, anno 1448.

Ferdinandus Vghellius Alexādrum hunc inter Patriarchas Aquileienſes non recenſet, & quidem ſi illorum ſeriem attento animo conſiderabimus, difficile erit aſſignare tempus, quo Eccleſiæ illi hic præfuerit. Cathedram Aquileienſem iij. Kal. Maij, anno reparatæ ſalutis 1402. Bonifacio IX. Romano Pontifice iubente Antonius Pancirinus aſcendit: huic anno 1418. legitimè ſucceſſit Ludouicus Tecchius, qui anno 1435. ſedem vacuam reliquit Ioanni Vitellio Vitelleſcho. Poſt obitum Vitelleſchi illam obtinuit Ludouicus Scarampus, Scarampo Marcus Barbus ſucceſſit, qui Patriarchatum Aquileienſem retinuit, vſque ad annum noſtræ ſalutis 1490. Fortaſſe hi omnes, quos recenſuimus, Patriarchatum Aquileienſem à Romanis Pontificibus; Alexander verò Polonus à Felice Pſeudopontifice accepit, eoque titulo ornatus eſt eodem tempore, quo alij, & titulum, & cathedram ipſam poſſidebant.

VII.



OTHO Hiſpanus Dertuſenſis Epiſcopus, vnus ex octo Hiſpanis, qui interfuerunt electioni Felicis V. actæ Baſileæ, inter Presbyteros Cardinales titulo S. Pudentianæ, ab ipſo Felice anno 1440. cooptatus eſt; ſed die 13. Aprilis, anni 1445. coram ipſo Eugenio Romano Pontifice, & Cardinalibus ceſſit Cardinalatui, vt conſtat ex ipſius Eugenij Diplomate.

Ciaconius. Panuinius. Felix Cōtelorius in Elencho. Balthaſſar Porregnus in elog. Card. Hiſpanorum. Acta Concilij Baſileenſis.

VIII.



GEORGIVS Hiſpanus Epiſcopus Vicenſis ad Baſileenſe Concilium acceſſit pro Regno Arragoniæ, & vnus ex Hiſpanis ſuffragium tulit pro Felice, à quo Presbyteris Cardinalibus titulo primùm S. Anaſtaſiæ, poſtea S. Mariæ Transtyberim adſcriptus eſt. Sed Eugenius IV. illum non modò Cardinalatū, ſed etiam Epiſcopatu Vicenſi priuatum remiſit ad propria, vt patet ex ipſius Eugenij Diplomate ſcripto die 22. Septēbris anni 1445. E vita exceſſit in obedientia ipſius Felicis.

Ciaconius. Panuinius. Aubery in vita. Felix Cōtelorius in Elencho. Acta Concilij Baſileenſis. Balthaſſar Porregnus in elog. Card. Hiſpanorum.

IX.



FRANCISCVS natione Gallus, qui Monaſticam vitam iuxta regulam S. Benedicti a puero profeſſus fuerat, in Gebennenſem Epiſcopum (Gebenna nobilis Ciuitas Sabaudiæ circa Lemanum lacum) anno 1432. olim officialis Romanæ Curiæ munere perfunctus interfuit Concilio Baſileenſi, & vnus ex Electoribus nationis Gallicæ affuit Comitijs, in quibus renunciatus eſt Felix Pſeudopontifex, à quo in ipſo Concilio purpuram accepit, & nominatus Presbyter Cardinalis titulo ſancti Marcelli. Vir fuit parui eloquij, ſed magnæ prorſus intelligentiæ, & cuius iudicium in omni re ardua præponendum aſſeritur. Poſt abdicationem Felicis hic quoque purpuram dimiſit.

Ciaconius. Ioan. Trithem. Arnold. Vuion in Lig. Vitæ. Ioā. Saxerius de Archiep. Lugdun. Aubery in vita. Panuinius. Pet. Priaſ. in Gallia Purpurat. Felix Cōtelorius in Elencho.

X.



BERNARDVS natione Gallus à puero Diui Benedicti inſtitutum amplexus, & profeſſus, iuriſconſultus illius æui clariſſimus, exornatur ſacris Epiſcopatus Aquenſis infulis. Ad Concilium Baſileenſe ſe contulit, & Felicis V. Elector deſignatus vnus ex ijs, qui ad id ex Gallica natione aſſumebantur; ſed quia podagra laborabat, adeſſe noluit, in cuius locum ſuffectus eſt Ludouicus Maſſilienſis. Nihilominus in Cardinaliū Collegiū cooptatur a Felice, & Presbyter Cardinalis tit. SS. Nerei, & Achillei dictus, ſed illā dignitatē paulò poſt reſpuit.

Ciaconius. Panuinius. Aubery in vita. Pet. Priaſ. in Gallia Purpurat. Felix Cōtelorius in Elencho.

XI.



IOANNES Germanus ex Epiſcopo Argentino renunciatus eſt Presbyter Cardinalis ſancti Xiſti: ſed quanto tempore dignitatem hanc retinuerit, neſcimus, nil de eo apud ſcriptores illius æui, & in tabulis Vaticanis, niſi nudum nomen inuenitur.

Ciaconius. Panuinius. Felix Cōtelorius in Elencho.

IOANNES

Ciaconius. Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciaconiũ. Bruchius de Epiſc. German. Felix Cõtelorius in Elencho. Panuinius. Aubery.



XII.

IOANNES Gruenwalder, ſeu Grunuualder, vel Genuulder dictus, Ioannis, ſeu potius Alberti Ducis Bauariæ nothus filius, Decretorum, & ſacræ Theologiæ Doctor, Canonicus, & Præpoſitus interfuit Concilio Conſtantienſi, in eoque reſtitit Ioãni Huſ. In eodem Concilio Epiſcopus Friſingenſis renũciatus paulò poſt à Martino V. Epiſcopatu eodem priuatus eſt; Felix illum abſentem inter Presbyteros Cardinales à ſe creatos poſuit titulo ſanctorum Syluestri, & Martini in montibus aliàs Equitij. Dignitatem tamen illam reſpuiſſe, & Epiſcopatum Friſingẽſem ab Eugenio iterum obtinuiſſe dicendum eſt; nam certò ſcimus, die ſecunda Decembris, anni 1453. Viennæ Epiſcopum deceſſiſſe.

Ciaconius. Panuinius. Aubery in vita. Balthaſſar Porreñus in elogijs Card Hiſpanorum. Felix Cõtelorius in Elencho. Henricus Spondan. in Annal. Eccleſiaſt.



XIII.

IOANNES de Villa Vezzoſa cognominatus, natione Hiſpanus, patria Segobienſis, Theologus illius æui clarus, Archidiaconus Ouetenſis interfuit Concilio Baſileenſi, & vnus ex Hiſpanis Electoribus in Comitijs ſuffragiũ pro Felice tulit. A quo in ſecunda Patrum enunciatione inter Presbyteros Cardinales titulo S. Mariæ Trãſtyberim cooptatus, Felicis V. nomine legationis munere functus eſt in Conuentu Bituricenſi; Cardinalis titulum vnà cum purpura dimiſit poſt abdicationem Felicis. S. Antoninus ſcribit, Ioannem hunc ordinis Prædicatorum alumnum fuiſſe, ac ſtatim adepta purpura è vita exceſſiſſe; ſed Aeneas Syluius in hiſtoria Concilij Baſileenſis apertis verbis affirmat virum hunc literis, & pietate illuſtrem purpuram depoſuiſſe in manus Nicolai, poſt Felicis abdicationem, & Epiſcopatum Cæſareæ in partibus Infidelium obtinuiſſe. Quicquid ſit, certum tamen eſt, dimiſſa purpura, & mortalibus rebus valere iuſſis ſeceſſiſſe in ſolitudinem, ac reliquum vitæ in Dei obſequium ſanctiſſimè duxiſſe.

Hic Alcoranum, in quo falſæ, & euanidæ religionis typum Mahometes procudit, in Latinam linguam conuertit, eiuſque mendacia veris rationibus, & argumentis explofit. Concordantias inſuper partium orationis indeclinabilium in Biblijs collegit, duoque volumina de Actis Concilij Baſileenſis edidit.

TERTIA CREATIO PSEVDOCARDINALIVM ſeu illorum publicatio.

Die 12. Nouembris anni 1440. habitis literis ex Gallia, quòd infraſcripti eſſent acceptum dignitatem Cardinalatus, Felix Pſeudopontifex conſtitutus in medio Synodalis Congregationis, conſultatione primò habita cum Cardinalibus, ex primo creatis per ipſum, nominauit in Cardinales Presbyteros S.R.E. omnes abſentes, vt legitur in Actis Concilij tomo 2. lib. 16. cap. 36. Hi ſunt.

Ciaconius. Panuinius. Ant. Victorell. & Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciaconiũ. Io: Chenu de Epiſc. Galliæ. Pet. Frizõ. in Gallia Purpurat. Aubery. Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana. Felix Cõtelorius in Elencho. Hẽr. Spõdan. in Annalib. Eccleſiaſtic.



XIV.

AMEDEVS de Thalaru natione Gallus, qui à Iacobo Seuertio in Chronologia Epiſcoporũ Lugdunẽſiis vir nobiliſſimus, religioſus, & eruditus dicitur, clariſſimos ſortitus eſt natales in territorio Lugdunenſi ex familia de Talaru, antiqua ſua nobilitate ſpectatiſſima, nepos fuit Ioãnis de Thalaru à Clemẽte VII. Pſeudopontifice creati Cardinalis; & Archidiaconus Lugdunenſis à Clero ſelectus ad Conſtantienſe Concilium proficiſcitur. Cum ibi ſederet, allatæ ſunt ei literæ, quibus de ſua electione à Capitulo anno 1415. facta certior redditur, in locum demortui Philippi Archiepiſcopi Lugdunenſis, quæ, ſi Paradino credimus, à tribus nationibus in eodem Concilio approbata eſt. Vnde Lugdunum reuerſus ab euocatis, & aduenientibus in Vrbem die 13. Ianuarij Suffraganeis illius prouinciæ in ipſa Cathedrali Lugdunenſi, ſolemni ritu eiuſdem menſis 16. die, anno 1416. conſecratus eſt. Cui Martinus V. Primatiæ priuilegia innouauit anno 1417. vt patet ex Diplomate pro eodem primatu, dato, quòd in Cartophylacio Eccleſiæ Lugdunenſis aſſeruatur. Interfuit Conuentui Bituricenſi, à quo ad Eugenium Romanum Pontificem Legatus miſſus, vel vnà cum Oratoribus Regis Galliarum, vel ſolus, tam Regis, quàm Cleri nomine, vt à Pontifice impetraret, ne quid contra Baſileenſes patres ageret, imò vt Concilium illud approbaret. Ad Cardinalatum promouetur abſens à Felice V. Baſileæ, & Presbyter Cardinalis nominatur, anno 1440. non diu tamen in illa dignitate vixit, nam tertio Idus Februarij, anno 1443. mortale hoc ſolum deſeruit, & corpus humatum in Eccleſia principe Lugdunenſi in ſacello D. Petri ad leuam chori.

Plura hic dum vixit, edidit pietatis argumenta: patent eius acta contra blaſphemos. Cumque Iudæi, anno 1321. è Lugdunenſi Ciuitate expulſi fuiſſent ſedente illic Philippo de Sabaudia, hoc exemplo inductus Amedeus eorundem Synagogæ deiectionem ex Treuoltiana Vrbe diœceſana, anno 1429. molitus eſt. Denium dum in extremis verſaretur, iuſſit approbante Capitulo, reſcribam ipſius Teſtamenti verba, *quòd ſex ſeptimanis, quæ incipiunt Dominica proxima S. Ferreoli, in quibus dicitur, vacare modo, Miſſæ decantur ſtatim finitis Matutinis, & qui interſunt in Miſſa chori, atque ii interfuerint Matutinis, recipiant maximè dicti Cappellani vnum panem album ponderis duarum librarum, & poſt mediam noctem aliam micam eiuſdem ponderis, & officiantibus altari aliam micam, &c.*

Ciaconius. Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciaconiũ. Pet. Frizõ. in Gallia Purpurat. Panuinius. Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana. Felix Cõtel. in Elencho Card. Henricus Spondan. in Annal. Eccleſiaſt.



XV.

DIONYSIVS du Moulin, ſeu de Molendino natione Gallus, Meldis oriundus, Eccleſiæ Viennenſis Canonicus, & Succentor extitit, quin etiam in Eccleſijs Carnotenſi, Rhemenſi, Turonenſi, Albienſi, & Ebredunenſi Canonicatum aſſecutus eſt. Deinde factus Regis Caroli VII. Conſiliarius, & in ædibus Caroli Delphini Viennenſis, & in Francia Regentis libellorum ſupplicum Magiſter: tandem ad Archiepiſcopalem Toloſæ Cathedram Diui Stephani, Capituli electione die 21. Aprilis, anni 1421. facta promotus eſt. Cui ſedi præſidens ad Cathedram Pariſienſem euehitur anno 1439. & ab Eugenio Romano Pontifice confirmatur, Diplomate ea de re ſcripto IV. Idus Iunij, & Antiocheno Patriarchatu decoratur. In Schiſmate à Felice Presbyteris Cardinalibus adſcriptus interfuit Conuentui Bituricenſi, quo confecto obijt Lutetiæ, die 15. Septembris, anno 1447. & ſepultus in Cathedrali Pariſienſi ſub ænea tumba in choro à latere maioris aræ cum hoc Epitaphio.

D. O. M.

Hic iacet recolendæ memoriæ Dominus Dionyſius de Molendino, dum deceſſit, Patriarcha Antiochenus, Epiſcopus Pariſienſis, & per antea Archiepiſcopus Toloſanus, de Foro Meldenſi oriundus, Regis Caroli VII. Conſiliarius famiſſimus, vir magni conſilij, atque prudentiſſimus, probitatis eximiæ, & lingua diſertiſſimus, qui plures fecit fundationes hic, Toloſæ, ac Meldis, & obijt Pariſijs, die Veneris, decima quinta Septembris, Anno Domini MCCCCXLVII.

Anima cuius requieſcat in pace Amen.

Aubery, cũ nulla ſit in hac ſepulchrali Inſcriptione Cardinalatus mentio, Dionyſium hunc à Cardinaliũ Felicis V numero excludit, ſed malè, nam in Actis Concilij Baſileenſis in Vaticano *m. ss.* aſſeruatis, inter illos recenſitus inuenitur fortaſſe cum ſpontè ante obitũ purpuram reieciſſet, ideò nulla in Epitaphio de illa extat memoria. Inter alias fundationes quolibet Sabbatho celebratur Miſſa à pueris ſymphoniacis in ſacello ſancti Dionyſij, vbi icon huiuſce Cardinalis conſpicitur, & præterea Pſalmus *De profundis*, pro eius requie recitatur, dum celebrioribus feſtis litatur in ara principe Pariſienſi.

Cherubin. Bertrand. Argent. in Hiſt. Britannica. Io: Chenu de Epiſc. Galliæ. Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana. Ferdinand. Vghell. in Addit. ad Ciaconiũ. Pet. Frizõ. in Gallia Purpurat. Aubery in vita. Panuinius. Felix Cõtel. in Elencho Card.



XVI.

PHILIPPVS de Coetquis, ſeu de Coetkis natione Gallus, patria Armoricus ex Vrbe Leonenſi, in vtroque Iure verſatiſſimus, literis tũ prophanis, tum ſacris apprimè inſtructus, eloquentia non vulgari admirabilis, *Gallus Gallorum*, ob præſtantiſſimum, quo pollebat, & ceteris præſtabat, ingenium dictus eſt. Ad ſedem Leonenſis Epiſcopatus primò enectus, ingreſſus eſt Vrbem Leonenſem die Lunæ 17. Martij poſt Dominicam Palmarum, anno 1436 ad Metropolitanam inde Cathedram Turonenſem conſcendit; Regis Galliarum ſanctioribus conſilijs, quibus præfuit, vtpotè Comitum Conſiſtorianorum Præfectus, & præcipuus negociorum Adminiſtrator. Caroli VII. Francorum Regis multiplices Oratoris munere functus, & Legati ad ſummum Pontificem, ad Germanos, aliaſque exteras nationes, maximè ad Concilium Baſileenſe, in quo abrogationibus de præſſione

ne Oratorum Britanni, & Burgundi Ducum adeò vehementer pro Britanno Duce contendit, vt Decretum, quo præſeſſio Burgundi Oratoribus adiudicata, & confirmata fuerat, refixum, atque antiquatum fuerit, & aliud fixum, ac ſtatutum, quo hic honos Britanno deferebatur. Britanniæ paulò poſt repenti ſummas ipſi gratias agens Britanniæ Dux, quibus potuit eum honoribus proſecutus eſt. Pariſios reuerſus determinationi Facultatis ſacræ Pariſienſis de Pontificum controuerſijs præſens affuit, & Baſileenſe Concilium contra ipſum Eugenium defendit, à qua ſententia, quamuis ad Regem ea de re ſcripſiſſet Eugenius, deduci nunquam potuit: quare à Felice tunc temporis Baſileenſis Synodi capite, Cardinalitijs decoratus eſt infulis.

XVII.



Ciaconius. Panuinius. Guido Pancirol. de Clar. Legũ Interpret. Roccius Pyrrhus in Notitia Eccleſ. Sicilienſis. Aubery in vita. And. Victorell. & Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciaconiũ. Felix Cõtelor. in Elencho. Arnoldus Vuion in Lig. vitæ.

FR. NICOLAVS de Tudiſco, ſeu Tudeſcus natione Siculus, patria Catanenſis, ſeu ex alijs Panormitanus, nobili genere natus, celeberrimus Iuris Interpres, qui *Abbas Panormitanus*, ſeu ſolùm *Abbas* communiter cognominatur, Catanæ religioſum. S. Benedicti inſtitutum à pueritia ſecutus, Franciſci Zabarellæ doctiſſimi viri Bononiæ auditor, Senis deinde decem annos docuit, tũ Parmæ, demũ Bononiæ cum octingentorum aureorum mercede. Celeberrimum, ingenio ſubtilem, & acutum, conſilio promptum, ac firmum, ſermone apertum, & conſpicuum, ac *Lucernam Iuris* dictum illum fuiſſe teſtatur Trithemius. Renunciatur primò Abbas Maniacenſis, ſeu Monacenſis in Diœceſi Meſſanenſi, exinde Referendarius, & Cameræ Apoſtolicæ generalis Auditor, ſeu, vt vult Panuinius, Romanæ Rotæ Auditor, Regius Conſiliarius, ac Commiſſarius, & à Rege Alphonſo Archiepiſcopus Panormitanus eligitur anno 1437. & à Martino V. Romano Pontifice cõfirmatur.

Alphonſi Regis iuſſu ad Concilium Baſileenſe ſe contulit, in quo Eugenij partes ſuſtinuit, imò vt ait Aeneas Syluius, *oſtendere ſummo ſtudio nitebatur Eugenium nõ eſſe relapſum, magnaque illi cum tribus viris Argenti Epiſcopo, Ioanne Segouio, & Franciſco Fuxio Theologis concertatio fuit.* Et paulò poſt: *Fuit oratio Panormitani apud omnes magis laudata, quàm probata; ad tamen habuit efficaciam, vt verbum relapſum ex concluſionibus tolleretur, eiuſque loco poneretur prelapſum. Cum enim de confirmandis propoſitionibus ageretur, Panormitanus Archipræſul, vir ſummo ingenio, & eloquentiæ copia præditus, primuſque ſui Regis Orator luculenta oratione rem differri petijt; ſed cum eſſet in magna diſcordia, per multos dies eſt certatum. Tandem contra Panormitanum pars præualuit; quare ipſe erudito Opuſculo eas quæſtiones diſcuſſit, quæ de Concilio Baſileenſi inſcribuntur.*

Poſt hęc Romam reuerſus ad Regem Arragonenſem ſe contulit, qui nouas ob cauſas contra Eugenium irritatus, rurſus Panormitanum cum Ludouico Romani Pontificis partes impugnaturus ad Synodum Baſileenſem remiſit, vbi pluribus reſponſis editis magnam pecuniam conflaſſe, & plura egiſſe indignè, ſcribit Guido Panzirolï de claris legum Interpretibus. Inter alia Iſidorum à Roſata hominem indoctum, ignobilem, ac vitijs præditum, pecunia corruptus ad Bergomenſem Epiſcopatum promouiſſe fertur. Marcum quoque Mediolanenſem etſi Iuris doctorem creatum, imperitum tamen & ineptum, pro concione laudatum, velut alterum D. Auguſtinum extulit, ac Synodo perſuaſit, vt Alexandriæ Epiſcopus crearetur; quòd non leuem infamiæ notam ei attulit. Quare inter eum, & Ludouicum Pontanum, orta eſt diſſenſio, & plus in his conciliandis, quàm Boëmis ad Catholicam pietatem reuocandis eſt elaboratum, vt Aeneas Syluius eſt auctor. Pluribus ſuaſit Eugenij depoſitionem; at cum ad eum deponendum ventum eſſet, è Synodo diſceſſit, ſic enim Rex Arragonum Eugenio recõciliatus præceperat. Verùm non multo poſt renunciatus Cardinalis à Felice Baſileam verſus redijt, atque eius Concilij acer propugnator extitit.

Ceterum Felice ob tollendum Schiſma ſecedente, Panormitanus etſi rogatus, Cardinalatus dignitatem deponere nunquam voluit; ſed dum varijs dilationibus procraſtinando rem protrahit, è vita diſceſſit, ac moriens multum queſtus eſt, quòd nepotum ſuaſu, Concilij, vt ipſe dicebat, veritatem reliquiſſet. Obijt menſe Iulio anno 1445. & ſepultus in Cathedrali Panormitana, cuius tumulo id inſcriptum eſt Carmen.

Morte tua Canon, & Leges, & Iura Quiritum
Occubuere, iacent hoc tumulata loco
Tu NICOLAVS eras TVDISCO ſanguine natus,
Panormi Antiſtes, ac Catanenſis eras.
Eugenio, & Baſila diſcordi pace ruebat
Noſtra fides ſteterat te duce Concilium.
Nominis, & tituli cumulos, & laudis adeptus
Vnde tuum texit rubra tiara caput.

Poſt annos aliquot ab ipſius obitu Nicolaum V. Romanum Pontificem Eugenij ſucceſſorem, ratam ac legitimam habuiſſe Cardinalitiam huiuſce Nicolai dignitatem referunt Panuinius, & ſanctus Antoninus.

Ad puniendum procliuis, contra reos facilè pronunciauit, vnde à quibuſdam *truculentus* vocatur. Ceterùm Pontificum Decreta ea doctrinæ ſoliditate eſt interpretatus, vt alter Bartholus inter Iuris Pontificij Profeſſores dici promeruerit; in eo præcipuè commendatur, quòd lucidum ordinem obſeruans, perſpicuus appareat. Præter Concilij Baſileenſis opus nonnullas Quæſtiones, & erudita Reſponſa ſcripſit, quæ à Ludouico Bolognino in lucem emiſſa fuere.

Scripſit inſuper ſuper Decreto, & Decretalibus tomos quinque.
Super Clementinis.
De Auctoritate, Veritate, & Inſtitutione Conciliorum, præſertim Baſileenſis.
Proceſſum Iudiciarium, ſiue Practicam de modo procedendi in Iudicio Ciuili.
Conſilia 104. duobus voluminibus diſtincta.
Diſputationes varias.
De Poteſtate Papæ, Concilij, & Imperatoris.
Repetitiones, & Lecturas.
Quæſtionem in Parmenſi Gymnaſio diſputatam.
Et Tractatum pro Auctoritate Concilij Baſileenſis.

XVIII.



Aubery in vita. Felix Cõtelor. in Elencho.

GERARDVS Mariettus, quem Panuinius, Ciaconius, alijque Ioannem vocant, natione Gallus, ex Confeſſario Caroli VII. Galliarum Regis Caſtrenſis Epiſcopus primò, mox Presbyter Cardinalis à Felice V. renunciatus eſt in tertia Patrum enunciatione Baſileæ peracta. Frizonius, qui Ciaconio, ac Panuinio adhærens Gerardum hunc Ioannem nominat, ſcribit Gerardum Marietum Ioanni ſucceſſiſſe tum in Epiſcopatu Caſtrenſi, tum in Confeſſarij Regij munere, Ioannem tamen, & non Gerardum ad purpuram à Pſeudopontifice Felice vocatum. Nos ab his diſſentimus ex m.ss. tabulis Vaticanis, in quibus non Ioannes, ſed Gerardus inter Pſeudocardinales Felicis recenſetur.

Scutum Gerardo huic duce Frizonio dedimus miniatum, Cruce aurea acuminibus ad extrema octo diſcriminata exaratum, reiecto alio illi à Ciaconio dato, quod eſt proprium Ioannis Aeduenſis Cardinalis à Nicolao V. renunciati.

XIX.



Ciaconius. Felix Cõtelorius in Elencho. Io: Chenu de Epiſc. Galliæ. Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana. Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciaconiũ. Panuinius. Aubery in vita.

IOANNES de Maleſtroict, ſeu de Maleſtrot natione Gallus, natus ex clariſſima familia in Britannia, quæ à Maleſtricto Diœceſis Vannetẽſis oppido notiſſimo ad fluuiũ Dauſtum ſito ſortita eſt nomen. Huius genitores Ioannes de Caſtrogirone dictus, & Ioanna Dolenſis Comboræ Domina fuerunt, non Duces Britanniæ, vt vult Ciaconius, qui ipſi malè inſignia Britannica attribuit. Hic igitur eam vitæ rationem tenuit, quæ clariſſimæ familiæ gloriam, ipſi verò decus, & ornamentum attulerit; pueritiam, ac iuuentutem in ſcientiarum ſtudijs duxit. Ad grandiorem prouectus ætatem ampliſſimum in Nannetenſi Computorum Camera Protopræſidis munus ſubijt, quo pluribus annis laudabiliter geſto, Briocenſis Epiſcopatus lituo exornatus eſt. Inde paulò poſt ad Nannetenſem tranſlatus, anno reparatæ ſalutis 1419. & in Britanniæ Ducis Cancellarium aſſumptus; quo tempore municipio nonnullo Ioanni V. Britanniæ Duci ea conditione diuendidit, vt hic Nannetenſi Præſuli Ioanni ipſimet damna ob ea municipia illata reſarciret. Ideò ab Alenconio Duce in carcerem quaſi prædiues, & multis pecunijs abundans detruditur, vt Dux Britanniæ reſiduum maternæ dotis debitum hac ratione coactus perſolueret. Tum Britannus hac iniuria vehementer exaſperatus delectum imperat, milites conſcribit, Alenconij terras, & dominia depopulatur, & armis, ac vi Alenconium Ducem compulit, & adduxit, vt Epiſcopum Nannetenſem remitteret, damna illata tum ſibi, tum Nannetenſi Epiſcopo, atque eiuſdem Eccleſiæ Capitulo compenſaret.

Ioannes hic in Gallia clarus, Caroli VII. nomine Oratoris munere functus eſt apud Raymundum de Angennes, & à Felice V. Preſbyteris Cardinalibus titulo S. Honuphrij adſcriptus Baſileæ, anno 1440. at non diu in illa dignitate vixit, nam anno 1443. die 14. Septembris apud Nantes è vita migrauit, & ſepultus in Eccleſia principe Nannetenſi. Huius viri æquitatem, ac probitatem ad cœlum vſque laudibus extollunt Galliarum ſcriptores. Rogatus hic ab Artuſio Comite de Richemond nuncupato, poſtea Britanniæ Duce

A tatione prouectæ ſuæ nimium ætatis, vt Epiſcoparum Guillelmo nepoti cedere vellet, ęgrè admodum in eam ſententiam adduci potuit, cum Artuſio ſemel, ac iterum petenti, moltoties illud inculcaſſet, tanto muneri ſubeundo nepotem minimè idoneum.

Geſſit Ioannes in ſcuto miniato nouem nummos Byzantios aureos.

Dubitant aliqui de titulo S. Honuphrij, quem huic attribuunt præter Contelorium Auguſtinus de Paz, & Frizonius; nam Eccleſiam illam ab Eugenio IV. erectam, Diaconis Cardinalibus niſi Leonis X. & Presbyteris item Cardinalibus niſi Xiſti V. Romanorum Pontificum æuo datam non legimus. Quare Panuinius, & Ciaconius licet inter Presbyteros Cardinales à Felice renunciatos Ioannem hunc recenſeant, titulum tamen non exprimunt. Niſi dicere velimus Felicem ipſum Pſeudopontificem Eccleſiam ſancti Honuphrij Eugenij ergò, in Cardinalium titulum erexiſſe, & Ioanni Cardinali commendaſſe.

B

QVARTA CREATIO PSEVDOCARDINALIVM.

Die 6. Aprilis anni 1444. Gebennis, vt in Actis Concilij, (Ciaconius tamen creationem hanc ad annum 1443. refert) à Felice V. anno Antipōtificatus Quarto creati ſunt quinque Cardinales, quatuor Presbyteri, & vnus Diaconus, ex quibus duos duntaxat Felix publicè nominauit, hi autem ſunt.



XX.

IOANNES Arſius, ſeu de Arſijs, vel de Artus, Gallus, Archiepiſcopus Tarantaſienſis à Felice V. inter Presbyteros Cardinales titulo non ſanctorum Nerei, & Achillei, ſed ſancti Stephani in Cœlio monte cooptatus eſt; titulum enim ſanctorum Nerei, & Achillei a Nicolao Quinto obtinuit, vt ſuo loco dicemus. C

Ciaconius
Panuinius
Felix Cōtel. in Elēch. Card.



XXI.

LVDOVICVS Luſitanus, Viſenſis Epiſcopus, Orator Regis Portugalliæ interfuit Concilio Baſileenſi, & vnus ex Hiſpanica gente in Comitijs Baſileenſibus ſuffragium pro Felice tulit, a quo terminata Synodo, Pſeudocardinalium Collegio adſcriptus eſt.

D

Præterea in Actis Concilij Baſileenſis creati, ſeu nominati infraſcripti inueniuntur, ſed quo tempore incertum.

Ciaconius
Stephanus Damalewica de Archiepiſc. Gneſnenſibus.
Martinus Cromerus in Hiſtor. Polon.
Aubery in Vita.
Panuinius de Rom. Pontific.



XXII.

VINCENTIVS Cotus Dembenius, ſtirpis Dolnæ, natione Polonus, ingenij dotibus, ac doctrina clarus, ab ineunte ætate, animum pietate, ac literis in diuerſis Orbis Academijs excoluit: in patriá expletis ſtudijs reuerſus, Gneſnenſis Eccleſię Theſauro cuſtos eſt datus, cui & paulò poſt filiorum Regis cura, & educatio publica in Comitijs Varzenſibus omnium ordinum voluntate fuit demandata, E cum Rex Vladiſlaus apud exercitum teneretur. Curam hanc ea fide [...]bijt, ac dexteritate, vt fructu expetito præclaræ inſtitutionis Re[...]ca fuerit oblectata. Non caruit tamen Cuſtos hic inuidiæ repagulis, currenti ad ampliſſimam in Regno Polonię dignitatem virtuti obiectis. Enimuero cum Prælati & Canonici Gneſnenſi viduæ Metropoli conſulturi ad eum Primatialem dignitatem vno ore, atque animo deferrent, non pauci Regni Polonici Proceres obſtiterunt, qui ad Vladiſlaum Vladiſlauienſem Epiſcopum, veſut & ordine, & gradu proximum Gneſnenſem dignitatem deferendam cenſebant; lege ſiquidem cautum erat, vt propinquiores in dignitate in Republica ſuccederent; verum ea lex ſacras afficere dignitates nequaquam poterat. Maximo igitur plerorumque applauſu, gubernacula ſedis Metropolitanæ Gneſnenſis, anno à partu Virginis 1437. Vincētius apprehendit, ab Eugenio IV. Rom. Pontifice ſibi tradita. F

Anno ſecundo Archiepiſcopatus, Regis Polonici nomine functus eſt legatione ad Cæſarem Albertum Vratiſlauiæ tunc agentem, in qua tractauit; vt poteſtas fieret Bohemis, quem vellent Regem creandi. Nam Bohemorum aliqui iam ante Caſimirum, Vladiſlai Regis fratrem creauerant, vnde occaſio belli contra Bohemos orta eſt. Poſt Vladiſlai obitum Caſimirum fratrem, Vincentius Archiepiſcopus, anno 1447. die 27. Iunij in Regem vnxit, & ritu ſolemni coronauit; in qua ſolemnitate illud honoris attributum eſt Epiſcopis, A vt dum Rex ad excipiendum à ciuibus publicum ſacramentum ſederet, dextrum illis latus Muſauiorum Duces concederent. Inter hæc Felix V. Pſeudopontifex gratiæ cauſa, vt faueret Polonis, quos ad ſe deducere toto pectore ſtudebat, Vincētium Archiepiſcopum Preſbyteris Cardinalibus adſcripſit, cui dignitati poſtea ille ceſſit ſub Nicolao V. die 2. Octobris, anno 1447. vt patet ex ipſius Nicolai Diplomate.

Fuit Archiepiſcopus hic in promouenda religione orthodoxa ſtudioſiſſimus; hæreticam prauitatem ſemper inſectatus eſt. Eccleſiaſticam diſciplinam ſeriò curauit, bonorumque Eccleſiaſticorum propugnator acerrimus extitit. Eccleſiam in honorem B. Mariæ Virginis, SS. Catharinæ, ac Barbaræ à fundamentis conſtruxit; Canonicorum Regularium Lateranenſium Eccleſiam S. Nicolao Epiſcopo ſacram in Collegiatam, approbante Romano Pontifice erexit. Eccleſiæ Principi Gneſnenſi ornamenta ſacra quamplurima, auro, B gemmiſque grauia dono dedit.

Vixit in dignitate Archiepiſcopali ex aliquibus, vſque ad annum 1448. ſeu ex alijs ad 1459. quo vitam cum morte commutauit. poſt obitum ſepulcrum habuit in Eccleſia principe Gneſnenſi.

Stephanus Damalewicz. et Felix Contelorius in Elencho.



XXIII.

VVILLELMVS Hugonis de Stagno, Gallus, Archidiaconus Metenſis, Iuriſconſultus interfuit Concilio Baſileenſi, & vnus ex Gallica natione aſſuit Comitijs Baſileenſibus, in quibus renunciatus Pſeudopontifex Felix V. à quo nominatus Preſbyter Cardinalis titulo ex Ciaconio ſanctæ Sabinæ, ex Contelorio verò ſancti Marcelli. Recuſauit dignitatem, ex quo diceret ſe non habere ſufficientes redditus pro ea conſeruanda, ſed poſtea obtentis beneficijs dignitatem ſuſcepit; & in Cardinalatu confirmatus eſt à Nicolao V. vbi vide. C

Ciaconius
Ferdinãd. Vghel. in Ital. ſac.
And. Victorel. in Addit. ad Ciacō.
Aubery in Vita.
Felix Cōtelorius in Elencho.



XXIV.

BARTHOLOMÆVS Vitelleſchus, ſeu de Vitellenſibus, natione Italus, patria Cornetanus, Ioannis Cardinalis nepos, ex Epiſcopo Cornetano, & Mōtiſflaſconis creato ab Eugenio Quarto à Felice V. renunciatus eſt Presbyter Cardinalis titulo S. Marci, ſed gratias agens dignitatem illam recuſauit ex Ciaconio: Felix tamen Contelorius ex monumentis Vaticanis affirmat Cardinalatum ſuſcepiſſe, & interfuiſſe Concilio Baſileenſi Lauſanam tranſlato. Apud Marcellum Vitelleſchum Baſilicæ Liberianæ Canonicum, germanum fratrem P. Mutij Vitelleſchi Societatis Ieſu Præpoſiti generalis, teſte Victorello extabant Felicis literæ datæ ad Bartholomæum hunc apud S. Dominicum extra muros Gebennenſis Vrbis, anno à Natiuitate Domini 1447. Pontificatus Septimo, jx. Kal. Februarij, quarum initium erat. D

E *FELIX Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Dilecto filio Bartholomæo titulo ſancti Marci S. R. E. Presbyter Cardinali, & Cornetan. ac Montiſflaſcon. vnitarum Eccleſiarum Epiſcopo ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.*


Et ſententiæ à ſe prolatæ in lite inter Præſulem Taurinenſem, & Abbatem Ripaliæ ſubſcripſit: *Bartholomæus Presbyter Cardinalis S. Marci, & Epiſcopus Cornetanus, & Montiſflaſconis.*

Hic cum poſt violentam mortem patrui rebellantis animi Eugenio Romano Pontifici in ſuſpicionem veniſſet, cum Lilio Lartellano Cornetano aufugit Cornetum, & cum patrui ſpolia retinuiſſet, vocatus in iudicium, venire contemnens, Epiſcopatus dignitate ab Eugenio, anno 1442. ſpoliatus eſt. Sed cum iniuriæ ſibi illatæ impatiens ad Baſileenſe Concilium prouocaſſet, non modò à Felice Epiſcopatus honor eſt reſtitutus, ſed etiam ſub titulo ſancti Marci Pſeudocardinalis, vt diximus, creatus, quam dignitatem, vſque ad Eugenij obitum retinuit. Mortuo Eugenio, cum moderati animi eſſet, ad Nicolai obediētiam, relicta purpura, redijt, à quo Cornetanæ, ac Montiſflaſconis Eccleſiæ eſt reſtitutus; deinde Fulginatibus, & Peruſinis ius dixit. Cum autem ad Eccleſiam ſuam Cornetanam, ac Montiſflaſconis adminiſtrandam rediiſſet, adeo ſalubribus legibus eam conſtituit, vt hactenus etiam pro regula habeantur illius Conſtitutiones, quas poſtea Hieronymus Bentiuolus Epiſcopus Montiſflaſconis, & Corneti, anno 1592. typis tradidit. Statuit, vt ſingulis ferijs ſextis, hora nona maior campana in Dominicæ Paſſionis me- F

moriam pulſaretur, & tunc Clerici, ac docti quocunque etiam opere decerent. *Chriſtus factus eſt pro nobis obediens, vſque ad mortem, mortem autem Crucis: Kyrie, &c. Pater noſter, Aue Maria, & Reſpice quæſumus Domine ſuper hanc familiam tuam, &c.* Laici verò, & indocti *Pater, & Aue,* beneficium Redemptionis recolentes pronunciarēt. In ocio etiam multa ſcripſit, & edidit Opuſculum valdè vtile de Morte, quam cum propediē ſibi meditaretur inſtare, ex inſtinctu diuini feruoris, annuente Pontifice Pio II. vſque in Hieruſalem, ad ſancta loca peregrinatus eſt, ac rediens Modoni vita exceſſit die 13. Decembris, anni 1463. cum priuſquam excederet Italia, heredes ex condito teſtamento inſtituiſſet. Relatus in patriam, ad pedes Cardinalis patrui ſepultus eſt in Cathedrali Cornetana, cum ſequenti Epitaphio.

D. O. M.
SEPVLCHRVM REVERENDI IN CHRISTO PATRIS
D. BARTHOLOMAEI DE CORNETO
EPISCOPI CORNETANI ET MONTISFLASCONIS
NEPOTIS SVPRA SEPVLTI CARDINALIS
OBIIT ANNO MCCCCLXIII.
MODONI PERGENS EX HIERVSALEM.

Narratur Bartholomæi corpus adhuc incorruptum eſſe.



XXV.

THOMAS de Corcellis, ſeu de Courcellis Gallus, Canonicus Pariſienſis ex Contelorio, Ambianenſis verò ex Panuinio, & Aubery, Theologus interfuit Concilio Baſileenſi; & cōtra Eugenium diſputauit, ac Romanum Pontificem ſubeſſe Concilio, & Eccleſiæ latè diſſeruit. Vir fuit doctrina clarus, & modeſtia ſingulari ornatus, itaut in diſputationibus ſemper intuens terram, nunquam oculos ad circumſtantes leuauerit. Vnus ex Galliæ Electoribus in Comitijs pro Felice ſuffragium tulit. Affuit Concilij Baſileenſis, & Felicis V. Orator, Conuentui Bituricenſi, in quo tum Concilij Decreta, quorum præcipuus author fuerat, tum Felicis partes ſummo animi ardore ſuſtinere conatus eſt, ſed fruſtra. Nam habitis varijs diſputationibus, & altercationibus, adueniens demum Carolus ipſe Galliarum Rex cum aliorum Prælatorum, & Procerum multitudine poſt auditos vtriuſque partis Oratores, re maturè cum ſuis diſcuſſa reſpondit per organum Epiſcopi Claromontenſis lingua Gallica loquenus, Francorum Regem, vt Chriſtianiſſimum Principem deceret, ſemper fauiſſe dignitati generalium Conciliorum, & Baſileenſis in primis, in quo Legatos ſuos ſemper habuiſſe. Tuliſſe mœſtiſſimo animo diſcordias inter Patres, & Pontificem exortas, monuiſſe, ac rogaſſe ipſos Patres ſæpe ſæpiùs literis, ac Nuncijs, vt à iudicio contra Eugenium ſuperſederent: illos verò his ſpretis non modò non ſuperſediſſe, verum etiam illum deieciſſe, & alium ſubrogaſſe. Itaque iam ex conſilio Prælatorum, ac Procerum Regni ſui ſtatuiſſe perſeuerare in obedientia Eugenij, nec alium agnoſcere Pontificem, cui ſupplicaturus eſſet, vt intra annum generale Concilium in Gallia celebraret ad ſciſſionem Eccleſiæ tollendam. Rogare Patres Baſileenſes, & Dominum Sabaudum, ſic Felicem nominabat, vt dimiſſis cenſuris, & comminationibus, ad ea quæ pacis eſſent, intenderent, neque vllo modo Regni ſui Clericos iudicijs infeſtarent. Dominum Sabaudum ſanguine Regi eſſe coniunctum, non placere Regi, vt à quopiam iniuriæ ei inferrentur; ſed in hac re, quoniam ad fidem pertinet, nihil præter iuſtitiam Regem audere, ſperare tamen conſanguineum ſuum ſolita ſua prudentia rem hanc tractaturum. Hæc vbi jx. Kalendas Nouembris, anni 1440. Patribus Baſileenſibus, & Felici nunciata ſunt, omnium mentes mœror occupauit. Thomas Baſileam tedijt, qua in Vrbe ab ipſo Felice Cardinalium Collegio fuit adſcriptus; at ille oblatam recuſauit dignitatem, ex quo reddítus non haberet pro tanta dignitate ſeruanda. De hoc nulla mentio apud Ciaconium, & Panuinium; illius tamen meminere Felix Contelorius in Elencho ex monumentis Vaticanis, & Aubery.



XXVI.

IOANNES de Raguſio ordinis Prædicatorum alumnus, qui contra Boëmos diſputauerat, à Felice V. inter Cardinales cooptatus eſt, ex m.s. Pij Secundi de Concilio Baſileenſi; de hoc non meminit Ciaconius.

Quid verò de Cardinalibus à Felice creatis actum ſit, excipite ex Pio II. in Commentarijs de Concilio Baſileenſi. *Inito pacis tractatu ſic conuenit inter partes. Felix Papatum reſignet, primuſque Cardinalium eſto, & in ſuis dominijs Legatus perpetuus: Ludouicus Cardinalis Arelatenſis priſtinam dignitatem habeto, & Cathedram Pontificalem recuperato. Ludouicus de Varambone, Hugo Metenſis, Tarantaſinſque in Cardinalatu remaneant; ceteri, vt factitas eſſet, promoueantur.* De illis, qui confirmati in Cardinalitia dignitate, vel de nouo renunciati Cardinales, agemus ſuis locis, reliquos verò ſilentio prætetibimus.

PSEVDOCARDINALES MORTVI
ſub Felice V. Antipapa.

Amedeus de Thalaru, Gallus, Presbyter Cardinalis è vita migrauit 3. Idus Februarij, anni 1443.

Ioannes de Maleſtroict, Gallus, Presbyter Cardinalis ſancti Honuphrij, die 14. Septembris, anno 1443.

Fr. Nicolaus Tudeſcus, aliàs de Tudiſco Siculus, monachus, & Abbas Benedictinus, Archiepiſcopus Panormitanus, & Cardinalis, menſe Iulio, anno 1445.

Dionyſius du Moulin, aliàs de Molendino, Gallus, Presbyter Cardinalis, die 15. Septembris, anno 1447.

Vincentius Corus Polonus, Archiepiſcopus Gneſnenſis, & Poloniæ Primas, Presbyter Cardinalis, anno 1449.


Georgius Hiſpanus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Anaſtaſię obijt ſub Felice V. incertum quo anno.

NICO-

NICOLAVS V. PONTIFEX CCXII.

ANNO DOMINI MCCCCXLVII.





IN NOMINE DEI, ET SALVATORIS Noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen.

Nicolai Electio.

NICOLAVS V. Thomas Lucanus Sarzanus antea vocatus, à Sarzana oppido Lucenſis agri, Bartholomæo Medico, & Andreola parentibus, virtute, doctrina, comitate, gratia, liberalitate, munificentia, tanto Pontificatu dignus, Pontifex maximus, omnium conſenſu a XVII. Cardinalibus creatus, Pridie nonas Martias, anno 1447. * inter optimos, ſanctiſſimóſque Pontifices numerandus cenſetur. Etenim nec pietate in Deum, nec amore, & beneuolentia erga pios, nec vllo genere virtutis inferior fuit religioſiſſimis quibuſque Pontificibus; licèt ipſe adeo modeſtus eſſet, vt tanto magiſtratu ſe indignum arbitraretur: rogauitque Cardinales omnes, ſupplex etiam, vt Eccleſię Dei maturiùs conſulerent: verùm Tarentino Cardinale eum adhortante ne curſum S. Spiritus impediret, tanto oneri ſe ſubiecit. Interrogatus (vt fit) Cardinalis Portugallenſis è Conclaui prodiens, quem Pontificem creaſſent, reſpondit, *non nos Nicolaum, ſed Deus Pontificem elegit, & deſtinauit*. Sunt qui ſcribant, Thomam Piſis natum, Lucæ educatum, Bononiæ literas, & bonas artes didiciſſe, maximè verò Phyloſophiam, & Theologiam. Tuſcia illi demùm vitam tribuit, quæ illum genuit apud Sarzanam oppidum, non procul à Macra flumio ſitum, quamuis antiquam originem ex Luca duceret. Roma verò eum non tàm genere clarum *, quàm pietate, doctrináque, & animi dotibus excellentem, vt Gobellinus Pij II. Notarius in Commentarios retulit, ad maximum ſacerdotium vocauit: adiutus beneficentia optimi viri Nicolai Albergati Cardinalis S. Crucis, adoleſcentis ingenio delectati. Hanc ob rem in Pontificatu hominis de ſe benemeriti nomen ſumpſit, qui eius liberalitate ſua ſtudia promouerit, cum Bononiæ Humaniores literas, mox Phyloſophiam, & Theologiam diſceret, cum priùs Thomas vocaretur. Gratitudo animi eminet inter ceteras virtutes, mortaliúmque animos conciliat amatori, & cultori ſuo.

EIVSDEM primordia

Cum verò Magiſtri nomen in Gymnaſio conſequutus eſſet, acerrimis diſputationibus probatus, Cardinalem S. Crucis ſequutus, familiæ tanti viri Oeconomus factus in numero Scriptorum Pœnitentiariæ primo refertur, deinde Subdiaconatum Pontificium adeptus, benè agendo, vitámque ſine inuidia, & æmulatione ducendo, maiora mente concepit. Iam enim Eugenius, cognita hominis doctrina, & integritate, in illis potiſſimum diſputationibus, quæ cum Græcis * Florentiæ, & Ferrariæ ſunt habitæ, eum Cardinalem deſtinauerat. Verùm vt id honeſtius fieri poſſet, hominem cum Ioanne Carauagial, qui poſtea Cardinalis S. Angeli eſt habitus, in Germaniam mittit, ad tollẽdum Baſileenſe Concilium, Neutralitatémque.

A Neutrales enim Germani ſunt dicti, quòd neque Felicis, neque Eugenij dictis obtemperarent. Quas ob res Eccleſia Dei multas, & maximas calamitates incurrebat, cum imminutione maieſtatis Pontificiæ. Hac autem de re pluribus in Conuentibus apud Fridericum Romanorum Regem eſt diſceptatum, Aenea Picolomineo, qui deinceps Pontifex fuit, quique tum Regius Secretarius erat, ad tantam rem, tàmque neceſſariam longis orationibus omnes adhortante, difficile quidem erat, remouere Germanos ab opinione ſua tametſi erronea: difficile item videbatur perſuadere Eugenij Oratoribus, vt poſtulatis Germanorum obtemperarent, tandem verò delinita orationibus nimia Oratorum ſeueritate, & caſtigatis Germanorum poſtulatis, Schiſma, & Neutralitatem, rem quidem Romanæ B ſedi pernicioſiſſimam ſuſtulerant, ſi ſtare promiſſis Germani voluiſſent. Redeuntes itaque ad Eugenium Legati ſucclamantibus omnibus Cardinales decernuntur, eiſque Eugenius ad portam Flaminiam galeros obuiam mittit, vt Vrbem inſigniores ingrederentur; vno itaque, eodémque anno, & Cardinalis dignitatem, & Pontificatum adeptus eſt, cum maxima Cleri, Populique Romani lætitia.

Licèt dum adhuc in Conclaue Cardinales eſſent tumultuatum aliquandiu ſit, Stephano Porcario equite Romano, viro in dicendo acerrimo, & eleganti ciues ſuos in Eccleſia Aracœli congregatos ad capeſſendam libertatem cohortãte, quòd diceret, paruum quodque oppidum, mortuo loci domino de libertate, vel ſaltem de moderanda regentium cupiditate verba facere. Verùm reclamante Ar- C chiepiſcopo Beneuentano, tum quidem Vicecamerario, de re ipſa nihil deliberatum eſt; veriti etiam Romani ſunt Alphonſum Regem qui Tibure ſubſtiterat mortuo Eugenio dubius animo, retro ne cederet, an vlterius procederet.

CARDINALES XXIV. VIVI quando Nicolaus Papa V. creatus eſt.

EPISCOPI CARDINALES III. EVGENII PAPAE IV.

D 1. Ioannes Taliacotius de Pontibus, ſeu Vrſinus, Neapolitanus, Archiepiſcopus Tarentinus, Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus, Decanus, & Maior Pœnitentiarius.

2. Ioannes Ceruantes, Hiſpalenſis, Hiſpanus, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus.

3. Franciſcus Condolmerius, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarius.

PRESBYTERI CARDINALES XVIII. MARTINI PAPAE V.

4. Dominicus Capranica, Romanus, Epiſcopus Firmanus, Preſbyter Cardinalis ſanctæ Crucis in Hieruſalem.

EVGENII PAPAE IV.

5. Ioannes Kemp Anglus, Presbyter Card. titulo S. Balbinæ.
6. Nicolaus de Acciapacio, Italus. Presb. Card. tit. S. Marcelli.
7. Georgius Fliſcus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Anaſtaſiæ, ciuis, & Archiepiſcopus Genuenſis.
8. Iſidorus. monachus Conſtantinopolitanus, Græcus, Archiepiſcopus Ruthenus, Presb. Card. titulo SS. Marcellini, & Petri, abſens, Legatus Conſtantinopolini.
9. Beſſarion Trapezuntius, Græcus, monachus, Archiepiſcopus Nicænus, Presbyter Cardinalis Baſilicæ ſanctorum duodecim Apoſtolorum.
10. * Sbigneus Polonus, Epiſcopus Cracouienſis, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Priſcæ.
11. Antonius Martini Luſitanus, Epiſcopus Portugallenſis, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Chryſogoni.
12. * Petrus à Scouuembergh, ex Franconia oppido, Diœceſis Herbipolenſis, Presbyter Card. S. Vitalis tit. Veſtinæ.
13. Ioannes Iuuenis Gallus, Epiſcopus Morinenſis, Picardus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Praxedis.
14. * Dionyſius Agrienſis, Hungarus Archiepiſcopus Strigonienſis, Presb. Card. S. Cyriaci in Thermis.
15. Guillelmus de Eſtouteuilla Gallus, Normandus, Archiepiſcopus Rothomagenſis, Presbyter Cardinalis ſancti Martini in montibus S. R. E. Camerarius.
16. Fr. Ioannes de Turrecremata, ordinis Prædicatorum Magiſter in Theologia, Hiſpanus, Presbyter Cardinalis tit. S. Xyſti.
17. Ludouicus Scarampus Mediarota, Patauinus, Presbyter Cardinalis ſancti Laurentij in Damaſo.
18. Alphonſus Borgia, Epiſcopus Valentinus, Hiſpanus, Presbyter Cardinalis titulo SS. Quattuor Coronatorum.
19. Henricus de S. Alloſio, ciuis, & Archiepiſcopus Mediolanenſis, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Clementis.
20. Thomas Lucanus, Ligur, Presbyter Cardinalis tit. S. Suſannæ.
21. D. Ioannes Siculus, Presbyter Cardinalis titulo S. Sabinæ.

DIACONI CARDINALES III.

MARTINI PAPAE V.

22. Proſper Columna, Domicellus Romanus, Diaconus Cardinalis ſancti Georgij in Velabro, S.R.E. Archidiaconus, ſeu Prior Diaconorum.

EVGENII PAPAE IV.

23. Petrus Barbus Venetus, electus Epiſcopus Ceruienſis, Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ Nouæ.
24. Ioannes Carauagial, Hiſpanus, electus Placentinus, Diaconus Cardinalis ſancti Angeli.

Horum tantum 18. præſentes Romæ in Conclaui fuere, reliqui quinque abfuerunt.

CORONATIO Papæ Nicolai V.

Anno Domini 1446. 3. nonas Martij Papa Nicolaus Quintus in gradibus Baſilicæ ſancti Petri Vaticanæ ſuç Coronationis inſignia * ſuſcepit, per manus Proſperi Columnæ Domicelli Romani, S. R. E. Archidiaconi, aſtantibus Cardinalibus, Clero, & Populo Romano: ſedit verò in Apoſtolica ſede, Imperatore Cæſare Friderico III. Auguſto; annos 8. & dies 19.

Nicolaus Pontifex pacis, & quietis amator celebrata de more Coronatione ſua, factiſque ingenti apparatu ſupplicationibus, quibus ipſe pedes procedebat, Cardinalem Morinenſem * Ferrariam miſit, componendæ pacis commune domicilium, quo Legati interuentu, & auctoritate, ad pacem magis impellerentur partium animi.

NICOlaus de pace inter Principes componenda agit.

Principes namque, ac Reſpublicas Italiæ per Legatos monuit, vt bellis tandem finem facerent, Pontifex namque renunciatus, & ante Pontificatum, poſt Eugenij exequias, oratione ad Cardinales habita, ipſos ad pacem, optimum omnium mortalium bonum, cuius nomen dulce eſt, & res ipſa ſalutaris, inter Italas, ceteráſque gentes Chriſtianas ſtatuendam cohortatus eſt, vt Poggij in oratione ad Nicolaum teſtimonio conſtat. Cumque Principes, & Reſpublicæ terram feciſſent petitionem, precéſque ſuas omiſſa re toties fruſtra tentata, conuerſus ad Deum, opem ab illo implorare ſtatuit, ſupplicationes publicas decreuit, ad placandam eius iram, precandúmque, vt pacem Chriſtiano populo præſtaret. His Litanijs Pontifex ipſe * cum omni Clero a S. Petro, vſque ad S. Marcum pedes profectus eſt, multam religionem, & pietatem præſeferens. Verum neque ita quidem, exigentibus id hominum peccatis Dei ira placata eſt. Nam ſequenti biennio adeò vbique fera peſte laboratum eſt, vt pauci de multis ſuperfuerint. Quòd quidem malum, & frequens terræ motus, & eclipſis Solis indicare videbatur. Minabantur Prædicatores futuram calamitatem, maximè verò Robertus Franciſcanus Prædicator inſignis, qui concionibus ſuis adeò populum Romanum mouit, vt pueri paſſim, fœminæque per Vrbem incederent, miſericordiam à Deo expoſcentes; & ne quid mali in Italia deeſſet, bella ante inchoata adeò inualeſcebant, vt ſedari nullo modo poſſe, videretur.

Litaniæ pro pace impetrāda.

Nicolaus autem Pontifex totam Italiam ad arma concitari cernens, auctoritatem ſuam ſæpiùs interpoſuit, quo pax componeretur, vt ſequenti anno liberè omnibus ex tota Europa ad Iubileum venire liceret: inſtabat enim Quinquageſimus annus, quo Iubileus de more indicebatur. Cardinales præterea ſex creauit, quorum de numero fuere Latinus Vrſinus, & frater ipſius Pontificis vterinus tantùm, Philippus titulo ſancti Laurentij in Lucina Presbyter Cardinalis vir certè bonus, ingenijque liberalis.

CARDINALES à Nicolao creati.

Interim verò Fridericus Imperator, inſtante Pontifice, Felicem compulit *, vt Pontificatu abdicaret, quòd cerneret tantam ſeditionem, & tàm diuturnam Eccleſiæ Romanæ pernicioſam eſſe, vſus tamen benignitate erga Amedeum Nicolaus eſt: homini namque galerum Cardinalatus miſit, eundémque perpetuum Legatum Germaniæ fecit, ne ſine dignitate viueret, & cum honore ſe poſſet ſuſtentare. Venerunt autem, & in arbitrium Pontificis Cardinales illi, quos Amedeus creauerat; tres enim illorum in numerum Cardinalium legitimorum ſunt recepti. Hac verò concordia lætatus eſt non modò Clerus omnis, verùm etiam populus Romanus, adeò vt in ſequenti nocte eius diei, quo hæc audita ſunt anno 1449. die 23. Aprilis, cum faculis per Vrbem in equis incederẽt, clamantes, *Viuat Nicolaus Papa*. Tum verò ingẽs gaudium lætitiamque percepit, Schiſmate penitus extincto, quòd in poſterum nullum fuit, atque vtinam ne ſit, tantus enim eſt morbus; vt ſemel eò infectæ mortalium mentes ad ſanitatem non facilè redeant. Ne ergo ingratus erga Deum Pontifex tanti beneficij videretur, ſupplicationes admodum celebres cum Clero, & populo in Vaticano habuit. Idem fecere, & reliqui Italiæ populi, tàm pernicioſa ſeditione liberatam Eccleſiam Dei cernentes, brauium velociùs currenti quinquaginta aureorum propoſitum. Tanta prætereà fuit Pontificis auctoritas, & gratia, vt animos Principum ad bellum iam concitatos aliquandiu repreſſerit.

AMEDEVS abdicat. CREATVR Cardinalis *

TRES Antecardinales Felicis Antipapæ Cardinalium numerum à Nicolao adſciſcuntur.

SVPPLICATIONES pro Schiſmate ſublato.

Anno 1448. in natali S. Marci, die 25. Aprilis, ſollemnes, Nicolaus Papa V. a S. Petro, vſque ad S. Marcum pedibus gradiens, ſupplicationes fecit, ſacram Euchariſtiam geſtauit, rem illo ſeculo inſolitam, populo admirante, omnibus Cardinalibus comitantibus, cum multis Reliquijs ſanctorum, Papa Miſſam cantauit in æde S. Marci, & poſt prandium in Vaticanum reuerſus, populo multos ei honores largienti, vijs velis obtectis à S. Marco, vſque ad S. Petrum.

Eodem anno 23. Maij, idem Pontifex alias ſimiles ſupplicationes habuit, pedibus iter agens, ſacram Euchariſtiam manibus geſtans à S. Ioanne Lateranenſi, vſque ad S. Clementem ad eandémque Baſilicam reuerſus Miſſam ſollemnem cantauit.

Eodem anno 1448. 29. Auguſti, die ſancti Ioannis Baptiſtæ, à ſexta vſque ad horam nonam, ſol deliquium paſſus, mortalitas Romæ, & extra ingens ſequuta, & 4. Nouembris eiuſdem anni, terræmotus accidit Romæ, ædes tremuerunt, & quiſque, ob formidinem, ad Eccleſias confugiebat.

TERRAE motus.

ANNVS MAGNI IVBILEI QVINTI.



Attigerat iam annus Iubileus 1450. cum ſubitò tanta multitudo Romam venit, quanta nunquam antea, vnde Nicolaus Pontifex omni ſtudio, & diligentia adnixus, vt cuncta abundarent, nihilque deeſſet infinito populo ad Vrbem confluenti, prædicto anno Iubilei, Sabbatho 19. Decembris, poſt oſtenſum Vultum Sanctum, ſolemnem Pontifex benedictionem populo largitus in platea ſancti Petri. Cum autem populus a benedictione verſus pontem S. Angeli regrederetur, mula quædam Petri Barbi Cardinalis ſancti Angeli, quæ geſtabat duas fœminas in ciſtis, cum neque venientes, neque redeuntes, ob inſequentem multitudinem, cedere poſſent, multitudine exterrita, calcibus, & impetu multos exturbans, conculcauit in ponte. In qua preſſura ducentos homines perijſſe, & tres equos, & mulam ſuffocatam in ponte Hadriani, conſtat. multi autem a lateribus pontis in flumen cadentes, in vndis periere. Qui partim ad ædem S. Celſi delati, ad centum, & triginta ſex ſepeliendi, partim ad Campum Sanctum decem, & octo curribus onuſtis, tranſportati nunquam ſimile infortunium viſum, neque auditum. Hanc ob rem Nicolaus Pontifex vices eorum, qui mortui fuerant, dolens, caſulas quaſdam, anguſtiorem viam ad pontem facientes, omnino ſuſtulit, totumque ferè annum illum in celebritatibus conſumpſit: ſtationes ipſemet quotidiè inuiſens, cum Cardinalium cœtu. Cauit etiam quam diligentiſſimè, ne abundante tanta multitudine, commeatus, & omnia ad victum neceſſaria deeſſent. Cumque penuria eſſet annonæ, ſeptuaginta naues frumento onuſtas ex diuerſis regionibus comparauit, Romamque inuexit: quo homines certatim ad Vrbem

NICOlai induſtria in Vrbe anno Iubilei gubernanda.

HOMInes ducenti mortui reperiuntur in quadā mala gentium multitudine, ac eſſentia.

confluentes

conſluentes veſcerentur: curauit etiam execrationibus, & ſatellitibus, ne graſſatores in peregrinos ad Vrbem accedentes ſæuirent.

NICOLaus Romam firmiſſimis muris communit.

Sequenti verò anno, quòd venturum ad Vrbem Fridericum Imperatorem intellexerat, tum vt Coronam Imperij acciperet: tum vt Leonoram Regis Eduardi Luſitaniæ filiam, Alphonſi Regis Neapolitani nepotem, in vxorem duceret, portas Vrbis, ac turres, Capitolium, arcem S. Angeli, muris firmiſſimis munire cœpit, veritus, vt creditur, ne aduentante Imperatore, noui aliquid & ab eo, & à populo Romano oriretur; erat enim natura formidoloſus: hanc ob rem milites omnes ſuos collectitijs copijs Romam acciuit. Ad deliniendos verò multitudinis animos, tredecim Mareſcallos, qui tredecim Vrbis regionibus præeſſent, delegit, eiſdemque tredecim veſtes coccineas, dono dedit. Imperator itaque procedentibus obuiam tredecim Cardinalibus, omnique Vrbis Magiſtratu, ac honorato quoque, per portam Caſtelli ingreſſus, & ad ſcalas S. Petri perueniens, obuium habuit Pontificem, à quo vnà cum Leonora vxore iuuencula, quatuordecim annorum, quam Senis oſtenderat, iam ex Hiſpania aduectam, in Templum Diui Petri introducitur, anno 1451. die 9. Martij, vnde, facta oratione, digreſſi, in ædibus illis diuertere, quæ ad ipſos S. Petri gradus adhuc viſuntur, meliorem formam, quam antea habentes, Romani Cardinalis Conſtantienſis impenſa. Pontifex autem ſequentibus diebus in ſancto Petro Miſſam celebrauit, benedixitque Imperatori, & Imperatrici, vt in nuptijs fieri conſueuit, antequam Sponſus cum noua nupta coeat; eoſque deinceps eodem in loco 18. eiuſdem menſis Martij Imperatoria Corona donauit; Corona autem aurea Imperatoria, Gladius, & Sceptrum, & orbis, quibus ijſdem olim coronatus Carolus Magnus, adducta à Friderico à Norimberga, centum millia aureorum æſtimata, genuflexus Imperator pedes Papæ oſculatus, idem præſtitit Imperatrix, & Imperator annulum coniugi per manus Papæ miſit, Roſam à Pontifice donatam, manu Sponſa geſtans, dum verò Imperator, vt fit, ad S. Ioannem coronatus proficiſcitur, plures Auratos Equites, ducentorum & ſexaginta quinque in ponte Hadriani creauit. Abiens deinde Neapolim cum vxore, viſendi Alphonſi, Leonoræ patrui, Neapoli Regis, cauſſa, à quo ſumptuoſa, & magnifica impenſa cum tanto comitatu eſt exceptus. Rurſus ad Vrbem per mare rediens, vſque ad S. Paulum primò, hinc ad palatium Pontificium perductus; Papa Cardinales miſit, qui Imperatorem comitarentur, manſit autem Romæ Imperator quindecim diebus, & toto hoc tempore quo Romæ perſtitit. Papa illi expenſas fecit, & neceſſaria miniſtrauit, & magnos illi honores impendit; & in gratiam aduentus eius veſtiuit omnes Officiales Vrbis, neque fuit vllum buniæ officium, cui non donarentur tres cannæ cum dimidia roſati, coccinei; poſt hoc verò Imperator iter in patriam ſuam arripuit, quòd intellexerat, quoſdam Principes res nouas in Germania, & Hungaria moliri, ob Ladiſlaum adoleſcentem egregium, quem Imperator ſecum ducebat. Hominem autem abeuntem duo Cardinales ad quinquaginta millia paſſuum comitati ſunt, Bononienſis, ipſius Pontificis frater, & Carauagial ſancti Angeli. In itinere Duci Ferrarienſi donauit Vrbes, Mutinam, & Regium, quas hodie tenet.

FRIDERici Imp. cum eius vxore Romam aduentus.

NICOLaus Imperatorem, & eius vxorem nuptam benedicit, imperatoriaque corona eos donat.

FRIDERicus Neapolim petit; inde ad Romã regreditur.

NICOLaus expẽſas Imperatori miniſtrat.

FRIDERicus Germaniam verſus iter arripit.

MVTINA & Regiũ à Friderico donata Ferrariæ Duci.

Frigeſcentibus vnà cum hyeme, iam omnium animis, exauſtiſque item aſſidua bellorum impenſa, populorum, ac Principum ærarijs, de pace iam antea à Nicolao Pontifice tentata, mentio fieri cœpta eſt; ad quam Veneti, & Florentini, militarem licentiam peroſi, ſummo ferebantur ſtudio. Sed Nicolaus Pontifex, coniuratione Stephani Porcarij Equitis Romani, tum deprehenſa, rem inchoatam omittens, ad ſedandum inteſtinum bellum animum adiecit: Stephanus enim maioris animi, quàm potentiæ vir quidem in dicendo materna lingua eloquentiſſimus, multa liberandę patriæ indicia præſeferens, Bononiam à Pontifice relegatur, hac conditione, vt ſingulis quibuſque diebus Nicæno Gubernatori Vrbis ſeſe offerret; quem, ſimulata ægritudine, decipiens, Romam admonentibus coniuratis propere rediit, hac mente, vt cum Vrbem attigiſſet, ſumptis armis, populum ad libertatem conuocando, Pontificem, & Cardinales caperet. Verùm dum feſſus longitudine itineris, & diutina vigilia aliquantulum quieſceret: aliquot enim noctes inſomnes duxerat, detegendæ rei tempus, & occaſionem, dat cognita hominis audacia. Pontifex Senatorem Iacobum Lauagnolum Veronenſem ciuem, & Vicecamerarium, cum armato milite, domum eius ſtatim mittit, vt captum in carcerem perducerent: is autem aduentare armatos intelligens, ad ſororem confugit; cognita deinde per indices fuga, hominem apud ſororem in capſa delitеſcentem capiunt, & captum, ac ſeriem coniurationis faſſum, ad muros arcis ſancti Angeli ſuſpendunt; eodem quoque ſupplicio affecti in Capitolio Angelus Maſſa, cum filio, ac ſocio Sauo, lecta prius, audientibus omnibus, coniurationis ſerie, anno 1453. quinto Idus Ianuarij: perſequutus deinde reliquos coniuratos, omnes oppreſſit, maximè verò Franciſcum Gabadeum, & Petrum Monterotundũ, & Baptiſtam Sciarram à Venetis ad ſupplicium redditum; eò enim confugerat, poſt patefactã coniurationem.

STEPHAni Porcarij coniuratio contra Pontificem.

STEPHAnus deprehenditur, & Bononiam relegatur.

STEPHAnus ad arma populum Rom. conuocãs, capitur, extremoque ſupplicio afficitur.

Nicolaus autem, qui hactenus Romanos omni genere officij, & liberalitatis iuuerat, quique liberiòr, quàm vllus antea Pontifex, incedere per Vrbem conſueuerat, ſibi ipſi deinceps cauens, moroſior cum in omnes, tum verò maximè in Romanos factus eſt. Accedentes enim alloquendi cauſſa, non ita facilè admittebat: acceſſit & podagra, qua tum maximè laborabat: ſed nihil fuit quòd æque homi-

A nem cruciauerit, quàm vbi audiuit. Conſtantinopolim, & Peram eodem tempore à Turcis captam: obtruncatum cum multis hominum millibus Conſtantinopolitanum Imperatorem: captum quoque arbitrabatur, & necatum Cardinalem Ruthenum, quem eò miſerat; ſed is mutata veſte incolumis abierat: ipſi tum Pontifici in animo fuit claſſe, & milite Conſtantinopolitanos iuuare, quemadmodum eius literæ ad Imperatorem ſcriptæ indicant, quibus & eorum à Catholica fide defectionem, & ſimulatum in gratiam cum Latinis reditum, in calamitatibus increpat. Verùm adeò repente Vrbs illa capta eſt, vt vix de mittendo auxilio cogitare, licuerit. Fuit autem capta Conſtantinopolis jv. Kal. Iunij anno 1453. die Martis, Gennadio Patriarcha Conſtantinopolitano atteſtante, à Mahometo Ottomanno, Amuratis filio, Mahometi nepote, die Lunæ, Imperatore Conſtantino XV. Palæologo, Emanuelis II. filio Auguſto, occiſo; Imperium Chriſtianorum in Oriente finitum, nobile, & antiquiſſimum, quòd ſub poteſtate Chriſtianorum durauerat 1191. annis, &, quòd mirabile extitit. Conſtantinus Primus Helenæ filius illud fundauit, & erexit, alter autem Conſtantinus XV. filius item Helenæ amiſit, vt initium fini concordaret. Poſt hanc calamitatem nullus vidit ridentem Nicolaum, neque vel diem ampliùs proſpera valetudine fuiſſe; Græcorum gens illa magna, & formidabilis, ſapiens, clara, fortis, terrarum domina, ob diuinam vltionem, in Barbarorum ſeruitutem abducta eſt, omnes namque gentes decretum, quòd ſancitum eſt, receperunt, Græci verò neque receperunt, neque ſpes eſt, eos vnquam eſſe recepturos, quæ ſuper vnione, & concordia decreta ſunt; procraſtinationes enim procraſtinationibus ab eis ſemper prætexuntur, excuſationes, & reſponſiones in ſingulis, Dominus ſterilem illam ficum, vſque ad annum tertium iuſſit aſſeruari, agricola iam ad exſcindendam arborem ſe accingente.

CONſtantinopolis à Mahometo Ottomanno capitur.

Cum omnes denique Principes, & Potentatus conueniſſent, & C Dominicus Capranica Cardinalis S. Crucis, Maior Pœnitentiarius vir magnæ prudentiæ, & auctoritatis Legatus à Pontifice miſſus, hortando, & monendo, pacis, & concordiæ ſequeſtrum ſe fore oſtenderet, ita ad fœdus poſt longas diſceptationes tandem ventum eſt, vt firma, & ſtabilis ab omnibus pax haberetur; data itaque per omnes fide, iureiurandoque adhibito, fœdus denique Neapoli firmatur, qua nulla memoria patrum noſtrorum pax maior, aut firmior, eſt habita. Anno 1455. die 2. Martij, pax Italiæ tubarum clangore publicata inter Papam, Regem Arragonum Alphonſum, Florentinos, Venetos, Ducem Mediolani, in vigintiquinque annos, & fœdus ictũ contra Turcas; ingẽs lætitia Romæ cum iubilo patefacta.

PAX inter Principes Chriſtianos ſtatuta.

PAX ingẽti lætitia publicatur inter Nicolaum, & alios Reges.

Nicolaus autem Pontifex ſiue tædio animi, quo maximè cruciabatur, poſt captam Conſtantinopolim, ſiue febri, & podagra, qua potiſſimum vexabatur, Pontificatus ſui anno VIII. die 19 jx. Kalen. Aprilis, hora inter 5. & 6. noctis ſequentis, anno 1455. obijt, ſe- D peliturque in Baſilica S. Petri Vaticana, honorificentiſſima pompa.

NICOlai obitus.

Laudatur quidem eius liberalitas, qua in omnes vſus eſt, maximè erga literatos, quos & pecunia, & officijs curialibus, & beneficijs mirificè iuuit: eos enim præmijs, nunc ad lectiones publicas, nunc ad componendum de integro aliquid, excitauit: at ad vertendos Græcos auctores ita perpulit, vt literæ Græcæ, & Latinæ, quæ ſexcentis iam antea annis in ſitu, & tenebris iacuerant, tum demum ſplendorem aliquem adeptę ſint. Miſit & literatos viros per omnem Europam, vt libri conquirerentur, qui maiorum negligentia, & Barbarorum rapinis iam perierant. Nam Poggius Quintilianum tum inuenit, & Enoch Aſculanus, Marcum Cælium Apicium, & Porphyrionem in Horatij opera, ſcriptorem egregium. Laurentius Valla vertit Latinè è Græco duos inſignes Hiſtoriographos, Herodotum, & Thucididem, Nicolaus Perottus vertit Polybium* hiſtoricum. Publius Candidus hiſtoriam Appiani Alexandrini. Poggius E Florentinus Diodorum Siculum, elegantiſſimus Theodorus Gaza, libros Ariſtotelis de Animalibus, & Theophraſtum de Plantis, Guarinus Veronenſis Geographiam Strabonis Cappadocis.

NICOlai liberalitas in literatos. *

Eius demùm diligentia, & ſumptibus, multi alij libri comparuerunt; cum adhuc ars impreſſoria incognita foret, multos excribi curauit, vt ſupereſſent exemplaria, ne penitùs interirent. Omitto tot libros ſacros illius iuſſu deſcriptos, auro, & argento redimitos, licet inſpicere Bibliothecam Pontificiam, eiuſdem ſedulitate, & munificentia mirificè auctam.

Aedificauit* magnificè, & ſplendidè, tum in Vrbe, tum in Vaticano: in Vrbe ædes Pontificias ſanctæ Mariæ ad Præſepe; reſtituit, & Templum S. Stephani in Cœlio monte: à fundamentis verò erexit S. Theodori Templum inter Capitolinum, & Palatinum mon- F tem in plano ſitum, Pantheon quoque in medio Vrbis poſitũ, Templum vetuſtiſſimum M. Agrippæ opus plumbeo tecto reſtituit. In Vaticano autem, & pontificias ædes ſumptuoſi operis in hanc formam, quam nunc cernimus redegit, & muros Vaticani præaltos, & latos inchoauit, iactis ſuperbis fundamentis ad turres, & maiorem molem ſuperædificandam, quibus coerceri hoſtes poſſint, ne ædes Pontificis, & S. Petri Templum, vt antea ſæpe factum eſt, diriperentur. Inchoauit præterea ad caput Templi B. Petri amplam teſtudinem, quam vulgò Tribunam vocant, quo Templum ipſum auguſtius, & hominum magis capax eſſet: pontem quoque Miluium reſtituit, & ædes egregias ad balnea Victoriana ædificauit: iuuit & multos pecunia, qui in Vrbe ædificabant; eius etiam mandato vici Vr-

* NICOlai res geſtæ.

bis ferè

bis ferè omnes ſtian ſunt. Eleemoſynas quoque * multas in pauperes erogauit, maximè verò in nobiles, ad inopiam ob varios rerum humanarum caſus redactos. Virgines inopes ſua pecunia, & munificentia, maritis collocauit. Legatos aliunde venientes munificè ſæpe ſuſcepit, nullo non genere honoris, & liberalitatis adhibito. Facilis ad iram fuit, quippe qui bilioſus erat, facilis etiam reditu ad beneuolentiam, hoc eſt, quòd aulam maleuolis dedit ad carpendum hominem de Deo, & de hominibus benè meritum. Auaritiæ autem adeò expers fuit, vt officium nullum vendiderit * vnquam. Gratus erga de ſe, & Eccleſia Dei meritos, amator iuſtitiæ, pacis auctor, & conſeruator, clemens in delinquentes, cæremoniarum diligentiſſimus obſeruator, nihil, quòd ad diuinum cultum pertineret omittés. Extant autem adhuc vaſa aurea, & argentea, extant cruces gemmis ornatæ, extant & ſacerdotales veſtes, auro, & margaritis inſignitæ, extant peripetaſmata, & aulæa auro, & argento intertexta, extat & mitra Pontificia, quæ hominis munificentiam nobis oſtendunt. Religioſos, vt vernaculo vocabulo vtar, ita amauit, vt eos & mira beneficentia, & Eccleſiaſticis beneficijs iuuerit, copias militares continuò alebat, ſtipendijs menſtruis ad tempus perſolutis.

Beatum quoque Bernardinum * Senenſem ordinis Minorum in ſanctos retulit, anno Iubilei 1450. x. Kalen. Octobris, Pontificatus ſui anno 4. quòd prædicando, docendo, monendo, caſtigando, etiam factiones Italiæ, Guelpham ſcilicet, & Ghibellinam, magna ex parte extinxerit, & Chriſtianis hominibus benè, beatèque viuendi viam oſtenderit, & multis poſt mortem miraculis claruerit. Surius, & S. Antoninus auctores: quieſcit nunc Aquilæ, qua in ciuitate obierat.

Nicolaus V. ſtudia literarum Romæ fouit *, & auxit.

Anno 6. Pontificatus Nicolai V. Guillelmus Cardinalis de Eſtouteuilla Presbyter ſancti Martini in montibus, in Regno Franciæ, Apoſtolicæ ſedis Legatus, Pontificis iuſſu Academiam Pariſienſem, optimis conſtitutis legibus inſtaurauit, Kalen. Iunij anno 1452. vti ex Chartario ipſius Academiæ conſtat.

Anno Chriſti 1444. Treuici Gymnaſium in ſacra Theologia, Iure Canonico, & Ciuili, necnon in qualibet alia licita facultate erexit, idque Colonienſi ſtudio generali, a ſancta ſede Romana dudum antea conſtituto per omnia e[?]quauit, ac bonis, & redditibus Eccleſiaſticis ditauit: ex regeſto prototypo.

Nicolao V. patria, Tribuleſque ſui multum debent, qui Lunenſis Epiſcopatus ſedem ad eos tranſtulit, vt Sarzana propter interitum Lunæ condita, clarior, nobiliorque fieret.

In ædificijs autem, & alijs operibus ſuis his characteribus vſus eſt N. P. V ideſt Nicolaus Papa Quintus, & pro inſignibus genolitijs vſus eſt clauibus ſancti Petri.


ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

¶ *Non tàm genere clarum.*] D. Antoninus 3. part. Hiſt. tit. 22. cap. 12. Panuinius in elogio, obſcuro natum genere, Medicum habuiſſe patrem, tradunt. Cardinali Albergato ſeruierat, à quo ob eximias virtutes, ſingularemque doctrinæ, fidei, & diligentiæ præſtantiam vnicè diligebatur, & primarius habebatur. Sigonius lib. 4. de Epiſcopis Bononien. pauperem apud Albergatos Bononiæ pueros inſtituiſſe, & Epiſcopo deinde in Epiſtolis ſcribendis ſeruiuiſſe, ſcribit. Alij ex nobili, &, pro regione, diuite, Parentucella familia eum natum dicunt; quam non agnouit Panuinius, qui dixit *Thomas incerto cognomine*, & in Chron. *Thomas Lucanus*. Xyſtus IV. Antonio Mariæ Parentucello Lunenſi Epiſcopo nonnulla donauit ex ſpolijs Philippi Epiſcopi Portuenſis, vt conſtat ex Diplomate Romę dato, anno 1477. 4. Id. Iulij. Sarzana (Nicolai patria) ciuitas eſt in Hetruriæ, & Ligurum finibus prouinciæ Lunenſis caput. Eugenius Quartus cum Thomam Eccleſiæ Bononienſi paſtorem dedit, literis Dudum à Sigonio relatis, dixit, *Eugenius, &c. dilecto filio Thomæ de Sarzana, &c.* Cardinalis Aegidius ſcripſit, Nicolaum V. quanto alijs ſobole inferiorem, tanto Phyloſophiæ, & Theologiæ cognitione, virtuteque maiorem habitum; comitatem illi animos conciliaſſe, doctrinam commouiſſe, liberalitatem cepiſſe, munificentiam in admirationem adduxiſſe; docuiſſe autem, non maiorum ſtemmate, ſed animorum inſtitutione veram nobilitatem contineri; nec referre, quibus homo ſit parentibus genitus; ſed quibus moribus, quo ingenio, qua eruditione ſit ornatus, quid auaro, ambitioſo, ignauo, voluptatum ſectatori illuſtris familia, auorum nobilitas? hos illa deteſtabiliores facit, quo maiores clariores effecerant.

Zenus in vita Card. Albergati.

Loc. cit.

An. 1443. v. kal Decemb. Loc. cit.



Gentilitia Parentucellæ familiæ Sarzanæ modo vigentis inſignia, his diebus inde Romam miſſa, ne ea tibi ignota eſſent, hic adijcienda, Lector, exiſtimaui.

* *Diſputationibus cum Græcis.*] Thomam Theologiæ Magiſtrum, Bononien. Eccleſiæ Canonicum ab Eugenio IV. factum in Synodo Florentina adhibitum ſe probaſſe, narrauit Sigonius. In ea Synodo Thomam cum Græcis diſputaſſe, non legi: ex Latinis ſex delecti fuerant, ad diſputandum; duo Cardinales, duo Antiſtites, & duo ex religioſis ordinibus clariſſimi Theologi: quorũ vnũ Ioannẽ de Turrecremata ſacri Palatij Magiſtrum, Theologiæ, & Canonum peritiſſimum iudicauerim; Cardinales fuerunt Iulianus Cæſarinus, & Nicolaus Albergatus, qui ſua liberalitate Thomæ ſtudia fouerat: cum Nicolao Thomas, ante publicas Synodi diſputationes (vt licet conijcere) ſæpe diſſeruit; ſuorúmque ſtudiorum laboribus ei, alijſque pro publica Eccleſiæ cauſſa, præſto fuit.

Loc. cit.

V Concil. Florẽn.

Card. Alberg. Thomã in ſtudijs enutriuit Diui Ant. Loc. cit.

* *Aeneas.*] Ex Platina. Vide lib. 1. Comm. Pij II. cum Baſileenſes refutaſſent conditiones pacis; Aeneas, qui Baſileæ Eugenio obſtiterat, Romam ad Eugenium, pro quo, agnita veritate, pugnauit, à Cæſare miſſus acceſſit; veniámque ab eo petijt; in ſecreto Conſiſtorio, nomine omnium Oratorum Cæſaris, verba fecit, vide Com. Pij II. loc. cit. fuerat autem Aeneas Thomæ amicus.

* *Ad portam Flaminiam .... galeros.*] Ex Platina, de his Cardinalatus dignitate ornatis lib. 1. Comm. Pij II. *Dum Romam perueniunt, vt qui res bene, feliciterque geſſiſſent; ad Cardinalatus eminentiam prouecti ſunt.* Romani Pontificis Cardinalibus creatis purpureos galeros mittere non ſolent, niſi rarò, vide lib. 1. Rituum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ.

Pag. 53.

Sect. 8. cap. 11.

* *3. non. Martij ...... Coronationis inſignia.*] xiv. Kalen. Aprilis Nicolaum V. Corona inſignitum, ſcribit Panuinius in Chronico ſediſſe annos 8. dies 19. idem loc. cit. & Genebr. lib. 4. Chron.

* *Cardinalem Morinenſem.*] Ex Platina in Nicolao V.

* *Ad placandam .... iram .... Letanijs ipſe.*] Hæc mutuatus ex Platina loc. cit.

* *Fridericus Felicem compulit.*] Vide, quæ de hac re in Felice notaui.

* *Annus Iubileus 1450.*] Non Vrbanum V. qui ad annum 33. ſed Clementem VI. qui priùs ad quinquageſimum quemque annum Eccleſiaſtici Iubilei celebritatem reuocauerat, ſequi voluit Nicolaus V. Pauli II. Xyſti IV. Iulij III. verba hunc ſpectantia; quæ, ex eorum Conſtitutionibus in hiſtoria 12. Iubileorum recenſui. Nicolai m. s. Conſtitutionem, qua id ſtatuit, in Vaticano Archiuo olim vidi, illius initium eſt *Immenſa, & innumerabilia, &c.* finis. *Dat. Romæ anno 1448. xiv. Kal. Februar.* Io: de Anania, qui tum viuebat, in opuſculo de Iubileo, nonnulla ex illa recenſuit, & nos loc. cit. Conſtitutiones Clement. VI. vnam, Gregorij XI. alteram in ſua Nicolaus inſeruit; eaſque de fratrum conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine innouauit, firmauit.

Par. 2. fol. 179.

Lib. 5. Bullarum de Curia.

* *Tanta multitudo Romam venit.*] Quanta nunquam antea, aiunt Philippus Bergomas in Chron. & Platina in Eugenio IV. de populo Romam tunc confluente S. Anton. par. 3. hiſt. tit. 22. cap. 12. §. 3. Sabellicus lib. 5. Aenead. 10. Meierus in Annalibus Belgij lib. 16. Pius II. loquens de innumeris hominibus, qui ad D. Andreæ Verticem, ex Græcia allatum, videndum Romam venerant, dixit. [Ex Germania, &c. innumerabiles aduenerant plebes, & viri multi nobiles ſtudio viſendi ſacrum Verticem, adeò vt in Iubileo, qui ſub Nicolao V. ...... celebratus eſt; quem conſtat, fuiſſe maximum, nunquam vna die maior hominum multitudo viſa fuerit.

Lib. 8. Comment.

* *Ducenti homines periere.*] Et tres equi; Platina in Nicolao; de eadem re Card. Aegid. in hiſt. 20. ſecul. Aeneas Syluius in Europa, Volater. lib. 22. Ant. Meierus [Maxima, ait, hominum multitudine Romam confluente, adeò vt mutuo ſe opprimerent, & exanimarent, atque in Tiberim protruderent.

Loc. cit.

* *Stationes quotidie viſiſſent.*] Platina idem omnino ſcribit; ſed videtur incredibile, Pontificem toto illo anno quotidie id feciſſe.

* *Ne graſſatores.*] Ex Platina.

Ioannes de Anania teſtatus eſt, Nicolaum ſæpiùs, ob innumeram fere, hominum Romam confluentium multitudinem, 15. dierum numerum ad minorem redegiſſe: quòd anno 1625. ab Vrbano VIII. ſæpe factum vidimus. Anno 1450. magnum fuiſſe annonæ inopiam Vrbemque grauibus, & periculoſis morbis laboraſſe, fatetur Xyſtus Quintus in literis Canonizationis ſancti Didaci; qui tunc Romæ ægrotis curandis in Monaſterio Aracælitano præpoſitus erat: alterum Seraphici ordinis lumen B. Ioannes Capiſtraneus tum Romæ fuit. Anno 1451. Iubileum à Nicolao vniuerſo Poloniæ regno, Lituaniæque Ducatui, Sbignei Cardinalis Cracouienſis precibus, conceſſum, narrat Matthæus Michouien. tom. 2. Rerum Poloniscarum: nec ſiluit Martinus Cromerus.

Lib. de Iubil.

V noſtrũ lib. ſuperius citatum. L. 22 Rerum Poloniscarum.

* *Venturum ad Vrbem Fridericum.*] Bononia tranſiuit Fridericus, cum anno 1451. Romam coronandus iter ageret. Beſſarion, qui anno ſuperiori Bononienſem legationem obire cœperat, perhonorificè eum excepit, & à Nicolao Perotto, viro erudito familiari ſuo laudari, iuſſit: legi ego m. s. laudationem, dignam laudibus, apud Torquatum Perottum S. R. P. Vrbani VIII. familiarem: cum Perottus finem dicendi feciſſet, Fridericus laurea corona eum donauit: ipſe ſtatim rem verſibus explicauit.

Cinxiſti viridi Cæſar mea tempora lauro,
Ecce meas ornat ſacra corona comas:
Non mea me virtus tali nunc munere dignum,
Sed dulce effecit Principis ingenium.

* *Vt Leonoram Regis Eduardi Luſ. filiam.*] Lib. 1. Comm. Pij II. Leonora Portugalliæ Regis ſoror dicitur, at lib. 1. Rituum S. R. E. filia. Aeneas Syluius, anno 1450. ad Alphonſum Arrago-

Cap. 1. ſect. 5.

num, & Siciliæ Regem, ad quem Luſitani peruenerant, à Cæſare miſſus, vt Leonoræ coniugium peteret; re, poſt quadraginta dies, abſoluta coram Rege, Legato Apoſtolico, Cardinali Morinenſi, nonnullis Ducibus, magnòque Prælatorum, & Comitum numero adſtante, de contrahentium nobilitate, & virtute perorauit: anno exeunte, ad Nicolaum rediјt, in publicòque Conſiſtorio coniugij fœdus initum, & Fridericum, ad ſuſcipiendam coronam, ſequenti anno, Romam acceſſurum, dixit. Leonora, ſequenti anno, nauibus ex Portugallia in Italiam vecta ad Thalamonis portum agri Senenſis, peruentura erat, eam ibi, Cæſaris iuſſu, Aeneas, & Michael Tullendorfius, legatione fungentes, vt ſalutarent, Senàſque perducerent, expectarunt, at illa horridarum tempeſtatum vi diu in ſalo detenta: diuino autem nutu, quo die Imperator Florentiam, eodem ipſa ad Liburni portum acceſſit. ſunt, qui dicant, eam priùs Venetias appuliſſe; vnde Romam Cæſarem, nondum corona auctum conſecutam perueniſſe. Vterque Romam venit, imperatoriamque coronam, & Pontificiam benedictionem accepit.

Ex lib. 1. Comm.

Ex eodem Siue Eleonorâ vide Io. Baptiſtam Pignā lib. 7. de Principib. Ateſtinis.

* *Per portam Caſtelli ingreſſus.*] Fridericus ad Imperium electus, antequam Senis Romam diſcederet, coram Apoſtolicis Legatis, eo iureiurando ſe obſtrinxit, cuius formulam Auguſtinus Patritius, lib. 1. Rituum S. R. E. agens de duobus Legatis a Latere, qui Cæſari Italiam ingreſſo à Pontifice Rom. obuiam mitti conſueuerunt, recenſet. Romæ, & in agro Romano Nicolaus Fridericum, quingentòſque, & eo amplius illius familiares pontificio ære aluit. Aug. Patrit. cap. 2. loc. cit. triumphantis ſpecie Romanorum Rex Romam ingreditur, vide Patritium cap. 3. loc. cit.

Sect. 5. c. 2.

* *Templum Petri introducitur* 1451.] Legendum, 1452. nonnulli putant: vide literas Nicolai de coronatione Friderici tomo 1. Bullar. *Imperator æternus, &c.* Ante fores S. Petri, ſacros Nicolai pedes cum Fridericus oſcularetur, Aeneas Syluius, eius iuſſu, verba fecit; cui etiam iniunctum, vt in petitione coronæ Longobardicæ, in connubij benedictione, cum Leonora, Nicolai ore, Friderico nuberet, & in imperatoria, apud Aram ſancti Petri, coronatione, Cæſaris nomine, ſermonem haberet.

Ex libro 2. Comment. Pij II. an. 20.

* *Imperatoria corona donauit.*] Longobardici Regni coronam Mediolani Fridericus non acceperat; eam ſibi Romæ tribui, à Pontifice poſtulauit: viſæ à me Nicolai literæ m. s. *Summus Regis æterni. Dat. Romæ apud S. Petrum anno* 1451. *xxvj. Kal. April. Pontific. anno* 5. quæ narrant, Fridericum Mediolanum, vt ab illius Archiepiſcopo Longobardico diademate inſigniretur, petere, voluiſſe; ſed quia ibi peſtilentia graſſabatur, Romam, a Nicolao Imperij corona donandum veniſſe, ab eoque Longobardicam etiam, quam nolebat negligere, poſtulaſſe: annuit Pontifex, vt illa Romam deferretur, promiſitque ſe ea illum in Vaticana Baſilica ante Aram maximam, in celebri Antiſtitum, Principum, Procerumque conuentu, inter miſſarum ſollemnia, cum omnibus iuribus, & honoribus, &c. donaturum; defectùſque qui ratione loci, ſedis, perſonæ, potuiſſent accidere, ſanauit: iura autem, & conſuetudinem Regni Lombardiæ, & Archiepiſcopi Mediolanenſis firma eſſe, voluit.

De fratrū cōſilio, & aſſenſu id fecit Nicolaus V.

De Imperatoria corona loquitur idem Nicolaus, literis *Imperator æternus, &c.* quas in hiſtoria Rom. Pontiff. Bononiæ cuſa refert Franciſcus Ioannetius, & L. Cherub. to. 1. Bullar. anno 6. Pontific. eius, xiv. Kal. Aprilis ſcriptis. *Filius Noſter chariſſimus,* Fridericus, *ad honorem S. R. E.* ait Nicolaus, *& ſacri Imperij decus, victoria vnctionem, & imperiale diadema ab ipſa Eccleſia Romana ſuſcepturus, noſtro ſe conſpectui præſentauit, & illa per manus noſtras, ſibi impendi, humiliter ſupplicauit.* Rem cum Cardinalibus Nicolaus diligenter diſcuſſit, eorumque conſilio, imperiali dignitati Fridericum idoneum declarauit, electionem probauit, a Franciſco Portuenſi Epiſcopo inungi, iuſſit; & dignitatibus collatis petita corona decorandum cenſuit; hominibus autem Imperio ſubiectis præcepit, vt coronato Cæſari obſequerentur. obſerua, electus in Romanorum Regem ſupplex Pontificem obſecrat, vt Imperij coronam tribuat, 2. Pontifex dignum repertum eo honore dignum declarat, 3. electionem probat, 4. vnctione, & corona honeſtat, 5. Subditis præcipit, vt illi obediant. Innoc. III. Ius, aiebat, *& auctoritas examinandi perſonam electam in Regem, & promouendam ad Imperium, ad nos ſpectat, qui eum inungimus, conſecramus, & coronamus, &c.* poteſtas eligendi Regem in Imperatorem coronandum, qua Imperij Electores ſunt præditi, ab Apoſtolica ſede ad eos manauit. Vide Innoc. loc. cit. & literas Alberti Imp. ad Bonifacium Octauum cap. 9. Opuſculi Iac. Gretſeri de munificentia Imperatorum, Regum, &c. in ſedem Apoſtolicam: quarum partem recenſui in Notis ad Bonifacium VIII.

Cap. venerabilem de elect.

* *Ob Ladiſlaum.*] Vide Com. Pij II. lib. 1. ſac. 17. Platinam loc. cit. ex quo Ciaconius. De Ladiſlao Hungariæ Rege, Romam cum Friderico Imper. profecto, Io. Baptiſta Pigna lib. 7. de Principibus Ateſtinis: Duodecimum agebat annum Ladiſlaus, cum à Friderico Romam ductus, vide lib. 12. Comm. Pij II. Eliſabeth Sigiſmundi Imper. filia, & Alberti Auſtriæ Ducis, Regiſque Hungariæ, & Boëmiæ, & deinde Imperatoris vxor, vterum gerebat, cum Albertus vir obijt; paulò poſt filium peperit, Ladiſlaum vocauit, baptiſmo donatum ſtatim Alba regali, ex priſco more, coronari præcepit; & ſine mora, cum corona, Sancta appellata, Friderico Auſtriæ Duci, patrueli, nutriendum, ſeruandumque miſit; verebatur enim, ne, Polono Rege adueniente, interceptus necaretur. Hunc Fridericus, ad Imperium electus Romam ſecum duxit.

Ad annū 1452.

Ex lib. 12. Cō. Pij II.

* *Duci Ferrariæ donauit .... Mutinam, & Regium.*] Borſius Ateſtinus Ferrariæ Dux non erat: Paulus II. nonnullis poſt annis, eundem magni animi Principem Ferrariæ Ducem Romæ creauit. Fridericum in patriam redeuntem Borſius Ferrariæ regijs ſumptibus, cultuque excepit; hunc ille medio in foro, in ſuggeſtu imperatorio, ornatu imperatorio excultus, eoque diademate, quo, ante 60. dies, Romæ à Nicolao Pontifice redimitus fuerat, inſignitus Dominicæ Aſcenſionis die, Mutinæ, & Regij Ducem, Rodigijque Comitem creauit; Io. Baptiſta Pigna teſte, lib. 2. de Princip. Ateſtinis; idem paucis indicatur lib. 1. Comm. Pij II. Friderico in patriam eunte, coniux Leonora Neapolim ad Alphonſum Regem contendit.

Platina in Paulo II. Pigna lib. 8 hiſtoriæ Principum Ateſtinis.

An. 1452.

* *Stephani Porcarij.*] Ex Platina in Nicolao V.

Pag. 21.

* *Conſtantinopolim captam.*] De eadem re Platina loc. cit. & Card. Aegidius in hiſt. 20. ſec. Chalcondilas, lib. 8. de Rebus Turcicis, Comm. Pij II. lib. 1. & lib. 12.

* *Capta xiv. Kal. Iunij.*] Alij jv. Kal. Iulij 1453. Vide Chalcocond. loc. cit. anno 1452. captam à Turcis nouam Romam, cenſuit Sabellicus lib. 6. En. 10. 54. obſidionis die captam, quidam aiunt; Pius II. lib. 1. cit. *tredecim oppugnatam diebus,* ait, *expugnant, capiunt, diripiunt, Imperatorem gentis .... interficiunt, omnem, fere, nobilitatem obtruncant, plebem in ſeruitutem redigunt .... S. Sophiæ Templum, cunctaſque .... Baſilicas ſpurcitijs fœdant Mahometeis.*

* *Græci verò .... neque receperunt.*] Orientales omnes Epiſcopos (vnum excipe pertinacem Marcum Epheſium, cum quodam eius familiari Georgio Scholario) agnitam in Synodo Florentina veritatem ſuſcepiſſe, verè docuit Iconij Archiepiſcopus, vir doctiſſimus, in erudita epiſtola ad Lectorem, ante explanationem quinque capitum definitionis eiuſdem Synodi ab eo vernaculo Græcorum ſermone donatam, Romæque editam.

1618.

* *Nicolaus ſine tædio.*] Ex Platina, à quo non diſſenſit Cardinalis Aegidius loc. cit.

* *Laudatur.*] Vide Platinam, Card. Aegidium, Franciſcum Philelphum, & his antiquiorem S. Anton. par. 3. hiſt. tit. 22. cap. 12.

* *Nicolaus Perottus vertit Polybium.*] Iuuenis erat Nicol. Perottus Saxoferratenſis, claro ortus genere, cum Polybium latinitate donauit: fuit is deinde eruditiſſimi Card. Nicæni familiaris, quem veris laudibus celebrauit, & cuius vitam, deſideratam tamen, fuſe conſcripſit: alia ex Græcis fontibus ad Latinos idem tranſmiſit; quæ ego apud Torquatum Perottum maiorem Vrbani VIII. Pontificis Cappellanum, & Cubicularium intimum, necnon alia eiuſdem Sipontini Archiepiſcopi opera, Martialem præcipuè calamo ab ipſo exaratum, & eruditis ſcholijs illuſtratum, m. s. aſpexi.

Ep. ſtola ad Petrum Poſcarum.

* *Cum adhuc ars Impreſſoria incognita.*] Io. Cuthenbergus imprimendi artem primus excogitauit; Contradus quidam Germanus Romam attulit an. 1458. Polyd. Virg. teſte, V. Geneb. l. 4. Chrō.

Lib. 2. c. 7. De inuēt. rerum.

* *Aedificauit.*] Ex Platina. Aquas Caias, morborum expultrices, in agro Viterbienſi, Hetruſcarum omnium aquarum, Strabonis ſententia, clariſſimas, ædificijs auxit, & commodas effecit. Cardinalis Aegidius Viterbienſis in hiſtor. 20. ſec.

* *Eleemoſynas quoque.*] *De cuius* (Nicolai) *liberalitate commendanda, prædicandaque* (ait Cardinalis Aegidius) *non mimi, non lenones, non gladiatores, non ſcurra, non monſtra vlla hominum; ſed veri docti, pauperes, pupilli, virgines data nuptui, defenſa vidua, inſtaurata mœnia, refecta Templa, & omne genus hominum egentium, afflictorumque teſtabant.*

* *Neque officium .... vendiderit.*] Plat. & Card. Aegid. l. cit.

* *B. .... Bernardinum.*] Literæ Canonizationis, *Miſericordias Domini, &c.* extant in 1. part. Bullar. ſcriptæ anno 1450. jx. Kalen. Iunij.

* *Studia literarum fouit.*] Audias, quæſo, Card. Aegidium. *Hic* (Nicolaus V.) *veros doctos ſui temporis, quotquot inuenit, toto Pontificatus ſui tempore in Libris conquirendis, exſcribendis, interpretandis exercuit, nemineque qui aliquid librorum, aut inueniſſet, ſolertia, aut ingenio elaboratum edidiſſet, indonatum abire, paſſus eſt: quamobrem tantum bonorum ingeniorum numerum excitauit, & in literarum certamen adduxit; vt primus auctor fuerit, his temporibus, eloquij, & eruditionis.* S. Anton. hunc ad apicem Phyloſophiæ, & Theologiæ perueniſſe, facundiſſimum, & eloquentiſſimum extitiſſe, & multa Librorum millia coemiſſe, teſtatus eſt. De Apoſtolica Bibliotheca diſtincta, & aucta à Nicolao V. & a Xiſto IV. locupletata, à Xiſto V. ornata, Ang. Roc. Epiſcopus Tagaſten. quam deinde Paulus V. Gregorius XV. & Vrbanus VIII. Rom. Pontifi. amplificarunt, exornarunt.

Loc. cit.

De Bibliothec. Vaticana.

* *Academiam Pariſienſem.*] Noluit Ciaconius indicare Maſſonium, ex quo hæc mutuatus eſt. Hanc Academiam a Carolo Magno, Alcuini præceptoris conſilio, erectam, ferunt. Vide Middendorpium lib. 3. De Academijs.

Ad A. Domini 791.

* *Treuiċi ſtudium.*] Fortaſſis Typographi mendum irrepſit: Treuicenſe ſtudium à Nicolao inſtitutum apud alios non legi. De Treuirenſi Academia auctorem loqui, non iudico: ea enim Academiarum omnium Germaniæ antiquiſſima exiſtimatur, Middendorpio teſte: Friburgi Briſogiæ ab Alberto Auſtriaco, anno 1450. vel

Loc. cit.

vt quidam putant, 1460. Academiam fundatam, narrat, loc. citato Middendorpius.

* *Lunenſis Epiſcopatus ſedem ad eos tranſtulit.*] Id à Xiſto IV. factum, aiunt alij neſcio (vt audiui) qua ratione ducti id ſenſerint.

* *Pro inſignibus ...... vſus eſt Clauibus Pontificijs.*] In ipſa ſcutata parma duarum Clauium imagines extare, voluit Nicolaus; vt videre erat Romæ ad Triuij fontem: in aliorum ſummorum Pontificum ſcutarijs parmis gentilitia ſtemmata, ſupra illas Claues, inter has Pontificia tiara eminens conſpiciuntur.

De vita, & moribus ſapientiſſimi, & ſanctiſſimi Pontificis Nicolai libellum ſcripſerat Fráciſcus Philelphus; quem non reperiri, exiſtimo: eum ille à Blaſio Giglino, cui commodo tribuerat, repetijt, lib. Epiſtolarum 13. nonnulla attigit, epiſtola ad Calliſtum III. Panutnius elogium edidit; Poggius orationem ſcripſit. Poſt Eugenij funus, Nicolaus, Thomas tunc, orationem ad Cardinales habuit, & qualem in ea Pontificem exoptauit, talem ſe præbuit. Pompeius, raro exemplo, ante tempus triumphauit, Nicolaus maiori, & difficiliori, vno, eodémque anno Epiſcopus, Cardinalis, & Romanus Pontifex fuit. Pontificatum ipſe, & Fridericus Imperator ex ſomnijs coniectarunt; alter alteri ſomnium narrauit: agnouerat hic in Germania Thomam, pro Pontifice legationem obeuntem; corona Imperij ab eo iam Pontifice, donatus, dixit, *cum Vienna à me receſſiſti, vidi per quietem, me Romam acceſſiſſe, à Te autem corona inſigniri, mirabar: ſomno correptus non bene me coronatum opinabar; cum id non Romanus, ſed Bononienſis Antiſtes feciſſet: experrectus ſomnium ſpreui: at cum Te Cardinalem, & Pontificem creatum intellexi, futurum credidi, quod ſomniaueram.* Cui Nicolaus: *Qui populis præſunt, ſæpe vera ſomniant: ego quoque nocte poſtquam Eugenio mors accidit, dormiens vidi Eugenium Pallio, & Tunica, quæ ſe ipſum exuerat, me veſtire, & Mitra Pontificia, quam ſibi demiſerat; meum verticem ornare, manúque apprehenſum ad hanc ſedem ducere, dicentem etiam mihi audire videbar, Sede hîc: ego ad S. Petrum ibo. Ille ſequenti die obijt, corpus ad S. Petrum delatum eſt; anima glorioſi prædeceſſoris, forſitan, ſempiterno fruitur æuo; ego poſt 12. dies, ad ſummi Apoſtolatus decus euehor. Deum aliquando, miniſtris Angelis, hominibus per quietem aliquid patefacere, docuit veriſſime Angelicus Doctor, Doctorum Theologorum mirus Magiſter.*

Refertur hæc lib. 1. Comment. Pij II. loc. 20.

2. 2. q. 95. ar. 6. Vide etiam Petr. de obſer. ſomn. Lib. 13. Epiſtolarũ.

Nonnulla digniſſima, quæ legas, & mediteris, lector, de nobiliſſimo, & ſanctiſſimo Pontifice Nicolao ad Calliſtum III. ſcribit Frãciſcus Philelphus: eorum partem afferri, boni conſules, & gratiam habebis afferenti.

Nicolaus in omnibus ſuis actionibus aſſiduè Deum præſeferebat. Suorumque omnium oblitus commodorum, referebat omnia ad dignitatem, & amplitudinem Romani Pontificatus, intelligebat, non ſolum duo eſſe viuendi genera, alterum contemplatiuum, alterum actiuum; ſed curſus actionum alias eſſe bellicas, alias vrbanas: quid quid temporis ab intelligentia rerum admirabilium, atque Diuinarum ſupererat, id omne ita ad virtutes bellicas transferebat, vt vrbanas a ſe nunquam reijceret; & has tantummodo iam ad Dei, & Chriſtianæ religionis dignitatem, & gloriam, parabat magno conatu, & viribus bellum aduerſus Turcos ...... belli nummos, hoc eſt pecunias, & ab alijs comparabat, & ſuis ipſe non parcebat: intelligebat enim, omnia oportere eſſe communia pro Chriſto Ieſu: claſſem ornabat ingentem ...... neque tamen hæc dum ageret, literarum, & humanitatis ſtudia à quotidiana ſua conſuetudine aliena faciebat: ſed ſciens, ſi virum, qui Diuinum in terris ſolium regeret, ... omnem in ſe hominis excellentiam repræſentabat, vt non minus in omni vitæ actione, quam in vniuerſa intelligentia ſtudio reliquis mortalibus præſtaret, (& paulò ante) *Quantum ſibi gloriam comparauit Nicolaus V. cum ad cæteras virtutes ſuas, vitæque ſanctimoniam tanta eruditione, tanta ſapientia polluit; vt omnibus benefaceret, omnes ad ſe accerſeret, quos vlla, vel ingenij, vel doctrina præſtantia inſignes eſſe audiret? Videmus vnius eius optimi, ſapientiſſimique Pontificis, vel diligentia, vel munificentia id eſſe factum, infinita pene Græca volumina, quæ noſtris hominibus erant ignota, de rebus maximis, atque clariſſimis à Græcis Phyloſophis, Hiſtoricis, Oratoribus eleganter ſcripta in Latinum eſſe traducta ſermonem, idemque factum de libris Theologicis, atque Mathematicis ...... Qui poſt Vrbis Conſtantinopolitanæ captiuitatem ...... Nuncios ſuos, & negociatores clam miſit per vniuerſam illam, & Europam, & Aſiam, quæ Turcis paret, ad conquirendos, emendoſque Græcos Codices, nulli neque labori parcens, neque impenſæ ...... innumerabilia prope volumina ingenti etiam pretio aduecta ſunt in Italiam: itaque iure optimo dici, poteſt, non periiſſe Græciam, ſed in Italiam, quæ olim Magnagræcia dicta eſt, vnius eius Nicolai Pontificis clementia commigraſſe. Miſit etiam quam plurimos cum ingenti pecunia per Europam vniuerſam, qui vbique diligenter odorarent; ſi quid Latinæ grauitatis, & elegantiæ vſquam lateret, idque nullius pretij eſtimationem habentes ...... ad ſe deuehendum curarent.* Euangelium S. Matthæi Hebraicum, qui ſibi attuliſſet, Nicolaus quinque ducatorum millia pollicitus fuerat. Io: Ekius ſerm. de S. Matthæo, Genebrard. lib. 4. Chronog. excidium Conſtantinopolis Græcis prædixit; ei autem, ante Cardinalatum, Cardinalis Albergatus in quiete apparens, iuſſit, vt parceret lacrymis, & ſummum

Cochlæus in Hiſt. Huſſ. (margin: ...nulter. in ...ab. Chró.)

A num Pontificatum prænunciauit. *Pone lacrymas, te collige; Nobis enim bene eſt, benig. itate Ieſu ...... ſurge, atque accingere, ad breue enim tempus graue tibi ſubeundum eſt munus Petri Nauicula gubernanda.* D. Antoninus part. 3. hiſt. tit. 22. cap. 12. Nicolaum V. amatorem quietis, & pacis Eccleſiæ appellauit: Cardinalis Aegidius omnia illum inania duxiſſe, (quæ pereunt) vni virtuti, boniſque artibus comparandis operam dediſſe, ſempérque pietatem diuinis, virtutem, religionem auro, & rebus humanis omnibus antepoſuiſſe: de illius autem modeſtia, & humilitate hæc tradidit. *Tanta modeſtia, & pudore præditus, vt, Pontifex deſignatus, cum omnes ad eius pedes adorandos iacerent, ipſe ad eorum ſe pedes iecit, orans, obteſtanſque, vt alio ſe conuerterent, aptiorem quærerent, Eccleſiæ commodis, ſapientiuſque conſulerent. Vix Cardinalis Tarentinus cum omnium nomine, compulit Spiritui ſancto non reſiſtere, humo ſurgere, & pedem, de more, oſculandum præbere. Quod obiter dum*

Obitus Card. Albergatus.

Philippus in oratione ad Xiſtum Sigõ c. 12. vitæ Card. Albergati. Loc. cit. Loc. cit.

B *fecit, nunquam quiuit a lacrymis temperare.* Ianus Vitalis quoque cognitam Nicolai virtutem his carminibus in poëticam lucẽ eduxit.

Nil tu fortunæ, virtuti at omnia debes,
Hæc hominem excepit, fecit & illa Deum.
Sarzanam hæc patriam dedit, exiléſque parentes,
Romanum illa tibi tradidit imperium.

Cochlæus lib. 7. hiſt. Huſſit.

Eam celebrauit Ladiſlaus Boëmorum, & Hungarorum Rex, eleganti oratione.

Idem Nicolaus Pacta inita inter Fridericũ Imperatorẽ Principéſque Germaniæ, & Ioannem ſancti Angeli Diaconi Cardinalis ſedis Apoſtolicæ Legati de Latere in ea regione firmauit. *Ad ſacram Petri, &c.* anno 1447. Kalen. Aprilis. Conſtitutionem edidit contra Chriſtianos mittentes, vel deferentes arma, & victualia, &c. ad Sarracænos. *Olim iam in Generali, &c.* Dat. apud Vrbemueterem x. Kalend. Septemb. Pontificatus anno 4.

To. 1. Bullarij.

C Nicolaus cum aliquando Fabriani eſſet, generali Silueſtrinorum indulſit, vt Mitra aurata, Annulo, alijſque Pontificijs inſignibus vti poſſit; ac in Cœnobio ſancti Benedicti Montisfani eiuſdem ordinis, & Fabriani, Camerinen. Diœceſis poſt Miſſarum, & aliorum diuinorum ſollemnia, populum ſollemni benedictione cumulare, dum Epiſcopus Camerinenſis, aut aliquis Apoſtolicus Legatus non interſit. Anno 1449. die 3. Nouemb. literas ſcripſit Stephano Generali ordinis Silueſtrinorum.

Expoſuit tax ſen... nomis ſacerdotum, &c.

Nugas Pleſſæanas contra Nicolaum perbellè redarguit, refellitq; Gretſerus cap. 64. Exam. Myſt. Pleſſæan. Falsò dixit Pleſſæus, captam à Turcis Conſtantinopolim, quia Nicolaus peritas à Græcis militum, & nummorum ſuppetias non miſit. Voluit Pontifex milite, & claſſe Græcis auxilium ferre; at adeò repentina fuit inuaſio, & expugnatio nobiliſſimæ Vrbis; vt vix licuerit de ſuppetijs mittendis cogitare. Diuinorum iudiciorum abyſſum quis ingredi poteſt? poterant, ſi voluiſſent, ſe ipſos Græci iuuare: audi D. Antoninum, cuius verba, per dolum, non integrè recitauit Pleſſæus, *non placebat Nicolao Italiam exhauſtam nouis exactionibus grauare; maxime cum eos (Græcos) ſciret, ſe ſuis pecunijs poſſe iuuare, ſi exponere vellent, conducendo gentes; ſed nudati omni amore, Reipublicæ, & tantum priuata eis ſua conſeruanda intenti, in hoc inciderunt iudicium, vt victi, & capta Ciuitate, ſerui effecti eos priuatas ſuas, & publicas perdiderint, & quod habuiſſent modum, ſi voluiſſent ſua exponere; patuit; quia magna diuitia, & theſauri reperti ſunt apud plures perſonas, etiam mulieres; ſed cupiditas excæcauit eos.*

Vide Platinam.

De Nicolao nonnulla Aeneas Syluius de Statu Europæ, Garimbertus lib. 1. cap. 1. lib. 2. cap. 3. 5. lib. 5. cap. 1. Io: Cochlæus lib. 7. hiſtor. Huſſit.

Ludouicus Comes Palatinus Bauariæ Dux præſtantiſſimus, ſacri Imperij Princeps, & Elector Nicolao V. obedientiæ penſum reddidit: idem factum ab Othone, & Stephano Palatinis Comitibus, Regni Bauariæ Ducibus, & ab alijs nonnullis; vt Nicolaus ipſe, literis, *Ad perpetuam rei memoriam. Decet ſedis Apoſtolicæ prouidentiam, &c.* anno 1447. Prid. non. Nouemb. narrauit.

Ex Archiuo Vaticano Damm 2.6. apud S. Petrum.

Ladiſlaus Boemiæ, & Hungariæ Rex, mirum in modum eundem Nicolaum veneratus eſt, oratione egregia, quam adoleſcentulus, Fridericum III. ad diadema imperatorium ſuſcipiendum Romam accedentem ſequutus, ipſo audiente, habuit: eam retulit, lib. 11. hiſt. Huſſit. Cochlæus: narrat pius Rex; Nicolaum à primis annis cæleſtem vitam ſemper exegiſſe, per innumeros caſus, per varia itinera, ætatem omnem, pro ſanctiſſima Chriſti Ieſu religione, in maximis laboribus, & in omni rerum difficultate contriuiſſe; liberales omnes artes, ſcientias omnes, præcipuè verò ſacrarum literarum doctrinam, F in illius pectore domicilium habuiſſe: verbáque illa, ſuæ pietatis argumenta clariſſima, Boemos, & Hungaros ad Apoſtolicam ſedem ſubmiſſo poplite, venerabundóque animo ſuſpiciendam, & colendam inflammantia, protulit. *Tuam ſanctitatem, atque Domini noſtri locum tenentem in terris, & Magiſtrum, & Ducem vniuerſalis Eccleſiæ recognoſcimus omnes, Te certum, & indubitatum B. Petri Succeſſorem, Te Paſtorem Dominici gregis, Te ſanctorum Euangeliorum verum Interpretem, Te Doctorem ſalutaris vitæ; Te denique Clauigerum Regni Cæleſtis profitemur.* Pius II. magnifecit, celebrauitque Nicolaum, ab eo, nondum Pontifice, auxilium, ad veritatem agnoſcendam, ſibi allatum, his verbis, faſſus eſt. *Ad quam rem non parum luminis nobis attulit Thomas Sarazanus Theolo-*

In retract. to. 1. Bul.

gica ſapientia celebratus, & acutiſſimus interpres, qui poſtea, in ſummo collocatus Apoſtolatu, Nicolai V. nomen accepit.

Nonnullas Nicolai V. inſcriptiones ex eruditi amici Martij Mileſij Sarazanij, à quo etiam oſtenſum mihi Nicolai vetus pulcherrimum numiſma, collectione, & fide, prætermittendas non putaui.

In Fonte Triuij.

NICOLAVS V. PONTIFEX MAXIMVS
POST ILLVSTRATAM INSIGNIBVS MONVMENTIS VRBEM
DVCTVM AQVÆ VIRGINIS VETVSTATE COLLAPSVM
SVA IMPENSA IN SPLENDIDIOREM CVLTVM
RESTITVI ORNARIQ. MANDAVIT
ANNO DOM. IESV CHRISTI MCCCCLIII.
PONTIFICATVS SVI VII.

In Aede ſancti Stephani in Cœlio monte.

ECCLESIAM HANC PROTOMARTYRIS STEPHANI
DIV ANTE COLLAPSAM
NICOLAVS V. PONT. MAX.
EX INTEGRO RESTAVRAVIT MCCCCLIII.

Ad D. Petri in Sacello D. Thomæ olim extabat.

IOANNI POGII EPISCOPO BONONIENSI
IVRIS CONSVLTVS DOCTISSIMVS
ET SANCTISS. NICOLAVS V. PONT. MAX.
SACRVM FIERI IVSSIT.

Apud S. Mariam Maiorem.

IACOBO PRAEPOSITO ATREBATENSI ET ARCHIDIACONO TRECENSI NICOLAVS V. PONT. MAX. OB SVMMAM OMNIVM QVAS COMMENDAVERAT EI RERVM SVARVM CVRAM ET DILIGENTIAM SINGVLAREMQ. AC LONGO TEMPORE PERSPECTAM EIVS ERGA SE FIDEM BENE MERENTI FECIT.

Noſſe potuit Nicolaus V. B. Ritam, Sanctimonialem Auguſtinianam, miraculis illuſtrem, cui Vrbanus VIII. P. M. anno 1627. die 11. Octobr. ſacros Eccleſiæ honores in Spoletana Diœceſi, & apud Auguſtinianos, Fauſto Polo Caſcienſi Pontificiæ Domus Magiſtro, & Baſilicæ Vaticanæ Canonico poſtea Cardinales inter alios, preces, & diligentiam adhibente, conceſſit, ea enim, anno 1457. xij. kalen. Iunij, migrauit in Cælum. Antonius Barberinus, excelſi animi adoleſcens, Franciſci Cardinalis Barberini, pij, doctique viri, frater, ante paucos menſes ab eodem ſanctiſſimo Pontifice Vrbano Purpura honeſtatus, & Sanctimonialium B. Ritæ Protector, hoc anno 1628. xvij. Kal. Auguſti, ſummo Pontifice non inuito, Romæ, in D. Auguſtini Aede, iuſſu, impenſàque ſua, ſplendido, ac diuite ornamento decorata, ſanctam Viduam inſigni veneratione honorauit. Interfuit Purpuratorum patrum Senatus ſollemni ſacro, admiranda fœmina egregio panegyrico celebrata, populus, qui frequentiſſimus aduolauit, à Pontifice maximo ſpiritalibus donis cumulatus. Antonium Barberinũ Cardinalem celebritati præfuiſſe, dixens.

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI
SOCIETATIS IESV.

Thomæ parentes. Ferdinand. Vghell. in Ital. ſac.

THOMAS non ex ignobili familia, quæ Lucana dicebatur, vt ſcripſit Panuinius, ſed ex honeſta Parentucella in Vrbe Sarzanenſi natus, Bartholomęum profeſſione Medicum, & Andreolam Calderinam in parentes habuit, vt dictum eſt ſupra. Iacet Nicolai mater in Cathedrali Sarzanenſi cum hac ſepulchrali Inſcriptione.

Matris Thomæ Epitaphiũ.

ANDREOLÆ DE CALDERINIS QVÆ NICOLAVM V. PONT. MAX. SEDEN. ET PHILIPPVM CARD. BONONIEN. MAIOREM POENITENTIARIVM EX SE NATOS ROMAE MATERNO AFFECTV SALVTAVIT. SPOLETI MORIENS EIVSDEM CARD. PIETATE IN PATRIAM DELATA HVMILI HOC TVMVLO FELIX TANTA PROLE QVIEVIT. VIXIT ANNOS LXXX.
OBIIT ANNO MCCCCLI.

Et patruelis.

In eadem Eccleſia ſunt item oſſa Ioannis Petri Parentucelli, Nicolai V. patruelis cum ſequenti Epitaphio.

IO. PETRO PARENTVCELLO SAC. LATER. PALATII COM. PATRVELI NICOLAI V PONT. MAX. QVO SEDENTE NARNIAM VRBEM VIII. ANNOS SVMMA AEQVITATE ET CIVIVM GRATIA GVBERNAVIT. ANNOS L. NATVS DECESSIT III. KALEND. IANVAR. MCCCCLXIV. ANT. MARIA LVNEN. ET SARZ. EPISCOPVS IACOB. BARTHOL. ET FRANCISCVS OPTIMO GENITORI EIVSQVE POSTERAE PARENTVCELLORVM FAMILIAE. P. P.

Carol. Sigonius de Epiſc. Bononien.

Thomas hic Magiſter Theologiæ, & Canonicus Eccleſiæ Bononienſis factus, multis ab Eugenio Romano Pontifice adhibitus ſe probarat: quo factum eſt, vt Eccleſia Bononienſe dignum exiſtimarit, atque has ad eum literas v. Kalen. Decembris dederit.

Fit Præſul Bononienſis.

Eugenij literæ ad Thomam Sarzanenſem.

EVGENIVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Dilecto filio Thomæ de Sarzana Electo Bononienſi ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Dudum prouiſiones Cathedralium Eccleſiarum omnium apud ſedem Apoſtolicam tunc vacantium, & in antea vacaturarum ordinationi, & diſpoſitioni Noſtræ reſeruauimus, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Et deinde Eccleſia Bononienſis cuius regiminis bonæ memoriæ Nicolaus tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalem Presbyter Cardinalis ex conceſſione, & diſpenſatione dictæ ſedis etiam Bononienſis Epiſcopus exiſtens, dum viueret præſidebat, per obitum dicti Cardinalis, & Epiſcopi, qui apud ſedem præfatam debitum naturæ perſoluit, paſtoris ſolatio deſtituta. Nos Eccleſiam ipſam ſic tunc vacantem dilecto filio Noſtro Ludouico titulo S. Laurentij in Damaſo Presbytero Cardinali Camerario Noſtro per eum, vſque ad certum tunc expreſſum tempus tenendam, regendam, & gubernandam per alias Noſtras literas duximus commendandam. Cum itaque hodie præfatus Ludouicus Cardinalis poſſeſſione regiminis, & adminiſtrationis bonorum eiuſdem Eccleſiæ per ipſum non habita ex certis rationabilibus cauſis ad id animum ſuum mouentibus, Commenda huiuſmodi in manibus Noſtris ſponte, & libere ceſſerit, Noſque ceſſionem ipſam duxerimus admittendam; ac propterea Commenda ceſſare, nec non Eccleſia huiuſmodi adhuc, vt præfertur, vacare noſcatur. Nos ad prouiſionem eiuſdem Eccleſiæ celerem, & felicem, de qua nullus præter Nos hac vice ſe intromittere potuit, ſiue poteſt, reſeruatione, & Decreto obſiſtentibus ſupradictis ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis, paternis, & ſollicitis ſtudijs intendentes; poſt deliberationem, quam de præficiendo dictæ Eccleſiæ perſonam vtilem, & etiam fructuoſam, cum fratribus Noſtris habuimus diligentem, demum ad Te Canonicum Bononienſem, Magiſtrum in Theologia, Subdiaconum Noſtrum, in Sacerdotio conſtitutum, cui apud Nos de vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium prouidentia, & temporalium circumſpectione, alijſque multiplicium virtutum donis, fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos mentis Noſtræ. Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona Tua Nobis, & eiſdem fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ de ipſorum fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica prouidentes, Te illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in Spiritualibus, & Temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias, & largitur præmia, confidentes, quod dirigente Domino actus tuos, præfata Eccleſia per Tuæ circumſpectionis induſtriam, & ſtudium fructuoſum regetur vtiliter, & proſpere dirigetur, grataque in eiſdem Spiritualibus, & Temporalibus ſuſcipiet incrementa, &c.

Ciuitas Bononienſis Thomam in Epiſcopum recipit.

Quare accepta Ciuitas Bononienſis non ſecus huius, ac ciuis ſui honore lętata hominem non ſolùm non auerſata, ſed etiam omnibus editis lętitiæ ſignis eſt, amplexa. Thomas inde ſolemni ingreſſu in Epiſcopium facto, Eccleſiam ſumma adminiſtrare modeſtia cœpit; verùm maioribus in dies in ſe congeſtis abſtractus honoribus, huic vacare laudi non potuit diu. Nam Eugenius ipſum ad ſe accitum, Legatum in Germaniam ad infirmandum Baſileenſe Concilium miſit, atque inde redeuntem, Presbyterum Cardinalem tituli S. Suſannæ conſtituit, eique ad portã Flammiam galerum obuiam miſit: vnde ille 5. Idus Ianuarij has ad Canonicos Bononienſes literas dedit.

Mittitur Legatus in Germaniã.

Renunciatur Presb. Card.

Thomæ literæ ad Canonicos Bononienſes.

Thomas tituli ſanctæ Suſannæ Cardinalis Bononienſis.
Venerabilibus Fratribus Canonicis Eccleſiæ Bononienſis æternam ſalutem, & pacem.

Venerabiles, & dilectiſſimi fratres. Placuit ſanctiſſimo Domino Noſtro, cum nuper ex Alemannia, & Gallijs Deo concedente rediuimus in perſonam Noſtram honorare Bononienſem Eccleſiam, & Nobis in eodem titulo Epiſcopali, & adminiſtratione eiuſdem Bononienſis Eccleſiæ permanentibus, aſſumpſit exiguam perſonam Noſtram in S. R. E. Presbyterum Cardinalem. Quod licet in veſtram notitiam perueniſſe credamus, voluimus tamen Noſtris literis intimare, vt ſciatis quis honor ab Apoſtolica ſede Bononienſi Eccleſiæ tributus ſit, qui licet in perſonam capitis videatur impoſitus, tamen & à membris totius corporis non eſt alienus; poſſitiſque Deo omnipotenti, cuius diſpoſitione, & prouidentia res humanæ diriguntur, debitas gratias reddere; ac ipſi ſupremo Paſtori, qui eius vices tenet in terris, orationum ſuffragia porrigere, vt diuina diſponente gratia, ea ſemper efficiat, quæ ad Dei, Eccleſiæque ſuæ honorem, gloriamque proficiant. Bene valete, & pro Nobis pariter orate ex Roma die 9. menſis Ianuarij milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſeptimo.

Ad ſummum Pontificatum aſcendit. Nicolai literæ ad Canonicos Bononienſes.

Neque ita multò poſt idẽ Eugenio mortuo, ad ſupremã dignitatis in Eccleſia euectus, ſeſe NICOLAVM huius nominis V. vocauit, quòd ipſe ſubitò his literis Canonicis Bononienſibus ſignificauit.

NICOLAVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Dilectis filijs Capitulo Eccleſiæ Bononienſis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Significamus Vobis ad Veſtram conſolationem, Nos à Venerabilibus fratribus Noſtris S. R. E. Cardinalibus die ſexta præſentis menſis ſummum Romanum Pontificem concorditer fuiſſe electum. Quod licet ſit grauiſſimum onus humeris Noſtris, tamen confiſi de miſericordia Altiſſimi accepimus pondus iniunctum Nobis. Velitis igitur Deo gratias agere, & pro Nobis preces effundere, vt aſſiſtat Nobis ſua gratia, & miſericordia ad regimen Eccleſiæ ſuæ ſanctæ. Datum ſub media Bulla Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſeptimo, die octaua menſis Martij, tertia vero poſt Noſtram ad apicem ſummi Apoſtolatus aſſumptionem.

Lætitiæ ſigna data à populo Bononienſi.

Quibus literis lectis, continuò Clerus, ac populus nihil eorum privatim, ac publicè prætermiſit, quibus declarari in eiuſmodi re, ſumma voluptas animi, ac lætitia poſſit; ac ſolemni pompa gratias Deo ampliſſimas egit. Singulis Canonicis pro noua toga facienda viceni floreni tributi; Tabellario, qui has literas detulit, ducenti aurei numerati. Cùm autem xiij. Kal. Aprilis tres Romam ad ipſum orandum Canonici deceſſiſſent, vt aliquem ex corpore ſuo Epiſcopum ſubrogare inſiſterent, literæ x. Kal. ab illo venerunt, quibus ſignificabat, ſe Eccleſiam Ioanni de Podio deſtinaſſe, qui ciuis, Iuriſconſultus, & Canonicus Bononienſis erat. Quo nuncio accepto populus gaudio incitatus, iterum per triduum ſub ſacris Vexillis ad gratias Deo agendas proceſſit; & miſſis Romam Legatis, inſignibus libertatis retentis, Eccleſiæ ſe fidele obſequium præbituram iurauit Bononienſium Ciuitas.

Ioannem de Podio nominat ſucceſſorem ſuum in Epiſcopatu Bononienſi. Barth. Dulcio de var. Bonon. ſtat.

Nicolaus igitur decem, & ſeptem ex Panuinio, ſeu ex Ciaconio decem, & octo Cardinalium ſuffragijs renunciatus eſt Romanus Pontifex: viuebant tunc temporis quatuor ſupra viginti Cardinales: abſentes ab Vrbe electionis tempore erant ex Ciaconio.

Cardinales viui tempore electionis. Abſentes ab Vrbe.

Ioannes Ceruantes, Hiſpalenſis, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus.

Ioannes Kemp, Anglus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Balbinæ.

Iſidorus monachus, Græcus, Presb. Card. SS. Marcellini, & Petri.

Petrus à Scoumenberg, Presb. Card. S. Vitalis tit. Veſtinæ.

Dionyſius Agrienſis, Hungarus, Presbyter Cardinalis ſancti Cyriaci in Thermis.

Aeneas Syluius in Commentariolo de Rebus Baſileæ ſtatutis, vel diſſoluto Concilio geſtis hanc electionem Nicolai deſcripſit his verbis. *Placuit omnibus apud Mineruam in medio ciuitatis Vrbis Conclaue haberi, ſic enim minus eſt periculi, quàm ſi apud S. Petrum haberetur. Populus in armis habitus eſt ad cuſtodiam Conclauis; Aeneas, & Procopius cum certis Regum, & Principum Oratoribus ad cuſtodiam portæ Conclauis delecti ſunt. Cardinales poſtquam Conclaue intrauerunt, procedentes, vt moris eſt, ad electione mbifariam diuiſi ſunt: erat enim factio Columnenſis, & factio Vrſina, ſed Columnenſis validior erat, ideoque multi erant, qui Cardinalem de Columna eligebant virum probum, & nobilem, alij Dominicum de Capranica; alij Cardinalem Pampilonenſem nominabant, atque in his tribus erat vocum multitudo; ſuperabat tamen omnes Proſper de Columna; nullus autem iuxta Canonicas ſanctiones duas partes vocum habebat. Cardinales Veneti, & Vrſinorum factio adeò ſtabat contra Columnam, ſperabatque octo Cardinales eſſe, qui nunquam permitterent Columnam obtinere. Cumque ſecundo ſcrutinio inuentum eſſet, nullum voces habere ſufficientes, ſed Proſperum ſuperare omnes: decem enim Cardinales eum nominabant, antequam conuentus illius diei diſſolueretur, quid, inquit Ioannes Morinenſis, cum periculo tempus terimus? damnoſa eſt nimis mora noſtra, aduerſarium habemus Amadeum, qui non dormit, & hoc tempus vacationis ſibi aptiſſimum arbitratur. Regem Arragonum cum exercitu vicinum habemus, nec quid moliatur ſcimus. Populus in armis eſt, tota Ciuitas trepidat, agite, finem rei imponamus. Proſperum, vt videtis, maior pars vocat, quin accedatis, atque hunc Pontificem accipiatis, & quem nam poteſtis habere meliorem? Ciuis Romanus eſt nobiliſſimus, Martini quondam Papæ nepos, qui Eccleſiam feliciter gubernauit. Nolite timere, quin ſub hoc conſultum ſit optimè Eccleſiæ; nunquid manſuetudinem vultis? quis eo benignior eſt? quis mitibus facilior? Angeli vitam in humano corpore videtis, nulla iactantia hic eſt, nulla elatio: perliberalis eſt, & oculatus; omnes hunc diligunt, nullum hic vnquam offendit: literati in eo ſunt; omnes hic partes habet, quas Pontificis dignitas requirit. Ne quæſo ſiſtite amplius, periculoſa eſt omnis mora, clauſi ſumus, & quid intra Vrbem agatur ignoramus. Mouerunt hæc verba Bononienſem, ſurgebatque, vt qui vocem dare Columnenſi vellet: tunc Ioannes Tarentinus territus admodum; mane, inquit, Bononienſis paulisper; nihil eſt in rebus humanis maius Electione Papæ: feſtinatio cæca eſt, & inimica conſilij: ponderate quid agatis, nolite præcipitanter agere. Scitis binis Vrbis diuiſiones partita diſcordijs: nolite recluſos gladios eximere, & ſopitam diuiſionem excitare: eligamus Papam ſuo more, fiat ſuo tempore vnum ſcrutinium. Quid eſt, nunquid diem craſtinum non poſſumus expectare? Tunc Ludouicus Aquileienſis, quid tu differs in Papatu tantum, quin potius dicis, quem velis Papam. At ille dicam, inquit, hunc ego Bononienſem velim, & pacem ſub eo ſperarem, qui doctiſſimus eſt, & abſque parte, bonorum, ſanctorumque morum. Et ego, inquit Ludouicus: & ego, Morinenſis, & ſucceſſiuè omnes eum elegerunt; factuſque eſt ex inſperato, ſed de communi omnium voluntate Pontifex. Veſtitus Pontificalibus, & intronizatus, omneſque ad oſculum eius admiſſi; vocatuſque Nicolaus V. quod nomen accepit ob memoriam Cardinalis ſanctæ Crucis, qui ſibi dilectiſſimus Dominus fuerat.*

Nicolai electio deſcripta ab Aenea Syluio.

Tota Ciuitas ex huius aſſumptione lætata eſt: ferunt qui alium Cardinalem, à quo maiora ſperabant, Pontificem factum magis optaſſent: at hunc Papam nemo inuitus vidit, nemo ex Cardinalibus fuit præter hunc noſtrum, quem non aliquòd excluſerat odium. Alium Vrſinenſem, alium Columnenſem, alium Gallici, alium Catalani formidabant: ſed conſcius omnium rerum paraclitus hunc accepit, hunc præfecit, quem amaturum ſciebat omnes. Vidit ſcrutator cordium Deus in hoc patre ſummam humilitatem, hanc exaltauit; vidit ſingularem iuſtitiam, hanc premiauit; vidit præcipuam humanitatem, hanc amauit; vidit prudentiam grandem, hanc delegit; vidit ingentem magnitudinem, hanc probauit; vidit ſcientiam profundiſſimam, hanc Eccleſiæ ſuæ ſponſæ præfecit; vidit exuberantem eloquentiam, hanc neceſſariam in Pontifice maximo iudicauit. Neque enim vna, vel altera doctrina callet, vt quidam ex noſtris, qui vna, & hac minus nota ſcientia ſuperbientes contemnunt exteras. Artibus ſeptem, quas liberales vocant, ſic à pueritia imbutus eſt, vt omnia præſentia ſint: Phyloſophos omnes nouit, Hiſtoricos, Poetas, Coſmographos, Theologos; nam & ſacris artibus initiatus eſt: Iuris Ciuilis, & Pontificij notitiam habet; nec Medicinam ignorat. Prouincias plurimas peragrauit, Principes Chriſtianæ Reipublicæ maiores adiuit; in rebus maximis verſatus eſt, & domus, & Ciuitatum regimina eſt expertus. Quod ſi vnquam ſperare beatam Eccleſiam futuram licuit, ſub hoc Pontifice ſpes iſta florebit: nunc vulgo dicitur, excluſis vitijs, virtutes, & doctrinas imperium habituras. In craſtinum electionis ſuæ duos Cardinales ad Regem Arragonum tranſmiſit Vicecancellarium, & Camerarium; ille contra quatuor ad ſummum Pontificem Oratores deſtinauit. Die Dominica quarta Quadrageſimæ, quæ fuit 19. Martij ex libris manu ſacri Collegij, & Cameræ Apoſtolicæ, ſeruatis in Vaticano, non tertio nonas Martij, vt ſcribit Ciaconius, anni 1447. Coronationis inſignia ſuſcepit Nicolaus ad gradus Baſilicæ Vaticanæ. Inde albo vectus equo Roſam auream deferens profectus eſt ad Baſilicam Lateranenſem, Cardinalibus, Epiſcopis, Principibus, ceteriſque Officialibus ſolemni ritu comitantibus.

Coronationis inſignia cepit.

Summum Pontificatum Thomę prædixerat Nicolaus Cardinalis Albergatus, die enim ipſo, quo ad cœleſtem patriam ille migrauerat, eidem orbitatem ſuam deploranti, & ex mœrore in ſomnum ſoluto Nicolaus apparuit, & Petri ſucceſſorem fore prænunciauit.

Vbi et Foelicet. in Elog. Ligur. Prædicitur Pontificatus. Nicolai virtutes.

Ad celſiſſimam igitur hanc honoris, & dignitatis ſedem conſcendit Nicolaus nullo maiorum ſplendore commendatus, ac nullis fortunæ opibus ſubnixus, ſed ſuis tantùm meritis. In noua hac dignitate plurima edidit documenta pietatis, religionis, continentiæ, manſuetudinis, iuſtitiæ, comitatis, in primis verò multiplicis liberalitatis in egenorum inopia ſubleuanda, in magnificis ſacrarum ædium, & alijs ſubſtructionibus; in ampliſſimis Templorum donarijs, in literatorum ſtudijs fouendis, in præſtantium virorum ingenijs amplectendis, ac præmijs, & honoribus extollendis, diligentiæ verò, conſilij, ac prudentiæ in Schiſmate extinguendo, & intermiſſis pacis conſilijs repetendis, & ad exitum perducendis. Apud S. Mariæ Maioris Baſilicam palatium pro ſummis Pontificibus extruxit, ac domos proximas, & annuos redditus Monaſterij S. Bartholomæi in Suburra ordinis S. Benedicti à ſe extinctis Canonicis, ac Baſilicæ conceſſit. Huiuſce conceſſionis Diplomata, reſcripſit Paulus de Angelis in Deſcriptione Baſilicæ Liberianæ.

Palatium apud Baſilicam Liberianam conſtruxit. Paul. de Angel. in Deſcript. Baſil. Liberianæ. Annuos reddit[us] eidem Baſilicæ ... Lauretanæ domui Indulgentijs & ædificijs munit.

Lauretanam etiam Cellam Pontificijs muneribus auxit: & lectiſſimam illam lucem, qua iacta ſunt fundamenta ſalutis humanæ anniuerſaria Indulgentia decorauit. Cauit inſuper ne Lauretana dona auerterentur, neue diuenderentur: & aduerſus Barbarorum incurſiones ſatis firmo præſidio ædem ipſam Lauretanam muniuit.

Neque ſacra tantùm, vt Pontifex curauit Nicolaus, cetera quoque vt Princeps illuſtrauit: Præter Virgineæ aquæ aquæductus à ſe reſtauratos, vt dictum eſt ſupra inſigne etiam palatium extra Ciuitatem Viterbienſem ad ſecundum ferè lapidem ad aquas, quarum potentiam, & virtutem expertus iam fuerat, conſtrui mandauit, quòd adhuc extat, & Balneum Papæ vocatur, inſignibus Nicolai ornatum. Caſtrum Sallulæ Melphienſi Eccleſiæ à Rogerio Apuliæ Duce dono datum confirmauit ſuis literis ſcriptis Idibus Iunij, anno 1447. Patriarchatus Gradenſis dignitatem Venetias tranſtulit, & primùm illius nobiliſſimæ Vrbis Patriarcham nominauit beatum Laurentium Iuſtinianum. Extat de hac re Diploma datum 8. Idus Octobris, anno 1451. quòd reſcripſit in ſuo quinto tomo Italiæ ſacræ Ferdinandus Vghellus. Eccleſiæ Tiburtinæ Præbendas ſuppreſſit, & extinxit, eaſque ad prouentus communes inter Canonicos inibi pro tempore reſidentes, & perſonaliter deſeruientes duntaxat pro quotidianis diſtributionibus futuris temporibus diuidendas redegit. In eiuſdem Eccleſiæ tabulario ſunt Nicolai literæ ſcrip

Horat. vt ſeſſ. in hiſtor. Lauretan. Hipp. Marrac. in ... Pont. Marian. Aquæductus reſtaurat. Palatium apud Viterbium conſtruxit. Petr. Coretini de ... Epiſc. Viterbienſis. Dona Melphienſi Eccleſiæ conſirmat.

Epiſcopi Venetiarũ Patriarchã nominat. B. Laurentius Iuſtinianus primus Patriarcha Venetiarũ. Fauet Eccleſiæ Tiburtinæ. Item Mantuanæ. Aſſiſiũ ſe confert ad videndum corpus S. Franciſci. Luc. Vvadingus in Annal. Minorum. Ioannem de Capiſtrano in Germaniã mittit. Viros doctos promouet. Hermol. Barbar. Iacob. Piccol. in Atticæ Bellar. Nicolai dictũ egregium. Pius II. in Commentarijs.

tiæ xviij. Kal. Maij, anni 1451. Mantuanam Eccleſiam ab Aquileienſis Patriarchæ iuriſdictione exemit, eandemque Romano Pontifici immediatè ſubiecit Idibus Aprilis, anno 1453.

Sancti Franciſci corporis intuendi, & contemplandi deſiderio Aſsiſium petijt, ac tribus tantùm ſocijs ſecum ad id opus adhibitis, quorum illi nota iam, ac ſpectata fides, ad ſubterranea loca, quibus nobile Templum imminet, ſub quintam noctis horam ſe contulit, ibique ad beati pedes non ſine lacrimis diu procubuit. Fr. Ioannem de Capiſtrano ordinis Minorum, virum æquè doctum, ac pium in Germaniam miſit ad reſtituendam Fidem orthodoxam Boëmis, ac vicinis prouincijs, & ad extirpandam Huſsitarum hæreſim. Viros doctrina præſtantes fouit, eiſque omnia ſua ſtudia præſtauit, vt honoribus, opibuſque ditarentur. Nunciatum illi quondam fuit, Romæ inueniri qui bonos verſus pangerent; negauit ille eſſe bonos; *cur enim*, inquit, *ad me non veniunt, qui Poëtis etiam malis patere ſoleo?* Vocem præclariſsimam: ſe in poetaſtros quoque liberalem eſſe conſueuiſſe, & paratum honorare, artem bonam, quanquam in malis artificibus indicare voluit. De Nicolao hæc narratu digna legimus apud illius æui ſcriptores. Cum vacaſſet Eccleſia Regienſis, illi præficere Nicolaum Reginum inter Minores fratres, qui obſeruantes appellantur, prædicationis gratia inſignem. Hunc iuſsit acceſſiri à Dominico Capranica Cardinali Firmano, rogarique an vellet, ſuæ Ciuitatis Pontificalem curam ſuſcipere. paruit Firmanus, vocatoque ſeorſum in cubiculo Mattheo, *deligit*, inquit, *te Pontifex maximus, tuiſque ciuibus præſulem dare te ſtatuit, ſi modo animum ad hoc induxeris, neque honorem hunc in patria tua pulcherrimum refugeris*. Matthæus nihil reſpondens, cubiculo egreſſus ad fratres, qui erant in aula, eiulans ac lacrymans, *accurrite*, inquit, *adeſtote, opem afferte*. Admirantibus fratribus, percontantibuſque, quid nam ſibi accidiſſet, aliquandiu nihil aliud reſpondit, niſi accurrite, iuuate, opem afferte miſero. Poſtremo cum ſæpius, ac ſæpius interrogaretur, vt quid auxilium tantopere efflagitaret, *heu*, inquit, *miſero mihi ætatem in religione conſumpſi, vixi pauper, & obediens, præcepta beati Franciſci nunquam violaui, verbum Dei prædicaui populis, in cellula mea pradilexi ego pauperiem, diuina contemplatus arcana, nunc ad Epiſcopatum vocor, ad negocium, ad labores, ad honores, quos optaui nunquam. O immaculata religio, ô ſacri penetrales clauſtri, ô dulcia cellarum ſilentia, ô amantiſſimi fratres, ô conſolationum mearum ſocij, ergo vos tandem relinquam? & me dulciſſima veſtra conuerſatione priuabo? non faciam, accurrite, iuuate, liberate me his moleſtijs, me defendite, ne me Firmanus vobis eripiat*. Audiuerat cuncta Cardinalis Firmanus è cubiculo ſuo, & accedens propius, *tace*, inquit, *Matthæe, pone metum, bono animo eſto, liberò te, non vrgeberis à Pōtifice vltra quam velis; ito quò placet, & re, tua conſulito*; atque in hunc modum eo dimiſſo, Nicolao Pontifici cuncta quæ geſta erant, expoſuit. Poſt dies octo rediens ad Firmanum Matthæus, conſilium ſe cæpiſſe cum amicis ait, rebuſque in vtramque partem planè diſcuſsis, viſum illis eſſe, vt Pontificis deſiderio ſatisfiat. ponere igitur ſe in manu Papæ, cui nefas ſit non obedire. Firmanus Nicolaum Pōtificem accedens, *Matthæus*, inquit, *mutatus eſt, Epiſcopatum, ſi voles, accipiet*. Cui Pontifex, *& ego*, ait, *mutatus ſum; volui Epiſcopatum illi committere, cum noluit; cum vult, nolo*.

Hunc igitur virtute non modò, ſed etiam fortuna eo ſeculo admirabilem, ob humanioris literaturæ reſtitutæ in Italicam lucem, omnes viri docti ament, ac laudent neceſſe eſt. Non tamen ſatis longum vitæ ſpatium in Pontificatu peregit: pacis ſtudium ſemper illi quanta belli cupiditas deceſſori fuerat. Felix Contelorius in ſecũda Elenci parte ſcribit Nicolaum deceſsiſſe die Lunæ 24. Martij, anno 1454. intra quintam, & ſextam noctis horam. quæ ſi vera ſunt, affirmandum quoque nobis eſt, non ſediſſe in Petri Cathedra niſi ſeptem annis, & octo diebus ſupra decem.

Sepulchrũ habet in Vaticano.

Poſt obitum ſepultus in Baſilica Vaticana, vt dictum eſt ſupra: cuius ſepulchri exemplar omnium oculis proponam in fine vitæ.

Epitaphiũ

Sepulchro tale Epitaphium ab Aenea Syluio compoſitum meritò inſculptum eſt.

Hic ſita ſunt Quinti NICOLAI Antiſtitis oſſa,
Aurea qui dederat ſecula Roma tibi.
Conſilio illuſtris, virtute illuſtrior omnis
Excoluit doctos doctior ipſe viros.
Abſtulit errorem, quo Schiſma infecerat Vrbem,
Reſtituit mores, mœnia, Templa, domos.
Tum Bernardino ſtatuit ſua ſacra Senenſi,
Sancta Iubilei tempora dum celebrat.
Cinxit honore caput Frederici, ac coniugis aureo,
Res Italas arcto fœdere compoſuit.
Attica Romanæ complura volumina linguæ
Prodidit: en tumulo fundite thura ſacro.

Extat aliud Vegei huiuſcemodi notis expreſſum.

Pontificis ſummi NICOLAI hic condita Quinti
Oſſa cubant, liber ſpiritus aſtra colit.
Aemulus ille Numæ, pacem ſibi prætulit armis,
Prætulit, & diris cantica ſancta tubis.
Miro idem ſtudio ritus, cultuſque ſacrorum
Curauit, miradenique ſacra fide.
Alter, & Auguſtus dictus, doctiſſimus ipſe
Excoluit ſumma ſemper, & auxit ope.
Extulit atque alta renouauit mœnia Romæ,
Extulit, ingentes, & renouauit opes
Secula qui magni Iubilei læta ſacrauit,
Cæſareum rutilo cinxit, & Orbe caput.
Qui ſciſſum Eccleſia Paſtor compegit ouile,
Ad ſuaque errantes clauſtra reduxit oues.

Regulas Cancellariæ à Prædeceſſoribus ſuis editas collegit, & certo ordine, quibuſdam etiam additis, digeſsit. Scripta.

De Conceptione B. Virginis Mariæ Diploma ſcripſit, quòd extare apud Auguſtinum Suarez ordinis Carmelitarum in libro Statutorum eiuſdem ordinis aſſerit Petrus de Oſeda in ſua Informatione Eccleſiaſtica de eadem Conceptione.

Iuſt. Lipſius in hiſtor. Virg. Hallenſi.

Aliud edidit Diploma pro B. Virgine Hallenſi, quo Sodalitatis illius inſtitutum approbauit, & Indulgentijs illuſtrauit.

Theoph. Rayn. in Corona Pont.

Literas ſcripſit ad Conſtantinum Imperatorem, qui vocabatur *Dragaſes*, quibus excidium, & internecionem extremam infelicium Græcorum prædixit: Aſſeruantur hæ m. ss. Græcè, & Latinè in Bauariæ Ducis Bibliotheca, & Viennæ in illa Imperatoris cum verſione Theodori Gazæ.

Alias plures epiſtolas ſcripſit, quarum Regiſtrum aſſeruatur m. s. in Vaticano. Apud Annales Minorum à Fr. Luca Vvaddingo conſcriptos Nicolai literas centum, & quadraginta nouem inuenies pro ſolis Franciſcanis, aut Monialibus ſanctæ Claræ datas.

Scripſit Orationē habitam ad Cardinales poſt Eugenij IV. funus.

Conſtitutiones item Eccleſiaſticas, & literas Apoſtolicas.

Iacob. Gad. dius de ſcript. non Eccleſ.

Veſpaſianus Florẽtinus ſcripſit vernacula lingua vitã Nicolai V.

Iannottus Mannettus de vita, & moribus Nicolai V. refertur inter m. s. Codices Bibliothecæ Piſaurienſis.

Concilia duo Turonenſe, & Lugdunenſe. Binius, Sirmond. in Epit. Concil.

Sub hoc tanto Pontifice celebrata ſunt Concilia duo, Turonenſe ſcilicet, & Lugdunenſe, primùm pro reformandis moribus Eccleſiaſticorum habitum eſt Andegaui præſide Ioanne Archiepiſcopo Turonenſi. Alterum Lugduni iuſſu Caroli Regis Galliarum ad tollendum Schiſma inter Nicolaum Romanum Pontificem, & Felicem Antipapam.

SIGNVM NICOLAI PAPAE V.





NICOLAI V. PONT. MAX.
Sepulchrum.

A

PRIMA CREATIO VNIVS CARDINALIS Nicolai Papæ V.

Die Veneris 16. Februarij, anno 1448. in quatuor Temporibus, anno Pontificatus Primo, vt in literis Nicolai, & ex libro Diuiſionum, ex Ciaconio verò die 21. Martij, anno Pontificatus Secundo, Nicolaus V. Romanus Pontifex vnum adſcripſit Cardinalium Collegio, qui fuit.



I.

MAG. ANTONIVS Cerdanus, quẽ aliqui Martinum nominant, Maioricenſis, ex vico S. Margaritæ, Canonicus Maioricenſis Eccleſię, teſte Placido Samperio, ac Fr. Ioanne Figueras Cœnobita factus ordinis ſanctiſſimę Trinitatis in Cœnobio ſancti Spiritus Maioricenſi Redemptionis Captiuorum, per Angliam, Scotiam, & Hiberniam ſui ordinis domos Commiſſarius generalis inuiſit; poſtea in Romana Curia Procuratoris generalis munere functus. Phyloſophorum, ac Theologorum, omnium illius temporis maximus habitus fuit, adeo vt à Pio II. non Magiſter in Theologia, quem gradum iam adeptus fuerat, ſed Princeps Theologorum vocaretur. Ex Cubiculario Papæ, & Archiepiſcopo Meſſanenſi, ab Eugenio IV. electo, renunciatus eſt à Nicolao V. Presbyter Cardinalis titulo S. Chryſogoni. Hunc inſuper quẽ ob eius doctrinã, & vitæ ſanctitatẽ ipſe Nicolaus ſibi Phyloſophiæ ſtudijs, & arcanorum ſacræ Theologiæ cognitioni ex omnibus elegerat, maximis, & ampliſſimis donis, ac honoribus donauit, atque vnicè dilexit. Præfuit Nicolai eiuſdem Pontificis iuſſu Eccleſijs Ilerdenſi, & Iuuenacenſi; quare vulgò dictus Cardinalis Ilerdenſis. Legati munere primò in Marchia Anconitana, deinde apud Alphonſum Arragonenſem Regem Siciliæ, & Florentinos functus eſt pro componenda inter illos pace, quam ſummo ſtudio, & omnium votis tandem firmauit: & Arianenſibus beati Othonis oſſa reſtitui curauit: extant Alphonſi Regis literæ ad Cardinalem datæ, & ſunt.

Ciaconius

Panuinius

Rocchus Pyrrus de Eccleſia Meſſan.

Balthaſſar Porreguus in elogijs Card. Hiſpanorum.

Ant. Summont. in hiſt. Neapolitana.

B

C

A tergo.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, DOMINO *A. tit. S. Chryſogoni Presbyt. Ilerden. Amico.*

D

Intus verò.

Reuerendiſſime in Chriſto Pater Domine, & Amice Noſter chariſſime.

Ciues Ariani cupiunt maiorem in modum, vt corpus B. Othonis Confeſſoris, quod tempore, quo Infideles in Italia inuadebant, amotus Arianenſibus ab Eccleſia Arianenſi ad Beneuentanam fuit tranſlatum, Eccleſiæ Arianenſi reſtituatur: hoc enim, & honeſtum, & pium eſt. V. propterea R. P. ea animi vehementia, qua poſſumus, rogamus, vt pro hac reſtitutione facienda, & cum ſanctiſſimo Domino Noſtro, & cum Archiepiſcopo Beneuentano voces Veſtras interponatis, vt omnino dicta reſtitutio ſequatur, quod Nobis ad ſingularem complacentiam accedet. Dat. Puteolis die 12. menſis Martij, anno à Natiuitate Domini 1452.

E

REX ALPHONSVS.

Romæ deceſſit non pridie Kal. Septembris, anno 1458. vt ſcripſit Ciaconius, ſed ex Vaticanis monumentis, atque ex ſepulchrali Inſcriptione, die 12. Septembris, anni 1459. & in veſtibulo Sacrarij Baſilicæ Principis Apoſtolorum ſepultus cum hoc Epitaphio.

Felix Cőtelor. in Elencho.

Nomencl. Cardinal.

F

MCCCCLIX. DIE XII. MENSIS SEPTEMBRIS ANTONIVS CERDANVS MAIORICENSIS CARDINALIS QVIEVIT IN DOMINO.

SECVNDA CREATIO CARDINALIVM.

Die Veneris 20. Decembris anno 1448. vt in libris Prouiſionum, & Diuiſionum ſacri Collegij in Vaticano ſeruatis, non 13. Ianuarij, anni 1449. vt ſcripſit Ciaconius, Romæ apud ſanctum Petrum Nicolaus Quintus Romanus Pontifex alios renunciauit Cardinales, qui fuere.



II.

ASTORGIVS Agnenſis, nobilis Neapolitanus, vir literarum ſcientia, prudentia, & animi dexteritate præditus, ſub Martino V. Eugenio IV. & Nicolao V. plures legationes obiuit. Marchiæ Ducatui Spoletano, D. Petri Patrimonio, & Bononiæ præfuit: quas quidem Vrbes, ac prouincias ea animi rectitudine rexit, vt apud omnes maximum ſui nominis teſtimoniũ reliquerit. Epiſcopatum primò Melitenſem ex Ferdinando Vghellio, deinde Melphitenſem, mox Anconitanum, poſtea Aſculanum à Martino V. ab Eugenio verò IV. Archiepiſcopatum Beneuentanum obtinuit. Cum enim Martinus V. Romanus Pontifex Aſculanum Epiſcopatum Aſtorgio ea conditione demandaſſet, ſi ita illi collibuiſſet, noluit Aſtorgius transferri; quare ad Anconitanum clauum ſedit, vſque ad annum 1436. quo anno ab Eugenio Martini ſucceſſore renunciatus eſt Archiepiſcopus Beneuentanus. Extant de huius electione, eiuſdem Eugenij literæ Clero, & Capitulo Beneuentano ſcriptæ Florentiæ apud S. Mariam Nouellam, die 3. Martij, anno 1436. Quatuor in Eccleſia Beneuentana Sacerdotia, ſeu Canonicatus erexit, Romæ S. R. E. Vicecancellarij munere fungens, poſt Eugenij obitum populi tumultum à Stephano Porcario nobili Romano excitatum, ſumma prudentia ſedauit. Quare à Nicolao V. Presbyteris Cardinalibus titulo S. Euſebij ipſo ferè initio Pontificatus adſcriptus eſt.

Ciaconius

Andr. Vittorell. in Addit. ad Ciaconiũ.

Hier. Garimbert.

Deceſſit Romæ de Eccleſia benemeritus die 10. Octobris anno 1451. corpus conditum in Clauſtro fratrum ordinis Prædicatorum Baſilicæ S. Mariæ ſuper Mineruam, marmoreo ſepulchro muro affixo cum Inſignibus, & ſequenti elogio.

Aſtorgio. Agneſi. patria. Neap. TT. S. Euſebij. Presby.
Card. Beneuentano. cuius. pro. Ro. Ec. virtus. &
Omnis. vita. ſemper. in. actione. fuit. &. qui. rebus
Et Legationibus. maximis. ſedentibus. Martino
Eugenio. & Nicolao. Ro. Pont. bene
Geſtis. Romæ. obijt. Anno ſalutis. M. CCCCLI.
Et. vixit. An. LX.
Galeoctus. eiuſdem. familia. Vir. inſignis
Et. Doctor. Patruo. benemerenti. conſtrui
Et. ſe. prope. poni. mandauit.

Cum Eugenio Romano Pontifice Aſſiſium Aſtorgius ſe cõtulit, & corpus B. Franciſci, eiuſdem Eugenij beneficio vidit; in quem virum ſanctitate clariſſimum ſemper ſe pium, & obſeruantiſſimum toto ſuæ vitæ tempore præbuit.



III.

LATINVS Vrſinus, Domicellus Romanus, Iuris Vtriuſque Doctor, Epiſcopus primò Compſanus, deinde Archiepiſcopus Barienſis teſte Vghellio, poſtea Tranenſis, inter Presbyteros Cardinales titulo SS. Ioannis, & Pauli, aliàs Pammachij à Nicolao cooptatus eſt. Is in fratrem habuit Ioannem Vrſinum, & ſucceſſorem in Archiepiſcopatu Tranenſi, cui Baptiſta Platina Dialogum de vera nobilitate dedicauit. Hunc Paulus II. perpetuũ Marchiæ Anconitanæ Legatum nominauit, & eundem Xiſtus IV. S. R. E. Camerariatus officio donauit, ac ſummam negociorum Eccleſiæ commiſit. Archipresbyter Baſilicam Lateranenſem, Commendatarius Eccleſiam Vrbinatenſem, Legatus Maſſam Trabariam, Bononiam, ac Farfenſem Præſidatum rexit: Eccleſiæ Albanenſi ex Contelorio, atque ex Cæſare Raſpono, ex Vghellio verò Sabinenſi primò mox Tuſculanæ præfuit. Eccleſiam, & Monaſterium in Vrbe ſancti Saluatoris in Lauro conſtruxit, & Canonicis Regularibus ſancti Georgij in Alga dote ampliſſima, & pinguiſſimis redditibus relictis donauit, quorum ſancta conſuetudine mirum in modum delectabatur: ſæpe ad illos confugiebat, non modò, vt quietè, ſed parce etiam vitam cum illis ageret. Bibliothecam multorum Librorum, quam collegerat, huic Cœnobio legauit; quæ flammis conſumpta eſt in depopu-

Ciaconius

Panuinius

Aubery in vita.

Felix Cőtelorius in Elencho.

F. Sanſouin. in hiſtor. fam. Vrſinæ.

lation

latione Vrbis anno 1527. huiuſce Cardinalis in ipſius Eccleſiæ ſancti Saluatoris facie, hæc extat memoria.

LATINVS
CARDINALIS VRSINVS
TEMPLVM HOC
EREXIT ET DOTAVIT.

In impluuio verò Cœnobij ab eodem extructi ſub marmorea effigie ipſius Cardinalis ſequentem legimus inſcriptionem.

LATINO. CARD. VRSINO
OPTIMO. ET. MVNIFICENTISS.
PARENTI
CANONICI. GRATI. ANIMI. C. P. C.
A. D. MDCXXI.

Barthol. Facius in hiſtoria. Pius II. in Commentarijs. Hippolit. Marracc. in Purpur. Marian.

Barium Apuliæ Vrbem Legatus Romani Pontificis ſe contulit, vbi iuſſu Pontificis, & Collegij Cardinalium Ferdinandum inunctum, vt moris erat, Coronaque donatum, Regem declarauit. Cliuenſi Duci Romam venienti vnà cum Proſpero Columna Cardinale occurrit. Deiparam Virginem ſummo ſtudio coluit; quare admodum religiosè celebrabat dies, qui euſdem Deiparæ Virginitati incorruptæ, ac eius Maternitati, & Aſſumptioni dicati erant. In his ieiunabat, ac frequentiſſimè ad eam oratione confugiebat, ex quo id conſecutus eſt, vt ſecundùm quietem illam viderit aliquando pro ſe Filium deprecantem, ab eaque certior factus ſit de hora mortis, & quòd tunc Dæmones ſalutis noſtræ hoſtes non videret.

E vita migrauit Romæ ætatis annorum 74. die 11. Augusti, anno 1477. corpus ſepultum in Eccleſia S. Saluatoris de Lauro à ſe fundata ſub Altari B. Virgini Mariæ ſacro, ſine vlla ſepulchrali inſcriptione, vt ipſe in ſupremis tabulis expreſſè mandauerat. Octo dies ante eius obitum Xiſtus IV. omnibus ferè Cardinalibus ſtipatus ægrotum illum viſitauit, Conſiſtorium in ægroti cubiculo habuit, ac plures ei gratias elargitus eſt. Stephanus Infeſſura ſcribit illum obijſſe die 21. Auguſti, anno 1472. Lælius Peregrinus in funere huiuſce Cardinalis orationem habuit, quam anno 1587. typis editam vidimus.

Interfuit Comitijs, in quibus renunciati ſunt Romani Pontifices Calliſtus III. Pius II. Paulus II. & Xiſtus IV. Circa portam omnium maximam, & Septentrioni oppoſitam à Gregorio XI. è Pario marmore in Baſilica Lateranenſi ſtructam, ac duobus prægrandibus marmoreis leonibus ornatam viſebantur olim Latini Cardinalis Vrſini Archipresbyteri inſignia.

Ceſ. Raſpon. de Baſil. Lateran.

Martinus Cromerus refert Latinum Cardinalem Vrſinum, quem Epiſcopum Oſtienſem nominat, Pontificis Romani iuſſu legationis munere functum fuiſſe in Polonia. *Aduenit poſtea*, ſunt illius verba, *Legatus Pontificis Latinus Vrſinus Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis, afferēs Regi dono vnum de Clauis, quibus Chriſtus Ieſus auctor ſalutis Noſtræ Cruci affixus fuit. Acceptus eſt ſummo cum honore veniens Cracouiam, multitudine omni cum Sacerdotibus, & Monachis obuiam effuſa, Clauuſque ſacer voluntate Regis in Baſilicam Cracouienſem illatus, vbi in hanc vſque diem aſſeruatur.* Hæc tamen ille refert ad annum 1424. quo Latinus nondum Cardinalium Collegio fuerat adſcriptus: deinde Epiſcopum Oſtienſem illum facit, cum reuera nunquam dum vixit, illi Eccleſiæ præfuerit: quare Cromeri fides in hoc mihi dubia.

Ad Latinum Cardinalem Vrſinum nonnullas ſcripſit Cardinalis Papienſis literas, quæ extant.

IV.

Ciaconius. Pet. Frizo in Gallia Purpurat. Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana. Panuinius. Aubery in vita.



Alanus Cœtiuus, ſeu de Cœtiuo, filius Pregentis Franciæ Polemarchi, ac Thalaſſiarchæ, Domini de Taillebour, & de Cœtiui, nec non Mariæ de la Val Dominæ de Rais, ortum habuit in Armoricis, anno reparatæ ſalutis 1407. Dolenſis primùm Præſul, deinde Corisopitenſis, poſtea ad ſedem Aueniōnenſem gradum fecit. Ne tamen tanta Alani virtus ſolùm in Gallijs circumfulgeret, illi honorem Purpuræ Nicolaus V. detulit, & Presbyterum Cardinalem titulo S. Praxedis nominauit. Poſt Purpuram rerum iſtuſo Adminiſtratoris Dolenſis, & Nemauſenſis Epiſcopatus exornatum & à Calliſto III. Romano Pontifice in Britanniam Armoricam Legatus à Latere miſſus ad ſacrum S. Vincentij Ferrerij ordinis Prædicatorum corpus exhumandum. Hic prædixerat Alphonſum Borgiam Papam futurum, quem ipſe Borgia nomine Calliſtus III. in albo ſanctorum inſcripſit anno 1455. die 29. Iunij. Legatus etiam in Gallias ab eodem Calliſto ad Carolum Septimum Francorum Regem hortaturus ad bellum ſacrum in Turcas mouendum, quòd Cruciatam nuncupauere. Cum autem Alanus magna polleret eloquentia, & merito cauſæ innixus facilè Regem Carolum, & Regni Proceres in ſuam adduxit ſententiam. Quare maximus fit in Gallijs militum delectus, Clero decima impoſita triremes quatuor, & viginti apud Aueniōnem conſtruxit: tantus tamen apparatus euanuit ob Romani Pontificis obitum. In Italiam rediens Romæ habitauit in Acie campi Floræ ædes erectas ſuper Pompeij Theatri ruinas. Hic vnus fuit ex ſex Cardinalibus, qui Pio II. Mantuam iter facienti pro bello Turcis inferendo ſeſe comites adiunxerunt, à quo Legatus in Britanniam, Sabaudiam, & Delphinatum pro colligendis decimis contra Turcas miſſus eſt. Ab hoc quoque Romano Pontifice ex Conſtelonio Epiſcopatum Præneſtinum obtinuit, quo relicto tempore Xiſti IV. Sabinenſe ſacerdotium illi obuenit. Commendator Eccleſiæ ſanctorum Coſmæ, & Damiani præfuit.

Pius II. in Commentarijs. And. Victorell. & Addit. ad Ciaconi. Ferdinand. Vghel. in Ital. ſac. Felix Cōtelorius in Elencho.

Epiſcopus Sabinenſis morti debitum exoluit Romæ ex Frizonio die 21. ex Ciaconio verò 22. Iulij, ſeu ex monumentis Vaticanis, die 3. Maij, anno à partu Virginis 1474. & in D. Praxedis æde monumento marmoreo tumulatus iuxta ſacræ Chriſti Columnæ Sacellum cum ſequenti Epitaphio.

SEDENTE XISTO IV.
ALANVS EPISCOPVS SABINENSIS EC. ROM. CARDINALIS
NOBILISS. IN BRITONIBVS COETTIVORVM GENTE NATVS
ILLVSTRI LEGATIONE AD GALLOS PRO FIDE FVNCTVS
CVIVS VITA EXEMPLVM VIRTVTIS
ACTIONES AVTEM PRIVATIM ET PVBLICE SALVTARES FVERE
HOC MONVMENTO CONDITVS EST
VIX. AN. LXVI. MENS. VIII. DIES XV.
MCCCCLXXIIII.

Nomencl. Cardinal.

Laudatur Cardinalis hic à Garimberto; illum tamen aliqui carpunt loquendi nimia libertate; qua vſus cum Paulo II. in publico Conſiſtorio, illius ſimulationem damnando his verbis. *Rectè Paule annos viginti quatuor adhibuiſti ſtudium, vt ſemel nos falleres.* Cardinali huic Aueniōnenſi, qui Ioannis Cæſarini ſacri palatij Auditoris, Apoſtolici Legati in Britanniam mittendi cauſa fuerat, Ludouicus Galliæ Rex temporalitatem ademit, vt narrat Pius II.

Card. Papienſis in Epiſtolis.

Hic ſub Eugenio IV. ſe pro Cardinali gerebat, quia idem Eugenius de eo in Cardinalem aſſumendo tractauerat in ſecreto Conſiſtorio, eidemque ſcripſerat, vt pro reuocanda Pragmatica ſanctione laboraret ſub ſpe conſequendi Cardinalatum. Idem tamen Eugenius paulò poſt declarauit, ſuæ intentionis non fuiſſe, vt illum in Cardinalem aſſumpſerit, vt in Diplomate ſcripto die 30. Ianuarij, anno 1446. quare ille inſignia Cardinalatus, quæ vſque adhuc geſſerat, depoſuit. Poſt Nicolai V. obitum in Comitijs Pontificijs pro Calliſto III. album calculum adiecit, & ne ad ſummum Pontificatum Beſſarion Cardinalis Nicenus aſcenderet, curam, diligentiamque quam maximam adhibuit. Aueniōnenſis Præſul, & ſedis Apoſtolicæ Legatus Concilium Prouinciale, anno 1457. habuit, cui Petrus de Fuxo S. R. E. Cardinalis Archiepiſcopus Aquenſis, & duodecim Epiſcopi cum Eccleſiarum Cathedralium Capitulis interfuere, & Decreto in Conuentu Baſileenſi facto de Conceptione beatiſſimæ Virginis Mariæ ſubſcripſere.

Felix Cōtelorius in Elencho. Hippolit. Marracc. in Purpur. Marian.

V.

Ciaconius. Pet. Friſ. in Gallia Purpurat. Aubery in vita. Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana. Io. Chenu de Epiſc. Galliæ. Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciaconi. Panuinius. Felix Cōtelorius in Elencho.



Ioannes Rolin, aliàs Raolinus, natione Gallus, Auguſtodunis, natus patre Nicolao Philippi Burgundiæ Ducis cognomento *Boni* Cancellario, matre Ioanna de Landis, Auguſtodunenſem Archidiaconatum, & Prioratum S. Marcelli primò, deinde Epiſcopatum Cabillonenſem, mox Aeduenſem, ſeu Auguſtodunenſem obtinuit, cui Eccleſiæ præfuit annos quadraginta ſex. Ludouico Delphino à Cōteſſionibus, qui poſtea Rex huius nominis Vndecimus mortuo parente Carolo VII. qui à debellatis Anglis cognomen *Victoris* eſt conſecutus Templum princeps Aeduenſe incendio conſumptum reſtituit, campanam maiorem dono dedit, quamplurimis ornamentis Templum illud, & æneis columnis principem aram; ac feſtum D. Lazari in Sacello Diuionenſi celebre reddidit: eiuſque Ioannis habetur memoria in Capella ipſi Diuo erecta, quæ à plebe vocatur *la Cardinale*. In Templo B. Virginis Mariæ ſacro Capitulum duodecim Canonicorum cum Præpoſito proprio ære erexit.

Ioannes hic non modò pallio, ſed etiam purpura, non ab Eugenio Quarto, vt ſcripſit Petrus de S. Iuliano in hiſtoria de Epiſcopis Cabillonenſibus, ſed à Nicolao V. cohoneſtatus, & renunciatus Presbyter Cardinalis titulo S. Stephani in Cœlio monte, cognominatus Cardinalis Aeduenſis; Eccleſiæ Diuæ Genouefes Pariſienſium pa-

tronæ lar-

tronæ larga dona erogauit. Vitam ferè duxit ſemper in Gallijs; tandem dierum, ac meritorum plenus è vita deceſſit in Gallijs, die 22. Iunij, anno 1483. & heredem inſtituit Eccleſiam vici de Belle.

Panuinius

Animaduerſione dignum eſt non diſtingui à nonnullis Cardinalem hunc Ioannem à Ioanne creato in Schiſmate Felicis V. Cardinali Caſtrenſi, qui fuit Carolo VII. Francorum Regi ab Exomologeſi; verùm diſtinguuntur, cum ille Caſtrenſem, hic Auguſtodunenſem Eccleſiam rexerit. Hunc eundem alij confundunt cum Ioanne Raulin ordinis Ciſtercienſis Doctore Theologo Pariſienſi, qui varios edidit Sermones Aduentuales, Dominicales, Quadrageſimales: tomos duos de Sanctis, & de venerabili Sacramento Euchariſtiæ: Itinerarium Paradiſi, Doctrinale de triplici morte.

Ioannis Raulini meminere, vt ſcriptoris Eccleſiaſtici Genebrardus in Nicolao V. & Georgius Draudius in Bibliotheca Claſſica, verùm non noſter eſt ille.



Ciaconius

Panuinius de Rom. Pontific.

Aubery in vita.

Ferdinand. Vghel. in Ital. ſac.

Carol. Sigonius de Epiſc. Bononien.

VI.

PHILIPPVS Calandrinus, natione Italus, patria Sergianenſis, Nicolai Romani Pótificis ex matre frater, Lucenſis Eccleſiæ Canonicus, ſeu Archidiaconus, defuncto Ioanne de Podio Præſule Bononienſi, à Nicolao fratre Eccleſiam illam obtinuit. Nicolaus enim Romanus Pontifex has literas ad Clerum Bononienſem xv. Kalendas Ianuarij ſcripſit.

NICOLAVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Dilectis filijs Clero Ciuitatis, & Diœceſis Bononienſis, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Eccleſia Bononienſis, per obitum bonæ memoriæ Ioannis Epiſcopi Bononienſis, qui apud ſedem Apoſtolicam diem clauſit extremum, Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos ad prouiſionem eiuſdem Eccleſiæ celerem, & felicem, de qua nullus præter Nos hac vice ſe intromittere potuit, neque poteſt reſeruatione, & Decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis, paternis, & ſollicitis ſtudijs intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam vtilem, & etiam fructuoſam cum fratribus Noſtris habuimus diligentem, demum ad dilectum filium, Philippum Electum Bononienſem, tunc Archidiaconum Eccleſiæ Lucenſis, Notarium Noſtrum in Sacerdotio conſtitutum, cuius perſonam de vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium prouidentia, & temporalium circumſpectione, aliſque multiplicium virtutum donis nouerimus inſignitam, direximus oculos mentis Noſtræ. Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona ipſius Electi Nobis, & eiſdem fratribus ob ſuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ Bononienſi de dictorum fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica prouidimus, ipſumque illi præfecimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Bononienſis ſibi in Spiritualibus, & Temporalibus plenariè committendo: In illo, qui dat gratias, & largitur præmia, confidentes, quod eadem Eccleſia Bononienſis per dicti Electi circumſpectionis induſtriam, & ſtudium fructuoſum ſub ſuo felici regimine, dextera Domini ſibi aſſiſtente propitia, ſalubriter, & proſperè dirigetur, ac grata in eiſdem Spiritualibus, & Temporalibus ſuſcipiet incrementa.

Deinde has ad populum 4. nonas Ianuarij dedit.

Vacante proximis diebus Eccleſia illa per obitum bonæ memoriæ Ioannis de Podio Epiſcopi Bononienſis, qui Nobis maximo dolori fuit, cum ipſum propter ſanctimoniam, prudentiam, & integritatem ſuam ab intimis cordis Noſtri valde dilexerimus, varijs cogitationibus diſtracti fuimus ad cogitandum de perſona vtili, & populo Veſtro grata, ipſi Eccleſiæ præficienda. Tandem non ignorantes, omnes, & non cunctos Nobis pro deuotione Veſtra erga Nos eſſe gratiſſimos, in germanum Noſtrum conuertimus oculos Noſtræ mentis, ipſumque eidem præfecimus, & Epiſcopum, & Paſtorem multis reſpectibus moti, & præcipue Venerabilibus fratribus Noſtris S.R.E. Cardinalibus id ſuadentibus, & poſt literas Veſtras charitatis officio plenas accepimus, quibus non mediocre efficaciter id poſtulaſtis; quæ res ſupra modum gratiſſima fuit, cognoſcentes voluntatem Veſtram cum Noſtra fuiſſe conformem. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die ſecundo Ianuarij milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo octauo, Pontificatus Noſtri Anno Primo.

Licet fuerit Philippus ea modeſtia, atque virtute prædiuus, vt faciliè Nicolai fratris humanitati, laudique reſponderit, tamen propter legationes, quas ſedis Apoſtolicæ nomine in Marchia Anconitana, Miſſa Trabaria, atque in Præſidatu Farfenſi obiuit, præſens Eccleſiæ Bononienſi ſtudium, ac fidem nauare ſuam tam citò non potuit.

Presbyteris Cardinalibus titulo S. Suſannæ primò, poſtmodum S. Laurentij in Lucina à Nicolao eſt adſcriptus: Pius II. eundem maiorem Pœnitentiarium, & ex aliquibus Epiſcopum Albanenſem; demum Paulus II. Portuenſem nominauit. Eundem Pium II. Mantuam ad Concilium de bello Turcico ſuſcipiendo euntem proſecutus eſt: anno verò 1462. Bononiam redijt, totumque ſe Eccleſiæ ipſi conſtituendæ dedit. Litem, quam ciues Centi, & Plebis cum Bononienſibus inſtituerant, pro auctoritate diremit: Collegium Canonicorum nouæ S. Petronij Baſilicæ à Pio attributum, & Conſtitutiones Bernardi olim Epiſcopi ſynodales probauit. Eccleſiam S. Mariæ Charitatis fratribus tertij ordinis S. Franciſci de obſeruantia dedit. Comitijs Calliſti III. Pij II. Pauli II. & Xiſti IV. interfuit.

Lucis vſuram amiſit Balneoregij, ſeu Viterbij, vel Bagnariæ Viterbienſis Diœceſis, die 22. Iulij, anno 1476. Corpus Romam relatum in titulo Lucinæ ſepultum cum ſequenti Epitaphio.

PHILIPPO CALANDRINO SERGIANEN. BONON. EPIS
COPO PORTVEN. SANCTÆQ R. E. SVMMO PENITEN
TIAR. NICOL. V. PONT. MAX. FRATRI IO MATH.
CALANDRIN. PATRVO CARISSIMO POSVIT VIXIT
AN. LXXIII. OBIIT AN. SAL. CHRISTI MCCCCLXXVI.

Nomencl. Cardinal.

PETRO CESARI CAROLO LEONARDO TRIBVS LIBE-
RIS ADHVC IMPVBERIBVS PIENTISS. PATER HOC
EODEM HIPOGEO CONDIT.

Vir fuit in tota vita verax, & integer animi, ac in dicenda ſententia integerrimus; ingenio enim manſueto, & comi, moribus ſuauiſſimis ornatus tum Eccleſiam Bononienſem, tum legationum munera, ſumma cum integritatis, æquitatis, iuſtitiæ, ac humanitatis laude adminiſtrauit.

Card. Papienſ. in Epiſtolis. Vbert. Foglieti. in Elogijs claror. Ligurum.

VII.



Ciaconius

Panuinius

And. Victorel. in ad. A Idmon. ad Giacô.

Aubery in vita.

Antô. Poſſeu. in Biblioth.

Io. Trithemius.

Robert. Bellarm. de Script. Eccleſ.

Xyſtus Senenſis in Biblioth.

Pius II. in Commentarijs.

Hier. Garimbert.

Gab. Pennot. in hiſtor. Tripartita.

Felix Côtelorius in Elencho.

Ant. Sander. in elogijs Card.

Carol. Sigon. in vita Nicolai Card. Albergat.

Iac. Philipp. Bergomeo in Chron.

Krantzius in Vvandalia.

MAG. D. NICOLAVS de Cuſa, ſeu Cuſanus dictus, quia natus in vico Cuſæ apud Moſellam fluuium in Diœceſi Treuirenſi, ex aliquibus Canonicus Regularis, & Decanus S. Florini Conſtantienſis, ex Præpoſito Monaſterij Vrotobergenſis, Archidiaconus Leodienſis, & Protonotarius Apoſtolicus eſt renunciatus. Adhuc iuuenis cum Baſileenſibus Concilij poteſtatem extulit, at cum vidit eorum pertinaciam eò vergere, vt Schiſma excitaretur, ſententiam inſanam deteſtatus, Iuliaunm Cæſarinum, quem patrem & Præceptorem ſuum nuncupauit, & Aeneam Syluium ſecutus, pro Eugenio côtra illos decertauit. Vide epiſtolam eius primam ad Rodericum Archidiaconum de Treuino Regis Caſtellæ in Francofordienſi conuentu Oratorem; in qua de ſummi Pontificis poteſtate optimè diſſerit, & Schiſma diabolicum crimen nominat. Ob doctrinam eximiam, omnium enim ſui æui Theologorum princeps eſt habitus, & miram prudentiam, inter Presbyteros Cardinales titulo S. Petri ad Vincula aliàs Eudoxiæ cooptatus, poſtea Epiſcopus Brixinenſis, plures & varias habuit ad diuerſos Principes legationes. Ad Regem enim Francorum ante adeptam purpuram miſſus, acerrimè in eius conſpectu multis adſtantibus Prælatis, Eugenij IV. auctoritatem, & cauſam defendit, ipſum legitimum Pontificem, verum Chriſti Vicarium, & Petri Succeſſorem aſſerens, contra verò Felicem Antipapam in Eccleſia intruſum, & vt tali non obediendum. Iam renunciatus Cardinalis ad Federicum Imperatorem à Nicolao Quinto miſſus eo tempore, quo Religio Chriſtiana ob diſcordiam patrum in Concilio Baſileenſi, maximo in periculo verſabatur, mirum in modum ſe geſſit; & maximè tanti viri enituit prudentia, idque pro quo miſſus fuerat, opus compleuit. Iterum in Germaniam Legatus ſe contulit tum ad corrigendos Eccleſiaſticorum mores, tum pro ineunda pace inter Theodoricum Archiepiſcopum Colonienſem, & Ducem Cliuenſem. Tertiò Germanicam legationem ſubijt ad ſubmouendas diſſenſiones occaſione tutelæ Ladiſlai Regis inter Principes Regni Hungariæ, & Boemiæ, ac Federicum Imperatorem. Neque hic finis legationum; iterum eandem prouinciam ter ſubijt, primò vt nobiles Pruſſiæ, & fratres Hoſpitalis B. Mariæ Theutonicorum induceret ad pacem; ſecundo pro pace procuranda inter Regem Franciæ, & Angliæ; demum ad ſolum Regem Angliæ pro bello Turcico. Proficiſcente Pio II. ad Concilium Mantuanum, Nicolaus ad Vrbis regimen relictus eſt: dum Legati Germanici munere fungeretur, Synodum Magdeburgenſem conuocauit, & annum ſecularem ſacrum indixit. Norimbergam ſe conferens, anno 1451. die vltima Aprilis mandatum edidit, quo Religioſis omnibus

A religioſam obſeruantiam infra vnius anni ſpatium admittendam, imperabat.

In omni diſciplinarum genere diligentiſſimè verſatus ſcripſit præclara Opuſcula ſæpius Typis admota, ac tribus voluminibus hoc ordine diſtincta.

Tomo Primo.

Nomencl. Cardinal.

De Docta Ignorantia ad Iulianum Cæſarinum Cardinalem.
Apologiam Doctæ Ignorantiæ.
De Coniecturis libros duos.
De Filiatione Dei.
De Geneſi. ***
Idiotæ de Sapientia libros quatuor.
De Viſione Dei.
De Ludo Globi myſticè libros duos.
De Fortuna.
Compendium.
Directorium Speculantis. ***
Trialogum de Poſſeſſiuo.
De Berillo.
De Dato Patris Luminum.
De Quærendo Deum.
De Venatione Sapientiæ.
De Apice Theoriæ.
De Deo Abſcondito. ***

Iacob. Oudin de ſcript. Eccleſ.

Hippolit. Marrac. in Purpura, & in Bibl. Mariana.

Tomo Secundo.

De Annunciatione Dialogum.
Exercitationum libros decem.
De Aequalitate.
De Concordia Catholica ad Concilium Baſileenſe.

Epiſtolarum librum: harum nonnullæ ſunt ad Boemos, vt eos ad Eccleſiæ vnitatem reuocaret, eiſque Ioannem de Capiſtrano ordinis Minorum, virum ſanctitate clarum laudat: aliæ ſunt ipſi Capiſtrano ſcriptæ. C

De Pace fidei.
Cribrationem Alcorani libris tribus.
De Nouiſſimo Die.

Tomo Tertio.

De Geometricis Tranſmutationibus.
De Arithmeticis Complementis.
De Mathematicis Complementis ad Nicolaum V. Papam.
De Quadratura Circuli, ad quam Mathematicorũ turba noctuat.
De Sinibus, & Chordis.
De vna recti, curuique menſura.
Complementum Theologicum.
De Mathematica Perfectione.
Reparatio Kalendarij. D
Correctio Tabularum Alphonſi.

Apud Fr. Lucam Vvaddingum in Annalibus Minorum reſcriptas inuenies aliquas Ioannis Capiſtrani literas ad Nicolaum Cardinalem Cuſanum datas.

Obijt Tuderti in Vmbria, anno ætatis ſuæ 63. Chriſti 1464. die vndecima, ſeu duodecima Auguſti: corpus Romam relatum in titulo Eudoxiæ conditum eſt cum hac ſepulchrali Inſcriptione.

NICOLAVS DE CVSA TREVERENSANI
S. PETRI AD VINCVLA CARDINALIS BRIXINEN EPISCOPVS TVDERTI OBIIT MCDLXIV. XI AVGVSTI OB DEVOTIONEM CATENARVM S PETRI HIC SEPELIRI VOLVIT DILEXIT DEVM TIMVIT ET VENERATVS EST AC ILLI SOLI SERVIVIT PROMISSIO RETRIBVCIONIS NON FEFELLIT EVM.

E In Eccleſia principe Saliſburgenſi alta extat huiuſce Cardinalis memoria duobus tantum carminibus expreſſa.

QVI IACET ANTE TVAS NICOLAVS PETRE CATENAS,
HOC OPVS EREXIT CETERA MARMOR HABET.

Ant. Bertill. in vita S. Nicolai.

Prope Cuſæ vicum, in quo ortum habuit, vt diximus ſupra, in S. Nicolai honorem Xenodochium erexit, reddditibus magnis, & nobili Latinorum, & Græcorum Librorum ſupellectili auxit. Ad hanc Hoſpitalē domum Cor Nicolai delatum, in Templi choro ſub marmore collocatum fuit. Tectum Eccleſiæ S. Petri ad Vincula de nouo conſtruxit eidemque Baſilicæ varia ornamenta reliquit.

Magnarum virtutum vir, & clarum Germaniæ ſidus à nonnullis appellatur; à Cardinale Bellarmino æquè pius, ac doctus; à Poſſeuino ſcientijs penè vniuerſis expolitus, Canonum peritia eximius, aliiſque dotibus excultus; à Trithemio in diuinis ſcripturis eruditiſſimus, F Theologorum ſui temporis facilè princeps. In ſecularibus literis egregiè doctus, Phyloſophus, Rhetor, Mathematicus celeberrimus, ingenio ſubtilis, eloquio diſertus, linguarum Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ peritus, vita, & conuerſatione integerrimus, & ſingulariter deuotus, ſincerus, ac feruidus, ſalutis animarum amator, qui in Germanicis legationibus multa, eaque vtilia pro Eccleſiæ reformatione, & præcipuè ordinis Benedictini conſtituit. Laudatur à Xiſto Senenſi, à Boſtio, & ab alijs. Vincentius Belluacenſis in ſuo Speculo Hiſtoriali hoc Nicolao de Cuſa Cardinali ſcripſit elogium. *Vir ſuæ* A *ſua tempeſtate doctiſſimus, vitiorum hoſtis acerrimus, integritate animi admirabilis, vir ſupra opinionem eloquens, & latinus, & tanta omnium doctrinarum vbertate præditus, vt quicquid ex tempore dicendum incidiſſet, ad tali copia diſſereret, vt illi ſoli facultatis ſtuduiſſe conſeretur. Hiſtorias omnes recentiores, & antiquas memoria tenebat, & in Mathematicis diſciplinis fuit ſuo tempore illo doctior nullus.*

Antonius Senenſis in ſua Bibliotheca Nicolaum hunc Cardinalē de Cuſa inter ſcriptores ſacri ordinis Prædicatorũ recenſet; ignota tamē omnino mihi ſunt quæ illum ad hæc affirmanda impulerũt.

Pro Feudis, & Iuriſdictione Eccleſiæ Brixinenſis cum Sigiſmundo Auſtriæ Duce contentionem habuit; quare à Sigiſmundo in Caſtro Braunecco in ipſa Paſchatis ſolemnitate contra fidem datam, captus, & in eius poteſtate per dies aliquot omni contumeliarum, & ignominiarum genere affectus duriſſimè retinetur. Nec libertatem B obtinere valuit, niſi remiſſis iniurijs, Caſtro quodam tradito, magno auri pondere ſoluto, alijſque extortis conditionibus. De quibus certior factus Pius II. Romanus Pontifex Nicolai defenſionem ſuſcepit, ac Sigiſmundum anathemate notauit.

TERTIA CREATIO VNIVS CARDINALIS.



VIII.

AMENEVS olim Dux Sabaudiæ, Felix V. in ſua obedientia dictus, die 7. Aprilis anno 1449. qua ceſſit Pontificatui, renunciatus eſt Epiſcopus Cardinalis Sabinēſis, ſacri Collegij Decanus, & ſedis Apoſtolicæ Legatus, ac Vicarius perpetuus in Prouincijs, Ciuitatibus, Diœceſibus, ac Dominijs Duci Sabaudiæ mediatè, vel immediatè ſubiectis; necnon in Terris Bernenſium, quæ in Diœceſi Lauſanenſi conſiſtunt, hoc addito, vt ſi vltra tres dies extra legationis fines moram traxiſſet legatio expiraret, vt conſtat ex Nicolai Diplomate ſcripto Fabriani jv. Kal. Septembris anno Incarnationis Dominicæ 1449. de illo plura ſupra.

Ciaconius

Felix Cōtelorius in Elencho.

Aubery in vita.

QVARTA CREATIO CARDINALIVM.

D *Die Veneris 19. Decembris anno* 1449. renunciati, & die ſequenti publicati, ſunt hi Cardinales.



IX.

LVDOVICVS Alemandus, ſeu Alamannus à Martino Quinto inter Sanctæ Romanæ Eccleſię Cardinales cooptatus, & ab Eugenio Quarto illa dignitate priuatus, à Nicolao ad Cardinalatus dignitatem reſtitutus titulum ſanctæ Cæciliæ obtinuit. De illo plura ſupra in Martino V. Pontifice. E

Ciaconius

Andr. Victorell. in Addit. ad Ciaconiũ.

Io. Chenu de Epiſc. Galliæ.

Panuinius



X.

IOANNES de Arſijs, ſeu Arſius, natione Gallus, Archiepiſcopus Tarantalienſis interfuit conuentui Baſileenſi, & fauit Felici, a quo, vt diximus inter Pſeudocardinales cooptatus, ad Schiſmatis ignem extinguendum à Nicolao Presbyteris Cardinalibus titulo SS. Nerei, & Achillei adſcriptus eſt. Deceſſit in Sabaudia, die 12. Decembris, anno 1453. & ſepultus Monaſterij ad Iſaram, aliàs Tarantaſiæ: de hoc etiam ſupra in Felice V. Antipapa. F

Ciaconius

Panuinius

Pet. Prinſ. in Gallia Purpurat.

Aubery in vita.

Felix Cōtelorius in Elencho.

Lvdo-

Ciaconius
Panuinius
Aubery in vita.
Pet. Frizō. in Gallia Purpurat.
Felix Cōtelorius in Elencho.



A

XI.

LVDOVICVS de la Palu Comes, ſeu Dominus de Varambone, natione Gallus, in Synodo Conſtantienſi cuſtodiam, & prouinciam Concluſis habuit, cum electionis calculi Martino V. concederentur. Felicis partes ſecutus purpuram ab illo primò, mox à Nicolao V. Romano Pontifice obtinuit titulo ſanctæ Anaſtaſiæ, quo relicto, vt ſcribunt aliqui, alium S. Cæciliæ accepit. Lucis vſura B priuatur Romæ, die 21. Decembris, anno 1451. ex Contelorio, ex Frizonio verò 1455. corpus conditum in Principis Apoſtolorum Baſilica Vaticana: Plura de illo ſupra ſub Felice V.

Ciaconius
Pet. Frizō. in Gallia Purpurat.
Aubery in vita.
Panuinius



XII.

HVGONIS Guiliermus de Stagno, natione Gallus, patria Virdunenſis Sancti Vitoni ordinis S. Benedicti in C Ciuitate Virdunenſi Cœnobiarcha, non modò in Metenſi Eccleſia, ſed etiam in Virdunenſi Archidiaconatus officio decoratus, Felici V. fauit, à quo inter Pſeudocardinales cooptatus, ſed poſtea ex concordia inter ipſum Felicem, & Nicolaum facta, à Nicolao V. Presbyter Cardinalis S. Sabinæ renunciatus, Cardinalis Metenſis eſt nuncupatus. Epiſcopatum Sedunenſem, cui poſtea ceſſit, & administra- D tionem Eccleſiæ Forolinienſis in prouincia Aquenſi obtinuit. Eccleſiā Parœcialem in Villa de Eſtain curauit ædificari eo ſchemate, quo etiam nunc intuentium oculis apparuit: Petro Barbo Veneto Cardinali S. Marci, poſtea Pontifici Paulo II. peculiari neceſsitudine coniunctus fuit. Magna cura res Eccleſiæ Virdunenſis proſecutus eſt Romæ, proinde toti Clero Virdunenſi gratiſsimus: curauit à Nicolao V. Romano Pontifice confirmari duo Statuta Canonicorum Virdunenſium, in quæ iurant, dum admittuntur, primum ſe ortos in, & ex legitimo matrimonio, ſecundum conditionis ſe eſſe liberæ, non ſeruos.

Felix Cōtelor. in Elencho.

Romæ deceſsit, die 28. Octobris, anno 1455. & ſepultus in ſuo S. Sabinæ titulo prope principem aram cum hoc Epitaphio.

E

Hugonis Guiliermus eram conſultus vtroque
Iure, ſed è Stagno Virdunis natus in oris.
Præsbyter intactæ titulo præſtante Sabinæ
Inter Cardineos donatus denique Patres.

Obijt Anno MCCCCLV. Die Octobr. xxviij.

In eadem Eccleſia prope ſepulcrum Cardinalis eſt hæc Nepotis ſepulcralis inſcriptio.

F

Beunoleto Hugonis F. Decano Virdunenſi Guiliermi Cardin. Metenſi Nepoti apud Auunculi pientiſſimi oſſa Georgius Guiliermi Agnatus ex teſtamento . . . .
Obijt Kal. Martias MCCCCLXVII.

EPISCOPI CARDINALES
à Nicolao V. Rom. Pont. ex Ciaconio creati.

Amedeus Sabaudienſis, Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis, & ſacri Collegij Decanus.

Georgius Fliſcus Genuenſis, ex Presbytero titulo ſanctæ Anaſtaſiæ Eugenij IV. Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Velitermus.

Iſidorus Græcus, ex Presbytero titulo ſanctorum Petri & Marcellini Eugenij IV. Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis.

Beſſarion Græcus, ex Presbytero Baſilicæ ſanctorum Duodecim Apoſtolorum Eugenij IV. Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus.

Guilelmus de Eſtouteuilla, ex Presbytero titulo ſanctorum Syluestri, & Martini in montibus, aliàs Equitij Eugenij IV. Epiſcopus B Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ.

Nicolaus V. tribus ex Ciaconio, ex Contelorio verò quatuor Ordinationibus, menſibus Martio, & Decembri factis, Epiſcopos quinque Cardinales, ex antiquis Presbyteris, Presbyteros verò duodecim, ſed vnum priuatum reſtituit, & alterum, Petrum ſcilicet Barbum Venetum, ex Diacono ſanctæ Mariæ Nouæ Presbyterum Cardinalem ſancti Marci renunciauit.

VICECANCELLARIVS S.R.E.
ſub Nicolao V. Romano Pontifice.

Franciſcus Condolmerius, Venetus, nepos Eugenij IV. Epiſco- C pus Cardin. Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ S. R. E. Vicecancellarius ab anno primo Pontificatus ad ſeptimum: reliquo tempore ſine Vicecancellario fuit Eccleſia Romana.

CARDINALES MORTVI
ſub eodem Pontifice.

Nicolaus de Acciapacio, Surrentinus, Presbyter Cardinalis ſancti Marcelli, deceſſit, die 3. Aprilis, anno 1447.

Antonius Martini de Clauibus, Luſitanus, Presbyter Cardinalis ſancti Chryſogoni, die 11. Iulij, eiuſdem anni 1447.

Reginaldus de Caruare, Gallus, Presbyter Cardinalis ſancti Stephani in Cœlio monte, anno 1448.

D Ioannes de Pontibus, aliàs de Vrſinis, Neapolitanus, Presbyter Cardinalis ſanctorum Nerei, & Achillei, titulo Faſciolæ deinde Epiſcopus Prænestinus, die 21. Ianuarij, anno 1449.

Ioannes Siculus, Meſſanenſis, monachus Congr. s. Iuſtinæ Presbyter Card. S. Sabinæ, die eodem 21. Ianuarij, eiuſdem anni 1449.

Amedeus Dux Sabaudiæ, poſtea in Schiſmate Felix V. quo extincto Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis, die 13. Ianuarij, anno 1450.

Henricus de ſancto Alloſio, Papienſis, Presbyter Cardinalis ſancti Clementis, die 4. Iulij, anno 1450.

Ludouicus Alemandus, Gallus, Canonicus Regularis, Presbyter Cardinalis ſanctæ Cæciliæ, die 14. Septembris, anno 1450.

Ioannes Iuuenis Picardus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Praxedis, poſtea ſancti Laurentij in Lucina, die 9. Septembris, aut De- E cembris, anno 1451.

Aſtorgius Agnenſis, Neapolitanus, Presbyter Cardinalis ſancti Euſebij, die 10. Octobris, anno 1451.

Ioannes Kemp Anglus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Balbinæ, deinde Epiſcopus Portuenſis, die 22. Martij, anno 1453. ſeu ex alijs 1454. vel anno 1456.

Franciſcus Condolmerius, Venetus, nepos Eugenij IV. Presbyter Cardinalis primò ſancti Clementis, poſtea Epiſcopus Portuenſis, die 30. Octobris, anno 1453.

Ioannes Ceruantes, Hiſpanus, Presbyter primò Cardinalis ſancti Petri ad Vincula titulo Eudoxiæ, deinde Epiſcopus Oſtienſis, die 25. Nouembris, anno 1453.

F Ioannes Grunenualder, Germanus, Pſeudopresbyter Cardinalis ſanctorum Syluestri, & Martini in montibus titulo Equitij, die 2. Decembris, anno eodem 1453.

Ioannes Arſius, Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctorum Nerei & Achillei, die 12. Decembris, anno pariter 1453.

Sbigneus Oleſnicius, Polonus, Presbyter Cardinalis ſanctorum Aquilæ, & Priſcæ, die prima Aprilis, 1455.

CALLISTVS III. PONTIFEX CCXIII.

ANNO DOMINI MCCCCLV.





IN NOMINE DEI, ET SALVATORIS Noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen.

CALLISTI primordia.

CALLISTVS III. Hiſpanus, Valentinus, Alphonſus Borgia, ante Pontificatum vocatus, ex oppido inſigni, & antiquo Setabenſi, Satiua vulgò vocato, in agro, & Diœceſi Valentina ſito, patre Ioanne, & matre Franciſca, generoſis parentibus, anno 1378. vltima die Decembris natus, parentum cura optimè in bonis moribus, & virtutibus educatus, quintumdecimum annum agens, in Illerdenſi Gymnaſio, Diuinis, Humaniſque literis accuratè vacauit, vt breui Vtriuſque Iuris Doctor factus, eaſdem facultates publicè profeſſus fuerit. Eius doctrinæ opinione adductus Benedictus XIII. eum Canonicum Illerdenſem vltrò creauit. Ab Alphonſo Rege Arragonum, & vtriuſque Siciliæ adſcitus à Secretis aliquando fuit; cuius ſtudio præcipuè, & opera Clemens VIII. adulterinus Pontifex, qui Benedicto XIII. in Schiſmate ſuffectus fuerat, abdicauit. Verùm quum iam eius doctrina omnibus nota eſſet, ad Alphonſum Arragonum Regem profectus, eius con ſilio, & ſecretis ſtatim adhibetur. Cum autem Martino Pontifice Eccleſiæ Maioricenſis Gubernator factus eſſet, perſuaderéntque amici, vt Eccleſiam ipſam in titulum acciperet, facturum ſe id renuit, quòd diceret, ſe expectare Epiſcopatum Valentinum. Quem haud ita multo poſt ſuo merito conſequutus eſt. Cum enim mortuo Benedicto XIII. duo eiuſdem Pſeudocardinales Aegidium quondam Canonicum Barchinonenſem in locum demortui Benedicti, Peniſcholæ Pontificem creaſſent, quem Clementem VIII. appellabant, eò ſtatim ab Alphonſo Rege, qui iam cum Martino V. Pontifice in gratiam redierat, Alphonſus Borgia miſſus eſt, non ſine magno ſui, ac comitum diſcrimine, adeò locus ille Peniſcholæ tyrannicè cuſtodiebatur, & ab iis potiſſimum, quorum maximè intererat diſcordias alere. Qui Alphonſus adeò rationibus, & auctoritate Aegidium ipſum ad ſanitatem deduxit: vt poſtea ſuperueniente Petro Fuxo Martini V. Cardinale Legato Pontificio nomine ſe abdicauerit, in poteſtatémque Pontificiam deuenerit. Hanc ob rem Martinus Pontifex, & Aegidium Maioricenſem, & Alphóſum Borgiam Valentinum Epiſcopum creauit; orto deinde bello inter Alphonſum Arragoniæ, & Ioannem Caſtellæ Reges; ſolus Alphonſus Borgia delectus eſt, qui ad pacem Reges adhortaretur. Quam ſeptennio, poſt inchoatum bellum, tanta cum diligentia compoſuit, contracta etiam inter eos affinitate, vt hodie quoque aliqua illius fœderis pacta ſeruentur. Rex deinde hominem ad Eugenium miſit, qui tum Florentiæ erat, quo cum de pace ageret. Vitelleſcus enim, Eugenij nomine, Regnum Neapolitanum armato milite ingreſſus, longè, ac latè omnia populabatur, prohibitúrus, quo minus Rex Neapoli, quam tunc oppugnabat, potiretur. Cum autem res in longum protraheretur, Eugeniòque in mentem veniſſet viginti Cardinales creare, Valentinum Epiſcopum in horum numerum retulerat. Quam quidem dignitatem conſtantiſſimè renuit, quòd diceret, id ſibi nequaquam integrum eſſe, re præſertim, ob quam venerat, infecta. Redeunte deinde Romam Eugenio, cum Patriarcha Aquilenſis Tarracinam ad Regem miſſus, pacem inter Pontificem, & Regem compoſuiſſet, fœdaque miſſet, iis Valentinus Epiſcopus ſemper interfuit, auctoritatémque ſuam interpoſuit, & diligẽtiam, adeò autem à Pontifice diligi cœptus eſt, vt eum breui Cardinalem creauerit titulo ſanctorum Quattuor Coronatorum: Romámque ad ſe acceſſierit, qui non minore modeſtia in Cardinalatu vſus eſt, quàm antea in Epiſcopatu fecerat: ab omni pompa, & inani gloria alienus ſemper fuit: in dicendis autem in Senatu ſententiis ita gratus habebatur, vt nihil vnquam per adulationem, & gratiam loquutus ſit.

CALLISTI electio.

Mortuo deinde Eugenio, eiuſq; ſucceſſore Nicolao V. Pontifice, maior pars ſuffragiorum in Beſſarionem inclinabat, & auertit nonnullos Alanus Cardinalis Auenionenſis. Igitur ad 6. Idus Aprilis, die Martis Paſchalis, hora diei 4. quinto Conclaui die, cum ventum denuò eſt ad ſcrutinium, via, quæ per acceſſum vocatur, tentata, in eum duæ partes conſenſerunt, de quo minor erat expectatio populis, is fuit Alphonſus Borgia Presbyter Cardinalis tit. ſanctorum Quattuor Coronatorum ab Eugenio IV. Papa factus, ſcientia iuris eminentiſſimus, & multarum rerum experientia præditus; verùm ſenio grauis, & propemodum decrepitus: ſeptuageſimum enim ſeptimum annum agebat; qui etſi antea aliquot annos, vacante ſede Apoſtolica, ſuam aſſumptionem fermè omnibus prædixerat, ſéque procul dubio futurum Pontificem maximum affirmauerat, nullus tamen opinionem ad ſe traxerat, & delirare potiùs, more ſenum exiſtimabatur. Sed fuit eius vaticinium verax, quòd à beato Vincentio Ferrerio ſe habuiſſe narrabat, ſuæ nationis homine iã vita functo, quem poſtea inter ſanctos Chriſti Confeſſores retulit. Mirandũ, Hiſpanos nationem, vt ſibi videtur, natam Imperio ante hoc tempus nullum protuliſſe Pontificem Romanum, niſi Damaſum, & Ioanné, Hadriani V. ſucceſſorem, Calliſtus demùm Tertius Hiſpanus, ſeptuageſimo ſeptimo ætatis anno creatus Pontifex corpore quidem imbecillo, & valetudinario, ſed animo ingenti, & mente ita valuit, vt bellum in potentiſſimos hoſtes nominis Chriſtiani Turcas parare auſus ſit.

CARDINALES XX. VIVI quando Calliſtus Papa III. creatus eſt.

EPISCOPI CARDINALES IV. EVGENII PAPAE IV.

1. Georgius Fliſcus, de Sauignano, Ligur. Genuenſis, Epiſcopus Card. Oſtienſis, & Veliternus, ſacri Collegij Decanus.
2. Iſidorus, Theſſalonicenſis, Græcus, Archiepiſcopus Ruthenorum, monachus S. Baſilij, Epiſcopus Card. Sabinus.

3. Beſſarion Trapezuntius, Græcus, monachus ſancti Baſilij, Conſtantinopolitanus, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus.

4. * Guillelmus de Eſtouteuilla Gallus, Normandus, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ.

PRESBYTERI CARDINALES XIV.

EVGENII PAPAE IV.

5. * Petrus à Scouuembergh, ex Franconia oppido, Diœceſis Herbipolenſis, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Vitalis, alias Veſtinæ.

6. * Dionyſius Zechus, Hungarus, Archiepiſcopus Strigonienſis, Presb. Card. S. Cyriaci in Thermis.

7. Fr. Ioannes de Turrecremata, ordinis Prædicatorum, Magiſter in Theologia, Hiſpanus, Presbyter Cardinalis tit. S. Xyſti.

8. Ludouicus Scarampus Mediarota, Patauinus, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Laurentij in Damaſo.

9. Dominicus Capranica, Romanus, Epiſcopus Firmanus, Presbyter Cardinalis tit. ſanctæ Crucis in Hieruſalem, S. R. E. Maior Pœnitentiarius.

10. Alphonſus Borgia, Epiſcopus Valentinus, Hiſpanus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctorum Quattuor Coronatorum, qui electus Papa, Calliſtus III. vocatus eſt.

11. Petrus Barbus Venetus, Epiſcopus Vicentinus, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Marci.

NICOLAI PAPAE V.

12. Antonius Cerdanus, Maioricenſis, Hiſpanus, Epiſcopus Ilerdenſis, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Chryſogoni.

13. Latinus Vrſinus, Domicellus Romanus, Archiepiſcopus Tranenſis, Presbyter Cardinalis ſanctorum Ioannis, & Pauli titulo Pammachij.

14. Alanus Coetiuus, Brito, Gallus, Archiepiſcopus Auenionenſis, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Praxedis.

15. * Ioannes Raolinus, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Stephani in Cœlio monte.

16. Philippus Calandrinus Sergianenſis, Epiſcopus Bononienſis, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Laurentij in Lucina.

17. * Magiſter Nicolaus de Cuſa, Epiſcopus Brixinenſis, Germanus; Presbyter Cardinalis ſancti Petri ad Vincula tituli Eudoxiæ, Canonicus Regularis.

18. Guillelmus Hugonis de Stagno, Gallus, Virdunenſis, Archiepiſcopus Metenſis, Presbyter Cardinalis tit. S. Sabinæ.

DIACONI CARDINALES II.

MARTINI PAPAE V.

19. Proſper Columna, Domicellus Romanus, Diaconus Cardinalis ſancti Georgij in Velabro, S.R.E. Archidiaconus, ſeu Prior Diaconorum.

EVGENII PAPAE IV.

20. Ioannes Carauagial, Hiſpanus, electus Placentinus, Diaconus Cardinalis ſancti Angeli in foro piſcium.

Cardinales igitur 15. præſentes Romæ in Conclaui fuere, reliqui aſteriſcis ſignati, abfuerunt.

CORONATIO PAPAE CALLISTI III.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1455. *Kal. Maij*, die Dominico, ſanctiſſimus in Chriſto pater Calliſtus III. Pontifex maximus in gradibus ante fores Baſilicæ Principis Apoſtolorum Vaticanæ, ſuæ Coronationis inſignia ſuſcepit, per Proſperum Columnam Domicellum Romanum, Martini V. nepotem, Diaconum Cardinalis ſancti Georgij ad Velabrum S. R. E. Archidiaconum, Cardinalibus, Epiſcopis, Clero, & infinita ferè populi multitudine adſtante: bis defecit Pontifex in Conſecratione, & fere mortuus reputatus: ſedit, Imperatore Friderico III. Auguſto annos 3. menſes 4.

CALLISTUS bellum in Turcas indicit.

Calliſtus III. ſtatim poſt ſuæ Conſecrationis ſollemnitatem, in publico Conſiſtorio, bellum ſacrum, quòd Cruciatam appellant, Turcis hoſtibus noſtræ ſanctæ Fidei infenſiſſimis induxit: qui pauló ante Conſtantinopolim, & totum Orientale Imperium, pulſis Chriſtianis, occupauerant; id ſe ante Pontificatum vouiſſe oſtendit ſuo Chirographo his verbis ſcripto, quod in libro quodam extabat. *Ego Calliſtus Pontifex Deo omnipotenti, ſanctæ, ac indiuiduæ Trinitati, voueo, me bello, maledictis, interdictis, execrationibus, & denique quibuſcumque rebus potuero, Turcas, Chriſti nominis hoſtes, ſæuiſſimè perſequuturum.* Admirati ſunt omnes, qui aderant, quòd Pontificatus nomen ſibi deſumpſiſſet ante adeptam dignitatem, quódque homo ſenex, ac ferè decrepitus tantum animi haberet. Vt autem, quòd promiſerat, re ipſa præſtare poſſet, Prædicatores per totam Europam ſtatim miſit, qui omnes Chriſtianos in Turcas animarent, quique facultatum aliquid, & opum ſuarum ad tantam expeditionem conferrent, gratiam Dei, & Apoſtolicam lucrarentur. Ex his autem facultatibus ad ſexdecim triremes Romæ ædificatas in hoſtem miſit, Patriarcha Aquileienſi Præfecto, qui triennio maritima hoſtium Aſianorum vexauit, Inſulas quaſdam cepit, ac magnas calamitates hoſtibus intulit, vt Platina, in vita Calliſti Tertij Pontificis teſtatur.

INFIDELES principes in Turcas excitat.

Ad Vſuncaſſanum Perſarum, & Armeniæ Principem, & ad Regem Tartarorum, Ludouicum Bononienſem ordinis ſancti Franciſci fratrem miſit, cum multis, & magnis cohortationibus eos in Turcas excitans. Qui ſuaſu hominis, & magnas Turcis calamitates intulere: & oratores eorum, quos ad Calliſtum deſtinauerant, ad Pium Secundum eius ſucceſſorem tandem peruenerunt: quos certè cum admiratione, cum ob interualla locorum, vnde venerant, cum vel propter habitum noſtris oculis inſuetum, ſe inſpexiſſe Platina teſtatur, ferunt, Vſuncaſſanum ſuperatis perſæpe hoſtibus ad Pontificem ſcripſiſſe, ſe quidem victoriam ex hoſte reportaſſe, ob preces ab eo ad Deum habitas, eiúſque beneficij, diuini potius, quam humani ſe aliquando memorem futurum. Inchoata hæc amicitia à Calliſto eſt, quam nunc conſtanter Chriſtiani cum ipſo Principe retinent, qui Turcam continuis prælijs vexat.

B. VINCENTIJ Hiſpani Canonizatio.

Pontifex autem ad tranſigenda negocia Pontificia animum adijciens, B. Vincentium Ferrerium Hiſpanum concionem ſuum, ordinis Prædicatorum, in ſanctos Confeſſores retulit, qui obierat in Britannia nonis Aprilis, anno Domini 1408. ætatis ſuæ 78. ob eamque rem ſupplicationibus Deo gratias egit ab Eccleſia Mineruæ, ad S. Petrum, continuato magno Cleri, ac populi Romani apparatu. Qui à Martino V. fuerat à Principibus Galliarum, & Hiſpaniarum, à ciuitatibus, & academijs inſtanter poſtulatus. Martinus quidem affectus erat honori ſancto præſtando; verùm aliquot negocia occurrentia impedierunt: interceſſerunt poſtea Eugenij IV. & Nicolai Quinti Pontificatus, vſque ad Calliſtum III. qui id negocium abſoluit, ſicut diuinitus fuerat prædictum, anno 1455. die 29. Iunij.

De Eadmundo Anglo idem factum, refert Platina in eius vita, & alij teſtantur. Eadmundus Rex Angliæ anno 1136. martyrium paſſus, xij. Kalen. Decembris, cuius vitam, & martyrium ſcripſit Abbo Floriacenſis, & Haymo Eboracenſis, Surius tomo ſexto.

MERIDIANÆ orationis inſtitutio. BELLVM inter Chriſtianos, & Turcas.

Apparente deinde per aliquot dies cometa crinito, & rubro, longa cauda, cum Mathematici ingentem peſtem, charitatem annonæ, magnàmque aliquam cladem futuram, dicerent, ad auertẽdam iram Dei, Calliſtus aliquot dierum ſupplicationes decreuit, vt ſi quid hominibus immineret, totum id in Turcas Chriſtiani nominis hoſtes conuerteret. Mandauit præterea, vt aſſiduo rogatu Deus flecteretur, in meridie campanis ſignum daretur fidelibus omnibus, vt orationibus eos iuuarent, qui contra Turcas dimicabant; creditum, precibus communibus fidelium, Chriſtianos ad Bellogradum contra Turcas dimicantes, Duce Ioanne Hunniade Vaiuoda, viro clariſſimo, aſtante etiam Ioanne Capiſtrano ordinis Minorum, Crucemque pro Vexillo hoſtibus inferente, ingenti ſtrage hoſtium, ita victoriam reportaſſe: ſupra triginta hominum millia ex hoſtibus interfecta ſunt, cum parua noſtrorum manu, anno 1456. ducenta fermè tormenta capta, Imperator cum paucis euaſit. Nuncius Romam huius victoriæ, die 22. Auguſti eiuſdem anni venit, vt Carauagial Cardinalis ſancti Angeli ad Pontificem, & Dominicum Capranicam S. Crucis in Hieruſalem ſcripſit: ea clade perterritus Turca ſaucius Conſtantinopolim properè ſe recepit. Actum de crudeliſſimo hoſte tunc certè fuiſſet, ſi Chriſtiani Principes, omiſſis inteſtinis bellis, & odijs, terra, ac mari tantam victoriam proſequuti fuiſſent, quemadmodum Calliſtus prædicabat, & monebat. Verùm Turca, reſumptis viribus, & Trapezuntem priùs, Imperatore interempto, & Boſſinam deinceps, Rege capto atque interfecto, poſtea cepit; admonentibus Chriſtianos omnes his, qui rerum experientia, & locorum cognitione, tantam cladem à longe tanquam è ſpecula quadam præuidebant. Nõ ceſſabat Calliſtus literis, & Nuncijs Principes Chriſtianos adhortari, vt in tanto malo oculos aliquando aperirent, fruſtra remedia deinceps quæſituros, vbi iam hoſtis inualuiſſet; ecce autem vir bonus hæc meditabatur, & prædicabat.

CALLISTUS celebrationẽ officij Transfigurationis Ieſu Chriſti inſtituit.

Ob id & celebrationem & Officium Transfigurationis Domini noſtri Ieſu Chriſti ipſe Pontifex inſtituit, & compoſuit, iuſſitque eo modo, atque his Indulgentijs haberi debere, quibus & ſollemnitas Corporis Chriſti.

Mortuo deinde Comite Taliacotij, quem ſuperiore anno Pontifex Vrbis Præfectum creauerat, Calliſtus Borgiam nepotem ſuum, & Vrbis Præfectum creauit in locum demortui Comitis, & eundem militibus Eccleſiaſticis præfecit, quò facilius Barones Vrbis Romæ in officio contineret.

Calliſtus Papa III. eiectis Canonicis Regularibus, quos Eugenius Quartus in Baſilicam Lateranenſem induxerat, Seculares reſtituit, qui fuerunt Romani decem, & octo in gratiam Vrbis, inter quos fuere quinque Barones, & quattuor Doctores.

Alphonſus vtriuſque Siciliæ Rex, obijt anno 1458. ætatis 73. Neapoli potentiſſimus ea tempeſtate, vt qui ſeptem Regnis imperaret, ſedente Calliſto III. Papa, ſine legitimo hærede, filio Ferdinando extra matrimonium genito, hærede conſtituto. Quem Eugenius IV. & Nicolaus V. Regni capacem reddiderant, & quem Regni Principes, ac Ciuitates omnes ſupra ſe Regem acceperunt, in eius verba iurantes.

Calliſtus Siciliæ Regnum Eccleſiæ

Tum Calliſtus III. Pontifex tanti animi fuit, vt odium, quòd in Alphonſum viuentem geſſerat, eo extincto in filium continuaret. Hanc autem ob rem cum Alphonſo ſimultates exercuit, quòd is pe-

teret Epiſcopatus interdum ijs dari, quibus vel propter ætatem, vel ignorantiam tum literarum, tum rerum humanarum, committi nequaquam debebant. Regnum igitur Siciliæ Alphonſi obitu ad Romanam Eccleſiam deuolutum, repetere eſt auſus, dictitans, id ad ſedem Apoſtolicam, Alphonſi morte, iure hæreditario deuolutum eſſe: & vt vulgatior fama fuit, animo, vt nepotem ſuum Borgiam ad Regni faſtigium extolleret: parabantur iam vtrinque arma, nec Ferdinandus hominem contemnebat, cuius ingenium, & animum norat. Cæterum dum Pontifex inimico Rege mortuo nimis alto efferttur animo, ac iam ſibi omnia plana cenſens, ipſe quoque intra dies 40. morbo captus, & extremo ſenio confectus, moritur, anno Domini 1458. ætatis ſuæ 80. Pontificatus ſui 3. menſe 4. Romæ in palatio Apoſtolico Vaticano 8. Idus Auguſti, cuius corpus nepotes eius in Vaticano ad ſiniſtram Baſilicæ S. Petri marmoreo tumulo ſepelierunt, in Templo rotundo, quòd S. Maria io Febribus dicitur, & hodie pro ſacrario, quòd Sacriſtiam vocant, in vſu eſt, & olim Apollinis Templum fuiſſe putatur, Nicolai V. impenſa reſtitutum. Vacauit eo mortuo ſedes Romana dies duodecim.

Callisti obitus.

Calliſti morte euanuere omnia, quæ bello gerendo parabantur, & tanto metu Ferdinandus liberatus eſt.

Callisti virtutes.

Calliſtus autem in omni vita vir integerrimus eſt habitus, ſed hæc eius præcipua laus eſt, quòd dum Epiſcopus eſſet, aut Cardinalis, beneficium aliquod in commendationem nunquam voluit, dicens, ſe vna ſponſa, & quidem virgine contentum eſſe, hoc eſt Eccleſia Valentina, vt ius Pontificium mandat. Eleemoſynas præterea pauperibus Chriſti, & ſeruis Dei frequenter dabat, tum publicè, tum priuatim: Virgines pauperes collata dote, maritis collocabat. Nobiles ad inopiam redactos ſua impenſa ſuſtentabat. Vtebatur & munificentia erga Principes, quando opus erat, maximè verò erga eos, qui nomen Chriſtianum auctoritate, & opibus ſuis iuuare poterant. In ædificijs autem paruos ſumptus fecit, quòd ei parum vacare licuit, quòdque pecunias in vſum tanti, & tam periculoſi belli colligebat. Reſtituit ſolum S. Priſcæ in Auentino Templum, & mœnia Vrbis diruta, ac ſere ſolo æquata. Aulæa tamen quædam auro intertexta ab eo empta, cernuntur. In victu ſuo parcus eſt habitus, in ſermone modeſtiſſimus; facilis auditu, quantum ei per ætatem licebat; tam enim octuageſimum attigerat annum, nec tamé de ſtudijs ſuis quidquam remiſerat. Legebat ipſe, aut legentes audiebat, ſi quid in tanto rerum faſtigio ei temporis ſupererat. Oratores ad ſe venientes mira beneuolentia complectebatur, quorum precibus, & poſtulatis ab honeſto diſcedere nunquam voluit. Moriens autem Calliſtus, centum, & quindecim millia nummorum aureorum reliquit, quos in vſus bellicos contra Turcas comparauerat.

S. Priscæ Templũ restaurat.

Dominici Card. Capranicæ obitus.

Dum autem Calliſti funus celebraretur, moritur & Dominicus Capranica S. Crucis in Hieruſalem Cardinalis, & Maior Pœnitentiarius, vir quidem grauis, & ſapientiſſimus, ſepeliturque in Templo Mineruæ, bonis omnibus præ dolore lacrymantibus.

Vitia Callisto data.

Calliſto Tertio Papæ vitio datum, quòd permitteret ſe gubernari à Roderico Lenzolio Borgia nepote ſuo, qui 25. ætatis anno Dux generalis Eccleſiæ ab ipſo factus, Præfectus Romæ, & Dux Spoletanus, toto Pontificatus tempore adeo ſe nequiter geſſit, vt vix vlla eſſe poſſet peior adminiſtratio, quòd homo eſſet prauus, iniuſtus, prædationes, furta, homicidia in Vrbe, & extra aſſidua, & certamina, & contentiones frequentes erant: neque viſebantur niſi Catalani in Vrbe vagari: ſed, Pontifice mortuo, omnes inuaſi, & capti, atque deprædati, & plures illorum aut mortui, aut ſaucij. Rodericus autem Lenzolius Borgia primùm ad Oſtia confugit Tiberina, deinde ad Centumcellas ſe recepit, Vrſinæ familiæ odia declinans, quæ ipſe contraxerat, dum alteri factioni magis faueret.

ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

* *77. ...... annum agebat.*] 70. *tranſcenderat*, ait Aeneas n. 8. in Comm. Panuinius in Elogio octuagenario maiorem eum è viuis exemptum, dicit.

* *Ad 6. Idus Aprilis ...... hora 4.*] In ædibus ſancti Petri Platina: quas palatium Vaticanum nuncupauit Panuinius in Elogio; in quo 4. Idus Aprilis 1455. à 13. Cardinalibus, in Chronico à 14. 6. Idus Aprilis, die Martis Paſchalis, hora diei ſexta Calliſtum electum, affirmat.

1451. * *Inter SS. Confeſſores retulit.*] Cardinalis Baron. in Not. ad Martyrol. Rom. 5. Aprilis, Thomas de Trugillo tom. 2. Theſ. Concionat. in Aprili, in vita ſancti Vincentij, infra Ciaconius eadem fruſtra repetit. Die SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli S. Vincentius inter ſanctos relatus fuit. D. Anton. part. 3. Hiſt. tit. 22. cap. 14.

loc. cit. * *Kal. Maij ...... Coronationis inſignia.*] Panuinius, in Chronico, xij. Kal. Maij, Platina, Calliſtum in Lateran. Baſilica coronatum indicat: ad S. Petrum Panuin. loc. cit. & in Elogio.

* *Poſt Coronationis ſolemn. ...... bellum Turcis indixit.*] Res diligentius expreſſa videtur lib. 1. Comment. Pij II. ijs verbis. *Alphonſo in Petri Cathedra conſtituto Calliſto III. nomen inditum; qui mox votum vouit, aduerſus impios Turcas omnia ſeſe ſtudia conuerſurum: nec moratus, bellum eis indixit; in quo militantibus peccata dimiſit, ac Legatos in Galliam, & Hungariã ad congregãdos exercitus direxit.* Ioan: Caraiagial. Cardinalem optimum, & prudentiſſimum Legatum de latere, ad Septentrionalium Principum vires in Turcas concitandas in Germaniam miſit. Cochlæus libro 11. Hiſtor. Huſſit.

* *Id ante Pontificatum vouiſſe.*] Ex Platina, cum quo Cardinalis Aegidius; Cochlæus quoque verba, quibus in Chirographo Calliſtus votum nuncupauerat, recenſet. Poſt Pontificatum votum de bello Turcis inferendo Calliſtum emiſiſſe, tradit S. Antoninus loco citato. *loc. cit.*

* *Prædicatores.*] Platina, Cochlæus loco cit. Crucem Calliſtus aduerſus Turcas indixit. literas Bononiæ anno 1455. prid. Kalen. Octob. in D. Petronij, audiente populo, recitatas, narrat Sigonius lib. 4. de Epiſcopis Bononienſibus.

* *Ad 16. triremes.*] Ex Platina, & Cochlæo. *Tui quæ flores vbique ex populis Chriſtianis pecunias exigunt, ad conflandum per continentem in Turcos exercitum: claſſis quoque exædificata eſt rebus omnibus ornatiſſima.* ait ad Calliſtum Philelphus. *L. 28. epist.*

* *Vſum aſſamum.*] Ex Platina: ex quo etiam Garimbertus, lib. 1. cap. 4. de Induſtria, & Diligentia.

* *Ad Pontificem ſcripſiſſe.*] Vide Garimbertum loc. cit.

* *Eadmundo.*] Ex Platina in Calliſto, de hoc Angliæ Rege impiè cæſo Martyrolog. Rom. die 20. Nouemb. ibidemque Card. Baron. in Notis; non refert autem, à quo is in SS. numerum cooptatus fuerit. De S. Eadmundo Cantuariæ Antiſtite in Cælites ab Innocentio IV. conſcripto, Martyrolog. idem, & Card. Baron. 16. Nouemb. & Surius tom. 6. obijt hic anno 1240.

* *Chriſtianos ad Bellogradum.*] Vide Platinam in Calliſto, Comment. Pij II. loc. cit. D. Anton. tom. 3. tit. 22. cap. 14. §. 1. Petrum Maturum ibidem ex Pio II. Card. Aegid. in Hiſt. 20. ſec.

* *Io. de Capiſtrano.*] Nicolaus V. Io: Capiſtranum cum 12 comitibus in Alemaniam miſit. Quid vir ſanctus præſtiterit, non eſt huius loci explicare: celebratur à multis: beati titulo in militanti, æternæ gloriæ luce in triumphanti Eccleſia fulget. Lucas Vvaddingus fusè, & diligenter de illo, in Annalibus Minorum: nonnulla Matthæus Raderus in Bauaria ſancta; in qua triginta, & eo ampliùs defunctos eius precibus, vitæ redditos narrat. 70. natus annos, poſt innumeros, eoſque graues labores, pro ſanctæ fidei, & religionis propagatione toleratos, demigrauit ad palmam, merita eius Minoritæ, ijs verbis memorant. *O zelator Fidei, perſecutor Hæreticorum, lumen Virtutum, exterminator Turcarum, Prædicator egregius, Doctor populorum, Ioannes fideliſſimus Ordinis Minorum.* *Leo X. & Greg. XV.* *An. 1456. die 23. Octob. vocauit.*

* *Supra 30. .... hominum millia.*] *Ad ſex hominum millia interfecta ſunt*, ait Platina, vide Comm. Pij II. loc. cit.

* *Non ceſſabat Calliſtus literis.*] Ad Ladiſlaum etiam Hungariæ Regem cum Cæſare bello decertantem literas dedit Calliſtus, quibus illum paterno reprehendit affectu, ad pacemque cum Cæſare ineundam, & ad bellum cum Turcis conferendum, hortatur. *Refertur à Cochlæo l. 13. cit.*

* *Officium Transfigurationis.*] Ex Platina. feſtum Transfigurationis, ob Turcas deuictos, à Calliſto inſtitutum, ſcribit Genebrar. lib. 4. Chronic. at inſtitutum fuiſſe ante ea tempora, certum eſt. Vide Card. Baronium in Notis ad Martyrol. Rom. 8. Idus Auguſti, & Franciſcum Suarez, de Virtute, & Statu Religio. lib. 2. de diebus feſtis cap. 5. num. 8. Non ſolùm apud Græcos, ſed etiam apud Latinos ante Pontificatum Calliſti III. hoc feſtum celebrabatur.

* *Calliſtus erectis Canonicis Regularibus.*] Vide Pennot. lib. 3. hiſt. Tripar. cap. 28. nu. 1. Fridericus Imper. qui Romæ, coronatus à Nicol. V. in Canonicos Lateran. relatus fuerat, eiuſdem Congregationis Canonicos in Germaniam accerſiuit (quo tamen illi non acceſſere) Paulus II. ad eamdem Baſilicam reuocauit.

* *Alphonſus ...... Siciliæ Rex.*] De religioſo Regis Alphonſi interitu, vide lib. 1. Com. Pij II. à Card. Aegidio hic Rex laudatur. *[illegible]*

* *Ferdinando hærede conſtituto.*] Eugenius IV. & Nicolaus V. Ferdinandum extra coniugium ortum, adipiſcendo Regno idoneum reddiderunt. Ex lib. cit. Comment. Pij II.

* *Ad ...... Eccleſiam deuolutum.*] Ex eodem lib. 1. Commentar. Pij Secundi.

* *Moritur 1458. &c.*] Ita in eodem 1. libro Comm. Pij II. Vide epiſt. Pij II. ad Academiam Pariſienſem.

* *Integerrimus eſt habitus.*] Laudatur Calliſtus à S. Antonino, loc. cit. cap. 14. à Philelpho, à Platina, à Cochlæo, à Cardin. Aegidio, ab alijs. Cochlæus virum V. I. peritiſſimum, ſummæ grauitatis, & modeſtiæ, qui in Senatu nihil vnquam ad adulationem, & gratiam locutus eſt, ab omnique pompa, & inani gloria alienum appellauit. Quotidiè illud in ore Calliſtum habuiſſe ferunt. *Apoſtolica ſedes omnium Eccleſiarum mater eſt; ab eius regulis deflectere indecorum eſt.* De eo S. Anton. l. c. *Calliſtus vir æſtimatus magna iuſtitiæ, & æquitatis, & bona vita, laudabilis fama, magnus luriſta.* *Vide epist. Pij II.*

* *Dum Calliſti funus ...... moritur, & Dominic. S. Crucis.*] Hæc ex Platina in fine vitæ Calliſti: in lib. 1. Comment. Pij II. hæc *Dum celebrantur exequiæ, Cardinalis Firmanus lenta febre correptus Calliſtum ...... ad ſepulchrum ſequitur*, vocat autem eum Aeneas Syluius *virum exemplarem, & optimum, mundiſſima vita doctrina, & rerum experientia magnum.* De eiuſdem morte, & laudibus S. Antoninus par. 3. hiſtor. tit. 22. cap. 16. in fine ad annum 1459. Vide, quæ ſuperiùs in Martino V. in eius vita diximus. *loc. cit.* *Obiit 14. die Aug.*

Multa

Multa, paucis, quibus vixit, annis, fecit Calliſtus; maiora vidiſſent homines, ſi diutius vixiſſet; quòd indicare viſus eſt Ianus Vitalis, ijs verſibus.

O ſi vita tibi longinqua Calliſte fuiſſet;
Orbis erat vero Roma futura Caput.

T. 1. Bull.

Anno 1455. 8. Idus Maij. Calliſtus Theſaurarium, & Apoſtolicæ Cameræ Clericos ſummi Pontificis familiares, eius, & Apoſtolicæ ſedis Capellanos nominauit, eodem anno, Idib. Nouemb. Prioratum Montisbellij, Bononien. Diœc. ordinis S. Auguſtini Congregationi Canonicorum Regularium Lateranenſium, tribuendum cenſuit. Literas refert Pennottus lib. 3. Hiſt. Trip. cap. 28. num. 5.

T. 1. Bull.

Anno 1456. xvj. Kalend. Iunij, Canonicos S. Saluatoris ordinis S. Auguſtini veros eiuſdem ordinis Canonicos declarauit, anno eodem viij. Kal. Iulij Nicolaum Perottum virum natum, & doctum in varias regiones, pro ſuis, & S. R. E. negotijs, miſit; literas plumbeo Pontificis Sigillo munitas, Romæ datas vidi, ex quarum initio diſces, quæ ſcribo. *Cum neceſſe ſit, nos, pro noſtris, & Romana Eccleſia negotijs, mittere ad diuerſas mundi partes dilectum filium, nobilem virum Nicolaum Perottum Poëtam laureatũ Secretariũ noſtrum, & noſtri Sac. Lateran. Palatij Comitem, &c.* ex hac familia viri alij prodiere, qui eidem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ fidelem operam dederunt. Nicolaum V. audi. *Nobili viro Franciſco Perotto de Saxoferrato, Militi Apoſtolico, & Lateranenſis Palatij Comiti. Familia tua nobilitas, & probata in noſtris, & Romana Eccleſia negotijs tua, & tuorum maiorum fidelitatis integritas, aliaque virtutum dona, quibus præfulges, &c.*

Has quoque literas vidi plumbeas: Dat. Romae apud S. Petrum 1449. 16. kalen. Maij Pontif. An. 3.

Anno 1457. 7. Idus Martij, fratribus Seruitis indulſit, vt in Templis S. Mariæ Annunciatæ Florentiæ, & S. Mariæ Stratæ Maioris Bonon. ſacrum vnicum, quòd Sabbatho ſancto, ex inſtitutione Eccleſiæ, fieri ſolet, hora veſperarum, ſeu per duas horas poſt meridiem, vel circa, celebrare poſsent. Diploma extat, Centur. 3. Annalium ordinis Seruorum lib. 2. cap. 7. Id deinde alijs ordinis Templis Apoſtolica auctoritate tributum fuit: Pio V. Pontifice, hanc celebritatem, ex cauſſa ſublatam, narrat Archangelus Gianius loco cit.

par. 2. Archang. Giani.

eodem anno xij. Kalen. Maij, priuilegia Cœnobij ſancti Saluatoris Meſſanenſis, ordinis S. Baſilij, Cardinali Beſſarioni olim commendati approbauit Calliſtus; & pridie Kalend. Nouemb. edixit, fratres S. Mariæ de Mercede Redempt. Captiu. ad ordines Mendicantium, ob quartum votum, quo obſtringuntur, tranſire non poſſe.

T. 1. Bull.

Eumdem Calliſtum inſtituiſſe, ferunt; vt Templorum campanæ circa meridiẽ pulſarentur, eam ob cauſſam, vt fideles Chriſti Deum contra immaniſſimos Turcas (mos viget adhuc) precarentur, certè totum Chriſtianum Orbem ad precibus dimicandum contra Turcas, pius Calliſtus excitauit, ex Caluini ſpecu nõnullus Cacus egreſſus optimum Pontificem triremes in ſæuiſſimos Chriſtianorum hoſtes iuſtiſſimè parantem, immeritò ſubſannauit. Aeneæ Syluij obſequium Calliſto pro Friderico Auguſto exhibentis, Oratio legitur; in qua vires etiam eiuſdem Friderici ad efferatos barbaros coercendos, & debellandos, offeruntur.

Vid. Gretſerũ contra Exam. Mp. & Pleſſiaci.

Rogauit aliquando Calliſtum Philelphus, vt Bibliothecæ Vaticanæ ſeruandæ diligentem operam daret; ne libri perirent; & viros, qui eos tractant, & norunt, honorificè, & commodè retineret; tot enim, tamque præclara Latina, & Græca volumina, ſine viris eruditis, nulli vſui futura eſſe, exploratum eſt. Lege, quæſo, præclaram illam Philelphi ad Calliſtum Epiſtolam. Qui Romæ eſt, videre poteſt in Angelica Bibliotheca apud Auguſtinianos, Hiſtoriam m. s. 20. ſæc. Cardinalis Aegidij Viterbienſis, Calliſtum excellenti doctrina, ingenio, & integritate præditum appellantis; qui Clementem VIII. Pſeudopontificem, non ſine magno periculo, nonnullis ante Pontificatum annis, ad bonam frugem reuocauit. Addo paucas eiuſdem Calliſti, ex ipſo Cardinali Aegidio, tuis oculis, lector, non indignas ſententias. Dicebat ille.

Lib. 12. Epiſtolarũ.

loc. cit.

Primò, ignauorum eſſe pericula formidare: ea enim ſunt ager, ex quo meſſis, & fructus gloriæ colliguntur. Secundò, ſe natura liberum eſſe, adulandi ſtudio, ſeruum non futurum. Tertiò, falſa effingentes hominibus ſeruire; vera referentes imperare. Quartò, Principes ſuas quidem laudes amare, at falſos laudatores irridere.

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI
SOCIETATIS IESV.

Calliſti creatio M. SS. Anonymi Ponmanus Coronatio Cardinales viui tẽpore Comitiorum.

FELIX Contelorius in tomo ſecundo Elenchi Cardinalium ex m.ss. Bibliothecæ Vaticanæ ſcribit Alphonſum Borgiam non ſexto Idus Aprilis anno 1455. vt refert ſupra Ciaconius, ſed die martis octaua Martij circa horam 15. anno noſtræ ſalutis 1454. in Palatio apud S. Petrum, non triginta nouem, vt nonnulli ſcripſere, ſed tredecim, aut potius quindecim Cardinalium ſuffragijs renunciatum fuiſſe Romanum Pontificem, & die 20. eiuſdem menſis ad gradus S. Petri, ſeu ex Platina in Laterano tiara Pontificia ornatum. Viuebant enim tunc temporis ex Panuinio decem, & nouem tantùm, ſeu ex Ciaconio, viginti Cardinales, quorum quinque Comitiorum tempore abſentes ab Vrbe erant. Calliſtus hic ingenium ſublime, erectumque, ac maioribus rebus aptum in minori ætate literis dederat, & conſequentibus annis per omnes honorum gradus decucurrerat. In vtroque Iure doctor in Academia Ilerdenſi publicè docuit; qua in Vrbe a Benedicto XI. Canonicatum obtinuit. Alphonſo Aragoniæ Regi à Conſilijs & à ſecretis fuit. A Martino V. renunciatus Epiſcopus Valentinus intereſſe noluit Concilio Baſileenſi etiam Alphonſi Regis nomine. Romam ex Hiſpania ſe conferens ad procurandam pacem inter Eugenium IV. & Ferdinandum Regem Neapolitanum purpuram ab Eugenio ſponte, ante ſtabilitam pacem, oblatam reſpuit; non enim rationi conſonum affirmabat, vt purpura ornatus Romanæ Vrbis vias pedibus calcaret, antequam Regi pacem, ad quam miſſus fuerat, firmaret. Poſt pacem purpuram, deinde Romanum Pontificatum, acta fermè ætate adeptus eſt, nihil in eo tamen humile, nihil ſordidum apparuit. Venetæ Reipublicæ Oratores quatuor, Paſchalem ſcilicet Malipierum, Triadanum Gritti, Iacobum Loredanum, & Aloyſium Foſcarenum initio Pontificatus ad obedientiam Romanæ Eccleſiæ præſtandam miſſos, benignè excepit, eoſque ad propria cumulatè contentos remiſit. Namque primum Turcis ſæuiſsimis Chriſtianorum hoſtibus bellum inferre, ac Legatos in Galliam, & Hungariam ad congregandos milites dirigere promiſit. Claſſem bene vinctam in Rhodiorum auxilium miſit, quæ diu apud eos morata, plures Turcarum naues prælio ſuperatas demerſit. Stalimnum Inſulam Lemnum olim appellatam, Taxum, & Hembrum, ac alias quaſdam minoris nominis Inſulas Turcarum imperio ademit; nec Ægyptios quieſcere permiſit, neque Syros, aut Cilices. Aragonio etiam Regi, imò poſt Alphonſi obitum Ferdinando filio obſcuris natalibus nato Neapolitanum Regnum Romanæ Eccleſiæ vectigal deferendum apertiſsimè negabat, euiſque integrum ius ad ſe reuocatum contendebat. Nimirum, vt illius æui Scriptores nonnulli interpretati ſunt, Petro Aloyſio Borgiæ, quem & non Rodericum, vt ſupra Ciaconius refert, Spoleti in Vmbria Ducem crearat, noua imperia parabat. Apparebat Italiam bello arſuram haud dubia priſtinorum malorum ſpecie renaſcente, lenite ægrum Pontificis animum Ferdinando curæ erat; quare plenas officij & humanitatis literas ad eum hoc exemplo dedit. *His diebus in media doloris acerbitate Beatiſſime Pater, paternum obitum renũcians; breuis epiſtola fuit, quippe inter lacrymas data. Nunc collecto animo, luctuque tantis per mitigato, ſignificandum duxi, Patrem pridie obitus obteſtatum, nihil vt in terris veſtra gratia, & auctoritate præſtantius ducerem, cum ſancta Eccleſia non contenderem ne prouocatus quidem, impios auſus raro feliciter cadere. His ego præceptis inſtitutus, quod facturus alioqui eram, impenſius vt faciam, accepta beneficia hortantur. Neque enim obliuiſci poſſum à primis annis me in tuam diſciplinam traditum: ſoluiſſe vnà ex Hiſpania, prouectoſque eadem naui ad Italiæ litus non abſque Dei nutu tibi iam Pontificatum ſummum, mihi nouum Regnum deſtinantis præclaro omine futuræ felicitatis, mutuaque concordiæ. Itaque à puero tibi traditus, tuus ad mortem eſſe cupio; me in filium accipito, aut acceptò potiùs paternam gratiam, & humanitatem exhibe daturo operam, ac præſtituro, ne aut grati animi obſequium aut pietas debitam noſtris actionibus requiratur. Vale Neapoli Kalendis Iulij.* Nihil tamen his litteris, & pollicitationibus Pontificis animus mouetur, imò Principes & Ciuitates Italiæ ad arma ſollicitat; ſed magnæ molitiones Pontificis obitu diſſipatæ.

Calliſti literarum ſtudia.

Publicè docet in Academia Ilerdenſi. Io. Mariana in Hiſt. Hiſpan.

Fit Canonicus, & Alphonſi Regis à ſecretis, & à Conſilijs.

Epiſcopus Valentinus non vult adeſſe Cõcilio Baſileenſi.

Romam petit ad pacem procurandam Purpuram reſpuit.

Hier. Gurembergius.

Venetæ Reipublicæ Oratores ad Calliſtum.

Moreſinus in luſtro.

Veneta Claſſem contra Turcas mittit.

Aragonio Regi reſiſtit.

Ferdinandi literæ ad Calliſtum.

Poſt obitum ex Ciaconio ſupra in Templo rotundo, quod S. Mariæ de Febribus dicitur, ſeu potiùs ex auctoribus Romæ Subterraneæ, in ſacello, quod ipſemet in honorem SS. Andreæ, & Iacobi erexerat, in ſubterranea ædicula, quæ in media ſacelli eiuſdem parte extabat, in ſepulchro marmoreo ſine epitaphio conditus eſt. Huiuſce ſepulchri delineationem legentium oculis exponemus. Ex quo loco dum poſtea ſacellum ipſum deſtrui contigit, tranſlatus eſt, poſt muſicale Organum, & inde poſtea anno noſtræ ſalutis 1606. ſub nouo Baſilicæ Vaticanæ pauimento cæteris Pontificibus aggregatus eſt. Demum anno 1610. die 30. Ianuarij oſſa Calliſti III. vna cum cineribus Alexandri VI. opera Reuerendiſſ. Ioannis Baptiſtæ Viues tranſlata fuerunt ad Eccleſiam S. Mariæ Montis Serrati nationis Coronæ Aragonum de Vrbe, in cuius Eccleſiæ ſacrario in loco plumbeo ſeruantur, vt conſtat ex illius Eccleſiæ monumentis. Oratione funebri laudauit Calliſtum Ioannes Antonius Campanus Epiſcopus Aretinus.

Sepulcrũ Calliſti.

In Vaticano habuit Calliſtus, vt indicauimus ſupra peruobile ſepulcrum, cuius ornamenta ſparſim in cryptis Vaticanis noſtris hiſce temporibus accedentibus patent. Inter quæ ſunt ss. Apoſtolorum Bartholomæi, & Iacobi marmorea ſimulacra cum his notis.

SANCTI BARTHOLOMÆI STATVA
AD SEPVLCRVM EXISTENS
OLIM CALLIXTI III. PP.

SANCTI IACOBI STATVA
AD SEPVLCRVM CALLIXTI III. PP.

Sunt etiam ibidem Eccleſiæ Doctorum Imagines, & Chriſti effigies marmorea cum lemmate.

IMAGO HÆC MARMOREA
CHRISTI PIETATEM EXCITANTIS
ERAT AD SEPVLCRVM CALLIXTI III. PP.

Epiſto-


CALLISTI TERTII P. M. SEPVLCRŪ IN VETERI D. PETRI BAS. ERECTŪ
Cuius in Cryptis nunc. Fragmenta reperiuntur.
CALLISTVS TERTIVS PONTIFEX.

Calliſti ſcripta.

Hipp. Maracc. in Bibliotheca Mariana.

Epiſtolas plures ſcripſit, quorum nouem leguntur inter Æneæ Siluij, literas plures apud Fr. Lucam Vvadingum in Annalibus Minorum, quarum aliquæ ſcriptæ ſunt Fr. Ioanni de Capiſtrano in Hungaria Romani Pontificis nomine degenti, ad bellum ſacrum in Turcas parandum: plures quoque apud eundem Vvadingum Ioannis ipſius literas inuenies ad Calliſtum datas.

Officium etiam Transfigurationis compoſuit ex Binio, & aliis. De Angelica domo S. Mariæ de Columna Cæſaraugustanæ ciuitatis literas ſcripſit, quibus eiuſdem Angelicæ domus hiſtoriam licet breuiter complexus eſt.

Bibliothecam Vaticanam libris ditat. Mutius Pansa in Bibl. Vaticana. Rosam. Ladislao Hungariæ. Virginem Sanctis adſcripſit. Lauretanam Domum munit. Indulgentias venerantibus velum, & cingulum B. M. Virginis impertitur.

Bibliothecam Vaticanam libris Bibliothecæ Conſtantinopolitanæ, quos à Turcis poſt Imperij Græcorum excidium, precio quadraginta millium aureorum emerat, maximè auxit Sanctorum conſilio ac cœtui præter Vincentium Ferrerium & Eadmundum Angliæ Regem, anno 1458. Roſam Virginem Viterbienſem, & Ladiſlaum Hungariæ Regem adſcripſit. Eccleſiam S. Calliſto ſacram Transtyberim in Presbyteri Cardinalis titulum erexit: Lauretanam Domum muris, & propugnaculis nudam aggeribus cinxit. Sacrum Beatæ Virginis velum, & eius cingulum in Eccleſ. Cathedrali Atrebatenſi, vbi ea habentur, piè venerantibus, Indulgentias impertitur. Et ad ſui temporis calamitates auertendas, imaginem Beatæ Mariæ in Porticu præuio ſupplicantium fidelium agmine ſub vmbella cereis, & candelis accenſis ſolemni ritu circumtulit per Vrbem: huiuſce Pontificis iuſſu æs campanum Horologij Vaticani fuſum.

Calliſti benignitas. Io. Mariana in hiſtor. Hiſpan. Accuſatur ab aliquibus Calliſti virtutes.

Ad colloquium omnes admittebat, & omnes etiam ad exitum vitæ proximus nemine excepto benignè excipiebat: priuata tamen ſtudia nunquam prætermiſit; ſi legere ipſe ob corporis ægritudines non valebat, alios legentes audiebat. Id tantùm in eius moribus à Scriptoribus illius æui maximè accuſatur, quod ſcilicet propinquis augendis vehementius incubuerit, quàm ea ætas, ac ſacroſanctæ perſonæ, quàm gerebat, dignitas pateretur. In vita fuit parcus, in ſermone modeſtiſſimus, in egenos pauperes, & religioſos liberaliſſimus; Leges & Canones tam ei in prompto erant, quàm ſi heri, aut nudiuſtertius ſcholam iuris primùm exuiſſet.

Concilia Petricouienſe, & Caliſſienſe. Stanislaus Starouolſcius Epitom. Concilior.


Sub Calliſto habita ſunt Concilia duo, in Polonia ſcilicet Petricouienſe à Ioanne Sprouio Archiepiſcopo Gneſnenſi pro conſeruanda libertate Eccleſiaſtica: & Caliſſienſe eodem Ioanne Sprouio Archiepiſcopo præſidente, in quo ſubſidium Caſimiro Regi Poloniæ bellum contra Crucigeros inſtauranti in Pruſſia, ab Eccleſiaſticis decretum eſt.

Calliſti inſignia ex numiſmate quod vidi Romæ apud Carolum Cartharium, & Carolum Antonium à Puteo conteximus, in illo enim in vna facie expreſſum aſpicitur Calliſti ſcutum iuxta exemplar à nobis ſupra expoſitum cum his notis: *ALPHONSVS BORGIA HISPANIAE*. In altera eiuſdem numiſmatis facie eſt ipſius Calliſti effigies cum his notis. *CALLISTVS PP. III.*

PRIMA CREATIO CARDINALIVM Calliſti Papæ III.

Die 20. Februarij anno 1456. Pontificatus Primo, ſeu ex Contelorio Secundo, Romæ apud S. Petrum Calliſtus III. Romanus Pontifex tres renunciauit Cardinales, quos tamen non publicauit ſed reſeruauit in pectore, eiſque titulos attribuit, prout ex eiuſdem Pontificis diplomate, cui ſe Cardinales omnes, qui præſentes aderant in Conſiſtorio ſubſcripſerunt, & die Veneris 17. Septembris eiuſdem anni 1456. apud S. Mariam Maiorem publicauit. Ciaconius recenſet hos tres Cardinales vt creatos die 18. Septembris anno 1456. hi autem fuerunt.

I.



Ciaconius. Aubery in vita Pauli II. Andr. Victorell. in addit. ad Ciacon. Æneas Syluius in ſuis Comentar. S. Antoninus. Bapt. Platina in Caliſto III. Hier. Zurita in Annalibus. Cartaphilus. Felix Contelorius in Elencho. Franc. Auguſt. ab Eccleſia de S. R. E. Card. Pedemont. region. Gaſp. Porreñ. in Elog. Card. Hiſpan.

IOANNES Ludouicus, ſeu ex aliis Ludouicus Ioannes Milanus natione Hiſpanus, patria Valentinus, filius Ioannis Milani, & Catharinæ Borgiæ Sororis Calliſti, ex Electo Segobienſi adhuc iuuenis, ſed optimæ indolis ab Auunculo Calliſto Presbyter Cardinalis SS. IV. Coronatorum primò, deinde Epiſcopus Ilerdēſis renunciatus. Legationis munere functus eſt Bononiæ, mox Cōmiſſarij, vt diſcordias in Principatu Cataluniæ, & Comitatu Barchinonenſi inter Ioannem Regem Aragoniæ, & Communitates illarum Prouinciarum exortas extingueret. Abbas rexit Abbatiam olim S. Michaëli de Lucedio, nunc autem S. Ianuario prope Creſcentinum, Vercellenſis, diœceſis ſacram.

E vita exceſſit ſub Iulio II. Romano Pontifice, incertum tamen quo anno, ſeu menſe: Ciaconius refert huiuſce Cardinalis obitum ad diem decimum Septembris anno 1507. at ipſe viuebat die prima Nouembris eiuſdem anni, teſte Paride de Graſſis in Diario, qui etiam die 22. Decemb. an. 1508. dum recenſet Cardinales, qui ſub Iulio II. Romano Pontifice vſque ad eam diem, obierant, Ludouici non meminit. Obiit in Hiſpania, & poſt obitum ſepultus in Eccleſia cuiuſdam villę, deinde apud PP. Dominicanos in Eccleſia S. Annæ ſacra in Ciuit. Ilerdenſi, vt ipſemet iuſſerat in ſupremis tabulis.

II.



Ciaconius. Gaſp. Porreñ. in ſuis Elog. Card. Hiſpan. Hier. Zurita in ſuis Annalib. Panuinius. And. Victorell. & Addit. ad Ciacon. Felix Contelorius in Elencho. Pius II. in Commen. Duard. Nonius in ſua Genealog. Regum Luſitan. Thom. Bozius de ſign. Eccl. Hier. Gaimbert. Aubery in vita Panuinius.

IACOBVS Luſitanus, impropriè dictus Roſſas à Ciaconio cum nullus Regij ſanguinis, Luſitanus Princeps cognomen illud ſibi vnquam deſumpſerit, Petrum Infantem Conimbricæ Comitem, ſeu Ducem, Ioannis I. Luſitanię Regis filium in parentem habuit, & Iſabellam Aragoniam Comitis Vrgelenſis filiam, Regum Aragoniæ neptem in matrem: is poſt parentis infauſtam necem patria electus, multis nobilibus, & militaribus viris ab aula Luſitanica profugis ſtipatus, in Belgium ad Iſabellam Burgundiæ Ducem, & Philippi cognomento Boni vxorem, ſe contulit, à qua benignè admodum, ac perhonorificè acceptus, ſtipendiiſque Regio munere dignis honeſtatus fuit, quare toto pectore curauit optimarum artium ſtudiis ad omnem virtutis normam informari. Firmata aliquantulum ætate, Romam hortante Iſabella ſe contulit; ibi à Calliſto huius nominis Tertio, Romano Pontifice Archiepiſcopus Vlyſipponenſis primo electus eſt, deinde ab eodem Diaconis Cardinalibus adſcriptus, præfuit ex Ciaconio Diaconię ſanctę Mariæ in Porticu, ſeu ex ipſius Calliſti diplomate S. Euſtachij, vel fortaſſis, vtriſque. Atrebatenſi, atque Paphenſi donatus infula aliquando fuit.

Pius II. qui Calliſto ſucceſſit in Pontificatu, excelſa Iacobi indole, & probitate perſpecta, Legatum in Germaniam deſſignauit. Florentiam iam peruenerat, atque ibi graui morbo detentus, cum dicerent Medici, eum ſi coiſſet, mortem vitare poſſe, potius intrepidus mortem expectare, quàm Medicis obtemperare voluit, illa proferens verba digna Eccleſiaſtico Principe, *Malo mori, quàm fœdari*. Florentiæ igitur non 16. Kal. Maij anno 1419. vt impreſſoris errore ſcripſit Ciaconius, ſed 27. Augusti anno 1459. ætatis vigeſimo ſexto mortem ſubiit, & ibidem ſepultus apud S. Miniatum. Vir fuit virtute inſignis, à maioribus haud degenerans, quem ſanctimonia præluxiſſe, vitæque innocentia, & caſtitate, quàm auita nobilitate memoriæ prodidit Vaſconcellus in Deſcriptione Regni Luſitaniæ. Huius Cardinalo ſepolchro marmoreo hoc additum Elogium in ſacello pulchrè a ſe ædificato, & dotato à ſuis.

Regia ſtirps IACOBVS nomen Luſitana propago,
Inſignis forma, ſumma pudicitia.
Cardineus titulus, morum nitor, optima vita +
Iſta fuere mihi: mors iuuenem rapuit;
Ne ſe pollueret, maluit iſte mori.

VIXIT A. XXV. M. XI. D. X. OBIIT AN. SAL. MCCCCLIX.

Iacobi Cardinalis eximia cum laude meminerunt Authores grauiſſimi, videlicet Æneas Syluius in Commentariis; Antonius Vaſconcellus in deſcriptione Luſitaniæ, & Iconibus Regum, Principum, & Cardinalium Luſitanorum. Thomas Bozius tomo primo de Signis Eccleſiæ. Andreas Victorellus in Notis ad Ciaconium; Antonius Auberius in hiſtoria Cardinalium accuratè Gallico idiomate ſcripta, & alij. Ex quibus hæc habet Victorellus. *Inter plurimos Purpuratos Luſitanos Iacobus hic Vlyſſipponēſis Archiepiſcopus ſanctimonia præluxit, vitaque innocentia, & caſtitate, magis quam auita nobilitate laudatus* Bozius verò de illo hæc ſcribit. *Poſt primi ordinis viros qui virginitatem coluerunt, ſuccedant qui aliquo male affecti morbi genere, poterant ſi quoſdam Medicos audiſſent, coniugem ſibi adſciſſere, ac virginitate amiſſa vitam ſeruare, & tamen hanc illam prætulerunt. Huiuſmodi fuit ætate noſtra integerrimus ille Cardinalis Robertus è familia Nobilium, qui nondum ſacris erat Ordinibus initiatus; & multo ante ipſum Iacobus à Calliſto III. creatus Cardinalis, Portugalliæ Regis filius*. Errat hic Bozius dum Regis Portugalliæ filium, Iacobum nominat, non enim filius, ſed nepos Regis Luſitani, *qui Florentiæ ſepultus iacet in S. Miniato, cum hoc Epitaphio.*

Regia ſtirps &c. vt ſupra.

Sic igitur Cardinalium Collegium velut viros habuit in omni virtutum genere eminentiſſimos, ita & in caſtitate.

Eaſmas huiuſce Cardinalis laudes paucis, ſed diſertis verbis complexus eſt Æneas Syluius; *Iacobus, inquit, de Portugallia Regio ſanguine natus, in quo ea modeſtia & grauitas, id acumen ingenij, id ſtudium literarum, is amor virtutis emicuit, vt quamuis iuuenis adhuc, tardius tamen opinione omnium ad Cardinalatus dignitatem aſcenderit.*

RODERICVS

NICOLAVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Dilectis filijs Capitulo Eccleſiæ Bononienſis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Significamus Vobis ad Veſtram conſolationem, Nos à Venerabilibus fratribus Noſtris S.R.E. Cardinalibus die ſexta præſentis menſis ſummum Romanum Pontificem concorditer fuiſſe electum. Quod licet ſit grauiſſimum onus humeris Noſtris, tamen confiſi de miſericordia Altiſſimi accepimus pondus iniunctum Nobis. Velitis igitur Deo gratias agere, & pro Nobis preces effundere, vt aſſiſtat Nobis ſua gratia, & miſericordia ad regimen Eccleſiæ ſuæ ſanctæ. Datum ſub media Bulla Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſeptimo, die octaua menſis Martij, sertia verò poſt Noſtram ad apicem ſummi Apoſtolatus aſſumptionem.

Lætitiæ ſigna data à populo Bononienſi.

Quibus literis lectis, continuò Clerus, ac populus nihil eorum, priuatim, ac publicè prætermiſit, quibus declarari in eiuſmodi re, ſumma voluptas animi, ac lętitia poſſit; ac ſolemni pompa gratias Deo ampliſſimas egit. Singulis Canonicis pro noua toga facienda viceni floreni tributi; Tabellario, qui has literas detulit, ducenti aurei numerati. Cùm autem xiij. Kal. Aprilis tres Romam ad ipſum orandum Canonici deceſſiſſent, vt aliquem ex corpore ſuo Epiſcopum ſubrogare inſiſterent, literæ x. Kal. ab illo venerunt, quibus ſignificabat, ſe Eccleſiam Ioanni de Podio deſtinaſſe, qui ciuis, Iuriſconſultus, & Canonicus Bononienſis erat. Quo nuncio accepto populus gaudio incitatus, iterum per triduum ſub ſacris Vexillis ad gratias Deo agendas proceſſit; & miſſis Romam Legatis, inſignibus libertatis retentis, Eccleſiæ ſe fidele obſequium præbituram iurauit Bononienſium Ciuitas.

Ioannem de Podio nominat ſucceſſorem ſuum in Epiſcopatu Bononienſi. Barth. Dulcin. de vat Boñ. ſtat.

Cardinales viui tempore electionis. Abſentes ab Vrbe.

Nicolaus igitur decem, & ſeptem ex Panuinio, ſeu ex Ciacconio decem, & octo Cardinalium ſuffragijs renunciatus eſt Romanus Pontifex: viuebant tunc temporis quatuor ſupra viginti Cardinales: abſentes ab Vrbe electionis tempore erant ex Ciaconio.

Ioannes Ceruantes, Hiſpalenſis, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus.

Ioannes Kemp, Anglus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Balbinæ.

Iſidorus monachus, Græcus, Presb. Card. SS. Marcellini, & Petri.

Petrus à Scoumenberg, Presb. Card. S. Vitalis tit. Veſtinæ.

Dionyſius Agrienſis, Hungarus, Presbyter Cardinalis ſancti Cyriaci in Thermis.

Aeneas Syluius in Commentariolo de Rebus Baſileæ ſtatutis, vel diſſoluto Concilio geſtis hanc electionem Nicolai deſcripſit his verbis. *Placuit omnibus apud Mineruam in medio ciuitatis Vrbis Conclaue haberi, ſic enim minus eſt periculi, quam ſi apud S. Petrum haberetur. Populus in armis habitus eſt ad cuſtodiam Conclauis; Aeneas, & Procopius cum certis Regum, & Principum Oratoribus ad cuſtodiam portæ Conclauis delecti ſunt. Cardinales poſtquam Conclaue intrauerunt, procedentes, vt moris eſt, ad electionem bifariam diuiſi ſunt: erat enim factio Columnenſis, & factio Vrſina, ſed Columnenſis validior erat, ideoque multi erant, qui Cardinalem de Columna eligebant virum probum, & nobilem, alij Dominicum de Capranica; alij Cardinalem Pampolonenſem nominabant, atque in his tribus erat vocum multitudo: ſuperabat tamen omnes Proſper de Columna; nullus autem iuxta Canonicas ſanctiones duas partes vocum habebat. Cardinales Veneti, & Vrſinorum factio aderat, erat contra Columnam, ſperabatque octo Cardinales eſſe, qui nunquam permitterent Columnam obtinere. Cumque ſecundo ſcrutinio inuentum eſſet, nullum voces habere ſufficientes, ſed Proſperum ſuperare omnes: decem enim Cardinales eum nominabant, ante quam conuentus illius diei diſſolueretur, quid, inquit Ioannes Morinenſis, cum periculo tempus terimus? damnoſa eſt nimis mora noſtra, aduerſarium habemus Amedeum, qui non dormit, & hoc tempus vacationis ſibi aptiſſimum arbitratur. Regem Arragonum cum exercitu vicinum habemus, nec quid moliatur ſcimus. Populus in armis eſt, tota Ciuitas trepidat, agite, finem rei imponamus. Proſperum, vt videtis, maior pars vocat, quin acceditis, atque hunc Pontificem accipite, & quem nam poteſtis habere meliorem? Ciuis Romanus eſt nobiliſſimus, Martini quondam Papæ nepos, qui Eccleſiam feliciter gubernauit. Nolite timere, quin ſub hoc conſultum ſit optime Eccleſiæ; nunquid manſuetudinem vultis? quis eo benignior eſt? quis moribus facilior? Angeli vitam in humano corpore videtis, nulla [illegible] in hoc eſt, nulla elatio: perliberalis eſt, & oculatus; omnes hunc diligunt, nullum hic vnquam offendit: literæ in eo ſunt; omnes [illegible] partes habet, quas Pontificis dignitas requirit. Ne quæſo ſiſtete amplius, periculoſa eſt omnis mora, clauſi ſumus, & quid intra Vrbem agatur ignoramus. Mouerunt hæc verba Bononienſem, ſurgebatque, vt qui vocem dare Columnenſi vellet: tunc Ioannes Tarentinus territus admodum; mane, inquit, Bononienſis pauliſper; nihil eſt in rebus humanis maius Electione Papæ: feſtinatio cæca eſt, & inimica conſilij: ponderate quid agatis, nolite præcipitanter agere. Scitis hanc Vrbis diuiſionem partita diſcordijs: nolite recluſos gladios eximere, & ſopitam diuiſionem excitare: eligamus Papam ſuo more, fiat ſuo tempore vnum ſcrutinium. Quid eſt, nunquid diem craſtinum non poſſumus expectare? Tunc Ludouicus Aquilejenſis, quid tu differs in Papam tantum, quem poteris dicis, quem velis Papam. At ille dicam, inquit, hunc ego Bononienſem velim, & pacem ſub eo ſperarem, qui doctiſſimus eſt, & abſque parte, bonorum, ſanctorumque morum. Et ego, inquit Ludouicus: & ego, Morinenſis, & ſucceſſiue omnes eum elegerunt; factuſque eſt ex inſperato, ſed de communi omnium voluntate Pontifex. Veſtitus Pontificalibus, & introniZatus, omneſque ad oſculum eius admiſſi; vocatuſque Nicolaus V. quod nomen accepit ob memoriam Cardinalis ſanctæ Crucis, qui ſibi dilectiſſimus Dominus fuerat.*

Nicolai electio deſcripta ab Aenea Syluio.

Tota Ciuitas ex huius aſſumptione lætata eſt: ferunt qui alium Cardinalem, à quo maiora ſperabant, Pontificem factum magis optaſſent: at hunc Papam nemo iratus vidit, nemo ex Cardinalibus fuit præter hunc noſtrum, quem non aliquod excluſerat odium. Alium Vrſinenſem, alium Columnenſem, alium Gallici, alium Catalani formidabant: ſed conſenſus omnium rerum paraclitus hunc accepit, hunc præfecit, quem amaturum ſciebat omnes. Vidit ſcrutator cordium Deus in hoc patre ſummam humilitatem, hanc exaltauit; vidit ſingularem iuſtitiam, hanc præmiauit; vidit præcipuam humanitatem, hanc amauit; vidit prudentiam grandem, hanc delegit; vidit ingentem magnitudinem, hanc probauit; vidit ſcientiam profundiſſimam, hanc Eccleſiæ ſuæ ſponſæ præfecit; vidit exuberantem eloquentiam, hanc neceſſariam in Pontifice maximo iudicauit. Neque enim vna, vel altera doctrina callet, vt quidam ex noſtris, qui vna, & hac minus nota ſcientia ſuperbientes contemnunt exteras. Artibus ſeptem, quas liberales vocant, ſic à pueritia imbutus eſt, vt omnia præſentia ſint: Phyloſophos omnes nouit, Hiſtoricos, Poëtas, Coſmographos, Theologos; nam & ſacris artibus initiatus eſt: Iuris Ciuilis, & Pontificij notitiam habet; nec Medicinam ignorat. Prouincias plurimas peragrauit, Principes Chriſtianæ Reipublicæ maiores adiuit; in rebus maximis verſatus eſt, & domus, & Ciuitatum regimina eſt expertus. Quod ſi vnquam ſperare beatam Eccleſiam futuram licuit, ſub hoc Pontifice ſpes iſta florebit: nunc vulgo dicitur, excluſis vitijs, virtutes, & doctrinas imperium habituras. In craſtinum electionis ſuæ duos Cardinales ad Regem Arragonum tranſmiſit Vicecancellarium, & Camerarium; ille contra quatuor ad ſummum Pontificem Oratores deſtinauit. Die Dominica quarta Quadrageſimæ, quæ fuit 19. Martij ex libris manuali Collegij, & Cameræ Apoſtolicæ, ſeruatis in Vaticano, non tertio nonas Martij, vt ſcribit Ciaconius, anni 1447. Coronationis inſignia ſuſcepit Nicolaus ad gradus Baſilicæ Vaticanæ. Inde albo vectus equo Roſam auream deferens profectus eſt ad Baſilicam Lateranenſem, Cardinalibus, Epiſcopis, Principibus, ceteriſque Officialibus ſolemni ritu comitantibus.

Coronationis inſignia recepit.

Summum Pontificatum Thomę prædixerat Nicolaus Cardinalis Albergatus, die enim ipſo, quo ad cœleſtem patriam ille migrauerat, eidem orbitatem ſuam deploranti, & ex mœrore in ſomnum ſoluto Nicolaus apparuit, & Petri ſucceſſorem fore prænunciauit.

Vbert. Foliett. in Elog. Ligur. ſeq. dicitur Pontificatus. Nicolai virtutes.

Ad celſiſſimam igitur hanc honoris, & dignitatis ſedem conſcendit Nicolaus nullo maiorum ſplendore commendatus, ac nullis fortunæ opibus ſubnixus, ſed ſuis tantùm meritis. In noua hac dignitate plurima edidit documenta pietatis, religionis, continentiæ, manſuetudinis, iuſtitiæ, comitatis, in primis verò multiplicis liberalitatis in egenorum inopia ſubleuanda, in magnificis ſacrarum ædium, & alijs ſubſtructionibus; in ampliſſimis Templorum donarijs, in literarum ſtudijs fouendis, in præſtantium virorum ingenijs amplectendis, ac præmijs, & honoribus extollendis, diligentiæ verò, conſilij, ac prudentiæ in Schiſmate extinguendo, & intermiſſis pacis conſilijs repetendis, & ad exitum perducendis. Apud S. Mariæ Maioris Baſilicam palatium pro ſummis Pontificibus extruxit, ac domos proximas, & annuos redditus Monaſterij S. Bartholomæi in Suburra ordinis S. Benedicti à ſe extinctis Canonicis, ac Baſilicæ conceſſit. Huiuſce conceſſionis Diplomata, reſcripſit Paulus de Angelis in Deſcriptione Baſilicæ Liberianæ.

Palatium apud Baſilicam Liberianam conſtruit. Paul. de Angel. in Deſcript. Baſil. Liberianæ. Annuos reditus diſtributos Baſilicæ auget.

Lauretanam etiam Cellam Pontificijs muneribus auxit: & lectiſſimam illam locum, qua iacta ſunt fundamenta ſalutis humanæ anniuerſaria Indulgentia decorauit. Cauit inſuper ne Lauretana dona auerterentur, neue diuenderentur: & aduerſus Barbarorum incurſiones ſatis firmo præſidio ædem ipſam Lauretanam muniuit.

Lauretanam domum indulgentijs & præſidijs munit. Horat. Turſell. in hiſtor. Lauretan.

Neque ſacra tantùm, vt Pontifex curauit Nicolaus, cetera quoque vt Princeps illuſtrauit: Præter Virgineæ aquæ aquæductus a ſe reſtauratos, vt dictum eſt ſupra inſigne etiam palatium extra Ciuitatem Viterbienſem ad ſecundum ferè lapidem ad aquas, quarum potentiam, & virtutem expertus iam fuerat, conſtrui mandauit, quòd adhuc extat, & Balneum Papæ vocatur, inſignibus Nicolai ornatum. Caſtrum Salſulæ Melphienſi Eccleſiæ à Rogerio Apuliæ Duce dono datum confirmauit ſuis literis ſcriptis Idibus Iunij, anno 1447. Patriarchatus Gradenſis dignitatem Venetias tranſtulit, & primùm illius nobiliſſimæ Vrbis Patriarcham nominauit beatum Laurentium Iuſtinianum. Extat de hac re Diploma datum 8. Idus Octobris, anno 1451. quòd reſcripſit in ſuo quinto tomo Italiæ ſacræ Ferdinandus Vghellus. Eccleſiæ Tiburtinæ Præbendas ſuppreſſit, & extinxit, eaſque ad prouentus communes inter Canonicos inibi pro tempore reſidentes, & perſonaliter deſeruientes duntaxat pro quotidianis diſtributionibus futuris temporibus diuidendas redegit. In eiuſdem Eccleſiæ tabulario ſunt Nicolai literæ ſcrip-

Hipp. Marracc. in Pont. Marianis. Aquæductus inſtaurat. Palatium apud Viterbium conſtruit. Petr. Correno. de Epiſc. Viterbienſis. Dona Melphienſi Eccleſiæ facta confirmat.

tæ xviij.

Episcopis Venetiarũ Patriarchã nominat. S. Laurentius Iustinianus primus Patriarcha Venetiarũ. Fauet Ecclesiæ Tiburtinæ. Item Mantuanæ.

A te xviij. Kal. Maij, anni 1451. Mantuanam Eccleſiam ab Aquileienſis Patriarchæ iuriſdictione exemit, eandemque Romano Pontifici immediatè ſubiecit Idibus Aprilis, anno 1453.

Aſsiſiũ ſe confert ad videndum corpus S. Francisci. Luc. Vvaddingus in Annal. Minorum.

Sancti Franciſci corporis inuiſendi, & contemplandi deſiderio Aſsiſium petijt, ac tribus tantùm ſocijs ſecum ad id opus adhibitis, quorum illi nota iam, ac ſpectata fides, ad ſubterranea loca, quibus nobile Templum imminet, ſub quintam noctis horam ſe contulit, ibique ad beati pedes non ſine lacrimis diu procubuit. Fr. Ioannem de Capiſtrano ordinis Minorum, virum æquè doctum, ac pium in Germaniam miſit ad reſtituendam Fidem orthodoxam Boëmis, ac vicinis prouincijs, & ad extirpandam Huſsitarum hæreſim.

Ioannem de Capiſtrano in Germaniã mittit. Viros doctos promouet. Hermol. Barbar. Iacob. Pontan. in Atne Bellor.

Viros doctrina præſtantes fouit, eiſque omnia ſua ſtudia præſtauit, vt honoribus, opibuſque ditarentur. Nunciatum illi quondam fuit, Romæ inueniri qui bonos verſus pangerent: negauit ille eſſe bonos; *cur enim*, inquit, *ad me non veniunt, qui Poëtis etiam malis patere ſoleo?* Vocem præclariſsimam: ſe in poetaſtros quoque liberalem eſſe B conſueuiſſe, & paratum honorare, artem bonam, quanquam in malis artificibus indicare voluit.

Nicolai dicta egregium. Pius II. in Commentarijs.

De Nicolao hæc narratu digna legimus apud illius æui ſcriptores. Cum vacaſſet Eccleſia Regienſis, illi præficere Nicolaum Reginum inter Minores fratres, qui obſeruantes appellantur, prædicationis gratia inſignem. Hunc iuſsit accerſiri à Dominico Capranica Cardinali Firmano, rogarique an vellet, ſuæ Ciuitatis Pontificalem curam ſuſcipere. paruit Firmanus, vocatoque ſeorſum in cubiculo Mattheo, *diligit*, inquit, *te Pontifex maximus, tuiſque ciuibus præſulem dare te ſtatuit, ſi modo animum ad hoc induxeris, neque honorem hunc in patria tua pulcherrimum refugeris*. Matthæus nihil reſpondens, cubiculo egreſſus ad fratres, qui erant in aula, eiulans ac lacrymans, *accurrite*, inquit, *adeſtote, opem afferte*. Admirantibus fratribus, percontantibuſque, quidnam ſibi accidiſſet, aliquandiu nihil aliud reſpondit, niſi accurrite, iuuate, opem afferte miſero. Poſtremo cum ſæpius, ac ſæpius interrogare- C retur, vt quid auxilium tantopere efflagitaret, *heu*, inquit, *miſero mihi ætatem in religione conſumpſi, vixi pauper, & obediens, præcepta beati Franciſci numquam violaui, verbum Dei prædicaui populis, in cellula mea prædiuitem ego paupertatem, diuina contemplatus arcana, nunc ad Epiſcopatum vocor, ad negocium, ad labores, ad honores, quos optaui numquam. O immaculata religio, ò ſacri penetrates clauſtri, o dulcia cellarum ſilentia, o amantiſſimi fratres, o conſolationum mearum ſocij, ergo vos tandem relinquam? & me dulciſſima veſtra conuerſatione priuabo? non faciam, accurrite, iuuate, liberate me his moleſtijs, me defendite, ne me Firmanus vobis eripiat*. Audiuerat cuncta Cardinalis Firmanus è cubiculo ſuo, & accedens propius, *tace*, inquit, *Matthæe, pone metum, bono animo eſto, libero te, non vrgeberis à Põtifice vtramquam velis; ito quò placet, & re, tua conſulito*; atque in hunc modum eo dimiſſo, Nicolao Pontifici cuncta quæ geſta erant, expoſuit. Poſt dies octo re- D diens ad Firmanum Matthæus, conſilium ſe cæpiſſe cum amicis ait, rebuſque in vtramque partem planè diſcuſsis, viſum illis eſſe, vt Pontificis deſiderio ſatisfiat. ponere igitur ſe in manu Papæ, cui nefas ſit non obedire. Firmanus Nicolaum Põtificem accedens, *Matthæus*, inquit, *mutatus eſt, Epiſcopatum, ſi voles, accipiet*. Cui Pontifex, *& ego*, ait, *mutatus ſum; volui Epiſcopatum illi committere, cum noluit; cum vult, nolo*.

Hunc igitur virtute non modò, ſed etiam fortuna eo ſeculo admirabilem, ob humanioris literaturæ reſtitutæ in Italicam lucem, omnes viri docti ament, ac laudent neceſſe eſt. Non tamen ſatis longum vitæ ſpatium in Pontificatu peregit: pacis ſtudium ſemper illi quanta belli cupiditas deceſſori fuerat. Felix Contelorius in ſecũda Elenci parte ſcribit Nicolaum deceſiſſe die Lunæ 24. Martij, anno 1454. intra quintam, & ſextam noctis horam. quæ ſi vera ſunt, affirmandum quoque nobis eſt, non ſediſſe in Petri Cathedra niſi ſeptem E annis, & octo diebus ſupra decem.

Sepulchrũ habet in Vaticano.

Poſt obitum ſepultus in Baſilica Vaticana, vt dictum eſt ſupra: cuius ſepulchri exemplar omnium oculis proponam in fine vitæ.

Epitaphiũ

Sepulchro tale Epitaphium ab Aenea Syluio compoſitum meritò inſculptum eſt.

Hic ſita ſunt Quinti NICOLAI Antiſtitis oſſa,
Aurea qui dederat ſecula Roma tibi.
Conſilio illuſtris, virtute illuſtrior omni
Excoluit doctos doctior ipſe viros.
Abſtulit errorem, quo Schiſma infecerat Vrbem,
Reſtituit mores, mœnia, Templa, domos.
Tum Bernardino ſtatuit ſua ſacra Senenſi,
Sancta Iubilei tempora dum celebrat.
Cinxit honore caput Frederici, ac coniugis aureo,
Res Italas arcto fœdere compoſuit.
Attica Romanæ complura volumina linguæ
Prodidit: en tumulo fundite thura ſacro. F

A Extat aliud Vegei huiuſcemodi notis expreſſum.

Pontificis ſummi NICOLAI hic condita Quinti
Oſſa cubant, liber ſpiritus aſtra colit.
Aemulus ille Numæ, pacem ſibi prætulit armis,
Prætulit, & diris cautior a ſancta tubis.
Miro idem ſtudio ritus, cultuſque ſacrorum
Curauit, mira denique ſacra fide.
Alter, & Auguſtus dictus, doctiſſimus ipſe
Excoluit ſumma ſemper, & auxit ope.
Extulit atque alta renouauit mœnia Romæ,
Extulit, ingentes, & renouauit opes
B *Seculaque magni Iubilei læta ſacrauit,*
Cæſareum rutilo cinxit, & Orbe caput.
Qui ſciſſum Eccleſiæ Paſtor compegit ouile,
Ad ſuaque errantes clauſtra reduxit oues.

Scripta.

Regulas Cancellariæ à Prædeceſſoribus ſuis editas collegit, & certo ordine, quibuſdam etiam additis, digeſsit.

De Conceptione B. Virginis Mariæ Diploma ſcripſit, quòd extare apud Auguſtinum Suarez ordinis Carmelitarum in libro Statutorum eiuſdem ordinis aſſerit Petrus de Oieda in ſua Informatione Eccleſiaſtica de eadem Conceptione.

Iuſt. Lipſius in hiſtor. Virg. Hallenſis.

Aliud edidit Diploma pro B. Virgine Hallenſi, quo Sodalitatis illius inſtitutum approbauit, & Indulgentijs illuſtrauit.

Theoph. Rayn. in Corona Poet.

Literas ſcripſit ad Conſtantinum Imperatorem, qui vocabatur C *Dragaſes*, quibus excidium, & internecionem extremam infelicium Græcorum prædixit: Aſſeruantur hæ m. ss. Græcè, & Latinè in Bauariæ Ducis Bibliotheca, & Viennæ in illa Imperatoris cum verſione Theodori Gazæ.

Alias plures epiſtolas ſcripſit, quarum Regiſtrum aſſeruatur m.s. in Vaticano. Apud Annales Minorum à Fr. Luca Vvaddingo conſcriptos Nicolai literas centum, & quadraginta nouem inuenies pro ſolis Franciſcanis, aut Monialibus ſanctæ Claræ datas.

Scripſit Orationẽ habitam ad Cardinales poſt Eugenij IV. funus.

Conſtitutiones item Eccleſiaſticas, & literas Apoſtolicas.

Iacob. Gaddius de ſcript. non Eccleſ.

Veſpaſianus Florẽtinus ſcripſit vernacula lingua vitã Nicolai V.

Iannottius Mannettus de vita, & moribus Nicolai V. refertur inter m.s. Codices Bibliothecæ Piſaurienſis.

Concilia duo Turonenſe, & Lugdunenſe. Simeon. Turonenſ. in Epis. Concil.

Sub hoc tanto Pontifice celebrata ſunt Concilia duo, Turonenſe ſcilicet, & Lugdunenſe, primum pro reformandis moribus Eccle- D ſiaſticorum habitum eſt Andegaui præſide Ioanne Archiepiſcopo Turonenſi. Alterum Lugduni iuſſu Caroli Regis Galliarum ad tollendum Schiſma inter Nicolaum Romanum Pontificem, & Felicem Antipapam.

SIGNVM NICOLAI PAPAE V.



E



NICOLAI V. PONT. MAX.
Sepulchrum.

A

PRIMA CREATIO VNIVS CARDINALIS Nicolai Papæ V.

Die Veneris 16. Februarij, anno 1448. in quatuor Temporibus, anno Pontificatus Primo, vt in literis Nicolai, & ex libro Diuiſionum, ex Ciaconio verò die 21. Martij, anno Pontificatus Secundo, Nicolaus V. Romanus Pontifex vnum adſcripſit Cardinalium Collegio, qui fuit.

I.



Ciaconius. Panuinius. Roccus Pyrr. 1° de Eccleſia Meſſan. Balthaſſar Porregnus in elog. 3 Card. Hiſpanorum. Antō. Summont. in hiſt. Neapolitana.

MAG. ANTONIVS Cerdanus, quē aliqui Martinum nominant, Maioricenſis, ex vico S. Margaritæ, Canonicus Maioricenſis Eccleſię, teſte B Placido Samperio, ac Fr. Ioanne Figueras Cœnobita factus ordinis ſanctiſſimę Trinitatis in Cœnobio ſancti Spiritus Maioricenſi Redemptionis Captiuorum, per Angliam, Scotiam, & Hiberniam ſui ordinis domos Commiſſarius generalis inuiſit; poſtea in Romana Curia Procuratoris generalis munere functus. Phyloſophorum, ac Theologorum, omnium illius temporis maximus habitus fuit, adeo vt à Pio II. non Magiſter in Theologia, quem gradum iam adeptus fuerat, ſed Princeps Theologorum vocaretur. Ex Cubicu- C lario Papæ, & Archiepiſcopo Meſſanenſi, ab Eugenio IV. electo, renunciatus eſt à Nicolao V. Presbyter Cardinalis titulo S. Chryſogoni. Hunc inſuper quē ob eius doctrinā, & vitæ ſanctitatē ipſe Nicolaus ſibi Phyloſophiæ ſtudijs, & arcanorum ſacræ Theologiæ cognitioni ex omnibus elegerat, maximis, & ampliſſimis donis, ac honoribus donauit, atque vnicè dilexit. Præfuit Nicolai eiuſdem Pontificis iuſſu Eccleſijs Ilerdenſi, & Iuuenacenſi; quare vulgò dictus Cardinalis Ilerdenſis. Legati munere primò in Marchia Anconitana, deinde apud Alphonſum Arragonenſem Regem Siciliæ, & Florentinos functus eſt pro componenda inter illos pace, quam ſummo ſtudio, & omnium votis tandem firmauit: & Arianenſibus beati Othonis oſſa reſtitui curauit: extant Alphonſi Regis literæ ad Cardinalem datæ, & ſunt.

A tergo.

D

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, DOMINO *A. tit. S. Chryſogoni Presbyt. Ilerden. Amico.*

Intus verò.

Reuerendiſſime in Chriſto Pater Domine, & Amice Noſter chariſſime.

Ciues Ariani cupiunt maiorem in modum, vt corpus B. Othonis Confeſſoris, quod tempore, quo Infideles in Italia inuadebant, inuitis Arianenſibus ab Eccleſia Arianenſi ad Beneuentanam fuit tranſlatum, Eccleſiæ Arianenſi reſtituatur: hoc enim, & honeſtum, & pium eſt. V. propterea R. P. ea animi vehementia, qua poſſumus, rogamus, vt pro hac reſtitutione facienda, & cum ſanctiſſimo Domino Noſtro, & cum Archiepiſcopo Beneuentano vices Veſtras interponatis, vt omnino dicta reſtitutio ſequatur, quod Nobis ad ſingularem complacentiam accedet. Dat. Puteolis die 12. menſis Martij, anno à Natiuitate Domini 1452. E

REX ALPHONSVS.

Felix Cōtelor. in Elencho. Nomencl. Cardinal.

Romæ deceſſit non pridie Kal. Septembris, anno 1458. vt ſcripſit Ciaconius, ſed ex Vaticanis monumentis, atque ex ſepulchrali Inſcriptione, die 12. Septembris, anni 1459. & in veſtibulo Sacrarij Baſilicæ Principis Apoſtolorum ſepultus cum hoc Epitaphio.

F

MCCCCLIX. DIE XII. MENSIS SEPTEMBRIS
ANTONIVS CERDANVS MAIORICENSIS CARDINALIS
QVIEVIT IN DOMINO.

SECVNDA CREATIO CARDINALIVM.

Die Veneris 20. Decembris anno 1448. vt in libris Prouiſionum, & Diuiſionum ſacri Collegij in Vaticano ſeruatis, non 13. Ianuarij, anni 1449. vt ſcripſit Ciaconius, Romæ apud ſanctum Petrum Nicolaus Quintus Romanus Pontifex alios renunciauit Cardinales, qui fuere.

II.



ASTORGIVS Agnenſis, nobilis Neapolitanus, vir literarum ſcientia, prudentia, & animi dexteritate prædītus, ſub Martino V. Eugenio IV. & Nicolao V. plures legationes obiuit. Marchiæ Ducatui Spoletano, D. Petri Patrimonio, & Bononiæ præfuit: quas quidem Vrbes, ac prouincias ea animi rectitudine rexit, vt apud omnes maximum ſui nominis teſtimoniū reliquerit. Epiſcopatum primò Melitenſem ex Ferdinando Vghellio, deinde Melphitenſem, mox Anconitanum, poſtea Aſculanum à Martino V. ab Eugenio verò IV. Archiepiſcopatum Beneuentanum obtinuit. Cum enim Martinus V. Romanus Pontifex Aſculanum Epiſcopatum Aſtorgio ea conditione demandaſſet, ſi ita illi collibuiſſet, noluit Aſtorgius transferri; quare ad Anconitanum clauum ſedit, vſque ad annum 1436. quo anno ab Eugenio Martini ſucceſſore renunciatus eſt Archiepiſcopus Beneuentanus. Extant de huius electione, eiuſdem Eugenij literæ Clero, & Capitulo Beneuentano ſcriptæ Florentiæ apud S. Mariam Nouellam, die 3. Martij, anno 1436. Quatuor in Eccleſia Beneuentana Sacerdotia, ſeu Canonicatus erexit, Romæ S. R. E. Vicecancellarij munere fungens, poſt Eugenij obitum populi tumultum à Stephano Porcario nobili Romano excitatum, C ſumma prudentia ſedauit. Quare à Nicolao V. Presbyteris Cardinalibus titulo S. Euſebij ipſo ferè initio Pontificatus adſcriptus eſt.

Ciaconius. Andr. Victorell. in Addit. ad Ciaconiū. Hier. Garimbert.

Deceſſit Romæ de Eccleſia benemeritus die 10. Octobris anno 1451. corpus conditum in Clauſtro fratrum ordinis Prædicatorum Baſilicæ S. Mariæ ſuper Mineruam, marmoreo ſepulchro muro affixo cum Inſignibus, & ſequenti elogio.

Aſtorgio. Agneſi. patria. Neap. TT. S. Euſebij. Presby.
Card. Beneuentano. cuius. pro. Ro. Ec. virtus. &
Omnis. vita. ſemper. in. actione. fuit. & qui. rebus
Et Legationibus. maximis. ſedentibus. Martino
Eugenio. & Nicolao. Ro. Pont. bene
Geſtis. Romæ. obijt. Anno ſalutis. M. CCCCLI.
Et. vixit. An. LX. D
Galeoctus. eiuſdem. familia. Vir. inſignis
Et. Doctor. Patruo. benemerenti. conſtrui
Et. ſe. prope. poni. mandauit.

Cum Eugenio Romano Pontifice Aſſiſium Aſtorgius ſe cōtulit, & corpus B. Franciſci, eiuſdem Eugenij beneficio vidit; in quem virum ſanctitate clariſſimum ſemper ſe pium, & obſeruantiſſimum toto ſuæ vitæ tempore præbuit.

III.



Ciaconius. Panuinius. Aubery in vita. Felix Cōtelorius in Elencho. P. Sanſouin. in hiſt. fam. Vrſinæ.

E LATINVS Vrſinus, Domicellus Romanus, Iuris Vtriuſque Doctor, Epiſcopus primò Compſanus, deinde Archiepiſcopus Barienſis teſte Vghellio, poſtea Tranenſis, inter Presbyteros Cardinales titulo SS. Ioannis, & Pauli, al. S. Pammachij à Nicolao cooptatus eſt. Is in fratrem habuit Ioannem Vrſinum, & ſucceſſorem in Archiepiſcopatu Tranenſi, cui Baptiſta Platina Dialogum de vera nobilitate dedicauit. Hunc Paulus II. perpetuū Marchiæ Anconitanæ Legatum nominauit, & eundem F Xiſtus IV. S. R. E. Camerariatus officio donauit, ac ſummam negociorum Eccleſiæ commiſit. Archipresbyter Baſilicam Lateranenſem, Commendatarius Eccleſiam Vrbinatenſem, Legatus Maſſam Trabariam, Bononiam, ac Farfenſem Præſidatum rexit: Eccleſiæ Albanenſi ex Contelorio, atque ex Caſare Raſpono, ex Vghellio verò Sabinenſi primò mox Tuſculanæ præfuit. Eccleſiam, & Monaſterium in Vrbe ſancti Saluatoris in Lauro conſtruxit, & Canonicis Regularibus ſancti Georgij in Alga dote ampliſſima, & pinguiſſimis redditibus relictis donauit, quorum ſancta conſuetudine mirum in modum delectabatur: ſæpe ad illos confugiebat, non modò, vt quietè, ſed parce etiam vitam cum illis ageret. Bibliothecam multorum Librorum, quam collegerat, huic Cœnobio legauit; quæ flammis conſumpta eſt in depopu-

lationa

latione Vrbis anno 1527. huiuſce Cardinalis in ipſius Eccleſiæ ſancti Saluatoris facie, hæc extat memoria.

LATINVS
CARDINALIS VRSINVS
TEMPLVM HOC
EREXIT ET DOTAVIT.

In impluuio verò Cœnobij ab eodem extructi ſub marmorea effigie ipſius Cardinalis ſequentem legimus inſcriptionem.

LATINO. CARD. VRSINO
OPTIMO. ET. MVNIFICENTISS.
PARENTI
CANONICI. GRATI. ANIMI. C. P. C.
A. D. MDCXXI.

Barthol. Faſius in hiſtoria. — Pius II. in Commentarijs. — Hippolit. Marracc. in Purpur. Marian.

Barium Apuliæ Vrbem Legatus Romani Pontificis ſe contulit, vbi iuſſu Pontificis, & Collegij Cardinalium Ferdinandum initiatum, vt moris erat, Coronaque donatum, Regem declarauit. Cliuenſi Duci Romam venienti vnà cum Proſpero Columna Cardinale occurrit. Deiparam Virginem ſummo ſtudio coluit; quare admodum religiosè celebrabat dies, qui eiuſdem Deiparæ Virginitati incorruptæ, ac eius Maternitati, & Aſſumptioni dicati erant. In his ieiunabat, ac frequentiſſime ad eam oratione confugiebat, ex quo id conſecutus eſt, vt ſecundum quietem illam videret aliquando pro ſe Filium deprecantem, ab eaque certior factus ſit de hora mortis, & quòd tunc Dæmones ſalutis noſtræ hoſtes non videret.

E vita migrauit Romæ ætatis annorum 74. die 11. Auguſti, anno 1477. corpus ſepultum in Eccleſia S. Saluatoris de Lauro à ſe fundata ſub Altari B. Virgini Mariæ ſacro, ſine vlla ſepulchrali inſcriptione, vt ipſe in ſupremis tabulis expreſsè mandauerat. Octo dies ante eius obitum Xiſtus IV. omnibus ferè Cardinalibus ſtipatus ægrotum illum viſitauit, Conſiſtorium in ægroti cubiculo habuit, ac plures ei gratias elargitus eſt. Stephanus Infeſſura ſcribit illum obijſſe die 21. Auguſti, anno 1472. Lælius Peregrinus in funere huiuſce Cardinalis orationem habuit, quam anno 1587. typis editam vidimus.

Cæſ. Raſpon. de Baſil. Lateranen.

Interfuit Comitijs, in quibus renunciati ſunt Romani Pontifices Calliſtus III. Pius II. Paulus II. & Xiſtus IV. Circa portam omnium maximam, & Septentrioni oppoſitam à Gregorio XI. è Pario marmore in Baſilica Lateranenſi ſtructam, ac duobus prægrandibus marmoreis leonibus ornatam viſebantur olim Latini Cardinalis Vrſini Archipresbyteri inſignia.

Martinus Cromerus refert Latinum Cardinalem Vrſinum, quem Epiſcopum Oſtienſem nominat, Pontificis Romani iuſſu legationis munere functum fuiſſe in Polonia. *Aduenit poſtea*, ſunt illius verba, *Legatus Pontificis Latinus Vrſinus Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis, afferẽs Regi dono vnum de Clauis, quibus Chriſtus Ieſus auctor ſalutis Noſtræ Cruci affixus fuit. Acceptus eſt ſummo cum honore venieñs Cracouiam, multitudine omni cum Sacerdotibus, & Monachis obuiam effuſa, Clauuſque ſacer voluntate Regis in Baſilicam Cracouienſem illatus, vbi in hanc vſque diem aſſeruatur.* Hæc tamen ille refert ad annum 1424. quo Latinus nondum Cardinalium Collegio fuerat adſcriptus: deinde Epiſcopum Oſtienſem illum facit, cum reuera nunquam dum vixit, illi Eccleſiæ præfuerit: quare Cromeri fides in hoc mihi dubia.

Ad Latinum Cardinalem Vrſinum nonnullas ſcripſit Cardinalis Papienſis literas, quæ extant.

IV.

Ciaconius — Pet. Friſ. in Gallia Purpurat. — Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana. — Panuinius — Aubery in Vitis.



Alanus Cœtiuus, ſeu de Cœtiuo, filius Pregentis Franciæ Polemarchi, ac Thalaſſiarchæ, Domini de Taillebour, & de Cœtiui, nec non Mariæ de la Val Dominæ de Rais, ortum habuit in Armoricis, anno reparatæ ſalutis 1407. Dolenſis primùm Præſul, deinde Corſopitenſis, poſtea ad ſedem Aueniononenſem gradum fecit. Ne tamen tanta Alani virtus ſolùm in Gallijs circumfulgeret, illi honorem Purpuræ Nicolaus V. detulit, & Presbyterum Cardinalem titulo S. Praxedis nominauit. Poſt Purpuram iterum titulo Adminiſtratoris Dolenſis, & Nemauſenſis Epiſcopatus exornatur: & à Calliſto III. Romano Pontifice in Britanniam Armoricam Legatus à Latere miſſus ad ſacrum S. Vincentij Ferrerij ordinis Prædicatorum corpus exhumandum. Hic prædixerat Alphonſum Borgiam Papam futurum, quem ipſe Borgia, iam ne Calliſtus III. in albo ſanctorum inſcripſit anno 1455. die 29. Iunij. Legatus etiam in Gallias ab eodem Calliſto ad Carolum Septimum Francorum Regem hortaturus ad bellum ſacrum in Turcas mouendum, quod Cruciatam nuncupauere. Cum autem Alanus magna polleret eloquentia, & merito cauſæ innixus facilè Regem Carolum, & Regni Proceres in ſuam adduxit ſententiam. Quare maximus fit in Gallijs militum delectus, Clero decima impoſita triremes quatuor, & viginti apud Auenionem conſtruxit: tantus tamen apparatus euanuit ob Romani Pontificis obitum. In Italiam rediens Romæ habitauit in Acie campi Floræ ædes erectas ſuper Pompeij Theatri ruinas. Hic vnus fuit ex ſex Cardinalibus, qui Pio II. Mantuam iter facienti pro bello Turcis inferendo ſeſe comites adiunxerunt, à quo Legatus in Britanniam, Sabaudiam, & Delphinatum pro colligendis decimis contra Turcas miſſus eſt. Ab hoc quoque Romano Pontifice ex Contelorio Epiſcopatum Prænestinum obtinuit, quo relicto tempore Xiſti IV. Sabinenſe ſacerdotium illi obuenit. Commendator Eccleſiæ ſanctorum Coſmæ, & Damiani præfuit.

Pius II. in Commentarijs. — Aed. Viſtorell. & Addit. ad Ciaconiũ. — Ferdinãd. Vghel. in Ital. ſac. — Felix Cõtelorius in Elencho.

Epiſcopus Sabinenſis morti debitum exoluit Romæ ex Frizonio die 21. ex Ciaconio verò 22. Iulij, ſeu ex monumentis Vaticanis, die 3. Maij, anno à partu Virginis 1474. & in D. Praxedis æde monumento marmoreo tumulatus iuxta ſacræ Chriſti Columnæ Sacellum cum ſequenti Epitaphio.

Nomencl. Cardinal.

SEDENTE XISTO IV.
ALANVS EPISCOPVS SABINENSIS SC. ROM. CARDINALIS
NOBILISS. IN BRITONIBVS COETTIVORVM GENTE NATVS
ILLVSTRI LEGATIONE AD GALLOS PRO FIDE FVNCTVS
CVIVS VITA EXEMPLVM VIRTVTIS
ACTIONES AVTEM PRIVATIM ET PVBLICE SALVTARES FVERE
HOC MONVMENTO CONDITVS EST
VIX. AN. LXVI. MENS. VIII. DIES XV.
MCCCCLXXIIII.

Card. Papienſis in Epiſtolis.

Laudatur Cardinalis hic à Garimberto; illum tamen aliqui carpunt loquendi nimia libertate; qua vſus cum Paulo II. in publico Conſiſtorio, illius ſimulationem damnando his verbis. *Recte Paule annos viginti quatuor adhibuiſti ſtudium, vt ſemel nos falleres.* Cardinali huic Aueniononenſi, qui Ioannis Cæſarini ſacri palatij Auditoris, Apoſtolici Legati in Britanniam mittendi cauſa fuerat, Ludouicus Galliæ Rex temporalitatem ademit, vt narrat Pius II.

Felix Cõtelorius in Elencho.

Hic ſub Eugenio IV. ſe pro Cardinali gerebat, quia idem Eugenius de eo in Cardinalem aſſumendo tractauerat in ſecreto Conſiſtorio, eidemque ſcripſerat, vt pro reuocanda Pragmatica ſanctione laboraret ſub ſpe conſequendi Cardinalatum. Idem tamen Eugenius paulò poſt declarauit, ſuæ intentionis non fuiſſe, vt illum in Cardinalem aſſumpſerit, vt in Diplomate ſcripto die 30. Ianuarij, anno 1446. quare ille inſignia Cardinalatus, quæ vſque adhuc geſſerat, depoſuit. Poſt Nicolai V. obitum in Comitijs Pontificijs pro Calliſto III. album calculum adiecit, & ne ad ſummum Pontificatum Beſſarion Cardinalis Nicenus aſcenderet, curam, diligentiamque quam maximam adhibuit. Aueniononenſis Præſul, & ſedis Apoſtolicæ Legatus Concilium Prouinciale, anno 1457. habuit, cui Petrus de Fuxo S. R. E. Cardinalis Archiepiſcopus Aquenſis, & duodecim Epiſcopi cum Eccleſiarum Cathedralium Capitulis interfuere, & Decreto in Conuentu Baſileenſi facto de Conceptione beatiſſimæ Virginis Mariæ ſubſcripſere.

Hippolit. Marracc. in Purpur. Marian.

V.

Ciaconius — Pet. Friſ. in Gallia Purpurat. — Aubery in Vitis. — Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana. — Io. Chenu de Epiſc. Galliæ. — Ferdinãd. Vghel. in Addit. ad Ciaconiũ. — Panuinius — Felix Cõtelorius in Elencho.



Ioannes Rolin, aliàs Raolinus, natione Gallus, Auguſtoduni, natus patre Nicolao Philippi Burgundiæ Ducis cognomento *Boni* Cancellario, matre Ioanna de Landis, Auguſtodunenſem Archidiaconatum, & Prioratum S. Marcelli primò, deinde Epiſcopatum Cabillonenſem, mox Aeduenſem, ſeu Auguſtodunenſem obtinuit, cui Eccleſiæ præfuit annos quadraginta ſex. Ludouico Delphino à Cõteiſsionibus, qui poſtea Rex huius nominis Vndecimus mortuo parente Carolo VII. qui à debellatis Anglis cognomen *Victoris* eſt conſecutus Templum princeps Aeduenſe incendio conſumptum reſtituit, campanam maiorem dono dedit, quamplurimis ornamentis Templum illud, & æneis columnis principem aram; ac feſtum D. Lazari in Sacello Diuionenſi celebre reddidit: eiuſque Ioannis habetur memoria in Capella ipſi Diuo erecta, quæ à plebe vocatur *la Cardinale*. In Templo B. Virginis Mariæ ſacro Capitulum duodecim Canonicorum cum Præpoſito proprio ære erexit.

Ioannes hic non modò pallio, ſed etiam purpura, non ab Eugenio Quarto, vt ſcripſit Petrus de S. Iuliano in hiſtoria de Epiſcopis Cabillonenſibus, ſed à Nicolao V. cohoneſtatus, & renunciatus Presbyter Cardinalis titulo S. Stephani in Cœlio monte, cognominatus Cardinalis Aeduenſis; Eccleſiæ Diuæ Genoueſes Pariſienſium pa-

tronæ larga dona erogauit. Vitam ferè duxit ſemper in Gallijs; tandem dierum, ac meritorum plenus è vita deceſſit in Gallijs, die 22. Iunij, anno 1483. & heredem inſtituit Eccleſiam vici de Beſſe.

Panuinius

Animaduerſione dignum eſt non diſtingui à nonnullis Cardinalem hunc Ioannem à Ioanne creato in Schiſmate Felicis V. Cardinali Caſtrenſi, qui fuit Carolo VII. Francorum Regi ab Exomologeſi; verùm diſtinguuntur, cum ille Caſtrenſem, hic Auguſtodonenſem Eccleſiam rexerit. Hunc eundem alij confundunt cum Ioanne Raulin ordinis Ciſtercienſis Doctore Theologo Pariſienſi, qui varios edidit Sermones Aduentuales, Dominicales, Quadrageſimales: tomos duos de Sanctis, & de venerabili Sacramento Euchariſtiæ: Itinerarium Paradiſi, Doctrinale de triplici morte.

Ioannis Raulini meminere, vt ſcriptoris Eccleſiaſtici Genebrardus in Nicolao V. & Georgius Draudius in Bibliotheca Claſſica, verùm non noſter eſt ille.



Ciaconius. Panuinius de Rom. Pontific. Aubery in Vitis. Ferdinand. Vghel. in Ital. ſac. Carol. Sigonius de Epiſc. Bononien.

VI.

PHILIPPVS Calandrinus, natione Italus, patria Sergianenſis, Nicolai Romani Pontificis ex matre frater, Lucenſis Eccleſiæ Canonicus, ſeu Archidiaconus, defuncto Ioanne de Podio Præſule Bononienſi, à Nicolao fratre Eccleſiam illam obtinuit. Nicolaus enim Romanus Pontifex has literas ad Clerum Bononienſem xv. Kalendas Ianuarij ſcripſit.

NICOLAVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Dilectis filijs Clero Ciuitatis, & Diœceſis Bononienſis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Eccleſia Bononienſis, per obitum bonæ memoriæ Ioannis Epiſcopi Bononienſis, qui apud ſedem Apoſtolicam diem clauſit extremum, Paſtoris ſolatio destituta, Nos ad prouiſionem eiuſdem Eccleſiæ celerem, & felicem, de qua nullus præter Nos hac vice ſe intromittere potuit, neque poteſt reſeruatione, & Decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis, paternis, & ſollicitis ſtudijs intendentes, poſt deliberationem, quam de præficienda eidem Eccleſiæ perſonam vtilem, & etiam fructuoſam cum fratribus Noſtris habuimus diligentem, demum ad dilectum filium, Philippum Electum Bononienſem, tunc Archidiaconum Eccleſiæ Lucenſis, Notarium Noſtrum in Sacerdotio conſtitutum, cuius perſonam de vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium prouidentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis noueramus inſignitam, direximus oculos mentis Noſtræ. Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona ipſius Electi Nobis, & eiſdem fratribus ob ſuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ Bononienſi de dictorum fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica prouidemus, ipſumque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Bononienſis ſibi in Spiritualibus, & Temporalibus plenariè committendo: In illo, qui dat gratias, & largitur præmia, confidentes, quod eadem Eccleſia Bononienſis per dicti Electi circumſpectionis induſtriam, & ſtudium fructuoſum ſub ſuo felici regimine, dextera Domini ſibi aſſiſtente propitia, ſalubriter, & proſperè dirigetur, ac grata in eiſdem Spiritualibus, & Temporalibus ſuſcipiet incrementa.

Deinde has ad populum 4. nonas Ianuarij dedit.

Vacante proximis diebus Eccleſia illa per obitum bonæ memoriæ Ioannis de Podio Epiſcopi Bononienſis, qui Nobis maximo dolori fuit, cum ipſum propter ſanctimoniam, prudentiam, & integritatem ſuam ab intimis cordis Noſtri valdè dilexerimus, varijs cogitationibus diſtracti fuimus ad cogitandum de perſona vtili, & populo Veſtro grata, ipſi Eccleſiæ præficienda. Tandem non ignorantes, omnes, & non coniunctos Nobis pro deuotione Veſtra erga Nos eſſe gratiſſimos, in germanum Noſtrum conuertimus oculos Noſtræ mentis, ipſumque eidem præfecimus, & Epiſcopum, & Paſtorem multis reſpectibus moti, & præcipuè Venerabilibus fratribus Noſtris S.R.E. Cardinalibus id ſuadentibus, & poſt literas Veſtras charitatis officio plenas accepimus, quibus non mediocri efficacia id poſtulaſtis; quæ res ſupra modum gratiſſima fuit, cognoſcentes voluntatem Veſtram cum Noſtra fuiſſe conformem. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die ſecundo Ianuarij millesimo quadringenteſimo quadrageſimo octauo, Pontificatus Noſtri Anno Primo.

Licet fuerit Philippus ea modeſtia, atque virtute præditus, vt facilè Nicolai fratris humanitati, laudique reſponderit, tamen propter

A legationes, quas tenis Apoſtolicæ nomine in Marchia Anconitana, Miſſa Trabaria, atque in Præſidatu Farſenſi obiuit, præſens Eccleſiæ Bononienſi ſtudium, ac fidem nauare ſuam tam citò non potuit.

Presbyteris Cardinalibus titulo S. Suſannæ primò, poſtmodum S. Laurentij in Lucina à Nicolao eſt adſcriptus: Pius II. eundem maiorem Pœnitentiarium, & ex aliquibus Epiſcopum Albanenſem; demum Paulus II. Portuenſem nominauit. Eundem Pium II. Mantuam ad Concilium de bello Turcico ſuſcipiendo euntem proſecutus eſt: anno verò 1462. Bononiam redijt, totumque ſe Eccleſiæ ipſi conſtituendæ dedit. Litem, quam ciues Centi, & Plebis cum Bononienſibus inſtituerant, pro auctoritate diremit: Collegium Canonicorum nouæ S. Petronij Baſilicæ à Pio attributum, & Conſtitutiones Bernardi olim Epiſcopi ſynodales probauit. Eccleſiam S. Mariæ Charitatis fratribus tertij ordinis S. Franciſci de obſeruantia dedit, Comitijs Calliſti III. Pij II. Pauli II. & Xiſti IV. interfuit.

B Lucis vſuram amiſit Balneoregij, ſeu Viterbij, vel Bagnariæ Viterbienſis Diœceſis, die 22. Iulij, anno 1476. Corpus Romam relatum in titulo Lucinæ ſepultum cum ſequenti Epitaphio.

Nomencl. Cardinal.

PHILIPPO CALANDRINO SERGIANEN. BONON. EPISCOPO PORTVEN. SANCTÆQ R. E. SVMMO PENITENTIAR. NICOL. V. PONT. MAX. FRATRI IO MATH. CALANDRIN. PATRVO CARISSIMO POSVIT VIXIT AN. LXXIII. OBIIT AN. SAL. CHRISTI MCCCCLXXVI.

PETRO CESARI CAROLO LEONARDO TRIBVS LIBERIS ADHVC IMPVBERIBVS PIENTISS. PATER HOC EODEM HIPOGEO CONDIT.

Card. Papienſ. in Epiſtolis. Vbert. Foglieta in Elogijs clarorum Ligurum.

Vir fuit in tota vita verax, & integer animi, ac in dicenda ſententia integerrimus: ingenio enim manſueto, & comi, moribus ſuauiſ-
C ſimis ornatus tum Eccleſiam Bononienſem, tum legationum munera, ſumma cum integritatis, æquitatis, iuſtitiæ, ac humanitatis laude adminiſtrauit.



VII.

MAG. D. NICOLAVS de Cuſa, ſeu Cuſanus dictus, quia natus in vico Cuſæ apud Moſellam fluuium in Diœceſi Treuirenſi, ex aliquibus Canonicus Regularis, & Decanus S. Florini Confluentienſis, ex Præpoſito Monaſterij Vrotobergenſis, Archidiaconus Leodienſis, & Protonotarius Apoſtolicus eſt renunciatus. Adhuc iuuenis cum
D Baſileenſibus Concilij poteſtatem extulit, at cum vidit eorum pertinaciam eò vergere, vt Schiſma excitaretur, ſententiam inſanam deteſtatus, Iulianum Cæſarinum, quem patrem & Præceptorem ſuum nuncupauit, & Aeneam Syluium ſecutus, pro Eugenio côtra illos decertauit. Vide epiſtolam eius primam ad Rodericum Archidiaconum de Treuino Regis Caſtellæ in Francofordienſi conuentu Oratorem; in qua de ſummi Pontificis poteſtate optimè diſſerit, & Schiſma diabolicum crimen nominat. Ob doctrinam eximiam, omnium enim ſui æui Theologorum princeps eſt habitus, & miram prudentiam, inter Presbyteros Cardinales titulo S. Petri ad Vincula aliàs Eudoxiæ cooptatus, poſtea Epiſcopus Bri-
E xinenſis, plures & varias habuit ad diuerſos Principes legationes. Ad Regem enim Francorum ante adeptam purpuram miſſus, acerrimè in eius conſpectu multis adſtantibus Prælatis, Eugenij IV. auctoritatem, & cauſam defendit, ipſum legitimum Pontificem, verum Chriſti Vicarium, & Petri Succeſſorem aſſerens, contra verò Felicem Antipapam in Eccleſia intruſum, & vt tali non obediendum. Iam renunciatus Cardinalis ad Federicum Imperatorem à Nicolao Quinto miſſus eo tempore, quo Religio Chriſtiana ob diſcordiam patrum in Concilio Baſileenſi, maximo in periculo verſabatur, mirum in modum ſe geſſit; & maximè tanti viri enituit prudentia, idque pro quo miſſus fuerat, opus compleuit. Iterum in Germaniam Legatus ſe contulit tum ad corrigendos Eccleſiaſticorum mores,
F tum pro ineunda pace inter Theodoricum Archiepiſcopum Colonienſem, & Ducem Cliuenſem. Tertiò Germanicam legationem ſubijt ad ſubmouendas diſſenſiones occaſione tutelæ Ladiſlai Regis inter Principes Regni Hungariæ, & Boemiæ, ac Federicum Imperatorem. Neque hic finis legationum; iterum eandem prouinciam ter ſubijt, primò vt nobiles Pruſſiæ, & fratres Hoſpitalis B. Mariæ Theutonicorum induceret ad pacem; ſecundo pro pace procuranda inter Regem Franciæ, & Angliæ; demum ad ſolum Regem Angliæ pro bello Turcico. Proficiſcente Pio II. ad Concilium Mantuanum, Nicolaus ad Vrbis regimen relictus eſt: dum Legati Germaniæ munere fungeretur, Synodum Magdeburgenſem conuocauit, & annum ſecularem ſacrum indixit. Norimbergam ſe conferens, anno 1451. die vltima Aprilis mandatum edidit, quo Religioſis omnibus

Ciaconius. Panuinius. And. Victorel. in Addition. ad Ciacõ. Aubery in vitis. Ant. Poſſeu. in Bibliotb. Io. Trithemius. Robert. Bellarm. de Script. Eccleſ. Xyſtus Senenſis in Bibl. ſanct. Pius II. in Commentarijs. Hier. Gambert. Gab. Pennot in hiſtor. Tripartita. Felix Côtelorius in Elencho. Ant. Sander in elogijs Card. Carol. Sigon. in vita Nicolai Card. Albergat. Iac. Philipp. Bergomen. in Chron. Krantzius in Vandalia.

religioſam obſeruantiam infra vnius anni ſpatium admittendam imperabat.

In omni diſciplinarum genere diligentiſſimè verſatus ſcripſit præclara Opuſcula ſæpius Typis admota, ac tribus voluminibus hoc ordine diſtincta.

Tomo Primo.

Nomencl. Cardinal.

Iacob. Gaddius de ſcript. non Eccleſ.

Hippolit. Marrac. in Purpura, & in Bibl. Mariana.

De Docta Ignorantia ad Iulianum Cæſarinum Cardinalem.
Apologiam Doctæ Ignorantiæ.
De Coniecturis libros duos.
De Filiatione Dei.
De Geneſi.
Idiotæ de Sapientia libros quatuor.
De Viſione Dei.
De Ludo Globi myſticè libros duos.
De Fortuna.
Compendium.
Directorium Speculantis.
Trialogum de Poſſeſſiuo.
De Berillo.
De Dato Patris Luminum.
De Quærendo Deum.
De Venatione Sapientiæ.
De Apice Theoriæ.
De Deo Abſcondito.

Tomo Secundo.

De Annunciatione Dialogum.
Exercitationum libros decem.
De Aequalitate.
De Concordia Catholica ad Concilium Baſileenſe.

Epiſtolarum librum: harum nonnullæ ſunt ad Boemos, vt eos ad Eccleſiæ vnitatem reuocaret, eiſque Ioannem de Capiſtrano ordinis Minorum, virum ſanctitate clarum laudat: aliæ ſunt ipſi Capiſtrano ſcriptæ.

De Pace fidei.
Cribrationem Alcorani libris tribus.
De Nouiſſimo Die.

Tomo Tertio.

De Geometricis Tranſmutationibus.
De Arithmeticis Complementis.
De Mathematicis Complementis ad Nicolaum V. Papam.
De Quadratura Circuli, ad quam Mathematicorũ turba noctuat.
De Sinibus, & Chordis.
De vna recti, curuique menſura.
Complementum Theologicum.
De Mathematica Perfectione.
Reparatio Kalendarij.
Correctio Tabularum Alphonſi.

Apud Fr. Lucam Vvaddingum in Annalibus Minorum reſcriptas inuenies aliquas Ioannis Capiſtrani literas ad Nicolaum Cardinalem Cuſanum datas.

Obijt Tuderti in Vmbria, anno ætatis ſuæ 63. Chriſti 1464. die vndecima, ſeu duodecima Auguſti: corpus Romam relatum in titulo Eudoxiæ conditum eſt cum hac ſepulchrali Inſcriptione.

NICOLAVS DE CVSA TREVERENSANI S. PETRI AD VINCVLA CARDINALIS BRIXINEN EPISCOPVS TVDERTI OBIIT MCDLXIV. XI AVGVSTI OB DEVOTIONEM CATENARVM S. PETRI HIC SEPELIRI VOLVIT DILEXIT DEVM TIMVIT ET VENERATVS EST AC ILLI SOLI SERVIVIT PROMISSIO RETRIBVCIONIS NON FEFELLIT EVM.

In Eccleſia principe Salisburgenſi alia extat huiuſce Cardinalis memoria duobus tantum carminibus expreſſa.

QVI IACET ANTE TVAS NICOLAVS PETRE CATENAS,
HOC OPVS EREXIT CETERA MARMOR HABET.

Ant. Berlill in vita S. Nicolai.

Prope Cuſæ vicum, in quo ortum habuit, vt diximus ſupra, in S. Nicolai honorem Xenodochium erexit, redditibus magnis, & nobili Latinorum, & Græcorum Librorum ſupellectili auxit. Ad hanc Hoſpitalẽ domum Cor Nicolai delatum, in Templi choro ſub marmore collocatum fuit. Tectum Eccleſiæ S. Petri ad Vincula de nouo conſtruxit eidemque Baſilicæ varia ornamenta reliquit.

Magnarum virtutum vir, & clarum Germaniæ ſidus à nonnullis appellatur; à Cardinale Bellarmino æquè pius, ac doctus; à Poſſeuino ſcientijs penè vniuerſis expolitus, Canonum peritia eximius, alijſque dotibus excultus; à Trithemio in diuinis ſcripturis eruditiſſimus, Theologorum ſui temporis facilè princeps. In ſecularibus literis egregiè doctus, Phyloſophus, Rhetor, Mathematicus celeberrimus, ingenio ſubtilis, eloquio diſertus, linguarum Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ peritus, vita, & conuerſatione integerrimus, & ſingulariter deuotus, ſincerus, ac feruidus, ſalutis animarum amator, qui in Germanicis legationibus multa, eaque vtilia pro Eccleſiæ reformatione, & præcipuè ordinis Benedictini conſtituit. Laudatur à Xiſto Senenſi, à Boſtio, & ab alijs. Vincentius Belluacenſis in ſuo Speculo Hiſtoriali hoc Nicolao de Cuſa Cardinali ſcripſit elogium. *Vir ſui ſua tempeſtate doctiſſimus, vitiorum hoſtis acerrimus, integritate animi admirabilis; vir ſupra opinionem eloquens, & latinus, & tanta omnium doctrinarum vbertate præditus, vt quicquid ex tempore dicendum incidiſſet, ad tali copia diſſereret, vt illi ſoli facultate ſtuduiſſe cenſeretur. Hiſtorias omnes recentiores, & antiquas memoria tenebat, & in Mathematicis diſciplinis fuit ſuo tempore illo doctior nullus.*

Antonius Senenſis in ſua Bibliotheca Nicolaum hunc Cardinalẽ de Cuſa inter ſcriptores ſacri ordinis Prædicatorũ recenſet; ignota tamẽ omnino mihi ſunt quæ illum ad hæc affirmanda impulerũt.

Pro Feudis, & Iuriſdictione Eccleſiæ Brixinenſis cum Sigiſmundo Auſtriæ Duce contentionem habuit; quare à Sigiſmundo in Caſtro Braunecco in ipſa Paſchatis ſolemnitate contra fidem datam captus, & in eius poteſtate per dies aliquot omni contumeliarum, & ignominiarum genere affectus duriſſimè retinetur. Nec libertatem obtinere valuit, niſi remiſſis iniurijs, Caſtro quodam tradito, magno auri pondere ſoluto, alijſque extortis conditionibus. De quibus certior factus Pius II. Romanus Pontifex Nicolai defenſionem ſuſcepit, ac Sigiſmundum anathemate notauit.

TERTIA CREATIO VNIVS CARDINALIS.



VIII.

AMADAVS olim Dux Sabaudiæ, Felix V. in ſua obedientia dictus, die 7. Aprilis anno 1449. qua ceſſit Pontificatui, renunciatus eſt Epiſcopus Cardinalis Sabinẽſis, ſacri Collegij Decanus, & ſedis Apoſtolicæ Legatus, ac Vicarius perpetuus in Prouincijs, Ciuitatibus, Diœceſibus, ac Dominijs Duci Sabaudiæ mediatè, vel immediatè ſubiectis; necnon in Terris Bernenſium, quæ in Diœceſi Lauſanenſi conſiſtunt, hoc addito, vt ſi vltra tres dies extra legationis fines moram traxiſſet legatio expiraret, vt conſtat ex Nicolai Diplomate ſcripto Fabriani jv. Kal. Septembris anno Incarnationis Dominicæ 1449. de illo plura ſupra.

Ciacconius

Felix Cõtelorius in Elencho.

Aubery in Vitis.

QVARTA CREATIO CARDINALIVM.

Die Veneris 19. *Decembris anno* 1449. renunciati, & die ſequenti publicati, ſunt hi Cardinales.



IX.

LVDOVICVS Alemandus, ſeu Alamannus à Martino Quinto inter Sanctæ Romanæ Eccleſię Cardinales cooptatus, & ab Eugenio Quarto illa dignitate priuatus, à Nicolao ad Cardinalatus dignitatem reſtitutus titulum ſanctæ Cæciliæ obtinuit. De illo plura ſupra in Martino V. Pontifice.

Ciacconius

Andr. Victorell. in Addit. ad Ciaccon.

Io. Chenu de Epiſc. Galliæ.

Panuinius



X.

IOANNAS de Arſijs, ſeu Arſius, natione Gallus, Archiepiſcopus Tarantaſienſis interfuit conuentui Baſileenſi, & fautor Felici, à quo, vt diximus inter Pſeudocardinales cooptatus, ad Schiſmatis ignem extinguendum à Nicolao Presbyteris Cardinalibus titulo SS. Nerei, & Achillei adſcriptus eſt. Deceſſit in Sabaudia, die 12. Decembris, anno 1453. & ſepultus Monaſterij ad Iſaram, alijs Tarantaſiæ: de hoc etiam ſupra in Felice V. Antipapa.

Ciacconius

Panuinius

Pet. Priorii in Gallia Purpurat.

Aubery in Vitis.

Felix Cõtelorius in Elencho.

Ciaconius
Panuinius
Aubery in vita.
Pet. Frizon. in Gallia Purpurat.
Felix Cōtelorius in Elencho.



A

XI.

LVDOVICVS de la Palu Comes, ſeu Dominus de Varambone, natione Gallus, in Synodo Conſtantienſi cuſtodiam, & prouinciam Concłauis habuit, cum electionis calculi Martino V. concederentur. Felicis partes ſecutus purpuram ab illo primò, mox à Nicolao V. Romano Pontifice obtinuit titulo ſanctæ Anaſtaſiæ, quo relicto, vt ſcribunt aliqui, alium S. Cæciliæ accepit. Lucis vſura priuatur Romæ, die 21. Decembris, anno 1451. ex Contelorio, ex Frizonio verò 1455. corpus conditum in Principis Apoſtolorum Baſilica Vaticana: Plura de illo ſupra ſub Felice V.

B

Ciaconius
Pet. Frizo in Gallia Purpurat
Aubery in vita.
Panuinius



XII.

HVGONIS Guiliermus de Stagno, natione Gallus, patria Virdunenſis Sancti Vitoni ordinis S. Benedicti in Ciuitate Virdunenſi Cœnobiarcha, non modò in Metenſi Eccleſia, ſed etiam in Virdunenſi Archidiaconatus officio decoratus, Felici V. fauit, à quo inter Pſeudocardinales cooptatus, ſed poſtea ex concordia inter ipſum Felicem, & Nicolaum facta, a Nicolao V. Presbyter Cardinalis S. Sabinæ renunciatus, Cardinalis Metenſis eſt nuncupatus. Epiſcopatum Sedunenſem, cui poſtea ceſſit, & adminiſtrationem Eccleſiæ Foroliuienſis in prouincia Aquenſi obtinuit. Eccleſiā Parœcialem in Villa de Eſtain curauit ædificari eo ſchemate, quo etiam nunc intuentium oculis apparuit: Petro Barbo Veneto Cardinali S. Marci, poſtea Pontifici Paulo II. peculiari neceſsitudine coniunctus fuit. Magna cura res Eccleſiæ Virdunenſis proſecutus eſt Romæ, proinde toti Clero Virdunenſi gratiſsimus: curauit à Nicolao V. Romano Pontifice confirmari duo Statuta Canonicorum Virdunenſium, in quæ iurant, dum admittuntur, primum ſe ortos in, & ex legitimo matrimonio, ſecundum conditionis ſe eſſe liberæ, non ſeruos.

Felix Cōtelor. in Elencho.

Romæ deceſsit, die 28. Octobris, anno 1455. & ſepultus in ſuo S. Sabinæ titulo prope principem aram cum hoc Epitaphio.

Hugonis Guiliermus eram conſultus vtroque
Iure, ſed è Stagno Virdunis natus in oris.
Presbyter intactæ titulo præſtante Sabina
Inter Cardineos donatus denique Patres.

Obijt Anno MCCCCLV. Die Octobr. xxviij.

In eadem Eccleſia prope ſepulcrum Cardinalis eſt hæc Nepotis ſepulcralis inſcriptio.

Beunoleto Hugonis F. Decano Virdunenſi Guiliermi
Cardin. Metenſi Nepoti apud Auunculi pientiſſimi oſſa
Georgius Guiliermi Agnatus ex teſtamento ....
Obijt Kal. Martias MCCCCLXVII.

A

EPISCOPI CARDINALES
à Nicolao V. Rom. Pont. ex Ciaconio creati.

Amedeus Sabaudienſis, Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis, & ſacri Collegij Decanus.

Georgius Fliſcus Genuenſis, ex Presbytero titulo ſanctæ Anaſtaſiæ Eugenij IV. Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus.

Iſidorus Græcus, ex Presbytero titulo ſanctorum Petri & Marcellini Eugenij IV. Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis.

Beſſarion Græcus, ex Presbytero Baſilicæ ſanctorum Duodecim Apoſtolorum Eugenij IV. Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus.

Guillelmus de Eſtouteuilla, ex Presbytero titulo ſanctorum Sylueſtri, & Martini in montibus, alias Equitij Eugenij IV. Epiſcopus

B Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ.

Nicolaus V. tribus ex Ciaconio, ex Contelorio verò quatuor Ordinationibus, menſibus Martio, & Decembri factis, Epiſcopos quinque Cardinales, ex antiquis Presbyteris, Presbyteros verò duodecim, ſed vnum priuatum reſtituit, & alterum, Petrum ſcilicet Barbum Venetum, ex Diacono ſanctæ Mariæ Nouæ Presbyterum Cardinalem ſancti Marci renunciauit.

VICECANCELLARIVS S.R.E.
ſub Nicolao V. Romano Pontifice.

C

Franciſcus Condolmerius, Venetus, nepos Eugenij IV. Epiſcopus Cardin. Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ S.R.E. Vicecancellarius ab anno primo Pontificatus ad ſeptimum: reliquo tempore ſine Vicecancellario fuit Eccleſia Romana.

CARDINALES MORTVI
ſub eodem Pontifice.

Nicolaus de Acciapacio, Surrentinus, Presbyter Cardinalis ſancti Marcelli, deceſſit, die 3. Aprilis, anno 1447.

Antonius Martini de Clauibus, Luſitanus, Presbyter Cardinalis ſancti Chryſogoni, die 11. Iulij, eiuſdem anni 1447.

Reginaldus de Caruare, Gallus, Presbyter Cardinalis ſancti Stephani in Cœlio monte, anno 1448.

D

Ioannes de Pontibus, aliàs de Vrſinis, Neapolitanus, Presbyter Cardinalis ſanctorum Nerei, & Achillei, titulo Faſciolæ deinde Epiſcopus Prænestinus, die 21. Ianuarij, anno 1449.

Ioannes Siculus, Meſſanenſis, monachus Congr. s. Iuſtinæ Presbyter Card. S. Sabinæ, die eodem 21. Ianuarij, eiuſdem anni 1449.

Amedeus Dux Sabaudiæ, poſtea in Schiſmate Felix V. quo extincto Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis, die 13. Ianuarij, anno 1450.

Henricus de ſancto Alloſio, Papienſis, Presbyter Cardinalis ſancti Clementis, die 4. Iulij, anno 1450.

Ludouicus Alemandus, Gallus, Canonicus Regularis, Presbyter Cardinalis ſanctæ Cæciliæ, die 14. Septembris, anno 1450.

Ioannes Iuuenis Picardus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Praxedis, poſtea ſancti Laurentij in Lucina, die 9. Septembris, aut Decembris, anno 1451.

E

Aſtorgius Agnenſis, Neapolitanus, Presbyter Cardinalis ſancti Euſebij, die 10. Octobris, anno 1451.

Ioannes Kemp Anglus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Balbinæ, deinde Epiſcopus Portuenſis, die 22. Martij, anno 1453. ſeu ex alijs 1454. vel anno 1456.

Franciſcus Condolmerius, Venetus, nepos Eugenij IV. Presbyter Cardinalis primò ſancti Clementis, poſtea Epiſcopus Portuenſis, die 30. Octobris, anno 1453.

Ioannes Ceruantes, Hiſpanus, Presbyter primò Cardinalis ſancti Petri ad Vincula titulo Eudoxiæ, deinde Epiſcopus Oſtienſis, die 25. Nouembris, anno 1453.

F

Ioannes Gruuenualder, Germanus, Pſeudopresbyter Cardinalis ſanctorum Sylueſtri, & Martini in montibus titulo Equitij, die 2. Decembris, anno eodem 1453.

Ioannes Arſius, Gallus, Presbyter Cardinalis ſanctorum Nerei & Achillei, die 12. Decembris, anno pariter 1453.

Sbigneus Oleſnicius, Polonus, Presbyter Cardinalis ſanctorum Aquilæ, & Priſcæ, die prima Aprilis, 1455.

CALLISTVS III. PONTIFEX CCXIII.

ANNO DOMINI MCCCCLV.





IN NOMINE DEI, ET SALVATORIS Noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen.

CALLIſt. primordia.

A CALLISTVS III. Hiſpanus, Valentinus, Alphonſus Borgia, ante Pontificatum vocatus, ex oppido inſigni, & antiquo Setabenſi, Satiua vulgò vocato, in agro, & Diœceſi Valentina ſito, patre Ioanne, & matre Franciſca, generoſis parentibus, anno 1378. vltima die Decembris natus, parentum cura optimè in bonis moribus, & virtutibus educatus, B quintumdecimum annum agens, in Illerdenſi Gymnaſio, Diuinis, Humaniſque literis accuratè vacauit, vt breui Vtriuſque Iuris Doctor factus, eaſdem facultates publicè profeſſus fuerit. Eius doctrinæ opinione adductus Benedictus XIII. eum Canonicum Illerdenſem vltrò creauit. Ab Alphonſo Rege Arragonum, & vtriuſque Siciliæ adſcitus à Secretis aliquando fuit; cuius ſtudio præcipuè, & opera Clementis VIII. adulterinus Pontifex, qui Benedicto XIII. in Schiſmate ſuffectus fuerat, abdicauit. Verùm quum iam eius doctrina omnibus nota eſſet, ad Alphonſum Arragonum Regem profectus, eius con ſilio, & ſecretis ſtatim adhibetur. Cum autem Martino Pontifice Eccleſiæ Maioricenſis Gubernator factus eſſet, perſuaderéntque amici, vt Eccleſiam ipſam in titulum acciperet, facturum ſe id C renuit, quòd diceret, ſe expectare Epiſcopatum Valentinum. Quem haud ita multo poſt ſuo merito conſequutus eſt. Cum enim mortuo Benedicto XIII. duo eiuſdem Pſeudocardinales Aegidium quondam Canonicum Barchinonenſem in locum demortui Benedicti, Peniſcholæ Pontificem creaſſent, quem Clementem VIII. appellabant, eò ſtatim ab Alphonſo Rege, qui iam cum Martino V. Pontifice in gratiam redierat, Alphonſus Borgia miſſus eſt, non ſine magno ſui, ac comitum diſcrimine, adeò locus ille Peniſcholæ tyrannicè cuſtodiebatur, & ab ijs potiſsimum, quorum maximè intererat diſcordias alere. Qui Alphonſus adeò rationibus, & auctoritate Aegidium ipſum ad ſanitatem deduxit: vt poſtea ſuperueniente Pe- D tro Fuxo Martini V. Cardinale Legato Pontificio nomine ſe abdicauerit, in poteſtatémque Pontificiam deuenerit. Hanc ob rem Martinus Pontifex, & Aegidium Maioricenſem, & Alphōſum Borgiam Valentinum Epiſcopum creauit: orto deinde bello inter Alphonſum Arragoniæ, & Ioannem Caſtellæ Reges; ſolus Alphonſus Borgia delectus eſt, qui ad pacem Reges adhortaretur. Quam ſeptennio, poſt inchoatum bellum, tanta cum diligentia compoſuit, contracta etiam inter eos affinitate, vt hodie quoque aliquot illius fœderis pacta ſeruentur. Rex deinde hominem ad Eugenium miſit, qui tum Florentiæ erat, quo cum de pace ageret, Vitelleſcus enim, Eugenij nomine, Regnum Neapolitanum armato milite ingreſſus, longè, ac late omnia populabatur, prohibiturus, quo minus Rex

A Neapoli, quam tunc oppugnabat, potiretur. Cum autem res in longum protraheretur, Eugenióque in mentem veniſſet viginti Cardinales creare, Valentinum Epiſcopum in horum numerum retulerat. Quam quidem dignitatem conſtantiſsimè renuit, quòd diceret, id ſibi nequaquam integrum eſſe, re præſertim, ob quam venerat, infecta. Redeunte deinde Romam Eugenio, cum Patriarcha Aquilegienſis Tarracinam ad Regem miſſus, pacem inter Pontificem, & Regem compoſuiſſet, fœdaque miſſet, ijs Valentinus Epiſcopus ſemper interfuit, auctoritatémque ſuam interpoſuit, & diligētiam, adeò autem à Pontifice diligi cœptus eſt, vt eum breui Cardinalem creauerit titulo ſanctorum Quatuor Coronatorum: Romámque ad ſe acceſſierit, qui non minore modeſtia in Cardinalatu vſus eſt, quàm B antea in Epiſcopatu fecerat: ab omni pompa, & inani gloria alienus ſemper fuit: in dicendis autem in Senatu ſententijs ita grauis habebatur, vt nihil vnquam per adulationem, & gratiam loquutus ſit.

CALLIſti electio.

Mortuo deinde Eugenio, eiuſq; ſucceſſore Nicolao V. Pontifice, maior pars ſuffragiorum in Beſſarionem inclinabat, & auertit nonnullos Alanus Cardinalis Auenionenſis. Igitur ad 6. Idus Aprilis, die Martis Paſchalis, hora diei 4. quinto Conclauis die, cum ventum denuò eſt ad ſcrutinium, via, quæ per acceſſum vocatur, tentata, in eum duę partes conſenſerunt, de quo minor erat expectatio populis, is fuit Alphonſus Borgia Presbyter Cardinalis tit. ſanctorum Quatuor Coronatorum ab Eugenio IV. Papa factus, ſcientia iuris eminentiſſimus, & multarum rerum experientia præditus; verùm ſenio C grauis, & propemodum decrepitus: ſeptuageſimum enim ſeptimum annum agebat; qui etſi antea aliquot annos, vacante ſede Apoſtolica, ſuam aſſumptionem fermè omnibus prædixerat, ſèque proculdubio futurum Pontificem maximum affirmauerat, nullius tamen opinionem ad ſe traxerat, & delirare potiùs, more ſenum exiſtimabatur. Sed fuit eius vaticinium verax, quòd à beato Vincentio Ferrerio ſe habuiſſe narrabat, ſuæ nationis homine iā vita functo, quem poſtea inter ſanctos Chriſti Confeſſores retulit. Mirandū, Hiſpanos nationem, vt ſibi videtur, ortam Imperio ante hoc tempus nullum protuliſſe Pontificem Romanum, niſi Damaſum, & Ioannē, Hadriani V. ſucceſſorem, Calliſtus demùm Tertius Hiſpanus, ſeptuageſimo ſeptimo ætatis anno creatus Pontifex corpore quidem imbecillo, & D valetudinario, ſed animo ingenti, & mente ita valuit, vt bellum in potentiſſimos hoſtes nominis Chriſtiani Turcas parare auſus ſit.

CARDINALES XX. VIVI
quando Calliſtus Papa III. creatus eſt.

EPISCOPI CARDINALES IV.

EVGENII PAPAE IV.

1. Georgius Fliſcus, de Sauignano, Ligur. Genuenſis, Epiſcopus Card. Oſtienſis, & Veliternus, ſacri Collegij Decanus.
2. Iſidorus, Theſſalonicenſis, Græcus, Archiepiſcopus Ruthenorum, monachus S. Baſilij, Epiſcopus Card. Sabinus.

3. Beſſarion

3. Beſſarion Trapezuntius, Græcus, monachus ſancti Baſilij, Conſtantinopolitanus, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus.

4. * Guillelmus de Eſtouteuilla Gallus, Nortmandus, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ.

PRESBYTERI CARDINALES XIV.

EVGENII PAPAE IV.

5. * Petrus à Scouuembergh, ex Franconia oppido, Diœceſis Herbipolenſis, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Vitalis, alias Veſtinæ.

6. * Dionyſius Zechus, Hungarus, Archiepiſcopus Strigonienſis, Presb. Card. S. Cyriaci in Thermis.

7. Fr. Ioannes de Turrécremata, ordinis Prædicatorum, Magiſter in Theologia, Hiſpanus, Presbyter Cardinalis tit. S. Xyſti.

8. Ludouicus Scarampus Mediarota, Patauinus, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Laurentij in Damaſo.

9. Dominicus Capranica, Romanus, Epiſcopus Firmanus, Presbyter Cardinalis tit. ſanctæ Crucis in Hieruſalem, S. R. E. Maior Pœnitentiarius.

10. Alphonſus Borgia, Epiſcopus Valentinus, Hiſpanus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctorum Quattuor Coronatorum, qui electus Papa, Calliſtus III. vocatus eſt.

11. Petrus Barbus Venetus, Epiſcopus Vicentinus, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Marci.

NICOLAI PAPAE V.

12. Antonius Cerdanus, Maioricenſis, Hiſpanus, Epiſcopus Ilerdenſis, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Chryſogoni.

13. Latinus Vrſinus, Domicellus Romanus, Archiepiſcopus Tranenſis, Presbyter Cardinalis ſanctorum Ioannis, & Pauli titulo Pammachij.

14. Alanus Coetiuus, Brito, Gallus, Archiepiſcopus Auenionenſis, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Praxedis.

15. * Ioannes Raolinus, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Stephani in Cœlio monte.

16. Philippus Calandrinus Sergianenſis, Epiſcopus Bononienſis, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Laurentij in Lucina.

17. * Magiſter Nicolaus de Cuſa, Epiſcopus Brixinenſis, Germanus; Presbyter Cardinalis ſancti Petri ad Vincula tituli Eudoxiæ, Canonicus Regularis.

18. Guillelmus Hugonis de Stagno, Gallus, Virdunenſis, Archiepiſcopus Metenſis, Presbyter Cardinalis tit. S. Sabinæ.

DIACONI CARDINALES II.

MARTINI PAPAE V.

19. Proſper Columna, Domicellus Romanus, Diaconus Cardinalis ſancti Georgij in Velabro, S. R. E. Archidiaconus, ſeu Prior Diaconorum.

EVGENII PAPAE IV.

20. Ioannes Caratagial, Hiſpanus, electus Placentinus, Diaconus Cardinalis ſancti Angeli in foro piſcium.

Cardinales igitur 15. præſentes Romæ in Conclaui fuere, reliqui aſteriſcis ſignati, abfuerunt.

CORONATIO Papæ Calliſti III.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1455. *Kal. Maij*, die Dominico, ſanctiſſimus in Chriſto pater Calliſtus III. Pontifex maximus in gradibus ante fores Baſilicæ Principis Apoſtolorum Vaticanæ, ſuæ Coronationis inſignia ſuſcepit, per Proſperum Columnam Domicellum Romanum, Martini V. nepotem, Diaconum Cardinalis ſancti Georgij ad Velabrum S. R. E. Archidiaconum, Cardinalibus, Epiſcopis, Clero, & infinita ferè populi multitudine adſtante: bis defecit Pontifex in Conſecratione, & ferè mortuus reputatus: ſedit, Imperatore Friderico III. Auguſto annos 3. menſes 4.

CALLISTUS bellũ in Turcas indicit.

Calliſtus III. ſtatim poſt ſuæ Conſecrationis ſollemnitatem, in publico Conſiſtorio, bellum ſacrum, quòd Cruciatam appellant, Turcis hoſtibus noſtræ ſanctæ Fidei infenſiſſimis indixit: qui pauló ante Conſtantinopolim, & totum Orientale Imperium, pulſis Chriſtianis, occupauerant; id ſe ante Pontificatum vouiſſe oſtendit ſuo Chirographo his verbis ſcripto, quòd in libro quodam extabat. *Ego Calliſtus Pontifex Deo omnipotenti, ſanctæ, ac indiuiduæ Trinitati, voueo, me bello, maledictis, interdictis, execrationibus, & denique quibuſcumque rebus potuero, Turcas, Chriſti nominis hoſtes, ſæuiſſimè perſequuturum.* Admirati ſunt omnes, qui aderant, quòd Pontificatus nomen ſibi deſumpſiſſet ante adeptam dignitatem, quódque homo ſenex, ac ferè decrepitus tantum animi haberet. Vt autem, quòd promiſerat, re ipſa præſtare poſſet, Prædicatores per totam Europam ſtatim miſit, qui omnes Chriſtianos in Turcas animarent, quique ſaculatum aliquid, & opum ſuarum ad tantam expeditionem conferrent, gratiam Dei, & Apoſtolicam lucrarentur. Ex his autem facultatibus ad ſexdecim triremes Romæ ædificatas in hoſtem miſit, Patriarcha Aquileienſi Præfecto, qui triennio maritima hoſtium Aſianorum vexauit, Inſulas quaſdam cepit, ac magnas calamitates hoſtibus intulit, vt Platina, in vita Calliſti Tertij Pontificis teſtatur.

INFIDELES principes in Turcas excitat.

Ad Vſuncaſſanum Perſarum, & Armeniæ Principem, & ad Regem Tartarorum, Ludouicum Bononienſem ordinis ſancti Franciſci fratrem miſit, cum multis, & magnis cohortationibus eos in Turcas excitans. Qui ſuaſu hominis, & magnas Turcis calamitates intulere: & oratores eorum, quos ad Calliſtum deſtinauerant, ad Pium Secundum eius ſucceſſorem tandem peruenerunt: quos certè cum admiratione, cum ob interualla locorum, vnde venerant, cum vel propter habitum noſtris oculis inſuetum, ſe inſpexiſſe Platina teſtatur, ferunt, Vſuncaſſanum ſuperatis ſæpe hoſtibus ad Pontificem ſcripſiſſe, ſe quidem victoriam ex hoſte reportaſſe, ob preces ab eo ad Deum habitas, eiúſque beneficij, diuini potius, quam humani ſe aliquando memorem futurum. inchoata hæc amicitia à Calliſto eſt, quam nunc conſtanter Chriſtiani cum ipſo Principe retinent, qui Turcam continuis prælijs vexat.

B. VINCENTIJ Hiſpani Canonizatio.

Pontifex autem ad tranſigenda negocia Pontificia animum adijciens, B. Vincentium Ferrerium Hiſpanum conciuem ſuum, ordinis Prædicatorum, in ſanctos Confeſſores retulit, qui obierat in Britannia nonis Aprilis, anno Domini 1408. ætatis ſuæ 78. ob eamque rem ſupplicationibus Deo gratias egit ab Eccleſia Mineruæ, ad S. Petrum, continuato magno Cleri, ac populi Romani apparatu. Qui à Martino V. fuerat à Principibus Galliarum, & Hiſpaniarum, à ciuitatibus, & academijs inſtanter poſtulatus. Martinus quidem affectus erat honori ſancto præſtando; verùm aliquot negocia occurrentia impedierunt: interceſſerunt poſtea Eugenij IV. & Nicolai Quinti Pontificatus, vſque ad Calliſtum III. qui id negocium abſoluit, ſicut diuinitùs fuerat prædictum, anno 1455. die 29. Iunij.

De Eadmundo Anglo idem factum, refert Platina in eius vita, & alij teſtantur. Eadmundus Rex Angliæ anno 1136. martyrium paſſus, xij. Kalen. Decembris, cuius vitam, & martyrium ſcripſit Abbo Floriacenſis, & Haymo Eboracenſis, Surius tomo ſexto.

MERIDIANÆ orationis inſtitutio.

BELLVM inter Chriſtianos, & Turcas.

Apparente deinde per aliquot dies cometa crinito, & rubro, longa cauda, cum Mathematici ingentem peſtem, charitatem annonæ, magnámque aliquam cladem futuram, dicerent, ad auertẽdam iram Dei, Calliſtus aliquot dierum ſupplicationes decreuit, vt ſi quid hominibus immineret, totum id in Turcas Chriſtiani nominis hoſtes conuerteret. Mandauit præterea, vt aſſiduo rogatu Deus flecteretur, in meridie campanis ſignum daretur fidelibus omnibus, vt orationibus eos iuuarent, qui contra Turcas dimicabant; creditum, precibus communibus fidelium, Chriſtianos ad Bellogradum contra Turcas dimicantes, Duce Ioanne Hunniade Vaiuoda, viro clariſſimo, aſtante etiam Ioanne Capiſtrano ordinis Minorum, Crucemque pro Vexillo hoſtibus inferente, ingenti ſtrage hoſtium [illegible]ita victoriam reportaſſe: ſupra triginta hominum millia ex hoſtibus interfecta ſunt, cum parua noſtrorum manu, anno 1456. ducenta fermè tormenta capta, Imperator cum paucis euaſit. Nuncius Romanæ huius victoriæ, die 22. Auguſti eiuſdem anni venit, vt Caratagial Cardinalis ſancti Angeli ad Pontificem, & Dominicum Capranicam S. Crucis in Hieruſalem ſcripſit: ea clade perterritus Turca ſaucius Conſtantinopolim properè ſe recepit. Actum de crudeliſſimo hoſte tunc certè fuiſſet, ſi Chriſtiani Principes, omiſſis inteſtinis bellis, & odijs, terra, ac mari tantam victoriam proſequuti fuiſſent, quemadmodum Calliſtus prædicabat, & monebat. Verùm Turca, reſumptis viribus, & Trapezuntem priùs, Imperatore interempto, & Boſſinam deinceps, Rege capto atque interfecto, poſtea cepit; admonentibus Chriſtianos omnes his, qui rerum experientia, & locorum cognitione, tantam cladem à longe tanquam è ſpecula quadam præuidebant. Nõ ceſſabat Calliſtus literis, & Nuncijs Principes Chriſtianos adhortari, vt in tanto malo oculos aliquando aperirent, fruſtra remedia deinceps quæſituros, vbi iam hoſtis inualuiſſet; ecce autem vir bonus hæc meditabatur, & prædicabat.

CALLISTUS celebrationẽ officij Trãſfigurationis Ieſu Chriſti inſtituit.

Ob id & celebrationem & Officium Transfigurationis Domini noſtri Ieſu Chriſti ipſe Pontifex inſtituit, & compoſuit, iuſſitque eo modo, atque his Indulgentijs haberi debere, quibus & ſollemnitas Corporis Chriſti.

Mortuo deinde Comite Taliacotij, quem ſuperiore anno Pontifex Vrbis Præfectum creauerat, Calliſtus Borgiam nepotem ſuum, & Vrbis Præfectum creauit in locum demortui Comitis, & eundem militibus Eccleſiaſticis præfecit, quò facilius Barones Vrbis Romæ in officio contineret.

Calliſtus Papa III. eiectis Canonicis Regularibus, quos Eugenius Quartus in Baſilicam Lateranenſem induxerat, Seculares reſtituit, qui fuerunt Romani decem, & octo in gratiam Vrbis, inter quos fuere quinque Barones, & quattuor Doctores.

Alphonſus vtriuſque Siciliæ Rex, obijt anno 1458. ætatis 73. Neapoli potentiſſimus ea tempeſtate, vt qui ſeptem Regnis imperaret, ſedente Calliſto III. Papa, ſine legitimo hærede, filio Ferdinando extra matrimonium genito, hærede conſtituto. Quem Eugenius IV. & Nicolaus V. Regni capacem reddiderant, & quem Regni Principes, ac Ciuitates omnes ſupra ſe Regem acceperunt, in eius verba iurantes.

Calliſtus Siciliæ Regnum Eccleſiæ

Tum Calliſtus III. Pontifex tanti animi fuit, vt odium, quòd in Alphonſum viuentem geſſerat, eo extincto in filium continuaret. Hanc autem ob rem cum Alphonſo ſimultates exercuit, quòd is pe-

teret Epiſcopatus interdum ijs dari, quibus vel propter ætatem, vel ignorantiam tum literarum, tum rerum humanarum, committi nequaquam debebant. Regnum igitur Siciliæ Alphonſi obitu ad Romanam Eccleſiam deuolutum, repetere eſt auſus, dictitans, id ad ſedem Apoſtolicam, Alphonſi morte, iure hæreditario deuolutum eſſe: & vt vulgatior fama fuit, animo, vt nepotem ſuum Borgiam ad Regni faſtigium extolleret: parabantur iam vtrinque arma, nec Ferdinandus hominem contemnebat, cuius ingenium, & animum norat. Cæterum dum Pontifex inimico Rege mortuo nimis alto effertur animo, ac iam ſibi omnia plana cenſens, ipſe quoque intra dies 40. morbo captus, & extremo ſenio confectus, moritur, anno Domini 1458. ætatis ſuæ 80. Pontificatus ſui 3. menſe 4. Romæ in palatio Apoſtolico Vaticano 8. Idus Auguſti, cuius corpus nepotes eius in Vaticano ad ſiniſtram Baſilicæ S. Petri marmoreo tumulo ſepelierunt, in Templo rotundo, quòd S. Maria in Febribus dicitur, & hodie pro ſacrario, quòd Sacriſtiam vocant, in vſu eſt, & olim Apollinis Templum fuiſſe putatur, Nicolai V. impenſa reſtitutum. Vacauit eo mortuo ſedes Romana dies duodecim.

Calliſti obitus.

Calliſti morte euanuere omnia, quæ bello gerendo parabantur, & tanto metu Ferdinandus liberatus eſt.

Calliſtus autem in omni vita vir integerrimus eſt habitus, ſed hæc eius præcipua laus eſt, quòd dum Epiſcopus eſſet, aut Cardinalis, beneficium aliquod in commendationem nunquam voluit, dicens, ſe vna ſponſa, & quidem virgine contentum eſſe, hoc eſt Eccleſia Valentina, vt ius Pontificium mandat. Eleemoſynas præterea pauperibus Chriſti, & ſeruis Dei frequenter dabat, tum publicè, tum priuatim: Virgines pauperes collata dote, maritis collocabat. Nobiles ad inopiam redactos ſua impenſa ſuſtentabat. Vtebatur & munificentia erga Principes, quando opus erat, maximè verò erga eos, qui nomen Chriſtianum auctoritate, & opibus ſuis iuuare poterant. In ædificijs autem paruos ſumptus fecit, quòd ei parum vacare licuit, quódque pecunias in vſum tanti, & tam periculoſi belli colligebat. Reſtituit ſolum S. Priſcæ in Auentino Templum, & mœnia Vrbis diruta, ac fere ſolo æquata. Aulæa tamen quædam auro intertexta, ab eo empta, cernuntur. In victu ſuo parcus eſt habitus, in ſermone modeſtiſſimus; facilis auditu, quantum ei per ætatem licebat: iam enim octuageſimum attigerat annum, nec tamē de ſtudijs ſuis quidquam remiſerat. Legebat ipſe, aut legentes audiebat, ſi quid in tanto rerum faſtigio ei temporis ſupererat. Oratores ad ſe venientes mira beneuolentia complectebatur, quorum precibus, & poſtulatis ab honeſto diſcedere nunquam voluit. Moriens autem Calliſtus, centum, & quindecim millia nummorum aureorum reliquit, quos in vſus bellicos contra Turcas comparauerat.

Calliſti virtutes.

S. Priſcæ Templū reſtaurat.

Dum autem Calliſti funus celebraretur, moritur & Dominicus Capranica S. Crucis in Hieruſalem Cardinalis, & Maior Pœnitentiarius, vir quidem grauis, & ſapientiſſimus, ſepeliturque in Templo Mineruæ, bonis omnibus præ dolore lacrymantibus.

Dominici Card. Capranicæ obitus.

Calliſto Tertio Papæ vitio datum, quòd permitteret ſe gubernari à Roderico Lenzolio Borgia nepote ſuo, qui 25. ætatis anno Dux generalis Eccleſiæ ab ipſo factus, Præfectus Romæ, & Dux Spoletanus, toto Pontificatus tempore adeo ſe nequiter geſſit, vt vix vlla eſſe poſſet peior adminiſtratio, quòd homo eſſet prauus, iniuſtus, prædationes, furta, homicidia in Vrbe, & extra aſſidua, & certamina, & contentiones frequentes erant: neque viſebantur niſi Catalani in Vrbe vagari: ſed, Pontifice mortuo, omnes inuaſi, & capti, atque deprædati, & plures illorum aut mortui, aut ſaucij. Rodericus autem Lenzolius Borgia primùm ad Oſtia confugit Tiberina, deinde ad Centumcellas ſe recepit, Vrſinæ familiæ odia declinans, quæ ipſe contraxerat, dum alteri factioni magis faueret.

Vitia Calliſto data.

ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

* *77. .... annum agebat.*] *70. tranſcenderat*, ait Aeneas n. 8. * in Comm. Panuinius in Elogio octuagenario maiorem eum, ē viuis exemptum, dicit.

* *Ad 6. Idus Aprilis ...... hora 4.*] In ædibus ſancti Petri Platinæ: quas palatium Vaticanum nuncupauit Panuinius in Elogio; in quo 4. Idus Aprilis 1455. à 13. Cardinalibus, in Chronico à 14. 6. Idus Aprilis, die Martis Paſchalis, hora diei ſexta Calliſtum electum, affirmat.

1455. * *Inter SS. Confeſſores retulit.*] Cardinalis Baron. in Not. ad Martyrol. Rom. 5. Aprilis, Thomas de Trugillo tom. 2. Theſ. Concionat. in Aprili, in vita ſancti Vincentij, infra Ciaconius eadem fruſtra repetit. Die SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli S. Vincentius inter ſanctos relatus fuit. D. Anton. part. 3. Hiſt. tit. 22. cap. 14.

* *Kal. Maij ...... Coronationis inſignia.*] Panuinius, in Chronico, xij. Kal. Maij, Platina, Calliſtum in Lateran. Baſilica coronatum indicat: ad S. Petrum Panuin. loc. cit. & in Elogio. *loc. cit.*

* *Poſt Coronationis ſolemn. .... bellum Turcis indixit.*] Res diligentius expreſſa videtur lib. 1. Comment. Pij II. ijs verbis. *Alphonſo in Petri Cathedra conſtituto Calliſti III. nomen inditum; qui mox votum venit, aduerſus impios Turcas omnia ſeſe ſtudia conuerſurum: nec moratus, bellum eis indixit; in quo militantibus peccata dimiſit, ac Legatos in Galliam, & Hungariā ad congregādos exercitus direxit.* Ioan. Carauagial. Cardinalem optimum, & prudentiſſimum Legatum de latere, ad Septentrionalium Principum vires in Turcas concitandas in Germaniam miſit. Cochlæus libro 11. Hiſtor. Huſſit.

* *Id ante Pontificatum vouiſſe.*] Ex Platina, cum quo Cardinalis Aegidius: Cochlæus quoque verba, quibus in Chirographo Calliſtus votum nuncupauerat, recenſet. Poſt Pontificatum votum de bello Turcis inferendo Calliſtum emiſiſſe, tradit S. Antoninus loco citato. *loc. cit.*

* *Prædicatores.*] Platina, Cochlæus loco cit. Crucem Calliſtus aduerſus Turcas indixit. Literas Bononiæ anno 1455. prid. Kalen. Octob. in D. Petronij, audiente populo, recitatas, narrat Sigonius lib. 4. de Epiſcopis Bononienſibus.

* *Ad 16. triremes.*] Ex Platina, & Cochlæo. *Tui qui flores vbique ex populis Chriſtianis pecunias exigunt, ad conſtandum per continentem in Turcos exercitum: claſſis quoque exædificata eſt rebus omnibus ornatiſſima.* ait ad Calliſtum Philelphus. *L. 13. epiſt.*

* *Vſuncaſſanum.*] Ex Platina: ex quo etiam Garimbertus, lib. 1. cap. 4. de Induſtria, & Diligentia.

* *Ad Pontificem ſcripſiſſe.*] Vide Garimbertum loc. cit.

* *Eadmundo.*] Ex Platina in Calliſto, de hoc Angliæ Rege im piè cæſo Martyrolog. Rom. die 20. Nouemb. ibidemque Card. Baron. in Notis; non refert autem, à quo is in SS. numerum cooptatus fuerit. De S. Eadmundo Cantuariæ Antiſtite in Cælites ab Innocentio IV. conſcripto, Martyrolog. idem, & Card. Baron. 16. Nouemb. & Surius tom. 6. obijt hic anno 1240.

* *Chriſtianos ad Bellogradum.*] Vide Platinam in Calliſto, Comment. Pij II. loc. cit. D. Anton. tom. 3. tit. 22. cap. 14. §. 1. Petrum Maturum ibidem ex Pio II. Card. Aegid. in Hiſt. 20. ſec.

* *Io. de Capiſtrano.*] Nicolaus V. Io. Capiſtranum cum 12. comitibus in Alemaniam miſit. Quid vir ſanctus præſtiterit, non eſt huius loci explicare: celebratur à multis: beati titulo in militanti, æternæ gloriæ luce in triumphanti Eccleſia fulget. Lucas Vvaddingus fuſè, & diligenter de illo, in Annalibus Minorum: nonnulla Matthæus Raderus in Bauaria ſancta: in qua triginta, & eo ampliùs, defunctos eius precibus, vitæ redditos narrat. 70. natus annos, poſt innumeros, eoſque graues labores, pro ſanctæ fidei, & religionis propagatione toleratos, demigrauit ad palmam, merita eius Minoritæ, ijs verbis memorant. *O zelator Fidei, perſecutor Hæreticorum, lumen Virtutum, exterminator Turcarum, Prædicator egregius, Doctor populorum, Ioannes fideliſſimus Ordinis Minorum.* *Leo X. & Greg. XV.* *Ann. 1456. die 23. Octob. Vocauij.*

* *Supra 30. .... hominum millia.*] *Ad ſex hominum millia interfecta ſunt*, ait Platina, vide Comm. Pij II. loc. cit.

* *Non ceſſabat Calliſtus literis.*] Ad Ladiſlaum etiam Hungariæ Regem cum Cæſare bello decertantem literas dedit Calliſtus, quibus illum paterno reprehendit affectu, ad pacemque cum Cæſare ineundam, & ad bellum cum Turcis conferendum, hortatur. *Referuntur à Cochlæo ... 11. Hiſt.*

* *Officium Transfigurationis.*] Ex Platina. feſtum Transfigurationis, ob Turcas deuictos, à Calliſto inſtitutum, ſcribit Genebrar. lib. 4. Chronic. at inſtitutum fuiſſe ante ea tempora, certum eſt. Vide Card. Baronium in Notis ad Martyrol. Rom. 8. Idus Auguſti, & Franciſcum Suarez, de Virtute, & Statu Religio. lib. 2. de diebus feſtis cap. 5. num. 8. Non ſolùm apud Græcos, ſed etiam apud Latinos ante Pontificatum Calliſti III. hoc feſtum celebrabatur.

* *Calliſtus erectis Canonicis Regularibus.*] Vide Pennot. lib. 3. hiſt. Tripar. cap. 28. nu. 1. Fridericus Imper. qui Romæ, coronatus à Nicol. V. in Canonicos Lateran. relatus fuerat, eiuſdem Congregationis Canonicos in Germaniam accerſiuit (quo tamen illi non acceſſere) Paulus II. ad eamdem Baſilicam reuocauit.

* *Alphonſus .... Siciliæ Rex.*] De religioſo Regis Alphonſi interitu, vide lib. 1. Com. Pij II. à Card. Aegidio hic Rex laudatur. *In hiſt. 20. ſæcul.*

* *Ferdinando hærede conſtituto.*] Eugenius IV. & Nicolaus V. Ferdinandum extra coniugium ortum, adipiſcendo Regno idoneum reddiderunt. Ex lib. cit. Comment. Pij II.

* *Ad .... Eccleſiam deuolutum.*] Ex eodem lib. 1. Commentar. Pij Secundi.

* *Moritur 1458. &c.*] Ita in eodem 1. libro Comm. Pij II. Vide epiſt. Pij II. ad Academiam Pariſienſem.

* *Integerrimus eſt habitus.*] Laudatur Calliſtus à S. Antonino, loc. cit. cap. 14. a Philelpho, à Platina, à Cochlæo, à Cardin. Aegidio, ab alijs. Cochlæus virum V. I. peritiſſimum, ſummæ grauitatis, & modeſtiæ, qui in Senatu nihil vnquam ad adulationem, & gratiam locutus eſt, ab omnique pompa, & inani gloria alienum appellauit. Quotidiè illud in ore Calliſtum habuiſſe ferunt. *Apoſtolica ſedes omnium Eccleſiarum mater eſt; ab eius regulis deflectere indecorum eſt.* De eo S. Anton. l. c. *Calliſtus vir æſtimatus magnæ iuſtitiæ, & æquitatis, & bonæ vitæ, laudabilis famæ, magnus Iuriſta.* *Vide epiſt. Pij II.*

* *Dum Calliſti funus ...... moritur, & Dominic. S. Crucis.*] Hæc ex Platina in fine vitæ Calliſti: in lib. 1. Comment. Pij II. hæc *Dum celebrantur exequiæ, Cardinalis Firmanus lenta febre correptus Calliſtum .... ad ſepulchrum ſequitur*, vocat autem eum Aeneas Syluius *virum exemplarem, & optimum, mundiſſimæ vitæ doctrinæ, & rerum experientia magnum.* De eiuſdem morte, & laudibus S. Antoninus par. 3. hiſtor. tit. 22. cap. 16. in fine ad annum 1459. Vide, quæ ſuperiùs in Martino V. in eius vita diximus. *loc. cit.* *Obiit 14. die Aug.*

Multa, paucis, quibus vixit, annis, fecit Calliſtus; maiora vidiſſeot homines, ſi diutius vixiſſet; quòd indicare viſus eſt Ianus Vitalis, ijs verſibus.

O ſi vita tibi longinqua Calliſte fuiſſet;
Orbis erat verè Roma futura Caput.

T. 1. Bull. *Anno* 1455. 8. Idus Maij, Calliſtus Theſaurarium, & Apoſtolicæ Cameræ Clericos ſummi Pontificis familiares, eius, & Apoſtolicæ ſedis Capellanos nominauit, eodem anno, Idib. Nouemb. Prioratum Montisbellij, Bononien. Diœc. ordinis S. Auguſtini Congregationi Canonicorum Regularium Lateranenſium, tribuendum cenſuit. Literas refert Pennottus lib. 3. Hiſt. Trip. cap. 28. num. 5.

T. 1. Bull. *Anno* 1456. xvj. Kalend. Iunij, Canonicos S. Saluatoris ordinis S. Auguſtini veros eiuſdem ordinis Canonicos declarauit, anno eodem viij. Kal. Iulij Nicolaum Perottum virum nautum, & doctum, in varias regiones, pro ſuis, & S. R. E. negotijs, miſit; literas plumbeo Pontificis Sigillo munitas, Romæ datas vidi, ex quarum initio diſces, quæ ſcribo. *Cum neceſſe ſit, nos, pro noſtris, & Romanæ Eccleſiæ negotijs, mittere ad diuerſas mundi partes dilectum filium, nobilem virum Nicolaum Perottum Poëtam laureatũ Secretariũ noſtrum, & noſtri Sac. Lateran. Palatij Comitem, &c.* ex hac familia viri alij prodiere, qui eidem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ fidelem operam dederunt. Nicolaum V. audi. *Nobili viro Franciſco Perotto de Saxoferrato, Militi Apoſtolico, & Lateranenſis Palatij Comiti. Familiæ tuæ nobilitas, & probata in noſtris, & Romanæ Eccleſiæ negotijs tua, & tuorum maiorum fidelitatis integritas, aliaque virtutum dona, quibus præfulges, &c.*

Has quoque literas aſpexi Dat. Romae apud S. Petrum 1449. 12. kalen. Maij Pontif. An. 3.

Anno 1457. 7. Idus Martij, fratribus Seruitis indulſit, vt in Templis S. Mariæ Annunciatæ Florentiæ, & S. Mariæ Stratæ Maioris Bonon. ſacrum vnicum, quòd Sabbatho ſancto, ex inſtitutione Eccleſiæ, fieri ſolet, hora veſperarum, ſeu per duas horas poſt meridiem, vel circa, celebrare poſsent. Diploma extat, Centur. 3. Annalium ordinis Seruorum lib. 2. cap. 7. Id deinde alijs ordinis Templis Apoſtolica auctoritate tributum fuit: Pio V. Pontifice, hanc celebritatem, ex cauſſa ſublatam, narrat Archangelus Gianius loco cit.

par. 2. Arc. ang. Gia nij.

eodem anno xij. Kalen. Maij, priuilegia Cœnobij ſancti Saluatoris Meſſanenſis, ordinis S. Baſilij, Cardinali Beſſarioni olim commendati approbauit Calliſtus; & pridie Kalend. Nouemb. edixit, fratres S. Mariæ de Mercede Redempt. Captiu. ad ordines Mendicantium, ob quartum votum, quo obſtringuntur, tranſire non poſſe.

T. 5. Bull.

Eumdem Calliſtum inſtituiſſe, ferunt; vt Templorum campanæ circa meridiẽ pulſarentur, eam ob cauſſam, vt fideles Chriſti Deum contra immaniſſimos Turcas (mos viget adhuc) precarentur, certè totum Chriſtianum Orbem ad precibus dimicandum contra Turcas, pius Calliſtus excitauit, ex Caluini ſpecu nõnullus Cacus egreſſus optimum Pontificem triremes in ſæuiſſimos Chriſtianorum hoſtes vltiſſimè parantem, immeritò ſubſannauit. Aeneæ Syluij obſequium Calliſto pro Friderico Auguſto exhibentis, Oratio legitur; in qua vires etiam eiuſdem Friderici ad efferatos barbaros coercendos, & debellandos, offeruntur.

Vid. Gretſeri c. 64. Exam. Miſt. Pleſſiæi

Rogauit aliquando Calliſtum Philelphus, vt Bibliothecæ Vaticanæ ſeruandæ diligentem operam daret; ne libri perirent; & viros, qui eos tractant, & norunt, honorificè, & commodè retineret; tot enim, tamque præclara Latina, & Græca volumina, ſine viris eruditis, nulli vſui futura eſſe, exploratum eſt. Lege, quæſo, præclaram illam Philelphi ad Calliſtum Epiſtolam. Quæ Romæ eſt, videre poteſt in Angelica Bibliotheca apud Auguſtinianos, Hiſtonam m. s. 20. ſæc. Cardinalis Aegidij Viterbienſis, Calliſtum excellenti doctrina, ingenio, & integritate præditum appellantis; qui Clementem VIII. Pſeudopontificem, non ſine magno periculo, nonnullis ante Pontificatum annis, ad bonam frugem reuocauit. Addo paucas eiuſdem Calliſti, ex ipſo Cardinali Aegidio, tuis oculis, lector, non indignas ſententias. Dicebat ille.

Lib. 10. Epiſtolarũ.

Ibi. cit.

Primò, ignauorum eſſe pericula formidare: ea enim ſunt ager, ex quo meſſis, & fructus gloriæ colliguntur. Secundò, ſe natura liberum eſſe, adulandi ſtudio, ſeruum non futurum. Tertio, falſa effingentes hominibus ſeruire; vera referentes imperare. Quartò, Principes ſuas quidem laudes amare; at falſos laudatores irridere.

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI SOCIETATIS IESV.

Calliſti creatio M. SS. Anonymi Panuinij. Coronatio. Cardinales eius tẽpore Comitiorum. Calliſti literarum ſtudia.

FELIX Contelorius in tomo ſecundo Elenchi Cardinalium ex m. ss. Bibliothecæ Vaticanæ ſcribit Alphonſum Borgiam non ſexto Idus Aprilis anno 1455. vt refert ſupra Ciaconius, ſed die martis octaua Martij circa horam 15. anno noſtræ ſalutis 1454. in Palatio apud S. Petrum, non triginta nouem, vt nonnulli ſcripſere, ſed tredecim, aut potius quindecim Cardinalium ſuffragijs renunciatum fuiſſe Romanum Pontificem, & die 20. eiuſdem menſis ad gradus S. Petri, ſeu ex Platina in Laterano tiara Pontificia ornatum. Viuebant enim tunc temporis ex Panuinio decem, & nouem tantùm, ſeu ex Ciaconio, viginti Cardinales, quorum quinque Comitiorum tempore abſentes ab Vrbe erant. Calliſtus hic ingenium ſublime, erectumque, ac maioribus rebus aptum in minori ætate literis dederat, & conſequentibus annis per omnes honorum gradus decucurrerat. In vtroque Iure doctor in Academia Ilerdenſi pu-

Publicè docet in Academia Ilerdenſi. In Mariana in Hiſt. Hiſpan.

A blicè docuit; qua in Vrbe a Benedicto XI. Canonicatum obtinuit. Alphonſo Aragoniæ Regi à Conſilijs & à ſecretis fuit. A Martino V. renunciatus Epiſcopus Valentinus intereſſe noluit Concilio Baſileenſi etiam Alphonſi Regis nomine. Romam ex Hiſpania ſe conferens ad procurandam pacem inter Eugenium IV. & Ferdinandum Regem Neapolitanum purpuram ab Eugenio ſponte, ante ſtabilitam pacem, oblatam reſpuit; non enim rationi conſonum affirmabat, vt purpura ornatus Romanæ Vrbis vias pedibus calcaret, antequam Regi pacem, ad quam miſſus fuerat, firmaret. Poſt pacem purpuram, deinde Romanum Pontificatum, acta fermè ætate adeptus eſt, nihil in eo tamen humile, nihil ſordidum apparuit.

Fit Canonicus, & Alphonſi Regis à ſecretis, & à Conſilijs. Epiſcopus Valentinus non vult adeſſe Cõcilio Baſileenſi. Romam petit ad pacem procurandam Purpuram reſpuit.

Venetæ Reipublicæ Oratores quatuor, Paſchalem ſcilicet Malipierum, Triadanum Gritti, Iacobum Loredanum, & Aloyſium Foſcarenum initio Pontificatus ad obedientiam Romanæ Eccleſiæ præſtandam miſſos, benignè excepit, eoſque ad propria cumulatè contentos remiſit.

Hier. Gamberum. Venetæ Reipublicæ Oratores ad Calliſtum.

B Namque primum Turcis ſæuiſſimis Chriſtianorum hoſtibus bellum inferre, ac Legatos in Galliam, & Hungariam ad congregandos milites dirigere promiſit. Claſſem bene inſtructam in Rhodiorum auxilium miſit, quæ diu apud eos morata, plures Turcarum naues prælio ſuperatas demerſit. Stalimìnum Inſulam Lemnum olim appellatam, Taxum, & Hembrum, ac alias quaſdam minoris nominis Inſulas Turcarum imperio ademit; nec Ægyptios quieſcere permiſit, neque Syros, aut Cilices. Aragonio etiam Regi, imò poſt Alphonſi obitum Ferdinando filio obſcuris natalibus nato Neapolitanum Regnum Romanæ Eccleſiæ vectigal deferendum apertiſsimè negabat, eiuſque integrum ius ad ſe reuocatum contendebat. Nimirum, vt illius æui Scriptores nonnulli interpretati ſunt, Petro Aloyſio Borgiæ, quem & non Rodericum, vt ſupra Ciaconius refert, Spoleti in Vmbria Ducem crearat, noua imperia parabat.

Maroſin. in hiſtor. Veneta. Claſſem contra Turcas mittit. Aragonio Regi infenſus.

C Apparebat Italiam bello arſuram haud dubia priſtinorum malorum ſpecie renaſcente, leniit ægrum Pontificis animum Ferdinando curę erat; quare plenas officij & humanitatis literas ad eum hoc exemplo dedit. *His diebus in media doloris acerbitate Beatiſſime Pater, paternum obitum renũciaui; breuis epiſtola fuit, quippe inter lacrymas data. Nunc collecto animo, luctuque tantis permitigato, ſignificandum duxi, Patrem pridie obitus obteſtatum, nihil vt in terris veſtra gratia, & auctoritate præſtantius ducerem, cum ſancta Eccleſia non contenderem ne prouocatus quidem, impios auſus raro feliciter cadere. His ego præceptis inſtitutus, quod facturus alioqui eram, impenſius vt faciam, accepta beneficia hortantur. Neque enim obliuiſci poſſum à primis annis me in tuam diſciplinam traditum: ſolutiſſe vnà ex Hiſpania, prouectoſque eadem naui ad Italiæ litus non abſque Dei nutu tibi iam Pontificatum ſummum, mihi nouum Regnum deſtinantis præclaro omine futuræ felicitatis, mutuæque concordiæ.*

Ferdinandi literæ ad Calliſtum.

D *Itaque à puero tibi traditus, tuus ad mortem eſſe cupio; me in filium accipito, aut acceptò potius paternam gratiam, & humanitatem exhibe daturo operam, ac præſtituro, ne aut grati animi obſequium aut pietas debita in noſtris actionibus requiratur. Vale Neapoli Kalendis Iulij.* Nihil tamen his litteris, & pollicitationibus Pontificis animus mouetur, imò Principes & Ciuitates Italiæ ad arma ſollicitat; ſed magnæ molitiones Pontificis obitu diſſipatæ.

Poſt obitum ex Ciaconio ſupra in Templo rotundo, quod S. Mariæ de Febribus dicitur, ſeu potiùs ex auctoribus Romæ Subterraneæ, in ſacello, quod ipſemet in honorem SS. Andreæ, & Iacobi erexerat, in ſubterranea ædicula, quæ in media ſacelli eiuſdem parte extabat, in ſepulchro marmoreo ſine epitaphio conditus eſt. Huiuſce ſepulchri delineationem legentium oculis exponemus. Ex quo loco dum poſtea ſacellum ipſum deſtrui contigit, translatus eſt poſt muſicale Organum, & inde poſtea anno noſtræ ſalutis 1606.

Sepulcrũ Calliſti.

E ſub nouo Baſilicæ Vaticanæ pauimento ceteris Pontificibus aggregatus eſt. Demum anno 1610. die 30. Ianuarij oſſa Calliſti III. vna cum cineribus Alexandri VI. opera Reuerendiſſ. Ioannis Baptiſtæ Viues tranſlata fuerunt ad Eccleſiam S. Mariæ Montis Serrati nationis Coronæ Aragonum de Vrbe, in cuius Eccleſiæ ſacrario in loco plumbeo ſeruantur, vt conſtat ex illius Eccleſiæ monumentis. Oratione funebri laudauit Calliſtum Ioannes Antonius Campanus Epiſcopus Aretinus.

In Vaticano habuit Calliſtus, vt indicauimus ſupra peruobile ſepulcrum, cuius ornamenta ſparſim in cryptis Vaticanis noſtris hiſce temporibus accedentibus patent. Inter quæ ſunt ss. Apoſtolorum Bartholomęi, & Iacobi marmorea ſimulacra cum his notis.

SANCTI BARTHOLOMÆI STATVA
AD SEPVLCRVM EXISTENS
OLIM CALLIXTI III. PP.

F
SANCTI IACOBI STATVA
AD SEPVLCRVM CALLIXTI III. PP.

Sunt etiam ibidem Eccleſiæ Doctorum Imagines, & Chriſti effigies marmorea cum lemmate.

IMAGO HÆC MARMOREA
CHRISTI PIETATEM EXCITANTIS
ERAT AD SEPVLCRVM CALLIXTI III. PP.

Epiſto-

Calliſti ſcripta. *Hipp. Marrac. in Bibliotheca Mariana.*

Epiſtolas plures ſcripſit, quorum nouem leguntur inter Æneæ Syluij, literas plures apud Fr. Lucam Vvadingum in Annalibus Minorum, quarum aliquæ ſcriptæ ſunt Fr. Ioanni de Capiſtrano in Hungaria Romani Pontificis nomine degenti, ad bellum ſacrum in Turcas parandum: plures quoque apud eundem Vvadingum Ioannis ipſius literas inuenies ad Calliſtum datas.

Officium etiam Transfigurationis compoſuit ex Binio, & alijs. De Angelica domo S. Mariæ de Columna Cæſaraugustanæ ciuitatis literas ſcripſit, quibus eiuſdem Angelicæ domus hiſtoriam licet breuiter complexus eſt.

Bibliothecam Vaticanam libris ditat. Motum Paſſio Bibl. Vaticanæ. Rosam. S. Ladislai Hungariæ Regem inter Sanctos refert. Lauretanam Domum munit. Indulgentias venerantib. velum, & cingulum B. M. Virginis impertitur.

Bibliothecam Vaticanam libris Bibliothecæ Conſtantinopolitanæ, quos à Turcis poſt Imperij Græcorum excidium, precio quadraginta millium aureorum emerat, maximè auxit. Sanctorum conſilio ac cœtui: præter Vincentium Ferrerium & Eadmundum Angliæ Regem, anno 1458. Roſam Virginem Viterbienſem, & Ladislaum Hungariæ Regem adſcripſit. Eccleſiam S. Calliſto ſacram Transtyberim in Presbyteri Cardinalis titulum erexit: Lauretanam Domum muris, & propugnaculis nudam aggeribus cinxit. Sacrum Beatæ Virginis velum, & eius cingulum in Eccleſ. Cathedrali Atrebatenſi, vbi ea habentur, piè venerantibus, Indulgentias impertiuit. Et ad ſui temporis calamitates auertendas, imaginem Beatæ Mariæ in Porticu præuio ſupplicantium fidelium agmine ſub vmbella cereis, & candelis accenſis ſolemni ritu circumtulit per Vrbem: huiuſce Pontificis iuſſu aes campanum Horologij Vaticani fuſum.

Calliſti benignitas. Io. Marian. in hiſtor. Hiſpan. Accuſatur ab aliquibus Calliſti vita.

Ad colloquium omnes admittebat, & omnes etiam ad exitum vitæ proximus nemine excepto benignè excipiebat: priuata tamen ſtudia nunquam prætermiſit; ſi legere ipſe ob corporis ægritudines non valebat, alios legentes audiebat. Id tantùm in eius moribus à Scriptoribus illius æui maxime accuſatur, quod ſcilicet propinquis augendis vehementius incubuerit, quàm ea ætas, ac ſacroſanctæ perſonæ, quàm gerebat, dignitas pateretur. In vita fuit parcus, in ſermone modeſtiſſimus, in egenos pauperes, & religioſos liberaliſſimus; Leges & Canones tam ei in promptu erant, quàm ſi heri, aut nudiustertius ſcholam iuris primùm exuiſſet.

Concilia Petricouienſe, & Caliſſienſe. Simeon Starouolſc in Epitom. Concilior.

Sub Calliſto habita ſunt Concilia duo, in Polonia ſcilicet Petricouienſe à Ioanne Sprouio Archiepiſcopo Gneſnenſi pro conſeruanda libertate Eccleſiaſtica: & Caliſſienſe eodem Ioanne Sprouio Archiepiſcopo præſidente, in quo ſubſidium Caſimiro Regi Poloniæ bellum contra Crucigeros inſtauranti in Pruſſia, ab Eccleſiaſticis decretum eſt.

Calliſti inſignia ex numiſmate quod vidi Romæ apud Carolum Cartharium, & Carolum Antonium à Puteo correximus, in illo enim in vna facie expreſſum aſpicitur Calliſti ſcutum iuxta exemplar à nobis ſupra expoſitum cum his notis: *ALPHONSVS BORGIA HISPANIAE*. in altera eiuſdem numiſmatis facie eſt ipſius Calliſti effigies cum his notis. *CALLISTVS PP. III.*

PRIMA CREATIO CARDINALIVM Calliſti Papæ III.

Die 20. Februarij anno 1456. Pontificatus Primo, ſeu ex Conteloris Secundo, Romæ apud S. Petrum Calliſtus III. Romanus Pontifex tres renunciauit Cardinales, quos tamen non publicauit ſed reſeruauit in pectore, eiſque titulos attribuit, prout ex eiuſdem Pontificis diplomate, cui ſe Cardinales omnes, qui præſentes aderant in Conſiſtorio ſubſcripſerunt, & die Veneris 17. Septembris eiuſdem anni 1456. apud S. Mariam Maiorem publicauit. Ciaconius recenſet hos tres Cardinales vti creatos die 18. Septembris anno 1456. hi autem fuerunt.

I.



Ciaconius. Aubery in vita Pauli Andr. Victorell. in addit. ad Ciacon. Æneas Syluius in Commentar. S. Antoninus. Bapt. Platina in Calliſto III. Hier. Zurita in Annalibus. Canophilus. Felix Contelorius in Elencho. Franc. Auguſt. ab Eccleſia. de S. R. E. Card. Pedemont. region. Gaſp. Ferreira in Elog. Card. Hiſpan.

IOANNES Ludouicus, ſeu ex alijs Ludouicus Ioannes Milanus natione Hiſpanus, patria Valentinus, filius Ioannis Milani, & Catharinæ Borgiæ Sororis Calliſti, ex Electo Segobienſi adhuc iuuenis, ſed optimæ indolis ab Auunculo Calliſto Presbyter Cardinalis SS. IV. Coronatorum primò, deinde Epiſcopus Ilerdẽſis renunciatus, Legationis munere functus eſt Bononiæ, mox Cõmiſſarij, vt diſcordias in Principatu Catalauniæ, & Comitatu Barchinonenſi inter Ioannem Regem Aragoniæ, & Communitates illarum Prouinciarum exortas extingueret. Abbas rexit Abbatiam olim S. Michaëli de Lucedio, nunc autem S. Ianuario prope Creſcentinum, Vercellenſis, diœceſis ſacram.

E vita exceſſit ſub Iulio II. Romano Pontifice, incertum tamen quo anno, ſeu menſe: Ciaconius refert huiuſce Cardinalis obitum ad diem decimum Septembris anno 1507. at ipſe viuebat die prima Nouembris eiuſdem anni, teſte Paride de Graſſis in Diario, qui etiam die 22. Decemb. an. 1508. dum recenſet Cardinales, qui ſub Iulio II. Romano Pontifice vſque ad eam diem, obierant, Ludouici non meminit. Obijt in Hiſpania, & poſt obitum ſepultus in Eccleſia cuiuſdam villę, deinde apud PP. Dominicanos in Eccleſia S. Annæ ſacra in Ciuit. Ilerdenſi, vt ipſemet iuſſerat in ſupremis tabulis.

II.



Ciaconius. Gaſp. Ferreira in Elog. Card. Hiſpan. Hier. Zurita in Annalib. Panormus. And. Victorell. & Addit. ad Ciacon. Felix Contelorius in Elencho. Pius II. in Commen. Duard. Nonius in Genealog. Regum Luſitan. Thom. Bozius de Sign. Eccl. Hier. Garimbert. Aubery in vita Pauli.

IACOBVS Luſitanus, immeritò dictus Roſſas à Ciaconio cum nullus Regij ſanguinis Luſitanus Princeps cognomen illud ſibi vnquam deſumpſerit, Petrum Infantem Conimbricæ Comitem, ſeu Ducem, Ioannis I. Luſitaniæ Regis filium in parentem habuit, & Iſabellam Aragoniam Comitis Vrgelenſis filiam, Regum Aragoniæ neptem in matrem: is poſt paternis infauſtam necem patria eiectus, multis nobilibus, & militantibus viris ab aula Luſitanica profugis ſtipatus, in Belgium ad Iſabellam Burgundiæ Ducem, & Philippi cognomento Boni vxorem, ſe contulit, à qua benignè admodum, ac perhonorificè acceptus, ſtipendijſque Regio iuuene dignis honeſtatus fuit, quare toto pectore curauit optimarum artium ſtudijs ad omnem virtutis normam informari. Firmata aliquantulum ætate, Romam hortante Iſabella ſe contulit; ibi à Calliſto huius nominis Tertio, Romano Pontifice Archiepiſcopus Vlyſipponenſis primo electus eſt, deinde ab eodem Diaconis Cardinalibus adſcriptus, præfuit ex Ciaconio Diaconię ſanctę Mariæ in Porticu, ſeu ex ipſius Calliſti diplomate S. Euſtachij, vel fortaſſis, vtriſque. Atrebatenſi, atque Paphenſi donatus infula aliquando fuit.

Pius II. qui Calliſto ſucceſſit in Pontificatu, excelſa Iacobi indole, & probitate perſpecta, Legatum in Germaniam deſſignauit. Florentiam iam peruenerat, atque ibi graui morbo detentus, cum dicerent Medici, eum ſi coiſſet, mortem vitare poſſe, potius intrepidus mortem expectare, quàm Medicis obtemperare voluit, iſta proferens verba digna Eccleſiaſtico Principe, *Malo mori, quàm fœdari*. Florentiæ igitur non 16. Kal. Maij anno 1419. vt impreſſoris errore ſcripſit Ciaconius, ſed 27. Auguſti anno 1459. ætatis vigeſimo ſexto mortem ſubijt, & ibidem ſepultus apud S. Miniatum. Vir fuit virtute inſignis, à maioribus haud degenerans, quem ſanctimonia præluxiſſe, vitæque innocentia, & caſtitate, quàm auita nobilitate memoriæ prodidit Vaſconcellus in Deſcriptione Regni Luſitaniæ. Huius Cardinalis ſepulchro marmoreo hoc additum Elogium in ſacello pulchrè a ſe ædificato, & dotato à ſuis.

Regia ſtirps IACOBVS nomen Luſitana propago,
Inſignis forma, ſumma pudicitia.
Cardineus titulus, meritum mitor, optima vita
Iſta fuere mihi: mors iuuenem rapuit;
Ne ſe pollueret, maluit iſte mori.

VIXIT A. XXV. M. XI. D. X. OBIIT AN. SAL. MCCCCLIX.

Iacobi Cardinalis eximia cum laude meminerunt Authores grauiſſimi, videlicet Æneas Syluius in Commentarijs; Antonius Vaſconcellus in deſcriptione Luſitaniæ, & Iconibus Regum, Principum, & Cardinalium Luſitanorum. Thomas Bozius tomo primo de Signis Eccleſiæ. Andreas Victorellus in Notis ad Ciaconium; Antonius Auberius in hiſtoria Cardinalium accurate Gallico idiomate ſcripta, & alij. Ex quibus hæc habet Victorellus. *Inter plurimos Purpuratos Luſitanos Iacobus hic Vlyſſipponẽſis Archiepiſcopus ſanctimonia præluxit, vitæque innocentia, & caſtitate, magis quam auita nobilitate laudatus.* Bozius verò de illo hæc ſcribit. *Poſt primi ordinis viros qui virginitatem coluerunt, ſuccedant qui aliquo male affecti morbi genere, poterant ſi quoſdam Medicos audiſſent, coniugem ſibi adſciſſere, ac virginitate amiſſa vitam ſeruare, & tamen huic illam prætulerunt. Huiuſmodi fuit ætate noſtra integerrimus ille Cardinalis Robertus è familia Nobilium, qui nondum ſacris erat Ordinibus initiatus; & multo ante ipſum Iacobus à Calliſto III. creatus Cardinalis, Portugalliæ Regis filius.* Errat hic Bozius dum Regis Portugalliæ filium, Iacobum nominat, non enim filius, ſed nepos Regis Luſitani, *qui Florentiæ ſepultus iacet in S. Miniati, cum hoc Epitaphio.*

Regia ſtirps &c. vt ſupra.

Sic igitur Cardinalium Collegium veluti viros habuit in omni virtutum genere eminentiſſimos, ita & in caſtitate.

Eximias huiuſce Cardinalis laudes paucis, ſed diſertis verbis complexus eſt Æneas Syluius; *Iacobus, inquit, de Portugallia Regio ſanguine natus, in quo ea modeſtia & grauitas, id acumen ingenij, id ſtudium literarum, is amor virtutis emicuit, vt quamuis iuuenis adhuc, tardius tamen opinione omnium ad Cardinalatus dignitatem aſcenderit.*

Ciaconius Panuin. Aubery in vita. Felix Cõtelorius in Elencho. Hier. Gambert. Ambr. Ramont. in hiſt. Neapolitana.

III.



A RODERICVS Lenzolius Borgia natione Hiſpanus, patria Valentinus, Calliſti ex ſorore nepos, gẽtilitijs inſignibus, & cognomine à Calliſto auunculo donatus, ex Æditũo, ſeu ſacrarum rerum tutore, quæ dignitas primaria eſt in Eccleſia Valentina, florens adhuc ætate renunciatus eſt Diaconus Cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano die 20. Februarij an. 1456. B ſed non publicatus, niſi menſe Septembri, vt diximus ſupra. Apud Ioannem Baptiſtam Piccolomineum ſe vidiſſe fatetur Andreas Victorellus Commentarios m. ss. Pij II. & in ijs nonnulla, quæ incuſis deſiderantur. Dolet in ijs factum illius temporis Collegium volente Calliſto viros ætate graues, optimeque de Romana Curia meritos ad Cardinalatum efferre cum nepotibus, ijs qui minus idonei videbantur conſenſiſſe, & quos digniſſimos eſſe conſtabat reieciſſe. Epiſcopus primò, deinde Archiepiſcopus Valentinæ, & Commendator Carthaginenſi, & Maioricenſi præfuit Eccleſijs. Legationis munere functus eſt in Marchia Anconitana, apud Henricum Caſtellæ, & Legionis, apud Alphonſum item Luſitaniæ Reges, quibus Sixti IV. & ſacri Collegij Cardina- C lium nomine tres Cardinalitios pileos, duos ſcilicet ad Henrici, vnum verò ad Alphonſi preces quàm primum dare promiſit: & quę pollicitus eſt Rodericus, exitu præſtitit Sixtus. Diuite ſuppellectile, auro argentoque cum afflueret Rodericus in Hiſpanica hac legatione, vanitatis, ac luxus documenta edidit, & nulla re ex ijs, quæ legationis nomine perficiendæ erant, abſoluta, Romam marino itinere cum rediret, non exiguam calamitatem expertus eſt. Cardinali Papienſi teſte in epiſtola ad Franciſcum Decanum Toletanum. *Vicecancellarium nactum Pontificem artibus, & corruptelis ſuis creatum, concupitam diu in patriam profectionem facile impetraſſe, vt honoratus iret, vt populis ſe viſendum preberet, vt ex tribus Regnis Caſtellæ, Aragoniæ, Luſitaniæ omnifariam meſſem commeteret. Aditum Legationi pecunia redimentem, primò Valentiam nauigaſſe, inde in vlteriorem Hiſpaniam tranſiſſe, vtrobique multa vanitatis, & luxus, & ambitionis, & auaritiæ documenta relinquentem, nullo eorum perfecto, quæ ſibi ad nomen Legationis prætenderat, odio Principum, & populorum renauigaſſe Romam. Ante oſtium Auſericæ fluminis, Octobris die decima,* D *ingenti orta tempeſtate, conflictatis diu quadriremibus duabus, in quibus ipſe, & familia cum omni præda Hiſpanica vehebatur. Alteram lacrymabili damno ante oculos eius depreſſam eſſe, alteram, quæ ſua erat, diffracta iam puppe, cum haud procul exitio eſſet, remiſſis paululum ventis ægre in Portum Liburnum laceram, ac vexatam protruſam eſſe. Præter ceteram turbam quinque, & ſeptuaginta ex familia periiſſe, in quæ iis Epiſcopos tres, Iureconſultos amplius duodecim, Equeſtris ordinis ſex.*

Io. Marian. in Hiſtor. Hiſpan.

Legationem etiam Pontificis iuſſu ſubijt ad Ferdinandum Siciliæ Regem, vt intereſſet Regijs nuptijs, ac Regio diademate, quod Sixtus ipſe ſacrauerat, nouam nuptam Ioannam, Ioannis Regis Aragoniæ filiam ornaret. Sub Calliſto item exercitus Eccleſiaſtici Pręfecturam, & S. R. E. Vicecancellieratum geſſit. Albanenſem primò, deinde Portuenſem Eccleſiam rexit: B. Mariæ in Via Lata E Diaconiam commendatam habuit, & Baſilicæ Liberianæ Archipræsbyteratus dignitate ornatus eſt. Scripſit ſupra Ciaconius Rodericum renunciatum à Calliſto fuiſſe Ducem Spoletanum, ſed à veritate aberrauit, non enim Rodericus, ſed Petrus Aloyſius eius frater Ducatum à patruo obtinuit.

Paul. de Angel. in deſcr. Baſil. Liberianæ.

Romæ Cardinalis hic domos conſtruxit prope aciem Campi Floræ, quas cum S. Andreæ caput in Vrbem ſolemni pompa deferretur, ditiſſimis aulæis ornauit, vt refert Pius ipſe Romanus Pontifex, ſeu Gobellinus in Commentarijs his verbis. *At omnium ſumptus, atque conatus, & omnium ingenia longe ſuperauit Rodericus Vicecancellarius, qui ædes ſuas, quas in ſolo veteris Monetæ altiſſimas, & ampliſſimas conſtruxit, diuitibus, & admirabilibus pannis operuit, tum cœlum ſublime erexit, in quo multa & varia ſuſpendit mirabilia. Nec ſuas tantum domos, ſed vicinas etiam adornauit, ita vt platea circunducta Paradiſus quidam videretur* F *ſuauibus plena ſonis, & cantibus, ſeu plurimo fulgens auro domus, ſicut Neronis fuiſſe perhibetur. Tum carmina plurima appenſa parietibus legebantur ab electis ingenijs recens edita, quæ grandioribus conſcripta literis, & Diuis Apoſtoli laudes, & Pij Pontificis præconia continebant.*

Poſt Innocentij VIII. obitum in nouis Comitijs Romanus Pontifex renunciatus, dictus eſt Alexander VI. de illo plura infra.

SECVNDA CREATIO CARDINALIVM.

A *Anno Dominicæ Natiuitatis 1456. Pontificatus Calliſti III. Primo, ſeu ex alijs ſecundo,* die 17. ex Ciaconio, ſeu ex eiuſdem Pontificis literis, die 18. Decembris Romæ ſex alios iterum adſcripſit Præsbyteris Cardinalibus, qui fuere.

IV.



B RAYNALDVS Piſcicellus, patritius Neapolitanus, qui a puero ſcientiarum ſtudio, & præſertim Pontificij iuris diſciplinæ operam dedit adeo, vt Neapoli, & in Romana Curia ſummo loco ſemper ſit habitus, & ſupremos honorum gradus aſcenderit. Etenim Canonicus primò Neapolitanæ Eccleſię renunciatus, ac Protonotarius Apoſtolicus, dein S. Petri ad Aram Cœnobium in commendam obtinuit. Cum vacaſſet Eccleſia Catacenſis Vrbis, quæ Cataneanom vulgo appellatur, Rex Alphonſus ſenior ad Nicolaum V. Romanũ Pontificem literas ſcripſit, quibus eum rogabat, vt Eccleſiam illam Raynaldo Piſcicello C Canonico Neapolitano conferret viro quidem omnibus virtutibus, ac ſcientia prædito. Alphonſi literæ ad Pontificem ſcriptæ, quæ in Regio tabulario Neapolitano habentur, ſunt tales.

Ciaconius Panuinus Aubery in vita. Barthol. Chioccarell. de Archiep. Neapolit. And. Vicorell. in Addit. ad Ciaconiũ. Ferdinãd. Vghel. in Ital. ſac. S. Antoninus. Gob. Pennot. in hiſtor. Tripartita

Sanctiſs. ac Beatiſs. Pater, & Domine poſt humilem filijè commendationem, & pedum oſcula beatorum. Intellleximus nuper vacationem Eccleſiæ Catanzarij de Prouincia Calabriæ obitu illius vltimi Paſtoris, & quia ſummè optamus, vt eidem Eccleſiæ præficiatur dilectus noſter Raynaldus Piſcicello Canonicus Neapolitanus, vir quidem moribus, virtutibus, & ſcientia præditus, Sanctitati veſtræ humiliùs quo poſſumus ſupplicamus, vt Raynaldum eundem in Paſtorem Eccleſiæ antedictæ promouere dignetur. Hoc enim Pater Beatiſſime ad ſingularem gratiam reputabimus Sanctitatis eiuſdem, quam conſeruet Altiſſimus regimini Eccleſiæ ſuæ ſanctæ per tempora feliciter dilatata. Dat. in Turrioctaua, die 7. Ianuarij an. à Natiuit. Dom. 1450. REX ALPHONSVS.

Poſt has die ſcilicet 8. Ianuarij eiuſdem anni 1450. mutata ſententia, alias Alphonſus Rex Romano Pontifici, & Cardinalibus nonnullis literas dedit vt eandem Eccleſiam Catacenſem Fr. Pala- D medi Abbati S. Petri ad Aram conferret, Raynaldo verò Abbatiam S. Petri ad Aram elargiretur cum retentione tamen Canonicatus, aliorumque ſacerdotiorum. Nicolao igitur Romano Pontifice Abbatiam S. Petri ad Aram primò, mox dum Romæ eſſet, anno ſcilicet 1452. Archiepiſcopatum Neapolitanum obtinuit. Ad quem Romæ adhuc commorantem, eius Eccleſiæ Canonici, ac reliqui Eccleſiaſtici præ ingenti gaudio epiſtolam de ipſius promotione gratulantes ſcripſerunt, quam vt eius doctrina, ac virtutum fama dignoſcatur, recitare compellimur, & eam Andreas Cotunius Neapolitanus, eius ſæculi Scriptor refert in hunc modum.

Capitulum, & Canonici Eccleſ. Maioris Neapolitanæ, Reuerendiſſ. in Chriſto P. et D. Raynaldo Piſcicello, Archiep. electo felicitatẽ dicit. Pridie Nonas Iunij, Mercatorib⁹ noſtræ Ciuitatis literæ traditæ ſunt, quibus de promotione dignitatis tuæ in huius noſtræ Eccleſiæ de electionem ſignificatum eſt: quo nuncio tanta lætitia, ac E *iucunditate viri ac mulieres affecti ſunt, vt maiori non potuerint, non iniuria. Habituri enim ſunt poſthac religioſum Patrem, omni virtutum genere prædatiſſimum, vita quidem ſanctiſſimum, & ſcientiarum omnium cognitione cumulatum: quas ob res certo intelligimus Eccleſiam noſtram non mediocriter gubernandam, diuinum Officium quàm diligentiſſime miniſtrandum, pertingentes Pontifici Maximo habenda ſunt gratia, ac ſeorſum Immortali DEO, qui pecudibus per deuia errantibus tali Paſtore prouiderit. Nemo eſt, qui non certum putet, tecum ob bonam manſuetudinem tuam, cum ob Religionis obſeruantiam, & vitæ tuæ ſanctiſſimæ integritatem, tum & in primis ob immortalem virtutum tuarum famam, maiorem etiam dignitatem DEI gratia aſſecuturum. Hæc ſcribimus, vt ſumma nos voluptate tali nuncio affectos intelligas. Poſtremum eſt; vt Reuerendiſſimæ Paternitati tuæ hos noſtræ Ciuitatis conciues vnice commendemus, quos omnes pro viribus* F *nomine tuæ ampliſſimæ dignitatis ſaluos ſperes. Vale.*

Raynaldus Neapolim Roma reuerſus Eccleſiam ſibi commiſſam ac diœceſim maxima cura, ac diligentia rexit, & frequentibus viſitationibus luſtrauit. Calliſtus III. Alphonſi Regis precibus Presbyteris Cardinalibus titulo S. Cæciliæ Raynaldum Neapolitanum Archiepiſcopum adſcripſit. Extat adhuc in Vaticano Pontificium Diploma, quo Romanus Pontifex Raynaldi virtutes ſummopere commendat; atque illi Archiepiſcopatum Neapolitanum, & Cœnobium S. Petri ad Aram facultatem tribuit retinendi. Gobellinus ſcribit Alphonſum Regem, vt Lucretiæ pellici ſuæ morem gereret,

Ambr. Ramont. in hiſt. Neapolitana.

enixiſsimè

Henr. Spondan. in Annal. Eccleſ.

enixiſſimè à Romano Pontifice purpuram pro Raynaldo petijſſe, & obtinuiſſe. Quod quidem non adeo laudabiliter à Calliſto factum videri poſſet, niſi fuiſſet aliunde Raynaldus, vt fuiſſe aſſeritur eo honore dignus.

At non diu ſuperuixit; etenim die 13. Iulij anno 1457. rebus humanis ereptus eſt Romæ annum agens ſuæ ætatis quadrageſimum tertium, Medicorum potiùs incuria, quam aëris grauitate: eius corpus Neapolim delatum in Cathedrali ſepulchrum habuit, vbi iuxta principis aræ gradus marmoreum eius ſepulchrum adhuc conſpicitur cum eius effigie, ac ſequenti inſcriptione.

RAYNALDVS PISCICELLVS PRIMO PONTIFICI IVRI OPERAM DEDIT, MOX ARCHIEPISCOPVS NEAPOLITANVS, DEINDE CARDINALIS EVASIT, IN VTROQVE PERHVMANITER VERSATVS, MIRIFICE OBSERVABATVR. DECESSIT ANNO ÆTATIS SVÆ XLII. ET HIC CLAVDITVR ANNO MCCCCLVIII.

At circa huiuſce Cardinalis obitum dubium vertitur; etenim Panuinius ſcribit deceſſiſſe Neapoli die 13. Iulij anno 1457. Contelorius ex libro Participationum die prima Iulij eiuſdem anni; Ciaconius conſentit Panuinio in die 13. menſis Iulij, vitam tamen illius producit vſque ad annum 1458. Nos verò ex Calliſti Romani Pontificis, & Æneæ Syluij literis dicimus Raynaldum è vita exceſſiſſe menſe Februarij, vel initio Martij anni 1457. Primus enim Diplomate ſcripto xij. Kalen. Martij anno 1457. hæc habet, *Raynaldum Archiepiſcopum Neapolitanum, & Cardinalem bonæ memoriæ:* alter verò in epiſtola ad Ioannem Cardinalem S. Angeli data in Vrbe die 8. Martij anno 1457. ait, *Cardinalis Neapolitanus propediem ingreſſurus creditur*. Quod autem in eius tumulo legatur anno 1458. ibi fuiſſe conditum, vel fortaſſe eſt annus, quo eius corpus ab Vrbe fuit Neapolim translatum, & ibidem conditum, vel error irrepſit; eo magis cum certò ſciamus tumulum multos poſt annos ab eius morte erectum fuiſſe. Reperitur enim in Canonicorum Neapolitanorum tabulario publicum documentum per Notarium Vincentium de Boſſis Neapoli ſcriptum die 14. Octobris an. 1507. quo Capitulum Neapolitanæ Eccleſiæ facultatem concedit Aloyſio & Hectori Piſcicellis apponendi lapidem cum imagine, inſignibus & ſepulchrali inſcriptione bonæ memoriæ Domini Raynaldi Piſcicelli S. R. E. Cardinalis, & Archiepiſcopi Neapolitani ante Altare maius Cathedralis Eccleſiæ: & è contra dicti Aloyſius, & Hector ad omnem eiuſdem Capituli requiſitionem conſignare pollicentur pecuniam neceſſariam ad emendum annuum cenſum pro Anniuerſario ſingulis annis per dictum Capitulum celebrando pro anima Raynaldi Cardinalis.

Ciaconius Panuinius Aubery in vita. And. Victorel. in Addition. ad Ciacō. Hier. Garimbert. Gaſpar Porreņo in elogijs Card. Hiſpanor. Ioan. Mariana in hiſt. Hiſp.



V.

IOANNES de Mella natione Hiſpanus, patria Zamorenſis, nobili genere natus, fuit frater Alphonſi Mella ordinis ſancti Franciſci, qui denuo excitata ſecta Fraticellorum, iudicij metu Granatæ, quo fugerat, à Mauris confixus fuit. Ioannes in Vrbem adoleſcens veniens, iuri tùm Canonico, tùm Ciuili ſedulam operam dedit in quibus facultatibus doctiſſimus euaſit: Romanæ Rotæ Auditor à Martino V. renunciatus Epiſcopatum Zamorenſem in Hiſpania obtinuit. Dum aliquando ſecretum Conſiſtorium haberetur, vox è palatio Pontificis egreſſa monebat Ioannem hunc cum alijs eo die purpuræ honore decoratos; non pauci ad eum congratulatum acceſſere. Ioannes *iam tandem*, inquit, *aſſecutus ſum, quod annis vno de quadraginta expectaui*; nam facilè credidit, quod ſperabat; nuncium indonatum non dimiſit, & ante Deiparæ Virginis imaginem in genua procumbens, illi & Chriſto Domino gratias egit: ſed eum tunc ſpes decepit. At longa rerum experientia per quadraginta annos continuos per multos Magiſtratus, quos geſsit à Calliſto III. Romano Pontifice inter Presbyteros Cardinales titulo SS. Aquilæ, & Priſcæ cooptatus eſt, quem titulum progreſſu temporis in illum S. Laurentij in Damaſo, & Epiſcopatum Zamorenſem in Seguntinum commutauit. Lumen, & ſplendorem Ioannes hic Collegio intulit, & licet facie deformis eſſet, Cardinalatum non fœdauit.

Æneas Syluius in Commēt.

Septuagenatio maior Romæ è vita exceſſit die 13. Octobris, ſeu ex Contelorio nocte antecedenti diem 13. Decembris anno 1467. & ibidem iacet in Eccleſia S. Iacobi Hiſpanorū, cum hoc epitaphio.

IO. DE MELLA GENERE HISPANO FAMIL. INGENVA CÆSARII AC PONTIFICII IVRIS CONSVLTISS. S. LAVR. IN DAMASO PRÆSBYT. CARD. ZAMOREN. SACRVM VIX. A. LXX. OBIIT XIII. OCTOBR. AN. SAL. NOSTRÆ MCCCCLXVII. PONT. MAX. PAVLI II. A. QVARTO.

Cardinalis Papienſis de illo hoc habet elogium: *Huius prima iuuentus ingreſſa Vrbem in extremum nunc ſenium perſeuerat, vir laborioſus, & iuſtitiæ miniſter intrepidus, diuerſis quippe temporibus cunctos pene noſtræ Curiæ Magiſtratus ſolus adminiſtrauit*. Garimbertus hunc inter Cardinales doctrina illuſtres, & præcipuos illius æui Iureconſultos collocat.

Scripſit, vt notat Cardinalis Papienſis, librum cuius argumentum eſt: *Clericis licitum non eſſe Vrbes peſtilentia infeſtatas deſerere ob iniuncti Sacerdotij curam*. In Eccleſia principe Zamorenſi ſacellum conſtruxit in honorem S. Idelfonſi, & annuis redditibus pro miniſtris dotauit. Iuuenem adhuc Ioannem in Collegio Salmaticenſi operam dediſſe ſcientijs, & Archidiaconatum Matritenſem primò, deinde Toletanum obtinuiſſe ſcribunt nonnulli ex Hiſpania Scriptores.

Nomenclator Cardinal.



VI.

IOANNES Caſtellio, ſeu Caſtellioneus nobili domo apud Mediolanenſes, vel vt alij ſcripſerunt, apud Papienſes, ex Protonotario Apoſtolico Epiſcopus primò Conſtantienſis in Prouincia Rothomagenſi, deinde an. 1454. v. Nonas Octobris Papienſis renunciatus, hanc Eccleſiam rexit vſque ad annum 1460. ac plerūque abſens: ſi quidem pro Nicolao V. & Calliſto III. Legationis munere functus eſt in Germania ad Fredericum III. Imperatorem. Interfuit Conuentui Ratiſponēſi in quo orationem habuit; affuit etiam Francofordienſi, & Conuentui habito in noua Ciuitate pro parandis armis contra Turcas Chriſtiani nominis infenſiſſimos hoſtes. *Ex Italia*, inquit Pius II. in Commentarijs, *Legatus Apoſtolicus affuit idem, qui Ratiſponam, & Francofordiam adierat Ioannes Epiſcopus Papienſis ſuo iudicio valde ſapiens, & eloquens, multorum tamen iudicio neque ſtultus, neque dicendi prorſus ignarus*. Hic abſens à Calliſto III. inter Purpuratos adlectus eſt titulo S. Clementis ſub Pio verò II. Marcam Anconitanam Legatus rexit. Anxius ne Piccininus tranſiret armatus in Regnum Neapolitanum, huc illuc equitans febrim incurrit, quæ illi vitam eripuit, non ſine gaudio Prouincialium, qui nouam ſemper gubernationem appetunt. E vita migrauit Maceratæ, die 14. Aprilis anno noſtræ ſalutis 1460. artis Oratoriæ, & Ciuilis ſapientiæ peritiſſimus. Corpus Mediolanum translatum in ſepulchro patrum ſuorum conditum fuit hoc epitaphio ornandum.

Ciaconius Panuinius Aubery in vita. Ferdinād Vghell. in Ital. ſac. & in Addit. ad Ciac.

Feliā CS telorius in Elencho. Anton. Mar. Spelta de Epiſcop. Papienſ. Antonius Niger in hiſt. Caſtellioneā

IOANNI. CASTELLIONEO. MEDIOLANENSI. EPISCOPO PAPIENSI. TIT. D. CLEMENTIS. S.R.E. PRESB. CARDINALI. CAELESTINI. IV. PONT. MAXIMI. OCTAVIANI. GOTIFREDI. ET. BRANDAE. CARDINALIVM. GENTILI. QVI CVM. LEGATIONIS. MVNERE. APVD. FRIDERICVM. III. IMPERATOREM. CONCITANDI. IN. TVRCAS. EXERCITVS. CAVSSA. APOSTOLICAE. SEDIS. NOMINE. SECVNDO. FVNGERETVR. A. CALLISTO. III. IN. AMPLISSIMVM. ORDINEM. ABSENS. EST. COOPTATVS. EOQVE DEFVNCTO. A. PIO. II. LEGATVS. MARCHIAE. ANCONITANAE. DESIGNATVS. DVM. IN. EA. PROVINCIA. LEGISLATORIS. STRENVI. SIMVL. DVCIS. OPERAM. CONTRA. PICCININVM. NIMIS. SOLICITE. IMPENDIT. INOPINATA. FEBRE. PRAEVENTVS. MACERATAE. INTERIIT XVIII. KAL. MAII. ANN. SAL. MCDLX.



VII.

IACOBVS Thebaldus, alijs Theobaldus ciuis Romanus oriundus oppido Collis Scipionis in Vmbria filius fuit Venturæ & Marci Thebaldi qui iacet Romæ in Templo S. Mariæ ad Martyres, cum hac ſepulcrali inſcriptione.

Ciaconius And. Victor in Addit. ad Ciaconium. Panuinius Aubery in vita. Felix Contelorius in Elencho. Pius II. in Commentarijs.

HIC IACET MARCVS DE THEBALDIS GENITOR D. CARDINALIS S. ANASTASIÆ AC D. SIMONIS ALMÆ VRBIS CANCELLARII PRIMI. OBIIT AN. DO. MCCCCXIV IN DIE S. LVCIÆ.

In fratrem habuit Simonem clarum illius æui Philoſophum, ac

Medicum Nicolai V. & Calliſti III. Hieronymus Garimbertus Iacobum Cardinalem Thebaldum ex plebeia familia; Ludouicus verò Iacobillus in vitis Sanctorum Vmbriæ, è Dominis Collis Scipionis familiæ. Rapazzonæ natum volunt, nos tamen cum Cardinali Papienſi, Gobellino, Aubery, & alijs, Iacobum hunc Thebaldum Cardinalem S. Anaſtaſiæ, nobilem Romanum diximus, & quidem rectè, contra Garimbertum; nam Iacobum Thebaldum auum paternum Iacobi huiuſce Cardinalis, ciuem Romanum de regione Triuij, menſibus Aprilis, Maij, & Iunij an. 1425. Conneſtabuli illius regionis munere functū fuiſſe conſtat ex monumentis antiquis, & ex Regiſtris Martini V. quod munus nonniſi nobilibus Romanis committebatur, & quidem ſi nobili progenie natus non fuiſſet Iacobus Cardinalis, non bene ſepulchralis inſcriptio à carmine illo initium duceret. *Qui fuit Vrbis honos generoſa prole Thebalda.* A

Non enim generoſa dicitur progenies illa, quæ natales ſuos adhuc inter plebeios reſpicit, neque tam cito Thebaldi arctam cognationem contraxiſſent cum familijs generis claritudine in Vrbe illuſtribus, videlicet, cum Creſcentia, Capiſucchia, Aſtalla, de Valle, Ceſarina, & Capiteferrea, ſi obſcuri generis homo, vt ſcripſit Garimbertus, alioquin obtrectator, Iacobus Cardinali. Thebaldus fuiſſet, qui Iuris ciuilis doctor, Epiſcopus Montis Feretri quare cognominatus Feretranus; benignitate inſignis, & ſemper bonorum conſiliorum ſectator, Spoletano Præſidatui, hinc Peruſinæ Vrbi Romanorum Pontificum iuſſu præfuit. Mox Præsbyteris Cardinalibus titulo S. Anaſtaſiæ adſcriptus eſt à Calliſto III. a quo, & Archiepiſcopatum Neapolitanum poſt purpuram obtinuit, vt habetur in libris Conſiſtorialibus Vaticanæ Bibliothecæ, in quibus x 2 v. Kal. Decembris anno 1458. legimus Oliuerium Caraſam Canonicum Neapolitanum Iuris vtriuſque doctorem, nobili genere natum renunciatum fuiſſe Archiepiſcopum Neapolitanum per ceſſionem Iacobi tituli S. Anaſtaſiæ Cardinalis. At credimus cum Bartholomæo Chioccarello, Neapolitanæ Eccleſiæ poſſeſſionem Iacobum nunquam fuiſſe adeptum, ſed poſt ipſi delatam Eccleſiam illam, & priuſquā eius poſſeſſionem, nactus fuiſſet, Oliuerio Caraſæ ceſſerit. B

Card. Papienſ. in Epiſtolis.

C

Obijt Romæ die 3. ſeu 4. menſis Septembris anno 1466. hora decimaſexta, & iacet ſepultus in Æde S. Mariæ ſuper Mineruam, ſub lapide his verſibus exarato, & ab Auctore Nomenclatoris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium deſumptis.

Qui fuit Vrbis honos generoſa prole THEBALDVS,
Frigida marmoreo IACOBVS *tenet oſſa ſepulchro.*
Cæſareas norat leges Montiſque Feretri
Præſulerat, nullique fide, & pietate ſecundus,
Pauperiem tollebat humo, clariſque fauebat
Ingenijs, inſtique pater, moderator, & æqui,
Cuius virtutem admirans, animumque pudicum
Cardineo Diuus decorauit honore CALLISTVS. D

QVI OBIIT ANNO CRISTI MCDLVI. DIE IV. MENSIS SEPTEMBRIS HORA DECIMASEXTA.

VIII.



Ciacconius. Pet. Frizon. in Gallia Purpurat. Hieron. Garimbert. Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana. Andr. Victorell. in Addit. ad Ciacon. & Ferdinand. Vghel. ibidem, & in Ital. ſac. Aubery in eius. Pomponius Lud. Iacobill. in hiſt. Fulginat. Felix Cōtelorius in Elencho.

RICHARDVS Oliuerius, de Augio, ſeu de Lōgueil, aliàs Longolius, patre Guillelmo de Longueil, Vicecomite Augi, domino de Lōgueil. Normandus, natione Gallus, Licentiatus in legibus, Archidiaconus Rothomagenſis, fuit Præſes Cameræ Computorum, vt habet Claudius Robertus, eique Carolus Francorum Rex iuſtitiæ adminiſtrandæ, & regendi conſilij primum conceſſit locum. Ex Epiſcopo Conſtantienſi Galliæ Præsbyter Cardinalis titulo ſancti Euſebij, & Archipręsbyter Baſilicæ Vaticanæ, demum à Paulo II. Epiſcopus Portuenſis, & S. Rufinæ renunciatus, die 15. Martij anno 1462. in publico Conſiſtorio receptus eſt, cum interfuiſſet Rhenis die 15. Auguſti anno 1461. dum ſacro inungeretur oleo Ludouicus XI. Rex Galliarum. Huic quoque vt commendaretur Tornacenſis Eccleſia, Carolus Rex, ſupra laudatus, apud Pium huius nominis Secundum, Romanum Pontificem vehementer interceſſit. Quod ſi ad Regiæ preces non obtinuerunt, vt conſtat ex mutuis literis Regis, atque Pontificis quę extant apud Æneam Syluium, è quo illas recitat Bzouius; nequaquam id euenit ob defectum perſonæ, quam Pontifex omni honore dignam cenſuit; atque in ijs ipſis literis teſtatus eſt, ſed ob varias rationes quas ibidem commemorat ad placandum Regem ea de cauſa tunc iratus, idoneas. E F

Pio igitur II. Rom. Pontifici cauſas, a quo ſemper magni ęſtimatus; laudabat enim ille Richardi conſilia, cauſas tradebat iudicandas, & hoc de eo oraculum protulit teſte Cardinali Papienſi in epiſtola nonageſima ſeptima. *Vtinam Conſtantienſes haberemus plures, bene conſultum eſſet Eccleſiæ, vir grauis eſt, vir bonus, vir mitis, vir doctus, ſemper in ſuis ſententijs verus.* A

Ædes Archipresbyteri S. Petri iuxta Eccleſiam vetuſtiſſimam S. Apollinaris in Vaticano penè à fundamentis reſtituit, ſed morte oppreſſus eas non incoluit, ea Garimberto hæc carmina incidi iuſſerat in foribus.

Quam bene ſtare vides, quondam disiecta iacebant,
Et decus hoc facies feri modo culta domum,
Richardus Normanna tenus Conſtantia Præſul.
Cardinea ſtruxit gloria magna toga.
Præsbyter, & Veneto Paulo regnante Secundo,
Primus in hac Petri qua fuit Eccleſia. B

Curauit fieri ex aliquibus ſimulacrum æneum S. Petri Apoſtolorum Principis deſtructa Iouis Capitolini ſtatua, & collocari in ipſa Baſilica Vaticana. Nos tamen ſupra in D. Petri vita Richardo hoc antiquiorem effigiem illam D. Petri iudicauimus; falſi verò ſumus, Richardum ſupra baſim illam collocaſſe, ac proprijs inſignibus adornaſſe. Adhuc extat cum inſignibus Longolianis prope ſacellum Gregorianum; populus confluit ad illius pedem dextrum piè, & religioſe deoſculandum. Extant adhuc fragmenta quædam antiqui lapidis cum his notis.

. . . .

. . . . *huius ſac. Baſil.* . . . . . . *Conſtantienſis qui* . . . .
tus ob ſuas virtutes ac merita. . . . . *eſſe veneran-*
doq; Senatui chariſſimo. . . . *inſignis de patria, & Rocce* . . . .
Vixit an. 63. dies 2. obijt an. . . . . V . . . C

Nomine RICHARDO, *patria Theca fuit.*

Doctis præſidium, ſubſidiumque bonis.

Diem clauſit extremum non Romæ, ſed in ſua Legatione Peruſij die 19. Auguſti anno 1470. conſtat tamen teſtamenti executoribus demandaſſe, vt ſuum corpus poſt obitum Romam deferrent apud S. Petrum ante altare quod ipſe reſtaurauerat, ſepeliendum, vbi hoc olim legebatur epitaphium in pauimento. Nomencl. Cardinal.

Richardus Epiſcopus Portuenſis, Cardinalis Conſtantienſis,
e Normandia oriundus, hoc Altare vetuſtiſſimum
noua facie, & dote aona teſtamento iuſſit ornari.
vbi in pace requieuit anno Domini MCCCCLXX.

Noſtris hiſce temporibus tanti Cardinalis ſepulchri reliquiæ in cryptis Vaticanis accedentium oculis patēt, cum ſequentibus notis. D

Fragmentum epitaphij Richardi Oliuerij S. R. E. Cardinalis huius Baſil. Archipresb. liuius ſtratum.

Ante obitum largitus fuerat ſummam pecuniarum Baſilicæ Vaticanæ cum hoc onere, vt à duobus Capellanis celebrentur ſingulis annis centum viginti Miſſæ, vt conſtat ex tabella appenſa in ſacrario D. Petri, & ſacello SS. Proceſſi, & Martiniani Martyrum. In m. ss. Vaticani tabularij hæc adnotata inueniuntur. *Capella ss. Proceſſi, & Martiniani Martyrum à Richardo Epiſcopo Portuenſi Card. Conſtantienſi Archipresb. Baſil. ornata, & dota'a ann. Domin. 1470. cum onere vt per duos Capellanos celebrentur ſingulis annis 120. Miſſa, id eſt per quemlibet 60. Miſſa.* Datus eſt Iudex reuiſendæ cauſæ Ioannæ d' Archæ de Vaucoulenur in Lotharingia natæ ſecundum aliquos, ex alijs verò Francę in pago de Domremus Balliuiatus Calmontenſis, vulgò puellæ Aurelianenſis, ab Anglis igni deuitæ Rothomagi. E

Chriſtophorus Longolius Orator in oratione coram Leone X. Romano Pontifice habita anno 1521. promotionem Richard. huiuſce Cardinalis refert contra omnes illius æui Scriptores ad Nicolaum V. cuius fragmentum hoc loco apponere operæ pretium putaui, quia de Longoliæ proſapiæ nobilitate multa notatu digna complectitur. *Poſſim, inquit, hic ego, Patres conſcripti, perinde ac idoneum nullius locum, de Longoliorum nobilitate multis apud vos agere commemorare familiæ vetuſtatem, nominis antiquitatem, gentis ſplendorem, maiorum noſtrorum imagines, laudare eos qui etiam nunc viuunt, fortunas, dignitatem, honores, magnam apud omnes ciuitatum ſuarum ordines gratiam, ad hac etiā ſi qua vulgus alia in iis fortuna bona miratur, ea prædicare omnia verum cum non ſine magna mea meorumque inuidia hæc à me celebrari, ſed ne nudus omnino verbis dici hoc poſſint, illud à me vnum audietis, eſſe me non obſcuro, quod iſti mentiuntur, ſed honeſto loco, & in gente natum, ex qua Quintus Nicolaus Pontifex Maximus, cum de ſupplendo Collegio ampliſſimo cogitaret, Richardum Longolium Conſtantienſem Antiſtitem delegit, quem in Romanorum Sacerdotum numerum referret, relatum Petrinis ſodalibus flaminem daret quod ab eo factum eſſe, vt publicis Populi Romani monumentis conſignatum eſt, ſic etiam palam arguunt ædes illa, quas Richardus poſt ſuā in eum ordinem cooptationem in Vatica-* F

no ad Petri magno ſumptu marmoreas exedificauit. Et poſt alia, A multa ita concludit, colligitque nodum eiuſdem orationis. *Dare hoc ſi non mea innocentia, & Longeliorum generi, atque familia, quarum preclara hac in Vrbe monumenta viſitatis.* Laudatur à Cardinali Papienſi his verbis: *Richardus tit. S. Euſebij Normandia ortus, inter ſuos admodum celebris: huic olim Carolus Francorum Rex iuſtitia adminiſtranda, & regendi conſilij primum apud ſe locum conceſſit: Sacerdos in dicenda ſententia liber, & in propoſito conſtans.* Plures ad hunc Cardinalem literas dedit Cardinalis Papienſis cum cæteris editas antequam Romam è Gallia ſe reciperet, ad Ludouici XI. iram declinandam, qui omnes Caroli Regis patris, à quo fere ſemper alienus, & abſens fuerat, miniſtros primarios exauthorauerat, à Pio II. roſeum galerum accepit Romæ abeodem humaniſſime receptus. Qua in re pulchrum eſt audire laudatum Papienſem in varijs epiſtolis, in quarum vna his eum effatur; *Abſit à me, vt de fide & iuſtitia tua aliquid dubitem, ſcio te* B *Reuerendiſſime Pater conſentire nomini tuo, & in fide, eſſe conſtantem: hoc experti Francorum Reges antea ſunt, hoc nos quotidianis documentis agnouimus. noſco præterea eſſe te iuſti, & æqui amatorem; nil gratia indulgentem, aut corruptela conſiſtoria noſtra, & demandata tibi iudicia teſtimonium perhibent. Quis meo Conſtantienſi in dicendo ſententia iuſtior? Quis in interpretationibus iurium verior? Quis denique in ſuo cuique reddendo minus perſonarum acceptor? memor es quam crebro Pius II. laudauit conſilia tua, quam libenter iudicandas cauſas tibi credebat. mihi ſæpe hoc dixit, vtinam Conſtantienſes haberemus plures, bene conſultum eſſet Eccleſia, vir grauis eſt, vir bonus, vir mitis, vir doctus in ſuis ſententiis liber. qui modo ergo in tanto experimento, & tam graui teſtimonio Romani Pontificis dubitare poſſem de tua fide, ac iuſtitia? an non ſcio amaſſe te Pium II. in vita, & gratam tibi nunc ſcio memoriam eius? repeto memoria quoties vacante Sede, &* C *ſedente etiam Paulo ſententiam dixeris pro ijs afflictis relinquens ſuos?* & infra, *Tibi ſanctiſſimus Pater Pius II. pileum dignitatis in Galliam miſit; te ad Curiam venientem honorifice accepit, præſentem in pretio habuit; oppreſſum falſis calumnijs manu patris leuauit*, quando ſcilicet à facie Ludouici XI. fugit, cuius iuſſu, bona eius, & in his Vicecomitatus Augi fiſco regio addictus fuiſſe creditur, *nec mere paſſus eſt ſuam iuſtitiam. loquebatur mecum frequenter de confratribus noſtris; de te ſemper, & bene ſenſit, & locutus eſt cum honore compatiens per ſingula vexationibus, quas patiebaris in Gallijs, vno verbo complectar, virtutem tuam amabat, talemque te iudicabat, quales eſſe reliquos Collegas tuos optabat.* Epiſtola verò centeſima vndecima ſic habet. *Habes tu multa quibus ſine vllo adiumento ſuperare detractiones poſſis, & illud imprimis, quod iuſte viuis, & munde:* & paulo poſt, *Nulla ſordes, nulla inquinamenta auaritia coniunxerunt me tibi: ſola virtus* D *tuum me fecit. es doctus, es integer, es humanus, & qui digne ſedeas ad conſilium Romana Eccleſia*, & alibi, *nemo dignationem tuam vincere beneficentia poteſt, quanto doctior, & in omni genere virtutis præſtantior, tanto es humanior, atque beneuolior.*

Idem Papienſis, Cardinales qui in electione Pauli II. ſuffragium tulerunt enumerans, & proprium vnicuique concinnans elogium, de noſtro ſic loquitur. *Richardus tit. S. Euſebij Normandia ortus, & inter ſuos admodum celebris, huic olim Carolus Francorum Rex iuſtitia adminiſtranda, & regendi conſilij primum apud ſe locum conceſſit. Sacerdos in dicenda ſententia liber, & in propoſito conſtans.*

Porro in Pij II. pontificatu reperitur interfuiſſe Richardus ſolemni illi ſupplicationi, qua venerandum ſancti Andreæ Caput, ex Peloponneſo Romam miſſum, in Baſilicam Vaticanam ab ipſo Pontifice delatum, à ponte Miluio, Cardinales corpore valentes E pedibus comitati ſunt; nominaturque ab Ænea poſt Eugenij IV. & Calliſti III. nepotes hoc modo. *Richardus Conſtantienſis, qui olim Caroli Regis Franciæ conſiliarius fuerat*; fit etiam eius mentio apud eundem Æneam tamquam præſentis in feſto ſacratiſſimi Corporis Chriſti, quod apud Viterbium magnificentiſſimo apparatu Pius Papa peregit, vbi, & Cardinalis noſter dicitur cum Rothomagenſi, & Albretio Gallis, pannis ſeu aulæis quos Atrebatenſes, ſeu Belgicos vocant, obduxiſſe parietes, & altaria auro, argentoque ac multo thure cumulaſſe.

Pio vero ad meliorem vitam tranſlato, qui ei ſucceſſit in Apoſtolica Sede Paulus eius nominis Secundus, Richardum Portuenſem, vt diximus ſupra creauit Epiſcopum, Legatumque Pontificium miſit in Vmbriam; ad quem continuo Papienſis, quomodo ſe in legatione illa cum Italis gerere, & de quibus ſibi præcauere debeat homo Gallus reſcripſit. F

Inter Andegauenſes Epiſcopos recenſetur à Ciaconio, at vnde hoc hauſerit prorſus ignoro, cum omnes illius Eccleſiæ Præſulū indices prorſus de eo tacuerint. Conſtantienſis autem fuit non Archiepiſcopus, ſed Epiſcopus.

Fitonius ſcribit ſcutum Longoliæ familiæ cœruleum eſſe ſex roſis, tribus ſuperioribus aureis, alijsque inferioribus miniatis exaratum: nos tamen quæ in Vaticano ſunt, cum Ciaconio ſupra expreſſimus.



IX.

ÆNEAS Sylvius Picolomineus, etiam Bartholomæus nuncupatus, ciuis, & Epiſcopus Senenſis prodijt in lucem anno noſtræ ſalutis 1405. 14. Kal. Nouembris Corſiniani, vallis Vrciæ oppidū, id eſt quod Pontifex poſtea factus Æneas Epiſcopali ſede ornauit, ac de ſuo nomine Pientiam appellauit. Siluio Picolomineo, & Victoria Forteguerra parentibus; cum octauum ageret annum à fero boue in aërem iactatus, diuina ope ſeruatus eſt. Corſiniani apud parētes nonnullis annis vixit, deinde Senas profectus, Grāmaticam, Rhetoricam, Poeticā, & Iuriſprudentiam didicit. Dominicum Capranicam Cardinalem Baſileam euntem ſecutus eſt, cui, & Nicolao Albergato ſanctiſſimo, & doctiſſimo Cardinali à ſecretis fuit, ingenij viribus, eloquentia, prudentia, & dexteritate excelluit. Felici V. Pſeudopontifici à ſecretis, Legationis munere functus eſt apud Federicum Cæſarem, qui illius opera varijs in negocijs vſus eſt, eumque ad Eugenium Romanum Pontificem, Legatum miſit, contra quem in Conuentu Baſileenſi olim ſenſerat. Romam profectus cognita veritate veniam ab Eugenio ex animo petitam, adeptus, eidem neutralitate iam ſublata, pro Germania obedientiam exhibuit, Eugenio eidem, & Nicolao V. in Secretarij munere ſeruiuit. Multa C peregit itinera, multos labores, & moleſtias pertulit; Poetica laurea, & priuilegijs à Cæſare auctus fuit. Baſileam ad Concilium contendens vi tempeſtatis in Lybiam propellitur, à Baſileenſi Cōcilio in vlteriorem Britanniam Orator, ac in Scotiam ad Regem miſſus, à ventis in Norwegiam pulſus, per Britanniam Regios ſpeculatores eludens Baſileam reuertitur. Subdiaconi Apoſtolici dignitatem, deinde Tergeſtinam Eccleſiam, Senenſem poſtea à Nicolao V. regendam ſuſcepit; Federicus Imperator diuinans Cardinalatum, & Summum Pontificatum ei prænunciauit. Calliſtus III. inter Purpuratos Patres excelſi animi virum conſcripſit, & Diaconiam S. Euſtachij ex Ciaconio tribuit; ſeu ex Felice Contelorio, imò ex ipſius Calliſti diplomate Presbyterum Cardinalem titulo S. Sabinæ nominauit. Diaconiam enim S. Euſtachij duobus menſibus ante obtinuerat, & hoc eodem tempore retinebat Iacobus Luſitanus. Vbi verò donatum Æneam pileo rubro audi- D uit populus Romanus, mox fama exorta eſt ſucceſſorem ſibi creaſſe Calliſtum: Senarum Vrbs feſtos dies celebrauit, fuitque publicè gaudium: Imperator lætitia mira triumphauit, cum audiuit Legatum ſuum, & Conſiliarium inter Cardinales relatum. Alphonſus Aragoniæ Rex voluptatem percepit; & Principes omnes Germaniæ literis ad eum datis gaudij argumenta dedere; quaſi in eo Germania ipſa honeſtata fuiſſet. Et meritò quidem; nam purpura ornatum viderat virum, qui pro Romana Eccleſia, & Imperio multa ſubierat incommoda, vt ſcribit Cardinalis Papienſis epiſtola 365. his verbis. *Beata memoria Pio, vt ſæpe accepi, quinque ſupra viginti anni ſeruiendo erant conſumpti, cum nondum erat cenſus, vnde parari ſolea poſſent, & tamen Orbem ferè Chriſtianum erumnis ſuis impleuerat, agitatus mari, vexatus procellis, à latronibus ſpoliatus, & captus, carcere incluſus, ad limen prope primum mortis adductus, quorum patientia virtutis comitante non modo* E *Epiſcopatum, & Cardinalatum, ſed mox quoque vno ferè contextu Papatum Romanum parauit.* Hic podagra laborans domi quieſcebat, quando nonnulli ad Purpuram vocati ſunt; dum ſecretum Conſiſtorium haberetur, vox è Palatio Pontificis egreſſa monebat Æneam, & Ioannem Epiſcopum Zamorenſem cum alijs eadē purpuræ honore decoratos. Non pauci ad vtrumque gratulatum acceſſere: ille facie non mutata animo prorſus tranquillo, *ſi hoc verum*, dixit, *infra duarum horarum curriculum agnoſcemus*, interim in vtranque partem accinctus neque metu frangor, neque ſpe ludar inani. Reuera tunc temporis in illa Patrum enunciatione neque Æneas, neque Ioannes nominati ſunt; purpuram tamen ambo deindè conſecuti ſunt. Poſt ipſius Calliſti obitum Petri Cathedram aſcendens dictus eſt Pius II. plura de eo infra.

Ciaconi. Antonius Campan. in vita. Aubery in vita. Panuinius And. Victorell. in Addit. ad Ciaconiū. Pij II. Cōmentar. Card. Papienſis. Ferdinād. Vghell. in Ital. ſac.

EPISCOPVS CARDINALIS
à Calliſto III. Rom. Pont. creatus.

F. Ioannes de Turrecremata ex Presbytero tituli Calliſti Eugenij IV. Epiſcopus Cardinalis Albanenſis renunciatus eſt.

Calliſtus III. duabus Ordinationibus Menſibus Decembri, & Septembri factis præter Epiſcopum vnum ex antiquis Presbyteris, nouem renunciauit Cardinales, videlicet ſex Presbyteros ex Ciaconio, ex alijs verò ſeptem, & Diaconos tres ex laudato Ciaconio, ſeu potius ex alijs, duos.

VICECANCELLARIVS S. R. E.
ſub Calliſto Papa III.

Rodericus Borgia Valentinus Diaconus Cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano S. R. E. Vicecancellarius ſub Calliſto III.

CARDINALES MORTVI
ſub eodem Pontifice.

Guilelmus Vgonis de Stagno Gallus Presbyter Cardinalis S. Sabinæ è vita exceſſit die 28. Octobris anno 1455.

Ludouicus de la Palu, alias de Varambone, Gallus Presbyter A Cardinalis S. Anaſtaſiæ, deinde S. Cæciliæ, die 21. Decembris anni 1455. ex alijs verò 1451.

Bartholomæus Vicecomes Mediolanenſis Pſeudocardinalis Felicis V. anno 1456. ſeu 1457.

Raynaldus Piſcicellus Neapolitanus, Presbyter Cardinalis S. Cæciliæ Menſe Februarij, vel Martij anno 1457.

CARDINALIS MORTVVS,
in Sede Vacante.

Dominicus Capranica Romanus, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Via Lata, poſtea Presbyter Sanctæ Crucis in Hieruſalem die 14. Auguſti anno 1458.

PIVS II. PONTIFEX CCXIV.
ANNO DOMINI MCCCCLVIII.





IN NOMINE DEI, ET SALVATORIS Noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen.

PII Electio. ANNO DOMINI MCCCCLVIII Nonis Auguſti, exequiæ Calliſti III. Papæ, more maiorum celebrari ſunt cœptæ; & pridie Idus Auguſti, Spiritus ſancti Miſſa à Georgio de Fliſco Epiſcopo Cardinale Oſtienſi cantata, Cardinales decem & octo præſentes Conclaue ingreſſi ſunt, paratum in Apoſtolico Palatio S. Petri pro noua Pontificis electione; qui die 14. Kal. Septembris ſabbato hora tertiarum elegerunt in Papam Æneam Syluium Picolomineum, Senenſem, Presbyterũ Cardinalem S. Sabinæ qui PIVS Papa II. appellatus eſt. Patria ei Sena Hetruſca, familia nobilis, tenuioris tamen, temporum calamitate, fortunæ, Picolominea, parentes Syluius poſthumus, & Victoria Forniguerra fuere, ipſe natus eſt 14. Kal. Nouembris anno 1405. in villa agri Senenſis Corſiniana, quæ ab eo aucta, & ciuitas effecta Pientia ex nomine Pontificio, nunc vocatur, pater eius à plebe Senenſi cum reliqua nobilitate è Republica deiectus ad fundum gentilitium Corſinianum, vallis Vrciæ oppidum ſe conferens, infantem eo loci ex vxore ſuſcepit. Nato puero, Æneas Syluius, nomen pater indidit, puerpera autem per quietem viſa eſt ſibi infantem cum mitra parere, quæ verita eſt, ne ſomnium illud puero, & familiæ ignominiam portenderet: neque antea huiuſmodi ſuſpicionem deponere potuit, quàm poſtea intellexerit, filium Tergeſtinum Epiſcopum deſignatum fuiſſe. Quo nuncio omni prorſus metu liberata, immortali Deo gratias egit, quod meliore ſucceſſu, quam ipſa coniectauerat, filium ſibi videre contigiſſet. Prius tamen cum iam per ætatem diſcere aliquid potuiſſet, Corſiniani ſingulari memoria, & ſumma docilitate Grammaticam didicit: parcè autem, ac duriter vitam ducens, vt omnia ſuis officia ob inopiam obire ſit coactus. Annum verò decimum octauum agens, Senas proficiſcitur, vbi à neceſſarijs, & cognatis adiutus, tantum profecit, vt breui præclara poemata Latina, & Hetruſca lingua ediderit. Inde verò ad Ius ciuile ſe contulit: quod profectò non ita multo poſt deſerere coactus eſt. Orto namque inter Senenſes, & Florentinos bello caritatem annonæ veritus, & nobilitatem plebi Senenſi ſuſpectam cernens, voluntarium ſibi veluti exilium adſciuit. Dominicum Capranicam ſequutus ad Concilium Baſileenſe pergentem, poſt Nicolai Albergati Cardinalis S. Crucis, demum Friderici III. Imperatoris à Secretis gratiſſimus fuit. A Nicolao autem V. ex Canonico Tridentino, ac Abbreuiatore, & Subdiacono Apoſtolico, Epiſcopus Tergeſtinus, & paulò poſt Senenſis deſignatus. Eum Calliſtus Papa III. Diaconum Cardinalem S. Euſtachij, mox Presbyterũ Cardinalem titulo S. Sabinæ creauit. Qui mortuo Calliſto Papa renunciatus in eius locum fuit. Cuius expectatio tanta fuit, vt magna pars populi Romani officij cauſſa, obuiam progreſſa, hominem, quaſi diuinarent, vt Pontificem ſalutant. Ad hunc enim, conſenſu omnium, Pontificatus deferebatur.

PII primordia.

CARDINALES XXIV. VIVENTES
quando Pius II. Papa creatus eſt.

EPISCOPI CARDINALES V.
EVGENII PAPAE IV.

* 1. Georgius Fliſcus de Sauignano, Ligur. Genuenſis, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus, Sacri Collegij Decanus.

* 2. Iſidorus Theſſalonicenſis, Græcus, Conſtantinopolitanus, Monachus ſancti Baſilij Archiepiſcopus Ruthenorum, Epiſcopus Cardinalis Sabinus.

* 3. Beſſarion Trapezuntius, Græcus, Conſtantinopolitanus,

Mo.

Monachus ſancti Baſilij Archiepiſcopus Nicænus, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus.

*4 Guillelmus de Eſtouteuilla Gallus, Normandus, Archiepiſcopus Rothomagenſis, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & S. Ruffinæ dictus Rothomagenſis.

*5. M. F. Ioannes de Turrecremata, Hiſpanus Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus Cardinalis Albanus.

PRESBYTERI CARDINALES XV.

EVGENII PAPAE IV.

6. * Petrus Scouuembergh, Herbipolenſis, Germanus, Preſbyter Cardinalis S. Vitalis tituli Veſtinæ, Prior Presbyterorum, dictus Auguſtanus.

7. * Ludouicus Scarampus de Media Rota, Patauinus, Preſbyter Cardinalis titulo S. Laurentij in Damaſo, S. R. E. Camerarius dictus Aquileienſis.

*8. Petrus Barbus Venetus Epiſcopus Vicentinus, Presbyter Cardinalis S. Marci.

NICOLAI PAPAE IV.

*9. Antonius Cerdanus, Maioricenſis, Hiſpanus, Presb. Cardinalis titulo S. Chryſogoni, Epiſcopus Meſſanenſis.

*10. Latinus Vrſinus, Domicellus Romanus, Presbyter Cardinalis SS. Ioannis, & Pauli tituli Pammachij, Archiepiſcopus Tranenſis.

*11. Alanus Coetiuus, Brito, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Praxedis, dictus Auenionenſis.

*12. Ioannes Rolin Gallus, Presbyter Cardinalis titulo S. Stephani in Cœlio Monte.

13 Philippus Calandrinus de Sarzana, Lunenſis, Epiſcopus Bononienſis, Presbyter Cardinalis titulo S. Laurentij in Lucina.

14. * Magiſter Fr. Nicolaus de Cuſa Germanus, Canonicus Regularis, Presbyter Cardinalis S. Petri ad Vincula tituli Eudoxiæ.

CALLISTI PAPAE III.

*15. Ludouicus Milanus, Valentinus, Hiſpanus, Presbyter Cardinalis titulo SS. Quatuor Coronatorum, Epiſcopus Segobricenſis.

*16. Ioannes de Mella Zamorenſis, Hiſpanus, Presbyter Cardinalis titulo S. Priſcæ.

17. Ioannes Caſtellio Mediolanenſis, Epiſcopus Papienſis, Preſbyter Cardinalis titulo S. Clementis, dictus Papienſis.

18. Iacobus Theobaldus Romanus, Epiſcopus Ferentianus, Presbyter Cardinalis titulo S. Anaſtaſiæ.

19 * Richardus Oliuerij, Epiſcopus Conſtantienſis, Normandus, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo S. Euſebij.

20 Æneas Syluius Picolomineus, ciuis, & Epiſcopus Senenſis, Presbyter Cardinalis titulo S. Sabinæ.

DIACONI CARDINALES IV.

MARTINI PAPAE III.

21. Proſper de Columna, Domicellus Romanus, Diaconus Cardinalis S. Georgij in Velabro S.R.E. Archidiaconus.

EVGENII PAPAE IV.

22. * Ioannes Carauagial Hiſpanus, Diaconus Cardinalis ſancti Angeli, electus Epiſcopus Placentinus.

CALLISTI PAPAE III.

23. Iacobus Portugallenſis, Luſitanus, Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Porticu.

*24. Rodericus Borgia Valentinus Hiſpanus, Diaconus Cardinalis ſancti Nicolai in Carcere Tulliano, S. R. E. Vicecancellarius.

A 18. Cardinalibus præſentibus creatus fuit, cæteri abfuerunt, qui aſteriſco ſunt notati.

Coronatio Papæ Pij II.

Anno Domini 1458. tertio Nonas Septembris, Papa Pius II. ſuæ Coronationis inſignia ſuſcepit Romæ in gradibus ante fores Baſilicæ Vaticanæ Principis Apoſtolorum per Proſperum Columnam S. R. E. Archidiaconum, omnibus Cardinalibus Epiſcopis, & Clero, & innumera populi multitudine adſtantibus, ſedit autem in Apoſtolica ſede Cæſare Friderico III. Imperatore Auguſto, annos 5. menſes 11. dies 27. vel ſex annos minus tribus diebus.

Pii ſedes.

Cum Deo immortali gratias egiſſet, ſe totum, confirmata prius Eccleſiæ ditione, ad curam Reipublicæ Chriſtianæ conuertit. Aſiſium, & Nuceriam ſtatim ab hoſte recepit: inter Ferdinandum Regem, & Sigiſmundum Malateſtam, quod difficillimum factu videbatur, compoſitæ induciæ, quo Mantuam omnibus, vbi communem Chriſtianorum conuentum indixerat, tutò proficiſci liceret: creato autem Principe Columnenſi Præfecto, in locum demortui Borgiæ, relicto Romæ Legato Nicolao Cuſano S. Petri ad Vincula Cardinale, media hyeme ab Vrbe diſceſſit, per eas ciuitates iter faciens, quæ ciuili diſcordia ad bellum potius, quã ad pacem ſpectare videbantur, populos ad quietem, & concordiam adhortatur. Mantuam poſtremò vndequaque ventum eſt: magnus aderat Principum numerus, magna Legatorum vis; ex tota enim Europa, nulla natio, gens nulla fuit, quæ non aut Principes, aut Legatos eò miſerit. Actum denique eſt in illo celeberrimo conuentu, Pio ipſo dicente, vt bellum, communi omnium decreto, Turcis indiceretur: dictæ ſententiæ, qua id ratione geri poſſet, propoſitum periculum, quod ceruicibus Chriſtianorum immineret. Motæ ſunt omnibus lacrymæ, cum eorum calamitates exponerentur, qui à Barbaris in grauiſſimam ſeruitutem quotidie adducebantur, incenſi animi, cum oſtenderet, Turcas occupata Græcia, & Illyrico, interiorem Europam penetraturos. Nihil eſt certè ab eo prætermiſſum, quod ad monendos Chriſtianorum animos pertineret. Magna quidem in dicendo Pij laus fuit, quod cum ſæpius iiſdem de rebus loqueretur, diuerſa ſemper viſus eſt dicere: tanta erat in homine elegantia, & copia. Agebantur hæc in Mantuano Conuentu, cum tota ferè Europa, relicto externo bello, ad inteſtinum animos, atque arma conuertit. Pius itaque, omiſſo Mantuano conuentu, ad ſedandos varios motus in Italia exortos ſe conuertit. Viterbium ab aduerſa factione per fraudem occupatum, haud magno negocio recepit. Picentes, & Vmbros contentionibus diſtractos, ac magnis cædibus fœdatos, auctoritate ſua tandem ſedauit. Romæ grauiſſimos tumultus ſicariorum repreſſit, capto cum aliquot ſocijs Tiburtio, Angeli Maſſimiani filio, qui Nicolai V. iuſſu ob coniurationem interemptus, & laqueo ad feneſtras Capitolij ſuſpenſus fuit, quod auſi fuiſſent templum Pantheon occupare, atque inde, tanquam ex arce, in optimum quemque graſſari. Tirannos quoſdam ad res nouas ſpectantes, è finibus Eccleſiæ bello ſubmouit: neminem vnquam bello attigit, ad quem Legatos non prius miſerit, ſi quo modo ad ſanitatem rationibus adduci poſſet. Ferdinando ad Sarnum fugato auxilio fuit, quo minus Regno ſpoliaretur; veritus, ne ſi Galli Regnum occupaſſent, victoria elati, libertatem Italiæ ſubuerterent. Recuperauit Senogalliam, expugnatum Fortunæ Fanum, Nicolao Piſtorienſi Card. S. Cæciliæ Legato: pugnatum eſt præterea non ita multo poſt a Ferdinando pari felicitate ad Troiam, Apuliæ oppidum: quo prælio Princeps Tarentinus, ac plerique alij, qui nouarum rerum cupidi, Gallica ſequebantur arma, adeo ſunt perterriti, vt ſupplices à Rege pacem petentes in eius amicitiam redierint: ferè omnes, præter paucos, quos poſtea Rex bello inſequutus, aut Regno expulit, aut ad ſanitatem redegit.

Pius Roma diſcedit, & Mantuã petit.

Mantuan. Concilium quo bellũ in Turcas indicitur.

Pius ad ſedandos Italiæ tumultus animum conuertit.

Renunciato Pontifice, oblati ſunt ei ad ſpectandum theſauri à Calliſto demortuo relicti, quaſi magnum quippiam, & viſu pulcherrimum. At diuinus ille vir videre noluit, *Auferte hæc*, inquit, *citius enim expendemus, quam alij congeſſerunt*; hanc rem commemorat ea oratione, quam ad Sixtum IV. nomine Venetæ Reipublicæ Legatus habuit.

Illud in primis laudandum, quod Catharinam Senenſem, conciuem ſuam, miræ Virginem eloquentiæ, & immortali gloria dignam inter Sanctas retulit, Romæ 3. Kal. Maij die 29. Aprilis anno 1461. Pont. 3. Migrauit ex hac vita anno 1380. Scripſit acta eius nobiliſſima B. Raymundus Capuanus, ordinis Prædicatorum Magiſter, S. Antoninus, & Surius. Sepulta Romæ in monaſterio S. Mariæ ſuper Mineruam ſui ordinis.

S. Catharina Senenſis Canonizatio. a S. Ant. 3. part. tit. 13 c. 14. Sur. tomo 3.

Per idem tempus Pius II. in Senatu retulit de Corſiniano loco natiuitatis ſuæ in ciuitatem erigendo, quod ſummo conſenſu factũ eſt, & pro Corſiniano, Pientia dicta, quod Pium Papam genuerat: hanc muris cinxit, ibidem etiam templum teſtudineum fecit, celebre id quidem, & ornatiſſimas extruxit ædes, ſedem ibi Epiſcopalem ſtatuens. Sepulcrum marmoreum paternis, maternisque oſſibus Senis in templo B. Franciſci, ſuo iuſſu, conditum hoc Diſticho notauit.

PIVS ſuã Patriam Ciuitatem redigit.

Syluius hic iaceo, coniux Victoria mecum eſt.
Filius hoc clauſit marmore Papa PIVS.

Quatuor habuit ex ſorore nepotes, ex his duo minores nati, eius gratia, & auctoritate à Rege Hiſpaniæ Equeſtri ordini ſunt addicti; primus enim, cui Ferdinandus Rex filiam in matrimonio locauerat, Dux Amalphitanus creatur; ſecundus in numerum Cardinalium relatus tanta cum integritate, & virtute vixit, vt nihil in eo requirendum eſſet, quod ad ampliſſimum virum pertineret, ingenio, moribus, ſolertia, religione, modeſtia, grauitate; qui Pontifex poſt tempora creatus, Pius III. appellatus eſt. Ædificandi ſtudio vehementer delectatus eſt. Impenſa enim ſua ſcalæ templi ad Vaticanum, vetuſtate collapſæ, inſtauratæ. Aream pro templi foribus ruderibus purgatam ſternere parabat, porticum vnde Pontifex populo benediceret, inchoauerat. Tibure arcem perfeciſſe, quiſquam inchoaſſet, viſus eſt. Senis quadrato ſaxo gentilibus ſuis porticum faſtigiatam, & ornatiſſimam extruxit.

CALLISTVS III. PONTIFEX CCXIII.

ANNO DOMINI MCCCCLV.





IN NOMINE DEI, ET SALVATORIS Noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen.

A CALLISTVS III. Hiſpanus, Valentinus, Alphonſus Borgia ante Pontificatum vocatus, ex oppido inſigni, & antiquo Setabenſi, Satiua vulgò vocato, in agro, & Diœceſi Valentina ſito, patre Ioanne, & matre Franciſca, generoſis parentibus, anno 1378. vltima die Decembris natus, parentum cura optimè in bonis moribus, & virtutibus educatus, B quintumdecimum annum agens, in Illerdenſi Gymnaſio, Diuinis, Humaniſque literis accuratè vacauit, vt breui Vtriuſque Iuris Doctor factus, eaſdem facultates publicè profeſſus fuerit. Eius doctrinæ opinione adductus Benedictus XIII. eum Canonicum Illerdenſem vltrò creauit. Ab Alphonſo Rege Arragonum, & vtriuſque Siciliæ adſcitus à Secretis aliquando fuit; cuius ſtudio præcipuè, & opera Clementis VIII. adulterinus Pontifex, qui Benedicto XIII. in Schiſmate ſuffectus fuerat, abdicauit. Verùm quum iam eius doctrina omnibus nota eſſet, ad Alphonſum Arragonum Regem profectus, eius con ſilio, & ſecretis ſtatim adhibetur. Cum autem Martino Pontifice Eccleſiæ Maioricenſis Gubernator factus eſſet, perſuaderèntque amici, C vt Eccleſiam ipſam in titulum acciperet, facturum ſe id renuit, quòd diceret, ſe expectare Epiſcopatum Valentinum. Quem haud ita multo poſt ſuo merito conſequutus eſt. Cum enim mortuo Benedicto XIII. duo eiuſdem Pſeudocardinales Aegidium quondam Canonicum Barchinonenſem in locum demortui Benedicti, Peniſcholæ Pontificem creaſſent, quem Clementem VIII. appellabant, eò ſtatim ab Alphonſo Rege, qui iam cum Martino V. Pontifice in gratiam redierat, Alphonſus Borgia miſſus eſt, non ſine magno ſui, ac comitum diſcrimine, adeò locus ille Peniſcholæ tyrannicè cuſtodiebatur, & ab iis potiſſimum, quorum maximè intererat diſcordias alere. Qui Alphonſus adeò rationibus, & auctoritate Aegidium ipſum ad ſanitatem deduxit: vt poſtea ſuperueniente Petro D Fuxo Martini V. Cardinale Legato Pontificio nomine ſe abdicauerit, in poteſtatèmque Pontificiam deuenerit. Hanc ob rem Martinus Pontifex, & Aegidium Maioricenſem, & Alphōſum Borgiam Valentinum Epiſcopum creauit: orto deinde bello inter Alphonſum Arragoniæ, & Ioannem Caſtellæ Reges; ſolus Alphonſus Borgia delectus eſt, qui ad pacem Reges adhortaretur. Quam ſeptennio, poſt inchoatum bellum, tanta cum diligentia compoſuit, contracta etiam inter eos affinitate, vt hodie quoque aliquot illius fœderis pacta ſeruentur. Rex deinde hominem ad Eugenium miſit, qui tum Florentiæ erat, quo cum de pace ageret, Vitelleſcus enim, Eugenij nomine, Regnum Neapolitanum armato milite ingreſſus, longè, ac latè omnia populabatur, prohibiturus, quo minus Rex

CALLIſti primordia.

A Neapoli, quam tunc oppugnabat, potiretur. Cum autem res in longum protraheretur, Eugenióque in mentem veniſſet viginti Cardinales creare, Valentinum Epiſcopum in horum numerum retulerat. Quam quidem dignitatem conſtantiſſimè renuit, quòd diceret, id ſibi nequaquam integrum eſſe, re præſertim, ob quam venerat, infecta. Redeunte deinde Romam Eugenio, cum Patriarcha Aquilejenſis Tarracinam ad Regem miſſus, pacem inter Pontificem, & Regem compoſuiſſet, fœdaque miſſet, iis Valentinus Epiſcopus ſemper interfuit, auctoritatèmque ſuam interpoſuit, & diligētiam, adeò autem à Pontifice diligi cœptus eſt, vt eum breui Cardinalem creauerit titulo ſanctorum Quattuor Coronatorum: Romámque ad ſe acceſſierit, qui non minore modeſtia in Cardinalatu vſus eſt, quàm B antea in Epiſcopatu fecerat: ab omni pompa, & inani gloria alienus ſemper fuit: in dicendis autem in Senatu ſententijs ita grauis habebatur, vt nihil vnquam per adulationem, & gratiam loquutus ſit.

Mortuo deinde Eugenio, eiúſq; ſucceſſore Nicolao V. Pontifice, maior pars ſuffragiorum in Beſſarionem inclinabat, & auertit nonnullos Alanus Cardinalis Auenionenſis. Igitur ad 6. Idus Aprilis, die Martis Paſchalis, hora diei 4. quinto Conclauis die, cum ventum denuò eſt ad ſcrutinium, via, quæ per acceſſum vocatur, tentata, in eum duę partes conſenſerunt, de quo minor erat expectatio populis, is fuit Alphonſus Borgia Presbyter Cardinalis tit. ſanctorum Quattuor Coronatorum ab Eugenio IV. Papa factus, ſcientia iuris eminentiſſimus, & multarum rerum experientia præditus; verùm ſenio C grauis, & propemodum decrepitus: ſeptuageſimum enim ſeptimum annum agebat; qui etſi antea aliquot annos, vacante ſede Apoſtolica, ſuam aſſumptionem fermè omnibus prædixerat, ſéque proculdubio futurum Pontificem maximum affirmauerat, nullius tamen opinionem ad ſe traxerat, & delirare potiùs, more ſenum exiſtimabatur. Sed fuit eius vaticinium verax, quòd à beato Vincentio Ferrerio ſe habuiſſe narrabat, ſuæ nationis homine iā vita functo, quem poſtea inter ſanctos Chriſti Confeſſores retulit. Mirandū, Hiſpanos nationem, vt ſibi videtur, natam Imperio ante hoc tempus nullam protuliſſe Pontificem Romanum, niſi Damaſum, & Ioanné, Hadriani V. ſucceſſorem; Calliſtus demùm Tertius Hiſpanus, ſeptuageſimo ſeptimo ætatis anno creatus Pontifex corpore quidem imbecillo, & D valetudinario, ſed animo ingenti, & mente ita valuit, vt bellum in potentiſſimos hoſtes nominis Chriſtiani Turcas parare auſus ſit.

CALLIſti electio.

CARDINALES XX. VIVI
quando Calliſtus Papa III. creatus eſt.

EPISCOPI CARDINALES IV.
EVGENII PAPAE IV.

1. Georgius Fliſcus, de Sauignano, Ligur. Genuenſis, Epiſcopus Card. Oſtienſis, & Veliternus, ſacri Collegij Decanus.
2. Iſidorus, Theſſalonicenſis, Græcus, Archiepiſcopus Ruthenorum, monachus S. Baſilij, Epiſcopus Card. Sabinus.

3. Beſſarion Trapezuntius, Græcus, monachus ſancti Baſilij, Conſtantinopolitanus, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus.
4. * Guillelmus de Eſtouteuilla Gallus, Nortmandus, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Ruſinæ.

PRESBYTERI CARDINALES XIV.

EVGENII PAPAE IV.

5. * Petrus à Scouuembergh, ex Franconia oppido, Diœceſi Herbipolenſis, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Vitalis, alias Veſtinæ.
6. * Dionyſius Zechus, Hungarus, Archiepiſcopus Strigonienſis, Presb. Card. S. Cyriaci in Thermis.
7. Fr. Ioannes de Turrecremata, ordinis Prædicatorum, Magiſter in Theologia, Hiſpanus, Presbyter Cardinalis tit. S. Xyſti.
8. Ludouicus Scarampus Mediarota, Patauinus, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Laurentij in Damaſo.
9. Dominicus Capranica, Romanus, Epiſcopus Firmanus, Presbyter Cardinalis tit. ſanctæ Crucis in Hieruſalem, S. R. E. Maior Pœnitentiarius.
10. Alphonſus Borgia, Epiſcopus Valentinus, Hiſpanus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctorum Quatuor Coronatorum, qui electus Papa, Calliſtus III. vocatus eſt.
11. Petrus Barbus Venetus, Epiſcopus Vicentinus, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Marci.

NICOLAI PAPAE V.

12. Antonius Cerdanus, Maioricenſis, Hiſpanus, Epiſcopus Ilerdenſis, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Chryſogoni.
13. Latinus Vrſinus, Domicellus Romanus, Archiepiſcopus Tranenſis, Presbyter Cardinalis ſanctorum Ioannis, & Pauli titulo Pammachij.
14. Alanus Coetiuus, Brito, Gallus, Archiepiſcopus Auenionenſis, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Praxedis.
15. * Ioannes Raolinus, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Stephani in Cœlio monte.
16. Philippus Calandrinus Sergianenſis, Epiſcopus Bononienſis, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Laurentij in Lucina.
17. * Magiſter Nicolaus de Cuſa, Epiſcopus Brixinenſis, Germanus; Presbyter Cardinalis ſancti Petri ad Vincula tituli Eudoxiæ, Canonicus Regularis.
18. Guillelmus Hugonis de Stagno, Gallus, Virdunenſis, Archiepiſcopus Metenſis, Presbyter Cardinalis tit. S. Sabinæ.

DIACONI CARDINALES II.

MARTINI PAPAE V.

19. Proſper Columna, Domicellus Romanus, Diaconus Cardinalis ſancti Georgij in Velabro, S.R.E. Archidiaconus, ſeu Prior Diaconorum.

EVGENII PAPAE IV.

20. Ioannes Carauagial, Hiſpanus, electus Placentinus, Diaconus Cardinalis ſancti Angeli in foro piſcium.

Cardinales igitur 15. præſentes Romæ in Conclaui fuere, reliqui aſteriſcis ſignati, abſuerunt.

CORONATIO Papæ Calliſti III.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1455. *Kal. Maij*, die Dominico, ſanctiſſimus in Chriſto pater Calliſtus III. Pontifex maximus in gradibus ante fores Baſilicæ Principis Apoſtolorum Vaticanæ, ſuæ Coronationis inſignia ſuſcepit, per Proſperum Columnam Domicellum Romanum, Martini V. nepotem, Diaconum Cardinalis ſancti Georgij ad Velabrum S. R. E. Archidiaconum, Cardinalibus, Epiſcopis, Clero, & infinita ferè populi multitudine adſtante: bis defecit Pontifex in Conſecratione, & fere mortuus reputatus: ſedit, Imperatore Friderico III. Auguſto annos 3. menſes 4.

CALLISTUS bellū in Turcas indicit.

Calliſtus III. ſtatim poſt ſuæ Conſecrationis ſollemnitatem, in publico Conſiſtorio, bellum ſacrum, quòd Cruciatam appellant, Turcis hoſtibus noſtræ ſanctæ Fidei infenſiſſimis indixit: qui pauló ante Conſtantinopolim, & totum Orientale Imperium, pulſis Chriſtianis, occupauerant; id ſe ante Pontificatum vouiſſe oſtendit ſuo Chirographo his verbis ſcripto, quòd in libro quodam extabat. *Ego Calliſtus Pontifex Deo omnipotenti, ſanctæ, ac indiuiduæ Trinitati, voueo, me bello, maledictis, interdictis, execrationibus, & denique quibuſcumque rebus potuero, Turcas, Chriſti nominis hoſtes, ſæuiſſimè perſequuturum.* Admirati ſunt omnes, qui aderant, quòd Pontificatus nomen ſibi deſumpſiſſet ante adeptam dignitatem, quódque homo ſenex, ac ferè decrepitus tantum animi haberet. Vt autem, quòd promiſerat, re ipſa præſtare poſſet, Prædicatores per totam Europam ſtatim miſit, qui omnes Chriſtianos in Turcas animarent, quique facultatum aliquid, & opum ſuarum ad tantam expeditionem conferrent, gratiam Dei, & Apoſtolicam lucrarentur. Ex his autem facultatibus ad ſexdecim triremes Romæ ædificatas in hoſtem miſit, Patriarcha Aquileienſi Prælecto, qui triennio maritima hoſtium Aſianorum vexauit. Inſulas quaſdam cepit, ac magnas calamitates hoſtibus intulit, vt Platina, in vita Calliſti Tertij Pontificis teſtatur.

INFIDELES principes in Turcas excitat.

Ad Vſuncaſſanum Perſarum, & Armeniæ Principem, & ad Regem Tartarorum, Ludouicum Bononienſem ordinis ſancti Franciſci fratrem miſit, cum multis, & magnis cohortationibus eos in Turcas excitans. Qui ſuaſu hominis, & magnas Turcis calamitates intulere: & oratores eorum, quos ad Calliſtum deſtinauerant, ad Pium Secundum eius ſucceſſorem tandem peruenerunt: quos certè cum admiratione, cum ob interualla locorum, vnde venerant, cum vel propter habitum noſtris oculis inſuetum, ſe inſpexiſſe Platina teſtatur, ferunt, Vſuncaſſanum ſuperatis perſæpe hoſtibus ad Pontificem ſcripſiſſe, ſe quidem victoriam ex hoſte reportaſſe, ob preces ab eo ad Deum habitas, eiúſque beneficij, diuini potius, quam humani ſe aliquando memorem futurum. inchoata hæc amicitia à Calliſto eſt, quam tunc conſtanter Chriſtiani cum ipſo Principe retinent, qui Turcam continuis prælijs vexat.

B. VINcentij Hiſpani Canonizatio.

Pontifex autem ad tranſigenda negocia Pontificia animum adijciens, B. Vincentium Ferrerium Hiſpanum conciuem ſuum, ordinis Prædicatorum, in ſanctos Confeſſores retulit, qui obierat in Britannia nonis Aprilis, anno Domini 1408. ætatis ſuæ 78. ob eamque rem ſupplicationibus Deo gratias egit ab Eccleſia Mineruæ, ad S. Petrum, continuato magno Cleri, ac populi Romani apparatu. Qui à Martino V. fuerat à Principibus Galliarum, & Hiſpaniarum, á ciuitatibus, & academijs inſtanter poſtulatus. Martinus quidem affectus erat honori ſancto præſtando; verùm aliquot negocia occurrentia impedierunt: interceſſerunt poſtea Eugenij IV. & Nicolai Quinti Pontificatus, vſque ad Calliſtum III. qui id negocium abſoluit, ſicut diuinitus fuerat prædictum, anno 1455. die 29. Iunij.

De Eadmundo Anglo idem factum, refert Platina in eius vita, & alij teſtantur. Eadmundus Rex Angliæ anno 1136. martyrium paſſus, xij. Kalen. Decembris, cuius vitam, & martyrium ſcripſit Abbo Floriacenſis, & Haymo Eboracenſis, Surius tomo ſexto.

MERIdianę orationis inſtitutio. BELLVM inter Chriſtianos, & Turcas.

Apparente deinde per aliquot dies cometa crinito, & rubro, longa cauda, cum Mathematici ingentem peſtem, charitatem annonæ, magnámque aliquam cladem futuram, dicerent, ad auertēdam iram Dei, Calliſtus aliquot dierum ſupplicationes decreuit, vt ſi quid hominibus immineret, totum id in Turcas Chriſtiani nominis hoſtes conuerteret. Mandauit præterea, vt aſſiduo rogatu Deus flecteretur, in meridie campanis ſignum daretur fidelibus omnibus, vt orationibus eos iuuarent, qui contra Turcas dimicabant; creditum, precibus communibus fidelium, Chriſtianos ad Bellogradum contra Turcas dimicantes, Duce Ioanne Hunniade Vaiuoda, viro clariſſimo, aſtante etiam Ioanne Capiſtrano ordinis Minorum, Crucemque pro Vexillo hoſtibus inferente, ingenti ſtrage hoſtium, ita victoriam reportaſſe: ſupra triginta hominum millia ex hoſtibus interfecta ſunt, cum parua noſtrorum manu, anno 1456. ducenta fermè tormenta capta, Imperator cum paucis euaſit. Nuncius Romam huius victoriæ, die 22. Auguſti eiuſdem anni venit, vt Carauagial Cardinalis ſancti Angeli ad Pontificem, & Dominicum Capranicam S. Crucis in Hieruſalem ſcripſit: ea clade perterritus Turca ſaucius Conſtantinopolim properè ſe recepit. Actum de crudeliſſimo hoſte tonc certè fuiſſet, ſi Chriſtiani Principes, omiſſis inteſtinis bellis, & odijs, terra, ac mari tantam victoriam proſequuti fuiſſent, quemadmodum Calliſtus prædicabat, & monebat. Verùm Turca, reſumptis viribus, & Trapezuntem priùs, Imperatore interempto, & Boſſinam deinceps, Rege capto atque interfecto, poſtea cepit; admonentibus Chriſtianos omnes his, qui rerum experientia, & locorum cognitione, tantam cladem à longe tanquam è ſpecula quadam præuidebant. Nō ceſſabat Calliſtus literis, & Nuncijs Principes Chriſtianos adhortari, vt in tanto malo oculos aliquando aperirent, fruſtra remedia deinceps quæſituros, vbi iam hoſtis inualuiſſet; ecce autem vir bonus hæc meditabatur, & prædicabat.

CALLISTus celebrationē officij Tráſfigurationis Ieſu Chriſti inſtituit.

Ob id & celebrationem & Officium Transfigurationis Domini noſtri Ieſu Chriſti ipſe Pontifex inſtituit, & compoſuit, iuſſitque eo modo, atque his Indulgentijs haberi debere, quibus & ſollemnitas Corporis Chriſti.

Mortuo deinde Comite Taliacotij, quem ſuperiore anno Pontifex Vrbis Præfectum creauerat, Calliſtus Borgiam nepotem ſuum, & Vrbis Præfectum creauit in locum demortui Comitis, & eundem militibus Eccleſiaſticis præfecit, quò facilius Barones Vrbis Romæ in officio contineret.

Calliſtus Papa III. eiectis Canonicis Regularibus, quos Eugenius Quartus in Baſilicam Lateranenſem induxerat, Seculares reſtituit, qui fuerunt Romani decem, & octo in gratiam Vrbis, inter quos fuere quinque Barones, & quatuor Doctores.

Alphonſus vtriuſque Siciliæ Rex, obijt anno 1458. ætatis 73. Neapoli potentiſſimus ea tempeſtate, vt qui ſeptem Regnis imperaret, ſedente Calliſto III. Papa, ſine legitimo hærede, filio Ferdinando extra matrimonium genito, hærede conſtituto. Quem Eugenius IV. & Nicolaus V. Regni capacem reddiderant, & quem Regni Principes, ac Ciuitates omnes ſupra ſe Regem acceperunt, in eius verba iurantes.

Calliſtus Siciliæ Regnum Eccleſiæ

Tum Calliſtus III. Pontifex tanti animi fuit, vt odium, quòd in Alphonſum viuentem geſſerat, eo extincto in filium commutaret. Hanc autem ob rem cum Alphonſo ſimultates exercuit, quòd is pe-

Aduolutã, cooperata ... ditiõe

A teret Epiſcopatus interdum ijs dari, quibus vel propter ætatem, vel ignorantiam tum literarum, tum rerum humanarum, committi nequaquam debebant, Regnum igitur Siciliæ Alphonſi obitu ad Romanam Eccleſiam deuolutum, repetere eſt auſus, dictitans, id ad ſedem Apoſtolicam, Alphonſi morte, iure hæreditario deuolutum eſſe: & vt vulgatior fama fuit, animo, vt nepotem ſuum Borgiam ad Regni faſtigium extolleret: parabantur iam vtrinque arma, nec Ferdinandus hominem contemnebat, cuius ingenium, & animum norat. Cæterum dum Pontifex inimico Rege mortuo nimis alto effertur animo, ac iam ſibi omnia plana cenſens, ipſe quoque intra dies 40. morbo captus, & extremo ſenio confectus, moritur, anno Domini 1458. ætatis ſuæ 80 Pontificatus ſui 3. menſe 4. Romæ in palatio Apoſtolico Vaticano 8. Idus Auguſti, cuius corpus nepotes eius in Vaticano ad ſiniſtram Baſilicæ S. Petri marmoreo tumulo ſepelierunt, in Templo rotundo, quòd S. Maria in Febribus dicitur, B & hodie pro ſacrario, quòd Sacriſtiam vocant, in vſu eſt, & olim Apollinis Templum fuiſſe putatur, Nicolai V. impenſa reſtitutum. Vacauit eo mortuo ſedes Romana dies duodecim.

Calliſti obitus.

Calliſti morte euanuere omnia, quæ bello gerendo parabantur, & tanto metu Ferdinandus liberatus eſt.

Calliſti virtutes.

Calliſtus autem in omni vita vir integerrimus eſt habitus, ſed hæc eius præcipua laus eſt, quòd dum Epiſcopus eſſet, aut Cardinalis, beneficium aliquod in commendationem nunquam voluit, dicens, ſe vna ſponſa, & quidem virgine contentum eſſe, hoc eſt Eccleſia Valentina, vt ius Pontificium mandat. Eleemoſynas præterea pauperibus Chriſti, & ſeruis Dei frequenter dabat, tum publicè, tum priuatim: Virgines pauperes collata dote, maritis collocabat. Nobiles ad inopiam redactos ſua impenſa ſuſtentabat. Vtebatur & munificentia erga Principes, quando opus erat, maximè verò erga eos, qui nomen Chriſtianum auctoritate, & opibus ſuis iuuare poterant. In C ædificijs autem paruos ſumptus fecit, quòd ei parum vacare licuit, quòdque pecunias in vſum tanti, & tam periculoſi belli colligebat. Reſtituit ſolum S. Priſcæ in Auentino Templum, & mœnia Vrbis diruta, ac fere ſolo æquata. Aulæa tamen quædam auro intertexta ab eo empta, cernuntur. In victu ſuo parcus eſt habitus, in ſermone modeſtiſſimus; facilis auditu, quantum ei per ætatem licebat; iam enim octuageſimum attigerat annum, nec tamẽ de ſtudijs ſuis quidquam remiſerat. Legebat ipſe, aut legentes audiebat, ſi quid in tanto rerum faſtigio ei temporis ſupererat. Oratores ad ſe venientes mira beneuolentia complectebatur, quorum precibus, & poſtulatis ab honeſto diſcedere nunquam voluit. Moriens autem Calliſtus, centum, & quindecim millia nummorum aureorum reliquit, quos in vſus bellicos contra Turcas comparauerat.

S. Priſcæ Templũ reſtaurat.

Dum autem Calliſti funus celebraretur, moritur & Dominicus Capranica S. Crucis in Hieruſalem Cardinalis, & Maior Pœnitentiarius, vir quidem grauis, & ſapientiſſimus, ſepeliturque in Templo Mineruæ, bonis omnibus præ dolore lacrymantibus.

Dominici Card. Capranicæ obitus.

Calliſto Tertio Papæ vitio datum, quòd permitteret ſe gubernari à Roderico Lenzolio Borgia nepote ſuo, qui 25. ætatis anno Dux D generalis Eccleſiæ ab ipſo factus, Præfectus Romæ, & Dux Spoletanus, toto Pontificatus tempore adeo ſe nequiter geſſit, vt vix vlla eſſe poſſet peior adminiſtratio, quòd homo eſſet prauus, iniuſtus, prædationes, furta, homicidia in Vrbe, & extra aſſidua, & certamina, & contentiones frequentes erant: neque viſebantur niſi Catalani in Vrbe vagari: ſed, Pontifice mortuo, omnes inuaſi, & capti, atque deprædati, & plures illorum aut mortui, aut ſaucij. Rodericus autem Lenzolius Borgia primùm ad Oſtia confugit Tiberina, deinde ad Centumcellas ſe recepit, Vrſinæ familiæ odia declinans, quæ ipſe contraxerat, dum alteri factioni magis faueret.

Vitia Calliſto data.

ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

* *77. ...... annum agebat.*] *70. tranſcenderat*, ait Aeneas n. 8. E * in Comm. Panuinius in Elogio octuagenario maiorem eum è viuis exemptum, dicit.

* *Ad 6. Idus Aprilis ...... hora 4.*] In ædibus ſancti Petri Platinæ: quas palatium Vaticanum nuncupauit Panuinius in Elogio; in quo 4. Idus Aprilis 1455. à 13. Cardinalibus, in Chronico à *14.* 6. Idus Aprilis, die Martis Paſchalis, hora diei ſexta Calliſtum electum, affirmat.

1455.

* *Inter SS. Confeſſores retulit.*] Cardinalis Baron. in Not. ad Martyrol. Rom. 5. Aprilis, Thomas de Trugillo tom. 2. Theſ. Concionat. in Aprili, in vita ſancti Vincentij, infra Ciaconius eadem fruſtra repetit. Die SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli S. Vincentius inter ſanctos relatus fuit. D. Anton. part. 3. Hiſt. tit. 22. cap. 14.

* *Kal. Maij ...... Coronationis inſignia.*] Panuinius, in Chronico, xij. Kal. Maij, Platina, Calliſtum in Lateran. Baſilica coronatum indicat: ad S. Petrum Panuin. loc. cit. & in Elogio.

loc. cit.

* *Poſt Coronationis ſolemn. ...... bellum Turcis indixit.*] Res F diligentius expreſſa videtur lib. 1. Comment. Pij II. ijs verbis. *Alphonſo in Petri Cathedra conſtituto Calliſti III. nomen inditum; qui mox votum vouit, aduerſus impios Turcas omnia ſeſe ſtudia conuerſurum: nec moratus, bellum eis indixit; in quo militantibus peccata dimiſit, ac Legatos in Galliam, & Hungariã ad congregãdos exercitus direxit.* Ioan. Carauagial. Cardinalem optimum, & prudentiſſimum Legatum de latere, ad Septentrionalium Principum vires in Turcas concitandas in Germaniam miſit. Cochlæus libro 11. Hiſtor. Huſſit.

* *Id ante Pontificatum vouiſſe.*] Ex Platina, cum quo Cardinalis Aegidius: Cochlæus quoque verba, quibus in Chirographo Calliſtus votum nuncupauerat, recenſet. Poſt Pontificatum votum de bello Turcis inferendo Calliſtum emiſiſſe, tradit S. Antoninus loco citato.

loc. cit.

* *Prædicatores.*] Platina, Cochlæus loco cit. Crucem Calliſtus aduerſus Turcas indixit. literas Bononiæ anno 1455. prid. Kalen. Octob. in D. Petronij, audiente populo, recitatas, narrat Sigonius lib. 4. de Epiſcopis Bononienſibus.

* *Ad 16. triremes.*] Ex Platina, & Cochlæo. *Tui qua flores vbique ex populis Chriſtianis pecunias exigunt, ad conſtandum per continentem in Turcos exercitum: claſſis quoque exædificata eſt* B *rebus omnibus ornatiſſima.* ait ad Calliſtum Philelphus.

L. 13. epiſt.

* *Vſunca ſſamum.*] Ex Platina: ex quo etiam Garimbertus, lib. 1. cap. 4. de Induſtria, & Diligentia.

* *Ad Pontificem ſcripſiſſe.*] Vide Garimbertum loc. cit.

* *Eadmundo.*] Ex Platina in Calliſto, de hoc Angliæ Rege impiè cæſo Martyrolog. Rom. die 20. Nouemb. ibidemque Card. Baron. in Notis; non refert autem, à quo is in SS. numerum cooptatus fuerit. De S. Eadmundo Cantuariæ Antiſtite in Cælites ab Innocentio IV. conſcripto, Martyrolog. idem, & Card. Baron. 16. Nouemb. & Surius tom. 6. obijt hic anno 1240.

* *Chriſtianos ad Bellogradum.*] Vide Platinam in Calliſto, Comment. Pij II. loc. cit. D. Anton. tom. 3. tit. 22. cap. 14. §. 1. Petrum Maturum ibidem ex Pio II. Card. Aegid. in Hiſt. 20. ſec.

* *Io. de Capiſtrano.*] Nicolaus V. Io. Capiſtranum cum 12 comitibus in Alemaniam miſit. Quid vir ſanctus præſtiterit, non eſt C huius loci explicare: celebratur à multis: beati titulo in militantis, æternæ gloriæ luce in triumphanti Eccleſia fulget. Lucas Vvaddingus fuſè, & diligenter de illo, in Annalibus Minorum; nonnulla Matthæus Raderus in Bauaria ſancta: in qua triginta, & eo ampliùs defunctos eius precibus, vitæ redditos narrat. 70. natus annos, poſt innumeros, eoſque graues labores, pro ſanctæ fidei, & religionis propagatione toleratos, demigrauit ad palmam, merita eius Minoritæ, ijs verbis memorant. *O zelator Fidei, perſecutor Hæreticorum, lumen Virtutum, exterminator Turcarum, Prædicator egregius, Doctor populorum, Ioannes fideliſſimus Ordinis Minorum.*

Leo X. & Greg. XV.

Ann. 1452 die 23 Octob. Vocauij.

* *Supra 30. ...... hominum millia.*] *Ad ſex hominum millia interfecta ſunt*, ait Platina, vide Comm. Pij II. loc. cit.

* *Non ceſſabat Calliſtus literis.*] Ad Ladiſlaum etiam Hungariæ Regem cum Cæſare bello decertantem literas dedit Calliſtus, quibus illum paterno reprehendit affectu, ad pacemque cum Cæſare ineundam, & ad bellum cum Turcis conferendum, hortatur.

Refertur à Cochlæo l. 11. ...

* *Officium Transfigurationis.*] Ex Platina. feſtum Transfigurationis, ob Turcas deuictos, à Calliſto inſtitutum, ſcribit Genebrardus D lib. 4. Chronic. at inſtitutum fuiſſe ante ea tempora, certum eſt. Vide Card. Baronium in Notis ad Martyrol. Rom. 8. Idus Auguſti, & Franciſcum Suarez, de Virtute, & Statu Religio. lib. 2. de diebus feſtis cap. 5. num. 8. Non ſolùm apud Græcos, ſed etiam apud Latinos ante Pontificatum Calliſti III. hoc feſtum celebrabatur.

* *Calliſtus euectis Canonicis Regularibus.*] Vide Pennot. lib. 3. hiſt. Tripar. cap. 28. nu. 1. Fridericus Imper. qui Romæ, coronatus à Nicol. V. in Canonicos Lateran. relatus fuerat, eiuſdem Congregationis Canonicos in Germaniam accerſiuit (quo tamen illi non acceſſere) Paulus II. ad eamdem Baſilicam reuocauit.

* *Alphonſus ...... Siciliæ Rex.*] De religioſo Regis Alphonſi interitu, vide lib. 1. Com. Pij II. à Card. Aegidio hic Rex laudatur.

In hiſt. 20 ſæcul.

* *Ferdinando hærede conſtituto.*] Eugenius IV. & Nicolaus V. E Ferdinandum extra coniugium ortum, adipiſcendo Regno idoneum reddiderunt. Ex lib. cit. Comment. Pij II.

* *Ad ...... Eccleſiam deuolutum.*] Ex eodem lib. 1. Commentar. Pij Secundi.

* *Moritur 1458. &c.*] Ita in eodem 1. libro Comm. Pij II. Vide epiſt. Pij II. ad Academiam Pariſienſem.

* *Integerrimus eſt habitus.*] Laudatur Calliſtus à S. Antonino, loc. cit. cap. 14. à Philelpho, à Platina, à Cochlæo, à Cardin. Aegidio, ab alijs. Cochlæus virum V. I. peritiſſimum, ſummæ grauitatis, & modeſtiæ, qui in Senatu nihil vnquam ad adulationem, & gratiam locutus eſt, ab omnique pompa, & inani gloria alienum appellauit. Quotidiè illud in ore Calliſtum habuiſſe ferunt. *Apoſtolica ſedes omnium Eccleſiarum mater eſt; ab eius regulis deflectere indecorum eſt.* De eo S. Anton. l. c. *Calliſtus vir æſtimatus magnæ iuſtitiæ, & æquitatis, & bonæ vitæ, laudabilis famæ, magnus Iuriſta.*

Vide epiſt. Pij II.

* *Dum Calliſti funus ...... moritur, & Dominic. S. Crucis.*] Hæc F ex Platina in fine vitæ Calliſti: in lib. 1. Comment. Pij II. hæc *Dum celebrantur exequiæ, Cardinalis Firmanus lenta febre correptus Calliſtum ...... ad ſepulchrum ſequitur*, vocat autem eum Aeneas Syluius *virum exemplarem, & optimum, mundiſſima vita doctrina, & rerum experientia magnum.* De eiuſdem morte, & laudibus S. Antoninus par. 3. hiſtor. tit. 22. cap. 16. in fine ad annum 1459. Vide, quæ ſuperius in Martino V. in eius vita diximus.

loc. cit.

Obijt 14. die Aug.

Multa

Multa, paucis, quibus vixit, annis, fecit Calliſtus; maiora vidiſſent homines, ſi diutius vixiſſet; quòd indicare viſus eſt Ianus Vitalis, ijs verſibus.

O ſi vita tibi longinqua Calliſte fuiſſet;
Orbis erat verè Roma futura Caput.

T. 1. Bull.

Anno 1455. 8. Idus Maij, Calliſtus Theſaurarium, & Apoſtolicæ Cameræ Clericos ſummi Pontificis familiares, eius, & Apoſtolicæ ſedis Capellanos nominauit, eodem anno, Idib. Nouemb. Prioratum Montisbellij, Bononien. Diœc. ordinis S. Auguſtini Congregationi Canonicorum Regularium Lateranenſium, tribuendum, cenſuit. Literas refert Pennottus lib. 3. Hiſt. Trip. cap. 28. num. 5.

T. 1. Bull.

Anno 1456. xvj. Kalend. Iunij, Canonicos S. Saluatoris ordinis S. Auguſtini veros eiuſdem ordinis Canonicos declarauit, anno eodem viij. Kal. Iulij Nicolaum Perottum virum natum, & doctum, in varias regiones, pro ſuis, & S. R. E. negotijs, miſit; literas plumbeo Pontificis Sigillo munitas, Romæ datas vidi, ex quarum initio diſces, quæ ſcribo. *Cum neceſſe ſit, nos, pro noſtris, & Romanæ Eccleſiæ negotijs, mittere ad diuerſas mundi partes dilectum filium, nobilem virum Nicolaum Perottum Poëtam laureatū Secretariū noſtrum, & noſtri Sac. Lateran. Palatij Comitem, &c.* ex hac familia viri alij prodiere, qui eidem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ fidelem operam dederunt. Nicolaum V. audi. *Nobili viro Franciſco Perotto de Saxoferrato, Militi Apoſtolico, & Lateranenſis Palatij Comiti. Familiæ tuæ nobilitas, & probata in noſtris, & Romanæ Eccleſiæ negotijs tua, & tuorum maiorum fidelitatis integritas, aliaque virtutum dona, quibus præfulges, &c.*

Has quoque literas aſpexi Dat. Romæ apud S. Petrum 1449. 16. kalen. Maij Pontif. An. 3.

Anno 1457. 7. Idus Martij, fratribus Seruitis indulſit, vt in Templis S. Mariæ Annunciatæ Florentiæ, & S. Mariæ Stratæ Maioris Bonon. ſacrum vnicum, quòd Sabbatho ſancto, ex inſtitutione Eccleſiæ, fieri ſolet, hora veſperarum, ſeu per duas horas poſt meridiem, vel circa, celebrare poſsent. Diploma extat, Centur. 3. Annalium ordinis Seruorum lib. 2. cap. 7. Id deinde alijs ordinis Templis Apoſtolica auctoritate tributum fuit: Pio V. Pontifice, hanc celebritatem, ex cauſſa ſublatam, narrat Archangelus Gianius loco cit. eodem anno xij. Kalen. Maij, priuilegia Cœnobij ſancti Saluatoris Meſſanenſis, ordinis S. Baſilij, Cardinali Beſſarioni olim commendati approbauit Calliſtus; & pridie Kalend. Nouemb. edixit, fratres S. Mariæ de Mercede Redempt. Captiu. ad ordines Mendicantium, ob quartum votum, quo obſtringuntur, tranſire non poſſe.

par. 2. Archang. Giani.

T. 1. Bull.

Eundem Calliſtum inſtituiſſe, ferunt; vt Templorum campanæ circa meridiē pulſarentur, eam ob cauſſam, vt fideles Chriſti Deum contra immaniſſimos Turcas (mos viget adhuc) precarentur, certè totum Chriſtianum Orbem ad precibus dimicandum contra Turcas, pius Calliſtus excitauit, ex Caluini ſpecu nõnullus Cacus egreſſus optimum Pontificem triremes in ſæuiſſimos Chriſtianorum hoſtes iuſtiſſimè parantem, immeritò ſubſannauit. Aeneæ Syluij obſequium Calliſto pro Friderico Auguſto exhibentis, Oratio legitur; in qua vires etiam eiuſdem Friderici ad efferatos barbaros coërcendos, & debellandos, offeruntur.

Vid. Gretſerū c. 44. Exam Myſt. Pleſſæani.

Rogauit aliquando Calliſtum Philelphus; vt Bibliothecæ Vaticanæ ſeruandæ diligentem operam daret; ne libri perirent; & viros, qui eos tractant, & norunt, honorificè, & commodè retineret; tot enim, tamque præclara Latina, & Græca volumina, ſine viris eruditis, nulli vſui futura eſſe, exploratum eſt. Lege, quæſo, præclaram illam Philelphi ad Calliſtum Epiſtolam. Quæ Romæ eſt, videre poteſt in Angelica Bibliotheca apud Auguſtinianos, Hiſtoriam m. s. 20. ſæc. Cardinalis Aegidij Viterbienſis, Calliſtum excellenti doctrina, ingenio, & integritate præditum appellantis; qui Clementem VIII. Pſeudopontificem, non ſine magno periculo, nonnullis ante Pontificatum annis, ad bonam frugem reuocauit. Addo paucas eiuſdem Calliſti, ex ipſo Cardinali Aegidio, tuis oculis, lector, non indignas ſententias. Dicebat ille.

Lib. 11. Epiſtolarū.

Ibi. cit.

Primò, ignauorum eſſe pericula formidare: ea enim ſunt ager, ex quo meſſis, & fructus gloriæ colliguntur. Secundò, ſe natura liberum eſſe, adulandi ſtudio, ſeruum non futurum. Tertiò, falſa effingentes hominibus ſeruire; vera referentes imperare. Quartò, Principes ſuas quidem laudes amare, at falſos laudatores irridere.

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI
SOCIETATIS IESV.

Calliſti creatio M. SS Anonymi Pannini Coronatio Cardinales viui tēpore Comitiorum.

Calliſti literarum ſtudia.

Publicè docet in Academia Ilerdenſi.

Io. Mariana in Hiſt. Hiſpan.

FELIX Contelorius in tomo ſecundo Elenchi Cardinalium ex m.ss. Bibliothecæ Vaticanæ ſcribit Alphonſum Borgiam non ſexto Idus Aprilis anno 1455. vt refert ſupra Ciaconius, ſed die martis octaua Martij circa horam 15. anno noſtræ ſalutis 1454. in Palatio apud S. Petrum, non triginta nouem, vt nonnulli ſcripſere, ſed tredecim, aut potius quindecim Cardinalium ſuffragijs renunciatum fuiſſe Romanum Pontificem, & die 20. eiuſdem menſis ad gradus S. Petri, ſeu ex Platina in Laterano tiara Pontificia ornatum. Viuebant enim tunc temporis ex Pannnio decem, & nouem tantùm, ſeu ex Ciaconio, viginti Cardinales, quorum quinque Comitiorum tempore abſentes ab Vrbe erant. Calliſtus hic ingenium ſublime, erectumque, ac maioribus rebus aptum in minori ætate literis dederat, & conſequentibus annis per omnes honorum gradus decucurrerat. In vtroque Iure doctor in Academia Ilerdenſi publicè docuit; qua in Vrbe a Benedicto XI. Canonicatum obtinuit. Alphonſo Aragoniæ Regi à Conſilijs & à ſecretis fuit. A Martino V. renunciatus Epiſcopus Valentinus intereſſe noluit Concilio Baſileenſi etiam Alphonſi Regis nomine. Romam ex Hiſpania ſe conferens ad procurandam pacem inter Eugenium IV. & Ferdinandum Regem Neapolitanum purpuram ab Eugenio ſponte, ante ſtabilitam pacem, oblatam reſpuit; non enim rationi conſonum affirmabat, vt purpura ornatus Romanæ Vrbis vias pedibus calcaret, antequam Regi pacem, ad quam miſſus fuerat, firmaret. Poſt pacem purpuram, deinde Romanum Pontificatum, acta fermè ætate adeptus eſt, nihil in eo tamen humile, nihil ſordidum apparuit. Venetæ Reipublicæ Oratores quatuor, Paſchalem ſcilicet Malipierum, Triadanum Gritti, Iacobum Loredanum, & Aloyſium Foſcarenum initio Pontificatus ad obedientiam Romanæ Eccleſiæ præſtandam miſſos, benignè excepit, eoſque ad propria cumulatè contentos remiſit. Namque primum Turcis ſæuiſſimis Chriſtianorum hoſtibus bellum inferre, ac Legatos in Galliam, & Hungariam ad congregandos milites dirigere promiſit. Claſſem bene vnctam in Rhodiorum auxilium miſit, quæ diu apud eos morata, plures Turcarum naues prælio ſuperatas demerſit. Stalimnum Inſulam Lemnum olim appellatam, Taxum, & Hembrum, ac alias quaſdam minoris nominis Inſulas Turcarum imperio ademit; nec Ægyptos quieſcere permiſit, neque Syros, aut Cilices. Aragonio etiam Regi, imò poſt Alphonſi obitum Ferdinando filio obſcuris natalibus nato Neapolitanum Regnum Romanæ Eccleſiæ vectigal deferendum apertiſſimè negabat, eiuſque integrum ius ad ſe reuocatum contendebat. Nimirum, vt illius æui Scriptores nonnulli interpretati ſunt, Petro Aloyſio Borgiæ, quem & non Rodericum, vt ſupra Ciaconius refert, Spoleti in Vmbria Ducem crearat, noua imperia parabat. Apparebat Italiam bello arſuram haud dubia priſtinorum malorum ſpecie renaſcente, lenire ægrum Pontificis animum Ferdinando curę erat; quare plenas officij & humanitatis literas ad eum hoc exemplo dedit. *His diebus in media doloris acerbitate Beatiſſime Pater, paternum obitum renūcians; breuis epiſtola fuit, quippe inter lacrymas data. Nunc collecto animo, luctuque tantis permitigato, ſignificandum duxi, Patrem pridie obitus obteſtatum, nihil vt in terris veſtra gratia, & auctoritate præſtantius ducerem, cum ſancta Eccleſia non contenderem ne prouocatus quidem, impios auſus raro feliciter cadere. His ego præceptis inſtitutus, quod facturus alioqui eram, impenſius vt faciam, accepta beneficia hortantur. Neque enim obliuiſci poſſum à primis annis me in tuam diſciplinam traditum: ſeluiſſi vnà ex Hiſpania, prouectoſque eadem naui ad Italiæ litus non abſque Dei nutu tibi iam Pontificatum ſummum, mihi nouum Regnum deſtinantis præclaro omine futuræ felicitatē, mutuaqua concordiæ. Itaque à puero tibi traditus, tuus ad mortem eſſe cupio; me in filium accipito, aut accepto potiùs paternam gratiam, & humanitatem exhibe daturo operam, ac præſtituro, ne aut grati animi obſequium aut pietas debitam noſtris actionibus requiratur. Vale Neapoli Kalendis Iulij.* Nihil tamen his litteris, & pollicitationibus Pontificis animus mouetur, imò Principes & Ciuitates Italiæ ad arma ſollicitat; ſed magnæ molitiones Pontificis obitu diſſipatæ.

Fit Canonicus, & Alphonſi Regis à ſecretis, & à Conſilijs.

Epiſcopus Valentin. non vult adeſſe Cōcilio Baſileenſi.

Romam petit ad pacem procurandam Purpuram reſpuit.

Hier. Gotunberus. Veneto Reipublica Oratores ad Calliſtum.

Moreſinio hiſtor. Veneta.

Claſſem contra Turcas mittit.

Aragonio Regi infenſus.

Ferdinandi literæ ad Calliſtum.

Poſt obitum ex Ciaconio ſupra in Templo rotundo, quod S. Maria de Febribus dicitur, ſeu potiùs ex auctoribus Romæ Subterraneæ, in ſacello, quod ipſemet in honorem SS. Andreæ, & Iacobi erexerat, in ſubterranea ædicula, quæ in media ſacelli eiuſdem parte extabat, in ſepulchro marmoreo ſine epitaphio conditus eſt. Huiuſce ſepulchri delineationem legentium oculis exponemus. Ex quo loco dum poſtea ſacellum ipſum deſtrui contigit, translatus eſt, poſt muſicale Organum, & inde poſtea anno noſtrę ſalutis 1606. ſub nouo Baſilicæ Vaticanæ pauimento cęteris Pontificibus aggregatus eſt. Demum anno 1610. die 30. Ianuarij oſſa Calliſti III. vna cum cineribus Alexandri VI. opera Reuerendiſſ. Ioannis Baptiſtæ Viues tranſlata fuerunt ad Eccleſiam S. Mariæ Montis Serrati nationis Coronæ Aragonum de Vrbe, in cuius Eccleſiæ ſacrario in loco plumbeo ſeruantur, vt conſtat ex illius Eccleſiæ monumentis. Oratione funebri laudauit Calliſtum Ioannes Antonius Campanus Epiſcopus Aretinus.

Sepulcrū Calliſti.

In Vaticano habuit Calliſtus, vt indicauimus ſupra peranobile ſepulcrum, cuius ornamenta ſparſim in cryptis Vaticanis noſtris hiſce temporibus accedentibus patent. Inter quæ ſunt ss. Apoſtolorum Bartholomęi, & Iacobi marmorea ſimulacra cum his notis.

SANCTI BARTHOLOMÆI STATVA
AD SEPVLCRVM EXISTENS
OLIM CALLIXTI III. PP.

SANCTI IACOBI STATVA
AD SEPVLCRVM CALLIXTI III. PP.

Sunt etiam ibidem Eccleſiæ Doctorum Imagines, & Chriſti effigies marmorea cum lemmate.

IMAGO HÆC MARMOREA
CHRISTI PIETATEM EXCITANTIS
ERAT AD SEPVLCRVM CALLIXTI III. PP.

Epiſto-

Calliſti ſcripta.

Epiſtolas plures ſcripſit, quorum nouem leguntur inter Æneæ Siluij, literas plures apud Fr. Lucam Vvadingum in Annalibus Minorum, quarum aliquæ ſcriptæ ſunt Fr. Ioanni de Capiſtrano in Hungaria Romani Pontificis nomine degenti, ad bellum ſacrum in Turcas parandum: plures quoque apud eundem Vvadingum Ioannis ipſius literas inuenies ad Calliſtum datas.

Hipp. Maraccius in Bibliotheca Mariana.

Officium etiam Tranſfigurationis compoſuit ex Binio, & alijs. De Angelica domo S. Mariæ de Columna Cæſarauguſtanæ ciuitatis literas ſcripſit, quibus euſdem Angelicæ domus hiſtoriam licet breuiter complexus eſt.

Bibliothecam Vaticanam libris auxit. Mutius Panſa in Bibl. Vaticana. Roſam, S. Ladislaũ Hungariæ Regem inter Sanctos refert. Lauretanã Domum munit. Indulgentias venerantib' velum, & cingulum B. M. Virginis impertitur.

Bibliothecam Vaticanam libris Bibliothecæ Conſtantinopolitanæ, quos à Turcis poſt Imperij Græcorum excidium, precio quadraginta millium aureorum emerat, maximè auxit. Sanctorum conſilio ac cœtui præter Vincentium Ferrerium & Eadmundum Angliæ Regem, anno 1458. Roſam Virginem Viterbienſem, & Ladislaum Hungariæ Regem adſcripſit. Eccleſiam S. Calliſto ſacram Transtyberim in Presbyteri Cardinalis titulum erexit: Lauretanam Domum muris, & propugnaculis nudam aggeribus cinxit. Sacrum Beatæ Virginis velum, & eius cingulum in Eccleſ. Cathedrali Atrebatenſi, vbi ea habentur, piè venerantibus, Indulgentias impertiuit. Et ad ſui temporis calamitates auertendas, imaginem Beatæ Mariæ in Porticu præuio ſupplicantium fidelium agmine ſub vmbella cereis, & candelis accenſis ſolemni ritu circumtulit per Vrbem: huiuſce Pontificis iuſſu aes campanum Horologij Vaticani fuſum.

Calliſti benignitas. Io. Mariana in hiſtor. Hiſpan. Accuſatur ab aliquibus Calliſti vitiatas.

Ad colloquium omnes admittebat, & omnes etiam ad exitum vitæ proximus nemine excepto benignè excipiebat: priuata tamen ſtudia nunquam prætermiſit; ſi legere ipſe ob corporis ægritudines non valebat, alios legentes audiebat. Id tantùm in eius moribus à Scriptoribus illius æui maxime accuſatur, quod ſcilicet propinquis augendis vehementius incubuerit, quàm ea ætas, ac ſacroſanctæ perſonæ, quàm gerebat, dignitas pateretur. In victu fuit parcus, in ſermone modeſtiſſimus, in egenos pauperes, & religioſos liberaliſſimus; Leges & Canones tam ei in promptu erant, quàm ſi heri, aut nudiustertius ſcholam iuris primùm exuiſſet.

Concilia Petricouienſe, & Caliſſienſe. Simeon Starouolſc. in Epitom. Concilior.

Sub Calliſto habita ſunt Concilia duo, in Polonia ſcilicet Petricouienſe à Ioanne Sprouuo Archiepiſcopo Gneſnenſi pro conſeruanda libertate Eccleſiaſtica: & Caliſſienſe eodem Ioanne Sprouuo Archiepiſcopo præſidente, in quo ſubſidium Caſimiro Regi Poloniæ bellum contra Crucigeros inſtauranti in Pruſſia, ab Eccleſiaſticis decretum eſt.

Calliſti inſignia ex numiſmate quod vidi Romæ apud Carolum Carthaſium, & Carolum Antonium à Puteo correximus, in illo enim in vna facie expreſſum aſpicitur Calliſti ſcutum iuxta exemplar à nobis ſupra expoſitum cum his notis: *ALPHONSVS BORGIA HISPANIAE.* in altera euſdem numiſmatis facie eſt ipſius Calliſti effigies cum his notis. *CALLISTVS PP. III.*

PRIMA CREATIO CARDINALIVM Calliſti Papa III.

Die 20. Februarij anno 1456. Pontificatus Primo, ſeu ex Conſiſtorio Secundo, Romæ apud S. Petrum Calliſtus III. Romanus Pontifex tres renunciauit Cardinales, quos tamen non publicauit ſed reſeruauit in pectore, eiſque titulos attribuit, prout ex euſdem Pontificis diplomate, cui ſe Cardinales omnes, qui præſentes aderant in Conſiſtorio ſubſcripſerunt, & die Veneris 17. Septembris euſdem anni 1456. apud S. Mariam Maiorem publicauit. Ciaconius recenſet hos tres Cardinales vti creatos die 18. Septembris anno 1456. hi autem fuerunt.

I.



Ciaconius. Aubery in vita Paũlinus. Andr. Victorell. in addit. ad Ciacon. Æneas Syluius in ſuis Cõmentar. S. Antoninus. Bapt. Platina in Calliſto III. Hier. Zurita in Annalibus. Canophilus. Felix Cõtelorius in Elencho. Franc. Auguſt. ab Eccleſia de S. R. E. Card. Pedemõt. region. Gaſp. Porreno in Elog. Card. Hiſpan.

IOANNES Ludouicus, ſeu ex alijs Ludouicus Ioannes Milanus natione Hiſpanus, patria Valentinus, filius Ioannis Milani, & Catharinæ Borgiæ Sororis Calliſti, ex Electo Segobienſi adhuc iuuenis, ſed optimæ indolis ab Auunculo Calliſto Presbyter Cardinalis SS. IV. Coronatorum primò, deinde Epiſcopus Ilerdẽſis renunciatus, Legationis munere functus eſt Bononiæ, mox Cõmiſſarij, vt diſcordias in Principatu Cataluniæ, & Comitatu Barchinonenſi inter Ioannem Regem Aragoniæ, & Communitates illarum Prouinciarum exortas extingueret. Abbas texit Abbatiam olim S Michaëli de Lucedio, nunc autem S. Ianuario prope Creſcentinum, Vercellenſis, diœceſis ſacram.

E vita exceſſit ſub Iulio II. Romano Pontifice, incertum tamen quo anno, ſeu menſe: Ciaconius refert huiuſce Cardinalis obitum ad diem decimam Septembris anno 1507. at ipſe viuebat die prima Nouembris euſdem anni, teſte Paride de Graſſis in Diario, qui etiam die 22. Decemb. an. 1508. dum recenſet Cardinales, qui ſub Iulio II. Romano Pontifice vſque ad eam diem, obierant, Ludouici non meminit. Obijt in Hiſpania, & poſt obitum ſepultus in Eccleſia cuiuſdam villæ, deinde apud PP. Dominicanos in Eccleſia S. Annæ ſacra in Ciuit. Ilerdenſi, vt ipſemet iuſſerat in ſupremis tabulis.

II.



Ciaconius. Gaſp. Porreno in ſuo Elog. Card. Hiſpan. Hier. Zurita in ſuis Annalib'. Panuinius. And. Victorell. & Addit. ad Ciaconiũ. Felix Cõtelorius in Elencho. Pius II. in Commen.

IACOBVS Luſitanus, imperitò dictus Roſſas à Ciaconio cum nullus Regij ſanguinis, Luſitanus Princeps cognomen illud ſibi vnquam deſumpſerit, Petrum Infantem Conimbricæ Comitem, ſeu Ducem, Ioannis I. Luſitaniæ Regis filium in parentem habuit, & Iſabellam Aragoniam Comitis Vrgelenſis filiam, Regum Aragoniæ neptem in matrem: is poſt parentis infauſtam necem patria eiectus, multis nobilibus, & militaribus viris ab aula Luſitanica profugis ſtipatus, in Belgium ad Iſabellam Burgundiæ Ducem, & Philippi cognomento Boni vxorem, ſe contulit, à qua benignè admodum, ac perhonorificè acceptus, ſtipendijſque Regio iuuene dignis honeſtatus fuit, quare toto pectore curauit optimarum artium ſtudijs ad omnem virtutis normam informari. Firmata aliquantulum ætate, Romam hortante Iſabella ſe contulit; ibi à Calliſto huius nominis Tertio, Romano Pontifice Archiepiſcopus Vlyſipponenſis primo electus eſt, deinde ab eodem Diaconis Cardinalibus adſcriptus, præfuit ex Ciaconio Diaconię ſanctę Mariæ in Porticu, ſeu ex ipſius Calliſti diplomate S. Euſtachij, vel fortaſſis, vtriſque. Atrebatenſi, atque Paphenſi donatus inſula aliquando fuit.

Duard. Nonius in ſua Genealog. Regum Luſitan. Thom. Bozius de ſign. Eccl. Hier. Gazimbert. Aubery in vita Panuinius.

Pius II. qui Calliſto ſucceſſit in Pontificatu, excelſa Iacobi indole, & probitate perſpecta, Legatum in Germaniam deſſignauit. Florentiam iam peruenerat, atque ibi graui morbo detentus, cum dicerent Medici, eum ſi coiſſet, mortem vitare poſſe, potius intrepidus mortem expectare, quàm Medicis obtemperare voluit, illa proferens verba digna Eccleſiaſtico Principe, *Malo mori, quàm fœdari*. Florentiæ igitur non 16. Kal. Maij anno 1419. vt impreſſoris errore ſcripſit Ciaconius, ſed 27. Auguſti anno 1459. ætatis vigeſimo ſexto mortem ſubijt, & ibidem ſepultus apud S. Miniatum. Vir fuit virtute inſignis, à maioribus haud degenerans, quem ſanctimonia præluxiſſe, vitæque innocentia, & caſtitate, quàm auita nobilitate memoriæ prodidit Vaſconcellus in Deſcriptione Regni Luſitaniæ. Huius Cardinalis ſepulchro marmoreo hoc additum Elogium in ſacello pulchrè à ſe ædificato, & dotato à ſuis.

Regia ſtirps IACOBVS nomen Luſitana propago,
Inſignis forma, ſumma pudicitia.
Cardineus titulus, morum nitor, optima vita
Iſta fuere mihi: mors iuuenem rapuit;
Ne ſe pollueret, maluit iſte mori.

VIXIT A. XXV. M. XI. D. X. OBIIT AN. SAL. MCCCCLIX.

Iacobi Cardinalis eximia cum laude meminerunt Authores grauiſſimi, videlicet Æneas Syluius in Commentarijs; Antonius Vaſconcellus in deſcriptione Luſitaniæ, & Iconibus Regum, Principum, & Cardinalium Luſitanorum. Thomas Bozius tomo primo de Signis Eccleſiæ. Andreas Victorellus in Notis ad Ciaconium; Antonius Auberius in hiſtoria Cardinalium accurate Gallico idiomate ſcripta, & alij. Ex quibus hæc habet Victorellus. *Inter plurimos Purpuratos Luſitanos Iacobus hic Vlyſſipponẽſis Archiepiſcopus ſanctimonia præluxit, vitaque innocentia, & caſtitate, magis quàm auita nobilitate laudatus* Bozius verò de illo hæc ſcribit. *Poſt primi ordinis viros qui virginitatem coluerunt, ſuccedunt qui aliquo male affecti morbi genere, poterant ſi quoſdam Medicos audiſſent, coniugem ſibi adſciſſere, ac virginitate amiſſa vitam ſeruare, & tamen huic illam prætulerunt. Huiuſmodi fuit ætate noſtra integerrimus ille Cardinalis Robertus è familia Nobilium, qui nondum ſacris erat Ordinibus initiatus; & multo ante ipſum Iacobus à Calliſto III. creatus Cardinalis, Portugalliæ Regis filius.* Errat hic Bozius dum Regis Portugalliæ filium, Iacobum nominat, non enim filius, ſed nepos Regis Luſitani, *qui Florentiæ ſepultus iacet in S. Miniati, cum hoc Epitaphio.*

Regia ſtirps &c. vt ſupra.

Sic igitur Cardinalium Collegium veluti viros habuit in omni virtutum genere eminentiſſimos, ita & in caſtitate.

Eximias huiuſce Cardinalis laudes paucis, ſed diſertis verbis complexus eſt Æneas Syluius; *Iacobus*, inquit, *de Portugallia Regio ſanguine natus, in quo ea modeſtia & grauitas, id acumen ingenij, id ſtudium literarum, is amor virtutis eminuit, vt quamuis iuuenis adhuc, tardius tamen opinione omnium ad Cardinalatus dignitatem aſcenderit.*

RODERICVS

Ciaconius. Panuin. Aubery in vita. Felix Cōtelorius in Elencho. Hier. Gambert. Antō. Sūmont. in hiſt. Neapolitana.

III.



RODERICVS Lenzolius Borgia natione Hiſpanus, patria Valentinus, Calliſti ex ſorore nepos, gētilitijs inſignibus, & cognomine à Calliſto auunculo donatus, ex Æditu, ſeu ſacrarum rerum tutore, quæ dignitas primaria eſt in Eccleſia Valentina, florens adhuc ætate renunciatus eſt Diaconus Cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano die 20. Februarij an. 1456. ſed non publicatus, niſi menſe Septembri, vt diximus ſupra. Apud Ioannem Baptiſtam Picolomineum ſe vidiſſe fatetur Andreas Victorellus Commentarios m. ſs. Pij II. & in ijs nonnulla, quæ incuſis deſiderantur. Dolet in ijs factum illius temporis Collegium volente Calliſto viros ætate graues, optimeque de Romana Curia meritos ad Cardinalatum efferre cum nepotibus, ijs qui minus idonei videbantur conſenſiſſe, & quos digniſſimos eſſe conſtabat reieciſſe. Epiſcopus primò, deinde Archiepiſcopus Valentinæ, & Commendator Carthaginenſi, & Maioricenſi præfuit Eccleſijs. Legationis munere functus eſt in Marchia Auconitana, apud Henricum Caſtellæ, & Legionis, apud Alphonſum item Luſitaniæ Reges, quibus Sixti IV. & ſacri Collegij Cardinalium nomine tres Cardinalitios pileos, duos ſcilicet ad Henrici, vnum verò ad Alphonſi preces quàmprimum dare promiſit: & quæ pollicitus eſt Rodericus, exitu pra ſtitit Sixtus. Diuite ſuppellectile, auro argentoque cum afflueret Rodericus in Hiſpanica hac legatione, vanitatis, ac luxus documenta edidit, & nulla re ex ijs, quæ legationis nomine perficiendæ erant, abſoluta, Romam marino itinere cum rediret, non exiguam calamitatem expertus eſt, Cardinali Papienſi teſte in epiſtola ad Franciſcum Decanum Toletanum. *Vicecancellarium nactum Pontificem artibus, & corruptelis ſuis creatum, concupitam diu in patriam profectionem facile impetraſſe, vt honoratus iret, vt populis ſe viſendum præberet, vt ex tribus Regnis Caſtellæ, Aragoniæ, Luſitaniæ omnifariam meſſem commeteret. Adiisse Legationis pecunia redimentem, primo Valentiam nauigaſſe, inde in vlteriorem Hiſpaniam tranſiſſe, vtrobique multa vanitatis, & luxus, & ambitionis, & auaritiæ documenta relinquentem, nullo eorum perfecto, quæ ſibi ad nomen Legationis prætenderat, odio Principum, & populorum renauigaſſe Romam. Ante oſtium Auſerici fluminis, Octobris die decima, ingenti orta tempeſtate, conflictatis diu quadriremibus duabus, in quibus ipſe, & familia cum omni præda Hiſpanica vehebatur. Alteram lacrymabili damno ante oculos eius depreſſam eſſe, alteram, quæ ſua erat, diffracta iam puppe, cum haud procul exitio eſſet, remiſſis paululum ventis ægre in Portum Liburnum laceram, ac vexatam protruſam eſſe. Præter cæteram turbam quinque, & ſeptuaginta ex familia periiſſe, inque iis Epiſcopos tres, Iureconſultos amplius duodecim, Equeſtris ordinis ſex.*

Io Marian in Hiſtor. Hiſpan.

Legationem etiam Pontificis iuſſu ſubijt ad Ferdinandum Siciliæ Regem, vt intereſſet Regijs nuptijs, ac Regio diademate, quod Sixtus ipſe ſacrauerat, nouam nuptam Ioannam, Ioannis Regis Aragoniæ filiam ornaret. Sub Calliſto item exercitus Eccleſiaſtici Præfecturam, & S. R. E. Vicecancellieratum geſſit. Albanenſem primò, deinde Portuenſem Eccleſiam rexit: B. Mariæ in Via Lata Diaconiam commendatam habuit, & Baſilicæ Liberianæ Archipræsbyteratus dignitate ornatus eſt. Scripſit ſupra Ciaconius Rodericum renunciatum à Calliſto fuiſſe Ducem Spoletanum, ſed à veritate aberrauit, non enim Rodericus, ſed Petrus Aloyſius eius frater Ducatum à patruo obtinuit.

Paul. de Angel. in deſcr. Baſ. Liberianæ.

Romæ Cardinalis hic domos conſtruxit prope aciem Campi Floræ, quas cum S. Andreæ caput in Vrbem ſolemni pompa deferretur, ditiſſimis aulæis ornauit, vt refert Pius ipſe Romanus Pontifex, ſeu Gobellinus in Commentarijs his verbis. *At omnium ſumptus, atque conatus, & omnium ingenia longe ſuperauit Rodericus Vicecancellarius, qui ædes ſuas, quas in ſolo veteris Monetæ altiſſimas, & ampliſſimas conſtruxit, auleis, & admirabilibus pannis operuit, tum cælum ſublime erexit, in quo multa & varia ſuſpendit mirabilia. Nec ſuas tantum domos, ſed vicinas etiam adornauit, ita vt platea circunducta Paradiſus quidam videretur ſuauibus plena ſonis, & cantibus, ſeu plurimo fulgens auro domus, ſicut Neronis fuiſſe perhibetur. Tum carmina plurima appenſa parietibus legebantur ab electis ingeniis recens edita, quæ grandioribus conſcripta literis, & Diui Apoſtoli laudes, & Pij Pontificis præconia continebant.*

Poſt Innocentij VIII. obitum in nouis Comitijs Romanus Pontifex renunciatus, dictus eſt Alexander VI. de illo plura infra.

SECVNDA CREATIO CARDINALIVM.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1456. Pontificatus Calliſti III. Primo, ſeu ex alijs ſecundo, die 17. ex Ciaconio, ſeu ex eiuſdem Pontificis literis, die 18. Decembris Romæ ſex alios iterum adſcripſit Præsbyteris Cardinalibus, qui fuere.

IV.



RAYNALDVS Piſcicellus, patritius Neapolitanus, qui a puero ſcientiarum ſtudio, & præſertim Pontificij iuris diſciplinæ operam dedit adeo, vt Neapoli, & in Romana Curia ſummo loco ſemper ſit habitus, & ſupremos honorum gradus aſcenderit. Etenim Canonicus primò Neapolitanæ Eccleſiæ renunciatus, ac Protonotarius Apoſtolicus, dein S. Petri ad Aram Cœnobium in commendam obtinuit. Cum vacaſſet Eccleſia Catacenſis Vrbis, quæ Catanzarium vulgo appellatur, Rex Alphonſus ſenior ad Nicolaum V. Romanũ Pontificem literas ſcripſit, quibus eum rogabat, vt Eccleſiam illam Raynaldo Piſcicello Canonico Neapolitano conferret viro quidem omnibus virtutibus, ac ſcientia prædito. Alphonſi literæ ad Pontificem ſcriptæ, quæ in Regio tabulario Neapolitano habentur, ſunt tales.

Ciaconius. Panuinius. Aubery in vita. Barthol. Chioccarell. de Archiep. Neapolit. And. Victorell. in Addit. ad Ciacon. Ferdin. Vghel. in Ital. ſac. S. Antoninus. Gab. Pennot. in hiſtor. Tripartita.

Sanctiſs. ac Beatiſs. Pater, & Domine poſt humilem filij commendationem, & pedum oſcula beatorum. Intelleximus nouiter vacationem Eccleſiæ Catanzarij de Prouincia Calabriæ obitu illius vltimi Paſtoris, & quia ſummè optamus, vt eidem Eccleſiæ præficiatur dilectus noſter Raynaldus Piſcicello Canonicus Neapolitanus, vir quidem moribus, virtutibus, & ſcientia præditus, Sanctitati veſtræ humilius quo poſſumus ſupplicamus, vt Raynaldum eumdem in Paſtorem Eccleſiæ antedictæ promouere dignetur. Hoc enim Pater Beatiſſime ad ſingularem gratiam reputabimus Sanctitati eidem, quam conſeruet Altiſſimus regimini Eccleſiæ ſuæ ſanctæ per tempora feliciter dilatata. Dat. in Turrioctaua, die 7. Ianuarij an. à Natiuit. Dom. 1450. REX ALPHONSVS.

Poſt has die ſcilicet 8. Ianuarij eiuſdem anni 1450. mutata ſententia, alias Alphonſus Rex Romano Pontifici, & Cardinalibus nonnullis literas dedit vt eandem Eccleſiam Catacenſem Fr. Palamedi Abbati S. Petri ad Aram conferret, Raynaldo verò Abbatiam S. Petri ad Aram elargiretur cum retentione tamen Canonicatus, aliorumque ſacerdotiorum. Nicolao igitur Romano Pontifice Abbatiam S. Petri ad Aram primò, mox dum Romæ eſſet, anno ſcilicet 1451. Archiepiſcopatum Neapolitanum obtinuit. Ad quem Romæ adhuc commorantem, eius Eccleſiæ Canonici, ac reliqui Eccleſiaſtici præ ingenti gaudio epiſtolam de ipſius promotione gratulantes ſcripſerunt, quam vt eius doctrina, ac virtutum fama dignoſcatur, recitare compellimur, & eam Andreas Cotunius Neapolitanus, eius ſæculi Scriptor refert in hunc modum.

Capitulum, & Canonici Eccleſ. Maioris Neapolitanæ, Reuerendiſs. in Chriſto P. et D. Raynaldo Piſcicello, Archiep. electo felicitatẽ dicit. Pridie Nonas Iunij, Mercatorib⁹ noſtræ Ciuitatis literæ traditæ ſunt, quibus de promotione dignitatis tuæ in huius noſtræ Eccleſiæ de electionem ſignificatum eſt: quo nuncio tanta lætitia, ac iucunditate viri ac mulieres affecti ſunt, vt maiori non potuerint, non iniuria. Habituri enim ſunt poſthac religioſum Patrem, omni virtutum genere præditiſſimum, vita quidem ſanctiſſimum, & ſcientiarum omnium cognitione cumulatum: quas ob res certo intelligimus Eccleſiam noſtram non mediocriter gubernandam, diuinum Officium quàm diligentiſſime miniſtrandum, peringentes Pontifici Maximo habenda ſunt gratia, ac ſeorſum Immortali DEO, qui prendibus per deuia errantibus tali Paſtore prouiderit. Nemo eſt, qui non certum putet, tecum ob bonam manſuetudinem tuam, cum ob Religionis obſeruantiam, & vitæ tuæ ſanctiſſimæ integritatem, tum & in primis ob immortalem virtutum tuarum famam, maiorem etiam dignitatem DEI gratia aſſecuturum. Hæc ſcribimus, vt ſumma nos voluptate tali nuncio affectos intelligas. Poſtremum eſt; vt Reuerendiſſimæ Paternitati tuæ hos noſtræ Ciuitatis conciues vnicè commendemus, quos omnes pro viribus nomine tuæ ampliſſimæ dignitatis facturos ſperes. Vale.

Raynaldus Neapolim Roma reuerſus Eccleſiam ſibi commiſſam ac diœceſim maxima cura, ac diligentia rexit, & frequentibus viſitationibus luſtrauit. Calliſtus III. Alphonſi Regis precibus Presbyteris Cardinalibus titulo S. Cæciliæ Raynaldum Neapolitanum Archiepiſcopum adſcripſit. Extat adhuc in Vaticano Pontificum Diploma, quo Romanus Pontifex Raynaldi virtutes ſummopere commendat; atque illi Archiepiſcopatum Neapolitanum, & Cœnobium S. Petri ad Aram facultatem tribuit retinendi. Gobellinus ſcribit Alphonſum Regem, vt Lucretiæ pellici ſuæ morem gereret,

Antō. Sūmont. in hiſt. Neapolitana.

enixiſsimè

Henr. Spondan. in Annal. Eccleſ.

enixiſſimè a Romano Pontifice purpuram pro Raynaldo petijſſe, & obtinuiſſe. Quod quidem non adeo laudabiliter à Calliſto factum videri poſſet, niſi fuiſſet aliunde Raynaldus, vt fuiſſe aſſerunt, eo honore dignus.

At non diu ſuperuixit; etenim die 13. Iulij anno 1457. rebus humanis ereptus eſt Romæ annum agens ſuæ ætatis quadrageſimum tertium, Medicorum potius incuria, quam aëris grauitate: eius corpus Neapolim delatum in Cathedrali ſepulchrum habuit, vbi iuxta principis aræ gradus marmoreum eius ſepulchrum adhuc conſpicitur cum eius effigie, ac ſequenti inſcriptione.

RAYNALDVS PISCICELLVS PRIMO PONTIFICI IVRI OPERAM DEDIT, MOX ARCHIEPISCOPVS NEAPOLITANVS, DEINDE CARDINALIS EVASIT, IN VTROQVE PERHVMANITER VERSATVS, MIRIFICE OBSERVABATVR. DECESSIT ANNO ÆTATIS SVÆ XLII. ET HIC CLAVDITVR ANNO MCCCCLVIII.

At circa huiuſce Cardinalis obitum dubium vertitur; etenim Panuinius ſcribit deceſſiſſe Neapoli die 13. Iulij anno 1457. Contelorius ex libro Participationum die prima Iulij eiuſdem anni; Ciaconius conſentit Panuinio in die 13. menſis Iulij, vitam tamen illius producit vſque ad annum 1458. Nos verò ex Calliſti Romani Pontificis, & Æneæ Syluij literis dicimus Raynaldum è vita exceſſiſſe menſe Februarij, vel initio Martij anni 1457. Primus enim Diplomate ſcripto xij. Kalen. Martij anno 1457. hæc habet, *Raynaldum Archiepiſcopum Neapolitanum, & Cardinalem bonæ memoriæ:* alter verò in epiſtola ad Ioannem Cardinalem S. Angeli data in Vrbe die 8. Martij anno 1457. ait, *Cardinalis Neapolitanus propediem ingreſſurus creditur*. Quod autem in eius tumulo legatur anno 1458. ibi fuiſſe conditum, vel fortaſſe eſt annus, quo eius corpus ab Vrbe fuit Neapolim tranſlatum, & ibidem conditum, vel error irrepſit; eo magis cum certò ſciamus tumulum multos poſt annos ab eius morte erectum fuiſſe. Reperitur enim in Canonicorum Neapolitanorum tabulario publicum documentum per Notarium Vincentium de Boſſis Neapoli ſcriptum die 14. Octobris an. 1507. quo Capitulum Neapolitanæ Eccleſiæ facultatem concedit Aloyſio & Hectori Piſcicellis apponendi lapidem cum imagine, inſignibus & ſepulchrali inſcriptione bonæ memoriæ Domini Raynaldi Piſcicelli S. R. E. Cardinalis, & Archiepiſcopi Neapolitani ante Altare maius Cathedralis Eccleſiæ: & è contra dicti Aloyſius, & Hector ad omnem eiuſdem Capituli requiſitionem conſignare pollicentur pecuniam neceſſariam ad emendum annuum cenſum pro Anniuerſario ſingulis annis per dictum Capitulum celebrando pro anima Raynaldi Cardinalis.

Ciaconius Panuinius Aubery in vita. And. Victorel. in Addition. ad Ciacon. Hier. Gamberr. Gaſpar Porreg in elogijs Card. Hiſpanor. Ioan. Mariana in hiſt. Hiſp.



V.

IOANNES de Mella natione Hiſpanus, patria Zamorenſis, nobili genere natus, fuit frater Alphonſi Mella ordinis ſancti Franciſci, qui denuo excitata ſecta Fraticellorum, iudicij metu Granatæ, quo fugerat, à Mauris confixus fuit. Ioannes in Vrbem adoleſcens veniens, iuri tùm Canonico, tùm Ciuili ſedulam operam dedit in quibus facultatibus doctiſſimus euaſit: Romanæ Rotæ Auditor à Martino V. renunciatus Epiſcopatum Zamorenſem in Hiſpania obtinuit. Dum aliquando ſecretum Conſiſtorium haberetur, vox è palatio Pontificis egreſſa monebat Ioannem hunc cum alijs eo die purpuræ honore decoratos; non pauci ad eum congratulatum acceſſere. Ioannes *iam tandem*, inquit, *aſſecutus ſum, quod annis vno de quadraginta expectaui*; nam facile credidit, quod ſperabat; nuncium indonatum non dimiſit, & ante Deiparæ Virginis imaginem in genua procumbens, illi & Chriſto Domino gratias egit: ſed eum tunc ſpes decepit. At longa rerum experientia per quadraginta annos continuos per multos Magiſtratus, quos geſſit à Calliſto III. Romano Pontifice inter Presbyteros Cardinales titulo SS. Aquilæ, & Priſcæ cooptatus eſt, quem titulum progreſſu temporis in illum S. Laurentij in Damaſo, & Epiſcopatum Zamorenſem in Seguntinum commutauit. Lumen, & ſplendorem Ioannes hic Collegio intulit, & licet facie deformis eſſet, Cardinalatum non fœdauit.

Æneas Syluius in Comment.

Septuagenario maior Romæ è vita exceſſit die 13. Octobris, ſeu ex Contelorio nocte antecedenti diem 13. Decembris anno 1467. & ibidem iacet in Eccleſia S. Iacobi Hiſpanorũ, cum hoc epitaphio.

IO. DE MELLA GENERE HISPANO FAMIL. INGENVA
CÆSARII AC PONTIFICII IVRIS CONSVLTISS.
S. LAVR. IN DAMASO PRÆSBYT. CARD. ZAMOREN.
SACRVM
VIX. A. LXX. OBIIT XIII. OCTOBR. AN. SAL. NOSTRÆ
MCCCCLXVII. PONT. MAX. PAVLI II. A. QVARTO.

Cardinalis Papienſis de illo hoc habet elogium: *Huius prima iuuentus ingreſſa Vrbem in extremum nunc ſenium perſeuerat, vir laborioſus, & iuſtitiæ miniſter intrepidus, diuerſis quippe temporibus cunctos penè noſtræ Curiæ Magiſtratus ſolus adminiſtrauit.* Garimbertus hunc inter Cardinales doctrina illuſtres, & præcipuos illius æui Iureconſultos collocat.

Scripſit, vt notat Cardinalis Papienſis, librum cuius argumentum eſt: *Clericis licitum non eſſe Vrbes peſtilenti lue infeſtatas deſerere ob animarum Sacerdotij curam.* In Eccleſia principe Zamorenſi ſacellum conſtruxit in honorem S. Ildefonſi, & annuis redditibus pro miniſtris dotauit. Iuuenem adhuc Ioannem in Collegio Salmaticenſi operam dediſſe ſcientijs, & Archidiaconatum Matritenſem primò, deinde Toletanum obtinuiſſe ſcribunt nonnulli ex Hiſpania Scriptores.

Nomencl. Cardinal.



VI.

IOANNES Caſtellio, ſeu Caſtellioneus nobili domo apud Mediolanenſes, vel vt alij ſcripſerunt, apud Papienſes, ex Protonotario Apoſtolico Epiſcopus primò Conſtantienſis in Prouincia Rothomagenſi, deinde an. 1454. v. Nonas Octobris Papienſis renunciatus, hanc Eccleſiam rexit vſque ad annum 1460. ac plerũque abſens: ſi quidem pro Nicolao V. & Calliſto III. Legationis munere functus eſt in Germania ad Fridericum III. Imperatorem. Interfuit Conuentui Ratiſponẽſi in quo orationem habuit: affuit etiam Francofordienſi, & Conuentui habito in noua Ciuitate pro parandis armis contra Turcas Chriſtiani nominis infenſiſſimos hoſtes. *Ex Italia*, inquit Pius II. in Commentarijs, *Legatus Apoſtolicus affuit idem, qui Ratiſponam, & Francofordiam adierat Ioannes Epiſcopus Papienſis ſuo iudicio valde ſapiens, & eloquens, multorum tamen iudicio neque ſtultus, neque dicendi prorſus ignarus*. Hic abſens à Calliſto III. inter Purpuratos adlectus eſt titulo S. Clementis ſub Pio verò II. Marcam Anconitanam Legatus rexit. Anxius ne Piccininus tranſiret armatus in Regnum Neapolitanum, huc illuc equitans febrim incurrit, quæ illi vitam eripuit, non ſine gaudio Prouincialium, qui nouam ſemper gubernationem appetunt. E vita migrauit Maceratæ, die 14. Aprilis anno noſtræ ſalutis 1460. artis Oratoriæ, & Ciuilis ſapientiæ periti ſſimus. Corpus Mediolanum tranſlatum in ſepulchro patruus ſuorum conditum fuit hoc epitaphio ornandum.

Ciaconius Panuinius Aubery in vita. Ferdinand Vghell. in Ital. ſac. & in Addit. ad Ciac.

Felix Contelorius in Elencho. Antom. Mar. Spelta de Epiſcop. Papienſ. Antonius Niger in hiſt. Caſtellionẽſi.

IOANNI. CASTELLIONEO. MEDIOLANENSI. EPISCOPO PAPIENSI. TIT. D. CLEMENTIS. S.R.E. PRESB. CARDINALI. CAELESTINI. IV. PONT. MAXIMI. OCTAVIANI. GOTIFREDI. ET. BRANDAE. CARDINALIVM. GENTILI. QVI CVM. LEGATIONIS. MVNERE. APVD. FRIDERICVM. III. IMPERATOREM. CONCITANDI. IN. TVRCAS. EXERCITVS. CAVSSA. APOSTOLICAE. SEDIS. NOMINE. SECVNDO. FVNGERETVR. A. CALLISTO. III. IN. AMPLISSIMVM. ORDINEM. ABSENS. EST. COOPTATVS. EOQVE DEFVNCTO. A. PIO. II. LEGATVS. MARCHIAE. ANCONITANAE. DESIGNATVS. DVM. IN. EA. PROVINCIA. LEGISLATORIS. STRENVI. SIMVL. DVCIS. OPERAM. CONTRA. PICCININVM. NIMIS. SOLICITE. IMPENDIT. INOPINATA. FEBRE. PRAEVENTVS. MACERATAE. INTERIIT XVIII. KAL. MAII. ANN. SAL. MCDLX.



VII.

IACOBVS Thebaldus, aliis Theobaldus ciuis Romanus oriundus oppido Collis Scipionis in Vmbria filius fuit Venturæ & Marci Thebaldi qui iacet Romæ in Templo S. Mariæ ad Martyres, cum hac ſepulcrali inſcriptione.

Ciaconius And. Victor. in Addit. ad Ciaconium. Panuinius Aubery in vita. Felix Contelorius in Elencho. Pius II. in Commentarijs.

HIC IACET MARCVS DE THEBALDIS GENITOR D. CARDINALIS S. ANASTASIÆ AC D. SIMONIS ALMÆVRBIS CANCELLARII PRIMI. OBIIT AN. DO. MCCCCXIV IN DIE S. LVCIÆ.

In fratrem habuit Simonem, clarum illius æui Philoſophum, ac

Medicum Nicolai V. & Calliſti III. Hieronymus Garimbertus Iacobum Cardinalem Thebaldum ex plebeia familia; Ludouicus verò Iacobillius in vitis Sanctorum Vmbriæ, è Dominis Collis Scipionis familiæ Rapazzonæ natum volunt, nos tamen cum Cardinali Papienſi, Gobellino, Aubery, & alijs, Iacobum hunc Thebaldum Cardinalem S. Anaſtaſiæ, nobilem Romanum diximus, & quidem rectè, contra Garimbertum; nam Iacobum Thebaldum auum paternum Iacobi huiuſce Cardinalis, ciuem Romanum de regione Triuij, menſibus Aprilis, Maij, & Iunij an. 1425. Comeſtabuli illius regionis munere functū fuiſſe conſtat ex monumentis antiquis, & ex Regiſtris Martini V. quod munus nonniſi nobilibus Romanis committebatur, & quidem ſi nobili progenie natus non fuiſſet Iacobus Cardinalis, non bene ſepulchralis inſcriptio à carmine illo initium duceret. *Qui fuit Vrbis honos generoſa prole Thebalda.*

Non enim generoſa dicitur progenies illa, quæ natales ſuos adhuc inter plebeios reſpicit, neque tam cito Thebaldi arctam cognationem contraxiſſent cum familijs generis claritudine in Vrbe illuſtribus, videlicet, cum Creſcentia, Capiſucchia, Aſtalla, de Valle, Ceſarina, & Capiteferrea, ſi obſcuri generis homo, vt ſcripſit Garimbertus, alioquin obtrectator, Iacobus Cardinali, Thebaldus fuiſſet, qui Iuris ciuilis doctor, Epiſcopus Montis Feretri quare cognominatus Feretranus; benignitate inſignis, & ſemper bonorum conſiliorum ſectator, Spoletano Præſidatui, hinc Peruſinæ Vrbi Romanorum Pontificum iuſſu præfuit. Mox Præsbyteris Cardinalibus titulo S. Anaſtaſiæ adſcriptus eſt à Calliſto III. à quo, & Archiepiſcopatum Neapolitanum poſt purpuram obtinuit, vt habetur in libris Conſiſtorialibus Vaticanæ Bibliothecæ, in quibus x v. Kal. Decembris anno 1458. legimus Oliuerium Carafam Canonicum Neapolitanum Iuris vtriuſque doctorem, nobili genere natum renunciatum fuiſſe Archiepiſcopum Neapolitanum per ceſſionem Iacobi tituli S. Anaſtaſiæ Cardinalis. At credimus cum Bartholomæo Chioccarello, Neapolitanæ Eccleſiæ poſſeſſionem Iacobum nunquam fuiſſe adeptum, ſed poſt ipſi delatam Eccleſiam illam, & priuſquā eius poſſeſſionem, nactus fuiſſet, Oliuerio Carafæ ceſſerit.

Card. Papienſ. in Epiſtolis.

Obijt Romæ die 3. ſeu 4. menſis Septembris anno 1466. hora decimaſexta, & iacet ſepultus in Æde S. Mariæ ſuper Mineruam, ſub lapide his verſibus exarato, & ab Auctore Nomenclatoris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium deſumptis.

Qui fuit Vrbis honos generoſa prole THEBALDVS,
Frigida marmoreo IACOBVS tenet oſſa ſepulchro.
Ceſareas norat leges Montiſque Feretri
Præſulerat, nulliſque fide, & pietate ſecundus,
Pauperiem tollebat humo, clariſque fauebat
Ingenijs, iuſtique pater, moderator, & æqui,
Cuius virtutem admirans, animumque pudicum
Cardineo Diuus decorauit honore CALLISTVS.

QVI OBIIT ANNO CRISTI MCDLVI. DIE IV. MENSIS SEPTEMBRIS HORA DECIMASEXTA.

VIII.



Ciacconius Pet. Frizon. in Gallia Purpurat. Hier. Garimberti. Claud. Robert. in ſua Gall. Chriſtiana. Andr. Victorell. in Addit. ad Ciacon. & Ferdinand. Vghel. ibidem, & in Ital. ſac. Aubery in vita. Panuinius Lud. Iacobill. in hiſt. Fulgin. Felix Côtelorius in Elencho.

RICHARDVS Oliuerius, de Augio, ſeu de Lōgueil, aliàs Longolius, patre Guillelmo de Longueil, Vicecomite Augi, domino de Lōgueil. Normandus, natione Gallus, Licentiatus in legibus, Archidiaconus Rothomagenſis, fuit Præſes Cameræ Computorum, vt habet Claudius Robertus, eique Carolus Francorum Rex iuſtitiæ adminiſtrandæ, & regendi conſilij primum conceſſit locum. Ex Epiſcopo Conſtantienſi Galliæ Præsbyter Cardinalis titulo ſancti Euſebij, & Archipręsbyter Baſilicæ Vaticanæ, demum a Paulo II. Epiſcopus Portuenſis, & S. Rufinæ renunciatus, die 15. Martij anno 1462. in publico Conſiſtorio receptus eſt, cum interfuiſſet Rhenis die 15. Auguſti anno 1461. dum ſacro inungeretur oleo Ludouicus XI. Rex Galliarum. Huic quoque vt commendaretur Tornacenſis Eccleſia, Carolus Rex, ſupra laudatus, apud Pium huius nominis Secundum, Romanum Pontificem vehementer interceſſit. Quod ſi id Regiæ preces non obtinuerunt, vt conſtat ex mutuis literis Regis, atque Pontificis quę extant apud Æneam Syluium, è quo illas recitat Bzouius, nequaquam id euenit ob defectum perſonæ, quam Pontifex omni honore dignam cenſuit; atque in ijs ipſis literis teſtatus eſt, ſed ob varias rationes quas ibidem commemorat ad placandum Regem ea de cauſa tunc iratus, idoneas.

Pio igitur II. Rom. Pontificatus, a quo ſemper magni ęſtimatus; laudabat enim ille Richardi conſilia, cauſas tradebat iudicandas, & hoc de eo oraculum protulit teſte Cardinali Papienſi in epiſtola nonageſima ſeptima. *Vtinam Conſtantienſes haberemus plures, bene conſultum eſſet Eccleſiæ, vir grauis eſt, vir bonus, vir mitis, vir doctus, ſemper in ſuis ſententijs verus.*

Ædes Archipresbyteri S. Petri iuxta Eccleſiam vetuſtiſſimam S. Apollinaris in Vaticano penè à fundamentis reſtituit, ſed morte oppreſſus eas non incoluit, ex Garimberto hæc carmina incidi iuſſerat in foribus.

Quam bene ſtare vides, quondam deiecta iacebant,
Et decus hæc facies fert modo culta nouum,
Richardus Normanna tuus Conſtantia Præſul.
Cardinea ſtruxit gloria magna toga.
Præsbyter, & Veneto Paulo regnante Secundo,
Primus in hac Petri qua fuit Eccleſia.

Curauit fieri ex aliquibus ſimulacrum æneum S. Petri Apoſtolorum Principis deſtructa Iouis Capitolini ſtatua, & collocari in ipſa Baſilica Vaticana. Nos tamen ſupra in D. Petri vita Richardo hoc antiquiorem effigiem illam D. Petri iudicauimus: falſi verò ſumus, Richardum ſupra baſim illam collocaſſe, ac proprijs inſignibus adornaſſe. Adhuc extat eum inſignibus Longolianis prope ſacellum Gregorianum; populus confluit ad illius pedem dextrum piè, & religioſe deoſculandum. Extant adhuc fragmenta quædam antiqui lapidis cum his notis.

. . . .
. . . . hunus ſac. Baſil. . . . . Conſtantienſis qui. . . . .
tus ob ſuas virtutes ac merita. . . . . eſſe venerandoq; Senatui cariſſimo. . . . inſignis de patria, & Rocce . . . .
Vixit an. 63. dies 1. obijt an. . . . . - V . . .

Nomine RICHARDO, patria Thoca fuit.
Doctis præſidium, ſubſidiumque bonis.

Diem clauſit extremum non Romæ, ſed in ſua Legatione Peruſij die 19. Auguſti anno 1470. conſtat tamen teſtamenti executoribus demandaſſe, vt ſuum corpus poſt obitum Romam deferrent apud S. Petrum ante altare quod ipſe reſtaurauerat, ſepeliendum, vbi hoc olim legebatur epitaphium in pauimento.

Nomencl. Cardinal.

Richardus Epiſcopus Portuenſis, Cardinalis Conſtantienſis,
e Normandia oriundus, hoc Altare vetuſtiſſimum
noua facie, & dote noua teſtamento iuſſit ornari.
vbi in pace requieſcit anno Domini MCCCCLXX.

Noſtris hiſce temporibus tanti Cardinalis ſepulchri reliquiæ in cryptis Vaticanis accedentium oculis patēt, cum ſequentibus notis.

Fragmentum epitaphij Richardi Oliuerij S. R. E. Cardinalis huius Baſil. Archipresb. humi ſtratum.

Ante obitum largitus fuerat ſummam pecuniarum Baſilicæ Vaticanæ cum hoc onere, vt i duobus Capellanis celebrentur ſingulis annis centum viginti Miſſæ, vt conſtat ex tabella appenſa in ſacrario D. Petri, & ſacello SS. Proceſſi, & Martiniani Martyrum. In m. ss. Vaticani tabularij hæc adnotata inueniuntur. *Capellani. Proceſſi, & Martiniani Martyrum à Richardo Epiſcopo Portuenſi Card. Conſtantienſi Archipresb. Baſil. ornata, & dotata ann. Domini. 1470. cum onere vt per duos Capellanos celebrentur ſingulis annis 120. Miſſæ, idest per quemlibet 60. Miſſæ.* Datus eſt Iudex reuiſendæ cauſæ Ioannæ d' Archæ de Vaucoulenr in Lotharingia natæ ſecundum aliquos, ex alijs verò Francę in pago de Domremis Balliuatus Calmontenſis, vulgò puellæ Aurelianenſis, ab Anglis igni deuitæ Rothomagi.

Chriſtophorus Longolius Orator in oratione coram Leone X. Romano Pontifice habita anno 1521. promotionem Richard. huiuſce Cardinalis refert contra omnes illius æui Scriptores ad Nicolaum V. cuius fragmentum hoc loco apponere operæ pretium putaui, quia de Longoliæ proſapiæ nobilitate multa notatu digna complectitur. *Poſſem*, inquit, *hic ego, Patres conſcripti, perinde ac idoneum nactus locum, de Longoliorum nobilitate multis apud vos agere commemorare familiæ vetuſtatem, nominis antiquitatem, gentis ſplendorem, maiorum noſtrorum imagines, laudare eos qui etiam nunc viuunt, fortunas, dignitatem, honores, magnam apud omnes ciuitatum ſuarum ordines gratiam, ad hac etiā ſi qua vulgus alia in eis fortuna bona meratur, ea prædicare omnia verum cum non ſine magna mea meorumque inuidia hæc à me celebrari, ſed ne nudas omnino verbis dici hic poſſunt, illud a me vnum audietis, eſſe me non obſcuro, quod iſti mentiuntur, ſed honeſto loco, & ea gente natum, ex qua Quintus Nicolaus Pontifex Maximus, cum de ſupplendo Collegio ampliſſimo cogitaret, Richardum Longolium Conſtantienſem Antiſtitem delegit, quem in Romanorum Sacerdotum numerum referret, relatum Petrinis ſodalibus flaminem daret quod ab eo factum eſſe, vt publicis Populi Romani monumentis conſignatum eſt, ſic etiam palam arguunt ædes illæ, quas Richardus poſt ſuā in eum ordinem cooptationem in Vatica-*

no ad

A *no ad Petri magno ſumptu marmoreas exedificauit.* Et poſt alia multa ita concludit, colligitque nodum euſdem orationis. *Dare hoc ſi non mea innocentia, & Longoliorum generi, atque familia, quorum praclara hac in Vrbe monumenta viſitatis.* Laudatur à Cardinali Papienſi his verbis: *Richardus tit. S. Euſebij Normandia ortus inter ſuos admodum celebris: huic olim Carolus Francorum Rex iuſtitia adminiſtranda, & regendi conſilij primum apud ſe locum conceſſit: Sacerdos in dicenda ſententia liber, & in propoſito conſtans.* Plures ad hunc Cardinalem literas dedit Cardinalis Papienſis cum cæteris editas antequam Romam è Gallia ſe reciperet, ad Ludouici XI. iram declinandam, qui omnes Caroli Regis patris, à quo fere ſemper alienus, & abſens fuerat, miniſtros primarios exauthorauerat, à Pio II. roſeum galerum accepit Romæ ab eodem humaniſſime receptus. Qua in re pulchrum eſt audire laudatum Papienſem in varijs epiſtolis; in quarum vna his eum affatur; B *Abſit à me, vt de fide & iuſtitia tua aliquid dubitem, ſcio te Reuerendiſſime Pater conſentire nomini tuo, & in fide, eſſe conſtantem: hoc experti Francorum Reges antea ſunt, hoc nos quotidianis documentis agnoſcimus. noſco præterea eſſe te iuſti, & aqui amatorem; nil gratia indulgentem, aut corruptela conſiſtoria noſtra, & demandata tibi iudicia teſtimonium perhibent. Quis meo Conſtantienſi in dicendo ſententia iuſtior? Quis in interpretationibus iurium verior? Quis denique in ſuo cuique reddendo minus perſonarum acceptor? memor es quam crebro Pius II. laudauit conſilia tua, quam libenter iudicandas cauſas tibi credebat. mihi ſæpe hoc dixit, vtinam Conſtantienſes haberemus plures, bene conſultum eſſet Eccleſia, vir grauis eſt, vir bonus, vir mitis, vir doctus, in ſuis ſententijs liber. quomodo ergo in tanto experimento, & tam graui teſtimonio Romani Pontificis dubitare poſſem de tua fide, ac iuſtitia? an non ſcio amaſſe te Pium II. in vita, & gratam tibi nunc ſcio memoriam eius? repeto memoria quoties vacante Sede, &* C *ſedente etiam Paulo ſententiam dixeris pro ijs aſſlictis reliquijs ſuis?* & infra, *Tibi ſanctiſſimus Pater Pius II. pileum dignitatis in Galliam miſit; te ad Curiam venientem honorifice accepit, præſentem in pretio habuit; oppreſſum falſis calumnijs manu patris leuauit*, quando ſcilicet à facie Ludouici XI. fugit, cuius iuſſu, bona eius, & in his Vicecomitatus Augi fiſco regio addictus fuiſſe creditur, *nec mere paſſus eſt ſuam iuſtitiam. loquebatur mecum frequenter de confratribus noſtris; de te ſemper, & bene ſenſit, & locutus eſt cum honore compatiens per ſingula vexationibus, quas patiebaris in Gallijs, vno verbo complectar, virtutem tuam amabat, talemque te iudicabat, quales eſſe reliquos Collegas tuos optabat.* Epiſtola verò centeſima vndecima ſic habet. *Habes in multa quibus ſine vllo adminiculo ſuperare detractiones poſſis, & illud in primis, quod iuſte viuis, & munde:* & paulo poſt, *Nulla ſordes, nulla inquinamenta auaritiæ commiſcerunt me tibi: ſola virtus* D *tuum me fecit. es doctus, es integer, es humanus, & qui digne ſedeas ad conſilium Romanæ Eccleſiæ,* & alibi, *nemo dignationem ſuam vincere beneficentia poteſt, quanto doctior, & in omni genere virtutis præſtantior, tanto es humanior, atque benignior.*

Idem Papienſis, Cardinales qui in electione Pauli II. ſuffragium tulerunt enumerans, & proprium vnicuique concinnans elogium, de noſtro ſic loquitur. *Richardus tit. S. Euſebij Normandia ortus, & inter ſuos admodum celebris, huic olim Carolus Francorum Rex iuſtitia adminiſtranda, & regendi conſilij primum apud ſe locum conceſſit. Sacerdos in dicenda ſententia liber, & in propoſito conſtans.*

Porro in Pij II. pontificatu reperitur interfuiſſe Richardus ſolemni illi ſupplicationi, qua venerandum ſancti Andreæ Caput, ex Peloponneſo Romam miſſum, in Baſilicam Vaticanam ab ipſo E Pontifice delatum, à ponte Miluio, Cardinales corpore valentes pedibus comitati ſunt; nominaturque ab Ænea poſt Eugenij IV. & Calliſti III. nepotes hoc modo. *Richardus Conſtantienſis, qui olim Caroli Regis Franciæ conſiliarius fuerat*; fit etiam eius mentio apud eundem Æneam tamquam præſentis in feſto ſacratiſſimi Corporis Chriſti, quod apud Viterbium magnificentiſſimo apparatu Pius Papa peregit, vbi, & Cardinalis noſter dicitur cum Rothomagenſi, & Albretio Gallis, pannis ſeu aulæis quos Attrebatenſes, ſeu Belgicos vocant, obduxiſſe parietes, & altaria auro, argentoque ac multo thure cumulaſſe.

Pio vero ad meliorem vitam tranſlato, qui ei ſucceſſit in Apoſtolica Sede Paulus eius nominis Secundus, Richardum Portuenſem, vt diximus ſupra creauit Epiſcopum, Legatumque Pontificium miſit in Vmbriam; ad quem continuo Papienſis, quomodo ſe in legatione illa cum Italis gerere, & de quibus ſibi præcauere debeat homo Gallus reſcripſit. F

Inter Andegauenſes Epiſcopos recenſetur à Ciaconio, at vnde hoc hauſerit prorſus ignoro, cum omnes illius Eccleſiæ Præſulum indices prorſus de eo tacuerint. Conſtantienſis autem fuit non Archiepiſcopus, ſed Epiſcopus.

Frizonius ſcribit ſcutum Longoliæ familiæ cœruleum eſſe ſex roſis, tribus ſuperioribus aureis, alijſque inferioribus miniatis exaratum: nos tamen quæ in Vaticano ſunt, cum Ciaconio ſupra expreſſimus.



IX.

ÆNEAS Syluius Piccolomineus, etiam Bartholomæus nuncupatus, cuius, & Epiſcopus Senenſis prodijt in lucem anno noſtræ ſalutis 1405. 14. Kal. Nouembris Corſiniani, vallis Vrciæ oppidū, id eſt quod Pontifex poſtea factus Æneas Epiſcopali ſede ornauit, ac de ſuo nomine Pientiam appellauit. Syluio Piccolomineo, & Victoria Forteguerra parentibus; cum octauum ageret annum à fero boue in aerem iactatus, diuina ope ſeruatus eſt. Corſiniani apud parētes nonnullis annis vixit, deinde Senas profectus, Grāmaticam, Rhetoricam, Poeticā, & Iuriſprudentiam didicit. Dominicum Capranicam Cardinalem Baſileam euntem ſecutus eſt, cui, & Nicolao Albergato ſanctiſſimo, & doctiſſimo Cardinali à ſecretis fuit, ingenij viribus, eloquentia, prudentia, & dexteritate excelluit. Felici V. Pſeudopontifici à ſecretis, Legationis munere functus eſt apud Federicum Cæſarem, qui illius opera varijs in negocijs vſus eſt, eumque ad Eugenium Romanum Pontificem, Legatum miſit, contra quem in Conuentu Baſileenſi olim ſenſerat. Romam profectus cognita veritate veniam ab Eugenio ex animo petitam, adeptus, eidem neutralitate iam ſublata, pro Germania obedientiam exhibuit, Eugenio eidem, & Nicolao V. in Secretarij munere ſeruiuit. Multa C peregit itinera, multos labores, & moleſtias pertulit; Poetica laurea, & priuilegijs à Cæſare auctus fuit. Baſileam ad Concilium contendens vi tempeſtatis in Lybiam propellitur, à Baſileenſi Cōcilio in vlteriorem Britanniam Orator, ac in Scotiam ad Regem miſſus, à ventis in Noruegiam pulſus, per Britanniam Regios ſpeculatores eludens Baſileam reuertitur. Subdiaconi Apoſtolici dignitatem, deinde Tergeſtinam Eccleſiam, Senenſem poſtea à Nicolao V. regendam ſuſcepit; Federicus Imperator diuinans Cardinalatum, & Summum Pontificatum ei prænunciauit. Calliſtus III. inter Purpuratos Patres excelſi animi virum conſcripſit, & Diaconiam S. Euſtachij ex Ciaconio tribuit; ſeu ex Felice Contelorio, imò ex ipſius Calliſti diplomate Presbyterum Cardinalem titulo S. Sabinæ nominauit. Diaconiam enim S. Euſtachij duobus menſibus ante obtinuerat, & hoc eodem tempore retinebat Iacobus Luſitanus. Vbi verò donatum Æneam pileo rubro audi- D uit populus Romanus, mox fama exorta eſt ſucceſſorem ſibi creaſſe Calliſtum: Senarum Vrbs feſtos dies celebrauit, fuitque publicè gaudium: Imperator lætitia mira triumphauit, cum audiuit Legatum ſuum, & Conſiliarium inter Cardinales relatum. Alphonſus Aragoniæ Rex voluptatem percepit; & Principes omnes Germaniæ literis ad eum datis gaudij argumenta dedere; quaſi in eo Germania ipſa honeſtata fuiſſet. Et meritò quidem; nam purpura ornatum viderat virum, qui pro Romana Eccleſia, & Imperio multa ſubierat incommoda, vt ſcribit Cardinalis Papienſis epiſtola 365. his verbis. *Beata memoria Pio, vt ſæpe accepi, quinque ſupra viginti anni ſeruiendo erant conſumpti, cum nondum erat cenſus, vnde parari ſolea poſſent, & tamen Orbem fere Chriſtianum ærumnis ſuis impleuerat, agitatus mari, vexatus procellis, à latronibus ſpoliatus, & captus, carceri incluſus, ad limen prope primum mortis adductus, quorum patientia virtuti coniuncta non modo* E *Epiſcopatum, & Cardinalatum, ſed mox quoque vno ferè contextu Papatum Romanum parauit.* Hic podagra laborans domi quieſcebat, quando nonnulli ad Purpuram vocati ſunt; dum ſecretum Conſiſtorium haberetur, vox è Palatio Pontificis egreſſa monebat Æneam, & Ioannem Epiſcopum Zamorenſem cum alijs eadie purpuræ honore decoratos. Non pauci ad vtrumque gratulatum acceſſere: ille facie non mutata animo prorſus tranquillo, *ſi hoc verum*, dixit, *infra duarum horarum curriculum agnoſcemus*, interim in vtranque partem accinctus neque metu frangor, neque ſpe ludar inani. Reuera tunc temporis in illa Patrum enunciatione neque Æneas, neque Ioannes nominati ſunt; purpuram tamen ambo deindè conſecuti ſunt. Poſt ipſius Calliſti obitum Petri Cathedram aſcendens dictus eſt Pius II. plura de eo infra.

Ciacon. Antonius Campan. in vita. Aubery in vita. Panuinius. And. Victorell. in Addit. ad Ciaconiū. Pij II. Cōmentar. Card. Papienſis. Ferdinand. Vghell. in Ital. ſac.

F

EPISCOPVS CARDINALIS
à Calliſto III. Rom. Pont. creatus.

F. Ioannes de Turrecremata ex Presbytero tituli Calliſti Eugenij IV. Epiſcopus Cardinalis Albanenſis renunciatus eſt.

Calliſtus III. duabus Ordinationibus Menſibus Decembri, & Septembri factis præter Epiſcopum vnum ex antiquis Presbyteris, nouem renunciauit Cardinales, videlicet ſex Presbyteros ex Ciaconio, ex alijs verò ſeptem, & Diaconos tres ex laudato Ciaconio, ſeu potiùs ex alijs, duos.

Monachus ſancti Baſilij Archiepiſcopus Nicænus, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus.

4 Guillelmus de Eſtouteuilla Gallus, Normandus, Archiepiſcopus Rothomagenſis, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & S. Ruffinæ dictus Rothomagenſis.

5. M. F. Ioannes de Turrecremata, Hiſpanus Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus Cardinalis Albanus.

PRESBYTERI CARDINALES XV.

EVGENII PAPAE IV.

6. * Petrus Scouuembergh, Herbipolenſis, Germanus, Preſbyter Cardinalis S. Vitalis tituli Veſtinæ, Prior Presbyterorum, dictus Auguſtanus.

7. * Ludouicus Scarampus de Media Rota, Patauinus, Preſbyter Cardinalis titulo S. Laurentij in Damaſo, S. R. E. Camerarius dictus Aquileienſis.

8 Petrus Barbus Venetus Epiſcopus Vicentinus, Presbyter Cardinalis S. Marci.

NICOLAI PAPAE IV.

9. Antonius Cerdanus, Maioricenſis, Hiſpanus, Presb. Cardinalis titulo S. Chryſogoni, Epiſcopus Meſſanenſis.

10. Latinus Vrſinus, Domicellus Romanus, Presbyter Cardinalis SS. Ioannis, & Pauli tituli Pammachij, Archiepiſcopus Tranenſis.

11. Alanus Coetiuus, Brito, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Praxedis, dictus Aueniononenſis.

12. Ioannes Rolin Gallus, Presbyter Cardinalis titulo S. Stephani in Cœlio Monte.

13 Philippus Calandrinus de Sarzana, Lunenſis, Epiſcopus Bononienſis, Presbyter Cardinalis titulo S. Laurentij in Lucina.

14. * Magiſter Fr. Nicolaus de Cuſa Germanus, Canonicus Regularis, Presbyter Cardinalis S. Petri ad Vincula tituli Eudoxiæ.

CALLISTI PAPAE III.

15. Ludouicus Milanus, Valentinus, Hiſpanus, Presbyter Cardinalis titulo SS. Quatuor Coronatorum, Epiſcopus Segobricenſis.

16. Ioannes de Mella Zamorenſis, Hiſpanus, Presbyter Cardinalis titulo S. Priſcæ.

17. Ioannes Caſtellio Mediolanenſis, Epiſcopus Papienſis, Preſbyter Cardinalis titulo S. Clementis, dictus Papienſis.

18. Iacobus Theobaldus Romanus, Epiſcopus Ferentianus, Presbyter Cardinalis titulo S. Anaſtaſiæ.

19 * Richardus Oliuerij, Epiſcopus Conſtantienſis, Normandus, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo S. Euſebij.

20 Æneas Syluius Picolomineus, ciuis, & Epiſcopus Senenſis, Presbyter Cardinalis titulo S. Sabinæ.

DIACONI CARDINALES IV.

MARTINI PAPAE III.

21. Proſper de Columna, Domicellus Romanus, Diaconus Cardinalis S. Georgij in Velabro S.R.E. Archidiaconus.

EVGENII PAPAE IV.

22. * Ioannes Carauagial Hiſpanus, Diaconus Cardinalis ſancti Angeli, electus Epiſcopus Placentinus.

CALLISTI PAPAE III.

23. Iacobus Portugallenſis, Luſitanus, Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Porticu.

24. Rodericus Borgia Valentinus Hiſpanus, Diaconus Cardinalis ſancti Nicolai in Carcere Tulliano, S. R. E. Vicecancellarius.

A 18. Cardinalibus præſentibus creatus fuit, cæteri abſuerunt, qui aſteriſco ſunt notati.

Coronatio Papæ Pij II.

Anno Domini 1458. tertio Nonas Septembris, Papa Pius II. ſuæ Coronationis inſignia ſuſcepit Romæ in gradibus ante fores Baſilicæ Vaticanæ Principis Apoſtolorum per Proſperum Columnam S. R. E. Archidiaconum, omnibus Cardinalibus, Epiſcopis, & Clero, & innumera populi multitudine adſtantibus,

Pij ſedes.

ſedit autem in Apoſtolica ſede Cæſare Friderico III. Imperatore Auguſto, annos 5. menſes 11. dies 27. vel ſex annos minus tribus diebus.

Cum Deo immortali gratias egiſſet, ſe totum, confirmata prius Eccleſiæ ditione, ad curam Reipublicæ Chriſtianæ conuertit. Aſiſium, & Nuceriam ſtatim ab hoſte recepit: inter Ferdinandum Regem, & Sigiſmundum Malateſtam, quod difficillimum factu videbatur, compoſitæ induciæ, quò Mantuam omnibus, vbi communem Chriſtianorum conuentum indixerat, tutò proficiſci liceret: creato autem Principe Columnenſi Præfecto, in locum demortui Borgiæ, relicto Romæ Legato Nicolao Cuſano S. Petri ad Vincula Cardinale, media hyeme ab Vrbe diſceſſit, per eas ciuitates iter faciens, quæ ciuili diſcordia ad bellum potius, quā ad pacem ſpectare videbantur, populos ad quietem, & concordiam adhortatur. Mantuam poſtremò vndequaque ventum eſt: magnus aderat Principum numerus, magna Legatorum vis: ex tota enim Europa, nulla natio, gens nulla fuit, quæ non aut Principes, aut Legatos eò miſerit. Actum denique eſt in illo celeberrimo conuentu, Pio ipſo dicente, vt bellum, communi omnium decreto, Turcis indiceretur: dictæ ſententiæ, qua id ratione geri poſſet, propoſitum periculum, quod ceruicibus Chriſtianorum imminerct. Motæ ſunt omnibus lacrymæ, cum eorum calamitates

Pius Romā diſcedit, & Mantuā petit.

Mantuan. Concilium quo bellū in Turcas indicitur.

B exponerentur, qui à Barbaris in grauiſſimam ſeruitutem quotidie adducebantur, incenſi animi, cum oſtenderet, Turcas occupata Græcia, & Illyrico, interiorem Europam penetraturos. Nihil eſt certè ab eo prætermiſſum, quod ad mouendos Chriſtianorum animos pertineret. Magna quidem in dicendo Pij laus fuit, quod cum ſæpius iiſdem de rebus loqueretur, diuerſa ſemper viſus eſt dicere: tanta erat in homine elegantia, & copia. Agebantur hæc in Mantuano Conuentu, cum tota ferè Europa, relicto externo bello, ad inteſtinum animos, atque arma conuertit. Pius itaque, omiſſo Mantuano conuentu, ad ſedandos varios motus in Italia exortos ſe conuertit. Viterbium ab aduerſa factione per fraudem occupatum, haud magno negocio recepit. Picentes, & Vmbros contentionibus diſtractos, ac magnis cædibus fœdatos, auctoritate ſua tandem ſedauit. Romæ grauiſſimos tumultus ſicariorum repreſſit, capto cum aliquot ſocijs Tiburtio, Angeli Maſſimiani filio, qui Nico-

Pius ad ſedandos Italiæ tumultus animum conuertit.

C lai V. iuſſu ob coniurationem interemptus, & laqueo ad feneſtras Capitolij ſuſpenſus fuit, quod auſi fuiſſent templum Pantheon occupare, atque inde, tanquam ex arce, in optimum quemque graſſari. Tirannos quoſdam ad res nouas ſpectantes, è finibus Eccleſiæ bello ſubmouit: neminem vnquam bello attigit, ad quem Legatos non prius miſerit, ſi quo modo ad ſanitatem rationibus adduci poſſet. Ferdinando ad Sarnum fugato auxilio fuit, quominus Regno ſpoliaretur; veritus, ne ſi Galli Regnum occupaſſent, victoria elati, libertatem Italiæ ſubuerterent. Recuperauit Senogalliam, expugnatum Fortunæ Fanum, Nicolao Piſtorienſi Card. S. Cæciliæ Legato: pugnatum eſt præterea non ita multo poſt a Ferdinando parti felicitate ad Troiam, Apuliæ oppidum: quo prælio Princeps Tarentinus, ac plerique alij, qui nouarum rerum cupidi, Gallica ſequebantur arma, adeo ſunt perterriti, vt ſupplices à Rege pacem petentes in eius amicitiam redierint: ferè omnes, præter paucos, quos

D poſtea Rex bello inſequutus, aut Regno expulit, aut ad ſanitatem redegit.

Renunciato Pontifice, oblati ſunt ei ad ſpectandum theſauri à Calliſto demortuo relicti, quaſi magnum quippiam, & viſu pulcherrimum. At diuinus ille vir videre noluit, *Auferte hæc*, inquit, *citius enim expendemus, quam alij congeſſerint*; hanc rem commemorat ea oratione, quam ad Sixtum IV. nomine Venetæ Reipublicæ Legatus habuit.

Illud in primis laudandum, quod Catharinam Senenſem, conciuem ſuam, miræ Virginem eloquentiæ, & immortali gloria dignam inter Sanctas retulit, Romæ 3 Kal. Maij die 29. Aprilis anno 1461. Pont. 3. Migrauit ex hac vita anno 1380. Scripſit acta eius nobiliſſima B. Raymundus Capuanus, ordinis Prædicatorum Magiſter, S. Antoninus, & Surius. Sepulta Romæ in monaſterio S. Mariæ ſuper Mineruam ſui ordinis.

S. Catharinæ Senenſis Canonizatio. à S. Ant. part. 3. c. 14. Sur. tomo 2.

E Per idem tempus Pius II. in Senatu retulit de Corſiniano loco natiuitatis ſuæ in ciuitatem erigendo, quod ſummo conſenſu factū eſt, & pro Corſiniano, Pientia dicta, quod Pium Papam genuerat: hanc muris cinxit, ibidem etiam templum teſtudineum fecit, celebre id quidem, & ornatiſſimas extruxit ædes, ſedem ibi Epiſcopalem ſtatuens. Sepulcrum marmoreum paternis, maternisque oſſibus Senis in templo B. Franciſci, ſuo iuſſu, conditum hoc Diſticho notauit.

PIVS ſuā Patriā Ciuitatem indigit.

Syluius hic iaceo, coniux Victoria mecum eſt.
Filius hoc clauſit marmore Papa PIVS.

Quatuor habuit ex ſorore nepotes, ex his duo minores natu, eius gratia, & auctoritate à Rege Hiſpaniæ Equeſtri ordini ſunt additi; primus enim, cui Ferdinandus Rex filiam in matrimonio locauerat, Dux Amalphitanus creatur; ſecundus in numerum

F Cardinalium relatus tanta cum integritate, & virtute vixit, vt nihil in eo requirendum eſſet, quod ad ampliſſimum virum pertineret, ingenio, moribus, ſolertia, religione, modeſtia, grauitate; qui Pontifex poſt tempora creatus, Pius III. appellatus eſt. Ædificandi ſtudio vehementer delectatus eſt. Impenſa enim ſua ſcalæ templi ad Vaticanum, vetuſtate collapſæ, inſtauratæ. Aream pro templi foribus ruderibus purgatam ſternere parabat, porticum vnde Pontifex populo benediceret, inchoauerat. Tibure arcem perfeciſſe, poſtquam inchoaſſet, viſus eſt. Senis quadrato ſaxo gentilibus ſuis porticum faſtigiatam, & ornatiſſimam extruxit.

Viuen-

ritur anno 1464. 17. Kal. Septembris horam circa tertiam noctis, anno verò Pontificatus ſexto, tribus diebus minus.

Tantæ autem conſtantiæ, & fortitudinis fuit, vt tota ægritudine, graui quidem, & longa, occupationes cognoſcendi cauſſas diuerſarum gentium audiendi, inhibendi, decernendi, iudicandi, ſignandi, admonendi, caſtigandi, intermiſerit nunquam. Eo autem die, quo è vita migrauit, duas horas ante extremæ vitæ ſpatium, Patres Cardinales ad ſe vocatos, conſtanti animo, & voce integra ad concordiam in eligendo nouo Pontifice adhortatus eſt. Quibus honorem Summi Dei, dignitatem Eccleſiæ Romanæ, bellum à ſe in Turcas ſuſceptum, ſalutem animæ ſuæ, familiam omnem, nepotes verò, maximè ſi commendatione dignos ſe præſtiterint, conſtanti, ac graui oratione commendauit. Petijt ſponte Sacramenta omnia, & ſigna integerrimi Chriſtiani omnibus in rebus præ ſe tulit: præterea verò acerrimè tum quidem diſputauit cum Laurentio Rouetella Epiſcopo Ferrarienſi, Theologo doctiſſimo, liceret ne extremā vnctionem iterare, qua ſemel inunctus fuerat, dum Baſileæ peſtilentia grauiſſimè ægrotaret: preces canonicas vt intermitteret in tanta animi anxietate, neque domeſticorum quidem obſecrationibus exorari potuit. Symbolum Athanaſij conſtanter pronunciauit, & pronunciatum, veriſſimum, ac ſanctiſſimum eſſe dixit, non mortem exhorruit, non perturbationis, aut inconſtantiæ, dum ſupremum ſpiritum efflaret, ſignum aliquod edidit: extinctus profectò magis quàm mortuus dici poteſt, adeò longis ægritudinibus maceratus erat. Vt corpus ſuum Romam deferretur, ſuis mandauit. Affirmant pollinctores, viuaciſſimum cor in homine inuentum. Orta tunc ingens tempeſtas, qualis nuſquam viſa, multa damna intulit; arbores, & oliuas præſertim euulſit, & detrimenta dedit inæſtimabilia. Die 24. Auguſti, corpus eius in Vrbem delatum, funus Ancona Romam defertur, comitante familia, lugubri veſte induta, ac lacrymis ſqualida. Peractis autem de more exequijs in Baſilica S. Petri conditur ad altare S. Andreæ, ſepulcro marmoreo Franciſci Card. Senen. nepotis ſui impenſa condito, cum hoc Epitaphio.

PII corpus Romam defertur.

PIVS. II. PONT. MAX. NATIONE. HETRVSCVS. PATRIA SENENSIS. GENTE. PICOLOMINEA. SEDIT. ANN. VI. BREVIS. PONT. INGENS. FVIT. GLORIA. CONVENTVM. CHRIST. PRO. FIDE. HABVIT. OPPVGNATORIBVS. ROM. SEDIS. INTRA. ATQ. EXTRA. ITALIAM. RESTITIT. CATHARINAM. SENENSEM. INTER. SS. CHRISTI. RETVLIT. PRAGMATICAM. IN. GALLIA. ABROGAVIT. FERDINANDVM. ARRAG. IN. REG. SICILIÆ. CISFRETVM. RESTITVIT. REM. ECCL. AVXIT. FODINAS INVENTI. TVM. PRIMVM. ALVMINIS. APVD. TOLPHAM INSTITVIT. CVLTOR. IVSTITIÆ. ET. RELIGIONIS ADMIRABILIS. ELOQVIO. VADENS. IN. BELLVM. QVOD TVRCIS. INDIXERAT. ANCONAE. DECESSIT. IBI. ET CLASSEM. PARATAM. ET. DVCEM. VENETORVM. CVM SVO. SENATV. COMMILITONES. CHRISTI. HABVIT RELATVS. IN. VRBEM. PATRVM. DECRETO. EST. HIC CONDITVS. VBI. CAPVT. ANDREAE. APOSTOLI. AD. SE EX. PELOPONNESO. ADVECTVM. COLLOCARI. IVSSERAT. VIXIT. ANNOS. QVINQVAGINTAOCTO. MENSES NOVEM, DIES. XXVII.

FRANCISCVS. CARDINALIS. SENENSIS. AVVNCVLO SVO. SANCTISSIMO. FECIT. MCDLXIV.

Collegio autem Cardinalium, quinque, & quadraginta millia nummum aureorum à vectigalibus Eccleſiæ penſum, ob indictum Turcis bellum reliquit. Has autem pecunias, & triremes, quæ tum in portu Anconitano erāt, Chriſtophoro Mauro Venetorum Duci, qui biduo ante Pij mortem cum Triremibus vndecim illuc applicuerat, Cardinales committunt, his conditionibus; vt nauigijs pro eorum arbitrio bello nauali vterentur pecunias verò ſtipendij nomine ad Matthiam Hungarorum Regem mitterent, bellum aſſiduum cum Turcis gerentem. Mortuus eſt vir fortitudinis certè, ac prudentiæ ſingularis, & qui non ad otium, & ſegniciem, ſed ad res agendas, & maximas quidem natus videbatur, quique augere maieſtatem Pontificis conatus eſt ſemper. Non Reges, non Duces, non Populos, non Tyrannos, in ſe, aut in Eccleſiaſticum quempiam delinquentes, bello, cenſuris, interdictis, execrationibus perſequi prius deſtitit, quàm eos ad ſanitatem redijſſe cognouiſſet. Sigiſmundum Auſtriæ Ducem, grauiſſimis cenſuris perſequutus, quòd Nicolaum Cuſanum Cardinalem ad Vincula S. Petri cepiſſet, ac comprehenſum aliquando in carcere detinuiſſet; Beneuentanum Archiepiſcopum contra eius voluntatem, res nouas molientem, Beneuentúmque Gallis prodere conantem Archiepiſcopatu mouit Franciſcum Copinum plus auctoritatis cum magna pernicie, & clade hominum in legatione Britannica ſibi vendicantem, quam ei à Sede Apoſtolica conceſſum fuerat, Epiſcopatu Interamnenſe priuauit. Tarracinam, Beneuentum, Soram, Arpinum, ac magnam partem Hernicorum, quæ nunc Campania vocatur in ditionem Eccleſiæ redegit. Nihil Regibus, nihil populis, timore, & auaritia conceſſit vnquam. Quidam verò ſeueriſſimè arguit, quòd ea


SIGISmundus Auſtriæ Dux cenſuris à Pio perſequutus.

PIVS Vir integerrimus.

peterent, quæ ſine Eccleſiæ detrimento, & ignominia fieri nullo modo poſſent. Tantum terroris dominis quibuſdam, Italicis præſertim, iniecit, vt officio, & fide nihil antiquius ducerent, vt hoſtes publicos conſtanter perſequutus eſt; ſic amicos humaniſſimè, ac officioſiſſimè fouit. Fridericum Romanorum Imperatorem, Matthiam Hungarorum Regem, Ferdinandum Alphonſi filium, Philippum Burgundum, Franciſcum Sfortiam, Ludouicum Gonzagam vehementer dilexit.

In tanto faſtigio collocatus, literarum ſtudia intermiſit nunquā. Adoleſcens, & ſacris nondum initiatus Poemata edidit, Feſtiuitati accomodata; extant eius Epigrammata referta ſalibus. Ad triamillia variorum Verſuum ſcripſiſſe dicitur, quorum pars magna Baſileæ perijt, orationi ſolutæ reliqua vita ſe totum dedit, magnitudine rerum inuitatus, delectatus etiam mixto ſcribendi genere, & ad philoſophandum apto, libros in dialogo edidit, de Poteſtate Concilij Baſileenſis, de Ortu Nili, de Studio venandi, de Fato, de Præſcientia Dei, de Hæreſi Boemorum, reliquit Dialogum imperfectum contra Turcas, inchoatum pro defenſione fidei Catholicæ, Epiſtolas digeſſit in tempora, & quas laicus, quas ſacras initiatus, quas Antiſtes, quas Pontifex Maximus ſcripſerit, voluminibus ſeparauit. His Reges, nationes, ciuitates, Principes, atque omne genus hominum ad religionis arma incendit. Extat eius Epiſtola ad Turcam, qua hominem adhortatur, vt poſthabita Maometana perfidia, veram Chriſti Ieſu religionem ſequatur: libellum edidit de Miſeria Aulicorum; ſcripſit etiam de Inſtitutione artis Grammaticæ ad Ladiſlaum adoleſcentem Hungarorum Regem. Orationes circiter duas, & triginta habuit ad pacem Regum, ad concordiam Principum, ad tranquillitatem nationum, ad defenſionem religionis, ad quietem totius Orbis terrarum ſpectantes. Boemicam Hiſtoriam perfecit; Auſtralem imperfectam reliquit. Scripſit de Educatione liberorum, Solutionem Quæſtionum, ad Nicolaum de Cuſa librum, de Concilio Baſileenſi, Abbreuiationes Decadum Biondi lib. 10. de Clade vniuerſalis Eccleſiæ ad Nicolaum V. de Sanguine Chriſti, de erratis Baſileenſium, de defenſione Poetices, de Dignitate Cæſaris, Commentarium in quatuor libros Antonij Panormitæ de dictis, & factis Alphonſi Regis Arragonū, Coſmographiam, contra Taboritas de Communione Corporis Chriſti. Aggreſſus eſt Hiſtoriam rerum vbique locorum ſua ætate geſtarum, quam multitudine oppreſſus imperfectam reliquit, Commentariorum de rebus à ſe geſtis libros 12. ſcripſit, tertium decimum inchoauit. ſcribendi genus, lene eſt, ac temperatum, conciones habet ſplendidas, & rei accomodatas, mouet affectus, ac eos denique ſedat. Candorem, & ornatum orationis nunquam intermittit, deſcribit appoſitè ſitus, & flumina, varios pro tempore ſumit eloquentiæ vultus: cognitionem rerum antiquarum non omittit: nullius oppidi occurrit mentio, cuius originem non repetat, ſitum non notet, qui Duces, qua ætate claruerint, diligentiſſimè perſcribit. Multa etiam ad voluptatem, & ad inſtitutionem humanæ vitæ notauit, quarum collectio maxima ex parte apud Platinam, & in Commentarijs Ioannis Gobellini de rebus geſtis Pij II. extat diffuſior; Scripſit etiam ad Vniuerſitates Pariſienſem, & Colonienſem, Retractationem approbationis, & ſententiæ ſuæ circa Concilium Baſileenſe, quam ipſe primo probauerat, & defenderat, ſub datum Romæ apud S. Petrum 6. Kal. Maij anno 1463.

Scripta à Pio edita.

Signum 

PII Papæ II.

ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

¶ * *Non. Aug. exequias*] Egregias pro more, peractas, dixit Pius II. lib. 1. Comm. obierat Calliſtus ann. 1458. 8. Id. Aug.

* *Cardinales* 18.] V Panuin. in Chron. & in Elogio, & Pium II. loc. cit. Deceſſit Card. Firmanus, dum Calliſti exequiæ celebrarentur.

* *14. Kal. Septemb.*] Panuin. loc. cit. at Platina 13. ſcripſit. Conclaue in Vaticanis Pontificis ædibus effectum; in eòque aulæ duæ clauſæ, & duo ſacella: in maiori extructæ cellulæ, in quibus Cardinales cibo reficerentur, & ſomno; minus (S. Nicolai) conſultationibus, electionique Pontificis, aulæ deambulationi deſeruire: decimo à Calliſti obitu die, Cardinales in illud conuenere; neceſſarij ritus vſurpati; ſed ea die nihil actum: hæc, & quæ acciderunt Pius II. l. c. Die ſecunda, propoſitæ leges, pro Pontificis electione, & Cardinalium iuſiurandum, de ijs parendo, adiectum tertia diuino Sacrificio abſoluto; Cardinalis Bononienſis, & Senenſis non impari ſuffragiorum numero ad Apoſtolatum expetiti: paulò poſt, cum nouem Cardinales Senenſem, ſex Rothomagenſem, ſcrutinio vſurpato, delegiſſent, admiratio omnes cepit; nunquam enim antea tot Cardinales in numero tàm exiguo, ſcrutinio

vſi, vnum

vſi, vnum ad ſummum illud faſtigium elegerant: ſuffragia illa ſatis non erant: viam acceſſus iucundam putarunt: pallidi, ſilenteſque ſedebant, raptos Dei ſpiritu exiſtimaſſes: qui hiſceret, qui corpus moueret, non erat; oculos tantum non vnam iactabant in partem: poſt morulam, Vicecancellarius *ad Senenſem*, ait, *accedo*, non longo repetito ſilentio, cum oculi, affectuum indices, alterius in alterum conuerſi eſſent, Cardinalis S. Anaſtaſiæ, *Ego quoque*, inquit, *accedo ad Senenſem*: vno adhuc, qui accederet, opus erat; Proſper Columna gloriam præripiens pronunciandi Pontificis: *Et ego* dixit, *Senenſi accedo*, eumq; *Papam facio*. Tunc omnes ad Æneæ pedes procumbentes, eum ſalutarunt Pontificem: mox ſedentes electionem firmarunt. Beſſario, ſuo, eorumque nomine, qui Rothomagenſem expetiuerant, electionem Æneæ celebrauit; Pontifex egregiè reſpondit: veſteſque priores exutus album tunicam induit, nomen Pij elegit. Collegij legibus iureiurando ſe pariturum pollicitum, in araque collocatum Cardinales adorauerunt: è feneſtra ijs verbis, populus monitus. *Pontificem habemus Pium II. qui Cardinalis Senenſis erat*. Huius cellula in Conclaui expilata, ædes in Vrbe effractæ, ipſa marmora ex ijs ablata. exiluit gaudiis Vrbs, letæ acclamationes iteratæ; arma, quibus tota Vrbs ſcatebat, tunc abiecta, & pax vexillum erexit. Pontificem exiguo cibo refectum, in Ara Maxima Vaticanæ Baſilicæ ſublimi in ſolio, recepto more, collocatum Cardinales, Epiſcopi, multique alij, pedes oſculantes, venerati ſunt; ea autem lætitiæ argumenta edita; vt, ſenum memoria, maiora non fuerint. Ipſa hora, qua Æneas ad Petri ſedem euectus, Corſiniani (lapide octuageſimo ab Vrbe) oppidani reuertentes ex agris Laodomiæ illius ſorori fratrem in Pontificem electum dixerunt: Campanus eius rei nuntium non amplius viſum narrauit. Siciliæ Regi, Mediolanenſium, Mutinæque Ducibus, Mantuæ, & Montisferrati Marchionibus, Venetis, Florentinis, Friderico Auguſto, Burgundiæ, & Sabaudiæ Ducibus Pij Pontificatus placuit, non tamen Scoto, Dano, Polono, Franco, Hungaro, & Cyprio: Boemi animus graui telo ictus expauit: ſuam enim hæreſim Pio notam eſſe, ſciebat. Hæc omnia fuse lib. 1. Commentar. Pij II.

In vita Pij II.

* *Ipſe natus 14. Kal. Nouemb. —— 1405.*] Ita initio lib. citati; at Greg. Lollius ad Card. Papien. epiſtola 47. Æneam, an. 1406. 8. Kal. Septemb. natum ſcribit.

Apud C. Papien.

* *Cum mitra parere.*] Ex Campano, & Platina, in Pij vita. In Commentarijs id non legi. Aliæ præſagitiones non defuerunt. Septennis in puerili ludo, à pueris pedibus etiā dato ſuauio, Æneas Pontifex ſalutatus fuit: poſt multos annos, Alphonſus Rex Neapolis eum ad ſe venientem conſpicatus digito amicis indicans, dixit: *En tibi Pontifex Maximus* Fridericus Cæſar Romam petens, cum Latium proſpiceret, ſic fatus; *Aenea tu in his locis regnabis; & qui tibi nunc imperamus parebimus.*

Campan. loc. cit.

* *Ruris officia —— obire ſit coactus.*] Ex Platina: idem ferè Card. Ægid. in Hiſt. 20. ſec. at lib. 1. Comm. *Cum apud patrem, puerili exercitatione, quamuis officia ruris, animi leuandi cauſſa, prout à nobilibus fieri ſolet, obiiſſet &c.* Greg. Lollius, qui Æneam vidit, & benè nouit, epiſtola ad Card. Pap. à teneris, & iuuenilibus annis, illius fortunam, mores, ſtudia, & vbi, & quantiſper, &c. & quando in Italia is fuerit, diligenter perſequens, ſcribit; illius patrem, ex nobili, & olim potenti Picolominea familia natum, cum exiguæ ei eſſent opes, (poſthumus erat, & tutorum incuria multa perierant) Corſiniani, cum vxore, & filijs, vitam agentem, ruris munera exercuiſſe: quod priſci Romani nobilitate, & rerum geſtarum gloria illuſtres præſtiterunt.

57. cit.

* *A Nicolao autem V.*] Is inito ſtatim Pontificatu, Æneam adſciuit, & in Secretariatu, & Subdiaconatu Apoſtolico firmauit, dieque coronationis, Crucem ante ſe ab eo ferri iuſſit.

Ex lib. 1. Com. cit.

* *A 18. Cardd.*] A 17. dicendum: neque enim ſeipſum elegit Æneas. Vide, quæ ſuperius, & lib. 1. Comm. Pij Panuiniumque in Chron.

* *3. Non. Septemb.*] Ex eodem lib. 1. Comm. eadem Panuinius in Chron. & in Elog. Die, qua coronatus Pius, inſigni pompa Lateranum contendit; vbi inter illos, qui, ob equum, quo vſus fuerat, diſtrictis gladijs pugnabant, niſi Deus præſto fuiſſet, occubuiſſet. Sacris peractis, Cardinales, Principum Oratores, Proceres Vrbis, Optimateſque qui aderant, regali conuiuio recreauit; eadémque nocte ad Vaticanum remeauit. Vide Aug. Patritium lib. Rituum R. E. 1. ſect. 3. De conuiuio Bonifacij VIII. pauca ad eius vitam diximus.

* *Mantuam.*] Pius Turcis occurrendum, & obſiſtendum ratus, & ad id vniuerſæ Chriſtianæ Reip. vires requiri, Conuentū Chriſtianorum Principum Mantuæ habendum indicauit; illuc ipſe acceſſit. 13. Kal. Febr. noctu ex Vaticano Liberianam Baſilicam petijt; ibi poſtridie moratus flens flentem populum benedictione auxit. Sex Cardinales delecti; qui illi eo in itinere ſeruirent, Rothomagenſis, Auenionenſis, Bononienſis, S. Marci, Proſper Columna, Rodericus Vicecancellarius. Perusiam Pio adeunti ij honores, quos humanum ingenium excogitare potuit, exhibiti; ſeptuaginta, & eo amplius, annorum ſpatio Peruſiæ Romanus Pontifex conſpectus non fuerat; die feſto Purificationis Deiparæ Pius cereos ibi, ex more, dedit: paulò poſt D. Dominici Templum dedicauit. Corſiniani, die Cathedræ S. Petri, ſacrum fecit; Templum, palatiumque ibi condere, ſtatuit: Senas inde profectus, eam Vrbem Metropolitica dignitate affecit: Cæſaris Legatos ibi in B. Virginis Æde obſequium publicè exhibentes, Regis Boemiæ in ſecreto Conſiſtorio audiuit. Florentiam eunti Sacerdotes ſacra ferentes occurrerunt; Sigiſmundus Malateſta, alijque Romanæ Eccleſię Vicarij Pontificem, & Dominum ſellæ inſidentem aureæ humeris detulerunt: ad S. Mariam Nouellam is diuertit; Bononiam adiens honoribus non vulgaribus exceptus fuit: ſex dies ibi moratus Conſiſtorium habuit. Ferrariam petentem ad agri fines, Borſius, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicarius, magna nobilium virorum acie ſtipatus excepit, & in Vrbe inter ſellam Pontificis ferentes inceſſit, donec equo inſidere iuſſus eſt: aderat tunc ſanctiſſimi Corporis Chriſti celebritas, Pius Angelorum Panem in ſupplicatione detulit, inde Mantuam 6. Kalend. Iunij peruenit, pompam, qua eam ciuitatem ingreſſus eſt, leges lib. 2. Comm. Pij. Inter alia, à viris nobilibus, equis vectis, tria vexilla deferebantur: in primo Crux, in ſecundo Eccleſiæ Claues, in tertio, quinque Lunæ fulgebant. præcedebat etiam auguſtiſſima Euchariſtia aurea arcula clauſa, luminum fulgore cincta, equi albi dorſo innixa. Pontifex ſacro paludamento, tiaraque gemmis diuite, ornatus, ſublimis in ſella Procerum portata humeris, benedictiones in populum effundens, ſpectantium in ſe oculos, mentéſque alliciebat. Notat, qui Commentarios Pij ſcripſit, omnes, ad quos Pius in illo itinere diuertit, Senenſibus, & Florentinis exceptis, vrbium claues ei obtuliſſe. Poſſeuinus Pium, 1458. menſe Maio, duodeuiginti Cardinalibus, & octuaginta Prælatis comitantibus, Mantuam veniſſe, eò vniuerſam Europam confluxiſſe, Non. Septembris in aula inſigni plateam proſpectante, eum, & Principum Legatos à Patribus viſos, à Capriano Mantuano Epiſcopo ſermonem habitum; & alterum deinde, ſilentio indicto, à Pio memorauit: at magnus Hiſtoricus, initio lib. 3. Comment. kalendis Iunij, ſacro ſollemni in Templo abſoluto, Coronenſem Epiſcopum, de Pij conſilio, de cauſſa illius Conuentus, de rei gerendæ neceſſitate diſſeruiſſe: Piúmque cum auditores vellent aſſurgere, indixiſſe ſilentium, & diſertè contra Turcas perorasſe. Sipontinus quoque Archiepiſcopus ibidem in Sacello Pontificis, die Virgini Dei Matri in cœlum abeunti ſacro, Chriſtianos Principes ad ſacrum bellum incendit. Poſſeuino dicenti, Pium altero menſe, Mantua diſceſſiſſe, non aſſentior; nam die feſto Epiphaniæ Alberto Brandeburgenſi Marchioni, celſi animi viro, militari peritia, & gloria celebri, Enſem, Galerúmque margaritis inſignem, qui Principi ſeculari ex ijs, qui adiunt, digniori pro natalitijs tribui ſolet, inter ſollemnia ſacra, largitus eſt, an. 1459. 15. kalend. Februarij à Romano Pontifice ad futurum Concilium appellantes, decreto ibidem ſcripto, damnauit, paulò poſt in æde D. Petri Patribus dixit. [*Octauum hic agimus menſem —— licet iam hinc abire —— non tamen nihil omnino peractum; neque ſpes omnis cecidit.* Oratores Boſlij 300. aureorum millia in Turcas promiſere. Cardinales, Epiſcopi, Abbates, Sacerdotéſque Pij præcepto, ſacras veſtes induerunt, ipſe genua flexit, ſuſpiriaque, & lacrymas iterans, animo, & voce, Præſulibus, Cleróque reſpondentibus, preces recitauit, & Conuentus abſolutus eſt. De Mantuano Pij itinere, & de illius cauſſa Card. Papienſis. Templum in D. Dominici, & D. Agnetis honorem Mantuæ illum dedicaſſe, Chriſtique Domini Sanguinem, diu ſingulari veneratione cultum publicæ hominum venerationi propoſuiſſe, idem A. Poſſeuinus teſtatus eſt, eum autem è Chriſti Latere fluxiſſe, & à S. Martyre Longino ad eam vrbem vectum, Mantuana referunt monumenta: Leonem III. Caroli Magni æuo, ad illum, miraculis celebrem, inuiſendum proceſſiſſe, ipſe Pius ſcriptum reliquit.

Paulus II. etiam die coron. ciuium inſtituit.

L. 2. Com. Pij II.

In ſuo

Principum Oratores.

Att. Poſſ. lib. 2. Gonzagæ.

Extat Pij oratio in illo Conuentu habita. Vide orationē in apud Tot. quaſi Pemurum ab iſtumo cuſtculo Vrbano VIII. e enecrabile.

Epiſt. 50. ad Card. Senenſem.

L. 2. Com.

* *Catharinam Senenſem —— inter ſanctas.*] Literæ datæ Romæ 3. Kal. Iulij habentur 1. p. Bullarij: in ijs ſancta Virgo non vulgariter laudatur à Pio. Die eius feſto, cum eam iam conſcripſiſſet in Cœlites, à Patribus Prædicatoribus rogatus, ad Templum Virginis Deiparæ ſupra Mineruam, cum Purpuratorum Patrum Senatu, vt illius Lipſana veneraretur, acceſſit.

L. 1. Com.

* *De Corſiniano in ciuitatem.*] Hæc Ciaconius ex lib. 8. Com. Pij II. Corſiniani, vbi ortus Pius, tenellæque ætatis rudimenta peregit, ſitus, lib. 2. Comm. deſcribitur. De Corſiniano in Pientiam mutato Campanus eo luſit Epigrammate.

Quæ noua ſublimi profurgo Pientia colle,
Cauſſa mei quæ ſit nominis, ipſa loquar.
Me PIVS ornatam Templo, murisque refectam
Eſſe Vrbem voluit, quæ fueram oppidulum.
Tecta ſuæ gentis primus in mœnibus, ædes
Tangere marmoreum ſidera iuſſit opus.
Addidit, & nomen, lectiſque è more Senatu,
Vrbanos ritus, & noua iura dedit;
At vos vicina quæ ſurgitis oppida terris;
Inuidia nihil eſt; nam tulit ipſa PIVM.

Ilcinum quoque oppidum eodem ciuitatis nomine donauit; in vtraque Epiſcopale Templum erexit, & Canonicorum collegium inſtituit.

In Pij vita

* *Quatuor*

A * *Quatuor habuit —— nepotes.*] Hæc, & quæ ſequuntur vſque ad verba *ruſticano ſit vſus*, ex Platina exſcripſit.

In Pij vita.

* *Cuſtos gregis.*] Hæc verba ex lib 9. Comm. Pij; Ioan. Gobellini ij nomen referunt: at Pius eos conſcripſit; quod tradunt Platina, Campanus, Trithemius, alijq;

* *Signabat omnibus in locis.*] Ex Campano, & Platina.

* *Auguſtino Patritio.*] Pontificiarum etiam cæremoniarum Magiſter is fuit; ſcripſitq; libros Rituum S.R.E. Siſtus IV. Pientinæ Eccleſiæ eum Præſulem dedit.

* *Bella ſuſcepit omnius.*] Platina, & Campanus.

* *Caput S. Andreæ.*] Rem totam explicat eleganter Pius l. 8. Comm. indicant paucis Georgius Phranze in Chron. de extremis Orientalis Imperij temporibus.

V. Geor. Phranzam in Chron.

* *Thomam natu minorem.*] Manuel, Græcorum Imperator filios genuit Ioannem, Andronicum, Thodorum, Conſtantinum, B Demetrium, Thomam: Ioannes, poſt patrem, Imperator, Synodo Florentinæ interfuit; poſt hunc Conſtantinus imperans à Turcis cæſus fuit; Demetrius ad Turcas magna Peloponneſi parte tradita, defecit: id Thomas deteſtatus, ex Patrenſi ſacrario, ſuæ fidei credito, Caput S. Andreæ accepit, & ad S. Mauram, Epiri inſulam, cum coniuge, & liberis, ſe contulit: Pius, miſſis Nuncijs, hominem monuit, decere, theſaurum illum Romæ apud fratris Lipſana ſedem habere; & ſumptus obtulit neceſſarios. is, Corcyra, quò, cum familia, acceſſerat, ann. 1463. die 16. Nouembris cum pluribus nobilibus, famulis, & familiaribus, (Regina, vxore, liberis, & quibuſdam aulicis, ibi relictis) digreſſus Anconam ſacrum Caput attulit. Alexander Oliua Cardinalis à Pio Legatus a Latere miſſus illud ibi à Thoma acceptum ad arcem Narnienſem, nobili pompa, deferendum curauit. paullò poſt Cardinales Nicænus, S. Suſannæ, & Senenſis, Pontificis iuſſu, Narniam petentes, illud ad pontis Miluij turrim die Palmarum, aſportarunt: cui Pius Capita SS. Apoſto- C lorum Petri, & Pauli obuiam prodire voluit; ſed thecæ argenteæ ea operientes, grauioris ponderis, ne id fieret, effecerunt, cum in Miluiana hæſit turri, Sipontinus, & Beneuentanus Archiepiſcopi egerunt excubias. Pius, eius diei ſacris in Vaticano peractis, ad Ædem S. Mariæ de Populo contendit: die ſequenti, ipſe, & Cardinales palmas manu ferentes ad prata Miluij pontis iuerunt. Ibi in magno ſuggeſtu, vt populus innumerus, ferè, qui confluxerat, videre poſſet, erecto, Pius lacrymans à Nicæno Card. lacrymante nobile pignus accepit; ſed prius proſtratus, & flens ante aram orationem eam habuit. *Aduenisti tandem, o ſacratiſſimum —— S. Apoſtoli Caput* &c. inſigni ſupplicatione, (à Pio diligentiſſimè deſcripta) à Pontifice vecto, ad Baſilicam Vaticanam delatum, & in Ara Maxima collocatum fuit; ſermone à Nicæno tunc habito *Ecce frater tuus beatiſſime Petre* &c. reſpondit, pio affectu, Pontifex. *Si loqui poſſent beatorum Apoſtolorum —— corpora.* Qua D celebris ſupplicationis pompa proceſſit, nullus fuit locus, in quo aliquid admiratione dignum non eſſet, eo die, in religioſi populi ſolatium minium donnma ſacri Palatij Auditoribus cuſtoditum, in ara maxima ſubſtitit.

Extat lib. 8. Comm. Pij lo. cit.

Vide lib. 8 Cōm. Pij cit.

* *In Sacello.*] Id dirutum fuit, cum, Pauli V. præcepto, priſca Vaticana Baſilica deiecta.

* *Io. de Caſtro.*] Montes Aluminis, in ditione Pontificia, Pio ſedente, patefacti. Vide lib. 7. Comm. Pij II. vbi de hac re, & de Io: de Caſtro, Pauli, excellentiſs. Iuriſconſulti, filio; ille Campani luſus ingenioſus.

Eſſe tuos calos tantum, qui dixerit, errat:
Deque PII longe fallitur imperio.
Ipſa etiam tellus, quod habet, tibi contulit, & ſe
Præbuit, eruptis prodiga viſceribus.
Parte alia raucum æs, aliaq; excuſſit Alumen,
Datque alio argentum tertia vena loco.
Abdita telluris gremio hæc latuere tot annos,
Et ſoli domino nunc patuere ſuo.
Tu, quod nunc auri reſtat ditiſſima tellus,
Ne furtiva ſis, hoc quoque redde PIO

* *1464. —— Crucem.*] Vide quæ vberi oratione, Cardinalibus Pius dixit, lib. 12. Comm. *Sextus agitur annus, viri fratres* &c. Volebat ægrotus, & ſenex Pontifex in Turcas proficiſci, vt facto, & verbis Chriſtianos Principes ad idem incenderet. *cum viderent, aiebant, —— Ieſu Chriſti Vicarium, ſenem, & ægrotum in bella vadentem, pudebit eos manere domi; arma capient* &c. flentem inter dicendum, Cardinales flentes audierunt, & conſilium probarunt: Oſtienſis Epiſcopus *te ſequar*, dixit, *quocunq; iuſſeris; omne, quod impoſueris, feram.* Portuenſis plorans *Hominem te haðtenus exiſtimaui. Pontifex, nunc Angelum iudico. —— ego lateri* F *tuo ſemper comes ero —— nec te per flammas euntem deſeram; quando recta in cælum vadis.* Secunda hac Cruce in Turcas propoſita, Pius Anconam iturus 14. Kalend. Iulij, Vaticanas aras (vt Roma diſceſſurus conſueuerat) veneratus, lectica vectus vſque ad pontem Miluium proceſſit; quatriduo aduerſo tyberi lembo nauigauit, deinde terreſtri itinere vſus eſt. Cardinales Carauaialium, & Papienſem, eo in itinere, menſæ ſuæ honore proſecutus, inter edendum, nihil, niſi ſoluendæ claſſis ardorem ſuſpirauit. Laure-

Card. Papien. lib. 1 Comm. & Epiſt. 41. Card. Pap. loc. cit.

Cāpanus in eius vita.

A tanam ad Ædem in eodem itinere diuertit, Calicem aureum, & Patenam ponderis inſignis, & operis nuncupati voti munus, Angelorum Reginæ, voti, & muneris adiecta inſcriptione, dedit, dicauit.

PIA. DEI. GENITRIX

Quamuis tua poteſtas nullis coarctetur finibus, ac totum impleat Orbem miraculis: Quia tamen pro voluntate ſæpius vno loco magis, quàm alio delectaris, & Laureti tibi placitam Sedem per ſingulos dies innumeris ſignis, & miraculis exornas; Ego infelix peccator mente, & animo ad te recurro, ſupplex orans, vt mihi ardentem febrim, moleſtiſſimamque tuſſim auferas, leſiſque membris ſanitatem reſtituas, Reipub. vt credimus, ſalutarem.

Interim hoc munus accipito meæ ſeruitutis ſignum.
Pius Papa II. Anno Hum. Sal. MCDLXIV.

Ex Turſellino lib. 1. c. 10. Hiſt. Lauretanæ

Fiom ann. 1464. deceſſiſſe ait dixit l. c. Turſellinus; at ab bene.

B Clementiſſimam Dei matrem, ab adoleſcentia in vitæ ducem delectam piè ſemper coluit, gratia, eius ope, pericula euaſerat, cum abſumpta iam voce moreretur, Papienſi dixit, *ora pro me fili, peccator etenim ſum:* & Crucem aſpiciens ſuſpirans iterabat. *miſerere mei Deus, miſerere mei; & tu Virgo miſericors ſeruum deficientem ne deſere: per miſericordiam Filij tui ſuſcipe animam excedentem.*

* *Philippum Burgundiæ.*] Vide lib. 12. Comment. Pij II. & Platinam in Pio.

* *Senas proficiſcitur.*] Card. Papien. lib. 1. Comm. & epiſtola 41. deſcribens iter Anconitanum Pij, Senas illum tunc contendiſſe, non narrat; ſed Narniam, Interamnam, Spoletum, & continuato itinere medio ferè Iulio, Anconam cum Mantuam iret, initio Pontificatus, Senas adijt. Ciaconius Pium Anconam iturum, bis ab Vrbe diſcedentem facit, at non rectè: ſemel enim tantum eò migraturus diſceſſit; Vide quæ paullò ante de Anconitano Pij II. itine- C re diximus.

C. Papien. epiſt. cit.

* *Venetorum Ducem expectat.*] Chriſtophorus Maurus Venetorum Dux, cum duodecim triremibus, Anconam veniens à quinque Cardinalibus, à Pio miſſis, Pontificia triremi, ad tertium milliarium, exceptus fuit: Pius, ad cubiculi feneſtellam libens, & iubens delatus, Pontificiam, & Venetam claſſem aſpexit.

C. Papien. l. 1. Cōm. & epiſt. 41

* *17. Kal. Septembr.*] 19. Kal. Septemb. hora inter 2. & 3. ſequentis noctis virginalis Aſſumptionis die: ait Panuin. in Chron. die profectò Reginæ Angelorum in cælum migrantis, hora noctis circiter tertia, dum ſacra legerentur, Pius mente in cælo defixus, *ſanta quiete*, ait Cardinalis Papienſis *ſpiritum Domino reddidit; vt commeantem, non morientem diceres emigrare, & ſine ſenſu mortis excedere.*

Epiſt. 41. L. 1. Com.

Germena verba, quibus, interrupta, & vicinæ mortis vi languente voce Pius Cardinales plorantes allocutus eſt, à Cardinali Papien- D ſi referuntur, necnon quæ Cardinalis Nicænus, Collegij princeps, reſpondit. *ea, quæſo, ſi tibi ſancta Chriſti religio cordi eſt, perlege.* Poſtrema Papienſi ab eo dicta, ſunt. *Continuationem ſanctæ expeditionis memora fratribus; & adiuua tu, quoad potes Væ vobis, væ vobis ſi opus Dei deſeritis, benefac fili, & Deo orationē offer pro me.* Senex cœnobita Camalduli clauſtro, clauſus quadraginta ſex annorum aſperitati, & rerum cæleſtium ſtudio aſſuetus, miraculorumq; fama notus, hora ipſa, qua Pius à mortalibus diſceſſit; Sacerdotem magnum corona triplici, candidàque veſte decoratum, nubecula ſeptum, virginum canentium agmine comitante, deferri in cælum, ſe videre, exclamauit.

Epiſtol. & lib. cit.

Cāpanus in vita Pij.

Ad Valle Clerico ni Regul.

* *Sepulcro.*] Sepulcra Pij II. & Pij III. cum antiquæ Vaticanæ Baſilicæ parietes, Paulo V. imperante, diruerentur, Alexander Perettus Cardinalis Montaltus ad Ædem inſignem S. Andreæ, ad Vallem à ſe extructam, tranſtulit, editiſq; in locis collocauit.

E * *Epitaphio.*] Apud Platinam diuerſum epitaphium offendes: hoc nempe. PIVS. II. PONT. MAX. NATIONE. TVSCVS PATRIA. SENENSIS. GENTE. PICOLOMINEA.

* *Quinque, & quadraginta millia.*] Ex Platina in Pio II.

* *Non Reges, non Duces.*] Hæc quoque ex Platina l. c.

* *Epiſtola eius ad Turcam.*] Defendit illa veritatem Chriſtianæ noſtræ religionis, & Maometicæ ſectæ deliramenta, exemplis, rationibus, teſtimonijs refutat, Turcarumq; Regem ad Chriſtiana ſacra cohortatur. ob auream illam lucubrationem. Pleſſæus Æneam impudenter carpit, inquiens *Pius offert Mahometi Imperium Cōſtantinopolitanum, ſi Chriſtianæ religioni nomen det.* Non verè Pleſſæus. Orientis illud Imperium Turca tyrannicè inuaſerat, detinebat; Pius, egregius omnium Paſtor, ad eum ſcripſit. *Nos te (ſi Chriſtianus fias) Græcorum, & Orientis Imperatorem appellabimus; & quod modo vi occupas, & cum iniuria tenes, poſſidebis iure.*

V. Greſſerum c. 44. Red. Myſt. Pleſſ.

F * *Aggreſſus eſt Hiſtoriam.*] Alia ſcripſit neq; à Ciaconio, neque à Platina, neque à Nomenclatore recenſita. De Bono pacis ad Regem Alphonſum, Aſiam Minorem, de Tranſlatione Capitis S. Andreæ, de Expeditione in Turcas, Orationes, Epiſtolaſq; nonnullas nondum editas; quas m. ss. Senis extare, affirmauit, me audiente, Io. Baptiſta Picolomineus, Senenſis olim Eccleſiæ Primicerius.

* *Retractationem.*] *In minoribus agentes* &c. p. 1. Bullarij. Libri 12. Commentariorum Pij II. lib. 1. Comm. Card. Papienſis, eiuſdem Cardin. epiſtolæ nonnullæ, præcipuè 18. 40. 41. 50. & Gregor. Lollius epiſt. 47. apud eundē, Antonius Campanus, in vita ipſius Pij,

& in ſunebri oratione Senis habita. multa de hoc Pontifice habent.

* *Affirmant Poluctores.*] Ex Campano. Pio Cardinales Anconæ parentarunt: præcordia extracta in D. Cyriaci humata: corpus, quod Romam delatum, Cardinales ſunt proſecuti. antequam diſcederent, Venetorum Dux in eorum Senatu, inter duos poſtremos Diaconos, Pium celebrauit.

Ex Campano ibid.

Innumera, ferè, de Pio dici poſſent, à Ciaconio prætermiſſa nonnulla ego, lectori placitura paucis indico. Electus Pontifex lacrymas fudit: nihil illi iam cordi fuit, quàm ſanctæ religionis defenſio; Mantuæ non exauditus, ab inceptis deſiſtere noluit, donec Chriſtianos Principes ad Euangelij defenſionem excitaret; varijs in locis etiam ante purpuram, contra Turcas tanta vi declamauit, vt ſine lacrymis audiri nunquam potuerit: eaq; polluit facundia, vt neminem dicendo ad ſe non traxerit. non eſt, ferè locus celebrior in Orbe, in quo ipſe non perorauerit: vita, mores, ſermo illius ad publicum bonum, ad religionis propagationem ſpectabant: de Regum ſtatu, de Principum concordia, de tranquillitate, & pace Orbis terrarum diſſerebat. Pontifex Georgium Poggebracium Boemiæ Regem in Huſſitarum hæreſi natum, & altum, in eaq; ab hereſiarcha Rocitzana confirmatum, poſt hæreſis abiurationem, ad inſanam mentem reuerſum reiecit; ad Imperatorem, & ad illum datis literis, omnem mouit lapidem, vt reſipiſceret: ſed fruſtra; quate Vratiſlaoienſes ab illius obedientia exemit; eùmque Regem eſſe non poſſe, neque illi, vt Regi, obediendum; qui ſe ab Eccleſia ſua ſponte præſciderat, declarauit. Vide literas *Cogit nos* &c. apud Cochlæum lib. 12. Hiſtoriæ Huſſitarum vbi aliæ eiuſdem Pij literę, & Georgij timore perculſi ad illum, ſimulatione inuolutæ. Oratores Cyprios Regis ex pellice filium; filia ex vxore reiecta, in Regem petentes repulit: ille enim in Soldani Ægypti verba iuraſſe, Cypriúq; vectigalem ei ſpopondiſſe ferebatur. Sigiſmundum Malateſtam non benè de Chriſtiana religione ſentientem damnauit, fortunis exuit, eiuſque ſimulacrum vicacim Romæ comburi, iuſſit: cum is reſipuiſſet, & errores publicè reuocaſſet. Angelus Geraldinus Amerinus, Epiſcopus Sueſſanus, à Card. Theanenſi Legato Ariminum ad auferendum anathema miſſus eſt; cui populus, & Sigiſmundus ipſe veniam poſtulans obuiam iuit. Sigiſmundum Auſtriæ Ducem, ob vim Cardinali de Cuſa illatam à fidelium communione ſecreuit. Ferdinando Arragoneo Neapolitani Regni ſceptrum confirmauit. Cuicumq; veniam petenti facilè Pius pepercit; pertinacibus inexorabilis. A Romano Pontifice ad futurum Concilium prouocantes anathemate etiam affecit, Mantuæ, ſtatuitq; ibidem, vt Protonotarij Apoſtolici locum Epiſcopis cederent. Carlotam Cypri Reginam, Ducis Sabaudiæ vxorem, regno pulſam ad ſe venientem in aula Conſiſtorij publicè excepit, hoſpitio donatam cum familia alur; venienti Cardinales, Curiàmque vniuerſam occurrere, voluit; quater, aut quinquies eam audiuit, flentem, & mœrore ſemiconfectam ſolatus eſt, ope iuuit, frumentum, vinumque in Cyprum ad obſeſſos ſubleuandos, promiſit; à ſingulis Cardinalibus ſinguli equi, Pio imperante, ei dati. vt pragmatica ſanctio aboleretur, laborauit Pius, eamque ſublatam audiuit. cum literæ ſublatam ſanctionem docentes in Conſiſtorio legerentur, præ gaudio Pontifex in fletum erupit.

Camp. lib. 3. Com. loc. cit. C. Ægid. in hiſt. in ſec. lib. 2. Comm.
Cāpanus
Pet, Rom. 1461. 6 Kal. Apr.
L. 6. Com.
Cāpanus in Pio. Vide etiam L. 11. Com.
Cāpanus
1459. 15. Kal. Febr. pnd. Idus Ian.
L. 7. Com.
Vide lib. 6 Comm.

Ludouicoq; Regi deinde ſacratum miſit Enſem, cuius vaginam aurum, gemmæque exornabant, & prius Burgundiæ Duci Philippo pat donum miſerat.

Lib. 7. Comm. Lib. 5.

Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramētum inſigni ſupplicatione, Viterbij, die eius feſto, ſplendidiſſimoque apparatu, veneratus eſt: Quæ prælsita graphicè is deſcripſit, tu, lector, non ſine iucunditate, leges. Romæ inſignem diſputationem de Chriſti ſanguine, An ſcilicet à Chriſti corpore in morte ſeiunctus latriç cultu adorandus, inter præſtantes Dominicani, & Franciſcani Ordinis Theologos coram ſe, & ſacro Senatu haberi, voluit; quam lib. Comm. 11. diligentiſſimè retulit: eo Mantuæ morante. altera habita eſt de Chriſti ſanguine ibidem piè culto diſputatio, An ſcilicet ab ipſo Chriſto vulneribus affecto, An ex aliqua illius imagine icta effluxerit: & an illi latriç cultus debeatur: vt refert Hippolythus Donſmundus, p. 2. Hiſt. Eccleſiaſticæ Mantuanæ: à quo, dicente, Io. de Turrecremata nondum Cardinale cum Franciſco Saonenſi (Siſtus IV. is in Pontificatu) diſputaſſe, vt diſcedam veritas cogit; ab Eugenio enim IV. inſignis ille Theologus Romanæ purpuræ additus florebat vetuit aliquem docere, autem, hæreticum eſſe, vel delinquere, qui tenet, vel credit, Chriſti ſanguinem effuſum, triduo mortis, à Diuinitate fuiſſe, vel non fuiſſe ſeiunctum. Eccleſiam Senenſem in Archiepiſcopalem erexit, cum Senis eſſet, 1459. 10. Kalend. Maij *Triumphans* &c. Seruitatum Senenſium nobili Templo Crux ſancti Andreæ, & pollicem ſancti Bartholomæi donauit; Congregationem Montis Oliueti priuilegijs auxit. *Licet* 1462. 3. Non. Octob. Petrioli: contra Clericos malè ad Ordines promotos legem tulit, ann. 1461. 15. Kal. Decembr. Thadæum Vicarium, & Procuratorem Generalem ordinis Fratrum Seruorum diſciplinæ ordinis Cruciferorum collabentis reſtituendæ præfecit. Gianius par. 2. Annal. ordinis Seruorum cent. 3. lib. 2. cap. 8. Alexandro Mirabello familiæ, & rei domeſticæ Pontificiæ præfecto oppidum, cui nomen Fraſcatum in canicularis ardoris ſeceſſum, tribuit. Pontifices eiuſdem oppidi regimen Pontificiæ familiæ præfectis tradunt. æſtate diſcedebat ab Vrbe, nocturnis itineribus vtebatur, in locis amœnis Principum Oratores audiebat, Conſiſtoria interdum habebat, fontibus delectatus apud illos nonnunquam cibum capiebat; in menſa, in cubili, in itinere ſubſcribebat: ſubſiſtens poſtulatores vocari, præcipiebat; ſine pugillaribus nunquam, vel ad viridarium acceſſiſſet.

L. 1. Com.
1463.
Lib. 6.
Turrecr.
Ancon. e 1464. Kal. Aug. to. 1. Bull.
dexterum
Romæ to. 1. Bull.
Campanus.

Futura aliquando prædixit Pius. quæ euenere, quadriennio ante mortem, ſe in belli apparatu moriturum, hoc verſu, à ſe ſcripto, & à Campano conſpecto, dixit.

In Turcas bellum dum parat, occubuit.

Adultero de riuali quærenti, *Ne deſieris*, inquit, *breui occideris*, exacto nondum menſe, id accidit, in pratis Quintijs. diſcedens ab Vrbe, ad mœnia conuerſus. *Vale Roma*, dixit, *nunquam amplius viuum me viſura*, alia narrat Campanus, egregias ſententias protulit. Humilitatem, liberalitatem, abſtinentiam, continentiam, ſcientiam, virtutes omnes Cardinalatum in Cardinali requirere.

In eius vita.
L. 4. Com.

Deo tantùm, & ſacris literis ſummi Pontificis auctoritatem ſubiectam eſſe. Cardinali ſubitato dicenti, *ſe melius Deo in Eccleſia ſua*, (erat Epiſcopus) *quam Romæ ſeruiturum*, reſpondit. *Perge, & ſine te Romana Eccleſia ſuam retinebit dignitatem*. Aulico, qui verboſiorem hominem volebat amouere, cum iuſſiſſet, eum dicta repetere, *Neſcis, ex quo Pontificatum inius, alijs me viuere oportere, non mihi?* Carlotæ Cypri Reginæ: *inſtabile*, dixit, *Regni ſolium eſt, nulla potentia* (humana) *longa, hos erigit, illos deprimit, Deus permittit*. *Aſtrologus ſe manus habere, per ſocium; aiebat; nam tumeſcentes æquinoctium indicabant*. Quoties Roma diſcedebat, aras omnes Baſilicæ Vaticanæ ordine venerabatur; in ſummo iugo Vulſino ſacellum condi præcepit, vbi D. Chriſtinæ Ædes. moriturus Patres ad oſculum ordine acciuit, veniam à ſingulis prius, ſi minus rectè Eccleſiam rexiſſet, petijt, eóſq; iterum amplexus, linin ſe, iuſſit, preces, cum orantibus, iunxit.

L. 1. Com.
Loc. cit.
Lib. 9.
Cāpanus.

Campanus Pium rebus geſtis, religione, pace, bello, in vita, in morte, in poſteritate glorioſum dixit. Ianus Vitalis breui carmine honorauit.

In Orat. funeb.

Dum tremit Italiam, Lybia, & Gangetica tellus,
Et Magni Vires, conſiliumque PII,
Ecce omnis ſpes ſurripitur labefacta triumphis,
Impiaque eripuit mors tibi Roma, PIVM.

NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI SOCIETATIS IESV.

FAMILIA Picolomineorum Roma Senas tranſlata inter vetuſtiores, & nobiliores illius ciuitatis habita, dum optimates reipublicæ præfuerant, & literis, & armis clarunt, ac plures arces, & caſtella obtinuit. Sed à nobilibus in plebem deriuator egimine, ſicut, & cetera nobilium, ſic, & Picolominea domus Senis erecta. Superfuit tamen auo Æneæ Syluio non tenuè patrimonium, ex quo potuit vitam honeſtam ducere, ſed iuuenis immatura morte deceſſit relicta Montaniana vxore prægnante, ex qua natus eſt Syluius poſthumus, quo pupillo bona eius ſub tutoribus, & actoribus diſſipata ſunt. Hic tamen educatus ingenuè, literis ediſcendis traditus eſt, qui Liberalibus artibus eruditus, vbi adoleuit, in militiam profectus, ac varijs caſibus actus domum tandem redijt, ac vendicata patrimonij tenui portione, Victoriam ex domo Forteguerrarum quamuis nobilem virginem, attamen pauperem duxit in vxorem; quæ adeo fœcunda fuit, vt ſæpe gemellos pepererit. Ex ea Syluius duodeuiginti liberos ſuſtulit, non tamen vltra decem ſimul aggregauit; quos vrgente inopia, Corſiniani enutriuit, ſed omnes tamen iniqua lues extinxit, duabus tantum ſororibus Laudomia, & Catharina cum Ænea ſuperſtitibus.

Familia Picolomineorum Senas tranſlata.
Gobellinus in Commentarijs. Antonius Cāpanus in vita. Picolomineorum nobilitas. Erecti Senis.
Syluius Æneæ pater.
Victoria Forteguerra mater Æneæ.

Iuuat autem antequam ad alia tranſeamus, hoc loco referre, quæ Campanus Orator & Poëta illius ætatis præſtantiſſimus, in eius parentum nomine luſit eleganter.

Quod victore PIO fieri tot prælia cernis,
Inualidasque ſuis hoſtibus eſſe manus.
Ne mirere, PIVM peperit Victoria mater,
Matris ab vberibus vincere ſic didicit.
Quod placeant ſylua, & magnum luſtrauerit Orbem
Syluius ita genuit conditione pater.
Iure igitur latè ſpatiatur, & omnia vincit,
Patris obire orbem, vincere matris habet.

Æneas etiam patris Syluij nomen accepit, & ob reuerentiam Apoſtoli Bartholomæi, Æneas Syluius Bartholomæus eſt appellatus, editus autem in lucē ipſa die ſancti Euangeliſtæ Lucæ XIV. Kalend. Nouembris anno ſalutis quinto ſupra milleſimum, & quadringenteſimum. De eius matre tradunt, cum per quietem viſa ſibi eſſet infantem cum mitra parere veritam, ne ſomnium illud puero, & familiæ ignominiā portenderet, quòd ſolerent mitræ chartaceæ ſupplicio officiēdis imponi, nunquam potuiſſe huiuſmodi ſuſpicionem deponere, quouſq; intellexit, filium Tergeſtinum Epiſc. deſignatum fuiſſe vt dictum eſt ſupra. Hic in pueritia trium annorum dum ludit inter æquales, muro lapſus alto, & in ſaxum alliſus, ingens capitis vulnus accepit, quod præter ſpem, & opinionem parentum Nicolaus Monticulanus, qui eum de ſacro fonte leuauerat, ſine literis medicus, vt dicunt, empiricus breui curauit.

Plura Æneæ nomina.
Æneæ mater promdet filij dignitates.
Plura in Pio II. Henr. Spōdan. in Annal. Eccleſ.
Æneę pueritia.

Exin-

Maior factus Senas ſe confert ad ſtudia.

A Exinde apud patrem cum ciuili exercitatione quæuis officia ruris, animi leuandi cauſa, prout a nobilibus fieri ſolet, obijſſet, annos iam duodeuiginti natus in Senarum vrbem migrauit, & exceptus apud neceſſarios, qui bonæ frugis adoleſcentem minimè relinquendum exiſtimabant, audire Grammaticos cœpit, deinde Poetas, & Oratores auidè ſectatus, poſtremò ad Ius ciuile ſe conferens, eius profeſſores aliquot annos audiuit, cuo exorto inter Senenſes, ac Florentinos graui bello, literarum ſtudia intermittere, ac patriæ dulce ſolum relinquere coactus eſt.

Dominici Card. Capranicæ à ſecretis Baſileam petit.

A Dominico Capranica Baſileam contendentes in ſecretarium receptus, cum Genuam tenderet, vnà cum Dominico, alijſque, ingentibus iactatus procellis, in conſpectum Lybiæ delatus eſt trementibus admodum nautis, ne Barbaris portubus redderentur. Mutatis illico ventis in Italiam reuerſi Portum Veneris appulerunt, vbi recepta trireme, felici nauigatione Genuam, atque inde Mediolanum terreſtri itinere petierunt. B Nec diu ibi morati per Alpes, quas ſancti Gothardi appellant niue, glacieque rigentes, ac præruptos, & cœlo vicinos montes Baſileam venere: ibi Dominicus apud Synodum ſui Cardinalatus cauſam mouit, atque Ænea procurante reſtitutus eſt dignitati. At cum Dominicum paupertas premeret, quia prohibente Eugenio nil ei propinqui miniſtrabant, Æneas ad Nicodemum Scaligerum Epiſcopum Friſingenſem, cuius pater Veronam occupabat, & illo ex Baſilea recedente, ad Bartholomæū Vicecomitem Epiſcopum Nouarienſem ſeſe recepit, ab vtroque dictandi, ac ſignandi epiſtolas officio præpoſitus.

Baſileæ Nicodemo Scaligero, cum Bartholomæo Vicecomiti in ſignandis epiſtolis inſeruit.

Cum Nicodemo ad Principes Electores, qui Francofordiæ conuenerant, profectus eſt: cum Bartholomæo in Italiam rediit, diuque apud Philippum Ducem Mediolani, cui Bartholomæus ſeruiebat, verſatus eſt.

Redit in Italiam.

In eius Senatu cum duo de Rectoratu ſcholæ Papienſis contenderent, alter Mediolanenſis genere clarus, alter Nouarienſis humili familia natus, ac Mediolanenſi pars maior Vniuerſitatis faueret, C qui iam Magiſtratus inſignia aſſumpſerat, ac duos patruos in conſilio Principis admodum potentes haberet, Æneas Nouarienſis partes accepit, ac tantùm ſua oratione contendit, vt erepta Mediolanenſi dignitas, Nouarienſi traderetur.

Florentiã ad Eugen. IV. ſe confert.

Interiecto deinde tempore ad Eugenium Florentiæ commorantem, cum Bartholomæo Epiſcopo perrexit; inde ad Nicolaum Piccininum, clarum illius ætatis, & præcipuum belli Ducem apud Balneas Senenſes lauantem diuertit, & dies quinque apud amicos, & neceſſarios ſuos in vrbe Senenſi permanſit. At cum ſediſſet Florentiam, comperit, Bartholomæum Epiſcopum Nouarienſem apud Eugenium magnis de rebus accuſatum, capitali iudicio laborantē, ob quam cauſam Æneas ad Nicolaum Albergatum Cardinalem ſanctæ Crucis, probatiſſimum, & laudatiſſimum Patrem confugit, qui D & ipſum in Secretarium accepit.

Fit Secretarius Nicolai Card. Albergati.

Cum hoc Cardinali, deſignato ab Eugenio Legato in Franciam, Æneas tertiò Mediolanum vidit, atque inde primò ad Amedeum Sabaudiæ Ducem, qui tunc ſpreto ſeculo in Eremo vitam degebat, ſe contulit, deinde per Rhenum Coloniam Agrippinam nauigauit, vbi rurſus equis conſcenſis per Aquiſgranum, Leodium, ac Louanium, Duacum, ac Tornacum in Atrebates deſcendit.

Æneæ iter in Galliã primo, mox inde Scotiam.

Hic Æneas ad Philippum Burgundiæ Ducem contra Regem Galliæ armatum, & Anglis coniunctum de bono pacis epiſtolam verſu conſcripſit. Deinde iuſſu Cardinalis Legati Scotiam verſus iter ſuſcepit, & Caleſium venit, quod eſt oppidum continentis in Oceani ripa obiectum, Anglis mox quaſi ſuſpectus ad hoſpitem commendatus neque progredi, nec regredi permiſſus, auxilio tamen paulò poſt Cardinalis Vvintonienſis ex Atrebato redeuntis dimiſſus eſt. At cum veniſſet Æneas ad Regem Angliæ, ac literas peteret, quibus longam, & difficilem viam Scotiam verſus conficere tutò poſſet, retro cedere iuſſus eſt, timentibus Anglis, ne apud Regem Scotiæ hoſtem ſuum contra ſe aliquid E moliretur; cum conſtaret Cardinalis ſanctæ Crucis Secretarium eſſe, quem Angli ſingularibus inimicitijs inſectabantur, quia ab eis Philippum Burgundorum Ducem abenauerat. Grauis Æneæ, ſed neceſſarius hic reditus fuit. Remenſo igitur mari ad oppidum Brugis ſe contulit, atque inde Cluſas petijt, ibi nauem ingreſſus, dum Scotiam petit, in Noruegiam propellitur, duabus maximis iactatus tempeſtatibus, quarum altera quatuordecim horas mortis metum incuſſit, altera duabus noctibus, & vna die nauim concuſſit, atque in fundo perfregit, adeoque in Oceanum, & Septentrionem nauis excurrit, vt nulla iam cœli ſigna nautæ cognoſcentes ſpem omnem ſalutis amitterent. Sed affuit diuina pietas, quæ ſuſcitatis Aquilonibus nauim ad continentem repulit, ac duodecimo tandem die terram Scotiam patefecit, vbi apprehenſo portu Æneas ex voto F decem millia paſſuum ad beatam Virginem, quam de Alba Eccleſia vocitant, nudis pedibus profectus, cum illic horis duabus quieuiſſet, aſſurgens moueri loco non poterat debilitatis, atque obſtupefactis hiemali frigore pedibus. Saluti fuit nihil edendum illic inueniſſe, atque in aliud tranſmigrandum fuiſſe, quò dum famulorum ope magis portatur, quàm ducitur, pedetentim terram quatiens, calefactis pedibus ex inſperato ſanitate recepta ambulare cœpit. Ad Regis denique præſentiam intromiſſus nihil non impetrauit ex his, quæ petitum venerat: ſumptus ei viarum reſtituti ſunt, & in reditum pecuniæ, ac duo equi dono dati. Peractis rebus cum redeundum eſſet, è veſtigio magiſter nauis, qui eum vexerat, ad Æneā A accedens, locum redeunti in naui obtulit, quam prius habuerat; cui Æneas non tam futuri præſcius, quàm præteriti periculi memor; *ſi fruſtra Neptunum*, inquit, *accuſat, qui bis periculum incidit, quid in eum dicere oportet, qui tertio naufragium patitur. hominum ego quàm maris experiri miſericordiam malo*, ac dimiſſo nauta iter ſibi per Angliam delegit. Nec mora, ſoluens à portu nauis, in conſpectu omnium tempeſtate vexata, colliſa, & ſubmerſa eſt. Tunc ſe diuino nutu, ac beneficio ſeruatum Æneas intelligens, diſſimulato habitu ſub ſpecie mercatoris per Scotiam tranſiuit in Angliam: vbi interdictum Regis eſſe comperit, ne quis peregrinus abſque literis Regis inſula exiret, neque illas petere tutum videbatur. Corrupit Æneas pecunia cuſtodes portus, quod apud id genus hominū minimè arduum eſt, quibus nihil eſt auro dulcius. Ex Dubla igitur Daleſium nauigauit, atque inde Baſileam petijt, & itinere continuato Mediolanum, vbi certior factus Cardinalem ſanctæ Crucis Florentia Baſileenſe Concilium adire, ad eum ſuperatis Alpibus profectus eſt.

E Scotia Baſileam redit.

B Referam nunc paucis quæ in Baſileenſi conuentu Æneæ obtigerunt, & quæ illic ab eo cum laude geſta ſunt. Agebatur eo tempore de tranſlatione Concilij in alium locum, ad quem Græci venturi putarentur, & quatuor in electionem loca dabantur, Florentia ſcilicet, Vtinum, Papia, & Auenio. Cumque in laudem cuiuſque loci in auditorio maximè copioſè peroratum fuiſſet, ac ſolius Papiæ commendationes defuiſſent, quod Iſidorus Rolatenſis, quem Philippus Maria Dux Mediolani ad eam rem miſerat, ineptè, atque inſulſè verba faciens, quieſcere iuſſus erat, motus Æneas, & Vrbis egregiæ, & Principis eius contemptu, conſcripta per noctem oratione, ſequenti die ad conuentum veniens, obtenta ex auctoritate Iuliani Legati copia dicendi, orationem duabus horis cum omnium ſingulari attentione, & admiratione perorauit, cuius exemplar omnes, qui aderant, edi poſtmodum ſibi curauerunt.

Ducis Mediolanenſis cauſam defendit in Conuentu Baſileenſi.

C Æneæ deinde, & Concilium gratus, & Dux Mediolanenſium propitius fuit. Inter duodecim viros illico numeratus, quod munus quamuis trimeſtre, tamen magni ponderis erat; nihil enim deputationes deliberare poterant, niſi materiam à duodecim viris iſtis accepiſſent: neque ad Concilium quiſque admittebatur abſque horum decreto. Claues plumbi, quo Synodales literæ ſignabantur, frequenter in eius cuſtodia fuerunt; inter Abbreuiatores Parci maioris locum habuit: quoties è nationibus aliqui ad res ſingulares delecti ſunt, rarò is vnus non fuit.

Munera diuerſa exercet in Concilio Baſileenſi.

Legationes Synodales ei ad Argentinam tres, ad Conſtantiam duæ, ad Francofordiam vna, ad Ducem Sabaudum vna demandatæ ſunt, atque omnes feliciter obiuit.

Legationes.

Fit Præpoſitus Eccleſiæ ſancti Laurētij.

Cum Præpoſitus S. Laurentij Mediolanenſis Baſilicæ diem clauſiſſet extremum, D Franciſcus Mediolanenſium Pontifex doctrina, & ſanctimonia commēdatiſſimus, approbante Concilio Æneam illi ſuffecit, quamuis eſſent complures, & Doctores, & magni viri natione Mediolanenſes, qui ſe promotos optabant. At cum in concione generali res ageretur, Iſidorus Rolatenſis, Æneæ æmulus, quòd in laudando Papia ſe inaudito fuiſſet auditus, *Quid agitis Patres*, inquit; *electionem Præpoſituram Aeneæ homini extero committitis? vbi decretum veſtrum, quod tantopere ſeruari præcipitis? beneficia in terra Mediolanenſi abſque voluntate Principis de vobis optime meriti confertis? Ciues, & Doctores ſpernitis? alienos eligitis?* tum Æneas, *vehementer*, inquit, *admiror Patres optimi, Iſidorum aduerſum me verba facere, qui nuper ex Mediolano reuerſus, literas Philippi Ducis ad me detulit, quibus ille Princeps gratias mihi agit, quod eius cauſam hoc in loco perorauerim; atque ob eam rem gratum ſibi eſſe affirmat in eius ditione quodcunque ſacerdotium me acceptare, cuius libenti animo poſſeſſionem ſit mihi daturus:* E *Non igitur ille me extraneum habet, neque noua res eſt vnius regionis homines in altera dignitates habere, ſi modo linguam norint: nam & Archiepiſcopus ex Bononia Mediolanum venit. Neque mouere quēquam debet, quod de Decreto electionis obijcitur; inferiores enim ſuperiorem obligare haud valent: vos Patres agetis vt libebit, nihil peto, quod veſtro ſit honori aduerſum: quod ſi mihi prouidendum duxeritis, voluntatem veſtram ſine poſſeſſione electionis Capitulari prætulerim.* Ad quæ cum Iſidorus reſponſurus aſſurgeret, vniuerſorum adſtantium clamore correctus obticuit. At Æneas Mediolanum profectus, nobilem quendam ex Landrianorum familia, Ducis iuſſu per Capitulum ad eam Præpoſituram vocatum, & in poſſeſſionem adductum inuenit, quem ſibi mox cedere compulit, tantum Æneæ, & Princeps, & Curia fauit. Sed obtenta Præpoſitura illa, ingenti febri correptus in lectum incidit, ad illum Philippus F Dux Medicum ſuum doctum virum Philippum Bononienſem ſingulis diebus mittebat.

In morbū incidit.

Quinque ſupra ſeptuaginta diebus continuis, febris ardore concuſſus nunquam adduci potuit, vt incantatores auſcultaret, quamuis homo ad ſe adduceretur, quem nouiſſimè in caſtris Nicolai Piccinini duo millia virorum ex febribus liberaſſe diceretur. Sed Deo fidens, cuius ope ſeruatus in vita fuerat, adhuc febricitans, iter arripiens, inter equitandum febri liberatus, Baſileam reuerſus eſt. Vbi cum ſolemnitas ageretur Diui Ambroſij Mediolanenſis, Archiepiſcopo iubente, ſermonem de laudibus ſancti Patris ad Synodum habuit, quamuis eiuſdem Synodi Theologi reſtitiſſent, qui ſibi id muneris expetebant, ſed prælatus cunctis Æneas incredibili attentione ab omnibus auditus eſt.

Serm. de laudibus S. Ambroſij à Synodo habet.

Vnà cum Bartholomæo Epiſcopo Nouarienſi ad Albertum Cæſarë ſe confert.

Interea mortuo Sigiſmundo Cæſare, atque Alberto in eius locū ſubrogato, miſſus ad eum Bartholomæus Nouarienſis Epiſcopus à Philippo Duce Mediolanenſi, qui cum Baſileam veniſſet, Æneam ſibi comitem in itinere, & legatione non ſine precibus à Synodo impetrauit. Nondum Imperium Albertus acceptauerat, aduerſantibus Hungaris, qui ea conditione ſuſceptum Hungariæ Regnum dicebant, ne vel oblatum Imperium aſſumeret: incertus autē quid ageret Albertus, Legatos Principum, qui aderant, conſulendos cenſuit, ac tempus deliberantibus indulſit. Interim Bartholomæus Epiſcopus rationes ab Ænea conſcriptas accepit, quibus, & Imperiū acceptandum, & Hungaros ad conſentiendum induci poſſe videbatur: quas cum in Concilio recitaſſet, gratiæ ei publicæ actæ ſunt, & Albertus non conſentientibus modò, ſed vltro ſuadentibus Hungaris Imperatorem ſe dixit. At Æneas Auſtriæ moribus offenſus, quos nondum planè norat, dimiſſo apud Viennam Bartholomæo Epiſcopo, cum Ludouico Patriarcha Aquileienſi homine nobili Baſileam rediit. Hac in Vrbe peſtilentiæ morbo, quæ non modò Vrbem, ſed Prouinciam illam inuaſerat, tactus, fama vulgata eſt Æneam mortuum eſſe: quare Mediolanenſem Præpoſituram amiſit; nam alius illam obtinuit, qui propter Eccleſiæ vnionem repelli non potuit: ſed miſerante diuina gratia, poſt ſex dies Æneas conualuit. Petrus Iuliani Romanus Æneæ amiciſſimus habito cum familiaribus de medicis eligendis in Æneæ curatione, conſilio; vbi duos eſſe in ciuitate celebres medicos Æneas intellexiſſet; alterum Pariſienſem doctum, ſed irreligioſum; alterum Theutonicum indoctum ſed pium, pietatem ſcientiæ prætulit, quod incertam peſtiferi morbi ſciret eſſe curationem. Conualuit vt diximus, poſt ſextum diem Æneas, & cum ſex aureos medico in mercedem offerret, mira fides, bonitaſq; viri in medico forſitan inaudita, indignumque ſe ille tanto præmio exiſtimaret, *ſi hoc*, inquit, *aurum me vis accipere, ſex pauperes ſine pretio ægrotos curabo*, idque facturum ſe iureiurando aſtrinxit. Exin vacantibus Canonicatu, & præbenda Eccleſiæ Tridentinæ Concilium illos Æneæ ſummo fauore contulit, quamuis competitores eſſent non pauci, neque contemnendi homines.

Peſtilenti morbo correptus.

Canonicatū Tridentinum obtinet.

Amedeo Duci Sabaudiæ dicto Felici V. primò, & Federico III. Romanorum Regi, qui Alberto defuncto ſucceſſerat, à ſecretis fuit: huius nomine legationis munere functus eſt apud Tergeſtinos, vt ab illis fidelitatis iuſiurandum reciperet. Paulò poſt cum apud Norimbergam Imperator, ac Principes Electores ad extinguendum ſchiſma, quod inter Eugenium IV. & Felicem V. vigebat, intenderent, quatuor Cæſar viros elegit, qui auditis Eugenij, ac Felicis Oratoribus prouiderent, ne quid reſpublica Chriſtiana detrimenti pateretur: horum quatuor Aeneas vnus fuit. Interim Sarantanæ vallis Parochialem Eccleſiam ſitam in Alpibus, quæ Germaniam ab Italia diuidunt, fauore Cæſaris Aeneas aſſecutus eſt: verùm hanc Eccleſiam breui ille dimiſit, meliorem aſſecutus in Baioaria S. Mariæ Aſpacenſis non longè ab Aeno flumine, quam illi Leonardus Pataurenſis Epiſcopus vltro contulit.

Federici III. & Felici V. à ſecretis. Federici nomine legationes gerit.

Sarantanæ Eccleſiam, poſt eam Baioanam.

Poſt hæc Aeneas ad Eugenium à Cæſare miſſus, cum Senas veniſſet, vnanimi amicorum, ac propinquorum voce prohibebatur Romam adire; quia Baſileæ Eugenio infenſus fuerat. Contra Aeneas Oratorem Cæſaris non arbitrari ſeſe aiebat Romæ non tutum, Legationis onus a ſe receptum aut abſoluendum, aut ſibi moriendum, & ſic omnibus inuitis, ac flentibus Romam perrexit. Gerardus Landrianus Card. Cumanus, cū quo arctiſſimo neceſſitudinis vinculo Aeneas coniunctus iam fuerat, illum ad Eugenium introduxit.

Ad Eugenium miſſus.

Ad oſculum pedis primò, mox manus, & oris receptus Æneas, *prius*, inquit, *ſanctiſſime Pater, quam Cæſaris mandata referam de me ipſo pauca dicam. Scio multa de me tuis auribus inculcata eſſe neque bona, neque digna relatu, ſed neque mentiti ſunt qui me tibi detulerunt: plurima ego dum Baſileæ fui, dixi, ſcripſi, & feci, nihil inficior; at non tam tibi nocere, quam Dei Eccleſiæ prodeſſe mens mea fuit. Errauit quis negat? ſed neque cum paucis, neque cum paruis hominibus: Iulianum ſancti Angeli Cardinalem, Nicolaum Archiepiſcopum Panormitanum, Ludouicum Pontanum tuæ Sedis Notarium ſum ſecutus, qui meri oculi, & veritatis magiſtri credebantur. Quid Vniuerſitates, & alia Orbis Gymnaſia referam, quorum pleraque aduerſum te ſentiebant? quis cum tantis nominibus non errâſſet? Verum ego vbi errorem deprehendi Baſilienſium, fateor non ſtatim ad te confugi, quod plerique fecerunt, ſed veritus ne ab errore in errorem prolaberer, vt ſæpe in Scyllam incidunt cupientes vitare Charybdim, ad eos me contuli, qui neutrales habebantur, vt altero duorum extremorum ad alterum non ſine conſultatione, ac mora tranſirem. Manſi ergo apud Cæſarem tribus annis, vbi dum magis ac magis contentiones audio, quæ inter Baſilienſes, & tuos Legatos fiunt, nihil mihi dubij relictum eſt, quin te penes ſit veritas, atque hinc factum eſt vt cupienti Cæſari ad tuam me clementiam viam facere non inuitus paruerim: Sic enim me in tuam gratiam redire poſſe, iam ratus: Nunc apud te ſum, & quia ignarus, peccaui, mihi vt ignoſcas oro.* Cui Eugenius. *Scimus te*, inquit, *cum multis deliquiſſe, ſed erratum fatenti non poſſumus non ignoſcere: Eccleſia namque pia mater negantis debitum, nunquam remittit, fatenti nunquam retinet. Tu iam veritatem tenes, caue ne relinquas eam, atque bonis operibus diuinam gratiam quærito. eo in loco iam degis, vbi, & veritatem tueri poſſis, & Eccleſiæ prodeſſe. Nos iniuriarum poſthac præteritarum obliti, te bene ambulantem, bene amabimus.* His dictis, ad res Eccleſiæ ventum eſt, ſuper quibus Eugenius deliberandi tempus accepit: interiectis tantùm paucis diebus graui dolore oppreſſus Aeneas, duodecim dierum ſpatio decubuit. Sanitati denique reſtitutus, reſponſo ab Eugenio accepto, Senas repetijt, & conſolatus patrem quem poſtea nunquam vidit, ac ſalutatis propinquis omnibus in Alemanniā rediit.

Se excuſat apud Eugenium.

Excipitur ab Eugenio benignè.

Romæ in Alemanniam redit.

Interim Electores Imperij apud Francofordiam conuenientes, ob depoſitionem Colonienſis, ac Treuirenſis Archiepiſcopi ab Eugenio factam commoti, occultum inter ſe fœdus percuſſerunt, niſi Eugenius irritam depoſitionem hanc decerneret. Electorum mentem vt percepit, Cæſar, iterum Æneam ad Eugenium legauit, vt ſuaderet ei, ne Principes Electores contemneret, maximè verò, vt depoſitis Archiepiſcopis priſtinam redderet dignitatem. Eugenius audito Ænea, facturum omnia promiſit, quæ Cæſar ſuaſerat, quare illico Æneam ad Cæſarem remiſit. Tertio Cæſar Æneam ad Romanam Curiam Legatum inſtituit, vt eius, ac nationis Germanicæ nomine, relicta neutralitate obedientiam Eugenio præſtaret.

Iterum à Cæſare ad Eugenium miſſus.

Tertiò miſſus Romã.

Dum Romæ Æneas Cæſaris Legatus moraretur, ſecuta Eugenij morte, vnà cum cæteris Regum Legatis Conclaue cuſtodiuit: Poſt aſſumptionem Nicolai V. ab Vrbe Germaniam verſus receſſit: Poſt dies viginti certum nuncium de morte Epiſcopi Tergeſtini Nicolaus Romanus Pontifex accepit, qui nullum Cardinalem in Conſiſtorio conſulens, Æneam Epiſcopum Tergeſtinum pronunciauit, ac literas abſque pecunia expeditas ad eum miſit. Federicus quoque Cæſar, vt eius vacationem Eccleſiæ cognouit hanc, inquit, Æneæ impetrabimus, ac literas Pontifici in ea re iam ſe ignaro peracta conſcripſit, & ſic neſcius Æneas cum rediiſſet ad Cæſarem, ad Epiſcopatum, & Romani Pontificis, & Cæſaris voto ſeſe vocatum inuenit.

Poſt Eugenij obitū Conclaue cuſtodit.

Renunciatur abſens Epiſcopus Tergeſtin.

Inter hæc Imperator conuentum Prælatorum, & Principum apud Aſiasburgum, quod eſt oppidum Moguntinenſis Eccleſiæ, indixerat, eòque Aeneam miſit, vt Moguntinum Præſulem, & alios Principes in obedientia Nicolai confirmaret; neque incaſſum labor ceſſit; nam in conuentu illo, quæ Cæſar optauerat, Aeneæ ſtudio decreta ſunt. His peractis Mediolanum primò, mox in Hiſtriam, deinde iterum Mediolanum, demum ad Alphonſum Regem Siciliæ ire iuſſus eſt: tum ad componendā inter Cæſarem, & Venetos de finibus litem; tum ad firmandos Mediolanenſes in Cæſaris obedientia; tum demum ad contrahendum matrimonium inter ipſum Cæſarem, & Eleonoram Regis Luſitaniæ ſororem. His functus legationibus, dum adhuc Neapoli moraretur, à Nicolao Romano Pontifice Epiſcopus Senenſis dictus eſt; non tamen hic finis legationum. Vix in Germaniam ex Neapolitana Legatione redierat Aeneas, cum à Cæſare miſſus eſt ad Boëmos qui conuentum regni apud Pragam indixerant, quo abſoluto, iuſſu eiuſdem Cæſaris in Italiam venit ad recipiendam Eleonoram ſponſam; quam ad Cæſarem Senis commorantem duxit, cum illis Romam venit, in itinere accerſito Aenea, *Ecce*, inquit, Cæſar, *Romam petimus, videre videor te Cardinalem futurum; neque hic tua fortuna conquieſcet, altius eueheris, Beati Petri te Cathedra manet, caue ne me contempſeris, vbi hoc honoris aſſecutus ſis:* Cui Aeneas, *Nec Pontificatū maximum mihi arrogo, neque Cardinalatum:* At ego ſubintulit Cæſar: *Hoc ita futurum video.* Romæ Imperatoris iuſſu ante fores ſancti Petri in petitione Mediolanenſis coronæ, in benedictione ſponſalium, & in coronatione Cæſaris orationem habuit Aeneas. Poſtremo cum ipſo Cæſare Roma receſſit renunciatus Apoſtolicæ Sedis Legatus de Latere per Boëmiam, Sleſiam, Auſtriam, Morauiam, Stiriam, Carinthiam, & Carniolam, quam Legationem paulò poſt Nicolaus idem ad Hungariæ regnum extendit.

Ad Conuentum Aſiasburgë Cæſaris iuſſu ſe confert.

Legationes plures.

Epiſc. Senenſis dictus.

Legatus ad Boëmos, mox in Italiam.

Romæ orationes plures recitat.

Sedis Apoſtol. Legatus.

Interfuit conuentui Ratiſponenſi, & vice Imperatoris verba fecit, quibus in expugnatione Conſtantinopolitana quantum detrimenti reſpublica Chriſtiana accepiſſet, & quantū inſtaret periculum, niſi Turcarum conatibus occurreretur, planè dilucideque mōſtrauit, ac publicè ad capienda arma pro communi vtilitate ſuaſit. Diſſoluto Concilio Aeneas ad Imperatorem reuerſus, Italiam reuiſere ſtatuerat, atque in patria, quod vitæ ſupererat, viuere: quod cum peteret a Cæſare non impetrauit. Retentus eſt ad Francofordienſe Concilium, vt ibi Imperatoris vicem ageret, quando is vnus eſſe videbatur in palatio tuendæ religionis ſtudioſiſſimus, & qui dicendo perſuadere aliquid poſſet. In hoc conuentu duabus ferme horis orauit Aeneas, ita intentis animis auditus, vt nemo vnquam expuerit, nemo ab orantis vultu oculos ſuos auerterit, nemo non breuem eius orationem exiſtimauerit, nemo non inuitus finem acceperit, & licet multis non placeret in Turcas expeditio, omnibus tamen illam ſuaſit, & omnium animos ad bellum gerendum impulit. Aliud habuit Cæſar Concilium in Noua Ciuitate, in quo Aeneas iubente Imperatore Legatis Hungaris reſponſum dedit.

Interfuit conuentui Ratiſponenſi.

Cæſaris vices in Francofordienſi Concilio gerit.

Suadet expeditionem in Turcas.

Interim defuncto Nicolao V. Cardinalium ſuffragijs Petri Cathedram aſcenderat Calliſtus III. ad quem Cæſar Æneam deſtinauit, vt illum ad arma contra Turcas prouocaret. Qua legatione functus, à Senenſibus Legatus eſt ad Alphonſum Regem Siciliæ, vt pacem Tuſciæ ab eo peteret, petijt, & poſt aliquot menſes obtinuit. Romam deinde rediit, & cum vellet, reuiſa patria ad Imperatorem in Germaniam proficiſci, à Calliſto Romano Pontifice, retentus,

Legatus ad Calliſtum III.

Ad Alphõſum Siciliæ Regē.

Adſcribitur S. R. E. Cardin. Eccleſias plures poſt Purpuram obtinet. Ferdin. Vghellus in Italia Sacra. Conclaue poſt Caliſti III. obitum.

tentus, & paulo poſt S.R.E. Cardinalibus tum Cæſaris, tum Hungariæ Regis, & cunctorum Germaniæ Principum precibus, adſcriptus eſt. Eccleſias deinde Varmienſem, primò in Pruſſia Canonicorum ſuffragijs approbante Caliſto, poſtea Ratiſponenſem apud Danubium obtinuit, Humanam in Italia poſt obitum Dominici Cardinalis Capranicæ vſque ad annum 1458. adminiſtrauit.

Inter hæc ſecuto Caliſti obitu Cardinales duodeuiginti Cõclaue ingreſſi, in primo ſcrutinio tertia ab ingreſſu Conclauis die facto, inuentum eſt, Philippum Cardinalem Bononienſem, & Æneam Senenſem paribus vocibus ad ſummum Pontificatum præſtolari, vtroque vocibus quinque vocato; ex reliquis nemo tres ſuperauit.

In ſecundo ſcrutinio altera die facto compertum eſt, nouem Cardinales Æneam elegiſſe, Rothomagenſem verò ſex, reliquos longè inferius reſediſſe, Cardinales omnes admirati ſunt; neq; enim memoria hominum in tam paruo numero Cardinalium ad nouem voces per ſcrutinium quiſquam aſcenderat; cum nemo ſatis votorum haberet, placuit conſidere, & viam, quam vocant per acceſſum experiri, ſi fortè ea die poſſet haberi Pontifex. Sedebant omnes ſuis in locis taciti, ac pallidi, & tanquam à Spiritu ſancto rapti eſſent: nemo aliquandiu loqui, nemo hiſcere, nemo partem corporis mouere præter oculos, quos varias in partes iactabant: mirum erat ſilentium, & mira hominum effigies, neque vox audiebatur, nec motus cernebatur vllus. Manſere in eum modum aliquantiſper, expectantibus inferioribus, vt ſuperiores acceſſum inchoarent: exinde Rodericus Vicecancellarius aſſurgens, *ad Senenſem Cardinalem accedo*, inquit: Subſecutum eſt ſilentium, & alter alterum intuens ſuos nutibus indicabat affectus. Iam prope erat, vt Æneam Pontificem videre viderentur, quod verentes aliqui e loco abiere, vt eius diei creationem eluderent: hi fuerunt Ruthenus, & S. Sixti Cardinales, ſed cum alij eos non ſequerentur, mox redêre. Tum Iacobus Cardinalis S. Anaſtaſiæ, *& ego*, inquit, *Senenſi accedo*: vna iam Æneæ tantum vox deerat, duodecim ſiquidem Pontificem efficiebant; quod animaduertens Proſper Cardinalis Columna, eam ſibi gloriam acquirendam putauit, vt Pontificem ipſe pronunciaret: cumque eſſet Æneæ veteri beneuolentia coniunctus, verſus ad reliquos Cardinales, *& ego*, inquit, *Senenſi accedo, eumque Papam facio*. Quo audito Cardinales vniuerſi nihil moram, ad pedes Æneæ ſeſe proiecere, & eum Pontificem ſalutauerunt, ac rurſus in ſuis locis reſidentes electionem factam approbauerunt, nullo prorſus aduerſante. Tum Beſſarion Cardinalis Nicænus ſuo, & eorum nomine, qui Rothomagenſi fauerant, *laudamus*, inquit, Pontifex Maxime tuam aſſumptionem, quam ex Deo eſſe non dubitamus: & ſanè dignum te hoc munere, & cenſuimus antea, & nunc cenſemus. Quod autem te non elegimus, id fecit ægritudo tua; nam cum pedibus ægrotares, hoc tantum ſufficientiæ tuæ deeſſe putauimus. Eſt enim Eccleſia egens viro actiuo, qui poſſit itineribus corpus exercere, & imminentibus periculis occurrere, quæ à Turcis formidamus, tu contra quiete eges. Hoc nos ad Rothomagenſem traxit, quod ſi fuiſſes corpore validus, nullus erat, quem tibi præferendum exiſtimaremus: at cum Deo placuerit, & nobis placet: nos te Pontificem veneramur, & denuo quantum in nobis eſt, eligimus, tibique fideliter ſeruiemus. Ad hæc Æneas, exiſtimaſti o Nicæne, quantum animaduertimus, de nobis longe meliùs, quàm nos ipſi, qui nobis pedum defectum tantummodo attribuiſti: nos imperfectum noſtrum latius vagari non ignoramus, ac defectus noſtros penè innumerabiles eſſe cognoſcimus, quibus potuimus à ſummo Pontificio reijci. Merita verò, quæ huc nos eueherent, nulla ſcimus, diceremuſq; nos prorſus indignos, neque delatum amplecteremur honorem, niſi vocantis iudicium timeremus: nam quod duę ſacri Collegij partes efficiunt, id profectò à Spiritu ſancto eſt, cui non licet aduerſari. Obedimus igitur vocationi diuinæ, ac te Nicæne, & reliquos, cum quibus ſenſiſti, laudamus, ſi conſcientiæ iudicium ſecuti, Nos tanquam inſufficientes, non cenſuiſtis eligendos, eritis omnes nobis accepti, qui vocationem noſtram non iſti, aut illi attribuimus, ſed toti Collegio, & ipſi Deo, a quo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum. Nec plura locutus, priora exuit indumenta, & albam Chriſti tunicam accepit, ac interrogatus quo nomine vellet vocari, *Pij* reſpondit. Suſcepto igitur *Pij ſecundi* nomine, & Symbolo: ***PROTECTOR NOSTER ASPICE DEVS, ET RESPICE IN FACIEM CHRISTI TVI.*** ac iuratis quibuſdam capitulis nudius tertius in Collegio editis, in Altari poſitus, rurſus à Cardinalibus adoratus eſt, pedes eius, manus, & ora oſculantibus, atq; eo facto publicata eſt populo Pontificis electio ex alta feneſtra, & acclamatum, *Pium Secundum Pontificem habere, qui fuerat Cardinalis Senenſis*. Ferunt Corſiniani, quod oppidum octoginta paſſuum millibus ab vrbe diſtat, qua hora Pius Romæ Romanus Pontifex electus eſt, oppidanos populariter ex agris redeuntes Laudomiam Pij ſororem ſalutatum iuiſſe, bonum ſe nuncium accepiſſe concordi teſtimonio affirmantes Æneam Cardinalem Senenſem ad ſummum Pontificatus faſtigium aſſumptum eſſe. Quod vaticinium memoratu dignum ſequenti die literis ab amicis confirmatum. Eundem Pontificatum iam ante prædixerat populus Romanus; nam cum Romam ille contenderet, longè maxima pars Romani populi ſummo ſtudio illi occurrens exclamare cœpit, Pontificem illum, non Cardinalem ad ſe venire. Id quoque antea Thomas Sarzanenſis, qui, & ipſe Pontificatum eſt adeptus, in diuerſorio cum eo fortè agens, quò vterque diuerſo itinere caſu conuenerat, id illi euenturum prædixerat. Fuere, & alia eius futuri Pontificatus auguria, atque præſagia; Æneas enim ſeptennis in puerili ludo ab eiuſdem ætatulæ ſocijs oſculo pedibus dato ſummus Pontifex ſalutatus eſt; deſignatuſq; talis digito ab Alphonſo Arragonio, vtriuſq; Siciliæ Rege cum ad eum aduentaret. Fridericus quoque vt dictum eſt ſupra Cæſar Romam petens cum Latium proſpiceret, ſic illum affatus, *Aenea in his locis regnabis, & qui tibi imperamus, parebimus*. Confeſtim poſt coronationem ſcribens de ſua aſſumptione literas, orationes omnium Chriſtianorum humiliter flagitauit, vt videre eſt ex ijs, quæ datæ reperiuntur pridie Nonas Septembris ad Vniuerſitatem Pariſienſem.

Æneas Cardin. renũciatur ſummus Pontifex.

Beſſarion Card. laudat aſſumptionem Æneæ.

Pius II. dicitur. Pij Symbolum.

Eadē die, qua Romæ, Corſiniani Pij electio pro mulgatur.

Prædicitur Pio Pontificatus.

literas ſcribit.

Inter ſuas curas, quæ animum Pij inuaſere nulla maior fuit, quàm in Turcas excitare Chriſtianos poſſet, atque illis bellum inferre; non tamen ſe ſolo, & Apoſtolicæ Sedis viribus illos ſuperare confidebat: nam vincere Turcas non huius, aut illius regni opus, ſed totius Chriſtianæ reipublicæ videbatur. Neceſſaria igitur eorum conſilia exiſtimauit, quorum auxilia requireret, & Concilium Principum Mantuæ conuocare decreuit. Verſus illam vrbem ipſe Pontifex iter direxit ſuum, relicto in vrbe Legato Nicolao de Cuſa Cardinale S. Petri ad Vincula, & vrbis Præfecto Principe Columnenſi, ac decreto facto annuentibus Cardinalibus, vt ſi extra vrbem claudere ſe diem extremum contingeret, ſucceſſoris electio alibi quàm Romæ fieri non poſſet. Reliquit item nonnullos Cardinales, & Auditores Rotæ, atque Aduocatos Romæ, apud quos Romanam Curiam non minus quàm ſecum eſſe declarauit.

Principes Chriſtianos in Turcas excitat.

Conuocat Cõcilium Mantuanum. Platina in Pio II. Henric. Spondan. in Annal. Eccleſ. Nicolaus de Cuſa Legatus Romæ.

In itinere Senarum vrbem inuiſit, vt volunt aliqui quam ad Metropolitici iuris honorem euexit, Groſſetana, Maſſana, Suanenſi, & Cluſina ei ſubiectis Eccleſijs: primus Archiepiſcopus Antonius fuit ex familia Picolominea, quem ſibi Pius, vt primum Petri Cathedram aſcendit, ſucceſſorem in eadem Eccleſia deſignauerat. Hanc Eccleſiam olim ſibi creditam renunciatus ſummus Pontifex inſignibus ſanctorum Reliquijs, ac precioſa ſupellectile locupletauit. Hæc ingentia Pij in Senenſem vrbem beneficia in cathedrali Senenſi lapis exprimit his notis.

Senas ſe confert, & Metropolitanã Eccleſiam illam nominat. Et reliquijs, ac precioſis donis ditat.

PIVS II. PICCOL. PONT. MAX.
Cathedralem hanc Eccleſiam
D. Io. Baptiſtæ
Brachio dextro à ſe ditatam
Metropol. conſtituit.
Hic Purpuratos cum pluribus alijs
Nicolaum Forteguerram,
Et Franciſcum Piccol. nepotem
Archiepiſcopum Senenſem
PIVM MAX. III. NVNCVPATVM CREAVIT.
Hic à Conuentu in Turcas Mantua reuerſus
Quotannis per tres Pentecoſtes dies
Exactam peccatorum expiationem
Ritè precantibus indulſit,
Quam diu ſopitam
PAVLVS EX BVRGHESIA GENTE PP. V.
In perpetuum reſtituit.

QVISQVIS ADORATVM VENISTI HIC
Chriſti Præcurſorem
Poſt Chriſtum ſupplex venerare
Et libens has legito notas indices Brachij
Quod terris Dei Filium indicauit.

PROXIMO IN SACELLO
Dextrum Baptiſtæ Brachium aſſeruatur
HOC PIVS II. PONT. MAX.
Ante Maximam huius Baſilicæ Aram
Purpuratis Patribus
Octo circumſeptus Senatu
Ac Senenſium Ciuitate
Vniuerſa venerabunda
In tantam patriam ſuam paterni amoris
Sempiternum relicturus monumentum
Pontificia poteſtate donauit Eccleſiæ
Prid. Non. Maij MCCCCLXII.

SVSCIPE SENA INQVIENS
Brachium Nobis
A Thoma Palæologo Peloponnenſi Rege
Dono datum
Ac planè Diuinitus tactum puta,
Vt cum in parentis aluo clauſus
Ioannes a fœcunda Virgine
Dum in ventre fuerat ſalutatus
Nunc idem emortuus
Quaſi ſalutandæ Virginis cauſa
In hanc Virginis deferatur Ædem

Quod igitur in Iordane
Innocentem Seruatorem abluit,
Nocentium animorum
Diuinæ gratiæ imperator
Sordes eluat.
Sic fatus læto cum plauſu ſacro
Huius Templi Senatui obtulit.
Quod grauiſſimis iuratis teſtibus
Verum comprobatum
Ac precioſiſſ. ornamentis honoratus
Luſtris pluribus circumactis
Summa cum veneratione colitur
Sancte nobis dexter
Adſis in hoc dexter.

Parentum ſepulchra conſtruit.

Mater Pontificis quatuor ante annis, pater octo obierat; Corſiniani hic, mater Senis iacebat, Syluij patris oſſa ex Corſiniano Senas deferri iuſſit, & vtrique parenti nobile ſepulchrum ædificari è candido marmore, ac Epitaphium ipſe dictauit diſticho ſupra teſcripto. Dum Senis moraretur, Imperatoris Friderici, Henrici Caſtellæ, Matthiæ Hungariæ, Alphonſi Luſitaniæ, & Georgij Boemiæ Regis; Philippi Burgundiæ, Alberti Auſtriæ Ducis; nec non Federici, atque Alberti Marchionum Brandeburgenſium Legatos recepit. Bononiæ cum eſſet Pius, Eccleſiam S. Mariæ Gratiæ, quæ ſcholarium fuerat, in perpetuum fratribus Mendicantibus S. Hieronymi Feſulani attribuit; die Pentecoſtes rem diuinam in Baſilica ſancti Petronij fecit, atque in palatium reuerſus, excelſo podio populum in foro expectantem Pontificia benedictione luſtrauit, ac paulò poſt Oratorium S. Mariæ in Monte liberali peccatorum Indulgentia inſigniuit. Demum Mantuam ad Concilium de bello Turcico ſuſcipiendo indictum progreſſus, vrbem illam ingreſſus eſt ſexto Kalendas Iunij anno ſalutis 1459. Mantuæ Legatos Thomæ Deſpon Moreæ, alioſque ex Cypro, Rhodo, Lesbo, Hungaria miſſos; tum Caſimiri Poloniæ Regis, & aliorum Principum Chriſtiani Orbis benigniſſimè recepit. Cumque irrepſiſſet in Eccleſia Dei exitialis conſuetudo aduerſus Romani Pontificis cenſuras, victi enim damnatique Apoſtolica ſententia, ad futurum Concilium appellabant: vt malam hanc conſuetudinem omnino Pius extirparet, Patres, qui in Conuentu aderant, conſuluit quid in ea recenſerent. Illi concordi voce reſponderunt, appellationes huiuſcemodi cum ſuis auctoribus damnandas eſſe; atque ita decretum editum eſt, quòd appellantes à Romano Præſule ad futurum Concilium, tanquam hæreſis fautores, & læſæ maieſtatis reos plectendos eſſe ſtatuit. Hoc decretum ipſe Pius diplomate Mantuæ ſcripto 15. Kalendas Februarij anno 1459. confirmauit. Aduerſus quod decretum audaciſſimè inſurgens Gregorius Heimburgius, quem Gobellinus in hoc Conuentu Mantuano Oratorem Alberti Auſtriæ Ducis, & Friderici Imperatoris germani egiſſe, ac Sigiſmundo Auſtriæ item Duce adueniente, orationem pariter eius nomine coram ſummo Pontifice in auditorio publico habuiſſe narrat, iuris interpretem celebratum, atque eloquentia Theutonica inſignem depingens: quem, & inſuper Pio ipſi familiarem olim fuiſſe, & in pretio doctrinæ, & elegantiæ, ex quadam ad ipſum ſcripta ab eo epiſtola intelligitur: eiuſdem Sigiſmundi nomine ab eiuſmodi declaratoriam Pontificis ſententia ad futurum Concilium appellationem dictauit; ſeſe in eius originalis inſtrumento Florentiæ ad valuas Eccleſiæ affixo teſtem inſcribens. Contra quem Pius edictum ad Germanos promulgauit, quo vehementer inuectus, quod ſpreuiſſet ipſius decretum de non appellando à Pontificis ſententijs ad futurum Concilium. Declarauit eum propterea excommunicatum, in crimina, & pœnas incidiſſe læſæ maieſtatis, atque hæreſis; adeo vt vltra execrationem eſſet etiam honore omni, & bonis iure priuatus, mandans, ipſum non ſolùm vitandum eſſe, verùm etiam vndique ejiciendum, ac bona eius fiſco addicenda. Erat enim Nurembergenſis ciuitatis Sindicus; ſed poſt excommunicationem in Boëmiam ad Huſſitas obijt; vnde euocatus à Diethero Moguntiaco excommunicato, adhæſit ei, & aduerſus Pij ſententiam, ac literas aliud longe virulentiſſimum ſcriptum oppoſuit.

Card. ſigon. de occ. Epiſc. Bononien.

Quid Bononiæ egerit.

Mantuam ingreditur.

Legatos recipit.

Geſta in Concilio Mantuano.

Appellationem ad futurum Concilium damnat.

Gregorius Heimburgius inſurgit contra Decretum.

Quid præterea in hoc Mantuano Conuentu geſtum ſit, ex ipſius Pij oratione, quam ad Patres habuit in fine Concilij percipere facilè poſſumus: ille enim in Templo beati Petri re diuina peracta, è ſolio, indicto ſilentio hæc habuit. *Octauum hic agimus menſem fratres, ac filij eos expectantes, qui ad Conuentum vocati fuerunt, noſtis qui venere: deinceps ſperare alicuius aduentum, qui conferre aliquid ad rem Noſtram poſſit vanum eſt: licet iam hinc abire. Peregimus quæ hoc in loco facienda fuerunt; vtinam Dei bene acta ſit cauſa, quamuis meliora concepimus quam inuenimus; non tamen nihil, omnino peractum eſt, neque ſpes omnis excidit. Dicendum eſt, quæ res deducta ſint, vt ſciant omnes, quid adſit ſpei, & qui Reges, quique populi ad tuendam fidem vel prompti fuerint, vel negligentes. Hungari ſi adiuuentur, ſummo conatu, & vniuerſis viribus ſuis Turcas inuadent: Germani exercitum pollicentur duorum, & quadraginta millium bellatorum; Burgundus ſex millium; Itali exceptis Venetis, ac Genuenſibus, Clero decimas, populi trigeſimas annuorum redditum, ac vigeſimas Iudaica ſubſtantia, ex quibus nauales copia ſuſtentare queant. Idem fecit Ioannes Rex Arragonum: Raguſei duas triremes offerunt; Rhodij quatuor; hæc tanquam certa ſolemni ſtipulatione per Principes, ac legatos promiſſa ſunt. Veneti quamuis publicè nihil promiſerint; cum tamen expeditionem paratam viderint, haud quaquam deerunt, neque patientur, vt ſuis maioribus deteriores videri poſſint. Idem de Francis, de Caſtellanis, de Portugallenſibus dicimus. Anglia ciuilibus agitata motibus ſpem nullam pollicetur; neque Scotia in intimo abſcondita Oceano: Dacia quoque, Suecia, ac Noruegia remotiores Prouinciæ ſunt, quam milites poſſint mittere, nec ſolis contenta piſcibus pecuniam miniſtrare poſſunt. Poloni Turcis per Muldauiam conterminis ſuam cauſam deſerere non audebunt; Boëmos mercede licebit conducere, ſuo ære extra regnum non militabunt. Sic res Chriſtianæ ſe habent. Claſſem pecunia Italica parabit ſi non Venetijs, ac ſaltem Genua, aut in Arragonia, nec minor erit, quam res ipſa depoſcat: Hungari viginti millia equitum armabunt, peditum haud minorem numerum; quis Germanis iunctis, ac Burgundis duodenonaginta millia militum in caſtris habebunt: & quis non his copijs ſuperaturum iri Turcas arbitretur? His accedet Georgius Scanderbechius, & Albanorum fortiſſima manus, & multi per Græciam ab hoſte deficient, & in Aſia Charamannus, & Armenorum populi Turcas à tergo ferient: non eſt cur deſperemus; tantum Deus ipſe cœpta ſecundet. Ite, & narrate domi quæ hic geſta ſunt; & vt promiſſa in tempore faciant, dominos veſtros admonitos reddite: vtque propitia Nobis ſit diuina pietas, orationibus, & operibus pijs operam date.* His dictis, iuſſit Pontifex Cardinales, Epiſcopos, Abbates, & Sacerdotes, cunctos, qui aderant ſacras induere veſtes, & ipſe ſuo ſolio deſcendens ad gradus maioris aræ ſe conuertit, ibique flexis genibus ſuſpirans, atque illacrymans ſupplici voce delectos è Pſalmis verſiculos, qui ad rem accommodati erant, reſpondentibus Prælatis, & Clero, longo ſpatio decantauit, & oratione præmiſſa populo benedixit, atque in hunc modum Mantuano Conuentui finem impoſuit. Ante diſceſſum Baſileenſem omnium ſcientiarum Academiam inſtituit, vt ex eius diplomate Mantuæ pridie Kalendas Ianuarij anno 1459. dato conſtat ijſdem priuilegijs, quibus Bononienſis, Colonienſis, ac cæteræ antiquiores Germaniæ Vniuerſitates exornatæ olim fuerant. Dum Mantuæ fuit, in Templo B. Mariæ de Gratijs ſolemni pompa ſacris myſterijs operatus, omnibus Chriſti fidelibus Templum illud prima Octobris Dominica venerantibus, perpetuam ſeptem annorum, ac totidem quadragenarum Indulgentiam conceſſit. Quod tantæ munificentiæ exemplum cum in tabulis referri, ac perpetuò in eodem Cœnobio aſſeruari præcepiſſet, illico executioni mandatum hoc pacto eſt. *Ad laudem, & gloriam D. N. Ieſu Chriſti, eiuſque glorioſiſſimæ Genitricis Virginis Mariæ Matris omnium gratiarum, & ad perpetuam rei memoriam Sanctiſſimus, ac Beatiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus D. PIVS Diuina Prouidentia Papa Secundus, qui cauſa deuotionis, & ſpiritualis recreationis hanc Baſilicam cum loco viſitauit, tribuſque noctibus pernoctauit anno 1459. 19. Octobris, & 21. quæ fuit Dominica, poſt Miſſarum ſolemnia populo adſtante fideli, pro ſua ſolita clementia, omnibus Chriſti fidelibus ipſam Baſilicam, ſiue Eccleſiam viſitantibus in prima Dominica dicti menſis Octobris, & verè pœnitentibus, & confeſſis miſericorditer conceſſit ſeptem annos, & totidem quarantenas de vera Indulgentia, & hoc viua voce perpetuis temporibus duratura.* Quin etiam vt magis ac magis illius religioſiſſimi Templi ſtudioſum ſe Pius oſtenderet, ſuum ibi ſimulacrum Pontificijs inſignibus ornatum è Templi regione collocari, atque hæc in eius baſi carmina Italico idiomate ſculpi mandauit.

Finis Concilij Mantuani.

Baſileenſis Academiæ inſtitutio.

In Templo B. Mariæ de Gratijs Mantuæ ſacrum ſolemnes celebrat.

Indulgentiam Templum viſitantibus impertitur.

Hippol. Marracc. in Pont. Marian.

Pij ſimulacrum Mantuæ erectum.

Da i ſette Colli Madre alma di Dio,
Oue fui poſto à dare al Mondo eſempio
Ne vengo, ad adorarti in queſto Tempio
Colle Chiaui, e col Manto humile, e pio.

Quæ Latino carmine ita reddidit noſtri ſeculi Poëta:

Collibus è ſeptem genitrix ò alma Tonantis
Vrbi, vbi ſum poſitus Romanæ exemplar, & Orbi
Veni, vt in anguſto recolam tua Numina Templo
Clauibus, & Clamyde inſignis, ſupplexque piuſque.

Senis Cardinales, & Epiſcopos multos nominat.

Itineri deinde Romam verſus cum ſe commiſiſſet, Senas quaſi triumphans, die vltima Ianuarij anni 1460. ingreſſus, Cardinales in Conſiſtorio renunciauit, Epiſcopum Feltrenſem Patauinæ Eccleſiæ præfecit, Franciſcum Epiſcopum Ferrarienſem, cum ſuis ouibus Principis odio prodeſſe non poſſet, ad Feltrenſem tranſtulit, Ferrarienſibus Laurentium Rouerellam aulicum ſuum, egregium Theologum Antiſtitem dedit. Maphæo Contareno Patriarchæ Veneto vita functo Andream Bondelmerium ex ordine Canonicorum Regularium Diui Auguſtini, quem Venetus Senatus ſummis precibus poſtularat, ſubſtituit. Agapitum natione Romanum ciuili ſapientia, & morum probitate conſpicuum, Epiſcopum Anconitanum; & Iacobum Lucenſem ſecretarium ſuum, Papienſem Præſulem. Franciſcum ordinis Seruorum beatæ Virginis Miniſtrum generalem Raguſiæ, & Matthæum Reginum Obſeruantem, Roſſanenſem Archiepiſcopum nominauit. Ibidem die

Purificationis Virginis Mariæ ſacro ſua manu Cardinalibus, alijſq; ſacras elargitus eſt candelas, deinde ſolemnitates omnes congrua devotione peregit, quæ vel Paſſionis Chriſti memoria, vel pro Reſurrectionis eius gloria quotannis celebrantur. Poſtea podagra languit, & ob fluxu capitis maxillas doluit; curatus aliquantiſper non ſine cõſilio medicorum balneas adijt apud Maceretum primò, mox ad Petriolenſes ſe contulit; atque hæc cauſa fuit, cur Senis tandiu manſerit.

Senen. Eccleſ. viſitantib. indulgentiā impertitur.

Conceſſit hic Pontifex in gratiam ſuorum ciuium, plenarias Indulgentias omnibus primariam Senenſem Eccleſiam viſitantibus in die Pentecoſtes; cui ſolemnitati vt munum daret, ex balneis nondum curatus Senas rediit, ac diuinis interfuit officijs ad quæ ingens multitudo confluxit ex Tuſcia, Liguria, Gallia, Vmbria, ac Piceno. Extat tanti beneficij in eadem principe Eccleſia ſequens memoria.

Hic à Conuentu in Turcas Mantua reuerſus
Quotannis per tres Pentecoſtes dies
Exactam peccatorum expiationem
Ritè precantibus indulſit,
Quam diu ſopitam
PAVLVS EX BVRGHESIA GENTE PP. V.
In perpetuum reſtituit.

Senas ornat. Oratores Principū Senis recipit. Peloponnenſē Vrbem recipit.

Senarum vrbem amplianit, & muris cinxit. In publico Conſiſtorio Henrici Caſtellæ, ac Legionis Regis Oratores, Moyſem Archidiaconum Antiochenum à tribus Patriarchi Antiocheno ſcilicet, Alexandrino, ac Hieroſolymitano miſſum: & Legatos audijt ex Monobaſia, Peloponnenſis ciuitas eſt munitiſſima ad Orientem Cherroneſſi in altiſſimo monte ad mare ſita, & recuperandæ Græciæ commodiſſima ſe atque vrbem ei dedentes, ac narrantes, Demetrium Palæologum eorum dominum fuiſſe, ſed ad Turcas defeciſſe, ac voluiſſe vna ſecum ipſos ad Turcas trahere, reſtitiſſe ipſos, & vrbem Thomæ Demetrij fratri obtuliſſe, ac ipſum negaſſe eas ſibi vires eſſe, quibus eam defendere poſſet, hortatumque eſſe, vt vel Pontificem, vel alium dominum aſſumerent. Suſcepit igitur illam Pontifex Eccleſiæ Romanæ nomine, ac Præfectum miſit, qui populo ius diceret, & annonam, qua egebat, miniſtraret.

Grauiter ægrotat.

His apud Senenſes peractis Pius quarto Idus Septembris anni eiuſdem 1460. ab eis receſſit, & ſecunda itineris die Corſinianum peruenit; quo in loco grauiter ægrotauit, humoribus ex capite deſcendentibus, pectus, brachia, ac totum corpus adeo debilitantibus vt nullam in partem non adiutus moueri poſſet, & morti proximus videretur, languit duodecim diebus. Exinde ſanitati reſtitutus Romam verſus diſceſſit, quam vrbem nonis Octobris ingreſſus, Thomam Palæologum Conſtantini vltimi Græcorum Imperatoris fratrem, à Turcis Imperio deiectum benignè excepit, ac miſertus nobiliſſimi ſanguinis, manſionem ei in ædibus ſancti Spiritus non procul à palatio Vaticano, & in ſumptus menſtruos conſtituit trecentos aureos, Cardinales ducentos addidere, cui, & Roſa aurea in die Dominica, quæ idem nomen habet, dono data eſt.

Romam ingreſſus Thomam Palæologum Romæ excipit.

Armis reprimit Eccleſiæ hoſtes. Sacra interdicit duob. Sigiſmundis

Quamplures Eccleſiæ Romanæ, ac ſummi Pontificis imperio inhiantes armis repreſſit. Sacra publicè interdixit duobus Sigiſmundis Auſtrio ſcilicet propter vim Cardinali S. Petri illatam; & Malateſtæ, qui cenſus Eccleſiæ Rom. debitos diſſoluere negabat.

Turres cōſtituit Tibure.

Ad euitandos verò Solis calores, ardere enim iam cœperat feruente menſe Iulio, Tibure reliquum æſtatis agere ſtatuit Pius: vt autem ciues Tiburtinos, qui Piccinino fauebant, in fide contineret, in ſublimiori illius vrbis loco duas erexit Turres, quas foſſa lata ac profunda circundedit, ac in illis ciſternas duas effodit, quarum portas marmoribus adornauit, in quibus hos verſus inſculpi iuſſit.

Grata bonis, inuiſa malis, inimica ſuperbis.
Sum tibi, Tibur enim ſic PIVS inſtituit.

Celebrat exequias Carolo Regi Gallorum. Proficiſcitur ad Monaſterium Sublacen. Carlottā Cypri Reginam recipit.

Opus hoc quamuis multi laboris, & magni ſumptus eſſet, vno tamen anno abſoluit; eaque in vrbe audita Caroli Regis Galliæ morte, exequias ei non ſine lacrymis celebrauit. Deinde exacta iam æſtate inuitatus à Ioanne S. Sixti Cardinale ad monaſterium Sublacenſe proficiſcitur, & pridie nonas Octobris Romam ingreſſus, ſalutatis in Baſilica S. Petri Beatis Apoſtolis, in Vaticanum palatium ſe recepit, cum non tres menſes integros ab vrbe abfuiſſet. Ibi Carlottam Cypri Reginam Ludouici Sabaudij Ducis vxorem, benigniſſimè excepit, cuius aduentum ipſemet Pius in Commentarijs his verbis deſcribit. *Carlotta tyberina cum appuliſſet Oſtia Romam, & Chriſti Vicarium viſere ſtatuit, miſſiſque nuncijs, qui aditum peterent, aduerſo flumine vecta, apud ædem S. Pauli deſcendit in terram. Pontifex, Cardinales, & vniuerſam Curiam occurrere iuſſit, aduenientemque in aula Conſiſtorij publicè excepit; ac deinde in parte palatij ſeorſum collocauit, cibariaque illi, & familiæ magnificè adminiſtrauit. Mulier quatuor, & viginti annos nata videbatur, ſtatura mediocri, lætis oculis, faciei inter fuſcam, & pallidam, ſermone blando, & Græcorum more, torrenti ſimile, veſtitu Gallico, moribus, qui regio ſanguini conuenirent. In primo congreſſu exoſculatis Pij pedibus, pauca locuta eſt; verum poſtridie cum inter paucos Pontificem conueniſſet, hanc per interpretem orationem habuit. Infelices domus meæ caſus non te arbitror, Maxime Pontifex ignorare, nam quæ regio in terris noſtris non plena laboris eſt? quis neſcit Cypriorum ærumnas, & miſeram regni ſortem. Bis ego infelix nupſi, virum quem duxi ex Portugallia, repentina, & immatura mors abſtulit; quem acceſſiui ex Sabaudia Ludouicum, obſeſſum ab hoſte reliqui, liber an captiuus ſit ignoro, vnicam ex matrimonio filiam in ſpem regni parentes educauerunt. Succeſſi patri, & Reginæ nomen paterno iure adepta, cum viro cœpi regnare. Frater extra matrimonium natus, ſi frater eſt, qui ſanguinem ſuum perſequitur, auxilijs ab Aegypto quæſitis, hæreditatem meam inuadit, regnum occupat, me, atque virum ad necem quærit. Vnicum nobis refugium apud Cerines ſeruatum eſt, illic cruentas enaſimus infeſti germani manus. Inſulam reliquam, præter Auguſti Fanum, & Coloſſum, hoſtes tenent, at qui hoſtes? Chriſtianos fortaſſe, aut aliquos religionis amicos aduerſari nobis exiſtimas? Pone hanc opinionem, cum inimicis Crucis Chriſti bellum gerimus. Aegyptij Cyprum tenent, noſtræ religionis infenſiſſimi hoſtes, Maumethæ inſaniæ ſectatores, his data libertas eſt, quos velint ex regno pueros aſportare; Templa Dei noſtri deſtruere, Maumetheos ritus inſerere, frater meus pſeudoChriſtianus fœdiſſimo iuramento Soldano ſe aſtrinxit, vt regno potiretur, verum longè deceptus eſt, penes eum nomen Regis, penes Admiraglium Soldani poteſtas erit. conata ſum quoad potui, mihi, & Chriſto regnum ſeruare; vicit Maumethes, expulſi ambo ſumus: ſpes modica cum viro apud Cerines reſtat, ſi manet adhuc: ego dum ad te nauigo auxilium petitura, Venetorum naues incurro, quarum Gubernatores cũctis me bonis excuſſerunt, vix vnica retenta veſte, & commeatu modico adſum nauigare permiſſa: regno deiecta inops, & nuda prorſus ad te confugi: ſubueni oro bis propemodum viduæ; miſerere regij ſanguinis, miſerere infelicis regni, ne prorſus ab orthodoxa fide recedat, ne pro Chriſtianis ſubeant Aegyptij. Tu Pater religionis es, ac magiſter fidei; te decet in primis curare, ne Chriſtianus cultus imminuatur; ſi perit Cyprus, peribit, & Rhodus, nec Creta ſalvabitur, ad Siciliam vſque, & ipſa Italiæ littora Barbarorũ claſſes enauigabunt; ab Aegypto, ab Africa, à Syria, Aſia, & Græcia timendum erit Italiæ, niſi occurris in tempore, ac ſi prius ſubuenis, quam Orientis Inſulæ hoſtium fiant, mihi ſi opem tuleris, non deeſt animus paternum recuperare regnum, breui parua manus Occidentalium militum victoriam dabit: non ſunt Aegyptij, qui viros Occidentalium ferant, nec ego ex te omne auxilium flagito, ad ſocerum pergere inſtitui, & amitam, ſocrum, & propinquos Galliæ Reges, vnde, vt ſpero, quantum ſat fuerit exercitus cogam. Tu mihi triticum dato, & vinum quod obſeſſis afferam, ſed neque niſi adiuues in Sabaudiam ire poſſum, tempeſtatibus agitata neque ferre amplius mare, atque in nauibus eſt quod edam, terra quoque iter mihi clauſum, nec equos habenti, nec argentum, in tua ſum manu Pontifex, pereo, ni ſi porrigis manum:* atque his dictis illacrymata ſubticuit. Pius ita reſpondit: *Pone lacrymas, atque confide filia, non te deſeremus, nota tua nobilitas, & tua calamitas Nobis eſt, indigna patiens, non inſolita; inſtabile regni ſolium eſt; nulla potentia longa; hos erigi, illos deprimi Deus permittit, & nunc in tuo genere thronum tuum fratri dedit, te in exilium miſit; tui ſoceri, vt arbitramur, & tui viri peccata luis: ſocer rogatus in Mantuano Conuentu ea pro defenſione fidei aduerſus Turcas promittere, quæ reliqui Italiæ Principes pollicerentur, nullo pacto perſuaderi potuit, vt vel minimi auxilij ſpem faceret. Vir tuus cum ad te nauigauit, haud quaquam dignatus eſt ad Nos vſque Mantuam proficiſci, quod ſibi erat faciliimum per Padum ad oſtia Mintij euecto: contempſere Nos ambo pater, & filius, propter quam rem diximus inter Cardinales, contemnit Eccleſiam Sabaudiæ domus, nec religionis dignatur polliceri opem, hic adoleſcens qui modo in Cyprum nauigat, pœnas dabit, dotale regnum ſe poſſeſſurum exiſtimat, fallitur, eijcietur, vtinam manus hoſtiles euadat: pater eius, qui Nobis auxilia aduerſus Turcas negauit, ad Nos ſupplex veniet filio rogaturus opem: faxit Deus, vt Nos opitulari poſſimus, euenere prædicta, vtinam falſum fuiſſet, quod tunc expreſſimus, placuit Deo contumaciam plectere, & Sabaudienſis, & tua domus, quoties mater tua Apoſtolicæ Sedis mandata contempſit? portans filii peccata parentum; nemo ſine cauſa miſer eſt. Deus his caſibus te probat, filia, ſatis ſpera, & ipſe te liberabit, horridam tempeſtatem placida ſerenitas ſequitur, in quieto finitur labor, quæcumque poſtulaſti ex Nobis feres, equos dabimus quibus ad ſocerum pergas, & ſumptus itineris, frumentumque, & vinum in Ancona rediens paratum inuenies, quod nauibus ad obſeſſos vehas, exercitum ipſa in Sabaudia, & in Gallia coges, quo regnum vendices.* Regina pro reſponſo gratias egit, manſitque, deinde diebus circiter decem Romæ, donec Baſilicas Martyrum præcipuas viſit, & adlocuta Pontificem quater, aut quinquies impetratis quas voluit pro ſe, ſuiſque comitibus gratijs, itineri ſe commiſit. Pontifex ſingulos Cardinales, ſingulos ei elargiri equos iuſſit, & ad numerum vſque neceſſarium ipſe ſuppleuit; diſpenſatoremque addidit, qui ſumptus itineris miniſtraret, etiam extra terras Eccleſiæ ſi neceſſitas ingrueret, comitatus eius equitum circiter quinquaginta fuit; quem Senenſes Pontificis ſecuti exemplum per ſuos fines abunde pauarunt; idem fecere Florentini, Bononienſes, & deinde reliqui, per quorum prouincias vſque in Sabaudiam ventum eſt. Legatos Georgij Boemiæ Regis

in Vati-

S. Andreæ caput in Vaticano collocat.

A in Vaticano Pius audiuit. S. Andreæ Apoſtoli Caput à Deſpoto ex vrbe Conſtantinopolitana Anconam, deinde à Pij miniſtris Romã delatum, ſummo honore, ac pompa apud pontem Miluium excepit, & in Vaticano ſuis manibus collocauit. Extat in ędicula apud eũdem põtem Miluium in baſi ſtatuę huiuſce rei memoria, & eſt talis.

PIVS II. PONT. MAX.
SACRVM. B. APOSTOLI. ANDREÆ. CAPVT. EX. PELOPONNESO. ADVECTVM. HIS. IN. PRATIS. EXCEPIT. ET SVIS. MANIBVS. PORTAVIT. IN. VRBEM. ANNO. SALVT. MCDLXII. PRIDIE. IDVS. APRILIS. QVÆ. TVNC. FVIT FERIA. SECVNDA. MAIORIS. HEBDOMADÆ. ATQVE IDCIRCO. HVNC. TITVLVM. EREXIT. ET. VNIVERSIS CHRISTI. FIDELIBVS. QVI. EADEM. FERIA. IMPOSTERVM. HVNC. LOCVM. VISITAVERINT. ET. QVINQVIES CHRISTO. DOMINO. ADORATO. INTERCESSIONEM B S. ANDREÆ. PRO. COMMVNI. FIDELIVM. SALVTE. IMPLORAVERINT. PLENARIAM. OMNIVM. PECCATORVM. IN. FORMA. ECCLESIÆ. CONSVETA. PERPETVO DVRATVRVM. INDVLSIT. REMISSIONEM. ANNO. PONTIFIC. SVI. QVARTO.

In Vaticano verò ipſum S. Andreæ Caput his verbis ſalutauit.

Aduenisti tandem, o ſacratiſſimum, & adoratiſſimum ſancti Apoſtoli Caput, Turcarum te ſua ſede furor expulit. Ad fratrem tuũ Apoſtolorum Principem confugiſti exulans: non deerit germanus tuus tibi: reſtitueris in ſolio tuo cum gloria, volente Domino; licebitque aliquando dicere, o fœlix exilium, quod tale reperit auxiliũ. Interea temporis cum tuo germano aliquandiu commoraberis, & pari honore cum eo potieris. Hæc eſt alma Roma, quam prope cernis pretioſo tui germani ſanguine dedicata: hanc plebem, quæ circumſtat, beatus Petrus Apoſtolus frater tuus pientiſſimus, & cum eo vas electionis ſanctus Paulus Christo Domino regenerauit. Nepotes tui ex fratre Romani omnes te velut patruum, patronumque ſuum venerantur, colunt, obſeruant, & tuo ſe vti patrocinio in conſpectu magni Dei non dubitant: O beatiſſime Apoſtole Andrea, C *veritatis prædicator, & aſſertor Trinitatis eximie, quanto nos hodie gaudio reples, dum Verticem hunc tuum ſacrum, & venerandum coram aſpicimus, qui dignus fuit in quo viſibiliter ſub igneæ ſpecie in die Pentecoſtes ſanctus reſideret Paracletus? O vos, qui Hieroſolymam petitis ob reuerentiam Saluatoris viſuri locum vbi pedes eius ſteterunt, ecce ſedem ſancti Spiritus, ecce Dominatus ſolium: hic, hic conſedit Spiritus Domini, hic tertia in Trinitate perſona viſa eſt, hic oculi fuerunt, qui ſæpe Dominum in carne viderunt: hoc os ſæpe Chriſtum eſt allocutum: has genas non eſt dubium quin ſæpe Ieſus fuerit oſculatus: en magnum ſacrarium, en charitas, en pietas, en animæ dulcedo, en conſolatio ſpiritus. Et quis eſt,* D *cuius viſcera non commoueantur? cuius non ardeant intima cordis? cui non excidant præ lætitia lachrymæ in conſpectu tam pretioſarum Apoſtoli reliquiarum? Gaudemus, exultamus, iubilamus aduentu tuo (diuiniſſime Apoſtole Andrea.) Neque enim dubitamus quin tui capitis comes, & cum eo Vrbem ingrediaris. Odimus Turcas Chriſtianæ Religionis hoſtes, in hoc non odimus, quod tui aduentus cauſa fuerunt; nam quid nobis optatius contingere potuit, quam tuum hoc honoratiſſimum intueri Caput, eius fragrantiſſimo perfundi odore? Id moleſtum eſt, quod aduenienti tibi non eos honores impendimus, quos mereris; nec te poſſumus pro tua excellente ſanctimonia digne ſuſcipere: ſed accipe voluntatem noſtram, atque æquo animo patere, quod pollutis manibus tua contrectamus oſſa, & te peccatores intra mœnia conſtituimus Vrbis. Ingredere ſanctam Ciuitatem, & eſto propitius Romano populo: ſit om-* E *nibus ſalutaris tuus aduentus, ſit pacificus ingreſſus tuus, ſit felix, fauſtaque tua nobiſcum mora. Eſto noſter aduocatus in cælo, & vna cum beatis Apoſtolis Petro, & Paulo hanc Vrbem conſerua: & vniuerſo populo Chriſtiano pie conſule; vt veſtris patrociniis fiat miſericordia Dei ſuper nos; & ſi qua eſt eius indignatio propter peccata noſtra quæ multa ſunt, tranſeat ad impios Turcas, & ad nationes barbaras, quæ Chriſtum Dominum contemnunt.*

Ad perpetuam poſterum memoriam in Vaticano ſcriptum legimus. *Pius II. Caput S. Andreæ ſolemni pompa in Baſilicam Vaticanam defert 1462.*

Muris cingit Corſinianum. Templum Virgini ſacrum conſtruit, & domum.

Corſinianum Pius muris cinxit, atque ædificijs auxit, in eoque Deiparę Virgini in cœlum aſſumptæ conſecratum Templum conſtruxit, vt pro Cathedrali nouæ vrbi Pientię, ab ipſo auctore dictæ, eſſet: quam rem Campanus his verſibus explicauit. F

Quæ noua ſublimis proſurgo Pientia colle
Cauſa mei quæ ſit nominis, ipſa loquar:
Me PIVS ornatam Templo, murisque refectam
Eſſe Vrbem voluit, quæ fueram oppidulum.
Tecta ſuæ gentis primus in marmoribus ædes
Tangere marmoreum ſidera iuſſit opus:
Addidit, & nomen, lectoque è more Senatu,
Vrbanos ritus, & noua iura dedit.
At vos vicinæ quæ ſurgitis oppida terræ,
Inuidia nihil eſt; nam genus ipſa PIVM.

A Ædificauit, & domum iuxta Templum à ſiniſtris, in qua Præpoſitus, & Canonici commodè habitarent, & per ianuam quandam eorum cauſa in latere Templi dimiſſam, ad nocturna, ac diurna munera nullo impediente procederent. In decollatione S. Ioannis Baptiſtæ anno 1462. Templum, & altare per Cardinalem Oſtienſem dedicauit, per ſe ipſum maioris aræ frontem iniunxit, reconditis in ea ſanctorum Reliquijs ſigillum adiecit; Cluſinum Epiſcopum Ioannem Chinugium nobilem Senenſem illuc tranſtulit, ac nouæ ſponſæ virum dedit. Diœceſim vigintiduorum oppidorum nouiter inſtitutæ Eccleſiæ attribuit, quæ partim ab Aretino, partim à Cluſino Epiſcopatu disiunxit: tribus dignitatum ordinibus Cathedralem Eccleſiam exornauit, Præpoſituræ ſcilicet, Canonicatus, & ſimplicis Præsbyteratus; Præpoſito animarum curam adiecit; ſancti Andreæ Reliquijs, ac fruſtulo ligni Crucis eandem ditauit. Ad hanc vrbem plures æſtatis tempore recreationis ergo acceſſit; & in B itinere quamplures vrbes, & oppida multa, Cœnobium Montis Oliueti inuiſit, cuius monaci cognito eius aduentu, cum omnia ad eum ſuſcipiendum neceſſaria comparaſſent, proceſſerunt obuiam, pompæ ordine ſeruato, vel vltra turrim, ſiue palatium, quod in aditu Montis Oliueti eſt, ramos olearum præferentes manibus, ore autem hymnum *Te Deum laudamus*, ſuauiter decantantes: traditur Pontificem, Cardinales, Preſides, aliosque ex cohorte pontificia monachorum lætitia, & celebritatem pari cum modeſtia, grauitate, & auſteritate coniunctam, religioſos prætera ritus admiratos, vt Pontifex in primis præ religione lacrymis non temperarit: aedem ingreſſus Pius, & Deum paucis precatus, ad interiora Cœnobij progreditur; dies ille hebdomadæ quintus, quo Cardinales, alijque imperauerant, cœnantibus carnes apponi, Pontifex id maxime iniucundum monacis animaduertens, cum illius Cœnobij, & totius Congregationis inſtitutum ſit non præbere carnes laicis co- G medendas, ſtandum exiſtimauit tam piæ, ſanctæque conſuetudini, quam, & ipſe legibus non obnoxius, ne quã in re Montis Oliueti monacos offenderet, ſed religioſa potius conſolatione reficeret, retinere voluit, pietate potius mentem, quam epulis, de quibuſque corpus alere cupiens, itaque veſperi, & die poſtera, qua ibidem demoratus eſt, in triclinio cum monacis accubuit, ac inter epulas ſuauiſſima modulatione carmen in honorem S. Catharinæ Senenſis decantari iuſſit. Eodem in itinere Hungarorum Oratorem audiuit, cui ære ſuo equites mille conducturum ſe contra Turcas promiſit. Ilcinum quoque, quæ eſt ciuitas ſupra celſiſſimum collem in Etruria poſita, Epiſcopalem dignitatem, & ciuitatis cognomen à Pio II. tuliſſe ſcimus. Cui Eccleſiæ nobile, atque olim opulentiſſimum S. Antimi Cœnobium ordinis S. Benedicti, & oppida, quibus eius monaſterij Abbas pleno iure leges ſcribebat iuſſit accedere. Ilicetanos, (religioſi hi ſunt viri ordinis Eremitarum ſan- D cti Auguſtini qui Eremum colunt in Tuſcia, diſtantem à Senarum vrbe ad tertium lapidem: hæc enim Eremus nomenclaturam ſibi comparauit ab Ilicum ſemper viridantium multitudine, quas ſpontè, frequenterque altiſſimas producit ipſamet natura, & à lacu propinquo Eccleſiæ, iam diu Redemptori dicatæ Cœnobium S. Saluatoris de Iliceto ad lacum etiam nunc dicitur) immunes declarauit à ſolutione collectarum, firmando Eugenij IV. Romani Pontificis priuilegium hac ſuper re die 6. Septembris anno 1447. vulgatum.

Templum conſecrat.

Tribus dignitatibus ornat, & Sanctorũ reliquijs.

Vrbes plures & oppida inuiſit.

Montem Oliuetum inuiſit.

Sec. Lancellottus in hiſt. Oliuet.

Ilcinum Epiſcopali dignitate ornat.

Ferdin. Vghell. in Ital. ſac.

Ilicetanorum priuilegia confirmat.

Ad Vrbem deinde decimoquinto Kalendas Ianuarij rediit, Aniene per pontem tranſmiſſo, quem Numentanum vocant, quo in loco ab vrbano populo ſummo cum deſiderio expectabatur. Ciuitas, quæ propter eius abſentiam, & quæ nimium graſſata fuerat, peſtiferam luem, mœſtiſſima fuerat, redeunte Pio priſtinam recuperauit hilaritatem, ac lugubri veſte depoſita feſtos egit dies. Pontifex E in Natali Saluatoris Domini, benedicto de more gladio Legatum Venetum ſui Principis vice amantiſſimis verbis donauit, vt illo in hoſtes fidei Turcas vteretur. Hoc ipſo anno 1461. ne quid quod ad rem quam animò continenter voluebat, de fidei aduerſus Turcas defenſione facere exiſtimaret, omittere videretur, commonendum etiam Mahometem ſuis literis putauit, ſi fortè, vt ſunt iudicia Dei mirabilia, & incomprehenſibilia, deſiſteret à perſecutione Chriſtianorum, ac relictis ſuperſtitionis ſuæ impietatibus, ac vanitatibus, ad ſanctam, & ſolidam Chriſtianæ fidei veritatem conuerteretur. Qua de re valdè prolixam ad eum paræneticam, & cathecheticam epiſtolam ſcripſit, quæ extat in cæterarum volumine, tantò alijs dignior, quanto, & longior.

Fr. Ambroſius Landuccius in Chronic. Ilicetan. Romani ciues Pio redeunti occurrunt.

Mahometem monet ſuis literis.

Sunt ipſius Mahometis literæ ad Pium, quas vna cum Pij ad Mahometem literis placet hic teſcribere.

F *Corinthum Achaiæ nobiliſſimam, Etholos, Acarnanes, Macedoniam, atque omnem Peloponneſum armis inuaſimus: vicos præterea, agros, & oppida late incendio depopulati, vt mox in Italiam bellum transferamus. Hæc tibi omnia cum ſummo Chriſtianorum metu, ac detrimento nunciamus.*

Pij reſponſum.

Quod Græciam omnem ferro, igneque vaſtaueris, non tam crudelitatem in hac re tuam, quam tot vrbium direptiones vlciſci paramus, neque enim victor hoſtibus ignoſcere poterat, qui tuis etiam immaniter ſcelere, ac libidine nunquam pepercisti. Nec ei pium faſue quidquam apud homines eſſe poteſt, cui, neglecta religione, Deus in contemptu ſit. Nos tamen verò nullum a te bellum in Ita-

lia

lia metuimus: facile enim ſcelerata hominum arma contemnit, qui Dei numine, ac præſidio tutus eſt.

Mahometis aliæ ad Pium literæ.

Fruſtra per Deos immortales nobiſcum agis, qui nec tecum de pietate, nec religione, nec iuſtitia; ſed Imperio contendemus. Vter armis victor extiterit, iuſtior eidem belli cauſa debebitur. Crudelitatem vero, ac ſcelera, quæ duo nobis grauiſſima obiecisti; ideo in captiuos exercemus, vt eum eſſe me re quidem experiantur, quem verbis homines prædicant.

Pij reſponſum.

Et ſi tecum nobis iuſtiſſima belli cauſa eſt, non pari tamen ſcelere, vel libidine regnandi: ſed pro tuenda hominum libertate arma ſumimus. Quis enim meres Tyrannis præditiſſimos æquo animo ferat? Nam quid plerumque in cæteris vſu euenit, vt vel metu, vel odio in ſubditos acerbiores reddantur, ipſe omnibus ſponte immanior eſſe, qui crudelitate potius; quam victoria gloriaris, ac eatamquam parum ſit admiſiſſe captiuis etiam ſemper calamitates exprobaſti. Meritas igitur pœnas exolues: vltor enim ſcelerum Deus vindictæ tarditate grauitate ſupplicij compenſat.

Pacem cū Malateſta inijt.

Pauló poſt, initio ſcilicet anni 1462. Stephani Regis Boſnæ Oratores excepit; Venetorum precibus pacem cum Dominico Malateſta inijt his legibus, vt Dominicus veniam petat commiſſi erroris, inuadendi ſcilicet Romanæ Eccleſiæ terras, vt Rauennatenſi, & Sarſinatenſi Eccleſijs bona, quæ abſtulit, reſtituat: oppida, quæ ab Eccleſia ad eum defecere, rurſum in poteſtatem Eccleſiæ redeant; cenſum Apoſtolicæ Cameræ debitum diſſoluat, demum ſi ſine liberis maſculis, ac legitimis Dominicus decederet, Cæſena, Bretenorum, Meldula, & alia, quæ poſſidet oppida, ad imperium Eccleſiæ redeant.

Ad Oſtia Tyberina ſeceſſit.

Terras multas adiuiſit.

Lateranēſis Eccleſ. tectum reſtaurat.

SS. Petri & Pauli ſimulacra erigit.

Menſe Maij inuitatus à Cardinali Rothomagenſi, qui Oſtienſi præerat Eccleſiæ, cum nunquam vidiſſet Oſtia Tyberina, ad illa ſeceſſit, ac ſub monte Auentino nauem conſcendit, & quatuor Cardinalibus comitantibus, amne ſecundo nauigationem gratiſſimam peregit. Deinde Albanum ſe contulit, Caſtellum Gandulfi, lacum Nemorenſem, Cynthianum, Arcem quam Papæ vocant, Cryptam ferratam inuiſit. Poſtea præter opinionem omnium, æſtu iam excitato, via Latina Romam repetijt, & Lateranenſem ingreſſus Eccleſiam, apud aram maiorem cum paulullum oraſſet, & inſpexiſſet templi tectum, quod reparauerat, per vias vrbis Transſyberinam regionem intrauit, & deinde in palatium ſe recepit apud ſanctum Petrum, in cuius æde ſequenti die ſacram Pentecoſtem ſolemni pōpa celebrauit, & populo benedixit. Ad S. Petri ſcalas à ſe reſtauratas SS. Petri, & Pauli ſimulacra ex marmore, Mini ſculptoris opus, erexit: plenariam Indulgentiam ſuo diplomate ſcripto Romæ xij. Kal. Februarij anno 1459. ijs impertitus eſt, qui Altare viſitabunt in Baſilica Liberiana, in qua S. Hieronymi presbyteri corpus quieſcit: huiuſce diplomatis exemplar in marmore legitur in eadem Baſilica haud procul à Præſepij ſacello.

Altare S. Hieronymi indulgētijs munit.

Paul. de Angel. in Deſcript. Baſil. Liberianæ.

Hungaris cōtra Turcas milites pollicetur.

Cum autem per hoc tempus Matthiæ Regis Hungariæ Legati Pontificem adijſſent, vt opem implorarent contra Turcas; vires enim Regnum Hungaricum non habere affirmabant ad repellenda Turcarum arma ſine auxilio exterorum: orare igitur Pontificem, vt opem rebus afflictis afferat, ac ſimul reliquos Chriſtianos hortetur, ne Chriſtianæ religionis murum expugnari ſinant. Murum eſſe Chriſtiani nominis Hungariam aſſerebant, quo perfracto facile patere in omnes Chriſtianorum prouincias iter: occurrendum priùs quàm porta hoſtibus pateret. Pius collaudata Hungarorum conſtantia, qui annis ſupra octoginta cum Turcis pro religione certauerint, ſtipendia equitum mille miſſurum ſe Regi pollicetur in annum præſentem: & hortaturum Reges, qui proximi ſunt, vt arma coniungant, vt in annum ſequētem maiora præbere poſſet auxilia.

Fœdus init cōtra Turcas.

Interim Veneti apertum indixerant Turcis bellum; atque in hūc modum fœdus cum Pontifice, & Burgundo Duce inierant. Bellum totius viribus omnes contra Turcas in vnum, duos, treſue annos, ſi ſic res poſceret, geſturos ſe promiſerant ea conditione, vt ſine ſocijs nulli liceret à bello diſcedere; & addiderat Pontifex veniente Philippo Duce Burgundico ad Italicas oras, & in Græciam profecturo, ſe ſimul iturum; ſimile fœdus, & Matthias Rex Hungariæ cum Venetis pepigit. Quare Pius Cruce in Turcas propoſita, ad xiv. Kalendas Iulij anni 1464. in Baſilicam D. Petri mane deſcendit, ibique veneratis Aris, & ſucceſſu rerum pie deprecato, Roma egreſſus eſt, Patribus, & populo lecticam eius ſequentibus; ad pontem Miluium dimiſit à ſe omnes, his tantùm retentis, qui ſecum erant ituri. Cymbam inde aſcendens ad leuandam terreſtris itineris incommoditatem per aduerſum Tyberim, ad Caſtellum Iubilęum decimo ab vrbe milliario peruenit; pranſus eo die in cymba eſt, cœnauit, & quieuit nocte illa. Poſtridie ante ortum Solis inde abeuntes Phianum acceſſit, cœnatum quoque ea die, & pernoctatum in flumine: die, quæ ſecuta eſt, peruenit ad Cœnobium D. Benedicti poſitum ad radices montis Soractis. A Cœnobio ad portum Ocriculi peruenit; ab Ocriculo Narniam primò, deinde Interamnam terreſtri itinere contendit; mox continuato itinere ad medium ferè Iulium, non ſine incommodo Anconam peruenit. Qua in vrbe iam ſenex itinere fatigatus in morbum incidit, & cum horam ſuam ille intelligeret, qua reddendus Domino ſpiritus erat, conuocari fratres in cubiculum iubet, atque his ingreſſis, etſi ad loquendum iam erat inualidus, tamen interruptis vocibus, *Fratres*, inquit, *dilectiſſimi, videtis quò adductus ſum: hora mea iam venit: Deus bene Nos euocat: morimur in fide Catholica, in qua & viximus, nihil habentes à Romana Sede diuerſum. Pro ouibus creditis egimus in hanc diem, quod potuimus; non pepercimus laboribus vllis, atque periculis; bis caput Noſtrum obtulimus ad communem ſalutem: perficere quod vltimum cœpi, poteſtas vltra non eſt: reliqua veſtra ſunt. Curate vos opus Dei, nec ſinite per negligentiam labi Chriſtianæ fidei cauſam: ideo vocati in Eccleſiam eſtis, vt ſuis temporibus illi operaſeratis: mementote officij veſtri, & Deum attendite, qui contemplator eſt omnium, retribuitque ſecundum opera noſtra. Fideli miniſterio & creuit, & progreſſa eſt dignitas veſtra, vtique per fidele miniſterium eſt retinenda; quærentes quæ veſtra ſunt non quæ Ieſu Chriſti, illam retinere diu haud quaquam poteſtis. Sumite quoque ex hac hora communis patrimonij curam, videteque ne detrimentum accipiat, ſtudium hoc omne patre decedente, filiorum eſſe oportet, Noſtrum, dum licuit, fuit. Porrò autem fratres in Cardinalatu Noſtro ante, poſt in Præſulatu, ad quem Nos elegiſtis, conuerſati vobiſcum annos plures ſumus, conuerſatio noſtra ſine peccato eſſe non potuit; ex carne enim ſumus. Offenſus nimirum aliquando Deus eſt, offenſa, & caritas veſtra; pro ijs quæ in Deum peccauimus, ipſe qui pius, qui omnipotens eſt, noſtri miſericordiam habeat: pro ijs vero quæ in vos, rogamus, dilectiſſimi Noſtri, vt placatis animis, morienti ſit venia. Eos autem qui vel famulati ſunt Nobis, vel Noſtri ſunt generis, ſi ſe dignos præſtiterint, commendatos habete: valete iam; pax Dei, & cæleſtis gratia vobiſcum ſit.* His ægrè, & cum lacrymis enunciatis, tantus ſubito Patrum, qui lectulum circumſtabant, coortus eſt fletus, vt diu præ gemitu loqui verbum non poſſet, atque ora ſingulorum lacrymantia cernerentur.

Ad Cardinales loquitur.

Beſſarionis Card. ad Pium verba.

Tandem Beſſarion Cardinalium primus pro omnibus verba fecit, indoluit caſum, in quem erat adductus, non ſui tantùm cauſa, quē lacrymabile erat deficere, ſed magis Chriſtiani populi, qui tantum ſalutis auctorem amitteret. Laudauit Pontificem, & præclara eius in Præſulatu opera, agens identidem gratias, quod etiam ſuprema hora ſalutaribus monitis communem rem adiuuaret. Orare ſe Deum dixit Patrem miſericordiarum, vt ſic affecto, & iacenti ſalutem tribueret; verùm ſi propter peccata ſuperſtitis populi eſſet migrandum, manſura, in animis noſtris ſancta eius præcepta, ac daturos operam filios, vt nec publicę Chriſtianorum res, neue priuatæ Romanæ Eccleſiæ detrimentum acciperent: quam autem veniam popoſciſſet, humilitatis ſuæ non erratorum eſſe confeſſionem. Benignè omnes, atque indulgenter habitos ſemper, nec querelam aduerſus eum extare; ſuorum quoque, quos commendaſſet, gratum apud omnes futuram memoriam dixit, docens quàm carus eſſe deberet vel ſanguis, vel contubernium eius, qui tantùm de Chriſtianis, & de Romana ſede meritus eſſet. Poſtulare autem ſingulos fratrum, vt poſtremum, ac pium benedictionis ſuæ munus manſuris relinqueret; Pontifex manu è pallijs paululum eleuata, oſculandam eam omnibus præbuit flens ipſe, & flentes alios intuens. Cardinales manu apprehenſa, atque ante lectum procumbentes, ſigillatim veniam precabantur, ac ſupremum oſculum patris excipiebant. Quibus ille; *Miſericors ignoſcat Deus, & ſpiritum rectum confirmet*, ac ſimul benedicens fratribus eos à ſe dimiſit. Biduo ante admonitus à medicis in omnē caſum vitæ vel obitus, habendam ſupremam rationem animæ eſſe, ſacram Euchariſtiam, quam ſolemnioribus ſemper diebus valens ſumebat, etiam tunc magna mentis religione accepit tundens pectus ad ſingula verba, & flens, & peccatorem ſe confitens indignum communicatione tanti myſterij. Repetere illud Sacramentum mane ſequentis diei optabat in ampliorem ſalutem, & in honorem beatiſſimæ Virginis cuius Aſſumptionem ſciebat inſtare: hanc enim ab adoleſcentia, peculiari quadam pietate coluerat, & hanc vitæ ſuæ, & actionum ducem habuerat. Cum Cardinali Papienſi aliquando familiariùs loquens, & recenſens anteactæ ætatis curſum, credere dicebat, quia tantùm huic Matri ſe deuouiſſet ab epidemia ſemel, à lethalibus languoribus ſæpe, nonnunquam ex manifeſtis vitæ periculis ereptum fuiſſe, & omnem ſucceſſum dignitatis, & rerum ad hanc pijſſimam Virginem referebat. Propterea Templum mirifici operis à fundamentis extructum Pientiæ, ac ſuis manibus conſecratum Virgini Matri dicauit, vt diximus. Solamen ergo hoc animi præcipuum expectabat, vt intra cubiculum ſolemne ſacrum cantari audiret, ac tanquam ſupremum Vale, in religionis miniſterio cum fratribus ageret. Optabat autem, ſicuti mos erat per Cardinalem id fieri, & Cardinalem Papienſem delegerat, qui his diuinis operatus, confectum Domini Sacramentum rurſus porrigeret; inſtituerat etiam vt Patres adeſſent reliqui, veterique inſtituto ſeruarentur cætera. Comparatis igitur ad peragenda hęc omnibus, ecce inclinante iam Sole, inclinare, & ipſe admodum cœpit, vt non procul à morte iudicaretur abeſſe. Confeſtim itaque Sacramenta reliqua perſoluuntur morientibus debita: nox ad primam vſq; horā proceſſerat Cardinales, qui eò conuenerant, domos quique ſuas diſceſſerant. Solus remanſerat Cardinalis Papienſis volens quam patri debebat pietatem, etiam extrema hora perſoluere: ſecum erant tres Præſules ex Pontificis familia, & ex ſorore filius Andreas, & Lollius conſobrinu

Amor in beatam Virginem.

Anconæ ægrotat.

Roma diſcedit.

Iter Pij Anconam verſus.

frater, ac cæteri, qui ad interius miniſterium cubiculi ſeruiebant. Circumſtabant omnes deficientem ſenem lacrymantes, & mœſti: ille in Papienſem oculos vertens innuit, vt propius accederet; acceſſit ſtatim. Voce itaque iam conſumpta, quæ auribus admotis audiri vix poterat: *Ora*, inquit, *pro me fili, peccator etenim ſum*, ſimulque ad Crucem conuerſus, quæ collocata ante oculos erat, non ſine ſuſpirijs iterabat; *Miſerere mei Deus, miſerere mei: & tu Mater Virgo ſanctiſſima ſeruum deficientem ne deſeras, & per miſericordiam Filij ſuſcipe animam excedentem.* Paulò poſt rurſus in Cardinalem Papienſem dirigens oculos, *continuationem*, inquit, *ſancti propoſiti memora fratribus, & tu adiuua quoad potes, appropinquant ſupplicia, ſi Dei opus deſeritis.* Cum reſpondere præ gemitu Cardinalis non poſſet, dexteram manum, quæ eleuata in cubitum erat, demittens ſuper collum eius, *Benefac*, inquit, *fili, & orationem offer pro me Deo.* Hoc illi vltimum verbum fuit; loqui vltra non valuit ob flegma profluens, quo pectus iam, & fauces erant completæ: legebantur ſine intermiſſione precationes Eccleſiæ, quibus expiari decedentium animæ ſolent, ipſe ad audiendum attentiſſimus erat. Moribundus Cardinales ad concordiam in eligendo Pontifice hortatus eſt, ſignaque integerrimi Chriſtiani rebus in omnibus præ ſe tulit: præterea, tradit Platina diſputaſſe eum tunc, & quidem acerrimè, cum Laurentio Rouerella Ferrarienſium Epiſcopo, Theologo doctiſſimo, liceret ne extremam vnctionem iterare, qui ſemel inunctus fuerat, dum Baſileæ peſtilentia laboraret. Orationes etiam canonicas, vt in tanta animi, & corporis anxietate intermitteret, neque domeſticorum quidem precibus euorari potuit. Simile quid de eo narrat Gobellinus, quòd cum in Quadrageſima quadam grauiſſimè Pontifex ægrotaret, pedes, manus, genua, humeros, atque omnes ferè artus obſidente podagra, amici tamen quibus ea res fuit acerbiſſima, vt ieiunium conſuetum omitteret, numquam impetrare potuerunt.

Pij obitus

Circa horam tertiam noctis inter legendum, tanta quiete ſpiritũ Domino reddidit, vt conniuere, non mori eum putares; ac pro-

A nus ſine vllo mortis ſenſu excedere. Expirauit placidè in Domino, non decimoſeptimo, ſed decimonono Kal. Septembris anno 1464 ipſa nocte vigiliæ Aſſumptionis beatiſſimæ Virginis, anno ætatis 58. viſceribus ibidem Anconæ in Eccleſia S. Cyriaci humatis, corpus Romam relatum conditum eſt ſepulchro marmoreo, à Paſquino Politiano celebri illius æui artifice in Baſilicę S. Petri ſacello, vbi ipſe caput ſancti Andreę Apoſtoli depoſuerat, vt dictum eſt ſupra à Ciaconio. Eadem die, atque hora, qua Pius Pontifex Maximus Anconæ deceſſerat, Amonæ in Hetruria Camaldi, quod eſt in Apennini iugo, B. Petrus Teutonicus, ſeu B. Cornelius Calaber dictus, victu aſpero, ſex, & quadraginta annos intra ſacelli clauſtra emaceratus, atque inter Cœnobitas miraculis clarus, egreſſus ad limen primum veſtibuli, videntem ſe exclamauit magnum Sacerdotem corona triplici, & candido amictu deferri in cœlum comitantium Virguncularum cœtu, & nubecula ſeptum. Attonitis qui aderant, & quid eſſet conijcientibus, quarto poſt die quantum itineris

Felix Cæleſtinus in Elencho.

Corpus Romam defertur, & in Vaticano collocatur.

Eremita videt Pij animam cœlũ petentem. Antoninus Dauret. in Catheel. Hiſtor.

B Amona diſtabat, nuncius de morte eius affertur, tempore, & habitu conuenientibus in m.s. Vaticano adnotata legimus: *Pius II. Senenſis, vir doctiſſimus, huius animam ad cœlum deduci frater quidam ord. Camaldulenſis vidit*, & apud Auguſtinum Florentinũ in hiſtoria Camaldulenſium, *factum eſt Petrus Zelandrinus Teutonicus Pij II. Pont. Max. animam ad cœlos per Angelorum manus deferri videret.* Diruto poſtea progreſſu temporis antiquo monumento, Pij corpus ſub nouæ Baſilicæ pauimentum translatum fuit, ibi iacuit vſquequo Alexander Perettus Cardinalis Montaltus ad D. Andreę de Valle Templum, illud deduxit, & in pernobili monumento collocauit; cuius exemplar liberalitate Aſcanij Picolominei Archiepiſcopi Senenſis mox proponam.

Tranſlatio Pij.

Sepulcrũ Pij in S. Andrea de Valle.

Huic monumento ſepulchralis inſcriptio ſupra reſcripta appoſita eſt fere nonnullis tantum mutatis, paucisque additis epitaphiũ,

C poſitum euidem Pij ſepulcro in Templo ſancti Andreæ de Valle Patrum Theatinorum, liberalitate, ac pietate Alexandri Peretti Cardinalis Montalti erecto, hic referre placet.

Inſcriptio ſepulcrali.

PIVS II. PONT. MAX. NATIONE TVSCVS PATRIA SENEN. GENTE PICOLOMINEA
SEDIT AN. VI. AVGVSTA IN ANGVSTO PONTIFICATV GLORIA
CONVENTVM CHRISTIANORVM MANTVÆ PRO FIDE HABVIT
OPPVGNATORIBVS ROM. SEDIS INTRA ATQ. EXTRA ITALIAM RESTITIT
CATHARINAM SENEN. INTER SANCTAS CHRISTI RETVLIT IN GALLIA
PRAGMATICAM ABROGAVIT FERDINANDVM ARAGONEN. IN REGNVM
SICILIÆ CIS FRETVM RESTITVIT REM ECCLESIÆ AVXIT EODINAS
INVENTI TVM PRIMVM ALVMINIS APVD TOLFAM INSTITVIT CVLTOR
IVSTITIÆ ET RELIGIONIS ELOQVIO ADMIRABILIS PARATA CLASSE
AC VENETORVM DVCE CVM SVO SENATV COMMILITONIBVS CHRISTI HABITIS
IN BELLO TVRCIS INDICTO ANCONÆ DECESSIT EX PATRVM DECRETO IN VRBEM
RELATVS IN BASILICA S. PETRI AN. MCCCCLXIV. CONDITVR TVM RELICTO
IBIDEM CAPITE S. ANDREÆ APOST. VBI AD SE EX PELOPONNESO ADVECTVM COLLOCARAT
ALEXANDRI PERETTI CARD. MONTALTI PIETATE HVC CVM PII III. NEPOTIS OSSIBVS
SVMMO TRANSLATVS HONORE HIC HONORIFICE TVMVLATVR
KAL. FEBR. AN. MDCXXIII.

Aliud Pio II. epitaphium inſcripſit Ioannes Antonius Campanus Epiſcopus Interamnenſis, & eſt tale,

Eſſe hoc in tumulo PIVM Secundum
Ne tu crede: PIVS petiuit aſtra.
Terris gloria nominis vagatur,
Præterquam oſſa nihil reliquit vrnæ.

Aliud eidem poſuit Onuphrius Panuinius, quod eſt etiam ipſius vitæ breuiarium; nempe.

AENEAS SYLVIVS PICOLOMINEVS, gente patritia, tenuioris tamen fortuna, patre Syluio in villa Corſiniana agri Senenſis ortus, per omnium Romana Curia dignitatum gradus ad munus Apoſtolicum aſcendit. Literis humanioribus inſtructus, eloquentia, dexteritate, & prudentia multum valuit. Primum Cardinalium Capranici, & Albergati Scriba. Deinde in Concilio Baſileenſi cæremoniarum Præfectus, & pro eo multis legationibus egregie functus. Poſtea Friderici III Felicis V. Eugenij IV. & Nicolai V. epiſtolarum Magiſter, & à ſecretis fuit. Ad Eugenium IV. pro natione Germanica Legatus, obedientiam, ſublata neutralitate, eidem præſtitit. A Nicolao V. Epiſcopus Tergeſtinus, & Senenſis. A Calliſto III. Diaconus primo S. Euſtachij, mox Presbyter Cardinalis tit. S. Sabinæ creatus eſt. Quo mortuo Romæ in palatio Vaticano xviij. Cardinalium ſuffragijs Romanus Pontifex 16. Kal. Sept. an. Dom. 1458. renunciatus, & iij. Non. Sept. coronatus, Friderico Auguſto Cæſare ſedit an. 5. menſes 11. dies 27. ordinationibus tribus habitis xi. Cardinales creauit. Obijt Anconæ in Piceno dum bellum in Turcas, adornaret. Corpus Romam relatum in Baſilica S. Petri marmoreo tumulo conditum eſt. Vacauit ſedes dies 16.

D Hic tanto Præſuli exitus fuit; atque hic labores omnes athletæ fortis abſolui; incertum morte ne an vita felicior; qui ad ſummum Pontificatum virtutis ſuffragio perueniens, religionis, & ingenij æternam gloriam conſecutus, mortem ſic nactus eſt, qua ſi humana attendimus, nulla amplioris meriti contingere poterat. Mortuus pro veritate eſt, & pro redemptione plebis oppreſſæ, offerens ſe ipſum hoſtiam Deo, ac relinquens ſacerdotibus exemplum, quales eſſe pro ſuis ouibus debeant. Martyrium autem penè quotidianum paſſus eſt à die quo Burgundorum Dux Philippus miſſis Oratoribus venturum ſe ad bellum, ac ſancti operis ſocium ſe futurum promiſit. Subitò enim in omnem partem curam impertiens, plurimũ laboris tulit, non remittens ad contrahenda neceſſaria ne tempus quidem nocturnum quietis. Diuidebat per ſingulas horas cunque opus ſuum rerum prouidendarum, perire huic cauſæ exiſtimans quicquid eſſet momenti alijs impertitum: cognoſcebat quoque

Pij virtutes.

E operoſam molem ſublatam humeris ſuis, ſub qua eſſet cadendum, ſi omni ſatiam ſtudio difficultates vndique ingruentes non ſuperarentur. Hæc animi ſollicitudo labefactauit ægram alioquin valetudinem ſenis, dum nec de alio cogitare, nec quietem capere, nec cibum ſine cura ſumere poſſet. Comparatis denique omnibus iucunda ſpes aduenientis Ducis, quæ ſola ſpiritum ſuſtentabat, vbi defecit, mirum dictu eſt quantum non animo ſolùm, ſed totis viribus eſt conſternatus. Iudicabat, quod reuera ſapientes videbant, illo non veniente maximam incœpti partem abrumpi, & promiſſos orbi Chriſtiano fructus detrimentis maximis retardari. Acceſſerant præterea duæ dolorum faces, quæ animam incendebant ad cõplenda incœpta ſedulò properantem: altera quod ab eis ſeniè, ac frigidè adminiſtrari omnia ſentiebat, qui vel pecuniam pendere, vel armatum militem mittere, vel triremes ad bellum inſtruere ſtipendijs ſuis promiſerant. Altera quod Anconam proficiſcens

F cateruas regredientium Crucesignatorum quotidie habebat obuias, inermes, ac vacuas pecunijs, qui lege decreti ſui non obſeruata, temerè iter erant ingreſſi is verò ad ſuos redeuntes, vt inconſulti ſui motus culpam tegerent, accuſaturi Romanum Pontificem vide-

bantur:



PII PAPAE II · MONVMENTV
PIVS II · PP
PIVS SECVNDVS PONT · MAX ·
NATIONE TVSCVS PATRIA SENENSIS
GENTE PICOLOMINEA
SEDIT ANNOS SEX ·
AENEAS PIVS SENEN · PP · II
PIVS II · PICOLOM
PONT · MAX
PONTIFICATVS
ANNO
II ·
PRIMO
PRINCIPI ·
VT GERMINET
VT GERMINET

alieno, ac magno quidem ſæpe premeretur; multos tamen muneribus publicis, & beneficijs Eccleſiaſticis iuuiſſe: Philelphum autem præcipuè in eum mortuum inde inuectum eſſe ex epiſtolis Papienſis intelligitur, quibus ea calumnia diluitur. Sicut ad illam aliam pariter diluendam, qua æquè accuſatus eſt, quod præter dignitatem huc, atque illuc vagaretur frequentiùs, ab eodem Papienſi itinera eius ſingula enarranda fuere, ac neceſſitas eorum demonſtranda. Denique quod multiplices eius laudes vnum tantum ambitionis vitium commaculaſſe Volaterranus ſcribit; apud eundem diuerſis locis dilutum inuenies. Quæ verò præterea à nonnullis poſterioribus Hæreticis in eius famam euomita fuere, ab alijs Catholicis examinata ſimul, & exanimata reperies.

Cum autem infirmo corpori mortem accelerarint, vt dictum eſt, conſternatio animi de Burgundiæ Ducis defectione à propoſito expeditionis, nec non tarditas, ac tepiditas eorum, qui vel pecuniam pendere, vel armatum militem mittere, vel triremes ad bellum inſtruere ſtipendijs ſuis promiſerant, denique catervæ regredientium Cruceſignatorum, qui culpaturi ipſum videbantur: hinc facile eſt credita, quod Simonetta in rebus geſtis Franciſci Ducis Mediolanenſis, ex relatione Oratoris Ducis, qui apud Pontificem erat, ſcribit. Cum animaduerteret Pius ſuos in irritum conatus caſuros, ac ſe ludibrio futurum, conſtituiſſe Brundiſium vſque tantummodo ſi vixiſſet nauigare, & ibi ſubeuntem hiemem conſumere, Romam poſt ex irrita profectione Chriſtianis Principibus culpam iniiciendo redire. Felix igitur eius mors, quæ ipſum in tanto religionis Chriſtianæ ſubueniendæ ſtudio euocauerit.

Præcipuum ei ſtudium fuit publicis incumbere munijs, quare aut cum Patribus conſulebat, aut dabat ſubſcriptionibus operam; quæ duo munera alternis diebus obiri ſolita, niſi cum feriæ, aut ſolemnium dierum religio prohibuiſſent, numquam intermiſit: ſubſcriptiones etiam extra ordinem, vt quaqua poſtulator occurreret, & in menſa, & in cubili ipſo faciebat: in itinere ipſo vbicumque ſubſediſſet acciri poſtulatores iubebat, nec vnquam ad vmbram, aut fontem acceſſit ſine pugillaribus: ſecundum conſultationes Patrum, aut ſubſcriptiones, primum Oratores Principum, aut rerum publicarum, deinde priuati admittebantur, cumque aliquando vnus è cubicularijs hominem verboſiorem facere dicēdi finem clam ſubmonuiſſet, aduertens id Pontifex repeti omnia iuſſit, conuerſuſque ad cubicularium, irato ſimilis, *an neſcis*, inquit, *ex quo inij Pontificatum alijs me viuere oportere non mihi.*

Fortis, & inuictus animo fuit: nil Regibus, aut Principibus, metu vel auaritia vnquam conceſſit; imo temerariæ cupiditati eorum qui iniqua poſtularent, reſiſtit: nam, & Borſio Mutinæ Duci, quāuis affinitate, ac neceſſitudine ſibi coniunctiſſimo, petita contra ius, & honorem Eccleſiæ negauit: idem fecit erga Cardinalem Atrebatenſem, cui duas inſignes Eccleſias, alteram Metropoliticam Veluntionom apud Burgundos, vnde illi origo erat, alteram Albienſem apud Occitanos, eaſque opulentiſſimas ambienti, ſibique commendari enixè poſtulanti, interpoſita etiam Regis interceſſione, & indignationis eiuſdem minis, reſpondit nihilominus Pius ſe nulli quocumque reſpectu duas Pontificales Eccleſias eſſe commiſſurum, niſi altera eſſet ex titulis Cardinalium; quare vnam ex illis, quam mallet, eligeret; alteram ne ſperaret: quo audito Ioannes ille Atrebas vehementer doluit, & quaſi contumelia tactus, ſua in Sedem Apoſtolicam beneficia prætenſa commemorare cœpit: manſit tamen in ſententia Pontifex. Sigiſmundo Norico Cæſaris patrueli, quamquam inter illum atque Pontificem magna interceſſiſſet amicitia diem dixit, quod Cardinalem Cuſanum, eumdemque Brixinenſem Antiſtitem cuſtodiri iuſſiſſet, amicum falſus Ducem, ſed amiciorem profeſſus ipſam Eccleſiam, cuius fuerat immunitas violata: alium Sigiſmundum Malateſtam obloquentem de religione, atque ideo in ius vocatum, nec comparentem, damnauit. Martialem quemdam, quod virginem defloraſſe, eique ſtuprum intuliſſe ferretur, præfectum amouit, quamuis non conſtaret de crimine, ſubdens in eiuſmodi hominum genere, non tantum crimen, ſed etiam criminis ſuſpicionem, abeſſe debere: inſtituit quatuor viros è Collegio Patrum, qui de luxuriæ coercendæ modis conſulerent: prouocationem ad futurum Concilium temerè à nonnullis introductam, edicto ſuſtulit, dicens ſceleratorum eſſe perfugium, eum iudicem petere, qui nuſquam eſſet: cumque praua illa conſuetudo in Romanam Curiam ſenſim ſine ſenſu irrepſiſſet, vt præpoſtero admodum ordine Protonotarij, ſeu Notarij Apoſtolici Epiſcopis anteponerentur, iſtique contra ingentem hanc corruptelam vehementer inſurrexiſſent in Conuentu Mantuano, *conſiderans Pius*, ipſiſſima ſunt Gobellini verba quæ ſequuntur, *altitudinem Epiſcopalis eminentiæ, & quod ipſe Romanus Præſul Ieſu Chriſti Vicarius, Epiſcopi nomine contentatur*, eoſdem Notarios per abuſum Epiſcopis in ſeſſionis ordine Prælatos declarauit; & ne illi quicquam attentarent edita lege diſtrictè prohibuit.

Præter illas quas ſupra reſcripſimus, aliæ tum Senis, tum Romę memoriæ de Pio II. leguntur. Senis in ſacello, in quo olim fuit Bibliotheca Pij hæc lemmata ſub picturis hiſtoriam vitæ, rerumque à Pio geſtarum continentibus expreſſa videntur.

AENEAS SYLVIVS PICOLOMINEVS natus eſt patre Syluio, matre Victoria 18. Octobris anno Domini MCDV. Corſinianis in fundis gentilitijs: Baſileam ad Concilium contendens, vi tempeſtatis in Libyam propellitur.

AENEAS SYLVIVS A BASILEENSI CONCILIO ad vlteriorem Britanniam Orator, ac in Scotiam ad Regem Calexum miſſus, à tempeſtate in Noruegiam pulſus, & per Britanniā Regios ſpeculatores eludens, Baſileā reuertitur huc.

AENEAS A FELICE V. ANTIPAPA LEGATVS ad Fredericum III. Cæſarem miſſus laurea corona donatur, & inter amicos eius, & ſecretarios annumeratur, & ijs præficitur.

AENEAS A FRIDERICO III. IMPERATORE Legatus ad Eugenium IV. miſſus, non ſolum ei reconciliatus eſt: ſed Hypodiaconus, & Secretarius, mox Tergeſtinus, deinde Senenſis Antiſtes creatus.

AENEAS FRIDERICI III. IMPERATORI Leonoram ſponſam exhibet, ac puellæ laudes, ac Regum Luſitanorum complectitur.

AENEAS SYLVIVS SENEN. ANTISTES ad Calliſtum III. Orator à Friderico III Imperatore tertio miſſus, Pontificem ad bellum Aſiaticum armat, & Patrum, Principumque omnium rogatione Cardinalis efficitur.

CALLISTO MORTVO AENEAS CAR. SENEN. acclamatione Patrum, apertiſque ſuffragijs Pontifex deſignatur, & Pius II. nominatur.

PIVS II. PONT. MAX. A LVDOVICO Mantuanorum Principe claſſe in Naumachia ſpeciem exceptus VI. Kalen. Iun. Mantuam ad indictum de expeditione in Turcas Conuentum ingreditur.

PIVS II. PONT. MAX. CATHARINAM Senenſem, ob innumera eius miracula inter Diuos refert.

PIVS II. CVM ANCONA EXPEDITIONEM in Turcas acceleraret, ex febre interijt; cuius animam Eremita Camaldulenſis in Cœlum efferri vidit: corpus vero Patrum decreto in Vrbem reportatum eſt.

Sub hoc Romano Pontifice, imò vt refert Gobellinus, dum ipſemet Pontifex Florentię ageret, migrauit in Domino Antoninus illius Eccleſiæ Archiepiſcopus anno ætatis ſeptuageſimo, v. Nonas Maij anno 1459. & ſepultus honorificentiſſimè in Eccleſia S. Marci Conuentus ſui ordinis Prædicatorum, & poſt annos ſexaginta quatuor, nempe Chriſti 1523. pridie Kal. Iunij ob miracula tam in vita, quàm poſt mortem edita, ab Hadriano VI. in Sanctorum numerum ritu ſolemni relatus, Diplomate, quod Hadrianus morte præuentus publicare non potuit, per Clementem VII. eius ſucceſſorem promulgato. Antoninus alter ſub eodem Pio, de Ripolis ordinis item Prædicatorum anno 1460. Tuneti in Africa nobile martyrium pro Chriſti fide paſſus eſt. Anno verò 1463. pridie Idus Nouembris obijt Compluti in Hiſpanis Didacus, ſiue Iacobus laicus ordinis S. Franciſci miraculis, viuus, & mortuus clariſſimus: quorum permulta vnà cum eius vitæ geſtis memoriæ mandauit Petrus Galeſinus Protonotarius Apoſtolicus iuſſu Sixti V. Pontificis, qui etiam in numerum Sanctorum Confeſſorum ſolemni ritu eundem retulit nonis Iulij anni 1588. Eundem verò hoc ipſo anno in Cœlum præceſſerat vij. Idus Martij B. Catharina virgo Bononienſis ex numero Clariſſarum eiuſdem ordinis S. Franciſci, viſionibus cœleſtibus, ſpiritu prophetię, ac virtutum exercitio clariſſima, & ingentibus miraculis poſt mortem illuſtris.

Concilium vnicum præter Mantuanū Lancicienſe ſcilicet celebratum ſub Pio II. à Ioanne Sprouin Archiepiſcopo Gneſnenſi, in quo multa ad clericorum mores corrigendos ſtabilita.

S. Antoninus Archiepiſc. Florent. obit.

Alterius Antonini obitus. Leander. Albertus.

Henricus Spondan' in Annal. Eccleſiaſt. Didaci ordinis Minorum mors.

B. etiā Catharinæ Bononien.

Concilium Lancicienſe in Polonia.

PRIMA CREATIO CARDINALIVM PII Papæ II.

Anno Dominicæ Natiuitatis 1460. iij. nonas Martij Romę ex Panuinio, & Ciaconio, ex Contelorio verò, alijſque Senis in Palatio Epiſcopali, Cardinalium aſſenſu, ea lege adiecta, vt vnus tantum nepos eſſet, Pius II. Romanus Pontifex primò renunciauit, & præter morem eadem die publicauit Presbyteros Cardinales quatuor, & Diaconum vnum: hi autem fuerunt.

Ciaconius Andr. Victorell. in addit. ad Ciacon. Aubery in vita. Panuinius de Rom. Pontific.

I.

A



ANGELVS filius Nicolai Capranicæ, nobilis Romanus, Dominici olim Cardinalis frater, Archiepiſcopus Sipontinus primò, deinde Epiſcopus Aſculanus anno 1447. die 2. menſis Iulij à Nicolao V. creatus; mox anno 1450. ſeu ex alijs 1451. translatus eſt ad Reatinā Eccleſiam. Ex Epiſcopo igitur Reatino, & Legato Bononienſi Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Crucis in Hieruſalem renūciatus eſt. Poſt purpuram legationem etiam geſsit in Exarchatu Rauennæ, ac in Prouincia Romandiolæ, cum facultate

B

prædicandi Cruciatam contra Turcas: ante purpuram ſub Nicolao V. Fulgineum gubernator rexerat. Fuit fermè Angelus nomine, moribus, atque doctrina; floruit Theologiæ ſcientia, & magna memoria, non ſolùm Pij II. ſed totius vrbis Romæ teſtimonio: vita innocens fuit. Multis annis publicè in ſua Eccleſia conuiuens, veluti priuatus magna cum caritate correxit multos abuſus ſuorum Diœceſanorum qui increuerant ſub cura aliorum. Solers in paſtorali creditæ ſibi Eccleſiæ curæ annis pluribus conciones ad populum habuit: de quo hæc in publico Conſiſtorio ipſe Pius texuit elogium. *Angelus Reatinus Epiſcopus, verè Angelus, & vita, & morum honeſtate conſpicuus: huic frater fuit Dominicus titulo S. Crucis in Hieruſalem quondam magni nominis Cardinalis: non minor hic germano, & multa eius*

C

extant quæ poſſumus commemorare. Vita omnis ſua mundiſſima, præfuit Eccleſiæ ſibi commiſſæ non ſine magna ſubditorum vtilitate prædicauit Euangelium multis annis plebi ſuæ, correxit mores, reformauit quæcunque inuenit malè diſpoſita. In Legationibus, quas Sedes ſibi Apoſtolica mandauit, diligentiſſimus, & fideliſſimus extitit: & nunc Bononiæ cum maxima ciuium gratia, Legationis munus exercet. Subijt Epiſcopatus Præneſtini onus imponente Sixto IV. Romano Pontifice, cum retentione vt ſcribit Contelorius, denominationis, ſeu tituli S. Crucis. Poſt Nicolai nepotis obitum Eccleſiam Firmanam regendam ſuſcepit, eamque adminiſtrauit vſque ad annum 1473. vbi ſatis ſalubrem Synodum celebrauit, quæ diligentiſsimè in Tabulario eiuſdem Eccleſiæ aſſeruatur: & ibi Eccleſiam Fratrum Minorum de Obſeruantia conſecrauit. Hāc Eccleſiam anno, vt diximus 1473. reſignauit, Reatino Epiſcopatu contentus, è cuius Eccleſię denominatione ſępe deinceps Rea-

D

tinus Cardinalis appellatus eſt. Interfuit ſemel Comitijs Pontificijs, & ſuffragium pro Paulo II. tulit. Ad hunc extant Cardinalis Papienſis epiſtolæ multæ: quem Pius II. Garimbertus, alijque ſcriptores celebrant. Euolauit in cœlum Romæ anno 1478. die v. Nonas Iulij, & apud ſanctam Mariam ſuper Mineruam in marmoreo fratris Cardinalis illatus eſt tumulo, cum elogio ſupra in vita Dominici Cardinalis reſcripto.

Ioſ. Mar. Suares in Præn. antiqua.

Ferdinā.d. Vghel. in Ital. ſac. Nicol. Baccius in m. ſ. hiſt. Septimiana. Felix Cōtelorius in Elencho.

Hic ille Angelus Capranica eſt, qui cum celebre S. Bartholomæi prope Ferrariam Cœnobium commendatum haberet, Bernardo de la Caſa rariſsimi exempli monacho Septimiano Ciſtercienſi Florentino illud liberaliſsimè ceſsit; cuius paulò poſt a Sixto IV. perpetuus Abbas dictus eſt. Cui Monaſterio cum aliquot annis præfuiſſet, ac ſua diligentia, & parſimonia adauxiſſet illius fortunas, ſeptimi Monaſterio, haud reclamante Pontifice perpetuò illud vni-

E

uit, ac iunxit, ita vt ex ea deinde Monaſterij acceſsione Congregationis ſancti Bernardi in Italia ſumpſerit exordium, quæ Angelum Cardinalem non minus quàm Dominicum fratrem, ac benefactorem meritò in præcipuis veneretur, & colat. Tanta autem in ordinem Ciſtercienſem liberalitas in marmorea tabula ad parietes Eccleſiæ S. Mariæ Nouæ Florentiæ adhuc patet literis hiſce exarata.

Angelus Cardinalis Tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalem
Abbatiam hanc Diui Bartholomæi
deſtitutam, ac penè collapſam
Bernardo Diui Saluatoris almæ vrbis Florentiæ monacho
reſignauit.
Qui ſub Innocentio VIII. Pontifice Max.

F

Decreto Patrum Congregationis Diui Bernardi in Tuſcia
eiuſdem Ordinis
in poſterum ſine commenda, auctam, reſeruatam,
liberamque fecit.
Anno Gratiæ
MCCCCLXXXIIII. xii. kal. Decembris;
Regnante Hercule Duce Secundo.

II.



BERARDVS, vel Bernardus, ſeu Eberardus Aerulus, natione Italus, patria non Interamnenſis, ſed Narnienſis, obſcuris ortus parentibus, moribus, & doctrina inſignis, & eximius iuſtitiæ cultor habitus, primùm Referendarius Apoſtolicus, in primis carus Nicolao V. & Calliſto III. domeſticus, familiaris Pij II. Romani Pontificis, Rotæ Romanæ Auditor, & Vicarius vrbis, & Epiſcopus Spoletanus, poſt adminiſtrationem omnium ferè Magiſtra-

Ciaconius Pius II. in Commentarijs. Aubery in vita. And. Victorel. in addition. ad Ciacō. Hier. Garimbert. Ferdinād. Vghel. in Ital. ſac. Card. Papienſ. in Epiſtolis. Panuinius de Rom. Pont.

B

tuum Romanæ Curiæ adſcriptus eſt mandante ipſo Pio Presbyteris Cardinalibus titulo S. Sabinę. Aduerſati ſunt eius promotioni Dominicus Capranica, & Proſper Columna Cardinales, qui cum viderent Pium in eum propenſum, prætextu caritatis obſtare annixi, auctoritatem Cardinalatus cum paupertate vileſcere, & opibus in honore eſſe; oportere ideo primùm illum ditare, deinde ad Cardinalatum promouere. His tamen omnibus prætermiſsis Pius eum inter Presbyteros cooptauit ac titulum illi S. Sabinæ attribuit, atque eundem hoc elogio in publico Conſiſtorio commendauit. *Berardus Epiſcopus Spoletanus apud Narniam non ignobili loco natus, qui cum per ſcholas Italiæ Cathedras magna cum auditorum dilectione, atque vtilitate rexiſſet, tandemque Romanam Curiam acceſſiſſet, à Nicolao Prædeceſſore Noſtro, qui eius doctrinæ culmen*

C

admirabatur, in palatium receptus, Referendariatus officium accepit, in quo ita ſe geſſit, vt omnia ſibi crederet. Nam verbum eius verbum veritatis fuit, & iam tum dignus Cardinalatu iudicatus fuit. Apud Calliſtum quidem cariſſimus fuit, nec ad promotionem eius aliud obſtitit, quàm inuidia paucorum. In Noſtra verò familia receptus, ob famæ ſingularis odorem, & Noſtram gratiam, & aulicorum omnium beneuolentiam meruit; primuſque ſemper apud Nos habitus eſt, cum & prudentiam eius, & fidem, & doctrinam & admiraremur, & diligeremus.

Narniæ hic ædificauit Monaſterium non ſolùm pulchritudine, & elegantia operis, ſed multitudine fratrum commendatum; & in monte Roſeo Eccleſiam à fundamentis erexit, cum valetudinario coniuncto commodo, & vtili pauperibus illius Terræ. De his ædificijs hæc apud Papienſem inuenies. *Cum iter Narniæ agerem, contemplatus ſum opus Cœnobij veſtra cura erectum; fratrum fre-*

D

quentia, & ſtructura ipſa inſigne, benedixi nomini veſtro. Rurſum nunc per Vicum montis Roſuli tranſiens, magno meo, & aliorum exemplo vidi Sacellum, coniunctumque Xenodochium, quod impenſa veſtra à fundamentis erigitur: opus opportunum, & piuni, tum profeſſioni noſtræ conueniens. Deſcendi, ingreſſus ſum, luſtrans omnia; inde verò expediens tacitus dixi: Beatus vir, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Porrò autem felicem Eccleſiam ſuſpiraui, ſi illi multi Spoletani contingerent. Quæ mihi venere in mentem Patres nonnulli ordinis noſtri, qui in Domino dormierunt, Sanctæcrucis, Cæſarinus, Firmanus, de Cuſa, ac nuper S. Angeli Hiſpanus, per quorum ſanctas actiones commendatum eſt miniſterium noſtrum. Comparans inde qui nunc ſumus, & quàm in paucis religio, quamque in paucioribus expectatio religionis, vicem Romanæ Sedis indolui, voſque vel vnum, vel cum paucis putaui. Pro cuius valetudine, & vita miſericors rogandus ſit Dominus iterum dico: ab animo non men-

E

tiendi ſtudio hæc iſtera ſunt.

Beneficiorum, & commendationum onus ſemper fugit, onnquā theſaurizauit, &, ſi facilè potuiſſet mediocri domo contentus ſemper vixiſſet ea re diues; aulæa, & domus ornatum contempſit; propria victute, & menſa frugali delectatus, quibuſuis honeſtis perſonis licet pauperibus, cuiuſque conditionis eæ eſſent, diu noctuque patebat, cupiens modeſtiæ potiùs, quàm luxui inſeruire. Peruſinam Legationem Pontificis iuſſu ſumma iuſtitia geſſit, & Cardinalis dignitatem ſuſtinuit. Nam filium ſecundogenitum Ferdinandi Neapolitani Regis Romæ à Sixto IV. hoſpitio ſuſceptum inuiſere, licet alij Patres id feciſſent noluit, arbitratus S.R.E. Cardinalem, filium ſecundogenitum Regis cenſum Apoſtolicæ Sedi pendentis, eo honoris genere proſequi non decere. Interfuit Comitijs, in quibus renunciati ſunt Romani Pontifices Paulus II. & Sixtus IV. ab

F

hoc vltimo Epiſcopatum Sabinenſem anno reparatæ ſalutis 1474. obtinuit. E vita migrauit Romæ iij. Nonas Aprilis anno 1479. & in Baſilica S. Petri in marmoreo ac pernobili ſepulcro ſepultus cum ſequenti epitaphio.

Felix Cōtelor. in Elencho.

SEDENTE XYSTO IV. PONTIFICE MAXIMO

Nomencl. Cardinal.

Berardo Herulo Narnienſi, Epiſcopo Sabinenſi, S.R.E. Cardinali Spoletino, Pontificij, Ciuiliſque Iuris ſummo interpreti, iuſtitiæ ac, religionis cultori, ſingulari integritate conſilij eximio, Romana curia honoribus functo, abſtinentia, ſeueritate

inſigni,

inſignis, humana vitæ exemplo, à Pio II. Pontifice Maximo Cardinali ob virtutem creato, cæteris Pontificibus, ac Patribus æquè charo. Conſtantinus Epiſcopus Spoletinus auunculo B. M. poſuit. Annum agens LXX. communi omnium bonorum mœrore, immortali de ſe apud poſteros fama relicta,

Deceſſit iij. Non. Aprilis anno Salutis

MCDLXXIX.

Huiuſce ſepulcri non niſi fragmenta ſparſa conſpiciuntur in Vaticanis cryptis, cum his notis.

HÆC IMAGO ERAT AD SEP. CARD. HERVLI

Huic Cardinali, vti etiam Theanenſi cauſas grauiores, Pontificum Romanorum iuſſu commiſſas ſemper fuiſſe, ex Cardinali Papienſi ſcimus, cuius plures epiſtolas Cardinali Spoletano ſcriptas, Berardo datas ſcito. Trium Fontium Abbatiam Romanam rexit, eamque reſtaurauit ex vſu monachorum ibi conſtituto ad pſallendum in choro, & eandem picturis, ac ſacro, & vario cultu mirificè adauxit, & ornauit. B

Berardum Cardinalem laudibus extollit Gobellinus libro primo Commentariorum his verbis. *Berardum Cardinalem ſanctæ Sabinæ ob excellentem virtutem, ex Referendariorum numero in ſupremum Senatum a Pio II. cooptatum*, & libro ſecundo, *Berardus Narnienſis, tituli ſanctæ Sabinæ, hic primo Rotæ Iudex factus, inde Spoletanæ Eccleſiæ Præfectus, poſt laborioſam adminiſtrationem omnium Magiſtratuum Curiæ, ad Cardinalatum aſſumptus, Peruſinam legationem accepit, vir propoſiti tenax, & ſincerus cultor iuſtitiæ*: libro vero quarto. *Berardus Herulus Spoletanus, moribus, & doctrina inſignis, & iuſtitiæ cultor habitus: apud Narnianam natus, & iure Referendarius, & domeſticus Pij II familiaris*, de quo ita quoque Bzouius, *diſceſſurus Roma Pius Pontifex Berardum Epiſcopum Spoletanum, egregium Iuriſconſultum, & integritate morum, ac opinione iuſtitiæ laudatiſſimum, recipiendis Supplicum libellis, atque expeditioni cauſarum præfecit.* Aliud quoque argu- C mentum integritatis, & ſanctimoniæ Berardi, & quidem validiſſimum deſumitur ex vita ſancti Antonini Florentini Archiepiſcopi, à Franciſco Caſtellione conſcripta; in qua Antoninum ſuum Deo, & hominibus dilectum prędicans, & ex eo capite in primis laudans, quod præcipuis æui ſui Cardinalibus acceptiſſimus fuiſſet, ſic ait. *Complectebantur illum mira charitate, ac beneuolentia Cardinales complurimi; in primiſque Dominicus Capranica vir magnus, &c. quid dicam de Ioanne ſub titulo ſancti Sixti?* deinde ad Berardum deueniens, ſubiungit: *quid de eo qui nuper ſub titulo ſanctæ Sabinæ Cardinalis effectus eſt, tunc vero Epiſcopus Spoletanus erat, quo amore, ac mutua inter ſe charitate, maxime ob ſimilia ſtudia amplectebatur, conſulebatque ſæpe alter alterum in rebus dubijs*, atqui nulla maior laus cuiquam tribui poteſt, quam ei viro familiarem fuiſſe, ac moribus perſimilem iudicatum, quem Nicolaus V. Pon- D tifex maximus Sanctorum catalogo non minus adhuc viuum adſcribendum ſe putare pronuntiauit, quam Bernardinum mortuum.

Ciaconius Antonius Ciofius in conſilijs. Pij II. Commentar. Hier. Gambert. And. Victorell. in Addit. ad Ciaconiũ. Aubery in vita. Carolus Carthar. in Syllab. Aduoc. Conſiſt. Panuinius de Rom. Pontific. Card Pap. Felix Contelorius in Elencho.



III.

NICOLAVS Fortiguerra, nobilis Piſtorienſis, filius Bartholomæi, Theanenſis Epiſcopus, inter Presbyteros Cardinales titulo S. Cæciliæ à Pio II. cooptatus, Commiſſarij generalis munere functus eſt pro Sede Apoſtolica contra Sigiſmundum Pandulphum Arimini Vicariũ, & in omnibus exercitibus pro Romana Eccleſia militantibus. E Legationem etiam geſſit tum in Regno Siciliæ, Marchia Anconitana, & Romandiola, tum in claſſe tranſuehenda è Ciuitate Piſana in Anconitanam. Is in expeditionibus, quas fecit aduerſus hoſte Eccleſiæ, non rigiditate, aut crudelitate vſus, vt oſtenderet hoſtibus, non contra illos, ſed contra illorum errores certare. Malebat enim illos reducere ad obedientiam Sedis Apoſtolicæ manſuetudine, & clementia, quàm ſupplicijs; ita vt populi ſub eius adminiſtratione amarent illum, & timerent, ac vindicem experti in illorum rebellionibus honorarent, ita in pace cognouerunt eum conſeruatorem ſanguinis, honoris, & facultatum ipſorum. Huius decora Pius ipſe primò in publico Conſiſtorio enarrauit his verbis. *Tertius eſt Nicolaus electus Theanenſis, vtroque Iureconſulens, qui ſub Eugenio Pontifice* F *Viterbium, ac prouinciam Patrimonij pro gubernatione aliquandiu ſumma cum laude adminiſtrauit. Fuit hic cum ageremus in Cardinalatu, Curiæ noſtræ magiſter, domumque noſtram, & prouide, & pacificè rexit; in Apoſtolatu vero noſtro Theſaurariatus exercuit officium, quod fidem, & dexteritatem ingenij maximam requirit, neque audiuimus aliquando, alium fuiſſe Theſaurarium, qui eius vel bonitatem, vel circumſpectionem ſuperauerit. Miſimus eum ad Reges, & Principes, nihil ei commiſimus, quod non prudenter*

A *abſoluerit*. Eius etiam laudes Cardinalis Papienſis epiſtola ad Cardinalem Spoletanum indicat his verbis. *De vlciſcendis erroribus noſtris, quantum video cogitat Deus; comminuere nos vult, vt puluerem ante faciem venti, & vt lutum platearum delere: ad imum confuſionis iudicio diuino detrudimur; eripit conſilia, vt in tenebris ambulemus; tollit auctoritatem, vt contemptui hominibus ſimus. Labenti iam Ordini noſtro abſtulit paucis annis firma præſidia Ioannem Cardinalem S. Angeli, Beſſarionem Cardinalem Nicænum; nunc quoque Nicolaum Cardinalem S. Cæciliæ; quorũ virtute quanta ſuſtinerentur, tu ipſe videbis quotidie. Vno amplius aut altero adempto quid reliqui eſt ad ſalutẽ? implere Propheticũ illud Iſaiæ conſpicimus:* Auferet Deus ab Hieruſalem, & ab Iuda Principes ſupra quinquaginta annos, & honorabilem vultu, & cõſiliarium ſapientem, & prudentem eloquij myſtici, & dabit pueros Principes eorum, & effœminati dominabuntur eis. *Miſerandam* B *profecto ſortem, cui quod eſt firmum adimitur, quod infirmum relinquitur. Theanenſi autem noſtro quid in domo Dei vtilius? cuius vita omnis labor fuit, & virtus, & ſalutare ſemper conſilium. Meminiſti quæ ſedente Eugenio, & Nicolao iuuenis adhuc diuerſis in locis Eccleſiæ præſtiterit: vidiſti quæ adminiſtrante Pio magnis ſuis diſcriminibus egit; ærumnarum plenus is Pontificatus fuit: quæ autem eius pars fideles curas ſuas non ſenſit? Neapolim cum miſſus eſſet ad coronam regni Ferdinando reddendam ſcis id quod tuis conſilijs de recipiendis vrbibus duabus Beneuento, & Tarracina ſedes decreuerat, illius aſſidua diligentia perfectum fuiſſe. Relata etiam documenta rerum noſtrarum, quibus vinculum Regia in nos fides, noſtraque poteſtatis, ac beneficijs ius probabatur. Ortis deinde bellis, quibus in Flaminia, in Sabinis, ad fines Campaniæ vexati grauiter fuimus, tenes vt ſua diligentia ſecunda omnia nobis acciderint: grauis hoſtis ad flumen Lirim, ne in Romanum* C *agrum tranſiret, exiguis copijs prohibitus eſt. Loca munita obſeſſa, & capta; oppidis pene omnibus Iacobus Sabellus exutus, qui cum Andegauenſibus ſentiens, omnia per Latium ad portas vſque vrbis latrocinijs infeſta habebat. Sigiſmundus Malateſta iteritus, concluſuſque Arimini ad abiurandam hæreſim compulſus eſt, veniamque petendam: Claſſis quoque ex portu Piſano ſanctæ expeditionis cauſa per fretum Siciliæ Anconam perducta. Iterum ſedente Paulo Secũdo Euerſani fratres in Eccleſiam ſemper impij diebus duodecim altero eorum capto, altero expulſo, armis ſublati, totidemque munitiſſima oppida noſtræ ditioni adiuncta. Quæ omnia licet militares Duces habuerint, ſumus tamen experti quantum fides huius, ac labor ad exitus ſecundos contulerint. Erat in caſtris ſumma ſolertia, vigilabat aſſidue, impertiebat ſe ſingulis; nullorum diſcriminum operam ſuam patiebatur immunem, atque fortem animum in acie, & in obſidione præſtabat. Ad populos verò in fidem* D *Eccleſiæ traducendos præcipua erat tum dexteritas, tum efficacia, vt non minus adminiſtrationem omnem belli legatum ipſe admineret, quàm a belli Ducibus adiuta fuerit eius legatio. Inter hæc autem cum ingenio virium aliquando acer eſſet, ac vehemens, nunquam tamen eſt ſuæ ſortis oblitus: nulla in eo duritas, nulla crudelitas cognita eſt. Satis habuit ſemper erratorum ſuorum admonere hoſtes; perdi eos nunquam eſt paſſus, in eo certam victoriam reponens, ſi beneficium poſt arma experti, fideles ex infidelibus, boni ex improbis redderentur. Quibus rebus factum vidimus, vt populi ipſi deuicti ſumma illum beneuolentia, ſummiſque honoribus proſequerentur, vt quem habuerant in bello caſtigatorem perfidiæ, ſic in pace ſeruatorem fortunarum, parentemque colerent. Quorum operum ſunt teſtes complures epiſtolæ Pij II. ad eũ ſuo chirographo ſcriptæ, in quibus illi gratias agit, & vſque eo conſentire conſilia eius conſilijs ſuis oſtendit, vt quodam earum loco ſcribat S. S. tua fides, & in rebus omnibus diligentia liberat nos ſcribendi onere,* E *quia vbi tu es, nos ſumus: ea facis, quæ ipſi nos faceremus; nec hortationibus eges*. Et rurſum victoriæ ſuæ congratulans, S. S. *Digna ſunt*, inquit, *omni laude opera tua, à te perfidus hoſtis Eccleſiæ domitus eſt, & amputatis alis in ſpeluncam concluſus. Iterũ quoque nobiſcum patere fili, qui à nobis enim es regnaturus. Mitto quã inopia difficultates has militares aliquando pertulerit, vt ipſo priuatim egente, Pio II. magnis ſtipendijs exhauſto, cum nec vnde ad victum neceſſaria adminiſtrarentur, miſertus ego laborũ, priuata illum pecunia nonnunquam adiuuerim. Sed nec laudi externæ ceſſit domeſtica; magna æſtimatione ſemper apud Pontifices fuit: raræ erant de ſummis rebus conſilia, ad quæ non vocaretur rarus delectus Patrum, inter quos primus non eſſet: Cauſæ autem grauiores pene iam omnes vel illi, vel eibi, vel vtrique ſimul, tanquam fidelibus iuſtitiæ miniſtris, vno ordine iudicandæ permittebantur.* F *In quibus quæ innocentia fuerit, conſtantia, & fide, continuata virtutis opinio certo eſt documento. Erat porrò in Senatu ad conſulendum liber, ad differendum rectus, ad bene videnda omnia perſpicax: conſcientiæ, non gratiæ ſeruiebant eius iudicia, fortis vero animus publica ſemper ſpectans, nil inutile ſapiebat. Erant deinde tamen ſermones eius, & curæ, quæ aliquando cum minus ſecunda æſtimatione noſtra haberentur dolebat permirum, ac velut ſibi vni pertinerent, querelis aſſiduis requirebat. Taceo vitam eius priuatam, modeſtiæ ſacerdotalis, ac continentiæ certiſſimum ſpecimen non quæſiterat ſibi ſacerdotiorum acernos, quos in pleriſq; dolemus*

A *non theſauros, qui nulli inuenti ſunt: conſueras ſuſtinenda digni-tatis vix ſuppetente; malebat non abundare, quam adminiſtratio-num multitudine animum deprimi. Habitauit modicis ædibus, vt ſcis, vti qua conductus. Familia perſeuerauit vt mediocris ſem-per, ita, & frugi, & diligentia ſua bene inſtituta, domus tota nil precioſi vnquam apparatus propoſuit: cum nos ſæpe inſpeximus: aulæa cari, peregrinique operis, abacique argentei in gradus ex-tructi, caſtigata ſuppellectili exultabant domus virtute, non ex-ternis artibus ædes honeſtabantur. Ipſe verò cultura corporis ſui, atque omnis lenocinij neglegens, quam in alios requirebat, de ſe pri-mus vitæ ſeueritatem præſtabat. menſa nihil exquiſitum habuit vn-quam, aut nimium: cubiculum quoque nil delicioſum, ac molle, ve-ſtis erat, quam videbamus quotidie communis, & modica. Denique diſciplinam omnem domus, & ſuam eò vir iuſtus redegerat, vt ſa-tiſfacere caſtis animis, non delectare ambitioſos oculos poſſet. In-numera ſunt, quæ recenſenda de ſuis meritis eſſent, tam quidem magna quam multa; ſed conſulto ea prætereo quod magnitudine ſua librum requirerent, & propoſitum mihi eſt epiſtolam ſcribere leuatricem doloris, non vitæ anteactæ commentarium texere.* B

Numencl. Cardinal. Deceſſit egregius hic Cardinalis Viterbij dum legatione funge-retur, die 21. Decembris anno 1473. eius corpus Romam transla-tum in Baſilica S. Cæciliæ ſepultum cum hoc epitaphio.

NICOLAO PISTORIENSI COGNOMENTO FORTIGVERRA
S. CÆCILIÆ PRESBYTERO CAR. EXPVGNATO FANO
SVPERATA FLAMINIA DEVICTIS SABINIS EVERSANISQ
HOSTIBVS DE ECCLESIA BENEMERITO FRATRES
PIENTISSIMI FACIVNDVM CVRARVNT IS VT FORTIS
INVICTI ITA DOMI SENTENTIIS DICENDIS GRAVIS ET
CONSTANTIS ANIMI EST HABITVS
VIXIT AN. LIIII. MENSES II. DIES XIIII. MCDLXXIII.

C Is in comitijs Pontificijs ſuffragiũ tulit pro Paulo II. & Sixto IV. vnam Piam domum ſeu Gymnaſium Sapientiam Fortiguerrarum appellatam in patria inſtituit. Piſtorienſes poſt eius obitum ſuppli-ces à Sixto IV. Romano Pontifice confirmationem, & Apoſtolicũ indultum poſtularunt, qui anno 1474. v 11. Kal. Iunij petitioni aſ-ſenſit. Illius domus redditibus duodecim adoleſcentes, qui in v-triuſque Iuris, Philoſophiæ, ac Theologiæ in primis ſtudia incum-berent, alebantur: idque vſque dum Collegium Piſtorienſe, ſiue Cardinalis Fortiguerræ erigeretur. Ferdinandi Magni Hetruriæ Ducis iuſſu in Collegio Piſis erecto quatuordecim iuuenes Piſto-rienſes Piæ domus eiuſdem impenſa deinde ali cœpti. In illa au-tem Pia domo Doctores publicis ſtipendijs donati vtrunque Ius, & Logicam iuuenes docent, vt inde ad celebriores Academias maiori cum fructu proficiſci poſſint. In hac Pia Sapientiæ domo eiuſdem Cardinalis marmorea ſtatua conſpicitur, ad cuius pedes Piſtorien-ſes hæc carmina poſuere. D

Ille ego ſum Patriæ verus Pater, inclyta Virtus
Tyrrhena gentis gloria, & Italia
Surgit in immenſum totum mea fama per Orbem
Qua viget, & notum eſt nobile Piſtorium.
Quoque hac æternum pateant Gymnaſia Muſis
Sunt quoque dotata, & munere ſtructa meo
Denique Nicoleos ſum, quem Fortiguerra, galero
Qui ſacrorum ſanxi progeniem decoro.

Quotannis Piſtorij die feſto S. Bartholomæi, quo Pia domus Sa-pientiæ initium habuit, Cardinalis Fortiguerræ anniuerſaria memo-ria colitur, altero die ſolemne ſacrum in illius animæ ſubſidium ſin-gulis item annis peragitur; ipſe funebri oratione celebratur, & Pa-ter Patriæ appellatur, quo titulo populus eum nuncupare conſue-uit. In æde Cathedrali eius vrbis in marmoreo cœnotaphio hoc gra-ti animi monumentum Piſtorienſes excitare voluerunt. E

NICOLAO FORTIGVERRÆ CARDINALI GRATA PATRIA
CIVI SVO DE SE OPTIME MERITO POSVIT,
VIXIT ANN. LIV. MENS. XI. DIES XIV.
OB. MCDLXXIII.

Ad hunc Cardinalem nonnullas dedit epiſtolas Cardinalis Pa-pienſis, & eius meminit in literis ſcriptis Franciſco Cardinali Se-nenſi in quarum vna de eius ægritudine, & abſentia à Conſiſtorio dolens, ſic eum alloquitur. *Dignationem tuam non languiſſe om-nes dolemus: non reſtitutum adhuc dominis noſtris adſcribimus; abeſſe autem tamdiu bonis omnibus gemimus: præſtans eſt fides tua, authoritas magna, ſententia autem ſemper grauis, & plurimi ha-bita fortem pugnatorem non ſatis firma acies noſtri Ordinis per-dit.* Scilicet eum Roma abeſſe ægrè ferebat, quem ſciret Paulo II. F Pontifici iniuſta, aut indecora in Cardinalium nouorum enuncia-tione ſtatuere molienti oppoſiturum ſe eſſe murum pro domo Do-mini, alijs multis cedentibus, & in eius ſententiam, imo nutum pe-dibus euntibus vel ſpe, vel metu deterritis. Interfuit Nicolaus mul-tumque magnificentia ſua lucis, ac ſplendoris attulit ſolemnitatibus vni in feſto Corporis Chriſti in vrbe Viterbienſi ingenti apparatu Pij iuſſu factæ, ac alteri Romæ, quando ſacro beatiſſimi Andreæ Apoſtoli capiti Cardinales occurrerunt ad pontem Miluium.

IV.



BROCARDVS, ſiue Bur-chordus à Vveiſpriach, Ger-manus Præpoſitus Salisburgen-ſis, Federici Imperatoris iuſſu ad Pium II. Romanum Pontificem, vnà cum Ioanne Inderbachio, & Attzongo cognomento Capel, Iureconſultis Legatione functus eſt. Qui cum Florentiæ appli-cuiſſet, aliquandiu illic remora-ti ſunt, indignè ferẽtes Matthiã à Romano Pontifice Hungariæ Regem appellatum eſſe, eiuſque Oratores in Curia eos conſecu-tos honores, qui Regum Legatis exhiberi conſueuere; cum Baro-nes Hungariæ Imperatorem ſu-pra ſe Regem elegiſſent, atque ipſe delatum titulum accepiſſet. Pontifex ea re cognita, iniuſtam eſſe querelam dixit, quando mos eſſet Apoſtolicæ Sedis eum Re-gem appellare, qui Regnum teneret. Atque hoc modo Imperato-ris Legatis ſatisfactum eſt, qui in templo Diuæ Mariæ Virginis pu-blicè Romano Pontifici Florentiæ tunc temporis degenti Impera-toris nomine obedientiam præſtiterunt.

Ciaconius. Vrigaleus. Hund. in Salisburg. Metropoli Salisburgenſi. Aubery in vita. Felix Contelorius in Elencho. Panuinius. Ferdinand. Vghel. in addit. ad Ciacon. And. Victorell. ibid.

Hic igitur Brocardus ex Præpoſito Salisburgenſi ab ipſo Pio in arce Viterbij commorante S. R. E. Cardinalibus in prima I[illegible] enunciatione adſcriptus eſt, ſed non publicatus niſi 31. d[illegible] Maij anno 1462. Quare nonnulli cum Panuinio non in hac prima, ſed in tertia Cardinalium enunciatione illum ponunt; contra quos eſt ip-ſe Pius in Commentarijs, qui illos erroris arguit his verbis. *Quartũ* C *locum tenuit Brocardus Præpoſitus Salisburgenſis, quem publicare non placuit, donec alij crearentur ex Tranſalpinis.* Poſt purpuram Eccleſiã ss. Nerei, & Achillei obtinuit, & Archiepiſcopus piæ ſuæ Eccleſiæ Salisburgenſis, quam nouis ſacerdotijs, ac ſacra ſupelle-ctile ornauit. Sed non diu vixit, nam die 16. Februarij anni 1466. è vita exceſſit, & ſepultus in ſua Eccleſia ante aram D. Ruperti.

VI.



D MAG. FR. ALEXANDER de Oliua, natione Ita-lus, patria, vt ferunt Saxoferra-tenſis (Saxoferratum oppidum eſt Nucerinæ diœceſis, in Pice-no, ſeu vt alijs placet, in Vmbria, inſignium virorum natalitijs ce-leberrimum, cui allabitur Senti-nus amnis, vnde ab hoc fluuio, vel potius à Sentina Vrbe anti-qua Sentinum quoque appella-tur à quibuſdam) ordinis S. Au-guſtini Prior generalis, vir Theo-logica doctrina celebris, & vitæ ſanctitate illuſtris, abſens inter Presbyteros Cardinales titulo S. Suſannæ ad duas domos, Senis cooptatus à Pio eſt; ſed antequã illum nominaret, hæc ad Cardinales dixit: *Cogitate qui ſunt ido-nei, de numero ipſi iudicabimus curaturi, ne vel nimietate vileſcat dignitas, vel paucitate Reſpublicæ non ſatisfaciat.* Vt quinque donarentur purpura, & in ijs Pij II. nepos Cardinales conſenſere: E tunc Pius: *Sextum non negabitis, quem nominauero, omni expe-ctatione maiorem Alexandrum nempe Oliuam, virum Theologi-ca doctrina celebrem, & ſanctitate illuſtrem. Hic enim ordinis Au-guſtinienſium Magiſter generalis, ſummus Theologicæ ſapientiæ Doctor, atque interpres, qui annos duos, & quadraginta in religio-ne verſatus, eximius cultor, & paupertatis, & humilitatis extitit. Huic patria eſt Saxoferratum; parentes eius quinquẽnem, aut pau-lo maiorem Deo dicauerunt. Cum in fontem cadens mortuo ſimi-lis extraheretur, locus in quo primo receptus eſt, Beata Maria pro-feſſionem emiſit, & reuolutis annis eadem feſtiuitate, & Miſſam primam celebrauit, & magiſterium Theologiæ adeptus eſt, & in ciuitate B. Mariæ ad Cardinalatum per Nos aſſumptus eſt, vir omni ex parte perfectus, vocatus à Deo tanquam Aaron, neſcius, nil petens, & dignitates prorſus effugiens receptus eſt in conſilium. Traxit Nos odor boni nominis, & vita exemplariſſima; nam, & ſi animus eius honorem quemuis horreret, virtutes tamen eius pe-* F *tebant ne inhonoratus relinqueretur.*

Ciaconius. Panuinius. Pius II. in Comment. Henricus Spondan. in Annal. Eccleſiaſt. Card. Papienſ. Franc. Philelph. in epiſtolis. Hier. Gamberti. Ant. Sandecius in elogiis Card. Nicolaus Cruſen. in Chron. ordin. S. Auguſtin. Thomas Gra[illegible] in Annal. Auguſt. Antonius Poſſeuin. in Apparat. Ambr. Coriolan. in Chron. Auguſt. Andreas Gelſomin. de deuot. B. Virg. Aubery in vita. Io. Anton. Campan. in orat. ſunebri. Ioſ. Pamphil. in Chronic. Ord. Aug. Secund. Lancellot. in hiſtor. Oliuetan. And. Victorell. in Addit. ad Ciacon. Hieron. Platus de Cardinalatu. Ferdinand. Vghel. in Ital. ſac.

Non magnis ortus natalibus Alexander Oliua, rus Bucellinum Saxoferrato proximum trium annorum puerulus incolebat; cum flores quæreret, in fontem cecidit, ex quo ſine vitalis ſpiritu corpus extractum mater poſt nouem horas eiulans in Dei Matris æde ab ea opem petijt, & accepit. Filius vitæ redditus, ad Virginis dedu-ctus ædem conſpecta in ſacrario eius imagine, *mater, mater, ait, hac mihi in fonte ſubſidio fuit, nec ab illa poterat auelli.* In hoc

A ſonte, in quo, aquis obrutus Alexander ferè perierat, Sacellum rei admirandæ monumentum extructum. Campanus narrauit. Poſt biennium ordini S. Auguſtini oblatus fuit, in quo tum in pietate, tum in ſcientijs non vulgares progreſſus fecit: Arimini, & Bononiæ Philoſophiam, Peruſiæ Theologiam didicit, modeſtia, & candore animi æquales cum vinceret, ingenio, & induſtria ab ijs non ſuperabatur. Multis annis Peruſiæ vixit, ac Philoſophiam ibi publicè docuit, clarus illius æui Theologus euaſit, & egregius religioſi inſtituti cultor. Prouinciæ Peruſinæ inutus præfectus fuit, & ab Eugenio IV. Romano Pontifice ordinis Procurator deſignatus. Quæ habebat vſui tributa, contulit in commune, ac ſalutis animarum auidus, populis diuina doctrina erudiendis, & ad virtutes inflammandis animum adiecit. Cum Cardinalis Tarentinus ordinis Protector ad publica gymnaſia, vt doctrina qua affluebat famæ immortalitati conſuleret, eum incitaret, purum animum inanis gloriæ B titillatio non pupugit: paruit tamen Dei, ac Pontificis mandato cõmiſſiſque ſibi officijs publicè primo docendi, & Procuratoris generalis integrè, ac innocenter perfunctus eſt aliquandiu: verum cum alia prorſus ei mens eſſet, ac genius, abdicatis ſcilicet temporalium curis, vni Deo in oratione vacare, vel animarum prædæ, ac venationi intendere: cum autem ſciret ſe à Cardinali Tarentino ſodalitatis Eremiticæ Auguſtinianæ Protectore ad eam curam, vitamq; priſtinam reuocandum, niſi præcaueret peculiari ſancti Spiritus motus impulſu ab hominum oculis ſe ſubduxit, latuitque per duos circiter menſes apud Petrum quemdam Anachoretam, donec tandem à Sede Apoſtolica impetrauit, vt ei ſaltem euangelico miniſterio deinceps operam dare liceret, ac prædicationi verbi Dei totum ſe tradere, ab humanis quibuſcumque alijs ſtudijs feriatum. Clarus euangelicæ ſapientiæ doctor effectus multos Italiæ populos erudiuit, & innocentis vitæ exemplo ad cœleſtes triumphos incen- C dit, ac ſacræ eloquentiæ mucrone ſcelerum monſtra iugulauit. Sui ordinis Vicarius pedibus incedens vrbes luſtrauit, cum per valetudinem non liceret, aſello vtebatur; Magiſter generalis inſtitutus munus impigrè, iuſtèque obiuit: nec tantum religioſa ſanctè, & incorruptè tractauit negotia; ſed Principum quoque, & vrbium componendis diſcordijs eo tempore fuit adhibitus à Senenſibus enim cruenta prælia, domeſticos tumultus, & inteſtinas ſeditiones auertit; Florentinos, Peruſinoſque ſæpè, & grauiter inter ſe diſſidentes, ad pacem, & vnionem flexit, capitaleſque inimicitias, & priuata, ac publica odia, quocumque profectus eſt, ſopiuit, ac extinxit. Cardinalis renunciatus eundem vitæ tenorem retinuit, & eodem virtutum paludamento inceſſit. Franciſcus Philelphus illum in cœlum tulit, cum eidem elegantiſſima epiſtola nuper obtentam Purpuram gratularetur, in qua Oliuam Cardinalem, fulcimentum, & S. R. E. columnam vocat: cum autem præter omnem ſpem, ac D expectationem ſuam aſſumptus eſſet, Papæ Camerario, ſuæ iſtius aſſumptionis nuncium ei adferenti, & Cardinalem ſalutanti, *vnde hoc*, inquit, *mihi, vt ſanctiſſimus, idemque optimus, ac maximus Pontifex, mei qualiſcumque, & in cellulæ huius angulo anguſto delitescentis meminerit, humilemque, obſcurum, ac immeritum homuncionem ad tanti honoris faſtigium promouere dignatus ſit.*

Multum admirationis Alexandri aſſumptio quamplurimis tribuit, quæ prius audita eſt quàm cogitata: nec enim quiſquam erat qui pauperem religioſum virum anguſtæ cellæ cultorem, quamuis egregium verbi Dei oratorem, ac præſtantem virum inter Cardinales aſſumendum expectaret. At Pius haud ignorabat primos Eccleſiæ Principes, ſi mos hominum ſpectetur, ignobiles, ac pauperes fuiſſe: intellexerunt omnes Pio Pontifici gratam eſſe virtutem, atque hinc multi poſtea probitati ardentiùs incubuerunt: nulla res adeo virtutem excitat, quàm ſpes ipſa præmij, quod eſt honor. E Cum nuncius ad Alexandrum venit, rem ipſam expoſiturus, cœna tunc refectus, & paucis intentus curis, emiſſis fratribus ſolus in ſcamno dormiebat; pulſato ter, quaterue aulæ oſtio, tumultum audiens excitatus eſt, & aperiens pulſanti, nil minus ſperans quàm Cardinalis appellari, intromiſit hominem, qui mox ait. *Salue Alexander, bonum tibi nuncium affero, nam te hodie Pontifex Cardinalem creauit*. Irriſionem ille primò arbitratus eſt, at cum turba ſalutatum conueniret, & eam rem confirmaret, ſiluit aliquantis præſtupore mentis attonitus; deinde ad ſe reuerſus, *miror*, inquit, *vnde Præſulis in me caritas? quid promerui, quid feci? propter quid hæc dignitas mihi defertur?* Incredibile dictu eſt quantũ & eius ordinis viri, & omnes Senenſes, & cuncti fermè Itali hoc factum laudauerint: multæ ciuitates ei dona miſerunt, & ciuem ſuũ eſſe voluerunt; Pontifex argentum miſit, quo dignitatem ſuſtineret, & curiales, & aulici magnificis eum muneribus donauere. Pius F Pontifex laudatus ab omnibus, qui virum doctum, pium, fama virtutis illuſtrem, & purpuræ decus allaturum ad inſignem dignitatẽ extuliſſet. Ea tamen Alexandrum à primo religioſè viuendi inſtituto non retardauit, neque illius ſanctimoniam imminuit. Opes is non congeſſit, munera multa, & pretij non exigui reiecit; nullum ſine Pontificis licentia accipere voluit, oblata à non ditiſſimis accipienda non putabat, & aiebat boni Principis liberalitatem eam eſſe oportere, vt non accipiat niſi à ditioribus, ipſe autem alijs donet. Legatus Piceni non ſolùm vaſa argentea, quæ plures largiri volebant, ſed dona etiam ad quotidianum victum ſpectantia reiecit.

A Amicis, cum nummis non poſſet, pignore, aut ſponſionibus opitulabatur; familiaribus plus dabat quàm peterent, quos etiam ad petendum inuitabat; neceſſitate autem perſpecta, ſponte ſubſidiũ præbebat. Iuſta petentibus operam ſuam nunquam negauit; iniuſta nunquam exhibuit: ſtipem largiebatur, quatuor familias pauperes Romæ alebat; conuerſos ad fidem Græcos, alioſque extorres ſuſtentabat; cuilibet ſtipem petenti ianuam patere voluit inquiens, pauperum non mea ſunt bona à Deo data: agnatis, quæ in victus partem cederent, veniam à Pontifice adeptus tribuebat. Hic vini parciſſimus menſam parcam adamauit, carnibus abſtinuiſſet ſi medici permiſiſſent: ad menſam accumbens, ſacras Hiſtorias, aut Patrum Homilias audiebat: quotidianæ de rebus ſacris diſputationes ad duas vt plurimum horas prandium excipiebant. Nullus, qui eũ alloqui volebat, reijciebatur; is autem omnes comitate, & manſuetudine prope ſingulari audiebat; pannis lineis nunquam eſt vſus, B cilicio aſſiduè membra comprimebat, quotidiana in veſte ſemper cubabat, neque eam in morte dimiſit. Eodem anno, quo inter Cardinales aſcitus eſt, ab ipſo Pio Camerinenſem obtinuit Pontificatum, quem licet abſens ſanctiſſimè rexit. Romæ in domeſtico ſacello ſepulchrum ſcrinij ſpeciem referens collocari iuſſit, iis verbis in latere adſcriptis: *In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis;* Deum precaturus eo in loco ſcrinium reſerabat, & meditabatur mortalis conditionis miſeriam, duramque neceſſitatem animo reuoluens, ſolitus has voces in ſuo ſeceſſu, aut exceſſu ingeminare *Alexander quid poſt hæc? Alexander quid poſt hæc?* Verùm ne popularis auræ fauor puluerem hunc pluſquam mathematicum, in quo cœleſtia deſcribimus, importunè confunderet, eam rem clam omnibus habuit, pictore, qui ſibi operam locauerat, ad ſilentium iureiurandi religione adacto; ne è ſepulchrali puluere gloriolæ vermis ſemper rediuiuæ, & nunquã C ſatis mortuæ ſuperbię hæres enaſceretur. Singulis totius anni Sabbatis cum id fieri poterat, vrbis Templa, ac præſertim S. Mariæ Maioris, & de Populo piè ſæpe inuiſebat: mortem præſenſit, & varijs argumentis indicauit. Viros doctos, & probos tanti fecit, quantum vix dici poteſt, cęteros non contempſit; duo hominum genera pernicioſa iudicabat mendaces, & credita ſecreta aperientes: quorum primi ſuam, ſecundi fidem prodant alienam: Ipſe iureiurando affirmauit, ſe nunquam quod ſciret mendacium protuliſſe. Adducto Anconam à Thoma, altero Peloponneſi Deſpoto poſt Conſtantinopolitanum excidium, è Corcyra ſacro beati Andreæ Apoſtoli capite, Pius Romanus Pontifex Alexandrum S. Suſannæ Cardinalem ſuum à latere Legatum protinus eo miſit, qui recognitis S. Apoſtoli reliquijs, eas ex manu Deſpoti aſſumeret, atq; cum apparatu, & reuerentia, quæ tam ſacræ rei deberetur, Narniã vſque deferret, ac ibi collocaret in arce à Præfecto ſeruandas, do- D nec vehi ad vrbem poſſent his honoribus, atque cæremonijs, quæ conuenirent; quod tunc fieri non poterat ſæuiente bello, quod Tyranni circa Romam Pontifici intulerant; addit Gobelinus Alexãdrum Anconam profectum, diligenter inſpecto capite, & ſignis recognitis, vbi verum Apoſtoli caput eſſe iudicauit, veneratum eſſe, acceptumque à Deſpoto, auro ei pro commeatu donato, cum egregio comitatu ſolemnique pompa, & multis luminaribus tranſtuliſſe in arcem Narnienſem, & obſignatum commendaſſe Præfecto, atque illud ibi aliquandiu decenter, ardentibus perpetuo coram eo lampadibus ſeruatum: elapſis deinde pluribus menſibus, cum res bellicæ Pontifici proſperè ſucceſſiſſent, nec audiretur amplius fragor armorum, pulſo Eccleſiæ hoſte ex agro Romano, iterum tribus Cardinalibus, nimirum, Beſſarioni Epiſcopo, Alexandro noſtro Presbytero, & Franciſco Picolomineo Diacono mandaſſe, vt tanquam Legati Pontificij Narniam peterent, depoſitumque ſacrum E pignus inde auferrent, qui iuſſis obtemperantes illuc perrexerunt, oſſaque ſanctiſſima venerati ſunt, & ea cum tremore, & gaudio ſuſcipientes ad pontem Miluium detulerunt ipſa die Palmarum anno ſalutis ſecundo, & ſexageſimo ſupra milleſimum quadringenteſimum: vnde poſtea occurrente ipſo Pio Pontifice, & ſolemni Cardinalium peditum ſupplicatione, incredibilique fidelis plebis, ac Cleri concurſu, qui ad tantum ſpectaculum conuenerat, in Baſilicam Vaticanam illata ſunt. Ægrotans à ſeruis non initiatis ſacris tangi noluit. Graui morbo vexatus Euchariſtiam ſacroſanctam petijt, quam cum Apoſtolorum Symbolum eruditiſſimè, & religioſiſſimè explanaſſet, humi ſtratus, manibus in eam expanſis, pronus, protenſus, lacrymis obrutus, & ſingultus iterans percepit. Æſtu febris incenſus, quàm vera ſit Chriſtiana fides, & quàm magna hominibus piam vitam degentibus in cœlo ſint propoſita præmia, copia nunquam audita, diſſeruit. Exeuntium ſacramento muniri v F luit, Dei Matrem, cui illum parentes, vt diximus, dicauerant, ſemper in ore habuit, eam ſibi interdiu noctuque adſtare affirmabat: vbi humari vellet, interrogatus, *animam*, dixit, *iam pridem Deo voui, corpus Pio relinquo, vbi is volet, ibi me ſepelitote*. An aliquid ſuis mandaret, nihil reſpondit, niſi vt boni ſint, & rectè viuant: imminente morte cum familiares dicerent, ne timeret, *quid*, ait, *ego timeam, qui ad nuptias eo?* Hoc pauci dicent, opinor, quia paucos ſuccinctis lumbis cum lampadibus, euocans Dominus inuenit. Obijt annum ætatis agens quinquageſimum ſextum ex Campano, ex inſcriptione verò ſepulchrali, quintum tantùm ſupra quinqua-

geſurum, Tibure 21. Auguſti anno noſtræ ſalutis 1463. male alij 1473. errant enim decennio. Cadauer Romam ad D. Auguſtini delatum, marmoreum ſepulchrum complectitur, & ſequenti elogio ornatur.

Vt tibi ſola dedit probitas, non gratia ſoli,
Digno Cardineum nomine, reque decus,
Sic eadem indignis raptum dum tollit ad aſtra,
Felix hoc, inquit, Principe Roma foret.

Alexandro Oliuę Saxoferraten. Theologo clariſſ. Eremitar. B. Auguſtini ab infantia ſpei maximę Alumno, qui cum eſſet ſui Ordinis Generalis Ob ſingularem doctrinam, & vitæ ſanctimoniam, Cardinalis à Pio II. ignorans creatus eſt.

Vix. ann. LV. Obijt ann. Sal. MCCCCLXIII. xij. Kal. Septemb.

Quantum autem omnibus moriens, religioſiſſimus iſte Cardinalis ſui deſiderium reliquerit, Ioannes Antonius Campanus Orator illius æui celebris alias laudatus ſatis ſuperque teſtatur, qui in eius funere orauit, & Pius II. exequias Cardinale dignas peregit, & familiæ curam ſuſcepit, ac de illo hæc ipſe Pius reſcripſit. *Medio tempore Alexander Card. S. Suſannæ, non ſine ſummi Pontificis dolore febre correptus extinguitur, cuius vita ſanctimonia cũ per omnem vitam emicuiſſet, tum maxime in obitu claruit. Qui etſi dies quam plures agonizauit, nunquam tamen intermiſit de fide Catholica diſputare, Symbolum exponere, obſtruſos Scripturarum ſenſus aperire, dubiaque reſoluere; hortari adſtantes ad Euangelicam vitam, ad cæleſtis Patriæ deſiderium erigere; contemnenda eſſe huius promiſſa ſæculi, quæ velis nolisue, relinquere oportet: in ea Patria theſaurizandum, cuius gaudia fine carent. Cum rogaretur teſtamentum facere, animam, inquit, meam Deo relinquo, Pio Pontifici corpus, & hæc, quæ vocantur ſæculi bona, ipſi familiæ, & curam ſepulturæ mea committo. Deinde quaſi dormiens expirauit, ingens ſacri Collegij decus, in quo vita fulgor cum doctrina luce contendit, & in hoc graue vulnus accepit Eccleſia.*

Ad poſteros ſuæ doctrinæ monumenta reliquit Alexander.
De Chriſti Ortu Sermones centum.
De Cœna cum Apoſtolis facta.
De Peccato in Spiritum ſanctum.
Orationes plures elegantes.
Aliaque multa, quæ morte præuentus emendare non potuit.

Dum vixit, Templo Deiparæ Virgini ſacro in Saxoferrato ædes fructuarias Romæ emit aureis nummis circiter ducentis, ac calices argenteos, libros, veſtes ſacras, aliaque largitus eſt, multa de Cardinali hoc præclara facinora, ac dicta narrantur, quæ indicare hic tantùm placet. Cum tenuem fratris fortunam minimè ſibi ſacris opibus amplificandam duceret, eidem vt ad bellum proficiſceretur auctor fuit, ac mirantibus amicis reſpondit, poſſe illum ſe domumque militia tolerare; neque velle ſe, vt domi deſidendo, quæ pauperibus eroganda ſibi credidiſſet Deus, ille paulatim arroderet: digna ſæculis vox, quæ ſæculi, vt aiunt excuſatione non vteretur. Rem aliam miram de hoc præclaro viro legimus, eum nimirum tanta animi attentione diuinas laudes ſacerdotum ritu ex officio perſoluiſſe, tam diſtinctè, piéque ſingulas literas appellaſſe, vt homini publicis negocijs implicatiſſimo ea tamen occupatio quatuor ſolidas horas auferret quotidie. Qui enim Deum laudandi, precandique munus ſacerdotum ſciret eſſe præcipuum, nihil illi cenſuit anteferendum. Viderint, qui ita laudant, vt ſi contumelias, ac maledicta iacerent, ipſoque pudore quaſi audiri nollent, præcipiti lingua volubilitate, maiori adhuc pietatis diſpendio, quàm compendio temporis, non tam laudes illas abſoluentes, quàm ſe damnantes. Quare merito Alexander hic noſter a Fr. Marco Antonio Viniano inter beatos ordinis S. Auguſtini numeratur.

De hoc celebri viro hoc contexuit elogium Fr. Ambroſius Landuccius Senenſis ſanctiſſimi Domini noſtri Alexandri VII. Sacriſta in Chronico Cœnobij, & Congregationis de Iliceto ordinis Eremitarum S. Auguſtini in Tuſcia.

Speluncas, & atria eremiticæ ſummo amore proſequebatur Alexander noſter: at ille qui de altiſſimis ſuis humiles reſpicit, omnia diſponendo ſuauiter, inopinanter Auguſtinianam familiam regentem Alexandrum ad apicem Cardinalatus Sum. Pont. Pius II. Picolomineus aſſumit ann. 1460. ſed non minus felicem inter Ilicet. Beatos, quam inter ſacros Eccleſiæ Principes ſe exiſtimans dignitatem condecorat, & Beatorum numerum adauget MCDLXIII.

Nomenclatoris Cardinalium auctor Alexandrum hunc beatitudinis titulo cohoneſtauit, atque in illorum numero recenſuit, qui ſacrum Senatus Romani Collegium ſapientiæ, ac ſanctitatis ſuæ ſplendore non mediocriter ornarunt: tantaque eſt huius clariſſimi Cardinalis gloria, vt referente Andrea Victorello, Saxoferratenſes conciues ſui, eius virtutis trophæa ad ornamentum patriæ ſuæ palam proponant, ipſiuſque imaginem venerandam in publicis ædibus ſeruent, ac exhibeant, ad perennem, ac immortalem tanti viri memoriam: felix qui cum multos habuerit laudum ſuarum præcones eximios, tum ipſum in primis Pium II. laudatiſſimum Pontificẽ nactus eſt, cuius oraculo Cardinalis pronuntiatus eſt, ac tum mortuus, tum viuens ſummis ornatus encomijs, ſic enim ille in ſuis Cõmentarijs. *Alexander S. Suſannæ Presbyter Cardinalis vita ſanctimonia, & literarum doctrina celebris:* & alio loco de eius in Cardinalem promotione, & quæ circa illam contigerunt, vel ipſam penè ſecuta ſunt miranda, ac memoranda ſcribens. *Multum, inquit, admirationis Alexandri aſſumptio præbuit, quæ prius audita eſt, quam cogitata: nec enim quiſquam erat, qui pauperem monachum anguſtæ cellæ cultorem, quamuis egregium verbi Dei prædicatorem, & ſanctum, præſtantemque virum inter Cardinales aſſumendum expectaret: ſumma enim faſtigia Cardinalatus quærit: at Pius etiam in paupere cenſuit virtutem honorandam, haud ignarus primos Eccleſiæ Principes pro mundi conſuetudine ignobiles, pauperéſque fuiſſe: quæſiuit etiam in abditis monachorum excellentem animum, nec inopiam auri in eo contempſit, quem bonarum artium copia illuſtraſſet: intellexerunt omnes Pio gratam eſſe virtutem, atque hinc multi poſtea probitati incubuerunt: nulla res adeo virtutem excitat, quam ſpes ipſa præmij quæ eſt honor.*

At vltimo loco placet hic exſcribere Campani ſupra laudati Oratoris ac Poetæ illius æui præſtantiſſimi laudatoriã orationem in exequijs ipſiuſmet Alexandri Cardinalis habitam, præſente Cardinalium, Epiſcoporum, Clerique, ac populi frequentiſſimo cœtu, in qua tum declamatoris egregij, tum hiſtorici fideliſſimi munus expleuit: quæ autem iam recitauimus talia ſunt, tamque grata, vt ſi pluries repetita fuerint, toties bene ſapientibus placitura fore non dubitemus: eſt ergo funebris illius orationis, tenor, qui ſequitur.

ALEXANDRO Cardinali origo fuit ex Saxoferrato Vmbriæ oppido. Parentibus ortus eſt modicis, patre Alerentio, matre Ioanna. Educatus primùm ruſticè atque incultè apud Bucellinum rus, duobus millibus paſſuum procul ab oppido, cum tertium agens ætatis annum flores vt ſolent pueri ſectaretur, proximum in fontem concidit. Aderat Margarita ſoror triennio maior, quæ fratris lapſum conſpicata, non auſa ipſa deſcendere in fontem, ad proximas refugit caſas, vlulatúque omnia compleuit, & fratrem in fontem delapſum, opem, atque auxilium clamauit. Accurrit, quæ proxima erat, matrona, Diambra nomine, vbi puer, & qua parte cecidiſſet percuntata, coniecit ſe in fontem. Quæſitum aliquandiù correptúmque puerum ſuſpendit in ora, cruſculiſque ſublatis, vt quas hauſiſſet aquas refunderet. Interea mater audito vlulatu, & ipſa ad eum locum percurrit. Vbi exanimem vidit natum, vellit comam, laniat, exſecàtque genas, & filium nequicquam appellans nomine, eiulatus in cælum tollit.

Iam horis circiter nouem iacuerat puer. Hic mater, cui erat coma in tergum reiecta, paſſis ad cælum manibus, factòque in orbem gyro terram deoſculatur. Inde ad templum conuerſa glorioſiſſimæ Matris, quod procul inde cernebatur, Virginis opem implorat, filius, ſi reuiuiſcat, vouet. Extempló viſus eſt puer primum mouere labella, mox tollere oculos, matrémque appellare. Quà re attoniti qui aderant, puerum ſubitò ad templum deducunt, offeruntque altaribus. Hic ſacrarium ingreſſus, fortè Dalmaticam vidit veſtem, in cuius limbo ſimulacrum inerat Virginis auro intertextum. Conuerſus ad matrem puer, Dalmaticamque complexus, ſimulacrum digito oſtendens, *mater*, inquit, *mater, hæc mihi manũ porrexit in fonte, hæc epitulata eſt*; nec aliquanto ſpatio adduci potuit, vt inde diſcederet. Id miraculi non clàm fuit, Oppidani omnes, & exanimem reuixiſſe puerum & quæ de Dalmatica dicta ſunt, qui per ætatem ſupererant, atteſtabantur. Sacellum in fonte Virgini erectum eſt, miraculi monumentum. Parentes expectato biennio, quo ætas paululum confirmaretur, puerum ſacris initiarunt, profeſſum D. Auguſtini Ordinem, qui illo ipſo in templo Virginis tenebatur. Non deſperatione, aut inopia adducti ſunt, vt eum initiarent, ope ſanctiſſimæ Virginis ſeruati. Illi eum dedicarunt, à qua ſeruatus eſt.

Prima rudimenta ingenij, in patria fuerunt. Hic cùm Grammaticæ operam dare cœpiſſet, Atelicæ quod finitimum eſt oppidum propè perfecit. Inde ſexdecim annos natus, Ariminum profectus, cum in Dialecticis, quantum viſum eſt oportere profeciſſet, incubuit Philoſophiæ. Arimini ſtudia Philoſophiæ inchoata, Bononiæ perfecta ſunt. Ea in vrbe octo continuos annos ita exarſit philoſophandi ſtudio, ita altiſſimas noctes euigilauit, vt iam tum oculi facti ſint ei hebetiores; quod cum multi per libidinem, & intemperantiã ſoleant ſubire, hic ex vehementiſſima quadam ſubiuit inhæſione ſtudiorum: & tamen cùm vigilantia eum æquales, & ingenio non vincerent, ipſe vniuerſos modeſtia, & verecundia longo interuallo ſuperauit. Idque etiã adoleſcens ſemper habuit in ore; homini multò eſſe difficilius, atque præclarius bonum eſſe, quam doctum. Nam alterum naturæ, & occaſioni, alterum virtuti, & propoſito videri tribuendum. Bononia relicta Perusiam petijt ad Theologiam audiendam; vbi eodem candore vitæ, cùm aut publicè legeret Philoſophiam, aut Theologiam audiret, viginti commoratus annos, per omnes gradus quos habuit, in clariſſimum euaſit Theologũ. Conſcripſit multa, & diſcipulos reliquit complures non obſcuros,

ros, qui eius doctrinam, & vitam ſecuti ſunt. Et cum adhuc in ſui Ordinis, quæ vigebat, licentia, ſolutus viueret, nihil tamen egit vnquam, quod probatiſſimum, & obſeruatiſſimum religionis virum dedeceret. Interrogatus ab amicis, quo pacto inter Conuentuales fratres poſſet tam obſeruanter viuere: *Nihil* inquit, *prohibet inter furioſos ſanum eſſe, aut inter infirmos validum*. Peruſiæ cùm Generalis Fratrum conuentus haberetur, quamquam inuitum, & recuſantem, eum pari conſenſu Prouincialem declarauerunt. Quod munus tam rectè, tamque moderatè geſſit, vt contra decreta Ordinis, perpetuo triennio de ſucceſſore non ſit agitatum; nec antea eſt abdicatus, quam profectus Romam, Procurator Ordinis deſignatus ab Eugenio, ſummis viribus reſtitit, ne deſignaretur. Sed cum in altiores vitæ tempeſtates ferri ſe videret, quàm perferre ſine periculo poſſet, totum ſe contulit ad religionem obſeruandam. In id animum, in id omne ſtudium conuertit. Hac de cauſa pecunias publicis ſalarijs comparatas, propinquis, & paupertimis in capita diſtribuit. Ipſe obſeruantiam ingreſſus, quicquid habuit librorum, ſuppellectilis, fortunarum omnium, id totum in commune contulit, nihilque ſibi fecit reliquum.

Hoc modo abdicatis curis rerum temporalium, omni ſtudio ad prædicandum verbum Domini, Euangeliumque diſſeminandum contendit. Quare ad Cardinalem Tarentinum Protectorem Ordinis nuntiata, mittuntur ſtatim qui dehortarentur. Eunt vna & Eugenij literæ, quæ hominem ad curam Ordinis, & priſtinam vitam reuocarent. Quas hic adfuturas dum præſentiret, clam omnibus abijt in ſyluas, & vno contentus comite, duobus circiter menſibus, inter nemora, ſaltuſque delituit, à Petro quodam Eremita ſuſtentatus. Inſtat interea crebris literis Tarentinus, monet, hortatur, ſuadet, ne ſeipſum tanta gloria doctrinæ, & nominis fraudet; redeat in publica gymnaſia in quibus principem locū obtineret, nec Ordinem deſerat. At quod ille rhythmo quodam maternè conſcripto, ita reſpondit, vt diceret gloriā nominis, niſi quæ ex Deo eſſet, aſinorum rugitui eſſe comparandam, nec aliud eſſe, quàm ſonum quemdam rudem, & inanem, obteſtatuſque eſt, vt perſtare ſibi in propoſito liceret, & ei ſeruire, cui obtemperare regnum eſſet, non ſeruitium. Quod eūm honeſtè negari non poſſet, tandem impetrauit. Redijt deinde ſtatim in publicum congreſſum; & quod conceperat adorſus, totum ſe prædicationibus permiſit. Qua in re tantam breui eſt gloriam conſecutus, vt qui ætate ſua fuerit acceptior nō videretur. Nulla fuit ciuitas in Italia, quam ille ſanctiſſimis præceptis non, vt propè dicam, reformauerit. Nullus gladius in oſtem atrocior fuit, & capitalior, quàm huius lingua in ſcelera, atque in flagitia. Prædicauit verbum Domini Neapoli, Florentiæ, Venetijs, Bononiæ, Senis, Ferrariæ, Mantuæ. Italia tota prædicauit, ſemper maximo concurſu hominum, qui eius altiſſima ſcientia rerum delectati, vitæ inprimis exemplo mouebantur. Nulla ne ſuſpiciuncula quidem exorta eſt de eius vita. Hoc progreſſu rerum, Vicarius totius Ordinis conſtitutus, luſtrare Orbem, & primùm pedibus ire; mox valetudinarius factus, aſello vehi cœpit. Tùm inſtituta Ordinis, & decreta maiorum redintegrare aggreſſus, coërcuit diſſolutionem fratrum, ſimultates per prouincias omnes compreſſit, diremit lites, templa cultu, atque ædificijs auxit, omnibus in locis obſeruantiam introducere conatus eſt. Quæcumque adijt loca, omnia redegit in formam, atque religionis cultum reuocauit, non ſine maximis contentionibus, cùm improbiſſimi aduerſarentur.

Nec defuerunt calumniatores, qui quando aliud non poſſent, durum illum, & ſeuerum appellarent, in eos, qui minùs ſeruare religionem dicerentur. Nec ſacris tantùm duntaxat ſtuduit rebus; etiam prophanas non neglexit. Senis cædem cruentam, & ciuilem cladem ſic compeſcuit, vt multi eſſent, qui eius ſe operâ capitis periculo liberatos eſſe faterentur. Peruſiæ, ſæpe author concordiæ ciuibus fuit. Cùm tumultuaretur Florentiæ, nonnihil egit de ſtatu ciuium. Familiaritates Principum ea de cauſa diligenter aucupatus, vt poſſet prodeſſe, valeretque authoritate, quotiens vellet quicquam ſuadere ad communem vtilitatem. Capitales inimicitias, & priuata odia, quocunque profectus eſt, oppreſſit, ſopiuit, extinxit, omni conatu intentus ad extirpanda vitia, fouendamque virtutem, ad honeſtam vitam, ad pacem, tranquillitatemque ſuadendam. Electus eſt deinde Generalis in Conuentu Piceno; ſed ita electus, vt palam clamaret, ne ſe eligerent; interminaretúrque electoribus perſecuturum omnes, quando ſingulorum vitia, morèſque calleret. Hoc quoque officium tàm innocenter, & cuſtoditè, tàm integrè, & præter omnem auaritiam geſſit, vt quamquam eſſet, inſtituto Ordinis iam veteri, ſexcentis aureis nummis ſalarium conſtitutum, nihil tamen attigerit, niſi quantùm ad ſumptus itinerarios, & viaticum fuit neceſſe; reliquum exigi vetuerit. Quòd autem ſumma probitate Ordini ſuo præfuiſſet, commiſſaque ſibi, & priuata, & publica negotia ſumma diligentia conficeret, Pius Pontifex, qui hoc vidit, nullius precibus, nullo interceſſore, quæ prima fuerūt comitia, Cardinalium Collegio, Patribus omnibus, non ſolùm conſentientibus, ſed etiam approbantibus cooptauit, ſolumque dignum iudicauit ex omni orbe terrarum, quem ornari vel non petentem oporteret. Nec eum feſellit opinio, tantùm ſe gloriæ, atque gratiæ apud homines aſſecuturum, quantùm communis totius Italiæ multarumque gentium lætitia declarauit. Pij enim prudentiam, atque iudicium, omnes in cælum extulerunt, qui ſua ſponte, virum tam ſanctum, doctum, præclarum, perſpicui nominis, ad ampliſſimum honoris gradum extuliſſet.

Itaque vir ſanctiſſimus ceteras dignitates, quas adeptus fuerat ſuſcepit inuitus, hanc vnam nunquam poſtulauit. In ea dignitate, nihil priore vita egit indignum; nemini intulit iniuriā; neminem contumelia affecit; nullum laceſſiuit, aut conculcauit potentia, nullius imbecillitatem oppugnauit. Nulla eius flagitia, aut rapinæ circumferuntur. Nulla prædia emit ſuis. Nihil argenti, auri, aut gemmarum accumulatum. Nihil imminutum ſanctimoniæ, nihil inſolentiæ viſum. Principio, cum largitiones maximæ fierent tota Italia, nihil antea accipere auſus eſt, quàm per Summum Pontificem ediceretur, ne quid recuſaret, quod pertineret ad ornandam dignitatem. Et tamen ſic quoque modum adhibuit muneribus accipiendis, vt tantum reciperet ab his qui eſſent ditiſſimi, cæteros repudiaret, ſemperque illud diceret. Boni Principis liberalitatem eam eſſe oportere, vt nihil accipiat, niſi à ditioribus: cæteris ipſe largiatur: alioquin rapinam eam, non liberalitatem videri. Nam rapaces aues eſcam ab imbecillioribus capere, illorumque exſorbere ſanguinem conſueuiſſe. Miſſus in Picenos ad bellum inter Anconitanos, atque Eſinos componendum, cùm munera diuerſarum rerum, crateres, vaſa argentea varij generis ab omnibus quacunque tranſiret oppidulis, & ciuitatibus ei offerrentur, maiore conſtantia fuit in reijciendis, quam illi liberalitate in offerendis: ita vt neque ad victum allata recipere voluerit. Cùm ei comites dicerent per iocum: *Quantum M. Curius Marſorum bello, tantùm nos in Picenis egimus prædæ. Nam cum iuraſſet ille nihil ſe præter fagineum guſtum quo ſacrificarat, eo bello reportaſſe; nos nec quæ ad guſtū quidem facium attigimus*: conuerſus ad eos; *At*, inquit, *M. Curius venit in Marſos, vt prædaretur; nos venimus in Picenos, ne prædæ fierent*. Rerum etiam quæ debebantur, nihil cuiquam extorſit per iniuriam: multis multa per beneficentiam relaxauit. Stephano cuidam cognomento Capano, qui poſtea Lauellenſi Eccleſiæ præfectus eſt, cùm quadraginta aureos nummos deberet ex ædibus conductis, dicenti ſibi ſoluendo non eſſe; *At*, inquit, *ſi tibi ſoluendo non eſt, nec mihi erit accipiendo; abi, & liber eſto*.

Amicos quos numerata pecunia non poterat, pignore, aut ſponſionibus iuuabat; quod ex rerum inuentarijs licebat intueri. Operam iuſta poſtulantibus, nemini vnquam denegauit; petentibus iniuſta, præſtitit nunquam. Familiaribus domeſticis quibus non eſſet, ſemper plus dedit quàm quiſquam poſtulaſſet. Quod vt facerent audentiùs inuitabat ipſe ſæpe ad poſtulandum: aut vbi ſubeſſe neceſſitatem intelligeret, nō expectabat dum poſtularetur, ipſe ſua ſponte occurrebat. Eleemoſynas præterquā quæ præ foribus fiunt ad oſtentationem, & maximas faciebat, & occultiſſimè. Romæ familias quatuor quotidianis ſumptibus alebat. Iudæos, qui eſſent ad fidem conuerſi, menſtruis ſuſtentabat pecunijs. Græcos, alioſque extorres patria, vino, frumento, pecunia fouebat. Eorum Ducem, cùm velle ſe redire in Græciā diceret, aureis nummis quinquaginta donauit. Conuentus fratrum, cœnobia, & templa omnia ſuæ commiſſa curæ, vltrà quā paterentur facultates, curabat. Plagati in agro Peruſino, cùm ex annuo cenſu centum percepiſſet, in refectione ædis ſexaginta contribuit. In cœnobio Sancti Æmiliani in Eugubinis, ante quā quicquam eſſet perceptum, viginti ad ſarturam tecti Eccleſiæ; Camerti ad Canonicam ædificandam quadringentos; ad ædem Sanctæ Suſannæ iam collabi cœptam, cùm nihil adhuc acceptū eſſet emolumenti, centum quinquaginta erogauit: ad ædem Sancti Stephani in Monte Cælio, ne quid ædificium intermitteretur, mille aureos nummos, maturiùs quàm erat pactus, & in quo ſuo tempore perſoluit. Templo glorioſiſſimæ Virginis in Saxoferrato, cui ſe dedicauerat, ædes fructuarias coëmit Romæ aureis nūmis circiter ducentis, ac calices argenteos, libros, Miſſales, veſtes ſacras, paramenta altarium, tectoria parietum largitus eſt.

Hæ diuitiæ ei fuerunt, hi theſauri: horum cauſa negotiatus, hoc modo vir ſanctiſſimus mercabatur. Nec tamen publicè hæc iactabantur: occulta eſſe iubebat, quæcunque contuliſſet. Nemini occludi oſtium volebat eleemoſynam poſtulanti, pauperum dicens eſſe, quæ bona ei obueniſſent, non ſua. Germanis, & propinquis, non quidem quantùm ipſi poſtulaſſent, ſed quę ad v[illegible]us partem cederent, nec tamen ſine permiſſu Pontificis conferebat. Interrogatus, quamobrem germanum fieri militem procuraſſet; *Vt*, inquit, *ex Magiſtratibus induſtria viuat ſua, non vt ex me, quæ pauperum ſunt, aſportet*. Priuatas cæremonias intermiſit nunquam. Preces horarias non abſorbebat, vt faciunt plerique: ſingulis diebus ſex horas officio abſoluendo conſumebat; adeò verbum ſe iugabat verbo: clauſulam clauſulâ dirimebat, pondere vocis raro, & aperto. Audiebat Miſſas tardiuſculè, cùm eſſet liberum, nec antequam, qui conueniſſent aliquid dicturi, audiſ-

ſet omnes. Interrogatu cur ita faceret; *Quoniam*, inquit, *ad opus Dei expeditum accedere oportet, non inuolutum negotijs.* Pendebat in miſſa attonitus, collacrymabat, vt nonnumquam extra ſe rapi videretur. Cùm quid eſſet non rectè curatum à ſuis in Miſſa celebranda, illud ſemper aſſerebat, cò erat obiurgatio; *Maledictus homo qui facit negligenter opus Dei*. Feſtum nullũ occurrebat, in quo ſuos non hortaretur ad quietè honeſtèque viuendum. Hæc duo petere ſe a ſuis aiebat; concordiam, & honeſtatem; cætera omnia ex arbitrio permittere. Familiarem, quod in æde ſacra fœminam ſalutaſſet, domo eiecit. Cùm quid audiret commiſſum à ſuis flagitij, prorumpebat in lacrymis, ſeque e conſpectu triſtiſſimus eripiebat.

Menſa parca, & proxima priuatę, niſi cùm conuiuæ eſſent affuturi. Familiæ quantùm abundè, ac lautè eſſent apparari volebat. Nullum, aut perquàm rarum inter eius cœnam, & familiæ diſcrimen. Vini ſuprà quam valetudini expediret parciſſimus. Abſtinuiſſet & carnium eſu, niſi medici vetuiſſent valetudinarium, & ſenem. In cœna, & prandijs, aut ſacræ Scripturæ, aut Homiliæ Sanctorum perpetua menſa legebantur. Vbi ſi quid erat ſcriptum dubiuſculè, ipſe interpretabatur; cæteris in rebus ſilentium erat. Prandium diſputationes quotidiana excipiebāt. De rebus ſacris porrò quæſtiones in horas duas trahebantur, nunquam minùs quàm in vnam. Vbi eſſet diſputatum, ingrediẽtem cubiculum, qui vellent alloqui, ſubſequebantur; nemini aditus intercludebatur. Audiebat omnes ea comitate, ea manſuetudine, qua ſolent priuati. Mox paululum ſedens, quieſcebat, itaut plerumque non dormiret. Inde diurnas horas, nonnunquã ad dictandum aliquid. Nam, & legendi, & ſcribendi vſum iampridem intermiſerat, oculorum cauſa. Cubiculum, & ædes totæ tapetis, ac aulæis ornatæ ad dignitatem; ſecretiora ſacris imaginibus, familiæ ante eum mortuum incognitis. Intermitebant continentibus pannis parietes, ipſe aſſiduo cilicio premebatur. Stabat pro foribus lectus, pluma, purpuraque inſtratus; ipſe nũquam, niſi in quotidiana veſte dormiuit, habitu illo cucullari, ne in morte quidem intermiſſo. Pannis lineis vſus eſt nunquam. Foris faſtum, & delicias oſtentabat, intus quotidianis afflictamentis ſe emacerabat. Continebat ſe perlibenter domi, niſi cũ aut Pontificem adiret, aut viſeret Collegas, aut templa Mariæ Maioris, & Populi frequentaret. Nam hæc duo loca continuatis adibat Sabbatis. Quòd ſi ea die per pluuiam, aut aliud impedimentum non licuiſſet, poſtridie, aut ad ſummum perendie repetebat.

Hæ venationes, hæc diuerſoria fuerunt. Inter eundum, amicos, qui comitarentur, vocari ad ſe iubebat ſuo quemque ſpatio, ne quid eſſe poſſet inuidiæ. Sermones læti, feſtiui periocundi, ſemper tamen ſancti, pudici, honeſtiſſimi fuerunt. Verbum turpitudinis, perinde ac ipſam turpitudinem deteſtabatur. Iurabat, poſt ingreſſum ad obſeruantiam, mendacium ſe in omni vita ſua dixiſſe nullum, quod quidem veniret in mentem. Duo genera hominum pernicioſa eſſe dicebat, qui eſſent mendaces, & qui commiſſa ſecreta non continerent: cæteros ferri poſſe. Congreſſus hominum literatorum, & probatæ vitę, incredibile dictu eſt, quanti faciebat: cæteros etſi pro humanitate non aſpernabatur, tamen declinabat. Viris profanis ad ſtudium, & cuſtodiam corporis, non libenter eſt vſus. Initiatis ſacris ſe videndum, tractandumque permittebat. Iam propinquus morti, cùm ſomno grauem multi excitarent, & confricarent, conuerſus ad Malateſtam vnum ex ſuis; *Abi*, inquit, *fili mi Malateſta, ne me tange; nam profanus es*. Etiam à nepotibus quamdiu in ſe fuit, tangi ſe non eſt paſſus: tanto pudicitiæ ſtudio tenebatur.

Mortem ſuam præcognouit. Sex diebus antequam cœpiſſet ægrotare, diſcedentibus duobus familiaribus Gallis, cum menſes tres ad reditum poſtulaſſent; *Non*, inquit, *me inuenietis*. Cardinale Rutheno mortuo, poſt confectas exequias, cùm domum rediſſet, incidiſſetque in menſa de oratione habita mentio; *Cito*, inquit, *Epiſcopus meus pro me oraturus eſt*. Romæ in ſacello, quod domi ædificauerat, ſepulcrum erigi clam iuſſerat in ſcrinij ſpeciem, itaut aperiri facilè poſſet. Intus imago inerat depicta Cardinalis mortui, iacentis eo habitu oris, & veſtium, hiſque lineamentis, quibus ipſe erat, inſcriptumque in interiori latere ſepulcri; *In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & non delinques in æternum*. Id ſepulcrum, ne familiares quidem ſciebant, ſcrinium ſtipatorium rati. Pictor eo mortuo confeſſus eſt, ſe iureiurando adactum, ne cui patefaceret. Aperiebat autem, vt poſtea cognitum eſt, quoties oraret, ibiq; ſpeculabatur. Paulò ante mortem, cum de æde S. Suſannæ ſuffulcienda loqueretur, diceretque Campanus, & commodius, & magnificentius futurum, ſi ædem totam demoliretur, alteramque ſubſtrueret ſubductam, & exiguam, quod ex materia veteris templi tenui ſumptu fieri poſſet; *Erras*, inquit, *fili mi, nam morte mea ſtatim ſubſecutura, deſtructam ædem relinquerem, non refectam*. Scripſerat iampridem Sermones circiter centum, de ortu Saluatoris, de Cœna Domini, de peccato in Spiritum Sanctum, & rebus varijs. Eos cum annos multos ſuppreſſiſſet, paucis ante mortem diebus emendandos, adendoſque ſuſcepit. Calendis Maij, delato ad eum quodam libello Mathematico, in quo euentus anni huius contineri dicebantur, cùm neſcio quid de morte Cardinalium diceretur, *Etiamſi*, inquit, *hoc tacuiſſet de me ſciebam*. Togam, & cucullum, cum quibus fuerat ingreſſus obſeruantiam, annos iam ſexdecim ſeruari iuſſerat, vt in eiſdem moreretur. Profectus Tybur, expandi eos iuſſit, ſecumque deferri. Quod cum eſſet neglectum, vehementiſſimè indoluit, miſitque ſtatim qui deferrent. Interrogatus ſæpe ab eo, qui curaret domum, quot menſium prouiſionem fieri vellet, ſemper illud reſpondit; *Si Septembrem videbimus nihil deerit*. Repetentibus amicis, & annos eum multos victurum contendentibus; *At*, inquit, *nondum menſem Auguſtum ſuperauimus*.

Mortuus eſt anno ætatis ſexto, & quinquageſimo, quem numerum Mathematici abſolutiſſimum, & perfectiſſimum eſſe voluerunt. Initium morbi pauliſper ſuppreſſit, ſiue ducentibus fatis, ſiue arbitratus nihil noui mali adeſſe. Vbi vis inualuit, acciri medicos iuſſit, primumq; omnium afferri ſacroſanctam Euchariſtiam. Quam (cum prius Symbolum Nicænum altiſſima ſcientia expoſuiſſet) conſtratus humi, paſſis ad terram manibus pronus, inque longum protenſus, lacrymans, ac ſingultiens accepit. Veſperi, cùm ardentiſſima febri æſtuaret, de fide Chriſtiana, quàm vera eſſet, & quanta propoſita præmia, copia nunquam audita diſſeruit. Inhibentibus medicis, cùm iam vox prope defeciſſet, illis ipſis iniunxit, vt cùm appropinquare mortem prænoſcerent, inungi ſe iuberent, ne ſine ſacra vnctione decederet, quod, & diligenter factum eſt. Glorioſiſſimam Virginem Mariam etiam extra ſe ſemper habuit in ore. Illam ſibi noctu adſtare, illam interdiu dictitans. Interrogatus, quo in loco vellet ſepeliri; *Animam*, inquit, *iampridem Deo voui, nunc corpus Pio relinquo, vbi is volet, ibi me ſepelitote*. Interrogatus etiam, nũquid vellet mandari ſuis: *nihil*, inquit, *niſi, vt boni ſint, & rectè viuant*. Cum iam certiſſima inſtaret mors, dicentibus familiaribus, ne quid timeret: *Quid*, inquit, *ego timeam, qui ad nuptias eo?* Idque ſæpe repetijſſe auditus eſt, *ire ſe ad nuptias*. Eo mortuo flerunt amici, luxit Curia, Italia omnis in mœſtitia fuit. Illum pauperes quos alebat, amici quos complectebatur, Collegæ quos maxima proſequebatur reuerentia, boni omnes, docti, religioſi lamentabantur. Neque enim erat qui non cenſeret, extincto illo, lumen Curiæ, decus Collegij, ſacrarium religionis, ornamentum literarum, ſpecimen viuendi eſſe extinctum; nec vnquam in quoquam fuiſſe vel mediocrem virtutem, quæ in ALEXANDRO non viſa ſit eminentiſſima.

Occiderat prope iam placide naſcentis OLIVÆ
Gloria, Naiadum ſemiſepulta vado:
Vidit, & occurrit Superum Regina cadenti,
Poſſet vt hinc fructu luxuriare nouo.

VI.



FRANCISCVS Todeſchinus Picolomineus, patre Nanne ciue Senenſi opulentiſſimo natus eſt, matre Laodomia Pij II. ſorore; vnde ab eo in familiam Picolomineam adſcitus, agnomen, & inſignia gentilitia accepit. Adoleſcens optimæ indolis, & ad pietatem non minus quam ad literas perdiſcẽdas diſpoſitus; humanioribus primum ſtudijs, deinde iuri apud Peruſiam parentum, ac Pij auunculi cura diligenter incubuit doctoriſque lauream conſecutus eſt, atque ex Adminiſtratore Eccleſiæ Senenſis, ac ex Protonotario Apoſtolico Diaconus Cardinalis S. Euſtachij ad Pantheon ab ipſo patruo Pio in prima Patrum enunciatione ſed poſtremo loco renũciatus eſt; cum per id tempus iam humanioribus literis perpolitus, in ſchola Peruſina iuri Pontificio operam daret, & iam doctoratus inſignia ſuſcepiſſet cum nondum ætatis ſuæ annum expleuiſſet, ſecundum, aut tertium ſupra viceſimum. Hic Diaconatus dignitatem in ordine Cardinalium, cum eſſet adoleſcentior obtinuit, & Cardinalis Senenſis, à Senenſi Eccleſia, cui præfuit, eſt nuncupatus. De illo hæc habuit ad Cardinales Pius II. in publico Conſiſtorio. *Poſtremus eſt Franciſcus Adminiſtrator Eccleſiæ Senenſis, Noſter ſecundum carnem nepos, Pontificij iuris interpres, de quo non eſt, cur verba faciamus, tum quod ſuſpecta eſſet commẽdatio Noſtra; tum quod non modo Noſtro, ſed Cardinalium quoque iudicio dignus hoc munere putatus eſt.*

Ciaconius ... Aubery in vita. And. Victorell. in Addit. ad Ciacon. ... Cõtelorius in Elencho. Pij II. in Cõmentar. Card. Papienſ. Antonius Sanders. in elogijs Card. Henr. Spõdan. ... Annal. Eccleſiaſt. Nomenclat. Card.

Quatuor integros annos Piceni, ſeu Marchiæ Anconitanæ, Maſſæ Trabariæ, ac Præſidatus Farfenſis legationem ſumma prouincialium beneuolentia adminiſtrauit, ac Saxoferratum à Tyrannis occupatum recepit. Legationis quoque munere functus eſt in Vrbe dum Pius Anconam proficiſceretur, Narniam quoque miſſus cum Beſſarione Tuſculano Epiſcopo, atque Alexandro Oliua ſan-

ctæ Suſannæ presbytero Cardinalibus, vt ſacrum B. Andreæ caput
ibidem ſuſceptum reuerenter in vrbem ad pontem Miluium defer-
rent. Deinde Pauli II. Romani Pontificis iuſſu in Germania. Nam
Paulus II. de bello contra Turcas, quos audiebat vbique de Chri-
ſtianis triumphare, ſollicitus obtinuit ab Imperatore, vt Ratiſponæ
Conuentus Principum Germanorum indiceretur ad tractandum
de bello iis inferendo. Ad quem miſit Pontifex Cardinalem Senen-
ſem Franciſcum Picolomineum, qui linguam callebat Germanorũ,
& cum eo Ioannem Antonium Campanum Teramenſem Epiſco-
pum. Demum mandante Alexandro VI legationem quoque geſ-
ſit tum ad Carolum VIII. venientem in Italiam, à quo tamen non
fuit receptus; tum in Vmbria; & Camaldulenſium ordinem Pro-
tector texit.

Hic Pij patrui veſtigia ſecutus, viros doctos peramauit, ac literis
quantum per occupationes licebat, iugiter incubuit: nulla tamen
B extant grauioris eius doctrinæ monumenta præter epiſtolas quaſ-
dam forte fortuna datas ad Marſilium Ficinum, Sabellicum, An-
gelum Politianum, Auguſtinum Dathum, Ioannem Raulinum, &
Iacobum Siluerium Epiſcopum Cremonenſem, quibus eruditio-
nis ſuæ ſpecimen præbuit. Plures item leguntur ad eum præſtan-
tiſſimorum virorum epiſtolæ nempè Sabellici tres, Marſilij Ficini
quatuor, Ioannis Antonij Campani viginti tres, Auguſtini Dathi
ſex, Cardinalis Papienſis viginti ſex. Philelphi verò, Politiani,
Aldi Manutij ſenioris, Lipi Brandolini, & Hermolai Barbari, nec
non Petri Delphini Camaldulenſis ordinis Præpoſiti generalis a-
liquot. Extat etiam typis editus anno 1469. libellus Dionis de
Regno ex Græco in Latinum à ſe, de mandato Nicolai V. Romani
Pontificis conuerſus quem dedicauit Maximiliano Cæſaris Fride-
rici III. filio. Huiuſce Cardinalatus primitias ita deſcribit Papien-
ſis. *Videtis obſecro, vt præter ætatem hic noſter documenta dat ſen-*
C *ſati viri, cognoſcẽtis quid ſecum ferat operis hæc dignitas Cardi-*
nalatus, ad quam aſſumptus eſt. Nullum in eo verbum, nullum
hucuſque factum reprehenſibile animaduerſum eſt, quod ad noſtras
aures peruenerit. Cumque difficile ſit in tanta licentia non oſtende-
re motus aliquos animi, ſi non efferentis ſe, at ſaltem ſentientis quē
locum aſcenderit: hic tamen veluti ſi deſcendiſſet ita humilem ſe,
& manſuetum omnibus præſtat, quemque reuerens, quemque acci-
piens, & alloquens benignè: eſt in oculo grauitas plena gratiæ, in
inceſſu ſimplicitas ſine pompa: ſermo verò cum nihil habeat ſupra
communem vſum loquendi, ita eſt tamen accuratus, vt cum man-
ſuetudine dignitatem retineat: iactantia omnis procul abeſt, & di-
cacitas, quæ illi ætati eſt ſatis affinis: nemo adhuc verbum ex eo au-
diuit, quod leuis animi indicium daret: nemo factum cognouit
quod à curioſis oculis poſſet in ſe, vel ſuos notari: omnia prudenter,
maturè, & humanè ſic egit, vt ſenſus in eo ſeniles, gratia autem
D *data diuinitus æſtimetur: taceo continentiam corporis, cuius nun-*
quam eſt audita macula, & deuotionem, quæ eſt in eo miranda:
iam qualis illud conſilij fuit poſt diuulgationem nouæ dignitatis non
mutaſſe in familia quicquam, nec in ſe ipſo addidiſſe aliquid quod
ampliatum ſtatum ſignificaret: voluiſſe denique ſe vltimum eſſe
qui in vrbem remearet ad capienda Cardinalatus inſignia: noue-
rat cordatiſſimus iuuenis ſe creatum Cardinalem vna cum iuueni-
bus duobus, altero paris, altero inferioris ætatis. Cardinalem Lu-
douicum Albretium, & Franciſcum Mantuanum, hoc loco ſuſpi-
cor deſignatos, quorum hic anno ætatis vigeſimo ad purpuram
vocatus eſt; ille paulò annis maior, quamuis adhuc florentis æta-
tis. *Communem autem eſſe querelam omnium indignè ferentium*
pueros rerum imperitos cupiditate honoris aſcitos eſſe in Collegium
Patrum, cui ſua temeritate dehoneſtationi crederent futuros: vo-
luit igitur dignitatis non appetitæ documentum dare cum longo in-
E *teruallo poſt in Vrbem reuerſus eſt: religionis autem, cum ſtatim ac-*
cepto nuntio miſſos fecit canes, falcones, aucupes, venatores, & re-
liqua huiuſmodi, quibus aliquando vt regia ſtirpis iuuenis eſt de-
lectatus, magis etiam propter ſuos, quam propter ſe: indigna hæc
putans illius gradus qui ſeſſurus eſſet ad gubernacula Eccleſiæ, vna
cum reliquis Patribus: nam ne vanitatis, vel nimiam præberet ſpe-
ciem in eodem cultu domeſtico quo prius cœperat perſeuerauit: non
auxit familiam, non veſtem nouam pro more dedit, non niſi medio-
cri apparatu exornari domum permiſit, cum tamen vnde hoc ma-
gnificè fierent abundè haberet: in ſe ipſo verò quis ad priorem veſti-
tum additum quicquam vidit præter pileum datum à Pontifice?
eadem veſtis eſt Cardinali, nigra, & trita, & vix ad talos pertin-
gens: eadem etiam cappa quæ ante Epiſcopo fuerat: vehitur mula
fuſca, nullis inſignioribus phaleris, vt cæteri adornata: omnia fru-
galitatis, & modeſtiæ ſunt plena, ſpecimenque præbet conſiderati
F *viri catholici: iam verò cũ it ad palatiũ, & inde redit, eis ſe Car-*
dinalibus ſemper ſociat, quorum conuerſatione laudari poſſit: non
eligit iuuenes, & indeuotos, ſed ſenes, & vita tales, vt eorum au-
ctoritate creſcat auctoritas ſua: ſeditioſos enim, & turbulentos, vt
rem natura ſua, & dignitati contrariam omni arte declinat: dicto-
rum autem eius multa iam cum laude ſunt diuulgata, manifeſtam-
que præbent ſpeciẽ, qualis in Eccleſia Dei ſit futurus: hortante quo-
dam, vt in ruinis Thermarum Alexandri, quæ adiuncta ſunt titulo
ſuo S. Euſtachij palatium ædificaret, vt cuius impenſa propter pa-
rietes, & teſtudines adhuc ſtantes, vix decem mille aureorum eſſet

A *futura, hanc, inquit, ſummam apud me nemo videbis vnquam:*
notans profectò non debere ſacerdotes Dei theſaurizare in terra,
ſed pecunias prouenientes, ſubducta neceſſitate vitæ in pios vſus
conuertere: altero etiam per laudem referente, Cardinalem neſcio
quem continua impenſa, & magna, comparare neſcio quid, quod
ad vanitatem videretur potius, quam neceſſitatem, ſuſpirans, in-
quit, & certè bona illa ſunt pauperum, vt videlicet narratorem
ipſum vanæ laudis datæ argueret, et Cardinalem impenſæ damna-
bilis: plura huiuſmodi poſſem referre, quæ breuitati conſulens, nunc
prætermitto; ſummam hanc faciens verborum meorum, vt quam-
quam incertum, & fallax ſæpe iter iuuenum ſit, futura tamen il-
luſtris vitæ ſigna hæc credam: ſiquidem à natura primò bonus eſt
factus, & deinde à diſciplina ſedulò adiutus, vt raro animus hic
ſubleuat oribus intens non facile perueniat quò ſi ab initio intendit.
Hæc Papienſis, cuius verba, quibus Franciſcum Cardinalem Se-
B nenſem vocat regiæ ſtirpis iuuenem, magnum aliquibus dubium
crearunt, an de illo, vel de aliquo alio Cardinale dicta ſint: ego ve-
rò pro ipſo Franciſco Cardinali Senenſi verba illa accipienda eſſe
iudico, cum fuerit Aragoniorum Principum cognatus: latius inter-
pretando ſtirpem pro affinitate, cum alias idem titulo S. Euſtachij
inſignitus fuiſſe dicatur: quod nulli alteri præterquam Franciſco
Picolomineo Cardinali noſtro conuenire manifeſtè dignoſcitur;
niſi Iacobo Luſitano, in quo tamen alia coniectura deficit à Papien.
expreſſa, quòd non fuerit creatus à Pio II. ſed à Calliſto III.

Eumdem laudibus extollit Papienſis in ſuis literis: illum enim
optimum, & grauiſſimum patrem appellat: & in epiſtola ad Six-
tum IV. Romanum Pontificem, *laudauit*, ait, *enim Sanctitas tua*
verbis ampliſſimis, nouit modeſtiam eius, integritatem, & fidem:
ſcit quanta conſtantia ſupra ſortem ætatis, duas iam legationes pro
Eccleſia geſſerit: à Leandro quoque Alberto in deſcriptione Italiæ
C dicitur integræ famæ, doctrina, & prudentia celebris: ab Onu-
phrio in eius vita, *ſui ordinis omnium optimus habitus, & qui non*
tam Pij auunculi ſui ſanctiſſimi memoria, quam ſumma de eo ſpe
ab omnibus concepta, tanquam labantem Chriſtianæ pietatis ſtatũ
confirmare ſua virtute poſſet, ampliſſimum ſacerdotium obtinuit:
à Ciaconio, *in numerum Cardinalium relatus tanta cum integri-*
tate vixiſſe, vt nihil in eo requirendum eſſet, quod ad virum ſanctiſ-
ſimum pertineret, ingenio, moribus, ſolertia, religione, modeſtia,
grauitate: ac denique à Hieronymo Plato in tractatu de dignitate,
& officio Cardinalis ob infractam animi conſtantiam in ferendis
ſententijs ita celebratur: *viret adhuc viget vigebitque memoria*
Franciſci Picolominei, qui Pij II. fratris, imo ſororis, *filius fuit:*
hic enim turbulentis illis temporibus Alexandri VI. incredibilem
ſemper animi magnitudinem præ ſe tulit, cum in alijs multis, tum
maximè cum Pontifex Beneuentum Eccleſiæ ditionem Ioanni filio
D *in feudum dare vellet, cui ille conſtanter reſpondit, diuque, & palã*
cum eo diſputauit, multas afferens, & graues rationes, viciſſimque
reſpondens omnibus rationibus, quas Alexander, vt rei cupidus af-
ferebat, quod eo laudabilius fuit, quoniam ſolus ipſe id auſus eſt, re-
liquis omnibus, vel timore perculſis, vel gratia deuinctis, vel ſpe
obligatis: atque vt in hac re dicto, ſic alias facto conſtantiam ean-
dem tenuit, cum redeunte ex Gallia Iuliano Ruuerio Sixtus IV.
eius patruus iuſſiſſet, vt Cardinales omnes honoris cauſa obuiam illi
prodirent: hic enim vnus nihil eius officium veritus domi ſe conti-
nuit, quoniam id dignitatis Iuliano Cardinali, qui poſtea fuit Iu-
lius PP. II. adderet, tantum detraheret Cardinalium Collegio.
Porrò quæ fuerit Franciſci Cardinalis Senenſis pietas, vel ex hoc
ſolo diſce quod tradit Fr. Lucas Vvadingus in Annalibus ordinis
Minorum, illum D. Bernardino contribuli ſuo adhæſiſſe, eius do-
ctrinam cœleſtem audire, eidemque arcana conſcientiæ pandere
E aſſuetum. Cum autem poſt Alexandri VI. obitum Petri Cathe-
dram aſcendiſſet, & Pij III. nomen accepiſſet, plura de illo infra
narrabimus.

DE ELECTIONE HAC CARDINALIVM PII II. ſententia.

De hac Cardinalium enunciatione hæc legimus apud ipſum
Pium in Commentarijs. *Illud verò laude dignum ſine controuer-*
ſia cuncti iudicarunt, quod nominatus nemo tanta dignitate vide-
batur indignus; nec vllam aliquando creationem factam fuiſſe quiſ-
quam memoria tenebat, quam tam paruo numero tot præſtantiſſi-
mos viros complexa fuiſſet. Huc accedebat, quod ſine Principum
interceſſione excellentiſſimi viri electi fuerant. Hi autem renun-
ciati ſunt Cardinales, & publicati præter morem eadem die Mer-
curij; Sabbato deinde proximo indicto Conſiſtorio in Eccleſia
Cathedrali Senenſi, Pontifex iuſſit tres Cardinales nouos, qui ade-
F rant, acceſſiri, & priuſquam venirent, de creatione facta, ac de
meritis ſingulorum pleraque locutus, oſtendit omnibus, & dignam,
& neceſſariam ordinationem fuiſſe. Poſt hæc aduentantes illos ad
cancellum ſtare præcepit, & dirigens ad eos verba, *Maxima*, in-
quit, *filij, & excellentiſſima dignitate donati eſtis, ad Collegium*
Apoſtolicũ vocati, Conſiliarij Noſtri, & ideo iudices Orbis terra-
rum eritis. Inter cauſam, & cauſam, inter ſanguinem, & ſan-
guinem, inter lepram, & lepram diſcernere vos oportebit. Succeſ-
ſores Apoſtolorum circa thronum Noſtrum ſedebitis: vos Senato-
res Vrbis, & Regum ſimiles eritis: veri mundi cardines ſuper

A *quibus militantis hoſtium Eccleſia voluendum, ac regendum eſt. Cogitate animo, quos viros, qua ingenia, quam integritatem hac dignitas requirit: humilitatem, non ſuperbiam; liberalitatem, non auaritiam; abſtinentiam, non ebrietatem; continentiam, non libidinem; ſcientiam, non ignorantiam; virtutes omnes, nullum vitium hic bonos expoſcit.* His dictis vocauit eos ad oſculum pedis, deinde manum, oſque porrexit, & antiqui Cardinales ipſos pariter ad oſculum pacis exceperunt, ac locum ſedentibus præbuerunt; deinde Pontifex vnicuiuſque capiti inſigne Cardinalatus impoſuit rubrum de more galerum. Chorus hymnum cantauit gratias Deo agens: Cardinales antiqui pompam ducentes, exceptis duobus qui cum Pontifice remanſerunt, nouos ad altare B. Virginis deduxerunt, ibique ſenior Cardinalium orationem ſuper capita illorum fudit, bona eis, & Eccleſiæ ſanctæ multa precantes, atque ita rebus peractis ad Pontificem maximum reuerſi ſunt, qui diſſoluto Conſiſtorio in palatium abijt.

B Par quoque ſolemnitas in aduentu Reatini, & Senenſis Cardinalis ſeruata eſt; cum alter ex Bononia, alter ex Peruſia Romam ex Ciaconio, ex Contelorio verò Senas peteret. Laudauit Pontifex Reatinum dignè promeritis; Senenſem quia nepos erat, & annis minor, negauit ſe promoturum fuiſſe, niſi Cardinales multis precibus id exegiſſent; *Ipſi*, ſubdit, *an bene conſuluerint, videbunt. Spes nobis eſt vtilem hanc promotionem futuram; nam excepto Noſtro nepote reliqui omnes matura ætate ſunt; nemo infra quadrageſimum agit, doctrina ſingulari excedunt, prudentia, & experientia in omnibus. Nulla in hos ſordes, non arrogantia, non auaritia, quæ hominem excæcat, & idolatram facit, non libido, quæ hominum vires effæminat, non crapula, non ebrietas dominatur, vicerunt hi viri quæuis vitia, & munda omnibus manus, ſinceræ mentes, & ſolertes animi aptiſſimi profecto, qui Vicario Ieſu Chriſti, & aſſiſtant, & conſulant.*

C

SECVNDA CREATIO CARDINALIVM.

In Quadrageſima anni 1461. Pius verba fecit de creandis nouis Cardinalibus præſertim vltramontanis; non aſſenſere Cardinales, ideo conuentum eſt, vt in natalitio Saluatoris, ſi videretur Pontifici neceſſaria creatio Cardinalium, gererent omnes eius ſententiæ morem. Poſt multos dies Pius rem cum Cardinalibus tractauit, & cum maiorem illorum partem in ſuam ſententiam veniſſe cognoſceret, die Lunæ 18. Decembris eiuſdem anni Romæ ex Ciaconio, in Quatuor Temporibus Aduentus ſex Cardinales cunctis laudantibus pronunciauit, ac iuſſit in diem, quæ prope aderat, eiuſmodi ſolemnitati ſtatutam, ſilentio tegi; publicatio poſtea horum Cardinalium facta eſt in Conſiſtorio abſente Pontifice chiragra vexato: hi autem fuerunt ſex, Presbyteri quinque, & Diaconus D vnus videlicet.

VII.



Ciaconius A. Victorell. in Addit. ad Ciaconium. H er. Garimbert. Pius II. in Comment. Card. Papienſis. Aubery in Vita. Panuinius de Rom. Pōt. ſe. lib. Felix Cōtelorius in Elencho. Ferdinand. Vghel. in Ital. ſac. Antonius Summōt. Thom. Coſta in hiſt. Neapolit. Nomencl. Cardinal.

BARTHOLOMÆVS Rouerella filius Ioanis, ciuis Ferrarienſis, Hadriæ primùm Epiſcopus, deinde Archiepiſcopus Rauennas à Nicolao V. ex Ciaconio, ex ſepulchrali verò inſcriptione, ab Eugenio IV. cui fuerat à ſecretis, ſeu ex alijs ab ipſo Pio II. renunciatus, doctrina, conſilio, & morum integritate E conſpicuus, qui iam pridem in Regno Siciliæ Sedis Apoſtolicæ nomine legationem geſſerat, vt Cruciatam prædicaret contra Turcas, & decimas exigeret; cùm omnes ferè adminiſtrationes ſtatuum Eccleſiaſticorum, quę ſolent diſtribui diuerſis Romanæ Curiæ Prælatis, diuerſis temporibus ipſe ſolus geſſiſſet, ex Pontificij ſacelli Sacerdote inter Presbyteros Cardinales tit. S. Clementis à Pio cooptatus eſt. Adepta purpura legationes plures ſubijt in Angliam ſcilicet, & in Regnum Neapolitanum, in quibus diligentia, ac ſingulari prudentia, honoris, ac vtilitatis multum ſanctæ Eccleſiæ Dei reportauit, ac ſua opera ſubſidium maius Ferdinando Aragonio contra Ducem Andegauenſem præſtans, quàm arma, & pecuniæ aliorum Principum. Legationis quoque munere functus F eſt in Marchia Anconitana, & in Vmbria. Sexageſimum, ſeu ex alijs, atque ex ſepulchrali inſcriptione, ſeptuageſimum ætatis annum agens mortem ſubijt Romæ die 2. Maij, anno 1476. & ibidem iacet in Eccleſia S. Clementis in peruobili ſepulchro iuxta Floriam fratrem, cum hac ſepulchrali inſcriptione.

Hoc monumento clauditur Vrbi, doctis, & bonis omnibus deſideratiſſimus BARTHOLOMÆVS ROVERELLA ob ſolas animi dotes ſingularemque fidem, & ſcientiam Eugenij IV. Pontificis Maximi Secretarius, & ab eodem Archiepiſcopus Rauennas, inde à Pio II. Pontifice Maximo

A *tit. S. Clementis Presbyter Cardinalis creatus, qui legationibus multis pace, & bello peractis, dum Xyſti IV. Pontificis Maximi, & Collegarum beneuolentia, Principumque, ac nationum plurimarum clientelis inſignis, tranquillam, & conſiliis vtilem ſeptuagenarius ætatem ageret, omni ſupellectile in familiæ remunerationem diſtributa miſſa, Romæ obijt anno ſalutis MCCCCLXXVI. VI. Non. Maij.*

Teſtamenti Executores Collegæ.

B. M.

Fuit hic teſte Garimberto, Clericus Epiſcopi Mutinenſis, & Ludouici Patriarchæ Aquileienſis: Ferdinandum Aragonium Regē Baroli Apuliæ vrbe anno 1462. ſi vera Hieronymus Rubeus refert, Pij Pontificis nomine, Neapolitani Regni corona honeſtauit. Cum Beneuenti in magna rerum perturbatione pro Pontifice moderator inſignis eſſet, & cuſtos, miſſum per aulicum accepit rubrum galerum; atque cum Vrſo Vrſino egit, vt ad Ferdinandum tranſi-

Io. Pontanus in hiſt. ſui temporis. Io. Mariana in Hiſt. Hiſpan.

B ret; nam, & Pontifici maximo rem abundè gratam faceret, & rebus ſuis per quàm opportunè conſultum iret. Rauennæ Præſul Viterbio ab Anguillaræ Comite occupato, copijs coactis ſtatim auxiliatus eſt: Oddo Peruſinus eius vrbis moderator, qui tunc aberat, re cognita Rouerellam in recuperanda vrbe illa iuuit. At cum ſe quaſi miles glorioſus iactaret, Antiſtes memoria repetens, quod de Fabio Liuius ſcripſerat; *probe*, inquit, *ego nunquam Viterbium recuperaſſem, niſi tu prius amiſiſſes.*

Ad hunc Cardinalem Papienſis nonnullas ſcripſit epiſtolas. Tres habuit fratres ſummæ exiſtimationis viros, Laurentium ſcilicet Epiſcopum Ferrarienſem literis, ac legationibus longè clariſſimum, Nicolaum Generalem Monachorum Montis Oliueti; & Florium Equitem Hieroſolymitanum: Filaſium quarti fratris filium, qui eius funus curauit, ſucceſſorem in cathedra Rauennatenſi habuit.

C Apud Carolum Antonium à Puteo huiuſce Cardinalis numiſma vidi Crucem referens cum pileo Cardinalitio, atque hoc dicto ornatam.

OB CLEMENTIAM IPSIVS, MORVMQ. SANCTIMONIAM, ET IN SEDEM APOSTOLICAM INGENTIA MERITA.

VIII.



Ciaconius Andr. Victorell. in Addit. ad Ciacon. Pius II. in Comment. Claud. Robert. in Gall. Chriſtiana. Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciacon. Pet. Friſ. in Gallia Purpurat. Aubery in vita. Panuinius de Rom. Pont. Io. Trith. de vir. illuſt. Ord. S. Bened. Felix Cōtelorius in Elencho. Card. Papienſis.

FR. IOANNES Gofredus, ſeu Ioffridus, non Loſredi, vt ſcripſit Ciaconius, natione Gallus, patre ignobili, & mercatore, natus Luxouij in Burgundia, monachus Cluniacenſis Benedictinus, egregius Theologiæ, & Decretorum doctor, in primis D Prior B. Mariæ de Caſtro ad Salinas, poſtea Cœnobiarcha Andrij S. Petri Luxouienſis, deinde D. Dionyſij factus, Referendarij etiam officio functus, in Epiſcopum Atrebatenſem eligitur & oratoris munere fungitur Philippi Burgundiæ Ducis iuſſu apud Pium II. Inde Pręſul Albienſis, demum ad preces Regis Francorum ornatur purpura Cardinalitia, & Presbyteris Cardinalibus titulo SS. Silueſtri, & Martini in Montibus, alijs Equitij adſcribitur, & Cardinalis modo Albienſis, modo Atrebatenſis ab Eccleſijs quibus præfuit, nominatur. Affuit ſacræ vnctioni, cùm Ludoui- E cus XI. Galliarum Rex à Iuuenale Vrſino Archipræſule ſacro oleo vnctus eſt. Duxit copias pro eodem Ludouico XI. contra Comitem Armeniacum eidemq; Perpinianum obſidione cingenti, conſilio, & armis præſtò fuit. Ipſum Regem, & Carolum vltimum Burgundiæ Ducem legatus adijt pro expeditione in Turcas, & alijs magni negocij momenti, ac potiſſimum pro Pragmaticæ ſanctionis abrogatione, cui refragante Senatu Pariſienſi ſuperſedit Ludouicus.

Mortalitatis ſolutus eſt vinculis, teſte Ciaconio die xi. Decemb. anno 1473. in Prioratu de Rully Bituricenſis diœceſis; at cum ipſius obitus nunciatus ſit Romæ ex m. ss. Bibliothecæ Vaticanæ die vij. Decembris, ideo multis ante diebus, menſe ſcilicet Nouembri, ſeu initio Decembris illum obijſſe credendum eſt.

Pius II. virum hunc egregium doctrina, & ingenio, ac diuina quodammodo memoria excellentem nominat: & cum purpuram adeptus fuiſſet, & ſibi in portu iam nauigare videretur; quæ de F animo Ludouici ad res Siciliæ ſilentio prætlerat, ſcribere cœpit, & Pio in conſultationibus reſiſtere. Idem Pius de Ioanne ita loquitur. *Cum aliorum iudicio doctus, ſuo vero doctiſſimus Atrebas ſibi videretur, vt qui literas memoria multas mandaſſet, & profanas, & ſacras, & quicquid apud Latinos legitur, percurriſſet, ſelectiſque Philoſophorum, & Poetarum dictis referſiſſet memoria penus, ac de quacunque re ſermo incidiſſet, paratus eſſet aliquid dicere, & priſcorum dicta in medium afferre, omnia hac de cauſa ſibi licere exiſtimabat.*

Cum vacaſſent in Gallia duæ inſignes Eccleſiæ, altera Metro-

politica

A politica Veſuntinorum apud Burgundos, altera Cathedralis Albienſis apud Francos in Aluernis; vtraque ſatis diues: Ioannes Cardinalis vtranque ambiuit, ac Pontificem adiens, *Veſuntinam*, inquit, *Eccleſiam, vnde mihi origo eſt, negare non potes; Albienſem petit Rex Franciæ vt mihi commendes, iam pridem hoc Regi promiſiſti.* Cui Pontifex: *Noſtram*, inquit, *conſuetudinem noſti, Pontificales Eccleſias nulli duas committimus, niſi ſit altera ex titulis Cardinalium, harum vnam deligas, duas ſperare noli.* Quo audito Atrebas vehementer doluit, & quaſi contumelia tactus, commemorare ſua in Sedem Apoſtolicam beneficia, & Pragmaticæ ſublationem ſibi attribuere, & amicitiam Regis Franciæ, quæ ſuo ſtudio quæſita fuiſſet. Manſit tamen in ſententia Pontifex; quare indignatus Atrebas Pontifici, quantum potuit, ſemper reſtitit, & demum impetrata abeundi poteſtate, poſt decretum in Turcas bellum promulgatum in Gallias abiit.

B Interfuit Comitiis Pauli II. Veneti in ſummum Pontificem electi. Cardinalis Papienſis contra Ioannem hunc Cardinalem hæc ad ſacrum Collegium Cardinalium habuit, ac poſterorum memoriæ reliquit. *Quid tu ignobilitatem alteri obiicis, qui ex genere nullam habes nobilitatem? ortus es oppido Luxinio Biſuntinæ diœceſis mercatore patre, & auo; acceptus in obſequia Ducis nobilitatem mendicaſti tibi & patri priuilegio illius. Ita ergo cum te nobilem iactas, non genus tuum laudas, ſed Principis gratiam. Quod ſi a Sacerdotibus hæc ſecularia habenda in pretio ſunt, potiora certe ſunt mihi, quàm tibi. Ego in libera ciuitate, tu in oppidulo ſeruienti es natus. tibi Burgundiæ Dux, mihi Pius Pontifex nobilitatis initium dedit: tu hactenus præter priuilegium habuiſti nihil: ego inſignibus familiæ donatus, & iam in familiam ipſam Pontificis ſum adoptatus. Imputat Atrebatenſis imperitiam literarum, & Grammaticum Papienſem appellat, quaſi ipſe*

C *columen, & vas ſit omnis doctrinæ. Fateor non eſſe mihi literas, quas tanta dignitatis commemorat, eas tamen non nigabit, quæ honorifica quandoque fuerint Apoſtolicæ Sedi, & ad miniſterium Eccleſiæ vtiles; quas quanti æſtimauerit Pius, veſtri oculi vident. Sed de ſuis quid dicemus? Concedamus illum multa legiſſe, codices multos tractaſſe, mandaſſe memoriæ multa: quid in tam rudi aceruo digeſtum? quid diſpenſatum vnquam vidiſtis? non habet iudicium vllum, accomodare quæ legit, locis, & temporibus neſcit; atque vt nauis quamuis bene inſtructa ad nullum eſt vſum, ſi gubernaculo careat; ita quicquid in mente huius eſt quamuis cumulatum fructum non fert, cum prudentiam moderatricem non habeat. Quoties contrarios ſenſus auctoribus dedit? quoties eos intorſit? quoties falſas ſententias probatis adſcripſit auctoribus, vt in omni actione eſt mẽdax, ita in omni interpretatione malignus, illud Iſaiæ non reputans:* Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum, qui facitis amarum dulce, & dulce amarum. *Neque ego in Sacer-*

D *dote tam excellentem doctrinam deſidero, vt in illo eſſe omnia velim; præfero vitam, modeſtiam, humanitatem, exemplum, religionem, & cæteraque profeſſionis noſtræ ſunt propria. Equidem ſi alterum ſit de duobus eligendum, malim in Cardinali prudentiam cum mediocritate doctrinæ, quàm cum ſumma doctrina vanitatem atque perfidiam; hæc profuit nunquam, obfuit aliquando; illa ſemper, & prodeſt, & Deo eſt, & hominibus grata. Cum bene conſidero, non video quid vtilitatis, aut dignitatis afferat præſentia huius: cum enim ad bene conſulendum fuerit in Cardinalem aſſumptus, quærendum eſt, quale veri ſit, & quale huius Cardinalis conſilium. Nempe qui recte conſulere vult, induere ante omnia debet veram erga illum caritatem, cui accedit conſultor, vt quid doceat, & expediat, ſine malignitate rimetur, & doceat: proxime huic liberam gerere, & mentem, & linguam, vt nulli alieno affe-*

E *ctui, nulli ſuæ cupiditati inſeruiens ſimpliciter loquatur quod ſentit. Hæc vera eſt ni fallor, recte conſulentium via, quam mox vt egredimur, non tam ad ſalutem, quam ad peſtem adiungimur. Hic vero Reuerendiſſimi Patres cum vos odio gratuito oderit, & ſtudiis ſit omnibus veſtris contrarius, nihil meditari, & loqui poteſt, quod Vobis futurum ſit vtile. Doloſæ omnes cogitationes cordis eius, doloſa conſilia, quibus etiam ſi recta eſſent; habere fidem non poſſumus: creſcere non ſperat niſi ex noſtris ruinis, & noſtram omnem gloriam ſuam ducit confuſionem. Minatus eſt multa frequenter Eccleſiæ Romanæ, multa nobis, ni faciamus ea quæ Regi ſuo placere poſſint: mallet, vt video, cum euerſione omnium noſtrum verus videri, quam cum ſalute mendax, & falſus. Ad hoc eſt tantum intentus noctes & dies, & huc tendit omnis ratio, & ſumma rerum ſuarum, vt ſtatus omnis orbis Chriſtiani ex vna Regis ſui voluntate dependeat. Bonum quippe nullum putat, niſi quod venit ab il-*

F *lo; ſalutem nullam, niſi quæ offertur ab illo: cæteros Reges, & Principes minimum æſtimat; inania ducens, quæ de Potentatibus, & Rebuſpublicis referuntur. adeoque in colendo hoc Deo ſuo eſt cæcus, vt nec videre oculis quippiam aliud, nec mente poſſit diſcernere. Accedit quod mercenarius eſt, & lingua conducta, ſibi non Eccleſiæ loquitur: audiſtis aliquando illum fatentem, duo millia aureorum annua pendi ſibi a Rege in mercedem ſui laboris. Audiſtis in hoc verbo ſe gloriantem, quod Procurator ſit Regius, quodque declaratum nobis per literas, ſibi vni de negociis Regiis præſtari fidem debere. Quomodo ergo per Procuratorem, qui Procuratorem*

A *ſe confitetur, dignitate loci huius eſt dignus? quomodo ſalutariter poteſt conſulere, quomodo credi ſententiis eius alieno ſtipendio non noſtro conductis? Si perſeuerandum eſt ei inter nos, aduocandi etiam ſunt cæteri, qui in Curia noſtra procurant, & admiſcendi nobiſcum: non eſt irroganda hæc iniuria tot Regibus, Ducibus, & Rebuſpublicis, vt eorum Procuratores ſegregemur a nobis. Sciant, & illi ſecreta noſtra, vt hic ſcit reuelent ea ſuis, vt iſte reuelat. Iam nihil ſit quod his oſtiis teneatur concluſum; inter cubiculum, & forum nullum habeatur diſcrimen. Dicam tandem quod ſentio Reuerendiſſimi Domini ſine iracundia quidem non tamen ſine dolore. Exeat conſilia noſtra, qui nobis infeſtus eſt; non participet nobiſcũ, qui nihil vtile, nihil honeſtum afferre poteſt, vel ſuadere; & qui ſecularibus ſeruit, & linguam pecunia vendit, & ſecretum non tenet, quique mendaciſſimus eſt, & in dicto fidem non habet. Profectus Orator Apoſtolicæ Sedis ad Regem ſuum reuerſus eſt hoſtis;*

B *cauſa, cui antea fauebat, nunc eſt omni contentione contrarius. Cum autem mutationis huius amice admoneretur, ſolam ſui Principis mutationem excuſat; cum, inquit, ſibi placebat, placebat, & mihi; nunc diſplicens, diſplicet mihi: indigna vox Cardinali, vt ex perſonis, non ex honeſtate cauſæ Apoſtolicæ ponderentur. Cum reprehenditur Cardinalis Atrebatenſis, quod primo legationem pro Ludouico Rege Francorum ad Pontificem ſuſcepiſſet, deinde quod procurationem rerum ſuarum in Curia exerceret, aliorum exemplis, alterum ex iure eſt reprobatum. Guillelmum Cardinalem Rothomagenſem, Oſtienſem Epiſcopum ex Galliis ad Calliſtum redeuntem, qui in Pontificem nuper erat electus, rogauit Carolus Rex Ludouici pater, vt Legatus vna cum cæteris, quos ad præſtandam obedientiam mittebat, ire non grauaretur; prudentiſſimus vir, cui notum erat officium ſuum, onus quanquam à magno Rege impoſitũ recuſauit malens dignitati propriæ, quam alterius gratiæ inſerui-*

C *re. Nouerat enim nec debere, nec ſolitum eſſe Cardinalem niſi pro Romano Pontifice obedientiam accipere. Et certe modeſtiſſimus Rex id indigne non tulit, ſed mittens alios, quos elegerat Oratores, inter cætera mandata quæ dedit, hoc eſſe voluit primum, vt quicquid acturi, quicquid dicturi eſſent, ad Cardinalem referrent, eiuſque conſilio, & ſuffragio in omnibus vterentur. Federicus quoque Romanorum Imperator petens à Nicolao Cardinale S. Petri ad Vincula in Germania tunc agente, vt Legatus ſuus conuentus Ratiſponenſi intereſſet ob cauſam fidei indicto, exauditus non eſt. Reſpondit Cardinalis, id ſibi niſi concederet Pontifex, nullo modo licere; neque antea Imperatori aſſenſit, quam ſcriptum eſt Nicolao V. & conceſſio impetrata. De procuratione autem ita eſt dictũ; ſi Cardinali, ſi illuſtri, & ſuperilluſtri ex iure eſt interdictum, vt non procuret negocium proprium; quanto magis cenſendum eſt interdictum eſſe alienum? Nihil vilius eſt procurationis officio,*

D *nihil contemptibilius, nihil etiam Cardinali indignius qui ideo ad eam dignitatem aſſumitur, vt in Senatu Apoſtolico ſedens, non quid alii petant, quid ſupplicent, quid contendant, quid litigent, anxio labore procuret; ſed quid vniuerſali Eccleſiæ conueniens, atque vtile ſit, libere conſulat. Conſiſterii enim locus conſilii eſt, non contentionis locus. Nam quod de venatione eſt dictum; non nego poſſe Sacerdotes honeſtius rebus aliis intendere, & aliunde corporis exercitium quærere; veruntamen humanæ æquitatis eſt facere inter Sacerdotes, & Sacerdotes diſcrimen. Parochiano regente animas ſibi commiſſas, cum liceat horto, vel agello colendo intendere, liberiuſque huc atque illuc vel recreandi animi, vel tuendæ valetudinis cauſa deambulare, ſeuerius adimam venationem, ne qui admonendæ plebi eſt conſtitutus, reprehenſibilis ipſe in eius oculis videatur. Eadem eſt in ſua ciuitate de Epiſcoporatu. Cardinalem autem cum dignitatis amplitudo domi contineat, cum*

E *verſare globos, & ſaxa illi non liceat, cum recluſus vel meditetur, vel legat, cum ſe ipſum adeuntibus præbeat, cum ocio ipſo valetudinem labefactet, cum denique in faciem populi nihil niſi ſerium, & graue oſtendere debeat; quis non indiget in tanta ſeueritate vitæ aliquando vt procul ab omni turba in nemoribus, & ſyluis ſe cum domeſticis ſine iniuria cuiuſquam oblectet? & valetudini ſeruiens ad opus officii ſui minor, & fortior redeat? Plebem Cardinalis nõ curat; præcepta quotidiana Parochianis non dat, ad nullum miniſterium ſacrorum ſe populo exhibet; ſolo conſilio Apoſtolicæ Sedi adſcriptus, inſtar quoddam ſæcularis Principis habet. Sed videamus obſecro, ne dum Cardinales domi continere volumus non ſolum corpori, ſed animæ quoque damnoſiſſime conſulamus: carnei ſunt Cardinales, vt cæteri homines, tentantur, vruntur, & animi perturbationibus ſeruiunt. Colloquia viſitantium non ſemper ſunt*

F *caſta, non caritatem, & proximi dilectionem continent ſemper: adulatur ille, murmurat alter: eſt qui inter fratres odia ſeminet, & in hunc, vel illum cor Domini inflammet. Legi ſemper non poteſt, non ſemper diſputari, non ſemper cogitari de publicis rebus: ad hæc illicita aliquando nos carnis infirmitas trahit: ad alia quoque non nunquam quæ ocium conſequuntur, & in ſilentio, per vos cognoſcuntur. Præterea ſomnos de die non ſalubres corpori, quos poſt prandia noſtra arcere non poſſumus: hinc podagra; hinc lateris dolor; hinc calculus, & præmaturum ſenium, ac mortes acerbæ adueniunt; quæ vt ocio celeriter contrahuntur; ſic exercitio facile prohibentur. Nec ſine cauſa Principes ſeculares, quos magnitudo*

curarum

curarum grauat, hoc ſibi genus leuaminis elegerunt; vnde reſumere animum, reſtaurare vires poſſint ad publica: nunquam apud veteres eſt damnata venatio.

Romanis, inquit Horatius, *ſolemne viris opus, vtile famæ,*
Vitæque, & membris.

A *Illa eſt damnanda venatio, quæ totos dies conſumit in agris, quæ mentem auocat a rebus gerendis: ſi Cardinalis ſibi à Pontifice opus iniunctum, vt venatum eat, dimittit; ſi in Conſiſtorium, in Eccleſiam ſtatutis diebus non venit; ſi cogitare de Sede Apoſtolica negligit; ſi egentium patrocinia deſerat; reprehenſibilem illi eſſe venationem contendam, & coërcendum illum, putabo, vt ſe domi contineat. Idem vero ſi impletis, quæ quotidiana officij ſui ſunt, reliquum quod ſupereſt temporis, aliquando inter nemora, & feras, ad valetudinem conferre; inter quas, & ſancti Patres totam ſæpe vitam egerunt, non inuadam Catoniana increpatione hanc eius retinendæ ſanitatis prudentiam. Sed profecto ita eſt: quicunque* B *ex nobis ita ſinere venantem Cardinalem coarguit, aut ſenex iam eſt, damnans quod neceſſitate omiſſum obire amplius non poteſt; aut agreſtem animum gerit, nec quid habeat nobilitatis venatio intelligit, aut natura ſeuerus eſt valde. Ego quandiu valetudo mea incolumis manſit, & iugum laboris potuit ferre, licet ab adoleſcentia venatio fuerit grata, ea tamen ſemper abſtinui. Hic vero vnà cum Pontifice, & nobis remittendi animi gratia commorans, ſentienſque mille morbos vehementius ſoluto inſurgere, non priuato inſtituto, ſed medicorum conſilio, non quærendæ voluptatis cauſa, ſed redimendæ valetudinis, hunc exercendi corporis laborem accepi. In quo etiamſi neceſſariam non haberem cauſam, aliorum me tamen Cardinalium poſſent tueri exempla, quorum cum virtus, & fides, & in publicis rebus diligentia probata ſit nobis, ab hoc tamen ſolatij, & recreationis genere non abhorrent. Et quoniam qui ante me locutus eſt, ſectatorem me leporum, & ferarum per* C *irriſum dixit, irrideat dicam & ego, ſatius eſſe leporem, & feras ſine offenſione cuiuſquam ſectari, quam cum perturbatione Eccleſiæ Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem conſictis criminibus conſectari.*

Iorinne hoc Cardinali offenſus Papienſis eum aliquando inſectatus eſt, & hæc contra ipſum ſcripta reliquit: amicam poſtea eiſcripſit epiſtolam, qua ad Curiam inuitauit.



IX.

IACOBVS Cardona natione Hiſpanus literis ac moribus ſuauiſſimis ornatus; cuius maiores ad Regale quondam faſtigiū peruenerunt; ex Epiſcopo Vrgellenti, inſtante Rege Arragonenſi renunciatus eſt Presbyter D Cardinalis, titulum tamen nunquam obtinuit, quia Romā nunquam aduenit. E vita migrauit in oppido Ceruare in Catalaunia die prima Decembris anno noſtræ ſalutis 1466.

Ciaconius. Aubery in vita. Panuinius de Rom. Pontific. Pius II. in Commēt. Felix Contelorius in Elencho. Henr. Spōdan. in Annal. Eccleſiaſt. Gaſp. Porrega. in Elog. Card. Hiſpan.



X.

LVDOVICVS de Alibretto, vel de Albreto, ſeu Al- E bretus, vel vt alij ſcribunt de Alberto, aut de Libretto, natione Gallus, paterno, ac materno genere è Regum proſapia natus Caroli II. Comitis Albretij, ac Tartaſij, & Annæ Armeniacæ filius, à parentibus religioſis educatus, nil niſi religioſum ſapere poterat, vt ſcribit Papienſis verbum enim impudicum, inſolens, & aſperum nunquam eſt ex ore eius auditum; conuerſatio eius grata, conſuetudo ad omnia facilis, ſenſus pleni miſericordia, F ſemper ad rectum intenti, odientes malum, & adhærentes bono. Tantus hic vir, literis, quibus ornatus erat, clarus, qui amor, & deliciæ vrbis, ob præclaras animi dotes, & virtutes dictus eſt; ex Prothonotario Apoſtolico ad preces Regis Francorum inter Presbyteros Cardinales titulo SS. Petri, & Marcellini à Pio II. Romano Pōtifice cooptatus eſt. Præſul præfuit pluribus in Gallia Eccleſijs Cadurcenſi ſcilicet Cordonienſi, Aduſenſi, & Mitapicenſi. In tabulario Epiſcoporum Cadurcenſium plurimæ clientarij officij ſignificationes ab Optimatibus delatæ Ludouico huic noſtro. Extat,

Ciaconius. Pius II. in Cōmentar. A. Victorel. in Addit. ad Ciaconium. Pet. Frizō. in Gallia Purpurat. Aubery in vita. Hier. Garimbert. Panuinius de Rom. Pont.

A & Diploma Sixti IV. ſcriptum die 26. Martij anno 1471. quo leges Eccleſiæ Figiacenſi B. Mariæ de Podio ſanciuntur, inſerta Ludouici Albretj comprobatione, qua ſe Adminiſtratorem Cadurcenſis Eccleſiæ nuncupat.

Spiritum Deo reddidit Romæ die 4. Septembris hora ſeptima noctis anno 1465. ante obitum decumbens deuotè petijt, & ſuſcepit habitum Minorum, & cum eodem ſepultus ſub lapide marmoreo apud Franciſcanos in æde S. Mariæ de Araceli in monte Capitolino, cum his ſepulchralibus inſcriptionibus, altera muro affixa, altera in pauimento euſdem Eccleſiæ poſita.

Luc. Vadding in Annal. Minorum. Gaſp. Iongel. de Card. Ordin. Min. Nomencl. Cardinal. Felix Contelorius in Elencho.

SEDENTE PAVLO II.

B LVDOVICVS DE LEBRETTO REGIVS SANGVIS
SANCTORVM PETRI ET MARCELLINI PRESBYTER
CARDINALIS NOBILITATE ANIMI INNOCENTIA
ET FIDE PRÆCLARVS SACRI APOSTOLICI SENATVS
AMOR ET DELITIAE HOC MONIMENTO CONDITVS EST
MCCCCLXV. DIE IIII. SEPTEMBRIS.

Quæ in pauimento prope aram maximam hæc eſt.

LODOVICVS TT. SS. PETRI ET MARCELLINI PRESB. CARD.
NATIONE GALLVS GENTE DE ALEBRETO REGIO FRANC.
SANGVINE NATVS MORIBVS ET VITA CLARVS HIC IN
PACE QVIESCIT VIX. AN. XXXXII. MEN. VIII. DI XII.
OBIIT ROMAE AN. MCCCCLXV. DIE IIII. MEN. SEPTEMB.

In funere eius laudes celebrauit panegyri ſacra Fr. Cherubinus de Spoleto tum literis, tum egregia probitate clarus: & eodem die C funeris ad aram rem diuinam faciens Cardinalis Papienſis eam effudit lacrymarum vim, vt adſtantes ad fletum compulerit, vixque Sacrum abſoluere potuerit. *Amor, & delicia Collegij noſtri*, verba ſunt Papienſis in epiſtola 136. ad Franciſcum Cardinalem Picolomineum, *Ludouicus Cardinalis ſanctorum Petri, & Marcellini, opus Pij noſtri ſanctiſſimi, & frater noſter, qui diligebat nos vnice, nocte proxima, inter ſextam, & ſeptimam horam ſpiritum Domino dedit, quanta deuotione non dico. Admirabilis fuit, hic trāſitus eius: ſe morti vicinum agnoſcens, cogitare, & loqui, & audire de re præterquam de ſalute animæ non eſt paſſus. Fuerant ipſi lacrymæ panes, dum recogitauit annos præteritos; cubiculum eius aſſiduis queſtibus, & compunctionibus repletum eſt; Sacramentum Domini noſtri Ieſu Chriſti ſumpturus, e lecto in terram ſe miſit depons. Horas Canonicas non ante dimiſit, quàm à voce eſt ipſe dimiſſus; inter orandum ſi quando labente memoria alicuius verbi eſſet* D *facta omiſſio, Pſalmum iterabat; cum alijs vacabat, Paſſio Saluatoris noſtri legebatur aſſidue: inter audiendum non ceſſabat ſuſpiriorum, & fletus: vnum modo locutus, quod ſapere humanitatem eſt viſum, & tamen fragilitati noſtræ ſit concedendum, audiens deſperatam à medicis ſuam ſalutem, & cogitandum ſibi de tranſitu, aliquando tacens, mox conuerſus ad ſuos, non dolet, inquit, mors mihi propter me, obeunda enim eſt ſemel; dolet propter patris, & matris ſenium, qui biennio ante amiſſo apud Barchinonem filio vno altero anno præſenti, nunc de me audientes, me ſtatim propter dolorem ſequentur: iſtis, & mihi ſit Deus præſidio: tota Curia contriſtata eſt obitu eius. Pontifex vbertim fleuit, cum Epiſcopo Oſtiēſi & mecum, quos ille ad implenda legata elegit: quo conſolari vix poſſum. amiſi dimidium animæ, & mentis meæ, ſcit dignatio tua, quanta inter nos erat coniunctio, quanta rerum omnium communicatio: leuator ille erat ægritudinum mearum, ego viciſſim ſuarū:* E *fideles manſimus in dilectione; nullæ querelæ, nullæ expoſtulationes auditæ inter nos vnquam: ſtudia mea erant ex ſuis; ſua ex meis: gratia, honore, & obſequijs inuicem præueniebamus: mores eius cuiuſmodi eſſent, dignationem tuam non latet: reſpondebat vita, nobilitati, ſanguis erat regius, vt ſcis, ſuperans, ſine controuerſia genus omne illud Gallicanum: à parentibus religioſis educatus, nil niſi religioſum ſapere poterat: verbum impudicum, inſolens, & aſperum nunquam eſt ex ore eius auditum: conuerſatio erat grata, conſuetudo ad omnia facilis, ſenſus pleni miſericordia, ſemper ad rectum intenti, odientes malum, & adhærentes bono: introſpexi præ cæteris hominem totum, & ſcrutatus ſum renes eius, & cor a nihil vnquam malignum in cogitatione Patris boni inueni: videor mihi nunc mancus relictus, & imperfectus, & cum communicationis noſtræ memoria venit in mentem non ceſſo a lacrymis: illi in morte nihil contigit mali: deceſſit enim tempore ſuo, non noſtro:* F *ſortitus vitam, quæ indeficiens eſt, atque omni caret moleſtia: nos ad continuationem miſeriarum ſumus relicti: erat hic ex filijs PII noſtri, vt dixi, eadem voce aſſumptus qua nos, atque eadem manu benedictus qua nos: dilexit dignationem tuam, & familiam noſtram, & omnes qui ex familia in illo ſancto fuerunt: debemus viciſſim illud diligere: dilectio autem noſtra, ſi fructuoſam eſſe optamus in orationibus ſit, & pijs ſuffragijs: hæc ego, & præſtiti, & præſto quantum poſſum idem quæſo faciat bonitas tua: commendatur per multum hæc pietas, dicente Scriptura;* Sancta, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur: *tricenas*

Miſſas

A *Miſſas Gregorianas animæ fratris, & Collegæ inſtitui; ſi totidem inſtitueris tu, rem meo iudicio piam, & ſalutarem inſtitues: menſura illa remetietur nobis, qua nos alijs menſi fuerimus, vt habeamus qui noſtri ſint memores cum moriemur, mortuorum nos habeamus memoriam.* Hæc Papienſis: qui alias de hac eadem morte literas dedit ad Gregorium Lollium Picolomineæ genti propinquum, & Pij quondam ab epiſtolis, in quibus hæc legi. *Quid mirum ſi interim alterius partis animi mei, altera ſum conſternatus, conſolationem non capiens in luctu recenti. Scribitur in Eccleſiaſtico:* Beatus homo, qui inuenit amicum verum; *ſi beatus homo qui inuenit, nunquid non miſer homo qui perdit? ſi miſer qui perdit, nunquid non miſeria ſua illi eſt flenda? ſi miſerum me neſciens fleui, nunquid hæ lacrymæ non ſunt mihi ignoſcendæ à te potiſſimum, qui noſti quid perdidi? Erat caritas noſtra, mi Lolli, amicitia, non quæſtus: reſpiciebat nos, non ea, quæ ex nobis. Habebam qui mori* B *poſſe pro me, qui meum ſequeretur exilium, qui in ſe exciperet omnem acerbitatem fortunæ: ito nunc tu, & alterum quære; aut monſtra qui hæc impendat amico. In Pontificatu Pij inchoatus amor noſter tantum illo defuncto excreuerat, vt magnitudini ſuæ iam addi nil poſſet: ſemina tunc iacta coaluerant noſtra cultura. Communia inter nos erant omnia, nihil partitum, vt animi; ſic fortunæ ſpes, expectationes, & omnes res in vnum venerant glutinum; coniunctius excogitari nil poterat. Vna morte diſſoluta ſunt omnia, extincta, & nunquam reditura in idem; & mirans, ſi dixi mancum me, & imperfectum, & negas mancum relictum me eſſe atque imperfectum. O Lolli, ò Lolli, faciem coniunctionis noſtræ inſpexiſti aliquando, interiora nunquam es contemplatus; ſi vidiſſes quod latebat, & quod ſpirabant ſenſus noſtri; mirareris magis quod in hunc diem ſum reſeruatus. Ignoſce quod ſcripſi, minus ſunt eo quod mœror ſuaſit; crede, non mentior: cohibui ſupra vires erumpentes dolorum fluctus; ſed retinere ſæpe non potui: nunc quoque retinere* C *vix poſſum; patuerunt, & patent publicis in locis, & priuatis. Die funeris ſui Sacris ad altare operaturus, tanta vi lacrymarum ſum expugnatus, vt, & circumſtantes ad fletum compulerim, & ego vix abſoluere illa potuerim: ſiue infirmitatis meæ hoc ſit, ſiue magnitudinis damni, ſic eſt factum, & fit. Nec patris, nec fratris, nec quod ſine grandi ſcelere non eſt, Pij II. noſtri funus tantū me torſit, quantum vnicum Ludouici mei deſiderium: loquens quoque hæc tecum non teneo lacrymas, & mihimetipſi ſum grauis. Quanto minus ſpes eſt reperire quod perdidi, tanto remetior dolentius iacturam quam feci: conſoletur me Deus, & rationis porrigat non temporis medicinam: tu quoque ſicut cœpiſti, mederi ne ceſſa. Vale Romæ.* Dedit aliam Lollius ad eundem Cardinalem Papienſem, cuius hic eſt tenor. *Renouauit conceptum antea animo dolorem, exemplum literarum tuarum miſſum nuper mihi à Reuerendiſſimo Patre Cardinale Senenſi, cum enim primum de morte Ludouici Reuerendiſſimi Cardinalis de Albreto allatum fuerat, non aliter mente tota contriſtatus fui, quam ſi longa, atque aſſidua conſuetudine ſibi deuinctus fuiſſem: memineram eorum quæ ſcribis, Reuerendiſſime Pater; illum eſſe opus Pij noſtri, noſtri amantiſſimum, virum ſincerum, nulla aſperſum macula, in quo par mentis, & ſanguinis certabat nobilitas, & eius morte diminutam Collegij veſtri dignitatem, quæ per Pium noſtrum aucta fuerat, intuebar: accedebat, & vinculum quo ſibi eram coniunctus, qui compater meus Hippolitam filiolam meam ſacro è fonte leuauerat: ſed non minus quam oculis vertebatur ſingularis amor, & coniunctio, quæ tua Reuerendiſſimæ Paternitati ſecum erat, & interitu talis amici, iucunda conſuetudine; & multorum communione officiorum te priuatum dolebam: verum inſpectis literis tuæ Reuerendiſſimæ Paternitatis excitatus eſt dolor, quem plurium dierum lapſu pene conſederat: viſus eſt mihi tum primum Ludouicus extingui, & ego in cubiculo deficientis inter lamenta, & lacrymas verſari videbar: auxit maximè moleſtiā* E *fractio animi tui, Reuerendiſſime Pater, & prope deſperata ipſa literarum verba, quæ huiuſmodi ſunt, videor mihi nunc mancus, relictus, & imperfectus, & cum communicationis noſtræ memoria venit in mentem, non ceſſo à lacrymis: ego nihil imperfecti video, aut manci: meminit Dominatio tua quandoque opibus, & potentia ſe multò inferiorem fuiſſe, quas ſola virtus maximè auxit, virtus eadem, & potentia longe maior adeſt: lacrymæ noſtræ, nec ſibi, nec nobis proſunt: humanum eſt condolere amici caſum, ſapientis forti etiam animo ferre quodcumq; acerbitatis aduenerit: verum primi illi motus tanto impetu ſpiritus, ac ſenſus omnes noſtros perturbant, vt in eo ipſo calore nemo vnquam temperare potuerit: reddidit ille ſpiritum Deo, ſumma, vt inquit Reuerendiſſima Dominatio tua, deuotione, ſortitus vitam, quæ omni caret moleſtia: hoc ſatis nos conſolari debet: perſoluamus ſibi debita pietatis officia, & Gregorianas, vt ais, Miſſas, & alia pia ſuffragia inſtituamus: ita* F *enim, & tenemur, & ſibi, & nobis prodeſſe poterimus: ſitque nobis hic exitus ſuus, monitio quædam peregrinationis noſtræ, quam ita dirigamus, vt perfecto itinere ad ſalutis portum peruenire poſſimus.* Ita Lollius.

Cadurcenſem, ac etiā iuxta Robertum, Friſonium, & alios Aduſenſem rexit Ludouicus hic noſter Epiſcopatus: at de Cadurcenſi dubitari minimè poteſt, cum in tabulario Epiſcoporum illius ſedis plurimæ clientelaris officij ſignificationes à nobilibus plerique A Ludouico noſtro delatæ reperiantur, extatque eiuſdem Cardinalis ſubſcriptio diplomati cuidam Pontificio facta, qua ſe Cadurcenſis Eccleſiæ adminiſtratorem nuncupat.

Porro Ludouicus hic fuit alterius Ludouici Albretij Cardinalis à Sixto IV. creati patruus, & propatruus Amanei Albretij Cardinalis ab Alexandro VI. ad purpuram vocati.

Ob præclara, ſcribit Andreas Victorellus, merita magni cuiuſdam Ducis de Albreto, qui Caroli VII. Galliarum Regis exercitus contra Anglos duxit, vniuerſæ familiæ conceſſum eſt, vt gentilitio ſtemmati Francica lilia adderet: verum pace Victorelli dixerim cū Friſonio ſecundum rei veritatem Carolum VI. permiſiſſe Armando Amaneo Domino Albretij in gratiam vxoris Margaretę Borboniæ ſextæ filiæ Petri primi Ducis Borbonij, arma, & inſignia Albretia, nimirum aream planam coccineam, cum Regijs Franciæ tribus lilijs aureis in campo cœruleo coniungi.

B

XI.



CARDINALIS PAPIENSIS, qui & Ticinenſis aliquando, tùm Lucenſis dictus eſt, cuius non tam vitam, quàm vitæ illius curſum deſcribimus Iacobi nomen Patris voto adeptus eſt; Lucæ clara Hetruriæ ciuitate, Amanatorum, ſeu Meneſbonę familia nō ignobili, honeſtis parentibus genitus. Prima literarum rudimenta puer in oppido Piſciæ Lucenſis diœceſis didicit: C Florentiæ verò iam adoleſcens ſub Carolo, & Leonardo Aretinis Poeticæ, & Rhetoricæ operā dedit. Ad finem Iubilæi ſedente Nicolao V. Pontifice Maximo Romam ſe contulit; & à Dominico Capranica Cardinali Firmano in Secretarium eſt aſcitus, à quo magnis quoque eſt affectus beneficijs. A Calliſto III. qui Nicolao ſucceſſit, eodem Secretarij munere ornatus, Apoſtolicorum Diplomatum Scriptor effectus eſt. Calliſto defuncto aſſumptus ad Apoſtolatum Pius II. ad eandem Secretarij dignitatem ipſo die aſſumptionis illum nec poſtulantem, nec opinantem vocauit eiuſdem Pij iuſſu, paulò poſt in Picenum profectus, exercitus Eccleſiaſtici reliquias in vnum collegit, militibuſque nouum ſtipendium dedit, vt Sigiſmundi Malateſtę Eccleſiæ rebellis hoſtiles excurſiones impediret, nutantes inſuper prouincialium animos confirmauit, præ- D fecto in primis Pontificijs copijs Neapoleone gentis Vrſinæ Principe, qui Alphonſo Regi, ac Venetis ſumma cum laude militauerat, & in magnis exercitibus duxerat ordines, iuncto ei Iacobo Vintimilienſi Epiſcopo, ex quo factū eſt vt Sigiſmundus tanti ducis, & eccleſiaſticarum cohortium fama territus, ad propria, vnde venerat ſponte remeauerit, miſſus quoque ad exigendas pecunias pro bello ſacro neceſſarias, quod ex ſententia animi ſummi Pontificis perfecit, vt ipſe Pius his literis in forma breuis teſtatus eſt.

Ciaconius. Panuinius de Rom. Pōtific. lib. Iacob Volaterr. in Vita. Aubery in vita. Pius II. in Comment. Hier. Gerumbert. Ant. Sanderus in elog. Card. Hier. Boſſius de Epiſc. Papienſ. Franc. Sanſouin de fam. Vrſin. Ang. Politian. in epiſt. Felix Contelorius in Elencho. Ferdinād Vghel. in Ital. ſac.

PIVS PP. II. Venerabili fratri Iacobo Epiſcopo Papienſi ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Conſolatus es Nos literis tuis, nam qui nuper egeni omnium rerum ad colligendas diſſipatas copias Noſtras vacuum pecunia miſimus in Picenum, diligentia tua ex prouincialibus ſtipendium adinuenimus; plus profeciſti fili, quam fieri poſſe putauimus, & plura es executus, quam tibi eſſent mandata: commendamus fidem E *hanc tuam, idque in primis vtile ducimus, quod in re neceſſaria ſumma celeritate es vſus, quo vno expectationi Noſtræ, & deſiderio ſatisfeciſti abunde: voluntate igitur tua ad Nos redi, redibis enim carus, atque acceptus. Datum &c.*

Elapſo biennio Eccleſiæ Ticinenſi primum, mox Papienſi, præfecit, ac paulò poſt ad Cardinalatum aſſumpſit, & Presbyteris Cardinalibus titulo S. Chryſogoni adſcripſit. Is Cardinalis renunciatus has ad ſeipſum Cardinalem literas dedit.

Ad Cardinalatum vocatus es, o Papienſis, dignitatem in Eccleſia celebrem, ſi feratur vt debet, circumſonant nunc auribus tuis gratulantium voces; curritur ad blandimenta fortunæ, bene fortunatum prædicant; ſunt qui repromittunt maiora, iucunda grataque omnes, fortunandæ menti nemo inſerunt. Intenduntur ſui, non amici boni. At tu inter hæc fortis, ſi maximè his frontem aperis, claude aures, & vultu excipe eorum dicta, non corde. Vana loquuntur vnuſ- F *quiſque ad proximum ſuum, & linguis dolosè agunt, ſuntque molliti illorum ſermones ſuper oleum, & ipſi iacula. Redi ad te ipſum ſemper, & audi ſpiritum rectum, qui innouari debet in viſceribus tuis, non fallet ille te, ſed dabit præcepta ſalutis, quæ inſtitutam ad publica dignitatem in publicis continebit officijs. Ea vero huiuſmodi ſunt, vt ſuſcipias ante omnia timorem Domini, & illum omnibus diebus vitæ tuæ cuſtodias; eſt enim initium ſapientiæ, eſt auriga fidus, qui excipiens cogitationes noſtras, & linguam ad exitum felicem perducat. Loquitur Eccleſiaſtes:* Qui timent Dominum præ-

parabunt corda ſua, & in conſpectu illius ſanctificabunt animas ſuas. Sine ille nec ſalutare conſilium eſt, nec in aduerſis robur. Pondere timoris tanquam anchora ſiſtitur mens; Quin,& lingua præſertim nil habet, ſi frena Domini non tenent, non incitant, non circumagunt, corde eſt opus; Non vos eſtis qui loquimini, inquit Saluator, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis. Hic verò ſpiritus niſi cum timore in vobis non habitat, Super quem requieſcam, ait, niſi ſuper humilem,& quietum,& trementem verba mea? Actionum vtique veſtrarum eadem eſt ratio. Inanes ſunt atque inutiles, enim dono hoc carent, velut arbos, cui ſuccisa eſt radix, ſic opus hominis à quo illud abeſt actutum areſcit. Ergo accedens ad nouam hanc Dei tui ſeruitutem, ita iuxta verbum ſcripturæ timens,& tremens. Et ad eũ dic cum Propheta Confige timore tuo carnes meas, quia firmamentum es timentibus te,& oculi tui ſuper metuentes nomen tuum. Hoc ſancto initiatus decreto, ſine gratia non eris in reliquis. Crede quoque hunc, in quem veniſti gradum, non tam honoris nomen habere, quam oneris: nec tam otij, quam negotij locum. Reprimet hæc cogitatio efferētem ſe animum,& leuiora faciet quæcumque ſunt grauatura. Ad ſana etiam conſilia animum præparabit, ſi aliud eſſe Cardinalatum putas, erras vehementer; Quicquid hoc eſt, labor eſt,& diſpenſatio Chriſti, non quies, aut imperium. Auxiſti miniſterium Dei, augenda pariter humilitas eſt, ac patientia. Sanctum miniſterium hoc à te exigit, dicens Dominus, qui mihi miniſtrat, me ſequatur, hoc videlicet dicit, ſicut humilior ego,& patior, ſic tu humiliare,& patere. Collati honores ſi delectant, non contriſtent honorum opera. Nil magnum Cardinalatus ex ſe habet, occaſionem laudis affert non laudem, tantuſque ipſe eſt quanta illius eſt virtus, qui onus ſuſtinet, clarus ſi tu dignus gloria, ſine honore ſi vita eſt contemptibilis, Non facit Cathedra Sacerdotem, inquit Chryſoſtomus, ſed Sacerdos Cathedram, non locus ſanctificat hominem, ſed homo locum, non omnis Sacerdos ſanctus, ſed omnis ſanctus Sacerdos. Qui bene ſederit ſuper Cathedram, honorem accipit Cathedræ, qui verò malè, iniuriam facit Cathedræ, ideo malus Sacerdos Sacerdotio ſuo crimen acquirit, non dignitatem: contendere ergo quanta potes ſolertia, vt inane non ſit, quo nunc gloriaris, nec ſuperbiæ pabulum habeat, ſed recti officij. Pugna contra ſuperbiam, quia ex Diabolo eſt,& audi gentilem hominem, a quo puer es inſtitutus, licet enim ſine Chriſto ſit, ſine ſenſu bono tamen non eſt: Equidem inquit vt honore dignus eſſem, primum laboraui ſemper, ſecundò vt æſtimarer, tertium mihi fuit illud quod pleriſque primum eſt, ipſe honos: Rectè vir ſapiens rerum nomina non ante tulit rebus: idem quoque octingentos iam dicit ciues fuiſſe vſque ad ſua tempora, qui aſſecuti Conſulatum Romæ eſſent, ſed eorum vix decimam partem repertam dignam gloria, nec hoc quidem iniuria. Attenditur enim quod extra arridet oculis, quid eſſe intra,& primum pendi oportet, neq; legitur. Tu ergo tene ſemitam rectam,& honorum vocabula cum honoribus iunge, cogitans non quid, ſed à quo; non quantum, ſed cuius gratia es aſſecutus. Inſtrui per ſingula non eſt operoſum, modò præſtare te dignum Cardinalem velis. Qua id fiat ratione habes in promptu, velle eſt opus, dicebat Socrates, quibus hominibus perſuaſum eſſet, vt nihil mallent ſe eſſe quam bonos viros, iis reliquam facilem eſſe doctrinam. Pauca,& prima de multis hæc ſunt quæ commemoro. Voluntas & ſtudium porriget reliqua. Sed addam aliud, in quo eniti toto ſtudio debes, vt quantum videlicet antecellis loco, tantũ,& meritis præſtes, laudata poteſtate nihil velis, nihil quod infrapoſitos ad reuerendum, parendũ & ad ſuſcipienda bonorum operum deſideria fortius animet. Dominatus iis nõ humanitatis putant populi, quod ſupra ſe vident,& magna admirantes æquanimiter patiuntur duci, quocumque eſt opus. Ea res quantum publicis proſit nemo ignorat. Exempla attendimus omnes magis quam præcepta, nec eſt in quo peccent grauius mali Eccleſiæ Principes quàm quia in imitationem ſui reliquos trahunt. Induendus ergo nouus eſt homo,& noui ſenſus formandi, qui iuxta Platonem plus à cæteris hominibus differant quàm viri à pueris, quæ poterant priuato forſitan indulgeri, non indulgebuntur publicam perſonam tenenti. Cum dignitate creſcunt crimina, in magna fortuna, inquit, Hiſtoricus, minima licentia eſt, neque ſtudere neque odiſſe, ſed minime iraſci debet; quæ apud alios iracundia dicitur, ea in imperio ſuperbia, atque crudelitas appellatur. Relinquendæ ſunt tibi delectationes antiquæ, omittendæ euagationes quotidianæ, raro niſi cum expedit, producenda in publicum hæc dignitas eſt; oblata enim frequenter vulgi oculis vilet, ſecretum,& raritas æſtimabiliorem illam reddit, inſtituenda eſt vita ſeuerior,& vitæ adiungenda maior religio, quidquid in aliis eſt mediocre, id in te eſſe cumulatum oportet, continuum,& conſtans, opus bonum proprium tuæ profeſſionis appareat, os vero, quod Euangelio eſt conſecratum, nil habeat turpe, aut vanum aut multum, in eo perſonet ſemper verbum Dei,& ſicut turpe eſſe iuriſconſulti putant ſine lege loqui, ita tu inconueniens verbum crede quod caret ſcriptura. Cantato cum Propheta quotidie, quàm dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo, nulla porro intemperati animi in te ſigna appareant, non libido, non luxus domeſticus, caſtigata ſint ad vnguem ſingula, corporis tui is ſit cultus, is veſtitus familiæ, ea frugalitas menſæ, illa mediocritas totius ornatus, vt qui hæc intueantur, Sacerdotio digna exiſtiment,& benedicant operibus tuis; multùm hæc cura miniſterium noſtrum commendat, nihil enim ad laudem, vel detrectationem tam obnoxium eſt quam exterior ſpecies. In qua eo diligentius eſt vigilandum quò difficilior eius moderatio; Magnum, inquit Cicero, eſt tueri perſonam Principis in Republica, quæ non animos ſolùm, ſed etiam oculos debet ſeruire ciuium. Innocentiæ quoque,& integritatis,& magnitudinis animi,& beneficentiæ ſtudium ſuſcipe. Actiones tuæ dignum in domo Dei famulatum oſtendant, illa etiam diligentia non habeatur in vltimis, vt pateat omnibus domus tua,& faciles ſint acceſſus ad te. Audiendi non ſis impatiens, nec accelerata attentio. Benigna dentur reſponſa, conſolationem capiant qui te adeunt, nemo triſtis diſcedat, opera vero non ſegnius impendenda quàm offerenda. Tibi enim (vt ſcriptum eſt) derelictus pauper, orphano,& pupillo tu eris adiutor, labor nullus moleſtiam habeat. Eſſe nunc te Cardinalem puta, cum aut egenti penu aliquid præſtas, aut publicum curas, hæc ſi propter gloriam in gentilitate olim fiebant, quid niſi in Chriſtiana vita propter Deum id agas? Addi ad hæc præcepta poſſent plurima dignitati tuæ cognata, ſed ea per te noſces, ſi (vt dixi) adiungere honori onus etiam voles. Quæ dico, magis eo pertinent vt ſanum aliquid inter multa noxia repat, quàm vt abſoluta vitæ forma tradatur. Vigila Papienſis,& eſto ſobrius,& non careant dies tui,& noctes recordatione beneficij accepti. Anni prætereunt,& mors appropinquat. Pugna vt hæc tanti oneris ſpecioſa ſarcina, ſicut corpus grauat, ita non opprimat hominem. Dominus Deus ſit in corde tuo ſemper,& quando Vicariatui ſuo membrum te addidit, etiam præſtet vt collaborare ad communem ſalutem vtiliter valeas.

In libro ſecundo Commentariorum poſtquam nonnullos recenſuiſſet Cardinales, de ſe ipſo hæc habet. Reliquus ego ſum, qui ſcribendis his operor, Iacobus tit. S. Chryſogoni, Lucenſi patria natus, qui ſextum decimum ab hinc annum Vrbem ingreſſus, poſt longam inopiam, miſerante Domino, Secretariatum Calliſti primo, inde Pij II. ſum aſſecutus, moxque Eccleſiæ Papienſi Præpoſitus, ad Cardinalatum vigeſimum poſt menſem aſſumptus ſum, nulla Principum, aut Maiorum adiutus. Quanquam verò demandatas legationes, vtrumque codices referre in meritis meis non poſſim: referre tamen poſſum ſalutares vigilias, documentaque permulta ingenij, quibus aliquando vel repreſſa, vel oppreſſa ſunt improborum conſilia: inprimis autem manuum puritatem, quas in maxima corruptelarum opportunitate Deo adiutore innocentes ſeruaui. Et in epiſtolis 178.& 365. paupertatem ſuam indicauit his verbis. Decem annos ego laborioſiſſimam ſeruitutem ſeruiens, adhuc vnde tonderer, non poſſidebam: accumulauit omnia vno impetu Deus,& longæ patientiæ fructum porrexit. De eadem re Carolo Salando ſcripſerat: Natus ſum pauper, altus pauper; ad Pium vſque perſeueraui in paupertate; quid me angat ad ſortem redire, vnde exiui? ſi miniſtros viginti non potero alere, dimidium alam, ſi nec hoc, vno tantum contentus lætus ad extremum perueniam, quàm cum ingentibus theſauris. Et ad Cardinalem Nicenum: Videbam quàm breui ſpatio,& quàm nullis laboribus ſumma omnia cumulaſſet diuina clementia, quàm facile paupertatem meam in ſubſtantiam, obſcuritatem nominis, in claritatem; humilitatem verò in tam dignitatem mutaſſet, quæ poſt Romanum Pontificem prima eſt in Eccleſia; agnoſcebam quoque hæc omnia in recenti ætate eſſe conceſſa, valido corpore,& mente ad bonum opus idonea. Ad ſacræ purpuræ honorem vocatus, cum nonnullis aliis lectiſſimis Patribus, quos ipſemet Pius enumerat in ſuis Commentarijs, quique cum abeſſent omnes,& vnus tantum adeſſet Papienſis, ei Pontifex lectulo decumbens ſua manu, vel ægrota priuatim rubrum galerum impoſuit, quem ille nulla Principum, aut maiorum commendatione adiutus, ſed proprijs meritis,& ſola Pontificis in eum beneuolentia conſecutus eſt.

Dilexit illum vnicè Pius tam propter elegans eius ingenium,& literarum bonarum peritiam, ac dexteritatem ad quæque obeunda, quàm propter manuum puritatem, quas toto vitæ ſuæ tempore ab omni corruptionis genere immaculatas ſeruauit. Ab ipſo familia Picolominea,& inſignibus donatus; cum illo aliquando pranſus eſt, eiuſque mortem per ſomnium vidit. Defuncto deinde Pio, cui Paulus II. ſucceſſit, habitauit ad Tiberis ripam modicis ædibus, ſed multa hilaritatis gratia,& aeris ſalubritate conſpicuis emit deinde ſibi domum quam inhabitauerat piæ memoriæ Alexander Oliua Cardinalis S. Suſannæ, deque ea ſic ſcripſit ad Carolum Salandum procuratorem ſuum: audiuiſſe te credo emptam à me domum, quæ nuper fuit Cardinalis S. Suſannæ; laudatum eſt ab omnibus, conſilium meum, dicam nunc habitare vt Cardinalem, antè vt mus. Secedebat aliquando æſtiuo tempore in Hetruriam apud Senenſes cum quibus propter ſanctiſſimi patris Pij memoriam libenter viuebat, vbi,& prædia,& domos ſibi parauerat. Biennio ante obitum Lucenſi Eccleſiæ præfectus fuit, quam Eccleſiam cum Papienſi tenuit,& ad illam viſendam profectus, iiſdem honoribus receptus, quibus Pontifices maximi ſi quando Lucam diuerterunt, recipi cõſueuere: & huiuſce Eccleſiæ Epiſcopale palatium in parte reſtaurauit. Cenſus illi Sacerdotiorum fuit ad modeſtiam dignitatis, quorum aceruos non modò non quæſiuit, ſed in aliis vehementer deteſtabatur. Vir certè magni ingenij, ac ſi ei alter mori contigiſſet, maioris conſilij habitus: manu dexter ad omnia, ad quæ animum

intendebat:

intendebat; elegantis, & magnæ doctrinæ, atq; in ſcriptis ſuis non minus ſententiarum grauitatem, quàm ornatum oſtendit: frequenter Scripturæ ſanctæ verbis de induſtria vtebatur, vtpote quæ forti, & dignitati ſuæ conuenire plurimum exiſtimabat. Multa Eccleſiæ ſuæ Papienſi, bona ac beneficia contulit, quæ ipſemet commemorat epiſtola 194. inter quæ nobilis Sacrarij fundamenta feciſſe dicitur: & de ſuis ſacerdotijs loquens fidenter affirmat, longe plura ornamenta à ſe in ipſa fuiſſe collata, quam à ſuis anteceſſoribus ſimul; licet pauper inter Cardinales haberetur, & de ſe ipſo loquens hæc dicat, *inopem Cardinalem me Pius reliquit, & quamquam ſumme diligeret, parum prouidit.*

Sub Sixto IV. legatione functus eſt in Vmbria, & in adiacentibus prouincijs, quas prudentiſſimè, & integerrimè adminiſtrauit: nihil in hac legatione operoſius habuit, quam quod cum Lucinianenſibus egit, ac Foyanenſibus pro diuidendis illorum finibus, maximè quod Florentini, & Senenſes, hinc, & inde ſtarent, contentioneſq; adiuuarent: conuentum tamen eſt vtrimque rem Papienſis legati arbitrio relinqui, qui ægrè ad cognoſcendum de hac cauſa deſcendebat, quod patronis illorum prænominati æquè debitor eſſet, nec vllum ex ipſis quoad fieri poſſet, lædere vellet: attamen Dei benignitate, qui etiam cauſæ, cœleſti ſigno fauit, euiſdemque Cardinalis induſtria, omnium applauſu negotium illud terminatum, ac concluſum eſt, vt narrat ipſe Papienſis his verbis epiſtola 494. *Rem auditu paruam, fructu magnam, tractatu difficilem, ſuſceptam à multis, à nullis perfectam, ab officio etiam ſacerdotis non alienam, quinquaginta trium dierum pertinaci opera, tandem confeci, patientia mea victa eſt ruſtica duritas: pronunciaui vt ſcis, inter Lucinianenſes, & Foyanenſes: id quidem iudicium, quod non doctorũ hominum modo, ſed prudentium quoque laudabatur ſententia, neutris tamen placebat iudicatum: parabant ſe ambo ad implendas querelas Reſpublicas ſuas, & Oratores ad eas iam miſerant in cauſa æquiſſima non defui mihi: contraxi vndique quicquid ad trahendos animos, vel arte, vel ingenio potui: vide mutationem dexteræ Excelſi: quod voluntate ſuſcepturi antea non videbantur, paulo poſt, vel neceſſitate iudicij, vel ſedulitate iudicis, honorificis ſuſceperunt decretis: agro igitur litigato ad cognoſcendos fines ſtatuti ſunt termini, & æternum pax imperata, cuius etiam ſtabiliendæ cauſa, quadrageni à quoque oppido publice miſſi, complexi ſe inuicem ſunt, ac oſculati: regio hac omnis tam inſperato euentu, non modo exultat, ſed mihi gratulatum occurrit, ac gratias agit. Florentinis quoque, ac Senenſibus periucundum hoc nuncium accidit, non obſcure videntibus magnam inter eos contentionis occaſionem eſſe ſublatam: non fuit tamen diligentia noſtra, non operis tam ſalutaris conuentio: egit omnia virtute ſua Altiſſimus, qui in ſa. iam Chriſti ſui reſpiciens, ſigno etiam cœleſti oſtendit, quem vellet finem pijs laboribus ſieri: nam inſtituto quoque die in vicina Eccleſia ſolemne Spiritus Sancti: horis etiam omnibus ad quamque actionem inuocabatur ille à me: mirares, & a fidelibus non irridenda: Conuentu vno inter cæteros qui in agris apud deſertam quandam beato Sabino Eccleſiam a contendentibus me præſente eſt habitus, cum altercationibus mutuis eò vſque progreſſum eſſet diſſidij, vt ad deſperationem vltimam res iam inclinaret, mœſtis omnibus, & ad diſceſſum paratis, lux Domini ſubito affulſit, ſpem amiſſam reddentis: clariſſima die, nullis uentis, aut nubibus Columba candoris immenſi à Septentrionibus lapſa, deuolanſque ſupra ipſum Conuentum, antequam terram attingeret, in flammam eſt reſoluta, atque poſt amplius uiſa, admirationi omnibus fuit: oſtenti huius teſtis eſt locuples Dominicus Lucenſis uir grauis, & uerax, cuius ad primum initium concitatior nox quaſi indicantis rem, alijs eſt intellecta: redij domum lætus, affuturumque operi eum Spiritum qui in Columba ſpeciem Conuentui ſe obtuliſſet, incubui acrius, nec multos poſt dies, illo duce, & auſpice perfeci quæ dico. Gloria igitur Patri, & Filio, & Spiritui Sancto; ſicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.*

Nomenclat. Card.

Scripſit Pontificum Vitas, quæ vel æmulorum malignitate deperditæ ſunt, vel fortè, quod velit Deus in aliud tempus ſeruatæ: ſcripſit etiam Commentarios à Pij profectione Anconam, dum in Turcas expeditionem pararet vſque ad obitum integerrimi Patris Caruaialis Cardinalis qui annorum ferè quinque hiſtoriam continent, omnium videlicet, quæ vbique memoratu digna inciderunt. Alios prolixiores Commentarios de cæteris rebus ſuo tempore per Orbem geſtis conſcribere ſtatuiſſe certam, redditur ex pluribus eius ad diuerſos epiſtolis de mittendis ad ſe eo fine narrationibus fidelibus quas ipſe ſuo ſtylo digeſturus eſſet. Scripſit etiam Epiſtolas multas tam ocij ad alendum ingenium, quàm negocij cauſa ad amicos, à Iacobo Volaterrano dum vixit, ſupra ſexcentas magno labore, & cura collectas. Scripſit Verſus magis argutos, quàm ſuaues, eiuſmodi tamen, vt facilè quilibet non malignus interpres ingenij ipſius præſtantiam poſſit agnoſcere. Edidit quoque Orationem in Florentino Gymnaſio habitam inter initia prælectionis ſuę; Itinerarium item, ſeu legationem ad Genuenſes Dominici Capranicæ Cardinalis, & alia quædam.

Huius ſcripta Iouius aliquantulum poſt tamen recenſitas laudes carpit his verbis: *Fuit hic vir inter ſacrati Ordinis Senatores pari virtutis, atque fortunæ munere lectiſſimus: erat enim cum optimarum literarum ſtudio, & vigilantis ingenij fertilitate, tum animi iudicio, ſtyloq; & perſpicuis moribus Pio II. perſimilis, à quo adoptatus in familia nomen, & ad purpuræ decus euectus eſt. Extant Commentarij grauiſſimarum actionum, atque epiſtolæ, quibus Senmeria prudentiæ potius, & Chriſtianæ ſeueritatis nomenque perfectæ orationis laudem petiſſe videri poteſt. Quod in curſu hominũ maximis obeundis muneribus occupatus ſplendidum illud antea conceptum illuſtris eloquentiæ lumen feſtinato, & penè præcipiti, vt neceſſitas ferebat, ſcribendi genere vehementer infuſcarit. Verũ ea rudis adhuc ſæculi ingenia facilè ſumma, ac admiranda cenſebantur, quæ hodie tanquam expergefactis Cenſoribus, vix in infimis literati Theatri gradibus ſedem inueniunt. Sed fortaſſe populari commendatione contentus, eam abſolutè ſcribendi gloriam vti lenem, & à doctiſſimis tantùm, adeoque pauciſſimis intellectam ſpreuit, vt ingenio ad ſacrarum literarum ſtudia reuocato, illam quam Dij ſuperi dederant, perſonæ dignitatem religioſè tueretur. His enim moribus ſibi iter ſternebat ad ipſum rerum faſtigium; ſed illudente fortuna in ſummo fere deceptus hæſit, cum fata potiorem ei viam ad cœlum permunirent.*

Initio Pontificatus Sixti IV. Peruſiæ, & Vmbriæ prouincias ſecunda fama adminiſtrauit; biennio ante obitum Tuſculanæ Eccleſiæ titulo honeſtatus eſt: ineunte autem anno nono Pontificatus Sixti in Vulſinienſes, tridui iter ab Vrbe Roma receſſit æſtatis aeris vitandi gratia, ſicuti quolibet ferè anno conſueuerat: cũ verò quartanæ morbo aliquantulum laboraret, & ad pellendum phlegma, quod inhæſerat ſtomacho, ignobilis cuiuſdam Piceni is medici conſilio Helleborum, malè vt creditur, ab illo temperatum ſumpſiſſet, ſtatim altiſſimo ſomno correptus minus diei ſpatio in oppido Laurento, tertio, ſeu veriùs IV. Idus Septemb. die Veneris mortali vita exceſſit anno ætatis ſuæ ſeptimo, & quinquageſimo ex Volaterrano, Chriſti verò 1479. Magnæ virtutis Cardinali hic vitæ exitus fuit. Corpus eius Pontificis, & Cardinalium decreto in Vrbem relatum, proſequente familia in æde Eremitarum S. Auguſtini ipſi ſancto Auguſtino ſacra contra id quod ipſe iuſſerat in ſupremis tabulis ſepulchro marmoreo conditum, & lapidi hoc epitaphium ſuper impoſitum.

Luca ortu, Sena lege fuit mihi Patria: nomen
Dum vixi Iacobus: Menſboaa pro genere.
Papa PIVS ſedem Papienſem detulit, Idem
Cardiaco ornauit munere, gente, domo.
Viuite qui legitis, cœleſtia quærite, noſtra hæc
In cineres tandem gloria tota redit.

OBIIT APVD LAVRENT.
VVLSINIEN. AN. SAL.
MCCCCLXXIX. X. SEPTEMB.
IN VRBEM RELATVS
PIA FAMILIA DOMESTICA PROSEQVENTE
ET HIC CONDITVS
XYSTI IIII. PONT. MAX. BENEFICIO
VIX. AN. LVII. MENS. VI. D. II.

Delegerat ſepulchrum in Vaticana Baſilica poſt aram S. Gregorij ad dexteram ſepulchri Pij II. & epitaphium quod infra reſcribemus integrum, ſibi in Teſtamento parauerat, at Sixtus IV. Romanus Pontifex, ſub quo è vita exceſſit in Diui Auguſtini Templo ſepulchro condi mandauit. Ad funus de more celebrandum prædiola, & domus vendita: nonnulla Xenodochio S. Spiritus de Saxia elargita: aureorum octo millia domi, & apud menſarios inuenta Pontifici numerata: veſtis ſacra, & vaſa nonnulla argentea ſacri vſus Apoſtolico ſacrario dicata, ſed vt bona ipſius omnia multis diſtributa, & quaſi ſub haſta vendita paruo tempore conſumenda erant: ita euiſdem ſcripta iam pluribus grauibus, & eruditis viris nota in dies celebriora erunt, nec vllo vnquam tempore interibunt.

Vitio huic datum, quod nimirum in ſenili ætate nimis venatione delectaretur; ſe tamen defendit in epiſtola quam ſcripſit contra Ioannem Ioffridum Cardinalem Attrebatenſem, quam nos ſupra in eius vita reſcripſimus.

Teſtamentum ab eo conditum, ſeu illius pars poſt epiſtolas edita, quæ rationem tantùm funeris complectitur, inter eius ſchedas manuſcriptas inuenta hæc eſt.

„ FRAGILIS eſt vita noſtra, eamque caſus circumſtant innumeri; quod vitemus, præuidere ſatis non poſſumus: illum diuturna ægritudo, hanc breuis languor; alium improuiſa mors rapit. Omnibus autem incerta vocationis eſt hora: quo in loco, quo in tempore, ea nos expectet, neſcimus: expectare illam nos omni tempore, omni loco debemus memores verbi Apoſtoli, quia illa non tardat: & quod quæ de terra ſunt in terram vertuntur. Inſcitia eſt ſecuritate vitæ, de exitu non cogitare: diſpenſationem quoque domeſticam in id tempus differre, in quo mens grauata plurimis, ad vnum aliquid non eſt ſæpe idonea. Angit timor mortis, torquet infirmitas, circumſtantium eſt moleſta cupiditas, qui ſua, non noſtra quærentes, ab animæ cura ad terrena nos reuocant, cogentes ſæpe perturbationibus ſuis eum mori

qui vel moriturus non erat, vel certè tam citò non moriturus. Vt ergo concedente Deo illa deuitem, & ad meum, non alienum arbitrium quæ meditor fiant; putans quæ ab Iſaia Propheta Ezechiæ Regi ſunt dicta, mihi Eccleſiæ Romanæ Cardinali imperata. *Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues.* Illud etiam Saluatoris formidans: *Vigilate, quia neſcitis diem, neque horam, qua Dominus veſter venturus ſit ſero, an mane, ante galli cantum.* Statui Teſtamentum hoc condere meo chirographo ſcriptum; cui ita eſſe cum volo, ſi idipſum vel eius partem ante mortem non reuocem: eſt verò huiuſmodi. In primis conuerſus in Deum auctorem, & Redemptorem meum, cum anxius ſim futuri de me iudicij, & neſcius vtrum odio, an acceptione ſim dignus: ſciens autem in manu eius vitam aſſe atque interitum, per viſcera miſericordiæ ſuæ in quibus ex alto nos viſitauit, humi ſtratus oro vt fiant aures ſuæ intendentes in vocem deprecationis meæ, non intret in iudicio cum ſeruo ſuo, aduerſus folium quod vento rapitur, non exerceat potentiam ſuam, nec ſiccam ſtipulam perſequatur; Pœnitentis Sacerdotis animam non dedignetur; ignoſcat illi delicta præterita, & ignorantias ſuas: ſuſcipiat creaturam Creator, & factor figmentum ſuum. Meminerit quod homo immundus de immundo conceptus ſum ſemine, & quod in peccatis concepit me mater mea. Veniat ante oculos pietatis ſuæ, vua humanæ infirmitas, in qua per omnem ſucceſſum nouis ſemper deſideriorum facibus incitati extinguere ſine illius ope igneæ inimici tela nō poſſumus. Stulta eſt pueritia, inanis adoleſcentia, iuuentus lubrica; virile ſtudium ad ambitionem inclinat: friget ſenectus, & delecit. Si non ſuſtinet Dominus, cui eſt ſperandi fiducia, aut quem ſarcina tanta ſine alleuamento eius non premat? recordetur Pauli ſerui ſui ad Romanos hæc lamentantis: *Non*, inquit, *quod volo bonum, hoc ago; ſed quod odio malum, id facio.* Eſt miſerator, & miſericors Dominus longanimis, & multum miſericors, ſuntque miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Secundum ergo peccata mea non faciat mihi, neque ſecundum iniquitates meas retribuat mihi, quia non iuſtificabitur in conſpectu ſuo omnis viuens: ſed per ſanctam Natiuitatem ſuā, Paſſionem, & Mortem, & Reſurrectionem, & Aſcenſionem in Cœlum, & aduentum Spiritus ſancti Paracleti ſoluet humiliatam animam cum beatis ſpiritibus in vitam æternam: Proximè autem ſi quid contra Paſtorem, Principem meum, Romanum Pontificem viuens peccaui (peccaſſe autem multa me puto) ſi quid dicto aut facto contumacius egi, ſi non ſum dignè reueritus, ſi non parui, ſi contriſtaui, ſi carpſi pro ſuis in me meritis, ſi non dignè retribui, ſupremam eius pietatem gemens imploro, vt mihi ignoſcat, & oblitus omnium defuncti animæ benedicat. Hæc clemens, & ab animo profecta caritas petenti erit leuamini, & danti merces à Domino. Cum Patribus quoque, & Collegis meis quoniam frequentior vſus fuit, frequentiorem vtique eſſe oportuit offendendi occaſionem: in multis enim peccamus omnes, zelotypia, contentio, obtrectatio, ira, inuidia ſollicitare noſtros animos ſolet. Quicquid in hos admiſi, quicquid amaria me acceptum referunt, oro, obteſtorque per commune conſortium, & ſpem miſericordiæ, quam à Domino iudicandi expectant, vt id omne deponant, iniurias condonent, & placentur defuncto, eam requiem fratri optantes, quam de ſe impetrari à Domino cupiunt. Executori, quem in calce Teſtamenti deſigno, hoc officium pietatis relinquo; vt ſi ita indulgeat Pontifex, primò poſt obitum Conſiſtorio hanc veniam, & remiſſionem non inanis gloriæ, ſed ſalutis cauſa meo nomine ſuppliciter petat, identidem poſtulans, vt quæ diſpono, quæ reſtor, pius Paſtor paterna indulgentia probet, & non mutet, familiamque meam de me fideliter meritam piè conſoletur, & iuuet. Vt verò ad gloriam Dei, & integritatem communionis fidelibus perſeuerantis, licet peccatoris ſerui pateat fides; alta voce profiteor, tenuiſſe me à lauacro ſancti Baptiſmatis vſque in diem præſentem ſanctam orthodoxam fidem catholicam Symbolum ab Apoſtolis conditum expoſitionem fidei magni Nicæni Concilij. Anathematizaſſe etiam me, & anathematizare omnem hæreſim extollentem ſe aduerſum ſanctam, & immaculatam fidem; in qua, vt dictum eſt, viuere, & mori intendo, hoc ſequens confeſſionis meæ chirographum omnipotenti Deo in extremo iudicio repræſentans. Credo, &c. Corpus meum contaminatum flagitijs licet indignum ſit, cui habeatur honor, ſepulchrique facilis ſit ſemper iactura, rationem tamen habens dignitatis, quam dedit Eccleſia; Pontificalis quoque officij, per quod plebi honoratiſſimæ præfui, ſacræ etiam vnctionis, qua per inuiſibilem ſpeciem inuiſibilis eſt impreſſus character, tradi oro Eccleſiaſticæ ſepulturæ, atque ijs inſignibus adornatum, quæ conſuetudo noſtri Ordinis tulit: Sapiant tamen omnia modeſtiam funeralem, non ſeculi pompam. Si Romæ, vt opto, moriar condi cupio in Baſilica Apoſtolorum Principis Petri poſt Altare B. Gregorij ad dexteram ſepulchri Pontificis Pij; vt qui me extulit viuens, mortuus iuxta ſe habeat. Condi illud ipſum humi volo marmore tantùm, non cæto contectum: quod parieti Eccleſiæ coniunctum habeat caput; in ipſo autem pariete honore defuncti Pontificis ad memoriam meam nil fabricetur. Marmorea tabula vlnis tribus à terra extans parieti inſeratur, quæ ſupra ſepulchrum parieti inſita epitaphium ſequens inciſum bonis literis habeat.

Luca ortu, Sena lege fuit mihi Patria: nomen
Dum vixi Iacobus: Mensbona pro genere.
Papa PIVS ſedem Papienſem detulit, Idem
Cardineo ornauit munere, gente, domo.
Quem colui viuens, non linquo mortuus, hic ſum,
Et prope ſancta Patris filius oſſa cubo.
Viuite qui legitis, cæleſtia quærite, noſtra hæc
In cineres tandem gloria tota redit.

Sin alibi in Italia obitum meum eſſe contingat, Romam nihilominus ad hunc ipſum locum volo corpus meum referri dicta iam ratione humandum: Trans alpes verò, aut mare, in Cathedrali Eccleſia, in cuius vel Ciuitate, vel Diœceſi mea vocatio fuerit. Tunc verò Executoris curæ ſepulchrum relinquens, quintum tantùm, & ſextum verſum demi ex epitaphio volo. Vbicunque autem exceſſero, Teſtamenti inſtitutionem quæ ſequitur, volo.

Impendia funeris, quæ adhiberi ad ſolamen ſuperſtitum magis quàm defunctorum leuamen ſolent, ſummam mille ducatorum aureorum vero excedere; in qua includatur etiam veſtitus familiæ; quantò hæc exhibebuntur parciùs, tantò erit pleniùs, vnde & illi benè fiat, & meæ animæ conſulatur. Superuacua nec placent Deo, nec laudes inter homines habent; tranſit breuis memoria funeris, diu permanent damna. Tempora in hoc Patrum noſtrorum magis ſunt attendenda, quàm noſtra, qui gloria benefactorum, non luminum multitudine illuſtrari volebant ſepulchra. Quicquid ampliùs ſumetur, quicquid plus erogabitur, piaculum Executoris ſit, non peccatum ſobria ſtatuentis. Caſtrum doloris cubito anguſtius in circuitu ſit, quàm noſtratia ſolent: ipſe etiam lectus ad proportionem anguſtior: ſtratum verò lecti, quod pallium dicitur, ad vetus exemplum ex ſimplici damaſceno violaceo ſit ſine vllo omnino aureo, aut argento, fimbrias laterum habens ex ſimplici item damaſceno cœleſtini coloris, in quibus latera ſingula, ſingula tantùm inſignia familiæ habeant. Vero in circuitu Eccleſiæ appendi tot inſignium depicta lintea, ludis meo iudicio aptiora, quàm funeri: pendeant tantum ſuper Altari, in quo Miſſa maior cantabitur, & in circuitu caſtri, & in edito laterum Eccleſiæ, quantum caſtrum ipſum porrigitur. Eandem volo eſſe collationem funalium, quam & inſignium: ardere ea tot in locis ſine ſacrorum neceſſitate quem habeant vſum, non video: legem in his Executori do: ne honoris ſui cauſa ad aliena exempla magis quàm ad ſeipſum cogatur reſpicere: ſermonem enim de his omnem teſtantis futurum non exequatur fidentius. Cereorum quotidiana, & promiſcua diſperſio magis quàm diſpenſatio multum auget impenſam, nec fractum, qui proponitur, haberi auaritiæ in his ſtuderi videtur non orationi. Ad eos rapiendos concurritur vndique ex tota Eccleſia, pugnatur, clamatur, ſacra omnia perturbantur, quodque indignius Eccleſia eſt, ad hos compeſcendos tumultus publici plerunque vindices adhibentur, haſtis, gladijſque in domo Domini perſtrepentes. Ea ne accidant, precelque, non rixæ meum celebrent funus, nolo tuſi conſidentibus ad orationem, & diuina canentibus, illos diſtribui. Per pietatem, quæ debetur mortuis, id non negligat executor funeris. Quaque die in ſalutem animæ meæ legantur per deuotos Chriſti Sacerdotes x x x. Miſſæ tantùm: cum ijs vna cantetur, qui cantauerit, & Prælatus futurus eſt, ferat in eleemoſyna carlinos quatuor in ſingulis Miſſis, vnum, qui legerit: & his ſoluendis fidelis adhibeatur miniſter, qui ſeipſum, & pauperes, & animam meam non fraudet. Solent mortuis Cardinalibus familiares non veri ad accipiendas familiarium verorum veſtes accurrere, inſtare vt dentur, ſi non dantur, indignari, ac lamentari; vt error non ſit, eos veſtiri volo, qui in notula manu mea ſubſcripta, vel annulo meo ſignata, præſentique Teſtamento incluſa inuenientur appoſiti; & Cappellanis quatuor cannæ, Scutiferis, inter quos Parafrenarios, & primum Coquum, & Cellarium, & Diſpenſatorem nomino, primæ ſortis res, reliquis dimidiam cannam minus: ſed ſecundæ ſortis iubeo dari: ita tamen vt diebus funeris ad orationem omnes conueniant, & pro me deprecentur. Hæc ad rationem funeris.

Pertinet etiam ad ipſius Teſtamenti, ſepulturæ, ac funeris apparatum, præter epitaphium, quod ſibi ipſi viuens, vt diximus ſupra, compoſuerat, & appoſitu ſepulcro iuſſerat, aliud non abſimile, quod quidam hiſce verſibus eidem panxit; quibus eum Pio Romano Pontifici huius nominis Secundo comparat.

Hic ille Cardo, & alpha literariæ.
Gloriæ Iacobus Papienſis accubat,
Pio parenti, hominicioni Syluio
Vterque quorum literis euectus eſt
Ille ad Thiara triplicis faſtigium
Hic ad rubentis Purpuræ: in qua ſubſtit,
Patri hoc libenter deferens honoribus
Vt præſtet ipſe cæteris ac dotibus
Pio parenti filius gratiſſimus.

At

At quis, qualiſue fuerit Iacobus Cardinalis Papienſis in parentes, in eos à quibus beneficium accepiſſet, in Eccleſiam ipſam, in amicos, in ſeruos, in viros literatos paucis referre hoc in loco placet: ſanè quanta, & quam obſequioſa fuerit erga matrem illius caritas affatim docet epiſtola ad Iacobum Volaterranum Secretarium ſuũ in hæc verba. *Accepto nuncio, vt ſcis deſperatæ ſalutis maternæ, veni anxius, relictis aquis Piſanis, nullis inter currendum votis, nullis orationibus, nullis pijs operibus parcens; commendans Deo animam matris; rogans, vt annum adhuc hunc imminentis remiſſionis mihi eam promitteret, poſt quem ſiccis oculis vocationem vltimam eſſem laturus: fateor imbecillitatem animi mei ad cætera fortis, ad hanc vnam rem minus firmi: lacrymæ in omnem eius recordationem fluebant; parcere gemitibus non poteram, vel ex intimo erumpentibus: nummis erant ſemper plenæ manus, quos diuiderem obuijs Chriſti pauperibus: cupiebam ad quanta lacumque interualla illos obuios fieri, & dolebam cum non apparebant, quaſi qui miſericordiam Dei non apparentes eriperent. Vrbem vero ingreſſus prætéritis ædibus noſtris recta domum eius contendo, quæ me conſpecto, o fili, inquit, magna eſt pietas tua: vocet qua hora velit altiſſimus, non grauabit me mors; erit enim qui derelictam ſoletur, & defunctam quoque ſepeliat: hæc dicta matris quam ægrè ſuſtinuerim, ne fletibus effuſis exciperem, ſileo: conatum certè omnem adhibui, vt mæſtam animam regerent oculi, & vultus ex bona ſpe lætitiam indicaret: ita quæ ſecuta eſt nox multò illi quam anteriores, quietior fuit. Medici qui primum aduenienti de maternis rebus actum nunciarant, ad patiendumque erant hortati: manè reuerſi tentata ſtatim vena, non inquiunt, noſtra ope tam noctis huius eſt facta conuerſio: tua Cardinalis eſt medicina, tuo reditu viuet mater, ſi viuet: conſtantior multò quam ante vena eſt, atque æqualior. ex illa die ægræ ſemper aſſidi, & alimenta meis manibus miniſtraui: ſed interea variante aliquando morbo, coacti ſumus in metum ſæpe adduci: creuit nonnunquam febris, nonnunquam eſt diminuta: æſtas, & menſis Iulius etiam valentibus grauis, debilitate quoque morbo vires timendum oſtendunt: ſermo viuax, corporis motus, exercitationes multæ, ac validæ, & in primis alimentorum retentio deſperandum nõ ſuadent: in manu Domini vita eius, & more: ingreſſus noſtri, & exitus ipſe eſt arbiter: ſui iudicij ſit dare matrem, atque adimere: à me illi æterna habenda ſunt gratia, quod audiuit vocem fletus mei, dedítque quod à ſalute eſt proximũ, vt viuentem aſpicerem, & viuentem alloquerer, & pia quoque manu concupitam benedictionem acciperem.*

Quomodo autem Chriſtophorum nepotem virtute, & literis imbuendum curauerit habemus epiſtolas plures: ſic enim in vna illarum informatorem ſuum alloquitur. *Prima de moribus eius ſit diligentia, vt ingenue viuat, vt ætatis illecebris non capiatur, venatorum, & luſorum contagia vitet: religionis ſit memor. B. Virginis Horas ante didicerat: committendũ non eſt, vt per neglectum illas dediſcat: eſurio panem Domini, ad eius cultum iam nunc imbuendus eſt animus: proxima cura de literis erit, vt nullum tempus niſi quod datur valetudini vacet: libri ſint ſuæ deliciæ, in ijs ſe oblectet, & ad virtutem confirmet: memoriam in primis exerceat, ſine qua tenuis in magno conatu eſt fructus.* Ad ipſum verò nepotem ſic ſcribit. *Video mandati mei te memor, ſtudia non intermittis, & ſtylum iam non inerudité exerces: placent hæc adoleſcentiæ initia: tam te diligere potero, quam in literas diliges: da etiam operam, vt de religione, & moribus tibi ſit ſtudium: indignus eſt labor, qui linguam ad dicendum, non etiam mentem ad benè operandum inſtituit: ſumma omnium ad virtutem porrigit Deus, ætatem integram, non anguſtam rem domi; præceptorem bonum, & admonitorem fidelem, illum ſedulo audi, & venerare vt patrem.*

Porro quod in parentes carnis ſuæ præſtit, hoc multo magis in Eccleſiam, quam vt veram, ac præcipuam matrem ſemper coluit: quamobrem poſt ſuam ad Cardinalatũ aſſumptionem, de ea, ac de ſeipſo ita ſcribit. *Animum firmo ad diligendam Sedem Apoſtolicam, ad diligendam ſalutem gregis Dominici, ad tuendã, quantum per exilem hunc ſpiritum licet, Romani Pontificis maieſtatem: totus hic hæreo; totus hic ſum; totum me locus hic habet; patriam præter hanc vnam non noui: corporis hæc & animæ eſt patria. Princeps mihi nullus eſt præter Romanũ Pontificem: à nullo honor exhibitus, à nullo vita cõmoda data, præterquam ab vno Romano Põtifice: frater mihi ſolus erat, ex omni fratrum turba reliquus: hic militiam Eccleſiæ ſequens, ſanguinem pugnando dedit Eccleſiæ: ego in Curiam veniens pauper, & egens, renatus hic ſum, altus hic ſum, ditatus hic ſum, & poſitus cum Principibus Eccleſiæ ad conſilium vniuerſalis Eccleſiæ: hic habitant oculi mei, hic meæ curæ incumbunt: fortuna vexante Eccleſiam, vexor & ego; triſtante Eccleſia, triſtor & ego; eadem ſecundis ſuis lætante, lætor & ego: nullus illi affectus eſt, quod ego ſtatim non ſentiam: ſi inutilis miniſter ſum, fidelis ſum tamen: denique ſi cor hominis reſpicit Deus, & ex illo homines iudicat, iudicium certè ego cum miſericordia expecto, quia domus ſua mihi eſt cordi, quia toto ſinu eam complector:* & alibi. *Sum peccator maximus, ſed inter mala multa, id boni præſtitit Deus, vt coluerim ſemper Apoſtolicam Sedem, & quaſi ſatelles fuerim Romanæ Eccleſiæ vſque adeo Summo Pontifici ſeruiens, vt nullo vnquam ſæcularium Principum patrocinio; propoſitus etiam non contemnendis præmijs ſim paſſus ſuſcipere.*

Hactenus qualis erga Eccleſiam, & pro Eccleſia fuerit Papienſis indicauimus, nunc qualis in eos qui ipſum aliquo affeciſſent beneficio demonſtremus: illos certè tanquam tutelares quoſdam deos, & humana penè numina ſibi propitia ſumma fide, ac religione colebat: à Pio Romano Pontifice innumera beneficia ſe accepiſſe paſſim commemorat; omniaque eius ſcripta Pij patris memoria vbique prædicant: poſt Pij mortem Philelphum hortatur, vt ea retractet, quæ aduerſus eiuſdem ſanctiſſimi Pontificis memoriam tam mendaciter, quàm mordaciter indignabundus effudiſſet: decantata poſtea palinodia eidem Philelpho gratias agit: eius pariter gratus animus in Cardinalem Dominicum Capranicam, qui Firmanus dictus eſt, & cui à Secretis primum fuerat, relucet plurimis epiſtolis.

Similiter in amicos fuit totus; teſtes humaniſſimæ, ac ſuauiſſimæ illæ literæ, quas ad eos dedit, verbaque illa omni melle, & ſaccharo dulciora, quibus ad eoſdem ſibi de adeptis honoribus eccleſiaſticis gratulantes, vtitur: in earum vna hiſce affatur amicos. *Non minus amicus. quam mihi geritur hic pileus, &c. hæc dignitas poſſeſſione mea dicetur, vſu verò tua, & eorum qui mihi ſunt beneuoli.* Et certè nihil ſe ob noui honoris augmentum erga amicos immutatum pluribus epiſtolis profitetur. *Cardinalis dignitas non me inflauit, aut extulit, nec obliuioſum, aut contemptorem fecit amicitiæ veteris, diuinæ pietati illam adſcribo.* Ideo Franciſco Patricio Præſuli Caietano ita ſcripſit. *In ſcribendis literis tuis velim poſthac veterem, & rectã conſuetudinem ſerues, mihi ſalutem dicas, & vnum non plures appelles: ſi dignitate excello, etiam commodius inſeruiri illi per ingenium poteſt, quam per monſtra verborum: hoc inter nos ſeruemus deinceps.* & alibi. *Extulit mihi dignitas terrenam hanc ſpeciem; animum in ſua humilitate continuit; inopiæ veteris, & amicorum, & conſuetudinis, & locorum quoque, in quibus ad virtutem exercitatio fuit, gratè, ac piè redeo in mentem; vti Antoni, Papienſi potes, vt vtebare antea Iacobo immutatum tibi nihil inuenies.* Quare de colendis amicis, & retinenda conſtantiſſimè in omni ſtatu amicitia hactenus ſatis.

In famulos verò gratiſſimus fuit, & perſonas quaſcunque gradu ſuo multo inferiores, ſi quod illæ forte olim ſibi præſtitiſſent officium: quo in genere præclarum eſt legere, quæ ſcribit, diuerſis epiſtolis de obſequijs, quæ ipſe minutatim commemorat, vbi ſe vnius ea illis conſeruum nominat. *Quo tempore*, inquit, *famulabar Cardinali Firmano, Petrus de Monteſalco, à quo Dominationis tuæ has accepi, diſpenſator domus ſuæ erat: conuiximus in eodem famulatu annos multos; illius erga me, mea erga illum plurima fuerunt amicitiæ opera.* & de alijs. *Commendo dignationi tuæ vtrumque, non vt famulos, ſed vt fratres benignè illos accipiat, & quod ipſe non potui, pro me vtrique retribuat.* & alibi de quodam. *Filium mihi illum puta, non famulum.*

Denique literatorum ſua tempeſtate patronus ſemper extitit, atque in eos tã propenſus, ac beneficus, vt nihil frequentius, videas in illius epiſtolis ad diuerſos, & viciſſim in datis ad ipſum à Cardinalibus Theodoro Epiſcopo Taruiſino, & Stephano Nardino Mediolanenſi Archiepiſcopo; à Campano Præſule Aprutino, à Platina, Philelpho, & innumeris alijs. Et ipſe quidem Papienſis ſic habet in epiſtolarum vna ad Chriſtophorum Landinum, *Te amo, Landine, memor antiquæ conſuetudinis noſtræ, & certò etiam præſtantis ingenij tui, cuius ſemper laudator extitit ſum: ornamenta dignitatis noſtræ nil mihi ademerunt de amicorum memoria: imo infelicem crederem hanc meã felicitatem, ſi quæ dedit Deus cultoribus doctrinæ, non eſſent mecum communia.* & epiſtola ad Bartholomæum Scalam. *Quod me amas permultum mihi congratulor; bonorum enim, & doctorum virorum ſtudia, ante omnia expetij ſemper, & inter prima dignitatis ornamenta repoſui.* Bartholomæus verò Platina his eum compellat vocibus laudatorijs in ſuarum epiſtolarum vna. *Te mihi potiſſimum ex tot Patribus in hanc Curiam veniens patronum, ac Mæcenatem delegi: tu vnus viſus es, cuius animus, atque imitator dici fuiſſe ambirem: cui omnia illa inſunt, quæ viro clariſſimo, ac propè diuino eſſe debent. quid enim humanitatem ac manſuetudinem tuam, quid mandatam clementiam; quid modum in tanta poteſtate rerum; quid doctrinam, quid incredibilem ſapientiam tuam commemorem; quibus tibi apud omnes gentes, & nationes tanta gratia, & authoritate comparaſti, vt neminem, quam te malint videre? idque etiam à Deo tacitè expoſcant in tanto, tanque excelſo dignitatis gradu apud ſanctum Patrem, & Pontificem noſtrum Pium, cuius nutu, ac diuina ſapientia quæ ſunt in terris reguntur omnia: hunc tu aſſides, hunc imitaris; huius ſanctiſſima imperia, atque edicta, quo eſſi modo debeant, & poſſint, tu vnus nobis omnibus oſtendis.*

Viſuntur Philelphi ad hunc Cardinalem, epiſtolæ 21. Campani 68. item Ficini, Politiani, Lollij, aliorumque aliquot.

Ciaconius. Ant. Poſſeuin. in hiſtoria de familia Gonzaga. Carol. Sigonius de Epiſc. Bononien. A. Victorel. in Addit. ad Ciaconium. Alphonſ. Loſch. de fam. Gonzaga. Hier. Gambertus. Paul. Corteſius de Cardinalatu. Panuinius de Rom. Pontificib. Aubery in vita. Pius II. in Commẽt.

XII.



FRANCISCVS Gonzaga Mantuanus, Ludouici Marchionis Mantuani, qui Pium Romanum Pontificem regio ferè apparatu Mantuæ exceperat, & Barbaræ Brandeburgenſis ſecundogenitus, & Franciſci Mantuani Principis frater, comitate, qua ſemper vſus eſt erga amicos, & propinquos inſignis, nondum viginti natus annos, verùm qui corpore longè maiorem præſeferebat ætatem, & grauitate, & prudentia propè ſenili: ex Protonotario Apoſtolico, cum iam deſignatus eſſet Epiſcopus Mantuanus; ac Pijs bonarum artium ſtudijs operam B præſtaret; Diaconus Cardinalis S. Mariæ Nouæ à Pio renunciatus, poſtea Commendatarius Eccleſiæ S. Agathæ, cum retentione tamen Eccleſiæ S. Mariæ Nouæ; de quo ita Gobellinus dum enumerat Cardinales à Pio renunciatos anno 1461. *Franciſcus Mantuani Principis filius; nondum viginti annos natus*, ſeptem tantum ſupra decem ei tribuit Equicola, *verum qui corpore longè maiorem præſeferret ætatem, & grauitate ac prudentia propè ſenili, ad titulũ Diaconatus aſſumptus*. & alio loco. *Franciſcus Mantuanus nobiliſſimis Italiæ, atque Germaniæ familijs ſanguine iunctus*. Hic ſub Paulo II. Romano Pontifice Legatione functus eſt Bononiæ, & Commiſſarij munus exercuit in patris Ludouici dominio, cum facultate Crucem prædicandi contra Turcas. C

Summo proſecutus eſt amore Cardinalem S. Petri ad Vincula, Sixtum IV. in Pontificatu dictum, eique adeo fauit, vt ſimul cum Cardinalis Vrſini opera Summum Pontificem renunciarit. Cui poſtea Sixtus initio Pontificatu gratiſſimum ſe oſtendit, confirmata prius ipſi Legatione Bononienſi, & poſtea Epiſcopatu eiuſdem Vrbis conceſſo; vt ipſemet ad Iacobum Cardinalem Papienſem ſcripſit his verbis: *Nihil ambigo iam ad aures Reuerendiſſimæ D. veſtræ delatum eſſe nuncium obitus bon. mem. D. Card. Bononienſis, quem non potui non maximè deplorare, ob meam in eum præcipuam obſeruantiam, & ſeruitutem: fuitque mihi eo acerbior, quo breuiore tempore, tanquam ex plena incolumitate pro illius paris ætate, & valetudine veluti ſubtractus viſus eſt. Heri euocati fuimus ad Conſiſtorium veſpertinum; eo Conſiſtorio ſpolia Bononienſis diſtributa ſunt: Vicecancellariatus ad Portuenſem tranſlatus, Neapolitanus Albanenſis creatus, titulus S. Laurentij, & domus datæ ſunt Melphitenſi; ego Bononienſis Eccleſiæ adminiſtrationem habui.* D Legationem tamen vna cum Eccleſia Bononienſi retinuit, quoad vita ſuppeditauit. Ab hoc primò clariſſimæ familiæ Gonzagæ ſacræ purpuræ decus illatum. Quanti hunc fecerit Cardinalis Papienſis, multis ad ipſum datis literis non obſcurè oſtendit, & libro ſecundo Commentariorum his verbis extulit. *Franciſcus S. Mariæ Nouæ Ludouici Marchionis Mantuani ſecundegenitus filius, materno genere Brandeburgenſem domum, decorumque Reges, atque adeo Fridericum III. qui nunc Romanorum habet Imperium, conſanguinitate attingit, prudentis conſilij, atque ante annos virilem curam, grauitatemque gerens.* Natura hic præſtabat benignitate, & eo nemo liberalior ætate illa iudicatus eſt: regia erat illius munificentia, profuſa in egenos largitio. E Legationem etiam Ferrarienſem geſſit pro pace Italiæ, & deſtinatus Legatus in Germaniam, vt refert Papienſis his literis ad ipſum ſcriptis. *Hodie cum nil tale expectarem, tale nil crederem, remo à tuis rationibus alienam putarem, Legatus in Germaniam es deſignatus in Pluuiali, & Mitra. Si hunc laborem quæſiſti, benedicente Domino ſic factum quod placuit, ſi aſſenſiſti, obedientia tua diuina bonitas adſit; ſi te inſcio demandata Legatio eſt; dolent amici, ſed ſecundos tibi exitus optant. I, ergo, ſi eundum videbitur, ac Papienſi auſcultans matura quæ demandantur; & cito in Italiam redi; magno Cardinali longa in externis peregrinatio afferre facilè pœnitentiam poteſt.* Bononiæ Epiſcopus, ac Legatus, quoniam humili etiã loco nati magnis ſumptibus ad tumulos poſt mortem efferebantur ſtatuit, vt funeri vnum tantùm Religioſorum Collegium cum denis Clericis adhiberentur; neque laico cuiquam lugubri campanæ S. Petronij occentu parentaretur. Auctor fuit, vt B. Virgini clariora in dies ſua erga Ciuitatem Bononienſem F miſericordiæ documenta præbenti fanum in Galeria conderetur. Vetus, ac religioſus is ante exigui cuiuſdam Hoſpitalis fuerat locus glorioſæ ipſius Deiparæ imagine inſignitus; verùm negligentia, vt fit, hominum eò erat redactus, vt vicina familia ipſum ſibi pro ſtabulo, ſancta conſeruata imagine vindicaret. Quod vt ſæpè à pijs hominibus improbatum negligi ſanctiſſima Virgo cognouit, repente ipſam quaſi loci turpitudinem auerſata, vnum atque alterum ibi ſe deprecanti votorum compotem fecit. Quare animaduerſa populus religione obſtrictus certatim tantùm auri, argenti congeſſit, vt magnificum, atque eximij operis Oratorium Epiſco-

Scipio Ammirat. in iſt. Flor.

Carol. Sigonius de Epiſc. Bonon. Hipp. Marracc. in Purpur. Marian.

A po ipſo procurante conſtruxerit. Inde anno 1480. monachis Eremitis S. Hieronymi Ædem S. Barbatiani vacantem, ex Pontificis decreto communicauit. Iuſſit vt templum ſanctæ Mariæ Montis Guardiæ ab Epiſcopo Sarſinate conſecraretur.

Bononiæ die 21. Octobris anno noſtræ ſalutis 1483. ex his tenebris abijt; corpus inſigni pompa delatum Mantuam, & in D. Franciſci, ſeu in Cathedrali, ex Vghellio, tumulatum. Diſcrepat à ſe ipſo Ciaconius, nam in Pio ſcripſit Franciſcum hunc Cardinalem anno octauo Sixti IV. in Sixto verò anno decimo tertio deceſſiſſe narrat: Sigonius de Epiſcopis Bononienſibus xi. kal. Nouẽbris anni 1483. è vita migraſſe affirmat, hic Sixti IV. auctoritate Monaſterium S. Andreæ Mantuanum ordinis S. Benedicti ſibi cõmendatum, in Collegiatam Eccleſiam erexit. Bononienſes iuſtitiam illius, largitiones, munificas, & pietatem ad cœlum vſque extollentes, magno cum fletu funus proſecuti ſunt. Valuit inſigni caritate in Eccleſiam Romanam, quam prudentia, magnitudine animi, auctoritate ſemper defendit.

Andr. Victorell. in addit. ad Ciacon.

Felix Cõtelorius in Elencho.

Laudatur Franciſcus Cardinalis à multis viris laudatiſſimis, nimirum à Iacobo Cardinali Papienſi, qui in epiſtolarum vna eundẽ alloquens, paucis hiſce, ſed grandibus extollit verbis. *Summa omnia ad ſummam in Eccleſia gloriam habes, genus, ingenium, linguam, authoritatem, & gratiam omnium conatibus tuis fauentem.* & alibi. *Tu patre ſapientiſſimo natus es, egregiam naturam ſortitus, vſu quindecim propè annorum edoctus, in magnis ſemper verſatus, vides iam vir, quæ ſenes ſæpe non vident.* À Carolo Sigonio in Epiſcopis Bononienſibus, altiſſimi animi vir appellatur. à Paulo Corteſio de Cardinalatu, innata comitate, ac benignitate præditus, qua omnes, vel primo aſpectu ſibi deuinciret, quoue nemo illa ætate liberalior fuit iudicatus; ab alijs, regia munificentia, immenſaque in ſubleuandis pauperibus, caritate, clariſſe C dicitur. Antonius Poſſeuinus in hiſtoria Gonzagæ familiæ, & Andreas Victorellus in ſuis ad Ciaconium Additionibus, Franciſcum Cardinalem Gonzagam, auctoritate prudentia, animi magnitudine, & in Romanam Eccleſiam amore plurimum commendant.

TERTIA CREATIO CARDINALIVM.

Anno Dominicæ Incarnationis 1642. Pontificatus IV. pridie kal. Iunij Viterbij Pius II. ex Ciaconio, & Panuinio duos nominauit Cardinales, qui fuerunt.

XIII.



D IOANNES ab Aych nobilis Germanus, Epiſcopus Eiſtadenſis in Germania, doctor ſacrarum literarum, ac Pontificiarum legum, Vir eloquens, ac ſapientiſſimus, Alberti II. Imperatoris Cancellarius, tum ipſi, tum omnibus Germaniæ Principibus cariſſimus, à Pio inter Presbyteros Cardinales cooptatus, beneficium gratias agens remiſit; vt ſcribit Ciaconius; Felix tamen Contelorius, cum nullum ſe vidiſſe teſtimonium in m. ss. Vaticanis fateatur; cumque ex Ioanne Aotonio Campano ipſius Pij à Secretis certò ſciamus, duas tantùm Pium Cardinalium E enunciationes feciſſe, fides tota de hac re penes Panuinium, & Ciaconium remanet. Certum tamen eſt, Ioannem hunc Epiſcopum grauiſſimum Pio Pontifici fuiſſe, qui audiens, eum ex hac vita in Germania migraſſe, Romæ in publico Conſiſtorio dixit, *Eccleſiam meritò deplorandam eſſe mortem huius Epiſcopi, quæ verè iam amiſiſſet auream ſui corporis columnam.* Hic in Germania fuit acerrimus Cleri reſtaurator, pauperum pater longè humaniſſimus; Xenodocium Eiſtadianum de nouo conſtruxit, vt pauperes, & ægroti commodas haberent habitationes.

Ciaconius. Panuinius. Catal. Epiſcop. Eiſtatenſium. Gaſp. Bruſchius de Epiſcop. German. Aubery in vita. Ferdinand. Vghel. in Addit. ad Ciaconiũ.

Euocatur ex hoc mortali ſeculo, vt habet cathalogus Eiſtadenſium Præſulum, & Bruſchius de Epiſcopis Germaniæ, ipſis Ianuarij kalendis anno à Partu Virginis 1464. ſepelitur in Cœnobio S. Vualburgis in ſacello S. Agnetis à ſe conſtructo, cum hoc ſuarum virtutum elogio.

F *De Aych, cui nomen erat, claraque è ſtirpe Ioannes*
Aureatenſis in hac Præſulis oſſa vides.
Si Deus, & ſuperi viuunt, & amœna piorum
Sunt loca, nec probitas munere caſſa ſue eſt.
Hunc benè pro meritis lector, iam credere dignum eſt,
Inter Cœlicolas commeraſſe Deum.

XIV.

VLTIMO loco Panuinius, & Ciaconius inter Cardinales à Pio renunciatos recenſet Brochardum Epiſcopus Salisburgenſem: ſed de hoc nos ſupra in prima Patrum enunciatione num. 4 ſatis ſuperq; egimus, & errorem Ciaconij, ac Panuinij deteximus.

EPISCOPI CARDINALES
à Pio II. Romano Pontifice creati.

A Ioannes Carauagial Hiſpanus, electus Placentinus in Hiſpania à Pio II. renunciatur Epiſcopus Portuenſis.

Guillelmus de Eſtoutenilla Gallus, ex Epiſcopo Portuenſi, factus Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis.

Mag. Fr. Ioannes de Turrecremata, Hiſpanus, Ordinis Prædicatorum, ex Epiſcopo Albanenſi, creatus Epiſcopus Sabinenſis.

VICECANCELLARIVS S. R. E.
ſub Pio Papa II.

Rodericus Borgia, Valentinus Hiſpanus, Diaconus Cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano, S. R. E. Vicecancellarius.

CARDINALES MORTVI
ſub eodem Pontifice.

Iacobus Luſitanus, nepos Regis Portugalliæ, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Porticu, ſeu potiùs S. Euſtachij, è vita exceſſit die 27. Auguſti, anno 1459.

Mag. Antonius Cerdanus, Maioricenſis, Presbyter Cardinalis S. Chryſogoni, 12. Septembris. anno 1459. Ciaconius ſcribit hunc è vita migraſſe, die 31. Auguſti, anno 1458.

Georgius de Fliſco, Genuenſis, Presbyter Cardinalis S. Anaſtaſiæ, deinde Epiſcopus Oſtienſis, die 11 Octobris, anno 1461.

Proſper Columna, Romanus, Diaconus Cardinalis S. Georgij in Velabro, die 24. Martij, anno 1463.

Iſidorus Theſſalonicenſis, Græcus, Presbyt. Card. SS. Petri & Marcellini, poſtea Epiſcop. Sabinenſis, die 27. Aprilis, anno 1463.

Mag. Fr. Alexander de Oliua, Saxoferratenſis, ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini, Presbyter Cardinalis S. Suſannæ, die 21. Auguſti, anno 1463.

Bartholomæus Vitelleſcus, aliàs de Vitelleſibus, Cornetanus, Presb. Pſeudocardinalis S. Marci, die 13. Decembris, anno 1463.

Ioannes ab Aych, Germanus, Epiſcopus Eiſtatenſis, Presbyt. Cardinalis, ex Panuinio, & Ciaconio, die 1. Ianuarij, anno 1464.

B Ioannes Caſtellio, Mediolanenſis, Presbyter Cardinalis S. Clementis, die 14. Aprilis, anno 1464.

Mag. D. Nicolaus de Cuſa, Gallus, Canonicus Regularis, Presbyter Cardinalis S. Petri ad Vincula, tit. Eudoxiæ, die 11. ſeu 12. Auguſti, anno 1464.

Dionyſius Zechus, Hungarus, Presbyter Cardinalis S. Cyriaci in Thermis, anno 1464 incertum tamen quo menſe, vel die. Ciaconius ſcribit hunc obijſſe ſub Calliſto III.

PAVLVS II. PONTIFEX CCXV.
ANNO DOMINI MCCCCLXIV.





IN NOMINE DEI, ET SALVATORIS Noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen.

C CONTENtio de loco ad Conclaue eligendo.

DVM PII II. Exequiæ celebrarentur, ſeptimo poſt eius obitum die, Patres conuocati ſunt in ædes Ludouici Cardinalis Aquileienſis, qui Camerariatum Romanæ Sedis tunc obtinebat. Quo in loco diſſidere inter ſe non mediocriter cœperunt, de loco ad Conclaue eligendo; contendentibus nonnullis, vt intra Vrbẽ ad ædem Mineruæ, pleriſque vt in Vaticano, iuxta priſcam conſuetudinem, ſtatueretur: diſſenſionis verò præbuit cauſſam Hadriani moles, nondum Collegio tradita: Antonius ſororis Pij II. filius, Dux Amalphitanus vicarijs cuſtodijs illam tenebat; aberatque ipſe tum Celani, quæ Marſorum eſt Ciuitas: ſentire verò cum Vrſinis Proceribus putabatur, quorum factio pleriſque partium erat ſuſpecta. Illud quoque proponebatur ad metum, ne ſi Pontifex Ferdinando Aragonenſi non gratus eligeretur, prohibiturus eſſet Molem reſtitui: gener quippe eius erat Antonius, cuius fortunæ omnes defuncto auunculo in illum reſpiciebant. Qui ergo metuenda hæc affirmabant, inter medios Romanos eligendum eſſe aiebant, apud quos tuti ab omni moleſtia præſtarentur, augentes formidinem de Mole; negantéſque vel ad Nouemdiale ſacrum, vel ad Conclaue ſe ante ituros, quam redditam Molis cuſtodiam intelligerent. Transeundum vociferabant per anguſtias Pontis, & ſub turribus communitis, vbi facile eſſet, quẽque noſtrum, ſublatis catenis, comprehendi. Admoueri nos Pontificijs legibus, liberam electionem oportere eſſe, nec vllam obnoxiam metui, eam autem totam tolli, Arce ſupereminente non reddita. Qui verò aliter ſentiebant, putantes formidinem confictam eſſe, magiſque ad ambitionem, quàm ad commodum pertinere Vaticanum reſpondebant, antiquam Pontificum ſedem eſſe, in eo decentius, quàm alibi de ſucceſſoribus agi. Antonius cum Arcis cuſtodiam recepiſſet, Pio veram fidem quamdiu viueret, eo defuncto Cardinaliũ Collegio illam ſeruaturum, redditurumque cum requireretur, promiſit. Nec oportere mentem iuuenis ante damnari, D quam noſci, incredibile videri, eum, qui tanta beneficia à Sede Apoſtolica tuliſſet, propter Vrſinos, aut Regem velle facinus tam ingratum admittere. Hic fratres eius duos germanos, alterum Cardinalem, alterum priuatum, ambos vero in Collegij poteſtate, non vſque adeo amentem illum futurum, vt cariorem ſibi putet Hadriani molem, ad quam non poſſit accedere, quam fratrum duorũ ſalutem, qui Romæ tanquam certa pignora tenerentur; ad hæc audiri quotidie cuſtodum voces pleno ſtudio Eccleſiam inuocantium,

quam non inuocarent, ſi aduerſam Antonij mentem cognoſcerent; tututum breui, vt ille acceptis noſtris literis, miſſurus ſit, qui Moleſtum vel Patribus, vel nouo Pontifici reddat. His itaque, atque alijs vocibus Cardinalium pars maior ad Vaticanum inclinans, diſſentientes traxit ad ſe. Igitur, celebratis Exequijs, & Conclaui iam conſtituto, 6. Kal. Septembris anno à Chriſto nato 1464. Miſſa Spiritus ſancti ab Epiſcopo Tuſculano cantata, recluſerunt ſe omnes præſentes Cardinales viginti numero ad nouam electionem, in nouas Pontificias Vaticani aulas, cuſtodiæ primæ, & quæ proximæ Patribus fuit, præfuerunt Epiſcopi decem, qui ſcrutarentur ſingula, quæ vel cibi, vel alterius rei cauſſa inferrentur ad eos, diſferentueſque eligere decretis Patrum ad maturandum arctarent: ſecundæ Oratores Regum, & Principum, qui Romæ tunc inuenti ſunt: tertiam autem, quæ vltima erat, Prætoriani milites aſſeruabant: diem, quæ ſequuta ingreſſum eſt, totam in formandis legibus impenderunt, ad ſanam Pontificum adminiſtrationem, maxime neceſſarijs, quibus Patrum quiſque ſubſcriberet, iureiurando, voceque promitteret, obtemperaturum ſe illis, ſi ad Pontificatum aſſumi ipſum contingeret; quarum exemplar hoc eſt.

LEGES CONSTITVTAE, ET IVRATAE IN Conclaui, quo PAVLVS PAPA II. *creatus eſt.*

I. Quiſquis Patrum ad Pontificatum eſſet aſſumptus, inchoatam expeditionem in Turcas, quantum Romanę Eccleſię paterentur opes, continuaret, prouentuumque Aluminis ad eam rem integrum adhiberet.

II. Lapſos Curialium mores ad Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Patrum diſciplinam reſtringeret.

III. Porrò Curiam ipſam, de prouincia in prouinciam, ſine plurium ex Patribus, intra Italiam, & extra Italiam ſine omnium aſſenſu, qui ſubſcriptionibus pateret, non transferret.

IV. Concilium generale Chriſtianorum intra triennium cogeret, in quo, & Principes ſęculi, ad tuendam religionis cauſſam accenderentur, ægręque partes Eccleſiæ communi medicamento ſanitatem reciperent.

V. Cardinales non ante crearet, quàm ij, qui creati iam haberẽtur, intra 24. eſſent reducti, maioremque hoc numero non pati in Eccleſia eſſe: neminem quoque aſſumi, qui non trigeſimum annũ excederet: quique non profeſſus eſſet vel Pontificium ius, vel Ciuile, vel literas ſacras, nec niſi vnum, eumque huius generis hominem de cognatione ſua eligeret; in omnibus autem eligendis, ſententias Patrum, non tacitas in aurem, vt ante, ſed ex ſubſellijs, ad declinandos errores, palàm acciperet.

VI. De maioribus inſuper committendis ſacerdotijs, non niſi in Conſiſtorio, ſententijs auditis, decerneret, ius ad ea nominanda omninò promitteret: diploma eis non daret, quibus ad alienum arbitrium eadem ſe collaturum, promitteret, ſi qua eſſent antea data vno edicto adimeret.

VII. Non deponeret de ſede ſua Epiſcopum, Abbatemue poſtulatione vlla Principum, niſi accuſatores ea iuris forma talionis pœnæ ſe prius obligarent, ipſique rei ſolemni iudicio auditi eſſent.

VIII. Non Cardinalem, remue eius apprehenderet, niſi ex Patrũ ſententijs: non damnaret etiam, niſi ex ſynodali conſtitutione, cuius eſt initium, *Sanctorum Præſul*.

IX. Nihil porrò ex omni Eccleſię patrimonio, quod paullò inſignius eſſet, in quemquam diſtraheret, aut eius cenſum minueret, niſi etiam aſſenſerint Patres, & conceſſioni ſubſcripſerint.

X. Iiſdem quoque non conſulentibus, nulli non ſubdito bellum inferret, aut ad inferendum fœdus quodquam iniret.

XI. Teſtamenta defunctorum Curialium libera lineret.

XII. Portoria noua nulla induceret, nec vetera augeret.

XIII. Principi, Potentatuique tributum de Clericis ſine ratione nullum concederet.

XIV. Arcium cuſtodes iureiurando, vadimonijſque adigeret, de ijs, vacante Sede, Collegio repoſcenti tradendis; eas, quæ eſſent momenti maioris, ſolis Clericis, qui tamen ſuæ non eſſent cognationis, committeret; eundem verò, & Arcis cuſtodem, & Præſidem ciuitatis non faceret.

XV. Præſidibus prouinciæ decedentibus, adminiſtratorũ omnium iudices daret.

XVI. Ducem Eccleſiaſtici exercitus ex ſuo genere non conſtitueret.

XVII. Nihil in diplomatibus factum diceret ex Fratrum conſilio, quod verè conſulentibus eis decretum non eſſet.

XVIII. Demum primò quoque menſium omnium Conſiſtorio imperaret, has leges, ad innouandam memoriam, ex ſcripto præſente ſe recitari.

Additum, & his eſt, vt bis quotannis per Kal. Decembris, Maiiſque Patres ſeorſum ad Pontificem conuenientes, cognoſcerent inter ſe; an ſeruatæ illæ iudicarentur; id ſi minus factum intelligerent charitate, quæ filijs in parentes eſt debita, vſque ad tertia remonſtrationis officia tranſgreſſionis, & periurij illum monerent, ad ſeruandùmque precarentur, vt Cardinalis Papienſis lib. 2. Commentariorum ſcribit.

SOLEMNITAS in electione adhibita.

His conſtitutis, ad electionem procedi eſt cœptum, cuius ſolemnitas ſeruari hæc viſa. Patres omnes induti pallijs à ſummo deorſum apertis, quas croccias vocant, in ſacello B. Nicolai, quod ad dexteram eſt primæ aulæ, conuenere ſilentio, ibi diuina Spiritus ſancti per Cuſtodem Sacrarij Apoſtolici ritè ſunt celebrata. Quibus abſolutis, ſuo loco diſpoſuerunt ſe per ſubſellia quiſque quos decreuerat eligere in codicillo ante deſcripſerat, huncque ſuo annulo obſignarat. Inde tres tantùm ea Patribus ad altare aſcendentes; primi videlicet inter Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos, calicem ſacrificij, in quo eo die fuerat conſecratum, ad medium altare conſtituentes, cuſtodes ipſi omnium adſtitere, atque inſpectores: poſt hæc eodem ordine proceſſerunt reliqui, atque ante altare in genua procidentes, codicillum ſigillatim in calicem demiſere. Id verò poſtquam ab omnibus factum eſt, tres illi, quos diximus, calicem ipſum ad ceteros inferiùs conſidentes ſublatum, altius retulere: conſiſtenteſque in ſubſelliorum medio, vnde ſpectari, & audiri à circumſtantibus poſſent, numerarunt mox codicillos, quorum vt conueniſſe numerus inuentus eſt, ſinguli ab Epiſcopo aperti, & lecti, proximo Diacono pronuntiandi traditi ſunt, Patrum quiſque papyrum tenens, ac pugillare, quem quiſq; elegerat ſuo chirographo annotabat. Solent Cardinalium partes ex tribus duæ, veteri Pontificum decreto Pontificem creare; qui numerus ſi ea codicillis non adimpleatur, liberum eſt cuique, quem voluerit Patrum non electum à ſe ſcripto, voce eligere, quæ electionis ratio, verbo noſtrę conſuetudinis Acceſſus dicitur. Inauditum verò eſt, præſenti, & maiorum memoria, quempiam ex ſolis codicillis electum eſſe, verùm acceſſio conficere totum opus eſt ſolita. Igitur omnibus legitimè obſeruatis, decimo recluſionis die, mane diei, pridie Kal. Septembris, habito ſcrutinio, duodecim Cardinales inuenti ſunt, qui Petrum Barbum Venetum, Presbyterũ Cardinalem titulo S. Marci eligerent, annos octo, & quadraginta natum; duæ tantum voces ad complendam electionem videbantur deeſſe, cum ſubitò Patres alij quatuor vno fermè momento ad reliquos acceſſere, tanta quidem celeritate, vt dubium apud reliquos fuerit, cuius eſſet vox primò audita. Cardinales etſi ſuperare ad perfectam electionem ſuffragia intelligebant, iamque pro Pontifice habebatur Petrus, tamen vt vnus omnium eſſet conſenſus, exquiri ſingulorum ſententias voluerunt.

PAVLI electio.

Beſſario itaque Tuſculanus Epiſcopus, primum in Collegio locum habens, vnumquemque ex ordine appellans rogauit, num ea placeret electio? cum verò ab omnibus prona aſſertione placere, reſponſum eſſet, conuerſus ad Petrum, *Patres*, inquit, *te in Pontificem elegerunt, & ego omnium nominibus rurſum te eligo; id agens videlicet, vt quæ neceſſaria ſunt ad electionem legitimam, viderentur in hunc conueniſſe.* His dictis, ſalutatus eſt Pontifex, & gratulabundi omnes ad eius genua procidérunt. Ante verò quàm quid actum eſſet, pronunciarentur ad populum, oblatæ ei iuxta edictum leges ſunt, quas ſupra exarauimus; quibus ille accepto ſtatim calamo, ſine cunctatione ſubſcripſit; ſeruaturumque ſe eas iurauit, ac vouit.

PAVLVS leges in Conclaui cõſtitutas ſubſcribit.

Indiderat autem ſibi Formoſi Pontificis nomen (ſicuti mos eſt quemque electum nouam appellationem aſſumere) ſequutus credo religionem animi quandam, quam hiſtoriam eius legens innocẽtiam adamarat, miraculo etiam poſt obitum comprobatam. Verùm quod ea res alludere ad eius ſpeciem videretur, quæ formoſiſſima erat, ſuaſus à Patribus in Marcum mutauit. Sed quum id quoque minus idoneum putaretur, quod Veneti hac inuocatione vtantur in prælijs, ipſèque Venetus ſtuduiſſe patriæ affectibus nimium videri poterat, rurſus in Paulum conuertit, in quo, & perſeuerauit.

INGENS lætitia de Pauli electione.

Incredibili lætitia à Patribus, & populo hæc excepta aſſumptio eſt. Populus quidem in Vaticano conueniens, gaudio exultabat, datum Pontificem credens, qui Romanis amica ſemper ſenſiſſet. Patres verò illum circumſtabant, & benedicebant Domino, quod, ſine vlla contentione, rem tranſigi contigiſſet, idque accidiſſet ſuo tempore, quod pauci noſtris ſęculis ſunt aſſecuti. Non enim electis Pontificibus ſtatim re ipſa ſunt gratulati. Multos inuidia, nonnullos metus, pleroſque ſui ipſius ambitio coegit triſtitiam ſumere. Nubilus vultus, & pallentia ora mœſtos animos indicarunt. Hic verò, & ridere viſi ſunt omnes, fraternè inuicem gratulari. Vnus modo ea illis, qui raró ei in vita conſenſerat, parum cum cæteris conuenire eſt viſus; is erat Ludouicus Mediarota, in cuius ædes conuocatos eos fuiſſe diximus, Patauio ortus, & profeſſione medicus, qui apud Eugenium Papam IV. à quo Cardinalatum acceperat, auctoritate in alios valens, atque huic ipſi Petro, ſororis filio ſemper infeſtus, etiam ad hanc electionem, veterem mẽtis acerbitatem attulerat. Ad hunc tamen, quod æger pedibus è ſella ſe mouere nũ poterat Papa acceſſit: complexuſque hominem conſolatus eſt, & bono animo eſſe, imperauit. Hic fuit exitus Conclauis iſtius, ob eam cauſam admirabilis iudicatus, quòd prima Patrum conuentione eſt abſolutus: non enim noſtra memoria hoc unquam accidit: diſceptari dies complures ſolitum eſt, & diſſentiri, & niſi multo cum labore duas vocum partes in vnum aliquem colligi. Cardinalium autem viginti qui electioni adfuerunt, liber referre nomina, vt etiam ea dignitate eorũ rei geſtæ celebritas pateat conuenere igitur Epiſcopi quatuor, Presbyteri tredecim, Diaconi tres hi ſcilicet.

CARDINALES XX. QVI ELECTIONI interfuerunt, qua Paulus II. Papa creatus eſt.

EPISCOPI CARDINALES IV. EVGENII PAPAE IV.

1. Beſſarion natione Aſiaticus, lingua Græcus, patria Trapezuntius, monachus S. Baſilij, olim Archiepiſcopus Nicænus, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus. Nicænus vulgo appellatus, ac tunc Cardinalium Collegij Decanus, ſummi ingenij, ſummæque eloquentiæ vir: clarus legationibus tribus. Hic ſedente Eugenio IV. cum de Proceſſione Spiritus ſancti in Synodo Florentina inter Latinos, & Græcos magnis contentionibus, ageretur, ad quam Imperator Cõſtantinopolitanus, cum Patriarcha, & Epiſcopis Græcis conuenerat, primus veritatem agnoſcens, ſuorum pertinaciam condemnauit, atque ad noſtros conceſſit, quam ob cauſam donatus Cardinalatu ab Eugenio IV. eſt.
2. Gulielmus de Eſtouteuilla, Gallus, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus, cognomento Rothomagenſis, conſanguinitate Reges Franciæ attingens, doctrina Pontificij iuris, & Principum clientelis, vna quoque ad Gallos ſuos legatione inſignis.
3. Ioannes Carauagial Hiſpanus, Epiſcopus Placentinus, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & S. Rufinæ, præſtans, & ipſe vtriuſque Iuris interpres. Hic ante Cardinalatum, & poſt complures, eaſdemq; operoſas legationes pro S.R.E. & Chriſti fide, ſub tribus Pontificibus geſtas, copioſiſſimam ad Hungaros tulit, quibus pugnantibus, Turcæ apud Belgradum ingenti prælio ſunt ſuperati; habuit per omnem vitam integritatis, & continentiæ notiſſimam laudem. ſunt verba Cardinalis Papienſis.
4. Magiſter F. Ioannes de Turrecremata, Hiſpanus, Epiſcopus Cardinalis Sabinus, non ceſſit laboribus, primus inter Theologos ſui temporis, propter eaſdem diſcordiam, Apoſtolicæ ſedis apud Gallos defenſor, ordinis Prædicatorum, Cardinalis ab Eugenio IV. creatus.

PRESBYTERI CARDINALES XIII. EVGENII PAPAE IV.

5. Petrus Schoumbergh, Herbipolenſis, Germanus, Presbyter Cardinalis S. Vitalis, titulo Veſtinæ, Prior Presbyterorum, dictus Auguſtanus.
6. Ludouicus Scarampus de Mediarota, Patauinus, Presbyter Cardinalis titulo S. Laurentij in Damaſo, S.R.E. Camerarius, dictus Aquileienſis. Huius fuit foris maior, quàm Romæ commendatio, miniſtrum impigrum, atque in multis vtilem, ſe Eugenio IV. præbuit, Sfortiam ſua opera Picenum agrum, quem occuparat, fecit coactum dimittere, & eo legatione generali adminiſtrante Brachiani, qui Duce Nicolao Picinino vexabant Pontificem, apud Anglorũ oppidum fuſi, fugatiq; ſunt. Miſſus quoque à Caliſto III. in Turcas Conſtantinopolim nauigauit, nonnulliſque per Ægeum mare receptis inſulis, diſſoluta poſtmodum claſſe, Romam reuerſus eſt, ſolus apud Eugenium IV. in cuius fuerat famulatu, voluit præeſſe; is non tam religioſi animi, quàm ad ſecularia vigilis.
7. Petrus Barbus Venetus, Presbyter Cardinalis titulo S. Marci, electus Papa.

NICOLAI PAPAE V.

8. Latinus Vrſinus, domicellus Romanus, Presbyter Cardinalis SS. Ioannis, & Pauli titulo Pammachij, præſtans ingenio, moribuſq; & facilitate vitæ laudabilis. Referendarium ſub Nicolao V. egit, à Pio II. Neapolim miſſus Ferdinandum Arragonum Regem coronauit.
9. Alanus Coetiuus, Brito, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo S. Praxedis, dictus Auenionenſis, ſua & fratrum, cognatorumque natiuitate præclarus: Hic quoque legationem ad Gallos, pro fide gerens, triremes, veliaque multa in Turcas parauerat.
10. Ioannes Rolinus, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo S. Stephani in Cœlio monte.
11. Philippus Calandrinus de Sarzana, Presbyter Cardinalis tit. S. Laurentij in Lucina, S. R. E. Maior Pœnitentiarius, cognomento Bononiẽſis. Hic a Nicolao V. Cardinalis creatus, legationem in Picenum ſecunda fama adminiſtrauit, à Pio II. Maior Pœnitentiarius factus, homo in tota vita verax, & integer.

CALLISTI PAPAE III.

12. Ioannes Ludouicus Milanus. Valentinus, Hiſpanus, Presbyter Cardinalis titulo SS Quatuor Coronatorum.
13. Ioannes de Mella, Zamorenſis, Hiſpanus, Presbyter Cardinalis titulo S. Priſcæ. Huius prima iuuenta ingreſſus Vrbem in extremum ſenium perſeuerauit, vir laborioſus, & iuſtitiæ miniſter intrepidus.
14. Iacobus Thebaldus, Romanus, Presbyter Cardinalis tit. S. Anaſtaſiæ, benignitate inſignis, & bonorum ſemper conſiliorum cogitator. Hic omnium Cardinalium, Spoletino præſidentatui, hinc Peruſino à Calliſto præficitur, mox in Collegium cooptatur.
15. Ricardus Oliuerij, Conſtantienſis, Northmandus, Gallus, Presbyter Cardinalis titulo S. Euſebij, dictus Conſtantienſis. Huic inter ſuos admodum celebri, olim Carolus Francorum Rex iuſtitiæ adminiſtrandæ, & regendi conſilij primum locum conceſſit; in dicendo ſententiam liber, & in propoſito conſtans.

PII PAPAE II.

16. Angelus Capranica Romanus, Presb. Cardinalis tit. S. Crucis in Hieruſalem, cognomento Reatinus. Eius integerrimè acta vita ad Cardinalatum eſt ſuffragata, annis verò iam octo cum ſumma innocentia, alioqui difficilem legationem Bononiæ adminiſtrauit.
17. Berardus Herulus Narmenſis, Presbyter Cardinalis tit. S. Sabinæ, dictus Spoletinus. Hic Rotæ primum iudex factus, deinde Spoletinæ præfectus Eccleſiæ, poſt laborioſam omnium adminiſtrationem fuit ad Cardinalatum aſſumptus, vir propoſiti tenax, & iuſtitiæ cultor.
18. Nicolaus Fortiguerra, Piſtorienſis, Presbyter Cardinalis tit. S. Cæciliæ.
19. Bartholomæus Rouerella Ferrarienſis, Presbyter Cardinalis titulo S. Clementis, cognomento Rauennas. Hic ab Eugenio IV. ad Eccleſiam Rauennatem vocatus; ſedente Nicolao V. in Anglia legatus miſſus, prudentiæ, & integritatis ſpecimen clariſſimum dedit, nouiſſimè quoque in Regnum Neapolitanum Legatus, à Pio II. miſſus, Ferdinandum Arragonum, contra Andegauenſem plus iuuit, quàm exercitibus alij.
20. Fr. Ioannes Lofredi, Luxouienſis, Gallus, monachus Cluniacenſis, Presbyter Cardinalis titulo S. Martini in montibus, dictus Atrebatenſis.
21. Iacobus de Cardona, Hiſpanus, Presbyter Cardinalis.
22. Ludouicus de Albreto Gallus, Presbyter Cardinalis titulo SS. Marcellini, & Petri, cognomento Arelatenſis. Amor, & deliciæ Collegij, nobilitate generis inter Gallos excellens, paternum, & maternum ſtemma à Regibus Francorum ducebat: puri admodum cordis, & ad charitatem omnium nati, & omnibus ſemper charus.
23. Iacobus Amanatus Lucenſis, Presb. Cardinalis tit. S. Chryſogoni, cognomento Papienſis, Scriptor Conclauis. Is ante ſexdecim annos Vrbem ingreſſus, poſt longam inopiam, præſtante Domino, Secretariatum Caliſti III. primùm, deinde Pij II. eſt aſſequutus; mox Eccleſiæ Papienſi præpoſitus, deinde ad Cardinalatum vigeſimo menſe poſt aſſumitur; nulla Principum, vel maiorum commendatione adiutus; quamquam verò demandatas legationes iuriumque codices referre in ſuis meritis non poſſet: referre tamen poterat ſalutares vigilias, documentaque per multa ingenij; quibus aliquando, vel repreſſa, vel oppreſſa ſunt impiorum conſilia; in primis omni manuum puritate pias in maxima opportunitate, Domino Deo auctore, innocentes ſeruauit.

DIACONI CARDINALES III. CALLISTI PAPAE III.

24. Rodericus Borgia Valentinus, Hiſpanus, Diaconus Cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano. Is admodum iuuenis à Calliſto auunculo Cardinalis factus: Legationem Picenſem prudentiſſimè geſſit, deinde Vicecancellarius S.R.E. factus.

PII PAPAE II.

25. Franciſcus Picolomineus, Senenſis, Diaconus Cardinalis S. Euſtachij, ſororis ſuæ ſecundus filius, qui quadrimeſtri toto legationem Piceni ſumma beneuolentia rexit; Saxoferratumque oppidum, quod in poteſtate Tyrannorum erat, recepit.
26. Franciſcus Gonzaga Mãtuanus, Diaconus Cardinalis S. Mariæ Nouæ, loco, non gratia vltimus, Ludouici Marchionis Mantuani ſecundogenitus, materno genere Brandeburgenſem domum, auiſcoiq; Reges, & Fridericum III. Imperatorem conſanguinitate attigerat; prudentis conſilij, atque omnes annos virilem curam, grauitatemq; gerens.

Omnes Cardinales ſunt viginti ſex, ſed ſex illorum abſentes fuerunt, reliqui viginti Conclaui interfuerunt; quorum vnus Petrus Barbus Venetus, fuit Papa electus.

PAVLI primordia.

Paulus II. Papa, familia Barba, Petrus Barbo antea vocatus, patre Nicolao Barbo, matre Polyxena Eugenij IV. ſorore, natus Venetijs 5. Kal. Martij, ann. 1418. adoleſcens nullis diſciplinis imbutus, in mercaturam ire decreuerat, quæ apud Venetos in pretio eſt, & à Solone non improbatur: & iam ſcrinium, & arma in triremes intulerat, cum ei nunciatum eſt, Gabrielem Condolmeriũ, auunculum ſuum Pontificem creatum eſſe. Auunculo Pontifice iam creato, ſubſtitit, adhortantibus amicis, & fratre Paulo Barbo maiore natu, ac litteris, licet iam adultus eſſet, operam dedit, præceptore vſus Iacobo Ricionio, qui diligentiam hominis ea in re laudare conſueuerat. Habuit & alios præceptores, nec tamen ob ætatem admodum profecit; quos omnes præter Ricionium, dum Pontifex eſſet dignitate, & facultatibus honeſtiores reddidit, oſtendens per eos non ſtetiſſe; quo minus doctior euaderet. Paulus autem Barbo magnitudine animi, & prudentia vir, cognita fratris natura, qui potius quietem, quàm negocia appetebat, Eugenium rogat (nam Florentiam, videndi hominis cauſſa, venerat) vt Petrum ad ſe vocet, initiatumque ſacris, in aliquo dignitatis gradu collocet. Vocatus itaque Petrus Archidiaconatum Bononienſem, ac Epiſcopatum Ceruiæ non multo poſt adeptus, Protonotarius ab auunculo creatur, ex his potiſſimum, qui emolumentorũ participes ſunt. His autem facultatibus, aliquot annis, vitam ducens, Diaconus Cardinalis S. Mariæ Nouæ, & demum Presbyter Cardinalis S. Marci creatus eſt, vna cum Ludouico Patauino medico, quem poſtea Patriarcham, & Camerarium appellarunt. Fuit Petrus Barbus homo natura blandus, mitis, & humanus, amicorum ſtudioſus, & eorum præſertim, quos in clientelam ſuſceperat. Nicolao, & Calliſto gratiſſimus, Pio non admodum probatus, cuius acta Pontifex creatus, odio habuerit, quòd eum in permutatione Epiſcopatus Vicentini cum Patauino, miſtando acerbe, nimiumque rogando offendiſſet. Mortuo Pio II. in palatio Vaticano ad 3. Kalend. Septemb. anno 1464. Cardinalium decem, & nouem ſuffragijs, ſummus Pontifex creatus eſt.

CORONATIO Papæ Pauli Secundi.

Anno Domini 1464. die 5. Idus Septembris, Paulus II. Pontifex maximus, Romæ, in gradibus, ante fores Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ſuæ Coronationis inſignia ſuſcepit, per Rodericum Borgiam S. R. E. Archidiaconum, & Vicecancellarium, aſtantibus Cardinalibus, Epiſcopis, Clero, & innumera populi multitudine, ſedit in Apoſtolica ſede Imperatore Cæſare Friderico Auguſto, annos 6. menſes 10. dies 26. ad Lateranũ magna pompa progreſſus.

CARNISpriuij bacchanalia amplianur.

Paulus II. rem gratam populo Romano facturus, ad ædes, ſeu palatium S. Marci, quod ipſe magnis ſumptibus ædificauerat, habitatum venit, & bacchanalia in carniſpriuio fieri ſolita ampliauit, ita vt feria ſecunda ante carniſpriuium, iuuenes, pallium vt aſſequerentur, currerent, feria ſecunda Iudæi, feria quarta ſenes, feria quinta ibatur in agonem, feria ſexta domi manebant, ſabbatho ad venationem. Dominica pallia conſueta, feria ſecunda bubali, feria tertia aſini, hiſque ludis valde delectabatur.

Pœnitentia quorundam hæreticorum ad fidem conuerſio.

Anno 1467. die 8. Iulij, octo hæretici in Templo Aræcœli, in platea Capitolina ad ſuggeſtum perducti, cum mitris papyraceis in capitibus; Vicarius Papæ, cum alijs quinque Epiſcopis, ſermonem ad illos habuit, & nonnullos ex eis conuertit: conuerſi, amicti veſte nigræ telæ, de bocacino dicta, cum Cruce alba, ante, & retro, ducti in Capitolium.

Anno eodem 1467. ſterilitas frumenti, copia tamen vini tanta fuit, vt in multis vineis vuæ relictæ fuerint neglectæ.

MIRACVLOSA Deiparæ Virginis Imago Viterbio inuenta.

Eodẽ anno, piæ fœminæ Viterbij per viſum viderunt, menſe Iulio, tegulam, è quercu pendentem, in qua multis annis fuerat Imago Deiparæ Virginis depicta, in agro Grazanico, non longe à Viterbio; adeunt locum, & platea apertus, quo cuncta eſſent conſpicua; aram ædificari ſubter quercum faciunt, in qua imaginem reponũt, quæ ruinæ proxima erat, ſuper quam Miſſa celebrata, cœpit mox innumera miracula edere, & fama eius vbique locorum, & terrarum diffundi; & à toto Chriſtiano orbe immenſus populus confluebat; etiam captiui, qui in Africa, & qui Conſtantinopoli erant, eam inuocantes, numen eius propitium ſentiebant. Viterbienſes exædificato ſacello, aſſidui ei ſanctuario inſeruiebant, *S. Mariam à Quercu* nominantes, quæ duobus milliaribus a Viterbio diſtat. Huius miniſterium Ieſuatis primum, biẽniumque à Paulo Papa II. commiſſum, loco miniſtrarunt, deinde anno 1469. Fratribus ordinis Prædicatorum locus conceſſus, Ieſuatis diſcedentibus, conſenſu Communitatis, ita autem ſe res habuit. Baptiſta Clauarius Viterbienſis, vineam habebat in pago Grazanico Viterbio proximo, & cuius ſingularem affectum gereret erga Deiparam Virginem, eius Imaginem in tegula depingi fecit à Cæſare pictore, quam in vineam ſuam detulit, & in ſepe, vbi vaſtiſſima quercus erat, repoſuit, ab eadem quercu pendentem, ibique per 30. vel 40. annos perſtitit, contra iniurias imbrium, ventorum, gelu, & niuium illæſa, ſepe à quercu vi ventorum decuſſa, & reſtituta in ſuum locum fuit, & anno Domini 1467. die 8. Iulij cum iter illac agerent plerique viri pij, & ſe illi commendarent, continuo ſe ſenſerunt, à multis, quas patiebantur, ægritudinibus liberatos, votáque ſua cerea illic repoſuerunt: cæcis viſum reſtituit, claudis greſſum, ſurdis auditum, mutis loquelam, vulnera ſanauit, oſſa ſolidauit, ſpiritus malignos à corporibus obſeſſorum expulit, aliáque miracula multa fecit, ex eleemoſynis pecuniæ collectæ, quibus Templum ſumptuoſum conderetur, quod *S. Maria della Cerqua* Italicè dictum.

MIRACVLA eiuſdem Mariæ Virginis.

FRIDERICVS Imperator Romã venit, inde in Germaniã regreditur.

Anno 1468. venit Romam Imperator Fridericus vigilia Natalis Domini tertia hora noctis, vt peregrinus, & die Circumciſionis initio anni 1469. ſollemniter, & maxima pompa, Papa, & Imperator ad Baſilicam Lateranenſem proceſſerunt, & eadem pompa regreſſi ſub pallio, negotia ſecretò tractarunt, & ita regreſſus eſt in Germaniam Imperator.

TIBERIS inundatio ingenſque tempeſtas.

Anno 1470. die S. Michaelis Archangeli 29. Septembris, Tibris adeò auctus, vt pontem Miluium inundaret, vſque ad portam Flaminiam, & vſque ad arcum Tripolis, nunc Portugalliæ dictum, multáque detrimenta dedit: & die 26. Nouembris adeò ingens tempeſtas, & grando oborta, vt multos ruſticorum in agro conſiſtentium interemerit, vel ſauciauerit, quod grando nuces ſuperaret, vel certè æquaret.

GRANDINIS tempeſtas maxima.

Anno 1470. adeò vehementis grandinis tempeſtas oborta Romæ die 2. Iunij, vt vineas vaſtaret, & feneſtras vitreas confregerit, adducta ſunt grana ad Paulum II. quæ ſingula libram, & ſemiſſem pendebant.

SVPPLICATIONES pro victoria cõtra Turcas adipiſcenda.

Eodem anno 1470. Sollemnis pompa ducta, in qua Pontifex cũ Cardinalibus nudis pedibus proceſſit, geſtabatur Imago S. Mariæ à Populo, & Caput S. Ioannis Baptiſtæ pro victoria adipiſcenda aduerſus Turcas, Chriſtiani nominis hoſtes, indulgentia conceſſa pleniſſima ijs, qui Deum hoc precarentur, & 15. Iulij ſupplicationes denuó actæ in ambitu Baſilicæ S. Petri, ipſe Pontifex geſtauit ſanctum Sudarium, & Caput S. Andreæ.

PAVLVS fœdus, & pacem inter Christianos Principes [illegible] Turcas conciliat.

Ibidem anno 1470. Paulus II. Pontifex maximus omnes legatos Chriſtianorum Principum, præſertim Italicorum congregauit, & ſedatis diſcordijs cunctis, in vnum fœdus, & pacem, aduerſus Turcas conciliauit, quibus peractis Natali Chriſti anni ingredientis 1471. & conuocatis Epiſcopis, & Prælatis ſupplicationes die 6. Ianuarij ſollemnes indixit, quibus ipſe cum Cardinalibus interfuit, victoriam contra Turcas precaturus.

SVPPLICATIO ad Lateranũ pro bello in Turcas.

Anno 1470. die 8. Iulij, ſupplicationem Paulus II. ad Lateranum, quod Turca Chalcidem, ſeu Negropontem oppugnaret indixit (Turcas ferociſſimos hoſtes Chriſtianæ religionis capta ferè tota Epiro in Illyricum irruere Pontifex accepit, huius rei vicinos Principes procul à ſe diſiunctos, certiores fecit: rogauitque, vt pro communi ſalute ſoliciti aduerſus eos arma ſumerent, ſed irrita petitio eius fuit: maluerunt enim ſinguli alere priuata odia, quàm Chriſtianæ pietatis populos ſeruitute oppreſſos liberare) cui quidem ſupplicationi ipſe Pontifex cum Cardinalibus interfuit, Reliquiæ inſigniores vrbis circumlatæ, Saluator, inquam, S. Ioannis Lateranenſis, Imago Dei Genitricis à Populo, caput S. Ioannis Baptiſtæ; eo die Turca vnus baptizatus, & portatus Calix aureus, multis pretioſis gemmis ornatus; quem Rex Gallorum Baſilicæ Lateranenſi donarat, tribus millie aureis æſtimatus. Paulus Papa erogauit Saluatori Lateranenſi, Fratribus ſcilicet eiuſdem Baſilicæ, S. Mariæ de Populo, capiti S. Ioannis Baptiſtæ, ſingulis ducatos 25.

QVIDAM Turcus baptizatur. Calicẽ aureũ Baſil. Lateranẽſi donat.

FRIDERICVS [illegible] Rex Romam venit, benignéque à [illegible] ſuſcipitur.

Per id tempus Fridericus adoleſcens egregius Ferdinandi filius, Mediolanum iturus ad ducendam Franciſci Sfortiæ filiam, fratri vxorem in Regnum, Romam veniens, prodeunte obuiam honeſtiſſimo quoque, & Roderico Vicecancellario. perbenignè à Paulo ſuſcipitur, ac Roſa donatur, quam Pontifices quotannis donare alicui ex Principibus Chriſtianis conſueuere.

SOLLEMNIS Ferrarienſis Ducis Romã ingreſſus.

Anno 1471. die 5. Aprilis, Romam venit 700. ferè equitibus comitatus Marchio Ferrarienſis, quo titulum Ducis à Paulo II. obtineret; ſupellex viatoria pretioſa a 150. mulis delata, tanto apparatu progreſſus eſt, qualis nunquam eo ſeculo viſus, 138. mulis pecunia onuſtis, veſtibus ſericeis, & aureis ipſe ornatus ſerico villoſo cœleſtini coloris, reliqui panno cum ſuis inſignibus, multis nobilibus comitatus; cui Cardinales multi, Senatus Populuſque Romanus obuiarunt, quique à Papa honorificentiſſimè exceptus.

Anno 1471. die 19. Maij tanta vis grandinis cecidit, vt vineas, frumentum, & hordeum abſumeret, grana trium vnciarum ſingula pondus habebant.

DEDICATIO Tẽpli S. Mariæ de Conſolatione.

Anno eodem 1471. die 20. Iunij Imago Deiparæ Virginis in muro depicta propè S. Mariam Gratiarum ſubter montem Capitolinum cœpit miracula edere, & deinceps, perſeuerauit. Templum illi conſtructum, & dedicatum *S. Mariæ de Conſolatione* vocatum: dedicatum autem fuit 3. die Nouembris.

Deſpotus Moreæ Demetrius, qui Caput S. Andreæ Romam detulit ſub Pio II. Papa, procerus fuit, & pulcher aſpectu Romæ obijt. Ad cuius exemplar Papa Paulus II. ſtatuam ingentem marmoream S. Pauli, quę extat ad ſcalas ſancti Petri effingi fecit, duobus filijs relictis maribus, & fœmina pulcherrima vna.

Paulus verò rebus Italiæ compoſitis, cum intelligeret militiam Rhodiorum militum, ob inopiam, ad nihilum redigi, eorum Magiſtrum, ac Primores religionis ad ſe vocat, corrigendi erroris cauſſa qui poſt frequentes conuentus apud S. Petrum habitos, tædio animi, & ſenio confectus moritur, ſepeliturque in Baſilica S. Petri, non longè a ſacello S. Andreæ: in cuius locum Carolus Vrſinus ſuffectus, Rhodum ad tuendam inſulam properè mittitur.

QVIDAM hæretici in Poli oppido inuẽti.

Interim verò cum Paulo nunciatum eſſet, in Poli oppido in Æquicolis poſito multos hæreticos eſſe, Dominum loci, viros octo,

& fœminas

& fęminas ſex comprehenſos, & ad ſe perductos, cognito hominū errore, ignominia notauit, & quidem grauiſſima, eos potiſſimum, qui pertinaciores fuere: nam mitius, cum iis, eſt actum, qui errorem confeſſi, veniam petiere.

Statuas veteres tota vrbe vndique conquiſitas in ſuas illas ædes, quas magnificentiſſimas ſub Capitolio ad S. Marcum extruebat, congerere ſtuduit; aduecto etiam ex S. Agnete B. Conſtantiæ ſepulcro, fruſtra reclamantibus monachis loci, qui poſtea, mortuo Paulo ſepulcrum illud porphyreticum à Sixto IV. Pontifice repetiere, & obtinuerunt.

Poſt diſceſſum Borſij Eſtenſis, quem ad vrbem cū magno equitatu venientem, magnificentiſſime, & lautè ſuſceperat, Ducemq; Ferrarię creauerat, Pontificatus ſui anno ſexto, menſe decimo, 5. Kalend. Auguſt. ann. 1471. Pontifex ipſe apoplexia moritur, ſecunda hora noctis, ſolus in cubiculo, nemine vidente, quum eo die lætus Conſiſtorium habuiſſet, cœnaſſet hilariter: pituitoſis humoribus, quos ex nimio eſu fructuum, præſertim melonum contraxerat; duos enim prægrandes illo die ederat, atque ob id ſuffocatus apoplexia fuiſſe creditur.

ALIQVA de Paulo. Fuit autem in homine, quantum ad corpus pertinebat, maieſtas Pontifice digna: erat enim magni, ac vaſti corporis, adeo vt dū ad rem diuinam proficiſceretur, ſolus emineret, elegantem vultus ſpeciem præſeferens: vultus erat illi tranquillus, & placidus, frons pura, remiſſa æquè in lætum modum ſupercilia: circa cultum corporis, etſi moroſus non erat, nequaquam tamen negligens habebatur. De apparatu Pontificio non eſt, cur ambigatur, maiores ab hoc vno ſuperatos, Regno præſertim, ſiue Mitram velis appellare, in quod multas opes contulit, coemptis vndique, ac magnis pretijs adamantibus, ſaphyris, ſmaragdis, chryſolitis, iaſpidibus, vnionibus, & quidquid gemmarum in pretio eſt. Prætera publico decreto mandauit, propoſita pœna, ne quiſquam Biretam coccineam (ita appellant capitis tegmen) præter Cardinales ferrent. Quibus etiam primò Pontificatus ſui anno, pannum eiuſdem coloris dono dedit, quo equos, vel mulas ſternerent, dum equitarent. Voluit prætereà in decretum referre, vt Galeri Cardinalium ſerico coccineo fierent, ſed id quo minus decerneretur, vetuere illi, qui benè ſentientes, diminuendam eſſe Eccleſiæ pompam, non augendam cum detrimento Chriſtianæ religionis prædicabant.

PAVLI res geſtæ. Ante Pontificatum verò prædicare ſolebat, ſi fors ei vnquam contigiſſet, ſingulis Cardinalibus ſingula Caſtella ſe donaturum, quo euitandi æſtus vrbani cauſſa ſecedere percommodè poſſent, ſed Pontificatum adeptus, nihil minus cogitauit.

Tolpham, poſt longam contentionem, qua etiam Vrſinos inimicos, ac prope hoſtes fecerat, decem, & ſeptem millibus nummum auſtenuit.

Pecunijs ad liberalitatem plerumque vtebatur, nam, & Cardinales pauperes maximè, & Epiſcopos, ac Principes, & nobiles domo extorres, virgines, viduas, & ægrotos frequenter iuuabat. Curauit idem, vt Romæ annona, cæteraque ad victum pertinentia vilius, quam antea venderentur. Ædificauit etiam ſplendide, ac magnificè, tum apud S. Marcum, tùm verò in Vaticano.

Varia ciborum genera ſibi apponi volebat, & peiora ſemper deguſtabat: vina admodum imbecilla, & diluta bibebat, peponum eſu, cancrorum, piſcium admodum delectabatur. Quibus ex rebus orta credita apoplexia illa, qua è vita ſublatus eſt. Illus eſt habitus, & clemens, vno tamē poſtremò laudari poteſt, quod domi monſtra non aluerit, quòdque domeſticos ſuos, & familiares in officio continuerit, ne ob faſtum, & inſolentiam, Populo Romano, & Aulicis ſtomachum facerent: meritò laudandus, ob perenne ſtudium pacis componendæ, belliquе deteſtandi, boni enim Pontifices ſunt iudicandi, qui nullum inter Principes bellum ſerunt.

In Baſilica Vaticana, ſacello S. Andreæ, ſequēti mauſoleo marmoreo à Marco Barbo Cardinale ſancti Marci conſtructo, cui hoc epitaphium inſcriptum fuit, tumulatus eſt.

PAVLVS II. VENETVS. PONT. MAX.
E. VETVSTA. BARBORVM. FAMILIA. PRÆCLARIS
NATVRÆ. DOTIBVS. AVVNCVLO. EVG. IV NON
INFERIOR. IVSTITIÆ. PIETATIS. DIVINARVMQ.
CÆREMONIARVM. CVLTOR. RELIGIOSISSIMVS
ECCLES. LIBERTATIS. MAIESTATISQ. DEFENSOR
CONSTANTISS. PRÆCIPVO. PACIS. SERVANDÆ
STVDIO. ET. SINGVLARI. OMNIS. GENERIS. MVNE
RVM. ABSTINENTIA. FORMIDANDA. ETIAM. LE
GE. MAGISTRATIBVS. INDICTA. CLARISSIMVS. IN
PRINCIPES. MVNIFICENTIA. IN. PAVPERES. MISERI
CORDIA. INSIGNIS. PATRIOQ. MORE. ANNONÆ. CO
PIAM. VRBI. DEDIT. PATRIMONIVM. B. PETRI. ER
RATIS. POPVLORVM. INDVLGENTISSIMI. PAREN
TIS. AFFECTV. EMENDATIS. ET. CONSERVAVIT
ET. AVXIT. FVRENTES. ARMIS. HÆRETICOS. RE
PRESSIT. ET. QVOD. PER. DIFFICILEM. RERVM
TEMPORVM. CONDITIONEM. EFFICI. CVM. DIGNI
TATE. NON. POTERAT. MATVRA. CVNCTATIONE
FELICITER. SALVBERRIME. DISPOSVIT. VIXIT
ANN. LIII. MENSES. X. DIES. XXVI.


MARCVS. BARBVS. CARDINALIS. SANCTI. MARCI
PATRIARCHA. AQVILEIENSIS
CONSANGVINEO. B. M. P.

Vacauit Sedes Apoſtolica dies quatuordecim.

In Vita Pauli II. hiſtoria Bartholomæi Platinæ non ſequenda; iratus enim, & inimico animo ſcribere videtur, rèmque hiſtorico indignam facere, quem ira, & odio rapi indecorum eſt; Platinæ autem prænomen Bartholomęus fuit, non Baptiſta, vt ex ſubſcriptionibus eius Epiſtolarum, & Commentarijs Cardinalis Papienſis liquet.

DIONYſij Carthuſiani obitus. Eodem die, quo Paulus II. obijt ann. 1471. vita exceſſit Dionyſius Carthuſianus, tot excellentium librorum auctor, quorum vltimus fuit Meditationum volumen, quod ſe ſcripſiſſe ait ætatis ſuæ 78. Fertur Eugenius, cum ex libris eius neſcio quem ſibi vidiſſet oblatum, dixiſſe, *lætetur mater Eccleſia, quæ talem habet filium*: ipſe verò in Hasbania, & Rikelo Leodienſis diœceſis ignobili fuit vico natus.

Vnum hoc vitio datum Paulo II. Papæ, quod ad ædificandum palatium Pontificiū S. Marci, Amphiteathrum illuſtriſſimum opus, quod Imperatores Veſpaſianus, & Titus eius filius tantis impenſis exædificarant, verſus partem dexteram euntibus ad Baſilicam Lateranam, ademptis lapidibus detruncarit. Quod exemplum ſequuti, Raphael Cardinalis Riarius aliud ex lapidibus eiuſdem Amphitheatri, palatium ad S. Laurentium in Damaſo, Cancellariæ vocatum; & Alexander Farneſius, poſtea Paulus III. in Pontificatu vocatus, palatium ſuum pulcherrimum, ad campum Floræ, condidit.

Signum  *Pauli PP. II.*

ADDITIO ANDREAE VICTORELLI.

De Pio, & Paulo II. Cardinalis Ægidius. *Fuit opus hoc ſaeculo Pontificem quoque facundiæ laude pollentem audiri; vt omnino laudis, & ſplendoris decus in ſacro Religionis apice conſpiceretur: emicuit —— prius muſa in Pio: opum auri, & gemmarum ſplendor in Paulo; alter vt auribus, alter vt oculis ſacris ornamentis, ſatisfaceret, viſumque eſt Numen, nihil fere relinquere externorum ornamentorum, quæ demulcere poſſent, atque explere oculos, quia vni Paulo dederit.* (*In Hiſt. 20 sæc.*)

* *Pij II. exequiæ —— ſeptimo poſt obitum die.*] Arrige aures, lector, Cardinalem Papienſem audi. *Septimo igitur die, poſtquam Ancona diſceſſum eſt, reuerſi in vrbem Patres ſunt, & cadauer Pij templo D. Petri illatum, ſepultūmque in Andrea Apoſtoli cella; quam ille viuens pulcherrime adornatam oſſium ſuorum, & S. Capitis Tabernaculum eſſe, voluit.* Hæc ille. (*L. 2. Com.*) Anconæ Pio iuſta fuerant perſoluta, Romæ Pontificem eligendum Patres conſtituerant; (*Idem l. 1.*) quia nonnulli ex ijs, ob ſenium, Anconam non adierant; & quia præcipuè, ſacris legibus cautum erat, vt ibi electio Pontificis perageretur, vbi Romana Curia, quæ eſt cauſſarum tribunal, adeſſet: hanc autem Pius, diſcedens, vt Romanorum animos leniret, Romæ reliquerat.

* *In Aede Ludouici.*] Hæc hauſta ex libro 2. Commentariorum Cardinalis Papienſis in quo tamen duo illa verba Ciaconij deſiderantur, *Dux Amalphitanus, &c.*

* *Pio veram fidem quamdiu,*] Cardinalis Papienſis loc. cit. *Pio iuraſſe fidem,* &c.

* *Hic fratres eius duo.*] Cardinalis Papienſis, *Eſſe hic fratres eius duos,* &c.

* *Igitur celebratis exequijs.*] Hæc Cardinalis Papienſis. Ciaconius initio dixit; quod à Papienſi non didicerat, ſeptimo, poſt Pij obitum, die, dum celebrarentur exequiæ, Patres ad Ludouici Camerarij ędes ſe recepiſſe: ſeptimo die, poſtquam Ancona diſceſſerant, Romam venere; vt, ex Cardinalis Papienſis ſuperius oſtendimus. Ciaconius in vita Pij, corpus eius Romam delatum die 24. Auguſti. Patres autem 6. Kal. Septembris in Conclaue ingreſſos Cardinalis Papienſis teſtatus eſt. 1464. ex Cardinalis Papienſis loco citato.

* *Totam formandis legibus.*] Ex Card. Papienſis l. c.

* *Leges &c.*] Eas refert l. c. Cardinalis Papienſis, ex illo Ciaconius mutuatus. ex illo ego indico, quæ mutauit Typographus in Ciaconio.

* *Neminem quoque aſſiumi.*] *aſſumere* Papienſis.

* *Ius nominandi omnino promittere.*] *Ius ad ea nominandorum nulli omnino promittere.* Papienſis.

A

* *Diplomata etiam non dare.*] *Diplomata etiam non dare.* Idem.

* 7. *Suſciperet.*] *Reciperent.* Idem.

* 8. *Remiſſe.*] *Remque ſuam.* Idem.

* 12. *Portoria indicere.*] *Portoria inducere.* Idem.

* 15. *Adminiſtratorum omnis.*] *Adminiſtratorum omnium.* Idem.

* *Patres induti Pallijs.*] Hunc quoque ritum, qui tunc in eligendo Pontifice, vſurpatus eſt, exſcripſit ex C. Papienſi Ciaconius.

* *Decimo recluſionis die.*] Diem hunc decimum à Card. Papienſi notatum non vidi.

* *Patres alij quatuor.*] *Vno, ferè momento ad reliquos acceſſere.* Card. Papien.

* *Beſſario.*] Hæc quoque, & alia ex Card. Papienſi exſcripta.

* *Indiderant autem.*] Indiderat autem ſibi Formoſi —— nomen Idem.

B

* *Incredibili lætitia.*] Hæc, & ſequentia ex eodem, *Hominem conſolatus eſt.*] ex eodem.

* *Adoleſcens nullis diſciplinis imbutus.*] Verba *nullis diſciplinis imbutus,* apud Platinam non vidi.

* *Paulus autem Barbo.*] Ex Platina in Paulo II.

* *Vicentinis cum Patauino.*] Ex Platina, at verba Pij non indicant, quæ Platina, & ex eo narrat Ciaconius. Pius in itinere Mantuano, Epiſcopi Patauini morte cognita, Cardinali S. Marci ad ſe accito dixit. *Exiſtimaſti, Nos erga te ingratos eſſe; qui iam pri-* [L. 1. Com.] *dem nullo te beneficio affecimus; noluimus minutiora tibi conferre, expectauimus aliquid magni, ex quo diſceres te Nobis cariſſimum eſſe; —— Vacat Eccleſia Patauina, diues, ac nobilis; ad eam, ſi libet, ex Vicentina te transferemus, & Gregorium Corarium, Notarium Noſtrum Vicentinæ præficiemus. monaſterium, quod ille Veronæ obtinet, nepoti Noſtro commendabimus.* Placuit Cardinali oblatio, & gratias egit. Inſigni conatu Cardinalis S. Marci

C

elaborauerat, vt Æneas Syluius in Pontificem eligeretur; antequam [L. 1. Com. Pij II. ſec. 17.] Patauinus Antiſtes demigraret, petierat à Pio, vt parochialem quandam Eccleſiam commendaret; abnuerat Pius: quippe qui maiora tribuere cupiebat; repulſam is non æquo animo tulerat. Pius, inter eundum Mantuam, Eccleſiam Patauinam obtulit: vt paulò ante narraui.

* *Ad 3. Kal. Septemb.*] Ita Panuinius in elogio, & in Chronico: at Platina, *prid. Kal. Septemb.*

* 5. *Idus Septembris —— Coronationis inſignia.*] 16. Kalen. Octobris. Paulum coronatum dixit Panuinius in elogio, & in Chronico: Cardinalis autem Papienſis nò multos poſt electionem [loc. cit.] dies, ſolemnibus, quibus ſacratus eſt Pontifex, abſolutis, coronam poteſtatis Paulum accepiſſe narrat.

* *Ad Lateranum Canonicos Regulares induxit.*] Vide conſtitutionem Sixti IV. *Dum ad vniuerſes,* &c. §. 6. apud Pennotum lib. 3. cap. 31. §. 3. *Vt ſeorſum* ait Platina, *à Canonicis ſæcularibus diuina celebrarent officia.*

D

* *Bacchanalia.*] Platina ait *Pont. Rom.* (Paulus) *ad imitatio-* [In Paul II.] *nem veterum, ludos, & epulum inſtituit —— Ludi erant pallia octô, quæ curſu certantibus in carniſpriuio proponebantur ſingulis die-* [loc. cit.] *bus. Currebant ſenes, adoleſcentes, iuuenes, Iudæi, ac ſeorſum paſtillis quidem pleni; quo tardiores in curſu eſſent, currebāt, & equi, equæ, aſini, bubali,* &c. Dedit Populo Romano epulum Paulus; dedit Populus Romanus epulum Iuliano Principi Leonis X. fratri, in Theatro: verſibus à Iulio Simone Siculo expreſſum id fuit.

* *Imp. Fridericus.*] Platina loc. cit. Voti religio Fridericum impulit, vt, rigidiſſima hyeme, Romam peteret: Venetias primum venit; inde Ferrariam euntem Borſius Ateſtinus, regij animi Princeps, nauibus egregio cultu exornatis, initio anni 1469. obuiam

E

[Io. Baptiſta Pigna lib. 8. de Principib. Ateſtinis.] profectus, Ferrariam eum deduxit, miroq; apparatu (etiam paulò poſt ex Vrbe redeuntem) excepit. Sic Pigna. Cardinalis Papienſis, initio lib. 7. Comm. ſcribit, Paulum II. anno 5. Pontificatus, kal. Decembris, audiuiſſe, Fridericum III. in Italiam, Vaticanam ad Baſilicam, ſoluendi voti cauſa, acceſſurum, veniſſe: ſtatimque virum ex Secretariorum ordine obuiam illi miſiſſe, quam longiſſime; vt, nuntijs crebris, itineris Cæſarei rationem, aliaque diligentiſſimè ſcriberet: ex conſilio Patrum Paulus quatuor ex diuerſis nationibus Epiſcopos, duos Rotæ Auditores, totidemque Conſiſtorij Aduocatos, poſt Secretarium, miſit; vt eum ſecundo loco ſalutarent: tertiæ ſalutationis, in itinere officium Cardinalibus Oſtienſi, & S. Euſtachij creditum fuit, ſed ea lege, ne vltra iter bidui, obuiam illi prodirent: deinde actum; qua ratione excipiendus eſſet in Vrbe, neque enim in libris Rituum, aut apud Hiſtoricos reperiebatur; quomodo tunc excipiendus Cæſar, qui non coronam ſuſcepturus, ſed votum ſoluturus veniebat. Quid tunc actum, nouo

F

exemplo, Card. Papienſis diligenter narrandum putauit. Vno, & eodem die Cæſarem, Flaminia venientem via, ſalutarunt tertio ab Vrbe lapide Præfectus Vrbi, cum Conſeruatoribus, Regionum Capitibus, & alijs vrbanis Magiſtratibus; ad pontem Miluium Antiſtes Vrbanus, cum Subdiaconis, Iudicibus Rotæ, Clericis Cameræ, Acolythis, Cubicularijs, Secretarijs, Aduocatis, alijſque Curiæ miniſtris; inter pontem, & portam Flaminiam Ærarij Quæſtor, cum quo, longo agmine, Pontificis familia, Romani Toparchæ, & belli Duces; ante portam Cardinalium Senatus: hos cum vidiſ-

A

ſet Fridericus, capillamentum detexit, ſingulos manu apprehendit, & ſuauio affecit. Vrbem ingreſſus ſub aurea vmbella, a Romanis ciuibus delata, exceptus, in Vaticanum contendit. Erat iam tertia noctis hora, vix aulæis ornatæ cereis collucebant luminibus: à primis gradibus, vſque ad aram maximam Vaticanam Eccleſiaſticorum virorum Collegia vtrinque diſpoſita hymnos Cæſari idoneos canebant: Vicarius Baſilicæ Mitra, & ſacra veſte ornatus, cum ſuo Collegio, ad eoſdem primos gradus, Crucem oſculandam præbuit: cum illuc Cæſar peruenit, hora erat (Dominici Natalis) noctis quinta, Pontifex nocturnis precibus iam cœptis in ſolio ſuo intererat; ad eum Cæſar acceſſit, & pedem, manum, & faciem oſculatus eſt; ſeditque ad dexteram inter Pontificem, & Cardinales: peracto Sacro, à duobus Diaconis Cardinalibus ad Aram ductus, procubuit in genua, ſoluit votum, Pontificias preces audiuit: deinde Pontifex illum ad cubiculum duxit. Matutinæ laudis offi-

B

cium hora 12. Pontifex coram ſe iterari, voluit; in illo Cæſar à Paulo ſacratum Enſem accepit, ſeptimæ lectionis Euangelium, lineam veſtem oblongam, orarium, & pluuiale, Diaconis Cardinalibus miniſtris, indutus, non ineptè cantauit: cui, die ipſo Natali, Pontifex, ſacris operatus, Euchariſtiæ partem tribuit. Quarto poſt die, in Conſiſtorio de cladibus à Turcis illatis cum paucis egiſſet, conſuluit Pontificem, quid agendum: aderant nonnulli Germaniæ Proceres, Hungariæ, Cyprique Regum, & Venetorum Legati, & cum ijs conſilio inito Cæſar opportunum exiſtimauit, conuentum Chriſtianorum Principum Conſtantiæ habere; at id Pontifici non placuit: multis officijs Cæſarem proſecutus eſt Paulus, bis etiam ad eius cubiculum ſe contulit; in Laterana Baſilica, die Chriſti Domini Circumciſionem præcedente, ad Capita Apoſtolorum Petri, & Pauli conſpicienda intra ferreos cancellos, per ligneum, ad id effectum, pontem eum duxit: poſtridie ad Vaticanū

C

equo albo phalerato, ornamentis imperatorijs honeſtatus, rediens Cæſar, ad pontem molis Hadrianæ innumeros Germanos, priſco ritu, in equeſtrem ordinem retulit, cui ſpectaculo Paulus, horam integram, cum Patribus, interfuit. Dies ſeptemdecim Cæſar Romæ hæſit, multis donatus à Paulo muneribus in Germaniam abijt: ſexcentos equites ſecum habuit, illi, & his in itinere etiam, in locis ditionis Eccleſiaſticæ, neceſſaria ad victum Paulus ſuppeditauit. Hæc, & alia, longè fuſius explicata, leges, lib. 7. Comm. Cardin. Papien. Decem, & octo nummum aureorum millia in excipiendo Cæſare Paulus inſumpſit: ſi Platinæ credas.

* *Geſtabatur Imago S. Mariæ à Populo, & Caput S. Ioannis Baptiſtæ.*] De hoc, & de illa alibi diximus: vnde id hauſerit Ciaconius, libenter cognoſcerem: nullum verbum in Platina legi.

1471. *die 1. Aprilis —— Marchio Ferrarienſis.*] Huius rei [Lib. 1.] narrationem habes in Io. Baptiſtæ Pignæ Hiſt. de Principibus Ateſtinis. Borſium à Paulo Romam accitum is narrat, & 3. Id. Martij

D

Ferrariâ diſceſſiſſe, diuina ope experta. Nicolaus Corrigij, Marcus Pius Carpi, Galeottus Picus Mirandulæ, & Mar. Maria Scandiani Domini Borſium comitati ſunt, &, cum his quingenti circiter honeſto orti genere, amiculis auro, argentoq; diſtinctis obtecti; quos familiares ſequebantur: ſarcinæ à 200. mulis ornatis deferebantur: iuuenes 80. pedibus incedentes ſinguli quatuor canes, vt plurimum, moloſſos, loris vinctos ducebant, cum Vrbem iniſt, 250. hominum millia ad ſpectaculum confluxerant; dictum à nonnullis fuit, nullū Regem, aut Auguſtum pompa, ſplendoreque tam inſigni Romam aduenitſe. Borſius, die Chriſti Reſurrectione celebri, Pontificiæ veſtis ſyrma, quam vocant caudam, dum Paulus [An. 1471. prid. Idus Aprilis.] in Vaticanam Baſilicam, ſacris operaturus, iret, geſtauit: tertiæ horæ precibus abſolutis, à Mediolanenſi, & Cretenſi Archiepiſcopis ductus gladium à Pōtifice, pro Eccleſia dimicaturus, accepit. Tho-

E

mas Peloponenſi Deſpota baltheo, Neapoleo Vrſinus, & Conſtantius Piſaurenſium Reguli filius calcaribus eum exornarunt, & D. Petri miles effectus eſt. Pontifici deinde Angelorum pane refecto manus abluturo aquam præbuit; & deinde ab ipſo veſtem damaſcenam, murium alpinorum pellibus ornatam, acutamque inſulam, binis eximijs pretij lapillis inſignem, virgam etiam auream manu tenendam, & torquem collo toferendum, Ducis, inſignia accepit. [Creatio Ducis Ferrariæ.] Ducem duo Cardinales deduxerunt ad ſedem; Senatus vniuerſus, Paulo iubente, domum ſingulare honore proſecutus eſt. Poſtridie Ducali ornatu honeſtatus Paulum ad Vaticanum comitatus, inter duos Cardinales ſedit, & à duobus alijs ad Paulum ductus Roſa aurea donatus eſt; quam iterum in limine Baſilicæ Vaticanæ, populo inſpectante, Pontifex eidem Borſio dedit. Qui, eodem Pontifice imperante, a Senatu vniuerſo præeunte; inter Cardinales Vicecancellarium, & Mantuanum ad inſignes D. Marci ædes, in qui-

F

bus lautiſſimo conuiuio exceptus, perductus eſt, ante diſceſſum multas gemmas Pontifici donauit. Pauli autem II. ſumptibus in Eccleſiaſtica ditione Borſius iter habuit. Ritus in maioris Ducis [Pign. l. c.] creatione vſurpandos Paulus idem tradidit. Vide lib. 1. de Ritibus S. R. E. cap. 3. ſect. 7.

* *Deſpotus Moreæ Demetrius.*] Deſpota Peloponenſi Thomas Demetrij frater Caput S. Andreæ attulit; non autem Demetrius; vt vidimus in Pio II. Romam Thomas adijt. Anconam S. An- [Ex lib. Cō. & ex Panu. l. 1. cap. 16. Chron. de vit. Imp. Orient. cap.] dreæ Capite delato, cum aliquandiu ibi degiſſet, in Venetorum ditionem reuerſus eſt; & inde Anconam, vt filiam, Seruiæ Reginam,

eò

eò profectam, viſeret: quæ, poſt aliquot dies, Epidaurum euntem, ad Vrbem rediit: coniux infelicem vitam Corcyræ viuens die Augusti 2. exceſſit. Thomæ, & comitibus prius cœnobium Romæ incolendum datum, & ad victum neceſſaria ſuppeditata; qui anno
1481. 1465. filios, filiamque Romam ad ſe venire uiſos videre non potuit; ad Chriſtum enim abiit, die Maii 12. quinquageſimum ſextũ ætatis annum cum ageret, & filios, filiamque Anconam incolumes
Ex paulò amplius. Idem. l. c. cap. 17. perueniſſe, agnouiſſet. Cardin. Beſſario, iis Anconæ morantibus, ad pedagogum ſcripſit, quot nummos, in ſingulos menſes, iis Pontifex decreuiſſet; & quo modo pietate, moribuſq; ciuilibus Romæ imbuendi. Pontifex eos Ancona Romam accitis; & quæ patri, ad vitam ducendam tribuebat, iis tribui iuſſit; Andream Paleologum primogenitum filium dignitatibus honeſtauit. Hæc ex Georgio Frantze Protoueſtiario, Græco illius temporis auctore, & a Turcis cæſi Imperatoris Aulico.
cap. 18. * *Fridericus — Roſa donatur.*] Ex Platina in Paulo II.
* *Conſtantiæ ſepulchro.*] Ex eodem. *In Pols oppido —*] *ſtatuas.*] Ex eodem loc. cit.
Ann. 6. menſ. 10.] Sic Platina, & Genebr. & annos — ſex, menſes 10. dies 26. Paulum ſediſſe, tradit Panuin. in Chron. & in elog. idem ex illius epitaphio diſces.
* *5. Kal. Aug.*] 8. Kal. Aug. l. c. die veneris, hora 3. ſequentis noctis.
* *Duo, (pepones) pragrandes.*] Eo die, quo nocte ſequenti exceſſit: ait Platina.
* *Regno — ſine Mitram.*] Ex Platina. Pontificiam triplicis coronamenti Tiaram, Regnum Mundi, Paulo II. imperante, appellatam primo, dixit Card. Ægidius Viterbienſis. eius verbis non inuitus, aures arriges. *Incredibili pretio emit, ſacrauitq; Mitram*
In Hiſt. 20 ſecul. *maximam inſolito pretioſiſſimarum gemmarum pondere oppletam; qua ornatus cum prodiret, oculos omnium luce, radiiſque feriebat. Vocari coepta eſt maxima illa Mitra Regnum Mundi; quam Paulus ſublimi faſtigio ſurgentem, regna — pretio ſuperantem primus reddidit, primus lectiſſimarum gemmarum, toto Orbe quæſitarum, luce exornauit ambitum trium coronarum; quarum vſus ex arcanis agnoſci ſolum poteſt.* De Mitra maxima, Pauli iuſſu confecta, ante Cardinalem Ægidium, Cardinalis Papienſis ea poſteris tradidit: quæ cum allatis verbis diſtricto enſe non dimicabũt.
L. 2. Com. *Porro autem gemmis, lapilliſque admodum delectatus — conquiſitis undique pretioſiſſimis, Mitram, quæ tribus educta coronis, Regnum appellatur, atque a Pontificibus, multis ante ſeculis, deſita erat geſtari, nouam confecit, atque adhibuit: cuius hodie licitantium opinionibus amplius centum, & viginti millium eſt æſtimatio.* Qui ſibi tam inſignem parauit Mitram, aliis, dedit, ademitque:
Idem. l. c. quæ Cardinalibus ſericeas damaſceni operis Mitras indulſit; qui ſacro veſtitus ornatu ab inferiorum ordinum Prælatis loco ſolo agnoſcebantur: ademit Nicolao Beneuentano Archiepiſcopo triregalem Tiaram: qua is, ex more quodam priſco, vti conſueuerat. Diebus celebrioribus, quibus Antiſtites pretioſiores Mitras adhibent, triregali, (vtar verbo Pauli) Beneuentanus Præſul vtebatur; & aliquando ſacratiſſimam Euchariſtiam ante ſe deferri, curabat, vtrumque eum facere, Paulus vetuit: anno 2. 6. Kalen. Iunii. *Ad*
1466. *futuram rei memoriam Sac. S. R. E. mater cunctorum Christi fidelium, & magiſtra, &c.* pœnaſq; interdicti, & ſuſpenſionis pro-
Apud Fr. Pocciantum Abb. poſuit. Diploma ex Vaticano Archiuio Benedicti Iuſtiniani Cardinalis ſtudio exſcriptum legi, & deinde hæc auii.
* *Publico decreto mandauit — ne quiſquam biretum, &c.*] Verba ipſa ex Platina exſcripta. Volaterranus lib. 22. Antropol. *Noſtra ætate*, ait, *Paulus II. tegumenta ruſſata Cardinalibus dedit.* Cardinalis Papienſis rubra capitia Cardinalibus à Paulo II.
L. 2. Com. tributa memorat; addens; *quibus ſoli Antiſtites Romani antea vtebantur.* Papienſis tunc viuentis, & videntis narrationem veriorem exiſtimo, quàm Platinæ, & Ciaconii aientium; iuſſiſſe Paulum, propoſita pœna, ne quis rubrum biretum deferret: quanquam, & hoc fieri potuit: at de hac re, & de Cardinalium purpura alibi.
* *Pannum eiuſdem coloris — quo equos, &c.*] Ipſiſſima hęc Platina, Card. Papien. alia Paulum Cardinalibus dediſſe, narrat;
Card. Pap. loc. cit. ſubſellia, ſcilicet, altiora tum ad Senatus, tum ad ſacrum ſacrarum concilium: inſtituit etiam; vt Cardinalibus, qui quatuor aureorum nummum millia, ſingulis annis ex ſacerdotiis non perciperent, centum ſingulis menſibus darentur: Epiſcopis etiam, vel ſedibus pulſis, vel redituum inopia preſſis liberalem opem tulit.
Card. Pap. l. c. cit. * *Serico coccineo, caſtella — pecuniis — ciborum — &c.* Omnia ex Platina.
* *Hiſtoria — Platina non ſequenda.*] Hoc quoque ab aliis exſcripſit Ciaconius: ſi in Pauli vita Platina non audiendus, cur in multis, quæ ex vita Pauli ab illo deſcripta, deſumpſit Ciaconius audiendus erit? non fuit in omnibus mendax Platina.
* *Dionyſium Carthuſianum.*] Hæc ex Mallonio accepit.
Paulus, mox vt Pontificatum iniit, ad publicam Catholicæ fidei cauſam animum adiecit, tres primos ex Cardinalibus delegit, quorum hæc cura eſſet aſſidua: meditarentur, conferrent conſilia, diſcuterent, vtilia, quæ cenſuiſſent, ad ipſum deferrent, decreto muniendo Pontificio; teſtis eſt Card. Papien. epiſtola 95. vbi narrat, acceptis ex vniuerſa Italia Principum Oratores, & quid in Conſiſto-

A rio Paulus dixerit; agebatur autem de bello in Turcas. Antonius Campanus, oratione in conuentu Ratiſponenſi habita, Paulum laudauit: Paulus egregia epiſtola, in qua de Turcarum victoriis etiam, à Duce ſubſidia petiit: in eius calce. *Quod negabis Vicario Chriſti, negabitur Chriſto — ſubita ſint — auxilia tua. dilationibus noſtris creſcit continuè hoſtis. — morientium gemitus, & tectorum lacrymæ, — & ſanguis, qui effunditur, & Dominus Deus tuus tibi ante oculos ſit.* dixit. Apud Car. Papien. epiſt. 163.
Georgium Podebratium Boemiæ Regem hæreſi inquinatum Huſſitarum Regno priuauit; quod Pius II. facturus erat, ſi diutius vixiſſet. Vide quæ diximus in Eugenio IV. ad Ioannem Caranatalum, & lib. 6. Comm. Card. Papienſis, qui cum intellexiſſet, Regem Hungariæ peruicaci Georgio Boemo, ad Dei iniuriam propulſandam, bellum indixiſſe, in ſpem ſalutis erectus, Paulo gratulatus eſt, verbaque in Conſiſtorio, die, qua ſententiam in eundem Alias Pogebrand.
B Boemum is tulit, prolata recenſuit: dixerat tunc Paulus. *Non videre ſe executorem tanti iudicii, ſed futurum aliquando vindicem Deum: atque eius ſpe magis, quàm hominum eam damnationem ſe ingreſſum.* Cochlæus narrat, Georgium, olim Boemiæ Regem, ægrotantem Erneſtum, & Albertum Saxoniæ Duces, affines ſuos, rogaſſe; vt Oratoribus Romam miſſis, à Pontifice ſolutionem ab anathemate, aliiſque cenſuris, vel ſuſpenſionem, ſaltem donec audiretur, peterent; pollicebaturque ſe omnia effecturum, quæ a catholico Rege, cauſa cognita, eſſici oportuiſſet: Duces illi verè Catholici miſſis Oratoribus, quæ petebant adepti ſunt; ſed Georgius, antequam illi Roma redirent, ex mortalibus, anno 1471. Cochlæo teſte diſceſſit. Epiſt. 263. L. 13. Hiſt. Huſſit. in fine.
Die Aſcenſionis Chriſti Domini, Paulus, inſigni Cardinalium, populique frequentia, ſacrum ad Deum, pro pace conſtituta, placandum, peregit; &, dum verſiculus *Agnus Dei* decantaretur,
C more non vſitato, non ſolum proximos, ſed Cardinales omnes, & Principum Oratores, qui ſacro interer ant, ad oſculum pacis excepit. Hæc narrat laudatq; Card. Papienſis epiſtola 295. Paulo II.
Gubernatores locorum ditionis Eccleſiæ munera accipere, vetuit eſculentis, & poculentis exceptis, quæ triduo conſumuntur, Conſt. *Munera*, &c. anno 1466. 15. Kal. Aprilis. Tom. 1. Bullar.
Bona Eccleſiaſtica vendi, aut, vltra triennium, locari, prohibuit. *Ambitioſæ*, &c. anno 1467. kal. Martii. Celebritatem Iubilei ad annum 25. reuocauit. *Ineffabilis prouidentia*, in anno 1470. 13. kal. Maii: Sixtus IV. poſt pauli obitum, peregit. Ibidem.
Eccleſiæ Lateranenſis, & Cleri præeminentiam idem Paulus confirmauit, anno 1465. *Pontifices Romanos*, &c.
Frigidas, maneſq; Pleſſæi in Paulum calumnias delet Gretſerus cap. 64. Exam. Myſt. Pleſſ. Qua vertigine captus Platina, cum Pauli apoplexiam ex gemmarum, quibus oneratus prodibat in publicum,
D pondere, alibi ex peponum, & quorundam aliorum eſculentorum eſu ortam dixit? claudat quæ diximus Ianus Vitalis. In Hadr. I. V. Gret. l. c.

Aurea pax, fœlix concordia, copia rerum.
Tempora ſacrarunt, PAVLE SECVNDE, *tua.*

Ferdinandus Siciliæ Rex Paulum, & Cardinales, per Oratores, in Conſiſtorio auditos, obſecrauit; vt connubio à primogenito Alphõſo cum Hippolyta Mediolanenſium Ducis filia celebrando Legatum Apoſtolicum intereſſe, vellent. carebat exemplo res, vt Card. Beſſario dixit; quid actum, epiſt. 85. Papienſis, fine carens, in qua hæc, non docet: petiit etiam Rex à Paulo; quid ſibi agendum cum Turcarum Rege, octingenta aureorum millia, in ſingulos annos, ſi alicui in Italia bellum inferre, vellet, offerente; & amicitiam mutuis Oratoribus fouere, filiorumque, & filiarum nuptiis affinitatis vincula nectere, poſtulante. Principis ſtudia.

E
NOVA ADDITIO AVGVSTINI OLDOINI SOCIETATIS IESV.

CARDINALIVM viginti, qui interfuerunt comitiis poſt Pii II. obitum, nomina referunt Panuinius, & Ciaconius; decem, & nouem tantum recenſet Cardinalis Papienſis, qui comitiis interfuit, & Ioannem Rolinum a Ciaconio enumeratum ille prætermiſit: ſed in hoc præſtanda potiùs eſt fides Cardinali præſenti, quam Ciaconio abſenti. Diſſentit etiam laudatus Ciaconius à Panuinio; nam hic viginti, & ſeptem enumerat Cardinales vitam degentes, Comitiorum tempore; ille verò ſex tantùm ſupra viginti. Abſentes igitur ex Panuinio ſeptem fuerunt, videlicet. Cardinales qui interfuerunt Comitiis.
Petrus Schouuembergh Germanus, Presbyter Cardinalis ſancti Vitalis titulo Veſtinæ.
F Ioannes Rolinus Gallus, Presbyter Cardinalis titulo ſancti Stephani in Cœlio monte. Cardinales abſentes.
Ioannes Lodouicus Milanus, Hiſpanus, Presbyter Cardinalis titulo ſanctorum Quatuor Coronatorum.
Nicolaus Fortiguerra, Piſtorienſis, Presbyter Cardinalis titulo ſanctæ Cæciliæ.
Fr. Ioannes Ioſfridi, Gallus, monachus Cluniacenſis, dictus Atrebatenſis, Presb. Cardinalis S. Martini in montibus tit. Equitii.
Iacobus de Cardona Hiſpanus, Presbyter Cardinalis.
Brocardus Presbyter Cardinalis SS. Nerei, & Achillei

Decem

A D[illegible], & [illegible] Cardinalium ſuffragijs dictus, eſt Romanus [illegible] ſufcep[illegible] etra. Barbus Presbyter Cardinalis S. Marci die 30. Auguſti anni 1464. & die Dominica 19. Septembris in gradibus Baſilicæ Vaticanæ coronam accepit, vt patet ex libris Diuiſionum ſacri Collegij in Vaticano ſeruatis. Ciaconius refert, ſed malè, hanc coronationem ad diem nonam Septembris; nam ipſius Pauli literæ, quas mox reſcribemus datæ fuit ante coronationem die 11. Septembris. Peractis igitur ſolemnibus, Paulus, ante coronationem, tamen has ad Federicum Comitē Montisferetri literas dedit.

PAVLI electio.

PAVLVS EPISCOPVS
ſeruus ſeruorum Dei.
Dilecto filio nobili viro Federico Comiti Montisferetri, Vrbini in temporalibus Vicario generali ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Pauli literæ ad Comitē Montisferetri. Felix Coſelarius Biondo.

B *Fundamentum aliud nemo ponere poteſt, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Ieſus Christus Saluator noſter, qui pretioſo ſuo ſanguine ſanctam Catholicam fundans Eccleſiam in montibus ſanctis, iuxta Prophetam eius fundamenta conſtituit, quo tanquam de optimo Architectore locata, ita altè baſes ſuas egerunt, vt diuturnitate temporis, aut tempeſtate proſterni nullo modo poſſint; ſed ipſo Domino diſponente, per Vicarios ſuos beatum Petrum, & Succeſſores vſque ad finem ſæculi ſit duratura. Cum itaque fel. rec. Pius Papa Secundus, Prædeceſſor Noſter ſummus dictæ Eccleſiæ Pontifex, ac verus Ieſu Christi Vicarius in ſede Petri hactenus ſedens, in ciuitate noſtra Anconitana, ad quam pro expeditione in Turcas ſupra vires ætatis, & valetudinis ſuæ perſonaliter ſe contulerat, decimo octauo Kal. Septembris ex hac peregrinatione ad cæleſtem Patriā migrauit, poſt ſolemnem exequiarum celebrationem Nos vnà cum venerabilibus fratribus Noſtris S. R. E. Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, Romæ in Palatio Apoſtolico apud Baſilicam* C *S. Petri Apoſtolorum Principis, loco ad id conſueto, & per eoſdem Cardinales concorditer electo, modo & tempore congruis pro electione ſummi Pontificis in Conclaue ingreſſi ſumus, vbi in primo ſcrutinio Miſſa ſancti Spiritus celebrata, Deus, qui concordiam in ſublimibus operatur, ita eoſdem Cardinales vnanimes in tanta hac Sedis Apoſtolicæ prouiſione effecit, vt miro, & Nobis ſtupendo Dei conſilio ad imbecillitatem Noſtrā oculos dirigentes, Nos tunc tituli S. Marci Presbyterum Cardinalem ad hanc ſupremam honoris, atque auctoritatis Sedem concorditer erexerint. Nos verò non de Nobis, ſed ſolo illo concepta fiducia, qui infirma elegit, vt fortia quæque confundat, debiles manus Noſtras ad fortia, humeros Noſtros ſummo ſuperhumerali muniuimus, colla Noſtra humiliter ſubijcientes Apoſtolicæ ſeruituti, Redemptorem Noſtrum Ieſum Christum, cuius immeritò vices gerimus ſuppliciter exorantes, vt qui per hanc vocationem in maris mundi huius altitudinem* D *Nos deduxit, non patiatur ab ipſius tempeſtate demergi; præſertim cum omnes conatus Noſtros pro tutela fidei Christianæ contra eiuſdem inimicos, & maximè ad reprimendam Turcarum rabiem dirigamus, ſed illam Nobis ſua potentia dexteram porrigat, quæ Apoſtolorum Principem in fluctibus ambulantem erexit, & Paulum die, ac nocte in profundo maris poſitum liberauit. Hanc verò aſſumptionem Noſtram ad tuam conſolationem ſignificandam duximus nobilitati tuæ, quem vti peculiarem Noſtrum, & Eccleſiæ filium ſingulari complectimur charitate, hortantes eandem in Domino primum, vt porrigi facias preces ſolemnes ad Dominum Deum noſtrum, vt Nobis ſua gratia aſſiſtat, & greſſus Noſtros dirigat, vt Eccleſiam ſuam ſacram ad [illegible] & honorem eius, extirpationem hæreſum, defenſionem, exaltationem fidei, pacem, & quietem populi Christiani feliciter in Domino gubernare valeamus. Tua autem nobilitas, quod maximè Catholicos Principes de-* E *cet, à quibus cæteri bene viuendi exempla debent aſſumere, fidem Catholicam, Noſtram & Apoſtolicæ Sedis auctoritatem, honorem, & libertatem Eccleſiaſticam protegere, & defenſare velit. Cæterum Bullam plumbeam ſine Noſtri nominis impreſſione eſſe præſentibus appenſam tua nobilitas non miretur; nam ante accepta coronationis inſignia perfecta Bulla vſus cum impreſſione nominis Pontificis de conſuetudine non habeatur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1464. tertio Idus Septembris, aſſumptionis noſtræ anno primo.*

L. THERVNDA.

Cardinalibus ſumct. Initio Pontificatus Cardinalibus, qui ſacris induti veſtibus à Prælatis inferiorum ordinum, præter quam loco non noſcebantur, vſum Mitræ ſericæ Damaſceni operis, præter rubrum biretum indulſit: ſubſellia quoque tam ad Senatus, quam ad ſacrificiorum conſeſſum F altius eleuauit. *Card. Papienſis.* Annuos redditus ex Cameræ Apoſtolicæ pecunijs, ſingulis Patribus, quibus annua quatuor millia ex ſacerdotijs non prouenirent, inſtituit. *Item Epiſcopis.* Epiſcopis quoque multis, vel eiectis ſedibus, vel inopes Eccleſias poſſidentibus, pro conditione liberaliter erogauit. *Pius in reos.* Humanum autem perhorrens ſanguinem in reos etiam grauiſſimorum criminum, ſolis carceribus vindicare ſat habuit. *Pecuniæ ſtudioſ.* Idem verò congregandæ pecuniæ auiditate incenſus, breui tempore magnum eius numerum comparauit, tanta in ea re adhibita cura, vt etiam illius accipiendæ, ac perſoluendæ officia, quæ Lucellum aliquod habere intelligerentur, à mercatoribus, apud quos erant, ad ſe aduocata, miniſtris domeſticis, attribueret; ipſe verò nonnunquam in ſeligendis, & colligendis nummorum ſortibus longa ſpatia occuparet. Eugenij verò auunculi ſui veſtigijs inſiſtens Regulares Canonicos in Laterano reſtituendos initio ſui Pontificatus iudicauit, minimè tamen amotis ſæcularibus, quod ita Eccleſiæ obſequijs melius proſpectum iri cenſeret. Hi ſeorſim rem ſacram habebant, Pontifex autem dabat operam, vt qui præmorientibus ſubinde ſupererant ſæculares Canonici, quò ſenſim eorum nomen aboleretur, ſponte ſe ſtipendijs, ac redditibus abdicarent, neque alios ſubrogabat. Quin etiam vt id faciliùs præſtarent, largis, & liberalibus prouentibus relictos Canonicatus compenſabat; quod ſi abnuerent aliqui, & mallent Canonicatum alijs reſignare, conſenſum eis Pontifex denegabat. Nempe hoc pacto fieri poſſe arbitrabatur, vt tandem beneficia omnia in vnum corpus redacta B poſſent eſſe ſatis vitæ monachorum Regularium ſuſtentandæ, ne alere illos eſſet neceſſe ſuo, vel Cameræ Apoſtolicæ ſtipendio. Ita demum euenturum, vt ſublatis penitus ſæcularibus Canonicis, Regulares abſque iniuria cuiuſquam Lateranenſis Baſilicæ prouentibus liberè poterentur.

Canonic. Regulares in Laterano reſtit[illegible], relictis ſæcularib. Caſ. Raſpon. de Baſil. Lateranen.

Adhæc quod in Cardinalatu etiam familiare erat, vigilare noctes totas vſque in primam lucem inſtituit, ita vt diebus tantùm Senatus exceptis, in quibus tanti officij cauſa remittebat ſomnum, pranderet ad veſperam, & paulò ante albeſcentem diem cœnaret. Audiri autem nemo ante noctem facilè poſſet, & perpetim vigilare, quibus negocium eſſet, neceſſariò cogerentur: vnde hæc admirationem, & ſermonem in plebe multum induxerant. Sed de abolendis legibus in ipſis comitijs firmatis, ac iuratis tanto conatu egit, vt iam non modò Patres, ſed plebs tota non eſſe in homine eam facilitatem pernoſcerent, quam in priuato erant intuiti. Apparebat C autem eò iniuſtior in hac re omnis eius contentio, quia inter ſubſcribendum circumſtantibus palam edixerat, etiam ſi conſtitutæ eæ leges nunquam eſſent, nihilominus ſua ſponte ſeruaturum eas fuiſſe. Has igitur leges cum ante Cardinalis, & mox Pontifex renunciatus ſubſcriptionibus duabus iureiurando, votoque firmaſſet, delere nihilominus paulò poſt aggreſſus eſt, aliena magis inſtigatione, quàm ſuo propoſito. Erant inter miniſtros eius domeſticos Præſules duo, Cardinalatum magnopere ambientes, Stephanus videlicet Mediolanenſis Antiſtes, ac Theodorus Taruiſinus Epiſcopus, qui videntes deſideria ſua nouis legibus impediri, quòd nimirum numerus Cardinalium iuſto maior non niſi longa expectatione rediturus ad legitimum videretur, ſimulato in Pontificem affectu agere cum eo de illis abrogandis cœperunt, indignum affirmātes, Vicarium Christi poteſtatem humanis conditionibus ſubdi, ipſumque non tam ſui arbitrij, quàm alienæ moderationis miniſtrum D videri, quærendam libertatem eſſe, idque agendum, vt auctoritatem Eccleſiæ apud ſe, non Cardinales eſſe omnes agnoſcerent. Taruiſinus ſummi ingenij vir, ac ſummæ doctrinæ, qui multos iam annos ad tribunal Rotæ exercuerat iudicia, facillimè Paulo perſuaſit, vt nouæ aliæ leges primis contrariæ, quaſi ex perſona Patrum ſcriberentur. Scripſit ergo libellum, in quo erant nouæ leges digeſtæ, & ſigillatim Cardinalibus ad ſecundam ſubſcriptionem obtulit: inuenti ſunt inter illos nōnulli, qui gratiæ magis, quàm animæ ſeruientes, manus ſtatim requirentibus dederint. Qui verò magnitudinem iuriſiurandi, & voti rectiùs expendebant, eam inconſtantiam à Pontifice deprecabantur, pudendam rem aientes, earum legum damnatores eos videri, quarum nuper ſummo conſenſu conſtitutarum vix dum eſſent atramenta ſiccata. Quare ille commotiore iam animo factus, atque ad peruincendum firmato, agere in dies cum Patribus ſeueriùs cœpit, nunc pollicens multa, nunc ve- E xans, nunc lacerans maledictis, nunc etiam liberiùs minitans; nec vllum erat temperandæ mentis tormentum, quod ad oppugnandū homines omnibus non adhiberet. Nicænum Cardinalem priuatæ ſententiæ Patrem fatigatum, diu intra cubiculum, & mox inſuperatū egredientem, manu intus retraxit, ac foribus occluſis eò anguſtiarum adduxit, vt anathema illum pronunciaret, ſi non ſtatim ſubſcriberet. Quin & poſcentibus quibuſdam, vt perlegendi ſemel libelli ante acciperent poteſtatem grauatè admodum indulgebat, manu nonnunquam inter ſubſcribendum, ſcripturam contegens totam, ne ſcriptorum varietas appareret, quæ callidi artificis formata ingenio plena erant verborum effugijs. His atque huiuſmodi moleſtiarum aſſiduis machinis debilitati Patres tandem ceſſerunt, atque ad vnum omnes non ſine gemitu ſubſcripſere, Ioanne Carauagial tantùm excepto. Qui Portuenſis Eccleſiæ Antiſtes, & annos iam ſeptuaginta natus, quod iuuenem ſe non feciſſe meminerat, F vt nulla de cauſa mutaret ſententiam, id iam ætatis non commiſſurum reſpondit. Alij verò licet ſubſcripſerint, non tamen bene de Paulo ſentiebant. Cardinalis Papienſis de hac re has ad illum literas dedit.

Vigilat noctes totas.

Leges in comitijs firmatas abolere ſtudet. Henricus Spondanus in Annal. Eccleſiaſt. C. Papien.

Miniſtri domeſtici auctores abolitionis legum ſubſcriptarum.

Nouas leges edidit.

Aliqui Cardinal. illas firmant.

Aliqui ſubſcribere renuunt.

Cogit Cardinales ad ſubſcribendum.

Ioannes Carauagial Cardinalis ſubſcribere renuit.

PAVLO PONTIFICI MAXIMO

Quid hoc eſt Paule? tenebræ enim mihi ſūt; quid agis, aut quo has temperas conſilio? mutata repente ſunt omnia; nihil priſtinum video. Pro charitate in nos tua ſucceſſit duritas, pro blandimentis, aſperitas, pro læto vultu triſtis ſucceſſus. Venisti Cardinalis, voui-ſti & Pontifex ſeruaturum te leges, quæ in Conclaui ſunt editæ ad

Papienſis literæ ad Paulum.

ſalutem

ſalutem publicam velles: vota tua duobus in libellis chirographum extat: dixiſti cum ſcriberes, etiam ſine voto ſeruaturum te eas fuiſſe: ſic quoque ſcripſiſti cupide, vt vindex non ſeruantium videreris futurus. Sperabamus reſpiraturam Eccleſiam, futurum Pontificatum, qualem à Petro non vidimus. Quid nunc dicam? aut quid potiùs non dicam? commutaſti tu eas in leges inanes, mille effugijs plenas, quibus in hanc ſententiam præſens nos cogis, quia priores bonæ non erant; improbamus quod agimus, præſumus antè probamus. Vocas nunc intra cubiculum ſigillatim omnes, rogas vnumquemque, vt membrana tua ſubſcribat, renitentes vrges, perſeuerantes dimittis vexatos contumelijs; ſi qui ſubſcribunt, non tamen earum prius legendarum poteſtatem accipiunt: cognoſci illas vetas, quin & inter ſcribendum ne legi poſſint, ſcripturam totam manibus contegis. Me quia tibi iure ignota non annuo, torques iam multos dies, idem facis de reliquis, quos ducere in ſententiam nequis. Lamentatus eſt mecum Cardinalis Tuſculanus, vir grauis, & innocens, ſe nuper egredientem cubiculum tuum, vt colluctationes tuas effugeret, manu reprehenſum eſſe, & oſtio clauſo exire prohibitum; iuſſum porro ſub graui anathemate rebus non inſpectis ſubſcribere. O bone Ieſu, quæ præcipitatio hæc eſt? & quæ intemperies mentis? talem de te præbes ſpem Paule? atque hoc initium Præſulatum inſtituis? Quæ expectatio erit fidelibus bonorum operum, quando excutere te meum ſalutis intelligent? quod exemplum modeſtiæ, quando ita vehementer actum cum fratribus noſcent? Nobis verò quem eſſe animum credis? videntibus noſtræ dignitati illudi, & vim ſimul afferri? Hoccine erat, quod promittebas de te? cum Pontificatum quærebas; cum te inſinuabas nobis, cum dolebas, Nicolaum, Calliſtum, & Pium paruì pendiſſe Collegium noſtrum: ecce quod damnabas in alijs, primus tu facis: quod illi agebant modeſtiùs, tu intemperantiùs agis. Nemo eorum ſubſcribendum Cardinali dedit, quod non ante vidiſſet, nemo in cubiculum clauſit, nemo anathema impoſuit. Non diſputabo nunc, voto illo tenearis, an non: alterius loci, & temporis ſit inquiſitio: tantum dico, paucis exceptis, quod ſublatis legibus faciliorem ſibi ad Cardinalatum viam intelligunt, reliquos tam Pontificij, quam Diuini Iuris interpretes, totum quoque Collegium teneri te exiſtimare. Hoc verò lamentor, hoc doleo, quod filios tuos de te optimè meritos indigni fatigas, inſignemque leuitatis notam ſine cauſa eis imponis: etenim tenearis, vel non tenearis; quid nos noſtris ſubſcriptionibus poſſumus? quid annuendo operamur? ſi non teneris rem ſuperuacuam facimus? ſi teneris, atque inutilem: vtrumlibet malis, nullus eſt fructus. Poteſtatem non habemus nos tollendorum votorum, nec redimendi quod oblatum eſt Deo: cum tibi res eſt quos appellas in voto cum Petro, & Paulo, & cum Chriſto Deo tuo: cogens nos commenationibus tuis, illos non cogis: factus à nobis liber, non itaque libertatem ab illis conſequeris. Audi Prophetam dicentem: Vouete, & reddite Domino Deo veſtro, omnes qui in circuitu eius affertis munera, terribili & ei qui aufert ſpiritum Principum, terribili apud omnes Reges terræ; *Reddi videlicet admonet vota, non reddentibus autem pœnam denunciat. Verùm iſta omiſſo, conuertor ad preces beatiſſime Paule, atque aduolutus pedibus tuis, pro omnibus veniam deprecor: ſint libera conſilia noſtra; ad opus quod malum credimus, non cogamur inuiti; filiorum apud te, non mancipiorum inueniamus locum: liceat præſtare Deo, quod ſenſerint ſpiritus noſtri. Si erramus, doceamur à te, ſi docti non emendamur, pro meritis tunc corrigamur; adhuc quod non tenearis voto, non docuiſti, quod teneris nobis, ſumus experti; ex ratione, non ex tua voluntate patere ſententias dici. Attende quoque ignominiam fratrum, & illorum conſule nomini: habuiſti eos honoris tui non minus ſtudioſos, quàm voluntarios; nota ſunt vbique terrarum hæ leges, cogitata per nos, diſcuſſa inter nos, iurata, ac vota à nobis. Opus noſtrum illud eſſe nemo ignorat, conſentiẽs, vnanime, ex veteri exemplo ad ſalutem publicam innouatum. Vix dũ, vt eſt in prouerbio, ſiccata ſunt atramenta, cum cogimur delere quod ſcripſimus: quid aliud hoc eſt, quam non ſanæ mentis Senatum tuum arguere, quem in quotidie anteferendum Regibus prædicas. Non omnes coactionem tuam intelligent, factum noſtrum intuebuntur, & exitum voluntatis putantes quod eſt neceſſitatis: non erit tu quidem ab his querelis immunis; pariter nobiſcum damnabere; atque eo damnabere grauius, quod ad mutationem propoſiti, contemptum etiam voti, & cupiditatem non ſanioris, ſed liberioris vitæ adiunctam videbunt. Porrò quas imprudentia leges conditas dicent, eiſdem te electum contendent: nihil in hac abrogatione vel tibi vel nobis eſt honorificum: vertuntur omnia in commune opprobrium. Quare omitte quæſo importunum conſilium, iracunde ne agas nobiſcum; valere has leges ſinito: ſeruauit iam Pius, ſerua & tu; non propterea minuitur tua poteſtas. Ad bonum opus ſunt traditæ claues; ſi bonæ ſunt leges, cognatam rem habes clauibus tuis; ſi aliquando ex tempore, ex loco, ex te, ex qua piam cauſa ſiunt inutiles, eſt ſemper diſpenſatio tua; non idem omni tempore dictat; ſed idem ſpectat prima ſedis poteſtas. Hoc autem ampliùs operatur hoc votum, vt quod aliquando voluntate eſſes facturus, promiſſo etiam perſeuerantius agas. Puto implere me officium filij, & ſuadere quæ ſunt ſalutaria: hanc ob cauſam hæc ſcribo; ſi erro non recuſo corrigi emendatus. Vale.*

Paulus abolitionē legũ vult.

Permanſit in eadem ſententia Paulus, vt ipſemet Cardinalis Papienſis ad Cardinalem Theanenſem his literis habet. *Non precibus, non ratione, non obſecrationibus vllis adduci potuit Paulus, vt ſeruandas ſibi putaret leges votas, atque iuratas: tanquam leo plagas, ſic iſte ſancta vincula abrupit: ſcripſit nouas à prioribus multùm diſſimiles, quarum virgines ſunt vultus, fœdiſſima ventris proluuies: præferunt ſpeciem boni, intuenti interiùs patent poſtica innumera, ex quibus cum vult effugere poteſt ad libertatem quæſitam. Subſcripſimus omnes partim cupiditate aſſequendorum quæ volumus, partim metu, ne quotidiana indagationis ſuæ ſuſtineamus flagella: fateor, molles ſumus, delicati, ac noſtrimet nimium cupidi: reſpeximus non quæ Dei, ſed quæ carnis, & ſæculi ſunt, nemo tamen probauit. Solus Ioannes Carauagial genere Hiſpanus, ætate grandæuus, meritis magnus conſtantiæ laudem inuenit; turpitudinem hanc iſt deprecatus, nec vllis temperamentis ingenioſi poſtulantis, propoſito dimoueri eſt paſſus. Ad ſingulas ſollicitationes ſic ſe excuſauit: quod iuuenis non commiſi, non committam ſenex, vt me ræſtis pœniteat: tibi propter has leges moleſtus non ero; tantùm ſinito dignitatis, & conſcientiæ meæ rationem habere. Vir profectò dignus, non qui nobiſcum ſedeat, ſed qui præſideat ad conſilium Sedis Romanæ. Dolendum aliud audi quanquam in his ipſis iniquibus legibus dicat ſe voturum ſuo chirographo, aut iuraturum; nihil tamen vel iurauit, vel vouit; tantum ſubſcriptionibus noſtris extortis, membranam in ſuas arculas condidit. Nec vt conſuetum eſt exemplum nobis reliquit ſeruandum, inſpiciendumque, ſi quando ex illis ſumenda eſſent conſilia: abijt, elapſum eſt, factum eſt totum quod voluit, ſuo tamen non noſtro iudicio; vincula ſe diruiſſe credat; nos cum teneri putamus.*

Eluctata canis, inquit Perſius, *nondum arripit, attamen illi*
Cum fugit à collo, trahitur pars magna catenæ.

Iudicis noſtri ſupremum tribunal admonebit illum erroris; ſi falli potuimus & cogi, non fallitur ille, neque cogetur; rectum eſt enim iudicium eius, & potentiæ ſuæ non eſt qui reſiſtat. Doleo tamen tanti, ac tam expediti boni occaſionem ſublatam, nos deriſos, notatum leuitatis Collegium; quodque non ſine ingenti gemitu refero, vexandæ, lacerandæ, & ſcindendæ Eccleſiæ materiam præbitam. Qui viderit legum ſententiam, magnitudinem iuriſiurandi, ac voti, vim decreti in extrema pagina poſiti, hæc mecum ſuſpirabit, & gemet. Simus ergo poſt hæc Pater, ad eligendum cautiores; acriùs expendamus naturam cuiuſque; non credamus fronti, non verbis: fallunt ſæpiſſimè, vani filij hominum iuxta Prophetam: Mendaces filij hominum, vt decipiant ipſi de vanitate ſua in idipſũ. *Recurramus animo ad diſciplinam domeſticam; introſpiciamus ſecreta cubiculi; ex inſtitutione vitæ priuatæ iudicium faciamus de publica.* Si quis, *inquit Apoſtolus,* domi ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit? *odoremus, temperemus, excutiamus omnia: cauſa hinc eruet ſemper ad probandos, improbandoſque homines: ſolertia nulla in tanta re eſſe nimia poteſt. Si in perquirenda vita Pauli fuiſſemus hac cura, nõ decepiſſet nos exterior ſpecies: multa ad melius conſulendum ſe obtuliſſent; ſed & nos parum acres ad videndum, ipſe ad celandum ſemper intentiſſimus fuit: artificium quærendi Pontificatum, vt Cardinalatum eſt ſumptum; nec Pontifex mutauit mores, ſed celatos detexit. Cardinalis Auenionenſis teſtis Pater ingenij, videns, iocanſque cum illo, rectè, ait, Paule annos vigintiquatuor adhibuiſti ſtudium, vt ſemel nos falleres; quæ vox eiſi ridente, approbante tamen Collegio eſt intellecta. Iterum dico, ſi erratum eſt ſemel nos Theanenſis, non erretur ſecundo; maioribus detrimentis nec peccari, nec errari vllibi poteſt. Vale.*

Auctores abolitionis legum puniuntur.

Contra illos, qui Paulo legum abrogationem ſuaſerunt, manifeſta vltionis diuinæ argumenta apparuerunt; nam Mediolanenſis Antiſtes ſpe Cardinalatus fruſtratus abſtinere etiam à Curia neceſſario coactus eſt. Theodorus verò Taruiſinus, Cardinalis ſecretò renunciatus, in languorem miſerrimum incidens, hora ſuprema vitæ ad leuandam vim morbi, indicante Pontifice, quod factum erat, agnouit; eòque acceſſit acerbiùs quod dignitatem tanto peccato, ac tanta anxietate quæſitam, auditam tantùm nec viſam ſe intellexit dimittere. Illum ægrotum inuiſit Paulus, & mortuum fleuit. Benignè quoque cum Cardinalibus in reliquis ille egit; ruſſis ſericiſque inſignibus eos à cæteris, vt dictum eſt ſupra ſegregauit: tres ex illis delegit, quorum cura eſſet continua cum Principum Italorum Oratoribus de ratione belli agendi aduerſus Turcas conferre; illorum plures legationibus diuerſis, & annuis redditibus copioſis ditauit: multorum opera in rebus arduis viſus, eorum diligentiam ſtudiumque publicè commendauit.

Paulus benigne agit cũ Card. poſt legũ abrogationem.

Eccleſiæ pacem curat.

Poſt hæc Paulus Anguillariæ dominos, Franciſcum ſcilicet, ac Deiphebum Euerſi filios, Eccleſiæ, & Eccleſiaſticorum acerrimos hoſtes ad ius Romanæ ſedis ſumma felicitate redegit. Ariminum, & Bretenorum defuncto Malateſta recepit: vrbes multas, oppidaq; in Vmbria, quæ ab Eccleſia defecerant ſtudio, & opera Vannelij Albergati vrbis pictoris, & procamerarij occupauit. Abbreuiatores viros tũc temporis in Rom. Curia ſcientijs claros depoſuit, & dignitate ſpoliauit. Horum vnus erat Bartholomæus Platina, qui ob depoſitionem multas querelas in Paulum ingeminauit, & ira percitus ſcripto Pontifici eſt minatus, ſe & collegas dilapſuros ad Reges, &

Vrbes multas recepit.

Abbreuiatores deponit.

Bartholomæus Platina contra Paulum.

Principes,

Principes, ac adhortaturos, vt Pontifici Concilium indicerent, in quo rationem reddere cogeretur ſpoliationis ipſorum. Quare longo carcere, & varijs tormentis cruciatus multa amaro animo in Paulum ſcripſit. Papienſis Cardinalis licet non paucas habuerit cauſas de Paulo conquerendi, vt ex eius diuerſis epiſtolis conſtat, nunquam tamen deſtitit ei obſequentiſſimus permanere, atque etiam non ſemel in ſcribendis eius nomine maioris momenti epiſtolis viſus eſſe, ac laudare ſæpiſſime de multis virtutibus, & de cura Pontificatus. Vt prudentem eum laudat, cum rem aliquando non æſtimatam ſine animaduerſione prætereundam non duxerit: vitia tamen illius contexit, multa in illum ſcripſit, deque illo ſæpius conquæſtus eſt: contra illum has ad Cardinales Rothomagenſem, & Auenionenſem literas dedit.

Papienſis laudat in multis Paulum.

Secutus conſilia veſtra redij in Vrbem. Ecce ſum inter vos. Quid oro, hic ago? vel magis quid omnes hic agimus? Admittimur raro, admiſſi dicimus pauca, audimus multa. Longo ſermone nihil abſoluitur. Vidiſtis ne anniuerſaria coronationis ſuæ die, quanta locutus eſt in digna Sede, nihil vtilia: Peſſimi autem exempli ſemina? De ceptomiſſa per Planetarium, neſcio quem, vita, & præominato iam diu Cardinalatu, & Pontificatu tota fuit oratio. De obitu quoque Cardinalis Aquileienſis, quem ſuum intimiſſimum dixit. Quis hæc patienter ferat? aut cui non moueatur mens? Præſtat abiſſe, quam talia audire. Nec ſatis eſt audiſſe ſemel, crebris commemorationibus eadem ſæpe inculcat. Si non audimus fert moleſte. Ad audiendum vocat ad ſe, Me, & Cardinalem ſanctæ Sabinæ, agentes de rebus noſtris extra coronam, in qua loquebatur, non eſt paſſus vaniloquij ſui eſſe expertes. Iuſſit accedere, atque intelligere. Videre erat ora grauiorum ex Patribus torqueri miſeria, & angi tanta iactura temporis. Tanquam gloria Pontificatus ſui his creſceret magis: ita erat totus in illis ſtudiumque omne huc vertebatur. Ne autem crederemus, dediſſe illum talibus operam, dicebat non eſſe his fidem præſtandam, & tamen admiratione digna aiebat. In vtranque partem ſic loquens, vt plus veneni daret, quam tolleret. Obtuli, inquit, Planetario illi horam natalem. Hebræus erat, ſenex, caperatus ſupercilijs, tetro aſpectu. Nulli obtuleram ante, nec ſum, poſthac oblaturus. Aliquando ex Aſtrologia volebat eſſe eius reſponſa, aliquando ex Dæmonibus afferebat. Quæ autem prædicta memorabat, in ſcrinijs inquit meis ſunt: inuenire nunc inter multa, eſſet difficile. Diligentius tamen quærens illa inuenirem. O miſerum illum, & nos. Quid his deliramentis damnoſius? & maieſtate tanta indignius? An non ſatis erat in Cardinalatu tuliſſe hanc notam? Etiam miniſterium Pontificale pergit ridiculum facere: omitto quod de omni verbo otioſo reddenda eſt ratio, & nugæ ſacerdotum blaſphemiæ ſunt, & os Pontificis conſecratum Euangelio, vaniloquijs aperiri non debet. Nonne intelligit miſer, quam mali exempli hoc ſit? & quam diſpliceat Deo? Quæſo vbi erit auditum: Vicarium Chriſti, & Caput Eccleſiæ indagationibus futurorum intendere: quis ad eas non vertat mentem? quis non ſecum ibit in præceps? quis denique non totus ex cœli neceſſitate magis pendebit, quam Dei noſtri miſeratione? Aiebat Plato: Quales in Rep. eſſent Principes, tales cæteros ſolere eſſe ciues. Ad imitationem videlicet paſtoris ouis ſe fingent, nec attendent quid ille mali agat, ſed omnino quid agat, ſumentes, non examen boni, vel mali, ſed tantum fragilitatis exemplum. Vitia illa, inquit Satyrus, maxime adhærent, quæ ſubeunt animum magnis auctoribus. Homo gentilis Horatius, ſapiens tamen, quæſitorem futurorum reprehendens:

> Tu, *ait*, ne quæſieris quem mihi, quem tibi
> Finem dij dederint Leucothoe:

Nec Babylonios temptaris numeros. *Et Dominus in Leuitico:* Non declinetis, *inquit*, ad Magos: nec ab ariolis aliquid ſciſcitemini, vt polluamini per eos. Ego Deus veſter. *Auguſtinus quoque præcipuum lumen Eccleſiæ, eum, qui hæc obſeruat, qui attendit, qui credit, qui in domum recipit, qui interrogat, Chriſtianam fidem, & baptiſmum præuaricaſſe affirmat. Vana enim ſunt omnia, & dolis inextricabilibus animos capiunt, inducuntque tot in miſerrima mala. Vt ergo à ſummo Sacerdote audirem has nenias, ſeceſſu meo me conuocaſtis? cogentes quem ſacra lectio totum habebat, totum nunc his nugis obtundi. At dicet aliquis veſtrum: Ignoſcendum fuit ætati. Iuuenis erat cum iſta curauit: confirmatus iam ea contempſit: qui (malum) contempſit? quem vidimus toto Cardinalatu ſuo pependiſſe ex illis, atque ex illis ſpes omnes ſuas ſemper formaſſe. Quis Planetarius, aut quis diuinus fuit ſæculo noſtro, præſens, abſenſue, quem iſte requiſitum, non ſibi familiariſſimum fecerit? Quod de futuris editurus iudicium, quod non ſtatim ſit anticipatum? An non meminiſtis, cum haberetur in Vaticano Conclaue Calliſti Tertij, excidiſſe hunc inter cubicula veſtra ſortes compIures in quibus pronunciata diſ ſe notabantur? cum vero inuentum obiiſſe dein omnia, tacitum quæſiſſe, & cum non inueniret, poſtulaſſe tandem à veſtris miniſtris, num ſcripta quædam ab eorum quoquam eſſent inuenta. Non dicebat, num ſortes eſſent inuenta. Pudebat enim facti, ſed num ſcripta eſſent inuenta. Eram ego tunc intus, miniſtrans Cardinali Firmano, & fœditatem hanc vidi. Caſu autem in eas inciderat Paulus Auenienſis, Proſpero Columnenſi tunc famulans, qui videns quæritantis anguſtias, ad eum accedens: En, inquit, quod quæris. & ſomnia illa ſua, tot horis ſuſpirata porrexit. Dediſſes ei milia centum, non acceptaſſet gratius, quam tunc accepit repertas ſpes ſuas. Nuper vero ad Pontificatum aſſumptus, inducmenta, vt video, non animum mutans, Piſis vſque accerſiuit ad ſe Antonium Planetarium, cui cognomen eſt Camera, olim mihi propter ſuas ſtultitias notum. Ad quam rem quæſo aliam, quam ad antiquum errorem? Pecunia illi Pontificis nomine à Medicis menſarijs ad iter eſt perſoluta. Quod ego non antea credidi, quam Romæ eum aſpexi, & ſum alloquutus, & de vocatione, & pecunia eodem conſitente accepi. Quid quod nuper, timens credo, quæ de obitu ſuo hoc Septembri nunciabantur, accerſito, nomen nunc ignoro, qui eſt in familia Vianeſij Bononienſis procamerariatum regentis, horam natalem inſpiciendam porrexit, admonens, vt de diuturnitate vitæ, quæ noſſet referret. Abijt ille, & reuerſus, ac foro veniens, longæuitatem promiſit: quam etiam ob cauſam ſacerdotia nonnulla eſt conſecutus. Hora vero ipſa natalis, non vſque adeo valuit tegi, vt non fraude miniſtri ſubrepta, & vulgata pluribus fuerit. Teſtes vos huius habeo locupletes, quos vna mecum tanti erroris pudet, ac piget. Quomodo ergo excuſationem habet ætatis, qui iam Pontifex factus, eodem reuoluitur? nec à veteri abſiſtit contagio? Facit quinquagenarius, quod puero cogitare eſt reprehenſibile. At dicit aliquando credenda ea non eſſe: at ſemper addit ſtupenda eſſe, & admirabilia eſſe. Atque ipſi ſic admiratur, vt plane oſtendat velle illa protinus credi. Etenim ſi credenda non putat, velut dictat ſæpe, ex dæmonibus eſſe contendit. Cur diuinis, & Planetarijs tradit horam natalem? cur ſine cauſa eos fatigat? cur etiam reſponſa accepta, non ſtatim conſcerpit? cur in ſcrinijs Pontificalibus adhuc eſt illa inuenire? hæccine quæſo ſigna ſunt animi ſentientis quod loquitur: ac non potius probantis quod damnat? Nemo bona mente ſe, ac proximum malis illaqueat. Nemo quod nociturum credit, exquirit. Conſulere diuinos, & conſulta inſpicere, admirari, atque ſeruare, quid aliud eſt, quam inquinare ſeipſum, & alteri peccandi occaſionem proponere? Dolori maximo iſta ſunt mihi, & tolli errorem tam noxium cupio: ſed vetuſtas morbi, & imperantis poteſtas abſterret. Vos Patres, qui anteitis ætate, qui præſtatis ſapientia, & primi eſſe debetis ad monſtranda quæ obſunt, memento te officij veſtri. Accedite ad Patrem, quod ſentitis loquimini non increpantes iuxta Apoſtolum, ſed obſecrantes: obſecrate autem, vt ſanctum de ſe præſtet exemplum, non offendat Eccleſiam, miſſos faciat diuinos, & Planetarios ſuos: putans nil niſi fallax, malignumque in eorum eſſe reſponſis: illud Domini Saluatoris attendat:* Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate: *meminerit quoque ſe eſſe Caput Eccleſiæ, ſpeculatorem gregis Dominici: nulli minus conuenire quam ſibi, mortiferas res intendere: fidem Petri ſimul cum Sede poſſideat: Illamque vnam, & veram Aſtrologiam, certamque diuinationem exiſtimet. Vehemens, & grauis ſit obſecratio veſtra, non trepidet cor veſtrum, nec verba inter labia, & dentes dimidiata eſiſtant. Spiritum libertatis, & ſacerdotij zelum aſſumite. Sic adimplebitis bonorum Cardinalium munus, & operabimini in Eccleſia ſanctâ ſalutem. Ab illo autem, ſi ſapiet, benedictio erit, & gratiarum actio. Scriptum eſt enim* Argue ſapientem, & diliget te: & vir prudens non murmurabit correptus. *Id vero vnum inculcate auribus eius, & crebro repetite: quod etiamſi non ſit religio, auocare animum ab hac infami miſeria debeat. Si prædicuntur ſecunda in ipſa expectatione, conſumptio eſt ſpiritus: ſin portenduntur aduerſa, hora nulla metu eſt vacua. Semper anxietas, & inquietudo vtrobique eſt multa: qua vt ſe liberet Paulus, ille vobis concedat, qui dixit:* Ego dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes aduerſarij veſtri. *Valete.*

Præficiendus erat Conuerſanæ Eccleſiæ nouus Præſul, cui nomen erat Turcus ex Turculorum familia, cum cætera probarentur in eo, nomen ſolum probatum non eſt; dixit Pontifex conuenire, in nomine Epiſcopi nihil eſſe, quod fideles aures oſtendat. Monachos eos, qui à ſæculo fugiunt, vt renaſci Deo appareant, nomen vetus etiam acceptum ex Sanctis cogere deponere; quanto magis ad Epiſcopatum vocato nomen hoſtile commutandum eſſe. Igitur pro Turco Paulum ex ſuo nomine ſanxit vocari. Georgium Regem Boemiæ hæreſim notatum damnauit: Scotiæ Epiſcopos ab Eboracenſis Archiepiſcopi dominio liberauit, ac Patritium Graamum Præſulem Santandreanum non modò Scotiæ Primatem, verum etiam ſedis Apoſtolicæ Legatum in triennium nominauit. Legatos etiam duos, Ioannem ſcilicet Attrebatenſem, à nonnullis Albienſem dictum, quod ab Eccleſia Attrebatenſi translatus ad Albienſem fuerit; & Ioannem Cardinalem Baluam Regis intimum Conſiliarium in Galliam miſit, ad procurandum Senatus Pariſienſis conſultum de abolitione Pragmaticæ ſanctionis. Poſt hæc noua Legatione rebelles Proceres Hiſpanos ad ſanitatem inuitauit: hi enim Alphonſo Regis titulum contra Henricum fratrem maiorem natu adſcribebant. At cum non paruiſſet Pontificis mandatis, graui decreto priorum numero ſunt exempti; nec tamen his territi, Oratores Romam amandarunt, quibus non prius facta eſt ad Vrbem accedendi poteſtas, quam iuraſſent haud ſe Alphonſo Regium titulum adſcripturos. Admiſſis tandem in Pontificis præſentiam, & grauiſſime increpitis mandatum eſt à Pontifice, vt ipſius nomine ditas

Boemiæ Regem damnat. Scotiæ Epiſcopos ab Eboracenſi dominio liberat. Scotiæ Primatem creat. Legatos nominat. Henr. Spondanus in Annal. Eccleſ. Hiſpanis Proceribus ſpes interdicit.

omnes coniuratis denunciarent, niſi propoſitum mutarent. Vindicatura numina impios illorum auſus, ſi ab inceptis non deſiſterent, ac iuuenem Principem alienæ culpæ reum immatura morte daturum pœnas; quod oraculum inane non fuit. Siquidem cum recepta ab Henrico vrbe Toleto deditione Præfecti, coniurati ad eam obſidendam feſtinarent, idem Alphonſus in ipſo itinere repentina vi morbi oppreſſus, atque extinctus eſt ad tertium nonas Iulij anni 1468. ſeu peſte, ſeu veneno, vt varia fuit opinio, annos vix ſexdecim natus. Bernardum etiam Iuſtinianum Venetę Reipublicæ Oratorem benignè excepit, ac ſic orãtem humaniſſimè audiuit.

Oratorem Venetę Reipublicæ excepit.

Oratoris oratio ad Paulum.

QVANQVAM nihil mihi eſſe debet antiquius, Beatiſ. ac glorioſiſſime Pater, quàm vt mãdatis pareã Illuſtriſſimi Principis mei, atque Senatus, vtque ea, quæ mihi per Legationis munus ipſius nomine agenda ſunt, referam; bona tamen cum venia, priuſquam de Republica loquar, pauca quædam meo nomine præfari liceat, & magnitudinem lætitiæ, qua te nunc primum Pontificem maximum intueor, breuiter aperire. Quod ſi quid in ea re fortaſſis ab officio declinare videar; quippe qui priuata publicis anteponam; ſatisfaciam paulò poſt, vt ſpero Principi meo: ſed interim incredibilis illa tua clemẽtia, quæ vnà cum dignitatis gloria, inſtar cœleſtis muneris aucta eſt, in partem accipiet bonam, & geſtienti adhuc lætitiæ, atque efferenti gaudio indulgebit. Efficiam autem ſi potero, vt ſicut Legationis munus occaſionem dedit priuatæ gratulationis coram declarandæ, ita quoque priuata ratio publicum officium omninò non deſerat. Illud ante omnia deprecatus, ne tarditas gratulandi officiat gratulationi; abſit enim vt Tu, qui ſemper cunctis mortalibus patientiæ, manſuetudinis, humanitatis exempla tribuis, haſtam, inſignes, præſtanteſque virtutes amplitudine Pontificatus amiſeris; atque vt minùs læto vultu pedum oſcula imperties, quàm antea dexteræ conſueuiſſes. Quin vide quid mihi de tua humanitate pollicear: ſi ſermo ad te venio, vt tu me etiam benigniùs excipias; ille enim ſupremus humanitatis gradus eſt; quem etiam qui non merentur experiuntur; noli enim credere, ſi datum eſſet, ad primũ huius gaudij nuncium alas, vt ita dixerim, mihi non exoptaſſe. Annus vertitur ſecundus, ex quo ſacratiſſimæ huius Sedis altitudinem diuina prouidentia conſcendiſti: quid igitur primum prædicem, aut admirer? ſi dignitatem, equidem non video quid maius in terris dici, aut fingi poſſit, quàm ſi Domini noſtri Ieſu Chriſti ſummi Dei locum inter mortales obtineas. Si verò potentiam? quos faſces, aut quod tribunal. quod denique diadema, aut imperium cum hac cœleſti maieſtate comparetur? Tibi claudere cœlos, & aperire, detrudere ad inferos, atque eruere quoſcunq; velis datum, atque conceſſum. At ſi amplitudinem maluimus, magnum quidem eſt Eccleſiam vnam adminiſtrare; longè verò præſtantius Metropolitanam; quid dicam autem vniuerſim totius Orbis Eccleſias? Vt quicquid terrarum Oceano alluitur, quod quidem Chriſtiano nomine cenſeatur; omnes populi, prouinciæ, nationes tam linguis variæ, quàm moribus, cœleſtis huius Paſtoris vocẽ, moderationemque depoſcant. Verbum profectò non habeo, quo tantæ rei magnitudinem ſatis digna ſignificatione complectar. Sicut itaque Beatiſſime Pater gloriæ tuæ nullus fuit modus; ita nec profectò lætitiæ communis, ac præcipuè meæ. An ego de tua gloria non lætarer? verſatur adhuc etiam ante oculos ſanctiſſimus ille nuncius, cum Venetias appulit: audio in Senatu literas, video concurſus, video lacrymas omnium, ac præcipuè meas: cum omnes omnipotenti Deo vota faceremus, vt ea lætitia humano generi, atque tibi omni felicitate redundaret. Vellem animum meum vidiſſes: notare enim affectus oratio poteſt, exprimere autem non poteſt, ſi magni ſunt: putaſne igitur optimè Pontifex tam lætitiam lapſu temporis exaruiſſe? quotidie refloreſcit. Dies qua ſolet ægris mortalium animis, ſicut mœroris, ita quoque lætitiæ vires demere; addidit; & quo plus temporis, eò lætitiæ plus acceſſit. Nam ſi illius primi temporis gaudia metiri, & cum præſentibus bonis conferre voluerimus, nihil eſt, quod dies iſtos, quàm illos feliciores non putemus. Nunc enim ſapientia regimur, doctrina inſtruimur, exemplo monemur, diſciplina corripimur, liberalitate iuuamur; antea autem ſperabamus iſta, non experiebamur, nunc fructus vberes, optimoſq; colligimus; vt verear interdum, ne nunc officij magis ſit gratias agere, quàm gratulari. In conferendis autem Eccleſijs an ne aliud expectat quàm virtutem, atque doctrinam? non dico præterea, qua prudentia, virtute, felicitate temporale imperium adminiſtres: neque illa dico, quo ardore ſpiritus, quibus pecuniæ ſubſidijs ex tuo ærario depromptis Chriſtiana regna labantia à barbaricis furoribus ſtabilias, & tuearis. Expertus nunc eſt Hungariæ Rex, ad cuius Imperium ſuſtinendum magnam auri vim nuper tranſmiſiſti, opeſque tuas ingentes declaraſti ad quid parares. Hæc tametſi optimè Pontifex magna ſunt, atque præclara, eximia tamen bonitas, pietaſq; tua maiora nobis in dies, & meliora pollicetur. In primis autem ille incredibilis humanarum, diuinarumque rerum vſus, atque peritia; nõ enim tu heri, aut nudius tertius ex priuato Pontifex maximus, id eſt ex primo in ſupremum euaſiſti locum; numera ætatis tuæ ab adoleſcentia annos, tot anni ferè ſunt, quibus Orbis terrarum gubernacula retines. Nonne ſanctiſſimæ memoriæ Eugenius IV Pontifex ſapientiſſimus, & dulciſſimus auunculus tuus priùs te Cardinalem fecit, quàm Sacerdotem poſſet facere; quod nunquam

A feciſſet, niſi ipſe legum eſſes interpres, & conditor, idemque moderator vbicunque moderandas intelligeret: intellexit autem in te præſertim, quem tu videbat iuueniles annos longè ſuperare ſapientia, certè tu illi ſemper aderas, audiebas, aſſiſtebas, multa conſulebas, exequebaris cõplura. Sic hauſiſti in gremio ſapiẽtiſſimi Principis regendi diſciplinam; ſic à teneris annis imbibiſti moderationem, prudentiam, conſtantiam, grauitatem, quibus deinde poſſes Chriſti Nauiculam, vel potiùs Nauem omnium maximam medijs quoque fluctibus, ac tempeſtatibus gubernari. O felix imperium, quod ante diſcitur, quàm adminiſtratur. Nicolaus deinde Eugenio ſuccedit: nonne quicquid arduum accideret, atque difficile ſine tuo conſilio, atque opera non agebatur? Calliſti certè temporibus tu vnus obtinuiſti Pontificatum; certè ille nomine, tu re: erat ille pater ſenio confectus; tanti negocij munus ſolus obire non poterat, ad te omnem deferebat; tu regebas omnia; in te vnum penè omnia recumbebant; vt ſi ſacra profanis conferre liceat, ille ſit Nerua, tu B Traianus; ſin Chriſtiana exempla malumus, ſicuti debemus, ille ſit Petrus, tu Clemens. Pius verò, qui Calliſto ſucceſſit, nunquam quàm libenter te aduocarit ad aliquam laboris ſui partem, niſi tu paulum cedere, & defatigatum longis laboribus animum recreare maluiſſes. Quid igitur expectare non liceat ab eo Pontifice, qui tantum Pontificum quaſi gymnaſijs, & paleſtra Pontificatus clauum per tot annos tractare didicerit? Sed cur nos etiam teſtimonio noſtro non vtimur? qui annum, & eò amplius dies, atque noctes tecum verſati eximiam prudentiam illam, & vſum omnium rerum maximis tractandis, gubernandiſque negocijs experti ſumus, præcipuè tamen in hoc nouiſſimo fœdere omnium quæ viderit ætas veſtra, ſi ſuperi fauiſſent, ſanctiſſimo, nobiliſſimo, maximo, quod inter Eccleſiam, Burgundumque Ducem, atque Venetum aduerſus Turcam à Pio Pontifice confectũ eſt. Eram, vt ſcis pro patria Legatus ibi, Burgundi iam Legati altera ex parte conuenerant, maxima omniũ C res cudebatur: quid multa? tu mihi Dux, tu Gubernator extitiſti, nihil tractaui niſi te cõſulente; nihil egi niſi te iubente. Et quod tanta tum rerum moles verſabatur, vt tametſi omnis à Senatu noſtro mihi vnis facultas eſſet attributa, nullius tamen negocij vires niſi tuas, pares tanto negotio exiſtimarem. Sed vide nunc beatiſſime Pater quid mihi veniat in mentem, & ſimul illud quàm parua ſæpè res magna portendat; Meminiſti me, vt in illis familiaribus colloquijs tecũ interdum non aduertens, loquebar quaſi cum ſummo Pontifice? Sed quàm libenter neſcio quomodo fallebar; cum excuſarem, tu ſubridebas ingenuè, & me pudebat, & mirabar offendere me tam ſæpe, & neſciebam, quia ex ore infantium Deus perficere ſuam laudem interdum ſoles. O me felicem, ſi verba illa nouiſſem à Spiritu ſancto eſſe, non ab errore; & futurum aliquando, quod non intelligens vſurpabam: proruiſſem in amplexus tuos, exoſculatus eſſem pedes illos ſanctiſſimos; faciem venuſtiſſimam, & verè ſummo Pontifice D dignam adoraſſem. Poſteaquam dies impleti, & te Pontificem maximum cunctis ſuffragijs declarauit Eccleſia, Senatus noſter gratulabundus me quoque inter illum præſtantiſſimum florem decem Legatorum annumerauit: ſuſcepi equidem id muneris nimia cum voluptate. Quid ni ſuſciperem ſplendidiſſimam Legationem ad ſummum Pontificem, vel ad Paulum, qui me ſemper inter chariſſimos, ſuique nominis obſeruantiſſimos filios miro ſtudio humanitatis habuiſſet? Nonne tu mihi Dominus, & ego ſeruus? tu mihi Pater, & ego filius? tu decus meum, columen, præſidium. Sed profectò nihil eſt humanis in rebus ſolidum, ac fidele; ecce enim deſiderium meum inopinati, & domeſtici caſus inuidia turbauit; vt longè moleſtius Legationem dimittere cogerer, quàm alacriùs ſuſcepiſſem. Reddita deinde mihi mea nunc occaſio eſt, vt deſignarer iterum Legatus: media igitur hyeme tam alpium, nonnunquam immemor, quàm meæ imbecillitatis iter arripui. Cum autem ad A- E riminum perueniſſem, audiſti, vt opinor, quid acciderat; nempe naufragium in portu feci cum omni familia; nihil omninò ſuperfuit incorruptum, vt adactus ſim renunciare ſuſcepto muneri Legationis. Haud placuit Senatui, qui iterũ iam tertiò deligor cunctis ſuffragijs, nouoque edito exemplo, inſtructum neceſſarijs omnibus proſequi iuſſit iter inceptum. Suſcepi, & benè, iuuante Deo iter peregi tàm parendi deſiderio, quàm tui videndi; omnia dehinc ſpero meliora; dura ſæpè principia felices exitus habent. Immenſa etenim clementia tua, & illius ordinis, qui me miſit, rectum, iuſtumque propoſitum, omnia maligni ſpiritus tela fauente Deo diſſipabit. Qui quidem noſter Senatus ordo, Optime Pontifex, tuus eſt, totus, inquam, tuus, vel natura, vel animo. Licet enim Eccleſia te puerum à nobis abduxerit, adoleſcentem Cardinalem fecerit, nunc denique crearit ſummum Pontificem; natale tamen ſolum, & illa prima cunabula, vbi natus, alitus, educatuſque es, negare non F potes. Vnde enim iſta animi magnitudo, iſta ſapientia niſi ab illis Barbis Clariſſimis maioribus tuis, & eiuſdem patriæ tuæ filijs, quorum virtute, & fortitudine Adriacum ſæpè pelagus, & Tyrrhenum, & Ionium, & Ægæum hoſtili ſanguine fœdata ſunt. Sit Roma tibi cara, vt eſſe debet, ſit Romana Eccleſia ſponſa tua, filia tua, iſtis illa nominibus contenta ſit, dum patriæ nomen Venetiis tuis relinquat. Neque tu dedignabere. Deo etenim immortali honor, & gloria; quandoquidem cæteris tuis laudibus, atque ornamentis, quæ innumerabilia ſunt: Veneta quoque patria non niſi tibi

decors eſt, & dignitatis. Quam dulce autem Patria nomen? vt Lyricus ille Romanus dicere non ſit veritus, dulce, & decorum eſſe mori pro Patria. Huius tu igitur vt obliuiſcaris? hac tibi vt mente excidat? aut illa te lacte ſuo nutritum non recognoſcat? adeo equidem dicere Beatiſſime Pater, te cum omnia poſſis, hoc tamen vnum non poſſe ſi velis; ſicut neque illa quidem obliuiſci tui vellet, etiam ſi poſſet; qua te velut parentem colit, velut Pontificem veneratur, quod ad rem maxime pertinet, velut alumnum ſuum gloriabunda totius viſceribus cordis quaſi vlnis amplectitur non minus profectò quam faceret dulciſſima mater tua. Ecce autem neſcio quo pacto illuſtriſſima fœmina facta mentio animum meum non mediocri teneritudine afficit, quanta nunc enim ſi viuat, exultet letitia? O illam felicem fratre primùm Pontifice, deinde filio! quis tale priuilegium gemitæ almine letitia de vlla fœmina audiuit vnquam? ſed vtro felicior? an fratre, quem vidit; aut filio quem non vidit? equidem feliciſſimam fuiſſe dicerem, ſi fructum beatiſſimi ventris in auunculi ſolio ſedentem videre potuiſſet. Quid tam inſipiens queror? quaſi defuerit illi aliquid ad felicitatem. Nam ſi puriſſima illa anima inter cœleſtes Spiritus annum ducit, vt ex ſanctiſſimè acta vita non dubitamus; diuina profectò fruitur viſione, & in æterno illo rerum omnium lucidiſſimo ſpeculo omnia quæcunq; ſunt, fuerunt, futura ſunt, limpidiſſimis oculis intuetur. Hinc illud Gregory natum eſt; quid eſt quod non videant, qui videntem omnia vident? Cernit igitur ex alto filiũ, & ſedentem in alto videt. Paulus item tuus Beatiſſime Pater te ex eodem loco deſpicit latabundus, Paulus, inquam, frater tuus chariſſimus, vir ſapientiſſimus, Senator optimus Ciuitatis olim noſtra, nunc Paradiſi præclariſſimum ſydus, & lumen. Sed quia tamen luteis in vaſis adhuc poſiti de terra homines terrenis figere in cœleſtibus aciem perpetuo aſpectu non poſſumus; videtur optimo iure aliquid etiam terrenis affectibus condonandum. Demaratus etiam Corinthius Philippi Macedonis amicus cum Alexandrum filium profligato Dario, & Oriente deuicto, ſedentem in throno Dary conſpiceretur, lacrymas præ gaudio dixiſſe fertur, O infelices patres noſtros, quibus tale ſpectaculum videre non licuit. Ego Beatiſſime Pater parentes quidem tuos, & fratrem non ſane infelices fuiſſe dixerim, qui fuere feliciſſimi, ſed magna profectò caruiſſe lætitia, quibus te non ſolum vnius Regis ſolium tenentem, ſed totius Orbis gubernacula regentem videre non licuit. Beati igitur oculi, qui vident, quæ nos videmus: beata Chriſtiana Eccleſia, quæ a tanto Principe gubernatur; beati Chriſtiani Principes tali parente; beata membra tali capite; beatus denique tu; beati nos, beati omnes, qui tua Beatitudine perfruuntur: niſi forte humanus animus, vt eſt natura præteriti quidem immemor, & ingratus; futuri autem nimium auidus, & inſatiabilis, aliquid nunc etiam concupiſcit. Quæris quid illud ſit? dic am audacter; noui enim animi tui magnitudinem, noui fidem: quicquid Chriſtianis omnibus populis recepiſti, ſcio te dies, atque noctes hac ipſa de re vigilantiſſime cogitare. Aduerte quæſo Pontifex magnanime, & vide quid velim. Prouincia Chriſtiana ferè omnes pacatiſſimæ ſunt: pacata Gallia eſt, pacata Germania, Anglia, Pannonia, Illyricum, & quod rariſſime accidit omnibus retro temporibus, pacatiſſima eſt Italia, vt nunquam ferè, quod quidem audierimus, aut legerimus, tranquilliores, aut quietiores vnquam tempus opportunius illi magno negocio aggrediẽdo quod meditaris. Hac tibi eſt a ſuperis reſeruata palma, vt tu conficeres aliquando quod omnes retro Pontifices conceperunt, nemo eſt aſſecutus: hoſtis metuit, nos ſuperamus. Tunc nobis feliciſſimus, & omni laude, atque immortalitate digniſſimus, altiſſimum cœli locum meruiſſe videre. Dent itaque ſuperi longam diem, ſucceſſibus omnibus tuis faueant, & ſecundent; & nobis ſub vmbra alarum tuarum ſecuram vitam liceat agere, & tibi ſuperiores omnes Principes, atque Pontifices ſplendore nominis, & cœleſti gloria ſuperare. Dixi.

Alias eidem Pontifici literas dedit humaniſſimas; non enim Pontifex, ſed Pauli vitia Papienſi muſa; quare hæc corrigere, quando opus fuit, & virtutes extollere, officio non defuit: literæ humanitate plenæ hæ ſunt.

Crebri caſus, qui acciderunt domi B. Veſtra, cogunt fideles ſeruos ad ſalutem domini eſſe ſollicitos. Olim deceſſit peſte inſignis Vir cognatus ſuus, nuper Medicus, qui mane, & veſperi veniebat ad menſam, nunc Ioannes Condulmerio, cuius erat ab officio frequens ad Sanctitatem V. acceſſus. Inferioris famulatus taceo complures, quibus idem exitus fuit. Non timuit Sanctitas V. nec timet. Timemus nos, quorum vita, & quies alitur beneficio ſuo. Si vox humilis ſerui inter ſapientum conſilia accipi poteſt, duco conſiderandos eſſe hos caſus, neque committendum, vt in peſtilenti ciuitate caput ſuum totiens obiectetur periculis. Inexploratum eſt ei quid poſſit contingere. Animus bonus pars remedij eſt, ſed non plenum remedium. Plerunque qui in prælio feruentior eſt, ſuo robore cadit, & natatores intrepidi voraginibus abſorbentur. Non ſi animus vnum nos ſeruat, de altero ſecuritas eſt, Quem ſæpe caſus tranſit (inquit Seneca) aliquando inuenit. *Antidota quoque in quibus ſæpe ponimus ſpem, non ſubueniunt nobis. Maior eſt vis mali, quam vt noſtris artibus valeat vinci. Decimus quiſque vix illius ſeruatur. Sed & Medicorum maxima tenebra ſunt. Languida eſt omnis eorum ſubuentio, magiſque nos ſua præſentia conſolantur, quàm iuuant. Præſentiſſimum ac pene ſolum habetur præſidium mutatio loci. Legimus in Ezechiele Propheta:* Qui erit in ciuitate, peſtilentia deuorabitur, & ſaluabuntur ex eis qui fugerint. *Scio operoſum eſſe ſummo Principi ſedem mutare: Sed pro ſua, & filiorum vita, omne ſubeundum eſt opus, nec grauare debet, quod animas ſeruat. Laudi ſæpe datum Principibus eſt, quod non ſola vrbe contenti, viderint quoque prouincias ſuas, & pecoris ſui vultum agnouerint. Vt Roma, ſic aliis Pontificis facies lætificat loca. Indulgeat mihi pietas veſtra, ſi Mineruam ſus doceo, & ſi porto ligna in ſyluam. Hoc me priuata charitas, & publica cogit. Nec enim eadem affert momenta priuati hominis, & Principantis interitus. Illius incommoda omnia eodem quo corpus, clauduntur ſepulchro. Huius ruina late opprimunt multos. Quieſcit beneficio veſtro Italia. Romana Sedes rem, æſtimationemque auxit. Nos etiam, ſi conditionem noſtram agnoſcimus, nil merito dolendum habemus. Tot proſperis confluentibus, ſine detrimento nõ poteſt eſſe mutatio. Obteſtor propterea B. Veſtram, quam à prima iuuentute mea dilexi, vt his malis diebus non tam antidotis, & Medico caueat ſibi, quàm loco, ſuamque omnem curiam exhilaret abitu ſuo: nunquam diſcedere, & ſæpe diſcedere, parem habent querelam in populis. Pio II. beatiſſimo datũ eſt vitio, quod annis pene ſingulis ſui magis recreandi cauſa, quã aliorum, vrbem exiuit. Videat nunc ſapientia Veſtra, ſi in præſenti neceſſitate dolituri multi ſunt, occaſionem ſalutis non dari. Et ſi enim omnibus abeundi poteſtas ſit facta, multis tamen manente Principe, ſit manendi neceſſitas. Et qui ad eum ex toto Orbe mittuntur, ad locum, vbi eſt, coguntur accedere. Sed de his ſatis. Ago clementia Veſtra gratias innumeras, quod me abſentem pietate ſua reſpexit, & conſuetam miſit eleemoſynam porrigi. Is qui videt qua charitate dat S. Veſtra: Qua neceſſitate accipio ego, pro me illi ſempiterne retribuat. Pro Breui quoque in re Cœnobij Marradienſis conceſſo, eidem plurimũ debeo. Reuerendiſſimus D. Albienſis in Galliam proficiſcens ſponte ſua Pientiam venit: Vbi viuente Pio domũ conſtruxit. Cœnauit mecum, rogatuſq; quam ob cauſam tam longum ſuſciperet iter, hoc tantum reſpondit, Priuatam ſe ob cauſam ire, & octo ſolos menſes ad reditum a Beatitudine Veſtra eſſe præſcriptos: Quam protegat miſericors Deus, & cuius pedibus me deuote commendo. Pientia XXIII. Iunij. MCCCCLXVIII.*

Franciſci Sfortiæ Ducis Mediolanenſis ſupplicibus literis exoratus Paulus, vt Clareuallenſium monachorum, qui Mediolani viuebant, mores ad priſcorum Patrum normam corrigeret, Antonio Bettino Senenſi ordinis Ieſuatorum alumno, Epiſcopo Fulginatenſi, inſtitutis monaſticis probè imbuto, & ad omnem pietatem vnicè facto, ac nonnullis monachis Septaniaris prouinciam illam commiſit. Cœnobium monialium S. Margaritæ de Torcello Ciſtercienſis ordinis, à iuriſdictione Abbatis de Folina eiuſdem ordinis perpetuò ademit, ac Venetiarum Patriarchæ ſubiecit, ſcripto ad Abbatiſſam, & Moniales diplomate Idibus Decembris, anno reparatæ ſalutis 1465. quod ex Tabulario Patriarchali Veneto, reſcripſit in ſuo quinto tomo Italiæ ſacræ Ferdinandus Vghellus. Ioanni Bentiuolo in ciuitate Bononiæ ſi opibus, & clientelis præſtanti honoris cauſa conceſſit Paulus, vt ſemper in Magiſtratu patriæ, collegis licet variantibus permaneret; qua dignitate ea moderatione vſus eſt, vt nunquam ædes publicas pro domeſtico viſu inhabitarit, ac munia Senatus, Magiſtratuum, legumque tanta modeſtia tractauerit, ac ſi omnium minimus eſſet.

Cum totus eſſet Paulus in pace inter Chriſtianos Principes procuranda, & ſollicitus de bello contra Turcas, quos audiebat vbiq; de Chriſtianis triumphare, anno 1471. quinto, vt ſcripſit ſupra Ciaconius, vel ſeptimo, ex Contelorio, ſeu ex alijs, octauo Kalen. Auguſti, die Veneris, hora ſecunda noctis, cum nullus adeſſet, apoplexia extinctus eſt, cum annos quinquaginta tres, menſes quinque, dies tres vixiſſet. Ita nanque Platina, ac cæteri quique, vnde à veritate prorſus aberrare illos, qui ſcribunt, Paulum octogenario maiorem aſcendiſſe Petri Cathedram, dicendum eſt. Vti etiam diabolicum planè eſſe, quod a quibuſdam hæreticis aſſertũ reperimus, fuiſſe eum in ipſo actu venereo à Diabolo ſtrangulatum. Referunt illi, & alia, quæ iam à pijs viris diluta fuerunt. Cæterùm ſi Scriptores, qui de illo egerunt, conſulamus, nec Platina quidem excepto, talem fuiſſe Paulum reuera reperiemus, vt nec valde laudandus, nec vituperandus dici poſſit. Poſt obitum ſepultus in Baſilica Vaticana, cuius olim Archipresbyter fuerat, in ſacello à ſe, in honorem S. Marci erecto, in ſepulchro marmoreo, ſimulacris multis ornato, cuius exemplar mox exponemus. fuit enim hoc ſepulchrum opus Mini, clari illius æui Artificis.

Clareuallenſium Monachorum inſtitutum Mediolani reſtauratur.

Moniales Ciſtercienſes de Torcello Patriarchæ [illegible] ſubijcit.

Ioannem Bentiuolum [illegible] afficit.

Pauli obitus.

Hæretici multa in Paulũ protulerunt.

Pauli ſepulchrum.



PAVLI II·SEPVLCRV OLIM IN VETERI D P.B.NVNC IN EIVSD.SAC.CRYPTIS POSITV.

Ciaconius. Nicol. Arpſfeld. in hiſt. Angl. Ferdinād. Vghell. in Addit. ad Ciacon. Panuinius de Rom. Pont. Aubery in vita.



I.

THOMAS Bourcherios Anglus, frater Henrici, qui poſtea Erſexiæ Comes, liberalitate Henrici IV. Angliæ Regis fuit, doctrina, probis moribus, ac pietate Orbi Chriſtiano clarus, Oxonienſis Academiæ alumnus primò, & eiuſdem poſtea Cancellarius, ac Ædis S. Martini Londini Decanus, ex Elienſi Epiſcopo, Cantuarienſis Archiepiſcopus, & Angliæ Primas, mox Presbyter Cardinalis titulo S. Cyriaci in Thermis, in prima ex Contelorio, ex Ciaconio verò in ſecunda Cardinalium enumeratione à Paulo II. Romano Pontifice renunciatus eſt. Huius Præſulis doctrina ex eo colligi poteſt, vt aſſerit Pitſeus, quod hæreticorum examen non ſemel illi concreditum fuit, & quod ſemper in ijs rebus ad ſummum Pontificem, & Curiam Romanam, ſuam ſententiam in ſcriptis miſerit. Multa edidit ex Auctore Cathalogi Scriptorum Angliæ, atque ex Polydoro Virgilio, ſed quænam fuerint, præter Decreta quædam Synodalia, illos latet. Cancellarij munere, ac Regij Conſiliarij in Anglia ſub Henrico, ac Odoardo Regibus functus eſt, ſub Ricardo III. carceri traditus vti filiorum Odoardi fidelis miniſter, quorum partes ſecutus eſt ſemper.

Io. Franc. Biond. in hiſt. Angl.


Deceſſit in Anglia die 22. ſeu 30. Martij anno noſtræ ſalutis 1486. ex libro Diuiſionum, & Diario Pauli II. ex Ciaconio verò 1489. & Cantuariæ ſepultus in Eccleſia principe cum ſequenti ſepulchrali Inſcriptione.

Aubery in vita.

HIC IACET REVERENDISSIMVS PATER ET DOMINVS
D. THOMAS BOVRCHIER QVONDAM SAC. S. ROMANAE
ECCLESIAE S. CYRIACI IN THERMIS CARDINALIS
ET ARCHIEPISCOPVS HVIVS ECCLESIAE
QVI OBIIT XXX. DIE MARTII ANNO MCCCCLXXXVI.
CVIVS ANIMAE PROPITIETVR DEVS.

Cardinali huic Ciaconius inſignia ſuperius expreſſa adſcripſit, quæ longè à veris diuerſa ſunt, ſi credimus Auctori de Antiquitate Britanniæ; at cum hic ſolùm quæ Ciaconius tribuit, damnet, & alia non aſſignet; nos ne omnino Thomam hunc inſignibus nudaremus, antiqua illi reliquimus.

Ciaconius. Panuinius. Aubery in vita. Felix Cōtelorius in Elencho.



II.

STEPHANVS de Varada natione Hungarus, pauper, & plebeius, Decretorum Doctor, ex Præpoſito Eccleſiæ Agerenſis, Archiepiſcopus primò Collocenſis, mox Ludouici XI. Francorū Regis precibus, Presbyter Cardinalis SS. Nerei, & Achillei renunciatus à Paulo eſt. E vita migrauit in Hungaria circa menſem Iunij anno ex libro Diuiſionum in Vaticano ſeruato, 1471. ex Ciaconio verò, & Aubery anno 1473.

Ciaconius. Panuinius. Hier. Garimbert. Andr. Victorell. in Addit. ad Ciacon. Barthol. Chioccarell. de Archiep. Neapolit. Steph. Infeſſura in Diarijs m.s. Card. Papienſis in Epiſtolis. Ant. Felix. in Diarijs m.s. Bernard. Coirus in hiſt. Mediolan.



III.

OLIVERIVS Caraſa nobilis Neapolitanus, Franciſci Diomedis Caraſæ Magdaloni Comitis, germani fratris filius, non modò maiorum ſplendore, ſed propria virtute clarus, à pueritia literarum ſtudio, ac legalis præſertim facultatis operam nauauit, qua in ſcientia Doctoratus inſulam promeruit, & obtinuit. Canonicus primò fuit Neapolitanæ Eccleſiæ, deinde Archiepiſcopus à Pio II. die 18. Nouembris anno 1458. renunciatus eſt: de cuius poſſeſſione hanc habuimus notam ex Tabulario Neapolitano. *Anno 1459. die Sabbati 13. menſis Ianuarij cepit poſſeſſionem Archiepiſcopatus Neapolitani, Reuerendiſſimus Oliuerius Caraſa Archiepiſcopus Neapolitanus. Recepit munus conſecrationis in villa Turriſoctaua à Reuerendo Patre Domino Leone Dei, & Apoſtolicæ ſedis gratia Epiſcopo Nolano, Suffraganeo dictæ Neapolitanæ Eccleſiæ, Aſſiſtentibus ſibi Dominis Benedicto Dragonarienſi, & Dominico Acerrarum Epiſcopis, infra Miſſarum ſolemnia, cum ſolemnitatibus neceſſarijs, & opportunis.* Licet Archiepiſcopus à Ferdinando Aragonio Neapolitanorum Rege, ſacri Regij Conſilij Præſes nominatur, quem Magiſtratum ſumma cum laude multos per annos exercuit; vt patet ex ipſius manu ſignatis monumentis; in quorum calce hæc habentur. *Promiſſa per Dominum Oliuerium Archiepiſcopum Neapolitanū, ſacri Regis Conſilij Præſidentem Neapoli in palatio eius Archiepiſcopali.* Reperitur etiam Ferdinandi Regis diploma ſcriptum in Caſtro nouo ciuitatis Neapolis die 22. Iunij anno 1466. in cuius initio hæc leguntur. *Ferdinandus Dei gratia Rex Siciliæ, Hieruſalem, & Hungariæ; Reuerendo in Chriſto Patri Oliuerio Archiepiſcopo Neapolitano, ſacri noſtri Collegij Præſidenti, Conſiliario fideli noſtro dilecto, gratiam, & bonam voluntatem.*

Baron. in Annal. Eccleſiaſtic. Ferdinād. Vghel. in Addition. ad Ciacō. Aubery in vita. Felix Cōtelor. in Elencho. Ant. Summont. in hiſt. Neap.

Tantus hic vir à Paulo II. Romano Pontifice, ſacro Cardinalium Collegio precibus Ferdinandi Regis Neapolitani, qui ob ſingulares animi dotes, ac virtutes vnicè eum diligebat, adſcriptus eſt non anno 1464. vt ſcripſit Ciaconius, neque anno 1465. vt refert Panuinius; ſed ex m.s s. Vaticanæ Bibliothecæ, ac Tabularij Neapolitani, anno 1467. nunquam enim in literis datis annis 1464. 1465. 1466. & initio anni 1467. nominatur Cardinalis. Stephanus quoque Infeſſura in Diarijs m.s s. ſcribit die 18. Septembris anno 1467. Paulum II. nonnullos inter Cardinales cooptaſſe, inter quos Oliuerium Caraſam Archiepiſcopum Neapolitanum fuiſſe affirmat. Stephanus Infeſſuræ ſuffragatur quod in quibuſdam Diarijs m.s s. rerum Neapolitanæ vrbis à ciue quodam Neapolitano exaratis reperitur, die 20. Septembris anno 1467. ab vrbe Roma Nuncium Neapolim perueniſſe, ac ſummo Neapolitanæ ciuitatis gaudio fuiſſe euulgatum Oliuerium Caraſam Archiepiſcopum Neapolitanū, à Paulo II. Romano Pontifice renunciatum fuiſſe S.R.E. Cardinalem, & die 21. Octobris eiuſdem anni Oliuerium ipſum iam Cardinalem dictum Neapoli Romam profectum, ab ipſo Pontifice accerſitum. In Diurnalibus m.s s. Ludouici de Raimo ſenioris, & iunioris, qui referunt res geſtas Neapoli, & in Regno Neapolitano ab anno 1250. vſque ad annum 1496. habetur, anno 1467. die 20. Septembris Oliuerium Caraſam Neapoli publicatum fuiſſe Cardinalem, & di[illegible]2. eiuſdem menſis allatum fuiſſe Pauli diploma, quo Cardinalis dicebatur.

Menſe Decembri eiuſdem anni 1467. Oliuerius Cardinalis ingreſſus eſt vrbem, ac titulum SS. Petri, & Marcellini obtinuit; vt habemus ex libro Conſiſtoriali m.s. in Vaticano ſeruato, in quo hæc leguntur. *Die Iouis 3. Decembris anno 1467. Oliuerius Archiepiſcopus Neapolitanus ingreſſus eſt vrbem per portam S. Ioannis Lateranēſis, & aſſociatus fuit per Dominos Cardinales ad palatium S. Marci, & ibidem in publico Conſiſtorio in Eccleſia receptus à Domino Papa, qui dedit illum Capellum rubeum, & fuit aſſociatus per Dominos Cardinales ad palatium ſuum, & datus eſt ei titulus SS. Petri, & Marcellini.* Hoc Eccleſiæ titulo progreſſu temporis relicto, S. Euſebij Eccleſiæ præfuit, mox Albanenſis Epiſcopus, & anno 1479. Sabinenſis renunciatus eſt. Huius Cardinalis temporibus Alexander VI. Romanus Pontifex Cathedralem Eccleſiam Sabinenſem in loco campeſtri poſitam, ac dignitatem Epiſcopalem ad Eccleſiam S. Liberati Caſtri Maliani tranſtulit, vt clarè conſtat ex diplomate dato anno 1495. decimoquarto Kal. Octobris, quod in primo tomo ſuæ Italiæ ſacræ ex originali deſumpto reſcripſit Ferdinandus Vghellus. Demum relicto Sabinenſi, Oſtienſem, ac Velitemenſem Epiſcopatum, & ſacri Collegij Cardinalium Decanatum, vt dicunt, obtinuit. Canonicorum Regularium Lateranenſium, & Canonicorum ſecularium S. Georgij in Alga, ac Patrum Prædicatorum ordinis, Romanorum Pontificum iuſſu patrocinatus diu in vrbe eſt.

Io. Philip. Tomaſin. in Annal. Gabriel Pennot. in Hiſt.

Affuit poſt Pauli obitum comitijs Pontificijs, & pro Sixto huius nominis IV. ſuffragium tulit, à quo ad Ferdinandum Regem Neapolitanum Legatus a latere miſſus eſt. Cumque idem Pontifex aduerſus Turcas maritimam claſſem inſtruxiſſet, illi Oliuerium [illegible] ſam S. R. E. Cardinalem Legatum, ac Ducem præfecit; ſub quo nonaginta & octo triremes militarunt; quarum vigintiquatuor à Pontifice, totidem a Ferdinando Neapolitano Rege, quinquaginta à Venetorum Republica inſtructæ fuerant. At quibus honoribus idem Pontifex, & Cardinalium Collegium Oliuerium ex vrbe cum claſſe ſoluentem complexi, & comitati ſint, Iacobus Cardinalis Papienſis literis ſcriptis Romæ die 29. Maij anno 1472. Cardinali S. Marci ſigillatim recenſet his verbis. *Heri magnis honoribus noſtris, ſummo dolore meo emiſimus Legatum claſſis die quidē ſolemni Corporis Domini: mane aſtante Pontifice, & Patribus in Baſilica Petri operatus eſt ſacris: vexilla inde triremium ex more benedicta in magna frequentia hominum de manu Pontificis ſumpſit, & prærſus eſt apud eum. Ad horam vigeſimam nonā exēplo idem Pontifex comitante Senatu, & Curia Legatum duxit ad claſſem, quæ paulo infra Baſilicam Petri in medio Tyberi ſubſederat: aſcendit prætorium, & à puppi ex loco edito benedixit item triremibus, & Legato, & familia, & omni nautica turba; quibus ſiue in prælio, ſiue caſu alio uita migrantibus plenam peccatorum*

remiſ-

remiſſionem indulſit: complexus inde Legatum in triremi cum di-miſit, & ad Vaticanum occidente iam Sole reuerſus eſt. Putas in digreſſu tam intimi Patris tenere me potuiſſe lacrymas; non tam luxit unquam pia mater unicum filium, quam fleui ego abeuntem Neapolitanum. In hac expeditione, licet Oliuerius nullis laboribus, ac periculis pepercerit, ac nihil quod ad boni ducis, & ſtrenui Chriſtiani militis aduerſus Chriſti hoſtes ſpectaret, prætermiſerit, nunquam prodeuntibus ex Boſphoro in Ægæum hoſtibus: Smyrna vrbe capta, & incolis eius fugatis, oppida multa igne ſuccenſa ſunt. Sataliam quoque oppugnare aggreſſus, atque occupato per vim portu, & catena ferrea retracta, cuius partem Vaticanæ Baſilicæ præfixam, ad noſtra vſque tempora conſpeximus cum hac inſcriptione.

SMYRNAM VBI OLIVERIVS CARAFAE SIXTI IV. PONTIFICIAE CLASSIS DVX VI OCCVPASSET IN SATALIAE VRBIS AFRICAE PORTVM VI IRRVPIT FERREAMQ. CATENAM INDE EXTRAXIT. ET SVPER VALVAS HVIVS BASILICAE SVSPENDIT.

Hodie in ſacrario omnium oculis patet, cum his notis.

CAROLVS V IMP. TVNETO EXPVGNATO VECTEM ET SERAM HANC B. PETRO OB INSIGNEM VICTORIAM TRANSMISIT SMYRNAM VBI CVM OLIVERIVS CARD. NEAPOLITANVS CARAFA SIXTI PAPÆ IV PONTIFICIÆ CLASSIS DVX ESSET ACCEPISSET IN SATALIÆ VRBIS AFRICAE PORTVM VI QVOQ. IRRVPIT FERREAMQVE HANC CATENAM INDE EXTRAXIT ET SVPER VALVAS HVIVS BASILICAE SVSPENDIT.

Ab hac expeditione reuerſus Oliuerius, dum in vrbe reſideret, Herculi Eſtenſi Ferrariæ Duci Romam venienti ad excipiendam Eleonoram Ferdinandi Regis filiam nuper ſibi nuptam obuiam proceſſit. Paulò poſt iterum Neapolim a latere Legatus à Romano Pontifice directus eſt, vt Beatricem Aragoniam Ferdinandi Regis filiam, ac Matthiæ Coruini Hungariæ Regis vxorem, Hungariæ Regni diademate coronaret; quod Oliuerius die 15. Septembris anno 1476. magno apparatu, ac pompa in templo S. Mariæ Coronatæ effecit, eamque vſque in Hungariam ad eius virum ex Hungariæ Scriptoribus tum maritimo, tum terreſtri itinere ſimul cum eiuſdem Ferdinandi Regis filio, aliiſque Regni Proceribus comitatus eſt. Ibi adeo honorificè ab eodem Hungariæ Rege receptus eſt, vt in conuiuio Regio apud Albam Regalem ſupremo loco in orbiculari menſa conſederit: & in alio conuiuio Budæ celebrato, immediatè poſt eiuſdem Regis Neapolitani filium ſupra alios receptus fuerit.

Cum autem anno 1482. bellum inter Sixtum IV. Romanum Pontificem, & Ferdinandum Regem exortum eſſet, & Alphonſus Calabriæ Dux Ferdinandi Regis filius exercitum ad oppida Romanæ Eccleſiæ admouiſſet, Oliuerius maxima animi dexteritate, ac ſummis exantlatis laboribus, armorum motus omnes compoſuit ac ſumma felicitate ſedauit. Extat adhuc eius pacis encomium in Senatu Romæ habitum, in quo Oliuerius ſummis laudibus extollitur; eo quod ipſius ſuaſu, ac ſtudio pax Italiæ inita eſſet; atque hæc de Oliuerio habet. *Nunc autem quoniam omnis oratio mea ad te conuertenda eſt ampliſſime Pater, qui opere in tanto magnā partem habes, qui nullis parcens laboribus, & vigiliis, cura, induſtria, cogitatione, mente denique omni ad hanc conficiendam pacē, auctoritatem, conſilium, magna, & exquiſita prudentia opportunè interponere non prætermiſiſti. Omnia perluſtrans, omnia obſeruans, & mente reuoluens præſtantiſſimi ingenii tui ſublimitate, & animi celſitudine, vbi pax inclinari videbatur, tu præſto aderas quadam ſolertia, & vigilantia, ac rerum agendarum experientia bellum continuo diſſuadens; cum ſis natura mitis, & gratioſus, homines ad vota tua facilè alliciebas, & inducebas.* Et paulò poſt. *Non tacebo igitur quantum pro tua ſingulari virtute, animi magnitudine, ſumma ſapientia, & conſtantia pro hac conficienda, & concludenda pace contenderis, elaboraueris, operam, & induſtriā impenderis. Nam cum tu quadam admiranda prouidentia ſapienter conſideraras, iam victis, & profligatis hoſtibus, nil dignius, aut glorioſius præſertim qui Chriſtianam Rempublicam regunt, aut gubernant, vt humanitatis, & manſuetudinis aliis exemplo ſint, iuxta illud diuinum eloquium:* Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde; *quam ſubiectis parcere, & petentibus pacem dare; omnes animi, & ingenii tui vires ad pacem conuertiſti. Quippe ab ineunte ætate, cum ſis nobilis, & præclara, ac antiqua Carafa ſtirpe oriundus, in qua multi magni, & clariſſimi viri longo ante floruerunt, qui apud Siculos, & Parthenopæos Reges maximo honore, pro ipſorum magnis, & arduis rebus geſtis, ſingularique virtute continuè habiti ſunt, & in præſentia habentur, quos ſingulatim commemorare longum eſſet, ſemper bonis artibus, quas noſtri liberales vocant, per omnes gradus ætatis educatus, & altus fueris, & in omni genere doctrinæ præſertim Ciuilis, & Pontificii iuris excellere ſtuduiſti; adeo vt eos, qui tecum in gymnaſiis pro tempore fuerunt, tuo excellenti ingenio, atque doctrina, morum grauitate, & ſapientia facile ſuperaueris, & te pro tua humanitate omnibus æquè amandum præbueris, & Eccleſiaſticam dignitatem pro tua animi modeſtia potius promereri, quam habere ſtudueris, conſilio, auctoritate, & prudentia, ac ſumma fide, & charitate, optimis, & ſapientiſſimis rationibus Pontificem Maximum in tot tumultuariis controuerſiis, & variis voluntatibus nolentem adduxiſti; adeo vt pax ipſa maiori tuo ſtudio, & diligentia, quam hominum voluntate confecta ſit. Quare non Roma ſolum, ſed Italia omnis meritò tibi gratulari poteſt, & debet, quod tua opera, & conſilio, tuo ſtudio, & prudentia, ſuaui, & amœna pace fruatur. O Præſulem ſapientiſſimum magnis præconiis extollendum; o digniſſimum Antiſtitem ab omnibus gentibus meritò amandum, & venerandum. Non enim abre Paulus II. Pontifex Maximus clarorum virorum, & ipſius virtutis amator, & exquiſitor, ad cuius aures innumerabilium virtutum tuarum laudes fama diſſeminante peruenerant, & inter Cardineos honores in Patrum concilio collocandum cenſuit. Quem vitæ integritate, eximia doctrina, fide, religione, conſtantia, animi magnitudine, ſumma ſapientia, pietateque in omnes præditum eſſe ſentiebat; ad tantum dignitatis culmen euexit, vt Reipublicæ Chriſtianæ, & Romanæ Eccleſiæ quaſi ſtella rutilans, integritatis ſpecimen, religionis exemplum, & virtutum omnium ſeminarium, non minori adiumento, quam ornamento eſſes, & illi quandoque præeſſes, illiuſque vicem gereres, cum pacem omnibus gentibus ſuadere tantopere conatus es.*

Comperimus etiam in Inſtructionibus, quas idem Rex Ferdinandus tradidit Petro Lupo Neapolitano, quem Romam grauiſſimi negocii cauſa mittebat, illud in primis Regem præcepiſſe, vt Romæ omnia per eum peragenda conferret cum Oliuerio Cardinali Carafa, & cum Antonio de Alexandro eius Oratore in Vrbe apud ſummum Pontificem reſidente, quos in omnibus conſuleret, eorumque conſilio cuncta exequeretur. Cum autem Iulianus de Ruuere Cardinalis tituli S. Petri ad Vincula ad euitandam Alexandri VI. iram Roma diſceſſiſſet, ſeque Oſtiam munitiſſimam in arcem recepiſſet, Oliuerii Carafæ, ac Georgii Coſtæ Cardinalium opera curauit Alexander ad ſe illum reducere, ſed fruſtra; nam Iulianus nolens Pontifici ſe confidere, noctu ex arce Ianuam primò, mox in Gallias aufugit, vt Caroli VIII. Regis in Italiam aduentum acceleraret. Alexander VI. vt Eccleſiaſticorum mores ad ſeueriorem diſciplinam à laxiori reuocaret, ſex Cardinales elegit, inter quos primum obtinebat locum Oliuerius hic noſter, qui à ſacro Collegio Cardinalium initium ducens nonnullas edidit leges, ac ſtatuta, quibus illi deinceps exemplo ad virtutem prælucere poſſēt.

Poſt hæc Neapolim petiit, vt patriam, ac ſponſam, è qua per viginti ferè annos abfuerat, viſeret: qua in vrbe ea pompa, ac omnium applauſu exceptus eſt, vt vix maior Romano Pontifici exhiberi potuiſſet. Neapolim igitur multis triremibus vectus cum perueniſſet die 27. Aprilis ann. 1498. Rege ipſo Federico, ac Regni Proceribus comitantibus ad palatium Archiepiſcopale ductus eſt. [Sylueſt. Guarn. in Diariis.]

Abſens a Sixto IV. Epiſcopus Theatinus nominatur; Caracenſi quoque aliquando præfuit Eccleſiæ, quàm poſtea in manibus Iulii II. Romani Pontificis reſignauit. Arimineñſis, ac Terracinenſis Epiſcopatuum quoq; aſcitus eſt Adminiſtrator anno 1496. & 1507 at poſt tres annos Terracinenſi ſe exoluit, & Ariminenſem vſque ad obitum retinuit; nam licet anno 1497. huic Eccleſiæ renuſiſſet nuncium in fauorem Vincentii nepotis, illo tamen ad Archiepiſcopatum Neapolitanum tranſlato, Ariminenſis Eccleſiæ adminiſtratio rediit ad Oliuerium, eamque retinuit vſque ad obitum. [Barthol. Chioccarell. de Archiep. Neapol. Felix Cōtelorius in Elencho. Ferdināḋ. Vghel. in Ital. ſac.]

Ad diuinum cultum augendum Cathedrali Eccleſiæ Neapolitanæ ſacras veſtes plures, vaſa argentea ad ſacrum vſum dono dedit: in ea ſacellum è candidis marmoribus, ac variis cœlatis figuris ornatum, ac altare cum ſepulchro, quod ſibi, & ſucceſſoribus Archiepiſcopis parauit, erexit: opus quidem inſigne, & Regii eius animi magnitudine dignum, atque omnibus gentibus admirabile, ob pulcherrimum artificium è candidis marmoribus, ac variis ſculpturis à Thoma Malnico Nouocomenſi ſculptore illius ætatis celeberrimo cœlatis, ac marmoreis columnis affabre ſuffultum. Ampliſſimis quoque redditibus ſacellum idem dotauit: decem Sacerdotibus, duobus Clericis, ac Sacriſta eiuſdem ſacelli ſeruitio additis, & familiæ Carafæ ius omne conceſſit eligendi in perpetuum tum Sacerdotes, tum Clericos, ac Sacriſtam. In eo quoque tredecim altaria ſtatuit, primum ac ſummum ſancto martyri Ianuario Neapolitanorum præcipuè Patrono dicauit, vbi & eius corpus è Montis Virginis monaſterio Neapolim anno noſtræ ſalutis 1497. eius opera tranſlatum, collocatum eſt: & ante ſancti Martyris ſepulchrum, Oliuerii Cardinalis genuflexi marmorea ſtatua conſpicitur. Duodecim verò altaria duodecim Apoſtolis dicare propoſuit, & ſequentes appoſuit inſcriptiones; prima enim à dextris ipſius ſacelli eſt talis. [Vincent. Verax de orig. Mōtis Virgin.]

Oliuerius Carapha Epiſc. Hoſtienſis S. R. E. Card. Neap.
Diuo Ianuario Martyri Pontificique Neapolitano Patrono
Sarcophagum hoc dedicauit, Sacellumque marmoribus
miro opere conſtruxit, ornauitque additis ei Sacerdotibus
qui quotidie Deo ſacrificent, quibus dotem perpetui prouentus
conſtituit. Ius patronatus Sacelli gentilitium eſſe voluit,
in primis Dei honorem, & laudem Sanctorum quæſiuit.
Fauete animis, et auctori Deo preces fundite
An. Sal. MDVI.

Altera à ſiniſtris.

Currite qui cupitis cœleſtis munera vitæ,
Et caſtas huc ferte preces hac ianua cœlo
Pandit iter votis Deus hic lacrymiſque precantum
Mitis adeſt, qui martyrio, precibuſque beati
IANVARII, totam commiſſo crimine ab omni
Parthenopem mitis, ac præſenti numine purgat,
Currite, vota patitur diuini Regia Regni.

Nobiliſſimam quoque Iconem in ſummo altari eiuſdem Eccleſiæ principis, beatiſſimæ Virgini in cœlum Aſſumptæ, cum Apoſtolis circa ſepulchrum admirantibus, ſuis ſumptibus, fieri curauit per Petrum Peruſinum pictorem ea ætate illuſtrem Raphaelis Vrbinatis magiſtrum, in quo Oliuerij effigies inſpicitur.

Palatium quoque Archiepiſcopale exornauit, & ampliauit: erexit etiam Neapoli Xenodochium pro peſtilentia infectis. In æde S. Dominici ordinis Prædicatorum eiuſdem vrbis Neapolitanæ ſacellum familiæ Carafæ exornauit: habetur autem in eo ſanctiſſimi Crucifixi Imago, quæ S. Thomæ Aquinati Oraculum illud edidit: Bene scripsisti de me Thoma. In hoc ſacello Franciſco parenti ſuo religioſiſſimo ſarcophagum erexit cum eiuſdem ſtatua, & ſequenti elogio.

Par vita
Religioſus exitus
FRANCISCO Carafæ Equiti Neap. inſigni
Chriſtianæ Religionis obſeruantiſſ.
Qui ſumma omnium mortalium
Beneuolentia, ac veneratione
Ætatis anno LXXXIIII. obijt.
Senij nunquam conqueſtus
OLIVERIVS Card. Neap. parenti optimo
Poſ.

Vincen. Verax de Abb. Mōtis Virgin.

Abbas Commendatarius Eccleſiam Montis Virginis rexit, cuius Cœnobium proximum, imò & Neapolitanum, quæ religioſi illi viri incolunt, qui ab ipſo Monte Virgini ſanctiſſimæ ſacro dicti vulgariter ſunt *Monte Vergine*, nouis ædificijs auxit, & ampliauit. Non in Neapolitanam modò, ſed in Romanam quoque ciuitatem aurum profudit ſuum Oliuerius. In S. Laurentij extra muros ſacra æde tectum ſublaqueatum picturis, & auro exornatum conſtruxit: in Aracœli duas tertias partes Eccleſiæ reſtituit; in SS. Syluestri, & Martini in Montibus Templo multa reſtaurauit. In S. Petro ad Vincula Organum a ſe conſtructum fuit: in S. Maria ſuper Mineruam ſacellum S. Thomæ à ſe fundatum, ornatum, & dotatum annuis redditibus ad diuinum cultum, & ob certum numerum virginum maritandarum; hoc ſacellum picturis ornauit Philippus Lippus Florentinus celebris illius æui pictor. Extat etiã adhuc Lippi Brandolini in Romana Vrbe tunc temporis Oratoris elegantiſſimi oratio Oliuerio Cardinali Carafæ dicata, quam is eiuſdem Oliuerij iuſſu Romæ in Templo S. Mariæ ſuper Mineruã ad Cardinales habuerat, dum Oliuerius inibi eiuſdem S. Thomæ natalem diem celebraret, tum ob ſummam in vniuerſum Prædicatorum ordinem beneuolentiam; tum quoque pro ea quæ eidem Oliuerio cum S. Thoma erat ſanguinis coniunctio, cum ex eo maternum genus duceret.

Canonicis Regularibus, quorum Patroni, vt ſupra diximus gerebat munus, à Sixto IV. è Laterano pulſis ad S. Mariæ de Pace Monaſterium à fundamentis, ſuis ſumptibus erexit, vt inſcriptio hæc, quæ adhuc legitur in faſcia periſtyliorum ſeſquipedalibus, vt aiunt literis expreſſa teſtatur, & eſt talis.

OLIVERIVS CARRAPHA EPISCOPVS HOSTIENSIS CARDIN. NEAPOLITANVS PIE A FVNDAMENTIS EREXIT ANNO SALVTIS CHRISTIANÆ MDIIII. DEO OPT. MAX. ET DIVÆ MARIÆ VIRGINI GLORIOSÆ DEIPARÆ CANONICISQ. REGVLARIBVS CONGREGATIONIS LATERANENSIS.

Alia legitur in eodem Cœnobio, & eſt talis.

OLIVERIO CARRAPHÆ
CARD. NEAP.
FVNDATORI PIENTISS.
PROTECTORI
BENE MEREN.
CANONICI REGVLARES
POS.
ANNO SALVT. MDIII.

Hoc Cœnobium anno noſtræ ſaluris 1504. fuiſſe abſolutum, eique eundem Cardinalem ſuam Bibliothecam, ac Vineam extra portam Flaminiam, quam adhuc religioſi illi viri poſſident ex teſtamento legaſſe ſcribit Gabriel Pennottus in ſua generali Hiſtoria totius ordinis Clericorum Canonicorum. Proximum Templum S. Mariæ de Pace ſacrum Organo, & aulæis ditauit. Ædes in Quirinali ædificauit, & incoluit: his à ſummis Pontificibus progreſſu temporis ampla, ac ſplendida ædificia fuerunt addita: Vineam quoq; in eodem Quirinali ornauit, quã teſtamento voluit perpetuò in familia aſſeruari: in hac aliquæ leguntur inſcriptiones, & ſunt.

Villam perpetuæ ſalubritatis
Suburbi modo Montis Exquilini
OLIVERIVS ille Cardinalis
Docta clara Neapolis propago
Nunc CARAFA pius ſuis amicis
Dicat omnibus, hoſpites venite.

Ad Paſquini quoque ſtatuam alia extat memoria, videlicet.

Oliverii Carafæ Beneficio Hic Svm
Anno Salvtis MDI.

Quamplures Romæ tum in Templis, tum publicis, ac priuatis locis, Oliuerij memorias olim extitiſſe ſcimus, quæ Populi Romani Decreto, Paulo IV. ab humanis ſublato, in funeſto illo Carafæ familiæ excidio deturbatæ, ac ſublatæ ſunt.

Ampliſſimum quoque, & conſpicuum palatium Neapoli poſitum prope Eccleſiam ſancti Seuerini ab Oliuerio fuiſſe erectum nonnulli ferunt.

At piam eius manuum liberalitatem nedum erga ſacra loca, & religioſas ædes exercuit Oliuerius, verùm etiam in homines extendit, ac præſertim in doctos viros, & qui literarum ſtudio operam nauabant. Nullus enim fuit non Romæ tantùm, & in Italia, ſed in vniuerſo ferè Chriſtiano Orbe literarum ſcientia, ac doctrina inſignis, aut diſcendi ſtudio illectus adoleſcens, qui Oliuerij beneficium, ac liberalitatem non ſit expertus. Hos enim mirum in modum fouit, in ſuam aulam excepit, dilexit, facilem ſe iis ſemper præbuit, quibus potuit modis fauit, bonaque omnia, & commoda procurauit; vt meritò ipſe non religione modò, ac pietate, ſed literis quoque, ac liberalibus diſciplinis exculptus, doctorum virorum optimus parens, ac Mæcenas eſſe videretur, vt plurimorum teſtimonijs compertum habemus. Scriptores enim eius ætatis ferè omnes ſcripta, ac libros, quos ediderunt, Oliuerio nuncuparunt.

Felinus Sandæus Ferrarienſis clarus eo tempore Iuriſconſultus, & Canoniſta, ac Romanæ Rotæ Auditor celeberrima ſua Commentaria ad vniuerſi Iuris Canonici corpus, Oliuerio dicauit, vt nuncupatoria epiſtola, quæ in antiquis editionibus habebatur, planè docet. Baptiſta Mantuanus Poeta eiuſdem æui celeberrimus, Oliuerio huic Cardinali tres libros de Calamitatibus temporum, heroico carmine conſcriptos dicauit. Syluarum idem librum tertium, pro pacata Italia poſt bellum Ferrarienſe eidem Oliuerio nuncupauit. Auguſtinus Niphus Sueſſanus Philoſophus, ac Medicus ea ætate illuſtris librum de Noſtrarum calamitatum cauſis, quem anno 1505. in lucem protulit, Oliuerio eidem Carafæ inſcripſit: in cuius initio hæc inter alia de eo habet. *Tu vnus, quem literatorum omnium conclamatio, ætatis noſtræ decus audio vita, moribus, diſciplina non temere accurrebas, ad te omnes veluti ad ſaluberrimum portum confugiunt, eruditorum vox diuerſa ſonat, ſed vna eſt, quod tu verus omnium ſtudiorum Pater diceris; reddi tam, profectò redditam vetuſtatem te Præſide eſſe conclamant. Sed extra ſuſpicionem adulationis, quod de te ſentio dici poſſe vellem; dicerem, profectò dicerem, non eſſe veterum Patrum, quem vita, moribus, diſciplina non anteceſſeris.* Ælius Franciſcus Marcheſius Neapolitanus, Diogenis Laërtij de Vitis Philoſophorum, librum emendatum Oliuerio Cardinali Carafæ nuncupauit. Matthæus Afflictus in Conſtitutione Regni, & in Præludijs Feudorum meminit cum laude Oliuerij, eumque legum Doctorem, & dignum Cardinalem nominat. Scipio Capycius in Epiſtola ad Sigiſmundum Loffredum, quæ eiuſdem Sigiſmundi legali operi præfixa eſt, ſcribit, Oliuerium Carafam Cardinalem nobili genere natum, accuratiſſimè legalem ſcientiam fuiſſe profeſſum. Idem quoque aſſirmat Ioannes Bertachinus Firmanus, celeberrimus Iuriſconſultus in tractatu de Epiſcopo, quem typis excuſum anno 1505. eidem Oliuerio dicauit his carminibus.

Hoc alacri munus vultu ſanctiſſime Præſul
Suſcipe nec ſpernas, ſit licet exiguum.
Sit licet exiguum, poterit quandoque videri
Grande nimis, ſi tu ſingula ſcripta leges.
Iura tibi fuerit ſi viſere ſæpe libellum,
Semper erit menti lectio grata tuæ.
Hinc quoque perpetuum duces Pater optime nomen,
Gloria ſumma tibi, ſit licet altus honos.
Mille tibi ſcimus patuiſſe volumina legum,
Maximaque à ſtudio gloria parta tibi eſt.
Magna meo dabitur laus te cenſore labori,
Famaque quæretur non moritura mihi.
Tutior externas ibit liber iſte per oras,
Cenſor te nullus iuſtior eſſe poteſt.
Iure igitur noſtro celebraberis ipſe labore,
Iure tibi inſcriptus iſte libellus erit.
Tu mihi Mæcenas ſolus Pater optimè Cæſar,
Numen eris ſolus, aſt ego ſeruus ero.
Sed tibi Neſtoreos quæſo det Iuppiter annos,
Perpetuum vita ſint pia fata tua.
Atque tuis faueant cœleſtia Numina votis
Præſul cœleſtes inter habenda choros.

Petrus

Petrus Feltrius Neapolitanus Medicæ artis, & Philoſophiæ doctor, Oliuerio Cardinali Caraſę Quæſtionem de Fato editam Neapoli anno 1508. nuncupauit. Fr. Thomas de Vio Caietanus ordinis Prædicatorum, vir clariſſimus, ac ſui ordinis generalis Magiſter, quem Oliuerius fouit ob ſummam in literis, ac religione præſtantiam; quique adhuc iuuenis per omnes ſui ordinis honorum gradus ad Cardinalitiam dignitatem euectus, Orbi Chriſtiano tum rebus præclarè geſtis, tum libris editis celeberrimus euaſit, Commentaria in libros Ariſtotelis de Anima, quæ cum Generalis ſui ordinis eſſet, conſcripſit, Oliuerio Carafæ Epiſcopo Oſtienſi S. R. E. Cardinali inſcripſit, & in præfatione inter alia hæc habet. *Nulli decentius de Anima lucubrationes inſcribi poſſunt, quàm ei viro, qui corporis voluptatibus abdicatis, animam pietate multa, & ſapientiæ ſtudia ſemper excoluit.* Ioannes Baptiſta Flauius in vita Cardinalis Thomæ de Vio, verba faciens de Oliuerio Cardinali Carafa ait; *Erat tunc Romæ Oliuerius cognomento Carafa, quippe qui ex illuſtriſſima Carafeorum familia genus ducebat, Cardinalis Neapolitanus ampliſſimus cum generis nobilitate, tum vel maximè literis, elegantia morum, vita integritate, ſapientia denique, atque adeò omni virtutum genere ſui ordinis facile princeps; cui Religionis cura, atque protectio à Summis Pontificibus olim fuerat demandata.* Ioannes Franciſcus Picus Mirandulanus vir eruditiſſimus in lucem edidit Ioannis Pici Mirandulæ Comitis patrui ſui viri celeberrimi Diſputationes aduerſus Aſtrologos, quas idē Ioannes Franciſcus Oliuerio Carafę Cardinali Neapolitano, ac Sabinenſi Epiſcopo dicauit, & in nūcupatoria epiſtola hæc inter alia habet. *Occurriſti tu mihi Præſul ſacratiſſime, à quo digredi nullatenus valui; nam cui & congruentiùs, & honeſtius, quàm tibi doctiſſimo homini, eiuſdemque conſanguinei literaria monumenta dedicare potui? & illa potiſſimum, quæ noſtræ Chriſtianæ religionis aduerſus errores refellunt. Cum, & literis pollens, & ob Ioannem Thomam Carafam Magdaloni Comitem ſocerum meum, cui arctiſſima cognatione deuinceris, ſis etiā mihi neceſſitudine coniunctus.* Franciſcus Nouellus Romanus Iuriſconſultus, qui Oliuerij ætate floruit, in ſuis Commentarijs hæc de Oliuerio ad poſterorū memoriam reliquit. *Et pariter ſplendidiſſimum illud Cardinalium decus, atque lumen, ſpeculum, & imago virtutum omnium, & grauitatis exemplum, huiuſque Curiæ maximum ornamentum, immortalis memoriæ Oliuerius Neapolitanus digniſſimus Cardinalis, præſidium quoque meum, & dominus; cuius iudicium, cum eſſet vir ſapientiſſimus, eminenti ſcientia præditus, atque rerum maximarum vſu clariſſimus, longaque rerum experientia eruditus, acre fuit.* Eadem ferè repetunt Fr. Bernardinus Siculus ordinis Minorum Decretorum doctor, Leander Albertus ordinis Prædicatorum in Deſcriptione Italię, alijſque quamplures, quos recenſere non eſt opus.

Vt autem rei literariæ Oliuerius non modò plauſu, ſed beneficentia quoque faueret, videns in Regno Neapolitano multos eſſe adoleſcentes ingenio totius naturæ capaci ornatos, atque adeo ad bonarum artium diſciplinas aptiſſimos, quorum multi auro, argentoque omnino carentes literarum ſtudia proſequi minimè poſſent, Neapoli erigere decreuit, immò erexit peramplam domum, in qua iuuenes pauperes, nedum diuerſas ſcientias, ac liberales artes gratis à præceptoribus doctiſſimis perciperent, verùm etiam inibi alimentus, ac victum reciperent. Cui domui *Sapientiæ* nomen impoſuit, ſumpto à Romana Vrbe exemplo; vbi locus, in quo res literaria exercetur, & ſcientiarum ſtudia vigent, *Sapientia* nuncupatur, eo quod domus illa pateret ijs omnibus, qui ſapientiam, & ſciētiam proſequi, & aſſequi optant. At cum cœpto quidem opere, nec dum tamen perfecto, Oliuerius ex hac vita migraſſet, non repugnantibus hæredibus, paulò poſt ibi Monialium Cœnobium è Diui Dominici familia erectum eſt, quod noſtris etiam hiſce temporibus *S. Mariæ de Sapientia vocatur.*

Tandem vt ſe in omnibus ſingulari liberalitate, ac pietate gereret, cum eſſet Cauenſis Monaſterij Commendatarius Abbas, vt regularem obſeruantiam reſtitueret, idque Cœnobium in priſtinum decorem redderet, anno 1494. Monachos quoſdam ordinis S. Benedicti Conuentuales vocatos inde dimittens, Patres Congregationis S. Iuſtinæ, quæ multos ante annos Patauij cum maximo ſanctitatis odore pullulare cœperat, ac longè emicabat, ad Cauenſis Cœnobij inſtaurationem introduxit, quibus Oliuerius pro victu, alijſque neceſſarijs rebus bona quædam, & annuam penſionem initio aſſignauit. Deinde die 7. Auguſti anni 1497. annuente Alexandro VI. Romano Pontifice Abbatiam illā Monachis liberaliſſimè remiſit, retenta ſibi annua penſione ſcutorum 2400. ea lege, vt poſt ſuum exceſſum Cœnobium illud annua penſione liberaretur.

Ferdinan. Vghellius in Italia ſacra.

Agnatos, & ſuæ familiæ viros quam maximè extollere niſus eſt, & eos bonis literis, ac liberalium artium ſtudijs erudiri curauit, vt Franciſcus Ælius Marchelius in libro de nobilibus familijs Neapolitanis ſcribit his verbis. *Nec modico huius familiæ fauori, & ornamento eſt Oliuerius Cardinalis ampliſſimus, cuius virtute, & auctoritate quamplurimi Patriarchæ, Metropolitæ, Præſules, ac ampliſſimis Sacerdotijs ornati hodie in hac familia recenſentur.* Panuinius Cardinalem Oliuerium celebrem virtute, & exiſtimatione, ampliſſimi ordinis principem nominare non dubitauit: ego cum Andrea Victorello, vnius, ſed præſtantiſſimi Romani Pontificis Pauli IV. quaſi parentem, & inſtitutorem dicerem. Hic enim cum adoleſcens Romam adijt, Oliuerium virtutum Doctorem conuenit, in cuius contubernio diu viuens ad clauum ſanctæ Eccleſiæ benè regendum alebatur, & erudiebatur.

Cum autem Sixtus IV. Romanus Pontifex Albanenſem Eccleſiam Oliuerio, quæ ex veteri inſtituto Cardinali Papienſi debebatur, conceſſiſſet, is ad Cauenſem Epiſcopum ſcribens, tranquillo animo id ſe ferre affirmauit, ac probauit Romani Pontificis, & Oliuerij modeſtiam, ac virtutes commendat his verbis. *Neapolitanum,* Oliuerium ſcilicet, *confer, & me; videbis ab illa omnia, à me nulla poſſe præſtari; gratia ille apud vicinum Regem plurimū valet; neceſſitudine quoque iunctus iis eſt, a quibus Rex ipſe ſumit affectus. Mihi quid tale, qui nec ſuffragio Principum creui, nec illorum patrocinio ſum gloriatus; nec niſi Romanam Sedem in hanc diem aſpexi. Quod ſola vires Cardinalis exigui poterant, hæc ſperare licebat de me: quod Neapolitanus poteſt, & ſui poſſunt, & Rex poteſt, expectari de illo merita debuit. Proinde igitur Pontifex maiora minoribus in dando beneficio præferens, &c.* Paulo poſt: *Immeritus aliquis qualem aliquando noſtra ſors habuit, ſi mihi eſſet Prælatus, plena forſan rei ſtomachi potuiſſet videri; ſed cum Prælatus Collega ſit nobilitate inſignis, vita egregius, doctrina præſtans, cuius menſura omnis longè meam excedit; quid triſter reddi tam meritis eſſe mercedem? præſertim cum recuſauerit diu, locumque inepta conſuetudini deditum, diu à ſe deprecatus amica Papienſi optarit. Coniuncta erunt ſubſellia noſtra, vt prius de familiari colloquendi, & ſuſpicandi, & iocandi, & ridendi quoque conſuetudine nihil mutabitur: omnino nulla veteri voluptati decedent. Nouo lucro hoc in primis accedet, quod in dicendis ſententijs vna plus monſtratore erudiar, & in humano ſapientis Patris perſæpe lumen videbo; grauia enim, quod noſti, ſunt ina conſilia plena virtutis, atque doctrinæ.*

Interfuit pluries Conuitijs Pontificijs, & plurìes proximus fuit Pontificatui; ac fama conſtans fuit, ſi Iulio II. ſuperuixiſſet, quòd ſummum Pontificatum aſſecutus fuiſſet faciilimè; at mors eum præripuit. Mortuus eſt autem Romæ octogenarius, cum quadraginta quatuor annos in Cardinalatu vixiſſet. Obijt verò die 20. Ianuarij anno non 1515. vt fortaſſe Typographi errore exprimitur in Ciaconio, & alijs, neque anno 1512. vt ſcribit Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra; ſed ex omnium Scriptorum teſtimonio, ac monumentis antiquis anno 1511. cum fuiſſet Epiſcopus Albanenſis, Sabinenſis, Oſtienſis, ac Veliternus, & ſacri Collegij Decanus. Eius cadauer in Eccleſia S. Mariæ ſuper Mineruam in ſacello S. Thomę à ſe ornato conditum eſt, cum ſequenti Inſcriptione.

Monument. Cardd.

OLIVERII CARAFAE NEAPOLITANI ORDINIS PRAEDICATORVM PROTECTORIS RARI EXEMPLI DEPOSITVM. QVI VIXIT ANN. LXXX. MENSES X. DIES X. SACRI SENATVS ORNAMENTVM. OBIIT XIII. KAL. FEBRVARII RELIGIOSE INTREPIDEQVE MAGNO SVI DESIDERIO RELICTO.

Inde poſt nonnullos annos Neapolim in Cathedralem Eccleſiam tranſlatum, & in ſacello à ſe conſtructo, vt teſtamento cauerat, repoſitum, ſingulis annis eadem die vigeſima Ianuarij Neapoli in Metropolitana Eccleſia Hebdomadarij anniuerſarium agunt pro ipſius Oliuerij Cardinalis anima.

Paris Graſſus in Diarijs indicans Oliuerij Cardinalis obitum, dixit virum ſanctum, & irreprehenſibilem è viuis ceſſiſſe.

Sed quantum animi dolorem huiuſce Cardinalis mors, non modo ſuis, ſed etiam Romano Pontifici attulerit, his literis ſcriptis ad Leonardum Graſſum de Ruuere Cardinalem Vrbis Legatum, & ad Ieſue de Caieta Epiſcopum Aſculanum, eiuſdem Vrbis Prætorem, apertè ſignificat.

Dilecto filio Noſtro Leonardo TT. ſanctæ Suſannæ Presbytero Cardinali Agennenſi, in alma Vrbe Noſtra Legato, & ſecundum carnem nepoti, & venerabili fratri Ieſue Epiſcopo Aſculano, eiuſdem almæ Vrbis Gubernatori, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Dilecte fili, & venerabilis frater. Grauem animi dolorem accepimus, audito obitu beatæ memoriæ Oliuerij Epiſcopi Oſtienſis, Cardinalis Neapolitani nuncupati; erat enim firmiſſima ſanctæ Apoſtolicæ Sedis columna, cuius conſilio vtpote ſapientis, & optimi viri libenter in grauibus rebus vtebamur. Is vigore facultatis ſibi conceſſa, & per Nos confirmatæ teſtamentum, vt accepimus, condidit; quare volumus, & mandamus vobis, vt teſtamentum ipſum per Executores in eo nominatos, & deputatos executioni ad vnguem demandari faciatis. Datum in Arce Mirandulæ Regienſis Diœceſis, ſub Annulo Piſcatoris, die XXIV. Ianuarij MDXI. Pontificatus Noſtri anno VIII.

Cardinalium vnus Paulo II. ſuadere conabatur, vt ſeueram de meretricio vectigali legem promulgaret, Oliuerius ei valdè obſtitit, dicens, *Eam legem non ferendam, quæ fœtidum eſſet allatura quæſtum.* interrogatus alias quid de Alexandro VI. euenturum iudicaret,

Andr. Victorell. in Addit. ad Ciacon.

dicaret, ſi cum Vrſinis hyemali prælio pugnare voluiſſet, reſpondit, *ad euentum quod ſerra, quæ in altero ſecando conteritur*,

Hieronymus tamè Zurita Oliuerium accuſat, quod aſcendere ad ſummum Pontificatum etiam per obliquas vias conatus ſitat vnde, aut ex quibus ſcriptoribus hoc decerpſerit auctor hic, qui poſt centum circiter annos floruit, prorſus ignoro, cum nullus ante ipſum tali nota Oliuerium notauerit. Idem tamen Zurita fallus eſt eidem Oliuerio dumtaxat Pontificatum, vt digniori tunc temporis debitum fuiſſe, & neminem ex Cardinalibus ei præferendum ob eius rectitudinem, & integritatem. Roſarum halitum maximè abhorruit, imò roſarum tempore, quotannis intra ſuos quos in Quirinali habebat hortos, ſe claudebat, cuſtodijs ad oſtia diſpoſitis, ne quis ad ſe, aut ſalutationis, aut amicitiæ gratia accedendo roſam inferret. Alexander VI. ea die qua Carolus VIII. Gallorum Rex cum valido exercitu Romam ingreſſus eſt, quę fuit vltima Decembris anni 1494. in munitiſſimam S. Angeli arcem, quam Hadriani molem nuncupant, cum ſe recepiſſent; Oliuerium tantùm Carafam, & Baptiſtam Vrſinum Cardinales apud ſe voluit. Ad Oliuerium hunc Cardinalem plures ſunt Iacobi Picolominei Cardinalis Papienſis epiſtolæ, quarum vnam tantum placet hic reſcribere amoris, & obſequij plenam, ſcriptam tum Oliuerio, tum Cardinali Aquileienſi.

Qvis *fieri hoc poſſe crederet, Reuerendiſſimi Patres, vt vno eodemque nuncio triſtaretur animus, & lætitiam caperet? Factum tamen eſt in me ipſo. Audita enim Legatione veſtra in Turcos, alterius quidem mari, alterius terra, in vtrumque affectum ſum ſimul adductus. Gaudium attulit, quod excitari tandem videmur a ſomno, quod magni defenſores dantur fidelibus, quodque in negotium Chriſti exeunt Principes Eccleſiæ duo, quorum virtus, & fides digna ſacerdotum opera poſſunt præſtare. Rurſum triſtitiam fecit, quod a patribus meis tam inſperato diuellor, quibus nil erat iocundius. Si Romam rediero: Si ad peregrinas nationes vos ibitis, quæſo, quibus cum erit mihi ſermo tam liber? Solamen tam frequens? Tam familiare gratumque conſortium? Id vnum videlicet, propter quod erat in deſiderio vrbs, vobis abeuntibus tollitur. Abeſſe iam placet, nec in ſupremo digreſſu doloris hunc ſenſum accipiam. Sed quãdo ſic expedit, & decreta veſtra ſic iubent: Ite fideles animæ bonis omnib. A porta vrbis vos excipiẽt Domin⁹, ia via ſit Dux, in laborib. ſuſtentator, in diſcriminib. cuſtos, in conſilijs lumẽ, in mandatis perfector, conatib. quoq; det ſucceſſũ, quem quæritis, & nominis gloriam, quæ pie agentibus debita eſt. Neapolitano meo nea noceant venti, non obſiſtant ſcopuli, non cæli vlla grauitas obſit. Pateant maria, ſinus, anguſtia, & portus. Aquilegienſem quoque non turbent longa itinera, non terrica alpes, & dura. Non barbarorum ſuperba ingenia. In labiis eius, cum exhortationes operum ſanctorum aperientur, ſauus ſit mollis, inclinent, erigant, flectant, conuertant corda hominum quocunque eſt opus. In congreſſum vero hoſtium ſi quando eſt veniendum,* O Domine Deus exurge, & exaltetur manus tua. Reminiſcere miſerationum tuarum, & miſericordiarum tuarum, quæ à ſæculo ſunt: ne forte dicant in gentibus: Vbi eſt Deus eorum? Effunde iram tuam in eos, qui te non nouerunt, & in regna terræ, quæ nomen tuum non inuocant. Fiant viæ illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini perſequens eos. Sacerdotes vero tui, quos dico Celſi victoria tibi gratias agant: Nomini ſancto benedicant, & in cruce tua gloriantes eodem quoque te reduce ad ſanctam Apoſtolicam Sedem incolumes redeant. *Si adiuuare Reuerendiſſimi Patres Legationem veſtram tantam, ac tam operoſam conſilio, opibus, aut vllis meis laboribus poſſem, præſtarem vltro cuncta pietatis, & amantiſſimæ mentis officia. Sed cum his omnibus plane deſtituar, præſtabo corde, voto, & precibus, quod præſtari mine ſcripto inſpicitis. Vobiſcum ſemper peregrinabitur animus, & curarum veſtrarum ſemper particeps erit. Deus, qui iuxta verbum Apoſtoli corda noſtra probat, ſcit quia non mentior, & quod plenis hæc oculis ſcribo: Valete in Domino. Falginij* XXVII. Decemb. MCDXLI.

IV.

Ciaconius Panuinius. Ioſ. Maria Suares. in .... Fran. Felix Cōtelorius in Elencho. Io. Candidus in ... Miſ. Aquileienſ. Blondus in Ital. illuſtrata. Andr. Victorell. Addit. ad Ciaconium Henricus Spondan. in Annal. Eccleſiaſt.



Marcvs Barbus, patritius Venetus, Pauli II. patruelis, ex Epiſcopo Vicentino, Presbyter primò Cardinalis titulo s. Marci, poſtea Patriarcha Aquileienſis, demum ann. 1478. Epiſcopus Prænetinus renunciatus eſt. Huius conſilio, & opera in multis vſus eſt ipſe Paulus: Legationem geſſit ſub Sixto IV. ad Cæſarem, ad Hungaros, & ad Polonos: de huius vigeſimo ſecundo Februarij Roma diſceſſu ſunt epiſtolæ Papiẽſis. Mandata à Pontifice accepit ad Fridericum Imperatorem, vt aduocatum ſe Eccleſię Romanæ, atque defenſorem Reipubli-

A cæ Chriſtianæ meminiſſet, ac propterea arma contra Turcas aſſumeret inhiantes Hungariæ, ac Germaniæ. Ad Reges Poloniæ, & Hungariæ de regno Boemiæ contendentes, vt eos ad concordiam quantum cum Romanæ Eccleſiæ, & Imperialis dignitatis maieſtatis dignitate poſſet, reuocare contenderet, ac Boemorum hæreticorum audaciam reprimeret. Ad Matthiam Hungariæ Regem, ne timeret deſertum ſe iri a ſede Apoſtolica, & Imperatore, à quibus ad bellum contra Boemos excitatus fuerat; neque enim ſedem Apoſtolicam electionem Boemorum de Polono approbare voluiſſe. Et quoniam procliuiores viderentur Boemi ad Polonum, ſanciendam eſſe cum illo aliquam pacem, quam arbitrio Pontificis, & Imperatoris permittere deberet; curaturum vtrinque vt inteſtini quoque Hungariæ contra eum motus conquieſcerent. Ad Caſimirum Poloniæ Regem, haud probè factum, vt qui à Sede Apoſtolica ad capeſſendum regnum Boemiæ olim inuitatus, re-
B cuſaſſet illud accipere, poſtea hæreticis poſtulantibus filium ſuum Regem dederit, & arma pro Boemis contra Matthiam Hungarię, & Poloniæ Regem ſumpſerit. Satius fore pacem, & affinitatem inter eos contrahi data Matthiæ vna ex filiabus ſuis, ad cuius liberos regnum Boemiæ deuolueretur; vel ſi liberi nulli ſuſciperentur, defuncto Matthia, ad Polonos, regnum ſpectaret. Quòd ſi hanc æquam Pontificis poſtulationem Polonus negligeret, tum Marcus Legatus diploma confirmationis regni Boemiæ in gratiã Matthiæ promulgaret cum minis cenſurarum in Polonos. Hæc enim ita in mandatis ei data eſſe a Sixto Pontifice conſtat ex Codice expeditionum eius, qui extat in Archiuio Vaticano, & ex Brouio. Ceterùm profectus Marcus in Poloniam, valde quidem honorificè à Rege exceptus eſt, ſed parum vel nihil pro pace initio profecit, difficiliorem ſe ad eam Matthia præbente, ob pactam cum Imperatore pacem: cum Matthia autem Legatus nonniſi per
C internuncios initio egit, tandem Reges illos diſſidentes, ad concordiam redegit. Triginta menſium ſpatio Legatus ab vrbe abfuit reuerſus res, in ea legatione geſtas, duabus horis in Senatu recenſuit. His, & alijs in Senatu narratis, veniam flexis poplitibus petijt, quod nec publicis neceſſitatibus, nec imperio Pontificis, nec Patrum expectationi ſe ſatisfeciſſe agnoſcebat: adiecit tamen nihil à ſe omiſſum, quod vel poteſtatis, vel diligentiæ, vel conſilij fuiſſet ſui. Pontifex hominem laudauit, & cum Patribus gratias egit de legatione bene functa: hæc & alia recenſentur à Cardinale Papienſi in epiſtola ad Cardinalem S. Theodori.

Fuit vir pius, prudens, integer, miti ingenio præditus, morum grauitate, & rerum vſu præſtans: ſi viri mali donabantur purpura, cruciabatur: interrogatus, cur mœrore vexaretur, *quia* reſpõdebat, *malorum felicitas, bonorum calamitas eſſe ſolet*. Virum doctum fuiſſe Marcum Cardinalem non modò Philelphi, & Ficini epiſto-
D læ, ſed monumenta, quæ ad poſteros reliquit, palam omnibus faciunt; ſcripſit enim Græcè, Latinèque doctiſſimus de Cœlibatu libros duos, vt notat Eiſengrenius. Epiſtolas item plures, quibus Onuphrius Panuinius in Hiſtoria Eccleſiaſtica conſcribenda vſus eſt: Orationem etiam in Conſiſtorio habitam, cum ex Hungarica Legatione remearet. Præterea Latinè reddidit è Græco Eloquium Patriarchæ Conſtantinopolitani, ac Reſponſum de fide Catholica ad Quæſtiones Mahometis Turcarum Imperatoris: & S. Dionyſij Areopagitæ Opuſculum.

Abbas Commendatarius Cœnobij Saxouiui monachos illos, qui centum, & triginta ab hinc annis in antiqua, eaque percelebri Abbatia morabantur, ſæpius inculauit, ſæpius admonuit, vt ad aliquam legum quas profitebantur Benedictinarum obſeruantiam ſe te conterrent. Cum tamen oratio, monita, omniſque Cardinalis comminatio irrita eſſet, illis reiectis, Oliuetanos ſeueriores Bene-
E dictinæ diſciplinæ cuſtodes beneplacito Apoſtolico ſubrogauit, nonnullis ad victum redditibus conſtitutis ſeunctim ab ijs, quos Abbas Commendatarius perciperet.

E vita migrauit Romæ die 11. Martij anno 1490. ibique iacet in Æde ſacra S. Marci cum hoc epitaphio.

MARCVS BARBVS CARDINALIS S. MARCI
PATRIARCHA AQVILEIENSIS
ITA SIBI VIVENS FIERI VOLVIT
ORATE PRO EO DOMINVM.
OBIIT ANNO SALVTIS MCDXC. DIE XI. MARTII.
OLIVERIVS ET FRANCISCVS CARDINALES EXECVTORES
B. M. POSVERVNT.

Cardinalis Papienſis literę plures ad hunc Cardinalem datæ ex-
F tant: laudatur à Blondo in Italia illuſtrata, à Gatimberto, à Trithemio, & à Cardinali Ægidio. Sed nil magis laudandus videtur, quàm quod ferè omnes ſuas diuitias pauperibus erogauerit, quos heredes inſtituit adiecto dilemmate: *Ad locum vnde exeunt flumina, reuerti oportere vt iterum fluant: Eccleſia quippe bona, pauperum Chriſti patrimonium eſſe plerique ſanctorum Patrum diſerte docuerunt*.

Sub Marco Patriarcha Aquileienſi habitum fuiſſe Prouinciale Concilium Epiſcoporum affirmat Ferdinandus Vghellus, in

Petr. Iuſti... Hiſtor. Veneta Aubery in vita... Gaſp. Veroneſ. de geſt. Pauli II. temp. Hier. Gambert.

Ferdin. Ed. Vghel. to. 5. Ital. ſac.

[...]uo multa ad diſciplinam Eccleſiaſticorum, & ad tranquillitatem eccleſiarum tuenda ſancita ſunt. Statuit etiam ſuo diplomate, quę per Officiales Canonicos ſanctæ Aquileienſis Eccleſiæ deinceps in exigendis Eccleſiæ redditibus perpetuò obſeruanda forent. Inſuper quod nullus Canonicus minor decem, & octo annorum vocem haberet in Capitulo in certis actibus, ac definitionibus, & quod nullus Canonicus non actu reſidens etiam in certis actibus ſuffragium daret: quæ quidem ſtatuta Innocentius VIII. Romanus Pontifex ſuo diplomate confirmauit.

Altare in Eccleſia S. Marci de Vrbe conſecrauit, vt conſtat monumento hoc antiquo die 27. Maij anno reparatæ ſalutis 1657. inuento ſub marmoreo lapide in eodem Eccleſia S. Marci.

Marcus Barbus Venetus, miſeratione Diuina tituli S. Marci S.R.E. Presbyter Cardinalis, Patriarcha Aquileienſis, 28. die menſis Iunij, quæ fuit Vigilia feſtiuitatis ſanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli Sanctiſsimi Domini Noſtri D. SIXTI Diuina prouidentia PAPAE IV. anno Sexto, conſecrauit Altare ſitum in prædicta Eccleſia S. Marci de Vrbe, & in Capella Corporis Chriſti, in honorem ſanctorũ Cypriani Martyris, & Epiſcopi Carthaginenſis, ac Catharinæ Virginis, & Martyris, & in eo condidit de Reliquijs ſanctorum Martyrum Abdon, & Senen, & B. Marci Papæ, & Confeſſoris, & contulit Indulgentiam centum dierum in forma in ſimilibus conſueta.

V.



Ciaconius Panuinius Hier. Garimbert. Cardinal. Papienſis Andr. Victorell. in Addit. ad Ciaconium Pet. Frizo. in Gallia Purpurat. Belloreſt. Arnoldus Viron in Lig. Vitæ. Ferdinand. Vghel. in Ital. ſac. Philip Comineus Aubery. in vita. Claud. Robert. in eo Gall. Chriſt. [...] Henric. et [...] in Elog. Illuſtrium Cardinal. Ludouicus [...] in Hiſt. Felix Contelorius in Elencho. Henricus Spondan. in Annal. Eccleſiaſt. Roma moderna.

IOANNES Balue, alijs Balues natione Gallus, obſcuris parentibus, molitore enim, ſeu ſarcinatore, ſeu vetus calceolario patre, ſed ingenio clarus natus eſt; quē vafrum omnino fuiſſe tradidit Cardinalis Papienſis, cui etiam ille optime notus de facie. Hic cum à prima iuuentute Eccleſiam auſpicatus eſſet, in contubernium Iuuenalis de Vrſinis Patriarchæ Antiocheni, qui tum Pictauienſi præerat Eccleſiæ, ſe dedit, apud quem aſtu obſequij; nam literis minimum poterat, tantum gratiæ breui eſt conſecutus; vt partim pulſis, partim afflictis qui longo ſeruitio primam fidem meruerant, ſolus iam in familia poſſet: eius verò mox defuncti ad præſtandum teſtamentum relictus, minus gratè, ac religioſè eam diſpenſationem adminiſtraſſe creditus eſt. Inde ad nouum Epiſcopi Andegauenſis Ioannis de Bellavalle famulatum tranſlatus, parem tulit, atque accepit miniſterij gratiam. Quo tempore Epiſcopo illo Oratore à Rege Carolo VII. ad Pium Romanum Pontificem miſſo, Belues cum eo profectus, quotidie negociorum cauſa ad Cardinalem Papienſem mittebatur. Ab Andegauenſi ad Regem contendens, occupato facilè Ludouici XI. Regis animo, qui hominum infimæ ſortis miniſterio delectabatur, Monaſterium Beccenſe inſigne in Normandia obtinuit; & primus Commendatarius Abbas Beccenſi Abbatiæ præfuit. Ordinis fratrum Seruorum B. Mariæ Ioannem hunc fuiſſe tradit Archangelus Gienius in Annalibus Seruorum; ſed quàm hoc ſit à veritatis tramite deuium, ſatis manifeſtum eſt ex ſcriptoribus omnibus illius æui, qui de hoc ſcripſerunt. Alij actibus Conſiſtorialibus Pauli II. Romani Pontificis monachum Benedictinorum inſtitutum Baluam profeſſum fuiſſe affirmant. Quicquid ſit, ingenij quidem ſui acie, & aſtu animum Regis Ludouici XI. obſedit, ac ſtatim pecunijs, & ſacerdotijs congeſtis diues euaſit; eidem Regi Ludouico fuit à confeſſionibus, & eleemoſynis, & poſtea ab ærario: fauente eodem Ludouico, Ebroicenſis primò, poſtea Andegauenſis Epiſcopus inauguratus. Cardinalium Collegio inſcribitur à Paulo II. & Preſbyter titulo S. Suſannæ nominatur. Obtinendæ Cardinalitiæ dignitatis modum ex Paulo Æmilio Veronenſi Eccleſiæ Pariſienſis Canonico, qui de rebus geſtis Francorum libros decem exarauit, hauriamus. Cum apud Regem Ludouicum Ioannes Balua Pontifex Andegauenſis in flagrantiſſima gratia eſſet, ad purpuram aſpirabat, ſed aduerſo rumore, ac parum ſecunda fama morum ac vitæ; quo permotus Pontifex maximus Paulus non poterat exorari Regijs licet Oratoribus ſummo ſtudio id conſendentibus. Rex repulſæ impatiens, ex intima familiaritate mittit Fumeam acris ingenij virum, ac ingenuis dexteritatis ad magnorum virorum voluntates eliciendas; qui in vrbem profectus, ac ad Pontificem admiſſus multa verba fecit de ſtudio Regis in Balua extollendo. Paulus ea de illo delata eſſe aiebat, vt ei pernegare purpurā cogeretur, quod ſanctitatis, & virtutis inſigne foret. *Intrepide tum Fumea: Beatiſſime,* inquit, *Pater, iam non miror, virum optimum Baluam hic in vrbe tua male audire, cum vbique virtus inuidas vrat, & a calumniatoribus oppugnetur; fama nil vanius, nil rumoribus magis mēdax in bonos cum alibi, tum Roma inueni. Audieram ad Sanctitatē Tuam difficiles aditus, clauſas eis in ſupplices aures; quæ omnia vanitatis, & inuidiæ plena coram experior, benigniſſime exceptus, patientiſſime auditus. Proinde ſanctius, & incorruptius exiſtimes Regis Sanctitas Tua deditiſſimi de viro integerrimo teſtimonium, quàm maleuolorum fabulas confictas.* His motus Paulus ad Regis preces pileo Baluam exornauit Cardinalitio.

Hac arte ad conciliandam ſibi Romani Pontificis beneuolentiã vti ſolitus eſt Ioannes, vt cum grauius aliquid ab eo cenſeret poſtulandum, prouocaret priùs per calumnias Regem in illum, indeque adiutorem ſe clam offerens, in tollendi mali mercedem rem concupitam peteret, tanta diligentia conſilium tegens, vt hic ſolus pro Romana Eccleſia ſtare ex Gallis omnibus crederetur. In faſtum porrò intolerandum cum dignitate Cardinalatus euectus, adeo omnia ſibi licere putauit, vt iam pro Rege imperare videretur, & omnium in ſe odia accenderet. Quem etiam cum bellica delectareni eorum nihilominus ignarum planè, contigit anno 1467. noſtræ ſalutis, vt cum is regio nomine copias Pariſienſium armatas extra vrbem veſte linea ornatus, & mula vectus recenſuiſſet, ea re indignatus Comes Dommartini ſenex, & expertus bellator ad eum ſugillandum à Rege petierit, vt ſibi concederet Ebroicas ad examen de ſacrandis ſacerdotibus faciendum proficiſci; quandoquidem tā ſibi hęc cura, quam Epiſcopo militum recognitio cōueniret.

Interea impatienter ferens Ludouicus Rex Francorum ſocietatem ſui fratris Caroli cum Carolo Burgundiæ Duce, quamprimum in regnum à turpi obſequio Duci in expugnatione Leodij præſtito rediſſet; vt eos ab inuicem diuelleret, fratri per quoſdam ex eius familiaribus perſuaſit, pro Bria, & Campania, quas Burgundus in Pace Peronenſi, quo viciniores, ac proximiores eſſent, cum ſit Campania confinis Burgundiæ, à Rege ei dari extorſerat; Aquitaniam longè nobiliorem, & ampliorem prouinciam acciperet; magna Burgundi animi ægritudine, qui per ſuos Legatos huic permutationi obſiſtere conatus eſt, quod Aquitania ab ipſo remotiſſima eſſet. Id verò etiam valde odioſum, & moleſtum Ioannes Cardinalis Balues habens, quod qui ſolus omnia apud Regem poſſet, imò & ſupra Regem in regno poſſe videretur, conſideraret, ſi Rex, & frater inter ſe conuenirent, ſublatam ſibi fore occaſionem, vel ſaltem admodum diminutam in miſcendi ſe negocijs, & collocutionibus cum illo, ac Ducibus Burgundiæ, & Britanniæ, ex quorum cum Rege diſſidijs, eius maximè auctoritas creuerat; antequam fieret concordia, clam, & fratrem ab hoc propoſito deterrere inſinuatione fraudum ſegrarum; & Burgundum ad arma mouenda hortari obiectu propoſiti Regis de ipſo poſt fraternam reconciliationem bello impetendo, per literas inſtituerat. Aſciuerat autem in proditionis conſortium Epiſcopum Virdunenſem Guillelmum Haraucurtium, qui cum fuiſſet olim princeps conſilij Ioannis Ducis Lotharingiæ, & Calabriæ, & audiſſet Rex eius conſilijs fratrem ſuum agi, eum multis pollicitationibus, vt erat huius artis peritiſſimus, ad ſe allexerat. Menſe Aprili miſſus ab iis ad Ducem nuncius cum ad vicum Claram agri Damenſis veniſſet, in medio loci conſiſtens equus, res mira, quam ne fictam putemus, fideliſſimum, ac locupletiſſimum teſtem habemus Cardinalem Papienſem, qui diligentiſſimè deſcripſit, nec ignorare potuit, quæ ipſo præſente ad iudicium ſedis Apoſtolicæ perducta fuere; quamuis nihil de hoc ſingulari caſu apud auctores Gallicos reperimus; progredi illum detrectare pertinaciùs cœpit, adeo vt nec calcaribus, nec fuſtibus, nec manuductione moueri vnquam voluerit. Concurrente ad colluctationem illam populo, & clamoribus ſeſſorem eludente, prouocati quoque ad videndum duo milites regij animaduertentes territum illum qui rem iam in religionem vertere cœperat, pallentibus oculis viam effugij proſpectare, comprehenſum illum quis eſſet, quóue iter haberet, interrogarunt, ac trepidantem, & ſeorſum pertentarunt, literas in intimo thoracis lanei ſinu gerere inuenerũt; atque ad Regem tacitè perduxerunt. Qui obſtupefactus tam ingrata rerum imagine, Cardinalem, & Epiſcopum rei adhuc ignaros accitos, exprobrata perſidia, captiuos ad duas diuerſas arces fida cuſtodia miſit, catenis Virdunenſi iniectis, Cardinali propter dignitatem liberiori carcere apud montem Balonem non longè à Turone, vbi tunc Rex degebat, tradito. Interrogati per miſſos à Rege omnia, faſſi ſunt, cauſamque ſuæ machinationis Cardinalis protulit dolorem dignitatis apud eum diminutæ, ac poteſtatis appetitæ ſtudium, qua ſemper, & regias diſſenſiones in regno nutriſſet; & cum Romano Pontifice ad procuranda priuata non multum conuenire voluiſſet. Impenſiùs autem quæſiſſe, vt Dux Burgundiæ, cui turaſſet fidem, & ſecreta omnia in eum diem indicaſſet, plurimum ex conſenſu Principum poſſet, quo & in metu contineretur Rex, & ipſe illius ſuffragio moderator omnium fieret. Proditur Rex, & ipſe illius ſuffragio moderator omnium fieret. Proinde nos enim ea fuit in peccatis detegendis ſimplicitas, vt morituram ſibi omnino putaret, ac vera confeſſione munire Dei miſericor-

dium crederet. Vt autem Regi Cardinalis, & Epiſcopi confeſſiones renunciatæ fuerunt, illico literarum exempla, ac mandatorum, & omnem habitam quæſtionem mittens in Britanniam ad fratrem, admonuit iam tandem videret, quibus eſſet conſultoribus hactenus vſus, & quamnam ob cauſam in diſſidium fraternum Principes illum adduxiſſent. Proinde rediret aliquando ad fratrem, nec ſecuriorem externis, quam ſibi eſſe exiſtimaret. Aquitaniam ipſi non adeo à ſe oblatam, quod circumuentum eum quæreret teneri, ſed vt maleuolorum conſilijs abduceret. Quibus motus Carolus frater, ac naturæ etiam ſuaſione adiutus, & Aquitaniam accipere, & mutuo etiam colloquio redintegrationem amoris confirmari conſenſit. Quod tamen eius intimi regijs adhuc promiſſis diffiderent; vt ſine periculo congreſſus fieret, ad flumen, quod Britonum fines alluebat, vadum ea in parte nullibi habens, factus eſt ſinceribus pons, & ad eius medium firmus paries ex aſſeribus cum feneſtella cancellis inſtructa, quibus contingi dexteræ poſſent, & mutuus præberetur aſpectus. Cum illuc ab vtraque parte acceſſiſſet, Carolus poſito genu Regem adorauit, & mox iuſſus aſſurgere, datam per cancellos Regis manum lacrymantibus oculis eſt oſculatus: eo in loco vim naturæ quanta ſit, licuit intueri, uerum enim in genua procedens errata in eum ſua cœpit deflere, eaque ignoſci continentibus lacrymis precabatur, admiſſa, vt excuſabat, non tam voluntate, quàm iuuentutis errore, & conſiliorum fallacia. Se ſi mereri veniam poſſet, & ad gratiam eius reditum inuenire, futurum in regia poteſtate, & ab imperijs non abiturum, quorum ſupremo vitæ diſcrimine ſeruator cuperet inueniri. Hanc orationem pœnitentiæ plenam fletu etiam excipiens Rex poſt multa in eos prolata, qui ipſos ante coniunctos tam miſerè disiunxiſſet, & in tot pericula, ac damna præcipitaſſent, veniam quam dare iam dudum optabat, toto animo interprete Deo dare ſe dixit, hortatus denuo ſummis amoris affectibus ad mutuam vnionem. Quæ cum magna doloris ſignificatione defleret, concitationem animi retinere non valens Carolus, media interrupta oratione diſſolui ſubitò tigna parietis imperat, & ad Regem tranſiliens genibus ſe eius aduoluit, ac gemens pietatis omne genus profundit. Eum illico alleuantio Ludouicus non abſimili affectu complexus eſt: nec fuit ex turba comitantium quiſquam, qui non eodem exemplo mutuis interſe oſculis, & complexibus lætaretur: poſtridie Carolus à Rege Dux Aquitaniæ appellatus, in verba Regis de more aliorum iurauit; relictis penitus Britonibus tanta celebritate receptus eſt in regno, vt & feſti paſſim omnibus locis facti ſint dies. Hæc pluribus Papienſis, cui ſoli notitia debetur congreſſus fratrum ad pontem illum habiti, quem auctores Gallici reticent, ſatis habentes amantiſſimam Caroli receptionem tam à Rege, quàm in regno, & pacificam Aquitaniæ poſſeſſionis adoptionem deſcribere.

Ad Cardinalem redeamus, cuius captiuitas cum primùm Romæ nunciata eſt, tam illa miranda omnibus viſa eſt, quàm eo in Regno ante illum diem inſolita fuerat. Veritus autem Rex, ne magni ab Apoſtolica ſede hæc exempli nouitas in re nondum cognita putaretur, maioris autem fieret, ſi de ijs, aut eorum altero ſumptum diceretur ſupplicium, præueniendum putauit; ac duos ex Senatu ſuo iuriſconſultos viros delegit, quos Romam ad Pontificem non excuſandæ modò captiuitatis, ſed petendi in primis iudicij cauſa è veſtigio mitteret, & interim omni ſupplicio abſtineret. Appulſi illi Romam, poſt rem commemoratam poſtularunt, vt iudicium de ijs Pontificis delegatione haberetur in Regno, vbi & probationum maior vis eſſet, & certior Regi fieret iuris dicendi fides. Ne etenim Romam traduci poſſent, certiſſima obſtare pericula, affirmarunt, quod ita Gallorum omnium animos inflammatos cognoſcerent, vt prohiberi nulla vi poſſent, quin membratim malorum auctores à ſe abeuntes diſcerperent. His de rebus multa diſceptatione inter Cardinales coram Pontifice habita, cum legibus habendum Romæ iudicium quidam dicerent, nec videretur inſtitui poſſe iudicium in regno ex Gallia Epiſcopis propter Regem. Alij magnum Regem per ſummam obſeruationem legum irritari non oportere aſſerebãt: de Cardinali iudicium Romæ fieri ſuſpectum futurum; tanquam cæteri Cardinales communem ſpectaturi forent magis dignitatem quàm cauſam. Iuſtitiam à Rege peti, in qua præſtanda nemo diſſentiret, iudices modò & locum, & libertatem in diſceptationem adduci. Demum omnibus diligenter penſatis factum eſt decretum conſtituendi iudices delectu Pontificis, qui in Galliam euntes, ante omnia à Rege contenderent, Auenionem permitteret dicendæ cauſæ ſedem inſtitui. Id ſi minus impetrare valerent, ciuitates in Gallia tres proponerent ſummo imperio Epiſcopi ſubditas, quarũ delecta per Regem vna, ad eandem iudicaturi concederent, & in liberam Prælati captiui cuſtodiam permitterentur; fide primùm accepta acquieturos eos iudicio, quamcunque in partem accidiſſet. Omnibus auditis commentarios actorum ritè conficerent, & clauſos Romam mitterent aperiendos in Senatu Cardinalium, ac iudicandos; & interim ipſi in Gallia præſtolarentur eam tantùm laturi ſententiam, quam præſignatam accepiſſent. Delecti ſunt ad opus Alphonſus Ciuitenſis Eccleſiæ in Hiſpania Præſul, multos annos Romæ patrocinandis cauſis verſatus; Nicolaus Vbaldus patria Peruſinus, Auditor Rotæ, iuris ſcientia illuſtris: Paulus Tuſcanella Aduocatus Conſiſtorialis, & Ludouicus Iemmanenſis in procuratione cauſarum induſtrius, vnà cum duobus Scriptoribus; adiuncto omnibus tanquam auriga fidiſſimo, Falcone Romano ex Sinibalda familia, Clerico Apoſtolicæ Cameræ. Qui difficillimis duabus in Gallia legationibus functus, magnam apud Regem inierat gratiam; cuius dexteritate modò etiam leniri poſſet impetus Regis, ſi quid inclementiùs aliquando agitaret. Hæc vberiùs Papienſis; nec quid amplius de ijs: in quibus etiam mutæ ferè ſunt hiſtoriæ Franciæ nihil præter Baluæ abuſionem poteſtatis, carcerem, & poſt vndecim annorum captiuitatem liberationem habentes. Belleforeſtius de ijs diligentius agens, ait etiam Virdunenſem coniectum fuiſſe in Baſtillam arcem Pariſienſem, ac demum, & ipſum libertate donatum. Sed memoria dignum, quod de illo habet Cominæus, auctorem fuiſſe Regi ferrearum quarundam cauearum altitudinis ſtaturæ humanæ, & octo pedum latitudinis, includendis ijs, quos inuiſos haberet; ac ipſummet Virdunenſem in omnium primum coniectum fuiſſe, ac totos quatuordecim annos ibi detentum: iuſtiſſimo ſanè in eum ſæui inuenti ſupplicio.

Ridiculam ſuper hoc carcere narrat fabulam Hieronymus Garimbertus, nimirum ferreis cancellis detentum fuiſſe Cardinalem Andegauenſem; & poſt duodecim annos emenſos, morbo non fluentis vrinæ, illã enim clam ebibebat, ſimulato, medicos, & Regem decepiſſe, & catenas vitaſſe. Reuera Sixto IV. intercedente donatus eſt libertate Iuliano à Ruuere Legato poſtea Iulio II. petente; inde liber Romam adit; vbi Pontifex Sixtus Ioannis fortunam miſeratus, non modò Cardinalem complexus eſt, ſed etiam cenſu fouit. Legationis munere deinde functus eſt in Piceno ſub Innocentio VIII. ad Zizimum Baiazetis fratrem ducendum in Picenorum partes, & illic Pontificis mandato cuſtodiendum, Petro d'Aubuſſon Rhodiorum militum magno Magiſtro creato Cardinale; his ſubſcripſit hoc modo. *Ego Ioannes Epiſcopus Albanenſis, Cardinalis Andegauenſis in omnibus, & ſingulis ſupraſcriptis Me liberè obligo ſaluo quoad promotionem Reuerendiſſimi magni Magiſtri, pro qua ſpondeo daturum liberum votum; quando Zizimus frater magni Turcæ erit in poteſtate ſanctiſſimi Noſtri, vel mea, & non aliter, & ita in præſentia ſanctiſſimi Domini Noſtri, manu propria ſubſcripſi.* Epiſcopatum Albanenſem obtinuit; variantis ſanè fortunæ ludibrium, & dignum profectò exemplar, in quod ſubinde intueantur felices; ne ex nimia proſperitate immodicè ſpes ſuas alant; cerciùſque inde caſum, niſi æque proſperam, & aduerſam fortunam priùs moderato animo didicerint tolerare. Ioanni huic legato Innocentius duodecim aureorum millia in ſingulos annos ſe daturum, donec Zizimus apud ſe maneret, ſpopondit; verum mutatis paulo poſt rebus Zizimus Romam perductus eſt. Ordinis Rhodiorũ Ioannes Cardinalis Protectoris munus Romæ exercuit, Ferdinandi Neapolitani Regis in Ludouicũ XI. Galliarum Regem ſibi infenſum beneuolentiam conciliauit.

Prouectæ iam ætatis obijt non Anconæ, neque Romæ, vt ſcripſere nonnulli, ſed in Piceno in oppido Ripæ Tranſonæ die quinta Octobris anno 1491. ex Diarijs, & Ciaconio. Petrus Frizonius in Gallia Purpurata, & Henricus Albi in elogijs illuſtrium Cardinalium ſcribunt, Ioannem hunc e vita migraſſe anno 1499. ſed in hoc præſtanda potiùs eſt fides illis, qui præſentes in vrbe Diaria ſcripſere, quàm abſentibus, qui aliorum voce hiſtorias enarrarunt. Corpus in vrbem relatum, ſepulchro conditur in S. Praxedis ſacello Anchers Pantaleonis eiuſdem Eccleſiæ titularis, hoc epitaphio.

DEO OPTIMO MAXIMO.
Ioanni Andegauenſi, Epiſcopo Albanenſi:
hic Heros proſpera, & aduerſa varia vſus
fortuna in Piceno ſub INNOCENTIO
VIII. *Legatum agens ſeptuagenarius*
glorioſè obijt, infelicitatis humanæ, &
felicitatis exemplum memorabile.
Antonius Epiſc. veteris amicitiæ memor
poſuit.

Ioanni huic Cardinali Archangelus Gianius ſuperius laudatus, & ex illo Andreas Victorellus gentilitium ſtemma tribuit, in quo triplex mons cum corona, è qua naſcuntur, & prodeunt tria lilia, ſubtus vnciale, & antiquum m. s. in medio repoſitum. A veritate etiam in hoc hi aberrant; nam certò ſcimus ex ipſis inſignibus ſepulchro appoſitis, germanum ſcutum habuiſſe argenteum, cantheſio cœruleo tribus leonum capitibus aureis, duobus in ſummo, tertio in infimo impreſſis. A Panuinio vocatur Epiſcopus Virdunenſis; at in Cathalogo Præſulum illius Eccleſiæ apud Franciſcum de Roſieres in libro Stemmatum Lotharingiæ, & apud Democharem, & Claudium Robertum, inter Epiſcopos Virdunenſes eum numeratum non reperio.

Ciaconius An. Victorell in Addit. ad Ciaconiũ Aubery in vita. Panuinius Felix Cõtelorius in Elencho. Ant. Summont in hiſt. Neapolit.

A VI.



AMICVS Agnifilus natione Italus, patria Aquilanus, Coletæ filius, Iuris vtriuſque Doctor, Liberianæ Baſilicæ Canonicus, & Bononiæ primarius ſacrorum Canonum interpres; è quatuor præcipuis Nobilibus ab eadem Vrbe Aquilæ nuncupatis à ſummo Pontifice in Aquilanum Epiſcopum selectus eſt. Regius Alphonſo ab Arragona Conſiliarius, ac Ferdinando percarus ſingulari adiumento fuit in varijs Neapolitani Regni Vrbibus recuperandis, B neque enim generis ſolùm, & literarum ornamento præluxit, ſed armorum etiam rara laude præcelluit. Tantus hic vir Ferdinandi Regis Neapolitani precibus vt creditur, à Paulo II. Presbyteris Cardinalibus titulo ſanctæ Balbinæ primò, mox S. Mariæ Transtyberim adſcriptus, poſt roccam Repeſini, & roccam Aisberniæ Eccleſiaſticæ ditioni ſua ope recuperatas, & mox funditus euerſas, arcem munitiſſimam nunc etiam extantem ad Centum cellarum oram conſtruxit, vt ex multis, ijſque publicis monumentis conſtat, pluribus functus legationibus, cum diuturnam egiſſet vitam, Eccleſiam ornaſſet, ac ſuos ditaſſet, e vita migrauit in ciuitate Aquilæ die 9. Nouembris, anni 1476. & honorificè ſepultus in Cathedrali, in marmoreo ſepulchro cum hoc epitaphio adiuncto.

C
Quatuor, & denos qui rexit Epiſcopus annos
Cardineumque decem geſsit AMICVS onus,
Pauperibus largus, prudens, Canonumque profundus
Interpres, Patriæ, progenieque decus.
Diuitijs Templum hoc ornauit, & adibus ædes
Mente Deum petijt, hunc tenent oſſa locum.

OBIIT AN. MCDLXXVI. PONTIFICATVS SIXTI PP. IV. SEXTO DIE V. IDVS NOVEMBRIS OPVS SYLVESTRI AQVILANI MCDLXXX.

Baptiſta Poggius in Vita m.s. Dominici Capranicæ Cardinalis Firmani, inter viros clariſſimos, qui ex eiuſdem docti, ac religioſi Cardinalis contubernio prodierũt, Æneam Syluium, aliàs Pium II. Iacobum Amanatum, & Amicum hunc, quem vitæ integritate, & Pontificij iuris ſcientia clarum nominat, Cardinales recenſet. Vulgari fama circumuenti Panuinius, Ciaconius, Gammbertus, & alij ſcripſere, Amicum ex oppido, ſeu villa Collis medij diœceſis A- D quilanæ ex paſtore natum, & ipſum pecorum cuſtodem educatum cum ipſis, vſque ad certam ætatem, qua ſe contulit in ciuitatem Aquilæ, vt operam literis daret, ex qua Romam veniens ad Cardinalem Capranicam, euadens doctiſſimus in iure Canonico, & Ciuili, Epiſcopatum Aquilanum à Pio II. Romano Pontifice obtinuit. Inſuper addunt adeo ignobilem illum fuiſſe; vt pro inſignibus ſuis agnum, & librum capite geſtantem ſumpſerit ad originem ſuam, & doctrinam orbi patefaciendam. At contra hos eſt quod Vrbanus Felicius refert, Agnifilorum ſcilicet gentiles, vel ab ipſo conditæ Vrbis Aquilæ initio viros domi, foriſque claros, omnibus eiuſdem ciuitatis præcipuis Magiſtratibus, alijſque patritiorum muneribus egregiè functos fuiſſe. Imò Equites, Regulos, & illuſtres Arragoniorum Regum familiares illos extitiſſe teſtantur publicæ tabulæ annorum 1255. 1344. & 1380. atque ab his etiam originem minimè degenerem duxiſſe Colettam amplisſimi Cardinalis E Amici Agnifili patrem pro comperto habuit Magiſtratus illuſtriſſimus Aquilanus, ac fide indubia teſtimonium publicum obſignauit anno noſtræ ſalutis 1480. Quemadmodum, & gentilitium Agnifilorum ſtemma vetuſtiſſimum, ac longè aliud a Ciacon̄iana interpretatione extitiſſe ab eodem Magiſtratu diligentiſſimè exploratum, teſtatumque eſt.

Ciaconius Panuinius Aubery in vita. Felix Cõtelorius in Elencho.



VII.

FR. FRANCISCVS de Ruuere Ligur, patria Sauonenſis, ordinis fratrum Minorum generalis Miniſter, & in ſacra pagina Magiſter, abſens renunciatus P eſt S. R. E. Presbyter Cardinalis ſancti Petri ad Vincula, titulo Eudoxiæ. Poſt Pauli obitum Cathedram Petri aſcendẽs, dictus eſt SIXTVS QVARTVS, vide plura de illo infra.

VIII.



Ciaconius Aug. Val. in hiſt. Pedemont. Aubery in vita. Leander Alebert. in deſcr. Ital. Panuinius Alphonſ. Loſch. in comp. hiſt. Felix Cõtelorius in Elencho.

THEODORVS Palæologus qui ex Palæologa Orientalium Imperatorum familia ducebat originẽ, Ioannis Iacobi Marchionis Montisferrati, ac Ioannæ à Sabaudia filius, Abbas S. Michaëlis, & S. Mariæ de Lucedio (horum Cœnobiorum primum inter Padum, & Duriam in diœceſi Vercellenſi, olim S. Michaeli nunc ſancto Ianuario ſacrum; alterũ prope Liburnum Canapitij in locis paluſtribus non longè à primo ſitũ) & Monaſterij Graſſiani in honorem Deiparæ Virginis, & SS. Petri, & Chriſtinæ olim, poſtea SS. Victoris, & Coronæ in Montisferrati collibus inter Padum, & Aſtenſem tractum poſitis erecti; ac primus Decanus Eccleſię Collegiatę S. Mariæ Salutiarum, Protonotarius Apoſtolicus, inter Diaconos Cardinales à Paulo huius nominis Secundo cooptatus, præfuit Eccleſiæ S. Theodori; interfuit Comitijs Pontificijs, ac ſuffragium pro Sixto IV. tulit. Sub quo, ex nonnullis, anno noſtræ ſalutis 1481. die 21. ſeu 28. Ianuarij, ſeu ex alijs anno 1484. in ciuitate Aſtenſi è vita migrauit ex vulnere a miniſtro obſoniorum concidente, dum cœnaret, dexteræ caſu inflicto. Cadauer eius honorificè conditum cum maioribus ſuis in Eccleſia Abbatiali Lucedi S. Michaelis, vt diximus tunc temporis dicata.

SECVNDA CREATIO CARDINALIVM.

Die Lunæ 21. Nouembris anno 1468. Põtificatus IV. Paulus II. Romanus Pontifex nouos renunciauit Cardinales, & die Martis eoſdem publicauit: hanc reuera ſecundã Cardinalium enunciationem Ciacon. tertiam nominat: Cardinales autem renunciati, ſunt.

IX.



Ciaconius Panuinius Ferdinãd. Vghel. in Ital ſac. Hier. Gammbert. Franc. Sanſou. in hiſtor. Venet. Dogl. onia in hiſt. Aubery in vita. Felix Cõtelor. in Elencho.

BAPTISTA Zeno, patritius Venetus, Pauli II. ex ſorore nepos, vir planè inſignis, qui decoro, & rariſſimo nexu nobilitatem generis cum morum ſanctimonia iunxerat, ex Epiſcopo Vicentino, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Porticu primò, mox Presbyter S. Anaſtaſiæ, demum Epiſcopus Tuſculanus dictus eſt. Archipresbyteri munus in Baſilica Vaticana geſſit; legatione functus eſt Perusij in Vmbria, & apud Venetos: S. Zenonis nobilem Veronẽſem Abbatiam commendatam habuit, quàm reſtaurauit, atq; exornauit: S. Franciſco Venetijs templum erexit. Et legimus, in reparandis, & inſtaurãdis Eccleſijs, ac pijs locis tum Veronæ, tum alijs ciuitatibus, dum vixit, ad quinquaginta millia ſcutorum expendiſſe: adeo in ſumma fortuna, ſummas opes ex animi generoſitate in Dei honorem fundere ſolitus fuit. Romæ apud Vaticanum domum conſtruxit, quæ adhuc noſtris hiſce temporibus extat, cum ſequenti inſcriptione.

BAPTISTA ZENO VENETVS
EPISCOPVS TVSCVLANVS
CARDINALIS S. MARIAE IN PORTICV
ET EPISCOPVS VICENTINVS
A FVNDAMENTIS EREXIT
ANNO CHRISTI MCCCCLXXXIII.

Deceſſit Patauij die 8. Maij anno 1501. eius corpus relatum Venetias in nobiliſſimo marmoreo ſepulchro magnæ aræ ſimilitudinem gerente tumulatum fuit in ſacello prope porticum Eccleſiæ S. Marci, quod ſex æneæ ſtatuæ ſex Virtutes Fidem ſcilicet, Spem, Charitatem, Prudentiam, Pietatem, & Munificentiam repræſentantes exornant, argumentum futuris, Baptiſtam Zenum, dum viueret, virtutes illas enixiſſimè excoluiſſe. Superiori verò parti ſepulchri, ſtatua item ænea Cardinalis ſpectatur, impoſita ex decreto publico Veneti Senatus, cui magnam ſignatæ pecuniæ ſummam dicitur legaſſe defunctus: Cui ſepulchro impar tamen tantis virtutibus huiuſmodi epitaphium appoſitur.

BAPTISTA ZENO
PAVLI II. EX SORORE NEPOTI
S. R. E. CARDINALI MERITISSIMO
SENATVS VENETVS
CVM PROPTER EXIMIAM EIVS SAPIENTIAM
ET SINGVLAREM PIETATEM
ET MVNIFICENTIAM IN PATRIAM
QVAM AMPLISSIMO LEGATO MORIENS
PROSECVTVS EST M. PP. C.
AETATIS ANNO LXII. OBIIT MDL DIE VIII
MAII HORA XII.

And. Victorell. in Addit. ad Ciaconi.

Cadauer Venetias tranſlatum, diebus multis inſepultum, atque inſigni pompa humatum fuiſſe, ſcripſit Petrus Delphinus: ſingulis annis Dux Venetus, ac purpurati Senatores cum Principum Oratoribus in S. Marci templo anniuerſarijs Baptiſtæ exequijs interſunt, & de eius laudibus ijs audientibus habetur oratio. Triginta tres annos vixit hic in purpura; pijs locis quinquaginta aureorum millia legauit: dum vixit, cum Tito Veſpaſiani filio dicere conſueuerat, à ſe diem illum amiſſum, quo beneficium in aliquem non contuliſſet.

Petrus Bembus hæc de Baptiſta Cardinali ad poſterorum memoriam ſcriptum reliquit; illius verba refero, quæ libenter lector percurret. *Per eos dies Patauij Baptiſta Zenus è Cardinalium Collegio moritur, grandi pecunia, argentoque fabrefacto magno pondere teſtamenti tabulis ſua gentis, & propinquis, & Sacerdotum Collegijs, & Republica relicto. Abſconderat hic Romæ vementis aliquot ante annos auri libras* CCLX. *Anconam ædis ſacræ parieto; de eo Alexander à Senatu certior factus, aurum abſtulit. Zeno ad Vrbem delato funus ampliſſimum publice curatum; laudauit Angelus Gabriel; poſtea ei ex teſtamento in Aedis Marcianæ Porticu ſepulchrum ex ære ponendum locauit.* Ad hunc Cardinalis Papienſis extant epiſtolæ quamplures; illarum vna Zenum adhuc iuuenem hortatur, ne ſtudia literarum deſerat; nam plus ſcribit, *ille ad te honeſtandum afferent ornamenta, quam Zenonia omnis nobilitas.*

Ciaconius Card. Pap. Andr. Victorell. in Addit. ad Ciacon. Petrus Bembus in hiſt. Veneta. Hier. Curt. in hiſtor. Veron. Ferdinãd. Vghell. in Addit. ad Ciacon. & in Ital. ſacra. Felix Cõtelorius in Elencho. Panuinius de antiq. Veron. & de Rom. Pont. Iaſ. Mar. Pasterius in Pia eccl. antiqua. Aubery in vita. Franc. Sanſouin. in hiſt. Ven. Theat. Genealog. Nomencl. Cardinal. Briem in hiſt. Ital.

X.



IOANNES Michaëlius patritius Venetus, Pauli II. ex altera ſorore nepos, ex Protonotario Apoſtolico Cardinalatus pileo ornatus, Diaconijs præfuit S. Luciæ in Septẽſolijs, ſeu Septiſolio, tum S. Angeli. A Sixto IV. Pauli ſucceſſore Presbyter tit. S. Marcelli, & ab Innocentio VIII. Albanẽſis primò, deinde Præneſtinus, demùm Portuenſis Epiſcopus, ac Patriarcha Cõſtantinopolitanus renunciatus eſt. Eccleſias Veronenſem, ac Patauinam rexit hanc ſcilicet ab anno 1485. vſque ad 1488. primam ab anno 1471. vſque ad obitum: Epiſcopatum Veronenſem repugnantibus per ſeptennium ciuibus obtinuit. Illi enim aſſerebant, ſe olim à Venetorum Senatu decretum obtinuiſſe, quo cauebatur, ne Pontificis dignitas cuiquam deinceps daretur, qui apud ipſos in ciuitate non eſſet permanſurus. Verum poſt diuturnam concertationem tandem ille voti compos factus, vt ad placandam populi inuidiam, magnificentiæ ſuæ inſigne aliquod ſpecimen daret, palatij Epiſcopalis tantam in auguſtiorem formam erexit; ac ſtatuis marmoreis, & columnis exornauit, vbi hæc legitur inſcriptio.

IOANNIS MICHAELIS VENETI CARD.
SANCTI ANGELI ET VERONEN.
EPISCOPI MVNIFICENTIA
ANNO SALVTIS MDII

Et in baſe dextera.

DEO OPTIMO MAXIMO
EPISCOPIO
ET REIP. VERONEN.
MATTHIA VGONIO
BRIX. VICARIO
CVRANTE.

In ſiniſtra verò.

PROLIS
IMPROLISQVE
PAR ADITVS
DISPAR EXITVS.

Huius Epiſcopi opera Archidiaconatum, ſecundam, & vetuſtiſſimam dignitatem in Veronenſi Eccleſia, vt Pontificum, ac Cæſarum monumenta teſtantur, Sixtus IV. diplomate edito viij. Idus Aprilis anno 1475. reſtituit. Hoc Præſule Fridericus Romanorum Imperator, cum in Germaniam tenderet, Veronam ingreſſus, in Epiſcopium à Clero, totoque Senatu deductus eſt.

Sub Innocentio VIII. contra Ferdinandum Regem Neapolitanum legationis munus geſſit, ſuaque dexteritate planè mirabili toti Italiæ pacem tandem concupitam ſanciuit. Sed tantæ Cardinalis Michaelij felicitati, & ingentibus tum ex ampliſſimo patrimonio, tum ex Eccleſiaſtico cenſu opibus interceſſit inuidia: quare inſidijs, ac ſuaſu Cæſaris Valentini Borgiæ in Hadrianam molem coniectus veneno paulò poſt miſerè perijt, die 10 mẽſis Aprilis anno 1503. In morte quatuordecim aureorũ millia in ædificationẽ Cathedralis Eccleſiæ Veronenſis, & omnem ferè precioſiſſimam ſupellectilem tum Patauinæ, tum Veronenſi Eccleſijs legauit. Corpus defuncti Cardinalis nobile ſepulchrum obtinuit in Eccleſia S. Marcelli, cum hac Inſcriptione.

IOANNI MICHAELIO PATRITIO VENETO EPISC.
PORTVENSI S. ANGELI CARD.
AC PATRIARCHAE CONSTANTINOPOL. PAVLI II.
PONT. MAX. NEPOTI, QVI IN REBVS ARDVIS
SENATORIIS MAXIME ELOQVENTIA
INTEGRITATE EMINENTIQVE INGENIO PRÆSTANS
AB INNOCENTIO VIII. IN CASTRIS
CONTRA FERDINAN. NEAPOLITANI REGEM
LEGATVS PACEM IN MAGNAM
ITALIÆ QVIETEM COMPOSVIT. OBIIT ANNO MDIII.
DIE X APRILIS ÆTATIS VERO SVÆ LVII.

Hunc, & Baptiſtam Zenum amicos diligebat Papienſis Cardinalis; vtriſque eadem epiſtola ſcripſit: *Studio virtutis, & doctrina nil vel ad Sacerdotium bene gerendum, vel adiuuandam Eccleſiam, in qua nouellæ plantæ Domino creſcitis, vel ad aſſequendos honores, vtilius eſt. Ad retinendam quoque manſuetudinis, & bonæ mentis æſtimationem, nil veſtra concordia, & mutuæ charitatis officio magis neceſſarium.* Michaëlio autem ipſe idem Papienſis ſcribens hæc habet: *Video nil tibi deeſſe, quod ad bene operandum literæ ſacræ admoneant: Lætatus ſum plurimum ingenio tuo, & mihi congratulor, quod amer ab eo, tumque amem, quo pleno gradu ſemitam laudis ingrediuntur. Sic facito ſemper Ioannes, & quæ intelligis ſerua, & quæ didiciſti, operibus comproba.* Baptiſtæ verò Zenonio Cardinali. *Bonam famã tu, & Ioannes frater ſic cuſtodite, vt qui vos amant, de vobis loqui intrepide poſſint.*

Fuit Michaëlius vir magni ingenij, doctrinæ, & pietatis cultor; doctorum hominum fautor, & pauperum pater ab eius æui hominibus appellatus eſt.

TERTIA CREATIO CARDINALIVM.

Anno Dominicæ Incarnationis 1471. *Pontificatus VII.* Romæ Paulus II. tertiò, ex Ciaconio verò quarto in ſecreto Conſiſtorio renunciauit Cardinales ea conditione, vt eueniente obitu Pauli, ſtatim intelligerentur publicati, darique fuerunt eidem tituli Cardinalatus. Sed a Sixto IV. Pauli ſucceſſore non fuerunt habiti, neque recepti, nec Cardinalatus inſignibus decorati, prout cauetur in Conſtitutione Eugenij IV. cui fuiſſe per clauſulas generales derogatũ conſuluit Alexander Imolenſis conſilio 3. & 278. libri 3. refertur etiam Iaſon in conſilio 145. libri 2. ſed eum in alio caſu conſuluiſſe putarem, quia in Diplomate Pontificio, quod refert Conſtitutioni Eugenianæ expreſſe derogatum affirmat, quod factum non fuit in literis creationis dictorum quatuor Cardinalium, qui fuerunt.

Ioannes Vratiſlauia oriundus, Archiepiſcopus Strigonienſis, de quo, vel quod maturiùs alijs obierit, vel quod alia fuerit ratione præteritus, nulla poſtea habita ratio.

Petrus Fuſcarus Venetus.

Ioannes Baptiſta Sabellus Romanus.

Franciſcus Ferricus Burgundus de Cluniaco.

Hos tres Sixtus IV. annis 1477. & 1480. denuo Cardinalibus adſcripſit; quare hæc Pauli Cardinalium enunciatio irrita fuit.

EPISCOPI CARDINALES à Paulo II. Romano Pontifice creati.

Ludouicus Scarampus de Mediorata, ex Presbytero tituli Sancti Laurentij in Damaſo, Eugenij IV. Epiſcopus Card. Albanenſis.

Latinus Vrſinus ex Presbytero SS. Syluestri, & Martini in montibus, Nicolai V. Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis.

Richardus Oliuerij ex Presbytero tituli S. Euſebij, Calliſti III. Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & S. Ruffinæ.

Philippus Calandrinus, ex Presbytero S. Laurentij in Lucina Nicolai V. Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & S. Ruffinæ.

Tituo.

XI.



THEODORVM Lælium Epiſcopum Taruiſinum inter Cardinales à Paulo II. renunciatos recenſent Panuinius, & Ciaconius, qui addit, antequam pileum rubrum fuiſſet adeptus, deceſſiſſe, & morti affuiſſe Paulum, qui pijs adhortationibus, & ſignis charitatis vrgentem mali vim temperare conatus.

Nomencl. Cardinal.

Scripſit Apologiam fœderis Venetorum, & Sigiſmundi Auſtriaci.

Gratulationem pro Pio II. ad Venetiarum Ducem.

B Orationes quinque, videlicet, primam ad Regem Francorum pro Pio II. de defenſione iuſtitiæ inueſtiturę regni Siciliæ: ſecundam ad eundem Regem pro defenſione fidei Catholicæ, & præſidio contra Turcas conferendo: tertiam contra Huſſitas, & de iuſto anathemate Sigiſmundi Auſtriaci, & Palatini: quartam ad Burgundiæ Ducem pro accelerandą expeditione in Turcas: quintam aduerſus Sigiſmundum Auſtriacum pro reſtitutione Præpoſiti Brixienſis. Quæ omnia extabant olim in Bibliotheca Sirleti.

Epiſtolas item multas, & elegantes nomine Pauli II. & ſuo etiã quaſdam ad Papienſem Cardinalem, Philelphum, & alios.

Grammaticam quoque, cuius meminit Bibliotheca vniuerſalis.

Et ſcripta quædam aduerſus Gregorium Heimbergium.

Romæ è vita migrauit, & iacet in æde ſacra S. Mariæ Nouæ cum hoc epitaphio.

C

THEOD. LAELIO TARVI
SINO EPISC. DIVINI HVM
ANIQVE IVRIS CONSVL
TISSIMO AC PAVLI II.
PONTIF. MAX. REFEREN
DARIO QVI VIX. AN. XX
XVII. MEN. II. DIEBVS XXII
GASPAR LAELIVS FACIVN
DVM CVRAVIT MILLE CC
CCLXVI. PRIDIE KL. APR.

Hic tamen de albo Cardinalium delendus eſt: tum quia in libris ſacri Collegij, & literis Pontificijs non reperitur deſcriptus: tum quia deceſſit, cum eſſet ſolummodo Epiſcopus Taruiſinus, vt patet ex inſcriptione ſepulchrali. Ex io Conſiſtorio die 17. Aprilis anno 1466. Franciſcus de Perroſis Canonicus Bergomenſis promotus eſt ad Eccleſiam Taruiſinam vti vacantẽ per obitum Theodori Epiſcopi. Ideoque cum Theodorus poſt decem, & nouem menſes à creatione quam recenſet Ciaconius, enuncietur ſimplex Epiſcopus, nec vlla offeratur cauſa priuata, vel publica, ob quam tot menſibus non fuerit habitus pro Cardinali; hinc eſt, vt illum inter Cardinales numerare nequeunt Felix Contelorius, Andreas Victorellus, Aubery, & alij. Inſuper ex epiſtola Cardinalis Papienſis ad Nicænum de eiuſdem Theodori laudibus, & obitu, Cardinalem non fuiſſe apertiſſimè conſtat: audiamus hominem ſic ſcribentem.

D

Aud. Victorell. in Addit. ad Ciacon. Felix Contelorius in Elencho. Ferdinãd. Vghell. in Addit. ad Ciacon. Berthol. Borchelin in Hiſtor. Taruiſin.

MISERI *quid ſumus Reuerendiſſime Nicæne? aut quò recidunt conatus noſtri? Vapor eſt ſimile, quod viuimus. Floremus manè, & tranſimus: veſpere decidimus, atque areſcimus. Vidiſti quanto in honore eſſet nuper apud Pontificem Præſul Taruiſinus, quantaq; illi haberetur ſecretorum omnium fides. Nulla epiſtola, nullum decretum, quod modo momenti eſſet, ſcribebatur, quod illius non eſſet opus. Quicquid cum gloria Romanæ Sedis vbique per nationes, & regna eſt lectum, ex officina eius id fuit. Facilè inueniebat quod diceret. Dicebat grauiter quod adinuenerat. Vbertas orationis tanta affluebat, vt obruerentur ſæpe vel legentium, vel audientium animi. Adducere ex ſacris libris egregios locos, ſiue Ius Pontificium, ſiue ſcripta veterum, & nouorum requiras, non plus in labore erat, quàm in quotidianis ſermonibus agere. Tenaxingenſque memoria ſubminiſtrabat affatim quod erat neceſſe. Admirabamur omnes hominis linguam, & pectus. Laudabamus, & dignum ſummis honoribus iudicabamus. Ecce quomodo breui momento ceciderunt omnia, & ſtudia tot anguſtijs conquiſita, vna morte abierunt. Grandem iacturam ſors noſtra huius obitu fecit, nec eſt redemptura quod perdidit. Inuenire eſt, qui doctrina tantum excellant, & qui eloquentia, & qui vſu rerum, & qui ſola integritate vitæ, at verò qui omnibus clareat hiſce, & operoſum, & rarum. Accedebat in Taruiſino ſumma religio, ſumma charitas, ſummus zelus, ſumma humanitas, faciles ad eum tot in curis acceſſus erant, benigna reſponſa. Aduentum deſideria ſic excipiebat, vt propemodum ſua facere illa videretur. Teſtimonium hominis vbique erat laudabile, vbique prædicabatur. Vacans à publicis vel lectioni, vel diuinæ rei operam dabat. Ea erant refrigeria ſua, &*

A

occupatæ mentis leuamina. Nec vagabatur, nec otioſus errabat: vel cella, vel Pontificis Aula viciſſim erant curriculum. Vtrobique fidelis inuentus eſt miniſter. Diligebat illum ſummo affectu Paulus, & virtuti ſuæ omnia tribuebat: mecum decò aliquando ſermonem habens, interiora quædam bonæ mentis teſtimonia protulit, antea mihi ignota. Eſt, inquiens, miri ardoris ad tuendum dignitatem Eccleſiæ. Conſilia eius intrepida ſunt, non reſpiciunt in potentium facies, nec propter minas langueſcunt. Quæ Veneti noſtro imperio coacti ſunt emendare, quia hic Epiſcopus dictat, incitationi ſuæ aſcribunt, & durè in eum aliquando loquuntur. Ipſe tamen hæc non ignorans, nihilo ad bonum opus remiſſior redditur. Nouiſſimè quoque cum renunciatum eſſet ei remedia vndique conquiſita ægritudini conceptæ non ſubuenire, dolens, ſuſpiranſque, moritur. at Præſul inſignis, Præſul perfectus, quales eſſe reliquos oportet. Erat in eo non ingenium modo, & litera, & mens, & eloquium, ſed prudentia, & timor Domini, & conſcientia recta.

B

Rara ſanè tot, tantorumque bonorum coniunctio. Si ergo Romanus Pontifex, qui experimentis quotidianis hominem totum nouerat, tanta illius virtutibus tribuit, quid à nobis commenti tribui, qui ſola extrinſeca intuentes, vno omnium iudicio illuſtria putabamus? Quadrageſimum adhuc non attigerat annum, & tanta apparebat bonorum operum fœcunditas. Vix Pontificatum inierat Paulus, & tot iam miniſterij ſui monumenta extabant. Flendus, flendus eſt à nobis hic caſus eius, non propter eum, qui hoc carcere exutus, meliorem vitam ſortitus eſt, ſed propter nos, qui tantum lumen amiſimus. Inſigne talentum, quod ad lucrum conferri longo tempore poterat, cum poſſeſſore ſuo ſublatum eſt. Et cui vltima operanda erat canities, Neſtoriſque, ac Mathuſalem anni, prima, ac melior vitæ pars eſt intercepta. O fragilem conditionem vitæ humanæ! quæ antè deſinit, quàm inchoetur, & antè nos doloribus opprimit, quàm gaudij initium ſentiamus. Non parcitur vlli hominum generi, non meritis vllis, ſimul diues, & pauper, inſipiens, &

C

ſapiens perit. Omnium verſatur vrna, *(inquit Flaccus,)* ſerius, ocyus: ſors exitura, & nos in æternum exilium impoſitura Cymbę. *Neſcio autem quo pacto præcedunt ſemper meliora, relictis peioribus. Stupei, & plumbei, & inertes, quorum vita oneri, longiſſimam viuunt vitam. Qui verò nati ad ſalutem ſunt, primo ipſo laudis aditu tolluntur è medio. Guſtata dona non ſinuntur diu eſſe nobiſcum, ſed in ipſo guſtu nos deſerunt. Ego Nicæne coniunctione tanti Præſulis deſtitutus maximum amiſi vitæ meæ ſolamen. Diligebamus nos inuicem, quàm diligi maximè poterat. Amor noſter Pij temporibus inchoatus, effectus continuus ex illo initio creuerat. Merita mea ſua, quæ non vulgaria erant, commemorabam ego illi ſæpe, ille viciſſim mihi meam ſi. Conſolationem capiebat à me in laboribus, qui ei ex Pauli Pontificatu erant, ab illo ego in aduerſis meis. Omnis noſtra animi ægritudo inuicem communicata, alternis obſequijs*

D

ſtatim leuior fiebat. Deſiderio immenſo deſiderabam, vt aliquando virtutis ſuæ digna ratio haberetur, & nobiſcum ſederet ad Romanæ Sedis conſilium. Debitus enim hic gradus honorque ei erat futurus aliquando, ſi mors non præueniſſet. Magna autem Senatui noſtro fuiſſet facta acceſſio, ſiue actionem quæras, ſiue conſilium. Præterita, præſenteſque adminiſtrationes ſuæ hoc de illo nobis ſpondebant. Ad tribunal Rotæ, quod eſt in Eccleſia maximum, ſic annos complures ſedit, vt documenta futuræ laudis notiſſima omnibus daret, & iudicium vllum à ſe iudicatum, vllo prouocationis iudicio damnaretur. Sententia eius veritatis, & iuſtitia lex putabatur. Conſulente aliquando beatæ memoriæ Pio magnis de rebus, & grauibus Iudices Collegij ſui, huic ſemper conficiendi, & ſcribendi conſilij cura demandabatur. Rarò ad ea quæ inuenerat additum aliquid eſt, vel diminutum. Vt attulerat, ſic omnium iudicio probabantur, nec minus cum recitabantur Pontifici, eius ſen-

E

ſui congruebant. In Galliam ab Oſtienſi Epiſcopo ductus, qui per ea tempora legationem gerebat, tanta virtute eius onera pertulit, vt quod iuſte, quod integrè, quod diligenter eſt factum, huius induſtriæ putaretur. Idem, quem dico, Oſtienſis, mecum de homine loquens, id ipſum ſæpe aſſeruit, & addidit: quod ex eo tempore illum ſemper dilexerit, illam legationem cauſam fuiſſe. Miſſus à Pio annis ſequentibus ad Venetos Orator cauſam, quæ aduerſus Sigiſmundum ex Principibus Auſtriæ agebatur, magno ingenio, magniſque contentionibus tutatus eſt. Impietatem eius detexit, & neceſſitatem iudicij protulit, quod in illum eſt factum. Reuerſo autem habita à Pio gratia ſunt, & fides eius laudata. Iterum ad Ludouicum Francorum Regem iuſſo proficiſci, ad mandata, quæ cum Collega ei erant communia, priuata quædam magni momenti addita ſeorſum ſunt, quæ antè eam diem nulli fuerant credita. Elegit videlicet fidem hominis Pius, vbi tantum eſſet virtutis, pu-

F

tans publicis damnis errari non poſſe. Ad Regem verò perueniens, duabus orationibus cauſas neceſſarias duas pro Pontifice egit, quarum altera Regni Neapolitani corona Ferdinando data defenſa eſt, & calumniæ purgatæ, quæ Pio erant impoſitæ. Alteram hæreſim Huſſitarum, & in Georgium Boemiæ Regem, illius aſſertorem inuectus eſt, anathemaque in Sigiſmundum, quem dixi, & Palatinum Rheni, iuſtum monſtrauit, quod ille deceptus mendacijs iniquum putabat. Habuit & tertiam, quæ ad contribuenda in Turcos ſuffragia eum Regem hortatus eſt. Factum verò his ſtudijs vi-

dimus,

A *dimus, vt omnia apud Ludouicum pacatiora nobis quam ante, & meliora ſint reddita. Tranſiens inde ad Philippum Burgundiæ Ducem argumentis, exemplisque innumeris ad reddendum Domino votum, quod vouerat, quarta actione incitauit. Vbique, & animi magni, & ſummo ſapientia Præſul eſt habitus, premiſque non Gallicanis auribus, ſed ſedis Apoſt. officio inſeruiuit, libertatem loquendi, monendique a ſpiritu ſumens. Reuerſus ad Pium cum horas amplius duas in referendis quæ egerat abſumpſiſſet, tanta tamen ſuauitate, & ſplendore orationis eſt vſus, vt ſine fallo, nobis qui circumſtabamus teſtatus ſit Pontifex, propter elegantiam eius nec ſenſiſſe ſe tempus, nec ſtudium. Idipſum contigit & nobis, cum legationis quoque noſtra ſeorſum enunctaorationem pluribus explicaſſet. Hunc vnum ab illo tempore ex Præſulum numero dilexit Pius, & hunc vnum laudauit, gratulanſque eidem Cytharam appellabat ſuam, quod videlicet illa eſſet vſurus, ſi quando vel alliciendi, vel monendi, vel refellendi Principes eſſent. Plura* B *huiuſmodi de Taruiſino poſſent referri, ſed & longum eſſet, & creſcente oratione creſcit pariter dolor. Præſtemus Nicæno defuncto quod poſſumus. Colamus memoriam eius, & benedicamus ſpiritui recto, vnde in nos charitatem ſpirabat: pijs quoque ſuffragijs fidelem animam adiuuemus. Quanquam remetiens ego anteactam vitam eius, & nunc mortem conſiderans, facile adducor, vt credam liberum redditum patuiſſe illi in cælum, interque Sanctos Dei ipſum nunc agere. Vixit enim innocenter, & operatus eſt iuſtitiam, & incidens in languorem patienter tulit omnia. Domino quoque totum ſe credidit, ita affectus redigens ſuos, vt quicunq; ſequeretur caſus benediceret illi, & voluntatis ſuæ opus agnoſceret. Infirmanti, & mortuo pietatis omnia ſunt perſoluta officia. Adiutus à ſuis eſt, & ab amicis non derelictus. Pontifex etiam Paulus, cui ad naturam miſericordem accedebat amor in Taruiſinum paternus,* C *dignatus eſt ad eum accedere, pauperis Epiſcopi intrare cubiculum, aſſiſtere ægroto, & pijs adhortationibus vrgentem vim mali leuare. Mortuum quoque amare fleuit, & benedictionibus eſt proſecutus. Sunt illi vitæ terminus hic fuit, manet nunc noſter nos. Secuturi illum ſumus poſt paulo, ac rediturí vnde proceſſimus. Oremus Deum, Pater Nicæne, vt in pace ſit tranſitus noſter, & ſpatium accipiamus paranda nobis in æternum ſalutis.*

XII.

INTER Cardinales à Paulo II. renunciatos anno 1468. recenſet Petrus Frizonius HVGONEM de Coattreteez natione Gallum, qui Eccleſiæ Trecorenſis lituum tenuit, inauguratus anno 1466. & Franciſco II. Britanniæ Duce, Epiſcopatum reliquit, cedidque Chriſtophoro de Chaſtel: addito; in paterna domo ſpiritum exhalaſſe extremum, & ſepultum in Cathedrali Trecorenſi in templ Choro, ad cornu Euangelij; ac ſcutum geſſiſſe quadri- D partitum; in cuius prima ac quarta parte cum laterculo miniato, faſcia argentea, in ſecunda & tertia cum quadrante argenteo Leo miniatus viſitur.

At hic quoque mea quidem ſententia, de Cardinalium albo delendus, eſt cum in libris ſacri Collegij, & literis Pontificijs non reperiatur deſcriptus; & nulla ſit de eo memoria in monumentis Vaticanis.

VICECANCELLARIVS S.R.E.
ſub Paulo Papa II.

Rodericus Lenzolius Borgia Valentinus Hiſpanus, Diaconus Cardinalis ſancti Nicolai in Carcere Tulliano S.R.E. Vicecancellarius Calliſti III. Nepos.

CARDINALES MORTVI
ſub Paulo II. Pontifice.

Mag. Fr. Petrus de Fuxo Iunior, Gallus ordinis Minorum Presbyter Cardinalis ſancti Stephani in Cœlio Monte, deinde Epiſcopus Cardinalis Albanenſis è vita migrauit die 13. Decembris anno 1464.

Ludouicus Mediarota, ſeu Scarampus Patauinus Presbyter Cardinalis S. Laurentij in Damaſo, poſtea Epiſcopus Albanenſis, die 22. Martij anno 1465.



Huiuſce Cardinalis numiſma ſupra in eius vita prætermiſſum hic exprimi curauimus, ne tanti Cardinalis, qui multa pro Eccleſia Romana præclare geſſit, memoria vnquam pereat.

At quia poſt editam eius vitam contigit nobis videre in Sacrario Eccleſiæ S. Laurentij in Damaſo Ludouici ſepulchrum, & ſepulchralem inſcriptionem oculis percurrere; placet hic iſtam fideliter reſcribere, quam lector B in aliquibus diſſimilem ab illa, quam nos ſupra, & alibi referunt ſcriptores.

D. O. M.

LVDOVICO PATAVINO
Patriarchæ Aquileienſi, Albano Pontifice, Titulo D. Laurentij in Damaſo, Card. S.R.E. Camerario. Quod animi magnitudine, & ſingulari præditus prudentia, cum rem Romanam multitudine Hoſtium laborantem, Legatus ab EVGENIO IIII. *in ſplendorem priſtinum Armis, & Victorijs vindicaſſet; Nicolaum Piccininum apud Anglariam Florentinos Eccleſiæ ſocios infeſtantem ſignis collatis profligaſſet; agrum Picenum a Franciſci Sfortiæ dominatu in ditionem Romanæ Eccleſiæ recuperaſſet. Turcas ſub* CALLISTO III. *nauatibus prælijs contudiſſet. Auctoritatem Rom.* C *Pontificatus longe, & late propagaſſet; domeſticis quoque Virtutibus, Conſilio, Grauitate, Continentia, plurimis denique omnibus bonis liberalitatis, & beneficentiæ monimentis bellicas laudes ornatiores reddidit*
Henricus Brunus Archiepiſcopus Tarentinus, Summ. Pont. ſacrique Senatus a Secretis, Ærarij Apoſtolici Præfectus, tanta virtutis in lucem reuocandæ cauſſa, quoque veterem ſuam in eum obſeruantiam hoc recenti pietatis officio teſtaretur; hoc illi monimentum quadrageſima ab eius morte anno, ſua pecunia faciundum locauit.
Anno Salutis M D V. XII. Kal. Aprilis.
Vixit Annos LXIII. Menſes IV. Dies VIII.

SEQVVNTVR ALII CARDINALES MORTVI
ſub eodem Paulo II.

D Ludouicus de Albretto Gallus, Presbyter Cardinalis SS. Petri, & Marcellini, obijt die 4. Septembris anno 1465.

Theodorus Lælius Epiſcopus Taruiſinus, qui à Ciaconio, & Panuinio recenſetur inter Cardinales à Paulo II. renunciatos, vitam reliquit initio anni 1466.

Brocardus Præpoſitus Salisburgenſis, Presbyter Cardinalis ſanctorum Nerei, & Achillei, die 16. Februarij anno eodem 1466.

Iacobus Thebaldus Italus, Presbyter Cardinalis ſanctæ Anaſtaſiæ die 3. vel 4. Septembris anno 1466.

Iacobus Cardona Hiſpanus Presbyter Cardinalis die prima Decembris anni eiuſdem 1466.

Ioannes de Mella Hiſpanus, Presbyter Cardinalis primò SS. Aquilæ, & Priſcæ, deinde S. Laurentij in Damaſo, die 13. Octobris anno 1467.

Mag. Fr. Ioannes de Turrecremata Hiſpanus, ordinis Prædica- E torum, Presbyter Cardinalis S. Sixti, poſtea Calliſti, demum Epiſcopus Sabinenſis die 26. Septembris anno 1468.

Petrus Schouumbergh Germanus, Presbyter Cardinalis S. Vitalis, die 14. Aprilis anno 1469.

Ioannes Carauagial Hiſpanus, Diaconus Cardinalis S. Angeli in Foro piſcium, poſtea Presbyter S. Crucis in Hieruſalem, deinde Epiſcopus Sabinenſis, demum Oſtienſis, die 6. Decemb. an. 1469

Richardus Oliuerius de Augio Longolius Gallus, Presbyter Cardin. S. Euſebij, poſtea Epiſc. Portuen. die 19. Aug. anno 1470.

Stephanus de Varada Hungarus Presbyter Card. SS. Nerei, & Achillei circa menſem Iunij an. 1471. ex aliquibus tamen an. 1473.

FINIS SECVNDI TOMI.

Legatoria
R. SAL[illegible]A
Via Val [illegible] 66
Tel. [illegible] — ROMA